S. CÆCILII
CYPRIANI
OPERA

Recognita & Illuſtrata

A JOANNE FELLO,

OXONIENSI EPISCOPO.

Bibliothecæ S.ti Petri-montis
1701.

Accedunt

ANNALES CYPRIANICI,

SIVE

D. 24.

Tredecim annorum, quibus S. Cyprianus inter Chriſtianos verſatus eſt, brevis hiſtoria Chronologicè delineata

A JOANNE PEARSONIO,

D 95

CESTRIENSI EPISCOPO.

Editio Tertia cui additæ ſunt DISSERTATIONES CYPRIANICÆ

HENRICI DODWELLI.

OXONII

Et Veneunt PARISIIS via Jacobæa.

Apud LUDOVICUM GUERIN, ſub inſigne D. Thomæ Aquinatis.

M. DCC.

LECTORI S.

QUANQUAM præfandi onere magna me ex parte levavit, eruditiſſimis ſuis Annalibus Cyprianicis, Frater meus omnibus nominibus mihi dilectiſſimus; tamen quædam ſuperſunt, de quibus Lectorem admonitum fuiſſe minime pigebit. Et primo inſtituti mei rationem reddere par erit, quod B. Martyrem quem edendum ſuſcepi, ad quæſtionem denuo vocaverim; & ſi non capite plexum, artubus detruncatis, mutilum ſaltem atque mancum dimiſerim: Tractatibus nimirum plurimis qui Cypriani operibus hucuſque inſerebantur, exauctoratis; id egerim, ut jam pars minima ſit ipſe ſui.

Norunt eruditi, in quantum rei literariæ damnum ceſſerint ſuppoſititia ſcripta magnis inſignita nominibus, fraude ad librariorum compendium inſtituta; quibus mendacio pretium facere pro mercatura habetur. Hinc comparatum eſt, ut ſtatuæ aureæ non modo pedes lutei; ſed & vivo corpori, putridum cadaver ſubinde jungantur. In ethnicis literis hoc quidem facilius ferendum; quid enim magni refert ſi Oratio una aut altera ſemibarbara Ciceroni aut Saluſtio; vel futile Carmen Virgilio aut Ovidio tribuantur? Sed cum in Pietatis negotio, & SS. Patrum ſcriptis hoc intervenerit, dici vix poteſt, quanti malum iſtud ſteterit. Ex noxa hac non modo hæretica dogmata decus ſibi & honeſtamentum quærunt; ſed fides & auctoritas, quibus ſacra illa monumenta unice pollent, languent inde & evaneſcunt: & poſtquam fucum in aliquibus detexerit Lector; de aliis dubitabit, & demum omnia deſpiciet. Nec ex nupero maleficio hæc paſſus eſt Cyprianus, cui

ſeculo quarto imputabantur Novatiani hæretici ſcripta; Cypriani ψευδεπίγραφον hæreſeωs librum appellat Hieronymus, cujus etiam meminit illi ſuppar Ruffinus. Neque intra iſtos limites ſtetit injuria, ſiquidem non modo ſuppoſititii libri Martyri noſtro inſcripti fuerant, ſed & ſubdititius Cyprianus terrarum orbi obtrudebatur, homo flagitioſiſſimus & Magus: de quo alibi dabitur differendi locus.

Agnoſco Tractatus quos eliminandos curavi, criticæ ſacræ Auctores olim falſi inſimulaſſe; & nuperos Editores, quaſi gradu ſubmotos, ſeorſim repoſuiſſe; ſed interea temporis, illi ipſi Editores, aut quæſtionem de eorum ſtatu intactam præterierunt; aut pro aliquibus ipſi fidejubebant; quod præ aliis fecit Pamelius; de nonullis enim ait, Stylus ipſe, & Scripturæ citatæ certo convincunt eſſe D. Cypriani genuina. De aliis addit, Etſi ſtylus nonnihil hæſitationis adferat, multa tamen ſunt, quæ aut D. Cypriani eſſe perſuadent, aut ad minimum ſcriptoris æque vetuſti. Cujus cenſuræ eminentiſſimi Cardinales Bellarminus & Baronius aliique nonnulli, quibus error inveteratus pro antiquitate placuit, adſtipulati ſunt. Inficias non iverim, eorum nonnulla quæ à me notantur, luce publica ſatis eſſe digna: ſed non hic agitur quam boni ſint libri, ſed an Cyprianum habuerint auctorem; & an iiſdem cum ipſo auſpiciis in medium procedere, & eodem cum ipſo lare uti debeant.

Floreat per me licet, & in doctorum manibus feratur, de Symbolo Apoſtolorum commentarius; ſed hoc fieri nolim cum Martyris noſtri moleſtia, & Ruffini qui ſcripſerat damno. In apricum procedat de Cardinalibus Chriſti operibus ſatis grandis liber; ſed inter Arnoldi Bonæ-vallis Abbatis opera prodeat, in cujus MSS. codicibus etiamnum paſſim cernitur: niſi quod Impoſtor qui Cypriano aſſignabat, ut fucum celaret, in principio operis pagellas aliquot de ſuo addiderit, quæ in Arnoldi libris, quos vidi, minime occurrunt. De Singularitate clericorum opuſculum, locum aliquem habeat; ea lege ſi aut Origenes, aut Gaudentius Brixianus, aut alius aliquis circa ſeculum milleſimum ſcriptor, quo tempore lis iſta in Occidente maxime fervebat, pro ſuis agnoſcere ſuſtineant. Altercationi inter Jaſonem & Papiſcum quæ Origenis tempora anteverterat, & Celſo convitiandi materiem præbuit, tandem aliquando modum ſtatui velim; ſed arbitrio Celſi alterius qui ſe pro interprete venditavit, & extra cujus præfationem nihil ad nos perveniſſe deprehenditur. Duodecim abuſiones ſeculi, quæ tamen in co-

dicibus

dicibus plurimis MSS. Auguſtino tribuuntur, tandem ſibi habeat bonus ille, qui Eraſmo judice conſcripſerat, laicus; ex Pamelii conjectura Erardus nomine; aut etiam fuerit ille S. Patricius, qui Hibernorum Apoſtolus dicebatur, quod nonnulli ſenſerunt. Certe in linguam gentis noſtræ veterem olim transferebatur, & in Manuſcripto volumine admodum antiquo Homiliarum Saxonicarum locum invenit, ſub hoc titulo; De duodecim abuſivis ſecundum diſputationem S. Cypriani Epiſcopi & Martyris. Ego quidem hoc unum contendo, ut decimatertia abuſiva non addatur, nominis Cypriani injuria.

Porro inter ſe diſtribuant perſonati Declamatores, proluſiones ſuas de Spectaculis, de Diſciplina & bono Pudicitiæ, de Laude Martyrii, de Duplici Martyrio, de Venia Lapſis non deneganda, de Aleatoribus, de Montibus Sina & Sion, de Judæis qui inſecuti ſunt Dominum Jeſum Chriſtum, cum Carminibus quæ muſis invitis nata: ſub hac exceptione, ut longe à bonarum literarum finibus ablegentur, nugarum refertiſſimæ ſarcinæ, Cœna Cypriani, Revelatio capitis Joannis Baptiſtæ, quæque ad Magum Antiochenum pertinent, Pœnitentia, Secreta & Orationes Cypriani, de quibus hoc unum dicendum, quod eorum nonnulla plus mille annos jactant.

Supereſt demum opus quoddam Paſchale Cypriano noſtro tributum, de quo viri docti varie ſentiunt. Probabile omnino eſt, illum ipſum eſſe librum qui à Paulo Diacono (quem aliqui immani errore Pontium Diaconum dixere) laudatur titulo Chronici valde utilis, quod compoſuiſſe Cyprianum dicit. Certe Martyris noſtri ſeculum per omnia refert, & Paſchales tabulas pro naſcentis Eccleſiæ ſtatu non bene conſignatas exhibet; porro S. Scripturas ipſiſſimis Cypriani verbis ſubinde laudat. Qualis qualis ſit liber, ad Cottoniani & Remenſis MSS. fidem quantum fieri potuit, emaculate edendum curavimus. Et parcent mihi ſpero B. Martyris manes, ſi in purgato ſolo, ſacram ipſius imaginem ſtatuam, ejuſdemque baſi uncialibus literis inſcribam; Procul hinc, procul ite profani. Quantumcunque adſcititia moles accreverit Auctori noſtro, tantum juſtæ ejus ſtaturæ deceſſit; & quo grandius factum eſt volumen, liber tantundem diminutus eſt.

Interim, ut Lectores illos demerear, quos quidem non paucos eſſe intelligo, quibus ingens liber par lucrum eſſe videtur: Spurios Tractatus univerſos, Cypriano olim adſcriptos; cum mantiſſa ſatis liberali quorundam hucuſque ineditorum,

ſeorſim imprimendos curavi; tali etiam forma, ut cum genuinis commode jungi poſſent: Ut nemo queratur, ſe expectata merce fraudatum.

His de operis ſumma præſtitutis, proximum fuerit de ejuſdem partibus, hinc inde novo ordine digeſtis rationem reddere. Et revera ſiquidem Editores fere omnes id juris ſibi arrogaverant, ut proprio judicio libere uti velint; alii Epiſtolas in quatuor, alii in quinque libris collocarent, alii in unum faſciculum compingerent, alii ſeorſim reponerent, alii demum cum Tractatibus permiſcerent, quæ etiam non uno ordine invicem ſuccedebant: inexpiabile non videbitur facinus, ſi aliquid & mihi licere crediderim; & inter tot diverticula, nulli ſemitæ præſcriptæ inſiſterem. In Tractatuum quidem & Epiſtolarum diſpoſitione, quando temere omnia erant congeſta, parum referebat quid primum quidve ultimum occurreret; neque enim in S. Scripturarum libris ordinandis, ſpeciatim S. Pauli Epiſtolis, temporis ratio habita videtur. Sed aliter longe ſe res habuit, ex quo Pamelius id in ſe operæ ſuſcepit, ut ad temporis leges ſingula digerere præ ſe ferret; conſilio quidem egregio, (ſiquidem ordo legitimus, commentarii, imo hiſtoriæ fere vicem ſuppleverit) ſucceſſu tamen non pariter felici: quandoquidem Lector præjudiciis imbutus, ad hypotheſin quam animo concepit, omnia finxit protenus & efformavit. Exinde igitur factum, ut quoties Pamelius perturbatis calculis temporum rationes confudit; accidit porro, ut Lectorem una tranſverſum raperet. His ita ſe habentibus, mihi Cypriani editionem adornaturo, eligendi poteſtas hæc permiſſa eſt, utrum veterum cæcam ſortitionem repetere, an vero Pamelii veſtigiis utcunque deviis inſiſtere, aut demum potiora aliunde ſequi vellem. Quid in hoc negotio maxime ſit expetendum in promtu fuerit dicere; ſi non laudem, ſaltem veniam merebitur, optima voluiſſe: & quidem ſpero me iis uſum auſpiciis, de quibus nec me, nec lectorem pœnitere debeat.

Si cui Martyris noſtri placitis addictior æquo ſubinde videar; cogitet me notas ad Cyprianum, non in eum ſcripſiſſe. Tutelæ quoddam genus ſuſcipit Editor; nec propriam liberat fidem, niſi Auctoris ſui tueatur. Minime mihi placet illorum induſtria, qui in nævis Patrum oſtentandis operam collocant, non ſine inſigni Religionis damno Orthodoxi. Rectius illi pietatem colunt, qui verendæ Patrum nuditati non tantum tergum

tergum obvertunt, ſed etiam pallium injiciunt; & errores humanitus admiſſos, benigna humanitate diſſimulant ſimul & amoliuntur. Interim illa fuit eximia & pene ſingularis Cypriani felicitas, ut pauciſſima apud eum ſint, quæ aut cenſuram metuant, aut veniam requirant.

In adnotationibus deſignandis, non ita perpetuas ingeſſi, tanquam ipſe omnia ſcire videri vellem, Lectorem vero omnia neſcire exiſtimarem. Quicquid ab aliis commode dictum reperi, eorum verbis, peculiari charactere deſcripſi; nominibus inſuper additis. Et quia Nicolaus Rigaltius in Epiſtolis præſertim elucidandis, ſumma cum laude verſabatur; illum fere integrum exhibui, noſtris modeſtius additis. A nobis præterita, opportune ſupplebit eruditiſſimis ſuis obſervationibus Cyprianicis, propediem edendis; vir optimus, ad pietatis juxta & rei literariæ profectum natus, Henricus Dodwellus.

Quod ad diſpoſitionem operis Typographicam ſpectat, id egi ut textum ipſum Cypriani, varias inſuper lectiones, & demum adnotata, ſimul & ſemel proponerem: expertus moleſta fere eſſe, ſi non & inutilia, quæ ad libri calcem rejici ſolent. Quinimo ut lectoris non oculis modo, ſed & animo ſubveniretur, quæ utraque diutina intentione fatigata, intervalla deſiderant; textum Cypriani in breves paragraphos diſtinxi; adjunctis, ſingulis eorum, indiculis marginalibus.

Lectorem ulterius non morabor, niſi tantiſper dum monuero, quibus præſidiis fretus ad opus hoc acceſſerim; illa vero erant hujuſmodi. Ad manum habui editiones vetuſtiſſimas, Spirenſem, Anni 1471. Innominatam cui nec patria nec ætas affigitur, nec non illam Remboldi Anni 1512. Mora eſſet referre Eraſmum, Gravium, Manutium, Morellium, & qui deinceps ſequebantur. Manuſcripti Codices ſuppetebant mihi, quatuor Bodleiani, quatuor itidem Illuſtriſſimi D. Iſaaci Voſſii; duo Novi Collegii Oxoniæ, unus Collegii Lincolnienſis ibidem, unus Collegii Pembrochiani Cantabrigiæ, unus Bibliothecæ Lambethanæ, alius Arundelianæ, alius Eboracenſis, alius Weſtmonaſterienſis, alius Sarisburienſis, alius Cottonianæ. Porro communicatæ ſunt mihi collationes Codicis Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiæ, & alterius Londinenſis, opera Reverendi viri Thomæ Gale SS. Theol. Profeſſoris. Idem in Sarisburienſi quodam Codice præſtitit Reverendus in Chriſto Pater Aſaphenſis Epiſcopus. Collationibus etiam Codicum Thuani, nec non cœnobiorum S. Michaelis in periculo

maris,

maris, S. Victoris Parisiensis, S. Mauri Fossatensis, & S. Petri Corbeiensis frui datum est, ex singulari humanitate Reverendorum Patrum Benedictinorum Lutetiæ, qui à me non sine honoris præfatione solenni sunt memorandi. Demum collationes aliquot Codicum Vaticanorum, Veronensis itidem atque Beneventani, nec non Regis Galliæ, studio amicissimi viri Domini Roberti Rigby, mihi opportune perferebantur. Rationem porro habui codicum quibus pridem usi erant, Jacobus Pamelius, Simon Goulartius, Nicolaus Faber, Latinus Latinius, & si qui forte alii occurrerent, qui in hac palæstra desudarunt: quos omnes per operis decursum designaturus, voces in compendium abbreviatas adhibui, quas Lector suo Marte facile intelliget, ut in illis explicandis immorari supervacuum videatur.

Minime spondeo me in hisce omnibus exhibendis, ita serviliter addictum, ut non aliqua ultro præterirem, quæ aut Librariorum manifesti errores, aut minora erant quam ut Lectori moram facerent. Nec dissimulare ausim, plurima notatu digna, in tam diffuso opere, oculorum animique aciem fugisse. Id unum sancte profiteor, me nihil partium studio, aut suppressisse, aut permutasse. Peritiam aut diligentiam meam subinde fortassis desiderabit Lector; interim spero, fidem & voluntatem eum nunquam requisiturum. Ubicunque à recto tramite deviare contigerit, Dei atque hominum veniam obnixe peto, paratus meliora monentibus, non tantum obsequium præstare, sed etiam gratias referre.

VITA

VITA
S. CÆCILII CYPRIANI
[1] PER PONTIUM EJUS DIACONUM.

CYPRIANUS *Religioſus Antiſtes, ac teſtis Dei glorioſus, tametſi multa conſcripſit, per quæ memoria digni nominis ſupervivat; eloquentiæ ejus ac Dei gratiæ larga fœcunditas ita ſe copia & ubertate ſermonis extendit, ut uſque in finem mundi fortaſſe non taceat: tamen, quia operibus ejus ac meritis etiam hæc prærogativa debetur,* (a) *ut exemplum ſuum in literas digeratur, placuit ſummatim pauca conſcribere; non quod aliquem gentilium lateat tanti viri vita, ſed ut ad poſteros quoque noſtros incomparabile & grande documentum in immortalem memoriam porrigatur. Certe durum erat, ut (cum* [2] *majores noſtri, plebeiis & catechumenis martyrium conſecutis, tantum honoris pro martyrii ipſius* (b) *veneratione dederint, ut de paſſionibus eorum multa, aut, prope dixerim, pene cuncta conſcripſerint, ut ad noſtram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent) Cypriani, tanti ſacerdotis, & tanti Martyris, paſſio præteriretur, qui & ſine martyrio habuit quæ doceret; & quæ dum vixit geſſerit,* [3] *non paterent: quæ quidem tanta, atque tam magna & mira ſunt, ut magnitudinis contemplatione deterrear, ac imparem me eſſe confitear ad proferendum digne pro meritorum honore ſermonem, nec poſſe ſic proſequi facta tam grandia, ut, quanta ſunt, tanta videantur: niſi quod* (c) *numeroſitas gloriarum ſibimetipſa ſufficiens, alieno præconio non eget. Accedit ad cumulum, quod & vos de eo multum, aut, ſi fieri poteſt, totum deſideratis audire, concupiſcentes ardore flagranti, vel facta ejus cognoſcere, etſi interim viva verba tacuerunt. In qua parte ſi dixero nos* (d) *opibus facundiæ defici minus dico, facundia enim ipſa deficit digna facultate, quæ deſiderium veſtrum pleno ſpiritu ſatiet. Ita* (e) *utrinque graviter urgemur: ille nos virtutibus ſuis onerat, vos* (f) *nos precibus fatigatis. Unde igitur incipiam? unde exordium bonorum ejus aggrediar, niſi à principio fidei, & nativitate cœleſti? ſiquidem hominis Dei facta non debent aliunde numerari, niſi ex quo Deo natus eſt. Fuerint licet ſtudia, & bonæ artes*

Mos erat in Eccleſia ab ejus primordiis receptus, Martyrum paſſiones ſcriptis mandare.

* *

(a) Et ad exemplum ſui literis dirigatur, *Bod.* 1. *Imp.* dirigatur. *deeſt in Manut.* (b) Veneratione debuerint, *Bod.* 1. *Manut.* (c) Numeroſitas glorioſa, *Bod.* 1. (d) Viribus facundiæ, *Bod.* 1. (e) In utrumque, *Manut.* (f) Nos auribus, *Manut.*

1 *Per Pontium*] Hieron. in Catal. ait, *Pontius Diaconus Cypriani, uſque ad diem paſſionis ejus cum ipſo exilium ſuſtinens, egregium volumen vitæ & paſſionis Cypriani reliquit.*

2 *Majores noſtri*] Poſt Evangelium, & Apoſtolorum Acta, ſuccedebant Chriſtianorum qui deinceps ſequebantur Paſſiones breviter enarratæ. Hujus generis vetuſta illa acta Polycarpi martyris, quorum partem dedit Euſeb. l. 4. totum vero exhibuit noſter Armachanus: ſic illa Perpetuæ & Felicitatis; de quibus Tertullianus mentionem facit: necnon alia multa, quæ interpolata fidem quam alias meruiſſent perdidere. In Deciana perſecutione hoc munus acta Carthaginienſium martyrum deſcribendi, Tertullo concreditum fuit.

3 *Non paterent.*] Per modeſtiam Cypriani, notitia hominum ſubſtracta. Sed hæc in Manutii editione deſiderantur.

1 *Nondum*

tes devotum pectus imbuerint: tamen illa prætereo, nondum enim ad utilitatem, (a) niſi ſeculi, pertinebant; poſtquam & ſacras literas didicit, & mundi nube diſcuſſa, in lucem ſapientiæ ſpiritalis emerſit, ſi quibus ejus interfui, ſi qua de antiquioribus ejus operibus comperi, dicam: hanc tamen petens veniam, ut quicquid minus dixero (minus enim dicam neceſſe eſt) ignorantiæ meæ potius, quam illius gloriæ derogetur.

Prima Cypriani cura fuit, ut caſtitatem tueretur; proxima ut S. Scripturis legendis incumberet; dein ut pauperibus ſubveniret: ſub initiis ipſis perfectus.

Inter fidei ſuæ prima rudimenta nihil aliud credidit Deo dignum, quam ſi continentiam tueretur: tunc enim poſſe idoneum fieri pectus, & ſenſum ad plenam veri (b) capacitatem pervenire, ſi concupiſcentiam carnis robuſto atque integro (c) ſanctimoniæ vigore calcaret. Quis unquam tanti miraculi meminit? [1] Nondum ſecunda nativitas novum hominem ſplendore toto divinæ (d) lucis oculaverat, & jam veteres ac priſtinas tenebras ſola lucis paratura vincebat. Deinde quod majus eſt, cum de lectione divina quædam jam non pro conditione novitatis, ſed pro fidei feſtinatione didiciſſet: ſtatim rapuit quod invenit promerendo Domino profuturum. Diſtractis rebus ſuis ad (e) indigentiam pauperum ſuſtentandam, (f) tota prædia pretio diſpenſans, duo bona ſimul junxit, ut & ambitionem ſeculi ſperneret, qua perniciosius nihil eſt; & miſericordiam, quam Deus etiam ſacrificiis ſuis prætulit, quam nec ille qui legis omnia mandata ſervaſſe ſe dixerat, fecit; impleret: & præpropera velocitate pietatis, penè ante cœpit perfectus eſſe, quam diſceret. Quis oro de veteribus hoc fecit? Quis de antiquiſſimis in fide ſenibus, quorum mentes & aures per plurimos annos divina verba pulſaverant, tale aliquid impendit, quale adhuc rudis fidei homo, & cui [2] nondum forſitan crederetur, ſupergreſſus vetuſtatis ætatem, glorioſis & admirandis operibus, perpetravit? Nemo metit ſtatim ut ſevit. Nemo vindemiam de novellis ſcrobibus expreſſit. Nemo adhuc unquam de noviter plantatis arbuſculis matura poma quæſivit. In illo omnia (g) incredibilia cucurrerunt. Prævenit, ſi poteſt dici (res enim fidem non capit) prævenit, inquam, (h) tritura ſementem, vindemia palmitem (i) poma radicem. Matth. 19. 20.

Cyprianus ad Eccleſiaſtica munera cito promotus.

Ajunt Apoſtoli literæ, debere neophytos præteriri, ne ſtupore gentilitatis nondum fundatis ſenſibus adhærente, aliquid in Deum novitas inerudita peccaret. Ille fuit primus, & puto ſolus exemplo, plus fide poſſe, quam tempore promoveri. Sed etſi in Apoſtolorum Actis Eunuchus ille deſcribitur, quia toto corde crediderat, à Philippo ſtatim tinctus; non eſt ſimilis comparatio. Ille enim & Judæus erat, & de templo Domini veniens Prophetam legebat Iſaiam, & ſperabat in Chriſto, etſi nondum eum veniſſe crediderat: Hic de imperitis gentibus veniens, tam matura cœpit fide, quanta pauci fortaſſe perfecerint. Mora denique circa gratiam Dei nulla, 1 Tim. 3. verſ. 6. Act. 8. 37.

(a) Vitæ ſed ſeculi, *Bod.* 1. (b) Capacitatem, ſi, *Manut.* (c) Sanctimoniæ tenore, *Bod.* 1. (d) Luci induerat, *Bod.* 1. (e) Indigentiam multorum pauperum ſuſtinendam, *Bod.* 1. (f) Tota pretia, *Manut.* (g) Incredibiliter, *al.* (h) Meſſis ſementem, *Rom.* (i) Ramus radicem, *Bod.* 1.

[1] *Nondum ſecunda nativitas.*] Hoc ipſum videtur eſſe, quod Cyprianus libro ad Donatum vivis coloribus depingit. *Poſtquam undæ genitalis auxilio, ſuperioris ævi labe deterſa in expiatum pectus & purum deſuper lumen infudit; poſtquam cœlitus ſpiritu hauſto, in novum me hominem nativitas ſecunda reparavit: mirum in modum protinus confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tenebroſa &c.*

[2] *Nondum forſitan crederetur.*] Ethnici nondum pro certo habuerunt à tanto Patrono ſe deſertos; nec Chriſtiani, Proſelyta tam nobili ſe auctos.

[1] *Tem-*

nulla, nulla dilatio. Parum dixi: Presbyterium & Sacerdotium (a) *ſtatim accepit. Quis enim non omnes honorum gradus crederet tali mente credenti? Multa ſunt quæ adhuc plebeius, multa quæ jam Presbyter fecit, multa quæ ad veterum exempla juſtorum, imitatione conſimili proſecutus, promerendo Dominum totius religionis obſequio præſtitit. Nam & ſermo illi de hoc fuerat uſitatus, ut ſi quem prædicatum Dei laudatione legiſſet, ſuaderet inquiri propter quæ facta Deo placuiſſet. Si Job, Dei teſtimonio glorioſus, dictus eſt verus Dei cultor, & cui in terris nemo compararetur, faciendum docebat ille, quicquid Job ante feciſſet: ut dum & nos paria facimus, ſimile in nos Dei teſtimonium provocemus.* Job. 1. *Contemtis ille diſpendiis rei familiaris, in tantum exercitata virtute profecit, ut nec pietatis* [1] *temporalia damna ſentiret. Non illum penuria, non dolor fregit.* [2] *Non uxoris ſuadela deflexit: non proprii corporis dira pœna concuſſit. Permanſit in ſuis ſedibus fixa virtus, & altis radicibus fundata devotio, nullo diaboli tentantis impetu ceſſit, quominus Dominum ſuum, fide grata, etiam inter adverſa benediceret. Domus ejus patuit cuicunque venienti. Nulla vidua reverſa eſt ſinu vacuo: nullus indigens lumine, non illo comite directus eſt: nullus debilis greſſu, non illo bajulo vectus eſt: nullus nudus auxilio de potentioris manu, non illo tutore protectus eſt. Hæc debent facere (dicebat) qui Deo placere deſiderant. Et ſic per bonorum omnium documenta decurrens, dum meliores ſemper imitatur, etiam ipſe ſe fecit imitandum.*

Erat ſane illi etiam de nobis contubernium viri juſti & laudabilis memoriæ Cæcilii, & ætate tunc & honore Presbyteri, qui eum ad agnitionem veræ divinitatis à ſeculari errore correxerat. Hunc toto honore atque omni obſervantia diligebat, obſequenti veneratione ſuſpiciens, non jam ut amicum animæ coæqualem, ſed tanquam novæ vitæ parentem (b). *Denique, ille demulſus ejus obſequiis, in tantum dilectionis immenſæ* (c) *merito provocatus eſt: ut de ſeculo excedens, arceſſitione jam proxima* [3] *commendaret illi conjugem ac liberos ſuos, & quem fecerat de ſectæ communione participem, poſtmodum faceret pietatis hæredem. Longum eſt ire per ſingula: ſancta ejus facta oneroſum eſt enumerare.* Cæcilius Cyprianum ad fidem convertit.

Ad probationem bonorum operum, ſolum hoc arbitror ſatis eſſe: quod judicio Dei & plebis favore ad officium Sacerdotii, & Epiſcopatus gradum adhuc neophytus, & ut putabatur, novellus electus eſt. Quamvis in primis fidei ſuæ adhuc diebus, & rudi vitæ ſpiritalis ætate, ſic generoſa indoles reluceret; ut etſi nondum officii, ſpei tamen fulgore reſplendens, imminentis ſacerdotii totam fiduciam polliceretur. Non præteribo etiam illud eximium, quemadmodum cum in dilectionem ejus & honorem totus populus (d) *adſpirante Domino proſiliret, humiliter ille receſſit antiquioribus cedens, & indignum ſe titulo tanti honoris exiſtimans, ut dignus magis fieret. Magis enim dignus efficitur, qui quod meretur excuſat.* (e) *Quo tunc ardore* Cyprianus ad Epiſcopatum nolens promovetur, & æmulis ignoſcit.

(a) Statim emerſit, *Bod.* 1. (b) Sectabatur, *Bod.* 1. (c) Meritis, *Bod.* 1. (d) Inſpirante, *Bod.* 1. (e) Quantum, *Bod.* 1. *Sic Bod.* 1.

[1] *Temporalia damna.*] Vide Marc. 8. 34. & Luc. 14. 26. quæ tamen promiſſa Evangelica.

[2] *Non uxoris ſuadela.*] Ad Jobi hiſtoriam reſpicit.

[3] *Commendaret illi conjugem*] Cum nondum eſſet in clero conſtitutus. Aut forte tanquam amico commendabat; non ut Tutori, aut Curatori. Vide quæ diximus ad Ep. 1.

plebs æſtuans fluctuabat, ſpiritali deſiderio concupiſcens (ut exitus docuit) non tantum Epiſcopum; ſed in eo quem tunc latentem divinitatis præſagio taliter (a) *flagitabat, non ſolummodo ſacerdotem, ſed & futurum etiam Martyrem requirebat. Obſederat fores domus copioſa fraternitas, & per omnes aditus ſolicita caritas circuibat. Potuiſſet fortaſſe tunc illi Apoſtolicum illud evenire, quod voluit, ut per feneſtram deponeretur; ſi cum Apoſtolo etiam* [1] *ordinationis honore ſimilaret. Erat videre ceteros omnes ſuſpenſos anxio ſpiritu expectare venturum, cum gaudio nimio excipere venientem. Invitus dico; ſed dicam neceſſe eſt.* [2] *Quidam illi reſtiterunt, etiam ut vinceret. Quibus tamen quanta* (b) *lenitate, quam patienter, quam benevolenter indulſit, quam clementer ignovit, amiciſſimos eos poſtmodum & inter neceſſarios computans, mirantibus multis? Cui enim poſſet non eſſe miraculo, tam memorioſæ mentis oblivio?* Act. 9. 2 Cor. 11. 33.

Cypriani mores, & vitæ tenor.

Exinde quemadmodum ſe geſſerit, quis referre ſufficiat? (c) *Quæ illi pietas? qui vigor? miſericordia quanta? quanta* (d) *cenſura? Tantum ſanctitatis & gratiæ ex ore ejus lucebat,* (e) *ut confunderet intuentium mentes. Gravis vultus & lætus: nec ſeveritas triſtis,* (f) *nec comitas nimia, ſed admixta utrinque temperies; ut eſſet ambigere, vereri plus an diligi mereretur: niſi quod & vereri & diligi merebatur. Sed nec cultus fuit diſpar à vultu, temperatus & ipſe de medio. Non illum ſuperbia ſecularis inflaverat: nec tamen prorſus affectata penuria ſordidarat: quia & hoc veſtitus genus à jactantia minus non eſt, quam oſtentata taliter ambitioſa frugalitas.* (g) *Quid autem circa pauperes Epiſcopus faceret, quos* [3] *catechumenus diligebat; Viderint pietatis Antiſtites, ſeu quos ad officium boni operis inſtruxit ipſius ordinis diſciplina, ſeu quos ſacramenti religio communis, ad obſequium exhibendæ dilectionis artavit. Cyprianum de ſuo talem accepit cathedra, non fecit.*

Cyprianus ſecedit & proſcribitur, non ſibi ſed Eccleſiæ conſulens.

Statim denique pro talibus meritis etiam Proſcriptionis gloriam conſecutus eſt. Nec enim aliud oportebat, quam ut eum, qui intra ſecretam conſcientiæ latebram, religionis & fidei toto honore florebat, etiam publice celebrata gentilium fama titularet. Potuiſſet quidem tunc pro velocitate qua ſemper omnia conſecutus eſt, etiam martyrii circa eum debita corona properare; maxime cum & ſuffragiis ſæpe repetitis ad leonem poſtularetur: niſi per omnes ordines gloriarum tranſeundum illi eſſet, & ſic ad ſumma veniendum; & niſi (h) *imminens ruina ope tam fœcundi* (i) *pectoris indigeret. Finge enim tunc illum martyrii dignatione tranſlatum.* [4] *Quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis oſtenderet? Quis virgines ad congruentem pudicitiæ diſciplinam, & habitum ſanctimonia dignum,*

(a) Flagitabat, futurum, *Imp.* (b) Lenitate ſuſpenſos, *Manut.* (c) Quæ illa, *Bod.* 1. (d) Cenſura quam ſobriæ, *Bod.* 1. (e) Ut advocaret, *Bod.* 1. (f) Nec lætitia nimia, *Bod.* 1. (g) Quid faciat, *Bod.* 1. (h) Imminentes ruinæ, *Bod.* 1. (i) Pectoris indigerent, *Bod.* 1.

1 *Ordinationis honore ſimilaret.*] Voluit Deus ut per ſeceſſum ſibi conſuleret; ſed id noluit permittere donec Epiſcopus eſſet factus.

2 *Quidam illi reſtiterunt.*] Quinque imprimis Presbyteri, nullis officiis leniendi: de quibus infra agetur.

3 *Catechumenus diligebat.*] Supradictum, eum ſtatim poſt fidem acceptam, res ſuas diſtraxiſſe in pauperum uſum.

4 *Quis emolumentum gratiæ.*] Quomodo hæc quæ ſequuntur Cypriani ſcripta enarrent, videre eſt in notis ad Tractatus ſingulos, & etiam in Annalibus.

gnum, velut frænis quibuſdam lectionis dominicæ coerceret? Quis doceret pœnitentiam lapſos, veritatem hæreticos, ſchiſmaticos unitatem, filios Dei pacem & (a) Evangelicæ precis legem? Per quem gentiles (b) blaſphemi, repercuſſis in ſe iis quæ nobis ingerunt, vincerentur? A quo Chriſtiani (c) mollioris affectus circa amiſſionem ſuorum, aut quod (d) magis eſt, fidei parvioris conſolarentur ſpe futurorum? Unde ſic miſericordiam, unde patientiam diſceremus? Quis livorem de venenata invidiæ malignitate venientem, (e) dulcedine remedii ſalutaris inhiberet? Quis martyras tantos exhortatione divini ſermonis erigeret? quis denique tot Confeſſores, frontium notatarum ſecunda inſcriptione ſignatos, & ad exemplum martyrii ſuperſtites reſervatos, incentivo tubæ cœleſtis animaret? Bene, bene tunc, & (f) vere ſpiritaliter contigit, quod vir tam neceſſarius, tam multis & tam bonis rebus, à martyrii conſummatione dilatus eſt. Vultis ſcire ſeceſſum illum non fuiſſe formidinem: ut nihil aliud excuſem, ipſe poſtmodum paſſus eſt: quam paſſionem utique ex more vitaret, ſi & ante vitaßet. Fuit vero formido illa, ſed juſta; formido quæ Dominum timeret offendere: formido quæ præceptis Dei mallet obſequi, quam ſic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, & fides divinis admonitionibus mancipata; credidit ſe, (g) niſi Domino (h) latebram tunc jubenti paruiſſet, etiam ipſa paſſione peccare. Puto denique etiam nunc aliqua de dilationis utilitate (i) diſſerenda, tametſi jamdudum pauca perſtrinximus: per hæc enim quæ videntur poſtmodum ſubſecuta, ut ſequitur probemus, ſeceſſum illum non hominis puſillanimitate conceptum; ſed, ſicuti eſt, vere fuiſſe divinum. Vaſtaverat Dei populum perſecutionis infeſtæ, inſolens atque acerba graſſatio; & quia omnes decipere una fraude non poterat artifex hoſtis; quacunque miles incautus prodiderat latus nudum, diſpari genere ſæviendi, ſingulos diverſa ſtrage dejecerat. Debebat eſſe qui poſſet ſaucios homines & varia expungentis inimici arte jaculatos, adhibita medicinæ (k) cœleſtis medela pro qualitate vulneris, vel ſecare interim, vel fovere; ſervatus eſt vir ingenii præter cetera etiam ſpiritaliter temperati: qui inter reſultantes collidentium ſchiſmatum fluctus, Eccleſiæ iter medium, librato limite gubernaret. Nonne hæc, oro, conſilia divina ſunt? Hoc fieri ſine Deo potuit? Viderint qui putant poſſe fortuito iſta contingere. Eccleſia illis clara voce reſpondet, dicens: Ego ſine Dei nutu neceßarios reſervari non admitto, non credo.

Cypriani pietas peſtis tempore.

Percurramus tamen cetera, ſi videtur. Erupit poſtmodum lues dira, & deteſtabilis morbi vaſtitas nimia, innumeros per diem populos à ſua quemque ſede abrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis invaſit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere ſuos impiè: quaſi cum illo peſte morituro, etiam mortem ipſam aliquis poſſet excludere. Jacebant interim tota civitate, non jam corpora, ſed cadavera plurimorum: & miſericordiam in ſe tranſeuntium, contemplatione ſortis mutuæ fla-

(a) Evangelicæ pacis, *Bod.* 1. (b) Blaſphemare ſoliti, *Bod.* 1. (c) Melioris, *Bod.* 1. (d) Magis eſt, mortem ipſam pro fide paſſuri, *Bod.* 1. (e) Dulcedine ſpiritalis, *Bod.* 1. Salutem, *Bod.* 1. (f) Vere Dei providentia, *Bod.* 1. (g) Ne, ſi, *Bod.* 1. *Morel.* (h) latebram hunc ſuggerenti non, *Bod.* 1. *Morel.* (i) Dicenda tametſi, *Bod.* 1. *Morel.* (k) Cœleſtis arte, *Bod.* 1.

gitabant. Nemo respexit aliud præterquam lucra crudelia. Nemo similis eventus recordatione trepidavit. Nemo fecit alteri quod sibi fieri voluit. Quid inter hæc egerit [1] *Christi & (a) Dei Pontifex, qui Pontifices mundi hujus tanto plus pietate, quanto religionis veritate præcesserat, scelus est præterire. Aggregatam primo in loco uno plebem de misericordiæ bonis instituit, docens divinæ lectionis exemplis, quantum ad promerendum Deum prosint (b) officia pietatis. Tunc deinde subjungit non esse mirabile si nostros tantum debito caritatis obsequio foveremus; (c) eum perfectum posse fieri qui plus aliquid publicano, vel ethnico fecerit; qui malum bono vincens, & divinæ clementiæ instar exercens, inimicos quoque dilexerit; qui pro persequentium sè salute, sicuti Dominus monet & hortatur, orarit. Oriri facit igitur solem suum, & pluvias subinde* Mat. 5. 45. *nutriendis seminibus impertit; exhibens cuncta ista non suis tantum, sed etiam alienis: & qui se Dei etiam filium esse profitetur, (d) cur non exemplum patris (e) imitatur? Respondere, inquit, nos decet natalibus nostris, & quos renatos per Deum constat, degeneres esse non congruit; sed probari (f) potius in sobole traducem boni patris, æmulatione bonitatis. (g) Multa alia & quidem magna prætereo, quæ temperandi voluminis ratio non patitur prolixiore (h) sermone replicari. De quibus hoc tantum dixisse satis est. Quod si illa gentiles pro rostris audire potuissent, forsitan statim crederent. Quid Christiana plebs faceret, cui de fide nomen est? Distributa sunt ergo continuo, pro qualitate hominum atque ordinum ministeria. Multi qui angustia paupertatis beneficia sumtus exhibere non poterant, plus sumtibus exhibebant; compensantes proprio labore mercedem divitiis omnibus cariorem. Sed quis non sub tanto doctore properaret inveniri in parte aliqua talis militiæ, per quam placeret & Deo Patri, & judici Christo, & tam bono interim sacerdoti? Fiebat itaque exuberantium operum largitate quod bonum est* Gal. 6. 10. *ad omnes, non ad solos domesticos fidei. Fiebat plus aliquid quam de Tobiæ incomparabili pietate signatum est. Ignoscat ille, & ignoscat iterum; & frequenter ignoscat: aut ut verius dixerim, merito concedat, tametsi ante Christum plurimum licuit, plus aliquid licuisset post Christum: cujus temporibus plenitudo debetur. Necatos ille a rege & projectos, sui tantum generis colligebat.* Tobiæ. 2.

Cypriani exilium.

His tam bonis & tam piis actibus supervenit exilium. Hanc enim vicem semper repræsentat impietas, ut (i) melioribus pejora restituat. Et ut quid Sacerdos Dei Proconsule interrogante responderet, taceam; sunt Acta quæ referant: excluditur (k) interim è civitate, ille qui fecerat boni aliquid pro civitatis salute; ille qui laboraverat, ne viventium oculi paterentur infernæ sedis horrorem; ille inquam, qui excubiis pietatis invigilans (pro nefas!) ingrata bonitate proviserat, ne omnibus tetram civitatis faciem relinquentibus, multos exules deserta respublica, ac destituta patria

(a) Episcopus & Dei, *Bod.* 1. (b) Officia caritatis, *Bod.* 1. *Morel.* (c) Eum enim perfectum, *Bod.* 1. (d) Oportet exemplum, *Bod.* 1. *Rom. Morel.* (e) Imitetur, *Bod.* 1. (f) Potius deberi in sobole traduci boni patris æmulationem bonitatis. (g) Et multa, *Bod.* 1. (h) Sermone iterari, *Bod.* 1. (i) Melioribus pessima, *Bod.* 1. (k) Interim civitate, *Bod.* 1.

[1] *Christi & Dei Pontifex.*] Loco huic lucem aliquam dabit Juliani Apostatæ Epistola ad Pontifices Galatiæ, ubi illos hortatur ne in misericordiæ operibus à Christianis superari se permittant.

tria ſentiret. Sed (a) *viderit ſeculum, cui inter pœnas exilium computatur.* (b) *Nobis patria minus cara, & commune nomen eſt; qui parentes ipſos, ſi contra Dominum ſuaſerint, abhorremus.* Luc. 14. 26. *Illis extra civitatem ſuam vivere gravis pœna eſt. Chriſtiano totus hic mundus una domus eſt. Unde licet in abditum & abſtruſum locum fuerit relegatus; admixtus Dei ſui rebus, exilium non poteſt computare. Adde quod Deo integre ſerviens, etiam propria in civitate peregrinus eſt. Dum enim ſe carnalibus deſideriis continentia ſancti Spiritus abſtinet, converſationem prioris hominis exponens; etiam inter cives ſuos, aut prope dixerim, inter parentes ipſos vitæ terreſtris, alienus eſt. Accedit, quod & ſi hæc* (c) *talis pœna poſſent videri, in hujuſmodi tamen cauſis atque ſententiis quas ob approbandæ virtutis experimenta perpetimur, non eſt pœna, quia* (d) *gloria eſt. Sed eſto ſane nobis pœna exilium. Illis ultimum crimen, & peſſimum nefas etiam ipſorum conſcientia teſtis adſcribat, qui poſſunt innocentibus irrogare quod putant pœnam. Nolo* (d) *nunc deſcribere loci gratiam; & deliciarum omnium paraturam interim tranſeo. Fingamus locum illum ſitu ſordidum, ſqualidum viſu, non ſalubres aquas habentem, non* (e) *amœnitatem viroris, non viciniam litoris; ſed* (f) *rupes vaſtas ſilvarum, inter* (g) *inhoſpitas fauces deſertæ admodum ſolitudinis avia mundi parte ſummotum. Poſſet licet talis locus, habere nomen exilii: quo* 3 Reg. 17. verſ. 6. Dan. 13. *Cyprianus ſacerdos Dei venerat; cui ſi hominum miniſteria deficerent, vel alites, ut Heliæ, vel ut Danieli, angeli miniſtrarent.* (h) *Abſit ut credat aliquis, cuilibet minimo, dummodo in confeſſione nominis conſtituto,* (i) *aliquid defuturum exiſtimet. Tantum abeſt* (k) *ut Dei Pontifex ille, qui miſericordiæ ſemper rebus* (l) *inſtiterat, horum omnium opibus indigeret.*

Visio nocturna, quæ de paſſione ſua Cyprianum admonuit.

Jam nunc quod ſecundo poſueram loco, cum gratiarum actione repetamus: Proviſum eſſe divinitus etiam pro animo tanti viri, apricum & competentem locum, hoſpitium pro voluntate ſecretum, Mat. 6. 33. *& quidquid apponi ei ante promiſſum eſt, qui regnum & juſtitiam Dei quærunt. Atque ut omittam frequentiam viſitantium fratrum, ipſorum & inde civium caritatem, quæ repræſentabat omnia, quibus videbatur eſſe fraudatus; admirabilem viſitationem Dei non præteribo: qua Antiſtitem ſuum ſic in exilio eſſe voluit de ſecutura paſſione ſecurum, ut imminentis martyrii pleniore fiducia, non exulem tantummodo* (m) *Curubis, ſed & martyrem poſſideret. Eo enim die quo primum in exilii loco manſimus, (nam & me inter domeſticos comites dignatio caritatis ejus delegerat exulem voluntarium, quod utinam & in paſſione licuiſſet.) apparuit mihi, inquit, nondum ſomni quiete ſopito, juvenis ultra modum hominis enormis: qui cum me quaſi ad prætorium duceret, videbar mihi tribunali ſedentis tum Proconſulis admoveri. Is ut in me reſpexit, adnotare ſtatim cœpit in tabula ſententiam, quam non ſciebam, nihil enim de me ſolita interrogatione quæſierat: ſed enim*

(a) Videret hoc, *Bod.* 1. (b) Illis patria nimis cara, nos & parentes ipſos, *Bod.* 1. Et totus affectus eſt in parentes, *Morel.* (c) Alias pœna poſſet videri, *Bod.* 1. Si hæc alias pœna, *Morel.* (d) Gloria eſt. Nolo, *Bod.* 1. (e) Amœnitatis vigorem, *Bod.* 1. (f) Vaſta rupe ſilvarum, *Rom.* (g) In hoſpitas cautes, *Bod.* 1. *Morel.* (h) Abſit, abſit, *Bod.* 1. (i) Aliquid æſtimet, *Bod.* 1. (k) Ne dum Dei Pontifex, *Bod.* 1. (l) Inſtiterat, ullis bonorum opibus, *Bod* 1. *Morel.* (m) *Sic*, *Bod.* 1. Curubi, *Rigalt.*

enim juvenis, qui à tergo ejus ſtabat, admodum (a) *curioſus legit* (b) *quidquid fuerat adnotatum. Et quia id verbis proferre non poterat, nutu declarante monſtravit, quid in literis tabulæ illius haberetur. Manu enim expanſa & [1] complanata ad ſpathæ modum, ictum ſolitæ animadverſionis imitatus; quod* (c) *volebat intelligi, ad inſtar liquidi ſermonis expreſſit. Intellexi ſententiam paſſionis futuram. Rogare cœpi, & petere continuo, ut dilatio mihi vel unius diei prorogaretur, donec res meas legitima ordinatione diſponerem. Et cum preces frequenter iteraſſem, rurſus in tabula cœperat neſcio quid adnotare. Senſi tamen de vultus ſerenitate, judicis mentem, quaſi juſta petitione commotam. Sed & ille juvenis, qui jamdudum de paſſionis indicio, geſtu potius, quam ſermone prodiderat; clandeſtino identidem nutu, conceſſam dilationem, quæ in craſtinum* (d) *petebatur, [2] contortis poſt invicem digitis, ſignificare properavit. Ego quamvis non* (e) *eſſet lecta ſententia, & ſi de gaudio dilationis acceptæ læto admodum corde gauderem; metu tamen interpretationis incertæ ſic tremebam, ut reliquiæ formidinis, cor exultans* (f) *adhuc toto pavore pulſarent. Quid hac revelatione manifeſtius, quid hac dignatione felicius? Ante illi prædicta ſunt omnia, quæcunque poſtmodum ſubſecuta ſunt.* (g) *Nihil Dei verbis imminutum: nihil de tam ſancta promiſſione mutilatum.* (h) *Singula denique ſecundum quod oſtenſa ſunt, recognoſcite. Dilationem* (i) *petit craſtini cum de paſſionis ſententia cogitaretur: poſtulans, ut res ſuas die illo, quem impetraverat, ordinaret.* [3] *Hic dies unus ſignificabat annum, quo ille poſt viſionem acturus in ſeculo fuerat. Nam ut manifeſtius dicam, eo die poſt exactum annum coronatus eſt, quo hoc illi ante annum fuerat oſtenſum. Diem autem Domini,* (k) *& ſi non annum in divinis literis legimus, promiſſioni tamen futurorum, debitum illud tempus accipimus. Unde nihil intereſt;* (l) *ſi ſub diei ſignificatione ſolus annus oſtenſus eſt;* (m) *quia illud plenius debet eſſet quod majus eſt. Quod vero nutu potius, & non ſermone explanatum eſt, repræſentationi temporis ſervabatur ſermonis expreſſio. Solet enim tunc verbis quodcunque proferri, quotiens quidquid profertur impletur. Nam & vere nemo cognovit quare hoc ei oſtenſum fuiſſet, niſi poſtquam eodem die quo id viderat, coronatus eſt. Medio nihilominus tempore imminens paſſio pro certo ab omnibus ſciebatur: paſſionis tamen dies certus ab iiſdem omnibus quaſi ignorantibus, tacebatur. Sane & in ſcripturis tale aliquid invenio. Nam Zacharias ſacerdos, promiſſo* Luc. 1. 59. *ſibi per angelum filio, quia non crediderat obmutuit; ita ut* (n) *filii nomen, ſcripturus potius quam* (o) *relaturus nutu tabulas poſtularet. Merito & hic, ubi Dei nuncius paſſionem Antiſtitis imminen-*

(a) Curioſus videre quicquid, *Morel.* (b) Quicquid ageretur, *Bod.* 1. (c) Volebat inde agi, *Bod.* 1. (d) Conceſſum eſſe quod petebatur, *Bod.* 1. (e) Eſſet ſola ſententia, *Bod.* 1. (f) Adhuc multa trepidatione, *Bod.* 1. (g) Nihil de Dei, *Bod.* 1. *Morel.* (h) Et ſingula, *Morel.* (i) Petit in craſtinum, *Bod.* 1. *Morel.* (k) Etſi annum, *Bod.* 1. *Morel.* (l) Si nunc ſub, *Bod.* 1. *Morel.* (m) Qua illud plenius, *Bod.* 1. (n) De filii nomine, *Bod.* 1. *Morel.* (o) Relecturus, *Bod.* 1.

[1] *Complanata ad ſpathæ modum.* Veget. l. 2. c. 15. in gravi armatura numerat, *gladios majores, quos ſpathos vocant.*

[2] *Contortis poſt invicem digitis.*] Quod inhibitæ actionis ſive dilationis nota. Ita verſus pollex damnationis ſignum, elatus abſolutionis.

[3] *Hic dies unum ſignificabat annum.*] Vid. Num. 14. 33. & Ezech. 4. 6.

[1] *Prin-*

nentem nutu potius expressit: & fidem admonuit, & sacerdotem munivit. Dilationis autem petendæ ratio, de ordinatione rerum & de voluntatis dispositione veniebat. Quæ vero res illi, aut quæ voluntas ordinanda, nisi Ecclesiastici status? Suprema iccirco accepta dilatio est, ut quicquid circa pauperum fovendorum curam (a) *supremo judicio disponendum fuerat, ordinaretur. Et puto propter nihil aliud, imo vero propter hoc tantum, etiam indulgentia ab ipsis,* (b) *qui ejecerant, & qui occisuri erant, admissa est; ut præsens & præsentes pauperes, novissimæ dispensationis extremis, & ut plenius dixerim totis sumtibus relevaret. Ordinatis ergo tam pie rebus, & sic* (c) *pro voluntate dispositis; proximabat dies crastinus.*

Xystus Pontifex Romanus de persecutione secutura Cyprianum admonet.

Jam de Xysto bono & pacifico sacerdote, ac propterea beatissimo Martyre, ab urbe nuncius venerat. Sperabatur jam jamque carnifex veniens, qui devota sanctissimæ victimæ colla percuteret; & sic erant omnes dies illi quotidiana expectatione moriendi, ut corona singulis posset ascribi. Conveniebant interim plures egregii & clarissimi ordinis & sanguinis, sed & seculi nobilitate generosi: qui propter amicitiam ejus antiquam, secessum subinde suaderent: & ne parum esset nuda suadela, etiam loca in quæ secederet offerebant. Ille vero jam mundum suspensa ad cœlum mente neglexerat; nec suadelis blandientibus annuebat. Feciſſet fortasse tunc etiam quod à plurimis & fidelibus petebatur, si & divino imperio juberetur. Sed nec illa sublimis tanti viri gloria sine præconio transeunda est: quia jam seculo tumescente, & de fiducia Principum infestationem nominis anhelante; ille servos Dei, prout dabatur occasio, exhortationibus Dominicis instruebat, & ad calcandas passiones hujus temporis, contemplatione superventuræ claritatis animabat. Videlicet tanta illi fuit sacri cupido sermonis, ut optaret sic sibi passionis vota contingere, ut dum de Deo loquitur, in ipso sermonis opere necaretur. Rom. 8. 18.

Cyprianus Proconsulis jussu corripitur & eidem producitur.

Et hi erant quotidiani actus destinati ad placentem Deo hostiam sacerdotis; cum ecce Proconsulis jussu ad hortos ejus (ad hortos inquam, quos inter initia fidei suæ venditos; (d) *& Dei indulgentia restitutos, pro certo iterum in usus pauperum vendidisset, nisi invidiam* (e) *de persecutione vitaret) cum militibus suis* [1] *princeps repente subitavit; imo ut verius dixerim, subitasse se credidit. Unde enim posset tanquam improviso impetu mens semper parata subitari? Processit ergo jam certus expungi quod diu fuerat retardatum; processit animo sublimi, &* (f) *erecto, hilaritatem præferens vultu, & corde virtutem. Sed dilatus in crastinum, ad domum Principis à prætorio revertebatur; cum subito per Carthaginem totam sparsus rumor increbuit, productum esse jam Thascium, quem præter celebrem glorioſa opinione notitiam, etiam de commemoratione* [2] *præclarissimi operis nemo non noverat. Concurrebant undique versus omnes*

***

ad

(a) Suprema indicia, *Morel.* (b) Qui ejecerant, admissa est, *Bod.* 1. (c) *Sic Bod.* 1. *Morel.* Voluntate disposita, *Rigalt.* (d) Et de Dei indulgentia, *Bod.* 1. *Morel.* (e) Occupari in passione vitaret, *Bod.* 1. *Morel.* (f) Et sereno, hilaritatem, *Morel.*

[1] *Princeps.*] De his ratio redditur in notitiis dignitatum, Imp. Rom. Erant summates & præcipui qui sub magistro officiorum militabant, describente Gothofred. Porro notum est; milites divisos, in Velites, Principes, Triarios.

[2] *Præclarissimi operis.*] Singularis curæ in eos qui peste correpti grassantis luis tempore.

ad ſpectaculum, nobis pro devotione fidei (a) *glorioſum, gentilibus & dolendum. Receptum eum tamen & in domo Principis conſtitutum una nocte continuit* [1] *cuſtodia delicata; ita ut convivæ ejus, & cari in contubernio ex more fuerimus. Plebs interim tota ſollicita, ne per noctem aliquid ſine conſcientia ſui fieret, ante fores Principis excubabat. Conceſſit ei divina tunc bonitas, vere digno, ut Dei populus etiam in ſacerdotis* [2] *paſſione vigilaret. Forſitan tamen quærat aliquis, quæ cauſa fuerit à prætorio revertendi ad Principem. Et volunt hoc ſcilicet quidam de ſuo tunc Proconſulem noluiſſe. Abſit ut in rebus divinitus geſtis ſegnitiem ſive faſtidium Proconſulis conquerar. Abſit ut malum hoc intra conſcientiam religioſæ mentis admittam; ut de tam beatiſſimo Martyre* [3] *ructus hominis judicaret. Sed craſtinus dies ille, quem ante annum dignatio divina prædixerat, vere craſtinus eſſe debebat. Illuxit denique dies alius, ille ſignatus, ille promiſſus, ille divinus; quem ſi tyrannus ipſe differre voluiſſet, nunquam prorſus valeret: dies de conſcientia futuri Martyris lætus; & diſcuſſis per totum mundi ambitum nubibus, claro ſole radiatus. Egreſſus eſt domum Principis, ſed Chriſti & Dei Princeps; & agminibus multitudinis mixtæ ex omni parte vallatus eſt. Sic autem comitatui ejus infinitus exercitus adhærebat, quaſi ad expugnandam mortem manu facta veniretur. Eundi autem interfuit tranſitus ſtadii. Bene vero, & quaſi de induſtria factum, ut & locum congruentis certaminis præteriret, qui ad coronam juſtitiæ conſummato agone currebat. Sed ubi ad prætorium ventum eſt, nondum procedente Proconſule, ſecretior locus datus eſt. Illic cum poſt iter longum nimio ſudore madidatus ſederet (ſedile autem erat fortuito linteo tectum, ut & ſub ictu paſſionis epiſcopatus honore frueretur) quidam ex* [4] *teſſerariis, quondam Chriſtianus, res ſuas obtulit; quaſi vellet ille veſtimentis ſuis humidis ſicciora mutare: qui videlicet nihil aliud in rebus oblatis ambiebat, quam ut proficiſcentis ad Deum Martyris ſudores jam ſanguineos poſſideret. Cui ille reſpondit, & dixit: Medelas adhibemus querelis quæ hodie forſitan non erunt. Mirum, ſi contemſit laborem corpore, qui mortem mente contemſerat? Quid plura? Subito Proconſuli nunciatus eſt; producitur, admovetur, interrogatur de ſuo nomine, ſe eſſe reſpondit; & hactenus verba.*

Sententia ſupplicii capitalis in Cypriani fertur.

Legit itaque de tabula jam ſententiam judex, quam nuper in viſione non legerat: ſententiam ſpiritalem non temere dicendam; ſententiam Epiſcopo tali, & tali teſte condignam; ſententiam glorioſam; in qua dictus eſt ſectæ ſignifer, & inimicus deorum, & qui ſuis futurus eſſet ipſe documento, & quod ſanguine ejus inciperet diſciplina ſanciri. Nihil hac ſententia plenius, nihil verius; omnia quippe quæ dicta ſunt, licet à gentili dicta, divina ſunt. Joh. 11. 51. *Nec mirum utique, cum ſoleant de Paſſione Pontifices prophetare.*

[1] *Signi-*

(a) Glorioſum pariter. *Bod.* 1.

[1] *Cuſtodia delicata.*] Idem quod dicitur, libera cuſtodia.

[2] *Paſſione vigilaret.*] Ita vigiliæ feſtos dies natalium Martyrum præcedunt.

[3] *Ructus hominis.*] Hominis male habentis, æger ſtomachus. Proverbialem eſſe locutionem alibi adnotavimus.

[4] *Teſſerariis.*] Veget. l. 2. cap. 7. dicit eſſe, *qui teſſeram per contubernia militum aut prætorianorum nunciat*, Tacit. lib. 17. appellat Barbium Proculum; *teſſerarium ſpeculatorem.*

[1] *Signi-*

[1] *Signifer fuerat, qui de ferendo ſigno Chriſti docebat: inimicus deorum, qui idola deſtruenda mandabat; documento autem ſuis fuit, qui multis pari genere ſecuturis, prior in Provincia, martyrii primitias dedicavit. Sanciri etiam cœpit ejus ſanguine diſciplina: ſed martyrum; qui doctorem ſuum imitatione gloriæ conſimilis æmulati, ipſi quoque diſciplinam exempli ſui proprio cruore ſanxerunt.*

Paſſionis Cypriani apparatus.

Et cum exiret Prætorii fores, ibat comes militum turba, & nequid in paſſione deeſſet, centuriones & tribuni latus texerant: ipſe autem locus (a) *æqualis eſt ubi pati contigit, ut arboribus ex omni parte denſatis ſublime ſpectaculum præbeat. Sed per enormitatem ſpatii longioris viſu denegato per confuſam nimis turbam, perſonæ faventes in ramos arborum repſerant; ne vel hoc illi negaretur ut ad* Luc. 19. 2. [2] *Zacchæi ſimilitudinem de arboribus videretur. Sed jam ligatis per manus ſuas oculis, moram carnificis urgere tentabat, cujus munus eſt ferrum; & labente dextera gladium vix trementibus digitis circuibat, donec ad perpetrandam pretioſi viri mortem, clarificationis hora matura, centurionis manum conceſſo deſuper vigore firmatam, permiſſis tandem viribus expediret. O beatum Eccleſiæ populum, qui Epiſcopo ſuo tali, & oculis pariter & ſenſibus, & quod eſt amplius, publicata voce compaſſus eſt; & ſicut ipſo tractante ſemper audierat, Deo judice coronatus eſt. Quamvis enim non potuerit evenire, quod optabant vota communia, ut conſortio paris gloriæ ſimul plebs tota pateretur; quicunque ſub Chriſti ſpectantis oculis, & ſub auribus ſacerdotis ex animo pati voluit, per idoneum voti ſui teſtem, legationis quodam modo literas ad Deum miſit. Sic conſummata paſſione perfectum eſt; ut Cyprianus, qui bonorum omnium fuerat exemplum, etiam* [3] *ſacerdotales coronas in Africa primus imbueret: quia & talis eſſe poſt Apoſtolos prior cœperat. Ex quo enim Carthagini Epiſcopatus ordo numeratur, nunquam aliquis, quamvis ex bonis & ſacerdotibus, ad Paſſionem veniſſe memoratur; licet ſemper Deo mancipata devotio, dicatis hominibus pro martyrio deputetur: Cyprianus tamen etiam ad perfectam coronam Domino conſummante profecit; ut in civitate ipſa, in qua taliter vixerat, & in qua prior fecerat multa præclara, prior etiam ſacerdotii cœleſtis inſignia glorioſo cruore decoraret. Quid hoc loco faciam? inter gaudium paſſionis, & remanendi dolorem, in partes diviſus animus, & anguſtum nimis pectus affectus duplices onerant. Dolebo quod non comes fuerim? ſed illius victoria triumphanda eſt. De victoria triumphabo? ſed doleo, quod comes non ſim. Verum vobis tamen & ſimpliciter confitendum eſt, quod & vos ſcitis, in hac me fuiſſe ſententia. Multum, ac nimis multum de gloria ejus exulto; plus tamen doleo, quod remanſi.*

(a) In æquali, *Gal.*

[1] *Signifer fuerat.*] Non modo in Chriſtiana militia anteſignanus; ſed ducis ſui ſymbolo & charactere in corpore notatus, ad veteris militiæ morem. Vid. Galat. 6. 17. Porro crucem, Domini vexillum, verbis annunciatam; paſſione altius extulit; & felicius prædicabat.

[2] *Zacchæi ſimilitudinem.*] Ad rei iſtius geſtæ ſimilitudinem, ubi Zacchæus arborem conſcendit ut Dominum tranſeuntem videre poſſet.

[3] *Sacerdotales coronas.*] Non ex calvitie, ſed illuſtri virtute quæſitas. Coronæ regni, Rabbini tres alias addunt; nimirum coronam legis, coronam ſacerdotii, & coronam nominis boni; quo triplici diademate Cyprianus redimitus præfulgebat; & alteram Martyrii addidit. Apoſtolus Afrorum videtur Simon Zelotes de quo Niceph. l. 2. c. 40. dicitur, Αιγύπτῳ Κυρήνῃ τε καὶ τῇ Αφρικῇ περσβαλών. Μαυριτανίαν τὲ καὶ ὅσον τῆς Λιβύης ἐξῆς, τῷ εὐαγγελίῳ διαδραμών, &c.

[1] *Impe-*

S. Cypriani Paſſio ex Vet. Cod. MS.

1 IMperatore *Valeriano quartum*, & *Gallieno tertium Conſulibus* (a), *tertio Calendarum Septembrium*, *Carthagine* 2 *in ſecretario*, *Paternus Proconſul Cypriano Epiſcopo dixit: Sacratiſſimi Imperatores Valerianus & Gallienus*, *literas ad me dare dignati ſunt*, *quibus præceperunt*, *eos qui* (b) *Romanam religionem non colunt*, *debere Romanas cæremonias recognoſcere.* (c) *Exquiſivi ergo de nomine tuo; quid mihi* (d) *reſpondes? Cyprianus Epiſcopus dixit: Chriſtianus ſum*, & *Epiſcopus.* (e) *Nullos alios Deos novi*, *niſi unum & verum Deum*, *qui fecit cœlum & terram*, *mare & quæ in eis ſunt omnia. Huic Deo nos Chriſtiani deſervimus*, *hunc deprecamur diebus ac noctibus*, (f) *pro nobis*, & *pro omnibus hominibus*, & *pro incolumitate ipſorum Imperatorum. Paternus Proconſul dixit: In hac ergo voluntate* (g) *perſeveras? Cyprianus Epiſcopus reſpondit*, *bona voluntas*, *quæ Deum novit*, (h) *immutari non poteſt. Paternus Proconſul dixit: Poteris ergo ſecundum præceptum Valeriani & Gallieni*, *exul ad urbem Curubitanam proficiſci? Cyprianus Epiſcopus dixit: Proficiſcor. Paternus Proconſul dixit: Non ſolum de Epiſcopis*, *verum etiam de Presbyteris mihi ſcribere dignati ſunt. Volo ergo ſcire ex te*, *qui ſint Presbyteri*, *qui in hac civitate conſiſtunt. Cyprianus Epiſcopus reſpondit: Legibus veſtris bene atque utiliter cenſuiſtis*, (i) 3 *delatores non eſſe.* (k) *Itaque detegi & deferri à me non poſſunt: in civitatibus autem ſuis invenientur. Paternus Proconſul dixit: Ego hodie*

(a) Tuſco & Baſſo coſſ. *Vet. Martyr. Sariſ. Gal. Foſſ.* Nobilium Imperatorum ſcripta ad me venerunt, ut hi qui cæremonias execrantur, diis immolare, & ad ſacrificandum compellantur inviti. *Act. Paſſ.* (b) Romanam religionem colunt, debere cæremonias recognoſcere. (c) Exquiro ergo, *Gal. Sariſ.* (d) Reſpondens, *Gal. Sariſ.* (e) Nullos alios Deos colo, *Sariſ. Gal.* (f) Pro nobis, & pro incolumitate, *Sariſ. Gal.* (g) Perſeveras ut non ſacrifices, *Act. Paſſ.* (h) Mutari non poteſt. Non ſolum de Epiſcopis, *Gal. Sariſ. Act. Paſſ.* (i) *Sic Gal. Sariſ.* Nos delatores non eſſe, *Act. Paſſ. Impr.* (k) Itaque eos exhibere non poſſumus; ſed nec ipſi ſe ultro offerunt, cum hoc Scriptura ſancta prohibeat. A te enim quæſiti invenientur. Proconſul dixit: Juſſum eſt ut nulla conciliabula faciant, *Act. Paſſ.*

1 *Imperatore Valeriano.*] Actus paſſionis Cypriani ſecundum editiones Manutii & Morellii, egregiam fabulam prologi loco præmittit, quæ ſeculum in quo nata eſt ſatis profitetur, & ſic ſe habet. *Cum glorioſum nomen Chriſti à gentilibus exoſum, intentione maxima conaretur auferri, & eſſet perſecutio apud urbem Romam: beatiſſimus Cornelius pontificatum prædictæ urbis ſummis virtutibus præditus tunc regebat; comprehenſuſque à Præſide, & diuturnis tormentis afflictus gladio finivit temporalem vitam, percepturus à Deo ſine fine perpetuam. Sed cum hoc odium fuiſſet etiam in Libycis terminis irrogatum; multi Chriſtianorum populi malentes tranſitoriam vitam amittere, & illa quæ à Deo promiſſa ſunt adipiſci, diverſis tormentis afflicti conſummabantur. Ferunt etiam tunc à Præſide clibanum calcis accenſum; & in ore illius prunas cum thure exhibitas, Præſidem dicere Chriſtianis: Eligite è duobus unum, aut thura ſuper his carbonibus offerte Jovi, aut in calcem demergimini. Tunc trecenti viri fide armati, ſe ictu rapidiſſimo, Chriſtum Dei filium Deum fatentes, jecerunt in ignem & inter vapores calcis pulverei ſunt demerſi; quos ſibi Chriſtus conſecravit. In his autem diebus cum talia gererentur, beatus antiſtes Cyprianus Carthaginenſem regebat Eccleſiam, qui comprehenſus à gentilibus, ſedente Paterno Proconſule in civitate, iniquis tribunalibus præſentatur.* In martyrologio veteri incipit, Tuſco & Baſſo Coſſ. in ſecretario: quem in modum legunt Cod. Sariſ. & Gal. Nimirum cum in unum Actus exilii & paſſionis, in uſus Eccleſiæ, commemorationis anniverſariæ ergo, compingebantur; character temporum qui ad paſſionem ſolummodo pertinebat, utrique præfigebatur.

2 *In ſecretario.*] Gloſſ. Græc. σέκρετον, δικαστήριον χαρτοφυλάκιον. σέκρετον, συνέδριον. Heſych.

3 *Delatores non eſſe.*] Illis per reſcripta principum, urbe exactis, & à tribunalibus depulſis. Exinde *Delator habuit*, *quod dedit*, *exilium.* Unde recte Cyprianus ad leges provocat, & frigide diceretur, *nos delatores non eſſe.*

1 *Se*

hodie in hoc loco exquiro. Cyprianus dixit: Cum diſciplina prohibeat, ut quis [1] *ſe ultro offerat, &* [2] *tuæ quoque cenſuræ hoc diſpliceat; nec offerre ſeipſi poſſunt* (a)*: ſed a te exquiſiti invenientur. Paternus Proconſul dixit: A me invenientur. Et adjecit: Præceperunt etiam, ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec* (b) *cœmeteria ingrediantur. Siquis itaque hoc tam ſalubre præceptum non obſervaverit, capite plectetur. Cyprianus Epiſcopus reſpondit:* (c) *Fac quod tibi præceptum eſt. Tunc Paternus Proconſul juſſit beatum Cyprianum Epiſcopum in exilium deportari. Cumque diu ibidem moraretur, ſucceſſit Aſpaſio Paterno Proconſuli, Galerius Maximus Proconſul, qui ſanctum Cyprianum Epiſcopum ab exilio revocatum ſibi juſſit præſentari. Cumque Cyprianus ſanctus Martyr, electus à Deo, de civitate Curubitana, in qua exilio præcepto Aſpaſii Paterni tunc Proconſulis datus fuerat, regreſſus eſſet; ex ſacro præſcripto in hortis ſuis manebat. Inde quotidie ſperabat veniri ad ſe, ſicut illi oſtenſum fuerat. Et cum illic demoraretur, repente Idibus Septembris Tuſco & Baſſo Conſulibus, venerunt ad eum* (d) *Principes duo: Unus* [3] *ſtrator officii Galerii Maximi Proconſulis, qui Aſpaſio Paterno ſucceſſerat, & alius* [4] (e) *Equiſtrator à* (f) *cuſtodiis ejuſdem officii, qui & in curriculum eum levaverunt, in medioque poſuerunt, & in Sexti perduxerunt. Ubi idem Galerius Maximus Proconſul, bonæ valetudinis recuperandæ gratia ſeceſſerat. Et ita idem Galerius Maximus Proconſul, in aliam diem Cyprianum ſibi reſervari præcepit: Et eo tempore beatus Cyprianus ductus; ad principem & ſtratorem ejuſdem officii Galerii Maximi Proconſulis clariſſimi viri ſeceſſit. Et in hoſpitio ejus, cum eo in*

 vico

(a) In civitatibus ſuis invenientur. Paternus Proconſul dixit: A me invenientur. *Sariſ. Gal.* (b) Cœmeteria ingrediantur, quod qui facere deprehenſus fuerit, capite plectatur. Sanctus Cyprianus reſpondit: Fac quod tibi præceptum eſt. Et poſt hæc ductus eſt in exilium B. Martyr per præceptum Aſpaſii proconſulis in civitatem Curubitanam. Poſt dies autem multos egreſſus, *Act. Paſſ.* (c) Fac quod tibi præceptum eſt. Cumque Cyprianus electus à Deo de civitate Curubitana, *Sariſ. Gal.* (d) Principes duo ex officio proconſulis Galerii Maximi; & levantes, *Act. Paſſ.* (e) Proconſularis equeſter, *Gal.* ſequeſtrator, *Saris.* æqueſtrator, *MS. vet. à Gothof. laudat.* (f) Sed & cuſtodes ejuſdem officii, & ambo, *Sariſ.*

[1] *Se ultro offerat.*] Epiſt. ult. Cypr. ait, *Dominus nos confiteri magis voluit, quam profiteri.*

[2] *Tuæ quoque cenſuræ hoc diſpliceat.*] Sic Arrius Antoninus, Chriſtianis quaſi manu facta mortem deposcentibus dixit, ὦ δειλοὶ, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνὸς ἢ βρόχος ἔχετε. Tert. ad Scapul.

[3] *Strator officii.*] Perinde eſt ſive ſtratorem, ſive ſtatorem dixeris; codices enim utrumque agnoſcunt; altera vox græcæ originis, altera latinæ. Illi fere videntur eſſe, qui poſtea Commentarienſes dicti. Egregia Conſtantini lex ad Florentium Rationalem, literis aureis ſcribenda, hominum iſtorum indolem graphice depingit. Veniam dabit lector ſi locum integrum exhibeam, ſiquidem mutilari minime debeat. Cod. l. 9. tit. 4. De cuſtodia reorum. *In quacunque cauſa reo exhibito, ſive accuſator exiſtat, ſive eum publicæ ſollicitudinis cura perduxerit, ſtatim debet quæſtio fieri, ut noxius puniatur, innocens abſolvatur. Quod ſi accuſator aberit ad tempus, aut ſociorum præſentia neceſſaria videatur, id quidem debet quam celerrime procurari. Interea viro exhibito non ferreas manicas & inhærentes oſſibus mitti oportet, ſed prolixiores catenas, ut cruciatio deſit, & permaneat fida cuſtodia. Nec vero ſedis intimæ tenebras pati debet incluſus, ſed uſurpando lucem vegetari: & ubi nox geminaverit cuſtodiam, veſtibulis carcerum, & ſalubribus locis recipi, ac revertente iterum die, ad primum ſolis ortum, ilico ad publicum lumen educi, ne pœnis carceris perimatur, quod innocentibus miſerum, noxiis non ſatis ſeverum eſſe cognoſcitur. Illud etiam obſervabitur, ut neque his qui ſtratorum funguntur officio, neque miniſtris eorum liceat crudelitatem ſuam accuſatoribus vendere, & innocentes intra carcerum ſepta lætho dare, aut ſubtractos audientiæ longa tabe conſumere. Non enim exiſtimationis tantum, ſed etiam periculi metus Judici imminebit, ſi aliquem ultra debitum tempus inedia aut quocunque modo aliquis ſtratorum exhauſerit, & non ſtatim eum penes quem officium cuſtodiæ eſt, atque ejus miniſtros capitali pœnæ ſubjecerit.*

[4] *Equiſtrator.*] ἀναβολεὺς, Mareſchalcus, apud ſcriptores latino-barbaros: qui Imperatorem aut ducem armatum in equum imponit. De horum genitura ait Manilius, *Hic curru celſior ibit. Aut onerabit equos armis, aut ducet in arma.* Ammianus Marcell. lib. 30. cap. 5. *Stratorem militem* appellat.

vico qui dicitur Saturni, [1] *inter Veneream &* (a) *Salutariam manſit. Illuc univerſus populus fratrum convenit. Et cum hoc ſanctus Cyprianus comperiſſet,* [2] *cuſtodiri puellas* (b) *præcepit, quoniam omnes in vico ante januam hoſpitii principis manſerant. Et ita altera die, octava decima Calendarum Octobrium,* (c) *mane, multa turba convenit ad Sexti, ſecundum præceptum Galerii Maximi Proconſulis. Et ita idem Galerius Maximus Proconſul, eadem die Cyprianum ſibi offerri præcepit,* [3] *in atrio Sauciolo ſedenti. Cumque oblatus fuiſſet, Galerius Maximus Proconſul Cypriano Epiſcopo dixit: Tu es Thaſcius Cyprianus? Cyprianus Epiſcopus reſpondit: Ego ſum. Galerius Maximus Proconſul dixit: Tu Papam te ſacrilegæ mentis hominibus præbuiſti? Cyprianus Epiſcopus reſpondit. Ego. Galerius Maximus Proconſul dixit: Juſſerunt te ſacratiſſimi Imperatores ceremoniari. Cyprianus Epiſcopus dixit: Non facio. Galerius Maximus ait: Conſule tibi. Cyprianus Epiſcopus reſpondit: Fac quod tibi præceptum eſt: in re tam juſta nulla eſt conſultatio. Galerius Maximus* [4] *collocutus cum conſilio, ſententiam vix ægre dixit verbis hujuſmodi: Diu ſacrilega mente vixiſti, & plurimos nefariæ tibi conſpirationis homines aggregaſti, & inimicum te diis Romanis & ſacris legibus conſtituiſti, nec te pii & ſacratiſſimi Principes Valerianus & Gallienus Auguſti, &* [5] *Valerianus nobiliſſimus Cæſar, ad ſectam ceremoniarum ſuarum revocare potuerunt. Et ideo cum ſis nequiſſimorum criminum auctor & ſignifer deprehenſus; eris ipſe documento his, quos ſcelere tuo tecum aggregaſti; ſanguine tuo ſancietur diſciplina. Et his dictis, decretum ex tabella recitavit: Thaſcium Cyprianum gladio animadverti placet. Cyprianus Epiſcopus dixit:* (d) *Deo gratias.* (e) *Poſt hanc vero ſententiam turba fratrum dicebat: Et nos cum ipſo decollemur. Propter hoc tumultus fratrum exortus eſt, & multa turba eum proſecuta eſt. Et ita idem Cyprianus* [6] *in agrum Sexti productus eſt, & ibi ſe* [7] *lacerna birro expoliavit* (f), *& genu in terra*

(*a*) *Sic MS. Sariſ. Gal.* ſalariam, *Imp.* ſaltuariam, *alii* MS. Regreſſus de exilio habitabat in hortis ſuis, cumque ibidem moraretur, venerunt ad eum duo Principes ex officio Proconſulis Galerii Max. & levantes eum in curriculum ſuum, duxerunt ad Proconſulem, ad locum ubi pro reparanda ſanitate degebat. Et collectus ab adſtatore officii, ſeceſſit ad hoſpitium ejus, in vicum qui dicebatur Saturni, & habitabat ibi; convenit autem ad eum univerſus populus fratrum, *Act. Paſſ.* (*b*) Caſtigari puellas, *Gal. Sariſ.* in vico orantes, *Gal.* quæ advenerant audire verbum Dei, quoniam ante oſtium Principis manebant, ob amorem Martyris glorioſi. (*c*) Mane autem facto, *Act. Paſſ.* Mane multo, *Gal.* Mane autem facto, oblatus eſt B. Cyprianus Proconſuli, quem intuitus, ait illi: Es Thaſcius Cyprianus qui te Papam ſacrilegæ mentis hominibus præbuiſti? Juſſerunt te ſacratiſſimi Imperatores ſacrificare. Conſule tibi ne pereas. Tunc iratus Proconſul dixit: Diu, *Act. Paſſ.* (*d*) Gratias ago Deo omnipotenti, qui me à vinculis hujus corporis dignatur abſolvere, *Gal. Act. Paſſ.* (*e*) Et cum duceretur, populus plangens & ejulans dicebat: Nos cum ipſo decollemur, *Act. Paſſ.* (*f*) Productus autem glorioſus Martyr, exuit ſe lacernum birrum, quem indutus erat, complicans; & poſuit ad genua ſua, dein tunicam tulit & Diaconibus tradidit, *Act. Paſſ.* Tunicam tulit, *Saris.*

[1] *Inter Veneream & Salutariam.*] Forte Veneris & Salutis fana.

[2] *Cuſtodire Puellas*] Rigaltus ait, *Caſtigari. h. e. admonuit ut caſtiſſime ſeſe haberent; caſtitatis, ſanctitatis, & pudicitiæ memores.*

[3] *In atrio Sauciolo.*] Vid. quæ infra dicuntur.

[4] *Collocutus cum conſilio.*] Ut mos erat Romanis Præſidibus, pone ſiparium conſiliarios ſedentes, de ſententia ferenda conſulere. Vid. Act. 25. 12.

[5] *Valerianus nobiliſſimus Cæſar*] Quem Pater ejus in Perſiam properans Cæſarem renunciavit, ubi infeliciſſimus ſenex, hanc Chriſtianorum perſecutionem, miſerrima captivitate, & miſeriore, ſi fieri potuit, morte luebat.

[6] *In agrum Sexti.*] Martyrologium Rom. *Agrum ſexti*, in *ſextum milliare à Carthagine juxta mare*, permutabat.

[7] *Lacerna birro.*] Lacerna ſive birro; altera ex duabus

ra flexit, & in orationem ſe Domino proſtravit. Et cum ſe dalmatica expoliaſſet, & Diaconibus tradidiſſet, (a) *in linea ſtetit, & cœpit ſpiculatorem ſuſtinere. Cum veniſſet autem ſpiculator, juſſit ſuis, ut eidem* [1] *ſpiculatori XXV. aureos darent* (b). *Linteamina vero & manualia à fratribus ante eum mittebantur* (c). *Poſtea vero Beatus Cyprianus manu ſua oculos ſibi texit.* (d) *Qui cum lacinias manuales ligare ſibi non potuiſſet, Julianus Presbyter, & Julianus Subdiaconus ei ligaverunt. Et ita beatus Cyprianus paſſus eſt. Ejuſque corpus propter gentilium curioſitatem in proximo poſitum eſt* [2] *cum cereis & ſcolacibus, in areis Macrobii Candidi Procuratoris, quæ ſunt in via Mappalienſi juxta piſcinas, cum voto & triumpho magno. Poſt paucos autem dies Galerius Maximus Proconſul deceſſit. Paſſus eſt autem beatiſſimus Cyprianus Martyr die octava decima Kalendarum Octobrium, ſub Valeriano & Gallieno Imperatoribus :* [3] *regnante vero Domino noſtro Jeſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.*

[1] Paſſio

(a) Ad lineam, *Saris.* Stans in linea, *Act. Paſſ.* lineis veſtibus, *Gal.* (b) Dare præcepit. *Sariſ.* (c) Fratres vero flentes, linteamina & oraria ante eum ponebant, ne ſanctus cruor defluens abſorberetur à terra. *Act. Paſſ.* (d) Ligatis quoque manicis ad cervicem à Tulliano Presbytero, ipſe ſibi manu propria oculos texit, & ſic gladio percuſſus occubuit. Hucuſque corpus propter gentilium curioſitatem, cum magna turba populi in proximo collocatum eſt, ſed ne à gentilibus tolleretur, nocte adveniente ex eodem loco ubi poſitum fuerat, ſublatum eſt inde cum cereis & ſcolacibus, & in area cujuſdam Candidi procuratoris, cum magno triumpho ſepultum eſt. Tale martyrium B. Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus explevit pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti : cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Curubitana civitas dicitur, ubi in exilium fuit. Vicus ubi in domo Principis officiorum habitavit, dicitur Saturni, inter Veneriam & Salariam. Atrium quoque Proconſulis, dicitur Sauciolum. Locus in quo decollatus eſt, vocatur Sexti. Sepultus eſt in areis Macrobii Candidi procuratoris ; quæ ſunt in via Appellenſi juxta piſcinas : paſſus eſt XVIII. Kalend. Octobris. Galerius Maximus Proconſul, poſt dies paucos diſceſſit è ſeculo, *Act. Paſſ.*

bus vocibus pro additamento habenda. Eminentiſſimus Cardinalis Baronius, multis agit ut hinc doceamur *qualis eſſet Epiſcoporum habitus :* & quidem, Lynceus ille nobis oſtendit, lineam ad quam ſtetit Cyprianus, *commune illud omnibus Epiſcopis lineum indumentum quod Ephod alii dicunt, Italice vero Rochetto*, fuiſſe. Birrum *vero eſſe rubri coloris, & ſericum habitum clericalem.* Proinde exhiberi *exploratum antiquum Epiſcoporum habitum, ut poſt veſtem ſuperinduerent lineam, & deſuper eam ſolutam tunicam, ac denique humeros tantum tegens lacernum birrum : quo genere indumenti hodie videmus uti, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, atque Epiſcopos illos qui à Regularibus ad eam dignitatem provecti ſunt.* Ita jam porro diſcimus, Cyprianum aut Cardinalem Eccleſiæ Romanæ fuiſſe; aut ex Regularibus ad dignitatem Epiſcopalem provectum. Nihil certe eſt, de quo partium ſtudio addicti ſibi non poſſunt perſuadere, & etiam ſperare ut aliis perſuadeant. Itane veſte ſua ſpectabiles in publicum procedunt clerici Eccleſiæ Romanæ, quando in regionibus agunt ubi ſibi metuunt : gladiis cincti, &, ut Campiani noſtratis utar verbis : *habitu dementiſſimo* induti ? Inepte Proconſul de Epiſcopis & Presbyteris detegendis fuiſſet ſollicitus, ſi ex habitu eſſent omnibus conſpicui. Obeſæ prorſus eſt naris, qui in his quæ ſequuntur, librariorum interpolationes, ſeculis & ingeniis ſuis dignas, non deprehenderit. Illi quidem cum *tunicam* dignitati Epiſcopali non ſatis reſpondere crediderant, officioſiſſimi homines, *Dalmaticam* ſubminiſtrabant.

[1] *Spiculatori* XXV. *aureos darent.*] Largitio hæc videtur ex librariorum munificentia facta. Sed ſi ſinguli aurei monetæ noſtræ quinque ſolidos valeant, ſummula data conficiet ſex libras, & quinque ſolidos, pecuniarum quas ſterlingas vocamus.

[2] *Cum cereis & ſcolacibus.*] Cardinalis Baronius, ad Ann. Chr. 261. num. 36. ait, *Priſtinus hic mos reſeratur Chriſtianos ſepeliendi, præcedente clero diverſarum claſſium atque ſcholarum, accenſas faces geſtantibus ſingulis magna plane pompa.* Ita Valeriano imperium obtinente, diverſas claſſes & ſcholas habuerunt Chriſtiani ; & Martyrum funera procedentes inſtructo agmine, ad hodiernum ſupplicationum ritum, celebrabant. Deſideramus hic, ut alibi paſſim, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fidem & dignitatem. Rigalt. ait. *In exemplaribus legitur. Ad cereos & ſcolaces. Rectiſſime. Scolaces Græcæ originis vocabulum, ſirpos aut funes intortos ſignificat, ex quibus ceratis funalia, in uſum nocturni luminis. Funales & ſcolaces erant candelæ, quæ quoquo verſus arcte vinciebant thecam librorum Numæ. Erant enim ſequacis ad vincula lentitiæ, & ſub terram depoſitæ non computreſcebant, ſtipatæ cedro ceraque.* Intempeſta nocte ad corpus amovendum perrexerant fratres, ne id attentarent in Cyprianum Afri, quod in Polycarpum perpetrarunt Gentiles Aſiatici. De qua re vid. Euſeb. l. 4. c. 15. Judæi Joan. 18. dicuntur veniſſe μὲτ φανῶν καὶ λαμπάδων.

[3] *Regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto*] Hanc formulam ſerius in Eccleſiam introductam, ſatis norunt eruditi.

[1] *Paſſio*

[1] Passio S. Cypriani ex MS. S. Victoris, nec non Bodleiano 1.

CUM Cyprianus, sanctus martyr, electus à Domino, de civitate Curubitana, in qua exilio datus erat, ex præcepto Aspasii Paterni tunc [2] *Proconsulis, clariss. viri, regressus esset ex sacro rescripto,* [3] *specialiter ad hoc & personaliter emisso, in hortis suis manebat;* [4] *& ad diem omnibus* (a) *modis veniri sicut ei ostensum erat, sperabat. Idem cum illic* (b) *demoraretur, repente Idib. Septembrib. Tusco & Basso Consulibus, venerunt ad eum Principes duo, unus Strator officii Galerii Maximi Proconsulis, clariss. viri, qui Aspasio Paterno successit, & alius Equistrator qui esset à custodiis officii ejusdem clarissimi viri, & in curriculum eum* (c) *imposuerunt, & ambo eum tenuerunt, & in Sexti tulerunt; ubi idem Galerius Maximus Proconsul vir clariss. alia die, id est, crastina, offerri sibi præcepit, & ita idem Cyprianus cum Principe & Stratore officii Maximi Proconsul. clariss. viri secessit, &* [5] *in hospitio ejus, cum eo, vico Saturni,* [6] *inter Venerea & Salutaria mansit. Illic ante januam* [7] *universus populus fratrum mansit. Et cum hoc Cyprianus comperisset, castigari puellas præcepit, quoniam in vico omnes ante januam hospitii Principis jacebant. Et ita altera die, id est XVIII. Kal. Octob. mane multo, ad Sexti, secundum præceptum* (d) *Galerii Maximi Proconsulis, clariss. viri,* [8] *in atrio sedentis Sauciolo, oblatus est. Quo oblato, idem Galerius Maximus Proconsul, clariß. vir, Cypriano dixit:* (e) *Tu papatum*

(a) *Sic Bod.* 1. Omnibus veniri, *Imp.* (b) Cum illic idem demoraretur, *Bod.* 1. (c) Imposuerunt, & in Sexti, *Bod.* 1. (d) Galerii Maximi in atrio sedentis, obvoluto & sauciolo, *Rigalt.* Voluntarie Sauciolo, *Bod.* 1. (e) Tu es Thascius Cyprianus, Dixit: Ego. Galerius Maximus Dixit, *Bod.* 1.

[1] *Passio S. Cypriani.*] Rigalt. ait, *Hanc de Cypriani martyrio narrationem, ut est brevissima, sic etiam esse, antiquissimam arbitramur. Plurima Pontius pio erga suum Episcopum adfectu rhetorica libertate ingeniose commentus est. Multa etiam alii, pro captu quisque suo, adjecerunt, aliena seculo, aliena personis, quædam etiam detraxerunt valde bona; ut jam pauca supersint quæ præstare possimus sincera.* Illa ipsa quæ Prudentius Poeta, passionem Cypriani descripturus, famæ accepta refert; Actis inserta transeunt in historiam.

[2] *Proconsulis clariss. viri*] Proconsulem titulo clarissimi viri insignitum fuisse ex Codice Justiniani & aliis veterum scriptis notum est; sed ut, quod hic factum est, perpetuo ingeratur; librariorum elegantia haberi debet: quorum perpetuus mos est, omnia quæ emendant contaminare.

[3] *Specialiter ad hoc & personaliter.*] Rigalt. ait, *Hæc ineptus aliquis de grege leguleiorum intrusit.*

[4] *Et ad diem omnibus veniri*] Rigalt. ait, *Legendum videtur, Et ad se diebus omnibus veniri. Augustinus: Et inde quotidie sperabat veniri ad se. Ipse Cyprianus, epist. 82. ubi de literis Valeriani: Quas literas quotidie speramus venire.*

[5] *In hospitio ejus.*] Rigalt. ait, *Pontius: delicata custodia.*

[6] *Inter Venerea & Salutaria.*] Inter Veneris & Salutis fanum. Rigalt. ait, *Acta, ex Cod. Fossatensi & Pratensi: inter Veneriam & Salariam. In aliis Codicib. legitur Salutariam. Non est spernendum quod in Victoriano scriptum est: inter Veneria & Salutaria; hac enim manu ducor, ut existimem scriptum fuisse, inter Venaria Saltuaria ab aliquo sciolo qui apud Pontium legerat, locum, ubi Cyprianum pati contigit, fuisse arboribus ex omni parte densatis consitum.*

[7] *Universus populus fratrum mansit.*] Nocturnæ convocationes Christianorum olim apud Ethnicos suspectæ; & prostrata puellarum pudicitia passim illis objiciebatur. Vid. Tertull. ad Uxor. l. 2. Justin. & Athenag. in Legat. & Minut. Fel. Ideo de custodiendis virginibus adeo solicitus erat Cyprianus. Pontius istam pernoctationem, ad vigiliam maxime solennem quæ Pascha antecedebat, revocare videtur, quæ Eusebio, ἡ μεγάλης ἑορτῆς παννυχίς. l. 2. c. 17. & ἡ μεγάλη τῦ πάσχα διανυκτέρευσις. l. 6. c. 9. Unde conjicere licebit, per illa secula, vigilias ex recepto more, martyrum natales, licet Episcopi essent, minime præcessisse. Siquidem tanquam peculiare quiddam observat, *quod Dei populus etiam in sacerdotis passione vigilaret.*

[8] *In atrio sedentis Sauciolo.*] Rigalt. ait, *Sedenti obvoluto & sauciolo. Hactenus nemo hanc protulit ex ullo exemplari scripturam. Vulgatissima illa est: In atrio sedenti Sauciolo, & in Actis à Manutio & Morellio editis: Atrium quoque Proconsulis dicitur Sauciolum. Sed parum probabile videtur, ullum fuisse atrio cognomentum. Faber testatur, in veteri codice reperiri: Seleutiolo.*

patum ſacrilegæ mentis hominibus exhibuiſti? Cyprianus dixit: Ego. Galerius Maximus Proconſul, clariſs. vir, locutus cum conſilio, ſententiam vix & ægre dixit, verbis hujuſmodi: Diu ſacrilega mente vixiſti, & plurimos tibi nefariæ conſpirationis homines aggregaſti, & inimicum te conſtituiſti Diis Romanis & Religionibus ſacris, nec te pii & ſanctiſſimi principes noſtri Valerianus & Gallienus Auguſti, & Valerianus nobiliſſimus Cæſar, ſecta feliciſſimorum temporum ſuorum, [1] *obdurati furoris, ad ceremonias percolendas, bonamque mentem habendam tanto tempore potuerunt revocare: & ideo quod nequiſſimi criminis auctor & ſignifer deprehenſus es, quo tu ſcelere docuiſti, ipſo documento peribis; ut quoniam tuo adniſu duravit ſacrilega contumacia, tuo ſanguine ſanciatur diſciplina. Et decretum ex tabella recitavit. Thaſcium Cyprianum gladio animadverti placet.*

tiolo. Quod igitur in iſto Victorino ſcriptum eſt, obvoluto & ſauciolo, ſi cui diſpliceat iſtud, ſauciolo: emendari poterit leviſſima mutatione: Mane multo ad Sexti, ſecundum præceptum Galerii Maximi Proconſulis, clariſſimi viri in atrio ſedenti, obvoluto & helucioſo, oblatus eſt. Scriptor iſte qui venaria dixit, pro venationibus, aut venatoriis, helucioſum quoque dixerit pro helucoſo: ut ſit helucoſus ſive helucioſus, ὁ καρηβαρῶν. *Notandum vero eſt, eundem Scriptorem hoc quoque tradere: Proconſulem in locum, qui dicitur Sexti, ſeceſſiſſe valetudinis gratia, locum nempe amœnum inter venationes & ſaltus. Notandum etiam in iſta narratione, Proconſulem vix & ægre interrogaſſe & allocutum eſſe. Itaque ſediſſe in atrio obvolutum, pannis fortaſſe & focalibus, ut ſolent ægrotantes aut ſauciati, unde aliquis poſtea dixerit obvolutum & ſauciolum. Quæ conjectura firmatur eo quod in Actis aliis legitur: Poſt paucos dies Proconſulem deceſſiſſe.* At quantumcunque ſibi placeat Rigaltius in conjectura ſua, conſtat ſauciolum prætorii atria denotare. Concil. Matiſconenſi ſecundo c. 19. dicitur. *Ut ad locum examinationis reorum nullus clericus accedat, neque interſit atrio ſauciolo, ubi pro reatus ſui qualitate, quiſpiam interficiendus eſt.* Si quis vocem hanc ex Gothica barbarie hauſtam, & à ſequiorum temporum librario, in *Atrii* interpretamentum additam dixerit, minime repugnabo.

[1] *Obdurati furoris.*] Rigalt. ait, *Aliquid hic turbatum eſt. Nam hæc verba ſunt Proconſulis, in Cypriani conſtantiam & fidei Chriſtiani robur; quaſi Galerius allocutione ad martyrem ſua dixiſſet: Nec te obdurati furoris, pii & ſanctiſſimi Principes noſtri, ſecta feliciſſimorum temporum ſuorum, ad ceremonias percolendas revocare potuerunt*, &c.

VETERUM ELOGIA.

Beati Cæcilii Cypriani, per Lactant. Inſtit. lib. 5. c. 1. elogium.

CYprianus magnam ſibi gloriam ex artis oratoriæ profeſſione quæſierat, & admodum multa conſcripſit in ſuo genere admiranda. Erat enim ingenio facili, copioſo, ſuavi; &, quæ ſermonis maxima eſt laus, aperto: ut diſcernere nequeas utrumne ornatior in loquendo, an facilior in explicando, an promtior in perſuadendo fuerit.

Per Euſeb. in Chron.

CYprianus primum Rhetor, deinde Presbyter, ad extremum Carthaginienſis Epiſcopus martyrio coronatur.

Κυπριανὸς Καρθαγένης ἐπίσκοπος τῷ ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυρίῳ τελειοῦται.

Per Pacian. Epiſt. 2.

CYprianus in concordia omnium, in pace communi, in Confeſſorum grege paſſus eſt; & ſæpe confeſſus iteratis perſecutionibus & multa laceratione vexatus, & noviſſime ſalutari calice propinatus eſt.

Per D. Hieronymum. Catalogo Virorum Illuſtrium.

CYprianus Afer primum glorioſe Rhetoricam docuit : exinde, ſuadente Presbytero Cæcilio, à quo & cognomentum ſortitus eſt, Chriſtianus factus, omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus erogavit: ac poſt non multum temporis, electus in presbyterum, etiam Epiſcopus Carthaginienſis conſtitutus eſt. Hujus ingenii ſuperfluum eſt indicem texere, cum ſole clariora ſint ejus opera. Paſſus eſt ſub Valeriano & Gallieno Principibus ; perſecutione octava, eodem die, quo Romæ Cornelius, ſed non eodem anno.

Per eundem Epiſt. ad Paulam.

BEatus Cyprianus inſtar fontis puriſſimi, dulcis incedit & placidus: & cum totus ſit in exercitatione virtutum, occupatus perſecutionum anguſtiis, de ſcripturis divinis nequaquam diſſeruit.

Per eundem comment. in Jon. cap. 3.

PRoponamus nobis B. Cyprianum, qui prius idololatriæ adſertor fuit, & in tantam gloriam venit eloquentiæ, ut oratoriam quoque doceret Carthagini: audiſſe tandem ſermonem Jonæ, & ad pœnitentiam converſum, in tantam veniſſe virtutem, ut Chriſtum publice prædicaret, & pro illo cervicem gladio flecteret.

Per Hilar. comment. in Matt.

CYprianus vir ſanctæ memoriæ.

Per D. Auguſtin. l. 2. de Bapt.

NOn me terret Auctoritas Cypriani, quia reficit humilitas Cypriani; magnum quidem meritum novimus Cypriani Epiſcopi & Martyris.

Per Gelaſ. Pap. Rom. in ejus decret. de ſcript. Eccleſ. ordinem ducunt.

Opuſcula Cypriani Martyris & Carthaginienſis Epiſcopi.

Per S. Gregor. M. in Sacramentario.

18. *Kal. Octob. eadem die natales SS. Cornelii & Cypriani.*

Antiquiſſ. Bucherii Fragment.

18. *Kal. Octob. Cypriani Africæ, Romæ celebratur in Calliſti.*

Miſſal.

Miſſal. Roman.

BEatorum Martyrum pariterque Pontificum Cornelii & Cypriani nos quæſumus Domine, feſta tueantur: Et eorum commendet oratio veneranda, per Dominum noſtrum.

Per Maximum Taurinenſem.

FUIT in Cypriano, ſicut compertum habemus, & contra errores Diaboli, ſpiritalis ſapientiæ plenitudo; & adverſum perſecutiones mundi, Chriſtiani pectoris indefatigata conſtantia. Quis non hujuſmodi virum, quantis valet, præconiis proſequatur; cujus eloquentia inſpirata divinitus, & Eccleſias docuit, & ſeculum confutavit? Vere hic mirabilis atque omnium ubique ſtudiis celebrandus, quem ſanctitas Sacerdotem, peritia Doctorem, fides Martyrem conſecravit. Pretioſa, inquit David, in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus. Videte, cariſſimi, in quantum venerabilis Cyprianus, etiam propheticam ſupergreſſus eſt laudem, cujus in conſpectu Domini non ſolum mors, ſed & vita extitit pretioſa. Moriendo namque proprium Chriſto ſanguinem dedit, vivendo nihilominus cohortatione fortiſſima, innumeros cœlo martyras adquiſivit. Quid hoc clarius ſacerdote, qui inter hominum turbas, gloria cœleſtis converſationis emicuit, atque inter angelicos cœtus, & ſua factus eſt & aliorum morte conſpicuus.

Per Auguſtin. in Natal. Cypr.

PAſſione Beati Cypriani triſtis proculdubio Eccleſia fuit; at non damno cadentis, ſed deſiderio recedentis; ſemper cupiens videre præſentem tam bonum rectorem atque doctorem: ſed quos adflixerat ſolicitudo certaminis, conſolata eſt corona victoris. Et nunc non ſolum ſine ulla triſtitia, verum etiam cum ingenti lætitia, cuncta quæ tunc geſta ſunt legendo recolimus, dieque iſto nobis gaudere conceſſum eſt, non timere. Neque enim formidamus terribiliter venientem, ſed expectamus hilariter redeuntem. Placet itaque univerſam illam fideliſſimi & fortiſſimi & glorioſiſſimi Martyris paſſionem, cum exultatione recordari præteritam, quam tunc fratres ſuſtinuere futuram.

Per Procop. lib. 1. Belli Vandal.

Κυπριανὸν ἅγιον ἄνδρα μάλιστα πάντων οἱ Καρχηδόνιοι σέβονται, καὶ αὐτῷ νέων τινὰ λόγῳ πολλῷ ἄξιον, ἔξω τῆς πόλεως ἱδρυσάμενοι παρὰ ταῖς τῆς θαλάσσης ἠόνα, τά τε ἄλλα ἐξοσιοῦνται, καὶ ἄγουσιν ἐνιαύσιον ἑορτὴν, ἣν δὴ Κυπριανὰ καλοῦσι.

Per Caſſiodorum Divin. lect. c. 19.

BEatiſſimus Cyprianus velut oleum decurrens in omnem ſuavitatem lingua compoſita: Declamator inſignis doctorque admirabilis. Quantos enim ille dubitantes non pertulit labi, lapſos vero

firmiſſima prædicatione ſolidavit, Confeſſores ad martyrium ipſe perduxit? Et ne minor eſſet prædicationibus ſuis; ipſe quoque martyrii corona, Domino præſtante, decoratus eſt.

Per Prudent. Hymn. 13.

DEſine flere bonum tantum, tenet ille regna cœli,
Nec minus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe:
Diſſerit, eloquitur, tractat, docet, inſtruit, prophetat.
Nec Libyæ tantum populos regit, exituſque in ortum
Solis; & uſque obitum, Gallos fovet, imbuit Britannos,
Præſidet Heſperiæ, Chriſtum ſerit ultimis Iberis:
Denique Doctor humi eſt, idem quoque martyr in ſupernis,
Inſtruit hic homines, illic pia dona dat Patronus.

Per Ennod. Epiſc. Ticinenſem.

VAtis Cypriani & Martyris
Cor, lingua, ſenſus, dignitas
Mortem ferendo proferunt.
Vitalis ictum nex dedit,
Mucrone parta lux micat.
Dictis fuit præfulgidus,
Et ore dives unico,
Torrentis unda gurgitis
Impacta cornu ſpicula
Sermone vincens promulo, &c.

INDEX

INDEX OPERUM OMNIUM
SANCTI CYPRIANI JUXTA EDITIONEM
ET CENSURAM PAMELII,

Quatenus reſpiciunt Eraſmi & Manutii Editiones, & demum hanc noſtram.

Epiſtolæ ſtatim à Baptiſmo D. Cypriani conſcriptæ.

Edit. Noſt.	Edit. Pam.		Edit. Eraſm. & Manut.
	I.	Donati ad Cyprianum.	
	II.	Cypriani ad Donatum.	*Lib.* 2. *Epiſt.* 2.

Epiſtolæ in ſeceſſu Cypriani toto biennio conſcriptæ.

8.	III.	Cleri Romani ad Clerum Carthaginienſem, de ſeceſſu Cypriani.		
9.	IV.	Cypriani ad Clerum Romanum, de dormitione Epiſcopi Urbici.	3.	21.
5.	V.	Ad Clerum ſuum, de cura pauperum & quiete plebis.	5.	2.
14.	VI.	Ad eundem, de cura pauperum & Confeſſorum.	3.	10.
13.	VII.	Ad Rogatianum & ceteros Confeſſores, de obſervanda diſciplina.	1.	5.
11.	VIII.	Ad Clerum, de precando Deo pro peccatis.	4.	4.
10.	IX.	Ad Martyres & Confeſſores, de Mappalico.	2.	6.
16.	X.	Ad Clerum de Presbyteris qui temere pacem Lapſis dederant, nec dum ſedata perſecutione, & citra conſcientiam Epiſcoporum.	3.	14.
15.	XI.	Ad Martyres & Confeſſores qui petierunt Lapſis pacem dari.	3.	15.
17.	XII.	Ad plebem, de reſcripto Martyrum, ac iis qui pacem petebant.	3.	16.
18.	XIII.	Ad Clerum, de lapſis Catechumenis, ne vacui communione exeant.	3.	17.
19.	XIV.	Ad eundem, de iis qui ad pacem feſtinabant.	3.	18.
20.	XV.	Ad Clerum Romanum, de præcedentium epiſtolarum exemplis è ſuo ſeceſſu Romam miſſis.	3.	5.
37.	XVI.	Ad Moyſen & Maximum & ceteros Confeſſores Romanos, de eorum confeſſione.	2.	4.
23.	XVII.	Confeſſorum univerſorum ad Cyprianum, de pace Lapſis data.	5.	14.
26.	XVIII.	Cypriani ad Clerum, de præcedenti & duabus ſequentibus epiſtolis.	3.	19.
24.	XIX.	Caldonii ad Cyprianum & Compresbyteros, de iis qui ſacrificarent, ſive de Lapſis.	5.	15.
25.	XX.	Cypriani ad Caldonium reſponſum.	3.	20.
21.	XXI.	Celerini ad Lucianum, de Numeria & Candida.		
22.	XXII.	Luciani ad Celerinum, de pace omnibus Lapſis data.		
27.	XXIII.	Cypriani ad Clerum Romanum, de ſex epiſtolis præcedentibus & Luciani inverecundia.	5.	4.
29.	XXIV.	Ad Clerum ſuum, de literis præcedentibus Romam miſſis, & Saturo Lectore ac Optato hypodiacono factis.	3.	22.
28.	XXV.	Ad Moyſen & Maximum & ceteros Confeſſores, de confeſſione eorum, & Lapſis.	4.	3.
31.	XXVI.	Moyſis & Maximi & ceterorum ad Cyprianum reſcriptum.	5.	12.
33.	XXVII.	Cypriani ad Lapſos, qui illi de uſurpata pace per Paulum martyrem data, ſcripſerant.	5.	6.
34.	XXVIII.	Ad Clerum, de Gaio Diddenſi ac aliis qui Lapſis communicabant.	5.	3.
35.	XXIX.	Ad Clerum Romanum, de iiſdem Lapſis qui ſibi pacem à Paulo martyre datam vindicabant.	5.	5.
36.	XXX.	Ad Cyprianum Cleri Romani reſponſum.	5.	13.
30.	XXXI.	Ad eundem Cleri Romani aliud eadem de re reſcriptum.	2.	7.
32.	XXXII.	Cypriani ad Clerum ſuum de miſſis Romam, & acceptis inde literis.	3.	4.
38.	XXXIII.	Ad Clerum & plebem, de Aurelio Doctore ordinato.	2.	15.
39.	XXXIV.	Ad eoſdem, de Celerino Lectore ordinato.	4.	5.
40.	XXXV.	Ad eoſdem, de Numidico Presbytero.	4.	10.
7.	XXXVI.	Ad Clerum, de cura pauperum & peregrinorum.	3.	24.
12.	XXXVII.	Ad eundem ut Confeſſoribus in carcere conſtitutis omnis humanitas præbeatur.	3.	6.
41.	XXXVIII.	Ad Caldonium & ceteros, de abſtento Feliciſſimo.	5.	7.
42.	XXXIX.	Caldonii & ceterorum ad Clerum Carthaginienſem, de abſtento Feliciſſimo cum ſuis.	5.	16.
43.	XL.	Cypriani ad plebem, de quinque Presbyteris factionis Feliciſſimi.	1.	8.

Epiſtolæ ſcriptæ ſub Pontificatu Cornelii & Lucii.

44.	XLI.	Ad Cornelium, quod ordinationem Novatiani non receperit.	2.	11.

INDEX.

Edit. Noſt.	Pam.		Edit. Erafm.	& Manut.
45.	XLII.	Ad eundem, de ordinatione ejus à ſe comprobata, & Feliciſſimo.	*Lib.* 2. *Ep.*	10.
47.	XLIII.	Ad eundem, quod ad Confeſſores à Novatiano ſeductos literas fecerit.	5.	9.
46.	XLIV.	Ad Confeſſores Romanos, ut ad unitatem redeant.	3.	2.
48.	XLV.	Ad Cornelium, de Polycarpo Hadrumetino.	4.	8.
49.	XLVI.	Ad Cyprianum Cornelii, de Confeſſoribus ad unitatem reverſis.	3.	11.
51.	XLVII.	Cypriani ad Cornelium reſponſum congratulatorium, de illorum reditu ex ſchiſmate.	2.	12.
50.	XLVIII.	Ad Cyprianum Cornelii, de factione Novatiani cum ſuis.	3.	12.
52.	XLIX.	Cypriani ad Cornelium, de Novati ſceleribus reſponſum.	2.	8.
53	L.	Maximi & ceterorum Confeſſorum ad Cyprianum, de ſuo reditu ex ſchiſmate.	3.	14.
54.	LI.	Cypriani ad illos, de reditu congratulatoria.	3.	3.
55.	LII.	Ad Antonianum, de Cornelio & Novatiano.	4.	2.
56.	LIII.	Ad Fortunatum & alios collegas, de his qui per tormenta ſuperantur.	3.	23.
57.	LIV.	Ad Cornelium Synodi Africanæ de pace Lapſis danda.	1.	2.
59.	LV.	Ad eundem Cypriani, de Fortunato & Feliciſſimo.	1.	3.
58.	LVI.	Ad Thibaritanos exhortatoria ad Martyrium.	4.	6.
60.	LVII.	Ad Cornelium in exilio, de ejus confeſſione.	1.	1.
61.	LVIII.	Ad Lucium reverſum ab exilio.	3.	1.

Epiſtolæ miſcellaneæ in pace Eccleſiæ variis temporibus conſcriptæ.

64.	LIX.	Ad Fidum, de infantibus baptizandis.	3.	8.
62.	LX.	Ad Epiſcopos Numidas, de redemtione fratrum ex captivitate Barbarorum.	5.	8.
2.	LXI.	Ad Euchratium, de Hiſtrione.	1.	10.
4.	LXII.	Ad Pomponium, de Virginibus.	1.	11.
63.	LXIII.	Ad Cæcilium, de Sacramento Dominici calicis.	2.	3.
65.	LXIV.	Ad Epictetum & plebem Aſſuritanorum, de Fortunatiano quondam eorum Epiſcopo.	1.	7.
3.	LXV.	Ad Rogatianum Epiſcopum, de ſuperbo Diacono.	3.	9.
1.	LXVI.	Ad Clerum & plebem Furnitanorum, de Victore qui Fauſtinum tutorem nominavit.	1.	5.

Epiſtolæ ſcriptæ ſub Pontificatu Stephani, de baptizandis hæreticis.

68.	LXVII.	Ad Stephanum Papam, de Martiano Arelatenſi, qui Novatiano conſenſit.	3.	23.
67.	LXVIII.	Ad Clerum & plebem Hiſpaniarum, de Baſilide & Martiali.	1.	4.
66.	LXIX.	Ad Florentium Pupianum, de obtrectatoribus.	4.	10.
70.	LXX.	Ad Januarium & ceteros Epiſcopos Numidas, Cypriani, & coepiſcoporum, de baptizandis hæreticis.	1.	12.
71.	LXXI.	Ad Quintum, de baptizandis hæreticis.		
72.	LXXII.	Ad Stephanum Cypriani & Colliegarum, de Concilio.	2.	1.
73.	LXXIII.	Ad Jubaianum, de baptizandis hæreticis.		
74.	LXXIV.	Ad Pompeium, contra Epiſtolam Stephani.		
75.	LXXV.	Ad Cyprianum Firmiliani, contra eandem Stephani Epiſtolam.		
69.	LXXVI.	Cypriani ad Magnum, de baptizandis Novatianis, & de iis qui in lecto gratiam conſequuntur.	1. & 4.	6. 7.

Epiſtolæ in exilio conſcriptæ & ſub finem vitæ.

76.	LXXVII.	Ad Nemeſianum & ceteros Martyres in metallo conſtitutos.	3.	25.
77.	LXXVIII.	Ad Cyprianum Nemeſiani cum collegis reſponſum.	5.	10.
78.	LXXIX.	Ad eundem Lucii cum Collegis reſponſum.	3.	7.
79.	LXXX.	Ad eundem Felicis & ceterorum reſponſum.	5.	11.
6.	LXXXI.	Cypriani ad Rogatianum Juniorem & ceteros Confeſſores in carcere conſtitutos.	4.	1.
80.	LXXXII.	Ad Succeſſum de nunciis Roma reverſis perſecutionem nuntiantibus.	5.	9.
81.	LXXXIII.	Ad Clerum de ſuo, ſub finem vitæ, ſeceſſu.	5.	1.

LIBRI ET TRACTATUS.

Edit. Noſt.	Pamel.		pag.
6.	1.	De Diſciplina & habitu Virginum.	67
8.	2.	De Lapſis.	87
7.	3.	De Unitate Eccleſiæ Catholicæ: *vulgo* de ſimplicitate Prælatorum.	75
9.	4.	De Oratione Dominica.	99
12.	5.	Ad Demetrianum.	129
2.	6.	De Idolorum vanitate.	8
10.	7.	De Mortalitate.	110
13.	8.	De Opere & Eleemoſynis.	137

Noſt.	Pam.		pag.
4.	9.	De bono Patientiæ.	145
15.	10.	De Zelo & Livore.	153
11.	11.	Ad Fortunatum de exhortatione Martyrii.	117
3.	12.	Ad Quirinum Teſt. contra Judæos l. 1.	13
4.	13.	Ad eundem Teſt. contra Judæos l. 2.	24
5.	14.	Ad eundem Teſtim. lib. 3.	39
16.	15.	Concilium Carthaginienſe de baptizandis hæreticis.	158

INDEX

INDEX OPERUM

SANCTI CYPRIANI JUXTA EDITIONEM ERASMI ET MANUTII, APPOSITIS

etiam numeris editionis Pamelianæ & noſtræ.

Epiſtolæ Libri primi.

		Pam.	Noſt.
I.	COgnovimus frater. Ad Cornelium Papam de confeſſione ejus. *Epiſt.*	57.	60.
II.	Statueramus quidem. Ad eundem de pace Lapſorum.	54.	57.
III.	Legi literas tuas. Ad eundem, de pace Lapſorum.	55.	59.
IV.	Cum in unum conveniſſemus. Ad Clerum & plebem in Hiſpania conſiſtentes, de Baſilide & Martiale.	68.	67.
V.	Et jampridem vobis. Ad Rogatianum & ceteros Confeſſores	7.	13.
VI.	Pro tua religioſa diligentia. Ad Magnum de Novatiano, & de iis qui in lecto gratiam conſequuntur.	76.	69.
VII.	Graviter & dolenter motus. Ad Epictetum & plebem Aſſuritanorum, de Fortunatiano quondam Epiſcopo eorum.	64.	65.
VIII.	Quanquam, fratres cariſſimi. Ad plebem, de quinque presbyteris ſchiſmaticis.	40.	43.
IX.	Graviter commoti ſumus. Ad Clerum & plebem Furnitanorum, de Victore qui Fauſtinum presbyterum tutorem nominavit.	66.	1.
X.	Pro dilectione tua. Ad Eucratium, de Hiſtrione.	61.	2.
XI.	Legimus literas tuas frater. Ad Pomponium, de virginibus.	62.	4.
XII.	Cum ſimul in Concilio eſſemus. Ad Januarium & ceteros, de hæreticis baptizandis.	70.	70.

Epiſtolæ libri ſecundi.

I.	Ad quædam diſponenda. Ad Stephanum Papam de concilio.	72.	72.
II.	Bene admones Donate. Ad Donatum. *Tract. p.* 1.	2.	
III.	Quanquam ſciam frater: Ad Cæcilium, de ſacramento Domini calicis.	63.	63.
IV.	Et cunctos vos pariter. Ad Moyſen & Maximum Presbyteros & Confeſſores.	16.	37.
V.	In ordinationibus. Ad Clerum & plebem, de Aurelio confeſſore, Lectore ordinato.	33.	38.
VI.	Exulto lætus & gratulor. Ad Martyres & Confeſſores.	9.	10.
VII.	Quanquam bene ſibi conſcius. Cleri Romani ad Cyprianum.	31.	30.
VIII.	Et cum diligentia. De Novato & Novatiano.	49.	52.
X.	Quod ſervis Dei. Ad Cornelium de ordinatione ejus.	42.	45.
XI.	Venerunt ad nos frater. Ad Cornelium de ordinatione Novatiani.	41.	44.
XII.	Et egiſſe nos & agere. Ad Cornelium de Confeſſoribus regreſſis.	47.	51.

Epiſtolæ libri tertii.

I.	Et nuper quidem tibi. Ad Lucium de exilio reverſum.	58.	61.
II.	Cum frequenter cariſſimi. Ad Confeſſores pravos.	44.	46.
III.	Lectis literis veſtris fratres. Ad Confeſſores de ſchiſmate reverſos.	51.	54.
IV.	Quales literas. Ad Clerum de Epiſtolis tam ſuis quam Romanorum edendis.	32.	32.
V.	Quoniam comperi fratres. Ad Clerum Romanum de ſeceſſione ſua.	15.	20.
VI.	Quanquam ſciam vos fratres. Ad Clerum, ut Confeſſoribus in carcere conſiſtentibus omnibus humanitas præbeatur.	37.	12.
VII.	Exultantibus nobis. Lucii Papæ & ceterorum tam Martyrum, quam Confeſſorum.	79	78.
VIII.	Legimus literas tuas. Ad Fidum de infantibus baptizandis.	59.	64.
IX.	Graviter & dolenter. Ad Rogatianum Epiſcopum de ſuperbo diacono ejus.	65.	3.
X.	Optaveram quidem fratres. Ad Clerum de cura pauperum & quiete Confeſſorum.	6.	14.
XI.	Quantam ſolicitudinem. Ad Cyprianum de Confeſſoribus reverſis.	46.	49.
XII.	Ne quid minus ad pœnam. Ad Cyprianum de quibuſdam ſchiſmaticis.	48.	50.
XIII.	Fauſtinus collega noſter. Ad Stephanum de Marciano Arelatenſi, qui Novatiano conſenſit.	67.	68.
	Certi ſumus frater. Ad Cyprianum Maximi, Urbani, Sidonii, Macarii, qui cum Cornelio Epiſcopo pacem feciſſent.	50.	53.
XIV.	Diu patientiam meam. Ad Clerum de Presbyteris, qui temere pacem Lapſis dederunt, necdum ſedata perſecutione.	10.	16.
XV.	Sollicitudo loci. Ad Martyres & Confeſſores, qui Lapſis petierunt pacem dari.	11.	15.
XVI.	Ingemiſcere vos. Ad plebem de reſcripto Martyrum, & Lapſis, qui pacem petierunt.	12.	17.
XVII.	Miror vos fratres. Ad Clerum de Lapſis & Catechumenis, ne vacui exeant.	13.	18.

			Pam.	Noſt.
XVIII.	Legi literas veſtras fratres.	Ad Clerum de eis qui ad pacem feſtinant. *Epiſt.*	14.	19.
XIX.	Dominus loquitur & dicit.	Ad Clerum non dandam Lapſis pacem ante Pœnitentiam actam.	18.	26.
XX.	Accepimus literas tuas.	Ad Caldonium prima.	20.	25.
XXI.	Cum de exceſſu boni viri.	Ad Clerum Romanum, de dormitione Epiſcopi Urbici.	4.	9.
XXII.	Ne quid Conſcientiam.	Ad Clerum de literis Romam miſſis, & de Saturo Lectore, & Hypodiacono Optato factis.	24.	29.
XXIII.	Scripſiſtis mihi fratres.	Ad Fortunatum & ceteros de iis qui per tormenta ſuperantur.	53.	56.
XXIV.	Saluto vos fratres.	Ad Clerum propter curam pauperum & peregrinorum, ut de pecuniis ejus ſtipendientur.	36.	7.
XXV.	Gloria quidem veſtra.	Ad Martyres & Confeſſores in metallo conſtitutos.	77.	76.

Epiſtolæ libri quarti.

I.	Saluto vos fratres cariſſimi.	Ad Rogatianum & ceteros Confeſſores.	81.	6.
II.	Accepi primas literas.	Ad Antonianum de Cornelio & Novatiano.	52.	55.
III.	Gloriam fidei & virtutis.	Ad Moyſen & Maximum Presbyteros, & ceteros Confeſſores.	25.	28.
IV.	Quanquam ſciam fratres.	Ad Clerum de deprecando Deo pro peccatis noſtris.	8.	11.
V.	Agnoſcenda & amplectenda ſunt.	Ad Clerum & plebem, de Celerino Confeſſore Lectore ordinato.	34.	39.
VI.	Cogitaveram quidem fratres.	Ad Thibaritanos de exhortatione martyrii.	56.	58.
VII.	Quæſiviſti etiam fili.	Ad Magnum ſecunda, de iis qui in lecto gratiam conſequuntur.	76.	69.
VIII.	Legi literas tuas frater.	Ad Cornelium de Polycarpo Hadrumetino.	45.	48.
IX.	Ego te frater credideram.	Ad Florentium quem & Pupianum.	69.	66.
X.	Nunciandum vobis fuit.	Ad plebem de Numidico Confeſſore presbytero ordinato.	35.	40.

Epiſtolæ libri quinti.

I.	Cum perlatum ad nos fuiſſet.	Ad Clerum de ſeceſſu ejus.	83.	81.
II.	Saluto vos incolumis.	Ad Clerum de cura pauperum & quiete plebis.	5.	5.
III.	Integre & cum diſciplina.	Ad Clerum de Gaio Diddenſi Presbytero, & Philumeno Hypodiacono, & Favorino Acolutho.	28.	34.
IV.	Poſt factas ad vos literas.	Ad Clerum Romanum de multis Confeſſoribus, & de Luciani inverecundia, & Celerini Confeſſoris modeſtia.	23.	27.
V.	Et dilectio communis.	Ad Clerum Romanum de iis qui ſibi pacem à Paulo Martyre datam vendicabant.	29.	35.
VI.	Dominus noſter.	Ad Lapſos, qui illi de uſurpata pace ſcripſerunt.	27.	33.
VII.	Vehementer contriſtatus ſum.	Ad Caldonium, & Herculaneum Epiſcopos.	38.	41.
VIII.	Cum maximo animi noſtri gemitu.	Ad Epiſcopos Numidas, de redemtione fratrum ex captivitate barbarorum.	60.	62.
IX.	Et religioſum nobis.	Ad Cornelium, de Confeſſoribus.	43.	47.
X.	Semper magnis ſenſibus.	Nemeſiani & aliorum ad Cyprianum.	78.	77.
XI.	Reſalutamus te.	Felicis & ceterorum Confeſſorum ad Cyprianum.	80.	79.
XII.	Inter varios.	Moyſis & Maximi & ceterorum Confeſſorum ad Cyprianum.	26.	31.
XIII.	Quum perlegiſſemus.	Cleri Romani, ad Cyprianum.	30.	36.
XIV.	Scias nos.	Confeſſorum univerſorum ad Cyprianum de pace Lapſis data.	17.	23.
XV.	Neceſſitas.	Caldonii & ceterorum ad Clerum Carthaginienſem de abſtento Feliciſſimo cum ſuis.	19.	24.
XVI.	Abſtinuimus.	Caldonii & ceterorum ad Clerum Carthaginienſem de abſtento Feliciſſimo cum ſuis.	39.	42.

LIBRI ET TRACTATUS.

Oblatrantem te. Ad Demetrianum. *pag.* 129
Diſciplina cuſtos ſpei. De habitu Virginum. 67
Cum moneat Dominus. De Unitate Eccleſ. 75
Deos non eſſe quos colit vulgus. Quod Idola dii non ſint. 8
Multa & magna ſunt. De Opere & Eleemoſynis. 137
Zelare quod bonum videas. De Zelo & Livore. 153
De patientia locuturus. De bono Patientiæ. 145
Et ſi apud plurimos veſtrum. De mortalitate. 110
Pax ecce dilectiſſimi fratres. De Lapſis. 87
Evangelica præcepta dilectiſſimi fratres. De oratione Dominica. 99
Deſideraſti Fortunate. Ad Fortunatum de exhortatione Martyrum. *pag.* 117
Obtemperandum fuit. Ad Quirinum adverſus Judæos. 13
Chriſtum primogenitum eſſe. Ad eundem adverſus Judæos. 23
Pro fide ac devotione tua. Ad eundem. 39
Scripſiſti mihi frater cariſſime. Ad Jubaianum de hæreticis baptizandis. *Epiſt.* 73
Quanquam plene ea. Ad Pompeium, contra Epiſtolam Stephani. *Epiſt.* 74
Retulit ad me, frater. Ad Quirinum. *Epiſt.* 71
Concilium Carthaginienſe. De baptizandis hæreticis. 158

INDEX EPISTOLARUM

Juxta nomina eorum quibus dirigebantur ordine Alphabetico.

Antoniano. 55.
Cæcilio. 53.
Caldonii Cypriano. 24.
Caldonio Cypriani. 25.
Eidem cum aliis. 41.
Ejuſdem clero Carthag. 42.
Celerini Luciano. 21.
Clero Carthag. 5.
Eidem. 14.
Eidem. 11.
Eidem. 16.
Eidem. 18.
Eidem. 19.
Eidem. 26.
Eidem. 29.
Eidem. 34.
Eidem. 32.
Eidem. 39.
Eidem. 12.
Clero & plebi Carthag. 38.
Iiſdem. 39.
Iiſdem. 4.
Iiſdem. 81.
Confeſſorum Cypriano. 23.
Cornelii Papæ eidem. 49.
Eidem. 45.
Eidem. 47.
Eidem. 46.
Eidem. 51.
Eidem. 52.
Eidem. 59.
Eidem. 60.
Cornelio Synodi Africanæ. 57.
Epicteto & plebi Aſſuritanorum. 4.
Eucratio. 4.
Felicis cum aliis Cypriano. 79.
Fido. 64.
Firmiliani Cypriano. 75.
Florentio Pupiano. 66.
Fortunato & aliis. 56.
Furnitanorum Clero & plebi. 1.
Hiſpaniarum Clero & Plebi. 67.
Januario & aliis Numidis. 62.
Iiſdem. 70.
Jubaiano. 73.
Lapſis. 33.
Luciani Celerino. 22.
Lucio Papæ. 61.
Lucii Epiſcopi & alior. Cypr. 53.
Magno. 69.
Martyribus & Confeſſoribus. 10.
Iiſdem. 15.
Maximo & aliis. 46.
Maximi & alior. Cypr. 53.
Iiſdem Cypriani. 54.
Moyſi & Maximo cum aliis. 37.
Iiſdem. 28.
Eorundem Cypriano. 31.
Nemeſiano & aliis. 76.
Ejuſdem & aliorum Cypr. 77.
Plebi Carthaginienſi. 17.
Eidem. 43.
Pompeio. 64.
Pomponio. 4.
Quinto. 71.
Rogatiano Epiſcopo. 3.
Rogatiano cum aliis. 6.
Rogatiano Presbytero cum aliis. 13.
Romani Cleri Carthag. Clero. 8.
Romano Clero Cypr. 9.
Eidem. 20.
Eidem. 27.
Eidem. 35.
Ejuſdem Cypriano. 36.
Ejuſdem eidem. 30.
Stephano Papæ. 68.
Eidem. 72.
Succeſſo. 80.
Thibaritanæ plebi. 58.

I N D E X

Exhibens tempus & ordinem Epiſtolarum ſecundum hanc editionem & Annales Cyprianicos: adjectis earum numeris juxta ordinem Pamelii.

Epiſtolæ IV. à Cypriano Epiſcopo, per Fabiani tempora, ſcriptæ.

Ordo Noſter.	*Ordo Pamelii.*
I.	66.
II.	61.
III.	65.
IV.	62.

Epiſtolæ XXXIX. in ſeceſſu Cypriani, ſede Romæ vacante, ſcriptæ.

V.	5.
VI.	81.
VII.	36.
VIII.	3.
IX.	4.
X.	9.
XI.	8.
XII.	37.
XIII.	7.
XIV.	6.
XV.	11.
XVI.	10.
XVII.	12.
XVIII.	13.
XIX.	14.
XX.	15.
XXI.	21.
XXII.	22.
XXIII.	17.
XXIV.	19.
XXV.	20.
XXVI.	18.
XXVII.	23.
XXVIII.	25.
XXIX.	24.
XXX.	31.
XXXI.	26.
XXXII.	32.
XXXIII.	27.
XXXIV.	28.
XXXV.	29.
XXXVI.	30.
XXXVII.	16.
XXXVIII.	33.
XXXIX.	34.
XL.	35.
XLI.	38.
XLII.	39.
XLIII.	40.

Epiſtolæ XVII. poſt reditum Cypriani, per Cornelii tempora, ſcriptæ.

Ordo Noſter.	*Ordo Pamelii.*
XLIV.	41.
XLV.	42.
XLVI.	44.
XLVII.	43.
XLVIII.	45.
XLIX.	46.
L.	48.
LI.	47.
LII.	49.
LIII.	50.
LIV.	51.
LV.	52.
LVI.	53.
LVII.	54.
LVIII.	56.
LIX.	55.
LX.	57.

Epiſtol. III. per Lucii tempora, ſcriptæ.

LXI.	58.
LXII.	60.
LXIII.	63.

Epiſtol. XII. per Stephani temp. ſcriptæ.

LXIV.	59.
LXV.	64.
LXVI.	69.
LXVII.	68.
LXVIII.	67.
LXIX.	76.
LXX.	70.
LXXI.	71.
LXXII.	72.
LXXIII.	73.
LXXIV.	74.
LXXV.	75.

Epiſt. IV. per Xyſti temp. ſcriptæ.

LXXVI.	77.
LXXVII.	78.
LXXVIII.	79.
LXXIX.	80.

Epiſtolæ II. ſub finem vitæ Cypriani ſcriptæ.

LXXX.	82.
LXXXI.	83.

Duæ Pamelii, prima & ſecunda excluduntur.

INDEX
S. SCRIPTURARUM
TOTO OPERE CITATARUM,

à Jac. Pamelio adornatus; relatione habita ad præſentem hanc Editionem.

Quum in Veterum operibus ſoleant plerique non aliud quam Scripturarum toto opere explicatarum Indicem texere, idque etiam verbis immutatis, ita ut quæ plerumque citantur juxta editionem 70. Interpretum, ipſi deſcribant juxta vulgatam D. Hieronymi editionem (quam recte viderint alii) conſilio eruditiſſimorum quorundam Theologorum, & verbo tenus ipſum Cyprianum ſecutus ſum, & quidquid apud illum citatur, in hunc indicem contexui. Primus numerus indicat locum Scripturæ: Alter vero paginam hujus libri in quo citatur. Litera E. Epiſtolas, T. Tractatus, N. Annotationes deſignat.

EX GENESI.

SPIRITUS Domini ferebatur ſuper aquam, c. 1. v. 2. T. 159.

Et vidit Deus lucem, quia bona eſt; & diviſit inter lucem & tenebras. ib. v. 4. T. 164.

Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, ib. v. 26. T. 72.

Adam primus à Deo factus, ib. v. 27. T. 18.

Creſcite & generate, ib. v. 28. T. 74.

Plaſmavit Deus hominem, & inſufflavit in faciem ejus flatum vitæ, ib. E. 316.

Compleyitque Deus die ſeptimo opus ſuum. c. 2. v. 2. T. 20.

Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum. ibid. v. 8. T. 121.

Tunc dixit Deus ad ſerpentem; Quia tu hoc feciſti, maledictus tu ab omni genere beſtiarum terræ. Pectore tuo & ventre repes, & erit tibi terra cibus in omnibus diebus vitæ tuæ. Et ponam inimicitiam inter te & mulierem, & inter ſemen ejus: ipſe tuum obſervabit caput, & tu obſervabis calcaneum ejus, c. 3. v. 14. T. 28, 90.

Multiplicans multiplicabo triſtitias tuas, & gemitus tuos: & in triſtitia paries filios, & erit converſio tua ad virum tuum, & ipſe tui dominabitur, ib. v. 16. T. 54, 73.

Tunc dixit Dominus ad Adam: Quia exaudiſti vocem uxoris tuæ, & manducaſti ex illa arbore, de qua ſola præceperam tibi ne manducares; maledicta terra erit in omnibus operibus tuis. In triſtitia & gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos ejiciet tibi, & pabulum agri edes. In ſudore vultus tui edes panem tuum, donec revertaris in terram, de qua & ſumtus es; quia terra es & in terram ibis, ib. v. 17. T. 59. N. 2. ib. 148.

Abel juſtus, c. 4. v. 2. T. 18.

Ad Cain munera non reſpexit Deus, ibid. v. 5. T. 81, 106.

Et interfecit fratrem ſuum Abel, ibid. v. 8. E. 177, 259. T. 154.

Et complacuit Enoch Deo, & non eſt inventus poſtmodum, quia Deus illum tranſtulit, c. 5. v. 24. T. 18, 59, 115.

Noë electus, c. 6. v. 8. T. 18.

Noë obtulit Deo, & delectatus eſt Deus in odorem ſuavitatis, c. 8. v. 20. E. 331.

Bibenſque vinum inebriatus eſt, cap. 9. v. 21. E. 276, 279.

Et dixit Dominus Deus ad Abraham: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in illam terram quam tibi oſtendero: & faciam te in gentem magnam, & benedicam te, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus; & benedicam qui te benedixerit; & maledicam qui te maledixerit, & benedicentur in te omnes tribus terræ, c. 12. v. 1. T. 21.

Melchiſedech rex Salem protulit panem & vinum, fuit autem ſacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham, c. 14. v. 18. E. 277. T. 18.

Credidit Abraham Deo, & deputatum eſt ei ad juſtitiam, c. 15. v. 6. E. 277. T. 17, 56.

Abrahæ de ancilla natus eſt prior filius, cap. 16. v. 15. T. 20.

Circumcidetur ex vobis octavo die, c. 17. v. 10. T. 18.

Et pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem de cœlo à Domino, c. 19. v. 24. T. 55.

Uxor Loth retro reſpexit, ib. v. 26. E. 187.

Et tentavit Deus Abraham, & dixit ad illum: Accipe filium tuum unicum quem diligis Iſaac, & vade in terram altam imponens illum ibi in hoſtiam, in unum ex montibus de quo tibi dixero, c. 22. v. 1. T. 50, 113, 147.

Et vocavit Abraham Angelus Domini de cœlo, & dixit illi: Abraham, Abraham. Ille autem dixit: Ecce ego: Et dixit: Noli imponere manum tuam ſuper puerum, neque feceris illi quicquam. Nunc enim cognovi, &c. ib. v. 11. T. 26, 53.

Non accipias uxorem filio meo de ſemine Chanaan, cap. 24. v. 3. T. 60.

Et dixit Dominus Rebeccæ: Duæ gentes in utero tuo ſunt, & duo populi de ventre tuo dividentur, & populus populum ſuperabit, & major ſerviet minori, c. 25. v. 23. T. 20.

Eſau primatus perdidit, ib. E. 313. T. 150.

Et benedixit Iſaac Jacob: Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, quem benedixit Dominus. Et det tibi Deus de rore cœli, & à fertilitate terræ multitudinem frumenti, & vini, & olei; & ſervient tibi gentes, & adorabunt te principes, & eris Dominus fratris tui, & adorabunt te filii patris tui; & qui te maledixerit, erit maledictus, & qui te benedixerit, benedictus, c. 27. v. 27. T. 21.

Jacob fugientem perſecutus eſt Eſau. ibid. verſ. 41. E. 259.

Lapidem poſuit Jacob ad caput ſuum, cap. 28. v. 11. T. 32.

Jacob uxores duas habuit, c. 29. v. 23. T. 20.

Rachel peperit Joſeph, c. 30. v. 22. T. 20.

Et dixit mihi Angelus Domini in ſomnis: Ego ſum Deus, quem vidiſti in loco Dei, ubi unxiſti mihi titulum lapideum, & voviſti mihi votum, c. 31. v. 13. T. 26.

Dixit autem Deus ad Jacob: Exſurge & aſcende in locum Bethel, & habita illic, & fac illic altare illi Deo, qui tibi apparuit cum fugeres à facie Eſau fratris tui, c. 35. v. 1. T. 26. N. 3. ib.

Ecce

Ecce ſomniator venit. Nunc ergo venite, occidamus eum, c. 37. v. 19. E. 287.

Ut vendiderunt Joſeph fratres ejus, ibid. v. 28. E. 259. T. 154.

Thamar cooperuit ſe pallio, & adornavit; & cum aſpexiſſet eam Judas, viſum eſt ei meretricem eſſe, cap. 38. v. 14. T. 56.

Ut vidit autem Joſeph, quoniam ſuperpoſuit pater ſuus manum dexteram ſuper caput Ephraim, grave illi viſum eſt; & apprehendit Joſeph manum patris ſui, auferre eam à capite Ephraim ad caput Manaſſe. Dixit autem Joſeph ad patrem ſuum: Non ſic pater. Hic eſt primogenitus meus, ſuperpone dexteram tuam ſuper caput ejus. Ille autem noluit, & dixit: Scio fili, ſcio; & hic erit in populum, & hic exaltabitur, ſed frater ejus junior major illo erit, & ſemen ejus erit in multitudinem gentium, c. 48. v. 17. T. 21.

Juda, te laudabunt fratres tui, manus ſuper dorſum inimicorum tuorum. Adorabunt filii patris tui, catulus leonis Juda, de frutice fili mi aſcendiſti, recubans obdormiviſti ſicut leo, & velut catulus leonis. Quis excitabit illum? Non deficiet princeps de Juda, & dux de femoribus ejus, quoadusque veniant depoſita illi; & ipſe eſt ſpes gentium. Deligans ad vitem pullum ſuum, & ad Helicem pullum aſinæ ſuæ: lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ amictum ſuum. Formoſi oculi ejus à vino, & candidi dentes ejus magis quam lac, c. 49. v. 8. E. 277. T. 21.

EX EXODO.

QUantoque eos deprimebant, tanto plures fiebant & invaleſcebant magis, c. 1. v. 12. T. 123.

Et apparuit ei Angelus Domini in flamma ignis de rubo, & vidit quoniam rubus arderet igni, rubus autem non crematur. Et dixit Moyſes: Tranſiens videbo hoc grande viſum cur itaque non crematur rubus. Ut vidit autem quoniam accedit videre, vocavit eum Dominus Deus de rubo, dicens: Moyſes, Moyſes. Qui dixit: Quid eſt? Et dixit: Ne acceſſeris huc niſi ſolveris calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Et dixit ei: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, c. 3. v. 2. T. 33, 64.

Quis dedit os homini? & quis fecit mogilalum? & quis ſurdum? & quis videntem & cæcum? Nonne ego Dominus Deus tuus? Et nunc perge, & ego aperiam os tuum, & inſtruam te quid loquaris, c. 4. v. 11. T. 123.

Accipiant ſibi ſinguli ovem per domos tribuum, ovem ſine vitio, perfectum, maſculum, anniculum erit vobis. Ab agnis & ab hœdis accipietis, & occident illum omne vulgus ſynagogæ filiorum Iſraël ad veſperam; & accipient de ſanguine ejus, & ponent ſuper duos poſtes, & ſuper limen in domibus, in quibus eum edent in ipſis, & edent carnes ipſa nocte aſſatas igni, & azyma cum picridibus edent. Non edetis ab eis crudam neque coctam in aqua, niſi aſſatam igni; caput cum pedibus & interaneis nihil derelinquetis ex his in mane, & os non confringetis ex eo. Quæ autem relicta fuerint de eo uſque in mane, igni crementur. Sic autem comedetis eum: Lumbi veſtri præcincti, & caligæ veſtræ in pedibus veſtris, & bacula veſtra in manibus veſtris, & edetis eum feſtinanter, Paſcha eſt enim Domini, cap. 12. v. 11. T. 31, 48.

Et erit ſanguis in ſigno vobis ſuper domos, in quibus ibi eritis; & videbo ſanguinem, & protegam vos, & non erit in vobis plaga diminutionis, cum percutiam terram Ægypti, ib. v. 13. T. 31, 135.

In domo una comedetur, non ejicietis de domo carnem foras, ib. v. 46. E. 295. T. 63, 80.

Deus autem præibat eos, die quidem per columnam nubis oſtendere illis iter, nocte autem in columna ignis, cap. 13. v. 21. T. 26.

Quid hoc nobis feciſti in ejiciendo nos de Ægypto? Melius eſt nobis ſervire Ægyptiis, quam mori in ſolitudine hac. Et dixit Moyſes ad populum: Fidite, & ſtate, & cernite ſalutem quæ à Domino eſt, quam vobis faciet hodie. Dominus ipſe pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, c. 14. v. 11. T. 122. N. 2. ib.

Pharao ſubmerſus in mari rubro, ib. E. 298.

Promovit autem Angelus Dei, qui præcedebat exercitum filiorum Iſraël, ib. v. 19. T. 26.

Colligat unuſquiſque gomor per ſingula capita, c. 16. v. 4. E. 298.

Dixitque Moyſes ad Jeſum: Elige tibi viros, & exi, & conſtitue cum Amalech in craſtinum. Ecce ego ſtabo in cacumine collis, & virga Dei in manu mea. Et factum eſt cum levabat manus Moyſes, prævalebat Iſraël: ubi autem ſubmiſerat manus Moyſes, invaleſcebat Amalech: ſed manus Moyſi erant graves, & accepto lapide ſuppoſuerunt ſub eo, & ſedebat ſuper eum: & Aaron & Ur ſuſtentabant manus ejus hinc & inde, & factæ ſunt manus Moyſi ſtabiles uſque in occaſum ſolis, & fugavit Jeſus Amalech, & omnem populum ejus. Et dixit Dominus ad Moyſen: Scribe hoc, ut ſit memoria in libro, & da in aures Jeſu; quoniam deletione deleam memoriam Amalech de ſub cœlo, c. 17. v. 9. T. 32. 34. 122. N. 5. ib.

Et dixit Dominus ad Moyſen: Deſcende & teſtificare populo, & ſanctifica illos hodie & cras, & lavent veſtem ſuam, & ſint parati in perendinum diem, die enim tertio deſcendet Dominus in montem Sina, c. 19. v. 10. T. 35. N. 2. ib.

Et mons Sina fumabat totus, quoniam deſcendebat Dominus in eum in igne, ib. v. 18. T. 64.

Cum præcepiſſet Dominus Moyſi, ut ſanctificaret populum in diem tertium, ſanctificavit ille, & adjecit: Eſtote parati: tribus diebus non accedetis ad mulieres, c. 19. v. 15. T. 55.

Et ſacerdotes qui accedunt ad Dominum Deum ſanctificentur, ne forte derelinquat illos Deus, ib. v. 22. E. 282, 287, 305.

Non erunt tibi dii alii abſque me, cap. 20. v. 3. T. 120, 130.

Non facies tibi idolum, nec cujuſquam ſimilitudinem, ib. v. 4. T. 60, 120.

Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum, ib. v. 7. T. 50.

Honora patrem & matrem, ib. v. 12. E. 312.

Non facietis vobis Deos argenteos neque aureos, ibid. v. 23. T. 60.

Sacrificans diis eradicabitur niſi Domino ſoli, c. 22. v. 20. T. 89, 120, 133. E. 264, 282.

Omnem viduam & orphanum non vexabitis. Si autem vexaveritis eos, & vociferantes exclamaverint ad me; exaudiam exclamationes eorum, & iraſcar animo in vobis, & perimam vos gladio, & erunt conjuges veſtræ viduæ & filii veſtri orphani, ib. v. 22. T. 65.

Principem populi tui non maledices, ib. v. 28. T. 50.

Innocentem & juſtum non occides, c. 23. v. 7. T. 130.

Ecce ego præmitto Angelum meum ante faciem tuam ad cuſtodiendum te in itinere, ut te inducat in terram, quam tibi præparavi. Obſerva eum & obaudi eum, & ne fueris inobediens ei, & non deerit tibi, nomen enim meum in illo eſt, ib. v. 20. T. 26. N. 2. ib.

Séptiformis lucerna in tabernaculo martyrii, c. 25. v. 31. T. 21.

Et cum accedunt miniſtrare ad altare ſancti, non adducunt in ſe delictum, ne moriantur, cap. 28. v. 43. E. 282. N. 6. ib.

Populus ad Aaron: exſurge & fac nobis Deos qui nos præcedant, quia Moyſes vir hic qui nos ejecit de Ægypto, quid ei acciderit, non ſcimus, c. 32. v. 1. T. 16. N. 2. ib.

Et fecit ex eis caput bubulum, ib. v. 4. T. 150. N. 1. ib.

Et conſedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere, ib. v. 6. T. 60.

Precor Domine, deliquit populus hic delictum grande: fecerunt ſibi deos aureos & argenteos, & nunc ſi dimittis eis delictum, dimitte; ſin autem, dele me de libro quem ſcripſiſti. Et dixit Dominus ad Moyſen: Si quis deliquit ante me, delebo eum de libro meo, ibid. v. 31. T. 16, 93, 121.

EX LEVITICO.

OMne mundum manducabit carnem. Anima autem quæcunque manducaverit ex carne ſacrificii ſalutaris, quod eſt Domini & immunditia ipſius ſuper ipſum eſt, peribit anima illa de populo ſuo, c. 7. v. 20. T. 63, 92.

Nadab & Abihu filii Aaron offerebant ignem alienum, c. 10. v. 1. E. 308. T. 84.

Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum, c. 19. v. 2. E. 301. T. 103.

Non dormiet merces mercenarii tui apud te uſque in mane, ib. v. 13. T. 62.

Diliges amicum tuum ſicut teipſum, ego Dominus, ibid. v. 18. E. 190.

Non facietis cirrum ex corona capitis veſtri, non corrumpetis effigiem barbæ veſtræ, ib. v. 27. T. 62, 96.

A facie ſenioris exurges, & honorabis perſonam Presbyteri, ib. v. 32. T. 62.

Homo in quo fuerit vitium & macula, non accedet offerre dona Deo, c. 21. v. 21. E. 282, 287, 305.

Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Produc eum qui

qui maledixerit, foras extra caſtra, & imponent omnes qui audierunt manus ſuas ſuper caput ejus, & lapibabit eum omnis Synagoga filiorum Iſrael, c. 24. v. 13. T. 50.

EX NUMERIS.

ET locutus eſt Dominus ad Moyſen; dicens: Accipe Levitas de medio filiorum Iſrael & purificabis eos. Et ita facies eis purificationem eorum, circumſparges eos aqua purificationis. c. 8. v. 7. E. 298.

Aqua aſperſionis purificatio eſt, ib. v. 19. E. ib.

Et fuit Moyſes homo nimis lenis, cap. 12. v. 3. E. 246. N. 2. ib.

Deſinat murmuratio eorum à me, & non morientur, c. 17. v. 10. T. 50, 113.

Chore, Dathan & Abiron ſurrexerunt contra Moyſen, c. 16. v. 1. T. 83. E. 172, 296, 308.

Separamini à tabernaculis hominum iſtorum duriſſimorum, & noli tangere ab omnibus quæ ſunt eis, ne ſimul pereatis in peccato eorum, ib. v. 26. E. 288. 296.

Memoriale filiis Iſrael, ut non accedat quiſquam alienigena, qui non ex ſemine Aaron, imponere incenſum ante Dominum, & non ſit, ib. v. 40. E. 296.

Tribui autem Levi non dedit poſſeſſionem, cap. 8. v. 20. E. 170.

Et homo qui fuerit immundus uſque ad veſperam hic purificabitur die tertio & die ſeptimo, & mundus erit. Si autem non fuerit purificatus die tertio & die ſeptimo, non erit mundus, & exterminabitur anima illa de Iſrael, quoniam aqua aſperſionis non eſt ſuper eum, c. 19. v. 7. E. 298.

Et omnia quæ tetigerit immundus, immunda erunt, ibid. v. 22. E. 300.

Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus, & impones eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron ſtolam ejus, & indue Eleazarum filium ejus, & Aaron appoſitus moriatur illic, cap. 20. verſ. 25. E. 288.

Aſina Balaam, c. 22. v. 30. T. 123.

Non quaſi homo Deus ſuſpenditur, neque quaſi filius hominis minas patitur, c. 23. v. 19. T. 34. N. 1. ib.

Ecce populus quaſi populus Leoninus exſurget, ib. v. 24. T. 21.

Procedet homo de ſemine ejus & dominabitur multarum gentium, & exaltabitur Gog regnum ipſius, & augebitur regnum ejus, & Deus eduxit eum ab Ægypto, quaſi claritas unicornis ei, & edet gentes inimicorum ſuorum, & craſſitudines illorum emedullabit, & balliſtis ſuis configet inimicum: recumbens requievit quaſi leo, & quaſi catulus leonis. Quis ſuſcitabit eum? Qui benedicunt te benedicti ſunt, qui maledicunt te maledicti ſunt, cap. 24. verſ. 7. T. 28. N. 5. ib.

Orietur ſtella ex Jacob, & exſurget homo ex Iſrael, ib. v. 17. T. 28.

Zelus Phinees, c. 25. E. 309.

EX DEUTERONOMIO.

DOminus Deus tuus, Deus zelans eſt, cap. 4. verſ. 24. E. 309.

Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua, cap. 6. verſ. 5. T. 52.

Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, ibid. v. 13. T. 48, 120, 130.

Dominus Deus tuus vexabit te, & famem injiciet tibi, & cognoſcetur in corde tuo, ſi bene cuſtodieris præcepta ejus, ſive non, c. 8. v. 2. T. 113.

Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat ſi diligitis Dominum Deum veſtrum ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra, c. 13. v. 3. T. 50, 113, 122.

Et propheta ille, aut ſomnium ſomnians; ille qui locutus eſt, ut errare te faceret à Domino Deo tuo, interficietur, ib. v. 5. E. 229.

Quod ſi rogaverit te frater tuus, aut filius tuus, aut filia tua, aut uxor tua quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus tuus, qui æqualis eſt animæ tuæ, latenter dicens: Eamus & ſerviamus diis aliis, diis gentium; non conſenties ei, & non exaudies eum, & non parcet oculus tuus ſuper eum & non celabis eum, annuncians annunciabis de illo. Manus tua erit ſuper eum inprimis, interficere eum, & manus omnis populi poſtremo; & lapidabunt eum & morietur: quoniam quæſivit avertere te à Domino Deo tuo, ib. v. 6. T. 121. N. 3. ib.

Aut ſi audieris in una ex civitatibus, quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare te illic, dicentes: Eamus & ſerviamus diis aliis, quos non noſti; quæres ſolicite, & ſi inveneris certum eſſe quod dicitur: interficiens necabis omnes qui ſunt in civitate cæde gladii, & incendes civitatem igni, & erit ſine habitaculo in æternum. Non reædificabitur etiam nunc, ut avertatur Dominus ab indignatione iræ ſuæ, & dabit tibi miſericordiam, & miſerebitur tui, & multiplicabit te, ſi exaudieris vocem Domini Dei tui, & obſervaveris præcepta ejus, ib. v. 12. T. 121.

Et homo quicunque fecerit in ſuperbia, ut non exaudiat ſacerdotem aut judicem quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, cap. 17. verſ. 12. E. 172, 175, 229, 260, 284.

Et omnis populus cum audierit, timebit, & non agent impie etiam nunc, ib. E. 172.

Non ominemini, neque auguremini, cap. 1. verſ. 10. T. 62.

Et dixit Dominus ad me: Prophetam excitabo eis de fratribus eorum ſicut te; & dabo verbum meum in ore ejus; & loquetur ad eos ea quæ præcepero ei. Et quiſquis non audierit, quæcunque locutus fuerit Propheta ille in nomine meo, ego vindicabo, ib. v. 18. T. 20.

Non induetur vir veſte muliebri, cap. 22. verſ. 5. E. 171.

Non fœnerabis fratri tuo uſura pecuniæ & uſura ciborum, c. 23. v. 19. T. 57.

Si autem voveris votum Domino Deo tuo, non moram feceris reddere illud, quia inquirens quæret illud Dominus Deus tuus à te, & erit in peccatum. Ea quæ egredientur per labia tua, obſervabis, & facies donum quod locutus es ore tuo, ib. v. 21. T. 54.

Et ſcribes ſuper lapidem omnem legem hanc, manifeſte nimis, c. 27. v. 8. T. 31.

Eritis gentes in caput, incredulus autem populus in caudam. c. 28. v. 24. T. 21.

Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die & nocte, & non credes vitæ tuæ, ibid. verſ. 66. T. 33. N. 3. ib.

In noviſſimis diebus circumcidet Deus cor tuum, & cor ſeminis tui ad Dominum Deum amandum, cap. 30. verſ. 6. T. 18.

Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum: elige vitam tibi, ut vivas, ib. v. 19. T. 58.

Sacrificaverunt dæmoniis, & non Deo, cap. 32. verſ. 17. T. 16, 120.

Mihi vindictam & ego retribuam, ib. v. 35. T. 64, 133.

Videte, quia ego ſum Deus, & non eſt Deus præter me. Ego interimam & vivere faciam, percutiam & ego ſanabo, & non eſt qui eripiat de manibus meis, ibid. verſ. 39. T. 120.

Qui dicunt patri aut matri: Non novi te, & filios ſuos non agnoverunt, hi cuſtodierunt præcepta tua, & teſtamentum tuum ſervaverunt, c. 33. v. 9. T. 101, 121, 141.

EX JESU NAVE.

NOn recedet liber legis hujus ab ore tuo, ſed meditaberis in eo die ac nocte, ut obſerves facere omnia quæ ſcripta ſunt in eo, c. 1. v. 8. E. 315.

Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad teipſam in domum tuam: & omnis qui exierit oſtium domus tuæ foras, reus ſibi erit, c. 2. v. 18. T. 80. E. 295.

Et dixit Dominus ad Jeſum: Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, & aſſidens circumcide ſecundo filios Iſraël, c. 5. v. 2. T. 18.

Et factum eſt cum eſſet Jeſus in Jerico, circumſpexit oculis, & vidit hominem ſtantem ante faciem ſuam, & frameam habentem (*vel* tenentem) in manu ejus, & dixit: Noſter es, an adverſariorum? ille autem dixit: Ego ſum dux virtutis Domini, nunc adveni. Et Jeſus cecidit in faciem ad terram, & ait illi: Domine, quid imperas famulo tuo? Et ait dux virtutis Domini: Solve calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt, ib. v. 13. T. 33. N. 1. ib.

Et accepit lapidem magnum, & ſtatuit eum illic contra Dominum. Et ait Jeſus ad populum: Ecce lapis iſte erit in teſtimonium, quia iſte audivit omnia quæ dicta ſunt à Domino, quanta locutus eſt ad vos hodie, & erit ipſe vobis in teſtimonium in noviſſimo dierum, quando receſſeritis à Deo veſtro, c. 24. v. 26. T. 31. N. 2. ib.

INDEX

EX JUDICUM LIB.

ET fecerunt filii Iſraël malignum coram Domino Deo Patrum ſuorum, qui ejecit eos de terra Ægypti, & ſecuti ſunt Deos gentium, quæ circa illos ſunt, & offenderunt Dominum, & reliquerunt Deum, & ſervierunt Baal. Et adjecerunt filii Iſrael iterum facere malignum coram Domino, & ſervierunt Baal & diis alienigenarum, & reliquerunt Dominum, & non ſervierunt illi, c. 2. v. 11. T. 16.

EX REGNORUM LIB. I.

LOquebatur in corde ſuo, & labia ejus movebantur, & vox ejus non audiebatur, & exaudivit eam Deus, c. 1. v. 13. T. 100.

Nolite gloriari neque loquamini elata, & non procedat magniloquentia de ore veſtro, quia Deus ſcientiarum Dominus, c. 2. v. 3. T. 46.

Invalidus factus eſt arcus potentium, & infirmi accincti ſunt virtute, ib. v. 4. T. 46.

Sterilis peperit ſeptem, &c. ib. v. 5. T. 20.

Si delinquendo peccet vir adverſus virum, orabunt pro eo Dominum: ſi autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo? ib. v. 25. T. 54, 121.

Eos qui clarificant me, clarificabo: & qui ſpernit me, ſpernetur, ib. v. 30. T. 102, 156.

Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidum, qui omnia quæ ſunt in corde meo faciet, & ædificabo ei domum fidelem, & tranſibit in conſpectu Chriſtorum meorum omnibus diebus, & erit qui remanſerit in domo tua, veniet adorare in obolo pecuniæ & in pane uno, ib. v. 35. T. 20.

Poſuerunt arcam ſuper lapidem magnum, cap. 6. v. 15. T. 32.

Lapidem ſtatuit Samuel, & appellavit eum Abenezer, id eſt, lapis auxiliator, c. 7. v. 12. T. 32.

Non te ſpreverunt, ſed me, c. 8. v. 7. E. 172, 260, 284.

Homo videt in facie, Deus autem in corde, c. 16. v. 7. T. 58, 95. E. 246.

Lapis, quo frontem Goliæ percuſſit David, c. 17. v. 49. T. 32.

Et reſpondit ſacerdos ad David, & dixit: Non ſunt panes profani in manu mea, niſi panis ſanctus unus: ſi obſervati ſunt pueri à muliere, manducabunt, cap. 21. verſ. 4. T. 55. N. 2. ib.

EX REGNORUM II.

ET fuit verbum Domini ad Nathan, dicens: Vade & dic ſervo meo David: Hæc dicit Dominus: Non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum, ſed erit cum impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de utero tuo, & parabo regnum ejus; hic ædificabit mihi domum in nomine meo, & erigam thronum ejus in ſecula, & ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium, & fidem conſequetur domus ejus, & regnum ejus uſque in ſecula in conſpectu meo, cap. 7. verſ. 11. T. 19. N. 1. ibid.

EX REGNORUM III.

ET averterunt uxores alienigenæ cor ejus poſt Deos ſuos, c. 11. v. 4. T. 61.

Et excitavit Dominus Satanam ipſi Solomoni, ib. v. 14. T. 62, 84, 106.

Achias Propheta Jeroboam Regi obvius factus in campo, in duodecim ſciſſuras veſtimentum ſuum diſcidit, dicens: Sume tibi decem ſciſſuras, quia hæc dicit Dominus: Ecce ſcindo regnum de manu Solomonis, & dabo tibi decem ſceptra, & duo ſceptra erunt ei propter ſervum meum David, & propter Hieruſalem civitatem, quam elegi ut ponam nomen meum illic, ib. v. 30. T. 79.

A tribu Juda & Benjamin ſciſſæ ſunt decem tribus. ibid. E. 295.

Homo Dei ad Hieroboam miſſus, c. 13. v. 9. E. 296.

Helias paſtus à corvis, c. 17. v. 6. T. 105, 140.

Hæc dicit Dominus: Fidelia farris non deficiet, & capſaces olei non diminuetur uſque in diem, quo dabit Dominus imbrem ſuper terram, ib. v. 14. T. 141. N. 3. ib.

Æmulando æmulatus ſum Domino Deo omnipotenti, quia dereliquerunt te filii Iſrael, altaria tua demolierunt, & Prophetas tuos interfecerunt gladio, & remanſi ego ſolitarius, & quærunt animam meam auferre eam, cap. 19. verſ. 10. T. 16. E. 290.

EX REGNORUM IV.

INfans reſuſcitatus ab Heliſæo, c. 4. v. 34. E. 280.

Et indignatus eſt Dominus in omne ſemen Iſrael, & dimovit eos, & dedit eos in direptionem donec abjiceret eos à facie ſua, quia diſſipatus eſt Iſrael à domo David, & conſtituerunt ſibi Regem Hieroboam filium Nabat. c. 17. v. 19. E. 295.

Non morientur patres pro filiis: & filii non morientur pro patribus, unuſquiſque in peccato ſuo morietur, c. 24. v. 6. E. 250.

Venit Nabuchodonoſor Rex Babyloniæ in Hieruſalem, & expugnabat eam, & dedit eam Deus in manum ejus, ibid. v. 11. T. 106.

EX PARALIPOMENON II.

DOminus vobiſcum eſt dum eſtis cum ipſo, ſi dereliqueritis eum, derelinquet vos, cap. 15. verſ. 2. T. 53, 122.

Et dixit eis Zacharias: Hæc dicit Dominus Deus, dereliquiſtis vias Domini, & ipſe derelinquet vos, c. 24. v. 21. E. 268.

Ozias lepra percuſſus, c. 26. v. 18. T. 83.

EX ESDRÆ I.

SAtis non ſit Deo cum vaſtarentur Judæi, niſi alienigenas uxores cum filiis quoque quos ex illis procreaverant, reliquiſſent, c. 10. T. 60.

EX ESDRÆ II.

DEſciverunt à te, & abjecerunt legem tuam poſt dorſum ſuum, & Prophetas tuos interfecerunt, qui obteſtabantur eos, ut reverterentur ad te, c. 9. v. 26. T. 16.

EX ESDRÆ III.

VEritas manet, & invaleſcit in æternum, & vivit & obtinet in ſecula ſeculorum, c. 4. v. 38. E. 317.

EX TOBIA.

ET dixi Tobiæ filio meo: Vade & adduc quemcunque pauperem inveneris ex fratribus noſtris, qui tamen in mente habeat Deum ex toto corde ſuo; eum adduc, & manducabit pariter mecum prandium hoc. Ecce ſuſtineo te fili, donec venias, c. 2. v. 2. T. 43. N. 4. ib.

Ubi ſunt juſtitiæ tuæ, ecce quæ pateris, ib. v. 15. T. 47, 112.

Omnibus diebus vitæ tuæ, fili, Deum in mente habe, & noli præterire præcepta ejus. Juſtitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, & noli ambulare viam iniquitatis; quoniam agente te ex veritate, erit reſpectus operum tuorum. Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita fiet ut nec à te avertatur facies Dei. Quomodo habueris fili, ſic fac. Si tibi fuerit copioſa ſubſtantia, plus ex illa fac eleemoſynam: ſi exiguum habueris, ex hoc ipſo exiguo communica. Et ne timueris cum facis eleemoſynam; præmium bonum reponis tibi in diem neceſſitatis: quoniam eleemoſyna à morte liberat, & non patitur ire in tenebras. Munus bonum eſt eleemoſyna, omnibus qui faciunt eam coram ſummo Deo, c. 4. v. 6. T. 43, 142.

Uxorem accipe ex ſemine parentum tuorum, & noli ſumere alienam mulierem, quæ non eſt ex tribu parentum tuorum, ib. v. 12. T. 60.

Opera Dei revelare & confiteri honorificum eſt, cap. 12. v. 8. T. 108, 112.

Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna, cap. 12. verſ. 9. T. 107, 138.

Quia eleemoſyna à morte liberat, & ipſa purgat peccata, ib. E. 248.

Nam quando orabas tu & Sarra nurus tua, ego obtuli memoriam

moriam orationis veſtræ in conſpectu claritatis Dei. Et cum ſepelires tu mortuos ſimpliciter, & quia non es cunctatus exſurgere & derelinquere prandium tuum, & abiſti & condidiſti mortuum, miſſus ſum tentare te. Miſit me Deus curare te & Sarram nurum tuam. Ego enim ſum Raphael unus ex ſeptem angelis juſtis, qui aſſiſtimus & converſamur ante claritatem Dei, ib. v. 15. T. 20, 112.

Ergo in terra captivitatis meæ confiteor illi, & oſtendo virtutem ejus in natione peccatrice, c. 13. v. 6. T. 178.

EX JOB.

JOb homo verus & juſtus habuit ſeptem filios, & filias tres. Et emundavit illos offerentes pro eis hoſtias Deo ſecundum numerum illorum, & pro peccatis eorum unum, c. 1. v. 5. T. 142.

Animadvertiſti puerum meum Job, non enim eſt ſimilis illi quiſquam in terris homo ſine querela; verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni malo, ib. v. 8. T. 50, 112.

Ecce omnia quæcunque habet, in manus tuas do, ſed ipſum cave ne tangas, ib. v. 12. T. 106.

Nudus exivi de utero matris meæ, nudus etiam ibo ſub terram: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum, ib. v. 21. T. 47. N. 2. ib. 112.

Dic verbum aliquod in Dominum, & morere. At ille intuitus eam, dixit: Tanquam una ex inſipientibus mulieribus locuta es. Si bona ſuſcepimus de manu Domini, mala cur non tolerabimus, c. 2. v. 10. T. 50, 112.

In his omnibus quæ contigerunt ei, nihil peccavit Job labiis ſuis in conſpectu Domini, ib. v. 22. T. 47, 112.

Reprehendam ſapientes in aſtutia ipſorum, cap. 5. verſ. 13. T. 62, 145.

Quis enim mundus à ſordibus? Nec unus, etiam ſi unius diei ſit vita ejus in terra, c. 14. v. 4. T. 58. N. 3. ib.

Conſervavi egenum de manu potentis, & pupillo cui non erat adjutor, auxiliatus ſum. Os viduæ benedixit me, cum eſſem oculus cæcorum, pes quoque claudorum ego eſſem, & invalidorum pater, c. 29. v. 12. T. 65.

EX PSALMIS.

CAthedra peſtilentiæ, Pſal. 1. v. 1. T. 80.

In lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte, ib. v. 2. T. 66.

Propterea non reſurgent impii in judicio, neque peccatores in conſilio juſtorum, ib. v. 6. T. 54. N. 4. ib.

Ad quid tumultuatæ ſunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, & principes collecti ſunt in unum adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Diſrumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum eorum, Pſ. 2. v. 1. T. 19, 65.

Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion, montem ſanctum ejus, adnuncians imperium ipſius, ibid. v. 6. T. 36.

Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ, ib. v. 7. T. 28.

Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas fictile confringes eos, ib. v. 9. E. 240, 249.

Et nunc reges intelligite: emendamini qui judicatis terram, ib. v. 10. T. 65.

Servite Domino in timore, & exultate ei in tremore, ib. v. 11. T. 53.

Continete diſciplinam ne forte iraſcatur Dominus, & pereatis de via recta, cum exarſerit cito ira ejus ſuper vos, ibid. v. 12. E. 174. T. 61. N. 2. ib. 67. N. 4. ib.

Ego dormivi, & ſomnum cepi, & reſurrexi, quoniam Dominus auxiliatus eſt mihi, Pſal. 3. v. 5. T. 35.

Dicite in cordibus & in ſtratis veſtris, & tranſpungemini, Pſal. 4. v. 5. T. 100.

Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Dominum, ib. v. 6. T. 19.

Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam: mane aſſiſtam tibi, & contemplabor te, Pſal. 5. v. 2. T. 37, 108.

Apud inferos autem quis confitebitur tibi? Pſalm. 6. v. 6. E. 246, 250. T. 65.

Det tibi Dominus ſecundum cor tuum, Pſalm. 13. v. 4. E. 201.

Qui pecuniam ſuam non dedit in fœnore, & munera ſuper innocentes non accepit: qui iſta fecerit, non commovebitur in æternum, Pſal. 14. v. 6. T. 57.

Non derelinques animam meam apud inferos, neque dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Pſalm. 15. v. 10. T. 35.

Cum juſto juſtificaberis, & cum viro innocente innocens eris, & cum perverſo perverſus eris, Pſalm. 17. v. 28. T. 63.

Conſtitues me in caput gentium. Populus quem non cognovi, ſervivit mihi, in auditu auris obedivit mihi, ib. v. 47. T. 21.

In univerſam terram exivit ſonus eorum, Pſalm. 18. v. 4. E. 320.

Et ipſe velut ſponſus egrediens de thalamo ſuo, exultavit ut gigas viam currere, à ſummo cœli egreſſio ejus, & decurſio ejus uſque ad ſummum ejus, & non eſt qui lateat à calore ejus, ib. v. 5. T. 32.

Timor Domini caſtus perſeverans in ſecula ſeculorum, ib. v. 10. T. 53.

Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, Domine, ib. v. 13. T. 58.

Iſti in curribus, & iſti in equis; non autem in nomine Domini Dei noſtri magnificabimus. Ipſi copulati ſunt pedes, & ceciderunt; nos autem ſurreximus & erecti ſumus, Pſ. 19. v. 8. T. 123. N. 4. ib.

Ego autem ſum vermis & non homo, maledictum hominis & abjectio populi. Omnes qui me videbant, deſpiciebant me, & locuti ſunt in labiis, & moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum, ſalvum faciat eum, qnoniam vult eum, Pſ. 21. v. 6. T. 30.

Aruit velut teſta virtus mea, & lingua mea adglutinata eſt faucibus meis, ib. v. 16. ib.

Effoderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea. Ipſi autem contemplati ſunt, & viderunt me, & diviſerunt veſtimenta mea ſibi; & ſuper veſtem meam ſortem miſerunt. Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me: in auxilium meum attende. Libera à gladio animam meam, & de manu canis unicam meam. Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam. Enarrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te, ib. v. 18. T. 33. N. 4. Ib.

Commemorabuntur & convertentur ad Dominum omnes termini terræ, & adorabunt in conſpectu tuo omnes patriæ gentium; quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur omnium gentium, ib. v. 29. T. 36.

Calix tuus inebrians, quam peroptimus, Pſalm. 22. v. 7. E. 279. N. 2. ib.

Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, & non juravit ſubdole proximo ſibi: iſte accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Iſta nativitas eorum qui eum quærunt, qui quærunt faciem Dei Jacob, Pſal. 23. v. 3. T. 32, 62.

Auferte portas principes veſtras, & extollimini portæ æternales, & introibit rex claritatis. Quis eſt iſte rex claritatis? Dominus fortis & potens, Dominus fortis in prælio. Auferte portas principes veſtras, & extollimini portæ æternales, & introibit rex claritatis. Quis eſt iſte rex claritatis? Dominus virtutum ipſe eſt rex claritatis, ib. v. 7. T. 37. N. 1. ib.

Vias tuas Domine oſtende mihi, & ſemitas tuas; doce me, & deduc me ad veritatem tuam, & doce me, quoniam tu es Deus ſalvator meus, Pſal. 24. v. 4. T. 27.

Si directa fuerint in me caſtra, non timebit cor meum; & ſi exſurrexit ſuper me bellum, in illud ego ſperabo. Unam petii à Domino, hanc requiram ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ, Pſal. 26. v. 5. T. 123. E. 319.

Redde eis retributionem eorum, quoniam non intellexerunt in operibus Domini, Pſal. 27. v. 7. T. 17.

Domine, reduxiſti ab inferno animam meam, Salvaſti me à deſcendentibus in lacum, Pſal. 29. v. 3. T. 35.

Nunquid exomologeſin facit tibi pulvis? ib. v. 12. T. 65. N. 2. ib.

Sermone Dei cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum, Pſal. 32. v. 6. T. 25.

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo, Pſal. 33. v. 1. T. 50.

Guſtate & videte quoniam dulcis eſt Dominus; felix eſt vir qui ſperat in eum. Timete Dominum Deum omnes ſancti ejus, quoniam non eſt inopia eis qui eum metuunt. Divites eguerunt & eſurierunt, qui autem inquirunt Dominum, non indigebunt omni bono, ibid. verſ. 8. T. 22, 53.

Quis eſt homo qui vult vitam, & amat videre dies optimos, ib. v. 12. T. 50, 85.

Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur in-

invidioſe. Declina à malo, & fac bonum, quære pacem & ſequere eam, ib. v. 13. E. 231. T. 50, 85.

Proximus eſt Dominus contritis corde, & humiles ſpiritu ſalvabit, ib. v. 18. T. 47.

Multæ preſſuræ juſtorum, ſed ex omnibus illis liberabit eos Dominus, ib. v. 19. E. 177. T. 47.

Noli zelare bene ambulantem in via ſua. Pſalm. 36. v. 7. T. 155.

Obſervabit peccator juſtum, & ſtridebit ad eum dentibus ſuis. Deus autem irridebit eum, quoniam providet quia veniet dies ejus, ib. v. 12. T. 155.

Junior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem, ibid. verſ. 26. T. 44, 105, 142.

Tota die miſeretur, & fœnerat & ſemen ejus in benedictione eſt, ib. v. 27. T. 44, 142.

Vidi impium exaltatum, & extolli ſuper cedros Libani, & tranſivi, & ecce non fuit, & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus, ib. v. 37. E. 260.

Propter te interficimur tota die, æſtimati ſumus ut oves victimæ, Pſ. 43. v. 24. E. 213.

Eructavit cor meum ſermonem bonum, dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus ſcriptoris acute ſcribentis; decorus ſpecie ſuper filios hominum. Effuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in ſecula. Accingere enſe tuo ad femur potentiſſime. Decori & ſpeciei tuæ & intende, & dirige, & regna propter veritatem, & manſuetudinem & juſtitiam, Pſal. 44. v. 1. T. 25. N. 2. ib. 37.

Thronus tuus Deus in ſecula ſeculorum, virga æquitatis, virga regni tui. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem; propterea unxit te Deus Deus tuus oleo exultationis ſuper participes tuos, ib. v. 8. T. 27.

Aſtitit regina ad dexteram tuam in veſte inaurata, amicta eſt varietate, ib. v. 11. T. 37.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, obliviſcere populi, & domus patris tui; quoniam deſideravit rex ſpeciem tuam, quia ipſe eſt Dominus Deus tuus, ib. v. 10. E. 324. T. 37.

Vacate & cognoſcite, quoniam ego ſum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra, Pſalm. 45. verſ. 10. T. 27.

Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die malo liberabit eum Dominus, Pſalm. 40. verſ. 1. T. 44, 138.

Deus Deorum Dominus locutus eſt & vocavit terram. A ſolis ortu uſque ad occaſum, ex Sion ſpecies decoris ejus, Pſal. 49. v. 1. T. 36.

Deus manifeſtus veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis ante eum ardebit, & in circuitu ejus procella nimia. Advocavit cœlum ſurſum, & terram deorſum; ut ſeparet populum ſuum. Colligite illi juſtos ejus, eos qui diſponunt teſtamentum ejus in ſacrificiis, & annunciabunt cœli juſtitiam ejus, quoniam Deus judex eſt, ibid. verſ. 3. T. 36, 151. N. 2. ib.

Non edam carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum bibam. Sacrifica Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Invoca me in die preſſuræ, & eruam te, & clarificabis me, ib. v. 14. T. 19, 54.

Peccatori autem dixit Deus: Ad quid exponis juſtificationes meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu autem odiſti diſciplinam & abjeciſti ſermones meos retro: ſi videbas furem, concurrebas ei, & inter mœchos particulam tuam ponebas, ib. v. 16. T. 61, 67. E. 278, 291.

Sacrificium laudis clarificabit me, & illic via eſt in qua oſtendam illi ſalutare Dei, ib. v. 24. T. 19.

Os tuum abundavit malitia, & lingua tua complectebatur inſidias. Sedens adverſus fratrem tuum detrahebas, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum, ibid. v. 20. E. 231. T. 64.

Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in delictis concepit me mater mea, Pſal. 50. v. 6. T. 58.

Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet, ibid. v. 18. E. 177, 328. T. 47, 113.

Qui hominibus placent, confuſi ſunt; quoniam Deus nihil fecit illos, Pſ. 52. v. 7. T. 58, 69.

In Domino ſperavi, non timebo quid faciat mihi homo, Pſ. 55. v. 11. T. 48.

Non niſi ſoli Deo ſubjecta eſt anima mea, Pſalm. 61. v. 1. T. 48. N. 2. ib.

Exſurgat Deus & diſſipentur inimici ejus, & fugiant à facie ejus qui oderunt eum. Sicut deficit fumus, deficiant, ſicut tabeſcit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei, & juſti jucundentur, & exultent in conſpectu Dei, & lætentur in jucunditate, Pſ. 67. v. 1. T. 36.

Cantate Deo, pſallite nomini ejus, viam facite ei, qui aſcendit in occaſum. Deus nomen illi, ibid. verſ. 4. T. 27, 36.

Turbabuntur à facie ejus patris orphanorum, & judicis viduarum: Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit unanimes in domo, ibid. v. 6. E. 186, 319. T. 36. N. 4. ib. 63, 65, 80.

Producens vinctos in virtute, ſimiliter eos qui in iram provocant, qui inhabitant in monumentis. Deus dum prodires in conſpectu populi tui, in tranſeundo in eremum, ib. v. 7. T. 36.

Deus judicium tuum regi da, & juſtitiam tuam filio regis judicare populum tuum in juſtitia, Pſalm. 71. v. 1. T. 37, 55. N. 3. ib.

Ecce qui longinquant ſe abs te, peribunt, Pſ. 72. v. 26. E. 320.

Deus autem rex noſter ante ſeculum, operatus eſt ſalutem in medio terræ, Pſ. 73. v. 13. T. 37.

Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem deos diſcernens, Pſal. 81. v. 1. T. 27.

Humilem & pauperem juſtificate, ib. v. 3. T. 47.

Non cognoverunt, neque intellexerunt, in umbra deambulabunt, ib. v. 5. T. 17, 27.

Ego dixi: Dii eſtis, & filii altiſſimi omnes; vos autem ſicut homines moriemini, ib. v. 6. T. 27.

Exſurge Deus: judica terram, quoniam tu exterminabis in omnibus gentibus, ib. v. 8. T. 36. N. 5. ib.

Quam dilectiſſimæ habitationes tuæ Deus virtutum! deſiderat & properat anima mea ad atria Dei, Pſal. 83. v. 1. T. 59, 115.

Exclamavi ad te, Domine, tota die, extendi ad te manus meas, Pſ. 87. v. 10. T. 33.

Et ego primogenitum ponam eum, altiſſimum apud reges terræ. In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele illi. Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen ejus, Pſ. 88. v. 27. T. 24.

Si dereliquerint legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint; ſi juſtificationes meas profanaverint, & præcepta mea non cuſtodierint: viſitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis, ib. v. 30. E. 185, 248. T. 58, 89.

Dominus cognovit cogitationes ſapientium, quia ſtultæ ſunt, Pſ. 93. v. 11. T. 145.

Omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit, Pſ. 95. v. 5. T. 60.

Dominus regnavit, exultet terra, jucundentur inſulæ multæ, Pſ. 96. v. 1. T. 37.

Miſit ſermonem ſuum, & curavit illos, Pſal. 106. v. 20. T. 25.

Dixit Dominus Domino meo: Sede ad dexteram meam, quoaduſque ponam inimicos tuos ſuppedaneum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ mittet Dominus à Sion, & dominaberis in medio inimicorum tuorum, Pſal. 109. v. 1. T. 35.

Ante Luciferum genui te. Juravit Dominus & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, ib. v. 4. E. 277. T. 20. N. 1. ib.

Initium ſapientiæ timor Domini, Pſalm. 110. verſ. 10. T. 52.

Diſtribuit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manebit in ſeculum ſeculi, ib. v. 8. T. 44.

Idola gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent & non loquuntur; oculos habent & non vident; aures habent & non audiunt; neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum. Similes fiant illis qui faciunt ea, Pſal. 113. v. 4. T. 60. N. 1. ib. 120.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo, Pſ. 115. v. 3. E. 329.

Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus, ib. v. 5. E. 177, 183. T. 51, 127.

Non metuam quid faciat mihi homo. Dominus mihi auxiliator eſt, Pſ. 117. v. 6. T. 48, 123.

Bonum eſt confidere in Dominum, quam fidere in homine. Bonum eſt ſperare in Dominum, quam ſperare in principibus, ib. v. 8. T. 48.

Emendans emendavit me Dominus, & morti non tradidit me, ib. v. 18. T. 58.

Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factus eſt iſte, & eſt admirabilis in oculis noſtris. Iſte eſt dies quem fecit Dominus, exultemus & jucundemur in eo, ibid. verſ. 21. T. 31, 109. N. 1. ib.

O Domine ſalva igitur. O Domine dirige igitur, benedictus eſt qui venit in nomine Domini, ib. v. 24. T. 26.

Beati qui immaculati ſunt in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui perſcrutantur martyria ejus, in toto corde exquirunt eum, Pſ. 118. v. 1. T. 52, 127.

Confige clavis de metu tuo carnes meas, ibid. verſ. 119. T. 33. N. 5. ib.

Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. Ambulantes ambulabant, & plorabant, mittentes ſemina ſua. Venientes autem venient in exultatione, tollentes gremia ſua, Pſ. 125. v. 6. T. 51, 127. N. 2. ib.

Juravit Deus ipſi David veritatem, & non reprobavit eam: de fructu ventris tui ponam ſuper thronum tuum, Pſal. 131. v. 11. T. 29.

Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum, Pſal. 132. v. 1. E. 319. T. 63.

Idola gentium argentum & aurum, &c. ſicut ſupra, Pſal. 134. v. 15. T. 59, 120.

Quod eſt imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur, Pſalm. 139. verſ. 16. T. 95. N. 2. ib.

Adlevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum, Pſ. 140. v. 2. T. 33.

Oleum peccatoris non ungat caput meum, ibid. verſ. 6. E. 301.

EX PAROEMIIS SALOMONIS.

QUærent me mali, & non invenient; oderunt enim ſapientiam, verbum autem Domini non receperunt, c. 1. v. 28. T. 17.

Fili, ne neglexeris diſciplinam Dei, neque defeceris ab eo correptus. Quem enim Deus diligit, corripit, cap. 3. v. 11. T. 61, 67.

Ne dixeris: Abi & revertere, cras ego dabo, cum poſſis continuo benefacere: non enim ſcis quid contingat ſequenti die, ib. v. 28. T. 44.

Dominus condidit me initium viarum ſuarum in opera ſua, ante ſeculum fundavit me: in principio, antequam terram faceret, & antequam abyſſos conſtitueret, priuſquam procederent fontes aquarum, antequam montes collocarentur, ante omnes colles genuit me Dominus. Fecit regiones & inhabitabilia, & fines inhabitabiles ſub cœlo. Cum pararet cœlum, aderam illi, & cum ſecerneret ſuam ſedem, cum ſuper ventos validas faceret deſuper nubes, & cum confirmatos ponebat fontes ſub cœlo, quando fortia faciebat fundamenta terræ, eram penes illum diſponens, ego eram cui adgaudebat: quotidie autem jucundabar ante faciem ejus in omni tempore, cum lætaretur orbe perfecto, cap. 8. v. 22. T. 24. N. 1. ib.

Sapientia ædificavit ſibi domum, & ſubdidit columnas ſeptem; Mactavit ſuas hoſtias, miſcuit in cratera vinum ſuum, & paravit ſuam menſam, & miſit ſervos ſuos convocans cum excelſa prædicatione ad craterem, dicens: Quis eſt inſipiens? declinet à me. Et egentibus ſenſu dixit: Venite, edite de meis panibus; & bibite vinum quod miſcui vobis. Derelinquite ſtultitiam, & quærite prudentiam, & corrigite ſcientiam in intellectu, cap. 9. verſ. 1. E. 277. T. 21, 25. N. 1. ibid.

Qui corripit impium, odietur ab eo. Corripe ſapientem, & diliget te, ib. v. 8. T. 64.

Qui fidens eſt in falſis, hic paſcit ventos, ibid. verſ. 12. T. 159. N. 6. ib.

Ab aqua aliena abſtine te, & à fonte alieno ne biberis, ib. v. 19. E. 300. N. 6. ib. 326. N. 1. ib. T. 159.

Non occidet Dominus fame animam juſtam, c. 10. v. 3. T. 105, 140.

Qui ambulat ſimpliciter, ambulat fidenter, ibid. verſ. 10. T. 58.

Ex multiloquentia non effugies peccatum, parcens autem labiis ſenſatus eris, ib. v. 19. T. 64.

Captans annonam maledictus in plebe eſt: benedictio autem ejus in capite eſt, qui communicat, cap. 11. verſ. 26. T. 60.

Imprudens eadem die enunciat iram ſuam; abſcondit autem inhonorationem ſuam aſtutus, cap. 12. verſ. 17. T. 48.

Abominatio eſt Domino, labia mendacia, ibid. verſ. 22. T. 64.

Qui parcit baculo, odit filium, ib. v. 23. T. 64.

Noli diligere detrahere, ne extollaris, c. 13. v. 25. T. 64. N. 4. ib.

Liberat de malis animam martyr fidelis, cap. 14. v. 27. T. 51. N. 1. ib.

In omni loco ſpeculantur oculi Dei, bonos & malos, c. 15. v. 3. T. 58.

Qui oderunt correptiones, conſumentur turpiter, ib. v. 11. E. 175.

Non diligit indiſciplinatus caſtigantem ſe, ibid. verſ. 13. E. 175.

Eleemoſynis & fide peccata purgantur, ib. v. 29. T. 44, 137.

Cor viri cogitet juſta, ut à Deo dirigantur greſſus ejus, c. 19. v. 1. T. 157.

Ne deſtiteris puerum emendando, ib. v. 18. T. 64.

Perverſus in ore ſuo portat perditionem, & in labiis ſuis ignem condit, ib. v. 27. E. 268. N. 3. ib.

Melior eſt vir patiens forti. Qui enim iracundiam continet, melior eſt, quam qui urbem rapit, ibid. verſ. 32. T. 48.

Malus obaudit lingua iniquorum, juſtus autem non intendit labiis mendacibus, c. 17. v. 4. E. 269, 285.

Frater fratrem adjuvans exaltabitur, c. 18. v. 19. E. 246. N. 8. ib.

Teſtis falſus non erit impunitus, c. 19. v. 5. E. 326.

Qui miſeretur pauperem, Deo fenerat, c. 19. v. 17. T. 43, 141.

Qui converſatur ſine vituperatione in juſtitia, beatos poſt ſe filios relinquit, c. 20. v. 7. T. 44, 142.

Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccatis? ib. v. 9. T. 138.

Cor regis in manu Dei eſt, c. 21. v. 1. T. 62.

Ne dixeris: Ulciſcar me de inimico meo, ſed expecta Dominum ut tibi auxilio ſit, ib. v. 22. T. 133.

Qui obturat aures ſuas ne audiat imbecillum, & ipſe invocabit Deum, & non erit qui exaudiat eum, c. 21. v. 13. T. 44, 138.

In aures imprudentis noli quicquam dicere: ne quando audierit, irrideat ſenſatos ſermones, cap. 23. verſ. 9. T. 57, 129.

Ne adduxeris impium in habitaculum juſtorum, cap. 24. v. 18. T. 63. N. 3. ib.

Si eſurierit inimicus tuus, ciba eum: & ſi ſitierit, pota eum: hoc enim faciens carbones vivos ſuperfundes in caput ejus, c. 25. v. 21. T. 44.

Noli reſpondere imprudenti ad imprudentiam ejus, ne ſimilis fias illi, c. 26. v. 4. T. 129.

Qui fodit foveam proximo ſuo, ipſe incidet in eam, ib. v. 26. T. 65.

Beatus homo qui veretur omnia per metum, c. 28. v. 14. T. 52.

Qui dat pauperibus, nunquam egebit: qui autem avertit oculum ſuum, in multa penuria erit, ibid. verſ. 27. T. 43, 139.

In locis impiorum gemunt juſti: in illorum autem perditione abundabunt juſti. ib. v. 28. T. 47. N. 5. ib.

Homo animoſus parit lites, & vir iracundus exaggerat peccata, c. 29. v. 22. E. 326.

EX ECCLESIASTE.

VIdi univerſa opera quæ facta ſunt ſub ſole, & ecce omnia vanitas, c. 1. v. 14. T. 48.

Prout voveris votum Deo, ne moram feceris reddere illud, c. 5. v. 3. T. 54.

Noli eſſe juſtus multum, & noli argumentari plus quam oportet, c. 7. v. 17. T. 58.

Scindens ligna periclitabitur in eis, ſi exciderit ferrum, c. 10. v. 9. T. 63. N. 1. ib.

EX CANTICIS.

VEni ſponſa de Libano, advenies & pertranſibis à principio fidei, c. 4. v. 8. E. 324. N. 1. ib.

Ingreſſus ſum in hortum meum ſoror mea, ſponſa, cap. 5. v. 1. E. 324.

Ego dormio & cor meum vigilat, ibid. verſ. 2. T. 107.

Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ, c. 6. v. 9. E. 294. T. 78.

Hortus concluſus, ſoror mea, ſponſa fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, paradiſus cum fructu pomorum, c. 4. v. 12. E. 294, 318, 324.

INDEX

EX SAPIENTIA.

IN ſimplicitate cordis quærite illum, c. 1. v. 1. T. 58.

Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum, ib. v. 13. E. 248.

Circumveniamus juſtum, quoniam inſuavis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & exprobrat nobis peccata legis. Promittit ſcientiam Dei ſe habere, & filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductione cogitationum noſtrarum, gravis eſt nobis etiam ad videndum; quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & mutatæ ſunt viæ illius. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & continet ſe à viis noſtris, quaſi ab immunditiis, & præfert noviſſima juſtorum, & gloriatur patrem ſe habere Deum. Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſunt, & tentemus quæ futura (*vel* ventura) ſunt illi. Contumelia & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam illius, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum. Hæc cogitaverunt & erraverunt; excæcavit enim illos malitia ipſorum, & neſcierunt ſacramenta Dei, c. 2. v. 12. T. 30.

Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum qui ſunt ex parte ejus, ib. v. 24. T. 154.

Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes eorum immortalitate plena eſt, & in paucis vexati, in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentavit illos, & invenit illos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quaſi holocauſta hoſtiæ accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. Judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnavit Dominus eorum in perpetuum, c. 3. v. 4. E. 177. T. 50, 127. N. 1. ib.

Diſciplinam qui abjicit, infœlix eſt, ib. verſ. 11. E. 174. T. 61, 67.

In locis impiorum gemunt juſti, in illorum autem perditionem, abundabunt injuſti. ib. T. 47. N. 5. ib.

Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum illius, placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere eum de medio iniquitatis, c. 4. v. 11. T. 59, 115.

Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes inter ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati æſtimabamus vitam illorum inſaniam, & finem illorum ſine honore. Quomodo ergo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt? Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in iniquitatis via & perditionis, & ambulavimus ſolitudines difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia, aut quid divitiarum jactatio contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra, c. 5. v. 1. T. 51, 70, 127, 135.

Judicium duriſſimum in his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur, c. 6. v. 6. T. 65.

Neque opera attendentes, agnoverunt quis eſſet artifex, ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem, aut lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt: quorum ſi propter ſpeciem hoc æſtimaverunt, ſciant quanto his Dominus ſit ſpecioſior; aut ſi virtutes & opera eorum mirati ſunt intelligant ab ipſis, quoniam qui hæc conſtituit fortia, fortior eſt illis, c. 13. v. 1. T. 59, 120.

Omnia idola nationum exiſtimaverunt deos, quibus neque oculorum uſus eſt ad videndum, neque nares ad percipiendum ſpiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti in manibus ad contrectandum; ſed & pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, & qui ſpiritum mutuatus eſt, is finxit illos. Nemo autem ſibi ſimilem homo poterit Deum fingere; cum ſit enim mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior eſt autem ipſe iis quos colit; quoniam ipſe quidem vixit, illi autem nunquam, c. 15. v. 15. T. 59, 120. N. 1. ib.

EX ECCLESIASTICO.

INitium ſapientiæ metuere Deum, c. 1. v. 16. T. 52.

Fili accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, cap. 2. verſ. 1. T. 112. N. 5. ib.

In dolore ſuſtine, & in humilitate tua habe patientiam: quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines autem receptibiles in camino humiliationis, ib. v. 4. T. 112, 149.

Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, c. 3. v. 22. T. 58.

Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum, ib. v. 33. T. 44, 137.

Eſto pupillis miſericors ut pater, & pro viro matri illorum, & eris velut filius Altiſſimi, ſi obedieris, c. 4. v. 10. T. 65. N. 1. ib.

Noli citatus eſſe in lingua tua, & inutilis & remiſſus in operibus tuis, ib. v. 34. T. 64.

Ne dixeris: Peccavi, & quid accidit mihi triſte? Eſt enim Altiſſimus patiens redditor, c. 5. v. 4. T. 55.

Ne tardes converti ad Deum, & ne differas de die in diem. Subito enim venit ira illius, ib. v. 8. T. 64.

Qui diligit argentum, non ſatiabitur argento, ib. verſ. 9. T. 60.

Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, c. 6. v. 16. T. 63.

Ex tota anima tua time Deum, & ſacerdotes ejus ſanctifica, c. 7. v. 29. E. 172.

Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes ejus, ib. v. 31. E. 172.

Ne pigriteris viſitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis, ib. v. 39. T. 65.

Longe abeſto ab homine habente poteſtatem occidendi, & non ſuſpicaberis timorem, c. 9. v. 18. T. 63.

Viri juſti ſint tibi convivæ, ib. v. 22. T. 63.

Noli te extollere in faciendo opere tuo, cap. 10. verſ. 29. T. 57.

Ante mortem ne laudes hominem quenquam, cap. 11. v. 28. E. 191.

Fili ſi habes, bene fac tecum, & Deo dignas oblationes offer, memorare quoniam mors non tardat, cap. 14. v. 11. T. 44.

Ne impediaris orare ſemper, & non ceſſes uſque ad mortem juſtificari: quoniam merces Domini manet in æternum, c. 18. v. 23. T. 66.

Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non diſcedet à domo ejus plaga; & ſi vane juraverit, non juſtificabitur; & ſi fruſtra juraverit, dupliciter punietur, cap. 23. v. 12. T. 50. N. 2. ib.

Ego ex ore altiſſimi prodivi ante omnem creaturam. Ego in cœlis feci, ut oriatur lumen indeficiens, & nebula texi omnem terram. Ego in altis habitavi, & thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuivi, & in profundum abyſſi penetravi, & in fluxibus maris ambulavi, & in omni terra ſteti. Et in omni populo, & in omni gente primatum habui, & omnium excellentium & humilium corda propria virtute calcavi. In me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, cap. 24. verſ. 5. T. 24. N. 2. ib.

Beatus qui invenit amicum verum, & qui enarrat juſtitiam auri audienti, c. 25. v. 12. T. 63. N. 4. ib.

Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis, c. 27. v. 6. T. 47, 113, 123.

Suſurro & bilinguis maledictus, multos enim turbabit pacem habentes, c. 28. v. 15. T. 65.

Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam, ib. v. 28. E. 269, 285. T. 83. N. 1. ib.

Conclude eleemoſynam in corde pauperis, hæc pro te orabit ab omni malo, c. 29. v. 15. T. 44, 138. N. 2. ib.

Dona iniquorum non probat Altiſſimus, cap. 34. v. 23. T. 65.

Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio ejus? c. 34. v. 30. E. 303. N. 1. ib. T. 162.

EX ESAIA.

AUdi cœlum, & auribus percipe terra; quoniam Dominus locutus eſt: Filios generavi & exaltavi, ipſi autem me reprobaverunt. Agnovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſrael autem me non cognovit, & populus meus me non intellexit. Væ genti peccatrici, populo pleno peccatis. Semen nequam, filii ſceleſti; dereliquiſtis Dominum, & in indignationem miſiſtis illum ſanctum Iſrael, c. 1. v. 2. T. 16, 101, 156.

Terra veſtra deſerta, civitates veſtræ igni exuſtæ; regionem veſtram in conſpectu veſtro, alieni comedent eam; & deſerta & ſubverſa populis alienis derelinquetur filia Sion, ſicut caſa in vinea, & ſicut cuſtodiarium in cucumerario, quaſi civitas quæ expugnatur. Et niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimilaremur, ib. v. 7. T. 17.

Que

Quo mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum, dicit Dominus? Plenus ſum: holocauſtomata arietum, & pinguamina agnorum, & ſanguinem taurorum & hircorum nolo. Quis enim exquiſivit iſta de manibus veſtris? ib. verſ. 11. T. 19. N. 2. ibid.

Jam non laxabo peccata veſtra. Cum extenderitis manus, avertam faciem à vobis; etſi multiplicaveritis preces, non exaudiam vos. Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lavamini, mundi eſtote, auferte nequitias ab animis veſtris à conſpectu oculorum meorum, ceſſate à nequitiis veſtris, diſcite bonum facere, exquirite judicium, conſervate eum qui injuriam patitur, judicate pupillo, & juſtificate viduam. Et venite diſputemus, dicit Dominus: & ſi fuerint peccata veſtra ut phœniceum, ut nivem exalbabo: & ſi fuerint quaſi coccinum, ut lanam inalbabo. Et ſi volueritis & audieritis me, bona terræ edetis. Si autem nolueritis & non audieritis me, gladius vos conſumet. Os enim Domini locutum eſt iſta, ib. v. 15. T. 22. N. 1. ib.

Erit in noviſſimis diebus (*vel* temporibus) manifeſtus mons Domini, & domus Dei ſuper vertices montium, & exaltabitur ſuper colles, & venient ſuper illum omnes gentes, & ambulabunt multi, & dicent: Venite aſcendamus in montem Domini, & in domum Dei Jacob, & nunciabit nobis viam ejus, & ambulabimus in illa. De Sion enim procedet lex, & verbum Domini de Hieruſalem, & judicabit inter gentes, & redarguet populum multum; & concident gladios ſuos in aratra, & lanceas ſuas in falces, & jam non diſcent pugnare, c. 2. v. 3. E. 319. T. 18, 32. N. 1. ib.

Venite ambulemus in lumine Domini. Dimiſit enim populum ſuum domum Iſrael, ib. v. 5. T. 18.

Adoraverunt eos quos fecerunt digiti eorum, & curvatus eſt homo, & humiliatus eſt vir, & non laxabo illis, ib. v. 8. E. 282. T. 89, 120, 133.

Dies enim Domini Sabaoth ſuper omnem injurioſum & ſuperbum, & ſuper omnem elatum & excelſum, ib. v. 12. E. 260.

Ecce dominator Dominus Sabaoth auferet à Juda & ab Hieruſalem valentem & validum, valentiam panis & valentiam aquæ, c. 3. v. 1. T. 22.

Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & ſemitam pedum veſtrorum turbant, ib. verſ. 11. E. 217. T. 65, 91.

Exaltatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt alto collo, & nutu oculorum, & inceſſu pedum trahentes tunicas, & pedibus ſimul ludentes. Et humiliabit Deus principales filias Sion, & revelabit Dominus habitum earum, & auferet Dominus gloriam veſtis illarum, & ornamenta earum, & crines, & cincinnos, & lunulas, & diſcriminalia, & armillas, & botronatum, & dextralia, & annulos, & inaures, & ſerica contexta cum auro & hyacintho. Et erit pro odore ſuavitatis pulvis, & pro cingulo reſte cingeris, & pro ornamento capitis aureo calvitium habebis, ibid. v. 16. T. 71. N. 1. ib.

Septem mulieres apprehendent hominem unum, cap. 4. T. 125.

Vinea Domini Sabaoth domus Iſrael eſt, cap. 5. verſ. 7. E. 279.

Væ qui conjungunt domum ad domum, & agrum ad agrum continuant, ut auferant proximo ſuo aliquid. Nunquid habitabitis ſoli ſuper terram? ibid. verſ. 8. T. 60. N. 2. ib.

Væ qui arguti ſunt in ſemetipſis, c. 5. v. 21. T. 58.

Et in his omnibus non ſunt converſi; igitur extollet ſignum in gentes quæ longe ſunt, & attrahet illos à ſummo terræ. Et ecce cito leviter venient, non eſurient, neque ſitient, ibid. v. 25. T. 22.

Vade & dic populo iſti: Aure audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non videbitis. Incraſſavit enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos concluſerunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & revertantur, & curem illos, c. 6. v. 9. T. 11, 17.

Si non credideritis, neque intelligetis, cap. 7. verſ. 9. T. 17, 56.

Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, in altitudinem ſurſum, & in altitudinem deorſum. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum Deum meum. Et dixit: Audite ergo domus David: Non puſillum vobis certamen cum hominibus, quoniam Deus præſtat agonem, Propter hoc dabit Deus ipſe vobis ſignum: Ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabitis nomen ejus Emmanuel. Butyrum & mel manducabit; priuſquam cognoſcat ut præferat mala, commutabit bonum, ibid. verſ. 10. E. 184. T. 28. N. 1, 2. ib.

Tunc manifeſti erunt, qui ſignant legem ne diſcant. Et dicet: Expecto Deum qui avertit faciem ſuam à domo Jacob, & fidens ero in illum, cap. 8. verſ. 16. T. 18. N. 2. ib.

Terra Zabulon & terra Nephtalim via maris, & ceteri qui maritima inhabitatis, & trans Jordanem Galilæa gentium; populus ambulans in tenebris, videte lumen magnum, qui habitatis in regione umbræ mortis, lumen lucebit ſuper vos, c. 9. v. 1. T. 21.

Ecce natus eſt nobis puer, & datus eſt nobis filius, cujus imperium ſuper humeros ejus, & vocatum eſt nomen ejus magnæ cogitationis nuncius, ibid. verſ. 6. T. 34. N. 3. ib.

Verbum conſummans & brevians in juſtitia: quoniam ſermonem breviatum faciet Deus in toto orbe terræ, cap. 10. v. 22. T. 25, 106.

Et exibit virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & implebit eum ſpiritus timoris Domini, c. 11. v. 1. T. 29.

Et erit in die illa radix Jeſſe, qui ſurget imperare omnibus gentibus: in illum gentes ſperabunt, & erit requies ejus honor, ib. v. 10. T. 21.

Ululate, proximus eſt enim dies Domini, & obtritio à Deo erit. Ecce enim dies Domini venit, inſanabilis indignationis & iræ, ponere orbem terræ deſertum, & peccatores perdere ex eo, c. 13. v. 9. T. 134.

Tu autem dixiſti in animo tuo, in cœlum aſcendam, ſuper ſtellas Dei ponam ſedem meam, ſedebo in monte alto ſuper montes altos in Aquilonem, aſcendam ſuper nubes, ero ſimilis Altiſſimo. Tu vero ad inferos deſcendes in fundamenta terræ, & qui te videbunt mirabuntur ſuper te, c. 14. v. 13. E. 260. N. 1. ib.

Hic homo qui concitat terram, & commovet reges, qui ponit orbem terræ totum deſertum, ibid. verſ. 16. T. 65.

Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Non remittetur vobis peccatum iſtud, quoaduſque moriamini, cap. 22. v. 13. T. 60.

Domine Deus, altum eſt brachium tuum, & non ſciebant: cum cognoverint autem, confundentur, c. 26. v. 11. T. 25. N. 3. ib.

Ecce ego immitto in fundamenta Sion lapidem pretioſum, electum, ſummum, angularem, honoratum, & qui crediderit in eum, non confundetur, c. 28. v. 16. T. 31.

Et dedit illis Deus ſpiritum tranſpunctionis, c. 29. v. 10. E. 265. T. 97. N. 2. ib.

Et erunt vobis hi omnes ſermones, ſicut ſermones libri qui ſignatus eſt: quem ſi dederis homini ſcienti literas ad legendum, dicet: Non poſſum legere, ſignatus eſt enim, cap. 29. v. 11. T. 17.

Populus iſte labiis honorificat me, cor vero eorum longe ſeparatum eſt à me. Sine cauſa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes, ibid. verſ. 13. E. 277. bis. 288, 315.

Sed in illa die audient ſurdi ſermones libri, & qui in tenebris, & qui in nebula ſunt; oculi cæcorum videbunt, ibid. v. 18. T. 17.

Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo, ib. v. 14. T. 145.

Væ vobis filii deſertores: Hæc dicit Dominus: Habuiſtis conſilium & non per me, & feciſtis conventionem, & non per ſpiritum meum adjicere peccata ſuper peccata, cap. 30. v. 1. E. 260. N. 6. ib.

Cum converſus gemueris, tunc ſalvaberis, & ſcies ubi fueris, ib. v. 15. E. 217. T. 98. N. 1. ib.

Nunc exſurgam dicit Dominus, nunc clarificabor, nunc exaltabor, nunc videbitis, nunc intelligetis, nunc confundemini: vana erit fortitudo ſpiritus veſtri, ignis vos conſumet, c. 33. v. 10. T. 35.

Confortamini manus reſolutæ, & genua debilia exhortamini. Qui eſtis puſillanimi, nolite metuere. Deus noſter judicium retribuet, ipſe veniet, & ſalvos faciet nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum audient, tunc ſaliet claudus ſicut cervus, & plana erit lingua mutorum, quia rupta eſt in deſerto aqua, & rivus in terra ſitienti, cap. 35. v. 3. T. 27.

Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri. Omnis rivus implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt omnia tortuoſa in directum, & aſpera in campum, & videbitur claritas Domini, & videbit omnis caro ſalutare Dei, quoniam Dominus locutus eſt, c. 40. v. 3. T. 26. N. 4. ib.

Clama: Omnis caro fœnum, & omnis claritas ejus ut flos fœni.

fœni. Aruit fœnum, & flos decidit : ſermo autem Domini manet in æternum, ib. v. 6. T. 59, 69.

Ecce feci te ſicut rotas vehiculi triturantis novas in ſerras formatas, & triturabis montes, & extenuabis colles, & ſicut lanuginem pones, & ventilabis, & ventus occupabit illos, & procella diſperget : tu autem jucundaberis in ſanctis Iſrael, & exultabunt inopes & egeni; quærent enim aquam, & non erit, lingua enim illorum à ſiti ſiccabit. Ego Dominus Deus, ego exaudiam Deus Iſrael, & non derelinquam eos; ſed aperiam inter montes flumina, & in mediis campis fontes. Faciam deſertam in nemora aquoſa, & ſitientem terram in aquæductus ; ponam in inaquoſam terram cedrum, & buxum, & myrtum, & cupreſſum, & populum ; ut videant & cognoſcant & ſciant & credant ſimul, quia manus Domini fecit iſta, & ſanctus Iſrael oſtendit, cap. 41. verſ. 15. T. 25. N. 4. ib.

Non clamabit, neque audiet quis in plateis vocem ejus; arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet ; ſed in veritate proferet judicium. Fulgebit & non quaſſabitur quoadusque ponat in terra judicium, & in nomine ejus gentes credent, c. 42. v. 3. T. 30.

Ego Dominus Deus, vocavi te in juſtitia, ut teneam manum tuam, & confortabo te; & dedi te in teſtamentum generis mei, in lumen gentium, aperire oculos cæcorum, producere à vinculis vinctos, & de domo carceris ſedentes in tenebris. Ego Dominus Deus, hoc mihi nomen eſt, claritatem meam alii non dabo, neque virtutes meas ſculptilibus, ib. v. 6. T. 27.

Dominus Deus virtutum prodibit, & comminuet bellum. Excitabit certamen, & clamabit ſuper inimicos ſuos cum fortitudine. Tacui. Nunquid ſemper tacebo ? ib. v. 13. T. 36, 151.

Quis dedit in direptionem Jacob, & Iſrael iis qui prædabantur illum ? Nonne Deus cui peccaverunt, & nolebant in viis ejus ambulare, neque audire legem ejus ? Et ſuperduxit ſuper eos iram animationis ſuæ, ibid. v. 24. T. 93, 106. N. 3. ib.

Noli timere, quia te redemi, & vocavi te nomine tuo, meus es tu. Et ſi tranſieris per aquam, tecum ſum, & flumina te non inundabunt. Et ſi tranſieris per ignem, non combureris, & flamma te non comburet. Quoniam ego Dominus Deus tuus, ſanctus Iſrael, qui te ſalvum facio, c. 43. v. 1. T. 123. N. 6. ib.

Nolite ergo priora meminiſſe, & antiqua nolite reputare. Ecce facio nova, quæ nunc orientur, & cognoſcetis; & faciam in deſerto viam & flumina in loco inaquoſo, adaquare genus meum electum, plebem meam quam acquiſivi, ut virtutes meas exponeret, ibid. verſ. 18. E. 278. T. 18. N. 4. ib.

Sic dicit Dominus Chriſto meo Domino, cujus tenui dexteram, ut exaudiant eum gentes. Et fortitudinem regum diſrumpam; aperiam ante ipſum portas, & civitates non claudentur, c. 45. v. 1. T. 21. N. 2. ib.

Sic dicit Dominus Deus Sabaoth : Fatigata eſt Ægyptus, & negotiatio Æthiopum, & Sabaim viri alti ad te tranſgredientur, & tui erunt ſervi, & poſt te ambulabunt vincti compedibus; & adorabunt te, & in te precabuntur, quoniam in te Deus eſt, & non eſt Deus alius præter te. Tu enim es Deus, & non ſciebamus, Deus Iſrael ſalvator. Confundentur, & reverebuntur omnes, qui adverſantur tibi, & cadent in confuſionem, ib. v. 14. T. 26.

Si ſitierint, per deſerta adducet illos, aquam de petra producet illis, ſcindetur petra, & fluet aqua, & bibet plebs mea, c. 48. v. 21. E. 278. T. 18.

Non ſum contumax, neque contradico, c. 50. v. 5. T. 30, 151.

Dorſum meum poſui ad flagella, & maxillas meas ad palmas, faciem autem meam non averti à fœditate ſputorum, & fuit Deus auxiliator meus, ib. v. 6. T. 30.

Revelavit Dominus brachium ſuum, illum ſanctum, in conſpectu omnium gentium, videbunt omnes gentes ipſa ſuprema terræ ſalutem à Deo, c. 52. v. 10. T. 25.

Diſcedite, diſcedite, exite inde, & immundum nolite tangere. Exite de medio ejus, ſeparamini qui fertis vaſa Domini, ib. v. 11. T. 55, 90. N. 4. ib.

Quibus non eſt nunciatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent, ib. v. 15. T. 22.

Domine, quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt ? Annunciavimus coram ipſo ſicut pueri, ſicut radix in terra ſitienti. Non eſt figura ejus neque claritas : & vidimus illum, & non habuit figuram neque ſpeciem; ſed figura ejus ſine honore, & deficiens præter ceteros homines. Homo in plaga poſitus; & ſciens ferre imbecillitatem : quia averſa eſt facies ejus, inhonoratus eſt, & non eſt computatus. Hic peccata noſtra portat, & pro nobis dolet, & nos putavimus illum eſſe in dolore, & in plaga, & in vexatione : ipſe autem vulneratus eſt propter facinora noſtra, & infirmatus eſt propter peccata noſtra. Doctrina pacis noſtræ ſuper illum, & livore ejus ſanati ſumus. Omnes ſicut oves erravimus, homo à via ſua erravit. Et Deus tradidit illum pro peccatis noſtris, & ipſe propterea quod vexatus eſt, non aperuit os ſuum, c. 53. v. 1. T. 25, 29.

Sicut ovis ad victimam ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum : in humilitate judicium ejus ſublatum eſt nativitatem ejus quis enarrabit ? Quoniam auferetur à terra vita ejus, à facinoribus populi mei adductus eſt ad mortem, & dabo malos pro ſepultura ejus, & ipſos divites pro morte ejus : quia facinus non fecit, neque inſidias ore ſuo. Propter ea ipſe conſequetur multos, & fortium dividet ſpolia : propterea quod tradita eſt ad mortem anima ejus, & inter facinoroſos deputatus eſt. Et ipſe peccata multorum pertulit, & propter facinora illorum traditus eſt, ibid. v. 7. E. 190. T. 11, 30, 151.

Jucundare ſterilis quæ non paris, erumpe & exclama quæ non parturis, quia multi filii deſertæ, magis quam ejus quæ habet virum. Dixit enim Dominus : Dilata locum tabernaculi tui, & aulæorum tuorum, & fige. Noli parcere, longas fac menſuras tuas, & palos tuos confirma. Adhuc in dexteram tuam, & in ſiniſtram extende, & ſemen tuum gentes poſſidebit, & civitates deſertas inhabitabit. Noli timere quia revinces, neque reverearis, quia maledicta es, quoniam confuſionem æternam obliviſceris, c. 54. v. 1. T. 20.

Qui ſititis, vadite ad aquam, & quotquot non habetis pecuniam, euntes emite, & bibite ſine pecunia, cap. 55. v. 1. T. 64.

Ecce teſtem manifeſtavi illum nationibus, principem & imperantem gentibus. Gentes quæ non noverunt te, invocabunt te; & populi qui ignorabant te, ad te confugient, ibid. verſ. 4. T. 21.

Quærite Dominum, & cum inveneritis, invocate eum. Cum autem appropinquaverit vobis, relinquat impius vias ſuas, & vir facinoroſus cogitationes ſuas, & convertatur ad Dominum, & miſericordiam conſequetur; quia in multum remittet peccata veſtra, ib. v. 6. T. 48.

Videte quomodo juſtus perit, & nemo intelligit : & viri juſti tolluntur, & nemo recognoſcit. A facie enim injuſtitiæ ſublatus eſt juſtus, & erit in pace ſepultura ejus, c. 57. v. 1. T. 30.

Illis fudiſtis libamina, & illis impoſuiſtis ſacrificia, ſuper hæc non indignabor ? dicit Dominus, ibid. v. 6. E. 265, 282. T. 120.

Exclama in fortitudine, & noli parcere : ſicut tuba exalta vocem tuam, & annuncia plebi meæ peccata ipſorum, & domui Jacob facinora eorum, &c. cap. 58. verſ. 1. T. 43, 138.

Solve omnem nodum injuſtitiæ, reſolve ſuffocationes impotentium commerciorum. Dimitte quaſſatos in requiem, & omnem conſignationem injuſtam diſſipa. Frange eſurienti panem tuum, & egenos ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, veſti, & domeſticos ſeminis tui non deſpicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum, & veſtimenta tua cito orientur, & præibit ante te juſtitia, & claritas Dei circundabit te. Tunc exclamabis, & Deus exaudiet te, & dum adhuc loqueris, dicet : Ecce adſum, ib. v. 6. T. 62, 108. N. 3. ib.

Nunquid non valet manus Domini ut ſalvos faciat, aut gravavit aurem ut non exaudiat ? Sed peccata veſtra inter vos & Deum ſeparant, & propter peccata veſtra avertit faciem ſuam à vobis ne miſereatur. Manus enim veſtræ inquinatæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri in peccatis. Labia autem veſtra locuta ſunt facinus, & lingua veſtra injuſtitiam meditatur. Nemo loquitur vera, neque eſt judicium verum. Fidunt in vanis, & loquuntur inania, qui parturiunt dolorem, & pariunt facinus, c. 59. v. 1. T. 25, 57, 93, 132.

Spiritus Domini ſuper me propter quod unxit me, bene nunciare pauperibus miſit me, curare contribulatos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum, vocare annum Domini acceptabilem & diem retributionis, c. 61. v. 1. T. 29.

Quis eſt iſte qui venit de Edom, rubor veſtimentorum ejus ex Boſor ? Quare rubicunda ſunt veſtimenta tua, & indumenta tua velut à calcatione torcularis pleni & percalcati ? cap. 63. v. 2. E. 277. N. 5. ib.

Torcular calcavi ſolus, filiæ Sion, ib. v. 3. E. ib.

Non ſenior neque angelus, ſed ipſe Dominus liberabit illos, quia diliget eos & parcet eis, & ipſe redimet eos, ibid. verſ. 9. T. 27. N. 4. ib.

Manifeſtus factus ſum eis, qui me non quærunt; inventus ſum ab eis, qui me non interrogabant. Dixi : Ecce ſum, genti quæ non invocavit nomen meum, c. 65. v. 1. T. 22.

Expandi manus meas tota die ad plebem contumacem & contradicentem mihi; qui ambulant vias non bonas, ſed poſt peccata ſua, ib. v. 2. T. 33. N. 2. ib.

Ecce qui ſerviunt mihi, manducabunt; vos autem eſurietis. Ecce qui mihi ſerviunt, jucundabuntur; vos autem confundemini. Vos interficiet Dominus; eis autem qui ſerviunt mihi, nomen nominabitur novum, quod benedicetur in terra, ib. v. 13. T. 22.

Sic dicit Dominus Deus: Cœlum mihi thronus, & terra ſuppedaneum pedum meorum. Quam mihi ſedem ædificabitis, aut quis locus ad requiem mihi? Omnia enim iſta fecit manus mea, & ſunt mea omnia iſta, cap. 66. verſ. 1. T. 25, 47.

Et ſuper quem aſpiciam alium, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem ſermones meos, ibid. v. 2. E. 189, 205. T. 47, 52.

Ecce enim Dominus ſicut ignis veniet, & ſicut procella currus ejus, retribuere in ira vindictam. In igne enim Domini judicabuntur, & in gladio ejus vulnerabuntur, ib. verſ. 15. T. 151. N. 2. ib.

Venio colligere omnes gentes & linguas, & venient & videbunt claritatem meam, & dimittam ſuper eos ſignum, & mittam ex eis conſervatos in gentes quæ longe ſunt, quæ non audierunt nomen meum, neque viderunt gloriam meam, & nunciabunt claritatem meam in gentes, ibid. verſ. 18. T. 22.

Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur; & erunt ad viſionem univerſæ carni, ibid. verſ. ult. T. 135.

EX HIEREMIA.

PRiuſquam te formarem in utero, novi te: & priuſquam exires de vulva, ſanctificavi te, & prophetam in gentibus poſui te, c. 1. v. 5. T. 21, 93.

Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & effoderunt ſibi lacus detritos, qui non poſſunt aquam portare, c. 2. v. 13. E. 300. T. 17, 80.

Sine cauſa percuſſi filios veſtros, diſciplinam non acceperunt, ib. v. 30. T. 131.

Et mœchata eſt in lignum & lapidem, & in his omnibus non eſt reverſa ad me, cap. 3. v. 9. E. 278. bis.

Et dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent oves paſcentes cum diſciplina, ib. verſ. 15. E. 173. T. 19, 61, 67.

Hæc dicit Dominus viris Juda, & qui inhabitant Jeruſalem: Renovate inter vos novitatem, & ne ſeminaveritis in ſpinis; circumcidite vos Deo veſtro, & circumcidite præputium cordis veſtri, ne exeat ſicut ignis ira mea, & exurat, & non ſit qui extinguat, c. 4. v. 4. T. 18. N. 1. ib.

Verberaſti eos, nec doluerunt: flagellaſti eos, nec voluerunt credere, nec accipere diſciplinam, cap. 5. verſ. 3. T. 131.

Ecce ſermo Domini factus eſt eis in maledictum, & non volunt illum, c. 6. v. 10. T. 17.

Audite vocem tubæ. Et dixerunt. Non audiemus. Propter hoc audient gentes, & qui paſcent pecora in eis, ib. v. 17. T. 21.

Noli orare pro populo hoc, & noli poſtulare pro eis in prece & oratione, quia non exaudiam in tempore quo invocabunt me, in tempore afflictionis ſuæ, c. 7. v. 16. T. 93, 121. N. 2. ib.

Hæc dicit Dominus: Nunquid qui cadit, non ſurget, aut qui avertitur, non convertetur? cap. 8. verſ. 4. T. 65.

Cognovit tempus ſuum turtur & hirundo, ruris paſſeres cuſtodierunt tempora introitus ſui: populus autem meus non cognovit judicium Domini. Quomodo dicetis, ſapientes ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt? Incaſſum facta eſt metatura falſa, ſcribæ confuſi ſunt, ſapientes trepidaverunt, & capti ſunt, quia verbum Domini reprobaverunt, ibid. v. 7. T. 17. N. 1. 2. ib.

Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, neque glorietur fortis in fortitudine ſua, neque glorietur dives in divitiis ſuis; ſed in hoc glorietur qui gloriatur, intelligere & noſſe quoniam ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam & judicium & juſtitiam ſuper terram; quoniam in his eſt voluntas mea, dicit Dominus, c. 9. v. 23. T. 48.

Hæc dicit Dominus: Secundum viam gentilium ne ambulaveritis, c. 10. v. 2. T. 55.

Domine ſignifica mihi & cognoſcam, tunc vidi meditationes eorum. Ego ſicut agnus ſine malitia perductus ſum ad victimam, in me cogitaverunt cogitatum dicentes: Venite mittamus lignum in panem ejus, & eradamus à terra vitam ejus, & nomen ejus non erit in memoria amplius, cap. 11. v. 18. T. 31, 33.

Exterrita eſt quæ parit, & tæduit anima ejus. Subiit ſol ei cum adhuc medius dies eſſet; confuſa eſt & maledicta, reliquos eorum in gladio dabo in conſpectu inimicorum eorum, c. 15. v. 9. T. 34.

Ut quid, qui contriſtant me, prævalent? Plaga mea ſolida eſt, unde ſanabor? Dum fit, facta eſt mihi quaſi aqua mendax, non habens fidem, ibid. verſ. 18. E. 308. N. 2. ibid.

Et auferam de civitatibus Juda, & de quadriviis Hieruſalem vocem lætantium, & vocem gaudentium, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ, c. 16. v. 9. T. 32.

Maledictus homo qui ſpem habet in homine, c. 17. v. 5. T. 48, 92.

Benedictus homo qui fidit in Domino, & erit in Deo ſpes ejus, ib. v. 7. T. 48.

Et homo eſt, & quis cognoſcet eum, ib. v. 9. T. 28. N. 4. ib.

Nolite audire ſermones pſeudoprophetarum, quoniam viſiones cordis eorum fruſtrantur eos. Loquuntur, ſed non ab ore Domini. Dicunt eis qui abjiciunt verbum Domini: Pax erit vobis, & omnibus ambulantibus in voluntatibus ſuis: Omnis qui ambulat in errorem cordis ſui, non venient ſuper eum mala, c. 23. v. 16. E. 228. T. 80. N. 4. ib.

In noviſſimo dierum cognoſcetis ea, ibid. verſ. 20. T. 17.

Non locutus ſum ad eos, & ipſi prophetaverunt. Si ſtetiſſent in ſubſtantia mea, & audiſſent verba mea, & ſi docuiſſent populum meum; convertiſſem eos à malis cogitationibus eorum, ib. v. 21. T. 80. N. 4. ib.

Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si abſconditus fuerit homo in abſconditis, ergo ego non videbo eum? Nonne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus, ib. v. 23. T. 58, 95, 100.

Quid eſt paleis ad triticum? Propter hoc ecce ego ad prophetas, dicit Dominus, qui furantur verba mea unusquiſque à proximo ſuo, & ſeducunt populum meum in mendaciis ſuis & in erroribus ſuis, ib. v. 28. E. 278. bis.

Miſi ad vos ſervos, meos prophetas, ante lucem mittebam, (& non audiebatis me, neque intendebatis auribus veſtris) dicens: Convertatur unuſquiſque à via ſua mala, & à nequiſſimis affectationibus veſtris; & habitabitis in terra iſta, quam dedi vobis & patribus veſtris à ſeculo & uſque in ſecula, c. 25. v. 4. T. 16.

In die illa contribulabo jugum à vertice illorum, & vincula illorum diſrumpam, & non operabuntur aliis, ſed operabuntur Domino Deo, & David regem ſuſcitabo ipſis, c. 30. v. 8. T. 19.

Audite verbum Domini gentes, & nunciate inſulis quæ longe ſunt, dicite: Qui diſpergit Iſrael congregabit illum, & cuſtodiet ſicut paſtor gregem ſuum; quia eruit Dominus Jacob, & eruit de manu fortioris illius, cap. 31. verſ. 10. T. 19.

Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & conſummabo domui Iſrael, & domui Juda teſtamentum novum. Non ſecundum teſtamentum quod diſpoſui patribus eorum in die qua apprehendi manus eorum, ut educerem eos de terra Ægypti; quia non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc teſtamentum, quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dans leges meas, in ſenſum illorum ſcribam illas, & ero illis in Deum, & ipſi erunt mihi in plebem; & non docebunt unuſquiſque fratrem ſuum, dicentes: Dignoſce Dominum, quia omnes ſcient me à minimo uſque ad maximum eorum; quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum non ero memor amplius, ibid. v. 31. T. 18. N. 3, 4. ib.

Maledictus qui facit opera Dei negligenter, c. 48. v. 10. T. 54.

EX BARUCH.

HIc Deus noſter, & non deputabitur alius abſque illo; qui invenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Jacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſibi: in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, cap. 3. verſ. 35. T. 26.

In ſenſu debet tibi adorari, Deus, cap. 6. verſ. 5. T. 100. N. 4. ib.

INDEX

EX EZECHIELE.

DIcit Deus : Transi per mediam Hierusalem , & notabis signum super frontes virorum qui ingemunt & mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipsorum, c. 9. v. 4. T. 34. N. 5. ib. 135.

Vadite & cædite & nolite parcere oculis vestris. Nolite misereri senioris aut juvenis & virginis ; & mulieres interficite ut perdeleantur. Omnem autem super quem signum scriptum est ne tetigeritis. ib. v. 5. T. 135. N. 1. ib.

Terra quæcunque peccaverit mihi ut delinquat delictum, extendam manum meam super eam, & obteram stabilimentum panis, & immittam in eam famem , & auferam ab ea hominem & pecora. Et si fuerint tres viri hi in medio ejus, Noë, & Daniel, & Job; non liberabunt filios neque filias, sed ipsi salvi erunt, c. 14. v. 13. T. 93, 121.

Homo autem qui erit justus, hominem non opprimet, & pignus debitoris reddet , & rapinam non faciet , & panem suum esurienti dabit, & nudum operiet, & pecuniam suam in usuram non dabit , capit. 18. vers. 7. T. 57. N. 4. ibid.

Omnes animæ meæ sunt, sicut anima patris & anima filii. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur , ibid. vers. 20. E. 250.

Justitia justi super eum erit , & scelus scelerati super eum erit, ib. v. 20. E. 250.

Nolo mortem morientis, quantum ut revertatur & vivat, ib. v. 32. T. 98, 146.

Malo pœnitentiam peccatoris quam mortem, c. 33. vers. 11. T. 65.

Justitia justi non liberabit eum, in quacunque die exerraverit, ib. v. 12. T. 122, 148.

Ecce lac consumitis, & lanis vos tegitis: & quod crassum est interficitis, & oves meas non pascitis. Quod infirmatum est non confortastis, & quod male habuit non corroborastis, & quod contribulatum est non consolidastis, & quod errabat non revocastis, & quod periit non inquisistis, & quod forte fuit, confecistis labore. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non sunt pastores, & factæ sunt in comesturam omnibus bestiis agri; & non fuit qui inquireret neque qui revocaret. Propterea hæc dicit Dominus : Ecce ego super pastores , & inquiram oves meas de manibus eorum , & avertam eos , ut non pascant oves meas, & jam non pascent eas , & extraham oves meas de ore eorum , & pascam eas cum judicio, c. 34. v. 10. E. 180, 253, 254, 293. T. 19.

Et aspergam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis vestris , & ab omnibus simulacris vestris emundabo vos , & dabo vobis cor novum & spiritum novum dabo in vobis, c. 36. v. 25. E. 298, 300.

Ipsi dicunt ; Arida facta sunt ossa nostra , periit spes nostra, expiravimus; propterea prophetiza, & dic : Hæc dicit Dominus : Ecce ego aperio monumenta vestra, & educam vos de monumentis vestris , & inducam vos in terram Israel. Et dabo spiritum meum in vos , & vivetis. Et ponam vos in terram vestram , & cognoscetis quoniam ego Dominus locutus sum , & faciam , dicit Dominus , c. 37. vers. 11. T. 59.

EX DANIELE.

ET ecce imago nimis magna, & contemplatio ejus imaginis metuenda, & elata stabat contra te ; cujus caput fuit ex auro bono , pectus & brachia ejus argentea, venter & femora ærea pedes autem ex parte quidem ferrei , ex parte autem fictiles; quoadusque abscissus est lapis de monte sine manibus concidentium , & percussit imaginem super pedes ferreos & fictiles, & comminuit eos minutatim , & fractum est simul ferrum & testa, & æramentum & argentum & aurum : & facta sunt minuta quasi palea aut pulvis in area æstate, & ventilavit illa ventus , ita ut nihil remanserit ex illis: & lapis qui percussit imaginem, factus est mons magnus, & implevit totam terram, c. 2. v. 31. T. 32.

Responderunt autem Sidrac , Misac , & Abdenago , & dixerunt regi Nabuchodonosor : Rex non opus est nobis de hoc verbo respondere tibi. Est enim Deus cui nos servimus potens eripere nos de camino ignis ardentis , & de manibus tuis, Rex, liberabit nos. Et si non , notum sit tibi , quia diis tuis non servimus & imaginem auream, quam statuisti, non adoramus, c. 3. vers. 16. E. 177. 257, 272, 290. T. 48. N. 3. ib. 124.

Stans Azarias precatus est, aperuit os suum, & exomologesin faciebat Deo simul cum sodalibus suis in medio ignis, ibid. vers. 24. T. 81, 96.

Tunc illi tres quasi ex uno ore hymnum canebant, & benedicebant Dominum, ibid. vers. 51. T. 81, 101.

Propterea Rex consilium meum placeat tibi , & peccata tua eleemosynis redime , & injustitias tuas miserationibus pauperum, & erit Deus patiens peccatis tuis, c. 4. vers. 27. T. 138. N. 3. ib.

Videbam in visu nocte , & ecce in nubibus cœli , quasi filius hominis veniens , venit usque ad veterem dierum , & stetit in conspectu ejus, & qui assistebant ei obtulerunt eum, & data est ei potestas regia & omnes reges terræ per genus, & omnis claritas serviens ei, & potestas ejus æterna quæ non auferetur, & regnum ejus non corrumpetur, cap. 7. v. 13. T. 35. N. 3. ib.

Domine Deus magnus & fortis & metuendus, qui servas testamentum tuum & miserationes tuas iis qui te diligunt & conservant imperia tua : peccavimus , facinus admisimus, impii fuimus , transgressi sumus , ac deseruimus præcepta tua & judicia tua ; non audivimus verba puerorum tuorum prophetarum , qui locuti sunt in nomine tuo super reges nostros , & omnes gentes , & omnem terram. Tibi Domine gloria , tibi justitia , nobis autem confusio, c. 9. v. 4. T. 97.

Muni sermones , & signa librum , usque ad tempus consummationis quoad discant multi, & impleatur agnitio; quoniam cum fiat dispersio, cognoscent omnia hæc, c. 12. v. 4. T. 17.

Duo presbyteri Susannam pudicam corrumpere conati sunt, c. 13. v. 20. E. 228.

Daniel cum compelleretur adorare idolum Bel, dixit : Nihil colo nisi Dominum Deum meum , qui condidit cœlum & terram, cap. 14. vers. 4. E. 257. T. 125.

Prandium Danieli allatum est ab Abacuc, ibid. vers. 30. T. 105, 140.

EX OSEA.

ERit enim quo loco dicetur, non populus meus, illo loco vocabuntur filii Dei vivi, c. 1. v. 10. T. 20.

Vocabo non populum meum, populum meum, & non dilectam, dilectam, c. 2. v. 24. T. ib.

Audite sermonem Domini filii Israel, quia judicium est Domini adversus incolas terræ , eo quod neque misericordia, neque veritas, neque agnitio Dei sit super terram. Sed execratio & mendacium, & cædes, & furtum, & adulterium diffusum est super terram. Sanguinem sanguini supermiscent. Iccirco terra lugebit cum universis incolis suis , cum bestiis agri , cum serpentibus terræ, cum volucribus cœli, & deficient pisces maris, ut nemo judicet, nemo revincat , c. 4. v. 1. T. 57, 131.

Diluculo vigilabunt, ad me dicentes : Eamus & revertamur ad Dominum Deum nostrum, c. 6. v. 1. T. 108.

Vivificabit nos post biduum , die tertia resurgemus , ibid. v. 2. T. 35. N. 1. ib.

Misericordiam volo magis quam sacrificium , & agnitionem Dei plusquam holocaustomata, ibid. v. 6. T. 44. N. 3. ibid.

Sibimetipsis constituerunt regem, & non per me, cap. 8. v. 4. E. 261, 289. N. 3. ib.

Sacrificia eorum tanquam panis luctus , omnes qui manducant ea, contaminabuntur, cap. 9. vers. 4. E. 261, 288. 297.

Non faciam juxta iram indignationis meæ, non finam deleri Ephraim, quoniam Deus ego sum ; & non homo in te sanctus, & non introibo in civitatem, post Deum ibo, cap. 11. v. 9. T. 27.

EX JOELE.

REvertimini ad me ex toto corde vestro , in jejunio , in ploratione , & planctu : & discindite corda vestra , & non vestimenta , & revertimini ad Dominum Deum vestrum, quoniam misericors est, & pius , & patiens, & miserator, multæ miserationis, & qui sententiam flectat adversus malitias irrogatas, cap. 2. v. 12. E. 248. T. 96, 98, 146. N. 1. ibid.

Canite tuba in Sion , sanctificate jejunium : & indicite curationem, aggregate populum, sanctificate Ecclesiam, excipite majores natu , colligite parvulos lactentes ; procedat sponsus

ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo, ibid. verſ. 15. T. 32. N. 2, & 3. ibid.

EX AMOS.

ET pluam ſuper unam civitatem, & ſuper aliam non pluam. Pars una compluetur, & pars ſuper quam non pluero, arefiet. Et congregabuntur duæ & tres civitates in unam civitatem potandæ aquæ cauſa, nec ſatiabuntur; & non convertimini ad me, dicit Dominus, cap. 4. verſ. 7. T. 130.

Quærite Deum, & vivet anima veſtra, cap. 5. verſ. 6. T. 135.

Et erit in die illo dicit Dominus, occidet ſol meridie, & obtenebrabitur dies lucis, & convertam dies feſtos veſtros in luctum, & omnia cantica veſtra in lamentationem, cap. 8. v. 9. T. 34. N. 7. ib.

EX MICHEA.

QUoniam de Sion lex proficiſcetur, & ſermo Domini de Hieruſalem; & judicabit inter plurimos populos, & revincet, & deteget validas nationes, cap. 4. verſ. 2. T. 18.

Et tu Bethleem domus Ephrata non exigua es, ut conſtituaris in millibus Juda; ex te mihi procedet ut ſit princeps apud Iſrael; & proceſſiones ejus à principio à diebus ſeculi, c. 5. v. 2. T. 11, 29. N. 2. ib.

EX ABACUC.

JUſtus ex fide mea vivet, cap. 2. verſ. 4. T. 17, 56. N. 6. ibid.

Ille vero qui præſumit & contumax eſt, vir ſui jactans, nihil omnino perficiet, qui dilatavit tanquam infernus animam ſuam, ib. v. 5. E. 260, 293.

Texit cœlos virtus ejus, & laudis ejus plena eſt terra, & ſplendor ejus ut lux, cornua in manibus ejus erunt. Et illic conſtabilita eſt virtus gloriæ ejus, & conſtituit dilectionem validam: ante faciem ſuam ibit verbum, & procedet in campos ſecundum greſſus ſuos, cap. 3. verſ. 3. T. 34. N. 2. ib.

Ficus non afferet fructum, & non erunt naſcentia in vineis. Mentietur opus olivæ, & campi non præſtabunt cibum. Deficient à pabulo oves, & non erunt in præſepibus boves. Ego autem in Domino exultabo, & gaudebo in Deo ſalutari meo, ib. v. 17. T. 134. N. 2. ib.

EX SOPHONIA.

DEfectione deficiat à facie terræ, dicit Dominus. Deficiat homo, & pecudes deficiant, volucres cœli & piſces maris: Et auferam iniquos à facie terræ, c. 1. v. 2. T. 57. N. 2. ib.

Metuite à facie Domini Dei, quoniam prope eſt dies ejus; quia apparavit Dominus ſacrificium ſuum, ſanctificavit electos ſuos, c. 1. v. 7. T. 33. N. 6. ib.

Ædificabunt domos, & non inhabitabunt: & inſtituent vineas, & non bibent vinum earum, quia prope eſt dies Domini, ib. v. 13. T. 60.

Expecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in teſtimonium, quoniam judicium meum ad congregationes gentium, ut excipiam reges, & effundam ſuper eos iram meam, c. 3. v. 8. T. 151.

EX AGGÆO.

HÆc dicit Dominus Deus omnipotens: Eo quod domus mea deſerta eſt, vos autem ſectamini unuſquiſque in domum ſuam; propterea abſtinebit cœlum à rore, & terra ſubtrahet procreationes ſuas, & inducam gladium ſuper terram, & ſuper frumentum, & ſuper vinum, & ſuper oleum, & ſuper homines, & ſuper pecora, & ſuper omnes labores manuum eorum, cap. 1. v. 9. T. 130.

EX ZACHARIA.

ET oſtendit mihi Dominus Jeſum ſacerdotem illum magnum, ſtantem ante faciem angeli Domini, & diabolus ſtabat ad dexteram ejus adverſari ei. Et Jeſus erat indutus veſtimenta ſordida, & ſtabat ante faciem ipſius angeli, & reſpondit, & ait ad eos qui ſtabant ante faciem ejus, dicens: Auferte veſtimenta ſordida ab eo, & dixit ad eum: Ecce abſtuli iniquitates tuas, & induite eum poderem, & imponite cidarin mundam ſuper caput ejus, cap. 3. v. 1. T. 30. N. 1. ib.

Ecce ego adduco puerum meum, Oriens nomen eſt ei, quoniam lapis quem dedi ante faciem Jeſu, ſuper lapidem ipſum unum ſeptem oculi ſunt, ib. v. 8. T. 31.

Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi juſtus & ſalvans, mitis, ſedens ſuper aſinum indomitum, cap. 9. v. 9. T. 36.

Et tranſibunt per mare anguſtum, & percutient in mari fluctus, & arefacient omnes altitudines fluminum, & confundetur omnis injuria Aſſyriorum, & ſceptrum Ægypti auferetur: & confortabo eos in Domino Deo ipſorum, & in nomine ejus gloriabuntur, dicit Dominus, c. 10. verſ. 11. T. 26. N. 1. 27.

Et intuebuntur in me, in quem transfixerunt, c. 12. verſ. 10. T. 33.

EX MALACHIA.

NOn eſt mihi voluntas circa vos, dicit Dominus, & ſacrificium acceptum non habebo ex manibus veſtris. Quoniam à ſolis ortu & uſque in occaſum, clarificatum eſt nomen meum apud gentes, & in omni loco odores incenſi offeruntur nomini meo, & ſacrificium mundum; quoniam magnum eſt nomen meum apud gentes, dicit Dominus, c. 1. v. 10. T. 19. N. 3. ib.

Rex magnus ſum ego, dicit Dominus, & nomen meum illuſtre eſt apud gentes, ib. v. 14. T. 36.

Et nunc præceptum hoc ad vos eſt, ô Sacerdotes: Si non audieritis, & ſi non poſueritis in corde veſtro, ut detis honorem nomini meo, dicit Dominus; immittam in vos maledictionem, & maledicam benedictionem veſtram, c. 2. v. 1. E. 265, 317.

Teſtamentum meum fuit cum Levi vitæ & pacis, & dedi illi timorem ut timeret me, à facie nominis mei proficiſci illum. Lex veritatis fuit in ore ejus, injuſtitia non eſt inventa in labiis ejus. In pace linguæ corrigens, ambulavit nobiſcum, & multos avertit ab injuſtitia. Quoniam labia ſacerdotis ſervabunt ſcientiam, & legem exquirent ab ore ejus, quoniam angelus omnipotentis eſt, cap. 2. verſ. 5. T. 26.

Nonne unus Deus condidit nos? Nonne pater unus eſt omnium noſtrum? Quid utique dereliquiſtis unuſquiſque fratrem ſuum? ib. v. 10. T. 45.

Derelictus eſt Juda, & abominatio facta eſt in Iſrael & in Hieruſalem, quoniam profanavit Judas ſancta Domini, in quibus dilexit, & affectavit deos alienos. Exterminabit Dominus hominem qui facit hæc, & humilis efficietur in tabernaculis Jacob, ibid. v. 11. T. 16. N. 3. ib.

Et ſedebit conflans & expurgans ſicut aurum & argentum, & emundabit filios Levi, c. 3. v. 3. T. 58.

Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus, eruntque omnes alienigenæ, & omnes iniqui ſtipula: & ſuccendet illos adveniens dies, dicit Dominus, cap. 4. v. 1. T. 36. N. 2. ib. 134, 151.

Vobis autem, qui timetis nomen Domini, orietur ſol juſtitiæ, & in alis ejus curatio, ib. v. 2. T. 109.

EX MACHABÆORUM.

LIB. I.

MAttathias interficit eum, qui ad aram ſacrificaturus acceſſerat, c. 1. v. 24. T. 121.

Abraham nonne in tentatione inventus eſt fidelis, & deputatum eſt ei ad juſtitiam, ib. v. 52. T. 51.

Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum, ib. v. 60. T. 58.

Et verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus in ſtercora erit & in vermes. Hodie extolletur, & cras non invenietur; quoniam converſus eſt in terram ſuam, & cogitatio ejus periit, ib. v. 62. E. 260. T. 46.

INDEX

EX MACHABÆORUM.

Lib. II.

NOn enim ætati noſtræ dignum eſt fingere, ut multi adoleſcentium arbitrati Eleazarum nonaginta annorum ad alienigenarum morem, relicta & prodita Dei lege, tranſiſſe: Nec tanti eſt lucrari brevia vitæ momenta, ut offenſo Deo incurram æterna ſupplicia, c. 6. v. 22. T. 126.

Domine, qui ſanctam habes ſcientiam, manifeſtum eſt quia cum poſſem à morte liberari, duriſſimos dolores corporis tolero, flagellis vapulans, animo autem propter tui ipſius metum libenter hæc patior, ibid. verſ. 30. T. 126.

Septem fratrum, matriſque martyria latiſſime proſequitur. Ad Fortunatum cap. 11. 89. & ſequentibus, fit etiam mentio, c. 7. T. 125, 126.

Juſtum eſt ſubditum Deo eſſe, & mortalem non paria Deo ſentire, c. 9. v. 12. T. 46. N. 8. ibid.

EX MATTHÆO.

GAbriel Angelus ad Joſeph: Joſeph fili David, ne metueris aſſumere Mariam uxorem tuam. Quod enim ex illa natum fuerit, de Spiritu ſancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum; hic enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum, cap. 1. verſ. 20. T. 28.

Et vocabitis nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus, ib. v. 23. T. 27.

Et cum natus eſſet Jeſus in Bethleem Judæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes: Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus cum muneribus adorare illum, c. 2. v. 1. T. 29, 37.

A bimatu & infra, ib. v. 16. E. 257.

Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite ſemitas Dei noſtri, c. 3. v. 3. T. 26.

Potens eſt Deus excitare de lapidibus filios Abrahæ, ibid. v. 9. E. 277.

Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur, ib. v. 10. T. 53, 107, 139.

Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam: qui venit autem poſt me, fortior me eſt, cujus non ſum idoneus calceamenta portare: ipſe vos baptizat in Spiritu ſancto & igni, ib. v. 11. T. 18.

Quia venit Dominus ferens palam in manu ſua, & mundabit aream ſuam, ib. v. 12. E. 240. N. 5. ib.

Jeſus baptizatus, ib. v. 15. T. 146.

Sic enim decet nos implere omnem juſtitiam, ib. verſ. 16. T. 146.

Et ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectiſſimus, in quo bene ſenſi, ipſum audite, ibid. verſ. 17. T. 18.

Tunc ductus eſt Jeſus in deſertum à ſpiritu, cap. 4. v. 1. T. 146.

Dominum Deum adorabis, & illi ſoli ſervies, ib. v. 10. T. 89.

Populus ambulans in tenebris, videte lumen magnum, &c. ib. v. 16. T. 21.

Beati pauperes ſpiritu. Beati mites, quoniam ipſi hæreditabunt terram, c. 5. v. 3. T. 47.

Beati plangentes, quoniam ipſi conſolabuntur, ibid. v. 5. E. 248. T. 47.

Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur, ib. v. 6. E. 278. T. 44.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur, ib. v. 7. T. 44, 139.

Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt, ibid. v. 8. E. 235. T. 62. N. 2. ib.

Beati pacifici, quoniam ipſi filii Dei vocabuntur, ibid. v. 9. T. 45, 85, 157.

Beati qui perſecutionem paſſi fuerint propter juſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, ibid. v. 10. E. 213. T. 51, 127.

Sic enim perſequuti ſunt prophetas, qui ante vos fuerunt patres eorum, ib. v. 12. E. 213.

Vos eſtis ſal terræ. Si autem ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? ib. v. 13. T. 63, 75, 103, 160.

Luceat lumen veſtrum coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & clarificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt, ib. v. 16. E. 189. T. 53.

Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & ſic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: qui fecerit & ſic docuerit, maximus vocabitur in regno cœlorum, ib. v. 19. E. 277, bis. 329. T. 64, 155.

Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit judicio, ib. v. 21. T. 48.

Qui dixerit fratri ſuo: fatue, & qui dixerit Racha, reus erit in gehenna ignis, ib. v. 22. E. 260. T. 50.

Si obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque illic munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veni & offer munus tuum ad altare, ibid. v. 23. T. 46. N. 5. ib. 81, 106, 157.

Non exibis inde donec ſolvas noviſſimum quadrantem, ib. v. 26. E. 247. T. 59. N. 1. ib.

Dico vobis non jurare in totum. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non. ib. v. 34. E. 267. T. 50.

Non poteſt facere capillum unum album aut nigrum, ibid. v. 36. T. 72.

Omni poſcenti te da, & ab eo qui voluerit mutuari, ne adverſatus fueris, ibid. v. 42. T. 44.

Audiſtis quia dictum eſt: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, & orate pro eis qui vos perſequuntur, ut ſitis filii patris veſtri qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos, ib. v. 53. T. 57, 103, 146, 156.

Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna tua in abſcondito. Et pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi palam. Cum facis eleemoſynam, noli buccinare ante te, quomodo hypocritæ faciunt in vicis & ſynagogis, ut clarificentur ab hominibus. Amen dico vobis; compleverunt mercedem ſuam, cap 6. verſ. 2. T. 56. N. 4. ibid.

Sic orate: Pater noſter qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum, ib. v. 9. T. 100. N. 5. ib. 101.

Adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra, ib. v. 10. T. 52, 100, 102.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, ibid. verſ. 11. T. 100, 104.

Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris, ib. v. 12. T. 53, 100, 105.

Et ne nos patiaris induci in tentationem, ſed libera nos à malo, ib. v. 13. T. 100, 106. N. 2. ib.

Nolite vobis condere theſauros ſuper terram, ubi tinea & comeſtura exterminat, & ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, ubi neque tinea neque comeſtura exterminat, & ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim fuerit theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit, ib. v. 19. T. 44, 139.

Non poteſtis duobus dominis ſervire, ibid. verſ. 24. T. 95, 165.

Aſpicite volatilia cœli, quoniam non ſeminant, neque metunt, neque colligunt in horrea, & pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos pluris eſtis illis? ibid. verſ. 26. T. 48, 140.

Nolite cogitare, dicentes: Quid edemus, aut quid bibemus, aut quid veſtiemur. Hæc etiam nationes quærunt. Scit autem pater veſter, quia horum omnium indigetis. Quærite primo regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia apponentur vobis, ib. v. 31. T. 48, 105, 139.

Nolite cogitare in craſtinum; craſtinus enim dies ipſe cogitabit ſibi. Sufficit diei malitia ſua, ibid. verſ. 34. T. 48, 104.

In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, c. 7. v. 2. T. 105.

Ne dederitis ſanctum canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos: ne forte inculcent eas pedibus ſuis, & converſi elidant vos. ib. v. 6. E. 214. T. 57, 129.

Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ejus panem, lapidem porrigat illi; aut ſi piſcem poſtulaverit, ſerpentem illi porrigat? Si ergo vos cum ſitis nequam, ſcitis bona data dare filiis veſtris; quanto magis pater veſter cœleſtis dabit bona petentibus ſe? ib. v. 9. E. 248.

Quæcunque volueritis ut faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis. Hæc eſt enim Lex & Prophetæ, ib. v. 12. T. 107. N. 1. ib.

Quam lata & ſpatioſa via eſt quæ ducit ad interitum, & multi ſunt qui intrant per eum! Quam arcta & anguſta eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui eam inveniunt, ib. v. 14. E. 175. T. 47. N. 4. ib. 73.

Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum, &c. ibid. verſ. 21. E. 311. T. 52.

Multi

Multi mihi dicent in illo die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia exclusimus, & in tuo nomine virtutes magnas fecimus? Et tunc dicam illis: Nunquam vos novi, recedite à me omnes qui operamini iniquitatem, ibid. verſ. 22. T. 53, 82.

Qui audit verba mea, & facit ea, ſimilabo eum viro ſapienti qui ædificavit domum ſuam ſuper petram. Deſcendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim fuit ſuper petram. Et omnis qui audit verba mea, & non facit ea, ſimilabo eum viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam. Deſcendit pluvia, venerunt flumina, & impegerunt in domum illam, & cecidit, & facta eſt ruina ejus magna, ib. v. 24. E. 241. T. 64, 75.

Vade, & monſtra te ſacerdoti, & offer donum, cap. 8. v. 4. E. 172, 260.

Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham & Iſaac & Jacob in regno cœlorum; filii autem regni expellentur in tenebras exteriores, illic erit ploratio & ſtridor dentium, ib. v. 11. E. 171. T. 22, 102, 114.

Vulpes foveas habent, & volucres cœli diverſoria; filius autem hominis non habet ubi caput ſuum inclinet, ib. verſ. 20. T. 49.

Sine mortuos ſepelire mortuos ſuos, ibid. verſ. 22. T. 101.

Quid nobis & tibi fili David? Veniſti ante tempus punire nos? ib. v. 29. T. 36.

Non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus, cap. 9. v. 12. E. 246. N. 3. ib. 293.

In viam nationum ne ieritis, & in civitatem Samaritanorum ne introieritis, ib. v. 10. E. 296.

Gratis accepiſtis, gratis date, c. 10. v. 8. T. 64.

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, ib. v. 16. T. 63, 75, 153.

Ante reges & poteſtates ſtabitis, ib. v. 8. E. 213.

Cum autem tradiderint vos, nolite cogitare quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis, ib. v. 19. E. 183, 253, 257, 329. T. 51, 123.

Et tradet frater fratrem ad mortem, & pater filium, ibid. v. 21. E. 213.

Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit, ibid. v. 22. E. 188, 191, 213. T. 68, 84, 122, 148.

Cum perſequentur vos in civitate iſta, fugite ad aliam, ib. v. 23. E. 199.

Si patrem-familias Beelzebub dixerint, quanto magis domeſticos ejus? ib. v. 25. T. 62.

Ne timueritis eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Magis autem metuite eum, qui poteſt animam & corpus occidere in gehennam, ibid. verſ. 28. E. 177, 257. T. 51, 121.

Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & neuter eorum cadit in terram ſine patris voluntate? ib. v. 29. E. 261, 284.

Inimici hominis domeſtici ejus, ib. v. 30. E. 259.

Quicunque in me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego illum confitebor coram patre meo qui in cœlis eſt; qui autem negaverit me coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo qui in cœlis eſt, & coram angelis ejus, ibid. v. 33. E. 188, 195, 212, 256, 264. T. 51, 121.

Qui amat patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus; & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus; & qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt meus diſcipulus, ib. v. 37. E. 213. T. 52. N. 1. ibid. 121, 141.

Qui potaverit unum ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, in nomine diſcipuli; amen dico vobis, non peribit merces ejus, ib. v. 42. T. 44.

Inter prophetas non ſurrexit major Joanne Baptiſta, c. 11. v. 12. E. 213.

Omnes Prophetæ & lex uſque ad Joannem prophetaverunt, ib. v. 13. T. 18.

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos requieſcere faciam. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum bonum eſt, & ſarcina mea levis, ib. v. 28. T. 19, 65.

Arundinem quaſſatam non confringet, &c. c. 12. v. 19. T. 30.

Ejicit dæmonia per Beelzebub, cap. 12. verſ. 24. T. 11, 154.

Qui non eſt mecum, adverſus me eſt, & qui mecum non colligit, ſpargit, ib. v. 30. T. 67, 78. N. 1. ib. 79, 162.

Quicunque dixerit verbum adverſus filium hominis, remittetur illi; qui autem dixerit adverſus Spiritum ſanctum, non remittetur illi, neque in hoc ſeculo, neque in futuro, ib. v. 31. E. 195. T. 53.

Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis nequam? De abundantia enim cordis os emittit. Bonus homo de bono theſauro emittit bona, & nequam homo de nequam theſauro emittit nequam, ib. v. 34. E. 260.

Dico autem vobis, quia omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii. De ſermonibus enim tuis juſtificaberis, & de ſermonibus tuis condemnaberis, ib. v. 37. E. 205. T. 50.

Progenies nequam & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur illi, niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Quomodo enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus, c. 16. v. 4. T. 35.

Et dabunt fructus, aliud centenarium, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum, c. 13. v. 8. E. 298. T. 73. N. 1. ib.

Multi prophetæ & juſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis, & non audierunt, ib. v. 17. T. 35.

Parabola de zizaniis, ib. v. 25. E. 240.

Simile eſt regnum cœlorum homini negotianti, quærenti bonas margaritas: ubi autem invenit pretioſam margaritam, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit illam, verſ. 45. T. 44, 139.

Modicæ fidei, quare dubitaſti? c. 14. v. 31. T. 56.

Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur, cap. 15. v. 4. E. 312.

Omnis plantatio quam non plantavit pater meus cœleſtis, eradicabitur, ib. v. 13. E. 233, 262, 311.

Cæci ſunt duces cæcorum; cæcus autem cæcum ducens, ſimul in foveam cadent, cap. 15. verſ. 14. E. 229. T. 83, 161.

Ego tibi dico Petre, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quæ ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis; & quæcunque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis, c. 16. v. 18. E. 216. N. 1. ib. 229, 252, 324. T. 76. N. 1. ib. 77.

Hic eſt filius meus dilectiſſimus, &c. ibid. v. 20. E. 93, 155.

Si autem & Eccleſiam contemſerit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus, c. 18. v. 17. E. 269, 294.

Dico autem vobis, quoniam ſi duo ex vobis convenerint in terra de omni re quamcunque petieritis; continget vobis à Patre meo, qui in cœlis eſt. Ubicunque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis ſum, v. 19. E. 186. T. 45, 81.

Donavi tibi omne debitum, quia rogaſti me, ibid. verſ. 32. E. 212. T. 105.

Servus qui poſt dimiſſum ſibi debitum, conſervo noluit dimittere, in carcere relegatur, ib. v. 34. T. 105.

Non omnes capiunt verbum, ſed illi quibus datum eſt. Sunt enim ſpadones qui ex utero matris ſic nati ſunt, & ſunt ſpadones qui coacti ſunt ab hominibus, & ſunt ſpadones qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat, cap. 19. verſ. 12. E. 175. T. 54, 68. N. 6. ib. 74.

Si vis ad vitam venire, ſerva mandata, &c. ibid. v. 17. T. 44, 75.

Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia tua, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me, ib. v. 21. T. 90, 105, 139.

Et acceperunt ſingulos denarios, c. 20. v. 9. E. 298.

Deus non eſt mortuorum, ſed vivorum, ibid. verſ. 32. E. 216.

Dicite filiæ Sion: Ecce rex tuus venit, &c. cap. 21. v. 5. T. 36.

Deus ad convivium vocat, c. 22. v. 12. E. 212.

Dixit Dominus Domino meo: Sede ad dexteram meam, &c. ib. v. 44. T. 35.

Diliges proximum tuum tanquam te, ib. v. 39. T. 120. E. 190.

Diligunt primum recumbendi locum in cœnis, & primam ſeſſionem in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem ne vocaveritis Rabbi; unus eſt enim vobis magiſter, cap. 23. verſ. 6. T. 47. N. 1. ibid.

Nolite vocare vobis patrem in terra, ibid. verſ. 9. T. 101, 125.

Væ vobis Scribæ & Phariſæi, quia ædificatis monumenta Prophetarum, ib. v. 13. E. 36.

Hieruſalem Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas miſſos ad te; quoties volui colligere filios tuos ſicut gal-

lina pullos ſub alas ſuas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta, ib. v. 37. T. 18.

Non relinquetur in templo lapis ſuper lapidem qui non diſſolvatur, c. 24. v. 2. T. 19.

Cavete ne quis vos fallat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos fallent. Incipietis autem audire bella, & auditus bellorum: videte, nolite tumultuari, oportet enim hæc fieri, ſed nondum eſt finis. Exſurget enim gens ſuper gentes, & regnum ſuper regnum: erunt fames & terræ motus, & peſtilentiæ per ſingula loca. Omnia autem iſta initia parturitionum ſunt. Tunc tradent vos in preſſuram, & interficient vos; & eritis odibiles omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc ſcandalizabuntur multi, & invicem tradent & odient invicem. Et multi pſeudo-prophetæ exſurgent, & ſeducent multos: & eo quod facinus abundet, refrigeſcet caritas multorum. Qui autem toleraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Et prædicabitur Evangelium iſtud regni per totum orbem terræ in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Cum ergo videritis abominationem vaſtationis, quæ dicta eſt per Danielem Prophetam, ſtantem in loco ſancto (qui legit intelligat) tunc qui in Judæa ſunt fugiant in montes, & qui in tecto eſt, non deſcendat tollere quicquam de domo, & qui in agro eſt, non convertatur retro auferre veſtimentum ſuum. Væ autem prægnantibus ac nutrientibus in illis diebus. Orate autem ne fiat fuga veſtra hieme, neque ſabbato. Erit enim tunc preſſura magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque nunc, ſed neque fiet: & niſi breviati eſſent dies illi, non eſſet ſalva omnis caro; propter electos autem breviabuntur illi dies. Tunc ſi quis dixerit vobis: Ecce hic eſt Chriſtus, aut ecce illic, nolite credere: Surgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia & errorem faciendum, ſi fieri poteſt, etiam electis. Vos autem cavete, ecce prædixi vobis omnia. Si ergo dixerint vobis: Ecce in ſolitudine eſt, nolite exire; ecce in cubiculis, nolite credere. Sicut enim coruſcatio exit ab Oriente, & apparet uſque ad Occidentem, ita erit & adventus filii hominis. Ubi fuerit cadaver, illic colligentur aquilæ. Continuo autem poſt preſſuram dierum illorum ſol tenebreſcet, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum movebuntur. Et tunc apparebit ſignum filii hominis de cœlo, & lamentabuntur omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna & claritate: Et mittet angelos ſuos cum tuba magna. Et colligent electos ejus à quatuor ventis, à ſummis cœlorum uſque ad ſummitates eorum, ibid. verſ. 4. E. 311. T. 124.

Vigilate, ibid. v. 42. T. 153.

Cum venerit filius hominis in claritate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit in throno claritatis ſuæ, & colligentur ante eum omnes gentes, & ſegregabit illos ab invicem, quemadmodum paſtor ſegregat oves ab hœdis, & ſtatuet oves ad dexteram ſuam, hœdos autem ad ſiniſtram. Tunc dicet Rex eis qui ad dextram ejus erunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & potaſtis me: hoſpes fui, & adduxiſtis me: nudus, & texiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere fui, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei juſti, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus? ſitientem, & potavimus? quando autem te vidimus hoſpitem, & adduximus? nudum, & veſtivimus? quando autem te vidimus infirmum & in carcere, & venimus ad te? Et reſpondens Rex dicet eis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni horum ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc dicet & illis qui ad ſiniſtram ejus erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, quem paravit pater meus diabolo & angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitivi, & non potaſtis me: hoſpes fui, & non adduxiſtis me: nudus, & non veſtiſtis me: infirmus & in carcere, & non viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt & ipſi, dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi? Et reſpondebit illis: Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis uni ex minimis his, neque mihi feciſtis. Et abibunt iſti in ambuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam, cap. 25. v. 31. T. 37, 44, 65, 141, 143. N. 3. ib. 156.

Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? c. 26. v. 7. T. 146.

Calicem ſub die paſſionis accipiens, benedixit, & dedit diſcipulis ſuis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Dico vobis, non bibam à modo ex iſta creatura vitis, uſque in diem illum quo vobiſcum bibam novum vinum in regno Patris mei, ibid. verſ. 26. E. 278. N. 4. & 5. ib.

Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte; veruntamen non quod ego volo, ſed quod tu, cap. 26. verſ. 39. T. 52, 103.

Judas pœnitentia ductus, ſacerdotibus & ſenioribus dixit: Peccavi tradens ſanguinem juſtum, c. 27. v. 3. T. 30.

Expuentes in eum, &c. ib. v. 30. T. 30.

Chriſtus coronatus eſt ſpinis, &c. ib. v. 29. T. 147.

A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram uſque ad horam nonam, ib. v. 45. T. 35, 108.

Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, cap. 28. v. 18. E. 207, 278, bis. T. 35, 160, 162, 163.

Ite ergo & docete omnes gentes, tinguentes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos obſervare omnia quæcunque præcepi vobis, ibid. v. 19. E. 207, 208, 307, 311, 315. T. 160, 162, 163.

Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi, ib. v. 20. E. 177.

EX MARCO.

ITe in nomine meo, manum imponite, dæmonia expellite, c. 3. v. 15. T. 163.

Omnia peccata remittentur filiis hominum, & blaſphemiæ; qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, non remittetur illi, ſed reus erit æterni peccati, ibid. verſ. 28. E. 195. T. 54.

In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis, v. 24. T. 53.

Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem veſtram ſtatuatis, c. 7. v. 9. E. 229, 277, bis. 288, 316. T. 84, 99.

Qui me confuſus fuerit, confundetur eum filius hominis, c. 8. v. 38. E. 277, bis. T. 95.

Omnia poſſibilia credenti, c. 9. v. 24. T. 56.

Nemo eſt qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut ſorores, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat ſepties tantum in iſto tempore, in ſeculo autem venturo vitam æternam, cap. 10. verſ. 29. T. 91.

Omnia quæcunque oratis & petitis, credite quia accipietis, & erunt vobis, c. 11. v. 24. T. 56.

Et cum ſteteritis ad orationem, remittite ſi quid habetis adverſus aliquem; ut & pater veſter qui in cœlis eſt, remittat vobis peccata veſtra: ſi autem vos non dimiſeritis; neque pater veſter qui in cœlis eſt, dimittet vobis, ib. v. 25. T. 53, 81, 105.

Audi Iſraël, Dominus Deus tuus Deus eſt. Et diliges Dominum Deum tuum, &c. ſicut ſupra, ibid. v. 29. T. 82, 107, 120.

Multi venient in nomine meo, dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos fallent. Vos autem cavete, ecce prædixi vobis omnia, ib. v. 6. E. 322. T. 82.

Vigilate & orate, ne veniatis in tentationem. Spiritus quidem promtus eſt, caro autem infirma, cap. 14. verſ. 28. T. 106.

Poſt triduum aliud excitabitur ſine manibus, ib. verſ. 58. T. 19.

Diſcipuli per orbem diffuſi, c. 16. v. 23. T. 11.

EX LUCA.

REplebitur Spiritu ſancto adhuc in utero matris ſuæ, c. 1. v. 15. E. 297.

Ne timeas Maria; inveniſti enim gratiam ante Deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus thronum David patris ſui, & regnabit ſuper domum Jacob in ſecula, & regni ejus non erit finis, ib. v. 30. T. 29.

Et reſpondens angelus dixit ad eum: Spiritus ſanctus veniet ſuper te, & virtus altiſſimi obumbrabit te. Quapropter qui naſcetur ex te ſanctus, vocabitur filius Dei, ib. verſ. 35. T. 29.

Et factum eſt ut audivit ſalutationem Elizabet, exultavit infans in utero ejus: & impleta eſt Spiritu ſancto, & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi contingit ut veniat mater Domini mei ad me? ib. verſ. 41. T. 28.

Et Zacharias impletus eſt Spiritu ſancto, & prophetavit, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui proſpexit redemtio-

demtionem populo ſuo, & excitavit nobis cornu ſalutis in domo David pueri ſui, ib. v. 67. T. 28.

Ne timueritis. Ecce enim adnuncio vobis quoniam natus eſt vobis hodie ſalvator qui eſt Jeſus Chriſtus in civitate David, c. 2. v. 10. T. 28.

Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, c. 2. v. 29. T. 59, 111.

Non recedebat de templo, jejuniis & orationibus ſerviens nocte ac die, ib. v. 37. T. 109.

Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant, c. 4. v. 10. T.

Ipſe autem fuit ſecedens in ſolitudinem, & adorans, c. 5. v. 16. T. 107.

Quid cogitatis nequam in cordibus veſtris? ibid. verſ. 22. T. 100.

Exiit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei, c. 6. v. 12. E. 186. T. 107.

Beati eritis cum vos oderint homines & ſeparaverint vos & expulerint, & maledixerint nomini veſtro quaſi nequam propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate; ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlis, ib. v. 22. E. 256. T. 51, 91, 127.

Si diligitis qui vos diligunt, quæ eſt vobis gratia? ibid. v. 32. T. 57.

Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſertus eſt veſtri, ib. v. 36. E. 246.

Nolite judicare, ne judicemini: nolite condemnare, ne condemnemini, ib. v. 37. T. 53.

Cui plus dimittitur, plus diligit: & cui minus dimittitur, modicum diligit, c. 7. v. 47. T. 65.

Cui multum datur, multum quæretur ab eo, cap. 8. v. 18. T. 84.

Qui perdiderit animam ſuam propter me, hic ſalvabit illam, c. 9. v. 24. T. 127.

Quid prodeſt homini lucrifacere totum mundum, ſeipſum autem perdere? ib. v. 25. T. 60.

Qui minimus fuerit in vobis, hic erit magnus, ib. v. 48. E. 190. T. 47, 155.

Filius hominis non venit animas hominum perdere, ſed ſalvare, ib. v. 56. E. 280.

Nemo enim retro attendens, & ſuperponens manum ſuam ſuper aratrum, aptus eſt regno Dei, ibid. verſ. 62. E. 187. T. 48, 122.

Qui vos audit, me audit; & qui me audit, audit eum qui me miſit: & qui rejicit vos, me rejicit; & qui me rejicit, rejicit eum qui me miſit, cap. 10. verſ. 16. E. 260, 285.

Sacerdotes & Levites præterierunt, ib. v. 31. E. 247.

Duxit illum in ſtabulum, ib. v. 34. E. 293.

Quærenti dabitur, & pulſanti aperietur, cap. 11. verſ. 10. E. 185.

Qui non eſt mecum, adverſum me eſt, & qui non colligit mecum, ſpargit. ib. verſ. 23. E. 294. N. 3. ibid. 302, 324.

Qui fecit quod intus eſt, fecit & quod foris eſt, ib. v. 40. T. 45.

Veruntamen date eleemoſynam, & ecce vobis munda ſunt omnia, ib. v. 41. T. 137.

Qui confeſſus me fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram Patre, qui in cœlis eſt, cap. 12. verſ. 8. T. 93.

Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego coram patre meo, & coram Angelis ejus. ib. v. 9. E. 212.

Dixit autem illi Dominus: Stulte, hac nocte expoſtulatur anima tua: quæ ergo paraſti, cujus erunt? ib. verſ. 20. T. 60, 105.

Res veſtras vendite, & date eleemoſynam, ib. verſ. 33. T. 45, 139.

Sint lumbi veſtri accincti, & lucernæ ardentes, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum, quando veniat à nuptiis: ut cum venerit & pulſaverit, aperiant ei: Beati ſervi illi, quos adveniens Dominus invenerit vigilantes, ib. v. 35. T. 33, 48, 86, 122.

Ille autem ſervus, qui cognoſcit voluntatem Domini ſui, & non paraverit voluntati ejus, vapulabit multis, ib. verſ. 47. E. 185. T. 52.

Habeo alio baptiſmate baptizari, ib. v. 50. E. 312.

Qui ſeſe extollit, humiliabitur; & qui ſe humiliaverit, exaltabitur, c. 14. v. 11. T. 47, 84.

Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres, neque vicinos, neque divites, ne forte & illi reinvitent te, & fiat tibi retributio. Sed cum facis epulum, voca pauperes, debiles, cæcos, & claudos & beatus eris; quoniam non habent retribuere tibi, retribuetur autem tibi in reſurrectione juſtorum, ibid. verſ. 12. T. 45. N. 2. ib.

Præmium in reſurrectione juſtis promiſſum, ib. verſ. 14. E. 256.

Qui non renunciat omnibus quæ ſunt ejus, non poteſt meus eſſe diſcipulus, ibid. v. 33. T. 49, 104, 122.

Dico vobis: Sic erit majus gaudium in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, quibus non eſt opus pœnitentia, cap. 15. v. 7. E. 237, 319.

Parabola filii prodigi, ib. E. 319.

Filii hujus ſeculi prudentiores ſunt filiis lucis in ſeculo iſto, c. 16. v. 8. E. 311.

Si in injuſto mammona fideles non fuiſtis; quod verum eſt quis credet vobis? Et ſi in alieno fideles non fuiſtis; quod eſt veſtrum quis dabit vobis? ib. v. 11. T. 139.

Audiebant hæc omnia Phariſæi, qui erant cupidiſſimi, & irridebant eum, v. 14. T. 140.

Mitte Lazarum ut refrigeret linguam meam, ib. verſ. 23. E. 260. N. 2. ib.

Commemorare quoniam percepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nunc vero hic rogatur, tu autem doles, ib. v. 23. E. 120. T. 60. N. 3. ib.

Quis veſtrum habens ſervum arantem, aut paſtorem, & venienti de agro dicit continuo, tranſi, recumbe? Sed dicit illi: Para aliquid ut cœnem, & accingere, & miniſtra mihi, donec manducem & bibam, & poſtea tu manducabis & bibes. Nunquid habet gratiam ſervo illi, quia fecit quæ ei imperata ſunt? Sic itaque & vos cum perfeceritis quæ vobis imperata ſunt, dicite: Servi ſupervacui ſumus, quod habuimus facere, fecimus, c. 17. v. 7. E. 216. T. 57. 58. N. 1. ib.

Sicut fulgur reſplendet de Oriente uſque ad Occidentem, ita erit adventus filii hominis, ib. v. 14. T. 124.

Regnum Dei intra vos eſt, ib. v. 21. T. 58. N. 2. ib.

Et qui in agro eſt, non convertatur retro. Memores eſtote uxoris Loth, ib. v. 31. T. 122.

Quidam qui nec hominem cogitant, nec Deum timent, c. 18. v. 2. E. 196. N. 5. ib.

Putas cum venerit filius hominis, inveniet fidem in terra? ib. v. 8. T. 86. E. 290. 317.

Homines duo aſcenderunt in templum adorare: unus Phariſæus, & unus Publicanus. Phariſæus cum ſtetiſſet, talia apud ſe precabatur: Deus, gratias tibi ago, quia non ſum ſicut ceteri homines, injuſti, raptores, adulteri, quomodo & Publicanus iſte. Jejuno bis in ſabbato, decimas do omnium quæcunque poſſideo. Publicanus autem de longinquo ſtabat, & neque oculos ad cœlum volebat levare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam, magis quam ille Phariſæus, ib. v. 10. T. 100.

Quia omnis qui ſe extollit, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur, ib. v. 14. T. 47.

Amen dico vobis, nemo eſt qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum, & non recipiat ſepties in iſto tempore, in ſeculo autem venturo vitam æternam, &c. ibid. verſ. 19. E. 256. T. 51, 127.

Ecce dimidium ex ſubſtantia mea do egenis, & ſi cui quid fraudavi, quadruplum reddo. Dixit autem Jeſus; quia ſalus hodie domui huic facta eſt, quoniam & ipſe filius eſt Abrahæ, c. 19. v. 8. E. 277. T. 45, 139.

Servus qui in minimo fidelis fuit, conſtituetur ſuper decem civitates, ib. v. 17. E. 181.

Filii hujus ſeculi generant & generantur; qui autem habuerint dignationem ſeculi illius, & reſurrectionis à mortuis, non nubunt neque nubuntur. Neque enim incipient mori; æquales enim ſunt Angelis Dei, cum ſint filii reſurrectionis. Reſurgere autem mortuos Moyſes ſignificat cum dicit in rubo: Dominus Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob. Non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum, omnes enim illi vivunt, c. 20. v. 34. T. 54. N. 5. ib. 73.

Amen dico vobis, quoniam vidua iſta plus omnibus miſit in dona Dei. Omnes enim iſti de eo quod abundavit illis, miſerunt in dona Dei; hæc autem de inopia ſua omnem quemcunque habuit victum miſit, c. 21. v. 3. T. 141.

Ponite in cordibus veſtris non præmeditari excuſare: Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere adverſarii veſtri, ib. v. 14. E. 329. T. 123. N. 7. ib.

Et eritis odibiles omnibus hominibus propter nomen meum, ib. v. 17. T. 54.

Cum autem videritis hæc omnia fieri, ſcitote, quoniam in proximo eſt regnum Dei, ib. v. 31. T. 110.

Dixit Dominus ad Petrum: Ecce Satanas poſtulavit ut vexaret vos quomodo triticum; ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua, c. 22. v. 31. E. 186. N. 7. ib. T. 107.

Erat

INDEX

Erat autem hora quaſi ſexta, c. 23. v. 44. T.

Hodie mecum eris in paradiſo, c. 23. v. 43. E. 312.

Iſti ſunt ſermones quos locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum, quia oportet adimpleri omnia ſcripta in lege Moyſi, & Prophetis & Pſalmis de me. Tunc adaperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas, & dixit illis : Quia ſic ſcriptum eſt; & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſam peccatorum uſque in omnes gentes, c. 24. verſ. 44. T. 17.

EX JOANNE.

IN principio erat ſermo, & ſermo erat apud Deum, & Deus erat ſermo. Hic erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In illo vita erat, & vita erat lux hominum, & lux lucet in tenebris, & tenebræ illam non comprehenderunt, c. 1. v. 1. T. 25, 27.

Fuit lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In hoc mundo fuit, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit, ibid. v. 9. T. 18.

In ſua propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt, dedit eis poteſtatem ut filii Dei fierent, qui credunt in nomine ejus, ibid. verſ. 11. T. 17, 101.

Ego quidem baptizo in aqua, in medio autem veſtrum ſtat, quem vos neſcitis, ipſe eſt enim de quo dixi: Poſt me veniens homo ante me factus eſt, cujus non ſum dignus corrigiam calceamenti ſolvere, ib. v. 26. T. 33.

Ecce agnus Dei, qui aufert peccata mundi, ib. verſ. 29. T. 31.

Aqua vinum facta, c. 2. v. 9. E. 279.

Domum patris mei, domum feciſtis negotiationis, ibid. v. 16. T. 64.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei, cap. 3. verſ. 5. E. 305, 312. T. 19, 53, 159.

Oportet vos naſci denuo, ib. v. 7. T. 2.

Quod natum eſt de carne caro eſt, & quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt, ib. v. 6. T. 159.

Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in eremo; ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui crediderit in filium, habeat vitam æternam, ib. v. 14. T. 34.

Qui non crediderit, jam judicatus eſt, quia non credidit in nomine unici filii Dei. Hoc autem eſt judicium, quoniam lux venit in ſeculum, & magis dilexerunt tenebras quam lucem, ib. v. 18. T. 18, 54.

Vos mihi teſtes eſtis, quoniam dixi eis qui miſſi ſunt ab Hieroſolymis ad me, quia non ſum Chriſtus, ſed quoniam miſſus ſum ante illum. Qui enim habet ſponſam, ſponſus eſt: Amicus autem ſponſi eſt, qui ſtat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi, ib. v. 28. T. 33.

Nemo poteſt quicquam accipere, niſi datum fuerit illi de cœlo, ib. v. 27. T. 46, 165.

Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Qui dicto non audiens eſt in Filium, non habet vitam : ſed ira Dei manebit ſuper eum, ib. v. 36. T. 35.

Omnis qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum : qui autem biberit ex aqua quam dedero, non ſitiet in æternum, cap. 4. v. 13. E. 278.

Oportet adorare patrem in ſpiritu & veritate, ib. verſ. 24. T. 99.

Ego cibum habeo, quem vos non noſtis. Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus qui me miſit, & perficiam opus ejus, ib. v. 33. T. 60.

Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne quid deterius tibi fiat, c. 5. v. 14. E. 189, 249. T. 53, 68, 102, 137.

Nihil Pater judicat, ſed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, ſicut honorificant Patrem, &c. ib. v. 22. T. 36, 55.

Si teſtimonium dixero de me, teſtimonium meum non eſt verum; alius eſt enim qui teſtis eſt de me, ib. v. 31. E. 284. N. 6. & 7. ib.

Scrutamini ſcripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere, &c. ib. v. 39. T. 20.

Ego veni in nomine patris mei, & non recepiſtis me: cum alius venerit in ſuo nomine, ipſum recipietis, ibid. verſ. 43. T. 26.

Si enim credidiſſetis Moyſi, crederetis & mihi. De me enim ille ſcripſit. Si autem illius ſcripturis non creditis, quomodo verbis meis credetis? ib. v. 45. T. 20.

Durus ſermo, c. 6. v. 60. T. 2.

Ego ſum panis vitæ, qui venerit ad me, non eſuriet : & qui in me crediderit, non ſitiet umquam, cap. 7. verſ. 35. T. 22.

Non deſcendi de cœlo, ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me, ibid. v. 38. T. 52, 69, 103.

Ego ſum panis vitæ qui de cœlo deſcendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in æternum. Panis autem quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita, cap. 6. verſ. 51. T. 104.

Niſi ederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, ibid. v. 53. T. 22, 53, 104.

Nemo poteſt venire ad me, niſi datum illi fuerit à patre, ib. v. 65. E. 311.

Dixit Jeſus ad Apoſtolos : Numquid & vos vultis abire ? Reſpondit Petrus : Domine ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes; & nos credimus & cognovimus, quoniam tu es filius Dei vivi, ib. v. 67. E. 262, 286.

Si quis ſitit, veniat & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit ſcriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, c. 7. v. 37. E. 278. T. 22.

Ego ſum lumen ſeculi, qui me ſecutus fuerit, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, c. 8. v. 12. E. 278. T. 27, 155.

Si enim non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccatis veſtris, c. 8. v. 24. T. 17.

Si permanſeritis in verbo meo, vere diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos, ib. v. 31. T. 122, 148.

Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati, ibid. v. 34. T. 101.

Vos de patre diabolo nati eſtis, & concupiſcentias patris veſtri facere vultis. Ille enim homicida fuit ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in illo, ibid. v. 44. T. 101.

Sputo cæci oculos Chriſtus formavit, c. 9. v. 6. T. 147. N. 1. ib.

Deus peccatorem non audit, ſed ſi qui Deum coluerit, & voluntatem ejus fecerit, illum audit, ib. v. 31. E. 282, 288, 301. T. 165.

Ego ſum oſtium; per me ſi quis introierit, ſalvabitur, ib. v. 10. T. 35, 53.

Ego ſum paſtor bonus, qui pono animam meam pro ovibus meis; mercenarius autem & cujus non ſunt oves propriæ, cum viderit lupum venientem, relinquens effugit, & lupus diſpergit oves, c. 10. v. 11. E. 180.

Et erit unus grex & unus paſtor, ibid. verſ. 16. E. 295. T. 79.

Nemo aufert animam meam à me, ſed ego à me pono eam : Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Hoc enim mandatum accepi à Patre meo, ib. v. 18. T. 35.

Ego & pater unum ſumus, ib. v. 30. E. 295. T. 78.

Nonne ſcriptum eſt in lege quoniam ego dixi, dii eſtis? Si illos dixit deos ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi ſcriptura: quem Pater ſanctificavit & miſit in ſeculum, vos dicitis : quoniam blaſphemas quia dixi filius Dei ſum ? Quod ſi non facio facta Patris, nolite mihi credere; quod ſi facio, & mihi non vultis credere; factis credite, & cognoſcite, quoniam in me eſt Pater, & ego in illo, ibid. v. 34. T. 27.

Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit in me, licet moriatur, vivet; & omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum, c. 11. v. 25. T. 115.

Qui amat animam ſuam, perdet illam, & qui odit animam ſuam in iſto ſeculo, in vitam æternam conſervabit illam, cap. 12. v. 25. E. 177, 257. T. 51, 121.

Dominus dignatus eſt lavare pedes diſcipuli ejus, c. 13. v. 5. T. 146.

Niſi lavero te, non habebis partem mecum, ib. verſ. 8. E.

Si ego lavi pedes veſtros magiſter & Dominus, & vos debetis aliorum pedes lavare, &c. ibid. verſ. 14. E. 191. T. 56.

Quis credidit auditui noſtro, &c. ib. v. 38. T. 25, 29.

Non eſt ſervus major Domino ſuo, neque Apoſtolus major eo qui ſe miſit. Hæc ſcientes eritis beati, ſi ea feceritis, ibid. v. 16. E. 190, 240, 257. T. 47.

Quod facis, fac celerius, ib. v. 27. T. 62.

In domo Patris mei habitationes multæ ſunt, cap. 14. v. 4. T. 73.

Ego ſum via, veritas, & vita : nemo venit ad Patrem niſi per me, ib. v. 6. E. 311, 317. T. 35, 53, 99.

Pacem vobis remitto, pacem meam do vobis, ibid. v. 27. T. 45, 85.

Si

Si me dilexiſſetis, gauderetis; quoniam vado ad Patrem, quia Pater major me eſt, ib. v. 28. T. 59. 111.

Pater major me eſt, v. 28. E. 311.

Ego ſum vitis vera, c. 15. v. 1. E. 276.

Hoc eſt mandatum meum ut diligatis invicem, quemadmodum dilexi vos &c. ib. v. 12. E. 186. T. 45 82.

Si feceritis quæ mando vobis, jam non dicam vos ſervos, ſed amicos, ib. v. 14. E. 277. bis. T. 75.

Si ſeculum vos odit, mementote quoniam me priorem vobis odit, &c. ib. v. 18. T. 54 124. N. 1. ib.

Veniet hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur ſe obſequium Deo facere. Sed & hoc facient, quoniam non cognoverunt Patrem, neque me, &c. cap. 16. v. 2. E. 255. T. 51, 124.

Amen amen dico vobis, quoniam vos plorabitis & plangetis, ſeculum autem gaudebit: vos triſtes eritis, ſed triſtitia veſtra in gaudium veniet, ibid. verſ. 20. T. 111, 124.

Quodcunque petierimus à Patre in nomine ejus, dabit nobis, ib. v. 23. T. 99. 139.

Petite & accipietis, ib. E. 186.

Hæc locutus ſum vobis ut in me pacem habeatis, in ſeculo autem preſſuram habebitis: ſed fidite, quoniam ego vici mundum, ib. v. 33. T. 47, 124 148.

Hæc autem eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, c. 17. v. 3. E. 311. T. 24. 107 120, 135.

Ego te clarificavi in terra, opus perfeci quod dediſti mihi ut faciam, &c. ib. v. 4. E. 311.

Non pro his autem rogo ſolis ſed & pro illis qui crediturí ſunt per verbum ipſorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, ib. v. 20. T. 107.

Pater, quos dediſti mihi volo ut ubi ego fuero, & ipſi ſint mecum, & videant claritatem meam quam mihi dediſti ante conſtitutionem mundi, ib. v. 24. T. 59, 115.

Si male locutus ſum, exprobra de malo: ſi autem bene, quid me cædis? c. 18. v. 23. E. 173, 285.

Regnum meum non eſt de iſto ſeculo; ſi de iſto ſeculo eſſet regnum meum, miniſtri mei turbarentur ne traderer Judæis: nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit Pilatus: Ergo rex es tu? Reſpondit Jeſus: tu dicis quoniam Rex ſum; Ego in hoc natus ſum; Ego in hoc veni in ſeculum, ut teſtimonium perhibeam veritati. Omnis qui eſt de veritate, audit vocem meam, ibid. verſ. 36. T. 37. N. 2. ib.

Nullam haberes poteſtatem adverſus me, niſi data eſſet tibi deſuper, c. 19. v. 11. T. 62, 106.

De tunica autem, quia de ſuperiore parte non conſutilis, ſed per totum textilis erat, dixerunt ad invicem: Non ſcindamus illam, ſed ſortiamur de ea cujus ſit, ibid. verſ. 25. T. 79.

Sicut me miſit pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixiſſet, inſpiravit, & ait illis: Accipite Spiritum ſanctum. Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cujus tenueritis, tenebuntur, c. 21. v. 16. E. 297, 308, 324. T. 77.

Dixit Simoni Jeſus: Diligis me? Reſpondit, Diligo. Ait illi: Paſce oves meas, ib. v. 17. E. 180. T. 77, 155.

Dixit Dominus ad Thomam: Injice huc digitum tuum, & vide manus meas, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit autem Thomas & dixit illi: Dominus meus & Deus meus. Dicit illi Jeſus, quia vidiſti me, credidiſti: felices qui non viderunt & crediderunt, ibid. verſ. 27. E. 223. T. 27.

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

NEmo poteſt cognoſcere tempus, aut tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, c. 1. v. 7. T. 63.

Jeſus in nube ſublatus eſt, ib. v. 9. T. 11.

Et erant perſeverantes omnes unanimes in oratione cum mulieribus, & Maria quæ fuit Mater Jeſu, & fratribus ejus, ib. v. 14. E. 288. T. 101.

Surrexit Petrus in medio diſcentium: fuit autem turba in uno, ib. v. 15. E. 288. N. 5. ib.

Et factus eſt ſubito de cœlo ſonus quaſi ferretur flatus vehemens, & implevit totum illum locum in quo erant ſedentes. Et viſæ ſunt illis linguæ diviſæ, quaſi ignis, qui & inſedit in unumquemque illorum; & impleti ſunt omnes Spiritu ſancto, c. 2. v. 2. T. 64.

Cum ſit hora diei tertia, ib. v. 17. T. 108.

Pœnitemini, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim eſt promiſſio, & filiis veſtris, & omnibus deinceps, quoſcunque advocaverit Dominus Deus noſter, ib. v. 38. E. 311.

Ad horam orationis nonam, ib. T. 108. N. 4. ib.

Argentum quidem & aurum non eſt mihi, quod autem habeo hoc tibi do. In nomine Jeſu Chriſti Nazareni, ſurge & ambula, & apprehenſa manu ejus dextera, excitavit eum, c. 3. v. 6. T. 60, 70.

Prophetam excitabo eis de fratribus eorum, &c. ib. v. 22. & c. 7. v. 27. T. 20.

Principes populi & Seniores Iſrael audite: Ecce nos hodie interrogamur à vobis ſuper benefacto hominis infirmi, in quo iſte ſalvatus eſt. Sit vobis omnibus notum, & omni populo Iſrael, quia in nomine Jeſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis, in illo iſte in conſpectu veſtro ſanus adſtat, in alio autem nullo. Hic eſt lapis qui contemtus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli. Non enim eſt nomen aliud ſub cœlo datum homini us, in quo oportet ſalvari vos, cap. 4. v. 8. T. 31. N. 3. ib.

Turba autem eorum qui crediderant, anima ac mente una agebant; nec fuit inter illos ullum diſcrimen, nec quicquam ſuum judicabant ex bonis quæ eis erant, ſed fuerunt illis omnia communia, ibid. verſ. 32. E. 186. T. 46, 85, 144. N. 2. ib.

Cur implevit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto? &c. c. 5. v. 3. T. 54.

Angelus adruit Apoſtolis cuſtodia clauſis, ib. v. 19. T. 81.

Et convocarunt illi duodecim totam plebem diſcipulorum, & dixerunt illis, &c. cap. 6. verſ. 2. E. 169, 289. N. 1. ibid.

Et elegerunt ſeptem Diaconos, ib. v. 2. E. 173.

Exi de terra & de cognatione tua, &c. cap. 7. verſ. 3. T. 21.

Cœlum mihi thronus, & terra ſuppedaneum pedum meorum, &c. ib. v. 49. T. 25.

Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum, ibid. verſ. 60. T. 149.

Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum, c. 8. v. 14. E. 308, 322.

Pecunia tua tecum ſit in perditione, quia exiſtimaſti gratiam Dei per pecuniam poſſideri, ib. v. 20. T. 64.

Ait Eunuchus: Ecce aqua, quid eſt quod me impedit baptizari? Tunc dixit Philippus: Si credis ex toto corde tuo, licet, ib. v. 36. T. 56.

Tabitha, exſurge in nomine Jeſu Chriſti, cap. 9. verſ. 36. T. 138.

Cornelius Centurio fuit faciens multas eleemoſynas in plebem & ſemper orans Deum. Huic circa horam nonam oranti aſtitit Angelus, teſtimonium reddens ſui operis & dicens: Corneli, orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt ad memoriam coram Deo, c. 10. v. 1. T. 108.

Petrus aſcendit in ſuperiora, ut oraret circa horam ſextam, ib. v. 9. T. 108.

Dominus dixit mihi neminem communem dicendum & immundum, ib. v. 28. E. 281.

Et juſſit eos baptizari, ib. v. 48. E. 305.

Filius meus es tu, ego hodie genui te, cap. 13. verſ. 33. T. 28.

Vobis primum oportuerat indicari verbum Dei: ſed quia repuliſtis illud, nec vos dignos æternæ vitæ judicaſtis; ecce convertimus nos ad gentes. Sic enim dixit per ſcripturas Dominus: Ecce lumen poſui te inter gentes, ita ut ſis in ſalvationem uſque ad fines terræ, ib. v. 46. T. 22.

Viſum eſt ſancto Spiritui & nobis, nullam vobis imponere ſarcinam, quam iſta quæ ex neceſſitate ſunt; abſtinere vos ab idololatris, & ſanguinis effuſione, & fornicatione. Et quæcunque vobis fieri non vultis, aliis ne feceritis, cap. 15. v. 8. T. 66.

Circa mediam autem noctem Paulus & Silas orantes gratias agebant Deo. Audiebant autem eos vincti, c. 16. v. 25. T. 50.

In quo ſumus, vivimus, & movemur, cap. 17. verſ. 28. T. 2.

Baptizati prius baptiſmo Joannis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu, c. 19. v. 5. E. 313. 322.

Beatus Paulus cum ei dictum eſſet, ſic inſilis in Sacerdotem Dei maledicendo: Neſciebam (inquit) fratres, quia Pontifex eſt. Scriptum eſt enim: Principem populi tui non maledices, cap. 23. verſ. 4. E. 172. N. 4. ib. 260, 285.

INDEX

EX PAULI EPISTOLA

AD ROMANOS.

FIdes veſtra prædicatur in univerſo mundo, cap. 1. v. 8. E. 209. N. 7. ib. 266.

Juſtus fide vivit: ib. v. 17. T. 110.

In viros viri proruunt, ib. v. 27. T. 5.

Et coluerunt & ſervierunt creaturæ, relicto creatore; propter quod & tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ, ib. v. 25. T. 48.

Suſurratores, detractores, abhorrentes Deo, injurioſi, ſuperbi, jactantes ſui, adinventores malorum. Qui cum juſtitiam Dei agnoviſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, morte ſunt digni; non tantum qui faciunt ea, ſed & qui conſentiunt eis qui hæc agunt, ib. v. 30. E. 291. N. 1. ib.

Quare ſine excuſatione es, ô homo, omnis qui judicas; in quo enim judicas alium, teipſum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas. Speras autem tu qui judicas eos qui mala agunt, & eadem facis, quia ipſe effugies judicium Dei, c. 2. v. 1. T. 53.

An nunquid opulentiam bonitatis ejus, & ſuſtinentiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam patientia & bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? &c. ibid. verſ. 4. T. 55, 146.

Quotquot ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt. Et quotquot in lege peccaverunt, per legem & judicabuntur, ib. v. 12. T. 64.

Non auditores legis juſti ſunt apud Deum; ſed factores legis juſtificabuntur, ib. v. 13. T. 64.

Nomen Dei blaſphematur, ib. v. 24. E. 189.

Quid enim ſi exciderunt quidam illorum à fide? Nunquid infidelitas illorum fidem Dei evacuavit? Abſit. Eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax, c. 3. v. 3. E. 262. T. 85. N. 1. ib. 164.

Faciamus mala, dum veniunt bona; quorum condemnatio juſta eſt, ib. v. 8. T. 64. N. 2. ib.

Omnes enim peccaverunt, & egent claritate Dei; juſtificabuntur autem dono ipſius, & gratia per redemtionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, ib. v. 23. T. 35.

Venenum aſpidum ſub labiis eorum, & os eorum maledictione & amaritudine plenum eſt. Veloces ad effundendum ſanguinem pedes eorum, contritio & calamitas in viis eorum. Qui viam pacis non cognoverunt, nec eſt timor Dei ante oculos eorum, ib. v. 13. T. 155.

Gloriamur in ſpe claritatis Dei; non ſolum autem, ſed gloriamur in preſſuris: ſcientes quoniam preſſura tolerantiam operatur, tolerantia autem probationem, probatio autem ſpem. Spes autem non confundit, quia dilectio Dei infuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis, cap. 5. verſ. 3. T. 47, 123.

Si cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt; multo magis nunc juſtificati in ſanguine illius, liberabimur per illum ab ira, ib. v. 8. E. 246.

Itaque fratres non ſecundum carnem vivamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, incipietis mori. Si autem Spiritu opera carnis mortificaveritis, vivetis. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt, c. 8. v. 12. T. 156.

Sumus filii Dei: Si autem filii; & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti. Si quidem compatiamur, ut & commagnificemur, ib. v. 17. E. 177. T. 52, 122.

Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad ſuperventuram claritatem, quæ revelabitur in nobis, ib. verſ. 18. E. 258, 329. T. 52, 127.

Spe autem ſalvati ſumus. Spes autem quæ videtur non eſt ſpes. Quod enim videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus; per expectationem ſperamus, ib. v. 24. T. 57. N. 1. ib. 148. N. 2. ib.

Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? An preſſura, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut ſcriptum eſt: Quoniam cauſa tui occidimur tota die; deputati ſumus ut oves victimæ, ſed in his omnibus ſupervincimus, pro eo qui dilexit nos, ib. v. 35. E. 187, 213. N. 4. ib. T. 52. N. 2. ib. 121. N. 6. ib.

Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus cognatiſque meis ſecundum carnem qui ſunt Iſraëlitæ, quorum adoptio, & claritas, & teſtamentum, & legis conſtitutio & famulatus, & promiſſiones; quorum patres, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula, ib. v. 3. T. 27. N. 2. ib.

Quis credidit auditui noſtro, &c. cap. 10. verſ. 16. T. 25, 29.

Inventus ſum ab eis qui me non interrogabant, ib. v. 20. T. 22.

Et dedit illis Deus ſpiritum tranſpunctionis, cap. 11. v. 8. T. 17.

Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit; ne forte nec tibi parcat, ibid. verſ. 20. E. 190. T. 47.

O altitudo divitiarum, ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! Quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus? Quam inveſtigabiles ſunt viæ ejus? Quis enim cognovit ſenſum Domini, quis aut conſiliarius ejus fuit? Vel quis prior dedit ei, & non retribuetur illi? Quoniam in ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; ipſi claritas in ſecula ſeculorum, ibid. verſ. 33. T. 58.

Oro vos fratres per miſericordiam Dei, ut conſtituatis corpora veſtra hoſtiam vivam, ſanctam, placentem Deo; nec configuremini ſeculo huic, ſed transformamini in renovatione ſenſus, ad probandum quæ ſit voluntas Dei bona, & placens, & perfecta, cap. 12. verſ. 1. E. 328. T. 122. N. 4. ib.

Domino ſervientes, ib. v. 11. E. 176.

Benedicentes, & non maledicentes, ibid. v. 14. T. 50. N. 4. ib.

Cum plangentibus plango, &c. ibid. verſ. 15. E. 247. T. 88.

Nemini malum pro malo reddentes, ib. v. 17. T. 53.

Noli vinci à malo, ſed vince bono malum, ib. verſ. 21. T. 53.

Vis non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa, c. 13. v. 3. T. 56.

Reddite omnibus quæ debentur; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis, ib. v. 7. T. 47.

Nox tranſivit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, tanquam in die decenter ambulemus: non in comeſſationibus & in ebrietatibus, non in concupiſcentiis & impudicitiis: non in certaminibus & zelo, ib. v. 12. T. 155.

Tu quis es qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit, ſtabit autem; potens eſt enim Deus ſtatuere eum, c. 14. v. 4. T. 53. E. 246.

Unusquiſque noſtrum pro ſe rationem Deo dabit, ibid. v. 12. E. 299.

Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto, ib. v. 17. T. 60.

Ventri ſerviunt, c. 16. v. 18. E. 233.

EX EPISTOLA AD

CORINTHIOS I.

OBſecro vos fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Sitis autem compoſiti in eodem ſenſu & in eadem ſententia, c. 1, v. 10. T. 63, 79.

Nunquid in nomine Pauli baptizati eſtis? ibid. verſ. 13. E.

Miſit me Chriſtus annunciare non in ſermonis ſapientia, ne inanis fiat crux Chriſti. Verbum enim crucis ſtultitia eſt iis qui pereunt; iis autem qui ſalvantur, virtus Dei eſt. Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor hujus ſeculi? Nonne infatuavit Deus ſapientiam hujus mundi? Quoniam quidem in ſapientia Dei non cognovit mundus per ſapientiam Deum: complacuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvare credentes. Quoniam Judæi ſigna deſiderant, & Græci prudentiam quærunt; nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Judæis, & Græcis Chriſtum, Dei virtutem, & Dei ſapientiam, ibid. verſ. 17. T. 24, 61.

Sapientia in perfectis, c. 2. v. 6. E. 322.

Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, ib. v. 9. E. 258.

Et ego quidem fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus: quaſi infantibus in Chriſto: lac vobis potum dedi, non eſcam; dum adhuc enim puſilli eratis, non poteratis, ſed neque nunc poteſtis: adhuc enim eſtis carnales. Ubi enim in vobis æmulatio & contentio, & diſſenſiones? Nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis, c. 3. v. 1. T. 46. N. 1. ib. 156.

Neſcitis

Neſcitis quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis, ibid. v. 16. E. 256, 274. T. 53, 68.

Nemo ſe decipiat. Si quis putat ſapientem ſe eſſe in vobis, mundo huic ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: Reprehendes ſapientes in aſtutia ipſorum. Et iterum: Cognovit Deus cogitationes ſapientium quoniam ſtultæ ſunt, ib. v. 18. T. 62. N. 1. ib. 145.

Quid enim habes, quod non acceperis? Si autem acceperis; quid gloriaris quaſi non acceperis? cap. 4. verſ. 7. T. 46.

Non in ſermone eſt verbum Dei, ſed in virtute, ibid. v. 20. T. 64.

Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio ſicut eſtis azymi. Nam & Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Itaque feſta celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ; ſed in azymis ſinceritatis & veritatis, c. 5. v. 7. T. 49, 50. N. 1. ib. 72.

Audet quiſquam veſtrum adverſus alterum negotium habens diſceptare apud injuſtos, & non apud ſanctos? An neſcitis quia ſancti hunc mundum judicabunt? Jam quidem totum delictum in vobis eſt, quia judicia habetis cum invicem. Quare non magis injuriam patimini, aut quare non magis fraudamini? Sed vos injuriam facitis & fraudatis, & hoc fratribus? an neſcitis quoniam injuſti regnum Dei non conſequentur? c. 6. v. 1. T. 56.

Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum adpetitores, neque fures, neque fraudatores, neque ebrioſi, neque maledici, neque raptores regnum Dei conſequentur. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed juſtificati eſtis, ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini Jeſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri, ibid. v. 10. E. 190, 260. T. 61, 102.

Omnia licent, ſed non omnia expediunt, &c. ib. verſ. 12. T. 63, 70.

Neſcitis quoniam corpora veſtra membra Chriſti ſunt? Auferens membra Chriſti, faciam membra fornicariæ? Abſit. An neſcitis, quia qui conglutinatur fornicariæ, unum corpus ſunt? Erunt enim duo in carne una. Qui autem ſe conjunxerit Domino, unus ſpiritus eſt, ibid. verſ. 15. T. 60.

Omne delictum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat, ib. verſ. 18. E. 249. T. 61.

Non eſtis veſtri; emti enim eſtis pretio magno. Clarificate & portate Deum in corpore veſtro, ibid. v. 19. T. 49. N. 1. ib. 61, 68, 102, 122.

Bonum eſt homini mulierem non contingere: propter fornicationem autem unuſquiſque uxorem ſuam habeat, & unaquæque virum ſuum habeat. Uxori vir debitum reddat, ſimiliter & uxor viro. Uxor corporis ſui poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter & vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed uxor. Nolite fraudare invicem niſi ex conventione ad tempus ut vacetis orationi, & iterum revertimini ad idipſum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam veſtram: Hoc dico ſecundum veniam, non ſecundum imperium; volo autem omnes homines eſſe, ſicut & me, ſed unuſquiſque proprium habet donum à Deo: alius ſic, alius autem ſic, c. 7. v. 1. T. 54.

Quod ſi non ſe continent, nubant. Iis autem quæ nupſerunt præcipio, non ego ſed Dominus, uxorem à viro non ſeparari: ſi autem receſſerit, manere innuptam, aut reconciliari viro, & virum uxorem non dimittere, ib. v. 9. E. 174. T. 63.

Tempus collectum; ſupereſt ergo ut & qui habent uxores, quaſi non habentes ſint; & qui plangunt, quaſi non plangentes; & qui gaudent, quaſi non gaudentes; & qui emunt, quaſi non ementes; qui poſſident, quaſi non poſſidentes; & qui hoc mundo utuntur, quaſi non utantur. Præterit enim figura hujus mundi, ibid. verſ. 29. T. 49. N. 2. ib. 70.

Cœlebs cogitat ea quæ ſunt Domini, quomodo placeat Deo: qui autem matrimonium contraxit, cogitat ea quæ ſunt mundi hujus, quomodo placeat uxori. Sic & mulier, & virgo innupta, cogitat ea quæ ſunt Domini, ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu: quæ autem nupſit, cogitat de iis quæ ſunt mundi hujus, quomodo placeat viro, ibid. verſ. 32. T. 55. N. 1. ib. 69.

Mulier vincta eſt quamdiu vivit vir ejus; ſi autem dormierit, liberata eſt, ut cui vult nubat, tantum in Domino: felicior autem erit, ſi ſic permanſerit, ibid. verſ. 39. T. 60.

Cibus nos non commendat Deo: neque ſi manducaverimus, abundabimus: neque ſi non manducaverimus, egebimus, ib. v. 8. T. 60.

Si quis ſe putat ſcire aliquid, nondum ſcit quemadmodum oportebat, c. 8. v. 2. T. 53.

Si cibus ſcandalizat fratrem, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem ſcandalizem, ib. v. 13. E. 174.

Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrarer, c. 9. v. 22. E. 245.

Neſcitis quoniam qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, unus tamen accipit palmam? Sic currite ut occupetis. Omnis enim qui agonizat, in omnibus continens eſt. Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos vero incorruptam, c. 9. v. 24. E. 184. T. 53, 122.

Nolo enim vos ignorare fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari. Hæc autem omnia figuræ noſtræ fuerunt, c. 10. v. 1. T. 17.

Et qui ſe putat ſtare, videat ne cadat, ibid. v. 12. T. 53. E. 246.

Tentatio vos non occupavit, niſi humana. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſuper quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam evadendi facultatem, ut poſſitis tolerare, ib. v. 13. T. 63.

Non poteſtis calicem Domini bibere & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini communicare, & menſæ dæmoniorum, ib. v. 21. E. 195. T. 92.

Tu quis es qui judicas alienum ſervum? ibid. verſ. 26. E. 246.

Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt: Omnia licent, ſed non omnia ædificant, ib. v. 23. T. 63.

Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti, c. 11. v. 1. E. 245.

Omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalventur, c. 11. v. 1. E. 245.

Viri caput Chriſtus eſt, ib. v. 3. E.

Si quis autem putatur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei, ibid. v. 16. E. 314.

Oportet & hæreſes eſſe, ut probati manifeſti ſint, ib. v. 19. T. 63, 80.

Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem; & gratias agens, fregit ac dixit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Simili modo & calicem, poſtquam cœnatum eſt, accepit dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite, quotieſcunque feceritis in meam commemorationem. Quotieſcunque enim ederitis panem iſtum & calicem biberitis, mortem Domini adnunciabitis quoadusque veniat, ib. v. 23, &c. E. 279, 278. bis.

Quicunque ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini, ib. verſ. 27. T. 63. N. 2. ib. 82. E. 193, 195, 326.

Si patitur unum membrum, compatiuntur & cætera, &c. c. 12. v. 26. E. 246. N. 1. ib. 274.

Etſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil ſum. Etſi in cibos diſtribuero omnia mea, etſi tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil proficio. Caritas magnanima eſt, caritas benigna eſt: caritas non zelat, non agit perperam, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper injuſtitiam, conlætatur autem in veritate. Omnia diligit, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, caritas nunquam excidit, cap. 13. v. 2. E. 251, 312. T. 46. N. 2. ib. 82, 106, 149, 156.

Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc ſcio ex parte; tunc autem cognoſcam, ſicut & ego cognitus ſum. ib. v. 12. T. 58.

Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & ceteri examinent. Si autem alii revelatum fuerit ſedenti, prior taceat, c. 14. v. 29. E. 304, 317, 320.

Mulieres in Eccleſia taceant. Si quæ autem quid diſcere volunt, domi viros interrogent, ib. v. 34. T. 57.

Corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimæ, ibid. v. 33. E. 268. T. 63, 83.

Stulte, tu quod ſeminas non vivificabitur, niſi prius mortuum fuerit, &c. ib. v. 36. T. 59.

Stella à ſtella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur corpus in corruptione, reſurgit ſine corruptela. Seminatur in ignominia, reſurgit in gloria. Seminatur in infirmitate, reſurgit in virtute. Seminatur corpus animale, reſurgit ſpiritale, ib. v. 41. T. 59.

Oportet enim corruptivum iſtud induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem corruptivum hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet verbum quod ſcriptum eſt: Abſorpta eſt mors in contentionem. Ubi eſt mors aculeus tuus? ubi eſt mors contentio tua, ibid. v. 53. T. 59. N. 3. ib. 112. N. 2. ib.

Primus homo de terræ limo, ſecundus homo de cœlo, qualis ille de limo, tales & qui de limo: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Quomodo portavimus & imaginem ejus qui de limo eſt, portemus & imaginem ejus qui in cœlis eſt, ib. verſ. 47. T. 29, 49, 74, 103, 156. N. 4. ibid.

EX EPISTOLA AD CORINTHIOS II.

OBtuſi ſunt ſenſus eorum uſque ad hunc diem, hoc eodem velamento in lectione Veteris Teſtamenti manente, quod non revelatur, quia in Chriſto evacuatur: & uſque in hodiernum, ſi quando legitur Moyſes, velamentum eſt ſuper cor eorum. Mox autem ut converſi fuerint ad Dominum, auferetur velamentum, c. 3. v. 13. T. 17.

Omnes nos manifeſtari oportere ante tribunal Chriſti, ut reportet unuſquiſque ſui corporis propria, ſecundum quæ egit ſive bona ſive mala, ib. v. 10. T. 36, 58.

Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ autem participatio eſt juſtitiæ, & iniquitati? Aut quæ eſt communicatio luci ad tenebras? ib. v. 14. E. 310. T. 61, 88. N. 5. ib.

Si voluntas promta eſt, ſecundum quodcunque habuerit, acceptabile eſt, non ſecundum quod non habuerit: neque ſit aliis refrigerium, vobis autem preſſura, cap. 8. verſ. 12. T. 45.

Veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut ſit æqualitas, ſicut ſcriptum eſt: Qui multum habuit, non abundavit; & qui modicum, non indiguit, c. 8. v. 14. T. 45.

Qui parce ſeminat, parce & metet: & qui ſeminat in benedictione, de benedictione & metet. Unuſquiſque autem ſicut corde propoſuit, non quaſi ex triſtitia vel ex neceſſitate; hilarem enim datorem diligit Deus, c. 9. v. 6. T. 45.

Sicut ſcriptum eſt; Diſtribuit, dedit pauperibus; juſtitia ejus manet in æternum, ib. v. 9. T. 45.

Qui adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad edendum præſtabit. Et multiplicabit ſeminationem veſtram, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ, ut in omnibus locupletemini, ib. v. 10. T. 45. N. 1. ib. 139.

Adminiſtratio hujus officii non tantum ſupplevit ea quæ ſanctis deſunt, ſed & abundavit per multam gratiarum actionem in Deum, ib. v. 12. T. 45, 139.

Deſpondi vos uni viro virginem caſtam adſignare Chriſto, c. 11. v. 2. E. 324.

Transfigurat ſe velut angelus lucis, ib. v. 14. T. 76.

Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet, ut non extollar: propter quod ter Dominum rogavi ut diſcederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur, cap. 12. verſ. 7. T. 47. N. 3. ib. 113.

Timeo ne forte veniens ad vos lugeam multos, ex iis qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam de immunditiis quas fecerunt, & fornicationibus & libidinibus, c. 12. v. 20. E. 249.

EX EPISTOLA AD GALATAS.

MIror quod ſic tam cito demutamini ab eo qui vos vocavit in gratiam, ad aliud Evangelium; quod non eſt aliud, niſi ſi ſunt aliqui qui vos turbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti. Sed licet nos aut Angelus de cœlo aliud adnunciet præterquam quod annunciavimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus & nunc iterum dico: Si quis aliquid vobis adnunciaverit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit, c. 1. v. 6. E. 207. N. 3. ib. 279. N. 1. ib.

Si hominibus placere vellem, Chriſti ſervus non eſſem, ib. v. 10. E. 175. 263, 277. bis. T. 58, 69.

Reprehenſio Petri à Paulo, ib. E. 304.

Deus non accepit perſonas, c. 2. v. 6. E. 281.

Abraham credidit Deo, & deputatum eſt ei ad juſtitiam. Cognoſcitis ergo quia qui ex fide ſunt, filii ſunt Abrahæ. Providens autem ſcriptura, quia ex fide juſtificat gentes Deus, prænunciavit Abrahæ quia benedicentur in illo omnes gentes. Igitur qui ex fide ſunt, benedicti ſunt cum fideli Abraham, c. 3. v. 6. E. 277. T. 17.

Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, ib. v. 27. E. 274, 316, 323.

At ubi advenit impletio temporis, miſit Deus filium ſuum natum de muliere, c. 4. v. 4. T. 28.

Ergo inimicus factus ſum vobis, verum dicens vobis, c. 4. v. 16. E. 175.

Diliges proximum tuum tanquam te. Si autem mordetis & incuſatis invicem, videte ne conſumamini ab invicem, cap. 5. v. 15. E. 190. T. 46.

Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Hæc enim invicem adverſantur ſibi, ut non quæ vultis, ipſa faciatis. Manifeſta autem ſunt facta carnis, quæ ſunt, adulteria, fornicationes, immunditiæ, ſpurcitiæ, idololatriæ, veneficia, homicidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, provocationes, ſimultates, diſſenſiones, hæreſes, invidiæ, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia. Quæ prædico vobis ſicut & prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Fructus autem Spiritus eſt caritas, gaudium, pax, magnanimitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia, caſtitas, ibid. v. 17. T. 61. N. 1. ib. 103, 159.

Qui enim ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis, ib. v. 24. T. 69.

In contemplatione habentes unuſquiſque, ne & vos tentemini. Alterutrum onera ſuſtinete, & ſic adimplebitis legem Chriſti, c. 6. v. 2. E. 246. T. 48. N. 1. ib.

Deus non deridetur, ib. v. 7. T. 95. E. 246, 289.

Ergo dum tempus habemus, operemur quod bonum eſt ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus, ib. v. 10. T. 144, 148.

Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo, ib. v. 14. T. 49, 69.

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

ET cum veniſſet, adnunciavit vobis pacem his qui longe, & pacem iis qui prope; quia per ipſum habemus acceſſum ambo in uno Spiritu ad Patrem, cap. 2. verſ. 17. T. 35.

Obſecro vos ego vinctus in Domino, digne ambulare vocatione qua vocati eſtis, cum omni humilitate ſenſus & lenitate, cum patientia ſuſtinentes invicem in dilectione, ſatis agentes ſervare unitatem ſpiritus in conjunctione pacis. Unum corpus & unus Spiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma, unus Deus & Pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, c. 4. v. 1. E. 318, 326, 327, 331. T. 78, 79, 149, 158, 159, 161, 165.

Exponite prioris converſationis veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum concupiſcentias deceptionis. Innovamini autem ſpiritu ſenſus veſtri, & induite novum hominem, eum qui ſecundum Deum conſtitutus eſt in juſtitia, & ſanctitate, & veritate, ibid. verſ. 22. T. 49. N. 6. ib.

Iraſcimini, & nolite peccare. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, ib. v. 26. T. 47.

Nolite locum dare diabolo, ib. v. 27. E. 174.

Omnis ſermo malus de ore veſtro non procedat, ſed bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus, ib. v. 29. E. 231. T. 50. N. 3. ib.

Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemtionis, ibid. verſ. 30. T. 47. N. 6. ib. 149.

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia auferantur à vobis, c. 5. v. 3. T. 149.

Stultiloquium & ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet, non nominetur quidem in vobis. Hoc enim ſcitote intelligentes, quia omnis fornicator, aut immundus, aut fraudator quod eſt idololatria, non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei, ib. v. 4. E. 250. T. 56.

Nemo vos decipiat inanibus verbis: propterea enim venit ira Dei ſuper filios contumaciæ; nolite ergo eſſe particeps eorum, ib. v. 6. E. 229. N. 3. ib. 283. T. 85.

Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut eam ſanctificaret, purgans eam lavacro aquæ, ibid. verſ. 25. E. 295. 316.

Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & erunt duo in carne una. Sacramentum iſtud magnum eſt: Ego autem dico in Chriſtum & in Eccleſiam, ib. v. 31. E. 238. N. 1. ib.

Filii obſequentes eſtote parentibus veſtris, hoc enim eſt juſtum. Honora patrem tuum & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione ut bene ſit tibi, ut ſis longævus ſuper terram, c. 6. v. 1. T. 62.

Et

Et vos parentes nolite in iracundiam mittere filios veſtros, ſed nutrite eos in diſciplina & correptione Domini, ib. v. 4. T. 62.

Servi obedite dominis carnalibus cum metu & tremore, & in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed quaſi ſervi Dei, ib. v. 5. T. 62.

Et vos Domini eadem facite ad eos, laxantes iracundiam, ſcientes quia & veſter & ipſorum Dominus eſt in cœlis, & exceptio perſonarum non eſt in illo, ibid. v. 9. T. 62.

Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus poteſtates & principes hujus mundi harum tenebrarum, adverſus ſpiritalia nequitiæ in cœleſtibus. Propter quod induite tota arma Dei, ut poſſitis, ſtetis accincti lumbos veſtros in veritate Evangelii, induentes loricam juſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis, in omnibus aſſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia ignita jacula nequiſſimi extinguere, & galeam ſalutis & gladium ſpiritus qui eſt verbum Dei, ib. v. 12. E. 258. T. 65. N. 3. ib.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum, c. 1. verſ. 21. T. 111.

Veruntamen omni modo ſive per occaſionem, ſive per veritatem, Chriſtus adnuntietur, c. 2. v. 18. E. 310. N. 3. ib. 325.

Qui in figura Dei conſtitutus, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſe, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, cap. 2. v. 6. T. 30, 56. N. 3. ib. 84.

Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, ib. v. 9. T. 151.

Omnia autem pro dilectione facientes ſine murmurationibus, & reputationibus, ut ſitis ſine querela & immaculati, filii Dei, ib. v. 14. T. 50.

Lucete ſicut luminaria in mundo, ib. verſ. 15. T. 53. N. 2. ib. E. 189. N. 4. ib.

Omnes ſua quærunt, & non quæ ſunt Chriſti, ib. verſ. 21. T. 49.

Attendamus non poſteriora, c. 3. v. 14. E. 187.

Quorum finis eſt interitus, quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſionem eorum, qui terrena ſapiunt. Noſtra autem converſatio in cœlis eſt, unde & ſalvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui transformabit corpus humilitatis noſtræ, conformatum corpori claritatis ſuæ, ib. v. 19. E. 328. T. 49, 115.

Saturatus ſum recipiens ab Epaphrodito ea quæ à vobis miſſa ſunt, odorem ſuavitatis, ſacrificium acceptum & placitum Deo, c. 4. v. 18. T. 108.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

Qui eſt imago Dei inviſibilis & primogenitus totius creaturæ, c. 1. v. 15. T. 24.

Primogenitus à mortuis, ut fieret in omnibus ipſe primatum tenens, ib. v. 18. T. 24.

Videte ne quis vos deprædetur per philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis, cap. 2. verſ. 8. E. 246. T. 145.

Circumciſi eſtis circumciſione non manufacta in expoliatione carnis, ſed in circumciſione Chriſti, ibid. verſ. 11. T. 18.

Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi; quid tanquam viventes in mundo vana ſectamini? ibid. verſ. 20. T. 49. N. 5. ib.

Si conſurrexiſtis cum Chriſto; quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ terrena ſunt. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos cum eo apparebitis in gloria, c. 3. v. 1. T. 49, 156.

Mortificate itaque membra veſtra quæ ſunt in terra, exponentes fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam, & avaritiam quæ ſunt idolorum ſervitus, propter quæ venit ira Dei, ibid. verſ. 5. E. 250. N. 3. ib.

Inſtate orationi, vigilantes in ea, cap. 4. verſ. 2. E. 186. T. 66, 107.

EX EPISTOLA AD THESSALONICENSES I.

Non circumvenire in negotio fratrem ſuum; quia ultor eſt Deus de his omnibus, c. 4. v. 6. T. 63.

Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini ſicut & ceteri qui ſpem non habent. Si enim credimus quia Jeſus mortuus eſt & reſurrexit, ſic & Deus eos qui dormierunt in Jeſu, adducet cum illo, &c. ib. verſ. 13. T. 59, 115.

Dies Domini ſicut fur in nocte ita veniet. Cum dixerint pax & firmitas, tunc illis repentinus adveniet interitus, c. 5. v. 2. T. 63.

EX EPISTOLA AD THESSALONICENSES II.

Ne quis vos ſeducat ullo modo: quoniam niſi diſceſſio venerit primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis qui adverſatur & extollit ſe ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Et tunc revelabitur inimicus quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & evacuabit illuminatione adventus ſui eum, cujus eſt adventus, ſecundum opera Satanæ, in omni virtute, ſignis & prodigiis mendacibus. Et ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, dilectum veritatis non habuerunt ut ſalvi fierent, ac propterea mittet illis Deus operationem erroris: ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed ſibi placeant in injuſtitia, cap. 2. v. 10. T. 97. E. 265.

Præcipimus autem vobis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut diſcedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate & non ſecundum traditionem, quam acceperunt à nobis, c. 3. v. 6. E. 269. T. 61, 85.

Neque gratis panem manducavimus ab aliquo veſtrum, ſed in labore & fatigatione, nocte & die operantes ne quem veſtrum gravaremus, ibid. v. 8. E. 192.

EX EPISTOLA AD TIMOTHEUM. I.

Qui primo fui blaſphemus, & perſecutor, & injurioſus; ſed miſericordiam merui, quia ignorans feci, c. 1. v. 13. E. 310.

Sint mulieres veſtræ cum verecundia & pudicitia componentes ſe, non in tortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veſte pretioſa, ſed ut decet mulieres promittentes caſtitatem per bonam converſationem, cap. 2. verſ. 9. T. 55, 70.

Mulier in ſilentio diſcat in omni ſubjectione. Docere autem mulierem non permitto, neque præpoſitam eſſe viro, ſed eſſe in ſilentio. Adam enim primus formatus eſt, deinde Eva; & Adam ſeductus non eſt, mulier autem ſeducta eſt, ib. v. 11. T. 57.

Nemo juventutem tuam perſpiciat, capit. 4. verſ. 12. E. 173.

Viduas honora quæ vere viduæ ſunt, &c. cap. 5. v. 3. T. 62.

Si quis autem ſuorum & maxime domeſticorum non agit curam; fidem denegat, & eſt infideli deterior, ib. verſ. 8. T. 62.

Juniores autem viduas præteri. Cum enim indelicatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes judicium: quoniam primam fidem reprobaverunt, ib. v. 11. T. 62.

Adverſus majorem natu accuſationem ne receperis, ibid. v. 19. T. 62.

Peccantes coram omnibus corripe, ut & ceteri metum habeant, ib. v. 20. T. 62.

INDEX

Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis verbis Domini noſtri Jeſu Chriſti & doctrinæ ejus, ſtupore elatus eſt. Diſcedendum ab hujuſmodi, c. 6. v. 3. E. 229, 316. N. 1. ib.

Nihil intulimus in hunc mundum, verum nec quid auferre poſſumus. Habentes itaque exhibitionem & tegumentum, his contenti ſumus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & muſcipulam, & deſideria multa, & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & interitum. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis, ib. v. 7. T. 60. N. 4, & 5. ib. 91, 104, 140.

EX EPISTOLA AD TIMOTHEUM II.

NEmo militans Deo, obligat ſe moleſtiis ſecularibus, ut poſſit placere ei cui ſe probavit. Sed ſi certaverit quis, non coronabitur, niſi legitime pugnaverit, cap. 2. v. 4. E. 169. T. 49. N. 4. ib. 122.

Si enim commorimur, & convivemus; ſi toleramus, & conregnabimus; ſi negamus, & ipſe negabit nos, ibid. v. 11. T. 121.

Sermo eorum velut cancer ſerpit, ib. v. 17. E. 229, 268, 310. T. 62, 80, 97.

In domo autem magna non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia; & quædam quidem honorata, quædam autem inhonorata, ibid. verſ. 20. E. 240, 249.

Stultas autem & ineruditas quæſtiones devita; ſciens quia lites generant, ib. v. 23. T. 58.

Servum Domini non oportet litigare, ſed mitem eſſe ad omnes, docibilem, patſentem, cum omni modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati: ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ſecundum ejus voluntatem, ib. v. 24. E. 317.

In noviſſimis diebus aderunt tempora moleſta, & erunt homines ſui placentes, ſuperbi, tumidi, cupidi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, impii, ſine affectu, ſine fœdere, delatores, incontinentes, immites, bonum non amantes, proditores, procaces, ſtupore inflati, voluptates magis quam Deum diligentes, habentes deformationem religionis, virtutem autem eis abnegantes, hos devita. Ex his ſunt qui repunt in domos & prædantur mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes, & quomodo Jamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi, ſic & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti ſenſu, reprobi circa fidem, ſed non proficient plurimum. Imperitia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit, c. 3. v. 1. E. 262, 290. T. 82. N. 4. ibid.

Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ibid. v. 6. T.

Erit tempus quando ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ſecundum ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes in audiendo, ſcalpentes aures: Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur, cap. 4. v. 3. T. 61. N. 3. ib.

Ego jam delibor, & tempus inſtat meæ aſſumtionis. Bonum agonem certavi, curſum perfeci, fidem ſervavi, jam ſupereſt mihi corona juſtitiæ, quam mihi reddet Dominus in illo die juſtus judex: non ſolum autem mihi ſed omnibus qui dilexerint adventum ejus, ibid. verſ. 6. E. 184. N. 3. ib. T. 52.

EX EPISTOLA AD TITUM.

EPiſcopum oportet eſſe ſine crimine, quaſi Dei diſpenſatorem, c. 1. v. 7. E. 289.

Omnia munda mundis, ib. v. 15. E. 281.

De nullo male loqui, nec litigioſos eſſe, cap. 3. verſ. 2. T. 64.

Salvavit nos per lavacrum regenerationis, ibid. verſ. 5. E. 316.

Hæreticum hominem poſt unam correptionem devita, ſciens quoniam perverſus eſt hujuſmodi & peccat, & eſt à ſemetipſo damnatus, ibid. verſ. 10. E. 268, 295, 309, 315. T. 62, 83.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

QUia per ipſum ſecula inſtituit, & per ipſum conſtituit univerſorum hæredem, c. 1. v. 2. T. 24.

Deus quem corripit, diligit, c. 12. v. 7. E. 186.

EX EPISTOLA PETRI I.

SIcut hoſpites & peregrini abſtinete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam; ut dum detrectant de vobis, quaſi de malignis, opera veſtra aſpicientes magnificent Deum, c. 2. v. 11. T. 49. E. 189. N. 5, & 6. ib.

Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus; qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus; qui cum malediceretur, non maledixit; cum pateretur, non comminabatur, &c. ib. v. 21. T. 56. N. 2. ib. 147, 155.

Sit in muliere non exterior ornamenti, aut auri, aut veſtis cultus; ſed cultus cordis, c. 3. v. 3. T. 56, 70.

Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, ib. v. 18. T. 35.

In arca Noë pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam, quod & vos ſimiliter ſalvos faciet baptiſma, ib. v. 21. E. 294. N. 8. ib. 318, 324.

In hoc enim & mortuis prædicatum eſt ut ſuſcitentur, c. 4. v. 6. T. 36. N. 1. ib.

Cariſſimi, nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem veſtram fit; nec excidatis tanquam novum aliquid vobis contingat, ſed quotieſcunque communicatis Chriſti paſſionibus, per omnia gaudete, ut & in revelatione facta claritatis ejus gaudentes exultetis. Si improperatur vobis in nomine Chriſti, beati eſtis, quia majeſtatis & virtutis Domini nomen in vobis requieſcit. Quod quidem ſecundum illos blaſphematur, ſecundum nos autem honoratur, c. 4. v. 12. E. 256. T. 123. N. 1. ib.

Nec quiſquam veſtrum tanquam fur aut homicida patiatur: aut tanquam maleficus, aut curas alienas agens, ſed tanquam Chriſtianus, ib. v. 15. T. 56.

Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuivit; aliquem devorare quærens, cap. 5. verſ. 8. T. 153. N. 2. ib.

EX EPISTOLA PETRI II.

HÆretici vitandi, cap. 3. v. 17. E. 231.

EX EPISTOLA JOANNIS I.

SI dixerimus quia peccatum non habemus; nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt: ſi autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt Dominus, qui nobis peccata dimittat, cap. 1. verſ. 8. T. 58, 105, 138.

Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ne delinquatis, & ſi quis deliquerit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt deprecatio pro delictis noſtris, cap. 2. v. 1. E. 186, 246.

In hoc intelligimus quia cognovimus eum, ſi præcepta ejus cuſtodiamus. Qui dicit quoniam cognovit eum & mandata ejus non ſervat, mendax eſt & veritas in illo non eſt, ib. v. 3. E. 208.

Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulavit, & ipſe ambulare, ibid. verſ. 6. E. 255. T. 49, 70, 147.

Qui dicit ſe eſſe in luce, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc, & in tenebris ambulat, & non ſcit quo eat, quia tenebræ excæcaverunt oculos ejus, ibid. verſ. 9. T. 46. N. 6. ib. 155.

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum, non eſt caritas Patris in illo. Quoniam

niam omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi, quæ non eſt à Patre, ſed ex concupiſcentia ſeculi, & mundus tranſibit & concupiſcentia ejus: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo Deus manet in æternum, ibid. v. 17. T. 49. N. 8. ib. 52, 69, 103, 115.

Audiſtis quia Antichriſtus venit, nunc autem Antichriſti multi facti ſunt, unde cognoſcimus quia noviſſima hora eſt, ib. v. 18. E. 294, 302. T. 160.

Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum, ibid. v. 19. E. 262, 294. T. 62, 80.

Qui negat Filium, neque Patrem habet; qui confitetur Filium, & Filium & Patrem habet, ib. v. 23. T. 36, 121.

In hoc apparent filii Dei & filii diaboli. Omnis qui non eſt juſtus, non eſt de Deo, & qui non diligit fratrem ſuum, c. 3. v. 10. T. 46.

Qui fratrem ſuum odit homicida eſt, & ſcitis quia omnis homicida non habet in ſe vitam æternam manentem, ibid. v. 15. T. 46, 106, 155.

Qui habuerit ſubſtantiam mundi, & viderit fratrem ſuum deſiderantem, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo? ib. v. 17. T. 45. 141.

Si cor noſtrum nos non reprehendat; fiduciam habemus apud Deum, & quodcunque petierimus, accipiemus ab eo, ib. v. 21. T. 62.

Omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, de Deo eſt; qui autem negat in carne veniſſe, de Deo non eſt, ſed eſt de Antichriſti ſpiritu, c. 4. verſ. 2. E. 310. T. 28.

Major eſt qui in vobis eſt, quam in iſto mundo, ib. v. 4. E. 183. T. 48, 123.

Deus dilectio eſt, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in eo, ib. v. 16. T. 46, 82.

Si quis dixerit quoniam diligit Deum & fratrem ſuum odit, mendax eſt; qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt; Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere? ibid. verſ. 20. T. 46.

Et hi tres unum ſunt, c. 5. v. 7. E. 310. T. 79. N. 1. ib.

EX EPISTOLA JOANNIS II.

SI quis ad vos venit, & doctrinam Chriſti non habet: nolite eum admittere in domum veſtram, & ave illi ne dixeritis. Qui enim dixerit illi ave, communicat factis ejus malis, c. 11. v. 10. T. 166.

EX APOCALYPSI JOANNIS.

ET converſus reſpexi, ut viderem vocem quæ mecum loquebatur; & vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio candelabrorum ſimilem filio hominis veſtitum podere, & erat præcinctus ſupra mamillas zonam auream. Caput autem ejus & capilli erant albi velut lana aut nix, & oculi ejus ut flamma ignis, & pedes ejus ſimiles aurichalco, ſicut de fornace ignis, & vox ejus ut ſonus aquarum multarum, & habebat in dextera ſua ſeptem ſtellas, & ex ore ejus gladius utraque parte acutus exibat, & facies ejus ſplendebat ut ſol in virtute ſua. Et cum vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus, & impoſuit ſuper me dexteram ſuam, dicens: Noli timere, ego ſum primus & noviſſimus, & vivus qui fueram mortuus; & ecce ſum vivens in ſecula ſeculorum, & habeo claves mortis & inferorum, c. 1. v. 12. T. 35, 72.

Septem ſtellæ, ſeptem Angeli, ſeptem Candelabra, ſeptem Eccleſiæ, c. 1. v. 4. T. 20.

Memor eſto unde excideris, & age pœnitentiam, & fac propria opera, ſi quo minus, veniam tibi niſi pœnitentiam egeris, c. 2. v. 5. T. 92. E. 198, 217, 248.

Qui vincet, dabo illi edere de ligno vitæ quod eſt in paradiſo Dei, ib. v. 7. T. 52.

Nihil eorum timeas quæ paſſurus es, ibid. verſ. 10. T. 123.

Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, ib. v. 10. T. 52. E. 188. 190.

Habeo adverſus te multa, quod uxorem tuam Jezabel, quæ ſe dicit Prophetam, ſinis docere & ſeducere ſervos meos fornicari, & manducare de ſacrificiis. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, & pœnitere non vult à fornicatione ſua. Ecce mitto eam in lectum, & qui cum eo fornicati ſunt in tribulationem maximam, niſi pœnitentiam geſſerint ab operibus ſuis, ib. v. 20. E. 248. N. 3. ib.

Et ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutator renis & cordis, & dabo unicuique ſecundum opera ſua, ib. verſ. 23. E. 184. 249. T. 58, 95, 100, 114.

Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam, cap. 3. v. 11. T. 84, 122, 148.

Dicis: Dives ſum, & ditatus ſum, & nullius rei egeo, & neſcis quoniam tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum de igne ut ſis dives, & veſtem albam veſtiaris, ut non appareat in te fœditas nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos ut videas, ib. v. 17. T. 140.

Quos diligo, redarguo & caſtigo, ib. v. 19. T. 91.

Vincenti dabo ſedere ſuper thronum meum, ſicut & ego vici & ſedi ſuper thronum Patris mei, ib. v. 21. E. 213.

Et vidi librum in dextera Dei ſedentis ſuper thronum, ſcriptum intus & retro, ſignatum ſignis ſeptem; & vidi angelum fortem prædicantem voce magna: quis dignus eſt accipere librum, & aperire ſigna ejus? Nec quiſquam poterat, neque de cœlo, neque ſuper terram, neque ſub terra aperire librum, ſed neque perſpicere eum. Et ego flebam multum, quod nemo dignus repertus eſſet qui aperiret librum, aut videret illum. Et unus ex ſenioribus dixit mihi: Ne fleveris, ecce vicit leo de tribu Juda, radix David aperire librum, & ſolvere ſeptem ſigna ejus, c. 5. v. 1. T. 29.

Et vidi in medio throni & quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem quaſi occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem; qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei miſſi per orbem terræ. Et venit, & accepit librum de dextera Dei ſedentis in throno. Et cum accepiſſet librum, quatuor animalia & viginti quatuor ſeniores proſtraverunt ſe ante agnum, habentes ſinguli citharas, & pateras aureas plenas odoramentis ſupplicationum, quæ ſunt orationes ſanctorum, & cantaverunt canticum novum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum & aperire ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redemiſti nos ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos regnum Deo noſtro, ſacerdoteſque feciſti, & regnabunt ſuper terram, ibid. verſ. 6. T. 31.

Et cum aperuiſſet quintum ſignum, vidi ſub ara Dei animas occiſorum propter verbum Dei & martyrium ſuum, & clamaverunt magna voce, dicentes: Quouſque domine ſanctus & verus non judicas, & vindicas ſanguinem noſtrum, de his qui in terris inhabitant? Et datæ ſunt eis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt eis ut requieſcerent brevi adhuc tempore, donec impleretur numerus conſervorum & fratrum eorum, quique poſtea occidentur exemplo ipſorum, ibid. v. 9. T. 51, 92, 151. N. 1. ib.

Poſt hæc vidi turbam magnam quam dinumerare ex his nemo poterat, ex omni gente, & ex omni tribu, & ex omni populo & lingua, ſtantes in conſpectu throni, & in conſpectu agni, & erant amicti ſtolas albas, & palmæ fuerunt in manibus eorum, & magno clamore dicebant: Salus Deo noſtro ſedenti ſuper thronum, & agno. Et reſpondit unus ex ſenioribus, dicens mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolas albas, qui ſunt, & unde venerunt? Et dixi ei: Domine mi, tu ſcis. Et ait mihi: Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine agni. Ideo ſunt in conſpectu throni Dei, & ſerviunt ei diebus ac noctibus in templo ejus. Et is qui ſedet in throno, inhabitat ſuper eos, neque eſurient neque ſitient unquam, ſed neque ſol ſuper eos cadet, nullum unquam æſtum patientur, quoniam agnus qui in medio throni eſt, reget eos. Et deducet eos ad fontes vitæ aquarum, & abſterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, cap. 7. verſ. 9. T. 51, 126.

Et vidi, & ecce agnum ſtantem in monte Sion & cum eo centum quadraginta quatuor millia, & habebant nomen ejus, & nomen Patris ejus ſcriptum in frontibus ſuis, c. 14. v. 1. T. 34.

Hi ſunt, qui cum mulieribus ſe non coinquinaverunt, virgines enim permanſerunt: hi ſunt qui ſequuntur agnum quocunque ierit, ib. v. 4. T. 69.

Et vidi alium angelum volantem in medio cœlo, habentem Evangelium æternum, ut adnunciaret ſuper omnem terram, & ſuper omnes nationes, & tribus, & linguas, & populos, dicentem voce magna: Metuite potius Deum, & date illi claritatem, quoniam venit hora judicii ejus, & adorate eum; fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, ib. v. 6. T. 120. N. 3. ib.

Si quis adorat beſtiam & imaginem ejus, & accipit notam in fronte ſua & in manu; bibet & ipſe de vino iræ Dei, mixto in poculo iræ ejus, & punietur igne & ſulphure ſub oculis ſancto-

ſanctorum angelorum, & ſub oculis agni, & fumus de tormentis eorum aſcendet in ſecula ſeculorum : nec habebunt requiem die ac nocte, quicunque adorant beſtiam & imaginem ejus, ib. v. 9. E. 257, 282. T. 120.

Beati erunt qui vigilabunt, & ſervabunt veſtimenta ſua ne nudi ambulent, & videant turpitudinem ſuam, c. 16. v. 15. T. 52.

Et venit unus ex ſeptem angelis habentibus phialas, & aggreſſus eſt me, dicens : Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, ſedentis ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt reges terræ. Et duxit me in ſpiritu. Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam, & mulier illa amicta erat pallium purpureum & coccineum, & adornata erat auro & lapidibus pretioſis, & margaritis, tenens poculum aureum in manu ſua plenum execrationum, & immunditiæ, & fornicationis totius terræ, c. 17. v. 1. T. 55, 71.

Aquæ quas vidiſti ſuper quas ſedet meretrix illa, populi ſunt, & turbæ, & gentes, & regna, ib. v. 15. E. 280.

Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem : Exi de ea populus meus, ne particeps ſis delictorum ejus, & ne perſtringaris plagis ejus : quoniam delicta ejus uſque ad cœlum pervenerunt, & meminit Dominus Deus iniquitatum ejus. Ideo reddidit ei dupla, & in quo poculo miſcuit, duplum remixtum eſt ei, & in quantum ſe clarificavit, & deliciarum habuit, in tantum datus eſt ei cruciatus & luctus : quoniam in corde ſuo dicit : Regina ſum, & vidua eſſe non poſſum, nec luctum viſura ſum, propterea una hora plagæ ejus advenient, mors, luctus, & fames, & igni cremabitur ; quoniam fortis eſt Dominus Deus qui eam judicabit, & flebunt & plangent ſe in ea reges terræ, qui cum ea fornicati ſunt, & in delictis converſati ſunt, c. 18. v. 4. T. 55, 90.

Regnavit Dominus Deus omnipotens, gaudeamus & exultemus, & demus ei gloriæ claritatem ; quoniam venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus ſe præparavit, cap. 19. verſ. 6. T. 33.

Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus. & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis, & verus, æquum juſtumque judicat, & præliatur. Oculi autem ejus erant tanquam flamma ignis, & ſuper caput ejus diademata multa ; & portabat nomen ſcriptum, nemini alii niſi ſibi notum. Et erat coopertus veſtem aſperſam ſanguine, & dicitur nomen ejus verbum Dei : & exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, induti byſſinum album mundum : & de ore ejus exibat gladius utrinque acutus, ut ex eo percuteret nationes, quas ipſe paſciturus eſt in virga ferrea, & ipſe calcabit torcular vini iræ Dei omnipotentis. Habet etiam in veſte & in femore ſuo nomen ſcriptum : Rex Regum & Dominus dominantium, c. 19. v. 11. T. 25, 37.

Et vidi animas occiſorum propter nomen Jeſu, & ſermonem Dei, & quicunque imaginem beſtiæ non adoraverunt, nec acceperunt inſcriptionem in fronte aut in manu ſua : & vicerunt & regnaverunt cum Chriſto, cap. 20. verſ. 4. T. 127.

Ego ſum α & ω initium & finis. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis, c. 21. v. 6. T. 24 27. 64.

Et venit unus ex ſeptem angelis habentibus phialas, & aggreſſus eſt me, dicens : Veni, oſtendam tibi novam nuptam uxorem agni : & duxit me in ſpiritu in montem magnum, & oſtendit mihi civitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de cœlo à Deo habentem claritatem Dei, ibid. v. 9. T. 32.

Vide ne feceris quia conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum, Dominum Jeſum adora, cap. 22. verſ. 9. T. 151, 152. N. 1. ib.

Et dixit mihi : Ne ſignaveris verba prophetiæ hujus, quia jam tempus in proximo eſt ; & hi qui perſeverant nocere, noceant, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc : juſtus autem adhuc juſtiora faciat, ſimiliter & ſanctus ſanctiora. Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum facta ſua, c. 22. v. 10. T. 53, 151.

Ego ſum α & ω, primus & noviſſimus, initium & finis, felices eos qui faciunt præcepta ejus, ut ſit poteſtas eorum ſuper lignum vitæ, ib. v. 13. T. 34. N. 6. ib.

Foris canes, ib. v. 15.

Franciſcus Turrianus in defenſione Canonum Apoſtolorum & Epiſtolarum decretalium, ait, *meminiſſe ſe non ita pridem cum eſſet Cyprianus Romæ imprimendus, fuiſſe qui judicarent tunc in teſtimoniis veteris ſcripturæ, quæ ſunt omnia apud Cyprianum ex interpretatione* 70. *pro interpretatione* 70. *interpretationem Hieronymi ſubſtitui debere.* Bene quidem habuit quod conſilia iſta temeraria minime obtinuerint : Interim intelligimus quam lubrica fide agant nonnulli in tradendis antiquorum monumentis ; qui ſcalpello & ſpongia armati ad bonorum Auctorum editionem prodeunt, & ſiquid ad palatum eorum non faciat, protenus aut corrumpunt aut delent. Quanti vero interſit rei literariæ, ne lectiones iſtæ antiquæ S. ſcripturarum intercidant, ſatis cognoſcunt eruditi, non enim tantum verſio græca 70. interpretum, in Eccleſia Chriſtiana per plurima ſecula ubique recepta, inde ſæpius confirmatur, & non raro reſtituitur ; ſed etiam novi teſtamenti lectiones, quæ olim invaluerunt, licet jam in deſuetudinem abierint, denuo exhibentur. Qualis illa 1 Cor. 13. 7. ubi ait Cyprianus quod caritas *omnia diligit*, unde apparet legiſſe eum πάντα στέργει non autem στέγει, quod nunc dierum obtinet. Sic 1 Cor. 6. 20. Cyprianus habet, *glorificate & portate Dominum in corporibus veſtris*, licet codices hodierni ſolummodo habeant δοξάσατε δὴ τὸν θεὸν. At vero Cypriani lectionem olim receptam fuiſſe, ſuadet Ignatii Martyris θεοφόρος nomen ; nec non Tertulliani ſuffragium, qui legit *glorifi ate & tollite*. Tertulliani quidem lectio quæ habet *tollite*, ſuſpicionem faceret Græcam vocem in ejus exemplari fuiſſe ἄρατε, eamque à ſcriba pro ἄγετε repoſitam ; ſed iſte error alium ſupponit minime probabilem, ſubſtituiſſe eum prius ἄγετε pro δή. Hujus generis plurima in Annotationibus noſtris obſervavimus & tamen omiſimus plura, quæ adhuc ſuperſunt ab aliis, cum profectu, obſervanda.

In Codice vetuſtiſſimo Bibliothecæ Bodleianæ hæc habentur quæ ad Cyprianum ſpectant, & illius tempora.

CHriſtiani [1] quartam perſecutionem paſſi ſunt à Decio Imperatore auctore malorum. Hac perſecutione Cyprianus per Epiſtolas hortatus eſt [2] Auguſtinum & Felicitatem, qui paſſi ſunt apud civitatem Capuenſem Metropolin Campaniæ, Valeriano imperante. Tunc etiam Cyprianus paſſus eſt apud Carthaginem.

[1] *Quartam perſecutionem.*] In perſecutionum numero variant ſcriptores. Lactantius de mortibus Perſecut. poſt Neronis & Domitiani furores Decii collocat ; & proinde illo ſupputante hæc Decii tertia futura eſt perſecutio ; niſi Domini noſtri paſſio ſub Tiberio, perſecutionibus accenſeatur : quod ad Lactantii mentem accedere videtur, & hanc numerandi rationem confirmat.

[2] *Auguſtinum & Felicitatem.*] Obſervat Franciſcus Maria Florentinius in notis ad vetuſt. Martyrolog. in Nov. 16. quod *duplicem ſeriem ſanctorum, qui Capuanam Eccleſiam fœcundarunt affert hac die MS. Antwerpienſe ; quorum tamen nullibi memoriam invenire licuit. Auguſtinum & Felicitatem profert in limine laterculi, &c.* De *Auguſtino* quidem in hac die meminerunt Beda noſtras & Rabanus, ſed de *Felicitate* ſilent. Verba eorum ſunt *in Capua natale Auguſtini.* Si quid veri narrationi huic ſubſit, putandum Athletas hoſce Africa extorres, in Italia oppreſſos fuiſſe. Interim fieri poſſit, civitatem *Capuenſem* pro *Capſenſi*, cum additamento *urbis Campaniæ*, à librario, cui notior erat Italia quam Africa, repoſitam.

INDEX ALPHABETICUS

PC. Provinciam Proconſularem. N. Numidiam. B. Byzacenam. MS. Mauritaniam Sitifenſem. M. reliquas Mauritanias. I. ſedem Incertam deſignat.

A.

ABadira. B.
Abbenza. I.
Abbir major. *vel* Germanicia PC.
Abbir minor PC.
Abbiſſa I.
Abidus B.
Abitina PC.
Abora PC.
Abſaſalla PC.
Abtuca PC. *v.* Bucca.
Abziri PC. *v.* Abdera.
Accuſa PC.
Acemeriana I.
Acola B.
Acufida MS.
Adrumetum B.
Adſinvada M.
Advocata I.
Afufenia B.
Aggar B.
Aggar PC.
Agna M.
Ala militaris M.
Albula M.
Altaba N.
Altaba M.
Alteſera PC.
Altibura PC.
Amaura M.
Ambia M.
Ambura I.
Ammedera PC.
Amphora N.
Amudarſa B.
Anguiena I.
Aobia I.
Apiſſana I.
Aptunga PC.
Aquæ M.
Aquæ B.
Aquæ albenſes B.
Aquæ albæ MS.
Aquæ novæ N.
Aquæ regiæ B.
Aquæ Tacapinæ B.
Aquæ Tibillitanæ N.
Aquiaba B.
Aquiſira M.
Aquitana I.
Aradita PC. *v.* Arcabrica.
Aræ MS.
Arſenaria M.
Arſicarita B.
Arſuri B.
Aſenemſale I.
Aſſabenſa I.
Aſſafa MS.
Aſſurus PC.
Aſtigi PC.
Aſuoremita MS.
Auguſtum N.
Auruſuliana I.
Auſagga PC. *v.* Vaga.
Auſapha PC.
Auſucurro N.
Auſugrabene I.
Autentum B.
Auzegera. B.

B.

BAbra N.
Bacanaria M.
Badis I.
Bagai I.
Baia M. *v.* Vaia.
Baliana M.
Bammacora N. *v.* Dammacore.
Bana B.
Bapara M.
Bartiniſia I.
Bazaridaca I.
Bazite I.
Beleſace N.
Bellulitene I.
Bencenna I.
Benepota M.
Beneventum PC.
Bercera N.
Betagbara I.
Bida M. *v.* Bita.
Bilta I. *v.* Hilta.
Boana B.
Boſete N. *v.* Buſſeda.
Bolita PC.
Bonuſta PC.
Boſute I.
Botriana I.
Bubelia B.
Bucca PC. *v.* Abtucca. Tabucæ.
Bucare I.
Buconia N.
Buſſeda N. Boſeta.
Bulla PC.
Bulla regia PC.
Bulturia M.
Burca I.
Burita N.
Buſlace I.

C.

CAbar ſuffis B.
Cæcirita PC.
Cæſarea N.
Cæſaria M.
Calama N.
Caltadria M.
Capra M.
Capſe B.
Caput cillanum M.
Carcabia B.
Carpes PC.
Cartenna M.
Carthago PC.
Caſæ calaniæ N.
Caſæ medianæ N.
Caſæ nigræ N.
Caſis I.
Caſtellum N.
Caſtellum MS.
Caſtellum jaberitanum M.
Caſtellum minus M.
Caſtellum ripenſe M.
Caſtellum tetraportienſe M.
Caſtra nova M.
Caſtro galbæ I.
Caſtrum B.
Catabita M.
Catagnæ I.
Cathaquenza N.
Cathaugura I.
Catra M.
Catula M.
Cavio petaura I.
Cebaradeſa B.
Cedias I.
Ceſala PC.
Cellæ PC.
Cellæ B.
Cellæ MS.
Celerine I.
Cemeriniana I.
Cenculiana B.
Cene I.
Cenveſte I.
Centenaria N.
Centuria N.
Centurio N.
Cibaliana I.
Cicſi PC.
Cidamus MS.
Cilibi. I.
Cillita B.
Cincari PC.
Circi B.
Cirta N.
Ciſſæ M.
Ciumturbo PC.
Cliens I.
Clypea PC.
Cœlia N.
Columnæ M.
Conſtantia N.
Corniculana M.
Covium MS.
Crepedula B.
Cubda PC.
Cufruta B.
Cuiculum N.
Cullabi I.
Cullicita N.
Cullu N.
Cunaga M. *v.* Gunaga
Culſita PC.
Cululi B.
Curubi PC.

D.

DAmatcore *v.* Bammatcore N.
Decoriana B.
Diabe M. *v.* Zaba.
Diana N.
Dicea B.
Dionyſiana B.
Drue I.
Druciliana PC.
Duæſenes palatinæ PC.
Duaſſedeſmai PC.
Dura B.
Duſe I.
Duſite I.
Dydrite I.

E.

EDiſtiana.
Egnatia B.
Fguſe PC.
Elenecluſa M.
Elephantaria M.
Elibia PC.
Eminentiana MS.
Enſa I.
Equizotum MS.
Eudala PC.
Evera I.

F.

FAllaba M.
Fatum N.
Febianum B.
Felicianata I.
Feradite major B.
Feradite minor B.
Ficus MS.
Fidoloma M.
Filace B.
Fiſſana I.
Florianum M.
Flumen piſcis MS.
Flumen zerita M.
Foratiana I.
Formæ N.
Formæ N.
Forontiniana B.
Frontæ M.
Frontoniana B.
Furni PC. *v.* Furvita.
Fuſſala N.

G.

GAdamita MS.
Garbis N.
Gaſauphala N.
Gateana B.
Gavarita B.
Gaudiate N.
Gauriana N.
Gauriana B.
Gazabeta I.
Gazabiana I.
Gemellæ N.
Germania N.
Gervita I.
Gigita MS.
Gilba N.
Gilba N.
Gineſita I.
Girba I.
Girumoni M.
Girus Fariaſi N.
Girus Marcelli N.
Giſippa PC.
Gitta I.
Gor I.
Gratiana B.
Gratianopolis M.
Gummita B.
Gunagita M.
Gunela PC.
Gurgaita B.
Gurgites M.
Gurra N.

H.

HAba I.
Helia B.
Hermiana B.
Herpis M.
Hilta PC. *v.* Bilta.
Hippa MS.
Hippo regius N.
Hippozarita PC.
Hirina B.
Hirpiniana I.
Hizirzada N.
Horrea MS.
Horrea celia B.
Horrea vicina I.
Horta PC.
Hoſpitia I.

I.

JAcubace I.
Icoſium M.
Icrafita MS.
Ida M.
Ida M.
Idaſſa N.
Idicra N.
Idura I.
Igilgile MS.
Infite I.
Inuca PC.
Irpiniana B. *v.* Hirpiana.
Ita M.
Jubaltiana B.
Jubeclidia B.
Jucundiana.
Junca B.
Junca M.
Izariana I.

L.

LAbdia M.
Lacus dulcis L.
Lamasba N.
Lambeſa N.
Lambia I.
Lambiri N.
Lamſua N.
Lamiggia N.
Lanſtorta N.
Lapda PC.
Lapidia M.
Lares PC.
Lares N.
Lege N.
Delalata. I.
Demeleſa MS.
Lemfacta MS.
Leoſita M.
Leptis min. B.
Leptis major T.
Leſvita. MS.
Liberalis I.
Libertina PC.
Limata I.
Limmica B.
Luci magna I.
Lugura N.
Luperciana I.

M.

MAcania M.
Macomades N.
Macomades B.
Macomades T.
Macri MS.
Macriana B.
Mada N.
Madaſſumma B.
Madaurus N.
Madiana MS.
Magarmela I.
Malliana M.
Majuca M.
Maliana M.
Mamilla M.
Manaccenſeri M.
Maraggari PC. *v.* Naraggara.
Maragnia B.
Marazana B.
Marcelliana I.
Marculi N.
Marſimana B.
Maſcula N.
Maſucaba M.
Maſſimana B.
Matari B.
Matharia N.
Mattiana PC.
Maturbum M.
Maura M.
Maxa M.
Maximiana N.

INDEX SEDIUM EPISC. IN AFRICA.

Maxula PC.
Maza N.
Medianum B.
Medefeſſa I.
Megarmele I.
Meglopolis PC.
Melicbuza MS.
Melza PC. *v.* Melda.
Membreſa PC.
Membro PC. *v.* Membloſita.
Menepheſſa B.
Merterobi I.
Meſarfelti I.
Metæ N.
Metagonium M.
Mibiarceſis B.
Midila N.
Midila B.
Migirpa PC.
Milevi N.
Mileum N.
Mimiana B.
Minna M.
Miriciana B.
Miſua PC.
Monte N.
Mopte M.
Moroteri B.
Moxori N.
Mozota MS.
Mulita PC.
Mulia N.
Munaciana I.
Munavili I.
Mulli I.
Municipia & Gerniſiæ B.
Municipium canapium PC.
Municipium Tullienſe N.
Municipitogia PC.
Murconium M.
Muruſtaga M.
Muſti PC.
Muſti N.
Muſſurti I.
Muticita M.
Mutuge N.
Muzua PC.
Muzuca B.
Muzula PC.

N.

NAbala M.
Namnuli I.
Nara B.
Naraggara PC.
Narabcata N.
Naſaita I.
Nasbicena M.
Natio I.
Neapolis PC.
Nebbi I.
Neptita B.
Neva I. *v.* Nova.
Niba N.
Nicibe N.
Nigna major I.
Nigna minor I.
Niguzibi I.
Noba cæſaris N.
Nobalicia MS.
Noba barbara N.
Noba Germania N.
Noba parſa N.
Nobatina. N.
Nobica M.
Numidia M.
Nummula PC.
Nurconia M. *v.* Nurconium.
Nova M.
Nova petra I.
Nova ſine I.
Nova ſumma I.

O.

OBba M.
Oborita M.
Octaba B.
Octabum N.
Oea T.
Ofita PC.
Oliva MS.
Onze I.
Oppenna B.
Oppidum novum M.
Oppinum M.
Oriene I.
Oſpitum N.

P.

PAmaria M.
Panatoria M.
Papia PC.
Pariſium PC.
Partenium MS.
Pauſere I.
Pederodiana B.
Peradamium B.
Perdices MS.
Perfuſa PC.
Pia PC.
Piſita T.
Piſita PC.
Piſte I.
Præcauſa B.
Præſidium B.
Privatum MS.
Pumentia N.
Pupput PC.
Putea N.
Putea B.
Putzia I.

Q.

QUæſtionaria B.
Quidium M.
Quidium N.

R.

REfale PC. *v.* Cefale.
Regium M.
Regium N.
Reſpecta N.
Reperitana M.
Reſſana N.
Rotaria N.
Rucuma PC.
Rufiniana B.
Ruſadira M.
Ruſgonia M. *v.* Ruſtonium.
Ruſpe B.
Ruſtonium M.
Ruſticiana N.
Ruſubicari M.
Ruſucurrum M.

S.

SAbrata T.
Saiæ I.
Saldæ MS.
Salica I.
Satafa MS.
Satafa M.
Saturnica I.
Scilita PC.
Seberiana B.
Segermis B.
Seleneſita I.
Seleucia N.
Semesfila I.
Semina PC.
Sene I.
Septiminiciana N.
Serb ſiana N.
Sereddeli M.
Serre I.
Serta M.
Sertere I.
Seſtum M.
Sibida I.
Sicca PC.
Siccefi I.
Sicilibba PC.
Sfaſterium M.
Siguite I.
Silæ M.
Sillitæ N.
Simidicca I.
Simithu PC.
Simungita I.
Sinitu N.
Sennipſe M.
Sinvara PC.
Siſtoriana N.
Sitifi MS.
Socia MS.
Suaba N.
Sublecte B.
Subobbrite I.
Subur M.
Sucarada M.
Succuba PC.
Suffara M.
Sufes B.
Sugita N.
Summa I.
Sumula M.
Suriſta MS.
Suſicaſia N.

T.

TAbadacara M.
Tabazagene I.
Tabla M.
Tabora PC.
Tabora M.
Tabuca PC.
Tabuda N.
Tacape T.
Taccora N.
Tadama M.
Tadua PC.
Tagara PC.
Tagara B.
Tagarbala B.
Tagaſte N.
Talaptula B.
Talbora PC.
Tale I.
Tamaluma B.
Tamaluma MS.
Tamblempſis M.
Tamaſcaria MS.
Tamazuca M.
Tambaia B.
Tamagafia N.
Tamuda M.
Tamugada N.
Taprure I.
Tapſus B.
Taraza B.
Taraſſa N.
Tarunamuſa M.
Taſacora M.
Tasbalte B.
Talia montanenſis PC.
Tauracina PC.
Tebeſte N.
Tegla N.
Telepte B.
Temuniana B.
Teniſſa M.
Tennona PC.
Teſcita B.
Teſtnia I.
Thagamata B.
Thagura N.
Thamagriſta MS.
Thelæ PC.
Thenæ B.
Theudalis PC.
Theuſita B.
Thubunæ M.
Thurabti PC.
Thurris PC.
Thurza B.
Thybæ I.
Tibazabenula I.
Tibilita I.
Tibuzabalte I.
Tices B.
Ticvalta B.
Tididita N.
Tifelta M.
Tigamibena M
Tigava M.
Tigiſi M.
Tigiſi N.
Tigillaba N.
Tigimma PC.
Tignica PC.
Timici M.
Timida PC.
Tingaria M.
Tiniſſa PC.
Tipaſa N.
Tiſidium N.
Tiſilis PC.
Tiſſica PC.
Tizia B.
Triſipellis PC.
Trofoniana B.
Travaſcani I.
Tubi M.
Tubunia N.
Tubulbaca B.
Tuburſus commodiana I.
Tuburbo majus PC.
Tuburbo minus PC.
Tubuſſputus MS.
Tuburſica N.
Tucca N.
Tucca MS.
Tucca PC.
Tuccabora PC.
Tulana PC.
Tunagate I.
Tuncuvada I.
Tunes PC.
Turreblandis B.
Turres ammeniarum N.
Turres concordiæ N.
Turris N.
Turris alba I.
Turviva I.
Tuzumme I.
Tuzurite M. *v.* Tuſdrite.
Tuzurita B.
Tyſurus B.
Tzella *v.* Zella.

V.

VAda N.
Vada N.
Vadentiana B.
Vadeſita N.
Vaga N. *v.* Auſuagga.
Vagadæ N.
Vaga M.
Vagal M.
Vagarmelita N.
Vagrava N.
Valentia PC.
Vaia *v.* Baia.
Vallis PC. *v.* Ullite.
Vamari I.
Valeria PC.
Vamalla MS.
Vamacore *v.* Bammacore.
Vanaria I.
Varurita B.
Vacua PC.
Vardimeſſa M.
Vartane I.
Vaffian ſſe B.
Vatarbe I.
Vudianum M.
Vazari N.
Vazua PC.
Ubba M.
Uci majus PC.
Uci minus PC.
Ucula I.
Vegeſela N.
Venta I.
Veſcetra MS.
Veri PC.
Verrate I.
Veſeli N.
Veſſetra MS.
Vici Cæſaris I.
Victoriana B.
Vicus ateriæ B.
Vicus pacis N.
Villa degenſis N.
Villa magna PC.
Villa noba M.
Vina PC.
Vinde I.
Viſe *v.* Vite.
Viſſalſa M.
Ullita N.
Unizibira B.
Undeſita I.
Unuricopolis B.
Vol PC.
Voncaria M.
Voncariana M.
Voſete I. *v.* Viſite, Boſute.
Urci PC.
Urge I.
Uruge. I. N.
Utica PC.
Utimira PC.
Utina PC.
Utina PC.
Uthinuna I. *v.* Uci.
Uvzia I.
Uzala PC.
Uzippari PC.
Uzita PC. *v.* Viſi.
Uzula B.

Z.

ZAbi MS.
Zabi N.
Zabuna I. *v.* Medizabunæ.
Zallata MS.
Zama N.
Zarai MS.
Zaradu N.
Zarna PC.
Zattara N.
Zella B. *v.* Zelta.
Zeuta PC.
Zerta N.
Zeni *v.* Zenta.
Zigga PC.
Zica I.
Zuchabari M.
Zumma N.
Zura I.

INDEX

INDEX
IN
SANCTI CYPRIANI
EPISTOLAS ET TRACTATUS.

A.

ABRAHÆ filii, E. 277.
Abrupta præſumtio, E. 194.
Abſolutio Eccleſiæ divinæ ſententiæ non præjudicat. E. 246.
Abſolutio in Eccleſia qualis, T. 96.
Abſtinere hunc poteris, E. 173.
Abſtinere quid, E. 173, 227.
Abſtentus & hoſtis Eccleſiæ judicatus, E. 292.
Abſtentus, E. 259, 292.
Acca meretrix, T. 9.
Accepta feciſſent, E. 210.
ſine Acceptione perſonæ, E. 298.
in Acceptum referat, E. 285.
in Acceptum referre, T. 98.
Accerſitio Domini, T. 114.
Accerſitionis propriæ dies, T. 109.
Accipere perſonam, & differentias, E. 317.
Accipiet in uterum virgo, E. 184.
Acerbationes criminoſæ, E. 231.
Acies tormentorum, E. 183, 184.
Acies adhuc geritur, E. 198, 199, 242.
Acoluthi qui, E. 178.
Actum ſuum diſponit & dirigit unusquiſque, E. 248.
omnis Actus Eccleſiæ, E. 216.
Actus ſui rationem Domino redditurus, E. 299.
Actus noſtri & diſciplinæ, E. 199.
pro Actus noſtri mediocritate, E. 217.
Adaquare, E. 278.
Adelphius, E. 287.
Adgaudere, T. 24.
Adhuc inter manus eſſet, E. 241.
Adjudicat ſecum ipſis, E. 321.
Adjumenta, forte lomenta, E. 297.
Adjurari dæmones, T. 10.
Admetus, T. 8.
Adprehenſi infirmitate, E. 181.
Adventus ſecundus Dei appropinquat, E. 278, bis
Adventus Chriſti duo, T. 11.
Adulatores, T. 6. E. 292.
Adultera aqua, E. 312.
Adultera Chriſti, E. 175.
Adulteram cathedram collocare, E. 292.
Adulterat præcepta divina, E. 278, bis.
Adulteria & furta ſpiritalia, ibid.
Adunata trinitas, E. 311.
Adunatio, E. 319.
Adunatio ſequentis fraternitatis, Ibid.
Ægrum perire voluit, qui cenſum pereuntis invadit, T. 132.
Ægyptia portenta, T. 9.
Æmilio Dominus ignovit, T. 91.
Æmulus princeps, E. 244.
Æmula ingreſſione nitendum eſt, T. 70.
Æneas profugus, T. 9.
Æſculapius, T. 11.
Ætas longa decem annis, E. 307.
Æternum peccatum, E. 195.
Africa à Numidia diſtinguitur, E. 306.
Agere pro integro velle, E. 282.
Agnitio Dei non eſt in terris, T. 131.
Agon cœleſtis, E. 184.
Agon ſpiritalis, E. 333.
Agone imminente, E. 179.
Agonis ſub ictu, E. 332.
Agrippinus, E. 304.
Agrippino bonæ memoriæ viro, E. 307.

Ahimnius, E. 251.
Alexander ad Matrem, T. 9.
Alexander Imperator, E. 322.
Alexius, E. 203.
Alienus lucis, T. 2.
Alienigenæ, alieni à divino genere, T. 134.
Aliméntis Eccleſiæ ſuſtinentur, E. 171.
Altare collocare, E. 306.
Altare Domini removere, E. 268.
Altare unum, E. 294.
Altari Dei aſſiſtat Antiſtes, E. 272.
Altari poſito, E. 231.
Alternent per vices, E. 176.
Alterutrum adjutores, E. 330.
Alterutrum ad ſe venientes, E. 314.
Amantius acoluthus, E. 330.
Ambitio, T. 5.
Amœnare oculos, T. 1.
Amplus, E. 252.
inter Angelos ſtare, E. 213.
Angelus fœderis Chriſtus, T. 26.
Angentibus peccatis premebatur, E. 279.
Angentibus fortunis, T. 6.
Angentium injuriarum pondere, T. 150.
Animat Spiritus ſanctus, T. 2.
Animata in unum fraternitas, E. 186.
Animationis ſuæ iram ſuperduxit, T. 106.
Animatus lavacro aquæ ſalutaris, T. 2.
Anni fatigantis inducias, T. 1.
Annonarum incrementa captata, T. 131.
Annorum ſex millia ab orbe condito, T. 117.
Anteceſſores noſtri, E. 180, 192, 244.
Anthropiani, E. 307.
Antichriſtus quis, T. 65.
Antichriſtus, E. 268.
Antichriſti metator, E. 202, 203.
Antichriſti tempus appropinquaſſe, E. 268.
Antichriſtus, hora noviſſima, E. 302.
Antichriſto appropinquante, E. 290.
Antichriſtus ſub vocabulo Chriſti, T. 76.
Antichriſti, E. 299.
de Antichriſti ſpiritu, E. 310.
de Antichriſtis Chriſtiani, T. 167.
Antichriſtos appellavit, E. 294.
Antichriſti tempora, E. 255, 272, 290. T. 83.
Antiſtes Dei, E. 201.
Antoniano, E. 241, 300.
Apelles, E. 321.
Apelles hæreticus, E. 316.
Apelletiani, E. 307.
Aphronitrum, E. 297.
Apibus Rex, T. 10.
Apollo, T. 8.
Apocryphorum librorum quæ Auctoritas, T. 20, 21, 47.
Apoſtoli Epiſcopi, E. 173, 232.
Apoſtoli pari conſortio præditi honoris & poteſtatis, T. 77, 78.
hoc utique & ceteri Apoſtoli quod & Petrus, ibid.
Apoſtolorum conteſtatione, E. 290.
Apoſtatæ Angeli, T. 71.
Apoſtataverunt, E. 253.
Appellationes tranſmarinæ, E. 265.
Apportant volucres cibum, T. 105.
Apprehenſus, E. 334.
Aqua mendax & perfida, E. 308.
Aqua ſola Chriſti ſanguinem non poteſt exprimere, E. 280.

INDEX

Aqua ad menſuram, E. 203.
Aqua adultera, E. 312.
Aqua continua perſeveranter ac jugiter fluat, E. 318.
Aquarii hæretici, E. 276.
Aquæ ſunt gentes in ſacris ſcripturis, E. 280.
Aræ diaboli, E. 245.
Arbitrii poteſtas, E. 314.
Arbitrio & ructu, E. 174.
Arbitrio propriæ libertatis manente, T. 80.
Arbor ſenectute deformis, T. 130.
Arca Noë ſacramentum Eccleſiæ, E. 324.
Arca Noë, typus Eccleſiæ, E. 295.
Arcæ unius ſacramentum, E. 318.
Arceſſitio, quid E. 203.
Ardor gehennæ, E. 177.
Argumenta fidei, T. 2.
Ariſto, E. 203.
Arma ordinationis & honoris, E. 305.
Arma contra Eccleſiam, T. 83.
nihil ſibi Arroganter aſſumere, E. 276.
aliquid ſibi Arroganter aſſumere, E. 293.
Ars impudica hiſtrionum, E. 171.
Arundines bajulæ, T. 1.
Aſperſio baptiſmatis, E. 298.
Aſpirat ventus, T. 144.
Aſſidebant Presbyteri Epiſcopis, E. 169.
Aſturica, E. 287.
Aſylus, T. 9.
Avaritia, T. 6.
Auceps temporum, T. 6.
Auctoritas probri, T. 4.
Audientes catechumeni, E. 198.
Audientium doctor, E. 209.
Augendus, E. 226, 230, 236.
Augendus Diaconus, E. 230.
Aurelius Lector, E. 207, 222, 224.
Aurelius, E. 252, 287.
Aurum ignitum, T. 140.
Auſpicatus eſt pacem, E. 223.
Autumnus. T. 1.

B.

BABYLONII ignes, E. 290.
Bajulæ arundines, T. 1.
Baptiſma ab Epiſcopo ſolo conceſſum, T. 118.
Baptiſma poſt quod nemo jam peccat, Ibid.
Baptiſma publicæ confeſſionis, E. 312.
Baptiſma ſpiritale & corporale, E. 323.
Baptiſmata, E. 313.
Baptiſmata duo eſſe non poſſunt, E. 302.
Baptiſmum non ſuſcipientes, in Eccleſiam admiſſi quomodo tractandi, E. 313.
Baptiſmus Chriſti, T. 3.
Baptiſmus hæreticorum, E. 306.
Baptiſmus infantum, E. 279. bis
Baptiſmus martyrii, T. 118.
Baptiſmus ſanguinis, E. 253, 313.
Baptiſmi, T. 118.
Baptiſmi unda genitalis, T. 2.
De Baptizandis Novatianis, E. 294, 300, 302.
Baptizati quomodocunque, E. 311.
Baptizatus à mortuo, E. 303.
Baptiſmo ſymbolum recitatum, E. 301.
Baſilides, E. 287, 321.
Baſilides Romam pergens ut exambiret reponi ſe in epiſcopatum, E. 289.
Baſſianus, E. 181, 203.
Baſſus in pejerario, E. 203.
Bella crebrius ſurgant, lues, fames ſæviant, &c. T. 129.
Benedictus, appellative dictus Deum ſonat, T. 27.
Benedictus martyr, E. 203.
Bibulus canalis, E. 318.
Blaſphemare Spiritum ſanctum, E. 195.
Bona mulier, E. 204.
Boni una cum malis corripiuntur,
Botri acini, E. 295.
Botronatus, quid T. 72.
Breviavit ſalutari ſermone Deus precem noſtram, T. 106.
Breviarium præceptorum cœleſtium, T. 39.
Breviata non eſt dignitas, E. 272.
Britius, E. 227.
Brutus filios interficit, T. 9.
Budinarius, E. 227.
Burdonarius. ibid.

C.

CÆCA petitio, E. 194.
Cæcantibus veritatem præſtigiis, T. 10.
Cæcilius epiſcopus, E. 252.
Cæcilius, E. 173, 252, 276, 287, 300.
Cæſar-auguſta, E. 289.
Cæſariani in Cæſarianas poſſeſſiones deſcripti, E. 332.
Cæſar in Africam, T. 10.
Caldonius, E. 204, 227, 230, 231.
Caldonius, E. 252, 300.
Caldonius ep. E. 252.
Caldonius. E. 207, 225, 233.
Calicem ſanctificare, E. 276.
Calicis ſacramentum, E. 279.
Calor fidei, T. 144.
Calor gloriæ, E. 196.
Calphurnius, E. 202.
Calumnia forenſis evertit, T. 142.
Canalis aquam ducens, E. 318.
Candida, E. 201.
Candida cohors, maſſa, martyres dicti, T. 87.
Capillaturam adæquare, E. 330.
Capilli mendacio colorati, T. 88.
Capillus horreſcit, E. 328.
ſponte ad Capitolium ventum eſt, T. 89.
Capitula dominica, T. 118.
Capitula ad fidem pertinentia, T. 39.
Captivorum fratrum cura, E. 274.
Caput & originem veritatis reliquerunt, T. 81
Cardea, T. 9.
Caritas Chriſtiana, T. 82.
Carthaginem Roma præcedit, E. 238.
Carthaginienſis Eccleſiæ fides, E. 219.
Caſſius, E. 300.
Caſto Dominus ignovit, T. 91.
Caſtor & Pollux, T. 8.
Caſtra domeſtica, E. 233.
Caſtra Domini, E. 252.
Caſtra ſecularia, E. 224.
Cataphrygæ, E. 321.
ad pulpitum poſt Cataſtam venire, E. 222.
Cataſta, Ibid.
Catechumeni ne vacui exeant, E. 197, 325.
Cathedra una ſuper Petrum, T. 76. E. 229.
Cathedra adultera, E. 292.
Cathedra ſacerdotalis, E. 243, 306.
Cathedra una, E. 229. T. 76.
Cathedræ auctoritas, E. 172.
Cathedræ honor, E. 197.
Catholica Eccleſia, E. 233.
Catholica Eccleſia Carthagini, E. 263.
Cauſa audiatur, ubi crimen eſt commiſſum, E. 266.
Celerinus, E. 202.
Celerinus, E. 201.
Celerina, E. 224.
Celerinus Lector, E. 223.
Celerinus, E. 207.
Cenſura ſacerdotalis, E. 259.
Cenſura divina, E. 185.
Centenarius martyrum fructus, T. 73.
Cerdon, E. 315, 321.
non jam quaſi Chriſtianus, ſed quaſi nocens, E. 190.
Chriſtiani quales tempore Cypriani, T. 88.
Chriſtus, T. 11.
Chriſti præſentiam & ſanctimoniam adeſſe, E. 323.
Chriſti aſcenſio ad Patrem, T. 11.
Chriſti miracula, ibid.
Chriſti ſacramentum, T. 14.
in Chriſti nomine multa apud hæreticos aguntur, E. 325.
Cibi ferales, E. 245.
Cibi frugales, ſed innocentes, E. 171.
Cirrus quid, T. 62.
Cilicia, E. 322.
in Cilicio & cinere, E. 201.
Cincinni, T. 71.
in Circo poſtulatus, E. 262.
Cittinus, E. 300.
Clarificatio Domini, E. 286.
Claritas carnis & honor, T. 69.
Clauditur Eccleſia, E. 267.

deſertor

INDEX.

desertor claudicasti, E. 214.
Clauduntur lenitatis paternæ solatia, E. 292.
Clementius hypodiaconus, E. 179, 182, 199.
Cleri Romani Epistola ad Clerum Carthaginiensem, E. 179.
Cleri & plebis collatione collecta pecunia, E. 275.
Cleri consessus, E. 268.
Clerici tutores dari non debent, E. 169.
Clerica Epist. E. 179.
Clericales literæ, E. 204.
Clericorum varii gradus, E. 179.
Clero proximi, E. 208.
Clero tecum præsidenti, E. 268.
Clero conveniente præsente & stantium plebe, E. 198.
Clerus Romanus, E. 199.
Clericæ ordinationes, E. 222.
Clientium cuneis stipatus, T. 2.
Clinici an Peripatetici, E. 299.
Clinici non Christiani, E. 298.
de Clinicis, E. 297.
Clinicus de Evangelio, E. 298.
Cludi imbribus, cœlum. T. 132.
Cœmeterium, E. 333.
non Cogitans Episcopum, E. 194.
Cognitionis dies imminebat, E. 239.
Cohors candida. T. 87.
Collectæ unde dictæ,
Collegia profana, E. 289.
Collegii honor, E. 314.
Collegium sacerdotum, E. 261.
Colligere fraternitatem, E. 267.
Colligendis fratribus, E. 244.
Colliguntur extra Ecclesiam, E. 268.
Collyrium Christi, T 140.
Colonica, E. 203.
Copiosum corpus est sacerdotum. E. 292.
Commeatus, T. 115.
Commeatum sibi precaretur, T. 114.
Comestura exterminat, T. 139.
Comi ad speciem formæ suæ, T. 69.
Commeatum dare bonis Confessoribus, E. 223.
Commemorationes eorum, & dies quibus excedunt martyres. E. 188.
Commune est in nostra usurpatione quodcunque Dei est, T. 144.
Commune consilium, E. 218.
si sibi vel laico Communicare liceret, E. 289.
Communicatio à non communicantibus offeratur, E. 265.
Communicare sacrificatis, E. 244.
Communicatio sacrilega. ibid.
Communicatio cum lapsis sacrilega, E. 244.
Communi consilio ponderare, E. 216.
Communi consilio dirigantur, E. 320.
Communio laica, E. 237, 241.
Communi consilio, E. 198.
Communionis jus, E. 253.
Communionem desiderent, E. 181.
Communicet ille cum suis, E. 194.
Communicent laici, E. 244, 289.
Communis & immundus, E. 281.
Compedes impositi pedibus, E. 328.
Compendia divina, E. 298.
Compendia gratiæ divinæ, T. 2.
Compresbyteris & Cypriano, E. 204.
Compresbyter Episcopi, E. 178.
Compresbyteri nostri. E. 192.
Computat Deum debitorem, T. 144.
Conamina humana, F. 268.
Concilium Afr. de baptismo hæreticorum, E. 300.
Concilium Episcoporum, E. 242.
Consistentes qui, F. 169.
in Concilio placuit, E. 251.
Concilium plurimorum sacerdotum, E. 292.
Concilio frequenter acto, E. 264.
Concubitus illiciti, E 192.
Concubitu infami, E. 190.
Concordia Christi, E. 186.
Conditio loci, F. 175.
Confessio, T. 96.
Confessio florida, E. 202.
Confessionis magnæ corona, E. 330.
Confessor illustris & verus, F. 192.
Confessores mali, F. 253.
Confessorum pudor, E. 194.
Confessorum & martyrum gloria, E. 221.
Confessorum visitatio, E. 176.
in Confessoribus fraudes & stupra, T. 84.
Confitentes atque intelligentes delicta nostra, E. 186.
Confirmatio, E. 308.
Confiteri maluit quam profiteri, E. 334.
Conflictatio secularis, E. 177.
Confusa sidera ad crucem Domini, T. 147.
Conjacentium duorum turpis & fœda dormitio, E. 174.
Conscientia tolerabilis, E. 245.
Conscientiam pectoris erudire, T. 1.
Conscientiæ suæ vulnere, E. 289.
Conscientia, T. 5.
Conscientia fortior, T. 4.
sine Conscientia plebis, E. 279, bis.
Conscientia luminum, T. 4.
ad Conscientiam tuam pertulimus, E. 306.
quæ erant in Conscientia nostra, E. 254.
Consecutio, Baptismus, E. 189. T. 56.
Consenescente impetu, E. 219.
Considentibus sacerdotibus, E. 231.
Consilio plurimorum examinata, E. 191.
Consiliorum collatione, E. 211.
Consilium limare, E. 197.
Consilio omnium vestrum, E. 231.
Consilium commune Episcoporum, E. 229.
Consistentes, E. 169, 208.
non Consolidastis quod contribulatum est, E. 254.
Conspirantes literæ, F. 210.
Constantius & fortius docet alio loco, E. 279.
Constituti in exitu, E. 198.
Consuetudinem hominis sequi non oportet, sed Dei, E. 303.
Consuetudinem ratio & veritas excludit, T. 165.
Consuetudini Romanorum consuetudinem veritatis opponimus, E. 325.
Consuetudinis præscriptio, E. 303, 310.
Consuetudo sine veritate, vetustas erroris est, E. 317.
Consulatus, T. 9.
Consummatio, orationis clausula, T. 106.
Consummatione martyrii, E. 328.
Consus, Consilii Deus, T. 9.
Contestantes ei, E. 286.
Contestatio Christi, E. 311.
Contestatio Apostolica, E. 315.
Contestatione Apostolorum, E. 299.
Contestatio Apostoli, E. 312.
Contumax, contradicens, E. 190.
Convenæ temerarii, T. 80.
Conventus Episcoporum, E. 231.
Convertere Evangelium, E. 207, 279.
Convivia gentilium turpia & lutulenta, E. 289, 290.
Corban non respicis, T. 141.
Cor mundum, T. 138.
Cornelia, E. 202.
Cornelii honor, E. 293.
Cornelio coepiscopo nostro, E. 241.
Cornelio fratri, E. 252.
Cornelio fratri, E. 236, 237.
Cornelius centurio, T. 108. E. 305.
Cornelius collega noster, E. 243, 290.
Cornelius Episc. Rom. E. 241, 243.
Cornelius Episcopus sanctissimæ catholicæ Ecclesiæ, E. 235.
Corona candida, corona purpurea, E. 184.
Coronati martyres, E. 183.
Corpori & sanguini Domini vis infertur, T. 92.
Corporis Ecclesiastici compago, E. 249.
Corporis & sanguinis Christi protectione muniamus, F. 253.
Corpus Domini in Eucharistia, T. 92.
Corpus Domini invadunt, T. 92.
Corporum cura, E. 188.
Correcti & reformati, E. 312.
Cothurnus tragicus, T. 4.
Crastinus dies ipse cogitabit sibi, T. 104.
Credentibus Deus dat quantum credentes accipere se credunt, E. 183.
Credentium populus, T. 98.
Credentium robur elanguit, T. 86.
Credulitas, fides, E. 330.
Credula, mulieris proprium nomen, E. 203.
Criminum mors, T. 2.
Crucis inimici qui dicendi, T. 34.
Cruda hyeme, E. 323.
Cruditate indies superstite, E. 283.
Cultus plebeius, T. 2.
Cunctabundi pedes, E. 328.
Cunei clientium, T. 2.
Cuneis clientium stipatus, T. 2.

INDEX

Curatam à fullone veſtem, E. 197.
Curricula vivendi, T. 68.
Cypriano Papæ, E. 209, 212, 218.
Cyprianus, qui & Thaſcius, E. 284.
Cyprianus Papa, E. 179.
Cypriani ſeceſſus, Ibid.
de Contemtu ſeculi, T. 1, 2, 3, 4.

D.

DANIEL, E. 320.
Danielis martyrium, E. 290.
Dæmonia excludere, T. 82.
Dæmon nequiſſimus, E. 323.
Dæmones, T. 10.
Dæmonia ejicere, T. 3.
Dativa, E. 203.
Dativus, E. 327, 330.
Decimæ in Eccleſia penſitatæ, T. 85.
Decimæ à Chriſtianis penſitandæ, E. 170.
Decimus, E. 204.
Deformationem religionis, non virtutem, T. 82.
Deformitas tetra, E. 328.
Degravari terrenis cupiditatibus, T. 90.
Deifica diſciplina, E. 238, 291. T. 156.
Deificæ ſcripturæ, T. 160.
Deifica ſanctitas,
Dei præcepta prima, T. 107.
Prima ſententia Dei, T. 74.
Delicata cuſtodia, *Pont. in vita Cypr. & in act. Mart.*
Delicatæ mentis ignavia, T. 110.
Delicta extrema, graviſſima, E. 197.
Delicta minora, ibid.
Delictores graviſſimi, E. 281.
Demetrius, E. 252, 300.
Demetrianus perſecutor Eccleſiæ, T. 129.
Deo omnipotenti omnia remiſimus, E. 235.
Deponere, E. 173.
Depopulator matrimoniorum, E. 259.
Deprehenderis virgo, T. 69.
Deferentes fraternitatem, E. 180.
Deſideria ponderetis, E. 193.
Deſideria Martyrum examinanda, E. 192.
Deſideria prolixa de ſeculi ambitione, T. 70.
Deſperatorum factio, E. 259.
Deſperatio meliorum, T. 2.
Detruncat oleam turbo, T. 131.
Devotio & timor Chriſti, T. 106.
Deus Epiſcopum facit, E. 243.
Dei conſpectus & oſculum, E. 178.
Deus rogat pro nobis, T. 107.
Deus occultorum ſcrutator de his judicat, E. 253.
Dextralia quid, T. 71.
Diaconus abſtinetur, E. 174.
Diaconus mulieri commiſcetur, E. 173, 323.
Diaconus ſuperbus, E. 237.
Diana Taurica, T. 9.
Dico provocatus, dico dolens, dico compulſus, E. 261.
Dies præſtitutus Chriſtianis negandi Chriſtum, T. 88.
Dies redditionis, T. 144.
Differentias accipere, E. 317.
Dignatio Dominica, E. 177.
Dilati Chriſtiani, urgente veſpera, T. 89.
Dilectus veritatis, E. 265.
Dionyſius, E. 236.
Diſceptatione, ſi potes, vince. Vince ratione, T. 133.
Diſcernit inter juſtos & malos, T. 149.
Diſciplina, fundamentum religionis, T. 67.
Diſciplina Dominica, E. 189.
Diſciplina, venia, E. 187.
de Diſciplina & habitu, T. 67.
Diſciplina gladiatoria, T. 4.
Diſciplina Chriſtiana corrumpitur longa pace, T. 88.
Diſcipulus docibilis, E. 213.
Diſcordia, T. 157.
Diſcordioſus ſtilus, E. 231.
Diſcriminalia, T. 71.
Diſcurrere improbe & inſolenter, E. 192.
Diſpendia pigra & ignava, T. 109.
portionem ſui in Diſperſo habet, E. 286.
ad Diſponenda quædam, E. 305.
hoc Diſponere nituntur, E. 211.
Diſpoſitio divina, E. 315.
Diſpoſitionis divinæ jus; E. 296.
Dives ſterilis, T. 140, 141.
Divina miſericordia potens eſt, E. 196.
Diviſio menſurna, E. 218, 224.
Divortium collidentium voluntatum, T. 79.
Docibilis eſſe debet Epiſc. E. 317.
Domeſtica caſtra, E. 233.
Dominica fides, E. 177.
Domine frater dilectiſſime, E. 202.
Dominico legit, E. 223.
Dominicum celebrare poſt cænam E. 278. bis.
Dominicum celebrare, T. 141.
Dominicum quid, ibid.
in Dominicum ſine ſacrificio venis, ibid.
Domino reſervari, E. 250.
Donata, E. 203.
Donatus Epiſc. E. 252.
Donatulo, E. 251.
Donatus, T. 1. E. 203, 252, 300.
ſi peccata Donentur, T. 105.
Dormitio, E. 171.
Dormientes non mortui, T. 115.
Ducatum præbere ad confeſſionem, E. 331.
Ducenarius procurator, E. 290.
Duobus ſimul cognitis Deo & Chriſto, E. 311.
Durate fortiter, T. 74.
Dure & crudeliter ab Eccleſia ſegreg. E. 246.
Durior philoſophia, ibid.
Duritia & inhumanitas, E. 245.
Duritia, inclementia, ibid.
Duritia crudelis, ibid.
Durum ac difficile. T. 2.

E.

EANT nunc Magiſtratus & Conſules, E. 221.
Eccleſia Catholica, E. 235.
Eccleſia in Epiſcopo, cum nobis & Eccleſia una ſit & mens juncta, E. 269.
Eccleſiam claudi pulſantibus, E. 252.
Eccleſia Dominica, E. 333.
Eccleſiæ unius caput & radicem tenemus, E. 306.
ut Eccleſia Capitolio cedat, E. 268.
Eccleſia, plebs ſacerdoti adunata, E. 286.
Eccleſia erubeſcere incipiat, E. 194.
Eccleſiæ libram tenentes Epiſcopi, E. 292.
Eccleſiaſtica diſpoſitio, E. 232.
Eccleſiæ gubernaculum, E. 286.
Eccleſia in Epiſcopo, E. 216, 286.
Eccleſia humana, E. 249.
Eccleſiaſtici corporis compago, ibid.
Eccleſia Romana fortis in fide, E. 181.
Eccleſia principalis, E. 266.
Eccleſia ſuper Petrum, E. 302.
Eccleſia paradiſi inſtar, E. 309.
Eccleſia mater, T. 78.
Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituta, E. 216.
Eccleſiæ gubernandæ ſublimis ac divina poteſtas, E. 259.
in Eccleſiæ adminiſtratione unuſquiſque Præpoſitus liberum habet voluntatis ſuæ arbitrium, E. 306.
Ecſtaſis puerorum, E. 196.
Edicta feralia, E. 244.
Effigiem barbæ non corrumpetis, T. 96.
Elaborata mole, T. 6.
Elanguit robur credentium, T. 86.
Elanguit robur fidei, E. 290.
Eleemoſynis ſolis Deum poſſe placari, T. 138.
Eloquentiæ vires, T. 2.
Emerita, mulier, E. 202, 203, 287.
Emundabat filios ſuos offerens Deo, T. 142.
Epictetus Ep. Aſſuritanus, E. 282.
Epiſcopatus Cypriani primordium, E. 192.
Epiſcopatus unus Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus, E. 249.
Epiſcopalis locus & gradus, E. 188.
Epiſcopatus noſtri contumeliam ferre poſſum, E. 194.
Epiſcopatus vigor, E. 268.
Epiſcopatus unus & indiviſus, T. 78.
Epiſcopus in locum def. ſubſtitutus, E. 261.
Epiſcopus unuſquiſque actum ſuum dirigit, E. 248.
Epiſcopus poſt lapſum, non recipiat locum Epiſcopi, E. 282.
Epiſcopus in Eccleſia, E. 286.
Epiſcopus denegatur, E. 267.
Epiſcopus Epiſcoporum, T. 158.
ut Epiſcopi, Presbyteri & Diacones animadvertantur, E. 333.
Epiſcopo tractante, E. 245.

Epiſco-

Epiſcopos Dominus elegit, Epiſcopi diaconos. Eorum contemtu ſchiſmatum origo, E. 173.
Epiſcopi jure & poteſtate pares, T. 77.
Epiſcopi plures convocati, E. 197.
Epiſcopi, ſoli Deo conſcientiam debent, E. 209.
Epiſcopi ſucceſſerunt Apoſtolis ordinatione vicaria, E. 324.
Epiſcopos, id eſt, Apoſtolos, E. 173, 232.
Epiſcopo honor debitus, E. 197.
Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi, E. 289.
Epiſcopi nomen ſibi aſſumunt, T. 80.
Epiſcoporum jus baptizandi, E. 308.
Epiſcopi per urbes ſingulas, E. 249.
Epiſtolam ne teneatis occultam, E. 187.
Epiſtolæ tredecim à Cypriano in ſeceſſu ad clerum ſuum miſſæ, E. 199.
Epiſtolæ Clericæ, authenticæ, E. 182, 200.
Epiſtolæ ſynodicæ. Vid. Literæ, E. 232.
Epulares cœnæ, T. 2.
Erratici palmitum lapſus, T. 1.
Erratici ſpiritus, T. 3.
Erubeſcere Eccleſia incipiat, E. 194.
Erubeſcit Eccleſia, E. 192.
Erudire conſcientiam pectoris, T. 1.
Etecuſa, E. 201.
Evangelica auctoritas, E. 310.
Evangelicus vigor, E. 241.
Evangelii majeſtas, E. 219.
Evangelii vigor, E. 229.
Evangelii interpretes falſi, T. 81.
Evariſtus, E. 232.
Euchariſtia, E. 253.
Euchariſtia parvulis adhibita, T. 94.
Euchariſtia profanata, miraculum, ibid.
Euchariſtia quotidie ſumta, T. 104.
Euchariſtia oleum in altari ſanctificatum, E. 301.
Euchariſtia datur pœnitentibus, E. 193.
Euchariſtia in manus tradita, E. 258.
Euchariſtia oleum unde baptizati unguntur, E. 301.
Euchariſtia geſtata, T. 149.
Euchariſtia ſub utraque ſpecie, E. 253.
Euchariſtia munimentum, E. 253.
Euchariſtiam jure communicationis accipiunt, T. 104.
Euchariſtiam facit mulier, E. 323.
Euchariſtiæ portiones domum perlatæ, T. 94, 149.
Euchratius Ep. E. 171.
Evirantur mares, T. 4.
Eutyches, E. 252.
Eutychianum ſaluto, E. 332.
Eutychiano, E. 300.
Exambire ad martyres, E. 199.
Exambiret reponi ſe, E. 289.
Excarnificatus martyr, E. 213.
Excarnificandi pro Evangelio, E. 210.
Exceſſus, E. 182.
Excitavit Dominus Satanam ipſi Solomoni, T. 106.
Excitatus de grabato, E. 298.
Excitari de presbyterio, E. 239.
fallaces in Excuſatione præſtigiæ, E. 210.
Exemplum facti eſtis ceteris, E. 192.
Exhæres fidei, E. 209.
Exhibitio & tegumentum, T. 60, 104, 140.
Exhibitio quid, T. 60.
Exitus urgens, E. 245.
in Exitu conſtituti, E. 198.
in Exitu conſtitutis pax daretur, E. 242.
in Exitu ſubvenire ſacrificatis, E. 246.
Exoletis cornibus luna tenuatur, T. 130.
Exomologeſin faciebat Deo Azarias, T. 96.
Exomologeſi facta, E. 195. 198, 203.
Exomologeſis, E. 193, 195.
Exomologeſis ad diaconum facta, E. 197.
Exomologeſin delicti facere, E. 197.
ante Exomologeſin factam, T 92.
Exorciſtæ, E. 323.
Exorciſtæ iidem qui Catechiſtæ, T. 3.
Exorciſtæ ſpiritalia flagra, T. 133.
per Exorciſtas flagellatur dæmon, E. 299.
Exorcizat dæmoniacus, T. 158.
Exoſculari veſtigium infantis recens nati, E. 281.
Exponere, E. 250, 324.
Exprobra de malo, E. 173, 260.
Expoſiti, E. 324.
Expungi, E. 226.
Excidiſti teipſum, E. 326.
Extorris factus, E. 190. 198.
Extorres redire non debent, E. 190.
Extrema tempora, E. 267.
Exuenda ſarcina, E. 174.
Exultantibus nobis, E. 331.
Ezechiel. E. 320.

F.

FABIANUS Epiſcopus Romanus nobiliſſimæ memoriæ, E. 182, 211.
Fabianus, E. 263.
Fabiano Cornelius ſucceſſit, E. 295.
ſine ulla Fabula, E. 174.
Fabulæ de virgine, T. 73,
Fabulis ſtudentibus, T. 1.
Facere precem baptizato, E. 288.
Faciens audacia cum vitiis, T. 5.
Facit mecum, T. 2.
quid Facit in domo fidei perfidum pectus, T. 140.
Facti fides in actibus Apoſtolorum poſita, T. 138.
Factio perdita, E. 285.
Factio deſperatorum, E. 259.
Facultates ſuas ad Deum ante præmiſſas ſequitur, T. 105.
Familia ſtrepens, T. 1.
Tria Fata, E. 202.
Favorinus, E. 217.
Fauſtinus Epiſcopus Lugdunenſis, E. 252. 291.
Fauſtus, E. 287.
Febris dea, T. 9.
Felici Presbytero, E. 287.
Felicianus acoluthus, E. 263.
Felix, martyr, E. 327.
Felix Epiſcopus, E. 251, 252.
Felix, E. 204, 287, 300, 327, 330.
Felix pſeudo-epiſcopus, E. 264.
Felix de Cæſar-augusta, E. 289.
Feliciſſimus hoſtis Chriſti, E. 259, 263, 267.
Feliciſſimus factioſus, E. 226, 230.
Fenera patrimonium tuum Deo, T. 70.
Fenerare Deum, T. 141.
Feneratur Deus eleemoſynis, T. 141.
Ferales cibi, E. 245.
Feralia edicta, E. 244.
Feriata quies, T. 7.
Feſtinatio temeraria, E. 198.
Fides Dominica, E. 177.
Fidei robur elanguit, E. 290.
Fidei calor, E. 305.
Fidus Epiſcopus, E. 279.
Figmenta terrena, idola, T. 145.
Figura præcurrit, E. 276.
Figura, ſacramentum, ibid.
Figuram Chriſti imagine præeunte portabant, T. 147.
Fine mundi jam proximo, in occidua extrema devergit, T. 130.
Finito patrimonio *i. e.* conſumto, T. 139.
Firmilianus Epiſcopus, E. 319.
Firmitate illapſa, T. 3.
Firmus, E. 203.
Fixus oculos, T. 1.
Flagitavit me populus violento clamore, E. 199.
Flora meretrix, T. 9.
Florentio cui & Pupiano, E. 284.
Florentius Pupianus, E. 285.
Florida confeſſio, E. 200, 202.
Floridi martyres, E. 200, 201.
Florus, E. 251.
Focillare ſolatio, E. 198.
Forculus Deus, T. 9.
Forma prædicationis divinæ, E. 250.
Formam à me vobis dari, E. 198.
Fortuna, mulier, E. 203.
Fortunato, E. 217.
Fortunatus, E. 230. & ſequent.
Fortunatus, E. 192, 218, 233.
Fortunatus, E. 263, 300.
Fortunatus Epiſcopus, E. 263 300.
Fortunatianus Aſſuritanus Epiſcopus, E. 282.
Fortunio, E. 203.
Forum, T. 5.
Frangitur in fœminam maſculus, E. 171.
Frater acoluthus, E. 259.
Fraternitas, id eſt, fratres, E. 180.

Fraternitas, E. 194, 232.
Fraternitati connexæ, E. 232.
Fraternitatem universam, E. 198.
Fraternitatis irrisio, E. 250.
Fraternitatis dolor, E. 267.
Fratrum ruina, E. 210.
Frondea tecta, T. 1.
Fructus, E. 203.
Frumentarios esse missos, E. 333.
Frustrandæ fraternitatis irrisio, E. 250.
Fucis lenocinantibus, T. 72.
Fuga in persecutione, E. 180, 199.
minus Fundatus Dominica lectione, E. 206.
Funestum opus, E. 245.
Furnitanorum plebs, E. 169.
Fustibus cæsi, E. 328.
Futurus, nomen proprium, E. 220.
Futurorum indicia prænoscuntur, T. 2.

G.

GAIUS Diddensis presbyter, E. 217.
Galatia, E. 322.
Gargilio, E. 300.
alteri Gargilio, ibid.
Gaudete nobiscum, T. 135.
Gazophylacium,
Geminius Faustinus Presb. E. 170, 287.
Geminius Victor, E. 169.
Genuinum obduruit, T. 2.
Genitalis unda, T. 2.
Gestata eucharistia, T. 149.
Getulicus, E. 203.
Gladiatorius ludus, T. 4.
Gordius, E. 192.
de Grabato excitatus, E. 298.
Gradimur ad vitam, E. 175.
Grandescere copias messium, T. 146.
tam Grandia, de sacram. corp. Chr. E. 277. bis.
Grande compendium, T. 39.
Grande crimen, E. 190.
Granditer docuistis, E. 270.
Granditer Deum timere, ibid.
Granditer operati sunt, E. 216.
Granditer defleamus, T. 98.
Granditer nuper defensio secuta est, T. 133.
sic Granditer, Ibid.
Gratia divina maturans, T. 2.
Gratiæ divinæ compendia, ibid.
Gratiosa deprecatione corrumpere, E. 199.
Gravissimum atque extremum delictum idololatria, E. 193.
Gremium idem quod Cremium, T. 51.
Gravitas sacerdotalis. E. 231.
Gubernator in tempestate dignoscitur, T. 113.
Gyrum cœli circuivi, T. 24.

H.

HABITUDO & statura corporis, T. 118.
Hadrumetina colonia, E. 233.
Hæretici quatenus vitandi, T. 83.
Heliam certasse sublimiter, E. 290.
Helias typum Christi gerens, T. 141.
Herculanus, E. 225, 227, 252. 300.
Hercules, T. 8.
Herena, E. 203.
Herenus, ibid.
Herennianus hypodiaconus, E. 330.
Hermes Trismegistus, T. 10.
Hippocrates medicus, E. 298.
Hispaniæ Clerus & plebs, E. 287.
de Histrione, E. 171.
Histrionici gestus, T. 4.
Homo templum Spiritus S. E. 274.
Homo exerces in homine dominatum, T. 131.
Homo Dei & Christi esse cœpit, T. 110.
Honor sacerdotii episcopalis, E. 197.
Honorato, E. 274, 300.
Honoratus, E. 252, 287, 300.
Horæ tertia, sexta, nona, T. 108.
Hora novissima, antichristus, E. 302.
Horror incestorum, T. 4.
Hortensianus, E. 252.
Hostilius, T. 9.
Hostanes magus, T. 10.
Humana traditio, divinæ dispositioni anteposita, E. 317.
Humana indulgentia, divina præscriptio, E. 288.
Humani errores, præcepta Dominica, E. 290.
Hyginus Episcopus Romanus, E. 315.
Hypodiaconus, E. 182.

I.

JACTU retis operire, E. 186.
Jactatio invereçunda, E. 185.
Jactatio odiosa, T. 2.
Jader subscripsi, E. 332.
Jader martyr, ibidem.
Jader, E. 327.
Jambus, E. 252, 287.
Janiculum, T. 8.
Januario, E. 274.
Januarius, E. 287, 300.
Januarius Num. E. 287, 300.
Januaria, E. 203.
sub Ictu agonis, E. 332.
sub Ictu passionis, E. 172.
Iconium in Phrygia, E. 322, 325.
Idæa mater, T. 9.
Idola pereunt, nisi ab homine serventur, T. 119.
Idolorum vanitas, T. 8, 9.
Idolum non minus vetitum quam sculptile, T. 120.
Idololatria extremum delictum, E. 193.
Jesebel, E. 248.
Iens præceps, E. 180.
Ignatius, E. 224.
Ignitum aurum de igne, T. 140.
Illabitur in Virginem Deus, T. 11.
Illapsa firmitate, T. 3.
Ille communicet cum suis, E. 194.
Illustre iter ad martyrium, E. 286.
Illustris passio, E. 244.
Illustrata membra, E. 190.
Imago advenientis Domini Lucius Episcopus Romanus, E. 273.
Imago sacrificii Christi in pane & vino constituta, E. 277.
Imago, figura, veritas, T. 135.
Imagines defunctorum, T. 8.
quod semel Imbiberint, nolunt deponere, E. 306.
Immerserint se hominibus, T. 3.
Impetu consenescente, E. 219.
Impiorum sacrificia irrita, E. 282.
Implicantis mundi laqueis solvi, T. 6.
Importuna censura, E. 254.
Improbus cultus fœminarum, T. 70.
Incursus,
Indesinenter offero sacrificia Deo, E. 286.
Indisciplinatus, E. 175.
Indisciplinati, superbi, T. 11.
Inducias solennes, T. 1.
Induere Christum, T. 79.
Induisse Christum, E. 316.
Induit hominem Deus, T. 11.
Induit Spiritum, E. 323.
Indulgente vindemia, T. 1.
Indulgentia, E. 219.
Indulgentiam recipere ab eo qui potest præstare, E. 181.
Inexcusabilis sententia, E. 321.
nec bonum corporis Infamet cultus,
Infamare martyrum dignitatem, T. 93.
Infantes ante diem octavum ad oscula olim non admissi, E. 281.
Infantes baptizati, T. 90.
de Infantium baptismo, E. 279. bis.
Infestatio, E. 252.
Inflammare fidem, E. 214.
Ingenium exile, T. 2.
Initians & dedicans patientiam, T. 147.
Initiaret sanguine suo dominicam passionem, T. 106.
nihil Innovetur, E. 314.
Inordinate ambulantibus contra disciplinam, E. 310.
Inquietet rapacitas, T. 2.
Inquieti confessores, E. 211.
Insilis in sacerdotem Dei, E. 260, 285.
Insilo quid, E. 260, 285.
Insolenter extollit, E. 185.
Inspiratio divina, E. 320.

INDEX.

Inſtar paradiſi exprimens, E. 309.
Inſtigare fratres ad precem ſatisfactionis, T. 91.
Inſultantium ſputamina, T. 147.
Integre feciſtis, E. 217.
Intercedunt quidam de presbyteris, i. vetant, E. 217.
Intercepta pœnitentia, E. 210.
Interrogatio ſymboli, E. 296.
Interrogatio quæ fit in baptiſmo, E. 301.
Interrogationes in baptiſmo, E. 296.
Inteſtini cruciatus, T. 154.
Inverecunda jactatio, E. 185.
Inundatio cœleſtis, baptiſmus, E. 309.
Jobi patientia, T. 112.
Jovis natales in Creta, T. 8.
Jovinus. E. 264.
Irene Rutilorum, E. 227.
Irreligioſus timor Dei, E. 290.
Irrogabit ſupplicia Deus, E. 297. T. 134.
Irrogari mala, T. 130.
Iter illuſtre ad Dominum, E. 286.
Jubajano, E. 306.
Judici Deo reſervamus, E. 247.
Judicas alios, eſto tui judex, T. 131.
Judicat occultorum ſcrutator Deus, E. 253.
Judicaturi veneunt, T. 132.
non Judicemus nos invicem, E. 299.
Judicii in die pendere, E. 247.
Judicii Dominici dies, T. 134.
Judicis ſui judex factus, E. 213.
Judicium & teſtimonium Dei in ſacerdotis ordinatione, E. 284.
Julia, E. 203.
Juno Argiva, Samia, Pœna, T. 9.
Junius, E. 252, 300.
Jupiter Creticus, T. 9.
Jupiter ſenuit, Ibidem.
Juſtum & legitimum baptiſma, E. 313.
Juſtum tempus pœnitentiæ, E. 195.
Juſtus fide vivit, T. 110.
Juventus novella & vegeta. T. 130.

L.

LABAVIT greſſus, T. 89.
Lacrymæ pro doloribus legati, E. 212.
Lælius Diaconus, E. 287.
Laici ſtantes, E. 211.
Laicorum partes in Conciliis, Ibidem.
Laici viderint, E. 265.
ut Laicus communicet, E. 244.
in Laminas ductiles producuntur, E. 296.
Lambeſitana colonia, E. 263.
Languentium ſtrages in perſecutione, E. 187.
Laniena gravior, E. 183.
Laomedon, T. 8.
Lapidantur furore populari, T. 143.
Lapſi unde dicti, T. 87.
Lapſis pax, E. 194.
Lapſus voluntarii Chriſtianorum, T. 89.
Largiter operari, T. 139.
in Latronibus aliqua utcunque ſcelerum verecundia, T. 132.
Lavacri vitalis ſanctificatione, T. 68.
Laurentinus, E. 224.
Lector, E. 223.
Lectoris ordinatio, Ibidem.
Leges XII. tabulis inciſæ, T. 5.
Legio, E. 287.
Legitimus Chriſtianus, E. 298.
ad Leonem petitus, E. 262.
Levari adverſus ſe æmulum principem, E. 244.
Leucothea, T. 8.
Libellatici & mœchi cauſa diverſa, E. 249.
Libellaticos cum ſacrificatis æquare, E. 245.
Libellaticos interim admitti, ibid.
Libellatici, E. 200, 210, 245.
Libelli à martyribus dati, E. 194.
Libelli macula, E. 289.
Libelli labe maculatus, E. 244.
Libellis nefandis conſcientiam polluiſſent, E. 199.
Libello à martyribus accepto, E. 198, 200.
Libelli à martyribus, E. 197.
Libellorum millia quotidie, E. 199.
Libellorum nefariorum profeſſio, E. 210.
Libellus oblatus, E. 245.
Liberatori debet obſequium liberatus, T. 70.
Liberalis, E. 233, 252, 300.
Liberalis ep. E. 252.
Libido præcipitat, T. 2.
Liboſus, E. 287.
Libram Domini tenentes Epiſcopi, E. 241.
Libram gubernandæ Eccleſiæ tenentes, E. 192.
Librata diu & ponderata, E. 241.
Librato diu apud nos conſilio, E. 279. bis.
Librato de omnium collatione conſilio, E. 242.
Ligare, E. 308.
omnis ſpes in Ligno, E. 328.
Limare conſilium, E. 197.
Limanda plenius ratio, E. 217.
Limentinus, T. 9.
calumnioſis Litibus inquietet, T. 6.
Literæ communicatoriæ, E. 220, 232, 233.
Literæ ſynodicæ, E. 232.
Literæ pleniſſimæ, E. 292.
Literæ conſpirantes, E. 210.
Literæ ſobriæ, E. 205.
Litteus Epiſcopus, E. 327.
Localis perſecutio, E. 323.
Loci & gradus epiſcopalis conditio, E. 188.
Loci præfiniti termini coercent, E. 327.
Loci ſui miniſterium, E. 296.
Loci conditio, E. 176.
Loci ſacerdotalis religio, E. 317.
Locum ſuum agnoſcere juſſimus, E. 235.
Locus epiſcopalis, E. 195.
Locus refrigerii, E. 177.
Longa ætas, E. 307.
Longa ſupplicia vicerunt, T. 91.
Longinus, E. 230, 236.
Longinquant ſe abs te, E. 320.
Longior pugna, E. 221.
Lucanus, acoluthus, E. 330.
Lucianus, E. 200, 202, 252, 287.
Luciani martyris inverecundia, E. 200.
Lucilianus, E. 300.
Lucilius, ibid.
Lucius martyr, E. 331.
Lucius, E. 204, 287.
Lucius Papa Romanus, E. 272.
Lucio fratri, ibidem.
Lucii honor, E. 293.
Lucro ſtudentes, E. 185.
Ludibria contumeliarum, T. 147.
Luna cornibus exoletis tenuatur, T. 130.
Lunulæ. T. 71.

M.

MACARIUS, E. 203, 239, 240.
Macarius epiſcopus, E. 202.
Macheus, E. 230, 236.
Macheus quidam, E. 230.
Magi, T. 10.
Magiſteria divina, ſalutaria, T. 85.
Magiſterium Dominicum, E. 189.
Magiſterium turpitudinum, T. 4.
Magiſterium Chriſti negligitur, T. 154.
Magiſteria divina, T. 13.
Magiſterium divinum, E. 197.
Magiſterium Scripturarum, E. 191.
Magiſterium impudicæ artis, E. 171.
à Magiſterio divino non recedamus, E. 279.
Magnalia multa cum miraculo faceret, T. 70.
Magnalia divinæ protectionis, E. 272.
Magnalia divinæ majeſtatis, E. 187.
Magno, filio, E. 294.
Majeſtas Evangelii, E. 219.
Majeſtas Domini protegentis, E. 244.
Majeſtas fidei, E. 210.
Majeſtas Eccleſiæ, E. 263.
Majeſtas & dignitas Eccleſiæ, E. 292.
Majeſtate cenſuræ percuſſus, E. 296.
Majeſtate angelica ſubnixus, T. 153.
Maledicam benedictionem veſtram, E. 265.
Mancinus, T. 10.
Mandata Martyrum, T. 92.
Manus in pœnitentiam impoſita, E. 198.
imponitur Manus baptizato, E. 316.
Manus impoſita ab Epiſcopo, E. 195.
Manus impoſitio in baptiſmo, E. 316.
Mappalicus martyr, E. 184, 206.
Mappalicus, E. 184, 203, 206.

INDEX.

Marcellus, E. 287.
Marcianus Arelatenſis, E. 291.
Marcianus, E. 292, 293.
Marcion, E. 307, 321.
Marcion de Ponto, E. 315.
Marcionis baptiſmo communicat, E. 317.
Marcionitæ, E. 307.
Marcus, E. 300.
Mare ſacramentum baptiſmi, E. 298.
Maria, E. 202, 203.
Marmorum cruſtæ, T. 130.
Marrucius, E. 252, 300.
Marcilius, E. 252.
Mars Thracius, T. 9.
Martialis, E. 203, 289.
Martyr ſecundo prælio, T. 91.
Martyria fecerunt, E. 257.
Martyres à confeſſoribus quomodo differunt, E. 183.
ad Martyria facienda paratus, T. 93.
Martyrii exhortatio, T. 117.
Martyrii tui dignitas, E. 284.
Martyrii conſummatione, E. 328.
Martyrii obeundi voluntas, E. 184.
Martyrii ſublimitas, E. 285.
Martyrio meo privor, dum prævenior morte, T. 114.
Martyrium tollit, E. 253.
Martyrologiorum origo, E. 188. 224.
Martyrum tormenta, E. 183.
Martyrum pax, E. 193, 200. 204.
Martyrum privilegium, E. 213, 247, 285.
Martyrum dignitas, T. 93, 118, 128.
Martyrum cruciatus varii, T. 91.
Martyrum memoriæ, E. 188.
Martyrum mandata, T. 92.
Martyrum prærogativa, E. 197.
Martyrum commemoratio anniverſaria, E. 188, 224.
Martyrum ſepultura, E. 181.
Maſculus frangitur in feminam, E. 171.
Mater noſtra Eccleſia, E. 183, 195.
Mater Eccleſia, E. 184.
Mattathias, E. 290.
Matrimonia cum infidelibus, T. 88.
Matrix Eccleſia, E. 231, 234.
Matrona ad ſpectaculum, T. 4.
Mauritania, E. 305.
Maxillam manu ſuſtinens, E. 186.
Maximus, E. 264.
Maximo, E. 300.
Maximus presb. E. 207, 212, 215, 230, 232, 235 239, 240, 264.
Maximus acoluthus, E. 330.
Medela dolentium, T. 3.
Melchiſedech typus Chriſti, E. 277.
Melicertes, T. 8.
Membra noſtra ſunt templa, quorum & antiſtites ſumus, T. 68.
Memoriale filiis Iſraël, E. 296.
Memoriæ Martyrum, E. 188.
Menſæ Domini communicare, E. 95.
Menſura muneris divini, E. 298.
Menſurna diviſio, E. 218, 224.
Mercenarii paſtores, E. 180.
Metalla exhauſta, T. 130.
in Metallo conſtitutus, E. 327.
Metallum Siguenſe, E. 332.
Metator veſter, E. 178.
Metator antichriſti, E. 178, 202.
Metator quid, ibid.
Mettius hypodiaconus, E. 233.
in perſecutione Militia coronatur, T. 128.
Minis ac terroribus reſiſtere debet Epiſc. E. 268.
Minis non cedendum in Eccleſia, E. 267.
Miniſterium loci ſui tranſgredi, E. 296.
Miniſtri Chore, Dathan, Abiron, E. 172, 288, 308, 324.
Minor, E. 224.
Minora delicta, E. 197.
Miſericors Deus ſententiam flectit, præſtabilis eſt adverſus malitias irrogatas, T. 98.
Miſericordiæ divinæ munera, T. 137.
Modiano, E. 274, 300.
Modio,
Mœchi quando ad pœnitentiam admiſſi, E. 248.
Mœchus in corpus ſuum peccat, E. 249.
Mole elaborata, T. 7.
Montanum fratrem noſtrum, E. 200.
Montanus, E. 252, 322.
Montes ſacri, E. 226.
in Monte non communicare, ibid.
Monulus, E. 252.
Morbida valetudo, T. 131.
Morbidæ oves, E. 267.
Morbidus ſermo, T. 92.
Mori poſſe, vinci non poſſe, E. 270.
Moriendi velocitas, T. 128. E. 185.
Morientibus pax datur, E. 245.
Morimur ad immortalitatem, T. 115.
Morientibus in infirmitate ſubvenire, E. 253.
prima & ſecunda Mors animæ, T. 138.
Mors criminum, T. 2.
Mors optabilis Chriſtiano, T. 111.
Mortale mortiferum, E. 171.
de Mortalitate, T. 110.
Mortalitatis copia, ibid.
Mortis urgentis admonitio compellit, E. 248.
Mortuos fideles, ad Chriſtum ſtatim ire, T. 110, 116, 136.
Mortui ſepeliant mortuos ſuos, T. 101.
Morula, E. 187.
Moyſes presbyter, E. 207, 212, 220.
Moyſes homo lenis nimis, E. 246.
Moyſes & Maximus presbyteri, E. 207, 212, 215.
Muliebri veſte induti viri, E. 171.
Mulier in ecſtaſi, E. 323.
Mulier nudis pedibus, cruda hieme, Ibid.
Mulier facit euchariſtiam, Ibid.
Mulier baptizans, Ibid.
Multiplex portio plebis, E. 329.
Mundi duratio, T. 126.
Munerarii, T. 142.
in Muſcipulam incidunt, T. 104, 140.
Muſcipula, T. 60.
Muſſitamus, T. 134.
Mutilari & debilitari in nullo poſſunt beneficia divina, E. 297.

N.

NAMPULO, E. 274, 300.
Nativitas ſecunda, E. 316.
Nativitas ſecunda, baptiſmus, T. 2.
Nativitas ſpiritalis, E. 322.
Naufragia nefanda, idololatriæ, E. 201.
Naufragaverunt à fide, T. 91.
Nec bonum corporis infamet, T. 69.
Neceſſitas temporum, E. 204.
Neceſſitate urgente, E. 299.
Neceſſitates ſingulorum, E. 242.
Neceſſitates corporum curandæ, E. 330.
Neceſſitate cogente, E. 279. bis. 298.
Neceſſitate cogente cenſuimus, E. 252.
Neceſſitas, ſi presbyter non fuerit repertus, E. 197.
Neceſſitate pervenit ad funeſtum opus, E. 245.
Negatorum à Deo punitorum exempla, T. 94.
Negotiationis illicitæ nundinas, E. 194.
Nemeſianus, E. 274, 300, 327, 330.
Nemeſiano, E. 274, 300.
Nemini præſcribentes aut præjudicantes, E. 311.
Neptunus, T. 8.
Ne ulterius inquietarentur, E. 219.
Ne quis Chriſtianus ultro ſe gentilibus offerat, E. 334.
Nequam ſpiritus, E. 323.
Nequiſſimus dæmon, Ibid.
Nervus, E. 223.
Nexus penduli, T. 1.
Nicephorus acoluthus, E. 236, 237.
Nicomedes epiſcopus, E. 252, 287, 300.
Nicoſtratus diaconus, E. 207, 212, 232.
Ninus epiſcopus, E. 251.
Noë arca, E. 318.
Nomen eorum offertur, E. 195.
præcipuum Nomen, E. 189, 246.
Nominis confeſſio, E. 213.
Nomina eorum qui contulerunt pecunias, E. 275.
Nominari in ſacerdotum prece, E. 170.
Non alligentur ſecularibus negotiis Clerici, Ibid.
Non offertur pro eo, Ibid.
Non præjudicamus Domino judicaturo, E. 246.
Nonaginta Epiſcoporum ſententia dam. E. 263.
Nova, Civitas, T. 165. E. 172.
Novati ſcelera, E. 238.
Novatus, E. 192.
Novatus & Novatianus, E. 233, 237.

Novatiani factio, E. 237.
Novatianus, E. 230, 233, 237, 241, 249, 263, 268, 270.
Novatiano nuper retuso, E. 292.
Novatianenses, E. 306.
Novatiano studens, E. 292.
Novatiani scelera, E. 270.
Novellandus animus in secretis cordis, E. 215.
Novella & humana institutio, E. 276.
Noverca intercedente, E. 265.
Noviſſima hora, E. 302.
Nox cæca, T. 2.
Negotiationis quæstuosæ nundinis aucupari, T. 89.
Numeria, E. 201.
Numeri trigesimi, sexagesimi, centesimi fructus, E. 298.
Episcopi Numero septuaginta & unus, E. 306.
Numerositas filiorum, T. 142.
Numerosa sacrificia pro liberis, Ibid.
Numidia, E. 305.
Numidicus, E. 225, 227.
Nunc est, ut memores mei sitis, E. 221.
Nundinas illicitæ negotiationis, E. 194.
Nundinum Dea. E. 281.

O.

OBDURUIT genuinum, T. 2.
Oblationes, stipes & lucra desiderant, E. 282.
Oblationes pro mortuis, E. 170, 217.
Oblationes & sacrificia, E. 188.
Oblatrantes fluctus, E. 250.
Obnitente plebe, E. 267.
cui negligenter Obreptum est, E. 289.
Obstinatio dura prorupit, E. 316.
Obstetricum manus sæpe falluntur, E. 174.
Obscurato lumine Ecclesiasticæ veritatis, E. 326.
Obsecundans eram, T. 2.
Observatio præscripta, E. 195. contemta, E. 196.
Occasio libelli, E. 245.
Occasus seculi, T. 92.
Occidere innocentibus nec nocentem licet, E. 270.
Occupari infirmitate, E. 245.
currite ut Occupetis, E. 184.
Oculos amœnare, T. 1.
Oculos fixus, ibid.
Oetei ignes, T. 8.
Offensa Domini, E. 194.
Offerre nomen, E. 170, 195.
Offerre, Eucharistiam participare, E. 176, 277. bis.
Offerre oblationes Christianorum, E. 217.
Offertur nomen eorum, E. 195.
Offerre pro illis, E. 197.
Offerebant pretia in usus indigentium, T. 85.
Offerre prohibeantur, E. 196.
Offerre sacrificia, E. 224.
Oleum in altari sanctificatum, E. 301.
Olivæ opus mentietur, T. 134.
Omnis spes in ligno, E. 328.
Omnimodo, sive per occasionem, sive per veritatem, E. 310.
granditer Operari, E. 216.
Operatio bona & necessaria, E. 275.
Operatio largiter fiat, T. 98.
Operatio erroris, E. 265. T. 97.
Ophitæ, E. 307.
Optatus hypodiaconus, E. 208, 218, 251.
Optatus, E. 251.
Opus funestum, E. 245.
Orandi formam dedit Deus, T. 99.
Orare frequenter, vigilanter, E. 186.
Orare cum hæreticis, E. 325.
Oratio Valeriani Imperatoris, E. 333.
Oratio communis & publica, T. 100.
Oratio sterilis, T. 108.
Oratio non cesset in morte, E. 271.
Oratio communis & concors, E. 187.
Orbona, T. 9.
Ordinare, E. 222.
Ordinatione succidanea præsidente, E. 295.
Ordinatione clerica promoventur, E. 170.
Ordinatio Lectoris, E. 222
Ordinationes, ibid.
Ordinari indignos secundum humanam præsumtionem, non secundum Dei voluntatem, E. 289.
Ordinatus, præpositus, T. 154.
Originale peccatum, E. 281.
Oſculum Domini, martyrum prærogativa, E. 178, 221.
ad Oſculum infantes non admissi, E. 281.
ad Oſculum Domini venerunt, E. 221.
Oſtendere & revelare dignatus est, E. 286.
Oſtendere per visum, E. 216.
Oſtendere Dominus dignatur, E. 187.
Oſtendere & revelare dignatur Dominus, E. 185.
Oſtenditur visione, E. 254.
Oſtensio Dei, E. 286.
crebris Oſtensionibus admonemur, E. 252.
Oſtensum illud est, E. 186.
Oves victimæ, E. 213.
Oves morbidæ. E. 267.

P.

PACONIUS, E. 173.
Palabundæ oves, E. 232.
Palabundi, T. 11.
Palabundi, errantes, E. 235.
Palam ferre, E. 240.
Pallor, Deus, T. 9.
Palpationibus, blanditiis, E. 217.
Panem sanctificat, E. 323.
Panis illic exiguus, E. 328.
Panis noster Christus, T. 104.
Panis modicum, E. 203.
Panis stabilimentum, T. 93.
Panis vitæ Christus, panis noster, non omnium, T. 104.
Papa Cyprianus, E. 179.
Papæ nomen Episcopis passim tributum, E. 179, 209, 212.
Papæ Cypriano, E. 204.
Papæ infallibilitas qualis, T. 76.
Paradisus, T. 116.
Paralyticus, E. 298.
Paralyticos restringere, T. 11.
Parentes parricidæ, T. 90.
Parricidalia arma contra Ecclesiam, E. 253.
Parœmia Solomonis, T. 64.
Pars viscerum, fratres Christ. E. 196.
Participato vobis invicem consilio, E. 252.
Parvitas fidei, T. 110.
Paschæ tempus synodis dicatum, E. 227.
Paschæ lætitia, E. 201.
Passionis tempore, T. 106.
sub ictu Passionis, E. 172.
Pastores mercenarii, E. 180.
Patienter audire, T. 145.
Patrimonii jactura, T. 90.
Patripassiani, E. 307.
Paulus nec post tertium cœlum & Paradisum quidquam sibi insolenter adsumsit, E. 191.
Paulus, E. 287.
Paulus martyr, E. 203, 206, 218.
Paulus blasphemus & persecutor, E. 310.
Paulus pullos edaces habuit, T. 10.
Paula farcinatrix, E. 227.
Pauperum cura, E. 179, 191.
Pavor Deus, T. 9.
Pax data Lapsis, E. 194.
Pax adulteris dabatur, E. 248.
Pax habet coronas suas, non tantum persecutio, T. 157.
Pax non est inter ipsas togas, T. 5.
Pax reddita Ecclesiæ, T. 87.
Pax longa corruperat disciplinam, T. 88.
Pax irrita & falsa, T. 91.
Pax temere data, E. 196.
Pacem rupit Stephanus, cum Orientalibus & cum iis qui sunt in Meridie, E. 326, 327.
ad Pacem festinare, E. 198. &c.
Pacem prior Ecclesia sumserit, E. 195.
Pacem quomodocunque à sacerdote Dei semel datam non putavimus auferendam, E. 279. bis.
Pacem dimittere, E. 203.
Peccatum æternum, E. 196.
Peccatum gravissimum atque extremum, E. 193.
Peccatum ingens & super omnia, E. 214.
Quantitas Pecuniæ, E. 178.
Pedes cunctabundi compedibus, E. 328.
in Pejerario, petrario, E. 203.
Pejerare, T. 88.
Pendere in judicii die, E. 247.
Penduli nexus, T. 1.
Perdeleantur, T. 135.

INDEX

Perditionis auctores, E. 305.
Peregrina communio, E. 215.
ad Perfectum discipulos erudiret, T. 146.
Perfidia Christianorum negantium, T. 91.
Perfusi, non loti, E. 297, 298.
Peripatetici an Clinici, E. 299.
Peroptimus, E. 279.
Persecutiones Christianorum, T. 111.
Persecutio est exploratio pectoris, E. 187.
Persecutio adversus Christum ex terræ motu, E. 322.
Perseus collega noster, E. 263.
Personæ insignes, E. 181.
Personas accipiunt, E. 194.
Personam accipere, E. 317.
Personarum mutatio, E. 176.
Pestes hæreticæ, E. 315.
Petitio cæca, E. 194.
super Petram robusta mole fundati, E. 222.
Petro super quem ædif. Eccles. E. 308.
Petri cathedra, E. 266, 325.
Petra Petrus, E. 216, 304, 324.
Petri potestas, T. 76.
Petrus super quem fund. Eccles. E. 304.
Petrus, E. 287.
Petrus super quem Dominus ædif. Eccles. E. 262.
Petrus super quem, E. 309.
Petri successionem tenere contendit, E. 324.
Petri locus & gradus cathedræ, E. 243.
Petras alias multas inducit, E. 325.
Philippus diaconus, E. 308.
Philosophia durior, E. 246.
Philosophia vera Christ. T. 145.
Philosophorum patientia, ibid.
Philumenus hypodiac. E. 217.
Phinees, E. 309.
Picus, T. 9.
Pilumnus, Ibid.
Placentes sibi philosophi, T. 145.
Placetur hominibus, E. 263.
Placuit nobis, sancto Spiritu suggerente, E. 254.
Plato, T. 10.
Plausibiles, E. 194.
Plebis consensus, E. 192, 267, 288.
Plebe præsente & judicante, E. 230.
in Plebe consistentibus, ibid.
Plebe præsente, E. 288.
Plebe obnitente, E. 267.
Plebeius cultus, T. 2.
cum Plebe universa, E. 217.
convocata tota Plebe gerebatur, E. 289.
sine Plebis conscientia, E. 279. bis.
Plebis potestas in eligendis Episcopis, E. 288.
Pluvias serena longa suspendant. T. 129.
Pluvia desuper rara descendit, T. 131.
Pluvia impetrata precibus Christianorum, T. 134.
Poculum salutare, E. 207.
Pœnæ penitentiales olim leviores, E. 247.
Pœnalis loci tenebræ, E. 221.
Pœnæ subtractus, de martyre, E. 272.
Pœnitentia olim clericis injuncta, E. 174.
à Pœnitentia per triennium destitisse, E. 251.
Pœnitentia quæ satisfacit, T. 98.
Pœnitentia plena, T. 98. E. 279. bis.
Pœnitentia trahebatur longius, E. 253.
Pœnitentia falsa, T. 95.
Pœnitentia intercepta, E. 210.
Pœnitentiæ locus nullus est, nullus satisfactionis effectus, quando istinc excessum fuerit, T. 136.
Pœnitentium satisfactio, T. 96.
Pœnitentiæ justum tempus, E. 195.
Polianus, E. 327.
Polianus legi, E. 332.
Polianus martyr, ibid.
Polycarpus Hadrumetinus, E. 233.
Polycarpus, E. 252, 287, 300.
Polycarpus coepiscopus, E. 234.
Pompeius & Stephanus collegæ nostri, E. 230.
Pompeius & Cæsar adfines. T. 10.
Pompeius Sabratensis episcopus, E. 252.
Pomponio fratri, E. 173.
Pomponius, E. 287, 300.
Populus credentium, T. 98, 139.
sub Populi assistentis conscientia fieri oportere, E. 288.
Popularium clamores in Circo, E. 262.
Portenta quædam & monstra venerantur, T. 132.
Porticus vitea, T. 1.
Possidentis, occupantis, E. 313.
Post Alexandrum Imp. multæ pressuræ, E. 322.
Potentatus animi, T. 3.
Potentatu improbo, E. 226.
Potestas honoris tui, de Episc. E. 173.
Potestatis alienæ jam factus est, T. 154.
Præcipitat libido, T. 2.
Præceps cupiditas, E. 214.
Præfatio sacerdotis ante orationem, T. 107.
Præfiguratio alimentorum panis cœlestis, E. 298.
Præjudicantes nemini, E. 313.
non Præjudicamus quo minus unusquisque quod putat, sentiat, E. 297.
plures Præpositi in unum convenientes, E. 198.
Præpositi Episcopi honor, E. 194.
Præpositus, ordinatus, T. 154.
Præpropera festinatio, T. 92.
Prærogativa Martyrum, E. 197.
Præsagium futurorum, T. 72.
Præscriptio innocentiæ post baptismum, T. 137.
Præstigia obtendebantur, E. 267.
Præstigias in excusatione quærit, E. 210.
Præstigiis cæcantibus veritatem, T. 10.
Præsumtio abrupta, E. 196.
Prævaricatores in occasione martyrii, E. 210.
Præventus posterior esse cœpisti. E. 313.
Preces Sanctorum vita functorum, E. 271.
Preces farciendas accessione operum, T. 138.
Precem facere baptizato, E. 288.
Presbyterii honor, E. 224.
Presbyterium contrahi, E. 235.
Presbyteri quinque schismatici, E. 228.
Presbyterium subministrabat, E. 204.
Pressuræ vastitas turbida, E. 185.
Prima sententia Dei, T. 74.
Prima solennia Paschæ, E. 251.
Primatus suos perdidit, E. 313.
Prima præcepta, prima sententia, T. 47, 107.
Primatus suos amisit, T. 150.
Primi seniores, Episcopi in Africa, T. 159.
Primus, E. 236, 287, 300.
Primores, magistri, T. 11.
Primitivus compresbyter, E. 231, 233.
Primitivus, E. 230.
Princeps æmulus, E. 244.
Principalis Ecclesia, E. 266.
Prisca, E. 322.
Priscus, E. 252.
Privatianus episcopus, E. 252.
Privatus Lambesitanus, E. 220.
Privatus vetus hæreticus, E. 263.
Pro arbitrio & ructu suo vivere, E. 174.
apud acta Proconsulis, E. 330.
apud Proconsulem, E. 251.
Proculo, E. 274, 300.
Proculus, pejerans, T. 9.
Probatio virginum, E. 174.
Promeritus Deum, E. 309.
Promiscua cum fæm. E. 190.
de Propria quantitate, E. 275.
Probatio militum qualis, T. 49.
Procurator Ducenarius, E. 290.
Prospecta temeritas, E. 218.
Protoplastum Deus loquitur, T. 69.
Provincia Africæ, E. 248.
Provincia nostra habet Numidiam & Mauritanias, E. 234.
per Provinciam nostram, E. 231.
dirigantur in Provinciam literæ, E. 292.
Psalmos sonet convivium, T. 7.
Pseudobaptizati videntur, T. 159.
Pseudoepiscopo constituto, E. 265.
Pseudoepiscopus, E. 263.
Pseudoprophetæ, antichristi, E. 245.
Publicanus orans Deum, T. 100.
Publicani; gentiles, T. 146.
Pudor Confessorum. E. 194.
Pugna adversus diabolum perpetua, T. 111.
ad Pulpitum post catastam venire, E. 222.
Pulpitum tribunal Ecclesiæ, E. 224.
Pupianus, E. 284.
Purgari diu igne, E. 247.
Purgatorii locus, T. 136.
Purificatio confessionis, E. 221.
Purpura magistratuum, T. 5.

Pusil-

Puſilliores, E. 202.
Putamina colligenda, E. 267.
Putraminibus amputatis, T. 91.

Q.

QUADRIGA vel conſulatus petitur, T. 143.
Quæſtio duriſſima, E. 183.
Quæſtionati Confeſſores, E. 286.
Quantitas mercium, pro mercibus pretioſis, T. 71.
de Quantitate patrimonii, T. 139.
de Quantitate mea propria ſumtus ſuggeratis, E. 178.
Quartus, E. 333.
Quies plebis Chriſtianæ, E. 197.
Quieti & modeſti, E. 191.
Quieti Chriſtiani, E. 187, 190, 216.
Quietus, E. 287.
Quintianus, E. 203.
Quirinus, E. 330, 331.
Quintus, E. 252, 300.
Quintus, E. 287, 302.
Quintus compresbyter, E. 241.
Quinto collegæ noſtro, E. 306.
Quirinus, E. 330. T. 16.
Quod in veritate geritur, E. 311.
Quomodocunque ubicunque baptizati, ibid.
Quos diſponit Deus coronari, E. 259.
Quotidiana ſacrificia. T. 142.

R.

RABIEM tyranni tractatibus coercere, T. 129.
Radix Eccleſia, E. 231, 234.
Rami naturales, E. 190.
Rebaptizare, E. 306.
Rebellaverint contra nos, E. 305.
Recalcitrat, T. 154.
Recentes Dei manus, E. 281.
Revelare & oſtendere Dom. dignatur, E. 286.
Redimere perſecutionem pretio, E. 201.
Redditionis dies, T. 144.
Reformati, correcti, E. 312.
Refrigerium quid, E. 177. T. 113.
Refrigeria paravit, E. 212.
Reges, T. 8.
Regite vos ſingulos, E. 197.
Regna varia, T. 9.
Regnum Dei in proximo, T. 110.
Regulus, T. 10.
Religio non imperatur, T. 132.
Religionis deformationem habentes, T. 82.
Religioſa delicta, T. 4.
deformes Reliquiæ Chriſtianorum, T. 88.
Remiſſam non habebit, E. 195.
Remiſſam peccatorum accipere, E. 307.
Remiſſam peccatorum dare, E. 310.
Renaſci in novam vitam, T. 2.
Replicatur actio ad imaginem veritatis, T. 4.
Repoſtus. E. 227.
Repoſtus Suturnicenſis, E. 264.
Reſervetur diſciplina. i. ſervetur, E. 192.
Reſervari Domino in Eccleſia, E. 250.
Reſervando homini procuravit Deus, iterum ſervando poſt lapſum, T. 137.
Reſtringere paralyticos, T. 11.
Reſurrectio Domini matutina oratione celebratur, T. 108.
Rete Diaboli, E. 186.
Revaleſcere, E. 246.
Revelationes Cypr. factæ, E. 178, 185, 225, 252, 286.
Revelationes, T. 115.
Ritus Eccleſiaſtici ſubinde mutati, E. 280.
Rogatianus, E. 227, 252, 287, 300.
Rogatianus epiſcopus, E. 172.
Rogatianus presbyter, E. 176.
Rogatianus diaconus, E. 319.
Rogatus, E. 252.
Romam navigans, E. 238.
Romam navigaverunt, E. 264.
Romana Eccleſia quomodo à D. Petro & Paulo fundata, E. 266, 309.
Romanorum fides, E. 266.
Romæ non in omnibus obſervantur ea quæ ſunt ab origine tradita, E. 321.
Romulus parricida, T. 9.
Ructus quid, E. 174.
Rudis ad Eccleſiam venit, E. 301.
Ruffinus diaconus, E. 212, 215.
Ruina fratrum, E. 196.
Rumpens adverſum nos pacem, E. 321.
Ruſticitas, peritia agrorum colendorum, E. 250.
Ruſticitatis cultor, T. 8.
Ruſticus presbyter,
Rutili. E. 227.

S.

SABINA, E. 203.
Sabinarum raptus, T. 9.
Sabini ep. ordinatio, E. 289.
à Sacerdotali honore prohiberi, E. 290.
Sacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, E. 288.
Sacerdos Dei ſummi Chriſtus, E. 277.
Sacerdos Dei Epiſc. E. 195.
Sacerdotio ſuo vicit tyrannum, E. 244.
Sacerdotes à Deo ordinantur, E. 284.
Sacerdotalis auctoritas, E. 261.
Sacerdotalis dignitas, E. 290.
Sacerdotes Dei & Chriſti ſumus, E. 278.
Sacerdos Dei. E. 219, 244.
Sacerdotium Dei, E. 228.
Sacerdotii vigor, E. 199.
Sacerdotium glutino concordiæ copulatum, E. 292.
agere pro Dei Sacerdote, E. 282.
Sacerdotalis cenſura, E. 254.
Sacerdotalis poteſtas, E. 261.
Sacerdotalis gravitas, E. 231.
quanta Sacerdoti reverentia, E. 260.
Sacerdotes, qui ſacrificia Dei quotidie celebramus, E. 253.
Sacerdotes Dei, E. 172.
Sacerdotem Dei agnoſcentes, E. 286.
Sacerdotalis poteſtas, vigor, E. 259.
Sacerdos Dei Romæ conſtitutus, E. 244.
Sacramentum unitatis, E. 309, 318.
Sacramenti vox ad plurima refertur, T. 101.
Sacramentum Chriſti, T. 4.
Sacramentum divinæ traditionis, E. 317, 318.
Sacramentum Trinitatis, T. 108. E. 307.
Chriſti Sacramento & ſigno cenſeamur, T. 134.
Sacramentum unanimitatis, E. 259.
Sacramentum vitæ magna brevitate complexus, T. 107.
Sacramentum orationis Dominicæ, T. 101.
Sacramentum Dei diſturbat, T. 84
Sacramentum calicis, E. 280.
Sacramento utroque naſcuntur, E. 305.
Sacramentum & veritatis jura mutilamus, E. 312.
Sacramenta occulta nudare, E. 330.
Sacramentum æqualitatis, E. 298.
Sacramentum fidei, E. 212.
Sacramentum crucis, T. 122.
Sacrificati, E. 264.
Sacrificia offerre pro def. E. 170.
Sacrificium ſpiritus contribulati, T. 113. E. 8.
Sacrificia, E. 220, 224.
ſine Sacrificio venis in Dominicum, T. 141.
Sacrificandi ſibi licentiam vendicaverunt, E. 296.
Sacrificavit & exacerbavit Dom. E. 201.
Sacrificatis in exitu ſubveniri, E. 246.
Sacrificia divina cum Dei ſacerdote celebramus, T. 100.
Sacrificia offerimus pro martyribus, E. 224.
Sacrificio & manu ſacerdotis purgata conſcientia, in Sacrificiis precem cum pluribus facimus,
Sacrificia quotidiana, E. 253. T. 142.
Sacrificia Dominica, E. 279, 295.
Sacrificia divina celebrare, T. 100.
Sacrificia matutina, E. 277. bis.
Sacrificium Corporis & Sang. Chriſt. E. 276, 277.
Sacrificium veſpertinum, E. 278. bis.
Sacrificatis communicare, E. 244.
Sacrificium Chriſtianorum, T. 19.
Sacrificare coacti Chriſtiani,
Sacrificia foris falſa ac ſacrilega offerre, E. 305.
in Sacrificiis Dominicis vinum potius offeramus, E. 279.
Sacrificium pro dormitione ejus, E. 170.
Sacrificia indeſinenter offero, E. 286.

INDEX.

ad Sacrificia ſacrilegi Sacerdotis ſe miſcere, E. 288.
numerare ne Sacrificaret, E. 201.
in Sacrificiis atque orationibus non ceſſantes, E. 273.
Salario redimendum, E. 171.
Saltus ſaltibus continuantes, T. 6.
Salutator matutinus, T. 5.
Sanctificare calicem, E. 280.
Sanctificatus, remiſſam peccatorum conſecutus, E. 309.
Sanctificatus, E. 301.
Sanctificati baptiſmo Eccleſiaſtico, E. 298.
omnes Sancti fratres, E. 202.
Sanctificat panem, E. 323.
deïfica Sanctitas, E. 322.
Sanctum Domini, T. 94.
Sanctum Domini, caro Chriſti, T. 80.
Sanguis Chriſti oſtenditur vino, E. 276.
Sanguis uvæ, E. 277.
Sanguinem ſuum vinum appellat, E. 295.
nec poteſt videri Sanguis Chriſti, E. 276.
Sanguinem ſanguini ſupermiſcent, T. 131.
Sanguine ſuo baptizatos, E. 312.
Sanguine baptizatus, paſſione ſanctificatus, ibid.
Satis agentes ſervare unitatem ſpiritus, E. 326.
Satisfactio pœnitentium, T. 96.
Satisfactionis preces, T. 91.
Satisfacere quid,
Satisfacere Deo precib. & operibus ſuis, E. 195.
Satisfactio pro pec. E. 250.
Sattius, E. 252, 287, 300.
Sp. Sanctum habet qui peccata remittit, E. 297.
Saturninus, E. 206, 252, 287, 300.
Saturni ærarium, T. 8.
Saturninus cum comitibus, E. 203.
Saturus frater, E. 259.
Saturus Lector, E. 208, 215, 218.
Saturus, E. 203.
Scanſus Deus, T. 9.
Scenici ludi, T. 4.
Scintillæ in arundineto,
Schiſma quam inexpiabile ſcelus, T. 81.
Schiſmatum in Eccleſia cauſa, T. 76.
Schiſmata, T. 85.
Schiſmatici fratres, E. 284.
Sciſſi, Schiſmatici, E. 231.
Scorpii in ſicco prævalent, E. 299.
Scripturis ex utraque parte prolatis, E. 242.
Seceſſio cauta, in perſecutione, T. 90.
Seceſſus Cypriani pro fuga habitus, E. 179.
etiam in Seceſſu, martyrium & confeſſio nominis, ibid.
Sectatio veritatis, T. 70.
Sectæ noſtræ i. Chriſt. diſciplinam, T. 39.
Seculares moleſtiæ, E. 170.
Secularia opera, E. 246.
Seculi non Chriſtiani mala,
Seculi finis, E. 290.
Seculi occaſus, E. 255. T. 92.
Secundum peccata noſtra, E. 185.
Secundus Dei adventus appropinquat, E. 278.
Secundus, E. 287.
Secundinus, E. 252.
in Secundo prælio victor, T. 91.
Sedatus, E. 173, 287, 300.
Seditio inter confeſſores, E. 206.
Semen Dominicum, E. 298.
Semitonſum caput, E. 328.
Senectus mundi, T. 130.
Senium ævi, T. 4.
Senio vetuſtatis, T. 2.
Senſibus magnis locutus es, E. 330.
prima Dei Sententia, T. 74.
ſilios apud profana Sepulcra depoſitos, E. 289.
Sepultura Martyrum, E. 181.
Sepulturæ cura, Ibidem.
Serenianus præſes in Cappadocia, E. 322.
Sergio Rogatiano, E. 176.
Sericæ veſtes, T. 96.
Sermo gratiæ magiſter, arbiter, T. 11.
Sermo divinus humanam ſupergreditur naturam, E. 320.
Serpentinis crinib. pullulantes, E. 317.
Serpentinus livor, T. 157.
Severianus, E. 202.
Sexagenarius virginum fructus, T. 73.
Sex millia annorum jam pene complentur, T. 117.
Sexu ſuo fortiores E. 177.
Sexus arte mutatur, E. 171.
Siccitas, T. 131.
Sidonius confeſſor, E. 235, 239, 240.
Signifer ſeditionis, E. 263.
Signum Dei, T. 87. E. 258.
Siguenſe metallum, E. 332.
Simiarum more, E. 306.
Simiatio, ſimulatio, T. 166.
Simplicitas religioſa, E. 231.
Similabo eum viro ſapienti: T. 75.
Simon Petrus, E. 180.
Sine communicatione decedit, E. 253.
Soboles ſubciſiva, T. 156.
Socratis dæmonium, T. 10.
Soliaſſus, E. 227.
Soli Deo conſcientiam ſuam debent Epiſcopi, E. 209.
Solium, E. 297.
res Sollicita, E. 220.
à ſingulis in Solidum pars tenetur, T. 78.
Solus mihi rem communem vindicare non audeo, E. 205.
Solus judex, E. 217.
Solus reſcribere nihil potui, E. 192.
Somniator ille venit, E. 287.
Somnium ſomnians, E. 229.
Somnio adverſo territus, T. 138.
Sophia, E. 203.
Sophronium, E. 227.
Soranus medicus, E. 298.
Soſpitandis hominibus ſalutare lumen, T. 76.
Soſpitantis Domini verba,
Spectacula, T. 4.
Spectaculorum vanitas, T. 142.
Speſina, E. 203.
Spiritalia agere, E. 301.
Spiritalia furta & adulteria, E. 278.
Spiritalis ſapientia in ſacram. E. 279.
Spiritales Dei milites, E. 224.
Spiritus erratici, immundi, T. 3.
Spiritus ſanctus in baptiſmo, E. 322.
Spiritus ſanctus ad baptiſ. E. 297.
Spiritus nequam, E. 323.
Spiritus dæm. T. 10.
Spiritus ſancti menſura nulla, nullus modus eſt, T. 3.
in falſis & Spoliatis ſacerdotibus, E. 285.
Sportulantes fratres, E. 170.
Sputamina inſultantium, T. 147.
Stabilimentum panis, T. 93.
Stabili obſervatione, E. 208.
Stabulum à latronibus teneri, E. 293.
Stamus ad orationem, T. 107.
Stantes, T. 87.
Stantes in fide, E. 186.
Stantium multitudo, T. 88.
Stantium plebs, E. 198.
Stantium firmitas, E. 184. T. 88.
Stare ad veniam, E. 247.
Status quid, E. 173.
Statio, E. 230.
Statius, E. 202.
Statuit fontem ſiccitas, T. 131.
Sterilis dives, T. 140.
Sterilitas ſacrilega, T. 143.
Stephanus, Judas, E. 319.
Stephanus frater noſter, E. 314, 316.
Stephanus de Epiſcopatus ſui loco gloriatur, E. 324.
Stephani audacia, inſolentia, E. 320.
Stephani obſtinatio, E. 316.
Stephano fratri, E. 291, 305.
Stephanum longe poſitum, E. 289.
Stibium diaboli, T. 140.
Stipatore numeroſo protectum latus, T. 6.
Stipatus cuneis clientium, T. 2. 5.
Stipes, E. 282.
Stoici, omnia peccata paria eſſe dicunt, E. 246.
Studentes lucro, E. 185.
Studentibus fabulis, T. 1.
Stupore elatus eſt, E. 316.
Stupore inflatus, E. 238.
Sub ictu paſſionis, E. 172.
Sub ipſa paſſione, T. 146.
Subdiaconi qui, E. 180.
Subdiaconus, Clementius, E. 179.
Subitatos eſſe appareat, E. 270.
Subintroductæ fœminæ, E. 174.
Subciſiva ſoboles, T. 156.
Subitatio inſperatæ ſalutis, T. 135.

Subſidia nummaria, E. 274.
Sublimia verba, E. 222.
Sublimis ſtatus hominis, T. 133.
Sublimis ac divina poteſtas Eccleſiæ gubernandæ, E. 259.
Succeſſio Epiſcoporum, E. 295.
Succeſſo fratri, E. 332.
Succeſſus, E. 252, 287. 300.
Succidaneus, E. 171.
Suffocationes impotentium commerciorum, T. 108.
Summulas ſignificavi, E. 275.
Sumtus ſuggerendi confeſſoribus Chriſti, E. 175.
Super petram ſolida ſtabilitate, E. 241.
Superſtite in dies cruditate ructabant, E. 283.
Superbia Pupiani, E. 284.
Supplicia longa vicerunt, T. 91.
Supplicii terminus, E. 185.
Surſum corda, T. 107.
Suſanna pudica, E. 228.
Suſpendunt pluvias longa ſerena, T. 129.
Suſpenſus in Deum, T. 3.
Suſtentatio paſſionum, E. 331.
Suſtinere, pro expectare, E. 211.
Symbolum vetus, E. 301.
Symbolum Apoſtolorum, Ibid.
Symboli lex, E. 296.
Simeon juſtus, T. 110.
Synagoga hæreticorum, E. 324.
Synodus Africana. E. 242.

T.

TABITHA, T. 138, 139.
in Tantum granditer, T. 150.
Tarditas tormentorum, E. 328.
Tatius, T. 9.
Tecta frondea, T. 1.
Temerè data pax, E. 196.
Tempeſtas vaſtitatis, E. 186.
Tempeſtivum tempus, T. 1.
Templa, ſacras ædes ſuas non libenter appellabant Chriſtiani, T. 10.
Templa Dei, E. 190.
Tempore paſſionis, T. 106. E. 260.
Tempora noviſſima, E. 290.
pro Temporis conditione, E. 214, 330.
Temporibus ſervire, E. 176.
Temulentus ab aquis, E. 190.
Terminus ſupplicii, E. 185.
Tenax, E. 287.
Terræ motus, T. 124.
Tertullus, E. 173, 188, 191, 252, 300.
Teſtimoniorum libri, T. 13.
Teſtis infamat, T. 5.
Thaſcius Cyprianus, E. 284.
Thebanorum germanitas, T. 10.
Thibaris, E. 255.
Therapius collega noſter, E. 279. bis.
Thliboneni qui, E. 181.
aliquis Thomæ ſimilis, E. 223.
Tiberinus, T. 9.
Timor innocentiæ cuſtos, T. 2.
Timoris obſervatio, E. 290.
Timor irreligioſus, ibid.
Timor Dei apud irreligioſos vacillat, ibid.
Timor Chriſtianus, E. 269.
Timori & religioni congruit, E. 278.
Tinctio illicita & profana, E. 322.
Tinctus foris, E. 302.
Titulus, E. 208.
Tobiæ patientia, T. 112.
inter Togas pax non eſt, T. 5.
Tolerabilis conſcientia, E. 245.
Tormenta ſuperare, E. 222.
Tormenta venerunt, E. 199.
quid Tormenta admoves confitenti? T. 133.
Tormentis tormenta ſuperaſſe, E. 213.
Tormenta martyrum, E. 183.
Tormentorum tarditas, E. 328.
Tormentorum acies, E. 183.
Torus mollior alto ſinu, T. 6.
Tractatus noſter, E. 203.
Tractatus quid, T. 80.
Tractatus epiſc. T. 80.
Tractatu cum collegis plurimis habito, E. 244.
Tractatu habito inter nos. i. concilio, E. 241.
Tractante me, E. 334.
in Tractatibus ſervum contemnunt, T. 140.
Tractante epiſcopo, E. 245.
Tractare quid, E. 256.
Tractabo cum ſingulis plenius, E. 252.
Traditio de Dominica auctoritate deſcendens, E. 315.
Traditio Apoſtolica, E. 310, 318.
Traditio humana, divina diſpoſitio, E. 315.
Traditionis divinæ caput & origo, E. 317.
Traditiones humanæ, E. 280, 315.
quod divinitus inſtitutum eſt, humana Traditione mutare, E. 277.
Traditum eſt, E. 314, 318.
Tragicus cothurnus, T. 4.
Tranſmarinæ appellationes vetitæ, E. 264, 265, 266, 289.
Tranſcurſu legimus, E. 320.
Tranſpunctionis ſpiritus, E. 265.
Tranſverſariis & compedibus, E. 328.
Tria fata, E. 202.
Trina in baptiſmo immerſio, T. 160, 168.
Trinitas, E. 307. T. 162.
Trinitas adunata, E. 311.
Triſmegiſtus Hermes, T. 10.
Trophimus, E. 244.
Trophimus ad Eccleſiam admiſſus, ibid.
Tunica textilis per totum, T. 79.
Turba fuit in uno, E. 288.
Typus futuræ veritatis, E. 276.
Typum Chriſti gerens Helias, T. 141.
Tyrannico terrore adverſus collegas. T. 158.

V.

VACUI, inanes, E. 298.
Vacui exeuntes,
Valentiniani, E. 307.
Valentinus hæreticus, E. 316.
Valentinus, E. 321.
Valeriani reſcriptum ad Senatum, E. 332.
Vapulabit multis, E. 185.
Variantur multa pro locorum & hominum diverſitate, E. 231.
Varietas terræ, E. 298.
Vaſtitatis tempeſtas, E. 186.
Ubicunque quomodocunque baptizati, E. 311.
Ubi divinus ſermo relinquitur? E. 214.
Ubi erit, Ubi erunt? E. 312.
Ubi erit? E. 215.
Velamen capitum ſacrificantium, T. 87.
Velocitas moriendi, T. 128.
Venantius, E. 287.
Venæ paupcres breviantur in dies, T. 130.
Venerunt tormenta, E. 199.
ad Veniam ſtare, E. 247.
Ventilantur opinionibus, E. 332.
Ventus aſpirat, T. 144.
Venus calva, T. 9.
Verianus, E. 252.
Spiritus ſancti Veritatem tenere, E. 293.
Veritas rudis, T. 2.
Veritatem ſequi oportet, E. 277. bis.
Velamen ſceleratum, T. 87.
Vernaculis & propriis, T. 2.
Vernaculi dii Rom. T. 9.
Veſpera urgente, T. 89.
Veſtem à fullone curatam, E. 197.
Veſtigium infantis exoſculari, E. 281.
Veſtitus Chriſtus in viduis quas veſtiverat Tabitha, T. 138.
Vexare quomodo triticum, E. 186.
Viæ inſidioſæ, T. 5.
Vicarius & ſucceſſor, E. 293.
Vicarios pro me miſeram, E. 226.
Vices poteſtatum, T. 9.
Vice paſtoris, E. 180.
nullam Vicem pro injuria reddimus, T. 135.
Victor, E. 203, 252, 287, 300.
Victor Geminius frater noſter, E. 169.
Victori, E. 300.
Victoria, E. 204.
Victori Epiſcopo, E. 274, 300.
Victorinus, E. 203.

INDEX.

Victorius Herennianus, E. 332.
Victoricus, E. 252, 287.
Viduæ & thlibomeni, E. 181.
Viduus Deus, T. 9.
Vindemiarum festum licet à gentilibus acceptum Christiani retinuerunt, T. 1.
Vindemia indulgente, ibid.
Vinum & aqua in Eucharist. E. 277, 280.
Vincentius, E. 287.
Vinum si desit calici, E. 276.
Vinum fuisse, quod sanguinem suum dixit, E. 279.
Virgines Christo dicatæ, E. 174.
Virgines cum masculis dormire, E. 173.
Virgines diligenter inspiciantur ab obstetricibus, E. 174.
Virginum probatio, ibid.
Virgo in uterum accipiet, E. 184.
Virum fregit in fœminam, T. 4.
Visitandi confessores, E. 176.
Visio voluptaria, T. 1.
Visiones Cypriani, E. 186, 196.
Visione perpetua pensabitur, T. 135.
in Visione dictum est, E. 185.
ad Visionem erunt universæ carni, T. 135.
Visiones cordis, T. 80.
Vita virtutum, T. 2.
Vitea porticus, T. 1.
ne Ulterius inquietarentur, E. 219.
Ultronea voluntas, E. 276.
Umbram sacerdotalis nominis, E. 285.
Unanimitas Christiana, T. 233.
Ungitur baptizatus, E. 301.
Ungulæ laniantes, E. 183.
Unitas Ecclesiæ, E. 243. T. 75.
Unitas Ecclesiæ sacramentis cœlestibus cohærens, T. 79.
Unitatis Ecclesiæ origo, T. 77.
Unitatis origo super Petrum, ibid.
Unius domus consortium nosse, T. 80.
Unum Episcopum in Eccles. catho. E. 235.
totus populus Unum sumus, T. 101.
in Uno turba fuit, E. 288.
Voce publica contestari, E. 213.
Volubilis ambitio, T. 2.
Voluntas obeundi martyrii, E. 184.
Voluptaria visio, T. 1.
Voluptabile, E. 319.
Votorum religio, T. 68.
Uranius, E. 203.
Urbanus Confessor, E. 235, 236, 239.
Urbici confessores & clerici,
Urgens exitus, E. 212.
Usurpatum diu, T. 2.
in Uterum accipiet virgo, E. 184.
Uterus uxoris calce percussus, E. 238.
Uticam perducendus Cyprianus, E. 333.
Uxorati in Clero. E. 238.

X.

XISTUS in cœmeterio animadversus. E. 333.

Z.

ZELARE quod bonum videat, T. 153.
Zetus Episcopus. E. 236.

MOnendus est porro lector supereſſe quendam libellum, qui licet Cyprianum pro auctore non habeat, instauratorem tamen agnoscit. *Tyronis* intelligo & *Senecæ Notas*, quas Præsul & Martyr noster auctario satis grandi locupletavit, adjiciens vocabula Christianorum usibus necessaria, quæ in Codice à Grutero edito, affatim comparent. Ars hæc figlorum, quam *Verborum furtum* Hieronymus appellabat, fori usibus inprimis addicebatur: ideoque Ulpianus ait l. 14. *eos qui notis scribunt Acta judicum, reipublicæ causa videntur abesse*; Artem hanc post Ciceronem, Rhetores Romani libertorum opera passim exercuere; & par est credere Tertullum, de quo in Cypriani Epistolis sæpius agitur, sub illius Rhetoris jam Christiani auspiciis hac arte instructum, ad acta martyrum excipienda accessisse.

FINIS.

ANNALES

ANNALES CYPRIANICI.

SIVE

Tredecim Annorum,

QUIBUS

S. CYPRIANUS

Inter Chriſtianos verſatus eſt,

BREVIS HISTORIA

CHRONOLOGICE DELINEATA.

PER

JOANNEM CESTRIENSEM.

PRÆFATIO.

VITAM S. Cypriani a principio ſuſceptæ fidei & nativitate cœleſti, uſque ad Martyrium deſcribere, ac brevem tredecim annorum hiſtoriam tradere paratus, in perturbatiſſima me tempora incidiſſe, maximiſque difficultatibus immerſum eſſe ſentio. Cum enim annorum numerus & rerum ab eo geſtarum ordo, tam Imperatorum, ſub quibus varie tractatus eſt, quam Pontificum Romanorum cum quibus multa tranſegit, temporibus ad amuſſim quadrare debeant; invenio Pontifices intra tam paucos annos Romæ ſediſſe quinque; Fabianum, Cornelium, Lucium, Stephanum & Xyſtum: neque pauciores in Imperio ſuccedentes, Philippum, Decium, Gallum, Æmilianum & Valerianum. Horum autem tum Imperatorum tum Pontificum tempora maxime confuſa hactenus reperta ſunt, ac proinde ad ſcripta S. Cypriani, reſque ab eo in Eccleſia geſtas minime accommodata. Et quidem ab Hiſtoria vel Chronico Euſebii, ſcriptoris in rebus Occidentis parum accurati, non multum nobis ſubſidii ſperandum eſt; ab Epiphanio multo minus, qui dubitaſſe videtur a qua Perſecutione, Maximini, an Decii, an Valeriani, origo Schiſmatis Novatiani, (quod utramque paginam apud noſtrum facit) petenda ſit: neque vero Theodoretus quicquam juvat, qui licet Novatum ſub Cornelio ſchiſma inſtituiſſe, ipſumque Cornelium & Dionyſium multas contra Novatianos Epiſtolas ſcripſiſſe recte doceat, Cypriani tamen, utpote Latini, nuſquam meminit.

2. Ad Imperatores autem illos quinque quod attinet; eorum tempora ad intelligendum Cyprianum prorſus neceſſaria, perquam obſcura reddidit veterum Hiſtoricorum penuria. Nam & Hiſtoriæ Auguſtæ corpus hic potiſſimum truncatum eſt, cum Vitæ Philipporum, Deciorum, Galli & Voluſiani a Trebellio Pollione ſcriptæ penitus interciſæ ſint; Valeriani & Gallieni mutilatæ. Nihil hic Juliani dicteria: nihil Joannis Antiocheni aut Suidæ excerpta exhibent. Imo barbara illa excerpta a Scaligero edita hic plane nos deſtituunt: ne unius quidem horum Imperatorum natalis vel in Calendario Herwartiano, vel in Indiculo Bucheriano memoratur. Eutropius, Zoſimus, uterque Victor, Oroſius, & Zonaras de his Imperatoribus pauciſſima tradidere: Joannes Malela Philippos, Decios, Æmilianum, Gallum & Voluſianum intactos prætermiſit, imo Valerianum Antonino Caracallæ ſucceſſiſſe tradit. Cedrenus Decium poſt Gallum & Voluſianum imperaſſe, & ſub eo S. Cyprianum paſſum eſſe docet. Et revera Decii nomen multas hic turbas ciet. Cum enim Optatus de beſtiis apud Danielem ita locutus eſſet, *Primo fuit ut leo: hæc erat perſecutio ſub Decio & Valeriano. Secunda ut urſus, alia perſecutio ſub Diocletiano & Maximiano.* Cumque Hieronymus in vita Pauli eremitæ hæc haud accurate ſcripſiſſet, *Sub Decio & Valeriano perſecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, & Cyprianus Carthagine felici cruore damnati ſunt.* Ac rurſus de Methodio in Catalogo, *Ad extremum noviſſimæ perſecutionis, ſive, ut alii affirmant, ſub Decio & Valeriano, in Chalcide Græciæ martyrio coronati ſunt.* Conſarcinatores Actorum Martyrum mira tradiderunt, quæ cum aliunde, tum vel hoc uno nomine falſi convincuntur. Ut ipſum Novatiani Pſeudomartyrium in quo continebatur γενέσθαι τὸ μαρτύριον Δεκίᾳ καὶ Οὐαλερίᾳ Ρωμαίων βασιλέυοντος, teſte Eulogio Alexandrino apud Photium. Cod. CCLXXX. vel Οὐαλεριάνῳ, ut in Cod. CLXXXII. Quin-etiam moderni Chronologi de horum temporum incertitudine maxime queruntur: De Philippis, Deciis & Gallo agens Petavius de doctrina temporum lib. XI. c. 26. *Sane* (inquit) *tam horum, quam inſequentium Imperatorum tempora, partim ſcriptorum inopia vel ἀνιστορησίᾳ, partim Conſulatuum perturbatione, obſcuriſſima remanſerunt; ut ad hiſtoricos illos nodos & controverſias dirimendas, probabili conjectura præcipuus eſſe locus debeat.*

3. Nec tamen a Propoſito hæc me deterrent, cum in tanta diſcrepantia numerus annorum omnium, quibus Imperatores illi, de quibus hic agitur, regnarunt, ſatis compertus eſſe videatur. Nam Porphyrius, qui illis temporibus vixit, ipſi Cypriano ſynchronus, (quippe 25. annos natus, quando ille paſſus eſt) luculentum nobis teſtimonium præbet. Ille enim, per annos Imperatorum vitam Plotini accurate deſcripſit, & oſtendit Philoſophum illum primo Philippi (hoc eſt A. D. 244.) XL annos natum, decimo Gallieni (hoc eſt A. D. 263.) LIX egiſſe: Non igitur plures anni a primo Philippi ad decimum Gallieni, quam novendecim numerandi ſunt; neque certe pauciores, cum ibidem doceat Amelium a tertio Philippi ad decimum Gallieni in Schola Plotini decimum-octavum annum egiſſe: & hic calculus noſtro, qui a tertio Philippi incipiens in quinto Gallieni deſinit, plane conſentire deprehendetur, quod ad annos omnes ſimul ſumtos ſpectat: Quamdiu autem unuſquiſque ſigillatim imperavit, ipſa hiſtoriæ noſtræ ſeries pluſquam probabiles conjecturas præbebit, & Dexippi, Porphyrii, & Dionyſii Alexandrini teſtimoniis ſubinde munita, multo certiora tradet.

4. Romanorum quidem Pontificum anni magis adhuc perturbati ſunt; nam ab ordinatione Cornelii, poſt quam VII tantum annos cum menſibus aliquot vixit Cyprianus, ad martyrium Xyſti, qui ante Cyprianum paſſus eſt, annos XII cum octo menſibus numerat Euſebius, &, quod magis mirum eſt, XIII vetuſtiſſimi Catalogi Auctor, ut nunc editur: nam hic attribuit

	Annos.	*menſ.*	*dies,*
Cornelio	2	3	10
Lucio	3	8	10
Stephano	4	2	21
Xyſto	2	11	6.
Omnibus ſimul	13	1	17.

Cum a Conſulatu utriuſque Decii, ſub quo Cornelium ordinatum eſſe indicat, ad Conſulatum Tuſci & Baſſi, quo paſſum eſſe Xyſtum ipſe tradit, etiam incluſive anni tantum VIII ſint: adeo manifeſte corruptus eſt vetuſtiſſimus ille Catalogus in annis unicuique Pontifici ſingulatim aſſignatis.

5. Nec tamen de ſolvendis his nodis deſperandum eſt, dum remanent Faſti Conſulares, quibus inniti poteſt Chronologia noſtra, & ad quos reduci dubia Imperatorum tempora, atque etiam Pontificum haud immerito debent. Quamvis enim vetuſtiſſimi ſcriptores Chriſtiani, annos, quoties opus erat, per Imperatores numerare ſolerent; ut Theophilus, Clemens Alexandrinus & Tertullianus; Poſteriores tamen numerum annorum e Faſtis Conſularibus deducebant. Scaliger quidem Euſebium nomina Conſulum in Chronico ſuo appoſuiſſe tradit; cujus rei aliqua videntur veſtigia in priori opere adhuc remanere:

ſed ſi unquam Conſules omnes apud eum ſua ſerie annotati ſunt, certe eos ante tempora Caſſiodori interciditſſe exiſtimo, aut etiam ante Proſperum, & fortaſſe ab Hieronymo omiſſi ſunt. Primus omnium, quos novi, Auctor Catalogi circa A. D. 354. ut bene conjeciſſe videtur Bucherius, creationes, & obitus Pontificum Romanorum per Conſules deſcripſit. Poſt quem Epiphanius in Alogorum hæreſi circa A. D. 376. ſcripta, τὰς μὲν δυναμένας σφαλῆναι καθ' εἰρμὸν ὑπατείας. *Conſulatus ſecundum ſeriem infallibiles* adhibuiſſe ſe perhibet. Ita poſtea Sulpitius Severus lib. 2. *Idgeſtum poſt Romam Conditam anno fere ducenteſimo ſexageſimo, Macherino & Augurino Coſſ. abhinc annos (ſi tamen inveſtigatio Conſulum non fefellit)* 888. *Omne enim tempus ad Stiliconem (oſ. direxi. Si inveſtigatio Conſulum non fefellit* cautè dixit, non propter incertitudinem Faſtorum, ſed propter computantis diligentiam haud ſemper exactam, aut etiam Faſtos ipſos in computatione neglectos; ut Velleius de Pompeio loquens obſervat: lib. 2. cap. 53. *In ætate tanti viri nimium occupatos fefellit quinquennium, cum à C. Atilio & Q. Servilio tam facilis erat annorum digeſtio.* Haud aliter S. Auguſtinus de Civ. Dei lib. 18. cap. 52. agens de die Pentecoſtes, quem ſtatuit contigiſſe Idibus Maiis, duobus Geminis Coſs. *Numeratis* (inquit) *proinde (conſulibus*, 365. *anni reperiuntur completi per eaſdem Idus, Conſulatu Honorii & Eutychiani:* Et Idem de Baptiſmo lib. 5. c. 1. *Pluſquam 40. anni ſunt inter Cypriani Paſſionem & divinorum Codicum exuſtionem, ſicut Conſulum ordo declarat.* Poſthac Annalium ſcriptores Chriſtianos, juxta morem veterum Hiſtoricorum, Coſſ. adhibuiſſe notiſſimum eſt.

6. Horum exemplo, quaſi fundum hujus Hiſtoriolæ, Faſtos Conſulares poſuimus; & quidem XIII Conſulum paria res omnes Cypriani noſtri jam Chriſtiani facti complectentur; quorum Laterculum hic proponendum eſſe cenſui, præfixo cuique Conſulatui Anno Domini Æræ Vulgaris, annoque Periodi Julianæ.

Per. Jul.	A. D.	Coſs.
4959	246	*Præſens* & *Albinus.*
4960	247	*Philippus* II. & *Philippus.*
4961	248	*Philippus* III. & *Philippus* II.
4962	249	*Æmilianus* & *Aquilinus.*
4963	250	*Decius* II. & *Gratus.*
4964	251	*Decius* III. & *Hetruſcus.*
4965	252	*Gallus* II. & *Voluſianus,*
4966	253	*Voluſianus* II. & *Maximus.*
4967	254	*Valerianus* II. & *Gallienus.*
4968	255	*Valerianus* III. & *Gallienus* II.
4969	256	*Glabrio* & *Maximus.*
4970	257	*Valerianus* IV. & *Gallienus* III.
4971	258	*Tuscus* & *Baſſus.*

Enimvero de his Conſulibus in hoc Indiculo poſitis dubitare non licet: (nam quod Petavius de Conſulatuum perturbatione queritur, non ad Faſtos veteres, ſed modernos pertinet.) Quippe hi omnes eodem ordine in veteribus Conſulum Faſtis a Cuſpiniano uſurpatis, a Bucherio evulgatis, recenſentur. Quinque etiam poſteriores eadem ſerie in initio optimi Indiculi de Præfectis Urbi exhibentur: In Victorini porro Canone Paſchali & Caſſiodori Chronico, omnes eodem ordine repræſentantur. Faſti etiam Siculi conſentiunt, uno excepto, quod Decios Gallo & Voluſiano ſubjungunt, ubi manifeſta tranſpoſitio eſt. Denique omnes Conſulatus Imperatorum, qui ex his tredecim haud pauciores quam novem ſunt, veteribus nummis & Inſcriptionibus confirmantur. Imo vero non tantum illi, ſed & reliqui quoque omnes Conſulatus, cum Reſcriptis Principum & conſtitutionibus in Codice Juſtinianeo, nullo alio intermixto, inveniuntur.

7. Neque vero quenquam movere debet trita illa Turriani, Baronii & aliorum objectio, qui nullam Faſtis certitudinem attribui volunt, quod ſæpe, ut ajunt, ſuffecti Conſules pro ordinariis hiſce tabulis inſeruntur. Nam cum hoc ſe demonſtrare poſſe putant, ſæpiſſime falluntur. Exempli gratia, Panvinius ex Caſſiodoro & Faſtis Græcis, imo & ex optimo Cuſpiniani libro ad A. D. CCCCVIII. Severum & Sabinianum Conſules ordinarios fecerat: Hos fuiſſe ſuffectos contendit Falconerius in Inſcriptionibus Athleticis, idque probare nititur ex inſcriptione quam pro ſua ſententia, ſeu pro confirmatione Faſtorum protulerat Onuphrius. *Feretrum Fieri Placet. Jubentius Celſus pro magiſtro Subſcripſi.* 3. *Non. Novemb. Antio Pollione & Opimiano Kos. Ordinariis Severo & Sabiniano Cos.* Hinc contra Faſtos omnes. *Pollionem*, inquit, *& Opimianum Conſules ordinarios fuiſſe diſerte teſtatur hic lapis.* Sed non vidit vocem *Ordinariis*, non ad priores ſed ad poſteriores duos Conſules pertinere. Id conſtat ex Codice Juſtinianeo, ubi extat Reſcriptum (lib. 2. tit. 1.) Antonini Pii, *PP.* IV. *Kalend. Octob.* Sabino II. & Severo Coſs. Nam ordinariorum Coſs. non ſuffectorum nomina Reſcriptis Principum adjungi ſolebant. Idem etiam Torquatum & Herodem tertio Antonini Pii anno Conſules ordinarios fuiſſe; & Panvinium mire Faſtos conturbaſſe aſſerit. Idque ex veteri Inſcriptione infeliciter probare nititur. Nam Inſcriptio facta eſt 12. KAL. IOVN. *i. e.* die decimo ſexto Maii. Eo die Torquatus & Herodes Conſules fuere: ſuffecti nempe; nam tunc Conſules ordinarios fuiſſe ipſa Inſcriptio aperte negat; quæ hæc de Antonino Pio habet. Δημαρχικῆς ἐξουσίας τὸ Γ. ὕπατος τὸ Γ. Trib. Pot. 3. Cos. III. Falconerius ipſe largitur Antoninum II. & Bruttium Præſentem Conſules ordinarios ante hunc annum fuiſſe; & anno præcedente Antoninum imperium capeſſiſſe VI. Id. Julii, Hadriano defuncto. Sed Hadrianus eodem anno ante obitum ſuum IV. Cal. Martias Antonino Trib. Poteſtatem indulſerat, ut teſtatur Capitolinus; Tertius igitur annus Antonini incepit Februarii 25. Erat autem eo tempore quo hæc Inſcriptio facta eſt, & Trib. Pot. tertius, & Conſulatus Antonini tertius. Ergo Torquatus & Herodes eo die Conſules ſuffecti fuere, ſi accurata ſit inſcriptio; nam ordinarii erant Antoninus Pius III. & M. Aurelius Cæſar. Sed ſuſpicor Inſcriptionem in anno Trib. Pot. male eſſe expreſſam, & levi mutatione pro F. legi debere S. ſexti numeri notam: qua emendatione admiſſa Conſulatus ordinarius Torquati & Herodis ſecundum ſeriem Faſtorum magis adhuc confirmatur. Non igitur hujus viri eruditi & in rebus hujuſmodi, ut videtur, bene verſati, & ſimilium curioſa diligentia; multo minus in aliorum contra Faſtos, ſine ulla exceptione notabili, nuda, aut ad errores ſuos contegendos neceſſaria, vitilitigatione movemur, ut a Faſtorum, eorum præcipue, qui ad hæc tempora pertinent, auctoritate recedamus.

8. Æram autem Chriſti vulgarem uſurpavi, quod ea ab omnibus agnita & fixa ſit; cum æra quælibet ejuſdem pro vera habita & propoſita, varia ſit & incerta pro ſcriptoris cujuſque ſententia atque judicio. Annos autem hujus æræ recte a me Conſulum paribus appoſitos eſſe demonſtrat vel unus Philippi III. & Philippi II. Conſulatus, quo Ludi ſeculares milleſimo U. C. celebrati ſunt; qui annus, quatenus cum eo Conſulatu componitur in annum Domini 248. incidit. Quod magis adhuc confirmatur, ſi adjicias Conſulatum Ulpii & Pontiani Characteribus Cenſorini maxime notabilem, qui certiſſime notus eſt ad A. D. 238. pertinere. Nam ab illo Conſulatu, ad Conſulatum Præſentis & Albini, a quo noſter Indiculus incipit, tum in numero, tum in ordine Conſulum

fulum omnes Fasti etiam Siculi & Idaciani consentiunt; & a Capitolino obiter fere omnes in Codice Justinianeo confirmantur. Denique plerique nuperi Chronologi eosdem consulatus cum iisdem annis æræ vulgaris committunt, ut Petavius, Calvisius, Lydiatus, Bucherius, Labbeus & Acciolius.

Quibus observatis, annum unumquemque hujus historiolæ Æra vulgari, cum Periodo Juliana & Consulibus etiam, imprimis signandum putavi, in quibus tanta tum monumentorum veterum, tum doctorum virorum hujus ævi consensio reperitur. Imperatorum autem & Pontificum Romanorum annos, de quibus tanta & veterum & recentiorum dissensio est, non in initio suppono, sed in ipso opere probo ex Historicorum Romanorum scriptis, ex veteribus nummis & Fastis Consularibus, ac præcipue ex scriptis Cypriani & contemporaneorum, quæ nunc pacem Ecclesiæ, nunc persecutionem sub Imperatoribus alternatim, nunc vacationem sedis, nunc ordinationem Episcopi Romani, nunc obitum exhibent. Quo certius criterion vix reperiri posse putandum est. Neque enim Baronius tam perturbate atque confuse hæc tempora tradere, neque vir doctissimus Carolus le Conte a mente Cypriani & Dionysii adeo aberrare potuisset, nisi uterque Fastos Consulares pro arbitrio immutasset, & alii potius testimonio nimis infido credidisset, ut & alii Viri docti solent. Cum enim Pontificum tempora per Consulatus in veteri Catalogo, & exinde in Pontificali describantur, iis aut neglectis aut perturbatis, solent hujus ævi Chronologi annos Pontificum ex ordinationum numero in Pontificali expresso sæpe deducere. Quæ quidem methodus, quod ad priora Ecclesiæ secula attinet, fallacissima est. Nam ut vetustissimi Catalogi Auctor, Pontificum tempora per Consules descripsit, & quidem vere de iis, quorum anni ad notitiam ejus pervenerant; sed his non contentus primis etiam Pontificibus Consules adhibuit, quos tamen ignorasse deprehenditur. Ita Gestorum Pontificalium Auctor numerum ordinationum a posterioribus Episcopis factarum exhibuit, quas satis certo novisse putandus est; idem autem in prioribus etiam similiter fecit; de quorum annuis ordinationibus nullam omnino notitiam habere potuit.

9. Sed & Imperatorum initia, ex his Consulatibus rite secundum Fastos dispositis, optime & prope certo colliguntur. Solebant enim Imperatores novi, mox post acceptum aut arreptum Imperium, Consulatum proximis Cal. Jan. adire. Hoc notavit Plinius in Panegyrico, dum Trajani omnia laudat, quod hunc morem ipse omisit; quamvis id fecerit ob duos scilicet Consulatus antea gestos: *Contigit ergo* (inquit) *privatis aperire annum fastosque reserare, & hoc quoque reddita libertatis indicium fuit, quod Consul alius quam Cæsar esset.* Et rursus. *Initio Principatus Consulatum recusasti, quem novi Imperatores destinatum aliis in se transferebant, hocque honore privatis cessisti.* Cum enim ipse consulatum secundum, eo ipso anno, quo Imperator factus est, gessisset, & quidem a fine Januarii imperium simul obtinuisset; eumque annum pene cum imperio, certe cum Tribunitia potestate, quam paulo ante susceperat, aperuisset, annum sequentem aperire noluit, sed ut Senecio & Palma proximis Calendis Januariis Consulatum inirent permisit: Hoc erat in Trajano singulare, sed ob causam pariter, ut indicavimus, singularem. Veterem morem mox sequutus est Hadrianus, & post eum Antoninus Pius, post hos Commodus & Severus, Heliogabalus, Maximinus, Gordianus & Philippus, qui ante tempora nostra Imperium occuparunt. Post hæc etiam tempora qui secuti sunt, eundem morem observabant, ut Aurelianus, Tacitus, Probus, Carus, Diocletianus reliquique. Dubitari itaque non debet, quin Decius, Gallus, & Valerianus eundem morem secuti sint, & proximis post assumtam Purpuram Kal. Jan. novo consulatu annum aperuerint, & Fastos referaverint. Hæc Chronologiæ fulcimenta, in temporibus hactenus adeo perturbatis, erant omnino adhibenda: ut scripta S. Cypriani, & res gestæ recte intelligi possent. Παρ' οἷς γὰρ ἀσυνάρτητός ἐστιν ἡ τῶν χρόνων ἀναγραφὴ, παρὰ τούτοις οὐδὲ τὰ τῆς ἱστορίας ἀληθεύειν δυνατόν. *Apud quos enim temporum descriptio minime cohæret, apud hos ea quæ ad historiam pertinent, vera esse nullo modo possunt*, ut observat Tatianus.

10. His recte positis, multo facilius & certius ordo tum Epistolarum S. Cypriani, tum Tractatuum disponetur: Tractatus sive libellos, & Epistolas dico, quia utrorumque tempora ex rerum circumstantiis æque colligi possunt. Et quidem Epistolas a libellis jure distingui debere nemo diffitebitur, ut Syncellus scripta Cypriani in ἱερὰς λόγους, & ἐπιστόλιμαια dividit; tametsi antiquitus confundebantur: ut Epiphanius eundem Tractatum suum & λόγον ἀγκηρωτόν, & ἐπιστολὴν nominavit, & Ruffinus Epistolas Dionysii Alexandrini de Baptismo ab Eusebio semper nominatas in sua versione libros appellat: Ita Literæ & Tractatus Cypriani ab Episcopis in metallo constitutis confunduntur Ep. 79. *Semper magnis sensibus pro temporis conditione Literis tuis locutus es, Cypriane dilectissime, quibus assidue lectis & pravi corriguntur, & bonæ fidei homines corroborantur; dum enim non desinis Tractatibus tuis sacramenta occulta nudare, sic nos in fide facis crescere, & de seculo homines ad credulitatem accedere: nam quæcunque bona in multis libris tuis intulisti, nescius ipsum te nobis designasti.* Et veteres nunc Epistolas, Libellorum; nunc Libellos, Epistolarum nomine vocabant: *Solet S. Cypriani martyris omne Epistolarum corpus in uno codice scribi*, inquit Ruffinus in Origenis Apologia; sine dubio etiam libellos nomine Epistolarum comprehendens, quoniam ibidem docet huic corpori hæreticos quosdam Tertulliani libellum de Trinitate inseruisse; quod, nisi alii libelli in eodem corpore reperti essent, nunquam fecissent. Sic Tractatum de Lapsis, quem ipse Cyprianus Libellum vocat, Pacianus (licet optime in scriptis Cypriani versatus) Epistolam nominat: *Lege* (inquiens) *totam de Lapsis Epistolam:* ita ille Ep. 3. ad Sympronianum: Quod non aliter intelligi debere ostendit. *Nam quod Cyprianum beatissimum mihi pro contrario Testem proponit, quia in Epistola, quæ de Lapsis est, Moysen & Danielem & Job, orasse pro peccatoribus dicat, nec impetrasse:* de ea enim re latius agit in hoc libello Cyprianus. Similiter Augustinus Tractatum de Unitate, quem ipse Cyprianus Libellum vocat, Epistolam nominat, lib. 2. contra Cresconium cap. 33. *Cui Cyprianus ipse quale testimonium perhibeat, audi ex Epistola, quam de Unitate conscripsit.* Unde Facundus lib. 1. *Quod tamen Joannis Apostoli testimonium B. Cyprianus Carthaginiensis antistes & martyr in Epistola sive Libro, quem de Trinitate* (lege *de Unitate*) *conscripsit, de Patre & Filio & Spiritu S. dictum intelligit.* Rursum D. Augustinus libellum de Zelo & Livore Epistolam appellat lib. 4. de Bapt. c. 8. *Legamus igitur Epistolam Cypriani de Zelo & Livore*, & ex eo libello nonnullis recitatis. *Hæc Verba*, inquit, *ex Epistola omnibus nota, quam vera, quam fortia sint recognoscimus.* Male Coquæus hunc Tractatum Epistolæ nomine insignitum fuisse putavit, quod in secessu scriptus esset; cum in Pace Ecclesiæ sub Valeriano, sed controversia de baptismo hæreticorum gliscente, scriptum eum esse constet. Idem Tractatum de Patientia, & libellum de Habitu Virginum, & Eleemosyna, & de Oratione Dominica,

minica, Epiſtolam vocat, & illum de Mortalitate nunc librum, nunc Epiſtolam appellat: E contra Pacianus Epiſtolam triceſimam vocat Libellum, ad Sympronianum Ep. 3. *Libellum de negatoribus vel lapſis recipiendis Novatianus veſter cum adhuc in Eccleſia degeret, & ſcripſit & ſuaſit & legit.* Hieronymus Epiſtolam ad Jubaianum ſcriptam, lib. adverſus Luciferianos, Libellum indigitat: *Ad Jubaianum quoque de Hæreticis rebaptizandis ſcribens, in fine Libelli ſic locutus eſt.* Et S. Auguſtinus Epiſtolam ad Cæcilium vocat librum; de Doctr. Chriſtian. lib. 4. c. 2. Neque mirum eſt Hieronymum Epiſtolam Cypriani libellum appellaſſe, cum ſuas etiam Epiſtolas ſæpe libellos nominet. Ut in Epiſtola ad Nepotianum; *Scripſi*, inquit, *ad avunculum tuum ſanctum Heliodorum exhortatoriam Epiſtolam:* & non multo poſt addit. *Sed & noſtra, qualiacumque ſunt, ſuſcipe; & libellum hunc libello illius copulato.* Rurſus ad Ruſticum, *Habeant illi ordinem & gradum ſuum; quem ſi tenueris, quomodo in eo vivendum ſit, editus ad Nepotianum liber docere te poterit.* Ita de Epiſtola LXXXIII ad Oceanum data ipſe in Apologia adverſus Ruffinum loquitur, *Habent libellum quem in crimen vocant; ille reſpondeat.*

11. Neque tamen dubitandum eſt, quin a Libellis Epiſtolæ proprie dictæ recte & utiliter ſeparatæ fuerint. Et quidem Remboldus omnium primus Pariſiis Epiſtolas ipſas in Libros diſtinxiſſe fertur; de qua re ſic queritur Eraſmus: *Porro quod in toto opere, neſcio quis, diſſecuit libros, diſtinxit tractatus ab Epiſtolis, tametſi ſciebam inepte factum, tamen diſſimulavi, quod non admodum referat.* Sane quod ad Librorum diſſectionem attinet, erat illa ſatis inepta, quia nullo modo utilis; ſed diſtinctio tractatuum ab Epiſtolis inepta non fuit, ſua enim utilitate non caret. Cum autem nec Epiſtolæ, neque Tractatus in vetuſtiſſimis Codicibus ordine continuo eſſent diſpoſiti, aut certum aliquem locum obtinerent: admodum referebat, ut Epiſtolæ ſecundum varias rerum & temporum circumſtantias ſcriptæ in certum ordinem ad ſua tempora redigerentur. Hoc enim pacto & Epiſtolæ ipſæ multum lucis ſibiipſis affunderent, & hiſtoriæ eorum temporum nimis obſcuræ, enucleandæ atque illuſtrandæ appoſitiſſime inſervirent, & Lectorem in rerum illius ævi notitiam primo quaſi intuitu manuducere viderentur.

12. Vidit hoc vir doctus & diligens Jacobus Pamelius, ideoque quod Paulus Manutius in ordinandis Ciceronis ad Atticum Epiſtolis cum laude præſtiterat, idem in Cyprianicis præſtare conatus eſt. Et huic ſpartæ, quam ſuſceperat adornandæ, magnam adhibuit diligentiam; ſed difficultatibus hiſtoricis oppreſſus, & receptæ pontificum Romanorum Chronologiæ nimis adhærens, etiamſi multa præclare obſervavit, in haud paucis tamen a recto tramite aberravit; quod in vita Cypriani ab ipſo collecta clarius eluceſcit. Ordinem à Pamelio editum aliquoties corrigere conatus eſt Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius; ſed non multum præſtitit, & Hiſtoriam pluribus erroribus maculavit. Poſt eum Rigaltius, dum aliud ageret, ſi quando ordinem reſpiceret, nihil bonæ frugis attulit. Poſtremo non inutilem in hoc ordine diſponendo operam poſuit nuper vir doctus Lombertus; ſed niſi admodum fallor, hæc res ulteriorem diligentiam poſtulat, quam in me, propter ſummi Antiſtitis, beatiſſimique Martyris venerandam auctoritatem, & ſcriptorum ejus ſummam in Eccleſia utilitatem, nimis facile ſuſcepi, certe non ſine maxima moleſtia præſtiti; dum & notas omnes temporis in ipſis Epiſtolis & Libellis vel expreſſas vel indicatas excutio; & Imperatorum ac Pontificum Romanorum annos, utpote in hoc negotio maxime neceſſarios, obſervo; & ut amice inter ſe ſingula & cum iis, quæ Cornelius & Pontius & Dionyſius Alexandrinus eodem tempore divulgarunt collata, conſpirare poſſint, ſollicite curo.

13. Quoniam autem ordinem Pamelii aliquoties immutare coacti ſumus, ne id temere a nobis factum eſſe quiſpiam ſuſpicetur, in ipſis Annalibus uniuscujuſque fere Epiſtolæ meminimus; & hiſtoriam rei geſtæ, quæ occaſionem cuique ſcribendæ præbuit, narravimus; & fontem erroris, quo alii Viri docti videntur eſſe ſeducti, pariter aperuimus. Quinetiam cum Pamelius Cypriani literas omnes in quinque Claſſes diſtribuerit, in quarum tertiam rejecit *Epiſtolas varias, de quibus*, ut ait, *quo tempore ſcriptæ ſint, certi nihil colligere licuit:* Nos eaſdem, quæ quidem octo ſunt, ut inoffenſo pede Lector progrediatur, ad certa loca redigere veriti non ſumus, conjectura ſatis ubique appoſita ducti. Cum enim ille *in pace Eccleſiæ* ſcriptas eas omnes fuiſſe fateretur, & quoniam hiſtoriam illius ætatis nonniſi conturbatam ſecutus eſt, tempora ipſa pacis haud recte diſtingueret, ad quæ loca referri deberent, perſpicere non potuit: ego vero Imperatorum & Pontificum annos rectius diſponens, paciſque & perſecutionis intervalla accuratius diſtinguens, & ipſarum Literarum, quas pro incertis habuit, argumenta penitius introſpiciens, ad ſua tempora ſatis tuto revocaſſe me non dubitavi.

14. Enimvero cum ex tredecim annis hujus vitæ Cypriani, tres præcipui notandi ſint, a morte Fabiani ad reditum Lucii, utpote ad quos major pars Epiſtolarum pertineat; cumque res maximæ de ſede vacante, & ſeceſſu; de perſecutione, & lapſis; de Pontificatu Cornelii, & primo ſchiſmate, primoque Antipapa, hoc triennio circumſcribantur: ad ordinem dilucidius & certius percipiendum, hos tres annos ſuis menſibus diſterminandos curavi; quos partim ex certis Hiſtoriæ monumentis, partim ex conjecturis vel inde, vel ex re nata petitis, collegi. Neque quiſquam nos affectatæ diligentiæ reos peragat, quod ſcripta Cypriani per hæc minora temporis intervalla diſponimus, quaſi pro Annalibus Menologia ſcriberemus. Hoc enim ideo tantum fecimus, ut res ipſæ, ubi rem attingimus, prope poſitæ ſibi invicem lumen præbeant; & ſi quando erramus, error ipſe manifeſtius appareat; & a lectore erudito tum citius detegatur, tum facilius emendetur; utque clare eluceſcat, majus temporis ſpatium non requiri ad res omnes, quæ ſub vacatione ſedis & pontificatu Cornelii, ad reditum uſque Lucii contigere, explicandas; quam triennii, quibus enarrandis alii quadriennium, alii fere quinquennium, neceſſario tribuendum eſſe putaverunt; unde maxima perturbatio in ſequentia tempora redundavit.

An-

Annales Cyprianici.

A. D. CCXLVI. *Præsente & Albino.* COSS. *Period. Jul.* 4959.

ERAT in Africa vir haud obscurus, qui & Cyprianus, & Tascius vocabatur, ut seipsum nominat Epistola ad Pupienum; & ut eum nominasse Proconsulem, tradunt Acta passionis; & populum præterea Carthaginiensem, Pontius. Unde decretum quod hactenus Gelasio Papæ tributum est: *Opuscula Tatii Cypriani Apocrypha.* Hic autem *postquam magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierat*, ut loquitur Lactantius, ad fidem Christianam conversus est; unde S. Augustinus, *Nonne aspicimus quanto auro, & argento, & veste suffarcinatus exierit ex Ægypto Cyprianus doctor suavissimus, & martyr beatissimus.* Et quidem in ipsa urbe Carthagine fidem suscepit, ut ipse testatur Epistola ad Clerum Carthaginiensem data, dum ait. *Ubi enim mihi aut melius posit esse, aut latius, quam illic, ubi me Deus credere voluit & crescere?* Unde legimus apud Suidam, Καρχηδὼν, ἡ Ἀφρικὴ, ἐξ ἧς ὡρμᾶτο ὁ μέγας Κυπριανός. Conversus autem est opera Cæcilii presbyteri Carthaginiensis, qui eum ad agnitionem veræ divinitatis, a seculari errore correxit, cum *prius idololatriæ assertor fuisset*, ut testatur Hieronymus. Unde quasi in familiam divini senis assumtus prænomen Cæcilii postea sortitus est. Ut patet ex forma Proscriptionis. *Si quis tenet vel possidet de bonis Cæcilii Cypriani Episcopi Christianorum:* quod & Hieronymus testatur. Hunc Cæcilium fuisse aliquando Diadumeni Imperatoris Magistrum, inanis Baronii conjectura est; cum Afer ille rhetor nec Cæcilius nec Cæcilianus apud Capitolinum, quem unicum pro sua sententia adducit; sed Cælianus scribatur etiam in omnibus vetustis membranis teste Casaubono. Idem Cardinalis jam senem ad Christum esse conversum Cyprianum docet; cum Pontius, quamvis per tredecim ferme annos post conversionem multa ac dura passus sit, nunquam senectutis mentionem faciat. Adhibet quidem Baronius Cypriani testimonium ad hanc rem minime idoneum; Ita enim ipse ad Donatum: *Qui possibilis, aiebam, est tanta conversio, ut repente & perniciter exuatur quod genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit.* ubi summus ille Orator non de sua ætate, sed de consuetudine peccandi longo usu roborata, loquitur. Sane Pontius narrat fuisse illi contubernium Cæcilii & ætate tunc, & honore presbyteri; quod indicat Cyprianum ipsum eo tempore ut non honore, ita nec ætate fuisse presbyterum, hoc est, senem.

II. Dum Cyprianus pro Ecclesiæ more adhuc Catechumenus erat; sive ut loquitur Pontius, *inter fidei suæ prima rudimenta, operam dedit ut continentiam tueretur:* unde porro Cardinalis obiter tradit eum tunc seculo nuncium remisisse; carissima conjuge & dulcissimis liberis, commendatis illis Cæcilio presbytero, relictis; eminentioris vitæ iter confestim arripuisse. Qua observatione, & id quod falsum est, asserit; & quod verum est, dissimulat. Nihil de uxore, aut liberis Cypriani dixit Pontius; nihil ipse, aut alius quispiam; uxoratum quidem fuisse unquam, non constat. Loquitur quidem Pontius de uxore & liberis Cæcilii, quos ille usque ad vitæ extremum diem secum habuit, licet presbyter esset. *Denique*, inquit, *ille* (nempe Cæcilius) *demulsus ejus* (scilicet Cypriani) *obsequiis, in tantum dilectionis immensæ merito provocatus est, ut de seculo excedens, arcessitione jam proxima commendaret illi* (nempe Cypriano) *conjugem & liberos suos; & quem fecerat de sectæ communione participem, postmodum faceret pietatis hæredem.* Hæc Pontius de conjuge & liberis, non Cypriani; sed Cæcilii, qui Cyprianum Christianum fecerat. Atque hunc locum ita intelligi debere, tum res ipsa, tum verba præcedentia perspicue demonstrant. Erant quippe tunc temporis, quemadmodum antea, presbyteri in Ecclesia Africana conjugati, ut hic Cæcilius, & Novatus qui uterum uxoris calce percussit; quibus addi fortasse debent Felix cum uxore Victoria; & Numidicus, qui uxorem adhærentem lateri suo concrematam lætus aspexit ipse semiustulatus; quod hinc observari noluit Cardinalis. Quod nec alii observare voluerunt, qui affirmare non dubitant, Episcopos, presbyteros, & diaconos ex Ecclesiæ disciplina, usu ab Apostolicis temporibus derivato, firmata; perpetuam continentiam servasse. Cyprianus quidem continentiam a primordio fidei suæ imprimis tueri studuit, antequam de sacris Ordinibus cogitabat, quod ei majori laudi fuisse putandum est, si in virili & florente ætate fidem suscepisset, non in senectute, ut existimavit Baronius; nec illud tantum tam mature præstitit, sed etiam tum distractis rebus suis, ad indigentiam pauperum sustentandam tota prædia pretio dispensavit; etiam hortos suos vendidit, qui postea Dei indulgentia restituti sunt: unde Pontius, *Quid autem circa pauperes Episcopus faceret, quos catechumenus diligebat?*

III. Hæc ante hujus anni Pascha contigisse puto, dum inter catechumenos mansit Tascius Cyprianus; baptizatus autem videtur inter Pascha & Pentecosten. Nam ut observat Tertullianus presbyter Africanus, *Diem baptismo solenniorem Pascha præstat, cum & passio Domini, in quam tinguimur, adimpleta est. Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est. Quo & Domini resurrectio inter discipulos frequentata est.* Ubi Pentecoste non unum tantummodo diem denotat, sed quinquaginta dies a Paschate usque ad festum Pentecostes inclusive numerando clare complectitur: quo temporis spatio catechumeni, sive adulti ad Christianam fidem conversi & instituti, legitimo & solenni baptismo tingi solebant. Quæ de aliis paucis diebus, quibus illud sacramentum in aliquibus Ecclesiis solenniter celebrari solebat, afferri possunt exempla, ætate Tertulliani longe posteriora sunt. Quare intra hoc temporis spatium ordinandis lavacris in Ecclesia Africana deputatum, Cyprianum solenniter baptizatum fuisse perquam credibile est; & ab illo sanctissimo lavacro novi natalis ascendentem *primas manus apud matrem cum fratribus aperuisse*, ut idem Tertullianus loquitur.

IV. Nec Cyprianus post baptismum diu silere, aut artem, qua tantopere excelluit, celare potuit. Sub autumno enim hujus anni scripsisse videtur Epistolam, sive Libellum potius, ad Donatum & in Oratoria professione & in baptismo socium; cujus exordium ita celebrat Ruffinus Prologo in Origenis Homilias in Numeros. *Utar verbis tibi, Frater, beati martyris; Bene admones, Donate carissime.* In quo opusculo Christianæ religionis vim atque virtutem mire extollit, & stylo plane oratorio depingit. Tempus anni ipse indicat, dum *indulgente vindemia*, & *ad lenes auras blandientis autumni* se scripsisse memorat. Quamvis enim certo id colligi ex his verbis non potest, si modum scribendi consideremus, cui licentia concedi solet quodvis anni tempus rhetorice describendi; haud tamen diu post baptismum suum hæc ab eo scripta esse autumo, tum quod baptismum tanquam præcipuam orationis partem proponit; tum quod illam ita propositam verbis quamplurimis & sententiis artem ipsam quam nuper exoluerat nimis redolentibus prosequitur; tum denique quod S. Augustinus primum hoc ejus opus fuisse indicat; dum reliquas, *consequentes literas* appellat, de doctrina Christiana, l. 4. c. 1. Quare hoc opusculum scripsit, aliaque multa fecit adhuc plebeius; quæ nos ignorare voluit Pontius.

Philippo

A. D. CCXLVII. *Philippo Imp.* II. & *Philippo Cæſ.* COSS. *Period. Jul.* 4960.

Dionyſius, alius Rhetor apud Græcos ſane præclarus, & Origenis aliquando diſcipulus, (cujus in his Annalibus ſæpe mentio facienda eſt) fit Epiſcopus poſt Heraclam Alexandrinus. Euſebius Hiſt. lib. VI. c. 35. *Anno Philippi tertio, cum Heraclas poſt ſedecim præſidentiæ annos obiiſſet, Epiſcopatum Alexandrinæ Eccleſiæ ſuſcipit Dionyſius.* In Chronico quidem, anno Philippi quinto hæc aſſignat, ſed errore manifeſto; dum ſeptem annos imperii Philippo tribuit, qui quinque tantum integros imperavit, ut poſtea probabitur. Et ipſe Euſebius Hiſt. lib. VII. cap. 28. tradit Dionyſium obiiſſe duodecimo anno Gallieni, cum ſeptendecim annis Alexandrinæ Eccleſiæ præfuiſſet. Cui merito hic credendum eſt; quia rerum Alexandrinæ Eccleſiæ eo ſeculo maxime peritus fuiſſe cenſendus eſt, propter ea quæ tunc Origeni ſuo contigerunt. De annis ſeptendecim conſentit Indiculus Nicephoro tributus, qui hic obiter emendandus eſt. Nam in editione Pariſienſi ex codice valde corrupto facta, legimus; Δημήτριος ἔτη ί. Ἡρακλᾶς ἔτη μγ'. pro quibus omnino legendum eſt, ex codice MSo. Londinenſi. Δημήτριος ἔτη μγ'. Ἡρακλᾶς ἔτη ις. *Demetrius annis* 43. *Heraclas annis* 16. Male in Verſione Euſebii Ruffiniana, *Heraclas apud Alexandriam ſexto anno Epiſcopatus ſui diem obiit.* pro *decimo ſexto.* Male Baronius ex alia verſione legebat *undecim annis* pro *ſedecim.* Tunc autem ſequitur, in MSo. Διονύσιος ὁ ἐπὶ Βαλλεριανοῦ βασιλέως ἐξορισθεὶς, ἔτη ις'. *Dionyſius, qui ſub Imperatore Valeriano in exilium actus fuit, annis* 17. Hic igitur Dionyſius, Cypriano ſynchronus, arte oratoria pariter clarus, iiſdem perſecutionibus exagitatus, paribus exiliis multatus, iiſdem fidei controverſiis immiſtus, literis ad eoſdem Præſules & Presbyteros Romanos datis, certiſſimum rebus Cyprianicis teſtimonium præbuit; nobisque etiamnum ejus Fragmenta ab Euſebio conſervata, maxime exploratam iſtarum perſecutionum diſtinctionem, & Imperatorum erga Chriſtianos animum aut benevolum aut exulceratum repræſentant; quæ ſunt ad horum temporum intervalla rite diſterminanda, prorſus accommodatiſſima.

II. Cyprianus hoc etiam anno multa adhuc plebeius fecit; & quidem, ut puto, Libellum de Vanitate idolorum conſcripſit; tum quod illius non meminit Pontius dum ſeceſſum Epiſcopi ſui excuſat; tum quod tales libri Apologetici pro Chriſtianis adverſus Gentes à viris eruditis ad fidem converſis ſcribi ſolerent. Nam omnibus catechumenis & recens baptizatis, ut hoc ipſo tempore contra Celſum ſcribit Origenes, vanitas idolorum inculcari ſolebat, ἐπὰν καὶ τοῖς πρώτοις εἰσαγομένοις καταφρόνησιν μὲν εἰδώλων καὶ πάντων δὲ ἀγαλμάτων ἐμποιήσωμεν, & ipſa Libelli textura, qui dum tria capita perſequitur, nihil in illis ſingulare habet; non alii quam huic tempori eum aſſignandum eſſe per ſe oſtendere videatur. Denique de hoc argumento quam primum ſcribere voluiſſe videtur Cyprianus, quod ipſe antea idololatriæ aſſertor fuiſſet, ut tradit Hieronymus.

III. Sub finem hujus anni, menſe, ut opinor, Decembri, presbyter factus eſt; & multa quidem presbyter fecit, ut teſtatur Pontius. Aliquandiu igitur presbyteratus ordine gaviſus eſt, antequam ad Epiſcopatum evectus eſt. Unde Hieronymus in Catalogo, *Poſt non multum temporis electus in presbyterum, etiam Epiſcopus Carthaginienſis conſtitutus eſt.* Uti Euſebius in Chronico, *Cyprianus, primum rhetor, dein presbyter, ad extremum Carthaginienſis Epiſcopus, martyrio coronatur.* Quæ & ex Euſebio, ſive Hieronymo, tum Proſper, tum Caſſiodorus pariter exhibent. Et tamen D. Blondellus in Apologia pro ſententia Hieronymi contra expreſſam de Cypriano Hieronymi ſententiam, docere Pontium tradit, Cyprianum mox a ſacro lavacro ad Epiſcopalem thronum raptum eſſe: cum Pontius cujus *egregium volumen* & vidit & laudavit Hieronymus, diſerte doceat, poſt baptiſmum multa eum adhuc plebeium, antequam ſcilicet presbyter factus eſt, multa jam presbyterum feciſſe, nempe antequam Epiſcopus conſtitutus eſt. Mirum enim eſt, quod hic comminiſcitur Blondellus, tradidiſſe Pontium: *Vitæ Cypriani a baptiſmo ſtatum bipartitum; primum inter plebeios, ſecundum in presbyterio*; quaſi Epiſcopatum presbyterii nomine ſignificaſſet, quod apud veteres prorſus inauditum eſt; ſed & verba Pontii, quæ huc trahit, plane contrarium evincunt; *presbyterium & ſacerdotium ſtatim accepit*; non tantum *presbyterium*, ſed & *ſacerdotium.* Illis enim verbis duo ordines ſive gradus aperte ſignificantur atque plane diſtinguuntur; quorum unum poſt alterum ſtatim obtinuit. Per presbyterium enim, presbyteratus ordinem ſive presbyterorum conſortium; per ſacerdotium, Epiſcopatum hic intelligi pro certo haberi debet. Eum ſenſum verba proxime ſequentia omnino poſtulant, *Quis enim non omnes honorum gradus crederet tali mente credenti?* Pontius etiam ipſe mentem ſuam paulo inferius clarius adhuc explicat, cum de proſcriptione Cypriani poſt Epiſcopatum loquens ait, *Potuiſſet quidem tunc pro velocitate qua ſemper omnia conſecutus eſt, etiam martyrii circa eum debita corona properare.* Quis enim non videt, hanc velocitatem qua *ſemper omnia* conſecutus eſt, ad *omnes honorum gradus*, quos eum ſtatim accepiſſe ante dixerat, ſignanter reſpicere? Neque etiam dubito quin inter illos omnes gradus, diaconatus numerari debeat, licet eum nec Pontius, nec alius quiſpiam diaconum fuiſſe diſertis verbis teſtetur. Nam & vetus conſuetudo quæ tunc in Eccleſia viguit hoc etiam poſtulat; idemque mihi innuere videntur obſcura illa verba, *Erat ſane illi, etiam de nobis, contubernium viri & laudabilis memoriæ Cæcilii, & ætate & honore presbyteri.* Cum enim illa ſcripſerit Pontius, qui diaconus tantum fuit, *etiam de nobis* aliter interpretari non poſſum quam etiam cum diaconus, ſive de noſtro ordine fuit. Quare circa finem hujus anni ordinem presbyteratus adeptum eſſe Cyprianum, aut pro certo, aut pro veriſimillimo habendum eſt.

A. D. CCXLVIII. *Philippo* III. & *Philippo* II. COSS. *Period. Jul.* 4961.

S. Cyprianus hoc anno non pauca ex multis presbyter fecit; & cum jam ſtudio Scripturarum maxime incubuiſſet, multa ad veterum exempla juſtorum imitatione conſimili proſecutus eſt. Ita cum Jobum diligenter legiſſet, omniaque ejus opera ſermone uſitato recitaſſet, *Hæc debent facere, dicebat, qui Deo placere deſiderant.* eodem tempore ſcripſiſſe videtur libros duos Teſtimoniorum adverſus Judæos ad Quirinum; paulo poſt etiam tertium ab Auguſtino bis laudatum.

II. Hucuſque intervalla temporis ex conjectura tantum diſpoſui, eamque ex ſolis Pontii verbis cepi, qui tradit Cyprianum poſtquam Chriſtianam fidem amplexus eſt, multa adhuc plebeium, multa jam presbyterum feciſſe; quibus faciendis ad minimum biennii ſpatium tribuendum eſſe cenſui. Eundem autem cum doceat presbyterium *ſtatim* accepiſſe, & ad Epiſcopatus gradum *adhuc neophytum*, & ut putabatur, *novellum* electum eſſe, Catechumenum eum integro triennio ante Epiſcopatum non putavi ſtatuendum. Quæ autem hæc ſequuntur multo certiora ſunt omnia. Hoc enim anno jam adulto S. Cyprianus presbyter, Epiſcopus Carthaginienſis conſtitutus eſt. De tempore certiores ipſe nos facit, dum in Epiſtola quinquageſima nona ad Cornelium ſub initio perſecutionis Galli *A. D.* CCLII. menſe Julio data, ſe *plebi ſuæ in Epiſcopatu quadriennio jam probatum* ſcribit. Et quidem ſub his Conſulibus Philippo III. & Philippo II. Epiſcopum eum ordinatum eſſe docent Pamelius Baroniuſque; & hoc anno æræ vulgaris CCXLVIII. Petavius, Bucherius, Ricciolius, Labbeus, & Lombertus. Quibus hic plane aſſentior, ut Epiſcopatum Cyprianus toto decennio tenuerit.

III. Deceſſor ejus a nemine nominatur; ex ipſo tamen recte colligitur Donatum quendam, de quo nuſquam alibi legimus, in Epiſcopatu proxime præceſſiſſe. Cum enim ad Cornelium ſcribat Privatum hæreticum *Anteceſſorum etiam noſtrorum (quod & veſtram conſcientiam non latet) Fabiani & Donati literis ſeveriſſime notatum fuiſſe*, innuere videtur Donatum anteceſſorem ſuum fuiſſe, quemadmodum Fabianus Cornelii anteceſſor fuiſſe noſcitur. Quem tamen locum aliter expoſuiſſe mihi videtur Vir doctiſſimus Lucas Holſtenius, dum Epiſcopos ante Cyprianum Carthaginienſes tres enumerat, Agrippinum, Fabianum & Donatum; non enim aliunde, quam ex hoc loco colligere potuit Fabianum aliquem in cathedra Carthaginienſi ante Cyprianum ſediſſe. Ita igitur verba præcedentia interpretatus eſt, ut Cyprianus tum Fabianum, tum Donatum anteceſſores ſuos vocaverit, & utrumque Carthagine ante ſe ſediſſe innuerit. Quam interpretationem licet novam & inexſpectatam firmare tamen videntur verba Cypriani plane ſimilia, Epiſtola ad Stephanum Papam, *Servandus eſt enim anteceſſorum noſtrorum beatorum Martyrum Cornelii & Lucii honor*; horum enim uterque Stephani deceſſor fuit, neuter Cypriani. Quocunque modo ſumas, certe in Donati locum ſucceſſit Cyprianus. Neque obſtat S. Auguſtinus, qui lib. 2. de Baptiſmo cap. 27. Agrippinum prædeceſſorem vocat; ſed potius alium aliquem, Donatum ſcilicet, deceſſorem ejus, Agrippinum autem prædeceſſorem fuiſſe innuit; Ut Siricius Papa in Epiſtola ad Himerium Tarraconenſem, Damaſum deceſſorem, Liberium prædeceſſorem ſuum vocat: Eam mentem fuiſſe Auguſtini, ipſe lib. 3. cap. 12. his verbis oſtendit: *Cur enim Jubaianus de novitate turbaretur, ut eum per auctoritatem Agrippini ſanari oporteret, ſi ab Agrippino uſque ad Cyprianum hoc tenebat Eccleſia?* Dum enim loquitur de tempore *ab Agrippino uſque ad Cyprianum* clare ſignificat, Cyprianum Agrippino proxime haud ſucceſſiſſe. Summo ſane populi conſenſu & ardore, mortuo Donato, ad Epiſcopatum poſtulatus eſt S. Cyprianus: *Quidam tamen illi reſtiterunt*, ut ait Pontius; Ipſe autem Epiſcopatum antiquioribus cedens recuſavit, & ut evitaret, *humiliter ſeceſſit.* Salmaſius quidem in Notis ad Hiſtoriam Auguſtam pro *ſeceſſit* legit *ſe geſſit* plane contra mentem Diaconi, qui ſtatim plebem eum *tunc latentem* flagitaſſe tradit: Seceſſit itaque latuitque, cum ad Epiſcopatum poſtulabatur.

IV. Ab initio Epiſcopatus ejus duo præcipue veniunt notanda. Primum, quod cum neophytus & novellus putaretur, ſtatueret nihil agere ſine conſilio cleri & conſenſu populi ſui. Secundum, quod diſciplinæ divinitus traditæ, quam *Pax longa* a Maximini vel etiam Severi tempore *corruperat*, inprimis ſtuderet & inſerviret: Quorum exempla haud pauca & hic & proximus annus ſuppeditabit, reliqui autem cumulate referent. Pacem hanc longam optime interpretatur Sulpicius, *Severo imperante Chriſtianorum vexatio fuit: Interjectis deinde annis* VIII *&* XXX *pax Chriſtianis fuit, niſi quod medio tempore Maximinus nonnullarum Eccleſiarum clericos vexavit.* Certe hæc Epocha recte huic tempori & loco convenire videtur; cum ab initio Antonini Caracallæ tot fere anni ad imperium Decii effluxerint. Localis autem Maximini perſecutio in Africa vix obtinuiſſe, aut non multum invaluiſſe putanda eſt; quia Afri ejus imperio maxime reſtiterunt. Et Gordianus tunc Africæ Proconſul fuit, *adnitentibus cunctis qui Alexandri*, Imperatoris Chriſtianis amiciſſimi, *imperium etiam in Africa clarum, per Proconſulis dignitatem haberi atque eſſe voluerunt*, ut obſervat Capitolinus.

V. Hoc etiam anno ſub exordio Epiſcopatus ſui S. Cyprianus, dum continentiæ maxime ſtuderet, & diſciplinæ inſerviret, ſcripſit præclarum illud Opuſculum de Habitu Virginum, quod Hieronymus ad Euſtochium, *Beati Cypriani egregium volumen* vocat. Stylus enim hujus Tractatus ad priorem proxime accedit; & omnium Sermonum Epiſcopalium omnino primus fuiſſe videtur; in quo auctoritatem ſuam & indicare & diſſimulare voluit, ut cum de virginibus ait, *Ad has loquimur, has adhortamur, affectione potius quam poteſtate.* Poſtea clarius Epiſcopum prodit, dum ſe virginum parentem agnoſcit. *Audite igitur, virgines, ut parentem; audite, quæſo, vos docentem pariter ac monentem.* Sed hunc Tractatum hoc anno, tam mature, ante perſecutionem, & ante ſeceſſum ſcriptum fuiſſe negare videtur Pontius, qui dum ſeceſſum Antiſtitis ſui magna induſtria & arte excuſat; omnia fere ejus Opuſcula adeo Eccleſiæ neceſſaria enumerat, eorum argumenta breviter perſtringens; quaſi ea omnia, poſtquam ſeceſſerat, ſcripta fuiſſent. Quomodo enim utilitas ullius libri, qui ab ipſo ante ortam perſecutionem exaratus fuerat, ſeceſſum ejus, fervente perſecutione, excuſare potuit? Veruntamen Pontius mihi videtur pro ſua facultate rhetorica, etiam illa quæ prius ſcripta ſunt, quod eſſent valde illuſtria, minime præterire voluiſſe. Sane illud quod primo loco commemorat: *Quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis oſtenderet?* ad nullum alium tractatum pertinet, quam eum ipſum quem primo loco ſcripſit ad Donatum. Unde idem ſimiliter judicandum eſt de eo quod ſecundo loco ponit: *Quis virgines ad*

congruentem pudicitiæ disciplinam, & habitum sanctimonia dignum velut frænis quibusdam lectionis dominicæ coërceret? illud etiam secundo loco, & ante secessum exaratum esse. Quæ duo si tanquam valde illustria, & quæ prætermitti nullo modo debuerant hic posita esse censeantur; reliqua quæ sequuntur, tempori optime respondebunt, quod vel in secessu vel postea transactum est: *Quis doceret pœnitentiam lapsos, veritatem hæreticos, schismaticos unitatem?* Ab his enim verbis si incipias, clare procedunt omnia.

A. D. CCXLIX. *Æmiliano & Aquilino,* COSS. *Period. Jul.* 4962.

VEra & accurata hujus anni historia maximi momenti est ad reliquam Cypriani vitam recte intelligendam; adeo ut ad cætera temporum intervalla debito ordine disponenda, & Imperatorum Pontificumque Romanorum annos disterminandos, quasi pro fundamento haberi debeat. Hujus autem historiæ series ex Dionysii, Alexandrini tunc temporis Episcopi, testimonio extra omnem aleam posito & certissime & facillime colligi potest. Ille enim in Epistola ad Fabianum Antiochenæ Ecclesiæ Antistitem sub imperio Decii scripta, narrat persecutionem Alexandriæ ex motu populari ortam esse: quales motus in ea urbe frequentes fuisse ex quacunque vel levissima causa aliunde notissimum est. Hanc autem persecutionem popularem integro anno ante edictum Decii contigisse ait, cum aliæ Ecclesiæ alta pace sub Philippo fruerentur. Ita ipse apud Eusebium lib. 6. cap. 41. ἓκ ἀπὸ τοῦ βασιλικοῦ προσάγματος ὁ διωγμὸς παρ' ἡμῖν ἤρξατο· ἀλλὰ γὰρ ὅλαν ἐνιαυτὸν πρόὑλαβε. *Nequaquam ex Imperatoris edicto persecutio apud nos capta est; quippe quæ integro anno anteverterat.* Hæc disertius adhuc a Dionysio explicantur, verbis de incerto auctore hujus præviæ persecutionis proxime sequentibus, nondum recte intellectis. Καὶ Φθάσας ὁ κακῶν τῇ πόλει ταύτῃ μάντις καὶ ποιητὴς, ὅσις ἐκεῖνος ἦν, ἐκίνησε καὶ παρώρμησε καθ' ἡμᾶς τὰ πλήθη τῶν ἐθνῶν. Hinc enim Magum quendam populum Alexandrinum instigasse vult Baronius, & quidem eum ipsum qui postea Valerianum adversus Ecclesiam concitavit: sed vatem & poetam potius eum fuisse statuit Valesius, quia poetæ cum vatibus magnam habent societatem, & Ægyptii poetica delectabantur: unde ea verba sic transtulit. *Etenim infaustus quidam vates & poeta, quisquis ille fuit, commoverat jam antea atque incitaverat adversus nos gentilium turbas.* Sed neuter mentem magni illius Rhetoris assecutus est. Tu simpliciter verte, *Et prævertens malorum huic urbi vates & auctor, quisquis ille fuit, commovit & incitavit adversus nos gentilium turbas.* Hoc enim voluit, nescio quem, priorum civitati malorum auctorem fuisse sub Philippo, futurorum autem sub Decio vatem: qua occasione arrepta, luculentam rerum, quæ hoc anno in imperio Romano contigerunt, obiter historiam texit: quam alibi certo temporis intervallo signatam vix reperies, quæque hic haud immerito explicanda est.

II. Etenim hæc persecutio Alexandriæ sub imperio Philippi Christianis maxime benigno, ex motu populari & tumultuario orta, referente Dionysio, ἐπιπολὺ, hoc est, *diu*, non *diutissime*, (ut Valesius) duravit. Usque ad festum Paschatis edictum Decii præcedentis certe sæviit. Tamdiu durasse Dionysius ipse indicat, in Epistola Paschali, apud Eusebium lib. 7. cap. 22. *Multa quidem & acerba ante hanc calamitatem nobis contigerunt,* πρῶτον μὲν ἡμᾶς ἤλασαν, καὶ μόνοι πρὸς ἁπάντων ὠθούμενοι καὶ θανατούμενοι ἐορτάσαμεν καὶ τότε. *Primum quidem nos expulerunt; cumque soli ab omnibus fugaremur, & morti exponeremur, etiam tum festum celebravimus,* Paschale scilicet de quo agit. Hæc sane de hac persecutione populari, quæ prima sub Dionysio fuit, & solos spectabat Alexandrinos, omnino intelligenda sunt, ut recte animadvertit Valesius: qua adhuc durante, Confessores Alexandrini urbe pulsi & fugati, in ipsa solitudine festum Paschale celebrabant. Sed hæc persecutio paulo post Pascha cessavit. Orta enim inter ipsos Gentiles seditio persecutionem eam popularem repressit. Διαδεξαμένη δὲ τὰς ἀθλίας ἡ ςάσις καὶ ὁ πόλεμος ὁ ἐμΦύλιος τὴς καθ' ἡμῶν ὠμότητα πρὸς ἀλλήλας αὐτῶν ἔτρεψεν. Ubi pro ἀθλίας mallem legere ἄθλας, quæ vox agonibus seu certaminibus & passionibus martyrum frequenter attributa est, & in hac ipsa Epistola postea ita usurpatur, ut sensus sit, *Excipiens autem hos agonas seditio cum civili bello, crudelitatem contra nos in ipsos mutuo convertit.* Id enim διαδέχεσθαι postulat, quod successionem significat: quæ quidem hoc loco non personas, sed res spectat. Verum quocunque modo legas, seditio cum civili bello insperato exorta persecutioni huic populari, quæ integro anno ante edictum Decii eruperat, post Pascha finem imposuit.

III. Seditio autem illa quæ persecutionem Alexandrinam tunc temporis sedavit, πολλῶν κατὰ ταυτὸν ἐμπεσασῶν ταραχῶν τοῖς πράγμασιν, ut loquitur Zosimus extitit: & civile illud bellum spectat ad Jotapianum in Oriente, & Marinum in Occidente, & quæ exinde sequebantur. Nam sub Philippis hoc anno Orientales milites Jotapianum ad imperium evexerunt, legiones autem Mœsiæ & Pannoniæ Marinum: unde in nummis legitur, *Imp. C. P. Carvil. Marinus Aug.* Sed neuter imperio diu gavisus est; Τοῦ Ιωταπιανοῦ τε καὶ Μαρίνε σὺν ὰ πολλῷ πόνῳ καθαιρεθέντων, ut idem Zosimus testatur. Quo tempore Christiani Alexandriæ paululum respirarunt, ut ait Dionysius; qui adhuc progreditur & rerum in Rep. statum sic describit. Εὐθέως δὲ ἡ τῆς βασιλείας ἐκείνης εὐμενεςέρας ἡμῖν μεταβολὴ διήγγελται. *Subito autem imperii illius erga nos benignioris mutatio nuntiata est.* Et mutatio illa non *animi mutatio* fuit, ut male locum explicat Baronius, sed, ipsius imperii ex subita Imperatorum nece. Decius enim, sublato Marino, ad Pannonicas legiones castigandas à Philippo missus, in Pannonia renuntiatus est Imperator ab exercitu. Qui purpura indutus, Philippum seniorem adversus eum cum ingenti exercitu contendentem commissio prælio occidit Veronæ; post quem Philippus junior occisus est Romæ, & proinde Decius se Imperatorem & Consulem renunciavit. Hæc erat benignioris erga Christianos imperii mutatio, cujus ad Alexandrinos fama perlata, gravissimæ Christianis minæ intentabantur. Hucusque Dionysius, Episcopus ea tempestate Alexandrinus, rerum suæ Ecclesiæ testis omni exceptione major,

IV. Hæc autem omnia hoc anno CCXLIX. Persecutionem Decianam præcedente, Æmiliano & Aquilino Cos. contigisse pro certo haberi debet; quia Dionysius tum persecutionem popularem, tum respirationem, tum civile bellum, tum imperii mutationem, tum minas intentatas, tum edictum Imperatoris intra unius integri anni spatium clare compingit. Unde minime audiendus Lydiatus nostras, qui anno priore, duobus Philippis Cos. Jotapianum & Marinum Imperatores appellatos esse; & utroque Philippo occiso, Decium hoc anno circa mensem Martium imperium obtinuisse tradit. Neque vero admittenda hic sententia Calvisii, qui Philippos periisse statuit A. D. CCL. Decio & Grato Cos. anno Imperii sui septimo: multo minus illa Baronii, qui tumultum

multum hunc ad annum ſequentem, Decio & Grato Coſs. rejicit, & manifeſto biennii metachroniſmo, tandem ſub Conſulatu utriuſque Decii utrumque Philippum periiſſe, & Decium in Imperio ſucceſſiſſe dicit; eo ipſo anno quo non uterque Philippus, ſed uterque Decius periit. Nobis interim demonſtrandum eſt, ſecundum hiſtoriam ex Dionyſio delineatam, hoc ipſo anno periiſſe Philippos, imperaſſe Decium. Quod ad hos Annales recte diſponendos perquam neceſſarium eſt. Geſta enim Cypriani ab initio fere imperii, atque adeo perſecutionis Decianæ procedunt. In qua Epocha quiſquis fallitur, ut in hiſtoriæ hujus ſerie ſemper oberret neceſſe eſt. In Codice Juſtinianeo extat Reſcriptum lib. IV. tit. 16. cum hac inſcriptione, *Imp. Decius A. Thelemachæ*; cui ſubſcribitur, *P. P.* XIV. *Kal. Novemb. Æmiliano & Aquilino Coſs.* Unde clare conſtat Decium hoc ipſo anno menſe Octobri pro Imperatore & Auguſto habitum agnitumque fuiſſe. Et quidem ante hunc annum pariter conſtat eum ad imperium minime evectum eſſe. Nam in eodem Codice Juſtinianeo extat etiam Conſtitutio lib. IX. tit. 32. cum hac Inſcriptione, *Philippi A. A. & C. C. Baſiliæ*; & hac ſubſcriptione, *P. P. X. Kal. Martii, Æmiliano & Aquilino Coſs.* Imo & alia Conſtitutio illa poſterior lib. VIII. tit. 56. *Imp. Phil. A. Coſmino, Dat. XV. Kal. Julii, Æmiliano & Aquilino Coſs.* Menſe igitur Junio iſtis Coſs. adhuc imperabant Philippi, ante Octobrem perierunt. Quæ cum ſint per ſe certiſſima, ulterius tamen confirmanda ſunt propter ſententiam Illuſt. Annaliſtæ, qui omni genere Chronographiæ putavit ſe probaſſe occiſos eſſe Philippos, & ſubrogatum Decium ſub Conſulatu utriuſque Decii, hoc eſt, biennio poſtea; quo argumento omnia conturbavit.

V. Quapropter primo ſtatuendus eſt annus, quo Philippus, occiſo Gordiano, imperium arripuit. Quod ab eo factum ſub Conſulatu Arriani & Papi (A. D. CCXLIII) circa menſem Septembrem tradit Lydiatus; & inde imperium Philippi ſeptem Conſulatus attigiſſe colligit; ſed aperte fallitur. Extant enim Conſtitutiones à Gordiano datæ poſt menſem Septembrem in Codice Juſtinianeo; prima XII. *Kal. Novemb.* lib. 6. tit. 50. ſecunda VIII. *Cal. Novembr.* lib. 5. tit. 62. tertia XVI. *Cal. Dec.* lib. 4. tit. 14. omnes *Arriano & Papo Coſs.* Menſe igitur Novembri ejus anni adhuc imperabat Gordianus. Sed nec eo anno periit. Duæ enim Conſtitutiones etiam extant, prima VIII. *Id. Janu.* lib. 9. tit. 2. ſecunda *Idibus Januarii*, lib. 6. tit. 10. utraque *Peregrino & Æmiliano Coſs.* Conſtat itaque Gordianum in imperio fuiſſe ſub initio eorum Conſulatus, A. D. CCXLIV. Unde Onuphrius, & poſt eum alii, illis Coſs. menſe Martio periiſſe Gordianum, ſucceſſiſſe Philippum ſtatuunt haud immerito. Extat enim Conſtitutio Philippi Codice 2. tit. 4. *Pridie Cal. Aprilis*, aliaque Cod. 3. tit. 43. *P. P. II. Idus Martii*, utraque *Peregrino & Æmiliano Coſs.* Diſſimulandum interim non eſt, extare etiam in eodem Codice, lib. 6. tit. 20. ſub nomine Gordiani *A. Claudio Dat.* VII. *Kal. Maii*, *Peregrino & Æmiliano Coſs.* Sed cum duæ Conſtitutiones Philippi tot diebus præceſſerint, & tertia mox ſequatur VI. *Idus Maii*, lib. 9. tit. 34. omnino in illa Gordiani pro *Maii* legendum eſt *Martii*. Illa autem correctione admiſſa, Gordianus periit & imperavit Philippus inter diem viceſimum tertium Februarii, & decimum tertium Martii, Peregrino & Æmiliano Coſs. A. D. CCXLIV. Probatum autem eſt ante, Decium occiſis Philippis imperium occupaſſe, Æmiliano & Aquilino Coſs. A. D. CCXLIX. & quidem ante menſem Octobrem. Non plures igitur annos quam quinque integros imperavit, neque plures quam ſex Conſulatus attigit Philippus.

VI. Hæc præterea confirmanda ſunt conſenſu Romanorum Hiſtoricorum maxime unanimi. *Philippi duo*, inquit Eutropius, *annis quinque imperaverunt.* Victor Schotti *annos potentiæ quinque egere.* Victor alter, *Philippus imperavit annos quinque*; nempe præter menſes aliquot quos illi omiſiſſe videntur, quia Jotapianus & Marinus & Decius ſumta purpura poſtremos imperii menſes, & ſi Zonaræ credamus, cui fidem nummi faciunt, priores Marcus & Hoſtilianus occuparunt. Romanis Hiſtoriæ ſcriptoribus uſquequaque conſentiunt inſcriptiones numiſmatum; quæ annos Tribunitiæ poteſtatis cum Conſulatibus Imperatoriis referunt, & cum Faſtis ita concurrunt, ut clare deſinant in Conſulatu Æmiliani & Aquilini, & quinque integros imperii annos complectantur, ſextum autem tantummodo attingant. Nam Inſcriptiones plurimæ, δημαρχικῆς ἐξουσίας. & *TR. P.* clare ſpectant annum CCXLIV. Peregrino & Æmiliano Coſs. quo Philippus Imperator, ſed nondum Conſul fuit, niſi deſignatus. Ad quod tempus referri debet Inſcriptio Africana apud Falconerium, *Imp. Cæſ. M. Julius Philippus. Invictus Pius Felix Aug. Pont. Max. Trib. Pot. Coſ. Deſig. TR. P. Coſ.* ante menſem Martium anni CCXLV. quo Conſul cum Titiano fuit. *TR. P. II. Cos.* ante Martium anni CCXLVI, quo Præſens & Albinus Coſs. fuere. *TR. P. III. Coſ. II.* ante Martium anni CCXLVII. Ipſo ſecundum & Philippo juniore Coſs. *TR. P. IV. Coſ. III.* ante Martium anni CCXLVIII. Ipſo tertium, & Philippo juniore ſecundum Coſs. *TR. P. V. Coſ. III.* poſt Martium ejuſdem anni CCXLVIII. *TR. P. VI. Coſ. III.* poſt Martium anni CCXLIX. Æmiliano & Aquilino Coſs. Nec ulterius nummi progrediuntur; neque ſeptimus Tribunitiæ poteſtatis annus ullibi Philippo tribuitur. Idem etiam demonſtratur ex nummis Philippi junioris, qui tertio Imperii patris ſui anno & Auguſtus & Conſul factus eſt. Unde legimus, *M. Julius Philippus Tr. P. Coſ.* anno ſcilicet CCXLVII. Et rurſus *TR. P. II. Coſ. II.* anno CCXLVIII. rurſuſque *TR. P. III. Coſ. II.* anno CCXLIX. Æmiliano & Aquilino Coſs. neque ulterius ejus nummi progrediuntur.

VII. Euſebius quidem tum in Chronico tum in Hiſtoria, ſeptem annos imperio Philippi tribuit, quem ſecuti ſunt Græci, & poſt verſionem Hieronymi, etiam Latini Chriſtiani. Sed error erat manifeſtus, neque interpretatione Lydiati molliendus; quaſi Euſebius intelligendus eſſet de ſeptem Conſulatibus ordinariis quos Philippi imperium attigiſſet. Imperium enim ejus non ſeptem ſed ſex tantum Conſulatus attigit, ut oſtendimus. Illuſt. Annaliſta, qui ex ſententia Euſebii & ſequacium ſeptem annos imperio Philippi tribuit, & proinde octo Conſulatus enumerat, quos ejus imperium attigiſſe putat, ex ipſis Conſulibus quos adjicit, erroris clare convincitur. Non enim tantum per totum Conſulatum Æmiliani & Aquilini imperaſſe Philippum docet, cum illis Coſs. imperare cœpiſſe Decium jam oſtenderim: ſed etiam per totum Conſulatum Decii & Grati Philippos imperio potitos eſſe aſſerit; cum in Codice Juſtinianeo ſuperſint ſex Imperialia Reſcripta quæ à Decio Auguſto illis Coſs. data ſunt, & Fabianus iiſdem Coſs. paſſus ſit, (ut teſtatur vetuſtiſſimi Catalogi auctor) qui non ſub Philippis, ſed ſub Decio paſſus eſt. Et præterea anno ſequenti duobus Deciis Coſs. Philippos periiſſe tradit; cum eo Conſulatu Decios ambos periiſſe conſtet, & Cornelium ordinatum eſſe indicet idem Auctor Catalogi, qui non niſi biennio fere poſtquam Decius imperare cœpit, Romæ Epiſcopus fuit; ut ex Cypriano noſtro certo colligitur. Quapropter omni genere Chronographiæ, omnique hiſtoriæ fide, non duobus Deciis, ſed Æmiliano & Aquilino Coſs. A. D. CCXLIX. occiſos

esse Philippos, & Decium imperare cœpisse habetur expressum. Quinimo inanis est conjectura Spondani, invidia & odio Christiani nominis septimum Philippi imperii annum obscurum valde remansisse; cum revera non tam obscurus quam nullus fuerit.

VIII. Ut autem ad Dionysium redeam, quantum ex ejus Epistolis conjectura capere possum, ineunte mense Maio Marinus in Pannonia sumsit imperium; exeunte Julio Decius, sublato Marino sumsit purpuram; mense Augusto occisus est senior Philippus Veronæ, & paulo post junior Romæ. Unde mense Septembri ineunte Decius se Imperatorem & Consulem statim renunciavit. Atque in hunc modum post persecutionem Ecclesiæ Alexandrinæ ex motu populari ortam, post seditionem populi cum bello civili excitatam, Philipporum imperium, qui omnium hactenus Imperatorum maxime Christianis faverant, penitus excisum est. Quæ imperii mutatio cum Alexandrinis nuntiata est, statim terror & minæ intentabantur; donec tandem ex Edicto novi Imperatoris, Christianis maxime infensi, gravissima persecutio erupit. Hæc omnino mens est Dionysii Alexandrini de anno Decianam persecutionem præcedente historice explicata, & cum reliquis veræ antiquitatis monumentis collata; quæ pro fundamento hisce nostris Annalibus merito substernitur. Quibus substratis res Episcopi & Martyris nostri, quæ ad hunc annum videntur pertinere, pertexemus.

IX. S. Cyprianus, qui ab Episcopatus exordio statuerat nihil sine consilio Cleri sui agere, die Paschæ hujus anni communi consilio Saturum Clero proximum fecit, dum ei semel atque iterum lectionem dedit; & circa idem tempus inter Lectores Optatum doctorem Audientium constituit, ut ipse indicat Epistola vicesima nona anno proximo, mense Augusto scripta. Nam neque anno priori, cum ipse Cyprianus nondum Episcopus esset; neque sequenti, cum persecutio Carthagine, maxime sub tempore Paschatis, sæviret, hæc communi consilio fieri potuerunt. Pertinet etiam ad commune consilium simul atque curam disciplinæ Epistola prima ad Furnitanos à Cypriano & Collegis cum Presbyteris præsentibus, ut mihi videtur, hoc anno scripta. Nam in ea meminit formæ cujusdam, & ab antecessore suo & nuper factæ, quæ duo huic anno, cum ipse jam nuper Episcopus ordinatus fuerat, optime conveniunt; præsertim, cum hic nulla mentio sit persecutionis aut exortæ, aut prævisæ, à qua opportune potuit argumentum sumere: sed illud potius tempus indicatur, quod persecutionem præcessit, quod Cyprianus lib. de Lapsis exprimit & describit; *quando Episcopi plurimi, quos & hortamento esse oportet cæteris & exemplo, divina procuratione contemta, procuratores rerum sæculi fierent.* Observatio quidem Pamelii nostræ refragatur: sed ea nihili esse videtur; putavit ille Geminium Victorem in hac Epistola notatum eum ipsum Episcopum fuisse, qui Concilio Carthaginiensi septennio postea interfuisse noscitur; hunc autem mortuum esse hic supponitur, unde sequeretur sub finem vitæ S. Cypriani, scriptam fuisse hanc Epistolam; sub illa scilicet gravissima persecutione, qua Cyprianus exilio multatus & martyrium passus est; quod nullo modo verisimile est. Neque vero Geminius ille, qui testamentum fecit, Frater vocatur, quasi Episcopus esset; sed eo tantum modo, quo plebs Furnitana fratres charissimi appellantur; imo fratrem signanter dixisse videtur, respiciens scilicet decretum Concilii non diu ante habiti; *Ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret*: unde Cyprianus ipse hanc scripsit Epistolam, *ut cæteris fratribus daretur exemplum.* Quare Geminius Victor, cum hic nominatur & tractatur tanquam frater, à Clero distingui & separari videtur. Melior itaque multo conjectura est, alterum Geminium, Faustinum nempe, non Victorem, qui tum cum hæc Epistola scripta est, Furnitanorum Presbyter fuit, postea ejusdem oppidi Episcopum factum esse & Concilio interfuisse. Cumque Pamelius putet in Synodo quadam post Carthaginiensem tertiam de baptismo Hæreticorum has literas scriptas esse: id docet, quod à nemine proditum est; Cyprianum scilicet Synodum ullam post illam Carthaginiensem coegisse; neque persecutio, quæ anni proximi initio orta est, patiebatur. Paulo consultius Illustrissimus Cardinalis hoc factum sub initio Pontificatus Stephani tradit, quamvis haud verius; & de sacra Synodo loquitur, quam tamen *Collegæ, qui præsentes aderant*, apud Cyprianum semper facere non solent. Ubi obiter notandum male Pamelium observasse, de Furnis nullam alibi mentionem factam esse, præterquam apud Victorem Uticensem, ubi legitur Mansuetus Uticitanus incensus in porta Furnitana: nam & Florentinus Furnitensis vocatur in Collatione Carthaginiensi; non Furvitensis, ut recte observat Holstenius; & Simeon Episcopus plebis Furnitanæ in concilio Bonifacii etiam appellatur.

X. Ad eandem curam disciplinæ & hunc ipsum annum pertinere videtur Epistola ad Eucratium scripta, de histrione quodam, qui ad fidem Christianam conversus à theatro seipsum subtraxerat, sed artem histrioniam in aliis erudiendis exercuit; nam cum ad eum comprimendum rationibus tantummodo generalibus utatur Cyprianus, nulla mentione facta persecutionis aut ferventis aut sedatæ, aut prævisæ, vel alterius circumstantiæ ad Ecclesiæ statum quoquo modo pertinentis, unde ansam premendi urgendique argumenti peropportune sumere, uti solet, potuit, omnino persuasum habeo, hoc ipso anno in altissima Ecclesiæ pace, tum à persecutione tum à schismate & controversiis libera, eam exaratam esse. Propter easdem rationes non dubito quin Epistola ad Rogatianum Episcopum de superbo, sive potius contumelioso Diacono, qui eum contumeliis & injuriis suis exacerbaverat, hoc ipso tempore scripta sit: necnon altera ad Pomponium Episcopum de Virginibus, quæ detectæ sunt in eodem lecto pariter mansisse cum masculis; scripta ad hunc ipsum annum pertineat, quo Pamelius & Baronius nullam omnino ex omnibus Cyprianis Epistolis scriptam fuisse autumabant. Et quidem Pamelius, cum octo Epistolas, quas *Miscellaneas* vocat, *in pace Ecclesiæ variis temporibus conscriptas esse fateatur, de quibus quo tempore scriptæ sint, nihil colligere licuit*, nullam ad hoc tempus pacis, ante persecutionem Decii referre potuit, cum per totum hunc annum eam persecutionem sæviisse male putaret, & Cyprianum paucis ante hunc annum mensibus Episcopum factum esse recte statueret. Mirum autem est Baronium nullam Epistolam ad hoc tempus pacis retulisse, qui Cyprianum toto biennio & mensibus haud paucis Episcopatum gessisse putavit, antequam Decius imperium occuparet. Nos quatuor ex illis octo Pamelii miscellaneis ad hoc pacis tempus (quod notabile ipse Cyprianus fecit, dum ad Cornelium *in hac quiete se servivisse disciplinæ* professus est) reduximus; reliquas etiam suis temporibus reddituri. Unde factum est ut quæ fuit Pamelio Epistola sexagesima sexta, nobis prima, quæ illi sexagesima prima, nobis secunda; quæ illi sexagesima quinta, nobis tertia; quæ denique illi sexagesima secunda, nobis quarta sit. Et has quatuor Epistolas à S. Cypriano jam Episcopo, sub Fabiano Pontifice Romano in altissi-

altiſſima Eccleſiæ pace, paulo ante perſecutionem Decianam exaratas eſſe cenſeo.

XI. Extat præterea ſingulare exemplum diſciplinæ poſtrema hujus anni parte exercendæ quidem, ſed non exercitæ. Novatus enim presbyter Carthaginienſis uterum uxoris calce percuſſerat, unde abortio ſtatim ſecuta eſt. Quare dictus eſt ei dies quo apud Cyprianum cauſa ejus ageretur; ſed perſecutio ante venit. Plane ut de Lucilla narrat Optatus; *Iraſcenti & dolenti, ne diſciplinæ ſuccumberet, occurrit ſubito perſecutionis enata tempeſtas.* Qui perpetuam continentiam Clericorum ea ætate obſervatam fuiſſe tradunt, facinus hoc Novatum ante ordinationem ſuam perpetraſſe volunt; quod diu ignotum Eccleſiæ fuiſſe tradunt, tunc autem vulgatum, cum in ejus mores, ſchiſmatis ab eo facti occaſione, diligentius inquiſitum eſt; quo nihil dici potuit à veritate magis alienum. Nam notiſſimum hoc ejus facinus fuit ante ſchiſmatis originem; ſchiſma enim, ſæviente perſecutione, ortum eſt; facinus autem ante perſecutionem notum eſt. Ita Cyprianus ſtatim poſt illud facinus eleganter deſcriptum; *Hanc* (inquit) *conſcientiam criminum jampridem timebat, propter hoc ſe non de Presbyterio excitari tantum, ſed & communicatione prohiberi pro certo tenebat; & urgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud nos cauſa ejus ageretur, niſi perſecutio ante veniſſet.* Novatus presbyter notiſſimi hujus criminis de utero uxoris ſuæ calce percuſſo reus, judicio ſiſtendus ante perſecutionem fuit; ſed ante diem, quo de presbyterio ejiciendus & excommunicandus fuit, orta eſt perſecutio. Et quod præcipue notandum, ſchiſma Novati non erat occaſio detegendi criminis, ſed è contrario detectio criminis & pœnæ metus ad excitandum ſchiſma ipſum impulerunt: Ita diſerte Cyprianus; *Quam iſte perſecutionem voto quodam evadendæ & lucrandæ damnationis excipiens, hæc omnia commiſit & miſcuit, ut qui ejici de Eccleſia & excludi habebat, judicium ſacerdotum voluntaria diſceſſione præcederet; quaſi evaſiſſe ſit pœnam, prævenisse ſententiam.* Hoc igitur ipſo tempore Novatus presbyter uxoratus ob notiſſimum crimen in uxoris ſuæ corpus perpetratum judicandus fuit; ſed perſecutio prius venit.

XII. Nam Decius, jam Imperator & Auguſtus, cum bellum civile, quod in Gallia motum fuerat, oppreſſiſſet, Romam venit; ubi ad eum Jotapiani ora inopinato feruntur: jamque in imperio confirmatus graviſſimam perſecutionem molitus eſt: Edicta ejus in omnibus provinciis publicabantur, ut teſtatur Gregorius Nyſſenus in vita Gregorii Thaumaturgi: Tempus indicat Dionyſius Alexandrinus in Epiſtola ſæpe laudata: Poſtquam nuntiata eſt imperii mutatio, *graviſſimus*, inquit, *nobis minarum terror intentabatur*, καὶ δὲ καὶ παρῆν τὸ πρόσαγμα, *imo etiam aderat Edictum.* Poſt igitur initium imperii Deciani primo minæ intentabantur, deinde Edictum prodiit; circa finem ſine dubio hujus anni, aut ineunte proximo: Quare tunc orta eſt SEPTIMA PERSECUTIO; ſub qua quid alibi paſſi ſunt Chriſtiani à Dionyſio Alexandrino, Euſebio & Gregorio Nyſſeno proditum eſt; quid autem Romæ & in Africa, ea durante, actum eſt, ex Cypriani ſcriptis potiſſimum diſcitur.

A. D. CCL. — *Decio II. & Grato* COSS. — *Period. Jul.* 4963.

I. ACcuratiores Faſti exhibent hoc anno Decium II. & Gratum Conſules, ut Indiculus & Catalogus à Bucherio editi, & Faſti Idatiani. Sed iterati honoris notam in Decio Victorius & Caſſiodorus, ut ſæpe ſolent, omiſerunt. Unde Annalium conditor primum Decio non minus quam Grato hunc Conſulatum aſſignat, & Conſulatum Decii ſecundum cum Grato putat fuiſſe ſuffectum, errore manifeſto. Nam in Codice Juſtinianeo lib. 3. tit. 22. Reſcriptum Decii Imperatoris extat. Datum *Decio II. & Grato Coſſ.* Unde emendanda & huic rei accommodanda eſt ſubſcriptio lib. 7. tit. 32. *PP. V. Kal. Aprilis, Decio A. V. Grato Coſſ.* Nam loco poſteriori pro V. legendum eſt, duabus virgulis ſolutis, II. Emendatio certa eſt: Decius enim numquam quintum Conſulatum attigit. Similis menda pariter tollenda eſt Cod. lib. 7. tit. 57. *Gordiano A. V. & Pompeiano Coſs.* ubi legendum eſt, *Gordiano A. II.* Gordianus enim Auguſtus ſecundum Conſul cum Pompeiano fuit, nec unquam tertium Conſulatum iniit, nedum quintum. Alia etiam Conſtitutio pariter emendanda lib. 8. tit. 54. *PP. Non. Martii Decio A. I. & Grato Coſs.* Pro I. enim quin legendum ſit II. dubitari non poteſt, quia nota unitatis Conſulatui nunquam apponitur: ſed Conſulatus ſine nota pro primo, tum in libris tum in nummis & inſcriptionibus, ſemper habetur. Ex his igitur Conſtitutionibus conſtat Decium II. & Gratum ſimul Conſules, & quidem ordinarios, non ſuffectos, fuiſſe. Nam in Conſtitutionibus, & Reſcriptis Imperatorum nulla ſuffectorum Conſulum ratio haberi ſolet. Unde in Faſtis MSS. apud Iſ. Voſſium, hoc anno Conſules leguntur Τραιανὸς β. καὶ Γράτος, hoc eſt, Decius Trajanus II. & Gratus. Et Cuſpinianus. *Ignotus*, inquit, *auctor ponit hoc loco, Decius II, & Gratus, quaſi Decius prius fuerit Coſ. ſuffectus.* Quamobrem Decius anno ſuperiori, occiſis Philippis, ſe ſtatim Conſulem non minus quam Imperatorem renunciavit; & hunc annum poſtea more veteri aperuit ac Faſtos reſeravit, ſumto Conſulatu ordinario poſt ſuffectum, unde Cos. II. dictus eſt, & aſſumto, non filio ſuo Etruſco, ſed Grato collega, quod etiam fieri ſolebat. Hæc autem nummorum inſcriptionibus luculentiſſime confirmantur, quoties legimus de Decio. TR. P. Cos. II. & TR. P. II. Cos. III. & rurſus TR. P. III. Cos. III. Quæ vera eſſe nullo modo poſſunt, niſi demus eum intra imperii ſui annum primum, ſecundum Conſulem fuiſſe; & intra imperii annum ſecundum, tertium Conſulatum iniiſſe. Ad hujus igitur anni partem priorem pertinent hi Numiſmatum tituli Decio attributi, inter Græcos, ΔΗ ΜΑΡΧ. ΕΞΟΥϹ. ΤΠΑ. ΤΟ Β. inter Latinos TR. P. Cos. II. Et Inſcriptio Africana apud Falconerium, *Imp. Cæſ. C. Meſſius Q. Trajanus Decius Invictus Pius Felix Aug. P. M. Trib. P. Cos. II.*

II. His Conſulibus, ipſo anni initio, S. Cyprianus iterum flagitatus & quæſitus, & ſæpius ad leonem petitus in Circo, in Amphitheatro, Dominicæ dignationis teſtimonio honoratus eſt. Tandem vero à Deo juſſus ſeceſſit cum Victore diacono ſuo. *Dicata enim in omnibus Deo mens, & fides divinis admonitionibus mancipata credidit ſe, niſi Domino latebram tunc jubenti paruiſſet, etiam ipſa paſſione peccare*, ut loquitur Pontius. Quamobrem cum non appareret, proſcriptus eſt, applicito & adjuncto Epiſcopatus nomine; cum publice legeretur, *Si quis tenet vel poſſidet de bonis Cæcilii Cypriani Epiſcopi Chriſtianorum &c.* Quod à ma-

giſtratibus factum eſſe puto circa medium menſis Januarii. Nam Carthagine, abſente Proconſule, perſecutio primum exercebatur per Magiſtratus, qua aliqui in carcerem conjecti, alii mox extorres facti ſunt: eandem vero ſeverius poſtea exercuit Proconſul ipſe, cum Carthaginem venit, ut in aliis etiam civitatibus fieri ſolebat. Ita in oppido cui Superius antiſtes præfuit, Ninus, Clementianus, & Florus, qui violentiam Magiſtratus & populi frementis impetum vicerant, poſtmodum cum apud Proconſulem pœnis gravibus excruciarentur, vi tormentorum ſubacti ſunt, ut legimus Epiſt. quinquageſima ſexta. Hæc diſtinctio omnino obſervanda, quam ſæpe innuit Cyprianus, & de Aurelio aperte his verbis tradit. *Parum fuerat ſub oculis paucorum, quando extorris fiebat, congreſſum fuiſſe: meruit & in foro congredi clariore virtute; ut poſt Magiſtratus etiam Proconſulem vinceret, poſt exilium tormenta ſuperaret.* Ceterum quidem hoc ipſo menſe; ſub initio perſecutionis, dum multi, confeſſione facta coram Magiſtratibus, in carcerem conjecti ſunt, plures multo fidem denegabant; de quibus ſic conqueritur Cyprianus Libello de Lapſis, *Ad prima ſtatim verba minantis inimici maximus fratrum numerus fidem ſuam prodidit.* Et rurſus, *Quid illi qui a Magiſtratibus veſpera urgente dilati ſunt?* Hi autem Lapſi, quibus opponebantur ſtantes, Chriſtum negabant. Quorum alii etiam idolis ſacrificabant, indeque dicti ſunt ſacrificati; alii vero ne ſacrificarent præmium dabant, ſed vel actis publicè habitis coram Magiſtratibus Chriſtum negabant, vel abſentes ut acta fierent mandabant, & libello accepto Libellatici dicebantur. Baronius hic miram hiſtoriam texit, dum ſeceſſui Cypriani hæc ſtatim ſubnectit. *Sed & illud nefandum tunc accidit ut ex Clero Carthaginienſi quinque presbyteri deſertores facti, ſeſe ad perſequendos fideles adjunxerint Magiſtratibus.* Quod ſi verum eſſet, ut eſt per ſe prorſus incredibile, ab omnibus deteſtandum, omnique verborum copia à Cypriano ſtatim exagitandum fuiſſet; ſed nihil habuit unde hæc exculperet, niſi verba quædam anno ſequenti ſcripta, eaque peſſime intellecta, & miſerrime detorta.

III. Dum hæc Carthagine agerentur, Decius tyrannus infeſtus Sacerdotibus Dei, Maximinum ſecutus qui ſolos Eccleſiarum antiſtites ut Evangelicæ prædicationis auctores interfici juſſerat, S. Fabianum Romæ Epiſcopum ſuſtulit. Fabianus autem viceſimo die Januarii (non decimo octavo, ut Blondellus) martyrio coronatus eſt. Vetus Depoſitio martyrum, *Decimo tertio Kalendas Februarii, Fabiani in Calliſti.* Vetus Pontificum Catalogus. *Fuit temporibus Maximini, Gordiani, & Philippi, a Conſulatu Maximini & Africani uſque Decio II. & Grato. Paſſus XIII. Kalend. Februarii*, ut recte nuper hunc Catalogum edidit doctiſſimus Heinſchenius. Eundem enim diem & Catalogus ſecundus ab eo primum editus exhibet, & Martyrologia agnoſcunt. Et ex hoc Catalogi loco non tantum annus & dies obitus, ſed & tempus ſedis recte colligitur. Hinc enim patet Fabianum ſediſſe annos XIV. dies X. Additur quidem apud Catalogum menſis unus, ſed haud recte. Nam idem docet Anterum Fabiani deceſſorem dormiiſſe *tertio Nonas Januarii Maximino & Africano Coſs.* At à tertio nonas, hoc eſt, tertio die Januarii A. D. CCXXXVI. quo illi Conſules fuere, ad viceſimum Januarii A. D. CCL. Decio II. & Grato Coſs. ne unus quidem menſis præter annos XIV. & dies X. inveniri poteſt, nedum menſes XI. ut hunc Catalogi locum male corrigendo corruptius adhuc edidit Heinſchenius. Neque ſedit Fabianus annos XV. dies IV. ut tradit Annalium conditor. Res ipſa ita breviter ſe habere, ex antiquiſſimis Eccleſiæ monumentis deprehenditur. Pontianus Papa exul deportatus in inſulam nocivam Sardiniam IV. Kal. Octobris, ibi diſcinctus eſt A. D. CCXXXV. Severo & Quintiano Coſs. Anterus loco ejus ordinatus eſt XI. Kal. Decembris iiſdem Coſs. & cum ſediſſet, menſe uno, diebus duodecim (ut in ſecundo Catalogo recte legitur) dormiit III. Nonas Januarii. Maximino & Africano Coſs. A. D. CCXXXVI. Ejuſdem menſis die undecimo Fabianus ei ſucceſſit, & cum ſediſſet annis XIV. diebus X. hoc anno CCL. die viceſimo Januarii martyrio coronatus eſt. Poſt obitum S. Fabiani ſedes vacat per unius anni, menſium IV. ac dierum XV. ſpatium, ut ex creatione ſucceſſoris ejus Cornelii infra patebit. Mirum autem eſt plane quod docet Heinſchenius, ſedem vacaſſe menſibus IV. diebus XV. adeoque Cornelium creatum eſſe circa IV. Junii hujus anni CCL. Cum clare pateat ex literis Cleri Romani (quas ante menſem Auguſtum non fuiſſe ſcriptas conſtat) *poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ viri Fabiani nondum Epiſcopum propter rerum & temporum difficultates* conſtitutum eſſe. De qua Epiſtola, ſcilicet tricesima, loquens Pacianus, nondum Epiſcopum factum eſſe Cornelium cum illa ſcriberetur, docet. *Cur igitur Novatianus tuus ne falſo quidem adhuc Epiſcopatu ſacerdos, longe antequam Cornelius Romæ Epiſcopus fieret, antequam ſacerdotio ejus invideret hæc ſuaſit.* Et rurſum. *Adhuc Cornelius, pro quo omnis hæc veſtra prorupit invidia, Epiſcopus non erat.* Et revera ad Epiſtolas Cypriani recte concipiendas & explicandas, tanta, quantam nos ponimus, Romanæ ſedis vacatio prorſus neceſſaria eſt. Unde perſpicitur quam tuto libro Pontificum fides adhiberi poſſit, qui tradit poſt obitum Fabiani ceſſaſſe Epiſcopatum dies ſex.

IV. Menſe Februario ineunte, ſi non exeunte Januario, Moyſes presbyter inſignis Eccleſiæ Romanæ cum aliis in carcerem conjectus eſt. Vetuſtiſſimus Catalogus, *Poſt paſſionem ejus* (Fabiani) *Moyſes & Maximus presbyteri, & Nicoſtratus diaconus comprehenſi ſunt & in carcerem miſſi.* Neque enim diu poſt paſſionem Fabiani hoc contigiſſe putandum eſt, quia Cyprianus eos hiberno tempore comprehenſos eſſe, & ſurgentis belli impetus primos immobili robore atque inconcuſſa ſtabilitate fregiſſe declarat. Quinetiam Celerinus, cujus avia Celerina, & patruus & avunculus Laurentius, & Ignatius diu antea martyrium paſſi fuerant, Moyſi & Maximo fidei & virtutis comes fuit. Qui inter perſecutionis initia ferventia cum Imperatore Decio congreſſus eſt, (quem Cyprianus ipſum infeſtationis principem & auctorem, Lucianus ipſum anguem majorem, metatorem Antichriſti, tacito nomine appellat,) & plurima tormenta perpeſſus, per decem & novem dies cuſtodia carceris ſeptus in nervo ac ferro fuit. Dum autem perſecutio Romæ præſente Imperatore ſeverius, Carthagine multo remiſſius per Magiſtratus exercebatur, Cyprianus in ſeceſſu ſuo deliteſcens, cum jam ſe incolumem ſentiret, & eorum etiam quæ Carthagine agebantur certior factus eſſet, ſcripſit ad Clerum ſuum de diſciplina & diligentia ſua vice præſtanda, ac præcipue de cura pauperum & quiete plebis. Quippe hoc eſt *datum Clero conſilium* cujus primo loco meminit in Epiſtola viceſima maxime notabili; & hæc eſt Epiſtola & nobis & Pamelio V. ex tredecim illis quas poſtea ad Clerum Romanum tranſmiſit, omnino prima. Paulo poſt ſcripſit Epiſtolam VI. quæ apud Pamelium eſt LXXXI. longe à ſuo loco, ut opinor, dimota. Miſſa autem eſt ad Confeſſores Carthaginienſes, & revera eſt *exhortatio* iſta *quæ confeſſoribus non defuit:* cujus mentio fit & quidem ſecundo loco, in Epiſt. viceſima à nobis

ſæpe

ſæpe memoranda. Tota enim hæc Epiſtola ſexta nihil aliud ſpirat quàm exhortationem ad martyrium alacriter ſubeundum; & eſt ejus generis prima, antequam tormenta venerunt, ſcripta; ac præterea florida eſt & generalis, qualem primam fuiſſe decuit. Sunt etiam alia nec levis momenti argumenta, quæ credere nos cogunt in ſeceſſu ſub Decio, non in exilio ſub Valeriano eam exaratam eſſe: quæque, ne nimis leviter à communi ſententia receſſiſſe videar, referre non pigebit.

V. Primo Cyprianus, ſcriptor valde accuratus, hac Epiſtola abſentiam ſuam, ad Confeſſores iiſdem verbis excuſat, quibus eandem ad Clerum ſuum jamjam excuſaverat Epiſtola priori, & quibus ad eundem poſtea excuſat. Ad Clerum modo dixerat. *Et quoniam mihi intereſſe nunc non permittit loci conditio;* ad eundem poſtea dicit, *Utinam loci & gradus mei conditio permitteret, ut ipſe nunc præſens eſſe poſſem:* ad Confeſſores hic dicit, *Saluto vos optans ipſe quoque conſpectu veſtro frui, ſi me ad vos pervenire loci conditio permitteret.* Eandem certe occaſionem ſive rationem abſentiæ eadem ubique excuſandi formula ſatis indicat; ut eodem fere tempore, & ſub iiſdem circumſtantiis tres has Epiſtolas haud immerito ſcripſiſſe videatur. Secundo fatetur Pamelius ex his verbis patere hanc Epiſtolam aut in ſeceſſu aut in exilio ſcriptam eſſe, quæ etiam per ſe conſiderata potius ſeceſſum voluntarium, quam exilium coactum & violentum indicant. Cum Curubi exul erat, ſententia Proconſulis ut Carthagine præſens eſſet, non permiſit; at in ſeceſſu ſuo nihil præter conditionem loci, hoc eſt Carthaginis, quo minus illic tunc præſens eſſet, impedivit. Perperam enim Pamelius in iſtis ad Clerum literis *locum* interpretatur ſeceſſum, de quo queri non potuit debuitve: intelligit certe Cyprianus locum in quo præſens eſſe, & iis intereſſe & conſpectu eorum frui maxime concupivit; ſed *loci*, hoc eſt Carthaginis, ubi perſecutio jam fervebat, & *gradus* hoc eſt, Epiſcopatus, qui ſi ipſe adeſſet Gentilium invidiam magis indies provocaret, conditio non permiſit. Hæc mens Cypriani, hic animus in ſeceſſu fuit; aliter plane ſe excuſat ad Confeſſores in metallo conſtitutos cum Curubi in exilio fuit, ubi relegationem & loci præfinitionem & coërcionem obtendit Epiſt. ſeptuageſima ſexta. *Gloria quidem veſtra poſcebat, beatiſſimi ac dilectiſſimi fratres, ut ad conſpectum atque ad complexum veſtrum venire ipſe deberem, niſi me quoque ob confeſſionem nominis relegatum præfiniti loci termini coërcerent.* Tertio narratio ipſa de Rogatiano presbytero, quam ſententiæ noſtræ adverſari putant, initio hujus perſecutionis optime convenit. Nam primus hujuſce turbationis impetus à plebe profectus eſt, quo tempore ipſum Cyprianum clamore violento frequenter populus flagitavit; & eodem modo in hac Epiſtola Rogatianus cum Feliciſſimo ferocientis populi impetum excepiſſe dicitur. His rationibus permotus Epiſtolam hanc ab extremo exilio Cypriani ad initium ſeceſſus revocandam putavi; neque argumentis Pamelii in contrarium moveor, quæ hic haud diſſimulanda duxi.

VI. Primo ſcripſit Cyprianus in exilio Epiſtolam ad Martyres in metallo conſtitutos. Sed *eadem*, inquit, *Scripturæ in hac & illa Epiſtola citantur.* Ergo utraque in exilio ſcripta eſt. Maxime infirma eſt hæc conſequentia. Sed & illud unde infertur falſum eſt. Nam cum in illa ad Martyres Epiſtola decem loca S. Scripturæ reſpiciat, ex illis unum tantummodo in hac tangit, eumque in alium finem adducit. Alterum ejus argumentum à Baronio explicatur, & dilucide proponitur his verbis, *Cyprianus, dum Rogatiani presbyteri tunc paſſi meminit, plane indicat non præteritæ perſecutionis tempore, ſed præſentis has à ſe ſcriptas fuiſſe literas. Nam Rogatianum ſuperſtitem fuiſſe aliis perſecutionibus, ex aliis tunc datis literis ſatis manifeſte apparet, ut & Feliciſſimum.* Illud quidem de Feliciſſimo addidit Baronius gratis, de quo nihil in aliis Cypriani literis legitur. Rogatianum presbyterum in vivis fuiſſe poſtquam perſecutio Deciana Carthagine ſedata eſt conſtat: eum autem martyrio coronatum eſſe nondum liquet. Sed Rogatiani & Feliciſſimi *una die paſſorum natalis ſolennitas in tabulis Eccleſiaſticis conſignata eſt VII. Kal. Novembris*, inquit Baronius. Illæ autem Tabulæ Eccleſiaſticæ nihil aliud ſunt quam Martyrologium Romanum, & ſcripta Bedæ, Uſuardi & Adonis, aliorumque quorum omnium antiquiſſimus eſt Beda quem reliqui ſecuti ſunt. Ceterum Beda has Cypriani literas laudat, & ex illis docet Rogatianum & Feliciſſimum martyrio coronatos eſſe. Omnia itaque tandem redeunt ad ſolam Bedæ interpretationem, quam ego incertam, imo falſam eſſe puto. Verba Cypriani hæc ſunt, *Ut ſequamini in omnibus Rogatianum presbyterum, viam vobis ad gloriam temporis noſtri religioſa virtute & divina dignatione facientem: qui cum Feliciſſimo fratre quieto ſemper & ſobrio excipiens ferocientis populi impetum, primum hoſpitium vobis in carcere præparavit, & metator quodammodo veſter nunc quoque vos antecedit.* Ex quibus verbis nemo certe colligere poteſt Feliciſſimum tunc Martyrem fuiſſe, quem tantum fratrem vocat Cyprianus, Laicum fuiſſe indicans, quietum quidem & ſobrium, ac præterea nihil. Quod ſi martyrium paſſus tum fuiſſet Feliciſſimus nunquam ſine laude & inſigni titulo eum nominaſſet. Imo vero neque Rogatianum ipſum tunc Martyrem aut defunctum fuiſſe indicat. Nihil enim aliud dicit quam presbyterum illum cum fratre primum cæteris Confeſſoribus hoſpitium præparaſſe, atque adeo metatorem quodammodo eorum fuiſſe; eundem etiam, eo ipſo tempore quo ſcripſit, *viam eis ad gloriam temporis facere religioſa virtute & divina dignatione*, atque iiſdem eos adhuc *antecedere.* Clare igitur oſtendit Rogatianum ſenem adhuc vivere, optimumque ſe exemplum cæteris Confeſſoribus præbere, adeoque eum in omnibus ſequendum docet.

VII. Cum jam haud pauci qui nomen Chriſti primo confeſſi ſunt in carcerem fuiſſent conjecti, ad quos Cyprianus prædictas literas dederat: alii ob ſimilem coram Magiſtratibus confeſſionem extorres potius facti ſunt & eorum bona in fiſcum redacta, circa hoc tempus, ut patet ex literis de Mappalico, menſe Aprili ſcriptis, *Gloriata eſt nuper quidem Eccleſia, cum confeſſione perſtante ſuſcepta pœna eſt, quæ confeſſores Chriſti fecit extorres.* Quibus verbis & quando facti, & quales eſſent qui extorres dicebantur, oſtenditur. Baronius quidem eos à Cypriano extorres dictos eſſe docet, qui ne fidem proderent, relictis omnibus alio commigrabant, ſive qui, ne Chriſtum negare cogerentur, dimiſſis omnibus ſe ſubtrahebant; ſed aperte fallitur: ut ex loco citato conſtat. Certe Cypriano extorres ſunt qui nomen Chriſti coram Magiſtratibus libere confeſſi, patria per eoſdem magiſtratus expulſi ſunt: quæ expulſio in pœnam confeſſionis & irrogata & accepta eſt, de qua *gloriata eſt*, inquit *Eccleſia*, propter confeſſionem præcedentem, & pœnam exilii ſubſequentem, non propter ſeceſſum aut ſubſtractionem ſui, aut proſcriptionem inde ſequentem. Extorres enim non minus Confeſſores erant, quam qui in carcerem conjecti ſunt: quod clariſſime oſtendit Cypriani adverſus Lapſos pacem præpropere flagitantes, Ep. decima nona. *Caterum quam irreligioſum eſt, & ipſis quoque feſtinantibus pernicioſum; ut cum extorres facti & patria pulſi, ac bonis omnibus ſpoliati nondum ad Eccleſiam redierint, quidam de Lapſis Confeſſores ipſos prævenire, & ante*

ad

ad Ecclesiam introire festinent. Idem etiam clare illustrat exemplo Aurelii, quod ante tetigimus, *Gemino hic agone certavit, bis confessus, & bis confessionis suæ victoria gloriosus: & quando vicit in cursu factus extorris, & cum denuo certamine fortiore pugnavit.* Extorres igitur erant non qui, ne Christum negarent, se subtrahebant, sed qui apud magistratus Christum libere professi, in pœnam confessionis per eosdem patria pulsi sunt quales erant Aurelius, Statis, & Severianus, aliique qui Carthagine pulsi Romam profecti sunt, quos Celerinus nobilis Confessor collegas suos, & confessores, & extorres vocat.

VIII. Mense Martio ineunte, rursus ad Clerum suum Epistolam scribit Cyprianus, quæ quidem Pamelio est XXXVI. nobis autem VII. in qua rursus se incolumem esse profitetur, rursusque de cura pauperum, etiam peregrinorum, & quiete plebis agit: & cum summa communis per clericos distributa jam deficere potuerit, quantitatem suam pauperibus offert, & ne illa statim deficiat supplet, & quod nihil novi adhuc contigerit, ut opinor, nihil his addit. Has literas respicit non minus quam priores Epist. vicesima quæ consilii Clero dati mentionem facit, eademque manifeste respicit Ep. decima quarta. Circa idem tempus acceptis Cleri Romani literis, tum ad se proprie tum ad Clerum suum datis, utrisque statim respondet; estque hæc Epistola IX. cui immediate præponitur illa Cleri Romani ad Clerum Carthaginiensem; quia hoc solenne est, ut literæ ad quas respondetur suis responsis præfigantur. Literæ autem ad ipsum Cyprianum datæ desiderantur; quas Rigaltius à Clero Romano scriptas putat ante Cypriani secessum, & ante persecutionem in Africa ortam. Sed facile refellitur, cum illæ missæ sint per Clementium, à quo didicerat Clerus Romanus, qui eas exaravit, jam ante secessisse Cyprianum; idemque Clerus simul testetur, non à se missum esse Clementium ad Clerum Carthaginiensem, sed è contrario, *Didicimus*, inquit, *secessisse benedictum Papam Cyprianum a Clementio subdiacono qui a vobis ad nos venit.* Et illa igitur ad Cyprianum, quæ non extat Epistola, & hæc ad Clerum Carthaginiensem, quæ à Morelio primum edita est, per eundem Clementium a Clero Romano uno & eodem tempore missæ sunt, iisque una & eadem Epistola respondit Cyprianus, & utramque se ab eodem Clementio accepisse testatus est. Certe eodem fere tempore & Romæ & Carthagine orta est persecutio Deciana; & circa idem tempus Fabianus Romæ passus est, & Carthagine secessit Cyprianus, ut totius historiæ series testatur. Lombertus quidem recte utramque Epistolam simul missam esse animadvertit; sed cum tertiam à Celerino per eundem Clementium ad Lucianum missam esse putet, ejus sententiam nullo modo probare possum, ut mox dicetur, ubi de tempore, quo scripsit Celerinus ille, plenius agetur.

IX. Sub initio Aprilis, ut videtur, Proconsul Africæ, quisquis ille fuit, venit Carthaginem: cujus adventu duobus modis persecutio, hactenus per Magistratus exercita, valde exacerbata est. Nam primo hoc potissimum tempore ad tormenta ventum est; & qui coram Proconsule Christianos se professi sunt, non jam extorres fiebant, sed vel statim tormentis subjiciebantur, vel carceribus inclusi sunt ut mox torquerentur, vel morte crudelissima afficiebantur. Dum corpora Martyrum *nunc flagella scinderent, nunc contunderent fustes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret.* Tunc Saturninus in pœna ungularum fortiter confessus est, & mox Romam petiit. Secundo Proconsul Confessores in carceribus constitutos gravius multo vexandos esse decrevit. Hoc ad Celerinum literis suis indicat postea Lucianus, cum *jussi sumus*, inquiens, *secundum præceptum Imperatoris fame & siti necari.* Decimo sexto hujus mensis coram Proconsule cruciatus est Mappalicus, & decimo septimo die martyrio coronatus, ut Martyrologia testantur, & quidem cum sociis circa idem tempus passis. Nam qui ex illis in mensem Februarium a Martyrologis conjiciuntur, eos alieno loco positos esse, ut plerumque fit, ex ipso Cypriano facile cognoscitur. Post martyrium Mappalici statim literas ad Martyres & Confessores dedit Cyprianus (ut ex eo patet, quod ipsis tanquam documentum *præsens prælium* commendavit;) optans & exhortans ut istum beatissimum martyrem comitesque in fide stabiles sectarentur. Et hæc est Epistola X. Scripsit etiam ad Clericos *De precando Deo* Epistolam XI. quæ tempus ipsum quo scripta est pluribus indicat: ut ubi inquit, *tormenta venerunt*, ut de re recenti: & loquitur *præsentis pressuræ conflictatione*, ut antea de præsente prælio; eosque ad quos scribit, *positos* esse docet *inter plangentium ruinas, & timentium reliquias*, ut matrem Ecclesiam ante descripserat *plangentem ruinas & funera plurimorum.* Quæ omnia eidem tempori & rerum statui plane conveniunt. Quamobrem nullo modo viro docto, qui nuper hanc Epistolam in annum sequentem rejecit, assentiri possum; præsertim cum ipse Cyprianus Epist. vicesima sub æstate hujus anni certissime scripta, harum literarum mentionem clare faciat; *Nec universæ fraternitati ad deprecandam Dei misericordiam allocutio & persuasio nostra defuit.* Nam quamvis ad Clericos scriptæ sint, ut titulus præfert, & observavit Augustinus: Cyprianus tamen illis in mandatis dedit ut universæ fraternitati communicarentur. Sic enim eos alloquitur, *Nec ipsi utique apud vos hanc Epistolam teneatis occultam, sed legendam fratribus suggeratis;* & gravem addit comminationis sententiam, *Intercipere enim quibus nos Dominus admonere & instruere dignatur, ejus est qui admoneri & instrui fratrem suum nolit.* Hoc igitur tempore scriptam esse Epistolam XI. arbitror, cum Baronio: qui tamen cum putat hinc demonstrari posse Decium annum tantummodo unum ac menses tres imperasse, idque ex sede adhuc vacante, & morula prædicta, post quam pax ventura erat, fugit eum omnino ratio; nam decem mensibus, antequam hæc Epistola scripta est, Decius purpuram sumserat, & annum integrum postquam scripta est, sedes vacavit, & Cornelius Romæ sedit diu ante necem Decii. Neque vero pax illa, quæ post morulam ventura erat, de statu illo Ecclesiæ qui post mortem Decii contigit, intelligenda est; sed de sedata persecutione, quæ haud diu post secuta est; quam pacem ipse Cyprianus alibi appellat, qui visionem suam optime interpretari potuit.

X. Mense Maio Cyprianus, qui jam binas literas de iis qui tormenta passi sunt scripserat, scribit ad Clerum suum de Confessoribus, qui sub Proconsule in carceribus gravius vexati sunt, Epist. XII. quæ Pamelio est XXXVII. sed multo rectius à Baronio & Lomberto ad hæc tempora refertur. Mandat enim ut *corporibus omnium qui etsi torti non sunt in carcere tamen glorioso exitu mortis excedunt, impertiatur & vigilantia & cura propensior.* Monet etiam ut *dies eorum quibus excedunt annotarentur, ut eorum commemorationes inter memorias Martyrum celebrari possent.* Quæ duo satis ostendunt hanc Epistolam tum scriptam esse, cum jam in carcere plures mortui essent, & quotidie morerentur: quod tempus Luciani literæ ad Celerinum satis indicant. Pamelius ipse fatetur in *quatuor MSS. exemplaribus tredecim Epistolarum, quarum sit mentio Epistola vicesima descriptum* reperiri, in quo hæc primo loco posita est; sed hanc earum numero exemit, quasi

quaſi nullum locum habere inter tredecim potuerit, quia prima non erat. Circa hoc tempus, ut videtur, Proconſul ſanguine Martyrum ſatiatus Carthaginem reliquit, ut in aliis potius civitatibus Chriſtianos paulo mitius perſequeretur. Certe ab hoc illius diſceſſu perſecutio multo mitius indies per Magiſtratus Carthagine exercita eſt. Nam poſt hæc tempora ut de Proconſule, ita de tormentis, aut vexatione in carcere nulla mentio fit. Imo ſtatim extorres nonnulli minus conſtantes præpropere reverſi ſunt, & cum aliis aliquibus Confeſſoribus carcere jam liberatis nimis ſibi indulſerunt, & Lapſi nimiam licentiam arrogarunt; de quibus omnibus poſteriores ſanctiſſimi Antiſtitis literæ queruntur. Cæterum Cyprianus menſe Maio jam affecto iterum ad Confeſſores literas dat poſt eas quas jampridem ſcripſerat *verbis exultantibus congratulatus*, hoc eſt, poſt Epiſtolam decimam, quæ ſic incipit, (*Exulto lætus & gratulor, fortiſſimi ac beatiſſimi fratres*) quamque periiſſe Pamelius, Baronius & Lombertus fruſtra ſuſpicati ſunt. Tres enim Epiſtolas à ſe ad Confeſſores ante illam in cauſa Lapſorum ſcriptas ſatis aperte indicat Epiſtola viceſima; primam ante tormenta, quæ ſexta eſt, ſecundam inter tormenta, quæ decima eſt; tertiam poſt gravem vexationem carceris, poſt paucorum extorrium reditum; quæ hæc XIII. eſt, & inter tredecim una. Unde Moyſes & Maximus, viſis tredecim Epiſtolis ad Clerum Romanum miſſis, Cyprianum maxime laudarunt, *quod literis Confeſſores frequenter corroboraſſet*. Nullo igitur modo viro docto aſſentiri poſſum, qui nuper hanc Epiſtolam ad annum ſequentem relegavit, cum ad eam clare alludat Epiſtola viceſima his verbis, *Nec extorribus quando oportuit objurgatio defuit*. Nam his ipſis literis Confeſſores jubet quoſdam numerum ſuum inficientes *objurgare*, inter quos ille numeratur, qui *in eam patriam unde extorris factus eſt regreditur, ut deprehenſus non jam quaſi Chriſtianus, ſed quaſi nocens pereat.* Hæc certe extorrium objurgatio fuit, *quando oportuit*, hoc eſt, non quando extorres facti ſunt & patria pulſi, tunc enim laude digni erant, & à Cypriano maxime laudati ſunt; ſed quando immaturo tempore regreſſi legum ſententiæ temere ſe obnoxios reddiderunt. Fruſtra igitur vir idem doctus, Epiſtolam quandam à Cypriano ad Extorres proprie datam eſſe, & cum aliis periiſſe tradit.

XI. Menſe Junio ineunte, cum accepiſſet à quatuor compresbyteris ſuis literas, quæ illi minime, ut conjicio, placebant, optimus Antiſtes ad Clerum ſuum ſcribit Epiſtolam XIV. artificioſam plane & pungentem. Nam primo dolorem ſuum exprimens ob tempeſtatem nuper infeſtam, quæ non tantum plebem ex maxima parte proſtraverat, ſed & Cleri portionem ſua ſtrage perſtrinxerat, & præſentiam ſuam, quæ mitiori tempore expectari potuit, quamque circa Eccleſiæ gubernacula utilitas communis expoſcebat, ſolius Tertulli conſilio, qui ad ipſum ſæpius ſcripſerat, excuſans, curam non tantum pauperum, ſed & Confeſſorum, qui è carcere jam prodierant eis commendat. Tum vero Confeſſores ipſos objurgat & corripit, non tantum propter pravos & malos mores, ſed etiam quod quoſdam audiſſet improbe & inſolenter diſcurrere ad ineptias vel ad diſcordias vacare. Unde Lapſorum petulantiam jam ſe ſenſiſſe indicat. Neque dubitandum eſt quin quatuor presbyteri, Donatus, Fortunatus, Novatus, & Gordius de recipiendis Lapſis ad eum ſcripſerint, ad quod ſolum ſe reſcribere nihil potuiſſe profitetur. Hæc, ut opinor, controverſiæ de Lapſis origo fuit, quæ ei poſtea maximam moleſtiam creavit. Nam hoc ipſo menſe, cum Lapſi exambirent ad Martyres paſſim, Confeſſores quoque importuna & gratioſa deprecatione corrumperent, & presbyteri aliqui, (quatuor ut puto, illi ſuperius nominati) Lapſis nondum pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, Euchariſtiam darent; ſtatim tres Epiſtolas ſcripſit, ut ipſe Epiſtola viceſima teſtatur, primam ad Confeſſores, quæ eſt XV. ſecundam ad Clerum, quæ eſt XVI. tertiam ad plebem, quæ eſt XVII. Hic enim ordo ſervandus fuit, quem Auctor ipſe ſervavit: quamvis has tres Epiſtolas eodem tempore miſſas fuiſſe appareat. Quibus omnibus maxime contendit, ne paxilli Lapſo daretur, antequam mater *Eccleſia pacem a miſericordia Dei prior ſumeret*. Sed poſtea Cyprianus, cum ſecum reputaſſet æſtatem jam cœpiſſe, quod tempus infirmitatibus aſſiduis & gravibus eam gentem infeſtare ſolebat; paululum receſſit à ſeveritate prioris ſententiæ, & ad Clerum ſuum Epiſtolam ſcripſit XVIII. menſe hoc Junio exeunte, ſtatim poſt ſolſtitium æſtivum, quod ea ætate 23. Junii contigit. Hoc autem tempus æſtatis jam cœptæ diligenter notandum eſt, utpote tum ad priores, tum ad poſteriores hujus anni literas recto ordine diſponendas maxime utile. Nam & optime convenit cum tempore martyrii S. Fabiani menſe Januario paſſi, & Mappalici menſe Aprili, & reliqua interſtitia mire illuſtrat. Neque aliud fundamentum per menſtrua ſpatia Cypriani literas digerendi, certius reperiri potuit. Hac igitur infeſtæ anni tempeſtatis occaſione arrepta, cum proculdubio & Lapſi, & Presbyteri illis faventes, conſilium ſibi datum à Clero Romano contra ſententiam Cypriani urgerent, ipſe temperamentum hiſce literis propoſuit, conſilio Cleri Romani maxime accommodatum, quod tribus partibus conſtat. Primo, ut *Lapſi incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati, non expectata Epiſcopi præſentia, apud presbyterum quemcunque vel etiam diaconum exomologeſin facere poſſent, & pacem accipere*: Secundo, ut *alii* etiam *Lapſi præſentia Cleri foverentur* & *ſolatio focillarentur*, & ad veram pœnitentiam perducerentur. Tertio, ut Catechumeni ſive *Audientes, adprehenſi infirmitate, ſive periculo præventi, non deſtituerentur quo minus miſericordiam Domini conſequi poſſent*. Quæ omnia literis Cleri Romani maxime conformia ſunt, & ad præſentis temporis circumſtantias à Cypriano prudentiſſime accommodata.

XII. Menſe Julio ineunte, Presbyteri & Diaconi Carthaginienſes, cum ad literas Antiſtitis ſui nihil adhuc reſcripſiſſent, negligentiæ tantæ Epiſtola priori merito accuſati, literis ſe ſuis ad Cyprianum datis excuſant quæ non extant, quibus ille ſtatim reſpondit Epiſtola XIX. Et cum illi ſignificaſſent, *quoſdam adhuc communicationem accipiendam feſtinanter urgere, & in hac re formam dari deſideraſſent, ſtandum ſententiæ ſuæ putavit*, neque ab iis, quæ proximis literis ad hanc rem ſatis plene ſcripſerat, ullatenus recedendum. Quam conſtantiam & obſervandam, & literis ad Antonianum dignam repetitione duxit. Cumque Cyprianus tredecim jam Epiſtolas ad Carthaginienſes è receſſu ſuo dediſſet in quibus rerum omnium ad Eccleſiæ ſuæ tempora ſane difficillima pertinentium curam oſtendiſſet, tempus jam adveniſſe ratus eſt, quo ſe ſuaque Clero Romano facile probare poſſet. Quamobrem nunc tandem, non tantum receſſum ſuum excuſat, quem notaſſe Clerus Romanus literis ad Clerum Carthaginienſem ſcriptis videbatur; ſed ſiniſtris etiam rumoribus, quos adverſarii ſui & Lapſorum ſocii proculdubio Romæ ſpargendos curaverant, per Epiſtolam XX. occurrit, ut ex hoc ejus initio patet; *Quoniam comperi, fratres cariſſimi, minus ſimpliciter & minus fideliter vobis renunciari, quæ hic a nobis*

geſta ſunt & geruntur, neceſſarium duxi has ad vos literas facere, quibus vobis actus noſtri, ac diſciplinæ & diligentiæ ratio redderetur. Quæ enim à Cypriano jam geſta fuerant, & adhuc gerebantur, non potuerunt male Romanis renunciari, antequam illi primam Epiſtolam ſcripſerunt. Tunc enim tantum illis innotuit Cyprianum ſeceſſiſſe, & quid Carthagine ageret Clerus, abſente Epiſcopo, aut Epiſcopus ipſe in ſeceſſu ſuo, nondum noverant; ideoque eos illis literis officii ſui tantummodo admonent, & quid ab ipſis Romæ, ſede vacante, factum fuerat, oſtendunt, ſuum illis exemplum proponentes. Quare ut ſiniſtram de ſe famam Romæ ſparſam dilueret Cyprianus, tredecim Epiſtolas ad Clerum Romanum tranſmiſit, quas è ſeceſſu ad Clerum & Confeſſores & Plebem ſuam intra paucos menſes dederat, & breviter earum argumenta hac una Epiſtola tetigit; unde illæ à nobis facile dignoſci & à reliquis diſtingui potuerunt. Harum tredecim Epiſtolarum decem congeſſit Pamelius & huic præfixit: illis unam addidit Baronius: ex illis octo tantum agnoſcit Lombertus. Ego vero non dubito quin tredecim illæ omnes à nobis ſint repertæ, & ſecundum ſua tempora diſpoſitæ, & huic recte præfixæ. Quinctiam puto eas omnes ideo conſervatas fuiſſe, cum haud paucæ perierint, quod in unum faſciculum collectæ & ad Clerum Romanum tranſmiſſæ, tum Romæ, tum Carthagine ab omnibus legerentur. Antequam autem hæ literæ Romam pervenerunt, Clerus Romanus ad Clerum Carthaginienſem, Moyſes & reliqui Confeſſores Romani ad Confeſſores Carthagine conſtitutos literas dederant, quæ non extant, earum tamen argumenta ſatis nota ſunt. Nam ut Cyprianus ipſe teſtatur, in illis *Euangelii plenus vigor & diſciplina robuſta legis dominicæ continebantur.* Ut Clerus Romanus proximis literis ſignificat, in illis *ſententiam dilucida expoſitione ipſi protulerant* de libellaticis & ſacrificatis; *ne properata nimis remedia utique non profutura præſtarentur.* Et Confeſſorum literas ſuis conſpiraſſe indicat, qui ſeveritatem Euangelicæ diſciplinæ protulerunt, & *illicitas petitiones ab Eccleſiæ pudore revocarunt.* Hæc ad Clerum Carthaginienſem à Clero & Confeſſoribus Romanis tam opportune ſcripta Cyprianum laborantem & contra invidiæ impetum totis fidei viribus reſiſtentem multum adjuvabant.

XIII. Jam enim literæ Luciani Confeſſoris prodierant, quæ Lapſis univerſis pacem dederant, & non tantum Cypriano, ſed & in reliqua provincia per aliquot civitates Epiſcopis, magnam moleſtiam creaverant. Quod ne lateret Clerum Romanum, quem ex literis proximè datis in eadem ſecum fuiſſe ſententia perceperat, ad eum ſcripſit Epiſtolam viceſimam ſeptimam menſe Auguſto ineunte, eique ſubjunxit ipſas Luciani literas, cum quinque aliis Epiſtolis ad eandem rem pertinentibus, quas omnes ad ſua tempora deduximus, & viceſimæ ſeptimæ præfigendas curavimus. Nam inter has ſex Epiſtolas illa Celerini ad Lucianum primo loco ſcripta eſt, circa finem Aprilis, ut opinor. Vir doctus eam miſſam fuiſſe putat ſimul cum literis Cleri Romani ad Cyprianum de exceſſu Fabiani per Clementium; ſed ei aſſentiri non poſſum. Illæ enim ſine dubio miſſæ ſunt haud diu poſt martyrium Fabiani, qui viceſimo die Januarii paſſus eſt: & Cyprianus in reſponſo ſuo fatetur rumorem tantum in Africa de ejus exceſſu incertum fuiſſe, antequam eas literas accepit. Miſſas igitur fuiſſe literas illas per Clementium menſe Februario fateamur neceſſe eſt. Apparet autem Celerinum non niſi poſt Paſcha literas ſuas ad Lucianum dediſſe. In illis enim ipſe ſignificat ſe, *in lætitia Paſchæ fleviſſe die & nocte, in cilicio & cinere lacrymabundum dies exegiſſe*, qui certe dies diem Paſchatis ſequebantur. Quinetiam ſexaginta Confeſſores Carthagine extorres Romam jam venerant, quibus omnibus Numeria & Candida, (quæ circa Paſcha lapſæ fuerant) ut pœnitentiam ſuam per opera exprimerent, aliquamdiu jam miniſtraverant. Imo non tantum Montanus de carcere, ſed & Saturninus (qui in pœna ungularum fortiter Carthagine confeſſus fuerat) jam Romam pervenerat. Et Numeriæ & Candidæ utpote lapſarum, & jam pœnitentium, cauſa in presbyterio Romano audita fuerat, antequam Celerinus ſcripſit. Quippe hæc occaſio ſcribendi fuit, ut illis ſub pœnitentia Romæ conſtitutis atque detentis à Confeſſoribus Carthagine peccata remitterentur.

XIV. Obſervandum enim eſt hæc omnia Romæ facta eſſe, & Celerinum inde has literas miſiſſe; quamvis Roſweydus vir ſane doctus dixerit rationes non deeſſe, quibus oſtendatur Celerinum Romæ non ſcripſiſſe. Quænam rationes illi fuerint neſcio: ego certe nullam video. Exploratum enim eſt Lucianum, ad quem Celerinus ſcripſit, Carthagine tunc fuiſſe: Celerinum autem Romæ primo cum ipſo Decio fortiter congreſſum eſſe. Qui ſe tantum audiviſſe dicit Lucianum penes Magiſtratus, hoc eſt, Carthagine, eſſe confeſſum; eumque de operibus Numeriæ & Candidæ, quæ ſecum erant, auditurum ſpondet. Qui earum cauſam jam auditam fuiſſe docet: & Præpoſitos præcipiſſe tantiſper eas ſic eſſe, donec Epiſcopus conſtituatur: quod de ſede Romæ vacante neceſſario intelligitur. Qui Numeriam & Candidam tradit Confeſſores in *Urbem levaviſſe*, qua voce Romam ipſam indicari norunt eruditi. Qui denique ſcribit Etecuſam aſcendiſſe uſque ad Trianfacta, ſive Tria Fata, quod nomen loci erat in foro Romano, Procopius Gothicorum libro primo de Jano, ἔχει δὲ τὸν νεὼν ἐν τῇ ἀγορᾷ πρὸ τοῦ βϐλευτηρίϐ ὀλίγον ὑπερβάντα· τὰ τρία Φάτα ἔτω γὰρ Ρωμαῖοι τὰς μοίρας νενομίκασι καλεῖν. Anaſtaſius de Honorio Papa, *Fecit Eccleſiam beato Adriano* (vel *Aeriano*) Martyri in tribus fatis. Idem ejuſdem loci bis in Adriano meminit. Neque mirum eſt in Cypriano Trianfacta legi, cùm etiam apud Anaſtaſium pro *Tribus fatis*, MSS. aliqui *Tribus factis* repræſentent. Quamobrem conſtat Epiſtolam Celerini Roma ad Lucianum ſcriptam eſſe; &, ut arbitror, ſub finem Aprilis vel initio Maii: cui reſpondit Lucianus menſe Maio jam affecto; poſt exceſſum omnium Martyrum, quorum ipſe meminit; & quidem tredecim diebus poſt mortem eorum, qui in carcere defuncti ſunt. Nam Vir doctus, qui eum reſpondiſſe autumat pridie martyrii Mappalici, quia meminit Mappalici in quæſtione quaſi mandantis ut pax daretur Numeriæ & Candidæ, ſupponit Celerinum id dixiſſe quod nequaquam dixit. Mappalicum ſcilicet mandaſſe nominatim ut Numeriæ & Candidæ pax daretur. *Cum Mappalicus tantum domeſtica pietate commotus, matri ſuæ & ſorori, quæ lapſæ fuerant, mandaverit pacem dari* ut Cyprianus ipſe teſtatur. Et quidem Pauli nomine præcipue utebatur Lucianus; neque Paulum puto Numeriam aut Candidam nominaſſe: nam his literis nihil aliud petit ipſe Lucianus, quam ut pacem habeant ſecundum præceptum Pauli non tantum hæ, ſed & quæcunque ad animum ſuum pertinere noſcebantur.

XV. Lucianus etiam paulo poſt, menſe Julio, cum Cyprianus tum ad Confeſſores, tum ad Clerum, tum ad plebem ſcripſiſſet nemini lapſo pacem dandam eſſe, antequam à Deo pax daretur Eccleſiæ, & poſtquam eas literas ad Clerum Romanum tranſmiſerat, ſcripſit ad ipſum Cyprianum literas, univerſorum Confeſſorum, qui adhuc ſupererant nomine, ſe

uni-

universis pacem dedisse, de quibus apud eum ratio constiterit, quid post commissum egerint, & ab eo postulavit, ut hæc forma per eum aliis Episcopis innotesceret; quæ res ei majorem conflavit invidiam, & in provincia per aliquot civitates in Præpositos impetus multitudinum inde factus est. Haud diu post Caldonius, qui non temere pacem dandam putavit, literis suis Cyprianum consuluit quid in eorum causa facere oporteret, *qui primo sacrificaverant, & iterum tentati ac pro confessione nominis extorres facti pacem petebant.* Cui rescripsit, lapsis illis impertiendam esse pacem Epistola XXV. eique adjunxit quinque Epistolas de hoc negotio ad suos datas, quas ante ad Clerum Romanum, & ad aliquot Episcopos suæ provinciæ transmiserat. Tum vero Clerum suum harum rerum certiorem facit, legisse se literas Luciani sub universorum Confessorum nomine scriptas, instandum tamen esse Epistolis ad eos proxime factis: accepisse se etiam literas à Caldonio collega suo, eique rescripsisse, & utriusque Epistolæ exemplum huic XXVI. adjunxisse; Denique scripsit Epistolam XXVII. mense Augusto ineunte, ad Clerum Romanum, ut ante diximus. Scripsit etiam eodem tempore ad Moysen & Maximum reliquosque Confessores Romæ in carcere constitutos Epistolam XXVIII. Et hæc est prima à Cypriano ad eos Confessores scripta, ut ex ipso initio patet, *Gloriam fidei & virtutis vestræ, fortissimi ac beatissimi fratres, jampridem de opinione cognoveram*, quod notandum fuit contra ordinem Pamelii, qui huic aliam, diu post exaratam, manifesto errore præposuit. De his literis ipse ad Antonianum sic loquitur, *Quod etiam Romam ad Clerum tunc adhuc sine Episcopo agentem, & ad Confessores Maximum presbyterum, & cæteros in custodia constitutos, nunc in Ecclesia cum Cornelio junctos plenissime scripsi.* Ut autem hæ literæ solenniter, juxta morem Ecclesiæ, mitterentur; Cyprianus fecit Lectorem Saturum & Hypodiaconum Optatum Confessorem, easque per eosdem misit; cujus rei statim Clerum suum certiorem facit Epistola XXIX. Et hæc vera est secundæ Epistolarum Sylloges ratio.

XVI. Mense Augusto exeunte, Clerus Romanus scribit ad Cyprianum literas, non quidem illas quas voluit Pamelius, sed quas primo Baronius, & post eum Lombertus suo loco recte restituit. Hæc autem est Epistola XXX. post literas de Fabiani martyrio prima à Clero Romano ad Cyprianum proprie data, ut ex ipsa patet, & ex mentione literarum Cypriani ad se cum excusatione facta, & earum etiam quæ ad Confessores Romanos eodem tempore scriptæ sunt & missæ per Saturum & Optatum. Illæ enim, quas male prætulit Pamelius, respondent ad literas missas postea per Fortunatum. Et miror equidem doctissimum Valesium affirmare potuisse scriptam esse hanc Epistolam, cum jam Moyses annum in carcere exegisset: idque ex Cypriani Epistolis ad Moysen prius datis aperte colligi. Nam una tantum Epistola ante hanc à Cypriano ad Moysen data est; & illa, quæ annui spatii mentionem facit, diu post hanc scripta est. Sunt autem hæ Cleri Romani literæ præclare scriptæ, & literis ipsius Cypriani pene æquandæ; ex quibus de ingenio & eloquentia Novatiani judicium ferri potest. Ille enim hanc Epistolam exaravit, ut patet ex ipso Cypriano ad Antonianum; dum recitatis harum literarum ipsissimis verbis subjungit, *Additum est etiam Novatiano tunc scribente, & quod scripserat sua voce recitante, & presbytero Moyse, tunc adhuc Confessore, nunc etiam Martyre subscribente, ut Lapsis infirmis & in exitu constitutis pax daretur.* Ita hæc verba exposuit optimus hujus Antistitis interpres S. Pacianus Ep. 3. ut in Præfatione diximus. Huic autem Epistolæ subjectæ erant literæ, quas Clerus Romanus in Siciliam quoque miserat, quæ desiderantur. Adjecerunt etiam Confessores Romani literas suas, easque per Saturum & Optatum eodem tempore miserunt. Et est hæc Epistola XXXI. primo loco à Confessoribus ad Cyprianum scripta, ut ex ipsa satis aperte patet. Ne quis autem miretur, cur tam sero Clerus & Confessores Romani ad Cyprianum rescripserint; notandum est, Clerum Romanum, cum jam quid in Africa circa causam Lapsorum actum fuerat, à Cypriano didicissent, eidem negotio curam maximam adhibuisse. Nam ipsi *diu & quidem multi, cum quibusdam Episcopis vicinis, & quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius ardor ejecerat, consilium inierant, temperamentum quærentes, & anxie curantes, ut nec pronam suam improbi homines laudarent facilitatem; nec vere pœnitentes accusarent quasi duram crudelitatem.*

XVII. Cyprianus his literis mense Septembri acceptis statim ad Clerum suum scribit, iisque tum suarum tum illorum literarum exempla transmittit, & mandat ut omnibus facultatem transcriptionis concederent; unde factum est ut literæ à Novatiano scriptæ per totum mundum missæ, & in notitiam omnibus Ecclesiis & universis fratribus perlatæ essent. Non, quod *tantam in sede Petri inesse auctoritatem omnes intelligerent, ut universus longe lateque diffusus Catholicus Orbis sibi servandum esse indubitatum haberet, quod sciret a Petri cathedra dimanare*, ut pro more suo loquitur Illust. Cardinalis, nec unquam minus feliciter, quam cum de nostro Antistite agitur. Hoc enim ideo tantum literis à Novatiano scriptis contigit, quia earum, ut & trium reliquarum, exempla transcripta & ad alias plures Ecclesias missa erant. Nec in alium finem illa missa sunt, quam *ut in Ecclesiarum statu quoquo modo interim componendo servaretur una fidei consensio*, ut Cyprianus ipse testatur. Vidit hæc, opinor, acutissimus Cardinalis, ideoque hanc Epistolam XXXII. ab illis de quibus diximus literis, & à Clero & à Moyse datis disjunxit, ac posterioribus à solo Clero scriptis & per Fortunatum redditis male subjunxit; & plane contra mentem Cypriani, qui hoc ipso loco quatuor Epistolarum diserte meminit, duarum à se, duarum etiam à Clero & Confessoribus Romanis datarum, & omnes per Saturum missas fuisse indicat: unde Lombertus hanc Epistolam recte huic loco restituendam esse censuit. Interim Cyprianus duas à diversis lapsis, his quidem quietis & verecundis, illis autem temerariis & arrogantibus Epistolas acceperat, quæ desiderantur, sed earum argumenta noscuntur: nam arrogantibus statim respondit Epistola XXXIII. ut singulorum nomina ad se transmitterentur, postulans. Ceterum eodem fere tempore contigit, ut Gaius Diddensis, Presbyter & Diaconus ejus frequenter cum Lapsis communicarent & eorum oblationes offerrent, & ab Episcopis moniti non desisterent; unde Clerus Carthaginiensis consilio Episcoporum, qui præsentes erant, eis non communicandum esse censuit. De qua re Cyprianus certior factus, scribit Epistolam XXXIV. ad Clerum suum, eorum sententiam confirmans, & ut idem in posterum fieret mandans.

XVIII. Mense Octobri ineunte, ne quid lateret Clerum Romanum, quod à se in causa Lapsorum, qua tantopere omnes Ecclesiæ premebantur, gestum fuerat, Cyprianus scribit Epistolam XXXV. eamque per Fortunatum hypodiaconum Romam mittit, simulque exemplum literarum Lapsorum petulantium, cum responso suo, & literarum suarum de Gaio Diddensi transmittit: ut esset ipsis

circa utilitatem Eccleſiaſticæ adminiſtrationis commune conſilium. Et per eundem Fortunatum de Privato Lambeſitano, Epiſcopo quidem, ſed hæretico, eos monuit. Menſe Octobri exeunte, Clerus Romanus literis Cypriani per Fortunatum redditis reſpondet Epiſtola XXXVI. Lapſorum petulantiam condemnantes, & illius vigorem laudantes, ſignificanteſque de Privato hæretico nihil metuendum eſſe, cum ipſi antehac vexillarium ejus (non Feliciſſimum, ut male conjicit Pamelius, ſed neſcio quem Diaconum ejus) ſubrepere conatum rejeciſſent.

XIX. Menſe Novembri nobilis Confeſſor Celerinus Roma venit Carthaginem, & Cyprianum in ſeceſſu adit. Cui Moyſis reliquorumque Confeſſorum affectus repræſentat, deque iis dulciter ac ſæpe loquitur. Cyprianus autem hiſce ſermonibus intime permotus ſcribit ad eos Epiſtolam XXXVII. circa finem hujus menſis, ut apparet. Conſtat enim Moyſen alioſque vel exeunte Januario, vel Februario ineunte, poſt paſſionem Fabiani, hieme adhuc ſæviente, in carcerem fuiſſe conjectos; ibique *jam revertentis anni volubilem circulum tranſgreſſos eſſe*, ut ipſe loquitur. Annui circuli ſpatium per quatuor tempeſtates deſcribens atque definiens; ſcripſit igitur jam affecto menſe Novembri. Circa idem tempus in Africa ſedata eſt perſecutio, ut patet ex ipſo Cypriano, qui teſtatur Aurelium auſpicatum eſſe pacem, dum dedicat Lectionem. Neque Baronius debuit primum pacis radium in annum ſequentem ante Paſchæ tempus referre, aut bellum ſub Decio contra barbaros in Africa comminiſci. Satis enim eſt ad hanc ſedationem perſecutionis in hac provincia hoc tempore ſtatuendam, finem jam annui Proconſulatus appropinquaſſe, novum Proconſulem mox in provinciam adventurum eſſe, ſatis ſanguinis ab eo, qui deceſſurus erat, hauſtum jam fuiſſe. Quæ ratio ſedandæ perſecutionis valere Romæ non potuit, ubi non tantum Imperator ipſe præſens fuit, ſed & perſecutioni præfecti in urbe inſiſtebant. Hoc radio pacis jam apparente, veniunt ad Cyprianum in ſeceſſu ſuo Epiſcopi nonnulli, tempore ad ordinationem Clericorum accommodatiſſimo, unde & eorum, ut Collegarum, opera uſus eſt.

XX. Quocirca menſe Decembri ineunte, Cyprianus cum Collegis ſuis, inconſulto Clero ſuo, Aurelium Confeſſorem ordinavit Lectorem, & quidem, ut opinor, ipſis Calendis Decembribus; nam, ut ipſe refert, *quoniam ſemper gaudium properat, nec poteſt moras ferre lætitia. Dominico legit* Aurelius. Hoc autem A. D. CCL. Cyclo Solis 7. Dominicali litera F. primus Decembris dies Dominicus fuit. Ipſe proinde Clerum ſuum hujus ordinationis certiorem facit Epiſtola XXXVIII. Eodem die etiam Lector fuerat ordinandus ex ſententia Cypriani & Collegarum, Celerinus Confeſſor illuſtris qui nuper Roma venerat: Sed ille conſentire dubitavit Eccleſiæ, donec Dei ipſius admonitu & hortatu in viſione per noctem compulſus eſt ne negaret. Tunc igitur & ille ordinatus, & Aurelio in Lectione junctus eſt: qua occaſione ſcripta eſt Epiſtola XXXIX. Eodem etiam tempore ſe divinitus admonitum fuiſſe ſignificat ut Numidicum presbyterum, qui nempe alicubi Presbyter fuerat, & hortatu ſuo copioſum Martyrum numerum lapidibus & flammis necatum ante ſe miſerat, Presbyterorum Carthaginienſium numero adſcriberet. Id autem ut fieret, monet Clerum ſuum Epiſtola XL. & ut majorem ei auctoritatem conciliaret, docet eum promovendum eſſe ad ampliorem locum religionis ſuæ, hoc eſt, ad Epiſcopatum, cum Deus permiſerit. Interea temporis dum Cyprianus Ordinationi Clericorum in ſeceſſu ſuo incumberet, quod & alii Epiſcopi, pro more, ſine dubio faciebant, quorum nonnulli etiam tunc temporis Carthagine fuerunt, ut ex Epiſtolis prioribus patet; Novatus Presbyter Carthaginienſis Feliciſſimum Cypriano ſemper infenſum, ipſo nec permittente nec ſciente, Diaconum ſuum fieri curavit. Habebant enim Presbyteri Diaconos ſuos, ut de Gaio Diddenſi Presbytero & Diacono ejus legimus.

XXI. Hoc autem diverſimode interpretantur Viri docti. Nam inde Novatum hunc Epiſcopum fuiſſe colligit Baronius & poſt eum Petavius, Labbeus, aliique; ſed ſine ullo fundamento, & contra omnium Veterum mentem. Presbyter enim tantummodo fuit ad finem A. D. CCXLIX, perſecutione jam erumpente, ut oſtendimus. Anno hoc CCL. perſecutione ſæviente, neminem Epiſcopum factum eſſe legimus, Novatum ipſum inter Presbyteros numeratum invenimus Epiſt. decima quarta, ſub finem hujus anni Romam proficiſcitur adhuc Presbyter, ut Euſebius, aut Hieronymus, in Chronico teſtatur, *Novatus Presbyter Cypriani Romam veniens, Novatianum & ceteros Confeſſores ſibi ſociat.* Pacianus Ep. 2. *Tuus forte Presbyter Novatus ex Africa Romam venit.* Dum in Africa fuit, & cum Romam venit Novatus, certe Presbyter fuit, neque eum unquam Epiſcopum factum eſſe indicat Cyprianus, Sed *fuiſſe Novatum in Africa Epiſcopum ex eo certum deducitur argumentum, quod de eo S. Cyprianus tradit fuiſſe ab ipſo ordinatum Diaconum Feliciſſimum*, inquit Baronius. Et quidem ſi hoc S. Cyprianus tradidiſſet, inde Epiſcopatus Novati ſecundum praxin Eccleſiæ indubitatam recte elici videretur. Sed Feliciſſimum à Novato Diaconum ordinatum eſſe non tradit Cyprianus. Ejus verba de Novato ad Cornelium hæc ſunt Epiſtola quinquageſima prima. *Ipſe eſt qui Feliciſſimum ſatellitem ſuum Diaconum, nec permittente me nec ſciente, ſua factione & ambitione conſtituit.* Non dicit Novatum ordinaſſe Feliciſſimum, neque ſua manu, ſed ſua factione eum conſtituiſſe Diaconum; hoc eſt, potentia factionis ſuæ, ut Diaconus ordinaretur ſine venia aut notitia Epiſcopi ſui, effeciſſe. Hæc mens Cypriani fuit, ut ex ſequentibus clariſſime patet. Nam *Similia & paria* eum Romæ *molitum eſſe* docet. *Qui*, inquit, *iſtic*, hoc eſt Carthagine, *adverſus Eccleſiam Diaconum fecerat, illic*, hoc eſt Romæ, *Epiſcopum fecit.* Simili plane & pari modo, factione ſua & ambitione utrumque fecit, ſed neutrum ordinavit. Certe Novatianum *Epiſcopum fecit*, id eſt, ſua factione, ut fieret, procuravit: eum autem minime ordinavit: quem à tribus Epiſcopis ex Italia accitis ordinatum eſſe poſtea probabimus. Qua obſervatione neceſſario admittenda tollitur *nobile Presbyterialis poteſtatis exemplum in ordinationibus*, quod hinc excogitavit Blondellus.

XXII. Hunc Feliciſſimum Novati Diaconum eo, quo diximus, modo conſtitutum diverſum eſſe putat Baronius ab illo Feliciſſimo, qui ſedi Cypriani adverſatus, ſchiſmatiſque auctor factus eſt; quam ſententiam merito rejicit Lombertus, nullum inveniens hujus diſtinctionis de duobus Feliciſſimis veſtigium. Et revera argumenta duo, quibus inductus eſt Baronius, vim nullam habent. Primum eſt; quod Feliciſſimus ille, qui adverſatus eſt Cypriano, ipſius Presbyter jam fuiſſe dicitur, Epiſt. ſcilicet quadrageſima tertia. Sed in ea Epiſtola Feliciſſimus Cypriani Presbyter non dicitur; tantummodo *quinque Presbyteros Feliciſſimo copulatos ejuſque ſatellites fuiſſe*, illic refertur. Presbyteri autem non presbytero copulari potuerunt. Imo quoties meminit Feliciſſimi & Presbyterii ejus, toties eum à Presbyteris diſtinguit, neque unquam Feliciſſimi alicu-

jus

jus tanquam Presbyteri mentionem fecit. Secundum Baronii argumentum pariter imbecille est, quod cum duæ essent inter se contrariæ sectæ schismaticorum, Felicissimus ille sententiæ Novati adversarius erat, quod diceret Lapsos omnes absque pœnitentiæ mora recipiendos. Nam hæc omnino nihil probant. Quippe Novatus, quamdiu in Africa fuit, semper se ejusdem cum Felicissimo sententiæ de Lapsis recipiendis professus est. Cum autem Romam venisset, & se Novatiano adjunxisset, ut Romanum schisma promoveret; illius sententiam amplexus esse videbatur, sive serio sive fictè; ut & ipse Novatianus sententiam suam jam mutaverat, ut Cornelio fortius contradiceret. Hic autem Felicissimus, qui ab initio Cypriani electioni restiterat, Diaconus jam factus, portionem plebis cum Episcopo suo divisit, & persecutione jam sedata, in monte quodam suos colligebat, quo Lapsi petulantiores præcipue convolarent.

XXIII. Interea temporis Cyprianus Caldonium & Herculanum Episcopos & Collegas suos cum Numidico Presbytero, quem nuper Clero Carthaginensi adjunxerat, Carthaginem mittit, eosque cum Rogatiano vicem suam acturos vicarios constituit: ut necessitates fratrum sumtibus expungerent, simul etiam & ætates eorum & conditiones & merita discernerent; unde ipse cognoscere posset quos ad Ecclesiasticæ administrationis officia promoveret. Dum autem illi his rebus incumberent, Felicissimus intercessit, ne quis posset expungi, neve singulorum merita possent diligenti examinatione discerni; præterea interminatus, quod secum in monte non communicarent, qui Cypriano obtemperare voluissent. Quamobrem Caldonius reliquique scribunt ad Cyprianum literas, quæ non extant, quibus eum monent docentque quid à Felicissimo sibi factum esset; quid etiam ab Augendo, altero, ut videtur, Diacono, qui se cum Felicissimi conspiratione sociaverat. Quibus Cyprianus graviter commotus scribit ad vicarios suos Epistolam XLI. qua illis in mandatis dat, ut Felicissimum excommunicarent, & Augendum etiam si perseveraret, aliosque qui conspirationi & factioni Felicissimi se adjungerent. Qua auctoritate muniti Caldonius & Herculanus Episcopi, cum Presbyteris Rogatiano & Numidico, Felicissimum & Augendum, aliosque nonnullos obscuriores communicatione abstinuerunt, ut ipsi indicant Epistola XLII.

A. D. CCLI. — *Decio III. & Decio,* COSS. — *Period. Jul.* 4964.

I. DEcius secundo imperii sui anno tertium Consulatum iniit, secundum vero ordinarium cum filio suo Decio Etrusco; ut ante eum Philippus primum cum Titiano, secundum cum Philippo filio suo sumsit. Unde hic annus duobus Deciis Coss. insignitur, tum in Fastis, tum apud Trebellium Pollionem, & veterem Pontificum Catalogum. Sub initio Januarii Novatus, relicto in Africa Felicissimo, Romam venit, & *separavit ab Ecclesia Novatianum* ut loquitur vetustissimi Catalogi auctor. Unde Novatianum antea sibi maxime familiarem Moyses Presbyter & Confessor illustris, ἔτι ὢν ἐν κόσμῳ, *adhuc superstes*, sed paulo ante mortem, ἀκοινώνητον ἐποίησεν, id est, se ab ejus communione separavit, ut testatur Cornelius Epist. ad Fabianum apud Eusebium l. 6. c. 43. Moyses autem paulo post moritur in carcere, hoc ipso mense exeunte, postquam *ibi fuisset menses undecim, & dies undecim*, ut refert ejusdem Catalogi auctor. Tempus enim hujus Confessoris obitus ad hujus historiæ veritatem indagandam prorsus necessarium accurate notandum fuit, & à virorum doctorum parachronismis vindicandum. Inter hos Blondellus, Moysen in carcere defunctum esse tradit Novembris XXV. & Novatianum statim à Novato factum esse Episcopum A. D. CCL. prochronismo non magno, haud tamen prætermittendo. Sed Illust. Annalista multo majori metachronismo peccat, dum docet Moysen martyrium consummasse A. D. CCLV. Galli & Volusiani anno secundo, secundum æram vulgarem anno CCLIII. Mirum hoc cuipiam videatur, cum Martyrologium Romanum, quod ipse Cardinalis notis illustravit, testetur Moysen sub Decio passum esse, cujus testimonium solito effugio eludere, sed frustra, conatur. Ipse fatetur Cornelium Romæ Episcopum factum esse ante mortem Decii; cum constet Moysen defunctum esse ante electionem Cornelii; non igitur Galli, sed Decii anno secundo mortuus est. Ipse fatetur Cornelium de morte Moysis tanquam præterita ad Fabianum Antiochiæ Episcopum scripsisse; cum notissimum sit ex literis Dionysii Alexandrini ad Cornelium datis, Fabianum illum sub initio imperii Galli & Volusiani obiisse. Denique Cornelium & Moysen eodem anno passos esse tradit, & quidem Cornelium decima quarta Septembris, quod verum est; jam vero si Moyses eodem anno Novembris decima quinta (ut ipsius Martyrologium testatur) passus sit, Moysen post Cornelii mortem vixisse dicendum esset, quod omnem hujus historiæ seriem penitus evertit. In hunc errorem perquam manifestum virum doctissimum conjecit Tractatus quidam Cypriano adscriptus, vel potius titulus ejus, *De laude Martyrii ad Moysen & Maximum & ceteros Confessores.* Cum enim in illo Tractatu lues memoretur, quæ sub Gallo & Volusiano cœpisse noscitur; ipsumque tractatum à Cypriano scriptum, & ab eodem ad Moysen missum putaret, inde asserere non est veritus Moysen post illius pestilentiæ ortum, ac *post strages populatarum urbium*, vixisse, & demum secundo Galli anno defunctum esse. Verumenimvero Tractatus ille à S. Cypriano scriptus non est, multo minus ad Moysen missus, sed à declamatore aliquo compositus, ut vel hæc ostendunt: *Etsi incongruens est, fratres carissimi, in hoc favore dicendi aliquid trepidationis afferre*; &, *Quæ vox, quæ latera, quæ vires instar tanti muneris capiant sustinere?* ut alia quamplurima omittam, quæ Cyprianus ad Moysen ad Confessores nunquam scripsisset. Quamobrem cum Veteribus statuendum est Moysen in carcere defunctum esse, & quidem hoc mense Januario jam exeunte, aut incunte Februario. Nam Fabianus vicesimo Januarii anni prioris martyrium passus est; post ejus obitum Moyses in carcerem conjectus est, hyeme adhuc sæviente; in eo carcere defunctus est, postquam menses undecim, & dies undecim ibi permansisset, neque Pontificale docet eum passum esse Novembris XXV. ut tradit Blondellus: sed Martyrologia eum diem memoriæ ejus assignant, quod ubi dies passionis ignoratur, fieri solet.

II. Mense Februario jam affecto postquam Felicissimus & Augendus, aliique fuerant abstenti, & jam Romæ Novatus schisma excitare totis viribus nitebatur; quinque Presbyteri Carthagine se ab Ec-

cleſia Africana ſeparabant, & Feliciſſimo adjungebant. Id autem eorum malignitas & perfidia effecit, illi enim ipſi erant qui ordinationi Cypriani cum Feliciſſimo ſe oppoſuerant, qui in perſecutione fomenta Confeſſoribus, ne concordarent cum Epiſcopo, tribuebant, quique Lapſos ad flagitandum communicationem ſine Exomologeſi animabant, & cum contumelia & contemtu Præpoſiti totum ſibi vendicabant, ut de iis queſtus fuerat antea Cyprianus, Epiſt. decima ſeptima. Ita tandem apparebat Feliciſſimi factio unde veniſſet, & quibus radicibus ſtaret. Quinque hi Presbyteri, ſi Pamelio credamus, erant illi in Epiſt. quinquageſima nona nominati, Felix, Jovinus, Maximus, Fortunatus, & Repoſtus. Et quidem quin Fortunatus unus ex illis eſſet, dubitari non poteſt, quia Cyprianus ita ad Cornelium de eo loquitur. *Maxime quando & Fortunati nomen jam ſatis noſſes; qui eſt unus ex quinque presbyteris jampridem de Eccleſia profugis.* Repoſtus autem inter eos minime numerandus fuit; erat enim Tuburbicenſis ex Numidia, qui in perſecutione ceciderat; quod de his presbyteris dici non potuit. Felix etiam ex eorum numero expungendus eſt, quem Privatus *extra Eccleſiam in hæreſi pſeudoepiſcopum olim conſtituerat.* Jovinus & Maximus admitti poſſunt, in Concilio hoc anno abſtenti; quod quinque presbyteris hiſce ſatis recte competit. Reliqui demum duo, loco Repoſti & Felicis ponendi, ſi divinare liceat, erant Donatus & Gordius, qui cum Fortunato & Novato ad Cyprianum primi ſcripſerunt, ut ego arbitror, de recipiendis Lapſis. Quinque igitur illi presbyteri primum de Eccleſia profugi, ac poſtea in Concilio abſtenti, erant, quantum conjectura capere poſſum, Fortunatus, Jovinus, Maximus, Donatus & Gordius. Horum defectione comperta maxime angebatur animi S. Cyprianus, quia ſtatuerat eo ipſo tempore Carthaginem redire; *Quas nunc pœnas patior*, inquit, *fratres cariſſimi, quod ipſe ad vos inpræſentiarum venire non poßum.* Altera enim perſecutione jam ſedata; hanc defectionem quaſi novam perſecutionem aliamque tentationem interpretatus eſt. Quamobrem ad plebem ſuam poſtea ſcripſit Epiſtolam XLIII. eos vehementer urgens ut Eccleſiæ adhærere pergerent, nec ætate vel auctoritate illorum presbyterorum ſe divelli paterentur. Quinetiam promittit ſe ad eos poſt Paſchæ diem cum Collegis ſuis venturum.

III. Toto igitur menſe Martio in ſeceſſu ſuo ſe continuit Cyprianus, propter minas & inſidias factionis Feliciſſimi & Presbyterii ejus prodire tutum ſibi & Eccleſiæ minime ratus. Et quamvis feſtum Paſchatis jam appropinquaret, quod ſecundum Canonem Hippolyti hoc A. D. CCLI. Cyclo ſolis VIII. litera Dominicali E in viceſimum tertium Martii incidit, quodque cum ſuis Carthagine celebrare maxime in votis habuit, diſtulit tamen adventum ſuum ad ea tempora quæ ſolennia Paſchatis proxime ſequuta ſunt. Itaque Epiſt. quadrageſima tertia ad plebem ſuam ſcripta hoc ipſo menſe, ſignificat quinque presbyterorum malignitatem & perfidiam perfeciſſe, *ne ad* eos *ante diem Paſchæ venire licuiſſet*, ſe autem prævidere noviſſimam hanc & extremam tentationem cito Domino protegente tranſituram, *ut repræſenter*, inquit, *vobis poſt Paſchæ diem cum Collegis meis.* Quippe ut ſe facilius & certius tueretur contra machinationes Feliciſſimi & Presbyterorum qui ab ejus communione ultro deſciverant, prudenter reliquorum Epiſcoporum adventum præſtolabatur, qui ex provincia poſt Paſcha quotannis Carthaginem adire ſolebant. Hujus moris cum alii meminerint, tum ipſe Cyprianus certos nos reddit, dum Fortunatum cum aliis Epiſcopis ſic affatur Epiſt. quinquageſima ſexta; *Quoniam tamen ſcripſiſtis ut cum pluribus Collegis de hoc ipſo pleniſſime tractem, & nunc omnes fere inter Paſchæ prima ſolennia apud ſe cum fratribus demorantur, quando ſolennitati celebrandæ apud ſuos ſatisfecerint, & ad me venire cœperint, tractabo cum ſingulis plenius.* Quamdiu ſolennitas illa ætate Cypriani durare ſoleret haud ſcio; poſt ejus tempora per quindecim dies continuata eſſe videtur, ex Papiani Reſponſorum libro tit. 12. *Meſſivis feriis & vindemialibus, Paſchalibus etiam XV. Diebus & Natalis Domini VIII. Dominicis etiam diebus ceteriſque Epiphaniæ & Quinquageſimæ nulla prorſus ſunt litigia contingenda.* Hoc igitur menſe Martio ſcripta eſt hæc Epiſtola, qua Cyprianus ſatis exprimit quamdiu ipſe tunc cum ſcripſit in ſeceſſu delituerat, his verbis: *Non ſuffecerat exilium jam biennii, & a vultibus atque ab oculis veſtris lugubris ſeparatio.* Hoc enim de biennio tantum inchoato, non autem expleto, neceſſario intelligendum eſt. Et Pamelius, qui biennium jam exactum eſſe putavit, primum annum ſeceſſus ante perſecutionem poſuit, & quid de ſecundo ſcriberet non habebat.

IV. Menſe Aprili, ut opinor, *Lucio Priſco, qui Macedonas præſidatu regebat, delata dominatio, Gothorum concurſu. Qua cauſa Decius quam potuit maturrime Roma digreſſus eſt.* Inde etiam Romæ deferbuit perſecutio, ut fieri ſolebat, orta ſeditione aut bello civili, ut ante diximus. Interea Epiſcopi Africani poſt Paſchatis ſolennia domi celebrata ſuas ſedes pro more relinquunt, & Carthaginem petunt. Quinetiam Cyprianus, qui toties cauſam Lapſorum ad commune conſilium reſervaverat, ſeque cum collegis ſuis de factione Feliciſſimi & presbyterii ejus judicaturum promiſerat, Epiſcopos ex provincia ſua convolantes ad Concilium rite ac pro more celebrandum præparavit. Unde nobis obſervanda veniunt tempora, quibus Concilia in Africa ſub Epiſcopatu Cypriani celebrata ſunt, quæ hactenus à viris doctis non ſunt accurate conſignata. Duo quidem Concilia à Cypriano memorantur ante ipſius Epiſcopatum coacta, ſed eorum tempora ignorantur. Primum erat ſub Agrippino Carthaginienſi Epiſcopo, cum Epiſcopis Africæ atque Numidiæ, de baptizandis hæreticis ad Eccleſiam Catholicam venientibus, cujus meminit Epiſtola ad Quintum. *Quod quidem & Agrippinus, bonæ memoriæ vir, cum ceteris coepiſcopis ſuis, qui illo tempore in provincia Africa & Numidia Eccleſiam Domini gubernabant, ſtatuit, & librato conſilii communis examine firmavit.* Secundum illud quod Lambeſitanum vocant, de quo Cyprianus ad Cornelium ſcribit A. D. CCLII. *ſignificans Privatum veterem hæreticum in Lambeſitana colonia ante multos fere annos ob multa & gravia delicta nonaginta Epiſcoporum ſententia condemnatum.* Docet etiam eundem Privatum Fabiani & Donati literis ſeveriſſime notatum fuiſſe. Unde ſub Fabiano Pontifice Romano, & Donato Epiſcopo Carthaginienſi Concilium illud celebratum eſſe colligi, non immerito poteſt. Reliqua quæ à Cypriano ſunt coacta ad annos ſuos, & plerumque menſes nullo negotio reducuntur.

V. Certe menſe Maio hujus anni CCLI. Primum Carthaginienſe Concilium ſub Cypriano celebratum eſt, de quo ipſe literis ad Antonianum ante ſecundum Concilium datis, *Secundum quod tamen ante fuerat deſtinatum, perſecutione ſopita, cum data eſſet facultas in unum conveniendi, copioſus Epiſcoporum*

rum numerus, quos integros & incolumes fides ſua & Domini tutela protexit, in unum convenimus. Tempus conveniendi his verbis accurate deſcriptum eſt; deſtinatum enim fuit, quamprimum *Epiſcopis in unum convenire, indulgentia divina permitteret*, quod poſt hujus anni Paſcha contigiſſe multa convincunt. Factum eſt *perſecutione ſopita*, nondum penitus finita, hoc eſt ante mortem Decii, qui hoc anno affecto periit; imo & ante Electionem Cornelii, qui Decio adhuc imperante ordinatus eſt. *Diu* quidem continuatum eſt hoc Concilium, *Scripturis ex utraque parte prolatis; diu multumque tractatu inter eos habito*, imo, & *frequenter actum* eſt, & ſæpius prorogatum, ut inferius patebit. Interea Romæ, ut opinor, abſente Decio, & in Macedonia bello civili occupato, *Julius Valens cupientiſſimo vulgo imperium cepit*, & mox in Illyricum profectus eſt. Tunc autem Romani ad eligendum Epiſcopum feſtinabant, qui omnes controverſias hactenus diſtulerant, donec Epiſcopus conſtitueretur, qui omnia moderari, & eorum qui Lapſi ſunt poſſet cum auctoritate & conſilio habere rationem. Duo tunc erant quorum alteri Epiſcopatus ab omnibus decernebatur, Cornelius & Novatianus. Et quidem Cornelius Presbyter, jam erat per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in divinis adminiſtrationibus Dominum ſæpe promeritus, Clero Romano atque plebi etiam gratiſſimus. Novatianus autem etiam Presbyter Romanus, ſed non æquo jure fuit. Nam primo philoſophus fuerat, & quidem Stoicus: dein cum inter Catechumenos erat, tanquam dæmoniacus exorcizatus eſt, & non niſi in lecto baptizatus; poſtea ex ſolo Epiſcopi favore Presbyter ordinatus eſt, quæ omnia ejus ambitioni maxime obſtabant. Et tamen cum eſſet magni ingenii, nec minoris doctrinæ atque eloquentiæ, reliquos in Clero Romano inſuper habuit, ſeque omnium Pontificatu digniſſimum putavit: & Novati jam atque quinque Presbyterorum, quos ſecum reſpuerat Moyſes, factione ſtipatus, & Confeſſorum, quos ad ſuas partes poſt mortem Moyſis traxerat, acceſſione nobilitatus, & ſevera contra Lapſos diſciplina turgidus, ac pro Euangelii vindice à ſuis habitus, Epiſcopatum publice renuens, tacite quaſi poſtulavit. Sed Cornelius electus & *factus eſt Epiſcopus de Dei & Chriſti ejus judicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc affuit ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio*, ut loquitur Cyprianus. Ex quibus ſane qualiter fieri ſoleret Romani Pontificis electio expreſſum ſatis habetur, ut obſervat Illuſt. Cardinalis, ſed male interpretatur. Cum enim Cyprianus Clero teſtimonium, plebi ſuffragium tribuerit, ille è contrario plebi teſtimonium, Clero ſuffragium largitur: ut plebi ſuffragium adimat, quod ubique aſſerit Cyprianus, ut de ſe ipſo loquitur, *Quando Epiſcopus in locum defuncti ſubſtituitur, quando populi univerſi ſuffragio in pace deligitur*; & rurſus, *Nemo poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt coepiſcoporum conſenſum judicem ſe jam non Epiſcopi, ſed Dei faceret.* Eidem *ordinatio juſta & legitima* dicitur, *quæ omnium ſuffragio & judicio fuerit examinata*, qui locus Cardinalis interpretationem minime juvat, imo ne fert quidem. Hoc *Sacerdotum collegium* nihil aliud erat quam ſedecim Epiſcopi qui ejus ordinationi interfuerunt; inter quos duo erant Africani, Pompeius & Stephanus.

VI. Tempus hujus ordinationis imprimis indagandum eſt, quod quidem imperante adhuc Decio contigiſſe conſtat. *Sediſſe* enim Cornelium *intrepidum Romæ in Sacerdotali cathedra cum tyrannus infeſtus Sacerdotibus Dei fanda atque infanda comminaretur*, teſtatur ipſe Cyprianus, qui etiam mihi videtur indicare eum, abſente Decio, & arrepto per Valentem imperio ordinatum eſſe, *cum multo patientius & tolerabilius audiret levari adverſus ſe æmulum Principem, quam conſtitui Romæ æmulum Sacerdotem*, vel potius ut in MSS. legitur, *Dei Sacerdotem.* Minime enim ferenda eorum obſervatio eſt, qui ex ſarcaſmo Tertulliani male intellecto putant Epiſcopum Romanum tunc temporis paſſim intitulatum eſſe *Pontificem Maximum*, & Decium edixiſſe poſt Fabiani mortem, ne quis Chriſtianus auguſtum illum titulum deinceps uſurparet; & Urbicam Chriſtianitatem hoc mandatum ſpreviſſe; & denique Decium patientius tuliſſe à Gallo & Voluſiano imperium, quam à Cornelio invadi titulum ſummi Pontificatus, ut Chriſtianus Lupus loquitur. Nam ut priora gratis, & ſine ullo fundamento aſſeruntur, ita illud quod poſtremo loco ponitur, hiſtoriæ monumentis manifeſte contradicit. Decius levari adverſus ſe Gallum & Voluſianum audire non potuit, quia Gallus ſub ipſo tunc militavit, nec niſi poſt mortem Decii imperium arripuit, & aliquanto poſt Voluſianum ſibi Auguſtum adjunxit. Male igitur Acciolius Cornelii creationem refert ad vernum tempus anni ſequentis ſub imperio Galli. Neque recte Annaliſta tradit Cornelium menſe Aprili ordinatum, Decium eodem menſe paulo poſt defunctum eſſe. Ordinatio enim ejus diu ante necem iſtius Perſecutoris facta eſt, ut conſtat ex his Cypriani verbis de Cornelio, *Qui tantum temporis ſedit expectans corporis ſui carnifices, & tyranni ferocientis ultores.* Decius autem ante menſem Novembrem hujus anni non periit. Non igitur opus eſt ut Aprili Cornelium ſediſſe ſtatuamus, quod ante necem Decii factus ſit Epiſcopus, *& tyrannum armis & bello poſtmodum victum prior Sacerdotio ſuo vicerit*; aut quod Concilium Carthaginienſe Maio menſe celebratum ſit: illud enim ante electionem Cornelii coactum eſt. Quamobrem dicimus Cornelium menſe Junio ineunte, Romæ Epiſcopum ordinatum eſſe, & quidem die ejus menſis quarto, qui *ſedit annum unum, menſes tres, & dies decem.* Annos quidem duos exhibet Catalogus, ut nunc legitur; ſed veterem lectionem conſervant Geſta Pontificalia, in quibus *annum unum* recte legimus. Emendationem hanc neceſſario poſtulant ipſa Catalogi verba quæ ſequuntur, *A Coſs. Decio III. & Decio, uſque Gallo & Voluſiano.* Qui enim creatus eſt utroque Decio Coſs. A. D. CCLI. & obiit Gallo & Voluſiano Coſs. A. D. CCLII. duobus annis & menſibus aliquot ſedere nullo modo potuit. Jam vero ab ejus deceſſu, retro numerando recte colligitur initium Pontificatus ejuſdem. Cum enim omnes conſentiant Cornelium die Septembris decimoquarto obiiſſe; ſi annum unum, menſes tres & dies decem ſederit, eundem quarto Junii die Sacerdotalem cathedram occupaſſe pariter fatendum eſt; præcipue cum hæc omnia ſcriptis Cornelii, Cypriani, & Dionyſii Alexandrini optime conſentiant. Cornelius autem literas ſtatim de ipſius ordinatione ad Cyprianum dedit, quæ non extant.

VII. Interim Novatianus contra ordinationem Cornelii aperte diſputavit, eamque ut illegitimam publice traduxit & abrogare conatus eſt. Quod ut perficeret multa Cornelio ipſi & nefanda objecit, librumque acerbationibus criminoſis plenum evulgavit, præcipue illi minime à quopiam communicandum eſſe docens, quod cum Lapſis communionem haberet. Ita diſcordia gliſcente & in pejus recrudeſcente, Novatianus factione ſua jam corroboratus magna parte plebis etiam ſeparata, duos deploratæ conditionis homines ſibi ſocios adjunxit, ut eos in exiguam & viliſſimam Italiæ partem mitteret, atque illinc accitos tres Epiſcopos pelliceret, ſimulate

late quasi Romæ ortam discordiam sedaturos. Revera autem cum Romam tres illi Episcopi ex Italia venissent, Novatianus qui novit eum numerum secundum Canones Ecclesiæ primitivæ ad ordinandum Episcopum sufficere, ab illis se ordinari procuravit, præcipue per Epistolam à Confessoribus missam. Unde Cornelius ipse per tres Episcopos ordinatum esse Novatianum Epistola ad Fabianum fatetur; Pacianus autem eum sine consecratione legitima Episcopum factum, ideoque nec factum tradit, per Epistolam eorum qui se Confessores esse simularent. Non quod Confessores antea non fuissent, sed quod tunc schismatici essent, & confessionis gloriam perdidissent. Ipsi enim postea confessi sunt, *circumductos commisisse se quoque schismata & hæresis auctores fuisse, ut paterentur ei manus quasi in Episcopum imponi.* Constat igitur Novatianum à tribus Episcopis ordinatum esse, & quidem Italicis, quorum manus ei imponebantur, non autem Novati. Licet enim apud Catalogi vetustissimi auctorem in Cornelio legamus: *Sub Episcopatu ejus Novatus extra Ecclesiam ordinavit Novatianum in Urbe Roma & Nicostratum in Africa;* id tamen non Novati manu factum, sed factione ejus effectum esse omnino dicendum est, ut ante monuimus. Cæterum Novatianus per εἰκονικήν τινα καὶ ματαίαν χειροθεσίαν, *adumbratam quandam & cassam ordinationem*, loco Petri & gradu cathedræ Sacerdotalis per Cornelium antea legitime occupato, quasi ex machina alter Episcopus, & primus Antipapa apparuit. Qui etiam è vestigio, pro more, Legatos cum literis de sua electione, quasi ea fuisset maxime legitima, misit ad Cyprianum cum Concilio Carthagine coacto. Legati autem illi erant Maximus Presbyter, & Augendus Diaconus, & Machæus quidam & Longinus: qui etiam librum ferebant crimina Cornelio objecta continentem.

VIII. Mense Junio jam affecto Cyprianus in Concilio acceptis Cornelii & Collegarum literis, quibus tum Cornelii electio, tum grave schisma repræsentabatur, nondum audita Novatiani ordinatione, Caldonium & Fortunatum Episcopos Africanos è Concilio Legatos cum literis ad Cornelium & Coepiscopos misit, ut non tantum persuasione literarum, sed præsentia sua eniterentur ut ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem scissi corporis membra componerent. Per eosdem etiam Episcopos duarum Epistolarum exempla, quadragesimæ primæ de Felicissimo, & quadragesimæ tertiæ de Presbyterio ejus ad Cornelium transmisit ut toti fraternitati legerentur. Missis autem his Legatis, à Concilio statutum est; Ut omnia interim integra suspenderentur, donec Legati redirent. Atque ita Concilium quasi prorogatum est, ut etiam postea patebit. Neque enim aliter Cyprianus ipse, & Liberalis in Hadrumetinam coloniam, sedente Concilio, proficisci voluissent. Et quidem hoc Concilium non tantum diu habitum, sed etiam *frequenter actum* esse legimus: quod ego de frequenti Episcoporum conventione per intervalla intelligendum esse sentio, ut non tantum diu continuatum, sed & aliquoties prorogatum fuisse videatur. *Frequenter* enim hic accipio non pro magno numero, sed pro multis vicibus, ut Sulpicius Severus de Ariminensi Synodo: *Igitur frequentibus conciliis nihil actum; nostris in fide permanentibus, illis de perfidia non cedentibus.* Qui aliter illa verba, *ut omnia interim integra suspenderentur* interpretantur, ac si decretum esset neque Cornelio neque Novatiano communicandum, sed literas ad Clerum Romanum dirigendas esse, sibi ipsis contradicunt; nondum enim Novatianum Episcopum factum esse noverant; imo Baronius ipse tradit, Caldonium & Fortunatum Legatos Romæ agentes cum incassum omnia pertentassent, *vidisse ex improviso velut ex portis inferorum Novatianum creatum Romanum Episcopum.*

IX. Mense Julio ineunte Legati à Novatiano missi Carthaginem veniunt, ex quorum sermone & asseveratione, ut & ex literis, quas secum ferebant, Cyprianus & Collegæ Novatianum Episcopum factum esse didicerunt; qui illicitæ ordinationis pravitate commoti, Legatos à communione sua statim cohibendos esse censuerunt. Tum vero supervenerunt Pompeius & Stephanus Episcopi Africani, qui Cornelii ordinationi interfuerant, suaque testimonia protulerunt, unde Cyprianus & collegæ Legatos Novatiani haud ultra audiendos esse statuerunt. Quamobrem Legati à Novatiano missi, & à Concilio Carthaginiensi rejecti, ostiatim per multorum domos, & oppidatim per aliquas civitates discurrentes quærebant sibi comites. Quorum omnium Cornelium fratrem suum certiorem reddidit Cyprianus Epistola XLIV. hoc mense jam affecto, per Primitivum Presbyterum missa. Tum vero Cyprianus, & Collegæ de legitima Cornelii ordinatione satis persuasi, ad negotia Ecclesiæ Africanæ pertractanda diligentius accesserunt: ac primo in Concilio, Felicissimum & quinque Presbyteros nuper ab Ecclesia profugos audierunt, eosque auditos abstinuerunt. Et quoniam ex reditu & relatione Caldonii & Fortunati ordinationis Cornelii & ratio justa & glorioſa innocentia apparuit, omnes Episcopi Carthagine coacti in totam Africæ provinciam, in Numidiam etiam & Mauritanias literas scripserunt, ut universi Collegæ Cornelium & communicationem ejus probarent firmiter ac tenerent. Quinetiam Synodicæ literæ ad Cornelium scriptæ sunt, ut quid de Felicissimo & Presbyterio ejus actum esset, scire posset: quas Episcopi omnes manu sua subscriptas miserunt: sed hæ literæ desiderantur.

X. Mense igitur Augusto ineunte Cyprianus scripsit Epistolam XLV. eamque cum literis Synodicis ad Cornelium misit per Mettium hypodiaconum & Nicephorum acoluthum, literarum suarum de Felicissimo & Presbyterio ejus exemplaria rursus subjungens. Et quoniam Confessorum nomine per omnes Ecclesias literæ calumniis & maledictis plenæ frequentes missæ sunt; ipse ad eos dat Epistolam XLVI. qua eos, ut ad matrem Ecclesiam revertantur, breviter hortatur; quam arbitrio Cornelii permittit proxima ad eum per Mettium data. Circa idem tempus scripsit etiam ad eosdem Confessores Dionysius Alexandrinus, dum adhuc Novatiani sententiæ favebant, ut observat Eusebius. Quo etiam, opinor, tempore literas ad Novatianum dedit, breves certe sed præclaras, quæ apud Eusebium lib. 6. cap. 45. habentur, sed insigni mendo maculatæ. Ἔδει μὲν γὰρ πᾶν ὁτιοῦν παθεῖν ὑπὲρ τοῦ μὴ διακόψαι τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ· καὶ ἦν οὐκ ἀδοξοτέρα τῆς ἕνεκεν τοῦ μὴ σχίσαι μαρτυρία, κατ' ἐμὲ δὲ καὶ μείζων ἐκεῖ μὲν γὰρ ὑπὲρ μιᾶς τις τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς, ἐνταῦθα δὲ ὑπὲρ ὅλης τῆς ἐκκλησίας μαρτυρεῖ. Doctissimus Valesius non vidit hunc locum fuisse corruptum, ideo putavit esse mutilum, & hac interpretatione eum supplere conatus est. *Satius quidem fuerat quidvis pati ne Ecclesia Dei discinderetur. Nec minus glorioſum fuisset, idcirco subire martyrium ne Ecclesiam scinderes, quam ut ne idolis sacrificares. Imo illud meo quidem judicio illustrius fuisset.* Sed magnus Dionysius in tam brevi Epistola & acuta tautologice nunquam locutus est. Itaque pro σχίσαι legendum est θῦσαι. Studioſus enim aliquis ad marginem posuerat σχίσαι, tanquam interpretationem vocis διακόψαι: imperitus autem librarius eam vocem in textu posuit loco τοῦ θῦσαι, quæ vox loco suo restituta sententiam Dionysii satis elegantem & acutam reddit. Emendationem hanc Ruffini versio confirmat.

Et

Et erat non inferior gloria, ſuſtinere martyrium ne ſcindatur Eccleſia; quam eſt illa, ne idolis immoletur.

XI. Poſt Feliciſſimi & quinque Presbyterorum abſtentionem, de cauſa Lapſorum Synodice concluſum eſt: & Synodi placita libello ſunt inſcripta, ut ſcribit Cyprianus ad Antonianum. Magno autem temperamento Placita hæc concepta ſunt, quæ omnia ad duo generalia capita à Cypriano redacta ſunt. Primo, ne in totum ſpes communicationis & pacis Lapſis denegaretur, contra Novatiani ſententiam. Secundo, ne cenſura Euangelica ſolveretur, ut ad communicationem temere proſilirent, contra Feliciſſimi factionem. Hic autem libellus Canonum, in quo ſingula Placitorum capita conſcripta ſunt, à Synodo ad Cornelium Collegam ſuum miſſus eſt, & ad alios etiam in Africa Epiſcopos. Et ſatis infelix eſt conjectura Baronii, qui unum hunc Libellum in duos diviſit, eoſque à Cypriano ad Confeſſores diu poſtea miſſos eſſe putavit. Interea Primitivus cum literis ad Cornelium priori menſe miſſus Carthaginem redierat cum literis Cornelii ad Cyprianum quæ deſiderantur. Sed earum argumentum ſatis cognoſcitur ex reſponſo Cypriani. Significaverat enim ſe motum fuiſſe, quod cum Polycarpus Epiſcopus ad ipſum poſt electionem ſuam ſcripſiſſet, tanquam legitimum Romæ Epiſcopum; poſtea quam Cyprianus & Liberalis in Hadrumetinam coloniam veniſſent, cœpiſſent illuc ad Presbyteros & Diaconos literæ dirigi, quaſi ſcilicet nondum Romæ legitimus Epiſcopus conſtitutus eſſet. Quocirca Cyprianus Epiſtola XLVIII. ei reſpondet, ut mihi videtur, nimis dilute. Cumque jam omnia Concilii auctoritate compoſita atque confirmata eſſent, Maximus & Longinus & Machæus, Legati à Novatiano miſſi Africa expulſi ſunt.

XII. Menſe Septembri Cornelius, accepto à Synodo Carthaginienſi Canonum Libello, ipſe Concilium convocare ſtatuit, & quidem numero quam potuit maxime copioſo. Quod ipſe Cyprianus ad Antonianum his verbis indicat, *Ac ſi minus ſufficiens Epiſcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam ſuper hac re ſcripſimus ad Cornelium Collegam noſtrum, qui & ipſe cum plurimis coepiſcopis habito Concilio in eandem nobiſcum ſententiam pari gravitate & ſalubri moderatione conſenſit.* Curavit igitur ut ſexaginta Epiſcopi Romæ convenirent quamprimum fieri potuit, ut ex Euſebio conſtat. Neque enim audiendus eſt Baronius, qui duo Concilia à Cornelio Romæ coacta eſſe tradit; Primum hoc tempore, cujus meminit Cyprianus; Secundum anno ſequente, cujus mentionem fecit Euſebius. In quem errorem incidit, quod putaret Epiſtolam ad Antonianum *ipſo Cornelii ſedis exordio* ſcriptam eſſe, in qua mentio Romani Concilii facta eſt, cum literæ illæ anno ſequente ſcriptæ ſint, ut poſtea patebit. Labbeus etiam, qui Baronium & Binium ſequutus eſſe videtur in diſtinguendis duobus Romanis Conciliis, ut primum ſit, in quo decretum Carthaginienſis Concilii confirmatum; ſecundum, in quo Novatianus ejuſque fautores excommunicatione perculſi; ſtatim addit, *cum utrumque in uno forte potuerit perfici*; quod verum eſt.

XIII. Menſe igitur Octobri celebratum eſt Concilium Romanum ſub Cornelio, quo Synodi Carthaginienſis decreta de Lapſis recipiendis corroborata ſunt, & Novatianus cum ſuis anathemate percuſſus. Erant autem in ea Synodo ſexaginta Epiſcopi, & multo plures Presbyteri ac Diaconi. Concilio finito, Cornelius decreta ejus Eccleſiis longe diſſitis communicavit, & ad Fabianum Antiochiæ Epiſcopum de iis ſcripſit. Et quia non pauci in Italia Epiſcopi Concilio minime interfuerant, eorum quoque ſententias ſeorſim poſtulavit, unde Concilium Italicum ex Hieronymo conflatum eſt, an recte dubito. Interim Novatianus cum videret Maximum Presbyterum cum ſuis Africa expulſum, & in Concilio Carthaginienſi Cornelii electionem confirmatam, ſuam ſententiam de Lapſis condemnatam, & condemnationem eam à Synodo Romana roboratam, jamque omnes per Italiam Epiſcopos in ſuam excommunicationem conſenſuros præviderat; proſtratus virtutibus Dei denuo reſurrexit, & miſit in Africam Euariſtum ſuæ partis Epiſcopum, Novatum Carthaginienſis Eccleſiæ Presbyterum, Nicoſtratum Diaconum unum ex Confeſſoribus cum Primo etiam & Dionyſio. Quare Cornelius literis per Augendum Confeſſorem miſſis de eorum diſceſſu Cyprianum admonuit; ſed literæ illæ deſiderantur. Interea Confeſſores Romani, quos è carcere prodeuntes ſchiſmaticus & hæreticus error exceperat, & jamdiu palabundos populus viderat, literis Cypriani & Dionyſii primo molliti, & lecto, ut videtur, libello de Unitate quem hoc tempore ſcripſit, & Romam miſit Cyprianus, bene inſtructi, de reditu ad Eccleſiam cogitaverant, idque fratribus nonnullis ſignificaverant, Novato jam cum reliquis tanquam procella & turbine recedente, Presbyteros Romanos adierunt, circumventos ſe eſſe affirmabant, & ad Eccleſiam ſe redire cupere proteſtati ſunt.

XIV. Menſe Novembri, cum jam Confeſſorum animus ſatis eſſet perſpectus, Cornelio placuit contrahi Presbyterium, cui adfuerunt etiam Epiſcopi quinque; coram quibus & Confeſſores, Maximus, Urbanus, Sidonius & Macarius (Nicoſtratus enim eorum in Confeſſione ſocius in ſchiſmate perſeveravit) & plerique fratres qui ſe iis adjunxerant, ſummis precibus deſiderabant, ut ea quæ ante fuerant geſta in oblivionem cederent. De qua re Epiſcopi cum Presbyteris ſententias ſuas dixere. Et actu omni populo mox inſinuato, & magno fraternitatis concurſu facto, profeſſionem fecerunt, & ad communicationem & pacem Eccleſiæ admiſſi ſunt. Quinetiam eadem hora, eodemque momento Cornelius horum omnium Cyprianum certiorem facit Epiſtola XLIX. per Nicephorum acoluthum miſſa. Cui etiam ſubjiciendas curavit ſententias Epiſcoporum & Presbyterorum in eo negotio prolatas, quæ deſiderantur. Scripſit etiam feſtinanter breves literas, quibus docere Africanos voluit, quales viri eſſent qui à Novatiano jam miſſi ſunt, ac præcipuè Nicoſtratus & Euariſtus. Nec aſſentior Pamelio qui putavit hanc fragmentum eſſe Epiſtolam: quoniam Cyprianus dicit ſe ea de novis Novati & Novatiani machinis pleniſſime inſtructum fuiſſe; cum non de Epiſtola, ſed de Nicephoro acolutho loquatur Cyprianus, qui eum pleniſſime inſtruxerat, & ſatis fuiſſe oſtendit, quod de Euariſto & Nicoſtrato ſcripſerit Cornelius. *Nam de Novato*, inquit, *nihil inde ad nos fuerat nunciandum, cum magis per nos debeat vobis Novatus oſtendi.*

XV. Menſe hoc Novembri Decius uterque Auguſtus & Conſul ſimul periit. Victor Schotti, *Decii Barbaros trans Danubium perſectantes Bruti fraude cecidere, exacto regni biennio.* Pro *Bruti* lege *Abruti*, & locum intellige ubi periere; fraudem vero non Bruti, ſed Galli interpretare. Ita Dexippus eorum temporum ſcriptor apud Georgium Syncellum, Ἐπανιέσι δὲ Σκύθαις ἐπὶ τὰ σφέτερα ὁ αὐτὸς Δέκιος ἐπιθέμενος ἀναιρεῖται, ἐν Αβρύτῳ τῷ λεγομένῳ Φόρῳ θεμαρανίῳ σὺν τῷ παιδί. Poſt exactum igitur biennium à nece Philipporum periit uterque Decius. Et quidem Decium tertium imperii annum attigiſſe apparet ex Inſcriptione apud Gruterum pag. 273. *Imp. Cæſ. C. Meſſio Quinto Trajano Decio Pio Fœlici Aug. Pontifici Max. Trib. Pot. III. Coſ. II. PP. PR. Cos. Ordo Feltr.* Imo poſteriorem hujus anni partem

quo Decius pater tertium Conſul fuit eam attigiſſe conſtat ex nummis, in quibus leguntur. TR. P. Cos. II. TR. P. II. Cos. II. TR. P. II. Cos. III. TR. P. III. Cos. III. Unde apparet primum Tribunitiæ poteſtatis ſive imperii annum, priorem ejus anni partem, quo ſecundum Conſul fuit, complexum eſſe: ſecundum rurſus Tribunitiæ poteſtatis annum poſteriorem ejus anni & priorem ſequentis partem occupaſſe: Tertius itaque Tribunitiæ poteſtatis annus, ad poſteriorem Conſulatus tertii partem pertingit. Hoc igitur anno jam affecto Decius ſuperſtes fuit. Quod & Trebellius Pollio his verbis teſtatur. *Duobus Deciis Coſs. VI. Cal. Novemb. die ob Imperatorias literas in æde Caſtorum Senatus habebatur.* Valerianus autem *in procinctu ſuo cum Decio agebat.* Non igitur ante Novembrem periit; ſed ſub initio hujus menſis ſine dubio defunctus eſt, triceſimo imperii ſui menſe, à quo primum purpuram ſumſit, ut Victor in Epitome. *Decius e Pannonia inferiore Buballiæ nàtus imperavit menſes triginta.* Scilicet A. D. CCXLIX. menſe Junio, ſublato Marino purpuram ſumſit A. D. CCLI. menſe Novembri palude abſorptus eſt. Atque inde plena pax Eccleſiæ, non tantum ſedata aut ſopita, ſed & prorſus finita perſecutione à Deo indulta eſt. Hoc igitur menſe exeunte, Cyprianus edidit Libellum de Lapſis, eumque Romam miſit, cujus initium hoc ipſum indicat, *Pax ecce dilectiſſimi fratres, Eccleſiæ reddita eſt; & quod difficile nuper incredulis ac perfidis impoſſibile videbatur, ope atque ultione divina ſecuritas noſtra reparata eſt.* Ultio enim illa divina ad interitum Deciorum manifeſte refertur.

XVI. Menſe Decembri ineunte, Cyprianus acceptis literis à Cornelio per Nicephorum acoluthum miſſis, reſpondet duabus Epiſtolis LI. de reditu Confeſſorum congratulatoria, & LII. de Novati ſceleribus.

A. D. CCLII. *Gallo II.* & *Voluſiano.* COSS. *Period. Jul.* 4965.

HAnc ſeriem Conſulum interturbat Baronius, & contra omnes Faſtos Decium III. & Gratum II. ex Actis Pionii interponit. Imo ubicunque in Actis martyrii paſſus aliquis Decio & Grato Coſs. dicitur, de hoc Conſulatu interpretatur; *quia*, inquit, *prior Conſulatus Decii cum Grato primum ante Philippi obitum contigit, quo nondum perſecutio aliqua in Occidente Chriſtianos vexabat.* Ita erroribus errores cumulat, & dum Decium, ſe & Grato Coſs. imperaſſe negat, Gratum iterum una cum Decio Conſulem creat, & innumeros ſub Decio paſſos eſſe Martyres tradit, poſtquam Decius ipſe periiſſet: imo ex Actis martyrum expeditionem Decii in Perſas refert, & partam de Perſis ingentem victoriam ope Mercurii hominis Chriſtiani narrat, & perſecutionem acrius illic à Decio exercitam tradit, ipſo Mercurio & Perſis Chriſtianis, qui in ejus manus devenerant, occiſis. Quæ quidem fabula omnibus hiſtoriæ monumentis repugnat, & Baronio maxime indigna fuit, qui Decii imperio annum tantummodo unum cum tribus menſibus tribuit. Quando enim motus in Gallia pacavit, quando perſecutioni Romæ ſævienti ipſe interfuit, quando ibidem mœnia inſtituit atque dedicavit, quando Hetruſcum in Illyrios præmiſit, quando Priſcum in Macedonia, Valentem in Illyrico oppreſſit, quando ad Tanaidos ripas acceſſit, ſi primo imperii ſui anno *comparato exercitu bellum ſuſceperit adverſus Perſas*, & ingenti in Perſide victoria potitus ſeveriſſime Chriſtianos Perſas perſecutus ſit, & uno tantum anno cum tribus menſibus imperaverit? Neque hæc aliunde quam ex Actis Martyrum minime probatis haurire potuit Annalium conditor: quæ eorum Auctores ex verbis Hieronymi male intellectis primum commenti eſſe videntur. Ille enim in vita Pauli eremitæ hæc habet. *Sub Decio & Valeriano perſecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ & Cyprianus Carthagine felici cruore damnati ſunt, multas apud Ægyptum & Thebaida Eccleſias tempeſtas ſæva populata eſt.* Quæ ab eo minus accurate & diſtincte ſcripta, ut in Præfatione monuimus, male à poſteris accepta ſunt, quaſi Decius & Valerianus eodem tempore Eccleſiam perſecuti eſſent. Inde liber Pontificum ſub Decio Cornelium tradit Centumcellas miſſum, ab eodem Romam revocatum, & ibi decollatum eſſe: & Acta martyrii mutuos inter Cornelium & Decium ſermones recitant. Inde Sixtum Pontificem ſub Decio Imperatore & Valeriano præfecto paſſum eſſe volunt, & Laurentium Diaconum cum eodem Imperatore congreſſum omni tormentorum genere coram ipſo miſeris modis laniatum fuiſſe. Inde Martyrum Perſarum ipſo Decio præſente paſſiones enarrant, qui Perſidem fortaſſe nunquam, certe poſtquam Imperator factus eſt, non vidit. Et peſſime hunc locum accepit Baronius, qui Hieronymum ea de cauſa Decio Valerianum appoſuiſſe ait, *quod Decio in Perſas proficiſcente Valerianus Romæ Principis vicem ageret, & Chriſtianos edictis exagitaret*, cum nec profectionis Decii in Perſas, nec edictorum Valeriani ſub Decio ulla in Hiſtoria veſtigia ſuperſint, imo edictorum ejus adverſus Chriſtianos nulla mentio facta ſit antequam ipſe exercitum pararet adverſus Perſas, Decio jamjam ante ſexennium defuncto neque ille primo Decii anno Romæ ex cenſoria poteſtate Principis vicem agere potuerit, qui non eſt Cenſor factus ante tertium imperii Deciani annum, cum ipſe abſens in contubernio Decii eſſet, & quidem paulo ante cædem ejus.

II. Interim novimus ex Codice Juſtinianeo Æmiliano & Aquilino Coſs. Decium imperio potitum eſſe; novimus ex ſex Conſtitutionibus Decio & Grato Coſs. propoſitis, eum tunc imperium adminiſtraſſe; novimus ex Faſtis, Inſcriptionibus & Hiſtoria eum cum Decio Hetruſco conſulatum geſſiſſe: Grati autem ſecundum Conſulatum cum Decio nuſquam legimus niſi in Annalibus Illuſt. Cardinalis. Faceſſant igitur hi novi Conſules, ex muſtaceo eruti, & Faſtis importune inſerti; dum ſub Gallo II. & Voluſiano quid hoc an. geſtum eſt inquirimus. Quanquam Baronius nec hunc titulum probat, quem Faſti agnoſcunt; ſed adſcribi vult *Gallo & Voluſiano ſecundum Coſs.* aſſeritque ambos ſimul ſecundum Conſulatum geſſiſſe. Sed Georgius Syncellus, aut apud eum Euſebius, Καὶ τὰ στρατόπεδα βασιλέα πάλαι τινα γενόμενον ὕπατον Γάλλον ἀναγορεύσιν ἅμα Βολουσιανῷ τῷ παιδὶ, ut ejus verba exhibet Scaliger: ſed aliter Goar mirus Scaligeri cenſor, ἅμα Βολουσιανοῦ τοῦ Δεκίου παιδὶ legit, & interpretatur. *Gallum quendam Exconſulem, & cum eo Voluſianum Decii filium milites ſalutant Imperatorem.* Tu lege ἅμα Βολουσιανῷ τῷ αὐτοῦ παιδὶ, Voluſianus enim non Decii, ſed Galli filius

filius fuit. Et ita quidem legi debuit, si veritas quærenda esset. Sed opinor, Eusebii verba ea non sunt, sed Syncelli, qui rursus Volusianum Decii filium vocat, quod & sequiores Græci rerum Romanarum ignari facere solebant. Ut Scholiastes ad Dionysii Alexandrini Canones, καὶ ἐνὶ Γάλλῳ καὶ Βολουσιανοῦ τοῦ υἱοῦ Δεκίου. Gallus igitur qui diu ante Consul fuerat, hoc anno Consulatum iniit secundum, & cum eo Volusianus primum. *Verum ex antiquis numismatum Inscriptionibus*, inquit Annalista, *ambos simul secundum Consulatum gessisse colligitur, quibus secundus Consulatus, cum Tribunitia potestate secundo repetita ponitur.* Imo vero inde colligi non debuit utrumque simul secundum Consulatum gessisse, sed hoc tantum, utrumque intra primum imperii biennium secundum Consulem fuisse. Quod certe verum est: & ex utriusque nummis clare patet Gallum primo imperii sui anno secundum Consulatum gessisse. Ita nummus Græcus apud Goltzium, cui respondet hic Latinus, *Imp. Cæs. C. Vib. Trebonianus Gallus Aug. P. M. TR. P. Cos. II. P. P.* Volusianum autem primo imperii sui anno primo Consulatum iniisse pariter ex his nummis constat, Græco ΑΥΤΟΚ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΟΥΟΛΟΥΣΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥΣ. ΥΠΑΤΟΣ Latino *Imp. C. C. VIB. Volusianus Aug. Pontif. TR. P. Cos.* Primo igitur imperii sui anno Gallus secundum iniit Consulatum, post quem nullum gessit. Primo ejusdem imperii anno primum Consulatum gessit Volusianus, secundo secundum: primum nempe cum Gallo, secundum cum Maximo. In hunc modum Fasti cum nummis optime congruunt; Baronius ab utrisque simul aperte dissidet. Nihil est quod illius sententiæ patrocinetur; Fasti & nummi hac Inscriptione, quæ apud Onuphrium & Gruterum extat, solide confirmantur. ACTUM PR. KAL. AUG. IMPP. D̄D. N̄N. GALLO AUG. II. ET VOLUSIANO AUG. COSS. Quare Gallus II. & Volusianus hunc annum aperiebant & Fastos referabant, eoque veterem morem observantes, ordinarii Consules facti sunt.

III. Ipso statim hujus anni initio S. Cyprianus ad Confessores Romanos dat Epistolam LIV. de eorum ad Ecclesiam reditu congratulatoriam; postquam non tantum à Cornelio, sed ab ipsis etiam postea literas de regressione sua & fraterna redintegratione accepisset. His autem literis duos libellos à se scriptos illis commendat, de Unitate unum, quem ad Romanos dudum, antequam Confessores ad Ecclesiam reversi sunt; de Lapsis alterum, quem nuper post interitum Decii apud suos legerat, & Romam transmiserat; cujus brevem Synopsin his verbis proponit, *Ubi Lapsis nec censura deest, quæ increpet; nec medicina, quæ sanet.* Ad hæc enim duo capita omnia in illo libello præclare dicta facile reduci possunt; ut appareat libellum de Lapsis decretis in Concilio nuper factis plane conformem fuisse. Duo igitur libelli, quorum hac Epistola mentio fit, erant Tractatus duo ab ipso Cypriano exarati, & Carthagine lecti, & Romam pro communi dilectione transmissi, de Unitate & de Lapsis; non autem Libelli canonum à Concilio Carthaginiensi editi & promulgati, ut putat Baronius. Singula enim placitorum ejus Concilii capita uno Libello conscripta sunt, ut Cyprianus ipse ad Antonianum testatur. Circa idem tempus S. Cornelius scripsit ad Fabianum Episcopum Antiochenum Epistolam de facinoribus Novatiani, cujus insigne fragmentum extat apud Eusebium lib. 6. cap. 43. quod cum Cyprianicis collatum lumen dat accipitque vicissim. In hac Epistola reditum Confessorum describit, & Novatianum jam fere ab omnibus desertum esse narrat, quod ante hoc tempus dici non potuit, cum jam Confessores in Ecclesiam recepti, cumque Nicostratus, Euaristus, Primus & Dionysius, magna Novatiani partis præsidia, Roma in Africam profecti, & ab Ecclesia Africana rejecti essent. In hac Epistola Cornelius obiter omnes Cleri Romani gradus enumerat, quos Blondellus in Præfatione in hunc modum ex eo recitat. *A. D.* 251. (*contra quam libri Pontificalis scriptor putavit*) *Presbyteris* 46. *Diaconis* 7. *acoluthis* 42. *exorcistis, lectoribus & ostiariis* 52. *constitit totius Romani Cleri* Σύνταγμα. *Unde*, inquit, *constare potest*, 1. *nullos tum in urbe subdiaconos fuisse*, 2. *de eorum creatione vel nullum a Fabiano decretum conditum, vel, si conditum est ullum, executioni necdum mandatum esse.* Quæ omnia & aperte falsa sunt, & expressis Cornelii verbis prorsus contraria. Verba ejus cum in Editione nupera H. Valesii, tum in prima illa Roberti Stephani hæc sunt. Ὁ ἐκδικητὴς οὖν τοῦ εὐαγγελίου ἓν ἡτίσατο ἕνα ἐπίσκοπον δεῖν εἶναι ἐν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ· ἐν ᾗ δὲ ἡγνόει, πῶς γάρ; πρεσβυτέρους εἶναι τεσσαράκοντα ἓξ, διακόνους ἑπτὰ, ὑποδιακόνους ἑπτὰ, ἀκολούθους δύο καὶ τεσσαράκοντα, ἐξορκιστὰς δὲ καὶ ἀναγνώστας ἅμα πυλωροῖς δύο καὶ πεντήκοντα· Vetustissima Ruffini Versio, *Is ergo qui Euangelium vendicabat, nesciebat in Ecclesia Catholica unum Episcopum esse debere: ubi videbat esse Presbyteros quadraginta & sex* (male Valesius, *quatuor*) *diaconos septem, subdiaconos septem, acoluthos quadraginta & duos, exorcistas & lectores cum ostiariis quinquaginta & duos.* In eadem Epistola Gregorius Syncellus ὑποδιακόνους ζ'. Anastasius ejus interpres *subdiaconos septem* refert. Locus igitur tam insignis mutilari non debuit; nec sententia tam falsa ex eo eliciendafuit. Quod ideo monendum duxi, ne nostri scriptores tanti Viri errorem nimis secure postea sequantur. Scripsit etiam Cornelius ejusdem argumenti Epistolam ad Dionysium Episcopum Alexandrinum, adversus Novatianum, cujus obiter meminit Eusebius lib. 6. cap. 46.

IV. Mense Februario scribit Cyprianus ad Antonianum Numidiæ Episcopum Epistolam LV. prolixam sane atque insignem, & ad hujus temporis historiam illustrandam apprime comparatam: quam Baronius *ipso Cornelii sedis exordio* scriptam esse perperam existimavit. Nam post ordinationem Novatiani primas ad Cyprianum literas dederat Antonianus, quibus significavit se non cum Novatiano sed cum Cornelio communicare. Postmodum Novatianus literas ad Antonianum dedit, quæ scriptæ sunt, postquam Trophimus & thurificati à Cornelio admissi fuerant in Ecclesiam. His literis permotus alias dedit ad Cyprianum Antonianus, quibus se nutare cœpisse significavit, iisque hac Epistola respondet Cyprianus, quæ ipso Cornelii sedis exordio exarari non potuit. Quinimo ex ipsa Epistola constat, post Concilium prioris anni Carthagine diu habitum, imo post Concilium Romanum quo Carthaginiense confirmatum est, post Confessorum reditum ad unitatem Ecclesiæ, & post interitum Decii, eam scriptam fuisse. Et est sane Epistola præclara, in qua Cyprianus de causa Lapsorum plene disserit, seipsum sedulo purgat, Cornelium copiose defendit, Novatianum acriter perstringit; placita prioris Concilii ita explicat & tuetur, ut ante secundum Concilium, hoc anno Idibus Maiis celebratum, se scripsisse aperte significet.

V. Mense Martio Fabianus Antiochiæ Episcopus, qui Novatiani partibus nimis favebat, acceptis Cornelii literis de facinoribus Novatiani, ut videtur, Concilium indicendum curavit, quod Antiochiæ de Schismate deliberaturum conveniret. Tum vero Helenus cum suis ex Cilicia, & Firmilianus ex Cappadocia, & Theoctistus è Palæstina sedi Antiochenæ subditi, Dionysium Alexandriæ Episcopum ad idem Concilium invitabant, quod sentirent Antiochiæ nonnullos ad Novatiani schisma confirmandum

paratos fuiſſe. Sed antequam Concilium Antiochiæ conveniret, mortuus eſt Fabianus, & ejus loco electus Demetrianus, ut ad Cornelium ſcribit Dionyſius. Unde Euſebius in Chronico, ad primum Galli Imperatoris annum, *Antiochiæ decimus quartus conſtituitur Epiſcopus Demetrianus.* Et Græcum Synodicum, Συνόδος θεία καὶ ἱερὰ τοπικὴ, ἐν Αντιοχείᾳ συναθροισθεῖσα ὑπὸ Δημητριανοῦ τοῦ ταύτης ἁγιωτάτου ἐπισκόπου, καθελοῦσα Παῦλον, ὡς ὄντα Φιλαμαρτήμονα. *Synodus divina & ſacra localis, Antiochiæ collecta à Demetriano ejus urbis ſanctiſſimo Epiſcopo, quæ Novatum*, ſeu Novatianum, *depoſuit, tanquam qui peccatoribus patrocinaretur*, ſive potius, *peccatis faveret*, dum homines in eis relinqueret neque ullum pœnitentiæ fructum in hac vita expectandum eſſe doceret, ac proinde iter doloris & pœnitendi viam præcluderet atque abſcinderet, ut loquitur Cyprianus.

VI. Hoc anno Paſcha celebratum eſt ſecundum Canonem Hippolyti III. Idus Aprilis. Cyprianus autem inter Paſchæ prima ſolennia, ſcribit Epiſtolam LVI. ad Fortunatum alioſque Epiſcopos qui in Capſenſi civitate propter ordinationem Epiſcopi convenerant, Reſpondens ad quæſtionem ſibi propoſitam, an Lapſos per triennium pœnitentes ad communicationem jam fas eſſet admittere. Cæterum tum ex notatione temporis, tum ex ipſa natura quæſtionis palam eſt literas haſce poſt Concilium prioris anni datas eſſe, in quo decretum eſt, ut Lapſi agerent pœnitentiam plenam priuſquam communicationem acciperent. Eaſdem etiam patet ante Concilium hujus anni exaratas eſſe; tum quod poſt illud Concilium quo major Lapſis indulgentia conceſſa eſt, nullus tali quæſtioni locus relictus eſt; tum quod Epiſcopi peterent, ut Cyprianus cum pluribus Collegis de hoc ipſo pleniſſime tractaret, & Cyprianus id ſe ſtatim facturum ſponderet, cum jam Epiſcopi plures convenirent, ut de eo quod conſuluerunt, ſigatur & reſcribatur firma illa ſententia, multorum Sacerdotum conſilio ponderata. Quod quidem in Concilio Idibus Maiis celebrato mox conſtitutum, neque poſt illius decretum de hac re poſtea dubitari potuit. Triennium igitur in his literis non pro exacto ſed pro inchoato ſumendum eſt: & ii, de quibus agitur, ſub initio perſecutionis lapſi ſunt.

VII. Menſe Maio, cum jam Epiſcopi poſt Paſchæ ſolennia, quibus apud ſe cum fratribus demorati ſunt, Carthaginem ſe contuliſſent, habitum eſſe Concilium Carthaginienſe II. & quidem Idibus Maiis, ut clare patet ex Epiſt. Cypriani quinquageſima nona, in qua & hujus meminit, & alterius etiam quod anno priore celebratum eſt. In hac autem Synodo relaxatio quædam facta eſt decreti quod in ſuperiori conſtitutum eſt; quod Lapſi ſcilicet agerent diu pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem ſub ictu mortis acciperent. Loco igitur illius decreti aliud in hunc modum condiderunt. *Eis qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed pœnitentiam agere & lamentari, ac Dominum deprecari a primo lapſus ſui die non deſtiterunt, pacem dandam eſſe.* Quod Synodus tunc cenſuit, non tantum ut Επιείκειαν Lapſis vere pœnitentibus præſtarent, ſed neceſſitate cogente; quia crebris atque aſſiduis oſtenſionibus admonebantur, diem alterius perſecutionis jam appropinquare cœpiſſe: unde Lapſos vere pœnitentes ad prælium, quod tum imminebat, armari & inſtrui oportere putabant. Facto hoc decreto, Synodica Epiſtola miſſa eſt ad S. Cornelium Romæ Epiſcopum, quæ eſt LVII. in qua & Decretum ipſum ponitur, & rationibus multis aſſeritur atque defenditur. Scripſit etiam Cyprianus de omnium Collegarum conſilio, miſitque Cornelio nomina Epiſcoporum qui integri & ſani in Eccleſia Catholica tunc fratribus præfuerunt, ut ipſe & Collegæ ſcirent quibus ſcribere, & literas mutuo à quibus eos accipere oporteret.

VIII. Concilio hoc ſedente, Carthaginem venit Privatus, olim Lambeſæ in Numidia Epiſcopus, qui ante aliquot annos ob multa & gravia delicta nonaginta Epiſcoporum ſententia condemnatus fuerat, & Presbyterio Romano, Sede vacante, fruſtra obrepere conatus erat. Venit autem non ſolus, ſed cum Felice Pſeudo-epiſcopo à ſe conſtituto, Jovino & Maximo comitantibus, & Repoſto Tuburſicenſi adjuncto: quibus ſtipatus in Concilio apud Epiſcopos cauſam ſuam agere ſe velle dixit, ſed admiſſus non eſt. Quamobrem à Concilio rejectus, audaciſſimo facinore impiiſſimoque ſe obſtrinxit. Nam Fortunatum unum ex quinque Presbyteris Carthaginienſibus, anno priori de Eccleſia profugis & abſtentis, loco S. Cypriani Carthaginis Pſeudo-epiſcopum fecit. Atque etiam Maximum Presbyterum, à Novatiano Legatum miſſum, & à communicatione Eccleſiæ Africanæ anno priore rejectum, pars Novatiani in Africa Pſeudo-epiſcopum fecit. Cæterum Fortunatus ab Hæreticis & Schiſmaticis Pſeudo-epiſcopus Carthagine factus, exemplo Novatiani jam pene in Italia ab omnibus deſerti minime motus, quaſi legitime cathedram Carthaginienſem adeptus eſſet, legatos pro more ad Cornelium Romæ Epiſcopum mittit, ut ampliſſimæ Sedis communione frueretur. Inter hos princeps fuit Feliciſſimus Cypriani ab initio juratus hoſtis, & totius ſchiſmatis anteſignanus: qui ſtipatus factione deſperatorum, & literas ferens, Romam navigavit. Cujus legationem cum Cyprianus intelligeret, nactus occaſionem familiariſſimi hominis, Feliciani Acoluthi, literas ei dedit ad Cornelium quamprimum præferendas, quibus cum de ordinatione Fortunati, & de Legatione Feliciſſimi certiorem faceret. Sed dum Felicianus moras trahebat, Feliciſſimo ad Cornelium properante præventus eſt.

IX. Menſe Junio, Cornelius Feliciſſimum legatione ſua, & comitum caterva turgidum vigore pleno de Eccleſia pepulit, & literas ejus accipere recuſavit; atque confeſtim ad Cyprianum literas ipſe ſcripſit, dilectionis fraternæ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ & Sacerdotalis cenſuræ ſatis plenas, quæ deſiderantur. Tum vero Feliciſſimus ejuſque comites, hanc repulſam indigne ferentes, pro ſolita ſua obſtinatione atque audacia, Cornelium minis atque terroribus aggrediuntur, multa turpia & probroſa in Cyprianum & ſuos proferunt, viginti quinque Epiſcopos ordinationi Fortunati aſſuiſſe jactitant, ac denique ſumma deſperatione comminantur, quod ſi Cornelius literas quas attulerant non accepiſſet, ipſi eas publice recitarent. Hiſce comminationibus Cornelius ipſe nimis commotus, Feliciano Acolutho nondum adventante, Literas alias prioribus ſubjunxit, quibus culpam in Cyprianum transfert, quod ille de Fortunato hoc Pſeudo-epiſcopo nihil adhuc ſcripſiſſet. Sed & hæ literæ perierunt. Dum hæc Romæ aguntur, appropinquante jam, imo imminente Galli perſecutione, Cyprianus ſcripſit ad Thibaritanos qui frequenter deſideraverant, ut ipſe Thibarin veniret, & exhortatione ſua præſens fraternitatem corroborare dignaretur. Sed cum nec rerum ratio nec temporis conditio permitteret, Epiſtola hac LVIII. docet eos propter crebras admonitiones pro certo credere & tenere debere, preſſuræ diem ſuper caput eſſe cœpiſſe, & rationibus multis ex Scriptura deductis ad prælium armat, & ad martyrium accendit.

X. Sub finem hujus menſis Perſecutio, tot oſtentis & admonitionibus præviſa atque prædicta, à Gallo

Gallo tandem excitata est ; de qua Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. cap. 1. ita loquitur. *Sed neque Gallus culpam Decii intellexit : neque prospexit quid tandem illum pessundedisset. Quin potius ad eundem lapidem ante oculos suos positum impegit. Qui cum imperium ipsius prospero in statu esset, cunctaque ex animi sententia succederent, viros sanctos qui pro pace & incolumitate ipsius preces ad Deum allegabant, insectatus est. Cum illis ergo orationes pro ipso fieri solitas simul fugavit.* Unde Georgio Syncello dicuntur, τῆς αὐτῆς κακοτροπίας ἐχόμενοι τῷ Δεκίῳ, interprete Anastasio, *nequaquam Decii mores sectati*, perperam omnino. Sed pro *nequaquam*, legendum est *nequam*, quod non observavit Fabrotus. Hoc ipso tempore hanc Persecutionem ortam esse, ex literis Synodicis quæ de ea tanquam futura loquuntur, & ex literis Cypriani, de quibus mox agendum est, quæ eam referunt, tunc incœptam esse, liquido apparet. Conteus quidem post Deciorum mortem persecutionem quievisse ferme per biennium tradit ; & pro hac sententia sua unicum hoc affert argumentum, quod proximo post mortem Decii anno primum Carthaginiense Concilium, ac demum altero secundum celebraverat Cyprianus. Sed nimis aperte fallitur. Primum enim Carthaginiense Concilium ante mortem Decii seditionibus & bello occupati, sedata persecutione, ut Cyprianus ipse loquitur ; secundum intra septem menses ab ejus nece coactum est, cum pace jam plena frueretur Ecclesia, sed persecutionem mox futuram præsentiret. Et revera falluntur omnes qui Concilium hoc secundum non ante annum æræ vulgaris CCLIII. celebratum esse statuunt, ut Labbeus, Ricciolius. Hujus autem Persecutionis hæc occasio fuisse videtur. Gravis jam pestilentia aliquas imperii partes invaserat, & Hostilianum cum Gallo Imperatorem à Senatu constitutum absumserat : cumque magis adhuc ingravesceret, Gallus & Volusianus ad aras Deorum suorum confugiebant, nummos cudi curabant cum hac inscriptione, APOLLINI SALUTARI. Imo ipsi *anxie studioseque tenuissimi cujusque exequias curabant*, ut refert Victor ; unde etiam edicta in provincias undique emittebant quibus sacrificia præscribebantur. Inde persecutio in Christianos orta est, qui sacrificia, quæ Ethnici adeo saluti Reipub. necessaria putabant, celebrare vel attingere prorsus recusabant. Hoc mihi his verbis ipse Cyprianus innuere videtur ad Cornelium scriptis in ipso persecutionis exordio. *His ipsis etiam diebus, quibus has ad te literas feci, ob sacrificia quæ Edicto proposito celebrare populus jubebatur ; clamore popularium ad leonem denuo postulatus in circo.* Neque enim Edictum aliquod à Gallo propositum legimus, quo Proconsules vel Magistratus Christianos persequi juberentur.

XI. Hac igitur Persecutione Carthagine in hunc modum jam cœpta, Cyprianus binis à Cornelio literis de Felicissimi legatione acceptis, respondet Epistola LIX. & quidem priores, quibus de publica Felicissimi comitumque rejectione Cornelius disseruerat, grato animo se accepisse significat, & tam opportunum Ecclesiasticæ censuræ exemplum perhonorifice prædicat. Ad posteriores autem, quibus Cornelius minis se Felicissimi comitumque commotum fuisse significavit, & probra in Cyprianum jacta cum terroribus commemorasset, ipsumque quod eum de ordinatione Fortunati certiorem non fecisset accusavit, fortiter & animose respondet, de Fortunato quod non statim scripserit multis se excusans vel potius defendens ; scripserat enim per Felicianum, sed ille tardius Romam petiit. Tum vero rem totam exponit. Privatum & Collegas suos tanquam homines sceleratissimos describit, Felicissimi & sociorum nefanda crimina patefacit & mendacia refellit : circumcursationis eosque maxime accusat, quod, cum Episcopo suo aliisque Episcopis Africanis causam suam subjicere tenerentur, Romam navigarent, & in alienam provinciam tenderent, quasi illic causam acturi. De qua re verba Cypriani summa attentione digna sunt. *Quæ autem causa veniendi, & pseudo-episcopum contra Episcopos factum nunciandi ? Aut enim placet illis quod fecerunt, & in suo scelere perseverant : aut si displicet, & recedunt, sciunt quo revertantur. Nam cum statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter & justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis pastoribus portio gregis sit ascripta quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino reddituros ; oportet utique eos quibus præsumus non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere : sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere & testes sui criminis possunt.* Hoc ipso tempore post literas ad Thibaritanos datas, Persecutione non jam appropinquante, aut imminente, sed incumbente, ad Fortunatum scripsit Libellum de Exhortatione martyrii, testimoniis ex S. Scriptura prolatis ; ut Dei plebem non tantum classico vocis suæ erigeret, sed & credentium fidem divina lectione firmaret. Hic autem à nobis objectio removenda est quæ suadere videatur hunc Libellum nec hoc anno CCLII, nec à Cypriano scribi potuisse. Auctor enim Libelli, quisquis fuit, Cypriano multo junior ex his ipsius verbis fuisse videri potest. *Adversarius vetus est, & hostis antiquus, cum quo prælium gerimus. Sex Millia annorum jam pene complentur, ex quo hominem Diabolus impugnat :* hoc est, ab initio mundi. Peritiores autem Chronologi hac ætate annum Mundi MMMM CXXXV. An. Dom. CCLII. respondere putant. Debilem nimis & dilutam responsionem hic adhibet Pamelius. Quare observandum est Veteres longe aliam Mundi æram quam Recentiores secutos esse. Illi enim docuerunt Christum ipsum natum esse A. M. MMMMM D. Horum autem calculum, ac præcipue Africani, cujus auctoritas tunc in Ecclesia haud immerito magna fuit, secutum esse Cyprianum ut credamus necesse est. Mirum igitur esse non debet, si post annos plures quam 5750. sex millia annorum jam pene completa esse diceret. Nam & Sulpicius Severus Anno Domini CCCC. *Mundus a Deo constitutus est abhinc annos jam pene sex millia*, dixit : cum tamen ipse à mundo condito annos tantummodo 5604. tunc effluxisse doceret. Eodem tempore missam vult à Cornelio ad Lupicinum Episcopum Viennensem Epistolam Baronius ; sed ea proculdubio spuria est, ut & illa Pii Pontificis ad Justum Viennensem, quam adulterinam esse alibi demonstramus, ubi pariter Missarum mentio facta est. Certe hæc & Cornelio indigna est, & veri nihil continet. Primo conqueritur *Edictis Imperatorum Christianos ubique tormentis variis affici :* quasi jam per provincias severissima Persecutio grassata fuisset : quod tum fieri non potuit, neque fortasse postea factum est. Dein, *In urbe Romana*, inquit, *Imperator ad hoc constitutus est.* Quod intelligi non potest. Baronius primo interpretatur de Volusiano, quasi tunc primo à Patre Augusti nomine insignito, qui ad finem anni prioris ante Consulatum Augustus nominatus est, ut ex nummis patet. Mox ad Hostilianum confugit, quasi Senatus, quod videret Gallum & Volusianum pacem reddidisse Ecclesiæ, ad exturbandos Christianos hunc ipsum in Imperium provexerit. At Hostilianus ipso exordio imperii Galli & ante Volusianum à Senatu factus est Augustus. Victor Schotti statim post descriptionem interitus Decii, *Hæc ubi Patres comperere, Gallo, Hostilianoque*

lianoque augusta imperia, Volusianum Gallo editum Cæsarem decernunt. Neque Eutropius errat, aut cum Gallo Hostilianum confundit, cum ait: *Mox Imperatores creati sunt, Gallus Hostilianus, & Galli filius Volusianus.* Pergit porro personatus Cornelius, *Jam plures martyrio coronati sunt.* Hæc Cornelius ipso persecutionis exordio, antequam teneretur, inquit Annalista, coronatis interea nonnullis, ut ait, martyrio, & inter alios Moyse Romano Presbytero, sub Decio olim jam prope biennium detento in vinculis. Quod de Moyse tradit sub persecutione Galli martyrium passo, adeo perspicue falsum est ut refutatione non indigeat. Sed nec alios ullos passos esse antequam teneretur Cornelius, satis locuples testis est Cyprianus in Epistola mox commemoranda. *Exprimi satis non potest quanta istic exultatio fuerit, & quanta lætitia, cum de vobis prospera & fortia comperissemus; ducem te illic confessionis fratribus extitisse, sed & confessionem Ducis de fratrum confessione crevisse; ut dum præcedis ad gloriam multos feceris gloriæ comites, & Confessorem populum suaseris fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri.* Et paulo post de Adversario loquens, *Unum primo aggressus, ut lupus ovem secernere a grege, ut accipiter columbam ab agmine volantium separare tentaverat*, quod de Cornelio intelligendum est. Illa igitur Cornelii Epistola ad Lupicinum inter spurias & supposititias numeranda est.

XII. Cum mense Julio Romæ non minus quam Carthagine aræ ubique fumarent, & Christiani pro salute Reipub. Diis sacrificare recusarent, Cornelius Romæ Episcopus ab Imperatore Gallo in exilium pulsus est. Locus exilii Centumcellæ fuit, ut ex Catalogo antiquissimo didicimus. Jam vero Cyprianus mense Augusto scripsit ad Cornelium in exilio, ut dicitur, de ejus confessione Epistolam LX. in qua se ostendit incredibili lætitia exultare propter glorioſam confessionem Cornelii, & fratrum, ac præcipue Lapsorum, qui in hoc agone restituti steterunt fortes, & ipso dolore pœnitentiæ facti ad prælium fortiores; unde maxime opportunam de Novatiano triumphandi occasionem nactus, argumentum copiose & acute persequitur. De hac Epistola Vitæ & Actorum Cornelii Auctores mira narrant. Primo, Auctor libri Pontificum, *Post hoc Cornelius Episcopus Centumcellas pulsus est, & ibi scriptam Epistolam de sua confirmatione, missam a Cypriano (quam Cyprianus in carcere conscripsit & dedit Celerino lectori) suscepit.* Illud de carcere aperte falsum est. De Celerino aliter Ado in Martyrologio, de eodem exilio scribens. *Quo tempore beatus Cyprianus scripsit ei de Celerino Lectore, quanta pro fide & confessione Christi sustinuerit.* Quam opportune. Sed hæc sunt sequiorum temporum frivola & inania commenta.

XIII. Mense Septembri Cornelius Pontifex Centumcellis obiit die decimo quarto. Locum quo mortuus est nobis indicat vetustissimi Catalogi auctor in Cornelio. *Post hoc Centumcellis expulsus ibi cum gloria dormitionem accepit.* De die nos certiores facit S. Hieronymus in Catalogo, de Cypriano loquens. *Passus est sub Valeriano & Gallieno principibus, persecutione octava eodem die, quo Romæ Cornelius, sed non eodem anno.* Constat autem Cyprianum XVIII. Cal. Octob. passum esse, quo die in Martyrologiis utriusque passio celebratur. Quamvis in Breviario Romano ad XVI. Septembris diem devolvitur, cum mira illa Oratione, *Beatorum martyrum, pariterque Pontificum, Cornelii & Cypriani nos, quæsumus Domine, Festa tutantur.* Sed de loco, & anno major multo est dissensio. Cum enim obiter dixisset Hieronymus verbis jam allatis Cornelium Romæ passum esse, & ex ejusdem verbis superius laudatis, cum cruenta morte sub Decio affectum esse posteriores colligerent, nescio quæ Acta martyrii ejus excogitarunt, & insulsas historias Martyrologiis inseruerunt. Liber Pontificalis de Cornelio, *Hic sub Cæsare Decio martyrio coronatur.* Inde Acta apud Adonem. *Decius Cæsar audito quod multi ei scriberent, & de beato Cypriano jussit eum sibi exhiberi.* Tum vero ab ipso Decio mandatum esse tradunt, ut plumbatis cæderetur, & decollaretur postea. Hæc certe aperte falsa sunt, & à Baronio frustra tentata, qui in textum Decii nomen irrepsisse vult, & ejus loco substituit Volusianum. Nam omnes alii Decii nomen semper præferunt, quod etiam in Breviarii Romani Lectionibus recitatur. Acta igitur martyrii tum apud Adonem, tum apud Baronium adulterina sunt. Nam Cornelius non sub Decio, sed Gallo decessit, & quidem sub repentina ejus persecutione, ut loquitur Cyprianus ad Lucium, quod etiam Eusebius, & Hieronymus, & res ipsa testatur. Gallus quidem Cornelium ad Centumcellas relegavit, *locum perjucundum* ut testatur Plinius, de crudelitate aut Galli aut Volusiani nihil legimus. Assentior igitur auctori vetustissimi Catalogi, qui narrat eum Centumcellis dormitionem accepisse, & quidem hoc anno. Scribit enim eum sedisse à Consulatu utriusque Decii *usque Gallo & Volusiano*, qui hoc anno Consulatum gessere. Neque in annum sequentem obitus ejus ullo modo dejici potest, cum Stephanus ipse, qui post mortem Lucii Episcopatum obtinuit, à *Consulatu Volusiani & Maximi* sedisse dicatur, qui anno proximo Consules fuisse noscuntur. Falluntur igitur Chronologi qui Cornelium annis duobus & mensibus aliquot sedisse dicunt: ac demum anno sequente obiisse. Et dubitari ulterius non potest, quin hic optimus Pontifex & glorioſus Martyr hoc anno æræ vulgaris CCLII. XVIII. Cal. Octobris die Martis, in Domino obdormiverit. Et quidem eodem die decessit, quo Cyprianus passus: non tantum eodem die mensis, sed etiam septimanæ.

XIV. Circa hoc tempus, cum jam lues & fames sævirent, scripsit S. Cyprianus Libellum insignem ad Demetrianum, quem viri docti putant fuisse eo anno Africæ Proconsulem. Objecerat enim Cypriano Demetrianus vulgare illud argumentum, omnia mala, quæ Remp. premebant, propter Christianos, qui sacra Deorum negligebant contigisse; cui acute respondens, ista non accidere inquit, *quod Dii vestri a nobis non colantur, sed quod a vobis non colatur Deus.* Hunc autem Libellum scriptum fuisse arbitror sub initio persecutionis Galli, ex illis Cypriani verbis, *Documentum recentis rei satis est, quod sic celeriter, quodque in tanta celeritate sic granditer nuper secuta defensio est, ruinis regum, jacturis opum, dispendio militum, diminutione castrorum.* Non enim hæc intelligo de interfectione Gordianorum & Philipporum, cum Pamelio, quod perabsurdum est; sed de sola nece Deciorum, qui tam celeriter, tamque granditer ob persecutionem puniti sunt; & quorum ruinas statim jacturæ opum secutæ sunt, cum Gallus, Scythis χρημάτων τι μέτρον ἔτος ἑκάστῳ χορηγεῖν ὑπέσχετο, ut loquitur Zosimus. Quibus consentit & illa Demetriani querela. *Hostem quereris exurgere,* πανταχόθεν ἐπιβρύσαντος πολέμου, ut idem Zosimus. Hunc autem Demetrianum Proconsulem fuisse non puto: sed judicem aliquem, Cypriano familiariter notum. Quod cum multa alia persuadent, tum vero illa verba quæ de Proconsule intelligi nullo modo possunt. *Nam cum ad me studio magis contradicendi, quam voto discendi venires, & clamosis vocibus personans malles tua impudenter ingerere, quam nostra patienter audire.* Et rursus, *Respondeo igitur & tibi, Demetriane pariter & ceteris, quos tu forsitan concitasti, & adversum nos odia tuis maledicis vocibus seminando comites tibi plures, radicis atque originis tuæ pullulatione feciſti.* Et hic est Tractatus quem Pontius innuit his

bis verbis, *Per quem Gentiles repercuſſis in ſe iis quæ nobis ingerunt, vincerentur?* quemque Idem indicat poſt Libellum de Oratione Dominica, & ante tractatum de Mortalitate locandum eſſe.

XV. Poſt obitum Cornelii ceſſaſſe Epiſcopatum dies XXXV. indicat Liber Pontificum. Sed unde illa hauſta ſunt neſcio. Nemo certe ei fidem adhibebit de vacatione Sedis poſt obitum Cornelii, qui in Vacatione poſt paſſionem deceſſoris ejus Fabiani tam turpiter tamque manifeſte erravit, ut tum Epiſcopatum ceſſaſſe dies ſex tantummodo dixerit. Ceterum ego ceſſaſſe Epiſcopatum hac vice dies XXXV. non puto, & minus intervallum verbis Cypriani magis congruere ſentio. Vetuſtiſſimus quidem Catalogus in Lucio maxime corruptus eſt; neque quicquam aliud inde colligi poteſt, quam Lucium Gallo & Voluſiano Coſs. ordinatum eſſe, ut Pſeudo-Iſidorus in Epiſtolæ à ſe confictæ ſubſcriptione ſignificat. Qui non in anno, ſed in menſe ſe prodidit, dum ſcripſit, *Data Kal. Aprilis Gallo & Voluſiano viris clariſſ. Coſs.* Poſt enim Cal. Aprilis hujus anni ultra quinque menſes vixit Cornelius. Quamobrem pro comperto haberi debet Lucium hoc anno Pontificatum iniiſſe, & quidem poſt diem decimum quartum Septembris: ſed tempus ipſum Ordinationis, ab obitu ejus cujus dies certus & definitus habetur, & à paucis illis ad Pontificatum ipſius pertinentibus quæ apud Cyprianum extant, tantummodo colligi poteſt. Ut autem hoc quam fieri poteſt certiſſime faciam, decem dies qui ſoli in Catalogo veri eſſe poſſunt, ſumo; & tot menſes adjicio, quot ab obitu Cornelii ad exitum Lucii numerari poſſunt; qui quinque tantum integri ſunt. Eutychius quidem menſes octo, Euſebius totidem, ſed non integros, Nicephorus Lucio haud ſeptem integros tribuit, qui veritatem proxime attingere videtur. Qui enim de triennio locuti ſunt, longiſſime aberraſſe ab omnibus agnoſcuntur. Mihi tutiſſime ſtatui poſſe videtur Lucium Romæ Epiſcopum die Septembris viceſimo quinto ordinatum eſſe, menſes quinque integros & dies decem ſediſſe, & quarto die menſis Martii A. D. CCLIII. obiiſſe.

XVI. Menſe Octobri ineunte, Lucius à perſecutoribus in vitæ diſcrimen adductus eſt. Cumque jam Cyprianus tum ordinationis tum Confeſſionis ejus certior factus eſſet, ipſe cum Collegis ſuis literas communicatorias ad Lucium ſtatim dedit. Quæ quidem non ſuperſunt, ſed earum ſatis diſerte meminit ipſe Cyprianus in exordio Epiſtolæ ad eundem poſt reditum miſſæ. *Et nuper quidem tibi, Frater Cariſſime, gratulati ſumus, cum te honore geminato in Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione Confeſſorem pariter & Sacerdotem conſtituit divina dignatio.* Launoius hoc negavit leviſſimo argumento ductus. *Cyprianus*, inquit, *ſe quidem gratulatum fuiſſe ait ſed gratulatum ſe per literas non ait. Et revera Cyprianus ſecum & cum aliis Epiſcopis de gemino Lucii honore gratulari potuit, quamvis per alias ab citata literas non fecerit.* Hæc ille nimis ſubtiliter, imo nimis dilute. Nam Cyprianus & Collegæ ſignificant ſe non minus poſt reditum gratulatos eſſe Lucio, quam poſt ordinationem & confeſſionem eidem gratulati fuerant. Non dicunt ſe ſibi, ſed illi gratulatos eſſe tempore utroque; & male Launoius vocem *tibi* utrobique omiſit, nec vim ejus perſpexit. Neque animadvertit hanc eſſe ſolennem in Epiſtolis Cypriani formam. Ut in illa ad Confeſſores de Mappalico. *Exulto lætus & gratulor, fortiſſimi & beatiſſimi fratres, cognita fide & virtute veſtra.* Et in altera ad Rogatianum & Confeſſores, quæ illam reſpicit. *Et jam pridem vobis, fratres cariſſimi & fortiſſimi, literas miſeram, quibus fidei & virtuti veſtræ verbis exultantibus congratularer.* Cum autem Gallus Lucium non minus fortiter, quam Cornelium confeſſionem nominis facere, & plebem ad moriendum pro fide Chriſtiana non minus incitare & impellere videret, illum etiam pari exilio multavit. De quo Catalogus Pontificum, *Hic exul fuit.* De hac re præcipuè intelligenda ſunt illa Dionyſii verba de Gallo, τὸς ἱερὸς ἄνδρας τὸς περὶ τῆς εἰρήνης αὐτοῦ καὶ τῆς ὑγιείας πρεσβεύοντας πρὸς τὸν θεὸν ἤλασεν. Ἤλασεν enim eſt agitavit, ſuis ſedibus expulit, in exilium miſit. Ut Coriolanus Dionyſio Halicarnaſſenſi dicitur Φυγῇ αἰδίῳ ἐλασθεὶς, *exilio perpetuo multatus.* Cornelium ſcilicet & Lucium cum aliquibus ex Clero Romano, qui proprie πρεσβεύειν πρὸς τὸν θεὸν dicuntur, Gallus exilio multavit.

XVII. Cum jam lues & fames ſimul incumberent, ſcripſit Cyprianus Libellum de Mortalitate ad fratres ſuos; ne ex imbecillitate animi vel fidei parvitate, vel dulcedine ſecularis vitæ minus fortiter ſtarent. Nam etiamſi Lues hæc diu duravit, hoc tamen potiſſimum tempore Tractatum hunc editum eſſe apparet, quia argumentum ab inſtante perſecutione, & Antichriſto veniente ductum late perſequitur. Eſt autem hic Libellus & Cypriano apprime dignus, & reliquis ejus Tractatibus tum ſtylo, tum vigore, tum denique argumentandi ratione ſimillimus. Attamen Chriſtophorus Sandius, novus hujus ſeculi Arianus, hunc inter ſuppoſititios reponit, leviſſimo argumento motus. *Sermō*, inquit, *de Mortalitate ne verbo quidem meminit, vel Ægypti, vel Alexandriæ, vel peſtilentis morbi, quæ tamen in eo contineri teſtatur Euſebius Chronico, & Jornandes.* Nam quod ait Cyprianum hoc ſermone ne verbo quidem peſtilentis morbi meminiſſe, aperte falſum eſt. Nam ipſum morbum contagioſum graphice depingit, & ſtatim hæc ſubjungit. *Mortalitas iſta ut Judæis & Gentilibus & Chriſti hoſtibus peſtis eſt, ita Dei ſervis ſalutaris exceſſus eſt.* Et rurſus: *Quid deinde illud, fratres dilectiſſimi, quale eſt, quam pertinens, quam neceſſarium, quod peſtis illa & lues quæ horribilis & feralis videtur, explorat juſtitiam ſingulorum.* Non meminit Alexandriæ aut Ægypti, quorſum enim, cum Carthagine ipſa peſtilentia ſæviret? Legimus quidem in Chronico Euſebii, *Peſtilens morbus totius orbis provincias occupavit, maximeque Alexandriam & Ægyptum, ut ſcribit Dionyſius, & Cypriani de mortalitate teſtis eſt liber.* Sed expedita reſponſio eſt. Hieronymus in eo Chronico plurima nunc à ſe addita, nunc mixta fatetur. Meminit Euſebius peſtilentiæ ex Dionyſio, quæ Alexandriam & Ægyptum occupavit, quam ipſe ex eo deſcribit in Hiſtoria. Addidit teſtem ejuſdem peſtilentiæ, quamvis non eodem loco, Hieronymus Cyprianum: cujus ſcripta ignoravit Euſebius. Interim Hieronymus teſtis eſt Cyprianum ſcripſiſſe librum de Mortalitate; hunc autem quem in manibus habemus, eum eſſe quem ſcripſit Cyprianus, teſtis eſt Auguſtinus, qui in libro de Prædeſtinatione ſanctorum, & contra Julianum & contra duas Epiſtolas Pelagii plurimas ſententias atque periodos recitat quæ omnes etiamnum in hoc libello inveniuntur. Laudavit etiam dictum de Epiſcopo quodam ægrotante, quod Poſſidius ex hoc libello ipſiſſimis verbis refert. Hic igitur quem habemus de Mortalitate libellus, ætate Auguſtini, *multis ac pene omnibus qui Eccleſiaſticas literas amabant laudabiliter notus*, hoc demum ſeculo rejici non debet, imo non poteſt.

XVIII. Quinetiam Lucius Roma relegatus cum comitibus ſuis haud diu in exilio manſit. Cauſa relaxationis à nemine exprimitur; ſed ad providentiam Dei refertur. Catalogus Pontificum. *Poſtea nutu Dei incolumis ad Eccleſiam reverſus eſt.* Et ad ipſum Cyprianus. *Reduces vos denuo ad ſuos fecit benigna Domini & larga protectio.* Tempus autem reditus ad Novembrem ſpectare puto, & circa finem hujus menſis

menſis eum Romam cum comitibus reverſum eſſe ſtatuo, ipſo hoc anno æræ vulgaris Chriſti CCLII. Nemo quidem tam mature eum rediiſſe hactenus putavit. Pamelius per totum quod reliquum erat, Galli imperium in exilio permanſiſſe, ac demum ſub Valeriano, pace Eccleſiis reddita reverſum eſſe docet, *Gallo & Voluſiano fraude Æmiliani interfectis & ipſo deinde Æmiliano poſt tres menſes extincto.* Sed illius ſententia nullo negotio refellitur. Cyprianus enim iiſdem literis, quibus reditum ejus celebrat, ſub eadem perſecutione adhuc durante eum rediiſſe clare oſtendit. *Regredientibus vobis breviata non eſt in Epiſcopo confeſſionis ſuæ dignitas, ſed magis crevit Sacerdotalis auctoritas, ut altari Dei aſſiſtat Antiſtes, qui ad confeſſionis arma ſumenda & facienda martyria non verbis plebem ſed factis cohortetur, & imminente Antichriſto paret ad prælium milites non ſolum ſermonis & vocis incitamento, ſed fidei & virtutis exemplo.* Et rurſus, *Et orare pariter ac petere, ut qui perfectus eſt atque perficiens, cuſtodiat & perficiat in vobis confeſſionis veſtræ gloriosam coronam. Qui & ad hoc vos fortaſſe revocavit, ut gloria eſſet occulta, ſi foris eſſent confeſſionis veſtræ conſummata martyria.* In media igitur perſecutione Galli, cum nondum pax expectaretur, Lucius cum comitibus Romam ab exilio reverſus eſt. Neque hoc A. D. CCLIV. aut CCLIII. factum eſt, ſed hoc ipſo anno poſt ad modum breve exilium, quod ex literis Cypriani firmiter & certo colligitur, quæ poſt Lucii reditum ſibi & Collegis ſuis cognitum exaratæ ſunt. Nam primo; *nuper* ſe Lucio gratulatum eſſe de Ordinatione & Confeſſione ſignificat: diu igitur in exilio eſſe non potuit. Secundo, non tantum Lucium nuper relegatum, ſed & Cornelium etiam nuper exilio multatum, & Perſecutionem ipſam Romæ nuper exortam fuiſſe iiſdem literis tradit. *Intelligimus, Frater cariſſime, & tota cordis noſtri luce perſpicimus divinæ majeſtatis ſalutaria & ſancta conſilia, unde illinc repentina perſecutio nuper exorta eſt, unde contra Eccleſiam Chriſti & Epiſcopum Cornelium, beatum martyrem, voſque omnes, ſecularis poteſtas ſubito proruperit.* Quiſquis hæc animadvertit, nunquam majus quam ſemeſtre ſpatium inter perſecutionis hujus exordium & Epiſtolæ Cyprianicæ ſcriptionem, nunquam quinquemeſtre plenum inter exilium Cornelii, & reditum Lucii interceſſiſſe putabit.

XIX. Menſe Decembri Cyprianus de reditu Lucii & ſociorum certior factus, cum Collegis ſuis qui forte tunc aderant, non in Concilio ſexaginta ſex Epiſcoporum, ut hariolatur Pamelius, dedit ad eum Epiſt. LXI. in qua ei de eodem reditu magnopere gratulatur, & iterum de Novatiano merito triumphat, quod ipſe ab omni perſecutionis moleſtia immunis eſſet, dum duo Epiſcopi, quibus tantopere adverſatus eſt, ad martyrii palmam cum ſuis glorioſi contenderent. Unde vim majorem poſt has, quam poſt illas ad Cornelium exulem literas accipiunt verba Paciani ad Sympronianum. *Nam quod ante paſſum Novatianum putas, & Cyprianum dixiſſe ſubjungis,* Præceſſit me adverſus meus, *vide quam manifeſte reſpondeam. Novatianus martyrium nunquam tulit; nec ex verbis beatiſſimi Cypriani auditum iſtud aut lectum eſt. Habes ejus Epiſtolas quibus Cornelium Urbis Epiſcopum, cui tunc Novatianus inviderat, inimicis Principibus reſiſtentem, ſæpe confeſſum, ſæpe vexatum refert, plurimis Confeſſoribus, plurimis quoque martyribus ducem factum, & cum plurimis glorioſiſſime coronatum, vivente adhuc Novatiano etiamque ſecuro. Nam ideo ab Eccleſia receſſerat, ne illum labor confeſſionis urgeret.*

A. D. CCLIII. — *Voluſiano II. & Maximo* COSS. — *Period. Jul.* 4966.

MAximum quidem Conſulem Baronius hic agnoſcit, Collegam Voluſianum rejicit & expungit. Hoc autem facit eadem ratione permotus qua ſecundum ei Conſulatum anno priore tribuebat. Quo argumento jam à nobis refutato, neceſſe eſt, Voluſianus locum ſuum cum nota iterati Conſulatus teneat, quem fuiſſe ſecundum Conſulem ne ipſe quidem Annaliſta negare potuit. Neque vero ejus vice inferciendus erat Valerianus, tanquam hujus anni Conſul ordinarius, qui parte ejus poſtrema tantum Conſul, & ſuffectus ſeu honorarius fuit; unde anno ſequente Cos. II. in Faſtis & in Nummis dicitur; & Conſulatus ille ſecundus in Nummis cum primo Tribunitiæ poteſtatis anno conjungitur, ut Δ. E. ΤΠΑΤ. ΤΟ. Β. & Tr. P. Cos. II. quia primus imperii ejus annus magnam partem ſecundi Conſulatus occupavit. Aliter de Gallieno, qui cum eo ſimul imperavit, & cum eo ſecundum Conſule primum Conſul fuit, Δ. E. ΤΠΑΤ. & Tr. P. Cos. quia primus imperii ejus annus eandem partem primi Conſulatus pariter occupavit. Ratio autem differentiæ hæc fuit, quia Valerianus Imperator hoc anno factus, ſe Conſulem ſtatim declaravit ſcilicet ſuffectum, Gallienum non item. Nec Valerianus ante ſumtam purpuram Conſul fuit, ſed Cenſor.

II. Circa initium hujus anni S. Cyprianus ſcripſit Epiſtolam ad Epiſcopos Numidas, de redemtione fratrum ex captivitate Barbarorum. De tempore ſcriptionis viri docti non conſentiunt; alii ſub initio imperii Galli, dum pax eſſet in Eccleſia, alii ſub ejus perſecutione, alii ſub Æmiliano, alii denique ſub Valeriano & Gallieno ſcriptam eſſe Epiſtolam arbitrantur. Hæc incertitudo inde oritur, quod Cyprianus refert fratres à Barbaris in captivitatem abductos fuiſſe. *A Gothis*, inquit Pamelius, *ſive Scythis hoc factum eſt contra quos Decius profectus eſt, aut ab illis qui paulo poſt per Boſphorum in Pontum Euxinum perruperunt.* Alii his Perſas addunt, qui circa ea tempora Antiochiam uſque omnia vaſtarunt. Sed mihi mirum videtur, cuiquam in mentem venire potuiſſe aut Scythas aut Perſas in Africam perveniſſe & plurimos Chriſtianos ex Numidia captivos abduxiſſe, & captivos ab illis abductos redimi potuiſſe. Barbari certe, de quibus conqueruntur Numidæ non tam longe arceſſendi fuere; de propinquis potius & quidem Afris cogitandum erat: quod miror neminem adhuc vidiſſe. Quippe S. Auguſtinus in Epiſtola LXXX. huic loco lucem affundit. *Sunt enim*, inquit, *apud nos, hoc eſt in Africa barbaræ innumerabiles gentes, in quibus nondum eſſe prædicatum Euangelium, ex iis qui ducuntur inde captivi & Romanorum ſervitiis jam miſcentur, quotidie nobis addiſcere in promtu eſt.* Erant autem ante ætatem Auguſtini hæ omnes barbaræ gentes & Romanis infeſtæ, & à religione Chriſtiana prorſus alienæ. *Pauci autem anni ſunt ex quo quidem eorum rariſſimi atque paucisſimi, qui pacati Romanis finibus adhærent, ita ut non habeant Reges ſuos, ſed ſuper eos Præfecti a Romano conſtituantur imperio, & illi & ipſi eorum præfecti Chriſtiani eſſe cœperunt. Interiores autem qui ſub nulla ſunt poteſtate Romana prorſus nec reli-*

religione Christiana in suorum aliquibus detinentur. Barbari igitur in Africa innumeri Romanis finibus adjacentes sub regibus suis sed sub nulla Romana potestate fuere. Unde nunc ex illis Romani, nunc illi ex Christianis imperio Romano subjectis, captivos ducebant. Ut Augustinus Epistola CXXII. *Nam Sitifensis ante paucos annos Severi Episcopi neptis Sanctimonialis à barbaris ducta est.* Sic sub imperio Joviani, Austuriani contermini Tripolcos partibus Barbari exiluere sedibus suis, & non nisi aucti rapinis & trahentes captivum Silvam, ordinis sui primatem reversi sunt. Sic *Africam jam inde ab exordio Valentiniani imperii exurebat Barbarica rabies per procursus audentiores & crebris cædibus & rapinis intenta*, ut loquitur Ammianus Marcellinus. Hæc certe sufficiunt ut de barbaris finitimis, non de Scythis aut Persis cogitemus. Sed est & aliud quod Numidas propius spectat, & Cypriani literas magis adhuc illustrat. Nam Herodianus lib. 7. de rebus Maximini agens qui prima Cypriani ætate imperabat, hæc narrat, Καπελλιανὸς γὰρ ἦν τις ὄνομα τῶν ἀπὸ συγκλήτου. ἡγεῖτο δὲ Μαυρσίων τῶν ὑπὸ Ρωμαίοις, Νομάδων δὲ καλουμένων. τὸ δὲ ἔθνος στρατοπέδοις πέφρακται, διὰ τὸ περικείμενον πλῆθος Μαυρσίων τῶν βαρβάρων ὡς ἂν ἐπέχοι αὐτῶν τὰς ἐξ ἐπιδρομῆς ἁρπαγάς. *Erat enim quidam nomine Capellianus ex Senatorio ordine. Præsidebat autem Mauris Romano imperio subjectis qui Numidæ vocantur. Hæc autem gens castris munita est propter multitudinem Maurorum barbarorum circumjacentium, ut eorum incursus & populationes coercerent.* Qui & exercitum Capelliani ad pugnandum paratum esse dicit τῇ πρὸς τὰς βαρβάρους μάχης συνηθείᾳ *ex consuetudine præliorum adversus barbaros.* Inde factum est ut inter reliquas provincias Africæ hæc sola Legionem Romanam constanter aleret. In descriptione Ptolemaica Numidiæ legitur Λεγεὼν τρίτη Σεβαστή, *Legio tertia Augusta.* Dio Historicus de Legionibus, quæ sua ætate supererant lib. 55. καὶ τὰ τρία τὰ τρίτα, τό τε ἐν Φοινίκῃ τὸ Γαλατικὸν καὶ τὸ ἐν Αραβίᾳ, τὸ Κυρηναϊκόν· τό τε ἐν Νομιδίᾳ τὸ Αγύστειον. *Et tres tertiæ, una in Phœnicia, Gallica: alia in Arabia, Cyrenaica; altera in Numidia, Augusta dicta.* De hac ipsa Legione tertia Augusta tutandis imperii finibus in Africa collocata intelligendus est Tacitus, Historiæ lib. 4. *Legio in Africa auxiliaque, tutandis imperii finibus sub Divo Augusto Tiberioque principibus Proconsuli parebant.* Cajus autem eam Proconsuli ablatam Legato tradidit: quam sub imperio Vitellii regebat Valerius Festus in Africa. Hi igitur Mauri barbari Numidiæ finitimi, imperio Romano minime subjecti, hoc tempore famis & pestilentiæ, cum Gallus negligenter & supine imperium administrabat, in Numidiam militum copiis haud bene munitam irrumpunt, eamque late populantur, cumque aliis Christianos complures captivos abducunt, qui tamen ob hostium viciniam haud difficulter redimi potuerunt. Sed cum earum partium facultates ad omnium eorum redemtionem procurandam minime sufficerent: Episcopi aliquot Numidiæ ad Cyprianum scribunt, ut pro redimendis captivis subsidia nummaria colligere dignaretur. Qui statim tum Cleri ac plebis suæ, tum Collegarum etiam qui præsentes erant collatione collecta, eam ad Numidiæ Episcopos cum Epistola LXII. transmisit.

III. Circa hoc tempus Cyprianus Literas ad Cæcilium dedit de Sacramento Dominici calicis, cum observasset aliquos, etiam, ut opinor, Episcopos in calice Dominico sanctificando & plebi ministrando aquam meram sine vino adhibuisse. Non quod illud semper fecerint, ut Hæretici qui Aquarii dicebantur, sed in matutinis sacrificiis tantum; neque in illis semper, sed præcipue tempore persecutionis. Cyprianus autem nullo tempore in sacramento Calicis omittendum esse vinum tum ex institutione Christi, tum aliis quamplurimis rationibus probat. Duabus etiam objectionibus occurrit, uni à consuetudine, alteri à persecutione ductæ. Consuetudo illa ab aliquo Carthaginiensi Episcopo, qui aliquando aquam solam vel ignoranter vel simpliciter usurpaverat, quem alii postea simpliciter secuti erant, profluxisse videtur. Argumentum à persecutione retorquet, quod hac vini in oblationibus subtractione à passione Christi in persecutionibus fraternitas retardaretur. Hoc autem tempore hanc Epistolam scriptam esse arbitror, primo quia diu jam in Episcopatu fuisse Cyprianum illa verba mihi indicare videntur. *Cum mediocritatem nostram semper humili & verecunda moderatione teneamus.* Secundo quia non in pace Ecclesiæ, sed sub persecutione potius exarata est, ut non solum objectio, de qua diximus, innuit, sed & illa verba ostendunt. *Et quia jam secundus ejus adventus appropinquat, magis ac magis benigna ejus & larga dignatio corda nostra luce veritatis illuminat.*

IV. Mensis Martii die quinto qui erat dies Sabbati, Lucius Pontifex Romanus moritur. Vetus depositio Episcoporum, *Tertio nonas Martii Lucii in Calisti.* Auctor primi Catalogi, *Hic exul fuit, & postea nutu Dei decessit tertio nonas Martias.* Consentit Auctor secundi Catalogi; solus liber Pontificum IV. nonas assignat, unde error unius diei in Martyrologia irrepsisse videtur, de anno major multo inter se & à nobis dissensio est. Pamelius & Baronius eum passum esse tradunt Volusiano II. & Gallieno Cos. hoc est, anno æræ vulgaris CCLIV. Petavius & Labbeus, Cos. Valeriano III. & Gallieno II. A. CCLV. cum sedisset annum unum menses V. aut circiter. Heinschenius eodem anno, cum sedisset annis duobus & mensibus aliquot. Qui longissime ab eo quod verum est absunt, habent tamen quem sequuntur, nempe librum Pontificum, imo etiam vetustissimum Catalogum, ut nunc editur, in quo ita scribitur de Lucio, *Fuit temporibus Galli & Volusiani usque Valeriano III. & Gallieno II.* Hi autem Cos. fuere A. D. CCLV. Eo igitur anno, ut volunt, decessit Lucius. Sed facile perspicere potuerunt Catalogum hoc loco corruptum esse; primo, quod Gallus & Volusianus non potiti sunt imperio usque ad tertium Valeriani Consulatum. Secundo, quod Catalogus idem Cornelium, cui Lucius successit, passum esse Gallo & Volusiano Cos. A. CCLII. indicet: sed Lucium pene triennium sedisse quis credet? Tertio quod idem tradit Stephanum Volusiano & Maximo Cos. inauguratum esse, biennio ante tertium Valeriani consulatum. Denique, quod doceat Lucium & Stephanum iisdem Cos. defunctos esse. Quæ omnia Catalogum hunc in Lucio fœde corruptum esse demonstrant. Attamen ex iis quæ in Cornelio & Stephano sana sunt, tempus quo sedit Lucius inter utrumque Pontifex, satis certo colligitur. Nam Cornelius decessit, secundum Catalogum priorem Gallo II. & Volusiano Cos. hoc est, A. D. CCLII. Stephanus ordinatus est, secundum eundem Catalogum, Volusiano II. & Maximo Cos. hoc est, A. D. CCLIII. Nam inter primum Volusiani cum Collega Gallo, & secundum cum Maximo Consulatum, nulli alii Consules in Fastis reperiuntur. Ergo Lucius post Cornelii discessum ordinatus A. D. CCLII. & ante Pontificatum Stephani ipse decessit A. D. CCLIII. Heinschenius quidem recte hunc exitum Cornelii & initium Stephani observavit & agnovit. Sed annis Lucii, quos ex corrupto Catalogo sumserat, mire conciliavit. Docet enim Stephanum per biennium fere Lucii vicarium, & mensibus tantummodo quinque verum Pontificem fuisse. Hoc autem est veterem historiam nova Chronologiæ ratione non confirmare, sed evertere.

tere. Quid enim, si Stephanus ea tempestate qua Afros & Orientales Episcopos excommunicandos esse statuebat, vicarius tantum Lucii fuisset, & tandem post ejus reditum ab exilio nullus, post obitum tantummodo verus Pontifex; an hoc Cyprianus tacuisset, qui de fastu Stephani tam graviter conquestus est? an hoc Firmilianus silentio præteriisset? annon & Afri & Orientales Lucium ubicunque exulem, judicem potius expetissent? Sed hoc fieri nullo modo potuit, cum ex ipso Cypriano constet Lucium ante discordiam inter Stephanum & Afros ortam defunctum esse, & cum Cornelio inter beatos Martyres & Stephani antecessores numeratum. Sic enim ille in literis de Marciano Arelatensi Stephanum alloquitur nondum irritatus. *Servandus est enim antecessorum nostrorum beatorum Martyrum Cornelii & Lucii honor glorioſus, quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu, Frater carissime, honorificare & servare gravitate & auctoritate tua debes, qui vicarius & successor eorum factus es.* Stephanus Cornelii non minus quam Lucii vicarius, hoc est, interprete Cypriano successor. Sic Latini eam vocem usurpabant, ut observat Suidas, Βικάριος, παρὰ Ρωμαίοις διάδοχος. Sic Cyprianus ipse ad Florentium Pupianum. *Qui dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt:* qui eam alibi *ordinationem succidaneam* vocat. Non magis igitur vicarius Lucii erat Stephanus quam Cornelii; & Lucio defuncto diu ante successerat in Pontificatu, quam controversia de Baptismo orta est. Qui Lucium menses septendecim sedisse statuunt, sola nituntur auctoritate libri Pontificalis, qui eum tradit duas ordinationes per mensem Decembrem fecisse; cui in ea re minime fidendum esse in Præfatione de industria ostensum est. Quapropter statuendum est hoc anno CCLIII. mensis Martii die quinto Lucium Pontificem obiisse.

V. Non diu post martyrium Lucii, mense, ut opinor, Aprili, Æmilianus sumsit purpuram; & ex hac seditione, persecutione, ut fieri solebat, defervescente, Stephanus Romæ Episcopus electus & ordinatus est decimo tertio die Maii: qui *sedit annos quatuor, menses duos, dies viginti unum.* Verba sunt vetustissimi Catalogi. Et hoc quidem anno eum Pontificatum iniisse testatur ejusdem Catalogi auctor. *Fuit* enim *temporibus Valeriani & Gallieni a Consulatu Volusiani & Maximi.* Unde supplenda est sententia secundi Catalogi, quæ nunc ex mutilatione satis absurda est. *Fuit temporibus Valeriani & Gallieni & Maximi.* Tu supple & lege, *à Consulatu Volusiani & Maximi.* Sedisse quidem eum dicit idem Catalogus ut nunc editur, *usque Valeriano III. & Gallieno II.* Sed locus in numeris manifeste corruptus est, & ex libro Pontificum hic emendandus, cujus auctor recte legebat, *usque Valeriano IV. & Gallieno III.* Dubitari enim non potest quin Stephanus diu post Consulatum Valeriani III. & Gallieni II. vixerit. Nam ineunte hyeme anni post eum Consulatum, cum ad Cyprianum scripsit Firmilianus, ut probabimus, certe Stephanus in vivis fuit; & cum passus sit secundo die mensis Augusti, ut omnes fatentur, non nisi anno post eum proximo pati potuit, hoc est A. D. CCLVII. Valeriano IV. & Gallieno III. Coss. quo tempore Valeriani persecutio orta est, ut postea demonstrabitur. Hæc erant omnino observanda ut res gestæ in Ecclesia sub Stephani Pontificatu, bene distinguantur, & recte suo ordine disponantur. Nam cum sub eo exorta sit celeberrima de baptismo hæreticorum controversia, qua totus orbis Christianus agitatus est, biennium necessario tribuendum ejus Pontificatui in pace Ecclesiæ ante ortam dissensionem, & alterum biennium quo illa Controversia, & ortum suum & progressum, Stephano adhuc vivente & sedente, habuit. Nam quod Baronius totum de Basilide cum Hispanis & de Martiale cum Gallis negotium, & tria etiam Concilia de controversia in causa baptismi in unum annum, vel potius novem unius anni menses conjicit, tum ex re ipsa, tum ex Cypriano, clarissime refellitur.

VI. Non diu post ordinationem Stephani plena pax reddita est Ecclesiæ. Nam Æmilianus post assumtam purpuram, & milites Scythis oppositos suo exercitui adjunctos, statim Italiam versus movere cœpit. Gallus Valerianum censorem & Senatus principem, sed non Consulem, misit ut Celticas & Germanicas legiones adduceret. Ipse autem per Italiam copias collegit, & adversus Æmilianum ad Urbem magna festinatione contendentem profectus est. Cumque jam amborum exercitus appropinquarent, militesque Galli se numero longe inferiores viderent, Gallum ipsum cum Volusiano trucidarunt, seque exercitui Æmiliani adjunxerunt. In hunc modum Imperatores ambo & Ecclesiæ Christi persecutores, Gallus & Volusianus decimo nono imperii sui mense perierunt. Hæc ex Historia satis perspicua sunt. Nam Dexippus tradidit eos octodecim mensibus imperasse, ut de ipsis Georgius Syncellus loquitur. Οἱ καὶ βασιλεύσσι κατὰ Δέξιππον μῆνας ιή. πράξαντες ἀδὲν ἀξιόλογον. κατὰ δὲ ἄλλους τινας ἔτη γ', καὶ καθ' ἑτέρους ἔτη β'. Anastasius ejus interpres, *Qui & imperant mensibus decem & octo nihil dignum laude gerentes, secundum alios autem annis tribus; porro secundum quosdam annis duobus.* Et sane illis omnibus merito præferendus est Dexippus, alter Thucydides judice Photio, vel potius Xenophon alter, nam & Philosophiæ peritus, & in historia clarus, & belli dux eximius fuit, & ad hanc controversiam dirimendam aptissimus, utpote qui sub Galli imperio ipse vixerit. Huic suffragatur Eutropius qui eosdem Interamnæ occisos esse tradit *non completo biennio.* Idem docet Victor Schotti, de Gallo Hostilianoque & Volusiano ac Æmiliano simul agens. *His sane omnibus biennio profecit.* Idem tradit Eusebius Historiæ lib. 7. cap. 9. Οἱ γε μὲν ἀμφὶ, τὸν Γάλλον δ' ὅλοις ἔτεσι δυο ἀρχὴν κατασχόντες ἐκποδὼν μεθίστανται. Ruffinus interpres, *Gallus vero non integris duobus annis imperio detento, rebus humanis exemtus est.* Orosius lib. 7. *Gallus regnum adeptus vix duobus annis cum Volusiano filio obtinuit.* Idem tradit etiam Eutychius. Ex his magnus ille Panvinius Onuphrius, *Post eadem Decii Gallus & Volusianus in insula Danubii Menynge imperium adepti, infelicissime illud per annum & sex menses obtinuerunt.* Unde perspicere licet quam vere hæc dixerit Baronius, *Gallum & Volusianum omnes biennio vel paulo amplius vixisse tradunt.* Victor in Epitome annos duos assignat, integros non dicit. Epiphanius & Cassiodorus menses quatuor Æmiliani attexentes, secuti sunt Eusebii Chronicon; quod ipse, ut solet, in Historia correxit.

VII. Parum hoc est: nam Illustrissimus Annalista his Imperatoribus alterum biennium addit, Gallumque & Volusianum ad quatuor annos imperium prorogasse asserit. Quinetiam per illud alterum biennium simul cum eis Valerianum & Gallienum imperasse statuit. Quæ cum invita omni historia tradantur, tum distincta pacis & persecutionis tempora plane confundunt, quæ sunt ad res Ecclesiasticas, ac præcipue Cyprianicas, recte percipiendas accurate distinguenda, & disterminanda. Qualis enim Christianorum sub quatuor Imperatoribus, quorum duo eos atrociter persecuti sunt, duo autem maxime fovebant, conditio fuit, quis divinare potest? Hæc igitur necessario ad examen revocanda & enucleate pensitanda sunt. Præsertim cum sententia Baronii, quam desertam putavi, adhuc obtinere videatur, quod alius Annalista prioris æmulus, vir doctissimus, Carolus le Cointe, eam amplectatur, & his

& his verbis clare enunciet, *Volusiano Augusto secundum & Maximo Cos. A. D. CCLV. Valerianus acclamatus est Imperator, superstitibus adhuc Gallo & Volusiano, qui post biennium occisi sunt, Maximo iterum & Glabrione Coss. A. D. CCLVII.* Miram hanc & novam historiam probare nititur Baronius partim ex nummis Galli & Volusiani, partim ex nummis Gallieni. Nummi autem illi Gallieni tam certo sunt adulterini, tamque manifeste se produnt, ut defendi nullo modo possint, quod anno sequente demonstrabimus. Unde vehemens suspicio est illos etiam Galli & Volusiani non esse genuinos. Qui si se non prodant, ex historia tamen falsitatis convincuntur, neque à suffragatoribus suis defendi possunt. Illi enim fatentur ex historia Valerianum hoc anno Volusiano II. & Maximo Cos. purpuram sumsisse; & simul ex nummis statuunt Gallum & Volusianum per biennium superstites fuisse. Hæc autem duo simul consistere, & vera esse non possunt. Eo ipso enim anno quo Valerianus sumsit purpuram, Gallus & Volusianus occisi sunt. Valerianus enim non aliter sumsit purpuram quam ex arbitrio militum transalpinorum. At ille transalpinis militibus non præfuit antequam Æmilianus purpuram sumserat. Tunc enim eum Gallus misit, ut Celticas & Germanicas legiones adduceret, ut Zosimus auctor satis diligens diserte testatur. Ab illis legionibus tunc acclamatus est Augustus, quibus antea nunquam præfuit; & statim, Æmiliani exercitu appropinquante, Gallus & Volusianus occisi sunt. Nummos igitur, qui tertiam & quartam Tribunitiam potestatem cum Consulatu secundo, Gallo & Volusiano tribuunt, minime probandos esse sentio, quos sine stomacho legere non potuit Lydiatus noster. Neque mirum videri debet quod nobilissimus Annalista Gallo & Volusiano ex nummis contra omnem historiæ fidem annos imperii duos addiderit, Fastosque conturbaverit: nam & pari modo postea Aureliani imperio biennium addidit, ex unius nummuli auctoritate. Inscriptionem in nummo hanc affert. *Restitut. Orbis C. P. I. P. M. TR. P. VII. Cos. III. P. F.* & Adolphum testem citat. Sed primo partes Inscriptionis male conjungit; cum priora pertineant ad unum nummum & quidem æreum, posteriora ad alium, nempe aureum. De quo quid sentiendum sit vel inde colligitur, quod Adolphus hanc solam inter Latinas habeat Inscriptionem ad annos Trib. potestatis spectantem. Goltzius vero nullam: qui nec inter Græcas ullam habet quæ quintum imperii annum superat. Unde Petavius de ista re, *Tot Historicorum concordia pluris est apud me, quam Inscriptionis illius fides, quæ sive cusoris hallucinatione sive exceptoris ipsius, mendosa videri potest.*

VIII. Sed ille Dionysius Petavius, magnus artis Chronologicæ instaurator, qui hoc imperii quadriennium ferre non potuit, quartam tamen Tribunitiam potestatem Galli & Volusiani ex nummis libenter admisit, & alio plane modo historiam cum numismatibus conciliare conatus est. Cæterum supponit ex Eusebii Chronico & Cassiodoro, imperasse Gallum cum Volusiano annos duos menses quatuor: quamvis illi menses quatuor aperte pertineant ad imperium Æmiliani (de quo illi silent) & duo illi anni minime fuerint integri, secundum sententiam ipsius Eusebii in Historia. Hoc autem supposito, statuit Gallum imperare cœpisse circa finem anni CCLI. & non longe ab initio CCLIV. extinctum esse, cum imperasset annos solidos duos & menses quatuor, qui postremam anni CCLI. partem & tres circiter primos anni CCLIV. menses occupant. Quo tempore Tribunitiam potestatem quater instaurari potuisse ait, quia cum novo anno Juliano nova tribunitia potestas inchoata est. Qua ratione explicata, in hæc verba erumpit. *Vides quam belle cum Inscriptione veteri Chronologia nostra consentiat.* Hoc est singulare Petavii commentum, Tribunitiam potestatem Cal. Januarii renovatam esse: quo, ubi ad incitas redigitur, sæpius utitur, nunquam autem infelicius quam in hoc ipso Galli imperio. Gallus imperium obtinuit circa finem anni CCLI. anno CCLII. consul secundum morem factus est ordinarius, & à Calendis Januariis dictus est Cos. II. ab eo autem die non est ejus Tribunitia potestas innovata, sed continuata, ut ex nummis tum Græcis, tum Latinis certo intelligitur. ΑΥΤ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ. ΤΡΕΒΩΝ. ΓΑΛΛΟϹ ϹΕΒ. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥϹ. ΥΠΑΤΟϹ ΤΟ Β. Imp. Cæs. C. Vib. Trebonianus Gallus P. M. TR. P. Cos. II. P. P. Similiter de Volusiano, qui cum eo imperium adeptus est, & mox Consulatum primum simul cum Patre iniit, legimus ΑΥΤΟΚ. Κ. Γ. ΟΥΙΒ ΟΥΩΛΟΥϹΙΑΝΟϹ ϹΕΒ. ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥϹ. ΥΠΑΤΟϹ. Imp. c. c. Vib. Volusianus Aug. Pontif. TR. P. Cos. Quamobrem eadem Tribunitia potestas quæ anno CCLI. his Imperatoribus contigit, post Cal. Januarias anni CCLII. sub Consulatu Galli secundo & Volusiani primo continuata est. Idem etiam observare licet in nummis omnium Imperatorum qui ex more vetusto anno post imperium arreptum aut concessum Consulatum inierunt, quibus TR. P. simpliciter posita cum eo Consulatu tribuitur. Cum si vera esset Petavii observatio TR. P. II. ei Consulatui ab ipso initio semper præfigeretur. Frustra igitur ad sinceritatem paucorum & adulterinorum nummorum tuendam hoc adminiculum adhibetur, quod omnes nummi respuunt & aversantur. Unum pro nova hac sententia exemplum affert in Epiphanianis Animadversionibus Petavius, quo conjecturam suam de Tribunitia potestate Kal. Jan. repetita affirmari ait. Illud autem petit ex Inscriptionibus quibusdam de Imperatore Caro quæ apud Gruterum extant. Quarum una Trib. Pot. Caro jam Augusto tribuit, altera eidem Trib. Pot. II. *Et tamen vix est*, inquit, *ut annum excesserit. Imo, si qua fides Annalibus, pauciſſimos menses imperavit.* Sed hic eximius Chronologus non uno nomine fallitur & nos fallit. Tertiam enim Inscriptionem apud Gruterum eodem loci extantem dissimulavit, quæ ejus conjecturam funditus evertit. *Imp. Cæs. M. Aur. Caro Invicto Aug. P. M. TR. P. Cos. II.* Quæ Inscriptio reliquis addita hæc nobis clare ostendit. Tribunitiam potestatem Caro jam Augusto, puta anno CCLXXXII. attributam esse, antequam Consulatum ordinarium iniisset. Eandem post Cal. Januarias anni CCLXXXIII. quo Consulatum pro more suscepit, & Fastos referavit, continuatam esse: ac demum, finito primo Imperii sui anno, Trib. Pot. II. sub postrema parte ejusdem Consulatus attributam esse. Nam quod Baronius pauciſſimos eum menses imperasse tradit, aperte falsum est; & secundum imperii annum Carum attigisse satis certum est. Ut enim omittam eum ante secundum diem Novembris anni CCLXXXII. Imperio potitum esse, quod probare nimis longum esset; post eum diem anni sequentis eundem in imperio mansisse constat. Quippe Carus cum Carino & Numeriano Constitutionem edidit, pridie idus Novembris quæ extat Cod. 6. tit. 42. aliam etiam II. Cal. Decembris Cod. 9. tit. 46. aliam rursus 8. Cal. Decemb. Cod. 4. tit. 20. aliamque 5. Cal. ejusdem mensis Cod. 7. tit. 45. Quæ omnes ad mensem Novembrem pertinent, anni CCLXXXIII. Quinetiam postremam edidit 6. Id. Decembris Cod. 5. tit. 71. omnes Caro & Carino Cos. Quare sub finem Decembris anni CCLXXXIII, vel sub initio Januarii anni CCLXXXIV. extinctus est. Nam Carino & Numeriano Cos. Carinus & Numerianus A. A. sine Caro Constitutionem ediderunt, 2. Id. Jan. Cod. 8. tit. 96. Quare constat Carum Imperatorem

torem obiiſſe inter diem octavum Decembris, & octavum Januarii; adeoque ſecundum Imperii annum, & ſecundam pariter Trib. poteſtatem attigiſſe, ac per duos menſes adminiſtraſſe. Denique hinc apparet Tribunitiam poteſtatem Calendis Januarii innovari non ſolere, nec ea ratione nummos qui Gallo Trib. Pot. IV. tribuunt defendi poſſe. Præterea etiam notandum eſt ſententiam Petavii ferri non poſſe, qui imperium Galli & Voluſiani tres circiter primos anni CCLIV. menſes occupaſſe, & tum Valerianum cum Gallieno ei ſucceſſiſſe ſtatuit. Cum enim & ipſe aliique recte Gallienum anno CCLXVIII. circa IX. Cal. Aprilis interiiſſe doceant, inde ſequeretur Gallienum annos tantummodo XIV. imperaſſe, cui omnes XV. tribuunt; cujus etiam imperii annum decimum quintum memorat Porphyrius, qui ſub eo vixit, eumque pene integrum tranſiiſſe Gallienum ſatis clare indicat. Unde etiam clarius apparet Valerianum & Gallienum hoc ipſo An. CCLIII. & quidem medio imperium iniiſſe.

VIII. His omnibus perpenſis ſtatuere non immerito poſſumus, Valerianum, Gallo & Voluſiano occiſis, in Norico purpuram ſumſiſſe, menſe Junio hujus anni, & tandem, cæſo Æmiliano, omnium conſenſu pro Auguſto habitum eſſe. Mox etiam Gallienus Valeriani filius a Senatu Romæ Cæſar dictus eſt; *& ſtatim Tiberis adulta æſtate diluvii facie inundavit*, ut teſtatur Victor. Quod eſt ad hiſtoriam Eccleſiaſticam recte intelligendam perneceſſarium. Poſtquam enim Valerianus, vir graviſſimus, imperium adeptus eſt, ſtatim plenam pacem Eccleſiæ indulſit. Quippe, ut obſervat Dionyſius Alexandrinus, Epiſtola ad Hermammonem apud Euſebium lib. 7. cap. 10. ab ipſo initio imperii Chriſtianos maxime fovebat. *Neque enim*, inquit, *ullus ſuperiorum Principum, (ne illi quidem qui palam Chriſtiani dicuntur) tam benevole & humaniter erga eos animatus erat, quam ille familiariter & amanter in initio principatus ſui eos accepiſſe compertus. Totaque ejus familia piis hominibus repleta fuit, & erat Eccleſia Dei.* Hæc autem pax, non, ut vult Cointeus, per biennium tantum, ſed uſque ad initium anni CCLVII. hoc eſt per triennium & amplius duravit. Neque vero intra biennii ſpatium ea omnia compingi poſſunt, quæ in hac Eccleſiæ pace geſta eſſe ex ipſo Cypriano compertum eſt.

IX. Poſtquam autem pax tam inſperata poſt tot revelationes Cypriano aliiſque factas, tamque ſecura & firma per Valerianum reddita eſt, frequentiſſima Synodus ſexaginta ſex Epiſcoporum Carthagine coacta eſt, & quidem, ut opinor, menſe Septembri. Tot certe Epiſcopi congregati ſunt ut de rebus Eccleſiaſticis poſt perſecutionem commune conſilium caperent. Nulla enim peculiaris ratio, quæ eos convenire cogeret, reperitur. Dum illi in Concilio erant, allatæ ſunt à Fido Epiſcopo, ut videtur, ſcriptæ literæ, duplici querela refertæ, prima de Therapio Epiſcopo quod Victori presbytero præpropera feſtinatione pacem dediſſet, ſecunda de Baptiſmo infantium recens natorum, quod eos intra ſecundum aut tertium diem ipſe non baptizari oportere putaret. Et prima quidem Concilium valde commovit quod receſſum eſſe à decreti ſui auctoritate viderent. Nihil tamen immutare voluerunt, Therapium tantummodo tunc in Concilio exiſtentem objurgabant, pacem à Sacerdote Dei ſemel datam non putabant auferendam. Unde Lombertus, propter materiæ connexionem haud diu poſt primum Carthaginienſe Concilium hæc geſta & ſcripta eſſe tradit. Sed ei non accedo, primo, quia tam frequens Concilium ſtatim poſt primum, quod tam diu habitum eſt, coactum fuiſſe minime veriſimile eſt; ſecundo, quia in eo, quod ſecundum, Carthaginienſe dictum eſt, unius tantum Concilii prius acti mentio fit; tertio, quia Cyprianus in hoc Concilio ſatis manifeſte indicat poſt utramque Synodum prius habitam hoc celebratum eſſe. *Quæ res*, inquit, *ſatis nos movit, receſſum eſſe a Decreti noſtri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu & conſcientia plebis, nulla infirmitate urgente* (quod ſpectat ad Synodum primam) *ac neceſſitate cogente* (quod reſpicit Synodum ſecundam in qua relaxatio aliqua facta eſt, *neceſſitate cogente*) *pax ei concederetur.* Præterea mihi hæc ſerius multo contigiſſe videntur; primo, quia pro Victore *quodam presbytero* cum Manutio & Morellio legendum puto *quondam presbytero*, non enim poſt lapſum eum ulterius presbyterum fuiſſe agnovit Cyprianus. Neque lectio vulgata à Pamelio recte defenditur, *eo quod ſatis conſtat ex ſequentibus adhuc vixiſſe Victorem presbyterum.* Vixit enim, ſed presbyterio privatus; ut conſtat Fortunatianum tunc vixiſſe, cum eum Cyprianus Aſſuritanorum *quondam Epiſcopum* vocavit. Secundo, quia poſterior pars Epiſtolæ hujus peculiarem controverſiam de Baptiſmo tunc primum ortam tangit, quæ propius ad illud tempus pertinere videtur, quo de Baptiſmo Hæreticorum diſputatum eſt. In qua cauſa unanimem Concilii ſententiam in hæc verba, *Nulli hominum nato miſericordiam Dei & gratiam denegandam*, protulit Cyprianus, & copioſe defendit.

X. Hoc autem pacis tempore, poſt mortem Cornelii & Lucii, ſub novo Pontifice Stephano cum in aliis provinciis, tum etiam in Africa Epiſcopi & Presbyteri lapſi, & cenſura Eccleſiæ ſacerdotio privati, gradum ſuum aut retinere aut recuperare conati ſunt. Erat in provincia Proconſulari Aſſuri, ſive oppidum, ſive urbs; (nam Plinio oppidum Aſſuritanum, Auguſtino civitas Aſſuritana dicitur) ſedes certe Epiſcopalis; cujus Epiſcopus Fortunatianus ſub perſecutione Decii ſacrificaverat, & cum ex ſententia Cornelii, & Cypriani, omniumque Epiſcoporum in toto mundo conſtitutorum decretum fuiſſet, ut ſacrificati ab ordinatione cleri & ſacerdotali honore prohiberentur, & poſt pœnitentiam plenam ad laïcam tantum communionem admitterentur, ab Epiſcopatu dejectus fuerat; nunc autem pro integro agere voluit, & Epiſcopatum ſibi vindicare cœpit. Quod ubi Cyprianus cognoverat, graviter & dolenter motus ſcripſit Epiſtolam LXV. ad Epictetum fratrem & plebem Aſſuris conſiſtentem, in qua Fortunatianum *quondam Epiſcopum* vocat, indicans eum jamdiu Epiſcopum non fuiſſe; ideoque Aſſuritanos monet, ut ſe ab ejus fallacia ſeparent, & contagione ſecernant.

XI. Neque hæc in Africa tantum, hac tempeſtate, ſed & his ſimillima tum in Hiſpania tum in Gallia contigerunt. In Hiſpania Baſilides, perſecutione ſæviente, nefando idololatriæ libello ſe commaculaverat, & Deum blaſphemaverat, & Epiſcopatum ſponte depoſuerat. Unde Sabino de univerſæ fraternitatis ſuffragio, & Epiſcoporum judicio, Epiſcopatus jam deferebatur, & manus ei in locum Baſilidis imponebatur. Martialis etiam, actis publice habitis, obtemperaſſe ſe idololatriæ & Chriſtum abnegaſſe confeſſus fuerat; unde etiam in ejus locum Felix, ut videtur, ordinatus eſt. In Gallia Martianus Arelatenſis Novatiano ſe jamdiu conjunxerat, & à Catholicæ Eccleſiæ unitate diſceſſerat: unde Epiſcopi vicini eum tolerandum non putabant, & de ea re tum ad Stephanum Romam, tum ad Cyprianum Carthaginem, literas dederunt, ut eorum auctoritate muniti facilius & tutius Novatianum illum Epiſcopatu privare poſſent. Hæc aliaque ad diſciplinam Eccleſiæ pertinentia, plena jam pace per Valerianum reddita, ſub Stephano Pontifice, ubique agitata ſunt.

Vale-

A. D. CCLIV. *Valeriano II. & Gallieno* COSS. *Period. Jul.* 4967.

VAlerianus anno priore imperium adeptus, & conſul ſuffectus, hunc annum ex more aperuit, & Faſtos reſeravit factus Conſul ordinarius cum Collega filio ſuo Gallieno. Nota iterati à Valeriano Conſulatus apud Caſſiodorum deſideratur; ſed in aliis Faſtis longe accuratioribus exprimitur. Baronius autem hic obſervat manifeſtum eſſe, anno hoc, quo Gallienus primum Conſul fuit, numerari cœptum tertium imperii; probatque nummis duobus apud Adolphum: quorum primus eſt, *Imp. Gallienus P. F. Aug. G. M. P. M. TR. P. III. Cos.* & quidem male expreſſus, aut adulterinus, quod potius reor. Ipſe enim Adolphus cum noluit ad primum Gallieni Conſulatum adducere, cum quo ſtare nullo modo potuit; ad ſecundum autem produxit, ſub quo cum iterati Conſulatus nota admitti poſſet. Poſteriori enim ſecundi Conſulatus parte Gallienus annum imperii tertium inchoavit. Sine qua nota ſi recipiatur, reliqui ejus omnes nummi protenus rejiciendi ſunt. Inſcriptio Græca extat apud Goltzium, ΑΥΤ. Κ. ΠΟ. ΛΙΚΙΝ. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. CEB. Δ. E. ΤΠΑΤΟC, & Latina, *Imp. C. P. Lic. Gallienus Aug. P. TR. P. Cos.* Utraque autem clare ſignificat primum Tribunitiæ poteſtatis annum aliquam primi Conſulatus Gallieni partem occupaſſe. Rurſus Græce, ΑΥΤ. Κ. ΠΟΥ. ΛΙΚΙΝ. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. CEB. L. B. ΥΠΑΤΟC. ΤΟ. B. & Latine; *Imp. C. P. Lic. Gallienus P. Aug. TR. P. II. Cos. II.* Unde conſtat ſecundum Trib. pot. annum aliquam ſecundi Conſulatus partem attigiſſe. Jam vero cum primus Tribunitiæ poteſtatis annus primi Conſulatus, & ſecundus ſecundi partem neceſſario occupaſſe dicendus ſit; tertius Tribunitiæ poteſtatis annus à primo Conſulatu Gallieni prorſus excluditur. Idem demonſtratur ex Inſcriptionibus Valeriani; Δ. E. ΤΠΑΤ. ΤΟ. B. & *TR. P. Cos. II.* Hæc enim vera eſſe non poſſunt admiſſo illo Baronii nummo; niſi ſtatuamus Gallienum filium vel biennio, vel uno ſaltem anno, ante patrem Valerianum imperium tenuiſſe. Iiſdem argumentis ex ſummo numiſmatum conſenſu ductis, ſecundus ille nummus pro quarto Trib. pot. anno cum ſecundo Gallieni Conſulatu à Baronio laudatus refutatur. Hic igitur annus non eſt Valeriani aut Gallieni imperii tertius, ſed partim primus, partim ſecundus.

II. Ipſo hujus anni initio Florentius Pupianus, Epiſcopus, ut videtur, Africanus, qui ſub perſecutione Decii præclaram confeſſionem fecerat, & poſtea parti Novatiani adhæſerat, multaque nefanda atque turpia Cypriano, Novatianis ac Feliciſſimi factioni nimis credulus, objecerat; ad Cyprianum literas dat, quibus ſignificat ſe veterem ſuam de eo tanquam Epiſcopatu indigno opinionem adhuc retinere. Arrogantiam atque ſuperbiam, ei exprobrat, dum Sacerdotes humiles eſſe debere monet. Scrupulum ſibi tollendum de animo dixit, quo credidit omnes cum eo communicantes polluto ejus ore pollutos eſſe; denique aſſerit Eccleſiam propter Cyprianum portionem ſui in diſperſo habere, ac ſi ille unica ſchiſmatis cauſa fuiſſet. His literis reſpondet Cyprianus Epiſtola ſexageſima ſexta, ac pro conſcientiæ ſuæ puritate auctoritateque ſacerdotali Pupianum acriter & vehementer corripit; innocentiam ſuam ordinationemque copioſe defendit; illum autem ſe Epiſcopum Epiſcopi, & judicem judicis ad tempus à Deo dati conſtituiſſe oſtendit. Ante hunc annum Reſponſum hoc ad Pupiani literas non ſcriptum eſſe ſatis certo colligitur, tum quod longum tempus interceſſiſſe ſignificat ex quo Pupianus tam turpia de Cypriano concepiſſet; tum quod ſe quotidie advenientes ſingulos cum voto & gaudio ſuſcepiſſe dicat; tum denique quod ſexto Epiſcopatus ſui anno hæc ſe ſcripſiſſe profiteatur.

III. Interim Baſilides in Hiſpania jure ac merito depoſitus, cum videret in ſedem ſuam Sabinum ſubrogatum, Romam contendit, & Stephanum Epiſcopum adit, ut cum eo communicans Epiſcopatui ſuo reſtitui poſſet. Unde pro more ſuo Illuſt. Cardinalis. *Videas*, inquit, *hoc exemplo antiquiſſimum uſum Eccleſiæ ex remotiſſimis Orbis partibus Epiſcopos, qui aliquid injuſti à Collegis paſſos eſſe prætexerent, provocare ſolere ad Romanum Pontificem, tanquam primarium Eccleſiæ univerſalis Antiſtitem.* Quaſi vero Hiſpania inter partes Orbis ab urbe Roma remotiſſimas numerari debeat; aut antiquitas uſus Eccleſiæ hinc demonſtrari poſſet, quem ne quidem poſt annos ſeptuaginta obtinuiſſe ex quinto Canone Nicæni Concilii intelligitur, quemque in cauſa Fortunati paulo ante Cyprianus tam acriter exagitaverat atque reprobaverat. Baſilides quidem per fallaciam, obreptionem, & circumventionem à Stephano nimis incauto atque negligente obtinuerat, ut pro Epiſcopo adhuc haberetur. Unde aliqui Epiſcopi Hiſpani deificam diſciplinam negligendam putantes, cum Baſilide & Martiale communicabant. Quamobrem Felix presbyter cum plebibus conſiſtentibus ad Legionem & Aſturicæ, & Lælius Diaconus cum plebe Emeritæ conſiſtente ad Cyprianum & Synodum poſt Paſcha pro more congregatam Carthagine, literas dant, mittuntque per Felicem & Sabinum, Epiſcopos loco Baſilidis & Martialis nuper conſtitutos: quibus etiam ſuas literas adjunxit Felix de Cæſarauguſta Epiſcopus. Horum literis in Synodo lectis, Cyprianus & Epiſcopi Africani ſtatuunt Sabini ordinationem legitimam fuiſſe, & ratam eſſe debere, Baſilidem in Epiſcopatum injuſte impoſitum eſſe, neminem ſe cum Baſilide & Martiale profanis & maculatis Sacerdotibus communicatione ſacrilega miſcere debere.

IV. Circa hoc tempus Cyprianus ſcripſiſſe videtur Tractatum de Opere & Eleemoſynis, quem Pontius poſt illum de Mortalitate, ante alterum de Patientia recenſet. In quo quamvis generalibus tantum argumentis utatur, quæ cuivis tempori apte conveniunt; attamen circa finem ea attexit quæ poſt duas perſecutiones, & in pace ſecundo reddita Eccleſiæ ſcriptum eſſe indicare videntur. Nam miſericordiam, quam tantopere prædicat, vocat *coronam pacis, ſine periculo perſecutionis*, cum pacem priorem repentina perſecutio ſecuta ſit, & hanc etiam alia ſequi poſſet. Quo ſenſu optime explicari videtur elegans illa totius operis concluſio. *Si expeditos, ſi celeres, ſi in hoc operis agone currentes dies nos vel reditionis vel perſecutionis invenerit; uſquam Dominus meritis noſtris ad præmium deerit: in pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in perſecutione purpuream pro paſſione geminabit.*

V. Cum Epiſcopi Gallicani, ac præcipue Fauſtinus Lugdunenſis Epiſcopus, literis ſuis ad Stephanum datis in cauſa Martiani nihil obtinuiſſent; Fauſtinus iterum ad Cyprianum ſcribit, ut ipſe Catholicis Epiſcopis ſuppetias faceret, & Stephanum etiam officii ſui moneret. Quare Cyprianus ſtatim ad Stephanum literas dat cura paſtorali & majeſtate

ac dignitate Ecclesiæ plenas. Hoc autem eum fecisse ait Illust. Cardinalis, *quod nosset deponere Metropolitanum Episcopum juris esse principis omnium Episcoporum Romani Pontificis.* Sed Cyprianus de Metropolitano Episcopo aut de depositione in hisce literis nihil habet; de principe omnium Episcoporum neque hic, neque alibi quicquam dixit; sed contrariam & hic & ubique sententiam explicat & tuetur. Nihil aliud à Stephano in causa Marciani petit vel potius requirit, quam ut decretum à Cornelio & Cypriano factum, à Lucio confirmatum, & ab omnibus ubique susceptum confirmaret atque defenderet; & cum Marcianus in auctore schismatis Novatiano, semper retuso & refutato, ac per totum orbem à sacerdotibus Dei abstento, satis condemnatus esset, ideoque nova condemnatione non egeret, ipse ad Episcopos Gallicanos scriberet Marcianum à se abstentum esse. Quod ideo necessarium esse videbatur, quia Marcianus ipse contra Episcopos Gallicanos asserebat, se à Stephano & Cypriano non abstentum esse, dum ipse se jactaret ab eorum communione segregasse. Nihil denique à Stephano postulabant Episcopi Gallicani, quod non à Cypriano pariter petebant; nihil à Stephano postulabat Cyprianus, quod ipse præstare paratus non erat. *Nostrum est*, inquit, *consulere & subvenire, qui gubernandæ Ecclesiæ libram tenemus:* utrumque sibi non minus quam Stephano tribuit. *Quapropter facere te oportet ad Coepiscopos plenissimas literas;* quod ipse sine dubio fecit, quia causam hujus rei communem allegat, quod *necdum a nobis videatur abstentus*, & finem etiam ad eos scribendi eundem præfert, *ne Collegio nostro insultare patiantur.* Imo cum hæc verba addit, *Dirigantur in provinciam & ad plebem Arelate consistentem a te literæ, quibus abstento Marciano aluis in locum ejus substituatur, & Grex Christi qui in hodiernum ab illo dissipatus & vulneratus contemnitur, colligatur*, (quibus liquido cerni putat Illust. Cardinalis auctoritatem illam Romani Pontificis tanquam omnium Episcoporum principis cognitam esse) clare ostendit Cyprianus nihil aliud se à Stephano postulare, quam ut illis subveniatur, *qui solatium nostræ*, ut ait, *opitulationis exposcunt*: hac ratione diserte subjuncta, quæ sententiæ Illust. Cardinalis jugulum petit. *Idcirco enim, frater carissime,* (non Princeps, aut Pontifex maxime) *copiosum corpus est Sacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex collegio nostro hæresim facere, & gregem Christi lacerare & vastare tentaverit, subveniant cæteri, & quasi pastores utiles & misericordes oves dominicas in gregem colligant.* Hæc doctrinæ, quam ubique inculcat Cyprianus, adeo consona sunt, & ex omni parte consentientia, & sententiis atque verbis styloque & methodo, zeloque & vigore ipsum referentia, ut de auctore hujus Epistolæ dubitare nos non sinant. Quamobrem etiamsi vir doctissimus Launoius plurima argumenta congesserit, quibus ipse permotus, eam subtestæ fidei, & diu post ætatem Cypriani scriptam esse censuit: mihi tamen nullo modo persuadet; ideoque ea quæ à violatione temporum deducit argumenta ad examen revocare non erit ab Annalium nostrorum instituto alienum.

VI. Primo, si Cypriani ea sit Epistola, oportet eam scriptam esse antequam inter eum & Stephanum orta est dissensio. Nam postquam eorum animi exarserant, nec Faustinus ad Cyprianum tanquam favorabilem in Urbe patronum literas dedisset, neque Cyprianus eo modo in causa Marciani Stephanum compellasset. Hanc argumenti partem omnes admittunt, neque eam rejicere ullâ cum rationis probabilitate quisquam potest. Quamobrem ulterius objicitur, ante eam dissensionem hanc Epistolam scribi non potuisse, quia istud jurgium secundo statim Stephani anno ortum est; ea autem, quæ in his literis continentur, clare ostendunt primo ejus Pontificatus anno perfici ista non potuisse, quæ Cyprianum ad scribendum perpulerunt. Nam Episcopi in Provincia constituti ad Stephanum de Marciano Novatiano scripserant; ad eundem etiam scripserat Faustinus Episcopus Lugdunensis, nec ab eo quicquam obtinere potuerant: de eadem igitur re ad Cyprianum scribit Faustinus, semel atque iterum. Intra primum Stephani annum nemo putabit hæc omnia contigisse: præsertim si simul cogitetur, sub initio Pontificatus Stephani pacem Ecclesiæ nondum redditam fuisse. Quis enim existimabit Episcopos Gallicanos sub ipsa persecutione contra Marcianum communi consilio aliquid molitos esse; aut Stephanum, post recens Lucii martyrium, in eadem conditione positum solicitare voluisse; aut de his rebus componendis tum cogitasse, cum Valerianus in colligendis Celticis legionibus versaretur, ut cum Æmiliano confligeret? Sine dubio pax plena à Valeriano Ecclesiæ reddita & confirmata est, antequam Episcopi Gallicani de rejiciendo Marciano superbo & contumace hæretico consilium commune inierunt. Præterea alia sunt de Marciano ipso dicta, quæ ostendunt Epistolam hanc sub initio Pontificatus Stephani scribi non potuisse. Ut cum de eo Cyprianus dicit, *Jampridem jactat & prædicat quod Novatiano studens a communicatione se nostra segregaverit.* Hoc enim tempus aliquod haud exiguum postulat; quod quam longum fuerat aliis verbis satis diserte indicatur. *Sufficiat multos illic ex fratribus nostris, annis istis superioribus, excessisse sine pace.* Anni igitur aliquot intercesserant, ex quo Martianus Novatiano studens pacem fratribus denegaverat. At sub initio Pontificatus Stephani nondum biennium elapsum erat, ex quo Marcianus Novatiano adhærere potuit, si ab ipso istius Schismatis exordio in illius partes transiisset. Nam ante mensem Junium anni CCLI. nondum exortum est Novatiani Schisma; mense Maio anni CCLIII. Pontificatum iniit Stephanus. Superiores igitur anni, quibus tot fratres sine pace sub Marciano mortui sunt, longius profecto temporis intervallum postulant. Et revera qui secundo statim Stephani anno Marcianum abstentum esse concedunt, huic argumento satisfacere non potuerunt. Ego largior hanc Epistolam non esse scriptam ante secundum Pontificatus Stephani annum jam adultum: sed simul assero jurgium inter Stephanum & Cyprianum minime ortum esse ante tertium Stephani annum, & quidem jam affectum. Nulla igitur hujus argumenti vis est, quod in errore communi sed manifesto fundatur.

VII. Secundum argumentum quod à violatione temporum ducitur, multo majoris est momenti, ac propter celebrem hac ætate controversiam solutione indiget solida & accurata. Volunt enim Trophimum presbyterum, à Romano Episcopo Episcopum factum, & Decio & Grato Cos. Arelate missum, primum ejus Sedis Antistitem fuisse; & Trophimum hunc Arelate consistentem, ac in summa sanctitate viventem, non quidem sub Decio passum esse, sed cum quatuor aliis Episcopis qui cum eo simul in Galliam missi sunt, post acquisitos Ecclesiæ populos, ac fidem Christi per omnia dilatatam, felici confessione migrasse. Quamobrem quis ferre potest Epistolam S. Cypriano attribui, quæ tradit Marcianum quendam, cujus nomen in historia alibi inauditum est, Decio imperante, Arelate Antistitem sedisse, Novatiano Antipapæ adhærentem; multos ab eo Christianos ad Novatiani Schisma adductos esse: multos etiam Catholicos ei minime consen-

ſenſiſſe : haud paucos etiam Epiſcopos in eadem provincia de abſtentione ejus cum Epiſcopo Romano atque Carthaginienſi ſollicite egiſſe? Certe ſi ea vera ſint quæ de Trophimo traduntur, de ſinceritate hujus Epiſtolæ actum eſt. Sed alia extat de Trophimo traditio, quæ eum Apoſtolorum ætate miſſum eſſe, & quidem Roma Arelatum teſtatur. Quæ licet vera minime videatur; inde tamen non inepte colligitur, traditionem alteram de adventu ejus Decio & Grato Coſs. haud eſſe ſatis firmam: præſertim cum unica Gregorii Turonenſis auctoritate nitatur, quæ nullo modo ſufficit ad probandum, aut Trophimum tunc primum in Galliam veniſſe, aut nullum alium ante Decii & Grati conſulatum Arelatenſi Eccleſiæ præfuiſſe.

VIII. Duo quidem afferuntur pro tuenda Gregorii auctoritate teſtimonia, primum Sulpitii Severi, ſecundum Auctoris Paſſionis Saturnini: ſed neutrum id quod volunt præſtat. Sulpitii teſtimonium his verbis continetur; *Sub Aurelio Antonini filio perſecutio quinta agitata; ac tum primum intra Gallias martyria viſa, ſerius trans Alpes Dei religione ſuſcepta.* Et hæc ego vera eſſe puto, cum ſcripta ſint à viro docto & rerum Gallicarum perito, & qui profeſſus eſt ſe habuiſſe Martyrum paſſiones, quæ extabant. Credo nullas Martyrum in Gallia paſſiones literis conſignatas & evulgatas fuiſſe ante illam Lugdunenſium, & Viennenſium ſtragem. Puto etiam ſero religionem in Gallia Chriſtianam ſuſceptam eſſe; tempore Pothini præter ipſum nullum, imo tempore Victoris, durante controverſia de Paſchate, præter Irenæum, nullum ibi Epiſcopum fuiſſe. Sed hæc Marciano noſtro ſub Decio & Gallo & Valeriano Epiſcopo Arelate conſiſtenti non officiunt; neque teſtimonio Gregorii Turonenſis ullo modo favent. Nam poſt illam Lugdunenſium cladem adeo nobilem; ſub extremo Marci Antonini imperio, ſub toto Commodi erga Chriſtianos clementis, ſub initio Severi, plurimi in Gallia Chriſtiani facti ſunt; adeo ut plures nationes eam religionem amplexas eſſe tempore Severi Tertullianus teſtetur. Sub Caracalla, Alexandro, Gordiano, & Philippis quibus imperantibus alta pace fruebatur Eccleſia, quis plurimos Epiſcopos per plures Galliæ nationes conſtitutos eſſe negabit? Nullum igitur Arelate, tam nobili civitate, Lugdunenſibus & Viennenſibus tam propinqua, Epiſcopum conſtitutum eſſe per hæc tempora incredibile eſt. Trophimum neſcio quem ſub Decio primum ſedem Epiſcopalem ibi fixiſſe nullo modo veriſimile eſt: cujus vel ipſum nomen ea ætate de primo cujuſvis civitatis Epiſcopo uſurpatum fabulam olet. Teſtimonium igitur Sulpitii Severi, quamvis veriſſimum eſſe videatur, ſententiæ Gregorii Turonenſis de primo Epiſcopo ſub imperio Decii Arelate conſtituto, ſive ille Trophimus, ſive quis alius fuerit, minime ſuffragatur.

IX. Secundo Auctor Paſſionis Saturnini, quiſquis fuit, non ſatis firmiter probat Trophimum primum Arelatenſem Epiſcopum fuiſſe, aut Decio & Grato Coſs. illuc primo perveniſſe. Nam Gregorius ipſe, qui tam ſecure docet Sixtum Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ, & Laurentium Archidiaconum & Hippolytum ſub Decio paſſos eſſe, & Valentinianum & Novatianum ſub eodem hæreticorum principes extitiſſe; ſatis etiam confuſe reliqua pertexit. *Hujus tempore ſeptem presbyteri Epiſcopi ordinati in Gallias miſſi ſunt, ſicut hiſtoria paſſionis ſancti martyris Saturnini denarrat. Ait enim, ſub Decio & Grato Conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Tholoſana civitas S. Saturninum habere cœperat ſacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt, Turonicis Gratianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Tholoſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſianis Dionyſius Epiſcopus, Arvernis Aſtremonius Epiſcopus, Lemovicinis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus.* Septem quidem Epiſcopos ſub Decio in Galliam miſſos tradit hic Gregorius, & citat hiſtoriam paſſionis S. Saturnini. Sed verba quæ citat ad Saturninum ſolum pertinent, quæ adhuc etiam in ejus Paſſione reperiuntur. Reliqua vero, *Hi ergo miſſi ſunt*, & quæ ſequuntur, non ſunt verba Paſſionis, ſed ipſius Gregorii; qui hanc Epocham Saturnini inde nactus, reliquorum ſex Epiſcoporum tempora, quorum certa initia ignoravit, ad eam referenda eſſe duxit. Neque ſi Auctor Paſſionis reliqua etiam addidiſſet, ſatis firma eſſet ejus auctoritas de primis tot Sedium Epiſcopalium initiis, qui quæ habet de ſuo Saturnino ita tantum narrat, *Sicut fideli recordatione retinebatur.* Quamobrem ſive Gregorius Turonenſis ad Epocham Saturnini reliquorum ſex Epiſcoporum tempora retulerit, quod maxime probabile eſt; ſive Auctor Paſſionis, & notæ & temporis incerti vir, ipſe ad ſui Martyris hiſtoriam obiter adjunxerit, neuter ſufficit ad probandum tot Sedium Gallicarum primos Antiſtites uno anno miſſos & receptos eſſe; quod cum per ſe ſit minus credibile, tum vero ex anno quo ordinati eſſe dicuntur, & loco à quo miſſi eſſe putantur, omnem fidem amittere videtur. Cum enim Decius ipſe perſecutioni exercendæ ſeveriſſime Romæ incumberet, cum Romanæ urbis Pontifex Fabianus ſtatim paſſus ſit, cum presbyteri ſedem Romanam per anni ſpatium & amplius ſupplere per novi Epiſcopi electionem auſi non ſint, ut eo ipſo tempore ſeptem Presbyteri ordinationem Epiſcopalem Romæ acciperent, & in Gallias fervente perſecutione mitterentur, & nulla tam præclaræ actionis vel à presbyteris Romanis, vel ab aliis mentio fieret, quis credet?

A. D. CCLV. *Valeriano III. & Gallieno II.* COSS. *Period. Jul.* 4968.

PRO his Conſulibus, immutato omnium Faſtorum ordine, ponit Cointeus Maximum II. & Glabrionem. Quæ ratio virum doctum moverit ut id faceret neſcio; niſi forte Cuſpinianum ſecutus ſit, qui nec Libellum de Præfectis Urbi, nec Caſſiodorum recte intellexit. Caſſiodorus in primo ordinario Valeriani Conſulatu notam iterati officii omiſit, unde Valeriani & Gallieni Conſulatus pari ſemper numero apud eum, & Victorium decurrunt, contra omnes accuratiores Faſtos & nummorum inſcriptiones. Quod cum non animadverteret Cuſpinianus, Libellum de Præfectis Urbi à ſecundo Gallieni Conſulatu incepiſſe putavit, cum Libellus ille manifeſto à primo ejus Conſulatu exordium ſumat, qui cum ſecundo Valeriani idem erat. Deinde obſervandum eſſe ait eum Libellum Conſules variaſſe, quod Valerianum III. & Gallienum II. ante Maximum & Glabrionem collocaverit: quod etiam falſum eſt. Nam etiam Caſſiodorus Maximum & Glabrionem Coſs. poſt ſecundum Gallieni Conſulatum poſuit. Nulla igitur hic Conſulum variatio. Rurſus cum idem Libellus Maximo & Glabrioni ſubjungit Valerianum IV. & Gallienum III. Cuſpinianus notat eum Conſulatum hic non poni; quod pariter falſum eſt. Nam tertius Gallieni Conſulatus hic, tum in Libello tum apud Caſſiodorum, ponitur. Optimus igitur Libellus de Præfectis Urbi, prima quatuor Coſs. paria recto ordine ſic collocavit.

Valeriano II. & Gallieno, Lollianus Præfectus Urbi.
Valeriano III. & Gallieno II. Valerius Maximus P. U.
Maximo & Glabrione. Nummius Albinus P. U.
Valeriano IV. & Gallieno III. Junius Donatus P. U.

Quæ omnia non tantum optimo Coſs. Fragmento, & Faſtis Idatianis, ſed & numiſmatum inſcriptionibus confirmantur. Certe Maximus & Glabrio ante Valerianum III & Gallienum II. Conſules eſſe non potuerunt. Nam Valeriano in nummis conſtanter Tribunitia poteſtas cum Conſulatu ſecundo, & Tribunitia poteſtas II. cum Conſulatu tertio conjungitur. Tertius igitur ejus Conſulatus immediate ſecundum ſecutus eſt. Similiter de Gallieno dicitur, TR. P. Cos. & TR. P. II. Coſs. II. Ergo ejus Conſulatus ſecundus primum immediate, nullo ordinario Conſule interveniente, ſecutus eſt. Præterea Valerius Maximus anno poſt Conſulatum Valeriani II. & Gallieni non Conſul, ſed Præfectus Urbi fuit, ut ex ipſo Libello de Præfectis conſtat. Si Cointeus Proſperi Chronicon ſequutus eſt, ſecundum Conſulatum, quem Valerianus & Gallienus ſimul inierunt, in eo nunc omiſſum eſſe non obſervavit.

II. Hoc anno novæ indies de Baptiſmo inter Afros ortæ ſunt controverſiæ, & in iis judicium S. Cypriani à multis petebatur. Ut ante Fidus de infantibus recens natis quæſiverat, an omnino baptizari poſſent; ita Magnus quidam de Clinicis quærit, *an qui in infirmitate & languore gratiam Dei conſequuntur, habendi ſint legitimi Chriſtiani, eo quod aqua ſalutari non loti ſint ſed perfuſi.* Quod argumentum ſic expreſſit S. Auguſtinus de Baptiſmo lib. 6. cap. 7. *Sic in Epiſtola quam ſcripſit ad Magnum, cum de baptiſmo tinctorum & perfuſorum quæreretur, utrum aliquid intereſſet.* Rurſum ut Antonianus ante quæſiverat, quam hæreſin Novatianus introduxit, ita nunc Magnus quærit, an inter ceteros hæreticos eos quoque, qui a Novatiano venerunt, baptizari oporteret. Et hæc videtur de hoc negotio primo ſcripta à Cypriano Epiſtola, ut à Baronio obſervatum eſt: non tantum quod nulla in ea mentio habeatur de ſcriptis ante literis ad diverſos Epiſcopos, aut de Conciliis in Africa ea cauſa collectis, quorum neceſſaria citatio videri poterat: ſed etiam quia Cyprianus ipſe ex ſua tantum ſententia tum de Clinicis, tum de Novatianorum baptiſmo ſe reſcripſiſſe ſignificat, *quantum fidei*, inquit, *noſtræ capacitas, & ſcripturarum divinarum ſanctitas ac veritas ſuggerit:* & rurſus, *Reſcripſi quantum parva noſtra mediocritas valuit, & oſtendi quid nos quantum in nobis eſt ſentiamus.* Eſt quidem locus unicus, ſed non recte intellectus, ex quo viri docti collegerunt hanc Epiſtolam, poſt ceteras ejuſdem argumenti, ſcriptam eſſe: ait enim. *Illud mirandum eſt, imo indignandum potius & dolendum, Chriſtianos Antichriſtis aſſiſtere, & prævaricatores fidei atque Eccleſiæ intra ipſa ſepta Eccleſiæ contra Eccleſiam ſtare.* Illa enim verba, *intra ipſa ſepta Eccleſiæ* tanquam de Stephano dicta interpretatur Pamelius, cum de iis Chriſtianis loquatur, qui in Africa baptiſmo Novatianorum minime reſiſtebant: de quibus etiam conqueſtus eſt in Epiſtola ad Quintum, quæ, antequam Stephanus huic controverſiæ ſe immiſcuerat, data eſt. *Neſcio etenim qua præſumtione ducuntur quidam ut putent eos qui apud hæreticos tincti ſunt, quando ad nos venerint baptizari non oportere.* Pejus adhuc illa verba, *Chriſtianos Antichriſtis aſſiſtere* interpretatur Rigaltius, dum reddere putat Cyprianum Stephano voces ſuas; *Oblique*, inquit, *Antichriſtum vocat, a quo pſeudo-chriſtus fuerat nuncupatus & pſeudo-apoſtolus, ut videre eſt ſub finem Epiſtolæ Firmiliani.* Nam Cyprianus hoc loco de Stephano non cogitavit: Novatianos Antichriſtos vocavit, quo nomine omnes hæreticos & ſchiſmaticos ſemper de induſtria appellat. Ut igitur in hac Epiſtola poſtea loquitur. *Niſi ſi juſtum quibuſdam videtur, ut illi qui extra Eccleſiam apud adverſarios & Antichriſtos profana aqua polluuntur, baptizari judicentur;* ita in Epiſtola proxima ad Januarium & Epiſcopos Numidas, cum nondum Stephanus ſuam ſententiam protuliſſet, probat ex S. Joanne ſchiſmaticos omnes adverſarios Domini & Antichriſtos eſſe, & conſiderandum eſſe docet, *an qui adverſarii ſunt Domini, & appellati ſunt Antichriſti, poſſint dare gratiam Chriſti;* atque ita ſemper poſtea loquitur. Quod ideo obſervandum duxi, ne quis putet Cyprianum adeo frequenter Stephanum perſtringere, etiam ubi nulla eum objurgandi occaſio ſe obtulit.

III. Præterea illud etiam ſine animadverſione præteriri non debet, quod docet Baronius: nimirum Cyprianum, quia Novatianus Catholicos ad ſe venientes ut immundos denuo baptizavit, *provocatum ad æmulationem* idem de Novatianis ſtatuiſſe. Non enim licet de tam candido pectore tam male ſuſpicari, aut exiſtimare tam ſanctum Antiſtitem tali ſtimulo ad ſententiam ſuam ferendam incitatum fuiſſe. Illud potius obſervandum fuit, nihil illum poſt hanc ortam controverſiam de Novatianis aut hic, aut alibi ſcripſiſſe, niſi quod ſemper verum eſſe putavit, quodque ab ipſa hujus ſchiſmatis origine diſerte ſcripſerat. Sic enim mentem ſuam ante triennium in libello de Unitate clare expreſſerat. *Quando aliud baptiſma præter unum eſſe non poſſit, baptizare ſe poſſe opinantur. Vita fonte deſerto, vitalis & ſalutaris aquæ gratiam polli-*

pollicentur. Non abluuntur illis homines, ſed potius ſordidantur: nec purgantur delicta, ſed imo cumulantur. Non Deo nativitas illa, ſed diabolo filios generat. Hac ille primum doctrina imbutus fuit, hanc à prædeceſſore Agrippino, hanc à Magiſtro ſuo Tertulliano, qui & Catholicus & Montaniſta eandem docuit, hauſerat. Inſignis ejus locus in libro de Pudicitia, *Cui enim dubium eſt hæreticum inſtitutione deceptum, cognito poſtmodum caſu & pœnitentia expiato, & veniam conſequi & in Eccleſiam redigi? Unde & apud nos, ut ethnico par, imo & ſupra ethnicum, hæreticus etiam per baptiſma veritatis utroque homine purgatus admittitur.* Quare Cyprianus Agrippini ſucceſſor, Tertulliani admirator, Scripturarum de unitate & privilegiis Sanctæ Eccleſiæ, & de odio omnium hæreſeon aſſiduus ſcrutator, illis præſidiis ſatis munitum ſe putans in hanc arenam deſcendit. Novatianum ſimiarum more, quæ cum homines non ſint, homines tamen imitantur, Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem ſibi & veritatem vindicare dixit. Et cum Novatiani geſta à Jubaiano ipſi objicerentur, ſic illi libere poſtea reſpondit. *Nec nos movet, Frater cariſſime, quod in literis tuis complexus es, Novatianenſes rebaptizare eos, quos a nobis ſollicitant; quando ad nos omnino non pertineat, quid hoſtes Eccleſiæ faciunt, dummodo tentamus ipſi poteſtatis noſtræ honorem, & rationis ac veritatis firmitatem.* Quare Cyprianus non *provocatus ad æmulationem*, ſed ſuæ ſententiæ firmiter adhærens, ſcripſit ad Magnum eos qui à Novatiano ad Eccleſiam venerunt, legitimo & Eccleſiaſtico baptiſmo tingendos eſſe, Epiſt. LXIX. Hunc errorem Baronii non tantum ſequutus eſt ſed etiam auxit nuper Schelſtratius, qui controverſiam de baptiſmo hæreticorum hoc tempore exagitatam eſſe putavit, eo quod Catholici videbant Novatianos rebaptizare omnes ad ſeſe venientes, idque ex Firmiliani Epiſtola & Synodo Iconienſi deducere conatur, quæ res diu ante Novatiani ſchiſma geſtas reſpiciunt, ut poſtea oſtendemus.

IV. Cum jam Cyprianus ſententiam ſuam de Schiſmaticis tam aperte explicuiſſet, quæ adeo Novatianos feriebat, ut plerique eos ad Eccleſiam venientes ſine baptiſmo admittere nollent; res tota in dubium vocatur, diſputatumque eſt, An Hæreticorum non minus quam Schiſmaticorum Baptiſma ratum haberi deberet. Et quidem hæc controverſia primum in Numidia publice ventilata eſt; ubi octodecim Epiſcopi ſimul convenientes & quid ſtatuerent aut facerent incerti, Cyprianum & Epiſcopos Africanæ provinciæ per literas ſuas conſulunt, quæ non extant. Quare ſuam ſententiam Cyprianus & Collegæ in Concilio conſcribunt, & ad Collegas quoſdam, ut loquitur Auguſtinus, mittunt. Erat autem Concilium plurimorum Epiſcoporum, cum compresbyteris qui aderant, ut ipſe loquitur Cyprianus Epiſtola ad Quintum. In hoc Concilio Patres cenſuerunt, *Neminem foris baptizari extra Eccleſiam poſſe; ideoque de errore & pravitate venientibus per omnia divinæ gratiæ ſacramenta unitatem & fidei veritatem dari debere;* quia neque apud hæreticos, neque apud ſchiſmaticos aut baptiſmum, aut chriſma, aut Euchariſtiam fieri potuiſſe putabant, ut ex ipſa Synodali Epiſtola conſtat, quæ eſt ordine LXX.

V. Tempus hujus Concilii Carthaginienſis de Baptiſmo primi cum merito indagandum ſit, hoc ipſo anno CCLV. illud celebratum fuiſſe omnino ſtatuo contra virorum doctorum ſententiam. Nam cum Pamelius idem dubitanter aſſeruiſſet, Baronius aliique ad annum ſequentem dejecerunt. Et Cointeus, qui ſe certam hujus Concilii Epocham inveniſſe putat, celebratum eſſe ſtatuit anno ſequenti in autumno: & rationem hanc reddit, quod Acta ejus Cyprianus ad Firmilianum ſtatim ſcripſit, & Firmilianus nulla mora reſponſionem fecit hieme jam imminente. Sed, licet verum ſit anno ſequenti, hieme imminente, reſpondiſſe Firmilianum, non tamen inde ſequitur, primum hoc Concilium ejuſdem anni autumno celebratum fuiſſe. Apparet enim ex reſponſione Firmiliani, ſcripſiſſe ad eum Cyprianum poſt Concilium ſecundum, poſt Stephani literas acceptas, poſt ſuas ad Jubaianum & Pompeium datas, quas omnes per Rogatianum miſit, quaſque Firmilianus in ſua Epiſtola ſemper reſpexit. Ego ſane multo meliori jure, quia Firmilianus ſequenti anno, imminente hieme, ad Cyprianum ſcripſit; ideo concludo primum hoc Concilium ſub hujus anni autumno celebratum eſſe. Peſſime enim viri docti hactenus conjecerunt quinque Synodos de Baptiſmo hæreticorum in unum annum, & intra octo menſes ejuſdem anni concluſerunt, Carthaginienſes tres, Orientales duas. Quarum duæ poſteriores diu ante habitæ ſunt; tres autem reliquæ intra tam breve tempus compingi non debuerunt, ut literæ utrinque datæ inter primam & ultimam aperte oſtendunt.

VI. Quamvis hæc de Baptiſmo hæreticorum ab Epiſcopis provinciæ Africæ in Concilio Carthaginienſi, ut diximus, decreta fuerant; à nonnullis tamen Africæ Epiſcopis conſenſum minime obtinuerunt. Qui duobus argumentis, de uno baptiſmo, & de veteri conſuetudine, ducti, potius ſtatuebant, eos qui apud hæreticos tincti ſunt, quando ad Eccleſiam venerint, baptizari non oportere. Unde Lucianus presbyter retulit ad Cyprianum, Quintum in Mauritania Epiſcopum deſideraſſe, ut illi ſignificaret quid de ea re ſentiret. Quare Cyprianus circa hujus anni finem ſcribit ad Quintum Epiſtolam LXXI. qua duobus illis argumentis ſecundum ſuam ſententiam reſpondet, ſimulque literarum, quæ à Concilio ad Epiſcopos Numidas datæ fuerant, exemplar tranſmiſit, ut illæ non tantum Quinto, ſed & reliquis Mauritaniæ Epiſcopis innoteſcerent.

A. D. CCLVI. *Maximo & Glabrione* COSS. *Period. Jul.* 4969.

S. Cyprianus, cum videret nonnullos etiam Episcopos, nec nuperi Concilii, nec vetustioris sub Agrippino prædecessore Synodi decreto motos, sed veteri quadam consuetudine, quæ ante Agrippinum obtinuerat, potius ductos docere, homines ab hæreticis venientes non baptismo Ecclesiastico, sed sola manuum impositione recipiendos esse; ad mala futura, quæ ex ea sententiæ & praxeos diversitate oriri potuerunt avertenda, scribit Libellum de Bono Patientiæ, (generalibus fere argumentis usus, & præsentem controversiam parcissime perstringens, ne nimis acerbus aut molestus Collegis suis videretur) eamque ad Jubaianum postea pro mutua dilectione transmisit. Quinetiam propter eandem rationem necesse tunc habuit cogere, & celebrare Concilium de hoc negotio secundum, cui præsentes statim erant LXXI. Episcopi, non tantum ex provincia Africæ, sed & ex Numidia, ubi controversia maxime fervebat, quæ nuperi Concilii ex solis Africæ Proconsularis Episcopis conflati auctoritate sopiri non potuit. Hoc autem ante hujus anni Pascha factum esse arbitror, quoniam non tam ex consuetudine, quam ex necessitate Synodus coacta esse dicitur. In hoc Concilio Carthaginiensi de baptismate secundo, præter alia multa prolata atque transacta, duo præcipue constituta sunt: primo confirmata est sententia prioris Concilii de vero & Ecclesiastico hominum ab hæresi venientium baptismate; secundo additum est aliud etiam Decretum, quod Clerici, sive in Ecclesia Catholica prius ordinati, sive apud hæreticos à Pseudoepiscopis profana ordinatione promoti, ab hæresi revertentes, ad laicam tantum communionem admitti deberent. Ceterum Cyprianus & Collegæ in Concilio de his Stephanum Romæ Episcopum per literas suas Synodicas, pro honore communi & pro simplici dilectione, certiorem faciunt; transmissis etiam Cypriani literis ad Quintum, ipsisque Synodicis in priori Concilio ad Episcopos Numidiæ scriptis: idque fecerunt credentes etiam Stephano pro religionis suæ & fidei veritate placitura, quæ ipsis & religiosa pariter & vera videbantur. Atque hæc est Epistola LXXII.

II. Jubaianus autem frater scribit ad Cyprianum de hac controversia literas, quæ non extant: & cum iis simul mittit exemplum Epistolæ contra sententiam Cypriani scriptæ, quæ pariter periit. Quam quidem Epistolam incerti Auctoris, putavit Pamelius ex argumenti similitudine eam omnino fuisse quam scripsit Stephanus ad ipsum Cyprianum: eandemque prius ad Jubaiani, quam ad Cypriani manus pervenisse autumat. Quæ sane inanis est conjectura. Nondum enim accepisse à Stephano Epistolam aut Cyprianum, aut alium in Africa quenquam liquido apparet. Quippe vel ipso Synodi tempore vel statim post, ad Cyprianum scripsit Jubaianus, ut ex verbis Cypriani colligi potest. (*Et nunc quoque, cum in unum convenissemus tam provinciæ Africæ quam Numidiæ Episcopi*) & ante literas à Jubaiano datas, ut exarata sit illa Epistola necesse est, cujus exemplum ab illo mittebatur. Stephanus autem sua non scripsit antequam literas hujus Concilii secundi Synodicas Romam allatas accepisset. Sed neque Firmilianus, ea omnia ad quæ respondet in Epistola Stephani contenta fuisse innuit, sed potius contrarium, cum ait, *Et quoniam Stephanus & qui illi consentiunt, contendunt*, ac rursus: *Nunquid & hoc Stephanus & qui illi consentiunt, comprobant? &c.* Quippe Firmilianus respondit ad literas Stephani, & aliorum etiam, qui Stephano consentiebant, illius præcipue incerti auctoris, cujus Epistolæ exemplum miserat Jubaianus: ac proinde diversa ea fuit ab Epistola Stephani, sed ejusdem argumenti. Præterea Jubaiani & Stephani argumenta prorsus dissona, & inter se contraria sunt; ille enim urgebat hæreticos & schismaticos sine baptismo in Ecclesiam recipiendos, quia *Novatienses rebaptizabant eos quos a Catholicis sollicitabant*; hic autem aliter disputabat, Catholici non debent ab hæresi reversos baptizare, quia *hæretici* Catholicos *ad se venientes non baptizabant, sed communicabant tantum.* Utcunque sit, Cyprianus Jubaiano plene respondet, & ad argumenta Epistolæ incerti auctoris solutiones suas adhibet, Epistola LXXIII. Et Jubaianus statim aliis literis, quæ nunc non extant, sed in proximo Concilio recitabantur, sibi satisfactum esse docuit, Cyprianoque gratias egit.

III. Mox etiam Stephanus scribit ad Cyprianum Epistolam, quæ non extat, sed statim periit, ejusque pauciſſima fragmenta, in literis Cypriani ad Pompeium fratrem, nec alibi supersunt. In ea autem sententiam Concilii Carthaginiensis rejicit & condemnat; ipsumque Cyprianum & reliquos Africanos Episcopos qui in eo Concilio consenserant abstinendos docet, & suam sententiam profert, qua a quacunque hæresi venientes baptizari in Ecclesia vetat, Ita tandem *erant duarum ementissimarum Ecclesiarum, Romanæ scilicet & Carthaginiensis, Episcopi duo, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholica constituti: quorum Stephanus baptismum Christi, in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat: Cyprianus autem in hæresi vel schismate baptizatos, tanquam non habentes baptismum Christi, baptizandos in Ecclesia Catholica existimabat*, ut loquitur S. Augustinus cap. 14. contra Petilianum. Quibus verbis status controversiæ, ut tunc se habuit, accurate depingitur. Vera enim utriusque sententia universali propositione constabat; si Stephanum spectes, Omnes ab hæreticis quibuscunque baptizati, reversi ab hæresi, in Ecclesia recipi debent sine legitimo baptismo: si Cyprianum spectes, Nullus in aliqua hæresi aut schismate primo baptizatus, ab hæresi aut schismate reversus, sine baptismo legitimo recipi debet. Quæ quidem propositiones non sunt proprie contradictoriæ, ut unam vel alteram veram esse necesse sit: sed sunt ita comparatæ, ut utraque falsa esse posset, & ea tantummodo vera, quæ neutri consentiret, sed potius doceret, Neque omnes à qualibet hæresi venientes, neque nullum sine baptismo Ecclesiastico recipiendum esse, ut posteriores Ecclesiæ Patres, omni calore deposito, & utriusque sententia ad examen sedate revocata atque perpensa statuerunt. Stephanus tamen non tantum sententiam suam adversus Cyprianum & Synodum Africanam etiam iteratam protulit, sed & ipsum & Episcopos contraria sentientes *abstinendos esse putavit*, ut tum Cyprianus, tum Augustinus disertis verbis testantur. Qui sane erat *tyrannicus* ille *terror*, de quo Cyprianus in Concilio tertio sic conquestus est: *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit.*

IV. Cum jam responsum Stephani ad manus Cypria-

priani perveniſſe notum eſt, Pompeius, Sabratenſis, ut videtur, ex Tripoli Epiſcopus, qui ſequenti Concilio per Natalem Oeenſem abſens conſenſit, à Cypriano petit ut ea quæ Stephanus reſcripſerat ad notitiam ſuam perferantur. Quapropter Cyprianus, qui aliarum Epiſtolarum ad eum exempla tranſmiſerat, hujus etiam Reſcripti exemplum Pompeio miſit: ac ne eo moveretur, literis ſuis ad Stephani argumenta reſpondit; multa quidem præteriens vel ut ſuperba, vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria; illis tantum inſiſtens, quæ aut à traditione, aut à praxi hæreticorum, aut à valore eorum baptiſmi & majeſtate nominis Jeſu Chriſti ducta ſunt. *Oportuiſſet ſane*, inquit Baronius, *Cyprianum integram illam Stephani Epiſtolam recitaſſe*, in his ad Pompeium ſcilicet literis; quaſi haud recte fecerit quicquam omittendo, cum ipſius Epiſtolæ exemplum eodem tempore, & non multo poſt ad Firmilianum tranſmiſerit. Utinam quidem ipſam integram recitaſſet, eo enim pacto adhuc ſuperfuiſſet, & nobis illum Romæ Epiſcopum ſuis coloribus repræſentaſſet. Sed non eſt Cypriano imputandum quod Stephani Epiſtola integra non extet; aliunde ratio potius quærenda, cur ea poſteritati commendata non eſt, & oſtendenda fuit aliqua Cardinale digna. Mihi certe hæ maxime veriſimiles videntur, quod Cypriani nomen nomine Stephani, ea tempeſtate & poſtea, multo illuſtrius fuit; quod ipſis etiam Romanis ſtatim diſplicebat nimia Stephani ſeveritas, ut de aliquibus innuit Dionyſius Alexandrinus in literis ſuis ad Xyſtum Stephani ſucceſſorem datis; quod gravis perſecutio ſubſecuta Cyprianum multo adhuc clariorem, non tantum in Africa ſed & Romæ reddidit: quod denique unio Eccleſiarum & Epiſcoporum ſub ea preſſura valde neceſſaria fuit, quam Stephanus ſua ſeveritate conturbaverat. Unde ipſi Romani, non minus quam alii, ſui Epiſcopi Epiſtolas intercidere & perire paſſi ſunt.

V. Cæterum Stephanus ſcribit etiam ad Orientales, quos eandem cum Agrippino & Cypriano ſententiam amplexos fuiſſe novit, coſque excommunicandos fore pariter minatur. Hanc Epiſtolam perſtringit Dionyſius Alexandrinus literis poſtea ad Xyſtum datis, in quibus de Stephano agens hæc habet, *Ante quidem literas ſcripſerat de Heleno & Firmiliano* οὐδὲ ἐκείνοις κοινωνήσων, *neque cum illis communionem habiturus*: quibus verbis ſignificat Stephanum Afris idem prius minatum eſſe. Veruntamen Baronius hæc omnia invertit, & jurgium Stephani primo loco proponit cum Orientalibus, ejuſque iram contra eos ac præcipue Firmilianum ſummopere exaggerat, ut cum multo mitiorem erga Cyprianum oſtendere poſſit. Quapropter *primo tempeſtatis hujus fluctus motos eſſe in Oriente* docet, & quod tunc temporis celebratum fuit Iconienſe Concilium, Stephanum Papam omnes Patres illius Concilii communione privaſſe tradit. Quinetiam Orientales Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis communione privatos, legatos Epiſcopos ad Stephanum Romam miſiſſe vult, reddituros rationem de iis, quæ in Synodo à Collegis Epiſcopis geſta eſſent. Hos etiam Legatos ab Orientalibus Epiſcopis miſſos à Stephano nec auditos, nec receptos eſſe, & Firmilianum quod communione Apoſtolica interceptus eſſet, ſtomachatum vehementer poſtea ad Cyprianum ſcripſiſſe. *Poſt hæc autem*, inquit, *reipſa in controverſiam ubique deducta, Eccleſia Africana nutavit.* Sed hæc omnia de primo cum Orientalibus jurgio ipſi hiſtoriæ à Cypriano, Firmiliano & Dionyſio Alexandrino proditæ aperte repugnant: *earum autem rerum proprie eſt hiſtoria, quibus rebus gerendis interfuerit is qui narret*, ut optime olim notavit Verrius Flaccus.

VI. Euſebius qui Dionyſii ſcripta diligenter legerat, in hunc modum narrationem orditur lib. 7. c. 3. ut cum doctiſſimus Valeſius ex MSS. recte reſtituit. Πρῶτος τῶν τότε Κυπριανὸς, τῆς κατὰ Καρχηδόνα παροικίας ποιμὴν, εὖ ἄλλως ἢ διὰ λατρᾶ πρότερον τῆς πλάνης ἐκκαθαιρομένας προσιέσθαι δεῖν ἡγεῖτο. *Primus omnium ea tempeſtate Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus*, hæreticos *non niſi per baptiſmum ab errore prius purgatos admittendos eſſe cenſuit.* In Africa igitur primum hæc ſub Pontificatu Stephani orta eſt controverſia: & à Cypriano pro baptiſmo hæreticorum ſententia primum ea tempeſtate lata eſt, quæ Stephanum commovit. Hæc ex noſtra verſione plana ſunt, quod viri docti hactenus non viderunt. Nam Gerardus Joannes Voſſius, ex his verbis colligebat Euſebium deceptum eſſe, cum diceret Cyprianum primum rebaptizandos putaſſe, qui ab hæreticis venirent, ſcilicet quia ante eum Agrippinus idem putavit. Sed Euſebius minime culpandus fuit; loquitur enim de Pontificatu Stephani, & controverſia ſub eo mota, & eorum, qui tunc temporis extitere, primum Cyprianum id docuiſſe tradit, quod veriſimum eſt. Hunc ſecutus eſt in Annotationibus ad hunc locum Henricus Valeſius, & pluribus fruſtra probat Cyprianum hujus ſententiæ primum auctorem non fuiſſe. Ipſe enim illa verba, πρῶτος τῶν τότε Κυπριανὸς, τῆς κατὰ Καρχηδόνα παροικίας ποιμὴν, male vertit, *Primus omnium Cyprianus, qui tunc temporis Carthaginienſem regebat Eccleſiam*, dum non perciperet quo illud τότε referri debuit. Certe πρῶτος τῶν τότε aliud Græce non ſonat, quam *primus eorum qui tunc temporis extitere vel floruere*, & hoc τὸ τότε reſpondet τῷ τηνικάδε in priori ſententia. Neque vero Iconienſe Concilium ad tempora Stephani pertinebat, aut controverſiæ ſub ejus Pontificatu ortæ, de qua nunc agimus, intercedebat: non certe magis quam Concilium Carthaginienſe ſub Agrippino. Ad illud enim provocat pro ſua ſententia Firmilianus eodem modo, quo ad hoc recurrit Cyprianus, *Quod totum nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus eſt, collecti in unum, convenientibus ex Galatia & Cilicia & ceteris proximis regionibus confirmavimus tenendum contra hæreticos firmiter & vindicandum, cum a quibuſdam de iſta re dubitaretur.* Nempe *jampridem*, hoc eſt diu ante Pontificatum Stephani & Novatiani ſchiſma, ſimile Decretum in Concilio Iconienſi factum fuerat, ex occaſione ſimili, *cum a quibuſdam de iſta re dubitaretur*, propter Montaniſtas, qui uti Novatiani, primum ſchiſmatici tantum videbantur. Ita Firmilianus poſtea, *Plane quoniam quidam de eorum baptiſmate dubitabant, qui etſi novas prophetias recipiunt, eoſdem tamen Patrem & Filium noſſe nobiſcum videntur: plurimi ſimul convenientes in Iconio diligentiſſime tractavimus, & confirmavimus repudiandum eſſe omne omnino baptiſma, quod ſit extra Eccleſiam conſtitutum.* Nunquam dubitabant Aſiatici, quin hæreticorum, qui verum Patrem & verum Filium in Symbolo deſcriptos non agnoſcebant, baptiſma nullum eſſet: de Montaniſtis tantummodo dubitatum eſt memoria Firmiliani qui Patrem & Filium agnoſcere videbantur, ſed quod novas prophetias admitterent, ab Eccleſia excluſi ſunt. Hæc obſervatio de tempore Iconienſis Concilii à Dionyſio Alexandrino egregie confirmatur, Epiſtola ad Philemonem Romanæ Eccleſiæ presbyterum poſt mortem Stephani data, apud Euſebium lib. 7. cap. 3. Μεμάθηκα καὶ τοῦτο, ὅτι μὴ νῦν οἱ ἐν ἀΦρικῇ μόνον τοῦτο παρεισήγαγον, ἀλλὰ καὶ πρὸ πολλοῦ κατὰ τὰς πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπας, ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις, καὶ ταῖς Συνόδοις τῶν ἀδελΦῶν ἐν Ικονίῳ καὶ Συννάδοις καὶ παρὰ πολλοῖς τοῦτο ἔδοξε. *Illud præterea didici non ab Afris ſolis nuper hoc invectum eſſe, ſed & multo antea ſuperiorum Epiſcoporum temporibus in Eccleſiis populoſiſſimis & in Conciliis fratrum apud Iconium & Synnada & apud multos idem ſancitum fuiſſe*, vel in Synnadenſi Synodo, vel aliqua ante Iconienſem, in earum certe aliqua

quas maximas Episcoporum Synodos appellat Dionysius. Cum hæc de antiquitate tum Iconiensis tum Synnadensis Concilii tam clara sint, verisimile mihi videtur, institutos esse in Asia duos Canones (qui inter Apostolicos numerantur XLV. XLVI.) Occidentalibus tunc temporis prorsus ignotos. Canon Apostolicus XLV. Ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον αἱρετικῶν δεξαμένους βάπτισμα [ἢ θυσίαν] καθαιρεῖσθαι προσάσομεν. τίς γὰρ συμφώνησις Χριστῷ πρὸς Βελίαρ; ἢ τίς μερὶς πιστῷ μετὰ ἀπίστου. Dionysio Exiguo Interprete, *Episcopum aut presbyterum hæreticorum suscipientem baptisma damnari præcipimus. Quæ enim conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?* Canon XLVI. Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος τὸν κατ' ἀλήθειαν ἔχοντα βάπτισμα ἐὰν ἄνωθεν βαπτίσῃ, ἢ τὸν μεμολυσμένον μὴ βαπτίσῃ, καθαιρείσθω. *Episcopus vel presbyter eum qui vere habet baptismum, si de integro baptizaverit, vel si eum, qui ab impiis pollutus est, non baptizaverit, deponatur.* Hæc proculdubio in Ecclesiis Asiaticis de baptismo hæreticorum ante Concilium Iconiense decreta sunt; in hoc autem Concilio propter Montanistas, qui schismatici fuere, & ab Ecclesia propter novas prophetias ejecti, repudiatum est omne omnino baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum. Minime igitur audiendus est Illust. Cardinalis, qui ut majorem Sedi Romanæ auctoritatem conciliaret, contra omnem historiæ fidem, Stephanum omnes Iconiensis Concilii Patres, communione privasse tradit.

VII. Quod etiam de Legatis Episcopis ab Orientalibus Romam missis tradit Baronius pariter erroneum est. Firmilianus enim, quem pro se adducit, clare docet non ab Orientalibus, sed ab Afris eos Legatos missos esse. *Quid enim*, inquit, *humilius aut lenius, quam cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, quod nec vos latere confidimus, modo vobiscum qui in meridie estis? à quibus Legatos Episcopos patienter satis & leniter susceptit ut eos nec ad sermonem saltem colloquii communis admitteret.* Quid enim ex illorum verborum serie exploratius esse potest, quam Legatos eos Episcopali honore conspicuos, non ab Orientalibus, sed ab iis qui *in meridie* erant, hoc est, Afris missos fuisse? Neque aliter illa Firmiliani verba intelligenda esse sentio, *Nisi quod nos gratiam referre Stephano in isto possumus, quod per illius inhumanitatem nunc effectum sit, ut fidei & sapientiæ vestræ experimentum caperemus.* Illa enim *inhumanitas* nihil aliud erat quam Legatorum rejectio, per quam *nec confabulatio jam posset esse aut sermo communis.* Sed Cardinalis hæc commentus est, ut ostenderet quanta in Petri successore esset auctoritas, cum ad eum tot Episcopi Apostolicæ Sedis communione privati, Legatos confestim Episcopos ad eum miserint, rationem actus sui reddituros. Verumenimvero nec Orientales nec Afri post minas Stephani acceptas ullam illi actus sui rationem reddere voluisse noscuntur. Et illi Legati ante minas Pontificis Romani missi sunt à Synodo Carthaginiensi secunda: & postquam reversi sunt, & literæ Stephani acceptæ: neque legationem instituit, neque ad Stephanum scripsit, aut se suosque excusavit Cyprianus: sed è contrario literis ad Pompeium datis Stephanum graviter increpuit, & mox Synodum multo celebriorem convocavit, in qua professus est *habere omnem Episcopum pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non posse, quam nec ipse potest alium judicare.* Hæc non sunt verba Episcopi irato Pontifici Romano actus sui rationem reddituri.

VIII. Quid quod Baronius mira licentia mentitum esse Firmilianum affirmat? quod alia nulla ratione tueri potuit, quam ea, qua credi vult Stephanum primo Orientalibus, dein postea Afris iratum fuisse. Firmilianum ait tradidisse Cyprianum à Stephano nominatum esse pseudo-christum & pseudo-prophetam operariumque dolosum. Hoc autem patentis mendacii arguere conatur: primo quia Cyprianus de his ne leviter quidem conquestus est. Certe; sed Cyprianus de his tantum queri potuit, quæ ipse tunc aut viderat aut audiverat, cum de Stephano scriberet. Hæc autem quæ Firmilianus prodidit, scripta sunt ad Orientales Episcopos; nec ea novit Cyprianus antequam à Firmiliano accepit, post cujus literas acceptas ipse de Stephano nihil scripsit. Unde etiam argumentum, quod ab Augustino petit, qui cuncta, quæ eodem tempore contigerunt ab eodem scripta exacte pervidit, pariter concidit. Non erat certe Firmilianus in hunc modum tractandus, qui pluribus quam viginti ante hanc controversiam sub Stephano ortam Cæsareæ in Cappadocia Episcopus διέπρεπε, teste Eusebio; quem inter περιφανεστάτους τῶν ἐπισκόπων numeravit Dionysius Alexandrinus; qui Nicephoro dicitur περιφανὴς ἀνὴρ, καὶ ἑκατέρας γνώσεως ἠκριβωμένας ἔχων τὰς ἕξεις, *qui*, ipso Baronio teste, *& doctrina & sanctitudine morum nulli propemodum illorum temporum videbatur esse secundus.*

IX. Posthac Cyprianus etiam, ut minas Stephani evitaret, majus & frequentius Concilium convocandum duxit, ex omnibus provinciis cum Africæ, tum Numidiæ, atque Mauritaniæ, in quo Episcopi comparebant minimum octoginta septem. In quo tres literæ primum lectæ sunt, Jubaiani ad Cyprianum, Cypriani ad Jubaianum, & Jubaiani rursus ad Cyprianum. Lecta est etiam Epistola Cypriani ad Stephanum quod quidem ipse omisit, sed Crescens à Cirta Episcopus notavit. Quibus lectis, Episcopi omnes sigillatim, præsentibus presbyteris & diaconis, maximaque parte plebis, de baptismo hæreticorum suam sententiam dixerunt, omnesque, verbis licet diversis, sententiam Cypriani unanimiter confirmarunt. Quæ sententia in tanta Synodo dicta licet vera non sit, & à S. Augustino postea propter Donatistas refutata: insigne tamen hoc est venerandæ antiquitatis monumentum. De tempore hujus Concilii dubitandum non est: celebratum enim est Calendis Septembribus ut ex ipso patet, & quidem hoc anno. Cointeus non ante annum sequentem celebratum esse tertium hoc Concilium statuit; cum tamen hoc anno recte observet Firmilianum ad Cyprianum literas dedisse. Putat enim statim post primum Concilium missum fuisse Rogatianum cum literis ad Firmilianum. Quæ sententia omnibus hisce Cypriani Epistolis repugnat. Nam statim post primum Concilium, nondum scripserat Cyprianus ad Stephanum de baptismo hæreticorum, nedum Stephanus ad Cyprianum, multo minus Jubaianus, quorum tamen omnium literæ ad Firmilianum missæ sunt, ut ex ejus responso patet. Quin etiam ante proximum Septembrem mortuus est Stephanus, & Romæ Episcopus creatus est Xystus, qui anno post eum proximo passus est, ut hæc ad eum annum pertinere non possint.

X. Cum S. Cyprianus pro certo haberet Stephanum, etiam ad Orientales Episcopos de eadem controversia scripsisse, dedit ad Firmilianum Cæsareæ in Cappadocia Antistitem, inter Orientales Episcopos maxime illustrem literas, easque cum suis ad Stephanum & Jubaianum per Rogatianum Diaconum misit, quæ desiderantur. Firmilianus autem in eadem controversia diu ante versatus, & eandem cum Africana Ecclesia sententiam amplexus, respondet Cypriano, ipsi in omnibus consentiens, Epistola LXXV. per Rogatianum hoc eodem anno ingruente hieme transmissa. Ipse & annum & anni tempus indicat: primum his verbis, *Ante viginti & duos*

duos fere annos, temporibus poſt Alexandrum Imperatorem multæ iſtic conflictationes & preſſuræ acciderunt; ſecundum autem iſtis, *Quoniam vero legatus ille a vobis miſſus regredi ad vos feſtinabat, & hibernum tempus urgebat; quantum potuimus ad ſcripta veſtra reſcripſimus.* Quamobrem Lomberto aſſentiri non poſſum, qui cum de anno recte ſentiat, reſponſum Firmiliani ad manus Cypriani ſub finem ætatis perveniſſe ſtatuit; & Cyprianum hac Epiſtola munitum convocaſſe hoc Concilium, quod Calendis Septembribus conveniſſe legitur. Nam & hoc ipſi Firmiliano plane contradicit, qui hibernum tempus urgere tunc cum ipſe ſcriberet dixit; & Cyprianus opus non habuit auctoritatis Firmiliani ad conciliandos ſibi Africanorum animos; ſed ſatis eſſe putavit, ſi literæ ſuæ coram Concilio recitarentur, & liberum exinde judicium unicuique Epiſcopo permitteretur.

XI. Cæterum his poſitis, etiamſi hic annus ex Epiſtola Firmiliani recte deductus à viris doctis, & jampridem probatus eſſe videatur; idem tamen à nobis paulo accuratius præſtandum eſſe duximus. Firmilianus clare docet à morte Alexandri Imperatoris, ad illud tempus quo ipſe ſcripſit, effluxiſſe annos fere viginti duos. Quamobrem ſi pro certo habere poſſimus, quando Alexander periit, pro certo pariter habebimus quo tempore Firmilianus ad Cyprianum ſcripſit. Et quidem A. D. CCXXXV. Severo & Quintiano Coſs. Alexandrum periiſſe communis & vera ſententia eſt. Nam imperium obtinuit A. D. CCXXII. Heliogabalo IV. & ipſo Coſs. ac tredecim annis eum imperaſſe docet uterque Victor: dies novem addunt Lampridius & Eutropius. Decimum quartum Trib. Pot. annum ei tribuunt Nummi. Annos quatuordecim eum imperaſſe tradit non ſemel Herodianus, quo majorem anni decimi quarti partem ab eo confectam eſſe ſignificat, ſi recte obſervet Petavius. *Sed ſine dubio fallitur Herodianus*, inquit ille; quod ego non puto. Petavium potius falli dixerim quam Herodianum, qui ſub ipſo Alexandri imperio vixit. Nam primo conſtat ex Actis Urbis Alexandrum imperium obtinuiſſe ſexto die Martii, *Ad pridie nonas Martias*; ut Lampridius ex ipſis Actis refert. Factum autem illud eſt Heliogabalo IV. & Alexandro ipſo Coſſ. ut ex plurimis locis Juſtinianei Codicis apparet; in quo ſolus Alexander Coſ. memoratur. Iſque erat A. D. CCXXII. ut oſtendit Hippolytus in ſuo Canone, Ἔτ. α. βασιλείας Ἀλεξάνδρ. αὐτοκράτορος ἐγίνετο ἡ ιδ. τῦ πάσχα εἰδοῖς Ἀπριλίοις σαββάτῳ, *Anno primo imperii Alexandri Imperatoris contigit* XIV. *Paſchæ, idibus Aprilis Sabbato.* Hoc enim circa ea tempora contingere idibus Aprilis ſabbato non potuit, niſi anno CCXXII. quo litera Dominicalis fuit F. Jam vero, cum Alexandrum obtinuiſſe imperium ſexto die Martii A. D. CCXXII. tam clare demonſtratum ſit, ſi per novem tantum dies ultra annos tredecim in imperio vixiſſet, ut viri docti volunt, ante decimum ſextum Martii, A. D. CCXXXV. Severo & Quintiano Coſſ. eum interiiſſe dicendum eſſet: quod tamen falſum eſſe cognoſcitur. Extat enim Reſcriptum Codicis lib. 1. tit. 26. *Imp. Alexander A. Reſtituto*, cui ſubſcribitur *Dat. Idibus Auguſti, Severo & Quintiano Coſſ.* Unde habemus menſes quinque & dies aliquot, quibus præter annos tredecim, in imperio permanſit. Quod ſi dies novem à Lampridio & Eutropio recte poſiti ſunt, additis menſibus, omnino dicendum eſt Alexandrum decimo-quinto Auguſti periiſſe, quo tempore eum in tabernaculo meditantem oppreſſit Maximinus. Viri docti qui hactenus menſes illos omiſerunt, res geſtas Maximini confuſe omnes tradidere; ad quas recte diſponendas hæc obſervatio neceſſaria fuit. Certe Maximinus arrepto imperio, ſtatim Perſecutionem in Chriſtianos exercuit, & Pontianum Romæ Epiſcopum in inſulam nocivam Sardiniam deportari mandavit: quod factum eſt Severo & Quintiano Coſſ. ut in antiquiſſimo Catalogo legitur. Pontianus autem in eadem inſula diſcinctus eſt IV. Kal. Octobris Coſſ. S. S. Unde apparet error ſecundi Catalogi, qui refert Pontianum martyrio coronatum eſſe temporibus Alexandri. Inde etiam idem error primo in Pontificale, ac mox in Martyrologium Romanum dimanavit. Hoc igitur ipſum tempus à Firmiliano, dum ſcriberet, ſatis accurate indicatum (annus ſcilicet ab exordio imperii Maximini viceſimus ſecundus:) quod nulli anno priori competere poteſt, multo minus poſteriori, cum anno ſequenti diu ante initium hiemis, & Perſecutio orta ſit, & Stephanus deceſſerit, & Cyprianus exilio mulctatus ſit.

XII. Dum hæc inter Stephanum, & Africanos Orientaleſque Epiſcopos agitantur, magnus Dionyſius Alexandrinæ urbis Epiſcopus, *in Cypriani & Africanæ Synodi dogma conſenſit*, ut loquitur Hieronymus. Quare ad Stephanum eam Epiſtolam ſcripſit, quæ inter ejus de Baptiſmo Epiſtolas prima numerata eſt, in qua copioſe de hoc argumento diſſeruit; ac præterea pro Heleno, Firmiliano, reliquiſque per Ciliciam, Cappadociam, Galatiam, & Orientem Epiſcopis enixe obteſtatus, ne quid contra eos durius ſtatuere pergeret, & ne pacem poſt diſſidia ex Novatiani ſchiſmate orta nuperrime confirmatam turbaret.

XIII. Obſervandum denique eſt per totum annum quo Maximus & Glabrio ordinarii Conſules fuere, nobiliſſimum Annaliſtam nihil habuiſſe, quod de Cypriano aut Eccleſia Africana, de Dionyſio aut Eccleſia Alexandrina, aliiſve Aſiaticis aut Orientalibus ſcriberet. Enim vero poſt illud de fictitia reconciliatione Stephano facta, totum pariter replet narratione longa de perſecutione Romæ exorta, ſpatio pluſquam annuo ante Edictum, primum & mitius a Valeriano Imperatore editum. *Lento*, inquit, *gradu hæc perſecutio cœpta eſt, cum abſque Edicto pro arbitrio in Chriſtianos Imperator ageret*, Initium hujus perſecutionis arbitrariæ arceſſit ex Actis Euſebii & ſociorum, in quibus Maximum Commentarienſem, qui Chriſtianam fidem amplexus eſt, Valerianus ipſe iratus juſſit præcipitari per pontem. *Poſtea autem corpus inventum Euſebius ſepelivit in Cœmeterio via Appia XIII. Cal. Febr.* Quod ſi Euſebius qui iiſdem Coſs. menſe Octobri paſſus eſſe dicitur, corpus illud, & quidem poſtea inventum, XXII. Januarii ſepeliverit; aut ipſo initio horum Conſulatus, aut etiam antea, orta eſt hæc perſecutio, irato & jam tum ſæviente Valeriano. Imo ante hunc annum, Valeriano III. & Gallieno II. Coſs. ut inceperit perſecutio hæc neceſſe eſt, ſi Acta ſint legitima. Ante enim Valerianus Imperator juſſerat illos, qui Chriſtianam religionem amplexi fuerant inquiri; & Maximus eos invenire ſatagens, a dæmone correptus eſt, & mox curatus, & demum baptizatus cum Stephano habitavit aliquot diebus; & poſt multos dies requiſitus, & captus, demum de ponte præcipitatus eſt. Unde veriſimillimum eſt iſtum Actorum Euſebii conſarcinatorem in initio ad annum ante Conſulatum Glabrionis & Maximi reſpexiſſe; & ſi talia ſcripta emendationem mereantur, pro *Valeriano & Lucilio Coſs.* legendum eſſe non *Valerio & Acilio*, ſed *Valeriano & Licinio*, nempe Gallieno. Mira hæc quidem ſunt; Baronius tamen non tantum ex illis, ſed & ex Actis Stephani hanc narrationem perſequitur. Hæc ille Acta *legitima, germana, fideliſſimaque* eſſe pronunciat, quæ nobis paralyticum in baptiſmo ſanatum, cæcæ a nativitate aqua ſalutari viſum datum,

partem templi Martis precum ope collapſam repræſentant, (quod tamen Xyſto Pontifici pari fide tribuit Ado Viennenſis) & ſimulacrum æneum Martis liquefactum defluxiſſe docent; qualia miracula eorum temporum ſcriptores narrare nonvolent. Quinetiam Conſulem Maximum ad Nemeſii preces ſuffocatum a dæmone expiraſſe tradunt; quod nulla hiſtoria agnoſcit; & viri docti non immerito putant, eundem Maximum biennio poſt proconſulatum in Africa geſſiſſe. Quid quod Gallienum mire ferocientem adverſus Chriſtianos, (unde volunt eum non minus crudeliter, quam Valerianum perſecutioni inſtitiſſe, quod nulla hiſtoria probata refert) idque Romæ, repræſentant, cum is eo tempore in Gallia fuiſſe potius credendus ſit. Sed & Chriſtianos conſpectum gentilium Romæ fugientes, & Stephanum ipſum per cryptas latitantem deſcribunt eo ipſo tempore, quo fraternitati univerſæ præcepit, ne quis legatos Epiſcopos ex Africa miſſos in domum ſuam reciperet. Quare omnia illa quæ à Baronio ſub hoc Conſulatu geſta ſunt, prorſus eliminanda eſſe cenſeo, & ſequentis anni res geſtas, interſtitio annuo minime admiſſo, continuandas.

A. D. CCLVII. — *Valeriano* IV. & *Gallieno* III. COSS. — *Period. Jul.* 4970.

EST, inquit Annaliſta, *nummi vetus Inſcriptio, qua cum Gallieni tertio Conſulatu Tribunitia poteſtas ſextum ponitur iterata*, (recte quidem, nec nummus iſte improbandus eſt) *plane ſignificans tertium Conſulatum Gallieni in annum ſextum ejus imperii contigiſſe.* Sed hæc Inſcriptio nec plane, nec ullo modo hoc ſignificat. Tertius enim Conſulatus cum annis Tribunitiæ poteſtatis conjungendus fuit donec quartum Conſul eſſet, ut ex omnibus nummis, & inſcriptionibus certiſſimum eſt. Tres autem anni poſt conſulatum Gallieni tertium, & ante ejuſdem quartum interfuerunt, ut Faſti referunt. Sed & nummi reliqui plane ſententiæ Baronii contradicunt. In quibuſdam enim legimus TR. P. IV. Cos. III. in aliis rurſus. TR. P. V. Cos. III. in illo Baroniano, TR. P. VI. Cos. III Ex quibus apparet Gallienum aliqua parte anni imperii ſui, ſive Tribunitiæ poteſtatis quarti, Conſulatum tertium geſſiſſe. Et fieri etiam poteſt, ut TR. P. V. eidem anno, quo conſulatum tertium geſſit, jam affecto aſſignetur. Sed ſextus Trib. Pot. annus, ab eo anno quo Cos. tertium fuit, prorſus excluditur. Quarto igitur imperii ſui anno, hoc eſt, A. D. CCLVII. Valerianus quartum, & Gallienus tertium inierunt Conſulatum.

II. His autem Coſſ. pendente adhuc controverſia de baptiſmo hæreticorum, orta eſt perſecutio quæ octava dicitur. Baronius quidem tradit anno priori Epiſcopos, qui ſententiam de rebaptizandis his qui fuiſſent ab hæreticis baptizati hactenus pertinaciter defendiſſent, tandem Stephano conſentientes eidem Chriſtianæ concordiæ fœdere reconciliatos eſſe: quod aperte falſum eſt. Neque enim illo anno, neque alio quopiam nominando, Epiſcopi qui tunc temporis Cypriani ſententiæ favebant, decretum Stephani amplexi ſunt. De Africanis Epiſcopis nihil omnino Baronius habuit quod afferret: cum illi omnes qui in Synodo ſub Stephano ultima ſubſcripſere ſigillatim, in ſua ſententia, quantum novimus, perſtiterint. Imo eos in eadem perſtitiſſe ſatis mihi demonſtrare videntur illa Cypriani ad Epiſcopos in metallo conſtitutos, *Ut qui hic caritatis & pacis vinculo copulati contra hæreticorum injurias, & preſſuras Gentilium ſimul ſtetimus, pariter in regnis cœleſtibus gaudeamus.* Omnes enim illi Epiſcopi tertio Concilio Carthaginienſi de baptiſmo hæreticorum interfuiſſe noſcuntur. De palinodia ipſius Cypriani aliquas affert conjecturas ex Auguſtino, ſed fruſtra: cum ipſe Auguſtinus de Cypriano dicat, *Correxiſſe autem iſtam ſententiam non invenitur.* De Orientalibus Epiſcopis locum profert ex Epiſtola Dionyſii ad Stephanum data, ſed ad hanc rem minime pertinentem: quamvis eum antidoti loco ad peſtilentem ſcilicet illam Firmiliani Epiſtolam adduxerat Pamelius. Dionyſius, inquit Euſebius, δηλοῖ ὡς καὶ πανταχόσε ἐκκλησίαι τὴν κατὰ Ναυάτου ἀποσταθεῖσαι νεωτεροποιΐαν, εἰρήνην ἀνειλήφασαν, *ſignificat omnes ubique Eccleſias Novati ſchiſma deteſtantes inter ſe pacem iniiſſe.* Hoc idem Dionyſius ſignificavit in ea Epiſtola; quam ad Stephanum ſcripſit de controverſia circa baptiſmum hæreticorum. *Scias autem nunc, frater, cunctas per Orientem & ulterius poſitas Eccleſias, quæ prius erant diſceſſæ, unitas eſſe, & omnes ubique Antiſtites conſentire; ob redditam inſperato pacem incredibili gaudio exultantes*; ſed iis verbis eam controverſiam haud omnino reſpexit. Loquitur enim de pace Eccleſiarum Orientalium, quæ jam per aliquot annos diſciſſiæ fuerant, tandem inter ſe recuperata, non de reconciliatione irato Stephano facta: & pacem hanc vocat ὁμόνοιαν καὶ Φιλαδελφίαν *concordiam fraternamque caritatem*, qua ſeipſas iſtæ Eccleſiæ tunc amplexæ ſunt, quarum pleræque nova hac controverſia turbatæ non fuerant. Præterea Dionyſium eam controverſiam his verbis minime reſpexiſſe, patet ex epiſtola ſecunda de baptiſmo, quam poſt mortem Stephani ad Xyſtum Papam dedit. *Antea enim*, inquit, *Stephanus literas ſcripſerat de Heleno & de Firmiliano, ac de omnibus Epiſcopis per Ciliciam, Cappadociam, Galatiam, cunctaſque finitimas nationes conſtitutis, ſe neque cum iis communionem habiturum, ob hanc eandem cauſam, quod hæreticos, ut ait, rebaptizent.* Dein Xyſtum monet de hujus gravitate negotii, oſtenditque ſe audiviſſe *in maximis Epiſcoporum Conciliis decretum eſſe ut ab hæreticis venientes primum Catechumeni fierent, ac deinde abluti veteris & impuri fermenti ſordibus purgarentur*, Euſeb. lib. 7. c. 5. Poſtremo indicat ſe ad Stephanum Epiſtolam miſiſſe de his omnibus, obteſtantem ſcilicet ut a tanta ſeveritate in ea ſententia condemnanda abſtineret. Quicquid igitur ad Stephanum ſcripſerat Dionyſius, de pace in Eccleſiis Orientalibus; ad controverſiam de baptiſmo hæreticorum non pertinebat. Quis enim unquam credet Dionyſium ad Stephanum ſcripſiſſe de conſenſu omnium Eccleſiarum in illius ſententiam, cum ipſe ſententiæ Stephani non acquieſceret, ne quidem ſub pontificatu Xyſti? Ille potius hac pace ac concordia inter ſe tanquam argumento uſus eſt adverſus Stephani ſeveritatem, ut ei vel inde perſuaderet, ne tot Eccleſias conturbaret, quæ jam tandem omnes contra Novatiani ſchiſma conſenſerant, & in pace Eccleſiæ permanebant.

III. Sed appellat Euſebius, inquit Baronius, ſententiam de rebaptizatione *pravitatem Novati*, ſeu potius Novatiani hæreſin, ea nimirum ex cauſa *quod Novatianus id temporis*, rebaptizare aggreſſus eſſet. Nimis hoc argute & plane falſo vir doctiſſimus commentus eſt. Non erat hæc ἡ κατὰ Ναυάτου νεωτεροποιΐα. Diu ante eum Tertullianus adhuc Catholicus idem docuerat, & Agrippinus cum Concilio ſtatuerat. Eccleſiæ Aſiaticæ hoc ſibi ſemper traditum fuiſſe

fuisse & decretis maximorum Conciliorum confirmatum affirmabant. Ipsa vox νεωτεροποιΐα hanc interpretationem respuit, nostram admittit. Est enim νεωτεροποιΐα in Republica seditio, quæ in Ecclesia schisma est. Unde Suidæ νεωτεροποιὸς, ἀντάρτης, & in veteri Glossario Νεωτερισὴς, *factiosus*. Cyrilli Lexicon MS. Νεωτεροποιεῖ, κενὰ (lego καινὰ) πράττει. Νεωτεροποιὸς, ἀντάρτης, τύραννος. Schisma Novatiani religioni Christianæ, & Sedi Romanæ præcipue periculosum, Ecclesia Antiochena sub Fabiano approbasse videbatur; & difficulter ad sanam mentem perfinitimarum provinciarum Antistites reducta fuit. Non erat hoc à Stephano contemnendum, quia si reliquas Ecclesias, quarum ope schisma apud Antiochenos sedatum est, ipse à sua communione separaret, Antiocheni aliique ad schisma Novatiani defendendum facile permoveri potuissent. Neque vero mirum est nuperos scriptores, in Dionysii mente explicanda hallucinatos esse, cum ipse Eusebius pacem illam haud recte intellexisse videatur. Ille enim, cum de pace Ecclesiarum Dionysius mentionem faceret, ita eum interpretatus est, ac si locutus esset de pace in Ecclesia post sedatam persecutionem facta. Ita enim ait, τοῦ διωγμοῦ λελωφηκότος, *mollito jam persecutionis furore*, sive *jam Persecutione levius incumbente*, pacem factam esse; cum jam per triennium & amplius plena pax esset in Ecclesia, imperante Valeriano: nec Dionysius respicere potuit eam persecutionem, cum loquitur de pace eo ipso tempore, quo scripsit præter exspectationem facta. Tradidit quidem S. Hieronymus, adhuc juvenis, in Dialogo contra Luciferianos, *illos ipsos Episcopos qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem revolutos, novum emisisse decretum.* Sed neque usquam constat eos ipsos Episcopos à sententia sua recessisse; neque ulla vola aut vestigium novi alicujus decreti ab ipsis emissi apparet: Neque sententia Catholicorum de hac re postea differentium, neque disputatio inter Donatistas & S. Augustinum tale Decretum aut agnoscit, aut admittit.

IV. Pendente igitur, uti diximus, hac de baptismo hæreticorum controversia, & auctoritate Stephani prorsus neglecta, & pace inter illius adversarios probe conservata, circa hujus anni initium orta est persecutio quæ octava dicitur. Exordium autem illius persecutionis, a Valeriano Imperatore præter exspectationem excitatæ, non aliunde petendum est quam ex verbis Dionysii & literis Cypriani optime consentientibus. Dionysius quidem hæc verba Apocalypseos, *Et data est illi potestas*, & *menses XLII.* de Valeriano interpretatur, & satis clare indicat hanc persecutionem per tres annos & dimidium sub eodem Imperatore continuatam esse, antequam a Persis captus pœnas hujus sceleris dedit. Captus autem a Persis Valerianus A. D. CCLX, Seculari & Donato Cos. ut postea probabimus: hoc igitur anno CCLVII. ineunte, primo mota est hæc Persecutio, & paulo post Cyprianus in exilium missus est. Quo autem auctore permotus fuit Valerianus, qui hactenus Christianis maxime favebat, ut adversus eos persecutionem excitaret, haud inutiliter quæritur. Eum Baronius asserit magum fuisse Ægyptium, & eum ipsum qui persecutionem illam quæ Decianam prævertit, Alexandriæ excitavit; quique postea Romam veniens Plotinum magiæ præstigiis dementavit. Omnia infelicissime. De priori jamdudum diximus, de hoc pariter dicendum est. Illust. Cardinalis, cæteroquin doctissimus, sed haud magna linguæ Græcæ peritia instructus, stilum Dionysii plane rhetoricum neque illic, neque hic recte intellexit; unde nobis magum quendam utroque loco repræsentavit, qui tamen locis inspectis utrobique confestim disparuit. Sic enim Antistes Alexandrinus de Valeriano, in Epistola ad Hermammonem, loquitur, Ἀπεσκυλάσθαι δὲ παρέπεισεν αὐτὸν ὁ διδάσκαλος, καὶ τῶν ἀπ' Αἰγύπτου μάγων ἀρχισυνάγωγος. *Magister autem, & magorum, qui ex Ægypto erant, archisynagogus Valeriano persuasit ut Christianos desereret atque rejiceret.* Magister ille neque magus neque Ægyptius fuisse dicitur, sed magorum ex Ægypto Archisynagogus, hoc est maximus patronus, utpote qui illis frequenter & familiariter usus est, & auctoritate sua, qua pollebat apud Imperatorem maxima, protexit. Erat autem iste non alius, quam notissimus ille Macrianus, eo nomine, ut recte observabat Valesius, ab ipso Dionysio statim indigitatus; qui à magis admonitus fore se aliquando Imperatorem, & novarum rerum exinde cupidus, hanc illis gratiam rependit, ut Christianis, qui illorum malis artibus maxime adversati sunt, Valerianum infensum reddiderit. Hoc volunt illa verba Dionysii, Καλὰ γοῦν αὐτὸς Μακριανὸς τῆς ἐλπιζομένης βασιλείας προσήνεγκε χαριστήρια. Et paulo post, Ὁ μὲν γὰρ Ουαλεριανὸς εἰς ταῦτα ὑπὸ τότε προαχθεὶς, εἰς ὕβρεις καὶ ονειδισμὸς ἐκδοθεὶς, *Etenim Valerianus ad hujusmodi facinora ab hoc homine*, Macriano nimirum antedicto, *impulsus, contumeliis & opprobriis expositus fuit*, secundum Prophetam; nempe cum à Persis caperetur. Neque vero hominem diserte nominavit tantum, sed & in illo nomine lusit Dionysius. Nam cum eum Καθολικὸν aliquando fuisse, nempe summæ rei Rationalem, & tamen nihil rationale aut catholicum sensisse ludens dixisset; in eodem genere scribendi pergit porro, Ηλλοτρίωσε δὲ καὶ ἀπεξένωσεν ἑαυτὸν τῆ ἐλέει τῆ Θεοῦ, καὶ ὡς πορρωτάτω τῆς ἑαυτοῦ σωτηρίας ἐφυγάδευσεν, ἐν τούτω τὸ ἴδιον ἐπαληθεύων ὄνομα. *Alienum autem & extorrem se a misericordia Dei fecit, & quam longissime a sua se salute fugavit, in hoc exprimens veritatem nominis sui*, quod scilicet ἀπὸ τοῦ μακρὰν deductum esse voluit, quod ante per πορρωτάτω *quam longissime* expressérat. Suidas, Πορρωτέρω καὶ πορρωτάτω ἐπὶ συγκρίσεως καὶ ὑπερθέσεως, ἀντι τοῦ πάνυ μακράν. Hic certe Macrianus, quod nemo eo tempore sapientior ducum habebatur, nemo ad res gerendas aptior, vir fortis, constans, integer, probatus in repub. atque ditissimus, cujus jam pueri virtus in Italia, adolescentis in Gallia, juvenis in Thracia, in Africa jam provecti, senescentis denique in Illyrico & Dalmatia comprobata est; hic vir tantus in rep. Romana, non magus Ægyptius, cum Valerianus periculosissimo tempore optimos duces quæreret, ei facile persuasit ut Christianos desereret, & ad surgentium bellorum impetus se quamprimum præpararet.

V. Cæterum hoc anno, Valeriano IV. & Gallieno III. Cos. Valerianus Imperator, qui Christianis hactenus maxime faverat, à Macriano permotus, persecutionem excitavit; cujus initio Christianis vetitum est conventus agere, & cœmeteria adire, ut Acta Proconsulis in Africa, & Præfecti Augustalis in Ægypto referunt; unde orta est illa Germani de Dionysio Alexandrino querela, sed injusta, quod tempore hujus persecutionis nullos conventus egerit. Post hoc edictum Stephanus Papa moritur; unde & pro martyre habetur, multa de martyrio ejus leguntur, & decollatus in sua sede creditur. Pontii tamen verba prætereunda non sunt. *Jam de Xysto, bono & pacifico Sacerdote, ac propterea beatissimo martyre, ab urbe nuncius venerat*, quibus Stephanum videtur perstringere, eumque negare, aut omnino martyrium subiisse, aut si subierit, verum & beatum martyrem fuisse. Quinetiam in vetustissimo martyrum catalogo, Stephani nomen non apparet; & in depositione Episcoporum memoratur. Fateor autem Lucium Papam in depositione Episcoporum, non in martyrum catalogo inveniri; quem tamen glo-

glorioſum martyrem, ipſe Cyprianus indigitat. Utcunque ſit, hoc anno Stephanus Papa moritur: qui ſediſſe dicitur uſque Valeriano IV. & Gallieno III. ut recte in libro Pontificali ſcribitur. Et male Ricciolius in Chronico magno ſtatuit eum obiiſſe anno ſequenti, paulo ante martyrium Cypriani, quod tum ex Pontio, tum ex Cypriano clare refutatur. Male Cointeus non niſi biennio poſt, eum paſſum eſſe tradit, ex nova opinione ſua de conſulatu Fuſci & Baſſi, de qua poſtea diſputandum erit. Ante hunc annum certe mortuus non eſt, ut apparet ex epiſtola Firmiliani, hieme priori ingruente, Stephano adhuc vivente, ſcripta: & ex tertio Carthaginienſi Concilio, quod Cal. Septembribus celebratum eſt. Obiit enim ſecundo die menſis Auguſti, adeoque ante autumnum. Ita vetus depoſitio Epiſcoporum, *Quarto nonas Auguſti Stephani in Calliſti.* Tunc autem ceſſavit Epiſcopatus dies viginti duos, & ejuſdem Auguſti die viceſimo quarto circiter creatus eſt Xyſtus.

VI. Triceſimo Auguſti die, S. Cypriani confeſſio ſecuta eſt, ut referunt Acta quæ poſt Morellium & Lazium edidit Pamelius, *Imperatore Valeriano quartum, & Gallieno tertium Coſ. tertio Kalendarum Septembrium, Carthagine in ſecretario Paternus Proconſul Cypriano Epiſcopo dixit, &c.* De quibus Pontius, *Et ut quid Sacerdos Dei, Proconſule interrogante, reſponderit taceam, ſunt Acta quæ referant.* Quorum etiam meminere Epiſcopi ad metalla poſt damnati, Epiſtola ſeptuageſima nona. Et hæc Proconſulis Acta forte eadem ſunt quæ in Paſſione Cypriani, ut dixi, recitantur; quamvis permulta ejus generis in Bibliothecis lateant a viris doctiſſimis Antuerpiæ ſuo loco edenda. Neque cauſam eſſe video de iis dubitandi, cum ſint iis ſimillima, quæ eodem tempore ſub Æmiliano Præfecto Auguſtali in Ægypto ſcripta, & in Epiſtola Dionyſii apud Euſebium conſervata ſunt. Hanc S. Auguſtinus Cypriani confeſſionem vocat lib. 1. cap. 31. contra Gaudentium; & ex ipſis Actis, ut videtur, verba citat, cum ait, *His ſacris literis eruditus B. Cyprianus in confeſſione ſua dixit*, Diſciplinam prohibere ne quis ſe offerat. Hanc autem Cypriani confeſſionem primam omnino fuiſſe in Africa ſub hac Valeriani perſecutione factam, teſtantur literæ a Confeſſoribus reliquis ad ipſum poſtea ſcriptæ, qui teſtantur eum, *primos impetus non timuiſſe*, & *in acie prima* pugnantem ſpiritali gladio diabolum interfeciſſe: unde colligitur hanc Valeriani perſecutionem in Africa ante menſem Auguſtum non cœpiſſe. Finita confeſſione, *Paternus Proconſul juſſit B. Cyprianum Epiſcopum in exilium deportari.* De quo Pontius, *His tam bonis & tam piis actibus ſupervenit exilium. Excluditur interim e civitate ille qui fecerat boni aliquid pro civitatis ſalute.* Locus exilio deſtinatus erat Curubis, ut teſtantur Pontius, Acta Paſſionis, & S. Auguſtinus: erat autem Curubis in Zeugitana provincia, ſub juriſdictione Proconſulis poſita: oppidum liberum dicitur Plinio, in Actis Civitas Curubitana, & ſi non tunc temporis, certe poſtea Epiſcopalis ſedes fuit: Unde Peregrinus Curubitanus in Concilio Carthaginienſi Bonifacii. Contractius Curbi dicta videtur, unde Felix Curbitanus in Notitia Africæ, & Benenatus Curbitanus in Epiſtola ſynodica provinciæ Proconſularis. Erat autem Civitas in deſerto poſita, ut ceteri Confeſſores innuunt. *Nec ſeculi primos impetus timuit, nec ire in exilium recuſavit; nec relinquere civitatem dubitavit, nec in deſerto loco commorari horruit:* quamvis eum ut apricum & competentem locum agnoſcat Pontius exilii comes. Decimoquarto Septembris ad hunc locum exilio deſtinatum Curubin, comitante Pontio diacono deductus eſt, eodem menſis die, quo poſt anni ſpatium paſſus eſt. Quamobrem nihil inter Xyſtum, & Cyprianum commercii legitur, quod ſententiam hanc de undecim menſibus Pontificatus Xyſti maxime confirmat. Nam de communione omni inter Eccleſiam Romanam & Africanam per Stephanum ſublata, & excommunicatione adhuc durante, intelligendum eſſe non puto, quia Pontius Xyſtum tanquam bonum & pacificum ſacerdotem celebrat.

VII. Quod autem in interrogatione Cypriani Paternus Proconſul, ſe quæſiturum dixerat & alios Eccleſiæ miniſtros, haud ſegniter adimplevit: quippe qui complures epiſcopos atque presbyteros, diaconos & alios Eccleſiæ miniſtros, ab Eccleſiis ipſorum avulſos, fuſtibus cæſos aliiſque pœnis affectos ad metalla damnavit, ut ait Baronius. Et quidem quin Paternus id quod dixerat de Presbyteris Carthagine ſtatim adimpleverit, dubitari non debet: ſed quod idem epiſcopos, presbyteros & diaconos ad metalla damnaverit, aſſeri non poteſt. Ipſi in metallo conſtituti hoc non dicunt; ſed potius eum, a quo damnati ſunt, alium & a Proconſule diverſum fuiſſe indicant, dum ad Cyprianum hæc ſcribunt, *Nam quaſi bonus & verus doctor, quid nos diſcipuli ſecuti apud Præſidem dicere deberemus, prior apud Acta Proconſulis pronunciaſti.* Hic enim Præſes a Proconſule manifeſte diſtinguitur, ut in illis Senatus literis apud Capitolinum in Maximino, *proconſulibus, præſidibus, legatis, ducibus, tribunis, magiſtratibus.* Omnes enim illi, ad metalla damnati, erant Numidiæ Epiſcopi; & Præſidi ſuo, non Proconſuli ſubjecti. Proconſul Africæ Cyprianum ad exilium, Præſes Numidiæ epiſcopos Numidas ad metalla damnavit; uterque curavit ut eos intra ſuæ juriſdictionis limites retineret. Locum igitur in quem deportati ſunt epiſcopi Numidæ, non puto fuiſſe apud Sigam civitatem Mauritaniæ Tingitanæ, ut voluit Vir doctus, de qua re poſtea.

VIII. Cyprianus autem cum ſuis exul Curubi conſtitutus, revelationibus divinis ante aſſuetus, viſionem accepit de martyrio ſuo tempore ſecuturo, obſcuram quidem illam, ſed ſatis recte ab ipſo intellectam, quam Pontio diacono ſuo, tanquam idoneo teſti indicavit. Ac primo Juvenis illi apparens quaſi ante tribunal Proconſulis conſiſtenti, & manu ictum ſolitæ animadverſionis imitatus, ſententiam paſſionis quaſi jamjam futuram oſtendit. Sed cum Cyprianus frequenter peteret ut dilatio vel unius diei prorogaretur; Juvenis mox conceſſam dilationem, quæ in craſtinum petebatur ſignificavit. Hæc ſumma viſionis; ſed ille dies unus dilationis conceſſus; revera ſignificavit annum, quem ille poſt viſionem acturus fuerat. Nam eo die poſt exactum annum coronatus eſt, quo hoc illi ante annum fuerat oſtenſum, Pontio tum interprete, tum oculato teſte.

IX. Interea Præſes Numidiæ finitimæ provinciæ, Proconſule Africæ longè ferocior novem epiſcopos, cum presbyteris, diaconis & fratribus, Chriſti nomen confeſſos, primum fuſtibus cædit, dein ad metalla damnat. Hæc autem metalla extra provinciam Numidiæ in Mautitania Tingitana collocat Baronius; quod metallum diceretur Sigenſe, proximi autem Sigæ eſſent montes Chalcorychii dicti, apud quos erant æris fodinæ quarum meminit Strabo. Erat quidem Siga antiquitus in Mauritania Tingitana Syphacis regia, *ſed alterius jam Mauritaniæ*, ut ait Plinius, nempe Cæſarienſis, ut poſtea apud Ptolemæum, in ea provincia Σίγα πόλις κολωνία. Sed æris fodinas Sigæ proximas non memorat Strabo, tantum de Mauritania loquens, & mira nonnulla commemorans, hæc habet, Ἐςι δέ τι καὶτόθι καὶ ἀσφάλτου πηγὴ, καὶ χαλκωρυχία, *Quin & alicubi illic eſt & bituminis fons & æris fodina.* Nullam igitur hinc memo-

memoriam habemus Sigenſis metalli. Neque vero hoc metallum, de quo agitur; Sigenſe dicitur, ſed Siguenſe: unde Holſtenii viri doctiſſimi conjectura multo veriſimilior eſt, qui Siguienſe vel Siguitenſe fuiſſe, & ad Siguitam pertinuiſſe putat, quæ in Numidia ſedes Epiſcopalis fuit, unde Creſconius in Carthag. Coll. Siguitenſis, & Victor Siguitanus in Notitia Africæ. Præterea hi Epiſcopi in tribus diverſis & diſtinctis metallis videntur fuiſſe conſtituti, quorum unum tantummodo Siguenſe dicebatur. Nam cum Cyprianus ad omnes Epiſcopos ſimul unica Epiſtola ſcripſerit, & ſubſidium per eoſdem nuncios omnibus miſerit: illi tribus tamen reſpondent, acceptas literas & ſubſidium ſeparatim agnoſcentes; quinque Epiſcopi primo; dein Lucius, &, ut inquit, *qui mecum ſunt omnes;* ac tertio, tres Epiſcopi *cum Presbyteris & omnibus nobiſcum commorantibus apud metallum Siguenſe.* Videntur igitur in tria metalla diſtributi Confeſſores, quorum unum tantummodo nominatur Siguenſe. Plurima enim per Africam erant metalla. Ut Conſtantinus A. ad Maximum Rationalem Africæ, *Secandorum marmorum ex quibuſcunque metallis volentibus tribuimus facultatem.* In Numidia magna marmorum copia fuit, de quo Plinius, *Nec præter marmoris Numidici ferarumque proventum aliud inſigne.*

X. Interim Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus, Alexandria per Æmilianum præfectum Auguſtalem pulſus, & in Cephro conſtitutus (ubi plures ad Chriſtianam fidem convertit, & frequentes conventus habuit) ad Xyſtum ſecundam ſuam de Baptiſmo ſcribit Epiſtolam: primam enim ad Stephanum miſerat. Scribit etiam ad Philemonem Romæ Presbyterum tertiam, & ad Dionyſium itidem adhuc ibidem Presbyterum quartam; eodem tempore utramque, quo ſcripſit ad Xyſtum ſecundam, ut patet ex literis ad Xyſtum datis apud Euſebium lib. 7. cap. 7. Scripſerat quidem ante ad Philemonem & Dionyſium Romanum, ſed breviter, dum illi Stephano adhærebant, unde illæ Epiſtolæ non extabant: nunc autem copioſius ſub Xyſto pacifico Sacerdote ſcripſit, cùm eos ipſos Stephani ſeveritatem minime tueri cognoſceret. Illuſt. Cardinalis Epiſtolam ad Philemonem cujus pars inſignis extat, cum altera ad Dionyſium Presbyterum tradit exaratam & miſſam eſſe ſub Pontificatu Stephani; plane contra mentem ipſius Dionyſii Alexandrini, qui breviter tantum ad Philemonem ſe ſcripſiſſe ſub Stephano indicat; cum fuerit hæc Epiſtola, ut ex ipſis fragmentis patet, ſane prolixa. Sic enim, cum haud pauca recitaſſet, loquitur Euſebius, πάλιν δὲ ἐπιπολὺ γυμνάσας τὸ πρόβλημα ταῦτα ἐπιλέγει. *Rurſus autem, cum quæſtionem abunde ventilaſſet, hæc addit*, vel *ſubdit*, non *concludit in hunc modum*, ut Valeſius interpretatur. Idem enim eſt hoc loco ἐπιλέγει, quod paulo ante ἐπιφέρει λέγων, idque vox πάλιν aperte oſtendit; non enim rurſus concludit, ſed rurſus ſubdit. Idem etiam contra mentem Euſebii factum eſt, qui hanc Dionyſii Epiſtolam τρίτην τῶν περὶ βαπτίσματος, *earum quas de baptiſmo ſcripſit tertiam* vocat; eam autem quam ad Xyſtum jam Pontificem dedit, ſecundam appellat. Quomodo vero tertia ſub Stephano, ſecunda ſub Xyſto ſcribi potuit?

XI. Quinetiam ſub finem hujus anni, ut videtur, idem Dionyſius quintam ordine ad Xyſtum ſcribit Epiſtolam de Baptiſmo; ad Xyſtum quod pertinet, ſecundam: quam inverſo ordine Baronius, creato Xyſto Romano Pontifice quaſi ſtatim ſcriptam adducit, & inde Dionyſium erroris pœnitentem, quod à Stephano reprehenſus eſſet, exhibet & exponit. Sed non minus ſenſum quam ordinem illius Epiſtolæ pervertit, ut inde pœnitentiam Dionyſio imponeret. Alius in illa plane ſcrupulus; an qui diuturnum Euchariſtiæ in Eccleſia uſum habuerat, per baptiſmum renovari deberet; quod ſe apud hæreticos nefarie tinctum diceret. Eum ſe non auſum eſſe baptizare fatetur Dionyſius, quod diuturnam communionem ſufficere putaret. Sed cum ſcrupulus ille animo hominis altius hæreret, nec ut ad menſam ſacram accederet, adduci potuit; ſententiam Xyſti in hac re expetit Dionyſius. Hæc pœnitentiæ ejus ſumma.

A. D. CCLVIII. — *Tuſco & Baſſo* COSS. — *Period. Jul.* 4971.

HIC Conſulatus eſt omnium notatu digniſſimus, & ad hiſtoriam Eccleſiaſticam rectè intelligendam maxime utilis, imo neceſſarius. Huic enim affigitur tum Xyſti Pontificis Romani, tum S. Cypriani martyrium ex indubitatis antiquæ hiſtoriæ monumentis: neque alius ante hunc Conſulatus rei alicujus hiſtoricæ in Eccleſia illuſtris certa illigatione nobilitatus eſt. Quare cum ad hunc annum pervenitur, Chronologorum induſtria maxime ſudat ut calculos ſuos cum his Coſs. rectè componant; quod cum, ſi quibus forte erroribus teneantur, facere non poſſunt, Conſules ipſos loco ſuo movent, & Faſtos pro arbitrio violant ut eos quiſque ad ſententiam ſuam trahat. Interim moneo, Tuſcum & Baſſum Coſs. poſt Valerianum IV. cum Gallieno III. & ante Æmilianum cum Baſſo immediate ponendos eſſe. Eo enim ordine collocantur in antiquiſſimis Faſtis apud Cuſpinianum, in optimo libello de Præfectis Urbi, in Faſtis Idacianis, in Chronico Proſperi & Caſſiodori, in Canone Victorii, & Faſtis Siculis & Græcis MSS. D. Voſſii. Cointeus tamen pro his Coſſ. poſt Valerianum IV. & Gallienum III. collocat Æmilianum & Baſſum, & poſt eos Secularem & Donatum, ac denique Tuſcum & Baſſum contra omnes Faſtos metachroniſmo biennii: de qua re, aliorumque nimia in eradendis, commutandis tranſponendiſve, hoc præſertim loco, licentia agam in Appendice, quam his Annalibus addere cogor, ne rerum Cypriani ſeriem prolixis diſſertationibus perturbem.

II. Quid Cyprianus exul fecerit hoc anno neſcimus, & de Xyſto ferè nihil habemus. Hic tamen mihi aurem vellit Philippus Labbeus, & admonuit ut aliquid de Xyſto ſcriberem. Ille enim de Xyſto agens hoc anno, primus & ſolus, ut opinor, annotavit, *XXIX. die Junii levata fuiſſe è Catacumbis SS. Petri & Pauli corpora*, nullamque ſuæ ſententiæ rationem addidit, nullam obſervationis novæ utilitatem propoſuit: quamvis & ratio haud mala, & utilitas haud parva ſubeſſe videatur. Ratio, ſi rectè capio, in antiquiſſima depoſitione martyrum continetur; ubi hæc leguntur, *Tertio Kalendas Julii, Petri in Catacumbas, & Pauli Oſtienſe, Tuſco & Baſſo Coſs.* Et ad marginem Bucherius, *Neſcio quid hic ſibi velint hi Conſules, forte aliunde luxati.* Scilicet ex communi ſententia, Petrum & Paulum hoc die paſſos eſſe putavit, quorum paſſionem cum ſub Nerone contigiſſe omnes noverint, quid hi Conſules hic facerent videre non potuit. Verum enimvero non de paſſionis, ſed tranſlationis tempore hic agitur. Apoſtolos paſ-

ſos Nerone & Vetere Coſs. Tuſco & Baſſo Coſs. tranſlatos eſſe docuit ſub Xyſto Auctor depoſitionis Martyrum. Idem voluit geſtorum Pontificalium Auctor, ſed Epiſcopos permutavit, ut ſæpe ſolet, & pro Xyſto Cornelium, utpote notiorem poſuit. Sic enim ille, *Hic temporibus ſuis rogatus à quadam matrona corpora Apoſtolorum Petri & Pauli levavit noctu.* Inde Pſeudo-Iſidorus eandem hiſtoriam fictitiæ Cornelii Epiſtolæ inſeruit. Neque erat huic narrationi fides abroganda propter auctoritatem Gregorii magni; cum hiſtoria, quam ille narrat, nulla omnino fide digna ſit. Caius quidem, qui circa A. D. CC. ſcripſit, oſtendit Apoſtolorum trophæa tunc temporis in Vaticano & Oſtienſi aſſervata fuiſſe. Hæc igitur trophæa, qualiacunque fuere, in Catacumbas tranſtuliſſe videtur Xyſtus, magis indies ſæviente perſecutionis ardore, ut ibi ſtationes tutius haberi poſſent. Hujus obſervationis utilitas diem reſpicit, quo facta eſſe dicitur tranſlatio, nempe tertium Kalendas Julii; quo die vulgo putant eos Apoſtolos paſſos eſſe, contra Veterum ſententiam, qui ultimo Neronis anno eorum martyrium aſcribunt. Ultimo enim Neronis anno, viceſimo nono Junii pati non potuere, quia ipſe Nero ſexto die Junii periit. Sed ſi alio die depoſitio facta eſt, alio tranſlatio, quam ſecuta eſt poſtea ſolennitas; ſalva erit Veterum ſententia. Et ſane ante Pſeudo-Iſidori ætatem, ante geſta Pontificalia, natalibus SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, alius dies aſſignabatur. Nam Polemius Sylvius in laterculo ſuo ſacra profanaque Feſta continente, A. D. CCCCXLIX. evulgato, hæc habet, *VIII. Cal.* (Martii) *depoſitio SS. Petri & Pauli.* De qua varietate alibi latius à nobis diſputatum eſt.

III. Sub initio hujus anni, priuſquam ingraveſceret Valeriani perſecutio, Dionyſius, à Cephrone in Mareoticen juſſu Æmiliani deductus, & Eccleſia Alexandrina ſcribunt ad Xyſtum Pontificem & Eccleſiam Romanam, ſextam de Baptiſmo Epiſtolam, quæ quinta in verſione Valeſii minus recte dicitur, cum poſt quintam ἄλλη ab Euſebio dicatur: in qua & ſuo & Eccleſiæ ſuæ nomine de baptiſmo hæreticorum, contra ſententiam Stephani, ſine dubio, latius & liberius diſſeruit.

IV. Cæterum Valerianus, ſenex Imperator, cum in deligendis reip. ducibus egregiam operam poſuiſſet, & exercitum ad expeditionem contra Perſas comparaſſet, primo vere apud Byzantium milites duceſque congregavit, hoc certe anno, Memmio Fuſco Conſule ordinario. Hoc certiſſime colligitur ex libris Acholii, qui Magiſter admiſſionum Valeriani principis fuit, apud Vopiſcum in vita Aureliani. *Cum conſediſſet Valerianus Auguſtus in thermis apud Byzantium præſente exercitu, præſente etiam officio Palatino, aſſidentibus Memmio Fuſco Conſule ordinario, Bebio Macro Præfecto prætorii, Q. Ancario Præſide Orientis.* Cum enim hoc factum eſſe tradat Acholius, Conſule ordinario Memmio Fuſco aſſidente, ambigendum non eſt quin hoc anno Valerianus Imperator Byzantii fuerit cum exercitu, jam quidem collecto, nondum adverſus Saporem ducto, ſed mox in Perſas per Aſiam & Orientem ducendo. Quod quidem ad res tum in Eccleſia, tum in Rep. ea tempeſtate geſtas recto ordine explicandas notatu dignum fuit. Cum enim Antiochiam tenderet Valerianus, Macriano totam remp. credidit, ut ipſe oratione ad Senatum è Perſidis finibus miſſa teſtatur, apud Pollionem. *Ego P. C. bellum Perſicum gerens, Macriano totam remp. credidi*, quod, (vel *quidem*) *a parte militari. Ille vobis fidelis, ille mihi devotus, illum & amat & timet miles.* Unde ratio optima redditur cur hoc potiſſimum tempore perſecutio maxime ſub Valeriano ſæviret. Nam unius Macriani ſuaſu primo incepit, ut dictum eſt: nunc autem ab eodem incitatus Imperator, cum ei totam remp. certe militarem, credendam eſſe duxit, multo in Chriſtianos acerbior & crudelior evaſit. Atque ita tandem. *Reſcripſit Valerianus ad Senatum, ut Epiſcopi, Presbyteri & Diacones animadvertantur, Senatores vero & viri egregii, & equites Romani, dignitate amiſſa etiam bonis ſpolientur, & ſi, ademtis facultatibus, Chriſtiani eſſe perſeveraverint, capite quoque mulctentur: matronæ ademtis bonis in exilium relegentur: Cæſariani quicunque vel prius confeſſi fuerant, vel nunc confeſſi fuerint, confiſcentur, & vincti in Cæſarianas poſſeſſiones deſcripti mittantur.*

V. Reſcripto Valeriani apud Senatum propoſito, in continenti Xyſtus Romæ Epiſcopus animadvertitur, & cum eo Quartus, qui vel Presbyter vel Diaconus fuiſſe videtur. Nam de iis Eccleſiæ ordinibus reſcriptum ſine ulla reſtrictione id mandaverat. Actum autem hoc eſt Auguſti VI. die Dominico, dum Xyſtus ob difficultatem temporis in cœmeterio divina perageret. Depoſitio martyrum apud Bucherium, *Octavo Idus* (Auguſti) *Xyſti in Calliſti.* Idem etiam in vetuſtiſſimo Catalogo notatur. Imo Cyprianus ipſe in epiſtola ad Succeſſum idem ſtatim docuit. *Xyſtum autem in cœmeterio animadverſum ſciatis octavo Iduum Auguſtarum die, & cum eo Quartum.* Hæc Cyprianus, cum *jam de Xyſto bono & pacifico paſtore, ac propterea beatiſſimo martyre ab Urbe nuncius venerat*, ut loquitur Pontius. Et de die conſentiunt Martyrologia: quanquam de Xyſto hiſtoria Epiſcoporum Antiſſiodorenſium hæc habet, *Iſtic beatiſſimus Pontifex, nimia jam perſecutione ſæviente, ab Urbe quidem eſt egreſſus, ſed martyrium ſuum capitis abſciſſione complevit, ſub die decimo ſexto Kal. Julias, Imperatoribus Gallieno & Valeriano, Æmiliano & Baſſo Coſs.* Hæc autem tum de die tum de anno aperte falſa ſunt. De die tamen poſt ea quæ diximus, dubitari non poteſt; de anno cum alii tum viri doctiſſimi Scaliger & Petavius varie errarunt. *Ego*, inquit Scaliger ad Euſebium, *cenſeo Xyſtum Valeriano IV. & Gallieno Coſs. ſequenti autem anno, Tuſco & Baſſo Coſs. Cyprianum paſſum.* Putavit, opinor, reſcriptum Valeriani, quod *caput illius perſecutionis* vocat, ſub ipſo initio perſecutionis prodiiſſe; quæ cum Valeriano IV. & Gallieno III. Coſs. inceperit, eodem anno Xyſtum paſſum eſſe dixit. Utcunque ſit, eodem quo Cyprianus obiit anno paſſum eſſe Xyſtum, tum ex Cypriano, tum ex Pontio, qui interfuit, conſtat, & quidem ante Cyprianum. E contra Petavius uno anno poſt paſſionem Cypriani deceſſiſſe Xyſtum ſtatuit libro de Doctrina temporum decimo tertio: & pejus adhuc biennio Ricciolius in Chronico magno. His enim Coſs. beatus Pontifex certiſſime martyrii coronam accepit, ut Vetuſtiſſimus catalogus de Xyſto: *Sedit uſque Tuſco & Baſſo, & paſſus eſt VIII. Idus Auguſti.* Petavium poſtea errorem ſuum correxiſſe video in Rationario temporum lib. 5. cap. 18. ubi docet Sixtum poſt annum unum menſes fere duos obiiſſe, A. D. CCLVIII. Quanquam de duratione Pontificatus ne ſic quidem ei aſſentior. Nam Auguſto menſe anni prioris ineunte defunctus eſt Stephanus, eodemque menſe exeunte ordinatus eſt Xyſtus, & ejuſdem hujus anni menſis die ſexto, martyrio coronatus, ut duodecim plenis menſibus haud ſederet. Vetuſtiſſimus Catalogus recte ei tribuit *menſes undecim, dies ſex*; ſed in eo corrupti adduntur anni duo, ex Conſulatu prius corrupto, Valeriani III. & Gallieni II. pro IV. & III. ut diximus. Euſebius in Chronico ut nunc editur, annos ei VIII. tribuit, Syncellus IX. Hiſtoria autem

autem Eusebiana Pontificatui ejus annos XI. assignat, (neque ei Dionysius ante annum undecimum in ipso Chronico successisse dicitur) cum menses totidem potius tribuendi essent. Enimvero novum non est Græcos, in rebus Romanis hospites, annos pro mensibus ponere; ut Georgius Syncellus τριετῆ χρόνον imperio Æmiliani assignat, quem Latini per tres menses, aut quatuor, tantum imperasse tradiderunt. Certe ad historiæ veritatem confirmandam Xystum ante Cyprianum passum asserendum erat. Nusquam enim Xysti meminit Cyprianus nisi ubi de ejus martyrio loquitur. Cujus rei optima ratio reddi potest, quod eodem fere tempore, quo Xystus Romæ ordinatus, Cyprianus in exilium relegatus est.

VI. S. Cyprianus de martyrio Xysti certior factus, eodem die cum Xysto passum esse Quartum docet, in Epistola ad Successum statim scripta, quod ex hoc loco Auctor Martyrologii quod Bedæ tribuitur, recte collegit, neque aliunde hausit, ut ex ipsius verbis apparet, *Passus est cum eis & beatus Quartus, ut scribit S. Cyprianus.* Sed dum Felicissimum & Agapitum, Xysti Diaconos fuisse, & eodem die passos esse tradit, omnino fallitur. Aliud verba Cypriani quæ sequuntur suadent. *Sed & huic persecutioni quotidie insistunt præfecti in Urbe, ut si qui oblati fuerint animadvertantur, & bona eorum fisco vindicentur.* Institisse persecutioni quotidie præfectos docet, sed præter Xystum & Quartum neminem tunc, cum literæ Roma scriptæ sunt, passum esse innuit. Quamobrem cum eodem die & Martyrologia & Missale Felicissimum & Agapitum quasi Diaconos Xysti simul passos esse tradunt, eorum auctores secundus Catalogus decepit. Illum hujus erroris fontem fuisse ex Beda constat. *Decollati sunt cum eis & alii quatuor, ut in Gestis Pontificalibus legitur, Januarius, Magnus, Vincentius, Stephanus, subdiaconi*, eademque gesta Pontificalia citat Ado Viennensis. Error secundi Catalogi, quod Felicissimum & Agapitum spectat, ex mala vetustissimæ depositionis martyrum interpretatione ortus est, cujus hæc verba sunt, *Octavo Idus* (Augusti) *Xysti in Callisti, & Prætextati, Agapiti & Felicissimi.* Sed nullum ex his Diaconum fuisse dicit, nullum cum Xysto passum esse tradit; eodem tantum die horum omnium stationes habitas esse ostendit; quod recte fieri potuit, licet nec eodem loco, nec eodem anno passi sint. Quid quod secundi catalogi Auctor Felicissimum & Agapitum Xysti Diaconos indigitat, quod nemo ante dixit; imo & quatuor prorsus inauditos addit; quos simul sex Diaconos facit, & cum Xysto truncatos asserit VIII. Idus Augusti: alii quatuor posteriores, subdiaconos faciunt. Hæc ut defenderet Baronius (quippe omnia quæ in tabulis Ecclesiasticis scripta sunt, ut loqui amant, defendi debent) duo effugia adversus Cypriani verba excogitavit, qui solius Quarti cum Xysto passi meminit. Primo mentionem Diaconorum & subdiaconorum, à Cypriano idcirco prætermissam putat, quod non eodem loco passi esse videantur, quod Xystus in Cœmeterio Callisti, reliqui in Cœmeterio Prætextati sepulti sint. Verum si diversis cœmeteriis sepulti fuerint, potuerunt tamen eodem loco truncari. Neque aliter senserunt qui hæc nobis narrarunt. *Sanctos vero Sixtum, Felicissimum & Agapitum duxerunt in clivum Martis ante templum, & ibi decollati sunt VIII. Idus Augusti*, ut ait Ado Viennensis. Et idem etiam tradunt Acta Laurentii, sed falso. Non enim in clivo Martis, sed in cœmeterio animadversus est Xystus, ut Cyprianus ipse docet. Sed & illud de cœmeterio Prætextati prorsus incertum est. Primus qui hos Diaconos in eo cœmeterio sepultos esse docuit, est secundi Catalogi Auctor, qui errorem eum ex verbis depositionis Martyrum nuper citatis derivasse videtur. Ubi legimus *& Prætextati*, (quod indicat Prætextatum eodem die passum esse) ille legisse videtur *& in Prætextati*, quod significaret in ejus cœmeterio celebratos esse natales Agapiti & Felicissimi. Sed demus veriorem ibi lectionem esse, *& in Prætextati*, non tamen loci distantia aut diversitas tanta fuit, ut qui certo cognosceret Xystum passum esse in Cœmeterio Callisti; nescire posset diaconos ejus in cœmeterio Prætextati truncatos esse. Nam utrumque cœmeterium in via Appia fuit; imo hoc Prætextati illi Callisti adhærebat, & quasi pars fuit, ut testatur Aringhus. Quod etiam secundo comminiscitur, nuncios Cypriani adeo festinanter rediisse ut omnes præter Xystum & Quartum eadem die in Urbe passos haud facile compertos habuerint, verisimilitudine omni caret. An enim duo Diaconi, & quatuor subdiaconi; vel, ut alii volunt, sex Diaconi eodem die truncari potuere; & nuntios illos, qui nihil aliud in mandatis habuerunt, quam ut omnia diligenter observarent, latere? An Laurentius septem Diaconorum primus, Xysti jamjam morituri lateri adhærere potuit, cum reliqui omnes capite mulctati sunt. Atque hæc de martyrio Xysti boni & pacifici sacerdotis dicta sufficiant.

VII. Cum autem S. Cyprianus exul Curubi per undecim fere menses constitutus fuisset, bonis suis minime privatus ex indulgentia ipsorum, qui ejecerant & occisuri erant; utriusque nempe Proconsulis: crescente jam persecutionis ardore, Maximus Proconsul eum Curubi accersivit, ab exilio revocavit, & in hortis suis remanere permisit; plane ut Æmilianus Præfectus Augustalis Ægypti, Dionysium ab exilio apud Cephronem revocavit, & in Colluthionis regione, non longe ab Alexandria, collocavit, quo citius eum comprehendere posset. Proconsul autem ipse Uticam Carthagine, alteram quasi Proconsulis sedem, profectus est; & Cyprianus cum multa varia & incerta ventilarentur, nuncios Romam misit ut exploratam sibi veritatem referrent. Qui reversi, non tantum Rescripti à Valeriano ad Senatum missi exemplar retulerunt, sed & exemplum literarum, quas ad Præsides provinciarum de Christianis fecerat, eidem subjectum esse indicarunt. Quare Proconsul literis Uticæ acceptis, quæ quadraginta milliaribus à Carthagine non distabat, Frumentarios misit, qui Cyprianum Uticam perducerent; ut de se loquitur Dionysius Alexandrinus. Τοῦ κατὰ Δέκιον προτεθέντος διωγμοῦ Σαβῖνος αὐτῆς ὥρας Φρυμεντάριον ἔπεμψεν εἰς ἀναζήτησίν μου. Hos cum ad se comprehendendum missos esse intelligeret Cyprianus, ex hortis secessit; non ut mortem evitaret, sed ut Carthagine potius quam Uticæ, quæ alterius Episcopi etiam tum sedes fuisse videtur, (nam Concilio Arelatensi primo interfuisse dicitur Victor Episcopus de civitate Utica) pateretur: hanc justam interveniisse causam ratus, eo quod convenit Episcopum in ea civitate, in qua Ecclesiæ Dominicæ præest, illic Dominum contestari, & plebem universam Præpositi præsentis, confessione clarificari. Quare in secessu abdito constitutus adventum Proconsulis Carthaginem redeuntis expectavit, auditurus ab eo quid Imperatores super Christianorum Laicorum & Episcoporum nomine mandaverunt. Nam licet literæ ad præsides provinciarum de persecutione Christianorum, à solo Valeriano in Oriente factæ essent, utriusque tamen Imperatoris nomine ex more consignatæ sunt.

VIII. S. Cyprianus in hoc abdito secessu constitutus, ultimam Epistolam scribit ad Presbyteros, Diaconos, & plebem universam Carthaginiensem, in qua hæc verba habet, *Quid autem de cetero nos observare conveniat, antequam in me super confessio-*

ne nominis Dei Proconsul sententiam ferat, instruente Domino in commune disponemus: ex quibus colligere voluit Blondellus, pro Presbyterorum potestate in Apologia disputans, S. Cyprianum *partita cum comministris cura ac potestate plebem Carthaginiensem gubernavisse.* Quæ ex hoc loco nulla arte exculpi possunt. Si enim Cyprianus eo tempore potestatem suam Episcopalem partitus est; non Presbyteris tantum, sed etiam Diaconis: nec illis solum, sed etiam plebi, quam gubernabat, potestatem suam communicavit. His enim verbis & Presbyteros, & Diaconos & plebem universam allocutus est. Certe in commune disponere quid observare conveniat, non est sua potestate se exuere, aut ejus parte aliqua alios donare, neque ad Episcopalem gubernationem ullo modo spectat. De dispositione rerum tum suarum tum Ecclesiasticarum loquitur. Quis illi tunc animus fuit satis aperte nobis ostendit Pontius ipsius Diaconus, qui in hunc modum rem omnem exprimit, *Quæ vero res illi, aut quæ voluntas ordinandi nisi Ecclesiastici status? Suprema iccirco accepta dilatio est, ut quicquid circa pauperum fovendorum curam supremo judicio disponendum fuerat, ordinaretur.*

IX. Interim Proconsul Utica revertitur apud Carthaginem, provinciæ suæ caput, & Ecclesiæ Africanæ metropolin, ex novis literis Imperialibus instaurandam persecutionem auspicaturus. Quocirca S. Cyprianus de adventu ejus certior factus, quamprimum ex abdito secessu prodiit, & ad hortos suos reversus est. Ac sperabatur jam jamque carnifex veniens qui devota sanctissimæ victimæ colla percuteret: sed viri ex civitate præcipui, etiam Gentiles, rei atrocitate permoti, & veteris consuetudinis memores, Tascium suum imminente mortis periculo liberare conati sunt. Quippe conveniebant plures egregii & clarissimi ordinis & sanguinis, sed & seculi nobilitate generosi, qui propter amicitiam ejus antiquam secessum subinde suaderent: & ne parum esset nuda suadela, etiam loca, in quæ secederet, offerebant. At sanctissimus Antistes nec eorum consilio, nec fidelium precibus annuebat; sed è contra servos Dei exhortationibus Dominicis instituebat, & ad calcandas passiones hujus temporis contemplatione supervenientis claritatis animabat. Cum ecce Proconsulis jussu ad hortos ejus, veritus ne iterum se subduceret, repente subitavit cum militibus suis Princeps, Princeps, inquam, officii, cum militibus suis. Nam erant in officio Proconsulis loco Statorum, ut in Digestis legimus lib. 1. tit. 16. *Nemo Proconsulum statores suos habere potest, sed eorum milites ministerio in provinciis funguntur.* Erant autem milites illi cohortalini, non armatæ, sed cohortalis militiæ. Ad Principis adventum processit Cyprianus, jam certus expungi, quod diu fuerat retardatum. Processit animo sublimi & erecto, hilaritatem præferens vultu & corde virtutem, ac ad prætorium deductus est. Sed jussu Proconsulis dilatus in crastinum ad domum Principis à prætorio revertebatur; ubi eum una nocte continuit custodia delicata, ita ut convivæ ejus & cari in contubernio ex more fuerint. Solebant enim Romani Præsides martyribus veniam concedere, ut ante passionem etiam in carcere cum suis liberis cœnarent. Sic in Passione Perpetuæ, *Horruit & erubuit Tribunus, & ita jussit illos humanitus haberi, ut fratribus ejus & ceteris facultas fieret introeundi & refrigerandi cum eis:* hanc autem *cœnam liberam* vocabant. Quinetiam plebs concurrebat undique ad spectaculum, tota solicita ne per noctem aliquid, sine conscientia sui fieret, ante fores Principis excubabat. Cum concessit S. martyri divina tunc bonitas vere digno, ut Dei populus etiam sacerdotis passione vigilaret, ut acute observat Pontius, quia in solius Domini passione vigilare solebant. Aliæ tunc statæ & solennes vigiliæ erant inter Catholicos nullæ. Basilidiani quidem hæretici diem baptismi Christi festum cum vigilia celebrabant, non Catholici. Οἱ δὲ ἀπὸ Βασιλείδου καὶ τοῦ βαπτίσματος αὐτοῦ τὴν ἡμέραν ἑορτάζουσιν, προδιανυκτηρεύοντες ἀναγνώσεσι, inquit Clemens Alexandrinus Strom. l. 1.

X. Die crastino S. Cyprianus egressus est domum Principis, & agminibus multitudinis mixtæ ex omni parte circumvallatus, iterum ad prætorium venit; ubi illi, nondum procedente Proconsule, sedile oblatum est, fortuito linteo tectum, ut sub ictu passionis Episcopatus honore frueretur. Etenim tunc temporis Episcopi linteatis sedilibus utebantur. Ita Pacianus in Epistola secunda ad Sempronianum, *An Novatianus, quem absentem, consecrante nullo, linteata sedes accepit.* Linteata Paciano sedes est, quæ apud Pontium linteo tecta: quam Græci θρόνον ἐσολισμένον ἐπισοπικῶς, Augustinus *cathedram velatam* vocat. Subito autem Proconsuli nunciatus est, producitur, admovetur, interrogatur de suo nomine; & hactenus verba. Ita breviter Pontius, iterum lectorem remittens ad Acta Proconsulis tunc omnibus nota, quæ aut hæc aut hujusmodi fuere, ut tum Passio ejus, tum Homilia S. Augustini perhibent. Proconsul Cypriano Episcopo dixit, *Tu es Tascius Cyprianus?* Cyprianus Episcopus respondit, *Ego sum.* Proconsul dixit, *Tu Papam te sacrilegæ mentis hominibus præbuisti?* Cyprianus Episcopus respondit, *Ego.* Proconsul dixit, *Jusserunt te sacratissimi Imperatores ceremoniari.* Cyprianus Episcopus dixit, *Non facio.* Galerius Maximus ei, *Consule tibi.* Cyprianus Episcopus respondit. *Fac quod tibi præceptum est. In re tam justa nulla est consultatio.* Hactenus verba. Hæc erat Confessio nominis. Tunc Proconsul, collocutus cum consilio, sententiam vix ægre dixit verbis hujusmodi. *Diu sacrilega mente vixisti, & plurimos nefariæ tibi conspirationis homines aggregasti, & inimicum te Diis Romanis & sacris legibus constituisti. Nec te pii & sacratissimi Principes Valerianus & Gallienus Augusti & Valerianus nobilissimus Cæsar, ad sectam ceremoniarum suarum revocare potuerunt. Et ideo cum sis nequissimorum criminum auctor & signifer deprehensus, eris ipse documento his, quos scelere tuo tecum aggregasti; sanguine tuo sancietur disciplina.* Hæc referuntur in Passione; & sane aut his aut ejusmodi verbis constabat sententia Proconsulis. Nam in ea sententia S. Cyprianus dictus *sectæ suæ signifer, & inimicus deorum, & qui suis futurus esset documento, & quod sanguine suo inciperet disciplina sanciri,* ut testatur Pontius. His autem dictis, Proconsul decretum ex tabella recitavit, *Thascium Cyprianum gladio animadverti placet.* Cyprianus Episcopus dixit, *Deo gratias.* Et cum exiret prætorii fores, ibat comes militum turba, & centuriones ac tribuni, cohortalini nempe, (omnia enim fere armatæ militiæ nomina cohortalis militia usurpavit) latus tegebant, donec ad agrum Sexti perventum est, ubi beatissimus Martyr, in conspectu populi sui decollatus est.

X. Illustre hoc martyrium consummatum est Fusco & Basso Cos. anno æræ vulgaris CCLVIII. XVIII. Calendas Octobris, die Martis. Vetustissima Depositio martyrum, *Decimo octavo Kalendas Octobris Cypriani, Romæ celebratur in Callisti,* in illo nempe cœmeterio in quo plurium Pontificum Romanorum natales celebrari solebant. Fasti Siculi.

ΤΠ. ΤΟΥΣΚΟΥ καὶ ΒΑΣΣΟΥ.

Ἐπὶ τούτων τῶν ὑπάτων ὁ ἅγιος Κυπριανὸς ἐμαρτύρησεν πρὸ ιη Καλανδῶν Ὀκτωβρίων. Auctor ignotus apud Cuspinianum, *Consulibus Tusco & Basso passus est Cyprianus Carthagini decimo octavo Calend. Octobris.* S. Hieronymus in Catalogo, *Passus est sub Valeriano & Gallieno Principibus persecutione octava, eodem die quo Romæ Cornelius,*

lius, ſed non eodem anno, ubi eundem diem indicat. Natalis enim S. Cypriani dies omnibus erat notiſſimus, & Feſtum in honorem ejus perdiu duravit. Horum optimus teſtis Procopius, Vandalicorum libro primo. Κυπριανὸν ἅγιον ἄνδρα μάλιϛα πάντων οἱ Καρχηδόνιοι σέβονται, καὶ αὐτῷ νεών τινα λόγῳ πολλοῦ ἄξιον πρὸ τῆς πόλεως ἱδρυσάμενοι, παρὰ τὴν τῆς θαλάσσης ἠϊόνα, τά τε ἄλλα ἐξοσιοῦνται, καὶ ἄγουσιν ἐνιαύσιον ἑορτὴν, ἣν δὴ Κυπριανὰ καλοῦσι. *Cyprianum virum ſanctum omnium maxime Carthaginienſes colunt; & templum ei quoddam ſane præclarum ante urbem ædificantes, ad littus maris, cum alia ſacra faciunt, tum annuum Feſtum celebrant, quod Cypriana vocant.* Duæ autem Eccleſiæ ante ea tempora memoriæ S. Cypriani dedicatæ fuerant, ut refert Victor, circa Carthaginem. Geiſericus enim, *etiam foris muros quaſcunque voluit* [Eccleſias] *occupavit, & præcipue duas egregias & amplas S. Martyris Cypriani: unam ubi ſanguinem fudit, aliam ubi ejus ſepultum eſt corpus, qui locus Mappalia vocitatur.* Tempus etiam quo Natalis hujus Martyris celebratur, ex ipſo Procopio haud difficulter colligi poteſt. Notat enim tempeſtatem eo anni tempore oriri ſolere, quam ideo nautæ τὰ Κυπριανὰ vocabant. Eo autem tempore Beliſarium tradit cum exercitu Africam intraſſe; diem quidem aut menſem non nominat, ſed ſatis aperte indicat libro ſecundo. Ἡ μὲν οὖν μάχη καὶ δίωξις ἥδε καὶ τοῦ Βανδίλων ϛρατοπέδου ἡ ἅλωσις τρισὶ μησὶν ὕϛερον γέγονεν ἢ Ῥωμαίων ϛρατὸς ἐς Καρχηδόνα ἦλθε· μεσοῦντος μάλιϛα τοῦ τελευταίου μηνὸς, ὃν Δεκέμβριον Ῥωμαῖοι καλοῦσι. Hoc eſt, tribus menſibus confectum eſt bellum contra Vandalos poſtquam exercitus Romanus Carthaginem venit, medio menſe Decembri; Ergo Beliſarius medio menſe Septembri Carthaginem cepit, quo tempore Natalis S. Cypriani celebratus eſt. Reliqua quæ de hoc beatiſſimo Martyre dici poſſent, ad Annales minus pertinent.

APPENDIX.

A. D. CCLIX. *Æmiliano & Baſſo* COSS. *Period. Jul.* 4972.

HOs Coſs. hic collocandos eſſe ex omnium Faſtorum auctoritate ſtatuo. Baronius, Petavius & Cointeus eorum loco ponunt Gallienum IV. & Valerianum (Cæſarem nempe) Æmiliano & Baſſo aut penitus rejectis, aut alieno loco poſitis. Ut horum ſententiis quaquaverſum occurram, & vulgarem ordinis ſeriem ſartam tectam conſervem; primo ſtatuendum eſt Æmilianum & Baſſum ex Faſtis Conſularibus minime eliminandos, ſed pro ordinariis Conſulibus ſub imperio Valeriani & Gallieni agnoſcendos eſſe, contra ſententiam Ill. Annaliſtæ. Nam conſtitutiones & reſcripta Imperatorum non aliis quam ordinariis Conſulibus ſignari ſolebant. Sed Valeriani & Gallieni reſcripta Æmiliani & Baſſi nominibus in Codice Juſtinianeo ſæpiſſime conſignata reperiuntur, Cod. 2. tit. 3. *Impp. Valer. & Gallien. A. A. & Valerianus nobiliſſ. Cæſ. Pactumeio.* Cui ſubſcribitur, *PP. X. Kalend. Martii Æmiliano & Baſſo Coſs.* & ejuſdem Codicis tit. 4. ſimiliter. Codice etiam tertio, & quarto, & quinto, & ſeptimo, & octavo, & decimo ſub iiſdem Imperatoribus, iidem Coſs. nominantur; nono etiam ter repetuntur. Quinctiam in Codicis Gregoriani excerptis quæ extant, Æmilianus & Baſſus Coſs. ter nominantur. Quorum Reſcriptorum unum etiam in veteri Conſultatione cujuſdam Juriſperiti reperitur. Qui autem toties reſcriptis eorundem Imperatorum affixi ſunt, ex Faſtis Conſularibus, in quibus ſedem immotam hactenus & merito obtinuere eliminari pro arbitrio aut ex conjectura non debent. Sed Baronius putat Æmilianum & Baſſum perperam poni tanquam diſtinctos Coſs. à Tuſco, ſeu Fuſco, & Baſſo; adeoque Caſſiodorum alioſque deceptos eſſe, cum Conſulatus diſtinguerent. Sed leviſſima hæc conjectura eſt, & facillime refellitur. Nam in eodem Codice Juſtinianeo ad eorundem Imperatorum reſcripta Tuſcus & Baſſus octies nominantur, in illis ſubſcriptionibus quæ ſunt ipſis Imperatoribus, & reſcriptis coævæ. Et quod maxime obſervandum eſt, eodem loco, Cod. 9. tit. 22. primo Tuſcus & Baſſus, dein Æmilianus & Baſſus Coſs. memorantur. Qui quidem locus, utpote inſignis, præteriri aut leviter tangi non debet. *Impp. Valer. & Gallien. AA. & Valerian. C. Heliodoro PP. III. Kal. Jul. Tuſco & Baſſo Coſs.* Poſt quæ hæc ſequuntur. *Iidem AA & CC. Marino. PP. III. Kal. Jul. Æmiliano & Baſſo Coſs.* Hic enim idem dies, ſed diverſi anni indicantur. Unde Conſulatus Tuſci & Baſſi Conſulatum Æmiliani & Baſſi præceſſiſſe intelligitur. Nam 3. Cal. Julii, Tuſco & Baſſo Coſs. unicus erat Cæſar, Valerianus junior; at 3. Cal. Julii, Æmiliano & Baſſo Coſs. ut videtur duo Cæſares fuere. Et quidem pridie Nonas Maias Tuſco & Baſſo Coſſ. Valerianus Cæſar Auguſtis additus in reſcriptis invenitur Cod. 9. tit. 9. Unde Pollio recte explicari poſſe videtur, apud quem de Valeriano juniori, legimus, *a patre abſente Cæſar appellatus eſt*, cum ſcilicet Valerianus pater Byzantii fuit, certe antequam Antiochiam attigit: eo ipſo tempore quo Valerianus junior Romæ Conſul ſuffectus fuit, Anno proximo, Æmiliano & Baſſo Coſs. alius Cæſar appellatus eſt, & quidem Saloninus Gallienus, ut videtur. Quæ conjectura ſi cuipiam placeat; adderem libenter Gallienum juniorem à Gallieno patre Cæſarem appellatum eſſe menſe Junio Æmiliano & Baſſo Coſs. Nam pridie Id. Junii Valerianus Cæſar tanquam unicus Auguſtis additur in Codice Gregoriano. Quis igitur non videt Æmilianum & Baſſum ex Faſtorum albo obliterandos non eſſe?

II. Secundo, Gallienus IV. Conſul immediate poſt Tuſcum & Baſſum eſſe non potuit, ut volunt Baronius & Petavius: quia ipſi agnoſcunt eundem Gallienum III. Conſulem fuiſſe immediate ante Tuſcum & Baſſum. Sic enim unus tantum annus, inter tertium & quartum Gallieni conſulatum agnoſci deberet, quod aperte falſum eſt. Nam in ejus nummis hæ omnes Inſcriptiones inveniuntur. TR. P. IV. Coſ. III. TR. P. V. Coſ. III. TR. P. VI. Coſ. III. TR. P. VII. Cos. III. TR. P. VIII. Coſ. IV. Plures igitur conſulatus inter tertium & quartum Gallieni agnoſcendi ſunt. Et revera Tuſcus & Baſſus quinto ejus imperii anno conſulatum iniere; ipſe non ante imperii ſui octavum, conſulatum quartum geſſit.

III. Tertio, Gallienus & Valerianus junior ſimul nunquam fuere Conſules ordinarii. Gallienus ſepties Conſul fuit, & poſt ejus ſeptimum Conſulatum Valerianus Cæſar Conſul ordinarius. *Siquidem capto jam Valeriano, ſcriptum invenimus in Faſtis, Valeriano Imperatore Coſ.* ut ſcribit Pollio; quinto nempe poſt captivitatem Valeriani anno, Valeriani junioris quiſquis ille fuit, nomen, & non ante, Faſtis inſertum eſt. Hos tamen tanquam Conſules ordinarios in Faſtos retulerunt Baronius, Petavius, Cointeus, quod id Flavium Vopiſcum tradidiſſe putarent. Quippe primo Baronius, cum apud eum in vita Aureliani legerat, Valerianum Imperatorem conſulatum Crinito & Aureliano in locum Gallieni & Valeriani promiſiſſe, idque in annum ſequentem; & cum in eadem pagina obſervaverat, Memmium Fuſcum conſulem ordinarium Byzantii cum Valeriano ſediſſe; ſtatim pronunciavit, Gallienum IV. & Valerianum conſules ordinarios poſt Fuſcum & Baſſum fuiſſe. Qua obſervatione adeo triumphavit, ut in hæc verba ſtatim prorumpere non dubitaverit, *Explosis itaque tum a præſenti, tum a ſequenti anno conſulibus aſcititiis, recipiant Faſti Conſulares ſuos legitimos Conſules ordinarios, Gallienum quarto atque Valerianum juniorem*; & ſic ſuæ Chronologiæ rationem exacte redditam eſſe dixerit. Sed nihil horum Vopiſcus, nihil de hoc anno, nihil de Conſulibus ordinariis, de Gallieno Imperatore nihil: & *annum ſequentem* de hoc anno poſt Conſulatum Fuſci & Baſſi peſſime interpretatur Annaliſta. Sententiam ſuam hauſit ex Epiſtola & Actis Valeriani inter ſe comparatis, ſed dum eorum tempora diſtinguenda eſſe non vidit, quæ erant ſedulo diſterminanda, in immanes errores incidit. Recte quidem notavit Acta ad annum eum quo Fuſcus & Baſſus

Baſſius Conſules fuerunt pertinere: id enim Acholii verba clare indicant, quæ Memmium Fuſcum Conſulem ordinarium Valeriano Imperatori aſſidentem tunc apud Byzantium deſcribunt. Et hoc nos non tantum verum eſſe fatemur; ſed tanquam certiſſimum hiſtoriæ monumentum, & ad hæc tempora recte intelligenda perneceſſarium amplectimur. Fuſcus ejus anni Conſul ordinarius, aliis ſuffectis cum Valeriano in expeditione Parthica Byzantii fuit, plane uti Piſo Conſul ordinarius anno CXV. cum Trajano in Expeditione Parthica Antiochiæ fuit, teſte Dione, ibique in graviſſimo terræ motu periit. Unde cladis illius annus malè ab Evagrio, rectius à Joanne Malela deſcriptus eſſe cognoſcitur. Et Valerianus imperator anno priore, Fuſco & Baſſo Coſs. anno imperii ſui quinto jam affecto, apud Byzantium cum exercitu proculdubio fuit. Sed Epiſtola Valeriani ad Aurelianum ſcripta nullo modo indicat, Gallienum & Valerianum anno, illa apud Byzantium Acta ſequenti, Conſules ordinarios, aut omnino Conſules fuiſſe. Illa enim Epiſtola ſcripta eſt anno ante Conſulatum Fuſci & Baſſi, quando Valerianus vicem Ulpii Criniti Aureliano dedit, ipſumque militiæ magiſtrum fecit. Eo anno, Valeriano IV. & Gallieno III. Coſs. Aurelianus exercitum duxit, limitem reſtituit, prædam militibus dedit, Thracias bobus, equis, mancipiis captivis locupletavit, & manubias in palatio collocavit. *Tunc* autem poſt hæc omnia *Ulpius Crinitus publice apud Byzantium ſedenti Valeriano in thermis egit gratias, dicens, magnum de ſe judicium habitum quod eidem vicarium Aurelianum dediſſet.* Tunc etiam Valerianus Auguſtus dixit, *Gratias tibi agit, Aureliane, reſp. quod eam Gothorum poteſtate liberaſti, Abundamus per te præda, abundamus gloria.* Sed Epiſtola Valeriani ad Aurelianum ante hæc omnia ſcripta eſt,, antequam exercitum contra Gothos duceret, in qua hæc verba extant, *Conſulatum cum eodem Ulpio Crinito in annum ſequentem à die undecimo Kalend. Juniarum in locum Gallieni & Valeriani ſperare te convenit ſumtu publico.* Hic aperte *annus ſequens* eum annum ſignificabat, qui eum quo ſcripta eſt Epiſtola, ſequebatur; is autem *annus ſequens* erat ille ipſe quo Fuſcus & Baſſus Conſules ordinarii fuere. Unde ſequitur Gallienum & Valerianum, in quorum locum Crinitus & Aurelianus ſufficiendi erant, non fuiſſe Conſules ordinarios, ſed ſuffectos. Quod ex reliquis planius adhuc conſtat. Nam Valerianus in thermis apud Byzantium adhuc ſedens, aſſidente Fuſco Conſule ordinario, jubet Aurelianum inter alia victoriæ præmia Sellam eboratam capere. *Nam te Conſulem*, inquit, *hodie deſigno, ſcripturus ad Senatum, ut tibi deputet ſcipionem, deputet etiam faſces.* Ita quod anno priori promiſerat hoc anno ſequenti, dum Byzantii eſſet, perimplendum curavit. Unde ſtatim Aurelianus Imperatori ſic reſpondit, *Ago ergo tibi gratias, & accipio Conſulatum quem das.* Et mox Ulpius Crinitus, *Jube igitur ut lege agatur, ſitque Aurelianus hæres ſacrorum, nominis, & bonorum, totiuſque juris Ulpio Crinito jam conſulari viro, ipſe actutum, te judice conſularis.* Fuit igitur Aurelianus Conſul ſuffectus, poſt Gallienum & Valerianum Conſules honorarios, ſeu ſuffectos: ſed eo ipſo anno quo Fuſcus & Baſſus Conſulatum ordinarium gerebant. Et quidem Gallienum & Valerianum non ordinarios ſed honorarios fuiſſe, vel dies ipſe quo Aurelianus exſpectare Conſulatum jubebatur, indicat, ſc. à die XI. Cal. Juniarum, ut veriſimile ſit aliquos etiam ante eos ſuffectos Coſſ. fuiſſe. Ante enim eum diem duo ſuffectorum Coſſ. nundina vel nundinia præterierant. Neque etiam veriſimile eſt Valerianum cautum Principem, Fuſcum Coſ. Ordinarium in exercitu ſecum habere voluiſſe: niſi ejus & Collegæ loco alios ante ſuffeciſſet; imo nec bellum Perſicum incepiſſe priuſquam omnia Conſulum nundina clauſiſſet. Quare Gallienum & Valerianum in Faſtis nemo ante Baronium repperit, nemo poſthac recipiat. Æmilianus & Baſſus locum ſuum in Faſtis & Reſcriptis quem hactenus obtinuere, retineant; & Conſulatus Gallieni quartus, eum ordinem ſervet, quem & Faſti & nummi requirunt.

IV. Poſt martyrium S. Xyſti vacavit Romæ Sedes anno fere uno: quo tempore penes Presbyteros cura Eccleſiæ Romanæ manſit, Vetuſtiſſimus Catalogus, ex ſecundo, & Pontificali ſupplendus. [*Et Presbyteri præfuerunt*] *à Conſulatu Tuſſi & Baſſi uſque in diem XII.* (vel XI.) *Kal. Auguſti, Æmiliano & Baſſo Coſs.* Horum verborum loco alia plane confuſa, & nullum ſenſum fundentia ſuppoſuit ſecundi Catalogi Auctor, *Et præfuerunt à Conſulatu Maximi & Gravionis uſque ad Conſulatum Tuſci & Gravionis XIII. Kal. Auguſti.* Pontificale hæc habet paulo correctius, ſed nihilo verius. Poſt hanc vacationem, Dionyſius Romanæ Eccleſiæ Presbyter Romæ Epiſcopus creatus eſt. De quo Vetuſtiſſimus Catalogus, *Fuit temporibus Gallieni ex die undecimo Kal. Auguſti Æmiliano & Baſſo Coſs.* Unde obiter obſervandum eſt quam male hi Conſules à Baronio exploduntur, & à Cointeo tranſmutantur. Nam ſi vel eorum excluſio, vel tranſpoſitio admittatur; unde initium Pontificatus Dionyſii innoteſcet, cum Euſebius immani errore ſtatuat hunc Dionyſium anno Gallieni duodecimo conſtitutum eſſe? Recte igitur Onuphrius cum XI. Cal. Auguſti creatum eſſe ſcripſit; & male Baronius qui veterem Catalogum non vidit, neque hunc Conſulatum approbavit, anno præterito Dionyſium ſediſſe aſſerit.

V. Hoc etiam anno Baronius & Cointeus ſtatuunt Valerianum à Rege Perſarum captum eſſe, & pacem Eccleſiæ à Gallieno redditam, atque edictis confirmatam. Quorum primum non ante annum proximum, ſecundum non ante annum ab hoc ſecundum contigit. Quod ut dilucidius appareat, res tunc in Oriente geſtæ paulo accuratius tractandæ ſunt. Anno præterito Valerianus qui cum exercitu apud Byzantium fuerat, cum eodem, prima æſtate Antiochiam pervenit. Quam urbem cum inveniret miſere devaſtatam, accerſivit Succeſſianum, qui tum dux exercitus circa Helleſpontum fuit, & Scythas in ea loca irrumpentes nuperrime vicerat abegeratque. Hunc Præfectum prætorio fecit, & cum eo res Antiochenæ civitatis, & inſtaurationem ejus ordinavit. Abſente Succeſſiano, Scythæ priores qui abacti fuerunt, in Helleſpontum redeunt, Pityuntem & Trapezuntem capiunt. Scythæ autem alii prioribus finitimi, expectato hiemis tempore, pedeſtri exercitu, ad fretum Byzantinum contenderunt. Hic erat anni præteriti finis. Hoc autem anno ineunte, Scythæ freto trajecto, Chalcedonem occupabant, & poſt eam Nicomediam, aliiſque urbibus captis Bithyniam devaſtabant. De quo tempore intelligendus eſt Trebellius, *Acceſſerat præterea his malis, quod Scythæ Bithyniam invaſerant, civitateſque deleverant. Denique Aſtacum, quæ poſtea Nicomedia dicta eſt, incenſam graviter vaſtaverunt.* Neque quicquam adhuc inter Perſas & Romanos actum eſt, Valeriano in inſtauratione Antiochiæ occupato. Cum autem ille tantam in Bithynia devaſtationem factam eſſe comperiſſet, Felice miſſo qui Byzantium tueretur: ipſe cum exercitu ab Antiochia in Cappadociam contendit; cumque longiori mora urbes illius regionis attriviſſet, Antiochiam reverſus eſt. Hic erat hujus anni finis, in quo nihil inter Saporem & Valerianum actum eſſe cognoſcitur; cum

cum hæc omnia diligenter à Zosimo descripta sint. Quamobrem male hoc anno captivitatem Valeriani consignant; & rectius Petavius in annum sequentem rejicit. Pejus adhuc Baronius hoc anno Macrianum, sublato Valeriano imperium usurpasse scribit. De quibus omnibus suo loco agemus.

A. D. CCLX. *Seculare & Donato* COSS. *Period. Jul.* 4973.

HOS Consules Baronius explosit, Petavius omisit, Cointeus permutavit, perperam omnes, certe priores. Nam hos Consules omnes Fasti etiam hoc loco agnoscunt, in Rescriptis & Constitutionibus Valeriani & Gallieni sæpissime adhibentur, in Codice Justinianeo tredecies citantur, & in excerptis Codicis Gregoriani semel. Neque mirum eos hoc anno simul Consulatum gessisse qui alternatim Præfecti Urbi fuerant. Nam in optimo libello, *Valeriano IV. & Gallieno III. Junius Donatus, P. V. Tusco & Basso Cornelius Secularis P. U. Æmiliano & Basso. Cornelius Secularis P. U.* Sed aut ejus loco, aut potius post eum ponendus fuit Junius Donatus iterum. Nam illis Consulibus Donatus sub initio mensis Junii P. U. fuit, ut patet ex Constitutione eo mense facta, quæ in excerptis Cod. Gregoriani extat. *Ac si facere hoc tentaverit, opponet auctoritatem suam Julius (*seu *Junius) Donatus V. C. PF. U. amicus noster, ut tam improba petitio repellatur, Dat. prid. Id. Jun. Æmiliano & Basso Coss.* Sic etiam paulo post. A. D. 273. idem Libellus, *Aureliano III. & Marcellino, Postumius Syagrius P. V.* priori nempe anni parte; posteriori enim parte, certe die septimo Cal. Octob. non Postumius Syagrius, sed Ælius Cæstianus Præfectus urbi fuit, ut ex Vopisci Tacito constat. Imo ipso anni initio, imperante adhuc Aureliano Furius Orfitus, adhuc Præf. U. fuit. Inscriptio, p. 276. 4. *Furius Orfitus V. C. Præf. Urb. devotus numini majestatique ejus Dedic. Kal. Febr. Aureliano Aug. III. & Marcellino Coss.* Sic enim imperio mutato, mutari etiam solebant Præfecti Urbi. Quare anno præterito verisimile est Secularem & Donatum unum post alterum præfecturam Urbis administrasse, hoc anno simul Consulatum ordinarium eosdem iniisse exploratum est.

II. Hoc autem anno, cum pestis magnam exercitus Romani partem absumsisset, & Sapores instaret, & Orientis fere omnia in suam potestatem redegisset; Valerianus qui ducibus exercitus sui ante diffiderat, & spem in armis nullam videret, Legatos ad Saporem misit, ut data pecunia finem bello imponerent. Sapores autem renuit cum Legatis de pace agere, sed cum Valeriano ipso se tractaturum fore promisit. Inde Valerianus quavis conditione pacis cupidus, inconsulto vel potius ex consilio Macriani, a quo proditum eum esse affirmat Dionysius Alexandrinus, cum paucis ad Saporem profectus captivus ducitur: & qui jam persecutionem in Christianos per menses fere quadraginta duos acerbe exercuerat, in manus crudelissimi hostis, justo Dei judicio traditur anno imperii sui septimo. De quo Dei judicio præclara extat sententia Constantini Magni in Oratione ad Sanctorum cœtum; eiusdemque opportune meminit, Valeriano non nominato, in Epistola ad alterum Saporem Persarum Regem, quæ & apud Eusebium & Theodoretum legitur. Τέτων ἐκείνων ἕνα ἡγῆμαι γεγονέναι, ὃν καθάπερ τὶς σκηπτὸς ἡ θεία μῆνις τῶν τῇδε ἀπελάσασα, τοῖς ὑμετέροις μέρεσι παραδέδωκε· τῆς ἐπ' αὐτῷ αἰσχύνης πολυθρύλλητον τὸ παρ' ὑμῖν τρόπαιον ἀποφήναντα. Hoc est, interprete Epiphanio: *Horum igitur esse reor Valerianum, quem veluti quædam virga iracundiæ Divinæ de nostris terris expellens, vestris partibus tradidit puniendum, Qui scilicet verecundiæ suæ nobilissimum apud nos trophæum demonstrasse cognoscitur.* Ubi recte mentem Constantini de Valeriano cepit, verba autem male interpretatus est. Nam σκηπτὸς non *virgam*, sed *fulmen* significat, & ἡ ἐπ' αὐτῷ αἰσχύνη, non est *verecundia sua*, sed dedecus ignominia, opprobrium ipsi ab hostibus illata (ὕβρεις & ὀνειδισμὸς vocavit. Dionysius Alexandrinus exponens Prophetæ ἐμπαίγματα) seu ad Romanam remp. redundantia, ut Zosimus μεγίσην αἰσχύνην τῷ Ρωμαίων ὀνόματι καταλελοιπώς. Ita Imperator diu optimus justo Dei judicio tandem infelicissimus, unius in Christianos persecutionis pœnas dedit. Eventum agnoscunt & mirantur Ethnici, quia crimen & justitiam divinam in vindicta non viderunt. De quo Vopiscus, *Valerianus enim cum optimus fuerit, ab omnibus infelix apparuit.*

III. Septimo imperii Valeriani anno his Cos. hæc contigisse dicimus; sexto Valerianum captum esse contendunt Baronius & Cointeus. Sententiam nostram confirmat primo Historia eorum temporum, quam tradidimus & quam mox trademus. Secundo Inscriptiones nummorum Valeriano septimum imperii annum tribuunt. ΑΤΤ. Κ. Π. ΛΙΚΙΝ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΣ ΣΕΒ. L. Z. *Imp. C. P. Lic. Valerianus P. F. Aug. P. M. TR. P. VII. Cos. IIII. P. P.* Tertio, Secularis & Donatus qui ante septimum ejus imperii annum Consules non fuere, toties Rescriptis Valeriani & Gallieni subscribuntur, ut hujus anni aliqua parte eum adhuc libertate gavisum esse necesse sit. Quarto quadraginta & duobus mensibus, quod ex Dionysii scriptis recte colligitur, Christianos persequi non potuit nisi ejus auctoritas aliqua hujus anni parte durasset. Denique Sextus Aurelius Victor calculum nostrum confirmat, dum de Gallieno ait, *Regnavit annis quindecim, cum patre septem, solus octo.*

IV. Sed nobilissimus Annalista, anno præterito, imperii sui sexto Valerianum captum esse testificationibus apertissimis demonstrasse se putavit. Testes producit Dionysium Alexandrinum, cujus verba ab eo adducta hoc non probant; Eusebium in Chronico, qui de captivitate non loquitur, sed ad annum ejus sextum tantum ait, *Valeriano in Persas ducto, Gallienus nostris pacem reddidit.* Imo anno quarto persecutionem commotam esse ait; unde capi non potuit ante annum septimum, siquidem persecutio ultra triennium duravit. Anno tertio Cyprianum passum esse docet; ex illo igitur Chronico certi nihil colligi potest. Solus illi testis, qualis qualis est, Trebellius Pollio relinquitur. Et ille quidem Valerianum anno imperii sexto captum esse asserit, vel potius supponit: dum de annis Gallieni, quibus solus regnavit adeo imperite disputat, ut an de solitario an de toto imperio loquatur nescias. Pergit igitur Baronius, *Sed & cum agit de Gallieno affirmat Gallieno & Volusiano Coss. capto Valeriano, Macrianum & Balistam de subrogando in locum ejus Imperatore tractare cœpisse.* Recte quidem: & hoc pro sententia nostra validissimum argumentum est. Non erant Gallienus & Volusianus Cos. ante octavum Valeriani annum, sub eorum autem Consulatu Macrianus & Balista primum de successore tractabant. Ergo non sexto, sed septimo imperii anno captus est Valerianus. Imo eodem anno utrumque factum putat Baronius, quod multo

multo verisimilius est, quam ut biennio fere post ejus captivitatem demum, de ea re tractare inciperent. Seculare & Donato Cos. captus est Valerianus, Regis Saporis amici egerunt per literas, ut Valerianus suis redderetur; sed frustra. Odenatus copias collegit, ut Imperatorem recuperaret. Sed Sapores cum captivo è Mesopotamia rediit. Cum igitur nulla spes esset recuperandi Valeriani, Macriani & Balistæ, Gallieno & Volusiano Cos. sequentis anni initio, de novo Imperatore adversus Gallienum subrogando consilium inierunt. Vis hujus argumenti declinari aliter non potuit quam permutatione Consulum, quam satis aperte refutavimus. Victor quidem Schotti idem refert quod Pollio; sed contra tot rationes duo illi audiendi non sunt, præsertim cum Pollio illud ipsum tradat quod eam sententiam clare refellit.

V. Ceterum cum Gallienus captivitatem Patris sui audivisset, nullamque postea ejus recuperandi spem supersse cognosceret, quasi jam vere mortuus esset, in Rescriptis & Constitutionibus nomen Valeriani Imperatoris omisit: neque enim aliud post VIII. Cal. Octobris opinor, reperitur. Circa igitur illud tempus cœpit se solum Imperatorem putare Gallienus, & statim Christianis, quibus ipse nunquam valde infensus fuisse apud Veteres legitur, plenam pacem restituit. Primo quidem Constitutionem ad Episcopos dedit, qua iis ut Cœmeteriorum suorum loca recuperarent permisit, aliisque mandavit ut à locis religiosis Christianorum recederent. Ab initio enim Persecutionum Valeriani conventus agere & cœmeteria adire Christianis omnibus vetitum est. Et sic tandem Persecutioni finis impositus est quam excitavit Valerianus, quæque jam per 42. menses duraverat, ab Aprili A. D. CCLVII. ad Octobrem A. D. CCLX.

A. D. CCLXI. *Gallieno* IV. & *Volusiano.* COSS. *Period. Jul.* 4974.

HOS Cos. Fasti omnes agnoscunt, & Trebellius diserte. Baronius tamen & Cointeus pro Volusiano Valerianum posuerunt, & alieno loco collocarunt; perperam, ut ostendimus. Petavius autem, qui cum eis Gallienum IV. & Valerianum admisit, propter auctoritatem Trebellii Volusianum agnovit; & Cos. simul posuit Gallienum V. & Volusianum; in quo gravius & manifestius erravit. Nam cum Gallienum V. cum Volusiano conjungit, contra Fastos id facit, qui Volusianum Gallieno IV. adjungunt & contra subscriptiones Principum, quæ Gallienum V. non cum Volusiano sed Faustino conjungunt. Cod. 3. tit. 8. *Imp. Valerianus & Gallienus A. A. ad Calphurnium. P. P. nonas. Gall. A. V. & Faustino Cos.* & in Codice Gregoriano, *P. P. VI. Idus Junii Gallieno V.* (ita legendum, non II.) *& Faustino Cos.* Et hunc errorem in posteriores Gallieni Consulatus Petavius transfudit. In Fastis habentur Gallienus v. & Faustinus, hic Petavio est Gallienus VI. In illis apparent Gallienus VI. & Saturninus, hic Petavio Gallienus VII. est. Denique in Fastis memorantur Gallienus VII. & Sabinillus, sine dubio recte. Nam in Codice Justinianeo hæc habentur Cod. 4. tit. 19. *Imp. Gallienus A. Sabino. P. P. III. Non. Martias Gallieno A. VII. & Sabino Cos.* Hic tamen Petavio est Gallienus VIII. Et sic tandem error manifestus est, nam Gallienus VIII. Consul nunquam fuit: septem tantum Consulatus gessit, ut ex nummis constat, in quibus hæ inscriptiones reperiuntur, TR. P. XIII. Cos. VII. TR. P. XIV. Cos. VII. TR. P. XV. Cos. VII. Post eum annum neque Consul, neque Imperator fuit. Baronius qui Gallienum biennio ante Consulem IV. fecit; hoc anno Albinum & Maximum Cos. agnoscit.

II. His Cos. Macrianus & Balista de novo Imperatore creando consilium inierunt, ipso hujus anni initio. Trebellius in Gallienis, *Gallieno igitur & Volusiano Cos. Macrianus & Balista in unum exercitus reliquias convocant, & cum Romanum in Oriente nutaret imperium, quem facerent Imperatorem requirunt, Gallieno tam negligenter se agente, ut ejus ne mentio quidem apud exercitum fieret.* Consilii hujus finis erat, ut Macriano patri cum filiis, Macriano & Quieto deferretur imperium. Qui statim cum filio Macriano contra Gallienum venire cœpit, Balista & Quieto in Oriente relictis. Et cum Valentem Proconsulem Achaiæ vehementer reformidaret, Pisonem ad eum interficiendum misit, qui cum Valentem sumsisse imperium comperisset, Thessaliam concessit, sumta etiam purpura interemtus est. Et Senatus-consultum ad noscendam ejus majestatem factum est die septimo Cal. Julias, ut refert Trebellius. Et Macrianus congressus cum Aureolo, octavo Gallieni anno jam affecto, interemtus est. Quod cum intelligeret Odenatus, Quietum cum Balista, ineunte nono Gallieni anno, interemit. Sicque Macrianus hostis Christianorum infestissimus cum utroque filio extinctus est; ut Dionysius Epist. ad Hermammonem, Ἐκεῖνος μὲν οὖν τῶν πρὸ αὐτῆ βασιλέων τὸν μὲν προέμενος, τῷ δὲ ἐπιθέμενος, παγγενῆ (vel παγγενὴς) εὐθέως ἐξηφανίσθη. *Ille igitur*, Macrianus, *cum priorum Imperatorum alterum*, Valerianum, *prodidisset*, *alteri*, Gallieno, *bellum intulisset*; *confestim cum universa familia stirpitus interiit.* Has historiæ particulas colligendas connectendasque esse putavi, ut res gestas cum vero anno captivitatis Valeriani, & cum Fastis Consularibus minime violatis optime convenire ostenderem.

III. Quinetiam extant fragmenta Epistolæ à Dionysio Alexandrino anno Gallieni nono, utroque Macriani filio jam interemto, & universa familia stirpitus eradicata scriptæ; quæ, si eam recte intelligo, felicem nostræ Dissertationi coronidem imponet. Apud Eusebium libro septimo, capite vicesimo tertio, pars posterior Epistolæ Dionysii ad Hermammonem supereſt. In hac Epistola maximus ille Rhetor ostendit, quomodo Valerianus Imperator Christianis maxime favens, à Macriano ad acerbam persecutionem adversus eosdem excitandam impulsus est: quomodo ab eodem proditus justo Dei judicio Sapori traditus est. Macrianus autem eo capto, imperium, cui inhiaverat, cum filiis obtinuit, & Gallienum regno spoliare conatus est; in Ægypto sane ab omnibus receptus est. Hunc Macrianum nubi assimulat quæ radios solis aliquandiu intercipit, ipsumque solem obscurat: postea vero sol, ea evanescente, quasi novus & clarus apparet. ἕως προσὰς καὶ προσπελάσας ἑαυτὸν ὁ Μακριανὸς τῆς ἐφεξώσης Γαλλιηνῇ βασιλείας, ὁ μὲν ἓν ἦν, ἐπεὶ μηδὲ ἦν. Valesius pro προσὰς legendum monet προσσὰς cum duplici σ, quasi *adstans*; sed ei non accedo. Ipse enim in eadem

Epiſtola Dionyſius ita loquitur de Macriano, δύο παῖδας προεχήσατο, & hoc loco ſimilitudinem nubis ſpectans, quæ quaſi ante ſolem ſtare videtur: ita loquitur quod ille ante Gallienum ſtare, ejuſque ſplendorem ab eorum oculis avertere conabatur. καὶ προσπελάτας ἑαυτὸν, ita ille ex MSS. legit; ſed ſi neque προσὰς, neque προσπελάσας legas, nihil erit quod voci βασιλείας congruat. Illud autem quaſi per antitheſin, addidit, & in eo quaſi luſit, quod cum nomen Μακριανὸς potius eum longe abeſſe ſignificaret, appropinquare tamen, & propius accedere non vereretur. Vos etiam ἐφεξώσης ad προσὰς reſpicit. Agnoſcit Gallieni βασιλείαν prius ἐφεξῶσαν Ægypto, quaſi *ſupra ſtantem*; tum vero Macrianum Imperatorem appellatum, & in Ægypto præcipue receptum (utpote Magorum maximum patronum, quorum prædictionibus imperium arripuerat) quaſi ante ſtantem atque adpropinquantem deſcribit, ut jam Gallieni regnum plane diſpareret. Hæc nuda verſione Latina exprimi non poſſunt; ſed à me explicanda erant, ut ea quæ ſequuntur rectius intelligantur. Nam de Gallieno hæc ſcribit, ὁ δὲ ὁσιώτερος καὶ Φιλοθεώτερος ὑπερβὰς ἐπταετηρίδα νῦν ἐνιαυτὸν ἔνατον διανύει. *Religioſiſſimus vero Deique amantiſſimus Imperator ſeptennalem circulum emenſus, nunc nonum annum tranſigit vel percurrit.* Quis autem ita unquam locutus eſt, ut quis poſt ſeptennium diceretur nonum annum jam agere? Neceſſe eſt ut illud ſeptennale aliquid peculiare deſignet; & diverſum ab eo tempore quod poſtea ſecutum eſt. Eſt autem illud ſeptennium Imperii quod cum patre adminiſtraverat. Ut Victor, *Regnavit annos quindecim, cum patre ſeptem, ſolus octo.* Septennium, ὑπερέβαινε, Octavo imperii anno, Macrianus imperialem honorem adeptus eſt præſertim in Ægypto; poſt purpuram ab eo ſumtam auctoritas nulla fuit Gallieni in Ægypto. Anno Gallieni nono, hoc ipſo ſcilicet, Macriano patre, & utroque filio Auguſtis jam interemtis, majeſtas Gallieni etiam apud Ægyptios agnita eſt, ἀνεδείχθη δὲ καὶ συνάνωμολογήθη παρὰ πάντων ὁ Γαλλιηνὸς, παλαιὸς ἅμα βασιλεὺς καὶ νέος, πρῶτος ὢν καὶ μετ' αὐτὸς παρών. *Gallienus vero renunciatus, & communi conſenſu omnium iterum approbatus eſt, vetus ſimul Imperator ac novus, prior* illis *ac poſt illos præſens*, poſt illos nempe Macrianum & filios. Et Gallienus ipſe, *quod Macrianus cum ſuis liberis eſſet occiſus, quaſi ſecurus rerum, ac patre jam recepto, libidini & voluptati ſe dedit.* Ex quibus patet Gallienum uſque ad ſeptimum imperii annum cum Patre regnaſſe: octavo Macrianum imperio potitum eſſe; quo cum filiis interemto, anno nono imperialis majeſtas Gallieno apud Ægyptios reſtituta eſt. Et tunc Gallienus Reſcriptum dedit ad Dionyſium, Pinnam & Demetrium Ægypti Epiſcopos, quo locos ſacros recuperarent, quod πρὸ πολλοῦ anno ſcilicet ſuperiori conceſſerat. Nonus autem Gallieni annus ab adulta hujus anni æſtate incepit; & tempus quo ſcripta eſt Epiſtola Dionyſii, ut obſervat Euſebius, hinc intelligitur, nempe ante Paſcha A. D. CCLXII. Hæc Chronologiæ noſtræ, quæ nulla Coſs. perturbatione nititur, plane conſona ſunt. Baronius autem minime memor eorum quæ dixerat ad annum 251. *Qui Conſulatus ſubducunt à Faſtis, ordine temporum ſemel confuſo, diverſis ſe alioſque implicant labyrinthis;* Faſtis ipſis nunc novos Conſules inſeruit, nunc veteres ſubduxit, nunc vulgares permutavit; omnia pro arbitrio fecit, adeoque mire ſe hiſtoriamque torſit, & ſequaces devios abduxit. Hoc autem ideo etiam feciſſe deprehenditur, quod aliter ad æram Diocletiani recte ſtatuendam pervenire non poſſet: neque illud quidem efficere potuit, niſi aliud par Conſulum ex Faſtis ſubduxiſſet, Probum II. & Lupum.

D. CÆCILII [1] CYPRIANI

[a] AD [2] DONATUM LIBER,

[3] De Gratia Dei.

Scriptus circa autumnum, *An.* 246. forte die festo vindemiæ, *Sept.* 5.

BENE [4] admones, Donate carissime. Nam & [5] promisisse me memini, & reddendi tempestivum prorsus hoc tempus est; quum (b) [6] indulgente vindemia, solutus animus in quietem, solennes ac statas (c) anni fatigantis inducias sortitur (d): locus etiam cum die convenit, & mulcendis sensibus ac fovendis ad lenes auras blandientis autumni, hortorum facies amœna consentit. Hic jucundum sermonibus diem ducere, & [7] studentibus (e) fabulis in divina præcepta conscientiam pectoris erudire: ac ne colloquium (f) nostrum arbiter profanus impediat, aut clamor intemperans familiæ strepentis obtundat, [8] petamus hanc sedem; dant secessum vicina secreta, ubi dum erratici palmitum lapsus nexibus pendulis per arundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt. Bene hic studia in aures damus: & dum in arbores & vites (g) oblectante prospectu oculos amœnamus, animum simul & auditus instruit, & pascit (h) obtutus: quamquam tibi sola nunc gratia, sola cura (i) sermonis est. Contemtis voluptariæ visionis illecebris; in me oculos (k) tuos fixus es; quam (l) ore, quam mente

Ad Pamelii numeros Epist. II. Ad Erasmi numeros *lib.* 2. *Ep.* 2.

Operis introductio ad rei gestæ speciem composita.

(a) Ad Donatum de erroribus mundi, & contemtu ejus, *Cambr. Dun. March. Vict.* De disciplina ad Donatum, *Voss.* 4. (b) Quod, *Ar. Ben. Bod.* 3. Quo, *Lam. Eb. Lin. NC.* 1. *Spir. Thu. Voss. Vict.* Quo indultis vindemiis, resolutus, *Voss.* 4. (c) Statutas, *Lam. Ben. Ebor. Lin. NC.* 1. *Reg. Voss.* 4 *sed male.* Ratas *Foss. Vict.* (d) Sortiatur, *Lam. Bod.* 3. *Ebor. Lin. NC.* 1. *Ben. Foss. Vict. Voss.* 4. Feriatur, *Thu.* (e) Stupentibus, *Vict.* (f) Eloquium, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Ben.* (g) Vites videmus, *Eb. Ar. Pem. Lam. Reg.* Vites quas videmus, *Bod.* 3. *NC.* 1. *Spir. Pem. Er. Man. Fossat.* Videmus oblectantem prospectum, *Thuan.* (h) Ut pascit, *Salis.* (i) Cura nunc, *Mich. Vict.* (k) Oculus tuus fixus est, *Ben. Lam. Spir. Rem. Eras. Man. Thu. Fossat. Vict.* (l) Quo ore, qua, *Lam. Lin. NC.* 1. *Ebor. Voss.* 2. tam ore, quam, *Bod.* 3. *Fossat. Spir. Rem. Eras. Man. Morell.* Quo more, qua mente, *Thu. Vict.* ô quam recta mente, *Voss.* 4.

1 *Cæcilius Cyprianus.*] Idem qui Thascius. vid. Ep. 67. numerante Pam. 69. nec non Acta Martyrii Cyp. Unde parum consulto, in Synodo Romana LXX. Episcoporum quæ Gelasio tribuitur, Cypriani Martyris opuscula admittuntur; Thascii vero Cypriani scripta tanquam apocrypha damnantur.

2 *Ad Donatum.*] Editio Spirensis, arti typographicæ fere coæva, ita inscribit. *Liber Cypriani ad Donatum.* Et quidem plurimi MSS. codices consentiunt: apud quos primo in limine, solennia scripti Epistolici verba, & salutis datæ præfatio sæpius desiderantur. Porro, in nullis exemplaribus, sive impressis, sive scriptis, clausula valedictoria uspiam adjicitur. Fateor D. Augustinum, Epistolam appellare; sed recordari oportebit pariter, tractatus de Oratione, de Mortalitate, de Opere & Eleemosyna, de Habitu virginum, & de Patientia, eodem titulo ab illo passim insignitos. Nimirum quatenus libros istos postquam scriberentur, amico singulari, aut totius Ecclesiæ communitati, Autor transmitteret; quod in plerisque factum constat: aut quomodo breviculi tractatus & libelli, qui Epistolæ mensuram non excedunt Epistolæ passim audiunt. Character operis hujus ab Epistolari prorsus abhorret, & revera eo consilio hoc scriptum videtur quo Tertulliani Apologeticus, & Minut. Felicis Octavius, & similia, tanquam religionis Christianæ vindiciæ. Siquidem, ut recte observat Doctiss. Rigaltius, viri eruditiores cum primum apud Ecclesiam nomen profiterentur, concinnare soliti sectæ quam susceperunt, & instituti sui apologias. Quod vero subjicit idem vir eruditus, hoc opus Augustini tempore in exemplaribus anteponi solitum, idque ex libro *de doctrina Christiana* constare, non pariter liquet. In loco enim laudato, sub hac forma locum allegat sanctiss. Pater, *in quadam Epistola*; si autem ordinem duxisset, primam procul dubio appellasset. Imo ita in ordine operum scriptoris hujus variatur, ut nec in impressis libris, nec MSS. (rem compertissimam loquor,) aut hic tractatus, aut aliquis alius certum locum obtineat.

3 *De gratia Dei.*] Titulum hunc ceu simplicissimum atque ab ipso Cypriano positum retinemus: hoc præfati, ex librariorum ingenio hunc & reliquos fere omnes appositos. Huc enim respexisse omnino videtur Pontius, quando ait, *Quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis ostenderet?* Licet enim is eo in loco id agat, ut pro secessu B. Martyris apologiam institueret, in medium afferens scripta illa quibus caruisset Ecclesia Dei, si primo Decianæ persecutionis turbine Cyprianus fuisset ereptus; tamen cum ex rebus in secessu deinceps per decennium gestis, scripta etiam priora auctoramentum & lucem fœnerarentur, non temere etiam illa, eidem secessui & saluti exinde partæ, imputabat Pontius.

4 *Bene admones.*] Rufinus prologo in Orig. homil. in Numeros, loci hujus meminit dicens. *Utar verbis tibi frater, beati Martyris, bene admones Donate carissime.*

5 *Promisisse me memini.*] Hæc & plurima quæ sequuntur ad ornatum interpolita videntur, ad exemplum scriptorum Platonis & Ciceronis; & præsertim Minutii Felic. in Octavio suo, quem manifeste Cyprianus in toto hoc apparatu imitatur. Varronem de hoc scribendi genere admonet Tullius, in præfatione quæstionum Academicarum. *Puto fore ut cum legeris mirere id nos locutos inter nos, quod nunquam locuti sumus, sed nosti morem dialogorum.* Inepte ergo sciolus quidam, ne forte aliquid desideraretur, sub Donati nomine epistolam commentus est, quæ Cypriani responso aditum faceret; quin ea, licet in unico exemplari reperta, à Pamelio, qua erat facilitate, fidem, & Cardinale Baronio laudem meruit. Ne vero de fraude sibi facta suspicetur lector, apposuisse non pigebit egregium Epistolium. Sic ergo se habet. *Credo te retinere, sanctissime Cypriane, quæ nobis fuerit apud Oratores garrulitas; unus sensus, una cogitatio, individua lectio. Quare non & in divina lectione ita animis roboramur? Aut non ea semper nobis fuit cogitatio, ut simul crederemus?*

6 *Indulgente vindemia.*] Quanquam festa Gentilium pro impiis & profanis haberent Christiani, de vindemialibus mitius sentiebant, utpote quæ levamentum post messis labores, magis quam numinum cultum profiterentur. Et ideo Christiani Imperatores, cum alia abolerent, hæc retinuerunt. *Leg.* Omnes dies. c. de feriis. *Illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis mensibus ad requiem laboris indulgentior annus accipit, æstivis fervoribus mitigandis, & autumnis fœtibus decerpendis, &c.*

7 *Studentibus fabulis.*] *i. e.* Oratione cum studio ac cura composita, quales solent esse Rhetorum μύθοι. Infra dicitur, *studia in aures damus*; & Tertul. De Spect. *Ubi voluptas, ibi studium, perquod scil. voluptas sapit: ubi studium, ibi & æmulatio, per quam studium sapit.* Fabulæ vero voce, narratio rei gestæ designatur, sic Minut. Felix. *Iter fabulis fallentibus legebamus*, &c.

8 *Petamus hanc sedem.*] Locum hunc affert D. Augustinus in exemplum picturatæ dictionis, & spumeo verborum ambitu diffluentis. Depingit fortasse illos ipsos hortos, quos Pontius eum ad fidem conversum vendidisse memorat, & in quos paulo ante martyrium se recepit.

An. 246. mente totus auditor es; & hoc amore, quo diligis. Cæterum quale vel quantum eſt, quod in [1] pectus tuum veniat ex nobis? Exilis ingenii anguſta mediocritas tenues admodum fruges parit, nullis ad copiam fœcundi ceſpitis culmis (a) ingraveſcit: aggrediar tamen facultate (b), qua valeo; nam & materia dicendi facit mecum (c). In judiciis (d), in concione pro roſtris, opulenta facundia volubili (e) ambitione jactetur: cum vero de domino (f) Deo vox eſt; vocis pura (g) ſinceritas, non eloquentiæ viribus nititur ad fidei argumenta, ſed rebus. Denique accipe non diſerta, ſed fortia; nec ad audientiæ popularis illecebram (h) culto ſermone fucata (i), ſed ad divinam [2] indulgentiam prædicandam rudi veritate ſimplicia. Accipe quod ſentitur antequam diſcitur; nec per moras temporum longa agnitione colligitur, ſed compendio gratiæ maturantis hauritur.

Simplex ſermo rebus ſacris convenit.

Baptiſmi mirabiles effectus.

[3] Ego (k) cum in tenebris atque in nocte cæca jacerem; cumque in ſalo jactantis (l) ſeculi nutabundus ac dubius, veſtigiis oberrantibus fluctuarem; vitæ (m) meæ neſcius, veritatis ac lucis alienus; difficile prorſus ac durum, pro illis tunc moribus, opinabar, quod in ſalutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renaſci denuo poſſet; utque in novam vitam lavacro aquæ ſalutaris animatus (n), quod prius fuerat [4] exponeret (o); & corporis licet manente compage (p), hominem (q) animo ac mente mutaret. Qui poſſibilis (r), aiebam, eſt tanta converſio; ut repente ac perniciter exuatur, quod vel [5] genuinum (s) ſitu materiæ naturalis obduruit; vel uſurpatum diu ſenio vetuſtatis inolevit? Alta hæc, & profunda pœnitus radice ſederunt. Quando parcimoniam diſcit, qui epularibus cœnis & largis dapibus aſſuevit? & qui pretioſa veſte conſpicuus in auro atque in purpura fulſit, ad plebeium ſe ac ſimplicem cultum quando deponit? Faſcibus ille oblectatus & honoribus, privatus & inglorius eſſe non poteſt. Hic ſtipatus clientium cuneis, frequentiore comitatu officioſi agminis honeſtatus, pœnam putat eſſe cum ſolus eſt. Tenacibus ſemper illecebris [6] neceſſe eſt, ut ſolebat, vinolentia invitet, inflet ſuperbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas ſtimulet, ambitio delectet, libido præcipitet. (t) Joh. 6. 60. Joh. 3. 7. 8.

Hæc egomet (u) ſæpe mecum: nam ut (v) ipſe quamplurimis vitæ prioris erroribus implicitus (w) tenebar, quibus exui me poſſe non crederem; ſic (x) vitiis adhærentibus obſecundans eram, & deſperatione (y) meliorum, malis meis veluti jam propriis ac vernaculis favebam. Sed poſtquam undæ genitalis auxilio ſuperioris ævi labe deterſa, in expiatum pectus ac purum, deſuper ſe (z) lumen infudit; poſtquam cœlitus ſpiritu hauſto, in novum me hominem nativitas ſecunda reparavit; mirum in modum protinus confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tenebroſa (z); facultatem dare quod prius difficile videbatur; geri (aa) poſſe quod impoſſibile putabatur ut eſſet; agnoſcere terrenum fuiſſe, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret; Dei eſſe cœpiſſe, quod jam Spiritus ſanctus animaret. Scis ipſe profecto, & mecum pariter recognoſcis quid detraxerit nobis, quidve contulerit [7] mors iſta criminum, vita virtutum. Scis ipſe, nec prædico (bb), in proprias laudes odioſa (cc) jactatio eſt: quamvis non jactatum poſſit eſſe, ſed gratum quicquid non virtuti hominis adſcribitur, ſed de Dei munere prædicatur; ut jam non peccare eſſe [8] cœperit fidei, quod ante peccatum eſt (dd) fuerit erroris humani. Dei eſt inquam, Dei (ee) omne quod poſſumus: inde vivimus, inde pollemus, inde ſumto & concepto vigore (ff), hic adhuc poſiti futurorum indicia prænoſcimus. Sit tantum timor innocentiæ Act. 17. 28.

cuſtos,

(a) Culminibus, *impreſſi fere omnes & MSS. ſed male.* (b) Facultatem, *Ben.* (c) Metum, *Goul.* (d) In judicii contentione, *Vict. Lin. Goul.* judicii concione, *Thu. Foſ.* (e) Nobili, *Fab.* (f) Domino & de Deo, *Foſ.* & de domino & de Deo, *Thu.* (g) Puræ, *Voſ.* 4. (h) Illecebras, *Ar. Lam.* (i) Fucatam, *Thu.* (k) Ego, *impreſſi fere omnes & MSS. Pamelius* Ergo, *nullis præſidiis poſuit.* (l) Hujus, *Voſſ.* 4. (m) *forte* Viæ. (n) Armatus, *Ar. Lam. Eb.* (o) Exponeret: corporis licet, *male. impreſſi plerique & MSS. Rigalt.* corporea. (p) Manente materia, *Thu.* (q) Hominem ac mentem, *Vict.* (r) Quid impoſſibilibus aiebam quam, *Pem. Lam. Eb. Reg.* Quin, *Pem. Foſſ. Spir. Rem. Manut.* Cui, *Goul. Lam.* qui poſſibilis, *Vict.* quomodo, *Voſſ.* 4. (s) Genitum in ſinu, *nota marginalis veteris Cod.* Gemino ſitu, *Voſſ.* 4. *Spir.* Genitum in ſitu, *Bod.* 3. (ſ) Et libido præcipitet, *Thu.* (t) Ego memini, *Ebor. Ben.* (u) Nam & ipſe, *Lam. Ebor. Voſſ.* 2. *Vict.* (v) Implicatus, *Thu. Foſſ.* (w) Segnis vitiis adhærentibus, *Thu.* (x) Eram deſperatione, *Thu. Foſ. Vict.* (y) Deſuper ſe lumen, *Ar. Pem. Lam. Lin. Ben. NC.* 1. *Spi. Rem. Eraſ. Man. Mor. Thu. Foſſ. Vict. Deerat apud, Pam. & Rig.* (z) Cœperunt, *Voſſ.* 4. (aa) Geri poſſe quod prius impoſſibile putabatur eſſe; agnoſcere terrenum fuiſſe, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium; ut vere Dei eſſe cœpiſſet quod ---. *Lam. Er. Goul. Vict.* (bb) Scribere in proprias, *Ben. Ebor. Lam.* In propriis laudibus, *Pem.* (cc) Otioſa, *Spir. Rem. Eraſ. Foſſ. Vict.* (dd) Ante peccatum fuerit, *Lam. Ar. Eb.* Generis, *NC.* 1. (ee) Dei eſt omne, *Thu. Foſ. Vict.* (ff) Sumto vigore, *Voſ.* 4.

1 *In pectus tuum veniat.*] Quo tuam benevolentiam promerear.

2 *Divinam indulgentiam.*] Paſſim hac voce gratiam divinam intelligit autor noſter, ut & Tertullianus. Ob mirificos & ſubitaneos effectus, *compendium gratiæ* ſtatim appellatur. At totus hic locus à Tertulliano depromtus. Lib. de Bapiſm. *Nonne mirandum lavacro dilui mortem?* Et paulo poſt. *Nos quoque ipſi miramur, ſed quia credimus; cæterum incredulitas miratur, non credit; miratur enim ſimplicia quaſi vana, magnifica quaſi impoſſibilia, &c.*

3 *Ego cum in tenebris.*] Reſtituo veterem lectionem, contra fidem omnium Codicum mutatam.

4 *Exponeret.*] Deponeret: ſenſu apud autorem noſtrum, & Tertullianum uſitatiſſimo.

5 *Genuinum ſitu materiæ.*] Mala naturalia, quæ quaſi ſitu & ſordibus veteris hominis unde prodierunt obducta: quibus opponuntur voluntaria, conſuetudine diutina in alteram naturam tranſcripta, quæ *uſurpata* appellat autor noſter. Non male codex Bodleianus tertius, *genitum* ponit: ſed nihil facile muto.

6 *Illecebris aſſuetum.*] Vocem poſteriorem contra fidem omnium fere Exemplarium addidit *Pamelius*, & retinuit *Rigaltius*; unde meliore jure eliminandam cenſemus.

7 *Mors iſta criminum.*] Baptiſmus ſcil. in quo cum Chriſto morimur Rom. 6. 4. Coloſſ. 2. 12. ita tamen ut Deo & juſtitiæ ejus deinceps vivamus: quemadmodum exinde Apoſtolus in locis ſupra citatis, & alibi paſſim concludit.

8 *Cœperit eſſe fidei.*] Si quid laude dignum jam facimus gratiæ divinæ acceptum referendum; ſi quid olim commiſſum, errori humano imputabit clementiſſimus Deus vid. Act. 17. 30. 1 Tim. 1. 1, & 14.

1 *Inſuf-*

cuſtos, ut qui in mentes (a) noſtras indulgentiæ cœleſtis allapſu clementer Dominus *An.* 246.
1 infulſit, in animi oblectantis hoſpitio juſta (b) operatione teneatur: ne (c) accepta ſecuritas indiligentiam pariat, & vetus denuo hoſtis obrepat.

Ceterum ſi tu innocentiæ, ſi juſtitiæ (d) viam teneas (e), ſi 2 illapſa firmitate veſtigii tui incedas, ſi in Deum viribus totis, ac toto corde ſuſpenſus; hoc ſis tantum quod eſſe cœpiſti: tantum tibi ad 3 licentiam datur, quantum gratiæ ſpiritalis augetur. Non enim, qui (f) beneficiorum terreſtrium mos eſt, in capeſſendo munere (g) cœleſti 4 menſura (h) ulla vel modus eſt: profluens largiter ſpiritus nullis finibus premitur, nec coercentibus clauſtris intra certa metarum ſpatia frænatur (i); manat jugiter, exuberat affluenter. Noſtrum tantum ſitiat pectus & pateat; quantum illuc (k) fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. Inde jam facultas datur, caſtitate ſobria, mente integra, voce pura (l), virtute ſincera; 5 in medelam (m) dolentium, poſſe venenorum virus extinguere (n); animorum deſipientium labes reddita ſanitate purgare, infeſtis jubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem: 6 immundos & erraticos ſpiritus qui ſe expugnandis (o) hominibus immerſerint (p), ad confeſſionem minis increpantibus cogere; ut recedant duris verberibus urgere; conflictantes, ejulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere; flagris cædere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur; 7 occulta plaga, & (q) pœna manifeſta. Ita quod eſſe jam cœpimus, acceptus ſpiritus licentia ſua potitur; quod 8 nec dum corpus ac membra mutavimus, adhuc carnalis aſpectus ſeculi nube cæcatur. Quantus hic animi potentatus, quanta vis eſt? non tantum ipſum eſſe ſubtractum pernicioſis contactibus mundi, ut (r) qui expiatus & purus, nulla incurſantis inimici labe capiatur: ſed adhuc majorem, & fortiorem viribus fieri; ut in omnem adverſarii graſſantis exercitum imperioſo jure dominetur?

Fructus Spiritus Sancti.

Mat. 9. 29.

Phil. 4. 14.

1 Joh. 3. 6.

Atque ut illuſtrius veritate patefacta divini muneris indicia clareſcant, lucem tibi ad cognitionem dabo; malorum caligine abſterſa (s), opertas (t) ſeculi tenebras revelabo. Pauliſper te crede ſubduci in montis ardui verticem celſiorem, ſpeculare inde rerum infra te jacentium facies; & oculis in diverſa porrectis, ipſe à terrenis contactibus liber, fluctuantis mundi turbines intuere. Jam ſeculi & ipſe miſereberis; tuique admonitus, & plus in Deum gratus, majore lætitia quod evaſeris gratulaberis. Cerne (u) tu itinera latronibus clauſa, maria obſeſſa prædonibus, cruento horrore caſtrorum 9 bella ubique diviſa (u): madet

Miſeri & flagitioſi ſeculi hypotypoſis.

(a) Quod in mentes noſtras clementer dominus inflixit, *Ar. Eb.* Influxit, *Ben. Lam. Bod.* 3. *Voſſ.* 1. 4. *Spir. NC.* 1. *Pem. Eraſ. Manut.* Inluxit, *Morel. Vict.* (b) Juſtam per orationem, *Ben. Ar.* (c) Ne cum accepta ſec. indil. par. vetus, *Pem. Lam. Eb. Lin. Ben. Voſſ.* 2. Nec recepta, *Foſſ.* (d) Juſtitiæ ſemitam, *Lin.* (e) Teneas illapſa firmitate veſtigii, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Thu. Foſſ.* Veſtigiis tuis, *Voſſ.* 4. *Morel.* (f) Qualis, *Voſſ.* 4. (g) Munere divino, *Vict.* (h) Cenſura, *Lam. Eb. Lin.* (i) Refrenatur, *Lam. Ben. Ebor. Thu. Vict.* (k) Illic fide, *Vict.* (l) Virtute ſincera, *Lam. Spir. Eb. NC.* 1. *Pem. Eraſ. Man. Thu. Foſſ. Vict quas voces omiſerunt Pam. & Rig.* Sancta, *Ben.* (m) Medela languentium, *Ar. Ben. Lam. Ebor. Bod* 3. *Rig.* Medulla adoleſcentium, *Lin. NC.* 1. *Foſſ. & omnes fere impreſſi.* (n) Extingui, *Thu.* (o) Ad expugnandos homines, *Vict.* (p) Immerſerant, *Thu.* (q) Sed pœna, *Thu.* (r) Quis *Thu. Foſſ. Vict. Voſſ.* 4. (s) Deterſa, *Lam.* (t) Operti *Lam. Ebor. NC.* 1. *& omnes fere impreſſi. nec non Reg. & Corb. MSS.* (u) Cernes tu, *Ar. Pem.* (u) Diffuſa, *Ar Lam. Ebor. Ben.*

1 *Infulſit.*] Probata hæc lectio, & ex dialecto Africana deſumta. Sic Tertul. lib. de Anima. *Examen Valentini ſemen ſophiæ infulſit animæ.* Nec tamen illa quæ *influxit* repoſuit, prorſus rejicienda. Min. Fel. *Terram fundaverint pondera, & mare licet influxerit liquor*, &c. Sed & *inluxit* dici poterat.

2 *Illapſa firmitate.*] Stabili, erecta, ſine lapſu. Eadem forma qua Tertul. adv. Marc. l. 4. ait, *ſi frater illiberis deceſſerit.* Voce hac videtur in flagitium aliquod Lapſos perſtringere.

3 *Ad licentiam datur.*] Tantum potes, quantum credis. Sic infra *Acceptus ſpiritus licentia ſua potitur.* & alibi *Dans credentibus tantum quantum ſe credit accipere.* vid. *c.* 42. *l.* 3. *ad Quirin.*

4 *Menſura ulla.*] Altera lectio quæ *cenſuram* reponit, videtur reſpicere D. Jac. effatum cap. 1. 5. dicentis quod, *Deus dat omnibus, & non improperat.*

5 *In medelam dolentium.*] Lectio olim recepta erat *in medulla adoleſcentium* &c. phraſi duriuſcula, ſed quæ ab Afrorum dialecto minime abhorret. Senſus certe commodiſſime ſic procederet, ut dicat Autor; quod à baptiſmo facultas data eſt, qua extinguatur virus venenorum à natura intimis medullis infixorum; & purgetur voluntate concepta ex malis moribus animorum labes. Pari mente qua ſupra dicitur, *Vel genuinum ſitu materiæ.* &c. Sed nihil muto.

6 *Immundos & erraticos ſpiritus.*] Dæmonia paſſim immundi ſpiritus in Evangelio vocantur: nec non & erratici pariter audiunt, Job. 1. Mat. 12 48. 1 Pet. 5. 8. At vero poſtquam ex Domini promiſſo Marc. ult. 17. Signa eos qui crediderunt hæc ſequerentur, quod in nomine ejus Dæmonia ejicerent, &c. atque omnibus è vulgo Chriſtianis jus & poteſtas illa rata haberetur, adeo ut Tertul. in Apolog. ſpondere præſumeret, ſi quis à dæmone agitatus juberetur à quolibet *Chriſtiano loqui, ſpiritum illum tam ſe Dæmonem confeſſurum de vero, quam alibi Deum de falſo; & niſi ſe Dæmones confeſſi fuerint Chriſtiano mentiri non audentes, ibidem illius Chriſtiani procaciſſimi ſanguinem fundite:* hinc factum eſt ut, quemadmodum apud Judæos, Act. 19. 13. nebulones & impoſtores ſe pro exorciſtis venditarent, jure etiam Cæſareo notati ff. leg. 1. Tit. de extraord. cognit. *Si incantaverit, ſi imprecatus eſt, ſi (ut vulgari verbo impoſtorum utar) exorcizaverit.* Ut malo huic occurreretur, id egit Eccleſia ut probati viri huic muneri aſſignati eſſent. Porro ſiquidem plerique Ethnicorum nefariis myſteriis ſe Dæmonum poteſtati totos mancipaſſent; ſervitio Chriſti, quæ vera libertas, non poterant vindicari, donec ejecto malæ fidei poſſeſſore, meliori hoſpiti locus relinqueretur: unde iidem qui catechumenis inſtruendis præfuerant, exorciſtarum itidem munere fungebantur. Vide Can. 10. Antioch. & 26. Laod. ubi ad exorciſtæ mentionem Balſam. ait ἐφορκισταὶ ἤτοι κατηχηταί. & τινες ἐπεχείρουν ἐφορκίζειν, τουτέςι, κατηχεῖν ἀπίςως, μὴ λαβόντες τοῦτο δι ἐπισκοπῆς χειροθεσίας. &c. pariter Harmenop. in Epit. can. Sect. I. Tit. 9. ἐξορκισαὶ, κατηχηταὶ interpretatur. In Cod. Theod. leg. 121. de Decurion. exorciſtæ tanquam ſuperioris meriti Clerici, oneribus civilibus eximuntur. Formula ordinationis exorciſtæ habetur Concil. Carthag. 4. c. 7. Porro munere hoc non tantum presbyteri, ſed etiam ipſi Epiſcopi data occaſione fungebantur; de Ambroſio id refert Paulinus, de Auguſtino Poſſidius, ut alios præteream.

7 *Occulta plaga.*] Ad Demet. infra dicit *ſpiritalibus flagris* & de Idololat. *operatione majeſtatis occultæ flagris cædi.* Ita etiam Minut. Fel. *Adjurati per Deum verum & ſolum, inviti & miſeri corporibus inhorreſcunt; & vel exiliunt ſtatim, vel evaneſcunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aſpirat.*

8 *Nec dum corpus & membra.*] Interea temporis priuſquam mutavimus. Licet corporis ſarcina gravati adhuc ſimus, non tamen prorſus ſeculi nube cæcamur. Plurima in futurum ſpondet Sp. ſanctus, ſed & plurima repræſentat. Speramus quidem, ſed & potimur.

9 *Bella ubique diviſa.*] Infra ait, *poſt diſperſas orbe toto multiplices pugnas.*

An. 246. madet orbis mutuo ſanguine; & homicidium cum admittunt ſinguli crimen eſt, virtus vocatur cum publice geritur; impunitatem ſceleribus acquirit, non innocentiæ ratio, ſed ſævitiæ (a) magnitudo.

Spectaculorum varia voluptas.

Jam ſi ad Urbes ipſas (b) oculos tuos atque ora convertas, celebritatem offendes omni ſolitudine triſtiorem. Paratur gladiatorius ludus, ut libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet. 1 Impletur in (c) ſuccum cibis fortioribus corpus, & arvinæ (d) toris membrorum moles robuſta pingueſcit, ut ſaginatus in pœnam carius pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem, & ut quis poſſit occidere peritia eſt, uſus eſt, ars eſt: ſcelus non tantum geritur, ſed & docetur. Quid poteſt inhumanius, quid acerbius dici? diſciplina eſt, ut perimere quis poſſit: & gloria eſt, quod perimit (e). Quid illud, oro te, quale eſt, ubi ſe feris objiciunt, quos nemo damnavit (f)? ætate integra, honeſta (g) ſatis forma, 2 veſte pretioſa; viventes in ultroneum funus ornantur, malis ſuis miſeri gloriantur: pugnant 3 ad beſtias (h) non crimine, ſed furore. Spectant filios ſuos patres; Frater in cavea eſt, & ſoror præſto eſt; & ſpectaculi licet pretium largior muneris apparatus amplificet, ut mœroribus ſuis mater interſit, hoc, (i) proh dolor! 4 mater & redimit. Et in tam impiis ſpectaculis, tamque (k) diris & funeſtis, eſſe ſe non putant oculis (l) parricidas.

Ludorum ſcenicorum flagitia.

Converte hinc vultus ad diverſa (m) ſpectaculi non minus pœnitenda contagia: in theatris quoque conſpicies, quod tibi & dolori ſit, & pudori. Cothurnus eſt tragicus 5 priſca (n) carminum facinora recenſere: de parricidis & 6 inceſtis error (o) antiquus, expreſſa ad imaginem veritatis actione replicatur, ne ſcelus tranſeuntibus exoleſcat quod aliquando commiſſum eſt. Admonetur ætas omnis auditu, fieri poſſe, quod factum eſt; nunquam ævi ſenio delicta moriuntur, nunquam temporibus crimen obruitur, nunquam ſcelus oblivione ſepelitur: exempla fiunt, quæ eſſe jam facinora deſtiterunt. Tum delectat in mimis turpitudinum magiſterio (p) vel quid domi geſſerit recognoſcere, vel quid gerere poſſit audire. Adulterium diſcitur, dum videtur; & lenocinante ad vitia publicæ autoritatis malo, quæ pudica fortaſſe, ad ſpectaculum matrona proceſſerat, de ſpectaculo revertitur impudica. Adhuc deinde morum quanta labes? quæ probrorum fomenta? quæ alimenta (q) vitiorum, hiſtrionicis geſtibus inquinari? videre contra fœdus juſque (r) naſcendi 7 patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam? Evirantur mares, honor omnis & vigor ſexus enervati corporis dedecore mollitur, pluſque illic placet quiſquis virum in fœminam magis fregerit; in laudem creſcit ex (s) crimine, & peritior (t) quo turpior judicatur. Spectatur hic, proh nefas! & libenter (v); quid non poſſit ſuadere qui talis eſt? Movet ſenſus, mulcet affectus, expugnat boni pectoris conſcientiam fortiorem: nec deeſt probri blandientis autoritas, ut auditu molliore pernicies hominibus obrepat. Exprimunt impudicam Venerem, adulterum Martem; & Jovem illum ſuum, non magis regno quam vitiis principem, in terrenos amores cum ipſis ſuis fulminibus ardentem, nunc in plumis oloris albeſcere (x), nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubeſcentium raptus miniſtris avibus proſilire. Quære jam nunc an poſſit eſſe qui ſpectat integer, vel pudicus. Deos (y) ſuos quos venerantur imitantur: fiunt miſeris & (z) religioſa delicta.

Domuum privatarum flagitia.

O ſi poſſis in illa ſublimi ſpecula conſtitutus oculos tuos inſerere ſecretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conſcientiam luminum penetralia occulta reſerare! aſpicias ab impudicis geri, quod nec poſſit aſpicere frons (w) pudica. Videas quod crimen

(a) Vitii magnitudo, *Lin.* (b) Ad urbes oculos, *Bod.* 1. (c) Siccum, *Spir. Rem.* (d) Ad ruinam corporis membrorum. *Ben. Lam. Ebor. NC.* 1. Et arvinæ roris, *Spir. Rem.* Aſſidui nidoris, *Eraſ.* (e) Peremit, *Foſs.* (f) Damnavit ad Beſtias, *Bod.* 1. (g) Venuſta, *Bod.* 3. *Foſs.* (h) Beſtias non crimine, *Ar. Lam. Bod.* 3. *Ben.* (i) Pro dolore, *Vict.* (k) Diris ſceleribus. *Pem. Voſs.* 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. (l) Oculi. *pler. MSS. & imp.* (m) Diverſi ſpectaculi, *Lam. Voſs.* 1. 4. *Bod.* 3. *Ben. Foſs.* (n) Priſco carmine, *Bod.* 3. Facinora carminum, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Ben. Thu. Vict.* (o) Horror, *pler. MSS & imp.* (p) Magiſterium, *Voſs.* 4. (q) Incitamenta *Vict.* (r) Legemque naſcendi, *Voſs.* 4. (ſ) Et laudem conſequitur, *Vict.* (t) Eo peritior, *Bod.* 3. (v) Libenter admittitur, *Voſs.* 4. (x) Floreſcere, *Spir. Rem.* (y) Cum Deos, *Voſs.* 4. (z) Miſeris religioſa, *Bod.* 3. (w) Mens, *Lam. NC.* 1. *Ebor.*

1 *Impletur in ſuccum.*] Edit. Spiren. & Remb. legunt, *Impletur in ſiccum cibis fortioribus corpus, & arvinæ roris.* Atque utinam alii editores tam ſimpliciter & ingenuè errare voluiſſent; nimirum apponendo quod in exemplari inveneruntur; promtiſſimus enim inde foret ad veram lectionem tranſitus. Poſtquam vero Eraſm. pro critica ſua; loco *arvinæ roris*, tororum immemor, *aſſidui nidoris* appoſuiſſet, atque alii libratii *ad ruinam corporis*, pari felicitate emendaſſent; deploratum fere erat ulcus, & niſi inſpectis primis exemplaribus prorſus immedicabile.

2 *Veſte pretioſa.*] Huc reſpicit Juven. Sat. 3. *Pinnirapi cultos juvenes.* Ad luxum faciebat, ut non humano ſolum, ſed & generoſo ſanguine oculi paſcerentur; & honeſta oris forma, & ſplendida veſtis ſpectaculum commendarent. Porro veſte Deo cui ludi inſtituebantur ſacra, damnatos indui ſolere conſtat ex Actis Felic. & Perpet. quibus amiculum Saturni impoſitum.

3 *Ad beſtias non crimine.*] Pam. & Rig. leg. *Pugnant ad beſtias beſtiæ.* Sed de hominibus agit autor, quos frigide & populari convitio, minime putandus eſt beſtias appellaſſe.

4 *Mater & redimit.*] Commodam ſedem pretio mercatur. Spectaculo fortaſſe non interfutura, niſi filii diſcrimine invitata.

5 *Priſca carminum facinora.*] Pamel. & Rigal. legunt *Priſca facinora carmine.* MSS. Suffragiis fultus, Doct. Gronovio adſtipulante, ab ipſis recedendum duxi.

6 *Inceſtis error.*] Pace Rigaltii & aliorum qui *horror* repoſuerunt, MSS. ſequor & Gronov. Nota res eſt; erroribus ſcenam argumenta fabularum fere omnium debere. Hinc Thyeſteæ epulæ, Herculis & Theſei parricidia, & (qui tragicorum utramque paginam implet, quemque hoc in loco Cyprianus reſpicit,) Oedipodis inceſtus. Lectionem hanc confirmat Tertul. qui in Apolog. de hac ipſa re ait. *Simul error impegerit, exinde jam tradux proficiet inceſti, ſerpente genere cum ſcelere.* Atque iterum. Ad Nation. lib. de inceſto verba faciens, habet; *Neque ignorantiæ, neque errori, neque caſui oppoſita ſit.* &c. Sed ut *horror*, pro *errore* ſcribatur non eſt lapſus ſingularis. Spirenſ. Pemb. Eraſm. ſupra legerunt *Vitæ prioris horroribus.* pro *erroribus.*

7 *Patientiam inceſtæ turpitudinis.*] Omnis nefaria conſuetudo, licet non cum propinquis, ita appellatur. Sic virgines veſtales violatæ inceſtus poſtulandæ. At interim, nulli adeo propinqui, ac qui ejuſdem ſexus: in quibus, ut recte ait Autor noſter; contra jus & fœdus naſcendi peccatur.

Conſcium

men ſit & videre : videas quod vitiorum furore dementes (a) geſſiſſe ſe negant , & gerere feſtinant. Libidinibus inſanis in viros viri proruunt. Fiunt quæ nec illis (b) poſſunt placere, qui faciunt. Mentior niſi alios qui talis eſt increpat; turpes turpis infamat, & evaſiſſe ſe 1 conſcium credit, quaſi conſcientia (c) ſatis non ſit. Iidem in publico accuſatores, in occulto rei ; in ſemetipſos cenſores pariter , & nocentes. Damnant foris, quod intus operantur: admittunt libenter, quod cum admiſerint (d) criminantur. Audacia prorſus 2 cum vitiis faciens (e), & impudentia congruens impudicis. Nolo mireris quæ loquuntur hujuſmodi ore illo (f): quicquid jam voce delinquitur, minus eſt. *An.* 246. Rom. 1.

Sed tibi poſt inſidioſas vias, poſt diſperſas orbe toto multiplices pugnas, poſt ſpectacula vel cruenta, vel turpia; poſt libidinum probra vel lupanaribus proſtituta, vel domeſticis parietibus obſepta , quorum quo ſecretior culpa , major audacia eſt ; forum fortaſſe videatur immune, quod ab injuriis laceſſentibus liberum, nullis malorum contactibus polluatur. Illuc aciem tuam flecte , plura illic quæ deteſteris invenies , magis oculos tuos inde divertes. Inciſæ ſint licet leges 3 duodecim tabulis , & publice (g) ære (h) præfixo jura (i) præſcripta ſint ; inter leges ipſas delinquitur , inter jura peccatur. 4 Innocentia nec illic ubi defenditur reſervatur. Sævit invicem diſcordantium rabies, & inter togas pace rupta , forum litibus mugit inſanum. Haſta illic & gladius, & carnifex præſto eſt ; ungula effodiens , equuleus extendens , ignis exurens; ad hominis corpus unum, ſupplicia plura quam membra (k) ſunt. Quis inter hæc vero ſubveniat? Patronus? ſed (l) prævaricatur & decipit. Judex ? ſed (m) ſententiam vendit. Qui ſedet crimina vindicaturus , admittit ; & ut reus innocens pereat , fit nocens judex. Flagrant ubique delicta ; & paſſim multiformi genere peccandi , per improbas mentes nocens virus operatur. Hic teſtamentum ſubjicit (n): ille falſum 5 capitali fraude conſcribit: hic arcentur hæreditatibus liberi: illic bonis donantur alieni. Inimicus (o) inſimulat , calumniator impugnat , teſtis infamat ; utrobique graſſatur in 6 mendacium (p) criminum, proſtitutæ vocis venalis audacia; cum (q) interim 7 nocentes, nec cum innocentibus pereunt. Nullus de legibus metus eſt: de quæſitore, de judice pavor nullus: quod poteſt redimi, non timetur : eſſe jam inter nocentes innoxium, criminis (r) eſt: malos (s) quiſquis non imitatur , offendit. Conſenſere jura peccatis , & cœpit licitum eſſe quod publicum eſt. Quis illic rerum pudor , quæ eſſe poſſit integritas; ubi qui damnant improbos deſunt, ſoli tibi (t) qui damnentur occurrunt? *Fori flagitia.*

Sed (u) ne videamur eligere fortaſſe pejora , & ſtudio deſtruendi per ea oculos tuos ducere, quorum triſtis atque averſandus aſpectus ora & vultus conſcientiæ melioris offendat : jam tibi illa quæ ignorantia ſecularis bona opinatur oſtendam, illic etiam fugienda conſpicies. Quos (v) honores putas eſſe , quos faſces , quam affluentiam in divitiis, quam potentiam in caſtris , in magiſtratu (w) purpuræ ſpeciem , in principatu licentiæ poteſtatem ; malorum blandientium virus occultum eſt : (x) arridentis nequitiæ facies quidem læta , ſed calamitatis (y) abſtruſæ illecebroſa fallacia. Inſtar quoddam (z) veneni , ubi , in lethales ſuccos dulcedine aſperſa calliditate fallendi ſapore medicato, poculum videtur eſſe quod ſumitur; ubi epotaveris (aa), pernicies hauſta graſſatur. Quippe illum vides qui amictu clariore conſpicuus , fulgere ſibi videtur in purpura : quibus hoc (bb) ſordibus emit , ut fulgeat ? quos arrogantium faſtus (cc) prius pertulit ? quas ſuperbas fores matutinus ſalutator obſedit ? quot (dd) tumentium contumelioſa (ee) veſtigia (ff) ſtipatus in clientium cuneis (gg) ante præceſſit, ut ipſum etiam ſalutatum comes poſtmodum pompa præcederet, obnoxia non homini, ſed poteſtati? *Ambitionis mala.*

(a) Gementes, *Spir. Rem. Eraſ.* (b) Illis ipſis, *Pam.* (c) Conſcientiam ſuam non poſſe effugere ſatis non ſit, *Pam. Vict.* (d) Et alios cum admiſerint, *Mor.* (e) Pro convitiis faciens, *Eraſ.* Favens, *Lam. Ben. Ebor.* Convitiis faciens, *Spir. Rem.* (f) Ore illo polluto, *Lin. Manut. Pam.* (g) Publico ære, *Pem. Lam. Eb. NC.* 1. *Voſ.* 2. Publica, *Voſ.* 4. (h) Præfixa, *Spir. Rem.* (i) Proſcripta, *Man.* (k) Quam membra. Quis, *Lam. Bod.* 3. *Eb. NC.* 1. *Lin. Voſſ.* 4. (l) Patronus ſcil. *Voſſ.* 4. (m) Judex ſententiam *Voſſ.* 4. (n) Subducit, *Thu. Foſſ.* (o) Inimicus inſimulat, calumniatur, impugnat teſtes, infamat verum, ubique graſſatur, *Vict.* (p) Criminis, *Rig. Pem. Bod.* 3. *Voſſ.* 2. *Lin. Spir. Rem. Man. Mor.* (q) Cum nocentibus innocentes pereunt. *Lam. Ben. Ar. NC.* 1. (r) Crimen eſt, *Pem. Bod.* 3. *Voſ.* 4. *Rig.* (s) Malus quiſque dum non, *Ebor. Lam.* (t) Soli ubi, *Lam. Ar. Ebor.* Tibi, *Eraſ. Morel. Voſſ.* 4. (u) Sed videamur, *Lam. Ebor. NC.* 1. Nos videamur, *Bod.* 3. *Manut. Morel.* (v) Quos honores putas eſſe, *omiſſa interrog. Voſſ.* 2. *ſic Morel. quos ſequimur*, *Rigaltius*, *omnia per interrogationes repetitas extulit.* (w) Magiſtratibus ---- principatibus, *NC.* 1. *Ebor. Lam.* (x) Et arridentis. *Voſſ.* 4. (y) Calamitates abſtruſæ, *Pem. Voſſ.* 2. (z) Cujuſdam, *Voſſ.* 2. *at alterum non minus latine*, (aa) Epotatum, *Ebor.* Epota res, *Spir. Rem. Man. Thu. Vict.* (bb) Quibus hic, *Voſſ.* 4. (cc) Faſtus pertulit, *Voſſ.* 4. (dd) Quæ tumentium, *Bod Spir. Rem. Foſſ.* (ee) Contumelioſis veſtigiis, *Ar. Ben. Lam. Ebor.* (ff) Stipatus clientium, *Spir. Eraſ.* (gg) Cuneos, *Mor. & impreſſi fere omnes.* (hh) Salutantium, *Lamb. Eraſ.*

1 *Conſcium credit.*] Nimirum qui ſibi tantum conſcius; quem delator in jus trahere non poteſt.

2 *Cum vitiis faciens.*] Stans à vitii partibus, moribuſque peſſimis digna.

3 *Duodecim tabulis.*] Poſtquam colonia civium Romanorum Carthaginem deduceretur, urbs illa alio deinceps nomine Romæ æmula facta eſt. Hinc pariter apud eos Theatra, Balnea, Fora, Legum 12 tabulæ, imo & Capitolium, v. inf. de Lapſ.

4 *Innocentia nec illic ubi defenditur reſervatur.*] Protegitur, ſervatur.

5 *Capitali fraude.*] Qualis ſcil. excipitur ff. de Ædil. edict. Porro capitalis pœna eſt, quæ mortem vel amiſſionem civitatis continet l. 103. de verb. ſign. Tertul. adv. Marcion. l. 4. c. 9. *Septem maculas delictorum capitalium* vocat *Idololatriam*, *Blaſphemiam*, *Homicidium*, *Adulterium*, *Stuprum*, *falſum Teſtimonium*, *Fraudem.* Sic de pœnitentia. *Graviora & exitioſa quæ veniam non capiunt*, *Homicidium*, *Idololatria*, *Fraus*, *Negatio*, *Blaſphemia*, *utique & Mœchia & Fornicatio*, *& ſi quæ alia violatio templi Dei.* Quæ nihil fere aliud ſunt quam trium famoſorum criminum in varios ramos diſtributio. His enim ipſa Eccleſia catholica unicam permiſit pœnitentiam.

6 *Mendacium criminum.*] Falſæ criminationes. Sic Tertullian. de Coron. *Si mendacium divinitatis Diabolus operatur*, *in hac etiam ſpecie à primordio mendax*, *ſine dubio & eos ipſe proſpexerat*, *in quibus in mendacium divinitatis ageretur.*

7 *Nocentes*, *nec cum innocentibus pereunt.*] Duplici injuſtitia; pereunt innocentes, ſervantur flagitioſi.

An. 246. teſtati ? Neque enim coli moribus meruit ille, ſed faſcibus. Horum denique videas exitus turpes, cum auceps (a) temporum palpator abſceſſit, cum privati latus nudum 1 deſertor aſſecla fœdavit : tunc laceratæ domus plagæ conſcientiam feriunt, tunc rei familiaris exhauſtæ (b) damna noſcuntur ; quibus redemtus favor vulgi, & caducis atque inanibus votis popularis aura quæſita eſt. Stulta prorſus & vana jactura, (c) 2 fruſtrantis ſpectaculi voluptate id parare voluiſſe, quod nec populus acciperet, & perderet magiſtratus.

Divitiarum mala. Sed & quos (d) divites opinaris, continuantes ſaltibus ſaltus ; & de confinio pauperibus excluſis, infinita ac ſine terminis rura latius porrigentes ; quibus argenti & auri maximum pondus, & pecuniarum ingentium vel extructi aggeres, vel defoſſæ ſtrues ; hos etiam inter divitias ſuas trepidos, cogitationis incertæ ſollicitudo diſcruciat, ne prædo vaſtet, ne percuſſor infeſtet, ne inimica cujuſque locupletioris invidia calumnioſis litibus inquietet. Non cibus ſecuro (e), ſomnuſve contingit. Suſpirat ille in convivio, bibat licet gemma ; & cum epulis marcidum corpus torus mollior alto ſinu condiderit (f), vigilat (g) tamen in pluma : nec intelligit miſer ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia, auro ſe alligatum teneri, & poſſideri magis quam poſſidere divitias (h) atque opes. O deteſtabilis (i) cæcitas mentium, & cupiditatis inſanæ profunda caligo ! Cum exonerare ſe poſſit & levare ponderibus, pergit magis fortunis angentibus incubare, pergit pœnalibus cumulis pertinaciter adhærere. Nulla in clientes inde largitio eſt, cum indigentibus nulla partitio (k) : & pecuniam ſuam dicunt, quam velut alienam domi clauſam ſollicito labore cuſtodiunt, ex qua non amicis, non liberis quicquam, non ſibi denique impertiunt. Poſſident ad hoc tantum, ne poſſidere alteri liceat. Et, ô nominum quanta diverſitas ! bona appellant, ex quibus nullus illis, niſi ad res malas uſus eſt.

Potentiæ ſecularis mala. An tu vel illos putas tutos, illos ſaltem inter honorum infulas, & opes largas, ſtabili firmitate ſecuros ; quos regalis aulæ ſplendore fulgentes, armorum excubantium tutela circumſtat ? Major illis quam cæteris metus eſt : tam ille timere cogitur, quam timetur. Exigit pœnas pariter de potentiore ſublimitas ; ſit licet ſatellitum manu ſeptus (l), & clauſum ac protectum latus numeroſo ſtipatore tueatur. 3 Quam ſecuros non ſinit eſſe ſubjectos, tam neceſſe eſt non ſit & ipſe ſecurus. Ante ipſos terret poteſtas ſua, quos (m) facit eſſe terribiles. Arridet, ut ſæviat : blanditur, ut (n) fallat : illicit, ut occidat : extollit, ut deprimat. Fœnore quodam nocendi, quam fuerit amplior ſumma dignitatis & bonorum (o), tam major exigitur uſura pœnarum.

Sola pietas felices præſtat. Una igitur placida & fida tranquillitas ; una ſolida, & firma & perpetua ſecuritas : ſi quis ab his inquietantis ſeculi turbinibus extractus, ſalutaris portus ſtatione fundetur ; ad cœlum oculos tollat (p) à terris ; & ad 4 Domini munus admiſſus, ac Deo ſuo mente jam proximus, quicquid apud cæteros in rebus humanis ſublime ac magnum videtur, intra ſuam jacere conſcientiam glorietur. Nihil appetere jam, nihil deſiderare de ſeculo poteſt, qui ſeculo major eſt. Quam ſtabilis, quam inconcuſſa tutela eſt, quam perennibus (q) bonis cœleſte præſidium, implicantis mundi laqueis ſolvi, in lucem immortalitatis æternæ de terrena fæce purgari ; 5 viderit (r) quæ in nos prius infeſtantis inimici pernicies inſidioſa graſſata ſit. Plus amare compellimur, quod futuri ſumus ; dum & ſcire conceditur, & damnare quod eramus. Nec ad hoc pretiis, aut ambitu, aut manu opus eſt, ut hominis ſumma vel dignitas vel poteſtas elaborata mole (s) pariatur : ſed (ſ) gratuitum de Deo munus (t), & facile (u) eſt. Ut ſponte ſol radiat (v), fons rigat, imber irrorat ; ita ſe ſpiritus cœleſtis infundit. Poſtquam auctorem ſuum cœlum intuens anima cognovit, ſolo (w) altior, & hac omni terrena poteſtate ſublimior, id eſſe incipit, quod ſe eſſe credit. Tu tantùm quem jam ſpiritalibus caſtris cœleſtis militia ſignavit, tene incorruptam, tene ſobriam religioſis virtutibus diſciplinam. Sit tibi vel oratio 6 aſſidua, vel lectio : nunc tu (x) cum Deo loquere, nunc Deus tecum. Ille te præceptis ſuis inſtruat, ille diſponat : quem ille divitem (y) fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria eſſe nulla jam poterit ; cui (z) ſemel pectus cœleſtis ſagina ſaturavit. Jam tibi auro diſtincta laquearia, & pretioſi marmoris cruſtis veſtita domicilia ſordebunt ; cum ſcieris te (aa) excolendum magis, te potius ornandum ; domum tibi hanc eſſe potiorem, quam Dominus inſedit templi vice, in qua Spiritus Sanctus cœpit

(a) Anceps, *Spir. Rem. Eraſ.* (b) Exhauſta, *Spir. Rem. Eraſ.* (c) Jactatio *Pem. Voſs.* 2. (d) Quod, *Pem. Mor.* (e) Securus, *Lam. Eb. Spir. Rem. Eraſ.* Securos, *Voſs.* 2. *Mor.* Securum, *Voſs.* 4. (f) Condat, *Lam. Ebor. Lin. Ben.* Condidit, *Mor. Man.* (g) Vigilat in pluma, *Voſs.* 2. 4. *Lam. NC.* 1. *Ebor. Lam. Lin. Spir. Rem. Man. Mor.* (h) Divitias. O deteſt. *Lam. Ebor. Lin.* (i) Atque adeo deteſt. *Lam.* Inſtabilis, *Mor. NC.* 1. *Ebor. ſenſu procedente.* Atque ô deteſt. *Spir. Rem. Eraſ. Man. Foſs.* (k) Participatio, portio. *Lam. Ebor. Ben. M. R.* (l) Septum, *Bod.* 3. (m) Quam facit, *Bod.* 3. (n) Fallat extollit, *Pem. Voſs.* 2. (o) Bonorum major, *Rem. Voſs.* 1. 4. *Lam. Eb. NC. Lin.* Honorum, *Pem. Lam.* (p) Oculos tollit, *Voſs.* 2. (q) Bonis affluens, *Goul. Morel.* (r) Videre, *Mor.* Videri, *Lam.* (s) Manu, *Lin.* (ſ) Et gratuitum, *Voſs.* 2. (t) Munus religioſa mente concipitur, *Voſs.* 3. *u* Facile eſt. Sponte, *Lam. Eb.* (v) Radiat, dies luminat, *Ar. Lam. Lin. Spir. Rem. Omiſere Pam. & Rig.* (w) Sole altior, *Pem. Voſs.* 2. *Bod.* 3. *Spir. Rem. Man.* Solo *legunt Pam. Rig.* &c. (x) Nunc tu cum, *Ar. Eb. Lam. Ben. Omittunt* tu *Pam. & Rig.* (y) Mandatorum ſuorum fecerit, *Pem. Voſs.* 2. *Fab.* (z) Cum ſemel pectus, *Ar. Pem.* (aa) Eſſe excolendum, *Voſs.* 2. *Lin.*

1 *Deſertor aſſecla fœdavit.*] Nudum reliquit.

2 *Fruſtrantis ſpectaculi.*] Congiaria, ſportulæ, miſſilia, tributorum remiſſiones, revera populo cui donantur proſunt : ſpectacula vero ſolum corrumpunt : æquum ergo ut in muneribus iſtis utrique pariter fruſtra eſſent ; & quod populus inutiliter acciperet, perderet honorum candidatus.

3 *Quam ſecuros non ſinit.*] Quantum per illos abeſt ut ſecuri eſſe poſſint, tantum, &c.

4 *Domini munus.*] Baptiſma nimirum. Alibi hic paſſim vocatur *Gratia Dei.* Infra, *Gratuitum de Deo munus.*

5 *Viderit quæ in nos.*] Locutio Autori noſtro, & Tertulliano fere perpetua, in Apol. *Viderit habitus dum materiæ qualitas eadem ſit, viderit forma dum id ipſum Dei corpus ſit.*

6 *Oratio aſſidua, vel lectio.*] Sequentia evincunt lectionem S. ſcripturarum intelligi. Neque enim per illa ſecula, ſacra illa volumina laicis, imo modo baptizatis, interdicta.

1 *Lumine-*

cœpit habitare. Pingamus hanc domum pigmentis innocentiæ, [1] luminemus (a) luce juſtitiæ. Non hæc unquam procumbet in lapſum ſenio vetuſtatis; nec pigmento parietis (b), aut auro exoleſcente fœdabitur. Caduca ſunt quæcunque fucata, nec fiduciam præbent poſſidentibus ſtabilem, quæ poſſeſſionis (c) non habent firmitatem (d). Hæc (e) manet cultu jugiter vivido, honore integro, ſplendore diuturno; aboleri non poteſt, nec extingui; poteſt tantum in melius corpore redeunte formari. [2] Hæc interim brevibus, Donate cariſſime; nam etſi facilem (f) de [3] bonitate patientiam, mentem (g) ſolidam, fidem tutam, ſalutaris auditus oblectat; nihilque tam tuis auribus gratum eſt, quam (h) quod Deo gratum eſt; moderari tamen (i) dicenda debemus, ſimul [4] juncti, & ſæpius collocuturi (k). Et quoniam feriata nunc quies, ac tempus eſt otioſum; quicquid inclinato (l) jam ſole in veſperam diei ſupereſt, ducamus hanc diem læti; nec ſit vel hora convivii gratiæ cœleſtis immunis: ſonet pſalmos (m) convivium ſobrium: & ut tibi tenax memoria eſt, vox canora; [5] aggredere hoc munus ex more. (n) Magis cariſſimos paſces, (o) ſi ſit nobis ſpiritalis auditio, prolectet aures religioſa mulcedo. *An.* 246.

(*a*) Illuminemus, *Pam. Rig.* (*b*) Pigmentum parietis auro, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (*c*) Poſſeſſionibus, *Pem. Lam. Bod.* 3. (*d*) Veritatem, *Lam. Lin.* (*e*) Firmitatem. Manet, *Voſs.* 3. (*f*) Si facile - - de bonitate patientiæ, *Voſs.* 2. (*g*) Mentem in Deum ſolidam, *Ar. Pem. Lin.* (*h*) Quam quod in domino, *Lin.* In Deo, *Spir. Rem. Er. Man.* Quam quod Deo gratum, *Pem. Voſs.* 2. *Eb. NC.* 1. *Ben. Lam. Omiſit, Rig.* (*i*) In dicendo, *Fab.* In Deo, *Spir. Rem. Man. Morel. Deſunt in Pam. & Rig.* (*k*) Locuturi, *Lin. Voſs.* 2. *Ebor. impreſſi fere omnes. Pam. & Rig.* collocuturi. (*l*) Inclinante *Voſs.* 3. (*m*) Pſalmus, *Voſs.* (*n*) Ex orc tuo magis, *Morel.* Magis enim, *Fab.* (*o*) Paſces: ſit, *Lam. Bod. Ebor. Lin. NC.* 1.

1 *Luminemus luce juſtitiæ.*] Accedo doct. Gronov. qui ita legendum cenſet, adſtipulantibus MSS. exemplaribus. In lib. de Opere & Eleem. dicitur, *Sol radiat, dies luminat*, quemadmodum hoc ipſo in loco, ante lineam unam aut alteram, plurimi codices legunt. Hinc apud medii ſeculi ſcriptores, luminare eſt pingere, & in vernacula noſtra lingua, luminator, pictor audit. Interim non eſt diſſimulandum, illuminare, & inluminare, ſæpe ſæpius legi.

2 *Hæc interim brevibus.*] Paucis, ſuccinctè, breviter.

3 *De bonitate patientiam.*] Patientiam bonitati conſentaneam, & ab ea profluentem, locutione Tertulliano fere perpetuâ. Adv. Marc. l. 2. ait, *ſolus Deus de incorruptibilitatis proprietate felix.* lib. de Patient. *Omnem ſapientiæ oſtentationem de patientiâ præſervat.* Paulo ſupra autor noſter *gratuitum de Deo munus.* D. Gronov. ſuſpicatur periodum ſic eſſe concipiendam. *Facilem de bonitate patientiæ mentem, in Deum ſolida fide tutam, ſalutaris auditus oblectat.* Cujus conjecturæ adſtipulatur codex eruditiſſimi Voſſii ſecundus.

4 *Simul juncti.*] In viciniâ habitantes.

5 *Aggredere hoc munus ex more.*] Pluribus deſcribit morem hunc Tertullianus in Apol. *Non prius diſcumbitur quam oratio ad Deum præguſtetur, editur quantum eſurientes cupiunt, bibitur quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur, ut qui ſciant Deum audire. Poſt aquam manualem & lumina, ut quiſque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit; æque oratio convivium dirimit.* Pariter Clemens Alexandrinus Strom. 7. De chriſtianorum moribus verba faciens, ait ἅπας ὁ βίος αὐτοῦ, πανήγυρις ἁγία, κὐτίκα θυσίας μὲν αὐτῷ, εὐχαί τε καὶ αἶνοι, καὶ πρὸ τῆς ἑςιάσεως ἐντεύξεις τῶν γραφῶν, ψαλμοὶ δὲ καὶ ὕμνοι παρὰ τὴν ἑςίασιν. &c. Quemadmodum ſcilicet pietas Chriſtiana ritus alios ab eccleſia Judaica deſumſit, hunc etiam morem de ſacris lectionibus, & gratiis ad cibum ſolenniter agendis mutuata eſt. Imo vero hoc ipſum publicis generis humani religionibus ſancitum. *Antequam veſcerentur, Diis libare inſtituerunt*, inquit Cenſorinus. Ex eo factum ut proverbio apud Ethnicos notarentur, tanquam impii prorſus & ſcelerati, ἄθυτα ἱερὰ κατεσθίοντες atque ἄσπονδοι. Et exinde paſſim in veterum ſcriptis ἱερεῖα, animantium carnes denotabant. Quo minus ferendi ſunt, qui nulla orationis apud Deum præfatione, caninas agunt epulas, & tanquam Harpyiæ in cibos propoſitos involant. Hoc ergo in loco critica Scaligeri ſupervacua videtur, dicentis periodum ſic concipiendam. *Aggredere hoc munus tuo ore magis.* Cui acceſſit Morellius.

D. CÆCILII CYPRIANI

1 (a) De Idolorum Vanitate Liber.

Scriptus *Ann.* 247.

DEOS non eſſe, quos colit vulgus, hinc notum eſt. 2 Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud ſuos poſtmodum etiam in morte cœperunt. Inde illis inſtituta templa: inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expreſſa ſimulacra; quibus (b) & immolabant hoſtias, & dies feſtos dando honores (c) celebrabant: inde poſteris facta ſunt ſacra, quæ primis fuerant aſſumta ſolatia. Et videamus an ſtet hæc apud ſingulos veritas. Melicertes & Leucothea præcipitantur in maria, & fiunt poſtmodum maris numina. 3 Caſtor & Pollux (d) alternis moriuntur, ut vivant. Æſculapius ut in Deum ſurgat, fulminatur. 4 Hercules ut hominem exuat, Oeteis (e) ignibus concrematur. Apollo Admeti pecus pavit. Laomedonti muros Neptunus inſtituit, nec mercedem operis infelix ſtructor accepit. 5 Antrum Jovis in Creta viſitur (f), & ſepulcrum ejus oſtenditur: & ab eo Saturnum fugatum eſſe (g) manifeſtum eſt; inde Latium de latebra (h) ejus nomen accepit. Hic literas imprimere, hic 6 ſignare nummos in Italia primus inſtituit, unde (i) ærarium Saturni vocatur: (k) & 7 ruſticitatis hic cultor fuit, inde falcem ferens ſenex pingitur (l). Hunc fugatum hoſpitio Janus exceperat (m), de cujus nomine Janiculum dictum eſt; & menſis Januarius inſtitutus eſt. Ipſe Bifrons exprimitur, quod in medio conſtitutus annum incipientem pariter & recedentem ſpectare videatur. 8 Mauri vero manifeſte Reges colunt, nec ullo velamento hoc nomen obtexunt.

Ad Pamelii numeros Tractatus VI. *Ad Eraſmi, tractatus* IV.

Dii gentium Reges vita defuncti.

Cultus iſte per gentes varius &

Inde per gentes & provincias ſingulas varia deorum religio mutatur, dum non unus ab omnibus Deus colitur, ſed propria cuique majorum ſuorum 9 cultura ſervatur. 1 Hoc

(a) Quod Idola dii non ſint, & quod unus Deus ſit, & quòd credentibus ſalus data ſit, *Lam. Ebor.* Quod Idola dii non ſint, contra paganos, *Vict. & alii.* Quod credentibus datum ſit Deos non eſſe, &c. *Voſs.* 4. *Lin. Spir.* Ratum, *Dun.* De Idolis Gentium, *Goul.* (b) Nam & immolabant, *Foſs. Corb.* Simulacra: & immolabant, *Lin. Ben. Ver.* (c) Honorem, *Lin. Lam.* Honore, *Pem. Mic. Vict. Thu. Foſs. Corb.* Tanto honore, *Voſs.* 4. (d) Caſtores, *Pem. Voſs.* 2. 3. *Ver.* 4. *Lin. Lam. Thu. Mic. Vict.* (e) Oetæ ignibus concrematur, *Lin. Thu.* (f) Videtur, *Thu. Foſs.* Dicitur, *Pem. Voſs.* 2. Viſitatur, *Voſs.* 4. (g) Fugatum manifeſtum, *Pem. Voſs.* 2. *Thu. Mich. Vict.* (h) Latebris, *Pem. Voſs.* 2. (i) Inde, *Lam. Thu. Foſs. Mich.* (k) Nam & ruſticitatis, *Mich. Vict.* (l) Ferens pingitur, *Lam. Bod.* 3. *Voſs.* 2. *Spir. Rem. Er. Man.* (m) Excepit, *Foſs. Mich. Vict.*

1 *De Idolorum vanitate*] Quæ in impreſſis olim Tituli loco præfigebantur, revera Argumentum ſive ſumma contentorum ſequentis operis dici deberent. Nos illa tantum retinemus, quæ ad ſcripti deſignationem videntur maxime accommoda. Notandum porro, illas ipſas rationes quæ libellum ad Donatum à Cypriano ſtatim poſt acceptam fidem conſcriptum fuiſſe ſuadent, pariter tractatus hujus prorſus Apologetici natales deſignare. Proinde cum alter vindemialibus feriis, ad finem anni 246. deputetur; hic initio ſequentis, hoc eſt 247. non immerito aſſignabitur. Tractatum hunc S. Hieronymus Ep. 84. ad Magnum, luculento ornat elogio. *Cyprianus quod Idola dii non ſint qua brevitate, qua hiſtoriarum omnium ſcientia, quorum verborum & ſenſuum ſplendore perſtrinxit?* Interim non eſt diſſimulandum, haud pauca à Tertulliano, plurima à Minutio ad verbum huc traducta: ſed primis Chriſtianis *cor erat unum & anima una, & nemo eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* quemadmodum dicitur Act. 4. 32. adeo nulla de plagio actio eſſe potuit. Quare iiſdem pariter armis Athenagoras, Juſtinus, Clemens, Tatianus, Arnobius, Auguſtinus, & quotquot adverſus Gentilium cultum ſcripſerunt Patres, pugnavere. Imo, quod quis minus expectaverit, iiſdem prius uſi fuerant, ut Græcos præteream, Varro, Cicero & Plinius, nec non & alii paſſim Ethnici Scriptores. Unde de hac re verba faciens D. Auguſt. l. de Baptiſ. cont. Petil. non temere refert. *Cyprianus de uno vero Deo, adverſus multorum Deorum cultores diſputans multa profert teſtimonia de libris eorum, quos præclaros Auctores habent.* Quid enim accommodatius ad amoliendam invidiam Gentilium qui Chriſtianos atheiſmi inſimulabant, eo nomine quod numina ipſorum contemnerent, quam productis in medium eruditiſſimorum apud Ethnicos ſuffragiis, palam facere, illos eadem cum Chriſtianis de Diis ſenſiſſe? Porro Pontius, libellum hunc indiciis ſatis manifeſtis deſignans, ait. *Per quem Gentiles Blaſphemi repercuſſis in ſe iis quæ nobis ingerunt vincerentur?* Quo vero jure ſcripti hujus, una cum aliis nonnullis quæ Cypriani ſeceſſum præceſſerant, in loco prorſus alieno meminerit Auctor ille, ſuperius diximus.

2 *Reges olim fuerunt,*] Aut ſaltem proles regia. Sic Ino ſeu Leucothoe, Cadmi regis Thebarum filia. Tyndaridæ, filii Regis Oebaliæ. Hercules Jovis, &c. *Deus eſt mortali*, inquit Plinius, l. 2. c 7. *juvare mortalem, & hæc ad æternam gloriam via. Hac proceres iere Romani. Hæc nunc cœleſti paſſu cum liberis ſuis vadit maximus omnis ævi rector Veſpaſianus Auguſtus, feſſis rebus ſubveniens. Hic eſt vetuſtiſſimus referendi gratiam benemerentibus mos, ut numinibus adſcribantur.* Ita & Cicero l. 2. de nat. Deorum. *Suſcipit vita hominum, & conſuetudo communis, ut beneficiis excellentes viros in Cœlum fama & voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Caſtor & Pollux, hinc Æſculapius, hinc Liber etiam, hinc Romulus, &c.* Similia habet lib. etiam 3. Hos ergo recte appellat Cyprianus, *Deos*, non quos ſapientes, ſed, *quos vulgus colit.*

3 *Caſtor & Pollux.*] Si tanti eſſet rem levis momenti mutare, reponere hic oporteret Caſtores; ita enim Minutius, unde hæc deſumta videntur, ſcribit; & MSS. plurimi ſuffragantur.

4 *Hercules ut hominem exuat.*] *Non video*, inquit idem Cicero, *quo pacto ille, cui in monte Oetæo illatæ Lampades fuerunt, ut ait Accius, in domum æternam patris ex illo ardore pervenerit.*

5 *Antrum Jovis in Creta.*] *Tres*, inquit Cicero ubi ſup. *Joves numerantur, ex quibus primus & ſecundus nati in Arcadia; tertius Cretenſis Saturni filius, cujus in illa inſula ſepulcrum oſtenditur.*

6 *Signare nummos.*] Tert. Apol. c. 10. *Ab ipſo primum tabulæ, & imagine ſignatus nummus, & inde ærario præſidet.* Primus tamen Romæ nummos percuſſit Servius Tullus, ſi Plinio fides.

7 *Ruſticitatis.*] Ruris, quamquam Papias diſtinguat. *Ruſticitas eſt morum; Ruſticatio eſt operis; cultura terræ.*

8 *Mauri vero.*] Tertul. in Apol. *Unicuique provinciæ & civitati ſuus Deus eſt; ut Syriæ Aſtartes, ut Arabiæ Diſares, ut Noricis Belenus, ut Africæ Cœleſtis, ut Mauritaniæ reguli ſui.*

9 *Cultura.*] Sic Tertul. de Idol. *Idololatriam, in homines eſſe culturam.*

Hoc

1 Hoc ita esse Alexander magnus insigni volumine ad matrem suam scribit: (a) metu suæ potestatis proditum sibi de diis hominibus à sacerdote secretum; quod majorum & regum memoria servata sit; inde colendi, & sacrificandi ritus (b) inoleverit. Si autem aliquando dii nati sunt, 2 cur non hodieque nascuntur? nisi si forte Jupiter senuit, aut partus in Junone defecit. Cur vero deos putas pro Romanis posse, quos videas nihil pro suis adversus eorum arma valuisse? Romanorum enim vernaculos deos novimus. Est Romulus pejerante Proculo Deus factus, & Picus, & Tiberinus, & Pilumnus: & Consus, quem Deum fraudis, velut consiliorum Deum, coli Romulus voluit; postquam in raptum Sabinarum 3 perfidia provenit (c). 4 Deam quoque Cloacinam Tatius & invenit (d) & coluit: 5 Pavorem Hostilius atque Pallorem: mox, à nescio quo, Febris dedicata, & Acca, & (e) Flora meretrices. In tantum vero deorum vocabula apud Romanos finguntur, ut sit apud illos & Viduus Deus qui anima corpus viduet, qui quasi feralis & funebris intra muros non habetur, sed foris collocatur; & nihilominus, quia extorris factus, damnatur potius Romana religione quam colitur. Est & Scansus ab ascensibus dictus, & Forculus à foribus, & à liminibus Limentinus, & Cardea à cardinibus, & 6 ab orbitatibus Orbona (f). Hi dii Romani. 7 Cæterum Mars Thracius, & Jupiter Creticus, & Juno, vel Argiva, vel Samia, vel Pœna, & Diana Taurica, & Deûm Mater Idæa, & Ægyptia portenta, non numina: quæ utique si quid potestatis habuissent, sua ac suorum regna servassent. Plane sunt apud Romanos & victi penates (g), quos Æneas profugus advexit. 8 Est & Venus Calva, multo hic turpius calva, quam apud Homerum vulnerata.

An. 247. *subinde maximos: porro absurdas & cultoribus inutiles.*

Regna autem non merito accidunt, sed sorte variantur. Cæterum imperium ante tenuerunt & Assyrii, (h) & Medi, & Persæ: & Græcos & Ægyptios regnasse cognovimus. Ita vicibus potestatum, Romanis quoque, ut & cæteris, imperandi tempus obvenit. Cæterum si ad originem redeas, erubescas. Populus de sceleratis & nocentibus congregatur, & Asylo constituto facit numerum impunitas criminum. Ut Rex ipse principatum habeat ad crimina, fit Romulus parricida: atque ut Matrimonium faciat, rem (i) concordiæ per discordias auspicatur. Rapiunt, feriunt, fallunt. Ad copiam civitatis augendam, nuptiæ sunt illis rupta hospitii fœdera, & cum soceris bella crudelia. Est & gradus summus in Romanis honoribus consulatus: sic consulatum cœpisse videmus ut Regnum; filios interficit Brutus, ut crescat de suffragio sceleris commendatio dignitatis. Non ergo de religionibus sanctis, nec de auspiciis, aut auguriis Romana regna creverunt, sed acceptum tempus certo fine

Regna minime numinum istorum beneficio concessa, aut retenta.

(a) Scripsit, *Voss.* 2. (b) Colendi ritus, *Ver. Thu. Foss. Corb. Mich. Vin.* (c) Hodie quoque pervenit, *Bod.* 3. *M. R.* (d) Tatius invenit, *Lam.* (e) Flora meretrices. Hi dii, *Bod.* 3. *Pem. Voss.* 2. 3. *Lam. Thu. Foss. Corb. Mich. Vinc. Linc. M. R.* (f) Suburbana, *MSS. & impressi passim.* (g) Vecti, *Grav.* Vincti. *Camb.* (h) Syri & Persæ, *Lin. Ebor. Lam. Bod.* 3. *Thu Foss. Mich.* & Tyrii, *Ver. Voss.* 4. (i) Facit rem, *impressa Exemp. sed sequimur Lam. Veron. Voss.* 4. *Lin. Ebor.*

1 *Hoc ita esse Alexander M.*] Rigaltius contendit, hæc revera ad alterum Alexandrum, nimirum Polyhistorem pertinere: quæ conjectura in tantum ipsi placuit, ut ter ingesserit. Nimirum hic loci, in notis ad Tertullianum, & etiam ad Minutium. Decepti erant nimirum Cyprianus, Athenagoras, Minutius, Augustinus, imo probatissimi etiam apud Ethnicos scriptores, qui omnes, literas ab Alexandro magno, matri Olympiadi scriptas referunt, in quibus arcanum hoc de numinum natalibus, metu ipsius potentiæ extortum perhibetur. Unus vero Tertullianus rem ipsam, si Rigaltio fides, dicitur assecutus; qui Cornelii Lentuli pædagogo tribuenda demonstrat, dum ait, *Quod Ægyptii narrant, & Alexander digerit, & mater legit.* Ubi voces illæ *Alexander digerit*, συντάκτην vult respicere; & quæ sequuntur, *mater legit*, scripta nescio quæ matri ejus dicata, ait liquido denotare. Mihi quidem nondum constat Ægyptios sacerdotes potentiam servuli Græculi adeo timuisse, nec dum matri pauperculæ à Polyhistore librum fuisse inscriptum didici. Unum hoc scio, vocem *digerere* apud scriptores nostros nihil amplius innuere, quam rei alicujus qualemcunque enarrationem. Ita *Tertul.* lib. de Patientia ait. *Si de aliquo bono sermo est, res postulat contrarium quoque boni recensere: quid enim sectandum sit magis illuminabis, si quod vitandum sit, proinde digesseris*, &c. Sic & Pontius. *Ut exemplum in literas digeratur.* Porro quis credet Cyprianum errare potuisse in volumine laudando, quod pro *insigni* habuit? Aut Athenagoram qui diserte ait colloquia hæc cum sacerdotibus ἐν τῇ Ἡλιοπόλει, καὶ Μέμφει καὶ Θήβαις contigisse? aut Augustinum hallucinatum, qui ter in Libris de Civitate Dei Epistolam hanc citat; dicitque à Leone sacerdote hæc Alexandro prodita; monetque Lectores ut Epistolam ipsam adeant, & *recolant quæ legerunt*? Sed Litem dirimat Plutarchus, in Alexandri rebus si quis alius versatissimus, & in historia testis locuples. Is in Alexandri vita ait Ἀλέξανδρος ἐν ἐπιστολῇ πρὸς τὴν μητέρα Φησὶν, γεγονέναι τινὰς αὐτῷ μαντείας ἀπορρήτους, ἃς αὐτὸς ἐπανελθὼν Φράσει πρὸς μόνην ἐκείνην &c. λέγεται δὲ καὶ Ψάμμωνος ἐν Αἰγύπτῳ τοῦ Φιλοσόφου διακόσας, ἀποδέξασθαι μάλιστα τῶν λεχθέντων, ὅτι πάντες ἄνθρωποι βασιλεύονται ὑπὸ θεοῦ, τὸ γὰρ ἄρχον ἐν ἑκάστῳ καὶ κρατοῦν θεῖόν ἐστιν. &c.

2 *Cur non hodieque nascuntur?*] Plin. l. 2. c. 7. *Matrimonia quidem inter deos credi, tantoque ævo ex his neminem nasci, & alios esse grandævos semperque canos, alios juvenes atque pueros, atricolores, aligeros, claudos, ovo editos, & alternis diebus viventes morientesque, puerilium prope deliramentorum est.*

3 *Perfidia provenit.*] Feliciter successit. Sic infra. *generis magnitudo provenit.* Vid. Tertul de spectac. & Adv. Marc. l. 1.

4 *Deam quoque Cloacinam.*] *Cloacinæ simulacrum in cloaca maxima repertum Tatius consecravit; & quia cujus esset effigies ignorabat, ex loco illi nomen imposuit.* Arnob. l. 1.

5 *Pavorem Palloremque.*] Pariter apud Ciceron. disputatur. l. 3. de nat. Deor. *Amor, dolus, metus, labor, invidentia, fatum, senectus, mors, tenebræ, miseria, querela, gratiæ, fraus, pertinacia, parcæ, hesperides, somnia: quos omnes erebo & nocte natos ferunt. Aut igitur hæc monstra probanda sunt, aut prima tollenda.*

6 *Ab Orbitatibus Orbona.*] Hæc omnia in MSS. probatissimis desunt, & sensum perturbant; tamen quia in Beneventano, Veronensi, Corbeiensi, & uno saltem è quatuor Vossianis comparent, retinemus. De Orbona apud Plinium l. 2. & Cicer. l. 3. de nat. Deor. occurrit mentio. *Orbati liberis parentes in tutela sunt Orbonæ*, inquit Arnobius. Quod forte *Suburbanæ*, quæ erat lectio recepta, locum fecit. Aut pro *orbitatibus Orbona*, inversis ultimis literis factum, *ab Orbitate suburbana.*

7 *Cæterum Mars Thracius.*] μαιμερτὸν Lycophron vocat.

8 *Est & Venus Calva.*] Lactant. l. 1. c. 20. *Urbe à Gallis capta; obsessi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem Veneri Calvæ consecrarunt.*

An. 247. fine cuſtodiunt. Cæterum & 1 Regulus auſpicia ſervavit, & captus eſt: & 2 Mancinus religionem tenuit, & ſub jugum miſſus eſt: & 3 pullos edaces Paulus habuit, & apud Cannas tamen cæſus eſt. 4 C. Cæſar, ne ante brumam in Africam navigia tranſmitteret auguriis & auſpiciis retinentibus, ſprevit; & eo facilius navigavit & vicit. Horum autem omnium ratio eſt illa, quæ fallit & decipit, & præſtigiis cæcantibus veritatem ſtultum & prodigum vulgus inducit. (a) Spiritus (b) inſinceri & vagi, qui poſtea quam terrenis vitiis immerſi ſunt, & à vigore cœleſti, terreno contagio receſſerunt, non deſinunt perditi perdere, & depravati errorem pravitatis infundere.

A pleriſque pro dæmoniis agnita.

5 Hos & poetæ dæmonas norunt: & Socrates inſtrui ſe & regi ad arbitrium dæmonis prædicabat: & Magis inde eſt ad pernicioſa vel ludicra potentatus; quorum tamen 6 præcipuus, Hoſtanes, & formam veri Dei negat conſpici poſſe, & Angelos veros (c) ſedi ejus dicit aſſiſtere. In quo (d) & 7 Plato pari ratione conſentit; & unum Deum ſervans, cæteros Angelos, vel dæmonas dicit. Hermes quoque Triſmegiſtus unum Deum loquitur, eumque incomprehenſibilem atque inæſtimabilem confitetur. Hi ergo ſpiritus ſub ſtatuis atque imaginibus conſecratis (e) deliteſcunt. Hi afflatu ſuo vatum pectora inſpirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, ſortes regunt, oracula efficiunt, falſa veris ſemper involvunt. Nam & falluntur, & fallunt: vitam turbant, 8 ſomnos inquietant. Irrepentes etiam in corporibus occulte mentes terrent, membra diſtorquent, valetudinem (f) frangunt, morbos laceſſunt: ut ad cultum ſui cogant; ut nidore altarium, & rogis pecorum ſaginati, remiſſis quæ conſtrinxerant, curaſſe videantur. Hæc eſt de illis medela, cum illorum ceſſat injuria. Nec aliud illis ſtudium eſt, quam à Deo homines avocare, & ad ſuperſtitionem ſui ab intellectu veræ religionis avertere (g); cum ſunt ipſi pœnales, quærere (h) ſibi ad pœnam comites, quos ad crimen ſuum fecerint errore participes. Hi tamen adjurati per Deum verum à nobis, ſtatim cedunt, & fatentur, & de obſeſſis corporibus exire coguntur. Videas illos, noſtra voce & operatione (i) majeſtatis occultæ, flagris cædi, igne torreri; incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari; unde veniant, & quando diſcedant, ipſis etiam qui ſe colunt audientibus confiteri: & vel exiliunt ſtatim, vel evaneſcunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aſpirat. Hinc vulgus in odium noſtri nominis cogunt; ut nos odiſſe incipiant homines antequam noſſe; ne cognitos aut imitari poſſint, aut damnare non poſſint.

Deus unus eſt.

Unus igitur omnium Dominus eſt Deus. Neque enim illa ſublimitas poteſt habere conſortem, cum ſola omnem teneat poteſtatem. Ad divinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando unquam Regni ſocietas aut cum fide cœpit, aut ſine cruore deſiit? Sic Thebanorum (k) germanitas rupta, & permanens rogis diſſidentibus etiam in morte diſcordia: & Romanos geminos unum non capit regnum, quos unum uteri cepit hoſpitium. Pompeius & Cæſar affines fuerunt, nec tamen neceſſitudinis fœdus in æmula poteſtate tenuerunt. Nec hoc tantum de (l) homine mireris, cum in hoc omnis natura conſentiat. Rex unus eſt apibus, & dux unus in gregibus, & in armentis rector unus: multo magis mundi unus eſt rector, qui univerſa, quæcumque ſunt, verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſummat. Hic nec videri poteſt, viſu clarior eſt: nec comprehendi, tactu purior eſt: nec æſtimari, ſenſu major eſt; & ideo ſic eum digne æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus (m). 9 Quod (n) vero templum habere poſſit Deus, cujus templum totus eſt mundus? & cum homo latius

(a) Dejicit, *Lam. Ebor. Veron.* (b) Sunt, *Lam. Ebor.* (c) Noſtros, *Voſſ.* 3. (d) Quod, *Foſſ. Mich. Vict.* (e) Congregati, *Lam.* (f) Valetudines, *Lam.* (g) Avertere, & cum, *Foſſ. Mich. Vict. Spir.* (h) Quærunt, *Lam.* (i) Voce & oratione, *Bod.* 3. *Lam. Thu. Foſſ. Mich. Vin. Corb. Lin. Spir.* Non noſtra voce, ſed operatione, *Ver.* (k) Thebanorum fratrum, *Ver.* (l) Hoc de homine, *Pem. Mich.* Nec tu de, *Lam. Spir.* (m) Credimus, *Lin.* (n) Quale, *Lam. Ebor.*

1 *Regulus auſpicia ſervavit.*] Valerius Max. l. 1. cap. de ſervata Religione ait. *In his quæ ad cuſtodiam Religionis attinent neſcio an omnes M. Attilius Regulus præceſſerit.* Dein paucis interpoſitis ſubjungit. *Potuerunt profecto dii immortales efferatam mitigare ſævitiam; cæterum quo clarior eſſet Attilii gloria, Carthaginenſes moribus ſuis uti paſſi ſunt.*

2 *Mancinus religionem tenuit.*] Eatenus ſcil. quod poſtquam Lanuvii, in Hiſpaniam ituro prodigia acciderant, *territus, converſo itinere, Genuam petiit:* qui ibi ſcapham ingreſſus, alio prodigio, quod tamen ſprevit, terrebatur. Vid. Val. Max. l. 1. cap. de prodig.

3 *Pullos edaces.*] Cic. l. 2. de Divinat. *Flaminius non paruit auſpiciis: itaque periit cum exercitu. At anno poſt Paulus paruit: num minus cecidit in Cannenſi pugna cum exercitu?*

4 *C. Cæſar ante.*] Cicero de Divin. l. 2. *Quid ipſe Cæſar? cum à ſummo aruſpice moneretur, ne ante brumam in Africam tranſmitteret, nonne tranſmiſit? quod ni feciſſet, unum in locum omnes adverſariorum copiæ conveniſſent.* Ita Sueton. in Jul. c. 95.

5 *Hos & Pœtæ Dæmonas norunt.*] Notandum vocem pridem fuiſſe mediæ, imo laudatæ, ſignificationis: neque melius intelligentiæ quam à ſcientia cognomentum accepere. Unde in ſacris literis quinquies tantum mali ſpiritus dæmones vocantur, ſed paſſim dæmonia audiunt. Poſtquam vero Valentiniani aliique Gnoſtici δαίμονας ſive Æones ſuos tanquam mundi conditores & rerum arbitros deprædicabant; malos genios Eccleſiæ patres dæmonas appellabant: bonos vero, Angelos ſemper dixere.

6 *Præcipuus Hoſtanes.*] Plin. l. 30 c. 1. *Primus extat (ut quidem invenio) commentatus de ea Oſtanes, Xerxem regem Perſarum bello, quod is Græciæ intulit, comitatus; ac velut ſemina artis portentoſæ ſparſit, obiter infecto, quacunque commeaverat, mundo. Hic maxime Oſtanes ad rabiem, non aviditatem modo ſcientiæ ejus, Græcorum populos egit.*

7 *Plato & Hermes.*] Alter in Timeo, alter in Pœmandro.

8 *Somnos inquietant.*] Quo ſpectant fortaſſis illa Judæ Apoſtoli. ἐνυπνιαζόμενοι σάρκα μὲν μιαίνουσι.

9 *Quod vero templum.*] Tertul. de ſpectac. c. 10. habet. *Nec minus templa quam buſta deſpuimus.* Minut. Fel. *Templa ut buſta deſpiciunt.* Pariter Arnob. l. 1. & Clem. Alex. in protrept. aliique ex patribus adverſus illa defunctorum ſepulcra, & clauſtra numinum invehuntur. Interim Eccleſias, ὑπερῶα Κυριακὰ, Εὐκτηρίους οἴκους, Areas, & loca Dei omnipotentis cultui ſacra, ſemper admiſere. Simile obſervare eſt in voce *Aræ* ſive βωμοῦ, à qua abhorruere perpetuo Chriſtiani: altaris vero ſive θυσιαστηρίου nomen, ultro amplexabantur.

Nec

latius maneat, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? In nostra dedi- *An.* 247.
candus est mente, in nostro consecrandus est pectore. 1 Nec nomen Dei (a) quæras. Deus nomen est illi. Illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo, qui solus est, Deus (b) vocabulum totum est. Ergo unus est, & ubique totus (c) diffusus est. Namque (d) & 2 vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens & anima sui auctoris & principis admonetur. Dici frequenter audimus, ô Deus; & Deus (e) videt; & Deo commendo; & Deus mihi reddet; & quod vult Deus; & si Deus dederit. Atque (f) hæc est summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis.

Veræ Religionis origo & derivatio.

Quod vero Christus sit, & quo modo per ipsum nobis salus venerit, sic est ordo, sic ratio. Judæis (g) primum erat apud Deum gratia. Sic olim justi erant, sic majores eorum religionibus obediebant. Inde illis & Regni sublimitas floruit, & generis magnitudo provenit (h). Sed illi negligentes, indisciplinati (i) & superbi postmodum facti, & fiducia patrum inflati; dum divina præcepta contemnunt, datam sibi gratiam perdiderunt. Quam vero fuerit illis profana vita, quæ contracta sit violatæ religionis offensa, ipsi quoque testantur; qui etsi voce tacent, exitu confitentur: dispersi & palabundi vagantur, soli & cœli sui profugi, per hospitia aliena jactantur. Nec non (k) Deus ante prædixerat fore, ut vergente seculo, & mundi fine jam proximo, ex
Amos. 9. 11. omni gente (l), & populo & loco, cultores sibi allegeret Deus multo fideliores (m),
Hos. 2. 22. & melioris obsequii; qui indulgentiam de divinis muneribus haurirent (n), quâm ac-
Es. 42. 1. ceptam Judæi contemtis religionibus perdidissent. Hujus igitur indulgentiæ, gratiæ
1 Cor. 1. 24. disciplinæque arbiter & magister, sermo & filius Dei mittitur, qui per prophetas om-
Jo 1. 1. 14. nes retro, illuminator & doctor (o) humani generis prædicabatur (p). Hic est virtus
Luc. 2. 32. Dei, hic ratio, hic sapientia ejus, & gloria. Hic in virginem illabitur (q); carnem, Spiritu (r) sancto cooperante, induitur. Deus cum homine miscetur. Hic Deus no-
Heb. 2. 17. ster, hic Christus est, qui mediator duorum, hominem induit, quem perducat ad Patrem. Quod homo est, esse Christus voluit, ut & homo possit esse quod Christus
Mat. 2. 1. est. Sciebant & Judæi Christum esse venturum. Nam hic (t) illis semper prophetis
Mic. 5. 2. admonentibus (t) adnunciabatur. Sed significato duplici ejus adventu; uno qui exercitio & exemplo hominis fungeretur, altero qui Deum fateretur: non intelligendo primum adventum, qui passione præcessit occultus; unum tantum credunt, qui erit in potestate manifestus. Quod autem hoc Judæorum populus intelligere non potuit,
Es. 6. 9. delictorum meritum fuit. Sic erant sapientiæ & intelligentiæ cæcitate multati, ut qui vita indigni essent, haberent vitam ante oculos, nec viderent.

Christi miracula, passio, resurrectio, ascensio, evangelium.

Itaque cum Christus Jesus, secundum à prophetis ante prædicta, verbo & vocis imperio dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos purgaret, illuminaret cæcos, claudis gressum daret, mortuos rursus animaret, cogeret sibi elementa famulari, servire ventos, maria obedire, inferos cedere: Judæi qui illum crediderant hominem tantum, de humilitate carnis & corporis; existimabant magum,
Mat. 12. 24. de licentia potestatis. Hunc magistri eorum atque primores, hoc est, quos & doctrina ille, & sapientia revincebat, accensi (v) ira & indignatione provocati, postremo
Mat. 27. 20. detentum, Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat, tradide-
Act. 3. 18. runt; crucem ejus & mortem, suffragiis (w) violentis ac pertinacibus flagitantes. Hoc
Luc. 23. 25. eos facturos & ipse prædixerat, & prophetarum omnium testimonium sic ante præces-
Luc. 11. 22. Es. 53. 8. serat; oportere illum pati, non ut sentiret tantum mortem (x), sed ut vinceret; &
Dan. 9. 26. cum passus esset, ad superos denuo regredi, ut vim divinæ majestatis ostenderet. Fi-
Zach. 3. 7. dem itaque rerum cursus implevit. Nam & crucifixus, prævento carnificis officio
Mat. 27. 50. spiritum sponte dimisit, & die tertio rursus à mortuis sponte surrexit. Apparuit disci-
28. 17. pulis suis talis ut fuerat, agnoscendum se videntibus præbuit; simul junctus, & substantiæ corporalis firmitate conspicuus, ad dies quadraginta remoratus est, ut de eo
Act. 1. 9. ad præcepta vitalia instrui possent, & discerent quæ docerent. Tunc in cœlum circumfusa nube sublatus est: ut hominem quem dilexit, quem induit, quem à morte protexit, ad patrem victor imponeret, jam venturus è cœlo ad pœnam diaboli, & ad censuram generis humani, ultoris vigore, & judicis potestate; per orbem vero discipuli magistro
Marc. 16. 15. (y) & Deo monente diffusi, præcepta Dei in salutem darent, ab errore tenebrarum ad viam lucis adducerent (z), cæcos & ignaros 3 ad agnitionem veritatis oculatos

(a) Deo, *Veron.* (b) Dei, *Thu. Foss. Mich. Vict.* (c) Ubique ipse diffusus, *Pem. Thu. Foss. Ver. Bod.* 3. (d) Ipsum namque, *Pem.* (e) Et Deus scit, *Pem.* (f) At quæ est, *Spir. Foss. Mich. Vict.* (g) Judæis erat, *Spir. Thu. Foss. Vict. Pem. Lam.* (h) Obediebant: sed, *Cam.* (i) Negligentes disciplinarum, *Voss.* 4. (k) Hæc Deus, *Lam.* (l) Ex omni genere, *Man.* & *Mon.* (m) Fidei fortioris, *Grav.* (n) Haurirent, hujus, *Thu. Mich. Vict.* (o) Illuminator & deductor, *Lam. Thu. Ver. Vict. Mich.* (p) Prædicatur, *Thu. Vict. Mich.* (q) Delabitur, *Pem. Lam. Ver.* (r) Carne Spiritus, *Ver.* Carne Spiritu sancto induitur, *Lam. Eb.* Carnem Spiritus induitur, *Voss.* 4. (s) Nam hoc illis, *Pem. Vir.* (t) Prophetis monentibus, *Lam. Thu. Mich. Vict.* (v) Accensa ira, & indignatione provocata, *Thu. Foss. Vict. Mich.* (w) Suffragiis pertinacibus, *Rem. Thu. Foss. Mich. Vict. Corb.* Flagitarent, *Lam. Vict.* (x) Sentiret mortem, *Thu. Foss. Vict. Corb. Mich. Lam. Voss.* 3. *Spir. Rem. Er. Man.* (y) Non Magistro, sed Deo, *Ver.* (z) Dare, adducere, oculare, *Voss.* 3.

1 *Nec nomen dei quæras.*] ὄνομα τῷ ἀῤῥήτῳ θεῷ ἁδεὶς ἔχει εἰπεῖν &c. Justin. Apol. 2. Ita quodlibet Dei nomen ἀνεκφωνητόν. Minut. *Nec nomen Deo quæras, Deus nomen est illi.*

2 *Vulgus in multis naturaliter Deum confitetur.* [Hæc res peculiari commentario Tertulliani argumentum fecit, nimirum, de Testimonio animæ.

3 *Ad agnitionem veritatis ocularent.*] Locutio à Tertulliano mutuata. *Hirundo si excæcaverit pullos, novit illos oculare rursus de sua Chelidonia.* Qua voce similiter utitur in lib. de pudicitiâ.

An. 247. ocularent (a). Ac ne eſſet probatio minus ſolida, & de Chriſto delicata confeſſio; per tormenta, per cruces, per multa pœnarum genera tentantur. Dolor qui veritatis teſtis eſt, admovetur; ut Chriſtus Dei filius, qui hominibus ad vitam datus creditur, non tantum præconio vocis, ſed & paſſionis teſtimonio prædicaretur (b). Hunc igitur comitamur, hunc ſequimur, hunc habemus itineris ducem, lucis principem, ſalutis auctorem, cœlum pariter & patrem, quærentibus & credentibus pollicentem. 1 Quod eſt Chriſtus, erimus Chriſtiani, ſi Chriſtum fuerimus (c) imitati.

(a) Dare adducere, oculare, *Voſſ.* 3. (b) Probaretur. *Voſſ.* 3. (c) Secuti, *Pem. Lam. Thu. Vict. Foſſ. Mich.*

1 *Quod eſt Chriſtus.*] Jam myſtici corporis membra, deinceps gloriæ ejus participes.

D. CÆCI-

D. CÆCILII CYPRIANI

Teſtimoniorum (a) ad Quirinum Adverſus Judæos,

LIBRI TRES.

Præfatio in duos Libros priores.

CYPRIANUS QUIRINO (b) FILIO S.

Script. circa *An.* 248.

1 OBtemperandum fuit, fili (c) cariſſime, deſiderio tuo ſpiritali, impenſiſſima petitione divina magiſteria poſcenti ; quibus nos Dominus per ſcripturas ſanctas erudire & inſtituere (d) dignatus eſt , ut à tenebris (e) erroris abducti, & luce (f) ejus pura & candida luminati , viam vitæ per ſalutaria ſacramenta teneamus. Et quidem ſicut petiſti , ita à nobis ſermo compoſitus , & libellus compendio breviante (g) digeſtus eſt : ut quæ ſcribebantur (h) non copia latiore (i) diffunderem ; ſed, quantum mediocris memoria ſuggerebat, (k) excerptis capitulis & annexis, neceſſaria quæque colligerem , quibus non tam tractaſſe , quam tractantibus materiam præbuiſſe videamur. Sed & legentibus brevitas ejuſmodi plurimum prodeſt , dum non intellectum legentis & ſenſum liber longior ſpargit (l) , ſed ſubtiliore (m) compendio id quod legitur

Ad Pamelii & Eraſmi numeros tractatus XII.

(*a*) Ad Quirinum de Sacramento Chriſti *N. C.* 1. *Bod.* 2. *Lam.* Liber adverſus Judæos *Remb. Er. Man. Mor.* Epiſtola Cyp. ad Quirin. *Lin.* (*b*) Quirino ſuo, S. *N. C.* 2. (*c*) Fuit, Cariſ. *Bod.* 1. (*d*) Erudire & inſtruere, *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Veron. Benev. Voſſ.* 3. (*e*) Tenebroſi erroris caligine, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. (*f*) Et per lucem ejus puram & candidam inluminati, *Bod.* 1. Illuminari, *Voſſ.* 3. ad Lucem, &c. *Lin.* (*g*) Brevi ante, *Voſſ.* 4. Brevi dig. *Bod.* 1. 2. Brevi ad te dig. *Spir.* Compendioſa brevitate, *Voſſ.* 3. (*h*) Scribantur, *Lin.* (*i*) Latior, *Bod.* 4. (*k*) Suggeſſerat, *N. C.* 1. *Lamb. Bod.* 2. (*l*) Spargeret, *Ver.* (*m*) Utiliore compendio, *Ver.*

1 *Obtemperandum fuit.*] Tractatus iſtos Cyprianum ſcripſiſſe , & *Teſtimoniorum libros* olim appellatos , non tantum Beda & Gennadius , aliique ſequiorum temporum Auctores fidem faciunt ; ſed Pelagius , Hieronymus & Auguſtinus, id ipſum teſtantur. Scilicet , *Pelagius teſtimoniorum libros ſcribens , ſe imitatorem , imo expletorem operis beati martyris Cypriani ſcribentis ad Quirinum fatetur* ; Ut inquit Hieronymus adv. Pelagianos l. 1. c. 9. Quod & Auguſtinus repetit iiſdem fere verbis l. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum c. 8. & 10. Quinimo obſervare licebit , non modo duos priores libros , ſed & tertium , ex Patrum prædictorum ſententia, Cypriano tribuendum. Siquidem illa loca ex Jobi 25. 1 Jo. 1. & Pſal. 51. (ab ipſis laudata ex libro Cypriani ad Quirinum;) non in priorum aliquo , ſed ultimo reperiuntur. Imo Hieronymus diſertiſſimis verbis, non modo librum, ſed ipſum etiam caput deſignat ; dicens , *in quinquageſimo quarto titulo tertii libri poni*, ubi etiamnum habentur. Rigaltio itaque requirenti *Unde liber tertius ? quem certe non habet vetus editio* , reſpondere licebit ; quod ab eodem Cypriano , licet aliquanto ſerius, à quo priores, prodiit.

Tractatum hunc non niſi poſt Cypriani Epiſcopatum fuiſſe tranſiniſſum, oſtenderet Quirini ſub filii titulo compellatio : niſi illa in quibuſdam codicibus deſideraretur ; & inſuper conſtaret, non modo epiſcopos , ſed etiam presbyteros, pariter ſuos diſcipulos titulo iſto compellaſſe. Quo tempore ad Quirinum hoc ſcriptum dirigebatur , illum Neophytum fuiſſe , hinc ſuadetur ; ſiquidem dicat Cyprianus , *Legenti tibi interim proſint , ad prima fidei lineamenta formanda.* Et deinceps , *Bibere uberius, & ſaturari copioſius poteris ; ſi tu quoque ad eoſdem divinæ plenitudinis fontes , nobiscum pariter potaturus acceſſeris.* Unde ſi ad Quirinum in Ep. 77. & 78. pari fere paſſu cum Cypriano nominatum (quod ſatis veriſimile videtur) hæc pertineant ; certe longe ante extrema Cypriani tempora perſcripta fuiſſe comparebit. Aut ſi forte libelli iſti ſerius aliquanto miſſi fuerint , materiæ tamen ſylvam pridem collectam digeſtamque minime dubitaverim. Proindeque non prorſus abſurdam fuiſſe lectionem illam MS. codicis D. Voſſii quæ ait , *Libellus compendio brevi ante digeſtus eſt.* Revera quiſquis ſcribendi methodum à Cypriano uſurpatam diligenter conſideraverit ; facile animadvertet, hoc ipſi poſt acceptam fidem primum fuiſſe ſtudium , ut non tantum in S. literis fieret verſatiſſimus ; ſed ut illas quaſi in locos communes accurate digeſtas in numerato haberet. Hoc enim ipſi ſolenne & fere perpetuum eſt ; ut in quocunque argumento verſetur , ſacræ ſcripturæ teſtimonia glomeratim proponat , & tanquam ex armamentario inſtructiſſimo in aciem producat. Quod lectorem in limine fere operis obſervaſſe minime pigebit.

Demum cum formula illa ſub qua paſſim in his ſcriptis citantur S. literarum teſtimonia , & ipſæ SS. librorum nomenclaturæ, prorſus diverſæ ſint ab iis quæ in reliquo opere occurrant ; varietatis iſtius (quando utrorumque eundem fuiſſe Auctorem conſtiterit) vix alia ratio reddi poterit, quam quod diverſis temporibus ſcriberentur ; & proinde dicendum, tractatum hunc reliqua omnia quæ ſequuntur prævertiſſe.

Sperabam quidem ex largo hoc quod in tractatu iſto habetur ſcripturarum ſpicilegio; ad verſionis latinæ quæ Hieronymianam præceſſit reſtitutionem, gradum aliquem præſtrui potuiſſe. Et certe, ſi modo ſibi ubique conſtaret Cypriani textus , loca illa quæ à lectione vulgata diſcrepare deprehenduntur , pro antiquæ verſionis reliquiis non immerito haberemus. Sed cum ea ſit lectionum in MSS. codicibus varietas, ut plura ſimul occurrant quæ a vulgatis diſcrepent ; & in his quid à Cypriano ſcriptum fuerit , codicibus ſibi invicem non reſpondentibus , minime conſtet : Porro cum primorum ſeculorum Patres , in S. ſcripturis laudandis diverſimode ſe habeant ; curam hanc ceu tantum non deploratam cenſemus. Flam. Nobilius , aliique viri eruditi , Tertulliani, Cypriani , Hilarii , Ambroſii , Hieronymi & Auguſtini lectiones ſcripturarum , ex libris impreſſis affatim ingerunt ; parum memores in codicibus MSS. rem aliter atque aliter paſſim ſe habere. Interim gratiæ immortales Deo Opt. Max. habendæ ſunt; cujus providentia comparatum eſt , ut in pene infinita vocalarum diſcrepantia , rerum momenta & doctrinæ ordo uſque inviolata permaneant. De ſcripturis nulla pene lis eſt , licet de ſcriptione ubique dubitetur.

An. 248. legitur tenax memoria cuſtodit. Complexus ſum vero libellos duos pari (a) æqualitate moderatos. Unum, quo oſtendere eniſi ſumus; (b) 1 Judæos ſecundum quæ fuerant ante prædicta, à Deo receſſiſſe, & indulgentiam Domini quæ ſibi jampridem data, & in poſterum promiſſa fuerat, perdidiſſe; ſucceſſiſſe vero in eorum locum Chriſtianos, fide (c) Dominum promerentes; & de omnibus gentibus, ac de toto orbe venientes. Item libellus alius continet Chriſti ſacramentum, quod idem (d) venerit, qui ſecundum ſcripturas annunciatus eſt; & geſſerit ac perfecerit univerſa quibus intelligi & (e) cognoſci poteſt, quod ipſe ſit qui prædictus eſt. Quæ legenti tibi (f) interim proſint ad prima fidei lineamenta formanda. Plus roboris tibi dabitur, & magis ac magis intellectus cordis operabitur, ſcrutanti ſcripturas veteres ac novas plenius, & univerſa librorum ſpiritalium (g) volumina perlegenti. Nam nos nunc de divinis (h) fontibus implevimus modicum, quod tibi interim mitteremus. Bibere uberius (i) & ſaturari copioſius poteris, ſi tu quoque ad eoſdem divinæ plenitudinis fontes nobiſcum pariter potaturus acceſſeris. Opto te fili cariſſime, ſemper bene valere.

(*a*) Pari qualitate, *Veron.* Moderatus, *Voſſ.* 4. (*b*) Simus, *excuſi plerique*, *ſed ſequimur Lam. Bod.* 1. 2, 3, 4. *Lin. NC.* 1. *Voſſ.* 4. (*c*) Fidem domini, *Bod.* 1. 3. *Voſſ.* 4. (*d*) Jam advenerit. *NC.* 2. (*e*) Agnoſci poſſe prædictus eſt, *Lam. NC.* 1. 2. *Lin.* Poſſet ſicut prædictus eſt, *Voſſ.* 2. (*f*) Legentibus interim, *Ver.* (*g*) Librorum volumina, *Lam. Lin. NC.* 1. (*h*) Divinæ plenitudinis fonte, *Voſſ.* 3. (*i*) Bibere liberius, *Bod.* 4.

1 *Judæos ſecundum quæ fuerant.*] Cyprianus in Magiſtri ſcriptis adeo libenter & fere perpetuo ſe exercuit, ut pauciſſima præterierint, quæ non libello ejuſdem prorſus argumenti denuo tractaverit. Quemadmodum enim de Baptiſmo commentarium edidit Tertullianus; ita de Gratia Dei, ſive baptiſmo ad Donatum (ut Epiſtolas ad Jubaianum, Pompeium, alioſque ea de re præteream) ſcripſit Martyr noſter. Quo modo de Idololatria egit Tertullianus, ſic de Idolorum vanitate diſſeruit Cyprianus. Porro deinceps videre erit tractatus Tertulliani, de cultu fæminarum & Virginibus velandis; de Patientia, ad Scapulam; ad Martyras, de Oratione, de Pœnitentia, de Præſcriptione; quaſi *ἀντιστοίχως*, reſpici ab Auctoris noſtri ſcriptis, de diſciplina & habitu Virginum; de bono Patientiæ; ad Demetrianum; de exhortatione Martyrii; de Oratione dominica; de Lapſis; de unitate Eccleſiæ. Quæ omnia ſemel hic indigitaſſe ſuffecerit.

CAPITU-

CAPITULA LIBRI PRIMI. *An.* 248.

1. Judæos in offenſam (a) Dei graviter deliquiſſe, quod dominum dereliquerint, & idola ſecuti ſint.
2. Item quod prophetis non crediderint, & eos interfecerint.
3. Ante prædictum, quod dominum neque cognituri, neque intellecturi, neque recepturi eſſent.
4. Quod ſcripturas ſanctas intellecturi Judæi non eſſent, intelligi autem haberent in noviſſimis temporibus, poſteaquam Chriſtus veniſſet.
5. Nihil poſſe Judæos intelligere de ſcripturis, niſi prius crediderint in Chriſtum.
6. Quod Hieruſalem perdituri eſſent, & terram quam acceperant relicturi.
7. Item quod eſſent amiſſuri lumen Domini.
8. Quod circumciſio prima carnalis evacuata ſit, & ſecunda ſpiritalis repromiſſa ſit.
9. Quod lex prior quæ per Moyſen data eſt, ceſſatura eſſet.
10. Quod lex nova dari haberet.
11. Quod diſpoſitio alia, & Teſtamentum novum dari haberet (b).
12. Quod baptiſma (c) vetus ceſſaret, & nouum (d) inciperet.
13. Quod jugum vetus evacuaretur, & jugum novum daretur.
14. Quod paſtores veteres ceſſaturi eſſent, & novi inciperent.
15. Quod domus & templum Dei Chriſtus (e) futurus eſſet, & ceſſaſſet templum vetus, & novum cœpiſſet.
16. Quod ſacrificium vetus evacuaretur, & novum celebraretur.
17. Quod ſacerdotium vetus ceſſaret, & novus ſacerdos veniret, qui in æternum futurus eſſet.
18. Quod propheta alius ſicut Moyſes promiſſus ſit; ſcilicet, qui teſtamentum novum daret, & qui magis audiri deberet.
19. Quod duo populi prædicti ſint, major & minor; id eſt, vetus Judæorum, & novus qui eſſet ex nobis (f) futurus.
20. Quod Eccleſia, quæ prius ſterilis fuerat, plures filios habitura eſſet ex gentibus, quam quot ſynagoga ante habuiſſet.
21. Quod gentes magis in Chriſtum credituræ eſſent.
22. Quod panem & calicem Chriſti, & omnem gratiam ejus, amiſſuri eſſent Judæi, nos vero accepturi: & quod Chriſtianorum novum nomen benediceretur in terris.
23. Quod ad regnum cœlorum magis gentes quam Judæi perveniant.
24. Quod ſolo hoc Judæi accipere veniam poſſint delictorum ſuorum, ſi ſanguinem Chriſti occiſi baptiſmo ejus abluerint, & in Eccleſiam tranſeuntes præceptis ejus obtemperaverint.

(a) Offenſa, *Voſſ.* 4. (b) Deberet. *Voſſ.* 4. (c) Baptiſmus, *Voſſ.* 4. (d) Novus, *Voſſ.* 4. (e) Templum Chriſtus, *Voſſ.* 4. (f) Novis, *Bod.* 1.

D. CÆCILII CYPRIANI

Teſtimoniorum ad Quirinum

ADVERSUS JUDÆOS LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

1 *Judæos in offenſam Dei graviter deliquiſſe, quod Dominum (a) dereliquerint, & idola ſecuti ſint.*

IN Exodo populus ad Aaron : Exſurge (b), & fac nobis deos qui nos præcedant; quia Moyſes vir (c) hic qui nos 2 ejecit de Ægypto, quid ei acciderit, non ſcimus. Exod. 32. 1.
Item illic Moyſes ad Dominum : Precor, ait, Domine (d), deliquit populus hic delictum grande (e) : fecerunt ſibi deos aureos & argenteos, & nunc ſi dimittis ei delictum, dimitte : ſin autem, dele me de libro quem ſcripſiſti. Et dixit Dominus ad Moyſen : Si quis deliquit ante me, deleam illum de libro meo. Item in Deuteronomio : Sacrificaverunt dæmoniis & non deo. Item libro Judicum : & fecerunt filii Iſrael malignum (f) coram Domino Deo patrum ſuorum, qui ejecit eos de terra Ægypti, & ſecuti ſunt Deos gentium (g), quæ circa illos ſunt (h); & offenderunt Dominum (i), & reliquerunt Deum & ſervierunt Baal. Item illic : Et adjecerunt filii Iſrael iterum facere (k) malignum coram Domino, & ſervierunt Baal & Diis alienigenarum, & reliquerunt Dominum, & non ſervierunt illi. Item apud Malachiam (l) 3 Derelictus eſt Juda, & abominatio facta eſt in Iſrael & in Hieruſalem; quoniam profanavit Judas ſancta Domini in quibus dilexit, & affectavit Deos alienos. Exterminabit Dominus hominem qui facit hæc, & humilis efficietur in tabernaculis Jacob. Exod. 32. 31. Deut. 32. 17. Jud. 2. 11. Ibid. Malach. 2. 11.

Item quod prophetis non crediderint, & eos interfecerint.

II. Apud Hieremiam Dominus dicit. Miſi ad vos ſervos meos prophetas, ante lucem mittebam (& non audiebatis (m) me, neque intendebatis auribus veſtris) dicens : Convertatur unuſquiſque à via ſua mala, & à nequiſſimis affectationibus (n) veſtris; & habitabitis in terra iſta, quam dedi vobis & patribus veſtris à ſeculo & uſque in ſecula. Item illic : Nolite ambulare poſt Deos alienos ut ſerviatis eis, & ne adoraveritis eos (o), & ne incitetis me in operibus manuum veſtrarum ad (p) diſperdendos vos; & non audiſtis me. Item 4 in Baſileion (q) libro tertio, Helias ad Dominum : (r) Æmulando æmulatus ſum Domino Deo omnipotenti; quia dereliquerunt te filii Iſrael, altaria tua demolierunt & prophetas tuos interfecerunt gladio, & remanſi (s) ego ſolitarius, & quærunt (t) animam meam auferre eam (u). Item in Heſdra : Deſciverunt (w) à te, & abjecerunt legem tuam poſt dorſum (x) ſuum; & prophetas tuos interfecerunt, qui obteſtabantur eos ut reverterentur ad te. Jer. 7. 25. Jer. 25. 4. 3 Reg. 19. 10. Nehem. *ſive* 2 Eſd. 9. 26.

Ante prædictum quod Dominum neque cognituri, neque intellecturi, neque recepturi eſſent.

III. Apud Eſaiam : Audi cœlum, & percipe auribus (y) terra, quoniam Dominus locutus eſt : Filios generavi & exaltavi, ipſi autem me reprobaverunt (z). Agnovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe (aa) Domini ſui; Iſrael autem me non cognovit, & populus me (bb) non intellexit. Væ genti peccatrici (cc), populo (dd) pleno peccatis. Iſai. 1. 2.

(*a*) Reliquerint, *Thu. Foſſ. Corb.* (*b*) Exſurge, Fac, *Bod.* 2. (*c*) Vir qui, *Corb.* (*d*) Precor Domine, *Thu. Foſſ. Corb.* (*e*) Populus hic grande, *Foſſ.* (*f*) Quod malignum, *Thu. NC.* 2. *Bod.* 1. 4. contra dominum, *Voſſ.* 3. malum coram, *Voſſ.* 4. (*g*) Deos à gentibus, *NC.* 1. *Lin. Lamb. Thu. Corb. Benev. Ver.* (*h*) Circa illos, &, *Thu.* (*i*) Contra dominum, *Ar. Lam. NC.* 1. *Lin. Thu. Foſſ. Corb. Bod.* 1, 2, 3, 4. ſic infra. (*k*) Et iterum fecerunt malum, *Voſſ.* 4. (*l*) Derelictus eſt Juda. *Tota hæc periodus ad* Apud Hierem. *deeſt in Ar. Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 3, 4. *Thu. Corb. Voſſ.* 3. (*m*) Obaudiebatis, *Foſſ.* (*n*) Affectionibus veſtris, à ſeculo, *Spir. Rem. Er. Lin. NC. Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Foſſ. Corb.* (*o*) Adoraveritis, & ne, *Spir. Rem. Er. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foſſ. Corb.* (*p*) Diſpergendos, *NC.* 1. (*q*) Item in Regum, Libro *Bod.* 2. *NC.* 2. (*r*) Æmulatus ſum Dominum Deum omnipotentem, *Foſſ.* (*s*) Ego ſolus, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2, 4. *Lin.* (*t*) Quærunt auferre animam, *Foſſ. Voſſ.* 3. (*u*) Eam à me, *Bod.* 2. 4. *Voſſ.* 3. 4. (*w*) Diſceſſerunt à te, *Bod.* 1, 2, 3 *Voſſ.* 4. (*x*) Poſt corpus, *Bod.* 1. 4. *Voſſ.* 3. (*y*) Præbe aures, *Ar. Bod.* 1. 2. 4. *Lam. Thu. Corb. Voſſ.* 4 (*z*) Me ſpreverunt, *NC.* 1. *Bod.* 2. *Lin. Foſſ. Voſſ.* 3. ſic *Tertul.* & *Iren.* (*aa*) Præſepium Domini, *Bod.* 2. 4. *Thu. Foſſ. Corb. Voſſ.* 4. Præſepem, *Ver.* (*bb*) non agnovit, *Bod.* 3. 4. Populus non, *Foſſ.* (*cc*) Væ gens peccatrix. (*dd*) Populus, *Lin. Bod.* 1. *ſic Tertul.*

1 *Judæos in offenſam.*] Faſtus Judæorum validiſſimum opposuit obicem quo minus in obſequium fidei venirent. Rectiſſime ergo hinc exordium ſumitur; quemadmodum olim à Sancto Stephano factum; & ab Apoſtolis in Actis, atque Epiſtolis videmus præſtitum.

2 *Ejecit de Ægypto.*] Lectio Cypriano, nec non Tertulliano fere perpetua; nata videtur ex homonymia vocis עלה quæ rei non aſcenſum modo, ſed mutationem ſtatus aut loci fere omnem donotat. Quod in græco ἀίρω, latino *tollo*, nec non & vernaculis noſtris linguis paſſim obtinet.

3 *Derelictus eſt Juda.*] Licet in MSS. pleriſque deſiderentur quæ ſequuntur ad finem hujus capitis; tamen cum in Spirenſi, reliquiſque impreſſis compareant, & etiam vulgatam verſionem non ſequantur; pro nupero aſſumento minime ducimus.

4 *In Baſileion.*] Regnorum, Puta Judæ, & decem tribuum ſive Iſraelis. Sero admodum ex hebræis fontibus hauſerunt Chriſtiani; unde etiamnum Græca nomenclatura plerorumque S. Codicis librorum, ad vernaculas noſtras linguas pervenit. Inde Geneſin, Exodum, Leviticum, Deuteronomium, &c. appellamus. Codices aliqui MSS. Latinis verbis hæc efferunt, ſed pauci præ reliquis qui Græcam nomenclaturam agnoſcunt; proinde nihil mutandum cenſemus. Idem de formula laudandi Evangelia cata Matthæum, cata Joannem, &c. dicendum.

peccatis. Semen nequam (a), filii ſceleſti, reliquiſtis Dominum, & in indignatio- *An.* 248.
nem miſiſtis (b) illum ſanctum Iſraël. Item apud eundem Dominus dicit: Vade & dic
populo iſti (c): Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non vide-
Iſai. 6. 9. bitis (d). Incraſſavit (e) enim cor populi hujus; & auribus graviter audierunt, & ocu-
Rom. 11. 8. los ſuos concluſerunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelli-
Jer. 2. 13. gant, & revertantur (f), & curem illos. Item apud Hieremiam Dominus dicit: Me
dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & effoderunt ſibi lacus detritos, qui non poterunt
Jre. 6 10. (g) aquam portare. Item apud eundem: Ecce ſermo Domini factus eſt eis in male-
Jer. 8. 7. dictum (h), & non volunt illum. Item apud eundem Dominus dicit. (i) Cognovit
tempus ſuum turtur & hirundo (k), [1] ruris paſſeres cuſtodierunt tempora introitus
ſui: Populus autem meus non cognovit judicium Domini. Quo modo dicetis, ſa-
pientes ſumus, & lex Domini nobiſcum eſt? Incaſſum facta eſt [2] metatura falſa (l),
ſcribæ confuſi ſunt, ſapientes trepidaverunt, & capti ſunt, quia verbum Domini re-
Prov. 1. 28. probaverunt. Item apud Salomonem: Quærunt (m) me mali, & non invenient:
odio enim habuerunt ſapientiam; ſermonem autem Domini non receperunt. Item in
Pſ. 27. 6. Pſalmo 27. Redde eis retributionem eorum, quoniam non intellexerunt in operibus
Pſ. 81. 5. Domini. Item in Pſalmo 81. Non cognoverunt neque intellexerunt, in umbra de-
Johan. 1. 11. ambulabunt. Item in Evangelio cata Joannem: In ſua propria venit: & ſui eum non
receperunt. Quotquot eum receperunt, dedit illis poteſtatem ut filii Dei fierent, qui
credunt in nomine ejus.

Iſai. 29. 11. & 18 IV. Apud Eſaiam. Et erunt vobis hi omnes ſermones ſicut ſermones libri qui ſig- *Quod ſcripturas ſanctas intellecturi Judæi non eſſent: intelligi autem haberent in noviſſimis temporibus, poſteaquam Chriſtus venisset.*
natus eſt: quem ſi dederis homini ſcienti literas ad legendum, dicet: Non poſſum le-
gere, ſignatus eſt enim. Sed in illa die audient ſurdi ſermones libri, (n) & qui in te-
Jer. 23. 20. nebris & qui in nebula ſunt: oculi cæcorum videbunt. Item apud Hieremiam: In
Dan. 12. 4. noviſſimo (o) dierum cognoſcetis ea. Item apud Danielem: Muni ſermones, (p) &
ſigna librum, uſque ad tempus conſummationis, quoad diſcant multi, & impleatur
1 Cor. 10. 1. agnitio (q); quoniam cum fiet diſperſio, cognoſcent omnia hæc. In Epiſtola Pauli
ad Corinthios prima: Nolo enim vos ignorare fratres, quia patres noſtri omnes ſub
2 Cor. 3. 13. nube fuerunt. Item in Epiſtola ad Corinthios ſecunda: Obtuſi ſunt ſenſus eorum uſ-
que in hunc diem, hoc eodem velamento in lectione veteris teſtamenti manente, quod
non revelatur, quia in Chriſto evacuatur: & uſque in hodiernum (r), ſi quando legi-
tur Moyſes, velamentum eſt ſuper cor eorum. Mox autem ut converſi fuerint (s) ad
Luc. 24. 44. Dominum auferetur velamentum. In Evangelio Dominus poſt reſurrectionem di-
cit: Iſti ſunt ſermones, quos locutus ſum ad vos, cum adhuc eſſem vobiſcum: quia
oportet adimpleri omnia ſcripta (t) in lege Moyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.
Tunc adaperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas, & dixit illis: Quia ſic ſcrip-
tum eſt (u), & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & præ-
dicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſam peccatorum uſque in omnes gentes.

Iſai. 7. 9. V. Apud Eſaiam: Et, ſi non credideritis, neque intelligetis. Unde Dominus in *Nihil poſſe Judæos intelligere de ſcripturis, niſi prius crediderint in Chriſtum.*
Joh. 8. 24. Evangelio. Si enim non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccatis veſtris.
Abacuc. 2. Fide autem ſtare juſtitiam, & illic eſſe vitam, prædictum eſt apud Abacuc: Juſtus
4. autem ex [3] fide (w) mea vivet. Inde Abraham pater gentium credidit. In Geneſi: cre-
Gen. 15. 6. didit Abraham Deo, & deputatum eſt ei ad Juſtitiam. Item Paulus ad Galatas: Abra-
Galat. 3. 6. ham credidit Deo, & (x) deputatum eſt ei ad juſtitiam. Cognoſcitis ergo quia qui ex
fide ſunt, hi ſunt filii Abrahæ. Providens autem ſcriptura quia ex fide juſtificat gen-
tes Deus, prænuntiavit Abrahæ, quia benedicentur in illo omnes gentes. Igitur qui
ex fide ſunt, benedicti ſunt cum fideli Abraham.

Iſai. 1. 7. VI. Apud Eſaiam: Terra veſtra deſerta, civitates veſtræ igni exuſtæ; regionem *Quod (y) Jeruſalem perdituri eſſent, & terram quam acceperant relicturi.*
veſtram in conſpectu veſtro, alieni (z) comedent eam; & deſerta & ſubverſa à popu-
lis alienis derelinquetur filia Sion, ſicut caſa in vinea, & ſicut cuſtodiarium in cucu-
merario, quaſi civitas quæ expugnatur. Et niſi dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſe-
men, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimilaremur (aa). Item in Evangelio
Dominus

(a) Semen peſſimum, *Bod.* 1. 3. *Voſſ.* 4. (b) Ad iracundiam provocaſtis, *Ar. Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. ad iracundiam & indignationem miſiſtis illum, provocaſtis illum ſanctum, *Voſſ.* 2. (c) Populo huic, *Bod.* 2. *Voſſ.* 4. (d) Non aſpicietis, *Ar. NC.* 1. *Bod* 2. (e) Incraſſavi enim, *Foſſ.* (f) Et convertantur, *Corb. ſic Tertul.* Ut curem, *Voſſ.* 3. (g) Non potuerunt, *Corb.* (h) Maledictum, non *Thu. Foſſ.* (i) Milvus cognovit, *Bod.* 3. (k) Hirundo, paſſeres, *Corb.* (l) Mœcatura *Afflig.* Metatura veſtra, *Bod.* 1, 2, 3. *Lam. Lin. Thu. Corb. Voſſ.* 3. 4. (m) Quærent me mali, *Thu.* 1. *Voſſ.* 4. (n) Libri hujus, *Voſſ.* 4. (o) In noviſſimis dierum, *Voſſ.* 4. (p) Muni librum, *Ver.* (q) Impleantur agnitione omnes, *Lin.* (r) Hodiernum diem, *NC.* 1. *Lam. Bod.* 2 (s) Converſus eſt ad Dominum, *Ar. NC.* 1. *Lin. Lam. Bod.* 2. *Voſſ.* 3. (t) Omnia quæ ſcripta, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. (u) Quia ſcriptum eſt, & oportet, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. NC.* 1. *Voſſ.* 3. (w) Fide vivet, *NC.* 1. *Bod.* 1. 4. *Tert.* (x) Reputatum, *Bod.* 1. 2. (y) Judæi, *Lam.* (z) Alienigenæ comedent, *Ben. Ar. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voſſ.* 3, 4. *Mor.* (aa) Similes eſſemus, *Ar. NC.* 2. Similaremus, *Thu. Foſſ. Corb.*

1 *Ruris paſſeres.*] στρθίον avis ſive Paſſer. In Textu Heb. eſt עגור quam vocem retinuerunt Aquila & Symmachus, & ἄγυρ ſcripſere; unde utriſque vocibus retentis; lectio, ἀγρῶ στρθία in Græcis exemplaribus obtinuit.

2 *Metatura falſa.*] In Heb. עט שקר σχοῖνος ψευδὴς ſed cum arundine non modo ſcriberent veteres, ſed & metirentur; pro Stylo ſcribæ, metatura ſubſtituebatur. Ex contortis arundinibus funiculus menſorum, Zach. 2. 1. σχοινίον γεωμετρικὸν appellatur.

3 *Fide mea.*] In Græco textu habetur δίκαιος μου ἐκ πίστεως ζήσεται, alia exemplaria, & fortaſſe antiquiora, tranſpoſitis vocibus legerunt ἐκ πίστεώς μου, quam lectionem ſequuntur exemplaria nonnulla Novi Teſtamenti, ad Heb. 10. 38. Vid. l. 3. hujus ſcripti c. 42.

An. 248. Dominus dicit : Hieruſalem Hieruſalem , quæ occidis (a) prophetas, & lapidas miſſos ad te : quoties volui colligere (b) filios tuos ſicut gallina (c) pullos ſub alas ſuas , & noluiſti? Ecce relinquetur (d) vobis (e) domus veſtra deſerta. Mat. 23. 37.

Quod (f) eſſent amiſſuri lumen Domini.

VII. Apud Eſaiam : Venite ambulemus in lumine Domini : dimiſit enim populum ſuum domum Iſrael. Item in Evangelio cata Joannem : (f) Fuit lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum (g). In hoc mundo fuit , & mundus per ipſum factus eſt , & mundus eum non cognovit. Item illic : Qui non crediderit , jam judicatus eſt : quia non credidit in nomine unici filii Dei. Hoc autem eſt judicium , quoniam lux venit in ſeculum , & magis dilexerunt (h) tenebras quam lucem. Iſai. 2. 5. Joh. 1. 9. Joh. 3. 18.

Quod circumciſio prima carnalis evacuata ſit, & ſecunda ſpiritalis repromiſſa ſit.

VIII. Apud Hieremiam ; Hæc dicit dominus viris Juda (i), & qui inhabitant Hieruſalem : 1 Renovate inter vos novitatem, & ne ſeminaveritis in ſpinis : circumcidite vos Deo veſtro, & circumcidite præputium cordis veſtri; ne exeat ſicut ignis ira mea, & exurat, & non ſit qui extinguat. Item Moyſes dicit : In noviſſimis diebus circumcidet Deus cor tuum & cor ſeminis tui , ad Dominum Deum amandum. Item apud Jeſum Nave : Et dixit Dominus ad Jeſum : Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, & aſſidens circumcide (k) ſecundo filios Iſrael. Item Paulus ad Coloſſenſes : Circumciſi eſtis circumciſione, non manufacta in expoliatione carnis, ſed in circumciſione Chriſti. Item quod Adam primus à Deo factus incircumciſus , & Abel juſtus , & Enoch qui Deo placuit & tranſlatus eſt. Et Noë , qui terris hominibuſque ob delicta (l) pereuntibus , ſolus in quo humanum genus ſervaretur electus eſt : & Melchiſedech ſacerdos, ſecundum cujus ordinem Chriſtus repromiſſus eſt. Tum quod illud ſignaculum feminis non proficit, ſigno autem Domini omnes ſignantur. Jer. 4. 3. Deut. 30 6. Joſ. 5. 2. Coloſſ. 2. 11. Gen. 1. 27. Gen. 4. 2. Gen. 5. 22. Gen. 6. 8. Gen. 14. 18. Gen. 17. 10.

Quod lex prior quæ per Moyſen data eſt, ceſſatura eſſet.

IX. Apud Eſaiam : tunc manifeſti erunt qui ſignant legem , 2 ne diſcant. (m) Et dicet (n) : Expecto Deum qui avertit faciem ſuam à domo Jacob & fidens ero in illum. Item in Evangelio : Omnes prophetæ & lex , uſque ad Joannem prophetaverunt. Apoc. 7. 9. Gal. 3. 28. Iſai. 8. 16, 17. Mat. 11. 13.

Quod lex nova dari haberet.

X. Apud Micheam : Quoniam lex de Sion proficiſcetur , & ſermo Domini de Hieruſalem. (o) Et judicabit inter plurimos populos , & revincet & deteget validas nationes. Item apud Eſaiam : De Sion enim procedet lex , & verbum Domini de Hieruſalem , & judicabit inter gentes. Item in Evangelio cata Matthæum : Et ecce vox de nube dicens : Hic eſt filius meus dilectiſſimus , in quo bene ſenſi , ipſum audite. Mich. 4. 2. Iſai. 2. 3. Mat. 3. 17.

Quod diſpoſitio alia & teſtamentum novum dari haberet.

XI. Apud Hieremiam : Ecce Dies veniunt , dicit dominus , & conſummabo domui (p) Iſrael , & domui Juda teſtamentum novum. Non ſecundum teſtamentum quod diſpoſui patribus eorum in die qua apprehendi manus eorum , ut educerem eos de terra Ægypti (q) ; 3 quia non permanſerunt in teſtamento meo , & ego neglexi eos , dicit dominus. Quia hoc teſtamentum quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dans leges meas , in ſenſum illorum ſcribam illas , & ero illis in Deum , & ipſi erunt mihi 4 in plebem ; & non docebunt unuſquiſque fratrem ſuum, dicentes: Dinoſce Dominum, quia omnes ſcient me à minimo uſque ad maximum eorum , quia propitius ero iniquitatibus eorum , & peccatorum eorum non ero memor amplius. Jer. 31. 31. Heb. 8. 8.

Quod Baptiſma vetus ceſſaret, & novum inciperet.

XII. Apud Eſaiam : Nolite ergo priora (r) meminiſſe , & antiqua nolite reputare. Ecce facio nova quæ nunc orientur, & cognoſcetis; & faciam in deſerto viam , & flumina in loco inaquoſo , adaquare genus meum (s) electum , plebem meam , quam acquiſivi (t) ut virtutes meas exponeret. Item apud eundem : Si ſitierint , per deſerta adducet illos (u) , aquam de petra producet illis : findetur petra , & fluet aqua , & bibet (w) plebs mea. Item in Evangelio cata Matthæum Joannes dicit : Ego quidem Iſai. 43. 18. Iſai. 48. 21. Mat. 3. 11.

vos

(a) Interficis, *Thu. Bod.* 1. 3. 4. *Corb. Voſſ.* 3. 4. (b) Congregare filios. *Ar. Lam. NC.* 1. 2. congregare te & filios, *Voſſ.* 4. (c) Aquila pullos ſuos, *Bod.* 3. (d) Ecce mittetur vobis, *Bod.* 1, 2, 3, 4. remittetur, *Voſſ.* 3. (e) Domus veſtra, *Ar. Ben. Er. Ver. Man. Voſſ.* 4. (f) Eſſent Judæi amiſſuri, *Lam.* (g) Veniens in hunc mundum, *Ver. Benev.* (h) Dilexerunt homines, *Lam. NC.* 1. *Voſſ.* 3. 4. (i) Viri Juda, *Corb.* (k) Abſcide, *Foſſ.* Adſcide, *Thu. Corb.* Aſſide, *NC.* 1. *Lam.* & abſcide & circumſcide, *Voſſ.* 3. (l) Qui in terris omnibus ob delicta, *NC.* 1. 2. *Lin. Lamb. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Benev. Ver. Man. Voſſ.* 3. & ſede, *Voſſ.* 4. (m) Ne diſcedant, *Bod.* 4 (n) Et dices expecto, *Lin. NC. Lam. Bod.* 1. 2. 4. *Voſſ.* 4. (o) Ab Hieroſol. *Lin. NC.* 1. *Lam. Bod.* 1. 2. 4. *Voſſ.* 3. 4. (p) Conſummabo domum Iſrael & Domum Juda, *NC.* 1. & teſtamentum, *NC.* 1. *Lin. Lam. Corb. Bod.* 2, 3, 4. *Voſſ.* 4. (q) De terra Ægypti, *reliqua ad finem capitis deſunt in Ar. Thu. Lamb. Foſſ. NC.* 1. 2. *Bod.* 2, 3, 4. *Voſſ.* 3. 4. (r) Nolite priora, *Ar.* (s) Genus humanum, *Foſſ.* (t) Quam elegi, *Corb.* (u Adducet illis aquam de petra, findetur, *Bod.* 1. 2. 4. *Lin. Benev. Voſſ.* 3. 4. (w) Vivet plebs mea. *Ar.*

1 *Renovate inter vos novitatem.*] Novate vobis novale, inquit Interpres Vulg. ſed prior lectio eſt Tertulliani , qui aliquando *novitatem*, aliquando etiam *novamen* reddit.

2 *Ne diſcant*,] 70 Interpretes habent , τὸ μὴ μαθεῖν. Lectionem hanc agnoſcit Paraphraſtes Chaldæus , qui reddit לא צבן רילפון כדה nec non & Arabs لايتعلموها Ad mentem Auctoris noſtri ſic locum explicat Procopius. Δῆσον τὸν νόμον, ἀκέτι γὰρ χρεία τῦ Μωϋσέως νόμυ, ὁ δὲ τῶν παρ' αὐτῦ μαρτυρίων, τῆς καινῆς παραδεδομένης διδασκαλίας τοῖς διδαχθεῖσι αὐτῦ, τοῖς ἐξ ἐθνῶν κεκλημένοις, οἵτινες φανεροὶ ἔσονται σφραγίζοντες τὸν νόμον τῦ μὴ μαθεῖν αὐτὸν, ἐκ ἔτι ὄντα χρήσιμον τῇ παραβάσει τῦ χριςῦ.

3 *Quia non permanſerunt.*] Hæc licet MSS. ſuffragio deſtituantur , tamen ex verſione à vulgata aliena , & Cypriani conſona ; auctoramentum ſibi præſtant. Quod de ſequentibus , pariter in exemplaribus deſideratis dicendum.

4 *In Plebem.*] Helleniſtæ, ut gentem Iſraeliticam ab ethnicis diſtinguant , λαὸν appellare amant ; quam vocem ſtudioſe vertit Noſter : cui ſolenne eſt fideles , *Plebem* , & *Plebem ſtantem* dicere. Minus accurate Tertullianus ; *populum* dicit ; quemadmodum vulgatus interpres , & alii paſſim veteres.

1 *Domum*

vos Baptizo in aqua in pœnitentiam; qui venit autem poſt me, fortior (a) me eſt, cujus non ſum idoneus (b) calceamenta portare. Ipſe vos Baptizat (c) in Spiritu Sancto & igni. Item cata Joannem: Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in Regnum Dei. Quod enim natum eſt, de carne, caro eſt; & quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt. *An.* 248.

Joh. 3. 5.

XIII. In Pſalmo ſecundo: Ad quid tumultuatæ (d) ſunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt (e) reges terræ & principes collecti (f) ſunt in unum, adverſus Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Diſrumpamus vincula eorum, & abjiciamus (g) à nobis jugum eorum. Item in Evangelio cata Matthæum Dominus dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego vos requieſcere (h) faciam. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite (i) à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris: Jugum enim meum bonum (k) eſt, & ſarcina levis. Apud Hieremiam (l). In illa die contribulabo jugum à cervice illorum, & vincula illorum diſrumpam; & non operabuntur aliis, ſed operabuntur Domino Deo, & David Regem ſuſcitabo ipſis. *Quod jugum vetus evacuaretur, & jugum novum daretur.*

Pſ. 2. 1.

Math. 11. 28.

Jer. 30. 8.

XIV. Apud Ezechielem: Propterea hæc dicit dominus: Ecce ego ſuper paſtores, & inquiram oves meas de manibus eorum, & avertam eos ut non paſcant oves meas, & jam non paſcent eas, & extraham oves meas de ore eorum, & paſcam eas cum judicio. Apud Hieremiam (m) Dominus dicit: Et dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos paſcentes cum diſciplina. Item apud Hieremiam. Audite verbum Domini gentes, & nunciate Inſulis quæ longe ſunt, dicite: qui diſpergit Iſrael congregabit illum, & cuſtodiet ſicut paſtor gregem ſuum, quia eruit Dominus Jacob, & eruit de manu fortioris illius. *Quod paſtores veteres ceſſaturi eſſent, & novi inciperent.*

Ezech. 34. 10.

Jer. 3. 15.

Jer. 31. 10.

Paralip. 17. 3. ibid. v. 11.

XV. Baſileion ſecundo. Et fuit verbum Domini ad Natham dicens; Vade & dic ſervo meo David: Hæc dicit Dominus: non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum: ſed erit, cum impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de utero tuo; & parabo regnum ejus; hic ædificabit mihi [1] domum (n) in nomine meo, & erigam thronum ejus in ſecula, & ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium; & fidem conſequetur domus ejus, & regnum ejus uſque in ſecula in conſpectu meo. Item in Evangelio Dominus dicit: Non relinquetur in templo lapis ſuper lapidem qui non diſſolvatur (o). Et, poſt triduum aliud excitabitur ſine manibus. *Quod domus & templum Dei Chriſtus futurus eſſet, & ceſſaſſet templum vetus & novum cœpiſſet.*

2 Reg. 7. 11.

ver. 16.

Mat. 24. 2.

Jo. 2. 19.

Mar. 14 58.

XVI. Apud Eſaiam: (p) Quo mihi (q) multitudinem ſacrificiorum veſtrorum dicit Dominus? Plenus ſum; [2] holocauſtomata arietum, & pinguamina agnorum, & ſanguinem taurorum & hircorum nolo. Quis enim exquiſivit iſta de manibus veſtris? Item in Pſalmo quadrageſimo nono: Non edam carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum bibam. Sacrifica Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua: Invoca me in die (r) preſſuræ, & eruam (s) te, & clarificabis (t) me. Item in Pſalmo eodem: Sacrificium laudis clarificabit me, illic via eſt in qua oſtendam illi ſalutare Dei (u). Item Pſalmo quarto (w): Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Dominum. Item apud Malachiam: [3] Non eſt mihi voluntas (x) circa vos, dicit Dominus, & ſacrificium *Quod ſacrificium vetus evacuaretur, & novum celebraretur.*

Jſai. 1. 11.

Pſ. 49. 14.

ver. 24.

Pſ. 4. 6.

Mal. 1. 10.

(a) Venit fortior *Thu. Foſſ. Corb.* (b) Dignus calceamenta portare, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2, 3, 4. (c) Baptizabit, *Foſſ. Ar. Lam. Lin. Bod.* 1. 2. Spiritu Sancto, *Bod.* 2. *Foſſ.* (d) Quare fremuerunt, *Lin. Lam. NC.* 1. *Corb. Voſſ.* 3. 4. (e) Convenerunt in unum, *Ar. Corb. NC.* 1. 2. *Lam. Lin. Bod.* 1, 2, 3. *Voſſ.* 3. (f) Congregati, *Voſſ.* 4. (g) Projiciamus à nobis, *Lam. Thu. Bod.* 2. 4. *NC.* 1, 2. *Corb. Lin. Voſſ.* 4. (h) Vos requieſcam, *Thu. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voſſ.* 3. (i) Scitote à me, *Thu.* (k) Jugum meum ſuave, *Lin. Thu. Bod.* 1, 2, 3, 4. (l) Apud Hierem. in illa, *deſunt apud, Ar. Lam. NC.* 1. 2. *Lin. Voſſ.* 3. 4. (m) Apud Hierem. dominus dicit, & dabo, *deſunt apud, Ar. Lin. Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb. Voſſ.* 3. (n) Domum nomine, *Bod.* 1. 2. *Thu. Foſſ.* (o) Qui non deſtruetur, *Ar. Bod. è Lam. NC.* 1. (p) Eſaiam dicit, *Bod.* 1. (q) Quid mihi, *Bod.* 3. 4. (r) Diem preſſuræ. *Thu.* (s) Eximam te, *Ver. Cam. Lin. NC.* 1. 2. *Thu. Corb. Ar. Bod.* 1, 2. 4. (t) Magnificabit, *Lin.* honorificabit, *Ar. Corb.* (u) Salutare meum, *Ar. Cam. NC.* 1. *Bod.* 2. (w) Et illic, *Thu. Foſſ. Corb.* (x) Voluptas circa, *Voſſ. Bod.* 3. 4. in vobis, *Ver.*

1 *Domum in nomine.*] Ubi Deus revera inter homines habitabat; & propitiatorium pro totius mundi peccatis exhibuit. Hanc vero corporis ſui in templo Hieroſolymitano præfigurationem Dominus noſter in Evangelio paſſim declarat.

2 *Holocauſtomata arietum.*] Voce hac utuntur Irenæus & Tertullianus, & vetera vulgatæ verſionis exemplaria.

3 *Non eſt mihi voluntas.*] Locus à nemine fere antiquorum patrum præteritus, quando de ſacrificio novi fœderis ſermo occurrit. Late eum explicat Irenæus adv. Hæreſ l. 4. c. 30. *Dominus noſter ſuis diſcipulis dans conſilium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi nec ingrati ſint; eum qui ex creatura panis eſt accepit, & gratias egit dicens, Hoc eſt corpus meum: & calicem ſimiliter, qui eſt ex creatura quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt. Et novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab apoſtolis accipiens, in univerſo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum in novo Teſtamento, de quo in duodecim prophetis Malachias ſic præſignificavit; Non eſt mihi voluntas in vobis dicit Dominus omnipotens, & ſacrificium non accipiam de manibus veſtris; Quoniam ab ortu ſolis ad occaſum, nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incenſum offertur nomini meo & ſacrificium purum, quoniam magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit dominus omnipotens. Manifeſtiſſime ſignificans per hæc, quoniam prior quidem populus ceſſavit offerre Deo: omni autem loco ſacrificium offertur Deo, & hoc purum; nomen autem ejus glorificatur in gentibus.* Et cap. 33. addit. *Quoniam nomen filii proprium patris eſt, & in Deo omnipotente per Jeſum Chriſtum offert Eccleſia; bene ait ſecundum utraque, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum. Incenſa autem Joannes, in Apocalypſi, orationes ait eſſe Sanctorum.* Et cap. 34. *Offerimus ei quæ ſunt ejus, congruenter communicationem & unitatem prædicantes carnis & ſpiritus. Quemadmodum enim qui eſt à terra panis percipiens invocationem Dei, jam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti; ſic & opera noſtra percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* Juſtinus Martyr in Dial. cum Tryph. p. 344. D. *Edit. Pariſ.* 1636. Ἀρχιερατικὸν τὸ ἀληθινὸν γένος ἐσμὲν τῷ θεῷ, ὡς καὶ αὐτὸς ὁ θεὸς μαρτυρεῖ, εἰπὼν ὅτι ἐν παντὶ τόπῳ ἐν τοῖς ἔθνεσι θυσίας εὐαρέστους αὐτῷ καὶ καθαρὰς προσφέροντες. ὑ δέχεται δὲ παρ' οὐδενὸς θυσίας ὁ θεὸς, εἰ μὴ διὰ τῶν ἱερέων αὐτοῦ. πάσας οὖν αἱ διὰ τοῦ ὀνόματος τούτου θυσίας ὰς

An. 248. crificium acceptum (a) non habebo ex manibus veſtris. Quoniam à ſolis ortu & uſque in occaſum clarificatum eſt nomen meum apud gentes, & in omni loco odores incenſi offeruntur (b) nomini meo, & ſacrificium mundum; quoniam magnum eſt nomen meum apud gentes, dicit Dominus.

Quod ſacerdotium vetus ceſſaret, & novus ſacerdos veniret, qui in æternum futurus eſſet.

XVII. In Pſalmo 109. 1 Ante luciferum (c) genui te. Juravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Item in Baſileion primo Deus ad Heli ſacerdotem: Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidum (d), qui omnia quæ ſunt in corde meo faciet; & ædificabo ei (e) domum fidelem, & tranſibit in conſpectu Chriſtorum meorum omnibus diebus; & erit, qui remanſerit in domo tua, veniet adorare in obolo pecuniæ & in pane uno. Pſ. 109. 4. 1 Reg. 2. 35.

Quod prophetа alius, ſicut Moyſes, promiſſus ſit; ſcilicet qui teſtamentum novum daret, & qui magis audiri deberet.

XVIII. In Deuteron. Deus ad Moyſen: & dixit Dominus ad me: Prophetam excitabo eis de fratribus eorum ſicut te; Et dabo verbum meum in ore ejus, & loquetur ad eos ea quæ præcepero ei. Et quiſquis non audierit quæcunque loquutus (f) fuerit propheta ille in nomine meo, ego vindicabo. De quo & Chriſtus in Evangelio cata Joannem (g): Scrutamini ſcripturas, in quibus putatis vos vitam æternam habere; hæc (h) ſunt quæ teſtimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Nolite putare quia ego vos accuſo apud patrem; eſt qui vos accuſet Moyſes, in quem (i) vos ſperatis. Si enim credidiſſetis Moyſi, crederetis & mihi; de me enim ille ſcripſit: Si autem illius ſcripturis non creditis, quo modo verbis meis credetis? Deu. 18. 18. Act. 3. 22. & 7. 37. Joh. 5. 39. ver. 45.

Quod duo populi prædicti ſint major & minor, id eſt, veterus Judæorum, & novus qui eſſet ex nobis futurus.

XIX. In Geneſi: Et dixit dominus (k) Rebeccæ: Duæ gentes in utero tuo ſunt, & duo populi de ventre (l) tuo dividentur; & populus populum ſuperabit, & major ſerviet minori. Item apud Oſee: Vocabo non populum meum, populum meum; & non dilectam, dilectam. Erit enim quo loco dicetur non populus meus, illo loco vocabuntur filii Dei vivi. Gen. 25. 23. Oſ. 2. 24. Oſ. 1. 10.

Quod Eccleſia quæ prius ſterilis fuerat, plures filios habitura eſſet ex gentibus, quam quot ſynagoga ante (m) habuiſſet.

XX. Apud Eſaiam: Jucundare ſterilis quæ non paris: erumpe, & exclama quæ non parturis; quia multi filii deſertæ magis quam ejus quæ habet virum. Dixit enim Dominus: Dilata locum tabernaculi tui, & auleorum tuorum, & fige (n). Noli parcere, longas fac menſuras tuas, & palos (o) tuos confirma. Adhuc in dexteram tuam & in ſiniſtram extende, & ſemen tuum gentes poſſidebit (p), & civitates deſertas inhabitabit. Noli timere quia revinces; neque reverearis, quia maledicta es; quoniam confuſionem æternam obliviſceris. Sic & Abrahæ cum de ancilla natus eſſet prior filius, Sarra ſterilis diu manſit, & ſero in ſenecta de pollicitatione peperit filium Iſaac, qui fuit typus Chriſti. Sic & Jacob accepit uxores duas: majorem Liam, oculis infirmioribus, in (q) typum ſynagogæ; minorem ſpecioſam Rachel in typum Eccleſiæ, quæ & ſterilis diu manſit, & poſtea peperit filium (r) Joſeph, qui & ipſe fuit typus Chriſti. Et in Baſileion primo legitur, Helcana (s) habuiſſe uxores duas; Phenenam cum filiis, & Annam ſterilem, ex qua naſcitur Samuel, non ſecundum ordinem generandi, ſed ſecundum Dei miſerationem & promiſſionem, cum illa craſſet in templo, & natus Samuel typus fuit Chriſti. Item in Baſileion primo: Sterilis ſeptem peperit, & quæ plurimos habebat filios infirmata eſt. Filii autem (t) ſunt eccleſiæ ſeptem. Unde & Paulus ſeptem eccleſiis ſcripſit; & Apocalypſis eccleſias ſeptem ponit, ut ſervetur ſeptenarius numerus: ut dies ſeptem, quibus Deus mundum fecit: 2 ut Angeli ſeptem qui aſſiſtunt & converſantur ante faciem Dei, ſicut Raphael angelus in Tobia Gen. 16. 15. Gal. 4. 3. Gen. 29. 23. Gen. 30. 22. 1 Reg. 1. 2. 1 Reg. 2. 5. Apoc. 1. 4. Gen. 2. 2.

(a) Non accepto habeo, *Veron.* (b) Incenſi offerentur, *Bod.* 1. (c) Generavi te, *Benev. Veron. Thu. Foſſ.* (d) Sacerdotem fidelem, ei *Lam.* (e) Thronum meliorem, *Lin.* Domum fidelem omnibus diebus, *Lin. NC.* 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (f) Quæcunque loquitur, *Bod.* 1. 4. Loquetur, *Bod.* 2. *Lamb. Thu. Foſſ. Corb.* Quæ loquetur *Lam.* (g) Joannem dicit, *Bod.* 4. (h) Hæc ſunt, *Thu. Foſſ. Corb.* Hæc ſunt quæ teſtimonio ſunt, *Benev. Ver. Lin. Bod.* 2, 3, 4. *Thu.* (i) In quo vos ſperatis, *Bod.* 1. 2. (k) Dominus ad Rebeccam, *Bod.* 2. (l) De utero tuo dividentur, *Foſſ. Corb.* (m) Synagoga habuiſſet, *Ver.* (n) Et fige funiculos, *Bod.* 1. *Mor.* Fige & noli, *Lam.* (o) Et paxillos tuos, *Corb.* (p) Poſſidebunt, inhabitabiles. *Thu. Corb. Bod.* 1. 4. (q) Infirmioribus typum, *Bod.* 1. 4. 3. (r) Peperit Joſeph, *Foſſ. Corb. Bod.* 1. 2. 4. (s) Primo Helcana, *Bod.* 1, 2, 3, 4. Helcana habuit, *Ar. Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Corb. Thu.* (t) Filii autem ſeptem, *Bod.* 1, 2, 3, 4.

παρέδωκεν Ιησοῦς ὁ Χριστὸς γίνεσθαι, τουτέστιν ἐπὶ τῇ εὐχαριστίᾳ τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ ποτηρίου, τὰς ἐν παντὶ τόπῳ τῆς γῆς γινομένας ὑπὸ τῶν χριστιανῶν, προλαβὼν ὁ Θεὸς, μαρτυρεῖ εὐχαρίστους ὑπάρχειν αὐτῷ· τὰς δὲ ὑφ' ὑμῶν καὶ δι' ἐκείνων ὑμῶν τῶν ἱερέων γινομένας ἀπαναίνεται, λέγων, καὶ τὰς θυσίας ὑμῶν οὐ προσδέξομαι ἐκ τῶν χειρῶν ὑμῶν. διοτι ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου ἕως δυσμῶν, τὸ ὄνομά μου δεδόξασται, λέγει, ἐν τοῖς ἔθνεσιν· ὑμεῖς δὲ βεβηλοῦτε αὐτό. καὶ μέχρι νῦν φιλονεικοῦντες λέγετε, ὅτι τὰς μὲν ἐν Ιερουσαλὴμ ἐπὶ τῶν ἐκεῖ τότε οἰκούντων Ισραηλιτῶν καλουμένων θυσίας οὐ προσδέχεται ὁ Θεός· τὰς δὲ διὰ τῶν ἐν τῇ διασπορᾷ τότε δὲ ὄντων ἀπὸ τοῦ γένους ἐκείνου ἀνθρώπων εὐχὰς προσίεσθαι αὐτὸν εἰρηκέναι, καὶ τὰς εὐχὰς αὐτῶν θυσίας καλεῖν. ὅτι μὲν οὖν καὶ εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι ὑπὸ τῶν ἀξίων γινόμεναι, τέλειαι μόναι καὶ εὐάρεστοί εἰσι τῷ Θεῷ θυσίαι, καὶ αὐτός φημι. ταῦτα γὰρ μόνα καὶ χρεισιανοὶ παρέλαβον ποιεῖν, καὶ ἐπ' ἀναμνήσει δὲ τῆς τροφῆς αὐτῶν ξηρᾶς τε καὶ ὑγρᾶς, ἐν ᾗ καὶ τοῦ πάθους ὃ πέπονθε δι' αὐτοῦ ὁ υἱὸς, τοῦ Θεοῦ μέμνηται. Tertul. adv. Marc. l. 3. c. 21. *Ut pariter concurreret & Malachiæ prophetia; non eſt voluntas mea, dicit dominus, & Sacrificia veſtra non accipiam; quoniam ab ortu ſolis uſque in occaſum nomen meum glorificatum eſt in nationibus, & in omni loco ſacrificium nomini meo offertur, & ſacrificium mundum; gloriæ ſcilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni.* Lib. 4. c. 1. *Sacrificium mundum* interpretatur quod ſit *ſimplex oratio de conſcientia pura.* Loco ergo victimarum, & ex cæſis animalibus viſcerationum, ſola apud Chriſtianos ſupereſt rationale & incruentum ſacrificium, quod Malachiæ verbis, מנחה טהורה mincha turo, hoc eſt, oblatione farrea cum ſuo libamine, pane ſcilicet & vino; vero illo ſemperque duraturo ſacrificio Euchariſtico; & precum piarum thymiamate conſtat.

1 *Ante Luciferum.*] Tertullianus Adv. Marc. l. 5. c. 9. Judæos refutat, qui nocturnam Hezechiæ nativitatem verbis iſtis deſignatam ſatagebant, dominique noſtri natalibus prophetiam adſerit.

2 *Angeli Septem.*] Ad eum morem in Aula Perſica ſeptem primarii ſatrapæ privilegio gaudebant, ut *aſſiſterent & converſarentur ante faciem Regis.* Ex laudato hic loci, necnon alibi, ſcriptore hoc; ſatis importune confectum it Pamelius, Tobiæ librum eſſe canonicum. Minime dubitandum libros veteris teſtamenti qui Apocryphi dicuntur, & in Hebræis fontibus minime comparent, in libris Græcis quibus Helleniſtæ utebantur, paſſim reperiri; & proinde jure merito Chriſtiani, qui ab Helleniſtis Judæis Biblia ſacra mutuabantur, indiſcriminatim teſtimonia exinde, præſertim adverſus Helleniſtas deſumſerant. Poſtquam XXII. ſacri codicis volumina recenſuiſſet Joſephus cont.

Apio

Tob. 12. 15. Tobia dicit : & lucernæ (a) ſeptiformes in Tabernaculo (b) martyrii : & oculi domini *An.* 248.
Ex. 25. 31. ſeptem, qui mundum ſpeculantur : & lapis cum oculis ſeptem , ut Zacharias dicit : &
Zac. 3. 9. ſpiritus ſeptem , & candelabra in Apocalypſi ſeptem : & columnæ ſeptem ſuper quas
Apoc. 1. 21. ædificavit domum ſapientia apud Salomonem.
Prov. 9. 1. XXI. In Geneſi : Et dixit dominus deus ad Abraham : Exi de terra tua , & de *Quod gentes magis in Chriſtum creaturæ eſſent.*
Gen. 12 1. cognatione tua , & de domo patris tui , & vade in illam terram quam tibi oſtendero ;
Act. 7. 3. & faciam te in gentem magnam , & benedicam te , & magnificabo nomen tuum & eris
benedictus ; & benedicam qui te benedixerit , & maledicam qui te maledixerit (c) ; &
Gen. 27. 27. benedicentur in te omnes tribus (d) terræ. De hoc ipſo in Geneſi ; & benedixit Iſaac
Jacob. (e) Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni , quem benedixit dominus : Et
det tibi deus de (f) rore cœli , & à fertilitate terræ multitudinem frumenti , & vini &
olei ; & ſervient tibi gentes , & adorabunt te principes , & eris Dominus fratris (g) tui ,
& adorabunt te filii patris tui ; & qui te maledixerit erit maledictus , & qui te benedi-
Gen. 48. 17. xerit (h) benedictus. De hoc ipſo in Geneſi : (i) ut videt autem Joſeph , quoniam ſu-
perpoſuit (k) pater ſuus manum dexteram ſuper caput Ephraim , grave illi viſum eſt ;
& apprehendit Joſeph manum patris ſui (l) , auferre eam à capite Ephraim ad caput
Manaſſe. Dixit autem Joſeph ad patrem ſuum , Non ſic pater , hic eſt primitivus
(m) meus , ſuperpone dexteram tuam ſuper caput ejus : Ille autem noluit ; & dixit,
Scio fili , ſcio ; & hic erit in populum , & hic exaltabitur , ſed frater ejus junior ma-
Gen. 49. 8. jor illo (n) erit ; & ſemen ejus erit in multitudinem gentium. Item in Geneſi : Juda ,
te laudabunt (o) fratres tui , manus ſuper (p) dorſum inimicorum tuorum. Adorabunt
filii patris tui , catulus leonis Juda , de frutice fili mi aſcendiſti , recubans obdormiſti
velut leo , & velut catulus leonis. Quis excitabit illum ? Non deficiet princeps de
Juda , & dux de femoribus ejus , quoad uſque veniant (q) depoſita illi ; & ipſe eſt
(r) ſpes gentium. Deligans (s) ad vitem pullum ſuum , & ad helicem (t) pullum aſinæ
ſuæ : Lavabit in vino ſtolam (u) ſuam , & in ſanguine uvæ amictum ſuum. 1 Formoſi
Num. 23. (w) oculi ejus à vino , & candidi dentes ejus (x) magis quam lac. Inde in Numeris
24. de populo noſtro ſcriptum eſt : Ecce populus quaſi populus leoninus exſurget. In
Deut. 28. Deuteronomio : eritis gentes in caput , incredulus autem populus in caudam. Item
24. apud Hieremiam : Audite vocem tubæ ; & dixerunt , Non audiemus : propter hoc au-
Jer. 6. 17. dient gentes , & qui paſcent pecora (y) in eis. In Pſalmo 17 : Conſtitues me in caput
Pſ. 17. 47. gentium. Populus quem non cognovi , ſervivit (z) mihi , in auditu auris obedivit mi-
Jer. 1. 5. hi. De (aa) hoc ipſo apud Hieremiam Dominus dicit : Priuſquam te formarem in ute-
ro , novi te ; & priuſquam exires de vulva , ſanctificavi te , & prophetam in gentibus
Iſai. 55. 4. (bb) poſui te. Item apud Eſaiam : Ecce (cc) teſtem illum nationibus manifeſtavi , prin-
Iſai. 55. 5. cipem & imperantem gentibus. Item apud eundem : Gentes quæ non noverunt te ;
invocabunt te : & populi qui ignorabant te , ad te confugient. Item apud eun-
dem : Gentes quæ non noverunt te ; invocabunt te : & populi qui ignorabant te , ad
Iſai. 11. 10. te confugient. Item (dd) apud eundem : Et erit in illa die radix Jeſſe , qui ſurget im-
perare (ee) omnibus gentibus ; in illum gentes ſperabunt , & erit requies ejus honor.
Iſai. 9. 1. Item (ff) apud eundem : Terra Zabulon & terra Neptalim via maris , & (gg) cæteri qui
Mat. 4. 16. maritima inhabitatis , & trans Jordanem Galilæa (hh) gentium ; populus ambulans in te-
nebris , videte (ii) lumen magnum : qui habitatis in regione umbræ mortis , lumen
Iſai. 45. 1. lucebit ſuper vos. Item (kk) apud eundem : Sic dicit dominus deus 2 Chriſto meo
Domino cujus tenui dexteram , ut exaudiant eum gentes ; & fortitudinem regum
diſrum-

(a) Lucerna ſeptiformis, *Thu. Foſſ. Corb.* (b) Tabernaculo Teſtimonii, *Foſſ.* (c) Maledixerint, *Bod.* 1. (d) Omnes gentes *Bod.* 1. (e) Jacob & dixit, *Lin. Lam. NC.* 2. (f) A rore cœli, *Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Foſſ.* (g) Dominus fratribus tuis, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (h) Benedixerit erit, *Thu. Corb.* (i) Ubi vidit, *Thu. Corb.* (k) Quoniam poſuit, *Thu. Corb.* (l) Patris ſui à capite, *Foſſ.* (m) Primogenitus, *Ar.* (n) Major illi erit, *Foſſ.* (o) Laudant, *Bod.* 4 *Thu.* (p) Manus tuæ ſuper, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foß.* (q) Veniant quæ repoſita ſunt, *Lamb. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *NC.* 1. (r) Ipſe erit ſpes, *Corb.* (s) Religans ad vitem, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3. *Thu.* (t) Ad cilium, *Thu. Foſſ. Bon. Bod.* 1, 2, 3, 4. (u) Anabolium, *Bod.* 1. (w) Formidoloſi, *Bod.* 1, 2, 3, 4 (x) Dentes ejus lacte, *Ar.* (y) Pecora ejus, *Thu. Foſſ. Corb.* (z) Serviet mihi, *Corb.* (aa) Servivit mihi. De hoc ipſo, *NC.* 1. 2. *Lam. Lin. Thu. Corb. Bod.* 1, 2, 3, 4. (bb) Prophetam in gentes, *Thu.* (cc) Ecce poſui illum teſtem nationibus, manifeſtavi principem & imperatorem, *Thu.* (dd) Item illic apud eundem, *Bod.* 1. (ee) Surgens imperabit, *Thu.* (ff) Illic apud eundem, *Bod.* 1. (gg) Et qui maritima, *Foſſ.* (hh) *Sic NC.* 2. *Bod.* 1. 3. 4. & LXX. *Impreſſi & MSS. plerique legerunt* trans Jordanem gentium populus. (ii) Vidit lumen magnum, *Ar. Corb.* (kk) Illic apud eundem, *Bod.* 1.

Apion. l. 1. τὰ δικαίως πεπιστευμένα , ſubjungit, Ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ καθ' ἡμᾶς χρόνου , γέγραπται μὲν ἕκαστα , πίστεως δὲ οὐχ ὁμοίως ἠξίωται τοῖς πρὸ αὐτῶν , διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν. δῆλον δ' ἔστιν ἔργῳ πῶς ἡμεῖς τοῖς ἰδίοις γράμμασι πεπιστεύκαμεν. τοσούτου γὰρ αἰῶνος ἤδη παρωχηκότος , οὔτε προσθεῖναί τις ὤδεν , οὔτε ἀφελεῖν αὐτῶν , οὔτε μεταθεῖναι τετόλμηκεν , &c. Si quis vero ex Rabbinorum nuperorum placitis , qui juratiſſimi Chriſtiani nominis hoſtes , à verſione Græca libriſque ab Helleniſtis vernaculo idiomate conſcriptis maxime abhorrent, de veteri Judæorum indole ſententiam ferat, eorumque inſtituta exinde metiatur ; is certe à vero , toto (quod aiunt) cœlo aberrabit. Illi namque nihil antiquius habuere quam ut ſacram gentis ſuæ Philoſophiam & res geſtas literis conſignarent , aliorumque ea in palæſtra ſtudiis impenſiſſime faverent. Quod non tantum ex ſcriptis Siracidis, Tobiæ, Eſdræ , Baruchi , Philonis , Ariſtobuli, Demetrii, Eupolemi , & Joſephi dignoſcitur ; ſed ex Sibyllinis carminibus , Phocylide , aliiſque Judæorum perſonatis lucubrationibus manifeſtum eſt.

1 *Formoſi Oculi.*] χαροποὶ terribiles. Vera videtur lectio *Formidoloſi* in ſenſu paſſivo Ita Salluſtius ait *Regibus boni quam mali ſuſpectiores ſunt, ſemperque his aliena virtus formidoloſa eſt.* Pariter Cicero , *Conſervatio ſtabilis judicii in iis rebus quæ formidoloſæ videntur.*

2 *Chriſto meo Domino.*] Χριστῷ μου Κύριῳ. Librarii, quibus ſolenne eſt mutare quod non intelligunt , κυρίῳ repoſuere; Quæ lectio apud omnes fere veteres obtinuit. Et quidem cum Cyrus , liberator populi Dei , Meſſias ejus ſive unctus dicatur , & Domini noſtri Typum geſſit ; Verba hæc rectiſſime domino noſtro tribuuntur.

An. 248. diſrumpam (a); aperiam ante ipſum portas, & civitates non claudentur. Item apud eundem: Venio colligere omnes gentes & linguas, & venient & videbunt claritatem meam; & dimittam ſuper eos ſignum, & mittam ex eis conſervatos in gentes quæ longe ſunt, quæ non audierunt nomen meum, neque viderunt gloriam meam; & nunciabunt claritatem meam in gentes. Item apud eundem: Et in omnibus his non ſunt converſi; igitur extollet ſignum in gentes quæ ſunt longe, & attrahet illos (b) à ſummo terræ. Item apud eundem: Quibus non eſt nunciatum de eo, videbunt; & qui non audierunt, intelligent. Item apud eundem: Manifeſtus (c) factus ſum eis, qui me non quærunt (d); inventus ſum ab eis, qui me non interrogabant. Dixi, ecce (e) ſum, genti, quæ non invocavit (f) nomen meum. De hoc ipſo in Actibus Apoſtolorum Paulus: Vobis primum oportuerat indicari verbum Dei: Sed quia expuliſtis illud, nec vos dignos vitæ æternæ judicaſtis; ecce convertimus nos ad gentes. Sic enim dixit per ſcripturas Dominus: Ecce lucem poſui te inter gentes, ita ut ſis in ſalvationem (g) uſque ad fines terræ. Iſai. 45. 1. Iſai. 66. 18. Iſai. 5. 25. Iſai. 52. 15. Iſai 65. 1. Rom. 9. 14. & 10. 20. Eph. 12. 13. Act. 13. 46.

Quod panem & calicem Chriſti, & omnem gratiam ejus, amiſſuri eſſent Judæi, nos vero accepturi; & quod Chriſtianorum novum nomen benedicetur in terris.

XXII. Apud Eſaiam ſic dicit Dominus: Ecce qui ſerviunt mihi, manducabunt; vos autem eſurietis: ecce (h) qui mihi ſerviunt, jucundabuntur; vos autem confundemini. Vos interficiet Dominus: Eis autem qui ſerviunt mihi, nomen nominabitur (i) novum, quod benedicetur in terra. Item illic: Igitur extollet ſignum (k) in gentes quæ ſunt longe, & attrahet illos (l) à ſummo terræ. Et ecce cito leviter (m) venient; non eſurient, neque ſitient. Item illic: Ecce itaque dominator Dominus Sabaoth auferet à Juda, & ab Hieruſalem, valentem & validum, valentiam (n) panis, & valentiam aquæ. Item in Pſalmo triceſimo tertio: Guſtate & videte quoniam dulcis (o) eſt Dominus: felix eſt vir qui ſperat in eum. Timete Dominum Deum omnes ſancti ejus; quoniam non eſt inopia eis qui eum metuunt. Divites egueruntet eſurierunt: qui autem inquirunt Dominum, non indigebunt omni bono. Item in Evangelio cata Joannem dominus dicit: Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet; & qui in me crediderit, non ſitiet unquam. Item illic ipſe: Si quis ſitit, veniat & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Item illic ipſe: Niſi ederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Iſai. 65. 13. Iſai. 5. 26. Iſai. 3. 1. Pſ. 33. 8. Joh. 7. 35. Joh. 7. 37. Joh. 6. 54.

Quod ad regnum cælorum magis gentes quam Judæi perveniant.

XXIII. In Evangelio Dominus dicit: Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham & Iſaac & Jacob in regno cœlorum. Filii autem regni exibunt in tenebras exteriores: illic erit ploratio & ſtridor dentium. Mat. 8. 11.

Quod ſolo hoc Judæi accipere veniam poſſint delictorum ſuorum, ſi ſanguinem Chriſti occiſi baptiſmo ejus abluerint; & in Eccleſiam ejus tranſeuntes, præceptis ejus obtemperaverint.

XXIV. Apud Eſaiam Dominus dicit: Jam non laxabo (p) peccata veſtra. Cum extenderitis manus (q), avertam faciem meam (r) à vobis: & ſi multiplicaveritis preces, non exaudiam vos: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Lavamini, mundi eſtote, auferte nequitias ab animis veſtris, à conſpectu oculorum meorum; ceſſate à nequitiis veſtris, diſcite bonum facere, exquirite judicium, conſervate eum qui injuriam patitur, judicate pupillo, & juſtificate viduam. Et venite diſputemus, dicit Dominus; & ſi fuerint peccata veſtra 1 ut phœniceum (s), ut nivem exalbabo; & ſi fuerint quaſi coccinum (t), ut lanam inalbabo. Et ſi volueritis, & audieritis (u) me, bona terræ edetis. Si autem nolueritis, & non audieritis me, gladius vos conſumet (w). Os enim domini locutum eſt iſta (x). Iſai. 1. 15.

(a) *Sic Spir. Remb. Er. Man. Tert. Lam. Lin. NC.* 1. *Voſſ* 3. 4. *Nuperi impr. legunt*, cujus teneo. Diſrumpet, *Bod.* 1. 3. 4. Fortitudinem ſuam diſrumpent, & in illum gentes ſperabunt, & civitates concludentur, *Thu. Foſſ.* non claudentur illi, *Tert.* (b) Attrahet illas, *Corb.* Attrahent *Bod.* 3. (c) Manifeſtus ſum, *Foſſ.* (d) Quærebant, *Ar. Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (e) Ecce adſum genti, quoniam non. *Corb.* (f) Vocavit nomen, *Thu.* (g) Ut ſint ſalvati, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (h) Ecce qui ſerviunt mihi, bibent; vos autem ſitietis, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (i) Nominabitur magnum, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ar.* (k) Ignem in gentes, *Bod.* 1. *Rigal.* lignum, *contra fidem MSS. & excuſ. Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2, 3, 4. *Thu. Foſſ. Corb.* (l) Attrahet illas, *Foſſ.* (m) Cito venient, *Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 2. (n) Virtutem panis & virtutem aquæ, *Bod.* 1. (o) Quoniam ſuavis, *Ar. Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3. (p) Relaxabo, *Bod.* 2. 3. 4. *Spir. Rem. Eraſ.* (q) Manus veſtras, *Bod.* 3. 4. (r) *Sic Bod.* 1. 4. *Tert. Spir. Remb. Eraſ. Morell. Deeſt in impreſſ. nuperis* Meam, (s) Quaſi Ruſſeum, *Ver.* quaſi roſeum, *Tert. Benev. Veron. Manut.* (t) Quaſi coccum, *Thu. Foſſ. Benev. Ver. Man.* (u) Obaudieritis me, *Bod.* 4. non obaudieritis, *Bod.* 4. (w) Vos comedet. *Lin.* (x) Locutum eſt hæc, *Bod.* 1.

1 *Ut phœniceum.*] Lectionem hanc non facile mutamus, præſertim cum codicum ſuffragio abunde muniatur. Interim dicendum, prorſus veriſimile videri auctorem ſcripſiſſe *quaſi ruſſeum*, quæ codicis Veronenſis eſt lectio, & cujus veſtigia remanent in iis libris in quibus ſcribitur *quaſi roſeum*. Idem de locis Tertulliani dicendum Adv. Marc. l. 4. c. 10. & etiam in Scorpiaco. Rubrum colorem ruſſeum dici, omnibus notum.

LIBRI SECUNDI CAPITULA.

1. Chriſtum primogenitum eſſe ; & ipſum eſſe ſapientiam Dei , per quem omnia facta ſint.
2. Quod ſapientia Dei Chriſtus (a) : & de ſacramento incarnationis (b) ejus , & paſſionis , & calicis & altaris , & Apoſtolorum qui miſſi prædicaverunt.
3. Quod Chriſtus idem ſit & (c) ſermo Dei.
4. Quod Chriſtus idem ſit (d) manus , & brachium Dei.
5. Quod idem angelus , & Deus. (e)
6. Quod Deus Chriſtus.
7. Quod Chriſtus Deus venturus eſſet illuminator & ſalvator generis humani.
8. Quod (f) cum à principio filius Dei fuiſſet , generari denuo haberet ſecundum Carnem.
9. Quod hoc futurum eſſet ſignum nativitatis ejus , ut de virgine naſceretur homo & Deus , hominis & Dei filius.
10. Quod (g) homo & Deus Chriſtus , ex utroque genere concretus , ut mediator eſſe (h) inter nos & patrem poſſet.
11. Quod de ſemine David ſecundum carnem naſci haberet.
12. Quod in Bethleem naſceretur.
13. Quod humilis in primo adventu ſuo veniret.
14. Quod ipſe ſit juſtus (i) , quem Judæi occiſuri eſſent.
15. Quod ipſe (k) ſit ovis & agnus , qui occidi haberet : & de ſacramento paſſionis.
16. Quod idem & lapis dictus ſit.
17. Quod deinde idem lapis mons fieret , & impleret totam terram.
18. Quod in noviſſimis temporibus idem mons manifeſtaretur , ſuper quem gentes venirent , & in quem juſti quique aſcenderent.
19. Quod ipſe ſit Sponſus , Eccleſiam habens ſponſam , de qua filii ſpiritaliter naſcerentur.
20. Quod cruci illum fixuri eſſent Judæi.
21. Quod in paſſione crucis & ſigno , virtus omnis ſit & poteſtas.
22. Quod in hoc ſigno crucis , ſalus ſit omnibus qui in frontibus notentur.
23. Quod medio die in paſſione ejus tenebræ futuræ eſſent.
24. Quod à morte non vinceretur , nec apud inferos remanſurus eſſet.
25. Quod ab inferis tertio die reſurgeret.
26. Quod cum reſurrexiſſet , acciperet à patre omnem poteſtatem , & poteſtas ejus æterna ſit.
27. Quod perveniri non poſſit ad Deum patrem , niſi per filium ejus Jeſum Chriſtum.
28. Quod ipſe judex venturus ſit.
29. Quod ipſe ſit Rex in æternum regnaturus.
30. Quod ipſe ſit & judex & rex.

(a) Chriſtus eſt , *Bod.* 1. 2. (b) Concarnationis , *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Veron.* (c) Idem & ſermo , *Bod.* 1, 2, 3, 4. (d) Idem manus , *Bod.* 1, 2, 3, 4. (e) Deus in Geneſi , *Bod.* 1. (f) Quod Dominus cum à principio , *Bod* 1. (g) Quod & homo & Deus , *Bod.* 1, 2, 3, 4. (h) Ut mediator eſſet , *Corb. Bod.* 2. 3. (i) Quod ipſe ſit Chriſtus quem Jūdæi , *Lam. NC.* 1. (k) Ipſe dictus ſit ovis , *Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 2, 3, 4.

D. CÆCILII CYPRIANI

Teſtimoniorum Liber Secundus (a)

ADVERSUS JUDÆOS AD QUIRINUM.

CAPUT PRIMUM.

Chriſtum primogenitum eſſe, & ipſum eſſe ſapientiam Dei, per quem omnia facta ſint.

APud Solomonem in Paræmiis : 1 Dominus condidit me initium viarum ſuarum in opera ſua, ante ſeculum fundavit me. In principio, antequam terram faceret, & antequam abyſſos conſtitueret, (b) priuſquam procederent fontes aquarum, antequam montes collocarentur, ante omnes colles genuit me Dominus. Fecit regiones (c) & inhabitabilia, & fines inhabitabiles ſub cœlo. Cum pararet cœlum, aderam illi, & cum ſecerneret ſuam ſedem. Cum ſuper ventos validas faceret deſuper nubes, & cum confirmatos ponebat (d) fontes ſub cœlo; quando fortia faciebat fundamenta terræ; eram penes illum diſponens; ego eram, cui adgaudebat: quotidie autem jucundabar ante faciem ejus in omni tempore, cum lætaretur orbe perfecto. Item apud eundem in Eccleſiaſtico. 2 Ego ex ore altiſſimi prodivi ante omnem creaturam. Ego in cœlis feci ut oriretur lumen indeficiens, & nubila (e) texi omnem terram. Ego in altis (f) habitavi, & thronus meus in columna nubis. Gyrum cœli circuivi (g), & in profundum abyſſi penetravi, & in fluctibus maris ambulavi, & in omni terra ſteti: & in omni populo, & in omni gente primatum (h) habui, & omnium excellentium & humilium corda (i) propria virtute calcavi. In me omnis ſpes vitæ (k) & virtutis. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me. Item in Pſalmo 88. Et ego primogenitum ponam (l) eum, altiſſimum apud reges terræ. In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele illi. Et ponam in ſeculum ſeculi ſemen ejus (m). Si dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint; ſi juſtificationes meas profanaverint, & præcepta mea non obſervaverint; viſitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis. Item in Evangelio cata Joannem Dominus dicit: Hæc autem eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Ego te clarificavi (n) in terra: opus (o) perfeci quod dediſti mihi ut faciam. Et nunc tu clarifica me (p) apud te ipſum claritate, quam habui apud te prius quam mundus fieret. Item Paulus ad Coloſſenſes: Qui eſt imago Dei inviſibilis, & primogenitus totius creaturæ. Item illic: Primogenitus à mortuis, ut fieret in omnibus ipſe primatum tenens. Item in Apocalypſi: ego ſum α & ω, initium & finis. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ (q) gratis. Quod idem ſit & ſapientia & virtus Dei, Paulus ad Corinthios prima: Quoniam Judæi ſigna deſiderant (r), & Græci ſapientiam (s) quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum; Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Judæis & Græcis, Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam.

Prov. 8. 22. Heb. 1. 2. Eccle. 24. 5. Pſ. 88. 27. Jo. 17. 3. Coloſſ. 1. 15. verſ. 18. Apoc. 21. 6. 1 Cor. 1. 22.

II. Apud

(a) De ſacramento Chriſti, *Lin.* (b) Priuſquam produceret, *Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 2. *Foſſ. Thu.* (c) Regiones & habitabilia, & fines, *Veron.* (d) Ponebat montes, *Cod.* 1. (e) Nebula texi, *Lam. NC.* 1. 2. *Lin. Bod.* 2, 3, 4. Nube, *Bod.* 1. (f) In altiſſimis, *Bod.* 1. 2. *Lam. Lin. NC.* 1, 2. (g) Circuivi ſola, *Lam. Bod.* 2. 3. *NC.* 1. (h) Primatum tenui, *Bod.* 2. *Lam.* (i) Corda virtute calcavi, *Thu. Corb. Benev. Ver.* (k) In me via vitæ, *Lin.* ſpes vitæ, *Foſſ.* (l) Ponam eum, & excelſum præ regibus terræ, *NC.* 2. (m) Semen ejus, & thronum ejus ſicut dies cœli, *NC.* 2. (n) Clarificavi te ſuper terram, *Lam. NC.* 1. (o) Opere conſummato, *Lin.* quo dediſti mihi, *Foſſ.* (p) Clarifica me pater, *Lin.* (q) Aquæ vivæ gratis, *NC.* 1. 2. *Lam.* (r) Signa petunt, *Lin.* (s) *Sic legunt*, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. *Morell. Tert. In Græco σοφία.* Prudentiam, *Impreſſ. & MSS. Pler.*

1 *Dominus condidit.*] Euſebius & Hieronymus pro ἐκτισατο legendum contendunt ἐκτήσατο, quibus Hebræus textus conſentit. Philo autem Judæus, Ignatius, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Auctori noſtro in hac lectione præivere, Dominoque noſtro verba illa tribuebant; quod Ariani etiam fecere, & nefarii dogmatis ceu certiſſimum præſidium adhibuerunt. Sed eſto, Filium Pater condidit, æterna nimirum generatione. Æterni certe Patris non niſi coævus eſſe poterit Filius.

2 *Ego ex ore altiſſimi.*] Ex laudato à Patribus Siracide contendunt nonnulli, ſcriptum ejus eſſe Canonicum; quod ipſe abnegat præfationis verſu 5. ubi lectoris ſui veniam ſubmiſſe depoſcit. Quæ apud Judæos pietatis & ſapientiæ monita, pro Solomonis dictatis circumferebantur, & à Siracide cum auctariis collecta, apud Helleniſtas non levi in honore erant, ita à noſtro Auctore fuiſſe laudata nemo mirabitur, qui Prophetiam Enochi non minus Apocrypham, à D. Juda pariter citatam meminerit. Non inutiliter monebat pridem Euſebius, hoc ipſum ab aliis Eccleſiæ ſcriptoribus uſurpatum. De Clemente Alexandrino verba faciens, ait ipſum uſum fuiſſe ἀντιλεγομένων γραφῶν μαρτυρίαις, τῆς λεγομένης Σολομῶντος σοφίας, καὶ τῆς Ἰησοῦ τοῦ Σίραχ.

1 *Sapientia*

Prov. 9. 1. II. Apud Salomonem in Paræmiis : [1] Sapientia ædificavit ſibi domum, & ſubdidit (b) columnas ſeptem. Mactavit ſuas (c) hoſtias, miſcuit in cratera (d) vinum ſuum, & paravit ſuam menſam, & miſit ſervos ſuos convocans cum excelſa prædicatione ad craterem, dicens ; Quis eſt inſipiens ? declinet ad me. Et egentibus ſenſu dixit : Venite, edite de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis. Derelinquite ſtultitiam, & quærite prudentiam, & corrigite (e) ſcientiam in intellectu. *An.* 248. *Quod ſapientia Dei Chriſtus, & de ſacramento* (a) *incarnationis ejus, & paſſionis, & calicis, & altaris, & Apoſtolorum qui miſſi prædicaverunt.*

Pſ. 44. 1. III. In Pſalmo 44. [2] eructavit cor meum ſermonem bonum, dico ego opera mea
Pſ. 32. 6. regi. Item in Pſalmo 32. Sermone (f) Dei cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus om-
Iſai. 10. 23. nis virtus eorum. Item apud Eſaiam ; Verbum conſummans & brevians in juſtitia :
Pſ. 106. 20. quoniam ſermonem breviatum faciet Deus in toto orbe terræ. Item in Pſalmo 106.
Joh 1. 1. Miſit ſermonem ſuum (g) & curavit illos. Item in Evangelio cata Joannem : In principio erat ſermo (h), & ſermo erat apud Deum, & Deus erat ſermo. Hic (i) erat in principio apud Deum : omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In illo vita erat (k), & vita erat lux hominum ; & lux lucet in tenebris,
Apoc. 19. 11. & (l) tenebræ illam non comprehenderunt. Item in Apocalypſi : & vidi cœlum apertum, & ecce equus albus : & qui ſedebat ſuper eum, vocabatur fidelis & verus, æquum (m) juſtumque judicans, & præliabatur (n) ; eratque coopertus veſte (o) conſperſa ſanguine, & dicitur nomen ejus Sermo Dei. *Quod Chriſtus idem ſit ſermo Dei.*

Iſai. 59. 1. IV. Apud Eſaiam : Numquid non valet manus Dei ut ſalvos faciat ? aut gravavit aurem ut non exaudiat ? Sed peccata veſtra (p) inter vos & Deum ſeparant, & propter peccata (q) veſtra avertit faciem ſuam à vobis ne miſereatur ; manus (r) enim veſtræ inquinatæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri in peccatis. Labia autem veſtra locuta ſunt facinus, & lingua veſtra injuſtitiam meditatur (s). Nemo loquitur vera, neque eſt judicium verum. Fidunt (t) in vanis, & loquuntur inania, qui parturiunt (u) dolorem,
Iſai. 53. 1. Joh 12. 38. Rom. 10. 18. Iſai 66. 1. Act. 7. 49. Iſ. 26. 11. Iſai. 52. 10. & pariunt facinus. Item illic : Domine quis credidit auditui noſtro ? & brachium Dei cui revelatum eſt ? Item apud eundem ſic dicit dominus : Cœlum mihi Thronus, & terra ſuppedaneum (w) pedum meorum. Quam mihi ſedem (x) ædificabitis ? aut quis locus ad requiem mihi ? omnia enim iſta fecit manus mea. Item apud eundem : Domine Deus, [3] altum eſt brachium tuum, & non ſciebant (y) : cum cognoverint autem, confundentur. Item apud eundem : Revelavit Dominus brachium ſuum, illum ſanctum, in conſpectu omnium gentium ; videbunt omnes gentes, ipſa ſuprema
Iſai. 41. 15. terræ, ſalutem (z) à Deo. Item illic : Ecce feci te ſicut rotas vehiculi triturantis novas [4] in ſerras (aa) formatas ; & triturabis montes, & extenuabis colles, & ſicut lanuginem *Quod Chriſtus idem manus & brachium Dei ſit.*

(a) Concarnationis, *Lin. NC.* 2. *Thu. Bod.* 3. 4. (b) Succidit, *Lam. NC.* 1. (c) Suam hoſtiam, *Thu. Foſſ. Corb.* (d) In cratere vinum, *Lam. Thu. Corb. NC. Bod.* 1. 2. in craterem, *Bod.* 3. (e) Percipite ſcientiam & intelligentiam, *Bod.* 1. 4. (f) *Sic*, *Bod.* 3. *Foſſ. Spir. Remb. Eraſ.* Verbo Dei ſolidati ſunt, *nuperi Impreſſ. & MSS. pleriq.* (g) Verbum ſuum *Bod.* 2. *Lam. NC.* 2. (h) Erat Verbum, *NC.* 1. 2. *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Et ſic deinceps.* (i) Hoc erat, *Lam. NC.* 1. 2. *Lin. Foſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. (k) Vita eſt, *Bod.* 1, 2, 4. *Thu. Foſſ Corb. Ver. Benev. Man.* Quod factum eſt in illo vita erat, *Pam. Rig.* (l) Et tenebræ eum, *Bod.* 1. 4. *Thu. Corb.* (m) Verus & cum juſtitia, *Bod* 1. (n) Sic *Mor. Man.* Præliabantur, *Pam. Rig.* præliator, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voſſ.* 3. *Thu. Corb.* Judicans & præliaturus *Foſſ. Spir. Rem. Eraſ.* (o) Veſtem conſperſam ſanguine, *Thu. Corb.* (p) Peccata noſtra, *Bod.* 3. (q) Propter debita, *Veron.* (r) Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine, *NC.* 2. *Bod.* 3. (s) Injuſtitiam meditabitur, *Thu.* (t) Confidunt in vanis, *Bod.* 1. (u) Qui concipiunt dolorem, *Bod.* 4. (w) Scabellum pedum, *Bod.* 1, 2, 3. *Lam. NC.* 1. (x) Domum ædificabitis, *Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 2. *Foſſ.* (y) Qui autem non cognoverunt confundentur, *Lin.* (z) Salutare Dei, *Bod.* 3. 4. *Quæ ſequuntur deſunt in Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. *Thu. Foſſ. Corb. Benev. Veron. Spir. V. Innom. Remb. Eraſ. Manut.* (aa) In ſerram, *Veron. & Benev.* in ſeres formatas, *Voſſ.* 4. & *MSS.* 2. *Pam.*

1 *Sapientia ædificavit.*] Totum fere octavum caput, quod huic aditum facit, ab Irenæo l. 4. c. 37. Juſtino Martyre adv. Tryph. Tertulliano adv. Herm. Cypriano l. 1. ad Quirin. c. 1. & Origene περὶ Ἀρχ. l. 1. c. 2. Domino noſtro, late & diligenter addicitur : unde merito hoc in contextu Cyprianus, quæ de eadem Dei ſapientia dicuntur, Eccleſiæ ejus myſteriis explicandis adhibet. Quod de *excelſa prædicatione ad craterem* hic habetur, 70. interpretibus acceptum referendum, qui ſcripſerant ὑψηλὸν κήρυγμα ἐπὶ κρατῆρα ; & videntur legiſſe pro עַל גַּפֵּי literis non multum immutatis, & ſono minimum variato עַל גְּבִיעַ Eccleſiam ſeptenario numero denotari, cap. 20. ſuperioris libri dictum eſt. Quod v. Domus & templum Dei Chriſtus ; cap. 15. ejuſdem libri docetur. Reliqua titulus capitis explicat.

2 *Eructavit cor meum.*] Suaviter irrident Ariani Nicænos patres, & ſcriptores noſtri ſeculi Orthodoxos, qui hæc & ſimilia S. literarum loca, ad Domini noſtri divinitatem ſtabiliendam attulere. Sed conſiderare oportebat, à Nicænis patribus hoc imprimis comprobandum incubuiſſe, fidem ab ipſis commendatam in Eccleſia olim fuiſſe receptam ; ſeque eo prorſus modo S. ſcripturas interpretatos, quemadmodum Eccleſiaſtici ſcriptores ante motam controverſiam interpretarentur ; Hunc vero Pſalmum non modo Auctor ad Heb. 1. 8. Irenæus l. 4. c. 66. Juſtinus Martyr adv. Tryph. Orig. in Jo. 1. & Patres fere omnes Meſſiæ tribuunt ; ſed hoc à Judæis ipſis, Chaldæo Paraphraſte, Kimchio, Solom. Jarchi, Aben. Ezra præſtitum. Textum vero hunc de ſermone bono, ad eſſentiale Dei verbum referendum, non tantum hoc in loco Cyprianum, ſed in plurimis Tertullianum intellexiſſe, in comperto eſt. Notandum porro veteres divinum λόγον, *Sermonem* potius quam *verbum* appellaſſe.

3 *Altum eſt brachium.*] D. Hieronymus licet verſionem hanc quæ LXX. reſpondet multum mutaverit ; fatetur in Commentario *locum poſſe intelligi ſuper Judæos qui Chriſtum brachium Domini neſcierunt.* Nec abluit Chaldæus paraphraſtes qui ait יְיָ תְּנַלִּי בִּגְבוּרְתָךְ לְאוֹטְבָא לְדַחֲלְתָךְ לָא יִנְחַת לְסַנְאֵי יְחֵזוֹן רְשִׁיעַיָּא וְיִבְהֲתוּן Certe Chriſtum eſſe brachium Dei, præter Procopium in hunc locum, alioſque conſimiles ; docuerunt Juſtinus Martyr Apol. 2. & adv. Tryph. nec non Tertul. adv. Prax. parag. 71. & 72. & de Reſurrect. c. 59. Manum vero Domini eſſe divinum λόγον teſtem appellamus Chaldæum paraphraſten, qui quod in textu Hebræo habetur יַד יְיָ reddit frequenter מֵימַר דְּיְיָ quibus verbis Deum opt. Max. apud illum ſcriptorem denotari notiſſimum eſt.

4 *In ſerras formatas.*] Certiſſima hæc eſt lectio, & græcæ verſioni conſona, quæ habet ἐποίησά σε ὡς τροχὸς ἅμαξης ἀλοῶντας καινὰς πριστηροειδεῖς. Hujus ſuperſunt veſtigia in MSS. illis qui in *ſeres formatas* habuerunt. Recepta huc uſque lectio, quæ *in ſe retornatas* poſuit, Itali alicujus librarii videtur commentum, qui (quod id genus hominibus ſolenne eſt,) ea appoſuit quæ ipſe magis ſibi viſus eſt intelleXiſſe. Tota autem hæc perioche ; in Spirenſi, Remboldi, Eraſmi & Manutii editionibus deſiderata licet fuerit ; tamen cum in impreſſis aliis compareat, & in MSS. quam plurimis habeatur, & inſuper vulgatam verſionem minime referat, retinenda omnino videtur.

An. 248. ginem pones & ventilabis, & ventus occupabit illos & procella diſperget: tu autem jocundaberis in ſanctis Iſraël, & exultabunt inopes & egeni; quærent enim aquam & non erit, lingua enim eorum à ſiti ſiccabit: ego Dominus Deus, ego exaudiam Deus Iſraël, & non derelinquam eos; ſed aperiam inter montes flumina & in mediis campis fontes, faciam deſertam in nemora aquoſa, & ſitientem terram in aquæductus; ponam in inaquoſam terram, cedrum & buxum & myrtum (a) & cupreſſum & populum; ut videant & cognoſcant & ſciant & credant ſimul, quia manus Domini fecit iſta, & ſanctus Iſraël oſtendit.

Quod idem Angelus & Deus Chriſtus.

V. In Geneſi ad Abraham: Et 1 vocavit eum Angelus Domini de cœlo, & dixit illi: Abraham, Abraham. Ille autem dixit: Ecce ego. Et dixit: Noli imponere manum tuam ſuper puerum, neque feceris illi quidquam. Nunc enim cognovi quoniam times Deum tuum (b), & non pepercisti filio tuo dilectiſſimo (c), propter me. Gen. 22. 11.
Item illic ad Jacob: Et dixit mihi Angelus Domini in ſomnis: Ego ſum Deus quem vidiſti in loco Dei, ubi (d) unxiſti mihi titulum lapideum, & voviſti mihi votum. Gen 31. 13.
Item in Exodo: Deus autem præibat eos, die quidem per columnam nubis, oſtendere (e) illis iter; noctu autem in columna ignis. Et poſtea illic: Promovit autem Angelus Dei, qui præcedebat exercitum filiorum Iſraël. Item illic. Ecce ego præmitto Angelum meum ante faciem tuam ad cuſtodiendum te in itinere, ut te inducat in terram (f) quam tibi præparavi. Obſerva eum (g) & obaudi eum, & ne fueris inobaudiens ei, & 2 non deerit tibi, nomen enim meum in illo eſt. Unde ipſe in Evangelio dicit. Ego veni in nomine patris mei, & non recepiſtis me: cum alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis. Item in Pſalmo 117. Benedictus eſt qui venit in nomine Domini. Item in Malachia (h): Teſtamentum meum fuit cum Levi vitæ & pacis, & dedi (i) illi timorem ut timeret me, à facie nominis mei proficiſci illum. Lex veritatis fuit in ore ejus (k), injuſtitia non eſt inventa in labiis ejus. In pace (l) linguæ corrigens, ambulavit nobiſcum; & multos avertit ab injuſtitia. Quoniam labia ſacerdotis ſervabunt ſcientiam, & legem exquirent ab ore ejus, quoniam Angelus (m) omnipotentis eſt. Exo. 13. 21. Exo. 14. 19. Exo. 23. 20. 1 Cor. 10. 9. Joh. 5. 43. Pſ. 117. 24. Mal. 2. 5.

Quod Deus Chriſtus.

VI. In Geneſi: Dixit autem Deus ad Jacob: exſurge & aſcende (n) in locum Bethel, & habita illic, & fac illic altare 3 illi Deo qui tibi apparuit cum fugeres à facie Eſau fratris tui. Item apud Eſaiam: Sic dicit dominus Deus Sabaoth: Fatigata eſt Ægyptus, & negotiatio Æthiopum, & Sabaim viri alti ad te tranſgredientur, & tui erunt ſervi, & poſt (o) te ambulabunt vincti compedibus; & adorabunt te & in te precabuntur; quoniam in te Deus eſt, & non eſt (p) Deus alius præter te. Tu enim es Deus, & non ſciebamus, Deus Iſraël ſalvator. Confundentur & reverebuntur omnes qui adverſantur tibi, & cadent in confuſionem (q). Item apud eundem: Vox clamantis in deſerto (r): parate viam Domini (s), rectas facite ſemitas Dei noſtri. (t) 4 Omnis rivus implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt omnia tortuoſa (u) in directum, & aſpera in campum (w), & videbitur claritas (x) Domini, & videbit omnis caro ſalutare Dei, quoniam Dominus locutus eſt. Item apud Hieremiam, hic Deus (y) noſter & non deputabitur (z) alius abſque illo; qui invenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Jacob (aa) puero ſuo, & Iſraël dilecto ſibi: poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Item apud Zachariam Deus dicit: Et tranſibunt per mare anguſtum, & percutient in mari fluctus, & arefacient (bb) omnes altitudines fluminum: & confundetur (cc) omnis injuria Aſſyriorum, & ſceptrum Ægypti Iſai. 45. 14. Mat. 3. 3. Baru. 3. 35. Zach. 10. 11.

(a) Myrhum & cupreſſum, *Pam. Rig.* Et ulmum & populum, *NC.* 2. *Bod.* 1. 3. 4. (b) Times Dominum Deum tuum, *Bod.* 1, 2, 3. (c) Filio tuo dilecto, *Bod.* 1. 3. *Ver. Benev.* (d) In loco ubi, *Bod.* 3. (e) oſtendens iliis iter, *Bod.* 2. (f) In terram bonam, *Bod.* 1. (g) Eum ne fueris inobaudiens, *Thu. Foſſ. Corb.* ei, non enim, *Bod.* 1. 4. *Thu. Corb. Spir.* (h) Item in Mal. *Hæc & ſequentia deſiderantur* in *Ben.* & *Ver. Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 1. 2. *V. Inn. MS. R. Thu. Foſſ. Corb.* (i) Dedi illi timere me, *Bod.* 3. (k) Ejus, & injuſtitia, *Bod.* 1. (l) In pace corrigens, *NC.* 2. (m) Angelus domini, *Bod.* 1. 2. 4. (n) deſcende in locum. *Lam. NC.* 1. (o) Et poſtea ambulabunt, *Foſſ.* (p) Et non eſt alius, *Bod.* 1. 3. (q) In confuſione, *Thu. Foſſ.* (r) In eremo, *NC.* 1. *Lam. Bod.* 1. 2. 4. (s) Viam Domino, *Bod.* 3. 4. *Thu. Foſſ. Corb.* (t) Omnis vallis, *NC.* 2. (u) Omnia prava, *NC.* 2. (w) Aſpera in vias planas, *NC.* 2. (x) Omnis claritas, *Bod.* 3, 4. *Foſſ.* (y) Hic eſt Deus meus, *Bod.* 3. (z) Non computabitur, *Lin* (aa) Et dedit Jacob. *Thu.* dilecto ſuo, *Foſſ.* (bb) Et arefient omnes, *NC.* 2 (cc) Confundentur omnes injuriæ, *Foſſ.*

1 *Vocavit eum angelus Domini.*] Suffeciſſe poterat ad vindicandam hanc Auctoris noſtri de Chriſto angelo fœderis ſententiam, locum parallelum novi teſtamenti, nimirum 1 Cor. 10. 9. (pro methodo à me uſurpata) appoſuiſſe. Quis enim contra Dominum ipſum, ejuſve Apoſtolos veteris inſtrumenti interpres audiendus erit? Sed cum Novatores in hoc argumento nihil non ſibi licere crediderint, & audacter doceant, Angelum qui olim Patriarchis & Moſi apparuit, & Jehova fere perpetuo appellatur, creatorum & miniſtrantium ſpirituum ſatellitio annumerandum: unde Socinianorum placitis patentiſſimus aperitur aditus; (quid enim proderit oſtendiſſe, Dominum noſtrum, Deum & Jehova, in S. ſcripturis dici, ſi hoc pariter angelis quibuſcunque legationem aliquam Dei vice obeuntibus tribuatur?) non pigebit dixiſſe, dogma hoc ab Univerſæ primitivæ Eccleſiæ ſententia & fide omnino abhorrere. Quod Chriſtus ceu angelus fœderis ἦν ὁ Μωσεῖ καὶ τῷ Αβραὰμ, καὶ τοῖς ἄλλοις ἁπλῶς Πατριάρχαις φανεὶς καὶ ὁμιλήσας, per multas paginas diligentiſſime probat Juſtinus in Dial. adv. Tryph. atque etiam in Apol. 2. Similiter diſputat Irenæus l. 3. c. 6. & l. 4. c. 17. & 26. Clem. Alex. Pædag. l. 1. c. 7. Tertul. adv. Jud. c. 9. & cont. Marcion. l. 2. c. 27. & cont. Prax. c. 16. Origen. in Eſ. Hom. 1. Porro in eadem verſabantur ſententia qui ſecuti ſunt Patres, Euſeb. hiſt. Eccl. l. 1. c. 2. Baſil. adv. Eunom. l. 2. & l. 4. Athan. l. 4. cont. Arian. Hilar. de Trinit. l. 4. & l. 12. Greg. Naz. orat. 35. & 49. Ambros. in Ep. ad Coloſſ. c. 1. v. 15. & in 1. Theſ. c. 4. v. 16. Auguſtin. Ep. 112. Synodus Antioch. & Syrm. apud Athan.

2 *Non deerit.*] LXX. habent, ὑποστείληται, præ timore dimittet tutelam. Tert. *celabit*, præ timore ſubducet ſe.

3 *Illi Deo.*] LXX. poſuerunt τῷ θεῷ τῷ ὀφθέντι, quam emphaſin minime prætermittendam duxit Auctor noſter. Locum pariter allegat Juſtin. adv. Tryph.

4 *Omnis Rivus.*] Heb. נחל non modo vallem, ſed & rivum ſignificat: ſed Eſaias hic loci alia voce, ſcil. גיא utitur. In lectione vero omnes fere codices conſentiunt.

3 *Nomine*

Ægypti auferetur (a), & confortabo eos in Domino Deo ipſorum, & in 1 nomine ejus gloriabuntur, dicit Dominus. Item apud Oſee dicit dominus: Non faciam juxta iram indignationis meæ, non ſinam deleri Ephraim: quoniam Deus ego ſum, & non homo in te (b) ſanctus, & non introibo (c) in civitatem, poſt Deum ibo. Item in Pſalmo 44. Thronus tuus Deus in ſecula ſeculorum; virga æquitatis, virga regni tui. Dilexiſti juſtitiam & odiſti (d) iniquitatem (e); propterea unxit te Deus Deus tuus, oleo exultationis (f) ſuper participes tuos. Item in Pſalmo 45. Vacate & cognoſcite, quoniam ego ſum Deus. Exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. Item in Pſalmo 81. Non cognoverunt (g) neque intellexerunt, in umbra deambulabunt (h). Item in Pſalmo 67. Cantate Deo, pſallite nomini ejus, viam facite ei qui aſcendit in occaſum, Deus nomen illi (i). Item in Evangelio cata Joannem: In principio erat (k) ſermo, & ſermo erat apud Deum, & Deus erat ſermo. Item in eodem dominus ad Thomam: Injice huc digitum tuum, & vide manus meas, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis: Reſpondit Thomas & dixit illi: dominus meus & Deus meus. Dicit illi Jeſus, quia vidiſti (l) me, credidiſti: Felices qui non viderunt & crediderunt. Item Paulus ad Romanos: Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus cognatiſque (m) meis ſecundum carnem; qui ſunt Iſraelitæ, quorum adoptio & claritas, & teſtamentum, & legis conſtitutio, & famulatus, & promiſſiones; quorum patres (n), ex quibus Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia 2 Deus benedictus in ſecula. Item in Apocalypſi: Ego ſum (o), α, & ω, initium & finis. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ (p) gratis: qui vicerit (q) 3 poſſidebit ea, & eorum hæreditatem: & ero ejus Deus, & ille erit mihi filius. Item in Pſalmo 81. Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio autem deos diſcernens. Et iterum illic: Ego dixi dii eſtis, & filii altiſſimi omnes: vos autem ſicut homines moriemini. Quod ſi juſti qui fuerint & præceptis divinis obtemperaverint, dii dici poſſunt: quanto magis Chriſtus Deus (r) dei filius? Sic ipſe (s) in Evangelio dicit cata Joannem: Nonne ſcriptum eſt in lege, quoniam ego dixi dii eſtis? Si illos dixit deos (t) ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi ſcriptura; quem pater ſanctificavit & miſit in ſeculum, vos dicitis, quoniam blaſphemas (u), quia dixi filius Dei ſum? Quod (w) ſi non facio facta patris, nolite mihi credere (x); quod ſi facio, & mihi non vultis credere, factis credite; & cognoſcite, quoniam in me eſt pater, & ego in illo. Item in Evangelio cata Matthæum. Et vocabitis nomen ejus Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus.

An. 248.

Oſe. 11. 9.
Pſ. 44. 8.
Heb. 1. 8.
Pſ. 45. 10.
Pſ. 81. 5.
Pſ. 67. 4.
Joh. 1. 1.
Joh. 20. 27.
Rom. 9. 3.
Apoc. 21. 6.
Pſ. 81. 1.
ver. 6.
Joh. 10. 34.
Math. 1. 23.

VII. Apud Eſaiam: Confortamini manus reſolutæ, & genua debilia exhortamini (y): Qui eſtis puſillanimi (z), nolite metuere. Deus noſter judicium retribuet, ipſe veniet & ſalvos faciet nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum audient. Tunc ſaliet claudus ſicut cervus, & plana erit lingua mutorum: quia rupta eſt in deſerto aqua, & rivus in terra ſitienti. Item illic: 4 Non ſenior neque (aa) angelus, ſed ipſe dominus liberabit illos; quia diliget (bb) eos & parcet eis, & ipſe redimet eos. Item illic: ego dominus Deus vocavi te in juſtitia, ut tenearm manum tuam, & confortabo te; & dedi te in teſtamentum generis mei, in lumen gentium, aperire oculos cæcorum, producere à (cc) vinculis vinctos, & de domo carceris ſedentes in tenebris. Ego Dominus Deus (dd) hoc mihi nomen eſt: claritatem meam alii non dabo, neque virtutes meas ſculptilibus. Item in Pſalmo 24. Vias tuas Domine oſtende (ee) mihi, & ſemitas tuas edoce me, & deduc me ad veritatem tuam, & doce me: quoniam tu es Deus ſalvator meus. Unde in Evangelio cata Joannem Dominus dicit: Ego

Quod Chriſtus Deus venturus eſſet illuminator & ſalvator generis humani.

Eſai. 35. 3.
Eſai. 63. 9.
Eſai. 42. 6.
Pſ. 24. 4.
Joh. 8. 12.

(a) Ægypti transferetur, *Bod.* 1. avertetur, *NC. Lam. Bod.* 2. (b) Homo inter ſanctos, *Lamb. Bod.* 2. *Thu. Lin. NC.* 1. (c) Non ibo, *Thu.* (d) Odio habuiſti, *Lin. Thu. Corb.* (e) Injuſtitiam, *Bod.* 1. 4. (f) Lætitiæ præ conſortibus tuis, *NC.* 2. *Bod.* 3. (g) Cognoverunt me neque, *Bod.* 1. (h) Deambulant, *NC.* 1. *Lam.* deambulaverunt, *Lin.* (i) Nomen illi eſt, *Bod.* 1. 4. (k) In principio fuit, *Thu. Foſſ. Corb.* Verbum, *Lam. Bod.* 2, 3, 4 *NC.* 1. 2. (l) Vidiſti credidiſti, *Bod.* 1, 2, 4. Vidiſti me Thoma, *Lin Bod.* 3. Credent, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (m) Fratribus cognatis meis, *Lam. Bod.* 1, 2. *NC.* 1. 2. *Lin. Thu. Corb.* (n) Quorum patres ſunt, *NC.* 1. *Lam.* (o) Ego α, & ω, *Bod.* 1. 2. (p) Aquæ vivæ, *Foſſ.* (q) Qui biberit, *NC.* 1. *Lam.* (r) Chriſtus Dei filius, *Foſſ.* (s) Sic ut ipſe, *Lin. NC.* 1. 2. *Thu. Foſſ. Corb.* (t) Dixit Deos & non poteſt, *Lam. NC.* 1. 2. *Lin. Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Foſſ. Corb.* (u) Blaſphemaris, *Bod.* 1. (w) Sum. Si non facio, *Thu. Foſſ. Corb.* (x) Nolite mihi credere, ſed ſi mihi non vultis credere, *Thu. Foſſ.* (y) Exhortamini, qui eſtis puſillanimi, *Ver. Benev.* (z) Nolite timere, nolite metuere, *Thu. Foſſ.* (aa) Senior, non Angelus, *Lam.* atque *Bod.* 3. (bb) Diligit eos, *Foſſ. Lam.* eos, & ipſe redimet, *Thu. Corb.* (cc) Producere è vinculis, *Bod.* 1. (dd) Deus, claritatem, *Foſſ.* (ee) Notas fac mihi, *NC.* 2.

1 *Nomine ejus gloriabuntur.*] שם ſive nomen, Deum apud Hebræos ſonat. Et ſub hac notatione hic intellectum arbitrari fas erit. Certe LXX. qui *κατακαυχήσονται* poſuerunt, יתהללו non יתהלכו legiſſe certum eſt.

2 *Deus benedictus.*] Locum hunc allegat Irenæus l. 3. c. 18. & diligentiſſime premit Tertul. adv. Prax. parag. 13. & 15. Et merito id quidem, quando ut Proclus *de fide* rectiſſime dicit, *παρέισδυσιν συκοφαντίας ἀποτειχίζει.* & maxime ſolennem formulam contineat, qua in Eccleſia Judaica Deo opt. Max. honos exhibebatur. Interea agnoſcere oportebit, vocem *Deus* in Spirenſi, veteri innominato, Remboldi, & Eraſmi editionibus abeſſe: ſed in ſequentibus habetur, atque etiam in omnibus MSS. quos conſului. Quamobrem defectus iſte jure merito ab Eraſmo librariis imputatur; præſertim cum in Pauli textu Vox illa ubique occurrat. Porro ברוך ex linguæ ſanctæ idiomate, nulla voce addita, Deum ubique ſignificat.

3 *Poſſidebit ea.*] Exemplaria plurima legunt *κληρονομήσει πάντα:* ſed alia, atque illa non contemnenda, habent *κληρονομήσει ταῦτα*, cui lectioni non tantum Auctorem hunc ſed etiam vulgatum interpretem adſtipulari cernimus.

4 *Non ſenior neque angelus.*] Diverſitatis hujus quæ in verſione LXX. & Vulg. atque hac occurrit, ratio petenda eſt, à vario vocis צור ſignificatu; hanc enim defective ſcribi pro ציר putabant LXX. & *πρέσβυς* ſeu *legatus* poſuere. Hos ſequitur Tertul. adv. Marc. l. 4. c. 22. & prophetiam Domino noſtro adſerit. Latina vero verſio vocem *πρέσβυς* in eo ſignificatu accipiebat, quo *ſenem* denotat. Hieronymus autem ſenſu radicis צור *tribulatum* reddit.

An. 248. Ego ſum (a) lumen mundi: qui me ſecutus fuerit, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Item cata Matthæum: Gabriel angelus ad Joſeph: Joſeph fili David, ne metueris (b) aſſumere Mariam (c) uxorem tuam. Quod enim ex illa natum fuerit, de ſpiritu ſancto eſt. Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Hic enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Item cata Lucam: Et Zacharias impletus eſt Spiritu ſancto, & prophetavit dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui proſpexit (d) redemtionem populo ſuo, & excitavit (e) nobis cornu ſalutis in domo David pueri ſui. Item illic: Angelus ad paſtores: ne timueritis: ecce enim adnuncio vobis, quoniam natus eſt vobis hodie ſalvator, qui eſt Jeſus Chriſtus in civitate David. Mat. 1. 20. Luc. 1. 67. Luc. 2. 10.

Quod cum à principio filius Dei fuiſſet, generari denuo haberet ſecundum carnem.

VIII. In Pſalmo 2. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui (f) te. Poſtula (g) à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Item in Evangelio cata Lucam; & factum eſt, (h) ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabet, exultavit infans in utero ejus; & impleta eſt Spiritu ſancto, & exclamavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi contingit ut veniat mater (i) Domini mei ad me? Item Paulus ad Galatas: At ubi advenit impletio (k) temporis, miſit Deus filium ſuum natum de muliere (l). Item in epiſtola Joannis: Omnis ſpiritus, qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, de Deo eſt: qui autem negat in carne veniſſe, de Deo non eſt (m), ſed eſt de antichriſti ſpiritu. Pſ. 2. 7. Act. 13. 33. Luc. 1. 41. Gal. 4. 4. 1 Joh. 4. 2.

Quod hoc futurum eſſet ſignum nativitatis ejus, ut de virgine naſceretur homo & Deus, hominis & Dei filius.

IX. Apud Eſaiam: Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, (n) dicens: Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in altitudinem (o) ſurſum, & in altitudinem deorſum. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo dominum Deum meum. Et dixit: Audite itaque Domus David (p); Non puſillum (q) vobis certamen cum hominibus quoniam Deus 1 præſtat agonem. Propter hoc dabit Deus ipſe vobis ſignum: ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabitis (r) nomen ejus Emmanuel. Butyrum & mel manducabit (s); priuſquam 2 cognoſcat ut præferat mala, commutabit (t) bonum. Hoc ſemen prædixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput diaboli; in Geneſi. Tunc dixit Deus ad ſerpentem: Quia tu hoc feciſti, maledictus tu ab omni (u) genere beſtiarum terræ. Pectore tuo & ventre repes, & erit tibi terra cibus in omnibus diebus vitæ tuæ. Et ponam inimicitiam inter te & mulierem, & inter ſemen (w) ejus: 3 ipſe (x) tuum obſervabit caput, & tu obſervabis calcaneum ejus. Iſa. 7. 10. Gen. 3. 14.

Quod & homo & Deus Chriſtus, ex utroque genere concretus, ut mediator eſſe inter nos & Patrem poſſet.

X. Apud Hieremiam (y), 4 & homo eſt, & quis cognoſcet eum? Item in Numeris: Orietur ſtella ex Jacob, & exſurget homo ex Iſrael. Item illic: 5 Procedet homo de ſemine ejus, & dominabitur multarum gentium, & exaltabitur (z) Gog regnum ipſius, & augebitur regnum ejus, & Deus eduxit eum ex Ægypto (aa), quaſi claritas unicornis (bb) ei, & edet gentes (cc) inimicorum ſuorum, & craſſitudines illorum Hierem. 17. 9. Num. 24. 7.

(a) Ego ſum lux mundi, *Bod.* 3. (b) Ne timueris, *Lam. NC.* 2. *Lin. Bod.* 3. 4. (c) Mariam conjugem, *NC.* 1. 2. *Lam.* (d) Qui fecit redemtionem, *NC.* 2. (e) Suſcitavit, *NC.* 2. (f) Hodie generavi, *Bod.* 4. (g) Poſce à me, *Lin. Bod.* 1. *Thu. Foſſ.* pete, *NC.* 2. (h) Factum eſt quomodo audivit, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb. Ver. Benev.* (i) Ut mater domini, *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb.* (k) Adimpletio, *Thu. Foſſ. Corb.* Plenitudo, *Lin. Bod.* 3. (l) Natum de virgine, *Lin. Bod.* 3. 4. (m) De Deo natus non eſt, ſed eſt Antichriſtus, *Bod.* 3. (n) Achaz pete, *Thu. Foſſ. Corb. Bod.* 1. 1. 4. (o) In altitudine, *Bod.* 1. (p) Itaque domus Jacob. *Lam. Bod* 1, 2, 3, 4. *NC.* 1. *Lin.* (q) Puſillum erit vobis, *NC.* 1. *Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. (r) Et vocabis nomen, *Thu. Foſſ. Corb.* vocabitur, *Bod.* 3. Jeſus, *Bod.* 3. (s) Comedet, *Lin.* (t) *Sic*, *Voſſ.* 3. 4. *Thu. Cor. Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. commutat, *Voſſ.* 3. 4. *Benev.* commutato, *Ver. Impreſſa* ſciat reprobare malum, & eligere bonum. (u) Tu ab omni pecore, & ab, *Lam. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *NC.* 1. *Thu. Foſſ. Corb.* (w) Tuum, & inter ſemen, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foſſ. Corb.* (x) Ipſa tuum obſervabit, *Benev. Ver. NC.* 1. *Lam. Bod.* 2, 3. (y) Hieremiam dicitur, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2, 3, 4. (z) Exaltabitur tanquam Gog. *Bod.* 1, 2, 3, 4. Gigas, *Bod.* 1 (aa) Ægypto gloria ejus, *Bod.* 1. (bb) Unicornis, & edet, *NC.* 1. 2. *Lam. Lin. Thu. Foſſ.* (cc) Carnes inimicorum, *Foſſ.*

1 *Præſtat agonem.*] In LXX. exemplaribus paſſim, & Juſtin. Mart. legitur κυρίῳ παρέχετε ἀγῶνα; ſed etiam olim videtur lectum κύριος παρέχει ἀγῶνα, ſic enim non modo hoc in loco Auctor noſter, ſed & alibi in Epiſtolis, & etiam Irenæus & Tertullianus locum efferunt.

2 *Cognoſcat ut præferat mala, commutabit bonum.*] Lectionem hanc genuinam puto, utpote MSS. fere omnium præſidio munitam, ac etiam Irenæi ſuffragio fultam (qui rariſſime ab Auctore noſtro diſſentit in ſcripturarum recenſione;) & demum ad LXX. mentem propius accedentem. Agnoſco pro *commutabit* apud Iren. l. 3. c. 26. à Feuardentio factum *communicavit*; ſed ipſe fatetur quod in aliis editionibus aliter habetur, & certe in MS. Arundeliano priori modo ſcriptum reperio. Fortaſſis voces à vulgato interprete deſcriptæ, felicius hebræam veritatem exhiberent; ſed non quæritur quid optimum, ſed quid à Cypriano poſitum.

3 *Ipſe tuum obſervabit.*] Vulgata lectio quæ *ipſam* retinet, nullos haberet fautores in erudito hoc ſeculo, ſi non plus valeret partium, quam veritatis, utcunque manifeſtæ, ſtudium. Certe Irenæus ter locum eo prorſus modo, quo auctor noſter, citat; Obſervandum vero in Græcis exemplaribus olim lectum fuiſſe αὐτός σε τηρήσει, licet ipſos ſcripſiſſe τειρήσει minime ſit dubium.

4 *Et homo eſt.*] *Inſcrutabile*, inquit vulg. *deſperate morbidum* alii. In Hebræo habetur ואנש הוא quæ vox ſæpiſſime defective ſcribitur, ut finale hin pro ſuſtentaculo ſit τῷ holem, & hominem ſignificet. Certe Tertullianus ita textum hunc reddidit, *ut oſtenderet* (verbis Hieronymi utor) *quod homo ſit Dominus atque Salvator, ſecundum diſpoſitionem carnis aſſumtæ, nulluſque poſſit nativitatis ejus ſcire myſterium.* Loca ſunt adverſus Judæos. De carne Chriſti. Adv. Marcion l. 3.

5 *Procedet homo de ſemine ejus.*] LXX. habent ἐξελεύσεται ἄνθρωπος ἐκ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ. מים מדלי Aqua de ſitula, proverbiali apud Hebræos locutione hominum à parentibus ortorum derivationem denotat. Unde non tantum hic LXX. vocem מים ἄνθρωπον reddunt: ſed & Targum per מלבא interpretatur. Notari etiam poterit vocem צרע quæ ſequitur, in eo ſignificatu intellectam videri quo brachium refert. κυριεύειν ἐθνῶν πολλῶν, idem prorſus eſt quod Pſ. 88. v. 25. dicitur, ἔχειν ἐν θαλάσσῃ χεῖρα αὐτοῦ, καὶ ἐν ποταμοῖς δεξιὰν αὐτοῦ. Demum advertere licebit, in verbis proxime ſequentibus מאגו tanquam מגוג lectum. ὑψωθήσεται ἡ γὼγ. inquiunt LXX. Imo Symmachus pariter, ὑψωθήσεται ὑπὲρ γὼγ. Ex Ezech. 38. & 39. & Apoc. 20. 8. diſcimus per Gog & Magog (gentes imprimis barbaras) hoſtes Eccleſiæ deſignari: at hic dicitur illas regnum fore Chriſti: quod ex Evangelii prædicatione eventum feliciſſime ſortitum eſt.

1 *Et*

rum emedullabit, & balliſtis ſuis configet (a) inimicum: Recumbens (b) requievit quaſi leo, & quaſi catulus leonis: quis ſuſcitabit eum? qui benedicunt (c) te, benedicti ſunt; & qui maledicunt te, maledicti ſunt. Item apud Eſaiam: Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit (d) me, bene nunciare pauperibus miſit me; curare Iſa. 61. 1. (e) contribulatos corde, prædicare captivis remiſſionem, & cæcis viſum (f), vocare annum Domini acceptabilem, & diem retributionis. Unde in Evangelio Gabriel (g) ad Mariam: Et reſpondens angelus dixit ad (h) illam: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, Luc. 1. 35. & virtus altiſſimi obumbrabit te (i): quapropter (k) qui naſcetur ex te ſanctus, vocabitur filius Dei. Item in epiſtola Pauli ad Corinthios priore: Primus homo de terræ 1 Cor. 15. 47. limo, ſecundus homo de (l) cœlo. Qualis ille de limo, tales & qui de limo: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes: quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo eſt, portemus & imaginem ejus qui de cœlo eſt. *An.* 248.

XI. In Baſileion 2. Et fuit verbum Domini ad Nathan dicens; Vade & dic ſervo meo David; Hæc dicit Dominus; Non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum: ſed erit, cum impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, qui erit de utero tuo, & parabo regnum ejus. Hic ædificabit mihi domum (m) in nomine meo, & erigam thronum ejus uſque in ſeculum. Et ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium; 1 & fidem conſequetur domus ejus, & regnum ejus uſque in ſeculum in conſpectu meo. Item apud Eſaiam: Et exibit (n) virIſa. 11. 1. ga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet (o): & requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & implebit eum ſpiritus timoris Domini (p). Item in Pſalmo 131. JuPſ. 131. 11. ravit Deus ipſi David veritatem, & non reprobavit (q) eam, de fructu ventris tui ponam ſuper thronum tuum (r). Item in Evangelio cata Lucam: Et dixit Angelus ad Luc. 1. 30. illam: Ne timeas Maria, inveniſti enim gratiam ante Deum: Ecce concipies in utero (s), & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur: Et dabit illi Dominus Deus thronum David patris ſui, & regnabit Apoc. 5. 1. (t) ſuper domum Jacob in ſecula (u) & regni ejus non erit finis. Item in Apocalypſi: Et vidi librum in dextera Dei ſedentis ſuper thronum, ſcriptum intus & retro (w), ſignatum ſignis (x) ſeptem; & vidi angelum fortem prædicantem voce magna: Quis dignus eſt accipere librum, & aperire ſigna ejus? Nec quiſquam poterat neque in cœlo, neque ſuper terram (y), neque ſub terra (z) aperire librum, ſed neque perſpicere eum. Et ego flebam multum, quod nemo dignus (aa) repertus eſſet qui aperiret librum, aut videret illum. Et unus ex ſenioribus dixit mihi: Ne fleveris, ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, & (bb) ſolvere ſeptem ſigna ejus. *Quod de ſemine David ſecundum carnem naſci haberet.*

XII. Apud Micheam: Et tu Bethleem domus (cc) Ephrata 2 non exigua es, ut conſtituaris in millibus Juda: ex te mihi procedet, ut (dd) ſit princeps apud Iſrael, & Mat. 2. 1. proceſſiones (ee) ejus à principio à diebus ſeculi. Item in Evangelio: & cum Jeſus natus eſſet in Bethleem Judæ, in (ff) diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt (gg) Hieroſolymam dicentes: ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in oriente, & (hh) venimus adorare illum. *Quod in Bethleem naſceretur.*

Iſa. 53. 1. XIII. Apud Eſaiam: Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini Jo. 12. 38. (ii) cui revelatum eſt? Annunciavimus coram ipſo ſicut pueri, ſicut radix in terra ſiRo. 10. 16. tienti. Non eſt figura ejus neque claritas: & vidimus illum, & non habuit figuram neque ſpeciem; ſed figura ejus ſine honore, & deficiens præter cæteros homines. Homo in plaga poſitus, & ſciens ferre imbecillitatem (kk): quia averſa (ll) eſt facies ejus, inhonoratus eſt, & non eſt computatus (mm). Hic peccata noſtra portat (nn), & pro nobis dolet, (oo) & nos putavimus (pp) illum eſſe in dolore, & in plaga, & in vexatione: ipſe autem vulneratus eſt propter facinora noſtra, & infirmatus eſt propter peccata *Quod humilis in primo adventu ſuo veniret.*

(a) Confringet, *Bod.* 1. conficiet. *Lin.* 2. *Bod.* 3. 4. (b) Recubans, *Bod.* 1, 2, 3. *Lam. Lin. Thu. Foſſ. Cor. NC.* 1. 2. (c) Benedicent, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2, 3, 4. (d) Quod miſit me bonum, *Bod.* 3. (e) Sanare contribulatos, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (f) Cæcis viſum reſtituere, *NC.* 2. (g) Gabriel angelus, *Bod.* 1. (h) Dixit ad Mariam Virginem, *Bod.* 3. 4. (i) Adumbrabit tibi, *Bod.* 2. *Lam. Lin. NC.* 1. 2. (k) Quapropter hoc quod naſcetur ex te ſanctum, *Lam. NC.* 1. 2. *Lin. Bod.* 1. 3. 4. *Thu. Foſſ. Corb.* (l) Secundus de cœlo, *Lam. Lin. NC.* 1. (m) Domum nomine meo, *Thu. Foſſ. Corb. Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2, 3, 4. (n) Exivit, *Corb.* exiet, *Thu.* (o) Radice ejus deſcendens, *Corb.* (p) Timoris Dei, *Thu. Corb.* (q) Et non fruſtrabit, *NC.* 2. reprobravit eum, *Foſſ.* (r) Super Thronum meum, *Rigalt.* (s) In utero tuo, *Bod.* 3. (t) Et regnum, *Foſſ.* (u) In æternum, *Bod.* 3. (w) Scriptum intus & ſecreto, *NC.* 2. foris *Bod.* 1. (x) Sigillis, *Bod.* 1. *Lam. Lin. NC.* 1. (y) In terra, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Lin. NC.* 1. (z) Sub terram, *Bod.* 2, 3, 4. (aa) Nemo dignus in terra, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Lin. NC.* 1. (bb) Et ſeptem, *Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.* (cc) Bethleem domus illius, *Lin. Bod.* 1. 4. *NC.* 2. *Thu. Foſſ. Corb.* nunquid exigua, *Bod.* 1. 3. 4. *Lin. NC.* 2. (dd) Qui ſit princeps, *Foſſ.* (ee) Progreſſiones, *Lam. NC.* 1. (ff) Bethleem in diebus, *Foſſ.* (gg) Advenerunt, *Lam. Bod.* 1. 2. 4. *Lin. NC.* 1. 2. (hh) Et ecce venimus, *NC.* 2. cum muneribus, *Foſſ.* (ii) Brachium Dei, *Thu.* annunciatum eſt, *Lin.* (kk) Ferre infirmitatem, *Lin.* (ll) Quia verſa eſt facies, *Thu.* adverſa, *Foſſ.* (mm) Non eſt commutatus, *Bod.* 1, 2. (nn) Portavit, *Bod.* 1, 2, 3. (oo) Doluit, *Bod.* 1. dolens, *Bod.* 3. (pp) Putabamus, *Corb.*

1 *Et fidem conſequetur.*] πιστώτω αὐτὸν ἐν τῷ ὄικῳ, in LXX. interpretum exemplaribus etiamnum legitur. Credibile vero eſt ipſos ſcripſiſſe ἐπιστώτω, nam in Hebræo eſt העמרתיהו.

2 *Non exigua es.*] Cujus contradictorium profiteri videtur textus Hebræus. Pariter LXX. habent ὀλιγοστὸς εἶ. Sed Auctor noſter ſequitur lectionem D. Matthæi qui ait, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ. Imo vero, ſi R. Tanchum, erudito Judæo, fides; veritatem Hebræam exhibet D. Matthæi lectio. Monet quippe ille, vocem צעיר quæ *parvum* ſonare perhibetur, rem utique pretio magnam denotare.

An. 248. peccata noſtra. Doctrina pacis noſtræ ſuper illum, & livore (a) ejus ſanati ſumus. Omnes, ſicut oves, erravimus, homo à via ſua erravit. Et Deus tradidit illum pro peccatis noſtris, & ipſe propterea quod vexatus eſt, non aperuit os ſuum. Item apud Iſa 50. 6. eundem. Non ſum contumax, neque contradico; dorſum meum poſui ad flagella, Mat. 27. 30 & maxillas meas ad palmas, faciem autem meam (b) non averti à fœditate ſputorum, & fuit Deus (c) auxiliator meus. Item apud eundem: Non clamabit, neque audiet Pſ. 50. 5. quis (d) in plateis vocem ejus: arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumi- Iſa. 42. 3. gans non extinguet, ſed in veritate (e) proferet judicium. Fulgebit & non quaſſabi- Mat. 12. 19. tur quoadusque ponat (f) in terra judicium: & in nomine ejus gentes credent. Item in Pſalmo 21. Ego autem ſum vermis & non homo, maledictum (g) hominis & abje- Pſ. 21. 6. ctio (h) populi. Omnes qui me videbant, deſpiciebant (i) me: & locuti ſunt in labiis (k) & moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum: ſalvum faciat eum, quo- Pſ. 21. 16. niam vult eum: Item illic: Aruit velut (l) teſta virtus mea, & lingua mea (m) adglu- Jo. 19. 28. tinata eſt faucibus meis. Item apud Zachariam. Et oſtendit mihi Dominus 1 Jeſum ſa- Zach. 3. 1. cerdotem illum magnum, ſtantem ante faciem angeli Domini, & diabolus ſtabat ad dexteram ejus adverſari ei. (n) Et Jeſus erat indutus veſtimenta (o) ſordida, & ſtabat (p) ante faciem ipſius angeli, & reſpondit, & ait ad eos qui ſtabant ante faciem ejus, dicens: Auferte (q) veſtimenta ſordida ab eo, & dixit ad eum: Ecce abſtuli iniquitates tuas. Et induite eum poderem (r), & imponite cidarim mundam ſuper caput ejus. Item Paulus ad Philippenſes. Qui in figura Dei conſtitutus, non rapinam arbitratus Phil. 2. 6. eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit (s), formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum (t) factus, & habitu inventus ut homo (u) humiliavit ſe, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt (w) ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne (x) genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur; quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria (y) eſt Dei patris.

Quod ipſe ſit juſtus, quem Judæi occiſuri eſſent.

XIV. In ſapientia Solomonis: Circumveniamus juſtum, quoniam inſuavis (z) eſt Sap. 2. 12. nobis; & contrarius eſt operibus noſtris, & exprobrat (aa) nobis peccata legis. Promittit ſcientiam Dei ſe habere, & filium Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductione (bb) cogitationum noſtrarum, gravis eſt nobis etiam ad videndum: quoniam diſſimilis eſt aliis vita illius, & mutatæ ſunt viæ illius. Tanquam nugaces (cc) æſtimati ſumus ab illo, & continet ſe à viis noſtris quaſi ab immunditiis, & præfert noviſſima juſtorum, & gloriatur patrem (dd) ſe habere Deum. Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſunt, & tentemus quæ ventura ſunt illi. Contumelia & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam (ee) illius, & probemus patientiam illius. Morte turpiſſima condemnemus eum. Hæc cogitaverunt, & erraverunt: excæcavit enim illos malitia ipſorum, & neſcierunt ſacramenta Dei. Item apud Eſaiam; Videte quo modo Iſa. 57. 1. 2 juſtus perit, & nemo intelligit; & viri juſti tolluntur, & nemo recognoſcit. A facie enim injuſtitiæ ſublatus eſt juſtus, & erit in pace (ff) ſepultura ejus. De hoc ipſo in Exodo ante prædictum. Innocentem & juſtum non occides. Item in Evangelio: Exod. 23. 7. Judas pœnitentia (gg) ductus, ſacerdotibus & ſenioribus dixit: Peccavi tradens ſangui- Mat. 27. 3. nem juſtum.

Quod ipſe dictus ſit ovis & agnus qui occidi haberet, & de ſacramento paſſionis.

XV. Apud Eſaiam: Sicut ovis ad victimam ductus eſt, & ſicut agnus coram ton- Iſai. 53. 7. dente (hh) ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum: in humilitate judicium ejus ſublatum eſt; nativitatem (ii) ejus quis enarrabit? Quoniam auferetur à terra vita ejus, à facinoribus populi mei adductus eſt ad mortem, & dabo malos pro ſepultura ejus, & (kk) ipſos divites pro morte ejus: quia facinus non fecit, neque (ll) inſidias ore ſuo. Propterea ipſe conſequetur (mm) multos, & fortium dividet ſpolia: propterea quod tradita eſt ad mortem anima ejus, & inter facinoroſos deputatus eſt. Et ipſe peccata multorum

(a) Livore ejus nos omnes, *Lam. Lin. NC.* 1. (b) Faciem meam, *Bod.* 1. *Thu.* (c) Et fuit Dominus, *Corb.* (d) Audiet quiſquam, *Lam. NC.* 1. 2. (e) In veritatem, *Bod.* 4. (f) Ponatur, *Bod.* 3. (g) Homo, opprobrium, *Lin.* (h) Maledictio, *Bod.* 3. maledictus, *Bod.* 1. plebis, *Lin. Bod.* 3. Abjectio hominum, *Thu. Foſſ. Corb.* (i) Subſannabant me, *Lin. NC.* 2. (k) Suis labiis, *Bod.* 1. (l) Teſta fortitudo, *NC. Lam. Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb.* teſtum, *Ver.* (m) Adhæſit, *Lin. NC.* 2. (n) Adverſari ei cœpit, *Corb. Ver.* (o) Veſte, *Foſſ.* (p) Stabant, *Thu. Corb. Foſſ.* (q) Avertite veſtimenta ejus, *Bod.* 1. (r) Podere, *Lam. NC.* 1. (s) Sed ſe exinanivit, *Lin. Ver. NC.* 1. 2. *Lam. Bod.* 1, 2, 3. (t) Similitudinem hominis, *Lam. Lin. NC.* 1. *Thu. Corb.* (u) Inventus homo, *Thu.* (w) Nomen ut ſit, *Lin. Thu. Corb. Benev. Ver.* (x) Omnes genu flectant, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Thu. Corb.* curvent, *Lin. NC.* 2. *Bod.* 1. 4. *Ver.* (y) Jeſus in gloria Dei patris, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Foſ.* (z) Quoniam inutilis eſt nobis, *NC.* 2. (aa) Et improperat, *Corb. Ver.* (bb) In traductionem cogitationum, *Lam. Lin. NC.* 1. (cc) Nugæ æſtimati *Lam. Bod.* 2. Nugas *NC.* 1 (dd) Patrem Deum, *Bod.* 4. *Corb. Thu. Benev. Ver.* (ee) Reverentiam illius, & morte, *Bod.* 1. 3. (ff) In pace erit memoria, *Bod.* 3. juſtus, in pace erit enim, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 4. (gg) Pœnitentia actus, *NC.* 2. (hh) Tondente, ſine *Bod.* 3. *Thu. Corb.* tondentibus eam, *Foſ.* (ii) Nativitatem autem, *Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 3. 4. *Thu. Foſſ. Corb.* (kk) Et divites, *Bod.* 1. (ll) Neque dolus inventus in ore ejus, *Bod.* 3. Inſidians ore, *Lin.* inſidiatur, *Thu.* inſidias ore ſuo locutus eſt, *Bod.* 4. (mm) Ipſe confitetur multos, *Foſſ.*

1 *Jeſum ſacerdotem.*] Locum hunc Domino noſtro attribuit Juſtin. Martyr in Dial. cum Tryph. nec non Tertullianus adv. Jud. & adv. Marc. l. 3. c. 7. qui ait. *Zacharias in perſona ipſius Chriſti, imo & in ipſius nominis ſacramento, verus ſummus ſacerdos.*

2 *Juſtus perit.*] Hæc ad dominum noſtrum pertinere docent Juſtin. Mart. in Apol. 2. & Dial. cum Tryph. Iren. l. 4. c. 67. Tert. adv. Marc. l. 3. c. 22. Ita pariter Hieron. *Juſtus perit de quo dicit Uxor Pilati, nihil tibi ſit & juſto illi. Qui lotis manibus innocens ſum ego, inquit, à ſanguine juſti hujus.*

1 *Venite*

rum pertulit, & propter facinora illorum traditus est. Item apud Hieremiam: Domine significa (a) mihi & cognoscam, tunc vidi meditationes (b) eorum. Ego sicut agnus sine malitia perductus sum ad victimam; in me cogitaverunt cogitatum dicentes: 1 Venite mittamus lignum in panem (c) ejus, & eradamus (d) à terra vitam ejus, & nomen ejus non erit in memoria (e) amplius. Item in Exodo (f) Deus ad Moysen: Accipiant sibi singuli ovem per domos tribuum (g), ovem sine vitio, perfectum, masculum, anniculum (h) erit vobis. Ab agnis & ab hœdis accipietis, & occident illum omne vulgus (i) synagogæ filiorum Israël ad vesperam; & accipient (k) de sanguine ejus, & ponent super duos postes, & super limen in domibus, in quibus eum (l) edent in ipsis: & edent carnes ipsa nocte assatas igni, & azyma cum picridibus (m) edent. Non edetis de eis crudam, neque coctam in aqua, nisi assatam igni, caput cum pedibus (n) & interaneis; nihil derelinquetis (o) ex eis in mane, & os (p) non confringetis ex eo. Quæ autem relicta fuerint de eo usque in mane, igni crementur. Sic autem comedetis eum: (q) Lumbi vestri præcincti, & caligæ (r) vestræ in pedibus vestris, & bacula (s) vestra in manibus vestris, & edetis eum festinanter, pascha est (t) enim Domini. Item in Apocalypsi: Et vidi in medio throni (u) & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem quasi occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi per orbem terræ. Et venit, & accepit librum de dextera (w) Dei sedentis in throno: Et cum accepisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores prostraverunt se ante agnum, habentes singuli citharas, (x) & pateras aureas plenas odoramentis supplicationum quæ sunt orationes sanctorum, & cantaverunt canticum novum dicentes: Dignus es Domine accipere librum & aperire signa (y) ejus, quoniam occisus es, & redemisti (z) nos sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: & fecisti nos regnum Deo nostro, sacerdotesque fecisti. Et regnabunt super terram. Item in Evangelio; Altera die videt (aa) Joannes Jesum venientem ad se, & ait: Ecce agnus Dei (bb): & ecce qui aufert peccata mundi.

An. 248.

Jer. 11. 18. Exo. 12. 3. Apoc. 5. 6. Joh. 1. 29.

XVI. Apud Esaiam sic dicit Dominus: Ecce ego immitto (cc) in fundamenta Sion lapidem pretiosum, electum (dd), summum, angularem, honoratum; & qui credi- derit in eum, non confundetur. Item in Psalmo 117. Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factus (ee) est iste, & est admirabilis in oculis nostris. Iste est dies (ff) quem fecit Dominus, exultemus & jucundemur (gg) in eo. O Domine salva (hh) igitur; O Domine dirige igitur: benedictus est qui venit in nomine Domini. Item apud Zachariam: Ecce ego adduco puerum meum, Oriens (ii) nomen est ei: quoniam lapis quem dedi ante faciem Jesu, super lapidem ipsum unum septem oculi sunt. Item in Deuteronomio. Et scribes (kk) super lapidem omnem legem hanc, manifeste nimis. Item apud Jesum Nave: 2 & accepit lapidem magnum, & statuit eum illic contra Dominum, & ait Jesus ad populum: ecce lapis iste erit in testimonium, quia (ll) iste audivit omnia quæ dicta sunt à Domino, quanta locutus est (mm) ad vos hodie; & erit ipse vobis in testimonium in novissimo dierum, quando recesseritis à Deo vestro. Item in Actibus Apostolorum Petrus: Principes populi & seniores (nn) Israël audite; 3 ecce nos hodie interrogamur à vobis super benefacto (oo) hominis infirmi in quo iste salvatus est. Sit vobis

Quod idem & lapis dictus sit.

Isa. 28. 16. Pf. 117. 21. Zach. 3. 8. Deut. 27. 8. Jos. 24. 26. Act. 4. 8.

(a) Domine significasti, *NC.* 1. *Lam.* (b) Vidi cogitationes, *Thu.* (c) In pane ejus, *Thu. Foss. Corb. Lam.* (d) Tollamus à terra, *Bod.* 3. ejiciemus, *Lin. Corb.* (e) In memoriam, *Bod.* 1. 4. (f) Exodo dixit, *NC.* 2. (g) Ovem per tribus, *Bod.* 3. (h) Anniculus erit, *Bod.* 1. (i) Omne vulgus filiorum, *Foss.* omnis populus, *Bod.* 3. (k) Et accipient de sanguine, & *Bod.* 1, 2, 3, 4. (l) Quibus comedent, *Lam. NC.* 1. istas, *Thu. Foss. Pla NC.* 2. & carnes ipsas, *Bod.* 1. 3. 4. *Corb.* (m) Amaritudinibus, *Lin. Bod.* 1. 4. *Corb.* (n) Pedibus ejus, *Lam.* intestinis, *Bod.* 3. *NC.* 2. interaneis vero ab illis *Lam. NC.* 1. 2. (o) Derelinquentes, *Thu. Foss.* ex eo, *Lin.* (p) Ossum, *Camb.* ossa, *Affl.* ab eo, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 4. (q) Sint lumbi, *Bod.* 1. (r) Calceamenta, *Lam. Lin. NC.* 1. (s) Baculi vestri, *Corb.* (t) Est domini, *Corb.* (u) Throni quatuor animalia, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. (w) De dextra sedentis, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foss.* (x) Aureas, & pateras, *Lam. Thu. Bod.* 1, 2, 3. *NC.* 1. 2. *Lin.* Phialas aureas, *Bod.* 1. *Corb.* (y) Signacula, *Bod.* 3. *NC.* 2. Dignus es accipere *Lam. NC.* 1. 2. *Lin. Bod.* 1. 2. (z) Redemisti nos Deo, *Thu. Foss. Corb.* emisti, *Ver.* Deo nostro, & sacerdotes, & regnabunt *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2. 4. (aa) Videns Joannes Jesum venientem ad se ait, *Lam. Bod.* 1. 2. *NC.* 2. 4. *Lin.* vidit, *Joan. Foss. Corb.* (bb) Ecce agnus Dei, ecce qui aufert, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Foss.* auferet. *Thu.* (cc) Ego mitto, *Bod.* 1. (dd) Electum, mundum, summum, *Bod.* 2. *Lam. Lin.* (ee) Factum est istud & est mirabile, *Lin. Bod.* 3. (ff) Hæc est dies, *Bod.* 3. (gg) Lætemur, *Bod.* 3. *Lin. NC.* 1. 2. (hh) Salvum fac, bene prosperare, *Lin. NC.* 2. *Bod.* 1. *Corb.* (ii) Ortus nomen est, *Lin. NC.* 2. *Thu. Foss.* (kk) Scribe super, *Bod.* 3. 4. (ll) Quod auditatis omnia, *Foss.* (mm) Locutus est vobis, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (nn) Seniores Israël, ecce, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Foss. Corb.* (oo) Beneficio hoc hominis, *Bod.* 3.

1 *Venite mittamus lignum.*] Alii aliter hunc locum reddunt nimirum, *Destruamus arborem cum fructu ejus*; aut *mittamus lignum in carnem ejus*; hoc est, fustibus coerceamus. Sed maxime literalis is videtur sensus quem LXX. & vulgatus Interpres retinent, & Targum Jonathanis agnoscit נרמי סמא דמותא במיכליה Locum utique laudat Justin. in Dial. cum Tryph. & Tert. adv. Jud. c. 10. Nonnulli ex Rabbinis lignum ipsum designant, & Taxum esse volunt, ex cujus venenato succo, Toxica confecta autumant.

2 *Et accepit lapidem magnum.*] Minime putandus est Auctor noster credidisse lapidem illum fuisse Christum; sed illo lapide fuisse adumbratum eum, qui revera *audivit omnia quæ dicta fuerunt*. Pariter Tertullianus circumcisos ait Israëlitas à Josua, *petrina acie*, *id est Christi præceptis*, *petra enim Christus*. Adv. Marc. l. 3. c. 16. & l. 4. c. 13. Eodem prorsus modo Apostolus, 1 Cor. 10. 4. dicit *omnes bibisse eundem potum spiritualem*, & *bibebant de spiritali consequente eos petra*, *petra autem erat Christus*.

3 *Ecce nos.*] Pro *ei* legisse videtur *idd.*

1 *Ascen-*

An. 248 bis omnibus notum, & omni populo Iſraël; quia in nomine Jeſu Chriſti Nazareni quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit (a) à mortuis, in illo iſte in conſpectu veſtro ſanus adſtat (b), in alio autem nullo. Hic eſt lapis, qui contemtus eſt à vobis ædificantibus (c), qui factus eſt in caput anguli. Non eſt enim nomen aliud ſub cœlo datum hominibus, in quo oportet ſalvari nos. Hic eſt lapis in Geneſi, quem ponit Jacob ad caput ſuum, quia caput viri Chriſtus; & dormiens videt ſcalam ad cœlum pertingentem, in qua conſtitutus erat Dominus, & angeli aſcendebant; quem lapidem conſecravit & unxit, ſacramento (d) unctionis Chriſtum ſignificans. Hic eſt lapis in Exodo, ſuper quem ſedit Moyſes in cacumine collis (e), quando Jeſus Nave contra Amalech (f) dimicavit, & ſacramento lapidis, & ſtabilitate ſeſſionis Amalech ſuperatus eſt ab Jeſu, id eſt, diabolus à Chriſto victus eſt. Hic eſt lapis magnus in Baſileion primo, ſuper quem poſita eſt arca teſtamenti, quando (g) eam ab Allophylis remiſſam & redditam in plauſtro boves reportaverunt. Item hic eſt lapis in Baſileion primo, quo David frontem Goliæ percuſſit & occidit; ſignificans diabolum & ſervos ejus inde proſterni, victos ſcilicet, ea (h) capitis parte, quam ſignatam non habent (i). Quo ſigno nos & tuti ſemper ſumus, & vivimus. Hic eſt lapis, quem cum alienigenas Iſraël viciſſet; ſtatuit Samuel, & appellavit nomen ejus Abenezer, id eſt, lapis auxiliator (k).

Gen. 28. 11.
Exo. 17. 12.
1 Reg. 6. 15.
1 Reg. 17. 49.
1 Reg. 7. 12.

Quod deinde idem lapis mons fieret, & impleret totam terram.

XVII. Apud Danielem: & ecce imago nimis magna, & contemplatio ejus imaginis metuenda & elata ſtabat contra te; cujus caput fuit ex auro bono, pectus & brachia ejus argentea, venter & femora ærea, pedes autem ex parte quidem ferrei, ex parte autem fictiles; quoaduſque abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus concidentium, & percuſſit imaginem ſuper pedes ferreos & fictiles, & comminuit eos minutatim, & fractum (l) eſt ſimul ferrum & teſta, & æramentum & argentum & aurum: & facta ſunt minuta quaſi palea, aut pulvis in area æſtate, & ventilavit illa ventus, ita ut nihil (m) remanſerit ex illis: & lapis qui percuſſit imaginem, factus eſt mons magnus, & implevit totam terram.

Dan. 2. 31.

Quod in noviſſimis temporibus idem mons manifeſtaretur, ſuper quem gentes venirent (n), & in quem juſti quique aſcenderent.

XVIII. Apud Eſaiam (o): erit in noviſſimis temporibus manifeſtus mons Domini, & domus Dei ſuper vertices montium, & exaltabitur ſuper colles, & venient ſuper illum omnes gentes, & ambulabunt multi, & dicent: Venite 1 aſcendamus in montem Domini: & in domum Dei Jacob, & nunciabit nobis viam ejus, & ambulabimus (p) in illa. De Sion enim procedet (q) lex, & verbum Domini ab Hieruſalem; & judicabit inter gentes, & redarguet populum multum, & concident gladios ſuos in aratra, & lanceas ſuas in falces, (r) & jam non diſcent pugnare. Item in Pſalmo 23. Quis aſcendet in montem Domini; aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus & mundo (s) corde, qui non accepit in vano animam ſuam, & non (t) juravit ſubdole proximo ſibi: iſte accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Iſta nativitas (u) eorum qui eum quærunt, qui quærunt faciem Dei Jacob.

Iſa. 2. 2.
Pſ. 23. 3.

Quod ipſe ſit ſponſus Eccleſiam habens ſponſam, de qua filii ſpiritaliter naſcerentur.

XIX. Apud Johel: Canite tuba in Sion, ſanctificate jejunium, & 2 indicite curationem, aggregate (w) populum, ſanctificate Eccleſiam, excipite majores natu, colligite parvulos lactentes; 3 procedat ſponſus de cubili (x) ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo. Item apud Hieremiam; Et auferam de civitatibus Juda, & de quadriviis (y) Hieruſalem, vocem lætantium & vocem gaudentium, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ. Item in Pſalmo 18. Et ipſe velut ſponſus egrediens de thalamo ſuo. Exultavit ut (z) gigas viam currere; à ſummo cœli egreſſio (aa) ejus, & decurſio ejus uſque ad ſummum ejus, & non eſt qui lateat (bb) à calore ejus. Item in Apocalypſi. Veni oſtendam tibi novam nuptam uxorem agni; & duxit me in ſpiritu in montem magnum, & oſtendit mihi civitatem ſanctam Hieruſalem deſcendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei (cc). Item in Evangelio cata Joannem: Vos mihi teſtes eſtis, quoniam dixi eis, qui miſſi ſunt ab Hieroſolymis ad me, quia non ſum Chriſtus, ſed quoniam miſſus

Joel. 2. 15.
Jer. 16. 9.
Pſ. 18. 5.
Apoc. 21. 9.
Joh. 3. 28.

(a) Deus excitavit à mortuis, *Bod.* 1. 3. 4. (b) Sanus aſtitit, *Foſſ.* (c) Qui ædificabitis, *Bod.* 1. *Corb. Vero. Benev.* poſitus eſt in caput, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. 3. 4. (d) Sacramento Chriſtum, *Thu.* (e) Cacumine montis, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2, 3, 4. (f) Amalech dimicabat, *Thu. Corb.* dimicavit ſacramento, *Bod.* 1. (g) Quando ab, *Bod.* 3. (h) Victos eam capitis partem, *Lam. Bod.* 1, 2, 4. victus, *Bod.* 3. *Ver.* (i) Haberet, *Lam. Lin. NC.* 1. (k) Lapis adjutor, *NC.* 2. (l) Et factum eſt ſimul, *Impr.* (m) Remaneret in illis, *Bod.* 1. 2. *Thu.* (n) Gentes convenirent, *Bod.* 3. (o) Eſaiam, & erit, *Bod.* 1. 3. 4. (p) Et ingrediemur. *Lam. Bod.* 2. *Lin.* (q) Prodiet lex, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. (r) In falces, & jam non accipiet gens ſuper gentem gladium, & jam non diſcent, *Ver. Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. diſcent belligerare, *Lin.* (s) Mundus corde, *Lam. NC.* 1. *Thu. Bod.* 2. (t) Nec juravit in dolo, *Lin. NC.* 2. *Bod.* 3. (u) Hæc eſt generatio quærentium, *Lin. NC.* 2. (w) Congregate populum, *Bod.* 1. 3. (x) De cubiculo ſuo, *Bod.* 1. 2. 4. (y) Plateis Jeruſalem, *NC.* 2. (z) Velut gigas, *Bod.* 1. 3. ad currendam viam, *Lam. Lin. Bod.* 1, 2, 3. *NC.* 1. 2. (aa) Cœli protectio, *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb.* proceſſio, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. (bb) Nec eſt qui ſe abſcondet, *Lin. NC.* 1. 2. lateat calorem, *Lam. NC.* 2. *Bod.* 2. 4. (cc) Claritatem item, *Lam.*

1 *Aſcendamus in montem.*] Locum hunc diligenter exſequitur Tertul. adv. Jud. c. 3. & adv. Marc. l. 3. c. 21.

2 *Indicite curationem.*] Θεραπείαν ſive cultum ſolennem, habent LXX. Sed cum illa vox pariter ea officia denotet quæ ægris exhibentur; in hoc ſenſu reddidit Latinus interpres.

3 *Procedat Sponſus.*] Dominum noſtrum ſponſi titulo inſignitum abunde conſtat. Ne vero quis opinetur, temere locum hunc allatum in hujuſce generis negotio, recordari oportebit, prophetiam hanc Act. 2. 19. ab Apoſtolo Meſſiæ aſſertam. Locum Jeremiæ 16. qui ſequitur, eodem modo interpretatur in commentariis D. Hieronymus. Alterum qui ſuccedit Pſal. 18. pariter interpretatur Tertul. adv. Marc. l. 4. c. 11.

1 *Virtutis*

missus sum ante illum. Qui enim habet sponsam, sponsus est. Amicus autem sponsi *An.* 248.
est, qui stat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hujus rei mysterium
Jos. 5. 13. ostensum est apud Jesum Nave, quando jussus est excalceare (a) se, quod scilicet sponsus non ipse esset. Erat enim in lege, ut quisquis (b) nuptias recusaret (c), calceamentum deponeret (d), calcearetur vero ille qui sponsus futurus esset. Et factum est cum (e) esset Jesus in Jerico, circumspexit oculis, & vidit hominem stantem ante faciem suam, & frameam tenentem (f) in manu ejus, & dixit: Noster es, an adversariorum? Ille autem dixit: Ego sum dux 1 virtutis Domini, nunc adveni. Et Jesus cecidit in (g) faciem ad terram, & ait illi: Domine quid imperas famulo (h) tuo? & ait dux virtutis Domini: Solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas
Exod. 3. 2. terra sancta est. Item in Exodo Moyses jubetur calceamentum deponere (i), quod nec ipse sponsus esset. Et apparuit ei Angelus Domini in flamma ignis de rubo, & vidit quoniam rubus arderet igni, rubus autem non cremabatur (k). Et dixit Moyses: Transiens videbo (l) hoc grande visum, cur utique non crematur (m) rubus. Ut vidit autem quoniam accedit videre; vocavit eum Dominus Deus de rubo dicens: Moyses Moyses. (n) Qui dixit, Quid est? & dixit, Ne accesseris huc nisi solveris calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo stas terra sancta est. Et dixit ei, Ego sum Deus patris (o) tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, Deus Jacob. Hoc autem manifestatum est in Evangelio cata Joannem. Et respondit illis Joannes, Ego quidem
Joh. 1. 26. (p) Baptizo in aqua, in medio autem vestrum stat, quem vos nescitis (q), ipse est enim de quo dixi, Post me veniens homo (r) ante me factus est, cujus non sum dignus
Luc. 12. 35. corrigiam calceamenti (s) solvere. Item cata Lucam: Sint lumbi vestri præcincti (t) & lucernæ ardentes (u), & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando veniat (w) à nuptiis; ut cum venerit & pulsaverit, aperiant ei. Beati (x) ser-
Apoc. 19. 6. vi illi, quos adveniens Dominus invenerit vigilantes. Item in Apocalypsi: Regnavit Dominus Deus omnipotens, gaudeamus & exultemus, & demus ei gloriæ (y) claritatem, quoniam venerunt nuptiæ agni; & uxor ejus se præparavit.

Isa. 65. 2. XX. Apud Esaiam: 2 Expandi manus meas tota die ad plebem contumacem, & *Quod crucі illum fixuri essent Judæi.*
contradicentem mihi; qui ambulant vias non bonas (z), sed post peccata sua. Item
Jer. 11. 19. apud Hieremiam: Venite mittamus lignum in panem (aa) ejus, & eradamus (bb) à terra
Deut. 28. vitam ejus. Item in Deuteronomio: Et 3 erit pendens vita tua ante oculos tuos, &
66. timebis die & nocte, & non credes vitæ tuæ. Item in Psalmo 21. 4 Effoderunt ma-
Ps. 21. 18. nus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi autem contemplati sunt, & viderunt me, & diviserunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam sortem miserunt. Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me: in auxilium meum attende. Libera à gladio animam meam, & de manu canis unicam meam. Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium unicam meam. Enarrabo nomen tuum
Ps. 118. 119. fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Item in Psalmo 118. 5 Confige clavis
Ps. 140. 2. de (cc) metu tuo carnes meas. Item in Psalmo 140. Allevatio manuum mearum sacri-
Sopho. 1. 7. ficium vespertinum. De quo sacrificio Sophonias dixit: Metuite à facie Domini Dei,
Zach. 12. quoniam prope est 6 dies ejus: quia apparavit (dd) Dominus sacrificium suum, sanctifi-
10. cavit electos (ee) suos. Item apud Zachariam: Et intuebuntur in me, in quem trans-
Ps. 87. 10. fixerunt. Item in Psalmo 87. Exclamavi ad te Domine tota die, extendi ad te manus

(a) Ut excalcearet se, *Lin.* (b) Ut quicunque, *Voss.* 3. *Lam. NC.* 1. (c) Nuptias excusaret, *Bod.* 1. *Voss.* 2. (d) Excalcearetur, *Bod.* 1. (e) Quando fuit Jesus, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. 4. Jerico in agro, *Foss.* (f) Frameam ferentem, *Thu. Foss. Corb.* (g) Super faciem *Bod.* 1. (h) Imperas servo, *Lam.* (i) Calceamentum solvere, *Bod.* 3. (k) Non concremabatur, *Bod.* 1. comburebatur, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (l) Vado & videbo, *Bod.* 1. (m) Non concrematur, *Bod.* 1. (n) Moyses Moyses, qui dixit quid est, *reliqua desunt in MR.* (o) Deus patrum tuorum, *NC.* 1. (p) Ego vos quidem bap. *Bod.* 1. 3. 4. (q) Vos non nostis, *NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lin.* (r) Homo, & ante me, *NC.* 2. *Bod.* 1. (s) Calceamentorum, *Lam. NC.* 2. *Bod.* 1. 2. (t) Vestri accincti, *Bod.* 1. 3. 4. (u) Ardentes in manibus vestris, *Bod.* 3. (w) Quando revertatur, *Lin. NC.* 2. (x) Felices servi, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 4. (y) Demus ei claritatem, *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.* (z) Qui non ambulant vias meas, *Bod.* 3. (aa) Lignum in pane, *Thu. Corb. Foss.* (bb) Vellamus à terra, *Cod.* 3. (cc) De timore tuo, *Lin.* Elevatio, *Lin.* (dd) Paravit dominus, *Lin. Bod.* 1. 2. 4. *Lam. NC.* 1. 2. *Corb.* (ee) Sanctificavit vocatos, *NC.* 1. 2. *Corb. Ver.*

1 *Virtutis Domini.*] LXX. Legunt δυνάμεως κυρίου: quomodo vocem צבא passim reddunt.

2 *Expandi manus.*] In eandem mentem Justin. Apol. 2. & Dial. cum Tryph. nec non Tert. adv. Judæos. c 13. textum hunc interpretantur.

3 *Erit pendens vita tua.*] Sic locum hunc interpretatur Tert. adv. Jud. c. 11.

4 *Effoderunt manus.*] Psalmus iste ita certo ad Messiam pertinet ut Judæos habeat confitentes; qui tamen ut se expediant duplicem comminiscuntur Messiam, alterum ben Joseph, humilem illum quidem, & hic loci descriptum: alterum ben David, Principem & bellatorem. Quod ad verba hæc attinet, ex iis sunt quæ geminam inter Hebræos sortiuntur lectionem. Et viri eruditi, licet alibi lectioni ab Hebræis receptæ addictissimi, illam dicendi formam quam LXX. sequuntur, quæque כרו vel כארו ὤρυξαν, sive *foderunt* habet; hodiernæ quæ כארי ὡς λέων, sive *sicut leo* exhibet, præferendam censent. Et merito id quidem; non enim Psalmi contextus ex altera lectione ita commode procederet; nec punctatio analogiæ grammaticæ responderet.

5 *Confige clavis.*] LXX. καθήλωσον ἐκ τοῦ φόβου σου τὰς σάρκας μου. Aquila ἦλώθη posuit. Unde hariolari licebit primam scriptionem fuisse καθήλωσεν. Hoc loquendi genere utitur Solomon Eccles. 12. 12. λόγοι σοφῶν, ὡς τὰ βάκτρα, καὶ ὡς ἦλοι πυρωμένοι. vel ut Theodot. ἦλοι πεπηγότες: רסמ Hebræum non tantum *horruit* significat, sed etiam *clavis confixit.*

6 *Dies ejus.*] Diem Domini Messiæ tempora designare satis notum. Vid. Act. 2. 20. Auctor noster pro κλητὸς, ἐκλεκτὸς legisse videtur.

An. 248. nus meas. Item in Numeris: Non quasi homo (a) 1 Deus suspenditur, neque quasi filius hominis minas patitur. Unde (b) in Evangelio Dominus dicit: Sicut Moyses exaltavit serpentem in eremo: ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui crediderit in filium (c) habeat vitam æternam. Num. 23. 19. Joh. 3. 14.

Quod in passione crucis & signo, virtus (d) omnis sit & potestas.

XXI. Apud Abacuc: 2 Texit (e) cœlos virtus ejus, & laudis ejus plena est terra: & splendor ejus ut lux (f), cornua in manibus ejus (g) erunt. Et illic constabilita est virtus gloriæ ejus, & constituit dilectionem validam: ante faciem suam ibit verbum, & procedet (h) in campos secundum gressus (i) suos. Item apud Esaiam: Ecce natus est nobis puer, & datus est nobis filius, cujus 3 Imperium super humeros ejus; & vocatum est nomen ejus, magnæ cogitationis (k) nuncius. Hoc signo crucis & Amalech victus est ab Jesu per Moysen. In Exodo dixit Moyses ad Jesum (l): Elige tibi viros, & exi, & constitue cum Amalech in crastinum (m). Ecce ego stabo in cacumine collis, & virga Dei in manu mea. Et factum est 4 cum levabat manus Moyses, prævalebat Israël. Ubi autem submiserat (n) manus Moyses, invalescebat Amalech: sed manus Moysi erant graves, & accepto lapide suppositerunt sub eo, & sedebat super eum; & Aaron & Ur sustentabant manus ejus hinc & inde, & factæ sunt manus Moysi stabiles usque in occasum solis, & fugavit Jesus Amalech, & omnem populum ejus. Et dixit Dominus ad Moysen: Scribe hoc, ut sit memoria in libro, & da in aures Jesu (o); quoniam deletione deleam memoriam Amalech de sub cœlo. Abac. 3. 3. Isa. 9. 6. Exod. 17. 9.

Quod in hoc signo Crucis salus sit omnibus qui in frontibus notentur (p).

XXII. Apud Ezechielem dicit Deus. 5 Transi mediam Hierusalem, & notabis signum super frontes virorum qui ingemunt & mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipsorum. Item illic: Vadite (q) & cædite, & nolite parcere oculis vestris. Nolite misereri senioris, & juvenis, (r) & virginis; & parvulos, & mulieres interficite, ut perdeleantur. Omnem autem super quem signum scriptum est, ne tetigeritis, & ab ipsis (s) sanctis meis incipite. Item in Exodo Deus ad Moysen: Et erit (t) sanguis in signo vobis super domos, in quibus ibi eritis; & videbo sanguinem, & protegam vos, & non erit in vobis plaga diminutionis, cum percutiam terram Ægypti. Item in Apocalypsi. Et vidi, & ecce agnum stantem in monte (u) Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, & habebant nomen ejus, & nomen patris ejus scriptum in frontibus suis. Item illic: Ego sum α & ω, primus & novissimus, initium & finis. Felices eos qui faciunt præcepta ejus, ut sit potestas eorum 6 super lignum (w) vitæ. Ez. 9. 4. Exod. 12. 13. Apoc. 14. 1. Apoc. 22. 13.

Quod medio die in passione ejus tenebræ futuræ essent.

XXIII. Apud Amos: Et erit in illo die, dicit Dominus, 7 occidet sol meridie, & obtenebrabitur dies lucis; & convertam dies festos vestros in luctum, & omnia cantica vestra in lamentationem. Item apud Hieremiam: Exterrita est quæ parit, & tæduit (x) anima ejus. Subiit sol ei, cum adhuc medius dies esset, confusa est & maledicta; reliquos eorum in gladio (y) dabo, in conspectu inimicorum eorum. Item in Amos 8. 9. Jer. 15. 9.

(a) Homo suspenditur, *Foss. Corb.* Filius homine patitur, *Lin.* (b) Deinde in Evangelio, *NC.* 2. (c) Crediderit in eum, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2. (d) Signo virtutis, *Lin.* virtus sit & potestas, *NC.* 2. *Bod.* 1. 3. 4. (e) Operuit cœlos, *Bod.* 3. (f) Ut lux erit, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (g) Manibus ejus sunt, *Bod.* 1, 3. (h) Exibit in campos, *Bod.* 2. 3. (i) Secundum greges, *Lin. Bod.* 4. (k) Magni consilii nuncius, *Bod.* 3. (l) Ad Jesum Nave, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (m) Crastino, *Corb.* & ego stabo, *Bod.* 1. 2. (n) Submiserat invalescebat, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Foss. Corb.* (o) Aures ejus, quoniam, *Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 1. 2. *Foss.* (p) Frontibus notantur, *Bod.* 3. (q) Vadite, cædite, *Bod.* 1, 2, 3, 4. nolite, *Bod.* 3. (r) Senioribus & juvenibus, virginibus & parvulis, *Bod.* 1. *Corb.* seniores & *Bod.* 2. (s) Ab ipsis sicut à sanctis, *Bod.* 3. (t) Is sanguis, *Bod.* 2. in signum, *Lin. Bod.* 1. 3. (u) In montem, *Bod.* 1. 2. 3. 4. (w) Super lignum, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Benev.* (x) Tædiavit anima, *NC.* 2. *Bod.* 2. (y) In gladium dabo, *Bod.* 1. 2.

1 *Deus suspenditur.*] LXX. ἐκ ὡς ἄνθρωπος ὁ θεὸς διαρτηθῆναι. Quod Scholiastes Græcus non incommode interpretatur. Διαρτηθῆναι, τὰτ' ἐξι σαλευθῆναι. τὰ γὰρ κρεμάμενα σαλεύονται.

2 *Texit cœlos virtus ejus.*] Locus iste apparatum omnem traditæ olim legis describit, cujus mediator fœderis angelus, sive dominus noster. Tertul. l. 4. adv. Marc. c. 22. transfigurationem dominicam verbis illis exhiberi contendit; quæ quidem passionis secuturæ adumbratio, teste D. Luca. c. 9. 33. Notetur verba illa *& illic constabilita est virtus gloriæ ejus, & constituit dilectionem validam*, esse duas versiones ejusdem textus, hebræi nimirum, ושם חכיון עזרה quæ ex homonymia Linguæ istius natæ. Talis in sequenti voce דכר quæ *verbum* & *pestem* sonat, occurrit; & proxima שרף quæ *terram torridam*, & *prunam ardentem* denotat.

3 *Imperium super humeros.*] Tert. adv. Jud. c. 10. *Quis omnino regum insigne potestatis suæ humero præfert, aut non in capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliquam propriæ vestis notam? sed solus novus rex seculorum Christus Jesus, novæ gloriæ & potestatem & sublimitatem suam in humero extulit, crucem scilicet.*

4 *Cum levabat manus.*] Tert. adv. Jud. c. 10. & adv. Marc. l. 3. c. 18. *Jam vero Moses quid utique tunc tantum, cum Jesus adversus Amalec prœliabatur, extensis manibus orabat residens, quando in rebus tam attonitis, magis utique genibus positis, & manibus cædentibus pectus, & facie humi volutata, orationem commendare debuisset? nisi quia illic ubi nomen Jesu dimicabat, dimicaturi quandoque adversus Diabolum, crucis habitus quoque esset necessarius, per quam Jesus victoriam esset relaturus.* Ita Justin. Mart. dial. cum Tryph.

5 *Transi mediam Hierusalem.*] In eandem mentem Tert. adv. Jud. c. 11. & adv. Marc. l. 3. De his & sequentibus inquit Pamelius. *Loci diligenter adnotandi contra nostri temporis sugillatores, imo inimicos Christi.* Si qui in signum hoc salutare indignis modis debacchantur, censuram quam merentur ferant, nos non ita Christum didicimus. Interim dicendum, non pro compertis crucis Christi hostibus protenus habendos, qui religiosum cultum cruci non exhibent. Æenei serpentis illi gravissimi hostes, quorum superstitio in causa erat, ut ab Hezechia optimo principe, è medio tolli deberet.

6 *Super lignum vitæ.*] Ut secundus Adam primo certius responderet, quemadmodum alter mortem per lignum orbi intulit, alter vitam dedit. Pariter & orbe post diluvium reparato ὁ Νῶε ἐν ξύλῳ διεσώθη, ἐποχούμενος τοῖς ὕδασι, inquit Justin. Mart. in Dial.

7 *Occidet sol meridie.*] Prophetia hæc ad passionem dominicam refertur, non modo ab Auctore nostro, sed etiam Iren. l. 4. c. 66. Tert. adv. Marc. l. 4. c. 42. Ita locum Jerem. sequentem interpretatur etiam Iren. l. 4. c. 66. Vox *septem*, ab utroque omissa.

1 *Vivifica-*

Mat. 27. 45. in Evangelio: A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper (a) totam terram, uſque ad horam nonam. *An.* 248.

Pſ. 29. 3. Pſ. 15. 10. Pſ. 3. 5. Act. 2. 3. Joh. 10 18. XXIV. In Pſalmo 29. Domine reduxiſti (b) ab inferno animam meam. Item in Pſalmo 15. Non derelinques animam meam apud inferos, neque dabis ſanctum tuum videre corruptionem (c). Item in Pſalmo 3. Ego dormivi, & ſomnum (d) cœpi, & reſurrexi, quoniam Dominus auxiliatus (e) eſt mihi. Item cata Joannem: Nemo aufert animam meam à me, ſed ego à me pono eam; poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam: hoc enim mandatum accepi à patre meo. *Quod à morte non vinceretur, nec apud inferos remanſurus eſſet.*

Of. 6. 2. Exo. 19. 10 Mat. 16. 4. XXV. Apud Oſee 1 Vivificabit (f) nos poſt biduum, die tertio (g) reſurgemus. Item in Exodo: Et dixit Dominus ad Moyſen, deſcende & teſtificare populo, & ſanctifica illos hodie & cras, & 2 lavent veſtem (h) ſuam, & ſint parati in perendinum diem: die enim tertio deſcendet Dominus in montem (i) Sina. Item in Evangelio, Progenies nequam & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur illi niſi (k) ſignum Jonæ prophetæ. Quomodo enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ (l) tribus diebus & tribus noctibus. *Quod ab inferis tertio die reſurgeret.*

Dan. 7. 13. Iſa. 33. 10. Pſ. 109. 1. Mat. 22. 44. Act. 2. 34. Apoc. 1. 12. XXVI. Apud Danielem; Videbam in viſu nocte (m), & ecce in nubibus cœli quaſi filius hominis veniens, venit uſque ad veterem dierum, & ſtetit in conſpectu ejus, & 3 qui aſſiſtebant (n) ei obtulerunt eum: & data eſt ei poteſtas regia, & omnes reges terræ (o) per genus: & omnis claritas ſerviens (p) ei: & poteſtas ejus æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus non corrumpetur. Item apud Eſaiam: Nunc exſurgam, dicit Dominus, nunc clarificabor, nunc exaltabor, nunc videbitis, nunc intelligetis, nunc confundemini: vana erit fortitudo ſpiritus veſtri, igni (q) vos conſumet. Item in Pſalmo 109. Dixit (r) Dominus Domino meo, ſede ad dexteram meam, quoad uſque (s) ponam inimicos tuos ſuppedaneum (t) pedum tuorum: Virgam virtutis tuæ mittet (u) Deus à Sion; & dominaberis in medio inimicorum tuorum. Item in Apocalypſi: Et converſus reſpexi, ut viderem vocem quæ mecum loquebatur; & vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio candelabrorum ſimilem filio hominis veſtitum podere, & erat præcinctus ſupra mamillas (w) zonam auream. Caput autem ejus & capilli erant albi velut lana aut nix; & oculi ejus ut flamma ignis; & pedes ejus ſimiles aurichalco, ſicut de fornace ignis (x); & vox ejus ut ſonus aquarum multarum: & habebat in dextera ſua ſeptem ſtellas, & ex ore ejus gladius utraque (y) parte acutus exibat, & facies ejus ſplendebat (z) ut ſol in virtute ſua. Et cum vidiſſem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus, & impoſuit (aa) ſuper me dexteram ſuam dicens: Noli timere, ego ſum primus & noviſſimus, & vivus qui fueram mortuus: & ecce ſum vivens in ſecula ſeculorum, & habeo claves mortis & inferorum. Item in Evangelio Dominus poſt reſurrectionem (bb) diſcipulis dicit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: ite (cc) ergo, & docete omnes gentes, tingentes (dd) eos in nomine Patris, & Filii, & ſpiritus ſancti, docentes eos obſervare omnia quæcunque præcepi (ee) vobis. *Quod cum reſurrexiſſet acciperet à patre omnem poteſtatem, & poteſtas ejus æterna ſit.*

Mat. 28. 18.

Joh 14 6. Joh. 10. 9. Mat. 13 17. Joh. 3 36. Eph. 2. 17. Rom. 3. 23. XXVII. In Evangelio: Ego ſum via & veritas & vita: nemo venit ad patrem niſi per me. Item illic: Ego ſum oſtium (gg); per me ſi quis (hh) introierit, ſalvabitur. Item illic: Multi prophetæ & juſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt, & audire quæ auditis & non audierunt. Item illic: Qui credit in filium, habet vitam æternam: Qui dicto (ii) non audiens eſt in filium, non habet vitam: ſed ira Dei manebit ſuper eum: Item Paulus ad Epheſios: Et cum veniſſet, annunciavit vobis pacem his qui longe, & pacem iis qui prope: quia per ipſum habemus acceſſum (kk) ambo in uno ſpiritu ad patrem. Item ad Romanos: Omnes enim peccaverunt, & egent claritate Dei; juſtificantur autem dono ipſius & gratia, per redemtionem quæ eſt in Chriſto Jeſu. Item in Epiſtola Petri Apoſtoli: Chriſtus ſemel pro peccatis (ll) noſtris mortuus *Quod pervenire non poſſit ad Deum patrem, niſi per filium (ff) ejus Jeſum Chriſtum.*

(a) Per totam terram, *Bod.* 1. 2. 4. univerſam, *Bod.* 3. (b) Domine impoſuiſti ab inferno, *NC.* 1. *Lam.* Eduxiſti, *NC.* 2. *Bod.* 1. 2. 4. revocaſti, *Lin.* inferni. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (c) Videre interitum, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (d) Soporatus ſum, *Lin.* quievi, *NC.* 2. ſurrexi, *Bod.* 1. 3. (e) Dominus auxiliator, *Bod.* 2. 3. ſuſcepit me, *Lin. NC.* 2. (f) Vivificavit nos, *Bod.* 1. 3. (g) Die tertio item, *Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4 (h) Veſtimenta ſua, *Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 3. (i) In monte Sina, *Bod.* 1. 3. (k) Niſi Jonæ prophetæ, *Bod.* 1. 4. (l) Deſunt illæ voces, in corde terræ, *Bod.* 1. *Foſſ. Corb.* (m) In viſu noctis, *Bod.* 2. *Foſſ.* (n) Aſſiſtebant obtulerunt, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (o) Terræ & gens omnis, *Foſſ.* ſecundum genus, *Tert.* (p) Serviet, *Lin.* (q) Ignis vos conſumet, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (r) Dicit Dominus, *Lam.* (s) Donec ponam, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. (t) Scabellum, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2. 3. (u) Emittet, *Foſſ.* Deus ex Sion, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. (w) Supra mammas, *Bod.* 1. 3. 4. zona aurea *Foſſ. Corb.* (x) Fornace ignea, *Bod.* 1. 3. 4. *Brev. Ver.* (y) Gladius utrinque acutus, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. 4. (z) Splendida, *Bod.* 1. (aa) Et poſuit, *Bod.* 1. 4. (bb) Reſurrectionem dicit, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (cc) Ite, & docete, *Bod.* 1. (dd) Baptizantes eos, *NC.* 2. *Bod.* 3. (ee) Præcipio vobis, *Bod.* 1. Mandavi, *Lin.* (ff) Niſi per illum, *Lam.* (gg) Janua, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. 3. (hh) Per me qui introierit, *Bod.* 4. *Foſſ.* (ii) Qui in dicto non audiens, *Lam. Foſſ. Corb.* inobediens, *Lin.* 2. *Bod.* 1. 4. (kk) Habemus pacem ambo, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2, 3, 4. (ll) Pro peccatis mortuus, *Bod.* 1. 3. 4.

1 *Vivificabit nos poſt biduum.*] Sic Tert. adv. Jud. c. 14. & adv. Marc. l. 4. c. 43.

2 *Lavent veſtem ſuam.*] Hunc Exodi locum reſpexiſſe videtur, D. Jo. in Apoc. 7. 14.

3 *Qui aſſiſtebant ei obtulerunt eum.*] pro ἐνώπιον αὐτοῦ προσηνέχθη, quæ lectio Chaldææ reſpondet, olim legebatur, οἱ παρεστηκότες προσήγαγον αὐτὸν, ut ex Juſtino in Dial. patet. Porro Tertullianus legit *qui aſſiſtebant adduxerant illum*, adv. Marc. l. 3. c. 9. Unde pro *afferebant*, librarii videntur ſcripſiſſe *offerebant*. In reliquis etiam Auctor noſter, nec non Tertul. lectionem Juſtini Martyris ſequuntur, relictis LXX.

An. 248 mortuus eſt, juſtus pro injuſtis (a), ut nos offerret Deo. Item illic: In hoc enim & mortuis prædicatum eſt, 1 ut ſuſcitentur. Item in Epiſtola Joannis: Qui negat filium, neque patrem habet: qui confitetur filium (b), & filium & patrem habet. 1 Pet. 3. 18. 1 Pet. 4. 6. 1 Joh. 2. 23.

Quod ipſe judex venturus ſit.

XXVIII. Apud Malachiam: 2 Ecce dies Domini venit ardens velut clibanus, eruntque omnes alienigenæ, & omnes iniqui ſtipula, & ſuccendet illos adveniens dies, dicit Dominus. Item in Pſalmo 49. Deus deorum Dominus locutus eſt, & vocavit terram. A ſolis ortu uſque ad occaſum, ex (c) Sion ſpecies decoris ejus. Deus manifeſte (d) veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis ante eum ardebit: & in circuitu ejus procella (e) nimia. Vocavit cœlum ſurſum (f), & terram 3 (g) ut ſeparet populum ſuum. Colligite (h) illi juſtos ejus, eos qui diſponunt (i) teſtamentum ejus in ſacrificiis; & annunciabunt cœli juſtitiam ejus, quoniam Deus judex eſt. Item apud Eſaiam: Dominus (k) Deus virtutum prodibit, & comminuet bellum. Excitabit certamen, & clamabit (l) ſuper inimicos ſuos (m) cum fortitudine. Tacui (n), nunquid ſemper tacebo? Item in Pſalmo 67. Exſurgat Deus, & diſſipentur (o) inimici ejus, & fugiant à facie ejus qui oderunt eum. Sicut (p) deficit fumus, deficiant: Sicut tabeſcit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei, & juſti jucundentur (q) & exultent in conſpectu Dei: & lætentur in jucunditate. Cantate Deo, pſallite (r) nomini ejus, iter (s) facite ei, qui aſcendit in occaſum, Deus nomen illi. 4 Turbabuntur à facie ejus patris (t) orphanorum, & judicis viduarum. Deus in loco ſancto ſuo, Deus qui inhabitare facit unanimes (u) in domo, producens (w) vinctos in virtute, ſimiliter eos qui in iram provocant (x), qui inhabitant in monumentis. Deus dum prodires (y) in conſpectu populi tui in tranſeundo (z) in eremum. Item in Pſalmo 81. Exſurge Deus, judica terram, quoniam tu 5 exterminabis (aa) in omnibus gentibus. Item in Evangelio cata Marcum: Quid nobis & tibi fili David? Quid huc veniſti ante tempus punire nos (bb)? Item cata Joannem: Nihil pater judicat, ſed judicium omne filio dedit, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem: qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui eum miſit. Item in Epiſtola Pauli ad Corinthios ſecunda: Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut reportet (cc) unuſquiſque ſui corporis propria, ſecundum quæ egit, ſive bona ſive mala.

Pſ. 49. 1. Mal. 4. 1. Pſ. 81. 8. Marc. 1. 24. Joh. 5. 22. 2 Cor. 5. 10.

Quod ipſe ſit Rex in æternum regnaturus.

XXIX. Apud Zachariam: Dicite filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi juſtus & ſalvans, mitis ſedens ſuper aſinum (dd) indomitum. Item apud Eſaiam: 6 Quis nunciabit vobis (ee) locum illum æternum? Ambulans in juſtitia, & manus abſtinens à muneribus, gravans aures ut non audiat judicium ſanguinis, & comprimens oculos ſuos ne videat injuſtitiam; hic inhabitabit (ff) in alta ſpelunca petræ fortis. Panis illi dabitur, & aqua ejus fidelis: regem cum claritate videbitis. Item apud Malachiam: Rex magnus ſum ego, dicit Dominus, & nomen meum illuſtre eſt apud gentes. Item in Pſalmo 2. Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum ejus, adnuncians (gg) imperium ipſius. Item in Pſalmo 20. Commemorabuntur (hh) & convertentur ad Dominum omnes termini terræ: & adorabunt in conſpectu tuo omnes patriæ gentium; quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur (ii) omnium gentium. Item in Pſalmo 23.

Zach. 9. 9. Mat. 21. 5. Iſa. 33. 14. Mal. 1. 14. Pſ. 2. 6. Pſ. 21. 29.

Auferte

(a) Juſtus pro iniquis, *NC.* 1. *Lam.* (b) Confitetur filium, & patrem habet, *Bod.* 1. 4. *Foſſ.* (c) A Sion, *Bod.* 1. 2. 4. Species elegantiæ, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (d) Deus manifeſtus, *Bod.* 1. 2. 4. (e) Circuitu ejus tempeſtas valida, *Lin. NC.* 2. *Bod.* 3. (f) Cœlum ſurſum, à terra. *Ben. Ver.* (g) Ut ſepararet populum, *Foſſ. Corb.* (h) Congregate ſanctos, *NC.* 2. (i) Qui ordinaverunt, *NC.* 2. *Lin.* (k) Dominus dicit, Deus virtutum, *Bod.* 2. (l) Exclamabit, *Bod.* 1. (m) Inimicos ejus, *Foſſ.* (n) Tacui quidem, nunquid, *Bod.* 3. (o) Diſpergantur inimici, *Bod.* 1. 4. (p) Quomodo deficit, *Foſſ. Corb. Bod.* 1, 2, 3, 4. quomodo tabeſcit cera, *Bod.* 1, 2, 3, 4. Cera fluet, *Lin. NC.* 2. (q) Juſti epulentur, *Lam. Bod.* 2. 3. *NC.* 2. (r) Pſalmum dicite, *Lin. NC.* 2. jucunditate in Deo, *Bod.* 3. (s) Viam facite ei, *NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Foſſ. Corb.* (t) Patres orphanorum & judices, *Bod.* 1. 3. 4. *Foſſ. Corb.* (u) Unius moris, *Lin.* (w) Qui educit vinctos in fortitudine, *Lin. NC.* 2. (x) Eos qui amaricant, *Corb.* Eos qui inhabitant in monumentis, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2, 3, 4. *Foſſ.* (y) Dum egredereris, *Lin. NC.* 2. (z) Tui dum tranſieris, *Foſſ.* (aa) Tu exhæredabis, *Bod.* 2. *Lam.* Diſperdes, *NC.* 2. (bb) Perdere nos, *Bod.* 3. (cc) Ut recipiat unusquiſque, *Lam. NC.* 1. *Corb.* quæ geſſit ſive bona, *NC.* 1. *Lam.* (dd) Super pullum aſini, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (ee (Quis nunciabit vobis quia ignis ardet? quis nunciabit vobis locum illum æternum, *Lam. Bod.* 2, 3, 4. *Lin. NC.* 1. 2. *Foſſ.* (ff) Hic habitabit, *Bod.* 1. (gg) Montem ſanctum ejus, prædicans præceptum domini, *NC.* 2. *Foſſ.* imperium ejus, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (hh) Reminiſcentur & convertentur, *NC.* 2. (ii) Dominabitur gentium, *Foſſ.*

1 *Ut ſuſcitentur.*] In hac lectione conſentiunt MSS. Codices; rectius diceretur, *ut judicentur.*

2 *Ecce dies Domini venit.*] Hanc Malachiæ prophetiam ſibi aſſerit Dominus Mat. 11. 14. Illum qui ſequitur, Diem Judicii ſpectare monet paraphraſtes Chaldæus, qui Pſalmum 49. reſpicere docet יום דינא רבא diem magni judicii. Cui concinit Auguſt. de Civit. Dei l. 20. c. 24. Similiter Pſ. 67. qui Arcæ fœderis, & illic Divinæ præſentiæ celebrandæ deſtinatur, multo illuſtrius σκήνωσιν illius in carne exequitur, quod monet D. Paulus Ep. 4. 9.

3 *Ut ſeparet.*] LXX. Legunt τῦ διακρίναι. Revera extremum judicium per ſeparationem expedietur, vid. Mat. 25. 32.

4 *Turbabuntur à facie ejus.*] Hæc licet in Græcis exemplaribus compareant; deſiderantur in fontibus Hebræis.

5 *Exterminabis in omnibus gentibus.*] κατακληρονομήσεις: LXX. habent. Qui quid ſibi vendicat, alios poſſeſſione excludit.

6 *Quis nunciabit vobis.*] τὶς ἀναγγελεῖ ὑμῖν. LXX. habent, qui pro יניד יגוד legiſſe videntur. Quod ſequitur de τόπῳ αἰωνίῳ ſeu loco æterno, euphemiſmum Hebræum ſapere videtur. τόπον βασάνης, D. Lucas appellat. Sero erat quando infernus per Tophet & gehennam deſignabatur.

1 *Auferte*

Pſ. 23. 7. 1 Auferte (a) portas principes veſtras, & extollimini portæ æternales, & introibit Rex *An.* 248.
claritatis. Quis eſt iſte Rex (b) claritatis ? Dominus fortis & potens : Dominus fortis
in prælio. Auferte portas principes veſtras, & extollimini portæ æternales, & introi-
bit Rex claritatis. Quis eſt iſte Rex claritatis? Dominus virtutum ipſe eſt Rex clari-
Pſ. 44. 1. tatis. Item in Pſalmo 44. Eructavit cor meum ſermonem (c) bonum, dico (d) ego
opera mea regi. Lingua mea calamus ſcriptoris (e) acute ſcribentis ; decorus (f) ſpecie
ſuper filios hominum. Effuſa (g) eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus
in ſecula (h). Accingere enſe (i) tuo ad femur potentiſſime. Decori & ſpeciei tuæ &
intende, & dirige (k), & regna propter veritatem (l) & manſuetudinem & juſtitiam.
Pſ. 5. 2. Item in Pſalmo 5. Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo Domine, mane
exaudies vocem meam ; mane aſſiſtam (m) tibi, & contemplabor te. Item in Pſalmo
Pſ. 96. 1. 96. Dominus regnavit, exultet terra, jucundentur (n) inſulæ multæ. Item in Pſalmo
Pſ. 44. 11. 44. Aſtitit regina ad dexteram tuam in veſte (o) inaurata, amicta eſt varietate. Audi
filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populi tui, & domus (p) patris tui.
Quoniam deſideravit rex ſpeciem tuam; quia ipſe eſt Dominus (q) Deus tuus : Item in
Pſ. 73. 13. Pſalmo 73. Deus autem Rex noſter ante ſeculum (r), operatus eſt ſalutem in medio
Mat. 2. 1. terræ. Item in Evangelio cata Matthæum : Et cum Jeſus natus eſſet in Bethleem Ju-
dæ in diebus Herodis regis : ecce Magi ab Oriente, venerunt (s) Hieroſolymam di-
centes : ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum ? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente,
Joh. 18 36. & venimus adorare eum. Item cata Joannem dixit Jeſus : Regnum meum non eſt de
iſto ſeculo (t) : ſi de iſto ſeculo eſſet Regnum meum, 2 miniſtri mei turbarentur (u) ne
traderer Judæis : nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit (w) Pilatus : Ergo
Rex es tu ? Reſpondit Jeſus : Tu dicis, quoniam Rex ſum : Ego in hoc natus ſum :
Ego (x) in hoc veni in ſeculum, ut teſtimonium perhibeam (y) veritati. Omnis qui
eſt de veritate, audit vocem meam.

Pſ. 71. 1. XXX. In Pſalmo 71. Deus judicium tuum regi da, & juſtitiam tuam filio regis. *Quod ipſe*
Apo. 19 11. Judicare populum tuum in juſtitia. Item in Apocalypſi : Et vidi cœlum (aa) apertum, (z) *ſit &*
& ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verus (bb), æquum *judex &*
juſtumque judicat, & præliatur. Oculi autem ejus erant tanquam flamma ignis : & *Rex.*
ſuper caput ejus diademata multa : & portabat nomen ſcriptum nemini alii niſi ſibi
(cc) notum. Et erat coopertus veſtem (dd) aſperſam ſanguine, & dicitur nomen ejus
verbum (ee) Dei ; & exercitus qui ſunt in cœlo ſequebantur eum in equis albis, induti
byſſinum (ff) album mundum ; & de ore ejus exibat gladius utrinque (gg) acutus, ut
ex eo percuteret nationes, quas ipſe paſciturus (hh) eſt in virga ferrea, & ipſe calcabit
torcular vini iræ Dei omnipotentis. Habet etiam in veſte & in femore ſuo nomen
Mat. 25. 31. ſcriptum : Rex regum & Dominus dominantium (ii). Item in Evangelio : Cum ve-
nerit filius hominis in claritate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit in throno
claritatis ſuæ, & colligentur ante eum omnes gentes, & ſegregabit illos (kk) ab invi-
cem, quemadmodum paſtor ſegregat oves ab hœdis, & ſtatuet oves ad dexteram
ſuam, hœdos autem ad ſiniſtram (ll). Tunc dicet Rex eis qui ad dexteram ejus erunt :
Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mun-
di : Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare ; ſitivi, & potaſtis (mm) me ; hoſpes
fui, & adduxiſtis (nn) me ; nudus, & texiſtis (oo) me ; infirmus (pp), & viſitaſtis me ;
in carcere fui, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei juſti dicentes : Domine,
quando

(a) Tollite portas principes, *Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 2, 3. elevamini portæ, *Bod.* 1, 2, 3. *Lam. NC.* 1. (b) Æternæ, *Bod.* 4. Rex gloriæ, *Bod.* 1, 2, 3. *Lam. Lin. NC.* 1. 2. claritatis, Dominus fortis in prælio. *Foſſ.* fortis in prælio, item in Pſalmo, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. (c) Cor meum verbum bonum, *Bod.* 2. 3. *Lam. Lin. NC.* 1. 2. (d) Dico opera mea regi, *Bod.* 1. (e) Calamus ſcribæ, *Lam. Bod.* 2. 3. *Lin. NC.* 1. 2. Scribæ velociter, *Lam. Bod.* 2. 3. *Lin. NC.* 1. 2. (f) Specioſus forma præ filiis hominum, *Lin. NC.* 2. (g) Diffuſa eſt gratia, *Bod.* 2. 3. (h) Deus in æternum, *Bod.* 3. (i) Enſem tuum, *Lam. Bod.* 2, 3, 4. gladium, *Lin.* NC. 2. *Bod.* 1. (k) Proſpere inequita, *Bod.* 1. 3. procede, *Lin. NC.* 2. (l) Sanctitatem & juſtitiam, *Lam. Bod.* 1. 4. *NC.* 1. juſtitiam, & docebit te mirabilia dextra tua, *Bod.* 3. (m) Mane aſtabo tibi & videbo, *Lin. NC.* 2. (n) Exultet terra, lætentur, *Bod.* 2. *Lin. NC.* 2. (o) In veſtitu deaurato circumornata & variata, *Lin.* circumamicta varietate, *NC.* 2. circumamicta & variata, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (p) Domum patris, *Corb.* (q) Dominus tuus, *Bod.* 1, 2, 3. (r) Ante ſecula, *Corb.* (s) Advenerunt Hieroſolymam, *Bod.* 1. (t) De hoc mundo, ſi de hoc mundo, *Bod.* 2. *Lam. NC.* 2. (u) Utique decertarent, *Bod.* 3. (w) Dixit autem Pilatus, *Bod.* 1. (x) Natus ſum, & in hoc veni, *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lin. NC.* 1. (y) Teſtimonium dicam, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Corb.* (z) Quod Chriſtus in fine ſeculi judex omnium veniens, bonis præmia, malis ſupplicia pro meritis reſtituet, *Bod.* 3. (aa) Cœlum totum apertum, *Bod.* 4. (bb) Fidelis & verax, *Foſſ.* & juſtus, *Corb.* juſtum judicans, *Lam. NC.* 1. prælior, *Lam. NC.* 1. *Corb.* (cc) Niſi ipſi ſoli, *Foſſ.* (dd) Veſte aſperſa, *Foſſ.* veſte ſparſa, *Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 2. (ee) Sermo Dei. (ff) Byſſino mundo, *Foſſ.* (gg) Gladius ex utraque parte, *Corb.* (hh) Paſturus, *Bod.* 2, 3, 4. (ii) Dominorum, *Bod.* 1. 4. (kk) Segregabit illas, *Corb.* (ll) A ſiniſtris, *Corb.* Dextram ſuam ſunt, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (mm) Dediſtis mihi bibere, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (nn) Suſcepiſtis me, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (oo) Nudus & cooperuiſtis, *Lam. NC.* 1. (pp) Infirmatus, *Ver.*

1 *Auferte portas.*] Lectionem hanc genuinam puto licet Pamelio aliter viſum, nata enim videtur ex græci textus ἄρατε πύλας homonymia, nec à librarii errore potuit contingere. Loca ex Pſalmis quæ hic congeruntur, Domino noſtro vindicare ſuperyacuus eſſet labor ; ſiquidem pleraque à Judæis ipſis Meſſiæ tribuantur. Dominus noſter, Jo. 10. 1. ſeipſum portam profitetur ; atque in hanc mentem Clemens in Epiſt. ad Corinthios, geminum locum Pſ. 118. Ἀνοίξατέ μοι πύλας δικαιοσύνης, interpretatur.

2 *Miniſtri mei turbarentur.*] ἠγωνίζοντο inquit Apoſtolus, in agonia verſarentur : Dominus ſuam Agoniam deſcripturus ait, *nunc anima mea turbata eſt.*

An. 248. quando te vidimus eſurientem, & pavimus? ſitientem, & potavimus? quando autem te vidimus hoſpitem, & adduximus (a)? nudum, & veſtivimus; quando autem te vidimus infirmum (b), & in carcere, & venimus ad te? Et reſpondens (c) Rex dicet eis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni horum ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc dicet illis, qui ad ſiniſtram ejus erunt (d): Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, quem 1 paravit pater meus diabolo & angelis ejus: Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non potaſtis (e) me; hoſpes fui, & non adduxiſtis me; nudus, & non veſtiſtis me; infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis (f) me. Tunc reſpondebunt & ipſi dicentes: Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi? Et reſpondebit illis (g): Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis uni ex minimis his, neque mihi feciſtis: & abibunt iſti in ambuſtionem (h) æternam, juſti autem in vitam æternam.

(*a*) Suſcepimus, *Bod.* 2. abduximus, *Ver.* (*b*) Infirmari, *Bod.* 1. 3. 4. (*c*) Reſpondit Rex & dicit, *Bod.* 1. (*d*) Qui ſunt ad ſiniſtram, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2. (*e*) Dediſtis mihi bibere, *Bod.* 2. potaſtis me, hoſpes fui & non ſuſcepiſtis me, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2. (*f*) Non veniſtis ad me, *Bod.* 3. 4. abduxiſtis, *Ver.* (*g*) Reſpondebit illis Rex dicens, *Lam. NC.* 1. (*h*) In ignem æternum, *NC.* 2.

1 *Paravit pater meus.*] Conſtans eſt Auctor noſter in hac lectione, quemadmodum etiam Irenæus. Illam agnoſcit MS. Cantab. vetuſtiſſimus, ut & alii codices Græci, qui legunt ὁ ἡτοίμασε ὁ πατήρ μου.

D. CÆCILII CYPRIANI

Teſtimoniorum (a) ad Quirinum

[1] LIBER TERTIUS.

PRÆFATIO.

Cyprianus Quirino Filio Salutem.

PRo fide ac devotione (b) tua quam Domino Deo exhibes, fili cariſſime, petiſti ut ad inſtruendum te excerperem de ſcripturis ſanctis quædam capitula ad religioſam ſectæ noſtræ diſciplinam pertinentia: lectionis divinæ ſuccinctam diligentiam quærens, ut animus Deo deditus, non longis aut multis librorum voluminibus fatigetur, ſed eruditus breviario præceptorum cœleſtium, habeat ad fovendam memoriam ſuam ſalubre & grande compendium. Et quia tibi plenum dilectionis obſequium debeo, feci quod petiſti; ut laborarem ſemel, ne tu ſemper laborares. Quantum potuit itaque mediocritas noſtra complecti, collecta ſunt à me quædam præcepta Dominica & magiſteria divina; quæ eſſe (c) facilia & utilia legentibus poſſint, dum in breviarium pauca digeſta, & velociter perleguntur, & frequenter iterantur. Opto te fili cariſſime ſemper bene valere. *An.* 249.

(*a*) De capitulis mandatorum Dei, ad Chriſtianæ Religionis diſciplinam pertinentibus. (*b*) Fide ac dilectione, *Lam. NC.* 1. *Ben.* (*c*) Eſſe & facilia, *NC.* 2. *Bod.* 1.

1 *Liber Tertius.*] Liber hic licet in editione Spirenſi, Veteri innominato, & Remboldi deſideretur; in Eraſmi, quæque ipſum ſecutæ ſunt omnibus, deinceps reperitur. Porro MSS. codices paſſim exhibent. Genuinum eſſe Auctoris noſtri ſcriptum, ſuperius ex Hieronymi, Auguſtini, aliorumque veterum ſuffragiis oſtendimus. Mantiſſæ autem loco addere etiamnum licebit, non modo titulum 54. hujus libri diſertis verbis ab Hieronymo laudatum fuiſſe, ſed etiam titulum quartum ab Auguſtino ſæpius citari, nimirum Retract. l. 2. c. 1. Adv. Pelag. c. 9. De Prædeſt. ſanct. c. 3. Inficias non iverim teſtimonia quædam à librariis interpolata, alia verbis vulgati interpretis deſcripta occurrere; ſed hæc ad libri ipſius ſtatum non pertinent: & omnia fere veterum ſcripta ex æquo tangunt. Rectius dubitari poterit an liber iſte ad Quirinum tertius, vel ſingularis potius, ſuique juris dici debeat. Quæ adverſus Judæos ſuperius habentur teſtimonia; unicum, licet bipartitum, opus conficere videntur: quod argumenti ratio, & Epiſtola præmiſſa ſuadere poterunt. Quinimo diverſi prorſus argumenti quæ ſequuntur teſtimonia, & Epiſtola denuo addita, tractatum hunc novis auſpiciis ſcriptum teſtantur. Unde non male codex Lambethanus, præcedentes libellos pro uno ducit, atque hunc qui ſequitur, non tertium, ſed ſecundum ad Quirinum librum appellat. Sed quandoquidem altera numerandi ratio invaluit, ab eadem minime recedendum ducimus.

CAPI-

CAPITULA LIBRI TERTII.

An. 249. 1. De bono operis (a) & miſericordiæ.
2. In opere & eleemoſynis, etiamſi per mediocritatem minus fiat ipſam (b) voluntatem ſatis eſſe.
3. Agapen & dilectionem fraternam religioſe & firmiter exercendam.
4. In nullo gloriandum quando noſtrum nihil ſit.
5. Humilitatem & quietem in omnibus tenendam.
6. Bonos quoſque (c) & juſtos plus (d) laborare, ſed tolerare debere quia probantur.
7. Non contriſtandum (e) Spiritum ſanctum, quem accepimus.
8. Iracundiam vincendam eſſe, ne cogat delinquere.
9. Invicem ſe fratres ſuſtinere debere.
10. In Deum (f) ſolum fidendum, & in ipſo gloriandum.
11. Eum qui fidem conſecutus eſt, expoſito (g) priore homine, cœleſtia tantum & ſpiritalia cogitare debere, nec attendere ad ſeculum cui jam renunciavit (h).
12. Non jurandum.
13. Non maledicendum.
14. Nunquam muſſitandum, ſed circa omnia quæ accidunt (i) benedicendum Deum.
15. Ad hoc tentari homines à Deo, ut probentur (k).
16. De bono Martyrii.
17. Minora eſſe quæ in ſeculo patimur, quam ſit præmium quod promiſſum eſt.
18. Dilectioni Dei ac Chriſti nihil præponendum.
19. Voluntati non noſtræ, ſed Dei obtemperandum.
20. Fundamentum, & firmamentum ſpei, & fidei eſſe (l) timorem.
21. Non temere de altero judicandum.
22. Accepta injuria (m) remittendum & ignoſcendum.
23. Vicem malis non reddendam.
24. Non poſſe ad patrem (n) perveniri, niſi per Filium ejus Jeſum Chriſtum.
25. Ad regnum Dei niſi baptizatus & renatus quis fuerit, pervenire non poſſe.
26. Parum eſſe baptizari & Euchariſtiam accipere, niſi quis factis & opere proficiat.
27. Baptizatum quoque gratiam perdere, quam conſecutus (o) ſit, niſi innocentiam ſervet.
28. Non poſſe in Eccleſia remitti ei, qui in Deum deliquerit.
29. De odio nominis ante prædictum.
30. Quod quis Deo voverit, cito reddendum.
31. Eum qui non crediderit, jam judicatum eſſe.
32. De bono virginitatis & continentiæ.
33. Nihil patrem judicare, ſed filium; & patrem ab eo non honorificari, à quo non honorificetur (p) filius.
34. Fidelem gentiliter vivere non oportere (q).
35. Deum ad hoc patientem eſſe, ut nos pœniteat (r) peccati noſtri & reformemur.
36. Mulierem ornari ſeculariter non (s) debere.
37. Fidelem non oportere ob alia delicta, niſi ob nomen ſolum puniri.
38. Servum Dei innocentem eſſe debere, ne incidat in pœnam ſecularem.
39 Datum nobis eſſe exemplum vivendi in Chriſto.
40. Non jactanter nec tumultuoſe operandum.
41. Inepte & ſcurriliter (t) non loquendum.
42. Fidem in totum (u) prodeſſe, & tantum nos poſſe, quantum credimus.
43. Poſſe eum ſtatim conſequi qui vere crediderit.
44. Fideles inter ſe diſceptantes, non debere gentilem judicem experiri.
45. Spem futurorum eſſe, & ideo fidelem (w) circa ea quæ promiſſa ſunt, patientem eſſe debere.
46. Mulierem in Eccleſia tacere debere.
47. Delicto & merito noſtro fieri ut laboremus, nec Dei opem in omnibus ſentiamus.
48. Non fœnerandum.
49. Inimicos quoque diligendos.

50. Sa-

(a) Opere miſericordiæ, *Corb. Lam. NC.* 1. (b) Ipſa voluntate. *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. 4. (c) Bonos quoque, *Bod.* 1. 4. (d) Plurimum laborare, *Corb.* (e) Non contriſtare, *Lam. Lin. NC.* 1. (f) Deo ſolo, *Bod.* 1. 2. confidendum, *Corb.* (g) Expoliato primo homine, *Thu.* (h) Renunciavimus, *Bod.* 1. 3. 4. (i) Accidunt ſemper, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (k) Deo ut explorentur, *NC.* 2. *Bod.* 1. 4. (l) Dei, *Bod.* 4. (m) Acceptam injuriam remittendam & ferendam, *Lam. NC.* 2. *Corb.* (n) Non poſſe ad Deum patrem, *Corb.* veniri, *Bod.* 1. 2. 4. *Thu.* niſi per Chriſtum. *Bod.* 1. 2. *Corb. Thu.* (o) Conſecutus eſt, *Thu. Corb.* (p) Honorificetur & filius, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (q) Debere, *Corb.* (r) Pœniteat à peccatis noſtris, *Lam. NC.* 1. (s) Non oportere, *Lam. NC.* 1. (t) Inepte & ſeculariter, *Bod.* 3. (u) Tantum, *NC.* 2. totam, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Corb.* (w) Fidem noſtram, *Impr. Thu. Corb.*

(a) In

50. Sacramentum fidei non esse profanandum. *An.* 249.
51. Quod nemo in opere suo extolli debeat.
52. Credendi vel non credendi libertatem in arbitrio positam.
53. Dei arcana perspici non posse, & idcirco fidem nostram simplicem esse debere.
54. Neminem sine sorde & sine peccato esse.
55. Non hominibus, sed Deo placendum.
56. Deum nihil latere ex his quæ geruntur.
57. Fidelem emendari & reservari.
58. Neminem contristari morte debere, cum sit in vivendo labor & periculum, (a) in moriendo pax & (b) resurgendi securitas.
59. De idolis quæ gentiles deos putant.
60. Ciborum nimiam concupiscentiam non appetendam.
61. Possidendi concupiscentiam & pecuniam non (c) appetendam.
62. Matrimonium cum gentilibus non jungendum.
63. Grave (d) delictum esse fornicationis.
64. Quæ sint carnalia, quæ mortem pariant; & quæ spiritalia, quæ ad vitam ducant (e).
65. Omnia delicta in baptismo deponi.
66. Disciplinam Dei in Ecclesiasticis præceptis observandam.
67. Prædictum, quod disciplinam sanam aspernaturi essent.
68. Recedendum ab eo qui inordinate (f), & contra disciplinam vivat.
69. Non in sapientia mundi, nec in eloquentia esse regnum Dei, sed in fide crucis, & virtute conversationis.
70. Parentibus obsequendum.
71. Patres quoque asperos circa filios esse non oportet (g).
72. Servos cum crediderint, plus dominis carnalibus servire debere.
73. Item dominos mitiores esse debere.
74. Viduas probatas quasque honorandas.
75. Suorum, & maxime fidelium, curam plus unumquemque habere debere.
76. Majorem natu non temere accusandum.
77. Peccantem publice objurgandum.
78. Cum hæreticis non loquendum.
79. Innocentiam (h) fidenter petere, & impetrare.
80. Nihil licere Diabolo in hominem, nisi Deus permiserit.
81. Mercedem (i) mercenario cito reddendam.
82. Non augurandum.
83. Cirrum (k) in capite non habendum.
84. Barbam (l) non vellendam.
85. Surgendum, cum Episcopus aut Presbyter veniat.
86. Schisma non faciendum, etiamsi in una fide, & in eadem traditione permaneat qui recedit.
87. Fideles, simplices cum prudentia esse debere.
88. Fratrem non circumveniendum.
89. Subito venire finem mundi.
90. Uxorem à viro non recedere, aut si recesserit innuptam manere (m).
91. Tantum unumquemque tentari, quantum potest sustinere.
92. Non quidquid licet esse faciendum.
93. Prædictum quod hæreses futuræ essent.
94. Cum timore & honore Eucharistiam accipiendam.
95. Bonis conveniendum (n), malos autem vitandos.
96. Factis non verbis operandum (o).
97. Et ad fidem & ad consecutionem properandum (p).
98. Catechumenum peccare jam (q) non debere.
99. Judicium secundum tempora futurum, vel æquitatis ante legem, vel legis post Moysen.
100. Gratiam Dei gratuitam esse debere.
101. Spiritum sanctum in igne frequenter (r) apparuisse.
102. Correptionem bonos quosque (s) libenter audire debere.
103. A multiloquentia temperandum.
104. Non mentiendum.
105. Frequenter emendandos qui delinquunt in domestico ministerio.

106. Injuria

(a) In moriendo autem, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Corb.* (b) In resurgendo securitas, *Bod.* 2. (c) Admittendam, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (d) Gravius, *Bod.* 1. 2. 3. 4 fornicari, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (e) Ducant sempiternam, *Lin.* (f) Inordinate & absque disciplina, *Lin.* inordinate vadit, *Corb.* contra disciplinam Dei, *Lam. NC.* 1. (g) Non oportere, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. 4. (h) Innocentem fideliter, *NC.* 1. (i) Mercedes, *&c. Lin.* (k) Cirrum non habendum, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb.* (l) Pilum, *Bod.* 1. (m) Innuptam remanere, *Voss.* innuptam permanere, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (n) Convivendum, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Thu. Bod.* 1, 2, 3, 4. (o) Obtemperandum, *Bod.* 1. (p) Properandum esse, *Voss.* 2. (q) Peccare non debere, *Lam. Lin. NC.* 1. (r) In igne semper, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (s) Quoque, *Bod.* 2. 3. 4.

An. 249. 106. Injuria accepta patientiam (a) tenendam, & ultionem Deo relinquendam.
107. Non detrahendum.
108. Non esse proximo insidiandum.
109. Infirmos visitandos.
110. Susurrones (b) maledictos esse.
111. Sacrificia malorum acceptabilia non esse.
112. Gravius judicari de his qui in seculo plus habuerunt potestatis.
113. Viduam (c) & pupillos protegi oportere.
114. Dum in carne est quis, exomologesin facere debere.
115. Adulationem pernicioſam esse.
116. Plus ab eo diligi Deum, cui in baptismo plura peccata dimittuntur.
117. Fortem congressionem esse adversus diabolum, & ideo fortiter nos stare debere, ut possimus vincere.
118. De antichristo quod in homine (d) veniat.
119. Grave fuisse jugum legis, quod à nobis (e) abjectum est: & leve esse jugum Domini, quod à nobis susceptum est.
120. Orationibus insistendum.

(*a*) Patientiam esse, *Lam. NC.* 1. (*b*) Susurrones & bilingues, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Corb.* (*c*) Viduas *Bod.* 1. (*d*) In hominem veniet, *Corb.* (*e*) Susceptum non, *Corb.*

D. CÆCILII CYPRIANI

Teſtimoniorum Liber Tertius

AD QUIRINUM.

CAPUT PRIMUM.

Iſa. 58. 1. APud Eſaiam : Exclama , (b) inquit , in fortitudine & noli parcere ; ſicut tuba exalta vocem tuam , adnuncia plebi (c) meæ peccata ipſorum , & domui Jacob facinora eorum. Me de die in diem quærunt , & cognoſcere vias meas concupiſcunt , quaſi plebs quæ juſtitiam fecerit , & judicium (d) Dei non (e) deſeruerit. Poſtulant (f) me nunc judicium juſtum , & appropinquare Deo concupiſcunt dicentes : Quid (g) quia jejunavimus , & non vidiſti ; humiliavimus animas noſtras , & (h) non cognoviſti ? In diebus enim (i) jejunii inveniuntur (k) voluntates veſtræ : 2 aut enim ſubjectos vobis ſubpungitis , aut ad judicia & lites jejunatis , aut proximos cæditis pugnis ; ut quid mihi jejunatis , ut hodie audiatur vox veſtra in clamore ? Non hoc jejunium (l) ego elegi , (m) niſi humiliet homo animam ſuam. Et ſi contorſeris quaſi circulum collum tuum , & ſaccum & cinerem ſubſtraveris , (n) nec ſic vocabitur jejunium acceptum. Non tale jejunium elegi , dicit Dominus : ſed ſolve omnem nodum injuſtitiæ , reſolve ſuffocationes impotentium commerciorum. Dimitte quaſſatos in requiem , & omnem conſignationem (o) injuſtam diſſipa. Frange eſurienti panem tuum , & egenos ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum , veſti (p) : & domeſticos ſeminis tui non deſpicies. Tunc erumpet temporaneum lumen tuum , 3 & veſtimenta tua cito orientur. Et præibit ante te juſtitia , & claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis , & Deus exaudiet te. Dum adhuc loqueris dicet : ecce adJob. 29. 12. ſum (q). De hoc ipſo apud Job. Conſervavi egenum de manu potentis , & pupillo cui non erat adjutor , auxiliatus ſum. Os viduæ benedixit me , cum eſſem oculus cæTob. 2. 2. corum , pes quoque claudorum ego eſſem , & invalidorum pater. De hoc ipſo apud Tobiam : Et (r) dixi Tobiæ filio meo : Vade & adduc quemcunque pauperem inveneris ex fratribus noſtris , qui tamen (s) in mente habeat Deum ex toto corde ſuo ;
Tob. 4. 6 (t) hunc adduc , & manducabit pariter (u) meum prandium hoc : Ecce 4 ſuſtineo te fili donec venias. Item illic : Omnibus diebus vitæ tuæ , fili Deum in mente habe , & noli præterire præcepta ejus. Juſtitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ , & noli ambulare viam (w) iniquitatis : quoniam agente te ex veritate , erit reſpectus operum tuorum. Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam , & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita fiet ut nec à te avertatur facies Dei. Quomodo (x) habueris fili , ſic fac. Si tibi fuerit copioſa ſubſtantia , plus ex illa fac eleemoſynam : ſi exiguum habueris , ex hoc ipſo exiguo communica. Et ne timueris , cum facis eleemoſynam , præmium bonum reponis tibi in diem neceſſitatis : quoniam eleemoſyna à morte liberat , & non patitur ire in tenebras. Munus bonum eſt eleemoſyna (y) , omnibus qui faciunt eam co-
Pro. 19 17. ram ſummo Deo. De hoc ipſo apud Solomonem in Parœmiis. Qui (z) pauperum
Pro. 28. 27. miſeretur , Deo fœnerat. Item illic : Qui dat pauperibus nunquam indigebit. Qui autem

1 *An.* 249.

(a) *De bono operis & miſericordiæ.*

(a) De bono opere & miſericordia, *Lam. NC.* 1. *Corb.* (b) Exclama in fortitudine, *Voſſ.* 2. (c) Plebi tuæ, *Voſſ.* 2. (d) Judicium non , *Voſſ.* 4. (e) Dereliquerit, *Lin.* (f) Poſtulant quidem, *Bod.* 3. poſtulant à me, *Bod.* 1. 2. *Lam. NC.* 1. 2. *Voſſ.* 2. (g) Ut quid jejunavimus, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (h) Et neſciſti , *Lin.* (i) Jejuniorum veſtrorum , *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (k) Voluptates , *Lin. Thu. Corb.* (l) Quod ego elegi, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Voſſ.* 3. *Cott.* (m) Sed humiliare hominem, *Cott.* jejunium dicit dominus, per diem humiliare hominem animam ſuam, tametſi contorſeris quaſi circulum, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Cott. Voſſ.* 3. (n) Nec ſic hoc , *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. hoc non ſic , *Cott.* (o) Conſignationem injuſtitiæ , *NC.* 1. (p) Veſti eum , *Cott.* (q) Adſum prope , *Cott.* (r) Dixit Tobias filio ſuo, *Lam. NC.* 2. *Bod.* 1. 2. *Voſſ.* 4. (s) Qui tamen habet Dominum in toto corde ſuo , *Lam. NC.* 1. (t) Huc adduc , *Corb.* (u) Pariter mecum , *Thu. Corb. Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. *Voſſ.* 2. (w) In viam , *Voſſ.* 2. (x) Quomodo & habueris , *Bod.* 2. *Voſſ.* 2. *Thu. Lam.* (y) Eleemoſyna , omnibus facientibus , *Corb.* (z) *Sic Lam. Voſſ.* 3. pauperi , *Impr.* Deum fœnerat , *Thu. Corb.*

1 *An.* 249.] Librum hunc novis omnino auſpiciis, & tamen ante perſecutionem conſcriptum ; anno 249. quo exeunte , perſecutio intentabatur , aſſignandum duximus. Sed ne à reliquis teſtimoniorum libris divelleretur ; tractatui de Habitu virginum , quem ante Epiſcopatum ſcriptum putamus, inverſo aliquantum temporis ordine, præmiſimus.

2 *Aut enim ſubjectos vobis ſubpungitis.*] Tertullianus pariter per disjunctivam particulam legit , *aut ad lites jejunatis.* Unde utrique legiſſe videntur, ἢ γὰρ τὺς ὑποχειρίυς ὑμῶν ὑποτύσσετε, ἢ εἰς κρίσεις, &c.

3 *Et veſtimenta tua.*] τὰ ἱμάτιά σου, LXX. *Sanitas tua citius orietur*, Vulgatus interpres. Noſter legiſſe videtur τὰ ἰμάτιά σου. Imo & Tertullianus ſimiliter legit.

4 *Suſtineo te.*] Opperior, expecto.

Can. 249. autem avertit oculum (a) ſuum, in (b) multa penuria erit. Item illic: (c) 1 Eleemoſynis & fide (d) peccata purgantur. Item illic: Si eſurierit inimicus tuus (e) ciba eum, & ſi ſitierit (f) pota eum: hoc enim faciens, carbones (g) vivos ſuperfundes (h) in caput ejus. Item illic: Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum. Apud eundem in Parœmiis: ne dixeris, (i) abi & revertere, cras ego dabo, cum poſſis continuo bene facere: non enim ſcis quid contingat ſequenti die. Item illic: Qui obturat aures (k) ſuas ne audiat (l) imbecillum; & ipſe invocabit Deum; & non erit qui exaudiat eum. Item illic: Qui converſatur ſine vituperatione (m) in juſtitia, beatos filios (n) relinquit. Apud eundem in Eccleſiaſtico: Fili ſi habes, bene fac tecum, & Deo dignas oblationes (o) offer, memorare quoniam mors non tardat. Item illic: Conclude eleemoſynam 2 in corde pauperis, & hæc pro te (p) orabit ab omni malo. De hoc ipſo in Pſalmo 36. miſericordiam (q) & poſteris prodeſſe: (r) Junior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem. Tota die miſeretur (s) & fœnerat, & ſemen ejus in benedictione (t) eſt. De hoc ipſo in Pſalmo 40. (u) Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die malo liberabit illum Deus. Item in Pſalmo 111. (w) Diſtribuit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manebit in ſeculum ſeculi. De hoc ipſo apud Oſee: Miſericordiam (x) volo 3 magis quam ſacrificium, & agnitionem Dei (y) pluſquam holocauſtomata. De hoc ipſo in Evangelio cata Matthæum: Beati (z) qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quia ipſi ſaturabuntur. Item illic: (aa) Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Item illic: Theſaurizate vobis theſauros in cœlo, ubi neque tinea, neque comeſtura (bb) exterminat, & ubi fures non effodiunt, (cc) & furantur. Ubi enim fuerit theſaurus tuus, illic erit & cor tuum. Item illic: Simile eſt regnum cœlorum homini negotianti, quærenti bonas margaritas: ubi autem invenit (dd) pretioſam margaritam, abiit & vendidit omnia quæ habuit, (ee) & emit illam. Etiam modicum opus prodeſſe. Item illic: Et qui (ff) potaverit unum ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli; amen dico vobis, non (gg) peribit merces ejus. Nemini negandam eleemoſynam. Item illic: Omni (hh) poſcenti te da: & ab eo qui voluerit mutuari, (ii) ne averſatus fueris. Item illic: ſi vis (kk) ad vitam venire ſerva mandata. Dicit ille, quæ? Dicit illi Jeſus. Non occides, non mœchaberis, (ll) non falſum teſtimonium dices. Honora patrem & matrem, & diliges proximum (mm) tibi tanquam te. Dicit illi juvenis: 4 Omnia iſta obſervavi; quid adhuc mihi deeſt? dicit illi Jeſus: Si vis perfectus eſſe, vade & vende (nn) omnia tua, & da (oo) pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni ſequere me. Item illic: Cum venerit filius hominis in majeſtate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit (pp) in throno claritatis ſuæ, & (qq) colligentur ante eum omnes (rr) gentes. Et (ss) ſegregabit illos ab invicem, quemadmodum paſtor ſegregat oves ab hœdis. Et ſtatuet oves (tt) ad dexteram ſuam, hœdos autem (uu) ad ſiniſtram. Tunc dicet rex eis qui ad dexteram ſuam ſunt: Venite benedicti patris mei, (ww) percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & (xx) potaſtis me; hoſpes fui, & (yy) adduxiſtis me; nudus, & (zz) texiſtis me; (aaa) infirmatus ſum, & viſitaſtis;

Pro. 16. 7. Pro. 25. 21. Eccl. 3. 33. Pro. 3. 28. Pro. 21. 13. Pro. 20. 7. Eccl. 14. 11. Eccl. 29. 15. Pſ. 36. 26. Pſ. 40. 1. Pſ. 111. 8. Oſ. 6. 6. Mat. 5. 6. Mat. 6. 20. Mat. 13. 45. Mat. 10. 42. Mat. 5. 42. Mat. 19. 17. Mat. 25. 31.

(a) Oculum in multa, *Bod.* 1. 2 4. *Lam. Thu. Corb.* (b) In magna inopia, *NC.* 2. (c) Eleemoſyna, *Bod.* 1. *Voſſ.* 2. (d) Delicta purgantur, *Bod.* 1, 2, 3. (e) Paſce, *Liv. Bod.* 1. 4. *Thu. Voſſ.* 2. (f) *Sic Voſſ.* 3. *Bod.* 2. potabis, *Impr.* (g) Carbones ignis, *NC.* 2. *Cott.* (h) Capiti, *Lam. Lin. Bod.* 1. 2. *Thu. Voſſ.* 2. ſuperponet capiti, *Corb. Cott.* (i) Vade & revertere, *Cott.* cras dabo tibi, *Lam. NC.* 1. 2. (k) Aures ne audiat, *Bod.* 1. 3. *Voſſ.* 2. (l) Infirmum, *Cott.* (m) Vituperatione juſtitiæ, *Cott.* (n) Relinquet, *Cott. Voſſ.* 2. (o) Oblationes offeres, *NC.* 1. 2. *Cott. Lam. Voſs.* 2. (p) Te exorabit, *Corb. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Thu. Voſſ.* 2. (q) Miſericordiam fac, & poteris prodeſſe, *Corb.* (r) Juvenior fui, & ſenui, & nunquam, *Cott. Corb.* (s) Miſeretur & commodat, *Bod.* 1. 2. 4. *Voſſ.* 2. (t) Benedictione erit, *Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 4. *Cott.* (u) Felix qui, *Bod.* 4. *Thu. Corb.* (w) Diſperſit, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 4. *Cott. Voſſ.* 2. *Thu. Corb.* (x) Miſericordiam mâlo quam, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2. 4. *Thu. Corb.* (y) Dei quam, *Lam. Lin. NC.* 1. *Thu. Corb. Cott.* (z) Beati eſurientes & ſitientes, *Voſs.* 2. *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb.* (aa) Felices miſericordes, *Bod.* 4. *Thu.* (bb) Comeſtura demolitur, *Cott.* (cc) Effodiunt. Ubi, *Lin. NC.* 2. *Thu. Bod.* 1. 4. *Voſſ.* 4. nec furantur, *infra, de opere, & Eleem.* (dd) Bonam margaritam, *Cott.* (ee) Ad emendam illam, *Lin.* (ff) Dederit uni, *Cott.* tantum in nomine meo, *Cott.* (gg) Non perdet mercedem, *Cott.* (hh) Petenti da, *Cott.* (ii) Ne averteris te, *Bod.* 3. *Voſſ.* 4. (kk) In vitam, *Cott.* (ll) Non mœchaberis, non furtum facies, non falſum, *Cott.* (mm) Proximum tuum tanquam teipſum, *Cott.* proximum tanquam, *Thu.* (nn) Vende bona, *Bod.* 1. 2. 4. omnia bona, *Cott. Voſſ.* 2. (oo) Egenis, *Lam. Lin. NC.* 1. *Thu. Voſſ.* 2. (pp) In claritate ſua, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb.* ſuper ſedem majeſtatis, *Cott.* (qq) Congregabuntur ante, *Cott.* (rr) Omnes gentes terræ, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (ss) Et ſeparabit, *Cott.* (tt) Oves quidem à dextris, *Cott.* (uu) A ſiniſtris, *Cott.* (ww) Poſſidete paratum, *Cott.* (xx) Dediſtis mihi potum, *Lin.* mihi bibere, *Cott.* (yy) Et collegiſtis, *Cott.* (zz) Operuiſtis, *Cott.* (aaa) Infirmus, *Corb. Voſſ.* 2. *ſic ſupra lib.* 2. *Voſſ.* 2.

1 *Eleemoſynis & fide.*] Exemplaria LXX. quæ Proverbiorum librum ſatis perturbate exhibent, verba hæc interponunt loco alieno, nimirum. cap. 15. v. 29. ſed olim capite 6. comparuiſſe hinc ſuadetur, quandoquidem in verſione Syriaca & Arabica habentur.

2 *In corde pauperis.*] ἐν ταμείοις σου, legunt LXX. pro quo lectum videtur, ἐν καρδίᾳ πτωχῦ.

3 *Magis quam ſacrificium.*] Pro ὑ θυσιαν, Noſter legiſſe videtur ἢ θυσιαν. Quam lectionem agnoſcunt plurima LXX. exemplaria. Prior vero lectio Hebræo textui conſona, Mat. 9. 13. & 12. 7. perpetuo retinetur.

4 *Omnia iſta obſervavi.*] Quæ in ſacro textu ſequuntur, *à juventute mea* prætermiſit Auctor. Obſervet vero lector loca hæc ipſa pariter congeſta in libro *de opere & Eleemoſyna*; quæ iis quæ diximus ſupra, pag. 13. de Cypriani methodo in laudandis S. ſcripturis, prorſus reſpondent. Imo & librum hunc eidem aſſerunt.

taſtis; in carcere fui, & (a) veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei juſti dicentes: Do- *An.* 249.
mine quando te vidimus eſurientem, & pavimus; ſitientem, & potavimus? Quando
te vidimus hoſpitem, & (b) adduximus; nudum, & veſtivimus? Quando autem te vi-
dimus (c) infirmum, & in carcere; & venimus ad te? Et reſpondens rex dicet eis:
Amen dico vobis quam diu feciſtis uni horum ex fratribus meis minimis, & mihi fe-
ciſtis. Tunc dicet illis, qui (d) à ſiniſtris ejus ſunt: Diſcedite à me maledicti in ( ) ig-
nem æternum, (f) quem præparavit pater meus diabolo & angelis ejus. Eſurivi enim,
& non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non potaſtis me; hoſpes fui, & non ad-
duxiſtis me; nudus fui, & non veſtiſtis me; infirmus, & in carcere, & non (g) viſi-
taſtis me. Tunc reſpondebunt & ipſi dicentes: Domine quando te vidimus eſurien-
tem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non
(h) miniſtravimus tibi? (i) Et reſpondebit illis: Amen dico vobis, quamdiu non fe-
ciſtis (k) uni ex minimis his, neque mihi feciſtis. Et abibunt iſti in ambuſtionem
Luc. 12. 33. æternam, juſti autem in vitam æternam. De hoc ipſo in Evangelio cata Lucam:
Luc. 11. 40. (l) Res veſtras vendite, & date eleemoſynam. Item illic: qui fecit quod eſt intus,
fecit & quod foris eſt. (m) Veruntamen date eleemoſynam, & ecce vobis omnia ſunt
Luc. 19. 8. munda. Item illic: Ecce dimidium ex ſubſtantia mea do egenis; & ſi cui quid
(n) fraudavi, quadruplum (o) reddo. Dixit autem Jeſus, quia ſalus hodie domui huic
facta eſt, quoniam & ipſe filius eſt Abrahæ. De hoc ipſo Paulus (p) ad Corinthios
2 Cor. 8. 14. ſecunda: Veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat; ut & illorum abundantia veſtræ
inopiæ ſit ſupplementum, ut ſit æqualitas, ſicut ſcriptum eſt: Qui multum habuit,
non abundavit: & qui modicum, non (q) indiguit. Item illic: Qui parce ſeminat,
2 Cor. 9. 6. parce & metet; & qui ſeminat in (r) benedictione, de benedictione & metet (s). U-
nuſquiſque autem ſicut corde propoſuit; non quaſi ex triſtitia, vel ex neceſſitate: hi-
2 Cor. 9. 9. larem enim datorem diligit Deus. Item illic: Sicut ſcriptum eſt: diſtribuit, dedit
pauperibus: juſtitia ejus manet in æternum. Item illic: Qui (t) autem adminiſtrat ſe-
men ſeminanti, & panem ad edendum præſtabit: Et multiplicabit (u) ſemen veſtrum,
& augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ, 1 ut in omnibus locupletemini. Item
2 Cor. 9. 12. illic: Adminiſtratio hujus officii non tantum ſupplevit ea quæ ſanctis deſunt; ſed
(w) abundavit per (x) multam gratiarum actionem in Deum. De hoc ipſo in epiſtola
1 Joh. 3. 17. Joannis: Qui habuerit ſubſtantiam (y) mundi, & viderit fratrem ſuum deſiderantem (z),
& clauſerit viſcera ſua (aa) ab eo; quomodo (bb) caritas Dei (cc) manet in illo? De hoc
Luc. 14. 12. ipſo in Evangelio cata Lucam: Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare (dd) ami-
cos tuos, neque fratres, neque vicinos, 2 neque divites, ne forte & illi reinvitent
te, & fiat tibi retributio. Sed cum facis epulum, voca (ee) pauperes, debiles, cæcos
& claudos, & (ff) beatus eris: quoniam non habent retribuere tibi, (gg) retribuetur
autem tibi in reſurrectione juſtorum.

2 Cor. 8. 12. II. In epiſtola Pauli ad Corinthios ſecunda: Si voluntas promta eſt, (hh) ſecundum quodcunque habuerit, (ii) acceptabile eſt, non ſecundum quod (kk) non habuerit: (ll) neque ſit aliis refrigerium, vobis autem preſſura. *In obere & eleemoſynis, etiamſi per mediocritatem minus fiat, ipſum voluntatem ſatis eſſe.*

Mal. 2. 10. III. Apud Malachiam: Nonne Deus unus condidit nos? Nonne pater unus eſt om-
nium (nn) noſtrum? Quid (oo) utique dereliquiſtis unuſquiſque fratrem ſuum? De
Joh. 14. 27. hoc ipſo cata Joannem: Pacem (pp) vobis remitto, pacem meam do vobis. Item il-
Joh. 15. 12. lic: Hoc eſt mandatum meum ut diligatis invicem, quemadmodum dilexi vos. Ma-
jorem hac caritatem nemo habet, quam ut animam ſuam quis ponat pro amicis ſuis.
Mat. 5. 9. Item in Evangelio Matthæi: (qq) Beati pacifici, quoniam ipſi filii Dei vocabuntur.
Mat. 18. 19. Item illic: Amen dico vobis, quoniam ſi (rr) duobus ex vobis convenerit (ss) in terra,
de

(mm) *Agapen & dilectionem fraternam religioſe & firmiter exercendam.*

(a) Viſitaſtis me, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Lin. NC.* 1. (b) Collegimus. (c) Infirmari, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb. Sic ſupra lib.* 2. *Cott.* (d) Ad ſiniſtram, *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb. Cott. Voſſ.* 2. (e) In ſupplicium æternum, *Cott.* (f) Quem paravit, *Bod.* 1. *ſic ſupra.* (g) Veniſtis ad me, *Lin.* (h) Adminiſtravimus, *Bod.* 1. 4. *Thu. ſic ſupra Voſs.* 2. (i) Tunc reſpondebit, *Lam. NC.* 1. *Corb.* (k) Minimis meis, *Corb.* (l) Vendite quæ poſſidetis, *Lin.* (m) Verum date, *Bod.* 1. 3. 4. vobis munda omnia, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (n) Defraudavi, *Lin.* (o) Reddam, *Lam. NC.* 1. *Corb.* (p) *Sic NC.* 1. 2. *Corb. Impreſſa omittunt.* (q) Non indigebit, *Corb.* non minoravit, *Bod.* 1. *Voſſ.* 2. (r) In benedictionem, *Thu.* (s) Metet vitam æternam, *Lam. NC.* 1. *Cott.* (t) Qui adminiſtrat, *Lam. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *NC.* 1. 2. *Thu. Corb.* (u) Seminationem veſtram, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Benev. Voſs.* 2. (w) Sed & abundavit, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. abundabit, *Bod.* 2. *Thu. Voſs.* 4. (x) Per multarum, *Lam. NC.* 1. *Cot. Voſſ.* 2. (y) Hujus mundi, *Lam. NC.* 1. *Cott.* (z) Deſiderantem aliquid, *Lam. Bod.* 2. *Ver.* (aa) Viſcera ſua quomodo, *Bod.* 1, 3, 4. *Voſſ.* 2. (bb) Agape Dei, *Benev.* (cc) Manebit in illo, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (dd) Neque cognatos tuos, neque vicinos, *Cott.* (ee) Voca mendicos, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb. Cott. Voſſ.* 2. (ff) Felix eris, *Bod.* 1. 4 *Thu. Ver. Voſſ.* 2. (gg) Reſtituetur autem, *NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu.* (hh) Ipſa voluntate quod habuerit. *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. ſecundum quod unuſquiſque, *Corb. Voſſ.* 2. (ii) Acceptabilis, *NC.* 2. (kk) Quod non habuit, *Lam.* (ll) Ut ſit aliis refrigerium, *Corb. Bod.* 1. 2. ut aliis refrigerium, vobis preſſura ſit, *Thu.* (mm) Caritatem, *Lam. NC.* 2. *Bod.* 1. *Voſſ* 2. (nn) Omnium? Quid, *Corb.* (oo) Deſpicit unuſquiſque, *NC.* 2. *Corb.* (pp) Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo, *Cott.* (qq) Felices, *Bod.* 1. 2. 4. *Lam. Thu.* (rr) Duo ex vobis convenerint, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. 3. (ss) Super terram, *Cott.*

1 *Ut in omnibus locupletemini.*] Sic aliqui Græci codices legunt. ἵνα ἐν πᾶσι.

2 *Neque divites.*] Quam lectionem MSS. exemplaria Græca tuentur, quæ habent μηδὲ τοὺς πλουσίους. Et quidem quæ ex adverſa parte ſequuntur, nimirum pauperum, debilium, cæcorum & claudorum diſtincta mentio, lectioni huic favere videntur.

An. 249. de omni re quamcunque petieritis, continget vobis à patre meo qui in cœlis est. Ubicunque enim fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum. De hoc ipso Paulus ad Corinthios prima: Et ego quidem fratres non potui vobis loqui quasi 1 Cor. 3. 1. spiritalibus, sed quasi carnalibus; quasi (a) infantibus in Christo (b) lac vobis potum dedi, non (c) escam; (d) 1 dum enim adhuc pusilli eratis, non poteratis, sed neque nunc potestis: adhuc enim estis carnales. Ubi enim in vobis (e) æmulatio & contentio & dissensiones, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? Item illic: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil (f) sum. Et si in cibos (g) distribuero omnia mea, & si tradidero corpus 1 Cor 13 2. meum (h) ut ardeam, (i) caritatem autem non habeam, (k) nihil proficio. 2 Caritas magnanima est, (l) caritas benigna est, caritas non æmulatur, caritas non agit perperam, 3 non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super injustitiam, conlætatur autem in veritate. Omnia diligit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet (m). Caritas nunquam excidet. De hoc ipso ad Galatas: diliges proxi- Galat. 5. 15. mum (n) tibi tanquam te. Si autem mordetis (o), & incusatis invicem, videte ne consumamini ab invicem. De hoc ipso in epistola Joannis: In hoc (p) apparent filii Dei, 1 Joh. 3. 10. & filii diaboli. Omnis qui non est justus, non est de Deo: & qui non diligit fratrem Ibid. v. 15. suum. (q) Qui enim fratrem suum odit, homicida est: & scitis quia omnis homicida non habet in se vitam æternam in se manentem. Item illic: Si quis dixerit quoniam 1 Joh. 4. 20. diligit Deum, & fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem (r) suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? De hoc ipso in Actibus Apostolorum: Turba autem eorum qui crediderant, anima ac mente una Act. 4. 32. agebant: nec fuit inter illos 4 discrimen ullum, nec (s) quidquam suum judicabant ex Mat. 5. 23. bonis quæ eis erant, sed fuerunt illis omnia communia. De hoc ipso (t) in evangelio cata Matthæum: Si obtuleris munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque illic munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc (u) veni & 5 offer munus tuum ad altare. Item in Epistola Joannis: Deus caritas est, & qui manet in (w) caritate, in Deo manet, & 1 Joh. 4 16. Deus (x) in eo. Item illic: Qui dicit se in luce esse, & fratrem suum odit (y), men- 1 Joh. 2. 9. dax est, & 6 in tenebris ambulat usque adhuc.

7 In nullo gloriandum quando nostrum nihil sit.

IV. In evangelio cata Joannem: Nemo potest quidquam accipere, nisi datum fue- Joh. 3. 27. rit illi de cœlo. Item in epistola Pauli ad Corinthios prima: Quid enim habes quod 1 Cor. 4. 7. non (z) acceperis? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Item in Basileion primo: Nolite gloriari, neque (aa) loquamini (bb) elata, & non procedat 1 Reg. 2. 3. (cc) magniloquentia ex ore vestro: quia Deus (dd) scientiarum Dominus. Item illic: Invalidus factus est arcus potentium, & infirmi accincti sunt (ee) virtute. De hoc ip- Ibid v. 4. so 8 in Maccabæis: Justum est subditum Deo esse, & mortalem non paria Deo senti- Macc. 9. 12. re. Item illic: Et verba viri peccatoris ne timueritis (ff): quia gloria ejus in (gg) ster- Macc. 2. 62. cora

(a) Parvulis in Christo, *Cott.* (b) Lacte vos potavi, *Bod.* 1. 2. 4. *Lam. Lin. NC.* 1. *Ver. Benev. Thu. Corb.* (c) Non cibo, *Lam. Lin NC.* 1. *Thu. Corb.* (d) Escam, non dum enim poteratis, *Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 2. (e) In vobis cadit æmulatio, *Bod.* 3. vobis sunt, *Cott.* (f) Nihil proficio, *Bod.* 3. *NC.* 2. (g) In cibos pauperum, *Lam.* (h) Ut ardeat, *Benev. Ver. Corb.* (i) Agapen, *Lam. NC.* 1. *Thu. Lin. sic passim infra.* (k) Nihil sum, *Cott.* (l) Magnanima est, patiens est, benigna est, non inflatur, non dehonestatur, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum, ingaudet injustitiam, *Cott.* (m) Omnia suffert, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.* (n) Proximum tuum tanquam teipsum, *Cott. Thu. Corb. Lam. Lin. NC.* 1. 2. (o) Mordetis, & criminatis, *Bod.* 1. accusatis, *Lam. Bod.* 2. ad invicem, *Bod.* 3. (p) Apparebunt filii, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (q) Item illic: Qui fratrem, *Thu. Cor.* (r) Fratrem quem videt quotidie, *Cott.* (s) Nec quisquam suum judicabat de bonis, *Corb.* (t) In evangelio, *desunt in Thu.* (u) Tunc offeres, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (w) Manet in dilectione, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (x) Deus in eo erit, *Bod.* 1. in Deo manet. Item, *Bod.* 2, 3, 4. (y) Odit, homicida est, *Bod.* 3. (z) Accepisti, *Lam. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. (aa) Eloquamini, *Bod.* 2. (bb) Elate, *Corb.* (cc) Magniloquela, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (dd) Scientiarum Dominus est, *Cott.* (ee) Accincti sunt robore, *Bod.* 3. (ff) Timueris, *Lam. Lin. NC. Bod.* 4. *Cott.* (gg) Stercore, *Lam. Lin. NC.* 1.

1 *Dum enim adhuc pusilli eratis.*] Additamentum à librario forte adhibitum, abest enim in lib. de zelo & livore, ubi textus hic laudatur. Simile apud Irenæum occurrit l. 4. c. 75. *Lac vobis potum dedi non escam; nondum enim poteratis escam percipere.*

2 *Caritas magnanima.*] μακροθυμεῖ. *Magnanimem* Tertullianus appellat libro de Patientia. Sed *longanimus*, vox pariter barbara magis obtinuit.

3 *Non inflatur, non irritatur.*] Codices Græci passim legunt οὐ φυσιοῦται, οὐκ ἀσχημονεῖ: Sed MSS. quamplurimi habent οὐ φυσιοῦται, οὐ φιλοτιμεῖ, quos auctor noster videtur secutus. In libro de unit. Ecclesiæ, eodem modo textus hic effertur.

4 *Discrimen ullum.*] Hanc lectionem tuentur probatissimi codices Græci MSS. Bodleianus, si quis alius venerandæ antiquitatis, uncialibus literis descriptus; legit οὐκ ἦν χωρισμὸς ἐν αὐτοῖς τίς. Bezæ vero qui Cantabrigiæ servatur οὐ διάκρισις ἐν αὐτοῖς οὐδεμία. Sequior um temporum apographa prætereo. Porro notandum, Bedam nostratem, hanc discrepantiam olim observasse in Retract. in Act. Apost.

5 *Offer munus tuum ad altare.*] Voces, *ad altare*, redundant.

6 *In tenebris ambulat.*] Vox, *ambulat*, quanquam hic loci non reperiatur, infra v. 11. habetur.

7 *In nullo gloriandum.*] Locum hunc supra monuimus ab Augustino sæpius laudatum, dum Pelagii furores oppugnaret.

8 *In Maccabæis.*] De scriptis apocryphis à Cypriano sæpius laudatis egimus lib. 1. ad Quirin. testim. adv. Jud. c. 6. Quoniam vero Pamelius occasione hinc arrepta, historiam Maccabaicam pro canonica scriptura habendam satagit, & testem adhibet D. Augustin. de civit. Dei, c. 36. qui dicit. *Maccabæorum libros licet à Judæis non recipiantur in canonem, Ecclesiam pro canonicis habere*, voces quæ sequuntur subjicere non gravabor. Ait enim id fieri *propter quorundam martyrum passiones violentas & mirabiles.* Et in epistola contra secundam Gaudentii. c. 23. ait quod *Maccabæorum scriptura non inutiliter recepta est ab Ecclesia si sobrie legatur, vel audiatur; maxime propter illos Maccabæos, qui pro Dei lege sicut veri martyres, à persecutoribus tam indigna & horrenda passi sunt.* Nimirum scriptum istud in dignatione habetur, non propter Auctoris fidem, quæ S. literarum prærogativa; sed rei gestæ utile exemplum: & perinde legitur in Ecclesia, sicut alia scripta apocrypha, referente Hieronymo præfat. ad Prov. *ad ædificationem plebis; sed non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandum.*

cora erit & in vermes. Hodie (a) extolletur, & cras non invenietur: quoniam con- *An.* 249.
verſus eſt in terram ſuam, & cogitatio ejus (b) periit.

Iſa. 66. 1. V. Apud Eſaiam; ſic dicit Dominus Deus: Cœlum mihi (c) thronus, & terra ſup- *Humilitatem & quietem in omnibus tenendam.*
pedaneum pedum meorum. Quam mihi (d) ſedem ædificabitis, aut quis locus ad requiem mihi? Omnia enim iſta fecit manus mea, & ſunt mea omnia iſta. Et ſuper (e) quem aſpiciam alium, niſi ſuper humilem & quietum, & (f) trementem ſermones
Mat. 5. 4. meos? De hoc ipſo in evangelio cata Matthæum: (g) Beati mites, quoniam ipſi hære-
Luc. 9. 48. ditabunt terram. De hoc ipſo cata Lucam: Qui minimus (h) erit in omnibus vobis,
Luc. 14. 11. hic erit magnus. Item illic: Qui ſe extollit, humiliabitur; & qui ſe humiliaverit,
Rom. 11. exaltabitur. De hoc ipſo ad Romanos: Noli altum (i) ſapere, ſed time. Si enim
20. Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. De hoc ipſo in Pſalmo
Pſ. 33. 18. 33. Et humiles ſpiritu ſalvabit. Item ad Romanos: Reddite omnibus (k) quæ de-
Rom. 13. 7. bentur: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis. Item in
Mat. 23. 6. Evangelio cata Matthæum: Diligunt primum recumbendi locum in (l) cœnis, & primam ſeſſionem in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus, rabbi.
Joh. 13. 16. 1 Vos autem (m) ne vocaveritis rabbi: unus eſt enim vobis magiſter. Item in Evangelio cata Joannem. Non eſt ſervus major Domino ſuo, neque apoſtolus major eo
Pſ. 81. 3. qui ſe miſit. Hæc ſcientes (n) beati eritis, ſi ea feceritis. Item in Pſalmo 81. Humilem & pauperem juſtificate.

Eccl. 27. 6. VI. Apud Solomonem: Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tri- *Bonos (o) quoſque & juſtos plus laborare, ſed tolerare debere quia probantur.*
Pſ. 50. 18. bulationis. Item in Pſalmo 50. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contri-
Pſ. 33. 18. tum, & humiliatum Deus non (p) deſpiciet. Item in Pſalmo 33. Proximus eſt Dominus (q) contritis corde; & humiles ſpiritu ſalvabit. Item illic: (r) Multæ preſſuræ juſtorum, (s) ſed ex omnibus illis liberabit eos Dominus. De hoc ipſo apud Job:
Job. 1. 21. Nudus exivi de utero matris meæ, 2 nudus etiam ibo (t) ſub terram: Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino (u) placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum (w). In his omnibus quæ contigerunt (x) ei, nihil peccavit Job labiis ſuis in
Mat. 5. 5. conſpectu Domini. De hoc ipſo in Evangelio cata Matthæum: (y) Beati plangentes,
Joh. 16. 33. quoniam ipſi conſolabuntur. Item cata Joannem: Hæc locutus ſum vobis ut in me pacem habeatis, in ſeculo autem preſſuram (z) habebitis: (aa) ſed fidite, quoniam ego
2 Cor. 12. 7. vici (bb) mundum. De hoc ipſo ad Corinthios ſecunda: Datus eſt mihi 3 ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet, ut non extollar. Propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus
Rom. 5. 2. in infirmitate perficitur. De hoc ipſo ad Romanos: Gloriamur in ſpe claritatis Dei: non ſolum autem: ſed & gloriamur in preſſuris, ſcientes quoniam preſſura tolerantiam operatur, tolerantia autem probationem, probatio autem ſpem. Spes autem non confundit, quia dilectio Dei (cc) infuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum
Mat. 7. 13. qui datus eſt nobis. De hoc ipſo cata Matthæum: 4 Quam lata & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad interitum, & multi ſunt qui (dd) intrant per eam! Quam arta & anguſta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui eam inveniunt! De hoc ipſo in To-
Tob. 12. 16. bia: Ubi ſunt juſtitiæ tuæ? ecce quæ pateris. Item in ſapientia Solomonis: (ee) 5 In
Pro. 28. 28. locis impiorum gemunt juſti: in illorum autem (ff) perditione abundabunt juſti.

Eph. 4. 30. VII. (hh) Paulus ad Epheſios: Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo *Non (gg) contriſtandum Spiritum Sanctum, quem accepimus.*
ſignati eſtis 6 in (ii) die redemtionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia (kk) auferantur à vobis.

VIII. Apud

(a) Extollitur, *Bod.* 2. (b) Peribit, *Lam. Lin. Cott. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb.* (c) Sedes, *Corb.* (d) Mihi domum, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Corb.* (e) Super quem aſpiciam, niſi, *Bod.* 2. (f) Et timentem, *Bod.* 3. (g) Felices mites, *Bod.* 4. *Thu.* (h) Minimus fuerit, *Bod.* 3. (i) Altum reſpicere, *Bod.* 3. (k) Omnibus debita. *Bod.* 1. (l) In comeſtione, *Bod.* 3. (m) Nolite vocari, *Lin.* ne vocemini, *NC.* 2. vocati fueritis, *Corb.* (n) Felices eritis, *Bod.* 1. 4. (o) Bonos quoque, *Bod.* 1. 2 4. (p) Deſpicit, *Bod.* 2. ſpernit, *Lin. NC.* 2. *Bod.* 3. *Thu. Corb.* (q) Contribulatis corde, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb. Cott.* (r) Multa flagella, *Bod.* 3. multæ tribulationes, *NC.* 2. *Cott.* (s) Et ex omnibus, *Corb.* (t) Ibo in terram, *Bod.* 1. 4. *Thu. Cott.* (u) Domino viſum eſt, *Lam. Bod.* 1. 2. 4. *Lin. NC.* 1. 2. *Thu. Corb. Cott.* (w) Benedictum in ſecula, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (x) Contigerunt, nihil, *Bod.* 2. (y) Felices, *Bod.* 4. *Thu.* lugentes, *Bod.* 1. qui lugent, *Cott.* plangentes nunc, *Lam. NC.* 1. (z) Preſſuram: ſed, *Thu. Bod.* 1. 3. 4. (aa) Confidite, *Bod.* 1. 3. (bb) Vici ſeculum, *Bod.* 1. 4. *Thu. Corb.* (cc) Diffuſa, *Cott.* (dd) Introeunt, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb.* (ee) In loco, *Bod.* 2. (ff) Perditione ululabunt, *Cott.* perditionem, *Impr.* (gg) Contriſtare, *Lam. Lin. NC.* 1. (hh) *Sic Corb. Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2. 3. *deeſt in Imp.* (ii) In diem, *Thu. Corb. Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2. (kk) Auferatur, *Thu. Corb.* à vobis, cum omni malitia, *Vir. Cott.*

1 *Vos autem ne vocaveritis rabbi.*] Si titulum iſtud admittere non liceat, pariter & deferre vetitum. Græca noſtra habent μὴ κληθῆτε. Vulgatus interpres habet *Nolite vocari.*

2 *Nudus etiam ibo ſub terram.*] Hæc interpretamenti loco, ponuntur, pro eo quod LXX. brevius efferunt ἀπελεύσομαι ἐκεῖ. Infra quæ eodem modo adjecta ſunt, LXX. interpretes habent auctores. ἐν τοῖς συμβεβηκόσιν αὐτῷ οὐκ ἥμαρτεν Ιωβ, οὐδὲ ἐν τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ.

3 *Stimulus carnis meæ.*] Vox *meæ* redundat. Quod ſequitur, *virtus in infirmitate perficitur*, ejecta voce *mea*, univerſalius quoddam lemma conficit.

4 *Quam lata!*] Complutenſia biblia, nec non omnes fere vetuſtiores codices MSS. pariter legunt τί στενή, admirative.

5 *In locis impiorum.*] Pro בקום legiſſe videntur LXX. interpretes במקום Monet Pamelius *Excuſos codices habuiſſe in margine Eccleſiaſtis* 3. *Sed neque ibi Græce reperitur, neque in libro Sapientiæ.* Goularrius contendit Eccleſiaſtis 3. ſcriptum haberi. Sed revera in proverbiis Solomonis 28. 28. omnino reperitur; quem librum Sapientiam Solomonis frequenter appellat Auctor noſter.

6 *In die redemtionis.*] Conſentit cum iis Græcis codicibus qui legunt ἐν ἡμέρᾳ.

1 *Sic*

An. 249. *Iracundiam vincendam esse, ne cogat delinquere.*

VIII. Apud Solomonem in Paroemiis: Melior est vir patiens forti. Qui enim iracundiam (a) continet, melior est, quam qui urbem capit. Item (b) illic: Imprudens eadem die enunciat iram suam: abscondit autem inhonorationem suam astutus. De hoc ipso (c) Paulus ad Ephesios: Irascimini & nolite (d) peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Item in Evangelio cata Matthæum: Audistis quia dictum (e) est antiquis, non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit judicio. Pro. 16. 32. Pro. 12. 16. Eph. 4. 26. Mat. 5. 21.

Invicem se fratres justinere debere.

IX. (f) Paulus ad Galatas: (g) In contemplatione habentes unusquisque, ne & vos tentemini. (i) Alterutrum onera sustinete, & 1 sic adimplebitis legem Christi. Gal. 6. 1.

In (h) *Deum solum fidendum, & in ipso gloriandum esse.*

X. Apud Hieremiam: Non glorietur sapiens in sapientia sua: neque glorietur fortis in fortitudine sua: neque glorietur dives in divitiis suis: sed in hoc glorietur, (k) qui gloriatur; intelligere (l) & nosse quoniam ego sum Dominus, qui facio misericordiam & judicium & justitiam super terram: quoniam in his est voluntas mea, dicit Dominus. De hoc ipso in Psalmo 54. In Domino speravi, non timebo quid faciat mihi homo. Item illic: 2 Non nisi soli Deo (m) subjecta est anima mea. Item in Psalmo 117. Non metuam quid faciat mihi homo, Dominus mihi (n) auxiliator est. Item illic: Bonum est confidere (o) in Dominum, quam fidere (p) in homine. Bonum est sperare in Dominum, quam sperare (q) in principibus. De hoc ipso apud Danielem: 3 Responderunt autem Sidrac, Misac, & Abdenago, & dixerunt regi Nabuchodonosor: Rex non opus est nobis de hoc (r) verbo respondere tibi. Est enim Deus, cui nos servimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis rex liberabit nos. (s) Et si non, notum sit tibi quia diis tuis non (t) servimus, (u) & imaginem auream quam statuisti non adoramus. Item apud Hieremiam: Maledictus homo, qui spem habet in homine: & benedictus homo qui fidet in Domino, & erit in Deo spes ejus. De hoc ipso in Deuteronomio: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. De hoc ipso ad Romanos. Et coluerunt & servierunt creaturæ, relicto creatore (w). Propter quod & tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. De hoc ipso apud Joannem: Major est qui in vobis est, quam qui in hoc mundo. Pf. 55. 11. Pf. 61. 1. Pf. 117. 6. ibid. v. 8. Dan. 3. 16. Jer. 17. 5. 7. Deut. 6. 13. Rom. 1. 25. 1 Joh. 4. 4.

Eum qui fidem consecutus est, (x) *4 exposito priore homine, cælestia tantum & spiritalia cogitare debere, nec attendere ad sæculum cui jam renunciavit.*

XI. Apud Esaiam: Quærite Dominum, & cum inveneritis, invocate eum. Cum autem appropinquaverit vobis, relinquat impius vias suas, & vir (y) facinorosus cogitationes suas: & convertatur ad Dominum, & misericordiam consequetur; (z) quia in multum remittet peccata vestra. De hoc ipso apud Solomonem. Vidi universa opera quæ facta sunt sub sole; & ecce omnia vanitas. De hoc ipso in Exodo: Sic autem comedetis eum. 5 Lumbi vestri præcincti, & (aa) calceamenta vestra in pedibus vestris, & baculi vestri in manibus vestris, & edetis eum festinanter: (bb) pascha est enim Domini. De hoc ipso in evangelio cata Matthæum: Nolite cogitare dicentes, quid (cc) edemus, aut quid bibemus, aut quid vestiemur? hæc enim (dd) nationes inquirunt: scit (ee) autem pater vester, quia horum omnium indigetis. Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus; & omnia ista apponentur vobis. Item illic: Nolite cogitare in crastinum: crastinus (ff) enim dies ipse (gg) cogitabit sibi. Sufficit diei malitia sua. Item illic: Nemo retro attendens & superponens manum suam super aratrum, aptus est regno Dei. Item illic: Aspicite volatilia cœli, quoniam non seminant, neque metunt, neque colligunt in horrea, & pater vester (hh) cœlestis pascit illa. Nonne vos pluris estis illis? De hoc ipso cata Lucam: Sint (ii) lumbi vestri accincti, & lucernæ ardentes (kk). Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum Isa. 55. 6. Eccl. 1. 14. Exod. 12. 11. Mat. 6. 25. Luc. 9. 62. Mat. 6. 26. Luc. 12. 35.

(a) Iracundiam contemnit, *Bod.* 3, 4. qui iracundiam continet, capiet urbem, *Cott.* (b) In parabolis, *Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 2. Proverb. *NC.* 2. (c) *Sic Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 2. *deest in impressis.* (d) Delinquere, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. 4. (e) Dictum est ab antiquis, *Lam. NC.* 1. (f) *Sic Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 2. (g) Vos fratres, & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans teipsum ne tenteris. Invicem onera vestra portate, *Cott.* (h) Alter alterius onera, *NC.* 2. *Lin.* onera vestra, *NC.* 1. *Bod.* 2. (i) Deo solo, *Bod.* 2. (k) Glorietur fortis, *Cott.* glorietur, qui gloriatur fortis, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (l) Nosse debet, *Thu.* & sciat quia ego sum Dominus, *Cott.* (m) Deo subdita, *Bod.* 2. (n) Adjutor, *Lam. Lin. Bod.* 2. & ego videbo inimicos meos, *Cott.* (o) Domino, *Thu. Cott.* (p) In homines, *Thu. Bod.* 4. *Cott.* (q) In principes, *Bod.* 1. 2. 4. (r) Sermone respondere, *Bod.* 2. (s) Et nunc notum sit, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (t) Adorabimus, *Corb.* (u) Nec imaginem auream quam statuisti adoramus, *Lam. Lin. NC.* 1. adorabimus, *Corb.* (w) Creatore, qui est benedictus in secula, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.* (x) Expoliato priore, *Thu.* (y) Facinorosus semitas, *Corb.* iniquus consilia sua, *Lin.* (z) Quia multum misericors est & remittet, *Bod.* 4. (aa) Et caligæ vestræ, *Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb. Cott.* (bb) Pascha est Domini, *Thu.* (cc) Edimus, aut quid bibimus, *Cott.* (dd) Nationes quærunt, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (ee) Scit enim Pater, *Cott.* (ff) Crastinus enim ipse, *Bod.* 1. (gg) Cogitat, *Bod.* 1. cogitavit, *Bod.* 3. 4. (hh) Cœlestis alit illa, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2. 3. *Cott.* (ii) Lumbi vestri præcincti, *Lam. Lin. Bod.* 2. *NC.* 1. 2. *Cott.* (kk) Ardentes in manibus, *Bod.* 1. 3.

1 *Sic adimplebitis legem Christi.*] Eodem modo textus hic laudatur epistola ad Antonian. quasi legisset, ὅτως πληρώσετε τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ.

2 *Non nisi soli Deo subjecta.*] LXX. legunt Οὐχὶ τῷ θεῷ ὑποταγήσεται ἡ ψυχή μου; Legisse videtur Auctor noster Οὐκ ἢ τῷ θεῷ. Vulgatus interpres imperative effert, *Veruntamen Deo subjecta esto anima mea.*

3 *Responderunt autem Sidrac.*] Locus hic Cyprani animo semper fere obversabatur. Non modo in his libris, sed in exhort. martyr. Epistola ad Thibaritanos, & ad Rogatianum, in medium profertur.

4 *Exposito priore homine.*] Videat lector quæ diximus p. 1. in libro ad Donatum.

5 *Lumbi vestri præcincti.*] Recte locum hunc affert Auctor noster, in probationem lemmatis sui. Ægypti enim servitus, & in terram Canaanæam transitus; statum nostrum sub peccati tyrannide, & libertate Evangelica adumbrabant.

ſuum quando (a) veniat à nuptiis, ut cum venerit & pulſaverit, aperiant illi: Beati *An.* 249.
Mat. 8. 20. ſervi illi, quos adveniens Dominus invenerit vigilantes. De hoc ipſo apud Matthæum:
(b) Vulpes foveas habent, & volucres (c) cœli diverſoria; filius autem hominis non ha-
Luc. 14. 33. bet ubi (d) caput ſuum inclinet. Item illic, Qui non renunciat omnibus quæ ſunt
1 Cor. 6. 19. ejus, non poteſt meus diſcipulus eſſe. De hoc ipſo ad Corinthios prima: Non eſtis veſtri, 1 emti (e) enim eſtis pretio magno, clarificate & portate Deum in corpore
1 Cor. 7. veſtro. Item illic: Tempus (f) collectum: ſupereſt ergo ut & qui habent uxores,
29. quaſi non habentes ſint; & qui (g) plangunt, quaſi non plangentes; & qui gaudent, quaſi non gaudentes; & qui emunt, quaſi non ementes; & qui poſſident, quaſi non poſſidentes; & qui (h) hoc mundo utuntur, (i) 2 quaſi non utantur. Præterit enim fi-
1 Cor. 15. gura hujus mundi. Item illic: Primus homo (k) de terræ limo, ſecundus homo de
47. (l) cœlo. Qualis ille è limo, tales & qui de limo, & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo eſt, 3 portemus & imaginem ejus
Phil. 2. 21. qui de cœlo eſt. De hoc ipſo ad Philippenſes: (m) Omnes ſua quærunt, & non quæ
ibid. 3. 19. ſunt Chriſti (n); Quorum finis eſt interitus, quorum Deus venter eſt: & gloria in (o) confuſionem eorum, qui terrena ſapiunt. Noſtra autem converſatio in cœlis eſt: unde & Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui transforma-
Gal. 6. 14. bit corpus humilitatis noſtræ (p) conformatum corpori claritatis ſuæ. De hoc ipſo ad Galatas: Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per
2 Tim. 2. 4. quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. De hoc ipſo ad Timotheum: Nemo militans Deo (q) obligat ſe moleſtiis ſecularibus, ut poſſit 4 placere ei cui ſe proba-
vit. Sed & ſi (r) certaverit quis, non coronabitur, niſi legitime pugnaverit. De
Coloſ. 2. 20. hoc ipſo ad Coloſſenſes: Si mortui eſtis cum Chriſto ab elementis (s) mundi, (t) quid
Coloſ. 3. 1. tamquam viventes in mundo (u) 5 vana ſectamini? Item de hoc ipſo: Si (w) conſurrexiſtis cum Chriſto; quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextra Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non (x) quæ terrena ſunt. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra,
Eph. 4. 22. tunc & vos cum eo apparebitis in gloria. De hoc ipſo ad Epheſios: (y) Exponite prioris converſationis veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum (z) concupiſcentias deceptionis. Innovamini autem 6 ſpiritu ſenſus veſtri, & induite novum hominem (aa), eum qui ſecundum Deum (bb) conſtitutus eſt 7 in juſtitia, & ſanctitate, & veritate.
1 Pet. 2. 11. De hoc ipſo in epiſtola Petri: Quaſi hoſpites, & peregrini abſtinete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam: converſationem (cc) autem habentes inter gentes bonam, ut dum (dd) detrectant de vobis, quaſi de (ee) malignis, bona opera
1 Joh. 2. 6. veſtra aſpicientes magnificent Deum. De hoc ipſo in epiſtola Joannis. Qui dicit ſe
ibid. v. 15. in Chriſto manere, debet quo modo ille ambulavit & ipſe ambulare. Item illic: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum, non eſt caritas patris in illo. Quoniam omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi quæ non eſt à patre, ſed ex concupiſcentia (ff) ſeculi: & mundus tranſibit, & concupiſcentia ejus. Qui autem (gg) fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, 8 quomodo Deus manet in æternum.
1 Cor. 5. 7. Item in epiſtola Pauli ad Corinthios prima: Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio,

(a) Quando revertatur, *Cott.* (b) Vulpes cubilia, *Lam. Bod.* 1. 2. 4. *NC. Thu. Corb.* (c) Cœli nidos, *Cott.* (d) Caput incliner, *Thu.* reclinet, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (e) Emti eſtis magno, *Lam. Bod.* 2. 4. *NC.* 1. (f) Tempus enim breve eſt, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.* collectum: reliquum, *Bod.* 2. *Lam. NC.* 1. (g) Qui flent, quaſi non flentes, *Lam. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.* (h) Utuntur de hoc mundo, *Cott.* (i) Quaſi non abutantur. *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (k) De terra è limo, *Bod.* 2. 4. de limo, *Corb.* de limo terrenus. (l) Cœlo cœleſtis, *Cott.* (m) Omnes enim, *Lam. NC.* 1. quæ ſua ſunt quærunt, *Bod.* 1. *Cott.* (n) Item illic: multi ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem, & flens dico, inimici ſunt crucis Chriſti, *Cott.* (o) In confuſione, *Thu.* in pudendis, *Bod.* 1. (p) Configuratum, *Bod.* 3. ad conformen, *Cott.* (q) Implicat ſe negotiis, *NC.* 2. *Cott.* (r) Certaverit in agone, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. *Cott.* (s) Hujus mundi, *NC.* 1. *Bod.* 2. (t) Quid adhuc, *Cott.* (u) De hoc mundo decernitis, *Cott.* (w) Reſurrexiſtis Chriſto, *Bod.* 2. 4. conſurrexiſtis Chriſto, *Lam.* (x) Non quæ ſuper terram, *Cott.* (y) Deponite, *Corb.* expurgate priſtinam converſationem, *Cott.* (z) Deſideria erroris, *Cott.* renovamini hominem, *Cott.* (aa) Hominem qui, *Bod.* 3. *Thu.* (bb) Creatus eſt in juſtitia, *Cott.* (cc) Converſationem habentes inter gentiles, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2, 3, 4. *Cott.* (dd) Tractant de vobis, *Cott.* detrectandum vobis putant, *Bod.* 1. (ee) De malefactoribus, *Cott.* (ff) Concupiſcentia ejus, & mundus, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. (gg) Perfecerit voluntatem, *Cott.*

1 *Emti enim eſtis pretio magno, clarificate & portate.*] Legiſſe videtur Auctor noſter ἠγοράσθητε γὰρ τιμῆς μεγάλης, δοξάσατε, καὶ βαστάσατε. Et quidem poſteriori additamento favent exemplaria: certe in lectione hac conſtans eſt Auctor noſter.

2 *Quaſi non utantur.*] In textu Græco, ὡς μὴ καταχρώμενοι. Quæ voces non male verſionem iſtam admittunt, Sic Plato Epiſt. 8. ὃν ὀρθῶς κατακέχρηται δωρεᾷ.

3 *Portemus & imaginem.*] Quod iis exemplaribus conſonum, quæ legunt φορέσωμεν.

4 *Placere ei cui ſe probavit.*] De probatione militari plurimæ extant leges imperiales. 1. Origo inquirebatur, ne forte militiæ obtentu nonnulli Curias defugerent. 2. Ætas ſpectata, ſcil. ut ſit decimus octavus annus expletus. 3. Statura, ut ſit quinque pedum & ſeptem unciarum. 4. Status, ut non ſervi, nec qui vitæ genus ignobile exercebant. 5. Robur, & habitudo corporis; quorum diverſa ratio, pro diverſitate equeſtris & pedeſtris militiæ. 6. Secta, ita Judæi, & aliquando Chriſtiani, armata militia prohibiti.

5 *Vana ſectamini.*] Sectis abſurdis adhæretis, in Græco textu habetur δογματίζεσθε.

6 *Spiritu ſenſus veſtri.*] νοὸς ὑμῶν. Iiſdem verbis locum hunc effert Tertullianus lib. de Anima. c. 45.

7 *In juſtitia, in ſanctitate & veritate.*] Libri impreſſi paſſim legunt ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας. Sed plurimi codices MSS. lectioni Auctoris noſtri accedunt, nimirum ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ ὁσιότητι, καὶ ἀληθείᾳ.

8 *Quomodo Deus manet in æternum.*] Additamentum hoc aliunde videtur petitum.

An. 249. conſperſio, ſicut eſtis azymi. Nam & 1 Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: Itaque (a) feſta celebremus non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.

Non jurandum. XII. Apud Solomonem (b): Vir multum jurans (c) replebitur iniquitate, & non diſcedet à domo ejus plaga: 2 & ſi vane juraverit, non juſtificabitur, (d) & ſi fruſtra juraverit (e), dupliciter punietur. De hoc ipſo cata Matthæum: Dico vobis non (f) jurare in totum. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non. De hoc ipſo in Exodo: Non accipies nomen Domini Dei (g) tui in vanum. Eccl. 23. 12. Mat. 5. 34. Exod. 20. 7.

Non maledicendum. XIII. In Exodo: Non maledices, neque Principi populi tui detraxeris. Item in Pſalmo 33. Quis eſt homo qui vult vitam, & (h) amat videre (i) dies bonos? (k) contine linguam tuam à malo, & labia tua (l) ne loquantur dolum. De hoc ipſo in Levitico. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Produc eum, qui maledixerit, foras extra caſtra, & imponent omnes qui audierunt manus ſuas ſuper caput ejus, & (m) lapidabit eum omnis ſynagoga filiorum Iſraël. De hoc ipſo in epiſtola Pauli ad Epheſios. Omnis ſermo malus de ore veſtro (n) non procedat, ſed bonus 3 ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. De hoc ipſo ad Romanos: (o) 4 Benedicentes, & non maledicentes. De hoc ipſo in Evangelio cata Matthæum: Qui dixerit fratri ſuo fatue, (p) reus erit in gehennam ignis. De hoc ipſo cata eundem Matthæum: Dico autem vobis, quia omne (q) verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent pro eo rationem in die judicii, de ſermonibus enim tuis juſtificaberis, & de ſermonibus tuis (r) condemnaberis. Exod. 22. 28. Pſ. 33. 12. Levi. 24. 13. Eph. 4. 29. Rom. 12. 14. Mat. 5. 22. Mat. 12. 36.

Nunquam muſſitandum, ſed circa omnia quæ (s) accidunt, benedicendum Deum. XIV. Apud Job: Dic verbum aliquod (t) in Dominum, & morere. At ille intuitus eam dixit: Tanquam una ex ineptis mulieribus locuta es; ſi bona (u) excepimus de manu Domini, mala (w) cur non tolerabimus? In (x) his omnibus quæ acciderunt ei, nihil peccavit Job labiis ſuis in conſpectu Domini. Item illic: Animadvertiſti (y) ad puerum meum Job? non enim eſt ſimilis illi quiſquam in terris, homo ſine querela, verus Dei cultor, abſtinens ſe ab omni (z) malo. De hoc ipſo in Pſalmo 33. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo. De hoc ipſo in Numeris: Deſinat murmuratio eorum à me, & non morientur. De hoc ipſo in Actibus Apoſtolorum: Circa mediam autem noctem Paulus & Silas orantes gratias agebant Deo; audiebant autem eos (aa) vincti. Item in epiſtola Pauli ad Philippenſes: Omnia autem pro (bb) dilectione facientes ſine (cc) murmurationibus & reputationibus, ut ſitis ſine querela & immaculati, (dd) filii Dei. Job. 2. 9. Job. 1. 8. Pſ. 33. 1. Num. 17. 10. Act. 16. 25. Phil. 2. 14.

Ad hoc tentari homines à Deo, ut (ee) probentur. XV. In Geneſi: Et tentavit Deus Abraham, & dixit ad illum: Accipe filium (ff) tuum unicum quem (gg) diligis Iſaac, & vade in terram (hh), (ii) imponens illum ibi 5 in (kk) hoſtiam, in (ll) unum ex montibus (mm) de quo tibi dixero. De hoc ipſo in Deuteronomio: (nn) Tentat Dominus Deus veſter vos, ut ſciat, ſi diligitis Dominum Deum veſtrum ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra. De hoc ipſo in ſapientia Solomonis: Etſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt ſpes eorum immortalitate plena eſt; & in paucis vexati, in multis bene diſponentur, quoniam Deus (oo) tentavit illos, & invenit illos dignos ſe. Tamquam aurum in fornace probavit illos, & quaſi (pp) holocauſta hoſtiæ accepit illos, & in tempore (qq) erit reſpectus illorum (rr). Gen. 22. 1. Deut. 13. 3. Sap. 3. 4.

Judicabunt

(a) Itaque diem feſtum, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (b) Solomonem: Multum, *Bod.* 1. 3. 4. *Thu.* (c) Implebitur, *Lam. Lin. NC.* 1. *Cott.* (d) Et ſi fruſtra, *deſunt in impreſſis.* (e) Dupliciter delinquet, *Cott.* (f) Jurare omnino, *Cott.* (g) In os tuum in vanum, *Bod.* 3. (h) Et cupit videre, *NC.* 1. 2. *Bod.* 1. *Cott.* (i) Dies optimos, *Lam. Bod.* 4. *Thu.* (k) Prohibe linguam, *Cott.* (l) Ne loquantur inſidioſe, *Lam. Lin. NC.* 1. *Ver. Bod.* 2. *Thu.* (m) Lapidabunt, *Thu. Cott.* (n) Non prodeat, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. (o) Benedicite & nolite maledicere, *Cott.* (p) Reus erit gehenna. *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Corb. Cott.* (q) Verbum vacuum, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod* 1, 2, 3, 4 *Thu. Corb.* (r) Damnaberis, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.* (s) Accidunt ſemper, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.* (t) Contra Dominum, *Cott.* (u) Bona ſuſcepimus, *Bod.* 3. (w) Mala non tolerabimus, *Bod.* 1. 2. 4. (x) In omnibus, *Bod.* 2. (y) Animadvertiſti in puerum, *Lin.* animadvertiſti puerum, *Lam. Bod.* 1. 3. 4. *NC.* 1. vidiſti puerum, *Cott.* (z) Omni opere malo, *Bod.* 3. (aa) Cæteri vincti, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.* (bb) Pro delectatione, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (cc) Sine murmurationibus & hæſitationibus, *Cott.* (dd) Immaculati ſicut, *Cott. Bod.* 2. (ee) Ut explorentur, *NC.* 2. *Bod.* 1. 4. (ff) Filium ſuum illum, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Thu.* (gg) Dilexiſti, *Bod.* 1. 2. 4. *Thu.* (hh) In terram altam, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 4. *Cott.* (ii) Et impones, *Bod.* 1, 2, 3. *Cott.* (kk) *Sic Bod.* 1. 2. *Thu. Corb.* In holocauſtum hoſtiam, *impreſſa, & MSS. exemplaria plurima.* (ll) In uno, *Bod.* 1. 2. 4. (mm) Quem tibi dixero, *Cott.* (nn) Tentavit vos, *Cott.* (oo) Probavit illos, & invenit illos dignos eſſe, & holocauſtum, *Cott.* (pp) Holocauſtum ac hoſtiam, *Bod.* 1. holocauſti hoſtiam, *Lam. NC. Bod.* 2. 3. holocauſtum hoſtiam, *Ben. Ver. Thu.* (qq) Tempore illo, *Bod.* 1. (rr) Reſpectus illorum fulgebunt; tanquam ſcintillæ in arundineto current, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.*

1 *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*] Impreſſi legunt Πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐθύθη Χριστός. Sed MSS. exemplaria paſſim habent πάσχα ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. Cui lectioni vulgatus interpres conſentit.

2 *Et ſi vane juraverit.*] Poſt verſum 10. omittitur undecimus, & apponitur duodecimus; quia non opus ut quis perjurii crimen exaggeret, cum conſtiterit frequenter aut levi de cauſa vere jurare non licere.

3 *Ad ædificationem fidei.*] Exemplaria impreſſa habent πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας: ſed pro lectione Auctoris noſtri ſtant plurimi MSS. & habent πρὸς οἰκοδομὴν τῆς πίστεως.

4 *Benedicentes & non maledicentes.*] Pro εὐλογεῖτε, καὶ μὴ καταρᾶσθε, legiſſe videtur noſter εὐλογοῦντες, καὶ μὴ καταρώμενοι.

5 *In hoſtiam.*] Habetur hic textus in Epiſt. ad Rogat. Et utrobique legitur, *in holocauſtum hoſtiam.* Cyprianum tamen ſcripſiſſe puto, *in holocauſtoma*; ſed librarii ex loco Sapient. 3. 4. qui ſequitur; & ingeniis ſuis, ad immutanda omnia nimium proclivibus, corrigendum putaverant, & repoſuere *in holocauſtum hoſtiam.*

1 *Liberat*

Judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus eorum in perpe- *An.* 249.
Mac. 2.52. tuum. De hoc ipso in (a) Maccabæis : Abraham nonne in tentatione inventus est fidelis, & deputatum est ei ad justitiam?

Pro.14.25. XVI. In sapientia Solomonis : 1 Liberat de malis animam (b) martyr (c) fidelis. *De bono*
Sap. 5. 1. Item illic : Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se (d) angustiave- *Martyrii.*
runt, & qui abstulerunt labores eorum : Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, (e) dicentes inter se pœnitentiam (f) habentes, & per angustiam spiritus gementes. Hi sunt quos aliquando habuimus in (g) derisum & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. (h) Quo modo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est? Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol non est ortus nobis. (i) Lassati sumus in iniquitatis via & perditionis, & ambulavimus solitudines difficiles, viam autem Domini ignoravimus. (k) Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactatio contulit nobis? transie-
Ps. 115. 5. runt omnia illa tamquam umbra. De hoc ipso in Psalmo 115. (l) Pretiosa in conspectu
Ps. 125. 6. Domini mors (m) sanctorum ejus. Item in Psalmo 125. Qui seminant in lacrymis in (n) exultatione metent. Ambulantes (o) ambulabant, & plorabant mittentes semina sua : venientes autem venient in exultatione 2 tollentes (p) gremia sua. De hoc ipso
Joh. 12.25. in Evangelio cata Joannem : Qui amat animam suam, perdet illam : & qui odit ani-
Mat.10.19. mam suam in isto seculo, in vitam æternam (q) inveniet illam. Item illic : Cum autem tradiderint vos, nolite cogitare quid loquamini, non enim vos estis qui loquimi-
Joh. 16. 2. ni, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Item illic; Veniet hora, ut omnis qui (r) interficit vos, (s) arbitretur obsequium se Deo facere. Sed & hoc facient, quo-
Mat. 5. 10. niam non cognoverunt patrem, neque me. De hoc ipso apud Matthæum : Beati qui persecutionem passi fuerint (t) propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlo-
Mat.10.28. rum. Item illic : Ne timueritis eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Magis autem metuite eum, qui potest animam & corpus occidere (u) in ge-
Mat.10.32. hennam. Item illic : Quicumque me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor illum coram patre meo (w), qui in cœlis est. Qui autem me negaverit coram
ibid. v. 22. hominibus; & ego negabo eum coram patre meo, qui in cœlis est. (x) Qui autem
Luc. 6. 22. sustinuerit usque in finem, hic salvus erit. De hoc ipso cata Lucam : Beati eritis cum vos oderint homines, & separaverint vos, & expulerint, & maledixerint nomini vestro quasi nequam propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate, ecce
Luc. 18. enim merces vestra multa (y) est in cœlis. Item illic : Amen dico vobis, nemo est
29. (z) qui (aa) relinquat domum, (bb) aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios (cc) propter regnum Dei, & non recipiat septies tantum in isto tempore, in seculo au-
Apoc. 6. 9. tem futuro vitam æternam (dd). De hoc ipso in Apocalypsi : Et cum aperuisset quintum (ee) signum, vidi sub ara Dei animas occisorum propter verbum Dei & martyrium suum, & clamaverunt magna voce dicentes : Quousque Domine sanctus & verus non judicas & vindicas sanguinem nostrum de his qui in terris inhabitant? (ff) Et datæ sunt eis singulis stolæ albæ, & dictum est eis ut requiescerent (gg) brevi adhuc tempore, donec (hh) impleatur numerus conservorum, & fratrum eorum, quique postea occi-
Apoc. 7. 9. dentur exemplo ipsorum. Item illic : Post hæc vidi turbam multam, quam dinumerare (ii) ex his nemo poterat, ex omni gente, & ex omni tribu, & ex omni populo & lingua, stantes in conspectu throni, & in conspectu agni, & erant amicti stolas albas, & palmæ fuerunt in manibus eorum, & (kk) magno clamore dicebant : (ll) Salus Deo nostro sedenti super thronum, & agno. Et (mm) respondit unus ex senioribus, dicens mihi : Qui amicti sunt stolis albis, qui sunt (nn), & unde venerunt? Et dixi ei : Domine (oo) mi tu scis. Et ait mihi : Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione,

(a) In Genesi, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (b) Animam suam, *Lam. NC.* 1. *Cott.* (c) Martyr Dei, *Bod.* 2. (d) Qui diripuerunt labores, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4 *Thu. Cott.* (e) Dicent inter se, *Thu.* (f) Pœnitentiam agentes, *Cott.* (g) In risu & in similitudine, *Lam. Bod.* 1. 2. 4. *Corb. NC.* 1. *Cott.* (h) Ecce quomodo, *Bod.* 3. (i) Luxati sumus, *Cott.* (k) Ut quid nobis profuit, *Cott.* (l) Pretiosa est, *Lam. NC.* 1. (m) Mors justorum, *Bod.* 1. 4. *Thu.* (n) In gaudio, *Lin. Cott.* (o) Ambulantes ibant & flebant portantes, *Lin.* ambulabant, *Thu.* ambulant & plorant, *Corb.* euntes ibunt & flebunt mittentes, *Cott* (p) Tollentes manipulos suos, *Lin. Bod.* 1. portantes, *Cott.* (q) Conservat, *Bod.* 2. *Lam. NC.* 1. conservabit, *Lin. Bod.* 1. 4. *Thu Corb.* (r) Occiderit vos, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.* (s) Putet officium, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu.* judicium Deo, *Cott.* (t) Causa justitiæ, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. (u) Occidere in Gehenna, *Lam.* mittere in gehennam, *Cott. NC.* 1. *Thu.* (w) Coram patre meo & angelis ejus, *Bod.* 1. (x) Qui autem perseveraverit, *Lin. Cott.* (y) Multa in cœlis, *Bod.* 1. 4. copiosa est, *Cott.* (z) Nemo est hic, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (aa) Qui reliquerit, *Bod.* 4. (bb) Domum aut agrum, *Corb.* (cc) Aut filios aut agros, *Cott.* (dd) Vitam æternam possidebit, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (ee) Quintum sigillum, *Bod.* 1. (ff) Et data est singulis stola alba, *Thu.* (gg) Breve adhuc tempus, *Corb.* (hh) Donec suppleatur, *Bod.* 2. (ii) Dinumerare nemo poterat, *Lam. Lin. Bod.* 1. 2. 4 *Lin.* (kk) Et magna voce clamantes dicebant, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (ll) Laus Deo, *Bod.* 3. (mm) Et respondens unus ex senioribus dixit mihi, *Bod.* 3. (nn) Sunt hi & unde, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. 3. (oo) Domine tu scis, *Bod.* 1. 2. 3. 4.

1 *Liberat de malis.*] Si verax testis in causis civilibus, & communis vitæ negotiis tantum valet : multo magis qui Dei causa Martyr.

2 *Tollentes gremia.*] Idem quod cremia sive fasciculi surculorum aridorum, quæ eodem fere modo colligantur ut manipuli spicarum. Ulpian. l. 55. De legat. & fidei com. l. 32. *Sed si voluntas non refragatur, & virgulæ, & gremia, & sarmenta, & superamenta materiarum continebuntur* Columel. l. 12. c. 32. *Mustum in vasa defrutaria deferemus, levique primum igne ex tenuibus admodum lignis quæ gremia rustici appellant.*

An. 249. ne, & laverunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine agni: (a) Ideo ſunt in conſpectu throni Dei, & ſerviunt ei diebus & noctibus in templo ejus. Et is qui ſedet in throno, inhabitabit ſuper eos, (b) neque eſurient, neque ſitient unquam, ſed neque ſol ſuper eos cadet, neque ullum (c) æſtum patientur. Quoniam agnus qui in medio throni eſt (d), teget eos (e), & deducet eos ad (f) fontes vitæ aquarum, & abſterget Deus omnem lacrymam (g) ex oculis eorum. Item illic: Qui vincit dabo illi edere (h) de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei. Item illic: Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Item illic: (i) Beati erunt qui (k) vigilabunt & ſervabunt veſtimenta ſua ne nudi ambulent, & videant turpitudinem ſuam. () De hoc ipſo ad Timotheum ſecunda: (m) Ego jam delibor, & tempus inſtat (n) meæ aſſumtionis. (o) Bonum agonem certavi, curſum perfeci, fidem ſervavi: (p) jam ſupereſt mihi corona juſtitiæ, quam mihi reddet Dominus in illo die (q) juſtus judex: non ſolum autem mihi, ſed & omnibus qui dilexerint adventum ejus. De hoc ipſo ad Romanos: Sumus filii Dei, ſi autem filii, & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti: ſi quidem (r) compatiamur, ut & commagnificemur. De hoc ipſo in Pſalmo 118. (s) Beati qui immaculati ſunt in via, & qui ambulant (t) in lege Domini. Beati qui perſcrutantur martyria ejus (u).

Apoc. 2. 7. ibid v. 10. Apoc. 16. 15. 2 Tim. 4. 6. Rom. 8. 16. Pſ. 118. 1.

Minora eſſe quæ in ſeculo patimur quam ſit præmium quod promiſſum eſt.

XVII. In epiſtola Pauli ad Romanos: Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad (w) ſuperventuram claritatem quæ revelabitur in nobis. (x) De hoc ipſo in Maccabæis. Domine qui ſanctam habes ſcientiam, manifeſtum eſt, quia cum poſſim morte liberari, duriſſimos dolores corporis tolero, flagellis vapulans; animo autem propter ipſius metum libenter hæc patior. Item illic: Tu quidem impotens ex hac præſenti vita nos perdes: ſed mundi Rex defunctos nos pro ſuis legibus, in æternam vitæ reſurrectionem ſuſcitabit. Item illic: Potius eſt ab hominibus morti datos expectare ſpem à Deo iterum ab ipſo ſuſcitari. Tibi enim reſurrectio in vitam non erit. Item illic: Poteſtatem inter homines habens, cum ſis corruptibilis, facis quod vis; noli autem putare genus noſtrum à Deo eſſe derelictum. Suſtine & vide magna poteſtas ejus qualiter te & ſemen tuum torquebit. Item illic: Noli fruſtra errare. Nos enim propter noſmetipſos hæc patimur, peccantes in Deum noſtrum: tu autem ne te exiſtimes impunitum futurum, aggreſſus pugnare cum Deo.

Rom. 8. 18. 2 Macc. 7.

Dilectioni Dei & Chriſti nihil præponendum.

XVIII. In Deuteronomio: Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Item in Evangelio cata Matthæum: Qui amat patrem aut matrem (y) ſuper me, non eſt me dignus; (z) & qui amat filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus, & qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, [1] non eſt meus diſcipulus. Item in Epiſtola Pauli ad Romanos (aa): Quis nos ſeparabit (bb) à caritate Chriſti, (cc) preſſura, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? ſicut ſcriptum eſt: (dd) Quoniam cauſa tui (ee) occidimur tota die, deputati ſumus ut (ff) oves victimæ: ſed in his omnibus ſupervincimus, [2] pro eo qui dilexit nos.

Deut. 6. 5. Mat. 10. 37. Rom. 8. 35.

Voluntati non noſtræ, ſed Dei obtemperandum.

XIX. In Evangelio cata Joannem: Non deſcendi de cœlo ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem (gg) ejus qui me miſit. De hoc ipſo cata Matthæum: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: verumtamen non quod ego volo, ſed quod tu (hh). Item in prece quotidiana: Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra. Item cata Matthæum: Non omnis qui mihi dicit, Domine Domine, introibit in regnum cœlorum; ſed is qui facit voluntatem patris mei qui in cœlis eſt, ipſe introibit in regnum cœlorum. Item cata Lucam: Ille autem ſervus qui cognoſcit voluntatem domini ſui, & non paruerit voluntati ejus, vapulabit (ii) multis. In epiſtola Joannis: Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quo modo & (kk) ipſe manet in æternum.

Joh. 6. 38. Mat. 26. 39. Mat. 6. 10. Mat. 7. 21. Luc. 12. 47. 1 Joh. 2. 17.

Fundamentum, & firmamentum ſpei, & fidei eſſe timorem.

XX. In Pſalmo 110. Initium ſapientiæ timor Domini. De hoc ipſo in Sapientia Solomonis: Initium ſapientiæ, metuere Deum. Item in Parœmiis ejuſdem: Beatus homo eſt qui veretur omnia (ll) per metum. De hoc ipſo apud Eſaiam: Et ſuper quem alium reſpiciam, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos?

Pſ. 110. 10. Eccl. 1. 16. Pro. 28 14. Iſa. 66. 2.

(a) Propter hoc ſunt, *Lam. NC.* 1. *Thu. Corb. Cott.* (b) Non eſurient neque amplius ſitient, *Lin. Cott.* (c) Ullum dolorem patientur, *Bod.* 3. (d) Throni eſt, reget, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.* (e) Deducere eos, *Bod.* 2. (f) Ad fontem vitæ, *Cott.* ad fontem aquæ vivæ, *Bod.* 3. (g) Ab oculis, *Bod.* 1. 3. (h) Ex ligno, *Bod.* 1. 3. 4. (i) Felices, *Bod.* 1. 4. *Thu.* (k) Vigilant & ſervant, *Bod.* 1. *Cott.* (l) Item Paulus ad Timotheum, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Thu. Corb.* (m) Ego jam libor, *Bod.* 1. 2. *Thu.* (n) Inſtat aſſumtionis, *Bod.* 1. 3. 4. repoſitionis, *Cott.* (o) Bonum certamen, *Bod.* 2. *Cott.* curſum conſummavi, *Cott.* (p) De cætero repoſita, *Cott.* (q) Ille juſtus, *Bod.* 1. 2. 4. (r) Compatiamur & commagnificemur, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. ſimul magnificemur, *Bod.* 1. (s) Felices, *Bod.* 1. 4. *Thu.* (t) Ambulant in via domini, *Bod.* 1. 2. *Thu. Corb.* (u) Martyria ejus, & in toto corde exquirunt eum, *Bod.* 1. (w) Ad futuram gloriam, *Bod.* 1. (x) De hoc ipſo in Maccabæis. *Deſunt iſta in Impreſſis, ſed agnoſcunt Veron. Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Corb.* (y) Plus quam me, *Cott.* (z) Et qui diligit, *Corb.* (aa) Quid ſeparabit, *Thu.* (bb) Ab agape Chriſti, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 4. *Corb.* (cc) Tribulatio, anguſtia, *Cott.* (dd) Quoniam propter te, *Bod.* 3. (ee) Mortificamur, *Cott.* (ff) Oves occiſionis, *Bod.* 1. *Cott.* (gg) Patris mei qui me miſit, *Cott.* (hh) Sed quod tu vis, *Cott.* (ii) Multis plagis, *Cott.* (kk) Deus manet in æternum, *Cott.* (ll) Omnia propter metum, *Cott.*

1 *Non eſt meus Diſcipulus.*] Cyprianus pro μὴ ἄξιος, legiſſe videtur μὴ μαθητὴς. Et ita habetur. Luc. 14. 26.

2 *Pro eo qui dilexit nos.*] διὰ τοῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς, alii codices legunt διὰ τὸν ἀγαπήσαντα. Vulgatus habet, *propter eum.*

1 *Eadem*

Gen. 22. 11. meos? De hoc ipso in Genesi: & vocavit eum Angelus Domini de cœlo, & dixit illi: Abraham Abraham. Ille autem dixit: Ecce ego. Et dixit: Noli (a) imponere manum tuam super puerum, neque feceris illi quidquam. Nunc enim cognovi, quoniam times Deum tuum, & non pepercisti filio tuo dilectissimo propter me. Item in Ps. 2. 11. Psalmo 2. Servite Domino in timore, & exultate ei in tremore. Item in Psalmo 33. Ps. 33. 9. Timete Dominum omnes sancti ejus; quoniam non est inopia eis qui eum metuunt. Ps. 18. 10. Item in Psalmo 18. (b) Timor Domini castus perseverans in secula seculorum.

An. 249.

Luc. 6. 37. Rom. 14. 4. XXI. In Evangelio cata Lucam: Nolite judicare, ne judicemini: nolite condemnare, ne condemnemini. De hoc ipso ad Romanos: Tu quis es qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit; stabit autem, potens est enim Deus statuere eum. Rom. 2. 1. Et iterum quare (c) sine excusatione es ô homo omnis qui judicas; in quo enim judicas alium, te ipsum condemnas, [1] eadem enim agis, quæ judicas. Speras autem tu qui judicas eos qui mala agunt, & eadem facis, quia ipse effugies judicium Dei? Item in 1 Cor. 10. 12. Epistola Pauli ad Corinthios prima: Et qui se putat stare, videat ne cadat. Et iterum: Si quis se (d) putat scire aliquid, (e) nondum scit quemadmodum oporteat eum 1 Cor. 8. 2 scire.

Non temere de altero judicandum.

Mat. 6. 12. Mar. 11. 25. XXII. In Evangelio, (f) in prece quotidiana: (g) Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Item cata Marcum: Et cum steteritis ad orationem, remittite si quid habetis adversus aliquem, ut & pater vester qui in cœlis est, remittat vestra peccata vobis: (h) Si autem vos non dimiseritis; neque pater vester Marc. 4. 24. qui in cœlis est dimittet vobis peccata vestra. Item illic: In qua mensura (i) mensi fueritis, in ea remetietur vobis.

Accepta injuria remittendum & ignoscendum.

Rom. 12. 17. ibid v. 21. Apoc. 22. 10. XXIII. In Epistola Pauli ad Romanos: Nemini malum pro malo reddentes. Item illic: Noli vinci à malo, sed vince in (k) bono malum. De hoc ipso in Apocalypsi: Et dixit mihi, ne signaveris verba prophetiæ libri hujus, quia jam tempus in proximo est; & hi qui perseverant nocere, noceant; & qui in sordibus est, sordescat adhuc: Justus (l) autem adhuc justiora faciat, similiter & sanctus sanctiora. Ecce venio cito, & merces mea mecum est reddere unicuique secundum (m) facta sua.

Vicem malis non reddendam.

Joh. 14. 6. Joh. 10. 9. XXIV. In Evangelio cata Joannem: Ego sum via, veritas & vita: nemo venit ad patrem nisi per me. Item illic: Ego sum (p) ostium: per me si quis introierit, salvabitur.

Non posse ad patrem (n) pervenire, nisi per (o) filium ejus Jesum Christum.

Joh. 3. 5. Joh. 6. 54. XXV. In Evangelio cata Joannem: nisi quis (r) renatus fuerit ex aqua & spiritu (s), non potest introire in regnum Dei. Quod enim natum est de carne, caro est: & quod natum est de spiritu, spiritus est. Item illic: Nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis sanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis.

Ad regnum Dei nisi (q) baptizatus & renatus quis fuerit, pervenire non posse.

1 Cor. 9. 24. Mat. 3. 10. Mat. 7. 22. XXVI. In Epistola Pauli ad Corinthios prima: Nescitis quia qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, unus tamen accipit (t) palmam? Sic currite (u) ut (w) occupetis; & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos (x) vero incorruptam. In Evangelio cata Matthæum: Omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur. Item illic: Multi mihi dicent in illa die: Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia (y) exclusimus, & in tuo nomine virtutes (z) magnas fecimus? Et tunc dicam illis: Nunquam vos (aa) novi, recedite à me qui operamini iniquitatem. Item illic: (bb) Luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona opera vestra, & (cc) clarificent patrem vestrum qui in cœMat. 5. 16. lis est. Item Paulus (dd) ad Philippenses: [2] Lucete sicut luminaria in mundo.

Parum esse baptizari & Eucharistiam accipere, nisi quis factis & opere proficiat.

Joh. 5. 14. 1 Cor. 3. 16. 2 Parali. 15. 2. XXVII. In Evangelio cata Joannem: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi (ee) deterius fiat. Item in Epistola Pauli ad Corinthios prima: Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? si quis (ff) templum Dei (gg) violaverit, disperdet illum Deus. De hoc ipso in Paralipomenon: Deus vobiscum est, dum estis vos cum ipso, si derelinqueretis eum, derelinquet vos.

Baptizatum quoque gratiam perdere, quam consecutus sit, nisi innocentiam servet.

Mat. 12. 32. XXVIII. In Evangelio cata Matthæum: Qui dixerit verbum adversus filium hominis, remittetur illi: qui autem dixerit adversus Spiritum Sanctum, non remittetur illi, [3] *Non posse in Ecclesia remitti ei, qui in Deum deliquerit.*

(a) Inferre manum, *Cott.* (b) Timor Domini sanctus permanens in æternum, *Cott.* (c) Inexcusabilis, *Cott.* (d) Se sperat, *Bod.* 2. (e) Nondum hoc scit, *Corb.* nondum cognovit, *Cott.* (f) In Evangelio Matthæi: Remitte, *Cott.* (g) Dimitte nobis, *Bod.* 2. *Corb.* & *sic deinceps.* (h) Si autem vos, *desunt hæc in Thu.* (i) Metiveritis, *Corb.* (k) In bonum, *Thu. Corb. Cott.* (l) Justus justiora faciet, *Bod.* 1. *Cott.* (m) Opera sua, *Cott.* (n) Patrem venire, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (o) Nisi per Christum, *Bod.* 1. 2. *Thu. Corb.* nisi per dominum, *Cott.* (p) Sum janua, *Bod.* 1. 3. *Cott.* (q) Nisi quis baptizatus, *Cott.* (r) Natus fuerit, *Bod.* 3. 4. (s) Et spiritu sancto, *Lam. Lin. NC.* 1. (t) Accipit Brabeion, *Bod.* 3. (u) Currite omnes, *Thu.* (w) Omnes comprehendatis, *Cott.* (x) Nos autem incorruptibilem, *Cott.* (y) Dæmonia ejecimus, *Cott. Voss.* 3. (z) Virtutes multas, *Bod.* 1. *Cott.* (aa) Cognovi, *Cott.* (bb) Sic luceat, *Cott.* (cc) Et magnificent, *Bod.* 2. (dd) Ad Philippenses: Inter quos lucetis sicut, *Cott.* (ff) Deterius contingat, *Bod.* 1. *Voss* 3. (gg) Si quis autem, *Cott.* (hh) Violaverit, violabit, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Cor.*

1 *Eadem enim agis quæ judicas.*] In nostris exemplaribus legimus, τὰ γὰρ αὐτὰ πράσσεις ὁ κρίνων: sed Noster legisse videtur, ἀυτὰ πράσσεις ἃ κρίνεις. Et postea pro τοιαῦτα, τὰ κακά.

2 *Lucete sicut luminaria.*] Non indicative, sed imperative intellexit vocem φαίνεσθε.

3 *Non posse in Ecclesia remitti.*] Hæc prima fronte hypothesi Novatianæ favere videntur; sed scripturarum quæ afferuntur suffragia, ad peccatum adv. Sp. S. vel saltem graviora flagitia (& quidem prima Christianismi tempora nullam illis veniam tecere,) restringuntur. Porro cum ex priscis moribus, publice delinquentes, Ecclesia essent pellendi antequam ad pœnitentiam admitterentur; recte dicetur, non posse in Ecclesia ittiusmodi flagitiosis remitti. In eandem mentem dicit Auctor noster lib. de Habitu Virg. *Nulla sit venia ultra delinquere, postquam Deum nosse cœpisti.* vid. ad Heb. 6. 4.

An. 249. illi, neque in iſto ſeculo, neque in futuro. Item cata Marcum: Omnia peccata remittentur filiis hominum & blaſphemiæ: (a) qui autem blaſphemaverit in Spiritum ſanctum, non remittetur illi, ſed reus erit æterni peccati. De hoc ipſo in Baſileion primo: Si (b) delinquendo peccet vir adverſus virum, (c) orabunt pro eo (d) Dominum: ſi autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo. Marc 3.29. 1 Reg. 2. 25.

De odio nominis ante prædictum.

XXIX. In Evangelio cata Lucam: Et eritis odibiles omnibus hominibus propter nomen meum. Item cata Joannem: Si ſeculum vos odit, ſcitote quoniam (e) me primo odit: ſi 1 de ſeculo eſſetis, ſeculum quod ſuum eſſet amaret: ſed quia de ſeculo non eſtis, & ego elegi vos de ſeculo, propterea odit vos ſeculum. Mementote (f) ſermonis quem dixi vobis: Non eſt major ſervus (g) Domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Luc. 21. 17. Joh. 15. 18.

2 Quod quis Deo voverit, cito reddendum.

XXX. Apud Solomonem: Prout voveris votum Deo, ne moram feceris reddere illud. (h) De hoc ipſo in Deuteronomio: Si autem voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere illud: quia inquirens quæret illud Dominus Deus tuus à te, & erit in (i) peccatum. Ea quæ egredientur per labia tua, obſervabis: & (k) facies donum quod locutus es (l) ore tuo. De hoc ipſo in Pſalmo 49. Sacrifica (m) Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua. Invoca me in die (n) preſſuræ, & (o) eximam te, & (p) clarificabis me. De hoc ipſo in actibus Apoſtolorum: (q) Cur implevit Satanas cor tuum (r) mentiri te Spiritui ſancto? cum (s) eſſet fundus venditus, in tua erat poteſtate: non hominibus mentitus es, ſed Deo. Item apud Hieremiam: 3 Maledictus (t) qui facit opera Dei negligenter. Eccl. 5. 3. Deut. 23. 21. Pſ. 49. 15. Act. 5. 3. Jer. 48. 10.

Eum qui non crediderit, jam judicatum eſſe.

XXXI. In Evangelio cata Joannem: Qui non crediderit, jam judicatus eſt; quia non credidit in nomine (u) unici filii Dei. Hoc autem eſt judicium, quoniam lux venit in ſeculum, & magis dilexerunt (w) homines tenebras, quam lucem. De hoc ipſo in Pſalmo 1. Propterea 4 non (x) reſurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio juſtorum. Joh. 3. 18. Pſ. 1. 6.

De bono virginitatis & continentiæ.

XXXII. In Geneſi: (y) Multiplicans multiplicabo triſtitias tuas, & gemitus tuos: & in triſtitia paries filios, & (z) erit converſio tua ad virum tuum, & ipſe tui dominabitur. De hoc ipſo in Evangelio cata Matthæum: Non omnes capiunt verbum, ſed illi quibus datum eſt: ſunt enim ſpadones, qui ex utero matris nati ſunt: (aa) & ſunt ſpadones, qui coacti ſunt ab hominibus: & ſunt ſpadones, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat. Item cata Lucam: Filii ſeculi hujus 5 generant & generantur: qui autem habuerunt dignationem ſeculi illius, & reſurrectionis à mortuis, non nubunt, (bb) neque nubuntur. Neque enim incipient mori: æquales enim ſunt angelis Dei, cum ſint filii reſurrectionis. (cc) Reſurgere autem mortuos Moyſes ſignificat, cum dicit (dd) in rubo: Dominus Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob; non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum: omnes enim illi vivunt. Item in epiſtola Pauli ad Corinthios prima: Bonum eſt homini mulierem non (ee) contingere: propter (ff) fornicationem autem unuſquiſque uxorem ſuam habeat, & unaquæque virum ſuum habeat. Uxori vir debitum reddat: ſimiliter & uxor viro. Uxor corporis ſui poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter & vir corporis ſui poteſtatem non habet, (gg) ſed uxor. Nolite fraudare invicem, niſi ex conventione (hh), ad tempus, ut vacetis orationi; & iterum (ii) revertimini ad idipſum, ne tentet Gen. 3. 16. Mat. 19. 11. Luc. 20. 34. 1 Cor. 7. 1.

(a) Qui autem blaſphemaverit, non habet remiſſam, *Thu. Corb. Voſſ.* 3. non habebit remiſſam, *Bod.* 1. 2. 4. *Lam. Lin. NC.* 1. remiſſionem, *Cott.* (b) Delinquendo peccaverit, *Corb. Thu.* delinquendo deliquerit, *Cott.* (c) Orabit ſacerdos, *NC.* 2. orabunt juſti, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (d) Ad Dominum, *Bod.* (e) Me primum, *Cott.* me priorem odit, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. (f) Sermones quos, *Thu.* Sermonum quos locutus ſum, *Corb.* (g) Domino ſuo: neque apoſtolus major eo qui miſit illum, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. *Cott.* (h) Item in Deuteronomio, *Imp.* (i) In te peccatum. *NC.* 1. *Bod.* 2. ſi ea quæ egredientur per labia tua non obſervabis, *Voſſ.* 3. (k) Et facies Domino Deo tuo donum, *Cott. NC.* 1. *Bod.* 2. (l) Ex ore, *Cott.* (m) Immola, *Cott.* (n) Tribulationis, *Cott.* (o) Et eruam, *Cott.* (p) Magnificabis, *Cott.* (q) Ut quid implevit ſatanas, *Thu. Cott.* (r) Mentiri te apud Spiritum ſanctum, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 4. *Benev. Ver.* (s) Sic, *Bod.* 1. *Cott. Voſſ.* 3. *Impreſſa legunt* cum eſſet fundus in tua, (t) Maledictus homo, *Lam. Bod.* 1. *NC.* 1. *Cott.* (u) Unigeniti, *Cott.* (w) Magis dilexerunt tenebras, *Bod.* 2. 4. *Thu. Corb. Cott.* (x) Non exſurgent, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. ideo non reſurgent, *Cott.* (y) Replens replebo mœrores tuos, ſuſpirium tuum, & in triſtitia paries natos tuos, *Cott.* (z) Et converſio tua, *Bod.* 1. 2. 4. *Voſſ.* 3. (aa) Sic & ſpadones, *Bod.* 1. eunuchi, *Cott.* (bb) Neque uxores ducunt, *Bod.* 1. (cc) De reſurrectione autem mortuorum non legiſtis in libro Moſis, *Cott.* (dd) In rubo vidi Dominum Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Jacob. *Bod.* 1. 4. *Corb.* (ee) Mulierem non tangere, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. *Cott.* (ff) Propter fornicationes, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. (gg) Sed mulier, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 2, 3, 4. (hh) Conventione, & ad tempus, *Lam. Bod.* 1. 2. 4. *Lin. NC.* 1. (ii) Revertimini ad ipſum, *Lam. NC.* 1. *Lin.* Convertimini. *Corb.*

1 *De ſeculo eſſetis.*] Corrumpere & corrumpi, ſeculum vocatur.

2 *Quod quis Deo voverit.*] Pamelius ſuo more vota monaſtica hinc nobis commendat; parum memor, nec temporis, nec ſcripti iſtius rationem, iſtiuſmodi vota poſſe reſpicere.

3 *Maledictus qui facit opera Dei negligenter.*] Gentes Chananeæ per anathema ſeu חרם devotæ; unde qui in bellis iſtis quæ Dei auſpiciis gerebantur, victis pepercit, tanquam juramenti violati reus peragebatur. Porro bella non ſine votis olim ſuſcepta, Abrahæ, Jepthæ, & Iſraelitarum paſſim exemplis liquet.

4 *Non reſurgent impii in judicio.*] Judæi in illa erant ſententia, ſe ſolos in judicio venturo iſtendos.

5 *Generant & generantur.*] Græca quædam exemplaria, cum bona Pamelii venia, legunt γενῶνται καὶ γενῶσι. Quod ſequitur minus Latinum, *non nubunt, neque nubuntur*, apud omnes fere Patres Latinos retinetur; vix enim aliter voces in Græco textu, ἔτι γαμοῦσι, ἔτε ἐκγαμίσκονται, totidem verbis exhiberentur. Vulgatus interpres Luc. 20. 24. habet, *Filii hujus ſeculi non nubunt, & traduntur ad nuptias.* Quod ſtatim ſequitur, *neque enim incipient mori*, Græcis iis acceptum referendum quæ habent ἔτι γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι, ἰσάγγελοι τῷ θεῷ, τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ὄντες.

1 *Sic*

tet vos Satanas propter incontinentiam veſtram. Hoc dico ſecundum (a) veniam, non ſecundum (b) imperium: volo autem omnes homines eſſe ſicut & me: ſed unuſquiſque 1 Cor. 7. proprium (c) habet donum à Deo, alius ſic, alius autem ſic. Item illic: Cœlebs co- 32. gitat ea quæ ſunt Domini, quo modo (d) placeat Deo. Qui autem matrimonium contraxit, cogitat ea quæ ſunt mundi hujus, quo modo placeat uxori; 1 ſic & mulier, & virgo innupta cogitat ea quæ ſunt Domini, (e) ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu: quæ autem nupſit, cogitat de iis quæ ſunt mundi hujus, quo modo placeat viro. Item in Exodo: cum præcepiſſet Dominus Moyſi, ut ſanctificaret populum in diem ter- Exo. 19. 15. tium, ſanctificavit ille, (f) & adjecit: Eſtote parati: (g) tribus diebus non accedetis 1 Reg. 21. (h) ad mulieres. Item in Baſilcion primo: Et reſpondit ſacerdos ad David, & dixit: 4. (i) Non ſunt panes profani in manu mea, 2 niſi panis ſanctus unus: (k) ſi obſervati Apoc. 14. 4. ſunt pueri à muliere, manducabunt. Item in Apocalypſi: Hi ſunt qui cum mulieribus ſe non coinquinaverunt, virgines enim permanſerunt: hi ſunt qui ſequuntur agnum quocunque (l) ierit. *An.* 249.

Joh. 5. 22. XXXIII. In evangelio cata Joannem: Nihil pater judicat, ſed judicium omne filio dedit, ut omnes honorificent filium, ſicut honorificant patrem (m). Qui non Pſ. 71. 1. (n) honorificat filium, non honorificat patrem qui eum miſit. Item in Pſalmo 71. 3 Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis, judicare (o) populum Gen. 19. tuum in juſtitia. Item in Geneſi: Et pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorram 24. ſulphur & ignem de cœlo à Domino. *Nihil patrem judicare, ſed filium: & patrem ab eo non honorificari, à quo non honorificatur filius.*

Jer. 10. 2. XXXIV. Apud Hieremiam: Hæc dicit Dominus: Secundum (q) viam gentilium ne ambulaveritis. De hoc ipſo quod ſegregare ſe quis debeat à gentilibus, ne ſit ſo- Apoc. 18. 4. cius culpæ, (r) & fiat particeps plagæ eorum, in Apocalypſi: Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem: Exi de ea populus meus, ne particeps ſis delictorum ejus, & ne perſtringaris plagis ejus; quoniam delicta ejus uſque ad cœlum pervenerunt, & meminit Dominus Deus (s) iniquitatum ejus. Ideo (t) reddidit ei dupla, & in quo poculo miſcuit, (u) duplum remixtum eſt ei; & in quantum ſe clarificavit, & deliciarum habuit; in (w) tantum datus eſt ei & cruciatus & luctus; quoniam in corde ſuo dicit; Regina ſum, & vidua eſſe non poſſum, nec luctum viſura ſum, propterea una hora plagæ ejus (x) advenient, mors, luctus & fames, & igni cremabitur; quoniam fortis eſt Dominus Deus qui eam judicabit. Et flebunt & plangent ſe in ea Reges terræ, Iſa. 52. 11. qui cum ea fornicati ſunt, & in (y) deliciis converſati ſunt. Item apud Eſaiam; Exite de medio eorum, qui (z) fertis vaſa Domini. *Fidelem gentiliter vivere non (p) oportere.*

Eccl. 5. 4. XXXV. Apud Solomonem in Eccleſiaſtico: Ne dixeris, peccavi, (aa) & quid ac- Rom. 2. 4. cidit mihi triſte? eſt enim altiſſimus (bb) patiens redditor. Item Paulus ad Romanos: (cc) An nunquid opulentiam bonitatis ejus, & ſuſtinentiam & patientiam contemnis, ignorans quia bonitas Dei in pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam tuam & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei; qui reddet unicuique ſecundum opera ſua. *Deum ad hoc patientem eſſe ut nos pœniteat peccati noſtri & reformemur.*

Apoc. 17. 1. XXXVI. In Apocalypſi: Et venit unus ex ſeptem angelis habentibus phialas, & aggreſſus eſt me dicens: Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, ſedentis ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt Reges terræ. Et vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam: & mulier illa amicta erat (dd) pallium purpureum, & coccineum, & adornata erat auro, & lapidibus pretioſis, & margaritis, tenens poculum aureum in 1 Tim 2. 9. manu ſua; plenum execrationum, & immunditiæ, & fornicationis totius terræ. Item (ee) ad Timotheum: Sint (ff) mulieres veſtræ cum verecundia & pudicitia componentes ſe: non in tortis crinibus, neque auro (gg), neque margaritis (hh), aut veſte pretioſa, ſed ut decet mulieres promittentes caſtitatem per bonam converſationem. De hoc *Mulierem ornari ſeculariter non debere.*

(a) Secundum conſilium, *Bod.* 3. (b) Non ſecundum juſſum, *Lam. Bod.* 1. 2. 4. *NC.* 1. *Thu. Benev. Ver.* ſecundum indulgentiam, & non ſecundum imperium, *Cott.* (c) Habet Chariſma à Deo, *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voſſ.* 3. *Lin. NC.* 1. (d) Placeat Deo. Qui autem cum uxore; cogitat quæ ſunt mundi hujus, quomodo placeat uxori: & diviſæ ſunt mulier, *Cott. Ver.* Placeat uxori: & virgo innupta, *Lam. Cott. NC.* 1. *Bod.* 2. (e) Ut ſancta ſit corpore, *Bod.* 1. 3. (f) Adjecit dicens, *Lam. Lin. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. *Voſſ.* 3. (g) In tribus diebus, *Cott.* (h) A mulieribus, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (i) Non ſunt mihi panes abunde, niſi panis unus, (k) Si cuſtoditi ſunt, *Cott.* (l) Quocunque vadit, *Bod.* 3. 4 *Cott. Voſſ.* 4. (m) Patrem qui eum miſit, *Lam. NC.* 1. *Voſſ.* 3. (n) Honorat, *Cott.* (o) Populos tuos, *Bod.* 4. *Cott.* (p) Non debere, *Corb.* (q) Vias gentium, *Bod.* 2. 4. (r) Et fiat particeps plagæ, in Apoc. *Bod.* 1. 2. 4 (s) Iniquitatis ejus, *Bod.* 1. 3. 4. (t) Reddet ei dupla, *Cott.* (u) Duplum remiſcuit, *Bod.* 1. (w) Tantum datum, *Bod.* 2. datur, *Bod.* 1. 2. 3. (x) Adveniet, *Bod.* 1. (y) Delictis, *Impr.* (z) Qui portatis vaſa, *Cott.* (aa) Et quid accidit mihi? eſt, *Corb.* triſtitiæ, *Bod.* 2. (bb) Patiens, & redditurus, *Cott.* altiſſimus & patientiſſimus, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (cc) An divitias bonitatis, & longanimitatis ejus, & patientiam, *Cott.* (dd) Pallio purpureo, & coccineo, *Corb.* (ee) Item Paulus ad Tim. *Lam. Bod.* 2. *Lin. NC.* 1. (ff) Sint, inquit, mulieres, *Bod.* 2. (gg) Auro, nec argento, *Cott.* (hh) Neque in margaritis pretioſis, *Bod.* 2.

1 *Sic & mulier, & virgo.*] Conſentit iis Græcis MSS. quæ legunt, ἡ γυνὴ, ἡ παρθένος ἡ ἄγαμος, μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου.

2 *Niſi panis ſanctus unus.*] Codices LXX. quidam habent εἰ μὴ ἄρτος ὁ ἅγιος, quas voces ſingularem panem denotare credidit Auctor noſter. Sed exemplaria impreſſa paſſim legunt. ἢ ἅγιοι ἄρτοι εἰσὶν.

3 *Deus judicium tuum Regi da.*] Locum hunc Meſſiæ aſſeruit auctor Noſter c. 2. libri ſuperioris. Is qui ſequitur Gen. 19. 24. à Patribus paſſim ut Perſonarum in Deitate diſtinctio comprobetur afferri ſolet. Videat lector Juſtin. in Dial. cum Tryph. Iren. l. 3. c. 6. Tertul. adv. Prax. Cyrill. l. 1. in Joan. Athanaſ. Epiſt. de Synod. Hilar. l. de Synod. Hieron. in 45. Iſai. Amb. l. 1. de Fide.

An. 249. hoc ipſo in epiſtola Petri [1] ad Ponticos: Sit in muliere non exterior ornamenti, aut auri, aut veſtis cultus; ſed cultus cordis. Item in Geneſi: Thamar cooperuit ſe pallio, & adornavit: & cum aſpexiſſet eam Judas, viſum eſt ei meretricem eſſe. 1 Pet. 3. 3. Gen. 38. 14.

(a) Fidelem non oportere ob alia delicta, niſi ob nomen ſolum puniri.

XXXVII. In epiſtola Petri ad Ponticos: Nec quiſquam veſtrum tanquam fur aut homicida (b) patiatur; aut tanquam maleficus, aut curas alienas agens (c), ſed tanquam Chriſtianus. 1 Pet. 4. 15.

Servum Dei innocentem eſſe debere, ne incidat in pœnam ſecularem.

XXXVIII. In epiſtola Pauli ad Romanos: Vis non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem (d) ex illa. Rom. 13. 3.

Datum nobis eſſe exemplum vivendi in Chriſto.

XXXIX. In epiſtola Petri ad Ponticos: (e) Chriſtus enim paſſus eſt pro nobis, relinquens (f) vobis exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus. Qui cum malediceretur, non (g) remaledixit; cum pateretur, non (h) minabatur: [2] tradebat autem ſe judicanti (i) injuſte. Item Paulus ad Philippenſes. (k) Qui [3] in figura Dei conſtitutus, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed (l) ſe (m) exinanivit, formam ſervi accipiens, in (n) ſimilitudinem hominis factus, & (o) habitu inventus ut homo. Humiliavit ſe, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi (p) nomen, ut ſit ſuper omne nomen: ut in nomine Jeſu (q) omne genu curvetur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur (r), quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. De hoc ipſo in Evangelio cata Joannem: Si ego lavi pedes veſtros magiſter, & dominus, & vos debetis (s) aliorum pedes lavare. Exemplum enim dedi vobis, ut, ſicut (t) ego feci, (u) & vos aliis faciatis. 1 Pet. 2. 21. Phil. 2. 6. Joh. 13. 14.

Non jactanter, nec tumultuoſe operandum.

XL. In Evangelio cata Matthæum: Neſciat ſiniſtra (w) tua quid faciat dextera tua, ut ſit eleemoſyna tua in (x) abſcondito: & pater tuus qui videt [4] in abſcondito, reddet tibi palam. Item illic: Cum facis eleemoſynam, (y) noli buccinare ante te quomodo hypocritæ faciunt, in vicis & ſynagogis, ut (z) clarificentur ab hominibus. Amen dico vobis, (aa) compleverunt mercedem ſuam. Mat. 6. 3. ibid. v. 2.

Inepte & ſcurriliter non loquendum.

XLI. In epiſtola Pauli ad Epheſios: (bb) Stultiloquium & ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent, nec nominentur quidem in vobis. Eph. 5. 4.

5 Fidem (cc) in totum prodeſſe, & tantum nos poſſe, quantum credimus.

XLII. In Geneſi: Et credidit Abraham Deo, & (dd) deputatum eſt ei (ee) ad juſtitiam. Item apud Eſaiam: Et ſi non credideritis, neque intelligetis. Item in Evangelio cata Matthæum: Modicæ fidei (ff) quare dubitaſti? Item illic: Si habueritis fidem (gg) quaſi granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illo, & tranſibit: & nihil impoſſibile erit vobis. Item cata Marcum: Omnia quæcunque oratis & petitis, credite, quia accipietis, & erunt vobis. Item illic: Omnia (hh) poſſibilia credenti. Apud Abacuc: [6] Juſtus autem ex (ii) fide mea vivet. Item in Daniele: Ananias, Azarias, Miſahel (kk) credentes Deo liberati ſunt de flamma ignis. Gen. 15. 6. Iſa. 7. 9. Mat. 14. 31. Mat. 17. 19. Marc. 11. 24. Marc 9. 22. Abac. 2. 4. Dan. 3. 27.

Poſſe eum [7] ſtatim (ll) conſequi qui vere crediderit. Fideles inter ſe diſceptantes, non debere gentilem judicem experiri.

XLIII. In Actibus Apoſtolorum: Ecce aqua, quid eſt quod me (mm) impedit baptizari? Tunc dixit (nn) Philippus: ſi credis (oo) ex toto corde tuo, licet Act. 8. 36.

XLIV. In epiſtola Pauli ad Corinthios. 1. (pp) Audet quiſquam veſtrum adverſus alterum negotium habens diſceptare apud injuſtos, & non apud (qq) ſanctos? An neſcitis quia (rr) ſancti hunc mundum judicabunt? Et iterum: Jam quidem 1 Cor. 6. 1. ibid. v. 7.

(a) Fidelem non debere, *Corb.* (b) Homicidam agens puniatur, *Cott.* (c) Curas alienas agens puniatur, *Bod.* 2. alieni ſpeculator, *Tert.* (d) Laudem ab illa, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 4. (e) Chriſtus paſſus eſt pro vobis, *Thu. Corb. Cott.* (f) Relinquens exemplum, *Bod.* 1. 3. (g) Non maledicebat, *Bod.* 2. (h) Non comminabatur, *Corb.* (i) Judicanti ſe, *Bod.* 3. (k) Cum in figura Dei conſtitutus eſſet, *Cott.* (l) Sed ſemetipſum, *Bod.* 1. 4. *Cott.* (m) Inanivit, *Thu. Corb.* (n) In ſimilitudine, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Corb. Thu.* hominum, *Bod.* 2. (o) In ſpecie inventus, *Cott.* (p) Nomen quod eſt ſuper, *Bod.* 3. *Thu. Cott.* (q) Flectetur omne genu, *Cott.* genu curvent, *Bod.* 1. 2. 4. *Thu.* (r) Confiteatur Deo, *Lam. NC.* 1. *Cott.* (s) Alter alterius pedes, *Cott.* (t) Ego feci vobis, *Cott.* (u) Et vos faciatis, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. (w) Siniſtra quid, *Lam. NC.* 1. *Thu.* (x) In abſconſo, *Bod.* 2. *Cott. Lam. Lin. Bod.* 2. *NC.* 1. *Cott. Voſſ.* 4. (y) Noli tuba canere, *Lin. NC.* 2. tumultuari, *Bod.* 3. *Benev. Ver. Voſſ.* 4. (z) Honorificentur, *Cott.* (aa) Penſaverunt, *Lam. Lin. Thu. NC.* 1. *Corb. Bod.* 2. 4. perceperunt, *NC.* 2. *Cott.* receperunt, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. compenſaverunt, *Benev. Ver.* (bb) Multiloquium, *Bod.* 3. (cc) Fidem tantum; *Voſſ.* 3. 4. *NC.* 2. fidem prodeſſe, *Thu.* (dd) Reputatum, *Cott.* (ee) In juſtitiam, *Cott.* (ff) Ad quid dubitaſti, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. 4. *Thu. Corb.* (gg) Fidem ſicut, *Bod.* 1. 2. (hh) Poſſibilia ſunt, *Corb.* poſſibilia ſunt credentibus, *Cott.* (ii) Ex fide vivet, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3. juſtus autem meus, ex fide, *Cott.* (kk) Credentes liberati ſunt, *Bod.* 1. 2. 4. (ll) Conſequi baptiſmum, *Lam. NC.* 1. (mm) Quod me impediat tingi, *Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb. Cott. Voſſ.* 1. (nn) Dixit ei, *Corb.* (oo) In toto corde, *Bod.* 1. *Cott.* (pp) Audet aliquis veſtrum negotium diſceptare, *Cott.* (qq) Sanctos? Neſcitis, *Bod.* 1. (rr) Sancti mundum, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Thu. Corb. Bod.* 1. 2. 4. de hoc mundo, *Cott. Voſſ.* 3.

1 *Ad Ponticos.*] Sic Tert. in Scorpiaco.

2 *Tradebat autem ſe judicanti injuſte.*] Codices noſtri legunt κρίνοντι δικαίως. Sed legiſſe videtur noſter παρέδωκεν αὐτὸν τῷ κρίνοντι ἀδίκως. reſpectu ad Pilatum & Caiapham habito.

3 *In figura Dei conſtitutus.*] Tertullianus legit, *in effigie Dei conſtitutus.* Adv. Marcion. l. 5. c. 20. Vulgatus, *in forma.*

4 *In abſcondito reddet tibi.*] Quod ſequitur ἐν φανερῷ, in pluribus MSS. deeſt quod olim S. Auguſtinus obſervavit. De Serm. Domini in Monte. l. 2. c. 5.

5 *Fidem in totum.*] Sic capite ſequente, *in totum delictum in vobis eſt.*

6 *Juſtus autem ex fide mea.*] Hunc locum ſupra tractavimus lib. 1. ad Quirin. l. 5.

7 *Statim conſequi.*] Alibi conſecutio pro baptiſmo ponitur c. 97. *ad fidem & conſecutionem properandum.* Pariter Tertullianus lib. de bapt. c. 19. *Si qui pondus intelligant baptiſmi, magis timebunt conſecutionem.* Huic opponitur ſtatus competentium. Leges Eccleſiaſticæ, quæ poſtquam donum diſcretionis ſpirituum ceſſaſſet, cavebant ne Judæi & Gentiles aliique indigni præpropere per Baptiſmum admiſſi, Chriſtiano nomini dedecus inurerent; non debent, nec poſſunt, gratiæ divinæ præjudicare.

Act. 249. dem (a) in totum delictum in vobis est quia judicia habetis cum (b) invicem. Quare non magis (c) injuriam patimini, aut quare non magis fraudamini? sed vos injuriam facitis, & fraudatis, (d) & hoc fratribus: (e) an nescitis, quoniam injusti regnum Dei (f) non consequentur?

Spem futurorum esse, & (g) ideo fidem nostram circa ea quæ promissa sunt, patientem esse debere.

XLV. In epistola Pauli ad Romanos: Spe salvati sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, 1 (h) per patientiam expectamus. Rom 8. 24.

Mulierem in Ecclesia tacere debere.

XLVI. In epistola Pauli ad Corinthios prima: (i) Mulieres in Ecclesia taceant. 1 Cor. 14. 34.
(k) Si quæ autem quid discere volunt, domi viros suos interrogent. Item ad Timotheum: Mulier cum silentio discat in omni (l) subjectione. Docere autem mulierem non permitto, neque (m) præpositam esse viro, sed esse in silentio. Adam enim primus formatus est, deinde Eva: & Adam seductus non est, mulier autem seducta est. 1 Tim. 2. 11.

Delicto & merito nostro fieri ut laboremus, nec Dei opem in omnibus sentiamus.

XLVII. Apud Osee: Audite sermonem Domini filii Israel, quia (n) judicium est Domino adversus incolas (o) terræ, quod neque misericordia, neque veritas, neque agnitio Dei sit super terram. Sed execratio, & mendacium, & cædes, & furtum, & adulterium diffusum est super terram, sanguinem sanguini supermiscent. Iccirco terra lugebit cum universis incolis suis, cum bestiis agri, cum serpentibus terræ, cum volucribus cœli: & deficient pisces maris, (p) ut nemo judicet, nemo (q) revincat. De hoc ipso apud Esaiam: Numquid non valet manus Domini) ut salvos faciat: aut (s) gravavit aurem ut non exaudiat? sed peccata vestra inter vos & Deum separant: & (t) propter delicta vestra avertit faciem à vobis ne misereatur. Manus enim vestræ (u) inquinatæ sunt sanguine, & digiti vestri in peccatis: labia autem vestra locuta sunt facinus, & lingua vestra injustitiam meditatur: nemo loquitur vera, neque est judicium verum: fidunt in vanis, & loquuntur inania: qui (w) parturiunt dolorem, & (x) pariunt facinus. Item apud Sophoniam: 2 Defectione deficiat à facie terræ, dicit Dominus: Deficiat homo & pecudes, deficiant volucres cœli, & pisces maris: & auferam iniquos à facie terræ. Os. 4. 1. Is. 59. 1. Sopho. 1. 2.

3 *Non fenerandum.*

XLVIII. In Psalmo 14. Qui pecuniam suam non (y) dedit in fenore, & munera super innocentes non accepit: qui (z) ista fecerit, non (aa) commovebitur in æternum. Item apud Ezechielem. 4 Homo autem qui erit justus, hominem non opprimet (bb), & pignus debitoris reddet, & (cc) rapinam non faciet, & panem suum esurienti dabit, & nudum operiet, & pecuniam suam in usuram non dabit. Item in Deuteronomio. Non fenerabis fratri tuo (dd) usura pecuniæ, & usura ciborum. Ps. 14. 6. Ezec. 18. 7. Deut. 23. 19.

Inimicos quoque diligendos.

XLIX. In Euangelio cata Lucam: Si diligitis qui vos diligunt, quæ est vobis gratia? & (ee) peccatores enim diligunt eos qui se diligunt. Item cata Matthæum: Diligite inimicos vestros, & orate pro his qui vos persequuntur: ut sitis filii patris vestri qui in cœlis est; qui (ff) solem oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Luc. 6. 32. Mat. 5. 44.

5 *Sacramentum fidei non esse profanandum.*

L. Apud Solomonem in Parœmiis: In aures imprudentis noli quidquam dicere: ne quando audierit, irrideat sensatos sermones tuos. Item in Euangelio cata Matthæum: Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas vestras ante porcos, ne forte (gg) inculcent eas pedibus suis, & conversi (hh) elidant vos. Prov. 23. 9. Matt. 7. 6.

Quod nemo in opere suo extolli debeat.

LI. Apud Solomonem in Ecclesiastico: Noli te extollere in faciendo opere tuo. Item in Euangelio cata Lucam: Quis vestrum habens servum arantem, aut (a) pasto- Eccl. 10. 39. Luc. 17. 7.

(a) Tantum delictum, *Cott.* (b) Habetis invicem, *Bod.* 1. *Cott.* (c) Fraudem patimini, *Lam. Bod.* 1. *NC.* 1. sustinetis, *NC.* 2. injuriam accipitis, *Bod.* 1. (d) Et hoc fratres, *Bod* 4. (e) Aut nescitis, *Thu. Corb.* (f) Non possidebunt, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.* (g) Ideo fidelem circa, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (h) Per patientiam speramus, *Lam. Bod.* 1. *NC.* 2. expectamus, *Bod.* 1. *Voss.* 3. (i) Mulier, *Corb.* Mulieres vestræ, *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Cott. NC.* 1. *Voss.* 3. Ecclesia tacere debent, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (k) Si quid autem discere, *NC.* 2. Si quæ autem sint, *Lin.* (l) Humilitate, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Corb.* submissione, *Bod.* 1. 4. *Thu.* in omni modestia, *Cott.* (m) Dominari in virum, *Cott.* (n) Judicium est à Domino, *Lam. Bod.* 2. Domini, *Voss.* 1. (o) Terræ eo quod, *Bod.* 4. (p) Ut nemo sit qui judicet. (q) Nemo qui, *Lin.* (r) Ut salvet, *Lam. NC.* 1. 2. *Corb.* (s) Gravavit aures, *Thu. Corb.* (t) Propter peccata, *Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 3. 4. (u) Plenæ sunt sanguine, *Bod.* 3. *Voss.* 4. (w) Parturiunt dolum, *NC.* 2. (x) Pariunt iniquitatem, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Corb.* (y) Dedit ad usuram, *Cott.* dedit fenori, *Bod.* 1. *Thu. Corb.* (z) Facit hæc, *Corb.* (aa) Non delebitur, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (bb) Et debitum reddet, *Corb.* debitori reddet, *Cott.* (cc) Rapinam non rapiat, *Bod.* 1. 3. 4. *Thu.* (dd) Usuras, *Bod.* 1, 2, 3, 4. in usura, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Lin.* usuram, *Bod.* 1. *Lin. Thu.* usuram pecuniæ, *Cott. Voss.* 3. 4. (ee) Peccatores enim diligunt eos qui se diligunt, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.* (ff) Solem suum, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voss.* 3. (gg) Ne inculcent ea pedibus, *Cott.* conculcent eas, *NC.* 2. *Bod.* 2. (hh) Allidant, *Corb.*

1 *Per patientiam expectamus.*] Sic in lib. de bono patientiæ, & hic loci probati legunt MSS. Quod olim legebatur *perspectationem speramus* librariorum barbariei imputandum.

2 *Defectione deficiat*] τὰ πάντα non hic tantum, sed etiam in Græcis exemplaribus plurimis deesse observasse non pigebit; pariter habet comma proxime succedens, καὶ ἀσθενήσουσιν ὁι ἀσεβεῖς quod Theodotionis erat additamentum, ut Græca hebræis responderent. Symmachus rectius vertit, καὶ σκάνδαλα μετ' ἀσεβῶν.

3 *Non fenerandum.*] Usura apud scriptores ecclesiasticos perpetuo male audit: & merito, quandocunque ob moram pecuniæ ob inopiam non solutæ pretium exigitur. Alia fortasse ratio est pecuniarum quas qui accepit in lucro ponit: nisi quatenus leges positivæ contrarium statuunt, aut scandalum aliter suadet.

4 *Homo autem qui erit justus.*] Voces istæ ad supplendum sensum à sequentibus appositæ.

5 *Sacramentum fidei.*] Mysteria nimirum non evulganda: quod in omni religione semper obtinuit.

Ant. 249. (a) paſtorem, & venienti de agro dicit continuo, (b) tranſi, recumbe? Sed dicit illi, para aliquid (c) quod cœnem, & accingere, & miniſtra mihi, donec manducem & bibam: & poſtea tu manducabis & bibes. Numquid habet gratiam (d) ſervo illi, quia fecit quæ ei imperata ſunt? ſic itaque & vos (e) cum perfeceritis quæ vobis imperata ſunt, dicite: (f) Servi ſupervacui ſumus: 1 (g) quod habuimus facere, fecimus.

Credendi vel non credendi libertatem, in arbitrio poſitam.

LII. In Deuteronomio: Ecce dedi ante faciem tuam vitam & mortem, bonum & malum: (h) elige vitam tibi, ut vivas. Item apud Eſaiam: Et ſi volueritis & audieritis me, bona (i) terræ edetis. Si autem nolueritis, & non audieritis me, gladius vos conſumet: os enim Domini locutum eſt iſta. Item in Euangelio cata Lucam: 2 (k) Regnum Dei intra vos eſt. Deut. 30. 19. Iſa. 1. 19. Luc. 17. 21.

Dei arcana perſpici non poſſe, & ideo fidem noſtram ſimplicem eſſe debere.

LIII. (l) In Epiſtola Pauli ad Corinthios prima: Videmus nunc (m) per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc ſcio ex parte, (n) tunc autem cognoſcam (o) ſicut & ego cognitus ſum. Item apud Solomonem in Sapientia: Et in ſimplicitate cordis (p) quærite illum. Item apud eundem; Qui ambulat ſimpliciter, ambulat fidenter. Item apud eundem; Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris. Item in Solomone; Noli eſſe (q) multum juſtus, & noli argumentari plus (r) quam oportet. Item apud Eſaiam; Væ qui arguti ſunt in ſemetipſis. Item in Maccabæis; Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum. (s) Item in Epiſtola Pauli ad Romanos; O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, (t) quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & quam inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? vel quis prior dedit ei, & retribuetur illi? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi claritas in ſecula ſeculorum. Item ad Timotheum: Stultas autem & ineruditas quæſtiones devita, ſciens quia lites generant. Servum autem Dei non oportet litigare, ſed mitem eſſe ad omnes. 1 Cor. 13. 12. Sap. 1. 1. Prov. 10. 9. Eccl. 3. 22. Eccl. 7. 17. Iſa. 29. 15. 1 Mac. 2. 60. Rom. 11. 33. 1 Tim. 1. 23.

Neminem (u) ſine ſorde & ſine peccato eſſe.

LIV. Apud Job: Quis enim mundus à ſordibus? 3 nec unus (w) etiam ſi unius diei ſit vita ejus in terra (x). Item in Pſalmo 50. (y) Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in (z) delictis concepit me mater mea. Item in Epiſtola Joannis: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Job. 14. 4. Pſ. 50. 6. 1 Joh. 1. 8.

Non hominibus, ſed Deo placendum.

LV. In Pſalmo 52. Qui hominibus placent, confuſi ſunt: quia Deus nihil fecit illos. Item in Epiſtola Pauli ad Galatas (aa): Si hominibus (bb) placere vellem, Chriſti ſervus non eſſem. Pſ. 52. 7. Gal. 1. 10.

Deum nihil latere ex his quæ gerun tur.

LVI. In Sapientia Solomonis: In omni loco ſpeculantur oculi Dei bonos & malos. Item apud Hieremiam: Ego Deus approximans, & non Deus (cc) de longinquo (dd). Si abſconditus fuerit homo in abſconditis, (ee) ergo ego non videbo eum? Nonne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus? Item in Baſileion primo: Homo (ff) videt in facie, Deus autem in corde. Item in Apocalypſi: (gg) Et ſcient omnes Eccleſiæ quia ego ſum (hh) ſcrutator renis & cordis: & dabo unicuique veſtrum ſecundum (ii) opera ſua. Item in Pſalmo 18. Delicta quis intelligit? (kk) Ab occultis meis munda me Domine. Item in epiſtola Pauli ad Corinthios ſecunda, Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti (ll), ut reportet unuſquiſque (mm) ſui corporis propria, ſecundum quæ egit, ſive bona, ſive mala. Prov. 15. 3. Jer. 23. 23. 1 Reg. 16. 7. Apo. 2. 23. Pſ. 18. 13. 2 Cor. 5. 10.

Fidelem emendari & (nn) revari.

LVII. In Pſalmo 117. (oo) Emendans emendavit me Dominus, & morti non tradidit me. Item in Pſalmo 88. Viſitabo (pp) in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Miſericordiam autem meam non (qq) diſpergam ab eis. Item apud Malachiam: Et (rr) ſedebit conflans & expurgans ſicut aurum & argentum: & emundabit filios Pſ. 117. 18. Pſ. 88. 32. Mal. 3. 3.

(a) Paſtorem venientem, *Lam. Corb. NC.* 1. (b) Tranſi & recumbe. *Corb.* (c) Ut cœnem, *Corb.* (d) Servus illi, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (e) Cum feceritis, *Thu.* (f) Servi inutiles, *Thu. Corb.* (g) Quod debuimus facere, *Bod.* 1. 2. 4. *Cott.* (h) Elige vitam, ut vivas, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.* (i) Terræ manducabis, *Cott.* (k) Ecce regnum Dei, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.* (l) Paulus in Epiſtola ad Corinthios prima, *Corb.* (m) Per ænigmata, *Lin.* (n) Tunc cognoſcam, *Bod.* 1. (o) Sicut cognitus, *Cott.* (p) Quærite Deum, *Thu. Voſſ.* 4. Dominum, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Lin. NC* 2. (q) Multum ſapiens, *Lin.* multum ſapiens apud ſeipſum, *Cott.* (r) Quam neceſſe eſt, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Thu. Corb.* (s) Paulus ad Rom. *Corb.* (t) Quam inſcrutabilia, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb. Voſſ.* 3. (u) Sine ſordibus, *Ver. Benev.* (w) Nec ſi unius, *Bod.* 1. (x) Terra; non poteſt eſſe ſine querela, *Cott.* (y) Ecce in facinore, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb. Voſſ.* 3. (z) In peccatis concepit, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 3. 4 aluit me in utero, *Voſſ.* 3. (aa) Si adhuc hominibus, *Lam. NC.* 1. (bb) Placerem, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. (cc) Deusde longe, *Lam. NC.* è longinquo, *Cott.* (dd) Quod ſi abſconditus fuerit homo in abſconditis ſuis, *Lam. NC.* 1. abſconditus ergo, *Corb.* (ee) Ergo non, *Bod.* 3. (ff) Videt in faciem, Deus autem in cor. *Thu. Lin.* Deus videt in corde, *Cott.* (gg) Et ſcient omnes gentes & Eccleſiæ, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. (hh) Sum Dominus ſcrutator, *Lam. NC.* 1. (ii) Opera veſtra, *NC.* 2. opera, *Thu.* (kk) A ſecretis meis, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. *Thu. Corb. Voſſ.* 3. (ll) Recipiat unuſquiſque, *NC.* 2. (mm) Noſtrum quod geſſit, *Cott.* (nn) Reſervari debere, *Lam. NC.* 1. (oo) Caſtigans caſtigavit, *Cott.* Caſtigans emendavit, *NC.* 1. 2. (pp) In virga ferrea, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. (qq) Non diſperdam, *Corb.* auferam, *Bod.* 3. *Voſſ.* 4. (rr) Et ſedit Deus, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. *Thu.*

1. *Quod habuimus facere.*] Locutio Tertulliano frequens, lib. de Anim. c. 55. *Habes & regionem inferum ſubterraneam credere.* De pudicitia c. 13. *Erudiri haberent blaſphemandum non eſſe.*

Regnum Dei intra vos eſt.] Poſſe homines gratiæ divinæ obiecem ponere, vix illuſtriori documento quis oſtenderit, quam quod Meſſiam præſentem uſque requirebant Judæi: imo odiis inexpiabilibus proſequebantur.

3 *Nec unus.*] Magis ad mentem veritatis Hebrææ, habent vulgati interpretes; *Nonne tu qui ſolus es? Ecce breves dies homini ſunt.* ſed LXX. ſequitur Auctor noſter.

1 *Non*

An. 249. filios Levi. Item in Euangelio: 1 Non exibis inde, donec exſolvas noviſſimum quadrantem. Mat. 5. 26.

Neminem contriſtari morte debere, cum ſit in vivendo labor & periculum, in moriendo pax (a) & reſurgendi ſecuritas.

LVIII. In Geneſi: Tunc dixit Dominus ad Adam: Quia exaudiſti vocem (b) uxoris tuæ, & manducaſti ex illa arbore 2 de qua ſola præceperam tibi (c) ne manducares, maledicta terra erit in omnibus operibus tuis. In triſtitia & gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos ejiciet tibi, & (d) pabulum agri edes. In ſudore vultus tui edes panem tuum, donec revertaris in terram, de qua & ſumtus es; quia terra es, & in terram ibis. Item illic: & complacuit Enoch Deo, & (e) non eſt inventus poſtmodum: quia Deus illum tranſtulit. Et apud Eſaiam; Omnis caro fœnum, & omnis claritas ejus, ut flos fœni. Aruit fœnum, & flos decidit: (f) Sermo autem Domini (g) manet in æternum. Apud (h) Ezechielem: Ipſi dicunt; Arida facta ſunt oſſa noſtra, periit ſpes noſtra, expiravimus: propterea (i) Prophetiza, & dic: Hæc dicit Dominus; Ecce ego aperio monumenta veſtra, & educam vos de monumentis veſtris, & inducam vos in terram Iſraël. Et dabo ſpiritum meum in vos, & vivetis. Et ponam vos in terram veſtram, & cognoſcetis quoniam ego Dominus locutus ſum, & faciam (k), dicit Dominus. Item in Sapientia Solomonis: (l) Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum illius: placita enim erat Deo anima illius. Item in Pſalmo 83. (m) Quam dilectiſſimæ habitationes tuæ Deus virtutum: (n) deſiderat & properat anima mea (o) ad atria Dei. Et in epiſtola Pauli ad Theſſalonicenſes: Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ne contriſtemini ſicut & cæteri qui ſpem non habent. Si enim credimus quia Jeſus mortuus eſt & reſurrexit: ſic & Deus eos qui dormierunt in Jeſu, adducet cum eo. Item ad Corinthios prima; (p) Stulte, tu quod ſeminas, non vivificatur (q) niſi prius mortuum fuerit. Et iterum; Stella à ſtella differt in claritate, ſic & (r) reſurrectio mortuorum. Seminatur corpus in corruptione, reſurgit (s) ſine corruptela. Seminatur (t) in ignominia, reſurgit in gloria. Seminatur in infirmitate, reſurgit in virtute. Seminatur corpus animale, (u) reſurgit ſpiritale. Et iterum: Oportet enim 3 corruptivum iſtud induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem corruptivum hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem; tunc fiet verbum quod ſcriptum eſt; (w) Abſorpta eſt 4 mors (x) in contentionem. Ubi eſt mors aculeus tuus? ubi eſt mors contentio tua? Item in Euangelio cata Joannem; Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ego fuero, & ipſi ſint mecum, & videant claritatem meam, quam mihi dediſti (y) ante conſtitutionem mundi. Item cata Lucam; Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace; Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum. Item cata Joannem; Si me dilexiſſetis, (z) gauderetis; quoniam vado ad patrem, quia pater major me eſt. Gen. 3. 17. Gen 5. 24. Iſa. 40. 6. Ezec. 37. 11. Sap. 4. 11. Pſ. 83. 1. 1 Theſſ. 4. 13. 1 Cor. 15. 36. Ibid. v. 41. Ibid. v. 53. Joh. 17. 24. Luc. 2. 29. Joh. 14. 28.

De idolis quæ gentiles Deos putant.

LIX. In Sapientia Solomonis; Omnia idola nationum æſtimaverunt Deos, quibus neque oculorum uſus eſt ad videndum, neque (aa) nares ad percipiendum ſpiritum, neque aures ad audiendum, neque (bb) digiti in manibus ad contrectandum; ſed & pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, & qui (cc) ſpiritum mutuatus eſt, is finxit illos. Nemo autem ſibi ſimilem homo poterit Deum fingere: cum ſit enim (dd) mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior eſt autem ipſe iis quos colit: quoniam ipſe quidem vixit, illi nunquam. De hoc ipſo: Neque opera attendentes cognoverunt quis eſſet artifex, ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem, aut lunam, rectores orbis terræ Deos putaverunt: quorum ſi propter ſpeciem hoc æſtimaverunt, ſciant quanto his Dominus ſit ſpecioſior: aut ſi virtutes & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab ipſis, quoniam qui hæc conſtituit fortia, fortior eſt illis. Item in Pſalmo 134. Idola gentium argentum & aurum, opus manuum hominum. Os habent, & non loquuntur; Sap. 15. 15. Sap. 13. 1. Pſ. 134. 15.

ocu-

(a) Et in reſurgendo ſecuritas, *Bod.* 3. (b) Mulieris, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Voſſ.* 3, (c) Ne manducares, & manducaſtis ex ea, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (d) Edes panem tuum de pabulo agri. *Corb.* (e) Non eſt inventus, quia, *Cott.* (f) Verbum, *NC.* 2. *Manut.* (g) Manebit, *Bod.* 3. 4. (h) Ezechielem; dicunt, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb.* (i) Propheta & dic, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Cott. Voſſ.* 3. (k) Dicit Dominus omnipotens, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (l) Raptus eſt juſtus, *Cott.* commoratus eſt in brevi, explevit tempora, placebat enim Deo, *Cott.* (m) Quam amabiles, *Bod.* 3. amabilia tabernacula, *Lin.* (n) Concupiſcit & deficit, *Lin. NC.* 2. (o) In atria, *Bod.* 1. (p) Inſipiens tu, *Cott.* (q) Niſi ante, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. *Voſſ.* 3. Stella enim, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.* (r) In reſurrectione, *Bod.* 1. (s) In incorruptione, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. (t) In ignobilitate, *Cott.* (u) Reſurgit corpus, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. (w) Abſumta eſt mors, *Lam. Bod.* 1. 2. 4. *NC.* 1. (x) Sine contentione, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (y) Antequam mundus fieret, *Cott.* (z) Gauderetis utique, *Lin.* (aa) Nares ad odorandum, *Cott.* (bb) Digiti manuum ad tractandum, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Voſſ.* 3. manus ad palpandum, *Cott.* (cc) Spiritum mutuat, *Lam. NC.* 1. (dd) Mortalis, mortuum finget, *Voſſ.* 3, 4.

1 *Non exibis inde*] Textus hic affertur ut probet, fidelem emendari malis à Deo immiſſis in hoc ſeculo. Nimirum ſolus infernus pœnarum proprie dictarum locus.

2 *De qua ſola.*] ἐνετειλάμην σοι τάτε μόνε habent LXX. qui præiverunt in additione vocis *Sola.*

3 *Corruptivum iſtud.*] Eodem modo legit Tertull. de Reſurrect. carnis paſſim.

4 *Mors in contentionem.*] εἰς νῖκος, apud Apoſtolum: ſed Auctor noſter, & etiam Tertullianus legiſſe videntur εἰς νεῖκος. LXX. poſuerunt Oſee 13. 14. πᾶ ἡ δίκη σε θάνατε; πᾶ τὸ κέντρον σε ᾅδη; Et revera, judicia forenſia non ſine contentione peraguntur: quique cauſam obtinet, viciſſe paſſim dicitur. Notetur Græcos interpretes רבר non pro peſte, ſed ſententia à judice prolata accepiſſe. Inſuper legiſſe non ut nos יהי ſed אירה quod Chaldæum feciſſe verſu 10. conſtat. Porro advertere licebit, nonnulla græca exemplaria pro ᾅδη, cum auctore noſtro, denuo legiſſe θάνατε.

An. 249. oculos habent, & non vident; aures habent, & (a) non audiunt; neque enim eſt ſpiritus in ore eorum. (b) 1 Similes fiant illis qui (c) faciunt ea, & omnes qui confidunt in illis. Item in Pſalmo 95. Omnes Dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. Item in Exodo: Non facietis vobis Deos argenteos, neque aureos. Et iterum: Non facies tibi idolum, nec cujuſquam ſimilitudinem. Pſ. 134 17. Pſ. 95. 5. Exo. 20. 23. Exo. 20. 4.

Ciborum nimiam concupiſcentiam non appetendam.

LX. Apud Eſaiam: (d) Edamus & bibamus, cras enim moriemur. Non remittetur vobis peccatum iſtud, quoaduſque moriamini. Item in (e) Exodo: Et conſedit populus manducare & bibere, & (f) ſurrexerunt ludere. Paulus ad Corinthios 1. Cibus nos non commendat Deo: neque ſi (g) manducaverimus, abundabimus: neque ſi non manducaverimus, (h) egebimus. Et iterum: (i) Cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. Si quis (k) eſurit, domi manducet, ut non (l) ad judicium conveniatis. Item ad Romanos: Non eſt regnum Dei eſca & potus, ſed juſtitia & pax & gaudium in ſpiritu ſancto. (m) In Evangelio cata Joannem: (n) Ego cibum habeo, quem vos non noſtis. Meus cibus eſt, (o) ut faciam voluntatem ejus qui me miſit, & perficiam opus ejus. Isa. 22. 13. Exod. 32. 6. 1 Cor. 8 8. 1 Cor. 11. 33. Rom. 14. 17. Joh. 4. 33.

Poſſidendi concupiſcentiam, & pecuniam non appetendam.

LXI. In Eccleſiaſtico apud Solomonem: Qui diligit argentum, non ſatiabitur argento. Item in Paroemiis: Captans annonam maledictus in plebe eſt; benedictio autem in ejus capite eſt, (p) qui communicat. Item apud Eſaiam: (q) Væ qui (r) conjungunt domum (s) ad domum, & (t) agrum ad agrum continuant, 2 ut auferant (u) proximo ſuo aliquid. Numquid habitabitis ſoli ſuper terram? Item apud Sophoniam: Ædificabunt domos & (w) non inhabitabunt; & inſtituent vineas, & non bibent vinum earum, quia prope eſt dies Domini. Item in Evangelio cata Lucam: Quid enim prodeſt homini lucrifacere totum mundum, (x) ſe ipſum autem perdere? Et iterum: Dixit autem illi Dominus: Stulte, hac nocte (y) expoſtulatur (z) anima tua: quæ ergo (aa) paraſti, cujus erunt? Et iterum: commemorare quoniam (bb) percepiſti bona in vita tua, & (cc) Lazarus ſimiliter mala. Nunc vero (dd) 3 hic rogatur, tu autem doles; & in Actibus Apoſtolorum; Dixit autem Petrus ad eum; Argentum quidem & aurum non eſt mihi; quod autem habeo, hoc tibi do; In nomine Jeſu Chriſti (ee) Nazareni, ſurge & ambula. Et (ff) apprehenſa manu ejus dextera, (gg) excitavit eum. (hh) Item ad Timotheum prima; nihil intulimus in hunc mundum, verum nec (ii) auferre quid poſſumus. 4 Habentes itaque exhibitionem & tegumentum, his contenti ſimus. Qui autem volunt divites fieri, (kk) incidunt in tentationem, 5 & muſcipulam, & deſideria multa & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Eccl. 5. 9. Prov. 11. 26. Iſa. 5. 8. Sophon. 1. 13. Luc. 9. 25. Luc. 12. 20. Act. 3. 6. 1 Tim. 6. 7.

Matrimonium cum gentilibus non jungendum.

LXII. Apud Tobiam: Uxorem accipe ex ſemine parentum tuorum & noli ſumere (ll) alienam mulierem, quæ non eſt ex tribu parentum tuorum. Item in Geneſi: Mittit puerum ſuum Abraham, ut de ſemine ſuo (mm) accipiat Rebeccam filio ejus Iſaac. Item in Eſdra: Satis non fit Deo cum vaſtarentur Judæi, niſi alienigenas uxores cum filiis quoque quos ex illis procreaverant, reliquiſſent. Item in epiſtola Pauli ad Corinthios 1. (nn) Mulier vincta eſt quamdiu vivit vir ejus: ſi autem dormierit, (oo) liberata eſt, ut (pp) cui vult nubat, tantum in Domino: (qq) felicior autem erit ſi ſic (rr) permanſerit. Et iterum: Neſcitis quoniam corpora veſtra membra Chriſti ſunt? Tob. 4. 12. Gen. 24. 3. 1 Eſd. 10. 1 Cor. 7. 39. 1 Cor. 6. 15.

(a) Non audiunt; nares habent, & non odorabunt; manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt, *Bod.* 1. *Cott. Voſſ.* 3. (b) Similes ſint omnes, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb.* (c) Faciunt ea. Item, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (d) Non dicemus; Edamus &, *NC.* 1. (e) Exodo: Conſedit, *Bod.* 1. (f) Exſurrexit, *Thu. Voſſ.* 3. (g) Ederimus, *Thu.* (h) Deficiemus, *Bod.* 3. (i) Cum conveneritis, *Lam. NC.* 1. (k) Eſurierit, *Bod.* 1. 3. (l) In judicium, *Bod.* 1. 3. 4. (m) Item in Evangelio, *Bod.* 1. 4. (n) Cibum habeo manducare, *Corb. NC.* 2. (o) Ut perficiam, *NC.* 2. (p) Communicans ei, *Bod.* 1. (q) Væ his, qui, *Cott.* (r) Adjungit domum, *Bod.* 1. (s) Ad domum, villam ad villam, *Lin. Corb.* (t) Agrum agro, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 3. 4. *Thu.* (u) Proximis ſuis, *Bod.* 2. 3. *Corb.* proximi, *Bod.* 1. 4. (w) Non habitabunt in eis, *Lam. NC.* 1. 2. *Bod. Cott.* (x) Si Animæ ſuæ detrimentum patiatur, *NC.* 2. (y) Poſtulatur anima, *Lam. NC.* 1. (z) Anima tua à te, *Lin.* (aa) Præparaſti, *Lam.* (bb) Recepiſti bona, *Lam. NC.* 1. (cc) Lazarus autem mala, *NC.* 1. 2. (dd) Hic lætatur, *Lam. Cott.* hic quieſcit, *Bod.* 1. hic conſolatur, *Bod.* 2. *Corb.* (ee) Nazaræi, *Thu.* (ff) Apprehendens manum, *Lin.* (gg) Elevavit, *Thu.* (hh) Item Paulus, *Bod.* 2. (ii) Auferre poſſumus, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Lam. Voſſ.* 3. auferre poterimus, *Cott.* (kk) Incidunt in laqueos tentationum, *Corb.* in laqueum Diaboli, *NC.* 2. muſcipulam Diaboli, *Cott.* (ll) Alienam uxorem, *Bod.* 1. 4. *Voſſ.* 3. *Thu.* (mm) Accipiatur Rebecca, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu.* (nn) Mulier alligata eſt, *NC.* 2. (oo) Liberata eſt, cui, *Voſſ.* 3. *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. (pp) Cui volet, *Thu. Corb.* (qq) Beatior, *Bod.* 1. *NC.* 2. (rr) Permanſerit. Item de hoc ipſo ad Corinthios prima, *Bod.* 1. 3. 4.

1 *Similes fiant.*] Nihil gravius accidere poteſt Idololatræ, quam ut Deo ſuo ſimilis reddatur.

2 *Ut auferant proximo.*] Ita LXX. ſed Sym. & Theod. rectius, ἕως τοῦ μὴ ὑπάρχειν τόπον. Vulgat. legit. *Uſque ad terminum loci.*

3 *Hic rogatur.*] παρακαλεῖται. Nunc mendici partes, mutatis rerum vicibus, agit Dives, & Lazarum rogat. Vulgatus interpres & alii, vocem reddunt in altero ſignificatu, *hic conſolatur.*

4 *Habentes exhibitionem.*] Phraſis Tertulliano perpetua cum de victu quotidiano agit. Vid. lib. de Idol. c. 6. 8. 12. de corona. c. 7. de monogam. c. 16. Et quidem locutio à tritura fori quod uterque exercuit hauſta: nam *exhibere*, illic ſonat vitæ neceſſaria ſuppeditare. Paulus in L. Neſennius. ff. de negot. geſt. *Pone, peregre patrem ejus abiiſſe, & matrem dum in patriam reverteretur, tam filium quam filiam ejus exhibuiſſe.* Sic Ulp. l. 1. ff. de officio præfect. urb. *Sed & patronos egentes de ſuis libertis querentes audiet; maxime ſi ægros ſe eſſe dicant, deſiderentque à libertis exhiberi.*

5 *Et muſcipulam.*] Muſcipula, παγίς. Gloſſ. vetus. Machina quidem animalculo liguritori capiendo ſatis apta; ſed homini prorſus indigna.

1 *Continentiæ*

ſunt? (a) Auferens membra Chriſti, faciam (b) membra fornicariæ? abſit. Aut neſcitis quia (c) qui conglutinatur fornicariæ, unum corpus ſunt? Erunt enim duo in una carne. Qui autem (d) ſe conjunxerit Domino, (e) unus ſpiritus eſt. Item ad Corinthios ſecunda: Nolite conjungi cum infidelibus. Quæ autem participatio eſt juſtitiæ & iniquitati? Aut quæ eſt communicatio (f) luci ad tenebras? Item de Solomone in Baſileion 3. Et averterunt uxores alienigenæ cor ejus poſt Deos ſuos. *An.* 249.

2 Cor. 6. 14.

3 Reg. 11. 4.

LXIII. Paulus ad Corinthios: Omne delictum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt: Qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Non eſtis veſtri: emti enim eſtis pretio magno. Clarificate & portate Dominum in corpore veſtro. *Grave delictum eſſe fornicationis.*

1 Cor. 6 18.

LXIV. Paulus ad Galatas: Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Hæc enim invicem (g) adverſantur ſibi, ut non quæ vultis, ipſa faciatis. Manifeſta ſunt autem facta carnis, quæ ſunt (h) adulteria, fornicationes, immunditiæ, ſpurcitiæ, idololatriæ, veneficia, homicidia, inimicitiæ, contentiones, (i) æmulationes, animoſitates, provocationes, ſimultates, diſſentiones, hæreſes, invidiæ, ebrietates, comeſſationes, & his (k) ſimilia. Quæ (l) prædico, quia qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Fructus autem ſpiritus eſt caritas: gaudium (m), pax, magnanimitas, bonitas (n), fides, manſuetudo, 1 continentia, caſtitas. Qui enim ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt (o) cum vitiis & concupiſcentiis. *Quæ ſunt carnalia, quæ mortem pariant & quæ ſpiritalia, quæ ad vitam ducant?*

Gal. 5. 17.

LXV. In epiſtola Pauli ad Corinthios 1. Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque (p) maſculorum appetitores, neque fures, neque fraudatores, neque ebrioſi, neque maledici, (q) neque raptores regnum Dei conſequentur. Et hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, (r) ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, & in ſpiritu Dei noſtri. *Omnia delicta in baptiſmo depoſui.*

1 Cor. 6 10.

LXVI. Apud Hieremiam: Et dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & (s) paſcent oves paſcentes cum diſciplina. Item apud Solomonem in Parœmiis: Fili ne neglexeris diſciplinam Dei, neque defeceris ab eo correptus. Quem enim Deus diligit, corripit. Item in Pſalmo 2. (t) 2 Continete diſciplinam ne forte iraſcatur Dominus, & (u) pereatis à via recta. Cum exarſerit cito ira ejus ſuper vos: (w) beati omnes qui confidunt in eo: Item Pſalmo 49. Peccatori autem (x) dicit Deus: Ad quid exponis juſtificationes meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum; tu autem odiſti diſciplinam, & (y) abjeciſti ſermones meos retro? Item in ſapientia Solomonis: Diſciplinam qui abjicit, infelix eſt. *Diſciplinam Dei in eccleſiaſticis præceptis obſervandam.*

Jer. 3. 15. Prov. 3. 11. Pſ. 2. 12. Pſ. 49. 17. Sap. 3. 11.

LXVII. Paulus ad Timotheum 2. Erit tempus quando ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ſecundum ſua (z) deſideria coacervabunt ſibi magiſtros 3 prurientes in audiendo; ſcalpentes aures: Et à veritate quidem (aa) auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. *Prædictum, quod diſciplinam ſanam aſpernaturi eſſent.*

2 Tim. 4. 3.

LXVIII. Paulus ad Theſſalonicenſes: Præcipimus autem (dd) vobis in (ee) nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut diſcedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis. Item in Pſalmo 49. Si videbas furem ſimul (ff) currebas cum eo, & (gg) cum adulteris portionem tuam ponebas. *Recedendum ab eo qui* (bb) *inordinate, & contra* (cc) *diſciplinam vivit.*

2 Theſ. 3. 6. Pſ. 49. 19.

LXIX. In epiſtola Pauli ad Corinthios 1. Miſit me Chriſtus annunciare non in ſermonis ſapientia, ne inanis fiat crux Chriſti: Verbum enim crucis ſtultitia eſt iis qui pereunt; iis autem qui ſalvantur, virtus Dei eſt. Scriptum eſt enim: Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi (hh) conquiſitor hujus ſeculi? nonne (ii) infatuavit Deus ſapientiam hujus mundi? (kk) Quoniam quidem in ſapientia Dei non cognovit mundus per ſapientiam Deum, complacuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvare credentes. Quoniam Judæi (ll) ſigna deſiderant, & (mm) Græci prudentiam quærunt: nos autem prædicamus Chriſtum *Non in ſapientia mundi, nec in eloquentia eſſe regnum Dei, ſed in fide crucis, & in virtute converſationis.*

1 Cor. 1. 17.

(a) Tollam membra Chriſti, *Cott.* auferens ergo, *Bod.* 2. (b) Membra meretricis fornicariæ, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. *Cott. Voſſ.* 3. (c) Qui conglutinantur, *Bod.* 2. 4. *Thu. Corb.* adhæret meretrici, *Voſſ.* 3. (d) Se conjungunt, *Cott.* (e) Uno ſpiritu ſunt, *Cott.* (f) Lumini, *Voſs.* 3. (g) Enim adverſantur, *Voſſ.* 3. (h) Fornicatio, impudicitia, *Cott.* (i) Æmulatio, ira, rixa, animoſitates, *Cott.* (k) Similia. Quia qui talia agunt, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod. Thu. Corb.* (l) Prædico vobis ſicut prædixi, quia, *Cott.* (m) Pax, patientia, benignitas, bonitas, *Cott.* (n) Fides, modeſtia, manſuetudo, continentia, caſtitas, dilectio, adverſus hujuſmodi non eſt lex, *Cott.* (o) Cum paſſionibus & deſideriis, *Cott.* (p) Maſculorum concubitores, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. *Cott. Voſſ.* 3. (q) Neque rapaces regnum Dei, *Cott.* (r) Sed ſanctificati, ſed juſtificati, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. (s) Paſcent vos cum diſciplina, *Cott. Voſſ.* 3. (t) Apprehendite diſciplinam, *Bod.* 2. (u) Pereatis à via juſta, *Cott.* (w) Felices omnes qui confidunt in eum, *Cott. Corb.* (x) Dixit Deus; Quare tu narras juſtitias meas, *Cott.* ut quid, *Voſſ.* 3. (y) Projeciſti poſt te, *Cott.* (z) Deſideria ambulantes, *Lam. NC.* 1. (aa) Auditum avertentes, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. *Corb.* (bb) Inordinate vadit, *Corb.* (cc) Diſciplinam Dei vivit, *Lam. NC.* 1. (dd) Vobis fratres in nomine, *Lam. Lin. NC.* 1. (ee) *Sic Græca*, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. *Thu. Corb. Voſſ.* 3. *Imp. omittunt* Domini noſtri. (ff) Concurrebas ei, *Lam. NC.* 1. *Thu. Bod.* 1, 2, 3, 4. (gg) Inter mœchos, *Bod.* 4. cum mœchis particulam, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Thu. Corb.* (hh) Conquiſitor hujus mundi, *Lam. NC.* 1. (ii) Stultam fecit ſapientiam, *Cott. Voſſ.* 3. ſtultitiam fecit Deus, *Bod.* 1. (kk) Quandoquidem ſapientiam Dei non cognovit mundus per inſipientiam ſuam; placuit Deo per ſtultitiam, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. per ſapientiam ſuam, *Cott.* (ll) Signa petunt, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. (mm) Græci ſapientiam quærunt, *Cott. Voſſ.* 3.

1 *Continentia, caſtitas.*] Conſentit iis MSS. qui addunt ἁγνεία.

2 *Continete diſciplinam.*] Sic reddit locum in lib. de habitu Virg. Legunt LXX. δράξασθε παιδίας. Fortaſſe olim ſcriptum δράξασθε παιδίᾳ. amplexamini filium.

3 *Prurientes in audiendo, ſcalpentes aures.*] Alterum horum videtur ex margine deſumtum.

An. 249. Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: ipſis autem vocatis Judæis & Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam. Et iterum: 1 Cor. 3. Nemo ſe decipiat. 1 Si quis putat ſapientem ſe eſſe in vobis, (a) mundo huic ſtultus fiat, 18. ut ſit ſapiens. Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: (b) Reprehendes ſapientes in aſtutia ipſorum. Et iterum: Dominus cognovit cogitationes (c) ſapientium, (d) quia ſunt ſtultæ.

Parentibus obſequendum.

LXX. In epiſtola Pauli ad Epheſios: Filii obſequentes eſtote parentibus veſtris, Eph. 6. 1. hoc enim eſt juſtum. Honora patrem tuum, (e) & matrem tuam, quod eſt mandatum (f) primum in promiſſione, ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram.

g *Patres quoque aſperos eſſe circa filios non oportere.*

LXXI. Et (h) vos parentes nolite in (i) iracundiam mittere filios veſtros, ſed nutrite Eph. 6. 4. eos (k) in diſciplina, & correptione Domini.

Servos cum crediderint, plus dominis carnalibus ſervire debere.

LXXII. In Epiſtola Pauli ad Epheſios: Servi obedite Dominis carnalibus cum me- Eph. 6. 5. tu & tremore, & in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto, non ad oculum ſervientes, quaſi hominibus placentes, ſed quaſi (l) ſervi Dei.

Dominos mitiores eſſe debere.

LXXIII. (m) Item illic: Et vos Domini eadem facite ad eos, (n) laxantes iracun- Eph. 6. 9. diam, ſcientes quia & (o) veſter & ipſorum Dominus eſt in cœlis, & exceptio perſonarum (p) non eſt in illo.

Viduas probatas quaſque honorandas.

LXXIV. In Epiſtola Pauli ad Timotheum prima; Viduas honora, quæ vere ſunt 1 Tim. 5. 3. viduæ. Quæ autem delicata eſt vidua, (q) vivens mortua eſt. Et iterum: (r) Junio- 1 Tim. 5. res autem viduas præteri. Cum enim (s) indelicatæ fuerint in Chriſto, nubere vo- 11. lunt, habentes judicium: quoniam primam fidem reprobaverunt.

Suorum, & maxime fidelium curam, plus unumquemque habere debere.

LXXV. Ad Timotheum prima: Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum 1 Tim. 5. 8. non agit curam, fidem denegat, & eſt deterior infideli. De hoc ipſo apud Eſaiam: ſi Iſa. 58. 7. videris nudum, veſti, & domeſticos ſeminis tui non (t) deſpicias. De quibus domeſticis in Evangelio dictum eſt: Si patrem-familias Beelzebub dixerint, quanto magis Mat. 10. domeſticos ejus? 25.

Majorem natu non temere accuſandum.

LXXVI. Ad Timotheum prima: Adverſus majorem natu accuſationem recepe- 1 Tim. 5. ris. 19.

Peccantem publice objurgandum.

LXXVII. In Epiſtola Pauli ad Timotheum prima: Peccantes coram omnibus cor- 1 Tim. 5. ripe, ut & cæteri metum habeant. 20.

Cum hæreticis non loquendum.

LXXVIII. Ad Titum: Hæreticum hominem poſt unam aut ſecundam correptionem devita, ſciens quoniam perverſus eſt hujuſmodi, & peccat, & eſt à ſemetipſo damnatus. De hoc ipſo in epiſtola Joannis: Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex 1 Joh. 2. nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum. Item ad Timotheum 19. ſecunda: Sermo eorum ut cancer ſerpit. 2 Tim. 2. 17.

Innocentiam fidenter petere, & impetrare.

LXXIX. In epiſtola Joannis: Si cor noſtrum nos non reprehendat, fiduciam ha- 1 Joh. 3. bemus ad Deum, & quodcunque petierimus accipiemus ab eo. Item in Euangelio cata 21. Matthæum: (v) Beati mundo corde, 2 quoniam ipſi Deum videbunt. Item in Pſal- Mat. 5. 8. mo 23. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Inno- Pſ. 23. 3. cens manibus & (w) mundo corde.

Nihil licere diabolo in hominem, niſi Deus permiſerit.

LXXX. In Euangelio cata Joannem: Dixit Jeſus; 3 nullam haberes poteſtatem Joh. 19. 11. adverſus me, niſi data tibi eſſet deſuper. Item in Baſileion tertio: Et excitavit Domi- 3 Reg. 11. nus ſatanan ipſi Solomoni. Item in Job (x) prius Deus permiſit, & tunc Diabolo li- 23. cuit. Et in Euangelio Dominus (y) ante permiſit dicendo Judæ; Quod facis (z), fac Job. 2. 6. celerius. Item apud Solomonem in Parœmiis: Cor regis in manu Dei. Joh. 13. 27. Prov. 21. 1.

Mercedem mercenario cito reddendam.

LXXXI. In Levitico: Non dormiet merces mercenarii tui apud te (aa) uſque in Lev. 19. 13. mane.

Non augurandum.

LXXXII. In Deuteronomio: (bb) Non ominemini neque auguremini. Deut. 18. 10.

cc *Cirrum non habendum.*

LXXXIII. 4 Non facietis cirrum ex coma capitis veſtri. Lev. 19. 27.

LXXXIV.

(a) Seculo huic ſtultus fiat, *Bod.* 1. 3. 4. *Voſſ.* 3. (b) Reprehendens, *Lin. NC.* 1. reprehendam, *Morel.* (c) Sapientum hominum, *Lam.* (d) Quia ſunt vanæ, *Bod.* 1. (e) Et matrem, quod, *Bod.* 1. 2. 4. (f) Primum in repromiſſione, *Lam. Lin. Bod.* 1. 2. *Voſſ.* 3. (g) Parentes quoque, *Bod.* 2. 4. (h) Vos patres, *Thu. Voſſ.* 3. *Corb.* (i) Iracundiam provocare, *NC.* 1. (k) Cum diſciplina, *Cott.* in diſciplinam & correptionem, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. *Voſs.* 3. (l) Servi Chriſti, *Lam. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 3. 4. *Voſſ.* 3. (m) Item illic, *deſunt in impreſſis, quæ vocem* illic *tranſponunt. Reſtituo, ex Lam. NC.* 1. *Voſſ.* 3. *Lin.* (n) Remittentes iracundiam, *Lam. Cott.* (o) Et veſtrum ipſorum, *Voſſ.* 3. (p) Non eſt apud illum, *NC.* 2. (q) Viva mortua eſt, *Bod.* 1. 4. *Corb.* (r) Adoleſcentes autem viduas devita, *Cott.* Omitte, *Voſſ.* 3. (s) Delicatæ fuerint, *Benev. Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. in deliciis fuerint, *Voſſ.* 3. (t) Deſpexeris, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. (u) Felices mundo, *Lam. Thu. Corb. Lin. NC.* 1 *Bod.* 1. 2. 4. (w) Mundus corde, *Bod.* 4. (x) In omnibus prius Deus, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (y) Ante præmonuit, *Bod.* 1. (z) Fac velocius, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 4. *Cott.* velociter, *Lin.* citius, *NC.* 2. *Bod.* 3. (aa) Uſque ad, *Bod.* 2. uſque mane, *Bod.* 1. 4. *Cott.* (bb) Ominaberis neque auguraberis, *Cott.* (cc) Cirrum non habendum, *ſic*, *Thu. Corb. Lam. NC.* 1. 2. *Lin. Bod.* 1. 2. 4. *Impreſſa addunt in capite.* In Levitico.

1 *Si quis putat ſe ſapientem eſſe in vobis, mundo huic ſtultus fiat.*] Legunt exemplaria noſtra εἴ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, μωρὸς γενέσθω. Noſter Auctor aliter diſtinxiſſe videtur, nimirum. εἰ τις δοκεῖ σοφὸς εἶναι ἐν ὑμῖν, τῷ αἰῶνι τούτῳ μωρὸς γενέσθω.

2 *Quoniam ipſi Deum videbunt.*] Qui precantur faciem Domini requirere dicuntur; & quos Deus averſatur, dicitur avertere faciem ab iis.

3 *Nullam haberes poteſtatem.*] Recte iſta, licet Pilato dicta, ad Diabolum referuntur: ait pariter enim Dominus, hanc eſſe illorum, nempe Judæorum horam, & deinceps ſubjungit poteſtatem tenebrarum, Luc. 22. 53.

4 *Non facietis cirrum.*] σισόην vertunt LXX. quod Heſychius explicat (ſi hariolari liceat poſt Caſaubonum & Heinſium) ut ſit κουρὰ παρὰ φασηλίταις. Tonſura in uſu apud gentem Paleſtinæ finitimam Phaſelitarum, &c. eo Iſraëlitis vetita. Tertul. de virgin. vel. notat *Germanorum cirros.* Quod Tacito interprete, de morib. Germ. eſt, *obliquare crimen, nodoque ſubſtringere. Effigies barbæ*, eſt ὄψις τῦ πώγωνος apud LXX.

1 *Pie-*

An. 249. *Barbam non vellendam.* LXXXIV. Non corrumpetis effigiem barbæ veſtræ. Lev. 19. 27.

Surgendum, cum Epiſcopus aut preſbyter veniat. LXXXV. A facie ſenioris exſurges, & (a) honorabis perſonam (b) presbyteri. Lev. 19. 32.

LXXXVI. In Eccleſiaſtico apud Solomonem: Scindens ligna [1] periclitabitur in eis ſi exciderit ferrum. Item in Exodo: in domo una comedetur, non ejicietis de domo carnem foras. Item in Pſalmo 132. Ecce (c) quam bonum & quam jucundum (d) habitare fratres in unum. Item in Euangelio cata Matthæum: Qui non eſt mecum, adverſus me eſt. Et qui mecum (e) non colligit, ſpargit. Item in epiſtola Pauli ad Corinthios prima: Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. (f) Sitis autem compoſiti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Item in Pſalmo 67. Deus qui inhabitare facit (g) unanimes in domo. Eccl. 10. 9. Exo. 12. 46. Pſ. 132. 1. Mat. 12. 30. 1 Cor. 1. 10. Pſ. 67. 6.

Schiſma non faciendum, etiamſi in una fide, & in eadem traditione permaneat qui recedit.

Fideles ſimplices cum prudentia eſſe debere. LXXXVII. In Euangelio cata Matthæum: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ: & iterum; Vos eſtis ſal terræ: Si autem (h) ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? (i) ad nihil valet, (k) niſi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Mat. 10 16. Mat. 5. 13.

Fratrem non circumveniendum. LXXXVIII. In Epiſtola Pauli ad Theſſalonicenſes prima: (l) Non circumvenire in negotio fratrem ſuum; quia (m) ultor eſt Deus de his omnibus. 1 Theſ. 4. 6.

Subito venire (n) finem mundi. LXXXIX. Inquit Apoſtolus: Dies Domini ſicut fur in nocte, ita veniet (o). Cum (p) dixerint pax (q) & firmitas, tunc illis repentinus (r) adveniet interitus. Item in Actibus Apoſtolorum: Nemo poteſt cognoſcere (s) tempus, aut tempora, quæ pater poſuit in ſua poteſtate. 1 Theſ. 5. 2. Act. 1. 7.

Uxorem à viro non recedere aut ſi receſſerit (t) innuptam manere. XC. Paulus ad Corinthios: Iis autem quæ nupſerunt præcipio, non ego ſed Dominus, uxorem à viro (u) non ſeparari: ſi autem (w) receſſerit, manere innuptam, aut reconciliari viro (x) & virum uxorem non demittere. 1 Cor. 7. 10.

Tantum unumquemque tentari, quantum poteſt ſuſtinere. XCI. Paulus ad Corinthios in epiſtola prima: Tentatio vos non (y) occupavit, niſi humana. Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari (z) ſuper quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam evadendi facultatem, ut poſſitis tolerare. 1 Cor. 10. 13.

XCII. Paulus in epiſtola ad Corinthios prima: Omnia licent, ſed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. 1 Cor. 6. 11.

XCIII. In epiſtola Pauli ad Corinthios prima: Oportet & hæreſes eſſe, ut probati manifeſti ſint in vobis. 1 Cor. 11. 19.

Non quid quid licet eſſe faciendum. XCIV. In Levitico: Anima autem quæcunque manducaverit ex carne ſacrificii ſalutaris, quod eſt Domini, & immunditia ipſius ſuper ipſum eſt, peribit anima illa de populo ſuo. Item ad Corinthios prima: [2] Quicunque ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Lev. 7. 20. 1 Cor. 11. 27.

Prædictum quod hæreſes futuræ eſſent. XCV. Apud Solomonem in Parœmiis: [3] Ne adduxeris impium in habitaculum juſtorum. Item apud eundem in Eccleſiaſtico: Viri juſti ſint tibi convivæ. Et iterum: Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis. Item illic: Longe abeſto ab homine poteſtatem habente (cc) occidendi, & non ſuſpicaberis timorem. Item illic: (dd) [4] Beatus qui invenit amicum verum, & qui enarrat juſtitiam auri audienti. Item illic: Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam. Item in Pſal. 17. Cum juſto juſtificaberis (ee); & cum viro innocente innocens eris; & cum perverſo (ff) perverſus eris. Item in Epiſtola Pauli ad Corinthios prima: Corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimæ. Pro. 24. 15. Eccl. 9. 22. ibid. 6. 16. ibid. 9 18. ibid. 25. 12. ibid. 48. 28, Pſ. 17. 28.

Cum timore & honore Euchariſtiam accipiendam.

(aa) *Bonis*

(bb) *convivendum, malos autem vitandos.*

XCVI.

(a) Honorificabis perſonam, *Cott.* (b) Presbyteri tui, *Bod.* 2. (c) Ut quid bonum & voluptabile, *Benev. Lin. Bod.* 4. (d) Ut habitent, *Bod.* 2. 4. (e) Non colligit, diſpergit, *Lam. Bod.* 1. 2. 4. *NC.* 1. 2. non congregat, *Cott.* (f) Sitis autem perfecti, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. (g) Unius moris in domo, *Cott.* (h) Sal evanuerit, *Cott.* (i) Ad nihilum, *NC.* 2. valet ultra, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (k) Niſi projici foras & conculcari, *Bod.* 4. *Thu. Corb. Voſſ.* 3. (l) Noli circumvenire fratrem tuum, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. 4. vide nequis circumveniret, *Cott.* (m) Vindex, *Cott.* (n) Finem mundi. In Euangelio, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Lin.* (o) Diem autem illam & horam nemo ſcit, neque angeli cœlorum niſi pater ſolus, *Cott.* (p) Dixerint homines pax, *Bod.* 2. (q) Et ſecuritas, *Bod.* 1. (r) Superveniet interitus, *Lam.* (s) Momenta aut tempora, *Cott.* (t) Innuptam permanere, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (u) Non diſcedere, *Bod.* 2. *Cott.* (w) Diſceſſerit, *Cott.* (x) Vir uxorem non demittat, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (y) Occupabit, *Thu. Corb.* apprehendit, *Bod.* 1. (z) Super id, *Bod. Lam. NC.* 1. (aa) Cum bonis, *Lam. NC.* 1. *Voſſ.* 3. (bb) Conveniendum, *Mor Man.* (cc) Occidendi, Item illic, *Lam. Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb.* (dd) Felix qui invenit, *Bod.* 4. *Thu.* (ee) Cum electo electus eris, *Lin. Cott.* (ff) Perverteris, *Lin.*

1 *Periclitabitur in eis ſi exciderit ferrum.*] Lectio hæc à LXX. deſumta, interpunctione tamen mutata. Apud eos verba in duas periodos diſtinguuntur σχίζων ξύλα κινδυνεύσει ἐν αὐτοῖς. Ἐὰν ἐκπέσῃ τὸ σιδήριον, &c. Rectius vulgatus interpres Hebræam veritatem exhibet. *Qui ſcindit ligna vulnerabitur ab eis. Si retuſum fuerit ferrum & hoc non ut prius, ſed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur.*

2 *Quicunque ederit panem, aut biberit calicem.*] Pamelius in locum hunc, lib. de Lapſis, ait, *lectionem hanc notatu dignam contra eos qui neceſſitatem urgent communionis ſub utraque ſpecie.* Nimirum, illo judice, hinc conficitur ſufficere ad Euchariſtiæ perceptionem, ut quis ſolummodo panem edat: proinde & dicat pariter, non minus ſufficere, ut quis calicem ſolum bibat. Porro ait, *advertendam venire hujus loci expoſitionem, de præmittenda exomologeſi ante euchariſtiam.* Hoc eſt, confeſſionem auricularem ſacris illis myſteriis neceſſario prærequiri; ſcil. mandatum ut quis *ſe examinet*, id omnino jubet, ut ſinguli examen alienum ſubeant. Certe qui hypotheſi ſuæ ſic patrocinium præſtat: tacendo impenſius commendaſſet.

3 *Ne adduxeris impium in habitaculum juſtorum.*] Sacer textus habet אל תארב רשע לבית צדיק quod vulgatus interpres vertit *ne inſidieris*, &c. LXX. vero, quos Auctor noſter ſequitur, paraphraſi non incommoda reddunt μὴ προσαγάγῃς ἀσεβῆ νομῇ δικαίων. Videntur pro תארב Legiſſe תערר

4 *Beatus qui invenit amicum verum.*] LXX habent, ὡς εὗρεν φρόνησιν. Sed legiſſe videtur Cyprianus. ὡς εὗρεν φίλον. aut, φίλον πιστόν.

1 *Ad*

An. 249. *Factis, non verbis operandum.*

XCVI. Apud Solomonem in Eccleſiaſtico: Noli citatus eſſe in lingua tua, & inutilis & remiſſus in operibus tuis. Et Paulus ad Corinthios prima: Non in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. Item ad Romanos: Non auditores legis juſti ſunt apud Deum; ſed factores legis juſtificabuntur. Item in Euangelio cata Matthæum: Qui fecerit, & ſic docuerit, maximus vocabitur in regno cœlorum. Item illic: Omnis qui audit verba mea & facit ea, ſimilabo eum viro ſapienti qui ædificavit domum ſuam ſuper petram; (a) Deſcendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim fuit ſuper petram. Et omnis qui audit verba mea & (b) non faciat ea, ſimilabo eum viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam. Deſcendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in domum illam, & cecidit, & facta eſt ruina ejus magna. Eccle. 4. 34. 1 Cor. 4. 20. Rom. 2. 13. Mat. 5. 19. Mat. 7. 24.

Et ad fidem & 1 ad conſecutionem properandum.

XCVII. Apud Solomonem in Eccleſiaſtico: Ne tardes converti ad Deum, & ne (c) differas de die in diem. Subito enim venit (d) ira illius. Eccleſ. 5. 8.

XCVIII. In epiſtola Pauli ad Romanos. Faciamus (e) mala, 2 dum veniunt bona, quorum condemnatio juſta eſt. Rom. 3. 8.

Catechumenum peccare jam non debere.

XCIX. Paulus ad Romanos: (f) Quotquot ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt. Et quotquot in lege peccaverunt, per legem & judicabuntur. Rom. 2. 12.

Judicium ſecundum tempora futurum, vel æquitatis ante legem, vel legis poſt Moyſen.

C. In Actibus Apoſtolorum: Pecunia tua (g) tecum ſit in perditione; (h) quia exiſtimaſti gratiam Dei per pecuniam (i) poſſideri. Item in Euangelio: (k) Gratis accepiſtis, gratis date. Item illic: Domum Patris mei, domum feciſtis negotiationis. Item apud Eſaiam: Qui ſititis, vadite ad aquam, & quotquot non habetis pecuniam, euntes (l) emite & bibite ſine pecunia. Item in Apocalypſi: Ego α & ω initium & finis. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. 3 Qui vicerit, (m) poſſidebit ea, & eorum hæreditatem; & ero ejus Deus, & ille erit mihi filius (n). Act. 8. 20. Mat. 10. 8. Joh. 2. 16. Iſa. 55. 1. Apoc. 21. 6.

Gratiam Dei gratuitam eſſe debere.

CI. In Exodo: Et mons Syna (o) fumabat totus; quoniam deſcenderat Deus in eum in igne. Item in Actibus Apoſtolorum. Et factus eſt ſubito de cœlo ſonus quaſi ferretur flatus vehemens, & implevit totum illum locum, in quo erant (p) ſedentes. Et viſæ ſunt illis linguæ diviſæ quaſi ignis, qui & inſedit in unumquemque illorum: & impleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Item in ſacrificiis quæcunque accepta habeat Deus, deſcendebat ignis de cœlo, quæ ſacrificata conſumeret. In Exodo: in flamma ignis apparuit angelus Domini de rubo. Exo. 19. 18. Act. 2. 2. 1 Reg. 18. 38. Exod. 3. 2.

Spiritum Sanctum in igne frequenter apparuiſſe.

CII. Apud Solomonem in Parœmiis: Qui corripit impium, odietur ab eo. Corripe ſapientem, (r) & diliget te. Pro. 9. 8.

Correptionem (q) bonos quoſque libenter audire debere.

CIII. Apud Solomonem: Ex multiloquentia non effugies peccatum, parcens autem labiis ſenſatus eris. Pro. 10. 19.

CIV. (s) Apud Solomonem: Abominatio eſt Domino (u) labia mendacia. Pro. 12. 22.

(s) A multiloquentia temperandum.

CV. In Solomone: Qui (w) parcit baculo, odit filium. Et iterum: Ne (x) deſtiteris parvulum emendando. Pro. 13. 24. Pro. 19. 18

Non mentiendum.

CVI. Ne dixeris ulciſcar me de inimico meo, ſed ſuſtine Dominum ut tibi auxilio ſit. Item alibi: Mihi vindictam, ego retribuam: dicit Dominus. Item apud Sophoniam: Expecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in teſtimonium: quoniam judicium meum ad congregationes gentium, ut excipiam reges, & effundam ſuper eos iram meam. Deut. 32. 35. Sopho. 3. 8.

Frequenter emendandos qui delinquunt in domeſtico miniſterio.

CVII. Apud Solomonem in Parœmiis: 4 Noli diligere (z) detrahere, ne extollaris. Item in Pſalmo 49. Sedens adverſus fratrem tuum detrahebas; & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. Item in epiſtola Pauli ad Titum. De nullo male loqui, nec litigioſos eſſe. Prov. 17. 9. Pſ. 49. 21. Tit. 3. 2.

Injuria acceptas patientiam tenendam, & (y) *ultionem Deo relinquendam. Non detrahendum.*

CVIII.

(a) Aſcenderunt venti, *Cott.* deſcenderunt pluviæ, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. (b) Non facit, *Lam. Lin. NC.* 1. *Voſſ.* 3. (c) Differas diem in diem, *Lam. Lin. NC.* 1. (d) Ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te, *Lin. Cott.* (e) Mala, ut veniant nobis bona, *Lam. NC.* 1. (f) Quotquot inique peccaverunt, inique, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 4. *Voſſ.* 3. (g) Tecum ſit in interitum, *Bod.* 1. *Voſſ.* 3. (h) Qui æſtimaſti, *Cott.* exiſtimaſti te, *Lam. NC.* 1. (i) Poſſidere, *Lam. NC.* 1. (k) Quod gratis accepiſtis, *Cott. Bod.* 3. (l) Emite & Edite, *Cott.* (m) Poſſidebit hæc, *Cott.* (n) In filium, *Bod.* 3. (o) Fumigabat totus, *Cott.* (p) Sedèntes Apoſtoli, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (q) Bonos quoque, *Bod.* 1. 3. 4. *Cott.* (r) Et diliget te. Item in Pſalmis corripiet me juſtus & increpabit me in miſericordia ſua, *Bod.* 3. (s) A multiloquio, *Cott.* (t) Apud Solomonem. *Sic Lam. NC.* 1. & *Bod.* 2. *deeſt in Impr.* (u) Labia mendacia. Item: os quod mentitur occidit animam, *Cott.* Item illic noli velle mentiri omne mendacium, aſſiduitas illius non bona, *Lin.* (w) Parcit virgæ, *Cott.* baculo ſuo, *Bod.* 1. 4. (x) Deſtitueris parvulum, *Lam. Lin. NC.* 2. (y) Ultionem relinquendam. Apud Solomonem ne dixeris reddam malum, ſed expecta Dominum & ſalvabit te, *Cott.* expecta Dominum, *Lam. Bod.* 2. *Lin. NC.* 1. (z) Detrahere, ne eradiceris, *Bod.* 3. *NC.* 1. *Cott.*

1 *Ad conſecutionem properandum.*] Conſecutionem, baptiſmum notare ſupra dictum eſt. Ob hanc baptiſmi moram clinici olim in Eccleſia infames, ſed pro temporum ratione hac in re variatum eſt. Tertul. in contraria fuit ſententia lib. de Bapt. c. 19. *Si qui pondus intelligant baptiſmi, magis timebunt conſecutionem, quam dilationem.*

2 *Dum veniunt bona.*] Legiſſe videtur Cyprianus ἕως, aut ἐφιῷ, Scil. hoc intervallo fruamur, & voluptatibus indulgeamus, donec baptiſmus veniam præteritorum omnium conceſſerit.

3 *Qui vicerit poſſidebit ea.*] Vide quæ diximus in c. 6. l. 2. ad Quirin.

4 *Noli diligere detrahere ne extollaris.*] Hebræa veritas habet אל תאהב שנרה פן תורש & Vulg. *Noli diligere ſomnum ne te egeſtas opprimat.* Sed LXX. cum noſtro legunt μὴ ἀγάπα καταλαλεῖν, ἵνα μὴ ἐξαρθῇς. Diverſitatis hujus ratio petenda videtur ab homonymia vocis שנרה quæ non *ſomnum* modo, ſed & *iterationem* ſignificat, & in dialecto Hebræa maledicentiam & obtrectationem. Prov. 7. 9. שנרה רבר à vulgato interprete redditur. *Qui alteri ſermonem repetit.* & 26. 11. בסיל שונה כאולתו pariter reddi poteſt *ſtultus iterans in ſtultitia ſua.* Vox *extollaris*, idem videtur velle, ac ſi dictum eſſet, *è medio tollaris.*

1 *Filius*

An. 249.

Non esse proximo insidiandum.

Infirmos visitandos.

Susurrones maledictos esse.

Sacrificia malorum (d) accepta-bilia non esse.

Gravius judicari de his qui in seculo plus habuerunt potestatis.

Viduam & pupillos protegi oportere.

Dum in carne est quis, exomologesin facere debere.

Adulationem perniciosam esse.

Plus ab eo diligi Deum, cui in baptismo plura peccata dimittuntur.

Fortem congressionem esse adversus diabolum, & ideo fortiter nos stare debere, ut possimus vincere.

Item de Antichristo quod 5 in (z) homine (aa) veniat.

Grave fuisse jugum Legis, quod à nobis abjectum est: & leve esse jugum Domini, quod à nobis susceptum est.

CVIII. Apud Solomonem in Parœmiis: Qui fodit foveam proximo suo, ipse incidet in eam. Pro. 26. 27.

CIX. Apud Solomonem in Ecclesiastico: Ne pigriteris visitare infirmum, ex his enim in dilectione firmaberis. Item in Euangelio: Infirmus fui, & (a) visitastis me; in carcere fui, & venistis ad me. Eccl. 7. 39. Matt. 25. 36.

CX. In Ecclesiastico apud Solomonem: susurro, & bilinguis (b) maledictus: (c) multos enim turbabit pacem habentes. Eccl. 28. 15.

CXI. Apud eundem; Dona iniquorum (e) non probat Altissimus. Eccl. 34. 23.

CXII. Apud Solomonem: Judicium durissimum (f) in his qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Item in Psalmo 2. Et nunc Reges intelligite, (g) emendamini qui judicatis terram. Sap. 6. 6. Ps. 2. 10.

CXIII. Apud Solomonem in Ecclesiastico: Esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorum: (h) & eris velut 1 filius altissimi si obedieris. Item in Exodo: Omnem viduam & orphanum non vexabitis. Si autem (i) vexaveritis eos, & vociferantes exclamaverint ad me, exaudiam exclamationes eorum, & irascar animo in vobis, & perimam vos gladio; & erunt conjuges vestræ viduæ, & filii vestri orphani. Item apud Esaiam: (k) Judicate pupillo, & justificate viduam, & venite disputemus, dicit Dominus. Item apud Job: conservavi egenum de manu potentis; & pupillo cui non erat adjutor, auxiliatus sum: os viduæ benedixit me. Item in Psalmo 67. Patris orphanorum, & judicis viduarum. Eccl. 4. 10. Exo. 22. 22. Isa. 1. 17. Job. 29. 12. Ps. 67. 5.

CXIV. In Psalmo 5. Apud inferos autem quis confitebitur tibi? Item in Psalmo 29. (l) Numquid 2 exomologesin faciet tibi pulvis? Item alibi, exomologesin faciendam: (m) Malo pœnitentiam peccatoris quam mortem. Item apud Hieremiam: Hæc dicit Dominus: (n) Numquid qui cadit, non surget? aut qui avertitur, non convertetur. Ps. 5. 6. Ps. 29. 12. Eze. 33. 11. Jer. 8. 4.

CXV. Apud Esaiam: Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & semitas pedum (o) vestrorum turbant. Isa. 3. 12.

CXVI. In Euangelio cata Lucam: cui plus dimittitur, plus diligit: & cui (p) minus dimittitur, modicum diligit. Luc. 7. 47.

CXVII. In epistola Pauli ad Ephesios: Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus potestates & principes hujus (q) mundi, & 3 harum tenebrarum, adversus spiritalia nequitiæ in cœlestibus. Propter hoc (r) induite arma Dei, ut (s) possitis resistere in die nequissimo, ut cum omnia 4 perfeceritis, stetis, accincti lumbos vestros in (t) veritate Euangelii, induentes loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione (u) Euangelii pacis; in omnibus assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia (w) ignea jacula nequissimi extinguere, & (x) galeam salutis assumere, & gladium spiritus, qui est (y) verbum Dei. Eph. 6. 12.

CXVIII. Apud Esaiam: Hic homo qui concitat (bb) terram, commovet reges, qui ponit orbem terræ totum desertum Isa. 14. 16.

CXIX. In Psalmo 2. (cc) Ad quid tumultuatæ sunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & (dd) principes congregati sunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus. Dirumpamus vincula eorum, & (ee) projiciamus à nobis jugum corum. Item in Euangelio cata Matthæum: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego vos (ff) requiescere faciam. Tollite jugum meum super Ps. 2. 1. Mat. 11. 8.

(a) Visitastis me; nudus fui, & vestistis me, *Lin.* (b) Maledictus in plebe, *Cir.* (c) Multos enim tribulant, *Cott.* (d) Accepta non esse, *Bod.* 1. 2. 4. *Lam.* (e) Reprobat, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Cott.* (f) In his qui præstant, *Lam. NC.* 1. (g) Erudimini qui judicatis, *NC.* 2. *Lin.* (h) Et filius altissimi eris, *Bod.* 1. (i) Vexabitis, *Bod.* 1. 2. 4. nocueritis, *Cott.* (k) Judicate pupillum, *Cott.* (l) Numquid confitebitur, *Bod.* 1. (m) Exomologesin malo peccatoris, & pœnitentiam quam mortem, *Ver. Man.* (n) Non adjiciet ut resurgat, *Cott.* (o) Vestrorum conturbant, *Lam. NC.* 2. *Bod.* 2. 3. (p) Pusillum dimittitur, *Lam. NC.* 1. *Lin. Bod.* 1. 2. *Thu. Ben. Ver.* (q) Mundi, rectores tenebrarum harum, *Cott.* (r) Induite tota arma, *Lam. Lin. Bod.* 1. 2. 4. *NC.* 1. *Benev.* (s) Possitis persistere. *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (t) Veritate, induentes, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. (u) Euangelii; in omnibus, *Ver.* (w) Ignita jacula, *Lam. Lin. Bod.* 1. 2. 4. *Benev. Ver. Thu.* (x) Galeam salvationis, *Bod.* 1. 2. 4. *Lam.* (y) Sermo Dei, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Corb. Lam.* (z) Homine, *sic Lam. Lin. NC.* 1. & *Bod.* 1. 2. 4. *Impress.* hominem. Homine invenietur, *Cott.* (aa) Veniat. Paulus ad Thessalonicenses: Cum revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, *Cott.* (bb) Terram & commovet, *Bod.* 2. (cc) Quare fremuerunt, *Bod.* 3. *Cott.* (dd) Principes convenerunt, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. 3. collecti sunt, *Bod.* 1. 4. convenerunt in unum, *Cott.* (ee) Abjiciamus, *Ver. Bod.* 4. (ff) Reficiam, *Lam. Lin. Bod.* 1 2.

1 *Filius altissimi si obedieris.*] Voces *si obedieris*, redundant: nisi forte illæ quæ sequuntur ἢ ἀγαπήσει, per errorem lectæ fuerint εἰ ἀγαπήσης, aut quid simile.

2 *Exomologesin.*] Pœnitentiam nimirum. *Exomologesis* enim est, definiente Tertulliano, *prosternendi*, & *humilificandi hominis disciplina.* Ex hac voce ista in periodo plura exsculpere, est nodum in scirpo quærere: quam operam libenter Pamelio relinquimus.

3 *Harum tenebrarum.*] Deest etiam in Græcis quibusdam codicibus, vox αἰῶνος.

4 *Perfeceritis, stetis.*] Consentit cum iis MSS. qui omittunt στῆτε οὖν

5 *In homine veniat.*] Homo futurus est. Quod reges Assyrii & Chaldæi Israëlitis, hoc Antichristus Christianis. Quemadmodum ergo sub Luciferi cœlo ruentis schemate, Regis Babyloniæ clades designabatur Isai. 14. 12. pari etiam terroris apparatu à primis Christianis descriptus erat Antichristus, ut sit nimirum malus quidam genius, & cacodæmonum princeps. Tert. de resurrectione carnis c. 25. *Bestia Antichristus, cum suo pseudo-propheta certamen Ecclesiæ Dei inferat, atque ita Diabolo in abyssum relegato &c.* Quæ respicere videntur Apoc. 20. *Ubi Draco, Serpens antiquus, qui est diabolus & Satanas* describitur. Certe Hippolytus martyr aperte erat in illa sententia, Antichristum fuisse ipsum Diabolum phantastico & aëreo corpore contectum.

An. 249. per vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum (a) bonum est, & (b) onus meum leve est. Item in Actibus Apostolorum: Visum est Sancto Spiritui & nobis nullam vobis imponere sarcinam, quam ista, quæ ex necessitate sunt; abstinere vos ab idololatriis, & [1] (c) sanguinis effusione, & fornicatione. Et quæcunque vobis fieri non vultis, aliis (d) ne feceritis. Act. 15. 8.

Orationibus insistendum. CXX. In epistola Pauli ad Colossenses: Instate orationi, vigilantes in ea. Item in Psalmo 1. (e) Sed in lege Domini voluntas ejus & in lege ejus meditabitur die ac nocte. (f) Item apud Solomonem. Ne impediaris orare semper, & non cesses usque ad mortem justificari: quoniam merces Domini manet in æternum. Coloss. 4. 2. Ps. 1. 2. Eccles. 18. 23.

(*a*) Suave est, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 3. *Cott.* (*b*) Sarcina mea levis, *Bod.* 1. *Thu. Corb.* (*c*) Et sanguine &, *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb. Benev. Ver.* & suffocatione, *Cott.* (*d*) Nec feceritis, *Cott.* (*e*) Beatus qui non abiit in consilio impiorum & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini, *Cott.* (*f*) Item apud Solomonem, *sic*, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. & *Cott. desunt in Imp.*

1 *Sanguinis effusione.*] Græca habent καὶ αἵματος, καὶ πνικτῶ. Si verbis istis interdictus esset sanguinis esus, tantum abesset ut juberentur Christiani abstinere ab effusione sanguinis; ut, quod Augustinus contra Faustum Manichæum l. 32. cap. 19. recte admonet, opus esset ut cautum sit, *Ne quicquam ederent carnis, cujus sanguis non esset effusus.* Unde Levit. 17. 13. id ipsum in mandatis datur, ut *Sanguis tanquam aqua effunderetur.* Quamobrem plerique ex veteribus, qui in ea erant sententia, sanguinis mentione ejus esum fuisse interdictum; Suffocati mentionem, velut supervacaneam præteriere. Cujus autem, quantique momenti sit illud additamentum, καὶ ὅσα οὐ μὴ θέλητε ὑμῖν γίνεσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν, & utrum hæc, Præcepta filiis Noachi data respiciant, viderint eruditi.

D. CÆCILII CYPRIANI

DE

[1](a) HABITU VIRGINUM.

An. 248. *Disciplinæ Christianæ laudes.*

[2] DIsciplina (b) custos spei, [3] retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo (c) manere semper, ac (d) jugiter Deo vivere, & ad promissa cœlestia & divina præmia pervenire. Hanc & sectari salubre est, & (e) aversari ac negligere lethale. In Psalmis loquitur Spiritus (f) sanctus: [4] continete disciplinam, ne forte irascatur Dominus; & (g) pereatis [5] à via recta, cum (h) exarserit cito ira ejus super vos. Et iterum: Peccatori autem (i) dixit Deus. (k) Ad quid exponis justificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu autem odisti disciplinam, & (l) abjecisti sermones meos (m) retro. Et denuo legimus: (n) Disciplinam qui abjicit, infelix est. Et de Solomone mandata sapientiæ monentis accipimus: Fili ne neglexeris disciplinam Domini, (o) nec defeceris ab eo correptus. Quem enim diligit Deus, (p) corripit. Si autem Deus quem diligit corripit; & ad hoc corripit, ut emendet; fratres quoque, & maxime sacerdotes, non oderunt, sed diligunt eos quos corripiunt ut emendent; quando & Deus per Hieremiam ante prædixerit, & tempora nostra significaverit, dicens: Et dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos pascentes cum disciplina. Ps. 2. 11. Ps. 49. 17. Sap. 3. 11. Prov. 3. 11. Jer. 3. 15.

Quod

(a) *Sic Vet. innom. NC.* 2. *Voss.* 1. *Pem. Bod.* 1. 4. *Thu. Foss. & Corb. Impr.* De disciplina & habitu virginum. (b) Disciplina est, *Voss.* 1. (c) Manere semper, & ad promissa, *Ar. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ebor. Lam. Vat.* 3. *MR.* 2. (d) Jugiter in Deo, *Foss.* (e) Adversari, *Thu. Foss.* (f) Sanctus, dicens, *Ver.* (g) Pereatis de via, *Bod.* 1. via justa, *Lam. Ebor. NC.* 2. *Corb. Thu. Voss.* 3. (h) Exarserit in brevi, *Vat.* 2. (i) Dicit Deus, *Ar. NC.* 1. *Voss.* 3. (k) Ut quid, *Vet. innom. Voss.* 1. *Bod.* 1. *Thu. Foss.* (l) Projecisti, *Voss.* 3. (m) Retrorsum, *Pem. Bod.* 4. post se, *NC.* 2. (n) Disciplinam Dei, *NC*, 1. (o) Et ne deficeris, *Foss. Voss.* 3. (p) Sic corripit, *Foss.*

1 *De habitu virginum.*] Librum hunc Cypriano asserunt Pontius, Hieronymus, Augustinus, atque ex veteribus alii: ita ut de scriptore nulla sit controversia. Scriptionis vero tempus non pariter in confesso. Doctissimus Rigaltius post Episcopatum compositum censet, & Pamelio dicam impingit, quod putaret *ab auctore conscriptum cum primum in ecclesia Christi, ex plebeio excessisset:* remque sibi confectam extra controversiæ aleam credit, ex Pontii verbis, qui ait, *Finge nunc illum martyrii dignatione translatum. Quis virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam, & habitum sanctimonia dignum coerceret? quæ verba*, inquit, *tam clare significant hunc de virginibus libellum, à Cypriano post persecutionem editum fuisse, quam inscriptum de Disciplina & habitu virginum.* Nos vero, qui in principio operis adnotavimus, verba illa Pontii, *Quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis ostenderit*, librum illum ad Donatum *de Gratia Dei* respicere; non obstante apologia illa pro secessu ejus quæ à scriptis ibi memoratis instituitur: & siquidem in confesso apud omnes, imo ipsum Rigaltium, sit, librum ad Donatum, à Cypriano conscriptum, *cum primum apud Ecclesiam nomen profiteretur:* affirmare minime dubitamus, ex prædictis Pontii verbis, de ordine scriptorum martyris nostri, nihil certi posse colligi. Eruditissimus Lombertus, Rigaltii sententiam alio argumento, ex Hieremiæ verbis infra laudatis, propugnare satagit; ubi dicit Propheta, *Dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos pascentes cum disciplina*: ac si Liber de Habitu virginum conscriptus, disciplinæ ecclesiasticæ istiusmodi esset pars, quæ Episcopo soli competeret. Sed hoc nemo dixerit, quisquis meminerit plures libros eo argumento à Tertulliano Presbytero elucubratos. Certe majoris videntur ponderis quæ in causæ suæ præsidium attulit Pamelius, verba citans Auctoris nostri, quando dicit, *virgines se alloqui, virgines adhortari, affectione potius quam potestate: non quod extremus & minimus, & humilitatis suæ admodum conscius, aliquid ad censuram licentiæ vindicaret*, &c. Parum omnino iis notus Cyprianus, quibus post Episcopatum, ita locutus, ceu schemate rhetorico, videtur. Demum si quis diffluentes feminarum mores, promiscuum balneorum usum, & splendidum vestium apparatum, hoc in opere notatos observaverit; haud facile sibi in animum induxerit, persecutionis Decianæ tempora describi. Stet ergo, tractatum hunc ad An. CCXLVIII.

& ad illa quæ, teste Pontio; *Presbyter fecerat* Cyprianus; referendum. Veterem libelli hujus titulum, quem editio Spirensis, Vetus innominata, Remboldi, Erasmi, Manutii Gravii; & plerique MSS. codices tuentur; quique simplicissimus videtur, & operis contenta commodissime exhibet, nec non Tertulliani nomenclaturæ proxime accedit, retinendum censuimus. Tertullianus, lib. de cultu fem. docet, *Habitum duplicem speciem circumferre, cultum & ornatum.* De his Septimius seorsim egerat in libris *de Cultu feminarum*, & *de Virginibus velandis.* Cum vero rem totam unico volumine absolvere statuisset Cyprianus, nihil instituto ipsius accommodatius esse potuit, quam ut in fronte operis *Habitum*, vocem latissimæ significationis adhiberet. Pontium, S Martyris libros describere potius quam citare, res est manifesta; unde licet ille de *congruente pudicitiæ disciplina, & habitu sanctimonia digno*, mentionem faciat; non proinde titulum libri extendendum existimamus. Non magis quam quia S. Hieron. librum hunc, *Volumen de Virginitate* appellat, Epist. ad Eustoch. sic inscribendum censemus.

2 *Disciplina custos spei.*] Utramque fere Tertulliani paginam implet *disciplinæ* vox; & apud eum omne pietatis officium hoc elogio censetur. Patientiæ, fidei, orationis, sanctitatis, monogamiæ, pudicitiæ disciplinam passim commendat. Et tractatum huic supparem de Virginibus velandis, disciplinæ mentione sæpius repetita inchoat, atque ibidem Paracleto suo hanc institutionis prærogativam tribuit. Cyprianus vero, magistrum ad aras sequitur; feliciissimis auspiciis; ita imitatus semper, ut corrigat; atque ut is sit quem alii tuto imitentur. Quæ hic congeruntur S. Scripturæ testimonia, reperire est Epist 4. (ad Pamelii numeros 62.) de Virginibus. Et quidem Auctori nostro solenne est, pari in causa, iisdem armis ex S. literis productis pugnare.

3 *Retinaculum fidei.*] Cui, ceu funi nautico, fidei anchora alligatur. Sed contrario prorsus sensu Tertul. lib. de Cultu fem. 2. vocat mundum muliebrem, *retinacula spei nostræ*, scil. quæ spem non sustinent; sed morantur.

4 *Continete disciplinam.*] De his & sequentibus, vide quæ dicta sunt l. 3. ad Quirin. cap. 66. cap. 63. cap. 28.

5 *A via recta, cum exarserit.*] Hanc distinctionem habent LXX.

An. 248. *Insignis usus istius disciplinæ, quæ in tuenda castitate versatur.*

Quod si in Scripturis sanctis (a) frequenter & ubique disciplina præcipitur, & fundamentum omne religionis ac fidei de observatione ac timore proficiscitur; quid cupidius appetere, quid magis velle ac tenere nos convenit, quam ut radicibus fortius fixis, & domiciliis nostris super petram robusta mole solidatis, inconcussi ad procellas & turbines seculi stemus, (b) ut ad Christi munera per divina præcepta veniamus, considerantes pariter ac scientes, quod templa Dei sint membra nostra, ab omni fœce contagionis antiquæ, (c) lavacri vitalis sanctificatione purgata; nec violari ea aut pollui fas sit, quando qui violat, & ipse violetur? Eorum nos templorum cultores & antistites sumus: 1 Cor. 3. 17.
serviamus illi, cujus esse jam cœpimus. Paulus in Epistolis suis (d) dicit, quibus nos ad curricula vivendi per divina magisteria formavit: Non estis vestri: (e) emti enim estis pretio magno. (f) Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Glorificemus 1 Cor. 6. 19.
& portemus Deum puro & (g) mundo corpore, & observatione meliore; & qui per sanguinem (h) Christi Domini nostri redemti sumus, per omnia servitutis obsequia redemtoris imperio pareamus: demusque operam, ne quid immundum & profanum templo Dei inferatur, ne offensus sedem quam inhabitat, derelinquat. (i) Sospitantis Domini verba sunt & (k) docentis, curantis pariter & monentis: Ecce, inquit, sanus factus es, Joh. 5. 14.
jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Dat 1 (l) vivendi (m) timorem, dat innocentiæ legem, postquam contulit sanitatem; nec habenis liberis & solutis vagari postmodum patitur, sed ipsis potius, quibus sanatus fuerat, mancipato, gravius comminatur; quod sit scilicet minor culpa deliquisse ante, cum necdum (n) nôsses disciplinam Dei, 2 (o) nulla sit venia ultra delinquere, (p) postquam Deum nôsse cœpisti: & quidem hoc tam viri quam mulieres, tam pueri quam puellæ, sexus omnis atque omnis ætas observet, (q) & curet pro religione & fide, quam Deo debet, ne quod sanctum & purum de Domini dignatione percipitur, minus solicito timore teneatur, (r) quia scriptum est: Qui per- Mat. 10. 22.
severaverit usque in finem, hic salvus erit.

Cura hæc, virgines peculiari ratione tangit.

3 Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior (s) gloria est, major & cura est. (t) Hæ sunt Ecclesiastici germinis flores, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet (u) per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas: quantoque plus copiosa virginitas numero suo (w) addit, tanto plus gaudium matris augescit. Ad has loquimur, 4 has adhortamur affectione potius quam (x) potestate: non quod extremi & minimi & humilitatis nostræ admodum (y) conscii, aliquid ad censuram licentiæ vindicemus; (z) sed (aa) quod ad sollicitudinem magis cauti, plus de diaboli infestatione timeamus (bb). Neque enim inanis hæc cautio est, & vana formido, quæ ad salutis viam consulit, quæ Dominica & vitalia præcepta custodit, 5 ut quæ se Christo dicaverint, & à carnali concupiscentia recedentes tam carne quam mente se Deo voverint, consumment opus suum magno præmio destinatum; nec ornari jam aut placere cuiquam nisi Domino suo studeant, à quo & mercedem virginitatis expectant, dicente ipso: Non omnes capiunt (cc) verbum, sed illi quibus datum est. Sunt enim spadones qui ex utero (dd) matris sic nati sunt, & sunt Mat. 19. 12.
spadones, qui coacti sunt ab hominibus, & sunt 6 spadones qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Denuo quoque per hanc angeli vocem continentiæ munus ostenditur, & virginitas prædicatur: Hi (ee) sunt qui cum mulieribus se non coinqui-

(a) *Sic Ar. NC. 1. 2. Bod. 1. 4. Lam. Lin. Ebor. Voss. 1. 2. 3. Ver. Thu. Foss. Corb. & Goul. Impressa addiaêre*, tam veteribus, quam etiam novis prædicatur. (b) Ut ad munera, *Ver.* & ad Dei munera, *Ar. Lin. Eb. Lam. Bod. 1. 2. 4. NC. 1. Voss. 1. 2. Pem. Thu. Corb.* (c) Lavacri salutaris, *Ar. NC. 1. Ebor. Lam. sic ad Donat. MR.* (d) Ponit & dicit, *Foss.* Quibus nos successibus, *Voss. 3.* (e) Emti estis magno, *Bod. 2. 4. NC. 1. Pem. Lam. Ebor. Ver. MR.* (f) Clarificate, *Voss. 1. 2. Ver. Thu. Corb. Lam. NC. 1. Lam. Lin. Ver.* (g) Mundo corde & corpore, *Foss.* (h) Christi redemti, *Thu. Foss. Voss. 3.* (i) Hospitantis Domini, *Bod. 4.* Suscitantis, *Voss. 3.* (k) Docentis pariter, *Thu.* (l) Viventi, *Ar. Lam. Lin. Bod. 1. 2. 4. Ebor. Voss. 1.* (m) *Sic Lam. Lin. Ebor. Voss. 1. 2. Vat. & Ver. Pam.* morem. (n) Nôsset, *Foss. Vat. 4.* (o) Nullaque, *Pem.* non facilis venia, *Voss. 3.* (p) Postquam Dominum, *Foss.* (q) Atque procuret, *Foss.* (r) Quia scriptum est, &c. *Hæc desunt in Lam. Lin. NC. 1. 2. Bod. 1. 2. 4. Ebor. Voss. 1. Thu. Foss. Corb. Remb. & Mor.* (s) Gloria, major, *Thu. Foss.* (t) *Sic, NC. 1. Lam. Ebor. MR.* & *Impressa habent*; Flos est ille: *pariter Augustinus de Doct. Christ. l. 4. c. 21.* (u) Et per illos, *Pem.* (w) Addit, gaudium matris, *Thu. Corb. Foss.* (x) Potestates, extremi & minimi, *Ar.* (y) Conscii, tale quid, *Bod. 2. Lam. Ebor. Ben. NC. 1.* (z) Nec quod, *Voss. 1. Bod. 1. 2. 4. Thu. Corb.* nec quo, *MR.* (aa) Quod, *Thu. Corb. Foss.* ex ultra nati, *Lin. Pem.* solicitudinem pertinet, *Ver.* (bb) Neque inanis, *Thu. Foss. Corb.* (cc) Verbum hoc, *Vat. 2.* Domini, *Ver.* (dd) Matris nati, *Man.* (ee) Sunt, inquit, qui, *Ver.*

1 *Vivendi timorem*] Dixerat supra, *Fundamentum omne religionis ac fidei, de observatione ac timore proficiscitur.* Insuper statim. *Ne quod sanctum & purum de Domini dignatione percipitur; minus solicito timore teneatur.*

2 *Nulla sit venia.*] Vid. quæ dicta ad c. 28. l. 3 ad Quir.

3 *Nunc nobis ad virgines sermo est.*] Locum hunc affert D. Augustinus de Doctrina Christiana l. 4. c. 21. in exemplum temperatæ dictionis. Porro observat, quod in libello hoc *Martyr Cyprianus de habitu virginum, non de suscipiendo virginitatis proposito scripsit.*

4 *Has adhortamur, affectione potius quam potestate.*] Similiter Tertullianus, de cultu fem. l. 2. *Ancillæ Dei vivi, conservæ & sorores meæ, quo jure deputor vobiscum postremissimus.* & deinceps. *Utinam miserrimus ego in illa die Christianæ exultationis, vel infra calcanea vestra caput elevem.*

5 *Ut quæ se Christo dicaverint.*] Votorum religionem qui non agnoscit, ut is pietatem omnem abneget periclitari videtur. Sed illi partibus nimium quantum addicti, qui præsentis seculi mores, primitivæ Ecclesiæ imputant: & vitæ asceticæ initia non à Paulo Eremita, sed Paulo Apostolo arcessunt. Qui Iphigeniam non ab Agamemnone, sed D. Matthæo consecratam somniant. Qui Philippi Diaconi filias, sanctimoniales fuisse pronunciant. Imo virgines, quas velandas matronarum more contendit Tertullianus, ex hodierno ritu perpetuæ virginitati devotas perhibent. Hac quidem ex parte, hypothesi suæ minus addictum vehementer cuperem Pamelium.

6 *Spadones qui seipsos castraverunt.*] Tertul. dixit, *qui se Spadonatui obsignant propter regnum Dei.*

Sic

An. 248. quinaverunt, virgines enim permanſerunt: hi ſunt qui ſequuntur agnum quocunque ierit. Apo. 14. 4.
Neque enim tantum maſculis (a) continentiæ gratiam Dominus repromittit, & fœminas præterit; ſed quoniam fœmina viri portio eſt, & ex eo ſumta atque formata eſt, in ſcripturis fere omnibus protoplaſtum Deus loquitur: quia ſunt duo in carne una, & in maſculo ſimul ſignificatur & fœmina.

Continentia cum corporis cultu non conſiſtit.

Quod ſi Chriſtum continentia ſequitur, & regno Dei virginitas deſtinatur, quid eſt illis cum terreno cultu & cum ornamentis; quibus dum hominibus placere geſtiunt, Deum offendunt, non cogitantes eſſe prædictum: qui hominibus placent confuſi ſunt, quoniam Deus nihil fecit illos? (b) Et Paulum quoque glorioſe & ſublimiter prædicaſſe. Si (c) hominibus placere vellem, Chriſti ſervus non eſſem. Continentia vero & pudi- Pſ. 52. 7.
citia non in ſola carnis integritate conſiſtit, ſed etiam in cultus & ornatus honore pari- Gal. 1. 10.
ter ac pudore, ut ſecundum Apoſtolum, quæ innupta eſt, ſancta ſit & corpore, & ſpiritu. (d) Inſtruit Paulus (e) & dicit: Cœlebs cogitat ea quæ ſunt Domini, quo modo 1 Cor. 7, 32.
placeat Deo. Qui autem matrimonium contraxit, cogitat ea quæ ſunt mundi hujus, quo modo placeat uxori. 1 Sic & virgo & mulier innupta cogitat ea, quæ Domini, ut ſit ſancta & corpore & ſpiritu. Virgo non eſſe tantum, ſed & intelligi debet, & credi, ut nemo cum (f) virginem videt, dubitet, an virgo ſit. Parem ſe integritas in omnibus præſtet, nec bonum corporis cultus infamet. Quid ornata, quid comta procedit, quaſi maritum aut habeat, aut quærat? Timeat potius placere, ſi virgo eſt, nec periculum ſui appetat, quæ ad meliora & divina ſe ſervat. Quæ virum non habent, cui placere ſe ſimulent; (g) integræ & puræ non tantum corpore, ſed etiam ſpiritu perſeverent. 2 Neque enim fas eſt virginem ad ſpeciem formæ ſuæ comi, aut de carne, & de ejus pulcritudine gloriari; cum nulla ſit illis magis quam adverſus carnem colluctatio, & vincendi (h) corporis ac domandi obſtinata certatio. Paulus forti Gal. 6. 14.
ac ſublimi voce proclamat: Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo: & virgo in Eccleſia de ſpecie carnis ac de corporis pulcritudine gloriatur? Addit Paulus & dicit: Qui enim Gal. 5. 24.
ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis: Et quæ ſe concupiſcentiis (i) carnis & vitiis renuntiaſſe profitetur, in iiſdem quibus renunciaverat; invenitur? Deprehenderis virgo, detegeris. Aliud eſſe te jactas, & affectas. Maculis te concupiſcentiæ carnalis aſpergis, cum (l) integritatis candidata ſis, & pudoris. Clama, inquit Eſaiæ Dominus: Omnis caro fœnum, & omnis claritas ejus ut flos Eſ. 40. 6.
fœni. Aruit fœnum, & flos decidit: (l) ſermo autem Domini manet in æternum. Neminem Chriſtianum decet, & maxime virginem non decet, (m) claritatem ullam computare carnis & honorem, ſed ſolum appetere (n) ſermonem Dei, bona in æternum manſura complecti. Aut ſi in carne ſit gloriandum, tunc plane 3 quando in (o) nominis confeſſione cruciatur, quando fortior femina viris torquentibus invenitur; quando ignes, aut cruces, aut ferrum, vel beſtias patitur, ut coronetur. Illa ſunt carnis pretioſa monilia, illa corporis ornamenta meliora.

A divitiis fruſtra excuſatio petitur.

Sed ſunt aliquæ divites, & facultatum ubertate locupletes, quæ opes ſuas præferant, & ſe bonis ſuis uti debere contendant. Sciant primo illam divitem eſſe, (p) quæ in Deo dives eſt: illam eſſe locupletem, quæ locuples in Chriſto eſt: bona illa eſſe, quæ ſunt ſpiritalia, divina, cœleſtia, quæ nos ad Deum ducant, quæ nobiſcum apud Deum perpetua poſſeſſione permaneant. Cæterum quæcunque terrena ſunt (q) in ſeculo (r) accepta, 4 & hic cum ſeculo remanſura, tam contemni debent, quam mundus ipſe contemnitur, 5 cujus pompis & deliciis jam tunc renunciavimus, cum meliore tranſgreſſu ad Deum venimus. (s) Joannes nos excitat & hortatur ſpiritali & cœleſti (t) voce con- 1 Joh. 2.
teſtans: Nolite, ait, diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis 15.
(u) dilexerit mundum, non eſt caritas Patris in illo: quoniam omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi, quæ non eſt (w) à Patre, ſed ex concupiſcentia ſeculi. Et mundus tranſibit & concupiſcentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem (x) Dei, manet in æternum, 6 quo modo Jo. 6. 38.
& Deus manet in æternum. Æterna igitur & divina ſectanda ſunt, & omnia de Dei voluntate facienda ſunt, ut Domini noſtri (y) veſtigia, & magiſteria ſectemur, qui monuit & dixit: Non deſcendi de cœlo ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus

(a) Continentiam Dominus, *MR.* (b) Et Paulo quoque glorioſe & ſublimiter prædicante, *Bod.* 4. *Ver.* & Paulus quoque prædicat, *Voſſ.* 3. (c) Hominibus placerem, *Lam. NC.* 1. *Voſſ.* 1. *Corb.* (d) Inſtruit nos, *Foſs.* (e) Et docet dicens, *Lin.* (f) Virginem videret, *Lin. Voſſ.* 1. *Lam. Ebor.* (g) Integræ & pudicæ, *Voſſ.* 1. *Ver. MR.* (h) Corporaliter, *Vat.* (i) Carnis aſpergis, *Bod.* 4. (k) Integritate candida ſis & pudore, *NC.* 2. *Foſſ.* (l) Verbum autem, *Bod.* 4. *Man.* (m) Claritatem ullam proponere, *Ar. Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2. *Ben.* (n) Verbum, *Bod.* 4. *Foſſ.* (o) Nominis Chriſti, *NC.* 1. *Lam. Bod.* 2. *Ben.* (p) Quæ Deo dives, *Lam. Lin. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 1. 2. 4. (q) In ſeculo, & ſeculo remanſura, *Bod.* 1. (r) Et accepta, *Lam. Ebor.* (s) Hinc Joannes, *Foſs.* (t) Voce corroborans, *Foſſ.* (u) Dilexerit mundum, aut ea quæ in mundo ſunt, *Pem. Voſs.* 2. (w) De Patre, *Bod.* 2. (x) Dei manebit, *Thu.* (y) Veſtigia & magiſteria divina, *Imp. ſed Ver. Lam. Ebor. Lin. Voſſ.* 2. & *Man. rectius omittunt*, veſtigia ſectamur, *Ar. Lam. Lin. Bod.* 1. 2.

1 *Sic & virgo & mulier innupta.*] Sic l. 3. ad Quir. c. 32.

2 *Neque enim fas eſt virginem, ad ſpeciem formæ ſuæ comi,*] Infra ſe interpretatur, dum ait. *Omnia licent, ſed non omnia expediunt.*

3 *Quando in nominis confeſſione cruciatur.*] Tertull. prius dixerat. *Cum propter Chriſtum lacerata duraverit.*

4 *Et hic cum ſeculo remanſura.*] Quæ morituri relinquere coguntur.

5 *Cujus pompis & deliciis jam tunc renunciavimus.*] Tertull. de ſpectac. c. 4. *Cum aquam ingreſſi Chriſtianam fidem in legis ſuæ verba profitemur, renunciaſſe nos Diabolo, & pompæ & Angelis ejus, ore noſtro conteſtamur.*

6 *Quomodo & Deus manet.*] Additamentum hoc in Græcis non comparet.

An. 248. ejus qui me misit. Quod si non est major Domino suo servus, & liberatori debet (a) obsequium liberatus; qui esse cupimus Christiani, debemus quod Christus (b) fecit, imitari. Scriptum est, & legitur, & auditur, & in exemplum nostri Ecclesiæ ore celebratur: Qui dicit se in Christo manere, debet quo modo ille ambulavit & ipse ambulare: Ambulandum est igitur vestigiis paribus, æmula ingressione nitendum est. Tunc (c) respondet ad fidem nominis, sectatio veritatis, & credenti præmium (d) datur, si (e) quod creditur, & geratur. Locupletem te dicis & divitem, sed divitiis tuis Paulus occurrit, & ad cultum atque ornatum tuum justo fine moderandum, sua voce præscribit. Sint, inquit, mulieres cum verecundia & pudicitia componentes se, non in tortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veste pretiosa, sed ut decet mulieres promittentes castitatem per bonam conversationem. Item Petrus ad hæc eadem præcepta, consentit, & dicit: Sit in muliere non exterior ornamenti, aut auri, aut vestis cultus, sed cultus cordis. Quod si illi mulieres quoque admonent (f) coercendas, & ad Ecclesiasticam disciplinam religiosa observatione moderandas, quæ excusare cultus suos soleant per (g) maritum: quanto id magis observare virginem fas est, cui nulla ornatus sui competat venia; nec derivari in alterum possit (h) mendacium culpæ, sed sola ipsa remaneat in crimine? Locupletem te dicis & divitem: sed non omne quod potest, debet & fieri; nec desideria prolixa, & de seculi ambitione nascentia, ultra honorem ac pudorem virginitatis extendi, cum scriptum sit: Omnia (i) licent, sed non omnia expediunt. Omnia licent, sed non omnia ædificant. 1 Joh. 2. 6. 1. Tim. 2. 10. 1 Pet. 3. 3. 1 Cor. 6. 12.

Clades quæcunque accidunt, illis quæ iisdem occasionem dedere imputandæ.

Cæterum si tu te sumtuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, suspiria adolescentium post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, (k) suspirandi fomenta succendas, ut etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas; excusari non potes quasi mente casta sis & pudica. Redarguit te cultus improbus & impudicus ornatus, nec computari jam potes inter puellas & virgines Christi, quæ 1 sic vivis ut possis adamari. Locupletem te dicis & divitem; sed jactare divitias suas virginem non decet. Cum dicat scriptura divina: Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum (l) jactatio contulit nobis? transierunt omnia illa tanquam umbra. Et Apostolus rursum moneat & dicat: Et qui emunt sic sint quasi non possidentes, & qui hoc mundo utuntur quasi 2 non (m) utantur: præterit enim figura hujus mundi. (3) Petrus etiam cui oves suas Dominus pascendas, tuendasque commendat, super quem posuit & fundavit (n) Ecclesiam, aurum quidem sibi esse & argentum negat, sed esse se dicit Christi gratia divitem, esse fide ejus & virtute locupletem; quibus multa magnalia cum miraculo faceret quibus ad gratiam gloriæ (o) bonis spiritalibus abundaret. Has opes, has divitias possidere non potest, quæ se divitem seculo mavult esse quam Christo. Locupletem te dicis & divitem; & utendum putas iis (p), quæ possidere te Deus voluit. Utere, sed ad res (q) salutares utere, sed ad bonas artes, utere, sed ad illa quæ Deus præcepit, quæ Dominus ostendit. Divitem te sentiant pauperes, locupletem sentiant indigentes. (r) Patrimonio tuo Deum fœnera, Christum ciba; ut virginitatis perferre gloriam liceat, ut ad Domini præmia venire contingat, multorum precibus exora: Commenda illic thesauros tuos, ubi fur nullus effodiat, quo nullus insidians grassator irrumpat. Possessiones tibi, sed cœlestes magis compara, ubi fructus tuos juges ac perennes, & ab omni contactu injuriæ secularis (s) immunes, nec rubigo atterat, nec grando cædat, nec sol urat, nec pluvia corrumpat. Nam delinquis & hoc ipso in Deum, si ad hoc tibi ab illo divitias (t) datas credis, ut illis non salubriter perfruaris. Nam & vocem (u) Deus homini dedit, & tamen (w) non sunt iccirco amatoria cantanda, nec turpia: & ferrum esse ad culturam terræ Deus voluit, nec homicidia sunt iccirco facienda: aut quia thura & merum, & ignem Deus instituit, sacrificandum est inde idolis; vel quia abundant pecudum greges in agris tuis, victimas & hostias immolare debebis. Alioqui tentatio est patrimonium grande, nisi ad usus bonos census operetur; (x) ut patrimonio suo unusquisque locupletior, magis redimere debeat quam augere delicta. 1 Sap. 5. 8. 1 Cor. 7. 30. Act. 3. 6.

Ornamentorum insignia, & lenocinia formarum, solum impudicis congruunt.

Ornamentorum ac vestium insignia & lenocinia formarum non nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum fere pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est. Sic in scripturis sanctis, quibus nos instrui Dominus voluit & moneri, (4) describitur civitas meretrix comta pulcrius & ornata, & cum ornamentis suis, ac prop-

(a) Officium liberatus, *Bod.* 1. 2. 4. (b) Fecit & docuit, *Voss.* 1. dixit, *Thu. Foss. Corb.* (c) Respondebit, *Ar. Bod.* 1. 2. 4. *MR.* (d) Dabitur, *Ben. MR.* (e) Quod legitur, *Voss.* (f) Et coercendas. *Bod.* 1. (g) Maritos, *Voss.* 1. (h) Mendacii culpa, *Bod.* 1. (i) Mihi licent, *Bod.* 2. (k) Peccandi fomenta, *Foss.* sperandi fomenta, *Bod.* 1. 2. 4. *Ver. Man.* (l) Jactantia, *Thu.* (m) Utantur eo, *Ar. Lam. NC.* 1. *Ebor.* (n) Ecclesiam suam, *Bod.* 4. (o) Donis, *Bod.* 4. (p) Putas his, *Lam. Lin. Corb.* (q) Salutares, & ad bonas artes, *Lam. Lin. Foss.* (r) *Sic. Lin. NC.* 2. *Voss.* 2. *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Corb. Ver. Man.* Patrimonium tuum Deo. *Imp.* (s) Immunes, nec judex ambiat, nec quæsitor inquirat, *Vat.* (t) Datas esse, *Bod.* 4. (u) Deus hominibus, *Lin.* (w) Non sunt amatoria, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. (x) Et patrimonio, *Thu.*

1 *Sic vivis ut possis adamari.*] Tertul. lib. de virg. vel. rem sic explicat. *Arabiæ feminæ ethnicæ, quæ non caput sed faciem quoque ita totam tegunt; ut uno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quam totam faciem prostituere. Quas propterea infelicissimas ait Romana quædam Regina; quod adamare magis, quam adamari possint.*

2 *Non utantur.*] Vid. l. 3. Test. ad Quir. c. 11.

3 *Petrus etiam.*] Si in tanta dignatione Apostolus, ultimam paupertatem subibat; frustra sibi placent feminæ Christianæ in divitiarum affluentia.

4 *Describitur civitas meretrix.*] Locum hunc pariter laudat Tertullianus l. 2 de cultu fem. c. 12. *Illa civitas valida, quæ super montes septem, & plurimas aquas præsidet*, &c. Vid. lib. 3. testim. ad Quir. c. 36.

An. 248. propter ipſa potius ornamenta, peritura: Et venit, inquit, unus ex ſeptem angelis habentibus phialas ſeptem, & aggreſſus eſt me, dicens: Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ ſedentis ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt Reges terræ. Et duxit me in ſpiritu: & vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam, & mulier illa amicta erat (a) pallio purpureo, & coccineo, & adornata erat auro & lapidibus pretioſis, & margaritis, tenens poculum aureum in manu ſua plenum execrationum & (b) immunditiæ, & fornicationis totius terræ. ( ) Fugiant caſtæ virgines & pudicæ inceſtarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium inſignia, ornamenta meretricum. Clamat etiam ſpiritu ſancto plenus Eſaias, & filias Sion auro & argento, ac veſte corruptas increpat, & objurgat perniciosis opibus affluentes, (d) & à Deo per (e) ſeculi delicias recedentes: Exaltatæ ſunt, ait, filiæ Sion, & (f) ambulaverunt alto cello, & nutu oculorum, & (1) inceſſu pedum trahentes tunicas & pedibus ſimul ludentes. Et humiliabit Deus (2) principales filias Sion, & revelabit Dominus habitum earum, & auferet Dominus gloriam veſtis illarum, & ornamenta earum, & crines, & cincinnos, & 3 lunulas & (g) 4 diſcriminalia, & armillas, & 5 botronatum, & 6 dextralia, & annulos, & inaures, & ſerica contexta cum auro & hyacintho. Et erit pro odore ſuavitatis pulvis, & pro cingulo (h) reſte cingeris, & pro ornamento capitis aureo (i) calvitium habebis. Hoc Deus culpat, hoc denotat: hinc corruptas eſſe virgines, hinc à cultu vero atque divino deſciviſſe pronunciat. (j) Exaltatæ ceciderunt: comtæ turpitudinem fœditatemque meruerunt: (k) ſericum & purpuram indutæ, Chriſtum induere non poſſunt: auro, & margaritis, & monilibus adornatæ, ornamenta cordis ac pectoris perdiderunt. Quis non id execretur & fugiat, quod (l) alii fuerit exitio? Quis id appetat & aſſumat, quod ad necem alterius pro gladio fuerit, & telo? Si hauſto poculo moreretur ille qui biberat, venenum ſcires eſſe lethale quod acceptum potuit occidere, nec ederes inde, nec biberes, unde interiiſſe alios ante conſpiceres. Apo. 17. 1. Is. 3. 16.

Cultus iſte Dei opus perverſit.

Nunc quanta (m) ignorantia veri eſt, animi quanta dementia, id velle, quod & nocuerit ſemper & noceat: & putare quod inde ipſa non pereas, unde alios periiſſe cognoſcas? 7 Neque enim Deus coccineas aut purpureas oves fecit, aut herbarum ſuccis, & conchiliis tingere & colorare lanas docuit. Nec diſtinctis auro lapillis & margaritis, contexta ſerie & numeroſa compage digeſtis, monilia inſtituit; quibus cervicem, quam fecit, (n) abſconderes; ut operiatur illud quod Deus in homine formavit, & conſpiciatur id deſuper, quod (o) diabolus adinvenit An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali ſecularis ignara crucietur; ut poſtea de aurium cicatricibus & cavernis, pretioſa grana dependeant, gravia etſi non ſuo (p) pondere, mercium quantitate? Quæ omnia (q) 8 peccatores & apoſtatæ angeli ſuis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia devoluti, à cœleſti vigore (r) receſſerunt. Illi & oculos (ſ) circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare (s) adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem, (t) corruptelæ ſuæ impugnatione docuerunt.

Ad iram Deum provocat.

Et quidem iſto in loco, pro timore, quem nobis fides ſuggerit; pro dilectione, quam fraternitas exigit, non virgines tantum, aut viduas, ſed & nuptas puto, & omnes

(a) Pallium purpureum, *Lin. NC.* 1. *Pem. Ver. Neap. Thu. Corb.* (b) Omnis immunditiæ, *Ver.* (c) Fugiant, fugiant, *Ver.* (d) Et à Domino, *Voſſ.* 3. (e) Seculi divitias, *Bod.* 4. (f) Proceſſerunt alta cervice, *Neap. Foſſ.* Inceſſerunt alta cervice, *Benev.* (g) Specula, *Man. Foſſ.* redimicula, *Neap.* Diſcrimen, *Ver. Corb. Voſſ.* 1. *Pem. NC.* 1. *Lin. Lam. Bod.* 1. 2. 4. (h) Reſte præcingeris, *Voſſ.* 1. (i) Calvitium habebunt, *Pem. Voſſ.* 1. (j) Exaltatæ, inquit, ceciderunt, *Veron.* (k) Serico & purpura, *Vat.* 3. *Foſſ.* (l) Aliis fuerit, *Foſſ.* exitium, *Voſſ.* 1. (m) Ignorantia tui, *Foſſ.* (n) Abſcondere, *Ar. Bod* 1. 2. 4. abſconderet, *Veron. Vat.* 1. (o) Diabolus invenit, *Foſſ.* (p) Pondere, tamen, *Neap. Bod.* 2. (q) Prævaricatores & apoſtatæ, *NC.* 2. (r) Ceſſerunt, *Ver.* (ſ) Circumducto nigro refucare, *Ar.* (s) Adulteris coloribus, *Ver. Corb.* (t) Corruptela ſuæ impugnationis, *Bod.* 2.

1 *Inceſſu pedum trahentes tunicas.*] Has una voce Homerus appellat ἑλκισιπέπλους.

2 *Principales filiæ Sion.*] Vulgatus ad Hebræam veritatem accommodatius reddit. *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion.* Quod poſtea exinde dicitur, *revelabit Dominus habitum*, ἀνακαλύψει τὸ σχῆμα, quædam exemplaria felicius legunt αἰσχύνωμα.

3 *Lunulas.*] μηνίσκοι ſunt ex Symmachi ſententia μανιάκια, & Heſychii περιτραχήλια, μανιάκια, περιδέραια, Revera LXX. conjungunt μηίσκους, καὶ τὸ κάθεμα. κάθεμα autem interprete eodem Heſychio ὁ κατὰ τήθυς ὅρμος. ſcil. monile collo circumdatum, appenſa gemma ſolet ornari. Reſpectu cujus Hieronymus vertit lunulas, *bullas dependentes ad lunæ ſimilitudinem.*

4 *Diſcriminalia*] Acus diſcriminalis, apud latinos ſcriptores res ſatis nota. Hac Fulvia mortui Ciceronis linguam transfixit.

5 *Botronatum.*] Quicquid ex adverſo ſenſerint Rhenanus & Pamelius, videtur botronatus aurium ornamentum. Heſychius dicit βοτροειδία ἐνωτάρια εἴδους. Horum botronatuum meminit Tertul. l. 2. de Cultu.

6 *Dextralia.*] Quæ fuerint ἐπιδέξια hæc, vix felicius intelligitur, quam ex Tarpeiæ virginis pacto, quæ, referente Plutarcho, prodidiſſe dicitur arcem Romæ Sabinis ἐπιθυμήσασα τῶν χρυσῶν βραχιονισήρων. Vid. Exod. 35. 21. Num. 31. 50. 2 Reg. 1. 10. Aquila χλιδῶνα βραχίονος, βραχιάλιον, vertit. Sed in iſtis omnibus Græca ab Hebræis, Latina ab utriſque, & Auctorem noſtrum ab univerſis plurimum diſcedere nemo mirabitur; qui geſtaminum, præſertim muliebrium, in qualibet gente, & quovis ſeculo, infinitam varietatem conſiderat.

7 *Neque enim Deus coccineas.*] Tert. de Cultu fem. l. 2. c. 10. *Nimirum enim Deus demonſtravit ſuccis herbarum, & concharum ſalivis, incoquere lanas; exciderat illi cum univerſa nâſci juberet, purpureas & coccineas oves mandare.* Hieron. in vita Marcellæ eodem modo Rhetoricatur.

8 *Peccatores & apoſtatæ angeli.*] Tert. l. 1. de Cultu fem. c. 2. *Illi ſcili angeli qui ad filias hominum de cœlo rueruut*, &c. Hac etiam in ſententia verſabantur Lactant. l. 2. c. 15. Euſeb. de Præp. l. 5. Auguſt. de Civit. Dei l. 15. c. 23.

An. 248. omnes omnino feminas admonendas; quod opus Dei & (a) factura ejus & plastica adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo colore, (b) vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine. (c) Dicit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; & audet quisquam mutare & convertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id quod ille formavit, reformare & transfigurare contendunt; nescientes quia opus Dei est omne quod nascitur; diaboli, (d) quodcumque mutatur. 1 Si quis pingendi artifex vultum alicujus & speciem, & corporis qualitatem 2 æmulo colore signasset, & signato jam consummatoque simulacro, manus alius inferret, ut jam formata, jam picta quasi peritior reformaret; gravis prioris artificis injuria & justa indignatio videretur. Tu te existimas impune laturum tam improbæ temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Ut enim impudica (e) circa homines, & incesta fucis lenocinantibus non sis; corruptis violatisque quæ Dei sunt, pejor adultera (f) detineris. Quod ornari putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis, (g) prævaricatio est veritatis. Monentis Apostoli vox est: Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis (h) azymi; nam & pascha nostrum immolatus est Christus: (i) itaque festa celebremus, non in fermento vetere, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. (k) Num sinceritas perseverat & veritas, quando quæ sincera sunt polluuntur (l) colorum adulteriis, & (m) medicaminum fucis in mendacium vera mutantur? Dominus tuus dicit: (n) Non potes facere capillum unum album aut nigrum: & 3 tu ad vincendam Domini tui vocem vis te esse potiorem? Audaci conatu & sacrilego contemtu crines tuos inficis, malo præsagio futurorum, 4 capillos jam tibi flammeos auspicaris; & peccas, (o) pro nefas, 5 capite, id est, corporis parte (p) meliore! Et cum scriptum sit de Domino: Caput autem ejus & capilli erant albi velut lana, aut nix; tu execraris canitiem, detestaris alborem, qui sit ad Domini caput similis! Non metuis oro quæ talis es, ne 6 cum resurrectionis dies venerit artifex tuus te non recognoscat, & ad sua præmia & promissa venientem removeat & excludat? (q) increpans vigore censoris & judicis dicat: Opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est; cutem falso medicamine polluisti, crinem adultero colore mutasti, expugnata est mendacio facies, figura corrupta est, vultus alienus est, Deum videre non poteris, quando oculi tibi non sunt quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit. Illum tu sectata es, rutilos atque depictos oculos serpentis imitata es; de inimico tuo comta, cum illo pariter & arsura. Hæc oro cogitanda non sunt Dei servis? non die semper ac (r) nocte metuenda? Viderint quid sibi nuptæ per placendi studium de conjugum solatio blandiantur; quos dum in excusationem suam proferunt, ad societatem criminosæ consensionis adsciscunt. Virgines certe, quibus hic sermo nunc consulit, quæ se ejusmodi artibus comserint, inter virgines non putem debere numerari, sed, tanquam contactas oves & (s) morbidas pecudes, à sancto & puro grege virginitatis arceri, ne contagio suo cæteras polluant, dum simul degunt; ne perdant alias quæcunque perierunt. Gen. 1. 26. 1 Cor. 5. 7. Mat. 5. 36. Apoc. 1. 14.

Inanis excusatio quæ petitur à sæculi moribus: nuptiis & balneis abstinere debent virgines Christianæ.

7 Et quoniam (t) continentiæ bonum quærimus, pernicioſa quæque & (t) infesta vitamus: nec illa prætereo, quæ, dum negligentia in usum veniunt, contra pudicos & sobrios mores licentiam sibi de usurpatione fecerunt. Quasdam non pudet nubentibus interesse, (u) & in illa lascivientium libertate sermonum colloquia incesta miscere, (w) audire quod non decet, quod non licet dicere, observare; & esse præsentes inter 8 verba turpia, & temulenta convivia, quibus libidinum fomes accenditur, sponsa ad patientiam stupri, ad audaciam sponsus animatur. (x) Quis illi in nuptiis locus est cui animus ad nuptias non est? aut (y) voluptaria illic, & læta esse quæ possunt, ubi & studia

(a) Facturam ejus & plasma, adulterare nullo modo debeant, *Ar. Lam. NC.* 1. *Voss.* 1. (b) Vel nigro pulvere, aut quolibet, *MR.* (c) Cum dicat Deus, *Lin.* (d) Quod additur & mutatur, *Ar. Neap. Bod.* 4. (e) Circa homines non sis, incesta, *Bod.* 2. (f) Teneris, *Voss.* 1. (g) Impugnatio veritatis, *NC.* 1. *Pem.* (h) Azyma, *Ver. Neap.* (i) Itaque epulemus, *Voss.* 1. (k) Numquid sinceritas, *Ar.* (l) Coloribus adulteris, *Bod.* 2. (m) Medicaminum succis, *Lam. Bod.* 1. (n) Non potest homo, *Bod.* 1. (o) Pro nefas, in caput, *Bod.* 1. (p) Meliore! cum scriptum, *Lam. Eb. Bod.* 1. 2. 4. (q) Et increpans, *Ver.* (r) Nocte meditanda, *Voss.* 1. (s) Morbidas, à sancto, *NC.* 2. (t) Continentiæ donum, *Voss.* 1. (t) Incesta, *Lam.* infesta vitamus, *sic Lam. Ebor. Lin. Voss.* 1. vitemus, *Impr.* (u) Et inter illam, &c. *Foss.* & in illa lascivitate convivantium, *Ben.* inter illas lascivientium libertates, *Voss.* 1. *Bod.* 2. (w) Audire quod non licet, quod non decet dicere, observare, *Voss.* 1. (x) Quis illis in nuptiis locus est quibus, *Lin. Bod.* 4. (y) Voluntaria illic, *Thu.*

1 *Si quis pingendi artifex.*] Hæc D. Augustinus late exequitur, tanquam exemplum grandis dictionis, loco prælaudato, De doct. Christ.

2 *Æmulo colore.*] Cujus pulcritudinem omnes æmulentur.

3 *Tu ad vincendam Domini tui vocem.*] Ita Tertul. De Cultu l. 2. c. 6. *Sed enim Dominus ait, quis vestrum potest capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro; itaque revincunt Deum.* Et paulo post. *Mirum quod non contra dominica præcepta contenditur, ad mensuram neminem sibi adjicere posse pronunciatum est, vos vero adjicitis ad pondus colluras quasdam*, &c.

4 *Capillos jam tibi flammeos auspicaris.*] Tert. ibid. *Pessime tibi auspicentur flammeo capite.*

5 *Peccas capite.*] Respicere videtur, non, quod vult Rigaltius, diminutionem capitis ex jure Romano; sed verba Apostoli 1 Cor. 11. 10. καταισχύνει τὴν κεφαλὴν. Porro meminisse verborum Magistri putarem, dicentis. *Sciant quia totum caput mulier est, limites & fines ejus eo usque porriguntur, unde incipit vestis.*

6 *Cum resurrectionis dies venerit.*] Idem, ubi supra. *Videbo an cum cerussa, & purpurisso, & croco, & illo ambitu capitis resurgatis.*

7 *Et quoniam.*] Sensus verborum non aliter constistere posse videtur, nisi cum sequentibus cohæreant.

8 *Verba turpia.*] Fescennini versus, prorsus obscœni; *qui*, ut ait Festus, *canebantur in nuptiis.*

1 *Primus*

An. 248. ſtudia & vota diverſa ſunt? quid illic dicitur, quid videtur? (a) quantum à propoſito ſuo virgo deficit, quando pudica quæ venerat, impudica diſcedit? corpore licet virgo ac mente permaneat; oculis, auribus, lingua minuit illa (b) quæ habebat. Quid vero quæ promiſcuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidinem curioſis, pudori ac pudicitiæ corpora dicata proſtituunt, quæ cum viros, atque à viris nudæ, vident turpiter, ac videntur, nonne ipſæ illecebram vitiis præſtant? nonne ad corruptelam & injuriam ſuam deſideria præſentium ſolicitant & invitant? Viderit, inquis, qua illuc mente quis veniat: mihi tantum reficiendi corpuſculi cura eſt, & lavandi. Non te purgat (c) iſta defenſio; nec laſciviæ & petulantiæ crimen excuſat. Sordidat lavatio iſta, non abluit; nec emundat membra, ſed maculat. Impudice tu neminem conſpicis, ſed ipſa conſpiceris impudice; oculos tuos turpi oblectatione non polluis, ſed dum oblectas alios, ipſa pollueris. Spectaculum de lavacro facis: (d) theatro ſunt fœdiora quo convenis; verecundia illic omnis exuitur, ſimul cum amictu veſtis honor corporis ac pudor ponitur, denotanda & contrectanda virginitas revelatur. Jam nunc conſidera an cum (e) veſtita es, verecunda ſis inter viros, talis, (f) cui ad inverecundiam proficit audacia nuditatis. Sic ergo frequenter Eccleſia virgines ſuas plangit, ſic ad infames earum ac deteſtabiles fabulas ingemiſcit, ſic flos virginum extinguitur, honor continentiæ ac pudor (g) cæditur, gloria omnis ac dignitas profanatur. Sic ſe expugnator inimicus per artes ſuas inſerit: ſic inſidiis per occulta fallentibus Diabolus obrepit: ſic dum ornari cultius, dum liberius evagari (h) virgines volunt; eſſe virgines deſinunt, furtivo dedecore corruptæ, viduæ antequam nuptæ, (i) non mariti ſed Chriſti adulteræ; quam fuerant præmiis ingentibus (k) virgines deſtinatæ, tam magna ſupplicia pro amiſſa (l) virginitate ſenſuræ. Audite itaque (m) virgines ut parentem, audite, quæſo vos, (n) docentem pariter ac monentem, audite utilitatibus & commodis veſtris fideliter conſulentem. Eſtote tales quales vos Deus artifex fecit: eſtote tales quales vos manus patris inſtituit: maneat in vobis facies incorrupta, cervix pura, forma ſincera. Non inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut colla de armillis & monilibus catena pretioſa; ſint à compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conſpiciendo Deo digni. Celebrentur lavacra cum feminis, (o) quarum pudica lavatio eſt. Nuptiarum feſta improba, & (p) convivia laſciva vitentur, quorum periculoſa contagio eſt.

Virgininitas ad Martyrium gradus proximus.

Vince veſtem, quæ virgo es, quæ Deo ſervis: (q) vince aurum, quæ carnem vincis & ſeculum. Non eſt (r) ejuſdem non poſſe à majoribus vinci, & imparem (s) minoribus inveniri. Arcta & anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam: (t) durus & arduus eſt limes qui tendit ad gloriam. Per hunc viæ limitem martyres pergunt, eunt virgines, (u) juſti quique gradiuntur. Lata & ſpatioſa itinera vitate: lethales illic illecebræ & mortiferæ voluptates: illic diabolus blanditur ut fallat; arridet, ut noceat; illicit, ut occidat. 1 (w) Primus enim centenarius martyrum fructus eſt, ſecundus ſexagenarius veſter eſt. Ut apud (x) Martyrem non eſt carnis & ſeculi (y) cogitatio, nec parva & levis & delicata congreſſio: ſic & in vobis, quarum (z) ad gloriam merces ſecunda eſt, ſit & virtus ad tolerantiam proxima. Non eſt ad magna facilis aſcenſus: quem ſudorem perpetimur, quem laborem, cum conamur aſcendere colles & vertices montium? quid ut aſcendamus ad cœlum? Si præmium pollicitationis attendas, minus eſt quod laboras; immortalitas (aa) perſeveranti datur, perpetua vita promittitur, regnum dominus pollicetur. (bb) Servate virgines, ſervate quod eſſe cœpiſtis, ſervate quod eritis. Magna vos merces manet, præmium grande virtutis, munus maximum caſtitatis. Mat. 13. 8.

Virgines Evæ maledictum evitant.

Vultis ſcire quo malo careat, & quid boni teneat continentiæ virtus? Multiplicabo, inquit mulieri Deus, triſtitias tuas, & gemitus tuos; & (cc) in triſtitia paries filios, & converſio tua ad virum tuum, & ipſe tui dominabitur. Vos ab hac ſententia liberæ eſtis, vos mulierum triſtitias & gemitus non timetis: nullus vobis de partu circa filios metus eſt, nec maritus eſt dominus, ſed (dd) dominus veſter & caput Chriſtus eſt. Gen. 3. 16.

Maribus, imo Angelis æquantur.

Ad inſtar & vicem maſculi, ſors vobis & conditio communis eſt. Domini vox eſt illa dicentis! Filii ſeculi hujus generant & generantur: qui autem habuerint dignationem ſeculi illius & reſurrectionis à mortuis, 2 non nubunt, neque matrimonium faciunt: Luc. 20. 34.

(a) Tantum à propoſito ſuo virgo deficit, quantum impudicitior, quæ venerat pudica, *Lam. Ebor. NC. 2. Thu. Foſſ. Corb. Ver. MR.* pudicitior. *Bod.* 1. 4. *Lin.* (b) Quod. (c) Sordida iſta, *Pem. Voſſ.* 2. (d) Theatra ſunt, *Voſſ.* 1. *à Vet. innom.* (e) Veſtita eſt, verecunda ſit, *Ar. Lam. Voſſ.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *NC.* 1. *MR. Thu. Foſſ.* (f) Quæ ad inverecundiam, *Lam. Lin. NC.* 1. (g) Pudor læditur, *Neap.* Pudor ponitur, *Vat.* 1. 2. 3. *Foſſ.* (h) Virgines deſtinant, *Foſſ.* (i) Non maritis, ſed Chriſto, *Ar.* (k) Præmiis ingentibus deſtinatæ, *MR.* (l) Virginitate erunt, *Bod.* 2. (m) Me virgines, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. *Ben.* (n) Timentem, *Bod.* 1. 4. *Voſſ.* 1. (o) Quarum pudica, *Sic Veron. & Man.* Quarum in vos pudica, *Foſſ.* 1. 2. *Lam. Ebor. & omnes fere impreſſi.* (p) Temulenta convivia vitentur, *Ver.* (q) Virgo es, vince, *Lam.* (r) Ejuſdem virtutis & animi, *Voſſ.* 1. (s) Minoribus inveniri. Parem ſe integritas præſtat in omnibus, nec bonum virginitatis cultus infamet, *Lin.* (t) Durus & arctus, *Bod.* 2. (u) Juſtique, *Voſſ.* 1. (w) Primus cum centeno, *Bod.* 1. 4. *Thu. Foſſ. Corb.* centeſimo, *Lam. Ebor. MR. Ver.* (x) Martyres, *Ar. Bod.* 1. 2. 4. *Voſſ.* 1. Martyras, *Thu. Corb.* (y) Seculi luctatio, *Lin.* colluctatio, *Ver.* (z) Ad gratiam merces, *Bod.* 1. 2. *Thu. Foſſ. Corb. MR.* (aa) Perſeverantibus, *Bod.* 1. (bb) Servate quod debetis, *Foſſ.* (cc) Cum triſtitia, *Ver.* (dd) Dominus, dominus veſter, *Bod.* 1. 2. 4.

1 *Primus enim centenarius.*] Aliter rationes haſce ſubducit D. Hieron. contr. Jovin.

2 *Non nubunt, neque matrimonium faciunt.*] Vid. quæ dicta l. 3. ad Quirin. c. 32.

An. 248. ciunt: neque enim incipient mori, æquales enim ſunt angelis Dei, cum ſint filii reſurrectionis. Quod futuri ſumus, jam vos eſſe cœpiſtis: vos reſurrectionis gloriam in iſto ſeculo jam tenetis: per ſeculum ſine ſeculi contagione tranſitis. Cum caſtæ perſeveratis & virgines, angelis Dei eſtis æquales; tantum maneat & duret ſolida & illæſa virginitas, &, ut cœpit (a) fortiter, jugiter perſeveret. Nec monilium aut veſtium quærat ornamenta, ſed morum. Deum ſpectet & cœlum; neque oculos ad ſublime porrectos, ad carnis & mundi concupiſcentiam deprimat, (b) aut ad terrena deponat. Prima ſententia creſcere & (c) generare præcepit: ſecunda continentiam ſuaſit. Cum Gen. 1. 28.
adhuc rudis mundus & inanis (d) eſſet, copiam fœcunditatis generantes propagamur, & creſcimus ad humani generis augmentum. (e) Cum jam refertus eſt orbis & mundus impletus, qui capere continentiam poſſunt, ſpadonum more viventes, caſtrantur ad regnum.

Inſtituto huic non neceſſitas imponitur: ſed manet voluntatis liberum arbitrium.

Nec hoc jubet Dominus, ſed hortatur: nec jugum neceſſitatis imponit, quando ma- Mat. 19. 12.
neat voluntatis arbitrium liberum. Sed cum habitationes multas apud patrem (f) ſuum dicat, melioris habitaculi hoſpitia demonſtrat: habitacula iſta meliora vos petitis, carnis deſideria caſtrantes, [1] majoris gratiæ præmium in cœleſtibus obtinetis. Omnes quidem qui ad divinum munus & (g) patrium baptiſmi ſanctificatione perveniunt, hominem illic veterem gratia lavacri ſalutaris exponunt, & innovati Spiritu ſancto à ſordibus contagionis antiquæ iterata nativitate purgantur. Sed nativitatis iteratæ vobis major ſanctitas & veritas competit, quibus deſideria jam carnis & corporis nulla ſunt. Sola in vobis, quæ ſunt (h) virtutis & ſpiritus, ad gloriam remanſerunt. Apoſtoli vox eſt, quem Dominus vas electionis ſuæ dixit, quem ad (i) promenda mandata cœleſtia Deus miſit: Primus homo, inquit, de terræ limo: (k) ſecundus homo de cœlo. Qualis ille de 1 Cor. 15.
limo, tales & qui de limo: & qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Quo modo portavi- 47.
mus imaginem ejus qui de limo eſt, [2] portemus & imaginem ejus qui de cœlo eſt. Hanc imaginem virginitas portat, portat integritas, ſanctitas portat & veritas. Portant diſciplinæ Dei memores, juſtitiam cum religione retinentes, ſtabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad ſuſtinendam injuriam mites, ad faciendam miſericordiam faciles, fraterna pace unanimes atque concordes. Quæ vos ſingula ô bonæ virgines obſervare, diligere, implere debetis; quæ Deo & Chriſto vacantes ad Dominum, cui vos dicaſtis, & majore & meliore parte præceditis. Provectæ annis, junioribus facite magiſterium: minores natu præbete majoribus miniſterium, comparibus incitamentum: hortamentis vos mutuis excitate, æmulis de virtute documentis ad gloriam provocate. Durate fortiter, ſpiritaliter pergite, pervenite feliciter: tantum mementote tunc noſtri, cum incipiet in vobis [3] virginitas honorari.

(a) Fortiter &, *Lam.* (b) Nec ad terrena, *Bod.* 2. (c) Generare Deus, *Bod.* 4. (d) Eſſet, *ſic omnes MSS.* eſt, *Imp.* copioſa, *Ar.* copia fœcunditatis, *Bod.* 1. 2. *Ver Voſſ.* 1. (e) At cum refertus, *Ver.* (f) Suum eſſe, *Vat.* 3. (g) Patrimonium, *Foſſ.* (h) Virtutis & ſpiritus remanſerunt, *Ar. MR.* (i) Proponenda mandata, *Bod.* 1. promerenda, *MR.* (k) Secundus de cœlo, *Thu. Foſſ. Corb.*

1 *Majoris gratiæ præmium.*] Ultra modulum gratiæ baptiſmalis, annis juxta & pietate adultis, uberiora Deus concedit dona: ſed vix ulla magis expetenda, quam quæ carnis deſideriis domandis vires ſuppeditant.

2 *Portemus & imaginem.*] Vid. quæ dicta l. 3. ad Quir. c. 11.

3 *Virginitas honorari.*] Ad martyrium præparat diſciplina continentiæ. Quo vero in loco priſcis temporibus martyrum preces habitæ erant, ex venia lapſis indulta per earum ſuffragia, abunde notum eſt. Imitatur Tertul. ſub finem libri de baptiſmo; qui recens baptizatos, & criminum præteritorum labe purgatos alloquitur. *Tantum oro, ut cum petitis, etiam Tertulliani peccatoris memineritis.* Nimirum *cum de ſanctiſſimo lavacro novi natalis aſcenderent, & primas manus cum fratribus aperirent*, iſtis orationum primitiis, eum Deo commendarent. Et recte quemadmodum Magiſter tractatum de baptiſmo claudit allocutione ad νεοφωτίσους. ut eorum precibus juvaretur; pari formula Cyprianus librum de Virginum habitu abſolverit: ſiquidem illic comparationem inter utroſque inſtituit. *Omnes quidem qui ad divinum munus & patrium, baptiſmi ſanctificatione perveniunt, hominem illic veterem gratia lavacri ſalutaris exponunt, & innovati ſpiritu ſancto, à ſordibus contagionis antiquæ, iterata nativitate purgantur. Sed nativitatis iteratæ vobis major ſanctitas & veritas competit, &c.* Unde fruſtra agit Pamelius qui dicit, *facere hunc locum pro invocatione ſanctorum poſt hanc vitam.* Et fruſtra Goulartius, qui excuſationes ſupervacuas nectit. Tunc certe quis vere dixerit Virginitatem incepiſſe honorari, cum primum Confeſſionis decore in terris aucta; non autem cum gloria cœleſti cumulata fuerit, & cum poſt martyrii coronam, venturi demum regni diadema induerit. Sed demus ſanctorum preces in cœlis, nobis viatoribus prodeſſe hic in terris; non ſtatim ſequetur, licite preces ad ipſos dirigendas. Multo minus ſequetur; quia Virginum in vivis agentium preces expetebat Cyprianus, defunctas pariter invocandas.

D. CÆCILII CYPRIANI

[1] DE

UNITATE ECCLESIÆ.[a]

An. 251. *Simplicitati Chriſtianæ, ad ungi debent, prudentia & obſequium.*

CUm moneat Dominus & dicat: Vos eſtis ſal terræ,' cumque eſſe nos jubeat ad innocentiam ſimplices, & tamen cum ſimplicitate prudentes: quid aliud fratres dilectiſſimi, quam providere nos convenit, & ſollicito corde vigilantes ſubdoli hoſtis inſidias intelligere pariter & cavere; ne qui Chriſtum ſapientiam Dei patris (b) induimur, minus (c) ſapere in tuenda ſalute videamur? Neque enim perſecutio ſola (d) metuenda eſt ea, quæ ſubruendis ac dejiciendis Dei ſervis aperta impugnatione graſſatur. Facilior cautio eſt, ubi (e) manifeſtior formido eſt; & ad certamen animus ante præſtruitur, quando ſe adverſarius (f) profitetur. Plus metuendus (g) eſt & cavendus inimicus, cum latenter obrepit, cum per pacis imaginem fallens, occultis acceſſibus ſerpit, unde & nomen ſerpentis accepit. Ea eſt ejus ſemper aſtutia: ea eſt (h) circumveniendi hominis (i) cæca & latebroſa fallacia: ſic ab initio ſtatim mundi (k) fefellit, & verbis mendacibus (l) blandiens, rudes animas incauta credulitate decepit: ſic Dominum ipſum tentare conatus, quaſi obreperet rurſus & falleret, latenter acceſſit; intellectus tamen eſt & (m) retuſus, & ideo proſtratus, quia agnitus atque detectus. Unde nobis exemplum datum eſt veteris hominis viam fugere, veſtigiis Chriſti vincentis inſiſtere; ne denuo incauti in mortis laqueum revolvamur, ſed ad periculum (n) providi, accepta immortalitate potiamur. Immortalitate autem potiri quomodo poſſumus, niſi ea quibus mors expugnatur & vincitur, Chriſti mandata ſervemus? ipſo monente & dicente: Si vis ad vitam venire, ſerva mandata. Et iterum: Si (o) feceritis quæ mando vobis, jam non (p) dicam vos ſervos, ſed amicos. Hos denique fortes dicit & ſtabiles; hos ſuper petram (q) robuſta mole fundatos; hos contra omnes (r tempeſtates & turbines ſeculi immobili & inconcuſſa firmitate ſolidatos. Qui audit, inquit, verba mea, & facit ea, ſimilabo eum viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſuper petram. Deſcendit pluvia, (s) venerunt flumina, flaverunt venti, & impegerunt in domum illam, & non cecidit: (t) fundata enim fuit ſuper petram. Verbis igitur ejus inſiſtere; quæcunque & (u) docuit & fecit, diſcere & facere debemus. Cæterum credere ſe (w) in Chriſtum quomodo dicit, qui non facit quod Chriſtus (x) facere præcepit? aut unde perveniet ad præmium fidei, qui fidem non vult ſervare mandati? Nutet neceſſe eſt, & vagetur; & ſpiritu erroris arreptus, velut pulvis quem ventus excutit, ventiletur; nec ambulando proficiet ad ſalutem, qui ſalutaris vitæ non tenet veritatem.

Mat. 5. 13. Ib. 10. 16.

Mat. 19. 17. Jo. 14. 15.

Mat. 7. 24.

Ca-

(a) *Sic*, *Voſſ.* 1. *Lam. Ebor. Pem. Auguſtin.* Eccleſiæ catholicæ, *Impr.* contra hæreticos & ſchiſmaticos, *Lin. Ar.* Adverſus Novatianum, *Spir. Vet. innom. Thu. Foſſ.* (b) Induimus, *Voſſ.* 1. (c) Sapere ad tuendam, *Bod.* 3. (d) Metuenda eſt ea quæ, *ſic Ver. Ebor. Lam. Lin. NC.* 2. *Ben. Bod.* 1. 2. *Thu. Foſſ.* Metuenda eſt, & ea, *deinde*, graſſantur, *Voſſ.* 1. *Imp.* (e) Manifeſta, *Lam. Ebor. NC*, 1. *Lin. Bod.* 1. 2. 3. *Satis*, *Ver.* (f) Confitetur, *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1. 2. *Ben. Thu. Foſſ.* (g) Timendus, *Salis. Bod.* 1. 2. 3. *Cambron.* (h) Circumveniendis hominibus, *Ben. Lin.* (i) Cæca & tenebroſa, *MR. Man.* (k) Fefellit, verbis, *Bod.* 4. (l) Blanditus, *Bod.* 3. (m) Retruſus, *Lam. NC.* 1. 2. *Ebor Vat.* 4. (n) Providi & cauti, *Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ben.* (o) Feceritis quod, *Ebor. Voſſ.* 1. *Pem. Lam. NC.* 1. *Ver. Neap. Thu. Foſſ.* (p) Dico, *Voſſ.* 1. *Pem. MR.* (q) Robuſta & ſolida, *Voſſ.* 1. 3. (r) Moleſtias omnes & turbines, *Spir.* (s) Advenerunt flumina, *Lam. Ebor. Pem. Ar. Ver. MR. Voſſ.* 3. Et venerunt, *Thu. Foſſ.* (t) Fundata enim erat, *Lam. Pem. Ebor. NC.* 1. (u) Fecit & docuit, *Ver.* (w) Credere ſe Chriſto, *Thu. Voſſ.* 3. (x) Fieri præcepit, *Ver.*

1 *De Unitate Eccleſiæ.*] Liber hic, ad ſolvendum Novatiani ſchiſma conſcriptus, non tantum Cypriano aſſeritur ex Pontii, & D. Auguſtini l. 2. cont. Creſc. c. 33. aliorumque è veteribus ejuſdem mentione: ſed ipſius Cypriani Ep. 54. (ad Pamelii numeros 51.) teſtimonio. Is enim ibidem agnoſcit libellum à ſe compoſitum, qui *expreſſit catholicæ Eccleſiæ unitatem.* Quæ verba volumen hoc reſpicere, nemo facile dubitaverit. Vocis *Catholicæ* in libelli titulo additamentum quod paſſim obtinuit, ſuffragantibus MSS. quamplurimis omiſimus, præſertim cum Pontius etiamnum contraxerit, ſingulari *unitatis* vocula tractatum hunc deſignans. Porro D. Auguſt. loco prælaudato, diſertis verbis librum hunc *Epiſtolam de Unitate* appellaſſe certum eſt. Cui nomenclaturæ accedere videtur Facundus l. 1. p. 16. loco à librariis, (quod recte obſervat Eruditiſſimus Lombertus) male mulctato: nom enim librum Cypriani de Trinitate qui nullus erat, ſed de Unitate laudare voluit, quod locum ipſum inſpicienti erit manifeſtum. Remboldi editio aliam repoſuit formulam, ſcil. *De ſimplicitate Prælatorum*, à principio libelli petitam; ubi dicitur moneri nos, eſſe *ad innocentiam ſimplices*, *& tamen cum ſimplicitate prudentes.* Tale quiddam accidiſſe in præcedente Tractatu obſervavimus, apud illos qui titulum inſtituerunt. *De diſciplina & habitu virginum.* Tempus quod attinet elucubrati operis: ex illius argumento & Epiſtola ſuperius laudata; poſt Cornelii pontificatum, Novatiani ſchiſma, & Confeſſorum defectionem conſcriptum: porro ante ejuſdem Cornelii martyrium, imo ante Confeſſorum reditum in Eccleſiam, nempe A. 251. Romam tranſmiſſum fuiſſe conſtare cenſemus.

An. 251. *Imprimis cavendæ Hæreſes.*

Cavenda (a) ſunt autem, fratres dilectiſſimi, non ſolum quæ ſunt (b) aperta atque manifeſta, ſed & aſtutæ fraudis ſubtilitate fallentia. Quid vero aſtutius, quidve ſubtilius, quam ut Chriſti adventu detectus ac proſtratus Inimicus (poſtquam lux gentibus venit, & ſoſpitandis hominibus ſalutare lumen effulſit, ut ſurdi auditum gratiæ ſpiritalis admitterent, aperirent ad Deum oculos ſuos cæci, infirmi (c) æterna ſanitate revaleſcerent, claudi ad Eccleſiam currerent, muti claris vocibus & precibus orarent) videns ille idola derelicta, & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitaverit novam fraudem, ut ſub ipſo Chriſtiani nominis titulo fallat incautos? Hæreſes invenit & ſchiſmata, quibus ſubverteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet unitatem. Quos detinere non poteſt in viæ veteris cæcitate, circumſcribit & decipit novi itineris errore. Rapit de ipſa Eccleſia homines, & dum ſibi appropiquâſſe jam lumini, atque evaſiſſe ſeculi noctem videntur, alias neſcientibus tenebras rurſus infundit; ut cum Evangelio Chriſti, & cum obſervatione ejus, & lege non ſtantes, Chriſtianos ſe vocent; & ambulantes in tenebris, habere ſe lumen exiſtiment; blandiente adverſario atque fallente, qui ſecundum Apoſtoli vocem, transfigurat ſe velut angelum lucis, & miniſtros ſubornat ſuos velut miniſtros juſtitiæ; aſſerentes noctem pro die, interitum pro ſalute, deſperationem ſub obtentu ſpei, perfidiam ſub prætextu fidei, Antichriſtum ſub vocabulo Chriſti; ut dum veriſimilia mentiuntur, veritatem ſubtilitate fruſtrentur. 2 Cor. 11; 14, 15.

Hæreſeôn origo Scripturarum ignorantia, & unitatis Eccleſiæ contemtus.

Hoc eo fit, fratres dilectiſſimi, dum ad veritatis originem non reditur, 1 nec caput quæritur, nec (d) magiſtri cœleſtis doctrina ſervatur. (e) Quæ ſi quis conſideret & examinet, tractatu longo atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. 2 Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, (f) inquit, 1 quia Mat. 16. 18.

(a) Sunt autem non ſolum, *Lam. Ebor. Voſſ.* 1. 3 *Lin.* 1. 2. *Bod.* 1. 3. 4 *Sariſ. MR. Thu. Foſſ.* (b) Aperte manifeſta, *Vat.* 3. *Spir.* (c) Æterna ſalute, *Lam. Ebor. NC.* 1. (d) Magiſterii, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. *Ver.* (e) Quam ſi quis, *Pem. Voſſ.* 2. (f) Inquit Petre, *Voſſ.* 2.

1 *Nec caput quæritur.*] Pro ſolita ſua fiducia, aſſerit Pamelius, Cyprianum hic dicere, idque *latiſſime & apertiſſime, initium hæreſeôn & ſchiſmatum eſſe, Romani Pontificis contemtum; atque adeo, quantumvis id quidam aliorſum detorqueant, illud*, nec caput quæritur, *prorſus de Pontifice Romano intelligendum venit.* Nimirum non Dominus noſter qui *via, veritas & vita*, non ſanctum ejus Evangelium, non Eccleſia catholica; ſed Papa Romanus, *veritatis origo & caput.* Se recolligat lector, & contextum ipſum reſpiciat, atque libere ſententiam ferat, an quæ Pamelius ſomniat, *latiſſime & apertiſſime* dicantur. Revera Epiſcoporum contemtus hæreſi & ſchiſmati non raro originem dedit: ſed contemta prius veritate Evangelica. In Epiſt. ad Pupianum profitetur Auctor noſter, *inde ſchiſmata & hæreſes oborta, dum Epiſcopus qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumtione contemnitur.* Verbis vero iſtis non Romanum, ſed Carthaginienſem Epiſcopum imprimis deſignat: quod pariter de quovis alio Præſule Eccleſiæ, dixiſſe potuiſſet.

2 *Loquitur Dominus ad Petrum.*] Rectiſſime Rigaltius *totum hunc locum, variis editionibus paſſim interpolatum, una primum obſervatione ad exemplarium fidem conſtituendum* cenſuit. Et quidem id diligenter præſtitit. Sed rectius egiſſet, ſi textum ipſum in integrum reſtituendum curaſſet: quotuſquiſque enim lector auctorem quem legit ita pro ſuſpecto habet, ut ad annotationes, præſertim ad calcem libri rejectas, perpetuo velit recurrere. Negotium ipſum ſic ſe habet. Spirenſis, Vetus innom. Remboldus, Eraſmus, Gryphius, Gravius, & quotquot deinceps ſequebantur editores ante Manutium, de *Cathedra una, Petri primatu, Cathedra Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia*, nihil inaudiverunt. Manutius vero unius Vaticani codicis, in quo aſſumenta iſta reperiebantur, præſidium nactus, reclamantibus nequicquam aliis, textui inſeruit; nulla facti ſui ratione reddita: quanquam annotatiunculam in locum illum appoſuerit. Ne vero egregii facinoris gloriam ſibi totam vendicaret Manutius, Onuphrius Panvinius ſe interponit, & pag. 55. tractatus quem ſcripſit de Primatu Petri, & Pio quinto Pontifici dicavit, Cal. Mart. A. 1566. poſtquam aſſumenta hæc adjeciſſet, ait: *Hunc librum depravatum fuiſſe, multa rejecta verba ſatis declarant. Ego eum reſtitui ex antiquo ſcripto codice Marcelli* 2. *Papæ, & quo facilius quæ reſtituta ſunt cognoſci poſſint, quæ ego ex antiquo exemplari addidi, literis majuſculis ſcripſi. Ne quis vero exiſtimaret verba illa conficta fuiſſe, Gratiani canonum collectoris locum ex eo Cypriani libro citabo, qui in ejus vulgatis codicibus ita legitur, quemadmodum ego ex antiquo exemplari reſtitui. Quod ut magis pateat, primum Cypriani locum depravatum addam, deinde ex vetuſto codice reſtitutum, quem Gratiani teſtimonio confirmabo*, &c. Et quidem bene habet quod verba adſcititia, quoniam ab omnibus fere exemplaribus rejecta ſunt, librum depravatum demonſtrant. Hoc argumento quicquid interpolatum eſt, pro genuino habebitur. Quanquam leviore cum damno boni auctores mutilantur, quam ſubditiis augmentis excreſcunt. Benignius ille agit, qui vini mihi appoſiti partem ſubtrahit, quam qui venenis additis corrumpit, imo vel vappa affuſa diluit. Ne vero domeſticum teſtem ex Marcelli familia, cujus monitis Onuphrius fatetur ſe excitatum ut ad Eccleſiaſticam hiſtoriam ſe conferret, hic citaſſe, res ſuſpecta videatur: Gratiani fidem appellat Onuphrius. Illum vero ſi conſulamus Cauſ. 24. quæſt. 1. ubi paragraphus iſte late exhibetur, aſſumentorum iſtorum nec vola nec veſtigium comparet. Imo Diſtinct. 93. c. 3. quod hic adducitur, ſi notæ marginali in veteri editione fides, illud hunc Cypriani locum in lib. de Unitate minime reſpicit, ſed Epiſtolam ad Florentium Pupianum; ubi verba quædam occurrunt à Gratiani dictatis non prorſus abhorrentia, quod illi in Patribus laudandis ſolet ſufficere. In nupera quidem Editione res aliter ſe habet, & Cypriano locus tribuitur, in lib. de Unitate Eccleſiæ. Sed heſternum Gratianum non eſt quod moremur. Conſideranda autem hic accedit nota quædam ad prædictam Diſtinct. 93. quæ in Editione Pariſienſi, Antonii Auguſtini & Cujacii nominibus commendata, appoſita occurrit; & novæ hujus lectionis rationem reddit. *In Vaticana Bibliotheca, præter octo integra Cypriani exemplaria, eſt etiam aliud in quo opuſcula quædam continentur, & inter ea hic tractatus; atque in eo codice, itemque in altero integro monaſterii S. Salvatoris Bononiæ, ſunt verba hæc quæ à Gratiano & Ivone afferuntur.* Ita octo exemplaribus MSS. & omnibus excuſis, & pleriſque per orbem terrarum MSS. prævalent duo exemplaria, quæ Cathedram Romani Pontificis commendatum eunt. Certe in Thuani codice, in quo diligenti manu variæ lectiones MSS. Vaticanæ Bibliothecæ, Veron. Neap. & R. Galliæ ſubnotantur, & quo Rigaltius in ſua editione imprimis nitebatur, codicem illum qui aſſumenta hæc agnoſcit, *imperfectum & corruptum* fuiſſe appellatum didicimus. Unde non immerito Morellius, qui poſt Romanam Editionem Cyprianum imprimendum ſuſcepit, locum hunc ad veterem formam expreſſit: contentus admonuiſſe poſt verba illa, *erunt ſoluta & in cœlis*; *duos vetuſtiſſimos libros addere: ſuper illum unum*, &c. Non eſt diſſimulandum Gretſerum lib. 2. de jure & more prohib. lib. c. 7. Codicem quendam Bavaricum; & Pamelium, Cambronenſem in probationis ſubſidium afferre. Imo & quatuor MSS. codices vidiſſe me qui aſſumenta hæc agnoſcunt, libere profiteor. Præterquam vero, quod exiguus omnino iſte ſit numerus ſi cum illis conferatur, qui veterem tuentur lectionem: hoc peculiare occurrit, quod illi plerique qui interpolationibus iſtis favere videntur, non magis à recepta prius lectione, quam ab invicem diſcedunt; & ita locum varie torquent, amputant, & perturbant, ut de illis merito dicatur quod de Teſtibus Mat. 26. 59 profertur. *Quærebant falſum teſtimonium, & non invenerunt, cum multi falſi teſtes acceſſiſſent.* Sed de his alibi. Monere pretium operæ fortaſſe hic

ſue-

An. 251. [1] quia tu es Petrus, & ſuper (a) iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent (b) eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, (c) & quæ ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Et (d) iterum eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oves meas. (e) Super unum ædificat Eccleſiam ſuam. Et quamvis Apoſtolis (f) omnibus, parem poteſtatem (g) tribuat & dicat; Sicut miſit me Pater, & Ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum. (h) Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi; ſi cui tenueritis, (i) tenebuntur: tamen (k) ut unitatem (l) manifeſtaret, (m) unitatis ejuſdem (n) originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. [2] Hoc erant utique & ceteri Apoſtoli, quod

Joh. 21. 16, 17. Joh. 20. 23, 24, 25.

(a) Hanc, *Ar. Bod.* 4. (b) Eam. Tibi dabo, *Thu. Foſſ.* (c) Et quæcunque ligaveris, *Pem.* (d) Et idem poſt, *Bod.* 4. *Voſſ.* 2. *Lam.* (e) *Sic Spir. Vet. innom. Remb. Eraſ. Grav. Morel. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Ebor. Voſſ.* 1. *NC.* 1. *Linc. Sariſ. Ben.* Super illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas, *Pem. Voſſ.* 2 3 *Nuperi Imp.* Meas. Et quamvis *Spir.* (f) *Sic Pem. Sariſ. Voſſ.* 2. *Bod.* 4. Omnibus poſt reſurrectionem ſuam, *Lam. Imp.* (g) *Sic, Spir. Vet. Innom. Rem. Eraſ. Grav. Morel. Ben. Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. Voſſ.* 1. 3. *NC.* 1. *Lin. Sariſ.* Tribuat poteſtatem, unam tamen cathedram conſtituit & unitatis originem atque rationem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & cæteri quod & Petrus, ſed primatus, *Bod.* 4. quod & Petrus, ſed primatus Petro datur, ut una Eccleſia & cathedra una monſtretur, *Bod.* 3. *Voſſ.* 2. *Pem.* (b) Si cujus, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. 4. quorum, *Bod.* 3. (i) Retenta erunt, *Lam.* (k) Ut unitatem, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem manifeſtaret, *MR.* (l) *Sic Voſſ.* 1. 3. *Sariſ. Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. *MR. Thu. Foſſ. Ben.* & *Veteres omnes impreſſi.* (m) Manifeſtaret, unam cathedram conſtituit, & unitatis. *Nuper. Impr. Pem Voſſ.* 2. *Vat.* 1. Unitatis ejus idem originem, *Sariſ.* (n) Uno incipiente, *Bod.* 1. 4. originem ſua auctoritate, *Pem. Voſſ.* 2.

fuerit, quod duo illi Bodleiani codices, qui interpolationi ſupra memoratæ videntur aſſentire, nuper Bibliothecæ noſtræ inſerebantur; quorum alter hoc habet admodum peculiare, quod poſtquam paragraphum totum aſſumentis prædictis locupletaſſet; & plurimis textui detractis, vices denuo rependiſſet: omnia de integro exequitur: aſſumentis prorſus omiſſis, & quæ prius præteriebantur reſtitutis; ita ut cuilibet conſtare poſſit, librarium quæin margine invenerat, textui inſeruiſſe; deinde in opere, bona fide progreſſum.

1 *Tu es Petrus.*] In MSS. Cardinalis Hoſii, poſt S. ſcripturæ clauſulam hanc, ſubnectitur: *Hic Primatus Petro datur.* Quam librarii obſervationem, alii ejuſdem artis & ingenii homines textui cum augmentis inſeruere; abſurde omnino, quod rectiſſime admonet Rigaltius. *Etenim neque hic, neque in ſequentibus, de Primatu, aut principatu Petri agitur, ſed de unitate Eccleſiæ. Immo deſtruit unitatem primatus; nam qui unus eſt, is non primus neque poſtremus, ſed ſolus.* Epiſtola 33. (ad Pamelii numeros 27.) hunc D. Matthæi locum laudat Cyprianus, ſed non Pontifici Romano, at omnibus Epiſcopis tribuit. *Epiſcopi honorem, & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro, ego tibi dico quia tu es Petrus, &c.* Et ſtatim addit, *Inde per temporum & ſucceſſionum vices, Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem Præpoſitos gubernetur.* In eadem prorſus ſententia eſt Origenes Comment. in Matth. niſi quod ad omnes fideles dictum Salvatoris extendat. Ἐι δὲ φήσαντες καὶ ἡμεῖς ὡς ὁ πέτρος. σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, οὐχ ὡς σαρκὸς καὶ αἵματος ἡμῖν ἀποκαλυψάντων, ἀλλὰ φωτὸς ἡμῶν τῆ καρδίᾳ ἐλλάμψαντος ὑπὸ τοῦ ἐν οὐρανοῖς πατρὸς, γινόμεθα πέτρος, καὶ ἡμῖν ἂν λέγοιτο ὑπὸ τοῦ λόγου τό. σὺ εἶ πέτρος, καὶ τὰ ἑξῆς. πέτρα γὰρ πᾶς ὁ χριστοῦ μαθητὴς, ἀφ' ἧς ἔπινον οἱ συνδρομικῆς ἀκολουθούσης πέτρας, καὶ ἐπὶ πᾶσιν τοῖς τοιούτοις πέτραις οἰκοδομεῖται ὁ ἐκκλησιαστικὸς πᾶς λόγος, καὶ ἡ κατ' αὐτὸν πολιτεία. ἐν ἑκάστῳ γὰρ τῶν τελείων ἐχόντων τῶν τὸ ἄθροισμα συμπληρωμένων τοῦ μαθητοῦ λόγων, καὶ ἔργων, καὶ νοημάτων, ἐστιν ἡ ὑπὸ τοῦ θεοῦ οἰκοδομουμένη ἐκκλησία. εἰ δὲ ἐπὶ τὸ ἕνα ἐκεῖνον πέτρον νομίζεις ὑπὸ τοῦ θεοῦ οἰκοδομεῖσθαι τὴν πᾶσιν ἐκκλησίαν μόνον, τί ἂν φήσαις περὶ ἰωάννου τοῦ τοῦ βροντῆς υἱοῦ, ἢ ἑκάστου τῶν ἀποστόλων; ἄλλως τε ἆρα τολμήσομεν λέγειν ὅτι πέτρᾳ μὲν ἰδίως πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύουσι, τῶν δὲ λοιπῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν τελείων κατισχύουσιν; οὐχὶ δὲ καὶ ἐπὶ πάντων, καὶ ἐφ' ἑκάστῳ αὐτῶν τὸ προειρημένον, τὸ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς, γίνεται καὶ τό, ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν; ἆρα δὲ τῷ πέτρῳ μόνῳ δίδοντι ὑπὸ τοῦ κυρίου αἱ κλεῖδες τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας, καὶ οὐδεὶς ἕτερος τῆς μακαρίου αὐτὰς λήψεται; εἰ δὲ κοινόν ἐστι καὶ πρὸς ἑτέρους τὸ δίδοσθαι τὰς κλεῖδας τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, πῶς οὐχὶ καὶ πάντα τὰ τε προειρημένα, καὶ τὰ ἐπιφερόμενα ὡς πρὸς πέτρον, λελεγμένα; Similiter Auguſt. tract. 124. Exp. in Evan. Joan. *Hoc agit Eccleſia ſpe beata in hac vita ærumnoſa: cujus Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Chriſtianus, abundantiore gratia unus idemque primus Apoſtolus: ſed quando ei dictum eſt, tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis: univerſam ſignificabat Eccleſiam, quæ in hoc ſeculo diverſis tentationibus velut imbribus, fluminibus, tempeſtatibuſque quatitur, & non cadit, quoniam fundata eſt ſuper petram, unde & Petrus nomen accepit. Non enim à Petro petra, ſed Petrus à petra: ſicut non Chriſtus à Chriſtiano, ſed Chriſtianus à Chriſto revocatur. Ideo qui ait Dominus. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: quia dixerat Petrus, tu es Chriſtus filius Dei vivi. Super hanc inquit petram quam confeſſus es, ædificabo Eccleſiam meam. Petra erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ipſe ædificatus eſt Petrus. Fundamentum quippe aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus. Eccleſia ergo quæ fundatur in Chriſto, claves ab eo regni cœlorum accepit in Petro, id eſt, poteſtatem ligandi ſolvendique peccata. Quod enim eſt per proprietatem in Chriſto Eccleſia, hoc eſt per ſignificationem Petrus in petra; qua ſignificatione intelligitur Chriſtus Petra, Petrus Eccleſia.* Sic Cyril. Alex. Dial. de Trinit. l. 4. c. 1. πέτραν δὲμοῦ παρωνύμως, ἕτερον ὄντα, ἢ τῶν ἀκρογωνιαίων καὶ ἑδραιοτάτων & μαθητὸν πίστιν ἀποκαλῶν, ἐφ' ᾗ καὶ ἀδιαπτώτως ἐρήρεισαι τε καὶ διαπέπηγεν ἡ ἐκκλησία τοῦ χριστοῦ, καὶ αὐταῖς ἀνάλωτος ταῖς ᾅδου πύλαις εἰς αἰεὶ διαμένουσα. Porro ad Chryſoſtomi mentem Theophylactus, fidei confeſſionem reſpiciens locum exſequitur. ἄνωθεν ἡ ὁμολογία ἐπὶλιον μέλλει εἶναι τῶν πιστευόντων. ὥσπερ πάντα ἄνθρωπον μέλλοντα κλίζειν τὸ τῆς πίστεως ὄκριον, ταύτῃ τῇ ὁμολογίαν ὑποβήσεσθαι ἐπιλίου.

2 *Hoc erant utique & ceteri.*] Nihil eſſe poteſt accommodatius iſtis quæ hic affert Rigaltius. Proinde verba ejus deſcribo. *Eulogius Epiſcopus Alexandrinus* l. 2. *contra Novatianos, quo in opere fortiter pro Cornelio Epiſcopo Romano dimicavit, claves regni cœlorum ſoli Petro datas à Chriſto fuiſſe dicebat, hoc colore, quod negaturus Chriſtum Petrus, ac pœnitentia ſua, fletu illo amaro, veniam promeriturus, poſt impetratam commiſſi veniam clavium poteſtate donatus, mitius videretur acturus cum negatoribus. Ad Eulogii verba Photius notat* τοῦτο μὲν φησὶν ὁ Εὐλόγιος πιθανώτερον μᾶλλον ἀληθέστερον λέγων. εἰ γὰρ καὶ πρὸς πέτρον εἴρηται. ἀλλ' ἴσως οὐ πρὸς αὐτὸν & κορυφαῖον, καὶ τοῖς λοιποῖς τῶν μαθητῶν, ἡ τοιαύτη ἐξουσία ἐδέδοτο. *Sacramentum fuit unitatis, quod Chriſtus Petro promiſit claves, quas poſtmodum & ceteris dedit Apoſtolis. Nec aliud quidquam ſibi volunt Optati verba* lib. 7. *Bono unitatis Petrus, cui ſatis erat ſi poſtquam negavit, ſolam veniam conſequeretur, & præferri omnibus Apoſtolis meruit. Et claves regni cœlorum communicandas ceteris ſolus accepit Communicandas ceteris dixit, quas ipſe Chriſtus communicaturus erat & ceteris. Nam quod Matth.* 16. 18. *dixit Petro, Quodcunque ligaveris, hoc etiam Matth.* 18. 18. *dixit & ceteris. Quæcunque ligaveritis. Quod promittit ſe daturum Petro, non dedit Petro, niſi cum dedit & ceteris, poſt ſuam videlicet reſurrectionem inſufflavit eis & dixit: Accipite ſpiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis,* &c. Jo. 20. 22, 23. De aſſumento illo. *Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia miniſtretur.* Addit idem eruditiſſimus Rigaltius. *Male meriti ſunt de ſanctiſſimo Cypriano, qui ſapientiſſimum Epiſcopum faciunt auctorem iſtius paralogiſmi, ut ſupra demonſtravimus. Hanc abſurditatem agnovit auctor notarum ad calcem editionis Romanæ. Nam quod hic à Cypriano dicitur, hoc fuiſſe ceteros Apoſtolos quod fuit Petrus, pari conſortio præditos honoris & poteſtatis, omnino de æqualitate apoſtolatus intelligendum eſſe ait: hanc vero æqualitatem cum Apoſtolis morientibus ceſſaſſe, nec ad Epiſcopos tranſiſſe qui ſuccedunt, inquit, apoſtolis in miniſterio Epiſcopalis dignitatis, pro ſua quiſque portione: at in ſolo Petro remanſiſſe omnem plenitudinem poteſtatis, ad univerſalem eccleſiæ totius guberna-*

An. 251. quod fuit Petrus, pari conſortio prædíti & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate (a) proficiſcitur, ut Eccleſia una (b) monſtretur; quam unam Eccleſiam etiam in Cantico Canticorum Spiritus ſanctus ex perſona Domini deſignat & dicit: Una eſt co- Cant. 6. 9.
lumba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.

Fidei naufragium facit qui ab unitate diſcedit. Hujus unitatis nexus, epiſcopatus.

(c) Hanc Eccleſiæ unitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ reſtitur & (d) reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe confidit? quando & beatus Apoſtolus Paulus hoc idem doceat, & ſacramentum unitatis oſtendat, dicens: Unum corpus & unus ſpi- Eph. 4. 4. 5. 6.
ritus, una ſpes vocationis veſtræ, unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus. Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maxime Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, ut Epiſcopatum quoque ipſum, unum atque indiviſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat; nemo fidei veritatem (e) perfida prævaricatione corrumpat. Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis 1 in ſolidum pars tenetur. (f) Eccleſia quoque una eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur: quo modo ſolis multi radii, ſed lumen unum: & rami arboris multi, (g) ſed robur unum tenaci radice fundatum: & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur in origine. Avelle radium ſolis à corpore, (h) diviſionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide rivum, præciſus (i) areſcet. Sic Eccleſia domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in univerſam terram copia ubertatis extendit, (k) profluentes largiter rivos (l) latius expandit: unum tamen caput eſt, & origo una, & una mater, fœcunditatis ſucceſſibus copioſa.

Extra Eccleſiam non eſt ſalus.

Illius fœtu naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu ejus animamur. Adulterari non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt & pudica: unam domum novit, unius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Hæc nos Deo ſervat, hæc filios regno quos generavit aſſignat. Quiſquis ab Eccleſia ſegregatus adulteræ jungitur, à promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Nec pervenit ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. (m) Habere jam non poteſt Deum patrem, qui Eccleſiam non habet matrem. (n) Si potuit evadere quiſquam qui extra arcam Noë fuit; & qui extra (o) Eccleſiam foris fuerit, evadet. Monet Dominus & dicit: Qui non eſt mecum, adverſus me eſt: & qui non mecum colligit, ſpargit. Qui pacem Chriſti & concordiam rumpit, adverſus Chriſtum facit. Qui alibi præter Eccleſiam colligit, Chriſti Eccleſiam ſpargit. Dicit Dominus: Ego & Pater unum ſumus. Et iterum de Patre & Mat. 12. 30.
Filio

(a) *Sic*, *Ar. Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Ben. Voſſ.* 1. *Bod.* 1. 2. proficiſcitur. Primatus Petro datur. *Nuperi Impr. Pem. Voſſ.* 2. *Vat.* 1. (b) *Sic*, *MSS. prædicti*, & *Impr. Vet.* ut una Chriſti Eccleſia & cathedra una monſtretur. Et paſtores ſunt omnes, ſed grex unus oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur. Quam unam, *Impr. nuperi*, *Pem. Voſſ.* 2. *Vat.* 1. paſcatur. Ut Eccleſia Chriſti una monſtretur. Quam *Manut.* (c) Hanc Petri unitatem, *Pem. Voſſ.* 2. Pauli unitatem, *Bod.* 4. (d) *Sic*, *MSS. prædicti* & *Vet. Impr.* reſiſtit, qui cathedram Petri, ſuper quam fundata eſt Eccleſia deſerit; in Eccleſia, *Impr. nuper. Pem. Voſſ.* 2. *Vat.* 1. *Bod.* 3. (e) Perfidiæ prævaricatione, *Ver.* (f) Eccleſia una eſt, *Bod.* 1. 2. 4. (g) Sed arbor una, tenaci radice fundata, *Pem. Voſſ.* 2. *Ver. Man.* (h) Diviſionem corporis lucis, *Ben. NC.* 1. *Lam. Pem. Bod.* 2. non recipit, *Voſſ.* 3. (i) Areſcit. *Lam. Ebor. Thu. Foſſ. Voſſ.* 3. (k) Profluentes rivos, *Lam. Ebor.* (l) Latius pandit, *Thu.* (m) Habere non poteſt, *Voſſ.* 3. *Thu. Foſſ. Lam.* (n) Si potuit evadere quiſquis extra arcam Noë tunc fuit, *Ver.* non potuit, *Voſſ.* 3. (o) Eccleſiæ fores, *Thu.*

tionem. Huc uſque Rigaltius; ſed omiſit oſtendere quam abſurda hæc hypotheſis & fundamento omni deſtituta. Nimirum quod verba à Salvatore noſtro dicta Petro, ad ejus ſucceſſores pertingunt; at quæ Apoſtolis dicebantur, illorum perſonis continentur, deſtitutis prorſus eorundem ſucceſſoribus. Imo quod magis mirandum, Epiſcopalis dignitatis miniſterium ſpectantia, ſucceſſoribus protenduntur: plenitudine poteſtatis ad univerſalem Eccleſiæ totius gubernationem interim intercepta; &, ceu canali quodam peculiari, ad Pontifices Romanos derivatâ. Hæc quidem fabellæ aut ſomnii rationem vix ſuſtinentia, importune admodum adhibentur ad juris iſtius & prærogativæ pluſquam imperatoriæ firmamentum, quæ Papa nunc dierum per univerſum terrarum orbem ſibi arrogat.

1 *In ſolidum pars tenetur.*] Locutio ab uſu forenſi deſumta. In ſolidum quis tenetur, quando licet plures convenerint; tamen non pro rata parte, ſed toto ſinguli cavent & rem præſtare coguntur. Eadem fere poſſidendi ratio, cum quid in ſolidum tenetur. Supra dixerat Epiſcopos pares eſſe conſortio, jure & honore. Addit hic, Epiſcopatum ipſum unum eſſe, & ita à ſingulis poſſideri, ut ſinguli omnem pleno jure poſſideant. In epiſtola 56. (ad Pamelii numeros 53.) eadem fere habentur. *A Chriſto una Eccleſia per totum mundum in multa membra diviſa. Item Epiſcopatus unus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus.* Nec obſtat quod Ep. 59. (ad Pamelii numeros 55.) dicitur, *ſingulis paſtoribus portio gregis adſcripta, quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus.* Quia, quod ait, Ep. 68. (ad Pamelii numeros 67.) *Etſi paſtores multi ſumus, unum tamen gregem paſcimus, & oves univerſas quas Chriſtus ſanguine ſuo & paſſione quæſivit, colligere & fovere debemus.* Ita Tertullianus de Præſcript c. 20. *Tot & tantæ Eccleſiæ, una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes, ſic omnes primæ, & omnes apoſtolicæ, dum unam omnes probant unitatem.* Hinc factum, quod Africanis patribus ſemper diſplicuit adeo, omnis tranſmarina juriſdictio; & ipſius Auguſtini temporibus, in famoſa Apiarii cauſa, Appellandi conatus. Hinc etiam tituli ad faſtum compoſiti prorſus ab iiſdem interdicti. De quibus videantur Canones Concilii Carthaginenſis 32. & 42. Porro Hieronymus in Epiſtola ad Evagrium in eandem mentem ait. *Ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ſive Alexandriæ, ſive Tanis, ejuſdem meriti, ejuſdem eſt & ſacerdotii; potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit. Ceterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.* Inviolata ergo maneat ſacerdotii & Eccleſiæ unitas; non à monarchico dominatu, ſed fraterna caritate repetenda. Salva ſint Metropolitarum jura, ſed canonum limitibus, & moribus antiquis ſtatuminanda. Obtineat ſemper Patrum Nicænorum prudentiſſimum, & ſopiendis litibus accommodatiſſimum, effatum, τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω. Perinde peccant, utriuſque partis Novatores; nimirum qui pro Epiſcopatu uno, unum in orbe terrarum Epiſcopum; & qui nullum volunt.

1 *Hi*

An. 251. Filio & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: (a) Et [1] hi tres unum ſunt; & quiſquam credit hanc unitatem de divina firmitate venientem, ſacramentis cœleſtibus cohærentem, ſcindi in Eccleſia poſſe, & voluntatum collidentium divortio ſeparari? Hanc unitatem qui non tenet; Dei legem non tenet, non tenet Patris & Filii fidem, & (b) veritatem non tenet ad ſalutem. Jo. 10. 30. 1 Jo. 5. 7.

Tunica Chriſti non erat dividenda. Hoc unitatis ſacramentum, hoc vinculum concordiæ inſeparabiliter cohærentis oſtenditur; quando in Evangelio tunica Domini Jeſu Chriſti non dividitur omnino, nec ſcinditur, ſed ſortientibus de veſte Chriſti, (c) quis ipſam potius indueret, integra veſtis accipitur; & incorrupta atque (d) individua tunica poſſidetur. Loquitur ac dicit ſcriptura divina: De (e) tunica autem, quia de ſuperiore parte non conſutilis, ſed per totum textilis fuerat, dixerunt ad invicem: Non ſcindamus illam, ſed ſortiamur de ea cujus ſit. Unitatem illa (f) portabat [2] de ſuperiore parte venientem, id eſt, de cœlo & à patre venientem; quæ ab accipiente ac poſſidente ſcindi omnino non poterat, ſed totam (g) ſemel & ſolidam firmitatem inſeparabiliter obtinebat. Poſſidere non poteſt indumentum Chriſti, qui ſcindit & dividit Eccleſiam Chriſti. Contra denique cum Solomone moriente, regnum ejus & populus ſcinderetur, Achias propheta Jeroboam Regi obvius factus in campo, in duodecim ſciſſuras veſtimentum ſuum diſcidit, dicens; Sume tibi decem ſciſſuras, quia hæc dicit Dominus; Ecce ſcindo regnum de manu Solomonis, & dabo tibi decem ſceptra, & duo ſceptra erunt ei propter ſervum meum David, & propter Hieruſalem civitatem quam elegi, ut ponam nomen meum illic. Cum duodecim tribus Iſrael ſcinderentur, veſtimentum ſuum propheta (h) Achias diſcidit. At vero quia Chriſti populus non poteſt ſcindi, tunica ejus per totum textilis & cohærens, diviſa à poſſidentibus non eſt: (i) individua, copulata, connexa, oſtendit populi noſtri, qui Chriſtum (k) induimus, concordiam cohærentem; ſacramento veſtis (l) & ſigno declaravit Eccleſiæ unitatem. Jo. 19. 24. 3 Reg. 11. 30.

Multo minus corpus ipſum. Quis ergo ſic eſt ſceleratus & perfidus, quis ſic diſcordiæ furore veſanus; ut aut credat ſcindi poſſe, aut audeat ſcindere unitatem Dei? veſtem Domini? Eccleſiam Chriſti? Monet ipſe in Evangelio ſuo, & docet dicens: Et erit unus grex, & unus paſtor. Et eſſe poſſe uno in loco aliquis exiſtimat aut multos paſtores, aut plures greges? Apoſtolus item Paulus hanc eandem nobis inſinuans unitatem, obſecrat & hortatur dicens: Obſecro, inquit, vos fratres, per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſt, ut id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Sitis autem compoſiti in eodem ſenſu & in eadem ſententia. Et iterum dicit: Suſtinentes invicem in dilectione, ſatis agentes ſervare unitatem ſpiritus in (m) conjunctione pacis. Stare tu & vivere putas poſſe de Eccle- 1 Cor. 1. 10. Epheſ. 4. 3.

(a) Et tres, *Voſſ.* 3. *Lam. Ebor.* (b) *Sic. Pem. Ar. Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. Vitam non tenet & ſalutem, *Imp.* nec ſalutem, *Voſſ.* 3. (c) Qui Chriſtum potius indueret, *Ar. Lam. Ebor. Voſ.* 1. *Thu. Foſſ. Spir.* (d) Indiviſa, *Ar. Pem. Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (e) Tunica autem ejus, *Lam. Ebor. NC.* 1. (f) Unitatem ille, *Lam. Ebor. NC. Pem. Bod.* 1. 2. 3. *Sariſ. Voſſ.* 3. *Thu. Foſſ. Spir.* (g) Semel ſolida, firmitatem inſeparabiliter, *Saris.* ſimul, *Vet. Imp.* (h) Achias ſcidit, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Foſſ.* (i) Individua copula connexa, *Voſſ.* 3. (k) Induimur, *Voſſ.* 2. *Pem.* (l) Sacramento veſtis declaravit, *Foſſ. Spir.* (m) Vinculo pacis, *Voſſ.* 3.

1 *Hi tres unum ſunt.*] Fauſtus Socinus Commentariis ſuis in hanc periochen ait, *Satis conſtare illam eſſe adulterinam, & ab hominibus qui ſuum dogma de trino & uno Deo, quacunque ratione defendere ac propagare volebant, in locum hunc infartum.* Addit porro, *quod Hieronymus, ut is qui, ut recte de eo Eraſmus alicubi ſcribit, non ſatis prudenter ſæpe ad victoriam, & ad cauſæ ſuæ defenſionem & favorem multa trahebat, nactus forte exemplar aliquod, aut etiam plura exemplaria in quibus particula iſta* (nempe triplicis teſtimonii Patris, Verbi, & Sp. ſancti in cœlo teſtantium) *ita adjecta fuerat, ut fraus animadverti non poſſit, adverſus fidem aliorum omnium exemplarium, tam Latinorum, quam Græcorum, lectionem particulæ illius tanquam germanam defendere & promovere cœpit, conquerens publicè, cum culpa & fraude hæreticorum abraſam à vulgatis codicibus fuiſſe.* Cui graviſſimæ calumniæ de D Hieronymo falſario, & S. Scripturarum interpolatore, amoliendæ; ſufficere poterit, Cyprianum citaſſe non modo ante Hieronymi tempora, ſed Arii ipſius, & litem de dogmate illo (quod adeo diſplicet Socino) de trino & uno Deo, ſcriptorem; qui tamen hic loci, & in Epiſtola ad Jubaianum hanc pericopen agnoſcit. Imo hoc à Tertulliano præſtitum, libro adv. Prax. cap. 25. Interim mirari ſubit, hanc D. Hieronymi Epiſtolam, quæ crucem primum Eraſmo, & dein Socino & ejus ſequacibus figebat, quæque non modo ab ipſis, ſed libris MSS. paſſim, & fere omnibus codicibus impreſſis antiquioribus, & interpretum commentariis agnita eſt: Et, ut diſtinctius paulo agam, habetur in Bibliis Latinis quæ prodierunt Nurembergæ An. 1475. Venetiis An. 1498. Baſil. An. 1506. Lugduni An. 1520. Paris. An. 1563. Lugdun. An. 1589. Ant. An. 1617. hoc noſtro ſeculo, quaſi præſtigiis quibuſdam oculos perſtringentibus prorſus diſparuiſſe. Utrum hoc ex caſu, an maleficio contigerit, diſpiciant eruditi. Epiſtolam ipſam quia brevis eſt, neque nunc dierum in promtu habetur, appoſuiſſe non pigebit. *Incipit Prologus in Epiſtolas canonicas. Non ita eſt ordo apud Græcos, qui integrè ſapiunt, fidemque rectam ſectantur, Epiſtolarum ſeptem, quæ canonicæ nuncupantur, ſicut in Latinis codicibus invenitur; Ut quia Petrus eſt primus in ordine Apoſtolorum, primæ ſint etiam ejus Epiſtolæ in ordine ceterarum. Sed ſicut Evangeliſtas dudum ad veritatis lineam correximus, ita has proprio ordini, Deo juvante reddidimus. Eſt enim una earum prima Jacobi, duæ Petri, tres Johannis, & Judæ una. Quæ ſi ſicut ab eis digeſtæ ſunt, ita quoque ab interpretibus fideliter in Latinum verterentur eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec ſermonum ſeſe varietates impugnarent, illo præcipue loco ubi de unitate Trinitatis in prima Johannis epiſtola, poſitum legimus. In quâ etiam ab infidelibus tranſlatoribus, multum erratum eſſe à fidei veritate comperimus, trium tantummodo vocabula, hoc eſt, Aquæ, Sanguinis & Spiritus, in ipſa ſua editione ponentibus; & Patris Verbique, ac Spiritus teſtimonium omittentibus: in quo maxime & fides catholica roboratur, & Patris ac Filii & Spiritus ſancti una divinitatis ſubſtantia comprobatur. In ceteris vero Epiſtolis, quantum à noſtra, aliorum diſtet editio, lectoris judicio derelinquo. Sed tu, virgo Chriſti Euſtochium, dum à me impenſius ſcripturæ veritatem inquiris, meam quodammodo ſenectutem invidorum dentibus corrodendam exponis, qui me falſarium, corruptoremque ſanctarum pronunciant ſcripturarum. Sed ego in tali opere, nec æmulorum meorum invidiam pertimeſco, nec ſanctæ ſcripturæ veritatem poſcentibus denegabo.*

2 *De ſuperiore parte.*] De ſeipſo, & doctrina ſua, & regeneratorum nativitate ſecunda, ἄνωθεν ſive ſuperne venientibus, paſſim agit Dominus noſter. Ad eandem ergo mentem vocem illam hic loci trahit D. Cyprianus; & Unitatem, ceu cœlo lapſam, tunica Chriſti, quæ ἄνωθεν ὑφαντὸς ἐξ ὅλου adumbrari ſtatuit. Hujus interpretamenti meminit Chryſoſt. Homil. πέ. Sed concludit τοῦτο δὲ ἐμοὶ δοκεῖ λέγειν αἰνιττόμενος τὸ ἀτειλὲς τῶν ἱματίων.

t *Cum*

An. 251. Ecclesia recedentem? sedes sibi alias & (a) diversa domicilia condentem? cum dictum sit ad Raab, in qua præformabatur Ecclesia: patrem tuum & matrem tuam, & fra- Jos. 2. 18.
tres tuos, & totam (b) domum patris tui (c) colliges ad te ipsam in domum tuam, & erit, omnis qui exierit ostium domus tuæ foras, reus sibi erit: (d) Item sacramentum Paschæ nihil aliud in Exodi lege (e) contineat, quam ut agnus, qui in figura Christi Exo. 12. 3.
occiditur, in domo una edatur. Loquitur Deus dicens: In domo una comedetur, non ejicietis de domo carnem foras. Caro Christi & sanctum Domini ejici foras non Vers. 46.
potest, nec (f) alia ulla credentibus præter unam Ecclesiam domus est. Hanc domum, hoc (g) unanimitatis hospitium designat, & denunciat Spiritus sanctus in Psalmis, di- Ps. 67. 7.
cens: Deus qui inhabitare facit unanimes in domo. In domo Dei, (h) in Ecclesia Christi unanimes habitant, concordes & simplices perseverant.

Indoles Christianæ Columbæ & Oves emblemata.

Iccirco & (i) in columba venit Spiritus sanctus. Simplex animal & (k) lætum est, non felle amarum, non morsibus sævum, non (l) unguium laceratione violentum; (m) hospitia humana diligere, unius domus consortium nosse, 1 cum generant simul filios edere, cum commeant volatibus invicem cohærere, communi conversatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia unanimitatis implere. Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc caritas obtinenda; ut columbas dilectio fraternitatis imitetur, ut mansuetudo & lenitas agnis & (n) ovibus coæquetur. Quid facit in pectore Christiano luporum feritas? & canum rabies? & venenum lethale serpentum? & cruenta sævitia bestiarum? Gratulandum est, cum tales de Ecclesia separantur; ne columbas, ne oves Christi sæva sua & venenata contagione prædentur. Cohærere & conjungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluvia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas.

Hæresis malitiæ prius latentis detectio: & Fidelium probatio.

Nemo existimet bonos Ecclesia posse discedere. Triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subvertit. Inanes paleæ tempestate jactantur, invalidæ arbores turbinis incursione evertuntur. Hos execratur & percutit Joannes 1 Jo. 2. 19.
Apostolus dicens: Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis: si enim fuissent ex nobis, (o) mansissent utique nobiscum. Hinc hæreses & factæ sunt frequenter, & fiunt, dum (p) perversa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. (q) Fieri vero hæc Dominus permittit & patitur, manente propriæ libertatis arbitrio, ut dum corda & mentes nostras veritatis discrimen examinat, probatorum fides integra, manifesta luce claresçat. Per Apostolum præmonet Spiritus sanctus, & 1 Cor. 11.
dicit: Oportet & hæreses esse, ut probati manifesti sint in vobis. Sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur: sic & ante judicii diem hic quoque jam justorum atque injustorum animæ dividuntur, & à (r) frumento paleæ separantur. 19.

Hæreticorum descriptio.

(s) Hi sunt qui se ultro apud temerarios (t) convenas sine divina dispositione, præficiunt, qui se præpositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante, 2 Episcopi sibi nomen assumunt: quos designat in Psalmis Spiritus sanctus, Psal. 1. 1.
sedentes in pestilentiæ cathedra pestes & lues fidei, serpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis evomentes: quorum sermo 2 Tim. 2.
ut cancer serpit: quorum 3 (u) tractatus pectoribus & cordibus singulorum mortale virus infundit. Contra ejusmodi clamat Dominus, ab his refrænat & revocat errantem 17.
plebem suam, dicens: Nolite audire sermones pseudo-prophetarum: quoniam visiones Jer. 23. 16.
cordis eorum frustrantur eos. Loquuntur, sed non ab ore Domini. Dicunt eis qui abjiciunt verbum Dei: Pax erit vobis; & omnibus ambulantibus in voluntatibus suis: (w) omnis qui ambulat in errore cordis sui, non venient super eum mala. Non locu- Vers. 21.
tus sum ad eos, & ipsi prophetaverunt. Si stetissent 4 in substantia mea, & audissent 22.
verba mea, & si docuissem populum meum: convertissem eos à malis cogitationibus eorum. Hos eosdem denuo Dominus designat & denotat, dicens: Me dereliquerunt Jer. 2. 13.
fontem (x) aquæ vivæ, & effoderunt sibi lacus detritos, qui non possunt aquam portare. 5 Quando aliud baptisma præter unum esse non possit, baptizare se posse opinantur.

(a) Divisa domicilia, *Voss.* 3, (b) Familiam, *Lam. Ebor. NC.* 1. (c) Collige, *Sariſ. Bod.* 2. (d) Et iterum, sacramentum, *Lam. Ebor.* (e) Continet, *Pem. Voss.* 2. continetur, *Voss.* 3. (f) Alia una credentibus, *Lam. Ebor. NC.* 1. (g) Unitatis hospitium, *Voss.* 1. (h) Id est, in Ecclesia, *Voss.* 3. (i) In columbam, *Ver.* (k) Lætum, non, *Thu. Foss. Spir.* (l) Ungularum, *Foss. Spir.* (m) Hospitia consuevit, *Lam. Ebor. Ben. NC.* 1. (n) Ovibus æquetur, *Thu. Foss.* (o) Mansissent nobiscum, *Thu. Foss.* (p) Perversa mens non tenet unitatem, *Ar.* (q) Fieri vero hoc, *Lam. Ebor. NC.* 1. (r) A tritico, *Voss.* 3. (s) Hinc sunt qui, *Thu.* (t) Conventus. *Voss.* 3. (u) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Saris. Bod.* 1. 2. 3. 4. *Voss.* 1. *Thu. Foss. Ver.* tactus, *Impr.* (w) Omni, *Ver.* (x) Aquæ vitæ, *Ver. Thu.*

1 *Cum generant, simul filios edere.*] *Amor utrique sobolis æqualis*, inquit Plinius, qui l. 10. c. 34, late columbarum œconomiam describit. *Pudicitia illis prima, & neutri nota adulteria, conjugii fidem non violant; communemque servant domum. Nisi cœlebs aut vidua nidum non relinquit*, &c.

2 *Episcopi sibi nomen assumunt.*] Qualis nimirum erat Novatianus. Per *temerarios convenas* intelligendi veniunt tres ex Italia evocati Episcopi, qui ordinationi Novatiani manus suas commodabant.

3 *Tractatus.*] Sermones. Sic Epist. 77. (ad Pamelii numeros 78.) dicitur, *non desinis tractatibus tuis sacramenta occulta nudare.* Et statim, *Omnibus in tractatu major, in sermone facundior.* Quin hoc ipso opere, *Tractatu longo.* Hinc fluentibus seculis *Tractatores* dicebantur, qui conciones coram populo haberent. Gloss. Cyr. ὁμιλητικός, *Tractator.*

4 *In substantia mea.*] Ponitur pro eo quod LXX. habent ἐν ὑποστήματι, qui legisse videntur בִּיסוֹרִי Hesychius per πλῆθος explicat ὑπόστημα.

5 *Quando aliud baptisma.*] De dogmate hoc alibi dabitur dicendi locus.

An. 251. nantur. Vitæ fonte deſerto, vitalis & ſalutaris aquæ gratiam pollicentur. Non (a) abluuntur illis homines, ſed potius ſordidantur: nec purgantur delicta, ſed imo cumulantur. Non Deo nativitas illa, ſed diabolo filios generat. Per mendacium nati, veritatis promiſſa non capiunt. De perfidia procreati, fidei gratiam perdunt. Ad pacis præmium venire non poſſunt, qui pacem Domini diſcordiæ furore ruperunt.

Promiſſio Domini quod pauciſſimis interſſe dignabitur, collectis, non ſeparatis facta.

Nec ſe quidam vana interpretatione decipiant, quod dixerit Dominus: Ubicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, Ego cum eis ſum. Mat. 18, 20. 1 Corruptores Euangelii atque interpretes falſi extrema ponunt, & ſuperiora prætereunt; (b) partis memores, & partem ſubdole comprimentes. Ut ipſi ab Eccleſia ſciſſi ſunt, ita capituli unius ſententiam ſcindunt. Dominus enim cum (c) diſcipulis ſuis unanimitatem ſuaderet & pacem: Dico, inquit, vobis: quoniam ſi duobus ex vobis convenerit in terra, de omni re, quamcunque petieritis, continget vobis à Patre meo qui in cœlis eſt. Mat. 18 19. (d) Ubicunque enim fuerint duo, aut tres collecti in nomine meo, Ego cum eis ſum: oſtendens non multitudini, ſed unanimitati deprecantium plurimum tribui. Si duobus, inquit, ex vobis convenerit in terra: unanimitatem (e) prius poſuit; concordiam pacis ante præmiſit; ut conveniat nobis, fideliter & firmiter docuit. Quo modo autem poteſt ei cum aliquo convenire; cui cum corpore ipſius Eccleſiæ & cum univerſa fraternitate non convenit? Quomodo poſſunt duo aut tres in nomine Chriſti colligi, quos conſtat à Chriſto & ab ejus Evangelio ſeparari? non enim nos ab illis, ſed illi à nobis receſſerunt. Et cum hæreſes & ſchiſmata poſtmodum nata ſunt dum conventicula ſibi diverſa conſtituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt. Dominus autem (f) de Eccleſia ſua loquitur, & ad hos qui ſunt in Eccleſia loquitur: ut ſi ipſi concordes fuerint, ſi ſecundum quod mandavit & monuit, duo aut tres licet, collecti unanimiter oraverint; duo aut tres licet ſint, impetrare poſſint de Dei majeſtate quod poſtulant. (g) Ubicunque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, Ego, inquit, cum eis ſum; cum ſimplicibus ſcilicet, atque (h) pacatis, cum Deum timentibus, & Dei præcepta ſervantibus. Cum his, duobus vel tribus licet, eſſe ſe dixit. Quo modo & cum tribus pueris in camino ignis fuit; & quia in Deum ſimplices, atque inter ſe unanimes permanebant, flammis ambientibus medios 2 ſpiritu roris animavit. Quomodo Apoſtolis duobus in cuſtodia clauſis, quia ſimplices, quia unanimes erant, ipſe ipſe adfuit; reſolutis carceris clauſtris, ut verbum quod fideliter prædicabant, multitudini traderent, ad forum rurſus impoſuit. Quando ergo in præceptis ſuis ponit & dicit: (i) Ubi fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, (k) ego cum eis ſum: non homines ab Eccleſia dividit, qui inſtituit & fecit Eccleſiam; ſed exprobrans diſcordiam (l) perfidis, & fidelibus pacem ſua voce commendans, oſtendit magis eſſe ſe cum duobus aut tribus unanimiter orantibus, quam cum diſſidentibus plurimis: pluſque impetrari poſſe paucorum (m) concordi prece, quam diſcordioſa oratione multorum. Ideo & cum orandi legem daret, addidit dicens: Et cum ſteteris ad orationem, remittite ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & pater veſter qui in cœlis eſt, remittat vobis peccata. Et ad ſacrificium cum diſſenſione venientem revocat ab altari, & jubet prius concordare cum fratre, tunc cum pace redeuntem Deo munus offerre, quia nec ad Cain munera reſpexit Deus: neque enim pacatum habere Deum poterat, qui cum fratre pacem per zeli diſcordiam non habebat.

Mat. 18. 20. Mat. 11. 25. Mat. 5. 23. Gen. 4. 5.

Nec Martyrio ſchiſma poteſt expiari.

Quam ſibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? quæ ſacrificia celebrare ſe credunt æmuli (n) ſacerdotum? an ſecum eſſe Chriſtum, cum collecti fuerint (o) opinantur, qui extra Chriſti Eccleſiam colliguntur? 3 Tales etiamſi occiſi in confeſſione nominis fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexpiabilis & gravis culpa diſcordiæ, nec paſſione purgatur. Eſſe Martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt: ad regnum pervenire non poterit, qui eam, quæ regnatura eſt, derelinquit. Pacem nobis Chriſtus dedit: concordes atque unanimes eſſe præcepit: dilectionis & caritatis fœdera incorrupta atque inviolata ſervari mandavit: exhibere ſe non poteſt martyrem, qui

(a) Abluuntur illic, *Voſſ.* 3 *Thu. Foſſ. Spir.* (b) Partim memores & partim, *Bod.* 1. *Voſſ.* 1. *Sariſ. Thu.* (c) Diſcipulis unanimitatem, *Ebor. NC.* 2. (d) Ubicunque fuerint, *Foſſ.* (e) Prius expoſuit, *Lin.* (f) Ad Eccleſiam ſuam loquitur, *Voſſ.* 1. (g) Ubicunque collecti nomine, *Thu. Foſſ.* (h) Pacificis, *Ver.* placatis, *Voſſ.* 3. (i) Ubi duo aut tres collecti, cum iis, *Voſſ.* 3. (k) Ego inquit, *Ar. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Lin.* (l) Perfidis & infidelibus, pacem, *Ar.* (m) Concordantium pacem, quam diſcordantium orationem multorum, *Voſſ.* 3. (n) Sacerdotum? ſecum eſſe Chriſtum, *Lam. Ebor. Lin. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. (o) Opinantur hi, *Lin.*

1 *Corruptores Euangelii.*] De hoc hæreticorum ſacrilegio videndi ſunt Iren. l. 3. c. 5. Tertul. de Præſcript. c. 17. & 33. Adv. Marc. l. 5. c 18. Euſeb. Hiſt. l. 5. c. 28. Auguſtin. hær. 46. de Manich. & hær. 70. Theodorit. l. 2. Hæret. fab. c. 5.

2 *Spiritu roris.*] Irrorati erant Spiritus refrigeriis. Sed ſi hæc verborum mens ſit, accommodatius diceretur, ipſos Spiritus roris animatos fuiſſe. Unde ſuſpicio ſubit, Auctorem ſcripſiſſe, *Deum ſimplices atque inter ſe unanimes, ſpiritu oris animaſſe.* Quæ loquendi formula in S. literis ſatis eſt uſitata.

3 *Tales etiamſi occiſi.*] Effatum hoc, quod perpetuo inculcat Cyprianus, Eccleſiam orientalem permeavit. De illo enim D. Chryſoſt. in Ep. ad Epheſ. Serm. 11. huc reſpiciens ait ἀνήρ τις ἅγιος εἶπέ τι δοκεῖν εἶναι τολμηρὸν, πλὴν ἀλλ' ὅμως ἐφθέγξατο. τι δὴ τοῦτο ἔστιν; οὐδὲ μαρτυρίᾳ αἷμα ταύτην δύνασθαι ἐξαλείφειν τὴν ἁμαρτίαν ἔφησεν. Quantum nefas & prorſus inexpiabile ſit ſchiſma, reliqui Patres nos paſſim docent. Clem. Ep. ad Corinth. Ignat. Ep. ad Smyrn. & Epheſ. Iren. l. 4. c. 62. Dionyſ. Alex. ap. Euſeb. l. 6. c. 45. Firmilian. Ep. ad Cypr. Optat. l. 1. Fulgent. ad Monim. l. 2. Auguſt. cont. Parm. l. 2 c. 2. Vincent. Lirin. c. 34. Proſp. de prom. & prædict. Impl. c. 5.

An. 251. qui fraternam non (a) tenuit caritatem. Docet hoc & conteſtatur Paulus Apoſtolus di- 1 Cor. 13.
cens: Et ſi habuero fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, 2.
nihil ſum. Et ſi in cibos pauperum diſtribuero omnia mea, & ſi tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil proficio. 1 Caritas magnanima eſt, caritas benigna eſt, caritas non æmulatur (b), non agit perperam, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum. Omnia diligit, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet: caritas nunquam (c) excidit. Nunquam, inquit, excidit caritas: hæc enim ſemper in regno erit; hæc in æternum fraternitatis ſibi cohærentis unitate durabit. Ad regnum cœlorum non poteſt pervenire diſcordia; (d) nec præmium Chriſti, qui dixit: Jo. 15. 12.
Hoc eſt mandatum meum ut diligatis, (e) invicem, quemadmodum dilexi vos. (f) Pertinere non poterit ad Chriſtum, qui dilectionem Chriſti perfida diſſenſione violavit. 1 Jo. 4. 16.
Qui caritatem non habet, Deum non habet. Joannis beati Apoſtoli vox eſt: Deus, inquit, dilectio eſt, & qui manet in dilectione, (g) in Deo manet, & Deus in illo manet. Cum Deo manere non poſſunt, (h) qui eſſe in Eccleſia Dei unanimes noluerunt; ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel objecti beſtiis animas ſuas ponant; non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ; nec religioſæ virtutis exitus glorioſus, ſed deſperationis interitus. Occidi talis poteſt, coronari non poteſt.

Nomine tenus eſt Chriſtianus qui dilectionem fraternam non colit.

Sic ſe Chriſtianum eſſe profitetur, (i) quomodo & Chriſtum diabolus ſæpe mentitur, ipſo Domino præmonente & dicente: (k) Multi venient in nomine meo (l) dicentes: Ego ſum Chriſtus, & multos fallent. Sicut ille Chriſtus non eſt, quamvis fallat (m) in nomine illius: ita nec Chriſtianus videri poteſt, qui non permanet in Euangelii ejus & fidei veritate. Nam & prophetare, & (n) dæmonia excludere, & virtutes magnas in terris facere, ſublimis utique & admirabilis res eſt; non tamen regnum cœleſte conſequitur, quiſquis in his omnibus invenitur, niſi recti & juſti itineris obſervatione gradiatur. Denunciat Dominus & dicit: Multi mihi dicent in illo die: Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus? & in tuo nomine dæmonia excluſimus? & in nomine tuo virtutes magnas fecimus? Et tunc dicam illis: Nunquam vos cognovi: (o) recedite à me qui operamini iniquitatem. Juſtitia opus eſt, ut promereri quis poſſit Deum judicem. Præceptis ejus & monitis obtemperandum eſt, ut accipiant 2 (p) merita noſtra mercedem. Dominus in Euangelio cum ſpei & fidei noſtræ viam 3 compendio breviante dirigeret: (q) Dominus Deus tuus, inquit, unus eſt: & Diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua. Hoc eſt primum mandatum: & ſecundum ſimile huic: Diliges proximum tuum tanquam (r) te. In his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ. Unitatem ſimul & dilectionem magiſterio ſuo docuit: prophetas omnes & legem (s) præceptis duobus incluſit. Quam vero unitatem ſervat, quam dilectionem cuſtodit aut cogitat; qui diſcordiæ furore veſanus Eccleſiam ſcindit, fidem deſtruit, pacem turbat, caritatem diſſipat, ſacramentum profanat? Marc. 13, 6. Matt. 7. 22. Marc. 12. 30.

Schiſmata olim oritura ab Apoſtolis prædictum.

Malum hoc, (t) dilectiſſimi fratres, jam pridem cœperat, ſed nunc crevit ejuſdem mali infeſta clades, & exúrgere ac pullulare plus cœpit (u) hæreticæ perverſitatis & ſchiſmatum venenata pernicies: quia & ſic in occaſu (w) mundi fieri oportebat, prænunciante per Apoſtolum nobis & præmonente Spiritu ſancto: In noviſſimis, inquit, die- 2 Tim. 3. 1.
bus aderunt tempora moleſta, & erunt homines ſibi placentes, ſuperbi, tumidi, cupidi, blaſphemi, (x) parentibus inobedientes, ingrati, impii, ſine affectu, (y) ſine fœdere, delatores, incontinentes, immites, bonum non amantes, proditores, procaces, (z) ſtupore inflati, voluptates magis quam Deum diligentes, 4 habentes deformationem religionis, virtutem autem ejus abnegantes. (aa) Ex iis ſunt qui repunt in domos, & prædantur mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam

(a) Tenet caritatem, *Lam. Ebor. Voſſ.* 1. 3. *MR. NC.* 1. *Sariſ.* (b) Non agit perperam, non irritatur, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. non inflammatur, non gaudet ſuper injuſtitiam, *Ver.* (c) Excidet. *Man. Cam. Lam. Ebor. Ver. NC.* 1. 2. *Thu. Foſſ.* (d) *Sic Ar. Lam. Ebor. Voſſ.* 1. 2. 3. *NC.* 1. *Sariſ. Thu. Foſſ.* Diſcordia ad præmia, *Imp.* (e) Vos invicem, *Bod.* 3. (f) *Sic Bod.* 1. 4. *Sariſ. Voſſ.* 3. Ad præmia Chriſti, *Lam. Ebor. Ben.* dilexi vos, pertinere non poterit qui, *Imp.* (g) In Deo manet, cum Deo, *Pem. Lin. Voſſ.* 1. *NC.* 2. (h) Quia eſſe, *Imp.* (i) Quomodo ſe Chriſtum, *Bod.* 1. 4. (k) Multi enim venient, *Lam. Ebor. NC.* 1. (l) Dicentes: quia ego, *Lam. Ebor. NC.* 1. (m) Fallat in nomine; ita nec, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Benev. Ver. Voſſ.* 3. (n) Dæmonia expellere, *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 2. (o) Recedite à me omnes qui, *Ver.* Operabamini injuſtitiam. *NC* 1. 2. *Pem. Voſſ.* 2. *Thu.* (p) Opera noſtra, *Voſſ.* 3. (q) Deus tuus, inquit Deus, *Ar. Bod. Lam. Lin. NC.* 1. inquit Dominus, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foſſ.* (r) Tanquam teipſum, *Pem. Lin. Voſſ.* 3. (s) Præceptis duobus concluſit. *Lam. Ebor.* (t) Fideliſſimi fratres, *Lam. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Sariſ. Thu. Foſſ. Ver.* (u) Hæretica perverſitas, *Voſſ.* 3. (w) Mundi oportebat, *Lam. Lin. NC.* 1. *Ebor. Sariſ.* (x) Parentibus in dicto inaudientes, *Lam. Pem. Neap.* obaudientes, *Voſſ.* 1. indicti audientes, *Ver.* (y) Affectu, ſine miſericordia, *Voſſ.* 3. (z) Stupore inflati, ſuperbi, *Ar.* Ambitioſi, *Voſſ.* 1. 3. (aa) Ex his ſunt, *Lam. Ben. NC.* 1. *Lin.*

1 *Caritas magnanima eſt.*] Vide quæ dicta ſunt in cap. 2. l. 3. ad Quirin.

2 *Merita noſtra mercedem.*] Merces iſta ex Dei beneplacito, qui ſua dona in nobis coronat. Quando de *meritis* apud Auctorem noſtrum mentio habetur; recurrendum eſt ad celebratiſſimum ejus lemma, à D. Auguſtino, tanquam oraculum ſæpius laudatum l. 3. ad Quirin. c. 4. *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.*

3 *Compendio breviante.*] Eandem phraſin habet Auctor noſter, in Præfatione primi libri ad Quirin.

4 *Habentes deformationem religionis.*] μόρφωσιν εὐσεβείας inquit Apoſtolus. Deformationem pro deſcriptione ſæpius ponit Tertull. *Utriuſque exitum deformans, Herodis tormenta, & Joannis refrigeria.* Adv. Marc. l. 4. c. 34. *Simulacrum non prius argilla deformat*, Apol. c. 12.

1 *Rece-*

An. 251. tiam veritatis pervenientes. Et quomodo Iamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi: ſic & hi reſiſtunt (a) veritati, homines corrupti ſenſu, reprobi circa fidem, ſed non proficient plurimum, Imperitia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit. Adimplentur quæcunque prædicta ſunt; & appropinquante jam ſeculi fine, hominum pariter ac temporum (b) probatione venerunt. Magis ac magis adverſario ſæviente error fallit, extollit ſtupor, livor incendit, cupiditas excæcat, depravat impietas, ſuperbia inflat, diſcordia exaſperat, ira præcipitat. Non tamen nos moveat (c) aut turbet multorum nimia & abrupta perfidia, ſed potius (d) fidem noſtram prænunciante rei veritate corroboret. (e) Ut quidam (f) tales eſſe cœperunt, quia hæc ante prædicta ſunt: ita ceteri fratres ab ejuſmodi (g) caveant, quia & hæc ante prædicta ſunt; inſtruente Domino & dicente: Vos autem cavete, ecce prædixi vobis omnia. Vitate quæſo, (h) vos ejuſmodi homines, & à latere atque auribus veſtris pernicioſa colloquia velut contagium mortis arcete, ſicut ſcriptum eſt: Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam. Et iterum: Corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimæ. Docet Dominus & admonet à talibus 1 recedendum. Cæci ſunt, inquit, duces cæcorum. Cæcus autem cæcum ducens, ſimul in foveam cadent. Averſandus eſt talis atque fugiendus quiſquis fuerit ab Eccleſia ſeparatus. Perverſus eſt hujuſmodi & peccat, & eſt 2 à ſemetipſo damnatus. An eſſe ſibi cum Chriſto videtur, qui adverſus ſacerdotes Chriſti facit? qui ſe à cleri ejus & plebis ſocietate ſecernit? Arma ille contra Eccleſiam portat, contra Dei diſpoſitionem repugnat: hoſtis altaris, adverſus ſacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus, inobſequens ſervus, filius impius, frater inimicus, contemtis epiſcopis & Dei ſacerdotibus derelictis conſtituere audet aliud altare, precem alteram illicitis vocibus facere, Dominicæ hoſtiæ veritatem per falſa ſacrificia profanare; (i) nec dignatur ſcire, quoniam qui contra (k) ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam divina animadverſione punitur.

Mar. 13. 23.

Eccl. 28. 28.

1 Cor. 15. 33.

Mat. 15. 14.

Tit. 3 11.

Sacerdotii invaſores Deum habent vindicem.

Sic Chore & Dathan & Abiron, qui ſibi contra Moyſen & Aaron (l) ſacerdotem ſacrificandi licentiam vindicare conati ſunt, (m) pœnas ſtatim pro ſuis conatibus pependerunt. Terra compagibus ruptis in profundum ſinum patuit, ſtantes atque viventes (n) recedentis ſoli hiatus abſorbuit. Nec tantum eos qui (o) auctores fuerant, Dei indignantis ira percuſſit: ſed & ceteros ducentos quinquaginta participes ejuſdem furoris & comites, qui coagulati cum iiſdem ſimul ad audaciam fuerant, exiens à Domino ignis, properata ultione conſumſit; admonens ſcilicet & oſtendens contra Deum fieri, quidquid improbi fuerint ad deſtruendam ordinationem Dei humana voluntate conati. Sic & Ozias Rex, cum thuribulum ferens, & contra legem Dei ſacrificium ſibi violenter aſſumens, reſiſtente ſibi Azaria ſacerdote, obtemperare nollet & (p) cedere; divina

Num. 16. 1.

2 Paral 26. 18.

4 Reg 15. 5.

(a) Veritati, ſed non proficient, *Ar. Lam. Ebor. Lin. Thu. Foſſ. Ben. NC.* 1. *Voſſ.* 1. *Thu.* (b) Probationes venerunt, *Ver. Voſſ.* 3. (c) Aut terreat multorum, *Voſſ.* 1. 3. multorum ruina & obrupta, *NC.* 1. 2. (d) Fidem noſtram prænuvitas corroboret, *Benev. Ver.* prænunciatæ rei, *Sariſ.* rei veritate, res ipſa, *Vat.* 3. (e) Ut quoniam ſicut tales, *NC.* 2. *Pem. Bod.* 4. *Voſſ.* 3. (f) Fallaces eſſe cœperunt, *Bod.* 1. *Lin.* (g) Caveant, inſtruente Domino, *Voſſ.* 1. 2. *Lin. Pem. NC.* 1. (h) Vos fratres ejuſmodi, *Voſſ.* 1. (i) Nec ſcire, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Voſſ.* 2. 3. *MR.* (k) Ordinationem divinam, *Sariſ.* (l) Sacerdotes, *Lam. NC.* 1. *Pem. Voſſ.* 2. conſacerdotes, *Voſſ.* 1. Aaron ſacrificandi, *Voſſ.* 3. (m) Hi pœnas, *Bod.* 4. (n) Recedentibus omnibus, *Voſſ.* 2. *Pem.* (o) Auctores fuerant ejus dementiæ, *Ver.* (p) *Sic. Lam. Ebor. Voſſ.* 1. 3. *Imp. Vet.* nollet & credere, *Imp. Nup.*

1 *Recedendum.*] Prima fronte hæc non bene cohærere videbuntur, quod ad Unitatem ſimul hortetur Auctor noſter & ſeceſſionem: ſed notandum quod Eccleſiæ unitas in hoc imprimis vertitur, ut Chriſtiani omnes, in omnibus pietatis officiis, invicem communicent. Hinc factum ut Imperatorum reſcriptis de ſolvendis Hetæriis, & conventibus non agendis nequicquam interdicentibus, cœtus uſque haberent fideles; hac freti excuſatione, quod Deo magis quam hominibus obedire oporteret. Debet quilibet Chriſtianus, cum quovis Chriſtiano ſacris operari & preces jungere. Nec ſine gravi peccato quisquam ab iſtis muniis vel ipſe abſtinet, aut alium exinde arcet: tantiſper ſcilicet dum alteruter hoc ſocietatis jure, culpa ſua non exciderit. Id autem ſi forte contigerit, protenus converſa rerum eſt facies. Eccleſiæ foribus ob delicta expulſus, ſi importune ſe ingerat, priores offenſas tantum abeſt ut expiet, quod in immenſum aggravet; & iſtiuſmodi flagitioſum admittens, ſeipſum certius excludit. In excluſionis caſu. *Qui alios omnes putat ſe abſtinere poſſe, ſe ab omnibus abſtinet*, inquit Firmilianus, Epiſt. ad Cyp. Ex altera parte, Cornelio dica erat impacta, quod cum Trophimo & thurificatis communicaſſe diceretur. Ita Gajus Diddienſis presbyter & diaconus ejus, qui cum lapſis communicabant ipſi ſunt abſtenti. Ep. 25. ad Pam. numeros 23. Nimirum ex Canone Apoſt. 10. εἴ τις ἀκοινωνήτῳ κἂν ἐν οἴκῳ συνεύξηται, ὅτος ἀφοριζέσθω. Porro ita ratum erat, ſingularis alicujus præſulis judicium, ut per univerſum, qua pateret, Chriſtianum orbem, vim obtineret. In Andronici & Thoantis & participum eorum excommunicatione, ait Syneſius Ep. 58. Ἀνδρονίκῳ καὶ τοῖς αὐτοῦ, Θόαντι καὶ τοῖς αὐτοῦ, μηδὲν ἀνοιγνύσθω τέμενος τὸ θεῖον, ἅπας αὐτοῖς ἱερὸς ἀποκεκλείσθω, καὶ σηκὸς καὶ περίβολος. &c. & paucis interjectis. εἰ δέ τις ὡς μικροπολίτην ἀποσκυβαλίσει τὴν ἐκκλησίαν καὶ δέξεται τοὺς ἀποκηρύκτους αὐτῆς, ὡς οὐκ ἀνάγκη τῇ πέτρᾳ πείθεσθαι. ἴσῳ σχίσας τὴν ἐκκλησίαν ἣν μίαν ὁ χριστὸς εἶναι βούλεται. ὁ δὲ τοιοῦτος, εἴ τε λειτὴς ἐστὶν, εἴ τε πρεσβύτερος, εἴ τε ἐπίσκοπος, παρ' ἡμῖν ἐν Ανδρονίκου μοίρᾳ τεταξεται. &c. Quinimo Marcion à Patre ſuo Sinopenti præſule Eccleſia pulſus, cum à Pontifice Romano communioni reſtitui peteret, reſponſum tulit, οὐ δυνάμεθα ἄνευ τῆς ἐπιτροπῆς τὸ τιμιὸν πατρός σου τοῦτο ποιῆσαι. μία γάρ ἐστιν ἡ πίστις μία ἡ ὁμόνοια καὶ οὐ δυνάμεθα ἐναντιωθῆναι τῷ καλῷ συλλειτουργῷ πατρὶ δὲ σῷ. Epiphan. hær. 42. ſect. 1. Ne vero in tyrannidem abiret, hæc exors epiſcoporum poteſtas, Syriodi bis quotannis fuerant congregandæ, nimirum, ut ait Zonaras in can. 37. Apoſtolorum, διὰ τὰς παρὰ τῶν ἐπισκόπων ἀφορισμοῖς ὑποβαλλομένας, εἰ αἰτιῶνται τοὺς ἀφορίσαντας. Tempus quando convenerant maxime ſolenne erat ſtatim poſt Paſcha. Vid. Ep 52. ad Pam. num. 55. Hanc priſci juris Eccleſiaſtici hypotypoſin libentius propono, quia lucem videtur allatura, non modo tractatui huic de unitate, ſed ſequenti etiam de lapſis.

2 *A ſemetipſo damnatus.*] Certe nullis mortalium magis quam Novato & Novatiano hæc Apoſtoli verba quadrant, illi enim non prius ab Eccleſia quam à ſeipſis ſeceſſum fecere. Alter poſtquam in Africa lapſos omnes ſine mora admittendos contendiſſet, Romam navigans contrarium dogma propoſuit, nimirum pro inexpiabili ſcelere habendum ſi unquam admitterentur. Alter qui judicio cleri Romani de recipiendis lapſis non interfuit modo ſed etiam præfuit; propria manu ſcripſit, proprio ore publice legit literas ad Africanam Eccleſiam ea in cauſa tranſmiſſas, in illa ipſa Roma, ſententiæ iſtius, hoc eſt ſuæ, aſſertores, Apoſtatis & lapſis adnumerandos docuit; ibique cum Epiſcopatum abjuraſſet invaſit.

An. 251. vina indignatione confuſus, & lepræ varietate in fronte maculatus eſt; ea parte corporis notatus offenſo Domino; (a) 1 ubi ſignantur qui Dominum promerentur. Et Lev. 10. 1.
filii Aaron qui impoſuerunt altari ignem alienum, quem non præceperat Dominus; in conſpectu ſtatim Domini vindicantis extincti ſunt. Quos imitantur ſcilicet atque ſectantur, qui Dei traditione contemta alienas doctrinas appetunt, & magiſteria humanæ inſtitutionis inducunt; quos increpat Dominus & objurgat in Evangelio ſuo dicens: Marc. 7. 9.
Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem veſtram ſtatuatis.

Schiſmaticus lapſo gravius peccat; nec martyrio purgandus.

Pejus hoc crimen eſt, quam quod (b) admiſiſſe lapſi videntur; qui tamen in pœnitentia criminis conſtituti, Deum 2 plenis ſatisfactionibus deprecantur. Hic Eccleſia quæritur & rogatur: illic Eccleſiæ repugnatur. Hic poteſt neceſſitas fuiſſe: illic voluntas tenetur in ſcelere. Hic qui lapſus eſt, ſibi tantum nocuit: illic qui hæreſin vel ſchiſma facere conatus eſt, multos ſecum trahendo decepit. Hic animæ unius eſt damnum: illic periculum plurimorum. Certe peccaſſe ſe hic & intelligit, & lamentatur & plangit: ille tumens in peccato ſuo, & in ipſis ſibi delictis placens, à matre filios ſegregat, oves à paſtore ſollicitat, Dei ſacramenta diſturbat. Et cum lapſus ſemel peccaverit, ille quotidie peccat: Poſtremo lapſus, martyrium poſtmodum conſecutus poteſt (c) regni promiſſa percipere; ille ſi extra Eccleſiam fuerit occiſus, ad Eccleſiæ non poteſt præmia pervenire.

Minime mirandum ſi in hac noxa ipſi ſint Confeſſores.

Nec quiſquam miretur, dilectiſſimi fratres, etiam 3 de Confeſſoribus quoſdam (d) ad iſta procedere, inde quoque aliquos tam nefanda (e) tam gravia peccare. Neque enim confeſſio immunem facit ab inſidiis diaboli, aut contra tentationes, & pericula, & incurſus atque impetus ſeculares adhuc in ſeculo poſitum perpetua ſecuritate defendit: ceterum nunquam in Confeſſoribus fraudes, & ſtupra, & adulteria poſtmodum videremus, quæ nunc in quibuſdam videntes ingemiſcimus & dolemus. Quiſquis ille Confeſſor eſt, Solomone major, aut melior, aut Deo (f) carior non eſt. Qui tamen quamdiu in viis Domini ambulavit: tamdiu gratiam, quam de Domino fuerat conſecutus obtinuit: (g) poſtquam dereliquit Domini viam, perdidit & gratiam (h) Domini, 3 Reg. 11.
ſicut ſcriptum eſt: Et excitavit Dominus Satanam ipſi Solomoni. Et ideo ſcriptum 14.
eſt: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Quod utique Dominus non Apoc. 3. 11.
minaretur, auferri poſſe coronam juſtitiæ; niſi quia recedente juſtitia, recedat neceſſe eſt & corona. Confeſſio exordium gloriæ eſt, (i) non meritum jam coronæ; nec perficit laudem, ſed initiat dignitatem. Cumque ſcriptum ſit; qui perſeveraverit Mat. 10. 22.
(k) uſque ad finem, hic ſalvus erit: quidquid ante finem fuerit gradus eſt, quo ad faſtigium ſalutis aſcenditur, non terminus quo jam culminis ſumma teneatur. Confeſſor eſt, ſed poſt confeſſionem periculum majus eſt: quia plus adverſarius provocatus eſt. Confeſſor eſt; hoc magis ſtare debet cum Domini Evangelio, per Evangelium gloriam conſecutus à Domino. Ait enim Dominus: Cui multum datur, multum quæretur ab eo, & cui plus dignitatis adſcribitur, plus de illo exigitur (l) ſervitutis. Luc. 8. 18.
Nemo per Confeſſoris exemplum pereat: nemo injuſtitiam, nemo inſolentiam, nemo perfidiam de Confeſſoris moribus diſcat. Confeſſor eſt, ſit humilis & quietus, ſit in actu ſuo cum diſciplina modeſtus; ut qui Chriſti Confeſſor dicitur, Chriſtum quem confitetur imitetur. Nam cum dicat ille: Qui ſe extollit, humiliabitur, & qui hu- Mat. 23.
miliat ſe, exaltabitur; & ipſe à patre exaltatus ſit, quia ſe in terris ſermo, & virtus, 12.
& ſapientia Dei patris humiliavit: quo modo poteſt extollentiam diligere, qui & nobis Phil. 2. 8.
humilitatem ſua lege mandavit, & ipſe à patre ampliſſimum nomen præmio humilitatis accepit? Confeſſor eſt Chriſti; ſed ſi non poſtea blaſphemetur per ipſum majeſtas & dignitas Chriſti. Lingua Chriſtum confeſſa non ſit maledica, non turbulenta, non conviciis & litibus perſtrepens audiatur: non contra fratres & Dei ſacerdotes, poſt (m) verba laudis ſerpentis venena jaculetur. Cæterum ſi culpabilis & deteſtabilis poſtmodum fuerit, ſi confeſſionem ſuam mala (n) converſatione prodegerit, ſi vitam ſuam turpi fœditate maculaverit; ſi Eccleſiam denique, ubi Confeſſor factus eſt, derelinquens, & unitatis concordiam ſcindens fidem primam perfidia poſteriore mutaverit, blandiri ſibi per confeſſionem non poteſt, (o) quaſi ſit electus ad gloriæ præmium; quando ex hoc ipſo magis creverint merita pœnarum: Nam & Judam inter Apoſtolos Dominus elegit, & tamen Dominum Judas poſtmodum prodidit.

Non

(a) Qua ſalvari obtemperantes Domino, *Pem. Voſſ.* 2. *Bod.* 4. (b) Admiſiſſe hi qui ſacrificaverunt, *Pem. Voſſ.* 2. (c) Regni cœlorum, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *Ben.* (d) Ad iſtam diſſentionem procedere, *Bod* 3. proſilire, *Ver.* (e) *Sic*, *Ver. Lam. Ebor. Lin. NC. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voſſ.* 1. quam gravia. *Impr.* Tam nefarie, tamque gravia peccare, *Ver.* (f) Carior eſt? *Voſſ.* 3. (g) Poſtquam autem dereliquit, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (h) Domini, ſcriptum eſt. Et ideo, *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Sariſ. Voſſ.* 1. 2. & ideo in Apocalypſi Dominus ad Joannem graviter comminatur, *Ver. Manut.* (i) Meritum coronæ, *Pem.* (k) Uſque in *Lam. Ebor.* (l) Obſequium ſervitutis, *Bod.* 3. (m) Verba laudis & confeſſionis, *Ver.* (n) Converſatione perdiderit, *Bod.* 1. 2. prodiderit, *Man.* (o) Quaſi electus, *Bod.* 1. 4. *Sariſ.*

1 *Ubi ſignantur qui Dominum promerentur.*] Non tantum inter baptiſmi ſolennia, frontibus crucis ſignum imprimebant Chriſtiani, *ſed ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque illos converſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terebant.* Referente Tertul. de corona Mil. c. 3. Interim cultus religioſus aberat. *Cruces*, inquit Octavius apud Minut. *nec colimus, nec optamus.*

2 *Plenis ſatisfactionibus.*] Quid plena ſatisfactio, infra in libro de lapſis diſcutietur.

3 *De Confeſſoribus quoſdam.*] Perſtringit Maximum, Nicoſtratum, Evariſtum, alioſque, qui literis ſuis Novatianum ad Epiſcopatum commendabant, parteſque ejus fovebant.

1 *Exciderunt*

An. 251. Quorundam lapsus, Confessorum gloriam non minuit.

Non tamen iccirco Apostolorum fides & firmitas cecidit, quia proditor Judas ab eorum societate defecit: sic & hic non statim Confessorum sanctitas & (a) dignitas comminuta est, quia quorundam fides fracta est. Beatus Apostolus in Epistola sua loquitur dicens: Quid enim si 1 exciderunt à fide quidam illorum, numquid infidelitas illorum fidem Dei evacuavit? absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Stat Confessorum pars major & melior in fidei suæ robore, & in legis ac disciplinæ Dominicæ veritate. Nec ab Ecclesiæ pace discedunt, qui se in Ecclesia gratiam consecutos de Dei dignatione meminerunt: (b) atqui hoc ipso ampliorem consequuntur fidei suæ laudem, quod ab eorum perfidia segregati, qui (c) juncti Confessionis consortio fuerunt, à contagio criminis recesserunt; (d) vero illuminati Evangelii lumine, pura & candida Domini luce radiati, tam sunt in conservanda Christi pace laudabiles, quam fuerunt in diaboli congressione victores. Rom. 3. 2.

Schismaticorum commercia vitanda.

Opto equidem, dilectissimi fratres, & consulo pariter & suadeo; ut, si fieri potest, nemo de fratribus pereat, & consentientis populi corpus unum, gremio suo gaudens (e) mater includat. Si tamen quosdam schismatum duces, & dissensionis auctores, in cæca & obstinata dementia permanentes, non potuerit ad salutis viam consilium salubre revocare: cæteri tamen vel simplicitate capti, vel errore inducti, vel aliqua fallentis astutiæ calliditate decepti, à fallaciæ vos (f) laqueis solvite, vagantes gressus ab erroribus liberate, iter rectum (g) viæ cœlestis agnoscite. Contestantis Apostoli vox est: Præcipimus vobis, inquit, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis. Et iterum dicit: Nemo vos decipiat inanibus verqis. Propterea enim venit ira Dei (h) super filios contumaciæ. Nolite ergo esse participes eorum. Recedendum est à delinquentibus, vel imo fugiendum, ne dum quis male ambulantibus jungitur, & per itinera erroris & criminis graditur, à via veri itineris exerrans, pari crimine & ipse teneatur. Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia ejus, & fides una, (i) & plebs in solidam corporis unitatem 2 concordiæ glutino copulata. Scindi unitas non potest, nec corpus unum discidio compaginis separari (k) divulsis laceratione visceribus in frusta discerpi. Quidquid à matrice discesserit, seorsim vivere & spirare non poterit; (l) substantiam salutis amittit. Monet nos Spiritus (m) Sanctus, & dicit: Quis est homo, qui vult vitam, & amat videre (n) dies optimos? Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne (o) loquantur insidiose. Declina à malo & fac bonum, quære pacem & sequere eam. Pacem quærere debet & sequi filius pacis, à dissentionis malo continere linguam suam debet, qui novit & diligit vinculum caritatis. (p) Inter sua divina mandata & magisteria salutaria, passioni jam proximus Dominus addidit, dicens: Pacem dimitto vobis, pacem meam do vobis. Hanc nobis (q) hæreditatem Christus dedit: dona omnia suæ pollicitationis & præmia in pacis conservatione promisit. Si hæredes Christi sumus, (r) in Christi pace maneamus. Si filii Dei sumus, pacifici esse debemus: Beati, inquit, pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. Pacificos esse oportet Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectione (s) concordes, fideliter sibi unanimitatis nexibus cohærentes. Hæc unanimitas sub Apostolis olim fuit; sic novus credentium populus Domini mandata custodiens, caritatem suam tenuit. Probat scriptura divina quæ dicit: Turba autem eorum qui crediderunt, (t) anima & mente una agebant. Et iterum: Et erant (u) perseverantes omnes unanimes in oratione cum mulieribus, & Maria quæ fuit Mater Jesu, & fratribus ejus. Et ideo efficacibus precibus orabant, ideo impetrare cum fiducia poterant quodcunque de Domini misericordia postulabant. Pf. 33. 10. Jo. 14. 27. Mat. 5. 9. Act. 4. 32. Act. 1. 14.

Status Ecclesiæ in pejus proficientis.

In nobis vero sic unanimitas diminuta est, (w) ut & largitas operationis infracta est. Domos tunc & fundos venundabant, & thesauros sibi in cœlo reponentes, distribuenda in usus indigentium pretia Apostolis offerebant. At nunc de patrimonio 3 nec decimas damus, & cum vendere jubeat Dominus, emimus potius & augemus. Sic in nobis

(a) Dignitas imminuta, *NC.* 2. (b) Atque hoc ipso majorem consequuntur fidei suæ laudem, imo ampliorem, quod ab eorum perfidia segregati quibus juncti confessionis consortio fuerunt, à contagio criminis recesserunt, *Ver. Sariſ.* (c) Junctis confessionibus, *Sariſ.* (d) Steterunt vero illuminati, *Bod.* 3. At vero, *Bod.* 2. (e) Mater Ecclesia, *Voſſ* 3. (f) Laqueis absolvite, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (g) Viæ cœlestis assumite, *Lam. Ar. Bod.* 2. *NC.* 1. *Ebor.* (h) In filios diffidentiæ, *Ar. Lam.* (i) Et plebs una in solidam corporis firmitatem, *Ver.* plebs una, *Pem. Voſſ.* 2. *Bod.* 4. in solida corporis unitate, *Bod.* 1.4. (k) Nec divulsis, *Voſſ.* 1. 3. (l) Nec substantiam salutis admittit, *Bod.* 1. (m) Sanctus in Psalmis, *Ver.* (n) Dies bonos, *Lam. Ebor. Bod.* 1. *Voſſ.* 3. (o) Loquantur dolum, *Bod.* 1.3.4. *Voſſ.* 2. (p) Inter sua denique mandata, *Ver.* 3. (q) Hæreditatem dedit, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (r) In Christi pacem abeamus, *Corb.* mancamus. Beati, *Ar.* (s) Concordes, fide stabiles, *Lin.* (t) Animam & mentem unam habebant, *Bod* 3. (u) Perseverantes unanimes, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. (w) Ut largitas operationis infracta. Domos, *Ver.* infracta sit, *Voſſ.* 3.

1 *Exciderunt à fide.*] ἠπίστησαν *non crediderunt*, reddit vulgatus interpres, sed noster rectius videtur concepisse; vox enim illa respicit, quod superius dicebatur, ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ θεοῦ.

2 *Concordiæ glutino.*] Nimirum uno Episcopo, Ep. ad Pupianum ait. *Ecclesiam esse plebem sacerdoti adunatam, & pastori suo gregem adhærentem.* Optatus Episcopum vocat, *sponsum coagulum pacis.*

3 *Nec decimas damus.*] Ex naturæ prius multo, quam legis Mosaicæ præscripto decimas solutas; si minus fidem faciant quæ in lectione LXX Interp. habentur Genes. 4. 7. οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; certe quæ leguntur capite 14.18. de decimis ab Abrahamo pensitatis, id evicerint: præsertim cum mos iste per universum terrarum orbem, quasi publico humani generis decreto, olim invaluerit. Cujus rei testes locupletissimi Herodot. l. 1. 2. 3. 9. & pas-

An. 251. nobis emarcuit vigor fidei, ſic credentium robur elanguit ? & iccirco Dominus tempora noſtra reſpiciens, in Euangelio ſuo dicit: Filius hominis cum venerit, putas inveniet fidem in terra? Videmus fieri quod ille prædixit. In Dei timore, in lege juſtitiæ, in dilectione, in opere fides nulla eſt. (a) Nemo futurorum metu, cogitat diem Domini, & iram Dei: & incredulis ventura ſupplicia, & ſtatuta perfidis æterna tormenta nemo conſiderat. (b) Quod metueret conſcientia noſtra ſi crederet; quia non credit omnino, nec metuit: ſi autem crederet, & caveret: (c) ſi caveret, evaderet. Excitemus nos quantum poſſumus, dilectiſſimi fratres, & ſomno inertiæ veteris abrupto, ad obſervanda & gerenda Domini præcepta vigilemus. Simus tales, quales eſſe nos ipſe præcepit dicens: Sint lumbi veſtri accincti, & lucernæ (d) ardentes: & vos ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum quando (e) veniat à nuptiis, ut cum venerit & pulſaverit, aperiant ei. Beati ſervi illi, quos adveniens Dominus invenerit vigilantes: Accinctos nos eſſe oportet, ne cum (f) expeditionis dies venerit, impeditos nos & implicitos apprehendat. Luceat in bonis (g) operibus noſtrum lumen, & fulgeat, ut ipſum nos ad lucem claritatis æternæ de hac ſeculi nocte perducat. Expectemus ſoliciti ſemper & cauti adventum Domini repentinum, ut quando ille pulſaverit, evigilet fides noſtra, vigilantiæ præmium de Domino receptura. Si hæc mandata ſerventur, ſi hæc monita & præcepta teneantur, opprimi dormientes diabolo fallente non (h) poſſumus, ſervi vigiles Chriſto dominante (i) regnabimus. Luc. 18. 8. Luc. 12. 35.

(a) *Sic Voſſ. 3. Lam. Ebor.* Nemo futurorum metum cogitat, diem, *Bod. 1. 4. Imp.*. (b) Quod quidem metueret, *Voſſ. 1.* quæ metueret, *Ver.* quicquid metueret, *Benev.* (c) Si caveret & evaderet, *Bod. 1. 4. Ver. Voſſ. 3.* (d) Ardentes in manibus veſtris, *Bod. 3. Voſſ. 1. 3.* (e) Revertatur à nuptiis, *Ar.* (f) Proditionis dies, *Pem. Imp.* (g) Opus noſtrum, ejuſdemque operis lumen & fulgeat, *Voſſ. 3.* (h) Poſſumus, ſed, *Bod. 1.* Poſſumus &, *Bod. 4.* (i) Regnabimus. Amen, *Voſſ. 3.*

& paſſim. Dionyſ. Halic. l. 1. 4. 6. Pauſan. Eliac. & Phoc. Diod. Sic. l. 5. Plut. in quæſt. Rom. In Camil. Syll. Lucull. &c. Ariſt. Oecon. l. 2. Thucyd. l. 3. Juſtin. l. 18. 20. Cicer. de Nat. Deor. l. 3. Liv. l 5. c. 21. Cum primum luce Euangelica perfunderetur Orbis, Oblationibus, Primitiis, Sportulis, & totius rei familiaris in Eccleſiæ ſubſidium venditionibus, nihil decantatius. Imo Patres antiquiſſimi de Decimis ſolvendis verbis diſertiſſimis mandant. Iren. l. 4. c. 20. ait. *Sacerdotes ſunt omnes Domini Apoſtoli, qui neque agros, neque domos hæreditant hic, ſed ſemper altari & Deo ſerviunt. De quibus & Moyſes, non erit ſacerdotibus Levitis in tota tribu Levi pars, neque ſubſtantia cum Iſraël: fructificationes Domini ſubſtantia eorum, manducabunt eas. Propter hoc & Paulus, non inquiro inquit datum, ſed inquiro fructum.* Et in eodem lib. c. 27. *Propter hoc Dominus, pro eo quod eſt non mœchaberis, non concupiſcere præcepit: & pro eo quod eſt non occides, neque iraſci quidem: & pro eo quod eſt decimare, omnia quæ ſunt pauperibus dividere. Hæc omnia non diſſolventis legem erant, ſed extendentis & dilatantis.* Porro c. 34. *Illi quidem Decimas ſuorum habebant conſecratas, qui autem perceperunt libertatem, omnia quæ ſunt ipſorum ad Dominicos decernunt uſus; hilariter & libere dantes, ea quæ non ſunt minora, utpote majorem ſpem habentes.* Sic Origen. in c. 18. Numer. *Nemo licite nec legitime utitur fructibus quos terra produxit, nec animantibus quæ pecudum protulit partus, niſi ex ſingulis quibuſque Deo primitiæ, id eſt, ſacerdotibus offerantur. Hanc ergo legem obſervari etiam ſecundum literam, ſicut & alia nonnulla, neceſſarium puto.* Et deinceps addit, *Dominus dicit in Euangeliis. Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, hoc eſt decimam datis menthæ, & cymini & anethi, & præteritis quæ majora ſunt legis: Hypocritæ, hæc oportet fieri, & illa non omitti. Vide ergo diligentius quomodo ſermo Domini vult fieri quidem omnimode quæ majora ſunt legis, non tamen omitti & hæc quæ ſecundum literam deſignantur. Quod ſi dicas quia hæc ad Phariſæos dicebat, non ad diſcipulos; audi iterum ipſum dicentem ad diſcipulos. Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Phariſæorum & Scribarum, non intrabitis in regnum Cœlorum. Quod ergo vult fieri à Phariſæis, multo magis & majori cum abundantia vult à diſcipulis impleri, &c.* Mora eſſet ſingula huc ſpectantia percurrere: conſulat is cui otium eſt, Hilar. in Matt. c. 24. Explan. Pſal. 118. Octon. Hc. Nazianz. Orat. 5. Hieron. in Malac. 3. Chryſoſt. Hom. 35. in Geneſ. 18. In Act. Apoſt. 14. & Hom. 4. in 2. c. ad Eph. Ambr. com. in Luc. c. 11. l. 7. Serm. 34. in Fer. 3. Serm. in die Aſcens. Auguſtin. in Pſalm. 146. Serm. de Temp. 166. & 219. Hom. 48. Imo videantur quæ Auctor noſter habet. Ep. 1. ad Pamelii numeros 66. ubi ait Leviticam tribum *de fructibus qui naſcebantur decimas recepiſſe: quod totum fiebat de auctoritate & diſpoſitione divina, ut qui orationibus divinis inſiſtebant, in nulla re avocarentur, nec cogitare, aut agere ſecularia cogerentur. Quæ nunc ratio & forma in clero tenetur, ut qui in Eccleſia Domini ordinatione clerica promoventur, in nullo ab adminiſtratione divina avocentur*, &c.

D. CÆCI-

D. CÆCILII CYPRIANI

DE

LAPSIS.

An. 251. Piagratulatio ob pacem Eccleſiæ redditam.

PAx ecce dilectiſſimi fratres, eccleſiæ reddita eſt : & quod difficile nuper incredulis, ac perfidis impoſſibile videbatur, ope atque ultione divina ſecuritas noſtra reparata eſt. In lætitiam mentes redeunt, & tempeſtate preſſuræ ac (a) nube & caligine diſcuſſa, tranquillitas ac ſerenitas refulſerunt. Dandæ laudes Deo, & beneficia ejus ac munera cum gratiarum actione celebranda, quamvis agere gratias (b) noſtra vox nec in perſecutione ceſſaverit. Neque enim tantum inimico licere poteſt, ut (c) non qui Dominum toto corde, & anima, & virtute diligimus, benedictiones ejus & laudes ſemper & ubique cum gloria prædicemus. Exoptatus (d) votis omnium dies venit, & poſt longæ noctis horribilem tetramque caliginem, Domini luce radiatus mundus (e) eluxit.

Varia Confeſſorum decora, & nobilis triumphus.

Confeſſores præconio (f) boni nominis claros, & virtutis ac fidei laudibus glorioſos, lætis conſpectibus intuemur, ſanctis oſculis adhærentes, deſideratos diu inexplebili cupiditate complectimur. Adeſt militum Chriſti 2 cohors candida qui perſecutionis urgentis ferociam turbulentam ſtabili congreſſione fregerunt, parati ad patientiam carceris; armati ad tolerantiam mortis: (g) repugnaſtis fortiter ſeculo, ſpectaculum glorioſum præbuiſtis (h) Deo, ſecuturis fratribus fuiſtis exemplo. Religioſa vox (i) Chriſtum locuta eſt, in quem ſe ſemel credidiſſe confeſſa eſt. Illuſtres manus quæ non niſi divinis operibus aſſueverant, (k) ſacrificis ſacrilegiis reſtiterunt. Sanctificata ora cœleſtibus cibis, poſt corpus & ſanguinem Domini, profana contagia & idolorum reliquias reſpuerunt. 3 Ab impio ſceleratoque velamine, quo illic velabantur ſacrificantium capita captiva, caput veſtrum liberum manſit. 4 Frons cum ſigno Dei pura diaboli coronam ferre non potuit, coronæ ſe Domini reſervavit. Quam vos (l) læto ſinu (m) excipit mater eccleſia de prælio revertentes? Quam beata, quam gaudens portas ſuas (n) aperit, ut adunatis agminibus intretis, de hoſte proſtrato trophæa referentes? Cum triumphantibus viris & feminæ veniunt, quæ (o) cum ſeculo dimicantes, ſexum quoque

(a) Nube diſcuſſa & caligine diſciſſa, *Ar. NC.* 1. *Bod.* 2. *Lam. Ebor.* tempeſtate preſſa, *Voſſ.* 3. nube diſcuſſa, tranquillitas, *Bod.* 1. 3. 4. (b) Noſtra vox convenit, *Bod.* 4. (c) Nos qui Deum toto corde & animo diligimus benedictiones ejus & laudes non, *Voſſ.* 3. (d) Votis omnibus, *Voſſ.* 3. ſanctis oculis. (e) Eluxit & confeſſores, *Bod.* 4. (f) Boni numinis, *Ben.* luminis, *Ar. Voſſ.* 1. *Lam. Bod.* 2. (g) Repugnantes fortiter, *Bod.* 1. 3. (h) Deum ſecuturis, *Voſſ.* 1. (i) Chriſti locuta, *Bod.* 1. 4. (k) Sacrificiis ac Sacrilegiis, *Lin. Voſſ.* 2. *Bod.* 3. 4. Sacrilegis melius reſtiterunt, *Ar. Ben. MR.* (l) Lætos in ſinum, *Voſſ.* 1. 2. 3. *Bod.* 1. 4. (m) Excepit, *Bod.* 1. 2. *Lam.* (n) Aperuit, *Voſ.* 1. (o) Cum ſeculo ſexum quoque, *Bod.* 1. 3. 4. *Lam. Ebor. Voſſ.* 1. 3. *Thu. Foſſ. Vat.* 2. *MR.*

1 *De lapſis.*] Lapſus, ubi de moribus agitur, ſignificare ſolet graviorem quamlibet noxam, qua quis in vitæ curſu non ſolum titubat & gradu dimovetur, ſed proſternitur & decidit. Ita Adami peccatum ejus lapſus paſſim appellatur. Sed in uſu Eccleſiaſtico illi fere intelliguntur lapſi, qui perſecutionis tempore minis aut tormentis ceſſere; quique *disjecti*, *proſtrati*, & *jacentes* infra dicuntur. Quemadmodum illi qui in fide permanſere *Stantes* appellati, quos Zach. Propheta videtur adumbraſſe, c. 3. 7. ubi *ambulanti in viis Domini*, & *cuſtodiam ejus cuſtodienti* promittitur ſors בין העמדים *inter ſtantes*. Lapſorum variæ fuerunt Claſſes. 1. eorum qui libellis ſecuritatem paciſcebantur, & libellatici dicti. 2. Qui thus adolebant, aut de victimis epulabantur; qui thurificati & ſacrificati, audiebant. 3. Qui blaſphemiis nefas cumulantes Chriſtianum nomen ejurarunt, & Apoſtatæ appellati. Cum vero Deciana clades plurimos variis hiſce ruinæ generibus perculiſſet; iique Novati & Feliciſſimi & Presbyterorum quorundam qui cum ipſis ſentiebant factione; aut etiam Martyrum benignis nimium ſuffragiis ſublevati, reditum in Eccleſiam impudenter poſtulabant: Cyprianus, quod olim facturum ſe promiſerat, pace Eccleſiæ reddita, quid de ſingulis ſtatuendum ſit librato cum fratribus conſilio, decernit. Libellus hic, ut & præcedens de Unitate, Carthagine primum, & ut par eſt credere, in ipſo Concilio, lectus; dein Romam tranſmittebatur, quod ex Epiſtola 54. ad Pamelii numeros 51. docemur. Voces iſtæ in fronte operis, *Pax ecce dilectiſſimi fratres Eccleſiæ reddita eſt*, & *quod difficile nuper incredulis, ac perfidis impoſſibile videbatur, ope atque ultione divina, ſecuritas noſtra reparata eſt*; ſatis indicant poſt Decii mortem, idque ſtatim poſt nuncium acceptum, libellum hunc Romam fuiſſe tranſmiſſum. Prius autem aliquanto ſcriptum, & Carthagine publice lectum minime dubito. Plures enim menſes, quibus Concilium in lapſorum cauſa frequenter habitum, à Cypriani reditu ad Decii mortem, eamque in Africa renunciatam, interceſſere. Sed Auctores id juris in ſcripta ſua perpetuo vendicant, ut quædam ſubinde pro re nata addant, detrahant, & varie immutent, quod etiam à Cypriano hic loci factum exiſtimo. Scripti hujus meminerunt Pontius, Euſebius, Rufinus, Auguſtinus, Fulgentius, Pacianus, & alii paſſim veteres.

2 *Cohors Candida.*] Pariter & Martyres dicti à noſtro Auctore, *Maſſa Candida*. Sic Tertull. de Coron. *De Martyrii candida laurea melius coronandus*. Interim reſpectu habito ad ſanguinem fuſum, *floridi* & *ruſſati* alibi appellantur.

3 *Ab impio ſceleratoque velamine.*] Omnis fere gentilium religio, in mortuorum cultu & placandis Diis manibus verſabatur; unde habitu funereo & velato capite ſacra ut plurimum peragebantur. E contra vero præeunte Apoſtolo 1 Cor. 11. 10. Chriſtiani homines nudo capite preces fundebant, feminis tantum modeſtiæ & obſequii ergo in Eccleſia velatis. Porro obnubilatum caput ſervilis conditionis ſignum. Unde ſervili pœnæ ſubjiciendus, velamento obductus. *I lictor* apud Liv. l. 1. inquit Horatii periclitantis pater; *colliga manus quæ paulo ante armatæ imperium populo Romano pepererunt. I caput obnube liberatoris urbis*, &c.

4 *Frons cum ſigno Dei pura.*] Nempe in baptiſmi lavacro ſignata, & ſpinei Domini Jeſu ſerti memor, admittere non poteſt aliud capitis geſtamen, aut habitum à *Canditatis diaboli introductum*, quod ait Tertull. in lib. de Cor. qui etiam refert Claudium Saturninum in libro de Coronis; *origines, cauſas & ſpecies & ſolennitates earum ita edifſerere, ut nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum ceſpitem, aut palmitem, non alicujus capiti invenias conſecratum.*

1 *Ma-*

An. 251. que vicerunt. Veniunt & geminata militiæ ſuæ gloria virgines, & pueri (a) annos ſuos continentiæ virtutibus tranſeuntes. Nec non & cetera (b) Stantium multitudo veſtram gloriam ſequitur, proximis & pene conjunctis laudis inſignibus veſtigia veſtra (c) comitatur. Eadem & in illis ſinceritas cordis, eadem fidei tenacis integritas. Inconcuſſis præceptorum cœleſtium (d) radicibus nixos, & Euangelicis traditionibus roboratos; non præſcripta exilia, non deſtinata tormenta, non rei familiaris damna, non corporis ſupplicia terruerunt. Explorandæ fidei præfiniebantur dies, ſed qui ſeculo renunciaſſe ſe meminit, nullum ſeculi diem novit. Nec tempora terrena jam computat; qui æternitatem de Deo ſperat. (e) Nemo, fratres dilectiſſimi, nemo hanc gloriam mutilet, nemo incorruptam ſtantium firmitatem 1 maligna obtrectatione debilitet: cum 2 dies (f) negantibus præſtitutus exceſſit; quiſquis profeſſus intra diem non eſt, Chriſtianum (g) ſe eſſe confeſſus eſt. Primus eſt victoriæ titulus, gentilium manibus apprehenſum Dominum confiteri. Secundus ad gloriam (h) gradus eſt, cauta ſeceſſione ſubtractum Domino (i) reſervari. Illa publica, hæc privata confeſſio eſt. Ille judicem ſeculi vincit, hic contentus Deo ſuo judice, conſcientiam puram cordis integritate cuſtodit. Illic fortitudo promtior, hic ſollicitudo ſecurior. Ille appropinquante hora ſua jam maturus inventus eſt, hic fortaſſe dilatus eſt: qui patrimonio derelicto iccirco ſeceſſit, quia non erat negaturus; confiteretur utique ſi fuiſſet & ipſe detentus.

Lapſorum clades plane miſeranda.

Has Martyrum cœleſtes coronas, has Confeſſorum glorias ſpiritales, has ſtantium fratrum maximas eximiaſque virtutes mœſtitia una contriſtat, quod avulſam noſtrorum viſcerum partem violentus inimicus populationis ſuæ ſtrage dejecit. Quid hoc loco faciam, dilectiſſimi fratres, fluctuans vario mentis æſtu, quid, aut quo modo dicam? Lacrymis magis quam verbis opus eſt ad (k) exprimendum dolorem, quo corporis noſtri plaga deflenda eſt, quo populi aliquando numeroſi multiplex lamentanda jactura eſt. Quis enim ſic (l) durus ac ferreus, quis (m) ſic fraternæ caritatis oblitus; qui inter ſuorum multiformes ruinas, & lugubres, ac multo ſqualore deformes reliquias conſtitutus, ſiccos oculos tenere prævaleat, nec erumpente ſtatim fletu, prius gemitus ſuos lacrymis quam voce depromat? Doleo, fratres, doleo vobiſcum, nec mihi ad leniendos dolores meos integritas propria, & ſanitas privata blanditur; quando plus paſtor in gregis ſui vulnere vulneretur. Cum ſingulis pectus meum copulo, mœroris & funeris pondera luctuoſa participo. Cum plangentibus plango: cum deflentibus defleo: cum jacentibus jacere me credo. Jaculis illis (n) graſſantis inimici, mea ſimul membra percuſſa ſunt: ſævientes gladii per mea viſcera tranſierunt. Immunis & liber à perſecutionis incurſu fuiſſe non poteſt animus. In proſtratis fratribus & me proſtravit affectus. Rom. 12. 15.

Corrupti Chriſtianorum mores, harum calamitatum origo.

Habenda tamen eſt, fratres dilectiſſimi, ratio veritatis, nec ſic mentem debet & ſenſum perſecutionis (o) infeſtæ tenebroſa caligo cæcaſſe, ut nihil remanſerit lucis & luminis, unde divina præcepta perſpici poſſint. Si cladis cauſa cognoſcitur, & medela vulneris invenitur. Dominus probari familiam ſuam voluit, & quia traditam nobis divinitus 3 diſciplinam pax longa corruperat, jacentem fidem (p) & pene dixerim dormientem, cenſura cœleſtis erexit: cumque nos peccatis noſtris (q) amplius pati mereremur, clementiſſimus Dominus ſic cuncta moderatus eſt, ut hoc omne quod geſtum eſt, exploratio potius quam perſecutio videretur. Studebant augendo patrimonio ſinguli; & obliti quid Credentes, aut ſub Apoſtolis ante feciſſent, aut ſemper facere deberent, inſatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incubabant. Non in (r) ſacerdotibus religio devota, non in (s) miniſtris fides integra, non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina. 4 Corrupta barba in viris, in feminis forma fucata. Adulterati poſt Dei manus oculi, capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda ſimplicium callidæ fraudes, circumveniendis fratribus ſubdolæ voluntates: 5 Jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, (t) proſtituere gentilibus membra Chriſti: non jurare tantum temere, ſed adhuc etiam pejerare: Præpoſitos ſuperbo tumore 2 Cor. 6. 14.

(a) Annos ſuos virtutibus tranſeuntes, *Voſſ.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. (b) Circumſtantium multitudo, *Lin. Voſſ.* 1 3. *Foſſ. Vat.* 4. (c) Comitantur, *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Voſſ.* 1. 3. (d) Radicibus eſſe, *Bod.* 3. 4. (e) Nemo fratres, nemo, *Voſſ.* 1. *Lam. MR.* (f) Negantium, *Voſſ.* 1. 3. (g) Se non eſſe confeſſus eſt? *Lam.* (h) Gradus eſt, cum quis ſe, *Voſſ.* 1. (i) Servavit, *Voſſ.* 1. (k) Extendendum, *Ar. Lam. Ben. Ebor. NC.* 2. *Bod.* 2. (l) Durus eſt, *Voſſ.* 1. (m) Sic cladis, *Lam.* (n) Graſſantibus, *Lin. NC.* 2. (o) Infeſtæ illecebroſa, *Voſſ.* 1. 3. (p) Et ut pene, *Lam Bod.* 2. (q) Amplius meremur, *Bod.* 1. 2. 3. *Lam. Voſſ.* 3. *Manut.* (r) Sacerdotiis, *Bod.* 1. 4. (s) Miniſteriis, *Bod.* 2. 4. *Thu. Foſſ. Lam. Manut.* (t) Proſtituere cum gentibus, *NC.* 1. *Lam.*

1 *Maligna obtrectatione debilitet.*] Ut ſe lapſi excuſatiores facerent, dicebant plurimos inter ſtantes pariter cum ipſis fuiſſe ſuccubituros ſi pariter tentati: ſi non tunc fuga (quemadmodum Cyprianus) elapſi. In cauſa non abſimili, dictum. *Caſta eſt quam nemo rogavit.*

2 *Dies negantibus præſtitutus exceſſit.*] Propoſita fuerant adverſus Chriſtianos edicta, ut intra diem præfinitum Chriſtianus quiſque, coram Præſide, Proconſule, aliove Magiſtratu profiteretur ſe renunciare Chriſto: Ni faceret capite eſſet plectendus, aut forte bonis exiliove mulctandus. Poſtquam illud tempus elapſum eſſet, quicunque ſe non profitebantur, pœnis denunciatis fiebant obnoxii; & proinde inter Confeſſores erant numerandi. Hanc ob cauſam ait noſter, *non præſcripta exilia, non deſtinata tormenta, non rei familiaris damna Epiſcopos terruerunt.*

3 *Diſciplinam pax longa corruperat.*] Sulpitius Severus triginta octo annos pacis Eccleſiæ computat; ſcil. à Severo Imp. ad Decium; ſiquidem Maximiniani attentata Eccleſiarum aliquarum Clerum duntaxat percellebant; Africamque intactam reliquerant. Eadem fere dicuntur Epiſt. 13. ad Pam. numeros 7.

4 *Corrupta barba.*] Reſpicit Levit. 19. 27. ubi interdicitur, ne corrumpantur anguli barbæ. Hac de re vid. l. 3. cap. 84. ad Quir. De feminarum moribus in lib. de Cultu egit.

5 *Jungere cum infidelibus.*] Reſpicit Auctor monitum D. Pauli 2 Cor. 6. 14. & 1 Cor. 7. Vid. l. 3. Teſtim. ad Quirin. c. 62.

1 *Epiſco-*

An. 251. tumore contemnere, venenato ſibi ore maledicere, odiis pertinacibus invicem diſſidere? 1 Epiſcopi plurimi, quos & (a) hortamento eſſe oportet cæteris & exemplo, divina procuratione contemta, procuratores rerum ſecularium fieri, derelicta cathedra, plebe deſerta, per alienas provincias oberrantes, negotiationis (b) quæſtuoſæ nundinas aucupari. 2 Eſurientibus in Eccleſia (c) fratribus non ſubvenire, habere argentum largiter velle, fundos inſidioſis (d) fraudibus rapere, uſuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis ejuſmodi mereremur? cum jam pridem præmonuerit ac (e) dixerit cenſura divina: Si (f) dereliquerint legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint: ſi (g) juſtificationes meas profanaverint & præcepta mea non obſervaverint, viſitabo in virga (h) facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Præ- Pſ. 89. 30
nunciata ſunt iſta nobis, & ante prædicta: ſed nos datæ legis & obſervationis immemores, id egimus per noſtra peccata, ut dum Domini mandata contemſimus, ad (i) correctionem delicti & probationem fidei remedi is ſeverioribus veniremus. Nec ſaltem ſero converſi ad Domini timorem ſumus, ut hanc correptionem noſtram probationemque divinam (k) patienter & fortiter ſubiremus. 3 Ad prima ſtatim verba minantis inimici maximus fratrum numerus fidem ſuam prodidit, nec proſtratus eſt perſecutionis impetu, ſed voluntario lapſu (l) ſe ipſe proſtravit.

Lapſorum crimen prorſus inexcuſabile.

Quid oro inauditum, quid novum venerat, ut velut (m) incognitis atque inopinatis rebus exortis, Chriſti ſacramentum temeritate præcipiti ſolveretur? Nonne hæc & Prophetæ ante, & Apoſtoli poſtmodum nunciaverunt? Nonne juſtorum preſſuras & gentilium ſemper injurias pleni Sancto Spiritu prædicaverunt? Nonne fidem noſtram ſemper armans, & Dei ſervos cœleſti voce corroborans dicit ſcriptura divina: Domi- Mat. 4. 10.
num Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies? Nonne iram divinæ indignationis oſten- Deut. 6. 13.
dens, & pœnæ metum præmonens, denuo dicit: (n) Adoraverunt eos quos fecerunt Iſ. 2. 8.
digiti eorum, & curvatus eſt homo, & humiliatus eſt vir, & non laxabo illis. Et Ex. 22. 20.
iterum Deus loquitur, dicens: Sacrificans diis eradicabitur, niſi Domino ſoli. In Evangelio quoque poſtmodum Dominus in verbis doctor, (o) conſummator in factis; docens quid fieret, & faciens quodcunque docuiſſet; quicquid nunc geritur & geretur, nonne ante præmonuit? Nonne & negantibus (p) æterna ſupplicia, & ſalutaria confitentibus præmia ante conſtituit? Exciderunt quibuſdam, pro nefas, omnia, & de memoria receſſerunt. Non expectaverunt (q) ut 4 aſcenderent apprehenſi, aut interrogati negarent. Ante aciem multi victi, ſine congreſſione proſtrati; nec hoc ſibi reliquerunt, ut ſacrificare idolis viderentur inviti. Ultro ad forum currere, ad mortem ſponte properare; quaſi hoc olim cuperent, quaſi amplecterentur occaſionem datam, (r) quam ſemper optaſſent. (s) Quid illi qui à magiſtratibus veſpera urgente dilati ſunt; quod ne eorum differretur interitus, etiam rogaverunt? Quam vim poteſt talis obtendere (t) qua crimen ſuum purget; cum vim magis ipſe fecerit ut periret? Nonne quando 5 ad Capitolium ſponte ventum eſt, quando ultro ad obſequium diri facinoris acceſſum eſt, (u) labavit greſſus, caligavit aſpectus, tremuerunt viſcera, brachia conciderunt? Nonne ſenſus obſtupuit, lingua hæſit, ſermo defecit? (w) Stare illic potuit Dei ſervus, & loqui, & renunciare Chriſto; 6 qui jam Diabolo renunciarat & ſeculo? Nonne ara illa, quo moriturus acceſſit, rogus illi fuit? Nonne diaboli altare, quod fœtore tetro fumare ac redolere conſpexerat, velut funus & buſtum vitæ ſuæ horrere ac (x) fugere debebat? Quid hoſtiam tecum miſer, quid victimam (y) ſupplicaturus imponis? Ipſe ad aras

(*a*) Ornamento, *Foſſ.* (*b*) Quæſtuoſas nundinas, *Bod*, 4. (*c*) Fratribus, habere, *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Foſſ. Lam. Voſſ.* 3. (*d*) Fraudibus jungere, *Gra.* (*e*) Dixerit Scriptura divina, *Voſſ.* 1. 3. (*f*) Dereliquerint filii, *Voſs.* 1. (*g*) Juſtitias, *Ar. Bod.* 3. *Lam. MR.* (*h*) Iniquitates eorum & in flagellis delicta eorum; miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis, *Voſs.* 3, (*i*) Ad correptionem, *Ar. Lam. Voſſ.* 1. (*k*) Patienter ſubiremus, *Voſſ.* 3. *Lin.* (*l*) Se ipſum, *Voſs.* 1. (*m*) Ignotis, *Voſſ.* 1. (*n*) Adoraverunt Deos, *Voſſ.* 3. (*o*) Et conſummator, *Thu. Voſſ.* (*p*) Futura ſua, *Bod.* 4. (*q*) *Sic Thu. Foſſ. Ver. Vat: MR.* expectaverunt ſaltem ut interrogati rogarent, ut thus accenderent, *Voſſ.* 3. *Imp.* (*r*) Quam libenter optaſſent, *Ar. Bod.* 1. 2. 3. 4. *Voſs.* 1. 3. *Ver. Vat. MR.* (*s*) Quod illic. *Voſs.* 1. (*t*) Quæ crimen, *Bod.* 1. 2. (*u*) Lapſus eſt greſſus, *Voſſ.* 1. (*w*) Stare illic quomodo, *Voſs.* 2. illic num. *Bod.* 2. (*x*) Fugere debuerat, *Voſſ.* 1. (*y*) Immolaturus vel ſupplicaturus, *Foſſ.*

1 *Epiſcopi plurimi.*] Hunc locum ſæpius attingit D. Auguſtin. adv. Donatiſtas. vid. l. 3. cont. Ep. Parmen. c. 2. & l. 4. cont. Creſc. c. 26.

2 *Eſurientibus in Eccleſia fratribus.*] Quanquam Apoſtolis conſultum videbatur Act. 6. *Ut non derelinquerent verbum Dei, & miniſtrarent menſis*, & inde Diaconi ſubrogati; pauperum tamen cura apud Epiſcopos perpetuo manſit. Quam ſolicite hoc procurabat D. Paulus, ejus Epiſtolæ nos paſſim docent. De moribus Chriſtianorum ſequentis ſeculi rationem reddit Juſtinus Apol. 2. τὸ συλλεγόμενον τῷ προεςῶτι ἀποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις ὅσπ ξένοις, καὶ ἁπλῶς πάσπ τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται. Hanc fuiſſe perpetuam D. Cypriani ſolicitudinem Epiſtolæ ejus neſcire nos vetant; præſertim Ep. 62. ad Pam. num. 60. ubi redimendis captivis, ſi recte rationes ſubduxerit Rigaltius, librarum 25000. erogabantur.

3 *Ad prima ſtatim verba.*] Terrore hoc inexpectato perculſos Cyp. Ep 60. ad Pam. num. 57. *Subitatos* appellat. Similem lapſorum in Ægypto hoc ipſo tempore ſtragem late deſcribit Dionyſius Alexandrinus apud Euſeb. l. 6. c. 41.

4 *Aſcenderent apprehenſi.*] Hanc lectionem quam MSS. plerique tuentur, commendat ſimilis locutio Cleri Rom. Ep. 8. ad Pamel. numeros 3. *Aſcendentes ab hoc quod compellabantur revocavimus.*

5 *Ad Capitolium ſponte ventum eſt.*] Arcem Carthaginenſem, imitamentum Romanæ. Novatiani & Donatiſtæ Catholicos, quod huc aſcendentes lapſos recepiſſent, per contemtum vocabant *Capitolinos.* Sic Pacianus Ep. 2. *Nunquid Cypriano ſancto viro hoc obeſt, quod populus ejus Apoſtaticum nomen habet, vel Capitolinum, vel Synedrium?*

6 *Qui jam Diabolo renunciarat.*] Solennia hæc baptiſmi verba Tertul. de Spectac. c. 4. & alibi paſſim inculcat; quod etiam à Cypriano noſtro aliiſque Patribus factum. Formula hæc antiquiſſima non aliunde ortum duxit quam à Chriſtianiſmi initiis, & videtur eſſe illud ἐπερώτημα de quo D. Petrus 1 Ep. 3. 21. In Judæorum baptiſmo, Proſelytus patriam, parentes, & humanitatem ejurabat; Chriſtianus vero, noxias cupiditates, ſeculi pompas, & Diaboli nequitiam abdicat & amandat.

An. 251. aras hostia, victima ipse venisti. Immolasti illic salutem tuam; spem tuam, fidem tuam funestis illis ignibus concremasti.

Gravissimum eorum flagitium qui alios auctores fuere ut pariter delinquerent.

Ac multis proprius interitus satis non fuit, hortamentis mutuis (a) in exitium suum populus impulsus est: mors invicem 1 lethali poculo propinata est. Ac nequid deesset ad criminis cumulum, 2 infantes quoque parentum (b) manibus vel impositi, vel attracti; 3 amiserunt parvuli, quod in (c) primo statim nativitatis exordio fuerant consecuti. Nonne illi cum judicii dies venerit, dicent: Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo Domini ad profana contagia (d) sponte properavimus: perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas. Illi nobis Ecclesiam matrem, illi patrem Deum negaverunt; ut dum parvi & improvidi, & tanti facinoris ignari, per alios ad consortium criminum jungimur, (e) aliena fraude caperemur?

Expenduntur causæ quæ crimen juaderent. Patriæ desiderium.

Nec est, pro dolor, justa aliqua & gravis causa, quæ tantum facinus excuset: relinquenda erat patria, & patrimonii facienda jactura. Cui enim nascenti atque morienti non relinquenda quandoque patria, & patrimonii sui facienda (f) jactura est? Ut Christus non relinquatur, salutis ac sedis æternæ jactura timeatur. Clamat ecce per prophetam Spiritus Sanctus: 4 Discedite, discedite, exite inde, & immundum noli- Is. 52. 11.
te tangere. Exite de medio ejus, (g) separamini qui fertis vasa Domini: & qui vasa sunt Domini ac templum Dei, ne immundum tangere, & feralibus cibis pollui, violarique cogantur, non exeunt de medio, nec recedunt? Alibi quoque vox auditur è cœlo præmonens, quid (h) Dei servos facere (i) conveniat, & dicens: Exi de ea po- Apoc. 18. 4.
pulus meus, ne particeps sis delictorum ejus, & ne perstringaris plagis ejus. Qui (k) exit & cedit, delicti particeps non fit. Plagis vero & ipse perstringitur, qui socius criminis invenitur. Et ideo Dominus in persecutione secedere & fugere mandavit, atque ut id fieret & docuit, & fecit. Nam cum corona de Dei dignatione descendat, nec possit accipi nisi fuerit hora sumendi; quisquis in Christo manens interim cedit, non fidem denegat, (l) sed tempus expectat. Qui autem cum non secederet, cecidit; negaturus remansit.

Patrimonii amor.

Dissimulanda fratres veritas non est, nec vulneris nostri materia & causa reticenda. (m) Decepit multos patrimonii sui amor cæcus; nec ad recedendum parati aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligaverunt. (n) Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ; quibus & virtus retardata est, & (o) fides pressa, & mens victa, & anima præclusa; ut serpenti terram secundum Dei sententiam devo- Gen. 3. 14.
ranti, præda & cibus fierent, qui (p) terrestribus cupiditatibus inhærerent. Et iccirco Dominus bonorum magister, (q) & præmonens & consulens in futurum: Si vis, in- Mat. 19. 21.
quit, perfectus esse, vade, vende (r) omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & veni, sequere me. Si hoc divites facerent, per divitias (s) suas non perirent; thesaurum in cœlo reponentes, (t) hostem nunc expugnatorem domesticum non haberent: esset in cœlo cor & animus & sensus, si thesaurus esset in cœlo. Nec vinci à seculo posset, qui unde vinceretur in seculo non haberet: sequeretur Dominum (u) solutus & liber, ut Apostoli (w) & sub Apostolis multi; & nonnulli sæpe fecerunt, qui & rebus suis & parentibus derelictis, individuis Christo nexibus adhæserunt. Sequi autem Christum quomodo possunt, qui patrimonii vinculo detinentur? Aut quo modo cœlum petunt, & ad sublimia & alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus degravan-

(a) In exitium populus, *Bod.* 1. 2. 3. 4. (b) Manibus impositi, *Bod.* 1. 2. 3. 4. *Lam. Voss.* 1. (c) Primo nativitatis, *Voss.* 3. (d) Sponte provenimus, *Voss.* 3. (e) Aliena fraude moreremur, *Voss.* 1. 2. *Bod.* 4. *Foss.* (f) Jactura est? Christus non relinquatur, *Bod.* 1. 2. 3. 4. *Voss.* 1. (g) Mundamini, *Man.* Qui portatis vasa, *Lin. Bod.* (h) Dei servis, *Voss.* 3. (i) Conveniat dicens, *Bod.* 2. (k) Exit & secedit, *Pem. Lin. Voss.* 3. (l) Horam expectat, *Voss.* 3. (m) *Sic Bod.* 1. 2. 3. decepit, *Imp.* (n) Illæ fuerunt, *Voss.* 1. (o) Fides prodita, & mens victa, *Voss.* 1. (p) Terrestribus inhærerent, *Lam. Bod.* 1. 2. 3. 4. (q) Et præmonens in futurum, *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voss.* 1. *Thu. Foss. Voss.* 3. (r) Omnia quæ habes, *Voss.* 3, (s) Divitias non, *Lam. Thu. Foss. Voss.* 3. (t) Hostem nunc & expugnatorem, *Lam. Ar.* (u) Securus & liber, *Bod.* 4. (w) Et sub Apostolis nonnulli, *Lam.*

1 *Lethali poculo propinata est.*] Respicit libamina gentilium, de quibus D. Paulus 1 Cor. 10. 21. *Non potestis calicem Domini bibere & Dæmoniorum.*

2 *Infantes quoque.*] De eorum baptismo vid. Ep. ad Fidum. Quem morem late impugnat Rigaltius notis suis in dictam Epistolam: & hic loci dicit, *Hoc sensu permoti censuerunt infantes baptizandos, signum fidei dederunt homini, priusquam esset homo fidei capax. Signum sine re, ipsius rei vicarium fecerunt.* Ex Anabaptistarum fæce fanaticus non alia scripsisset. Itane vero infantes fidei prorsus incapaces? Si hoc ratum sit, quomodo Joannes Baptista alique à matris utero pleni Spiritu Sancto? Porro circumcisio ante legem, & sub ipsa, erat fœderalis ritus, qui pro fundamento habuit fidem in Messiam postmodum venturum; quemadmodum ejus Antitypus Baptisma sub Evangelio, innititur fide in eundem Messiam qui advenerat: si vero infantes Israelitarum, licet fidei actualis incapaces, ad circumcisionem recipiendam fuerant idonei; pariter & parentum Christianorum nati, eodem obice, fidei scil. defectu, non obstante, baptismi esse poterint participes. Baptizati pridem illi erant Infantes, qui acris & vividi illius *sensus* qui præfertur, specimina dederunt; quare manifestum est perperam dici exinde Ecclesiam *permotam censuisse infantes baptizandos.* Porro ante Cypriani seculum Infantum baptismum in Ecclesia receptum, Irenæus nos docet l. 2. c. 39. qui *renasci apud Deum dicit infantes & parvulos & pueros, & juvenes & seniores.* Similiter Origenes in c. 6. ad Rom. ait *Ecclesiam ab Apostolis traditionem suscepisse etiam parvulis baptismum dare.* Moremillum Tertulliani seculo obtinuisse, vel hinc constiterit, quod iste contrarium suadeat. *Quid festinet innocens ætas ad remissionem peccatorum?* Quæ sententia adeo plurimis placuit, ut baptismum ad ultimæ senectutis tempora differendum censerent. Id nimirum satagebant, ut de venia per lavacri salutaris expiationem securi, peccandi commeatum sibi facerent.

3 *Amiserunt parvuli.*] D Augustinus Ep. 23. ad Bonif. rem sic expedit. *Amiserunt, dixit, quantum attinuit ad illorum scelus, à quibus amittere coacti sunt. Amiserunt in eorum mente ac voluntate, qui in illos tantum facinus commiserunt. Nam si in seipsis amisissent, remansissent utique divina sententia damnandi. Quod si sanctus Cyprianus arbitraretur, non eorum defensionem continuo subjiceret, dicens,* &c.

4 *Discedite, discedite.*] Causam suam agit Cyprianus adversus obtrectatores, qui fugam tanquam rem turpem ipsi impegerunt; hanc ille non modo ceu licitam videtur defendere, sed tanquam rem imperatam commendare: hac ex parte à Magistro Tertulliano longe discedens.

1 *Musci-*

An. 251. vantur? Poſſidere ſe credunt, qui potius poſſidentur; cenſus ſui ſervi, nec ad (a) pecuniam ſuam Domini, (b) ſed magis pecuniæ mancipati. Hoc tempus, hos homines Apoſtolus denotat dicens: Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem & 1 (c) muſcipulam & deſideria (d) multa & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes (e) naufragaverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Dominus autem quibus nos præmiis ad contemtum rei familiaris invitat? parva hæc & exigua hujus temporis damna, quibus mercedibus penſat? Nemo eſt, inquit, qui relinquat domum aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum Dei; & non recipiat centies tantum in iſto tempore, in ſeculo autem venturo vitam æternam. Quibus cognitis, & de Domini pollicentis veritate compertis, non tantum timenda non eſt ejuſmodi, ſed & optanda, jactura; ipſo denuo (f) Domino prædicante & monente: (g) Beati eritis cum (h) perſecuti vos fuerint, & ſeparaverint vos, & expulerint, & maledixerint nomini veſtro ut nequam, propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate; ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlis.

1 Tim. 6. 9.

Mar. 10. 29

Luc. 6. 22.

Tormentorum metus. Sed tormenta (i) poſtmodum ventura erant, & cruciatus graves reluctantibus immi-nebant. Queri de tormentis poteſt qui per tormenta ſuperatus eſt: excuſationem doloris obtendere, qui victus eſt (k) in dolore. (l) Poteſt rogare talis & dicere: (m) Certare quidem fortiter volui, & ſacramenti mei memor, devotionis ac fidei arma ſuſcepi: ſed me in congreſſione pugnantem cruciamenta varia & ſupplicia longa vicerunt. Stetit mens ſtabilis, & fides fortis, & cum torquentibus pœnis immobilis diu anima luctata eſt: ſed cum duriſſimi judicis recrudeſcente ſævitia (n) jam fatigatum, jam laſſum corpus, 2 nunc (o) flagella ſcinderent, nunc contunderent fuſtes, nunc equuleus extenderet, nunc ungula effoderet, nunc flamma torreret, caro me in colluctatione deſeruit, infirmitas viſcerum ceſſit, nec animus ſed corpus dolore defecit. (p) Poteſt cito proficere ad veniam cauſa talis: poteſt ejuſmodi excuſatio eſſe miſerabilis. (q) Sic hic Caſto & 3 Æmilio aliquando Dominus ignovit: ſic in prima congreſſione devictos, victores in ſecundo prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent, qui ignibus ante ceſſiſſent; & unde ſuperati eſſent, inde ſuperarent. Deprecabantur illi non lacrimarum miſeratione, ſed vulnerum; nec ſola lamentabili voce, ſed laceratione corporis & dolore. Manabat pro fletibus ſanguis, (r) & pro lacrimis cruor ſemiuſtulatis viſceribus defluebat. Nunc vero quæ vulnera oſtendere victi poſſunt? quas plagas hiantium viſcerum, quæ tormenta membrorum; ubi non fides congreſſa cecidit, ſed congreſſionem perfidia prævenit? Nec excuſat oppreſſum neceſſitas criminis, ubi crimen eſt voluntatis.

Lapſis adblandiri, ſumma crudelitas. Nec hoc ideo dico ut fratrum cauſas onerem, ſed ut magis fratres ad (s) precem ſatisfactionis inſtigem. Nam cum ſcriptum ſit: Qui vos felices dicunt, in erro-rem vos mittunt, & ſemitas pedum veſtrorum turbant: Qui peccantem (t) blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat: nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. At qui conſiliis fortioribus redarguit ſimul atque inſtruit fratrem, promovet ad ſalutem. Quos diligo, inquit Dominus, redarguo & caſtigo. Sic oportet & Dei ſacerdotem non obſequiis decipientibus ~~faiiere~~, ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum dum ſervat exaggerat. Aperiendum vulnus eſt & ſecandum, & putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum (u) cum ſenſerit ſanitatem. Emerſit enim, fratres dilectiſſimi, (w) novum genus cladis; & quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra (x) Domini ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio (y): irrita & falſa (z) pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt (aa) ſanitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione medicinam. (bb) Pœnitentia de pectoribus excuſſa eſt, graviſſimi extremique delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera: & plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa, diſſimulato

Il 3. 12.

Apo. 3. 19.

(a) Pecuniam Domini, *Voſſ.* 1. (b) Sed ipſi potius pecuniæ mancipati, *NC.* 2. (c) Muſcipulam Diaboli, *Voſſ.* 3. (d) *Sic Lam. Ebor. Voſſ.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. multa inutilia & nocentia, *Imp* (e) Erraverunt à fide, *Ar. Thu. Foſſ. MR. Voſſ.* 3. (f) Domino & Deo, *Voſſ.* 1. 3. (g) Beati eritis cum odio vos habuerint homines, *Voſſ.* 1. (h) Perſecuti vos fuerint homines, *Ar. Bod.* 2. 3. (i) Poſtmodum venerant, *Lam. Voſſ.* 1. *Ben. Bod.* 1. 2. 4. (k) Per dolorem, *NC.* 2. (l) Poteſt talis & dicere, *Voſſ.* 3. (m) Et certare, *Lam.* (n) Jam fatigatum corpus, *Lam.* (o) Flagella adhuc, *Bod.* 1. 3. 4. (p) Poteſt proficere, *Voſſ* 1. (q) Sic ſic Caſto, *Lam. Voſſ.* 1. *Foſſ. Spir. Imp. Nup.* (r) *Sic Voſſ.* 3. & pro lacrimis cruore, *Imp.* (s) Precem & ad ſatisfactionem, *Voſſ.* 3. (t) Verbis adulantibus, *Voſſ* 3. (u) Cum receperit ſanitatem, *Voſſ.* 3. (w) In nos novum genus, *Voſſ.* 3. (x) Contra Deum & Dei legem, *Voſſ.* 3. (y) Communicatio irrita, & falſa pax, *Lam. Ebor.* (z) Pax, pernicioſa dantibus, *Ebor.* (aa) Sanitatis pœnitentiam, *Voſſ.* 1. *Lin.* (bb) Pœnitentia de peccatis, *Ar. Ben.* de peccatoribus excluſa, *Voſſ.* 1.

1 *Muſcipulam.*] Vid. quæ dict. ad l 3. ad Quir. c 61.

2 *Nunc flagella ſcinderent.*] Pariter tormenta hæc deſcribit Tertul. Apol. c. 30. *Expanſos ungulæ fodiant, cruces ſuſpendant, ignes lambant, gladii guttura detruncent, beſtiæ inſiliant.*

3 *Æmilio aliquando Dominus ignovit.*] Baptiſmus ſanguinis ex Eccleſiæ veteris ſententia non minus certo omnem anteactæ vitæ labem eluebat, quam aquæ lavacrum; proinde cum Caſtus & Æmilius ad Martyrii decus admiſſi erant, de venia ipſis facta minime dubitandum. Unde Ep. 18. ad Pam. numeros 13. lapſos qui ad pacem feſtinabant ſic alloquitur Cyprianus. *Acies adhuc geritur, & agon quotidie celebratur; ſi commiſſi vere & firmiter pœnitet, & fidei calor prævalet: qui differri non poteſt, poteſt coronari.* Quod dicitur Dominum *hic aliquando* ignoviſſe, videtur innuere hoc pridem Carthagine factum.

An. 251. lato dolore contegitur. A (a) diaboli aris revertentes, ad 1 ſanctum Domini ſordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus, & contagia funeſta redolentibus, 2 Domini corpus invadunt; quando occurrat ſcriptura divina & clamet & dicat: Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcunque manducaverit ex carne ſacrificii ſalutaris, quod eſt Domini, & immunditia ejus ſuper ipſum eſt; peribit anima illa de populo ſuo. Apoſtolus item (b) teſtatur & dicit: Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini communicare, & menſæ dæmoniorum. Idem contumacibus & pervicacibus comminatur & denunciat dicens: Quicunque ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Spretis his omnibus atque contemtis, vis infertur corpori ejus & ſanguini: & plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt. Ante expiata delicta, ante exomologeſin factam criminis, ante purgatam conſcientiam ſacrificio & manu ſacerdotis, ante offenſam placatam indignantis Domini & minantis; pacem putant eſſe, quam quidam verbis fallacibus venditant. Non eſt pax illa, ſed bellum: nec Eccleſiæ jungitur, qui ab Euangelio ſeparatur. Quid injuriam beneficium vocant? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant? quid eis qui flere jugiter & rogare Dominum ſuum debent, intercepta pœnitentiæ lamentatione communicare ſe ſimulant? Hoc ſunt (c) ejuſmodi lapſis; quod grando frugibus; quod turbidum ſidus arboribus; quod armentis peſtilens vaſtitas; quod navigiis ſæva tempeſtas. Solatium æternæ ſpei (d) adimunt, arborem à radice ſubvertunt; ſermone morbido ad lethale contagium ſerpunt; navem ſcopulis, ne in portum perveniat, illidunt. Non concedit pacem facilitas iſta, ſed tollit; nec communicationem tribuit, ſed impedit ad ſalutem. Perſecutio eſt hæc alia, & alia tentatio, per quam ſubtilis inimicus (e) impugnandis adhuc lapſis occulta populatione graſſatur; ut lamentatio conquieſcat, ut dolor ſileat, ut delicti memoria evaneſcat, ut comprimatur pectorum (f) gemitus, ſtatuatur fletus oculorum; nec Dominum graviter offenſum longa & plena pœnitentia deprecetur; cum ſcriptum ſit: Memento unde cecideris, & age pœnitentiam. Levit. 7. 20. 22. 3. 1 Cor. 10. 21. 1 Cor. 11. 27. Apoc. 2. 5.

Solus Deus condonare poteſt peccata.

Nemo ſe fallat, nemo ſe decipiat. Solus Dominus miſereri poteſt. Veniam (g) peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt ille largiri, qui peccata noſtra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis noſtris. Homo Deo eſſe non poteſt major: nec remittere aut donare indulgentia ſua ſervus poteſt, quod in Dominum delicto graviore commiſſum eſt; ne adhuc lapſo & hoc accedat ad crimen, ſi neſciat eſſe prædictum: Maledictus homo qui (h) ſpem habet in homine. Dominus (i) orandus eſt, Dominus noſtra ſatisfactione placandus eſt; qui negantem negare ſe dixit, qui omne judicium (k) de patre ſolus accepit. Credimus quidem poſſe apud judicem plurimum martyrum merita, & opera juſtorum; 3 ſed cum judicii dies venerit, cum poſt occaſum ſeculi hujus & mundi, ante tribunal Chriſti populus (l) ejus adſtiterit. Cæterum ſi quis præpropera feſtinatione temerarius remiſſionem peccatorum dare ſe (m) cuiquam putat poſſe, aut audet Domini præcepta reſcindere; non tantum nihil prodeſt, ſed & obeſt lapſis. Provocaſſe eſt iram, non ſervaſſe ſententiam: nec miſericordiam prius Dei deprecandam putare, ſed contemto Domino de ſua facilitate (n) præſumere. Jer. 17. 5.

Qualis martyrum prærogativa, & quibus limitibus contineatur.

Sub ara Dei animæ occiſorum martyrum clamant magna voce, dicentes: Quouſque Domine ſanctus & verus non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui (o) in terris inhabitant? & requieſcere ac patientiam tenere adhuc jubentur: & quemquam poſſe aliquis exiſtimat remittendis paſſim donandiſque peccatis dignum fieri contra judicem velle, aut 4 prius quam (p) vindicetur, ipſe alios poſſe defendere? Mandant aliquid Martyres (q) fieri? ſi juſta, ſi licita, ſi non contra ipſum Dominum, (r) à Dei ſacerdote facienda ſunt; obtemperantis facilis & prona conſenſio, ſi petentis fuerit religioſa moderatio. Mandant aliquid Martyres fieri? Sed ſi ſcripta non ſint in Domini lege Apoc. 6. 10.

(a) Et à Diaboli, *Voſſ.* 1. (b) Teſtetur & dicat, *Bod.* 1, 2, 3. 4. comminetur & denunciet, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (c) Hæc ſunt ejuſmodi, *Ar. Bod.* 1. 2. 3. (d) Solatium ſpei, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voſſ.* 1. adimunt radice, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (e) Inimicus impugnandis blanditur, *Bod.* 4. impugnandis hominibus, *Voſſ.* 2. 4. *Pem.* (f) Peccatorum gemitus, *Lin. Voſſ.* 1. (g) Veniam peccati, *Ben.* (h) Qui confidit in homine, *Ar. Bod.* 2. *Ben.* (i) Dominus orandus, Dominus, *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. (k) Judicium à patre, *Lin. Lam.* (l) Populus adſtiterit, *Bod.* 2. (m) *Sic Bod.* 1. *Voſſ.* 2. Dare ſe cunctis poſſe, *Imp.* dare ſe poſſe, *Bod.* 2. (n) De ſua facultate, *Imp.* felicitate, *Ar.* (o) Terram inhabitant, *NC.* 2. habitant, *Lam.* (p) Prius quam judicetur, *Lam. Bod.* 1. (q) Martyres fieri, ſed ſi, *Voſſ.* 1. (r) Ac Dei ſacerdotem, *Voſſ.* 2.

1 *Sanctam Domini.*] Infra vocat, *Sanctificatum in ſanguine Domini cibum & potum*, ut recte admonet Rigalt.

2 *Domini corpus invadunt.*] Duplici S. Scripturæ teſtimonio ſe explicat Auctor noſter; ſcil. Levit. 22. 3. ubi dicitur; *caro ſacrificii quod eſt Domini.* & 1 Cor. 10. 27. *Quicunque ederit panem, aut biberit calicem Domini*, &c. Explicatiſſime Facundus Cypriani ſectator fidiſſimus. l. 9. c. 5. *Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, quod eſt in pane & poculo conſecrato, corpus ejus & ſanguinem dicimus, non quod proprie corpus ejus ſit panis, & poculum ſanguis, ſed quod in ſe myſterium corporis ejus ſanguinisque contineant. Hinc & ipſe Dominus benedictum panem & calicem, quem diſcipulis tradidit, corpus & ſanguinem ſuum vocavit.*

3 *Sed cum judicii dies venerit.*] Reſpicit locum D. Joan. Apoc. 6. 10. quem ſtatim laudat, ubi dicitur; *Quod ſub ara Dei animæ occiſorum martyrum clamant magna voce, dicentes, Quouſque* &c. Veteres in ea erant ſententia, de ſolis martyribus ante diem judicii ſententiam fuiſſe latam, de aliis omnibus ampliatura.

4 *Prius quam vindicetur.*] Pax à martyribus conceſſa, non omnino valebat, antequam coronati fuiſſent. Vid Ep. Luciani; ubi poſt Pauli & aliorum Martyrum *arceſſitionem*, eorum nomine *pax dimittenda* perhibetur. Et merito hoc factum; ſiquidem non pauci Confeſſores poſtmodum lapſi vel ipſi fuerant.

An. 251. lege quæ mandant; ante eſt ut ſciamus illos de Deo impetraſſe quod poſtulant; tunc facere quod mandant: neque enim ſtatim videri poteſt de divina majeſtate conceſſum, quod fuerit humana pollicitatione promiſſum. 1 Nam & Moyſes pro peccatis populi petiit, nec tamen peccantibus veniam, cum petiſſet, accepit: Precor, ait, Domine deliquit (a) populus hic delictum (b) grande, & fecerunt ſibi Deos aureos, & nunc ſi Exo. 32. 31.
dimittis eis, delictum dimitte: ſin autem, dele me de libro (c) quem ſcripſiſti. Et dixit Dominus ad Moyſen: Si quis deliquit (d) ante me, & deleam eum de libro meo. Ille amicus Dei, ille facie ad faciem locutus ſæpe cum Domino, quod petiit impetrare non potuit, nec Dei indignantis offenſam ſua deprecatione placavit. Hieremiam Deus laudat & prædicat, dicens: Prius quam te formarem in utero, novi te: & (e) prius Jer. 1. 5.
quam exires de vulva, ſanctificavi te, & prophetam in gentibus poſui te: & eidem pro peccatis populi deprecanti frequentius & oranti: Noli, (f) ait Dominus, orare pro Ibid. 7. 16.
populo hoc, & noli poſtulare pro eis in prece & oratione, quia non exaudiam in tempore in quo invocabunt me, in tempore afflictionis ſuæ. Quid vero juſtius Noë, qui cum repleta eſſet terra peccatis, ſolus inventus eſt juſtus in terris? Quid glorioſius Daniele? Quid illo (g) ad facienda martyria in fidei firmitate robuſtius? in Dei (h) dignatione felicius? qui totiens & cum confligeret vicit, & cum vinceret ſupervixit? Quid Job in operibus promtius, in tentationibus fortius, in dolore patientius, in timore ſubmiſſius, in fide verius? Nec his tamen, ſi rogarent, conceſſurum ſe Deus dixit. Cum Propheta Ezechiel pro delicto populi deprecaretur: Terra, in- Eze. 14. 13.
quit, quæcunque peccaverit mihi ut delinquat delictum, extendam manum meam ſuper eam, & obteram ſtabilimentum panis, & immittam in eam famem, & auferam ab ea hominem & pecora. Et ſi fuerint tres viri hi in medio ejus, Noë, & Daniel, & Job; non liberabunt filios neque filias, ſed ipſi ſoli ſalvi erunt. (i) Adeo non omne quod petitur in (k) præjudicio petentis, ſed in dantis arbitrio eſt. Nec quidquam ſibi uſurpat & vindicat humana ſententia, niſi annuat & cenſura divina. In Evangelio Dominus loquitur dicens: Qui confeſſus me fuerit coram hominibus, & ego confitebor Luc. 12. 8.
eum coram patre meo, qui in cœlis eſt. Qui autem (l) me negaverit, & ego negabo eum. Si negantem non negat, nec (m) confitentem confitetur. Non poteſt Evangelium in parte conſiſtere, & in parte nutare. Aut utrumque (n) oportet valeat, aut utrumque vim veritatis amittat. Si negantes rei criminis non erunt, nec confitentes præmium virtutis accipient. Porro ſi fides quæ vicerit, coronatur, neceſſe eſt ut victa perfidia puniatur. Ita martyres aut nihil poſſunt, ſi Evangelium ſolvi poteſt: aut, (o) ſi Evangelium non poteſt ſolvi, contra Evangelium facere non poſſunt, qui de Evangelio martyres fiunt. Nemo, fratres dilectiſſimi, 2 nemo (p) infamet Martyrum dignitatem, nemo eorum glorias deſtruat & coronas. Manet incorruptæ fidei robur incolume; nec dicere aliquid aut facere contra Chriſtum poteſt, cujus & ſpes, & fides, & virtus, & gloria omnis in Chriſto eſt. Ut ab Epiſcopis contra mandatum Dei fiat, auctores eſſe non poſſunt, qui ipſi Dei mandata fecerunt. An quiſquam major Deo, aut divina bonitate clementior, qui aut infectum velit quod paſſus eſt Deus fieri: aut quaſi illi minus poteſtatis ad protegendam Eccleſiam ſuam fuerit, auxilio nos ſuo putet poſſe ſervari? niſi hæc ignaro Deo geſta (q) ſunt, aut non permittente illo omnia iſta evenerunt; cum doceat indociles, & admoneat immemores ſcriptura divina, quæ loquitur dicens: Quis dedit in direptionem Jacob, & Iſraël iis qui prædabantur il- Iſa. 42. 24.
lum? nonne Deus cui peccaverunt; & nolebant in viis ejus ambulare, neque audire legem ejus? Et ſuperduxit ſuper eos 3 iram animationis ſuæ. Et alibi teſtatur ac di- Ibid. 59. 1.
cit: Numquid non valet manus Dei ut ſalvos faciat? aut gravavit aurem ut non exaudiat? ſed peccata veſtra inter vos & Deum ſeparant, & propter delicta veſtra avertit (r) faciem à vobis ne miſereatur. Delicta potius noſtra reputemus, actus (s) noſtros & animi ſecreta revolventes, conſcientiæ merita ponderemus. Redeat in cor noſtrum non ambulaſſe nos in viis Domini, & abjeciſſe legem Dei; præcepta ejus, & monita ſalutaria nunquam ſervare voluiſſe. (t) Quid de eo bono ſentias? Quem timorem fuiſſe apud eum, quam fidem credas; quem corrigere nec metus potuit, quem perſecutio ipſa non reformavit? Alta & erecta cervix, nec quia cecidit, inflexa eſt. Tumens animus & ſuperbus, nec quia victus eſt, fractus eſt. Jacens ſtantibus, & integris vulneratus minatur: & quod non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus ac-

(a) Deliquit populus tuus, *Bod.* 2. (b) Delictum magnum, *Bod.* 1. (c) Libro tuo, *Lam.* quem ſcripſi, *Voſſ.* 1. (d) Deliquerit ante me, *Voſſ.* 1. *Pem.* (e) Et antequam exires, *Pem.* (f) Noli, ait, orare: *Bod.* 1. 2. 4. (g) Quid ad facienda, *Lin.* (h) Dignatione facilius, *Voſſ.* 2. (i) A Deo, *Voſſ.* 2. (k) In prece, judicio petentis, *Voſſ.* 1. (l) Negaverit coram hominibus, *Bod.* 4. (m) Confitentem non, *NC.* 1. *Lam.* (n) Neceſſe eſt &, *Lam.* (o) Si Evangelium ſolvi poteſt, aut ſi non poteſt ſolvi contra, *Lin. Lam. NC.* 1. 2. *Pem. Ebor. Voſſ.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (p) Nemo hanc gloriam mutilet, *Bod.* 3. (q) Geſta ſunt, aut permittente, *Lin.* (r) Avertit faciem ſuam, *Bod.* 2. (s) Actus noſtri, *Bod.* 1. 2. 4. (t) Et quid de eo, *Lin.*

1 *Nam & Moyſes.*] Locum hunc laudat Pacianus, Ep. 3. & repulſam pati ſanctorum preces docet, *ſi pro non rogantibus petant, ſi pro perſeverantibus in crimine deprecentur, ſi non ſingulos, ſi non paucos, ſed millia multa defendant.*

2 *Nemo infamet Martyrum dignitatem.*] Nemo, inquit, convellat privilegium olim illis indultum, ut pro lapſis intercederent; modo intrà terminos præfinitos ſiſtatur. Si nimirum quod dicitur Ep. 17. ad Pamel. num. 10. largiantur, *qualia in præteritum, anteceſſores eorum martyres conceſſerunt.* Tertull. ad Mart. *Pacem quidam in Eccleſia non habentes, à martyribus in carcere exorare conſueverunt.* Pax vocabatur venia lapſis conceſſa; quia per eam ad ſacrorum, &, ſpeciatim, orationis commercia, & pacis oſculum, *orationis ſignaculum*, Tertulliani ſunt verba, admittebantur.

3 *Iram animationis.*] LXX poſuerunt ὀργὴν θυμοῦ.

An. 251. accipiat, aut ore polluto Domini ſanguinem bibat, ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur. Atque (a) ô tuam nimiam furioſe dementiam. Iraſceris ei, qui abs te avertere iram Dei (b) nititur, ei minaris qui pro te Domini miſericordiam deprecatur, qui vulnus tuum ſentit, quod ipſe non ſentis, qui pro te lacrimas fundit, quas forſitan ipſe non fundis. Oneras adhuc crimen & cumulas: & cum ſis ipſe implacabilis (c) iraſceris ad antiſtites & ſacerdotes Dei, putas (d) circa te Dominum poſſe placari? Accipe potius & admitte quæ loquimur: Quid ſurdæ aures ſalutaria præcepta non audiunt, quæ monemus? Quid cæci oculi pœnitentiæ iter non vident, quod oſtendimus?

Exempla afferuntur divinæ animadverſionis in lapſos.

(e) Quid perculſa & alienata mens remedia vitalia non percipit, quæ de ſcripturis cœleſtibus & diſcimus, & docemus? Aut ſi incredulis quibuſdam minor fides eſt futurorum; vel præſentibus terreantur. Ecce eorum qui negaverunt quæ ſupplicia conſpicimus? quos eorum triſtes exitus flemus (f)? Nec hic eſſe ſine pœna poſſunt, quamvis necdum dies venerit pœnæ. Plectuntur (g) interim quidam, quo ceteri (h) corrigantur. Exempla ſunt omnium, tormenta paucorum. Unus ex his qui ſponte capitolium negaturus aſcendit, poſtquam Chriſtum negavit, obmutuit. Pœna inde cœpit, unde cœpit & crimen; ut nec rogare jam poſſet qui verba 1 ad (i) precandam miſericordiam non haberet. Alia in balneis conſtituta (hoc enim crimini ejus & malis (k) deerat, ut & ad balneas ſtatim pergeret, quæ lavacri vitalis gratiam perdidiſſet (l), illic ab immundo ſpiritu immunda correpta cecidit, laniavit dentibus linguam, qua fuerat vel paſta impie, vel locuta. Poſtquam ſceleratus cibus ſumtus eſt, in perniciem ſuam rabies oris armata eſt. Ipſa ſui carnifex extitit, nec diu ſupereſſe poſtmodum potuit; doloribus ventris & viſcerum cruciata defecit. Præſente ac teſte me ipſo, accipite quid evenerit. Parentes forte fugientes dum trepidi minus (m) ſuis conſulunt, ſub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt, relictam nutrix detulit ad magiſtratus. Illi ei apud idolum quo populus confluebat, quod carnem necdum poſſet edere per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipſum de immolatione pereuntium ſupererat, tradiderunt. Recepit filiam poſtmodum mater. Sed facinus puella commiſſum tam loqui & indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit, nec (n) arcere. Ignoratione igitur obreptum eſt, ut 2 ſacrificantibus nobis (o) eam ſecum mater inferret. Sed enim puella mixta cum ſanctis, precis noſtræ & orationis impatiens, nunc ploratu concuti, nunc mentis æſtu cœpit fluctuabunda jactari, & velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conſcientiam facti in ſimplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero ſolennibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus ceteris locus ejus advenit; faciem ſuam parvula inſtinctu divinæ majeſtatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare. Perſtitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, de ſacramento calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus & vomitus. In corpore atque ore violato Euchariſtia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini ſanguine potus, de pollutis viſceribus erupit; tanta eſt poteſtas Domini, tanta majeſtas. Secreta tenebrarum ſub ejus luce detecta ſunt, ſacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad eloquendum alienum circa ſe crimen necdum habuit ætatem. At vero ea, quæ ætate provecta, & in annis adultioribus conſtituta ſacrificantibus nobis latenter obrepſit, non cibum, ſed gladium ſibi ſumens, & velut quædam venena (p) lethalia inter fauces & pectus admittens, angi & anima exæſtuante concludi poſtmodum cœpit. Et preſſuram non jam perſecutionis, ſed delicti ſui paſſa, palpitans & tremens concidit. Impunitum diu non fuit nec occultum diſſimulatæ conſcientiæ crimen, quæ fefellerat hominem, Deum ſenſit ultorem. Et cum quædam arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus (q) indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente deterrita eſt, ne auderet attingere. Et (r) alius qui & ipſe maculatus; ſacrificio à ſacerdote celebrato, partem cum ceteris (s) auſus eſt latenter accipere: ſanctum Domini edere, & contrectare non potuit; 3 cinerem ferre ſe apertis manibus invenit. Documento unius oſtenſum eſt, Dominum recedere, cum negatur; nec immerentibus ad ſalutem prodeſſe quod ſumitur, quando gratia ſalutaris in cinerem, ſanctitate fugiente mutetur. Quam multi quotidie (a) pœni-

(a) Atque ob tuam, *Bod.* 1, 2, 3. *Voſſ.* 2. (b) Dei nititur & minaris, *Bod.* 1, 2, 3. (c) Implacabilis ad antiſtites Dei, *Eraſ.* ſacerdotes Dei iraſceris, & *Lin. Voſſ.* 2. (d) Cito poſt placari, *Ver.* (e) Quid præcluſa & alienata mens, *Pem. Voſſ.* 1. 2. *NC.* 2. *Bod.* 2. 4. (f) Flemus ac dolemus, *Voſſ.* 2. (g) Plectuntur in terra quidam, *NC.* 2. (h) Ceteri dirigantur, *Lin. Ebor. Voſſ.* 2. (i) Precum miſericordiam, *Lin. Ebor. Lam. Voſſ.* 1. *NC.* 2. *Pem. Spir.* (k) Non deerat, *Lam. Ebor. NC.* 1. (l) Perdidiſſet ſed, *Lin.* (m) *Sic Pem.* minus conſulunt, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Spir. Vet. innom.* minus ſibi, *Imp.* (n) Nec cavere, *Bod.* 1. (o) Eandem ſecum, *Bod.* 2. (p) Venena inter, *Bod.* 2. (q) Manibus inquinatis, *Pem. Voſſ.* 2. *Ver.* (r) Et cum alius, *Bod.* 1. (s) Ceteris accipientibus, *Pem. Voſſ.* 2.

1 *Ad precandam miſericordiam.*] A Deo patre, & filio Domino Jeſu Chriſto quos ejuraverat.

2 *Sacrificantibus nobis.*] Vid. quæ diximus ad lib. 1. adv. Judæos cap. 16. Ad Euchariſtiæ myſteria participanda, olim admittebantur infantes ſtatim poſt baptiſmum; ex vi verborum Domini Jo. 6. 53. *Niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Differebantur vero poſtea ex monitu Apoſtoli 1 *Cor.* 11. 28. *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.*

3 *Cinerem ferre.*] In more erat ut Euchariſtiæ participes accepta panis portione, non ſolum inter ſacrorum ſolennia comederent; ſed aliquid reſervarent, domumque deferrent, ibique vel ante cibum, vel in periculis, aut rerum agendarum auſpiciis, ſumerent: quemadmodum cum Eulogiis deinceps factum. Mos hic videtur perduraſſe uſque ad Concilium Cæſar-Auguſtanum. Huc ſpectat illud Tertul. l. 2. ad Uxor. *Neſciat maritus quid ſecreto ante omnem cibum guſtes* l. de Orat. *Acceptocorpore Domini & reſervato.* Panem Euchariſticum in Dominicum corpus tranſubſtantiari, fidem videtur ſuperare; ſed majus quiddam ſi fieri poteſt; quodque nemo facile dixerit, Dominicum corpus in cineres fuiſſe converſum.

1 *Fe-*

An. 251. (a) pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus adimplentur, quam multi uſque ad inſaniam mentis excordes, dementiæ furore quatiuntur? Nec neceſſe eſt ire per exitus ſingulorum, cum per orbis multiformes ruinas tam delictorum pœna ſit varia: quam delinquentium multitudo numeroſa. Unuſquiſque conſideret, non quid alius paſſus ſit, ſed quid pati & ipſe mereatur. Nec evaſiſſe ſe credat, ſi eum interim pœna diſtulerit, cum timere plus debeat, (b) quem ſibi Dei judicis cenſura ſervavit.

Libellaticorum cauſa expenditur. Nec ſibi quo minus agant pœnitentiam, blandiantur, qui etſi nefandis ſacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen conſcientiam polluerunt. Et illa profeſſio denegantis; conteſtatio eſt Chriſtiani, quod (c) fuerat abnuentis; 1 feciſſe ſe dixit, quicquid alius faciendo commiſit. Cumque ſcriptum ſit: Non poteſtis duobus Dominis Mat. 6. 24. ſervire; ſervivit ſeculari Domino, qui (d) obtemperavit ejus edicto: magis obaudivit humano imperio, quam Deo. Viderit an minore vel dedecore, vel crimine apud homines publicaverit quod admiſit. Deum tamen judicem (e) ſubterfugere & vitare non poterit, cum dicat Spiritus ſanctus in Pſalmis: Quod eſt imperfectum meum, vide- Pſ. 139:16. runt oculi tui; & in libro tuo 2 omnes ſcribentur. Et iterum: Homo (f) videt in 1 Reg. 16: facie, Deus autem in corde. Ipſe quoque Dominus præmoneat & præſtruat dicens: 7. Et ſcient omnes Eccleſiæ quia ego ſum ſcrutator renis & cordis: Perſpicit ille abdi- Apo. 2. 23. ta; & ſecreta atque occulta conſiderat. Nec Dei oculos poteſt aliquis evadere dicentis: Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si abſconditus fuerit Jer. 23. 23. homo in abſconditis, ergo ego non (g) videbo eum? Nonne cœlum & terram ego impleo? Videt ille corda & pectora ſingulorum, & judicaturus eſt non tantum de factis, ſed & de verbis & de cogitationibus noſtris, omnium mentes voluntateſque conceptas in ipſis adhuc clauſi pectoris latebris intuetur. Denique quanto & fide (h) majores & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii, aut libelli facinore conſtricti? quoniam tamen 3 de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam parvis licet & modicis vulneribus exquirunt: ſcientes ſcriptum eſſe: Deus non deridetur, Derideri & circumveniri Deus non poteſt, nec Gal. 6. 7. aſtutia aliqua fallente deludi. Plus imo delinquit, qui ſecundum hominem Deum cogitans, evadere ſe pœnam criminis credit, ſi non palam crimen admiſit. Chriſtus in præceptis ſuis dicit: Qui (i) confuſus me fuerit, confundetur eum filius homi- Marc. 8. 38. nis. Et Chriſtianum ſe putat, qui Chriſtianus eſſe (k) confunditur, aut veretur? Quo modo poteſt eſſe cum Chriſto, qui ad Chriſtum pertinere aut erubeſcit, aut metuit? Minus plane peccaverit non videndo idola, nec ſub oculis circumſtantis atque inſultantis populi, ſanctitatem fidei profanando, non polluendo manus ſuas funeſtis ſacrificiis, nec ſceleratis cibis ora maculando. Hoc eo proficit ut ſit minor culpa, non ut

(a) Quotidie immundi, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Spir.* (b) Quæ ſibi, *Lin.* ira reſervavit, *Bod.* 1, 2, 3. 4. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (c) Quod cum fuerat, *Lam.* (d) Quia obtemperavit, *Bod.* 1. (e) Judicem fugere, *Ver. Ben. Bod.* 1. 2. *Lam Ebor.* (f) Homo videt in facie, Deus autem in cor, *Ver. Benev.* abdita atque occulta, *Lin.* (g) Non videbo eum? videt ille, *Ben. Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (h) Fide majore & timore meliore, *Lam. Lin. Ebor. Voſſ.* 1. *Bod.* 2. 3. (i) *Sic Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. Spir.* fuerit confeſſus, confitebitur, *Imp.* eum coram patre qui eſt in cœlis, *Bod.* 4. (k) Eſſe aut confunditur, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4.

(1) *Feciſſe ſe dixit.*] Putat eruditiſſimus Rigaltius loco huic lucem acceſſuram *ab Epiſtola clericorum Eccleſiæ Romanæ*, ubi timidus Chriſtianus *profitetur ſe dediſſe præmium concuſſori, ſive militi, ſive præſidi, ne quod non licet faceret; ſcil. ne cogeretur ſacrificare idolis.* Utique hoc ex Epiſtola ad Antonianum, nimirum Ep. 55. ad Pam. num. 52. uberius illuſtrari. At verba hæc aliud quiddam innuere videntur; libellatici nempe vice, alium aliquem id egiſſe aut dixiſſe, quod in auctorem ex merito rediens, illum denegantem ſeu lapſum conſtituat. Species itaque facti quod Cyprianus hic reſpicit hæc potius fuerit. Chriſtianus male ſibi metuens, aut Ethnicum ſubmittit qui ejus perſonam induens ſacrificaret, fidemque ejuraret, & libellum ſive chartam certificatoriam obtineret alterius nomine, qua ſi forte in quæſtionem vocari contigerit, is ſe tueretur, & delatores averteret; quaſi legibus Imperatorum ab ipſo abunde fuerit ſatisfactum: vel ſaltem pretio aut prece iſtiuſmodi teſſerulam obtineret quæ hæc ita geſta fuiſſe profitebatur. Et quidem hoc in caſu libellaticus rectiſſime dicetur feciſſe *quicquid alius faciendo commiſit, & ſe infidelem illicita nefariorum libellorum profeſſione prodidiſſe.* Certe nuper apud nos ſub Cromvelliana tyrannide, cum rebellium arma optimum principem oppreſſiſſent, & victores in eos impotentiſſime graſſarentur quotquot in fide permanſerunt; plurimi fuere qui in adverſa caſtra tranſierunt, & aperte deſciverant, Apoſtatis annumerandi. Multi etiam erant, modeſtius, ut ſibi videbantur, mali, qui teſſerulis (cujuſmodi traditæ fuerant illis qui fidem rebellibus obligaverant) vel pretio emtis, aut ab indutis perſonam eorum acceptis; ſecuritatem paciſcebantur; Jactantes interim, ſe in fide permanere, nec per nefaria fœdera conjuratis conſenſiſſe; licet teſſerulæ id afferentis, opportuno mendacio ſe protexiſſent: quod quidem hominum genus, libellaticis videtur accenſendum. Apud Præſidem ipſum totam hanc ſcenam olim fuiſſe quandoque adornatam, docet nos prædicta Ep. ad Antonian. Et revera niſi ipſo conſcio, vix commode tranſigi potuit. Imo demum, nonnunquam coram ipſo Præſide libellaticos diſertis verbis licet privatim, Chriſtum ejuraſſe conſtat ex Ep. 66. ad Pam. num. 68. ubi Martialis & Baſilides dicuntur *libellis Idololatriæ commaculati, & nefandorum facinorum conſcientia vincti*, & iterum, *nefando idololatriæ libello contaminati.* Unde etiam in *publicis actis continebatur, Martialem conteſtatum fuiſſe, ſe obtemperaſſe idololatriæ, & Chriſtum.* Tantillum diſtabat iſte libellaticorum ordo, ab impudenti & aperta Apoſtaſia.

2 *Omnes ſcribentur.*] Sic. LXX. quaſi ad librum vitæ, & Acta Dei judicis reſpiceretur.

3 *De hoc vel cogitaverunt.*] Eruditiſſimus Lombertus recte hinc colligit, *crimina ſecreta confeſſione & pœnitentia apud Deum expianda:* nec auricularem confeſſionem, quod voluit Pamelius, exinde confici. Dicit porro prædictus vir doctus, *Cyprianum hic loqui tantum de pœnitentia publica*, & in dictorum fidem citat Morinum, qui privatam pœnitentiam ſeculo ſeptimo imputat lib. 7. de adminiſt. Pœnit. Certe Valentiniani & Theodoſii ævo, in Eccleſia Romana pœnitentiam, non à Presbytero privatim, ſed ab Epiſcopo publice ἐν τόπῳ ἐκκλήτῳ irrogatam, aperte docet Sozom. hiſt. Eccl. l. 7. c. 16. Qua de re conſulantur annotata Eruditiſſimi Valeſii.

1 *Lava-*

An. 251. ut innocens conſcientia. Facilius poteſt ad veniam criminis pervenire, non eſt tamen immunis à crimine. Nec ceſſet in agenda pœnitentia atque in Domini miſericordia deprecanda, ne quod minus (a) eſſe in qualitate delicti videtur, in neglecta ſatisfactione cumuletur. Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres dilectiſſimi, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſeculo eſt, dum admitti confeſſio ejus poteſt, dum ſatisfactio & remiſſio facta per ſacerdotes apud Dominum grata eſt. Convertamur ad Dominum mente tota, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei miſericordiam deprecemur. (b) Illi ſe anima proſternat, (c) illi mœſtitia ſatisfaciat: illi ſpes omnis incumbat.

Qualis pœnitentis habitus, & vitæ ratio.

Rogare qualiter debeamus dicit ipſe: revertimini, inquit, ad me ex toto corde Joel. 2. 12. veſtro, ſimulque & jejunio, & fletu, & planctu; & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Ad Dominum toto corde redeamus. Iram & offenſam ejus, jejuniis, fletibus, planctibus, ſicut admonet ipſe, placemus. Lamentari cum putamus ex toto corde, jejuniis, fletibus, planctibus Dominum deprecari; qui ex primo criminis die, (d) 1 lavacra quotidie celebrat, qui epulis affluentibus paſtus, & ſagina largiore diſtentus, cruditates ſuas poſtridiè ructat, nec cibos & potus ſuos cum pauperum neceſſitate communicat? Qui hilaris ac lætus incedit, quomodo mortem ſuam de- Levit. 19. flet? Cumque ſcriptum ſit: Non corrumpetis effigiem barbæ veſtræ; barbam vellit, 27. & faciem ſuam comit? Et placere nunc cuiquam ſtudet, qui Deo diſplicet? An illa ingemiſcit & plangit, cui vacat cultum pretioſæ veſtis induere, nec indumentum Chriſti, quod perdidit, cogitare? accipere pretioſa ornamenta, & monilia laborata, nec divini & cœleſtis ornatus damna deflere? Tu licet indumenta peregrina & veſtes ſericas induas, nuda es. Auro te licet & margaritis gemmiſque condecores, ſine Chriſti decore deformis es. Et quæ capillos tuos inficis, vel nunc in doloribus deſine. Et quæ (e) nigri pulveris ductu oculorum lineamenta depingis, vel nunc lacrymis oculos tuos ablue. (f) Si quem de tuis caris mortalitatis exitu perdidiſſes, ingemiſceres dolenter & fleres; facie inculta, veſte mutata, neglecto capillo, vultu nubilo, ore dejecto, indicia mœroris oſtenderes. (g) Animam tuam miſera perdidiſti, ſpiritaliter mortua ſupervivere hic tibi, & ipſa ambulans funus tuum portare cœpiſti; & non acriter plangis, non jugiter ingemiſcis? Non te vel pudore criminis, vel continuatione lamentationis abſcondis? Ecce pejora adhuc peccandi vulnera, ecce majora delicta; peccaſſe, nec ſatisfacere, deliquiſſe, nec delicta deflere. Ananias, Azarias, Miſahel illuſtres ac nobiles pueri; quo minus 2 exomologeſin Deo facerent nec inter flammas & camini exæſtuantis incendia quieverunt. Bene ſibi licet conſcii, & Dominum fidei ac timoris obſequio ſæpe promeriti, humilitatem tamen tenere, & 3 Domino ſatisfacere, nec inter ipſa glorioſa virtutum ſuarum martyria deſtiterunt. Loquitur ſcriptura divina: Stans, inquit, Azarias precatus eſt, & aperuit os ſuum, & exomologeſin Dan. 3. 24. faciebat Deo ſimul cum ſodalibus ſuis in medio ignis. Daniel quoque poſt fidei atque innocentiæ ſuæ multiplicem gratiam, poſt dignationem Domini circa virtutes ac laudes ſuas ſæpe repetitam, jejuniis adhuc promereri Deum nititur, in ſacco & in cinere voluta-

(a) Minus eſſe delicti, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ben.* (b) Illi ſe proſternat, *Ben.* (c) Illius majeſtati ſatisfaciat, *Voſſ.* 1. (d) Lavacra quotidie cum feminis celebrat, *NC.* 2. (e) Nigro pulveris ductu, *Ver.* pulveris inductu, *Pem.* (f) Si quem de tuis carum, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ar. Ben. Lam. Ebor. Ver.* (g) Animam tuam miſeram, *Voſſ.* 1. 2. *Pem. Lin.*

1 *Lavacra quotidie celebrat.*] Delicatam hanc & ſibi blandientem pœnitentiam, vivis depingit coloribus Tertul. ſub fin. lib. de Pœnit.

2 *Exomologeſin Deo facerent.*] Reſpicit LXX. Interpretum adjectitiam hiſtoriam, ubi tres Pueri in fornacis medio, propria peccata, & totius populi delicta late confitentur. Inde etiam ratio petenda dictorum in libro ſuperiore, nimirum quod pueri prædicti *erant ſpiritu roris animati*: illic enim dicitur quod Angelus Domini caminum reddidit ὡς πνεῦμα δρόσου διασυρίζον. Iſtis exigenda ſunt quæ ſuperius hac in re dicta p. 81.

3 *Domino ſatisfacere.*] Videntur illæ ſatisfactiones conſiſtere in iſtiuſmodi vitæ tenore & inſtituto, quæ de pœnitentia ſerio acta fidem faciant, eamque promoveant atque procurent *per omnem proſternendi & humilificandi hominis diſciplinam, converſationem injungentem miſericordiæ illicem*; ut ait Tertul. de Pœnit. minime vero audiunt piamenta quæ criminis noxam quaſi pretio ſoluto diſpungant. Infeliciter quidem ceſſit, quod dum priſci ſcriptores exomologeſin & ſolennes pœnitentiæ ærumnas ſatisfactionis nomine ornarunt, arrepta ſit anſa Socinianis aliiſque hæreticis docendi ipſum Dominum noſtrum non aliter ſatisfeciſſe: Et ex adverſo, cum alii meritorum Chriſti vindicias meditarentur ita illum ſatisfeciſſe contendant, ut ſacrilegii inſtar ſit, ſi nos pœnales aliquos pœnitentiæ actus adhibeamus. Certe D. Paulus à Corinthiis ſuis 2. Cor. 7. 11. videtur exegiſſe *non ſolicitudinem* modo, *ſed defenſionem*, *ſed indignationem*, *ſed timorem*, *ſed æmulationem*, *ſed vindictam*: & idem Apoſtolus 1 Cor. 5. 2. & 2. 12. 21. Eccleſiæ in delinquentes cenſuras non ſine publico luctu irrogari oſtendit; & prorſus abſurdum videretur ut à noxa alieni in mœrore agerent, cum interim flagitioſi in deliciis volutarent, genioque indulgerent. Status hujus luctuoſi habitum deſcribit Tertullianus in lib. de Pœnit. Ut ſit, *ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit triſti tractatione mutare, cæterum paſtum & potum pura noſſe, non ventris ſcil. ſed animæ cauſa, plerumque vero preces jejuniis alere, ingemiſcere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum, Presbyteris advolvi, caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis injungere. Hæc omnia exomologeſis.* Ergo ſi ex iſtis aliquid deſideraretur, non erit plena ſatisfactio. Interea tamen non evanida quævis & perfunctoria delibatio horum operum ſufficiet, alibi Auctor noſter requirit *longam & plenam pœnitentiam, ut trahatur diu pœnitentia*, ut *agant pœnitentiam lapſi juſto tempore*; ut *non ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis, pax concederetur*: eique opponit veniam *crudo tempore* factam. Quodnam vero temporis ſpatium pro maturo & legitimo haberi debeat, non adeo in promptu fuerit ſtatuere. Satis conſtat, paulo ante, & poſt concilium Nicænum, & halcyonium Conſtantini ſeculum, cum in Eccleſiam mundus confluxeret, & pacem licentia ſequeretur; acrioribus exemplis fuiſſe opus, adeo ut flagitiis quibusdam, 8. 12. 15. annorum, imo vitæ totius, quocunque extenderetur, ſpatium ſit præfinitum. Sed veriſimile videtur Apoſtolorum ævo & deinceps uſque ad Montanum, extra caſus idololatriæ, mœchiæ, & homicidii, qui forte excipiendi, lenius fuiſſe actum. Certe pœnitentia inceſto Corinthio impoſita, qui matrimonii jura crimini ſuo præ-

lutatur, exomologesin faciens dolenter, & dicens: Domine Deus magnus (a) & fortis, & metuendus, qui servas testamentum tuum & miserationes eis qui te diligunt, & conservant imperia tua, peccavimus, facinus admisimus, impii fuimus, transgressi sumus, ac deseruimus præcepta tua & judicia tua, non audivimus verba puerorum tuorum Prophetarum, quæ locuti sunt in nomine tuo, super reges nostros, & omnes gentes, & super omnem terram. Tibi Domine gloria, tibi justitia, nobis autem confusio. Hæc mites, hæc simplices, hæc innocentes in promerenda Dei majestate fecerunt; & nunc satisfacere, & Dominum rogare detrectant, qui Dominum negaverunt? Quæso vos fratres acquiescite salubribus remediis, consiliis obedite melioribus; cum lacrymis nostris vestras lacrymas jungite, cum nostro gemitu vestros gemitus copulate. Rogamus vos, ut [1] pro vobis Deum rogare possimus; preces ipsas ad vos prius vertimus, quibus Deum pro vobis ut misereatur, oramus. Agite pœnitentiam plenam: dolentis ac lamentantis animi probate mœstitiam. Nec vos quorundam moveat aut error improvidus, aut stupor vanus, qui cum teneantur (b) in tam grandi crimine; percussi sunt animi cæcitate, ut nec intelligant delicta, nec plangant. Indignantis Dei major hæc plaga est, sicut scriptum est: Et dedit illis Deus [2] spiritum transpunctionis. Et iterum: [3] Dilectum veritatis non receperunt, ut salvi fierent; ac propterea mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed sibi placent in injustitia. Injuste sibi placentes, & transpunctæ mentis alienatione dementes; Domini præcepta contemnunt, (c) medelam vulneris negligunt, agere pœnitentiam nolunt. Ante admissum facinus improvidi, post facinus obstinati; nec prius stabiles, nec postmodum supplices: quando debuerant stare jacuerunt: quando jacere & prosternere se Deo debent, stare se opinantur. Pacem sibi ultro nemine dante sumserunt; falsa pollicitatione seducti, & apostatis ac perfidis juncti, errorem pro veritate suscipiunt. Communicationem non communicantium ratam ducunt; hominibus contra Deum credunt, qui contra homines Deo non crediderunt. Ejusmodi homines quantum potestis (d) fugite, pernicioſis contactibus adhærentes salubri cautione vitate. Sermo eorum sicut cancer serpit, colloquium velut contagium transilit, noxia & venenata persuasio persecutione ipsa pejus interficit. (e) Illic sola supereſt

Dan. 9. 4.

Isa. 29. 10. 2 Thes. 2. 10.

2 Tim. 2. 17.

(a) Et fortis, & potens, *Lin.* (b) In tam gravi crimine, *Ver. Ben. Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voss.* 3. (c) Medelam vulneris negligentes, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (d) *Sic Pem. NC.* 2. Effugite, *Imp.* (e) Illic supereſt pœnitentia, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foss.*

prætexebat, non ultra intervallum scriptionis primæ & secundæ Epistolæ perduravit. Hoc autem videtur contineri temporis spatio quod impendebatur itineri Timothei ex Macedonia ad Corinthum, & ejusdem exinde reditum. Porro notari poterit, ipsum Cyprianum qui *longam & plenam satisfactionem, justum tempus, & diu tractam pœnitentiam* adeo districte exigit, & forte primus omnium veniam ullam idololatris concessit; ex Concilii ibidem habiti decreto, ubi lapsis pœnitentiam illam injunxerat; pacem illis protenus dandam, hoc est, post semestre fere spatium, monet & contendit. Imo si omne tempus post admissum crimen, nimirum à Decii imperii initiis adjiciatur, certe triennii spatio continebitur. Vid. Ep. 57. ad Pamelii numeros 54. Pœnitentia quidem alter baptismus est, & quemadmodum Catechumenatus Competentiæque mora, ex eorum perfidia ortum duxerat, qui statim in Ecclesiam admissi, eadem facilitate eandem deseruere; ita Fletus, Audientiæ, & Consistentiæ intervalla, tanquam sufflamina quædam ad pœnitentiæ post-liminium, & secundam post naufragium tabulam, intercesserant; ut eorum nequitiæ occurreretur, qui de remedio securi, in exitium denuo præcipites ferebantur. Interim monendum est; pacem in antecessum datam intuitu pœnitentiæ secuturæ, rem esse ab institutis veteris Ecclesiæ prorsus abhorrentem, & non nisi post Caroli Magni tempora in usu receptam. Capit. 119. dicitur, *Mediator Dei & hominum Jesus Christus, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus pœnitentiæ actionem darent, & ab eadem salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum, per januam reconciliationis admitterent.* Morem Ecclesiæ Occidentalis usque ad sua tempora luculenter describit Sozomenus Hist. Eccl. l. 7. c. 16. & demum de lapso concludit περιμένει τὸν χρόνον, εἰς ὅσον αὐτῷ τέταχεν ὁ ἐπίσκοπος. τῇ δὲ προθεσμίᾳ, ὥσπέρ τι ὄφλημα διαλύσας τὴν τιμωρίαν τῆς ἁμαρτίας ἀνίεται, καὶ μετὰ τοῦ λαοῦ ἐκκλησιάζει. Et recte observat consultissimus Sirmondus in histor. pœnitentiæ publicæ. c. 10. *Cum solam ægritudinem canones excipiant, frustra exciperent si extra hanc integrum fuisset. Status ergo fixusque usu mos fuit, ut usque ad expletam pœnitentiam absolutio differatur.* Sed alia nunc invaluit Theologia, & pax in antecessum data; non modo legitima, sed necessaria perhibetur: siquidem *nullo modo satisfacere quis poterit nisi prius absolutus, quia sine Christi gratia satisfacere non possumus.* Catech. Rom. de Sac. pœnit. ad qu. 58.

1 *Pro vobis Deum rogare possimus.*] Quantumvis nunc temporis formula judiciaria & potestativa, *Ego te absolvo*, quasi tradita à Christo per Apostolos feratur; ex adverso comperissimum habetur, per decem priora secula in usu minime receptam: imo nec adhuc in Ecclesia Orientali invaluisse. Qua de re videantur quæ diligenter congessit eruditissimus Morinus in opere de Administ. sacr. pœnit. l. 8. c. 8. 9. 10. 11. 12. 13. Notari autem poterit, in omni delicto duo spectanda occurrere, primo offensam adversus Deum, de qua David Ps. 51. *In te, in te solum peccavi*, in cujus remedium precibus & resipiscentia unice proficitur; juxta illud D. Petri Act. 8. 22. ad Simonem Magum, *pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum:* secundo intervenire offensam adversus fratres, de qua D. Paulus 1 Cor. 8. 12. *Peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum*, &c. Cui amoliendæ venia ab Ecclesia ceu parte læsa, & illius nomine ab Episcopo qui eidem præest, omnino expetenda est, juxta illud Apostoli 2 Cor. 2. 10. *Cui autem aliquid donastis, & ego: nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Et quidem quantum ad forum exterius, sive offensam adversus fratres, locum fortassis habere poterit illa auctoritativa quæ in occidentali Ecclesia invaluit formula, qua & usus fuisse videtur Zepherinus Tertulliani seculo. *Ego mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.* l. de Pud. c. 1. Nec non illa Confessorum Ep. 40. ad Pam. num. 26. *Scias nos universis, de quibus apud te ratio constiterit, quid post commissum egerint, dedisse pacem.* & Ep. 21. *universis pacem dimissimus.* Revera de Martyrum suffragiis apud Deum, magnifica sentiebat Ecclesia; quamquam minime prætereundum, pacem hanc à confessoribus lapsis concessam, ita demum ratam fuisse, *si Episcopo ratio constiterit, quid post commissum egerint.* Nimirum remittebant illi per modum impetrationis, non per modum satisfactionis; nedum absolutionis in foro aut interiori aut exteriori. Quia autem Ecclesiæ pax, illam cum Deo redintegratam semper præsumebat, penes erat Episcopum hæc tota cognitio. Unde Ep. 17. sive 10. negat Cyprianus, *quemquam posse ad communicationem venire nisi prius illi ab Episcopo & clero manus fuerit imposita.* Porro hoc decernitur lege lata Can. 3. secundæ Synod. Carthag. & can. 27. & 31. Synod. 3. ibid.

2 *Spiritum transpunctionis.*] Hic κατάνυξιν reddit vulgatus interpres *soporem:* sed Rom. 11. 8. habet *compunctionem.* κατάνυξιν dicit Theophylactus ex mente Chrysostomi τὴν πρὸς κακὰ ἐπίμονον καὶ ἀμεταθετον ἕξιν τῆς ψυχῆς. κατανύσσεσθαι γάρ ἐστι τὸ ἐμπήγνυσθαι πω, καὶ προσηλοῦσθαι. Hesychius vero ἀσυχίαν reddit.

3 *Dilectum veritatis.*] Dilectionem nimirum; ἀγάπην τῆς ἀληθείας. Vulgatus habet, *caritatem veritatis.*

An. 251. ſupereſt pœnitentia, quæ ſatisfaciat. Qui autem pœnitentiam criminis tollunt, ſatisfactionis viam claudunt: ita fit ut dum temeritate quorundam vel promittitur ſalus falſa, vel creditur, ſpes veræ ſalutis adimatur. Vos vero, fratres dilectiſſimi, quorum timor in Deum pronus eſt, & in ruina licet animus conſtitutus, mali ſui memor eſt; pœnitentes ac dolentes peccata veſtra perſpicite, graviſſimum conſcientiæ crimen agnoſcite, ad intelligentiam delicti veſtri oculos cordis aperite, nec deſperantes miſericordiam Domini, nec tamen jam veniam vindicantes. Deus quantum patris (a) pietate indulgens (b) ſemper & bonus eſt, tantum judicis majeſtate metuendus eſt.

Criminis magnitudinem pœnitentia æmulatur.

Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non deſit; pœnitentia crimine minor non ſit. Putas-ne tu (c) Dominum cito poſſe placari, quem verbis perfidis abnuiſti, cui patrimonium præponere maluiſti, cujus templum ſacrilega contagione violaſti? Putas facile eum (d) miſereri tui, quem tuum non eſſe dixiſti? Orare oportet impenſius & rogare, diem luctu tranſigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrimoſis lamentationibus occupare: (e) ſtratos ſolo adhærere (f) cineri, in cilicio & ſordibus volutari: poſt indumentum Chriſti perditum; nullum hic (g) jam velle veſtitum: poſt diaboli cibum malle jejunium: juſtis operibus incumbere, quibus peccata purgantur: eleemoſynis frequenter inſiſtere, quibus à morte animæ liberentur. Quod adverſarius auferebat, Chriſtus accipiat, nec teneri jam nec amari patrimonium debet, quo quis & deceptus & victus eſt. Pro hoſte vitanda (h) res, pro latrone fugienda; pro gladio metuenda poſſidentibus & (i) veneno. Ad hoc tantum profuerit quod remanſit, ut inde crimen & culpa redimatur. Incunctanter & largiter fiat operatio: cenſus omnis in medelam vulneris erogetur: (k) opibus & facultatibus noſtris qui de nobis judicaturus eſt Dominus feneretur. Sic ſub Apoſtolis fides viguit, ſic primus credentium populus Chriſti mandata ſervavit, promti erant, (l) largi erant, diſtribuendum per Apoſtolos totum dabant, & non talia delicta redimebant. Si precem toto corde quis faciat, ſi veris pœnitentiæ (m) lamentationibus & lacrimis ingemiſcat, ſi ad veniam delicti ſui Dominum juſtis & continuis operibus inflectat; miſereri talium poteſt, qui & miſericordiam ſuam protulit dicens: 1 (n) Cum converſus ingemueris, tunc ſalvaberis, & ſcies ubi fueris. Et iterum: Nolo (o) mortem morientis, dicit Dominus quantum ut revertatur & vivat. Et Johel Propheta pietatem Domini, Domino ipſo monente (p) declarat: Revertimini, inquit, ad Dominum Deum veſtrum; quoniam miſericors & pius eſt, & patiens, & multæ miſerationis, & qui ſententiam flectat adverſus 2 malitias irrogatas. Poteſt ille indulgentiam dare, ſententiam ſuam poteſt ille (q) deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti poteſt clementer ignoſcere, poteſt in acceptum referre, quidquid pro talibus & petierint martyres, & fecerint ſacerdotes: (r) vel ſi quis plus eum ſuis ſatisfactionibus moverit, ſi ejus iram, ſi indignantis offenſam juſta deprecatione placaverit; dat ille & arma rurſum, quibus (s) victus armetur, reparat & corroborat vires, quibus fides inſtaurata vegetetur. Repetet certamen ſuum miles, iterabit aciem, provocabit hoſtem, & quidem (t) factus ad prælium fortior per dolorem. Qui ſic Deo ſatisfecerit, qui (u) pœnitentia facti ſui, qui pudore delicti, plus & virtutis & fidei de ipſo lapſus ſui dolore conceperit; exauditus & adjutus à Domino, quam contriſtaverat nuper, lætam faciet Eccleſiam: nec jam ſolam Dei veniam merebitur, ſed coronam.

Is. 30. 15. Ez. 33. 11. 18. 32. Joel. 2. 13.

(a) Pietate clemens, *Pem. Voſſ.* 2. (b) Semper, ſemper & bonus, *Pem.* (c) *Sic Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod* 1, 2, 3, 4. Dominum poſſe placari, *Impr.* (d) Poſſe miſereri tui, *Pem.* (e) Strato ſolo, *Aſſl. Thu. Voſſ.* (f) In cinere & cilicio, *Ben.* (g) Nullum jam, *Thu. Voſſ.* (h) Res eſt, pro, *NC. Lam. Ebor.* (i) *Sic Ar. Ben. Man. Mar. Lam. Pem. Lin. Voſſ.* 1. *NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4 vendenda, *Imp. Nup.* (k) Operibus & facultatibus, *Lin. Pem. NC.* 2. *Bod.* 3. facultatibus noſtris qui de bonis, *Thu. Voſſ.* (l) Largi erant ad diſtribuendum, *Pem.* (m) Lamentis & lacrimis, *Lam. Ebor.* (n) Converſus fueris, *NC.* 2. (o) Mortem peccatoris, *Lin.* (p) Declarat dicens, *Bod.* 2. *Lam. Ebor.* (q) Deflectere, delicta remittere, *Bod.* 1. (r) Vel ſi quis eum, *Voſſ.* 2. (s) Virtus armetur, *Bod.* 1. (t) Jam factus ad prælium, *Lin. Voſſ.* 1. (u) Pœnitentiam facti ſui, qui pudorem delicti, *Bod.* 1. 3. 4. *Thu.*

1 *Cum converſus ingemueris*] LXX. Interpretes in hac lectione præivere, quam haud facile ex textu Hebræo elicueris. Hieronymus tamen agn. ſcit, non modo in Epiſtola ad Sabinianum, ſed in Commentario; & dicit quod *juxta Anagogen omnes ad pœnitentiam peccatores, & præcipue hæreticos cohortatur ſermo divinus, quod cum reverſi à vitiis ingemuerint, & egerint pœnitentiam ſalvi fiant, & tunc intelligant ubi prius fuerint, & quod fruſtra in vanis ſperaverant.*

2 *Malitias irrogatas.*] Intellige mala pœnæ. LXX. habent, μετανοῶν ἐπὶ ταῖς κακίαις. Tert. l. 2. adv. Marc. c. 24. ait. *Et pœnituit Dominum de malitia quam dixerat facturum ſe illis, nec fecit.*

D. CÆCILII CYPRIANI

DE

ORATIONE DOMINICA.

An. 252.

Præceptorum Evangelicorum elogium.

EVangelica præcepta, fratres dilectiſſimi, nihil ſunt aliud quam magiſteria divina, fundamenta (a) ædificandæ ſpei, firmamenta corroborandæ fidei, nutrimenta fovendi cordis, gubernacula dirigendi itineris, præſidia obtinendæ ſalutis: quæ dum dociles credentium mentes in terris inſtruunt, ad cœleſtia regna perducunt. Multa & per Prophetas ſervos ſuos dici Deus voluit & audiri: ſed quanto (b) majora ſunt quæ filius loquitur, quæ Dei (c) ſermo qui in Prophetis fuit propria voce teſtatur: non jam mandans ut parctur venienti via, ſed ipſe veniens, & viam nobis aperiens & oſtendens; ut, qui in tenebris mortis errantes improvidi & cæci prius fuimus, luce gratiæ (d) luminati, iter vitæ duce & rectore Domino teneremus. Qui inter cetera ſalutaria ſua monita & præcepta divina, quibus populo ſuo conſuluit ad ſalutem, etiam orandi ipſe formam dedit; ipſe quid precaremur, monuit & inſtruxit.

Vix alibi indulgentior nobis Dominus quam cum orare docuit.

Qui fecit vivere, docuit & orare; benignitate (e) ea, ſcilicet, qua & cetera dare & conferre dignatus eſt: ut dum prece (f) & oratione, quam filius docuit, apud patrem loquimur, facilius audiamur. Jam prædixerat horam venire: quando veri adoratores adorarent patrem in ſpiritu & veritate, & (g) implevit quod ante promiſit; ut qui ſpiritum & veritatem de ejus (h) ſatisfactione percepimus, de traditione quoque ejus vere & ſpiritaliter adoremus. Quæ enim poteſt eſſe (i) magis ſpiritalis oratio, quam (k) quæ à Chriſto nobis data eſt, à quo nobis & Spiritus Sanctus miſſus eſt? Quæ vera (l) magis apud patrem precatio, quam quæ à filio qui eſt veritas, de ejus ore prolata eſt? ut aliter orare quam docuit, non ignorantia ſola ſit, ſed & culpa; quando ipſe poſuerit & dixerit: Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem veſtram ſtatuatis. Oremus itaque, fratres dilectiſſimi, ſicut magiſter (m) Deus docuit. Amica & familiaris oratio eſt Deum de ſuo (n) rogare; ad aures ejus aſcendere Chriſti oratione. Agnoſcat pater filii ſui verba. Cum precem facimus, qui habitat intus in pectore, ipſe ſit & in voce. Et cum ipſum habeamus apud Patrem advocatum pro peccatis noſtris; quando peccatores pro delictis noſtris petimus, advocati noſtri verba promamus. Nam cum dicat; quia quodcunque petierimus à Patre in nomine ejus, dabit nobis: quanto efficacius impetramus (o) quod petimus in Chriſti nomine, ſi petamus ipſius oratione?

Jo. 4. 24.

Marc. 7. 8.

Jo. 14. 6.

Jo. 2. 2.

Jo. 16. 23.

Sit orantibus ſermo & oratio cum diſciplina.

Sit autem orantibus ſermo & precatio cum diſciplina, quietem continens & pudorem. Cogitemus nos ſub conſpectu Dei ſtare: placendum eſt divinis oculis & habitu corporis, & modo (p) vocis: Nam ut impudentis eſt clamoribus ſtrepere, ita contra congruit verecundo modeſtis precibus orare. Denique magiſterio ſuo Dominus ſecreto orare nos præcepit, in abditis & (q) ſemotis locis, in cubiculis ipſis, quod (r) magis con-

Mat. 6. 6.

(a) Fundamenta corroborandæ fidei, nutrimenta ædificandæ ſpei, firmamentum fovendi cordis, *Voſſ.* 3. (b) Meliora, *Voſs.* 2. *Pem.* (c) Quæ filius Dei, *Bod.* 2. *Ben. Vict.* (d) Gratiæ illuminati, iter, *Thu. Foſſ. Vict.* Iter, viæ duce, *Lin. NC.* 2. *Bod.* 1. 2. 4. (e) Benignitate ſua, *Bod.* 1. (f) Precem & orationem, *Voſſ.* 3. (g) Veritate adimplevit, *Bod.* 1. (h) Sanctificatione, *Voſſ.* 3. *MR.* (i) Quæ enim poteſt eſſe ſpiritalis, *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1. 2. *Pem. Voſſ* 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. ſpiritalior, *Vict.* (k) *Sic Voſſ.* 3. *Lam. Ebor. Lin. Sariſ. NC.* 1. 2. quæ vere à Chriſto, *Impr.* (l) Quæ vera apud patrem oratio aut deprecatio, *Bod.* 3. quæ verior, *Vict.* (m) Sicut magiſter dominus, *Ar.* magiſter docuit, *Bod.* 2. 3. (n) De ſuo ore rogare, *Bod.* 1. (o) Impetrabimus, *Lin.* (p) Modulo vocis, *Vict. Voſs.* 3. (q) Secretis locis, *Lin. Thu.* ſecretis vel ſemotis, *Foſſ.* (r) Maxime congruit, *Ar. Lam. Ebor.*

1 *De Oratione.*] Pontius in recenſione operum S. Cypriani, poſt tractatus de Lapſis, & Unitate, hunc memorat, qui *docet Euangelicæ precis legem.* Et hoc fere ordine Editores omnes; certe Spir. Vet. innom. Remb. Eraſ. ut alios præteream, repoſuerunt; ita ut librum de Lapſis immediate ſequeretur. Et revera ſi quis perpetua ad unitatem tuendam monita, quæ utramque paginam hic implent conſideraverit, non alio à præcedentibus aut inſtituto, aut tempore conſcripta judicabit. Sed cum priora ſcripta ſub finem Anni 251. Romam miſſa fuiſſe cognoſcantur, hoc ad ſequentem, nimirum 252. videtur rejiciendum. Ex Martyris noſtri lucubrationibus, vix aliud D. Auguſtino commendatius occurrit. In lib. de Gratia & libero arbitrio ait. *Commoneo & exhortor, ut beati Cypriani librum quem ſcripſit de Oratione Dominica diligenter legatis, & quantum vos Dominus adjuverit intelligatis, memoriæque mandetis.* Pariter laudat. Ep. 47. & 107. nec non l. 4. c. 9. ad Boniſ. cont. 2. Epiſt. Pelag. & l. 2. de bono perſev. Et de corrept. & grat. c. 5. Porro D. Hilarius hunc Tractatum adeo omnibus numeris abſolutum cenſuit, ut commentariis ſuis in Matt. Can. 5. dixerit, quod *De orationis ſacramento neceſſitate commentandi, Cyprianus vir ſanctæ memoriæ liberavit: quanquam & Tertullianus hinc volumen aptiſſimum ſcripſiſſet*, &c.

Quæ enim poteſt eſſe magis ſpiritalis Oratio.] Novatores fanatici illam ſolum precem ſpiritualem cenſent, quæ extemporaneo fervore effunditur, à Cypriano noſtro longe diverſi. Tertul in lib. de orat. dixit, quod *Oratio à Chriſto conſtituta, ex tribus conſtituta eſt, ex ſermone quo enunciatur, ex ſpiritu quo tantum poteſt, ex ratione qua ſuſcipitur.*

An. 252. convenit fidei; ut ſciamus Deum ubique eſſe præſentem, audire omnes & videre, & majeſtatis ſuæ plenitudine in abdita quoque & occulta penetrare, ſicut ſcriptum eſt: Ego Deus approximans, & non Deus de longinquo. Si abſconditus fuerit homo in abſconditis, ego ergo non videbo eum? Nonne cœlum & terram ego (a) impleo? Et iterum: In omni loco oculi Dei ſpeculantur bonos & malos. Et quando in unum cum fratribus convenimus, & ſacrificia divina 1 cum Dei ſacerdote celebramus, verecundiæ & diſciplinæ memores eſſe debemus: Non paſſim ventilare preces noſtras 2 inconditis vocibus; nec petitionem commendandam modeſte Deo, tumultuoſa loquacitate jactare. Quia Deus non vocis, ſed cordis auditor eſt. Nec admonendus eſt clamoribus, qui cogitationes (b) hominum videt, probante Domino & dicente; Quid cogitatis nequam in cordibus veſtris? & alio loco: & ſcient omnes Eccleſiæ, quia ego ſum ſcrutator renis & cordis. Quod Anna in primo Regnorum libro, Eccleſiæ typum portans, cuſtodit & ſervat; quæ Dominum non (c) clamoſa petitione, ſed tacite & modeſte intra ipſas pectoris latebras precabatur. Loquebatur prece occulta; ſed manifeſta fide: loquebatur non voce, ſed corde: quia ſic Deum ſciebat audire; & impetravit (d) efficaciter quod petiit, quia fideliter poſtulavit. Declarat (e) hoc ſcriptura divina quæ dicit: Loquebatur in corde ſuo, & labia ejus movebantur & vox ejus non audiebatur, & exaudivit eam Deus. Item legimus in Pſalmis: Dicite in (f) cordibus; & in ſtratis veſtris, & tranſpungimini. 3 Per Hieremiam quoque hæc eadem Spiritus ſanctus ſuggerit & docet dicens: 4 In ſenſu autem tibi (g) debet adorari Deus. Adorans autem, fratres dilectiſſimi, nec illud ignoret, quemadmodum in templo cum Phariſæo Publicanus oraverit, non allevatis in cœlum impudenter oculis, nec manibus inſolenter erectis, ſed pectus ſuum pulſans, & peccata intus incluſa conteſtans, divinæ miſericordiæ implorabat auxilium. Et cum ſibi Phariſæus placeret, (h) ſanctificari hic magis meruit qui (i) ſic rogavit; qui ſpem ſalutis non in fiducia innocentiæ ſuæ poſuit, cum innocens nemo ſit, ſed peccata confeſſus humiliter oravit, & exaudivit orantem (k) qui ſemper humilibus ignoſcit. Quæ Dominus in Evangelio ſuo ponit & dicit: Homines duo aſcenderunt in templum (l) orare, unus Phariſæus, (m) & unus Publicanus. Phariſæus (n) cum ſtetiſſet talia apud ſe precabatur (o): Deus gratias tibi ago, quia non ſum ſicut ceteri homines, injuſti, raptores, adulteri, quomodo & publicanus iſte: jejuno bis in ſabbato, decimas (p) do omnium quæcunque poſſideo. Publicanus autem de longinquo ſtabat, & neque oculos (q) volebat ad cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. (r) Dico vobis, deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam magis quam ille Phariſæus. Quia omnis qui (s) ſe extollit humiliabitur: & qui ſe humiliat exaltabitur. Quæ nos, fratres dilectiſſimi, de divina lectione diſcentes, poſtquam cognovimus qualiter ad orationem accedere debeamus; cognoſcamus docente Domino & quid oremus. Sic, inquit, orate: 5 *Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua* (t) *ſicut in cœlo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et* (u) *remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris: Et ne* (w) *nos patiaris induci in tentationem: ſed libera nos à malo, Amen.*

Jerem. 23. 23. Prov. 19. 3. Luc. 5. 22. Apoc. 2. 23. 1 Reg. 13. Pſ. 4. 5. Bar. 6. 5. Luc. 18. 10. Luc. 18. 10. Mat. 6. 4.

Publica eſt nobis & communis oratio.

Ante omnia pacis doctor atque unitatis magiſter, 6 ſingillatim noluit & privatim precem fieri, ut quis cum precatur, pro ſe tantum precetur. Non enim dicimus pater meus qui es in cœlis; nec, panem meum (x) da mihi hodie; nec dimitti ſibi tantum unuſquiſque debitum poſtulat; aut ut in tentationem non inducatur, (y) atque à malo liberetur, pro ſe ſolo rogat. Publica eſt nobis & communis oratio: & quando ora-

(a) Impleo dicit Dominus, *Vict.* (b) Cogitationes videt, *Voſſ.* 3. *Sariſ. Bod.* 1. 2. (c) Clamoſa voce nec petitione, *Ebor.* (d) Efficacius, *Voſſ.* 3. (e) *Sic NC.* 1. *Lam. Vict.* declarat ſcriptura, *Imp.* (f) In cordibus veſtris, & in cubilibus, *Pem. Voſſ.* 2. *Bod.* 3 4. (g) Tibi debemus adorare, *Sariſ.* In ſenſu autem tibi eſſe debet adoratio Domini, *Ver.* in corde autem, *Vict.* (h) *Sic*, *Bod.* 1. 2, 3, 4. *Sariſ. Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Lin.* ſanctificari Publicanus hic. *Impr.* (i) Sic oravit, *Pem. Lin. Voſſ.* 2. (k) Qui humilibus ignoſcit, *Lam. Lin. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voſſ.* 3. (l) *Sic*, *Lam. Ebor. Sariſ. Bod.* 3. 4. adorare *Imp.* (m) Phariſæus & alter, *Ebor. Voſſ.* 3. alius, *Ver. Lam. NC.* 1. *MR.* (n) Phariſæus autem, *Lam. Ebor.* (o) Precabatur dicens, *NC.* 1. *Lam.* (p) Do de omnibus, *Ver. Ebor. NC.* 2. (q) Oculos ſuos levabat, *Sariſ.* (r) Amen Amen, *Bod.* 1. (s) Qui ſe exaltat, *Ar. Lam. Sariſ. Bod.* 2. (t) Voluntas tua in cœlo &, *Bod.* 1. 4. (u) Dimitte, *Pem. Ebor. Sariſ. Lam. Ebor. Ver.* (w) Ne nos inducas, *Ar. Ebor. Pem. Lin. Voſſ.* 2. *Bod.* 3. 4. *Vict.* & ne paſſus fueris induci nos, *Ver.* (x) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. da nobis, *Impr.* (y) Aut à malo, *Voſſ.* 3.

1 *Cum Dei ſacerdote celebramus.*] Ignota erat olim, unius ſolitarii ſacerdotis communio.

2 *Inconditis vocibus.*] *Cum modeſtia*, inquit, *Septimius, & humilitate adorantes, magis commendabimus Deo preces noſtras; ne ipſis quidem manibus ſublimius elatis, ſed temperate & prope elatis: ne vultu quidem in audaciam erecto, nam ille Publicanus qui non tantum prece & vultu humilitatus atque dejectus orabat, juſtificatior Phariſæo procaciſſimo diſceſſit. Sonos etiam vocis ſubjectos eſſe oportet: aut quantis arteriis opus eſt, ſi pro ſono audiamur? Deus autem non vocis, ſed cordis auditor eſt, ſicut conſpector.* Fortaſſe ethnicam battologiam à Domino notatam Mat. 6. 7. & 3. Reg. 18. 26. deſcriptam, reſpicit Cyprianus; cujus ſpecimen dat Æſchyl. in ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις. Ita porro in recta Deorum nomenclatura fiduciam ponebant Gentiles, ut indigitamentis ſe tuerentur, ne memoria lapſi religiones confunderent, & numina quæ placare conabantur offenſa redderent.

3 *Per Hieremiam quoque.* In codicibus Græcis ſextum Baruchi caput, ἐπιστολὴ ἱερεμίου dicitur. Rationem ſupra reddidimus in annotat. ad lib. 1. adv. Judæos, quare in laudandis S. ſcripturis, libros Apocryphos paſſim adhibeat Auctor noſter.

4 *In ſenſu autem tibi debet adorari Deus.*] Mente ſive intellectu, præſtari tibi debet adoratio O Deus. LXX. habent, τῇ διανοίᾳ σοὶ δεῖ προσκυνεῖν δέσποτα.

5 *Pater noſter.*] Lucianus in Philopat. Dominicam Orationem vocat, τὴν εὐχὴν ἀπὸ πατρός. Adeo minime nova videtur recepta apud nos nomenclatura à primis vocibus.

6 *Singillatim.*] Vox à Tertulliano uſurpata. *Dæmonia nullum nomen habent ſingillatim*, l. de Idol.

1 *Orationis*

An. 252. oramus, non pro uno, ſed pro toto populo oramus; quia totus populus unum ſumus. Deus pacis & concordiæ magiſter qui docuit unitatem, ſic orare unum pro omnibus voluit, quo modo in uno omnes ipſe portavit. Hanc orationis legem ſervaverunt tres pueri in camino ignis incluſi; conſonantes in prece, & ſpiritus conſenſione concordes. Quod declarat ſcripturæ divinæ fides, & dum docet quo modo oraverint (a) tales, dat exemplum quod imitari in precibus debeamus, ut tales eſſe poſſimus. Tunc illi tres, inquit, quaſi ex uno ore hymnum canebant, & benedicebant Dominum. Loquebantur quaſi ex uno ore, & nondum illos Chriſtus in carne viſus docuerat orare, & iccirco orantibus fuit impetrabilis & efficax ſermo, quia promerebatur Dominum pacifica, & ſimplex, & ſpiritalis oratio. Sic & Apoſtolos cum (b) diſcipulis poſt aſcenſum Domini invenimus oraſſe. Erant, inquit, perſeverantes omnes unanimes in oratione cum mulieribus & Maria, quæ fuit mater Jeſu, & fratribus ejus. Perſeverabant in oratione unanimes; orationis ſuæ & inſtantiam ſimul & concordiam declarantes. Quia Deus, qui inhabitare facit unanimes in (c) domo, non admittit in divinam & æternam domum, niſi eos apud quos eſt unanimis oratio. Qualia autem ſunt, fratres dilectiſſimi, 1 orationis Dominicæ ſacramenta, quam (d) multa, quam magna, 2 breviter in ſermone collecta; ſed in virtute ſpiritaliter copioſa, ut nihil omnino prætermiſſum ſit quod non in precibus atque orationibus noſtris, cœleſtis doctrinæ comprehendatur? Dan. 3. 51. Act. 1. 14. Pſ. 67. 6.

Auſpicia precum à Deo patre petuntur.

Sic, ait, orate: *Pater noſter qui es in cœlis.* Homo novus, renatus, & Deo ſuo per ejus gratiam reſtitutus: Pater, primo in loco dicit; quia filius eſſe jam cœpit. In ſua, inquit, propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem eum receperunt, dedit illis poteſtatem ut filii Dei fierent, his qui credunt in nomine ejus. Qui ergo credidit in nomine ejus, & factus eſt Dei filius; hinc debet incipere, ut & gratias agat, & profiteatur ſe Dei filium; dum nominat patrem ſibi eſſe in cœlis Deum. Conteſtetur quoque inter prima ſtatim nativitatis ſuæ verba renunciaſſe ſe terreno & carnali patri, & patrem ſolum noſſe ſe & habere cœpiſſe qui ſit in cœlis, ſicut ſcriptum eſt: Qui dicunt patri & matri, non novi te, & filios ſuos non agnoverunt, hi cuſtodierunt præcepta tua, & teſtamentum tuum ſervaverunt. Item Dominus in Evangelio ſuo præcepit, ne vocemus nobis patrem (e) in terra, quod ſit ſcilicet nobis unus pater qui eſt in cœlis. Et diſcipulo qui mentionem defuncti patris fecerat, reſpondit: Sine, mortui mortuos ſuos ſepeliant; dixerat enim patrem ſuum mortuum; cum ſit credentium pater (f) vivus. Nec hoc ſolum, fratres dilectiſſimi, animadvertere & intelligere debemus, quod appellemus patrem qui ſit in cœlis: ſed conjungimus & dicimus, Pater noſter, id eſt, eorum qui credunt (g); eorum qui per eum ſanctificati, & gratiæ ſpiritalis nativitate reparati, filii Dei eſſe cœperunt. 3 Quæ vox Judæos etiam perſtringit & percutit, qui Chriſtum ſibi per prophetas annunciatum, & ad ſe prius miſſum, non tantum infideliter ſpreverunt, ſed & crudeliter necaverunt. Qui jam non poſſunt patrem Deum vocare, cum Dominus eos confundat & redarguat dicens. Vos de diabolo patre nati eſtis, & concupiſcentias patris veſtri facere vultis. Ille enim homicida fuit ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas non eſt in illo. Et per Eſaiam prophetam Deus clamat indignans: (h) Filios generavi & exaltavi, ipſi autem me (i) ſpreverunt. Agnovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus (k) præſepe domini ſui: Iſraël autem me non cognovit & populus meus me non intellexit. (l) Væ gens peccatrix, populus plenus peccatis, (m) ſemen nequam, (n) filii ſceleſti. Dereliquiſtis Dominum, & in indignationem (o) 4 miſiſtis illum ſanctum Iſraël. In quorum (p) exprobrationem, Chriſtiani quando oramus, Pater noſter, dicimus; quia noſter eſſe cœpit, & Judæorum qui eum reliquerunt, eſſe deſiit: nec peccator populus poteſt eſſe filius; ſed quibus (q) 5 remiſſa peccatorum datur, eis filiorum nomen adſcribitur; eis & æternitas repromittitur, Domino ipſo dicente: Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Servus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Quanta autem Domini indulgentia, quanta circa nos dignationis ejus & bonitatis ubertas; qui ſic nos voluerit orationem celebrare in conſpectu Dei, ut Deum patrem vocemus, & ut eſt Chriſtus Mat. 6. 9. Jo. 1. 11. Deut. 33. 9. Mat. 23. 9. Mat. 8 22. Jo. 8. 44. Iſ. 1. 3. Jo. 8. 34.

(a) Tale dat exemplum, *Voſſ.* 3. (b) Cum condiſcipulis *Voſſ.* 3. (c) In domo una, *Pem. Voſ. Bod.* 4. (d) Quam magna, quam grandia, *Ar. Bod.* 2. *MR.* (e) In terris, *Ver.* ſuper terram, *Bod.* 4. (f) Credentium pater unus, *Lam.* (g) Qui credunt in eum, *Bod.* 1. non eorum qui pereunt, ſed. *Voſſ.* 3. (h) Filios genui, *Bod.* 2. 4. *Thu. Foſſ.* (i) Reprobraverunt, *NC.* 2. (k) Præſepium Domini, *Thu. Foſſ.* (l) *Sic Voſſ.* 3. *Bod.* 3. *Tert. Spir. Vet. innom. Man. & in vocibus ſequentibus omnes codices.* væ genti, *Imp. Nup.* (m) Semen peſſimum, *Pem. Bod.* 4. *Voſſ.* 2. (n) Filii ſceleſti, *Bod.* 1. ſine lege, *Bod.* 4. (o) Miſiſtis ſanctum, *Bod.* 4. *Sariſ.* (p) Exprobratione, *Thu. Foſſ.* (q) Remiſſa peccatorum dantur, *Bod.* 1. 4. remiſſio, *Vict.*

1 *Orationis dominicæ Sacramenta.*] Nulla vox apud ſcriptores Eccleſiaſticos laxioris eſt ſignificatus quam *Sacramentum.* Sub hac forma de prece Dominica locutus eſt D. Hilarius in loco ſuperius laudato.

2 *Breviter in ſermone collecta.*] Hanc ob cauſam preces breviores paſſim vocantur *Collectæ.* Tertul. hanc orationem appellat *Breviarium totius Evangelii* l. de Orat. c. 1. Hæc Chryſoſt. ait Dominum docuiſſe μέτρον εὐχῆς. Hom. de Anna. Tertul. vocat l. de fuga. c. 2. *legitimam orationem*, & etiam *ordinariam.*

3 *Quæ vox Judæos etiam perſtringit.*] Pariter Tert. de Orat. c. 2. *Hoc eſt quod Iſraëli exprobratur.*

4 *Miſiſtis illum ſanctum.*] Redundat vox *illum*, niſi forte quando LXX. poſuerunt τὸν ἅγιον, articuli Græci emphaſin interpres latinus ſic exprimendum putaret,

5 *Remiſſa peccatorum datur.*] Vocem hanc à Magiſtro hauſit auctor noſter, adv. Marc. l. 4. c. 18. ait, *diximus de remiſſa peccatorum.*

An. 252. Chriſtus Dei filius, ſic & nos Dei filii (a) nuncupemur? Quod nomen nemo noſtrum in oratione auderet attingere, niſi ipſe nobis ſic permiſiſſet orare. Meminiſſe itaque, fratres dilectiſſimi, & ſcire debemus, quia quando patrem Deum dicimus, quaſi filii Dei agere debemus; ut quo modo nos nobis placemus de Deo patre, ſic ſibi placeat & ille de nobis. Converſemur quaſi Dei templa, ut Deum in nobis conſtet habitare. Nec ſit degener actus noſter à ſpiritu, ut qui cœleſtes & ſpiritales eſſe cœpimus, non niſi ſpiritalia & cœleſtia cogitemus & agamus, quia & ipſe Dominus (b) Deus dixit: 1 Reg. 2. Eos qui clarificant me, clarificabo: & qui me ſpernit, ſpernetur. Beatus quoque 30. (c) Apoſtolus Paulus in Epiſtola ſua poſuit: Non eſtis veſtri, (d) emti enim eſtis pre- 1 Cor. 6. tio magno: (e) 1 clarificate & portate Deum in corpore veſtro. 20.

Petimus ut Dei nomen ſanctificetur.

Poſt hoc dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*, 2 non quod optemus Deo, ut ſanctificetur orationibus noſtris; ſed quod petamus ab eo, ut nomen ejus ſanctificetur in nobis. 3 Ceterum à quo Deus ſanctificetur, qui ipſe ſanctificat? Sed quia ipſe dixit Sancti Levit. 20. eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum, id petimus & rogamus, ut qui in baptiſmo ſanctificati ſumus, in eo quod eſſe cœpimus perſeveremus, & hoc quotidie deprecamur. Opus eſt enim nobis quotidiana ſanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, (f) delicta noſtra ſanctificatione aſſidua repurgemus. Quæ autem ſit ſanctificatio quæ nobis de Dei dignatione confertur, Apoſtolus prædicat dicens: Neque (g) fornicarii, ne- 1 Cor. 6. 9. que idolis ſervientes; neque adulteri, neque molles, neque maſculorum (h) appetitores, neque fures, neque (i) fraudatores, neque ebrioſi, neque maledici, neque raptores regnum Dei (k) conſequentur. (l) Et 4 hæc quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed juſtificati eſtis, (m) ſed ſanctificati eſtis in nomine Domini Jeſu Chriſti & in ſpiritu Dei noſtri. Sanctificatos nos dicit in nomine Domini Jeſu Chriſti & in ſpiritu Dei noſtri. Hæc ſanctificatio ut in nobis permaneat oramus: & quia Dominus & judex noſter (n) ſanato à ſe & juſtificato comminatur jam non delinquere, ne quid ei deterius Jo. 5. 14. fiat, hanc continuis orationibus precem facimus hoc diebus ac noctibus poſtulamus, ut ſanctificatio & vivicatio quæ de Dei gratia ſumitur, ipſius protectione ſervetur.

Porro ut regnum ejus adveniat.

Sequitur in oratione: *Adveniat regnum tuum.* Regnum etiam Dei 5 repræſentari nobis petimus; ſicuti & nomen ejus, ut in nobis ſanctificetur poſtulamus. Nam Deus quando non regnat? aut apud eum quando incipit, quod & ſemper fuit, & eſſe non deſinit? Noſtrum regnum petimus advenire à Deo nobis repromiſſum, Chriſti ſanguine & paſſione quæſitum; ut qui in ſæculo ante ſervivimus, poſtmodum (o) Chriſto dominante regnemus, ſicut ipſe pollicetur & dicit: venite benedicti patris mei, per- Mat. 25. 34. cipite (p) regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Poteſt vero, fratres dilectiſſimi, & ipſe Chriſtus eſſe regnum Dei, quem venire quotidie cupimus, cujus adventus ut cito nobis repræſentetur, optamus. Nam cum (q) reſurrectio ipſe noſtra ſit, quia in ipſo reſurgimus: ſic & regnum Dei poteſt ipſe intelligi, quia in illo regnaturi ſumus. Bene autem regnum Dei petimus, id eſt, regnum cœleſte, quia eſt & terreſtre regnum. Sed qui renunciavit jam ſeculo; major eſt & honoribus ejus, & regno, & ideo qui ſe Deo & (r) Chriſto dedicat, non terrena, ſed cœleſtia regna deſiderat. Continua autem oratione & prece opus eſt, ne excidamus à regno cœleſti, ſicut Judæi, quibus hoc prius promiſſum fuerat, exciderunt, Domino manifeſtante & probante: Multi, inquit, venient ab oriente & occidente, & (s) recumbent cum Mat. 8. 11. Abraham, Iſaac & Jacob in regno cœlorum. (t) Filii autem regni expellentur in tenebras exteriores: illic (u) erit ploratio & ſtridor dentium. Oſtendit quia ante filii regni Judæi erant, quando & filii Dei eſſe perſeverabant: Poſtquam ceſſavit circa illos nomen paternum, ceſſavit & regnum. Et ideo Chriſtiani qui in oratione appellare (w) patrem Deum cœpimus, nos & ut regnum Dei nobis veniat, oramus.

Inſuper ut fiat voluntas Dei ſicut in cœlo, & in terra.

Addimus quoque & dicimus: *Fiat Voluntas* (x) *tua, ſicut in cœlo & in terra*: non ut Deus faciat quod vult, ſed ut nos facere poſſimus, quod Deus vult. 6 Nam Deo quis Mat. 26. 39. (y) obſiſtit, quo minus (z) quod velit faciat? Sed quia nobis à diabolo obſiſtitur, quo minus

(a) *Sic Pem. Voſſ.* 2. *Ebor. Bod.* 3. *Voſ.* 3. *Vict.* filios nuncupemus, *Imp.* (b) Deus noſter dixit, *Ar. NC.* 1. (c) *Sic Pem. Bod.* 4. Apoſtolus in Epiſtola, *Impr.* (d) Emti eſtis magno, *NC.* 1. *Lam. Bod.* 3. (e) Glorificate, *Ar. Bod.* 2. (f) Delicta noſtra ſatisfactione aſſidua, *Ar.* (g) Fornicatores, *Lin.* (h) Concubitores, *Bod.* 1. (i) Fraudulenti, *Ar. Sariſ. Thu. Foſſ.* (k) Poſſidebunt, *Pem. Bod.* 4. *Voſ.* 1. (l) Et hæc quidam, *Ver.* (m) Sanctificatos nos dicit, *Lam. Ebor. Voſſ.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (n) Sanato à ſe & vivificato, *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. *MR.* ſanato & vivicato, *Voſſ.* 3. (o) Chriſto donante, *Vict.* (p) Regnum Dei, *Sariſ.* (q) Reſurrectio ipſe ſit, *Lam. Ebor. Lin. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. (r) Chriſto dicavit, *Lam. Ben. Bod.* 2. 3. dicat, *Bod.* 1. 4. *Sariſ.* (s) Accumbent, *Bod.* 1. (t) Filii autem regni hujus, *Bod.* 4. ejicientur & mittentur, *NC.* 2. (u) Erit fletus, *Bod.* 1. 2. (w) Patrem Deum cœpimus noſſe, *Lam. Pem. Voſſ.* 2. *Ben. Bod.* 2, *Voſſ.* 3. cupimus, *Ar.* (x) Tua in cœlo, *Sariſ. Auguſt.* (y) Reſiſtit, *Voſſ.* 3. (z) Quod velit fiat, *Sariſ.*

1 *Clarificate & portate*] Vid. quæ dicta in l. 3 ad Quirin. c. 11. Tert. paſſim legit. *Glorificate & tollite.*

2 *Non quod optemus Deo.*] Similiter Tert. de orat. c. 3. *Non quod deceat homines bene Deo optare, quaſi ſit & alius de quo ei poſſit optari, aut laboret niſi optemus.*

3 *Ceterum à quo Deus ſanctificetur, qui ipſe ſanctificat?*] Iiſdem fere verbis Tert. ibid. *Ceterum quando non ſanctum & ſanctificatum eſt per ſemetipſum nomen Dei, cum ceteros ſanctificet ex ſemetipſo?*

4 *Hæc quidem fuiſtis.*] Pariter lectum l. 3. ad Quir. c. 65. utrobique manifeſto ſed inveterato errore, cujus participes Iren. l. 4. c. 46. & l. 5. c. 10. Tert. de Pudic. c. 10. & Auguſt. de pœnit. c. 10. In textu Græco habetur, *ταῦτά τινες ἦτε. hæc aliquando quidam fuiſtis.* Sed nihil muto; non enim quid ſcribi oportuit, ſed quid ſcriptum fuerat ſpectamus.

5 *Repræſentari nobis petimus.*] Tert. de Orat. c. 5. ait. *Ad noſtram ſuſpenſionem pertinet, regni Dominici repræſentatio.*

6 *Nam Deo quis obſiſtit?*] Sic Tert. ibid. *Non quod aliquis obſiſtat quo minus Dei voluntas fiat.*

An. 252. minus per omnia noſter animus atque actus Deo obſequatur; oramus & petimus ut fiat in nobis voluntas Dei, quæ ut fiat in nobis, opus eſt Dei voluntate, id eſt, ope ejus & protectione; quia 1 nemo ſuis viribus fortis eſt, ſed Dei indulgentia & miſericordia tutus eſt. Denique (a) & Dominus infirmitatem hominis, quem portabat oſtendens ait: Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me (b) calix iſte. Et exemplum diſcipulis ſuis tribuens, ut non voluntatem ſuam, ſed Dei faciant, addidit, dicens: Veruntamen non quod ego volo, ſed (c) quod tu. Et alio loco dicit: Non deſcendi de cœlo ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me. Quod ſi 2 filius obaudivit ut faceret patris voluntatem: Quanto magis ſervus obaudire debet ut faciat Domini voluntatem. Sicut in Epiſtola ſua (d) Joannes quoque ad faciendam Dei voluntatem hortatur & inſtruit dicens: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum, (e) non eſt caritas patris in illo. Quia omne quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ambitio ſeculi, quæ non eſt à patre, ſed ex (f) concupiſcentia mundi; & mundus tranſibit & concupiſcentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, 3 quo modo & Deus manet in æternum. Qui in æternum manere volumus, Dei qui æternus eſt, voluntatem facere debemus. Matt. 26. 39. Jo. 6 38. 1 Jo. 2. 15.

Voluntas Dei in quibus conſiſtit.

Voluntas autem Dei eſt, quam Chriſtus & fecit & docuit: Humilitas in converſatione, ſtabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis juſtitia, in operibus miſericordia, in moribus diſciplina; injuriam facere non noſſe, & (g) factam poſſe tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quod pater eſt, timere quod Deus eſt; Chriſto nihil omnino præponere, quia nec nobis quidquam ille præpoſuit; caritati ejus inſeparabiliter adhærere, cruci ejus (h) fortiter ac fidenter adſiſtere; quando de ejus nomine & honore certamen eſt, exhibere in ſermone conſtantiam qua confitemur; in quæſtione fiduciam, qua congredimur; in morte patientiam, qua coronamur: hoc eſt cohæredem Chriſti eſſe velle, hoc eſt præceptum Dei facere, hoc eſt voluntatem patris adimplere.

Non animo tantum ſed & corpore præſtanda.

Fieri autem petimus voluntatem (i) Dei ut in cœlo & in terra; quod utrumque ad conſummationem (k) noſtræ incolumitatis pertinet & ſalutis. Nam cum corpus è terra, & ſpiritum poſſideamus è cœlo, ipſi terra & cœlum ſumus; & in utroque, id eſt, & corpore & ſpiritu, ut Dei voluntas fiat oramus. Eſt enim inter carnem & ſpiritum colluctatio, & (l) diſcordantibus adverſus ſe invicem quotidiana congreſſio; ut non quæ volumus ipſa faciamus; (m) dum ſpiritus cœleſtia & divina (n) quærit, caro terrena & ſecularia concupiſcit: & ideo petimus impenſe inter duo iſta, (o) ope & auxilio Dei concordiam fieri: ut dum & in ſpiritu & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata eſt anima ſervetur. Quod (p) aperte atque manifeſte Apoſtolus Paulus ſua voce declarat: Caro, inquit, concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem: hæc enim invicem adverſantur ſibi, ut non quæ vultis ipſa faciatis. Manifeſta autem ſunt (q) opera carnis, quæ ſunt adulteria, fornicationes, immunditiæ, ſpurcitiæ, idololatriæ, 4 veneficia, homicidia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animoſitates, provocationes, ſimultates, diſſentiones, hæreſes, invidiæ, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. (r) Fructus autem ſpiritus eſt caritas, gaudium, pax, magnanimitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia, caſtitas. Et iccirco quotidianis imo continuis orationibus hoc precamur, & in cœlo & in terra voluntatem circa nos Dei fieri: quia hæc eſt voluntas Dei, ut terrena cœleſtibus cedant, ſpiritalia & divina prævaleant. Gal. 5. 17.

Hoc Deus peculiari modo vult, ut peccatores convertantur.

Poteſt & ſic intelligi, fratres dilectiſſimi, ut quoniam mandat & monet Dominus etiam inimicos diligere, & pro iis quoque qui nos perſequuntur orare; (s) petamus & pro illis qui adhuc (t) terra ſunt, & necdum cœleſtes eſſe (u) cœperunt, ut & circa illos voluntas Dei fiat, (w) quam Chriſtus hominem conſervando & redintegrando perfecit. Nam cum diſcipuli ab eo non jam terra appellentur, ſed ſal terræ: & Apoſtolus primum hominem vocet de terræ limo, ſecundum vero de cœlo: merito & nos qui eſſe debemus (x) patri Deo ſimiles (qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos) ſic Chriſto monente oramus & petimus, ut precem pro omnibus. Mat. 5. 44. Mat. 5. 13. 1 Cor. 15. 47. Mat. 5. 45.

(a) *Sic. Ar. Lam. Voſſ.* 3. *Vict.* Deus, *Imp.* (b) Calix iſte. Exemplum, *Bod.* 2. exemplum diſcipulis ſuis demonſtrans, *Vict.* (c) Quod tu vis, *Voſſ.* 3. (d) Johannes quoque unumquemque, *Lin.* (e) Non eſt dilectio, *Ebor. Thu. Foſſ. Lin.* (f) Concupiſcentia ſeculi, & mundus, *Thu. Foſſ.* mundus tranſit, *Sariſ.* (g) Factam ſibi, *Voſſ.* 3. (h) Fortiter ac fideliter, *Bod.* 3. 4. fortiter ac libenter inſiſtere, *Ver.* (i) Dei in cœlo & in terra, *Sariſ. Aug.* (k) Noſtræ voluntatis, *Remb. Man.* (l) Diſcordantium, *Bod.* 3. (m) Ut dum ſpiritus, *Sariſ. Voſſ.* 3. (n) Concupiſcat, *Sariſ.* (o) Opem & auxilium, *Bod.* 4. (p) Aperte Apoſtolus Paulus, *Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Aug.* (q) Facta, *Lin. NC.* 2. *Sariſ. Bod.* 1. 3. 4. *Man.* (r) Fructus autem ſpiritus eſt agapes, gaudium, pax, magnanimitas, ſuavitas, benignitas, *Ver. Man.* pax, patientia, longanimitas, ſuavitas, *Voſſ.* 3. (s) Precemur & pro iſtis, *Aug.* (t) Terreni ſunt, *Ar. Bod.* 1. 2. *Thu. Foſſ.* terrena ſapiunt, *Vict.* (u) Potuerunt, *Sariſ.* (w) Quos Chriſtus homines, *Ebor.* (x) Patri ſimiles, *Ar.*

1 *Nemo ſuis viribus fortis.*] Ad repellendos Pelagii furores à nullo ex Patribus liberalius tela ſuppeditantur; unde illum D. Auguſt. perpetuo in partes advocat, Vid. ad Bonif. l. 4. c. 9. ubi integræ paginæ fere deſcribuntur.

2 *Filius obaudivit.*] Nulla fere vox Cypriano uſitatior. Tertul. in Exhort. Caſt. c. 2. ait, *voluntas Dei in obaudientiam venerat. Proinde & tu ſi non obaudieris Deo*, &c. Priſci obſervante Feſto pro *obedivit* poſuere.

Quomodo Deus manet.] Additamentum hoc habetur etiam l. 3. ad Quir. c. 13.

4 *Veneficia, homicidia.*] In iſtis recenſendis ordo non ſemel immutatur.

1 *Quo-*

An. 252. omnium ſalute faciamus; ut quomodo in cœlo, id eſt, in nobis per fidem noſtram voluntas Dei facta eſt, ut eſſemus è cœlo; ita & in terra, hoc eſt, (a) in illis non credentibus fiat voluntas Dei, (b) ut qui adhuc ſunt prima nativitate terreni, incipiant eſſe cœleſtes, ex aqua & (c) ſpiritu nati.

Panis myſticus Euchariſticus hic intelligitur.

Procedente oratione poſtulamus & dicimus. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Quod poteſt & ſpiritaliter, & ſimpliciter intelligi: quia & uterque intellectus utilitate divina proficit ad ſalutem. Nam panis vitæ Chriſtus eſt, & panis hic omnium non eſt, ſed noſter eſt: & [1] quomodo dicimus pater noſter, quia intelligentium & credentium pater eſt; ſic & panem noſtrum vocamus; quia Chriſtus, (d) noſter (qui [2] corpus ejus contingimus) panis eſt. Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & [3] euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum (e) abſtenti & non communicantes à cœleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur; ipſo (f) prædicante & monente: Ego ſum panis vitæ qui de cœlo deſcendi. Si quis ederit de meo pane, vivet in æternum. Panis autem, quem ego dedero, caro mea eſt pro (g) ſeculi vita. Quando ergo dicit in æternum vivere, ſi quis ederit de ejus pane; ut (h) manifeſtum eſt eos vivere, qui corpus ejus attingunt, & euchariſtiam (i) jure communicationis accipiunt: ita contra timendum eſt & orandum, ne dum quis abſtentus ſeparatur à Chriſti corpore, (k) procul remaneat à ſalute; comminante ipſo & dicente: Niſi ederitis carnem filii hominis, & biberitis ſanguinem ejus, non habebitis vitam in vobis. Et ideo panem noſtrum, id eſt, Chriſtum dari nobis quotidie petimus, ut qui in Chriſto manemus & vivimus, à ſanctificatione ejus & corpore non recedamus. Jo. 6. 51. Jo. 6. 53.

Panis etiam terrenus.

Poteſt vero & ſic intelligi, ut qui ſeculo renunciavimus, & divitias ejus & pompas (l) fide gratiæ ſpiritalis abjecimus; cibum nobis tantum petamus & victum; quando inſtruat Dominus & dicat: Qui non renunciat omnibus quæ ſunt ejus, non poteſt meus diſcipulus eſſe. Qui autem Chriſti cœpit eſſe diſcipulus, ſecundum magiſtri ſui vocem renuncians omnibus, diurnum debet cibum petere, nec in longum deſideria (m) petitionis extendere, ipſo iterum (n) Domino præſcribente & dicente: Nolite in craſtinum (o) cogitare, craſtinus enim (p) dies ipſe cogitabit ſibi. (q) Sufficit diei malitia ſua. Merito ergo Chriſti diſcipulus victum ſibi in diem poſtulat, qui de craſtino cogitare prohibetur: (r) quia & contrarium ſibi ſit & repugnans, ut quæramus in ſeculo diu vivere, qui petimus regnum Dei velociter advenire. Sic beatus Apoſtolus monet, (s) formans & corroborans ſpei noſtræ ac fidei firmitatem: Nihil, inquit, intulimus in hunc mundum, verum nec auferre poſſumus, (t) Habentes itaque [4] exhibitionem & tegumentum his contenti ſimus. Qui autem volunt divites fieri incidunt in tentationem & muſcipulam & deſideria multa & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum: Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. (u) Docet non tantum contemnendas; ſed & (w) periculoſas eſſe divitias, illic eſſe (x) radicem malorum Luc. 14. 33. Mat. 6. 34. 1 Tim. 6. 7.

(a) In illis credentibus, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foſſ Vict. Man.* (b) Ita hi, *Sariſ.* (c) Spiritu renati, *Bod.* 4. *Sariſ.* (d) Eorum qui corpus ejus contingunt, *Ar. Pem. NC.* 2. *Lam Ebor. Voſſ.* 2. *Sariſ. Bod.* 1. 2. 4. *Thu.* (e) Abſentes, *Ar. Bod.* 2. 4. *Sariſ. Vict. Auguſt. ſæpius.* (f) Prædicante & dicente, *Bod.* 1. 4. *Sariſ. Vict. Voſſ.* 3. (g) Mundi vita, *Voſſ* 3. (h) Manifeſtum ſit, *Sariſ.* eſt eos edere, *Voſſ.* 3. (i) Jure communionis, *Ar.* (k) Alienus, *Lam. Sariſ. NC.* 1. *Voſs.* 3. *Vict. Ben.* (l) Fidei gratia ſpiritalis, *Foſſ.* (m) Petitionis noſtræ extendere, *Foſſ.* (n) Domino præcipiente, *Bod.* 4. (o) Cogitare quid manducetis, aut quid bibatis, *Pem. Voſs.* 2. *Bod.* 4. (p) Dies cogitabit, *Ar.* (q) Sufficit enim, *Ar. Bod.* 2. (r) An non contrarium hoc videtur & repugnans, *Sariſ.* (s) Informans & corroborans, *Ebor.* (t) Habentes itaque victum, *Bod.* 3. nutrimentum, *Lin.* (u) Docet nos, *Sariſ.* (w) Pernicioſas eſſe, *Lin.* (x) Radicem omnium, *Pem. Voſſ.* 2. *Bod.* 4.

1 *Quomodo dicimus Pater noſter, quia intelligentium & credentium pater eſt, ſic & panem noſtrum vocamus.*] D. Hieron. adv. Pelag. l. 3. ſub finem ait, Dominus *docuit Apoſtolos ſuos ut quotidie in corporis illius ſacrificio, credentes audeant loqui. Pater noſter qui es in Cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Illi nomen Dei, quod per ſe ſanctum eſt, in ſe ſanctificari cupiunt. Illi inferunt adveniat regnum tuum, ſpem regni futuro tempore præſtolantes: ut regnante Chriſto, nequaquam regnet peccatum in mortali eorum corpore: junguntque, fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra: ut imitetur Angelos humana fragilitas, & voluntas Dei compleatur in terra. Panem quotidianum, ſive ſuper omnes ſubſtantias venturum Apoſtoli deprecantur, ut digni ſint aſſumtione corporis Chriſti*, &c. Si in precibus ad Deum minus ſolennibus, quod Cypriano viſum eſt, *aliter orare quam Dominus docuit, non ignorantia ſola ſit, ſed & culpa*, certe inter S. Euchariſtiæ myſteria ab Eccleſia precem Dominicam unquam prætermiſſam minime putandum: præſertim cum panis Euchariſticus illis omnino quotidianus haberetur. Tert. de orat. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, ſpiritaliter intelligamus, Chriſtus enim panis noſter eſt, quia vita Chriſtus & vitæ panis. Ego ſum inquit panis vitæ. Et paulo poſt, panis eſt ſermo Dei vivi qui deſcendit de cœlis. Tum quod & corpus ejus in pane cenſetur.* Hoc eſt, interpretante Eruditiſſimo Rigaltio, *Per panis ſacramentum commendat corpus ſuum.* Quemadmodum Auguſtinus l. 1. Quæſt Evan. 43. dixit. *Per vini ſacramentum commendat ſanguinem ſuum.*

2 *Corpus ejus contingimus.*] Affinitate aliqua conjunctus familiæ aut perſonæ cuicunque, dicitur apud Latinos auctores illos contingere. Sic Cic. in Verrem. Sueton. in Galb. Val. Max. l. 7. c. 8. Chriſtianus Domino frater eſt, imo corporis ejus membrum; ita individuo nexu junctus ipſum non contingit modo, ſed participat. Infra *ait nos jure communicationis Chriſtum contingere.* Quæ verba reſpiciunt D. Pauli effatum. 1 Cor. 10. 16. ubi vinum Euchariſticum dicitur κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ.

3 *Euchariſtiam quotidie.*] Panis Euchariſticus Chriſtianis erat quotidianus uſque ad Hieronymi, Ambroſii & D. Auguſtini tempora, ut videre eſt ex Epiſt. Hieron. ad Lucam Bæticum. & Apol. ad Pammach. Ex Ambr. c. ult. l. 4. & 5. Sacram. & Aug. Epiſt. 118. Porro can. 9. Apoſt. & can. 2. Concil. Antioch. decretum, πάντας τοὺς εἰσίοντας πιστοὺς, καὶ τῶν γραφῶν ἀκούοντας, μὴ παραμενόντας δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ ἁγίᾳ μεταλήψει, ὡς ἀταξίας ἐμποιοῦντας τῇ ἐκκλησίᾳ ἀφορίζεσθαι χρή. Apud Tertullianum cum ſcrupulus oriretur, quomodo ſtationum diebus fideles ſacra myſteria participarent, ita ut non de ſolvendo jejunio periclitarentur, reponitur, *Nonne ſolennior erit ſtatio tua, ſi ad aram Dei ſteteris? Accepto corpore Domini & reſervato, utrumque ſalvum eſt, & participatio ſacrificii, & executio officii.* lib. de Orat. ſub fin. Ubi obiter notetur, Septimium non Eccleſiæ morem, ſed ſuum inventum proponere.

4 *Exhibitionem & tegumentum.*] Quid exhibitio ſignificet, diximus l. 3. ad Quirin. c. 61.

1 *Poſſe*

An. 252. lorum blandientium, cæcitatem mentis humanæ occulta deceptione fallentium. Unde & divitem ſtultum (a) ſeculares copias cogitantem, & ſe exuberantium fructuum largitate jactantem redarguit Deus dicens: Stulte hac nocte expoſtulatur anima tua: quæ ergo paraſti cujus erunt? Lætabatur ſtultus in fructibus ipſa nocte moriturus, & cui vita jam deerat, (b) victus abundantiam cogitabat. Contra autem Dominus perfectum & conſummatum docet fieri, qui omnibus ſuis venditis, atque in uſum pauperum diſtributis, theſaurum ſibi condat in cœlo. Eum dicit 1 poſſe ſe ſequi, & gloriam Dominicæ paſſionis imitari; qui expeditus & ſuccinctus nullis laqueis rei familiaris involvitur, ſed ſolutus ac liber facultates ſuas ad Deum ante præmiſſas, ipſe quoque comitatur. Ad quod ut poſſit unuſquiſque noſtrum parare ſe; ſic diſcat orare, & de orationis lege qualis eſſe debeat noſcere. Neque enim deeſſe quotidianus cibus poteſt juſto, (c) cum ſcriptum ſit: Non occidit Dominus fame (d) animam juſtam. Et iterum: (e) Junior fui & ſenui, & non vidi juſtum derelictum, neque ſemen ejus quærens panem. Item Dominus promittat & dicat: Nolite cogitare dicentes; quid edemus, aut quid bibemus, aut quid veſtiemur? hæc enim nationes quærunt. Scit autem pater veſter, quia horum omnium indigetis. (f) Quærite primo (g) regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia (h) apponentur vobis. Quærentibus regnum & juſtitiam Dei, omnia promittit apponi. Nam cum Dei ſint omnia, habenti Deum nihil deerit: (i) ſi Deo ipſe non deſit. Sic Danieli in leonum lacu juſſu Regis incluſo, prandium divinitus procuratur, & inter feras (k) eſurientes & parcentes, homo Dei paſcitur. Sic alitur Helias in fuga: & in ſolitudine corvis miniſtrantibus, & volucribus cibum ſibi apportantibus in perſecutione nutritur. Atque ô humanæ malitiæ deteſtanda crudelitas: feræ parcunt, aves paſcunt, & homines inſidiantur & ſæviunt.

Luc. 12. 20. Mat. 19. 21. Prov. 10. 3. Pſ. 37. 25. Mat. 6. 31. Dan. 14. 30. 2 Reg. 17. 6.

Porro ut Deus remittat nobis debita noſtra.

Poſt hæc & pro peccatis noſtris deprecamur dicentes: 2 (l) *Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.* Poſt ſubſidium cibi petitur & venia delicti; ut qui à Deo paſcitur, in Deo vivat: nec tantum præſenti & temporali vitæ, ſed & æternæ conſulatur, ad quam veniri poteſt, ſi peccata donentur: quæ debita Dominus appellat, ſicut in Evangelio ſuo dicit: Dimiſi tibi omne debitum, quia me rogaſti. Quam neceſſarie autem, quam providenter, & (m) ſalutariter (n) admonemur, quod peccatores ſumus, qui pro peccatis rogare compellimur, ut dum indulgentia de Deo petitur, conſcientiæ ſuæ animus recordetur. Ne quis ſibi quaſi innocens (o) placeat, cum innocens nemo ſit, & ſe extollendo plus pereat; inſtruitur & docetur peccare ſe quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique & Joannes in epiſtola ſua (p) monet dicens: Si dixerimus quia peccatum non habemus; (q) nos ipſos decipimus, & veritas in nobis non eſt. Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt Dominus, qui nobis peccata dimittat. In epiſtola ſua utrumque complexus eſt, quod & (r) rogare pro peccatis debeamus, & (s) impetremus indulgentiam cum rogamus. Ideo & fidelem dixit Dominum ad dimittenda peccata, 3 fidem pollicitationis ſuæ reſervantem. Quia qui orare nos pro debitis & peccatis docuit, paternam miſericordiam promiſit & veniam ſecuturam.

Mat. 18. 32. 1 Jo. 1. 8.

Conditio veniæ à Deo obtinendæ, ut eam fratribus noſtris concedamus.

Adjunxit plane & addidit legem, certa nos conditione & ſponſione conſtringens, ut ſic nobis dimitti debita poſtulemus, ſecundum quod & ipſi debitoribus noſtris dimittimus: ſcientes impetrari non poſſe, quod pro peccatis petimus; niſi & ipſi (t) circa debitores noſtros paria fecerimus. Iccirco & alio in loco dicit: In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis. Et ſervus qui poſt dimiſſum ſibi à Domino omne debitum, conſervo ſuo noluit ipſe dimittere, in carcerem relegatur. Quia indulgere conſervo ſuo noluit, quod ſibi à Domino indultum fuerat, amiſit. Quæ adhuc fortius Chriſtus in præceptis ſuis majore cenſuræ ſuæ vigore proponit: Cum ſteteritis, inquit, ad orationem, remittite ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & pater veſter qui in cœlis eſt, remittat peccata veſtra vobis; ſi autem vos non remiſeritis, neque pater veſter qui in cœlis eſt 4 remittet vobis peccata veſtra. Excuſatio tibi nulla in die judicii ſuper-

Mat. 7. 2. Mat. 18. 34. Marc. 11. 25.

(a) Seculi res cogitantem, *Vict.* (b) Victus ſui abundantiam, *Lam.* (c) Cum de juſto ſcriptum, *Pem. Voſſ.* 2. (d) Animam juſti, *Bod.* 1. (e) Juvenior, *Sariſ. Bod.* 1. 2. 4. *Pem. Voſſ.* 2. (f) Quærite ergo, *Ebor.* quærite primum, *Foſſ. Vict.* (g) Regnum & juſtitiam Dei, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foſſ.* (h) Adjicientur, *Ebor. Vict.* (i) Sine Deo ipſe non erit, *Sariſ.* (k) Eſurientes & rugientes, *Pem. Voſſ.* 2. *Bod.* 1. 4. (l) Dimitte, *Bod.* 1. 2, 3, 4. *Auguſt. Ver.* (m) Salubriter, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Sariſ. Auguſt. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Man.* (n) Admonemur ut providentes ſimus, qui pro peccatis, *Sariſ.* (o) Placeat, & ſe extollendo, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Sariſ. Auguſt. Voſſ.* 3. (p) Ponit dicens, *Pem. Voſſ.* 2 *Sariſ.* ponens dixit, *Auguſt.* (q) Nos ipſos ſeducimus, *Voſſ.* 3. *Ebor.* (r) Ut rogare, *Voſſ.* 3. (s) Impetremus veniam, *Voſſ.* 3. de Dei indulgentia, *Pem. Voſſ.* 2. (t) Circa peccatores, *Vet. Vat. Voſſ.* 3. *Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4.

1 *Poſſe ſe ſequi.*] In lib. de Lapſis dicitur, *Nec vinci à ſeculo poſſet, qui unde vinceretur in ſeculo non haberet: ſequeretur Dominum ſolutus & liber ut Apoſtoli*, &c. Ubi contra exemplarium fidem Doctiſſ. Gronov. legendum contendit, *unde vinciretur*, &c.

2 *Et remitte nobis.*] Graves tragœdiæ de his vocibus olim excitabantur, & male audiebat Eraſmus quod *dimitte nobis* repoſuiſſet, Immerito quidem, cum res ipſa leviſſimi ſit momenti, & veteres utroque modo locutos fuiſſe conſtet. Certe antiquiſſimum Cypriani exemplar Veronenſe litteris capitalibus exaratum, ubique retinet *Dimitte*, *Dimiſi & Dimittimus*; & omnes quotquot ſunt codices alicubi ſaltem uſurpant.

3 *Fidem pollicitationis ſuæ reſervantem.*] *Reſervo* idem valet quod *ſervo* Sic Tert. adv. Jud. *Iſaac cum ligno reſervatus eſt.*

4 *Remittet vobis peccata veſtra.*] Poſt hæc verba in Editione Pariſienſi An. 1541. aſſumentum viginti fere linearum inſeritur, quod pluribus deinceps fucum fecit. Cujus generis & alterum occurrit, ſub finem ejuſdem paragraphi; neutrum vero MSS. alicujus codicis præſidio fultum: crimine falſi pœnis graviſſimis vindicando. Sed diu hominum animis nefaria illa inſedit libido, ut vilem ſpuriamque prolem, nobiliſſimis familiis inſerere cuperent.

An. 252. pereſt, cum ſecundum tuam ſententiam judiceris, & quod, (a) feceris, hoc ipſe patiaris. Pacificos enim & concordes atque unanimes eſſe in domo ſua Deus præcipit: & quales nos fecit ſecunda nativitate, tales vult renatos perſeverare; ut qui filii Dei eſſe cœpimus, (b) in Dei pace maneamus; & quibus ſpiritus unus eſt, unus ſit & animus & ſenſus. Sic (c) nec ſacrificium (d) Deus recipit diſſidentis, & ab altari revertentem Mat. 5. 24. prius fratri reconciliari jubet, ut pacificis precibus & Deus poſſit eſſe (e) pacatus. 1 Sacrificium Deo majus eſt pax noſtra, & fraterna concordia, & de unitate Patris & Filii & Spiritus Sancti plebs adunata. Neque enim in ſacrificiis quæ Abel & Cain primi obtulerunt, munera eorum Deus, ſed corda intuebatur; ut ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus & juſtus dum Deo ſacrificat innocenter, docuit & ceteros quando ad altare munus offerunt, ſic venire cum Dei timore, cum ſimplici corde, cum lege juſtitiæ, cum concordiæ pace. Merito ille dum in ſacrificio Dei (f) talis eſt ipſe, poſtmodum ſacrificium Deo factus eſt; ut martyrium primus oſtendens, initiaret ſanguinis ſui gloria Dominicam paſſionem: qui & juſtitiam Domini habuerat & pacem. Tales denique à Domino coronantur; tales in die judicii cum Domino vindicabuntur. Ceterum diſcordans & diſſidens, & pacem cum fratribus non habens, ſecundum quod beatus Apoſtolus & ſcriptura ſancta teſtatur, nec ſi pro nomine Chriſti occiſus fuerit, crimen diſſenſionis fraternæ poterit evadere; quia ſicut ſcriptum eſt: Qui fratrem ſuum odit, homicida eſt; nec ad regnum cœlorum pervenit, aut cum (g) Deo vivit homicida. Non poteſt eſſe cum Chriſto; qui imitator Judæ maluit eſſe, quam Chriſti. Quale delictum eſt, quod nec baptiſmo ſanguinis poteſt ablui? quale crimen eſt, quod martyrio non poteſt expiari? 1 Cor. 13. 3. 1 Jo. 3. 15.

Quin & petimus ut non inducamur in tentationem.

Illud quoque neceſſarie admonet Dominus, ut in oratione dicamus: 2 *Et ne nos* (h) *patiaris induci in tentationem.* Qua in parte oſtenditur nihil contra nos adverſarium poſſe, niſi Deus ante permiſerit; ut omnis timor noſter & devotio atque (i) obſervatio ad Deum convertatur, quando in tentationibus noſtris nihil malo liceat, niſi (k) poteſtas inde tribuatur. (l) Probat hæc ſcriptura divina quæ dicit: Venit Nabuchodonoſor Rex Babyloniæ in Hieruſalem; & expugnabat eam, & dedit eam Deus in manum ejus. Datur autem poteſtas adverſus nos malo ſecundum noſtra peccata, ſicut ſcriptum eſt: Quis dedit in direptionem Jacob, & Iſraël eis qui prædabantur illum? nonne Deus cui peccaverunt, & nolebant in viis ejus ambulare, neque audire legem ejus, & ſuperduxit ſuper eos 3 (m) iram (n) animationis ſuæ? Et iterum, Solomone peccante, & à præceptis atque à viis Domini recedente, poſitum eſt? Et 4 excitavit Dominus Satanam ipſi Solomoni. Poteſtas vero dupliciter adverſus nos datur, vel ad pœnam cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur: ſicuti de Job factum videmus, manifeſtante Deo & dicente: Ecce omnia quæcunque habet, in manus tuas do: ſed (o) ipſum cave ne tangas. Et Dominus in Evangelio loquitur tempore paſſionis ad Pilatum: (p) Nullam haberes adverſum me poteſtatem, niſi data eſſet tibi deſuper. Quando autem rogamus ne in (p) tentationem veniamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis noſtræ, dum ſic rogamus, ne quis ſe inſolenter extollat, ne quis ſibi ſuperbe atque arroganter aliquid aſſumat, ne quis aut confeſſionis, aut paſſionis (r) gloriam ſuam ducat, cum Dominus ipſe humilitatem docens dixerit: Vigilate & orate ne veniatis in tentationem. Marc. 14. 38. Spiritus quidem promtus eſt, caro autem infirma: ut dum præcedit humilis & ſummiſſa confeſſio, & datur totum Deo: (s) Quicquid ſuppliciter cum timore & (t) honore Dei petitur, ipſius pietate præſtetur. 4 Reg. 24. 11. Is. 42. 24. 3 Reg. 11. 14. Job. 1. 12. Jo. 19. 11.

Demum oramus ut Deus nos liberet à malo.

Poſt iſta omnia in (u) conſummatione orationis venit clauſula, univerſas petitiones & preces noſtras (w) collecta brevitate concludens. In noviſſimo (x) enim ponimus: *Sed libera nos à malo*, comprehendentes adverſa cuncta, quæ contra nos in hoc mundo molitur inimicus; à quibus non poteſt eſſe fida & firma tutela, niſi nos Deus liberet, niſi deprecantibus atque implorantibus opem ſuam præſtet. Quando autem dicimus: ſed libera nos à malo, nihil remanet quod ultra adhuc debeat poſtulari: quando ſemel protectionem Dei adverſus malum petamus, qua impetrata contra omnia quæ diabolus & mundus operantur, ſecuri ſtamus & tuti. Quis enim ei de ſeculo metus eſt, cui in ſeculo Deus tutor eſt? Quid mirum, fratres dilectiſſimi, ſi oratio talis eſt quam Deus docuit, qui magiſterio ſuo (y) omnem precem noſtram ſalutari ſermone breviavit: Hoc jam per Eſaiam Prophetam fuerat ante prædictum, cum plenus Spiritu ſancto de Dei majeſtate ac pietate loqueretur: 5 Verbum conſummans, inquit, & brevians in juſtitia: quoniam Is. 10. 22. ſer-

(a) Feceris aliis hoc &, *Voſſ.* 3. (b) In ejus pace, *Ver.* (c) Nec ad ſacrificium Deus reſpicit, *Ver. Ar.* (d) Deus reſpexit ſed, *Pem. Voſſ.* 2. (e) Placatus, *Ar. MR.* in die Domini *Sariſ.* (f) Talis extitit, *Voſſ.* 3. (g) Deo poſſit eſſe, *Voſſ.* 3. (h) Inducas, *Pem. Voſſ. Man.* paſſus fueris induci nos, *Ver.* (i) Obſecratio, *NC.* 1. (k) Poteſtas à Domino, *Voſſ.* 2. (l) Probat hoc, *Voſſ.* 3. (m) Dominus iram, *Bod.* 1. (n) Animadverſionis, *Ebor. Voſſ* 3. (o) Ipſum vide ne, *Pem. Voſſ.* 2. (p) Nullam inquit, *MR.* in me, *Ver.* (q) Tentationem incidamus, *Ebor.* inducamur, *Lin.* (r) Gloriam ſuam dicat, *Ver. Voſſ.* 3. (s) Quicquid ſimpliciter, *Voſſ.* 3. (t) Honore à Deo, *Bod.* 4. (u) Conſummationem, *Voſſ.* 3. (w) Collectas concludens, *Sariſ.* (x) Ponimus & dicimus, *NC.* 2. (y) *Sic Ar. Sariſ. Lam. Vat.* 3. *MR. Ver. Ebor. NC. Bod.* 2. 3. 4. omnem pacem, *Imp.* præceptum, *Lin.*

1 *Sacrificium Dei majus eſt.*] Non turturis aut agnellæ. Sed bovis, imo hecatombes Sacrificium majus eſt maximum. Sic Tertul. de præſcript. c. 2. *Hæreſes mortem æternam, & majoris ignis ardorem inferentes*, &c.

2 *Ne nos patiaris induci.*] Interpretamentum Tertulliani pro textu ipſo reponit Auctor noſter. Ille enim in lib. de Orat. ait, *ne nos inducas in tentationem, id eſt, ne nos patiaris induci, ab eo utique qui tentat. Ceterum abſit ut Dominus tentare videatur, quaſi aut ignoret fidem cujuſque, aut dejicere geſtiens.* Cyrillus Cat. Myſtag. 5. ait τὸ μὴ εἰσελθεῖν, εἰς πειρασμόν ἐστι, τὸ μὴ καταβαπτισθῆναι, ὑπὸ τὲ πειρασμέ.

3 *Iram animationis.*] Vid. quæ dicta in lib de Lapſis.

4 *Excitavit Dominus Satanam.*] Eodem modo laudatur locus iſte l. 3. ad Quir. c. 80.

5 *Verbum conſummans.*] Locum hunc pariter interpretantur Origenes, Procopius, Tertul. nec non & Hieron. D. Paulus Rom. 9. 28. Domino noſtro aſſerit. Pro *conſummato* Tertullianus *deciſum ſermonem* vertit. adv. Marc. l. 4. c. 1.

1 *Fa-*

An. 252. ſermonem breviatum faciet Deus in toto orbe terræ. Nam cum Dei ſermo Dominus noſter Jeſus Chriſtus omnibus venerit, & colligens doctos pariter & indoctos, omni ſexui atque ætati præcepta ſalutis ediderit: præceptorum ſuorum fecit grande compendium, ut in diſciplina cœleſti diſcentium memoria non laboraret, ſed quod eſſet ſimplici fidei neceſſarium, (a) velociter diſceret. Sic cum doceret quid ſit vita æterna, ſacramentum vitæ magna & divina brevitate complexus eſt dicens: Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te (b) ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Item cum de lege & Prophetis præcepta prima & majora decerperet: Audi, inquit, Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus unus eſt. Et diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua: hoc eſt primum mandatum, & ſecundum ſimile eſt huic: Diliges (c) proximum tuum tanquam te ipſum. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Et iterum: Quæcunque volueritis ut [1] faciant vobis homines bona, ita & vos facite illis. Hæc eſt enim lex & Prophetæ. Jo. 17. 3. Mar. 12. 29. Matt. 22. 40. 7. 12.

Non verbis tantum ſed & factis Dominus orare nos docuit.

Nec verbis tantum, ſed & factis Dominus orare, nos docuit, ipſe orans frequenter & deprecans; & quid facere nos oporteret, exempli ſui conteſtatione demonſtrans, ſicut ſcriptum eſt: Ipſe autem fuit ſecedens in ſolitudinem, & (d) adorans. Et iterum: Exivit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei. Quod ſi ille orabat qui ſine peccato erat; quanto magis (e) peccatores oportet orare? Et ſi ille per totam noctem jugiter vigilans continuis precibus orabat; quanto nos magis in frequentanda oratione debemus nocte vigilare? Orabat autem Dominus, & rogabat non pro ſe: quid enim pro ſe innocens precaretur? ſed pro delictis noſtris, ſicut & ipſe declarat cum dicit ad Petrum: Ecce (f) Satanas expetivit ut vos (g) vexaret quomodo triticum: ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Et poſtmodum pro omnibus patrem deprecatur dicens: Non pro his autem rogo ſolis, ſed pro illis qui crediturí ſunt per verbum ipſorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, (h) ut & ipſi in nobis unum ſint. (i) Magna Domini propter ſalutem noſtram benignitas pariter & pietas; ut non contentus quod nos ſanguine ſuo redimeret, adhuc pro nobis amplius & rogaret. Rogantis autem deſiderium videte quod fuerit, ut quomodo unum ſunt pater & filius; ſic & nos in ipſa unitate maneamus: ut hinc quoque poſſit intelligi quantum delinquat, qui unitatem ſcindit & pacem; cum pro hoc & rogaverit Dominus, volens ſcilicet ſic plebem ſuam ſalvam fieri & in (k) pace vivere, cum ſciret ad regnum Dei diſcordiam non venire. Luc. 5. 16. 6. 12. Luc. 22. 31. Jo. 17. 20.

Inter precandum attentione animi opus eſt.

Quando autem ſtamus ad orationem, fratres dilectiſſimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis & ſecularis abſcedat, nec quidquam tunc animus, quam id ſolum cogitet quod precatur: Ideo & ſacerdos ante orationem præfatione præmiſſa, parat fratrum mentes dicendo: [2] Surſum corda; ut dum reſpondet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur nihil aliud ſe quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtem Dei, tempore orationis (l) adire patiatur: obrepit enim frequenter & penetrat, & ſubtiliter fallens preces noſtras à Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione ſincera Dominum debeat non vocis ſonus, ſed animus & ſenſus orare. Quæ autem ſegnitia eſt (m) alienari & rapi ineptis cogitationibus & profanis, cum Dominum deprecaris; quaſi ſit aliud quod magis (n) debeas cogitare quam quod cum Deo loqueris? Quo modo te audiri à Deo poſtulas, cum te ipſe non audias? Vis eſſe Deum memorem tui cum rogas; quando tu ipſe (o) memor tui non ſis? Hoc eſt, (p) ab hoſte in totum non cavere; hoc eſt, (q) quando oras Deum, majeſtatem Dei negligentia orationis offendere; hoc eſt, vigilare oculis & corde dormire; cum debeat Chriſtianus & cum dormit oculis, corde vigilare: ſicut ſcriptum eſt ex perſona Eccleſiæ loquentis in Cantico Canticorum: (r) Ego dormio, & cor meum vigilat. Quapropter ſolicite & caute Apoſtolus admonet dicens: Inſtate orationi vigilantes in ea; docens, ſcilicet, & oſtendens, eos impetrare quod poſtulant de Deo poſſe, quos Deus videat in oratione vigilare. Cant. 5. 2. Coloſſ. 4. 2.

Precibus Eleemoſynæ jungendæ.

Orantes autem non infructuoſis, nec nudis precibus ad Deum (s) veniant: inefficax petitio eſt, cum precatur Deum ſterilis oratio. Nam cum omnis arbor non faciens (t) fructum excidatur, & in ignem mittatur: utique & ſermo non habens fructum, promereri Deum non poteſt, qui nulla eſt operatione fœcundus: Et ideo ſcriptura divina inſtruit dicens: Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna. Nam qui in die judicii præ- Matt. 7. 19. Tob. 12. 9.

(a) Eccleſia diſceret, *Pem.* (b) Solum verum, *Sariſ.* (c) Proximum tibi. *Ver. MR. Lam. NC.* 1. tanquam te, *Sariſ.* (d) Orans, *Lam. Ebor. Ar. Bod.* 2. 3. (e) Peccatores oportet &, *Lin.* (f) Satanas poſtulavit, *Ver. MR. Tert. Ar. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam.* (g) Cribraret, *Voſſ.* 3. (h) Ut & ipſi nobis ſint, *Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 4. *Man.* (i) Magna autem Domini, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 4. (k) Pace unire, *Ar. Sar. Bod.* 2. unanimiter, *Voſſ.* 3. (l) Venire patiatur, *Pem.* (m) Et alienari, *Sariſ.* alienari & capi, *Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. *MR. Man.* (n) Debeat cogitari, *Pem. Voſſ.* 2. (o) Memor non ſis, *Bod.* 1. 2. (p) De eo hoſtem, *Ebor. Bod.* 4. (q) Quando oras, majeſtatem, *Lin. Ebor.* (r) Ego dormio, inquit, *Ar. Lam. NC.* 1. (s) Veniamus, *Voſſ.* 3. (t) Fructum bonum, *Sariſ.*

1 *Faciant vobis homines bona.*] Vox *bona* in ipſo textu ſubaudiebatur, adjectivum enim ἴσα ſubſtantivum exigit. Sic quod dicitur Luc. 18. τί ποίησω, Matt. 19. 16. eſt, τί καλὸν ποίησω.

2 *Surſum Corda.*] Nihil in Chriſtiana pietate precum formulis antiquius. Sacerdos verbis conceptis præibat, plebs invicem reſpondebat, idque *ſine monitore*, quod Gentilibus ſolenne, *quia*, ut ait Tert. Apol. c. 30. *de pectore orabant*, id eſt, preces memoriter tenebant. Eandem formulam in Eccleſia orientali obtinuiſſe ex Cyrillo diſcimus; ubi prædictis illis verbis, ſubjunguntur verba ſolennia etiamnum in uſu: *Gratias agamus Domino*, cum Plebis reſponſo: *Dignum & juſtum eſt.* Catech. Myſtag. 5. Juſtinus Mart. in Apol. 2. veterem liturgicam deſcribens dicit, poſt ſcripturarum lectionem, & Præpoſiti concionem ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν. καὶ ὡς προέφημεν, παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς, ἄρτος προσφέρεται καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ. καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς εὐφημεῖ ἀμήν. De ſolennibus in baptiſmo verbis alibi actum.

An. 252. præmium pro operibus & eleemoſynis redditurus eſt; hodie quoque ad (a) orationem cum operatione venienti benignus auditor eſt. Sic denique Cornelius Centurio cum oraret meruit audiri: (b) Fuit faciens multas eleemoſynas in plebem & ſemper orans Deum, huic circa horam nonam oranti aſtitit Angelus teſtimonium (c) reddens ſui operis, & dicens: Corneli orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt ad memoriam coram Deo. Cito orationes ad Deum aſcendunt, quas ad Deum merita noſtri operis imponunt. Sic & Raphaël Angelus Tobiæ oranti ſemper, & ſemper operanti, teſtis fuit dicens: Opera Dei revelare & confiteri honorificum eſt. Nam quando orabas tu & Sarra, ego obtuli memoriam orationis veſtræ in conſpectum claritatis Dei. Et cum ſepelires tu [1] mortuos ſimpliciter: Et quia non es (d) cunctatus exſurgere & derelinquere prandium tuum, ſed abiſti & condidiſti mortuum, [2] miſſus ſum tentare te; & iterum me miſit Deus curare te, & Sarram nurum tuam. Ego enim ſum Raphaël, unus ex ſeptem Angelis (e) ſanctis, qui aſſiſtimus & converſamur ante claritatem Dei. Per Eſaiam quoque Dominus admonet & docet ſimilia conteſtans: Solve, inquit, omnem nodum injuſtitiæ, reſolve ſuffocationes impotentium commerciorum. Dimitte quaſſatos in requiem, & omnem conſignationem injuſtam diſſipa. Frange eſurienti panem tuum, & egenos ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum veſti, & domeſticos ſeminis tui non deſpicies. Tunc [3] erumpet temporaneum lumen tuum, & veſtimenta tua cito orientur, & præibit ante te juſtitia, & claritas Dei circumdabit te. Tunc exclamabis, & Deus exaudiet te, & dum adhuc (f) loqueris, dicet: ecce adſum. Adeſſe (g) ſe promittit; & audire ac protegere ſe eos dicit, qui injuſtitiæ nodos de corde ſolventes, & eleemoſynas circa domeſticos Dei, ſecundum ejus præcepta facientes, dum audiunt quod Deus præcipit fieri, ipſi quoque à Deo merentur audiri. Beatus Apoſtolus Paulus in neceſſitate preſſuræ adjutus à fratribus, (h) opera bona quæ fiunt, ſacrificia Dei dixit eſſe: Saturatus ſum, inquit, recipiens ab Epaphrodito ea quæ à vobis miſſa ſunt, odorem ſuavitatis, (i) ſacrificium acceptum, & placitum Deo. Nam quando quis miſeretur pauperis; Deum fœnerat: & qui dat minimis, Deo donat, ſpiritaliter Deo ſuavitatis odorem ſacrificat. Act 10. 1. Tob 12. 12. Is. 58. 6. Phil. 4. 18.

Horæ precum ſolennes.

In orationibus vero celebrandis invenimus obſervaſſe cum Daniele tres pueros in fide fortes, & in captivitate victores, [4] horam tertiam, ſextam, nonam, (k) ſacramento ſcilicet trinitatis; quæ in noviſſimis temporibus manifeſtari habebat. Nam & prima hora in tertiam veniens, conſummatum numerum trinitatis oſtendit. Itemque ad ſextam quarta procedens, declarat alteram trinitatem. Et quando à ſeptima nona completur per ternas horas trinitas perfecta numeratur: quæ horarum ſpatia jampridem ſpiritaliter determinantes adoratores Dei, ſtatutis & legitimis ad precem temporibus (l) ſerviebant; & manifeſtata poſtmodum res eſt ſacramenta olim fuiſſe; quod ante ſic juſti precabantur. Nam ſuper diſcipulos hora tertia deſcendit Spiritus ſanctus, qui gratiam (m) Dominicæ repromiſſionis implevit. Item Petrus hora ſexta in tectum ſuperius aſcendens, ſigno pariter & voce Dei monentis inſtructus eſt, ut omnes ad gratiam ſalutis admitteret, cum de emundandis gentilibus ante dubitaret. Et Dominus hora ſexta crucifixus, ad nonam peccata noſtra ſanguine ſuo abluit, & ut redimere & vivificare nos poſſet; tunc victoriam ſuam paſſione perfecit. Sed nobis, fratres dilectiſſimi, præter horas antiquitus obſervatas, orandi nunc & ſpatia & ſacramenta creverunt. Nam & mane orandum eſt, ut reſurrectio Domini matutina oratione celebretur. Quod olim Spiritus Sanctus deſignabat in Pſalmis dicens: Rex meus & Deus meus, quoniam (n) ad te orabo Domine; mane exaudies vocem meam: mane (o) aſſiſtam tibi, & contemplabor te. Et iterum per Prophetam loquitur Dominus: Diluculo vigilabunt ad me dicentes: Eamus & revertamur ad Dominum Deum noſtrum. Recedente item ſole ac die ceſſante, neceſſario rurſus orandum eſt. Nam quia Chriſtus ſol verus, & dies eſt verus, ſole ac die ſeculi recedente, quando oramus & petimus ut ſuper nos lux denuo veniat, Chriſti precamur adventum, lucis æternæ gratiam præbiturum. Chriſtum autem diem dictum declarat in Pſalmis Spiritus ſanctus: Lapis, Act 10. 9. Mat. 27. 45. Pſ. 5. 2. Of. 6. 1.

(a) Orationem cum eleemoſyna, *Ar. Lam. NC.* 1. (b) Fuit enim faciens, *Ver. Lam. NC.* 2. *Bod.* 1. eleemoſynas in plebe *Ver.* (c) Reddens ſuis operibus, *Ver. Ebor. Pem. Bod.* 4. (d) Cunctatus ſurgere, *Bod.* 1. (e) *Sic infra de Mort. & hic*, *Ar. Lam NC.* 1. *Bod.* 2. 3. *MR.* juſtis, *Impr.* (f) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. loquens, *Impr.* (g) Se repromittit, *Bod.* 1. 2. 4. *Lam. Lin.* (h) Opera quæ fiunt, *Lam. Ebor Lin. NC.* 1. (i) Sacrificio placente, accepto Deo, *Ebor.* (k) Sacramentum, *Ver.* ſacramenta, *Vat* 2. habebant, *Vat.* 2. (l) Domino ſerviebant, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (m) Dominicæ promiſſionis, *Thu. Vict.* (n) Ad te adorabo, *Ver.* (o) Aſtabo tibi. *Lam. MR. NC.* 1. *Bod.* 2. 3.

1 *Mortuos ſimpliciter.*] Scribendum *ſimiliter*, nam LXX. ὅτι ἔθαπτες τοὺς νέκρους, ὡσαύτως συμπαρῆμην σοί. Et certe minime dubitandum hanc eſſe genuinam lectionem: ſed quia codices omnes in errore conſentiunt, idque non tantum hic loci, ſed & infra in lib. de Mortalit. religio erat quidquam mutare.

2 *Miſſus ſum tentare.*] Ac ſi cæcitatem Tobiæ immiſiſſet Angelus. Quanquam exemplaria Græca, quibus utimur, & Latina inſuper verſio lectionem non agnoſcant; olim obtinuiſſe ex Syriaca verſione diſcimus.

3 *Erumpet temporaneum lumen.*] Vid. quæ dicta l. 3. ad Quirin. c. 1.

4 *Horam tertiam, ſextam, nonam.*] Tert. de Jejun. c. 10. *Cum in eodem commentario Lucæ, & tertia hora orationis demonſtretur, ſub qua ſpiritu ſancto initiati pro ebriis habebantur; & ſexta, qua Petrus aſcendit in ſuperiora; & nona, qua templum ſunt introgreſſi, cur non intelligamus ſalva plane indifferentia, ſemper & ubique & omni tempore orandi: tamen tres iſtas horas, ut inſigniores in rebus humanis, quæ diem diſtribuunt, quæ negotia diſtinguunt, quæ publice reſonant, ita & ſolenniores fuiſſe in orationibus divinis. Quod etiam ſuadet Danielis quoque argumentum ter die orantis; utique per aliquarum horarum exceptionem; non aliarum autem quam inſigniorum exinde Apoſtolicarum, tertiæ, ſextæ, nonæ.*

1 *Iſte*

An. 252. pis, inquit, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino (a) factus est iste, & est (b) admirabilis in oculis nostris. 1 Iste est dies quem fecit Dominus, ambulemus & (c) jucundemur in eo. Item quod sol appellatus sit, (d) Malachias Propheta testatur dicens: Vobis autem qui timetis nomen Domini, orietur sol justitiæ, & in alis ejus curatio est. Quod si in scripturis sanctis sol verus, & dies verus est Christus: hora nulla à Christianis excipitur, (e) quo minus frequenter ac semper Deus debeat adorari; ut qui in Christo, hoc est in sole & in die vero sumus, insistamus per totum diem (f) precibus & oremus: & quando (g) mundi lege decurrens, vicibus alternis (h) nox revoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest, (i) quia filiis lucis & in noctibus dies est. Quando enim sine lumine est, cui lumen in corde est? (k) Aut quando sol ei & dies non est, cui (l) sol & dies Christus est? Qui autem in Christo, hoc est, in lumine semper sumus, nec noctibus ab oratione cessemus. Sic Anna vidua sine intermissione rogans semper & (m) vigilans, perseverabat (n) in promerendo Deo, sicut in Evangelio scriptum est: Non recedebat, inquit, de templo, jejuniis & orationibus serviens nocte ac die. (o) Viderint vel gentiles, qui necdum illuminati sunt: vel Judæi, qui (p) deserti lumine in tenebris remanserunt. (q) Nos, fratres dilectissimi, qui in Domini luce semper sumus, qui meminimus & tenemus, quid esse accepta gratia cœperimus; computemus noctem pro die. Ambulare nos credamus semper in lumine, non impediamur à tenebris quas evasimus: nulla sint horis nocturnis precum damna; nulla orationum pigra & ignava dispendia. Per Dei indulgentiam recreati spiritaliter & renati, imitemur quod futuri sumus: (r) habituri in regno sine interventu noctis (s) solum diem; sic nocte, quasi (t) in lumine vigilemus: oraturi semper & acturi gratias Deo; hic quoque orare, & (u) gratias agere non desinamus.

Ps. 118. 22

Mal. 4. 2.

Luc. 2. 37.

(*a*) Factum est istud, *Pem. Sarisf. Vict.* (*b*) Mirabilis, *Ar. Ben.* (*c*) Exultemus, *Ver. Vict.* lætemur in eo, *NC.* 2. (*d*) Malachiel, *Ver. Vict.* (*e*) Qua Deus debeat, *Sarisf.* (*f*) Precibus & orationibus, *Bod.* 3. (*g*) Mundi legem decurrens, *Thu.* (*h*) Nox resoluta, *Thu. Foss.* (*i*) Quia filius lucis, & noctis dies est, *Thu.* (*k*) Aut quomodo sol, *Foss.* (*l*) Nox dies est, *NC.* 2. (*m*) Vigilans pernoctabat, *Sarisf.* (*n*) In promerendo Deum, *Vict.* (*o*) Riserint gentiles, *Bod.* 3. (*p*) Deserto lumine, *Bod.* 1. 2. derelicto, *Vict.* (*q*) Nos vero fratres, *Bod.* 4. (*r*) Nunc habituri, *Bod.* 4. habituri in regno Dei, *Ver.* (*s*) Solem & diem, in nocte, *Vict.* (*t*) In luce, *Sarisf.* (*u*) Gratias Deo, *Pem. Lam. Bod.* 2. 4.

1 *Iste est dies quem fecit Dominus.*] Locum hunc adducit Auctor noster l. 2. ad Quirin. c. 16. ut probaret *Dominum Jesum lapidem dictum fuisse*, ubi (licet nonnulla exemplaria vulgatam sequantur) legisse pariter videtur, *à Domino factus est iste*: quæ LXX. interpretum est lectio, à D. Marco agnita. Hic vero adhibetur iste Textus, ut conficiat, *Christum diem dictum.* Quod interpretamentum Cypriano videtur peculiare; licet aliunde id satis commode conficiatur.

2 *Nulla sint horis nocturnis precum damna.*] Christianos nocte conventus habuisse res satis nota. *Nocturnas convocationes* appellat Tertull. ad Uxor. l. 2. *antelucanos* vocat Plinius in Ep. ad Trajan. Sed insuper ex privata devotione, fideles lecto se eripiebant, & *per noctem exjurgebant oratum.* ut ait Tertull. loco prælaudato; sic in Apologet. *Ita saturantur ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse.*

D. CÆCILII CYPRIANI DE MORTALITATE.

An. 252. Inter calamitates il imprimis conſideran-dum quod prædictæ ſunt.

(a) ET ſi apud plurimos veſtrum, fratres dilectiſſimi, mens ſolida eſt, & fides firma, & anima devota, quæ ad præſentis mortalitatis copiam non movetur, (b) ſed tanquam petra fortis & ſtabilis turbidos impetus mundi, & violentos ſeculi fluctus frangit potius ipſa, nec frangitur, & tentationibus non vincitur, ſed probatur: tamen quia animadverto in plebe quoſdam vel imbecillitate animi, vel fidei parvitate, vel dulcedine ſecularis vitæ, vel ſexus mollitie, vel, quod majus eſt, veritatis errore; minus ſtare fortiter, nec pectoris ſui divinum atque invictum robur (c) exerere; diſſimulanda res non fuit nec tacenda, quo minus quantum noſtra (d) mediocritas poteſt, vigore pleno & ſermone de Dominica lectione concepto, delicatæ mentis ignavia comprimatur, & qui homo Dei & Chriſti eſſe jam cœpit, Deo & Chriſto dignus habeatur. Agnoſcere enim ſe debet, fratres dilectiſſimi, qui Deo militat, qui poſitus in cœleſtibus caſtris divina jam (e) ſpirat, ut ad procellas & turbines mundi trepidatio (f) nulla ſit in nobis, nulla cunctatio; quando (g) hæc ventura prædixerit Dominus, providæ vocis (h) hortatu inſtruens & docens, & præparans atque corroborans Eccleſiæ ſuæ populum ad omnem tolerantiam futurorum, bella, & fames, & terræ motus, & peſtilentias per loca ſingula exſurgere (i) prænunciavit & docuit. Et ne inopinatus nos & novus rerum infeſtantium metus quateret, magis ac magis in noviſſimis temporibus adverſa crebeſcere ante præmonuit. Fiunt ecce quæ dicta ſunt; & quando fiunt quæ ante prædicta ſunt, ſequentur & quæcunque promiſſa ſunt, Domino ipſo pollicente & dicente: Cum autem videritis hæc omnia fieri, ſcitote (k) quoniam in proximo eſt regnum Dei. Luc. 21. 31.

Porro quod regnum Dei appropinquare oſtendant.

Regnum Dei, fratres dilectiſſimi, (l) eſſe cœpit in proximo: (m) præmium vitæ & gaudium ſalutis æternæ, & perpetua lætitia, & poſſeſſio paradiſi nuper amiſſa, mundo tranſeunte jam veniunt; jam terrenis cœleſtia, & magna parvis, & caducis æterna ſuccedunt. Quis hic anxietatis & ſollicitudinis locus eſt? quis inter hæc trepidus & mœſtus eſt, niſi cui ſpes & fides deeſt? [2] Ejus eſt enim mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire: ejus eſt ad Chriſtum nolle ire, qui ſe non credat cum Chriſto incipere regnare. Scriptum eſt enim juſtum fide vivere. Si juſtus es, & fide vivis, ſi vere in Deum credis; cur non cum Chriſto futurus; & de Domini pollicitatione ſecurus, quod ad Chriſtum voceris, amplecteris; & quod diabolo careas, gratularis? Symeon denique ille juſtus, que verè juſtus fuit, qui fide plena Dei præcepta ſervavit, cum ei divinitus reſponſum fuiſſet, quod non ante moreretur quam Chriſtum vidiſſet, & Chriſtus infans in templum Rom. 1. 17.

(a) Eſt apud plurimos, *Ebor.* (b) Et tanquam, *Sariſ.* (c) Exercere, *Lam. Ebor.* (d) Mediocritas ſufficit, *Ver. Ar. Ben. Voſſ.* 1. *Ebor. Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. (e) *Sic Ver. Neap. Lam. Ebor. Ben. Voſſ.* 1. *NC.* 1. adſpirat, *Sariſ.* ſperat, *Lin. NC.* 2. *Impr.* (f) Nulla ſit nobis, nulla turbatio, *Lam. Ebor. NC.* 1. 2 *Salij. Bod.* 2. 4. (g) Hæc eventura, *Ver. Pem. Lin. Voſſ.* 2. *Sariſ.* (h) Hortatus inſtruens, *Pem. Voſſ.* 2. (i) Prænunciavit & cecinit, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. *MR.* (k) Quoniam prope, *Voſſ.* 1. (l) Eſſe jam cœpit, *Bod.* 3. (m) Præmium vitæ, gaudium, *Voſſ.* 1.

1 *De Mortalitate.*] Sive lue mortifera. Tertull. de reſurrect. carn. c. 51. definite explicat. *Aliud*, inquit, *mortale & aliud mortalitas; aliud enim quod patitur, aliud quod pati efficit.* Revera morbus iſte epidemicus tam varia & erratica habuit ſymptomata, ut ad peſtis proprie dictæ typum minime reſponderet. *Corporis vires ſolutus in fluxum venter eviſcerabat. In faucium vulnera conceptus medullitus ignis exæſtuabat. Aſſiduo vomitu inteſtina quatiebantur, oculi vi ſanguinis inardeſcebant, quorundam pedes vel aliquæ membrorum partes contagio morbidæ putredinis amputabantur, debilitabatur inceſſus, obſtruebatur auditus, cæcatus fuit aſpectus.* Teterrima hæc lues in Arabia primum nata, deinde in Ægyptum devecta, poſtmodum in Africam proceſſit, & exinde per occidentales Romani imperii partes graſſabatur; furore Athenienſis illius, quam deſcribit Thucydides æmulo, itinere conſueto & via quaſi prætoria: ait enim Plinius l. 7. c. 50. *Obſervatum à meridianis partibus, ad occaſum ſolis peſtilentiam ſemper ire.* Imperantibus Gallo & Voluſiano hoc malum contigit, teſtibus Euſeb. in Chron. Oroſ. l. 7. & Zonar. annal. l. 2. Porro pacis tempore hoc eveniſſe docet Euſeb. l. 7. c. 22. ex literis Dionyſ. Alex. τῇ χρισῷ πάλιν ἐνηυφράνθημεν εἰρήνῃ, ἣν μόνοις ἡμῖν ἔδωκε. βραχυτάτης δὲ ἡμῶν τὸ καὶ αὐτῶν τυχόντων ἀπαπνοῆς, ἐπικατέσκηψεν ἡ νόσος αὕτη. Quibus præſtructis, librum hunc anno 152. conſcriptum, idque ante redintegratam perſecutionem, adſtipulante tractatus totius tenore, pronunciamus. Scripti hujus meminit Pontius, qui & egregiam à Cypriano peſte laborantibus & exinde mortuis navatam operam pluribus exſequitur. Auguſtinus lib. de prædeſtin. ſanct. ait, *Cypriani librum de mortalitate, multis ac pene omnibus qui eccleſiaſticas literas amant, laudabiliter notum.* Citat etiam Ep. 107. ad Vital. nec non l. 2. adv. Julian. cont. 2. Epiſt. Pelag. l. 4. c. 8. Pariter laudat Euſeb. aut ſaltem Hieron. in Chron.

2 *Ejus eſt mortem timere, qui ad Chriſtum nolit ire*] Ex toto libri hujus decurſu conſtat Cyprianum in ea fuiſſe ſententia, mortuos ſtatim poſt exitum, pro vitæ ratione aut præmia reportare, aut pœnas exſolvere. Pariter ad Demetrian. *Donec ævi temporalis fine completo ad æternæ vel mortis, vel immortalitatis hoſpitia dividimur.* Et ſtatim. *Quando iſtinc exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis effectus; hic vita aut amittitur aut tenetur.*

1 *Coge-*

An. 252. plum cum matre veniſſet; agnovit in ſpiritu natum eſſe jam Chriſtum de quo ſibi fuerat ante prædictum, quo viſo ſcivit ſe cito eſſe moriturum. Lætus itaque de morte jam proxima, & de vicina accerſitione ſecurus, accepit in manus puerum, & benedicens Deum exclamavit & dixit: Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace: quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum. Probans, ſcilicet, atque conteſtans tunc eſſe ſervis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quando de (a) iſtis mundi turbinibus extracti, ſedis & ſecuritatis æternæ portum petimus, quando (b) expuncta hac morte ad immortalitatem venimus. Luc. 2. 29.

A morte expectanda fida tranquillitas & perpetua ſecuritas.

Illa eſt enim noſtra pax, illa fida tranquillitas, illa ſtabilis & firma & perpetua ſecuritas. Ceterum quid aliud in mundo, quam pugna (c) adverſus diabolum quotidie geritur? quam adverſus jacula ejus & tela conflictationibus aſſiduis dimicatur? (d) Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congreſſio eſt: cum carnalibus vitiis, cum illecebris ſecularibus (e) aſſidua & moleſta luctatio eſt. (f) Obſeſſa mens hominis & undique diaboli infeſtatione (g) vallata vix (h) occurrit ſingulis, vix reſiſtit. Si avaritia proſtrata eſt, exſurgit libido: ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio: ſi ambitio contemta eſt, ira exaſperat, inflat ſuperbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, (i) amicitiam zelus abſcindit. 1 Cogeris maledicere, quod divina lex prohibet: 2 compelleris jurare, quod non licet. (k) Tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur, & delicta hic inter (l) diaboli gladios diu ſtare; cum magis concupiſcendum ſit & optandum ad Chriſtum, ſubveniente (m) velocius morte, properare, ipſo inſtruente (n) nos & dicente: Amen amen dico vobis, quoniam vos plorabitis & plangetis, 3 ſeculum autem gaudebit: vos triſtes eritis, ſed triſtitia veſtra in lætitiam veniet. Quis non triſtitia carere optet? quis non ad lætitiam venire feſtinet? Quando autem in lætitiam veniat noſtra triſtitia, Dominus denuo ipſe declarat dicens: (o) Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo auferet à vobis. Cum ergo Chriſtum videre, gaudere ſit, (p) nec poſſit eſſe gaudium noſtrum niſi (q) cum viderimus Chriſtum; quæ cæcitas animi, quæve dementia eſt, amare (r) preſſuras & pœnas, & lacrymas mundi, & non feſtinare potius ad gaudium quod nunquam poſſit auferri? Jo. 16. 20. Jo. 16. 22.

Ex infidelitate fit quod mortem adeo averſemur.

Hoc autem fit, fratres dilectiſſimi, quia fides deeſt; quia nemo credit vera eſſe quæ promittit Deus qui verax eſt, cujus ſermo credentibus æternus & firmus eſt. Si tibi vir gravis & laudabilis aliquid polliceretur, (s) haberes utique pollicenti fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes; quem ſtare in ſermonibus atque in actibus ſuis (t) ſcires: nunc Deus tecum loquitur; & tu mente incredula perfidus (u) fluctuas? Deus de hoc mundo recedenti tibi immortalitatem atque æternitatem pollicetur, (w) & tu dubitas? Hoc eſt Deum omnino non noſſe: hoc eſt, (x) Chriſtum credentium Dominum & magiſtrum peccato incredulitatis offendere; hoc eſt, in Eccleſia conſtitutum (y) fidem in domo fidei non habere. Quantum proſit exire de ſeculo, Chriſtus ipſe ſalutis atque utilitatis noſtræ magiſter oſtendit; qui cum diſcipuli ejus contriſtarentur, quod ſe jam diceret receſſurum, locutus eſt ad eos dicens: Si me dilexiſſetis, (z) gauderetis, quoniam vado ad Patrem: (aa) docens ſcilicet & oſtendens, cum cari quos diligimus de ſeculo exeunt, gaudendum potius quam dolendum. Cujus rei memor beatus (bb) Apoſtolus Paulus in Epiſtola ſua ponit & dicit: Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Lucrum maximum computans, (cc) jam ſeculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis & vitiis carnis obnoxium fieri; exemtum (dd) preſſuris angentibus, & (ee) venenatis diaboli faucibus liberatum, ad lætitiam ſalutis æternæ Chriſto vocante proficiſci. Jo. 14. 28. Phil. 1. 21.

At

(a) Iſtius mundi turbinibus, *Bod.* 1. (b) Expugnata, *NC.* 2. expuncta morte, *Bod* 3. (c) Quando adverſus, *Pem.* (d) Cum avaritia, cum, *Pem.* (e) Jugis & moleſta, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. conlnctatio, *Sariſ.* (f) Obſeſſa mens & undique, *Voſſ.* 1. (g) Circumvallata, *Lam. Ebor. Bod.* 3. 4. (h) Occurrit in ſingulis, *Bod.* 1. (i) Amicitiam ſcelus, *Auguſt.* (k) Tot perſecutionibus mens quotidie quatitur, *Voſſ.* 1. *NC.* 2. *Ita etiam in l. de Patientia.* (l) Diaboli laqueos, *Auguſt.* (m) Veloci morte, *Pem. Voſſ.* 2. *NC.* 2. (n) Nos & monente, *Lam. Voſ.* 1. *Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. 3. (p) Iterum autem, *Lam. Voſſ.* 1. *Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. 3. (q) Nec poſſit videri, aut eſſe gaudium, *Pem. Voſſ.* 1. (q) Quis viderit Chriſtum, *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4 (r) Preſſuras & pugnas, *Bod.* 1. 4. (s) Haberes pollicenti, *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Voſſ.* 1. 2. (t) Scires: Deus tecum, *Sariſ. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (u) Fluctuaris, *Bod.* 3. 4. (w) Et dubitas, *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Lin. Voſſ.* 1, 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (x) Chriſtum credendi magiſtrum, *Veron. Benev. Sariſ. Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Voſſ.* 1. 2. *Bod.* 2. 4. *Manut.* (y) Fidem in Domino fidei, *Sariſ.* (z) Gauderetis utique quia, *Lam.* (aa) Docens & oſtendens, *Lam. Ebor. Sariſ. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (bb) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Lin. Sariſ. Ar.* Apoſtolus in Epiſtola, *Imp.* (cc) Se jam ſeculi, *Bod.* 4. ſecularibus. *Ar. Ben. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voſſ.* 1. *Lam. Ebor.* (dd) Preſſuris cogentibus, *NC.* 1. (ee) Venantis diaboli, *Morel.*

1 *Cogeris maledicere.*] Chriſto ſcil. Ita Paulus perſecutionem auſpicabatur, quemadmodum de ſe ipſo fatetur Act. 26. 11. & ita deinceps Ethnici præſides illam promovebant. Sic Euſeb. l. 4. Hiſt. Eccl. c. 15. de martyrio Polycarpi verba faciens, Proconſulem deſcribit dicentem. λοιδόρησον τὸν χριστόν. cui SS. Martyr repoſuit ὀγδοήκοντα κὴ ἓξ ἔτη δουλεύω αὐτῷ, κὴ οὐδέν με ἠδίκεσε. κὴ πῶς δύναμαι βλασφημῆσαι τὸν βασιλέα μου τὸν σώσαντά με;

Compelleris jurare.] Per genium Cæſaris, aut fortunam ejus. Sic Proconſul apud Euſeb. l. 4. c. 15. locoprælaudato, Polycarpo ingerit ὄμοσον τὴν Καίσαρος τύχην, cui ille reſpondit, μετὰ παῤῥησίας ἄκουε χριστιανός εἰμι. Proinde Tertullianus in Apol. c. 32. dicit *Chriſtianos jurare, ſicut non per genios Cæſarum, ita per ſalutem eorum* (hoc eſt, Deum) *quæ eſt auguſtior omnibus geniis.* Interim tamen non eſt diſſimulandum, verba hæc, ad maledicentiam, & jurandi uſum in communi vita, recte poſſe referri.

3 *Seculum autem gaudebit.*] Κόσμος ſive *mundum* intelligit, & ita paſſim vocem illam vertit Auctor noſter.

1 *Morbi*

An. 252. *Inepta eſt querela Chriſtianorum, quod cum gentilibus plectantur.*

At enim quoſdam movet, quod æqualiter cum (a) gentilibus, Noſtros 1 morbi iſtius valetudo corripiat; quaſi ad hoc crediderit Chriſtianus, ut immunis (b) à contactu malorum, mundo & ſeculo feliciter perfruatur, & non omnia hic adverſa perpeſſus ad futuram lætitiam reſervetur. Movet quoſdam quod ſit nobis cum ceteris mortalitas iſta communis. Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum ceteris, quamdiu adhuc ſecundum legem primæ nativitatis manet caro iſta communis? Quoaduſque iſtic in mundo ſumus; cum genere humano carnis æqualitate conjungimur, ſpiritu ſeparamur. Itaque donec 2 corruptivum iſtud induat incorruptionem, & mortale hoc accipiat immortalitatem, & ſpiritus nos perducat ad Deum patrem; quæcunque ſunt carnis incommoda, ſunt nobis cum humano genere communia. Sic cum fœtu ſterili terra jejuna eſt, neminem fames ſeparat: ſic cum irruptione hoſtili civitas aliqua poſſeſſa eſt, omnes ſimul captivitas vaſtat. Et quando imbrem 3 nubila ſerena ſuſpendunt, omnibus ſiccitas una eſt. Et cum 4 navem ſcopuloſa (c) ſaxa conſtringunt, navigantibus naufragium ſine exceptione commune eſt. Et oculorum dolor, & impetus febrium, & (d) omnium valetudo membrorum cum ceteris communis eſt nobis, quamdiu portatur in ſeculo caro iſta communis: Quinimo ſi qua conditione, qua lege crediderit Chriſtianus, noſcat & teneat; ſciet (e) plus ſibi, quam ceteris in ſeculo laborandum, cui magis ſit cum diaboli impugnatione luctandum. Docet & præmonet ſcriptura divina dicens: Fili accedens ad ſervitutem Dei, 5 ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Et iterum: In dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe; quoniam in igne probatur aurum & (f) argentum, Homines vero receptibiles in camino humiliationis. 1 Cor. 15. 53. Eccl. 2. 1. 4.

Job non magis pietate quam calamitatibus notabilis.

Sic Job poſt rerum damna, poſt pignorum funera, 6 vulneribus quoque & vermibus graviter afflictus, non victus eſt ſed probatus; qui in ipſis conflictationibus & doloribus ſuis patientiam religioſæ mentis oſtendens ait; (g) Nudus exivi de utero (h) matris, nudus etiam ibo ſub terram: Dominus (i) dedit, Dominus abſtulit: ſicut (k) Domino viſum eſt, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Et cum eum uxor (l) quoque ſua compelleret, ut vi doloris impatiens aliquid adverſus Deum querula & (m) invidioſa voce loqueretur, reſpondit & dixit: Tamquam una ex (n) inſipientibus mulieribus locuta es. Si (o) bona ſuſcepimus de manu Domini, (p) mala cur non tolerabimus? In his omnibus quæ contigerunt ei, nihil peccavit Job labiis ſuis in conſpectu Domini. Itaque illi Dominus Deus perhibet teſtimonium dicens: (q) Animadvertiſti puerum meum Job? (r) non enim eſt ſimilis illi quiſquam in terris, homo ſine querela, verus Dei cultor. Job. 1. 21. 2. 10. 1. 22. 1. 8.

Pariter Tobias ærumnis exercitatus.

7 Et Tobias poſt opera magnifica, poſt (s) miſericordiæ ſuæ multa & glorioſa præconia, cæcitatem luminum paſſus, timens & benedicens in adverſis Deum, per ipſam corporis ſui cladem crevit ad laudem; quem & ipſum uxor ſua depravare tentavit dicens: Ubi ſunt (t) juſtitiæ tuæ? ecce quæ pateris. At ille circa timorem Dei ſtabilis & firmus, & ad omnem tolerantiam paſſionis fide religionis armatus, tentationi uxoris invalidæ in dolore non ceſſit, ſed magis Deum patientia majore promeruit; quem poſtmodum Raphaël angelus collaudat & dicit: Opera Dei (u) revelare, & confiteri honorificum eſt. Nam quando orabas tu & (w) Sarra nurus tua, 8 ego obtuli memoriam orationis veſtræ in conſpectu claritatis Dei. Et cum ſepelires tu mortuos ſimpliciter: & quia non es cunctatus exſurgere & derelinquere prandium tuum, & abiſti, & condidiſti mortuum, miſſus ſum tentare te. 9 Et iterum me miſit Deus curare te, & Sarram nurum tuam: ego enim ſum Raphaël unus ex ſeptem angelis ſanctis; qui aſſiſtimus & converſamur ante claritatem Dei. Tob. 2. 14.

Tolerantiam juſti ſemper habuerunt; ipſe Abraham pater fidelium tentatus.

Hanc tolerantiam juſti ſemper habuerunt, hanc Apoſtoli diſciplinam de Domini lege tenuerunt; non muſſitare in adverſis, ſed quæcunque in ſeculo accidunt fortiter & (x) patienter accipere; cum Judæorum populus hinc ſemper offenderit, quod adverſus Deum

(a) Gentilibus nos, *Pem. Voſſ.* 2. (b) A contagione, *Pem. Voſſ.* 2. *Bod.* 4. (c) Saxa confringunt, *Lam. Lin. NC.* 1. *Ar. Bod.* 1, 2. 3, 4. (d) Omnium invalitudo, *Pem.* (e) Plus ſibi in ſeculo, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 4. (f) Argentum. Sic Job. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Sariſ. Bod.* 2. 3 4. (g) Nudus egreſſus, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. (h) Matris meæ, *Pem. Voſſ.* 2. *Bod.* 3. (i) Dedit, & *Bod.* 1. (k) Domino placuit, *Voſſ.* 1. *Pem. Bod.* 3. (l) Quoque ejus, *Voſſ.* 1. 2. *Pem.* quoque compelleret, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. (m) Injurioſa, *Pem. Voſſ.* 2. (n) Ineptis, *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (o) Bona excipimus, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3. 4. (p) Mala non, *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Bod.* 3. 4. *Voſſ.* 1. 2. (q) Animadvertiſti ad, *Pem. Voſſ.* 2. (r) Non eſt ſimilis, *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 2. *Voſſ.* 1. (s) Miſericordiæ multa, *NC.* 1. (t) Juſtitiæ tuæ & eleemoſynæ, *Voſſ.* 2. *Pem.* (u) Revelare honorificum, *Sariſ.* (w) Sarra, ego, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Voſſ.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (x) Patienter excipere, *Ar, Bod.* 1, 2, 3, 4.

1 *Morbi iſtius valetudo.*] Nimirum mala valetudo; unde languidi & infirmi dicuntur valetudinarii. Cic. offic. l. 2. ait, *Æſculapius poteſt præſcribere per ſomnum curationem valetudinis.*

2 *Corruptivum iſtud.*] Sic Tert. de reſurrect. carnis c. 41. & alibi paſſim legit.

3 *Nubila ſerena ſuſpendunt.*] Tertul. in Apol. c. 40. *Cum ab imbribus æſtiva hiberna ſuſpendunt, & annus in cura eſt.*

4 *Navem ſcopuloſa ſaxa conſtringunt.*] Sic Tert. Adv. Marc. l. 2. c. 16. *Ferramenta Medici accuſes, quod ſecent, & inurant, & amputent, & conſtringant.*

5 *Sta in juſtitia & timore.*] Hæc non occurrunt in Græcis exemplaribus, ſed habet vulgatus interpres.

6 *Vulneribus quoque & vermibus.*] Sic infra in l. de Patientia, quaſi phthiriaſi laboraſſet. Locus Jobi qui reſpicitur eſt, c. 7. 4. ubi pulveris non minus quam vermium mentio. Sed hæc minime, ſaltem ad vulgi ſententiam, mortuum deſcribunt; in illorum enim ſepulcris nunquam vermes comparent. Quod additur, *nudus etiam ibo ſub terram*, interpretamentum eſt vocum LXX. ἀπειλύσομαι ἐκεῖ.

7 *Et Tobias.*] Vid. quæ dicta in lib. de Orat.

8 *Ego obtuli memoriam.*] Sic Apoc. 8. 3. dicitur *Angelus ſtetiſſe ante altare habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa ut daret de orationibus ſanctorum*, &c.

9 *Et iterum.*] LXX. legunt καὶ πάλιν. Legiſſe videtur Noſter, καὶ πάλιν. Pro *aſſiſtimus* legunt iidem, ὁι ἀναφέρωι τὰς προσευχὰς τῶν ἁγίων.

1 *Deli-*

An. 252. Deum frequentius murmuraret. Sicut teſtatur in Numeris Dominus Deus, dicens: Num. 17. 10.
Deſinat murmuratio eorum à me, & non morientur. (a) Murmurandum non eſt in adverſis, fratres dilectiſſimi, ſed patienter & fortiter (b) quidquid acciderit ſuſtinendum, cum ſcriptum ſit. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & Pſ. 51. 17.
humiliatum Deus non deſpicit. In Deuteronomio quoque moneat per Moyſen Spiritus Deut. 8. 2.
ſanctus & dicat: Dominus Deus tuus vexabit te, & famem injiciet tibi, & cognoſcetur in corde tuo ſi bene cuſtodieris præcepta ejus, ſive non. Et iterum: Tentat vos Dominus Deus veſter, ut ſciat ſi diligitis Dominum Deum veſtrum ex toto corde veſtro, & ex tota anima veſtra. Sic Abraham Deo (c) placuit, quia ut placeret Deo, Gen. 22. 1.
nec amittere filium timuit, nec gerere parricidium recuſavit. Qui filium non potes lege & ſorte mortalitatis amittere; quid faceres ſi filium jubereris occidere?

Calamitates omnis generis, illa fraudæ virtuti inſervuunt.

Ad omnia te paratum facere timor Dei & fides debet. Sit licet rei familiaris amiſſio, ſit de infeſtantibus morbis aſſidua membrorum & cruenta vexatio, ſit de uxore, de liberis, de excedentibus caris funebris & triſtis avulſio, non ſint tibi ſcandala iſta, (d) ſed prælia: nec debilitent aut frangant Chriſtiani fidem, ſed potius oſtendant (e) in colluctatione virtutem; cum contemnenda ſit omnis injuria malorum præſentium: fiducia futurorum bonorum. Niſi præceſſerit pugna, non poteſt eſſe victoria: cum fuerit in pugnæ congreſſione victoriæ, tunc datur vincentibus & corona. Gubernator in tempeſtate dignoſcitur, in acie miles probatur. 1 Delicata jactatio eſt, cum periculum non eſt; (f) conflictatio in adverſis probatio eſt veritatis. Arbor quæ alta radice fundata eſt, ventis incumbentibus non movetur: & navis quæ forti (g) compage ſolida eſt, pulſatur fluctibus, nec foratur: & quando area fruges terit, ventos (h) grana fortia & robuſta contemnunt, inanes paleæ flatu portante rapiuntur. Sic & Apoſtolus Paulus poſt naufragia, poſt flagella, poſt carnis & corporis multa & gravia tormenta, non vexari, ſed (i) emendari ſe dicit adverſis, ut dum gravius affligitur, (k) verius probaretur: Datus eſt mihi, inquit, ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ qui me colaphizet, 2 Cor. 12. 7.
ut non extollar: propter quod ter Dominum rogavi, ut diſcederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam 2 virtus in infirmitate perficitur: quando ergo infirmitas & imbecillitas, & vaſtitas aliqua graſſatur, tunc virtus noſtra perficitur: tunc fi- Eccl. 27. 5.
des, ſi tentata perſtiterit, coronatur, ſicut ſcriptum eſt: Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis. Hoc denique inter nos & ceteros intereſt qui Deum neſciunt, quod illi in adverſis queruntur & murmurant: nos adverſa non avocant à virtutis & fidei veritate, ſed (l) corroborant in dolore. Hoc quod nunc corporis vires ſolutus in fluxum venter eviſcerat: quod in faucium vulnera conceptus medullitus ignis exæſtuat, quod aſſiduo vomitu inteſtina quatiuntur; quod oculi vi (m) ſanguinis inardeſcunt, quod quorundam vel pedes vel aliquæ membrorum partes contagio morbidæ putredinis amputantur; quod per jacturas & damna corporum prorumpente languore vel debilitatur inceſſus, vel auditus obſtruitur, vel cæcatur aſpectus, ad documentum (n) proficit fidei. Contra tot (o) impetus vaſtationis & mortis, inconcuſſis animi virtutibus congredi, quanta pectoris magnitudo eſt, & quanta ſublimitas, inter ruinas generis humani (p) ſtare erectum; nec cum eis quibus ſpes in Deum nulla eſt, jacere proſtratum? (q) Gratulari magis oportet, & temporis munus amplecti, quod dum noſtram fidem (r) firmiter promimus, & (s) labore tolerato ad Chriſtum per anguſtam Chriſti viam pergimus, (t) præmium vitæ ejus & fidei ipſo judicante capiamus.

Mors ſortaſſis ethnicis timenda, minime Chriſtianis.

Mori plane timeat, ſed qui ex aqua & ſpiritu non renatus, gehennæ ignibus mancipatur: mori timeat, qui non Chriſti cruce & paſſione cenſetur: mori timeat, qui ad ſecundam mortem de hac morte tranſibit: mori timeat, quem de ſeculo recedentem perennibus pœnis æterna flamma torquebit: mori timeat, cui hoc mora longiore confertur, ut cruciatus ejus & gemitus interim differantur. Multi ex noſtris in hac mortalitate moriuntur, hoc eſt, multi ex noſtris de ſeculo liberantur. Mortalitas iſta ut Judæis & gentilibus & Chriſti hoſtibus peſtis eſt, ita (u) Dei ſervis ſalutaris exceſſus eſt. (w) Hoc quod ſine ullo diſcrimine generis humani cum injuſtis moriuntur & juſti; non eſt quod putetis bonis & malis interitum eſſe communem: 3 ad refrigerium juſti vocan-

(a) Murmurandum non eſt adverſus Dominum, *Bod.* 4. (b) Si quid acciderit, *Sariſ.* (c) Placuit qui, *Bod.* 1 2. 4. (d) Sed præmia, *Voſſ.* 1. (e) In congreſſione, *Bod.* 3. fidei virtutem, *Bod.* 4. (f) Colluctatio in adverſis probatio eſt virtutis, *Voſſ.* 3. (g) Compage ſolidata, *Lam. Ebor. Voſſ.* 1. 2. 3. *NC.* 1. 2. *Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. (h) Grana fortiora, *Sariſ.* (i) Emendari ſe dixit, *Sariſ. Lam. Ebor. Bod.* 2. 3. (k) Verius comprobetur, *Benev.* (l) Comprobant, *Ar. Sariſ. Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voſſ.* 3. (m) Sanguinis colore, *Voſſ.* 3. (n) Proficit fides, *Bod.* 1. (o) Impetus vaſtitatis, *Ar. Lam. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voſſ.* 3. (p) Stare rectum, *Ver.* (q) Gratulari magis eſt, &, *NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (r) Fortiter promimus, *Benev.* (s) In labore, *Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2. (t) Præmium viæ, *Bod.* 1. 2. 4. (u) Eſt Dei autem, *Lam. Ebor. Voſſ.* 1. 3. Dei autem ſervis, *Lam. Voſſ.* 1. (w) Nam hoc quod, *Voſſ.* 1.

1 *Delicata jactatio.*] Ubi animi cauſa littus legitur, & in portu navigatur.

2 *Virtus in infirmitate.*] Vid. quæ dicta l. 3. ad Quir. c. 5.

3 *Ad refrigerium*] Locutio hæc ab Act. 3. 19. deſumta, ubi mentio habetur καιρῶν ἀναψύξεως, ſive diei univerſalis judicii, quando fideles conſummatiſſima beatitudine in cœlis perfruentur. Interim tamen gaudia illa quæ fidelium animæ ſtatim poſt exceſſum participant, eadem voce ſolent indigitari. Ita hic loci, *refrigerium juſtorum*, & *ſupplicium injuſtorum* opponuntur. Sic Eccleſia Romana Ep. 30. ad Pamelii numeros 31. ait quod Deus *paravit cœlum*, *ſed paravit & tartarum*: *paravit refrigeria*, *ſed paravit etiam æterna ſupplicia.* Quare ſatis inconſulto agunt, qui quoties de refrigerii mortuis comprecatione in veterum ſcriptis aliquid legunt; de purgatorii ignis ardoribus, ſermones haberi contendunt. Præſertim cum preces olim pro mortuis conceptæ; Apoſtolos, Martyres & ipſam Deiparam Virginem, qui certe purgatorio minime addicebantur, reſpiciebant: quod ex omnibus veteribus liturgiis manifeſtum eſt. Notetur porro opera miſericordiæ & ſubſidia pauperibus collata, *refrigeria* paſſim dici.

An. 252. vocantur, ad ſupplicium rapiuntur injuſti: datur (a) velocius tutela fidentibus, perfidis pœna. Improvidi & ingrati ſumus, fratres dilectiſſimi, ad divina beneficia, nec quid nobis conferatur agnoſcimus. Excedunt ecce in pace tutæ cum gloria ſua virgines, venientis Antichriſti minas & corruptelas & lupanaria non timentes: pueri periculum lubricæ ætatis evadunt, ad continentiæ atque innocentiæ præmium feliciter perveniunt: tormenta jam non timet delicata matrona, metum perſecutionis & manus cruciatuſque carnificis, moriendi celeritate lucrata. Pavore mortalitatis & temporis (b) accenduntur tepidi, conſtringuntur remiſſi, excitantur ignavi: deſertores compelluntur, ut redeant: gentiles coguntur, ut credant: 1 vetus fidelium populus ad quietem vocatur: ad aciem recens & copioſus exercitus robore fortiore colligitur, pugnaturus ſine metu mortis cum prælium venerit, qui ad militiam tempore mortalitatis accedit.

Multis de cauſis utilis eſt peſtis.

Quid deinde illud, fratres dilectiſſimi, quale eſt, quam pertinens, quam neceſſarium, quod peſtis iſta & lues, quæ horribilis & feralis videtur, explorat juſtitiam ſingulorum; & mentes humani generis examinat? an infirmis ſerviant ſani, an propinqui cognatos pie diligant, an miſereantur ſervorum languentium Domini, an deprecantes ægros non deſerant Medici, an feroces violentiam ſuam comprimant, an rapaces avaritiæ furentis inſatiabilem ſemper ardorem vel metu mortis extinguant, an cervicem flectant ſuperbi, an (c) audaciam leniant improbi, an pereuntibus caris, vel ſic aliquid (d) divites largiantur & donent, ſine hærede morituri. Ut nihil aliud mortalitas iſta contulerit, hoc Chriſtianis & Dei ſervis plurimum præſtitit, quod martyrium cœpimus libenter appetere, dum mortem diſcimus non timere. Exercitia ſunt nobis iſta, non funera; dant animo fortitudinis gloriam, (e) contemtu mortis præparant ad coronam.

Nec hoc nomine peſtis averſanda, quod à Martyrio excludat.

Sed fortaſſe aliquis opponat & dicat: Hoc me ergo in præſenti mortalitate contriſtat, quod qui paratus ad confeſſionem fueram, & ad tolerantiam paſſionis toto me corde & plena virtute devoveram, martyrio meo privor, dum morte prævenior; Primo in loco non eſt in tua poteſtate, ſed in Dei dignatione martyrium: nec potes te dicere perdidiſſe, quod neſcis an merearis accipere: tunc deinde Deus (f) ſcrutator renis & cordis, & occultorum contemplator & cognitor, videt te, & laudat, & comprobat; & qui perſpicit apud te paratam fuiſſe virtutem, reddet pro virtute mercedem. Numquid Cain cum Deo munus offerret, jam peremerat fratrem? & tamen parricidium mente conceptum Deus providus ante damnavit. Ut illic cogitatio mala, & perniciosa conceptio Deo (g) providente proſpecta eſt: ita & in Dei ſervis, apud quos confeſſio cogitatur, & martyrium mente concipitur, animus ad bonum deditus Deo judice coronatur. (h) Aliud eſt enim martyrio animum deeſſe, aliud animo defuiſſe martyrium. Qualem te invenit Dominus cum (i) vocat, talem pariter & judicat; quando ipſe teſtetur & dicat: Et ſcient omnes Eccleſiæ quia ego ſum ſcrutator renis & cordis. Nec enim Deus (k) ſanguinem noſtrum ſed fidem quærit. Nam nec Abraham, nec Iſaac, nec Jacob occiſi ſunt, & tamen fidei ac juſtitiæ meritis honorati inter Patriarchas primi eſſe meruerunt; ad quorum convivium congregatur quiſquis fidelis & juſtus & laudabilis invenitur. Apo. 2. 23. Matt. 8. 11.

Id unum nobis incumbit, ut ad Dei voluntatem nos componamus.

Meminiſſe debemus voluntatem nos, non noſtram, ſed Dei facere debere; ſecundum quod nos Dominus quotidie juſſit orare. Quam præpoſterum eſt quamque perverſum, ut cum Dei voluntatem fieri poſtulemus, quando evocat nos & accerſit de hoc mundo Deus, non ſtatim voluntatis ejus imperio pareamus. Obnitimur & reluctamur, & pervicacium more ſervorum ad conſpectum Domini cum triſtitia & mœrore perducimur, exeuntes iſtinc neceſſitatis vinculo, non obſequio voluntatis: & volumus ab eo præmiis cœleſtibus honorari, ad quem venimus inviti? Quid ergo oramus & petimus ut adveniat regnum cœlorum, ſi captivitas terrena delectat? Quid precibus frequenter iteratis rogamus & poſuimus, ut (l) acceleret dies regni, ſi majora deſideria, & vota potiora ſunt ſervire iſtic diabolo, quam regnare cum Chriſto?

Notabilis hiſtoria mortis cujuſdam Epiſcopi.

Denique ut manifeſtius divinæ providentiæ indicia clareſcerent, quod Dominus præſcius futurorum ſuis conſulat ad veram ſalutem: cum quidam de collegis & conſacerdotibus (m) noſtris jam infirmitate deſeſſus, & de appropinquante morte ſolicitus commeatum ſibi precaretur, aſtitit deprecanti, & jam pene morienti juvenis honore & majeſtate venerabilis, (n) ſtatu excelſus, & clarus aſpectu, & quem aſſiſtentem ſibi vix poſſet humanus aſpectus oculis carnalibus intueri, niſi quod talem videre jam poterat de (o) ſeculo receſſurus. (p) Atque ille non ſine quadam animi & vocis indignatione infremuit & dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Increpantis vox & monentis eſt: qui 2 de perſecutione ſolicitis, de accerſitione ſecuris, non conſentit ad præſens deſiderium; ſed conſulit in futurum. Audivit frater noſter & collega moriturus, quod ceteris diceret. Nam qui moriturus audivit, (q) ad hoc audivit ut diceret: audivit non

(a) Velociter, *Voſſ.* 3. (b) Acceduntur trepidi, *Benev.* (c) Audaciam comprimant, *Pem. Voſſ.* 2. (d) Divites indigentibus, *Lin. Voſſ.* 3. (e) Cum contemtu, *NC.* 2. (f) Scrutator eſt, *Voſſ.* 2. *Pem. Sariſ. Bod.* 1. 4. (g) Providente perſpecta, *Voſſ.* 3, (h) Aliud eſt martyrio, *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lin.* (i) Evocat, *Bod.* 1. (k) Sanguinem noſtrum deſiderat, *NC.* 2. *Bod.* 3. 4. *Voſſ.* 3. (l) Ad celeres dies regni veniamus, *Bod.* 1. (m) Noſtris infirmitate, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin. Voſſ.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (n) Statura, *Voſſ.* 1. *Bod.* 4 celſus, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin. Bod.* 1. 2. (o) Seculo jam receſſurus, *Bod.* 3. (p) Ad quem ille, *Lam. Ebor NC.* 1. *Bod.* 2. (q) Ob hoc, *Voſſ.* 3.

1 *Vetus fidelium populus.*] Qui fidem à prima juventute receperunt. Sic Act. 21. 16. Mnaſon Cyprius, *antiquus diſcipulus* dicitur.

2 *De perſecutione ſolicitis.*] Martyrii coronam refugiunt, cœleſtia gaudia non expetunt.

1 *Com-*

An. 252. non ſibi ille, ſed nobis. Nam quid diſceret jam receſſurus? didicit (a) imo nobis remanentibus, ut dum (b) ſacerdotem Dei qui 1 commeatum petebat, increpitum eſſe comperimus, quid cunctis expediat (c) agnoſceremus.

Cypriano divinitus revelatum, ut contra mortis metum fratres armaret.

Nobis quoque ipſis minimis & extremis quoties revelatum eſt, quam frequenter atque manifeſte de Dei dignatione præceptum eſt: ut conteſtarer aſſidue & publice prædicarem, fratres noſtros non eſſe lugendos accerſitione Dominica de ſeculo liberatos, cum ſciamus non eos (d) amitti, ſed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiſcentes, ut navigantes ſolent; deſiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas eſſe hic atras veſtes, quando illi ibi 2 indumenta alba jam ſumſerint: occaſionem dandam non eſſe gentilibus, ut nos merito ac jure reprehendant, quod quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos & perditos lugeamus; & fidem quam ſermone & voce depromimus, cordis & pectoris teſtimonio non probemus?

Spei & fidei prævaricatio eſt mortem refugere.

Spei noſtræ ac fidei prævaricatores ſumus; (e) ſimulata, ficta, fucata videntur eſſe quæ dicimus. Nihil prodeſt verbis præferre virtutem, factis deſtruere veritatem. (f) Improbat denique Apoſtolus Paulus, & objurgat, & culpat, ſi qui contriſtentur in exceſſu ſuorum. (g) Nolumus, inquit, ignorare vos fratres de dormientibus, ut non contriſtemini ſicut & ceteri, qui ſpem non habent. Si enim credimus quia Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit: Sic & Deus eos qui dormierunt in Jeſu, adducet cum illo. Eos contriſtari dicit in exceſſu ſuorum, qui ſpem non habent. Qui autem ſpe vivimus; & in Deum credimus, & Chriſtum paſſum eſſe pro nobis, & reſurrexiſſe confidimus, in Chriſto manentes, & per ipſum atque in ipſo reſurgentes; quid aut ipſi recedere iſtinc de ſeculo nolumus, aut noſtros recedentes quaſi perditos plangimus ac dolemus? ipſo Chriſto (h) Domino & Deo noſtro monente ac dicente: Ego ſum reſurrectio & vita; qui credit in me, licet moriatur vivet: & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Si (i) in Chriſtum credimus, fidem verbis & promiſſis ejus habeamus; & non morituri in æternum, ad Chriſtum, cum quo & victuri & regnaturi ſemper ſumus, læta ſecuritate veniamus. Quod interim morimur, ad immortalitatem (k) morte tranſgredimur: nec poteſt vita æterna ſuccedere, niſi hinc (l) contigerit exire: non eſt exitus iſte, ſed tranſitus; & temporali itinere decurſo, ad æterna tranſgreſſus. Quis non ad meliora feſtinet? Quis non mutari & reformari ad Chriſti ſpeciem, & ad cœleſtis gratiæ dignitatem venire citius exoptet? Paulo Apoſtolo (m) prædicante: Noſtra autem (n) converſatio, inquit, in cœlis eſt, unde & Dominum expectamus Jeſum Chriſtum, qui (o) transformabit corpus humilitatis noſtræ, (p) configuratum corpori claritatis ſuæ. Tales nos futuros & Chriſtus Dominus pollicetur, quando ut cum illo ſimus, & cum illo in æternis ſedibus vivamus, atque in regnis (q) cœleſtibus gaudeamus, (r) Patrem pro nobis precatur dicens: Pater quos mihi dediſti, volo ut ubi ego fuero, & ipſi ſint mecum; & videant claritatem quam mihi dediſti prius quam mundus fieret.

1 Theſ. 4. 13.

Jo. 11. 25.

Phil. 3. 20.

Jo. 17. 24.

Juſtiſſima gaudii cauſa, quod mortis interventu Chriſto jungatur fidelis.

Venturus ad Chriſti ſedem, ad regnorum cœleſtem claritatem, lugere non (s) debet & plangere; ſed potius 3 (t) ſecundum pollicitationem Domini, ſecundum fidem veritatis in profectione hac ſua & tranſlatione gaudere. Sic denique invenimus & Enoch tranſlatum eſſe, qui Deo placuit: ſicut in Geneſi teſtatur & loquitur ſcriptura divina: (u) Et placuit Enoch Deo, & non eſt inventus poſtmodum, quia Deus illum tranſtulit. Hoc fuit placuiſſe in conſpectu Dei, de hoc contagio ſeculi meruiſſe transferri. Sed & per Solomonem docet Spiritus ſanctus, eos qui Deo placeant, maturius iſtinc eximi, & citius liberari; ne dum in iſto mundo diutius immorantur, mundi contactibus polluantur. Raptus eſt, inquit, ne malitia mutaret intellectum illius: placita enim erat Deo anima ejus: propter hoc properavit educere eum (w) de medio iniquitatis. Sic & in Pſalmis ad Dominum properat ſpiritali fide Deo ſuo anima (x) devota, dicens: Quam dilectiſſimæ habitationes tuæ Deus virtutum, deſiderat & properat anima mea ad (y) atria Dei. Ejus eſt in mundo diu velle remanere, quem mundus oblectat, quem ſeculum blandiens atque (z) decipiens, illecebris terrenæ voluptatis invitat.

Gen. 5. 24. Heb. 11. 5.

Sap. 4. 11.

Pſ. 84. 1.

Quod etiam à mundi hoſtili incurſu liberetur.

Porro cum mundus oderit Chriſtianum; quid amas eum qui te odit, & non magis ſequeris Chriſtum qui te & redemit & diligit? Joannes in epiſtola ſua clamat & loquitur: & ne carnalia deſideria ſectantes mundum diligamus, hortatur: Nolite, inquit, diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis dilexerit mundum, non eſt cari-

1 Jo. 2. 15.

(a) Imo remanentibus, *Sar. Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Lin. Voſſ.* 1. 2 *Bod* 1, 2, 3, 4. (b) Sacerdotem qui, *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. (c) Noſceremus, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (d) Non amitti, ſed recedentes præcedere, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (e) Si ſimulata, ficta, *Voſſ.* 1. *Bod.* 4. (f) Increpat, *Voſſ.* 2. *Pem. forte legendum*, improperat. (g) Nolo inquit, *Bod.* 1. 3. (h) Domino noſtro monente, *Voſſ.* 1. *NC.* 2. (i) In Chriſto, *Sariſ.* (k) Morte tranſimus, *Pem. Voſſ.* 2. *Bod.* 4. (l) Contingat, *Bod.* 3. 4. (m) Prædicante & dicente, *Voſſ.* 2. *Pem.* (n) Converſatio cœleſtis, *Sariſ.* (o) Reformabit, *Lam. Ebor. Voſſ.* 3. (p) Conformatum, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 3. 4. (q) Sedibus gaudeamus, *Sariſ.* (r) Sic patrem pro, *Voſſ.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (s) Debet nec plangere, *Voſſ.* 1. 2. *Pem. NC.* 2. *Bod.* 3. 4. *Neap.* (t) Ad pollicitationem, *Voſſ.* 3. (u) Et placuit, inquit, *Lam. Ebor. NC.* 1. (w) De media iniquitate, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. 2. (x) Devota ſicut ſcriptum eſt, *NC.* 1. 2. *Ebor. Lam. Bod* 2. (y) Atria tua Deus, *Ver.* (z) Decipiens impedit &, *Voſſ.* 2. *Pem.*

1 *Commeatum petebat.*] Veniam abſentiæ longioris à Domino: hoc eſt vitæ hic in terris moram.

2 *Indumenta alba jam ſumſerint.*] Veſtem Agni nuptialem. Unde Apoc. 3. 5. dicitur. *Qui vicerit, ſic veſtietur in veſtimentis albis.* Horum præludia, candidæ Baptizatorum veſtes.

3 *Secundum pollicitationem.*] Ut ſuadet Domini ſtatus felicisſimi pollicitatio, & ut poſtulat certa fiducia, *&c.* neque enim alicubi promiſit Dominus hæc à fidelibus præſtanda.

An. 252. caritas Patris in illo: quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est & concupiscentia oculorum, & ambitio seculi, quæ non est à Patre, sed ex concupiscentia mundi; & mundus transibit & concupiscentia ejus: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, 1 quo modo & Deus manet in æternum. Potius, fratres dilectissimi, mente integra, fide firma, virtute robusta, (a) parati ad omnem voluntatem Dei simus: pavore mortis excluso, immortalitatem quæ (b) sequitur, cogitemus. Hoc nos ostendamus esse quod credimus, ut neque carorum lugeamus excessum: & cum accersitionis propriæ dies venerit, incunctanter & libenter ad Dominum ipso vocante veniamus.

Præsertim cum jam in fine seculi mala gravissima impendeant.

Quod cum semper faciendum fuerit Dei servis, nunc fieri multo magis debet, corruente jam mundo, & malorum infestantium turbinibus obsesso; ut qui cernimus cœpisse jam gravia, & scimus imminere graviora, lucrum maximum computemus, si istinc velocius recedamus. Si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent, tecta desuper tremerent, domus jam fatigata, jam lassa, ædificiis senectute labentibus ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate (c) migrares? Si navigante te turbida & procellosa tempestas fluctibus violentius excitatis, prænunciaret futura naufragia; nonne portum velociter peteres? 2 Mundus ecce nutat & labitur; & ruinam sui non (d) jam senectute rerum, sed fine testatur: & tu non Deo gratias agis, non tibi gratularis; quod exitu maturiore subtractus, ruinis, & naufragiis, & plagis (e) imminentibus exuaris?

Baptismale votum animis nostris perpetuo debet obversari; una cum fratu ad quem anhelamus.

Considerandum est, fratres dilectissimi, & identidem cogitandum, renunciasse nos mundo, & tanquam hospites & peregrinos (f) isthic interim degere. 3 Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo; qui nos istinc ereptos, & laqueis secularibus exsolutos paradiso restituit, (g) & regno cœlesti. Quis non peregre constitutus properaret in patriam regredi? Quis non ad suos navigare festinans, ventum prosperum (h) cupidius optaret, ut velociter caros liceret amplecti? (i) Patriam nostram paradisum computemus, parentes Patriarchas habere jam cœpimus; quid non properamus & curramus; ut patriam (k) nostram videre, ut parentes salutare possimus? Magnus illic 4 nos carorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua (l) immortalitate secura, (m) & adhuc de nostra salute solicita. Ad horum conspectum & complexum venire, quanta & illis & nobis in commune lætitia est? Qualis illic cœlestium regnorum voluptas sine timore moriendi, & cum æternitate vivendi? quam summa & perpetua felicitas? Illic Apostolorum glorioſus chorus: illic Prophetarum exultantium numerus: illic martyrum innumerabilis populus ob certaminis & passionis victoriam coronatus: triumphantes illic virgines, quæ concupiscentiam carnis & corporis, continentiæ robore subegerunt: remunerati misericordes, qui alimentis & largitionibus pauperum justitiæ opera fecerunt: qui Dominica præcepta servantes, ad cœlestes thesauros terrena patrimonia transtulerunt. Ad hos, fratres dilectissimi, avida cupiditate properemus; ut cum (n) his cito esse, ut cito ad Christum venire contingat, optemus. Hanc cogitationem nostram Deus videat, hoc propositum mentis & fidei Dominus Christus aspiciat; daturus eis (o) gloriæ suæ ampliora præmia, quorum circa se fuerint desideria majora.

(a) Parati ad omnem tolerantiam, *Voss.* 3. (b) Sequitur, collimemus, *Sarisb.* (c) Ex ea migrares, *Bod.* 4. (d) Tam senectute rerum quam, *Sarisb.* (e) Imminentibus eximaris, *Bod.* 3. (f) Hic interim, *Lam. Sarisb. Bod.* 1, 2, 3, 4. (g) Et Regno. Quis, *Lam. Ebor. Sarisb. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voss.* 3. (h) Cupidus, *Bod.* 1. 4. exoptat, *Sarisb. Voss.* 3. (i) Patriam nos nostram, paradisum computemus, *Bod.* 2. (k) Nostram videamus, *Bod.* 3. 4. (l) Incolumitate secura, *Ar. Lam. Ebor. Voss.* 1. 2. *Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.* (m) Sed adhuc, *Voss.* 1. (n) Iis quoque esse possimus, *Bod.* 3. (o) Claritatis suæ, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Vat. Voss* 3.

1 *Quomodo Deus manet in æternum.*] Vid. quæ dicta l. 3. ad Quirin. c. 11.

2 *Mundus ecce nutat & labitur.*] Vix alia de causa graviorem invidiam sibi conflabant Christiani, quam quod male ominarentur de rebus humanis. Nec quidem temere in hanc sententiam venerunt; siquidem Apostoli non modo *finem rerum omnium instare*, & *ultimos venisse dies* passim testentur; sed addant insuper, *ultimam advenisse horam.* 1 Jo. 2. 18. In l. de resurrectione carnis c. 22 ait Tertullianus. *Vota nostra suspirant in seculi hujus occasum*, &c. Cum vero ad Gentiles scribit, ut ipsos demulceret Apol. c. 32. è contra ait. *Est & alia major necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni statu imperii, rebusque Romanis, qui vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam seculi acerbitates horrendas comminantem, Romani imperii commeatu scimus retardari.*

3 *Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo.*] Mortis dies recte dicitur particularis judicii dies; quemadmodum mundi finis, universalis perhibetur: tertium aut diem aut locum prorsus ignoravit pia Antiquitas.

4 *Nos carorum numerus expectat.*] Quanquam cœlo receptæ animæ seculi hujus curis non vacent; ut suis felicitatem eandem exoptent & demum gratulentur, nihil est quod impediat: *caritas* enim *nunquam excidit.* Quæ postea sequuntur, de *Apostolorum glorioso choro*, *Prophetarum exultantium numero*, & *Martyrum innumerabili populo*, ansam dedisse videntur iis quæ occurrunt in Hymno Ambrosiano, qui *Te Deum*, appellatur.

D. CÆCI-

D. CÆCILII CYPRIANI

AD FORTUNATUM [1] DE

[a] EXHORTATIONE MARTYRII.

PRÆFATIO.

An. 252. DEsideraſti, Fortunate cariſſime, ut quoniam perſecutionum & preſſurarum pondus incumbit, & [b] in fine atque in conſummatione mundi, Antichriſti tempus infeſtum appropinquare nunc cœpit, [c] ad præparandas & corroborandas fratrum mentes de divinis ſcripturis hortamenta componerem, quibus milites Chriſti ad cœleſte & ſpiritale certamen animarem. Obtemperandum fuit deſiderio tuo tam neceſſario, ut quantum ſufficit [2] mediocritas noſtra auxilio divinæ inſpirationis inſtructa, quaſi arma ac munimenta quædam pugnaturis fratribus, de præceptis Dominicis promerentur. Parum eſt enim quod Dei plebem claſſico noſtræ vocis erigimus; niſi credentium fidem, & dicatam Deo devotamque virtutem, divina lectione firmemus. Quid autem potius aut majus curæ noſtræ ac ſolicitudini congruit; [d] quam ut commiſſum nobis divinitus populum, & exercitum in caſtris cœleſtibus conſtitutum, adverſus diaboli tela & jacula, exhortationibus aſſiduis præparemus? Neque enim idoneus poteſt eſſe miles ad bellum, qui non exercitatus prius in campo fuerit. [e] Aut qui agoniſticam coronam quærit adipiſci, in ſtadio coronabitur, niſi uſum, & peritiam virium ante meditetur. Adverſarius vetus eſt, & hoſtis antiquus, cum quo [f] prælium gerimus. [3] Sex millia annorum jam pene complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia genera tentandi, & artes atque [4] inſidias dejiciendi uſu ipſo vetuſtatis edidicit. Si imparatum invenerit militem Chriſti, ſi rudem, [g] ſi non ſolicitum ac toto corde vigilantem, circumvenit neſcium, fallit incautum, [h] decipit imperitum. Si vero quis Dominica præcepta cuſtodiens, & fortiter [i] Chriſti veſtigiis adhærens, contra eum ſteterit, vincatur neceſſe eſt: quia Chriſtus quem confitemur, invictus eſt. Ac ne in longum ſermonem meum extenderem, frater cariſſime, & au-

(a) De bono martyrii. lege in pace, frater cariſſime, hiſque temporibus noſtra tempora conferens, tacitus ingemiſce, *NC* 2. (b) In finem & conſummationem, *Bod.* 1. 4. (c) Ad præparandas fratrum, *Voſſ.* 1. (d) Quam commiſſum, &c. præparare, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Voſſ.* 1. 2. (e) Aut quis, *Bod.* 1. (f) Bellum gerimus, *Lin.* geritur, *Bod.* 1. (g) Si non ſolicito, *Ar. Lam. Ebor. Ver. Voſſ* 3. (h) Decipit imparatum, *Lam. NC.* 1 *Ebor. MR.* (i) Chriſto adhærens, *Ar. Lam. Ebor. MR. Bod.* 1, 2, 3, 4.

1 *De Exhortatione Martyrii.*] Conſimili forma Tertull. inſcripſit libellum, *De Exhortatione caſtitatis.* Ex Cypriani ſcriptis vix aliquod luculentius à Pontio laudatum. *Quis*, inquit ille, *Martyras tantos exhortatione divini ſermonis erigeret? Quis denique tot confeſſores frontium notatarum ſecunda inſcriptione ſignatos, & ad exemplum martyrii ſuperſtites reſervatos, incentivo tubæ cœleſtis animaret?* Revera epiſtolæ ad eximios confeſſores, Moyſen & Maximum, nec non ad Thibaritanos; ut & aliæ nonnullæ, in hoc totæ verſantur, ut ad martyrium accendant. Sed ut *ſermone divino, & tubæ cœleſtis incentivo*, exhortatio peragatur, ſcripti hujus peculiaris videtur character; & qui inſtituto librorum ad Quirinum plane reſpondet. Porro loca S. ſcripturæ eodem modo utrobique laudata, auctorem eundem aperte profitentur. Quis vero fuerit is Fortunatus cui liber hic inſcribitur, non promtum fuerit dicere, cum plures ejuſdem nominis in Cypriani ſcriptis occurrant: & demum fieri poſſit, ut ad alium hæc pertineant, diverſum ab omnibus alicubi memoratis. Putarem tamen hæc Epiſcopum illum reſpicere ad quem Ep. 56. ad Pam. num. 53. dirigitur: & forte qui in Carthaginenſi ſynodo, Fortunatus à Thuccabori dicitur. Demum exaratum cenſeo occaſione perſecutionis ſub Gallo & Voluſiano recrudeſcentis, de qua viſis cœleſtibus admonitus Cyprianus, alios admonere non deſtitit. Deciana clades inexpectata graſſatione obvios quoſque oppreſſit, ut de lapſis reſtituendis unica maneret cura; quæ vero ſub Valeriano & Gallieno ſucceſſerunt, ſeræ nimis videntur, pro martyris noſtri diligentia, ut remedia huc uſque fuerint dilata. Relinquitur ergo ut ad intermedium hoc tempus, nimirum ad annum 252. libelli iſtius natales ſint referendi. Quod ex D. Hieron. Ep. ad Pammach. c. 50. à quibuſdam aſſertur, ut ſuaderi poſſit D. Hilar. tractatus hujus fuiſſe auctorem, ſiquidem libri ejus ad Fortunatum habetur mentio, nullius videtur momenti; ſiquidem ſi quis Hilarii ævum ſpectet, non admodum opportunus tunc temporis ſub imperatoribus Chriſtianis de Martyrio adverſus gentilium furores liber. Porro lubrica prorſus ex Perſonæ nomine probatio; inſuper nec Fortunati qui vitam filiæ Hilarii ſcripſit tempora reſpondent; & demum in plurimis Exemplaribus Hieron. MSS. non Hilarii nomen, ſed Cypriani reponitur. Haud interim facile eſt conjicere quid Pamelio in mentem venerit, ut diceret Remboldum primum omnium tractatum hunc edidiſſe, cum in Spirenſi editione, arti typographicæ coæva, & etiam in veteri innominata, quæ certe Remboldum longe præceſſit, compareat.

2 *Mediocritas noſtra, auxilio divinæ inſpirationis inſtructa.*] Quicquid gratiæ divinæ præſidio factum, id inſpirationi imputat Auctor noſter. Ita Tertull. l. de Patientia c. 1. ait. *Bonorum quorundam, ſicuti & malorum, intolerabilis magnitudo eſt: ut ad capienda & præſtanda ea, ſola gratia divinæ inſpirationis operetur.*

3 *Sex millia annorum jam pene complentur.*] Calculum veterem, & ſuis temporibus in Africa receptum ſequitur Auctor noſter; nimirum qui æram Chriſtianam anno mundi 5500. aſſignat; cui numero ſi 252. anni addantur, conſurgent 5752. quæ non longe abeunt à 6000. Notum vero eſt, in numeris recenſendis ad proximos integros recurri ſolitum. Dixerat D. Petrus 2. Ep. 3 8. *Mille annos apud Deum, haberi ſicut dies unus*; & exinde à veteribus creditum, Hexamero finito ſabbatum æternum, & mundi finem ſuccedere. Porro cum Dominus promiſiſſet, Matt. 24 22. *Electorum cauſa dies iſtos abbreviandos* fore, non temere omnium fere animis inſederat opinio. *Conſummationem mundi, & Antichriſti tempus inſeſtum inſtare.* Vid. quæ hac de re dicta in l. de Mortal.

4 *Inſidias dejiciendi.*] *Colluctatio noſtra*, inquit Apoſtolus, Eph. 6. 12. *Non eſt adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates*, &c.

An. 252. & audientem vel legentem ſtili latioris copia fatigarem, compendium feci; ut 1 propoſitis titulis, (a) quos quis & noſſe debeat & tenere, capitula dominica ſubnecterem, & id quod propoſueram divinæ lectionis auctoritate ſolidarem; ut non tam tractatum meum videar tibi miſiſſe, quam materiam tractantibus præbuiſſe. Quæ res in uſum ſingulis proficit utilitate majore. Nam ſi confectam & paratam jam (b) veſtem darem, veſtis eſſet mea, qua alius uteretur; & forſitan non pro (c) habitudine ſtaturæ & corporis res alteri facta, minus congruens haberetur. Nunc vero de agno, per quem redemti ac vivificati ſumus, 2 lanam ipſam & purpuram miſi, quam cum acceperis, tunicam tibi pro voluntate conficies, (d) & plus ut in domeſtica tua atque in propria veſte lætaberis: & ceteris quoque ut conficere & ipſi pro arbitrio ſuo poſſint, quod miſimus exhibebis; ut vetere illa nuditate contecta, perferant omnes indumenta Chriſti, cœleſtis gratiæ ſanctificatione veſtiti. Nec non & illud conſilium, frater cariſſime, utile & ſalubre proſpexi; in exhortatione tam neceſſaria quæ martyres faciat, amputandas eſſe verborum noſtrorum moras & tarditates, atque ambages ſermonis humani ſubtrahendas; ponenda ſola illa quæ Deus loquitur, quibus ſervos ſuos ad martyrium Chriſtus hortatur. Præcepta ipſa divina velut arma pugnantibus ſuggerenda ſunt. Illa ſint militaris tubæ hortamenta, illa pugnantibus claſſica. Inde aures erigantur, inde inſtruantur mentes, inde & animi & corporis vires ad omnem paſſionis tolerantiam roborentur. Nos tantum qui 3 Domino permittente primum baptiſma credentibus dedimus, ad aliud quoque ſingulos (e) præparemus, inſinuantes & docentes hoc eſſe baptiſma in gratia majus, in poteſtate ſublimius, in honore pretioſius: baptiſma in quo 4 Angeli baptizant, (f) baptiſma in quo Deus & Chriſtus ejus exultant, baptiſma poſt quod nemo jam peccat, baptiſma quod 5 fidei noſtræ incrementa conſummat, baptiſma quod nos de mundo recedentes 6 ſtatim Deo copulat. In aquæ baptiſmo accipitur 7 peccatorum remiſſa; in ſanguinis corona virtutum. Amplectenda res eſt & optanda, & omnibus poſtulationum noſtrarum precibus expetenda, ut qui (g) ſervi Dei ſumus, 8 ſimus & amici.

(*a*) Quos quiſquis, *Bod.* 1. 3. (*b*) Veſtem miſiſſem, *Ver.* (*c*) Habitu ſtaturæ, *Voſſ.* 1. 3. (*d*) Et plus in, *Bod.* 3. 4. (*e*) Præparemus, inſtruentes, *Ver.* (*f*) Baptiſma paſſionis in quo Deus & Chriſtus ejus exultant, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ar. Ben. Bod.* 1. (*g*) Servi Dei ſuimus, *Ver. Ben. Bod.* 1, 2, 3, 4. *MR.*

1 *Propoſitis titulis.*] Illa ergo exemplaria ad mentem Auctoris maxime videntur accedere, quæ titulos hoſce, ſimul ſemelque in libri principio exhibent.

2 *Lanam & purpuram.*] In oblationibus quæ in Tabernaculi uſum admittebantur Exod. 25. erant *Hyacinthus*, *Purpura*, *Coccinum*, *cum Byſſo*: Sed in Eccleſiæ Chriſtianæ ornatum, ſufficiunt innocentiæ & martyrii colores.

3 *Domino permittente primum baptiſma credentibus dedimus.*] Baptiſma olim, non niſi ex mandato Epiſcopi celebratum. οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν, οὔτε ἀγάπην ποιεῖν, &c. Inquit Ignatius Ep. ad Smyrn. Unde in Eccleſia ſolum qua ipſe ſedebat, erat baptiſterium. Martyrium, baptiſmi nomen, ex Domini verbis accepit, Matt. 20. 22.

4 *Angeli baptizant.*] Qui ſuſceptorum munere funguntur; & martyrum animas ſanguinis lavacro exemtas in cœlum portant; vid. Luc. 16. 22.

5 *Fidei noſtræ incrementa conſummat.*] De hac τελειώσει vid. Luc. 13. 32. & Heb. 2. 10.

6 *Statim Deo copulat.*] Tertulliani verbis l. de Patient. c. 23. *producit ad ipſum divinæ ſedis aſcenſum*: dum fideles alii longius conſiſtunt, & præſentia gaudia, venturi diei judicii expectatione diluunt. In Apologet. ait Septimus, Martyrio *Dei totam gratiam redimi, & omnem veniam expediri.* Nimirum criminum etiam poſt baptiſmum admiſſorum notas eluit lavacrum ſanguinis; quemadmodum Aquæ luſtratio univerſa expiat delicta quæ præceſſerunt: idque feliciſſimo præjudicio, ut reus nulla inquiſitione habita liberetur, nulla lata ſententia abſolvatur. Hoc eſt quod Epiſt. ad Antonian. & alibi dicit Auctor noſter, *Martyres ſtatim virtutis & fidei accipere mercedem, & ſtatim coronari.*

7 *Peccatorum remiſſa.*] Vid. quæ dicta in l. de Orat. Dom. p. 101. Phraſis pariter adhibita l. de Patient. & Epiſt. 19. ad Pam. numeros 14. Baptiſma peccata delet, martyrium pietatem remunerat.

8 *Simus & amici.*] Martyres *perfecti ſunt in dilectione.* 1 Jo. 4. 18. Unde Tertullianus in illum Joannis locum, Scorpiac. c. 12. ait. *Perfecta dilectio foras abjicit timorem, quoniam timor pœnam habet, & qui timet non eſt perfectus in dilectione. Quem timorem intelligi præſtat niſi negationis auctorem? quam dilectionem perfectam affirmat, niſi fugatricem timoris, & animatricem confeſſionis? Qua pœna timorem puniat*, (non, *quam pœnam* ut habetur in impreſſis) *niſi quam negator relaturus eſt, cum corpore & anima occidendus in gehennam?* Hinc martyres amicitiæ jure, Domini lateri perpetuo aſſiſtunt; & *ſequuntur Agnum quocunque ierit*, Apoc. 14. 4.

CAPI-

CAPITULA LIBRI SEQUENTIS.

I. In exhortandis itaque ac (a) præparandis fratribus noſtris, virtutis ac fidei firmitate ad præconium Dominicæ confeſſionis, atque ad prælium (b) perſecutionis & paſſionis armandis, primo in loco dicendum eſt, idola Deos non eſſe, quæ homo ſibi faciat. Neque enim quæ fiunt, factore ſuo & fabricatore majora ſunt; aut protegere & ſervare quemquam poſſunt, quæ ipſa de templis ſuis pereunt, niſi ab homine ſerventur. Sed nec elementa colenda eſſe vice Deorum, quæ homini ſecundum diſpoſitionem & præceptum Dei (c) ſerviunt.

II. Deſtructis idolis & elementorum ratione (d) monſtrata, oſtendendum Dominum ſolum colendum eſſe.

III. Tunc addendum quæ comminatio Dei ſit adverſus eos, qui idolis (e) ſacrificant.

IV. Præterea docendum non facile ignoſcere Deum idololatris.

V. Et quod ſic idololatriæ indignetur Deus, ut præceperit etiam eos interfici, qui ſacrificare & ſervire idolis ſuaſerint.

VI. Subjungendum poſt hæc, quod redemti ac vivificati Chriſti ſanguine, nihil Chriſto præponere debeamus: quia nec ille quidquam nobis præpoſuerit: (f) & ille propter nos mala bonis prætulerit; paupertatem divitiis, ſervitutem dominationi, mortem immortalitati. Nos contra in paſſionibus noſtris paupertati ſeculari paradiſi divitias & delicias (g) præferamus; dominatum & regnum æternum temporariæ ſervituti, immortalitatem morti, Deum & Chriſtum diabolo & antichriſto.

VII. Inſinuandum quoque, ne erepti de faucibus diaboli, & de laqueis ſeculi (h) liberati, ſi in anguſtiis & preſſuris eſſe cœperint, regredi denuo ad ſeculum velint, & 1 perdant quod evaſerint.

VIII. Inſiſtendum potius eſſe & perſeverandum in (i) fide & virtute, & cœleſtis ac ſpiritalis gratiæ conſummatione, ut ad palmam & coronam poſſit perveniri.

IX. Ad hoc enim preſſuras & perſecutiones fieri ut probemur.

X. Nec timendas eſſe injurias, & pœnas perſecutionum; quia major eſt Dominus ad protegendum, quam diabolus ad impugnandum.

XI. Ac ne expaveſcat quis & conturbetur ad preſſuras & perſecutiones, quas patimur in iſto mundo, (k) probandum ante prædictum eſſe, quod nos mundus odio habiturus eſſet, & quod perſecutiones adverſum nos excitaret, ut (l) ex hoc ipſo quod hæc fiant, manifeſta ſit fides divinæ pollicitationis, in mercedibus & præmiis poſtmodum ſecuturis. Nec novum quid accidat Chriſtianis, quando ab initio mundi boni laboraverint, & oppreſſi atque occiſi ſint juſti ab injuſtis.

XII. In noviſſima parte ponendum eſt, quæ ſpes & quæ merces maneat juſtos & martyres poſt conflictationes hujus temporis & paſſiones. Et quod plus accepturi ſimus in paſſionis remuneratione, quam quod hic ſuſtinemus in ipſa paſſione.

(a) Parandis, *Ver.* reparandis, *Voſſ.* 3. (b) Perſecutionis armandis, *Ar. NC.* 1. *Lam. Ebor.* (c) Serviunt ei, *Ar.* (d) Proſtrata, *Ar. Ben.* (e) Serviunt, *Voſſ.* 3. (f) Et hic, *Lin.* (g) Proponamus. *Ver.* (h) Liberati, in anguſtiis & preſſuris eſſe cum, *Bod.* 3. 4. (i) Fide & veritate, *Vat.* (k) Probatum jam & prædictum, *Bod.* 4. (l) Et hoc, *Voſſ.* 3.

1 *Perdant quod evaſerint.*] Profectus, quos fecerunt, amittant. Tertul. de Anim. ait illam *varie per accidentia evadere:* hoc eſt, promoveri: & de Patient. *hominem evadere ad ſalutem*, hoc eſt *procedere:* & eodem fere ſenſu paſſim, ſimiliter Virgilius, *Evado ad ſummi faſtigia culminis.* Aut forte vox adhibetur, in notatione qua ſignificat, *eſſe*, aut *fieri*, ut ſenſus ſit. Qui ad ſeculum redeunt poſtquam Chriſtiani evaſere; Chriſtianiſmo excidunt.

D. CÆCILII CYPRIANI

DE

EXHORTATIONE MARTYRII.

CAPUT PRIMUM.

An. 252. Oſtenditur in Pſalmo 113. Idola gentium argentum & aurum, (a) opera manuum hominum. Os habent & non loquuntur, oculos habent & non vident. Au- Pſ. 113. 4.

Quod idola Dii non ſint. nec elementa vice Deorum colenda ſint.

res habent & non (b) audiunt, neque enim eſt ſpiritus in ore ipſorum. Similes 134. 15.
(c) illis fiant qui (d) faciunt ea. Item in Sapientia Solomonis: Omnia idola nationum Sap. 15. 15.
æſtimaverunt Deos, quibus neque oculorum uſus eſt ad videndum, neque nares ad
(e) percipiendum ſpiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti in manibus ad
tractandum, ſed & pedes eorum eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit il-
los, & qui ſpiritum mutuatus eſt, (f) finxit illos. Nemo autem ſibi ſimilem homo po-
terit Deum fingere; cum ſit enim mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior
eſt autem ipſe [1] iis quos colit, quoniam ipſe quidem vixit, illi autem nunquam. Item
in Exodo: Non facies [2] tibi idolum, nec cujuſquam ſimilitudinem. Item apud Solo- Exod. 20. 4.
monem de elementis: Neque opera attendentes, agnoverunt quis eſſet artifex, ſed Sap. 13. 1.
aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam,
aut ſolem, aut lunam rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Quorum ſi
propter ſpeciem hoc æſtimaverunt, ſciant quanto iis Dominus ſit ſpecioſior: aut ſi
virtutes & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab ipſis, quoniam qui (g) hæc con-
ſtituit fortia, fortior eſt illis.

Quod Deus ſolus colendus ſit.

II. (h) Scriptum eſt in Deuteronomio: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli Deut. 6. 13.
ſervies. Item in Exodo: Non erunt tibi Dii alii abſque me. (i) Item in Deuterono- Exod. 20. 3.
mio: Videte quia (k) ego ſum, & non eſt Deus præter me. (l) Ego interimam & vi- Deut. 32.
vere faciam, percutiam & ego ſanabo, & non eſt (m) qui eripiat de manibus meis. 39.
Item in Apocalypſi: Et vidi alium angelum volantem in medio cœlo, habentem Evan- Apoc. 14. 6.
gelium æternum, ut annunciaret ſuper terram & (n) ſuper omnes nationes, & tribus,
& linguas, & populos, dicentem voce magna: (o) Metuite potius Deum, & date illi
claritatem, quoniam venit hora judicii ejus; & adorate eum qui fecit cœlum & terram
& mare, [3] & omnia quæ in eis ſunt. Sic & Dominus in Evangelio commemoratio-
nem facit primi & ſecundi præcepti dicens: Audi Iſraël, Dominus Deus tuus, Deus Marc. 12.
unus eſt: Et diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, 29.
& de tota virtute tua; hoc primum, & ſecundum ſimile huic. Diliges proximum Matt. 22.
(p) tuum tanquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet & Prophetæ. Et ite- 39.
rum: Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum & verum Deum, & quem Jo. 17. 3.
miſiſti Jeſum Chriſtum.

Quæ commi natio Dei ſit adverſus eos qui idolis ſa crificant.

III. (q) In Exodo: Sacrificans Diis eradicabitur, niſi Domino ſoli. Item in Deu- Exo. 22. 20.
teronomio: Sacrificaverunt dæmoniis, & non Deo. Item apud Eſaiam: Adoraverunt Deut. 32.
Deos, quos fecerunt digiti eorum, & curvatus eſt homo, & humiliatus eſt vir, & 17.
non (r) laxabo illis. Et iterum: Illis fudiſtis libamina, & illis impoſuiſtis ſacrificia. Iſ. 2. 8. 57.
Super hæc ergo non indignabor, dicit Dominus? Item apud Hieremiam: Nolite am- 6.
bulare poſt Deos alienos ut ſerviatis eis, & ne adoraveritis eos, & ne incitetis me in Jerem. 7. 6.
operibus manuum veſtrarum ad (s) diſperdendos vos. Item in Apocalypſi: Si quis
(t) adorat beſtiam & imaginem ejus, & (u) accipit notam in fronte ſua, & in manu, Apoc. 14.
bibet 9.

(a) Opus, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lin. NC.* 1. 2. *Ver.* (b) Audiunt, nares habent & non odorabunt, manus habent & non palpabunt, non clamabunt in gutture ſuo, *Lin.* (c) Illis ſint, *Ben. Ver. Lam. Ebor.* ſunt, *Voſſ.* 3. (d) Faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis, *Bod.* 3. (e) Accipiendum ſpiritum, *Bod.* 4. (f) Is finxit illos, *Voſſ.* 1. (g) Hæc conſtituit fortior eſt illis, *Bod.* 1 2. 4. (h) Sicut ſcriptum eſt: Dominum, *Lam. Ebor. Lin. Voſſ.* 1. *Bod.* 1, 2. 3, 4. (i) *Sic*, *Voſſ. Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Imp.* illic. *ſed male.* (k) Ego ſum Dominus, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (l) Ego occidam, *Bod.* 1. 3. 4. (m) Qui poſſit eruere de manu mea, *Voſſ.* 1. 3. (n) Per omnes nationes, *Ben. Ver.* (o) Servite potius Domino, *Voſſ.* 1. *Bod.* 3. *Voſſ* 3. (p) Proximum tibi, *Lam. Ebor. NC.* 1. (q) *Sic Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ar. Lam. Ebor Lin.* legitur in, *Imp. Voſſ.* 3. (r) Laxabo illis dicit Dominus, *Ar. NC.* 1. *Lam. Ebor. Bod.* 2. (s) Diſpergendos, *Voſſ.* 3. (t) Adoraverit, *Bod.* 1. 3. 4. (u) Accepit, *Bod.* 1.

1 *Iis quos colit.*] In Græco habetur, τῶν σεβασμάτων αὐτῶ. Eadem voce utitur D. Paulus Act. 17. 23. & 2. Theſ. 2. 4.

2 *Tibi idolum.*] Sic LXX. εἴδωλον, non γλυπτόν reddit; nec enim refert an arte ſtatuaria an pictoria fiat quod colitur.

3 *Et omnia quæ in eis ſunt.*] In Græco habetur, καὶ πηγὰς ὑδάτων; quam lectionem Codicis MSS. agnoſcunt.

1 *Rogat*

An. 252. bibet & ipſe de vino iræ Dei mixto in poculo iræ ejus, & punietur igne & ſulphure ſub oculis ſanctorum Angelorum, & ſub oculis agni; & fumus de tormentis eorum in ſecula ſeculorum aſcendet. Nec habebunt requiem die ac nocte quicunque adorant beſtiam & imaginem ejus.

Non facile ignoſcere Deum idololatris.

IV. Moyſes in Exodo pro populo 1 rogat nec impetrat: Precor, ait, Domine deliquit populus hic delictum grande: fecerunt ſibi deos (a) aureos: & nunc ſi dimittis illis delictum, dimitte: ſin autem, dele me de libro quem ſcripſiſti. Et dixit Dominus ad Moyſen: Si quis deliquit ante me, deleam eum de libro meo. Item cum Hieremias pro populo deprecaretur, Dominus ad eum loquitur dicens: Et tu noli orare pro populo hoc, & noli poſtulare pro ipſis in prece & oratione; quia non exaudiam 2 in tempore quo invocabunt me, in tempore afflictionis ſuæ. Ezechiel quoque hanc eandem denunciat indignationem Dei eis, qui (b) in Deum delinquunt: Et fuit, inquit, verbum Domini ad me dicens: Fili hominis terra quæcunque peccaverit mihi, ut delinquat delictum, extendam manum meam ſuper eam, & obteram ſtabilimentum (c) panis, & immittam in eam famem, & auferam de ea hominem & pecora. Et ſi fuerint tres viri hi in medio ejus, Noë, Daniel, & Job, non liberabunt filios neque filias, ipſi ſoli ſalvi erunt. Item in Regnorum primo. Si delinquendo peccet vir adverſus virum, orabunt pro eo Dominum: Si autem in Deum peccet homo, quis orabit pro eo? Exo. 32. 31. Jerem. 7. 16. Ezech. 14. 12. 1 Reg. 2. 25.

Quod ſic idololatriæ indignetur Deus, ut præceperit etiam eos interfici, qui ſacrificare & ſervire idolis ſuaſerint.

V. In Deuteronomio: 3 Quod ſi rogaverit te frater tuus, aut filius tuus, aut filia tua, aut uxor tua quæ eſt in ſinu tuo, aut amicus tuus, qui 4 æqualis eſt animæ tuæ, latenter dicens: Eamus & ſerviamus Diis (d) aliis, Diis gentium, non conſenties ei, & non exaudies eum, & non parcet oculus tuus ſuper eum, & non celabis eum, annuncians annunciabis de illo. Manus tua erit ſuper eum, in primis interficere eum, & manus omnis populi poſtremo; & lapidabunt eum & morietur; quoniam quæſivit avertere te à Domino Deo tuo. Et iterum loquitur Dominus & dicit, nec civitati parcendum, etiam ſi univerſa conſenſerit ad idololatriam: Aut ſi audieris in una ex civitatibus, quas Dominus Deus tuus dabit tibi inhabitare te illic, dicentes: Eamus & ſerviamus Diis aliis, quos non noſti; quæres ſolicite, & ſi inveneris certum eſſe quod dicitur: Interficiens necabis omnes qui ſunt in civitate cæde gladii, & incendes civitatem igni, & erit ſine habitaculo in æternum. Non reædificabitur etiam nunc, ut avertatur Dominus ab indignatione iræ ſuæ. Et dabit tibi miſericordiam & miſerebitur tui, & multiplicabit te, ſi exaudieris vocem Domini Dei tui, & obſervaveris præcepta ejus. Cujus præcepti & vigoris memor Mattathias interfecit eum qui ad aram ſacrificaturus (e) acceſſerat. 5 Quod ſi ante adventum Chriſti circa Deum colendum & (f) idola ſpernenda, hæc præcepta ſervata ſunt: quanto magis poſt adventum Chriſti ſervanda ſunt; quando ille veniens non verbis tantum nos hortatus ſit, ſed & factis, poſt omnes injurias & contumelias paſſus quoque & crucifixus; ut nos pati & mori exemplo ſuo doceret; ut nulla ſit homini excuſatio pro ſe non patienti, cum paſſus ſit ille pro nobis; & cum ille paſſus ſit pro alienis peccatis, multo magis pro peccatis ſuis pati unumquemque debere? Et ideo in Evangelio comminatur & dicit: Quicunque confeſſus fuerit me coram hominibus, & ego (g) confitebor eum coram patre meo qui in cœlis eſt: Qui autem negaverit me coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo qui in cœlis eſt: Item Apoſtolus Paulus: Si enim commorimur, inquit, & convivemus: ſi toleramus, & conregnabimus: ſi negabimus, & ipſe negabit nos. Item Joannes: Qui negat filium, neque patrem habet: qui confitetur filium, & filium & patrem habet. Unde nos ad contemtum mortis hortatur Dominus & corroborat dicens: Nolite timere eos qui occidunt corpus, (h) animam autem non poſſunt occidere. Magis autem metuite eum qui poteſt animam & (i) corpus occidere in gehennam. Et iterum: Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in iſto ſeculo, in vitam æternam conſervabit illam. Deut. 13. 6. 12. Matt. 10. 33. 2 Tim. 2. 11. 1 Jo. 2. 23. Matt. 10. 28. Jo. 12. 25.

Quod redempti & vivificati Chriſti ſanguine nihil Chriſto præponere debeamus.

VI. In Evangelio Dominus loquitur & dicit: Qui diligit patrem aut (k) matrem ſuper me, non eſt me dignus. (l) Et qui diligit filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus. Et qui non (m) accipit crucem ſuam & ſequitur me, (n) non eſt me dignus. Sic & in (o) Deuteronomio ſcriptum eſt: Qui dicunt patri & matri, non novi te, & filios ſuos non agnoverunt, hi cuſtodierunt præcepta tua, (p) & teſtamentum tuum ſervaverunt. Item Apoſtolus Paulus: Quis nos, inquit, ſeparabit à caritate Chriſti, preſſura an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Sicut ſcriptum eſt: Quia propter te occidimur tota die, æſtimati ſumus Mat. 10. 37. Deut. 33. 9. Rom. 8. 35.

(a) Aureos & argenteos, *Ar. Bod.* 2. (b) Dominum derelinquunt, *Voſſ.* 3. (c) Panis ejus, *Bod.* 3. (d) Alienis, *Ar. Lam. Ebor.* (e) Aſcenderat, *Bod.* 1. (f) Idola ſternenda, *Bod.* 1. (g) Confitebor in ipſo, *Ar. Voſſ.* 1. (h) Et Animam, *Bod.* 2. (i) Corpus perdere, *Ar. Lam. Bod.* 2. (k) Matrem plus quam me, *Lam. Ebor. NC.* 1. (l) Et qui diligit filium aut filiam ſuper me, non eſt me dignus, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. *deſunt in Impr.* (m) Tollit crucem, *Bod.* 4. (n) Non eſt meus diſcipulus, *Ar.* (o) Deuteronomio poſitum eſt, *Bod.* 3. (p) Et mandatum, *Lam. Ebor. Bod.* 2.

1 *Rogat nec impetrat.*] Vid. quæ dicta in lib. de lapſis p. 93.

2 *In tempore quo invocabunt me, in tempore afflictionis ſuæ.*] Hæc omnia redundant; & videntur loco alieno appoſita.

3 *Quod ſi rogaverit.*] Locus hic non integer deſcribitur, & plurima ſubinde omittuntur.

4 *Æqualis animæ tuæ.*] ὁ ἴσος τῇ ψυχῇ σὰ. Hinc petenda explicatio loci D. Pauli Phil. 2. 20. ἰσόψυχον.

5 *Quod ſi ante adventum Chriſti.*] Eſto idololatras in Theocratia Judaica capite plexos; at minime hinc conficitur, quod voluit Pamelius, hæreticos, ex Cypriani ſententia, in republica quavis Chriſtiana morte plectendos.

6 *Propter eum qui dilexit.*] Exemplaribus iſtis accedit Noſter quæ legunt, διὰ τὸν ἀγαπήσαντα.

An. 252. mus ut (a) oves victimæ, sed (b) in his omnibus superamus 6 propter eum qui dilexit nos. Et iterum: Non estis vestri: (c) emti enim estis pretio magno, 1 (d) glorificate, 1 Cor. 6. 20. & portate Deum in corpore vestro. Et iterum: Pro omnibus mortuus est, ut & qui 2 Cor. 5. 15. vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.

Ereptos de faucibus diaboli, & de laqueis seculi liberatos, non debere denuo ad seculum reverti, ne perdant quod evaserint.

VII. In Exodo: Judaicus populus ad umbram nostri & imaginem præfiguratus, cum Deo tutore & vindice evasisset Pharaonis atque Ægypti, id est, diaboli, & seculi durissimam servitutem; circa Deum perfidus & ingratus; adversus Moysen mussitat, respiciens solitudinis ac laboris incommoda, & non intelligens libertatis ac salutis beneficia divina, reverti quærit ad (e) Ægypti, hoc est, ad seculi servitutem (f) unde fuerat exutus: cum magis (g) fidere deberet in Deum & credere: quoniam qui à diabolo & seculo liberat populum suum, protegit liberatum: Quid hoc nobis, inquiunt, fecisti in Exo. 14. 11. ejiciendo nos de Ægypto? (h) melius est nobis servire Ægyptiis (i) quam mori in solitudine hac. Et dixit Moyses ad populum: 2 (k) Fidite, & state, & cernite salutem quæ à Domino est, quam vobis faciet hodie: Dominus ipse pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Quod nos admonens in Evangelio suo Dominus, & docens ne ad diabolum rursus & ad seculum, quibus renunciavimus, & unde evasimus, revertamur, dicit: Nemo retro attendens, & superponens manum suam super aratrum, aptus est regno Dei. Et iterum: Et qui in agro est, non convertatur retro; (l) Memores estote uxo- Luc 9. 62. ris Loth. Ac ne quis aliqua vel cupiditate rerum, vel suorum dulcedine retardetur quo 17. 31. minus Christum sequatur, addit & dicit: Qui non renunciat (m) omnibus quæ sunt 14. 33. ejus, non potest meus esse discipulus.

Insistendum esse & perseverandum in fide & virtute, & cælestis ac spiritalis gratiæ consummatione, ut ad palmam & coronam possit perveniri.

VIII. In Paralipomenon: Dominus vobiscum est, (n) quamdiu & vos estis cum ipso. 2 Par. 15. 2. Si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos. Item apud Ezechielem: Justitia justi Ezec. 33. non liberabit eum, in quacunque die exerraverit (o). Item in Evangelio Dominus lo- 12. quitur & dicit: Qui perseveraverit (p) usque in finem, hic (q) salvus erit. Et iterum: Mat. 10. 22. Si permanseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis, & cognoscetis veritatem, & Jo. 8. 31. veritas liberabit vos: Præmonens quoque nos paratos semper esse debere, & expeditos in procinctu firmiter stare; addit & dicit: Sint (r) lumbi vestri præcincti, & lucernæ Luc. 12. 35. ardentes; & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, (s) quando revertatur à nuptiis; ut cum venerit & pulsaverit aperiant ei. (t) Beati servi illi, quos adveniens dominus invenerit vigilantes. Item beatus Apostolus Paulus, ut fides nostra proficiat & crescat & ad summa perveniat, hortatur dicens: Nescitis (u) quoniam qui in 1 Cor. 9. stadio currunt, omnes quidem currunt, (w) unus tamen accipit palmam? Sic currite 24. (x) ut occupetis; omnis enim qui agonizat, in omnibus continens est. Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, vos autem incorruptam. Et iterum: Nemo militans 2 Tim. 2. 4. Deo, obligat se molestiis secularibus, ut possit placere ei 3 cui se probavit. Sed & si certaverit quis, non coronabitur, nisi legitime pugnaverit. Et iterum: Oro autem vos, Rom. 12. 1. fratres, per misericordiam Dei, ut constituatis corpora vestra (y) hostiam viventem, sanctam, placentem Deo; nec configuremini seculo huic, sed transformamini 4 (z) in renovatione spiritus, ad probandum quæ sit voluntas Dei bona, & placens & perfecta. Et iterum; Sumus filii (aa) Dei: si autem filii, & hæredes, hæredes quidem Dei, co- Rom. 8. 17. hæredes autem Christi. Si quidem compatiamur, ut & (bb) commagnificemur. Et in Apocalypsi eadem loquitur divinæ prædicationis hortatio, dicens: (cc) Tene quod ha- Apo. 3. 11. bes, ne alius accipiat coronam tuam. Quod exemplum perseverandi & permanendi designatur in Exodo, ubi Moyses ad superandum Amalech, 5 qui figuram portabat diaboli, in signo & sacramento crucis adlevabat supinas manus. Nec vincere adversarium Exo. 17. 11. potuit, nisi postquam stabilis (dd) in signo adlevatis jugiter manibus perseveravit. Et factum est, inquit, cum levabat Moyses manus, prævalebat Israël; ubi autem submiserat manus, (ee) invalescebat Amalech. Et accepto lapide suppositum fuerunt sub eo, & sedebat super eum. Et Aaron & (ff) Ur sustentabant manus ejus hinc & inde; & factæ sunt manus Moysi stabiles usque in occasum solis. Et fugavit Jesus Amalech, & omnem (gg) populum ejus. Et dixit Dominus ad Moysen: Scribe hoc ut sit (hh) memoria in libro, & da in aures Jesu: quoniam deletione (ii) deleam memoriam Amalech (kk) de sub cælo.

Ad hoc pressuras & persecutiones fieri, ut probemur.

IX. In Deuteronomio: Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligitis Do- Deut. 13. 3. minum Deum vestrum ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra, & ex tota virtute vestra.

(a) Oves occisionis, *Ar. NC.* 2. *Bod.* 2. (b) In his omnibus supervincimus, *Ver.* pro eo, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. 4. (c) Emti estis magno, *Ver. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 3. (d) Clarificate, *Ver.* (e) Ægyptum, *Lin. Spir. Bod.* 1. 3. 4. (f) Unde fuerat exemtus, *Bod.* 3. abstractus, *Spir. Morel.* (g) Fidem in Deo habere, *Lin.* (h) Melius erat, *Bod.* 3 (i) Quam obire, *Ar. Bod.* 2, (k) Silete & state, *Bod.* 1. state fidentes & videte, *Spir.* (l) Tollere vestimentum suum, *Ar. Lam. Ebor Bod.* 2. *NC.* 1. 2. *Ben.* (m) Omnibus quæ possidet, *Ar.* (n) Quamdiu vos, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (o) Et iniquitas iniqui non afflliget eum, quacunque die reversus fuerit ab iniquitatibus suis, *Voss.* 1. (p) Utque ad finem, *Lin.* (q) Salvabitur, *Bod.* 4. (r) Lumbi vestri accincti, *Voss.* 4. (s) Quando veniat, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (t) Felices, *Ar. Bod.* 1. 2. 4. (u) Quoniam hi qui in stadio currunt, *Bod.* 1. (w) Sed unus, *Bod.* 1. 3. (x) Ut comprehendatis, *Bod.* 1. (y) Hostiam vivam, *Bod.* 1, 2, 3, 4. rationabile ministerium vestrum, *Lin. Voss.* 1. rationabile obsequium vestrum, & nolite configurari, *Bod.* 4. (z) Renovatione sensus, *Bod.* 3. (aa) Sumus filii, si autem, *Bod.* 1. (bb) Simul glorificemur, *Bod.* 3. (cc) Tene inquit, *Bod* 1. 4. (dd) In signo crucis, *Bod.* 1. (ee) Invalescebat Amalech. Sed manus Moysi graves erant, & accepto, *Ver. & similiter l.* 2. *ad Quir. c.* 21. (ff) Ur supportabant, *Voss. NC.* 2. (gg) Populum ejus in ore gladii, *Ver.* (hh) Memoriale, *Ar. Bod.* 3. (ii) Delebo, *Bod.* 4. (kk) In sempiternum, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.

1 *Glorificate & portate.*] De hac lectione vid. supra l. 3. ad Quir. c. 10.

2 *Fidite, & state, & cernite.*] LXX. legunt θαρσεῖτε, στῆτε καὶ ὁρᾶτε, sed prior vox in textu sacro non comparet.

3 *Cui se probavit.*] Vid. quæ dicta ad Quir. l. 3. c. 11.

4 *In renovatione spiritus.*] Intellexisse videtur Auctor noster Spiritum sanctum, sed exemplaria Græca habent, non πνεύματος ἁγίου sed νοὸς ὑμῶν.

5 *Qui figuram portabat Diaboli.*] Sic l. 2. ad Quir. c. 16. *Amalech superatus est à Jesu, id est Diabolus à Christo victus est.*

1 *Nec*

An. 252. veſtra. Et iterum apud Solomonem: Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis. Paulus quoque paria teſtatur ac loquitur dicens: Gloriamur in ſpe claritatis Dei, non ſolum autem ſed & gloriamur in preſſuris, ſcientes quoniam preſſura tolerantiam operatur, tolerantia autem probationem, probatio autem ſpem: ſpes autem non confundit: quia dilectio Dei (a) infuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Et Petrus in Epiſtola ſua ponit & dicit: Cariſſimi, nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem veſtram fit; 1 nec excidatis tanquam novum aliquid vobis contingat. Sed 2 quotieſcunque communicatis Chriſti paſſionibus, per omnia gaudete; ut & in revelatione facta claritatis ejus (b) gaudentes exultetis. Si improperatur vobis in (c) nomine Chriſti, beati eſtis; quia majeſtatis & virtutis 3 Domini nomen in vobis requieſcit: quod quidem (d) ſecundum illos blaſphematur, ſecundum nos autem honoratur.

Eccl. 27. 5. Rom. 5. 3. 1 Pet. 4. 12.

Timendas non eſſe injurias & pœnas perſecutionum, quia major eſt Dominus ad protegendum, quam diabolus ad impugnandum.

X. Joannes in epiſtola ſua (e) probat dicens: Major eſt qui in vobis eſt, quam qui in iſto mundo. Item in Pſalmo 117. Non metuam quid mihi faciat homo, Dominus mihi auxiliator eſt. Et iterum: iſti in curribus & iſti in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri (f) magnificabimus. (g) Illis 4 copulati ſunt pedes & ceciderunt: nos autem ſurreximus & erecti ſumus. Et adhuc fortius docens & oſtendens Spiritus ſanctus caſtra Diaboli non timenda, & ſi bellum nobis hoſtis indixerit, in ipſo magis bello ſpem noſtram conſiſtere, & congreſſione illa juſtos ad divinæ ſedis & ſalutis æternæ præmium pervenire, in Pſalmo 26. ponit & dicit: Si directa fuerint in me caſtra, non timebit cor meum: & ſi exſurrexerit ſuper me bellum, (h) in illud ego ſperabo: 5 (i) Unam petii à Domino, (k) hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini per omnes dies vitæ meæ. Item in Exodo declarat ſcriptura divina preſſuris multiplicari nos potius & augeri: dicens: Quantoque eos deprimebant, tanto plures fiebant, & invaleſcebant magis. Et in Apocalypſi protectio divina promittitur paſſionibus noſtris: Nihil, inquit, eorum timeas quæ paſſurus es. Nec alius ſecuritatem nobis & protectionem pollicetur, quam qui & per Eſaiam Prophetam loquitur dicens: Noli timere, quia te redemi, & vocavi te nomine tuo, meus es tu. Et ſi tranſieris per aquam tecum ſum, & flumina te non inundabunt, & ſi tranſieris per (l) ignem, 6 non combureris & flamma te non comburet: quoniam ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſraël, qui te ſalvum facio. (m) Qui & in Evangelio promittit auxilium divinum Dei ſervis in perſecutionibus non defuturum, dicens: Cum autem vos tradiderint, nolite cogitare quo modo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Et iterum: Ponite in cordibus veſtris non 7 præmeditari excuſare: ego enim dabo vobis (n) os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere adverſarii veſtri. Sicut in Exodo ad Moyſen cunctantem & ad populum ire trepidantem, Deus loquitur dicens: Quis dedit os homini? & quis fecit 8 (o) mogilalum, & quis ſurdum? & quis videntem & cæcum? nonne ego Dominus Deus? Et nunc perge, & ego aperiam os tuum, & inſtruam te quid loquaris. Nec difficile eſt Deo aperire os hominis devoti ſibi, & confeſſori ſuo inſpirare conſtantiam & fiduciam loquendi, qui in Numeris adverſus Balaam Prophetam etiam aſinam fecerit loqui. Quare in perſecutionibus nemo cogitet, quod periculum diabolus importet, ſed imo conſideret quod auxilium Deus præſtet: nec mentem labefactet humana infeſtatio, ſed corroboret fidem divina protectio: quando unuſquiſque ſecundum (p) Dominica promiſſa, & fidei ſuæ merita 9 tantum accipiat de Dei ope, quantum ſe credat accipere; nec ſit quod omnipotens præſtare non poſſit, niſi ſi accipientis (q) fides caduca defecerit.

1 Joan. 4. 4. Pſ. 117. 6. Pſ. 19. 8. Pſ. 26. 3. Exod. 1. 12. Apoc. 2. 10. Iſ. 43. 1. Matt. 10. 19. Luc. 12. 11. Num. 22. 30. Exo. 4. 11.

XI. Do-

(a) *Sic Manut. Pam. Rig. Voſſ.* 1 2 *Lin. & l.* 3. *ad Quir. c.* 6. Diffuſa *Lam. Ebor. NC.* 2 *Spir. Vet. innom. Eraſ. Morel. Grav.* (b) Gaudeatis & exultetis, *Bod.* 4. (c) Nomine Jeſu, *Bod* 4. (d) Per illos, *Spir.* (e) Ponit & dicit, *Spir* (f) Invocabimus, *Ar. Bod.* 1. 2. 4. *Ben. Ver.* magnificabimur, *Spir.* (g) *Sic Ar. NC.* 1. 2. *Lam Ebor. Voſſ.* 1. *Lim. Bod.* 1. 2. *Ben. Ver.* ipſi obligati ſunt &, *Imp.* (h) In illo ego ſperabo, *Voſſ.* 1. (i) Unum petii, *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1. 4. (k) Hoc exquiram, *B d.* 1. 4. *Lam. Ebor.* (l) *Sic Ver. Vat. Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Voſſ.* 1. *Bod.* 1. 2. 3. ignem, flamma, *Impr.* (m) Quin & Evangelio, *Prior.* (n) Os ſapientiæ, *Bod.* 4. (o) *Sic Ver. Benev. Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Lin. Bod.* 1. 4. mutum, *Impo.* mutum & loquentem, audientem & ſurdum, *Bod.* 3. (p) Dominica præcepta & promiſſa, *Ar. Bod.* 4. (q) Fides catholica, *Ar.*

1 *Nec excidatis.*] Quanquam in textu Græco nulla veſtigia hujus lectionis compareant, tamen ſimiliter legit Auctor noſter Epiſtola ad Thibaritanos; quaſi legiſſet μήτε ἐκπέσητε.

2 *Quotieſcunque communicatis.*] MSS. codices non pauci ſimiliter legunt κοινωνῶντες, & ſtatim τῆς δόξης τῆς δυνάμεως.

3 *Domini nomen.*] *Non* πνεῦμα, ſed ὄνομα legiſſe videtur noſter, & pro ὑμᾶς, ἡμᾶς.

4 *Copulati ſunt pedes.*] LXX. Αυτοὶ συνεποδίσθησαν.

5 *Unam petii.*] LXX. μίαν ἠτησάμην. ſcil. αἴτησιν. vid. 3 Reg. 2. 20.

6 *Non combureris.*] In hac lectione MSS. codices conſentiunt, & LXX. interpretum verſio illam exigit, ἐὰν διέλθῃς διὰ πυρὸς, & μὴ κατακαυθῇς, φλὸξ οὐ κατακάυσει σε. Porro Hebræa veritas etiam depoſcit. בי תלך כמו אשלא תבוה perperam ergo in Impreſſis iſta huc uſque omittebantur.

7 *Præmeditari excuſare.*] In texto Græco eſt ἀπολογηθῆναι. & quidem omnis apologia eſt quædam excuſatio. Vulgat. habet *quid reſpondeatis.*

8 *Mogilalum.*] Ita ſcripſiſſe Cyprianum minime eſt dubitandum. Nam ut tot exemplaria in voce inuſitata interciendа conſpirarent nulla idonea ratio reddi poteſt; ſed quare librarii id nuperi mutaverint, cauſa ſubeſt ſatis manifeſta, quæ etiam paſſim obtinuit; ut ad vulgatam editionem omnia melius reſponderent. Revera Græca exemplaria δύσκωφον habent: ſed Aquila, Symmachus & Theodotio in μογιλάλῳ conſentiunt; quæ vox Marc. 7. 32. adhibetur.

9 *Tantum accipiat de Dei ope.*] Vid. l. 7. ad Quirin. c. 42.

An. 252. *Ante prædictum esse, quod nos mundus odio habiturus esset, & quod persecutiones adversum nos excitaret & quod nihil novum Christianis accidat, quando ab initio mundi boni laboraverint, & oppressi atque occisi sint justi ab injustis.*

XI. Dominus in (a) Evangelio præmonet & prænunciat, dicens: Si mundus vos odit, scitote quoniam me primo odit. 1 Si de mundo essetis, mundo quod suum esset amaret: sed quia de mundo non estis, & ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis quem dixi vobis: Non est servus major Domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur. Et iterum: Veniet hora ut omnis qui vos occiderit, putet se officium Deo facere: sed hoc facient, quoniam non cognoverunt Patrem, neque me. Hæc autem locutus sum vobis ut cum venerit hora, eorum memores sitis, quia ego dixi vobis. Et iterum: Amen amen dico vobis, quoniam vos plorabitis & plangetis, seculum autem gaudebit: vos tristes eritis, sed tristitia vestra in lætitiam veniet. Et iterum: Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis, in seculo autem pressuram habebitis: sed fidite quoniam ego vici seculum. Et cum à discipulis suis interrogaretur de signo adventus sui & (b) consummationis mundi, respondit & dixit: Cavete ne quis vos fallat, multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus; & multos fallent. Incipietis autem audire bella & (c) auditus bellorum: videte, nolite tumultuari: oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis. Exurget enim gens super gentem, & (d) regnum super regnum; & erunt fames & terræ motus & pestilentiæ per singula loca; omnia autem ista initia parturitionum sunt. Tunc tradent vos in pressuram, & interficient vos; & eritis odibiles omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent & odient invicem. Et multi pseudoprophetæ exurgent & seducent multos: & eo quod facinus abundet, refrigescet caritas multorum. Qui autem (e) toleraverit usque in finem, hic salvus erit. Et prædicabitur Evangelium istud regni (f) per totum orbem terræ in (g) testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis. Cum ergo videritis abominationem (h) vastationis, quæ dicta est per Danielem Prophetam, stantem in loco sancto (qui legit intelligat) tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes; & qui in tecto est, non descendat tollere quidquam de domo; & qui in agro est, non convertatur retro auferre vestimentum suum. Væ autem prægnantibus & (i) nutrientibus in illis diebus. Orate autem ne fiat fuga vestra hyeme, neque sabbato. Erit enim tunc pressura magna, (k) qualis non fuit ab initio mundi usque nunc, sed neque fiet: & nisi breviati essent dies illi, (l) non esset salva omnis caro; propter electos autem breviabuntur illi dies. Tunc si quis dixerit vobis: ecce hic est Christus, aut ecce illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ: & dabunt (m) signa magna, & prodigia ad (n) errorem faciendum, si fieri potest, etiam electis. Vos autem cavete, ecce prædixi vobis omnia. Si ergo dixerint vobis: (o) Ecce in solitudine est, nolite exire; ecce (p) in cubiculis, nolite credere. Sicut enim coruscatio (q) exit ab oriente, & apparet usque ad occidentem, ita erit & adventus filii hominis. Ubi fuerit (r) cadaver, illuc (s) colligentur aquilæ. Continuo autem post pressuram dierum illorum sol (t) tenebricabit, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum movebuntur. Et tunc apparebit signum filii hominis in cœlo, & lamentabuntur omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute magna & claritate. Et mittet Angelos suos cum tuba magna. Et colligent electos ejus à quatuor (u) ventis, à summis cœlorum usque ad summitates eorum. Nec nova aut repentina hæc sunt quæ nunc accidunt Christianis, cum boni semper & justi, & Deo innocentiæ lege ac veræ religionis timore devoti, (w) per pressuras & injurias, & graves ac multiformes (x) infestationum pœnas angusti itineris difficultate gradiantur. Sic in origine statim mundi Abel justus à fratre primus occiditur, & Jacob fugatur, & Joseph venundatur, & 2 David misericordem Saul Rex persequitur, & Heliam majestatem Dei constanter ac fortiter asserentem Rex Achab opprimere conatur. Zacharias sacerdos interficitur in medio templi & altaris, ut illic hostia ipse fiat, ubi Deo hostias immolabat. Tot denique martyria justorum sæpe celebrata, tot edita in posterum fidei & virtutis exempla. Tres pueri, Ananias, Azarias, Misahel, ætate compares, (y) dilectione concordes, fide stabiles, virtute constantes, flammis ac pœnis urgentibus fortiores, soli se Deo servire, solum nosse, solum colere (z) proclamant dicentes: Nabuchodonosor Rex, non opus est nobis de hoc verbo respondere tibi. Est enim Deus, cui nos servimus, potens nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis Rex liberabit nos. Et si non, notum sit tibi, quia

Jo. 15. 18. Jo. 16. 4. 20. 33. Mat. 24. 4. Dan. 3. 16.

Diis

(a) Evangelio suo, *Lam. Bod.* 2. (b) Consummationis seculi, *Bod.* 4. (c) Opiniones bellorum, *Bod.* 3. (d) Regnum contra regnum, *Bod.* 1. (e) Perseveraverit usque ad, *Bod.* 1. (f) Toto orbe, *NC.* 2. (g) Testimonium omnium gentium, *NC.* 2. (h) Desolationis, *Bod.* 4. (i) Prægnantibus & lactantibus, *Voss.* 1. (k) Qualis non est facta, *Lam. Ebor. NC.* 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (l) Non liberaretur omnis, *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. 3. *Ver.* (m) Signa magna & portenta, *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ben. Ver.* (n) Terrorem, *Bod.* 1. 2. (o) Exite in solitudine est, *Bod.* 3. (p) In cubilibus, *Voss.* 1. (q) Quæ exit, *NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. coruscatio procedens, *Lin.* (r) *Sic*, *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Benev. Ver.* corpus, *Impr.* (s) Congregabuntur, *Bod.* 2 3. *Tertull.* (t) *Sic*, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Benev. Ver.* tenebrescet, *Impr.* (u) Ventis cœli, *Ver.* (w) Pressuras & angustias, *Bod.* 1. (x) Infestantium pœnas, *Lam Ebor. Ben. Bod.* 1, 2, 3, 4. (y) Dilectione Dei, *Bod* 1. (z) Proclamabat, *Bod.* 2. 4.

(1) *Si de mundo essetis.*] Cum eadem voce utatur D. Joan. capite 15. & 16. non promtum est dicere, quare varie reddiderit auctor noster; sed libri omnes in lectione consentiunt, Vulgati interpretis lectione insuper habita: cui librarii solent omnia passim accommodare.

2 *David misericordem.*] Locum hunc tractat Tertull. in Scorpiac. c. 8. *David exagitatur, Helias fugatur, Hieremias lapidatur, Esaias secatur, Zacharias inter altare & ædem trucidatur*, &c.

1 *Sep-*

An. 252. Diis tuis non ſervimus, & (a) imaginem auream quam ſtatuiſti, non adoramus. Et Daniel Deo devotus, & ſancto Spiritu plenus exclamat & dicit: Nihil colo ego niſi Dominum Deum meum, qui condidit cœlum & terram: Tobias quoque ſub regali licet ac tyrannica ſervitute, ſenſu tamen ac ſpiritu liber, confeſſionem ſuam Deo ſervat, & virtutem majeſtatemque divinam ſublimiter prædicat, dicens: Ego in terra captivitatis meæ confiteor illi, & oſtendo virtutem ejus in natione peccatrice. Quid vero in Maccabeis, ſeptem fratres & natalium pariter & virtutum ſorte conſimiles, ſeptenarium numerum ſacramento perfectæ conſummationis implentes? ſic ſeptem fratres in martyrio cohærentes, ut primi in diſpoſitione divina 1 ſeptem dies (b) annorum ſeptem millia continentes, ut ſeptem (c) ſpiritus & angeli ſeptem qui aſſiſtunt & converſantur ante faciem Dei, & lucernæ ſeptiformes in tabernaculo martyrii, & in Apocalypſi ſeptem candelabra aurea, & apud Solomonem columnæ ſeptem, ſuper quas (d) ædificavit domum ſapientia: ita & iſtic ſeptem fratrum numerus, Eccleſias ſeptem numeri ſui quantitate complexus, ſecundum quod in primo regnorum libro legimus, ſterilem ſeptem peperiſſe. Et apud Eſaiam: Septem mulieres unum hominem apprehendunt, cujus invocari ſuper ſe nomen expoſcunt. Et Apoſtolus Paulus qui hujus legitimi numeri & certi meminit, 2 ad ſeptem Eccleſias ſcribit. Et in Apocalypſi Dominus mandata ſua divina, & præcepta cœleſtia ad ſeptem Eccleſias, & earundem angelos dirigit, qui nunc iſtic in fratribus numerus invenitur, ut conſummatio (e) legitima compleatur. Cum ſeptem liberis plane copulatur & mater origo & radix; quæ Eccleſias ſeptem poſtmodum peperit, ipſa prima & 3 una ſuper (f) petram Domini voce fundata. 4 Nec vacat quod in (g) paſſionibus ſola cum liberis mater eſt. Martyres enim qui ſe Dei filios in paſſione teſtantur, jam non niſi Deo patre cenſentur; ſicut in Evangelio (h) Dominus docet, dicens: (i) Ne vocaveritis vobis patrem ſuper terram, unus eſt enim pater veſter qui in cœlis eſt. Quæ vero ediderunt confeſſionum præconia, quam præclara, quam magna documenta fidei præbuerunt? Rex Antiochus infeſtus, immo in Antiocho antichriſtus expreſſus, ora martyrum glorioſa & ſpiritu confeſſionis invicta, (k) contagio ſuillæ carnis maculare quærebat, & cum flagellis graviter verberaſſet, ac nihil promovere potuiſſet, ſartagines juſſit igniri: quibus ignitis & accenſis, eum qui primus locutus fuerat, & (l) magis regem virtutis & fidei conſtantia provocaverat, admoveri præcepit & frigi, producta & exſecta prius lingua, quæ confeſſa Deum fuerat: quod martyri glorioſius contigit; lingua enim confeſſa nomen Dei, prior ad Deum debuit ipſa proficiſci. Poſt (m) in ſecundo excogitatis acrioribus pœnis, antequam cætera membra torqueret, cutem capitis cum capillis detraxit, odio ſcilicet certo. Nam cum caput viri Chriſtus ſit, & caput Chriſti Deus; qui caput laniabat in martyre, Deum & Chriſtum perſequebatur in capite. At ille (n) in martyrio ſuo fidens, & reſurrectionis ſibi præmium de Dei remuneratione promittens, exclamavit & dixit; Tu quidem (o) impotens ex hac præſenti vita nos perdis; ſed mundi rex defunctos nos pro ſuis legibus in æternam vitæ reſurrectionem ſuſcitabit. Tertius linguam poſtulatus cito protulit: nam pœnam linguæ exſecandæ jam didicerat à fratre contemnere; manus quoque amputandas conſtanter extendit, multum beatus genere iſto ſupplicii, cui contigit extenſis ad pœnam manibus paſſionis Dominicæ inſtar imitari. Nec non & quartus pari virtute tormenta contemnens, & ad retundendum regem cœleſti voce reſpondens exclamavit & dixit: Potius eſt ab hominibus morti datos expectare ſpem à Deo iterum 5 ab eo (p) ſuſcitandos: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit. Quintus, præter quod carnificinam Regis, & duros varioſque cruciatus (q) fidei vigore calcabat, ad præſcientiam quoque & notitiam futurorum ſpiritu divinitatis animatus, prophetavit Regi indignationem Dei & ultionem velociter ſecuturam: Poteſtatem, inquit, inter homines habens, cum ſis corruptibilis, facis quod vis. Noli autem putare genus noſtrum à Deo derelictum eſſe. Suſtine & vide (r) magnam poteſtatem ejus, qualiter te & ſemen tuum torquebit. Quale illud

Dan. 14 4. Tob. 13 6. 2 Maccab. 7. 9. 14. 16.

(a) *Sic*, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Benev. Ver.* ſtatuam, *Impr.* (b) Annorum ratione *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (c) Spiritus aut. *Benev. Ver.* (d) Ædificat, *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. (e) Legitime complearur, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (f) *Sic Spir. Innom. Remb. Eraſ. Morel. Grav. Fox.* ſuper Petrum, *Lam. Voſſ.* 1. *Lin. Nup. Imp.* (g) Paſſionibus ſolatium, *Bod.* 4. (h) Dominus loquitur dicens, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (i) Ne vocaveritis patrem, *Ebor.* (k) Contagione, *Lin.* (l) Magis iram Regis, *Bod.* 3. (m) In ſecundum, *Voſſ.* 1. (n) In martyrio ſuo fortis, *Bod.* 1. (o) Potens, *Bod.* 2. (p) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Voſſ.* 1. 3. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ben. Ver.* ſuſcitandos in vitam æternam, *Impr.* (q) Fide & vigore, *Bod.* 2. (r) Magna poteſtas, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Voſſ.* 1. *Lin. Bod.* 1. 2. *Benev. Ver.*

1 *Septem dies annorum ſeptem millia.*] Durationis mundi nimirum. Alibi ſex dierum, ſive ſex mille annorum ſpatio mundi ævum Auctor noſter concludit; nec neceſſe eſt ut in Papiæ caſtra hic tranſiiſſe videatur; ſunt enim qui ipſum judicii diem mille annorum moram habiturum ſtatuunt.

2 *Ad ſeptem Eccleſias ſcribit.*] Nimirum ad Romanos, Corinthios, Galatas, Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes, & Theſſalonicenſes. Si requiratur quo in loco Paulus, *hujus legitimi numeri & certi meminerit*, forte dicendum, hoc ab eo præſtitum, Heb. 11. 30.

3 *Una ſuper petram.*] Primus qui lectionem hanc mutavit & *Petrum* repoſuit erat Manutius, Vid. quæ dicta ad lib. de Unitate Eccleſiæ, p. 76. Porro notetur ſententiam noſtram de aſſumentis textui Cypriani illic additis à viro conſultiſſimo Latino Latinio, in ejus Bibliotheca ſacra & profana An. 1677. Romæ edita, p. 178, & 179. egregie confirmari. Diſertiſſimis verbis ait Dominus, *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω.*

4 *Nec vacat.*] Myſterio ſcil. ſive, non caret: haud temere aut fruſtra dicitur.

5 *Ab eo ſuſcitandos.*] In impreſſis additum, *in vitam æternam.* Sed contra exemplarium MSS. & Græci textus fidem.

An. 252. lud levamentum fuit (a) martyri, quam grande ſolatium, in cruciatibus ſuis non tormenta propria cogitare, ſed tortoris ſui ſupplicia prædicare? In ſexto vero non virtus ſola, ſed & humilitas prædicanda eſt; nihil ſibi martyrem vindicaſſe, nec confeſſionis ſuæ honorem ſuperbis vocibus ventilaſſe, peccatis potius ſuis adſcripſiſſe, quod perſecutionem à Rege pateretur; Deo vero dediſſe quod poſtmodum, vindicaretur. Docuit eſſe martyres verecundos, de ultione fidere, & nihil in paſſione jactare: Noli, 18.
inquit, fruſtra errare: nos enim propter noſmetipſos hæc patimur, peccantes in Deum noſtrum. Tu autem ne te exiſtimes (b) impune futurum, aggreſſus pugnare cum Deo. Admirabilis quoque mater, quæ nec ſexus infirmitate fracta; nec multiplici orbitate commota, morientes liberos ſpectavit libenter, nec pœnas illas pignorum, ſed glorias computavit, tam grande martyrium Deo præbens virtute oculorum ſuorum, quam præbuerunt filii ejus tormentis & paſſione membrorum: (c) Cum ſex punitis & occiſis ſupereſſet unus ex fratribus, cui Rex divitias, & potentatus, & multa pollicebatur, ut crudelitas ejus ac feritas vel unius ſubacti ſolatio foveretur, & peteret ut ad filium dejiciendum ſecum deprecaretur & mater; deprecata eſt illa, ſed ut decebat martyrum matrem, ut decebat legis & Dei memorem, ut decebat filios ſuos non delicate, ſed fortiter diligentem. Deprecata eſt enim, ſed ut Deum confiteretur: deprecata eſt ne à fratribus ſuis frater in conſortio laudis & gloriæ ſepararetur: tunc ſe ſeptem filiorum computans matrem, ſi ſibi contingeret filios ſeptem (d) Deo potius peperiſſe, non ſeculo. Armans itaque eum & corroborans, & feliciore tunc partu filium generans: 2 Maccab.
Fili, inquit, miſerere mei, quæ te in utero (e) menſibus novem portavi, & lac trien- 7. 28.
nio dedi & alui, & in ætatem iſtam perduxi. Oro fili, aſpicias in cœlum & terram; & omnibus quæ in eis ſunt aſpectis, intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: (f) Ita fiet ne timeas carnificem iſtum, ſed dignus fratribus effectus excipias mortem, ut in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam. Magna laus matris in exhortatione virtutis; ſed major in Dei timore & in (g) fidei veritate, quod nihil ſibi aut filio de ſex martyrum honore promiſit, 1 nec fratrum precem profuturam credidit ad negantis ſalutem: perſuaſit potius participem paſſionis fieri, ut in judicii die poſſet cum fratribus inveniri. Poſthæc (h) liberis ſuis commoritur & mater, neque enim aliud (i) jam decebat, quam ut quæ martyres pepererat, & fecerat, in conſortio illis gloriæ jungeretur; & quos ad Deum præmiſerat, ipſa quoque ſequeretur. 2 Ac ne quis vel libelli, vel alicujus rei oblata ſibi occaſione qua fallat, amplectatur, decipientium malum munus; nec Eleazarus tacendus eſt, qui cum ſibi à miniſtris Regis offerretur facultas, ut accepta carne qua (k) liceret ſibi veſci, ad circumveniendum Regem ſimularet ſe illa edere, quæ de ſacrificiis atque illicitis cibis ingerebantur; conſentire ad hanc fallaciam noluit, dicens: nec ætati ſuæ, nec nobilitati convenire id fingere, quo ceteri ſcandalizarentur, & in errorem inducerentur, exiſtimantes Eleazarum nonaginta 2 Maccab.
annos natum, ad alienigenarum morem, relicta & prodita Dei lege tranſiſſe: nec tanti 6. 22.
eſſe lucrari brevia vitæ momenta, ut offenſo Deo incurreret æterna ſupplicia. At ille excruciatus diu, & in extremo jam conſtitutus, cum inter verbera & tormenta moreretur, ingemiſcens ait: Domine qui ſanctam habes ſcientiam, manifeſtum eſt, quia cum 30.
poſſem à morte liberari, duriſſimos dolores corporis tolero flagellis vapulans; animo autem propter tui ipſius metum libenter hæc patior. Sincera prorſus fides & virtus integra ac ſatis pura, non regem Antiochum cogitaſſe, ſed (l) Deum judicem; & ſciſſe proficere ſibi ad ſalutem non poſſe, ſi hominem derideret ac falleret; quando Deus qui conſcientiæ noſtræ judex eſt, & ſolus timendus eſt, nec derideri poſſit omnino, nec falli. Si igitur & nos dicati ac devoti Deo vivimus, ſi (m) ſupra juſtorum antiqua & ſancta veſtigia iter facimus: per eadem documenta pœnarum, per eadem paſſionum martyria pergamus; hoc ampliorem gloriam computantes temporis noſtri, (n) quod cum vetera exempla numerentur, exuberante poſtmodum copia virtutis ac fidei, numerari non poſſunt martyres Chriſtiani; teſtante Apocalypſi & dicente: Poſt hæc vidi (o) tur- Apoc. 7. 9.
bam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omni gente, & ex omni tribu & populo & lingua, ſtantes in conſpectu throni, & agni: & erant amicti (p) ſtolas albas, & palmæ fuerunt in manibus eorum, & magno clamore dicebant: (q) Salus Deo noſtro ſedenti ſuper thronum, & agno: & reſpondit unus ex ſenioribus dicens mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolas albas, qui ſunt, & unde venerunt? Et dixi ei: Domine mi tu

(a) Martyris, *Ar.* (b) Impunitum futurum, *Lamb. Ebor. NC.* 1. 2. *Bod.* 1, 2. 3, 4. *Lin. Voſſ.* 1. 2. *Benev. Ver.* (c) Cum reliquis, *NC.* 2. (d) Deo peperiſſe, non, *NC.* 2. potius peperiſſe quam, *Voſſ.* 1. (e) Menſibus decem, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voſſ.* 1. *Ver.* (f) *Sic*, *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Lin. Ver. Voſſ.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 4. itaque fili, *Impr.* (g) Fide veritatis, *Bod.* 1. (h) Cum liberis, *Ver.* (i) Jam licebat, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. *NC.* 1. *Lin.* (k) Liceret veſci, *Lam. Ebor. NC.* 1. & veſci, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (l) Deum judicem metuiſſe, *Voſſ.* 1. (m) Supra ipſa, *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. (n) Quo cum vetera, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (o) Turbam multam, *Bod.* 1. 2, 3, 4. *Ver.* (p) Stolis albis, *Voſſ.* 1. ſtola alba, *Ver.* (q) Laus Deo, *Bod.* 4.

1 *Nec fratrum precem profuturam.*] Perſtringit martyres qui veniam quibuſlibet facere ſe poſſe putabant. Tertullian. de pudic. libro ſatis malo non male ait. *Sufficiat martyri propria delicta purgaſſe. Ingrati vel ſuperbi eſt in alios quoque ſpargere quod pro magno fuerit conſecutus. Quis alienam mortem ſua ſolvit, niſi ſolus Dei filius? Nam & in ipſa paſſione liberavit patronem. Ad hoc enim venerat, ut ipſe à delicto purus, & omnia ſanctus pro peccatoribus obiret. Proinde qui illum æmularis, ſi nihil ipſe deliquiſti, plane patere pro me: ſi vero peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ ſufficere tibi & mihi poterit?*

2 *Ac ne quis vel libelli.*] Hæc prorſus confirmant ſententiam noſtram de libellaticis, de qua videatur lib. de Lapſis.

1 *Holo-*

An. 252. tu ſcis: & ait mihi: Hi ſunt qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt in ſanguine agni: propter hoc ſunt in conſpectu throni Dei, & (a) ſerviunt ei die ac nocte in templo ejus. Quod ſi tantus oſtenditur & probatur Chriſtianorum martyrum populus; nemo difficile vel arduum putet eſſe martyrem fieri, quando videat martyrum populum non poſſe numerari.

Quæ ſpes, & merces maneat juſtos & martyres poſt conflictationes hujus temporis & paſſiones.

XII. Per Solomonem Spiritus ſanctus oſtendit & (b) præcavit dicens: Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes eorum immortalitate plena eſt. Et in paucis vexati, in multis bene diſponentur: quoniam Deus tentavit illos, & invenit illos, dignos ſe. Tamquam aurum in fornace probavit illos, & quaſi 1 (c) holocauſta hoſtiæ accepit illos, & in tempore erit reſpectus illorum. Judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus eorum in perpetuum. Item apud eundem vindicta noſtra deſcribitur, & perſequentium nos atque infeſtantium pœnitentia prædicatur. Tunc ſtabunt, inquit, juſti in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum: videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatatione inſperatæ ſalutis, dicentes inter ſe, (d) pœnitentiam agentes, & (e) per anguſtiam ſpiritus gementes: Hi ſunt quos aliquando habuimus (f) in deriſum & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. (g) Quomodo ergo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non (h) luxit nobis, & ſol non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in iniquitatis via & perditionis, & ambulavimus ſolitudines difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut quid divitiarum (i) jactatio contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquam umbra. Item in Pſalmo 115. pretium & merces paſſionis oſtenditur: Pretioſa eſt, inquit, in conſpectu Domini (k) mors ſanctorum ejus. Item in Pſalmo 125. triſtitia conflictationis, & lætitia retributionis exprimitur. Qui ſeminant, inquit, in lacrymis, in gaudio metent. Ambulantes ambulabant & flebant, mittentes ſemina ſua: venientes autem venient in exultatione 2 (l) portantes (m) gremia ſua. Et iterum in Pſalmo 118. Beati qui immaculati ſunt in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui (n) perſcrutantur martyria ejus, in toto corde exquirunt eum. Item Dominus in Evangelio, ultor ipſe perſecutionis noſtræ & (o) renumerator paſſionis: Beati, inquit, qui perſecutionem paſſi fuerint propter juſtitiam, quia ipſorum eſt regnum cœlorum. Et iterum: Beati eritis cum odio vos habuerint homines, & ſeparaverint vos, & (p) expulerint, & maledixerint nomini veſtro quaſi nequam propter filium hominis. Gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlis. Et iterum: Qui perderit animam ſuam propter me, hic ſalvabit illam. Nec ſolos animadverſos & interfectos divinæ pollicitationis manent præmia, ſed etiam ſi ipſa paſſio fidelibus deſit, fides tamen integra atque invicta perſtiterit, & contemtis ac relictis ſuis omnibus Chriſtum ſe ſequi Chriſtianus oſtenderit, ipſe quoque à Chriſto inter martyres honoratur, pollicente ipſo & dicente: Nemo eſt qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat ſepties tantum in iſto tempore, in ſeculo autem venturo vitam æternam. Item in Apocalypſi hoc idem loquitur: Et vidi, inquit, animas occiſorum (q) propter nomen Jeſu & ſermonem Dei: & cum primo in loco poſuiſſet occiſos, addidit, dicens: Et quicunque imaginem beſtiæ non adoraverunt, nec acceperunt inſcriptionem in fronte aut in manu ſua; quos univerſos à ſe in eodem loco ſimul viſos conjungit & dicit: & vixerunt & regnaverunt cum Chriſto. Vivere omnes dicit & regnare cum Chriſto, non tantum qui occiſi fuerint, ſed & quicumque in fidei ſuæ firmitate, & Dei timore perſtantes, imaginem beſtiæ non adoraverint, neque ad funeſta ejus, & ſacrilega edicta conſenſerint. Sap. 3. 4. Sap. 3. 1. Pſ. 115. 3. Pſ. 125. 8. Pſ. 118. 1. Matt. 5. 10. Luc 6. 22. Luc. 9. 24. Luc. 18. 29. Apo. 20. 4.

Plus nos accipere in paſſionis mercede, quam quod hic ſuſtinemus in ipſa paſſione.

Probat beatus Apoſtolus Paulus, qui dignatione divina uſque in tertium cœlum atque in paradiſum raptus, audiſſe ſe innenarrabilia verba teſtatur; qui (r) oculata fide Jeſum Dominum vidiſſe ſe gloriatur, qui id quod & didicit & vidit, (s) majori conſcientiæ veritate profitetur. Non ſunt, inquit, condignæ paſſiones hujus temporis ad ſuperventuram claritatem, quæ revelabitur in nobis. Quis ergo non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum Chriſto ſtatim gaudeat? ut poſt tormenta & ſupplicia terrena, præmia divina percipiat? Si militibus ſecularibus glorioſum eſt, ut hoſte devicto redeant in patriam triumphantes: quanto potior & major eſt gloria, victo diabolo ad paradiſum (t) triumphantem redire, & unde Adam peccator ejectus eſt, illuc proſtrato eo qui ante (u) dejecerat, trophæa victricia Rom. 8. 18.

(a) Serviunt in templo, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ben. Ver.* (b) Monet, *Ar. Lam. Ebor. NC.* præcipit, *Bod.* 1. 4. (c) Holocauſtum hoſtiam, *Bod.* 1. 4. *Benev. Ver.* (d) Pœnitentiam habentes, *Lam. Ebor. Voſſ.* 1. *Bod.* 2. 4. (e) *Sic*, *Bod.* 1. 2. *Benev. Ver. ad Quir. l.* 3. *c.* 16. præ anguſtia, *Impr.* (f) In riſu, & in ſimilitudine, *Lam. Bod.* 1. 2. 4. *Ver.* (g) Quomodo computati, *ad Quir. l.* 3. *c.* 16. (h) Luxit ſuper nos, *NC.* 1. (i) Jactantia, *Lam. Ebor.* (k) Mors juſtorum, *Bod.* 1. 3. *Benev. Ver.* (l) Tollentes, *Bod.* 2 3. 4. (m) Manipulos ſuos, *Bod.* 1. *Lin.* (n) Perſcrutantur myſteria, *NC.* 1. teſtimonia, *Lin.* (o) Munerator, *Bod.* 1. 2. 4. *Ver.* (p) Expugnaverint, *Ar. Bod.* 2. (q) Verbum Jeſu, *Bod.* 2. Teſtimonium Jeſu, *Ver.* (r) Oculo fidei, *Bod.* 3. occulta, *Lam. Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. (s) Majoris conſcientiæ, *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. (t) Triumphantes, *Bod.* 2. 3. 4. (u) Deceperat, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Voſſ.* 1. 2.

1 *Holocauſta hoſtiæ.*] Vid. quæ dicta lib. 3. ad Quir. c. 15. LXX. legerunt ὁλοκάρπωμα θυσίας, & forte veriſſima lectio fuerit. *Holocauſtum hoſtiæ.*

2 *Portantes gremia ſua.*] Vid. quæ dicta l 3. ad Quir. c. 16.

1 *Clan-*

An. 252. cia reportare? offerre Deo acceptiſſimum munus, incorruptam fidem, & virtutem mentis incolumem, laudem devotionis illuſtrem? comitari eum, cum venire cœperit, vindictam de inimicis recepturus? lateri ejus aſſiſtere, cum ſederit judicaturus? cohæredem Chriſti fieri? Angelis adæquari? cum Patriarchis, cum Apoſtolis, cum Prophetis cœleſtis regni poſſeſſione lætari? Has cogitationes quæ (a) perſecutio poteſt vincere, quæ poſſunt tormenta ſuperare? Durat fortis & ſtabilis (b) religioſis meditationibus fundata mens: & adverſus omnes diaboli terrores & minas mundi, animus immobilis perſtat; quem futurorum (c) fides certa & ſolida corroborat. 1 (d) Clauduntur in perſecutionibus terræ, ſed patet cœlum: minatur Antichriſtus, ſed Chriſtus tuetur; mors infertur, ſed immortalitas ſequitur: occiſo mundus eripitur, ſed reſtituto paradiſus exhibetur: vita temporalis extinguitur, ſed æterna reparatur. Quanta eſt dignitas & quanta ſecuritas exire hinc lætum, exire inter preſſuras & anguſtias gloriosum: claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eoſdem ſtatim ut Deus videatur & Chriſtus? Tam feliciter migrandi, (e) quanta velocitas? terris repente ſubtraheris, ut in regnis cœleſtibus reponaris. Hæc oportet mente & cogitatione complecti, hæc die ac nocte meditari. Si talem (f) perſecutio invenerit Dei militem, vinci non poterit virtus ad (g) prælium promta. Vel ſi accerſitio ante prævenerit, ſine præmio non erit fides, quæ erat ad martyrium præparata. 2 Sine damno temporis merces, judice Deo, redditur: in perſecutione, militia; in pace, 3 conſcientia coronatur.

(a) Perſecutiones poſſunt, *Bod.* 2. *Lam.* (b) Religioſis imitationibus, *Voſſ.* 1. (c) Fides grata, *Voſſ.* 1. (d) *Sic*, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Voſſ.* 1. 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ben. Ver.* clauduntur oculi, *Impr.* (e) Quanta felicitas, *Vat.* (f) Perſecutor invenerit, *Bod.* 3. (g) Prælium deſtinata, *Bod.* 3.

1 *Clauduntur in perſecutionibus terræ.*] Proſcriptis nimirum, & deportatis. Quod in Editionibus prioribus lectum, *clauduntur oculi in perſecutionibus terræ*, ex librariorum infeliciſſima critica natum; qui mendam cum non inveniunt corrigendo faciunt. Infra legerunt, *claudi in momento oculos quibus homines videbantur & mundus*, & nihil præter oculos claudi putabant.

2 *Sine damno temporis.*] Per omnia Confeſſores Martyribus æquantur, ſi à judicii mora, quæ baptiſmi ſanguinis ſingularis prærogativa habebatur, pariter ſint exemti. Tertull. de Anima dixit, *modica delicta mora reſurrectionis expendi*: ratus hac pœna damni, in illa animadverti. Sequiorum temporum Doctores, pœnam ſenſus, & purgatorios ignes addidere. Imo Origenes gehennæ ignes purgatorios ſtatuebat. Quæ ex Epiſtola ad Antonianum à quibuſdam in hac cauſa afferuntur, ad Lapſorum cenſuras hic in Eccleſia omnino pertinent, nec cum pœnis quæ vita functos exercent, quidquam habent commune.

3 *Conſcientia coronatur.*] Per *conſcientiam* intelligit, *virtutem ad prælium promptam*, & *fidem quæ erat ad martyrium præparata.*

D. CÆCILII CYPRIANI

AD

DEMETRIANUM.

An. 253. *Prioris ſilentii, & præſentis ſcriptionis ratio redditur.*

OBlatrantem te, & adverſus Deum, qui unus & verus eſt, ore ſacrilego & verbis impiis obſtrepentem, frequenter Demetriane contemſeram; verecundius ac melius exiſtimans errantis imperitiam ſilentio ſpernere, quam loquendo dementis inſaniam provocare. Nec hoc ſine magiſterii (a) divini & nominis auctoritate faciebam, cum ſcriptum ſit: In aures imprudentis noli quidquam dicere; ne, quando audierit, irrideat ſenſatos ſermones tuos. Et iterum: noli reſpondere imprudenti ad imprudentiam ejus, ne ſimilis fias illi: & ſanctum quoque jubeamur intra conſcientiam noſtram tenere, nec inculcandum porcis & canibus exponere, (b) loquente Domino & dicente: Ne dederitis ſanctum canibus, neque miſeritis margaritas veſtras ante porcos; ne (c) inculcent (d) ea pedibus, & converſi elidant vos. 2 Nam cum ad me ſæpe ſtudio magis contradicendi, quam voto diſcendi venires, & clamoſis vocibus perſonans, malles tua impudenter ingerere, quam noſtra patienter audire: (e) ineptum videbatur congredi tecum, quando facilius eſſet & levius, turbulenti maris concitos fluctus clamoribus retundere quam tuam rabiem tractatibus coercere. Certe & labor irritus & nullus effectus, offerre lumen cæco, ſermonem ſurdo, ſapientiam bruto: cum nec ſentire brutus poſſit, nec cæcus lumen admittere, nec ſurdus audire. Hæc conſiderans ſæpe conticui, & (f) impatientem patientia vici; cum nec docere indocilem poſſem, nec impium religione comprimere, nec furentem lenitate cohibere. Sed enim cum dicas, (g) plurimos conqueri quod bella crebrius ſurgant, quod lues, quod fames ſæviant, quodque imbres, & pluvias ſerena longa ſuſpendant, nobis imputari; 3 tacere ultra non oportet; ne jam non verecundiæ, ſed diffidentiæ eſſe incipiat, quod tacemus; & dum criminationes falſas contemnimus refutare, videamur crimen agnoſcere. Reſpondeo igitur & tibi Demetriane pariter, & ceteris, quos tu forſitan concitaſti, & adverſum nos odia tuis maledicis vocibus ſeminando, comites tibi plures, radicis, atque originis tuæ pullulatione feciſti, quos tamen ſermonis noſtri admittere credo rationem. Nam qui ad malum motus eſt fallente mendacio, multo magis ad bonum movebitur, veritate cogente.

Prov. 23 9.

Prov. 26.4.

Matt. 7. 6.

Dixiſti

(a) Divini auctoritate, *Ar. Bod.* 1. 3. 4. *Thu. Foſſ.* (b) Monente Domino, *Pem. Voſſ.* 1. (c) *Sic, Voſſ.* 2. *Bod.* 1. 4. *Thu. Foſſ. Vict. & ſup. ad Quir.* conculcent, *Imp.* (d) Eas pedibus ſuis, *Bod.* 1, 2, 3, 4. pedibus ſuis. Nam cum, *Ar. Lam. Ebor. Voſſ.* 2. (e) Ineptum mihi videbatur, *Bod.* 1. 2. *Thu. Vict.* (f) Impatientiam patientia, *Bod.* 1. (g) Plurimos torqueri, *Lin.*

1 *Ad Demetrianum.*] Hunc Africæ Proconſulem fuiſſe uno ore dicunt Baronius, Pamelius, Lombertus, aliique qui de Cypriani rebus ſcripſerunt. Sed parum veriſimile eſt ſummum magiſtratum, depoſitis faſcibus & imperii inſignibus, ad Epiſcopi Chriſtiani domum, idque non ſemel ſed *ſæpe*, *venturum*. Nec magis ad Proconſulem faciunt; *ut ceteros concitaret*, & *odia ſuis maledicis vocibus ſeminando*, *comites ſibi plures*, *radicis atque originis ſuæ pullulatione fecerit*. Aliter iraſcebantur, & magis decretoriis armis pugnabant provinciarum præſides. Porro à Cypriani moribus longe videtur abeſſe, ut principem virum verbis parum honorificis exciperet; *ut oblatrantem eum*, & *ore ſacrilego & verbis impiis obſtrepentem*, *contemnere* ſe profiteretur; & *inducilem*, *impium*, *furentem*, *cæcum*, *ſurdum*, & *brutum* compellaret. Omnino igitur dicendum eſt, Demetrianum judicem ſaltem fuiſſe in civitate Carthaginenſi; aut aliquem è Conſiliariis qui Præſidi ſolebant in judiciis aſſiſtere, de quibus vid. Act. 25. 12. Et virum iſtiuſmodi, Cypriano ob communia olim ſtudia familiariter notum, veterem ſodalem aliquando inviſere voluiſſe, vero non eſt abſimile. Certe Pontius non alio illum titulo ornat, quam *gentilis blaſphemi*. Et Lactantius ſine aliqua honoris prætatione, *hominem veritatis ignarum* appellat. Nec refert quod Demetrianus dicitur *Dei caros domo privare*, *patrimonio ſpoliare*, *catenis premere*, *carcere includere*, *beſtiis*, *gladio & ignibus punire*. Hæc enim inferioris ſubſellii perſecutori ſatis quadrant, & de Saulo Act. 8. & 9. qui certe non erat provinciæ Præſes, referuntur. Luem illam de qua ſupra in lib. de Mortalitate actum; & famem, quæ peſti ſupervenire ſolet, apologiæ huic occaſionem dediſſe, ſatis aperte profitetur Auctor noſter. Et quandoquidem fames ceſſanti agriculturæ, hoc eſt peſti adultæ & diutinæ, ſuccedere dignoſcitur; librum hunc non ante ſecundum à morbi initiis annum, hoc eſt 253. ſcriptum fuiſſe cenſemus.

2 *Nam cum ad me ſæpe.*] Lactantius Inſtit. l. 5. c. 4. (cui ſuccenturiator accedit D. Hieron. Ep. ad Magn.) dicit, *Cyprianum in ea oratione quæ Demetrianum*, *ſicut ipſe ait*, *oblatrantem atque obſtrepentem veritati redarguere conatur*, *ea materia non uſum eſſe ut debuit*, *non enim ſcripturæ teſtimoniis quam ille utique vanam*, *fictam*, *commentitiamque putabat*, *ſed argumentis & ratione fuerat refellendus. Nam cum ageret contra hominem veritatis ignarum*, *dilatis paululſper divinis lectionibus*, *formare hunc à principio tanquam rudem debuit*, *eique paulatim lucis principia monſtrare*, *ne toto lumine objecto caligaret.* Hæc vero criminatio & calumnia prorſus evaneſcet, quam primum conſtiterit non cum homine ita *rudi & veritatis ignaro* rem fuiſſe geſtam; ſed illo qui *ſæpe* ad Cyprianum *veniſſet*, & de fidei capitibus acriter ſubinde diſceptaſſet. Porro obſervandum, loca S. Scripturæ quæ à S. Cypriano in toto hoc ſcripto afferuntur, ex prophetiis fere eſſe deſumta; nec ad redarguendum infidelem, ulla methodus accommodatior. Unde D. Auguſt. orat. de quinque hæres. poſtquam attuliſſet SS. Scripturæ veteris teſtamenti ſuffragia, ait. *Hic eſto & tu Pagane. Audi quid dicat Propheta*, *non miki ego quod volui ſcripſi*, *codex in quo hæc ſcripta leguntur*, *in armario Judæi habetur. Inimicus meus teſtis eſt meus*, *ab ipſo quære: aperi*, *lege & crede.* Quinimo argumentum hoc late tractat idem SS. Pater, contra Fauſtum Manich. l. 13.

3 *Tacere ultra non oportet.*] Diu erat antequam criminationem hanc depoſuerunt Ethnici; adeo ut ipſi D. Auguſtino opus fuerit, conſcribere librum de Civitate Dei, & Oroſio hiſtoriam ſuam, ut eam diluerent.

An. 253. Dixisti (a) per nos fieri, & quod nobis debeant imputari omnia ista, quibus nunc mundus quatitur & urgetur, quod Dii vestri à nobis non colantur. Qua in parte (b) quia ignarus divinæ cognitionis, & veritatis alienus es, illud primo in loco scire debes, 1 senuisse jam (c) mundum, non illis viribus stare, quibus prius steterat, nec vigore & robore eo valere quo antea prævalebat. Hoc etiam nobis tacentibus, & nulla de scripturis sanctis prædicationibusque divinis documenta promentibus, (d) mundus ipse jam loquitur, & occasum sui rerum labentium probatione testatur: Non hyeme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est: non frugibus æstate torrendis (e) solis tanta flagrantia est, nec sic 2 verna de temperie (f) sua læta sunt, nec adeo arboreis fœtibus autumna fœcunda sunt. Minus de effossis & fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ minus argenti & auri opes suggerunt exhausta jam metalla: & pauperes venæ breviantur in dies singulos, (g) & decrescunt: deficit in (h) agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, justitia in judicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Putasne tu tantum posse substantiam rei senescentis existere, quantum prius potuit novella adhuc & (i) vegeta juventute pollere? Minuatur necesse est quicquid fine jam proximo in occidua (k) extrema devergit. Sic sol in occasu suo radios minus claro & igneo splendore jaculatur, sic declinante jam cursu, exoletis cornibus luna tenuatur; & arbor quæ fuerat ante viridis & fertilis, arescentibus ramis fit postmodum sterili senectute deformis. Et fons qui exundantibus prius venis largiter profluebat, senectute deficiens, vix modico sudore distillat. Hæc sententia mundo data est: hæc Dei lex est, ut omnia orta occidant, & aucta senescant; & infirmentur fortia, & magna minuantur; & cum infirmata & (l) diminuta fuerunt, finiantur. Christianis imputas, quod minuantur singula mundo senescente: quid si & senes imputent Christianis, quod minus valeant in senectute? quod non perinde ut prius vigeant auditu aurium, cursu pedum, oculorum acie, virium robore, succo viscerum, mole membrorum? & cum olim ultra octingentos, & nongentos annos vita hominum (m) longæva procederet, vix nunc possit ad centenarium numerum pervenire? Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant, nec ætas (n) in senectute desinit, sed incipit à senectute: sic in ortu adhuc suo ad finem nativitas properat: sic quodcunque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat; ut nemo mirari debeat singula in mundo cœpisse deficere, quando totus ipse jam mundus in defectione sit & fine.

Diluitur calumnia Christianis impacta, quod illis imputari debeant mala omnia, quibus mundus jam in senectam vergens quatitur & urgetur.

Quod autem crebrius bella continuant, quod sterilitas & fames 3 (o) solicitudinem cumulant, quod sævientibus morbis valetudo frangitur, quod humanum genus luis populatione vastatur; & hoc scias esse prædictum, in novissimis temporibus multiplicari mala & adversa variari, & appropinquante jam judicii die magis ac magis in plagas generis humani censuram Dei indignantis accendi. Non enim sicut tua falsa querimonia & imperitia veritatis ignara jactat & clamitat, ista accidunt, quod Dii vestri à nobis non colantur; sed quod à vobis non colatur Deus. Nam cum ipse sit (p) mundi Dominus & rector, & cuncta arbitrio ejus & nutu gerantur, nec quidquam fieri possit, nisi quod aut fecerit, aut fieri ipse permiserit: utique quando ea fiunt, quæ iram Dei indignantis (q) ostendunt, non propter nos fiunt, à quibus Deus colitur; sed delictis & meritis vestris irrogantur à quibus Deus omnino (r) nec quæritur, nec timetur; nec relictis vanis superstitionibus religio vera cognoscitur; ut qui Deus unus est, unus colatur ab omnibus & rogetur. Ipsum denique audi loquentem, ipsum voce divina instruentem (s) nos pariter ac monentem: Dominum Deum tuum adorabis, inquit, & illi soli servies. Et iterum: Non erunt tibi Dii alii absque me. Et iterum: Nolite ambulare post Deos alienos, ut serviatis eis, & ne adoraveritis eos; & ne (t) incitetis me in operibus manuum vestrarum ad disperdendos vos. Propheta item Spiritu sancto plenus contestatur & denunciat iram Dei, dicens: Hæc dicit Dominus Deus omnipotens: Eo quod Domus mea deserta est, vos autem sectamini unusquisque in domum suam, propterea abstinebit cœlum à rore, & (u) terra subtrahet procreationes suas, & inducam gladium super terram, & super frumentum, & super vinum, & super oleum, & super homines, & super pecora, & super omnes labores manuum eorum. Item Propheta alius repetit & dicit: Et pluam super unam civitatem, & super (w) aliam non pluam. Pars una compluetur, & pars, super quam non pluero, arefiet. Et congre-

Ex justa Dei vindicta ob Christianæ pietatis contemtum, tot mala eveniunt.

Deut. 6. 13. Luc 4. 8. Ex. 20. 3. Hier. 25. 6. Agg. 1. 9. Amos. 4. 7.

(a) Propter nos, *Bod.* 3. (b) Qui ignarus, *Bod.* 1. 2. 4. *Thu. Vict.* (c) Mundum & non, *Voss.* 1. (d) Mundus ipse loquitur, *Bod.* 2. *Voss.* 2. *Ebor.* (e) Solita flagrantia, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Ebor. Thu. Foss.* (f) *Sic*, *Voss.* 2. *Thu. Foss. Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.* sata læta, *Vict. Imp.* (g) Et decrescit & deficit, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (h) Arvis, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (i) Vegeta juventa, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4 *Foss.* (k) Et extrema, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (l) Diminuta fuerint, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (m) Longo ævo, *Bod.* 3, (n) In senectutem, *Bod.* 2. 4. (o) Solitudinem, *Vict.* (p) Totius mundi, *Bod.* 2. *Ben.* (q) Accendunt, *Ar. Ben.* (r) Nec colitur, *Voss.* 1. *Ebor.* (s) Nos ac monentem, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (t) Irritetis, *NC.* 2. (u) Terra retrahat, *Ar.* (w) Unam non pluam, *Lam. Ebor. Pem. Lin. NC.* 1. *Voss.* 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4.

1 *Senuisse jam mundum.*] Universi machinam senio dilabi, & ad interitum vergere; longe alia res est à seculi clausula & mundi fine, quem dies judicii secum affert; ita enim differunt ut mors naturalis & violenta. Utramque tamen ruinam, primi Christiani pariter expectabant, & gentilibus minabantur.

2 *Verna de temperie sua.*] Probata hæc lectio, & phrasi Tertull. consona. Is l. de resur. carn. c. 12. ait *Revolvuntur hyemes & æstates, verna & autumna.* Editores importuna liberalitate, *fata* addidere.

3 *Solicitudinem cumulant.*] Tertull. in Apol. dixit, ex occasione consimili; *Annum in cura* esse.

1 *Pallidas*

An. 253. congregabuntur duæ & tres civitates in unam civitatem potandæ aquæ cauſa, nec ſatiabuntur; & non convertimini ad me, dicit Dominus. Indignatur ecce Dominus & iraſcitur, & quod ad eum non convertamini comminatur: & tu miraris aut quereris in hac obſtinatione & contemtu veſtro, ſi rara deſuper pluvia deſcendat, ſi terra ſitu pulveris ſqualeat, ſi vix jejunas & 1 pallidas herbas ſterilis gleba producat, ſi vineam debilitet grando cædens, ſi oleam detruncet turbo ſubvertens, ſi fontem (a) ſiccitas ſtatuat, aerem peſtilens aura corrumpat, hominem morbida valetudo conſumat; cum omnia iſta peccatis provocantibus veniant, & plus (b) exacerbetur Deus quando nihil talia & tanta proficiant? Fieri enim iſta vel ad diſciplinam contumacium, vel ad pœnam malorum, declarat in ſcripturis ſanctis idem Deus dicens: Sine cauſa percuſſi filios veſtros, diſciplinam non exceperunt. Et Propheta devotus ac dicatus Deo, ad hæc eadem reſpondet & dicit; Verberaſti eos, nec doluerunt: flagellaſti eos, (c) nec voluerunt accipere diſciplinam. Ecce irrogantur divinitus plagæ & nullus Dei metus eſt. Ecce verbera deſuper & flagella non deſunt, & (d) trepidatio nulla, nulla formido eſt. Quid ſi non intercederet rebus humanis vel iſta cenſura; quanto adhuc major in hominibus eſſet audacia facinorum impunitate ſecura? Hier. 2.30 ſ. 3.

Impudenter expectant homines ut omnia ipſis famulentur, qui nullum Deo qui univerſi dominus, obſequium præſtant.

Quereris quod minus nunc tibi uberes fontes, & auræ ſalubres, & frequens pluvia, & fertilis terra obſequium præbeant, quod non ita utilitatibus tuis, & (e) voluptatibus elementa deſerviant. Tu enim (f) Deo ſervis, per quem tibi cuncta deſerviunt? Tu (g) famularis illi, cujus nutu tibi univerſa famulantur? Ipſe de ſervo tuo exigis ſervitutem, & homo hominem parere tibi & obedire compellis; & cum ſit vobis eadem ſors naſcendi, conditio una moriendi, corporum materia conſimilis, animarum ratio communis, æquali jure, & pari lege vel veniatur in iſtum mundum vel de mundo poſtmodum recedatur: tamen niſi tibi pro arbitrio tuo ſerviatur, niſi ad voluntatis obſequium pareatur, imperioſus & nimius ſervitutis exactor, flagellas, verberas, fame, ſiti, nuditate, ferro frequenter, & carcere affligis & crucias; & non (h) agnoſcis miſer Dominum Deum tuum, cum ſic exerceas ipſe in homine dominatum? Merito ergo incurſantibus plagis non deſunt Dei flagella nec verbera: quæ cum nihil iſtic promoveant, nec ad Deum ſingulos tanto cladium terrore convertant, manet poſtmodum carcer æternus, & jugis flamma, & pœna perpetua, nec audietur illic rogantium gemitus, quia nec hic Dei indignantis terror auditus eſt, qui per Prophetam clamat, & dicit: Audite ſermonem Domini filii Iſraël, quia (i) judicium eſt Domini adverſus incolas terræ, eo quod neque miſericordia, neque veritas, neque (k) agnitio Dei ſit ſuper terram, ſed execratio, & mendacium, & cædes, & furtum, & adulterium diffuſum eſt ſuper terram, ſanguinem ſanguini ſupermiſcent. Iccirco terra lugebit cum univerſis incolis ſuis, cum beſtiis agri, cum ſerpentibus terræ, cum volucribus cœli, & deficient piſces maris, ut nemo judicet, nemo revincat. Indignari ſe (l) Deus dicit, quod agnitio Dei non ſit in terris, & Deus non agnoſcitur nec timetur. Delicta mendaciorum, libidinum, fraudum, crudelitatis, impietatis, furoris, Deus increpat & incuſat, & ad innocentiam nemo convertitur. Fiunt ecce quæ verbis Dei ante prædicta ſunt, nec quiſquam fide præſentium, ut in futurum conſulat, admonetur. Inter ipſa adverſa, quibus vix coartata & concluſa anima reſpirat, & vacat malos eſſe, & in periculis tantis non de ſe magis, ſed de altero judicare. Indignamini indignari Deum, quaſi aliquid boni male vivendo mereamini, quaſi non omnia iſta quæ accidunt, minora adhuc ſint & leviora peccatis veſtris. Os. 4. 1.

Ad Demetriani conſcientiam provocatur.

Qui alios judicas, aliquando eſto & (m) tui judex, conſcientiæ tuæ latebras intuere, imo (quia nullus jam, (n) delinquendi metus vel pudor eſt, & ſic peccatur, quaſi magis per ipſa peccata placeatur) 2 qui perſpicuus & nudus à cunctis videris, & ipſe te reſpice. Aut enim ſuperbia inflatus es, aut avaritia rapax, aut iracundia ſævus, aut alea prodigus, aut vinolentia temulentus, aut livore invidus, aut libidine inceſtus, aut crudelitate violentus; & miraris (o) in pœnas generis humani iram Dei creſcere, cum creſcat quotidie quod puniatur? Hoſtem quereris exſurgere, quaſi, & ſi hoſtis deſit, eſſe pax inter ipſas (p) togas poſſit. Hoſtem quereris (q) exſurgere, quaſi non, etſi extrema de barbaris arma & pericula comprimantur, ferocius intus & gravius, de calumniis & injuriis potentium civium, domeſticæ impugnationis tela graſſentur. De ſterilitate (r) ac fame quereris; quaſi famem majorem ſiccitas quam rapacitas faciat, quaſi non de captatis annonarum incrementis & pretiorum cumulis flagrantior inopiæ ardor excreſcat.

(a) Siccitas deſtituat, *NC.* 1. *Ben.* (b) Exacerbetur offenſis, *Pem. Voſſ.* 2. (c) Et non accipiunt. *Bod.* 3. (d) Trepidatio nulla, nulla cunctatio, *Voſſ.* 1. 2. *Grav.* (e) Voluntatibus elementa, *Bod.* 3, 4. (f) Non Deo ſervis, *Voſſ.* 2. (g) Nec famularis, *Voſs.* 2. (h) Agnoſcis Dominum Deum, cum ſic exerceas ipſe dominatum, *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam Ebor. NC.* 1. *Lin Voſſ.* 1. (i) Judicium Domini, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (k) Auditio Dei, *NC.* 2. (l) Dicit Deus, & iraſci, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ver.* (m) Tibi judex, *Foſſ. Vict. Vet. innom.* (n) *Sic*, *Lam. Ebor. Voſſ.* 1. 2. *Bod.* 2. Delinquendi vel, *Impr.* (o) Inter plagas, *Ben. Bod.* 2. *Ver.* (p) Togas, cultum pacis, *Bod.* 1. (q) *Sic*, *Bod.* 1, 2, 3, 4. reſurgere, *Impr.* (r) *Sic*, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu.* aut fame, *Imp.*

1 *Pallidas herbas ſterilis gleba producat.*] Sic Tert. ad Scapul. *Doleamus neceſſe eſt, quod nulla civitas impune latura ſit ſanguinis noſtri effuſionem, ſicut & ſub Hilarione præſide, cum de areis ſepulturarum noſtrarum adclamaſſent. Areæ non ſint: areæ ipſorum non fuerunt: meſſes enim ſuas non egerunt.*

2 *Qui perſpicuus & nudus.*] Judicem pariter effeminatum, & multitiis non veſtitum ſed pellucentem, Juvenalis exagitat Sat. 2.

An. 253. excreſcat. Quereris cludi imbribus cœlum; cum ſic 1 horrea cludantur in terris. Quereris minus naſci; quaſi quæ nata ſunt, indigentibus præbeantur. Peſtem & luem criminaris; cum peſte ipſa & lue vel detecta ſint, vel aucta crimina ſingulorum, dum nec infirmis exhibetur miſericordia, & defunctis avaritia inhiat ac rapina: Iidem ad pietatis obſequium timidi, ad impia lucra temerarii; fugientes morientium funera, & appetentes ſpolia mortuorum: ut appareat in ægritudine ſua miſeros ad hoc (a) forſitan derelictos eſſe, ne poſſint, dum curantur, evadere. Nam perire ægrum voluit, qui cenſum pereuntis invadit.

Immerito de cladium gravitate inſtituuntur querelæ cum earundem terror dare non poſſit innocentiæ diſciplinam.

Tantus cladium terror dare non (b) poteſt innocentiæ diſciplinam; & inter populum frequenti ſtrage morientem, nemo conſiderat & ſe eſſe mortalem. Paſſim diſcurritur, rapitur, occupatur. Prædandi (c) diſſimulatio nulla, nulla cunctatio, nulla formido eſt. Quaſi liceat, quaſi oporteat, quaſi ille, qui non rapit, damnum & diſpendium proprium ſentiat; ſic unuſquiſque rapere feſtinat. In latronibus eſt utcunque aliqua ſcelerum verecundia, avias fauces & deſertas ſolitudines deligunt, & ſic illic delinquitur, ut tamen delinquentium facinus tenebris & nocte veletur. Avaritia palam ſævit, & ipſa audacia ſua tuta, in fori luce abruptæ cupiditatis arma proſtituit: Inde falſarii, inde venefici, inde in media civitate ſicarii, tam ad peccandum præcipites, quam impune peccantes. 2 A nocente crimen admittitur, nec innocens qui vindicet, invenitur. De accuſatore (d) vel judice metus nullus. Impunitatem conſequuntur mali, dum modeſti tacent, 3 timent conſcii, veneunt judicaturi. Et iccirco per Prophetam divino ſpiritu & inſtinctu, rei (e) veritas promitur, certa & manifeſta ratio monſtratur; Deum poſſe adverſa prohibere, ſed ne ille ſubveniat, merita peccantium facere. Nunquid, ait, non valet manus Dei, ut ſalvos vos faciat, aut gravavit aurem, ut non exaudiat? Sed peccata veſtra inter vos & Deum ſeparant. Et propter delicta veſtra avertit faciem ſuam à vobis, ne miſereatur. Peccata itaque & delicta reputentur, conſcientiæ vulnera cogitentur, & deſinet unuſquiſque (f) de Deo vel de nobis conqueri, ſi quod patitur, intelligat ſe mereri. Iſai. 59. 1.

Extremæ eſt impietatis, non modo Dei cultum negligere ſed ut ab aliis colatur prohibere.

Ecce id ipſum quale eſt, unde nobis (g) vobiſcum maxime ſermo eſt, quod nos infeſtatis innoxios, quod in contumeliam Dei impugnatis, atque opprimitis Dei ſervos. Parum eſt quod furentium varietate vitiorum, quod iniquitate feralium criminum, quod cruentarum compendio rapinarum vita veſtra maculatur, quod ſuperſtitionibus falſis religio vera ſubvertitur, quod Deus omnino nec quæritur, nec timetur: adhuc inſuper Dei ſervos, & majeſtati ac nomini ejus dicatos, injuſtis (h) perſecutionibus agitatis. Satis non eſt, quod (i) ipſe tu Deum non colis; adhuc inſuper eos qui colunt ſacrilega infeſtatione perſequeris. Deum nec colis, nec coli omnino permittis; & cum ceteri, qui non tantum iſta inepta idola, & manibus hominis facta ſimulacra, ſed & portenta quædam & monſtra venerantur, tibi placeant; ſolus diſplicet Dei cultor. Fumant ubique in templis veſtris hoſtiarum buſta, & rogi pecorum; & Dei altaria vel nulla ſunt, vel occulta. 4 Crocodili & cynocephali, (k) & lapides & ſerpentes à vobis coluntur, & Deus ſolus in terris aut non colitur, aut non eſt (l) impune quod colitur. Innoxios, juſtos, Deo caros domo privas, patrimonio ſpolias, catenis premis, carcere includis, beſtiis, gladio, ignibus punis. Nec ſaltem contentus es dolorum noſtrorum compendio, & ſimplici ac veloci brevitate pœnarum: admoves laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis viſceribus numeroſa ſupplicia, nec feritas atque immanitas tua uſitatis poteſt contenta eſſe tormentis; excogitat novas pœnas ingenioſa crudelitas.

Contra fas omne, in confitentes quæſtio exercetur.

Quæ hæc eſt inſatiabilis carnificinæ rabies? quæ inexplebilis libido ſævitiæ? Quin potius elige tibi alterum de duobus: Chriſtianum eſſe, aut eſt crimen, aut non eſt. Si crimen eſt, quid non interficis confitentem? ſi crimen non eſt, quid perſequeris innocentem? 5 Torqueri enim debui ſi negarem. Si pœnam tuam metuens id quod prius fueram, & quod Deos tuos non colueram, mendacio fallente celarem, tunc torquendus fuiſſem, tunc ad confeſſionem criminis vi doloris adigendus; ſicut in ceteris quæſtionibus torquentur rei qui ſe negant crimine quo accuſantur teneri, ut facinoris veritas, quæ indice voce non promitur, dolore corporis exprimatur. Nunc vero cum ſponte confitear & clamen, & crebris ac repetitis identidem vocibus, Chriſtianum me eſſe

(a) Et derelictos. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (b) Poteſt diſciplinam, *Ar. Ben.* (c) *Sic*, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foſſ. Vict.* Diſſimulatio nulla, nulla formido, *Imp.* nulla cunctatio. Quaſi liceat, *Ar. MR. Man. Bod.* 1, 2, 3, 4. (d) De judice, *Bod.* 3. metus nullus, quod poteſt redimi non timetur, *Bod.* 3. (e) Veritas cernitur, *Bod.* 2. *MR.* (f) Vel de Deo, *Lin.* (g) Nobiſcum, *Lam. Ebor.* (h) Perſecutionibus flagitatis, *Bod.* 1. 2. 3. *Man.* fatigatis, *Ver. Vict.* flagellatis, *Thu. Voſſ. Vet. innom.* (i) Ipſe Deum, *Bod.* 1. 2 3. (k) Et liberides, *Bod.* 3. (l) Impune quod colatur, *Voſſ.* 1.

1 *Horrea cludantur in terris.*] Hujus maleficii reus Prov. 11. 26. dicitur סונע כר συνέχων σῖτον. Eleganter rem deſcribit Nazianzenus; ut ſit καταπραγματεύεσθαι τὴς ἐνδείας, καὶ γεωργεῖν τὰς συμφορὰς. Dardanariorum nomen licet infame & legibus coercitum, tamen qui in Provinciis poteſtate præerant, exinde compendia ſibi facere minime erubeſcebant.

2 *A nocente.*] In hanc mentem plura dicuntur in lib. ad Donatum. Nec novum eſt ut Auctores, illis quæ prius ſcripſerant, ſubinde tanquam ſuis utantur.

3 *Timent conſcii.*] Accuſare ſcil. & deferre.

4 *Crocodili & Cynocephali*] Tertullianus in Apol. c. 6. ait hæc Ægyptiorum portenta *Piſonem & Gabinium Coſſ. capitolio prohibuiſſe, porro everſis etiam aris eorum abdicaſſe:* poſtea vero illis in integrum *reſtitutis, ſummam majeſtatem collatam.*

5 *Torqueri enim debui ſi negarem.*] Hoc argumentum late tractat Tertull. in Apol. c. 2. & l. 1. ad Nationes c. 2. Nec non Minut. Felix in Octavio qui dicit *perverſam quæſtionem exerceri, non quæ verum erueret, ſed quæ mendacium cogeret.*

An. 253. eſſe conteſter; quid tormenta admoves confitenti? & Deos tuos non in abditis & (a) ſecretis locis, ſed palam, ſed publice, ſed in foro ipſo, magiſtratibus & præſidibus audientibus, deſtruenti? ut etſi parum fuerat, quod in me prius criminabaris, creverit quod & odiſſe & punire plus debeas? quod dum me Chriſtianum celebri loco & populo circumſtante pronuncio, & vos & (b) Deos veſtros clara & publica prædicatione confundo: quid te ad infirmitatem corporis vertis? quid cum terrenæ carnis imbecillitate contendis? Cum animi vigore congredere, virtutem mentis infringe, fidem deſtrue, (c) diſceptatione ſi potes vince, vince ratione.

Dii gentium ſi numen & poteſtatem habeant ſeipſos vindicent; qui tamen à Chriſtianis exorciſtis ſeabus ſuis quotidie pellantur.

Vel ſi quid Diis tuis numinis & poteſtatis eſt, ipſi in ultionem ſuam ſurgant, ipſi ſe ſua majeſtate defendant: aut quid præſtare colentibus poſſunt, qui ſe de non colentibus vindicare non poſſunt? Nam ſi eo qui vindicatur pluris eſt ille qui (d) vindicat, tu Diis tuis major es. Si autem iis quos colis major es, non tu illos colere, ſed ab (e) ipſis potius coli debes & timeri ut Dominus. Sic illos læſos ultio veſtra defendit, quo modo & clauſos, ne pereant, tutela veſtra cuſtodit. Pudeat te eos colere, quos ipſe defendis; pudeat tutelam de iis ſperare, quos tu ipſe tueris. O 1 ſi audire eos velles, & videre, quando à nobis adjurantur & torquentur ſpiritalibus flagris, & verborum tormentis de obſeſſis corporibus ejiciuntur, quando (f) ejulantes & gementes voce humana, & poteſtate divina flagella & verba ſentientes, venturum judicium confitentur. Veni & (g) cognoſce vera eſſe, quæ dicimus. Et quia ſic Deos colere te dicis, vel ipſis quos colis, crede, aut ſi volueris & tibi credere, de te (h) ipſo loquetur, audiente te, qui nunc tuum pectus (i) obſedit, qui nunc mentem tuam ignorantiæ nocte cæcavit; videbis nos rogari ab eis, quos tu rogas; timeri ab iis quos tu times, quos tu adoras. Videbis ſub manu noſtra ſtare vinctos, & (k) tremere captivos, quos tu ſuſpicis, & veneraris ut Dominos. Certe vel ſic confundi in iſtis erroribus tuis poteris; quando conſpexeris & audieris Deos tuos; quid ſint, interrogatione noſtra ſtatim prodere, & præſentibus licet vobis, præſtigias illas, & fallacias ſuas non poſſe celare.

Extremæ eſt dementiæ idola colere, & Deum vivum provocare.

Quæ ergo mentis ignavia eſt, imo quæ deſipientium cæca & ſtulta dementia, ad lucem de tenebris nolle venire? & mortis æternæ laqueis vinctos, ſpem nolle immortalitatis excipere? non metuere Deum comminantem & dicentem: Sacrificans Diis eradicabitur niſi Domino ſoli? Et iterum: Adoraverunt eos quos fecerunt digiti eorum, & incurvatus eſt homo, & humiliatus eſt vir, & non (l) laxabo illis. Quid te ad falſos Deos humilias & inclinas? Quid ante inepta ſimulacra & figmenta terrena captivum (m) corpus incurvas? Rectum te Deus fecit; & cum cetera animalia prona, & ad terram ſitu vergente depreſſa ſint, tibi ſublimis ſtatus, & ad cœlum atque ad (n) Deum ſurſum vultus erectus eſt. Illuc intuere, illuc oculos tuos erige, in ſupernis Deum quære. Ut carere inferis poſſis, ad alta & cœleſtia ſuſpenſum pectus attolle. Quid te in lapſum mortis cum ſerpente quem colis, ſternis? Quid in ruinam Diaboli per ipſum & cum ipſo cadis? Sublimitatem ſerva, qua natus es. Perſevera talis, qualis à Deo factus es. Cum ſtatu oris & corporis, animum tuum ſtatue. Ut cognoſcere Deum poſſis, te ante cognoſce. Relinque idola, quæ humanus error invenit. Ad Deum convertere, quem ſi imploraveris, (o) ſubvenit. Chriſto crede, quem vivificandis ac reparandis nobis (p) pater filium miſit. Lædere ſervos Dei & Chriſti, perſecutionibus tuis deſine; quos læſos ultio divina defendit. Inde eſt enim (q) quod nemo noſtrum quando apprehenditur, reluctatur: nec ſe adverſus injuſtam violentiam veſtram, quamvis nimius & copioſus noſter ſit populus, ulciſcitur.

Exod. 22. 20. Iſa. 2, 8.

Patienter ferunt Chriſtiani perſecutorum injurias, quia de Dei vindicta ſecuri.

Patientes facit de ſecutura ultione ſecuritas. Innocentes nocentibus cedunt. Inſontes pœnis & cruciatibus acquieſcunt; certi & fidentes quod inultum non remaneat quodcunque perpetimur; quantoque major fuerit perſecutionis injuria, tanto & juſtior fiat & gravior pro (r) perſecutione vindicta. Nec unquam impiorum ſcelere in noſtrum nomen exſurgitur, ut non ſtatim divinitus vindicta comitetur. Ut memorias (s) taceamus antiquas, & ultiones pro cultoribus Dei ſæpe repetitas, nullo vocis præconio revolvamus; documentum recentis rei ſatis eſt, quod ſic celeriter, quodque in tanta celeritate ſic granditer nuper ſecuta defenſio eſt, (t) 2 ruinis regum, jacturis opum, diſpendio militum, diminutione caſtrorum. Nec hoc caſu accidiſſe aliquis exiſtimet, aut fuiſſe fortuitum putet; cum jam pridem ſcriptura divina poſuerit & dixerit: Mihi (u) vindictam, ego retribuam, dicit Dominus. Et iterum Spiritus ſanctus præmoneat & dicat: Ne dixeris, ulciſcar me de inimico meo, ſed expecta Dominum, ut tibi auxilio ſit. Unde clarum eſt atque manifeſtum; quia non per nos, ſed (w) pro nobis accidunt cuncta iſta, quæ de Dei indignatione deſcendunt.

Deut. 32. 35. Prov. 20. 22.

Nec

(a) Semotis, *Bod.* 3. (b) Deos & Deas, *Bod.* 1. (c) Diſceptationem, *Vict.* (d) Vindicat, igitur, *Lam. NC.* 1. (e) Ipſis coli, *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. (f) Ululantes, *Bod* 3. (g) Agnoſce, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (h) Ipſi loquentur, *Bod.* 1. 3. (i) Obſident, *Bod.* 1. 3. (k) Timere captivos, *Bod.* 1. (l) Laxabo illis, dicit Dominus, *NC.* 1. *Lam. Ebor. Bod.* 2. (m) *Sic*, *Thu. Foſſ. Vict. Lam. Ebor. Lin. Imp. Vet.* captiva, *Imp. Rig.* (n) Deum, ſuum, *Lam. Ebor. Voſſ.* 1. 2. 3. *Thu. Foſſ.* (o) Subveniet, *Bod.* 1. (p) Pater miſit, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 4. *Lin. Vet. innom.* (q) Quod &, *Lam. Voſſ.* 1. *Pem. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (r) Perſecutionibus vindicta, *Bod.* 1. (s) Non teneamus, *Vet. innom.* (t) Ruinis rerum, *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.* (u) Vindictam &, *Bod.* 1. (w) Pro vobis, *Bod.* 1.

1 *Si audire eos velles.*] Vid. quæ dicta ſunt in lib. ad Donat. p. 3.

2 *Ruinis regum.*] Deciorum nimirum; quorum cladem in principio libri de Lapſis, ultioni divinæ imputat Auctor noſter. Res iſta ſingulari libello Lactantii argumentum fecit. Quam etiam tractat Oroſius Hiſt. l. 7. c. 31.

An. 253. *Mala quæ pariter fideles & infideles premere videntur; infideles multo gravius affligunt.*

Nec ideo quis putet Christianos (a) iis quæ accidunt non vindicari, (b) quod & ipsi videantur accidentium (c) incursatione perstringi. Pœnam de adversis mundi ille sentit, cui & lætitia & gloria omnis in mundo est. Ille mœret & deflet si sibi male sit in seculo, cui bene non potest esse post seculum; cujus vivendi fructus omnis hic capitur, cujus hic solatium omne finitur; cujus caduca & brevis vita, hic aliquam dulcedinem computat & voluptatem: quando istinc excesserit, pœna jam sola supereſt ad dolorem. Ceterum (d) nullus iis dolor est de incursatione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum. Denique nec consternamur adversis, nec frangimur, nec dolemus, neque in ulla aut rerum clade, aut corporum 1 valetudine mussitamus; spiritu magis quam carne viventes, firmitate animi infirmitatem corporis vincimus. Per ipsa, quæ (e) vos cruciant & fatigant, probari & corroborari nos scimus & fidimus. Putatis nos adversa vobiscum æqualiter (f) perpeti, cum eadem adversa videatis à nobis & vobis non æqualiter sustineri? Apud vos impatientia clamosa semper & querula est: apud nos fortis & religiosa patientia, quieta semper, & semper in Deum grata est: nec quidquam istic lætum aut prosperum sibi vendicat, sed mitis & lenis, & contra omnes fluctuantis mundi turbines (g) stabilis, divinæ pollicitationis tempus expectat. Quamdiu enim corpus (h) hoc permanet, commune cum ceteris sit necesse est, & corporalis conditio communis; nec (i) separari generi humano ab invicem datur, nisi istinc de seculo recedatur. Intra unam domum boni & mali interim continemur, quidquid intra domum evenerit, pari sorte perpetimur; donec ævi temporalis fine completo, ad æternæ vel mortis vel immortalitatis hospitia dividamur. (k) Non ergo iccirco compares vobis & æquales sumus, quia in isto adhuc mundo & carne hac constituti, mundi & carnis incommoda vobiscum pariter incurrimus: nam cum in sensu doloris sit omne quod punit; manifestum est eum non esse participem pœnæ tuæ, quem tecum videas non dolere. Viget apud nos spei robur, & firmitas fidei, & inter ipsas seculi labentis ruinas erecta mens est, & immobilis virtus, & nunquam non læta patientia, & de Deo suo semper anima secura; sicut per Prophetam Spiritus sanctus loquitur & hortatur, spei ac fidei nostræ firmitatem cœlesti voce corroborans: Ficus, inquit, non afferet Abac. 3. 17. fructum, & non erunt nascentia in vineis. Mentietur (l) opus olivæ, & campi non (m) præstabunt cibum. Deficient 2 (n) à pabulo oves, & non erunt in præsepibus boves. Ego autem in Domino exultabo, & gaudebo in Deo salutari meo. Dei hominem, & cultorem Dei, subnixum spei veritate, & fidei stabilitate fundatum, negat mundi hujus & seculi infestationibus commoveri. Vinea licet fallat, & olea decipiat, & herbis siccitate morientibus æstuans campus arescat: quid hoc ad Christianos? quid ad Dei servos, quos paradisus invitat, quos gratia omnis & copia regni cœlestis expectat? Exultant semper in Domino, & lætantur, & gaudent in Deo suo; & mala atque adversa mundi (o) fortiter tolerant, (p) dum bona & prospera futura prospectant. 3 Nam qui exposita nativitate terrena, spiritu recreati & renati sumus, nec jam mundo, sed Deo vivimus; non nisi cum ad Deum venerimus, Dei munera & promissa capiemus: & tamen 4 pro arcendis hostibus, & imbribus impetrandis, & vel auferendis vel temperandis adversis, rogamus semper & preces fundimus: & pro pace ac salute vestra propitiantes ac placantes Deum, diebus ac noctibus jugiter atque instanter oramus.

Retro est judicii dies, quæ pœnis etiamnum gravioribus subjiciet.

Nemo itaque sibi blandiatur, quod nobis Dei cultoribus, & profanis Deo adversantibus, sit interim per æqualitatem carnis & corporis, laborum secularium conditio communis; ut ex hoc opinetur non omnia ista quæ accidunt, (q) vobis irrogari; cum Dei ipsius (r) prædicatione & prophetica contestatione ante prædictum sit, venturam super injustos iram Dei, persecutiones quæ nos humanitus læderent non defuturas, sed & ultiones quæ læsos divinitus defenderent secuturas. Et quanta sunt quæ istic pro nobis interim fiunt? In exemplum aliquid datur ut Dei vindicis ira noscatur: ceterum retro est judicii dies, quem scriptura sancta denunciat, dicens: Ululate, proximus est enim Is. 13. 6. 9. dies Domini, (s) & obtritio à Deo aderit. Ecce enim dies Domini venit insanabilis, indignationis & iræ, ponere orbem terræ desertum, & peccatores perdere ex eo. Et iterum: Ecce dies Domini venit ardens velut (t) clibanus, eruntque omnes alienige- Malac. 4. 1. næ, & omnes iniqui (u) stipula: & succendet illos (w) adveniens dies; dicit Dominus. Succendi & cremari alienigenas præcinit Dominus, id est, alienos à divino genere & profanos, spiritaliter non renatos, nec Dei filios factos. Evadere enim eos solos posse, qui renati & signo Christi signati fuerint, alio in loco Deus loquitur; quando ad vastationem

(a) In his, *Voss.* 1. (b) Quando & ipsi, *Bod.* 1. (c) Incursione, *Bod.* 1,2,3,4. (d) Nullus hic dolor, *Bod.* 3. 4. his, *Bod.* 1. 2. (e) Nos cruciant, *Vict. Vet. innom.* (f) Perpeti, quando, *Lam. Ebor.* (g) Mens stabilis, *Voss.* 3 stabile, *Vict.* (h) Corpus hic, *Vet. innom.* (i) Separari humanitus, *Pem. Voss.* 2. (k) Nunc ergo, *Bod.* 1. 3. (l) Opus oleæ, *Bod.* 1. *Voss.* 1. *Thu. Vict. Grav. Morell.* (m) Præstabunt escam, *Pem. Voss.* 2. præstabunt frumentum, *Foss. Vict.* (n) A stabulo, *Foss. Spir. Vet. innom. Grav. Morell.* (o) Fortiter tolerando, bona & prospera futura expectant, *Lam. Ebor.* (p) *Sic*, *Voss.* 1. *Thu. Foss. Vict.* dum dona, *Imp.* (q) Nobis irrogari, *Voss.* 2. *Ar. Bod.* 1. 2. 4. (r) Prædicatione & Apostolica, *Pem.* (s) Et retributio, *Ar.* (t) Ignis, *Voss.* 1. (u) Ut stipula, *Bod.* 3. quasi, *Ar. Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (w) Adveniens, dicit, *Ar. Bod.* 1. 2. 3.

1 *Valetudine mussitamus.*] Tantum abest ut blasphemias voces proferamus, imo ut cum fremitu murmuremus; quod ne vel leviter mussitemus.

2 *A pabulo oves.*] LXX. ἐξέλιπον ἀπὸ βρώσεως πρόβατα. Sed Hebrææ veritati magis responderet altera lectio, quæ habet. *Deficient à stabulo oves.* Nam גזר ממכלרת צאן sic optime redditur. LXX. legisse videntur מאכל

3 *Nam qui exposita.*] Vid. quæ dicta in lib. ad Donat.

4 *Pro arcendis hostibus, & imbribus impetrandis.*) Respicit memorabile Christianorum militum facimus sub Aurelio imp. de quo Justinus Martyr. & Tertull. in Apologet.

An. 253. tionem mundi & interitum generis humani Angelos ſuos mittens, gravius in ultimo comminatur, dicens: Vadite & cædite, & nolite parcere oculis veſtris. Nolite miſereri (a) ſenioris aut juvenis, & virginis: & parvulos, & mulieres interficite, ut perdeleantur. Omnem autem ſuper quem ſignum ſcriptum eſt, 1 ne tetigeritis. Quod autem ſit hoc ſignum, & qua in parte corporis poſitum, manifeſtat alio in loco Deus, dicens: (b) Tranſi per mediam Hieruſalem, & notabis ſignum ſuper frontes virorum, qui ingemunt & mœrent ob iniquitates, quæ fiunt in medio ipſorum. Et quod ad paſſionem & ſanguinem Chriſti pertineat hoc ſignum, & ille ſalvus atque incolumis reſervetur, quiſquis in hoc ſigno invenitur; item Dei teſtimonio comprobatur dicentis: Et (c) erit ſanguis (d) in ſigno vobis ſuper domos, (e) in quibus vos eritis: & videbo ſanguinem & protegam vos, & non erit in vobis plaga diminutionis, cum percutiam terram Ægypti. Quod ante occiſo agno præcedit in imagine, impletur in Chriſto, (f) ſecuta poſtmodum veritate. Ut illic percuſſa Ægypto, Judaicus populus evadere non niſi ſigno & ſanguine agni potuit: (g) ita & cum vaſtari cœperit mundus & percuti, quiſquis in ſanguine & ſigno Chriſti inventus fuerit, ſolus evadet.

Ezec. 9. 5. 6. 4. Exo. 12. 13.

Unicum ſupereſt à pœnitentia remedium.

Reſipiſcite itaque dum tempus eſt ad veram & æternam ſalutem: & quia jam mundi finis in proximo eſt, ad Deum mentes veſtras (h) Dei timore convertite. Nec vos delectet in ſeculo (i) inter juſtos & mites, impotens iſta & vana dominatio; quando & in agro inter cultas & fertiles ſegetes lolium & avena dominetur. Nec dicatis mala accidere, quia dii veſtri à nobis non colantur, (k) ſciatis hanc (l) iram Dei eſſe cenſuram: (m) ut qui beneficiis non (n) intelligitur, vel plagis intelligatur. Deum vel ſero quærite, quia jam pridem per Prophetam Deus præmonens hortatur & dicit: Quærite Deum & vivet anima veſtra. Deum vel ſero cognoſcite, quia (o) Chriſtus adveniens hoc admonet & docet dicens: Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Credite illi qui omnino non fallit. Credite illi, qui hæc omnia futura prædixit. Credite illi, qui credentibus præmium vitæ æternæ dabit. Credite illi, qui incredulis æterna ſupplicia gehennæ ardoribus irrogabit. Quæ tunc erit fidei gloria, quæ pœna perfidiæ, cum judicii dies venerit? quæ lætitia credentium, quæ mœſtitia perfidorum; noluiſſe iſtic prius credere, & ut credant, jam redire non poſſe? Cremabit addictos ardens ſemper gehenna, & vivacibus flammis vorax (p) pœna, nec erit unde habere tormenta vel requiem poſſint aliquando vel finem. Servabuntur cum corporibus ſuis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem. Spectabitur illic à nobis ſemper, qui hic (q) nos ſpectavit ad tempus: & in perſecutionibus factis 2 oculorum crudelium brevis fructus, perpetua viſione penſabitur: ſecundum ſcripturæ ſanctæ fidem dicentis: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt ad viſionem (r) univerſæ carni: Et iterum: Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis; dicentes inter ſe, (s) pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt quos habuimus aliquando (t) in deriſum & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Quo modo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors eorum eſt? Ergo erravimus à via veritatis & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol non ortus eſt nobis. Laſſati ſumus in iniquitatis via, & perditionis; (u) ambulavimus ſolitudines difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut quid divitiarum jactatio contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam umbra. Erit tunc (w) ſine fructu pœnitentia, dolor pœnæ, inanis ploratio, & inefficax deprecatio. In æternam pœnam ſero credent, qui in vitam æternam credere noluerunt. Securitati igitur & vitæ, (x) dum licet, providete.

Iſa. 66. 24. Sap. 5. 1.

Nullum certius dilectionis quæ inimicos complectimur indicium, quam quod monemus ut reſipiſcant.

Offerimus vobis animi & conſilii noſtri ſalutare munus. Et quia odiſſe non licet nobis, & ſic Deo plus placemus, dum nullam pro injuria vicem reddimus, hortamur dum facultas adeſt, dum adhuc aliquid de ſeculo ſupereſt, Deo ſatisfacere, & ad veræ religionis candidam lucem (y) de profunda & tenebroſa nocte ſuperſtitionis emergere. Non invidemus commodis veſtris, nec beneficia divina celamus. Odiis veſtris benevolentiam reddimus, & pro tormentis ac ſuppliciis, quæ nobis inferuntur, (z) ſalutis itinera monſtramus. Credite & vivite; & qui nos ad tempus proſequimini, in æternum gaudete nobiſcum.

Quando

(a) Senioribus neque juvenibus, *Bod.* 1. 2. 3. *Thu. Foſs.* (b) Tranſi mediam, *Lam. Ebor. NC.* 2. *Voſs.* 2. (c) Erit hic ſanguis, *Voſſ.* 1. (d) In ſignum, *Lam. Ebor. Foſſ. Vict.* (e) In quibus ibi eritis, *Bod.* 1. 2. 4. habitaveritis, *Lin.* (f) Servata poſtmodum, *Lam.* (g) Ita & nunc, *Lin.* (h) De Dei timore, *Bod.* 2. (i) Injuſtos & immites, *Bod.* 3 4. (k) Sed ſciatis, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (l) Iræ Dei eſſe cenſuram, *Lam. Pem. Bod.* 2. *NC.* 1. *Foſſ.* 1. *Vict.* (m) Ut quod, *Bod.* 3. (n) Intelligitur à vobis, *Bod.* 3. (o) Et Chriſtus adveniens, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin.* (p) Pœna decerpet, *Voſs.* 1. (q) Spectabuntur, &c. Spectaverunt, *Ver.* nos expectavit, *Bod.* 1. *Thu.* (r) Univerſæ carnis, *Pem. Voſſ.* 2. (s) Pœnitentiam habentes, *Ar. Bod.* 1. 2. 4 per anguſtiam, *Lam. Ver.* (t) In deriſu, *Ar. Lam. Vict. Vat.* in riſu, *Manut.* (u) Et ambulavimus, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. (w) Erit enim ſine, *Ver.* ſine fructu pœnitentiæ, *Bod.* 1, 4. (x) Dum tempus eſt, *Ver.* (y) De profundo tenebroſæ ſuperſtitionis, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foſſ.* (z) Salutaria itinera, *Bod.* 1. demonſtramus, *Bod.* 2.

1 *Ne tetigeritis.*] Legunt μὴ ἅψησθε. Cyprianus videtur legiſſe μὴ δήσητε. Vid. l. 2. ad Quir. c 22.

2 *Oculorum crudelium brevis fructus.*] Evanida illa & ſæva Theatrorum gaudia quæ perſecutorum paſcebant oculos, luent miſeri in Gehennæ flammis æternum cruciandi; & à pauperibus in ſinum Abrahæ receptis è longe ſpectandi.

1 *Hic*

An. 252. *Quando iſtinc exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus.*

Quando iſtinc (a) exceſſum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus eſt, nullus ſatisfactionis (b) effectus: 1 hic vita aut amittitur, aut tenetur; hic ſaluti æternæ cultu Dei, & fructu fidei providetur. Nec quiſquam aut peccatis retardetur, aut annis, quo minus veniat ad conſequendam ſalutem. In iſto adhuc mundo manenti, pœnitentia nulla ſera eſt. Patet ad indulgentiam Dei aditus, & quærentibus atque intelligentibus (c) veritatem facilis acceſſus eſt. Tu (d) ſub ipſo licet exitu & vitæ temporalis occaſu, pro delictis roges: & Deum qui unus & verus eſt, confeſſione & fide agnitionis ejus implores. Venia confitenti datur; & credenti indulgentia ſalutaris de divina pietate conceditur; & 2 ad immortalitatem ſub ipſa morte tranſitur. Hanc gratiam Chriſtus impertit, hoc munus miſericordiæ ſuæ tribuit, ſubigendo mortem trophæo crucis, redimendo credentem pretio ſanguinis ſui, reconciliando hominem Deo patri, (e) vivificando mortalem regeneratione cœleſti. Hunc (ſi fieri poteſt) ſequamur omnes; hujus ſacramento & ſigno cenſeamur: hic nobis viam vitæ aperit, hic ad paradiſum reduces facit, hic ad cœlorum regna perducet. Cum ipſo ſemper vivemus, facti per ipſum filii Dei: cum ipſo exultabimus ſemper, ipſius cruore reparati. Erimus Chriſtiani cum Chriſto ſimul glorioſi, de Deo patre beati, (f) de perpetua voluptate lætantes ſemper in conſpectu Dei, & agentes Deo gratias ſemper. Neque enim poterit niſi & (g) lætus eſſe ſemper & gratus, qui cum morti fuiſſet obnoxius, factus eſt de immortalitate ſecurus.

(*a*) Receſſum fuerit, *Bod.* 1,2,3,4. *Ver.* (*b*) Effectus eſt, *Bod.* 1. (*c*) Dei veritatem, *Bod.* 3. (*d*) Ut ſub ipſo, *Bod.* 4. (*e*) Vivificando hominem, *Ar.* (*f*) De propria, *Bod.* 1. voluntate. (g) Lætus & gratus, *Thu.* factus eſt immortalitate, *Foſſ. Vict. Thu. Lam. Lin. Spir.*

1 *Hic vita amittitur.*] De purgatoriis ignibus non eſt quod quis ſibi blandiatur, & vitæ poſtliminium ſperet ab inferis.

2 *Ad immortalitatem ſub ipſa morte tranſitur.*] Hæc omnia ad Ethnicum dicuntur; & nondum per baptiſmum renatum. Chriſtianis improbis, & ſero reſipiſcentibus, non tam facilis poteſt promitti venia.

D. CÆCILII CYPRIANI

[1]DE

OPERE ET ELEEMOSYNIS.

An. 254.

Inter præcipua Dei omnipotentis beneficia reputandum eſt, quod nobis liceat aliis benefacere.

MUlta & magna ſunt, fratres (a) cariſſimi, beneficia divina, quibus in ſalutem noſtram Dei patris & Chriſti larga & copioſa clementia & operata ſit, & ſemper operetur, quod conſervandis ac vivificandis nobis pater filium ſuum miſit, ut reparare nos poſſet, quodque filius miſſus eſſet, & hominis (b) filius dici (c) voluit, ut nos Dei filios faceret; humiliavit ſe, ut populum qui prius jacebat, erigeret; vulneratus eſt, ut vulnera noſtra ſanaret; ſervivit, ut ad libertatem ſervientes extraheret; mori ſuſtinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet. Multa hæc ſunt, & magna divinæ (d) miſericordiæ munera. Sed adhuc qualis providentia illa, & quanta clementia eſt, quod nobis ſalutari ratione proſpicitur, ut homini qui redemtus eſt, reſervando, plenius conſulatur. Nam cum Dominus adveniens ſanaſſet illa quæ [2] Adam portaverat vulnera, & venena (e) ſerpentis antiqui curaſſet; legem dedit (f) ſano, & præcepit ne ultra jam peccaret, ne quid peccanti gravius eveniret. Coartati eramus, & in anguſtum innocentiæ præſcriptione concluſi. Nec (g) haberet, quid fragilitatis humanæ infirmitas atque imbecillitas faceret: niſi iterum pietas divina ſubveniens, juſtitiæ, & miſericordiæ operibus oſtenſis, viam quandam tuendæ ſalutis aperiret; ut ſordes poſtmodum quaſcunque (h) contrahimus, eleemoſynis abluamus. Loquitur in ſcripturis divinis Spiritus ſanctus & dicit: Eleemoſynis & fide delicta purgantur. [3] Non utique illa delicta, quæ fuerant ante contracta, nam illa Chriſti ſanguine & ſanctificatione purgantur. Item denuo dicit. Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum. Hic quoque oſtenditur & probatur, quia ſicut lavacro aquæ ſalutaris gehennæ ignis extinguitur, ita eleemoſynis atque (i) operibus juſtis (k) delictorum flamma ſopitur. (l) Et quia ſemel in baptiſmo (m) remiſſa peccatorum datur, aſſidua & [4] jugis operatio, (n) baptiſmi inſtar imitata, Dei rurſus (o) indulgentiam largitur. Hoc & in Evangelio Dominus docet: nam cum denotarentur diſcipuli ejus quod ederent, nec prius manus (p) abluiſſent, reſpondit & dixit: Qui fecit quod intus eſt, fecit & quod foris eſt. Verum date eleemoſynam, & ecce vobis munda omnia: docens ſcilicet, & oſtendens, non manus lavandas eſſe, ſed pectus; & ſordes intrinſecus potius quam extrinſecus detrahendas: verum qui purgaverit quod eſt intus, eum quoque id quod foris eſt, repurgaſſe; & emundata mente, cute quoque & corpore mundum eſſe cœpiſſe. Porro autem monens & oſtendens unde mundi & purgati eſſe poſſimus, addidit eleemoſynas eſſe faciendas. Miſericors docet ac monet, miſericordiam fieri; & quia ſervare quærit, quos (q) magno pretio redemit, poſt baptiſmi gratiam ſordidatos docet denuo poſſe purgari. Agnoſcamus, itaque, fratres cariſſimi, divinæ indulgentiæ munus (r) ſalubre, & emundandis purgandiſque peccatis noſtris, qui ſine aliquo conſcientiæ vulnere eſſe non poſſumus, medelis ſpiritalibus vulnera noſtra curemus.

Jo. 5. 14.

Prov. 15. 29.

Eccl. 3. 33.

Luc. 11. 41.

Nec

(a) Dilectiſſimi, *Ar.* (b) *Sic*, *Lam. Ben. Ebor. Ar. Ver. Bod.* 1. 2. 3. eſſe & hominis filius voluit, *Imp.* dici ſe & hominis filium, *Ver.* (c) Curaret, *Weſt. Lam. Ebor. Ar. Bod.* 1. 3. 4. *Benev. Ver. Thu.* (d) Miſericordiæ opera, *Ar.* (e) Serpentis antiqua, *Thu. Foſ. Man.* (f) Sanis, *NC.* 1. peccarent, *NC.* 1. (g) Habebat, *Weſt. Auguſt. Sariſ.* (h) Contraximus, *NC.* 2. (i) Operationibus, *Bod.* 1. 2, 3, 4. (k) Delictorum fomes, *Bod.* 3. (l) Ut quia, *Bod.* 1. (m) *Sic*, *Foſ. Lam. Ebor.* remiſſio, *Imp.* repromiſſa peccatorum venia datur aſſidua, *Bod.* 3. (n) Baptiſmi inſtar operata, *Bod.* 4. (o) Indulgentia, *Bod.* 4. largiatur, *Bod.* 1. 4. (p) Laviſſent, *Ar. Sariſ. Ver. MR.* (q) Magno redemit, *Ar. Bod*, 1, 2, 3, 4. (r) Salubre, ut, *Auguſt.*

1 *De opere & Eleemoſynis.*] Nulla magis re emicuit primæva pietas, quam illa effuſa largitione qua pauperum neceſſitatibus ſuccurrebatur. Nec in officiis ullis plebi Chriſtianæ commendandis magis deſudavit aut Apoſtolorum, aut S. Patrum diligentia. Et quidem quæ de hac materia in libello iſto egregie ſunt congeſta, non ſine numine aliquo videntur ſcripta, ut paratiores eſſent fratrum Carthaginenſium mentes ad opem ferendam laborantibus Numidis qui à barbaris hac tempeſtate erant capti; cujus rei mentio occurrit Ep. 62. ad Pamelii numeros 60. Libellum hunc ante illam cladem ſcriptum fuiſſe ſatis inde conficitur; quod inter hortamenta, nulla occurrat mentio cauſæ tam favorabilis. Tractatum igitur ipſum An. 254 aſſignamus, qui prædictam barbarorum incurſionem videtur præceſſiſſe. Librum hunc laudat D. Hieronym. Epiſt. ad Pammach. Nec non D. Auguſt. contra Pelagianos: Cont. Julian. & alibi paſſim. Ejuſdem meminiſſe videtur Pontius ſub titulo libri *de Miſericordia.*

2 *Adam portaverat.*] Apportaverat, inflixit. D. Auguſt. hunc locum ſæpius laudat, dicitque duas Pelagianorum falſitates hic redargui, *unam qua dicunt nihil vitiorum ex Adam trahere genus humanum, quod ſit ſanandum curandumque per Chriſtum*: *alteram qua dicunt, nullum poſt baptiſmum ſanctos habere peccatum.* Cont. 2. Epiſt. Pelag. ad Bonif. l. 4. c. 8.

3 *Non utique illa delicta quæ fuerant ante contracta.*] Obſervanda venit ſumma ſcriptorum veterum ſolicitudo, ne quid ab ipſis dictum, elevet certiſſimam fidem, quod peccata omnia anteactæ vitæ, baptiſmi lavacro purgantur; qua ſpe & expectatione, quotquot Chriſtianæ fidei nomina dedere, imprimis ad baptiſmum allecti videntur.

4 *Jugis operatio.*] Hac voce paſſim deſignat Auctor, omne illud, quod apud nos bonorum operum notatione intelligitur: unde ſic in libri hujus titulo adhibetur, ut idem ſit cum Eleemoſyna: & caput primum tertii libri ad Quirin. inſcribitur, *De bono operis & miſericordiæ.* Ubi vide quæ dicta.

An. 254.

Fruſtra innocentiam jactat aliquis, quaſi miſericordia divina illi non eſſet opus.

Nec (a) quiſquam ſic ſibi de puro atque (b) immaculato corde blandiatur, ut innocentia ſua fretus medicinam non putet adhibendam eſſe vulneribus: cum ſcriptum ſit; Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe à peccatis? Prov. 20. 9. Et iterum in epiſtola ſua Joannes ponat & dicat: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos (c) ipſos decipimus, & veritas in (d) nobis non eſt. 1 Jo. 1. 8. Si autem confeſſi fuerimus peccata noſtra, fidelis & juſtus eſt Dominus, qui nobis peccata dimittat. Si autem nemo eſſe ſine peccato poteſt, & quiſquis ſe inculpatum dixerit, aut ſuperbus, aut ſtultus eſt; quam neceſſaria, quam benigna eſt divina clementia? quæ (e) cum ſciat non deeſſe ſanatis quædam poſtmodum vulnera, dedit curandis denuo ſanandiſque vulneribus remedia ſalutaria

In officiis miſericordiæ exigendis, minime ceſſant divina eloquia.

Nunquam denique, fratres dilectiſſimi, admonitio divina (f) ceſſavit, nunquam & tacuit, quo minus in ſcripturis (g) ſanctis tam veteribus quam novis, ſemper & ubique ad miſericordiæ opera Dei (h) populus provocaretur; & canente atque exhortante Spiritu ſancto, quiſquis ad ſpem regni cœleſtis inſtruitur, facere eleemoſynas jubetur. Mandat & præcipit Eſaiæ Deus: Exclama, inquit, in fortitudine, & noli parcere: Iſ. 58. 1. ſicut tuba exalta vocem tuam, & annuncia plebi meæ peccata ipſorum, & domui (o) Jacob facinora eorum. Et cum peccata eis ſua exprobrari præcepiſſet, cumque eorum facinora pleno indignationis impetu protuliſſet, dixiſſetque, eos, nec ſi orationibus & precibus & jejuniis uterentur, ſatisfacere pro delictis poſſe; nec ſi in cilicio & cinere volverentur, iram Dei poſſe lenire; in noviſſima tamen parte demonſtrans ſolis eleemoſynis Deum poſſe placari, addidit dicens: Frange eſurienti panem tuum, & egenos ſine tecto induc in domum tuam. Si videris nudum, veſti eum, & domeſticos ſeminis tui non deſpicies. Tunc erumpet 1 temporaneum lumen tuum, & veſtimenta tua cito orientur, & præibit ante te juſtitia & claritas Dei circundabit te. Tunc exclamabis, & Deus exaudiet te: dum adhuc loqueris, dicet: ecce adſum. (k) Remedia propitiando Deo, ipſius Dei verbis data ſunt: quid deberent facere peccantes, magiſteria divina docuerunt; operationibus juſtis Deo ſatisfieri, miſericordiæ meritis peccata purgari: Et apud Solomonem legimus: Conclude eleemoſynam 2 (l) in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Et iterum: Qui obturat aures ne audiat imbecillum, & ipſe invocabit Deum, & non erit qui exaudiat eum. Eccl. 29. 15. Neque enim promereri miſericordiam Domini poterit, qui miſericors ipſe non fuerit, Prov. 21. 13. aut impetrabit de divina pietate aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus. Quod item in Pſalmis Spiritus ſanctus declarat & probat, dicens: Beatus Pſ. 40. 1. qui intelligit ſuper (m) egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Quorum præceptorum memor Daniel, cum Rex Nabuchodonoſor adverſo ſomnio territus æſtuaret, pro avertendis malis, ad divinam opem impetrandam remedium dedit dicens: Propterea Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & injuſtitias tuas miſerationibus pauperum, & erit (n) Deus 3 patiens peccatis tuis. Dan. 4. 27. Cui Rex non obtemperans, adverſa quæ viderat & infeſta perpeſſus eſt: quæ evadere & vitare potuiſſet, ſi peccata ſua eleemoſynis redemiſſet, Raphael quoque angelus (o) paria teſtatur, & ut eleemoſyna libenter ac largiter fiat, hortatur dicens: (p) Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna: quia eleemoſyna à morte liberat, & ipſa purgat peccata. Oſtendit orationes noſtras ac jejunia minus poſſe, niſi (q) eleemoſynis adjuventur. Deprecationes ſolas parum ad impetrandum valere, niſi factorum & operum acceſſione (r) farciantur. Revelat angelus & manifeſtat, & firmat eleemoſynis petitiones noſtras efficaces fieri, eleemoſynis vitam de periculis redimi, eleemoſynis à morte animas liberari.

Eleemoſynæ non tantum à ſecunda, ſed etiam à prima morte liberant.

4 Nec ſic, fratres cariſſimi, iſta proferimus, ut non quod Raphaël Angelus dixit Tob. 12. 8. veritatis teſtimonio comprobemus. (s) In Actibus Apoſtolorum facti fides poſita eſt, & quod eleemoſynis non tantum à ſecunda, ſed à prima morte animæ liberentur, geſtæ & impletæ rei probatione (t) compertum eſt. (u) Tabitha operationibus juſtis & eleemo- Act. 9. 36. ſynis præſtandis plurimum dedita, cum infirmata eſſet & mortua, ad cadaver exanime Petrus accitus eſt: qui cum impigre pro Apoſtolica humanitate veniſſet, circumſteterunt eum viduæ flentes, & rogantes, pallia & tunicas & omnia illa quæ prius ſumſerant indumenta monſtrantes, nec pro defuncta ſuis vocibus, ſed ipſius operibus deprecantes. Senſit Petrus impetrari poſſe, quod ſic petebatur; nec defuturum Chriſti auxilium viduis deprecantibus, quando eſſet in viduis ipſe veſtitus. Cum itaque genibus (w) nixus oraſſet, viduarum ac pauperum idoneus advocatus, legatas ſibi preces ad Dominum pertuliſſet, conver-

(a) Quiſquam ſibi, *Lin. Voſſ.* 1. (b) Immaculato pectore, *Weſt. Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Auguſt.* (c) Ipſos ſeducimus, *Voſſ.* 1. (d) Nobis non eſt. Si autem nemo, *Ar. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Auguſt.* (e) Stultus eſt; cum ſciat, *Auguſt.* (f) Ceſſavit & tacuit, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Sariſ. Lin Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu.* (g) Sanctis ſemper & ubique, *Thu.* (h) Populos provocaret, *Weſt. Sariſ.* (i) Jacob delicta, *Sariſ.* (k) Remedia de, *Bod.* 3. (l) In ſinu pauperis, *Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2. exorabit in die malo, *Ver.* (m) Egentem, *Lam. Ebor. NC.* 1 *Ver.* (n) Deus parcens, *Lam. Lin. Pem. Voſſ.* 1. 2. *Bod.* 2. 3. (o) Paria Tobiæ, *Ar. Lam. Bod.* 2. (p) Bona eſt, inquit, *Lam.* à peccatis, *Ver.* eleemoſyna cum juſtitia, *Bod.* 4. (q) Eleemoſynis ſocientur, *Ar. Weſt. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. (r) Subveniatur, *Lin.* (s) Sic in Act. *Weſt.* (t) Teſtatum eſt, *Sariſ.* (u) Tabitha Eleemoſynaria, *Bod.* 3. orationibus, *Ar. Sariſ. Bod.* 2. (w) Nixis, *Ver.* oraſſet, & *Sariſ.*

1 *Temporaneum lumen tuum.*] Vid. quæ dicta l. 3. ad Quir. c. 1.

2 *In corde pauperis.*] Vid. quæ dicta l. 3. ad Quir. c. 1.

3 *Patiens peccatis tuis.*] LXX. ἴσως μακρόθυμος. & perinde eſt ſive *patientem*, ſive *parcentem* dixeris.

4 *Nec ſic, fratres cariſſimi.*] Supra rationem reddidimus quare veteres Apocryphos ſcriptores, ſiquidem in Græcis bibliis occurrebant, paſſim laudarent: nimirum ſic afferuntur, ut *veritatis teſtimonio comprobentur*: ita demum rata, ſi cum canonicis ſcripturis conſentiant.

An. 254. converſus ad corpus, quod 1 in tabula jam lotum jacebat: Tabitha, inquit, exſurge in (a) nomine Jeſu Chriſti: nec defuit Petro, quo minus ſtatim ferret auxilium, qui in (b) Evangelio dari dixerat quicquid fuiſſet ejus nomine poſtulatum. Mors itaque ſuſpenditur, & ſpiritus redditur: & mirantibus ac ſtupentibus cunctis, ad hanc mundi denuo lucem redivivum corpus animatur: tantum potuerunt miſericordiæ merita; tantum (c) opera juſta valuerunt. Quæ laborantibus viduis largita fuerat ſubſidia vivendi, meruit ad vitam viduarum petitione revocari. 40. Jo. 14. 13.

Nullum mandatum à Domino crebrius præcipitur, aut acrius urgetur, quam ut inſiſtamus Eleemoſynis.

Itaque in Evangelio Dominus, doctor vitæ noſtræ, & magiſter ſalutis æternæ, vivificans credentium populum, & vivificatis conſulens in æternum; inter ſua mandata divina & præcepta cœleſtia nihil crebrius mandat & præcipit, quam ut inſiſtamus eleemoſynis dandis: nec terrenis poſſeſſionibus incubemus, ſed cœleſtes theſauros potius recondamus. Vendite, inquit, res veſtras, & date eleemoſynam. Et iterum: Nolite vobis condere theſauros ſuper terram, ubi tinea & comeſtura exterminant, & ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, ubi neque tinea, neque comeſtura exterminat, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi enim fuerit theſaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Et cum obſervata lege perfectum & conſummatum vellet oſtendere: Si vis, inquit, perfectus eſſe, vade & vende (d) omnia tua, & da egenis, & habebis theſaurum in cœlo; & veni, ſequere me. Item alio loco negotiatorem cœleſtis gratiæ, & comparatorem ſalutis æternæ, diſtractis omnibus rebus ſuis, pretioſam margaritam, hoc eſt, vitam æternam Chriſti cruore pretioſam, de quantitate patrimonii ſui dicit debere mercari. Simile eſt, inquit, regnum cœlorum homini (e) negotiatori quærenti bonas margaritas. Ubi autem invenit pretioſam margaritam, abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit illam. Eos denique & Abrahæ filios dicit, quos in juvandis alendiſque pauperibus operarios cernit. Nam cum Zachæus dixiſſet: Ecce dimidium ex ſubſtantia mea do egenis, & ſi cui (f) quid fraudavi, quadruplum reddo: reſpondit Jeſus & dixit: (g) Quia ſalus hodie huic domui facta eſt, quoniam & hic filius eſt Abrahæ. Nam ſi Abraham credidit Deo, & deputatum eſt ei ad juſtitiam: utique qui ſecundum præceptum Dei eleemoſynas facit, Deo credit; & qui habet fidei veritatem, ſervat Dei timorem; qui autem Dei timorem ſervat, in miſerationibus pauperum (h) Deum cogitat. (i) Operatur enim ideo quia credit, quia ſcit vera eſſe quæ prædicta ſunt verbis Dei, nec ſcripturam ſanctam poſſe mentiri: arbores infructuoſas, id eſt, ſteriles homines excidi, & in ignem mitti, miſericordes autem ad regnum vocari. Qui & alio in loco operarios & fructuoſos, fideles appellat: infructuoſis vero & ſterilibus fidem derogat dicens: Si in injuſto mammona fideles non fuiſtis, (k) quod eſt verum quis credit vobis? Et ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod eſt veſtrum, quis dabit vobis? Mat. 6. 19. Mat. 19. 21. Mat. 13. 45. Luc. 19. 8. Rom. 4. 3. Matt. 3. 10. 5. 7. Luc. 16. 11.

Inanis metus quo quis vexetur, ne larga operatione ad penuriam redigatur.

(l) Sed vereris & metuis, ne ſi operari plurimum cœperis, patrimonio tuo larga operatione finito ad penuriam forte redigaris: eſto in hac parte intrepidus, eſto ſecurus; finiri non poteſt, unde in uſus Chriſti impenditur, unde opus cœleſte celebratur. Nec hoc tibi de meo ſpondeo, ſed de ſanctarum ſcripturarum fide, & divinæ pollicitationis auctoritate promitto. Loquitur per Solomonem Spiritus ſanctus & dicit: Qui dat pauperibus nunquam egebit; qui autem avertit oculum ſuum, in magna penuria erit: oſtendens miſericordes atque operantes egere non poſſe, magis parcos & ſteriles ad inopiam poſtmodum devenire. Item beatus Apoſtolus Paulus Dominicæ inſpirationis gratia plenus: Qui adminiſtrat, inquit, ſemen ſeminanti, & panem ad edendum præſtabit, & multiplicabit ſeminationem veſtram, & augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ, ut in omnibus locupletimini. Et iterum: Adminiſtratio hujus officii non tantum ſupplebit ea quæ ſanctis deſunt, (m) ſed & abundabit (n) per multam gratiarum actionem in Deum. Quoniam dum gratiarum actio ad Deum (o) pro eleemoſynis atque operationibus noſtris pauperum oratione dirigitur, cenſus (p) operantis Dei retributione cumulatur. Et Dominus in Evangelio jam tunc ejuſmodi hominum corda conſiderans, & perfidis atque incredulis præſcia voce denuncians, conteſtatur & dicit: Nolite cogitare dicentes: quid edemus aut quid bibemus, aut quid veſtiemur? hæc enim nationes quærunt. Scit (q) autem pater veſter quia omnium horum indigetis. Quærite primum regnum Dei, (r) & juſtitiam ejus, & omnia iſta apponentur vobis. Eis omnia apponi dicit & tradi, qui regnum & juſtitiam Dei quærunt. Eos enim Dominus, cum judicii dies venerit, ad percipiendum regnum dicit admitti, qui fuerint in Eccleſia ejus operati. Prov. 28. 27. 2 Cor. 9. 10. 12. Matt. 6. 31.

Non vanus tantum ſed & impius prætextus à futuræ inopiæ metu ducitur.

Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat, ſi operari ex eo largiter cœperis: & neſcis miſer, quia dum times ne res familiaris deficiat, vita ipſa & ſalus deficit. & dum ne quid rebus tuis minuatur attendis, non reſpicis quod ipſe minuaris, amator magis

(a) Nomine Domini, *Weſt.* (b) Suo, *Voſſ.* 2. *Pem.* (c) Opera juſtitiæ, *Ar. Ben. Bod.* 2. Evangelio ſuo, *Voſſ.* 2. *Pem.* (d) Omnia quæ habes, *Voſſ.* 1. poſſides, *NC.* 2. (e) Negotianti, *Ar. Weſt. Sariſ. Bod.* 2. 3. 4. (f) Quem defraudavi, *Bod.* 3. (g) Quia, inquit, ſalus, *Sariſ.* (h) Deum fœnerat, *Voſſ.* 1. *Lam. NC.* 2. (i) Operatur enim Deo, *Bod.* 1. 2. 3. (k) Quod veſtrum, *Lam. Bod.* 3. 4. (l) *Sic*, *Bod.* 1, 2, 3, 4. ſi, *Impr.* (m) Sed & abundare facit, *Bod.* 4. *ſupra habetur*; ſupplevit, &, abundavit. (n) Per multas gratiarum actiones, *Sariſ.* (o) Per eleemoſynas, *Sariſ.* (p) Operantibus, *Bod.* 1. (q) Enim, *Bod.* 1. 2. *Sariſ.* (r) *Sic*, *Ver. Thu. Foſſ. deerant in Impr.*

2 *In tabula jam lotum.*] ἐν τῷ ὑπερῴῳ Act. 9. cœnaculo, in ſuperiore nimirum *tabulato*. Librarii pro captu ſuo, menſæ maxime memores, *tabulam jam*, repoſuerunt. Mos lavandi mortuos apud Gentes obtinuit; unde Ennius dixerat. *Tarquinii corpus bona femina lavit & unxit.*

An. 254. magis mammonæ quam animæ tuæ: ut dum times (a) ne pro te patrimonium tuum perdas, ipſe pro patrimonio tuo pereas. Et ideo bene Apoſtolus clamat & dicit: Nihil 1 Tim. 6. 7. intulimus in hunc mundum, verum nec auferre quid poſſumus: habentes itaque 1 exhibitionem & tegumentum, his contenti ſimus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in muſcipulam, & deſideria multa & nocentia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes naufragaverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Metuis ne patrimonium tuum forte deficiat, ſi operari ex eo largiter cœperis? quando enim factum eſt ut juſto poſſent (b) deeſſe ſubſidia vitæ? cum ſcriptum ſit: Non Prov. 10. 3. occidet fame Dominus animam juſtam. Helias in ſolitudine corvis miniſtrantibus 3 Reg. 17. 6 paſcitur: & Danieli in lacu ad leonum prædam juſſu Regis incluſo, prandium divini- Dan. 14. 30. tus apparatur: & tu metuis ne operanti tibi & Dominum promerenti deſit alimentum? quando ipſe in Evangelio ad exprobrationem eorum, (c) quibus mens dubia eſt & fides parva, conteſtetur & dicat: Aſpicite volatilia cœli, quoniam non ſeminant, neque Mat. 6. 26. metunt, neque colligunt in horrea, & pater veſter cœleſtis (d) alit illa: nonne vos pluris illis eſtis? Volucres Deus paſcit, & paſſeribus alimenta diurna præſtantur, & quibus nullus divinæ rei ſenſus eſt, eis nec potus, nec cibus deeſt. Tu Chriſtiano, tu Dei ſervo, tu operibus bonis dedito, tu Domino ſuo caro aliquid exiſtimas defuturum? (e) Niſi ſi putas quia qui Chriſtum paſcit, à Chriſto ipſe non paſcitur; aut eis terrena deerunt, quibus cœleſtia & divina tribuuntur.

Cogitatio hæc Phariſæo congruit, non Chriſtiano.

Unde hæc incredula cogitatio? unde impia & ſacrilega iſta meditatio? quid facit in domo fidei perfidum pectus? quid qui Chriſto omnino non credit, appellatur & dicitur Chriſtianus? Phariſæi tibi magis congruit nomen. Nam cum Dominus in Evangelio de eleemoſynis diſputaret, & ut nobis amicos de terreſtribus lucris provida operatione faceremus, qui nos poſtmodum in tabernacula æterna ſuſciperent, fideliter ac ſalubriter præmoneret; addidit poſt hæc (f) ſcriptura dicens: Audiebant autem hæc omnia Phariſæi qui erant cupidiſſimi, & irridebant eum. (g) Quales nunc in Eccleſia Luc. 16. 14. quoſdam videmus, quorum præcluſæ aures; & corda cæcata nullum de ſpiritalibus ac ſalutaribus monitis lumen admittunt; de quibus mirari non oportet quod contemnant in tractatibus ſervum, quando à talibus ipſum Dominum videamus eſſe contemtum.

Sterilitatem ſola avaritia efficit.

Quid tibi in iſtis ineptis & ſtultis cogitationibus plaudis, quaſi metu & ſollicitudine futurorum ab operibus retarderis? quid umbras & præſtigias quaſdam vanæ excuſationis obtendis? Confitere imo quæ vera ſunt, & quia ſcientem non potes fallere, ſecreta & abdita mentis exprome. Obſederunt animum tuum ſterilitatis tenebræ, & recedente inde lumine veritatis, carnale pectus 2 alta & profunda avaritiæ caligo cæcavit: pecuniæ tuæ captivus & ſervus es: catenis cupiditatis & vinculis alligatus es; & quem jam ſolverat Chriſtus, denuo vinctus es. Servas pecuniam, (h) quæ te ſervata non ſervat: patrimonium cumulas, quod te pondere (i) ſuo gravius onerat: nec meminiſti quid Deus reſponderit diviti exuberantium fructuum (k) copiam ſtulta exultatione jactanti: Stulte, inquit, hac nocte expoſtulatur (l) anima tua à te; quæ ergo paraſti, Luc. 12. 20. cujus erunt? Quid divitiis tuis ſolus incubas? quid in pœnam tuam patrimonii tui pondus exaggeras; ut quo locupletior ſeculo fueris, pauperior Deo fias? Reditus tuos divide cum Domino Deo tuo: fructus tuos partire cum Chriſto: fac tibi poſſeſſionum terreſtrium Chriſtum participem, ut & ille te ſibi faciat regnorum cœleſtium cohæredem.

Solus ille dives qui in opere largus. Alii omnes, pauperes, cæci, & miſeri.

Erras & falleris quiſquis te in ſeculo divitem credis. Audi in Apocalypſi Domini Apoc. 3. 17. tui vocem, ejuſmodi homines juſtis objurgationibus increpantem: Dicis, inquit, dives ſum, (m) & ditatus ſum, & nullius rei egeo; & neſcis quoniam tu es (n) miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me (o) aurum ignitum de igne, ut ſis dives; & veſtem (p) albam ut veſtiaris, & non appareat in te fœditas nuditatis tuæ, & collyrio (q) inunge oculos tuos ut videas. Qui ergo locuples & dives es, eme tibi à Chriſto aurum ignitum, ut ſordibus tuis tanquam igne decoctis, eſſe aurum mundum poſſis, ſi eleemoſynis & juſta operatione purgeris. Eme tibi albam veſtem, ut qui ſecundum Adam nudus fueras, & horrebas ante deformis, indumento Chriſti candido veſtiaris. Et quæ (r) matrona in Eccleſia Chriſti locuples & dives es, inunge oculos tuos, 3 non ſtibio (s) diaboli, ſed collyrio Chriſti; ut pervenire

(a) Ne forte, *Weſt. Ebor. Foſſ.* ne pro te patrimonium perdas, id agis ut ipſe pro patrimonio pereas, *Ver.* (b) Deeſſe ſubſtantia, *Ver.* (c) Quorum, *Weſt.* (d) Paſcit, *Ar. Lam. Lin.* (e) Niſi putas quod, *Ar. Bod.* 2. (f) Scriptura divina, *Ar. Voſſ.* 1. *Lam. Bod.* 2. 3. (g) Tales nunc, *Ar.* (h) A te ſervata, *Sariſ.* (i) Suo onerat, *Ar. Weſt. Lam. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. (k) Copia, ſtulta ſe, *Ver.* (l) Anima tua, quæ, *Ver. Ar. Sariſ.* (m) Et ditatus, & nullius, *Sariſ.* (n) Miſer & pauper, *Weſt. Sariſ. Bod.* 1. (o) Aurum probatum, *Voſſ.* 1. (p) *Sic*, *Bod.* 1. 3. 4. *Thu. Foſſ.* albam veſtiaris, *Imp.* induaris, *Ar. Bod.* 2. *MR.* (q) Unge, *Sariſ.* (r) Matrona lucuples, *Ar. Sariſ. Bod.* 1 2. 4. (s) Diaboli deformis, *Bod.* 3.

1 *Exhibitionem.*] Vid. quæ dicta l. 3. ad Quir. c. 61.

2 *Alta & profunda.*] Papias ait, *Altitudo commune eſt nomen excelſo & profundo.* Intelliguntur tenebræ quæ totum medium, cœlum & terras pervadunt.

3 *Non ſtibio diaboli.*] Pigmentum hoc in uſu fuiſſe apud Judæos, conſtat ex 2 Reg. 9. 30. Jer. 4. 30. Ezech. 23. 40. Græci πλατυόφθαλμον & ἐμματογράφον vocarunt. Porro nec Romanis ignotum. *In calliblepharis mulierum dilatare oculos*, dicit Plinius l. 33. c. 6. Diabolo, *interpolatori naturæ*, coſmeticas artes olim imputabat Tertull. lib. de cultu fem. & alibi.

1 *Domi-*

An. 254. venire ad videndum Deum poſſis, dum Deum, & (a) operibus bonis & moribus promereris. Ceterum quæ talis es, nec operari in Eccleſia potes: Egentem enim & pauperem non vident oculi tui ſuperfuſi nigroris tenebris; & (b) nocte contecti.

Res nullo modo excuſanda ut quis ad Euchariſtiam ſine oblatione accedat.

Locuples & dives es, & 1 Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis; quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis; quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis? Intuere in Evangelio viduam (c) præceptorum cœleſtium memorem, inter ipſas preſſuras & anguſtias egeſtatis operantem, in gazophylacium duo, (d) quæ ſola ſibi fuerant, minuta, mittentem. Quam cum animadverteret Dominus & videret; non de patrimonio, ſed de animo opus ejus examinans, & conſiderans, non quantum ſed ex quanto dediſſet; reſpondit & dixit: Amen dico vobis, quoniam vidua iſta plus omnibus miſit in dona Dei. Omnes enim iſti de eo quod abundavit illis, miſerunt in dona Dei: hæc autem de inopia ſua omnem quemcunque habuit victum miſit. Multum beata mulier & glorioſa', quæ etiam ante diem judicii meruit judicis voce laudari. Pudeat divites (e) ſterilitatis atque infidelitatis ſuæ: vidua, & inops vidua, (f) in opere larga invenitur. Cumque univerſa quæ dantur, pupillis & viduis conferantur, dat illa quam oportebat accipere, ut ſciamus quæ pœna ſterilem divitem maneat, quando hoc documento operari etiam pauperes debeant. Atque ut intelligamus (g) hæc opera Deo dari, & eum quiſquis hæc faciat, Dominum promereri; Chriſtus illud Dei dona appellat, & in dona Dei viduam duos quadrantes miſiſſe ſignificat, ut magis ac magis poſſit eſſe manifeſtum, quia qui miſeretur pauperis, (h) Deum fenerat. Luc. 21. 3. Prov. 19. 17.

Familiæ cura, minime excuſat.

Sed nec illa res, fratres cariſſimi, à bonis operibus & juſtis refrænet & revocet Chriſtianum, quod excuſari ſe poſſe aliquis exiſtimet beneficio filiorum: quando in impenſis ſpiritalibus (i) Chriſtum cogitare, qui accipere ſe profeſſus eſt, debeamus; nec conſervos liberis noſtris, ſed Dominum præferamus, ipſo inſtruente & monente. Qui diligit, inquit, patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus: & qui diligit filium aut filiam ſuper me non eſt me dignus. Item in Deuteronomio, ad corroborationem fidei & dilectionem Dei, paria conſcripta ſunt: Qui dicunt, inquit, patri aut matri, non novi te, & filios ſuos non agnoverunt, hi cuſtodierunt præcepta tua, & teſtamentum tuum ſervaverunt. Nam ſi Deum toto corde diligimus; nec parentes, nec filios Deo præferre debemus. Quod & Joannes in epiſtola ſua (k) ponit, caritatem Dei apud eos non eſſe, quos videamus operari in pauperem nolle: Qui habuerit, inquit, ſubſtantiam mundi, & viderit (l) fratrem ſuum deſiderantem, & clauſerit (m) viſcera ſua ab eo, (n) quomodo caritas Dei manet in illo? Si enim Deus eleemoſynis pauperum feneratur, & cum datur minimis, Chriſto datur: non eſt quod quis terrena cœleſtibus præferat, nec divinis humana præponat. Mat. 25. 40. Mat. 10. 37. Deut. 33. 9. 1 Jo. 3. 17. Pro. 19 17.

Quantum ſit ex hoc diſpendio compendium, exemplis monſtratur.

Sic vidua illa in tertio Regnorum libro, cum in ſiccitate & fame conſumtis omnibus, de modico farre & oleo quod ſuperfuerat, feciſſet (o) 2 ſubcinericium panem, quo aſſumto moritura cum liberis eſſet; ſupervenit Helias, & petiit (p) ſibi prius ad edendum dari; tunc quod ſuperfuiſſet, inde illam cum filiis ſuis veſci; nec obtemperare illa dubitavit, aut Heliæ filios mater in fame, & egeſtate præpoſuit. Fit imo in conſpectu Dei, quod Deo placeat; promte ac libenter quod petebatur, offertur: nec de abundantia portio, ſed de modico totum datur, & eſurientibus liberis alter prius paſcitur, neque in penuria & fame cibus, antequam miſericordia, cogitatur; ut dum (q) in opere ſalutari carnaliter vita contemnitur, ſpiritaliter anima ſervetur. Helias itaque typum Chriſti gerens, & quod ille pro miſericordia vicem ſingulis reddat, oſtendens: reſpondit & dixit: Hæc dicit Dominus: (r) 3 fidelia farris non deficiet, & capſaces olei non 3 Reg. 17. 14.

(a) Operibus, & moribus, *Ar. Weſt. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. (b) Nocte cœcati, *Foſſ.* (c) Præceptorum divinorum, *Lam. Ebor.* (d) Quæque ſola, *Sariſ.* (e) Sterilitatis atque infelicitatis, *Ar. Sariſ. Weſt. Voſſ.* 1. *Ebor. Lam.* 6. *NC.* 1. 2. *Thu. Foſſ. Bod.* 1. 2. 3. (f) In opere invenitur, *Weſt. Ar. Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. (g) Hanc operam, *NC.* 2. (h) Deo fenerat, *Bod.* 1. 2. (i) Chriſto erogare, *Sariſ.* (k) Ponit & dicit, *Sariſ.* (l) Fratrem egentem, *Weſt.* deſiderantem aliquid, *Ver.* (m) *Sic*, *Weſt. Voſſ.* 2. *Pem. Foſſ.* Viſcera ſua, quomodo, *Imp.* (n) Quomodo poterit, *Ver.* (o) Cineritium, *Ver. Bod.* 1. 2. 4. (p) Sibi cibum prius, *Bod.* 1. (q) In opere ſpiritali, *Sariſ.* (r) Hydria farinæ, *Sariſ.* minuet, *Ver.*

1 *Dominicum celebrare te credis.*] Reſpicere videtur Auctor noſter, locum D. Pauli 1 Cor. 16. 2. ubi jubentur ſinguli fideles *prima Sabbati* ſive quavis die Dominica, *ſeponere quod eis beneplacuerit.* Et morem hac ex parte, Eccleſiæ Chriſtianæ explicat Juſtinus Martyr Apol. 2. Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλιν ἢ ἀγρὸς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται. Cumque precum & Euchariſtiæ ſolennia deſcripſiſſet ſubjungit, ὁι εὐποροῦντες δὲ καὶ βυλόμενοι, κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὁ βούλεται δίδωσι, καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ὑποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις, &c. Obſervandum venit, *Dominici* voce tria ſignificari apud veteres. 1. Diem ipſam, ita habetur Apoc. 1. 9. & Ignat. Ep. ad Trallian. 2. Eccleſiam. ita Concil. Neocæs. can. 5. jubet Catechumenum ingredientem ἐς τὸ κυριακὸν, in loco catechumenorum ſubſiſtere. Et Hieron. in Chronico ſic voce *Dominici* utitur. Et in vernaculis noſtris linguis, noſtratium Church, & Germanorum *Dohm*, ex hoc fonte liquido deducuntur 3. ponitur pro myſteriis loco & tempore prædictis celebrari ſolitis; ita κυριακὸν τελεῖν, eſt ſacris Chriſtianis operari. Et fortaſſe huc facit, quod hic dicitur *Dominicum celebrare te credis*? Certe adeo arctus erat nexus inter Euchariſtiæ perceptionem, & jus oblationes participandi; ut pari ſemper paſſu procederent; & abſtenti viderentur, quibus hoc privilegium κοινωνίας μετὰ προσφορᾶς negatum: qua de re videatur Concil. Ancyr. can. 5. nec non quæ dicuntur in Ep. 2. In hanc mentem locutus videtur D. Auguſt. ſerm. 213. de Temp. *Oblationes quæ in altario conſecrantur offerte; erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicat.*

2 *Subcinericium panem.*] LXX. habent ἐγκρυφίαν μικρὸν. Heſychio interprete, ἐγκυφίας, ἄρτους εἰδες ὁ ἐν σποδῷ γενόμενος, τῷ μὴ εἶναι κλίβανον.

3 *Fidelia farris.*] Vas fictile. LXX. ὑδρία τοῦ ἀλεύρου οὐκ ἐξέλιπε, καὶ ὁ καψάκης τοῦ ἐλαίου.

An. 254. non minuetur usque in diem, quo dabit Dominus imbrem super terram. Secundum divinæ pollicitationis fidem multiplicata sunt viduæ & cumulata quæ (a) præstitit; & operibus justis, ac misericordiæ meritis, augmenta & incrementa fumentibus, farris & olei vasa completa sunt. Nec filiis abstulit mater quod Heliæ dedit, sed magis (b) contulit filiis, quod benigne & pie fecit. Et illa nondum Christum sciebat, nondum præcepta ejus audierat: non cruce & passione ejus redemta, cibum & potum pro sanguine rependebat; ut ex hoc appareat quantum in Ecclesia peccet, qui se & filios Christo anteponens, divitias suas servat, nec patrimonium copiosum cum indigentium paupertate communicat.

Multitudo liberorum beneficentiam uberiorem suadere debet.

Sed enim multi sunt in domo liberi, & retardat te numerositas filiorum, quo minus largiter bonis operibus insistas: atquin hoc ipso operari amplius debes quo multorum pignorum pater es. Plures sunt pro quibus Dominum depreceris: multorum delicta redimenda sunt, multorum purgandæ conscientiæ, multorum animæ liberandæ. Ut in hac vita seculari (c) alendis sustinendisque pignoribus quo major est numerus, hoc major & sumtus est: ita & in vita spiritali atque cœlesti, quo amplior fuerit pignorum copia, esse & operum debet major impensa. Sic & Job sacrificia numerosa pro liberis offerebat: quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo & numerus hostiarum. Et quoniam quotidie deesse non potest quod peccetur in conspectu Dei, sacrificia quotidiana non deerant, quibus possent peccata tergi. (d) Probat scriptura divina, dicens: Job homo 1 verus & justus, habuit filios septem, & filias tres, & emundabat illos offerens pro eis hostias Deo secundum numerum illorum, & pro peccatis eorum vitulum unum. Si ergo vere filios tuos diligis, si eis exhibes plenam & paternam dulcedinem caritatis; operari magis debes, ut filios tuos Deo justa operatione commendes. (e) Nec eum liberis tuis cogites patrem, qui & temporarius & (f) infirmus est; sed illum patrem pares, qui æternus & firmus filiorum spiritalium pater est. Illi assigna facultates tuas, quas hæredibus servas: ille sit liberis tuis tutor, ille curator, ille contra omnes injurias seculares divina majestate protector. Patrimonium (g) Deo creditum, nec respublica eripit, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto hæreditas ponitur, quæ Deo custode servatur. Hoc est caris pignoribus in posterum providere: hoc est futuris hæredibus paterna pietate consulere, secundum fidem scripturæ sanctæ dicentis: (h) Junior fui, & senui, & non vidi justum derelictum, neque semen ejus (i) egens pane. Tota die miseretur & commodat: & semen ejus in (k) benedictione est. Et iterum: Qui conversatur sine (l) vituperatione in justitia, beatos post se filios relinquet. Job. 1. 5. Ps. 36. 23. Prov. 20. 7.

Produnt filios, & male illis consulunt, qui non thesauros cum fenore reddendos, apud pauperes recondunt.

Prævaricator itaque & proditor pater es, nisi filiis tuis fideliter consulas, nisi conservandis eis religiosa & vera pietate prospicias. Qui studes terreno magis quam cœlesti patrimonio, filios tuos (m) diabolo magis commendare quam Christo, bis delinquis, & geminum ac duplex crimen admittis: & quod non præparas filiis tuis Dei patris auxilium, & quod (n) doces filios patrimonium plus amare quam Christum. Esto potius liberis tuis pater talis, qualis Tobias extitit. Da utilia & salutaria præcepta pignoribus, qualia ille filio dedit: manda filiis tuis, quod & ille filio mandavit, dicens: Et nunc fili mando tibi, servi Deo in veritate, & fac coram illo, quod illi placet, & filiis tuis manda ut faciant justitiam & eleemosynas, & sint memores Dei, & benedicant nomen ejus omni tempore. Et iterum: Omnibus diebus vitæ tuæ, fili dilectissime, Deum in mente habe, & noli præterire præcepta ejus. Justitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, & noli ambulare viam iniquitatis, quoniam agente te ex veritate, erit respectus operum tuorum. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: Ita fiet ut nec à te avertatur facies Dei. Prout habueris fili, sic fac: si tibi fuerit copiosa substantia, plus ex illa fac eleemosynam: si exiguum habueris, ex hoc ipso exiguo communica. Et ne timueris cum facies eleemosynam: 2 præmium enim bonum reponis tibi in diem necessitatis. Quia eleemosyna à morte liberat, & non patitur ire in (o) tenebras. Munus bonum est eleemosyna, omnibus qui faciunt eam coram summo Deo. Tob. 14. 10. 4. 6. Tob. 4. 6.

Eleemosyna Dei spectaculum, cum gentilium & Diaboli muneribus comparatur.

3 Quale munus est, fratres carissimi, (p) cujus editio Deo spectante celebratur? Si in gentilium munere grande & glorioſum videtur, Proconsules vel Imperatores habere præsentes; & apparatus ac sumtus apud munerarios major est, ut possint placere majoribus: quanto illustrior muneris & major est gloria, Deum & Christum spectatores habere?

(a) Præstitit in operibus justis, *Bod.* 1. 4. (b) Contulit quod benigne, *Bod.* 1. (c) Alendis sustentandisque, *Sarisb.* (d) Probat hoc, *West.* (e) Nec te liberis, *Sarisb. Voss.* 1. (f) Infirmus es, *Sarisb. Voss.* 1. (g) Deo credentium, *Ar. Bod.* 1. 2. 4. *Lam.* nec fur rapit, *Voss.* 2. (h) Juvenior fui, *Bod.* 1. *Sarisb.* (i) Quærens panem, *Sarisb. West. Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. (k) Benedictione erit, *Bod.* 1. 3. (l) Vituperatione & injuria, *Sarisb.* (m) Diabolo mavis, *Pem. Voss.* 2. (n) *Sic*, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Spir. Vet. innom. Voss.* 1. *Lam. Ebor.* filiis, *Rigalt.* (o) *Sic*, *West*, *Ar. Ben. Pem. NC.* 2. *Sarisb. Voss.* 2. *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.* gehennam, *Imp.* (p) Cujus præbitio, *Bod.* 1.

1 *Vetus & justus.*] Lectionem illam sequitur Auctor noster quæ habet. ἄνθρωπος ἐκεῖνος ἀληθινὸς, δίκαιος: cujus loco alia exemplaria reponunt ἄμεμπτος, alia ἄμωμος. Quæ hic redundant de offerendo vitulum pro peccatis, in Græcis passim exemplaribus occurrunt; & revera, θυσίαις superaddi solent, τὰ περὶ ἁμαρτίας. Vid. Ps. 39. 10.

2 *Præmium enim bonum.*] Sic etiam legit Vulgatus interpres. Græca habent, θεμα ἀγαθόν. unde θέματικοὶ ἀγῶνες, in quibus depositio aliquo præmio certatur: qui & ἀργυρίται; opposiți στεφανίταις & φυλλίταις.

3 *Quale munus.*] Impensæ munerariorum apud Ethnicos, in hominum laniena & pernicie versabantur; Christiani in iisdem sublevandis sumtus fecerunt. Spectaculum illud Deo Opt. Max. alterum Diabolo dignum. Porro non solum in largitionibus, sed multo magis in perpessionibus; spectaculum Deo, angelis, & hominibus facti sunt Christiani; referente Apostolo 1 Cor. 4 9. *Munus coram summo Deo.* videtur opponi illis quæ fiunt, *coram hominibus.*

1 *Quadriga*

An. 254. habere? Quanto iſtic & apparatus uberior, & ſumtus largior exhibendus eſt; ubi ad ſpectaculum conveniunt cœlorum virtutes, conveniunt Angeli omnes; ubi muneratio non 1 quadriga vel conſulatus petitur, ſed vita æterna præſtatur: nec captatur inanis & temporarius favor vulgi, ſed perpetuum præmium (a) regni cœleſtis accipitur? Atque ut pigros & ſteriles, & cupiditate nummaria nihil circa fructum ſalutis operantes magis pudeat, ut plus conſcientiam ſordidam dedecoris ac turpitudinis ſuæ (b) rubor cædat; ponat unuſquiſque ante oculos ſuos, (c) diabolum cum ſervis ſuis, id eſt, cum populo perditionis ac mortis in medium proſilire: plebem (d) Chriſti, præſente & judicante ipſo, comparationis examine provocare dicentem: Ego pro iſtis quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella ſuſtinui, nec crucem pertuli, nec ſanguinem fudi, nec familiam meam pretio paſſionis & cruoris redemi; ſed nec regnum illis cœleſte promitto, nec ad paradiſum reſtituta immortalitate denuo revoco; & munera mihi quam grandia, quam pretioſa, quam nimio & longo labore quæſita, ſumtuoſiſſimis apparatibus comparant, rebus ſuis vel obligatis in muneris comparatione, vel venditis; 2 ac niſi editio honeſta (e) ſucceſſerit, conviciis ac ſibilis ejiciuntur, & furore populari nonnunquam pene lapidantur? Tuos tales munerarios Chriſte (f) demonſtra præceptis tuis monitos, & pro terrenis cœleſtia recepturos, illos divites, illos copioſis opibus affluentes; an in Eccleſia præſidente, & ſpectante te ejuſmodi munus edant, oppignoratis vel diſtractis rebus ſuis, imo ad cœleſtes theſauros mutata in melius poſſeſſione tranſlatis? In iſtis muneribus meis caducis atque terrenis nemo paſcitur, nemo veſtitur, nemo cibi alicujus aut potus ſolatio ſuſtinetur: cuncta inter furorem edentis & ſpectantis errorem, prodiga & ſtulta voluptatum fruſtrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu veſtiris & paſceris, tu æternam vitam operantibus polliceris; & vix tui (g) meis pereuntibus adæquantur, qui à te divinis mercedibus & præmiis cœleſtibus honorantur. Quid ad hæc reſpondemus, fratres cariſſimi; (h) ſacrilega ſterilitate, & quadam tenebrarum nocte coopertas divitum mentes, qua ratione defendimus? qua excuſatione purgamus? qui diaboli ſervis minores ſumus, ut Chriſto pro pretio paſſionis & ſanguinis, vicem nec in modicis rependamus?

In die judicii pro beneficentiæ ratione ſententia fertur.

Præcepta ille nobis dedit: quid facere ſervos ſuos oporteret inſtruxit: operantibus præmium pollicitus, & ſupplicium ſterilibus comminatus, ſententiam ſuam protulit; quid judicaturus ſit, ante prædixit. (i) Quæ poteſt excuſatio eſſe ceſſanti? quæ defenſio ſterili? niſi quod non faciente (k) ſervo quod præcipitur, Dominus faciet quod minatur; qui & dicit: Cum venerit filius hominis (l) in claritate ſua, & omnes Angeli Mat. 25. 31. cum eo, tunc ſedebit in throno claritatis ſuæ, & colligentur ante eum omnes gentes, & ſegregabit eos ab invicem, quemadmodum paſtor ſegregat oves ad hœdis: & ſtatuet oves ad dexteram ſuam, hœdos autem ad ſiniſtram. Tunc dicet Rex iis, qui ad (m) dexteram ſuam erunt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi: Eſurivi enim & dediſtis mihi manducare; ſitivi, & potaſtis me; hoſpes fui, & adduxiſtis me; (n) nudus, & texiſtis me; infirmus & viſitaſtis me; in carcere fui, & veniſtis ad me. Tunc reſpondebunt ei juſti, dicentes: Domine quando te vidimus eſurientem, & pavimus? ſitientem, & potavimus? quando te vidimus hoſpitem, & adduximus? nudum, & veſtivimus? quando autem te vidimus (o) infirmum, & in carcere, & venimus ad te? Tunc reſpondens Rex dicet eis: Amen dico vobis, quamdiu feciſtis uni horum ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Tunc dicet & illis, qui ad (p) ſiniſtram ejus erunt: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum 3 quem paravit pater meus diabolo, & angelis ejus. Eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non potaſtis me; hoſpes fui, & non adduxiſtis me; nudus, & non veſtiſtis me; infirmus & in carcere, & non (q) viſitaſtis me. Tunc reſpondebunt & ipſi dicentes: Domine quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem, aut hoſpitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non miniſtravimus tibi? Et reſpondebit illis: Amen dico vobis, quamdiu non feciſtis uni ex minimis his, neque mihi feciſtis. Et abibunt iſti in (r) ambuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam.

Summa operum miſericordiæ commendatio; quod Chriſto præſtari dicuntur.

Quid potuit nobis majus Chriſtus edicere? quo modo magis potuit juſtitiæ ac

(a) Ac cœleſte regnum, *Lin.* (b) Rubor accedat, *Pem. Voſſ.* 1. (c) Diabolum cum angelis, *Voſſ.* 1. (d) Chriſto præſente, *Voſſ.* 1. *Lam. Bod.* 1. 3. 4. (e) Acceſſerit, *Sariſ.* (f) Demonſtra, divites, *Ar. Weſt. Lam. Ebor. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. (g) Meis perdentibus, *Ar. Weſt. Bod.* 4. *Ver. Corb. Man. Mor.* (h) Sacrilegas ſterilitates, *Lam. Bod.* 2. 4. *Ver.* (i) Quæ poteſt eſſe defenſio, *Sariſ. Voſſ.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (k) Servo quicquid. (l) *Sic*, *Ar. Weſt. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. *ſup. adv. Jud.* & *ad Quir.* in gloria, *Imp.* (m) Dextram ſuam ſunt, *Ar. Weſt. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. (n) *Sic*, *Ar. Weſt. Sariſ. ſup. adv. Jud. ad Quir.* veſtiſtis, *Imp.* (o) *Sic*, *Bod.* 1. *ſup. adv. Jud.* & *ad Quirin.* Infirmatus ſum, *Imp.* (p) Siniſtram ejus ſunt, *Ar. Weſt. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3. 4. (q) Veniſtis ad, *NC.* 2. *Bod.* 3. 4. (r) Combuſtionem, *Pem. Voſſ.* ignem, *Lin.*

1 *Quadriga vel Conſulatus.*] Majorum magiſtratuum honores & inſignia. *Curules*, inquit Feſtus, *equi quadrigales.*

2 *Ac niſi editio honeſta ſucceſſerit.*] Sic lib. ad Donatum. *Stulta prorſus & vana jactura, fruſtrantis ſpectaculi voluptate ad parare voluiſſe, quod nec populus acciperet, & perderet magiſtratus.*

3 *Quem paravit Pater meus.*] Vid. quæ dicta lib. 3. ad Quir. c. 1.

4 *Ambuſtionem.*] Græca habent κόλασιν αἰώνιον. Noſter, conſtans in hac lectione, πύρωσιν legiſſe videtur.

1 *Quid*

An. 254. ac miſericordiæ noſtræ opera provocare, quam quod præſtari dixit ſibi, quicquid egenti præſtetur & pauperi: & ſe dixit offendi, niſi egenti præſtetur & pauperi; ut qui reſpectu fratris in Eccleſia non movetur, vel Chriſti contemplatione moveatur: & qui non cogitat in labore atque in egeſtate conſervum, vel Dominum cogitet in ipſo illo quem deſpicit conſtitutum. Et iccirco, fratres cariſſimi, quibus metus in Deum pronus eſt, & ſpreto calçatoque jam mundo ad ſuperna & divina animus erectus eſt; fide plena, mente devota, operatione contina, (a) promerendo Domino obſequium præbeamus: demus Chriſto veſtimenta terrena, indumenta cœleſtia recepturi. Demus cibum & potum ſecularem, cum Abraham, Iſaac & Jacob ad convivium cœleſte venturi: ne parum (b) metamus, plurimum ſeminemus. Securitati ac ſaluti æternæ, dum tempus eſt, conſulamus, Paulo Apoſtolo admonente & dicente: Ergo dum tempus habemus, operemur quod bonum eſt ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus. Gal. 6. 10. 9.

Exemplum apoſtolicorum temporum proponitur.

Cogitemus, fratres dilectiſſimi, [1] quid ſub Apoſtolis fecerit credentium populus, quando inter ipſa primordia majoribus virtutibus mens vigebat; quando credentium fides novo adhuc fidei calore fervebat: domicilia tunc & prædia venundabant, & diſpenſandam (c) pauperibus quantitatem libenter ac largiter Apoſtolis offerebant, terreno patrimonio vendito atque diſtracto, fundos illuc transferentes, ubi fructus caperent poſſeſſionis (d) æternæ: Illic comparantes domos, ubi inciperent ſemper habitare. Talis tunc fuit in operationibus cumulus, qualis in dilectione conſenſus: ſicut legimus in Actis Apoſtolorum: Turba autem eorum qui crediderant, anima ac mente una agebant: nec fuit inter illos [2] diſcrimen ullum, nec quidquam ſuum judicabant ex bonis quæ eis erant, ſed fuerunt illis omnia communia. Hoc eſt nativitate (e) ſpiritali vere Dei (f) filios fieri, hoc eſt, lege cœleſti æquitatem Dei patris imitari. Quodcunque enim Dei eſt, in noſtra uſurpatione commune eſt, nec quiſquam à beneficiis ejus & muneribus arcetur, quo minus omne humanum genus bonitate ac largitate divina æqualiter perfruatur. Sic æqualiter dies luminat, ſol radiat, imber rigat, ventus aſpirat, & dormientibus ſomnus unus eſt, & ſtellarum ſplendor ac lunæ communis eſt. (g) Quo æqualitatis exemplo, qui poſſeſſor in terris reditus ac fructus ſuos cum fraternitate partitur; dum largitionibus gratuitis communis ac juſtus eſt, Dei patris imitator eſt. Act. 4. 32.

Merces demum futura proponitur.

Quæ illa erit, fratres cariſſimi, operantium gloria, quam grandis & ſumma lætitia: cum populum ſuum Dominus cœperit recenſere: & meritis atque operibus noſtris præmia promiſſa contribuens, pro terrenis cœleſtia, pro temporalibus ſempiterna, pro modicis magna præſtare; offerre nos patri, (h) cui nos ſua ſanctificatione reſtituit; æternitatem nobis immortalitatemque largiri, ad quam nos ſanguinis ſui vivificatione reparavit; reduces ad paradiſum denuo facere, regna cœlorum fide & veritate ſuæ pollicitationis aperire? Hæc hæreant firmiter ſenſibus noſtris: hæc intelligantur plena fide: hæc corde toto diligantur: hæc indeſinentium operum (i) magnanimitate redimantur. Præclara & divina res, fratres cariſſimi, ſalutaris operatio; ſolatium grande credentium, ſecuritatis noſtræ ſalubre præſidium, munimentum ſpei, tutela fidei, (k) medela peccati: res poſita in poteſtate facientis, res & grandis & facilis; ſine periculo perſecutionis, corona pacis: verum Dei munus & maximum, infirmis neceſſarium, fortibus glorioſum, quo Chriſtianus (l) adjutus perfert gratiam ſpiritalem, promeretur Chriſtum judicem, Deum computat debitorem. Ad hanc operum ſalutarium palmam libenter ac promte certemus: omnes in agone juſtitiæ Deo & Chriſto ſpectante curramus; & qui ſeculo & mundo majores eſſe jam cœpimus, curſum noſtrum nulla ſeculi & mundi cupiditate tardemus. Si expeditos, ſi celeres, ſi in hoc operis agone currentes, [3] dies nos vel (m) redditionis, vel (n) perſecutionis invenerit: nuſquam Dominus meritis noſtris ad præmium deerit; in pace vincentibus coronam candidam pro operibus dabit, in perſecutione purpuream pro paſſione geminabit.

(a) In promerendo, *Voſſ.* 1. (b) Metemus non fatigati, *Bod.* 1. 4. (c) Pauperibus facultatem, *Weſt.* (d) Æternæ: ut illis comparent, *Bod.* 3. 4. (e) Spiritali vivere, *Weſt.* (f) Filium, *Lam. Ebor. Weſt.* (g) Quo æquitatis, *Bod.* 1. 2. 3. (h) Qui nos, *Bod.* 3. de ſanctificatione, *Bod.* 2. (i) Magnanimitate reddantur, *Lin.* (k) Medela peccati repoſita, *Ar.* (l) Adjutus perferre, *Bod.* 1. præfert, *Rig.* ac juſtus, *Weſt. Lin.* (m) Reditionis, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Veron. Corb. Vet. Innom. Spir. Man.* (n) Percuſſionis, *Morel.*

1 *Quid ſub Apoſtolis fecerit credentium populus.*] Ad illa pariter tempora provocat Auctor noſter, ſub finem lib. de Orat.

2 *Diſcrimen ullum.*] Vid. quæ dicta l. 3. ad Quirin. c. 3.

3 *Dies nos vel redditionis.*] Tertullianus de Reſurrect. carnis c. 32. *redhibitionem* ponit. Altera lectio quæ *reditionem* habet, Rigaltio non diſplicet: ut *redditio quæ ſpontanea videtur, perſecutioni opponatur, quæ eſt violenta. Vel potius, ut per reditionem intelligatur in Paradiſum aditus, unde expulſus peccator Adamus, & progenies Adami infecta peccato. Hoc peccatum abolevit Chriſtus, atque inde boni Chriſtiani redeunt in Paradiſum, quo Cainus fratricidio non rediit, inquit Cyprianus, de zelo & livore ſub finem.*

D. CÆCILII CYPRIANI

[1]DE

[a]BONO PATIENTIÆ.

An. 255. Vera ſapientia ſine patientia eſſe non poteſt.

DE patientia locuturus, fratres dilectiſſimi, & utilitates ejus & commoda prædicaturus, unde potius incipiam, quam quod nunc quoque ad audientiam, veſtram patientiam video eſſe neceſſariam; ut nec hoc ipſum quod auditis & diſcitis, ſine patientia facere poſſitis? Tunc enim demum (b) ſermo & ratio ſalutaris efficaciter diſcitur, ſi patienter quod dicitur audiatur. Nec invenio, fratres dilectiſſimi, inter ceteras cœleſtis diſciplinæ vias, quibus ad conſequenda divinitus præmia, ſpei ac fidei noſtræ ſecta dirigitur, (c) quid magis ſit vel utilius ad vitam, vel majus ad gloriam; quam ut qui præceptis Dominicis obſequio timoris ac devotionis innitimur, patientiam maxime tota obſervatione (d) tueamur. [2] Hanc ſe ſectari Philoſophi (e) quoque profitentur, ſed tam illic patientia falſa eſt, quam & falſa ſapientia eſt. Unde enim vel ſapiens eſſe vel patiens poſſit, qui nec ſapientiam, nec patientiam Dei (f) novit? quando ipſe de iis qui ſibi ſapere in mundo videntur, moneat & dicat: Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Item beatus Apoſtolus Paulus plenus Spiritu ſancto, & vocandis (g) formandiſque gentibus miſſus, conteſtetur & inſtruat, dicens: Videte ne quis vos deprædetur per Philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis. Et alio loco: Nemo ſe, inquit, decipiat: Si quis putat ſapientem ſe eſſe in vobis, mundo huic ſtultus fiat ut fiat ſapiens. Sapientia enim mundi hujus, ſtultitia eſt apud Deum. Scriptum eſt enim: (h) Reprehendam ſapientes in aſtutia ipſorum. Et iterum: Cognovit (i) Dominus cogitationes ſapientium, quia ſunt ſtultæ. Quare ſi ſapientia illic vera non eſt, eſſe non poteſt & vera patientia. Nam ſi (k) patiens ille eſt, qui eſt humilis & mitis; philoſophos autem nec humiles videmus eſſe nec mites, ſed ſibi multum placentes, & hoc ipſo quod ſibi placeant Deo diſplicentes: apparet (l) illic veram non eſſe patientiam, ubi ſit inſolens affectatæ libertatis audacia, & exerti ac ſeminudi pectoris inverecunda jactantia.

Is. 29. 14.

Coloſſ. 2. 8.

1 Cor. 3. 18.

Job. 5. 13.

Pſ. 93. 11.

Patientiæ virtus cum Deo nobis communis.

Nos autem, fratres dilectiſſimi, qui philoſophi non verbis ſed factis ſumus; nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate præferimus; qui virtutum conſcientiam magis quam jactantiam novimus; qui non loquimur magna, ſed vivimus; (m) quaſi ſervi & cultores Dei, patientiam quam magiſteriis cœleſtibus diſcimus, obſequiis ſpiritalibus præbeamus. Eſt enim nobis [3] cum Deo virtus iſta communis. Inde patientia incipit, inde claritas ejus & dignitas caput ſumit. Origo & magnitudo patientiæ Deo auctore procedit. Diligenda res homini, quæ Deo (n) cara eſt. Bonum quod amat majeſtas Divina, commendat. Si Dominus nobis & pater Deus eſt, ſectemur patientiam Domini pariter & patris: quia & ſervos oportet eſſe obſequentes, & filios non decet eſſe degeneres. Qualis vero in Deo & quanta patientia, quod in contumeliam ſuæ majeſtatis & honoris inſtituta ab hominibus profana templa, & terrena figmenta, & ſacra ſacrilega patientiſſime ſuſtinens, ſuper bonos & malos æqualiter facit diem naſci, & lumen ſolis oriri; & cum imbribus terras rigat, nemo à beneficiis ejus excluditur, quo minus juſtis ſimiliter & injuſtis indiſcretas pluvias largiatur? Videmus inſeparabili æqua-

(a) De patientia, *Bod.* 4. *Lin. Auguſt.* (b) Sermo Domini, *Bod.* 4. (c) Aliquid magis vel utile ad vitam, vel magis ad gloriam eſſe neceſſarium, *Bod.* 4. (d) Teneamus, *Pem. Voſſ.* 1. (e) Philoſophi quique, *Ver.* (f) Novit: quomodo &, *Lam. Ebor. NC.* 1. (g) Servandiſque gentibus, *Lin.* (h) Comprehendam, *Voſſ.* 1. reprehendens, *Pem. Lin. Voſſ.* 2. *NC.* 2. reprehendes, *Sup.* l. 3. *ad Quir. c.* 63. (i) Deus, *Sariſ. Ver.* (k) Nam utique ſi patiens, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Pem. Ar. MR. Thu. Foſſ.* ſapiens, *Rigalt.* (l) Illic non eſſe patientiam, *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. (m) Ut ſervi, *Sariſ.* quia ſervi, *Bod.* 4. Cara eſt, ac bonum, *Bod.* 1.

1 *De bono patientiæ.*] Ipſe Cyprianus in celebri ejus epiſtola ad Jubaianum, titulum hunc tuetur; ubi ait; *Propter hoc, etiam libellum de bono Patientiæ quantum valuit noſtra mediocritas, permittente Domino & inſpirante conſcripſimus.* Unde etiam facile diſcitur; quo tempore, & ex qua occaſione eundem ediderit tractatum. Nimirum poſt motam de hæreticorum baptiſmo litem. Scil. circa annum 255. ſcripſiſſe apparet; ut exacerbatis hinc inde partium animis remedium afferret: cui rei, quo rectius conſuleretur, per totum operis decurſum, ne vel voculam unam interponit (quod ſingularis prudentiæ qua in rebus gerendis uſus eſt, indicio eſſe poſſit,) quæ infelicis controverſiæ memoriam refricaret. Porro libelli hujus non modo meminit Pontius, ſed etiam Hieron. adv Lucifer. Auguſt. l. 3. cont. Creſc. cap. 1. Etiam l. 7. de Baptiſmo contra Donat. c. 54. Nec non l. 4. ad Bonif. c. 8. & alibi paſſim.

2 *Hanc ſe ſectari Philoſophi quoque profitentur.*] Tertullianus pariter ait lib. de Patientia. *Philoſophi quidem, qui alicujus ſapientiæ animalia deputantur, tantum illi ſubſignant, ut cum inter ſe variis ſectarum libidinibus, & ſententiarum æmulationibus diſcordent, ſolius tamen patientiæ in commune memores, huic uni ſtudiorum ſuorum commiſerint pacem: in eam conſpirant, in eam fœderantur, illam affectatione virtutis unanimiter ſtudent, omnem ſapientiæ oſtentationem de patientia præferunt.*

3 *Cum Deo virtus iſta communis.*] Tert. de Patientia c. 3. *Penes nos ratio & ſtructio, ſatis aperte non ſermonibus modo in præcipiendo, ſed etiam paſſionibus in ſuſtinendo, probant his quibus credere datum eſt, patientiam Dei eſſe naturam, effectum & præſtantiam ingenitæ cujuſdam proprietatis.*

An. 255. æqualitate patientiæ, nocentibus & innoxiis, religioſis & impiis; gratias agentibus & ingratis, Dei nutu tempora obſequi, elementa famulari, ſpirare ventos, fontes fluere, (a) grandeſcere copias meſſium, fructus miteſcere vinearum, exuberare pomis arbuſta, nemora frondeſcere, prata florere. Et cum crebris imo continuis exacerbetur offenſis Deus; indignationem ſuam temperat, & præſtitutum ſemel retributionis diem patienter expectat. Cumque habeat in poteſtate vindictam, mavult diu tenere patientiam; ſuſtinens ſcilicet clementer & differens, ut; ſi fieri poſſit, multum malitia protracta aliquando mutetur; & homo in errorum & ſcelerum contagione volutatus, vel ſero ad Dominum convertatur, ipſo monente & dicente: Nolo mortem morientis, quantum ut revertatur & vivat: & iterum Propheta: Revertimini ad Dominum Deum veſtrum, quoniam miſericors & pius eſt, & patiens, & multæ miſerationis, & qui ſententiam flectat adverſus 1 (b) malitias irrogatas. Quod item beatus Apoſtolus Paulus commemorans, & peccatorem ad pœnitentiam revocans, proponit & dicit: An numquid opulentiam bonitatis ejus, (c) & ſuſtinentiæ & longanimitatis contemnis, ignorans quoniam patientia & bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram (d) in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ſua. Juſtum judicium Dei dixit eſſe, quia ſerum eſt, quia diu multumque differtur; ut homini ad vitam, longa Dei patientia conſulatur. Tunc repræſentatur pœna impio & peccatori, quando jam non poteſt pœnitentia prodeſſe (e) peccanti. Ezech. 18. 32. Joël. 2. 23. Rom. 2. 4.

Præcepta Evangelica imprimis patientiam jubent.

Atque ut plenius intelligere poſſimus, fratres dilectiſſimi, quia patientia, Dei res eſt; & quiſquis lenis, & patiens, & mitis eſt, Dei patris imitator eſt; cum in Evangelio ſuo Dominus præcepta in ſalutem daret, & divina monita depromens (f) ad perfectum (g) diſcipulos erudiret, poſuit & dixit: Audiſtis quia dictum eſt: Diliges (h) proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos veſtros, & orate pro eis qui vos perſequuntur, ut ſitis filii patris veſtri qui in cœlis eſt: qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Si enim dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, (i) nonne ſic & publicani faciunt? Et ſi ſalutaveritis fratres veſtros tantum, quid (k) amplius facitis? nonne & ethnici id ipſum faciunt? (l) Eſtote itaque vos perfecti, (m) ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt. Sic perfectos dixit fieri Dei filios, ſic conſummari oſtendit & docuit cœleſti nativitate reparatos; ſi patientia Dei patris maneat in nobis, ſi ſimilitudo divina, (n) quam peccato Adam perdiderat, manifeſtetur & luceat in actibus noſtris. Quæ gloria eſt ſimilem Deo fieri, qualis & quanta felicitas, habere in virtutibus, quod divinis laudibus poſſit æquari? Mat. 5. 43.

Patientiam quam verbis docuit Dominus noſter, implevit & factis.

Nec hoc, fratres dilectiſſimi, Jeſus Chriſtus Deus & Dominus noſter tantum verbis docuit, ſed implevit & factis. Et quia ad hoc deſcendiſſe ſe dixerat, ut (o) voluntatem patris faceret; inter cetera (p) admirabilia virtutum ſuarum, quibus indicia divinæ majeſtatis expreſſit, paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore ſervavit. (q) Omnes denique actus ejus ab ipſo ſtatim adventu, patientia comite (r) ſignantur: (s) quod primum de illa ſublimitate cœleſti ad terrena deſcendens, non aſpernatur Dei filius carnem hominis induere; &, cum peccator ipſe non eſſet, aliena peccata portare. 2 Immortalitate interim poſita, fieri ſe mortalem patitur, ut innocens pro nocentium (t) ſalute perimatur. Dominus baptizatur à ſervo, & remiſſam peccatorum daturus, ipſe non dedignatur lavacro regenerationis corpus abluere. Diebus quadraginta jejunat; per quem ceteri ſaginantur; eſurit & famem ſentit, ut qui in fame ſermonis & gratiæ fuerant, cœleſti pane ſaturentur. Cum diabolo tentante congreditur, & inimicum tantum viciſſe contentus, nihil ultra verba conatur. Diſcipulis non ut ſervis Dominica poteſtate præfuit, ſed benignus & mitis fraterna eos caritate dilexit. Dignatus eſt etiam pedes Apoſtolorum lavare; ut dum circa ſervos talis eſt Dominus, exemplo ſuo doceret, qualis circa compares & æquales debeat eſſe conſervus. Nec (u) mirandum, quod circa (w) obedientes talis extiterit, qui Judam potuit uſque ad extremum longa patientia ſuſtinere, cibum cum (x) inimico ſumere, hoſtem domeſticum ſcire nec palam oſtendere, traditoris oſculum non recuſare. In Judæis vero tolerandis æquanimitas quanta, & quanta patientia? incredulos ad fidem ſuadendo flectere, obſequio ingratos fovere, contradicentibus reſpondere leniter, ſuperbos ſuſtinere clementer, humiliter perſequentibus cedere; prophetarum interfectores & adverſum Deum ſemper rebelles, uſque ad crucis & paſſionis horam, velle colligere. Sub ipſa autem paſſione Mat. 4. 2. Jo. 13. 5. Mat. 3. 15. Mat. 26. 25.

(a) Candeſcere copias meſſium, *Morel.* fructus matureſcere, *Foſſ.* niteſcere, *Vict.* fructus maturatus, *Lin.* (b) Malitiam irrogatam, *Ben. Bod.* 1,2,3,4. *Sarif.* (c) Suſtinentiam & patientiam, *Ver. Ben. Sarif. Bod.* 1. 3. 4. *Ar. Sup. ad Quir. l.* 3. *c.* 35. (d) In diem iræ, *Bod.* 1. 4. *Ver.* (e) Peccati, *Lam. Ver. Thu. Foſſ.* (f) Ad profectum, *Ebor. Bod.* 3. (g) Diſcipulos ſuos, *Pem. Voſſ.* 1. (h) Proximum tibi, & odio habebis inimicum tibi, *Lam. Lin. Bod.* 1. 2. 4. *Ver.* (i) Nonne & publicani hoc faciunt, *Bod.* 1. *Thu.* (k) Amplius facietis, *Bod.* 1. 2. *Lam. Foſſ.* (l) Eritis itaque, *Bod.* 1. 2. 3. *Thu. Foſſ. Ver.* (m) Quomodo pater, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.* (n) Quam peccando Adam. *Bod.* 3. (o) Voluntatem patris adimpleret, *Bod.* 3. (p) Magnalia, *Ver.* (q) Omnis denique, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Thu.* (r) Signatur, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Thu.* (s) Primum quod, *Lam. Ebor.* (t) Salute puniatur, *Bod.* 3. (u) Mirandum ſi, *Bod.* 1. (w) Obaudientes, *Lin. NC.* 2. (x) Inimico capere, *Ar. Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. Ben. Ver.*

1 *Malitias irrogatas.*] Vid. quæ dicta lib. de Lapſis, ſub finem p. 98.

2 *Immortalitate interim poſita.*] Sic Principes majeſtatem ponere dicuntur, cum dignitatis inſignia exuentes, plebeio habitu in medium procedunt,

1 *Oculos*

An. 255. passione & cruce, priusquam ad crudelitatem necis & effusionem sanguinis veniretur, quæ conviciorum probra patienter audita, quæ contumeliarum tolerata ludibria? ut insultantium (a) sputamina patienter exciperet, qui sputo suo cæci [1] oculos paulo ante formasset: & in cujus nomine à servis nunc ejus diabolus cum angelis suis flagellatur, flagella ipse pateretur: coronaretur spinis, qui martyres floribus coronat æternis: palmis in faciem verberaretur, qui palmas veras vincentibus tribuit: spoliaretur veste terrena, qui indumento immortalitatis ceteros vestit: cibaretur felle, qui cibum cœlestem dedit: aceto potaretur, qui (b) salutare poculum propinavit. Ille innocens, ille justus, imo innocentia (c) ipsa, & ipsa justitia, inter facinorosos deputatur; & testimoniis falsis veritas premitur, judicatur judicaturus, & Dei sermo ad victimam tacens ducitur. Et cum ad crucem Domini confundantur sidera, elementa turbentur, contremiscat terra, nox diem claudat; sol, ne Judæorum facinus aspicere cogatur, & radios, & oculos suos subtrahat: ille non loquitur, nec movetur, nec majestatem suam sub ipsa saltem passione profitetur: usque ad finem perseveranter ac jugiter tolerantur omnia, [2] ut consummetur in Christo plena & perfecta patientia. Et (d) post ista omnia, adhuc interfectores suos, si conversi ad eum venerint, suscipit; & patientia salutari, ad conservandum (e) benignus, Ecclesiam suam nemini cludit: illos adversarios, illos blasphemos, illos nominis sui semper inimicos, si pœnitentiam delicti agant, si admissum facinus agnoscant, non solum ad indulgentiam criminis, sed & ad præmium regni cœlestis admittit. Quid potest patientius, quid benignius dici? vivificatur Christi sanguine, etiam qui fudit sanguinem Christi. Talis est Christi ac tanta patientia; quæ nisi talis ac tanta existeret, Paulum quoque Apostolum Ecclesia non haberet. Quod si & nos, fratres dilectissimi, in Christo sumus, si ipsum induimus, si ipse est salutis nostræ via; qui Christum vestigiis salutaribus sequimur, per Christi exempla gradiamur; sicut Joannes Apostolus instruit dicens: Qui dicit se in Christo manere, debet quo modo ille ambulavit, & ipse ambulare. Item Petrus, [3] super quem Ecclesia Domini dignatione fundata est, in epistola sua ponit & dicit: Christus passus est [4] pro nobis, relinquens (f) vobis exemplum ut sequamini vestigia ejus: qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus; qui cum malediceretur, non (g) maledicebat: (h) cum pateretur, non comminabatur. Tradebat autem se [5] (i) judicanti se injuste.

Jo. 19. 6. Mat. 27. 29. 1 Jo. 2. 6. 1 Pet. 2. 21.

Patriarchæ & Prophetæ eandem patientiæ semitam insistebant.

Invenimus denique & Patriarchas, & Prophetas, & justos omnes, qui figuram Christi imagine præeunte portabant, nihil magis custodisse in laude virtutum suarum; quam quod patientiam forti & stabili æquanimitate tenuerunt. Sic (k) Abel, originem martyrii & passionem (l) justi hominis initians primus & dedicans, adversus [6] (m) fratrem parricidam non resistit, nec reluctatur; sed humilis & mitis patienter occiditur. Sic Abraham Deo credens, & radicem ac fundamentum fidei primus instituens, tentatus in filio, non dubitat neque cunctatur, sed præceptis Dei tota patientia devotionis obsequitur. Et Isaac ad hostiæ Dominicæ similitudinem præfiguratus; quando à patre immolandus offertur, patiens invenitur. Et Jacob fugatus à fratre, de terra sua patienter excedit; & majore patientia postmodum supplex, adhuc magis impium & persecutorem muneribus pacificis ad concordiam redigit. Joseph venundatus à fratribus & (n) relegatus, non tantum patienter ignoscit; sed & (o) gratuita frumenta venientibus (p) largiter & clementer impertit. Moyses ab ingrato & perfido populo contemnitur frequenter, & pene lapidatur, & tamen lenis & patiens pro eisdem Dominum deprecatur. In David vero ex quo secundum carnem Christi nativitas oritur, quam magna & mira & Christiana patientia, (q) habuisse in manu sæpe ut Saul Regem persequentem se, & interficere concupiscentem posset occidere; & tamen subditum sibi, & traditum maluisse servare, nec rependisse inimico vicem, sed occisum adhuc insuper & vindicasse? Tot denique Prophetæ interfecti; tot martyres glorioſis mortibus honorati, qui omnes ad cœlestes coronas patientiæ laude venerunt. Neque enim potest accipi dolorum & passionum corona, nisi præcedat in dolore & passione patientia.

Gen. 4. 2. Gen. 22. 1. Gen. 28. 32. Gen. 37. 27. 45. 4. Exod. 32. 11. 2 Reg. 20.

Quam

(a) Sputamina exciperet, *Ar. Sarisſ. Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.* (b) Salutari poculo, *Bod.* 4. salutaria pocula, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. salutari poculo, *Thu.* (c) Ipse & ipse, *Bod.* 1. 2. 3. *Thu. Foſſ.* (d) Post ista adhuc, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. (e) *Sic*, *Ar. Sarisſ. Lam. Ebor. NC.* 1. *Pem. Voſs.* 1. *Lin. Ver. Vet. innom. Spir. Man.* Benignus & patiens, *Imp.* (f) Vobis, *Ver.* (g) Remaledixit, *Lin. Bod.* 4. *Sarisſ. NC.* 2. *Ver. Thu.* (h) Qui cum pateretur, *Voſſ.* 1. (i) Judicanti injuste, *Ar.* (k) Abel in origine mundi martyrium, *Voſſ.* 1. (l) Justi initians, *Ar. Bod.* 2. *Ver.* (m) Fratrem homicidam, *Lam.* fratricidam, *Foſſ.* (n) Ligatus, *Lam. Pem. Voſſ.* 2. (o) Gratis, *Pem. Voſſ.* 2. grana & frumenta, *Bod.* 3. (p) Largitur, *Bod.* 3. (q) Habuisse dignoscitur, *Bod.* 3.

1 *Oculos paulo ante formasset.*] Ac si non aperuisset oculos, sed fecisset. Sic Nonnus c. 9. Joan. ἀφωτίσοιο προσώπου.

Συμφέρτην, ἀμέρισον ἔχων ἀχάραχτον ὀπώπην,
Ἣν φύσις οὐκ ἐτύπωσε. λιποβλεφάροιο δὲ κύκλου,
Οἰδαλέον ξένον ὄμμα γενεθλιὰς εἶχεν ὁμίχλη.

2 *Ut consummetur in Christo.*] Respicere videtur Auctor noster verba Servatoris dicentis τετέλεσται. Jo. 19. 30. quasi non prophetias, sed Patientiam adimpleviſſet.

3 *Super quem Ecclesia.*] Similia habentur in Epistolis ad Florent. Pupien. ad Jubaian. ad Quint. & alibi: solet enim Auctor noster cum Scripturæ testimonium laudat, id scriptoris ipsius elogio illustrare. In lib. de Opere & Eleem. D. Paulum citans ait, *Apostolus Paulus dominicæ inspirationis gratia plenus.* Et in hoc ipso libro, *Beatus Apostolus Paulus, plenus Spiritu sancto, & vocandis formandisque gentibus missus.* Et paulo post, *Paulus divini præcepti memor.* ut & alibi passim. Vid. quæ dicta lib. de Exhort. Mart. p. 125. & de Unit. Ecclesiæ. p. 77.

4 *Pro nobis.*] Variant hic Græca etiam exemplaria vid. l. 3. ad Quir. c. 39.

5. *Judicanti injuste.*] Vid. quæ dicta l. 3. ad Quirin. c. 39.

6 *Fratrem parricidam.*] Lege Pompeia de parricidiis cavetur, ut parricidii teneatur, non solum qui patrem aut matrem interfecerit; sed qui fratrem, sororem, patruelem, &c. occiderit.

An. 255. Quam ſit autem patientia utilis & neceſſaria, fratres dilectiſſimi, ut manifeſtius poſſit & plenius noſci; Dei ſententia cogitetur, quam in origine ſtatim mundi & generis humani Adam præcepti immemor, & datæ legis tranſgreſſor (a) accepit: tunc ſciemus quam patientes eſſe in iſto ſeculo debeamus, qui ſic naſcimur, ut preſſuris iſtic & conflictationibus laboremus. Quia audiſti, inquit, vocem mulieris tuæ, & manducaſti ex illa arbore, de qua ſola præceperam tibi ne (b) manducares, maledicta terra erit in omnibus operibus tuis. In triſtitia & gemitu edes ex ea, omnibus diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos (c) ejiciet tibi, & edes pabulum agri. In ſudore vultus tui edes panem tuum, donec revertaris in terram, de qua ſumtus es, quia terra es, & in terram ibis. Hujus ſententiæ vinculo colligati omnes & conſtricti ſumus, donec (d) expuncta morte de iſto ſeculo recedamus. In triſtitia & gemitu ſimus neceſſe eſt omnibus diebus vitæ noſtræ. Edamus panem neceſſe eſt cum ſudore & labore. Unde unuſquiſque noſtrum (e) cum naſcitur, & hoſpitio mundi hujus excipitur, 1 initium ſumit à lacrymis: & quamvis adhuc omnium neſcius & ignarus, nihil aliud novit in illa ipſa prima nativitate, quam flere: providentia naturali lamentatur vitæ (f) mortalis anxietates; & labores, & procellas mundi quas ingreditur, in exordio ſtatim ſuo, ploratu & gemitu rudis anima teſtatur. Sudatur enim quamdiu iſtic vivitur, & laboratur. Gen 3. 17.

Utilitas patientiæ demonſtratur, quod ad labores & ærumnas naſcamur.

Chriſtianis quibus adverſus Diabolum internecinum geritur bellum; peculiari ratione patientia opus eſt.

Nec ſudantibus & laborantibus poſſunt alia magis quam patientiæ ſubvenire ſolatia: quæ cum apta ſint & neceſſaria in iſto mundo univerſis; tum magis nobis qui diabolo impugnante plus quatimur, qui in acie quotidie ſtantes, inveterati & exercitati hoſtis colluctationibus fatigamur; quibus præter varias & aſſiduas tentationum pugnas, in perſecutionum quoque certamine patrimonia relinquenda ſunt, (g) ſubeundus carcer, portandæ catenæ, animæ impendendæ, gladius, beſtiæ, ignes, cruces, omnia denique tormentorum ac pœnarum genera, fide & virtute patientiæ perferenda, Domino ipſo inſtruente & dicente: Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis: in mundo autem preſſuram habebitis, (h) ſed fidite, quoniam ego vici mundum. Si autem qui diabolo & mundo renunciavimus, preſſuras & infeſtationes diaboli & mundi crebrius ac violentius patimur; quanto magis patientiam tenere debemus, qua adjutrice & comite omnia infeſta toleremus? Domini & (i) magiſtri ſalutare præceptum eſt: (k) Qui toleraverit, inquit, uſque ad finem, hic ſalvus erit: & iterum: Si permanſeritis, inquit, in verbo meo, vere (l) diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Jo. 16. 33. Mat. 10. 22. Jo. 8. 31.

Chriſtiana pietas fidei & ſpei res eſt, & patientia opus habet.

Tolerandum & perſeverandum eſt, fratres dilectiſſimi, ut ad ſpem veritatis & libertatis admiſſi, ad veritatem & libertatem ipſam pervenire poſſimus: quia hoc ipſum quod Chriſtiani ſumus, fidei & ſpei res eſt; ut autem ſpes & fides ad fructum ſui poſſint pervenire, patientia opus eſt. Non enim præſentem gloriam ſequimur, ſed futuram; (m) quod Paulus Apoſtolus monet dicens: Spe (n) ſalvati ſumus, ſpes autem quæ videtur non eſt ſpes: quod enim videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus ſperamus, 2 per (o) patientiam expectamus: propterea expectatio & patientia neceſſaria eſt, ut id quod eſſe cœpimus, impleamus: & quod credimus, & ſperamus, (p) Deo præſtante capiamus. Denique alio in loco idem Apoſtolus, juſtos & operantes, & divini fenoris incremento cœleſtes theſauros ſibi recondentes, ut patientes quoque ſint, inſtruit & docet dicens: Ergo dum tempus habemus, operemur quod bonum eſt ad omnes, maxime vero ad domeſticos fidei. Bonum autem facientes non deficiamus: tempore enim ſuo (q) metemus. Admonet ne quis impatiens in operatione deficiat; ne quis tentationibus aut avocatus, aut victus, in medio laudis & gloriæ itinere deſiſtat; & percant præterita, dum quæ cœperant, deſinunt eſſe perfecta. Sicut ſcriptum eſt: Juſtitia juſti non liberabit eum in quacumque die exerraverit. Et iterum: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Quæ vox adhortatur patienter & fortiter perſeverare; ut (r) qui ad coronam laude jam proxima nititur, durante patientia coronetur. Rom 8. 24. Gal. 6. 10. Ez. 33. 12. Apo. 3. 11.

Non tantum bona cuſtodit patientia, ſed repellit adverſa.

Patientia autem, fratres dilectiſſimi, non tantum bona cuſtodit; ſed & repellit adverſa. Spiritui ſancto favens, & cœleſtibus ac divinis cohærens; contra facta carnis & corporis, quibus anima expugnatur & (s) capitur, virtutum ſuarum propugnaculo reluctatur. Inſpiciamus denique pauca de multis, ut de paucis intelligantur & cætera. Adulterium, fraus, homicidium 3 mortale crimen eſt. (t) Sit fortis & ſtabilis in corde patien-

(a) Accepta gratia non tenuit, ſed amiſit, *Voſſ.* 1. (b) Manducares ex ea, *Bod.* 1. (c) Germinabit tibi, *NC.* 1. (d) Extincta morte, *Bod.* 4. Extincti morte, *Bod.* 3. (e) Unuſque cum naſcitur, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Sariſ.* (f) Vitæ temporalis, *Ver.* (g) Subeundus eſt, *Bod.* 3. (h) Sed credite, *NC.* 1. *Lam. Bod.* 1. 2. (i) Magiſtri noſtri, *Lam. Ebor. Lin. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. (k) Qui perſeveraverit, *Lin.* (l) Diſcipuli mei eſtis, *Ar Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. (m) Secundum quod & Paulus, *Bod* 1, 2, 3, 4. (n) Salvi facti ſumus, *Lam. Ebor. Pem. Bod.* 2. (o) Expectationem ſperamus, *Sariſ. Ar. Bod.* 2. 4. *Ver.* (p) Deo repræſentante, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Sariſ. Lin. Ver. Benev. Benet.* (q) Metemus non fatigati, *NC.* 1. (r) Coronam laudis jam proximam, *Bod.* 1. 3. 4. *Voſſ.* 1. laudem quam proxime, *Morel.* & laudem jam proximam, *Foſſ. Eraſ.* (s) Quatitur, *Pem. Voſſ.* 2. *Bod.* 2. 4. (t) Sic forti & ſtabili manente in corde patientia, nec adulterio, *Sariſ.*

1 *Initium ſumit à lacrymis.*] Plinius l. 7. in proœmio, hoc multis exequitur. *Hominem nudum & in nuda humo, natali die abjicit natura, ad vagitus ſtatim & ploratum, nullumque tot animalium ad lacrimas, & has protinus vitæ principio. At herculè riſus, præcox ille & celerrimus, ante quadrageſimum diem nulli datur.*

2 *Per patientiam expectamus.*] Locum hunc pariter laudat Auctor noſter l. 3. ad Quirin. c. 5,

3 *Mortale crimen.*] Vid. quæ dicta l. ad Donat. p 5.

1 *Juſti-*

An. 255. patientia: & nec adulterio ſanctificatum corpus & Dei templum polluitur; 1 nec juſtitiæ dicata innocentia, contagione fraudis inficitur; 2 nec poſt (a) geſtatam Euchariſtiam, manus gladio & cruore maculatur. Caritas fraternitatis vinculum eſt, fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas unitatis, quæ & ſpe & fide major eſt; quæ & opera & martyria præcedit; quæ nobiſcum ſemper (b) æterna apud Deum in regnis cœleſtibus permanebit. Tolle illi patientiam, & deſolata non durat. Tolle ſuſtinendi tolerandique ſubſtantiam, & nullis radicibus ac viribus perſeverat. Apoſtolus denique cum de caritate loqueretur, tolerantiam illi & patientiam junxit. 3 Caritas, inquit, magnanima 1 Cor. 13. 4.
eſt, caritas benigna eſt, caritas non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non (c) cogitat malum, omnia diligit, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Oſtendit inde illam perſeverare tenaciter poſſe, quod norit omnia ſuſtinere. Et alio in loco. Suſtinentes, inquit, invicem in dilectione, ſatis agentes, ſervare unitatem Spiritus in Eph. 4. 2.
conjunctione pacis: probavit nec unitatem ſervari poſſe nec pacem, niſi ſe invicem fratres mutua tolerantia foveant, & concordiæ vinculum patientia intercedente cuſtodiant.

Patientia virtutes omnes conſiſtunt.

Quid deinde, ut non jures, neque maledicas; ut tua ablata non repetas: ut accepta alapa & alteram maxillam verberanti præbeas; ut fratri in te peccanti non tantum (d) ſeptuagies ſepties, ſed & omnia omnino peccata dimittas; ut diligas inimicos tuos, ut pro adverſariis & perſecutoribus precem facias: (e) Poterisne iſta (f) perficere, niſi patientiæ & tolerantiæ firmitate? quod factum videmus (g) in Stephano, qui cum à Judæis vi & lapidibus necaretur, non ſibi vindictam, ſed interfectoribus veniam poſtulabat di- Act. 7. 60.
cens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum. Sic eſſe oportuit primum martyrem Chriſti, qui martyras ſecuturos glorioſa morte præcurrens, non tantum Dominicæ paſſionis (h) prædicator eſſet, ſed & patientiſſimæ lenitatis imitator. Quid dicam de ira, de diſcordia, de ſimultate, quæ in Chriſtiano eſſe non debent? ſit patientia in pectore & hæc illic locum habere non poſſunt: aut ſi adire tentaverint, cito excluſa diſcedunt, ut domicilium pacificum perſeveret in corde, ubi Deum pacis delectet habitare. Admonet denique Apoſtolus & (i) docet dicens: Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo Eph. 4. 30.
ſignati eſtis in (k) diem redemtionis. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia auferatur à vobis. Si enim Chriſtianus à furore & contentione carnali, tanquam de maris turbinibus exceſſit, & tranquillus ac lenis in portu Chriſti eſſe jam cœpit; nec iram, nec diſcordiam debet intra pectus admittere, cui nec malum pro malo reddere liceat, nec odiſſe. Nec non ad varia quoque carnis incommoda, & crebros corporis duroſque cruciatus, quibus humanum genus quotidie fatigatur & quatitur, patientia neceſſaria eſt. Nam cum in illa prima transgreſſione præcepti, firmitas corporis cum immortalitate diſceſſerit; & cum morte infirmitas venerit, nec poſſit firmitas recipi, niſi cum recepta & immortalitas fuerit: oportet in hac fragilitate atque infirmitate (l) corporea luctari ſemper & congredi, quæ luctatio & congreſſio non niſi patientiæ viribus poteſt ſuſtineri. Examinandis autem nobis atque (m) explorandis diverſi importantur dolores, & multiplex tentationum qualitas irrogatur, de jacturis facultatum, de ardoribus febrium, de cruciatibus vulnerum, de amiſſione carorum. Nec aliud (n) magis inter injuſtos diſcernit & (o) juſtos; quam quod in adverſis per impatientiam queritur & blaſphemat injuſtus, patientia (p) juſtus probatur, ſicut ſcriptum eſt: In dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & ar- Eccleſ. 2. 4.
gentum (q).

Pii omnes hoc examine probati.

Sic Job examinatus eſt & probatus, & ad ſummum faſtigium laudis patientiæ virtute provectus. Quanta adverſus eum diaboli jacula emiſſa? quanta admota tormenta? jactura rei familiaris infligitur; numeroſæ ſobolis orbitas irrogatur: dives in cenſu Dominus, & in liberis pater ditior; nec Dominus (r) repente, nec Pater eſt: accedit vulnerum vaſtitas, & tabeſcentes ac fluentes artus edax quoque 4 vermium pœna conſumit. Ac ne quid omnino remaneret, quod non Job in ſuis tentationibus experiretur, armat diabolus & uxorem; illo antiquo nequitiæ ſuæ uſus ingenio, quaſi omnes per mulierem deci-

(a) Guſtatam Euchariſtiam, *Bod.* 1. 2. *MR. Thu. Foſſ. Voſſ.* 1. 2. *Lam. Ebor.* & *omnes Imp. ante Pamel.* geſtam Euchariſtiam, *Lin.* (b) Æterna in regnis, *Ar. Lam. Ebor. NC. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. (c) Cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitatem, collætatur autem in veritate, *Lin.* (d) Septuaginta & ſeptem, *Bod.* 4. (e) Non poteris iſta, *Bod.* 1. 3. (f) Perferre, *Ar. Sariſ. Lam. Ebor. Foſſ.* (g) A Stephano, *Lam Ebor. Bod.* 2. (h) Meruit Prædicator eſſe, *Sariſ.* (i) Monet dicens, *Bod.* 1. admonet denique Apoſtolus Paulus, *Ver.* (k) Die redemtionis, *Sariſ. Bod.* 1. 2. *Vict.* (l) Corporis luctari ſemper, *Bod.* 3. 4. (m) Probandis diverſi importantur labores, *Ver.* (n) Magis juſtos diſcernit, *Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. (o) Juſti, *Voſſ.* 1. (p) Homines vero receptibiles in camino humiliationis, *Bod.* 1. (q) Factus repente, *Bod.* 3.

1 *Juſtitiæ dicata innocentia.*] Baptiſmalis nimirum.

2 *Nec poſt geſtatam Euchariſtiam.*] Lectionem Pamelii retinemus, paucorum licet codicum auctoritate fultam; revera enim melius reſpondet *manui*, cujus mentio hic habetur, *geſtata*, quam *guſtata Euchariſtia*. Et quidem non diſſimili loquendi genere uſus alibi eſt Cyprianus, in Ep. nimirum ad Thibaritanos. *Armemus*, inquit, *dextram gladio ſpirituali, ut ſacrificia funeſta fortiter reſpuat, & Euchariſtiæ memor, qua Domini corpus accepit.* Sic in lib. de Lapſis. *Quod non ſtatim Domini corpus iniquitatis manibus accipiat.* Inſuper conſtat ex libro prædicto; Panem euchariſticum fidelibus non tantum per ſacerdotem diſtributum; ſed ab iiſdem domum deportatum. Sed illa geſtatio, longe alia erat, à ſolenni quam ante quatuor ſecula inſtituit Urbanus IV. A. 1260. ob circumgeſtatam per urbes & compita Euchariſtiam.

3 *Caritas magnanima.*] Quæ hic habentur, non prorſus reſpondent lectioni l. 3. ad Quir. c. 3. vid. quæ illic dicta.

4 *Vermium pœna conſumit.*] In hanc mentem ſupra locutus eſt Auctor noſter in lib. de Mortalit. *Erumpentes beſtiolas* vocat Tertull. lib. de Patientia.

An. 255. decipere posset & fallere', quod fecit in mundi origine : nec tamen Job gravibus ac densis conflictationibus frangitur; quo minus inter illas anguſtias & preſſuras ſuas, Dei (a) benedictio victrice patientia prædicetur. Tobias quoque poſt juſtitiæ & miſericordiæ ſuæ opera magnifica, luminum amiſſione tentatus; In quantum patienter cæcitatem pertulit, in tantum granditer Deum patientiæ laude promeruit.

Patientiæ bona ex impatientiæ incommodis magis eluceſcunt.

Atque ut magis, fratres dilectiſſimi, patientiæ bonum luceat; (b) quid mali è contrario impatientia importet, conſideremus. Nam ut patientia bonum Chriſti eſt, ſic contra impatientia diaboli (c) malum: & ſicut in quo habitat, & manet Chriſtus, patiens invenitur; ita impatiens ſemper exiſtit, cujus mentem diaboli nequitia poſſidet.

Exordia impatientiæ ſpectanda ſunt; hac Diabolus cecidit; Adam, Cain, Eſau, Judæi periere.

Exordia denique ipſa videamus. Diabolus (d) hominem ad imaginem Dei factum impatienter tulit; inde & periit primus, & perdidit. Adam contra cœleſte præceptum ſibi lethalis impatiens, in mortem cecidit; nec acceptam divinitus gratiam patientia cuſtode ſervavit: & ut fratrem Cain perimeret, ſacrificii ejus & muneris impatiens fuit: Et quod Eſau de majoribus ad minora deſcendit, primatus ſuos per impatientiam (e) lentis amiſit. Quid? Judaicus populus circa beneficia divina perfidus & ingratus, nonne quod à Deo primum receſſit, impatientiæ crimen fuit? dum Moyſi cum (f) Deo conloquentis moras non poteſt ferre, profanos deos (g) auſus poſtulare; 1 ut itineris ſui (h) duces nuncuparet, caput bubulum, & terreſtre figmentum: nec unquam ab eadem impatientia deſtitit, quo minus ſemper docilitatis & divinæ admonitionis impatiens, prophetas ſuos & juſtos quoſque perimendo, ad crucem quoque & ſanguinem Domini proſiliret.

Impatientia in Eccleſia hæretici fiunt.

Impatientia (i) etiam & in Eccleſia hæreticos facit, & ad Judæorum ſimilitudinem contra Chriſti pacem & caritatem rebelles, ad hoſtilia & furioſa odia compellit. Et ne longum ſit ſingula recenſere, omnia omnino, quæ patientia operibus ſuis ædificat ad gloriam, impatientia deſtruit ad ruinam. Quare, fratres dilectiſſimi, & 2 bonis patientiæ, & impatientiæ malis diligenter expenſis, patientiam per quam in Chriſto manemus, (k) ut venire cum Chriſto ad Deum poſſimus, plena obſervatione teneamus; quæ copioſa & multiplex non anguſto fine concluditur, nec brevibus terminis coërcetur.

Latiſſime patet patientiæ virtus.

Late patet patientiæ virtus, & ubertas ejus & largitas de unius quidem nominis fonte proficiſcitur, ſed exundantibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur; nec proficere aliquid in actibus noſtris poteſt ad conſummandam laudem, niſi inde conſummationis accipiat (l) firmitatem. Patientia eſt, quæ nos Deo & commendat & ſervat: ipſa eſt, quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ mentem gubernat, pacem cuſtodit, diſciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam comprimit, incendium ſimultatis extinguit, coërcet potentiam divitum, inopiam pauperum refovet: tuetur in virginibus beatam integritatem, 3 in viduis laborioſam caſtitatem, in conjunctis & maritatis individuam caritatem: facit humiles in proſperis, (m) in adverſis fortes, contra injurias & contumelias mites: docet delinquentibus cito ignoſcere; ſi ipſe delinquas, diu & multum rogare: tentationes expugnat, perſecutiones tolerat, paſſiones & martyria conſummat. Ipſa eſt quæ fidei noſtræ fundamenta firmiter munit: ipſa eſt quæ incrementa ſpei (n) ſublimiter provehit: (o) ipſa actum dirigit, ut tenere poſſimus viam Chriſti, dum per ejus tolerantiam gradimur: ipſa efficit ut perſeveremus filii Dei, dum patientiam Patris imitamur.

Futurum judicium ad patientiam ſuadet.

Sed quoniam plurimos ſcio, fratres dilectiſſimi, vel pondere injuriam angentium, vel dolore, de iis qui adverſum ſe graſſantur & ſæviunt, vindicari velociter cupere, (a) nec

(a) Benedictionem victrice patientia prædicaret, *Voſſ.* 1. *Pem. Bod.* 4. *NC.* 2. (b) Et quid mali, *Sariſ.* (c) Malum eſt, *Bod.* 1. 4. (d) Deum ſuperiorem ſe & hominem ad, *Vict.* (e) Mentis, *Bod.* 1. 3. (f) Deo loquentis, *Ar. Bod.* 2. *Foſſ. Vict.* (g) Auſus eſt poſtulare, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (h) Duces diceret, *Ar.* (i) Etiam in Eccleſia, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (k) Et venire cum Chriſto ad Deum poſſumus, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (l) Firmamentum, *Lin. Pem.* (m) Et in adverſis fortes, *Bod.* 1. (n) Subtiliter provehit, *Ar.* (o) Ipſa agnitionem actuum, *Bæn. NC. Ebor. Lam. Bod.* 2.

1 *Ut itineris ſui Duces nuncuparet, caput bubulum, & terreſtre figmentum.*] Tertullianus adverſus Judæos cap. 1. ait *proceſſiſſe eis bubulum caput*, & quod *huic figmento univerſus Iſrael relicto Deo honorem dederunt, dicentes; hi ſunt Dei qui nos ejecerunt de terra Ægypti.* Ita autem verba hæc concepit Auctor noſter, ut non unum ſed multiplex Idolum ab Iſraelitis cultum referat. Et revera non temere & ex Hebræo ſolum idiomate LXX. interpretes plurali numero uſi ſunt dicentes οὗτοι οἱ θεοὶ σου Ισραηλ, & ποίησον ἡμῖν θεὺς οἳ προπορεύσονται ἡμῶν. Etenim ex prophetia Amos. c. 5. v. 26. (à D. Stephano laudata) conſtat, ab Iſraelitis non tantum conflatum vitulum aureum, ſed *tabernaculum Moloch*, & *imaginem Idolorum, Sydus Dei Rempham, figuras quas fecerunt.* A Pſalmiſta Pſ. 77. 64. dicuntur Iſraelitæ, hoc facinore *Deum ad æmulationem accendiſſe*: idque merito. Cultum ſcil. Deo opt. max. debitum, quique in Tabernaculo columna ignis & nube conſpicuus apparuit; Molocho ſive Soli tanquam præſentiori numini tribuebant, (& ipſius tabernaculum, thenſamve ſeptem conclavium, pro planetarum numero, referente R. Simeon. in Jalkut,) circumferebant. Inſuper cultum Jehovæ, ſive Deo ſummo; *qui eſt, erat, futurus eſt*, peculiare; Rephan ſive Saturno (ſic enim apud Ægyptios appellatur) temporis Deo, & planetarum ſummo, cujus emblema bos ſtellatus; (ob agriculturam cui præfuit, & ſydus ejus ἐπὶ μετώπου ἄχρυ, inquit Cyrillus) tranſtulerunt,

2 *Bonis patientiæ & impatientiæ malis.*] Eadem plane methodo utitur Tertull. in lib. de Patient.

3 *In viduis laborioſam caſtitatem.*] Simili formula Tertullianus de Virg. velandis, *continentiæ laboratioris* meminit. Et inter virgines & viduas comparationem inſtituens, dicit *Virginitatem gratia conſtare, continentiam* vero *virtute. Non concupiſcendi cui concupiſcendo inoleveris, grande certamen eſt. Cujus autem concupiſcendi ignoraveris fructum, facile non capiſces.*

1 *Sin-*

An. 255. (a) nec in illum extremi judicii diem malorum retributionem differre; nobiſcum, hortamur, interim amplectimini patientiæ bonum, ut in iſtis fluctuantis mundi turbinibus, Judæorum ſive gentilium & hæreticorum quoque perſecutionibus conſtituti, patienter expectemus ultionis diem, nec ad vindictam doloris noſtri querula & invidioſa feſtinatione properemus: cum ſcriptum ſit: Expecta me, dicit Dominus, in die (b) reſurrectionis meæ in teſtimonium, quoniam judicium meum ad congregationes gentium, ut excipiam reges, & effundam ſuper eos iram meam. Expectare nos jubet Dominus; (c) fratres dilectiſſimi, & futuræ ultionis diem forti patientia ſuſtinere: qui & in Apocalypſi loquitur dicens: Ne ſignaveris verba prophetiæ libri hujus, quia jam tempus in proximo eſt, ut & ii qui perſeverant nocere, noceant, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: juſtus autem adhuc juſtiora faciat, ſimiliter & qui (d) ſanctus eſt, ſanctiora. Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum facta ſua. Unde etiam clamantes martyres, & ad vindictam ſuam dolore erumpente properantes, expectare adhuc jubentur, & temporibus conſummandis, implendiſque martyribus præbere patientiam. Et cum aperuiſſet, inquit, (e) quintum ſigillum, vidi ſub ara Dei animas occiſorum propter verbum Dei, & martyrium ſuum, & clamaverunt voce magna dicentes: Quouſque Domine ſanctus & verus non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum, de iis qui in terris inhabitant? Et datæ ſunt eis 1 ſingulæ (f) ſtolæ albæ, & dictum eſt eis ut requieſcerent brevi adhuc tempore, donec impleatur numerus conſervorum & fratrum eorum, (g) qui poſtea occidentur exemplo ipſorum. Quando autem veniat ſanguinis juſti divina vindicta, declarat (h) per Malachiam prophetam Spiritus ſanctus dicens: Ecce dies Domini, venit ardens velut clibanus, eruntque omnes alienigenæ & omnes iniqui (i) ſtipula; & (k) ſuccendet illos adveniens dies, dicit Dominus. Quod item legimus in Pſalmis, ubi Dei judicis prædicatur adventus cenſuræ ſuæ majeſtate venerandus: Deus manifeſtus veniet, Deus noſter, & non ſilebit. Ignis ante eum ardebit, & in circuitu (l) ejus procella nimia, (m) advocabit cœlum ſurſum, & terram deorſum; ut ſeparet populum ſuum. Colligite illi juſtos ejus, eos qui diſponunt teſtamentum ejus in ſacrificiis: & (n) annunciabunt cœli juſtitiam ejus, quoniam Deus judex eſt. (o) Et Eſaias eadem prænunciat dicens: Ecce enim Dominus ſicut ignis veniet, & ſicut procella currus ejus, retribuere in ira vindictam: in 2 igne enim Domini judicabuntur, & in gladio ejus vulnerabuntur: Et iterum: Dominus Deus virtutum prodibit & comminuet bellum, (p) excitabit certamen, & clamabit ſuper inimicos ſuos cum fortitudine, Tacui, numquid ſemper tacebo? Quis autem eſt hic qui tacuiſſe ſe prius dicit: & non ſemper tacebit? utique ille qui ſicut ovis ad victimam ductus eſt, & ſicut agnus (q) coram tondente ſe, ſine voce, (r) non aperuit os ſuum: utique ille qui non clamavit; neque in plateis vox ejus audita eſt: utique ille qui non fuit contumax, neque contradixit, cum dorſum ſuum poneret ad flagella, & maxillas ad palmas; faciem autem ſuam non avertit à fœditate ſputorum; utique ille, qui cum accuſaretur à ſacerdotibus & ſenioribus, nihil reſpondit; & admirante Pilato (s) patientiſſimum ſilentium tenuit. (t) Hic eſt qui cum (u) in paſſione tacuerit; in ultione poſtmodum non tacebit. Hic eſt Deus noſter, id eſt, non omnium, ſed fidelium & credentium Deus, qui cum in ſecundo adventu (w) manifeſtus venerit non ſilebit: nam cum in humilitate prius fuerit occultus, veniet in poteſtate manifeſtus.

Sophon. 3. 8.

Apo. 22. 10.

6. 9.

Mal. 4. 3.

Pſ. 49. 3.

If. 66. 15.

42. 13.

53. 7.

42. 2.

50. 5.

Qui ad vindictam properat conſideret Deum ipſum inultum permanere.

Hunc expectemus, fratres dilectiſſimi, judicem & vindicem noſtrum; Eccleſiæ ſuæ populum, & ab initio mundi (x) juſtorum omnium numerum ſecum pariter vindicaturum. Qui ad (y) vindictam ſuam nimium feſtinat & properat, conſideret, quia necdum vindicatus eſt ipſe, qui vindicat. Pater Deus præcepit filium ſuum adorari: & Apoſtolus Paulus, divini præcepti memor, ponit & dicit: Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen (z) quod eſt ſuper omne nomen; ut in nomine Jeſu (aa) omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & in Apocalypſi angelus Joanni volenti adorare ſe (bb) reſiſtit & dicit: Vide ne feceris, quia conſervus tuus ſum & fratrum tuorum, Jeſum

Phil. 2. 9.

Apo. 22. 9.

(a) Nec illud in extrema parte reticendum eſt ut in iſtis, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Ben. Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Foſſ.* (b) Retributionis meæ, *Bod.* 3. (c) *Sic*, *Lam. Ebor. Pem. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ver.* Dominus &, *Imp.* (d) Sanctus ſanctiora, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver. Man.* (e) Quintum ſignum, *Lam. Ebor. Sariſ. Bod.* 2. 3. 4. *Ver. Thu.* (f) Data eſt ſingulis ſtola alba, *Thu.* Ut ſuſtinerent, *Bod.* 1. (g) Quinque poſtea, *Lam. Pem. Lin. Ebor. Sariſ. NC.* 1. *Voſſ.* 1. 2. *Thu. Foſſ. Vict.* Occiderentur, *Pem.* (h) Malachiam ſpiritus, *Ver.* (i) Sicut ſtipula, *Pem. Voſſ.* 1. ut, *Bod.* 1. (k) Accendit, *Bod.* 1. (l) Ejus tempeſtas, *Bod.* 3. valida, *Pem. Bod.* 3. (m) Vocabit, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ar. Lam. Ver.* (n) Nunciabunt, *Sariſ. Bod.* 1, 2, 3, 4. (o) Nam & Eſaias, *Bod.* 1. *Foſſ.* (p) Concitabit certamen, *Voſſ.* 2. *Pem.* (q) Coram tondente, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.* (r) Sic non aperuit. *Lam. Ebor.* (s) Patientiſſimus ſilentium, *NC.* 2. (t) Hic qui, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (u) In paſſione prius, *Ver.* (w) Manifeſtius, *Lin.* (x) Juſtos omnes, *Voſſ.* 1. (y) Vindictam ſui, *Bod.* 1. (z) Ut ſit ſuper omne nomen, *Ar. Lam. Ebor. Ver.* (aa) Omnes genu curvent, *NC.* 1. *Lam. Ebor. Bod.* 1. *Ver.* (bb) Reſtitit, *Lam. Ebor. Voſſ.* 1. *NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 3.

1 *Singulæ ſtolæ albæ.*] Codices MSS. non pauci legunt ἐδόθη αὐτοῖς ἑκάστῳ στολὴ λευκή. Deinceps in Græco textu ſolum occurrit πληρώσονται, quodque hic de numero habetur, interpretamenti loco apponitur.

2 *Igne enim Domini.*] LXX. legunt, ἀποσκορακισμὸν ἐν φλογὶ πυρὸς. ἐν γὰρ πυρὶ κυρίῳ κριθήσεται πᾶσα ἡ γῆ, καὶ ἐν τῇ ῥομφαίᾳ αὐτοῦ πᾶσα σάρξ.

1 *Do-*

An. 255. Jeſum 1 Dominum (a) adora. Qualis Dominus Jeſus, & quanta patientia ejus, ut qui in cælis adoratur, necdum vindicetur in terris? Hujus patientiam, fratres dilectiſſimi, in perſecutionibus & paſſionibus noſtris cogitemus. Hujus adventui plenum expectationis obſequium præbeamus. Nec defendi ante Dominum ſervi irreligioſa & (b) inverecunda feſtinatione properemus. (c) Inſiſtamus potius & (d) elaboremus, & toto corde (e) vigilantes, atque ad omnem tolerantiam ſtabiles, Dominica præcepta ſervemus; ut cum ille iræ & vindictæ dies venerit, non cum impiis & peccatoribus puniamur, ſed cum juſtis & Deum timentibus (f) honoremur.

(a) Adora. Hujus, *Ar. Lin. Pem. Voſſ.* 2. (b) Perdita feſtinatione, *Sariſ.* (c) Inſiſtamus autem, *Sariſ.* (d) Laboremus, *Lam. Ebor. Ver.* (e) Vigilantes ad Deum, *Bod.* 3. (f) Coronemur, *Vict.*

1 *Dominum adora.*] Legiſſe videtur Cyprianus non τὸν θεὸν προσκύνησον, ſed τὸν κυρίον.

D. CÆCILII CYPRIANI
DE
ZELO ET LIVORE.

An. 256.
Invidia hoc ipso gravius malum est, quod leve videtur.

ZElare quod (a) bonum videas; & invidere melioribus, leve apud quosdam & modicum crimen videtur, fratres dilectissimi: dumque existimatur leve esse & modicum, non timetur; dum non timetur, contemnitur; dum contemnitur, non facile vitatur, & fit cœca & occulta pernicies: quæ dum minus perspicitur ut caveri à (b) providentibus possit, improvidas mentes latenter affligit. Porro autem Dominus prudentes esse nos jussit, & cauta sollicitudine vigilare præcepit; ne adversarius vigilans (c) semper, & semper insidians ubi in pectus (d) obrepserit, de scintillis conflet incendia, de parvis maxima exaggeret; & dum remissis & incautis leniore aura & flatu molliore blanditur, procellis ac turbinibus excitatis, ruinas fidei & salutis, ac vitæ naufragia moliatur. Excubandum est itaque, fratres dilectissimi, atque omnibus viribus elaborandum, ut inimico sævienti, & jacula sua in omnes corporis (e) partes, quibus percuti & vulnerari possumus dirigenti; sollicita, & plena vigilantia repugnemus, secundum quod Petrus Apostolus in epistola sua præmonet & docet; dicens: Sobrii estote & vigilate, quia adversarius vester diabolus tanquam leo rugiens [2] circuit, (f) aliquem devorare quærens. Circuit ille nos singulos, & tanquam hostis, clausos obsidens, muros explorat, & tentat an sit pars aliqua membrorum minus stabilis, & minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis (g) formas illices, & faciles (h) voluptates, ut visu destruat castitatem. Aures (i) per canoram musicam tentat, ut soni dulcioris auditu solvat, & molliat Christianum vigorem. Linguam convicio provocat, manum injuriis lacessentibus ad petulantiam cædis instigat: ut fraudatorem faciat, lucra opponit injusta: ut animam pecunia (k) capiat, ingerit pernicioſa compendia: honores terrenos promittit, ut cœlestes adimat: ostentat falsa, ut vera subripiat: & cum latenter non potest fallere, exerte (l) atque aperte minatur, terrorem turbidæ persecutionis intentans, ad debellandos Dei servos inquietus semper, & semper infestus: in pace subdolus, in persecutione violentus. Mat. 10. 16. Mat. 24. 42. 1 Pet. 5. 8

Zelus & livor, tanquam ipse Diabolus fugiendi.

Quamobrem, fratres dilectissimi, contra omnes diaboli vel fallaces insidias, vel apertas minas stare debet instructus animus & armatus; (m) tam paratus semper ad repugnandum, quam est ad impugnandum semper paratus inimicus. Et quoniam frequentiora sunt tela ejus, quæ latenter obrepunt, magisque occulta & clandestina jaculatio; quo minus perspicitur, hoc & gravius & crebrius in vulnera nostra grassatur: ad hæc quoque intelligenda & depellenda vigilemus; ex quibus est zeli & livoris malum. Quod si quis penitus inspiciat, inveniet nihil magis Christiano cavendum, nihil cautius providendum, quam ne quis invidia & livore capiatur; (n) ne quis fallentis inimici cæcis laqueis implicatus, dum zelo frater in fratris odia convertitur, gladio suo nescius ipse perimatur; quod ut colligere plenius & manifestius perspicere possimus, ad caput ejus atque originem recurramus.

Ad originem zeli recurritur.

Videamus unde zelus, & quando, & quo modo cœperit; facilius enim à nobis malum tam perniciosum vitabitur, si ejusdem mali & origo & magnitudo noscatur. Hinc Diabolus inter initia statim mundi & perit primus, & perdidit. (o) Ille dudum angelica majestate subnixus, ille Deo acceptus & carus, postquam hominem ad imaginem Dei factum conspexit, in zelum malevolo livore prorupit, non prius alterum dejiciens instinctu zeli, quam [3] ipse zelo ante dejectus; captivus antequam capiens; perditus, ante-

(a) Bonos, *Lin.* (b) A prævidentibus, *Voss* 1. Prudentibus, *Pem. Voss.* 2. (c) Semper ipse, *Ben. Voss.* 2. (d) Latenter obrepit, *Pem. Voss.* 2. obrepsit, *Ar. Bod.* 2. 4. *Ver. Thu. Foss.* obrepent, *Vict.* (e) Partes mittenti, *Bod.* 3. (f) Aliquid devorare, *Bod.* 1. 2. *Ver. Thu.* (g) Formas muliebres, *Bod.* 3. (h) Voluntates, *Lam. Ebor. Voss.* 1. 2. *NC.* 1. *Pem. Bod.* 2. 4 *Vict. Voss.* (i) Canora musica, *Ben. Thu. Foss.* (k) Capiat, ostendit, *Bod.* 1. (l) Atque manifeste, *Bod.* 1. (m) Sit tam paratus, *Pem. Voss.* 2. (n) Ne quis inimici, *Pem. Voss.* 1. (o) Ille angelica, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Voss.* 1. 2. potestate subnixus, *Bod.* 3.

1 *De zelo & livore.*] Liber iste, ejusdem fere argumenti cum præcedente, ex eadem occasione etiam scriptus videtur. Sed cum in epistola ad Jubaianum; tractatus de Patientia, non autem hujus de zelo & livore meminerit Cyprianus; par est credere, tempore scriptionis istius Epistolæ, alterum duorum tractatuum solummodo fuisse elucubratum. Proinde Auctorem nostrum hunc non ante annum proxime sequentem, nimirum 256 edidisse. Ulterius autem illud opus minime dilatum, exinde suadetur; quod statim persecutio ingrueret, quæ publica clade privatas simultates, quemadmodum ruinæ solent incendia, extingueret: quæque etiam Cyprianum ipsum perculit, & Curubas amandavit. Libellum hunc Pontius evidenter designat, quando ait. *Quis Livorem de venenata invidiæ malignitate venientem, dulcedine remedii salutaris inhiberet?* Ejusdem meminit Hieron. in Comment. in Epist. ad Galat. c. 5. ubi appellat *Librum de Zelo & Livore valde optimum*, (hoc addito elogio) *quem qui legerit, non dubitabit annumerare operibus carnis invidiam.* Pariter laudat Augustin. l. 4. c. 8. 9. 11. De Baptism. cont. Donatistas. & etiam l. 5. c. 14. Citat etiam Beda nostras in 1 Epist. D. Petri. c. ult.

2 *Circuit, aliquem devorare quærens.*] In sacro textu est περιπατεῖ, plurimi codices MSS habent περιέρχεται. Ita Israelitæ urbem Hierecuntem circumambulando destruebant. In libro Job, dicitur Diabolus orbem pererrare; hic *nos singulos circuire* perhibetur: ita intentus in uniuscujusque, ut in omnium perniciem.

3 *Ipse zelo ante dejectus.*] Sunt qui superbiæ potius quam invidiæ, Angelorum lapsum imputant; sed adeo individuo nexu vitia ista cohærent; ut seorsim consistere neutrum possit: imo alterum alteri parens simul sit & proles.

An. 256. antequam perdens; (a) dum ſtimulante livore homini gratiam datæ immortalitatis (b) eripit, ipſe quoque id, quod prius fuerat, amiſit. Quale malum eſt, fratres dilectiſſimi, quo Angelus cecidit; quo circumveniri & ſubverti alta illa & præclara ſublimitas potuit; quo deceptus eſt ipſe qui decepit? Exinde invidia graſſatur in terris, dum livore periturus, magiſtro perditionis obſequitur: dum diabolum, qui zelat imitatur. Sicut ſcriptum eſt: Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum qui ſunt ex parte ejus. Hinc denique novæ fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda cœperunt, dum Abel juſtum Cain zelat injuſtus, dum bonum malus invidia & livore perſequitur. Tantum valuit ad conſummationem facinoris æmulationis furor; ut nec caritas fratris, nec ſceleris immanitas, nec timor Dei, nec pœna delicti cogitaretur. Injuſte oppreſſus eſt, qui juſtitiam primus oſtenderat: odia perpeſſus eſt, qui odiſſe non noverat: occiſus eſt impie, qui moriens non repugnabat. Et quod Eſau fratri ſuo Jacob inimicus extitit, zelus fuit. Nam quia ille benedictionem patris acceperat, hic in odium perſecutionis facibus livoris exarſit. Et quod Joſeph fratres ſui vendiderunt, cauſa vendendi de æmulatione deſcendit; poſtquam id quod ſibi in viſionibus proſperum fuerat oſtenſum, ſimpliciter ut fratribus frater expoſuit, in invidiam malevolus animus erupit. Saul quoque Rex ut David odiſſet, ut perſecutionibus ſæpe repetitis innocentem, miſericordem, miti lenitate patientem necare cuperet, quid aliud quam zeli ſtimulus provocavit? quia Goliad interfecto, & ope ac dignatione divina tanto (d) hoſte deleto, populus admirans in laudes David (e) prædicationis ſuffragio proſiliit: (f) Saul ſimultatis atque inſectationis furias de livore concepit. Et ne longum faciam ſingulos (g) accenſendo, pereuntis (h) ſemel populi attendamus interitum. Judæi nonne inde perierunt, dum Chriſto malunt invidere quam credere? Obtrectantes magnalibus quæ ille faciebat, zelo excæcante decepti ſunt, nec ad divina noſcenda cordis oculos aperire potuerunt.

Sap. 2. 24.

Gen. 4. 8.

Gen. 27. 41.

Gen. 37. 18.

1 Reg. 18. 5.

Mat. 12. 24.

Eorum exemplis qui per zelum pervierunt, oportet ut nos muniamus. Neque enim unum ſed multiplex malum eſt.

(i) Quæ nunc conſiderantes, fratres dilectiſſimi, contra tantam mali perniciem vigilanter & fortiter dicata Deo pectora muniamus. Aliorum mors proficiat ad noſtram ſalutem; imprudentium pœna providentibus conferat ſanitatem. Non eſt autem quod aliquis exiſtimet malum iſtud una ſpecie contineri, aut brevibus terminis, & anguſto fine concludi. Late patet zeli multiplex & fœcunda pernicies. (k) Radix eſt malorum omnium, fons cladium, ſeminarium delictorum, materia culparum. Inde odium ſurgit, animoſitas inde procedit. Avaritiam zelus inflammat; dum quis ſuo non poteſt eſſe contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus (l) auctiorem: zelo excæcante ſenſus noſtros, atque in ditionem ſuam mentis arcana redigente, Dei timor ſpernitur, magiſterium Chriſti negligitur, judicii dies non providetur. Inflat ſuperbia, exacerbat ſævitia, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit diſcordia, ira ferveſcit; nec ſe jam poteſt cohibere, vel regere, qui factus eſt poteſtatis alienæ. Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc caritas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas ſcinditur, ad hæreſes atque ad ſchiſmata proſilitur; dum obtrectatur ſacerdotibus, dum Epiſcopis invidetur, cum quis aut queritur non ſe (m) potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpoſitum. Hinc recalcitrat, hinc rebellat de zelo ſuperbus, de æmulatione perverſus; animoſitate & livore, non hominis, ſed honoris inimicus.

Nihil invido injuſtius, nihil juſtius invidia; quæ certiſſimas pœnas malevolo repoſcit.

(n) Qualis vero animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo? zelare in altero vel virtutem ejus, vel felicitatem, id eſt, odiſſe in eo vel merita propria, vel beneficia divina; in malum proprium bona aliena convertere, illuſtrium proſperitate torqueri, aliorum gloriam facere ſuam pœnam; velut quoſdam pectori ſuo admovere carnifices, cogitationibus & ſenſibus ſuis adhibere tortores, qui ſe inteſtinis cruciatibus lacerent, qui cordis ſecreta malevolentiæ ungulis pulſent: non cibus talibus lætus, non potus poteſt eſſe jucundus; ſuſpiratur ſemper, & ingemiſcitur, & doletur: dumque ab invidis nunquam 1 livor exponitur, diebus ac noctibus pectus obſeſſum ſine intermiſſione laniatur. Mala cetera habent (o) terminum; & quodcunque delinquitur, delicti conſummatione finitur. In adultero ceſſat facinus perpetrato ſtupro; in latrone conquieſcit ſcelus homicidio admiſſo; & (p) prædoni 2 rapacitatem ſtatuit præda poſſeſſa; & falſario modum ponit impleta fallacia; zelus terminum non habet, permanens jugiter malum & ſine fine peccatum, quantoque ille cui invidetur ſucceſſu meliore profecerit, tanto invidus in majus incendium livoris ignibus inardeſcit. Hinc vultus minax, torvus aſpectus, pallor in facie, in labiis tremor, ſtridor in dentibus, verba rabida, effrenata convicia, manus ad cædis violentiam promta; etiam ſi à gladio interim vacua, odio tamen (q) furiatæ mentis armata: & iccirco Spiritus ſanctus

(a) Et dum ſtimulante, *NC.* 1. *Lam. Ebor. Bod.* 2. (b) *Sic*, *Lam. Ebor. Lin. Voſſ.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. eripit, qui quoque, *Imp.* (c) Per ſpiritum, *Ar.* (d) Hoſte dejecto, *Pem. Voſſ.* 2. (e) Prædicationis officio, *Bod.* 1. (f) Saul Rex, *Pem. Voſſ.* 2. (g) Recenſendo, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Voſſ.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. (h) Simul populi, *Pem. Ebor.* (i) Quæ nos conſiderantes, *Thu. Foſſ. NC.* 2. (k) Radix eſt enim, *Lin. Pem. Voſſ.* 2. *Bod.* 3. 4. (l) Altiorem, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. 3. (m) Potius honoratum, *Bod.* 3. (n) Qualis vero eſt, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3, 4. (o) Terminum ſuum, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (p) Prædonis rapacitatem, *Ar. Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Vict.* ſatiat, *Vat.* (q) Furioſæ mentis *Pem. Voſſ.* 2.

1 *Livor exponitur.*] E medio tollitur, ex idiomate Auctoris, de quo ſupra monuimus in lib. ad Donat.

2 *Rapacitatem ſtatuit.*] Conſiſtere facit; cohibet, ita ſupra ficcitas dicitur flumina ſtatuere.

1 *Vide-*

An. 256. ſanctus dicit in Pſalmis: (a) Noli zelare bene ambulantem in via ſua. Et iterum: Obſervabit peccator juſtum, & (b) ſtridebit ad eum (c) dentibus ſuis. Deus autem irridebit eum; quoniam providet quia (d) veniet dies ejus. Hos beatus Apoſtolus Paulus deſignat & denotat dicens: Venenum aſpidum ſub labiis eorum, & os eorum (e) maledictione & amaritudine plenum eſt. (f) Veloces ad effundendum ſanguinem pedes eorum: (g) contritio & calamitas in viis eorum, (h) qui viam pacis non agnoverunt, nec eſt timor Dei ante oculos eorum. Multo malum levius, & periculum minus eſt, cum membra gladio vulnerantur. Facilis cura eſt, ubi plaga perſpicua eſt; & cito ad ſanitatem medela ſubveniente (i) perducitur vulnus, quod videtur: zeli vulnera abſtruſa ſunt & occulta, nec remedium curæ medentis admittunt, quæ ſe intra conſcientiæ latebras cæco dolore clauſerunt. Quicunque es invidus & malignus; 1 videris quam ſis eis quos odiſti inſidioſus, pernicioſus, infeſtus: nullius magis quam tuæ ſalutis inimicus es. Quiſquis ille eſt quem zelo perſequeris, ſubterfugere & vitare te poterit: tu te non (k) potes fugere: ubicunque fueris, adverſarius tuus tecum eſt, hoſtis ſemper (l) in pectore tuo eſt, pernicies intus incluſa eſt, ineluctabili catenarum nexu ligatus & vinctus es, zelo dominante captivus es, nec ſolatia tibi ulla ſubveniunt. Perſeverans malum eſt, hominem perſequi ad Dei gratiam pertinentem: calamitas ſine remedio eſt, odiſſe felicem, Pſ. 36. 7. 12. Rom. 3. 13.

Ut æmulationem omnem amputaret Dominus, illum maximum fore ſpondet qui minimus eſt.

Et iccirco, fratres dilectiſſimi, huic periculo conſulens Dominus, ne quis zelo fratris in laqueum mortis incurreret; cum eum diſcipuli interrogarent (m) quis inter illos major eſſet: Qui fuerit, inquit, minimus in omnibus vobis, hic erit magnus. Amputavit omnem æmulationem reſponſo ſuo, omnem cauſam & materiam mordacis invidiæ eruit & abſcidit. (n) Diſcipulo Chriſti zelare (o) non licet, non licet invidere. Exaltationis apud nos non poteſt eſſe contentio, de humilitate ad ſumma (p) creſcimus, didicimus unde placeamus. Denique & Apoſtolus Paulus inſtruens & monens, ut qui illuminati Chriſti lumine, tenebras nocturnæ converſationis evaſimus; in factis atque in operibus luminis ambulemus; ſcribit & dicit: Nox tranſivit, dies autem appropinquavit; abjiciamus ergo opera tenebrarum, & (q) induamus arma lucis, tanquam in die (r) decenter ambulemus: non in comeſſationibus & ebrietatibus; non in concupiſcentiis & impudicitiis; non in certaminibus & zelo. Si receſſerunt de pectore tuo tenebræ; ſi nox inde diſcuſſa eſt; ſi caligo deterſa eſt; ſi illuminavit ſenſus tuos ſplendor diei; ſi homo lucis eſſe cœpiſti: quæ ſunt Chriſti gere; quia (s) lux & dies Chriſtus eſt. Quid in zeli tenebras ruis? quid te nubilo livoris involvis? quid invidiæ cæcitate, omne pacis & caritatis lumen extinguis? quid ad Diabolum, cui renunciaveras, redis? quid Cain ſimilis exiſtis? Homicidii namque facinore conſtringi eum quiſquis zelaverit, & odio habuerit fratrem ſuum, declarat Joannes Apoſtolus, in Epiſtola ſua dicens: Qui fratrem ſuum odit, homicida eſt: & ſcitis quia omnis homicida non habet in ſe vitam manentem: Et iterum: Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc, & in tenebris ambulat, & non ſcit quo eat: quoniam tenebræ excæcaverunt oculos ejus. Qui odit, inquit, fratrem ſuum, in tenebris ambulat, & (t) non ſcit quo eat: it enim neſcius in gehennam, ignarus & cæcus præcipitatur in pœnam; recedens ſcilicet à Chriſti lumine monentis & dicentis: Ego ſum lumen mundi: qui me ſecutus fuerit, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Sequitur autem Chriſtum, qui præceptis ejus inſiſtit, qui per magiſterii ejus viam graditur, qui veſtigia ejus atque itinera ſectatur, qui id quod Chriſtus & fecit & docuit, imitatur: ſecundum quod (u) Petrus quoque hortatur & monet dicens: 2 Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens vobis exemplum ut ſequamini veſtigia ejus. Rom. 13. 12. 1 Jo. 3. 15. 1 Jo. 2. 9. 11. Jo. 8. 12. 1 Pet. 2. 21.

Non temere diſcipulos ſuos Oves appellabat Dominus.

Meminiſſe debemus quo vocabulo plebem ſuam Chriſtus appellet, quo titulo gregem ſuum nuncupet: oves nominat, ut innocentia Chriſtiana ovibus æquetur: agnos vocat, ut agnorum naturam ſimplicem ſimplicitas mentis imitetur. Quid ſub veſtitu ovium lupus latitat? quid gregem Chriſti, qui ſe Chriſtianum mentitur, infamat? Chriſti nomen induere, & non per Chriſti viam pergere; quid aliud quam prævaricatio eſt divini nominis, quam deſertio itineris ſalutaris? quando ipſe doceat & dicat eum ad vitam venire, qui (w) mandata ſervaverit; & eum eſſe ſapientem, qui verba ejus audierit & fecerit: 3 doctorem quoque eum maximum in regno cœlorum vocari, qui fecerit & ſic docuerit: tunc prædicanti profuturum quod bene atque utiliter prædicatum fuerit, ſi id quod ore promitur, factis ſequentibus impleatur. Quid vero inſinuavit crebrius diſcipulis ſuis Dominus, quid inter ſalutaria monita & præcepta cœleſtia cuſtodiendum magis ſervandumque mandavit; quam, ut eadem dilectione qua Jo. 21. 17. Mat. 5. 19.

(a) Noli te zelare, *Bod.* 4. (b) Stridet, *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu. Ver.* (c) Dentes, *Bod.* 1, 2, 3. 4. *Ben.* (d) Venient dies, *Bod.* 4. venit, *Bod.* 3. (e) Maledicto, *Bod.* 2. 4. *Ver. Thu.* (f) Et veloces, *Bod.* 3. (g) Contribulatio, *Ar. NC.* 1. *Voſſ.* 2. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver.* infelicitas, *Bod.* 3. (h) Quia viam, *Bod.* 1. (i) Perducitur quod videtur, *Ar. Lam, Ebor. Thu. Foß. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. (k) Potes vitare nec fugere, *Ar Voſſ.* 2. fugere, ubicunque fugeres, *Foſſ.* (l) In pectore eſt, *Lam. Ebor. Thu. Bod.* 1. 2. (m) Quis eorum, *Lin.* (n) Diſcipulum Chriſti, *Lam. Lin. Bod.* 2. (o) Non decet, *Bod.* 2. (p) Creſcimus unde placeamus, *Pem. Voſſ.* 2. (q) Induamur, *Ver. Vet. innom.* (r) Honeſte, *Lin.* (t) Et lux & dies, *Bod.* 1. (s) Neſcit quo eat, *Bod.* 2. (t) Petrus Apoſtolus, *Bod.* 3. (u) Paſſus eſt pro vobis, *Lam. Bod.* 1. 2. *Thu. Foſſ. vid. l.* 3. *ad Quir. c.* 39. (w) Mandata ejus, *Ver. Bod.* 2.

1 *Videris quam ſis.*] Conſideres, reputes. De hac Cypriani phraſi egimus in lib. ad Donat.

2 *Chriſtus paſſus eſt.*] Locus hic ſæpius affertur.

3 *Doctorem quoque eum maximum.*] Sacer textus ſolum modo habet μέγας κληθήσεται. Illi vero quibus cœleſtis regni politia magis quam domus ſua nota videtur; peculiarem Aureolam Doctoribus aſſignant, ita ut etiam in cœlis doctoratus gradus ſit capeſſendus, vid. Dan. 12. 3.

An. 256. qua discipulos ipse dilexit, (a) nos quoque invicem diligamus? Quo modo autem vel pacem Domini, vel caritatem tenet, qui intercedente zelo nec pacificus potest esse, 1 nec carus? Ideo & Apostolus Paulus cum pacis & caritatis merita depromeret, cumque asseveraret firmiter & doceret nec fidem sibi, nec eleemosynas, nec passionem quoque ipsam (b) confessionis & martyrii profuturam, nisi caritatis fœdera integra atque inviolata servasset; adjecit & dixit: Caritas magnanima est, caritas benigna est, caritas non zelat. Docens scilicet & ostendens cum posse caritatem tenere quisquis 2 magnanimus fuerit & benignus, & zeli ac livoris alienus. Item alio loco cum moneret, ut homo jam Sancto spiritu plenus, & nativitate cœlesti Dei filius factus, non nisi spiritalia & divina sectetur, ponit & dicit: Et ego quidem, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, quasi infantibus in Christo, (c) Lac vobis potum dedi, non cibum: nondum enim poteratis, sed neque nunc (d) potestis, adhuc enim estis carnales: ubi (e) enim in vobis zelus & contentio & dissensiones sunt, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? 1 Cor. 13. 4. 1 Cor. 3. 1.

Zelus & livor, ceu certissima opera curus, obtorendi & conculcandi.

Obterenda sunt, fratres dilectissimi, vitia & peccata carnalia, & terreni corporis infesta labes spiritali vigore calcanda: ne dum iterum ad veteris hominis conversationem revolvimur, letalibus laqueis implicemur, Apostolo hoc idem (f) providenter & salubriter præmonente: Itaque, inquit, fratres, non secundum carnem vivamus, si enim secundum carnem (g) vixeritis, 3 incipietis mori; si autem spiritu opera carnis (h) mortificaveritis, vivetis: quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii Dei sunt. Si filii Dei sumus, si templa ejus esse jam cœpimus, si accepto Spiritu sancto, sancte & spiritaliter vivimus, si de terris oculos ad cœlum sustulimus, si ad superna & divina plenum Deo & Christo pectus ereximus: non nisi quæ sunt Deo & Christo digna faciamus: sicut & Apostolus excitat & hortatur: Si (i) consurrexistis, inquit, cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, (k) non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Qui ergo in baptismo secundum hominis antiqui peccata carnalia, (l) & mortui & sepulti sumus, qui regeneratione cœlesti Christo consurreximus; quæ sunt Christi & cogitemus pariter & geramus: sicut idem Apostolus docet rursus & monet, dicens: Primus homo de terræ limo, secundus homo de cœlo: qualis ille de limo, tales & qui de limo: & qualis cœlestis, tales & cœlestes. Quomodo portavimus imaginem ejus qui de limo est, 4 portemus & imaginem ejus qui de cœlo est. Imaginem autem cœlestem portare non possumus, nisi in eo quod esse nunc (m) cœpimus, Christi similitudinem præbeamus: hoc est enim mutasse quod fueras, & cœpisse esse quod non eras, ut in te divina nativitas luceat, ut ad patrem Deum deifica disciplina respondeat, ut honore & laude vivendi Deus in homine claresçat; ipso exhortante & monente, & eis qui se clarificant, vicem mutuam pollicente: Eos, inquit, qui clarificant me, clarificabo; & qui spernit me, spernetur. Ad quam (n) clarificationem formans nos ac præparans Dominus, & filiis Dei similitudinem Dei patris insinuans, in Evangelio suo dicit: Audistis quia dictum est: Diliges (o) proximum tibi, (p) & odio habebis inimicum tibi. Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & orate pro his qui vos persequuntur, ut sitis (q) filii patris vestri qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos. Si hominibus lætum est & glorioſum, filios habere consimiles; & tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus 5 soboles (r) subsiciva respondeat: quanto major in Deo patre lætitia est, cum quis sic spiritaliter nascitur, ut in actibus ejus & laudibus divina (s) generositas prædicetur? Quæ justitiæ palma est, quæ corona, (t) esse te talem, de quo Deus non dicat: Filios (u) genui & exaltavi, ipsi autem spreverunt (w) me; sed collaudet te potius Christus, & invitet ad præmium dicens: Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi? 1 Reg. 2. 30. Isa. 1. 2. Mat. 5. 43. Mat. 25. 34.

His

(a) Nos invicem, *Ar. Bod.* 2 *Thu. Foss.* (b) Confessoris aut martyris, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu.* (c) Lacte vos potavi non cibo, *Ar. Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Thu.* lacte vos cibavi, *Bod.* 1. escam, *l.* 3. *ad Quir. c.* 3 (d) Potestis cibum ferre, *Voss.* 1. (e) Etenim inter vos, *NC.* 1. *Lam. Bod.* 2. (f) Providente, *Ar. Bod.* 2. (g) Vivitis, *Bod.* 3. 4. *Voss.* 1. *Ver. Ben.* moriemini, *Bod.* 3. *Voss.* 1. (h) Mortificatis, *Ver.* (i) Consurrexistis inquit Christo, *Ver.* conresurreximus, *Thu.* (k) Non quæ terrena, *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ver. Ben.* (l) Emortui, *Ar.* (m) Cœpimus perseveremus, *Voss.* 1. (n) Clarificationem conformans, *Voss.* 1. (o) Proximum tuum, *Ar.* (p) Et odies, *Pem. Voss.* 1 *Bod.* 1. 3. (q) Similes patri, *Ar. Lin. NC.* 2 *Bod.* 1. 3. 4. patri vestro, *Thu.* (r) Succiliva, *Bod.* 3. succidiva, *Vict.* (s) Generatio, *Ar. Bod.* 2. (t) Esse talem, *Ar. Bod.* 2. (u) Generavi, *Bod.* 1. 3. 4. (w) Me; collaudet te potius, *Ar. Bod.* 1, 2, 3, 4.

1 *Nec carus.*] Caritatis cultor, benignus & amicus.

2 *Magnanimus fuerit.*] Longanimis. De hac phrasi Cypriani Vid. quæ dicta l. 3. ad Quir. c. 1.

3 *Incipietis mori.*] Μέλλετε ἀποθνήσκειν.

4 *Portemus & imaginem.*] De hac lectione sæpius monuimus.

5 *Soboles subsiciva.*] Legendum suadet Rigaltius *successiva*; sed codicum suffragiis destitutus. Ego lectioni receptæ adhærendum censeo; ut ex vulgari loquendi formula, filii quasi ex parentum stirpe surculi abscissi habeantur, qui arboris ingenio respondent. Sic Rom. 11. Apostolus Judæos bonæ olivæ germen, Gentes oleastri compellat. Et Isaias pariter c. 5. Israëlitas vitis generosæ stoloni comparat, qui pro uvis fecerat labruscas. Epistola ad Euchratium de histrione, simili fere modo dicit Auctor noster. *Non potest videri cessasse, qui vicarios substituit, & qui pro se uno plures succidaneos suggerit.*

Ad. 256. Officii sui est Patrem cœlestem & præmii repositi memor Christianus, pacem & caritatem sectetur.

His meditationibus corroborandus est animus, fratres dilectissimi, ejusmodi exercitationibus contra omnia diaboli jacula firmandus. Sit ante oculos divina lectio, in manibus bona operatio, in sensibus Dominica cogitatio. Oratio jugis omnino non cessat. Salutaris operatio perseveret. Spiritalibus semper actibus occupemur, ut quotiescunque inimicus accesserit, quoties adire tentaverit, & clausum adversum se pectus inveniat & armatum. Non enim Christiani hominis corona una est, quæ tempore persecutionis accipitur. Habet & pax coronas suas, quibus de varia & multiplici congressione victores, prostrato & subacto adversario coronamur. Libidinem subegisse, continentiæ palma est. Contra iram, contra injuriam repugnasse, corona patientiæ est. De avaritia triumphus est, pecuniam spernere. Laus est fidei, fiducia (a) futurorum mundi adversa tolerare. Et qui superbus in prosperis non est, gloriam de humilitate consequitur. Et qui ad pauperum fovendorum misericordiam pronus est, retributionem thesauri cœlestis adipiscitur. Et qui zelare non novit, quique unanimis & mitis fratres suos diligit, dilectionis & pacis præmio honoratur. In hoc virtutum stadio quotidie currimus, ad has justitiæ palmas & coronas sine intermissione temporis pervenimus. Ad quas ut pervenire tu etiam possis, qui fueras zelo & livore possessus, omnem illam malitiam, qua prius (b) tenebaris abjice, ad viam vitæ æternæ vestigiis salutaribus reformare. Evelle de pectore tuo spinas & tribulos, ut te Dominicum (c) semen fertili fruge locupletet, ut divina & spiritalis seges in copiam fœcundæ messis exuberet. Venena fellis evome, discordiarum virus exclude: purgetur mens, quam serpentinus livor infecerat; amaritudo omnis quæ intus insederat, Christi dulcedine leniatur. Si de sacramento crucis & cibum sumis & potum; lignum, quod (d) apud Mara profecit in imagine ad saporis dulcedinem, tibi in veritate proficiat ad mulcendi pectoris lenitatem: nec ad medelam prosperandæ valetudinis laborabis; unde vulneratus fueras, inde curare. Ama eos quos ante oderas, dilige illos quibus injustis obtrectationibus invidebas. Bonos imitare, si sectari potes: (e) si autem eos sectari non potes, collætare certe & (f) gratulare melioribus: fac te illis adunata dilectione participem, fac te consortio caritatis & fraternitatis vinculo cohæredem. Dimittentur tibi debita, quando ipse dimiseris: accipientur sacrificia tua, cum pacificus ad Deum veneris. Sensus atque actus tui divinitus dirigentur, quando ea quæ divina & justa sunt cogitaveris, sicut scriptum est: [1] Cor viri cogitet justa, ut à Deo dirigantur gressus ejus. Habes autem multa quæ cogites. Paradisum cogita; quo Cain non redit, qui zelo fratrem peremit. Cogita cœleste regnum, ad quod non (g) nisi concordes atque unanimes Dominus admittit. Cogita quod filii Dei hi soli possint vocari, qui sint pacifici; qui (h) nativitate cœlesti & lege divina, ad similitudinem Dei patris & Christi respondeant adunati. Cogita sub oculis nos Dei stare, spectante ac judicante ipso conversationis ac vitæ nostræ curricula decurrere: pervenire nos tunc demum posse, ut eum videre contingat; si ipsum nunc videntem delectemus actibus nostris; si nos dignos gratia ejus & indulgentia præbeamus; si placituri semper in regno, in hoc mundo ante placeamus.

Mat. 5. 24.

Prov. 16. 1.

Mat. 5. 9.

(a) Futurorum bonorum, *Bod.* 2. 3. (b) Tenebraris abige, *Bod.* 2. (c) Semen feraci, *Bod.* 1. (d) Apud Marram, *Ver.* (e) Si sectari non potes, *Bod.* 1,2,3,4. *Ver.* (f) *Sic*, *Voss.* 1. congratulare, *Imp.* (g) Nisi unanimes, *Lin.* (h) Nativitate & lege, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Voss.* 1. 2. *Bod.* 1,2,3,4.

1 *Cor viri cogitet justa.*] Hæc frustra quæsiveris in bibliis quæ textum Hebræum sequuntur; sed lectioni LXX. omnino respondent. Et quidem nihil perturbatius, quam liber hic proverbiorum in codicibus Græcis. Verba ipsa sunt, καρδία ἀνδρὸς λογιζέσθω δικαια, ἵνα ὑπὸ τοῦ θεοῦ διορθωθῇ τὰ διαβήματα αὐτοῦ. Sed si attentius rem pensitemus, apparebit LXX. Interpretes non longe hic à scopo aberrasse: legerunt scil. אדה pro רוח quomodo legisse videtur Chaldæus paraphrastes dum ait אלהא מתקן אדחתיה aut saltem secreta viarum hominum, idem esse cum spiritu ejus duxerunt.

D. CÆCILII CYPRIANI

[1] CONCILIUM CARTHAGINIENSE,

DE

(a) Baptizandis Hæreticis.

SENTENTIÆ EPISCOPORUM (b) LXXXVII.

An. 256. *Proloquium Sancti Cypriani, cum ſynodum aperiret.*

CUm in unum Carthagini conveniſſent Kalend. Septembris Epiſcopi plurimi ex [2] provincia Africa, Numidia, Mauritania, cum Presbyteris & Diaconibus, (c) præſente etiam plebis maxima parte, & lectæ eſſent literæ Jubaiani ad Cyprianum factæ, item Cypriani ad Jubaianum reſcriptæ, de hæreticis baptizandis; quidque poſtmodum Cypriano Jubaianus idem reſcripſerit; [3] Cyprianus dixit: Audiſtis collegæ dilectiſſimi, quid mihi Jubaianus coepiſcopus noſter ſcripſerit, conſulens mediocritatem noſtram de illicito & profano hæreticorum (d) baptiſmo; & quid ego ei reſcripſerim; cenſens ſcilicet, quod ſemel atque iterùm & ſæpe cenſuimus, hæreticos ad Eccleſiam venientes, Eccleſiæ baptiſmo baptizari & ſanctificari oportere. Item lectæ ſunt vobis & aliæ Jubaiani literæ, quibus pro ſua ſincera & religioſa devotione, ad epiſtolam noſtram reſcribens, non tantum conſenſit, ſed etiam inſtructum ſe eſſe gratias egit. Supereſt ut de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus, proferamus; neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrum (e) [4] Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem (f) collegas ſuos adigit; quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ, arbitrium proprium; tamque judicari ab alio non poſſit, quam nec ipſe (g) poteſt judicare. Sed expectemus univerſi judicium Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui unus & ſolus habet poteſtatem & præponendi nos in (h) Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro judicandi.

I.

5 Cæcilius à (i) Bilta dixit.

Ego unum baptiſma in Eccleſia ſola ſcio, & extra Eccleſiam nullum. Hic erit unum ubi ſpes vera eſt, & fides certa; ſic enim ſcriptum eſt. Una fides, una ſpes, unum Eph. 4. 5. baptiſma; non apud hæreticos, ubi ſpes nulla eſt, & fides falſa, ubi omnia per mendacium aguntur, ubi exorcizat dæmoniacus; ſacramentum interrogat cujus os & verba cancer emittunt; fidem dat infidelis; veniam delictorum tribuit ſceleratus; in nomine Chriſti tingit antichriſtus; benedicit à Deo maledictus; vitam pollicetur mortuus; pacem

(a) Baptiſmo venientium ab hæreticis, *Ebor.* (b) Numero 87. *Corb. Foſſ. Lam.* (c) Præſentibus, *Foſſ.* (d) Baptiſmo, quidque ego illis, *Ebor.* (e) *Sic*, *Ver.* Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum, *Imp.* (f) Collegas ſuos adjungit, *Lam.* (g) Alium judicare, *Lam. Ebor. Ben.* (h) Eccleſiæ gubernatione, *Ver.* (i) Bidil. Bida, λιβράριος, *Zonar.*

1 *Concilium Carthaginienſe.*] Poſt litem de hæreticorum baptiſmo diu multumque agitatam, non tantum per Epiſtolas cum Epiſcopis ſeorſim, ſed etiam in ſynodis eorundem frequenter congregatis; Cal. Septembris A. 256. Concilium, ſi quod aliud, ante Conſtantini tempora, celebratiſſimum LXXXVII. Epiſcoporum Africæ Provinciæ, Numidiæ & Mauritaniæ cogendum Carthagini curavit Cyprianus. Cum vero controverſiæ ſtatum in literis Jubaiani ad ipſum ſcriptis, ejuſque invicem reſponſo perquam accurate proponi cenſeret conſultiſſimus Præſul; ex iiſdem primo in loco lectis, tractationem ſynodicam inchoandum duxit. Epiſtolas vero prædictas lite jam adulta, & Stephano in apertas ſimultates provecto, tranſmiſſas fuiſſe; ex iis quæ inibi memorantur rebus geſtis, abunde conſtat. Quemadmodum vero tractatui de Patientia natales exinde ſuos aſſignavimus, quod ante literas iſtas conſcriptus appareat: eodem jure de hoc Concilio ſententiam feremus; nimirum quod illo temporis ſpatio, imo menſis Septembris initiis debeatur, quæ tranſmiſſas iſtas Epiſtolas, & Valeriani perſecutionem interceſſerant. Porro non tantum Epiſtolas Jubaiani, & Cypriani ad ipſum; ſed etiam illas ad Stephanum in Concilio lectas conſtat ex ſuffragio octavo, quod Creſcens à Cirta tulit. Obiter notandum, nihil in hac cauſa ab Africanis Patribus innovatum; qui decretis olim ſub Agrippino, nec non in Oriente non uno loco conciliariter ſancitis adhærebant. Imo Eccleſia univerſalis in Concilio Nicæno Stephani placitis qui *à quacunque hæreſi venientes* admiſit, nullatenus acceſſit; ſiquidem Paulianiſtas ad Eccleſiam accedentes baptizandos decreverat. Rei geſtæ hiſtoriam alibi fuſius enarrabimus.

2 *Provincia Africa.*] Plinio *Zeugitana regio, & quæ proprie vocetur Africa.* l. 5. c. 4. Quæ nimirum capta Carthagine, in Romanam ditionem primo pervenerat; & in Provinciæ formam redigebatur: quæque Romæ ad Africam proxime adjacebat.

3 *Cyprianus dixit.*] Sententiam is ſuam ultimus tulit; hæc autem non per modum ſuffragii afferebantur, ſed præfationis, & ut conſultationi futuræ aditus panderetur. *Primum ſermonem* vocat Auguſtinus l. 2. de Bapt. cont. Donat. Is libris 6. & 7. concilium hoc verbatim deſcripſit, redargutionibus ſingulis Epiſcoporum ſententiis appoſitis.

4 *Epiſcopum ſe Epiſcoporum.*] Vid. quæ dicta in l. de Unitate p. 77. Hunc loquendi modum non à Tertulliano Montaniſta didicit Cyprianus, quod Pamelius inſinuare voluit; ſed à D. Petro, ſiquidem in Epiſtola ad Quintum dicat Auctor noſter, B. Apoſtolum *non vendicaſſe ſibi aliquod violenter, aut arroganter aſſumſiſſe, ut diceret ſe primatum obtinere*, &c.

5 *Cæcilius à Bilta.*] Urbs Mauritaniæ. Idem fortaſſe locus qui Bidil, Bita, aut urbs Abitenſis, ſive Abidenſis. Recte de his omnibus ait Plinius. *Populorum oppidorumque nomina, vel maxime ſunt ineffabilia, præterquam ipſorum linguis.*

1 *Qui*

An. 256. pacem dat (a) impacificus; Deum invocat blaſphemus; ſacerdotium adminiſtrat profanus; ponit altare ſacrilegus. Ad hæc omnia accedit & illud malum, ut antiſtites diaboli audeant Euchariſtiam facere; aut 1 qui illis aſſiſtunt, dicant hæc omnia falſa eſſe de hæreticis. Ecce ad qualia cogitur Eccleſia (b) conſentire, & ſine baptiſmo ac venia delictorum communicare compellitur. Quam rem, fratres, fugere ac vitare debemus, & à tanto ſcelere nos ſeparare, & unum baptiſma tenere; quod ſoli Eccleſiæ à Deo conceſſum eſt.

II.

c Primus à 2 Miſgirpa dixit. Cenſeo omnem hominem ab hæreſi venientem baptizandum. Fruſtra enim illic putat ſe eſſe baptizatum, cum non ſit baptiſma, niſi in Eccleſia, unum, & verum: quia & Deus unus, & fides una, & Eccleſia una eſt, in qua ſtat unum baptiſma, & ſanctitas, & (d) cæteræ. Nam quæ foris exercentur, nullum habent ſalutis effectum.

III.

3 Polycarpus ab Adrumeto dixit. Qui hæreticorum baptiſma probant, (e) noſtrum evacuant.

IV.

Novatus à 4 Thamugade dixit. Licet ſciamus (f) omnes ſcripturas ſibi teſtimonium reddere de ſalutari baptiſmo, debemus tamen fidem noſtram exprimere. Hæreticos & ſchiſmaticos ad Eccleſiam venientes qui pſeudobaptizati videntur, debere eos in fonte perenni baptizari. Et ideo, ſecundum teſtimonium ſcripturarum, & ſecundum decretum collegarum noſtrorum ſanctiſſimæ memoriæ virorum, omnes ſchiſmaticos & hæreticos qui ad Eccleſiam converſi ſunt, baptizari; ſed & eos (g) qui ordinati (h) videbantur, inter laicos recipi.

V.

Nemeſianus à 5 Thubunis dixit. Baptiſma, quod dant hæretici & ſchiſmatici, non eſſe verum; ubique in ſcripturis ſanctis declaratum eſt. Quoniam ipſi præpoſiti eorum falſi Chriſti ſunt (i), & falſi prophetæ, dicente Domino per Solomonem: 6 Qui fidens eſt in falſis, hic paſcit ventos; idem autem ipſe ſequitur aves volantes. (k) Deſerit enim vias vineæ ſuæ, à (l) ſemitis vero agelli ſui erravit. Ingreditur autem per avia loca atque arida, & (m) terram deſtinatam in ſitim: (n) contrahit autem manibus infructuoſa. Et iterum: (o) ab aqua aliena abſtine te, & de fonte alieno ne biberis, ut longum vivas tempus, adjiciantur etiam tibi anni vitæ. Et in Evangelio divina ſua voce Dominus noſter Jeſus Chriſtus locutus eſt, dicens: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei. Hic eſt ſpiritus qui ab initio ferebatur ſuper aquam. Neque enim ſpiritus aqua operari poteſt, neque aqua ſine ſpiritu. Male ergo ſibi quidam interpretantur, ut dicant, quod per manus impoſitionem Spiritum ſanctum accipiant, & ſic recipiantur; cum manifeſtum ſit utroque ſacramento debere eos renaſci in Eccleſia Catholica. Tunc quippe poterunt filii Dei eſſe, dicente Apoſtolo: Curantes ſervare unitatem ſpiritus in conjunctione pacis: unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ: unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus. Hæc omnia Eccleſia Catholica loquitur. Et iterum in (p) Evangelio Dominus dicit: Quod natum eſt de carne, caro eſt: & quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt; quia Deus ſpiritus eſt, 7 & de Deo natus eſt. Ergo omnes hæretici & ſchiſmatici, omnia quæcunque faciunt carnalia ſunt, dicente Apoſtolo: Manifeſta enim ſunt opera carnis, quæ ſunt, fornicationes, immunditiæ, inceſtum, idololatriæ, veneficia, inimicitiæ, cer-

Prov. 9. 12. 19. Jo. 3. 5. Gen. 1. 2. Eph. 4. 3. Jo. 3. 6. 4. 24. Gal. 5. 19.

(a) Εἰρήνης ἀλλότριος, *Zonar.* (b) *Sic Ebor. Lam. Ben. Auguſt.* Eccleſia &, *Imp.* (c) Primus Felix, *Auguſt.* Miſcirpa, Migirpa, Μαστρίπης, *Zonar.* (d) Ὅσα ἄλλα εἰς σωτηρίαν, καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον ἐπιτελεῖται, *Zonar.* (e) Noſtrum hæreticis communicant, *Corb.* noſtrum improbat, *Ver.* (f) Omnem ſcripturam, *Aug.* (g) Quicunque ordinati, *Aug.* (h) Videbantur, laicos recipi, *Lam Ebor.* (i) *Græcum exemplar hic claudit hanc ſententiam.* (k) Derelinquit enim vias, *Auguſt.* (l) Semitis agri, *Aug.* (m) Terram deſtinatam à meſſe, *Aug. Corb. Ben.* (n) Colligit autem manibus ſterilitatem, *Aug. Corb.* (o) Ab aqua autem aliena abſtine te, nec de fonte extraneo biberis, *Lam. Ebor.* (p) *Sic*, *Ebor.* Evangelio dicit, *Imp.*

1 *Qui illis aſſiſtunt.*] Qui Novatiani partes tuentur.

2 *Primus à Miſgirpa.*] Urbs Zeugitanæ. Auguſtinus habet, *primus Felix à Miſgirpa.* Idque nomen ſæpius, & deſignato repetit. Cum vero conſtet plures hic ſubſequi Felices; & ſolenne ſit ejuſdem nominis Epiſcopos, adjecta aliqua nota à reliquis diſtinguere: ſubeſt non levis ſuſpicio, illum qui hoc loco ſententiam tulit Felicem fuiſſe appellatum, & quia ante reliquos dixerat, primum vocari, ut à Felice à Bagai, alio Felice ab Uthina, à Marrozani, à Buſlacenis, & à Gurgitibus diſtingueretur; & ita, lapſu ſatis proclivi, primi vocem quæ numerum ſolummodo deſignabat, vero nomine, tanquam ſupervacaneo, omiſſo, in nomen tranſiiſſe. Civitatis hujus Epiſcopi mentionem faciunt inter alios Collat. Carthag. & Vict. Vit. Porro notandum, in Africa Primates, non ab urbium opibus aut prærogativa, *ſed ſecundum tempus ſuæ ordidinationis*, ut Leonis IX. verbis utar, cenſeri ſolitos: atque ideo *ſenes* appellabantur. Inſuper in ſuffragiis ferendis is fuit mos perpetuus, ut ii qui primi ad epiſcopatum promoti, ante alios ſententiam dicerent. Quare illos qui hic ordinem ducunt, provinciarum primates fuiſſe exiſtimo. Septem quidem fuerunt partitiones Africæ, reſpectu regiminis civilis; ſed tres tantum fuiſſe Eccleſiaſticas, ex ſynodi hujus initio datur intelligi.

3 *Polycarpus ab Adrumeto.*] Is eſt ille de quo mentio facta in Epiſt. 46. ad Pam. num. 45. & fortaſſe Ep. 86. ad Pameli num. 68. Urbs eſt littoralis & colonia, Carthagine diſtans, deſignante Antonino, 85. M. P. Vulgo Siſſa nigra dicitur. Hujus meminit Plinius l. 5. c. 4. & Byzacenæ aſſignat: quod & facit Antoninus. De hujus urbis Epiſcopo mentio habetur in Coll. Carth. & Vict. Vit.

4 *Thamugade.*] Numidiæ urbs in Mauritaniæ confinio, Lambeſæ 14. M. P. Sitifi 22. diſtans. De hac meminit Procop. Vandal. l. 2. Aug. Ep. 61. Retract. l. 2. cap. 59. Collat. Carthag. Zonaras appellat Θάμη βασιλέως. Auguſtinus duos libros ſcripſit contra Gaudentium Tamugadenſem. Et meminere Collat. Carth. & Concil. Carth. paſſim.

5 *Thubunis.*] Θιβωνίς Ptolemæo, Mauritaniæ Cæſarienſis urbs, cujus meminit Auguſt. Ep. 70. & Coll. Carthag.

6 *Qui fidens eſt in falſis.*] LXX. hic loci non interpretes, ſed Auctores habendi. Omnia enim hæc in ſacro textu deſiderantur.

7 *Et de Deo natus.*] Et natus de ſpiritu, de Deo natus eſt.

1 *Lam-*

An. 256. certamina, zelus, ira, diviſiones, hæreſes, & his ſimilia; de quibus prædixi vobis; ſicut prædico, quoniam quicunque hæc faciunt, regnum (a) Dei non hæreditabunt. (b) Condemnat æque Apoſtolus cum omnibus malis (c) & eos qui diviſionem faciunt, hoc eſt, ſchiſmaticos & hæreticos. Niſi ergo acceperint baptiſma ſalutare in Eccleſia Catholica quæ una eſt, ſalvi eſſe non poſſunt; ſed cum carnalibus in (d) judicio Domini Chriſti damnabuntur.

VI.

Januarius à 1 Lambæſe dixit. Secundum ſcripturarum ſanctarum auctoritatem decerno, hæreticos omnes baptizandos, & ſic in Eccleſiam ſanctam admittendos.

VII.

Lucius à 2 Caſtro galbæ dixit: Cum Dominus in Evangelio ſuo dixerit: Vos eſtis ſal terræ; Si autem ſal infatuatum fuerit, (e) 3 in quo ſalietur? ex eo ad nihilum valebit, niſi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus: Et iterum poſt reſurrectionem ſuam mittens Apoſtolos ſuos mandaverit dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra; Ite ergo & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Cum ergo manifeſtum ſit hæreticos, id eſt, hoſtes Chriſti, non integram ſacramenti confeſſionem habere: Item ſchiſmaticos non poſſe condire ſapientia ſpiritali, cum ipſi, ab Eccleſia quæ una eſt recedendo infatuati, contrarii facti ſint; fiat ſicut ſcriptum eſt: (f) 4 Domus contrariorum legis debet emundationem: & (g) conſequens eſt eos qui à contrariis baptizati inquinati ſunt, primo purgari, & tum demum baptizari. Mat. 5. 13. Mat. 28. 18. Prov. 14. 9.

VIII.

Creſcens à 5 Cirta dixit. In tanto cœtu ſanctiſſimorum (h) ſacerdotum lectis literis Cypriani dilectiſſimi noſtri ad Jubaianum, itemque ad Stephanum, quæ tantum in ſe (i) ſanctorum teſtimoniorum deſcendentium ex ſcripturis deificis continent, ut merito omnes per Dei gratiam adunati conſentire debeamus: (k) Cenſeo, omnes hæreticos & ſchiſmaticos, qui ad Catholicam Eccleſiam voluerint venire, non ante ingredi, niſi (l) exorcizati & baptizati prius fuerint; exceptis his ſane qui in Eccleſia Catholica fuerint ante baptizati, ita tamen ut per manus impoſitionem (m) in pœnitentiam Eccleſiæ reconcilientur.

IX.

Nicomedes à 7 Segermis dixit. Mea ſententia hæc eſt, ut hæretici ad Eccleſiam venientes baptizentur, eo quod nullam foris apud peccatores remiſſionem peccatorum conſequantur.

X.

(n) *Monnulus à 8 Girba dixit.* Eccleſiæ Catholicæ matris noſtræ veritas ſemper apud nos, fratres, & manſit & manet, & vel maxime in baptiſmatis 9 trinitate; Domino noſtro dicente: Ite & baptizate gentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Cum ergo manifeſte ſciamus hæreticos non habere nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum ſanctum; debent venientes ad Eccleſiam matrem noſtram vere renaſci, & baptizari, ut cancer quod habebant, & damnationis ira, & erroris (o) effectura, per ſanctum & cœleſte lavacrum ſanctificetur. Mat. 28. 18.

XI.

Secundinus à 10 Cedias dixit. Cum Dominus noſter (p) Chriſtus dicat: Qui non eſt mecum, adverſus me eſt: & Joannes Apoſtolus eos qui ab Eccleſia exeunt antichriſtos dicat: indubitanter hoſtes Chriſti, quique antichriſti nominati ſunt, gratiam baptiſmi ſalutaris miniſtrare non poſſunt. Et ideo cenſeo eos qui de inſidiis hæreticorum confugiunt ad Eccleſiam, baptizandos eſſe à nobis, qui amici appellati ſumus (q) Dei, de ejus dignatione. Mat. 12. 30. 1 Jo. 2. 18. Jo. 15. 15.

XII. Sicut

(a) Dei non poſſidebunt, *Ebor. Lam.* (b) Condemnat itaque, *Ebor.* (c) Et quicunque, *Ebor.* (d) Judicio Domini noſtri Jeſu Chriſti damnandi, *Lam. Ebor.* (e) Id quod ſalietur, *Aug.* (f) Domus contrariorum domus legis, *Fox.* (g) Conſequens ſit, *Aug.* (h) Sanctiſſimorum conſacerdotum, *Morel.* (i) Sanctiſſimorum documentorom, *Aug.* (k) Genſeo ego, *Ang. Lam. Ebor.* cenſeo ergo, *Morel.* (l) *Sic*, *Aug.* exorcizati prius, *Imp.* (m) In pœnitentia, *Ebor.* (n) Monalus, *Aug.* dixit in pace, *Ver & ſic deinceps habet illud exemplar.* (o) Offectura, *Aug.* offenſa, *Corb. Manut. Morell.* effectus, *Lam. Ebor.* (p) Jeſus Chriſtus, *Ebor.* Dominus noſter dicat, *Aug.* (q) *Sic*, *Lam. Aug. Ebor.* Dei, ejus dignatione, *Imp.*

1 *Lambæſe.*] Δαμαλσα ſive Δαμβαισα Ptol. Numidiæ urbs. de qua ſupra ex Anton. inſuper Cypr. Ep. 59. ad Pam. numeros 55. Lambeſitanam Coloniam appellat.

2 *Caſtro Galbæ.*] Hæc etiam Gilba dicitur. Duæ ſunt urbes cognomines in Numidia, quarum altera caſtri additamento videtur diſtingui. Hujus meminit Auguſt. Ep. 92. nec non Victor Vitens. Concil. Milev. & Conc. Carth. ſub Bonif.

3 *In quo ſalietur.*] Auguſtini lectio quæ interrogationem omittit, ſatis commode videtur procedere, & à textu Græco non abborrere. ἔντινι ἁλισθήσεται εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι.

4 *Domus contrariorum legis.*] LXX. habent. οἰκίαι παρανόμων ὀφειλήσουσι καθαρισμόν. Hebræa toto cœlo videntur diſtare. אוילים ליץ אשם Nec facile eſt conjectura aſſequi quid præ oculis haberent Græci interpretes, niſi forte per errorem legerant אהלי ליץ אשם habitacula deriſoris in piamentum.

5 *Cirta.*] Apud Romanæ hiſtoriæ ſcriptores, Numidiæ urbs celebratiſſima: de qua agunt, Livius, Cæſar, Salluſtius, Plinius, & alii paſſim. κίρτα ἰουλία Ptolemæo: poſtea Conſtantina appellabatur. A Lambeſe diſtat 84. M. P. ab Hippone regio 94. à Carthagine 321. ſupputante Anton.

6 *Exorcizati prius.*] Quare exorcizatio baptiſmum præceſſerit, ſupra dictum.

7 *Segermæ.*] Urbs Numidiæ Byzacenæ: cujus mentio habetur in Notitia Ep. Africæ. & Collat. Carthag.

8 *Girba.*] Ptolemæo. Γίρβα Urbs inſulæ Lotophagorum, ad Tripolitanam pertinens. de qua Not. Ep. Afric. & Collat. Carth. De Monnulo mentio habetur Ep. ad Cornelium Concilii nomine, de pace lapſis danda.

9 *Trinitate.*] Quia trina immerſione expediebatur; nomine Patris, Filii & S. Spiritus. Tertull. de Corona ait. *Ter mergitamur.* Baſilius de Sp. S. c. 27. vocat τρὶς βαπτίζεσθαι. De hac re videantur Cyrill. Hieroſol. Athan. Ambroſ. & Hieronym. & alii è veteribus paſſim.

10 *Cedias.*] Mentio hujus occurrit in collat. Carthag. Forte eſt *Quidias* Maurit. Cæſar. de quo notit. Africæ.

1 *Baga.*]

An. 256.

XII.

Felix à 1 Bagai dixit.

Sicut cæcus cæcum ducens ſimul in foveam cadunt, ita hæreticus hæreticum baptizans ſimul in mortem cadunt. Et ideo hæreticus baptizandus eſt, & (a) innovandus, ne nos vivi mortuis communicemus. Mat. 15. 14.

XIII.

Polianus à 2 Mileo dixit.

Juſtum eſt hæreticum baptizari in (b) Eccleſia ſancta.

XIV.

Theogenes ab 3 Hippone regio dixit.

Secundum ſacramentum Dei gratiæ cœleſtis quod accepimus, unum baptiſma quod eſt in Eccleſia ſancta credimus. Eph. 4. 5.

XV.

Dativus à 4 Badis dixit.

Nos quantum in nobis eſt, (c) hæreticis non communicamus, niſi baptizati in Eccleſia fuerint, & remiſſionem peccatorum acceperint.

XVI.

Succeſſus ab 5 Abbir Germaniciana dixit.

Hæreticis aut nihil licet, aut totum licet. Si poſſunt baptizare, poſſunt dare & Spiritum ſanctum. Si autem Spiritum ſanctum dare non poſſunt, quia non habent Spiritum ſanctum; nec baptizare ſpiritaliter poſſunt: propterea cenſemus hæreticos baptizandos eſſe.

XVII.

Fortunatus à 7 Thuchabori dixit.

Jeſus Chriſtus Dominus & Deus noſter, Dei patris & creatoris filius, 7 ſuper (d) petram ædificavit Eccleſiam ſuam, non (e) ſuper hæreſin; & poteſtatem baptizandi Epiſcopis dedit, non hæreticis. (f) Quare qui extra Eccleſiam ſunt; &, contra Chriſtum ſtantes, oves ejus & gregem ſpargunt; baptizare foris non poſſunt.

XVIII.

Stdatus à 8 Tuburbo dixit.

In quantum aqua ſacerdotis prece in Eccleſia ſanctificata abluit delicta; in tantum hæreticum ſermone, (g) 9 velut cancere, infecta, cumulat peccata. Quare omnibus (h) pacificis quidem viribus nitendum eſt, ne quis hæretico errore infectus & tinctus, ſingulare & verum Eccleſiæ baptiſmum (i) detrectet accipere, quo quiſquis non fuerit baptizatus, regno cœlorum fiet alienus.

XIX.

Privatianus à 10 Sufetula dixit.

Qui hæreticos poteſtatem baptizandi habere dicit, dicat prius, quis hæreſi condiderit. Si enim hæreſis à Deo eſt, habere & indulgentiam divinam poteſt. Si vero à Deo non eſt, quomodo gratiam Dei aut habere aut conferre (k) alicui poteſt?

XX.

Privatus à 11 Sufibus dixit.

Qui hæreticorum baptiſmum probat, quid aliud quam hæreticis communicat?

XXI.

Hortenſianus à 12 Laribus dixit.

Quot ſint baptiſmi, viderint aut præſumtores, aut fautores hæreticorum: nos unum baptiſma, quod non niſi in Eccleſia novimus, Eccleſiæ vindicamus. Aut quo modo poſſunt in nomine Chriſti aliquem baptizare, quos ipſe Chriſtus dicit adverſarios ſuos eſſe?

XXII.

Caſſius à 13 Macomadibus dixit.

Cum (l) baptiſmata duo eſſe non poſſint; qui hæreticis baptiſma concedit, ſibi tollit.

(a) *Sic Bod.* 2. juſtificandus, *Imp.* (b) Eccleſia Chriſti, *Aug.* (c) Hæretico non communicamus, *Ebor. Aug.* acceperit, *Ebor. Aug.* (d) Super Petrum, *Lam. Ver. Foſſ. Corb.* (e) Super arenam, *Aug.* (f) Quare? quia, *Aug.* (g) Cancer, *Lam. Ebor. Ver. Corb.* (h) Pacificis quidem viris, *Manut.* (i) Retractet accipere, *Ebor. Lam.* (k) Alieni, *Lam.* (l) Baptiſmata duo eſſe non poſſunt, *Ebor. Lam.*

1 *Baga.*] Urbs eſt Numidiæ, hujus mentio occurrit in collat. Carth. & Auguſt. Conc. 2. in Pſal. 36. Hic celebratum Concilium Donatiſtarum quod Bagaienſe dictum 310. Epiſcoporum.

2 *Mileum.*] Eſt Numidiæ urbs, plurimis Conciliis, & Optati Epiſcopatu celebris. De ea Auguſt. Ep. 34. 129. 137. & 242. Carolus à S. Paulo *Mileum* à *Milevi* diſtinguit.

3 *Hippo regius.*] Urbs Numidiæ, Auguſtini ſedes Epiſcopalis. A Carthagine diſtat Antonino ſupputante 218. M. P. ab Hippone diarrhito 160. M. P. Nunc temporis appellatur, *Bona.*

4 *Badis.*] Urbs Numidiæ, βάδια ſive βάδεα Ptolemæo.

5 *Abbir Germaniciana.*] Aliquando *Abbir*, aliquando *Germaniciana*, dicitur. Sic Candidus in Concil. Carthag. ſe nonnunquam ſcribit Candidum Germaniciæ, dein Germaniæ, porro Abbiritanum, nec non Abbiritenſem Germaniciorum. Eſt Urbs Africæ Zeugitanæ.

6 *Thuchabori.*] Præter urbem hanc quæ Tuccabori dicitur, duæ aliæ ſunt *Tuccæ* quarum in hoc Concilio mentio occurrit, nimirum ſuffragiis 52. & 77. Videtur civitas iſta *Tucca terebinthina* ab Antonino dici, Zeugitanæ regionis; & de illa mentio habetur in coll. Carth.

7 *Super petram.*] Quanquam de hac re ſæpius monuimus; quod importuni librarii ubi petræ occurrebat mentio, ſtatim ad Petrum id pertrahebant: tamen cum Rigaltio obſervare par erit, *Auguſtinum exemplaris ſui fidem ſecutum hic legiſſe. Ædificavit Eccleſiam ſuam Chriſtus ſuper petram, non ſuper arenam.*

8 *Tuburbo.*] Duæ erant hujus nominis urbes, quarum altera major, altera minor dicebatur, utraque in Zeugitana. *Thuburbo* Ptolemæo. *Thuburbis* Plinio, & collat. Carthag.

9 *Velut cancere.*] Vox recte ſe habet, quantumvis reclament quidam Grammatici. Lucretius l. 5. dicit, *Canceris ut vertat metas ad ſolſtitiales.* & neutrum eſſe, prout hic uſurpatur, diſerte affirmat Priſcianus.

10 *Sufetula.*] Urbs Byzacenæ, 50. M. P. à Tucca Terebinthina, 25. à Sufibus. De hac mentio habetur apud Victorem Vit. l. 2.

11 *Sufi.*] Urbs Byzacenæ ſecundum Anton. de hac Vict. Vit. l. 1.

12 *Lares.*] Urbs Numidiæ Ptolemæo: hujus meminit Salluſtius in Bell. Jugurth. Procop. Van. l. 2. Vict. Vit. l. 1. Inter Carthaginem & Cirtam collocatur. & *Laribum colonia* ab Antonino appellata. Carthagine abeſt 117. M. P. de hac mentio habetur in collat. Carthag.

13 *Macomadæ.*] Urbs Numidiæ, *Macodama* Ptolemæo. A Sufetula, ſecundum Antoninum, abeſt 175. M. P. Sed plures Macomadæ, quæritur enim in collat. Carthag. c. 197. *De qua Macomadia?* ubi reſpondetur *Ruſticiana.* Interim non eſt diſſimulandum, Epiſcopum prædictum Macomadiæ ruſticianæ, ruris ſuburbicarii quod urbi adjacebat Epiſcopum eſſe potuiſſe: poſtquam enim Novatiani & Donatiſtæ venena ſua per Africam ſparſiſſent, non tantum ſeditionibus, rixis, & collationibus; ſed Epiſcoporum numero certabant: nec tantum in urbibus celebrioribus, ſed *paſſim per villas*, Epiſcopos, imo primates collocabant; quod ex Greg. M. Epiſt. l. 1. Ep. 72 diſcimus.

An. 256. lit. Censeo itaque 1 flebiles & tabidos hæreticos baptizandos esse cum ad Ecclesiam venire cœperint; & sacra & divina lavatione lotos, & lumine vitæ illuminatos, non hostes, sed pacificos; non alienos, sed fidei Domini domesticos; non adulterinos, sed Dei filios; non erroris, sed salutis effectos, in Ecclesiam recipi: absque his, qui de Ecclesia fideles supplantati, ad hæresis tenebras transierant: sed eos per manus impositionem restituendos.

XXIII.

Alius Januarius à 2 Vico Cæsaris dixit. Si non obtemperat error veritati, multo magis veritas non consentit errori. Et ideo nos Ecclesiæ assistimus in qua præsidemus, ut baptismum ejus ipsi soli vindicantes, eos, quos Ecclesia non baptizavit, baptizemus.

XXIV.

Alius Secundinus à 3 Carpis dixit. Hæretici Christiani sunt, an non? Si Christiani sunt: cur in Ecclesia Dei non sunt? Si Christiani non sunt, (a) quomodo Christianos faciunt: Aut quo pertinebit sermo Domini dicentis; Qui non est mecum adversus me est, & qui non mecum colligit, spargit? Unde constat, super filios alienos & soboles antichristi, Spiritum sanctum per manus impositionem tantummodo non posse descendere, cum manifestum sit hæreticos baptisma non habere. Mat. 12. 30.

XXV.

Victoricus à 4 Thabraca dixit, Si licet hæreticis baptizare, & remissam peccatorum dare; quid illos infamamus, (b) ut hæreticos appellemus?

XXVI.

Alius Felix ab 5 Uthina dixit. Nemini dubium est, sanctissimi consacerdotes, non in tantum posse humanam præsumtionem, quantum Domini nostri Jesu Christi adorandam & venerabilem majestatem. Memores ergo periculi, hoc quoque non tantum observare debemus, verum etiam ab omnibus nobis confirmare, ut omnes hæretici qui ad sinum matris Ecclesiæ accurrunt, baptizentur; (c) ut mens hæretica, quæ diuturna tabe polluta est, sanctificatione lavacri purgata, in melius reformetur.

XXVII.

Quietus à 6 Buruch dixit. Qui fide vivimus, obsequi iis quæ instruendis nobis ante prædicta sunt, sedula observatione debemus. Nam scriptum est apud Solomonem: Qui baptizatur (d) à mortuo & iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio ejus? Quod utique de his qui ab hæreticis tinguntur, & de tingentibus loquitur. Si enim qui apud illos baptizantur, per remissionem peccatorum vitam æternam consequuntur, cur ad Ecclesiam veniunt? Si vero à mortuo salutis nihil accipitur, ac propterea agnito errore pristino, ad veritatem cum pœnitentia revertuntur; uno vitali baptismate, quod in Ecclesia Catholica est, sanctificari debebunt. Eccl. 34. 30.

XXVIII.

Castus à 7 Sicca dixit. Qui contemta veritate præsumit consuetudinem sequi; aut circa fratres invidus est & malignus, quibus veritas revelatur; aut circa Deum ingratus est, cujus inspiratione Ecclesia ejus instruitur.

XXIX.

Euchratius à 8 Thenis dixit. Fidem nostram, & baptismatis gratiam, & legis Ecclesiasticæ regulam Deus & Dominus noster Jesus Christus suo ore Apostolos docens, (e) perimplevit dicens: Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & spiritus sancti. Falsum ergo hæreticorum baptisma & iniquum, à nobis pellendum est, & (f) omni detestatione refutandum, de quorum ore virus, non vita; nec gratia cœlestis, sed 9 blasphemia trinitatis exprimitur. Et ideo venientes ad Ecclesiam hæreticos, integro & Catholico baptismate baptizari debere manifestum est, ut à (g) blasphemiæ suæ præsumtione purificati, possint Spiritus sancti gratia reformari. Mat. 28. 19.

XXX.

Liboßus à 10 Vaga dixit. In Evangelio Dominus; Ego sum, inquit, veritas: non dixit, ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata cedat consuetudo veritati, ut & si in præteritum quis in Ecclesia hæreticos non baptizabat, nunc baptizare incipiat. Jo. 14. 6.

XXXI.

(a) Non sunt, fiant, *Ebor. Bod.* 2. *August.* γενέσθωσαν, *Zonar.* (b) Et hæreticos illos appellamus, *Ebor. Lam.* (c) Ἐξω γενομένη διαφθορά, *Zonar.* (d) *Sic*, *Aug.* A mortuo, quid, *Imp.* (e) Implevit dicens, *Aug.* (f) Contestatione, *Aug. Ver.* (g) Blasphemia suæ præsumtionis, *Aug.*

1 *Flebiles & tabidos.*] Dubium an intelligat Cassius ex pœnitentia squalidos & lacrymis diffluentes; an malis moribus corruptos & deploratos. Infra dicitur, *Mens hæretica, quæ diuturna tabe polluta est:* quod ad posteriorem sensum inclinat.

2 *Vicus Cæsaris.*] Videtur esse Nova Cæsaris, Numidiæ Urbs, de qua Victor Vitensis, & collat. Carthag. Pamel. mavult *Jol*, sive Juliam Cæsaream, Mauritaniæ Cæsariensis, intelligi.

3 *Carpi.*] Urbs Zeugitanæ Plinio, & Ptolemæo; in Tunetis confinio. Hujus urbis in Concil. Carthag. frequens mentio habetur.

4 *Thabraca.*] Thabraca colonia Ptolemæo. *Tabraca* Plinio, *Tabathra* Stephano. Urbs Numidiæ, de hac collat. Carth. & Concil. Carth An. 398.

5 *Uthina.*] Οὐθινα. Ptolem. Urbs Zeugitanæ.

6 *Buruc.*] Βοῦρκα, ut videtur, Ptolemæo, Urbs Numidiæ. collat. Carthag. habet *Burug.*

7 *Sicca*] *Sicca Veneria* Ptolemæo, & Procopio: Urbs Zeugitanæ: hujus mentionem facit Cicero in Epist. ad Atticum, & collat. Carthag.

8 *Thena.*] Thenæ Ptolem. *Theæne* Plinio & Antonino. Urbs Byzacenæ regionis, 28. M. P. à Carthagine.

9 *Blasphemia Trinitatis.* Observet lector, hic & alibi, *Trinitatis* vocem Personas divinas designare. Sic Tert. adv. Prax. c. 3. *Numerum & dispositionem trinitatis, divisionem præsumunt unitatis; quando unitas ex semetipsa derivans trinitatem, non destruatur ab illa, sed administretur. Itaque duos & tres jam jactitant à nobis prædicari, se vero unius Dei cultores præsumunt: quasi non & unitas irrationaliter collecta, hæresin faciat; & trinitas rationaliter expensa, veritatem constituat.*

10 *Vaga.*] Urbs Numidiæ à Ptolemæo memorata, nec non August. l. 3. cont. Donat. c. 6.

1 *The-*

An. 256.

XXXI.

Lucius à 1 Thebeſte dixit. Hæreticos blaſphemos atque iniquos, verbis variis decerpentes ſancta & adorabilia ſcripturarum verba, execrandos cenſeo; & ideo exorcizandos & baptizandos eſſe.

XXXII.

Eugenius ab 2 Ammadera dixit. Et ego hoc idem cenſeo; hæreticos baptizandos eſſe.

XXXIII.

Item alius Felix ab 3 Amaccura dixit. Et ipſe ſecutus divinarum ſcripturarum auctoritatem, baptizandos hæreticos eſſe cenſeo, ſed & eos qui apud ſchiſmaticos baptizatos ſe eſſe contendunt. Si enim ſecundum cautum Chriſti, privatus fons noſter eſt, intelligant cuncti Eccleſiæ noſtræ adverſarii, quia alieni ſunt, nobiſcum eſſe non poteſt. Nec duobus populis ſalutarem aquam tribuere poteſt ille, qui unius gregis paſtor eſt. Et ideo manifeſtum eſt, nec hæreticos nec ſchiſmaticos aliquid cœleſte poſſe ſuſcipere, qui à (a) peccatoribus hominibus, & ab Eccleſia extraneis audeant accipere. Quando danti locus non eſt, utique nec accipienti prodeſt. Cant. 3. 12.

XXXIV.

Item alius Januarius 4 Muzulenſis dixit. Miror quod cum omnes confiteantur unum eſſe baptiſma, non omnes intelligant ejuſdem baptiſmatis unitatem: Eccleſia enim & hæreſis, duæ & diverſæ res ſunt. Si hæretici habent baptiſma, nos non habemus: ſi autem nos habemus, hæretici habere non poſſunt. Dubium autem non eſt, Eccleſiam ſolam baptiſmum Chriſti poſſidere, quæ ſola poſſideat & gratiam Chriſti & veritatem.

XXXV.

Adelphius à 5 Thasbalte dixit. Sine cauſa quidam falſo & invidioſo verbo impugnant veritatem, ut rebaptizare nos dicant; quando Eccleſia (b) hæreticos non rebaptizet, ſed baptizet.

XXXVI.

Demetrius à 6 Leptiminus dixit. Unum baptiſma nos cuſtodimus, quia Eccleſiæ Catholicæ ſoli rem ſuam vindicamus. Qui autem dicunt quia hæretici vere & legitime (c) baptizare poſſunt; ipſi ſunt qui non (d) unum, ſed multa baptiſmata faciunt. Nam cum hæreſes multæ ſint, pro earum numero & baptiſmata computabuntur.

XXXVII.

Vincentius à 7 Thibari dixit. Hæreticos ſcimus eſſe pejores quam ethnicos: ſi ergo converſi ad Dominum venire voluerint, (e) habemus utique regulam veritatis, quam Dominus præcepto divino mandavit Apoſtolis dicens: Ite, in nomine meo manum imponite, dæmonia expellite. Et alio loco: Ite & docete gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ergo primo per manus impoſitionem in exorciſmo, ſecundo per baptiſmi regenerationem, tunc poſſunt ad Chriſti pollicitationem venire: alias autem fieri cenſeo non debere. Mar. 3. 15. Mat. 28. 18.

XXXVIII.

Marcus à 8 Mactari dixit. Mirandum non eſt, ſi hæretici hoſtes atque impugnatores veritatis, rem ſibi vindicent poteſtatis & dignationis (f) alienæ: ſed illud mirandum eſt, quod quidam noſtri, prævaricatores veritatis, hæreticis ſuffragantur, & Chriſtianis adverſantur. Propterea decernimus hæreticos baptizandos eſſe.

XXXIX.

Satius à 9 Sicilibba dixit. Si hæreticis in (g) baptiſmo ſua peccata donantur, ſine cauſa ad Eccleſiam veniunt. Nam cum in die judicii peccata ſint quæ puniuntur; nihil eſt quod timere poſſint hæretici de judicio Chriſti, ſi ſunt remiſſionem peccatorum conſecuti.

XL.

Victor à 10 Gor dixit. Cum peccata non niſi in Eccleſiæ baptiſmo remittantur, qui hæreticum ad communicationem ſine baptiſmo admittit, utrumque contra rationem facit, nec hæreticos purgat, & Chriſtianos inquinat.

XLI.

Aurelius ab 11 Utica dixit. Cum dicat Apoſtolus, non communicandum peccatis alienis, quid aliud quam peccatis alienis communicat, qui hæreticis ſine Eccleſiæ baptiſmo communicat? Et ideo cenſeo baptizandos eſſe hæreticos ut accipiant remiſſam peccatorum, & ſic illis communicetur. 1 Tim. 5. 22.

XLII.

(a) Peccantibus, *Aug.* (b) Quando ab Eccleſia hæreticus non rebaptizatur, ſed baptizetur, *Man.* (c) Baptizant, *Aug.* (d) Duo, *Aug.* (e) Habent, *Aug.* (f) Alienæ, illud, *Ebor. Aug.* (g) Baptiſmo ſuo, *Aug.*

1 *Thebeſte.* Θέβεση Ptolemæo. Numidiæ Urbs. *Theveſte colonia* Antonino. A Carthagine diſtans 19. M. P. de hac Procop. l. 2. *Tibeſte*, in notit. Afric. dicitur.

2 *Ammedera.*] Ptolem. Peuting. tab. & Antonin. 25. M. P. à Theveſte. Numidiæ urbs.

3 *Amaccura.*] Videtur *Damatcore* aut potius *Vamaccore*; in Africæ notitia. Urbs Numidiæ.

4 *Muzuli.*] Videtur eſſe *Mazula* Urbs Numidiæ, de qua Vict. Vit. & collat. Carth. Porro Muſulam agnoſcunt Tabulæ Peuting. Quin & Epiſcopi Muzuenſis mentio occurrit, in collat. Carthag. c. 127. & apud Victorem, ſed illa in Zeugitana.

5 *Thasbalte.*] Urbs Byzacenæ, cujus meminit coll. Carth. Videtur Tabalta Antonini; à Sufetula 97. M. P. remota.

6 *Leptiminus.*] λέπτις μικρά Ptolem. Urbs Byzacenæ, cum Leptis magna ad Tripolitanam pertineat. A Carthagine ſecundum Antoninum 106. M. P. diſtat. De hac mentio habetur in collat. Carthag. & notit. Afric.

7 *Thibaris.*] Videtur eſſe *Tabora* Urbs Mauritaniæ Cæſarienſis. De qua mentio habetur in collat. Carthag. Vict. Vit. & notitia Africæ.

8 *Mactaris.*] Urbs Byzacenæ. De qua collat. Carth. & Vict. Vit.

9 *Sicilibba.*] Urbs Zeugitanæ, Antonino *Sicilibra* 34 M. P. à Carthagine.

10 *Gor.*] Forte *Garra*; Urbs Mauritaniæ Cæſar. de qua Ptolem. & Vict Vit. aut *Garriana*, Urbs Byzacenæ; de qua Vict. Vit. & Notitia Africæ.

11 *Utica.*] Urbs Zeugitanæ, *civium Romanorum*; *morte Catonis nobilis*, ut ait Plinius. ἰτύκη Polybio & Ptolem. nunc *Byzerta* appellata. De hac mentio occurrit collat. Carth. Vict. Vit. & Conc. Carthag. 3. & alibi paſſim.

XLII.

An. 256.

(a) Confessor lambus à 1 Germaniciana dixit.

Qui hæreticorum baptisma probant, nostrum improbant; ut extra Ecclesiam non dicam lotos, sed sordidatos, negent in Ecclesia baptizari oportere.

XLIII.

Lucianus à 2 Rucuma dixit.

Scriptum est: Et vidit Deus lucem quia bona est, & divisit inter lucem & tenebras. Si potest luci & tenebris convenire, potest nobis & hæreticis aliquid esse commune. Propterea censeo hæreticos baptizandos esse. Gen. 1. 4.

XLIV.

Pelagianus à 3 Luperciana dixit.

Scriptum est: (b) Aut enim Dominus tuus Deus est, aut Baal Deus est: ita & nunc, aut Ecclesia Ecclesia est, aut hæresis Ecclesia est. Porro si hæresis Ecclesia non est, quo modo esse apud hæreticos baptisma Ecclesiæ potest? 3 Reg. 18. 21.

XLV.

Confessor & martyr Iader à 4 Midila dixit.

Scimus non esse nisi unum baptisma in Ecclesia Catholica; & ideo non debemus admittere hæreticum, nisi baptizatus apud nos fuerit, ne se putet extra Ecclesiam Catholicam baptizatum esse.

XLVI.

Item alius Felix à 5 Marrazana dixit.

Una fides, unum baptisma; sed Ecclesiæ Catholicæ, cui soli licet baptizare.

XLVII.

Confessor Paulus (c) à 6 Bobba dixit.

Me non movet si aliquis Ecclesiæ fidem, & veritatem non vindicat, quando Apostolus dicat; Quid enim si exciderunt à fide quidam illorum? Numquid infidelitas eorum fidem Dei evacuavit? Absit. Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Si autem Deus verax est, quomodo esse apud hæreticos baptismi veritas potest, apud quos Deus non est. Rom. 3. 3.

XLVIII.

Confessor Pomponius à 7 Dionysiana dixit.

Manifestum est, hæreticos non posse baptizare, & remissionem peccatorum dare; qui potestatem non habent, ut aut solvere aut ligare aliquid in terris possint.

XLIX.

Confessor Venantius à 8 Tinisa dixit.

Si maritus peregre proficiscens amico suo commendasset uxorem suam custodiendam, commendatam sibi ille quanta possit diligentia conservaret, ne ab aliquo castitas ejus & sanctitas adulteraretur: Christus Dominus & Deus noster ad Patrem proficiscens, sponsam suam nobis commendavit; utrumne eam incorruptam & inviolatam custodiemus, an integritatem ejus & castitatem mœchis & corruptoribus prodemus? Qui enim baptisma Ecclesiæ commune cum hæreticis facit, sponsam Christi adulteris prodit.

L.

Aymnius ab 9 Ausuaga dixit.

Nos unum baptisma accepimus, & ipsum tenemus & exercemus. Qui autem dicit quia & hæreticis licet baptizare, ipse duo baptismata facit.

LI.

Saturninus à 10 Victoriana dixit.

Si licet hæreticis baptizare, excusati sunt & defensi illicita facientes. Nec video quare eos aut Christus adversarios suos, aut Apostolus antichristos appellaverit.

LII.

Alius confessor Saturninus à 11 Thucca dixit.

Gentiles quamvis idola colant, tamen 12 summum Deum Patrem creatorem cognoscunt & confitentur. In hunc Marcion blasphemat, & quidam non erubescunt Marcionis baptismum probare: quo modo tales sacerdotes, sacerdotium Dei aut servant aut vindicant, qui hostes Dei non baptizant, (d) & sic illis communicant?

LIII.

Marcellus à 13 Zama dixit.

Cum peccata non nisi in Ecclesiæ baptismo remittantur, qui hæreticum non baptizat, peccatori communicat.

LIV.

Confessor Irenæus ab 14 Ululis dixit.

Si ideo Ecclesia hæreticum non baptizat, quod dicatur jam baptizatus esse: hæresis major est.

LV.

Donatus à 15 Cybaliana dixit.

Ego unam Ecclesiam & unum baptisma ejus novi. Si est qui dicat esse apud hæreticos baptismi gratiam: ante est ut ostendat & probet esse illic Ecclesiam.

LVI. Reve-

(a) Confessor, *deest* in, *Ebor. Aug. Lam. & sic deinceps.* (b) Aut Deus, Deus est, *Aug. Lam.* (c) Ab Obba, *Aug.* (d) Sic istis, *Lam. Ebor.*

1 *Germaniciana*] Nova nimirum, ut ab Abbiritana distingueretur. Urbis hujus Episcopus tempore collat. Carthaginensis erat Innocentius. Ad Byzacenam pertinet, à Germanicarum cohortium veteranis habitata. De hac, ut & aliis plerisque, illud obtinet quod Plinius l. 4. c. 4. refert; quod *non civitates tantum, sed etiam nationes jure dici possunt.*

2 *Rucuma.*] Urbs Zeugitanæ.

3 *Luperciana.*] Forte Lubertina, memorata in coll. Carth.

4 *Midila.*] Urbs Numidiæ. De hac mentio habetur in collat. Carthag. nec non in notitia Africæ.

5 *Marrazana.*] Urbs Byzacenæ. De hujus Episcopo agitur in collat. Carth. Vict. Vit Not. Afric.

6 *Bobba.*] Urbs Mauritaniæ. Obba dicta in Not. Afric. & collat Carthag. sed codices plurimi habent Bobba, cui nomenclaturæ favet Plinius, qui in Mauritania *à Lixa* 40. *M. P. in mediterraneo Augusti coloniam Bobbam* collocat.

7 *Dionysiana*] Urbs Byzacenæ, de hac, collat. Carth. Notit. Afric.

8 *Tinisa.*] Urbs Zeugitanæ, de qua collat. Carthag. & Vict. Vit.

9 *Ausuaga.*] Videtur esse *Ausana* sive *Ausagga.* Vict. Vit. Regionis Zeugitan.

10 *Victoriana.*] Urbs Byzacenæ, de qua mentio habetur in collat. Carthag. Notitia Afric. & concil. Carthag. 3.

11 *Thucca.*] Urbs Numidiæ, Ptolem. Procop. l. 4. Castellum vocat. De hac mentio habetur in collat. Carth. Et Greg. M. l. 10. Ep. 3.

12 *Summum Deum.*] Jovem nimirum; qui pater hominum & deorum audit.

13 *Zama.*] Urbs Numidiæ. *Azama* Ptolem. A Strabone, Plinio, aliisque memorata. Hic loci Hannibal à Scipione magna strage victus.

14 *Ululi.*] Urbs Byzacenæ. Antonino, *oppidum latinum.* Plinio *Usilla municipium.* Tab. Peuting. Υ̓́σιλλα Ptolem.

15 *Cybaliana.*] Forte Cerbaliana, Byzacenæ: de qua notitia Africæ, & concil. Carth. sub Bonif.

1 *Tha-*

An. 256.

LVI.

Zosimus à 1 Tharassa dixit. Revelatione facta veritatis, cedat error veritati; quia & Petrus qui prius circumcidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti.

LVII.

Fulianus à 2 Telepte dixit. Scriptum est: Nemo potest aliquid accipere, nisi datum fuerit illi de cœlo. Si hæresis de cœlo est, potest & baptisma dare. Jo. 3. 27.

LVIII.

Confessor Faustus à 3 Timida regia dixit. Non sibi blandiantur, qui hæreticis patrocinantur. Qui pro hæreticis Ecclesiastico baptismati intercedit; illos Christianos, & nos hæreticos facit.

LIX.

(a) Geminius à 4 Furnis dixit. Quidam de collegis hæreticos præponere sibi possunt, nobis non possunt; & ideo quod semel decrevimus tenemus, ut ab hæreticis venientes baptizemus.

LX.

Rogatianus à 5 Nova dixit. Ecclesiam Christus instituit, hæresin diabolus: quo modo potest habere baptismum Christi synagoga Satanæ?

LXI.

Confessor Therapius à 6 Bulla dixit. Qui hæreticis Ecclesiæ baptisma concedit & prodit, quid aliud sponsæ Christi quam Judas existit?

LXII.

Confessor item alius Lucius à 7 Membresa dixit. Scriptum est: Deus peccatorem non audit: hæreticus qui peccator est, quo modo audiri in baptismo potest? Jo. 9. 31.

LXIII.

Item alius Felix à 8 Busslaceni dixit. In hæreticis sine Ecclesiæ baptismo admittendis, nemo consuetudinem rationi & veritati præponat: quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.

LXIV.

Alius Saturninus ab 9 Avitinis dixit. Si potest Antichristus dare alicui gratiam Christi; possunt & hæretici baptizare, qui appellati sunt Antichristi.

LXV.

Quintus ab 10 Aggya dixit. Ille potest dare aliquid, qui aliquid habuerit: hæretici autem quid possunt dare, quos constat nihil habere?

LXVI.

Alius Julianus à 11 Marcelliana dixit. Si potest homo duobus dominis servire; Deo & mammonæ, potest & baptisma duobus servire, Christiano & hæretico. Mat. 6. 24.

LXVII.

Tenax ab 12 Horreis-cœliæ dixit. Baptisma unum est, sed Ecclesiæ. Ubi Ecclesia non est, baptisma illic esse non potest.

LXVIII.

Confessor alius Victor ab 13 Assuris dixit. Scriptum est, quia Deus unus est, & Christus unus est, & Ecclesia una, & baptisma unum. Quo modo ergo illic baptizari aliquis potest, ubi Deus & Christus, & Ecclesia una non est? Eph. 4. 5.

LXIX.

Donatulus à 14 Capse dixit. Et ego semper hoc sensi, ut hæretici qui nihil foris consequi possunt, quando ad Ecclesiam convertuntur, baptizentur.

LXX.

Martyr de 15 Schismaticis. Verulus à 16 Rusiccade dixit. Homo hæreticus dare non potest quod non habet; multo magis schismaticus, qui quod habuit, amisit.

LXXI. Novi-

(a) Geminus, *August.*

1 *Tharassa.*] Urbs Numidiæ, de qua Notit. Afric. forte Θάρρηο Ptolem.

2 *Telepte.*] Urbs Numidiæ Byzacenæ, de qua Procop. l. 4. Ædif. Just. collat. Carthag. Conc. Zellens. Conc. Carth. 4. Notit. Afric. & Vict. Vit.

3 *Timida.*] Urbs Zeugit. sive Timida regia. In collat. Carthag. scribitur Tumida.

4 *Furni.*] Urbs Zeugit. de qua agitur in collat. Carth. & Concil. Carthag. sub Bonif.

5 *Nova.*] Urbs Mauritaniæ Cæsarienſ. mentio ejus habetur in collat. Carthag. *Novæ* sive *Nobæ*. plurimæ sunt in Numidia.

6 *Bulla.*] Urbs Zeugitanæ. Duæ fuerunt cognomines. Βυλλαρία quæ & *Bulæ* & *Bulla regia*; & Βυλλαμίνα seu Bulla minor. Ptolem. Bullæ etiam regiæ meminit Antoninus, & Carthagine 131. M. P. statuit. De his Vict. Vit. Not. Afric. & Concil. Carth. 3 Episcopi Bullamensis mentio in concil. Carthag. An. 525.

7 *Membresa.*] Potius *Memosita*, Urbs Zeugit. secundum Antonin. 47. M. P. à Carthagine: scribitur etiam Membrosa. De hac, in Notitia Afric. & collat. Carth.

8 *Busslacene.*] Reponendum crediderim, *Byzacene*. Bycacium enim Βυζακίνην appellat Ptolemæus; cujus regionis fertilitatem miris modis effert Plinius non uno in loco. De hujus urbis Episcopo mentio habetur in collat. Carthag.

9 *Avitini.*] Videtur esse *Autenti*, Urbs Byzacenæ Antonino, non procul à Thenis, de qua mentio in Epistola synodali provinciæ Byzacenæ, & in Notitia Afric. & Vict. Vit.

10 *Aggya.*] Videtur esse *Aggiva*, de qua habetur mentio in collat. Carthag.

11 *Marcelliana.*] Episcopi Marcellianensis mentio habetur in Notitia Episcopat. Africæ.

12 *Horreacælii.*] Antonino *Horrea Cœlia vicus* Byzacenæ pertinet, & 75. M. P. à Carthagine abest.

13 *Assuri.*] Urbs Zeugit. collat. Carthag. Vict. Vit.

14 *Capsa.*] Urbs Byzacenæ, de qua mentio habetur in collat. Carthag. concil. Carthag. sub Grato. Not. Afric. & Vict. Vit.

15 *De schismaticis.*] Eo ut videtur, loquendi genere positum, quo dicitur Ep. 42. *Repostus de extorribus.* Verulus scil. martyrio nobilis, licet olim schismaticus. Supra adnotatum elogia hæc omnia in plerisque exemplaribus omitti.

16 *Rusiccade.*] Urbs Numidiæ Plinio & Antonino, de qua mentio apud Optat. l. 1. & August. Cont. Fulgent. c. 12.

An. 256.

LXXI.

Fudentianus à 1 Cuculi dixit.

Novitas (a) Episcopatus effecit, fratres dilectissimi, 2 ut sustinerem quid majores judicarent. Nam hæreses nihil habere, nec posse manifestum est; atque ita si qui ex eis venerint, baptizare æquissime statutum est.

LXXII.

Martyr Petrus ab 3 Hippone diarrhito dixit.

Cum baptisma unum sit in Catholica Ecclesia; manifestum est, non posse extra Ecclesiam baptizari. Et ideo in hæresi tinctos sive in schismate, venientes ad Ecclesiam censeo baptizari oportere.

LXXIII.

Item alius Lucius ab 4 Ausafa dixit.

Secundum motum animi mei, & Spiritus sancti, cum sit unus Deus pater Domini nostri Jesu Christi, & unus Christus, & una spes, & unus spiritus, & una Ecclesia; unum debet esse & baptisma. Et ideo dico, si quid ab hæreticis motum aut factum fuerit, rescindi debere, & eos qui inde veniunt in Ecclesia baptizandos esse.

LXXIV.

Item alius Felix à 5 Gurgitibus dixit.

Ego censeo ut secundum sanctarum scripturarum præcepta, (b) baptizatus ab hæreticis illicite extra Ecclesiam, cum ad Ecclesiam confugere voluerit, gratiam baptismi ubi (c) licite datur, consequatur.

LXXV.

Pusillus à 6 Lamasba dixit.

Ego credo baptisma salutare non esse, nisi in Ecclesia Catholica. Quidquid absque Catholica fuerit, simulatio est.

LXXVI.

Martyr Salvianus à 7 Gazaufala.

Hæreticos nihil habere constat; & ideo ad nos veniunt, ut possint accipere quod non habent.

LXXVII.

Honoratus à 8 Thucca dixit.

Cum Christus veritas sit, magis veritatem quam consuetudinem sequi debemus; ut hæreticos qui ideo ad nos veniunt, quia foris nihil accipere potuerunt, Ecclesiæ baptismo sanctificemus.

LXXVIII.

Victor ab 9 Octavo dixit.

Quod & ipsi scitis, non olim sum episcopus constitutus, & ideo expectabam præcessorum consilium. Hoc itaque existimo, ut quicunque ex hæresi venerint, sine dubio baptizentur.

LXXIX.

Confessor Clarus à 10 Mascula dixit.

Manifesta est sententia Domini nostri Jesu Christi, Apostolos suos mittentis, & ipsis solis potestatem à patre sibi datam permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes, & credentium fidem baptizantes. Et ideo hæretici qui nec potestatem foris, nec Ecclesiam Christi habent, neminem baptizare baptismo ejus possunt.

LXXX.

Martyr Secundianus à 11 Thambeis dixit.

Non debemus hæreticos nostra præsumtione decipere, ut in Ecclesia Domini nostri Jesu Christi non baptizati, ac per hoc remissionem peccatorum non consecuti, cum judicii dies venerit nobis imputent, quod per nos non sint baptizati, & indulgentiam divinæ gratiæ consecuti. Propter quod, cum sit una Ecclesia, & unum baptisma, quando ad nos convertuntur, simul cum Ecclesia, & Ecclesiæ baptisinum consequantur.

LXXXI.

Item alius Aurelius à 12 Chullabi dixit.

Joannes Apostolus in Epistola sua posuit dicens: Si quis ad vos venit, & doctrinam Christi non habet, nolite eum admittere in domum vestram, & ave, illi ne dixeritis. Qui enim dixerit illi, ave, communicat factis ejus malis. Quomodo admitti tales temere in domum Dei possunt, qui in domum nostram privatam admitti prohibentur? aut quomodo cum eis sine Ecclesiæ baptismo communicare possumus, quibus, si ave, tantum dixerimus, factis eorum malis communicamus? 2 Jo. 1. 10.

LXXXII.

Confessor Littæus à 13 Gemellis dixit.

Cæcus si cæcum ducat, ambo in foveam cadunt. Cum ergo hæreticos constet non posse illuminare quenquam, ut pote cæcos, baptisma eorum non valet.

LXXXIII.

(a) Episcopatus mei, *Lam.* (c) Et Auctoritatem Dei, *Bod.* 2. (c) Licet &, *Lam.*

1 *Cuiculum.*] Urbs Numidiæ Antonino, de qua mentio habetur collat. Carthag. Notit. Afric. & concil. Carthag. Grati.

2 *Ut justinerem.*] Expectarem. Pariter Victor ab Octavo infra dicit, *expectabam præcessorum consilium.*

3 *Hippo diarrhitus.*] Urbs Zeugit. *oppidum ita dictum*, interprete Plinio, *propter aquarum irrigua.* De hac Anton. Notit. Afric. & collat. Carthag.

4 *Ausafa.*] Urbs Zeugit. quæ etiam scribitur *Assapha.* De hac August. l. 3. cont. Cres. c. 19. & 53. Vict. Vit. & collat. Carthag.

5 *Gurgites.*] Urbs Byzacenæ, *Gurgaita* Victori Vitens.

6 *Lamasba.*] Urbs Numidiæ, Antonino, qui 62. M. P. à Tamaguda, & etiam Sitifi distare dicit: mentio itidem ejus occurrit in collat. Carthaginiensi.

7 *Gazaufala.*] Urbs Numidiæ. Γαυσάφια Ptolem. γαζόφυλα Procopio. De hac August. Ep. 66. & collat. Carthag.

8 *Thucca.*] Quatuor in Africa Urbes istius nominis.

9 *Octavum.*] Urbs Numidiæ, quæ & *Octabum* dicitur in Notitia Africæ, & Vict. Vit. *Octavensem locum* appellat Optat. l. 3.

10 *Mascula.*] Urbs Numidiæ Antonin. collat. Carthag. Optat. l. 1. & Concil. Carth. sub Bonit.

11 *Thambei.*] Urbs Byzacenæ, de qua Collat. Carthag. & Vict. Vit.

12 *Chullabi.*] Videtur esse *Cululi*, Urbs Byzacenæ, Κύλλαις Procopio l. 4. ædific. de qua collat. Carthag. & Vict. Vit.

Gemelli.] Urbs Numidiæ Antonin. Colonia Romana sub Hadriano Imp. deducta, ut Ligorius ex ejus nummo docet ÆLIA HADRIANA GEMILLINA De hoc Litteo videtur mentio habita Epist. Cyp. 76.

1 *Oea.*]

An. 256.

LXXXIII. IV. V.

Natalis ab 1 *Oea dixit.*

Tam ego præſens, quam Pompeius 2 Sabratenſis, quam etiam Dioga 3 Leptimagnenſis, qui mihi mandaverunt corpore quidem abſentes, ſpiritu præſentes, cenſemus quod & collegæ noſtri; quod hæretici communicationem habere nobiſcum non poſſunt, niſi Eccleſiaſtico baptiſmo baptizati fuerint.

LXXXVI.

Junius à 4 *Neapoli dixit.*

Ab eo quod ſemel cenſuimus non recedo, ut hæreticos venientes ad Eccleſiam baptizemus.

LXXXVII.

Confeſſor & Martyr Cyprianus à Carthagine dixit.

5 Meam ſententiam pleniſſime exprimit 6 epiſtola quæ ad Jubaianum collegam noſtrum ſcripta eſt; hæreticos ſecundum Evangelicam & Apoſtolicam conteſtationem adverſarios Chriſti & Antichriſtos appellatos, (a) quando ad Eccleſiam venerint, unico Eccleſiæ baptiſmo baptizandos eſſe, ut poſſint fieri de adverſariis amici, & de Antichriſtis Chriſtiani.

(a) Si quando, *Lam. Bod.* 2.

1 *Oea.*] Urbs Tripolitanæ. De hac mentio habetur in collat. Carth. & Notit. Afric. Plinio eſt, *civitas Oeenſis.*

2 *Sabra.*] Urbs Tripolitanæ. *Sabrata* Plinio. De hac mentio habetur in collat. Carthag. Auguſt. l. 3. contra Creſcon. c. 53. & Vict. Vit. Pompeius urbis hujus Epiſcopus, ille ipſe videtur ad quem celebrem Epiſtolam ſcripſit Cyprianus in cauſa baptiſmi hæreticorum, contra Stephanum. Obſervari poterit, ab ultima antiquitate abſentibus epiſcopis jus ſuffragii non periiſſe, ſi modo alicui ex collegis vices ſuas obeundi poteſtatem fecerint. Et quidem fortaſſis hinc non prorſus abludit illud quod dicitur, 1 Cor. 5. 4. ut ſcil. Epiſcopi Achaiæ congregati ſynodice, in Corinthium inceſtum animadverterent per Eccleſiæ cenſuras; *cum* abſentis Apoſtoli *ſpiritu.*

3 *Leptiſmagna.*] Urbs Tripolitanæ, ex tribus Urbibus, Taphri, Abrotono, & Lepti magna conflata. Hanc memorant Plinius, Solinus, Antoninus & Ptolem. De Lepti minore ſuperius actum.

4 *Neapolis.*] Urbs Tripolitanæ. Ptolemæo Tripolis ipſa: ait enim Νεάπολις ἡ καὶ τρίπολις, ἡ καὶ λέπτις μεγάλη. Sed ea de qua hic agitur eſt alia Neapolis, ſcil. Zeugitanæ Antonino, juxta Curubin, quæ Colonia Ptolemæo dicitur. De qua mentio in collat. Carthag. & Concil. Carth. An. 419. ſub Bonif.

5 *Meam ſententiam.*] Quanquam dogmatis hujus invidia in Cyprianum noſtrum imprimis rejiciatur, illud tamen non tantum 87. Epiſcoporum Africæ, Numidiæ, & Mauritaniæ ſuffragiis fultum, ſed longe diffitarum Eccleſiarum; per Ægyptum, Aſiam, & Europam ſparſarum, conteſſeratione erat firmatum. Canon. Apoſt. 46. dicit. ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον αἱρετικῶν δεξαμένης βάπτισμα, ἢ θυσίαν, καθαιρεῖσθαι προστάσσομεν, τίς γὰρ συμφώνησις χριστῷ πρὸς βελιὰρ; ἢ τίς μερὶς πιστῷ μετὰ ἀπίστου; Ita etiam diu ante motam cum Stephano litem decreverant Synodi Iconienſis, & etiam Synadenſis Patres, quemadmodum diſcimus à Dionyſio Alexandrino, apud Euſeb. l. 7. c. 7. μὴ νῦν οἱ ἐν ἀφρικῇ μόνον τοῦτο παρεισήγαγον, ἀλλὰ καὶ πρὸ πολλοῦ μετὰ τοὺς πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπους, ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις, καὶ ταῖς συνόδοις τῶν ἀδελφῶν, ἐν ἰκονίῳ καὶ συνάδοις, ᾗ παρὰ πολλοῖς τοῦτο ἔδοξεν, ὧν τὰς βυλὰς ἀνατρέπων, εἰς ἔριν καὶ φιλονεικίαν αὐτοὺς ἐμβαλεῖν οὐκ ὑπομένω, εἰ γὰρ μετακινήσεις, φησὶν ὅρια τοῦ πλησίον σου ἃ ἔθεντο οἱ πατέρες σου. De Iconienſi Synodo, eadem fere teſtatur Firmilianus. *Totum nos jampridem in Iconio, qui Phrygiæ locus eſt, collecti in unum, convenientibus ex Galatia & Cilicia, & ceteris proximis regionibus, confirmavimus.* Addit porro. *Nos, veritati & conſuetudinem jungimus, & conſuetudini Romanorum; conſuetudinem, ſed veritatis opponimus: ab initio hoc tenentes quod à Chriſto & Apoſtolis traditum eſt. Nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpiſſe, cum ſemper illic obſervatum ſit, ut non niſi unum Deum noſſemus, & ſanctum baptiſma non niſi Eccleſiæ computaremus.* Cyprianus Epiſt. ad Jubaianum ait, *multos jam annos & longam tranſiiſſe ætatem ex quo ſub Agrippino, bonæ memoriæ viro, convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint.* Et Epiſtola ad Quintum; non à deceſſore, ſed *Anteceſſoribus* ſuis ſtatutum affirmat. Inſuper Tertullianus l. de baptiſmo c. 15. *Unus omnino baptiſmus eſt nobis, tam ex Domini Evangelio, quam ex Apoſtoli literis: quoniam unus Dominus, & unum baptiſma, & una Eccleſia in cœlis. Sed circa hæreticos ſane quid cuſtodiendum ſit digne quis retractet. Ad nos enim editum eſt: hæretici autem nullum habent conſortium noſtræ diſciplinæ, quos extraneos utique teſtatur ipſa ademtio communicationis. Non debeo in illis cognoſcere quod mihi eſt præceptum, quia non idem Deus eſt nobis & illis; nec unus Chriſtus, id eſt, idem. Idcoque nec baptiſmus unus, quia non idem; quem cum rite non habeant, ſine dubio non habent; nec capit numerari quod non habetur. Ita nec poſſunt accipere, quia non habent.* Pariter in l. de præſcript. *Nemo inde ſtrui poteſt, unde deſtruitur: nemo ab eo illuminatur, à quo contenebratur.* Si ad Concilii Nicæni tempora deſcendamus, apparebit, ſynodi iſtius Patres, contra quod plurimi contendunt, litem hanc minime diremiſſe. Dicit quidem Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos. Quod *Nicæna ſynodus omnes hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis.* Magis tamen caute agit Auguſtin. qui licet ſuam de baptiſmo ſententiam, *plenario totius orbis concilio, remotis dubitationibus firmatam*; ac *plenarii concilii ſincerum & eliquatum eſſe placitum, totiuſque orbis catholici conſenſum.* Porro *jam in ipſa totius mundi unitate diſcuſſum, conſideratum, perfectum, atque firmatum*: tamen, quod annotant Lovanienſes, *nuſquam neque nomen, neque locum concilii Auguſtinus expreſſit.* Credetne aliquis Nicænos Patres ſtatuiſſe ut à quacunque hæreſi ad Eccleſiam venientes, exceptis Pauli Samoſateni aſſeclis, ſine iterato baptiſmo admitterentur? Nimirum Marcionitas, Valentinianos, Ebionitas, Carpocratianos, Manichæos, & reliquam lernam potiore loco habitos, præ Samoſateni ſequacibus. Pace Balſamonis inducor ut credam, non perinde eſſe ſi παυλιανισταὶ aut παυλικιανοὶ, aut παυλιανίσαντες dicantur; ſed ultimam hanc vocem prædictos patres elegiſſe, ut omnes hæreticos, Pauli in morem ab orthodoxa fide quoquo modo errantes, comprehenderent. περὶ τῶν παυλιανισάντων εἰς τὴν προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ὅρος ἐκτέθειται, ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος. Quibus verbis diſerte dicitur, qui ſint per Eccleſiæ repetitum baptiſma admittendi; ſed ut alii ſine baptiſmo admitterentur, altum eſt ſilentium. Zonaras de Concilio noſtro Carthaginienſi hoc unum adnotat; quod ejus ſententiæ ex parte ſit derogatum; ſiquidem ὅτε ἐπὶ αἱρετικοῖς ἐκράτησαν πᾶσιν, ὅτε ἐπὶ τοῖς χισματικοῖς. Et in hujus aſſertionis probationem affert, non Concilium Nicænum, ſed Conſtantinopolitanum primum. Certe qui poſt Concilium Nicænum variis in locis ſcripſerunt Patres, quique venerandi illius conſeſſus decreta, nec ignoraſſe cenſendi ſunt, nec contemſiſſe; placitum hoc minime *eliquatum, diſcuſſum, conſideratum, perfectum atque firmatum* credidere. Optatus Milevitanus, Parmeniano Donatiſtæ, orthodoxos quaſi omnium hæreticorum ſacramenta ratificantes ridenti, reſpondens diſerte ait; apud ipſos *non eſſe ſacramenta, aquam illis eſſe mendacem.* & lib. 4. & 5. docet generatim apud Hæreticos *nulla eſſe ſacramenta.* Unde Albaſpinæus hoc ſcholion apponit. *Ego ex hoc & aliis multis locis conjicio, quod Optatus non exiſtimat hæreticos poſſe baptizare.* In hac ipſa ſententia fuit Magnus Baſilius qui Can. 1. de Hæreticis in genere dicit, τούτοις δὲ δῆλον ὅτι ἄνευ βαπτίσματος ἡ ἐκκλησία οὐ παραδέχεται. & Can. 20. Encratitas, Saccophoros, & Apotactitas recenſens, ſummatim ait, ἡμεῖς μέν τοι ἐν λόγῳ ἀναβαπτίζομεν τοὺς τοιούτους. & Canon. 47. οὐ δεχόμεθα ἂν αὐτοὺς εἰς τὴν ἐκκλησίαν, ἐὰν μὴ βαπτισθῶσιν εἰς τὸ ἡμέτερον βάπτισμα. Succenturiatur iſtis Cyrillus Hieroſolymitanus, qui in præfatione ait, εἷς κύριος, καὶ μία πίστις, καὶ ἓν βάπτισμα, μόνον γὰρ οἱ αἱρετικοὶ ἀναβαπτίζονται, ἐπειδὴ τὸ πρότερον οὐκ ἦν βάπτισμα. Athanaſ. orat. 3. contra Arianos, de eorum baptiſmo dicit, πῶς δ' παντελῶς κενὸν καὶ ἀλυσιτελὲς τὸ παρ' αὐτοῖς διδόμενόν ἐστι, πρόσπαιξιν μὲν ἔχον, τῇ δ' ἀληθείᾳ μηδὲν ἔχον πρὸς εὐσέβειαν βοήθημα; Et ſi prætexatur eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti baptizare, reponit, ὥσπερ δὲ ἄλλο ἐστὶ κτίσμα παρὰ τὸν υἱὸν, ὅτως ἄλλο ἂν εἴη τ' ἀληθείας τὸ παρ' αὐτῶν νομιζόμενον δίδοσθαι, καὶ' ὃ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, διὰ τὸ γεγραμμένον, ὀνομάζειν προσποιῶνται. Ait porro, πολλαὶ γοῦν καὶ ἄλλαι αἱρέσεις λέγουσι τὰ ὀνόματα μόνον, μὴ φρονοῦσι δὲ ὀρθῶς, ὡς εἴρηται, μηδὲ τῇ πίστει ὑγαίνουσαν ἔχουσαι, ἀλυσιτελὲς ἔχουσι καὶ παρ' αὐτῶν διδόμενον ὕδωρ λειπόμενοι εὐσεβείᾳ, ὥστε καὶ τὸν ῥαντιζόμενον παρ' αὐτῶν ῥυπαίνεσθαι μᾶλλον ἐν ἀσεβείᾳ, ἢ λυτροῦσθαι. Et inter eos qui integram baptiſmatis formulam ſervant, recenſet Manichæos,

chæos, Phrygas, ac Paulianiſtas. Adeo nondum invaluit concilii Arelatenſis 1. decretum, cui Auguſtinus ſe addixit. *Si quis ab hæreſi venerit, interrogent eum Symbolum, & ſi perviderint eum in Patre & Filio, & Sp. Sancto eſſe baptizatum, manus ei tantum imponatur*, &c. Concilium quidem Conſtantinopolitanum canone 7. hac ex parte Arianis gratiam fecit, nec non Macedonianis, Sabbatianis, Novatianis, Quartadecimanis & Apollinariſtis; ut Chriſmate ſolum adhibito in Eccleſiam admitterentur: ſed ex adverſo, ab iis decretum, quod Eunomianos, Montaniſtas, Sabellianos, καὶ τὰς ἄλλας πάντας αἱρέσεις, πάντας τοὺς ὑπ' αὐτῶν θέλοντας προστίθεσθαι τῇ ὀρθοδοξίᾳ, ὡς Ἕλληνας δεχόμεθα, καὶ τὴν πρώτην ἡμέραν ποιοῦμεν αὐτοὺς χριστιανοὺς, τὴν δὲ δευτέραν κατηχουμένους, εἶτε τῇ τρίτῃ ἐξορκίζομεν αὐτοὺς, καὶ ἐμφυσῶμεν τρίτον εἰς τὸ πρόσωπον, καὶ εἰς τὰ ὦτα. καὶ οὕτως κατηχοῦμεν αὐτοὺς, καὶ ποιοῦμεν χρονίζειν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἀκροᾶσθαι τῶν γραφῶν, καὶ τότε αὐτοὺς βαπτίζομεν. Utrum ex paritatis ratione, qui non gravius errarunt Arianis, Macedonianis, reliquiſque enumeratis hæreticis, canonis hujus virtute per Chriſma in Eccleſiam ſint admittendi, non obſtantibus verbis illis generatim perſtringentibus τὰς ἄλλας πάσας αἱρέσεις, minime dixerim: certe Balſamon in locum, credidit, ὅτι πάντες οἱ βαπτιζόμενοι εἰς μίαν κατάδυσιν, πάλιν βαπτίζονται. Quanquam non ita multo poſt, Gregorius M. trinam merſionem ex Hiſpania proſcripſit, dicens l. 1. Epiſt. 41. *Ne dum quid faciebant, faciunt; noſtrum ſe morem viciſſe glorientur.* Quæ ejus ſententia, à quarta Toletana Synodo confirmata erat. Ubi decretum, *Simplam teneamus baptiſmi merſionem.* Agnoſco gravem & diuturnam de hæreticorum baptiſmo controverſiam, egregiis D. Auguſtini ſcriptis feliciter tandem aliquando diſcuſſam, &, ut ejus verbo utar, *eliquatam*: cujus invictis rationibus ceſſit, qua patet Chriſtianus orbis; & unam fidem ſaltem de baptiſmo habuit, quod & unicum agnovit ſemper, donec hoc noſtro ſeculo Anabaptiſtarum furores; non Eccleſiarum modo, ſed etiam graviſſimo rerumpublicarum damno recruduerunt. Promtum eſt dicere, Canone 8. Concilii Nicæni decretum; περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν αὐτοὺς καθαροὺς ποτε, προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ ὥστε χειροθετηθέντας αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ. Nimirum ut Novatiani non tantum pro Chriſtianis, ſed etiam, ſi ad clerum admiſſi, pro clericis habeantur. Novatianis quidem eo promtior venia, quia, ut ait Balſamon, ὡς τὴν πίστιν σφαλλόμενοι, ἀλλ' ὡς ἀτυμπαθεῖς καταχρηνόμενοι. Sed ſi perpendantur quæ canonibus ſequentibus, ſcil. nono & decimo habentur, ſcil. quod graviorum criminum rei, aut etiam lapſi, ſi ad ſacros ordines promoveri contingat, τοὺς ὁ κακῶν ἅπτεται, & γνωσθέντες καθαιροῦνται, ſuſpicabitur hos tres canones, non de admiſſione in Eccleſiam quidquam ſtatuere; ſed de gradu Eccleſiaſtico ſuſcepto; aut retinendo, aut amittendo præſcribere; nimirum ut ordines, ſive per ſurreptionem, ſive alias collati hominibus olim Novatianarum partium, καθαροῖς ποτὲ, rati habeantur: criminum vero graviorum, aut Apoſtaſiæ compertis conceſſi; prorſus irriti æſtimentur. Sed nihil ſtatuo. Unum obſervare liceat. D. Auguſtinum qui in baptiſmi negotio Cypriani auctoritate plurimum premebatur, cauſæ ſuæ adverſus tam grave præjudicium, unicum fere præſidium petiviſſe, quod diceret, nihil ab Eccleſia eo uſque definitum: & proinde Cypriani errorem qui deceſſorum placitis & decretis mordicus inſiſtebat, extra noxam fuiſſe: præſertim cum neminem condemnaret qui alibi gentium agens, ubi canones iſti non obtinuerant, Eccleſiæ ſuæ moribus uteretur: nec ex adverſo illi impegit, quod ex hodierna Romanenſium Theologia palmarium, & omnino obvium occurreret, infallibilis cathedræ dictata, aut ſucceſſoris Petri, atque Chriſti vicarii jura pluſquam regalia; non ſine hæreſeos, imo læſæ majeſtatis nota, atque ſalutis æternæ diſpendio, à quoquam violanda. Nimirum infallibilitatis arcanum, & tranſmarina imperia, minime agnoverunt Africani Patres. Porro, Sanctus erat Cyprianus, erat beatiſſimus Martyr, licet à placitis, imo communione Pontificis Romani alienus.

5 *Epiſtola quæ ad Jubaianum.*] Græci pro Epiſtola ad Jubaianum, illam ad Januarium ſuppoſuere, & tanquam canonem Concilii hujus, eam totam inſerebant ſuis codicibus. Ita dicunt, ſynodum hanc πασῶν τῶν συνόδων προγενεστέραν, & celebratam ἐπὶ δεκὶᾳ βασιλέως. Porro Novatum Presbyterum Romanum, Novatianæ hæreſi originem atque nomen dediſſe. In errorem errori cumulant, inter alios, Balſamon & Zonaras; & ſolenne eſt Orientalibus fere univerſis, in rebus Occidentalium perpetuo hallucinari.

SANCTI

SANCTI CÆCILII CYPRIANI EPISTOLÆ.

EPISTOLA I.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus & plebi (a) Furnis 2 consistentibus, Salutem.

Ad Pamelii numeros Epist LXVI. Ad Er asmianum. lib. 1. Ep. 9.

GRAVITER commoti sumus ego & 3 collegæ mei qui præsentes aderant, & 4 compresbyteri nostri qui nobis (b) assidebant, fratres carissimi, cum cognovissemus quod Geminius Victor frater noster de seculo excedens, 5 Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominaverit: cum jam pridem in concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de Clericis, & Dei ministris tutorem vel (c) curatorem testamento suo constituat, quando singuli divino sacerdotio honorati, & in (d) Clerico ministerio constituti, non nisi altari & sacrificiis deservire, & precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum est enim: Nemo militans Deo (e) obligat se

Hæc & tres succedentes Epistolæ scriptæ in pace ante sessum, An. 249. Fabiano Romæ sedente.

Act. 6. 2. 3.
2 Tim. 2. 4.

1 *Ad Clerum & Plebem Furnitanorum a de Victore, qui Faustinum Presbyterum tutorem nominavit.*

(a) Furnis consistentem, *Thu. Foss. Mic.* (b) Assistebant, *Foss. Spir. Remb.* nobiscum assidebant. *Thu. Corb.* 2. (c) Custodem, *Lam. Ebor. Ben.* (d) Clericali, *Spir. Remb.* (e) Implicat, *Foss.*

1 *Ad Clerum & Plebem.*] Semel monere par erit, titulos hosce omnes à librariis pro eorum captu appositos; & proinde sæpius non magni pretii esse. De vocum vero istarum origine & usu videantur quæ infra Ep. 8. dicenda habeamus.

2 *Consistentibus.*] Formula hæc sæpius occurrit, & plus sibi velle videtur quam ut designaret fratres qui Furnis fuerant, aut qui consisterent cum assiderent Presbyteri. Ea potius mente appositam credamus, qua infra fratres stantes & consistentes appellantur, quatenus ab ἀποστάταις & lapsis, schismaticis atque hæreticis distingueret.

3 *Collegæ mei qui præsentes.*] Eminentiss. Baronius, Pamelius, quique nuper Concilia ediderunt, Epistolam hanc in Synodo quadam post reditum Cypriani ex secessu scriptam volunt. Sed è contra, solenne fere est Cypriano in Epistolis Synodicis nomina Episcoporum apponere; unde satis verisimile videtur, Episcopos de quibus hic mentio occurrit, ex causa minus solenni præsentes fuisse, quo tempore designationis istius à Victore factæ, nuncius accederet. Certe in Epistola 34. ad Pamelii numeros 28. mentio habetur *Collegarum qui præsentes erant*, ubi nulla celebrati concilii potest esse suspicio. Occasionem conjecturæ de tempore scriptæ Epistolæ videtur dedisse locus ille concilii Carthaginiensis 87. Episcoporum de baptizandis hæreticis, ubi Geminii à Furnis nomen habetur: hunc eundem credebant viri eruditi cum Geminio Victore, & proinde illum è vivis excessisse aliquanto post istam Synodum. Sed minus credibile est Geminium hunc Episcopum fuisse, tum ob facti ipsius notam, tum etiam quod fratrem eum, non collegam Cyprianus appellet. Sed esto Geminius Victor fuerit Episcopus, nonne pariter probabile, Geminium Faustinum etiam Episcopum fuisse; & qui eo tempore cum testamento alterius Geminii curator constitueretur, Furnitanorum Ecclesiæ erat Presbyter; deinceps, & speciatim concilii prædicti tempore, ad Episcopatum fuerat promotus? Quin istis addi poterit, in Synodo illa, ex fide nonnullorum codicum, & etiam D. Augustini; non Geminius, sed Geminus, Furnitanorum Episcopus perhibetur. Sed missa hac de nomine controversia, rationem reddamus immutati ordinis, & quare epistolam hanc non post reditum ex secessu, quod viris doctissimis placuit, scriptam censeamus; sed sub ipsis episcopatus Cypriani initiis, Philippis adhuc imperium retinentibus exaratam. Et primum, Victoris factum pacis illa tempora quæ Cyprianus in libro de Lapsis describit, respicere videtur; quando, ut ejus verbis utar, *Non in sacerdotibus religio devota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina; quando Episcopi plurimi, quos & hortamento esse oporteret cæteris & exemplo, divina procuratione contemta, procuratores rerum secularium fierent.* Et quidem non satis sanæ mentis videretur Geminius, si supremis tabulis tutorem scripsisset Christianum presbyterum sub Decianæ persecutionis æstu, aut certe illo nondum deflagrante; illumque alienæ salutis vindicem assignasset, qui de capite suo indies esset periclitaturus. Porro cum Cyprianus hac in Epistola expresse dicat, canonem illum qui prohibet ne clerici à fidelium quocunque tutores nominentur, ab *episcopis antecessoribus suis* sancitum, & tamen *formam* eam *nuper* datam; rei huic gestæ minime quadrabunt extrema Episcopatus ejus tempora. Non est dissimulandum, dicere etiam Cyprianum, *hoc jam pridem in concilio fuisse statutum*: at voces illæ, ex Cypriani loquendi more, tempus brevissimum denotant, quod infra videbimus in Epist. 57. ad Pamelii numeros 54. ubi Auctor noster rem ante annum vix gestam *jampridem statutam* fuisse ait. Sed de istis videantur Annales An. 249. §. 9.

4 *Presbyteri qui nobis assidebant.*] Ex utraque parte, Scil. Ignatius ad Magnes. illos Salutat, μετὰ τῆς ἀξιοπρεπεστάτης ἐπισκόπου, καὶ πνευματικῆς στεφάνης τῆς πρεσβυτερίδος. Theodor. l. 5. c. 3. docet quod ὁ μέσος θῶκος ad Episcopum pertineat. Imo viri eruditi ad hunc Episcopi in cleri medio sedendi morem, trahunt quæ habentur, Apoc. 4. 2.

5 *Geminium Faustinum Presbyterum tutorem.*] Observandum hoc loco, ex jure Romano, tutelam pupillorum, pro munere publico habitam, onus fuisse à quo non nisi ex certis iisque gravissimis causis lege definitis excusatio concedebatur; quas qui scire velit adeat lib. 1. Instit. tit. 25. Quanquam vero minime expectandum, ut privilegio aliquo tam peculiari, ex indulgentia ethnicorum Imperatorum fruerentur sacerdotes Christiani; tamen ex mutuo inter se consensu, & vi canonum caveri potuit ne Christianus aliquis, id oneris cuiquam de clero vellet imponere, idque sub pœnis iisdem canonibus contentis. Constantinus revera Imperator rerum potitus, nihil antiquius habuit quam ut immunitates clero Christiano privatim factas, multiplici auctario cumulatas, legibus latis muniret. Huc facit rescriptum quod Eusebius memorat ad Anulinum Proconsulem Africæ lib. 10. c. 7. quodque & ipse Anulinus respicit in Epistola sua ad Constantinum, quamque laudat D. Augustinus Epist. 68. ad Jan. & habent acta collat. Carthaginiensis die 3. num. 216. & 220. Huc etiam spectat lex illa quæ prid. Calend. Nov. Constant. Aug. III. & Licinio III. Coss. hoc est Anno Christi 313. edita. *Hæreticorum*, ait Imp. *factione comperimus, Ecclesiæ Catholicæ clericos ita vexari, ut nominationibus seu susceptionibus aliquibus quas publicus mos exponit, contra indulta sibi privilegia prægraventur. Idque placet, si quem tua Gravitas invenerit ita vexatum, eidem alium subrogari, & deinceps à supradictæ religionis hominibus hujusmodi injurias prohiberi.* Imo & alias deinceps leges extorsit Donatistarum importunus furor. At vero eodem fere seculo, pace Ecclesiæ reddita, & pacis longæ malis suppullulantibus; cum turpis lucri causa secula-

An. 249. ſe (a) moleſtiis ſecularibus, [1] ut poſſit placere ei cui ſe probavit. Quod cum de omnibus dictum ſit, quanto magis Clerici moleſtiis & laqueis ſecularibus obligari non debent, qui (b) divinis rebus & ſpiritalibus occupati, ab Eccleſia recedere, & ad terrenos & ſeculares actus vacare non poſſunt?

Levitæ miniſterus divinis vacantes, argumento ſunt Chriſtianos pariter ſacerdotes, moleſtiis ſecularibus eximendos.

Cujus ordinationis & religionis formam Levitæ prius in lege tenuerunt, (c) ut cum terram dividerent, & poſſeſſiones partirentur undecim tribus, Levitica tribus, quæ templo & altari, & miniſteriis divinis vacabat, nihil de illa diviſionis portione perciperet; ſed aliis terram colentibus, illa tantum Deum coleret, & ad victum atque alimentum ab undecim tribubus de fructibus qui naſcebantur, decimas (d) reciperet. Quod totum fiebat de auctoritate & diſpoſitione divina, ut qui operationibus divinis inſiſtebant, in nulla re avocarentur; nec cogitare, aut agere ſecularia cogerentur. Quæ nunc ratio & forma in Clero tenetur, ut qui in Eccleſia Domini, (e) ordinatione Clerica promoventur, (f) in nullo ab adminiſtratione divina avocentur; nec moleſtiis & negotiis ſecularibus alligentur, ſed [2] in honore (g) ſportulantium fratrum, [3] tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & ſacrificiis non recedant, ſed die ac nocte cœleſtibus rebus & ſpiritalibus ſerviant. Num. 18. 20.

Canone cautum ut qui onera iſta impoſuerit, poſt mortem jure oblationum excidat.

Quod Epiſcopi anteceſſores noſtri religioſe conſiderantes, & ſalubriter providentes, cenſuerunt ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam Clericum nominaret: ac ſi quis hoc feciſſet, non offeretur pro eo, nec (h) ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in ſacerdotum prece, qui ab altari ſacerdotes & miniſtros voluit avocare. Et ideo Victor cum contra formam nuper in Concilio à ſacerdotibus datam, Geminium Fauſtinum Presbyterum auſus ſit tutorem conſtituere, [4] non eſt quod pro dormitione ejus apud vos fiat (i) oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Eccleſia frequentetur. Ut Sacerdotum decretum religioſe & neceſſarie factum ſervetur à nobis, ſimul & ceteris fratribus detur exemplum, ne quis ſacerdotes & miniſtros Dei altari ejus & Eccleſiæ vacantes, ad ſeculares moleſtias devocet. Obſervari enim de cetero poterit, ne ultra hoc fiat circa perſonam Clericorum, ſi quod nunc factum eſt, fuerit vindicatum. (k) Opto vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere.

(a) Negotiis, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (b) *Sic Bod.* 1. *Lin. NC.* 2. *Thu. Foſſ. Corb. Mich. Vict.* Bonis rebus, *Bod.* 2. *Ebor. NC.* 2. *Lam.* qui ſpiritalibus, *Imp.* (c) Et cum terram, *Thu.* (d) Perciperet, *Bod.* 2 *Lam. Ebor. NC. Man.* (e) Ad ordinationem clericam promoventur, *Ebor. Ver. Spir. Foſſ. Bod.* 2. *NC.* 1. 2. *Ben. Corb. Mich.* Clericalem, *Rem.* (f) Nullo modo, *Corb.* nulla re, *Rem.* (g) Donaria, *NC.* 2. (h) Pro eo ſacrificium nec pro dormitione, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. 2. (i) Fiat oblatio aliqua nomine ejus in Eccleſia, ut ſacerdotum, *Bod.* 1. *Thu.* aut delegatio aliqua nomine ejus, *Corb.* (k) *Deſunt ſequentia, in Lam. Ebor. NC.* 1. *Et quidem formula iſta valedictoria in MSS. pleriſque perpetuo abeſt.*

tibus curis ſe immiſcerent Clerici, neceſſarium duxerunt Imperatores qui ſucceſſerant, nec non ſynodi, ut non privilegio excuſati eſſent, ſed legibus latis exinde depellerentur. Sic inter tria capita à Marciano Chalcedonenſi Synodo propoſita, & Can. 3. decreta occurrit, μηδένα τῶν λοιπῶν, μὴ ἐπίσκοπον, μὴ κληρικὸν, μὴ μονάζοντα, ἢ μισθοῦσθαι κτήματα, ἢ πράγματα, ἢ ἐπεισάγειν ἑαυτὸν κοσμικαῖς διοικήσεσιν. Pariter Juſtinian. Novel. 123. cap. 6. prohibet in clero conſtitutos, *ex ulla lege tutores, aut curatores cujuſcunque perſonæ fieri, &c.*

1 *Ut poſſit placere ei cui ſe probavit.*] De hac probatione agit Trajani Epiſt. 39. lib. 10. Plin. Denique ea re in jure Cæſareo pluribus decernitur.

2 *In honore ſportulantium fratrum.*] Donaria ſatis erant honorifica quæ ſportularum nomine cenſebantur; talia nimirum quæ ſummi magiſtratus accipere non detrectabant. Unde lege lata modus ipſis ſtatuebatur: ita ut reſcripto Theodoſii magni cautum. *Exceptis Conſulibus ordinariis, nulli prorſus alteri auream ſportulam dandi ſit facultas; cum publica vero celebrantur officia, ſit ſportulis nummus argenteus, nec majorem argenteum nummum fas ſit expendere, quam qui formari ſolet, cum argenti libram unam in argenteos ſexaginta dividimus.* Huc ſpectare videntur quæ de honorariis decurionum habet Plin. l. 10. Ep. 114. & etiam occurrunt l. 5. §. ult. ff. de don. inter vir. Sed in uſu Eccleſiæ, reſpectus non ſolum habitus videtur ad Romanorum ſportulas, ſed ad morem Eccleſiæ Judaicæ; apud quam oblationes caniſtris reponendæ: ut videre eſt Deut. 26. 2. Certe ad canones Apoſtolorum 3. & 4. ubi prohibetur plebs Chriſtiana, mel, lac, aut ſiceram, &c. ad altare offerre, ſed ad Epiſcopos & Presbyteros domum mittere jubetur; Balſamon annotat, hæc κανίσκια ſive ſportulas appellari.

3 *Tanquam decimas ex fructibus accipientes.*] Decimæ, quarum penſitatio legem Moſaicam longis temporum intervallis præceſſerat, minime jus ſuum à lege illa accerſunt: ſed quemadmodum temporis nobis conceſſi ſeptimam partem tanquam Deo debitam uſque dicamus, ita facultatum decimas merito etiamnum ſolvimus. Serius quidem *decimas ex fructibus* accipiebant ſacerdotes Chriſtiani, quia ruris incolæ, quique agriculturam exercebant, non niſi ſero ad fidem erant converſi; unde Paganorum nomen ethnicis adhæſit. Et etiamnum apud nos, ubi decimæ ubique ſolvuntur, urbium parochi ex oblationibus ſive ſportulis potiſſimum aluntur. Igitur non ſatis opportune decimarum penſitationi, invidiam hic loci videtur facere eruditiſſimus Rigaltius. Sed de hac re fuſius agitur ſub calcem l. de Unit. Eccleſiæ.

4 *Non eſt quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio.*] Oblationes pro mortuis, annuamque pro dormitione eorum commemorationem antiquitus habitas fuiſſe, res eſt compertiſſima. Nimirum quo magis conſtaret fideles vita defunctos minime periiſſe, ſed etiamnum membra Eccleſiæ exiſtere, oblationes eorum nomine ac ſi in vivis eſſent uſque offerebantur; quod præcipue in anniverſario dormitionis die factum, quando & nomina eorum (quod oblatis muneribus fieri ſolebat ſemper) publice recitata. Sed hæc in ſpei, fidei, & caritatis teſſeram; non autem in animarum ſubſidium, aut purgatorii ignis ardoribus æſtuantium refrigerium, præſtita fuiſſe exinde patet, quia hæc ad martyres imprimis ſpectabant. Qua de re videantur Epiſtolæ, 35. & 10. ad Pamelii numeros 34 & 37. Martyres vero, quemadmodum idem D. Cyprianus Ep 37. ad Pamelii numeros 16. diſerte ait; *confecto itinere virtutis ac fidei, ad complexum & oſculum domini, Domino ipſe gaudente venerunt*, nec interceſſoribus opus habuere. A quibus tantum aberant, ut, quod ex ſententia veteris Eccleſiæ rectiſſime dixerat D. Auguſtinus, *Injuriam ille faceret martyri qui orat pro martyre.* Pœna vero hæc Victori irrogata, id videtur oſtendere, Eccleſiam in ea fuiſſe ſententia: quod qui altari Dei inſervientes ſecularibus curis onerare attentarent, tale crimen admiſere, quod Abſtentionis pœnam meruit. Qui ergo per mortem cenſuram iſtam evitarunt, hanc infamiæ notam ſubibant, ut inter Abſtentos, & in quarto pœnitentiæ gradu poſitos, à ſuperſtitibus in Eccleſia numerarentur.

EPISTOLA II.

Cyprianus Eucratrio Fratri, Salutem.

Ad Pamelii numeros LXI. Ad Erasmi l. 1. Ep 10.

Respondetur Eucratio, consulenti de histrione, an communicare deberet.

PRo dilectione tua, & verecundia mutua consulendum me existimasti, frater carissime, 1 quid mihi videatur de (a) histrione quodam, qui apud vos constitutus, 2 in ejusdem adhuc artis suæ dedecore perseverat, & magister & doctor non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod male didicit, ceteris quoque insinuat: an talis debeat communicare nobiscum. (b) Puto nec majestati divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Nam cum 3 in (c) lege (d) prohibeantur viri induere muliebrem vestem, & maledicti ejusmodi judicentur; quanto majoris est criminis, non tantum muliebria indumenta accipere; sed & gestus quoque turpes, & molles, & muliebres, magisterio impudicæ artis exprimere?

Scripta in pace ante secessum. An. 249.

Deut. 22 5.

Futilis histrionis excusatio quod à Theatro cessaverat, cum alios doceat.

Nec excuset se quisquam si à theatro ipse cessaverit, cum tamen hoc ceteros doceat. Non potest enim videri cessasse, qui vicarios substituit, & qui pro se uno, plures 4 succidaneos suggerit; contra institutionem Dei erudiens & docens, quemadmodum (e) masculus frangatur in fœminam, & sexus arte mutetur; & diabolo divinum plasma maculanti, per corrupti atque enervati corporis delicta, placeatur. Quod si penuriam talis & necessitatem paupertatis obtendit: potest inter ceteros, qui alimentis Ecclesiæ sustinentur, hujus quoque necessitas adjuvari; si tamen contentus sit (f) frugalioribus, sed innocentibus cibis: nec (g) putet 5 salario se esse redimendum ut à peccatis cesset, quando hoc non nobis, sed sibi præstet. Ceterum (h) quantum velit inde quærat, qualis quæstus est qui de convivio Abraham, Isaac, & Jacob homines rapit, & male ac pernicioſe in seculo saginatos, ad æternæ famis ac sitis supplicia deducit. Et ideo quantum potes, eum ab hac pravitate & dedecore, ad viam innocentiæ, atque ad spem vitæ suæ revoca; ut sit contentus Ecclesiæ sumtibus, parcioribus quidem, sed salutaribus. Quod si illic Ecclesia non sufficit ut laborantibus præstet alimenta, 6 poterit se ad nos transferre, (i) & hic quod sibi ad victum atque ad vestitum necessarium fuerit accipere; nec alios extra Ecclesiam 7 mortalia docere, sed ipse salutaria in Ecclesia discere. Opto te, fili carissime, semper bene valere.

Mat. 8. 11.

(a) Histrione qui apud, *MR.* (b) Quod puto ego, *Lam. Bod.* 1. 2. (c) Lege Dei, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (d) Prohibeatur vir, *Lam. Bod.* 2. (e) Masculus fingatur, *MR.* (f) Frugalioribus & innocentibus cibis, *NC.* 1. 2. *Lam. Ebor. Lin.* (g) Putet & salario, *Bod.* 1. (h) Quantum vult, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (i) Et id quod, *Lam. Ebor. Bod.* 2.

1 *Quid mihi videatur de histrione.*] Hæc & quæ proxime habentur, licentiam istam sapiunt quæ longam pacem sequi solet; proinde illi rerum statui magis opportuna qui Decii imperium præcesserat, quam qui illud sequeretur. Sed de istis videantur Annales operi huic præmissi; ubi Epistolarum ordo diligenter tractatur. In vetustioribus editionibus quæ sine ullo delectu prout fors tulit singula exhibent, parum intererat quid primum, quidve ultimum fuerat; at postquam Pamelius omnia pro temporis ratione qua erant scripta digessisse se professus est, & isto imprimis filo se ducendum speraret lector, plurimum refert ne Editor seriem perturbet, & suo errore alios seducat.

2 *In artis suæ dedecore.*] Tertull. De spectac. c. 22. dicit has artes professos *damnari ignominia & capitis minutione, arceri curia, rostris, senatu, equite, ceterisque honoribus omnibus; simul & ornamentis quibusdam.* Pariter August de civit Dei l. 2. c. 14. *Actores poeticarum fabularum removeri à societate civitatis, & ab honoribus omnibus repelli.* Unde Laberius cum à Cæsare coactus esset mimum agere, tanquam gravissima injuria affectus, quingenta millium pretio nequicquam intercedente, indoluit; dicens, *Eques Romanus lare egressus meo, Domum revertam mimus, nimium hoc die, Uno plus vixi, mihi quam vivendum fuit.* Et certe Ecclesia castior quam Civitas. Inanis ergo erat excusatio, quod histrio *hic à Theatro cessaverat*, & privatim doceret. Quibus non licet cogitare quod malum est, minime licebit privatim perpetrare.

3 *In lege prohibeantur viri.*] Tertull. de Spectac. c. 23. ait, *Cum in lege præscribit maledictum esse qui muliebribus vestiatur, quid de pantomimo judicabit, qui etiam muliebribus curatur?*

4 *Succidaneos suggerit.*] Vide quæ dicta lib. de Zelo & Livore p. 156. de *sobole subcisiva.* Sed non male scribi potuerit *succedaneos*: quæ vox, apud Medicos præsertim, usitatissima.

5 *Salario se esse redimendum.*] σιτηρεσίοις & lautis conditionibus; quæ Tribunis militaribus, ducibusque ex publico pendebantur. Ita Plinius l. 3. c. 7. *Honoribus militiæque interponitur, Salariis inde dictis.* Porro locutio hæc usque ad gentes orientales permeavit. Nam Ezræ 4. 14. מלח היכלא מלח est Aulæ Persicæ alumnus.

6 *Poterit se ad nos transferre.*] Eucratius in Concilio Africano 87. Episcoporum, Thenarum Præsul esse dicitur, quæ urbs Byzacenæ, & in via militari ad Carthaginem posita, ut ex Antonino liquet; unde commodus viatori transitus.

Mortalia.] Mortifera nimirum, vid. quæ dicta in principio lib. de Mortalitate.

EPISTOLA III.

Cyprianus Rogatiano Fratri, Salutem.

An. 249. *Ad Pamelii numeros* LXV *ad Eraſ. l.* 3 *Ep.* 9. (a) *Reſpondetur* 1 *Rogatiano Epiſcopo, de ſuperbo Diacono qui eum contumeliis exacerbavit.*

Scripta in pace ante ſeceſſum.

GRAVITER & dolenter commoti ſumus ego & (b) collegæ qui præſentes aderant, frater cariſſime, lectis literis tuis, quibus de Diacono tuo conqueſtus es, quod immemor ſacerdotalis loci tui, & officii ac miniſterii ſui oblitus, contumeliis & injuriis ſuis te exacerbaverit. Et tu quidem honorifice circa nos, & (c) pro ſolita tua humilitate feciſti, ut malles de eo nobis conqueri, cum pro Epiſcopatus vigore & cathedræ auctoritate haberes poteſtatem, qua poſſes de illo ſtatim vindicari; certus quod collegæ tui omnes (d) gratum haberemus quodcunque circa Diaconum tuum contumelioſum ſacerdotali poteſtate feciſſes, habens circa hujuſmodi homines præcepta divina, cum Dominus Deus in Deuteronomio dicat: Et homo quicunque fecerit in ſuperbia, ut non exaudiat ſacerdotem aut judicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cum audierit, timebit: & non agent impie etiam nunc. Et ut ſciamus hanc Dei vocem cum vera & ſumma (e) majeſtate proceſſiſſe ad honorandos ac vindicandos ſacerdotes ſuos; cum adverſus Aaron ſacerdotem 2 tres de miniſtris, Chore, & Dathan, & Abiron auſi ſunt (f) ſuperbiſſe, & cervicem ſuam extollere, & ſacerdoti præpoſito ſe adæquare, hiatu terræ abſorpti ac devorati, pœnas ſtatim ſacrilegæ audaciæ perſolverunt. Nec ſoli illi, ſed & cæteri ducenti quinquaginta, qui eis comites ad audaciam fuerunt, prorumpente à Domino igne conſumti ſunt; ut probaretur, ſacerdotes Dei ab eo qui ſacerdotes facit vindicari. In libro quoque Regum, cum Samuël ſacerdos à Judæorum populo ob ſenectutem, ſicut tu modo, contemneretur; exclamavit iratus Dominus, & dixit: Non te ſpreverunt, ſed me ſpreverunt. Et 3 ut hoc ulciſceretur excitavit eis Saul Regem, qui eos injuriis gravibus affligeret, & per omnes contumelias & pœnas ſuperbum populum calcaret & premeret, ut contemtus ſacerdos de ſuperbo populo ultione divina vindicaretur. Sed & Solomon in Spiritu ſancto conſtitutus teſtatur & docet, quæ ſit ſacerdotalis auctoritas & poteſtas dicens: Ex tota anima tua time Deum, & ſacerdotes ejus ſanctifica. (g) Et iterum; Honora Deum ex tota anima tua, (h) & honorifica ſacerdotes ejus. Quorum præceptorum memor beatus Apoſtolus Paulus, ſecundum quod in Actibus Apoſtolorum legimus, cum ei diceretur: Sic 4 inſilis in ſacerdotem Dei maledicendo? (i) Reſpondit & dixit: Neſciebam, fratres, quia Pontifex eſt: ſcriptum eſt enim: Principem (k) populi tui non maledices. Dominus etiam noſter ipſe Jeſus Chriſtus, Rex & judex & Deus noſter, uſque ad paſſionis diem ſervavit honorem Pontificibus & ſacerdotibus, quamvis illi nec timorem Dei, (l) nec agnitionem Chriſti ſervaſſent. Nam cum leproſum emundaſſet, dixit illi: Vade & monſtra te ſacerdoti, & offer donum. Humilitate ea qua nos quoque eſſe humiles docuit, ſacerdotem adhuc appellabat quem ſciebat eſſe ſacrilegum. Item (m) ſub ictu paſſionis cum alapam accepiſſet, & ei diceretur, ſic reſpondes Pontifici? nihil ille contumelioſe locutus eſt in perſonam Pontificis, ſed magis innocentiam ſuam tuitus eſt, dicens? (n) Si male locutus ſum, exprobra

Deut. 17. 12.

Num. 16. 1.

1 Reg. 8. 7.

Eccl. 7. 29. 31.

Eccleſ. 7. 29.

Act. 23. 4. 5.

Luc. 17. 14. Matt. 8. 4.

(a) Ad Rogatianum de Diacono, *Bod.* 2. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (b) Collegæ mei, *Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. NC.* 1. 2. (c) Pro inſita, *Bod.* 1. (d) Ratum, *Eraſ.* (e) Majeſtate ejus, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. 2. (f) Superbi eſſe, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. 2. *Veron. Ben. Manut.* (g) Et iterum dicit, *Lam. Bod.* 1. 2. (h) Et honora, *Bod.* 1. (i) Reſpondit dicens, *Bod.* 2. *Lam.* (k) Plebis tui, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *Lin.* (l) Nec dignationem Chriſti, *Bod.* 1. (m) Subditus paſſioni, *Lin.* (n) Si male locutus ſum teſtimonium exprobra, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. 2.

1 *Rogatianum.*] Conjicit Pamelius, eundem hunc eſſe qui in Concilio 87. Epiſc. à Nova dicitur: ſed hoc minus veriſimile, tam ob ſenectam Rogatiani cujus hic mentio habetur; quam quod alter à Nova, non inter primos; quod, ex Africanæ Eccleſiæ more, tot annorum qui interceſſerunt Epiſcopatus poſtularet; ſed ultimos ſuffragium tulit. Diaconi nomen nobis exhibet Codex Lincolnienſis, & Caſſium appellat. Cardinali Baronio non accedimus, qui An. 257. c. 12. hæc in ſynodo ſcripta pronunciat, ob cauſas ſuperius Ep. 1. allatas. Obſervat Rigaltius, *hac Epiſtola Cyprianum conſilium Rogatiano dare quod ipſe in aliis Epiſtolis noluit ſibi ſumere, qui ad Epiſcopos & presbyteros ait. Aliud vero quod ſcripſerunt nobis compresbyteri noſtri ſolus reſcribere nihil potui; quando à principio Epiſcopatus mei ſtatuerim, nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis, mea privatim ſententia gerere.* Sed qui conſideret quanta cum invidia Cyprianus neophytus & plane novellus, ad ſedis Carthaginienſis faſtigium pervenerit; non mirabitur eum neceſſe habuiſſe popularibus artibus uti; & jure ſuo in plurimis, præſertim adminiſtrationis ſuæ primordiis, diſcedere; quod minime opus erat ut Rogatianus ſenex, & urbeculæ privatæ Epiſcopus, præſtaret.

2 *Tres de miniſtris, Chore, & Dathan, & Abiron.*] Conſtat ſolum Chore Levitam fuiſſe, Dathan vero & Abiron ex tribu Ruben oriundos. Sed *facinus quos inquinat æquat*; quique cum rebellibus Levitis ſentiebant, non immerito inter ipſos numerantur. Unde Moſes ipſe, *locutus eſt ad Core & omnem multitudinem*, non exceptis Dathan & Abiron, *multum erigimini filii Levi.*

3 *Ut hoc ulciſceretur.*] Huc ſpectare videtur illud Hoſeæ 13 11. Ἔδωκά σοι βασιλέα ἐν ὀργῇ μου.

4 *Inſilis in ſacerdotem.*] Monet Faber in vetuſtiſſimo codice, legi. *Sic incilas ſacerdotem.* Accius dicit, *me ſpernens, incilat probris.* Etiam Lucret. l. 3. *Jure ut opinor agat, jure increpet inciletque.* Nec non Lucilius. *Incilans me lædis viciſſim.* Unde vox hæc, rectius quam altera, interpretabitur ſacrum textum. ἀρχιερέα τοῦ θεοῦ λοιδορεῖς; Locus hic pariter laudatur Epiſt. ad Pupian.

1 *Expro-*

An. 249. [1] exprobra de malo; Si autem bene, quid me cædis? Quæ omnia, ab eo ideo facta sunt humiliter atque patienter, ut nos humilitatis ac patientiæ haberemus exemplum. Docuit enim sacerdotes veros legitime & plene honorari, dum circa falsos sacerdotes ipse talis exstitit. Jo. 18. 23.

Episcopi Apostolorum successores.

(a) [2] Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est, Episcopos & præpositos Dominus elegit: Diaconos autem post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros. Quod si nos aliquid audere contra Deum possumus, qui Episcopos facit; possunt & contra nos audere Diaconi, à quibus fiunt. Et ideo (b) oportet Diaconum, de quo scribis, agere audaciæ suæ pœnitentiam, & honorem sacerdotis agnoscere, & Episcopo præposito suo plena humilitate satisfacere. Marc. 3. 14. Act. 6. 2.

Initium hæresion & Schismatum, Episcoporum contemtus.

Hæc sunt enim initia hæreticorum, & ortus atque conatus schismaticorum male cogitantium, ut sibi placeant, & præpositum superbo tumore contemnant. Sic de Ecclesia receditur, sic altare profanum foris collocatur, sic contra pacem Christi & ordinationem atque unitatem Dei rebellatur. Quod si ultra te contumeliis suis exacerbaverit & provocaverit, (c) fungeris circa eum potestate honoris tui, ut eum vel 4 deponas vel abstineas. Nam si Apostolus Paulus ad Timotheum scribens dixit: Juventutem tuam nemo despiciat, quanto magis tibi à collegis tuis dicendum est: Senectutem tuam (d) nemo despiciat? Et quoniam scripsisti quemdam cum eodem Diacono tuo se miscuisse, & superbiæ ejus atque audaciæ participem esse, hunc quoque & si qui alii tales exstiterint, & contra sacerdotem Dei fecerint, vel 5 coercere poteris, vel abstinere. Nisi quod hortamur & monemus, ut peccasse se potius intelligant, & satisfaciant, & nos propositum nostrum tenere patiantur. Magis enim optamus & cupimus contumelias & injurias singulorum, clementi patientia vincere; quam sacerdotali licentia vindicare. Opto te, frater carissime, semper bene valere. 1 Tim. 4. 12.

(a) Meminisse enim, *Lam. Bod.* 2. (b) Oportet Cassium Diaconum, *Lin.* (c) Fungeris contra, *Lin.* fungeris circa eum potestatem, *Ver.* (d) Nemo contemnat, *Lam. NC.* 1. *Ebor.*

1 *Exprobra de malo.*] Græca habent μαρτύρησον περὶ τοῦ κακοῦ. In Judæorum sacerdote satis quadrabit, contumeliose de reo loqui: Dominus noster non istas vices rependit, utcunque lacessitus. Fortasse scriptum erat *exproba.* In argumentum probationis scil. adversum me adhibeas ista quæ dixi.

2 *Meminisse autem Diaconi debent.*] Monitum hoc pariter & Presbyteros tangit: qui ab Episcopis in curarum partem admissi, ita tamen ut in illorum obsequia remaneant.

3 *Apostolos id est Episcopos.*] Sic Irenæus l. 3. c. 3. ab Eusebio laudatus l. 5. Hist. c. 6. dicit, *ab Apostolis institutos Episcopos fuisse, & eorum successores usque ad nos.* Dein recenset Episcopos qui in celebrioribus Ecclesiis, Apostolis successerunt. Pariter & Tertull. l. de præscript. c. 32. *Edant*, inquit, *origines Ecclesiarum suarum; evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnæorum Ecclesia Polycarpum à Joanne conlocatum refert: sicut Romanorum*, &c. Porro hanc Episcoporum constitutionem & successionem, describit Apostolis suppar Clemens Rom. in Ep. ad Cor. c. 44.

4 *Deponas vel abstineas.*] Ad laicam communionem detrudas; vel prorsus à sacris arceas. Lectio codicis Veronensis, *fungeris potestatem*, prorsus Latina est; & veterem dicendi morem sapit.

5 *Coercere poteris, vel abstinere.*] E plebe rebellibus si clavium censura non intentetur; publica correptione coercendi sunt: secundum Domini mandatum εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ.

EPISTOLA IV.

Cyprianus, Cæcilius, Victor, Sedatus, Tertullus, cum Presbyteris qui præsentes aderant, Pomponio fratri, Salutem.

Ad Pamelii numeros LXII. Ad Erasmi l. 1. Ep. 11. Ad Pomponium de Virginibus, quæ cum masculis in eodem lecto manserunt.

Scripta in pace ante secessum.

LEGIMUS literas tuas, frater carissime, quas per Paconium fratrem nostrum misisti; postulans & desiderans, ut tibi rescriberemus; quid nobis de iis virginibus videatur, quæ cum (a) [1] in statu suo esse, & continentiam firmiter tenere decreverint, detectæ sint postea in eodem lecto pariter mansisse cum masculis: Ex quibus [2] unum Diaconum esse dicis; plane easdem quæ se cum viris dormisse confessæ sint, asseverare se integras esse. Circa quam rem, quoniam consilium nostrum desideraști, scias nos ab Evangelicis & Apostolicis traditionibus non recedere, quo minus fratribus & sororibus nostris constanter & (b) fortiter consulatur, & (c) per omnes utilitatis & salutis vias, Ecclesiastica disciplina servetur; cum Dominus loquatur & dicat; Et dabo vobis pastores secundum cor meum, (d) & pascent vos pascentes cum disciplina: & ite- Jerem. 3. 15.

(a) Statum suum continenter & firmiter, *Bod.* 1. *Lin.* statutum, *Lam. Bod.* 2. *Ebor.* (b) Fortiter consuleremus per, *Lin.* (c) Per omnes vias Ecclesiasticæ disciplinæ; cum Dominus, *Bod.* 1. 2. per omnes utilitates & salutes Ecclesiasticæ disciplinæ, *Lam. Ebor. NC.* 1. (d) Et pascent vos cum, *Ebor. Lin. NC.* 1.

1 *In statu suo esse.*] Tres fœminarum numerantur status, Virginum, Viduarum, Nuptarum. Virgines præ reliquis in prima dignatione habebantur; quibus non tantum ob tutelam, sed etiam honoris ergo locus peculiaris in Ecclesia assignabatur; quem quæ capessebant, & habitu non matronali, sed virginum, id est Velo induebantur; se præclarum illud vitæ institutum sectari aperte profitebantur. Status autem vox, aut conditionem civilem; nimirum dignitates & jura liberi capitis, significat: aut ad rem agonisticam pertinet, quo quis se tueri, aut adversarium de gradu dejicere instruitur.

2 *Unum Diaconum esse.*] Et ideo graviore cum scandalo percabatur. Struprum Diaconi in Ecclesia Constantinopolitana sub Nectario, antiquam pœnitentiæ disciplinam apud Orientales, tantum non labefecit. Vid. Socrat. l. 5. c. 14.

An. 249. & iterum ſcriptum ſit: Diſciplinam qui abjicit, infelix eſt: & (a) in Pſalmis quoque ſpiritus ſanctus admoneat & inſtruat, dicens: Continete diſciplinam, ne forte iraſcatur Dominus, & pereatis à via recta, cum exarſerit cito ira ejus ſuper vos. Primo igitur in loco, frater cariſſime, & præpoſitis, & plebi nihil aliud elaborandum eſt, quam ut qui Deum timemus, cum omni obſervatione diſciplinæ divina præcepta teneamus; nec patiamur errare fratres noſtros, & 1 pro (b) arbitrio & ructu ſuo vivere, ſed ad vitam ſingulis fideliter conſulere: nec pati virgines cum maſculis habitare, non dico ſimul dormire, ſed nec ſimul vivere: quando & ſexus infirmus, & ætas adhuc lubrica per omnia frænari à nobis & regi debeat, ne diabolo inſidianti & ſævire cupienti, ad nocendum detur occaſio, quando & Apoſtolus dicat; Nolite locum dare diabolo. (c) Liberanda eſt vigilanter de periculoſis locis navis, ne inter ſcopulos & ſaxa frangatur. 2 Exuenda eſt velociter de incendio ſarcina, priuſquam flammis ſupervenientibus concremetur. (d) Nemo diu tutus eſt, periculo proximus. Nec evadere (e) diabolum ſervus Dei poterit, qui ſe diaboli laqueis implicavit. Intercedendum eſt cito (f) talibus, dum adhuc ſeparari innocentes poſſunt, quia (g) 3 dividi poſtmodum noſtra interceſſione non poterunt. Denique quam graves multorum ruinas hinc fieri videmus, & per hujuſmodi illicitas & periculoſas conjunctiones corrumpi plurimas virgines cum ſummo animi noſtri dolore conſpicimus. (h) Quod ſi ex fide 4 ſe Chriſto dicaverunt: (i) pudice & caſte ſine ulla fabula perſeverent, ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perſeverare nolunt, vel non poſſunt; melius eſt nubant, quam in (k) ignem delictis ſuis cadant. Certe nullum fratribus aut ſororibus ſcandalum faciant, cum ſcriptum ſit: Si cibus ſcandalizat fratrem; non manducabo (l) carnem in ſeculum ne fratrem ſcandalizem.

Sap. 3. 11. Pſal. 2. 12. Eph. 4. 27. 1 Cor. 7. 9. 1 Cor. 8. 13.

Turpis defenſio earum, quæ ad explorantium oculos & manus provocant.

Nec aliqua (m) putet ſe hac excuſatione defendi, quod 5 inſpici, & probari poſſit; an virgo ſit: cum & manus obſtetricum & (n) oculus ſæpe fallatur. Et ſi incorrupta inventa fuerit virgo ea parte ſui qua mulier poteſt eſſe; potuerit tamen ex alia corporis parte peccaſſe, (o) quæ violari poteſt, & tamen inſpici non poteſt. Certe ipſe concubitus, ipſe complexus, ipſa confabulatio & oſculatio, & conjacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis confitetur? Si ſuperveniens maritus ſponſam ſuam jacentem cum altero videat, nonne indignatur & fremit? & per (p) 6 zeli livorem fortaſſis & gladium in manum ſumit? Quid? Chriſtus Dominus, & judex noſter, cum virginem ſuam ſibi dicatam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam jacere cum altero cernit, quam indignatur & iraſcitur? & quas pœnas inceſtis ejuſmodi conjunctionibus comminatur? Cujus (q) ut gladium ſpiritalem, & venturum judicii diem (r) unuſquiſque fratrum poſſit evadere, omni conſilio providere & elaborare debemus.

Licet ad omnes Chriſtianos ſpectet ut bono cum exemplo vivant, hoc imprimis Præpoſitis & Diaconis incumbit.

Et cum omnes omnino diſciplinam tenere oporteat, multo magis Præpoſitos & Diaconos curare hoc fas eſt, qui exemplum & documentum ceteris de converſatione & moribus ſuis præbeant. Quomodo enim poſſunt integritati & continentiæ præeſſe, ſi ex ipſis incipiant corruptelæ, & vitiorum magiſteria procedere? Et iccirco conſulte & cum vigore feciſti, frater cariſſime, 7 abſtinendo Diaconum, qui cum virgine ſæpe manſit, ſed & cæteros qui cum virginibus dormire conſueverunt. Quod ſi pœnitentiam hujus illiciti concubitus ſui egerint, & à ſe invicem receſſerint, 8 inſpiciantur interim virgines ab obſtetricibus diligenter, & ſi virgines inventæ fuerint, accepta communicatione ad Eccleſiam admittantur; hac tamen interminatione, ut ſi ad eoſdem maſculos poſtmodum reverſæ fuerint, aut ſi 9 cum eiſdem (s) in una domo & ſub eodem tecto ſimul habitaverint, graviore cenſura ejiciantur, nec in Eccleſiam poſtmodum (t) facile recipiantur. Si autem de eis aliqua corrupta fuerit deprehenſa, agat 1 pœni-

(a) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Lin.* in Pſalmo, *Imp.* (b) *Sic Veron.* Arbitrio & fructu ſuo, *Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (c) *Sic, Lam. Lin. Ebor. NC.* 1. 2. liberanda & *Imp.* (d) Nemo diuturnus, *Bod.* 1. (e) Diaboli manus, *Lin. NC.* 2. (f) Talibus ut ſeparentur, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. 2. (g) Dividi non poterunt, poſtquam conſcientia graviſſima cohæſerint, *Lam. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. 2. *Ebor.* poſteaquam conſcientiam graviſſimam admiſerint, *Lin.* (h) Quæ ſi ex fide, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (i) Si pudice, *Bod.* 2. (k) Ignem pro delictis, *Lam. Ebor. NC.* 1. (l) Carnem in æternum, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *Lin.* (m) Putet ſe poſſe, *Lam. Bod.* 2. *Lin. Ebor.* (n) Oculi ſæpe fallantur, *NC.* 2. *Bod* 2. (o) Quæ corrumpi poteſt, *Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. (p) Zeli dolorem, *Lam. Lin. Bod.* 1. 2. *Ebor. NC.* 1. 2. (q) Et gladium, *Bod.* 2. (r) Ut unuſquiſque, *Bod.* 2. (s) In eadem domo, *Bod.* 2. (t) Tales facile, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. 2.

1 *Pro arbitrio & ructu.*] Hanc lectionem cum Rigaltio veriſſimam cenſemus. Præſertim cum eadem fere formula locutus ſit Pontius. *Abſit ut de tam beatiſſimo martyre, ructus hominis judicaret.* Nemo ructui indulgere ſolet niſi inter ſervulos & paraſitos; quibuſcum omnia licent: unde illud ſatyrici. ---- *Si bene ructarit, &c.*

2 *Exuenda eſt velociter.*] Sic in lib. de Mortal. *ruinis & naufragiis & plagis imminentibus exuaris.*

3 *Dividi poſtmodum noſtra interceſſione non poterunt.* Laqueis diaboli expediri, cura noſtra non poterunt.

4 *Se Chriſto dicaverunt.*] Animi propoſito & publica virginitatis profeſſione, non voto adſtrictæ; ſtatim enim ſubjicitur, *melius eſt nubant, quam in ignem delictis ſuis cadant.* Quod recte obſervat Eruditiſſ. Rigalt.

5 *Inſpici & probari.*] Quæ vere caſta erat virgo, noluerit ſic vindicari. Recte dicit Rigaltius, quod *inter obſtetricum manus virginitas occiditur.*

6 *Zeli livorem.*] Liber de Zelo & livore, oſtendit voces iſtas apud Cyprianum fere eſſe ſynonymas.

7 *Abſtinendo Diacono.*] Pro recepto diu in Eccleſia more; in laicorum crimina, excommunicatione reliquiſque Eccleſiæ cenſuris; at Clericorum, depoſitione animadverti ſolitum. Sed tribus primis ſeculis; Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos pœnitentiæ publicæ & manuum imponi ſicut laicos obnoxios fuiſſe, res eſt manifeſta. Conſulat lector Morin. de adminiſt. ſacr. pœnit. l. 4. c. 12.

8 *Inſpiciantur interim virgines ab obſtetricibus.*] De beata virgine dicit Clemens Alex. Strom. 7. μετὰ το τεκεῖν ἀυτὴν μαιωθεῖσαν, φασί τινες, παρθένον ἐυρεθῆναι.

9 *Cum iiſdem in una Domo.*] Canones Eccleſiæ hac in re multis agunt, qui fœminarum ſubintroductarum commerciis clericos arcent.

1 *Pœniten-*

An. 249. 1 pœnitentiam plenam, quia quæ hoc crimen admiſit, 2 non mariti ſed Chriſti adultera eſt, & ideo æſtimato juſto tempore; poſtea exomologeſi facta, ad Eccleſiam redeat. Quod ſi obſtinate perſeverant, nec ſe ab invicem ſeparant; ſciant ſe cum hac ſua impudica obſtinatione nunquam à nobis admitti in Eccleſiam poſſe, ne exemplum cæteris ad ruinam delictis ſuis facere incipiant.

Pœna capitalis ſchiſmaticis, ſed gladio ſpirituali, irroganda.

Nec putent ſibi vitæ aut ſalutis conſtare rationem, ſi Epiſcopis & ſacerdotibus obtemperare noluerint; cum in Deuteronomio Dominus Deus dicat: Et homo quicunque (a) fecerit in ſuperbia, ut non exaudiat ſacerdotem, aut judicem, quicunque fuerit, in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cum audierit, timebit, & non agent impie etiam nunc. Interfici Deus juſſit ſacerdotibus ſuis non obtemperantes, (b) judicibus à ſe ad tempus conſtitutis non obedientes; ſed tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumciſio carnalis manebat: nunc autem quia circumciſio ſpiritalis eſſe (c) apud fideles ſervos Dei cœpit, ſpiritali gladio ſuperbi & contumaces necantur, dum Eccleſia ejiciuntur. Neque enim vivere foris poſſunt, cum domus Dei una ſit, & nemini ſalus eſſe, niſi in Eccleſia poſſit. Indiſciplinatos autem perire, dum non audiunt nec obtemperant ſalubribus præceptis, teſtatur ſcriptura divina quæ dicit: Non diligit indiſciplinatus caſtigantem ſe. Qui autem oderunt correptiones, conſumentur turpiter. Ergo ne indiſciplinati conſumantur & pereant, da operam, frater cariſſime, ut quantum potes, (d) conſiliis ſalutaribus fraternitatem regas, & ſinguliis ad ſalutem ſuam conſulas. Arcta & anguſta eſt (e) via per quam gradimur ad vitam, ſed ſummus & magnus eſt (f) fructus cum pervenimus ad gloriam. Qui ſe ſemel caſtraverunt propter regnum cœlorum, Deo per omnia placeant; nec ſacerdotes Dei aut Eccleſiam Domini, (g) ſcandalo ſuæ pravitatis offendant. Et ſi ad præſens à nobis (h) 3 contriſtari videantur, nos tamen in ſalubri perſuaſione maneamus, ſcientes & Apoſtolum dixiſſe: Ergo ego inimicus factus vobis ſum, verum dicens vobis? Quod ſi obtemperaverint nobis, (i) lucrati ſumus fratres, & eos ad ſalutem pariter & dignitatem noſtro ſermone formavimus. Si autem quidam de perverſis obtemperare (k) noluerint, ſequamur eundem Apoſtolum dicentem: Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem: ſi quibuſdam ſuadere non poſſumus ut eos Chriſto placere faciamus, nos certe, quod noſtrum eſt, (l) Chriſto Domino & Deo noſtro, præcepta ejus ſervando, placeamus. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere.

Deut. 17. 12.

Prov. 15. 12. 10.

Matt. 7. 14.

Mat. 19. 12.

2 Cor. 2.

Gal. 4. 16.

Gal. 1. 10.

(a) Fecerit ſuperbiam, *Bod.* 1. *Lin. NC.* 2. (b) Judicii ſui ſic tempus conſtituit non obedientibus, &, *Bod.* 1. (c) Ad fideles, *Ebor. Lam.* (d) Conſiliis ſalubribus, *Lam. Ebor.* (e) Per quam ingredimur, *Lam. Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. 2. *Ebor.* (f) Fructus pervenientis ad gloriam, *Bod.* 1. (g) Scandalo ſe fratribus offerant, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (h) Contriſtari videantur, nos tamen ſalubri perſuaſione moneamus, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *Lin NC.* 1. 2. *M. R.* (i) Gratiſſimum eſt; ſtantes eos dignatione noſtri ſermonis formabimus, *Lam. Bod.* 1. 2. *Lin. Ebor. NC.* 1. 2. (k) Noluerit, ſecundum, *Lin. Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. 2. (l) Chriſti Domini & Dei noſtri præcepta ſervantes, *Lin. Bod.* 1. 2. *NC.* 1.

1 *Pœnitentiam plenam.*] De hac egimus in lib. de Lapſis.

2 *Non Mariti, ſed Chriſti adultera.*] Licet maritum non habeat, adultera audit. Chriſti ſponſa eſt quælibet fidelis, at multo magis virginitatem profeſſa.

3 *Contriſtari videantur.*] Reſpicere videtur 1 Cor. 5. & 2. Cor. 2. Per voces πειθεῖν & λυπεῖν paſſim apud Apoſtolum Eccleſiæ cenſuræ denotantur.

EPISTOLA V.

Cyprianus, Presbyteris & Diaconibus fratribus cariſſimis, S.

Ad Pamelium. Ep. V. In Eraſmi Edit. deſiderata. Cyprianus in ſeceſſu conſtitutus, hortatur clerum ut vice ſua rite fungantur.

Videtur ſcripta ſtatim poſt ſeceſſum. An. 250.

1 SALUTO vos incolumis per Dei gratiam, fratres cariſſimi, lætus quod circa incolumitatem quoque veſtram omnia integra eſſe cognoverim. Et quoniam mihi intereſſe nunc 2 non permittit loci conditio; peto vos pro fide & religione veſtra, fungamini illic & veſtris partibus & meis; ut nihil vel ad diſciplinam, vel ad diligentiam deſit. (a) Quantum autem ad ſumtus ſuggerendos ſive illis, qui glorioſa voce Deum confeſſi, in carcere ſunt conſtituti; ſive iis, qui pauperes, & indigentes laborant, & tamen in Domino perſeverant; peto nihil deſit: cum

(a) 1 ſumma

(a) Quantum ad, *Bod.* 1. *Vat.*

1 *Saluto vos incolumis.*] Cum ad deſtinatas lătebras ſalvus perveniſſet Cyprianus, conſentaneum omnino erat ut pro intima illa quæ ipſum & fratres interceſſit benevolentia, abſentiæ deſiderium quam primum fieri potuit, ſcripto leniret; certiores utique redderet de ſalute & rebus ſuis; & demum de iis, quæ ad Eccleſiæ ſtatum ſpectarent, ſedulo moneret. Quæ omnia hac in Epiſtola pleniſſime ſunt præſtita. Ideo veriſimile admodum videtur, non modo literas haſce primo omnium, ſed etiam ſtatim poſt ſeceſſum factas; cui ſuccedit alia ejuſdem fere argumenti, & iiſdem fere verbis concepta, Ep. nimirum 6. ad Pamelii num. 81. Omnes in hiſce latebris ſcriptas 13. numero fuiſſe, teſtatur ipſe Cyprianus Ep. 20. ad Pamelii numeros 15. quæ omnes hic repræſentantur; licet alii Editores pro deploratis haberent earum nonnullas. Notari inſuper poterit in veteribus exemplaribus MSS. Epiſtolam hanc rariſſime comparere, adeoque ſero admodum, ſc. poſt omnes Eraſmi editiones typis fuiſſe mandatam.

2 *Non permittit loci conditio.*] Tumultus Carthagine excitatus; in quo Cyprianus in *circo & amphitheatro* populari fremitu *ad leonem petitus*, & demum *proſcriptus*, quemadmodum dicitur Ep. 59. ad Pamelii numeros 55. Infra eadem de re verba faciens ait. *Utinam loci & gradus mei conditio permitteret.*

1 *Summa*

An. 250. (a) 1 ſumma omnis quæ redacta eſt, illic ſit apud clericos diſtributa propter ejuſmodi caſus: ut haberent plures, unde ad neceſſitates, & preſſuras ſingulorum operari poſſint.

Monet etiam ut curent ne quid confeſſoribus aut pauperibus deſit, & ut non glomeratim viſitent martyres.

(b) Peto quoque ad procurandam quietem ſolertia & ſolicitudo veſtra non (c) deſinat: 2 nam etſi fratres pro dilectione ſua cupidi ſunt ad conveniendum & 3 viſitandum confeſſores bonos, quos illuſtravit jam glorioſis initiis divina dignatio, tamen caute hoc, & non glomeratim, nec per multitudinem ſimul junctam puto eſſe faciendum: ne ex hoc ipſo invidia concitetur, & introeundi aditus denegetur, & dum inſatiabiles multum volumus, totum perdamus. Conſulite ergo & providete, ut cum temperamento (d) hoc agi tutius poſſit: ita ut presbyteri quoque, 4 qui illic apud confeſſores offerunt, ſinguli cum ſingulis diaconis per vices alternent: quia & mutatio perſonarum, & viciſſitudo convenientium minuit invidiam. Circa omnia enim mites & humiles, Rom. 12. ut ſervis Dei congruit, 5 temporibus ſervire, & quieti proſpicere, & plebi providere 11. debemus. Opto vos, fratres cariſſimi ac (e) deſideratiſſimi, ſemper bene valere, & noſtri meminiſſe. Fraternitatem univerſam ſalutate. Salutant vos Victor Diaconus, & qui mecum ſunt. Valete.

(a) Summula, *Bod.* 1. (b) Peto quoque ut ad, *Bod.* 1. (c) Deſinat: Etſi, *Morel. Pem. Rig.* (d) Hoc tutius poſſit impleri, *Vat.* 1. (e) Deſiderantiſſimi, *Ver.*

1 *Summa quæ redacta eſt.*] Sors tota quæ in pecuniis numeratis, rationibus ſubductis, ad pauperes pertinebat. Nam quemadmodum naſcente Eccleſia pretia rerum pietatis ergo venditarum, ad Apoſtolorum pedes deponebantur Act. 4. 35. ita deinceps quæ Deo erant dicata, Epiſcoporum fidei erant concredita: quod diſertiſſimis verbis Juſtinus Martyr in Apologia refert. Nimirum diviſione facta, pars una Epiſcopi, altera cleri, tertia pauperum uſibus ceſſit. Cum ergo ad ſeceſſum properaret Cyprianus, pecunias haſce inter Clericos partitas depoſuit, ut illi facilius denuo diſtribuerent.

2 *Nam etſi fratres.*] Ex MS. Bodleiano particulam interpono, in impreſſis huc uſque deſideratam.

3 *Viſitandum Confeſſores.*] Viſitare ægros, aut in alia quacunque calamitate conſtitutos, pietatis officium merito reputatur, vid. Mat. 25. 36 Sed & alia cauſa inferius apparebit quare glomeratim ad Martyres plurimi confluerent; nempe ut ab illis primum pacem extorquerent, & deinde ab Eccleſia. Obiter vero hic notandum, Cyprianum hoc in loco, quemadmodum & alibi, Confeſſoris & Martyris nominibus promiſcue uti; cum ſtrictius loquendo, illi ſolum Martyres dicendi qui pro Chriſti nomine paſſi fuerint; Confeſſores vero qui citra pœnas inſequentes, ſe Chriſtianos pro tribunali profitebantur.

4 *Qui apud Confeſſores offerunt.*] Antequam primæ pietatis ardores deſerbuerunt, Chriſtiani ſingulis diebus, aut ſaltem dominicis, ſacra Myſteria participabant. Martyres vero qui ſub ictu paſſionis perpetuo verſabantur, id maxime ſatagebant ut nunquam divino illo viatico carerent. Quia vero in iſtis ſolennibus, oportebat ut Diaconus Presbytero adſiſteret, ita ut Presbyter ſolus accedere non potuerit, monet Cyprianus ut iſti *per vices alternent*, & *viciſſitudine convenientium minuant invidiam.* Quid ſit apud confeſſores offerre, à Cypriano diſcimus Ep. 34. ad Pamelii numeros 28. *Integre & cum diſciplina feciſtis, Fratres cariſſimi, quod conſilio collegarum meorum qui præſentes erant, Gaio Diddenſi presbytero, & Diacono ejus cenſuiſtis non communicandum: qui communicando cum lapſis, & offerendo oblationes eorum, in pravis erroribus frequenter deprehenſi*, &c. Ubi obiter notandum, aliquando presbyteris peculiares Diaconos qui ipſis aſſiſterent aſſignatos. *Communicare cum aliquibus*, & *oblationes* eorum *offerre*, res quidem inter ſe diverſæ; ſed quoniam nemo de ſacris Myſteriis participabat, qui non prius munus Deo obtulit; alterutra voce appoſita, totum hoc ſacrum officium ſæpiſſime intelligitur. Pariter, licet, quod ait D. Paulus Heb. 13. 10. habeamus altare, tamen ſacrificia Chriſtianæ pietatis, à gentium & Judæorum immolationibus prorſus abhorrent; & perperam nonnulli audito altaris, oblationis, aut ſacrificii nomine; victimam cruentam, atque hoſtiam cæſam importune ingerunt: quorum omnium invidiam, Apologiis ſuis Patres antiqui ſtrenue amoliebantur.

5 *Temporibus ſervire.*] Lectio hæc non modo plurimorum MSS. Codicum ſuffragiis munita; ſed & antiquitate commendata eſt. Sic enim non tantum Origenes in Comment. & Auctor noſter hic loci, ſed & Ignatius in Ep. ad Polyc. videtur legiſſe. Abbreviatura κω, pro κυρίῳ & καιρῷ ex æquo ponitur; unde fortaſſis varia lectio ortum duxerit.

EPISTOLA VI.

Cyprianus Sergio, Rogatiano, & cæteris confeſſoribus in Domino perpetuam S.

Ad Pamelii Numeros 81. Ad Eraſ. l. 4. Ep 1.

Scripta in ſeceſſu.

SALUTO vos, fratres cariſſimi, optans ipſe quoque conſpectu veſtro frui, ſi me ad vos pervenire loci conditio permitteret. Quid enim mihi optatius & lætius (b) poſſet accidere, quam nunc vobis inhærere, (c) ut complecterer manus illas, quæ puræ & innocentes, & dominicam fidem ſervantes ſacrilega obſequia reſpuerunt? Quid

1 *Epiſtola* (a) *Cypriani hortatoria ad Martyres Domini Jeſu Chriſti.*

(a) *Sic*, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. Ad Rogatianum juniorem & cæteros confeſſores *Bod.* 1. & *Imp.* Confeſſores in carcere conſtitutos, *Imp. ſed deſid. in Pem. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lin. Ebor. Lam. NC.* 1. 2. (b) Poſſet accedere, *Bod.* 1. (c) Ut complecterimini me manibus illis, quæ puræ & innocentes, *Pem. Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Lin. Ebor. NC.* 1. 2. *Eraſ.*

1 *Epiſtola Cypriani ad Martyres.*] Non multum refert quod nonnulli codices MSS. nec non & impreſſi legant, *Ad Rogatianum juniorem & cæteros Confeſſores.* Tituli enim iſti librariorum curæ & ingeniis debentur, quibus lector ſine diſpendio plerumque carere poterit. Putabant illi *Rogatianum Presbyterum glorioſum ſenem, qui excipiens ferocientis populi impetum, primum hoſpitium in carcere præparavit, & metatator quodammodo anteceſſit*, Martyrio fuiſſe coronatum; & proinde fieri non poſſe ut ad illum literæ dirigerentur, atque ideo alium Rogatianum, priori diſſimilem quantum fieri potuit, ſcil. *Juniorem* excogitabant. Sed manifeſtum eſt nihil de Rogatiano ſene hic dici, niſi quod ex tumultu populari carceri fuiſſet mancipatus; imo potius innuitur illum in exemplum ſupereſſe, & *hunc quoque antecedere*, quando iſta ſcriberentur. Nec novum eſt, ut cum literæ pluribus conjunctim ſcribuntur, ex occaſione data, de illorum uno peculiaris mentio habeatur. Porro ſi conjecturæ ex nomine aliquid valeant, omnino Rogatianus qui hic deſcribitur, ille ipſe fuerit de quo mentio habetur Epiſtola ſequente, 7. nimirum. ad Pamelii numeros 36. Ep. 14. ad Pamelii numeros 6. & 41. ad Pamelii numeros 38. De tempore quando Epiſtola hæc miſſa erat, conſulat lector quæ diligentiſſime diſputata ſunt à reverendiſſ. Epiſcopo Ceſtrienſi in Annalibus Cypriani, operi huic præmiſſis.

1 *Etſi*

An. 250. Quid jucundius & ſublimius quam oſculari nunc ora veſtra, quæ glorioſa voce Dominum confeſſa ſunt; conſpici etiam præſentem ab oculis veſtris, qui deſpecto ſeculo, conſpiciendo Deo digni extiterunt? Sed quoniam huic lætitiæ (a) intereſſe facultas non datur, has pro me ad aures & ad oculos veſtros vicarias literas mitto, quibus gratulor pariter & exhortor, ut in confeſſione cœleſtis gloriæ fortes & ſtabiles perſeveretis; & ingreſſi viam Dominicæ dignationis, (b) ad accipiendam coronam ſpiritali virtute pergatis, habentes Dominum protectorem & ducem, qui dixit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad (c) conſummationem mundi. Mat. 28. 20. O beatum carcerem, quem illuſtravit veſtra præſentia! O beatum carcerem, qui homines Dei mittit ad cœlum! O tenebras lucidiores ſole ipſo, & luce hac mundi clariores; ubi modo conſtituta ſunt Dei templa, & ſanctificata divinis confeſſionibus membra veſtra! Nec quidquam nunc verſetur in cordibus & mentibus veſtris, quam divina præcepta & mandata cœleſtia, (d) quibus vos ad tolerantiam paſſionis Spiritus ſanctus ſemper animavit. Nemo mortem cogitet, ſed immortalitatem; nec temporariam pœnam, ſed gloriam ſempiternam, cum ſcriptum ſit: Pretioſa eſt in conſpectu Domini (e) mors juſtorum ejus. Et iterum: (f) Sacrificium Pſ. 115. 5. Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit. Et iterum, 50. 18. ubi loquitur ſcriptura divina de tormentis quæ martyras Dei conſecrant, & in ipſa paſſionis probatione ſanctificant: [1] Etſi (g) coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes eorum immortalitate plena eſt. Et in paucis vexati, in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentavit illos, & invenit illos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos, & in tempore erit (h) reſpectus illorum. Fulgebunt juſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Judicabunt nationes & dominabuntur populis, & regnabit eorum Dominus in perpetuum. Sap. 3. 4.

Futurorum gaudio præſentia ſupplicia calcanda.

Quando ergo judicaturos vos & regnaturos cum Chriſto Domino cogitatis, exultetis neceſſe eſt, & futurorum gaudio præſentia ſupplicia calcetis; ſcientes ab initio mundi ſic inſtitutum, ut laboret iſtic in ſeculari conflictatione juſtitia, quando (i) in origine ſtatim prima, Abel juſtus occiditur; & exinde juſti quique & prophetæ & Apoſtoli miſſi. Gen. 4. 8. Quibus omnibus Dominus quoque in ſe ipſo conſtituit exemplum, docens ad ſuum regnum non niſi (k) eos qui ſe per viam ſuam ſecuti ſint, pervenire, dicens: Qui amat animam ſuam in iſto ſeculo, perdet illam. Et qui odit animam ſuam in iſto ſeculo, in Jo. 12. 25. vitam æternam conſervabit illam. Et iterum: Nolite timere eos qui occidunt corpus, Mat. 10. 28. animam vero non poſſunt occidere. Magis autem metuite eum qui poteſt & animam & corpus occidere in gehennam. Paulus etiam nos adhortatur, ut qui (l) ad Domini promiſſa venire cupimus, imitari Dominum in omnibus debeamus. Sumus, inquit, filii Rom. 8. 16. Dei, ſi autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſiquidem compatiamur, (m) ut commagnificemur. Addit etiam comparationem præſentis temporis, & futuræ claritatis, dicens: Non ſunt condignæ paſſiones hujus tempo- 18. ris ad ſuperventuram claritatem, quæ revelabitur in nobis. Cujus claritatis gloriam cogitantes, preſſuras omnes & perſecutiones tolerare nos convenit; quia etſi ſunt multæ preſſuræ juſtorum, ex omnibus tamen liberantur, qui in Deum fidunt. Pſ. 33. 19.

Fœminæ atque pueri ad Martyrii decus admiſſi.

Beatas etiam fœminas, quæ vobiſcum ſunt in eadem confeſſionis gloria conſtitutæ; quæ Dominicam fidem tenentes, & ſexu ſuo fortiores, non ſolum ipſæ ad coronam proximæ ſunt, ſed & cæteris quoque fœminis exemplum de ſua conſtantia præbuerunt. Ac ne quid deeſſet ad gloriam (n) numeri veſtri, ut omnis vobiſcum & ſexus, & ætas eſſet in honore, pueros etiam vobis glorioſa confeſſione ſociavit divina dignatio; repræſentans nobis tale aliquid, quale Ananias, Azarias, & Miſahel illuſtres pueri aliquando fecerunt; quibus incluſis in (o) caminum ceſſerant ignes, & (p) [2] refrigerii locum flammæ dederunt, præſente cum illis Domino, & probante, quod in confeſſores & martyres ejus nihil poſſet gehennæ ardor operari, ſed quod qui in Deum (q) crederent, incolumes ſemper & tuti in omnibus perſeverarent. Et conſideretis diligentius peto pro veſtra religione, quæ apud illos pueros fides fuerit, quæ promereri Dominum plenius potuit. Ad omnia enim parati, ſicut omnes eſſe debemus, aiunt regi: Nabuchodonoſor Rex non opus eſt nobis de hoc verbo reſpondere tibi, eſt enim Deus, cui nos ſervimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus (r) tuis Rex liberabit nos: & ſi non; notum tibi ſit quoniam diis tuis non ſervimus, & imaginem auream quam ſtatuiſti, non adoramus. Cum ſe crederent, & pro fide ſua ſcirent poſſe etiam Dan. 3. 16. de

(a) Intereſſe non datur, *Lam.* (b) Ad accipiendam vitæ coronam ſpiritali virtute pergatis, *Ebor. Pem. Lam. Bod.* 1. 2. 3. (c) Conſummationem ſeculi, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (d) Quibus nos, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. 4. *NC.* 1. 2. (e) Mors ſanctorum, *Lam. Bod.* 2. 3. *Ebor. NC.* 1. (f) Sacrificium Dei, *Bod.* 1. (g) Coram hominibus, inquit, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (h) Reſpectus illorum: judicabunt juſti, *Pem. Lam. Ebor. Lin NC.* 2. *Ver.* (i) In origine mundi, *Bod.* 3. (k) Eos qui ſemper, *Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. (l) Ad Dei noſtri promiſſa pervenire, *Bod.* 3. (m) Ut ſic glorificemur, *Veron.* ut & commagnificemur, *Bod.* 1. 2. *Lam. Lin. Ebor.* (n) Numero veſtro, *Neap.* muneris veſtri, *Ver.* (o) In camino, *Lam.* (p) Refrigerium flammæ, *Ver.* (q) Se & crederent, *Bod.* 1. 2. *Lam. NC.* 1. 2. *Ebor. Lin.* (r) Tuis liberabit, *Man. M. R.*

[1] *Etſi coram hominibus.*] Locus hic laudatur l. de Exhort. Mart. c. ult. & ad Quirin. l. 3. c. 15. ubi conſulantur quæ dicta.

[2] *Refrigerii locum flammæ dederunt.*] Reſpicit verba quæ occurrunt in Codice Græco, cantici trium puerorum v. 20. verſionis Latinæ Dan. c. 3. v. 5. Sed de his ſupra egimus.

An. 250. de præſenti ſupplicio liberari ; jactare hoc tamen , & vindicare ſibi noluerunt , dicentes: Et ſi non ; ne minor eſſet confeſſionis virtus ſine teſtimonio paſſionis. Addiderunt poſſe omnia Deum facere , ſed tamen non in hoc fidere , ut liberari in præſentia vellent , ſed illam libertatis , & ſecuritatis æternæ gloriam cogitarent. Quam fidem nos quoque retinentes , & die ac nocte meditantes , toto corde ad Deum promti , contemtu præſentium futura tantummodo cogitemus , fructum regni æterni , complexum & [1] oſculum Domini , conſpectum Dei. Ut ſequamini in omnibus Rogatianum Presbyterum glorioſum ſenem , (a) viam nobis ad gloriam temporis noſtri , religioſa virtute & divina dignatione facientem , qui cum Feliciſſimo fratre noſtro quieto ſemper & ſobrio, excipiens ferocientis populi impetum , primum hoſpitium vobis in carcere præparavit , & [2] metator quodammodo veſter , nunc quoque vos antecedit , quod ut conſummetur in vobis , aſſiduis orationibus Dominum deprecamur , ut (b) initiis ad ſumma pergentibus , quos confiteri fecit , faciat & coronari. Opto vos , fratres cariſſimi ac beatiſſimi in Domino ſemper bene valere , & ad coronam cœleſtis gloriæ pervenire.

(*a*) Viam vobis , *Neap.* (*b*) Initiis iſtis , *Pem.*

1 *Oſculum Domini.*] Multa comminiſcuntur Hebræi in ſua Theologia de oſculo Domini ; & ita Moſen è vivis exceſſiſſe profitentur. Et ſiquidem Deut. 34. 5. occurrit, quod mortuus eſt Moſes על פי יהוה aiunt Rabbini באותה שעה נשקו הקבה ונטל נשמתו בנשיקת פה In hoc vero longe abeunt à Chriſtianis Judæi , quod his mors quieta & placida oſculum Domini videbatur ; noſtris vero , cruenta & violenta , beatiſſima & maxime expetenda cenſetur.

2 *Metator.*] Vegetius ait l. 2. c. 7. *Metatores in caſtris dicuntur , qui præcedentes locum caſtris idoneum eligunt.* Ita Cæſarianus , apud Lucanum. *Heſperios audax veniam metator in agros.* Unde rectiſſime de Rogatiano & Feliciſſimo dictum, quod in carcerem primi quaſi metatores acceſſerint.

EPISTOLA VII.

Cyprianus Presbyteris , & Diaconibus , Fratribus cariſſimis , Salutem.

Ad Pamelii numeros 36. In Eraſmi Edit l. 3. Ep. 24.

Ad Clerum, (a) de cura pauperum & peregrinorum.

Scripta in ſeceſſu.

SALUTO vos , fratres cariſſimi , per Dei gratiam incolumis , optans cito ad vos venire , ut deſiderio tam meo quam veſtro (b) & omnium fratrum ſatisfiat. Oportet nos tamen paci communi conſulere , & interdum , quamvis cum tædio animi noſtri , deeſſe vobis , ne præſentia noſtri invidiam & violentiam gentilium provocet ; & ſimus auctores rumpendæ pacis , qui magis quieti omnium conſulere debemus. Quando ergo vos ſcripſeritis rebus compoſitis me venire debere , aut ſi ante [1] dignatus fuerit Dominus oſtendere , tunc ad vos veniam ; ubi enim mihi aut melius poſſit eſſe , aut lætius , (c) quam illic , ubi me Deus & [2] credere voluit & creſcere ? Viduarum & infirmorum & omnium pauperum curam peto diligenter habeatis ; ſed & peregrinis , ſi qui indigentes fuerint , ſumtus ſuggeratis de [3] quantitate mea propria , quam apud Rogatianum compresbyterum noſtrum dimiſi : quæ quantitas ne forte jam univerſa erogata ſit , miſi eidem per Naricum [4] Acoluthum aliam portionem , ut largius & promtius circa laborantes fiat operatio. Opto vos , fratres cariſſimi , ſemper bene valere.

(*a*) De cura populi , *J. Mich.* (*b*) Et fratribus ſatisfiat, *S. Mich.* (*c*) Quam illic? Viduarum, *Thu. Mich. Vict.*

1 *Dignatus fuerit Dominus oſtendere.*] Sæpius ad revelationes ſibi factas provocat Cyprianus ; id autem facit , non ut fidei dogmata aliis obtruderet , ſed ſuam innocentiam ab invidis laceſſitam tueretur. Seceſſus ejus tanquam turpis fuga male audiebat ; oſtendit ergo ſe gregis ſuæ cauſa tantum metuere ; nec animo ſuo , ſed mandato divino morem geſſiſſe. Porro ipſi apud Clerum & plebem erat honorificum , quod Deus ipſum ſuis colloquiis , & rerum futurarum cognitione dignaretur. Hoc autem in Africana Eccleſia peculiarius obtinuit , ubi hæretici , & ſpeciatim Montanus , prophetias & revelationes magna cum pompa ingerebant.

2 *Credere voluit & creſcere.*] Carthagine nimirum , ubi ad fidem converſus erat , & ad Epiſcopatum promotus : ſedi illi tanquam actis radicibus affixus.

3 *Quantitate mea propria.*] Vide quæ ſuperius dicta de oblationibus in tres partes diviſis , quarum una Epiſcopo ceſſit. Nam quod ad ea quæ olim ethnicus poſſederat, Pontius nos docet , quod quamprimum fidei Chriſtianæ ſe addixerat, *diſtracti rebus ſuis ad indigentiam pauperum ſuſtentandum* , & *tota prædia diſpenſans* , nihil reliquum ſibi fecit quod denuo donaret.

4 *Acoluthum.*] Heſychius ait. Ακόλουθος ὁ νεώτερος παῖς. θεράπων. ὁ περὶ τὸ σῶμα. Munus erat , ſi quod aliud , per totam Eccleſiam, hoc ſeculo receptiſſimum. Quod Orientales attinet , nomen à Græcis hauſtum oſtendit apud illos in uſu fuiſſe. De Romana Eccleſia , literæ Cornelii ad Fabium Antiochenſem , quas infra laudaturi ſumus , id abunde teſtantur. De Africana, locuples fuerit teſtis Auctor noſter in Epiſtolis paſſim. Sed de his plura videantur in annotat. ad Ep. ſequentem.

An. 250.

EPISTOLA. VIII.

Ad Pamelii numeros III. In Erasmi Edit. desideratur

1 Cleri Romani 2 ad clerum Carthaginiensem de secessu D. Cyp.

[3]DIDICIMUS secessisse [4] benedictum (a) Papam Cyprianum, [5] à Clemen- *Scripta in se-*
tio [6] subdiacono, qui à vobis ad nos venit, [7] certa ex causa; quod utique *cessu.*
recte fecerit, cum sit persona insignis, & imminente agone quem permisit
Deus in seculo (b) colluctandi causa cum adversario; simul cum servis suis,
volens etiam angelis & hominibus certamen hoc manifestare, ut qui vicerit coronetur;
victus

(a) Papatem, *Vat.* 1. *Bod.* 1. (b) Colluctandi causa, simul cum servis, *Vat.* 1.

1 *Cleri Romani.*] Quanquam verba hæc ad Epistolæ hujus titulum pertineant, qui à librario pro captu suo appositus, nullius ponderis aut auctoritatis esse poterit: eruditissimus Rigaltius occasionem hinc arripit, ut ostendat *Cleri* vocem, perperam trahi ad Personas Ecclesiasticas, hominesque sacris ordinibus initiatos designandos. Imprimis ait; κλῆρος *tria significat, sorticulam qua utimur in sortiendo; sortionem sive sortitum, actionem ipsam sortiendi; & quod sortitu cuique accidit.* Subjungit porro, *rerum Hebraicarum scriptores Græcos, ab iisque etiam Latinos, Clerum dixisse quod ex amplissimo illo terrarum tractu, Josua jubente, in undecim tribus Hebræorum diviso, per sortitionem unicuique contigerat.* Rem hanc instantia explicat. *Benjamini tribus cleris in urnam conjectis, urna mota, qui clerus exierat sortiente Benjamini tribu, id clerus Benjamini dicebatur. Atque ita de cæteris undecim tribuum portionibus.* Inde progreditur. *Posteaquam figuris Mosaicis veritas Christiana successit, & male merentibus Hebræis gratia divina ad gentes conversa est, quod Helleniste dixerant Ecclesiam, dixerunt etiam Clerum.* Multis interpositis, quibus tamen minime conficit Helleniştas pro *Ecclesia* denotanda *clerum* tanquam synonymum adhibuisse, periochen D. Petri adducit vir Doctus dicens quod *prava mortalium cæcitas, Christiana simplicitate neglecta, Pharisaicam superbiam reduxit, & obruit cœlestia terrenis. Cleri vocabulum ad res Christianas, primus transtulisse videtur Petrus, Epistola sua canonica prima. Hortatur presbyteros ipse compresbyter, ut gregem quem commisit iis Deus pascant providentes ovibus, non turpis lucri cupidine, sed gratis: neque ut dominantes in cleris*, id est Plebem Christianam. Quæritur demum quod siquidem *ipsi pastores nomen cleri quod erat ovium universitati commune, sic proprium sibi fecerunt, ut etiam nomen ipsum ovilis, in populi sive plebis & laicorum appellatione vilesceret. Hinc exorta jam ævo Tertulliani & Cypriani, inter clericos & laicos differentia tanta, ut laici non intelligerentur appellatione cleri.* Quid sibi velit vir eruditus longa hac disceptatione, non facile est conjicere. An male ipsum habet quod in Ecclesia sint Episcopi & pastores? Id non videtur, siquidem agnoscat *adhibuisse Dominum ovili suo Pastores utique complures.* Et certe rerum diversitas, vocum diversitatem non admittit modo, sed etiam exigit. An quandoquidem D. Petrus, Presbyteros compresbyteros compellat, erit indicium neglectæ simplicitatis Christianæ, & Pharisaicæ superbiæ, si Apostolus aut Episcopus jus & potestatem in Clerum Ecclesiasticum sibi vendicet? & quod D. Paulus admonet 1 Tim. 5. 1. πρεσβύτερον ἐπιπλήξῃ; sed eodem capite v. 20. Presbyteros flagitiorum compertos Apostolo id ipsum mandante, oportebit ἐνώπιον πάντων ἐλέγχαι. An vero in eo peccatur, quod quando *Cleri* vox omnes Christianos aliquando comprehendat, ad verbi etiam ministros aliquando contrahatur? At in usu communi id ubique obtinet. Non modo summum Numen, sed & Magistratus *dii* appellantur; & Apoc. 5. 10. omnes fideles *Reges & sacerdotes* audiunt; nemo tamen dixerit principes seculares, & sacris operantes cujuscunque ordinis, nomina illa per nefas sibi vendicare. Agnoscimus sortes tribuum Israeliticarum *cleros* dici: sed Levitarum à reliquis tribubus aliam longe fuisse rationem, ipse sacer textus nos docet. Num. 18. 20. ἐν τῇ γῇ αὐτῶν οὐ κληρονομήσεις, καὶ μερὶς οὐκ ἔσται σοὶ ἐν αὐτοῖς, ὅτι ἐγὼ μερὶς σου, καὶ κληρονομία σου ἐν μέσῳ τῶν υἱῶν Ισραήλ. Alia certe res est ut terræ portiones tribubus assignatæ illorum *cleri* dicantur; & quod Levitæ ipsi, quos Dominus pro sorte sua agnoscit, ejus *Clerus* dicantur. Non diffitemur D. Petrum in Epistola sua 1. omnes Christianos *Domini Clerum* appellasse; sed ille ipse Petrus Act. 1. v. 17. munus Apostolicum κλῆρον διακονίας vocare non dubitat. Ultimo in loco si non sufficiat Rigaltio *Cypriani & etiam Tertulliani seculo inter clericos & laicos differentiam fuisse tantam, ut laici non intelligerentur voce Cleri:* id Apostolorum ævo obtinuisse testatur Clemens Romanus in Epistola ad Corinthios, qui ait ἀρχιερεῦσι ἰδίαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσί, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος πρόσταικται, καὶ λευίταις ἰδίαι διακονίαι ἐπίκεινται· ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς πρόσταγμασιν δέδεται. &c. Sed de his plus satis.

2 *Cleri Romani ad Clerum Carthaginiensem.*] Rigaltius occasionem scriptæ hujus epistolæ his verbis explicat. *Fabiano mortuo sedes Romana vacabat. Secedente igitur Cypriano, Clerus Carthaginiensis literas ad Clerum Romanum dederat, & secessionis causas allegaverat, quales hic reddit Romanus. Nam & secessisse Carthaginienses clerici scripserant, & benedictum Papam Cyprianum suum nuncupaverant. Reddunt Carthaginiensibus voces suas Romani, sed mox istum Cypriani secessum in fugam vertunt; addumque circumstantias, imminente agone, quem Deus permisit, ut sententiam damnationis ferat in eos qui de persecutione pedem referrent, aut Christum negarent. Hæc itaque sunt dulcacida, qualia præberi solent in poculis mellitis absinthia.* Plura hac de re videantur in Annalibus An. 250. § VIII.

3 *Didicimus secessisse Benedictum Papam Cyprianum.*] Dicit Rigaltius *secessum istum Cypriani, fugæ probro minime caruisse apud quosdam de Christiana fraternitate, qui Tertulliani de fuga in persecutione disputationem legerant. Nec dubito, quin ipsa tanti Magistri severitas, Discipuli mentem adeo suffuderit, vel aliquo saltem scrupulo sic pupugerit, ut fugæ suspicionem Cyprianus amoliri abs se magno studio contenderet. Hoc & Pontii familiaris sui satis intricata sedulitas persuadet: ipsiusque Cypriani epistolæ sequentes declarant; &, si verum amamus, haud aliud magis ista Romani Cleri tam argumentosa quam incondita commonitio proscribit. Fortissima est illa Cypriani defensio, quod Dei nutu, immo jussu secesserit. Nam quid apertius mandato divino per Christum Apostolis tradito? Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Quod si mandatum ad alios quam Apostolos pertinuisse negaveris, quis à Cypriano jussi Dominici, Spiritus sancti, divini erga ipsum quoque speciatim favoris testem exigat? Sed & complures humanæ prudentiæ rationes amici caussati sunt. Erat persona insignis. Unus Cyprianus Ecclesiam demonstrabat: Eo sublato, tota pessum ibat fraternitas. Unius Cypriani præsentia inimicas nomini Christiano potestates exasperabat. Unum præsertim Cyprianum populus efferatus ad leonem depostulaverat. Eo aliquantisper amoto rabies sedari posse videbatur. Denique absens nihilominus per procuratores aut vicarios, perque literas frequentiores Ecclesiæ suæ necessaria cuncta providebat, suggerebat. Has certe secessus causas, tunc valde probabiles, sequentibus seculis exemplo fuisse arguit præclara Augustini ad Honoratum epistola, quæ & consilia præbet adversus cunctas istius humanæ prudentiæ subtilitates saluberrima. Strategicorum scriptores quæstionem tractant huic nostræ haud absimilem: An sit laudandus in bello dux, quem non pigeat caput suum passim fortiter ac strenue periculis objectare. Quæ res hanc definitionem admittit. Habendam in primis esse rationem ducis, quo sublato, salus populi subvertatur necesse est, tunc enim πρῶτον ἔργον ἀρετῆς εἶναι, σῴζειν τὸν ἄπαντα τ' ἄλλα σῴζοντα. At ubi de exemplo ducis tota pendet exercitus constantia, tum vero, neque manibus neque capiti esse parcendum. Hoc sapienter observavit in Pelopida Plutarchus.*

4 *Benedictum Papam.*] Rigaltius ait. *Sic appellari Carthaginis Episcopum non invident Romani: Sed nec aliter appellat Romanum Pontificem Tertullianus, libro de Præscript. adversus hæreticos, & libro de Pudicitia. Hi fuere tunc Romano Pontifici cum plerisque aliarum Urbium Episcopis tituli communes. Et præter Ennodium Ticinensem & Cassiodorum, vix alii reperiantur, qui Papæ nomen, ut proprium & peculiare, Pontifici Romano adseruerint. Tandem vero Gregorius VII. in Synodo Romana, quod ad Ennodium Sirmondus observat, edixit ut Papæ nomen unius esset in orbe Christiano. Cæterum in matricula curopalatina adeo descenderat appellatio Paparum etiam ad infimos sacerdotes, ut ipse Protopapa subesset Patriarchæ Constanti-*

An. 250. victus vero (a) portaverit in se sententiam, quæ nobis manifesta est: Et cum incumbat [1] nobis qui videmur præpositi esse, & (b) vice pastoris custodire gregem; si negligentes inveniamur, dicetur nobis quod & [2] antecessoribus nostris dictum est, qui tam negligentes præpositi erant: quoniam perditum non requisivimus, & errantem non correximus, & [3] claudum [4] non (c) colligavimus; & lac eorum edebamus, & lanis eorum operiebamur. Denique & ipse Dominus implens quæ erant scripta in lege & (d) Prophetis, docet dicens: Ego sum Pastor bonus qui pono animam meam pro ovibus meis: mercenarius autem & cujus non sunt propriæ oves, cum viderit lupum venientem, (e) relinquens effugit, & lupus dispergit oves: [5] sed & (f) Simoni sic dicit: Diligis me? respondit, Diligo: Ait ei, Pasce oves meas. [6] Hoc verbum factum [7] ex actu ipso quo cessit cognoscimus; & ceteri discipuli similiter fecerunt. Ezec. 34. 4. Joh. 10. 11. Joh. 10. 14. Joh. 21. 15.

Caveant pastores ne mercenarii inveniantur.

Nolumus ergo, fratres dilectissimi, vos mercenarios (g) inveniri, sed bonos pastores, cum sciatis non minimum periculum incumbere, si non hortati (h) fueritis fratres vestros stare in fide immobiles, ne (i) præceps iens ad idololatriam funditus eradicetur fraternitas. Nec enim (k) hoc solum verbis vos hortamur, sed discere poteritis à pluribus è nobis ad vos venientibus, quoniam ea omnia nos Deo adjuvante & fecimus & facimus cum omni

(a) Reportaverit, *Vat.* 2. (b) Vice pastorum, *Vat.* 2. (c) Collegimus, *Vat.* 1. (d) Prophetis dixit. *Vat.* 1. (e) Relinquit & fugit, *Vat.* 2. (f) Simoni dicit, *Vat.* 1. quod gessit, *Vat.* 1. (g) *Sic*, *Vat.* 1. invenire, *Imp.* (h) *Sic*, *Vat.* 1. Fratres nostros stare, *Imp.* (i) Præceps euntium, *Vat.* 1. (k) Hæc solum verbis, *Vat.* 2.

stantinopolitano: & Papa dicebatur quilibet sacerdos, quales nos hodie Patres vocitamus, & Presbyteros, etiam ætate plerumque inferiores. Sicuti Senatores Patres jam olim appellatos fuisse ait Sallustius, vel ætate, vel curæ similitudine.

Addit Porro *Papa. Infantile vocabulum. Græce* πάππας. *Unde Latini secundo casu dixere*, papatis. *Hesychius:* πάππας, πατρὸς ὑποκόρισμα. πιπίηπη δὲ ἡ λέξις ἀπὸ τῶ παιδίων ἃ λέγει πάππα. *Inde &* παππάζειν, *Homero. Il. v. Plauto & Persio, pappare. Verum alio significatu, pappare minutum poscit. Et, opus est quod pappet. Hoc est, præmansum aliquid,* μασηθὲν, *masticatum. Glossæ veteres: Pappat, hoc est, præmansum aliquid,* μασᾶται. *Aliæ:* μάσσω. *mastico, subigo. Quemadmodum vero de patris vocabulo fluxit papa sive pappas, sic de vocabulo matris, mamma, Hesych.* μάμμη, ὑποκόρισμα μητρὸς, ἐκ παιδίων Ατπικοί. *Martialis: Mammas atque tatas habet Afra, &c. Sed & Saliari carmine Pa usurpatum fuisse, pro, patre, docent excerpta de libris Sex. Pomp. Festi.*

5 *A Clementio.*] *Infra epistola proxime seq.*

6 *Subdiacono.*] Causatur Rigaltius quod *sic paulatim, atque ab minimis, intravit in Ecclesiam regnum, & dominandi libido. Apostoli Diaconos tantum dixerant. Ætas Cypriani subdiaconos admisit. Sequens Archidiaconos, ac deinceps Archiepiscopos & Patriarchas. Apostoli Episcopos & Presbyteros tantum dixerant. Tertullianus dixit Episcopum esse summum sacerdotem.* Pace Rigaltii crediderim, non ad fastum, *ad regnum & dominandi libidinem*, subdiaconatum aliosque tam inferiores quam superiores in clero gradus Ecclesiæ invectos; sed ad necessarios pietatis Christianæ usus fuisse adhibitos. Quid magis potuit ad Africanæ Ecclesiæ unitatem, & alia publica commoda conferre, quam ut omnes *Africæ*, *Numidiæ & Mauritaniæ Episcopi*, Cypriani unius regimini subessent? Et ex adverso, gradus inferiores quod attinet; si quis primitivæ Ecclesiæ statum perpenderit, ad conventus solennes viritim omnes convocandos, & non sine delectu, & excubiis postea admittendos: nuntios non modo in regiones vicinas, sed longe diffitas subinde ablegandos; ægrorum, pauperum, catechumenorum, lapsorum, martyrum, vinctorum, ad metalla damnatorum, & demum mortuorum perpetuam habendam esse curam: non mirabitur in tot negotiis tam spissis, tam variis, tam laboriosis & periculo plenis, plurimos qui ea procurarent fuisse adhibendos: & post Episcopos, Presbyteros & Diaconos; Subdiaconos, Lectores, Acoluthos, Ostiarios, in solicitudinis Ecclesiasticæ partem subrogari. Cornelius, hoc ipso tempore Romanæ Ecclesiæ Episcopus, quot in urbe fuerint in Clero constituti, in Epistola ad Fabium Antiochensem, quæ habetur apud Euseb. l. 6. c. 43. distincte tradit. Fuisse nimirum πρεσβυτέρους πολλοὺς ἑστῶτας ἐξ. διακόνους ἑπτά. ὑποδιακόνους ἑπτά. ἀκολούθους δύο καὶ πυλωρὰς ἑξήκοντα. ἐξορκιστὰς δὲ καὶ ἀναγνώστας ἅμα πυλωροῖς δύο καὶ πεντήκοντα. Quibus subjungit fuisse χήρας σὺν θλιβομένοις, ὑπὲρ τὰς χιλίας πεντακοσίας, οὓς πάντας ἡ τοῦ δεσπότου χάρις καὶ φιλανθρωπία διατρέφει. Demum de universis concludit, τοσοῦτο πλῆθος καὶ ὕπως ἀναγκαῖον ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἀλλὰ τοῦ θεοῦ προνοίᾳ πλούσιός τε καὶ πλήθων ἀριθμὸς, μὴ μικρὸν καὶ ἀπεριθμήτου λαοῦ. Et quidem Romæ æmulam Carthaginem, nec in iis quæ ad Christianam pietatem spectant multum cessisse, credere par fuerit.

7 *Certa ex causa, quod utique recte fecerit.*] Hæc ita continuanda esse dicit Rigaltius; *Certa ex causa; quod utique recte fecerit; cum sit persona insignis, & imminente agone. Quæ videntur esse verba cleri Carthaginiensis in gratiam & favorem Cypriani scripta ad excusandum ejus secessum.*

1 *Nobis qui videmur esse præpositi.*] Dicit Rigaltius. *Cum abiisset è vivis Fabianus, Cyprianus vero secessisset, utraque Sedes vacabat, Romana & Carthaginiensis. Utrobique igitur Clerus Ecclesiæ suæ curam susceperat, & literas ad Romanum dederat Carthaginiensis super illo secessu Cypriani sui: Romanus Carthaginiensi rescribens: cum incumbat nobis, inquit, qui videmur præpositi esse, & vice pastoris custodire gregem, si negligentes inveniamur, dicetur nobis, &c. quæ verba cum sint communia, & curæ utrimque communis, civilem magis & verecundam solicitudinem caritati Christianæ convenientissimam significant, quam alicujus imperii sive potestatis superbiam.* Minoris est momenti quod subnectit, quod *nemo sanus negaverit, præcipuum jam olim ac primarium fuisse Romanæ Sedis honorem. Nam & ab clero Carthaginiensi datæ ad Romanum super secessu Cypriani literæ, quasi rationem reddunt; & Romanorum verba quæ hic sequuntur, Nolumus ergo vos mercenarios invenire, etsi hortatoria sint potius quam imperatoria, & consilia magis quam jussa, satis indicant Romanum jam tunc etiam sede Pontificia fuisse potiorem.* Romanæ Ecclesiæ πρωτεῖα si non aliunde melius conficiantur, parum stabili pede subsistent.

2 *Antecessoribus nostris.*] Judæorum sacerdotibus. Ad verba quæ sequuntur *Errantem non correximus*, Rigaltius ait. *Tertullianus sic reddit: quod expulsum est non convertistis. Libro de Pudicitia.*

3 *Claudum.*] Rigaltius ait, *Tertull. comminutum LXX.* συντετριμμένον *Ps.* 120. *Qui sanat infirmitates eorum, & alligat contritiones eorum.*

4 *Claudum non colligavimus.*] Rigaltius ait. *Adhibitis fasciis atque etiam regulis.*

5 *Sed & Simoni sic dicit.*] Rigaltius ait. *Quasi non jam Petro, qui de petra deciderat, parum servata fide, ob quam illi Christus nomen fecerat Petro à petra, hoc est firmitate; Petra autem erat Christus, fides & confessio nominis Christiani.*

6 *Hoc verbum factum.*] Rigaltius ait, *Verbum scilicet quod fecit Christus ad Petrum, jam non Petrum vocans, sed Simonem, quasi de illius erga se dilectione addubitans.*

7 *Ex actu ipso quo cessit.*] Rigaltius ait, *Ex facto Petri, qui apprehenso à Judæis Christo, non proprie fugit, sed cessit sive abscessit aut recessit. Nam, ut est in Evangelio, sequebatur Christum, sed longo intervallo quod fugæ speciem præbuit, adeoque in Evangelio legitur, discipulos omnes relicto Christo fugisse. Hæc autem cleri Romani epistola Petrum eo magis onerare videtur quod ait: Et ceteri discipuli similiter fecerunt. Quasi ad exemplum Petri. Atque hoc Romani torquent in Cypriani secessum, non sine opprobrio fugæ.* Sub eadem invidia fugæ nomine, per hoc ipsum tempus laborabat, dignitatis & studiorum particeps, grande Ægypti decus, Dionysius Alexandrinus; Is vero pariter se tuetur, quod voce divina admonitus latebras petiisset; ἐγὼ δὲ καὶ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ λαλῶ, καὶ αὐτὸς οἶδεν ὅτι οὐ ψεύδομαι, οὐδὲ μίαν ἐπ' ἐμαυτῷ βαλλόμενος αἰτίαν πεποίημαι τὴν φυγήν, & plura in hanc mentem l. 6. Euseb. c. 40.

An. 250. omni ſolicitudine & periculo ſeculari, (a) ante oculos plus habentes timorem Dei & pœnas perpetuas, quam timorem hominum & brevem injuriam: non deſerentes fraternitatem, & hortantes eos ſtare in fide, & (b) paratos eſſe debere ire cum Domino: Sed & (c) [1] aſcendentes ad hoc quod compellebantur, revocavimus ad [2] Eccleſiam iſtam fortiter in fide; licet quidam terrore ipſo (d) compulſi, ſive quod eſſent inſignes perſonæ, ſive apprehenſi timore hominum, (e) ruerunt: quos quidem ſeparatos à nobis non derelinquimus, ſed ipſos cohortati ſumus & hortamur agere pœnitentiam [3] ſi quo modo (f) indulgentiam poterunt recipere ab eo qui poteſt præſtare: ne ſi relicti fuerint à nobis, pejores efficiantur. Videtis ergo, fratres, quoniam & vos hoc facere debetis, ut etiam illi qui ceciderunt, hortatu veſtro corrigentes animos eorum, ſi adprehenſi fuerint, iterato confiteantur, ut poſſint priorem errorem corrigere.

Monita quomodo lapſis, viduis, afflictis, &c. ſubvenire debeat.

Et alia (g) quæ incumbunt vobis etiam ipſa ſubdidimus; ut, ſi qui in hanc tentationem inciderunt, cœperint adprehendi infirmitate, & agant pœnitentiam facti ſui, & deſiderent communionem, utique ſubveniri eis debet. [4] Sive viduæ, ſive (h) thlibomeni, qui ſe exhibere non poſſunt, ſive hi qui in carceribus ſunt, ſive (i) excluſi à ſedibus ſuis, utique habere debent qui eis miniſtrent. Sed & [5] catechumeni adprehenſi (k) infirmitate, decepti eſſe non debebunt, ut eis ſubveniatur. [6] Et quod maximum eſt, corpora Martyrum aut ceterorum ſi non ſepeliantur grande periculum immineꝛ eis quibus incumbit hoc opus. (l) Cujuſcunque ergo veſtrum, quacunque occaſione (m) effectum fuerit hoc opus, certi ſumus eum bonum ſervum æſtimari, ut qui in minimo fidelis fuit, conſtituatur ſuper decem civitates. Faciat autem Deus, qui omnia præſtat ſperantibus in ſe, ut omnes nos in his operibus inveniamur. Salutant vos fratres qui ſunt in vinculis, & Presbyteri & tota Eccleſia, quæ & ipſa cum ſollicitudine excubat pro omnibus qui invocant nomen Domini. Sed & (n) vos petimus mutua vice, (o) memores ſitis noſtri. Sciatis autem Baſſianum perveniſſe ad nos; & petimus vos, qui habetis zelum Dei, harum literarum exemplum ad quoſcunque poteritis, tranſmittere, per [7] idoneas occaſiones, vel veſtras faciatis, ſive nuncium mittatis, ut ſtent fortes & immobiles in fide. Optamus vos, fratres cariſſimi, bene valere. Luc. 19. 17.

(a) Ante oculos habentes timorem Dei & pœnas perpetuas magis quam, *Vat.* 2. (b) Paratos eſſe ire, *Vat.* 1. (c) Attendentes, *Vat.* 1. Sed & aſcendentes ad hoc quod compellebantur, revocavimus. Eccſia iſta fortis in fide, *Imp.* (d) *Sic*, *Bod.* 1. compulſi quod eſſent inſignes, *Imp.* (e) *Sic*, *Vat.* 1. revertuntur, *Imp.* (f) *Sic*, *Vat.* 1. indulgentiam potuerant, *Imp.* (g) *Sic*, *Vat.* 1. Quæ incumbunt vobis, quæ etiam ipſa, *Imp.* (h) Clydomeni, *Bod.* 1. (i) Expulſi à ſedibus ſuis, *Vat.* 1. (k) In infirmitate, *Vat.* 1. (l) Cujuſque *Vat.* 2. (m) Factum fuerit, *Vat.* 2. (n) *Sic*, *Vat.* 2. nos, *Imp.* (o) Ut memores ſitis, *Vat.* 2.

[1] *Aſcendentes ad hoc quod compellebantur.*] Facinus ipſum apertis vocibus efferre refugiunt. Rigaltius ait, aſcendiſſe in *Capitolium*, *ut imponerent in acerram tura. Sic lib. de Lapſis. Non expectaverant ſaltem, ut aſcenderent apprehenſi, ut interrogati negarent. Et paulo poſt: Nonne quando ad Capitolium ſponte ventum eſt, labavit greſſus? Et eodem libro: Unus ex his qui ſponte Capitolium negaturus aſcendit. Canon* 59. *Concil. Eliberit. Ne quis Chriſtianus ad idolum Capitolii ſacrificandi cauſa aſcendat.* Latinii Codex rem aliter proponit, quod nimirum Eccleſiæ Romanæ Presbyteri attendentes ad hoc quod infirmi Chriſtiani metu impulſi ad Capitolium aſcenderent, animum iis addentes monitis opportunis revocaverant ad Eccleſiam. Quod infra in Impreſſis dicitur, *apprehenſos timore hominum revertiſſe*, ad contextum non videtur reſpondere.

[2] *Eccleſiam iſtam fortiter in fide.*] Lectionem Pamelii retinens Rigaltius adnotat, quod *hac fortitudinis ſuæ jactantia Romani faciunt invidiam Carthaginienſibus. Et Romanæ quidem fidei prærogativam Tertullianus ipſe Carthaginienſis prædicat lib. de Præſcriptionibus: Si autem Italiæ adjaces, inquit, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta quam felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt! & libro adverſ. Marcionem quarto: Videamus quid etiam Romani de proximo ſonent.* Sed Latinii lectio, fortitudinis laudem non Romanæ Eccleſiæ, ſed Clero tribuit.

[3] *Si quo modo indulgentiam potuerunt recipere.*] Rigaltius ait, *Indulgentiam pœnitentiæ.* Porro voces illæ, *Ab eo qui poteſt præſtare*, ſubnectuntur; quia nondum Eccleſia Idololatras decreto aliquo ad pœnitentiam admiſit; licet ſtatim id fecerit.

[4] *Sive viduæ, ſive thlibomeni.*] Rigaltius ait, *Primus hanc epiſtolam edidit Guil. Morelius, nec indicavit unde habuerit exemplar. Non invenitur autem MSS. codicibus Pamelianis, nec in Italicis, neque in noſtratibus. Et tamen valde proba eſt, nec tam ſcatet mendis, quam exiſtimabat Pamelius. Morelius igitur hoc loco edidit clydomeni, quod mendoſum eſſe non inficiamur, imo veram eſſe arbitramur Pamelii conjecturam, in authentico ſcriptum fuiſſe, clinomeni. Eoque magis hæc opinio firmari videtur, quod inter illius ævi Chriſtianos probroſam vulgo fuiſſe conſtat appellationem clinicorum, qui decumbentes in lectulo, propter imminens mortis periculum aqua perfuſi baptiſmum acceperant. Quaſi non proprie baptizati, quia perfuſi, non merſi; de quibus agitur in epiſtola Cypriani ad Magnum, Clerus ergo Romanus iſtorum etiam clinicorum curam ſuſcipiens, vocabuli triſtitiam mitigat, ac deflexa terminatione* κλινομένοις *dicit, non* κλινικοῖς. *Ejuſmodi etiam benignitate Tertullianus in Apologetico, Chriſtianos gravi ſenio prope confectos noluit appellare* clinicos, *ſed* jam domeſticos ſenes. Quod ad Epiſtolæ fidem ſpectat, præter Latinii codices, qui ipſam agnoſcunt, in Bodleianorum uno habetur. Quod ad vocem præſentem attinet, probata lectio eſt illa quam adhibemus; cui fidem facit Epiſtola Cornelii ad Fabium quam ſupra laudavimus; ubi ex conſimili occaſione mentio habetur χηρῶν καὶ θλιβομένων. *Se exhibere*, eſſe ad vitam neceſſaria ſibi ſuppeditare, oſtendimus l. 3. ad Quirin. c. 61.

[5] *Catechumeni decepti eſſe non debebunt.*] Rigaltius ait, *Nam hæc in primis audiebant ab Epiſcopo ſive Presbytero, ſummam eſſe apud Chriſtianos curam caritatis ſive dilectionis; & conqueri poterant ſe deceptos, ſi contigiſſet eos in ipſo perſecutionis æſtu deſeri.*

[6] *Et quod maximum eſt, corpora Martyrum aut ceterorum ſi non ſepeliantur.*] Rigaltius ait, *Ne ſuperſtites hoc ſuorum etiam poſt mortem ſupplicio deterriti, ſepulturæ deſperatione martyria expaveſcerent. Neve item ethnici Chriſtianæ religioni crimen impietatis objicerent, quæ mortuis ſuis officia gentium conſenſu, & mundi fœdere, & ſortis humanæ commercio debita, non impenderet.*

[7] *Idoneas occaſiones, vel veſtras faciatis.*] Monet ut arriperent Romani quamcunque occaſionem oblatam; aut ea ceſſante, certum nuncium eo ſolum nomine mitterent. Baſſianus qui hic memoratur, fortaſſe is eſt cujus nomen occurrit Epiſt. 21. & alibi non ſemel.

An. 250.

CÆCILII CYPRIANI

EPISTOLA IX.

Cyprianus 1 Presbyteris & 2 Diaconibus Romæ consistentibus fratribus S.

Ad Pamelii numeros IV. Ad Erasm. l. 3. Ep. 21. Literæ ad Clerum Romanum; qui Cyprianum de Fabiani exitu certiorem fecerant.

3 CUM de excessu boni viri collegæ mei rumor apud nos incertus esset, fratres cariſſimi, & opinio dubia nutaret: 4 accepi à vobis literas ad me missas per (a) Clementium hypodiaconum, quibus pleniſſime de glorioso ejus exitu instruerer: & exultavi satis, quod pro integritate administrationis ejus, 5 consummatio quoque honesta processerit. In quo vobis quoque plurimum gratulor, quod ejus memoriam tam celebri & illustri testimonio prosequamini: ut per vos innotesceret nobis, quod & vobis esset circa 6 Præpositi memoriam glorioſum & nobis quoque fidei ac virtutis præberet exemplum. Nam (b) quantum pernicioſa res est ad sequentium lapsum ruina præpositi, in tantum contra utile est & salutare, cum se Episcopus per firmamentum fidei fratribus præbet imitandum. 7 Legi (c) etiam literas, 8 in quibus (d) nec qui scripserint, nec ad quos scriptum sit, significanter expressum est. Et quoniam me in iisdem literis & scriptura, & sensus, & chartæ ipsæ quoque moverunt, ne quid ex vero vel subtractum sit vel immutatum; 9 eandem ad vos epistolam authenticam remisi, ut recognoscatis an ipsa sit quam Clementio hypodiacono perferendam dediſtis: perquam etenim grave est, si Epistolæ clericæ veritas mendacio aliquo & fraude corrupta est. (e) Hoc igitur ut scire possimus, & (f) scriptura & subscriptio an vestra sit recognoscite; & nobis quid sit in vero rescribite. Opto vos, fratres cariſſimi, semper bene valere.

Scripta in secessu.

(a) Crementium, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. (b) Quanto, *Lam. Ebor. NC.* 1. (c) Etiam alias literas, *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. (d) Nec scripsit quis, *Lam. Ebor. NC.* 1. (e) Hæc, *Lam. Ebor. NC.* 1. (f) Scripturam, & subscriptionem, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1.

1 *Presbyteris & Diaconibus Romæ.*] Rigaltius ait, *Cum exorta sub Decio Cæsare adversus Christianos vexatio Fabianum Ecclesiæ Romanæ præpositum peremisset, Clerus Romanus ad Cyprianum Carthaginis Episcopum literas per Clementium Subdiaconum misit, ac de glorioso Fabiani exitu certiorem fecit. Mox eadem pernicie per Africam grassante, Cyprianus, cum jam ad leonem depostularetur, Deo sic annuente secessit; nec de secessu suo quicquam Ecclesiæ Romanæ significavit: Sed postmodum Carthaginiensis clerus datis ad Romanum literis, quid sibi consilii Cyprianus cepisset, aperuit. Ac subinde Romanus Carthaginiensi rescripsit, se non minimo dolore tangi, quod pastor ovibus derelictis latebras petiisset. Hoc vero agitur Epistola præcedenti, quam Morelio deberi testatur Pamelius, & ipsissimam esse quam Cyprianus in manus suas non sine aliqua fraudis suspicione pervenisse conquestus est, & remisit Romam Presbyteris ac Diaconis, ut recognoscerent an esset illa clerica sua quam Clementio perferendam tradiderant. Quid autem Romani rescripserint, non habemus. Hoc tantum assequi conjectura fas est, Epistolam suam agnoviſſe Romanos. Eam vero sic pupugisse animum Cypriani, ut necesse sibi esse duxerit, literas ad eos facere, quibus & actus sui & disciplinæ & diligentiæ ratio redderetur. Quod sane præstitit epistola quæ* hac editione *habetur XX.*

2 *Diaconibus.*] Rigaltius ait, *Antiquæ sunt inflectiones istæ, Diacones & Diaconibus. Et tamen habebant Apostolum in manibus, apud quem legitur:* Διάκονοι & διακόνοις & Διακόνους. *Et in veteri versione Latina, Diaconi, Diacones & Diaconos. Nescio quo pacto maluerint dicere Diacones & Diaconibus. Sane vocabulum Episcoporum reverentius habuerunt. Qui autem Episcopas dixere, non dixere diaconas, sed diaconissas. Justiniani* Novella 111. quasi epicœno genere, Διακόνοις ἄρρεσιν ἐκάτον, παραφύκοντα δὲ θηλείας.

3 *Cum de excessu boni viri collegæ mei.*] Rigaltius ait, *Quam ex æquo civilis mentio Episcopi Romani ab Episcopo Carthaginis apud Clerum Romanum! quem nihilominus universam Ecclesiam Sede Romana vacante rexisse Pamelius & Binius arbitrantur.* Sed si Fabianus Cypriani erat collega; utique Ecclesia Romana & Carthaginiensis sorores dicentur, nec altera alteram rexerit. Transmarina imperia etiam D. Augustini tempore ægre tulit Ecclesia Africana. Literas quidem scripsit ad Africanos Romana Ecclesia, sed ab illis prius literas acceperat.

Rigaltius ait porro, *excessum esse mortem, quæ mox consummatio dicitur. Mortis nomen quantum poterant evitabant Christiani, ob spem resurrectionis & vitæ sempiternæ. Itaque pro Mortuo, Præmissum; & pro Morte, Obitum & excessum dicebant. Ductoque de arte calculatoria vocabulo, consummatum & consummationem annorum, dierum, horarumque velut nummorum numero in supremam summam collecto computatoque. Qualia sæpe apud Tertullianum occurrunt schemata.*

4 *Accepi à vobis literas.*] Rigaltius adnotat quod *Hæ literæ hodie non extant.*

5 *Consummatio honesta processerit.*] Rigaltius ait, Φαβιανὸν ἐπὶ Ῥώμης μαρτυρίῳ τελειωθέντος. *Euseb.* VI. 39. *Ruffinus: Fabiano in urbe Roma martyrio coronato.*

6 *Præpositi memoriam.*] Rigaltius ait, *Fabiani Episcopi Rom. quem etiam præpositum vocat Clerus Rom. epistola præcedente, & eodem nomine ceteros quoque Ecclesiarum rectores appellat.* προεστῶτα *dixerat Justinus. Præsidentem Tertullianus Apolog. Is est Episcopus qui & summus Sacerdos, ab eodem Tertulliano dicitur.*

7 *Legi etiam alias literas.*] Rigaltius ait, *Adsentior Pamelio, non alias fuisse quam præcedentes Epistolæ secundæ paginas.*

8 *In quibus nec qui scripserint, nec ad quos scriptum sit.*] Rigaltius ait, *Dicendum igitur, in authentico omissum fuisse titulum. Quæ fortean fuerit Romanorum cautio sive prudentia, inter pericula Decianæ persecutionis.*

9 *Eandem ad vos Epist. authenticam remisi.*] Rigaltius ait, *Authenticam dicit, de cujus tamen fide dubitabat: Sed nihilominus authenticam, cum eadem omnino esset quæ allata fuerat à Clementio.* Duplici nomine Epistola hæc clerica dicenda, quia scil à clero Romano ad Carthaginiensem dirigeretur; tum etiam, idque præcipue, quia per nuncium sacris ordinibus initiatum missa fuerat. De ordine harum Epistolarum, consulantur Anni 250. Annales, § VIII.

An. 250.

EPISTOLA. X.

Cyprianus, (a) [1] Martyribus & Confeſſoribus Jeſu Chriſti Domini noſtri in Deo patre perpetuam Salutem.

Ad Pamelii numeros IX. Ad Eraſm. l. 2. Ep. 6. Epiſtola eſt gratulatoria ad Martyres & Confeſſores.

EXULTO lætus & gratulor, fortiſſimi ac beatiſſimi fratres, cognita fide ac virtute veſtra, in quibus mater (b) Eccleſia gloriatur. Gloriata eſt & nuper quidem, cum confeſſione perſtante ſuſcepta pœna eſt, quæ Confeſſores Chriſti fecit extorres; [2] confeſſio tamen præſens, quanto in paſſione fortior, tanto clarior & major in honore eſt. Crevit pugna, crevit & pugnantium gloria. Nec retardati eſtis ab acie tormentorum metu, ſed ipſis tormentis magis eſtis ad aciem provocati; fortes & ſtabiles ad maximi (c) certaminis prælium (d) promta devotione rediſtis. Ex quibus [3] quoſdam jam comperi coronatos, quoſdam vero ad coronam (e) victoriæ proximos, univerſos autem, quos agmine glorioſo carcer incluſit, pari ac ſimili calore virtutis ad gerendum certamen animatos; ſicut eſſe oportet in divinis caſtris milites Chriſti: ut incorruptam fidei firmitatem non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus ac tormenta devincant; quia major eſt qui in nobis eſt, quam qui eſt in hoc mundo. 1 Jo. 4. 4. Nec plus ad dejiciendum poteſt terrena pœna, quam ad erigendum tutela divina. Probata res eſt certamine fratrum glorioſo, qui ad tormenta vincenda ceteris duces facti, exemplum virtutis ac fidei præbuerunt, congreſſi in acie, donec acies ſuccumberet victa. Quibus ego vos laudibus prædicem, fortiſſimi fratres? robur pectoris veſtri, & perſeverantiam fidei quo præconio vocis exornem? (f) Toleraſtis (g) uſque ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem, nec ceſſiſtis ſuppliciis, ſed vobis potius ſupplicia ceſſerunt. (h) Finem dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt. (i) Laniena gravior ad hoc diu perſeveravit, non ut ſtantem fidem dejiceret, ſed ut homines Dei ad Dominum velocius mitteret. Vidit admirans præſentium multitudo cœleſte certamen, certamem Dei, (k) ſpiritale certamen, prælium Chriſti; ſtetiſſe ſervos ejus [4] voce libera, mente incorrupta, virtute divina, telis quidem ſecularibus nudos, ſed armis (l) fidei credentes armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores; & pulſantes ac laniantes ungulas, pulſata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem ſuperare non potuit ſæviens diu plaga repetita, quamvis rupta compage viſcerum, torquerentur in ſervis Dei jam non membra, ſed vulnera. Fluebat ſanguis, qui incendium perſecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioſo cruore ſopiret. O quale illud fuit ſpectaculum Domino, quam ſublime, quam magnum, quam Dei oculis, ſacramento ac (m) devotione militis ejus, acceptum! ſicut ſcriptum eſt in Pſalmis, Spiritu ſancto loquente ad nos pariter & monente: Pretioſa eſt in conſpectu Domini mors juſtorum ejus: pretioſa mors hæc eſt, quæ emit immortalitatem (n) pretio ſui ſanguinis; quæ accipit coronam de conſummatione virtutis. Quam (o) lætus illic Chriſtus fuit, quam libens in talibus ſervis ſuis & pugnavit & vicit protector fidei? & [5] dans credentibus tantum, quantum ſe credit accipere qui ſumit; certamini ſuo adfuit, præliatores atque aſſertores ſui nominis erexit, corroboravit, animavit. Et qui pro nobis mortem ſemel vicit, ſemper vincit in nobis. Cum vos, inquit, tradiderint, nolite cogitare quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Documentum rei præſens prælium præbuit. Vox plena ſpiritu ſancto

Scripta in ſeceſſu.

Pſ. 115. 5.

Mat. 10. 19.

(a) Ad martyres & Confeſſores, *Bod.* 1. (b) Eccleſia gratulatur, *Bod.* 1. (c) Certaminis præmium, *Pem.* pretium, *Corb.* (d) Pro devotione prodiiſtis, *Bod.* 1. 3. *Corb.* (e) Victoriæ jam jamque proximos, *Thu. Foſſ. Bod.* 1. (f) Tolerantes, *Pem.* (g) Utique, *Bod.* 1. (h) Finem doloribus, *Voſſ.* 2. *Bod.* 1. 3. *Pem. Thu. Corb.* (i) Laniatio, *Pem.* laniandi mora, *Bod.* 3. lanio gravior, *Benev.* quæſtio, *Thu.* (k) Spiritale prælium Chriſti, *Voſſ.* 2. *Bod.* 1. 3. *Pem.* (l) Fidei ardentis armatos, *Pem.* (m) *Sic*, *Bod.* 3. devotioni militum, *Imp.* (n) Pretioſa vis ſanguinis, *Corb.* coronam Dei, *Bod.* 3. *Pem.* (o) Lætus in illis, *Bod.* 1.

[1] *Martyribus & Confeſſoribus.*] Nicolaus Faber, adnotat quod, *Confeſſores dicti ſunt, qui coram judicibus interrogati, Chriſtum profeſſi erant: Martyres qui Chriſtum profeſſi, & præterea ut abnegarent torti, perſeverabant. Martyres igitur omnes Confeſſores erant, ſed Confeſſores nondum Martyres, niſi ut eleganter Tertullianus vocat, initio lib. ad Mart. deſignati, & alibi candidati martyrii.*

[2] *Confeſſio tamen præſens.*] Perſecutio à magiſtratibus ordinariis intentata, ad exilium ſolummodo proceſſit: Proconſul accedens, tormenta & mortem addidit.

[3] *Quoſdam jam comperi coronatos.*] Quinam illi fuerunt diſcimus ex Luciani Epiſtola. Baſſus nimirum, Mappalicus, Fortunio, Paulus, Fortuna, Victorinus, Victor, Herenius, Credulus, Herena, Donatus, Firmus, Ventus, Fructus, Julia, Martialis, Ariſto.

[4] *Voce libera.*] Qua ſe Chriſtianos pro tribunali profitebantur.

[5] *Dans credentibus tantum, quantum ſe credit accipere qui ſumit.*] Sic ſupra lib. ad Donat. *Quantum fidei capacis afferimus, tantum gratiæ mundantis haurimus.*

An. 250. ſancto de Martyris ore prorupit, cum Mappalicus beatiſſimus inter cruciatus ſuos Proconſuli diceret: Videbis cras agonem. Et quod ille cum virtutis ac fidei teſtimonio dixit, Dominus implevit. (a) Agon cœleſtis exhibitus, & Dei ſervus in agonis promiſſi certamine coronatus eſt. Hic eſt agon quem Propheta (b) Eſaias prædixit; dicens: Non puſillum vobis certamen cum hominibus, quoniam [1] Deus præſtat agonem. Et ut oſtenderet quis hic agon futurus eſſet, addidit, dicens: Ecce virgo in (c) uterum accipiet & pariet filium, & vocabitis nomen ejus Emmanuel. Hic eſt agon fidei noſtræ qua congredimur, qua vincimus, qua coronamur. Hic eſt agon quem nobis oſtendit beatus Apoſtolus Paulus, in quo oportet nos currere, & ad coronam gloriæ pervenire. Neſcitis, inquit, quia qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, (d) unus tamen accipit palmam? Sic currite ut occupetis. Omnis enim qui agonizat [2] in omnibus continens eſt, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem (e) incorruptam. Item ſuum certamen oſtendens, & (f) hoſtiam ſe Domini cito futurum eſſe promittens, ait: Ego jam (g) libor, & tempus inſtat [3] aſſumtionis meæ. Bonum agonem certavi, curſum perfeci, fidem ſervavi. Jam ſupereſt mihi corona juſtitiæ, quam mihi reddet Dominus in illa die, ille juſtus judex: non ſolum autem mihi, ſed & omnibus qui dilexerint adventum ejus. Eſai. 7. 13. 1 Cor. 9. 24. 2 Tim. 4. 6.

Mappalici & ſociorum ejus conſtantia.

Hunc igitur agonem per Prophetas ante prædictum, per Dominum commiſſum, per Apoſtolos geſtum, Mappalicus ſuo & collegarum ſuorum nomine Proconſuli repromiſit. Nec fefellit in promiſſo ſuo vox fidelis: pugnam quam ſpoſpondit, exhibuit; & palmam, quam meruit, accepit. Iſtum nunc beatiſſimum Martyrem & alios participes ejuſdem congreſſionis, & comites in fide ſtabiles, in dolore patientes, in quæſtione victores, ut ceteri quoque ſectemini, & opto pariter, & exhortor; ut quos vinculum confeſſionis & hoſpitium carceris ſimul junxit, jungat etiam conſummatio virtutis, & corona cœleſtis; ut lacrymas matris Eccleſiæ quæ [4] plangit ruinas & funera plurimorum, vos veſtra lætitia tergeatis; & ceterorum quoque ſtantium firmitatem veſtri exempli provocatione ſolidetis. Si vos (h) acies provocaverit, ſi certaminis veſtri dies venerit, militate fortiter, dimicate conſtanter, ſcientes vos ſub oculis præſentis Domini dimicare, confeſſione nominis ejus ad ipſius gloriam pervenire; qui non ſic eſt, ut ſervos ſuos tantum ſpectet; ſed & ipſe luctatur in nobis, ipſe congreditur, ipſe in certamine agonis noſtri & coronat pariter, & coronatur.

Propoſitum Martyrii corona non deſtituetur.

Quod ſi ante diem certaminis veſtri de indulgentia Domini [5] pax ſupervenerit, (i) vobis tamen maneat voluntas integra, & conſcientia glorioſa: Nec contriſtetur aliquis ex vobis, quaſi illis minor qui ante vos tormenta perpeſſi, victo & calcato ſeculo, ad Dominum glorioſo itinere venerunt: Dominus ſcrutator eſt renis, & cordis: arcana perſpicit & intuetur occulta. Ad (k) coronam Dei promerendam ſufficit ipſius teſtimonium ſolum, qui judicaturus eſt. Ergo utraque res, fratres cariſſimi, ſublimis eſt pariter & illuſtris. Illa ſecurior, ad Dominum victoriæ conſummatione properare: hæc lætior, [6] accepto poſt gloriam commeatu, in Eccleſiæ laude florere. O beatam Eccleſiam noſtram, quam ſic honor divinæ dignationis illuminat; quam temporibus noſtris glorioſus Martyrum ſanguis illuſtrat? Erat ante in operibus fratrum candida, nunc facta eſt in Martyrum cruore purpurea. Floribus ejus nec lilia nec roſæ deſunt. Certent nunc ſinguli ad utriuſque honoris ampliſſimam dignitatem. Ut accipiant coronas vel de opere candidas, vel de paſſione purpureas. In cœleſtibus caſtris & pax & acies habent flores ſuos, quibus miles Chriſti [7] ob gloriam coronetur. Opto vos, fortiſſimi ac beatiſſimi fratres, ſemper in Domino bene valere, & noſtri meminiſſe. Valete. Apoc. 2. 23.

(a) Agone cœleſtis exhibitionis, *Voſſ.* 2. exhibitus eſt, *Bod.* 1. (b) Eſaias ante promiſit, dicens, *Voſſ.* 2. *Bod.* 1. (c) Utero, *Thu. Foſſ. Bod.* 1. 2. & *Adv. Jud.* (d) Sed unus, *Voſſ.* 2. (e) Incorruptibile, *Voſſ.* 2. *Bod.* 1. (f) Hoſtiam ſe Domino, *Bod.* 2. (g) Immolor, *Bod.* 3. delibor, *Foſſ. Corb.* (h) Acies vocaverit, *Bod.* 1. 3. *Thu. Foſſ.* (i) Vobis tamen voluntas integra, *Bod.* 1. (k) Coronam de eo, *Pem. Bod.* 3.

[1] *Deus præſtat agonem.*] Vid. quæ ſupra hac de re habentur l. 2. adv. Judæos. c. 9.

[2] *In omnibus continens eſt.*] Rigaltius ait, *Paulus ad Cor.* 1. πάντα ἐγκρατεύεται. *Et vulgata verſio:* ab omnibus ſe abſtinet. Quibus ſubnectit Priorius quod *Confert hic agonem Chriſtianum cum certaminibus gentilium, qui diligenter obſervabant victum & exercitationes pugilum, quibus non omnis cibus, ſed* ἀναλογία, *ut vocat Ariſtoteles, imponebatur. Panis eorum coliphium vocabatur. Abſtinebant autem à voluptatibus omnibus propter exercitationem corporis, ut innuit Clemens Alexandrinus Strom.* 3. *Plato lib.* 3. *de repub. idem habet* τῶτο μὲν κ) οἱ ἄλλοι ἀσκηταὶ ἴσασιν, ὅτι τῷ μέλλοντι σώματι εὖ ἕξειν, ἀφετέον τ τοιῶτων ἁπάντων. *Voluptates intelligit & noxias illecebras.* His addi poſſunt quæ Tertullianus habet, in exhort. ad Martyr. *Athletæ ſegregantur ad ſtrictiorem diſciplinam, ut robori ædificando vacent: continentur à luxuria, à cibis lautioribus, à potu jucundiore,* &c.

[3] *Aſſumtionis meæ.*] Legit. ἀναλήψεως, in noſtris codicibus ἀναλύσεως occurrit. vid. l. 3. ad Quirin. cap. 16. Tertull. in Scorpiac. habet. *Tempus disjunctionis.*

[4] *Plangit ruinas & funera plurimorum.*] Rigaltius ait, *Sic epiſtola præcedenti, inter plangentium ruinas. Ruinas dicit fratrum lapſorum, quos tormenta dejecerunt, ac per ſævitiam tormentorum, tura dederant idolis, aut Chriſtum negaverant. Ruinæ lapſorum, funera negatorum.*

[5] *Pax ſupervenerit.*] Rigaltius ait, *De qua paterfamilias in epiſtola ſequente per juvenem illum anxium mandaverat, his verbis: Dic illi ſecurus ſit, quia pax ventura eſt.*

[6] *Accepto poſt gloriam commeatu.*] Rigaltius ait, *Poſt gloriam ſcilicet voluntatis integræ & conſcientiæ glorioſæ quæ nos coram Deo facit Martyras, etſi per ipſius indulgentiam Dei pax ſupervenerit non exſpectata nec ſperata, quæ nobis tribuat commeatum permanendi adhuc in ſeculo & in Eccleſia laude florentes, ipſo jam ſeculo proculcato. Sic alibi* Si accepta pace commeatus à Deo datur, *hoc eſt, ſi fratres in periculo mortis, poſt acceptam ab Eccleſia pacem, Deo volente periculum evadant, conceſſo illis à Deo vivendi commeatu, nihilominus pace fruantur, quam Eccleſia contemplatione mortis appropinquantis indulſerat. Et libro de mortalitate:* Cum quidam de collegis & conſacerdotibus noſtris infirmitate defeſſus & de appropinquante morte ſollicitus commeatum ſibi precaretur. *id eſt, à Deo peteret indulgeri ſibi, ut adhuc aliquandiu in vivis permaneret.*

[7] *Ob gloriam coronetur.*] Glorioſum certamen ſcil. temperantiæ, caſtitatis, pietatis in pace: conſtantiæ, patientiæ & fidei, in congreſſione.

EPI-

An. 250.

EPISTOLA XI.

Cyprianus Presbyteris, & Diaconibus (a) fratribus Salutem.

Ad Pamelii numeros VIII. ad Erasm l. 4. Ep. 4. Epistola exhortatoria ad preces assiduas.

QUANQUAM sciam, fratres carissimi, pro timore, quem singuli debemus in Deo, vos quoque illic assiduis orationibus & enixis precibus instanter incumbere; admoneo (b) tamen & ipse (c) religiosam solicitudinem vestram, ut (d) ad placandum atque exorandum Dominum non voce sola, sed & jejuniis, & lacrymis, & omni genere deprecationis ingemiscamus. Intelligendum est enim & confitendum, pressuræ istius tam turbidam vastitatem, quæ gregem nostrum maxima ex parte populata est, & adhuc usque populatur secundum peccata nostra venisse, dum viam Domini non tenemus, nec data nobis ad salutem cœlestia mandata servamus. Fecit Dominus noster voluntatem patris, & nos non (e) facimus Domini voluntatem; patrimonio & lucro studentes, superbiam sectantes, æmulationi & dissentioni vacantes, simplicitatis & fidei negligentes, [2] seculo verbis solis & non factis renunciantes, unusquisque sibi placentes, & omnibus displicentes. Vapulamus itaque ut meremur, cum scriptum sit: Servus autem ille qui cognoscit voluntatem Domini sui, & non (f) pa- Luc. 12.47. ruerit voluntati ejus, vapulabit multis. Quas autem plagas, quæ verbera non meremur: quando nec confessores, qui exemplo ceteris ad bonos mores esse debuerant, teneant disciplinam? Itaque dum quosdam insolenter extollit confessionis suæ (g) tumida & inverecunda jactatio, (h) tormenta venerunt, & [3] tormenta sine fine tortoris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis; tormenta quæ ad coronam non facile dimittant, sed tamdiu torqueant, [4] quamdiu dejiciant; nisi si aliquis divina dignatione subtractus [5] inter ipsa cruciamenta (i) defecerit, adeptus gloriam non termino supplicii, sed velocitate moriendi. Jo. 5. 30.

Scripta in secessu.

Justo Dei judicio persecutio immissa.

Hæc patimur delicto & merito nostro, sicut præmonuit divina censura, dicens: Si Ps. 88. 30. dereliquerint legem meam, & in (k) judiciis meis non ambulaverint; si justificationes meas profanaverint, & præcepta mea non observaverint: visitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Virgas igitur & flagella sentimus, qui Deo nec (l) bonis factis placemus, nec [6] pro peccatis satisfacimus. Rogemus de intimo corde & de tota mente misericordiam Dei, quia & ipse addidit dicens: Misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Petamus & accipiemus; & si accipiendi mora & tar- Luc. 11.10. ditas fuerit, quoniam graviter offendimus, pulsemus; quia & pulsanti aperietur, si modo pulsent ostium preces, gemitus, & lacrymæ nostræ, quibus insistere & [7] immorari oportet, etsi sit unanimis oratio.

Monitum Cypriano divinitus datum in visione.

Nam quod magis suasit & compulit, ut has ad vos literas scriberem, scire debetis (sicut Dominus ostendere & revelare (m) dignatur) [8] dictum esse in visione: Petite & im-

(a) Ceteris, *Pem.* (b) Etiam, *Bod.* 3. *Lin.* (c) *Sic*, *Eras. Pem. Voss.* 1. *Bod.* 1. 3. religionem vestram, ut *Rigalt.* (d) Ad supplicandum, *Voss.* 1. (e) Facimus Dei voluntatem, *Bod.* 1. *Pem. Lin.* (f) Fecerit voluntatem, *M. R.* (g) Tumor, *Corb.* (h) In tormenta venerunt, tormenta, *Corb.* (i) *Sic*, *Voss.* 2. *Vat. Pem.* profecerit, *Imp. Lin.* (k) Viis meis, *Voss.* 1. *Pem.* (l) *Sic*, *Voss.* 1. *Bod.* 1. 3. *Lin.* bonis & factis, *Imp.* (m) Dignatus est, *Bod.* 3. impetrabitis, *Bod.* 3. *Vet. Innom.*

[1] *Quanquam sciam.*] Rigaltius ait, *August. lib.* 4. *de bap. contra Donatistas mentionem facit hujus Epistolæ cum hoc titulo, Ad clericos, de precando Deo. Quem titulum agnoscit tanquam Cypriani genuinum; & quasi ad clericos verba faciens se quoque ipsum alloqueretur, transfiguraus, inquit Augustinus, in se ut sanctus Daniel peccata populi sui.*

[2] *Seculo verbis solis & non factis renunciantes.*] *Addit Augustinus ex Epist. Pauli ad Titum: Confitentur enim nosse se Deum, factis autem negant.* Porro locum hunc laudat l. de fide & operibus c. ult. Epistola 89. 9. 4. & etiam l. 2. cont. Cresc. c. 15.

[3] *Tormenta sine fine tortoris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis.*] Rigaltius ait, *Tertullianus ad Mart. Omne carnificis ingenium in tormentis: Russinus Versione Historiæ Eccles. Eusebianæ libro* VI. *ubi de Origenis vexatione sub Decio.* Ita ut mille mortibus vexatus sit, nec tamen una ei quam exoptabat accideret, persecutore summo studio id gerente ut nec interitus præstaretur, nec pœna cessaret. *Eusebius tantum scripserat.* μηδαμῶς αὐτὸν ἀνελεῖν παντι σθένει τὸ δικαστὸ φιλονείκως ἐσπούδακος. Recte adnotat Pamelius, hinc indicium sumi quo tempore scripta sit hæc Epistola.

[4] *Quamdiu dejiciant.*] Usque dum. Donec.

[5] *Inter ipsa cruciamenta defecerit.*] Hanc lectionem maxime genuinam existimo; qui enim in tormentis expiraverit, recte dicitur *adeptus gloriam non termino supplicii, sed celeritate moriendi.*

[6] *Pro peccatis satisfacimus.*] Per satisfactionis vocem, seculo nostro vexatissimam, quid Cyprianus intellexerit, supra ostendimus in l. de Lapsis p. 96.

[7] *Immorari oportet, etsi sit unanimis oratio.*] Promisit Dominus Mat. 18. 19. discipulis *ut si consenserit super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis a Patre qui est in cœlis.* Sed Luc. 18. 1. exigit, *ut semper orent, & non deficiant.*

[8] *Dictum est in visione.*] Rigaltius ait, *Visionum exempla sacri utriusque bibliothecæ Codices, Mosaici scilicet & Christiani, suggerunt: nam & multa sibi divinitus revelata Patriarchæ narrant, narrant Prophetæ. Vidit Petrus demissum sibi de cœlo vas ingens, & vidit Paulus quæ nec auris unquam audiverat, nec viderat oculus. Dein Christianæ patres Ecclesiæ pleraque sibi in somnis significata literis mandavere. Et visionum testimonia Tertullianus citat non semel. Adeo in hac Deciana Christiani populi vexatione Cyprianus, rem facit Episcopo convenientissimam, qui tempestate sæviente, ut peritus astrorum gubernator, cœlum contemplatur, & mandata sibi de cœlo vecloribus suis inculcat, suadendi genere efficacissimo, visione oblata sibi divinitus, negotio quod agitabat aptissima. Hanc vero visionem in somnis contigisse declarabit* Epistola 16. *ubi de Ecstasi.*

An. 250. impetratis. Tunc deinde præceptum plebi assistenti, [1] ut pro quibusdam personis designatis sibi peterent. In petendo autem fuisse (a) dissonas voces, & dispares voluntates: & vehementer hoc displicuisse illi qui dixerat: Petite & impetratis, quod plebis inæqualitas discreparet, nec esset fratrum consensio una & simplex, & juncta concordia; cum scriptum sit: Deus qui (b) inhabitare facit unanimes in domo. Et in Actis Apostolorum legamus: (c) Turba autem eorum qui crediderant, anima, ac mente una agebant: & Dominus sua voce mandaverit, dicens: Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem. Et iterum: Dico autem vobis, quoniam si (d) duo ex vobis convenerint in terra, de omni re quamcunque petieritis, continget vobis à patre meo qui in cœlis est. Quod si duo unanimes tantum possunt, quid si unanimitas apud omnes esset? quid si [2] secundum pacem, quam nobis Dominus dedit, universis fratribus conveniret? Jampridem de divina misericordia impetrassemus quod petimus, nec tamdiu in hoc salutis & fidei nostræ periculo fluctuaremus. Jo 16. Ps. 67. 6. Act. 4. 32. Jo. 15. 17. Mat. 18. 19.

Visio altera de retiario & secutore.

Imo vero nec venissent fratribus hæc mala, si [3] in unum fraternitas fuisset animata. Nam & illud ostensum est, quod sederet paterfamilias sedente sibi ad dextram juvene, qui juvenis anxius & cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu sustinens, mœsto vultu sedebat. Alius vero in sinistra parte consistens [4] rete portabat, quod se mittere, [5] ut circumstantem populum caperet, minabatur: & cum miraretur, quid hoc esset, ille qui vidit, dictum est ei: Juvenem qui ad dexteram sic sederet, contristari & dolere quod præcepta sua non (e) observarentur: illum vero in sinistra exultare, quod sibi daretur occasio ut à patrefamilias potestatem sumeret sæviendi. Hoc prius longe ostensum est, quam tempestas (f) vastitatis hujus oriretur. Et vidimus impletum quod fuerat ostensum, ut dum Domini præcepta contemnimus, dum datæ legis mandata salutaria non tenemus, facultatem nocendi inimicus acciperet; & minus armatos, & ad repugnandum minus cautos [6] jactu retis operiret.

Precibus obnixe insistendum.

Oremus instanter, & assiduis precibus ingemiscamus. Nam & hoc nobis (g) non olim per visionem, fratres carissimi, exprobratum sciatis quod dormitemus in precibus, nec vigilanter oremus; & Deus utique, qui quem corripit diligit; quando corripit, ad hoc corripit ut emendet, ad hoc emendat, ut servet. Excutiamus itaque & abrumpamus somni vincula, & instanter ac vigilanter oremus: sicut Paulus Apostolus præcipit dicens: Instate orationi vigilantes in ea. Nam & Apostoli orare diebus ac noctibus non destiterunt, & Dominus quoque ipse disciplinæ magister, & exempli nostri via, frequenter & vigilanter oravit, sicut in Evangelio legimus: Exiit in montem orare, & fuit pernoctans in oratione Dei: & utique quod orabat, orabat ille pro nobis, cum peccator ipse non esset, sed (h) aliena peccata portaret. Adeo autem pro nobis ille deprecabatur, ut legamus alio loco: Dixit autem Dominus ad Petrum: Ecce Satanas postulavit [7] ut vos vexaret quo modo triticum, ego autem (i) rogavi pro te, ne deficiat fides tua. Quod si pro nobis ac pro delictis nostris ille & laborabat & vigilabat & precabatur, quanto nos magis insistere precibus & orare, & primo ipsum Dominum rogare, tum deinde per ipsum Deo patri satisfacere debemus? Habemus advocatum & deprecatorem pro peccatis nostris Jesum Christum Dominum & Deum nostrum, si modo nos in præteritum peccasse pœniteat, & confitentes atque intelligentes delicta nostra, quibus nunc Dominum offendimus, vel de cetero nos ambulare in viis ejus, & præcepta ejus metuere spondeamus. Col. 4. 2. Luc. 6. 12. Luc. 22. 31. 1 Jo. 2. 1.

Fideles Deus simul corrigit & tuetur.

(k) [8] Pater nos & corrigit & tuetur, stantes tamen in fide & pressuris atque angustiis, & Chri-

(a) Dissonantes voces, & dissipatas, *Lin.* (b) Habitare, *Lin.* (c) Turba quæ crediderat, *Lin.* (d) Duobus ex vobis convenerit, *Bod.* 1. 3. *Voss.* 1. 2. conveneritis, *Rig.* (e) Observaverant, *Voss.* 2. (f) Vastitatis hujus operaretur, *Lin.* & videmus, *Vet. Innom.* (g) Jam olim, *Erasm.* (h) Nostra peccata, *Lin. Voss.* 1. 2. *Bod.* 1. *Pem.* (i) Oravi pro te, *Pem.* (k) Paterno affectu, *Bod.* 3. *Sic*, *Lin. M. R. Manut. Thu. Foss. Corb.* pariter, *Imp.*

[1] *Ut pro quibusdam personis designatis sibi peterent.*] Rigaltius ait, *Quod memoriam facti alicujus refricat de quorundam lapsorum pœnitentia, circa quam dissona fuerant fratrum suffragia.*

[2] *Secundum pacem quam nobis Dominus dedit.*] Rigaltius ait, *Dixit Apostolis apud Joannem*, XIV. 27. Pacem meam do vobis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis. *Dabat enim pacem inter suos Apostolos mutuam. Ita sensit Chrysostomus,* ἐγὼ δίδωμι παιώτλω, ὥστε μετ' ἀλλήλων εἰρωνεύειν, ὅπερ ὑμᾶς ἰσχυροτέρας ποιεῖ.

[3] *In unum fraternitas animata.*] ὁμοθυμαδόν.

[4] *Rete portabat.*] Rigaltius ait, *hæc visio diabolum exhibet in armatura retiarii; qui rete jaculo & tridente seu fuscina pugnabat.*

[5] *Ut circumstantem populum caperet.*] Rigaltius ait, *æmulus Christi diabolus homines capit dolis & fraudibus. At Christus ad piscatores, Simonem & Andream, capiendis piscibus intentos, Venite, inquit, faciam vos piscatores hominum. Et pro retibus & sagena dedit eis mandata Dei Patris omnipotentis ad salutem æternam efficacissima, quibus illi præceptis sive mandatis, homines à diabolo in mortem deceptos, ad vitam reciperent.*

[6] *Jactu retis operiret.*] Rigaltius ait, *Retis superfusi, jaculo,* ἀμφιβλήστρῳ, *funda. Servius ad illud Virg. Georg. --- funda jam verberat amnem. Funda, inquit, genus est retis, dictum à fundendo, id est, jaculum, quod dicitur* βόλος. *Composito igitur retiario cum Thrace aut myrmillone aut secutore, ars certaminis erat ut retiarius effusum rete tanta agilitate contraheret, ut adversarium corriperet. Contractionem illam sive comprehensionem Tertullianus spongiam dixit, libro de Spectaculis, Defixus in morsus ursorum, & spongias retiariorum.*

[7] *Ut vos vexaret.*] ἵ σινιάσῃ, Intellexit in notione vocis communi, nimirum ut significet κακωργεῖν, βλάπτειν: non autem σείσῃ, κρσκινσῦσῃ. de quibus Hesych.

[8] *Pater nos & corrigit.*] Hanc genuinam esse lectionem suadent quæ sequuntur, & *Christo ejus firmiter adhærentes:* quæ certe verba præcedentia ad Patrem determinant. Altera vero lectio quæ habet, *pariter nos & corrigit & tuetur*, respicit quæ supra habentur, de *Jesu Christo Domino & Deo nostro:* quæ minime quadrant.

An. 250. Christo ejus firmiter adhærentes, sicut scriptum est: Quis nos separabit à dilectione Christi? pressura, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Nihil horum potest separare credentes, nihil potest avellere corpori ejus & sanguini cohærentes. Persecutio ista examinatio est atque (a) exploratio pectoris: excuti nos Deus voluit & probari sicut suos semper probavit: nec tamen in probationibus ejus aliquando auxilium credentibus defuit. Rom. 8. 35.

Per visionem Deus pacem cito venturam ostendit.

Denique ad minimum famulum suum, & [1] in delictis licet plurimis constitutum, & dignatione ejus indignum: tamen ille pro sua circa nos bonitate mandare dignatus est: [2] Dic illi, inquit, securus sit, quia pax ventura est: sed quod interim morula est, supersunt adhuc aliqui qui probentur. Sed & de victu parco, & sobrio potu, divinis dignationibus admonemur; scilicet (b) ne vigore cœlesti sublime jam pectus illecebra secularis enervet, vel ne largioribus epulis mens gravata minus ad preces orationis evigilet. Dissimulare hæc singula & apud conscientiam meam solus occultare non debui, quibus unusquisque nostrum & instrui & regi possit. Nec (c) ipsi utique apud vos hanc Epistolam teneatis occultam, sed legendam fratribus suggeratis. Intercipere enim quibus nos Dominus admonere & instruere dignatur, ejus est qui admoneri & instrui fratrem suum nolit. Probari nos à Domino nostro sciant, nec unquam à fide qua in eum semel credidimus, præsentis pressuræ conflictatione deficiant.

Pœnitentia serio & mature agenda.

Delicta sua singuli recognoscentes, vel modo conversationem veteris hominis exponant: [3] Nemo enim retro attendens, & superponens manum suam super aratrum, aptus est regno Dei. Denique & uxor Lot, quæ liberata contra præceptum retro respexit, [4] quod evaserat perdidit. Attendamus non posteriora, quo diabolus revocat, sed priora, quo Christus vocat. Oculos erigamus ad cœlum, ne oblectamentis & illecebris nos suis terra decipiat. Unusquisque oret Deum non pro se tantum, sed pro omnibus fratribus, sicut Dominus orare nos docuit, ubi non singulis privatam precem mandat, sed oratione communi & concordi prece pro omnibus jussit orare. Si nos Dominus humiles & quietos, si (d) nobis invicem copulatos, si circa iram suam timidos, si præsenti tribulatione correctos emendatosque conspexerit, tutos ab inimici infestationibus exhibebit. Præcessit disciplina, sequitur & venia. Nos tantum sine cessatione poscendi, & cum fide accipiendi, simplices & unanimes Dominum deprecemur, cum gemitu pariter & fletu deprecantes, sicut deprecari oportes eos, qui sint positi inter plangentium ruinas, & timentium reliquias, inter numerosam (e) [5] languentium stragem, & exiguam stantium firmitatem. Rogemus (f) pacem maturius reddi, cito latebris nostris & periculis subveniri; (g) impleri quæ famulis suis Dominus dignatur ostendere, redintegrationem Ecclesiæ, securitatem salutis nostræ, post pluvias serenitatem, post tenebras lucem, post procellas & turbines placidam lenitatem. Pia paternæ dilectionis auxilia, divinæ majestatis solita magnalia, quibus & persequentium blasphemia retundatur, & [6] lapsorum pœnitentia reformetur, & fortis & stabilis perseverantium fiducia glorietur. Opto vos, fratres carissimi, semper bene valere. Luc. 9. 62. Gen. 19. 26. Philip. 3. 14.

(a) Exploratio peccati, *Lin. Pem. Bod.* 1. *Voss.* 1. 2. exploratio corporis, *Vet. Innom.* (b) Ne à vigore, *Bod.* 1. (c) Ipsi denique, *Pem. Voss.* 1. *Bod.* 1. 3. (d) Nos invicem copulatos, *Thu. Foss.* (e) Jacentium, *Bod.* 1. stantium paucitatem, *Lin. Pem. Bod.* 1. 3. *Voss.* 2. *Thu. Foss.* (f) Pacem Ecclesiæ suæ maturius, *Voss.* 1. *Bod.* 3. (g) In plerisque, *Foss. Corb.*

[1] *In delictis licet plurimis constitutum.*] In eandem mentem Tertullianus l. de Pœnitentia seipsum appellat, *peccatorem omnium notarum.*

[2] *Dic illi, inquit, securus sit, quia pax ventura est.*] Rigaltius ait, *Itaque sub finem Epistolæ dicit; Rogemus pacem maturius reddi, cito latebris nostris & periculis subveniri. Hujusce autem visionis meminit Epist.* 4. & 16. *Alloquitur patemfamilias juvenem, qui supra apparuit Cypriano in somnis anxius & subtristis. Dic illi, id est, Cypriano.*

[3] *Nemo retro attendens.*] Etiam Græca quædam exemplaria ordine isto verba legunt.

[4] *Quod evaserat perdidit.*] Iter omne illud quod emensa fuerat in irritum cessit. De hoc usu vocis hujus apud Cyprianum, supra egimus.

[5] *Languentium.*] Lapsorum.

[6] *Lapsorum pœnitentia reformetur.*] Rigaltius ait, *Ne recipiatur cruda, præcox, & imperfecta, aut parum sincera.*

An. 250.

EPISTOLA XII.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros XXXVII. Ad Erasm. l. 3. Ep. 6. Confessoribus & in carcere constitutis humanitas præbeatur.

QUANQUAM sciam vos, fratres carissimi, literis meis frequenter admonitos esse, ut glorioſa voce Dominum confessis, & in carcere constitutis omnis diligentia præbeatur: tamen identidem vobis incumbo, ne quid [2] ad curam desit iis, quibus ad gloriam nihil deest. Atque utinam loci & gradus mei conditio permitteret, ut ipse nunc præsens esse possem: promtus & libens solenni ministerio cuncta circa fortissimos fratres nostros dilectionis obsequia complerem: sed officium meum vestra diligentia repræsentet, & faciat omnia quæ fieri oportet circa eos, quos in talibus meritis fidei ac (a) virtutis illustravit divina dignatio. Corporibus etiam omnium, qui etsi torti non sunt in carcere, tamen glorioso exitu mortis excedunt, impertiatur & vigilantia, & cura propensior. Neque enim virtus eorum aut honor minor est, quo minus ipsi quoque inter beatos Martyres aggregentur. Quod in illis est, toleraverunt quidquid tolerare parati & promti fuerunt. Qui se tormentis & morti sub oculis Dei obtulit, passus est quicquid (b) pati voluit. Non enim ipse tormentis, sed tormenta ipsi defuerunt. (c) Sicut scriptum est, qui in me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor in eum coram (d) Patre meo, qui in cœlis est; Confessi sunt. Qui toleraverit (e) usque ad finem hic (f) salvus erit, dicit Dominus: Toleraverunt; & ad finem usque incorrupta & immaculata virtutum suarum merita pertulerunt. Et iterum scriptum est: Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: usque ad mortem Fideles, & stabiles, & inexpugnabiles perseveraverunt. (g) Cum voluntati & confessioni nostræ in carcere & vinculis accedit & moriendi terminus, consummata Martyrii gloria est.

Scripta in secessu.

Mat. 10. 33. 22.

Apoc. 2. 10.

Natales martyrum subnotandi.

Denique & [2] dies eorum quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus: quanquam Tertullus fidelissimus & devotissimus frater noster (h) pro cetera sollicitudine, & cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, (qui nec illic circa curam corporum deest) scripserit & scribat, ac significet mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu transeunt; & celebrentur hic à nobis [3] oblationes & sacrificia ob commemorationes eorum, [4] quæ cito vobiscum Domino protegente celebrabimus. Pauperibus quoque, ut sæpe jam scripsi, cura ac diligentia vestra non desit, iis tamen, qui in fide stantes, & nobiscum fortiter militantes, Christi castra non reliquerunt: quibus quidem nunc major à nobis & dilectio & cura præstanda est: quod nec

(a) Virtutis suæ, *Bod.* 1. *Foss. Mich.* (b) Potuit, *Bod.* 1. (c) *Sic*, *Bod.* 1. defuerunt. Qui in me, *Imp.* (d) *Sic*, *Bod.* 1. *Foss.* Patre meo dicit Dominus, *Imp.* (e) Usque in finem, *Foss. Mich. Vict.* (f) Salvabitur, *Bod.* 1. (g) Cum voluntate & confessionis nomine in carcere accidit & moriendi terminus, consummata martyris gloria est, *Imp. Bod.* 1. (h) *Sic*, *Thu. Vict. Mic. Bod.* 1. Pro certa sollicitudine, *Ver.*

2 *Ad curam desit iis.*] Tertull. ad Martyr. *Nihil adhuc dico de præmio ad quod Deus Martyres invitat. Ipsam interim conversationem seculi & carceris comparemus, si non plus in carcere spiritus acquirit, quam caro amittit; imo & quæ justa sunt caro non amittit per curam Ecclesiæ.*

2 *Dies eorum quibus excedunt annotate.*] Tertull. l. de corona, Christianum sic alloquitur. *Habes tuos census, tuos fastos: nihil tibi cum gaudiis seculi; imo contrarium debes.* Libri rationum qui continebant expensas in pauperibus sublevandis factas, erant censuales fidelium tabulæ. Martyrologia, eorum fasti. Hoc fere tempore, sub initiis Decii, *Fabianus Romæ septem instituisse dicitur subdiaconos, qui septem notariis imminerent, & gesta martyrum in integro colligerent.* Porro Martyrum passiones & dies, anniversaria commemoratione per Africam celebrari, dicit Cyprianus Ep. 39. Et quidem de singulari priscæ Ecclesiæ Orientalis hoc in negotio diligentia, illustre monumentum extat, cujus partem servavit Euseb. l. 4. c. 15. Reverendiss. vero Usserius nuper integrum exhibuit; intelligo Epistolam Ecclesiæ Smyrnensis ad Ecclesias Ponti perscriptam, de Martyrio Polycarpi. Ibi postquam Acta Martyrii ejus percurrissent, spondent fratres se favente numine ἐπιτελεῖν τὸν ἑαυτῶν μαρτυρίου αὐτὸν ἡμέραν γενέθλιον, εἰς τε τῶν προηθληκότων μνήμην, καὶ τῶν μελλόντων ἀσκησίν τε καὶ ἑτοιμασίαν. Passionem autem incidisse ferunt μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ ἱσταμένου, πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν μαΐων, σαββάτῳ μεγάλῳ, ὥρᾳ ὀγδόῃ, συνελήφθη ὑπὸ ἡρώδου εἰρηνάρχου, ὑπὸ ἀρχιερέως φιλίππου τραλλιανοῦ, ἀνθυπατεύοντος δὲ πάπου κοδράτου. Quibus verbis nihil consignatius dici aut cogitari potest. Quanquam vero Smyrnenses adeo de tempore martyrii Polycarpi erant solliciti, quanquam ejus reliquias æstimarent τιμιώτερα λίθων πολυτελῶν, καὶ δοκιμώτερα ὑπὲρ χρυσίον, citra superstitionem pietas stetit; & à Martyrum cultu se prorsus abhorrere diserte profitentur, οὐδὲ θεοσεβοῦμεν. τοὺς δὲ μάρτυρας, ὡς μαθητὰς καὶ μιμητὰς, ἀγαπῶμεν ἀξίως ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου τῆς εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον. ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε καὶ συμμαθητὰς γενέσθαι. Et quidem pariter de martyribus male censent, qui illos aut precibus exorandos, aut iisdem sublevandos volunt: pro illis veniam petunt, aut ab ipsis rogant. Dolendum omnino est Acta martyrum, (quo scripti genere Christiana pietas vix quicquam antiquius, aut utilius novit) sequiorum temporum interpolationibus, miraculorum portentis, & anilibus fabulis, adeo contaminari, & intumescere; ut nihil fere genuinum aut illibatum remanserit: nec passi gravius martyres, quam eorum historiæ videantur.

3 *Oblationes & sacrificia.*] Consulantur quæ dicta sunt in notis ad primam Epistolam.

4 *Sacrificia quæ cito vobiscum Domino protegente celebrabimus.*] Rigaltius ait, *Supra Epist.* VII. *Dominus ad Cyprianum in visione per angelum: Dic illi, inquit, quia pax ventura est, & Epist.* XI. *persecutionis istius novissima hæc est & extrema tentatio, quæ & ipsa cito Domino protegente transibit.*

1 *De*

An. 250. nec paupertate (a) victi, nec perſecutionis tempeſtate proſtrati, cum Domino fideliter ſerviunt; ceteris quoque pauperibus exemplum fidei præbuerunt. Opto vos, fratres cariſſimi ac deſideratiſſimi, ſemper bene valere & noſtri meminiſſe. Fraternitatem meo nomine ſalutate. Valete.

(a) *Sic Bod.* 1. adacti, *Imp.*

EPISTOLA XIII.

Cyprianus Rogatiano Presbytero & ceteris confeſſoribus fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros VII. ad Eraſ. l. 1. Ep. 5. Confeſſores præ aliis omnibus, de moribus ſuis cavere debent.

Scripta in ſeceſſu.

ET jampridem vobis, fratres cariſſimi ac fortiſſimi, literas miſeram, quibus fidei & virtuti veſtræ verbis exultantibus gratularer; & nunc non aliud in primis vox noſtra complectitur, quam ut læto animo, frequenter ac ſemper gloriam veſtri nominis prædicemus. Quid enim vel majus in votis meis poteſt eſſe, vel melius, quam cum video confeſſionis veſtræ honore inluminatum gregem Chriſti? nam cum gaudere in hoc omnes fratres oportet, tum in gaudio communi major eſt Epiſcopi portio. Eccleſiæ enim gloria, (a) Præpoſiti gloria eſt. Quantum dolemus ex illis, quos tempeſtas inimica proſtravit, tantum lætamur ex vobis, quos diabolus ſuperare non potuit. Hortamur tamen per communem fidem, per pectoris noſtri veram circa vos & ſimplicem caritatem, ut qui adverſarium prima hac congreſſione viciſtis, gloriam veſtram (b) forti & perſeveranti virtute teneatis. Adhuc in ſeculo ſumus, adhuc in acie conſtituti, [1] de vita noſtra quotidie dimicamus; danda opera eſt, ut poſt hæc initia ad incrementa quoque veniatur, & conſummetur in vobis, quod jam rudimentis felicibus eſſe cœpiſtis. Parum eſt adipiſci aliquid potuiſſe, plus eſt, quod adeptus es poſſe ſervare. Sicut & [2] fides ipſa & nativitas ſalutaris non accepta, ſed cuſtodita vivificat. Nec ſtatim [3] conſecutio, ſed conſummatio hominem Deo ſervat. Dominus hoc magiſterio ſuo docuit dicens: Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne (c) quid tibi deterius fiat. Puta hoc illum & confeſſori ſuo dicere: Ecce confeſſor factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Solomon denique, & Saul, & ceteri multi (d) quamdiu in viis Domini ambulaverunt, datam ſibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab iis diſciplina dominica, receſſit & gratia. Perſeverandum nobis eſt in arcto & in anguſto itinere laudis & gloriæ: & cum quies & humilitas, & bonorum morum tranquillitas Chriſtianis omnibus congruat, ſecundum Domini vocem, qui neminem alium (e) reſpicit, niſi humilem & quietum, & trementem ſermones ſuos; tum magis hoc obſervare & implere vos (f) confeſſores oportet, qui exemplum facti eſtis ceteris fratribus, ad quorum mores omnium vita & actus debeat provocari. Nam ſicut Judæi à Deo (g) alienati ſunt propter quos nomen Dei blaſphematur in gentibus: ita contra Deo cari ſunt, per quorum diſciplinam nomen Domini laudabili teſtimonio prædicatur; ſicut ſcriptum eſt Domino præmonente & dicente: Luceat lumen veſtrum coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & clarificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Et Paulus Apoſtolus dicit. [4] Lucete ſicut luminaria (h) in mundo. Et Petrus ſimiliter hortatur: Sicut hoſpites, inquit, & peregrini abſtinete vos à carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam, (i) converſationem habentes (k) inter gentiles bonam, [5] ut dum retractant de vobis; [6] quaſi de malignis, bona opera veſtra aſpicientes magnificent Dominum. Quod quidem maxima pars veſtrum cum meo gaudio curat, (l) & confeſſionis ipſius honore melior facta, tranquillis & bonis moribus gloriam ſuam cuſtodit & ſervat; ſed quoſdam audio inficere numerum veſtrum, & laudem [7] præcipui nominis prava ſua converſatione deſtruere:

Joh. 5. 14.

Rom. 2. 24.

Matt. 5. 16.

Phil. 2. 15.

1 Pet. 2. 11.

If. 66. 2.

(a) Præpoſiti honor, *N. Fab.* (b) Fortiter, *NC.* 2. (c) Aliquid tibi deterius contingat, *Bod.* 1. (d) Qui in viis Domini non ambulaverunt, datam ſibi gratiam, tenere non potuerunt, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 3. (e) Proſpicit, *Ebor. NC.* 1. recipit, *Lin.* (f) Confeſſores in terra, *Lam. NC.* 1. (g) Domino, *Lam.* (h) In hoc mundo, *Bod.* 1. (i) Converſationem veſtram, *Pem.* (k) Inter gentes, *Ebor. NC.* 1. *Lam.* (l) A confeſſionis, *Bod.* 3. *Lin.*

[1] *De vita noſtra quotidie dimicamus.*] Rigaltius ait, Quod Auctor *intelligit vitam æternam. ut ſupra pag.* 187. *Diſciplinæ & vitæ ipſi omnium noſtrum convenit.* Sed magis obvium quod morti quotidie objicimur, unde Tertullianus lib. de Spectaculis *cap.* 1. *expeditum morti genus, vocat Chriſtianos.* Et *ſi quid inauguratum aut fatale contingeret, Chriſtianos ſtatim ad leonem.* Idem, Apolog. c. 40.

[2] *Fides & nativitas accepta.*] Rigaltius ait, *Acceptam fidem, dicit, & acceptam nativitatem, pro ſuſcepta fide Chriſtiana, & ſuſcepto baptiſmo ſic & amiſſum baptiſmum dixit Tertullianus lib. de Bapt. & in antiquis inſcriptionibus de ſacris magnæ Matris: Taurobolium accepit & percepit, & taurobolium fecit, & alicubi etiam,* Tauroboliatus eſt. *Quemadmodum autem accipere ſacra dicebant, ſic & tradere. Lapides antiqui. Tradiderunt Leontica. Tradiderunt Coracica. Tradiderunt Patrica.*

[3] *Conſecutio.*] Baptiſma. Vid. l. 3. ad Quirin. c. 42. & 97.

[4] *Lucete ſicut luminaria.*] Pamelius adnotat quod, *vox græca φαίνεσθε ambigua eſt. Inſuper ad imperandi modum, quo hic Cyprianus utitur, & Ambroſium in comment. deflexiſſe.*

[5] *Ut dum retractant de vobis.*] Rigaltius ait, *Dum ethnici quæſtionem habent de vobis, dum inquirunt, dum examinant, dum obloquuntur: Petrus Epiſt.* 1. 2. ἐν ᾧ καταλαλοῦσιν ὑμῶν. *Vulgata verſio, detractant. Gloſſæ veteres, Detractare,* λοιδορεῖν. *Detractat,* ἀποθεῖ.

[6] *Quaſi de malignis.*] ὡς κακοποιῶν.

[7] *Præcipui nominis.*] Chriſtiani nimirum. Jac. 2. 7. καλὸν ὄνομα.

An. 250. ſtruere : quos etiam vos ipſi utpote amatores, & (a) conſervatores laudis veſtræ, objurgare & comprimere & emendare debetis.

Principis imperio extorris factus, ſi regrediatur, deprehenſus non tanquam Chriſtianus, ſed nocens perit.

Cum quanto enim nominis veſtri pudore delinquitur, [1] quando alius (b) aliquis temulentus & laſciviens demoratur : alius in eam patriam, [2] unde extorris factus eſt regreditur, ut (c) deprehenſus non jam quaſi Chriſtianus, ſed quaſi nocens pereat ? Inflari aliquos, & tumere audio ; cum ſcriptum ſit : Noli altum ſapere, ſed time ; ſi enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Dominus noſter ſicut ovis ad victimam ductus eſt, & ſicut agnus coram (d) tondente ſine voce, ſic non aperuit os ſuum. Non ſum, inquit, contumax, neque (e) contradico. Dorſum meum poſui ad flagella, & maxillas meas ad palmas. Faciem autem meam non averti à fœditate ſputorum. Et quiſquam per ipſum nunc, atque in ipſo vivens, extollere ſe audet & ſuperbire, immemor & factorum quæ (f) ille geſſit, & mandatorum quæ nobis vel per ſe, vel per Apoſtolos ſuos tradidit ? Quod ſi non eſt major Domino ſuo ſervus ; qui Dominum ſequuntur ; humiles & quieti, & taciturni veſtigia ejus imitentur. (g) quanto quiſquis inferior fuerit, ſublimior fiet, dicente Domino : Qui minimus fuerit in vobis, hic erit magnus.

Rom. 11. 20. Iſ. 50. 3. Joh. 13. 16. Luc. 9. 48.

Execranda res adulter Confeſſor.

Quid deinde illud ? quam vobis execrandum debet videri, quod cum ſummo animi noſtri gemitu & dolore cognovimus ! Non deeſſe, qui Dei templa, & poſt confeſſionem ſanctificata ; & [3] illuſtrata prius membra turpi & infami concubitu (h) ſuo maculent, cubilia ſua cum (i) fœminis promiſcua jungentes, quando & ſi ſtuprum conſcientiæ eorum deſit, hoc ipſo grande crimen eſt, quod (k) illorum ſcandalo in aliorum ruinas (l) exempla naſcuntur.

A contentione & æmulatione abſtinendum Chriſti militibus.

Contentiones quoque & æmulationes inter vos nullas eſſe oportet, cum pacem ſuam nobis dimiſerit Dominus, & ſcriptum ſit : Diliges proximum tuum tanquam te. Si autem mordetis & incuſatis invicem : videte ne conſumamini ab invicem. A (m) convitiis etiam & maledictis, quæſo vos abſtinete : quia (n) maledici regnum Dei non (o) conſequuntur, & lingua, quæ Chriſtum confeſſa eſt, incolumis & pura cum ſuo honore ſervanda eſt. Nam qui pacifica, & bona, & juſta ſecundum præceptum Chriſti loquitur, Chriſtum quotidie confitetur. [4] Seculo (p) renunciaveramus cum baptizati ſumus : ſed nunc vere renunciavimus ſeculo, quando tentati, & probati à Deo ; noſtra omnia relinquentes, Dominum ſecuti ſumus, & fide ac timore ejus ſtamus & vivimus. Corroboremus nos (q) exhortationibus mutuis, & magis ac magis proficiamus in Domino : ut cum pro ſua miſericordia pacem fecerit, quam ſe facturum repromittit, novi & pene mutati ad Eccleſiam revertamur, & excipiant nos ſive fratres noſtri, ſive gentiles, circa omnia (r) correctos, atque in melius reformatos ; & qui admirati fuerant prius in virtutibus gloriam, nunc admirentur in [5] moribus diſciplinam. Opto vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere.

Lev. 19. 18. Mat. 22. 39. Gal. 5. 15. 1 Cor. 6. 10.

(a) Converſationis & laudis, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. (b) *Sic*, *Pem. Ebor. Lam. Lin. Voſſ.* 2. *Bod.* 1. 2. *NC.* 1. 2. 3. *Vet. Imp.* alius ab aquis, *Rig.* (c) *Sic*, *Bod.* 1. 3. *Bod. Ebor. NC.* 1. 2. *Lin.* deprehenſus non quaſi, *Imp.* (d) Tondente ſe, *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (e) Contradicens, *Lin. NC.* 1. 2. (f) Ille in lege geſſit, *Voſſ.* 2. (g) Quanto quiſque, *Pem.* (h) Plus maculent, *Rig.* cubilia promiſcua, *Thu.* (i) Fœminis permiſceant, *Lin. NC.* 1. (k) Illorum ſcandaloſa, *Pem.* (l) Exempla monſtrantur, *Lam.* noſcantur, *Bod.* 1. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (m) Convitiis etiam maledicis, *NC.* 2. *Lam.* (n) *Sic*, *Bod.* 1. neque maledici, *Imp.* (o) Conſequentur, *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (p) Renunciamus, *Bod.* 1. 2. *Ebor. NC.* 1. 2. (q) Exhortationibus & precibus, *Lin. NC.* 2. (r) Incorruptos, *Bod.*

[1] *Quando alius aliquis temulentus.*] Rigaltius ait, *Omnes antehac editiones, quando alius aliquis, vel, quando unus aliquis temulentus. Hactenus igitur mendoſiſſima ſcriptura præclarum Cypriani ſenſum corrupit. Cum quanto, inquit, nominis veſtri pudore delinquitur, quando aliquis ab aquis temulentus & laſciviens demoratur ? Ab aquis, id eſt, à baptiſmo. Qui nomen Chriſto dedit, qui in nomen Chriſti tinctus ſive baptizatus eſt, hoc ſacramento obligat ſeſe futurum hominem frugi ac temperantem. Subinde igitur, ſi temulentus, ſi nequam apparet, magnum dedecus & probrum religioni ſuæ objicit, nam cum temulentus à temeto dicatur, temetum autem aquis diluatur, iſte contra naturam ab aquis exiſtit temulentus, à lavacro laſcivus & turpis. Renunciavit Satanæ, & in Satanæ caſtra revertitur. Unde extorris factus eſt regreditur.* Pace Rigaltii dixerim, non omnes veteres editiones, ſed ipſius emendationem eſſe mendoſiſſimam ; nulla exemplarium fide, nullo rationis præſidio ſubnixam. Hic enim loci non de nuper baptizatis, ſed confeſſoribus agitur : de revertentibus nimirum à Proconſulis tribunali, non autem ab Eccleſiæ baptiſterio. Solenne quidem eſt, ut cum Critici lectionem, quæ ipſis arguta videtur, ſectantur : genuinam & obviam deſerant.

[2] *Unde extorris factus &c.*] Pamelius ait, *Vides in expreſſis verbis in extorres objurgationem tendere ; alludit autem, ad illud* 1 Petr. 2. *Quæ eſt enim gloria ſi peccantes & colaphizati ſuffertis ? utpote ſignificant illos, qui iniuſſi ab exilio reverſi eſſent, jam occidi, non ut Chriſtianos, ſed ut nocentes.* Perperam hæc alio deflectit Rigaltius, quaſi hæc mens eſſet Cypriani ; *Confeſſores ob cauſam quidem Chriſti in exilium pulſos, ſed ibi tam improbe converſatos, ut poſt reditum condemnentur à Judice, jam non ut Chriſtiani ſed nocentes.* Quæ extorres in aliena Provincia deliquerant, potuitne Africæ Proconſul Carthagine punire ?

[3] *Illuſtrata membra.*] φωτισθέντα, Eſt enim martyrium, ſanguinis baptiſmus.

[4] *Seculo renunciaveramus.*] Non opus eſt de ſolenni obrenunciationis formula, perpetuis temporibus in Eccleſia uſurpata, eadem ſæpius monere.

[5] *In moribus diſciplinam.*] Rigaltius ait, *Poſt hæc verba, in codice Remenſi leguntur iſta : Et quanquam Clero noſtro, & nuper cum adhuc eſſetis in carcere conſtituti, ſed nunc quoque denuo pleniſſime ſcripſerim, ut ſi quid vel ad veſtitum veſtrum, vel ad victum, neceſſarium fuerit, ſuggeratur : tamen etiam ipſe de ſumticulis propriis, quos mecum ferebam, miſi vobis* CCL. *ſed & alia* CCL. *proxime miſeram. Victor quoque ex Lectore Diaconus qui mecum eſt, miſit vobis* CDXXV. *Gaudeo autem quando cognoſco plurimos fratres noſtros pro ſua dilectione certatim concurrere, & neceſſitates veſtras ſuis conlationibus adjuvare. Opto vos, &c. Quod auctarium tanto majoris eſſe pretii debet, quanto nobis apertius exemplum ſuggerit Cæcilianæ caritatis erga fratres. Nam in aliis quidem Epiſtolis habemus ipſum de propria quidem quantitate liberalem, hic vero etiam de ſumticulis ſuis, quos ſecum ad neceſſitates ſuas ferebat. Ut jam intelligamus, etiam de neceſſariis ſuis fratrum neceſſitates ſublevaſſe. Etenim ipſe ſibi neceſſaria ſumtibus ſuis degravabat. Viatico autem levi nihil gravius.* In codicibus tamen quos videre contigit, hæc nuſquam occurrunt.

EPI-

An. 250.

EPISTOLA XIV.

Cyprianus Presbyteris & Diaconis Fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros VI. Ad Erasm. l. 3. Ep. 10. Lapsi, nec non Confessores, officii sui à clero admonendi.

Scripta in secessu.

OPTAVERAM quidem, fratres cariſſimi, ut univerſum Clerum noſtrum integrum & incolumem meis literis ſalutarem: ſed quoniam [1] infeſta tempeſtas, quæ plebem noſtram ex maxima parte proſtravit, (a) hunc quoque addidit noſtris doloribus cumulum, ut etiam Cleri portionem ſua ſtrage perſtringeret: oramus Dominum, ut vos ſaltem, quos & in fide, & in virtute ſtare cognovimus, tutos quoque in poſterum per divinam miſericordiam ſalutemus. Et quanquam cauſa compelleret, ut ipſe ad vos properare & venire deberem: primo cupiditate & deſiderio veſtri, quæ res in votis meis ſumma eſt; tum deinde ut [2] ea quæ circa Eccleſiæ (b) gubernaculum utilitas communis expoſcit, tractare ſimul & plurimorum conſilio examinata [3] limare poſſemus: tamen potius viſum eſt adhuc interim latebram & quietem tenere, reſpectu utilitatum aliarum, quæ ad pacem omnium noſtrum pertinent & ſalutem, quarum vobis à [4] Tertullo fratre noſtro cariſſimo ratio reddetur: qui [5] pro (c) cetera ſua cura, quam (d) impendens divinis operibus impertit, etiam hujus conſilii auctor fuit, ut cautus & moderatus exiſterem, (e) nec me in conſpectum publicum [6] & maxime ejus loci, ubi totiens flagitatus & quæſitus fuiſſem, temere committerem. Fretus ergo & dilectione & religione veſtra, quam ſatis novi, his literis & hortor & mando: ut vos quorum minime illic invidioſa & non adeo periculoſa præſentia eſt, vice mea fungamini circa gerenda ea, quæ adminiſtratio religioſa depoſcit.

Cura habenda pauperum.

Habeatur interim quantum poteſt, & quo modo poteſt pauperum cura: ſed qui tamen inconcuſſa fide ſtantes gregem Chriſti non reliquerunt: ut his ad tolerandam penuriam ſumtus per veſtram diligentiam ſuggeratur, ne quod (f) circa fidem tempeſtas non fecit, circa laborantes neceſſitas faciat. Confeſſoribus etiam glorioſis impertiatur cura propenſior. Et quanquam ſciam plurimos ex his [7] fratrum voto & dilectione ſuſceptos: tamen ſi qui ſunt, qui vel veſtitu, vel ſumtu indigeant, ſicut etiam pridem vobis ſcripſeram, (g) cum adhuc eſſent in carcere conſtituti, ſubminiſtrentur eis quæcunque ſunt neceſſaria, modo ut ſciant ex vobis & inſtruantur & [8] diſcant, quid ſecundum ſcripturarum magiſterium Eccleſiaſtica diſciplina depoſcat; humiles & modeſtos & quietos eſſe debere, ut honorem ſui nominis ſervent, (h) & qui glorioſi voce fuerint, ſint & moribus glorioſi: faciant ſe dignos, ut in omnibus Dominum promerentes, ad cœleſtem coronam laudis ſuæ conſummatione perveniant: plus enim ſupereſt, quam quod tranſactum videtur, cum ſcriptum ſit: Ante mortem ne laudes hominem quenquam. Et iterum: Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Et Dominus quoque dicat: qui toleraverit uſque ad finem, hic ſalvabitur. Eccl. 11. 28. Apoc. 2. 10.

Dominus noſter paſſionis tempore humilior.

Imitentur Dominum, qui ſub ipſo tempore paſſionis non ſuperbior, ſed humilior fuit. Mat. 10. 22. Tunc enim Apoſtolorum ſuorum pedes lavit dicens: Si ego lavi pedes veſtros magiſter & Joh. 13. 14. Dominus, & vos debetis aliorum pedes lavare. Exemplum enim dedi vobis, ut ſicut ego feci,

(a) Hinc quoque, *Foſſ. Vict. Bod.* 1. (b) Gubernacula, *Bod.* 1. (c) Sincera *Vat.* 2. (d) Impenſe, *Bod.* 1. *Foſſ. Vict.* (e) Nec iis locis in quibus totiens, *Foſſ.* (f) Circa fidentes, *Bod.* 1. *Foſſ. Corb.* (g) Cum eſſent in carcere, *Ver.* (h) Ut qui, *Man.*

[1] *Infeſta tempeſtas.*] Rigaltius ait, *Decio imperante jam tum ſeptima perſecutione in Chriſtianos ſævitum. Sulp. Severus.*

[2] *Ea quæ circa Eccleſiæ gubernaculum.*] Rigaltius ait, *Erat tunc præcipua quæſtio de Lapſis ad Eccleſiam recipiendis. Et in hac diſciplinæ parte Eccleſiæ Romanæ præpoſiti laxiores & molliores fuiſſe videntur. Occurrunt exempla ſequentibus Epiſtolis.*

[3] *Limare poſſemus.*] Rigaltius ait. *Gloſſæ veteres: Limat, ρνίζϛ, ζητεῖ. Phædrus: Si mendacium ſubtiliter limaſſet à radicibus, non evertiſſet ſcelere funeſto domum.*

[4] *Tertullo.*] Prius laudato, ſæpius laudando. Siquidem is notiſſimæ fortitudinis, & eximiæ induſtriæ in rebus martyrum procurandis vir fuerit; nulla ſuſpicio ſubeſſe poterat, quod is timida conſilia Epiſcopo ſuo ſuggeſſiſſet. Ita omnem anſam arripit Cyprianus ut feceſſum ſuum tueretur.

[5] *Pro cetera ſua cura.*] Rigaltius ait, *Rectam eſſe hanc ſcripturam confirmant ea quæ ſequuntur.*

[6] *Et maxime ejus loci, ubi totiens flagitatus.*] Rigaltius ait, *Hæc verba, & quæ proxime ſequuntur, Vos quorum minime illic invidioſa, & non adeo periculoſa præſentia, cauſas continent ſeceſſus Cypriani: quæ parum certe probabiles videntur Clericis Eccleſiæ Romanæ, ſupra.*

[7] *Fratrum voto.*] Forte illos reſpicit qui ſe Parabolanos in Eccleſiæ primordiis præſtitere.

[8] *Diſcant quid ſecundum ſcripturarum magiſterium Eccleſiaſtica diſciplina depoſcat.*] Rigaltius ait, *Inculcat quod jam monuit Epiſtola præcedenti, ut qui jam confeſſionis titulo gloriantur, ſint nihilominus humiles, modeſti, quieti. Ne ſuperbia ſua provocent adverſum ſe ethnicorum ſævitiem, tanquam adverſus rebelles & contumaces, & ſic nomini Chriſtiano invidiam faciant. Curæ autem pretium fuerit, ſemel hic obſervare Cæcilium noſtrum iſtis Epiſtolis, hoc præſertim, contendere, ut populum faciat quietum, ac probe Chriſtianum. Sciebat enim pieroſque proterva Chriſtiani nominis jactatione importunos, ipſas etiam ſeculi poteſtates, ac perſæpe aliud agentes, toties concitaſſe, ut neceſſe habuerint publicæ quietis perturbatores pœnis ſupra modum exacerbatis crudeliſſime coërcere. Quæ res magnum fidei Chriſtianæ dedecus attulerat. Hoc item ſciebat, in Eccleſia ſua complures eſſe lavacri ſalutaris fiducia nimium ſecuros, diſciplinæ totiuſque fraternitatis immemores, lucri cupidos, ambitioni ſtudentes, factioſos, luxuriæ deditos, ſuperba converſatione ſibi placentes, omnibus diſplicentes, ſolo denique nomine Chriſtianos. Ait igitur Cyprianus hos mores tantorum cauſas eſſe luctuum, quibus Eccleſia protrita diſperditur. At quid iſtic miramur in duorum jam ſeculorum Eccleſia, qui & pejora Corinthiis ſuis Paulum exprobraſſe toties audimus aut legimus?*

An. 250. feci, & vos (a) faciatis. Item Pauli Apoſtoli documenta (b) ſectentur; qui poſt carcerem ſæpe repetitum, poſt flagella, poſt beſtias, circa omnia mitis & humilis perſeveravit, nec poſt tertium cœlum & paradiſum quidquam ſibi inſolenter aſſumſit, dicens: Neque gratis panem manducavimus (c) ab aliquo veſtrum, ſed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem veſtrum gravaremus. Hæc ſingula oro vos inſinuate fratribus noſtris. Et quia (d) is exaltabitur, qui ſe humiliaverit; nunc eſt ut magis inſidiantem adverſarium metuant, qui fortiorem quemque magis aggreditur, & acrior factus (e) hoc ipſo quo victus eſt, ſuperantem ſuperare conatur. Dominus faciat, ut & ego iterum illos (f) mature videre, & (g) ſalutari exhortatione componere mentes eorum ad ſervandam gloriam ſuam poſſim. Doleo enim quando audio quoſdam improbe & inſolenter diſcurrere, & [1] ad ineptias vel ad diſcordias vacare; Chriſti membra & jam Chriſtum confeſſa, per concubitus illicitos (h) inquinare; nec à diaconis aut presbyteris regi poſſe, ſed id agere, ut per paucorum pravos, & malos mores, multorum & bonorum Confeſſorum gloria honeſta maculetur: quos vereri debent, ne ipſorum teſtimonio & judicio condemnati, ab eorum ſocietate priventur. Is enim demum Confeſſor illuſtris & verus eſt, de quo poſtmodum non erubeſcit Eccleſia, ſed gloriatur. 2 Theſ 3. 8. Mat. 23. 12.

Schiſmaticorum presbyterorum ratio non eſt habenda.

[2] Ad id vero quod ſcripſerunt mihi compresbyteri noſtri (i) Donatus & Fortunatus, Novatus & Gordius, ſolus reſcribere nihil potui; quando à primordio Epiſcopatus mei ſtatuerim, [3] nihil ſine conſilio veſtro, & ſine conſenſu plebis, mea privatim ſententia gerere; ſed cum ad vos per Dei gratiam venero, tunc de iis quæ vel geſta ſunt vel gerenda, ſicut honor mutuus poſcit, in commune tractabimus. Opto vos, fratres cariſſimi ac deſideratiſſimi, ſemper bene valere, & mei meminiſſe: fraternitatem, quæ vobiſcum eſt, multum à me ſalutate: & ut noſtri meminerit admonete. Valete.

(a) Faciatis aliis, *Foſſ. Vict. Man.* (b) Sectemur, *Man.* (c) ab aliquo, ſed, *Man.* (d) Exaltabuntur, qui ſe humiliaverint, *Bod.* 1. (e) Hoc ipſo quod victus, *Ver. Neap.* (f) Maturius, *Ver.* (g) Salutare & exhortatione, *Man.* (h) Inquinari, *Neap. Vat. Foſſ.* (i) Donatus, Novatus, *Foſſ. Corb.*

[1] *Ad ineptias & diſcordias.*] Rigaltius ait, *cavet Cyprianus Confeſſoribus iſtis, quemadmodum Septimius benedictis illis ad martyrium deſignatis, quos in ipſo carcere à diabolo tentatos fuiſſe dicit vilibus ſcidiis, adfectionibus, aut inter ſe diſſenſionibus. Quæ ſane multa mala dederunt reipublicæ Chriſtianæ. Ineptias hic dicit, quæ Tertullianus viles ſcidas, aut vilia ſcidia.*

[2] *Ad id vero quod ſcripſerunt mihi compresbyteri noſtri.*] Rigaltius ait, *De lapſis videlicet ad pœnitentiam recipiendis.*

[3] *Nihil ſine conſilio veſtro & conſenſu plebis.*] Rigaltius ait, *Hoc eſt cum tota Eccleſia, ſicut Apoſtoli fecerant, prima illa Synodo, quæ deſcribitur in Actor.* XV. 22. *Tunc placuit Apoſtolis & Senioribus cum omni Eccleſia.* Ἔδοξε τοῖς Ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις σὺν ὅλῃ τῇ Ἐκκλησίᾳ. *Ad eum vero locum præclare Chryſoſtomus:* ὥστε δεῖξαι ὅτι καὶ τυραννικῶς, ὅτι πᾶσι τοῦτο δοκεῖ. *& paulo poſt:* ὅπως ἁπλῶς τύφῳ ἦν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ. *Sic ipſimet Romani infra Epiſtol.* 3. *Collatione conſiliorum cum Epiſcopis, presbyteris, diaconis, confeſſoribus pariter ac ſtantibus laicis.* Supra monuimus ſategiſſe Cyprianum invidiam amoliri: hic vero dicit ſe nihil quod ad diſciplinæ Eccleſiaſticæ rationes ſpectat inconſulta plebe ſtatuere. Etenim cum exterior effectus poteſtatis clavium in hoc fere verſabatur, ut Plebs cenſuræ ſubjectos pro Ethnicis & publicanis haberet; certe non erat expectandum ut amicos, neceſſarios, fratres excommunicationis fulmine percuſſos, deſererent univerſi; aut alios quos ejecerant denuo admitterent, donec de eorum criminibus, aut pœnitentia, ipſis fuerit ſatisfactum. Porro hic obſervandum, in lapſorum cauſa non ex receptis in Eccleſia moribus, ſed cum lenitate eo uſque inaudita actum; & proinde magis è re erat, ut innovati moris ratio redderetur.

EPISTOLA XV.

Cyprianus Martyribus & Confeſſoribus, cariſſimis fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros XI. Ad Eraſmi l. 3. Ep. 15. Ad Confeſſores imprimis ſpectat ut optimo ſint aliis exemplo, & deſideria ſua pro lapſis moderentur.

SOLLICITUDO loci noſtri, & (a) timor Domini compellit, fortiſſimi ac beatiſſimi Martyres, admonere vos literis noſtris, ut à quibus tam devote & fortiter ſervatur (b) fides Domino, ab iiſdem lex quoque & diſciplina Domini reſervetur. Nam cum (c) omnes milites Chriſti cuſtodire oporteat præcepta Imperatoris ſui, tum vos magis præceptis ejus obtemperare plus convenit, qui exemplum ceteris facti eſtis & virtutis & timoris Dei. Et credideram quidem Presbyteros & Diaconos, qui illic præſentes ſunt, monere vos & inſtruere pleniſſime circa Evangelii legem, ſicut in præteritum ſemper ſub anteceſſoribus noſtris factum eſt; ut Diaconi ad carcerem (d) commeantes, Martyrum deſideria conſiliis ſuis & ſcripturarum præceptis gubernarent: ſed nunc cum maximo animi (e) dolore cognoſco, non tantum illic vobis non ſuggeri divina præcepta, ſed adhuc potius (f) impediri, ut (g) ea quæ à vobis ipſis & circa Deum caute, & circa ſacerdotem Dei honorifice fiunt, à quibuſdam Presbyteris reſolvantur, qui nec timorem Dei, nec Epiſcopi honorem cogitantes; cum vos ad me literas direxeritis, quibus examinari deſideria veſtra, & quibuſdam Lapſis pacem dari poſtulaſtis, cum perſe- *Scripta in ſeceſſu.*

(a) Timor Dei, *MR. Foſſ. Vict.* (b) Fides Domini, *Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. NC.* 1. *Foſſ. Corb. Vict.* (c) Honeſtos milites, *Ver.* (d) Convenientes martyres, *Ver.* (e) Dolore recognoſco, *Lam. Bod.* 2. *Ebor.* (f) *Sic, Ar. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. MR.* inveniri, *Corb. Imp.* (g) Ut ad ea quæ à nobis, *Lam. Ebor. NC.* 1.

An. 250. perſecutione finita convenire in unum cum Clero & recolligi cœperimus ; illi contra Evangelii legem , contra veſtram quoque [1] honorificam petitionem , ante actam pœnitentiam , ante exomologeſin [2] graviſſimi atque extremi delicti factam , ante manum ab Epiſcopo & Clero in pœnitentiam impoſitam , [3] offerre (a) pro illis & Euchariſtiam dare , id eſt , ſanctum Domini corpus profanare audeant ; cum ſcriptum ſit : Qui ederit panem , aut biberit calicem Domini indigne , reus erit 1 Cor. 11. 27. corporis & ſanguinis Domini. Et [4] lapſis quidem poteſt in hoc venia concedi. Quis enim non mortuus (b) vivificari properet ? Quis non ad ſalutem ſuam venire feſtinet ? Sed Præpoſitorum eſt præceptum tenere , & vel properantes , vel ignorantes inſtruere , ne qui ovium paſtores eſſe debent , lanii fiant. Ea enim concedere , quæ in perniciem vertant , decipere eſt. Nec erigitur ſic lapſus , ſed per Dei offenſam magis impellitur ad ruinam. Vel ex vobis itaque diſcant , quod docere debuerant. Petitiones & deſideria veſtra Epiſcopo (c) ſervent , & ad pacem vobis petentibus dandam maturum & pacatum tempus expectent. (d) A Domino pacem [5] mater prior ſumat , tunc ſecundum veſtra deſideria de filiorum pace (e) tractetur. Et quoniam audio , fortiſſimi & cariſſimi fratres , (f) impudentia vos quorundam premi , & verecundiam veſtram vim pati : oro vos quibus poſſum precibus ; ut Evangelii memores , & conſiderantes quæ & qualia in præteritum anteceſſores veſtri Martyres (g) conceſſerint , quam (h) ſolliciti in omnibus fuerint ; vos quoque (i) ſollicite & caute petentium deſideria ponderetis ; ut pote amici Domini , & cum illo poſtmodum judicaturi , inſpiciatis & actum , & opera , & merita ſingulorum ; ipſorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis , ne ſi quid [6] abrupte & in-

(a) *Sic* , *Ar. Lam. MR. Bod.* 1. 2. *Ebor. NC.* 1. *Foſſ. Corb. Vict.* lapſis pacem , *Imp.* (b) Vivificari optet , *Corb.* (c) Servent , ad pacem vobis petentibus dandam maturum & pacatum tempus expectantes , *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 2. (d) *Sic* , *Lam. Ebor. NC.* 1. *MR. Bod.* 1. *Foſſ. Corb.* ante domini pacem , *Imp.* (e) Tractabitur , *Ver.* (f) Ab impudentibus quibuſdam vos premi , *Ver.* (g) Conſenſerint , *Ar. Lam. Bod.* 2. (h) Sollicite petentium deſideria , *Lam. Ebor. NC.* 1. (i) Solliciti & cauti , *Bod.* 1.

[1] *Honorificam petitionem.*] Statim appellat , *Martyrum deſideria.* Quicquid martyres in gratiam lapſorum præſtitere , erat id totum per modum interceſſionis ; quæ quidem *honorifica* admodum , & non facile inſuper habenda ; *petitio* tamen uſque fuit , & gratiæ ſolum prærogativis pollebat. Rem multis exſequitur Cyprianus in lib. de Lapſis. p. 92. hujus editionis , & deinceps. *Mandant* , inquit ille , *aliquid Martyres fieri ? ſi juſta , ſi licita , ſi non contra ipſum Dominum à Dei ſacerdote facienda ſunt ; obtemperantis facilis & proxa conſenſio , ſi petentis fuerit religioſa moderatio , &c.* Apud Deum interceſſiones Martyrum plurimum valere putabantur , quia *amici Dei* peculiari ratione dicti & crediti ſunt. In Eccleſia prærogativam habuerunt , quia ſi Lapſi eidem ſcandalo fuerant ; Martyres è contra laudem & decus eidem fœnerabantur , atque cumulabant. At veriſimile videtur ; hic loci , modeſtum & ſobrium libellum quem primo miſerant Martyres ; ipſis dignam & *honorificam petitionem* , peculiari ratione appellari. Obſervandum porro , quod etiam alibi annotavimus , aliter longe Martyrum juſſa obtinuerunt qui coronati è vivis exceſſerant ; & eorum qui etiamnum ſuperſtites , de corona & pace ſua ipſi periclitabantur. Priſca martyrum ſimplicitas vivis coloribus depingitur ab Eccleſia Lugdunenſi & Viennenſi , literis quas ſcripſerunt de paſſione martyrum ſub M. Aurelio , Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ. οὐχ ἅπαξ ἢδὴ δὶς , ἀλλὰ πολλάκις μαρτυρήσαντες , καὶ ἐκ θηρίων ἄνυδρις ἀναληφθέντες , καὶ τὰ καυτήρια , καὶ τὰς μώλωπας , καὶ τὰ τραύματα ἔχοντες ὡσεικὲ μᾶλλον , ὅ τ' αὐτοὶ μάρτυρας ἑαυτοὺς ἀνεκήρυττον , οὔτε μᾶλ' ἡμῖν ἐπέτρεπον τούτῳ τῷ ὀνόματι προσαγορεύειν αὐτούς. &c. Porro Lapſos non quaſi miſſilibus & donariis in medium projectis locupletabant , & ſecuros beatoſque eſſe juſſerunt optimi Martyres ; ſed monitis , & ſollicitæ pietatis officiis ad bonam frugem reſtituentes curabant , ἐν οἷς ἐλαχίστου καύχημα κατὰ τῶν πεπτωκότων , ἀλλ' ἐν οἷς ἐπωλεύοντο αὐτοῖ , τοῦτο τοῖς ἐνδεεστέροις ἐπήκουον , μητρικὰ σπλάγχνα ἔχοντες , καὶ πολλὰ ὠδὲ αὐτῶν ἐκχέοντες δάκρυα πρὸς τὸ πατέρα , &c. Euſeb. l. 5. c. 2. Demum Cyprianus hac in Epiſtola , poſt mentionem factam *honorificæ petitionis* Martyrum ; tranſit ad *actam pœnitentiam* , dein recenſet *exomologeſin graviſſimi atque extremi delicti* , nimirum Idololatriæ. Poſtea memorat , *manus ab Epiſcopo & clero in pœnitentiam impoſitas* , & demum *pacem oblatam Lapſis* , & *Euchariſtiam datam* refert. Quibus verbis , quæ fere occurrunt Epiſtola proxima , typus exhibetur totius veteris eccleſiaſticæ diſciplinæ. Primus ad veniam & pacem gradus erat , ſi reus ad Pœnitentiam admitteretur ; quod non ſine manuum impoſitione , & exomologeſi ſeu confeſſione expediebatur. Secundum complevit , pœnitentiæ impoſitæ , per varias fletus , auditionis , & conſiſtentiæ periodos , decurſus. Tertium fecit exomologeſis altera , ſive ſolennis & publica poſt peractam pœnitentiam peccati confeſſio. Huic quarto in loco ſucceſſit , manus ab Epiſcopo & clero , denuo in teſſeram reconciliationis conceſſæ , impoſitio. His rite peractis , ad Euchariſtiæ myſteria tandem pandebatur aditus. Sed miro viarum compendio id nunc agebant Martyres , *ut Lapſi mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes , exhalantibus etiam nunc ſcelus ſuum faucibus , & contagia funeſta redolentibus , protenus Domini corpus invaderent.* Verba ſunt Cypriani lib. de Lapſis p. 92. Suffragia Martyrum in cauſa Lapſorum in Eccleſia olim obtinuiſſe , ex Tertulliano oſtendimus , P. hujus operis 93. unde recte infra dicitur. *Qualia in præteritum anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint.* Paulum vero , Aurelium , & præ reliquis , Lucianum , eos fuiſſe qui in libellis temere concedendis modum exceſſiſſent, oſtendit Cyprianus Ep. 27. ad Pam. num. 23.

[2] *Graviſſimi atque extremi delicti.*] Rigaltius ait , *Alibi dixit : Æterni peccati , Idololatriam ſignificat. Ingens & ſupra omnia peccatum. Principale crimen generis humani. Summus ſeculi reatus. Tota cauſa judicii. Tertullianum.*

[3] *Offerre pro illis.*] Verior certe hæc lectio , & quam Ep. 2. tuetur ; ubi decreti ſynodici habetur mentio , ne *quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaverit : ac ſi quis hoc feciſſet , non offeretur pro eo.* Sic Epiſtola ſequente ; *offertur nomine eorum.* & , *prohibeantur offerre.* Ex altera parte , *offerre pacem* non ita commode dicitur.

[4] *Lapſis quidem poteſt in hoc venia concedi.*] Rigaltius ait, *In hoc ſcilicet , quod urgeant ; quod feſtinent ; quod anticipare velint pœnitentiæ tempora.*

[5] *Mater prior ſumat.*] Rigaltius ait , *Ep. ſequ. Mater noſtra Eccleſia. Tertul. libro ad Martyras , Domina mater Eccleſia. Conſultiſſime Cyprianus , deſideria Martyrum ſuper pace Lapſis concedenda , in illud tempus ſervat , cum ipſa mater Eccleſia pace gaudebit. Ne ſcilicet æſtu perſecutionis incaleſcente , à ruina recentes , confeſtimque ad pacem admiſſi , ſtantibus ceteris exemplo ſuo noceant , minus conſtanter in agone certaturis , blandiente ipſis poſt lapſum & ruinam , pro ſe quoque ſperandi dulcedine.*

[6] *Abrupte & indigne vel à vobis promiſſum.*] Rigaltius ait, *Ut apud Martyres , cenſoria verba ſic præmittit , ut temperari poſſint ſequentibus iſtis , vel à nobis factum.*

An. 250. indigne vel à vobis promiſſum, vel à nobis factum fuerit, [1] apud gentiles quoque ipſos Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat. Viſitamur enim & caſtigamur frequenter, & ut Domini mandata incorrupta & inviolata permaneant, admonemur; quod quidem nec illic apud vos ceſſare cognoſco, quo minus plurimos quoque ex vobis inſtruat ad Eccleſiæ diſciplinam divina cenſura.

Ad Eccleſiæ diſciplinam reſtituendam imprimis facit, ut Lapſi, qui Martyrum ſuffragiis juvari volunt, deſignentur nominatim libello.

Hoc autem totum poteſt fieri, ſi ea quæ à vobis petuntur religioſa contemplatione moderemini; intelligentes & comprimentes eos, qui [2] perſonas accipientes, in beneficiis veſtris (a) aut gratificantur, aut illicitæ negotiationis nundinas [3] aucupantur. De hoc & [4] ad Clerum & ad plebem literas feci, quas utraſque vobis legi mandavi. Sed & illud ad diligentiam veſtram redigere & emendare debetis, ut nominatim deſignetis eos quibus pacem dari deſideratis: audio enim quibuſdam ſic libellos fieri ut dicatur: Communicet ille cum ſuis. Quod nunquam omnino à Martyribus factum eſt, ut incerta & cæca petitio invidiam nobis poſtmodum cumulet: late enim patet quando dicitur: Ille cum ſuis; & poſſunt nobis viceni, & triceni, & amplius offerri, qui propinqui & affines, & liberti ac domeſtici eſſe aſſeverentur ejus, qui (b) accipit libellum; & ideo peto ut eos quos ipſi videtis, quos noſtis, quorum (c) pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libello, & ſic ad nos fidei ac diſciplinæ congruentes literas dirigatis. Opto vos, fratres fortiſſimi ac (d) dilectiſſimi, in Domino ſemper bene valere & noſtri meminiſſe. Valete.

(a) Ut aut gratificentur, *Ar. Ebor. Lam. NC.* 1. (b) Accepit, *Lam. Ebor. NC.* 1. (c) *Sic*, *Spir. Vet. Innom. & Imp. Vet. Ar. Lam. Foſſ. Corb. Vict. MR. Bod.* 1. Pœnitentiam ſcitis, *Rig.* (d) Fideliſſimi, *Ver.*

1 *Apud Gentiles quoque ipſos Eccleſia noſtra erubeſcere incipiat.*] Rigaltius ait, *Sic ſupra, de quo poſtmodum non erubeſcit Eccleſia, apud gentiles ſcilicet. Erubeſcere autem contingebat ob diſſolutos quorundam mores, vel ob diſciplinam minime ſervatam: fide turpiter everſa ipſo ſtatim agonis principio.*

2 *Perſonas accipientes.*] Rigaltius ait, *Matthæus & Marcus dixere*, βλέπειν εἰς πρόσωπον XXII. 16. XII. 14. *Lucas* XX. 21. λαμβάνειν πρόσωπον. *Cui opponitur* ἐπ' ἀληθείας τὴν ὁδὸν τοῦ θεοῦ διδάσκειν. *Deus non eſt* προσωπολήπτης.

3 *Aucupantur.*] Rigaltius ait, *Quam fœda labes etiam illius Eccleſiæ martyras proſtravit? Nam hoc ſignificat Cyprianus, etiam inter martyras extitiſſe qui venales haberent pacis libellos.* Turpius autem multo, ſi ipſi Pontifices mercium iſtarum inſtitores ſint & propolæ.

4 *Ad Clerum & ad plebem.*] Hæc ſimul ſcripta fuiſſe, cum duobus ſequentibus hinc oſtenditur. Quod licet earum hic meminerit Cyprianus, etiam vice verſa earundem in illis mentionem faciat. Vid. Ep. 16. & 17. ſub finem.

EPISTOLA XVI.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros X. Ad Eraſm. l. 3. Ep. 14. *Presbyteri dum plauſibiles eſſe cupiunt, magis Lapſis obſunt.*

Scripta in ſeceſſu.

[1] DIU patientiam meam tenui, fratres cariſſimi, quaſi verecundum ſilentium noſtrum proficeret ad quietem. Sed cum quorundam immoderata & abrupta præſumtio temeritate ſua, & honorem Martyrum, & Confeſſorum pudorem, & plebis univerſæ tranquillitatem turbare conetur; tacere ultra non oportet, ne ad periculum & plebis pariter & noſtrum taciturnitas nimia procedat. Quod enim non periculum metuere debemus de offenſa Domini; quando [2] aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, [3] nec loci ſui memores, ſed neque futurum Domini judicium, neque nunc ſibi præpoſitum Epiſcopum cogitantes, quod nunquam omnino ſub anteceſſoribus factum eſt, cum contumelia & [4] contemtu Præpoſiti totum ſibi vendicent? atque utinam non (a) contra fratrum noſtrorum ſalutem ſibi omnia vendicarent. (b) Contumeliam Epiſcopatus noſtri diſſimulare & ferre poſſum, ſicut diſſimulavi ſemper & pertuli: ſed diſſimulandi nunc locus non eſt; quando decipiatur fraternitas noſtra à quibuſdam veſtrum, qui dum [5] ſine ratione reſtituendæ ſalutis plauſibiles eſſe cupiunt, ma-

(a) Proſtrata fratrum noſtrorum ſalute, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. *Ar.* (b) Contumelias Epiſcopatus noſtri diſſimulare & ferre poſſem, *Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. NC.* 1.

1 *Diu patientiam meam tenui.*] Plures antea ex ſeceſſu ſcripſit Epiſtolas Auctor noſter Presbyteris & Diaconibus; in cauſa vero Lapſorum, poſt acceptam Donati Fortunati, Novati & Gordii inſolentem poſtulationem, cui ſatisfacturum ſe ſperaverat, cum de ea uſque ad reditum ſuum ampliandum dixiſſet; nunc primum literas ad illos facit.

2 *Aliqui de Presbyteris.*] Scilicet ſuperiore Epiſtola nominati, inter quos nonnulli illi ipſi eſſe noſcuntur, qui deinceps Cypriano noſtro infenſi fuerunt; & quinque Presbyterorum titulo inſigniti ſunt: quos tamen ut deliniret, compresbyteros appellat.

3 *Nec loci ſui memores.*] Rigaltius ait, *Gradus Presbyteralis, qui ſubditus eſt Epiſcopali. Nam ſic erat ordo Eccleſiaſticus ſub Cypriano, atque idem omnino jam fuerat ævo Tertulliani. Nam ubi diſſerit de facultate dandi baptiſmi; Dandi quidem, inquit, habet jus ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus, dein Presbyteri & Diaconi: non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem; quo ſalvo, ſalva pax eſt.* Imo is erat ordo, à primis Chriſtianæ pietatis initiis; ſaltem ex quo Presbyteros in partem curarum admiſerunt Epiſcopi. Unde dicit quod hoc Presbyterorum attentatum, *nunquam omnino ſub anteceſſoribus factum.* Ignatius ait, licere μηδὲν ἄνευ γνώμης ἐπισκόπου ποιεῖν, ἢ βαπτίζειν, ἢ προσφέρειν ἢ θυσίαν προσκομίζειν.

4 *Contemtu Præpoſiti totum ſibi vendicent.*] Non intra petitionis limites conſiſtant, adeo ut nihil Epiſcopo relinquant, niſi obſequii gloriam, aut parendi neceſſitatem.

5 *Sine ratione reſtituendæ ſalutis.*] Rigaltius ait, *Id eſt, communionis, extra quam non eſt ſalus.*

An. 250. magis Lapſis obſunt. Summum enim delictum eſſe quod perſecutio committi coegit, ſciunt ipſi etiam qui commiſerunt; cum dixerit Dominus & judex noſter: Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, & ego (a) illum confitebor coram Patre meo qui in cœlis. Qui autem me negaverit, & ego illum negabo. Et iterum dixerit: [1] Omnia peccata remittentur filiis (b) hominum & blaſphemiæ. Qui autem blaſphemaverit (c) Spiritum ſanctum, (d) non habebit remiſſam, ſed reus eſt [2] æterni peccati. Item beatus Apoſtolus dixerit: Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini communicare, & menſæ dæmoniorum. Hæc qui ſubtrahit fratribus noſtris, decipit miſeros; ut qui (e) poſſunt agentes pœnitentiam veram, Deo qua patri & miſericordi precibus & operibus ſuis ſatisfacere: ſeducantur ut magis pereant; & qui erigere ſe poſſent, [3] plus cadant. Nam cum [4] in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſin veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & Cleri, jus communicationis accipiant: nunc crudo tempore, perſecutione adhuc perſeverante, nondum reſtituta Eccleſiæ ipſius pace, ad communicationem admittuntur, & [5] offertur nomen eorum, & nondum pœnitentia acta, nondum [6] exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo & Clero impoſita, Euchariſtia illis datur, cum ſcriptum ſit: Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Mat. 10. 32. Mat. 12. 31. Marc. 3. 28. 1 Cor. 10. 21. 1 Cor. 11. 27.

Plebs ad pacem feſtinans, longe iſtis excuſatior Presbyteris, qui deſideria iſta accendunt.

Sed nunc illi rei non ſunt, qui minus ſcripturæ (f) legem tenent; erunt autem rei, qui præſunt, & hæc fratribus non ſuggerunt, ut inſtructi à Præpoſitis faciant omnia cum Dei timore, & cum data ab eo & præſcripta obſervatione. (g) Exponunt deinde invidiæ beatos Martyres; & glorioſos [7] ſervos Dei cum Dei ſacerdote committunt, ut cum illi (h) [8] memores loci noſtri ad me literas direxerint, & petierint tunc deſideria ſua examinari, & pacem dari, quando ipſa ante mater noſtra Eccleſia pacem de miſericordia Domini prior ſumſerit, & nos divina protectio reduces ad Eccleſiam ſuam fecerit; hi ſublato

(a) In illo confitebor, *Ar. Lam. Bod.* 1. 2. (b) Hominum. Qui autem, *Bod.* 2. (c) In ſpiritum ſanctum, *Ar. Ebor. Lam.* (d) Non habet, *Ar. Ebor. Lam. NC.* 1. (e) Poſſunt agere pœnitentiam; Deoque patri, *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (f) Legem tenuerunt, rei autem qui præſunt, *Ar. Bod.* 2. *Lam. NC.* 1. (g) Exponunt de invidia, *Lam. Ebor. NC.* 1. (h) Memores legis noſtræ, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.

[1] *Omnia peccata remittentur filiis hominum.*] Rigaltius ait, *Marci verba ſunt cap.* III. πάντα ἀφεθήσεται τὰ ἁμαρτήματα τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων. *Quorum verborum ſententiam vulgatæ verſionis auctor ambiguam fecit tranſpoſitione verbi, remittentur, quam hi ſervavit Cyprianus. At libro ad Quirinum* III. *apertiſſime dixit, non poſſe in Eccleſia remitti ei, qui in Deum deliquerit; deinde citat ex Evangelio* κατὰ Ματθαῖον; *Qui dixerit verbum adverſus filium hominis, remittetur illi: qui autem dixerit adverſus Spiritum ſanctum, non remittetur illi, neque in hoc, neque in futuro ſeculo. Et ſtatim apponit ex Marco: Omnia peccata remittentur filiis hominum & blaſphemiæ, &c. Ex quibus fit manifeſtiſſimum, hac Epiſtola & libro ad Quirinum, hanc eſſe Cypriani mentem; Remitti omnia peccata quæ adverſus filios hominum, id eſt, adverſus homines, quis commiſerit; non autem quæ adverſus Spiritum ſanctum. Hoc vero Cyprianus habet à magiſtro ſuo. Etenim libro de Pudicitia; Dimittis, inquit, ut dimittatur tibi à Deo. Delicta mundantur quæ quis in fratrem, non Deum, admiſerit. Debitoribus denique dimiſſuros nos in oratione profitemur. Proculdubio intellexit Septimius, Debitoribus noſtris, non Dei.* Bona cum venia Rigaltii, talis ſenſus his verbis Cypriani aſſignari debet, qui cum ejus inſtituto conſiſtere poterit. Locum hunc laudat ut oſtendat, veniam non temere Lapſis concedendam; ita tamen ut eadem pœnitentibus non denegetur. Dicendum itaque puto, Auctorem noſtrum ſenſiſſe blaſphemare Spiritum ſanctum, idem prorſus eſſe ac Chriſtum abnegare. Et revera Luc. 12. voces hæ immediate ſubnectuntur iſtis, *omnis quicunque confeſſus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur eum coram angelis Dei; & qui me negaverit coram hominibus, negabitur coram angelis Dei.* Porro ubi occurrit idem Domini dictum Mat. 12. & Marc. 3. ad blaſphemos in eum dirigitur. Vid. quæ adnotata in l. 3. ad Quirin. c. 28. *Remiſſam is non habebit.* Quia Eccleſia ejiciendus eſt, nec niſi per pœnitentiam, quæ unica poſt naufragium tabula, reſtitui poteſt.

[2] *Æterni peccati.*] Sic græca quædam Exemplaria legunt ἁμαρτίας. Per æternum peccatum, intelligit ſummum illud nefas idololatriæ, quod ab Eccleſia exterminat.

[3] *Plus cadant.*] Rigaltius ait, *Qui jam exciderunt de fide dicta Chriſto, nunc etiam excidunt de diſciplina Eccleſiæ Chriſti.*

[4] *In minoribus peccatis.*] Saltem reſpectu habito ad Apoſtaſiam, intelligit enim inter alia adulterium & homicidium. Eandem comparationem inſtituit Cypr. Ep. proxima.

[5] *Offertur nomen eorum.*] Rigaltius ait, *Inter orationum ſacrificia nominantur. Orationes ſive preces pro eis nominatim allegantur Deo per Presbyteros. Offertur nomen eorum una cum precibus quæ pro eis offeruntur. Quod obſervat Pamelius, in libris manuſcriptis Canonem ita concipi: Memento Domine famulorum famularumque tuarum; nomina, ſic intelligi debet, ut poſt ea verba, Memento Domine famulorum famularumque tuarum, ſcriptum fuerit præcipiendi modo, nomina; quo ſcilicet admoneatur Presbyter qui pro populo facit, mentionem hoc loco habendam eſſe certarum perſonarum nominatim.*

[6] *Exomologeſi facta.*] Publicam confeſſionem hic intelligi ſupra in lib. de Lapſis, monuimus. Ita in Epiſtola ad Antonian. *Placuit ſacrificatis in exitu ſubveniri, quia exomologeſis apud inferos non eſt:* ubi omnino conſtat verba illa Pſalmiſtæ laudari; *In inferno quis confitebitur tibi.* Diſertis porro verbis ſubjicitur; *Et quia apud inferos confeſſio non eſt, nec exomologeſis illic fieri poteſt.* Sic lib. de Lapſis. *Quanto & fide majores, & timore meliores ſunt, qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti; quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentes, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt.* Et ſtatim de Tribus pueris ait, *Exomologeſin faciebant Deo in medio ignis.* Et ſimiliter de Daniele ait, *Exomologeſin dolenter faciens*, dixit, *Domine Deus magnus, &c. Peccavimus, facinus admiſimus* &c.

[7] *Servos Dei cum Dei ſacerdote committunt.*] Rigaltius ait, *Id eſt, cum Epiſcopo. Sic Ep.* LII. *conſtitutum Romæ Dei ſacerdotem. Animadvertendum hic Dei ſervos committi cum Dei ſacerdote. Sed meminiſſe debet Dei ſacerdos, eſſe ſe etiam Dei ſervum.*

[8] *Memores loci noſtri.*] Rigaltius ait, *Epiſcopalis, & quidem Carthaginienſis Eccleſiæ, quæ prima provinciæ ſedes, adeoque multarum Eccleſiarum curam ſuſtinebat. Sic in Cod. Eccleſ. Afric. Aurelius Carthaginis Epiſcopus. Ego cunctarum Eccleſiarum dignatione Dei, ut ſcitis fratres, ſollicitudinem ſuſtineo. Ibidem, Numidius Epiſcopus ad Aurelium, fuit ſemper hæc licentia huic ſedi, pro deſiderio cujuſque Eccleſiæ ordinare Epiſcopum. Epigonius item Epiſc. Neceſſe habes tu omnes Eccleſias ſuffulcire. Itaque ipſe Cyprianus, Epiſtola* 15. *ſic incipit: Sollicitudo loco noſtri, & timor Domini compellit.*

An. 250. blato honore, quem nobis beati Martyres cum Confeſſoribus ſervant, contemta Domini lege & obſervatione, quam iidem Martyres & Confeſſores tenendam mandant, ante extinctum perſecutionis metum, ante reditum noſtrum, ante ipſum pene Martyrum exceſſum, communicent cum Lapſis [1] & offerant, [2] & Euchariſtiam tradant: quando etiam ſi Martyres per calorem gloriæ [3] ſcripturam minus (a) contemplantes, contra legem Dei plus aliquid cuperent, à Presbyteris & Diaconis ſuggerentibus admoneri deberent, ſicut ſemper in præteritum factum eſt. Caſtigare nos itaque divina cenſura nec noctibus deſinit, nec diebus: præter nocturnas enim viſiones, [4] per dies quoque impletur apud nos Spiritu ſancto puerorum innocens ætas, quæ in extaſi videt oculis, & audit, & loquitur ea quibus nos Dominus monere & inſtruere dignatur. Et audietis omnia quando ad vos reducem me Dominus fecerit, qui ut ſecederem juſſit. (b) Interim temerarii & incauti & tumidi quidam inter vos, [5] qui hominem non cogitent, vel Deum timeant; ſcientes Luc. 18. 2. quoniam ſi ultra in iiſdem (c) perſeveraverint, utar ea admonitione, qua me uti Dominus jubet; [6] ut interim prohibeantur offerre, acturi & apud nos, & apud Confeſſores ipſos, & apud plebem univerſam cauſam ſuam; cum (d) Domino permittente, in ſinum matris Eccleſiæ colligi cœperimus. De hoc (e) ad Martyres & Confeſſores & ad plebem literas feci, quas utraſque vobis legi mandavi. Opto vos, fratres cariſſimi ac deſideratiſſimi in Domino ſemper bene valere, & noſtri meminiſſe. Valete.

(a) *Sic*, *MR.* 2. contemplantes, plus aliquid, *Imp.* (b) Interim morari, *Foſſ. Vict. Mich.* (c) Perſeveraverint vitare admonitionem, *MR.* (d) Domino permittente, cum in ſinu, *Mich. Vict.* (e) Et ad Martyras, *Foſſ. Vict.* Martyres & Confeſſores ipſos, *Lam. Ebor.*

1 *Et offerant.*] Rigaltius ait, *Nomina Lapſorum, ut ſupra, vel offerant Lapſis pacem.*

2 *Et Euchariſtiam tradant.*] Lapſis.

3 *Scripturam minus contemplantes.*] Rigaltius ait, *Quam ſupra recitavit, Qui ederit panem aut biberit calicem.* Non incepte ergo MR. 2. addit *contra Legem Dei.*

4 *Per dies quoque impletur apud nos ſpiritu ſancto puerorum innocens ætas, quæ in extaſi videt.*] Rigaltius ait, *Non ex ſomniis tantum, verum etiam ex furore, divina variorum eventuum præſagia concepere viri Chriſtiana pietate laudatiſſimi. Et ſomniorum quidem exempla, quæ Cæcilius noſter Eccleſiæ ſuæ presbyteris narrat, ſupra notavimus. Hac epiſtola per exſtaticos puerorum innocentium effatus monita quædam ſive mandata inculcat. Per dies, inquit, impletur apud nos ſpiritu ſancto puerorum innocens ætas, quæ in extaſi videt oculis, & audit & alloquitur ea quibus nos Dominus monere & inſtruere dignatur. Recte, in extaſi. Nam adventans in pueros vis divini ſpiritus, elocabat quidquid in illis erat mentis inquilinæ ſive domeſticæ: ita ut quiſque, non jam ſui compos, magno illo habitatore plenus, nihil præter hoſpitem ſuum ſentiret, nec videret, nec loqueretur. Quam prope exploratam habuit hanc divini furoris gratiam Ariſtoteles, libro de divinatione per inſom. ubi fatetur exſtaticos futura quandoque proſpicere.* Ἢ δὲ ἐνθ, *inquit,* ἢ ἐκ-ςατικῶν φαντασιῶν, αἴτιον ὅτι αἱ οἰκεῖαι κινήσεις οὐκ ἐνοχλοῦσιν, ἀλλ' ἀπῤῥαπίζονται. Τὸ ξενικῶν οὖν μάλιστα αἰσθάνονται. *Unde autem illa ξενικὰ, niſi ab illo divino hoſpite illata & invecta? Præclare Philo Diſſertatione ſua, Quis divinorum hæres,* ἐξοικίζεται μὲν γὰρ ἐν ἡμῖν ὁ νοῦς καὶ τῷ θείῳ πνεύματι ἄφιξιν. Θέμις γὰρ οὐκ ἐςὶ θνητὸν ἀθανάτῳ συνοικῆσαι. Διὰ τοῦτο ἡ δύσις καὶ λοχμοῦ καὶ τοῦ περὶ αὐτὸν σκότου, ἔκςασιν καὶ θεοφόρητον μανίαν ἐγέννησε. *Idem auctor huncce furorem dicit eſſe* ἔνθεον κατοχωτικήν τε μανίαν. *Ac propterea Tertullianus adverſus Marcionem, hoc etiam defendit, gratiæ exſtaſin, id eſt, amentiam convenire. In ſpiritu enim homo conſtitutus, inquit, neceſſe eſt excidat ſenſu. Itaque in exſtaticis aliquantiſper ſapientia moritur. Nimirum, divinæ ſuperventu humana ſic offuſcatur & inumbratur, ut exceſſiſſe interim videatur. Chryſoſtomus, ubi de viſione, qua Petrus vas ingens cœlo demiſſum conſpexit:* ἔκςασις, πνευματικὴ θεωρία γέγονεν αὐτῷ. Τοῦ σώματος, ὡς ἂν εἴποι τις, ἐξέςη ἡ ψυχή.

5 *Qui hominem non cogitent.*] Rigaltius ait, *Modeſte dicit, hominem, pro Epiſcopo, Dei ſacerdote. ita alibi: Qui nec Dei timorem, nec Epiſcopi honorem cogitantes.* Ego potius cenſeo locum D. Lucæ cap. 18. 2. Auctorem reſpexiſſe.

6 *Ut interim prohibeantur offerre.*] Pamelius ait, *En ſuſpenſionem quam vocamus à divinis, antiquitus uſurpatam.*

EPISTOLA XVII.

Cyprianus Fratribus [1] in Plebe conſiſtentibus, S.

Ad Pamelii numer. XII. ad Eraſ. l. 3. Ep. 6. Monita Confeſſoribus & Clero prius tranſmiſſa, hic ad plebem diriguntur.

INgemiſcere vos & dolere (a) ruinam fratrum noſtrorum ex me ſcio, fratres cariſſimi, qui & ipſe vobiſcum pro ſingulis ingemiſco pariter & doleo; & patior, ac ſentio, *Scripta in ſeceſſu.* quod beatus Apoſtolus dixit: Quis infirmatur, inquit, & ego non infirmor? quis 2 Cor. 11. ſcandalizatur, & ego non uror? Et iterum poſuit in Epiſtola ſua dicens: Si patitur 29. membrum unum, compatiuntur & cetera membra; & ſi lætatur membrum unum, 1 Cor. 12. collætantur & cetera membra. Compatior ego & (b) condoleo de fratribus noſtris, qui lapſi & perſecutionis infeſtatione proſtrati, partem noſtrorum viſcerum ſecum trahentes, parem dolorem nobis ſuis vulneribus intulerunt. [2] Quibus potens eſt divina miſericordia medelam dare; (c) properandum tamen non puto, nec incaute aliquid & feſtinanter gerendum; ne, (d) dum temere pax uſurpatur, divinæ indignationis offenſa gravius provocetur. Fecerunt ad nos de quibuſdam beati Martyres literas, petentes

(a) Ruinas, *Lam. Ebor. NC.* 1. (b) Condoleo fratribus, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. (c) Properamus, dum tamen non putem, *Lam. Ebor. NC.* 1. (d) Ne ſi temere pax uſurpetur, *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.

1 *In plebe conſiſtentibus.*] Vid. quæ dicta ad Ep. 1.

2 *Quibus potens eſt divina miſericordia medelam dare.*] In illa erant ſententia etiam Montani & Novatiani ſequaces, graviſſimorum flagitiorum compertos, licet ab Eccleſia veniam non obtineant, à Deo tamen poſſe obtinere: lis ergo non in hoc vertebatur; & recte Auctor noſter hoc ſufflamen opponit Lapſis qui ad pacem feſtinarent, quod non de eorum ſalute conclamatum ſit, quibus ante pœnitentiæ decurſum mori contingeret.

1 *Præ-*

An. 250. tes examinari desideria sua ; cum pace nobis omnibus à Domino prius data, ad Ecclesiam regredi cœperimus, (a) examinabuntur singula [1] præsentibus & judicantibus vobis. Audio tamen quosdam de Presbyteris nec Evangelii memores, nec quid ad nos Martyres scripserint cogitantes, nec Episcopo honorem sacerdotii sui & cathedræ reservantes, jam cum Lapsis communicare cœpisse, & offerre pro illis, & Eucharistiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem perveniri. Nam cum in minoribus delictis, quæ non in Dominum committuntur, pœnitentia agatur justo tempore, & exomologesis fiat, inspecta vita ejus qui agit pœnitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab Episcopo & Clero manus fuerit imposita, (b) quanto magis in his gravissimis & extremis delictis caute omnia & moderate secundum disciplinam Domini observari oportet? (c) Vos quidem nostri Presbyteri & Diaconi monere debuerant, ut commendatas sibi oves foverent, & divino magisterio ad viam deprecandæ salutis instruerent. Ego plebis nostræ & quietem novi pariter & (d) timorem, qui in satisfactione Dei & deprecatione vigilarent, nisi illos quidam de Presbyteris gratificantes decepissent. Vel vos itaque singulos regite, & consilio ac moderatione vestra & secundum divina præcepta Lapsorum animos temperate : nemo adhuc importuno tempore acerba poma decerpat ; nemo navem suam quassatam & perforatam fluctibus, priusquam (e) diligenter refecerit, in altum denuo committat ; nemo tunicam scissam accipere & (f) induere properet, nisi eam & ab artifice perito sartam viderit, & à fullone curatam receperit. Audiant quæso patienter (g) consilium nostrum, expectent regressionem nostram, ut cum ad vos per Dei misericordiam venerimus, convocati coepiscopi plures, secundum Domini disciplinam & Confessorum præsentiam (h), beatorum Martyrum literas, & desideria examinare possimus. De hoc & ad Clerum, & ad Martyres, & Confessores literas feci, quas utrasque legi vobis mandavi. Opto vos, fratres carissimi ac desideratissimi, in Domino semper bene valere, & nostri meminisse. Valete.

(a) *Sic*, *MR.* 2. tunc examinabuntur, *Rig.* (b) Hoc magis in his, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. (c) Quod quidem nostros, *Ar. NC.* 1. *Lam. Ebor.* (d) Timorem in satisfactione Dei & deprecatione vigilare, *Ar. Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. NC.* 1. (e) Diligenter eam, *Lam. Ebor. NC.* 1. (f) Induere potest, *Lam. Ebor. NC.* 1. (g) Consilium meum, *Lam. Ebor. NC.* 2. (h) Et vestram quoque sententiam, *Bod.* 1.

1 *Præsentibus & judicantibus vobis.*] Rigaltius ait, *Etiam in plebe consistentibus. Itaque non tantum Clerici, sed etiam Laici tunc judicabant. Judicabant autem etiam de rebus gravissimi momenti, nempe, de pœnitentia Lapsorum, de recipiendis in Ecclesiam Lapsis, de Libellis quos Lapsi impetraverant à Martyribus, de pace Lapsis à Martyribus data.* Ita judices, bona Rigaltii cum venia, quemadmodum jurati duodecim viri in tribunalibus nostris, qui totius viciniæ personam subeunt ; & quibus incumbit ut de facto ipso utrum res gesta fuerit aut secus pronuncient : ita tamen ut Magistratibus de reis sententiam ferendi, potestas inviolata permaneat. Porro oportebat ut fratribus, qui ex Lapsorum delicto pars læsa fuerant, per pœnitentiam satisfieret ; priusquam Ecclesia ejecti, iidem in integrum restituerentur.

EPISTOLA XVIII.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus fratribus, Salutem.

Ad Pamelii num. Ep. XIII. Ad Eras. l. 3. Ep. 19. Lapsis in pœnitentiæ decursu è morbo decumbentibus, porro & aliis ; pace maturius data, aut saltem solatiis, subvenitur.

MIROR vos, fratres carissimi, ad multas Epistolas meas, (a) quas ad vos frequenter misi, (b) nunquam mihi rescripsisse ; cum fraternitatis nostræ vel utilitas vel necessitas sic utique gubernetur, si à vobis instructi rerum gerendarum consilium limare possimus. Quoniam tamen video facultatem veniendi ad vos nondum esse, & jam [1] æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis & (c) gravibus infestatur, occurrendum puto fratribus nostris ; ut qui libellos à Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra, apud Presbyterum (d) quemcunque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, [2] apud Diaconum quoque, exomologesin facere delicti sui possint ; ut manu eis in

Scripta in secessu.

(a) Quas vobis, *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. (b) Nihil rescripsisse, *Ar. Ebor. Lam. NC.* 1. (c) Gravibus infestat, *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. (d) *Sic*, *Bod.* 1. 2. quemque, *Imp.*

1 *Æstatem cœpisse.*] Laxandæ disciplinæ causam aliam suppeditat Epistola vicesima, ad Pamel. numeros 15. Quod nimirum non modo Lapsi, & plurimi ex Presbyteris Carthaginiensibus, sed & Romana Ecclesia indulgentia utendum censuisset : & durum omnino esset, non suorum modo, sed & vicinæ Ecclesiæ, apud quem secessus ejus jam tum male audiebat, simul & semel invidiam & iras subire.

2 *Apud Diaconum quoque exomologesin facere.*] Rigaltius ait, *Est enim etiam in diaconatu sacerdotium.* Sic Epist. XX. *Item Presbyteris & Diaconibus non defuit sacerdotii vigor.* Caute hic legendus est Rigaltius dum ait *esse in Diaconatu sacerdotium.* Quæcunque necessitas cogit etiam illa defendit, sed tantisper dum incubuerit. Nota est historia apud Euseb. l. 6. c. 44. Eucharistiæ per puerum Serapioni transmissæ : nemo tamen dixerit, fas esse pueris sacra illa mysteria distribuere. Longe autem is à vero abit, cum in dictorum suorum fidem adducit verba quæ infra habentur. *Presbyteris & Diaconis non defuit sacerdotii vigor.* Intelligit enim illic Cyprianus, suam potestatem in ipsos delinquentes, sive Presbyteri essent sive Diaconi non defuisse : siquidem utrosque admonuisset. Dicitur porro apud Diaconum exomologesis facta, non quasi is solus esset ejusdem conscius ; pœnitentia enim vel ægro-

An. 250. in pœnitentia impoſita veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis (a) deſideraverunt. Ceteram quoque [1] partem plebis quæ lapſa eſt, præſentia veſtra fovete: & ut à fide & miſericordia Domini non deficiant, veſtro ſolatio focillate; neque enim deſerentur ab ope & auxilio Domini, qui mites & humiles, & pœnitentiam vere agentes in bonis (b) operibus perſeveraverint, quo minus illis quoque divino remedio conſulatur. [2] Audientibus etiam ſi qui fuerint periculo prævenți, & in exitu conſtituti, vigilantia veſtra non deſit, implorantibus divinam gratiam miſericordia Domini non denegetur. Opto vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere, & noſtri meminiſſe. Fraternitatem univerſam meo nomine ſalutate, & ut noſtri (c) meminerit admonete, & rogate. Valete.

(*a*) *Sic*, *Ar. Ebor. Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Pem.* deſideraverunt. Partem, *Rig.* (*b*) Operationibus perſeveraverant, *Lam. Ebor. NC.* 1. opinionibus, *Neap.* (*c*) Meminerit exorate, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.

tantium, quantum fieri potuit iſtis ſeculis, publica erat; ſed quia abſente Presbytero, ad quem munus illud imprimis ſpectabat, Diaconi præſentia habebatur prorſus neceſſaria, quotcunque è plebe adeſſe contingeret. Cum enim Eccleſia clero & plebe contineretur, par erat ut quando per exomologeſin eidem ſatisfieret, adeſſent qui utriuſque partes ſuſtinerent. *Forma* à Cypriano Epiſcopo *data* fuit: conditionem nimirum ſub qua Lapſi in Eccleſiam reciperentur is præſcripſit, quod ex Epiſtola hac & ſequente, plurimiſque aliis abunde conſtat. *Formæ* ſive conditionis impletæ, Eccleſiæ nomine teſtes & arbitri erant Diaconus & fratres laici in hanc rem acciti. Hæc priſca diſciplinæ Eccleſiaſticæ ratio, *ut præpoſiti cum clero convenientes, præſente & ſtantium plebe, quibus & ipſis pro fide & timore ſuo honor habendus eſt, diſponant omnia, conſilii communis religione.* Sic in ſacrorum ordinum collatione, καταστασις ad Epiſcopos, συνευδοκησις ad plebem ſpectabat. Vid. Ep. 67. nec non Clementis Ep. ad Rom. parag. 44.

[1] *Partem plebis quæ lapſa eſt.*] In ſecunda claſſe erant Lapſi nullis Martyrum ſuffragiis commendati, aut etiam nondum ad pœnitentiam admiſſi; ſed terrore mortis ingruentis de periculo admoniti, ſupplices ut ad pacem admitti poſſent. Hi quanquam non pariter recipi deberent, divinæ tamen miſericordiæ erant commendandi; cujus præſidio eorum animi, tantiſper donec uberiora remedia procurari poſſent, erant fulciendi. Hunc eſſe verborum ſenſum, ex Epiſtola ſequenti liquido apparet.

[2] *Audientibus etiam.*] Tertius ordo eſt Catechumenorum; qui cum nondum fidem Chriſto obſtrinxiſſent, levius reliquis lapſi videbantur; & proinde paratiorem veniam expectare poterant.

EPISTOLA XIX.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus Fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numer. XIV. Ad Eraſm. l. 3. *Ep.* 18. *Ad pacem per pœnitentiam veniendum Illa autem agitur ſervando mandata. Infirmitate preſſi, ſi Martyrum ſuffragiis ſubleventur, ad Pacem admitti poſſunt; ceteri uſque ad Pacem Eccleſiæ factam detinendi.*

Scripta in ſeceſſu.

[1] LEGI literas veſtras, fratres cariſſimi, quibus ſcripſiſtis ſalubre conſilium veſtrum non deeſſe fratribus noſtris, ut temeraria feſtinatione depoſita religioſam patientiam Deo præbeant: (a) ut cum in unum per ejus miſericordiam venerimus, de omnibus ſpeciebus ſecundum Eccleſiaſticam diſciplinam tractare poſſimus: maxime cum ſcriptum ſit: Memento unde ceciderís, & age pœnitentiam. Pœnitentiam autem ille agit, qui (b) divinis præceptis mitis & patiens, & ſacerdotibus Dei obtemperans, obſequiis ſuis & operibus juſtis Dominum promeretur. Quoniam tamen ſignificaſtis quoſdam immoderatos eſſe, & communicationem accipiendam feſtinanter urgere; & deſideraſtis in hac re formam à me vobis dari: ſatis plene ſcripſiſſe me ad hanc rem proximis literis ad vos factis credo, ut qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologeſi facta, & [2] manu eis à vobis in pœnitentia impoſita, cum pace à Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur. Ceteri vero qui nullo libello à Martyribus accepto [3] invidiam faciunt; quoniam (c) non paucorum, nec Eccleſiæ unius, aut unius provinciæ, ſed totius orbis hæc cauſa eſt: expectent de Domini protectione Eccleſiæ ipſius publicam pacem. Hoc enim & verecundiæ & diſciplinæ & vitæ ipſi omnium noſtrum convenit: ut Præpoſiti cum Clero convenientes, præſente & (d) [4] ſtantium plebe, quibus & ipſis pro fide & timore ſuo honor habendus eſt, diſponere omnia conſilii communis religione poſſimus. Ceterum quam irreligioſum eſt, & ipſis quoque feſtinantibus pernicioſum, ut cum extorres facti, & patria pulſi, ac bonis ſuis omnibus ſpoliati nondum ad Eccleſiam redierint, quidam de Lapſis Confeſſores ipſos prævenire; & (e) ante ad Eccleſiam introire feſtinent. Qui ſi nimium properant, habent in ſua poteſtate quod poſtulant; tempore ipſo ſibi [5] plus quam poſtulant largiente. Acies adhuc

Apoc. 2. 5.

(*a*) Quando in unum, *Ar. Lam.* (*b*) Divini præcepti, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*c*) Nec paucorum, *Ar.* (*d*) Adſtante plebe, *Benev.* (*e*) Ante eos, *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.

[1] *Legi literas veſtras.*] Hanc Epiſtolam (quæ tamen non extat) à clero ſuo extorſit, Cypriani eorundem quod diu tacuiſſent objurgatio.

[2] *Manu iis à vobis in pœnitentia impoſita.*] Rigaltius ait, *Vobis, hoc eſt, Presbyteris & Diaconis, ut ſupra epiſtola præcedente.*

[3] *Invidiam faciunt.*] Rigaltius ait, *Quaſi nos odio invidiaque onerent, triſtioris ac durioris diſciplinæ.*

[4] *Stantium plebe.*] Rigaltius ait, *Fidelium, non lapſorum.*

[5] *Plus quam poſtulant largiente.*] Rigaltius ait, *Coronam ſcilicet martyrii, non tantum pacem & communicationem, quam ſibi ab Eccleſia concedi poſtulant. Ita Tertullianus. Tota paradiſi clavis ſanguis tuus.* Quanquam fortaſſis minus laudandum, ſi Chriſtiani ultro ſe deferrent; non eadem Lapſorum ratio. Nihil juſtius quam ut ii qui pro tribunali Chriſtum abnegaſſent; eo ipſo in loco ſcelus retractarent, & ibidem, eum confiterentur.

[1] *Qui*

An. 250. adhuc geritur, & agon quotidie celebratur; ſi commiſſi vere & firmiter pœnitet, & fidei (a) calor prævalet: [1] qui differri non poteſt, poteſt coronari. Opto vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere, & noſtri meminiſſe. Fraternitatem univerſam meo nomine ſalutate, & ut noſtri memores ſint admonete. Valete.

(*a*) Calor permanet, *Ar. NC.* 1. *Lam. Ebor. Bod.* 2.

1 *Qui differri non poteſt.*] Rigaltius ait, *Qui moram pati non poteſt: Qui pœnitentiam differri ſibi indignatur: Qui præfeſtinata pœnitentiæ impetratione, ad Eccleſiæ communionem redire contendit, poteſt martyrio fortiter ſuſcepto, celeritate conjungendarum gratiarum, pœnitentiam includere martyrii corona.*

EPISTOLA XX.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus Romæ conſiſtentibus fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros XV. Ad Eraſm. l. 3. Ep. 5. Seceſſus Cypriani, qui malignis plurimorum, præſertim Romanæ Eccleſiæ, cenſuris premebatur, defenſio.

QUONIAM comperi, fratres cariſſimi, minus ſimpliciter & minus fideliter vobis renunciari, quæ hic à nobis & geſta ſunt & geruntur, neceſſarium duxi has ad vos literas facere, quibus vobis [1] actus noſtri, & diſciplinæ, & diligentiæ ratio redderetur. Nam [2] ſicut Domini mandata inſtruunt, orto ſatim turbationis impetu primo, cum me clamore violento frequenter populus flagitaſſet, non tam meam ſalutem, quam quietem fratrum publicam cogitans, interim receſſi, ne (a) per inverecundam præſentiam noſtram; ſeditio, quæ cœperat, plus provocaretur. Abſens tamen corpore, (b) nec ſpiritu, nec actu, nec monitis meis defui; quo minus ſecundum Domini præcepta, fratribus noſtris, in quibus (c) poſſem, mea mediocritate conſulerem. Et quid egerim, loquuntur vobis [3] Epiſtolæ, pro temporibus emiſſæ numero tredecim, quas ad vos tranſmiſi. In quibus nec Clero conſilium, nec Confeſſoribus exhortatio, nec extorribus quando oportuit objurgatio, nec univerſæ fraternitati ad deprecandam Dei miſericordiam allocutio, & perſuaſio noſtra defuit: quantum ſecundum legem fidei, & timorem Dei, Domino ſuggerente, noſtra mediocritas potuit eniti. Poſteaquam vero & tormenta venerunt, ſive jam tortis fratribus noſtris, ſive adhuc ut torquerentur incluſis, ad corroborandos, & (d) confirmandos eos noſter ſermo penetravit. Item cum comperiſſem eos, qui [4] ſacrilegis contactibus manus ſuas atque ora maculaſſent, [5] vel nefandis libellis nihilominus conſcientiam polluiſſent; exambire ad Martyres paſſim, Confeſſores quoque importuna & gratioſa deprecatione corrumpere, ut ſine ullo diſcrimine atque examine ſingulorum, [6] darentur quotidie libellorum millia contra Evangelii legem; literas feci quibus Martyres & Confeſſores conſilio meo quantum poſſem ad Dominica præcepta revocarem. Item [7] Presbyteris & Diaconibus non defuit ſacerdotii vigor, ut quidam minus diſciplinæ memores, & temeraria feſtinatione præcipites, qui cum lapſis communicare jam cœperant, comprimerentur, intercedentibus nobis. Plebi quoque ipſi quantum potuimus animos compoſuimus, & ut (e) Eccleſiaſtica diſciplina ſervaretur, inſtruximus.

Scripta in ſeceſſu.

Mat. 10. 23.

Poſtmo-

(*a*) Per verecundam, *Lin.* (*b*) Nec ſcriptis, *Bod.* 1. (*c*) Poſſet mea mediocritas, *Lin.* (*d*) Confortandos, *Lam. Lin. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. *Ebor.* (*e*) Eccleſiaſticam diſciplinam ſervarent, *Bod.* 1. 2.

1 *Actus noſtri ratio.*] Rigaltius ait, *Actum dicit, miniſterium, adminiſtrationem, diſciplinam. Et ſub finem iſtius epiſt. Actus noſter, qui adunatus eſſe & conſentire circa omnia debet. Sic etiam Epiſt.* XXVI. *Actus ſuos deſiderant etiam ab ipſis ſuis fratribus comprobari.*

2 *Sicut Domini mandata inſtruunt.*] Nimirum Matth. 10. 23. cui addi poteſt & ejus exemplum, quod mandato æquipollet. Luc. 4. 30. & alibi. Unde Origen. in Joan. 18. 12. ait. διδάσκ᾽ ἡμᾶς ἐν διωγμοῖς κ᾽ ταῖς καθ᾽ ἡμῶν ἐπιβουλαῖς ἀναχωρεῖν. In hanc mentem Clemens Alexand. Strom. 4. rationem reddens quare Dominus fugere juſſit, dicit, βέλεται ἡμᾶς μηδενὶ αἰτίας μηδὲ σωματίας κακῆ τιν᾽ γίνεσθαι, σφίσιν τ αὐτοῖς, φησὶ δὲ, κ᾽ τῷ διώκοντι κ᾽ τῷ ἀναιροῦντι. πρόπον γάρ τινα φθονογενῆ ἑαυτὸν περίστασθαι. ὁ δὲ παρακινῶν, τολμηρὸς κ᾽ ῥιψοκίνδυν᾽. εἰ δὲ ὁ ἀναιρῶν ἄνθρωπον θεῖ, εἰς θεὸν ἁμαρτάνῃ, κ᾽ ὑποπτιπτωτ᾽ αὐτὸν ἐνοχ᾽ καθίσταται, ὁ ἑαυτὸν φθονογόν τῷ δικαιοσύνῳ. ὥτ᾽ οἷ᾽ ἂν εἴη ὁ μὴ φεύγειν ὁμῶν τ διωγμὸν, ἀλύσιτον λῆμ᾽ θράσ᾽ παρέχων ἑαυτὸν. ὡτὸς ἐστι τὸ ὅσον ἐφ᾽ ἑαυτῷ, ὁ συμπορῶν γενόμ᾽ τῇ δ διώκοντ᾽ πονηρίᾳ. Similiter Eccleſia Smyrnenſis Polycarpi paſſionem deſcribens, quæ quidem poſt ejus receſſum contigerat; eam vocat τὸ κατ᾽ εὐαγγέλιον μαρτύριον. Subjungens, πεμέμψεν γὰρ ἵνα πορευθῇ ὡς ὁ κύριος, ἵνα μιμητὰ κ᾽ ἡμεῖς αὐτῷ γενώμεθα, μὴ μόνον σκοποῦντες τὸ καθ᾽ ἑαυτὸς, ἀλλὰ κ᾽ τὸ κατὰ τοὺς πέλας, &c. Quæ ex altera parte magna cum pompa afferuntur, magis Montanum ſapiunt quam Chriſtum.

3 *Epiſtolæ pro temporibus emiſſæ.*] Ordinem præcedentium 13. Epiſtolarum, quæ hic deinceps ſequuntur mirifice confirmant: de quibus videantur Annales An. 250. Parag. 11. & 12.

4 *Sacrilegis contactibus manus ſuas atque ora maculaſſent.*] Rigaltius ait, *Hi dicebantur Sacrificati, qui maculaverant manus ſuas impoſito in acerram thure, vel maculaverant ora ſua veſcentes idolothyta.*

5 *Vel nefandis libellis nihilominus conſcientiam polluiſſent.*] Vid. quæ dicta hac in re lib. de Lapſis.

6 *Darentur quotidie libellorum millia.*] Quantus Lapſorum in Deciana perſecutione numerus vel hinc conſtare poterit; præſertim cum uno libello totas familias Martyres paſſim includerent. *Communicet ille cum ſuis.* Vid. Ep. 15. & alibi. Ep. 25. *Univerſis pacem dimiſimus.* Et porro. *Habeant pacem non tantum hæ, ſed & quas ſcias ad animum noſtrum pertinere.* Ep. 22. Certe, hujuſmodi libellorum millia, lapſo humano generi videntur ſuffectura.

7 *Presbyteris & Diaconibus non defuit ſacerdotii vigor.*] Locum hunc à Rigaltio peſſime habitum ſupra monuimus; qui ex verbis his, quæ referunt Cyprianum ſacerdotii vigorem exercuiſſe in Presbyteros & Diaconos delinquentes; conficere ſatagit, non tantum apud Presbyteros, ſed etiam Diaconos eſſe jus ſacerdotii.

1 *Cele-*

An. 250. *Temperamentum in Lapſorum cauſa adhibitum.*

Poſtmodum vero cum quidam de Lapſis, ſive ſua ſponte, ſive aliquo incitatore, audaci flagitatione (a) prorumperent, ut pacem ſibi à Martyribus & Confeſſoribus promiſſam extorquere violento impetu niterentur, de hoc etiam bis ad clerum literas feci, & legi eis mandavi, ut ad illorum violentiam interim quoquo genere mitigandam, ſi qui libello à Martyribus accepto de ſeculo excederent, exomologeſi facta, & manu eis in pœnitentiam impoſita, cum pace ſibi à Martyribus promiſſa ad Dominum remitterentur. Nec in hoc legem dedi, aut me auctorem temere conſtitui; ſed cum videretur & honor Martyribus habendus, & eorum qui omnia turbare cupiebant impetus comprimendus, & præterea veſtra ſcripta legiſſem, quæ huc ad clerum noſtrum per (b) Clementium hypodiaconum nuper feceratis, ut iis, qui poſt lapſum infirmitate apprehenſi eſſent, & pœnitentes communicationem deſiderarent, (c) ſubveniretur: ſtandum putavi & cum veſtra ſententia, ne actus noſter qui adunatus eſſe & conſentire circa omnia debet, in aliquo diſcreparet. Plane ceterorum cauſas, quamvis libello à Martyribus accepto, differri mandavi; & in noſtram præſentiam reſervari: ut cum pace à Domino nobis data, plures Præpoſiti convenire in unum cœperimus, communicato etiam vobiſcum conſilio diſponere ſingula & reformare poſſimus. Opto vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere.

(a) Proruperint, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. 3. prorverent, *Lin.* (b) Crementium, *MSS. plerique.* (c) Subvenirent, *Lin.*

EPISTOLA XXI.

1 Celerinus Luciano Salutem.

Ad Pamelii numeros XXI. In Eraſ. edit. deeſt. Celerinus pro ſororibus ſuis Romæ lapſis, pacem à Confeſſoribus Carthaginienſibus petit.

HÆC cum tibi ſcriberem, Domine frater, gaudens & triſtis eram: gaudens eo quod audierim, te pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri tenorum, & illius nomen penes magiſtratus (a) 2 hujus mundi confeſſum: triſtis autem in eo quod ab eo ex quo te deduxi, nunquam literas tuas accipere potui. Et nunc modo duplex mihi triſtitia incubuit: quod cum Montanum fratrem noſtrum communem, abs te de carcere ad me eſſe venturum (b) ſcribas; de ſalute tua, vel quid penes te agatur, mihi non ſignificaveris. (c) Et hoc ſolet contingere ſervis Dei, maxime eis qui in confeſſione Chriſti ſunt conſtituti. Scio enim quoniam unuſquiſque jam quæ ſunt ſeculi non attendit, quoniam coronam cœleſtem ſperat. Ego enim dixi, fortaſſe oblitum te eſſe mihi ſcribere. Nam ut (d) tum quoque, de infimo tuo vel (e) fratre dicam, ſi fuero dignus, Celerinus audiretur. Tamen cum eſſem & ego 3 in tam florida confeſſione, fratres meos vetuſtiſſimos memorabam; & eos literis meis memoravi, caritatem priſtinam eorum penes me meoſque nunc eſſe. 4 Peto tamen, cariſſime, à Domino, ut ſi (f) ante cruore illo ſancto laveris pro nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, quam literæ meæ te in hoc mundo apprehendant: vel nunc ſi apprehenderint, mihi ad hæc reſcribas. (g) Sic coronet te, cujus nomen confeſſus es. Credo enim quoniam etſi in hoc mundo nos non viderimus, in futuro tamen (h) nos coronati à Chriſto complectemur. (i) Pete ut ſim dignus & ego coronari cum numero veſtro. In (k) magna tamen tribulatione conſtitutum me ſcias, & ac ſi ſis mecum præſens, ſic caritatis priſtinæ reminiſcor die ac nocte, Deus ſolus ſcit. 5 Et ideo peto ut annuas deſiderio meo, & mecum

Scripta in ſeceſſu.

(a) *Sic, Vat.* hujuſmodi, *Imp.* (b) *Sic, Vat.* ſciebas, *Imp.* (c) Sed hoc ſolet, *Vat.* (d) *Sic, Lat.* tibi, *Imp.* tu quoque, *Vat.* (e) *Sic, Vat.* tuus vel frater dicat ſi fuero dignus Celerinus audire, *Imp.* audires, *S. Salvat.* (f) *Sic, Morel. Vat. Bod.* non, *ex ingenio appoſuit, Pamel.* (g) Si coronet te, *Vat.* (h) Nos coram, vel cum Chriſto complectemur, *Bod. Vat.* (i) *Sic, Bod.* 1. per te ſim, *Imp.* (k) *Sic, Vat. Mor.* magna conſtitutum ſcias, *Imp.*

1 *Celerinus Luciano.*] Literæ hæ à Celerino Romæ agente, ad Lucianum Confeſſorem Carthaginienſem tranſmiſſæ, una cum ſequentibus, multum faciunt ad explicandam de Lapſis reſtituendis controverſiam, & in ea excitanda ſingularem Luciani inverecundiam oſtendunt: quæ plurimum moleſtiæ Cypriano & Eccleſiæ ejus creabant. Unde è re erat, ut is haſce Epiſtolas recolligeret, atque ſuis adjungendas curaret. Vid. Ep. 37. & 39.

2 *Hujus mundi.*] Correctio iſta receptæ lectionis, ut & ſequentes adeo ſunt manifeſtæ, ut non opus ſit commentariis illas aut defendere aut illuſtrare.

3 *In tam florida confeſſione.*] Rigaltius ait, *Hoc eſt purpurea; in qua ſanguis fuſus eſt pro nomine Chriſti. Sic Tertullianus lib. de Corona, dixit militem Chriſti ruſſatum ſanguinis ſui ſpe. Et paulo poſt Cæcilius noſter dicet floridos martyres, ſive confeſſores, ſanguine fuſo purpuratos. Jam vero pridem Salmaſius probavit Græcos ſcriptores ἀνθηρὸν dixiſſe, purpuram veri luminis, hoc eſt coloris excellentis & perfectiſſime florentis. Sic etiam auctores Latini, circa Cypriani ſeculum, Floridos verſus dixere, exquiſitis ſententiis nobiles: & excerpta quædam Apuleji, Florida. Et floridus color opponitur auſtero. Plin. lib.* XXXV. *cap.* 6.

4 *Peto tamen cariſſime à Domino.*] Ac ſi dixerit; Si Martyrium ſubieris antequam literæ meæ ad te pervenerint, Dominum rogo ut miſerarum ſororum mearum miſereatur. Si vero literæ meæ ad te vivum pervenerint, reſponſum reddas obſecro, & à Deo petas ut ſim dignus & ego coronari, & annuas deſiderio meo pro ſororibus.

5 *Et ideo peto ut annuas deſiderio meo.*] Libellum concedas Numeriæ & Candidæ, quæ lapſæ erant. De origine horum libellorum, conjecturam ſatis commodam interponit illuſtriſſimus Baronius in An. Chriſti 253. Parag. 60. *Fluxiſſe inde ea conſuetudo videtur; quod Lapſi ad Confeſſores ab Epiſcopis pro pace conſequenda, priuſquam reconciliarentur Eccleſiæ, mitterentur; ut ab illis primo veniam peterent, in quos inverecundius deliquiſſent, dum fortiter confitentibus illis, ipſi ignaviter pernegaſſent. Magna certe imprimis hujuſmodi pœna eſſe videbatur, ipſos turpi negatione fœdatos, vel vultus eorum inſpexiſſe*

An. 250. cum doleas in morte ſororis meæ, quæ [1] cecidit in hac (a) vaſtatione à Chriſto. Sacrificavit enim & exacerbavit Dominum noſtrum. Quod nobis manifeſtum videtur. Pro cujus factis ego [2] in lætitia Paſchæ flens die ac nocte, in cilicio & cinere (b) lacrymabundus dies exegi, & exigo uſque in hodiernum, [3] donec auxilium Domini noſtri Jeſu Chriſti, & pietas per te vel per eos Dominos meos qui coronati fuerint, à (c) quibus poſtulaturus es ut veniam habeant nefanda naufragia; memor ſum enim caritatis tuæ priſtinæ, quod cum omnibus (d) doleas pro ſororibus noſtris, quas & tu bene noſti, id eſt, Numeriam & Candidam; pro quarum peccatis (e) quia nos fratres habent, debemus excubare. Credo enim Chriſtum ſecundum illarum pœnitentiam & opera, quæ penes collegas noſtros fecerunt extorres, qui à vobis venerunt, à quibus ipſis de operibus eorum audies; jam pro eis, vobis Martyribus ſuis, petentibus indulturum credo. Audivi enim te (f) [4] floridorum miniſterium percepiſſe. (g) O te felicem! ſuſcipere vota tua quæ ſemper deſideraſti; vel in terra dormiens optaſti pro nomine illius in carcerem mitti, quod nunc tibi contingit, ſicut ſcriptum eſt: Det tibi Dominus ſecundum cor tuum. Et nunc ſuper ipſos [5] factus Antiſtes Dei; [6] recognovit (h) idem miniſter. Rogo itaque, Domine, & peto per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut ceteris collegis tuis, (i) fratribus tuis & meis, meis Dominis referas, & ab eis petas, ut quicunque prior veſtrum coronatus fuerit, iſtis ſororibus noſtris Numeriæ & Candidæ, tale peccatum remittat. (k) Nam [7] & ipſam Etecuſam ſemper appellavi, teſtis eſt nobis Deus, [8] quia pro ſe dona numeravit, ne ſacrificaret; ſed tantum aſcendiſſe videtur Pſal. 13. 4.

(a) *Sic*, *Vat.* vaſtatione Chriſto, *Imp.* (b) Lacrymabundos dies, *Vat.* (c) A quibus poſtulandum eſt ut ſubvenerit tam nefando naufragio; memoratus ſum enim, *Vat.* (d) *Sic*, *Vat.* doleas ſorores noſtras, *Imp.* (e) *Sic*, *Vat.* quæ nos, *Imp.* (f) Floride omnium eorum miniſterium percepiſſe, *Vat.* (g) *Sic*, *Vat.* O te felicem! ſuſcipe, *Imp.* (h) Enim, *Bod.* 1. miniſtri, *Bod.* 1. (i) *Sic*, *Vat.* fratribus tuis, meis Dominis, *Imp.* (k) *Sic*, *Vat.* Nam ipſam Etecuſam, *Imp.*

ſpexiſſe confeſſionis gloria fulgidos atque decoros. Conſulebatur hac via & Confeſſorum dignitati, & Lapſorum utilitati, qui ſic cogerentur, ut victi, ſe victoribus ſubjicere, eaque animi dimiſſione eorum precibus veniam ab Eccleſia promereri. Sed quod in remedium olim fuerat introductum, humana nequitia cœpit convertere in delictum: dum Lapſi ſpreto Epiſcopo ac aliis ſacerdotibus, ſponte convolarunt ad Martyres, extortiſque ab iis ſupplicibus ad Epiſcopum de communicatione libellis, quaſi oppignoratam, ac Martyrum precibus debitam communicationem, ab Eccleſia exigebant potius, quam petebant. Et quidem Confeſſores ex parvis initiis in immenſum ſua privilegia ampliaſſe, fidem facit illorum hoc ipſo fere tempore Romæ attentatum; ubi libellis ſuis Pſeudoepiſcopum Eccleſiæ obtrudebant. Sic Pacianus Ep. 2. dicit Novatianum *Epiſcopum factum per Epiſtolam eorum qui ſe Confeſſores eſſe ſimularent.* Et Ep. 3. *Ille auctoritate Epiſtolarum, ſedente jam Romæ adverſus fas ſacerdotii ſingularis, alterius Epiſcopi ſibi nomen aſſumit.* Sed in præſenti cauſa, quiddam peculiari ratione inexpectatum occurrit. Celerinus Romæ agens, à Luciano Carthaginienſi Confeſſore, pacem Numeriæ & Candidæ concedi petit, quæ Romæ erant Lapſæ, & illic ab Eccleſia depulſæ permanebant. Quæ quidem prærogativa, Epiſcoporum jura longis intervallis ſuperat, quorum poteſtas inter ſuarum Diœceſeon limites clauditur. Sed revera Martyres non uni alicui Eccleſiæ, ſed omnibus, à primis Chriſtianæ fidei ſeculis deputabantur; videmus enim Acta Martyrum, ab una Eccleſia ad alias tranſmiſſa; & ſingularum Eccleſiarum Martyrologia, non ſuorum modo, ſed & longe diſſitorum hominum nomina continere. Erant porro in proximo Moyſes & Maximus, aliique Romæ Confeſſores, è quibus nonnulli, Moyſes ſaltem, Martyrio coronabantur; quare non ab ipſis Celerinus veniam pro lapſis ſororibus petit? An hoc factum quia Numeria & Candida Afræ erant, & licet Romæ deliquerint, Carthaginienſi Eccleſiæ deputabantur; & proinde Martyrum Eccleſiæ Carthaginienſis ſuffragiis ſublevandæ? An lenior Romæ intentabatur perſecutio, ut ſupplicia capitalia ibi non expectarentur? Certe Moyſes poſt longos carceris pædores, ex morbo mortuus videtur; & reliqui tandem erant elapſi. An demum, quia nullus Romæ fuit Epiſcopus; nec tamen ſpes, ut in integrum reſtituerentur Lapſæ, *donec Epiſcopus conſtituatur*, ideo alio ſpectabant illæ, & fidem Præſulis Carthaginienſis implorarunt. De iſtis nihil libet ſtatuere: diſpiciat eruditus lector.

[1] *Cecidit in hac vaſtatione.*] Rigaltius ait, *Hoc eſt, perſecutione. Cyprianus dixit, preſſuræ ſecularis infeſtationem.*

[2] *In lætitia Paſchæ.*] Tertull. de Corona. c. 3. *A Die Paſchæ in Pentecoſten uſque gaudemus.* Et de Idololat. c. 14. *Excerpe ſingulas ſolennitates Nationum, & in ordinem exere, Pentecoſten implere non poterunt.*

[3] *Donec auxilium Domini noſtri Jeſu Chriſti.*] Subaudi *ſit*; ſive, *præſtetur.*

[4] *Floridorum miniſterium.*] Rigaltius ait, *Sic legendum arbitramur. Floridos vocat Confeſſores illos jam florida confeſſione conſpicuos, qui jam torti equuleo, ſive ungulis concerpti, fidem Chriſto conſtantiſſime ſervaverant, adeoque Proconſulis arbitrium expectabant in carcere: ſacrarum interea literarum conſtantiam paſcentes, ſpem erigentes, fiduciam figentes: omnia denique tractantes, quæ præſentium temporum qualitas aut præmonere ſuadebat, aut recognoſcere. Ad hæc igitur Chriſtianæ pietatis officia fratribus ſecum incluſis Lucianus, ſuper ipſos factus antiſtes, ipſe quoque florida confeſſione præclarus miniſtrabat, ac deſideria Confeſſorum ad fratres qui forte in proximo formam Eccleſiæ retinuerant, perſcribebat, aut ab dominæ matris Eccleſiæ uberibus tranſmiſſa refrigeria diſpenſabat.* De illis qui Martyrum miniſterio ſe addixerunt ſupra egimus. Infra dicitur, *ſexaginta quinque miniſtraverunt.*

[5] *Factus Antiſtes Dei.*] Forte eadem mente qua in Apoc. 5. 10. Martyres dicuntur *Reges & ſacerdotes Deo.* Aut peculiariter *Floridorum miniſterium* intelligit, *quo ſuper* Martyres *factus Antiſtes*, hoc eſt procurationem obibat eorum cauſa. Sed revera locus corruptus, nec quicquam boni ſenſus ex ſequentibus facile exculpi poterit. Forte reponendum *Amicus Dei*, hoc enim Elogio Martyres perpetuo donantur.

[6] *Recognovit idem miniſter.*] Ex variis lectionibus Vaticani Codicis & Bodleiani, emergere videtur hæc lectio, *recognovit enim fidem miniſtri.* Aut forte, *recognovit enim Miniſtrum*, aut *miniſterium:* Deus nimirum pro accepto habet id ſummæ pietatis officium, erga ejus Martyres. Sed nihil muto ex conjecturis.

[7] *Et Etecuſam ſemper appellavi.*] Rigaltius ait, *Quaſi diceret, aſcendentem ad hoc quod compellebatur, revocavi. Quod ſæpenumero feciſſe gloriatur clerus Romanus Ep.* 11. *pag.* 186. Etecuſæ cauſam à priore ſeparat ut magis favorabilem. Satis vero confuſe primo proponit *ſororem ejus quæ cecidit in hac vaſtatione*; deinde *ſorores* ejus *Numeriam & Candidam*, & demum *Etecuſam.*

[8] *Quia pro ſe dona numeravit, ne ſacrificaret.*] Rigaltius ait, *Sacrificandi neceſſitatem nummis redemerat. Sic plerique ſolebant, qui ſuis ad perferenda tormenta viribus diffidebant. Itaque paciſcebantur cum delatore, vel milite, vel furunculo aliquo Præſide. Erga iſtos Cæcilius noſter multo fuit humanior ac benignior Tertulliano, qui perſecutionem neque eſſe fugiendam cenſuit neque redimendam. Pretium intereſt, inquit: ceterum ſicut fuga redemtio gratuita eſt, ita redemtio nummaria fuga eſt.* Pecuniariam vexationis redemtionem non excuſat tantum, ſed defendit Petrus Alexand. can. 12. exemplo Jaſonis Act. 17. qui datis pecuniis dimittebatur; & loco illo S. Scripturæ, *Pretium redemtionis animæ hominis propriæ divitiæ.* De illis certe qui ſic pecuniam dederunt diſerte ait, σὺν ἴσῃ ἐγκλήμα προσάγειν.

An. 250 tur [1] uſque (a) ad Tria Fata, & inde deſcendiſſe. (b) Hanc ergo non ſacrificaſſe ego ſcio. Quarum jam cauſa audita, præceperunt eas Præpoſiti tantiſper ſic eſſe, donec Epiſcopus conſtituatur. Sed quatenus per veſtras (c) ſanctas orationes & petitiones, in (d) quas nos fidimus quoniam eſtis amici, ſed & teſtes (e) Chriſti, quod omnia indulgeatis. Peto ergo, Domine cariſſime Luciane, memor ſis mei, & petitioni meæ annuas: ſic Chriſtus coronam illam ſanctam, quam tibi non tantum in confeſſione, ſed in ſanctimonia tradidit, in qua ſemper cucurriſti, exemplum ſanctorum, ſemper & teſtis fuiſti: ut omnibus dominis meis fratribus tuis Confeſſoribus referas de hoc facto, ut à vobis auxilium recipiant. Nam hoc, domine frater, ſcire debes, me non ſolum hoc pro eis petere, ſed Statium & Severianum & omnes Confeſſores, qui inde huc à vobis venerunt, ad quos ipſæ in portum deſcenderunt, & in urbem levaverunt; quod [2] ſexaginta quinque miniſtraverunt, & uſque in hodiernum in omnibus foverunt. Sunt enim penes illas omnes. (f) Plus autem gravare cor illud ſanctum tuum non debui, cum ſciam te prona voluntate operari. Salutant te Macarius cum ſororibus ſuis Cornelia & Emerita, qui lætantur confeſſione tua florida, ſed & omnes fratres: & Saturninus, qui & ipſe luctatus eſt cum diabolo, qui & Chriſti nomen eſt (g) confeſſus, qui & ibi in pœna ungularum fortiter eſt confeſſus, qui & (h) [3] hæc nimis rogat & petit. Salutant te fratres tui Calphurnius, & Maria, & omnes ſancti fratres. Nam hoc ſcire debes; me & dominis meis fratribus tuis ſcripſiſſe, quas peto pro (i) illis ſic legere digneris.

(*a*) *Sic*, *Vat.* Triafacta, *Imp.* (*b*) Has ergo non ſacrificaviſſe, *Vat.* (*c*) Sanctas operationes, *Vat.* (*d*) In quas nobis fidimus, *Vat.* (*e*) Chriſti, qui omnia, *Vat.* (*f*) Plus enim, *Vat.* (*g*) *Sic*, *Vat.* fortiter confeſſus, *Imp.* (*h*) *Sic*, *Vat.* hic, *Imp.* (*i*) *Sic*, *Vat.* eas, *Imp.*

[1] *Uſque ad Tria Fata.*] Rigaltius ait, *Etecuſam uſque ad Trianfacta aſcendiſſe ſed non ſacrificaſſe. Nimirum corruptis pretio militibus dimiſſionem redemiſſe. Quid vero ſignificetur hoc vocabulo, Trianfacta, valde eſt ambiguum; cum ipſius ſcripturæ fidem, exemplarium inopia faciat incertam. Abſque exemplaribus autem quis credat conjectanti, locum aliquem in capitolio ſignificari, per quem eſſet ad Jovis ſimulacrum aditus ſacrificaturo, cancellis in anfractum ordine triplici diſpoſitis, adeoque, Afris Romanenſibus neutro genere pronunciantibus, Triamfracta vocitatum. Sunt qui putent ſatis emendatam fore hanc ſcripturam: uſque ad Triumfata, ac de loco intelligi velint ubi gentes victimis triumphatis veſcebantur. Quod ſane probari poſſe videatur Ovidii verſu, Faſt. 3. deque triumphato viſcera toſta bove.* Eruditiſſ. Gronovius reponendum contendit Dryphacta, ſive cancellos ex robore ſeu ligno confectos, qui templi aditum muniebant. Sed lectio Vaticani codicis, inanibus iſtis conjecturis finem imponit. Triafata enim locus erat notiſſimus in foro Romæ.

[2] *Sexaginta quinque.*] Extorres habebantur omnes qui poſt confeſſionem proſcripti, licet Romam pergerent. Nec tutiores ullibi, quam in urbe latebræ. Qui fuga antequam ad tribunal pertrahebantur ſibi conſuluerunt, Profugi audiebant. Non vulgari hac impenſa, & profuſa largitione erga tantum Confeſſorum numerum, nefas peractum redimere conabantur iſtæ ſorores.

[3] *Hæc nimis rogat.*] Valde, obnixe.

EPISTOLA XXII.

Lucianus Celerino Domino [1] ſi dignus fuero vocari Collega in Chriſto, S.

Ad Pamelii num. XX. In Eraſmi Edit deeſt. Lucianus Celerini petitioni annuit.

[2] ACCEPI literas tuas, Domine frater dilectiſſime, in quibus me [3] tantum gravaſti, ut (a) propter tuam gravationem [4] tanto gaudio pene exciderim: ut (b) literas tuas quas & ego optabam, poſt tantum temporis legere, in quibus mei (c) dignatus es memorari, beneficio tantæ tuæ humilitatis legere exultavi: qui ſcribens mihi (d) diceres; ſi dignus fuero frater nominari tuus; hominis qui apud puſilliores nomen Dei cum timore confeſſus ſum. Nam tu Deo volente ipſum (e) anguem majorem, metatorem An-

Scripta in ſeceſſu.

(*a*) *Sic*, *Vat.* perpetua gravatione, *Imp.* (*b*) *Sic*, *Vat.* literas quas, *Imp.* (*c*) *Sic*, *Vat.* dignatus memorare *Imp.* (*d*) *Sic*, *Vat.* dicis, *Imp.* (*e*) Anguem majorem & atrociorem, *Vat.*

[1] *Si dignus fuero vocari collega.*] Rigaltius ait, *Scripſerat Celerinus Luciano: Ut tibi quoque de infimo tuus vel frater dicat, ſi fuero dignus Celerinus audire. Reddit igitur Lucianus Celerino voces ſuas, pulcro Chriſtianæ humilitatis certamine, quod explicabit ipſa mox epiſtola, non elegantior præcedenti, ſed non minus Chriſtiana.*

[2] *Accepi literas tuas in quibus me tantum gravaſti.*] Rigaltius ait, *Valde dura eſt & incomta dictio hujus Epiſtolæ totius, ſed initium præſertim intricatiſſimum: mens vero digna bono Confeſſore Chriſti. Reſpondit Lucianus literis Celerini atque iis tanto ſe pudore oneratum fuiſſe ait, ſimul ac legit ea Celerini verba, ſi dignus fuero frater tuus audire, ut perpetuo dein pudore gravatus pene exciderit gaudio, quod maximum ceperat ex literis quas optabat poſt tantum temporis legere. Exultabam, inquit, lecta mentione mei honorificentiſſima, ſed pro tanto tuæ humilitatis beneficio, quo tam demiſſe de te, aut tam magnifice de me ſentis, ut dixeris: Si dignus fuero frater nominari tuus, in ruborem adeo ſum datus, ut omnis mea lætitia confuſa pene corruerit. Nam quid mea apud puſillum magiſtratulum confeſſio, præ illa tua, quæ Chriſti nomen confeſſa eſt, non tantum coram milite, aut coram aliquo præſide, ſed coram ipſo Cæſare, atque hoc vocibus generoſis ac verbis plane divinis, quibus ſcio, viciſti anguem illum majorem, metatorem Antichriſti. Et hoc quidem ſcio, qua fiducia ſciunt amatores fidei & zelotypi diſciplinæ Chriſti: in qua tenoris vivacitate verſari te etiam atque etiam lætor.*

[3] *Tantum gravaſti, ut propter tuam gravationem.*] Beneficii tui onus. Rem hanc obligationis voce paſſim efferimus. Sic infra dicit, *voluiſti nos literis tuis gravare.*

[4] *Tanto pene gaudio exciderim.*] Ut perculſus eſſem, & mente fere exciderim.

[5] *Metatorem Antichriſti.*] Rigaltius ait, *Nam ex verbis Pauli ad Theſſalonicenſes, à fine imperii Romani, Antichriſtus. Scite autem dicit anguem, quaſi lineam ſeu funiculum metatoris. Alluditque ad Diabolum, quem ſacræ literæ ſerpentem nuncupant.* Potius metator Antichriſti eſt ejus præcurſor, quemadmodum Metatores exercitus præibant, ut loca caſtris ponendis idonea deſignarent. Vid. quæ dicta ad Epiſt. 6.

[1] *Con-*

An. 250. Antichriſti, non tantum [1] confeſſus deterruiſti, vocibus illis & verbis deificis: quibus (ſcio quaſi amatores fidei: &, zelotypi diſciplinæ Chriſti; (a) in qua tenoris vivacitate verſari gaudeo) (b) viciſti: verum, Cariſſime, jam inter Martyres (c) deputande, voluiſti nos literis tuis gravare, in quibus ſignificaſti de ſororibus noſtris; pro quibus utinam fieri poſſet, ut ſine tanto ſcelere commiſſo memoriam faceremus; ad quam non profecto tantis lacrymis incumberemus, ut nunc. Scire debuiſti quid circa nos actum ſit; cum benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore eſſet, vocavit me, & dixit mihi: Luciane, coram Chriſto tibi dico, ut ſi quis [2] poſt arceſſitionem meam [3] abs te pacem petierit, des (d) in nomine meo: ſed & omnes quos Dominus in tanta tribulatione arceſſere dignatus eſt, univerſi (e) literis [4] ex compacto univerſis pacem dimiſimus. Videas ergo frater, (f) quoniam partem ejus mihi Paulus præcepit; (g) pro univerſis, quoque cenſuimus, jam cum ante hanc tribulationem, cum juſſi ſumus, ſecundum præceptum Imperatoris fame & ſiti necari, & recluſi ſumus in duabus cellis, ita ut nos afficerent fame & ſiti, (h) ſed & ignis vapore; & preſſura noſtra intolerabilis erat, quam nemo portare poſſet; ſed nunc [5] ipſam claritatem ſumus conſecuti. Et ideo, frater cariſſime, [6] ſaluta Numeriam & Candidam, [7] quæ ſecundum Pauli præceptum & ceterorum Martyrum, quorum nomina ſubjicio, [8] Baſſi (i) in petrario, Mappalici in quæſtione, Fortunionis in carcere, [9] Pauli à quæſtione, Fortunæ, Victorini, Victoris, Hereni, Credulæ, Herenæ, Donati, Firmi, Venuſti, Fructi, Juliæ, Martialis, & Ariſtonis, qui Deo volente in carcere fame necati ſunt; (quorum & nos ſocios futuros intra dies audietis. (k) Jam enim, ut iterato recluſi ſumus, ſunt dies octo in die quo tibi literas ſcripſi. Nam & ante dies octo, per dies quinque medios modicum panis accepimus & aquam ad menſuram) & ideo frater peto, ut ſicut hic cum Dominus cœperit ipſi Eccleſiæ pacem dare, ſecundum præceptum Pauli & noſtrum tractatum, [10] expoſita cauſa apud Epiſcopum, & facta exomologeſi, habeant pacem; non tantum hæ, ſed & quas ſcias ad (l) animum noſtrum pertinere. Salutant vos Collegæ mei univerſi; vos ſalutate Confeſſores Domini qui ibi vobiſcum ſunt, quorum nomina ſignificaſti; inter quos & Saturninus (m) cum omnibus ſuis, ſed & (n) collega ejus, & Macharius, Cornelia, & Emerita, Calphurnius & Maria, Sabina, Speſina, & ſorores, Januaria, Dativa, Donata. Salutamus cum ſuis Saturum, Baſſianum & univerſum Clerum, Uranium, Alexium, Quintianum, Colonicam, & univerſos; quorum nomina non ſcripſi, quia jam laſſus eram, ideo ignoſcere debent. Opto vos bene valere; Alexium, & Getulicum, & argentarios, & ſorores. Salutant vos ſorores meæ, Januaria & Sophia, quas vobis commendo.

(*a*) In qua te novi vivacitate verſatum, in gaudio vixiſti, *Vat.* (*b*) *Sic*, *Vat.* viciſti: Nunc, *Imp.* (*c*) Deputandos, *Vat.* (*d*) Da in nomine, *Vat.* (*e*) *Sic*, *Vat.* literas, *Imp.* (*f*) *Sic*, *Vat.* quod tam placuit mihi quod Paulus, *Imp.* (*g*) *Sic*, *Vat.* In quam univerſis quod cenſuimus, ex quibus eramus in hac tribulatione, cum juſſimus, *Imp.* (*h*) *Sic*, *Vat.* Sed & ignis ab opere preſſuræ noſtræ tam intolerabilis, *Imp.* (*i*) Perario, *Vat.* pegrario, *Bod.* 1. pejerario, *Imp.* (*k*) *Sic*, *Bod.* 1. ex quo, *Vat.* jam iterato, *Imp.* (*l*) Animam noſtram, *Vat.* (*m*) *Sic*, *Vat.* Cum comitibus, *Rig.* (*n*) *Sic*, *Vat.* Collega meus, *Imp.*

[1] *Confeſſus deterruiſti.*] Ulcus immedicabile, cui medelam nec Vaticana, nec Bodleiana bibliotheca præſtant; apud quas ſolas, hujus & præcedentis Epiſtolæ exemplaria reperimus. Si conjecturæ locus detur, crediderim voces illas, *ſcio quaſi* (aut, eos) *amatores fidei.* Et *zelotypi diſciplinæ Chriſti*, fuiſſe verba Celerini coram Imperatore, cum de Chriſtianorum rebus interrogaretur. Sic itaque Periodus concipienda fuerit. *Nam tu Deo volente ipſum anguem majorem, metatorem Antichriſti, non tantum confeſſus deterruiſti; ſed vocibus illis & verbis deificis; quibus*, ſcio quaſi amatores fidei; &, zelotypi diſciplinæ Chriſti, (*in qua tenoris vivacitate verſari te gaudeo*) *viciſti.* Confeſſione ſua Decium deterruit, apologia autem vicit. Aut etiam ſcribatur, *quibus ſcio qualis animator es fidei; & zelotypus diſciplinæ Chriſti*; ut verba ſint Luciani. Sed iſtis rectiora dabunt fortaſſis alii.

[2] *Poſt arceſſitionem meam.* Rigaltius ait, *Poſtquam me Dominus vocaverit. Mortem dicere nolunt Chriſtiani, minime autem Martyres, quibus eſt corona præſto.*

[3] *Si quis abs te pacem petierit, des in nomine meo.*] Rigaltius ait, *Imo in nomine Chriſti dari debuit, ſi dari expediebat: non in nomine Pauli illius, quamvis benedicti Martyris. Ac propterea merito Cyprianus Luciani inverecundiam notat Epiſtola proxime ſequenti, plena gravitatis & prudentiæ Chriſtianæ.*

[4] *Ex compacto.*] Rigaltius ait, *Mox dicet, ſecundum noſtrum tractatum.*

[5] *Ipſam claritatem.*] A pædore carceris ad liberioris aeris uſuram deducimur.

[6] *Saluta Numeriam.*] Pacem imperti. D. Joannes de illis qui ab Eccleſia ejici meruerunt ait. *Qui dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Salutatio ergo ſupponit reſtitutas.

[7] *Quæ ſecundum Pauli præceptum.*] Videtur deeſſe, *pace donentur*, aut *pacem habeant*, vel quid tale.

[8] *Baſſi in petrario.*] Rigaltius ait, *Videndum in exemplari, an aliqua exſtent veſtigia ſcripturæ; in petrario, quod eſſet in metallo.* Conſultis codicibus MSS. ſiquidem alter legit *perario*, alter *pegrario*, impreſſa *pejerario*, nullo prorſus ſenſu; minime dubitandum veram lectionem eſſe eam quam dedimus. Latomiæ vocem apud Græcos & Latinos ſcriptores carcerem, ſive metalla ſignificare ſatis notum eſt. Plautus in Captiv. *Ibis porro in Latomias lapidarias.*

[9] *Pauli à quæſtione.*] Rigaltius ait, *Sic in Actis ſynodalibus collectis ab Hilario Pictavenſi, Liberius de exilio.* Sed cum dicatur Mappalicus deceſſiſſe in quæſtione, Paulus à quæſtione: veriſimile videtur alterum inter tormenta, alterum poſt tormenta mortuum.

[10] *Expoſita cauſa apud Epiſcopum.*] Pamelius ait, *Vides hic à Luciano quamtumvis indiſcreto, tamen obſervatum illud quod toties in Presbyteris reprehendit Cyprianus; ut cauſæ apud Epiſcopum, & exomologeſis præmitterentur, antequam pax daretur, etiam ad preces Martyrum.* Licet perſecutio adhuc intentaretur ſaltem in eos qui cuſtodiæ mancipati; tamen res ad pacem ſpectare videbantur; ut deinceps Chriſtiani non inquirerentur; adeo Lucianus petit Lapſis pacem jam concedi, *cum Dominus cœperit, ipſi Eccleſiæ pacem dare*; non expectato ſcil. plenario ejus appulſu, & reditu Epiſcopi & Confeſſorum. Aliter nulla Cypriano cum Luciano lis intercederet; quod ille reddita Eccleſiæ pace reſtituendos Lapſos contenderet.

An. 250.

EPISTOLA XXIII.

Universi Confessores Cypriano (a) Papæ, Salutem.

Ad Pamelii num. XVII. Deest in Erasm. Edit. In Manut. l. 5. Ep. 14. Libellus Martyrum nomine à Luciano scriptus.

SCIAS nos universis, de quibus (b) apud te ratio constiterit, 1 quid post commissum egerint dedisse pacem: & hanc formam per te & aliis Episcopis innotescere voluimus. 2 Optamus te cum sanctis Martyribus pacem habere. (c) 3 Præsente de Clero, & Exorcista, & Lectore; Lucianus scripsit. *Scripta in secessu.*

(a) Cypriano pappati, *Ver.* (b) Ad te, *Ver.* (c) Presbyter de clero, exorcista & lector Lucianus, *Ver.*

1 *Quid post commissum egerint.*] Qui ad Pœnitentiam admissi, in illa ita se gesserunt ut Episcopo & fidelibus offensam non dederint, licet tempus ipsis assignatum minime complevissent, protenus recipiantur. Idque non tantum Carthagine, sed ubique per Africam.

2 *Optamus te cum sanctis Martyribus pacem habere.*] Verba hæc interminationem continent. Nimirum si hæc minus præstaret Cyprianus, Martyres cum ipso non communicaturos; quasi penes ipsos esset, non tantum communionem quibusvis concedere; sed ab Episcopis ipsis eripere.

3 *Præsente de Clero.*] Non sine summo periculo commercia Christianorum olim peragebantur; ideoque Clericorum fidei perpetuo concreditæ erant literæ eorum, quæ exinde & Clericæ appellatæ: adeo ut necesse habuerit Cyprianus Lectorem ordinare, in hunc ipsum finem ut literas Romam portaret. Vid. Ep. 29. Lucianus vero ut auctoritatem aliquam literis suis conciliaret, testes adhibet qui ad Clerum pertinerent; sed illos minime locupletes, innominatum quendam Exorcistam, & etiam Lectorem pariter innominatum.

EPISTOLA XXIV.

Cypriano, & compresbyteris 1 Carthagini consistentibus, Caldonius, Salutem.

Ad Pamelii num. XIX. In Erasm. Edit. deest. In Manut. l. 5. Ep. 15. Consulitur Cyprianus an Lapsis, qui postea Christum sunt confessi, pax sit concedenda.

2 NECESSITAS (a) temporis facit, ut non temere pacem demus. Sed oportebat vobis scribere, quoniam ii qui posteaquam sacrificaverunt, iterato tentati, extorres sunt facti. Videntur ergo mihi abluisse prius delictum, dum possessiones & domos dimittunt, & pœnitentiam agentes Christum sequuntur. Ergo 3 Felix, qui Presbyterium subministrabat sub Decimo, proximus mihi (b) vicinus (plenius cognovi eundem Felicem) & Victoria conjux ejus, & Lucius fideles, extorres facti reliquerunt possessiones, quas nunc fiscus tenet. (c) Sed & mulier nomine Bona; quæ tracta est à marito ad sacrificandum, (d) quæ (conscientia, non commissi, sed (e) quia tenentes manus ejus ipsi sacrificabant) cœpit dicere contra: Non feci, vos fecistis; sic & ipsa extorris facta est. (f) Cum ergo universi pacem peterent, dicentes; recuperavimus fidem, quam amiseramus, pœnitentiam agentes, & Christum publice sumus confessi: quamvis mihi videantur debere pacem accipere; tamen ad consultum vestrum eos dimisi, (g) ne videar aliquid temere præsumere. Si quid ergo ex communi consilio placuerit; scribite mihi. 4 Salutate nostros, vos nostri. Opto vos feliciissimos bene valere. *Scripta in secessu.*

(a) *Sic*, *Bod.* 1. temporum, *Imp.* (b) Proximus mihi vinculis, *Bod.* 1. (c) Sed & super se & pro eodem, *Bod.* 1. (d) *Sic*, *Bod.* 1. qua, *Imp.* (e) Sed tenentes, *Bod.* 1. sacrificaverunt, sic ipsa, *Bod.* 1. (f) Cum me ergo, *Bod.* 1. (g(Ne quid videatur, *Bod.* 1.

1 *Cypriano, & compresbyteris.*] Ita distinguo ut *Carthagini consistere*, ad Presbyteros, non vero ad Cyprianum pertineat. Constat enim Epistolam hanc flagrante persecutione scriptam, ex ejusdem primis verbis. Caldonium Episcopum fuisse, licet cujus civitatis parum sit compertum, ex Epist. 41. & 48. cognoscimus. Is autem cum in re dubia consulere vellet Ecclesiam Carthaginiensem, quid de ea fieri oporteret; æquum duxit literas suas non ad Cyprianum tantum qui in latebris erat, sed & ejus Presbyteros qui Carthagine fuerant; dirigere. Præsertim cum vix aliter nisi illorum ope eædem perferri poterant. Hic ipse Caldonius circa hujus persecutionis finem, delegatam potestatem à Cypriano accepit, ut ejus nomine & vice negotium de Lapsis restituendis administraret; & proinde, tunc saltem, quid in tota illa causa agere oporteret satis erat instructus. Divus Pet. Ep. 1. c. 5. Seipsum συμπρεσβύτερον appellat.

2 *Necessitas temporis facit, ut non temere pacem demus.*] In Ecclesia scil. sua quam Episcopus rexit.

3 *Felix, qui Presbyterium subministrabat.*] Pamelius ait, *Subministrare Presbyterum, non aliud videri, quam quod hodie dicimus vicarium Presbyteri agere.* Tales apud nos Parochorum Curati videntur. Rigaltius ait, *Qui frequenti ministerio Presbyteris aderat. Sic in Epistola Celerini quæ proxime habetur, Numeria & Candida, Confessores sexaginta quinque ministrasse, & in omnibus fovisse dicuntur.* Forte *Presbyterium subministrare*, idem erit quod ministrare, aut illo munere defungi: ut iste Felix Presbyter fuerit Decimi, qui decessor, Caldonii in Episcopatu. Interim agnoscendum, *Presbyterium* seculo Cypriani Consistorium ecclesiasticum denotasse. Sic in Epistola Cornelii de Confessoribus ad unitatem reversis dicitur, *placuit contrahi Presbyterium*; & fieri poterit ut confessus hujus scriba aut notarius, dicatur, *Presbyterium subministrare.* Si vero ex conjectura in antiquorum scriptis agere liceret; statuerem genuinam lectionem fuisse; *Felix qui Presbyterum subministrabat Decimo.* Hoc est qui Decimo Martyri in extremis agenti, id egit ut Presbyter assisteret.

4 *Salutate nostros.*] Legerem *vestros*; sed quia Codices in priore lectione consentiunt, nihil muto.

EPIS-

An. 250.

EPISTOLA XXV.

Cyprianus Caldonio fratri, S.

Ad Pamelii numeros Ep. XX. Ad Eraſmi l. 3. Ep. 20. Pax fratribus impertienda qui poſt Lapſum fuerunt Confeſſores.

ACCEPIMUS literas tuas, frater cariſſime, ſatis ſobrias & integritatis ac fidei plenas. Nec miramur ſi exercitatus & in ſcripturis Dominicis peritus, caute omnia & conſulte geras. Recte autem ſenſiſti circa impertiendam fratribus noſtris pacem, quam ſibi ipſi vera pœnitentia & Dominicæ confeſſionis gloria reddiderunt, [1] ſermonibus ſuis juſtificati, quibus ſe ante damnaverant. Cum ergo abluerint omne delictum, & (a) maculam primam, aſſiſtente ſibi Domino, (b) poſteriore virtute deleverint, jacere ultra ſub diabolo [2] quaſi proſtrati non debent; qui extorres facti, & bonis ſuis omnibus ſpoliati erexerunt ſe, & cum Chriſto ſtare cœperunt. Atque utinam ſic & ceteri poſt lapſum pœnitentes in ſtatum priſtinum reformentur. Quos nunc urgentes, & pacem temere atque importune extorquentes, quomodo diſpoſuerimus, ut ſcires: [3] librum tibi cum Epiſtolis numero quinque miſi; quas ad Clerum, & ad plebem, & ad Martyres quoque & Confeſſores feci. Quæ (c) Epiſtolæ jam plurimis Collegis noſtris miſſæ placuerunt, & reſcripſerunt ſe quoque nobiſcum in eodem conſilio ſecundum Catholicam fidem ſtare. Quod ipſum etiam tu ad Collegas noſtros, quos potueris, (d) tranſmitte; [4] ut apud omnes unus actus, & una conſenſio ſecundum Domini præcepta, teneatur. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere. *Scripta in ſeceſſu.* Mat. 12. 37.

(a) *Sic*, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. maculam priſtinam, *Imp.* (b) *Sic*, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. potiore, *Imp.* (c) Epiſtolæ etiam, *Ar. Lam. Bod.* 2. (d) Tranſmittere, *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1.

[1] *Sermonibus ſuis juſtificati.*] Alludere videtur ad Matth. 12. 37.

[2] *Quaſi proſtrati non debent.*] Ipſe pœnitentium habitus atque geſtus Lapſum profitebatur; qui ideo ὑποπίπτοντες dicti; nimirum *ſubjacentes* & *ſubſtrati*. Cyprianus vero dicit eos, non fratribus modo adgeniculari; ſed Diabolo ſubſtratos.

[3] *Librum tibi miſi.*] Rigaltius ait, *Librum de Lapſis*. Sed ille liber nondum videtur ſcriptus. Et veriſimile eſt *libri* voce Cyprianum intellexiſſe, iſtum Epiſtolarum faſciculum quem tranſmiſit.

[4] *Ut apud omnes unus actus.*] Rigaltius ait, *In re ſcilicet fidei. Nam in Eccleſiæ adminiſtratione unicuique Præpoſito liberum eſſe ait voluntatis ſuæ arbitrium, Epiſtola ad Stephanum Epiſc. Rom. Ipſi Presbyteri Rom. ad Cyprianum, Epiſt.* XXXI. *Conſcientiam ſciant Deo ſoli debere ſe judici. Videantur extremiæ clauſæ Epiſtolarum ad Stephanum & ad Jubaianum.* Imo adnitendum, quantum fieri poteſt, ut in Eccleſiæ adminiſtratione diſciplinæ *ſit unus actus*. Senſit enim priſca Eccleſia quantas turbas dederit, diverſus mos celebrandi Paſchatis, qui Orientem cum Occidente commiſit. Et quidem hic loci, non de fidei capite aliquo; ſed diſciplinæ, nimirum pœnitentiæ adminiſtratione, lis erat.

EPISTOLA XXVI.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus fratribus, Salutem.

Ad Pamelii num XVIII. Ad Eraſm. l. 3. Ep. 19. Nulla ratio habenda libellorum Martyrum, ante pacem Eccleſiæ redditam.

DOMINUS loquitur & dicit: Super quem reſpiciam, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem ſermones meos? Hoc cum debeamus omnes (a) eſſe, (b) tum modo hujuſmodi illi eſſe debent quibus laborandum eſt, ut poſt gravem lapſum vera pœnitentia & humilitate tota [1] promereri Dominum poſſint. Legi autem & univerſorum Confeſſorum literas, quas voluerunt per me Collegis omnibus innoteſcere, & ad eos pacem à ſe datam pervenire, de quibus apud nos ratio conſtiterit, [2] quid (c) poſt commiſſum egerint. Quæ res (d) cum omnium noſtrum conſilium & ſententiam (e) expectet, præjudicare ego, & (f) ſolus mihi rem communem vendicare non audeo: *Scripta in ſeceſſu.* Iſ. 66. 2.

(a) Eſſe, hujuſmodi, *Lam. Ebor. NC.* 2. (b) Tum magis, *Bod.* 1. *Manut.* tum maxime, *Neap.* (c) Poſt admiſſum, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (d) Dum, *Ar. Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (e) Spectet, *MR. Manut.* (f) Soli mihi, *Pam.*

[1] *Promereri Dominum poſſint.*] Phraſi utitur à magiſtro accepta. lib. de Jejun. c. 3. *Unde ratio ipſa proceſſerit hoc modo promerendi Deum.* Sic etiam alibi.

[2] *Quid poſt commiſſum egerint.*] Rigaltius ait, *Quam egerint facti ſui pœnitentiam. Supra. Ne quid admiſerint unde Eccleſia erubeſcat. Inſpiciatis & actum, & opera, & merita ſingulorum. Cognitionis hujus exemplum habemus in Epiſt. Celerini ad Lucianum in cauſa Numeriæ & Candidæ, pro quibus ad pacem obtinendam Celerinus literas ſive libellos ab egregio & fortiſſimo Confeſſore Luciano exoraturus, commemorat quid poſt commiſſum egerint. Ipſæ, inquit, ad Confeſſores, qui à vexatione huc venerunt, in portum deſcenderunt, & in urbem levaverunt, ſexaginta quinque miniſtraverunt, & in omnibus uſque in hodiernum foverunt. Sunt enim penes illos omnes. Aliud exemplum ſuggerit Epiſtola Caldonii Cyprianum exorantis pro Lapſis quibuſdam, qui poſtea quam ſacrificaverunt, iterato tentati, extorres facti ſunt. Videntur ergo mihi, inquit Caldonius, abluiſſe prius delictum, dum poſſeſſiones & domos dimittunt, & pœnitentiam agentes Chriſtum ſequuntur, reliquerunt poſſeſſiones quas nunc fiſcus tenet. Ideoque reſpondet Caldonio Cyprianus, recte eum ſenſiſſe circa impertiendam fratribus pacem, quam ſibi ipſi vera pœnitentia & Dominicæ confeſſionis gloria reddiderant; ſermonibus ſuis juſtificati, quibus ſe ante damnaverant.*

An. 250. deo : & ideo [1] inſtetur interim Epiſtolis, quas ad vos proxime feceram : quarum exemplum Collegis quoque multis jam miſi ; qui (a) reſcripſerunt placere ſibi quod ſtatuimus, (b) nec ab eo recedendum eſſe ; donec, pace nobis à Domino reddita, in unum convenire, & ſingulorum cauſas examinare poſſimus. Sed & quid mihi Caldonius Collega meus ſcripſerit, quidque ego ei reſcripſerim, ut ſciretis ; utriuſque Epiſtolæ exemplum literis meis junxi : quod totum peto fratribus noſtris legatis, ut magis ac (c) magis ad patientiam componantur, nec delicto (d) priori adjiciant adhuc aliud delictum, dum nec nobis nec Evangelio volunt ſervire, nec ſecundum univerſorum Confeſſorum literas cauſas ſuas (e) examinari permittunt. Opto vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere, & noſtri meminiſſe. Fraternitatem univerſam ſalutate. Valete.

(a) Perſcripſerunt, *Manut.* (b) Nec recedendum, *Lam. Ebor. NC.* 1. (c) Magis ad pœnitentiam. *Lam. Ebor. Bod.* 2. *MR.* (d) *Sic*, *Ar. Bod. Lam. MR. Ebor. NC.* 1. proprio, *Imp.* (e) Examinare, *Neap. Vat.*

[1] *Inſtetur interim Epiſtolis.*] De illarum ordine ſiquidem diligentiſſime in Annalibus Cyprianicis agitur, non libet hic quicquam monere.

EPISTOLA XXVII.

Cyprianus Presbyteris & (a) Diaconibus Romæ conſiſtentibus fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros XXIII In Eraſm edit deeſt. In Manut. l. 5. Ep. 4. His literis Cyprianus Clerum Romanum certiorem reddit, de ſeditioſa Lapſorum poſtulatione, ut ad pacem reſtituerentur; & de inverecundia Luciani.

POST (b) factas ad vos literas, fratres cariſſimi, quibus actus noſter expoſitus, & diſciplinæ ac diligentiæ quantulacunque ratio declarata eſt, aliud acceſſit, quod nec ipſum latere vos debuit. Nam frater noſter Lucianus & ipſe unus de Confeſſoribus, [1] fide quidem calidus & virtute (c) robuſtus, ſed minus Dominica lectione fundatus, quædam conatus eſt, (d) imperiti jampridem ſe vulgi auctorem conſtituens, ut manu ejus ſcripti libelli gregatim multis nomine Pauli darentur ; [2] cum Mappalicus Martyr cautus & verecundus, legis ac diſciplinæ memor, nullas contra Evangelium literas fecerit, ſed tantum domeſtica pietate commotus matri ſuæ & ſorori, quæ lapſæ fuerant, mandaverit pacem dari : Saturninus quoque poſt tormenta adhuc in carcere conſtitutus, nullas ejuſmodi literas emiſerit. Lucianus vero non tantum Paulo [3] adhuc in carcere poſito nomine illius libellos manu ſua ſcriptos paſſim dedit, ſed & poſt ejus exceſſum eadem facere ſub ejus nomine perſeveravit, dicens hoc ſibi ab (e) illo mandatum ; neſciens Domino magis quam conſervo obtemperandum. Aurelii quoque adoleſcentis tormenta perpeſſi nomine libelli (f) multi dati ſunt, ejuſdem Luciani manu ſcripti, quod literas ille non noſſet. Cui rei ut aliquatenus poſſet obſiſti, literas ad eos feci, quas ad vos ſub Epiſtola priore tranſmiſi ; quibus petere & ſuadere non deſtiti, ut Dominicæ legis, & Evangelii ratio teneretur. Poſtquam vero ad eos literas miſi, ut quaſi moderatius aliquid & temperantius fieret, univerſorum Confeſſorum nomine idem Lucianus Epiſtolam ſcripſit, qua pene omne vinculum fidei, & timor Dei, & mandatum Domini, & Evangelii ſanctitas & firmitas ſolveretur. Scripſit enim omnium (g) nomine, univerſis eos pacem dediſſe ; & hanc formam per me aliis Epiſcopis innoteſcere velle, cujus Epiſtolæ exemplum ad vos tranſmiſi. Additum eſt plane : de quibus ratio conſtiterit, quid poſt commiſſum egerint. Quæ res majorem nobis conflat invidiam, ut nos cum ſingulorum cauſas audire, & excutere cœperimus, videamur multis negare, quod ſe nunc omnes jactant à Martyribus, & Confeſſoribus accepiſſe. Denique hujus ſeditionis origo jam cœpit : (h) nam in provincia noſtra per aliquot civitates in Præpoſitos impetus (i) per multitudinem factus eſt, & pacem (k) quam ſemel cuncti à Martyribus & Confeſſoribus datam clamitabant, confeſtim ſibi repræſentari coegerunt ; territis & ſubactis Præpoſitis ſuis, qui ad reſiſtendum minus virtute animi, & robore fidei prævalebant. Apud nos etiam quidam turbulenti, qui vix à nobis in præteritum regebantur, & in noſtram (l) præſentiam differebantur, per hanc Epiſtolam, velut quibuſdam facibus accenſi, plus exardeſcere, & pacem ſibi datam extorquere cœperunt.

Scripta in ſeceſſu.

De quibus quales ad Clerum noſtrum literas fecerim, exemplum vobis miſi : ſed & quid

Ut res geſtæ melius intelligatur, literas tum ſuas,

(a) Diaconis, *Ver.* (b) Factis ad vos literis, *Bod.* 1. (c) *Sic*, *Bod.* 1. *Vat.* robuſtus minus, *Imp.* (d) Imperite jam ſe auctorem conſtituens, *Ver.* (e) Illo eſſe mandatum, *Bod.* 1. (f) Multis, *Vat.* (g) Nomine hæc, *Vat.* (h) Namque, *Vat.* (i) *Sic*, *Bod.* 1. *Vat.* multitudinum, *Imp.* (k) Quamvis ſemel, *Veron.* quam vix, *Lat.* (l) Sententiam, *Bod.* 1.

[1] *Fide quidem calidus.*] Rigaltius ait, *Sic Epiſt. ad Antonianum dixit fidei calorem, ſi fidei calor prævalet. Et lib. de Opere & Eleemoſ. Credentium fides novo adhuc fidei calore fervebat.*

[2] *Cum Mappalicus Martyr.*] Et tamen Lucianus non verebatur dicere, Mappalicum, crudam illam pacem quam paſſim is conferebat, dari præcepiſſe. Sed inverecundiam ſuam magis ille prodidit, cum à Cypriano admonitus proficeret in pejus, & Epiſcopo ipſi excommunicationem minaretur.

[3] *Adhuc in carcere poſito.*] Cum nullo adhuc, ex Eccleſiæ inſtitutis, privilegio gauderet ; ſiquidem nondum coronatus. Porro ut Martyr poſt obitum pacem concedendi jus, ſupremis quaſi tabulis hæredi legaret, res erat inaudita.

[1] *Sectæ*

An. 250. *tum etiam Celerini & Luciani transmittendas curat Cyprianus.*

quid mihi Caldonius Collega pro integritate & fide ſua ſcripſerit, quidve ego ei reſcripſerim, utrumque ad vos legendum tranſmiſi. Exempla quoque Epiſtolæ Celerini, boni & robuſti Confeſſoris, quam ad Lucianum, eundem Confeſſorem, ſcripſerit, item quid Lucianus ei reſcripſerit, miſi vobis; ut ſciretis & (a) laborem circa omnia & diligentiam noſtram, & (b) veritatem ipſam diſceretis: Celerinus Confeſſor, quam ſit moderatus & cautus, & humilitate ac timore [1] ſectæ noſtræ verecundus: Lucianus vero circa intelligentiam Dominicæ lectionis, (c) ut dixi, minus peritus, & circa invidiam verecundiæ noſtræ relinquendam facilitate ſua moleſtus. Nam cum Dominus dixerit, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti gentes tingui, & in baptiſmo præterita peccata dimitti: hic præcepti & legis ignarus, mandat pacem dari & peccata dimitti in [2] Pauli nomine & hoc ſibi dicit ab illo eſſe mandatum, ſicut in literis ejuſdem Luciani ad Celerinum factis animadvertetis. (d) Quibus minime conſideravit, quod non Martyres Evangelium faciant: ſed per Evangelium Martyres fiant: quando & Paulus Apoſtolus, quem Dominus vas electionis ſuæ dixit, poſuerit in Epiſtola ſua, dicens: Miror quod ſic tam cito demutamini ab eo qui vos vocavit [3] in gratiam, ad aliud Evangelium, quod non eſt aliud: niſi ſi ſunt aliqui, qui vos turbant, & volunt [4] convertere Evangelium Chriſti; ſed licet nos, aut Angelus de cœlo (e) aliud adnunciet, præterquam adnunciavimus vobis, anathema ſit: ſicut prædiximus, & nunc iterum dico, ſi quis vobis adnunciaverit præterquam quod accepiſtis, anathema ſit. Opportune vero ſupervenerunt literæ veſtræ, quas accepi ad Clerum factas, item quas beati Confeſſores Moyſes & Maximus, Nicoſtratus & ceteri; Saturnino, & Aurelio, & ceteris miſerunt, in quibus Evangelii plenus vigor, & diſciplina robuſta legis Dominicæ continentur. Laborantes hic nos, & contra invidiæ impetum totis fidei viribus reſiſtentes, multum ſermo veſter adjuvit, ut divinitus compendium fieret; & priuſquam venirent ad vos literæ, quas vobis proxime miſi, declararetis nobis, quod ſecundum Evangelii legem ſtet nobiſcum fortiter atque unanimiter etiam (f) veſtra ſententia. Opto vos, fratres, ſemper bene valere. Mat. 28. 19. Galat. 1. 6.

(*a*) Laborare circa omnia, *Bod.* 1. (*b*) Veritate ipſa, *Bod.* 1. (*c*) Ut diximus imperitus, *Bod.* 1. (*d*) Quibus minus, *Bod.* 1. (*e*) Aliter adnunciet præter quod, *Bod.* 1. (*f*) Veſtra præſentia, *Bod.* 1.

1 *Sectæ noſtræ.*] Pamelius ait, *Sectæ nomine in bonam partem frequenter utitur Tertullianus, pro confeſſione Chriſtiana; uti videre eſt libris de fuga in perſecutione, de Pallio, & apologetico contra gentes. Quem pro more ſuo imitatur Cyprianus, tum hic, tum Epiſt.* 33. *de Celerino, & præfat. lib.* 1. *teſtimon. ad Quirinum. Sic etiam Actor.* 26. αἵρεσιν *in bonam partem accepiſſe Apoſtolum, teſtis eſt Beda, retractatione ſua in acta. Pro quo ibidem, Sectam, non male vertit noſter interpres.*

2 *Pauli nomine.*] Paulo Martyri opponitur Paulus Apoſtolus.

3 *In gratiam.*] Deſtinato omiſiſſe videtur vocem χριστοῦ, in qua Græci codices variant: alii enim habent θεοῦ, alii ἰησοῦ χριστοῦ. Pariter enim legit in Epiſtola ad Cæcilium de ſacramento calicis, locum hunc Cyprianus. Ita etiam legit Tertullianus adv. hæres. c. 27.

4 *Convertere Evangelium Chriſti.*] μεταστρέψαι. pervertere.

EPISTOLA XXVIII.

Cyprianus Moyſi & Maximo Presbyteris, & ceteris Confeſſoribus dilectiſſimis fratribus, Salutem.

Ad Pamelii num. XXV. In Eraſmi edit. l. 4. Ep. 3. Epiſtola hæc eſt gratulatoria ad Confeſſores Romanos.

GLORIAM fidei & virtutis veſtræ, (a) fortiſſimi ac beatiſſimi fratres, jam pridem de opinione cognoveram, lætatus ſatis & plurimum gratulatus; quod vos confeſſione ſui nominis (b) paraverit ad coronam Domini noſtri præcipua dignatio. Vos enim Primores & duces ad noſtri temporis prælium facti cœleſtis militiæ ſigna moviſtis. Vos [1] ſpiritale certamen, quod nunc geri Deus voluit, veſtris virtutibus imbuiſtis. Vos ſurgentis belli impetus primos immobili robore atque (c) inconcuſſa ſtabilitate fregiſtis. Inde initia felicia pugnandi orta ſunt. Inde vincendi auſpicia cœperunt. (d) Contingit hic per tormenta (e) conſummari martyria, ſed qui in (f) congreſſione præcedens, exemplum virtutis fratribus factus eſt, cum Martyribus in honore communis eſt. (g) [2] Coronas veſtra manu (h) ſertas inde huc tradidiſtis, & de poculo ſalutari fratribus propinaſtis. Acceſſit ad confeſſionis exordia (i) glorioſa, & militiæ victricis auſpicia diſciplinæ tenor, quem de Epiſtolæ veſtræ vigore perſpeximus, quam modo ad Collegas veſtros in (k) confeſſione vobiſcum Domino copulatos, ſollicita (l) admonitione *Scripta in ſeceſſu.*

(*a*) Cariſſimi, *Lam. Ebor.* (*b*) Illuſtraverit, *Ver.* (*c*) Inconcuſſa fidei ſtabilitate, *Lam.* (*d*) Contigit hic, *Bod.* 1. (*e*) Conſummare, *Ver.* (*f*) Confeſſione, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*g*) Coronas veſtras, *MR.* (*h*) Manu conſertas, *NC.* 1. (*i*) Ad glorioſæ militiæ, *Pem. Voſſ.* 2. (*k*) Confeſſione vobiſcum domini, *Bod.* 1. (*l*) Admonitione feciſtis, *Ver.*

1 *Spiritale certamen veſtris virtutibus imbuiſtis.*] Rigaltius ait. *Incœpiſtis. Phraſis Tertulliani, lib. de jejuniis, ubi jam & familiaris populus allegi Deo cœpit, & reſtitutio hominis imbui potuit. Et lib. de Pudicitia, ubi de Petro: ipſe clavem imbuit, id eſt, clave uti cœpit. Nempe, Evangelio verbi Dominici.*

2 *Coronas veſtra manu ſertas.*] Rigaltius ait, *In exemplari Corbeienſi legitur: Corona veſtra manus veſtras. Corrupte quidem, ſed unde elici ſcriptura poſſit. Coronas veſtra manu ſutas. Non tamen diſplicet, ſertas. Etenim ſerere coronam dici poteſt* στεφανοπλόκως, *qui flores in uſum coronæ ſtrophio inſerit, nectitque.*

1 *Titu-*

An. 250. tione miſiſtis ; ut Evangelii ſancta præcepta, & tradita nobis ſemel mandata vitalia, forti & ſtabili obſervatione teneantur. Ecce alius gloriæ veſtræ ſublimis gradus, ecce iterum cum confeſſione geminatus promerendi Dei [1] titulus : (a) Stare firmo gradu ; & in hac acie, (b) qui Evangelium conantur irrumpere, & præceptis Domini ſubruendis manus impias inferentes, fidei robore ſubmovere ; præbuiſſe ante initia virtutum, nunc & morum magiſteria præbere. Dominus poſt reſurrectionem mittens Apoſtolos mandat, & dicit ; Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Ite ergo & docete gentes omnes, Mat. 28. 18. (c) tingentes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos (d) obſervare omnia quæcunque præcepi vobis. Et Joannes Apoſtolus mandati memor in Epiſtola [1] Joh. 2. 3. ſua poſtmodum (e) ponit : In hoc, inquit, intelligimus quia cognovimus eum, ſi præcepta ejus cuſtodiamus : Qui dicit quoniam cognovit eum, & mandata ejus non ſervat ; mendax eſt ; & veritas in illo non eſt. Hæc (f) præcepta cum cuſtodienda ſuggeritis, divina & cœleſtia mandata ſervatis. Hoc eſt eſſe Confeſſorem Domini, hoc eſt eſſe Martyrem Chriſti, ſervare [2] vocis ſuæ inviolatam circa omnia & ſolidam firmitatem ; nec (g) propter Dominum Martyrem fieri, & præcepta Domini deſtruere conari : uti adverſus illum dignatione, quam tibi dederit ; armis ab illo acceptis rebellem quodammodo fieri : hoc eſt, Chriſtum (h) confiteri velle, & Evangelium Chriſti negare. Lætor igitur ex vobis, (i) fortiſſimi ac fideliſſimi fratres ; & quantum gratulor (k) Martyribus iſtic honoratis ob virium gloriam, tantum gratulor pariter & vobis ob Dominicæ etiam diſciplinæ coronam. Dignationem ſuam Dominus multiplici genere largitatis infudit, bonorum militum laudes & glorias ſpiritales copioſa varietate diſtribuit ; honoris veſtri participes & nos ſumus, gloriam veſtram noſtram gloriam computamus, quorum tempora illuſtravit tanta felicitas, ut ætate noſtra videre contingeret probatos ſervos Dei, & Chriſti milites coronatos. Opto vos, (l) fortiſſimi ac beatiſſimi fratres, ſemper bene valere, & noſtri meminiſſe.

(a) Stare firmas, *Bod.* 1. & hanc aciem quæ Evangelium conatur irrumpere, & præceptis Domini ſubruendis manus impias inferre, *Lam. Ebor. NC.* 1. (b) Quæ in Evangelio coronatur, *Ver. Vet. innom. Spir. Remb.* (c) Baptizantes, *Ebor. NC.* 1. (d) Servare, *Lin.* (e) Ponit & dicit, *Pem. Lin. Voſſ.* 2. (f) Præcepta cuſtodienda, *Pem. Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (g) Pro Domino, *NC.* 2. (h) Confiteri nolle, *Pem.* (i) Dilectiſſimi fratres, *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1. (k) Martyribus illis, *Pem.* quia dignationem, *NC.* 2. (l) *Sic*, *Pem. Voſſ.* 2. *Lin. Impr. Deſunt reliqua in Corb.*

[1] *Titulus.*] Vox apud Tertullianum perpetua. *Titulus ambitionis, idololatriæ, libidinum, officii, injuriarum,* & plurima ejuſmodi. Imo ſæpius habet *Titulare*, & *Titulatum.*

[2] *Vocis ſuæ firmitatem.*] Rigaltius ait, *Hoc eſt fidei & profeſſionis ſuæ conſtantiam. Supra dixit, vocem floridam.*

EPISTOLA XXIX.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros XXIV Ad Eraſ. l. 3. Ep. 22. Clerus hac Epiſtola certior fit ordinationis Saturi & Optati ; & de iis quæ Romam ſcripſit Cyprianus.

NE quid conſcientiam veſtram lateret, fratres cariſſimi, quid mihi ſcriptum ſit, quidque ego reſcripſerim, utriuſque Epiſtolæ exemplum vobis miſi : credo vobis id quod reſcripſi, non diſplicere. Sed & illud ad vos perferre literis meis debui, urgente cauſa, [1] Clero in urbe conſiſtenti literas me miſiſſe. Et [2] quoniam oportuit me per Clericos ſcribere : (b) ſcio autem noſtros plurimos abſentes eſſe, paucos vero, qui illic ſunt, vix ad miniſterium quotidiani operis ſufficere : neceſſe fuit novos aliquos conſtituere, (c) qui mitterentur : Feciſſe me autem ſciatis Lectorem Saturum, & Hypodiaconum Optatum Confeſſorem : quos jam pridem communi conſilio [3] Clero proximos feceramus ; quando aut Saturo die Paſchæ ſemel atque iterum lectionem dedimus ; [4] aut modo cum Presbyteris doctoribus lectores diligenter probaremus, Opta-

(a) *Scripta in ſecessu.*

(a) Sit, utriuſque. *Lam. MR. Ebor. NC.* 1. (b) Scio enim, *Lam. Ebor. NC.* 1. *MR.* (c) Qui miniſtrent, *Ar. Ebor. Lam. NC.* 1. *MR.*

[1] *Clero in Urbe.*] Romæ nimirum.

[2] *Quoniam oportuit me per Clericos ſcribere.*] Rigaltius ait, *Tam reverenter Chriſtiana negotia peragebantur, ut ad Clerum non ſcriberet Epiſcopus niſi per Clericos. Obſervandum vero eſt, ab eo jam tempore quo plebs Chriſtiana ſimul cum Clericis de rebus Eccleſiæ judicabat, adeo ſeparatos à Clericis laicos, ut Epiſcopi literas non niſi clerici perferrent. Et hoc fortean prudenter : ut ſi tutius videretur, etiam verbo mandata referrent.* Obſervavimus ſupra, parum candide Rigaltium ſugillare diſtinctionem laicæ plebis & Cleri. Videantur quæ illic dicta.

[3] *Clero proximos.*] Rigaltius ait, *Erat igitur aliqua dignitas, proximatus Clero, & fortean melloproximatus. Ad eamque dignitatem etſi minimam Cyprianus adſumebat communi conſilio. Proximi iſti Clero, facti ad exemplum eorum qui circa Principem in ſacris ſcriniis militabant. Et eſt libro* XII. *C. tit. De proximis ſacrorum ſcriniorum.* Ex Epiſcopi mandato publice in Eccleſia legere, erat ſolennis ad munus Lectoris deſignatio. Ergo ſtatim ſubjicit, *nihil à me vobis abſentibus factum eſt.*

[4] *Aut modo cum Presbyteris.*] Videntur quidam de Clero, Cyprianum in ſeceſſu adiiſſe, & communi conſilio quæ ad Eccleſiæ ſtatum maxime pertinebant tranſegiſſe. Saturum ad Lectoris munus *jam pridem* deſignatum dicit, Optatum vero lectorem, modo Catechumenorum inſtitutioni addictum ; & confeſſionis gloria clarum, Hypodiaconum jam renunciatum. Inter Presbyteros Rectores & Doctores, olim diſtinxiſſe videtur Divus Paulus Epiſt. 1. ad Tim. cap. 4. 17.

[1] *Inter*

An. 250. Optatum [1] inter lectores doctorem Audientium conſtituimus ; examinantes an congruerent illis teſtimonia, quæ eſſe debent in his, qui ad Clerum parabantur. Nihil ergo à me abſentibus vobis factum eſt : ſed quod jam pridem communi conſilio omnium noſtrum cœperat, neceſſitate urgente promotum eſt. Opto vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere, & noſtri meminiſſe ; fraternitatem ſalutate, Valete.

[1] *Inter lectores doctorem Audientium.*] Rigaltius ait, *Itaque tunc, etiam in Lectoribus eruditio & doctrina.* Et merito id quidem, ſi quidem inſtitutioni Catechumenorum præficiebantur.

EPISTOLA XXX.

Cypriano Papæ, Presbyteri & (a) [1] Diaconi Romæ conſiſtentes, Salutem.

Ad Pamelii numeros XXXI. Ad Eraſm. l. 2. Ep. 7. Deo ſe primum commendat vir pius ; ſed deinde & fratribus.

QUANQUAM bene ſibi conſcius animus, & Evangelicæ diſciplinæ (b) vigore ſubnixus, & verus ſibi in (c) [2] decretis cœleſtibus teſtis effectus, ſoleat ſolo Deo judice eſſe contentus, nec alterius aut laudes petere, aut accuſationes pertimeſcere : tamen geminata ſunt laude condigni, qui cum [3] conſcientiam ſciant (d) Deo ſoli debere ſe judici, actus tamen ſuos deſiderant etiam ab ipſis ſuis fratribus comprobari. Quod te, frater Cypriane, facere non mirum eſt, qui pro tua (e) verecundia & ingenita induſtria, [4] conſiliorum tuorum nos non tam judices voluiſti, quam participes inveniri : ut in tuis rebus geſtis, laudem tecum, dum illas probamus, inveniremus, & (f) tuorum conſiliorum bonorum [5] cohæredes, (g) quia & affirmatores eſſe poſſimus. Idem enim omnes credimur (h) operati, in quo deprehendimur eadem omnes cenſuræ & diſciplinæ conſenſione ſociati. Quid enim magis aut in pace tam aptum, aut in bellis perſecutionis tam neceſſarium, (i) quam debitam ſeveritatem divini vigoris tenere? quam qui remiſerit, inſtabili rerum curſu (k) erret ſemper neceſſe eſt, & huc atque illuc variis & incertis negotiorum tempeſtatibus diſſipetur, & quaſi extorto de manibus conſiliorum gubernaculo, navem (l) Eccleſiaſticæ ſalutis illidat in ſcopulos ; ut appareat non aliter ſaluti Eccleſiaſticæ conſuli poſſe, niſi ſi qui & contra ipſam faciunt ; quaſi quidam adverſi fluctus repellantur, & diſciplinæ ipſius ſemper cuſtodita ratio, quaſi ſalutare aliquod gubernaculum in tempeſtate ſervetur.

Scripta in ſeceſſu.

Romanorum fides olim ab Apoſtolo laudata.

Nec hoc (m) nobis nunc nuper conſilium cogitatum eſt, nec hæc apud nos adverſus improbos modo ſupervenerunt repentina ſubſidia, ſed antiqua hæc apud nos ſeveritas, antiqua fides, diſciplina legitur antiqua. Quoniam nec [6] tantas de nobis laudes Apoſtolus (n) protuliſſet dicendo : Quia [7] fides veſtra prædicatur in toto mundo, niſi jam exinde vigor iſte radices fidei de temporibus illis mutuatus fuiſſet ; quarum laudum & gloriæ (o) degenerem fuiſſe, maximum crimen eſt. Minus eſt enim dedecoris nunquam ad præconium laudis acceſſiſſe, quam de faſtigio laudis ruiſſe. (p) Minus eſt criminis honoratum bono teſtimonio non fuiſſe, quam honorem bonorum teſtimoniorum perdidiſſe. Minus eſt, ſine prædicatione virtutum ignobilem (q) ſine laude jacuiſſe ; quam [8] exhæredem fidei factum laudes proprias perdidiſſe : ea enim quæ in alicujus gloriam proferuntur, niſi anxio & ſollicito labore ſerventur, in invidiam maximi criminis intumeſcunt. Hoc

(a) Diacones, *Spir. Vet. Innom.* (b) Rigore, *Bod.* 1. (c) Caſtris, *Vat.* (d) Dei ſolius debere ſe judicio, *Ver.* (e) Verecundia & induſtria, *Lin.* (f) Tuorum conſiliorum hæredes, *Spir. Lin.* (g) Qui, *Vat.* (h) Operari, *Lin.* (i) Quam ut debeat, *Lin.* (k) Ruat, *Lin.* (l) Eccleſiaſticæ diſciplinæ, *Lin.* (m) Nobis nuper, *Lin.* (n) Protulit, *Lin. Bod.* 1. (o) Degeneres, *Lin.* (p) Minus eſt enim, *Lin.* minoris, *Bod.* 1. (q) Sine laude tacuiſſe, *Lin.*

[1] *Diaconi Romæ conſiſtentes.*] Rigaltius ait, *Sic Ep.* XLVIII. *Diaconi in Hadrumetino conſiſtentes.* Presbyteri & Diaconi Romanæ Eccleſiæ, literas haſce agnoſcendo pro ſuis cum legerentur à Novatiano qui eas ſcripſerat, ſuas fecerunt. Vid. Epiſt. ad Antonian.

[2] *Decretis cœleſtibus.*] Legibus divinis, ſtatutis, teſtimoniis, mandatis.

[3] *Conſcientiam Deo ſoli debere ſe judici.*] Rigaltius ait, *Obſervandum vero, etiam Cleri Romani Presbyteros agnoſcere & adprobare quod Cyprianus ad Stephanum Epiſcopum Rom. & ad Jubajanum item Epiſcopum ſcripſit, in Eccleſiæ adminiſtratione, unumquemque Præpoſitum habere voluntatis ſuæ liberum arbitrium, & rationem actus ſui Domino redditurum. Hoc amplius Clerici Romani hac epiſtola : Deo ſoli. Subjiciunt modeſtiæ clauſulam : Actus tamen ſuos deſiderant etiam ab ipſis ſuis fratribus comprobari. Videatur Epiſt.* XXV.

[4] *Conſiliorum tuorum nos non tam judices voluiſti, quam participes inveniri.*] Rigaltius ait, *Hinc illa quæ ſæpe occurrunt Epiſtolis Cypriani. Solus reſpondere non debui, &, de communi conſilio, &, communicato vobiſcum conſilio.*

[5] *Cohæredes.*] Rigaltius ait, *Simul dominos & auctores.*

[6] *Tantas de nobis laudes.*] Rigaltius ait, *Jam Cypriani ſeculo Romani ſibi de hoc Pauli dicto blandiebantur, quaſi judicio Pauli præſtarent ceteris fide Chriſtiana.*

[7] *Fides veſtra prædicatur.*] Rigaltius ait, *Dixit Paulus, καταγγέλλεται, annunciatur. Hoc eſt, fama per omnes provincias ſpargitur, eſſe, etiam Romæ, cultores fidei Chriſtianæ. Hiſce autem Pauli verbis abutuntur hujus Epiſtolæ ſcriptores, quemadmodum & Urbicus ille notus Caſulano ad quem eſt Auguſtini Epiſtola* 86. *Sed & ipſe Cyprianus Epiſtola* LV. *Eos eſſe Romanos ait, quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum. Ambigua vero ſunt illa Chryſoſtomi ; Obſerva, inquit, prædicationis Evangelicæ majeſtatem, & vim verbi divini, quam brevi tempore per publicanos & piſcatores pervaſit ad univerſarum urbium caput & verticem ; & Syri facti ſunt Romanorum magiſtri ac duces. Laudat igitur Romanos, quod fidem ſuſceperint, & quod tanta cum fiducia crediderint in Chriſtum, ὡς πᾶσιν τὸ γλῶ καταλαβεῖν τὸ ὑπὲρ αὐτῶν φήμλω.*

[8] *Exhæredem fidei factum.*] Rigaltius ait, *Exhæres fidei dicitur qui negavit Chriſtum, qui de fide Chriſtiana decidit, & lapſus eſt. Deſertor caſtrorum cœleſtium.*

An. 250. *Libellaticorum scelus negantium scelleri supparem.*

Hoc nos non falso dicere superiores nostræ literæ probaverunt, in quibus vobis sententiam nostram dilucida expositione protulimus, adversus eos, qui seipsos infideles illicita [1] nefariorum Libellorum professione prodiderant, (a) quasi evasuri irretientes illos diaboli laqueos viderentur, (b) quo non minus quam si ad nefarias aras accessissent, hoc ipso [2] quod ipsum contestati fuerant, tenerentur; [3] sed etiam adversus illos qui (c) accepta fecissent, licet præsentes cum fierent non affuissent, cum præsentiam suam utique ut sic scriberentur mandando fecissent. Non est enim immunis à scelere, qui ut fieret (d) imperavit; nec est alienus à crimine, cujus consensu, licet non à se admissum crimen, tamen publice legitur; & cum [4] totum fidei sacramentum in confessione Christi nominis intelligatur esse digestum: qui [5] fallaces in (e) excusatione præstigias quærit, negavit: & qui vult videri propositis adversus Evangelium vel edictis vel legibus satisfeciſſe, hoc ipso jam paruit, quod videri paruisse se voluit. Nec non etiam contra illos quoque, qui illicitis sacrificiis manus suas atque ora polluerant, pollutis ante mentibus propriis, unde etiam sunt ipsæ manus atque ora polluta; fidem nostram consensumque monstravimus.

Lenitate nimia Lapsos excipere summa crudelitas.

Absit enim ab Ecclesia Romana vigorem suum tam profana facilitate dimittere, & nervos severitatis eversa fidei majestate dissolvere; ut cum adhuc non tantum jaceant, sed & cadant eversorum fratrum ruinæ, properata nimis remedia communicationum utique non profutura præstentur, & nova per misericordiam (f) falsam vulnera veteribus transgressionis vulneribus imprimantur, ut miseris ad eversionem majorem eripiatur & pœnitentia. Ubi enim poterit indulgentiæ (g) medicina procedere, si etiam ipse medicus [6] intercepta pœnitentia indulget periculis? si tantummodo operit vulnus, nec sinit necessaria temporis remedia obducere cicatricem? Hoc non est curare, sed, si dicere verum volumus, occidere.

Confessorum literæ ad disciplinam Ecclesiasticam conservandam plurimum conducebant.

Quanquam [7] Confessorum quoque, quos hic adhuc in carcerem [8] dignitas suæ confessionis inclusit, & ad certamen Evangelicum sua fides in confessione jam gloriosa semel coronavit, literas habeas conspirantes cum literis nostris, quibus severitatem Evangelicæ disciplinæ protulerunt, & illicitas petitiones ab Ecclesiæ pudore revocarunt. Nisi hoc fecissent, disciplinæ Evangelicæ ruina non facile (h) sarciretur, præsertim cum nulli magis tam congruens esset tenorem Evangelici vigoris (i) illibatum, dignitatemque servare; quam qui se excruciandos & excarnificandos pro Evangelio furentibus (k) tradidissent, ne martyrii (l) honorem merito perderent, si in (m) occasione martyrii prævaricatores Evangelii esse voluissent: nam qui quod habet non [9] custodit in eo ex quo illud possidet, dum id ex quo possidet, violat, (n) violat illud quod possidebat.

Cypriani etiam literæ Confessoribus similiter utiles.

In quo loco maximas tibi atque uberes gratias referre debemus & reddimus; quod illorum carceris tenebras (o) literis tuis illuminasti; quod ad illos venisti, quo modo introire potuisti; quod illorum animos, sua fide & confessione robustos, tuis allocutionibus literisque recreasti; quod felicitates eorum condignis (p) laudibus persecutus, accendisti ad multo ardentiorem cœlestis gloriæ cupiditatem; quod pronos impulisti, quod, ut cre-

(a) Quasi hoc evasuri in retinendis illos diaboli laqueos viderentur quod, *Lin.* quasi hoc evasuri, *Bod.* 1. *Vet. Innom. Foss.* (b) Quando non minus, *Lat.* (c) *Sic*, *Lin. Bod.* 1. *Benev. Manut.* Acta fecissent, *Pam. Rigalt.* (d) Impetravit, *Lin. Bod.* 1. *Vet. Innom. Spir.* (e) Excusationem, *Bod.* 1. (f) Facta vulnera, *Lin.* (g) Medicina prodesse, *Lin.* proficere, *Spir. Foss.* (h) Sarcirent, *Bod.* 1. (i) Illibata dignitate servare, *Vat.* (k) Tradidissent martyris, *Bod.* 1. (l) Honorem perderent, *Lin.* (m) Occisione, *Lin.* (n) Amittit illud quod possidebat, *Lin. Vet. Spir. Foss.* (o) Literis tuis animasti, *Fab.* (p) Laudibus prosecutus, *Bod.* 1.

[1] *Nefariorum libellorum professione.* Rigaltius ait, *Duas species libellatorum ostendit hæc Epistola. Unam eorum qui nomina sua libellis perscripserant, Jovis & Martis, & ceterorum hujusmodi Deorum cultum profitentibus: Alteram eorum, qui non ipsi quidem professione sua libellos ethnicis potestatibus obtulerant, sed per alios, ac per ipsas fortean potestates submissos acceperant, & signaverant. Tertium vero fuit libellatorum genus: eorum scilicet qui libello dato acceptove profitebantur se Christianos esse, ac per hoc, in capitolium ascendere aut sacrificare, sibi non licere, sed dare se ad hoc præmium, ne quod non licet, faciant. De hoc genere libellatorum dicetur ad Epist. Cypriani ad Antonianum.* Videantur ea quæ diximus lib. de Lapsis p. 95.

[2] *Quod ipsum contestati fuerant.*] Rigaltius ait, *Scilicet se ad nefarias aras accessisse. Unde apparet istud libellatorum genus diversum fuisse ab iis de quibus agitur in Epistola ad Antonianum.*

[3] *Sed etiam adversus illos qui accepta fecissent.*] Rigaltius ait, *Hoc est, qui submissos libellos accepissent; sic enim accepto & rato habuerant quicquid illis continebatur. Continebatur autem illum illo die in Capitolium ascendisse, ac dedisse thura Jovi: quod etsi ille non fecerat, attamen fecerat, ut se fecisse publice legeretur: Lecto scilicet libello, quo videri voluit propositis adversus Evangelium edictis satisfecisse, quod erat, fidem Christo datam deseruisse.*

[4] *Totum fidei Sacramentum.*] Rigaltius ait, *Tota fides Christiana. Sic sacramentum adoptionis Christianæ, adoptionem dici posse ait Facundus Hermanensis libro* IX. *ad Justinianum Imp.* Ita & ipse Cyprianus Epistola 51. ait *qui prius copulati Sacramento unanimitatis fuerint:* hoc est unanimitate juncti. Nulla vox apud veteres sæpius occurrit; & in nulla magis sibi indulgent. De hac statim iterum agetur, sub finem hujus Epistolæ.

[5] *Fallaces in excusatione præstigias quærit.*] Rigaltius ait, *Has præstigias damnat Psalm.* 140.

[6] *Intercepta pœnitentia.*] Rigaltius ait, *Interceptam pœnitentiam dicit, cujus tempora presbyter præposterа misericordia contraxit, nec procedere passus est quousque debuerat.* Etiam ut corporis morbi curentur, pœnitentia opus est. Crudelem medicum intemperans æger facit.

[7] *Confessorum, quos hic adhuc in carcerem dignitas suæ confessionis inclusit.*] Rigaltius ait, *Juvabit hic semel aliquid observasse de nomine Confessorum. Qua forma juris Auctores in quæstione de Servitutibus, Confessoriam actionem dicunt, qua sibi quis vindicat servitutem; & Negatoriam, qua servitutem, quis denegat vindicanti: Eadem forma Patres Christiani, in quæstione Fidei, Confessores dicunt eos, qui de Fide aut religione interrogati, nomen Christi fortiter adserunt, & se esse Christianos adfirmant; Negatores vero eos, qui perfide Christum deserunt; & se esse Christianos dissimulant aut negant.* Interim ludere videtur in vocibus, qui aliunde Confessoris nomen accersit, quam à Domini nostri verbis Matt. 10.

[8] *Dignitas confessionis.*] Rigaltius ait, *Floridæ scilicet: hoc est constantis, robustæ, & ad exemplum generosæ, vel ut mox sequitur, gloriosæ. Quam dignatio divina ad tantum gloriæ culmen evexit. Hanc dignationem, paulo post hæc epistola nuncupavit, divinam indulgentiam.*

[9] *Custodit in eo ex quo illud possidet.*] Dixerat supra Cyprianus Confessoribus; *illos ex Evangelio Martyres.*

1 *Quod*

An. 250. credimus & optamus, victores futuros viribus tui (a) sermonis animasti: ut quanquam (b) hoc totum de fide (c) confitentium, & de divina indulgentia venire videatur: tamen in martyrio suo tibi ex aliquo debitores facti esse videantur. Sed ut ad id, unde digressus sermo videbatur esse, rursus revertatur, quales literas in Siciliam quoque miserimus, subjectas habebis.

Expectanda Ecclesiæ pax & constitutus Episcopus antequam Lapsis pax detur.

Quanquam nobis differendæ hujus rei necessitas major incumbat, quibus, post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, (d) nondum est Episcopus propter rerum & temporum difficultates constitutus, qui omnia ista (e) moderetur, & eorum, qui lapsi sunt, possit cum auctoritate & consilio habere rationem. Quanquam nobis in tam ingenti negotio placeat, 1 quod & tu ipse tractasti (f) prius: 2 Ecclesiæ pacem sustinendam, deinde, sic 3 collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus, pariter ac (g) 4 stantibus laicis facta, lapsorum tractare rationem. Perquam enim nobis & invidiosum & onerosum videtur, non per multos examinare, quod per multos commissum videatur fuisse, (h) & unum sententiam dicere, cum tam grande crimen per multos diffusum notetur exisse; quoniam nec firmum decretum potest esse, quod non plurimorum videbitur habuisse consensum. Aspice totum orbem pene vastatum, & ubique jacere dejectorum reliquias & ruinas, & idcirco tam grande (i) expeti consilium, quam late propagatum videtur esse delictum. Non sit minor medicina, quam vulnus est: non sint minora remedia, quam funera: ut quo modo qui ruerunt, ob hoc ruerunt, quod cæca temeritate nimis incauti fuerunt; ita qui hoc disponere (k) nituntur, omni consiliorum moderamine utantur, ne quid non ut oportet factum, tanquam irritum ab omnibus judicetur. Uno igitur eodemque consilio, iisdem precibus & fletibus tam nos, qui usque adhuc videmur temporis istius ruinas subterfugisse, quam illi qui in has (l) temporis videntur clades incidisse, divinam majestatem deprecantes, pacem (m) 5 Ecclesiastico nomini postulemus: mutuis votis nos invicem foveamus, custodiamus, armemus: oremus pro Lapsis, ut erigantur; oremus pro stantibus, ut non ad ruinas usque tententur: oremus, ut qui cecidisse referuntur, delicti sui magnitudinem agnoscentes, intelligant non momentaneam neque præproperam desiderare medicinam: 6 oremus ut (n) effectus indulgentiæ (o) Lapsorum subsequatur & pœnitentiam; ut intellecto suo crimine velint nobis interim præstare (p) patientiam, nec adhuc fluctuantem (q) turbent Ecclesiæ statum; ne interiorem nobis persecutionem ipsi incendisse videantur, & accedat ad criminum cumulum, quod etiam (r) inquieti fuerunt. Maxime enim illis congruit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inverecunda.

Pulsent Ecclesiæ fores Lapsi, sed non confringant.

Pulsent sane fores, sed non utique confringant. Adeant ad limen Ecclesiæ, sed non (s) utique transiliant. Castrorum cœlestium excubent portis, sed armati modestia, qua intelligant se desertores fuisse. Resumant precum suarum tubam, sed qua non bellicum clangant. Arment se quidem modestiæ telis, & quem negando mortis metu fidei dimiserant clypeum, resumant; sed ut contra hostem diabolum vel nunc armati, non contra Ecclesiam, quæ illorum dolet casus, armatos esse se credant. Multum illis proficiet petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, (t) patientia non

(a) Sermonis armasti, *Bod.* 1. *Vat.* (b) Hanc totam, *Bod.* 1. (c) Confidentiam, *Bod.* 1. (d) Nondum esset, *Bod.* 1. (e) Mederetur, *Lin.* (f) Prius Ecclesiæ, *Bod.* 1. (g) Astantibus laicis, *Vet. Innom. Spir. Foss.* (h) Et in unum, *Bod.* 1. *Neap.* & unam, *Vet. Innom. Spir. Foss.* (i) Expetit, *Bod.* 1. (k) Nitantur, *Lin.* (l) Temporibus istis, *Neap.* (m) *Sic*, *Neap. Foss.* Ecclesiastico nomine, *Imp.* (n) Affectus indulgentiam, *Lin.* (o) Lapsorum subsequatur & pœnitentia, *Lin.* (p) Pœnitentiam, *Bod.* 1. (q) Turbare, *Spir. Foss.* (r) Inquieti fuerint, *Neap.* (s) Ut transiliant, *Vet. Innom. Spir.* (t) Pœnitentia non otiosa, *Lin.*

1 *Quod & tu ipse tractasti prius.*] Rigaltius ait, *Videlicet Epist.* XIV. *ubi sic Cyprianus ad presbyteros & diaconos, Solus, inquit, rescribere nihil potui: quando à primordio episcopatus mei statuerim, nihil sine consilio vestro & consensu plebis, mea privata sententia gerere. Sic plebis suæ animos Cyprianus obligatissimos sibi ac devotissimos habuit.*

2 *Ecclesiæ pacem sustinendam.*] Rigaltius ait, *Expectandam, differendam. Trahendam diu pœnitentiam.* Sic infra sub finem Epistolæ *Dum Episcopus nobis dari à Deo sustinetur. In suspenso eorum qui moras possunt dilationis sustinere.* Et alibi sæpius.

3 *Collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessoribus pariter ac stantibus laicis.*] Rigaltius ait, *Observat hoc loco Pamelius nunquam permissum fuisse laicis sententiam in conciliis Ecclesiasticis dicere: Et tamen hac Epistola Clerus Romanus in collatione consiliorum cum Episcopis, cujusmodi sane collatio concilium fuit, plebem adhibitam fuisse dicit stantium laicorum. Et, in tam ingenti negotio, & in tam grandi crimine, ubi erant dicendæ sententiæ, & habendus plurimorum consensus, hæc enim sunt verba hujus Epistolæ, quæ ab ipso Cypriano recitantur in Epistola ad Antonianum: Itaque hæc Observatio Pamelii apertissime contradicit Clero Romano comprobanti Cyprianicam œconomiam, quæ in maximi momenti negotiis requirebat etiam plebis consensum. Nam & plebs, sive laici, cum Episcopo & Presbyteris ac Diaconis, ecclesiam faciunt. Et in ipsa synodo Carthaginiensi, convenisse in unum dicuntur Episcopi plurimi cum Presbyteris & Diaconis, præsente etiam plebis maxima parte. Sed & sesquialtero fere post seculo collationi inter Catholicos & Donatistas interfuit Flavius Marcellinus Tribunus & Notarius ab Honorio & Theodosio Impp. missus, ut principe loco sedens judicaret. Ipse Marcellinus Collatione prima. Et quoniam libenter adsensum tribuit clementia principalis, & Concilium fieri intra Africam universale decrevit, utriusque partis juxta poscentibus, huic me disputationi principe loco judicem voluit residere. Et tamen eundem Marcellinum modestissime de se sensisse testantur hæc ipsius verba, in ejusdem collationis exordio: Licet supra meritum meum hoc cognoscam esse judicium, ut inter eos videar judicare, à quibus me potius decuerat judicari. Scio Pamelium sic evasurum dicturumque, plebem interfuisse quidem conciliis, minime autem dixisse sententiam.* Ostendimus supra δόξαν sive assensum Plebis in Ecclesiæ negotiis expediendis requiri. Et hoc fere est quod passim dici solet, Conciliorum decreta non ante vim obtinere, donec ab Ecclesia recipiantur. Atque eo nomine quædam à Concilio Tridentino definita, in Galliis etiamnum locum non habent. Principum & qui eorum vices obeunt in Conciliis præsidentia alio nititur fundamento: non enim temere Constantinus se Episcopum τῶν ἔξω dixit & gessit.

4 *Stantibus laicis.*] Rigaltius ait, *Stantes dicit, quos persecutio non prostraverat, non everterat, non dejecerat. Stantes, non lapsos. Stantes, quos integros & incolumes fides sua & Domini tutela protexerat.*

5 *Ecclesiastico nomini.*] Ecclesiæ nimirum, ut extorres redeant, & lapsi restituantur. Pariter Christianum nomen, Christianismum denotat.

6 *Oremus ut effectus indulgentiæ.*] Pax nimirum.

An. 250. non otiosa. Mittant legatos pro suis doloribus lacrymas ; [1] Advocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commissi criminis & pudorem. Imo si dedecoris admissi magnitudinem perhorrescunt, si pectoris & conscientiæ suæ lethalem plagam & sinuosi vulneris altos recessus vere medica manu tractant, erubescant & petere, [2] nisi quia majoris est rursum & periculi & pudoris, [3] auxilium pacis non petiisse. [4] Sed hoc totum in sacramento, sed in ipsius postulationis lege temporis facto temperamento, sed postulatione demissa, sed prece subdita ; quoniam & qui petitur flecti debet, non (a) incitari ; & sicut respici debet divina clementia, sic respici debet & divina censura ; & sicut scriptum est : Donavi tibi omne debitum, quia me rogasti ; sic scriptum est, Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, & coram angelis ejus. Deus enim ut est indulgens, ita est præceptorum suorum exactor, & quidem diligens ; & sicut ad convivium vocat, sic habitum nuptiarum (b) non habentem, ligatis manibus & pedibus extra sanctorum cœtum foras jactat. Paravit cœlum, sed paravit & tartarum. Paravit refrigeria, sed paravit etiam æterna supplicia. Paravit inaccessibilem lucem, sed paravit etiam perpetuæ noctis (c) vastam æternamque caliginem. Cujus temperamenti moderamen nos hic tenere quærentes, diu & quidem multi, & quidem cum quibusdam Episcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis provinciis (d) longe positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse (e) credidimus ; ut interim dum Episcopus dari à Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur : eorum autem quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non potest ferre, [5] acta pœnitentia & professa frequenter suorum detestatione factorum, si lacrymis, si gemitibus, si fletibus dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla substiterit, ita demum caute & sollicite subveniri, Deo ipso sciente quid de talibus faciat, & qualiter judicii sui examinet pondera ; nobis tamen anxie curantibus, (f) ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem. Optamus te, [6] beatissime ac glorioſissime Papa, in Domino semper bene valere, & nostri meminisse.

Mat. 18. 32. Mat. 10. 33. Luc. 12. 9. Mat. 22. 12.

(a) Citari, *Lin.* (b) Non habentium manus. *Bod.* 1. (c) Vastam & tetram, *Vat.* (d) Longe persecutionis, *Lin.* (e) *Sic*, *Bod.* 1. Credimus, *Imp.* (f) Ut in eo, *Bod.* 1.

[1] *Advocatione fungantur.*] Rigaltius ait, *Ad veniam, ad misericordiam promerendam, sive impetrandam, gemitus & fletus amari fungantur advocatorum vicem.*

[2] *Nisi quia majoris est rursum & periculi & pudoris.*] Rigaltius ait, *Tertull. sub finem lib. de pœnitentia.*

[3] *Auxilium pacis non petiisse.*] Rigaltius ait, *Hoc est veniæ sive indulgentiæ.*

[4] *Sed hoc totum in Sacramento.*] Rigaltius ait, *Sunt enim signa, mysteria, & sacramenta dolentis ac vere pœnitentis animi ; petitio modesta, postulatio verecunda, humilitas necessaria, patientia non otiosa, excubatio ad castrorum cœlestium portas, quod est limen Ecclesiæ. Omnia* ἐξομολογήσεως *sacramenta præclare describit Tertullianus, lib. de Pœnitentia. Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere, illa quæ peccavit tristi tractatione mutare. Ceterum pastum & potum pura nosse, Jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, mugire dies noctesque ad Dominum, presbyteris advolvi, & caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere.* Rectius fecerit qui per *Sacramentum* simpliciter intellexerit legem Christianam, quæ *fidei Sacramentum* supra audit. Qua phrasi utitur etiam Tertullianus de Anima, & alibi passim. Ita legem Mosaicam, *Sacramentum Judaicum* appellat idem Tertullianus in Apolog. c. 19. cui opponit *nostrum*, sive Christianum.

[5] *Acta Pœnitentia.*] Quanquam ab Ecclesia cautum, ut nemo sine Pace excederet ; requirebatur tamen aliqua saltem *acta pœnitentia, & professa frequenter suorum detestatio factorum ; lacrymæ* insuper *& gemitus & fletus, quæ dolentis ac vere pœnitentis animi signa prodiderunt*, & demum Languidus, divinæ misericordiæ relinquendus, *Deo ipso sciente quid de talibus faciat, & qualiter judicii sui examinet pondera.* Istis seculis sacerdos nondum judex erat constitutus.

[6] *Beatissime ac glorioſissime Papa.*] Rigaltius ait, *Sic Romanus clerus appellat Cyprianum Carthaginis Episcopum.*

EPISTOLA XXXI.

Cypriano Papæ, Moyses & Maximus Presbyteri, & Nicostratus & Rufinus Diaconi, [1] & ceteri Confessores, qui cum eis sunt, Salutem.

Ad Pamelii numeros XXVI. In Erasm. Edit. deest. In Manut. l. 5. Ep. 12. Solatia quæ ex Cypriani literis perceperunt Romani Confessores, grati agnoscunt.

INTER varios & multiplices, frater, dolores nobis constitutis propter præsentes multorum (a) per totum pene orbem ruinas, hoc præcipuum nobis solatium superve- *Scripta in* *secessu.*
nit, quod acceptis literis tuis (b) erecti sumus, & (c) dolentis animi mœroribus fomenta suscepimus. Unde intelligere jam possumus gratiam divinæ providentiæ, forsitan

(a) Fratrum per, *Lam. Bod.* 2. *Ben.* (b) Et recti sumus, *Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. & recreati, *Ben.* (c) Dolenti animæ roboris fomenta, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2.

[1] *Et ceteri Confessores.*] Rigaltius ait, *Horum mentionem facere videtur Eusebii historia sexta c.* 43. *ex Cornelii quadam ad Fabium epistola. Ait Novatum, quosdam de Confessoribus viros optimos inter ipsa initia sibi assumsisse : & in iis fuisse Maximum Ecclesiæ Romanæ presbyterum, & Urbanum qui secundo Confessores extiterant. Sed & Sidonium, & Celerinum, qui valde clari in Confessoribus habebantur, eo quod omnia tormentorum genera superaverant. Observandus hic titulus honoris Christiani, Confessor.*

1 *Ad*

An. 250. ſitan non ob aliam cauſam nos tamdiu clauſos vinculis carceris reſervare voluiſſe; niſi ut (a) inſtructi & robuſtius animati literis tuis, voto proniore ad coronam deſtinatam poſſemus pervenire. Illuxerunt enim nobis literæ tuæ, ut in tempeſtate quadam ſerenitas, (b) & in turbido mari (c) exoptata tranquillitas, (d) & in laboribus requies; ut in periculis & doloribus ſanitas; ut in denſiſſimis tenebris candida (e) lux & refulgens. Ita illas animo ſitiente perbibimus, & voto eſuriente ſuſcepimus; (f) ut [1] ad certamen inimici, ex illis nos ſatis paſtos, & ſaginatos (g) gaudeamus. Reddet tibi Dominus pro iſta tua caritate mercedem, & hujus tam boni operis repræſentabit debitam frugem. Non minus enim coronæ mercede condignus eſt, qui hortatus eſt, quam qui & paſſus eſt: non minus laude condignus qui docuit, quam qui & fecit: non minus honorandus eſt, qui monuit, (h) quam qui dimicavit: niſi quoniam nonnunquam magis gloriæ cumulus redundat ad eum qui inſtituit, quam ad eum qui ſe docibilem diſcipulum ſubminiſtravit. Hic enim fortaſſis hoc quod exercuit non habuiſſet, niſi ille docuiſſet. Percepimus igitur (i) (iterum dicimus) frater Cypriane, magna gaudia, magna ſolatia, magna fomenta, maxime quod & glorioſas Martyrum non dicam mortes, ſed immortalitates, glorioſis & condignis laudibus proſequutus es: tales enim exceſſus talibus (k) vocibus perſonandi fuerunt, ut quæ referebantur, ſic dicerentur (l) qualiter facta ſunt. Ex tuis ergo literis vidimus glorioſos illos martyrum triumphos, & oculis noſtris quodammodo, cœlum illos petentes, proſecuti ſumus; & inter angelos ac poteſtates dominationeſque cœleſtes conſtitutos (m) contemplati ſumus: ſed & Dominum apud Patrem teſtimonium ſuum illis promiſſum Luc. 12. 8.
(n) perhibentem auribus noſtris (o) quodammodo ſenſimus. Hoc eſt ergo quod & nobis animum in dies ſingulos erigit, & ad conſequendos gradus tantæ (p) dignationis incendit.

Martyrium non pœna ſed felicitas.

Quid enim glorioſius, quidve felicius ulli hominum poterit ex divina dignatione contingere, quam inter ipſos carnifices (q) interritum confiteri Dominum Deum? quam inter (r) ſævientia ſecularis poteſtatis varia & exquiſita tormenta, (s) etiam extorto, & (t) excruciato, & excarnificato corpore, Chriſtum Dei Filium, etſi recedente, ſed tamen libero ſpiritu confiteri? quam relicto mundo cœlum petiſſe? quam deſertis hominibus inter Angelos ſtare? quam impedimentis omnibus ſecularibus ruptis in (u) conſpectu Dei jam ſe liberum ſiſtere? quam [2] cœleſte regnum ſine ulla cunctatione retinere? quam Collegam paſſionis cum Chriſto in Chriſti nomine factum fuiſſe? quam judicis ſui divina dignatione judicem factum fuiſſe? quam immaculatam conſcientiam de confeſſione nominis reportaſſe? quam humanis & ſacrilegis legibus contra fidem non obediſſe? quam veritatem voce publica conteſtatum fuiſſe? quam ipſam, quæ ab omnibus metuatur, moriendo mortem ſubegiſſe? quam per ipſam mortem immortalitatem conſecutum fuiſſe? quam omnibus ſævitiæ inſtrumentis (x) excarnificatum & extortum, ipſis tormentis tormenta ſuperaſſe? quam omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuiſſe? quam ſanguinem ſuum profluentem non horruiſſe? quam ſupplicia ſua poſt fidem amare cœpiſſe? quam (y) detrimentum vitæ ſuæ putare non exiſſe? Ad hoc enim prælium quaſi quadam tuba Evangelii ſui nos excitat Dominus: dicendo: (z) Qui plus diligit patrem aut matrem, quam me, non eſt me dignus. Et qui non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Et iterum; Beati qui perſecutionem (aa) paſſi fuerint propter juſtitiam; ipſorum enim eſt regnum cœlorum. (bb) Beati eritis cum vos perſecuti fuerint & (cc) oderint: gaudete, & exultate; ſic enim & Prophetas perſecuti ſunt, qui ante vos fuerunt, [3] patres eorum. Et iterum: Quoniam ante reges & (dd) poteſtates ſtabitis; & tradet frater fratrem ad mortem, & pater filium; & qui perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit. Et: Vincenti dabo ſedere ſuper thronum meum, ſicut & ego vici & ſedi ſuper thronum patris mei; (ee) Sed & Apoſtolus: Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? preſſura, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius; ſicut ſcriptum eſt, quia propter te interficimur tota die, æſtimati ſumus velut (ff) oves victimæ, ſed in iis omnibus (gg) ſupervincimus [4] pro eo, qui nos dilexit. Mat 10. 37. 38. Mat. 5. 10. 11. 12. Mat. 10. 18. 21. 22. Apoc. 3. 21. Rom. 8. 35.

Hæc,

(a) Inſtructius, *Manut.* (b) Ut in turbido mari, *Voſſ. Pem.* (c) Exorta tranquillitas, *Bod.* 2. *Ben. Lam. Ebor. NC.* 1. (d) Ut in laboribus, *Ver. Ben.* (e) Lux refulgens, *Ben. Bod.* 2. (f) In certamen animi, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (g) Gauderemus, *Lam. Ebor. NC.* 1. (h) Quam qui exercuit, *Bod.* 2. *Lam. NC.* 1. *Ebor.* (i) Iterum dicemus, *Lam.* (k) Vocibus perſequendi, *Lam. Bod.* 2. (l) Quomodo facta, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (m) Quaſi contemplati, *Lam. NC.* 1. *Ebor. Ben. Bod.* 1. 2. *Vat. Vet. Innom.* (n) Reddentem auribus, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (o) Similiter ſenſimus, *Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.* (p) *Sic*, *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. accendit, *Ben.* intendit, *Imp.* (q) In ipſo interitu, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ben.* (r) Sævientis ſecularis poteſtatis *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.* (s) Jam extorto, *Bod.* 2. (t) Excruciato corpore, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (u) Jam celerem ſiſtere, *Ver.* (x) Excarnificatum & excoriatum, *Lam. Bod.* 2. *Ebor.* (y) Detrimentum vitæ putare vixiſſe, *Vat. Bod.* 2. viciſſe, *Ver. Ben.* (z) Et qui plus animam ſuam, *Ben.* diligit quam me, non eſt me dignus, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (aa) Patiuntur, *Lam. Ebor. NC.* 1. (bb) Beati eſtis, *Bod.* 1. (cc) Odio habuerint, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. *Ben.* (dd) Præſides ſtabitis, *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. (ee) Sed & Paulus, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.* (ff) Oves occiſionis, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ben.* (gg) Superamus, *Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. Ben.*

[1] *Ad certamen inimici ex illis non ſatis paſtos.*] Nec gladiatores in arenam, nec in aciem milites, impranſi deſcendere ſolebant.

[2] *Cœleſte regnum ſine ulla cunctatione retinere.*] Hoc Martyrum privilegium perpetuo inculcant veteres.

[3] *Patres eorum.*] Pamelius ait, *Oratio conſarcinata ex Matthæi & Lucæ Evangeliis. Nam verba hæc: ſic enim faciebant prophetis patres eorum, Lucæ ſunt; apud Matthæum vero ſunt iſta: ſic enim perſecuti ſunt prophetas qui fuerunt ante vos.*

[4] *Pro eo qui nos dilexit.*] Vid. quæ dicta ad l. 3. Quir. c. 18.

An. 250. Hæc, & hujuſmodi cum in Evangelio collata (a) perlegimus, & quaſi faces quaſdam ad inflammandam fidem, dominicis vocibus, ſuppoſitas nobis ſentiamus: hoſtes veritatis jam non tantum non perhorreſcimus, ſed provocamus; & inimicos Dei jam hoc ipſo, quod non (b) ceſſimus, vicimus: & nefarias contra (c) veritatem leges ſubegimus. Et ſi nondum noſtrum ſanguinem fudimus, ſed (d) fudiſſe parati ſumus, nemo hanc dilationis noſtræ moram clementiam judicet, quæ nobis officit, quæ impedimentum gloriæ facit, quæ cœlum differt, quæ glorioſum Dei conſpectum inhibet. In hujuſmodi enim certamine, & in hujuſmodi, (e) ubi decertat fides, (f) prælio, mora martyres non diſtuliſſe vera clementia eſt. Pete ergo, Cypriane cariſſime, ut nos gratia ſua Dominus magis ac magis [1] in dies ſingulos quoſque (g) uberius atque propenſius, & armet & illuſtret, & viribus potentiæ (h) firmet ac roboret: utque (i) quaſi optimus Imperator milites ſuos, quos uſque adhuc in caſtris carceris exercuit & probavit, producat jam ad propoſiti certaminis campum: porrigat nobis arma divina, illa tela quæ neſciunt vinci, loricam juſtitiæ quæ nunquam ſolet rumpi, clypeum fidei qui non poteſt (k) perforari, & gladium Spiritus qui non conſuevit vulnerari. Cui enim magis hæc, ut pro nobis petat, mandare debemus, quam tam glorioſo Epiſcopo; ut (l) hoſtiæ deſtinati petant auxilium de ſacerdote?

Voces Evangelicæ, faces ad inflammandam fidem.

Ecce aliud gaudium noſtrum, quod in officio Epiſcopatus tui, (m) licet interim à fratribus pro temporis conditione diſtractus es, tamen non defuiſti: quod literis Confeſſores frequenter corroboraſti, quod etiam ſumtus neceſſarios de tuis laboribus juſtis præbuiſti, quod omnibus te præſentem quodammodo (n) exhibuiſti: quod in nulla officii tui parte quaſi aliquis deſertor claudicaſti. Sed quod nos ad majorem lætitiam (o) robuſtius provocavit, tacere non poſſumus; quin omni vocis noſtræ teſtimonio proſequamur. Animadvertimus enim te congruente cenſura, & eos digne objurgaſſe, qui immemores delictorum ſuorum, pacem à Presbyteris per abſentiam tuam feſtinata & præcipiti cupiditate (p) extorſiſſent; & illos qui ſine reſpectu Evangelii ſanctum Domini canibus, & Mat. 7. 6. margaritas porcis (q) profana facilitate donaſſent: (r) cum grande delictum, & per totum pene orbem incredibili vaſtatione graſſatum, non oporteat niſi, ut ipſe ſcribis, caute moderateque tractari, conſultis omnibus Epiſcopis, [2] Presbyteris, Diaconibus, Confeſſoribus, & ipſis ſtantibus Laicis, ut in tuis literis & ipſe teſtaris; ne dum volumus importune ruinis ſubvenire, alias majores ruinas (s) videamur parare. (t) Ubi enim (u) [3] divinus ſermo relinquitur; (x) ſi tam facile peccantibus venia præſtetur? fovendi ſunt ſane (y) ipſorum animi, & ad maturitatis ſuæ (z) tempus nutriendi; & de ſcripturis ſanctis, quam ingens, & ſupra omnia peccatum commiſerint, inſtruendi. Nec hoc animentur, quia multi ſunt; ſed hoc ipſo magis reprimantur, quia non pauci ſunt. (aa) Nihil ad extenuationem delicti numerus (bb) impudens valere conſuevit; ſed pudor, ſed modeſtia, ſed patientia, ſed diſciplina, ſed humilitas, atque (cc) ſubjectio: ſed alienum de ſe expectaſſe judicium; (dd) ſed alienam de ſuo ſuſtinuiſſe ſententiam. Hoc eſt, quod pœnitentiam (ee) probat; hoc eſt, quod impreſſo vulneri inducit cicatricem; hoc eſt, (ff) quod dejectæ mentis ruinas erigit & attollit; quod ardentem delictorum (gg) æſtuantium vaporem reſtringit & finit. Non ea, quæ (hh) ſanorum ſunt corporum, medicus ægris dabit: ne importunis cibis (ii) tempeſtatem valetudinis ſævientis non reprimat, ſed accendat: ſcilicet, ne quod potuiſſet maturius jejunio (kk) extenuari, per impatientiam longius paſta cruditate (ll) producat.

In Lapſorum cauſa ſententiæ Cypriani accedit ur.

Eluendæ

(a) Perlegamus, *Lam. Ebor. NC.* 1. (b) Ceſſimus, vincimus, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (c) Civitatem leges, *Ver.* (d) Sed fundere, *Lam. Ebor. NC.* 1. (e) Certamine ubi decertat fides, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.* (f) Martyres prælio, non diſtuliſſe, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.* (g) Liberius, *Lam. Ebor. NC.* 1. (h) Probet ac formet, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.* (i) Qua optimus, *Ver.* quia, *Vat.* (k) Perforari, galeam ſalutis quæ non poteſt frangi, *Lam. Ben. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (l) Hoſtiæ deſtinatæ, *Ver. Ben.* (m) Licet à fratribus, *Manut.* licet inter initia, *Ben. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (n) Semper, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (o) Robuſtius provocaſti, *Lam. Ebor. NC.* 1. (p) Extorſiſſe dicuntur, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (q) Prona facilitate, *Ver.* (r) Cum tam grande delictum, *Lam. Bod.* 1. 2. (ſ) Videamur præparare, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (t) Ibi enim, *Ebor. Lam. NC.* 1. (u) Divinus metus, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. *Ben. Manut.* (x) Cum tale facile, *Lam. Ebor. NC.* 1. (y) Lapſorum animi, *Vat.* (z) Tempore, *Lam. Ebor. NC.* 1. (aa) Nihil enim, *Lam. Ebor. NC.* 1. (bb) Impudens proficere, *Lam. Ebor.* impudens contulit, *Vat.* (cc) Subjectio: Hoc eſt, *Lam. Ebor.* (dd) Sed de ſuo actu ſuſtinuiſſe ſententiam, *Bod.* 1. (ee) Hoc impreſſo, *Ver.* (ff) Quod declives & trementes ruinas, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (gg) Æſtuantium morbum, *Ben. Vat. Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. (hh) Enim, *Bod.* 1. 2. ſanis corporibus, ſed ægris medicus dabitur, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (ii) Tempeſtatem valetudinis non reprimat, *Lam. NC.* 1. *Ebor.* (kk) Attenuante ſanari, *Lam. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. *Ben.* attenuari, *Ver.* (ll) Videatur produci, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *Ben. Manut.*

[1] *In dies ſingulos quoſque.*] Univerſos nos nimirum. Aut etiam diebus omnibus.

[2] *Presbyteris, Diaconibus, Confeſſoribus, & ipſis ſtantibus Laicis.*] Rigaltius ait, *Erant Cypriani ævo Subdiaconi & Lectores. An hic omittuntur, quia ſub nomine diaconorum intelligantur? Et quid Diaconis ſub ungit qua: ordinem Confeſſorum, quando & Confeſſores etiam inter Presbyteros & Diaconos erat reperire? An fuit ſatis tales Confeſſores inter Presbyteros & Diaconos fuiſſe ſpectabiles? ceteros, de laicis eximi, tantum virtutis eorum ſignandæ gratia? ut jam denique ſtantes laici dicantur ea pars Eccleſiæ quæ numero conſtat fidelium, ex quibus fierent Confeſſores, & Subdiaconi; & Diaconi, & Presbyteri?*

[3] *Divinus ſermo relinquitur.*] Ubi ſupererit, & cuſtodietur? ſic infra, *ubi erit quod cuſtodia ſqualidi carceris includuntur?*

An. 250. *Non aliter quam per pœnitentiam reſtitui expectent Lapſi.*

Eluendæ ſunt (a) igitur impio ſacrificio manus inquinatæ, (b) operibus bonis; & nefario cibo (c) ora miſera polluta, (d) pœnitentiæ ſunt veræ ſermonibus expianda. Et in ſecretis cordis fidelis (e) novellandus & conſecrandus eſt animus; (f) crebri pœnitentium gemitus audiantur, (g) 1 & iterum fideles ex oculis lacrymæ profundantur: ut illi ipſi oculi, qui male ſimulacra conſpexerunt, quæ inlicita commiſerant, (h) ſatisfacientibus Deo fletibus deleant. (i) Non eſt niſi patientia morbis neceſſaria: luctantur cum ſuo dolore qui languent; & ita demum ſperant ſanitatem, ſi tolerantia (k) ſuperarint dolorem. Infidelis enim cicatrix, quam cito feſtinans medicus induxit: & ad quemlibet caſum (l) medela reſcinditur, (m) ſi non fideliter de ipſa tarditate remedia (n) præſtentur. Cito ruſſus in incendium (o) flamma revocatur, niſi totius ignis etiam uſque ad extremam ſcintillam materia (p) reſtinguatur: ut merito (q) hujuſmodi homines ſciant ſibi etiam de ipſa mora magis conſuli, & fideliora neceſſariis dilationibus remedia præſtari. Ceterum ubi erit (r) quod cuſtodia ſqualidi carceris includuntur, qui Chriſtum confitentur: ſi ſine periculo fidei ſunt, qui negaverunt? ubi quod in nomine Dei catenarum ambitu vinciuntur, ſi ſine communicatione non ſunt, qui confeſſionem (ſ) Dei non retinuerunt? (t) Ubi quod detenti Martyres glorioſas animas ſuas ponunt; ſi, qui dereliquerunt fidem, periculorum & delictorum ſuorum non ſentiunt magnitudinem? Quod ſi nimiam impatientiam (u) præ ſe ferunt, & intolerabili feſtinatione communicationem expoſcunt, fruſtra querula iſta & invidioſa, ac nihil adverſus veritatem valentia jactant petulanti & infreni ore convicia: quandoquidem licuerit illis ſuo jure retinere, (x) quod (y) nunc 2 ſua ſponte quæſita neceſſitate coguntur poſtulare: fides enim quæ potuit Chriſtum confiteri, 3 potuit & à Chriſto in communicatione retineri. (z) Optamus te, frater, bene valere, & noſtri meminiſſe.

(a) Igitur ab impio, *Lam. Ebor. NC.* 1. (b) Operibus malis, *Ben. Lam. Ebor. NC.* 1. (c) Ora polluta, *Lam. NC.* 1. *Ben.* (d) Patienter ſunt, *NC.* 1. veris ſermonibus, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.* (e) Novellandus eſt animus, *Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. NC.* 1. *Ben.* (f) Creber pœnitentiæ gemitus audiatur, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.* (g) Non ſemel tantum, ſed & iterum, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (h) Satisfacientes, *Lam. Bod.* 1. *Ebor. NC.* 1. *Ben.* (i) Non eſt impatientia, *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben. Manut.* (k) Superaverit dolorem, *Lam. NC.* 1. *Ebor. Ben.* infidelis eſt, *Ben.* (l) Extinguitur, *Vat.* (m) Cui non fideliter, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ben.* (n) Præſtentur. Incendium flammæ, *Lam. Ebor. NC.* 1. (o) Lamina, *Ver.* (p) Reſtinguetur, *Manut.* (q) Ejuſmodi, *Ver.* (r) Quod judicia patiuntur, quod carcere includuntur qui Chriſtum, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ben.* (ſ) Dei renuerunt, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (t) Ubi qui detenti glorioſas, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Manut.* (u) Præferunt minimam patientiam, *Ben. Vat. Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. (x) Quod nunc neceſſitate, *Lam. Ebor. NC.* 1. (y) Nunc neceſſitate, *Ben.* (z) Optamus te, beatiſſime ac glorioſiſſime Papa in Domino ſemper, *Pam.*

1 *Et iterum.*] Fortaſſe magis probata altera lectio quæ habet, *non ſemel tantum, ſed & iterum.* At vero, quia magna pars cultus idololatrici, in juſtis funebribus & luctu verſabatur; nihil immutandum duxi. Ut ſenſus fuerit, qui olim Idola fletibus proſequebantur, nunc peccata tandem lugeant.

2 *Sua ſponte quæſita neceſſitate.*] Rigaltius ait, *Quæſita neceſſitas non eſt neceſſitas, ſed quæſitus color & prætextus neceſſitatis, ficta & ſimulata neceſſitas.*

3 *Potuit & à Chriſto.*] Gratiæ divinæ ſuppetiis.

EPISTOLA XXXII.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros XXXII. Ad Eraſ. l. 3. *Ep.* 4. *Monetur Cleru. Carthaginenſis ut literas Cleri Romani & Cypriani reſponſa, communicanda curet.*

Scripta in ſeceſſu.

QUALES literas ad Clerum Romæ agentem fecerim, quidque illi mihi reſcripſerint, quid etiam Moyſes & Maximus Presbyteri, & Nicoſtratus & (a) Rufinus Diaconi, & ceteri cum eis Confeſſores in cuſtodia conſtituti, (b) æque ad literas meas reſcripſerint, ut ſcire poſſetis, fratres cariſſimi, exempla vobis legenda tranſmiſi. Vos curate quantum poteſtis pro diligentia veſtra, (c) ut ſcripta noſtra, & illorum reſcripta fratribus noſtris innoteſcant. Sed & ſi qui 1 de peregrinis (d) Epiſcopi Collegæ mei, vel Presbyteri, vel (e) Diacones præſentes fuerint, vel ſupervenerint, hæc omnia de vobis audiant: & ſi exempla Epiſtolarum tranſcribere, & ad ſuos (f) perferre voluerint, facultatem tranſcriptionis accipiant. Quamvis & (g) Saturo Lectori fratri noſtro mandaverim, ut ſingulis deſiderantibus deſcribendi faciat poteſtatem, ut in Ecclc-

(a) Rufus, *Lam.* (b) Ea, *Ar. Ebor. Lam.* (c) Ut & ſcripta; *Vat.* (d) Epiſcopis, *Bod.* 1. (e) Diaconi, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 2. (f) Transferre, *Neap.* (g) Satyro, *Ar.* Lectori noſtro, *Lam. Bod.* 2.

1 *De Peregrinis Epiſcopi.*] Rigaltius ait, *Etiam peregrinis epiſcopis honorem habet, & Collegas ſuos vocat, & canone Arelatenſi* XIX. *locus ſacrificandi datur. Placet eis locum dari ut offerant. Præclarum eſt Aviti Viennenſis de Maximiano quodam antiſtite monitum ad Cæſarium Arelatenſem Epiſtol.* IX. *Quantalibet vel temporum longitudine, vel itineris vaſtitate, genitalis patriæ linquat habitaculum, peregrinus ſacerdos dici non poteſt, ubi catholica reperiri Eccleſia poteſt. Quo ſenſu dici etiam poterit, minime eſſe probroſam nuncupationem Epiſcopi peregrini, quem Eccleſia ſortitur aliunde quam ex proprio Presbyterio, vel propria patria.* Peregrina communio de qua canones loquuntur, adeo parum fuit honorifica ut in pœnam cederet. Sed hic loci, voces illæ, *de peregrinis Epiſcopi*, tales ſolummodo denotare videntur, qui extra diœceſem ſuam verſantur: ſcilic. qui Carthaginem negotii alicujus cauſa, fortaſſe Eccleſiaſtici, acceſſiſſent.

An. 250. cleſiarum ſtatu quoquo modo interim componendo ſervetur ab omnibus (a) una & fida conſenſio. De ceteris vero quæ agenda erunt, ſicut & Collegis meis (b) plurimis ſcripſi, plenius conſilio communi tractabimus, quando convenire in unum permittente Domino cœperimus. Opto vos, fratres cariſſimi ac deſideratiſſimi, ſemper bene valere: fraternitatem ſalutate: Valete.

(a) Una fide, *Lin. Bod.* 1. fidei, *NC.* 1. una fida, *MR.* (b) Pluribus, *MR.*

EPISTOLA XXXIII.

Cyprianus Lapſis.

Ad Pamelii numeros XXVII. In Eraſmi edit. deeſt. In Manut. l. 5. Ep. 6. Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituta.

DOMINUS noſter, cujus præcepta metuere & obſervare debemus, Epiſcopi honorem, & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Evangelio (a) loquitur, & dicit Petro; Ego tibi dico, quia tu es Petrus, [1] & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, & tibi dabo claves regni cœlorum, & quæ ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Inde per temporum & ſucceſſionum vices, Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur: & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem Præpoſitos gubernetur. Cum (b) hoc itaque divina lege fundatum ſit, miror quoſdam audaci temeritate ſic mihi ſcribere (c) voluiſſe [2] ut Eccleſiæ nomine literas facerent; quando Eccleſia in Epiſcopo & Clero, & in omnibus ſtantibus ſit conſtituta. Abſit enim, (d) ne Domini miſericordia & poteſtas ejus (e) invidiam patiatur, ut Eccleſia eſſe dicatur lapſorum numerus; cum ſcriptum ſit, Deus non eſt mortuorum, ſed vivorum. Omnes quidem vivificari optamus, & ut in ſtatum priſtinum reſtituantur, precibus noſtris & gemitibus oramus. Si autem quidam Lapſi Eccleſiam ſe volunt eſſe, & ſi apud illos, atque in illis eſt Eccleſia: quid ſupereſt, quam ut ipſi rogentur à nobis, ut nos ad Eccleſiam dignentur admittere? Summiſſos ergo & quietos & verecundos eſſe oportet eos, qui delicti ſui memores ſatisfacere Deo debent, nec Eccleſiæ nomine literas facere, cum ſe magis ſciant Eccleſiæ ſcribere.

Scripta in ſeceſſu.

Mat. 16. 18.

Mat. 22. 32.

Non hæc labes lapſos omnes invaſit, ut inſolenter pacem depoſcant.

Scripſerunt autem mihi nuper quidam de Lapſis humiles, & mites, & trementes, & metuentes Deum, & qui in Eccleſia ſemper glorioſe, & [3] granditer operati ſunt; & opus (f) ſuum [4] Domino imputaverunt, ſcientes illum dixiſſe: Et cum hæc omnia feceritis, dicite: Servi ſupervacui ſumus; quod debuimus facere, fecimus. Quæ illi cogitantes, & quamvis libello à Martyribus accepto, ut tamen à Domino ſatisfactio ſua admitti poſſit, orantes ſcripſerunt mihi, ſe delictum ſuum cognoſcere, & pœnitentiam veram agere, nec ad pacem temere, aut importune properare; ſed expectare præſentiam noſtram, dicentes pacem quoque ipſam, ſi eam nobis præſentibus acceperint, dulciorem ſibi futuram. Quibus quantum gratulatus ſim, Dominus teſtis: [5] qui dignatus eſt oſtendere quid ejuſmodi & tales ſervi de ejus benignitate mereantur. [6] Quas literas cum nuper acceperim, & nunc aliud ſcripſiſſe vos legerim, peto diſcernatis deſideria veſtra, & qui-

Luc. 17. 10.

(a) Loquitur Eccleſiæ, *Bod.* 1. (b) Hoc ita divina lege, *Bod.* 1. cum hoc ita, *Bod.* 1. (c) *Sic*, *Bod.* 1. voluiſſe; quando, *Imp.* (d) Nec Domini, *Manut. Bod.* 1. (e) Invicta patiatur, *Bod.* 1. *Manut.* (f) Nunquam, *Bod.* 1.

1 *Et ſuper iſtam petram.*] Rigaltius ait, *Cyprianus hoc loco verba Chriſti laudantis Petrinæ fidei profeſſionem, tu es Chriſtus filius Dei viventis; cujus profeſſionis gratia Chriſtus Simoni Petrinum nomen indidit, & ſuper quam profeſſionem, velut ſuper petram, ædificaturum ſe dixit Eccleſiam ſuam, ad Epiſcopos transfert. Verba Chriſti ſunt:* σὺ εἶ πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν. *Chryſoſtomus,* τουτέστι τῇ πίστει τῆς ὁμολογίας. *Matth.* 16. 18. *Et tamen Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam: Apoſtolus Petrus, ſuper quem Dominus fundavit Eccleſiam. Et ipſe Cyprianus Epiſt.* XL. *Cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata. Quod ſic intelligi debet, ut ſit alluſio Chriſti, ſignificantis duritiem & firmitatem fidei, per exemplum & figuram petræ, ſoliditate ſua duriſſimæ. Sic & Apoſtolus piſcatores, à captura piſcium, ad hominum capturam traduxit.* δεῦτε ὀπίσω μου, *inquit,* καὶ ποιήσω ὑμᾶς ἁλιεῖς ἀνθρώπων. *Plena ſunt hujuſmodi figurarum Evangelia Chriſti. Quæ homines quam plurimos divina ſua gratia ceperunt. Seneca dixit alicubi de Socrate, facetum fuiſſe, cujus ſermo per figuras procedere ſolitus erat. Hæ vero figuræ ſunt ſchemata, tropi, allegoriæ, ænigmata, ſimilitudines: quæ ſane ſermonem faciunt facundiorem.* Tantum abeſt ut verba hæc ſenſerit Cyprianus de Eccleſiæ Romanæ prærogativis fuiſſe intelligenda; ut exinde ſua & aliorum omnium Epiſcoporum jura ſtabiliat atque aſſerat. *Eccleſia* enim *ſuper Epiſcopos conſtituta.* Videantur quæ dicta ſunt libro de Lapſis. Fruſtra agunt illi qui rem ſibi confectam autumant ſi aliquando legerint, ſuper Petrum Dominum fundaſſe Eccleſiam; cum id de aliis Apoſtolis paſſim dicatur: porro in dialecto Syriaca vox ܟܐܦܐ ubique immutata permaneat; & apud Græcos ipſos, perinde ſit ſive πέτρου ſive πέτρῳ dixeris.

2 *Ut Eccleſiæ nomine literas facerent.*] Voces has prius deſideratas, omnino textui inſeri debere, res ipſa monet.

3 *Granditer operati.*] Rigaltius ait, *Magnifice, pro majeſtate ac diſciplina fidei Chriſtianæ. Sic Martialis in rebus ſeculi dixerat, grande opus, & grandia verba. Gloſſæ veteres,* μεγαλοεργώς, *Magnopere.* Μεγαλοεργία, *magnificium. Tertullianus grande officium. Juvenalis, grande carmen, pro Tragico. Tertul. grandiores fabulæ. Granditatem verborum, Cic. de cla. or. ubi de grandiloquentia Demoſthenis. Ipſe Cyprianus infra Epiſt.* XXXIII. *Verba ſublimia dixit, quæ Chriſtianæ fidei teſtimonium dixerunt.*

4 *Domino imputaverunt.*] Quicquid bene ab ipſis geſtum divinæ gratiæ acceptum referebant. Aut ſi lectio codicis Bodleiani admittenda; non bene olim facta lapſui ſuo oppoſuerunt. Ac ſi Deus ob merita fuiſſet veniæ debitor.

5 *Qui dignatus eſt oſtendere.*] Rigaltius ait, *In ſomnis. Per viſum. In viſione. Supra Epiſt.* VII.

6 *Quas literas cum nuper acceperim.*] Pamelius ait, *Deſiderantur tam hæ literæ lapſorum, quam illæ ad quas reſpondet, quæ ſi exſtarent, jam libelli Martyrum forma nobis nota foret.* Imo nota eſt ex Epiſt. 23.

1 *Gaio*

An. 250. & quicunque estis qui has literas nunc misistis, nomina vestra libello subjiciatis, & libellum cum singulorum nominibus ad me transmittatis; ante est enim scire quibus rescribere habeam: tunc ad singula quæ scripsistis pro loci, & actus nostri mediocritate rescribam. Opto vos, fratres carissimi, semper bene valere, & secundum Domini disciplinam quiete & tranquille agere. Valete.

EPISTOLA XXXIV.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros Ep. XXVIII. In Erasmi Edit. deest. In Manut. l. 5. Ep 3. Presbyter qui cum Lapsis communicat, communione arcendus.

INTEGRE & cum disciplina fecistis, fratres carissimi, quod (a) consilio Collegarum meorum qui præsentes erant, [1] Gaio (b) Diddensi Presbytero, & Diacono ejus censuistis non communicandum: qui communicando cum Lapsis, & [2] offerendo oblationes eorum, in pravis erroribus suis frequenter deprehensi, & semel, atque iterum, secundum quod mihi scripsistis, à Collegis meis moniti ne hoc facerent, in præsumtione & audacia sua pertinaciter perstiterunt, decipientes quosdam fratres ex plebe nostra; quibus nos omni (c) humilitate consultum cupimus, & quorum saluti non (d) adulatione composita, sed sincera fide, prospicimus; ut vera pœnitentia, & gemitu & dolore pleno (e) Dominum deprecentur, quia scriptum est; Memento unde cecideris, & age pœnitentiam. Et iterum loquitur scriptura divina: sic dicit Dominus: Cum conversus gemueris, tunc salvaberis, & scies ubi fueris. Ingemiscere autem & agere pœnitentiam quomodo possunt; quorum gemitibus & [3] lacrymis intercedunt quidam de Presbyteris, ut communicandum cum illis temere existiment? nescientes (f) quia scriptum est; Qui vos (g) felices dicunt, in errorem vos mittunt, & semitam pedum vestrorum turbant. Merito salubria nostra & vera consilia nihil promovent, dum blanditiis & palpationibus pernicioſis (h) veritas impeditur; & patitur lapsorum saucia & ægra mens, quod corporaliter quoque ægri & infirmi sæpe patiuntur: ut dum salubres cibos & utiles potus, quasi amaros & abhorrentes respuunt, & illa quæ oblectare & ad præsens suavia videntur esse, appetunt; perniciem sibi, & mortem per inaudientiam & intemperantiam provocent: nec proficiat ad salutem artificis medela vera (i) dum blandimentis decipit dulcis illecebra. Vos itaque secundum literas meas fideliter & salubriter consulentes, à consiliis melioribus ne recedatis. Legite vero has easdem literas & Collegis meis, si qui aut præsentes fuerint, aut supervenerint, ut unanimes & concordes, ad fovenda & sananda lapsorum vulnera consilium salubre teneamus, tractaturi plenissime de omnibus, cum convenire in unum per Domini misericordiam cœperimus. Interea si quis immoderatus, & præceps, sive de nostris Presbyteris vel Diaconibus, sive de peregrinis ausus fuerit ante sententiam nostram communicare cum lapsis, à communicatione nostra arceatur; apud omnes nos causam dicturus temeritatis suæ, quando in unum permittente Domino, convenerimus.

Scripta in secessu.

Apoc. 2. 5.

Isa. 30. 15.

Isai. 3. 12.

Quæritur qua pœna animadverti in illos deberet, qui curam sibi in Ecclesia commissam, dereliquerunt.

Desideraſtis quoque ut de Philumeno, & Fortunato Hypodiaconis, & Favorino Acolutho, qui medio tempore recesserunt, & nunc venerunt, quid mihi videatur rescribam. [4] Cui rei non (k) potui me solum judicem dare, [5] cum multi adhuc de Clero absentes sint, nec locum suum vel (l) sero repetendum putaverunt, & hæc singulorum tractanda sit, & limanda plenius ratio, non tantum cum Collegis meis, [6] sed & cum plebe ipsa universa: expensa enim moderatione libranda & pronuncianda res est, quæ

(a) Ex consilio, *Bod.* 1. (b) Didensi, *Bod.* 1. (c) Utilitate consultum, *Bod.* 1. (d) Adulatione corrupta, *Bod.* 1. (e) Domini, *Bod.* 1. (f) Scriptum esse, *Bod.* 1. (g) Beatos esse, *Bod.* 1. (h) Saturatis, veritas, *Bod.* 1. (i) Blandientis, *Rigalt. ex conject.* (k) Puto, me debere sententiam dare, *Bod.* 1. (l) Sorte repetendum, *Bod.* 1.

[1] *Gaio Diddensi.*] Pamelius ait, *Si quid in re incerta divinare licet, fit mihi verisimile, Diddam pagum quempiam fuisse in diœcesi Carthaginiensi, & Gaium hunc fuisse illius loci Presbyterum, id est, quem nunc vocamus Pastorem sive Curatum, idque quia Diaconi illius mentionem facit.* Porro locum admodum obscurum fuisse hinc licet conjicere, quia non alibi de eo occurrit mentio.

[2] *Offerendo oblationes eorum.*] Rigaltius ait, *Etenim Presbyteri & Diaconi, intempestive ac præmature cum Lapsis communicando, oblationes eorum, hoc est orationes & eleemosynas, pœnitentiam nondum probe consignatam, crudas adhuc operationes, ac per hoc divinæ majestati minime gratas, allegassent. Nimirum pœnitentes, & Presbyteris & Diaconis & omnibus fratribus legationes deprecationum suarum injungebant, ut ait Tertullian. lib. de pœnit.* Videantur quæ dicta in notis ad Epist. 5. De oblatione vero pro mortuis quæ habentur in notis ad Ep. 2. Porro observari potest quod in Epist. 16. ubi passim in Exemplaribus legitur, *Offertur nomen eorum.* Latinus Latinius, legendum suadet, & codicis cujusdam Vaticani fidem appellat, *offertur nomine eorum*, quæ quidem lectio videtur magis apposita.

[3] *Lacrymis intercedunt.*] Obicem illis ponunt. Impediunt. Quomodo Tribuni interceſſerunt; hoc est rem, pro magistratus potestate, impediverunt.

[4] *Cui rei non potui me solum judicem dare.*] Rigaltius ait, *Sic supra: solus rescribere nihil potui.*

[5] *Cum multi adhuc.*] Quæstio hæc non tantum ad Philumenum, Fortunatum, & Favorinum, spectat; sed plurimos alios qui forte graviore pœna digni, siquidem *nec locum suum vel sero repetendum putaverunt.*

[6] *Sed & cum plebe ipsa universa.*] Invita aut inscia plebe, nihil in Ecclesia geri sæpius monitum.

An. 250. quæ in posterum circa ministros Ecclesiæ constituat exemplum. [1] Interim se à divisione mensurna tantum contineant, non quasi à Ministerio Ecclesiastico privati esse videantur, sed ut integris omnibus ad nostram præsentiam (a) differantur. Opto vos, fratres carissimi, semper bene valere. Fraternitatem universam salutate, & valete.

(a) Et cognitio hæc differatur, *Bod.* 1.

[1] *Interim se à divisione mensurna tantum contineant.*] Rigaltius ait, *Sic edidit Pamelius, cum antea legeretur in libris quidem impressis, à divisione mensurantium: in manuscriptis autem quibusdam, à ditione; in aliis, aditione. At in nonnullis ex utraque conflata est tertia, quam esse arbitror veram, Interim se à dictione mensurnantium contineant. Hoc est, non dicant se mensurnantes, non habeantur in numero mensurnantium, nihil capiant ex divisionibus mensurnis, quarum fiet mentio Epist.* XXXIX. *Sane Pamelii conjectura eo minus ferenda est, quod apertissime repugnat auctoris menti. Nam hoc in primis cavet Cyprianus, ne quid absente se decernatur in causa Philumeni, Fortunati, & Favorini, sed ut integris omnibus ad suum reditum differantur: Pamelius contra, ut se interim à divisione mensurna tantum abstineant. Cyprianus eos ab Ecclesia sic abstinet, ut nec mensurnantes dici velit. Cujus appellationis æque ac sportulantium rara sunt in libris hodie vestigia.* Conjecturæ Rigaltii refragatur non modo Epist. 39. Sed & optimus codex Bodleianus primus, qui expresse habet, *à divisione mensurna.* Porro nec locum habet Latinii conjectura, qui legendum suadet *aditione mensurnantium.* scil. à consuetudine ceterorum Presbyterorum. Tertulliani ævo, *Modicam unusquisque stipem menstrua die, apponebat.* Quam sic collatam, *depositum pietatis* appellat, Apologet. c. 39. Videntur isti fugitivi censuræ Ecclesiasticæ subjecti, quæ dicitur suspensio à beneficio. Sed causa hæc cautius videbatur pertractanda, quia ipse Cyprianus ob secessum suum, simili invidia premebatur.

EPISTOLA XXXV.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus Romæ consistentibus fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros XXIX. in Erasm. Edit. deest. in Manut. l. 5. Ep. 5. Plebs Carthaginiensis certior redditur de temeritate lapsorum qui pacem deposcebant.

ET dilectio communis & ratio exposcit, fratres carissimi, nihil conscientiæ vestræ subtrahere de his quæ apud nos geruntur, ut sit nobis circa utilitatem Ecclesiasticæ administrationis commune consilium: nam posteaquam ad vos literas feci, quas misi per Saturum Lectorem, & Optatum Hypodiaconum fratres nostros, de (a) quorundam [1] prospecta temeritate, qui pœnitentiam agere, & Deo satisfacere detrectant, literas ad me fecerunt; pacem non dandam sibi postulantes, sed quasi jam datam sibi vindicantes, quod dicant Paulum omnibus pacem dedisse, sicut in literis eorum, quarum exemplum ad vos transmisi, legetis. Simul quid & ego eis breviter interim rescripserim; sed & quales postea ad Clerum literas fecerim; ut scire possetis; hujus quoque rei exemplum vobis misi. Quod si ultra temeritas eorum nec meis nec vestris literis compressa fuerit, nec consiliis (b) salutaribus obtemperaverit, agemus ea quæ secundum Evangelium [2] Dominus agere præcepit. Opto vos, fratres carissimi, semper bene valere. *Scripta in secessu.*

(a) *Sic*, *Bod.* 1. de quorundam temeritate, *Manut.* (b) Salubribus obtemperaverit, *Bod.* 1.

[1] *Prospecta temeritate.*] Deliberata. Tertull. in Apologet. c. 6. *Etiam circa ipsos Deos vestros quæ prospecte decreverant Patres vestri, iidem vos obsequentissimi rescidistis.*

[2] *Dominus agere præcepit.*] Nimirum quod Matt. 18. 17. dicitur. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

EPISTOLA XXXVI.

Cypriano Papæ Presbyteri & Diacones Romæ consistentes, Salutem.

Ad Pamelii numeros XXX. In Erasmi Edit. deest. in Manut. l. 5. Ep. 13. Ecclesia Romana certior sententiam suam de Lapsis, cum Carthaginiensis decretis consentientem proponit.

CUM perlegissemus, (a) frater, literas tuas quas per Fortunatum Hypodiaconum miseras, gemino fumus dolore perculsi, & duplici mœrore confusi, quod neque tibi requies ulla in tantis persecutionis necessitatibus traderetur; & lapsorum fratrum immoderata petulantia usque ad periculosam verborum temeritatem producta denotaretur. Sed quanquam nos atque animum nostrum ista, quæ diximus, graviter adfligerent; tamen mœroris nostri tam gravem sarcinam, vigor tuus, & secundum Evangelicam disciplinam adhibita severitas (b) temperat: dum & quorundam improbitatem (c) juste coercet, & hortando ad pœnitentiam, viam legitimam (d) salutis ostendit. Quos quidem satis mirati sumus ad hoc usque prosilire voluisse, ut tam *Scripta in secessu.*

(a) Frater carissime, *Bod.* 1. (b) Temperata, *Bod.* 1. (c) Juste coerces, & cohortando, *Bod.* 1. (d) Salutis ostendis, *Bod.* 1.

[1] *Tam*

An. 250. [1] tam urgenter, & tam immaturo atque acerbo tempore, [2] in tam ingenti & immenſo crimine, atque delicto; pacem ſibi non tam peterent, quam vindicarent, imo jam & in cœlis habere ſe dicerent.

Lapſis adhibita indulgentia, ad Evangelii normam exigitur.

Qui ſi habent, quid petunt, quod tenent? ſi autem non habere illos probatur, hoc ipſo quod petunt, cur non judicium eorum ſuſtinent, à quibus petendam pacem, quam utique non habent, putaverunt? Quod ſi (a) aliunde prærogativam communicationis habere ſe credunt, cum Evangelio illam conferre conentur, ut ita demum firmiter valeat, ſi ab Evangelica lege non diſſonat. Ceterum quo pacto Evangelicam poterit præſtare communicationem, quod contra Evangelicam decretum (b) videtur veritatem? Nam cum omnis prærogativa ita demum [3] ad indulgentiæ privilegium ſpectet; ſi ab eo (c) cui ſociari quærit non (d) diſcrepet; qui à Deo, cui ſociari quærit, diſcrepat, neceſſe eſt indulgentiam & privilegium ſocietatis amittat. Videant igitur quid in hoc negotio (e) agere conentur. Nam ſi aliud quidem Evangelium, aliud autem Martyres dicunt poſuiſſe decretum; collidentes contra Evangelium Martyres, utrobique periclitabuntur. Nam & Evangelii fracta jam & jacens videbitur eſſe majeſtas; ſi potuit alterius decreti novitate ſuperari: Et de Martyrum capite glorioſa confeſſionis corona detracta; ſi non illam de Evangelii conſervatione invenientur conſecuti unde Martyres fiunt; ut merito nulli magis ſit competens nihil contra Evangelium decernere, quam qui Martyris (f) nomen laborabat accipere. Illud præterea vellemus addiſcere, ſi Martyres non propter aliud martyres fiunt, niſi ut non ſacrificantes; teneant Eccleſiæ uſque ad effuſionem ſanguinis ſui pacem; ne cruciatus dolore ſuperati perdendo pacem, perdant (g) ſalutem, quam ſi ſacrificaſſent ſe habituros non putaverunt; illis exiſtiment donandam, qui ſacrificaſſe dicantur: cum legem hanc debeant in aliis tenere, quam ipſi videbantur ſibi ante poſuiſſe?

Argumento eſt pacem à Confeſſoribus conceſſam, gratia tantum & favore inniti, quod lapſi ad Epiſcopos remittantur.

In quo negotio, hoc ipſum, quod pro ſe ipſis facere putaverunt, animadvertimus contra ſe ipſos protuliſſe. Nam ſi dandam illis pacem Martyres putaverunt, cur ipſi non dederunt? cur illos ad Epiſcopum, ut ipſi dicunt, remittendos cenſuerunt? Is enim qui jubet fieri, poteſt utique facere, quod fieri jubet. Sed ut intelligimus, immo ut res ipſa loquitur & clamat, ſanctiſſimi Martyres utrobique adhibendum putaverunt temperamentum & pudoris & veritatis. Nam & quia à multis urgebantur, (h) dum [4] ad Epiſcopum illos remittunt, verecundiæ propriæ ne ulterius inquietarentur conſulendum putaverunt: & dum illis non ipſi communicant, Evangelicæ legis illibatam ſinceritatem cuſtodiendam judicaverunt. [5] Tu tamen, frater, nunquam pro tua caritate deſiſtas lapſorum animos temperare, & errantibus veritatis præſtare medicinam; licet (i) animus ægrorum, medentium reſpuere ſoleat induſtriam. Recens eſt lapſorum nuper hoc vulnus, & adhuc in tumorem plaga conſurgens: & idcirco certi ſumus, quod ſpatio productioris temporis impetu iſto conſeneſcente, amabunt hoc ipſum, ad fidelem ſe dilatos eſſe medicinam, ſi tamen deſint, qui illos arment ad periculum proprium, & in perverſum inſtruentes, pro ſalutaribus (k) dilationum remediis, exitioſa depoſcant illis properatæ communicationis venena.

Seditioſa pacis poſtulatio, Feliciſſimi factioni imputanda.

Neque enim credimus ſine inſtinctu quorundam, auſuros fuiſſe omnes tam petulanter (l) ſibi pacem vindicare. [6] Novimus Carthaginienſis Eccleſiæ fidem, novimus inſtitutionem, novimus humilitatem: unde etiam mirati ſumus, quod quædam [7] in te per Epiſtolam injecta durius notaremus: cum amorem veſtrum mutuum, & caritatem exemplis multis reciprocæ adfectionis in vos invicem ſæpe comperiſſemus. Tempus eſt igitur ut agant delicti pœnitentiam, ut probent lapſus ſui dolorem, ut oſtendant verecundiam, ut monſtrent humilitatem, ut exhibeant modeſtiam; ut de ſubmiſſione provocent in ſe Dei clementiam, & de honore debito (m) in Dei ſacerdote, eliciant in ſe divinam miſericordiam. Quanto meliores ipſorum literæ fuiſſent, ſi pro ipſis preces ſtantium humilitate ipſorum adjutæ fuiſſent, quoniam & facilius impetratur, quod petitur, quando is pro quo petitur, condignus eſt, ut quod petitur, impetretur.

Quod

(a) Alicunde, *Bod.* 1. (b) Videbitur veritatem, *Bod.* 1. (c) *Sic*, *Bod.* 1. qui, *Imp.* (d) Diſcrepat, *Bod.* 1. (e) Agere cogentur, *Bod.* 1. (f) Nomen ex Evangelio laborat, *Bod.* 1. (g) Quo pacto ſalutem quam ſe ſi ſacrificaſſent habituros, *Bod.* 1. (h) Qui ad Epiſcopum, *Bod.* 1. (i) Animus ægrotans, *Bod.* 1. (k) Dilationis, *Bod.* 1. (l) Sibi jam pacem, *Bod.* 1. (m) *Sic*, *Bod.* 1. In Dei ſacerdotem, *Manut. Morel.*

1 *Tam urgenter.*] Rigaltius ait, *Mox dicet, tam petulanter.*

2 *In tam ingenti & immenſo crimine.*] Rigaltius ait, *Idololatria. Mox dicet, atque delicto. ἀποστασίᾳ. Ipſe Cyprianus delictorem poſuit pro deſertore.*

3 *Ad indulgentiæ privilegium.*] Pamelius ait, *Vides hic bis uſitatam, Chriſtiane lector, vocem indulgentiæ, in eadem prorſus ſignificatione, qua nunc utimur: habes eandem ſupra bis repetitam Epiſt.* 20. *& Epiſtola quoque ſequenti.* Itane ex Romanæ Eccleſiæ uſu, Theſaurus iſte omnium Epiſcoporum fidei eſt concreditus, nec Pontificis Romani eſt prærogativa? Itane mortuis hic ex Martyris noſtri placitis poſt Purgatorii flammas, aditus in cœlum panditur? Aut demum Cypriani ſeculo cœlum venale exponebatur?

4 *Ad Epiſcopum illos remittunt.*] Rigaltius ait, *In eo nervum diſciplinæ infringi cenſebat B. Martyr, quod à Martyribus libelli corrogarentur, cum tamen ii pacem dare non poſſent, ſed ad Epiſcopos ſuos unumquemque mittere ſolerent.*

5 *Tu tamen frater.*] Rigaltius ait, *Fratrem vocant Epiſcopum Carthaginis, quem initio Epiſtolæ Papam nuncuparunt.*

6 *Novimus Carthaginienſis Eccleſiæ fidem.*] Rigaltius ait, *Ipſi Romani fidem Carthaginienſis Eccleſiæ laudant.*

7 *In te per Epiſtolam injecta.*] Contumelioſe adverſus Cyprianum dicta.

An. 250. *Privatus Lambesitanus Romanam Ecclesiam minime latuit.*

1 Quod autem pertinet ad Privatum Lambesitanum, pro tuo more fecisti, qui 2 rem nobis (a) sollicitam nunciare voluisti, omnes enim (b) nos decet 3 pro corpore totius Ecclesiæ, cujus per varias quasque provincias membra digesta sunt, excubare: sed nos etiam ante literas tuas fraus callidi hominis latere non potuit. Nam (c) cum antehac quidam ex ipsius nequitiæ cohorte venisset vexillarius, Privati futurus, & fraudulenter 4 literas à nobis elicere curaret, nec quis esset, latuit, nec literas, quas volebat, accepit. Optamus te in Domino bene valere.

(a) Tanquam sollicitam, *Bod.* 1. (b) Noc docet, *Bod.* 1. (c) *Sic legitur in Veronen. Pamelius ediderat:* cum antehac quidam ex ipsius nequitiæ cohorte venisset vexillarius Privati, & furto ac fraudulenter literas à nobis elicere curaret.

1 *Quod autem pertinet ad Privatum Lambesitanum.*] Rigaltius ait, *Hunc hæreticum Epist.* LV. *in Lambesitana colonia ob multa & gravia delicta nonaginta episcoporum sententia condemnatum fuisse dicet.* Videatur Concilii Carthaginiensis suffragium LXXV.

2 *Rem nobis sollicitam.*] De qua maxime solliciti tenemur, unitate scil. Ecclesiæ: unde cum ex conciliorum decretis contingeret hæreticos communione privari, statim vicinæ Ecclesiæ certiores reddebantur.

3 *Pro corpore totius Ecclesiæ cujus per varias quasque provincias membra digesta sunt.*] Rigaltius ait, *Hæc pertinent ad sollicitudinem Cypriani erga omnes Ecclesias & ad unum illum episcopatum, cujus partem à singulis Episcopis in solidum teneri ait, libro de Unitate Ecclesiæ.*

4 *Literas à nobis elicere curaret.*] Communicatorias nimirum.

EPISTOLA XXXVII.

Cyprianus 1 Moysi & Maximo Presbyteris, & ceteris Confessoribus fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros Ep. XVI. Ad Erasm. l. 2. Ep. 4.

Confessores Romani, toties Confessores quoties rogati.

ET cunctos vos pariter & singulos (a) repræsentavit affectibus nostris, fratres carissimi, Celerinus adveniens, & fidei ac virtutis vestræ comes, & glorioſis (b) congressibus Dei miles; universos vos in illo veniente conspeximus; & cum (c) caritatem circa me vestram dulciter ac sæpe loqueretur, in ejus sermonibus vos audiebamus. Satis ac plurimum gaudeo, quando à vobis per tales talia perferuntur: vobiscum illic in carcere quodam modo & nos sumus, 2 divinæ dignationis (d) hortamenta vobiscum sentire nos credimus, qui sic vestris (e) cordibus inhæremus: honori nos vestro (f) caritas vestra individua connectit, (g) separari dilectionem spiritus non finit: vos illic confessio, (h) me affectio includit. Et nos quidem vestri diebus ac noctibus memores, (i) & 3 quando in sacrificiis 4 precem cum pluribus facimus, & cum in (k) secessu privatis precibus oramus, coronis ac laudibus (l) vestris plenam à Domino faventiam postulamus; sed ad reddendam vobis vicem minor est nostra mediocritas: plus vos datis quando nostri in oratione meministis, qui (m) 5 spirantes jam sola cœlestia, & tantum divina meditantes, ad fastigia celsiora mora ipsa passionis (n) ascenditis; longoque temporum ductu glorias vestras (o) non trahitis, sed augetis. Beatum facit prima, & una confessio: vos totiens confitemini, 6 quotiens rogati, ut de carcere recedatis; carcerem fide, & virtute (p) præeligitis: tot vestræ laudes, quot dies; quot men-

Scripta in secessu.

(a) Præsentavit, *Corb.* (b) Congressionibus, *Bod.* 1. *Thu.* (c) De caritate, *Corb.* (d) *Sic, Vat. Foss. Corb.* ornamenta, *Ver.* (e) Cordibus adhæremus, *Pem. Voss.* 2. *Eb. Lam. Lin. NC.* 1. 2. (f) Caritas nostra, *Ebor.* (g) Separari enim, *Lam.* (h) Me hic affectio, *N. Fab.* (i) Et in sacrificiis, *Lam.* (k) Secreto privatis, *MR.* (l) Vestris Domini faventiam, *Lam. Bod.* 3. *NC.* 1. 2. *Lin.* (m) Sperantes, *Bod.* 1. *Vat. Thu. Corb.* (n) Conscenditis, *Lam. NC.* 1. *Ebor.* (o) Non subtrahitis, *Bod.* 1. *Thu. Foss. Corb.* (p) Præligistis, *Lam. Ebor. NC.* 1.

1 *Moysi & Maximo.*] De temporis spatio quo Moyses & Maximus carcere inclusi fuerant, consulantur Annales.

2 *Divinæ dignationis hortamenta.*] Pro istis reposuit Rigaltius *ornamenta:* sed cum dicat Cyprianus se *in Celerini sermonibus Martyres audivisse*, magis ad rem facit ut addat se *hortamenta cum illis sentire*, quam *ornamenta.*

3 *Quando in sacrificiis precem cum pluribus facimus.*] Rigaltius ait, *Jam Tertullianus dixerat, offerre sacrificium, & Sacrificiorum orationes, & libro* IV. *adversus Marcionem, pag.* 502. *ubi agit de Novi Testamenti sacrificiis, Sacrificiorum officia potiora significari ait verbis istis Malachiæ prophetæ: Non est voluntas mea in vobis, inquit Dominus, & sacrificia vestra non excipiam de manibus vestris, quoniam à solis ortu usque ad occasum glorificatum est in nationibus nomen meum, & in omni loco sacrificium offertur nomini meo, & sacrificium mundum, scilicet simplex oratio, de conscientia pura. Libro* III. *pag.* 497. *sacrificium illud mundum sic explicat: gloriæ scilicet relatio, & benedictio, & laus, & hymni: & eodem libro pag.* 512. *Hominem quondam peccatorem, verbo mox Dei emaculatum, offerre debere munus Deo apud templum, orationem scilicet, & actionem gratiarum apud Ecclesiam per Christum Jesum catholicum Patris sacerdotem.*

4 *Precem cum pluribus facimus.*] Rigaltius ait, *Orationum sacrificia fiebant à Presbytero qui pro populo faciebat, hoc est, populi preces allegabat Deo.* Perinde est ac si dixisset, Prece Ecclesiæ publica, & nostra privata.

5 *Spirantes jam sola cœlestia.*] Rigaltius ait, *Libro de Mortalitate: positus in cœlestibus castris divina jam spirat.*

6 *Quotiens rogati ut de carcere recedatis.*] Rigaltius ait, *Rogandi formula fuit, Serva animam tuam. Consule tibi. His vocibus amici & propinqui non Christiani, monere & hortari solebant amicos sive propinquos, ne perirent sine caussa. Sic illi Christianæ veritatis & cœlestium ignari. Nam disciplina quidem vetabat, ne quis ultro se offerret. Hoc enim est præcipitis & parabolani: eadem vero disciplina cavetur, ne quis animam suam sic amet, ut pro Christi nomine ponere eam nolit. Ipse proconsul Cyprianum, quem jam Imperatorum edicta duci jusserant, hortabatur, Jusserunt te principes ceremoniari. Respondit ille: Non facio. Proconsul adjecit & ait: Consule tibi. Augustinus de passione S. Cypr. mar.*

1 *Tran-*

An. 250. menſium curricula, tot incrementa meritorum. Semel vincit qui ſtatim patitur: at qui (a) manens ſemper in pœnis, congreditur cum dolore, nec vincitur; quotidie coronatur.

Martyrum decus omnes ſeculi honores ſuperat.

Eant nunc magiſtratus & Conſules ſive Proconſules, annuæ dignitatis inſignibus & duodecim faſcibus glorientur; ecce dignitas cœleſtis in vobis honoris annui claritate ſignata eſt: (b) & jam revertentis anni volubilem circulum victricis gloriæ diuturnitate tranſgreſſa eſt. Illuminabat mundum ſol oriens & luna decurrens, ſed vobis idem qui ſolem fecit & lunam, majus in carcere lumen fuit; & in corde ac mentibus veſtris Chriſti claritudo reſplendens, horribiles ceteris atque funeſtas pœnalis loci tenebras, æterna illa & candida luce radiavit. Per viciſſitudines menſium (c) [1] tranſmeavit tempus hybernum; (d) ſed & vos incluſi tempora hyemis, perſecutionis hyeme (e) penſaſtis; Succeſſit hyemi verna temperies roſis læta, & floribus coronata; ſed vobis roſæ & flores de paradiſi deliciis aderant, & caput veſtrum ſerta cœleſtia coronabant. Æſtas ecce meſſium fertilitate fœcunda eſt, & area frugibus plena eſt; ſed vos qui gloriam ſeminaſtis, frugem gloriæ metitis: atque in Domini area conſtituti, exuri paleas inextinguibili (f) igne conſpicitis, ipſi ut tritici grana purgata & frumenta pretioſa; (g) jam purgati & conditi, [2] hoſpitium carceris horreum computatis. Nec deeſt autumno ad munera (h) fungendi temporis gratia ſpiritalis, vindemia foris premitur, & profutura poculis in torcularibus uva calcatur. Vos de Domini vinea pingues racemi, & jam maturis fructibus botri, preſſuræ ſecularis infeſtatione calcati: (i) torcular veſtrum carcere (k) torquentes, vini vice ſanguinem funditis, ad paſſionis tolerantiam fortes martyrii poculum libenter hauritis. Sic apud ſervos Dei annus evolvitur. Sic ſpiritalibus meritis, & cœleſtibus præmiis temporum viciſſitudo celebratur.

Minime promtum dicere, an beatiores illi qui ſemel an qui diu Martyres.

Beati ſatis qui ex vobis per hæc gloriarum veſtigia commeantes, jam de ſeculo receſſerunt, confectoque itinere virtutis ac fidei [3] ad complexum & oſculum Domini, Domino ipſo gaudente venerunt. Sed & veſtra non minor gloria, qui adhuc in certamine conſtituti, & (l) comitum glorias ſecuturi, pugnam diu geritis, immotaque & inconcuſſa fide ſtabiles, quotidie ſpectaculum Deo veſtris virtutibus exhibetis. Quo longior (m) veſtra pugna, hoc corona ſublimior. Agon unus, ſed multiplici præliorum numeroſitate congeſtus. Famem vincitis, & ſitim ſpernitis, & ſqualorem carceris, ac receptaculi pœnalis horrorem roboris vigore calcatis. Pœna illic (n) ſubigitur, cruciatus obteritur, nec mors metuitur, ſed optatur; (o) quæ ſcilicet immortalitatis præmio vincitur, ut vitæ æternitate, qui (p) vicerit, coronetur. Qui nunc in vobis animus, quam ſublime quam capax pectus; ubi talia & tanta volvuntur. Ubi non niſi Dei præcepta & Chriſti præmia cogitantur, voluntas eſt illic tantum Dei; & in carne adhuc licet vobis poſitis, vita jam vivitur non præſentis ſeculi, ſed futuri.

Confeſſorum in precibus ſuffragia plurimi facienda.

Nunc eſt, (q) fratres cariſſimi, ut memores mei ſitis, ut inter magnas atque divinas cogitationes veſtras, nos quoque animo ac mente volvatis, ſimque in precibus & orationibus veſtris; cum [4] vox illa purificatione confeſſionis illuſtris, & jugi honoris ſui tenore laudabilis, ad Dei aures penetrat, & aperto ſibi cœlo, de his (r) ſubacti mundi partibus ad ſuperna tranſmiſſa, impetrat de (ſ) Domini voluntate quod poſtulat. Quid enim petitis de indulgentia Domini, quod non impetrare mereamini, qui ſic Domini mandata ſer-

(a) Manens in præliis, *Lam.* (b) Etiam, *Pem.* (c) Tranſmeavit hibernus, *Bod.* 1. 3. *Lin. Ebor. NC.* 1. 2. *Thu. Foſſ.* hibernum, *Corb.* (d) Sed vos incluſi, *Bod.* 1. *Lin. Ebor. NC.* 1. 2. *Thu. Foſſ. Corb.* (e) Penſatis, *Bod.* 1. *Thu.* (f) Igne perſpicitis, *Bod.* 1. *Corb.* (g) Jam probati, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 3. *NC.* 1. 2. *Thu. Foſſ. Corb.* (h) Fugendi temporis, *Lam.* (i) Torcular noſtrum, *Man.* (k) Torquente, *Pem. Bod.* 3. *Voſſ.* 2. *Lin. Lam.* torquente ſentitis, *Thu. Foſſ.* (l) Comitum gloriam, *Pem. Lin. Ebor. NC.* 1. 2. (m) Veſtra confeſſio, *Thu. Bod.* 1. (n) Subjicitur, *Thu. Foſſ.* (o) Quo ſcilicet, *Bod.* 1. *Thu.* (p) Vicerit honoretur, *Man. Voſſ.* 1. 3. *MR. Thu. Foſſ. Corb.* vicerint honorentur, *Bod.* 1. 3. (q) Fratres beatiſſimi, *Pem. Lam. Lin. Ebor. Bod.* 3. *NC.* 2. *Corb.* (r) Subactis, *Foſſ. Corb.* (ſ) Domini bonitate, *Pem. Lin. NC.* 2. *Voſſ.* 2. *Bod.* 1. 3. *Thu. Foſſ.*

[1] *Tranſmeavit tempus hibernum.*] Crediderim veriorem eſſe lectionem, quam plurimi codices commendant, *tranſmeavit hibernum.* Sic Tertull. adv. Marc. l. 1. *Totus annus hibernum.* Porro de voce illa ſupra egimus.

[2] *Hoſpitium carceris horreum.*] Priorius ait, *Tertullianus capit.* 2. *ad Martyres eodem eloquio detonat ut Martyres adhortetur ad vincenda etiam carceris diſcrimina, ſqualorem, egeſtatem. Cuſtodiarium autem vocat ibi carcerem.*

[3] *Ad complexum & oſculum Domini.*] Rigaltius ait, *Ad propagationem nominis Chriſtiani, inter tot tamque atroces perſecutionum procellas, quæ non raro plebem, atque etiam plebi regendæ præpoſitos evertebant, omnibus modis allaborandum fuit epiſcopo, ut populum & clerum haberet devotæ Chriſto fidei retinentiſſimum. Quod cum perfici nullo magis conſilio poſſet, quam propoſita Confeſſoribus Chriſti felicitate præſentiſſima, moram ejus adipiſcendæ abrogari poſſe omnem, placuit Martyrii prærogativa. Ne forte illius obtinendæ ſpes in judicii ſive reſurrectionis tempus dilata minus ſtrenuos milites faceret. Itaque Martyres ſtatim à certamine ad coronam, hoc eſt, ad Domini complexum & oſculum miſſi. Interea vero etiam ante Martyrii conſummationem Confeſſoribus optimus indultum, ut pacem Lapſis impetrarent, quam non niſi per triſtiſſimas longi temporis auſteritates, ſecundum Eccleſiæ diſciplinam ſperare potuiſſent. Hæc igitur Epiſtola Cyprianus paratiſſima felicitatis æternæ gaudia Confeſſoribus exhibet, ut eorum exemplo ceteros ad Martyrii conſtantiam erigat accendatque.* De oſculo Domini ſuperius actum. Negotium iſtud ita explicat Rigaltius, ac ſi Epiſcoporum conſilio & artificio, propoſita eſſet Confeſſoribus Chriſti felicitas præſentiſſima. Opinionem hanc illi ex ſacris literis hauſerunt. Luc. 23. 43. Phil. 1. 23. Apoc. 14. 14. & alibi paſſim.

[4] *Vox illa purificatione confeſſionis illuſtris.*] Rigaltius ait, *Chriſtianus ſum. Tertullianus Apolog. ad tyrannum præſidem: Vociferatur homo, Chriſtianus ſum, quod eſt dicit: tu vis audire quod non eſt. Purificationem confeſſionis dicit Cyprianus, quia martyrii baptiſmo, ſive lavacro ſanguinis pro Chriſto fuſi omnia delicta purgantur. Vocem illuſtrem dicit, quemadmodum Celerinus Epiſt. ad Lucianum, dicit, Floridam confeſſionem. Hoc eſt purpuream, ſanguineam.*

An. 250. ſervaſtis; qui Evangelicam diſciplinam ſincero fidei vigore tenuiſtis, qui incorrupto honore virtutis, cum præceptis Domini, & cum Apoſtolis ejus fortiter ſtantes, nutantem multorum fidem Martyrii veſtri veritate ſolidaſtis? Vere Evangelii teſtes, & vere Martyres Chriſti radicibus ejus innixi, (a) [1] ſuper petram robuſta mole fundati, diſciplinam cum virtute junxiſtis, ad timorem Dei ceteros provocaſtis, martyria veſtra exempla feciſtis. Opto vos, fortiſſimi ac beatiſſimi fratres, ſemper bene valere, & noſtri meminiſſe.

(a) Super petræ robuſtam molem, *Bod.* 3.

[1] *Super petram robuſta mole fundati.*] Rigaltius ait, *Sic Epiſt.* LV. *Graves viros, & ſemel ſupra petram ſolida ſtabilitate fundatos.*

EPISTOLA XXXVIII.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus, item plebi univerſæ Salutem.

Ad Pamelii numeros Ep. XXXIII. Ad Eraſm. l. 2. Ep. 5. Certior fit Eccleſia Carthaginienſis de ordinatione Aurelii.

Scripta in ſeceſſu.

IN (a) [1] ordinationibus Clericis, fratres cariſſimi, ſolemus vos ante conſulere, & mores ac merita ſingulorum [2] communi conſilio ponderare: ſed expectanda non ſunt teſtimonia humana, cum præcedunt divina ſuffragia; Aurelius frater noſter, illuſtris adoleſcens, à Domino jam (b) probatus & in Deo ſuo carus, in annis adhuc novellus, ſed (c) in virtutis ac fidei laude provectus; minor in ætatis ſuæ indole, ſed major in honore, gemino hic agone certavit; bis confeſſus, & bis confeſſionis ſuæ victoria glorioſus; & (d) [3] quando vicit incurſu factus extorris, & cum denuo certamine (e) fortiore pugnavit, triumphator & victor in (f) prælio confeſſionis extitit: quotiens adverſarius provocare ſervos Dei voluit, totiens promtiſſimus ac fortiſſimus miles & pugnavit & vicit. (g) Parum fuerat ſub oculis ante paucorum quando extorris fiebat, congreſſum fuiſſe; meruit & in foro congredi clariore virtute, ut poſt magiſtratus etiam Proconſulem vinceret, & poſt exilium tormenta ſuperaret. Nec invenio quid in eo prædicare plus debeam, gloriam vulnerum an verecundiam morum; (h) quod honore virtutis inſignis eſt, an quod pudoris admiratione laudabilis? Ita & dignitate excelſus eſt, & humilitate ſubmiſſus, ut appareat illum divinitus reſervatum, qui ad Eccleſiaſticam diſciplinam ceteris eſſet exemplo, quomodo ſervi Dei in confeſſione virtutibus vincerent, poſt confeſſionem moribus eminerent.

Optime merentes, per gradus in Eccleſia promovendi.

Merebatur talis, clericæ ordinationis ulteriores gradus & incrementa majora, non de annis ſuis, ſed de meritis æſtimandus; ſed interim placuit ut ab officio lectionis incipiat; quia & nihil magis congruit voci, quæ Dominum glorioſa prædicatione confeſſa eſt, (i) quam celebrandis divinis lectionibus perſonare: poſt [4] verba ſublimia quæ Chriſti martyrium prolocuta ſunt, Evangelium Chriſti legere, unde Martyres fiunt: [5] ad pulpitum, poſt cataſtam venire: illic fuiſſe conſpicuum gentilium multitudini, hic à fratribus conſpici: illic auditum eſſe cum miraculo circumſtantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri. Hunc igitur; fratres dilectiſſimi, à me & à collegis qui præſentes aderant, ordinatum ſciatis; quod vos ſcio & libenter amplecti, & optare tales in Eccleſia noſtra quam plurimos ordinari. [6] Et quoniam ſemper gaudium properat, nec poteſt moras ferre

(a) De ordinationibus, *Bod.* 1. ordinandis, *Pem. Corb.* ordinationibus clericorum, *Bod.* 3. *NC.* 2. *Lin.* (b) Probatus eſt, *Voſſ.* 2. & Deo ſuo, *Voſſ.* 2. *Lam. Bod.* 3. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (c) Virtute, *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1. (d) Vicit excurſu, *Corb.* (e) Fortior pugnavit, *Bod.* 1. *Voſſ.* 2. repugnavit, *Lam. Lin.* (f) Prælio paſſionis, *Bod.* 3. confeſſionis quotiens, *NC.* 1. 2. *Ebor. Lin.* (g) Parum fuerat autem, *Bod.* 3. (h) An quod honore, *Lam.* (i) Quam celebrantibus, *Lam. NC.* 1. 2. *Lin.*

[1] *In ordinationibus clericis.*] Rigaltius ait, *Ordinare, præpoſitos facere, Lampridio. Alexander Severus ubi aliquos voluiſſet vel rectores provinciis dare, vel procuratores aut rationales ordinare, nomina eorum proponebat, dicebatque grave eſſe, quum id Chriſtiani facerent in prædicandis ſacerdotibus qui ordinandi ſunt, non fieri in provinciarum rectoribus.*

[2] *Communi conſilio ponderare.*] Rigaltius ait, *Supra. Quod jampridem communi conſilio omnium noſtrum cœperat, neceſſitate urgente promotum eſt.*

[3] *Quando vicit incurſu factus extorris.*] Rigaltius ait, *In MS. Corbeienſi legitur, Excurſu. Excurſum ſive incurſum dicit, tanquam proluſionem ad fortius certamen. Vegetius lib.* 1. *cap.* 9. *Ad curſum præcipue adſuefaciendi ſunt juniores, ut majore impetu in hoſtem procurrant.*

[4] *Verba ſublimia.*] Rigaltius ait, *Quemadmodum Perſius dixit, grandia verba morituri Catonis. Verba ſublimia, quæ ſublimiter Chriſtum confeſſa ſunt. Qualia ſunt illa Romani Martyris apud Prudentium.*

[5] *Ad Pulpitum poſt cataſtam venire.*] Rigaltius ait, *Martyr ille Romanus: Audite cuncti, clamo longe, prædico, emitto vocem de cataſta celſior. Cataſta, pegma plerumque ligneum, Vocem Romanam eſſe ait Caſaubonus, ſed Græcæ, vel potius Siculæ originis, ad illud Perſii ne ſit præſtantior alter, Cappadocas rigida pingues plauſiſſe cataſta. Martialis dixit, tabulata. Cataſtæ ferreæ martyres impoſiti, illic erant conſpicui gentilium multitudini. Unde glorioſiſſimum fuit Aurelio, ab illa cataſta, ubi Chriſtum fortiſſime confeſſus erat, ad conſimilem in Eccleſia machinam veniſſe, ut in conſpectu fratrum divinas lectiones perſonaret. Lectores in Eccleſia ſacras lectiones de pulpito recitabant, ſive de ambone. Hinc etiam illa apud Scriptores Eccleſ.* καθίσταται ἐν ἄμβωνι, ἐν δεικτηρίῳ. *Epiſtola ſeq. dicet, in loco altiori conſtitui glorioſos vultus. Confeſſorum ſcilicet, adhuc in ordine Lectorum.*

[6] *Et quoniam ſemper gaudium properat.*] Rigaltius ait, *Quæ dehinc ſequuntur, depravatiſſima ſunt in editione Pamelii. Emendavimus ex Veronenſi & Corbeienſi: Et quoniam ſemper gaudium properat, nec poteſt moras ferre lætitia, Dominico legit interim nobis, id eſt, auſpicatus eſt pacem, dum dedicat lectionem.*

re

An. 250. re lætitia. [1] Dominico legit interim (a) nobis, id eſt, auſpicatus eſt pacem, dum dedicat lectionem. Vos orationibus frequenter inſiſtite, & preces noſtras veſtris precibus adjuvate, ut Domini miſericordia favens nobis, [2] cito plebi ſuæ & ſacerdotem reddat incolumem, & Martyrem cum ſacerdote Lectorem. Opto vos, (b) fratres cariſſimi, in Deo Patre & Chriſto Jeſu ſemper bene valere.

(a) Nobis, hoc die auſpicatus eſt, dum, *Ebor.* (b) Cariſſimi ſemper, *Pem. Voſſ.* 2. *Lam. Lin. NC.* 1. 2. & noſtri meminiſſe, *Lam. NC.* 1.

nem. Hæc vero mens Cypriani. Aurelius noſter, ordinatus à nobis Lector, munus illud ſuum apud Eccleſiam auſpicari debuiſſet. Verum cum huc adpulerit à Martyrio tam glorioſe reverſus, excipi ſane debuit à nobis ſumma cum lætitia: Et quoniam ſemper gaudium properat, nec poteſt moras ferre lætitia, interea dum ſeſe vobis ille cum pace Deo favente ſiſtet, dominicis diebus hic apud nos leget. Hoc eſt, aget apud nos quod apud Eccleſiam agendum illi fuerat ſi pace frueretur, nimirum ſedatis perſecutionum furoribus. Auſpicatus eſt autem optatiſſimam Eccleſiæ pacem apud nos, dum apud nos ſuum illud novitium legendi munus Eccleſiæ dedicavit.

[1] *Dominico legit.*] Hinc quis conjiceret, lectiones ex ſacra S. non in conventibus habitis ſtationum aut aliis hebdomadæ diebus; ſed tantum dominicis celebratas, niſi ſupra dixiſſet. *Vox Dominum confeſſa in his quæ Dominus locutus eſt quotidie audiatur.*

[2] *Cito plebi ſuæ & ſacerdotem reddat incolumem.*] Rigaltius ait, *Me ſcilicet Cyprianum Epiſcopum & ſacerdotem veſtrum. Modeſte ſacerdotem ſe tantum nuncupat.* Ex Cypriani autem loquendi more, ſacerdos eſt Epiſcopus.

EPISTOLA XXXIX.

Cyprianus Presbyteris, & Diaconibus, & plebi univerſæ, fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numer. Epiſt. XXXIV. Ad Eraſm. l. 4 Ep. 5. Certior fit Eccleſia Carthaginenſis de Celerino lectore ordinato.

Scripta in ſeceſſu.

AGNOSCENDA & amplectenda ſunt, fratres dilectiſſimi, beneficia divina, quibus Eccleſiam ſuam Dominus illuſtrare temporibus noſtris & honeſtare dignatus eſt, [1] commeatum dando bonis Confeſſoribus ſuis & Martyribus glorioſis; ut qui ſublimiter Chriſtum confeſſi eſſent, Clerum poſtmodum Chriſti miniſteriis Eccleſiaſticis adornarent. Exultate itaque & gaudete (a) nobiſcum lectis literis noſtris, quibus ego & collegæ mei, qui præſentes aderant, [2] referimus ad vos, Celerinum fratrem noſtrum virtutibus pariter & moribus glorioſum, Clero noſtro non humana ſuffragatione, ſed divina dignatione conjunctum. [3] Qui cum conſentire dubitaret Eccleſiæ ipſius admonitu & hortatu in viſione per noctem compulſus (b) eſt ne negaret nobis ſuadentibus, (c) cui plus licuit, quæ & coegit; quia nec fas fuerat nec decebat ſine honore Eccleſiaſtico eſſe, quem ſic Dominus honoravit cœleſtis gloriæ dignitate. Hic ad temporis noſtri prælium (d) primus, hic inter Chriſti milites anteſignanus, hic inter perſecutionis initia ferventia cum ipſo infeſtationis principe & auctore congreſſus; dum inexpugnabili firmitate certaminis ſui adverſarium vincit, vincendi ceteris viam fecit; non brevi compendio vulnerum victor, ſed adhærentibus diu & (e) permanentibus pœnis longæ colluctationis miraculo triumphator. Per decem & novem dies cuſtodia carceris ſeptus, in nervo ac ferro fuit. Sed poſito in vinculis corpore, ſolutus ac liber ſpiritus manſit. Caro famis ac ſitis diuturnitate contabuit; ſed animam fide & virtute viventem, nutrimentis ſpiritalibus Deus pavit. Jacuit inter pœnas pœnis ſuis fortior, incluſus includentibus major, jacens ſtantibus celſior, (f) vincientibus firmior vinctus, ſublimior judicantibus judicatus; & quamvis [4] ligati nervo pedes eſſent, calcatus ſerpens & obtritus & victus eſt. Lucent in corpore glorioſo clara vulnerum ſigna; (g) eminent & apparent in nervis hominis, membris longa tabe conſumtis, expreſſa veſtigia. Sunt magna, ſunt mira, quæ de virtutibus ejus ac laudibus fraternitas audiat. Et ſi aliquis Thomæ ſimilis extiterit, qui minus auribus credat; nec oculorum fides deeſt, ut quis quod audit, & videat. In ſervo Dei victoriam (h) gloria vulnerum fecit, gloriam cicatricum memoria cuſtodit. Nec rudis iſte aut novus eſt in Celerino cariſſimo noſtro titulus gloriarum: per

Jo. 10. 27.

(a) *Sic*, *Lam. Pem. Voſſ.* 2. *Pamel.* nobiſcum literis, *Rigalt.* (b) *Sic*, *Ver. Lam. Pem. Bod.* 3. *Ebor. NC.* 1. 2. eſt negaret, *Rigalt.* (c) Cui plus licuit, &, *NC.* 1. 2. *Ebor.* (d) Primus ingreſſus, *Lam. Ebor. Ben. NC.* 1. (e) Admanentibus, *Corb.* (f) Vincentibus firmior victus, *Ebor. NC.* 1. (g) Eminent etiam apparenter in nervis hominis ac membris, *Lam. Bod.* 2. 3. (h) Gloria cicatricum memoriam cuſtodit. *Lam. Ebor. NC.* 1.

[1] *Commeatum dando bonis Confeſſoribus.*] Rigaltius ait, *Commeatum permanendi adhuc aliquantiſper in ſeculo, ut ſupra accepto poſt gloriam commeatu in Eccleſiæ laude florere. Ad hoc à Domino de media morte ſubtractus, ut infra, hac Epiſt.*

[2] *Referimus ad vos.*] Quo ſenſu referre ad ſenatum dicitur. Nimirum ut quod factum eſt, veſtro ſuffragio ratum habeatur. Saltem quoad muneris ſui utilius exercitium.

[3] *Qui cum conſentire dubitaret.*] Rigaltius ait, *Cyprianus exul ad Eccleſiæ ſuæ Presbyteros, Diaconos & plebem ſcribit, ſe una cum ſuis Collegis, qui tunc forte aderant, ordinaſſe Lectorem Celerinum multis virtutibus clarum. Celerino pro modeſtia ac pudore ſuo munus oblatum detrectanti, hæſitantique, viſam in ſomnis Eccleſiam, quæ compelleret, ne diutius obſequi Cypriano ſuadenti cunctaretur. Ait igitur Cyprianus, ſuaſu quidem ſuo ſe Celerinum adoptaſſe in clerum, Eccleſiam vero, cujus auctoritas major, compuliſſe & coegiſſe. Notanda hic etiam eſt induſtria Cypriani, viſionum efficacia tam ſuaviter utentis.*

[4] *Ligati nervo pedes.*] Priorius ait, *Memini monuiſſe me aliquando Nervum eſſe tortorum inſtrumentum quo pedes Chriſtianorum & crura alligabant, erat autem ligneum, & multis foraminibus ſeparatum, ut facilius membra torquerentur, tanta ſcilicet vi ut plerumque luxarentur. Plutarchus de Deo Socr.* τὼς πόδας ἐν τῷ ξύλῳ δεδεμένοι *alligati pedes in nervo.*

[1] *Sacrificia*

An. 250. per veſtigia cognationis ſuæ graditur, parentibus ac propinquis ſuis honore conſimili divinæ dignationis æquatur. Avia ejus Celerina jam pridem Martyrio coronata eſt. Item patruus ejus & avunculus (a) Laurentinus & Ignatius, in caſtris & ipſi quondam ſeculariibus militantes, ſed veri & ſpiritales Dei milites, dum diabolum (b) Chriſti congreſſione proſternunt, (c) palmas Domini & coronas illuſtri paſſione meruerunt. [1] Sacrificia pro eis ſemper, ut meminiſtis, offerimus, quoties [2] Martyrum paſſiones & dies (d) anniverſaria commemoratione celebramus. Nec degener ergo eſſe, nec minor poterat, quem ſic domeſticis exemplis virtutis ac fidei provocabat familiæ dignitas & generoſa nobilitas. Quod ſi in familia ſeculari prædicationis (e) & laudis eſt, eſſe Patricium; quanto majoris laudis & honoris eſt, fieri in cœleſti prædicatione generoſum? Non invenio quem beatiorem magis dicam, utrumne illos de poſteritate (f) tam clara, an hunc de origine glorioſa. Ita æqualiter apud eos (g) recurrit & commeat divina dignatio, ut & illorum coronam (h) dignitas ſobolis illuſtret, & hujus gloriam ſublimitas generis illuminet. (i) Hunc ad nos, fratres dilectiſſimi, cum tanta Domini dignatione venientem, teſtimonio & miraculo ejus [3] ipſius qui ſe perſecutus fuerat, illuſtrem, quid aliud quam ſuper pulpitum, id eſt, ſuper tribunal Eccleſiæ oportebat imponi, ut loci altioris (k) celſitate ſubnixus, & plebi univerſæ pro honoris ſui claritate conſpicuus, legat præcepta & Evangelium Domini, quæ fortiter ac fideliter ſequitur? Vox Dominum confeſſa in his quotidie, quæ Dominus locutus eſt, audiatur? Viderit an ſit ulterior gradus ad quem (l) profici in Eccleſia poſſit.

Is munere Eccleſiaſtico inprimis idoneus, qui non audiendus ſolum ſed & imitandus.

Nihil eſt in quo magis (m) Confeſſor fratribus proſit, quam ut dum Evangelica lectio de ore ejus auditur, Lectoris fidem quiſquis audierit, imitetur. Jungendus in lectione Aurelio fuerat, cum quo & divini honoris ſocietate conjunctus eſt, cum quo omnibus (n) virtutis & laudis inſignibus copulatus eſt, pares ambo, & uterque conſimiles; in quantum gloria ſublimes, in tantum verecundia humiles; quantum divina dignatione promoti, tantum ſua quiete & tranquillitate ſubmiſſi; & virtutum pariter & morum ſingulis exempla præbentes, & congreſſioni & paci congruentes, illic robore, hic pudore laudabiles. In talibus ſervis lætatur Dominus. In ejuſmodi Confeſſoribus gloriatur, [4] quorum ſecta & converſatio ſic proficit ad præconium gloriæ, ut magiſterium ceteris præbeat diſciplinæ. Ad hoc eos Chriſtus eſſe hic in Eccleſia diu voluit, ad hoc de media morte ſubtractos, [5] quadam dixerim reſurrectione circa eos facta, incolumes reſervavit; ut dum (o) nihil in honore ſublimius, nihil in humilitate ſubmiſſius à fratribus cernitur, (p) hos eoſdem (q) fraternitas ſectata comitetur. Hos tamen lectores interim conſtitutos ſciatis, quia oportebat lucernam ſuper candelabrum poni, unde omnibus luceat, & glorioſos vultus [6] in loco altiore conſtitui, ubi ab omni populo circumſtante conſpecti, incitamentum gloriæ videntibus præbeant. Ceterum Presbyterii honorem deſignaſſe nos illis jam ſciatis, ut & [7] ſportulis iiſdem cum Presbyteris honorentur, & (r) [8] diviſiones menſurnas (ſ) æquatis quantitatibus partiantur, ſeſſuri nobiſcum provectis & corroboratis annis ſuis; quamvis [9] in nullo minor poſſit videri ætatis indole, qui conſummavit ætatem gloriæ dignitate. Opto vos, fratres cariſſimi & deſideratiſſimi, ſemper bene valere.

(a) Laurentius, *Pem.* Egnatius, *Lat.* (b) Chriſti confeſſione, *Pem. Voſſ.* 2. *Lam.* (c) Palmas à Domino, *Lam. Bod.* 1. 3. (d) Anniverſarios, *Pem.* (e) Majoris & laudis, *Lam.* (f) Tam præclara, *Bod.* 3. (g) Currit & commeat, *Lam.* (h) Dignitatis ſoboles, *Lam. Ebor. NC.* 1. (i) *Sic*, *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1. 3. hinc ad nos, *Imp.* (k) Celebritate ſubnixus, *Pem.* (l) Proficiſci in Eccleſia, *Bod.* 3. (m) Confeſſor fratribus poſſit, *Pem. Voſſ.* 2. (n) Virtutis & fidei, *Lam. NC.* 1. *Ebor.* (o) Nihil in humilitate, *Bod.* 1. (p) Hoc eoſdem, *Lam. NC.* 1. (q) Fraternitas ſortita, *Bod.* 3. (r) Diviſiones menſtruas, *Pem. Lam.* (ſ) Æquales, *Bod.* 1. *Ebor. NC.* 1.

1 *Sacrificia pro eis ſemper.*] Rigaltius ait, *Græci panegyrica celebravere honori virorum fortium; qui tyrannum ſuſtulerant, aut alias pro patria feliciter pugnaverant, ut hoc exemplo ſuorum animos ad præclara facinora erigerent. Chriſtiani ſacris anniverſariis laudes Deo dicunt, commemoratis eorum nominibus qui pro fide Chriſto dicta Martyrium fortiter obierunt.* Vid. Notas ad Ep. 2. Forſitan huc ſpectant illa quæ Tertullianus habet, de corona militis.

2 *Martyrum paſſiones.*] Priorius ait, *Natalia vocat Tertullianus, Diem nimirum intelligendo qua cœlo nati ſunt.*

3 *Ipſius qui ſe perſecutus fuerat.*] Decium intellige. Supra ait, *Cum ipſo infeſtationis principe, & auctore congreſſus.*

4 *Quorum ſecta & converſatio.*] Rigaltius ait, *Ab anteceſſore ſive præceptore ſectator & ſecta: à doctore diſcipulus & diſciplina: à magiſtro miniſter & miniſterium.*

5 *Quadam reſurrectione circa eos facta.*] Rigaltius ait, *Reviviſcere videntur qui reſurgunt, evigilantes à ſomno, vel revaleſcentes à morbo, præſertim difficili.*

6 *In loco altiore.*] Rigaltius ait, *Supra dixit, ad pulpitum poſt cataſtam venire*, Epiſt. præced.

7 *Sportulis iiſdem cum Presbyteris honorentur.*] Rigaltius ait, *Sic Epiſt.* LXIX. *In honore ſportulantium fratrum. Videatur Epiſt.* XXXIV. *ſub finem.* Vid. notas in Epiſt. 1.

8 *Diviſiones menſurnas.*] Rigaltius ait, *De quantitate ſcilicet communi totius Eccleſiæ Carthaginienſis erogationi contributa. Extra hanc communem erat alia de quantitate propria Cypriani. Epiſt.* XXX.

9 *In nullo minor.*] Minor natu, qui viceſimum quintum ætatis annum nondum attigerat, & proinde ex Eccleſiæ moribus, ſacris ordinibus immaturus. Sic ſup. Ep. 38. *Minor in ætatis ſuæ indole.* Et hac Epiſt. *Nec minor poterat.*

An. 250.

EPISTOLA XL.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus & Plebi universæ, cariſſimis ac deſideratiſſimis fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros Ep. XXXV. Ad Eraſm. l. 4. Ep. 10. Certior fit Eccleſia Carthaginienſis de Numidico Presbytero ordinato.

NUNCIANDUM (a) vobis fuit, fratres cariſſimi, quod pertineat & ad communem lætitiam, & ad Eccleſiæ noſtræ maximam gloriam. [1] Nam admonitos nos & inſtructos ſciatis dignatione divina, ut [2] Numidicus Presbyter adſcribatur Presbyterorum Carthaginienſium numero, & nobiſcum ſedeat in Clero, luce clariſſima (b) confeſſionis illuſtris, & virtutis ac fidei honore ſublimis; qui hortatu ſuo (c) copioſum Martyrum numerum lapidibus & flammis necatum (d) ante ſe miſit: quique uxorem adhærentem lateri ſuo, (e) concrematam ſimul cum ceteris (vel conſervatam magis dixerim) lætus aſpexit. Ipſe ſemiuſtulatus & lapidibus obrutus, (f) & pro mortuo derelictus, dum poſtmodum filia ſolicito pietatis obſequio cadaver patris inquireret, ſemianimis inventus, (g) & extractus, & (h) [3] refocillatus à comitibus, quos ipſe præmiſerat, [4] remanſit invitus; ſed remanendi (ut videmus) hæc fuit cauſa, ut eum Clero noſtro Dominus adjungeret, & deſolatam per lapſum quorundam (i) Presbyterii noſtri copiam, glorioſis ſacerdotibus adornaret. Et [5] promovebitur quidem, cum Deus permiſerit, ad ampliorem locum religionis ſuæ, quando in præſentiam protegente Domino venerimus. Interim [6] quod oſtenditur fiat, ut cum gratiarum actione ſuſcipiamus hoc Dei munus, ſperantes de miſericordia Domini ejuſmodi ornamenta (k) complura; ut redintegrato Eccleſiæ ſuæ robore, tam mites, & humiles faciat [7] in confeſſus noſtri honore florere. Opto vos, fratres cariſſimi ac deſideratiſſimi, ſemper bene valere.

Scripta in ſeceſſu.

(a) Mandandum vobis, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (b) Confeſſionis muneri, *NC.* 2. confeſſionis & virtutis ac fidei honore, *Ebor. Lin.* (c) Glorioſam Martyrum, *Benev. Veron. Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1. 2. (d) Ante præmiſit, *Benev.* (e) Igne crematam, *NC.* 2. (f) Et pro mortuo propemodum relictus. Denique cum poſtmodum, *Benev.* (g) Et retractus, & vix refocillatus, *Veron. Manut.* (h) Refocillatus remanſit invitus, *Bod.* 1. (i) Presbyterorum noſtram copiam, *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1. noſtrorum, *NC.* 2. (k) Quam plurima, *Lam. Ebor. Bod.* 1.

[1] *Nam admonitos nos & inſtructos ſciatis dignatione divina.*] Rigaltius ait, *Sic ſolet Cyprianus, quod abſente clero per ſe ipſe facere ordinando videbatur, ad Dei monitum referre. Itaque infra dicet, interim quod oſtenditur fiat. Sic Epiſtola præcedenti, divinæ dignationis admonitu ſuſcepiſſe dicit Celerinum lectoris officium; Epiſtola quoque* 32. *præceſſiſſe ordinationem Aurelii ſuffragia divina. Hinc collige non prophanas ſed ſacras jam olim habitas ordinationes clericorum, non modo Hypodiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum, ſed & Lectorum, uſque adeo ut fere ſigna quæpiam divinitus ante ordinationem illorum contingerent.*

[2] *Numidicus Presbyter adſcribatur.*] Baronius ait, *Numidicum nullo modo à S. Cypriano ordinatum Presbyterum, ſed cum jam alterius cujuſpiam Eccleſiæ Presbyter eſſet, tam præclaro exantlato Martyrio, eo honore dignum exiſtimatum, ut in primaria totius Africæ Eccleſia Carthaginienſi, Presbyterio fungeretur. Suadent enim id illa verba: Ut Numidicus Presbyter adſcribatur Presbyterorum Carthaginienſium numero; at de nova ordinatione ipſius ne verbum quidem, ut de Lectoribus ordinatis nuper pluribus feciſſe vidimus: magnus quippe is cenſebatur honos, ut cum Epiſcopo in Cathedrali Eccleſia inter Presbyteros ſederet. Dicebantur iſtiuſmodi ſic allegandi, incardinari; atque etiam adſciti, Cardinales.* Sed id ſemper agit illuſtriſſimus Annaliſta ut veteris Eccleſiæ mores, ad præſentis ſeculi praxin accommodet. Sed non adeo promtum eſt credere; Eccleſiæ Romanæ Presbyteros, ita aliunde adſcitos, ut exinde omnes Cardinales appellarentur.

[3] *Refocillatus à comitibus.*] E mortuorum acervo extractus, & fatali illo onere levatus.

[4] *Remanſit invitus.*] Rigaltius ait, *Indicto ſibi adhuc à Domino in carne commeatu.*

[5] *Promovebitur ad ampliorem locum.*] Rigaltius ait, *Ad locum ſummi ſacerdotis, id eſt, Epiſcopi. Interim ſedebit in ordine ſecundo, qui eſt Presbyteratus. Nam & in tertio ſacerdotii gradu eſt Diaconatus, nempe & Diaconium, ſicut Presbyterium.*

[6] *Quod oſtenditur fiat.*] Rigaltius ait, *Quod oſtenditur divina, ut ſupra dixit, dignatione.*

[7] *In confeſſus noſtri honore florere.*] Rigaltius ait, *Poſt floridam ſcilicet confeſſionem.*

EPISTOLA XLI.

Cyprianus Caldonio, & Herculano Collegis; item Rogatiano, & Numidico compresbyteris, S.

Ad Pamelii numer. Epiſt. XXXVIII. In Eraſm. Edit deeſt. in Manut. l. 5 Ep. 7. Felicisſimus una cum ſeditionis ſuæ ſociis abſtinendus.

VEHEMENTER contriſtatus ſum, fratres cariſſimi, acceptis literis veſtris, ut cum mihi propoſitum ſemper & votum ſit, univerſam fraternitatem noſtram incolumem continere, & illibatum gregem, ſecundum quod caritas exigit, reſervare; nunc nuncietis Feliciſſimum multa improbe & inſidioſe eſſe molitum; ut præter (a) fraudes veteres, & rapinas, de quibus jampridem multa cognoveram; nunc quoque [1] cum Epiſcopo portionem plebis dividere, id eſt, (b) à paſtore oves, & filios à parente

Scripta in ſeceſſu.

(a) Fraudes ſuas, *Bod.* 1. (b) A paſtore oves ſeparare, & filios à parente ſecernere, *Bod.* 1.

[1] *Cum Epiſcopo portionem plebis dividere.*] Rigaltius ait, *Notum eſt illud, Dividere cum fratre nolito, quod eſt ad turpia & obſcœna productum.*

An. 251. parente ſeparare, & Chriſti membra diſſipare tentaverit: Cumque [1] ego vos pro me vicarios miſerim, [2] ut expungeretis neceſſitates fratrum noſtrorum ſumtibus, ſi qui etiam vellent [3] ſuas artes exercere, additamento quantum ſatis eſſet, deſideria eorum juvaretis: ſimul etiam & ætates eorum, & conditiones, & merita diſcerneretis; ut jam nunc ego, cui cura incumbit, omnes optime noſſem, & dignos quoque & humiles, & mites [4] ad Eccleſiaſticæ adminiſtrationis officia promoverem: (a) ille interceſſerit ne quis poſſet expungi, neve ea, quæ deſideraveram, poſſent (b) diligenti examinatione diſcerni; comminatus ſit etiam fratribus noſtris [5] qui primi expungi acceſſerant, potentatu improbo & terrore violento, quod ſecum (c) in monte non communicarent qui nobis obtemperare voluiſſent. Cumque poſt hæc omnia, nec loci mei honore motus, nec veſtra auctoritate & præſentia fractus: inſtinctu ſuo quietem fratrum turbans, proripuerit ſe cum plurimis, ducem ſe factionis, & ſeditionis principem temerario furore conteſtans (in quo quidem gratulor plurimos fratres ab hac audacia receſſiſſe, & vobis acquieſcere maluiſſe, ut cum Eccleſia matre remanerent, & ſtipendia ejus Epiſcopo diſpenſante perciperent; quod quidem & ceteros pro certo ſcio cum pace facturos, & cito ab errore temerario receſſuros) interim cum Feliciſſimus comminatus ſit, [6] non communicaturos (d) in monte ſecum, qui nobis obtemperaſſent, id eſt, qui nobis communicarent: accipiat ſententiam quam prior dixit; ut abſtentum ſe à nobis ſciat; quando ad fraudes ejus & rapinas, quas dilucida veritate cognovimus, adulterii etiam crimen accedit: quod fratres noſtri graves viri deprehendiſſe ſe nunciaverunt, & probaturos ſe aſſeverarunt. [7] Quæ omnia tunc cognoſcemus, quando in unum Collegis pluribus, permittente Deo, convenerimus. Sed & Augendus, qui nec Epiſcopum, nec Eccleſiam cogitans, pariter ſe cum illius conſpiratione ſociavit, ſi ultra cum eo perſeveraverit, ſententiam ferat, quam ille in ſe factioſus & temerarius provocavit. Sed & quiſquis ſe conſpirationi & factioni ejus adjunxerit, ſciat ſe in Eccleſia nobiſcum non eſſe communicaturum, (e) qui ſponte maluit ab Eccleſia ſeparari. Has literas meas fratribus noſtris legite, & [8] Carthaginem ad Clerum quoque tranſmittite, additis nominibus eorum, quicunque ſe Feliciſſimo junxerunt. Opto vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere.

(a) *Sic*, *Bod.* 1. illi interceſſerit, *Rig.* (b) Diligentiæ veſtræ, *Bod.* 1. (c) In morte, *Vatic.* (d) In morte, *Vatic.* (e) Qui ſe, *Bod.* 1.

[1] *Ego vos pro me vicarios miſerim.*] Rigaltius ait, *Et in iis quidem ipſum Rogatianum, quem ſupra nominavit. Epiſt.* VII.

[2] *Ut expungerentur neceſſitates fratrum noſtrorum ſumtibus.*] Rigaltius ait, *Matricula neceſſitatum continebat nomina perſonarum egentium. Cujus ergo neceſſitas beneficentia fratrum ſublevabatur, ejus & nomen expungebatur; ſic beneficentia neceſſitatem, & cum neceſſitate nomen egentis expungebat.*

[3] *Suas artes exercere.*] Rigaltius ait, *Tractavit hanc de artibus quæſtionem Tertullianus libro de Idololatria. Artes autem intellige Chriſtiano minime indignas; non ſcenicas, aut idololatriæ faventes.* Et quidem hæc vera pauperum ſublevandorum ratio; ut qui ſenectute & morbis prorſus confecti, publicis impenſis omnino ſuſtententur; ii vero qui licet ex laboribus quædam vitæ præſidia ſibi comparare poterant, & tamen quæ non familiæ nutriendæ ſuffecerint lucrari, *additamento quantum ſatis eſſet juvarentur.*

[4] *Ad Eccleſiaſticæ adminiſtrationis officia promoverem.*] Ex iſtis enim qui in pauperum matricula erant; Oſtiarii & minorum gentium clerici eligebantur. Quæ res ad œconomiæ Eccleſiaſticæ compendia ſpectabat.

[5] *Qui primi expungi acceſſerant.*] Rigaltius ait, *Sic Tertullianus dixerat, Adſunt eſſe teſtes. In aliquo exemplari legitur: qui primi expungi accerſebantur.*

[6] *Non communicaturos in monte ſecum.*] Rigaltius ait, *Sic ſupra: quod ſecum in monte non communicarent. Et hæc ſcriptura eſt omnium editionum & exemplarium, exceptis duobus Vaticanis, in quibus utrobique legitur, in morte. Quaſi Feliciſſimus ille ſit comminatus pacem nec in exitu mortalitatis daturum ſe iis qui Cypriano obtemperarent, nec celebraturum ſe oblationes & ſacrificia ob commemorationes eorum. Nihilominus vulgatam lectionem veram eſſe arbitramur. Ut Feliciſſimus proripuerit ſe cum plurimis, & per factionem adverſus Eccleſiam ſeceſſerit in montem: propterea que, ut perverſæ conſpirationis auctorem, Cyprianus contraria comminatione repercutiat. Sciat, inquit, ſe in Eccleſia nobiſcum non communicaturum. Opponens Eccleſiam fidelium, monti factioſorum. Comminatus eſt vobis, dixitque, vos non communicaturos in monte cum ipſo: Nos comminamur illi, ac dicimus non communicaturum in Eccleſia vobiſcum. Et tamen hæret ſcrupulus, quod in Epiſtolis ſequentibus non faciat mentionem montis, etſi verba multa faciat de Feliciſſimo, deque illius factione ac ſeceſſione.* Montes ſemper venerationem habuere, tanquam loca cœlo proxima: forte Feliciſſimus ideo ex cacozelia in monte docuit, & ad orandum ſeceſſit quia id à Domino factum. Matth. 5. & Luc. 6. Certe Donatiſtæ Novatianorum ſequaces, hic in Africa, Montenſes audiebant. Sed & urbs erat in vicinia Carthaginis quæ *Montis* appellationem ſortiebatur. Revera ex analogia, rectius montenſes ab urbe dicerentur, quam à montibus. Illorum accolæ, montani & monticolæ appellantur. At hic veriſimillimum videtur, locum deſignari in ipſa urbe. Ita Romæ dicitur aliquis in monte Palatino aut viminali; aut Corinthi, in Acrocorintho habitare. Arx Carthaginienſis quæ Byrſa dicebatur à Strabone l. 17. ὀφρὺς ἱκανὰς ὀχθία, perhibetur; & fortaſſis in illa urbis parte Feliciſſimus conventus ſuos habuit.

[7] *Quæ omnia cognoſcemus.*] Judicium exercebo. Inquiram. Unde dictum, Si judicas cognoſce, ſi rex es jube.

[8] *Carthaginem ad Clerum quoque tranſmittite.*] Ad Caldonium in Diœceſi ſua agentem, videntur literæ primum transmiſſæ. Nec non & Herculano, etiam Epiſcopo, pariter reddendæ, antequam fratribus Carthaginienſibus traderentur.

An. 251.

EPISTOLA XLII.

[1] Caldonius cum Herculano & Victore collegis ; item cum Rogatiano & Numidico Presbyteris, Cypriano S.

Ad Pamelii numeros Ep. XXXIX. In Erasmi edit. deest. In Manut. l. 5. Ep. 16. Felicissimus, & schismatici fautores ejus communione arcentur.

[2] ABSTINUIMUS communicatione Feliciſſimum & Augendum, item [3] Repoſtum de (a) extorribus, & Irenem Rutilorum, & Paulam ſarcinatricem : quod ex [4] annotatione mea [5] ſcire debuiſtis. [6] Item abſtinuimus Sophronium, & ipſum de extorribus Soliaſſum Budinarium.

Scripta in ſeceſſu.

(a) Extorrentibus, *Manut. Bod.* 1.

[1] *Caldonius cum Herculano & Victore.*] Rigaltius ait, *Recte quidem Pamelius hic pro Novatiano reſtituit Rogatianum. Sed alias perverſus eſt titulus, nec ſatis oſtendit ad quos Epiſtola mittatur. Apertior erit inſcriptio ex editione Manutii : Caldonius, Herculanus & Victor, Collegis : Item Rogatiano cum Numidico, Presbyteris.* Goulartius reponendum ſuadet. *Caldonius cum Collegis, Herculano, Victori, Rogatiano, & Numidico : compresbyteris, S.* Sed ſimpliciſſima videtur lectio quam tuetur, MS. Bod. 1. & interpoſito Cypriani nomine damus, nam evidenter hac Epiſtola reſpondetur præcedenti quæ à Cypriano dirigebatur Caldonio, Herculano, Rogatiano & Numidico. Notandum, quod & alibi obſervaſſe non piget, librarios in Epiſtolarum titulis deſignandis ſibi paſſim indulſiſſe.

[2] *Abſtinuimus.*] Sententiam à Cypriano latam, executioni mandando.

[3] *Repoſtum de extorribus.*] Rigaltius ait, *Qui ſcilicet, cum eſſet in Eccleſia, factus fuerat extorris propter nomen Chriſti.* Irene Rutilorum, videtur florida confeſſione Chriſtum profeſſa; Martyres enim *floridi*, *rutili* & *ruſſati* dicebantur.

[4] *Annotatione mea.*] Caldonii nimirum, qui unus Epiſtolam ſcripſit, licet alii illam ſubſcriptionibus ſuis munirent.

[5] *Scire debuiſtis.*] Cyprianus ſcilicet, qui forte honoris ergo in plurali ſalutatur; ſcribendum crediderim, *debuiſti.*

[6] *Item abſtinuimus Sophronium.*] Rigaltius ait, *Sic legenda videtur hæc clauſula : Item abſtinuimus Sophronium, & ipſum de extorribus; Soliaſſum, & Budinarium, ut tres abſtentos hic fuiſſe intelligamus. Sophronium, de extorribus ; Soliaſſum, & Budinarium.* Omnino legendum cenſeo *Soliaſſum Burdonarium*, ſive *mulionem.* 4 Reg. 5. dicitur *onus paris bardonum* ; forte à פרד Hebræo. Civitate Græca vox donatur; ſcil. legere eſt βόρδεν, βορδῶνα & βορδόνιον in gloſſariis. Porro vox habetur D. l. 32. l. 49. *In legato continentur mancipia puta lecticarii, qui ſolam matremfamilias portabant; vel lectica, vel ſella, vel burdones.* Nec mirum ſi poſt Paulam ſarcinatricem, etiam Soliaſſus burdonarius occurrat.

EPISTOLA XLIII.

Cyprianus Plebi univerſæ, Salutem.

Ad Pamelii numeros Ep. XL. In Eraſm. Edit. l. 1. Ep. 8. Feliciſſimi factio quinque Presbyterorum & Confeſſorum quorundam ope, id ſatagebat ne plebs cum Epiſcopo concordaret.

QUANQUAM, fratres cariſſimi, (a) [1] Britius fideliſſimus atque integerrimus Presbyter, item Rogatianus, & Numidicus, Presbyteri, Confeſſores, & gloria divinæ dignationis illuſtres, ſed & Diaconi boni viri & Eccleſiaſticæ (b) adminiſtrationi per omnia obſequia devoti, cum ceteris (c) miniſtris plenam vobis præſentiæ ſuæ diligentiam præbeant, & exhortationibus aſſiduis ſingulos corroborare, ſed & lapſorum mentes conſiliis ſalubribus regere & reformare non deſinant; tamen ego quantum poſſum admoneo, & quo modo poſſum viſito vos literis meis. Literis, inquam, fratres cariſſimi. Hoc enim quorundam Presbyterorum malignitas & perfidia (d) perfecit, [2] ne ad vos ante diem Paſchæ venire licuiſſet: dum conjurationis ſuæ memores, & antiqua illa contra Epiſcopatum meum, imo contra ſuffragium veſtrum & Dei judicium venena retinen-

Scripta in ſeceſſu.

(a) Viritus, *MR. Thu.* (b) Adminiſtrationis, *Mich. Vict.* (c) Miniſteriis, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Thu. Mich.* (d) *Sic*, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Thu. Mich. Bod.* 1. 2. perficit, *Rigal. Vict.* perfert, *Bod.* 3.

[1] *Britius fideliſſimus.*] Britius, Rogatianus, & Numidicus, tres omnino Presbyteri in fide permanſerunt ; quando quinque ad Feliciſſimi partes deſciverunt. Nimirum Fortunatus, Jovinus, Maximus, Donatus & Gordius; de quibus videantur Annales. An. 251. Parag. 2. Et fortaſſe hic erat rerum novandarum prætextus, quod cum Presbyteri abſente Epiſcopo æquo jure agerent, & tanquam ſenatus Eccleſiæ negotia communibus ſuffragiis adminiſtrarent ; cum major numerus apud ſchiſmaticos eſſet, illi qui partes adverſas tuebantur pro ſchiſmaticis habiti fuerant.

[2] *Ne ad vos ante diem Paſchæ venire licuiſſet.*] Rigaltius ait, *Omnia tunc ſchiſmatici turbaverant in Eccleſia Carthaginenſi, auctoritatem ſibi arrogantes pacis dandæ lapſis, cauſſa nondum ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ normam ſatis examinata. Ideoque Cyprianus reditum ſuum differendum ſibi eſſe duxit, ne ad feriarum Paſchalium ſolennia, plebis concurſus, Epiſcopi reducis invidioſa præſentia, novarum occaſionem turbarum præberent factioſis. Hæc ipſa Cypriani verba pagina ſequenti, ſatis innuunt ; dum per minas & per inſidias perfidorum cavemus ne advenientibus nobis tumultus illic major oriatur.* Imo ex mora hoc lucri fecit Cyprianus, ut ſchiſmaticorum invidiæ non ſolus eſſet expoſitus; ſed Epiſcoporum, quibus ſolenne erat ut poſt paſcha convenirent, ſuffragiis & auctoritate fulciretur.

An. 251. nentes, inſtaurant veterem contra nos impugnationem ſuam, & ſacrilegas machinationes inſidiis ſolitis (a) denuo revocant. Et quidem de Dei providentia nobis hoc nec volentibus nec optantibus, imo & (b) ignoſcentibus, & tacentibus, pœnas quas meruerant rependerunt, ut à nobis non ejecti (c) ultro ſe ejicerent, ipſi in ſe pro conſcientia ſua ſententiam darent, ſecundum veſtra divina ſuffragia; conjurati & ſcelerati de Eccleſia ſponte ſe pellerent. (d) Nunc apparuit, (e) Feliciſſimi factio unde veniſſet, quibus radicibus & quibus viribus ſtaret. Hi fomenta olim quibuſdam Confeſſoribus & hortamenta tribuebant, ne concordarent cum Epiſcopo ſuo, nec Eccleſiaſticam diſciplinam cum fide & quiete juxta præcepta Dominica continerent, ne confeſſionis ſuæ gloriam incorrupta & immaculata converſatione ſervarent. Ac ne parum fuiſſet corrupiſſe quorundam Confeſſorum mentes, (f) & contra ſacerdotium Dei portionem ruptæ fraternitatis armare voluiſſe; nunc ſe ad lapſorum perniciem venenata ſua deceptione verterunt, ut ægros & ſaucios, & ad capienda fortiora conſilia per calamitatem ruinæ ſuæ minus idoneos, & minus ſolidos, à medela vulneris ſui avocent, & intermiſſis precibus & orationibus, quibus Dominus longa & continua ſatisfactione placandus eſt, ad exitioſam temeritatem mendacio captioſæ pacis invitent. Sed oro vos, fratres, vigilate contra inſidias Diaboli, & pro veſtra ſalute ſolliciti contra mortiferam fallaciam diligentius excubate.

Schiſmaticorum ſeditio, perſecutio eſt alia.

Perſecutio eſt hæc alia & alia tentatio, & quinque [1] iſti Presbyteri nihil aliud ſunt quam quinque primores illi, qui edicto nuper magiſtratibus fuerant copulati, ut (g) fidem noſtram ſubverterent, ut (h) gracilia fratrum corda (i) ad letales laqueos prævaricatione veritatis averterent. Eadem nunc ratio, eadem rurſus everſio, per quinque Presbyteros Feliciſſimo copulatos, ad ruinam ſalutis inducitur, ut non rogetur Deus, nec qui negavit Chriſtum, eundem Chriſtum quem negaverat deprecetur; poſt culpam criminis tollatur & pœnitentia: nec per Epiſcopos & (k) ſacerdotes Domino ſatisfiat, ſed relictis Domini ſacerdotibus contra Evangelicam diſciplinam nova traditio ſacrilegæ inſtitutionis exſurgat; cumque ſemel placuerit tam nobis quam Confeſſoribus & [2] Clericis urbicis, item univerſis Epiſcopis vel in noſtra Provincia, vel trans mare conſtitutis, ut nihil innovetur circa lapſorum cauſam, niſi omnes in unum convenerimus, & collatis conſiliis cum diſciplina pariter & miſericordia temperatam ſententiam fixerimus; contra hoc conſilium noſtrum rebelletur, (l) & omnis ſacerdotalis auctoritas & poteſtas factioſis conſpirationibus deſtruatur. Quas nunc pœnas patior, fratres cariſſimi, quod ipſe ad vos in præſentiarum venire non poſſum; ipſe ſingulos aggredi, ipſe vos ſecundum Domini & Evangelii ejus (m) magiſterium cohortari? (n) Non ſuffecerat exilium [3] jam (o) biennii, & à vultibus atque ab oculis veſtris lugubris ſeparatio, dolor jugis & gemitus, qui me ſolum ſine vobis continua lamentatione (p) diſcruciat: lacrymæ diebus ac noctibus profluentes, quod ſacerdoti, quem tanto amore & ardore feciſtis, nec dum vos ſalutare, & nec dum complexibus veſtris inhærere contingat. Acceſſit hic tabeſcenti animo noſtro dolor major, quod in tanta ſollicitudine ac neceſſitate [4] excurrere ad vos ipſe non poſſum, dum per minas & per inſidias perfidorum cavemus, ne advenientibus nobis tumultus illic major oriatur; & cum paci & tranquillitati Epiſcopus providere in omnibus debeat, ipſe (q) materiam ſeditioni dediſſe, & perſecutionem denuo exacerbaſſe videatur. Hinc tamen, fratres dilectiſſimi, hinc admoneo pariter & conſulo, ne pernicioſis vocibus temere credatis, ne fallacibus verbis conſenſum facile commodetis, ne pro luce tenebras, pro die noctem, pro cibo famem, pro potu ſitim, venenum pro remedio, mortem pro ſalute ſumatis. (r) Ne ætas vos eorum nec auctoritas fallat; qui ad duorum Presbyterorum veterem nequitiam reſpondentes, ſicut illi Suſannam pudicam corrumpere & violare conati ſunt: ſic & hi adulterinis doctrinis Eccleſiæ pudicitiam corrumpere, & veritatem Evangelicam violare conantur. Clamat & dicit Dominus; Nolite audire ſermones pſeudoprophetarum, [5] quoniam viſiones cordis eorum fruſtrantur eos. Loquuntur, ſed non ab ore Domini. Dicunt eis qui abjiciunt verbum Domini: Pax erit vobis. Pacem nunc offerunt, qui ipſi non habent pacem. (s) In Eccleſiam lapſos reducere & revocare promittunt, (t) qui de Eccleſia receſſerunt. Dan. 13. 20. Jer. 23. 16.

Deus

(a) Denuo renovant, *Pem. Bod.* 1. 2. *Voſſ.* 2. *Ebor. Lam. Thu. Foſſ. Vict.* (b) Ignorantibus, *Pem.* (c) Ipſi ſe ejicerent, *Bod.* 1. *Thu.* (d) Nunc apparebit, *Lin.* (e) Feliciſſimi provectio, *Vic. Fat.* profectio, *Thu.* (f) Et adverſus diſpoſitionem domini & ſacerdotum, *Lin. Thu. Vat. Foſſ. Vict.* & ſacerdotum, *Pem. Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. (g) Fidem noſtram ſubruerent, *Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. NC.* 1. *Lin.* (h) Fragilia fratrum, *Ver. Lin. Nic. Fab.* (i) Allectare, *Bod.* 1. *Thu.* (k) Sacerdotes Domini, *Thu.* (l) Ut omnis, *Vat.* (m) Miniſterium, *Nic. Fab.* (n) Nos affectat, *Lam.* nos affecerat, *Ebor. NC.* 1. (o) Biennio, *Foſſ. Vict.* (p) Diſcrutiant, *Thu.* (q) Materiam ſeditionis, *Neap.* magiſterium, *Thu.* (r) Nec ætas, *Pem. Bod.* 3. *Voſſ.* 2. *Lam. Thu. Foſſ. Vict.* (s) In Eccleſia lapſos, *Vict.* (t) Qui de Eccleſiæ communione receſſerunt, *NC.* 1.

1 *Iſti Presbyteri nihil aliud ſunt quam quinque primores illi.*] Rigaltius ait, *Quam exquiſite omnia quæ ad ſuam cauſam faciunt congerit, ut invidiam adverſario faciat! Quinque Presbyteros, qui ſe Feliciſſimo ſociaverant, ut calumniam & periculum Cypriano crearent, à Deo ſibi oſtenſos ac ſignificatos eſſe ait per illos quinque primores qui magiſtratuum adverſus Chriſtianos edicto ſubſcripſerant ac proinde quinque illos Presbyteros non minore dignos odio, quam illos quinque primores perſecutionis fautores.*

2 *Clericis urbicis.*] Romanæ Eccleſiæ, quorum literas ſupra hac de re habemus.

3 *Jam biennii.*] Quod primum annum excedit ſequenti accenſetur.

4 *Excurrere ad vos non poſſum.*] Rigaltius ait, *Ante diem Paſchæ, ut ſupra hac Epiſtola dixit.*

5 *Quoniam viſiones cordis.*] LXX. habent. μεταιδσιν ἐαυτοῖς ὁράσεις ἀπὸ καρδίας αὐτῶν λαλοῦσι. Cyprianus legiſſe videtur, μεταιδσιν αὐτοῖς ὁράσεις καρδίας αὐτῶν.

1 *Cathe-*

An. 251. *Deus unus, & Christus unus, & una Ecclesia.*

Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & [1] cathedra una (a) super Petrum Domini voce (b) fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri præter unum altare, & unum sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quodcunque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur. Procul ab hujusmodi hominum contagione discedite, & sermones eorum velut (c) cancer & pestem fugiendo vitate, prædicente Domino & dicente: Cæci sunt duces cæcorum: cæcus autem cæcum ducens, simul in foveam cadent. (d) [2] Intercedunt precibus vestris, quas nobiscum diebus ac noctibus Deo fundatis, ut eum justa satisfactione placetis; intercedunt lacrymis nostris, quibus commissi delicti crimen abluitis: intercedunt paci, quam vere & fideliter de Domini misericordia postulatis, nec sciunt scriptum esse: Et Propheta ille aut somnium somnians, ille qui locutus est, ut errare te faceret à Domino Deo tuo interficietur. Nemo vos, fratres, (e) errare à Domini viis faciat. Nemo vos Christianos ab Evangelio Christi rapiat. Nemo filios Ecclesiæ de Ecclesia tollat. Pereant sibi soli, qui perire voluerunt. Extra Ecclesiam soli remaneant, qui de Ecclesia recesserunt. Soli cum Episcopis non sint, qui contra Episcopos rebellarunt, Conjurationis suæ pœnas soli subeant, (f) qui olim secundum (g) vestra suffragia nunc secundum Dei judicia, sententiam conjurationis & malignitatis suæ subire meruerunt. Monet nos Dominus in Evangelio suo, dicens: Rejicitis mandatum Dei ut traditionem vestram statuatis. Qui mandatum Dei rejiciunt, & traditionem suam statuere conantur, fortiter à vobis & firmiter respuantur. Sufficiat lapsis ruina una, nemo volentes surgere sua circumventione præcipitet. Nemo jacentes pro quibus nos rogamus, ut Dei manu & brachio subleventur, prosternat gravius & deprimat. Nemo semianimes, & ut salutem suam pristinam recipiant, deprecantes, ab omni spe salutis avertat. Nemo nutantibus lapsus sui caligine, omne (h) itineris salutaris lumen extinguat. Instruit Apostolus, dicens; Si quis aliter docet & non acquiescit sanis verbis Domini nostri Jesu Christi & doctrinæ ejus, (i) stupore elatus est; discedendum ab hujusmodi. Et iterum dicit ipse: (k) Nemo vos decipiat inanibus verbis. [3] Propter ea enim venit ira Dei super filios contumaciæ. Nolite ergo esse participes eorum: non est, quod decepti inanibus verbis, pravitatis eorum incipiatis esse participes. Discedite à talibus, quæso vos, & acquiescite consiliis nostris, qui pro vobis quotidie continuas Domino preces fundimus, qui vos ad Ecclesiam (l) revocari per Domini clementiam cupimus, qui de Deo pacem plenissimam prius matri, tum & filiis ejus oramus. Cum precibus atque orationibus nostris vestras quoque orationes & preces jungite; cum fletibus nostris vestras lacrymas copulate. Vitate lupos, qui oves à pastore secernunt: vitate linguam diaboli venenatam, qui ab initio mundi fallax semper & mendax mentitur ut fallat: blanditur, ut noceat: bona promittit, ut malum tribuat: vitam pollicetur, ut perimat. Lucet nunc quoque verba ejus, & venena manifesta sunt: pacem pollicetur, ne perveniri possit ad pacem: salutem promittit, ne qui deliquit veniat ad salutem; Ecclesiam spondet; quando id agat, ut qui illi credit, in totum ab Ecclesia pereat.

Mat. 16. 18.

Luc. 11. 18.

2 Tim. 2. 17.

Mat. 15. 14.

Deut. 13. 5.

Marc. 7. 9.

1 Tim. 6. 3.

Eph. 5. 6.

Non confessio sed perseverantia Deo commendat.

Nunc est, fratres dilectissimi, ut & qui statis fortiter perseveretis, & stabilitatem vestram gloriosam, quam in persecutione tenuistis, perpetua firmitate servetis, (m) & si qui circumveniente adversario lapsi estis, in secunda hac tentatione spei & paci vestræ fideliter consulatis; & ut vobis Dominus ignoscat, à sacerdotibus Domini non recedatis; cum scriptum sit: Et homo quicunque fecerit in superbia, ut non exaudiat sacerdotem, aut judicem quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille. Persecutionis istius novissima hæc est, & extrema tentatio, [4] quæ & ipsa cito Domino protegente transibit, (n) ut repræsenter vobis post Paschæ diem cum collegis meis; quibus præsentibus secundum arbitrium quoque vestrum, & (o) omnium nostrum commune consilium, [5] sicut semel

Deut. 17. 12.

(a) Super Petram, *Foss. Vict.* (b) Fundata est, *Lam.* (c) Cancerem, *Vict.* cancrum, *Lam. NC.* 1. *Ebor.* (d) *Sic*, *Imp. Vet.* intercedunt precibus quas, *Ver.* nostris, *Rigalt.* (e) Errare à Dominicis, *Pem. Bod.* 1. (f) Qui olim secundum Dei, *Foss. Vict.* (g) Nostra suffragia, *Nic. Fab.* (h) Muneris salutaris, *Lin.* (i) Tumore elatus, *Erasm.* (k) Non sit quod decipiat vos inanibus verbis, non pravitatis eorum incipiatis esse participes, *Nic. Fab.* (l) Revocare, *Foss. Vict.* (m) Et qui circumveniente, *Pem. Voss.* 2. *Lam. Bod.* 1. 2. (n) Ut representet me, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (o) Animi nostri, *Lam. Ebor. NC.* 1.

[1] *Cathedra una super Petrum Domini voce fundata.*] Rigaltius ait, *Sic legitur in vetustissimo codice Thuani, qui prius fuerat Nic. Fabri. Sic etiam in laudatissimo illo Veronensi. Neque ambigo sic à Cypriano fuisse hoc loco citata Domini verba; Nam & Cypriani mens hoc postulat. Et ipsa Christi verba, tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Epistola* XXVII. *Petri personæ magis quam professioni adscribuntur, etsi non dixerit Christus, super hanc petram ædificaturum se Ecclesiam suam, nisi postquam Simoni nomen fecit Petro, ob præclaram illam rectæ fidei professionem, tu es Christus filius Dei vivi, quæ veræ fidei professio petra est, & super hanc petram Christus ædificavit Ecclesiam suam. Hieronymus ad ea Domini verba, Matth.* XVI. 18. *Tu es Petrus, &c. Simoni qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen: Ac secundum metaphoram petræ, recte dicitur ei, Ædificabo ecclesiam meam super te.* Vid. quæ dicta in l. de Unitate.

[2] *Intercedunt precibus vestris.*] Rigaltius ait, *Oppositu & interventu suo impediunt preces vestras.* De hoc vocis usu supra actum. 1 Pet. 3. 7. dicitur, bonis moribus convivendum, *ne impediantur preces.*

[3] *Propter ea.*] In impressis libris, nec non & MSS. passim legitur *propterea*; sed Apostoli verba voces distinctæ melius reddunt. Διὰ ταῦτα γὰρ ἔρχεται. unde vulgatus interpres. *Propter hæc enim*, &c.

[4] *Quæ & ipsa cito Domino protegente transibit.*] Rigaltius ait, *Sic ipse, Epist.* XXXVII. *sub finem, quæ cito vobiscum Domino protegente celebrabimus.*

[5] *Sicut semel placuit.*] Rigaltius ait, *A primordio sui Episcopatus, ut ipse testatur Epist.* V. *sub finem.*

An. 251. ſemel placuit, ea quæ agenda ſunt, diſponere pariter & limare poterimus. Si qui autem pœnitentiam agere, & Deo ſatisfacere detrectans, (a) ad Feliciſſimi & ſatellitum ejus partes conceſſerit, & ſe hæreticæ factioni conjunxerit; ſciat ſe poſtea ad Eccleſiam redire, & cum Epiſcopis & plebe Chriſti communicare non poſſe. Opto vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere, & circa Domini miſericordiam exorandam continuis nobiſcum precibus inſiſtere.

(a) In Feliciſſimi, *Lam. Ebor. NC.* 1.

EPISTOLA XLIV.

1 Cyprianus Cornelio fratri Salutem.

Ad Pamelii num. XLI. Ad Eraſm. l. 2. Ep. 11. Nuncii à Novatiano miſſi, qui illius ordinationem Eccleſiæ Carthaginienſi ſignificaverant à Cypriano rejiciuntur.

Sequuntur epiſtolæ ſcriptæ per Cornelii Pontificatum & poſt reditum.

VENERUNT ad nos, frater cariſſime, miſſi à Novatiano Maximus Presbyter & Augendus Diaconus, & Macheus quidam, & Longinus. Sed enim cum ex literis quas ſecum ferebant, & ex eorum ſermone atque aſſeveratione, Novatianum Epiſcopum factum comperiſſemus, illicitæ & contra Eccleſiam Catholicam factæ ordinationis pravitate commoti, à communicatione eos noſtra ſtatim cohibendos eſſe cenſuimus, refutatis interim ac retuſis, quæ obſtinate ac pertinaciter aſſerere tentabant. (a) Nam & ego & collegæ plurimi qui ad me convenerant, expectavimus adventum collegarum noſtrorum (b) Caldonii & Fortunati (quos ad te nuper & coepiſcopos noſtros qui ordinationi tuæ affuerant, legatos miſeramus, ut eis adventantibus, & rei geſtæ veritatem reportantibus, majore auctoritate & elucida per eos probatione, partis adverſæ improbitas frangeretur. Supervenerunt vero Pompeius & Stephanus Collegæ noſtri, qui & ipſi quoque ad inſtruendos iſtic nos, manifeſta ſecundum gravitatem ac fidem ſuam indicia ac teſtimonia protulerunt, ut nec neceſſe fuerit audiri ultra eos qui à Novatiano venerant miſſi. Qui cum (c) [2] in ſtatione invidioſis quoque convitiis & clamoribus turbulentis proruerent; & flagitarent, ut crimina quæ ſe afferre ac probare dicebant, publice à nobis, & à plebe cognoſcerentur; gravitati noſtræ negavimus convenire, ut Collegæ noſtri jam delecti & ordinati, & laudabili multorum ſententia comprobati, (d) ventilandum ultra honorem maledica æmulantium voce pateremur. Et quia, quibus refutati & compreſſi ſunt, & illicitis conatibus hæreſim feciſſe nudati ſunt, in Epiſtolam congerere longum fuit; ex Primitivo compresbytero noſtro pleniſſime ſingula, quando ad vos venerit audietis. Ac ne eorum furens audacia unquam deſiſteret, hic quoque in ſchiſmatis partes Chriſti membra diſtrahere, & Catholicæ (e) Eccleſiæ corpus unum ſcindere ac laniare nituntur; ut oſtiatim per multorum domos, vel oppidatim per quaſdam civitates diſcurrentes, obſtinationis ſuæ, (f) & [3] erroris ſibi quærant comites. Quibus ſemel reſponſum dedimus, nec (g) mandare deſiſtimus, ut pernicioſa (h) diſſenſione & concertatione depoſita impietatem eſſe ſciant, matrem deſerere: & agnoſcant atque intelligant, Epiſcopo ſemel facto, & collegarum ac plebis teſtimonio (i) & judicio comprobato, alium conſtitui nullo modo poſſe: (k) proinde ſi pacifice ſibi, ac fideliter conſulunt, ſi ſe aſſertores Evangelii Chriſti eſſe confitentur, prius ad Eccleſiam revertantur. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere.

(a) Nam ego, *Thu. Corb. Foſſ.* jam & ego, *Bod.* 1. *Lin.* (b) Calidonii, *Foſſ. Mich. Vict.* (c) In ſtationem, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. 2. (d) Ventilari, *Bod.* 1. 2. *Thu. Foſſ. Corb. Vict. Mic.* (e) Eccleſiæ corpus ſcindere, *Pem. NC.* 2. (f) *Sic*, *NC.* 2. erroris ſciſſi ſibi quærant comites, *Imp.* (g) Mandare deſiſtemus, *NC.* 2. nunc dare, *Bod.* 3. (h) Diſceſſione, *Bod.* 3. (i) In Dei judicio, *Ver.* (k) Proinde pacifice ſibi ac fideliter conſuluiſſe, *Bod.* 1. 2. *Lin. Ebor. NC.* 1. 2. *Voſſ.* 2. Evangelii &, *Ebor. Lin. NC.* 1. 2.

1 *Cyprianus Cornelio.*] Dicitur hæc Epiſtola ſeptima in plurimis MSS. Thu. Foſſat. Corb. Mich. Vict. Ita proxima ſexta dicitur; & quæ inde proxima, quinta audit. Sed librariorum temeritatem in titulis deſignandis alibi notavimus.

2 *In ſtatione.*] Diei Mercurii aut Veneris, cum Eccleſia jejuniis vacaret & precibus.

3 *Erroris.*] Rigaltius ait, *Exemplaria & editiones* Sciſſi, *interponunt, ſed prava interpunctio, quæ ſenſum turbavit, reſtituenda eſt, & conjungenda obſtinatio cum errore, ut jam ipſi à corpore Eccleſiæ ſciſſi, obſtinationis & erroris quærant ſibi comites.* Ego crediderim vocem *ſciſſi* à librariis interpolatam, & quia ſtatim ſeditioſi iſti, *ſciſſi corporis membra* audiunt, hic alieno in loco *ſciſſi* dicantur; unde ex MSS. ſuffragiis, vocem omiſimus.

EPI-

An. 251.

EPISTOLA XLV.

[1] Cyprianus Cornelio fratri Salutem.

Ad Pamelii num. XLII. Ad Erasm. l. 2. Ep. 10. Contumeliæ de Cornelio à Novatianis sparsæ, rejiciuntur.

QUOD servis Dei & maxime [2] sacerdotibus justis [3] & pacificis congruebat, frater carissime, miseramus nuper collegas nostros (a) Caldonium & Fortunatum; ut non tantum persuasione literarum nostrarum, sed præsentia sua & consilio omnium vestrum eniterentur, quantum possent, & elaborarent, ut ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem sciſſi corporis membra componerent, & Christianæ caritatis vinculum copularent. Sed quoniam diversæ partis obstinata & inflexibilis pertinacia non tantum [4] radicis, & matris sinum, atque complexum recusavit; sed etiam gliscente & in pejus (b) crudescente discordia Episcopum sibi constituit, & contra sacramentum semel traditum divinæ dispositionis & Catholicæ unitatis, (c) adulterum & contrarium caput extra Ecclesiam fecit: acceptis literis tam tuis, quam Collegarum nostrorum, item adventantibus bonis viris, & nobis carissimis Collegis nostris Pompeio & Stephano, à quibus hæc (d) omnia cum (e) tristitia communi (f) adserta sunt firmiter & (g) probata, secundum quod divinæ traditionis & Ecclesiasticæ institutionis sanctitas pariter ac veritas exigebat, literas nostras ad te direximus. [5] Sed & per Provinciam nostram hæc eadem Collegis singulis in notitiam perferentes, ab his quoque fratres nostros cum literis (h) dirigendos esse mandavimus. Quanquam mens nostra & propositum jam tunc fratribus & plebi istic universæ (i) manifestatum fuisset, quando literis nuper ab utraque parte susceptis tuas literas legimus, & (k) Episcopatus tui ordinationem singulorum auribus intimavimus. Honoris etiam communis memores, & gravitatis sacerdotalis ac sanctitatis respectum tenentes, ea quæ ex diverso (l) in librum ad nos transmissum congesta fuerant acerbationibus criminosis, respuimus; considerantes pariter & ponderantes, quod in tanto fratrum religiosoque conventu, considentibus Dei sacerdotibus & altari posito, nec legi debeant, nec audiri. Neque enim facile promenda sunt, & incaute ac temere publicanda, (m) quæ discordioso stylo scripta audientibus scandalum moveant, & fratres longe positos ac trans mare constitutos incerta opinione confundant. Viderint qui vel furori suo, vel libidini servientes, & divinæ legis ac sanctitatis immemores, jactitare interim gestiunt quæ probare non possunt; & cum innocentiam destruere atque expugnare non valeant, satis habent fama mendaci, & falso rumore maculas inspergere.

Scripta post reditum.

Episcopis & clericis convenit criminationes mendaces respuere.

Certe quod præpositis & sacerdotibus congruit, danda opera est, ut talia, cum à quibusdam scribuntur, per nos respuantur. Ubi enim erit quod discimus, ac docemus scriptum esse: Contine linguam tuam à malo, & labia tua ne (n) loquantur insidiose? Item alibi: Os tuum abundavit malitia, & lingua tua complectebatur insidias: sedens adversus fratrem tuum detrahebas, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum. Item quod Apostolus dicit: [6] Omnis sermo malus de ore (o) vestro non procedat, (p) sed bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus; Porro hæc fieri debere ostendimus, si, quando talia quorundam calumniosa temeritate conscripta sunt, legi apud nos non patimur. Et idcirco, frater carissime, cum ad (q) me talia de te & compresbyteris tecum considentibus scripta venissent, quæ religiosam simplicitatem sonabant, nec ullis maledictorum & convitiorum latratibus perstrepebant, clero & plebi legi præcepi. Quod autem scripta collegarum nostrorum qui illic ordinationi tuæ

Pſ. 33. 13.

Pſ. 49. 20.

Eph. 4. 29.

(a) Calidonium, *Foſſ. Vict. Mich.* (b) Recrudescente, *Bod.* 2. 3. *NC.* 1. *Ebor.* Gliscente impetu, & crudescente, *NC.* 2. divinæ dispensationis, *Corb.* (c) Alterum & contrarium, *Lin.* (d) Hæc omnia nobis, *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Voſſ.* 2. *Manut.* (e) Lætitia, *Lam. Bod.* 3. *Foſſ. Mich. Ebor. Voſſ.* 2. *Manut.* (f) Asseverata, *Thu. Foſſ. Manut. Mich.* (g) Probata quibus cognitis secundum, *Ver.* (h) Redigendos, *Bod.* 3. *Lin. Ebor. NC.* 1. *Foſſ. Vict. Mich.* (i) Manifestum, *Bod.* 3. (k) Sanctitatis tuæ, *Ver.* (l) In librum missum, *Bod.* 1. 2. *NC.* 1. 2. *Lin. Ebor. Thu. Foſſ. Mich.* (m) Quæ discordiæ foculo audientibus, *Bod.* 3. quæ discordia sint & inobaudientibus scandalum moveant, *Corb.* quæ discordioso stylo scandalum, *Bod.* 1. 2. *NC.* 1. 2. *Lin. Ebor. Thu. Foſſ. Corb. Mich. Vict.* (n) Loquantur dolum insidiose, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin. Bod.* 2. (o) Vestro non exeat, *Lin. NC.* 2. (p) Sed si quis bonus, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. (q) Talia adversum, *Ebor. Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. 2.

[1] *Cyprianus Cornelio fratri.*] Rigaltius ait, *Non solum inscriptio, sed tota Epistola fraterna, & ex æquo.*

[2] *Sacerdotibus justis.*] Rigaltius ait, *Hoc est, legitimis: rite ac legitime ab Ecclesia constitutis.*

[3] *Et pacificis.*] Rigaltius ait, *Non factiosis & schismaticis.*

[4] *Radicis & matris sinum.*] Quæ non stolonis ritu seorsim excrescit; sed trunco arboris sive matrici insistit. Nec illic tanquam insititium germen, & adulter atque alieni generis surculus, caput attollit.

[5] *Sed & per Provinciam nostram.*] Africam, Numidiam, & utrasque Mauritanias, quæ sedi Carthaginiensi subjectæ.

[6] *Omnis sermo malus de ore vestro non procedat.*] Rigaltius ait, *Hoc est, nullus sermo malus de ore vestro procedat. Ipse Cyprianus lib.* III. *Testim.* 113. *Omnem viduam & orphanum non vexabitis. Sic in Psal.* CXLVII. 8. *Non fecit taliter omni nationi, hoc est, nulli nationi fecit taliter. Sic apud Juvenalem, sine omni labe, hoc est, sine ulla. Absque labe ulla. Sat.* XIV.

An. 251. tuæ affuerant deſideravimus ; non veteres mores obliti, novum aliquid quærebamus ; nam ſatis erat, ut tu te (a) [1] Epiſcopum (b) factum literis nunciares ; niſi eſſet ex diverſo diſcrepans factio, quæ criminoſis & calumnioſis commentis ſuis collegarum pariter ac fratrum plurimorum turbaret mentes, & corda (c) confunderet. Cui rei ſopiendæ neceſſarium duximus, ut ſcribentium nobis inde collegarum noſtrorum firma & ſolida auctoritas pararetur : qui moribus ac (d) vitæ & diſciplinæ tuæ condigna literarum ſuarum teſtimonia prædicantes, æmulis quoque & rerum vel novitate, vel pravitate gaudentibus, omnem ambigendi & diſcrepandi ſcrupulum ſuſtulerunt ; & ſecundum conſilium noſtrum ſalubri ratione (e) libratæ in hoc fluctu æſtuantium fratrum mentes, ſincere ac firmiter tuum [2] ſacerdotium probaverunt. Hoc enim vel maxime (f) frater & laboramus & laborare debemus ; ut unitatem à Domino, & [3] per Apoſtolos nobis ſucceſſoribus traditam, quantum (g) poſſumus, obtinere curemus, & quod in nobis eſt, (h) palabundas & errantes oves, quas quorundam pervicax factio, & hæretica tentatio à matre ſecernit, [4] in Eccleſiam colligamus ; illis ſolis foris remanentibus, qui in obſtinatione ſua vel furore perſeveraverint, & ad nos redire noluerint ; diſcretionis & ſeparationis à ſe factæ & Eccleſiæ derelictæ ipſi rationem Domino reddituri.

Certior redditur Cornelius de abſtentione Feliciſſimi, & ſociorum ejus.

Quantum vero hic (i) ad Presbyterium quorundam, & Feliciſſimi cauſam pertinet, quid hic actum ſit ut ſcire poſſes, [5] literas ad te Collegæ noſtri manu ſua ſubſcriptas miſerunt. Qui auditis eis, quid ſenſerint, & quid pronunciaverint, ex eorum literis diſces. Melius autem frater facies, ſi etiam exempla literarum, quæ ad te legenda pro dilectione communi per Caldonium & Fortunatum Collegas noſtros proxime miſeram, quæ de eodem Feliciſſimo, & de Presbyterio ejuſdem ad Clerum iſtic noſtrum & ad plebem ſcripſeram, legi illic fratribus jubeas, quæ & (k) ordinationem & rationem rei geſtæ loquantur ; ut tam iſtic quam illic circa omnia per nos fraternitas inſtruatur. Exemplaria autem eadem nunc quoque per Mettium Hypodiaconum à me miſſum & Nicephorum Acoluthum tranſmiſi. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere.

(a) Factis literis Epiſcopum, *Lam. NC.* 1. *Ebor. Lin.* (b) Tot Epiſcoporum, *Bod.* 3. (c) Concuteret, *NC.* 1. *Bod.* 1. 2. *Ebor.* (d) Vitæ tuæ ſine crimine, *Lin.* (e) Libratas, *Lam. Ver. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. 2. *Lin.* liberatas, *Corb.* (f) Frater cariſſime, *Bod.* 2. (g) Poſſumus ponere, *Lin. NC.* 2. (h) Balabundas, *Ver.* (i) Ad Presbyterorum, *Ver. NC.* 2. cenſuerunt, *NC.* 1. (k) De ordinatione & ratione, *Bod.* 1.

[1] *Epiſcopum factum literis nunciares.*] Literis nimirum communicatoriis, quas Epiſcopi omnes poſt Electionem ſuam vicinis Eccleſiis de more miſerunt. Unde ludit operam Pamelius qui hinc præeminentiam Romani Pontificis nobis commendat.

[2] *Sacerdotium.*] Epiſcopatum. Presbyter enim olim fuerat Cornelius.

[3] *Per Apoſtolos nobis ſucceſſoribus.*] Sententia hæc à Cypriano fere perpetuo ingeritur, quod ſupra adnotavimus.

[4] *In Eccleſiam colligamus.*] Rigaltius ait, *Eccleſiaſtica ſynaxi :* nam qui aliter congregant, ſpargunt.

[5] *Literas ad te Collegæ noſtri.*] Synodicas nimirum de abſtentione Feliciſſimi & presbyterorum qui ejus partes tuebantur, & ſe pro Eccleſiæ Carthaginienſis presbyterio venditabant ; quos per contemtum Cyprianus Feliciſſimi presbyterium appellat.

EPISTOLA. XLVI.

Cyprianus Maximo & Nicoſtrato, & ceteris Confeſſoribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros Ep. XLIV. In Eraſm. Edit. l. 3. Ep. 2. Cyprianus hortatur Confeſſores Romanos qui Novatiano conſenſerant ut ad Eccleſiam redeant.

[1] CUM frequenter, cariſſimi, cognoveritis ex literis meis, quem & confeſſioni veſtræ honorem ; & [2] fraternitati connexæ dilectionem meo ſermone ſervaverim : credatis quæſo & acquieſcatis his literis meis ; quibus [3] vobis, & actui, ac laudibus veſtris & ſcribo, & ſimpliciter ac fideliter conſulo. Gravat enim me atque contriſtat, & intolerabilis (a) perculſi & pene proſtrati pectoris mœſtitia perſtringit ; cum vos illic (b) comperiſſem contra Eccleſiaſticam diſpoſitionem, contra Evangelicam legem, contra inſtitutionis (c) catholicæ unitatem, [4] alium Epiſcopum fieri conſenſiſſe, id eſt, quod nec fas eſt, nec licet fieri, Eccleſiam aliam conſtitui ; Chriſti membra diſcerpi, Dominici gregis animum & corpus unum, diſciſſa æmulatione lacerari. Quod quæſo ut, in vobis ſaltem, illicitum iſtud fraternitatis noſtræ diſcidium non perſeveret, ſed & confeſſionis veſtræ & divinæ traditionis memores, ad matrem revertamini unde

Scripta poſt reditum.

(a) Percuſſi, *Ver.* (b) Comperiſſem, contra Evangelicam legem, *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Thu. Vict. Mich. Ver. Vat.* (c) Catholicæ veritatem, *Lam. Bod.* 2.

[1] *Cum frequenter.*] Rigaltius ait, *Scribit ad Confeſſores Romanos Epiſcopus Carthaginis, ac de rebus eorum curam gerit, conſulit, hortatur.*

[2] *Fraternitati connexæ.*] Per regionum & marium divortia ; imo & lapſum in ſchiſma, fraternitas uſque connexa eſt. Fratris eſt orare à grege Chriſti alienos, ut ad fraternitatem redire velint.

[3] *Vobis & actui.*] Rigaltius ait, *Actum dicit, Confeſſionem nominis Chriſti. Supra dixerat, confeſſionis veſtræ honorem.*

[4] *Alium Epiſcopum fieri conſenſiſſe.*] Molliſſimis verbis, rem turpem & nefariam deſcribit Cyprianus. Pacianus totum hoc negotium, Confeſſoribus imputat. Ait enim Novatianum *Epiſcopum factum per Epiſtolam eorum qui ſe Confeſſores eſſe ſimularent.* Et ceu Schiſmatis iſtius fundum Evariſtum & Nicoſtratum paſſim fugillat, qui in ſchiſmate permanſerunt, Cypriani ſcriptis, & Maximi aliorumque Confeſſorum ad Eccleſiam reverſorum pœnitentia, minime perſuaſi.

Ad

An. 251. unde prodiiſtis, unde ad confeſſionis gloriam cum ejuſdem matris exultatione veniſtis. (a) Nec putetis ſic vos Evangelium Chriſti aſſerere, dum voſmetipſos à Chriſti grege, & ab ejus pace & concordia ſeparatis; cum magis militibus glorioſis & bonis, congruat intra domeſtica caſtra conſiſtere, & intus poſitos, ea quæ in commune tractanda ſunt, agere ac providere. Nam cum unanimitas & concordia noſtra ſcindi omnino non debeat, quia nos Eccleſia derelicta foras exire, & [1] ad vos venire non poſſumus, ut vos magis ad Eccleſiam matrem, & ad (b) noſtram fraternitatem revertamini, quibus poſſumus hortamentis petimus & rogamus. Opto vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere.

(a) Nec poteſtis, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (b) Veſtram, *Benev. Neap. Lam. Lin. Ebor. NC.* 1. 2.

1 *Ad vos venire.*] Schiſmaticis accedere. Eccleſiam unam eſſe debere ſatis in confeſſo eſt. Quando ergo non licet illis qui in Eccleſia ſunt, iſtinc egredi ut ſchiſmaticos conveniant; relinquitur ut illi qui extra ſunt redeant, & ad fraternitatem revertantur.

EPISTOLA XLVII.

Cyprianus Cornelio Fratri, Salutem.

Ad Pamelii numeros Ep. XLIII. In Eraſmi Edit. deeſt. In Manut. l. 5. Ep. 9. Cyprianus certiorem reddit Cornelium de literis à ſe ad Confeſſores miſſis.

ET religioſum (a) nobis, & neceſſarium vobis exiſtimavi, frater cariſſime, ad Confeſſores, qui illic ſunt, & Novatiani ac Novati obſtinatione & pravitate ſeducti; de Eccleſia receſſerunt, literas breves facere, quibus eos pro affectione mutua convenirem, ut ad matrem ſuam, [1] id eſt, Eccleſiam Catholicam revertantur. Quas literas tibi (b) à Mettio Hypodiacono legi prius mandavi, ne quis aliud me ſcripſiſſe fingeret, quam quod meis literis continetur. Mandavi tamen eidem Mettio, à me ad vos miſſo, ut de tuo arbitrio rem gerat, & ſi eaſdem literas Confeſſoribus putaveris eſſe (c) reddendas, tunc eas tradat. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere. *Scripta poſt reditum.*

(a) *Sic*, *Bod.* 3. *Foſſ. Vict.* Et *Pem. Voſſ.* 2. Et religioſum vobis & neceſſarium exiſtimavi, *Imp.* (b) Ab Ethippo diacono, *Mich. Foſſ. Ar. NC.* 1. *Lam. Bod.* 2. 3. ita & eidem Ethippo, *Corb.* (c) Credendas, *Foſſ. Mich. Vict.*

1 *Id eſt, Eccleſiam Catholicam.*] Rigaltius ait, *Ad Catholicam unitatem. Epiſt. ſeq. & Epiſt.* XLV. *ut Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem agnoſcant.* Quælibet Eccleſia non hæretica aut ſchiſmatica; Catholica dicitur.

EPISTOLA XLVIII.

Cyprianus Cornelio fratri, Salutem.

Ad Pamelii num. Ep. XLV. Ad Eraſm l. 4. Epiſt. 8. Excuſat Cyprianus mutatam formulam dirigendi literas ad Adrumetinos.

LEGI literas tuas, frater cariſſime, quas per [1] Primitivum compresbyterum noſtrum miſiſti, in quibus te comperi motum, quod cum de Adrumetina Colonia [2] Polycarpi nomine ad te literæ dirigerentur, poſteaquam nos, ego & Liberalis in eundem locum veniſſemus, cœpiſſent illuc ad Presbyteros & Diaconos literæ dirigi. Quod, ſcire te volumus & pro certo credere, nulla id levitate aut contumelia factum. Sed cum ſtatuiſſemus Collegæ complures, qui in unum convenieramus, ut legatis ad vos coepiſcopis noſtris Caldonio & Fortunato miſſis, omnia interim integra ſuſpenderentur, donec ad nos iidem Collegæ noſtri rebus illic aut ad pacem redactis, *Scripta poſt reditum.*

1 *Primitivum.*] De quo mentio habetur, Ep. 44.

2 *Polycarpi nomine ad ſe literæ dirigerentur.*] Notandum venit in uſu olim fuiſſe, ut cum literæ aliquæ ab Eccleſia quacunque mitterentur, Epiſcopi, licet abſens fuerit, nomen adſcriberetur. Proinde licet Polycarpum abeſſe contigerit (forte in ſynodo Carthaginienſi) quo tempore ad Cornelii literas communicatorias ab Adrumetinis reſponſum daretur, tamen ejus nomen addebatur. Inſuper notandum, ſi forte præterito Epiſcopo, ad Presbyteros, Diaconos & plebem alicujus Eccleſiæ, inſcriberentur Epiſtolæ; id indicio erat, nullum tunc temporis ibidem eſſe Epiſcopum. Hinc ortum duxit Cornelii querela, quod cum primæ literæ ab Adrumetinis miſſæ ipſi inſcriberentur; ſequentes ad Presbyteros & Diaconos erant commendatæ. Porro ſiquidem hoc eo fere tempore accidit quo Cyprianus ea in urbe diverſaretur; mutatam ſcribendi formulam, & contumeliam ejuſdem, Cypriano imputabat Cornelius. Reſpondet vero Cyprianus primo, non tam formulam dirigendi literas, quam ſcriptorem ipſum mutatum; & primam Epiſtolam quæ Polycarpi nomen præferebat, minime ab eo prodiiſſe. Secundo docet literarum ad Clerum Romanum inſcriptionem, non à ſingularis alicujus hominis, & proinde non ejus arbitrio; ſed totius Africanæ ſynodi decreto originem duxiſſe: quæ ſtatuerat *ut omnia integra ſuſpenderentur*, donec Caldonius & Fortunatus Romam miſſi, ad rem totam diligenter exquirendam, redirent. Oſtendit porro, hoc in Cornelii favorem fuiſſe deſignatum; ut non literis communicatoriis paucorum Epiſcoporum; ſed ab Africæ, Numidiæ, & utriuſque Mauritaniæ Eccleſiis omnibus, per ſynodicam earundem Epiſtolam, electio ejus agnoſceretur; nec eſſe quod aut Cornelium aut Afros conſilii iſtius pœniteret, ſiquidem *divinitus evenit*, & *providenter profecit*. Quin & de hac tranſigendi methodo olim convenïſſe conſtat, ex Epiſt. 44. & 45. Tertio demum in loco, Cornelium admonet Cyprianus, ſe perpetuo de illo & ejus rebus maxime fuiſſe ſollicitum; adeo ut quando aliqui ex Africa Romam navigarent, ſedulo eos moneret ne cum Novatiano ſentirent; ſed cum Cornelio communicarent: & *Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem agnoſcerent & tenerent.*

An. 251. redactis, aut pro veritate compertis, redirent. Presbyteri & Diaconi in Adrumetina consistentes, Polycarpo coepiscopo nostro absente; ignorabant, quid nobis in commune placuisset. At ubi nos (a) in præsentiam venimus, comperto consilio nostro, ipsi quoque, quod & ceteri, observare cœperunt, ut in nullo Ecclesiarum istic consistentium consensio discreparet.

Licet nonnulli rumoribus malignis Cypriano invidiam facerent: Nihil ab eo omissum, quod Cornelii electionem comprobaret.

Quidam tamen mentes nonnunquam & animos sermonibus suis turbant, dum aliter quædam quam se habet veritas, nunciant. Nos enim singulis navigantibus, ne cum scandalo ullo navigarent, (b) rationem reddentes, scimus nos hortatos eos esse, ut [1] Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem agnoscerent ac tenerent. Sed quoniam latius fusa est [2] nostra provincia, habet etiam (c) Numidiam, & Mauritanias duas sibi cohærentes; ne in urbe (d) schisma factum absentium animos incerta opinione confunderet, (e) placuit ut per Episcopos, retenta à nobis rei veritate, & ad comprobandam ordinationem tuam facta auctoritate majore, tum demum scrupulo omni de singulorum (f) pectoribus excusso, per omnes omnino istic positos literæ fierent, (sicuti fiunt) ut te universi Collegæ nostri & communicationem tuam, id est, Catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter & caritatem probarent firmiter ac tenerent. Quod divinitus evenisse, & consilium nostrum (g) providenter profecisse gaudemus. Sic enim nunc Episcopatus tui & veritas pariter & dignitas, apertissima luce & manifestissima, & firmissima comprobatione fundata est; ut ex rescriptis Collegarum nostrorum, qui ad nos literas inde fecerunt, & ex relatione, ac testimoniis coepiscoporum Pompeii, & Stephani, & Caldonii, ac Fortunati; ordinationis tuæ & origo necessaria, & ratio justa, & glorioſa quoque innocentia ab omnibus (h) nosceretur. Quod ut simul cum (i) ceteris Collegis nostris stabiliter ac firmiter administremus, atque ut Catholicæ (k) Ecclesiæ pacem concordiæ unanimitate teneamus, perficiet divina dignatio. Ut Dominus, qui sacerdotes sibi in Ecclesia sua eligere & constituere dignatur, electos quoque, & constitutos sua voluntate atque opitulatione tueatur, (l) gubernantes inspirans; ac subministrans, & ad improborum contumaciam frænandam, vigorem; & ad lapsorum fovendam pœnitentiam, lenitatem. Opto te, frater carissime, semper bene valere.

(a) In præsenti venimus, *Spir.* (b) Rationem reddidisse nos scimus & hortatos esse, *Spir. Innom.* (c) Numidiam & Mauritaniam sibi cohærentes, *Vet. Innom. Spir.* (d) Tua facta, *Spir.* (e) Placuit per, *Ver.* (f) Pectoribus excluso, *Ver.* (g) Processisse gaudemus, *Vet. Innom. Spir.* (h) *Sic, Vet. Innom. Spir.* Noscetur, *Rig.* (i) Ceteris quoque Collegis, *Vat.* (k) Ecclesiæ concorditer unanimitatem, *Vet. Innom. Spir.* (l) Gubernanter inspirans, *Vet. Innom. Spir.*

[1] *Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricem.*] Rigaltius ait, *Mox de communicatione Romana, dicet: Catholicæ Ecclesiæ unitatem. Sic Epist.* XLV. *radicis & matris sinum; & alibi Cathedram Petri Ecclesiam principalem. Hæc fuere tunc Monarchiæ Christianæ crepundia.* Imo vero hæc omnium ubique Ecclesiarum ex æquo sunt ornamenta. *Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt aut natæ sunt schismata, quam inde quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur.* Ut in propria causa loquitur Cyprianus Ep. 59. & Ep. 71. ait. *Quos constat à nobis ad hæreticos transisse; ad matricem redeant.* Unde non opus erat ut in calce operis, Vir eruditus in suas observationes animadverteret, & crepundiis Monarchiæ Christianæ, nescio quas phaleras, ex Avito & Ennodio subjiceret. Hoc loco id unum videtur dicere Cyprianus, spectandum in omni schismate quæ pars radici & corpori Ecclesiæ insistat, quæ autem stolonis instar succrescat: quæ cum Episcopo sentiat, quæ autem altare adversus altare constituat. Priorius ait, *Pari loquendi forma Tertullianus utitur cap.* 21. *de præscript. Constat proinde, inquit, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus & Originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenendum, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo susceperit. Sunt autem Matrices Ecclesiæ ex quibus tanquam parentibus, Christi fides ad nos pervenit, ac per orbem universum diffusa.* Ita stricte loquendo Ecclesia Hierosolymitana matrix omnium dici debet, quæ etiam à Tertull. adv. Marcion. l. 4. c. 35. *Matrix religionis* dicitur. Sic etiam appellatur in Epistola concilii Constantinopolitani ad Damasum.

[2] *Nostra provincia, habet etiam Numidiam & Mauritanias duas sibi cohærentes.*] Provincia Cypriani erat Africa proprie dicta, sive Zeugitana, ubi sita erat Carthago. Duarum Mauritaniarum mentio, fortassis ex margine irreptit; & vetus lectio quæ habet, *Numidiam & Mauritaniam*, sincerior fuerit. Mauritania teste Plinio lib. 5. cap. 1. in duas partes Cæsarienſem & Tingitanam, per C. Cæsaris sævitiam divisa. Accessit & tertia pars, Sitifensis nimirum.

EPISTOLA XLIX.

[1] Cornelius Cypriano fratri, Salutem.

Ad Pamelium num. Epist. XLVI. Ad Erasm. l. 3. Ep. 11. Cornelius certiorem facit Cyprianum de confessoribus ad pacem revocatis.

Scripta post reditum.

QUANTAM sollicitudinem, & anxietatem sustinuimus de iis confessoribus, qui dolo, & malitia hominis callidi, & veteratoris fuerant circumventi, & pene decepti, & ab Ecclesia alienati; (a) tanta lætitia adfecti sumus, & Deo omnipotenti, & Christo Domino nostro (b) gratias egimus, cum ii cognito suo errore, & intellecta hominis maligni, velut serpentis, astutia venenata, ad Ecclesiam, unde exierant, sicut ipsi ex suo corde profitentur, simplici voluntate venerunt. Et primo quidem fratres nostri probatæ fidei, amantes pacem, unitatem optantes, tumorem illorum mol-

(a) Tantum lætitia adepti sumus, *Corb.* (b) Gratias agimus, *Bod.* 1.

[1] *Cornelius Cypriano.*] Rigaltius ait, *Huic epistolæ consimilis illa videtur, quam ad Lucianum à Cornelio scriptam fuisse refert Euseb. Hist.* VII. *cap.* 33. *ubi & fortissimis Confessoribus adnumerantur Urbanus, & Siacinus, & Maximus.*

[2] *Pla-*

An. 251. mollitum jam adnunciabant, (a) fides tamen non idonea, ut facile nobis credere daretur, illos penitus esse mutatos. Postea vero Urbanus & Sidonius Confessores ad Presbyteros nostros venerunt, affirmantes Maximum Confessorem, & Presbyterum secum pariter cupere in Ecclesiam redire; (b) sed quoniam multa præcesserant ab eis designata, quæ tu quoque à coepiscopis nostris & literis meis cognovisti, ut non temere eis fides haberetur, ex ipsorum ore, & confessione, ista, quæ per legationem mandaverant, placuit audiri. Qui cum venissent, & à Presbyteris, quæ gesserant, (c) exigerentur, noviſſime quod per omnes Ecclesias literæ calumniis & maledictis plenæ, eorum nomine frequentes missæ fuissent, & pene omnes Ecclesias perturbassent: circumventos se esse affirmaverunt; nec quid in literis inesset scisse: (d) tantummodo circumductos commisisse se quoque schismatica, & hæresis auctores fuisse; ut paterentur ei manus quasi in Episcopum imponi. Qui, cum hæc, & cetera fuissent exprobrata, ut abolerentur & de memoria tollerentur deprecati sunt. Omni igitur actu ad me perlato, [1] placuit contrahi Presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi quinque, qui & hodie præsentes fuerunt, ut firmato consilio, quid circa personam eorum observari deberet, consensu omnium statueretur: Et ut motum omnium & consilium singulorum dignosceres, etiam sententias nostras placuit in notitiam vestri proferri, quas & subjectas leges. His ita gestis in Presbyterium venerunt Maximus, Urbanus, Sidonius, & Macarius, & plerique fratres qui se eis adjunxerant, summis precibus desiderantes ut ea quæ ante fuerant gesta, in oblivionem cederent, nullaque eorum mentio haberetur; proinde atque si nihil esset vel commissum, vel dictum, invicem omnibus remissis, cor mundum & purum jam Deo exhiberent; sequentes Evangelicam vocem dicentem: beatos esse puros corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Mat. 5. 8.

Solennis reditus Confessorum ad Ecclesiam describitur.

Quod erat consequens, omnis hic actus populo fuerat insinuandus, ut & ipsos viderent in Ecclesia constitutos, quos errantes & palabundos jam diu viderant & dolebant. Quorum voluntate cognita, magnus fraternitatis concursus factus est. Una vox erat omnium gratias Deo agentium, gaudium pectoris lacrymis exprimentes; complectentes eos, quasi hodie pœna carceris fuissent liberati, & ut ipsorum propria verba designem: Nos, inquiunt, Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ, electum à Deo omnipotente & Christo Domino nostro scimus. Nos errorem nostrum confitemur: nos imposturam passi sumus. Circumventi sumus perfidia, & loquacitate captiosa; Nam etsi videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico & hæretico homine (e) habuisse; sincera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit. Nec enim ignoramus unum Deum esse, unum Christum esse (f) Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum sanctum, [2] unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere. Ista eorum (g) professione non moveremur; ut quod apud potestatem seculi erant confessi, in Ecclesia constituti comprobarent? Quapropter [3] Maximum Presbyterum locum suum (h) agnoscere jussimus: ceteros cum ingenti populi suffragio recepimus. Omnia autem remisimus Deo omnipotenti, in cujus potestate sunt omnia reservata. Hæc igitur, frater carissime, (i) eadem hora, eodem momento ad te scripta transmisimus

(a) Fide tamen non idonea, haud facile nobis credere dabatur, illos repente esse mutatos, *Ver.* illos repente, *Bod.* 1. (b) Sed quoniam multa processerunt ab esse disseminata, *Ver.* & quoniam, *Bod.* 1. (c) Ingererentur, *Bod.* 1. (d) Tantummodo subscripsisse calliditate ejus circumducti, totos se commisisse quoque schismaticis, *Bod.* 1. *Vat.* neque in istis inesset utrumne scisse, tantummodo circum ductos se, ut paterentur ei manum quasi in Episcopatum imponi, qui cum & ceteris hæreticis fuissent, & ne exprobrarentur, *Ver.* nec quidem in istis literis inesset scisse; tantummodo circumductos commisisse se quoque schismati, & hæresis auctores fuisse: ut paterentur ei manum quasi in Episcopatum imponi: qui cum hæc & cetera fuissent exprobrata, ut abolerentur & de medio tollerentur, deprecati sunt, *Benev.* (e) Habuisse, certamen nostrum, *Bod.* 1. (f) Dominum nostrum, *Bod.* 1. (g) Professione quis non moveretur, *Bod.* 1. (h) *Sic*, *Corb.* ignoscere, *Rig.* (i) Eadem hora, eodemque momento, ad te scripta transmisimus, & Nicephorum Acoluthum, descendere navigandi destinatione, ad vos statim dimisimus, *Ver.* descendere ad navigandum destinatione ad vos statim dimissi, *Corb.*

[1] *Placuit contrahi Presbyterium.*] Presbyterorum Ecclesiæ Carthaginiensis consessum. Rigaltius ait, *Notandum, convocato Presbyterio interfuisse episcopos. Et Cyprianus passim non alium se dicit quam Presbyterum, quum alios appellat compresbyteros suos. Hoc tamen distabat, quod inter Presbyteros eminet Episcopus, ut Presbyter in specula constitutus. Itaque alios Episcopos in eodem officio speculandi constitutos appellat Collegas suos, sacerdotes Dei.* Bona Rigaltii cum venia, minime sequitur Cyprianum non alium fuisse quam Presbyterum, siquidem alios appellat Compresbyteros suos. Quantum interfit inter Episcopum & Presbyterum passim docet sanctissimus Martyr. Imo ex solenni ordinatione Episcoporum satis id patet. Pamelius ait, *Singulorum Episcoporum & sacerdotum sententias subjecerat epistolæ suæ Cornelius, quæ si extarent, notior foret auctoritas Cleri Romani in dicendis sententiis una cum Episcopis.* Itaque, si Pamelio credimus, eæ sententiæ perierunt damno magis Cornelii, quam Cypriani. Porro cum probationes superstites desint, illæ quæ perierunt rem Pamelii, non minus feliciter conficiunt: & Cardinalitia potestas, hoc est Presbyterorum Ecclesiæ Romanæ serenitas illustrissima, & majestas plane regia, ex quinque Episcoporum sententiis deperditis belle potuerit exsculpi. Demum non meminisse videtur Pamelius, esse Diaconos cardinales, non minus quam Presbyteros.

[2] *Unum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere.*] Rigaltius ait, *Unus Episcopus dicitur, ut Ecclesia una. Quamvis Episcopatus in plures Episcopos & plures Ecclesias sit diffusus. Ejus enim à singulis in solidum pars tenetur. Et tamen plures Episcopi & plures Ecclesiæ, quum uno spiritu, qui est Spiritus sanctus, regunt & reguntur; unus est Episcopus & una Ecclesia, quæ per tot Petros petræ conjungitur uni. Versus est Aratoris poëtæ Christiani, in Carm. de S. Stephano: Dum per tot lapides petræ conjungitur uni. Et sane dicere poterat per tot petras petræ conjungitur uni. Verum ad saxa tantum alludebat, per quæ Stephanus lapidatus in cœlum ibat ad Petram, id est, Christum.* Sed Pamelium non piguit dicere. *Unum Episcopum, simpliciter pro Romano Episcopo accipi.*

[3] *Maximum Presbyterum.*] Qua ratione Maximus in integrum fuerit restitutus, infra ad Epistolam LII. dicetur.

An. 251. mus & Nicephorum Acoluthum deſcendere ad navigandum feſtinantem ; de ſtatione ad vos ſtatim dimiſi ; ut nulla procraſtinatione habita velut præſens in iſto clero, & in iſto populi cœtu, Deo omnipotenti & Chriſto Domino noſtro gratias ageres. Credimus autem fore, quinimo pro certo jam confidimus, ceteros quoque qui in errore hoc ſunt conſtituti, in Eccleſiam brevi reverſuros, cum auctores ſuos viderint nobiſcum agere. Has literas puto te debere, frater cariſſime, & ad ceteras Eccleſias mittere, ut omnes ſciant ſchiſmatici hujus & hæretici dolum & prævaricationem (a) de die in diem evacuari. Bene vale, frater cariſſime.

(a) De die evacuare, *Corb.* per dies, *Ver.*

EPISTOLA L.

Cornelius Cypriano Fratri, Salutem.

Ad Pamelii numer. Ep. XLVIII. In Eraſmi l. 3. Ep. 12. Cornelius Cypriano rationem reddit factionis Novatiani.

Scripta poſt reditum.

NE quid minus (a) ad pœnam futuram hujus ſcelerati hominis deeſſet ; proſtratus virtutibus Dei (cum Maximus, & Longinus, & Machæus inde fuiſſent expulſi) denuo reſurrexit ; & ſicuti prioribus literis tibi, quas per Augendum confeſſorem miſi, ſignificavi ; puto Nicoſtratum, & Novatum & Evariſtum, & Primum, & (b) Dionyſium [1] illo jam perveniſſe : Invigiletur ergo, ut omnibus coepiſcopis noſtris & fratribus innoteſcat ; Nicoſtratum multorum criminum reum, & non ſolum patronæ ſuæ carnali, cujus rationes geſſit, fraudes & rapinas feciſſe ; verum etiam, [2] quod eſt illi ad perpetuam pœnam reſervatum, Eccleſiæ depoſita non modica abſtuliſſe. Evariſtum vero auctorem ſchiſmatis fuiſſe, & (c) ſuccenſorem plebi, cui ante præfuerat, Zetum in locum ejus epiſcopum eſſe conſtitutum. (d) Majora vero & graviora hic deſignavit, malitia & (e) inexplebili pravitate ſua, quam quæ illic (f) apud ſuos ſemper exercuit, ut ſcias quales duces & protectores, iſte ſchiſmaticus & hæreticus [3] lateri ſuo ſemper junctos (g) habeat.

(a) Mali quod, *Bod.* 1. (b) Zoticum, *Bod.* 1. (c) Succeſſorem, *Manut. Veron. forte* ſuccuſſorem. (d) Novatus vero ea hic deſignavit, *Bod.* 1. (e) Inexplebili avaritia, qualia, *Bod.* 1. (f) *Sic*, *Bod.* 1. ſuos, *Imp.* (g) Habeat. Bene vale frater cariſſime, *Ver. Bod.* 1.

[1] *Illo jam perveniſſe.*] In Africam trajeciſſe, cum Roma depellerentur.

[2] *Quod eſt illi ad perpetuam pœnam reſervatum.*] Rigaltius ait, *Dei judicio reſervatum. Nam Eccleſia pœnitentiæ tempus non dabit. Nec tam grave peccatum etiam in morte remittet ; niſi reſtitutione ſatisfactum fuerit.*

[3] *Lateri ſuo ſemper junctos habeat.*] Rigaltius ait, *Hinc illa Cypriani Epiſt. ſeq. pernicioſum latus fugiant.*

EPISTOLA LI.

Cyprianus Cornelio Fratri, Salutem.

Ad Pamelii numeros XLVII. Ad Eraſm. l. 2. Ep. 12. Cyprianus gratulatur Cornelio de reditu Confeſſorum.

Scripta poſt reditum.

ET egiſſe nos & agere, frater cariſſime, maximas gratias ſine ceſſatione profitemur Deo patri omnipotenti, & Chriſto ejus Domino & Deo noſtro (a) ſalvatori, quod ſic Eccleſia divinitus protegatur, ut unitas ejus & ſanctitas, (b) non jugiter nec in totum, perfidiæ & hæreticæ pravitatis obſtinatione, (c) vitietur. Legimus enim literas veſtras, & voti communis ampliſſimum gaudium exultanter excepimus : Maximum Presbyterum & Urbanum Confeſſores, cum Sidonio & Machario ad Eccleſiam Catholicam regreſſos eſſe, id eſt, errore depoſito, & ſchiſmatico, imo hæretico furore deſerto, unitatis ac veritatis domicilium fideli ſanitate repetiiſſe, ut unde ad gloriam proceſſerant, illuc glorioſi redirent : ne qui Chriſtum confeſſi eſſent, Chriſti poſtmodum caſtra deſererent, (d) nec tentarent caritatis atque veritatis fidem, qui victi robore, & virtute non fuerant. Ecce incolumis & immaculata laudis integritas, ecce incorrupta & ſolida confitentium dignitas ; à deſertoribus, & profugis receſſiſſe, proditores fidei & Eccleſiæ Catholicæ impugnatores reliquiſſe. Merito illos revertentes ſummo, ut ſcribis, gaudio & clerus & plebs, & fraternitas omnis excepit, quoniam in Confeſſoribus gloriam ſuam conſervantibus, & ad unitatem revertentibus, nemo non ſocium ſe & participem eorum gloriæ computat. Hujus diei lætitiam de noſtris poſſumus ſenſibus æſtimare. Nam cum iſtic ad literas veſtras, quas de eorum confeſſione miſiſtis, lætatus ſit omnis fratrum numerus, & ſumma alacritate hunc nuncium communis gratulationis

(a) *Sic*, *Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2. Salutari, *Imp.* (b) Non disjungatur, *Bod.* 1. *Lin.* (c) Violetur, *Pem. Ben. Lam. Ebor. NC.* 1. (d) Nec tentarentur caritatis atque unitatis fide, *Bod.* 1. 2. *Voſſ.* 2. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Benev. Manut.*

An. 251. lationis exceperit ; quid illic ubi res ipſa & præſens lætitia ſub oculis omnium gerebatur ? Cum enim Dominus in Evangelio ſuo dicat eſſe ſummum gaudium in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente : quanto majus eſt gaudium & in terris pariter & in cœlo, ſuper Confeſſoribus ad Eccleſiam Dei cum gloria ſua & cum laude redeuntibus, & redeundi viam ceteris exempli ſui fide & probatione facientibus? Hic enim quoſdam fratres noſtros error induxerat, quod (a) ſibi communicationem Confeſſorum 1 ſequi viderentur. Quo errore ſublato, lux omnium pectoribus infuſa eſt, & Eccleſia Catholica una eſſe, nec ſcindi, nec dividi poſſe, monſtrata eſt. Nec quiſquam jam facile poterit ſchiſmatici furentis verbis loquacibus decipi ; quando probatum ſit bonos & glorioſos Chriſti milites, non potuiſſe diu aliena fallacia & perfidia extra Eccleſiam detineri. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere. Luc. 15. 7.

(a) Ibi, *Pem.*

1 *Sequi viderentur.*] Rigaltius ait, *Non omnes Confeſſores improbi extitere ; horum communicationem qui ſequebantur, eos ſemper adhæſiſſe videntur Eccleſiæ. Nam & Confeſſores quidam communicare cum Eccleſia negat Cyprianus.*

EPISTOLA LII.

Cyprianus Cornelio Fratri, Salutem.

Ad Pamelii numeros Ep. XLIX. Ad Eraſm. l. 2. Ep. 8. Cyprianus Cornelio Novati ſcelera recenſet.

ET cum diligentia & (a) cum dilectione feciſti, frater cariſſime, feſtinato ad nos mittendo Nicephorum Acoluthum, qui nobis & de Confeſſoribus regreſſis glorioſam lætitiam nunciaret, & adverſus 1 Novatiani & Novati (b) novas & perniciosas ad impugnandam Chriſti Eccleſiam machinas pleniſſime inſtrueret. Nam cum pridie iſtic veniſſet hæreticæ pravitatis nocens factio ipſa jam perdita, & alios qui ſibi conſenſerint perditura, poſtero die Nicephorus cum veſtris literis ſupervenit. Quibus & didicimus, & docere atque inſtruere ceteros cœpimus, Evariſtum 2 de Epiſcopo jam nec laicum remanſiſſe, cathedræ & plebis extorrem, & de Eccleſia Chriſti exſulem, per alias longe provincias oberrare, & ipſum veritatis ac fidei naufragum factum, circa quoſdam ſui ſimiles paria naufragia (c) concitare : (d) Nicoſtratum vero, (e) 3 Diaconio ſanctæ adminiſtrationis (f) amiſſo, 4 Eccleſiaſticis pecuniis ſacrilega fraude ſubtractis, & viduaScripta poſt reditum.

(a) Et dilectione, *Bod.* 3. (b) *Sic, Voſſ.* 2. *NC.* 1. 2. *Lam. Lin. Ebor. Vet. Eraſm. Manut.* novas pernicioſas, *Rig.* (c) Cogitare, *Bod.* 1. (d) Nicoſtratum quoque, *Lamb.* (e) *Sic, Voſſ.* 2. *Lamb. Ebor. NC.* 1. 2. Diacono, *Rig.* (f) Admiſſum, *Bod.* 1. 3.

1 *Novatiani & Novati.*] Rigaltius ait, *Ambo ſchiſmatici, mox & hæretici. Novatus Presbyter Cypriani, ob flagitia & ſcelera abſtentus à Cypriano, Romam navigavit, ac ſeſe comitem addidit Novatiano Presbytero Romano, qui livore ac ſuperbia percitus, adverſus ordinationem Cornelii Epiſcopi Romani, turbas commovebat. Eoque ſubornato, conflavit hæreſin quæ dicta eſt Catharorum. Hi pœnitentiam lapſis dandam eſſe negabant. Cujus dogmatis etſi uterque eodem tempore auctor & artifex fuerit, unum tamen Novatum hæreſiarcham fuiſſe adſerunt plerique veterum. Quaſi Novatianus non jam ipſe quoque auctor, ſed adſecla & diſcipulus Novati cenſeri debeat. Hoc apertiſſime fecit Auctor libri de hæreſibus, qui liber exſtat tomo primo operum Auguſtini, ac verbis omnino iiſdem quæ leguntur in Primaſii opuſculo etiam de Hæreſibus, eademque hæreſi Catharorum, ſub numero* XXXVIII. *Pœnitentiam denegant, inquit, Novatum ſectantes hæreticum : unde etiam Novatiani appellantur. Addit Primaſius : Contra hunc beatus Xyſtus Martyr & Epiſcopus, & venerabilis Cyprianus Chriſti Martyr, tunc Carthaginienſis Pontifex ſcribit contra Novatum librum De lapſis, quod poſſint per pœnitentiam recuperare gratiam, quam labendo perdiderant : quod Novatus adſerebat fieri omnino non poſſe. Quæ poſtrema verba conſentanea ſunt illis Theodoreti de Novato,* μὴ χρῶσαι τὸς ἁρπηθέντας σωτηρίας τυχεῖν. *Sed & Theodoretus inter eos reperitur, qui Novatum Africanum minime diſtinxerunt à Novatiano Romano. Præclare autem utrumque diſcrevit Euſebius ille Hieronymus, quem Scaliger edidit, poſteriore libro Chronicorum. Novatus Presbyter Cypriani Romam veniens, Novatianum & ceteros Confeſſores ſibi ſociat, eo quod Cornelius pœnitentes apoſtatas recepiſſet. Sed & Indiculus hæreticorum à Menardo ſub ejuſdem Hieronymi nomine editus, Novatianum dicit Romæ Presbyterum fuiſſe, & adverſus Cornelium, cathedram ſacerdotalem invadere voluiſſe ; Novatianorum dogma inſtruxiſſe, apoſtatas ſuſcipi noluiſſe, & baptizatos baptizaſſe : Hujus auctorem fuiſſe Novatum Cypriani Presbyterum. Inde eſt igitur quod Pacianus ait ad Sympronianum, Novatianos de Novato aut Novatiano vocari. Utriuſque hiſtoriam idem Pacianus Epiſtola* III. *narrat elegantiſſime, & plurima Cypriani loca illuſtrat. Latini autem ſcriptores hac parte Græcis proculdubio ſunt præferendi. Hoc amplius, de Novato & Novatianis, in Photii Collectaneis reperiri, Philoſtorgium lib.* VIII. *Hiſt. Eccl. ſic de Novatianorum hæreſi cenſuiſſe, ut diceret fluxiſſe à Phrygibus, & ab ea quæ vocitata eſt* τῶν κατὰ Φρύγας, *quales fuerunt etiam Pepuzeni :* καὶ τὸν Νουάτου ἐκ φυλῆς ἑρμᾶσθαι τῶν Φρυγῶν. *qui ſeſe Catharos, puros, ac ceteris meliores eſſe jactabant. De quibus eſt apud Baſilium in epiſt. ad Amphil. eos omnes erectos ab Eccleſia fuiſſe, & ex ſententia quidem Cypriani & Firmiliani.* ἔδοξε τοῖς ἀρχαίοις, τοῖς ἀφ' ἡμῶν λέγω καὶ Φιρμιλιανὸν τὸν ἡμέτερον, πάντας μιᾷ ψήφῳ ἐκβαλεῖν.

2 *De Epiſcopo jam nec laicum remanſiſſe.*] Rigaltius ait, *Epiſcopo ſemel ab Epiſcopatu depoſito, quamvis pœnitenti, non reddebatur locus neque dignitas Epiſcopi. Pœnitentia completa reddebatur ei communio Chriſtiana, ſed laica, ita ut laicus in Eccleſia maneret. At Evariſtus de epiſcopatu depoſitus, in Eccleſia non remanſit.* Notandum, Eccleſiam aliquando de clero ſchiſmaticos, in integrum reſtituiſſe. Sic Novatianos reſtituerunt Nicæni Patres. Porro ipſos Arianos à Patribus Alexandrinis ſalvis honoribus receptos fuiſſe res ſatis nota eſt. Haud igitur mirum, ſi Maximus ad Eccleſiam redux, *locum ſuum agnoſcere* juſſus ſit : præſertim cum veriſimile fuerit, ipſum & ſocios ejus, ob confeſſionis honorem, Eccleſiæ cenſuris, atque anathematis fulmini nondum fuiſſe ſubjectos.

3 *Diaconio ſanctæ adminiſtrationis amiſſo.*] Rigaltius ait, *Hoc enim erat in Diaconio præcipuum, ſancta adminiſtratio arcæ Eccleſiaſticæ, qua ſcilicet habebantur viduarum & pupillorum depoſita. Et inter Diaconium & Diaconatum, quod inter magiſterium & magiſtratum.*

4 *Eccleſiaſticis pecuniis ſacrilega fraude ſubtractis.*] Priorius ait, *Non uno crimine hæreſeos laboraſſe videtur hic Nicoſtratus, qui mihi Archidiaconus fuiſſe videtur, cui etiam creditæ erant opes & pecuniæ Eccleſiæ, verum metu judicii ob rapinam & ſacrilegium in Africam Novatum ſecutus eſt.* Diſpiciendum, utrum Nicoſtrati ſeculo, obtinuerit Archidiaconatus munus.

An. 251. viduarum ac pupillorum depoſitis denegatis, non tam in Africam venire voluiſſe, quam (a) conſcientia rapinarum & criminum nefandorum illinc ab urbe fugiſſe. Et nunc Eccleſiæ deſertor ac profugus, quaſi mutaſſe ſit hominem, mutare regionem, Confeſſorem ſe ultra jactat & prædicat, cum Chriſti Confeſſor nec dici, nec eſſe jam poſſit, qui Eccleſiam Chriſti negavit.

Eſſe cum Chriſto non poteſt qui cum ſponſa Chriſti non eſt.

Nam cum Paulus Apoſtolus dicat: Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & erunt duo in carne una. (b) Sacramentum iſtud magnum eſt, ego autem (c) dico [1] in Chriſtum & in Eccleſiam. Cum hoc, inquam, beatus Apoſtolus dicat: (d) & Chriſti pariter atque Eccleſiæ unitatem individuis nexibus cohærentem, ſancta ſua voce teſtetur, quo modo poteſt eſſe cum Chriſto, qui cum ſponſa Chriſti, atque in ejus Eccleſia non eſt? aut quomodo aſſumit ſibi regendæ aut gubernandæ Eccleſiæ curam, qui ſpoliavit & fraudavit Eccleſiam Chriſti? Nam de Novato nihil inde ad nos fuerat nunciandum cum magis per nos vobis debeat Novatus oſtendi, rerum novarum ſemper cupidus, avaritiæ (e) inexplebili rapacitate furibundus, arrogantia & ſtupore (f) ſuperbi tumoris inflatus, ſemper iſtic Epiſcopis male cognitus, quaſi hæreticus ſemper & perfidus omnium ſacerdotum voce damnatus; curioſus ſemper ut prodat, ad hoc adulator ut fallat, nunquam fidelis ut diligat, (g) fax & ignis ad conflanda ſeditionis incendia, turbo & tempeſtas ad fidei facienda naufragia, hoſtis quietis, tranquillitatis adverſarius, pacis inimicus. Denique Novato illinc à vobis recedente, id eſt, procella & turbine recedente ex parte illic quies facta eſt, & glorioſi ac boni Confeſſores, (h) qui de Eccleſia illo incitante diſceſſerant, poſteaquam ab urbe ille diſceſſit, ad Eccleſiam reverterunt. Idem eſt Novatus, qui apud nos primum diſcordiæ & ſchiſmatis incendium ſeminavit, qui quoſdam iſtic ex fratribus ab Epiſcopo ſegregavit, qui in ipſa perſecutione ad evertendas fratrum mentes alia quædam perſecutio noſtris fuit. Ipſe eſt qui Feliciſſimum ſatellitem ſuum Diaconum, nec permittente me, nec ſciente, ſua factione & [2] ambitione conſtituit; & cum ſua tempeſtate Romam quoque ad evertendam Eccleſiam navigans ſimilia illic & paria molitus eſt, à Clero portionem plebis avellens, fraternitatis, bene ſibi cohærentis & ſe invicem diligentis, concordiam ſcindens. Plane, quoniam [3] pro magnitudine ſua debeat Carthaginem Roma præcedere, illic majora & graviora commiſit. Qui iſtic adverſus Eccleſiam Diaconum fecerat, illic Epiſcopum fecit. Nec hoc quiſquam miretur in talibus. Feruntur ſemper mali ſuo (i) furore dementes, & poſteaquam ſcelera fecerint, conſcientia ipſa ſceleratæ mentis agitantur. Nec remanere in Eccleſia Dei poſſunt, qui [4] deificam & Eccleſiaſticam diſciplinam; nec actus ſui (k) converſatione, nec morum pace, tenuerunt. Spoliati ab illo pupilli, fraudatæ viduæ, pecuniæ quoque Eccleſiæ denegatæ, [5] has de illo exigunt pœnas, quas in ejus furore (l) conſpicimus. Pater etiam ejus in vico fame mortuus, & ab eo in morte poſtmodum nec ſepultus. [6] Uterus uxoris calce percuſſus, & abortione properante in paricidium partus expreſſus. [7] Et damnare nunc audet [8] ſacrificantium manus; cum ſit ipſe nocentior pedibus, quibus filius qui naſcebatur, occiſus eſt. Hanc conſcientiam criminum jampridem timebat, propter hoc ſe non

Eph. 5. 31.

(a) Conſcientiam, *Bod.* 3. (b) Sacramentum hoc, *Bod.* 3. (c) Dico in Chriſto & in Eccleſia, *Lam. Bod.* 1. 2. (d) Et Chriſtum pariter, *Ebor. NC.* 1. *Lin.* (e) Inexplebilis, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. 3. *NC.* 1. 2. (f) Superbus, tumore inflatus, *Bod.* 3. (g) Pyx & ignis, *Pem. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (h) Qui hic, *Bod.* 2. 3. *Ebor. Lin. NC.* 1. (i) Fraude & furore, *Bod.* 3. (k) Converſationem, nec morum pacem, *Bod.* 1. 3. (l) Perſpicimus, *NC.* 2. *Lin.*

[1] *In Chriſtum, & in Eccleſiam.*] Reddit Græcas voces, εἰς Χριστὸν, καὶ εἰς ἐκκλησίαν.

[2] *Ambitione conſtituit.*] Factione quidem & ambitu, non poteſtate propria. Cave ne cum Illuſtriſſ. Annaliſta putes, hoc ab ipſo Novato præſtitum. Pariter ille Romæ dicitur Epiſcopum feciſſe; opera nimirum trium Epiſcoporum qui ex obſcuris Italiæ angulis Romam erant acciti.

[3] *Pro magnitudine ſua debeat Carthaginem Roma præcedere.*] Rigaltius ait, *Propter potentiorem principalitatem, inquit Irenæus lib.* III. *cap.* 3. *& Concil. Chalced.* Διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην. *Ipſe Cyprianus Epiſt.* LV. *Petri cathedram dicit, atque Eccleſiam principalem.*

[4] *Deificam & Eccleſiaſticam diſciplinam.*] Rigaltius ait, *Quæ Dei filios & Chriſti coheredes alit & retinet in vitam æternam. Sic in Synodo Carthagin. Creſcens Epiſcopus Citenſis dixit, Scripturas deificas. Ipſe Cyprianus lib. de Zelo & Livore, deificam diſciplinam quæ divinam inducit nativitatem in mentes hominum. Et Ælianus quidam Procos. Apud Optatum Milevitanum, lib.* 1. *Inſtrumenta deifica, & ſcripturas deificas.*

[5] *Has de illo exigunt pœnas.*] Graviſſima ſceleris admiſſi pœna, ad nova procedere.

[6] *Uterus uxoris, &c.*] Pamelius ait, *Aſſumebantur tunc temporis, ob aliorum paucitatem multi conjugati in Clerum: quare non mirum eſt, ſi uxoris Novati meminit, quum Presbyter eſſet.* Imo ideo aſſumebantur, quia conjugium inter Chriſtianos ſanctum. Nec obfuit quo minus uxorati à Domino ipſo in Apoſtolatum admitterentur.

[7] *Et damnare nunc audet ſacrificantium manus, cum ſit ipſe nocentior pedibus.*] Rigaltius ait, *Novatus pœnitentiam dari nolebat Chriſtianis, qui in perſecutione apprehenſi ſacrificaverant, adeoque damnabat eorum manus, cum ipſe pedibus ſuis partum uxoris in utero necaſſet. Ait igitur Cyprianus ejuſmodi paricidæ pedes nocentiores fuiſſe, quam ſacrificantium manus. Itaque componit paricidium Novati cum idololatria; expenſaque criminis utriuſque gravitate, paricidium præponderare arbitratur. Hoc vero Cyprianus pro tempore, ac pro hypotheſi, quod nos alibi, nec ſemel obſervavimus. Neque aliter cenſuit Optatus in cauſa ſchiſmaticorum, lib.* 1. *Etenim committit trium criminum reos; ſacrilegum, hoc eſt idololatram, paricidam & ſchiſmaticum. Deinde ait: Deus, cui diſplicet ſchiſma, quod in ſacrilegos & paricidam non fecerat, in ſchiſmaticos fecit. Sed viderit Optatus. Cujus ſententiam nos aliquando, ſi Deus annuat, examinabimus. Interim, ſi quid pro Cypriano dicimus; vix aliud habemus, quam Novatum ideo nocentiorem dici ſacrificantibus, quod pedes habuerit, non tantum paricidas, verum etiam ſchiſmaticos. Qui pedibus iiſdem, quibus uxoris uterum percuſſerat, ſeceſſionem ſive ſchiſma poſtea fecerat, adverſus Eccleſiam, adverſus Sacerdotem Dei, adverſus Epiſcopum.*

[8] *Sacrificantium manus.*] Rigaltius ait, *Eorum ſcilicet qui thura dederant idolis. Qui etiam dicebantur Sacrificati, hoc eſt, ſacrificio polluti, qua forma & Libellati.*

[1] *De*

An. 251. non [1] de Presbyterio excitari tantum, ſed & communicatione prohiberi pro certo tenebat; & urgentibus fratribus imminebat cognitionis dies, quo apud nos causa ejus ageretur, niſi perſecutio ante veniſſet. Quam iſte voto quodam evadendæ, & luctandæ damnationis excipiens, hæc omnia commiſit & miſcuit; ut qui ejici de Eccleſia, & (a) excludi habebat, judicium ſacerdotum voluntaria diſceſſione præcederet, quaſi evitare ſit pœnam, præveniſſe ſententiam. Circa ceteros autem fratres elaboramus, quos ab eo circumventos dolemus, ut [2] veteratoris [3] pernicioſum latus fugiant, ut letales laqueos ſollicitantis evadant, ut de qua ille pelli divinitus meruit, Eccleſiam repetant. Quos quidem Domino adjuvante, per ejus miſericordiam regredi poſſe confidimus, neque enim [4] poteſt perire niſi quem conſtat eſſe periturum, cum Dominus in Evangelio ſuo dicat; Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur. Qui plantatus (b) non eſt in præceptis Dei patris, & monitis; ſolus poterit de Eccleſia ille diſcedere; ſolus Epiſcopis derelictis cum ſchiſmaticis & hæreticis in furore remanere. Cæteros vero nobiſcum adunabit Dei patris miſericordia, & Chriſti Domini noſtri indulgentia, & noſtra patientia. Opto te frater cariſſime, ſemper bene valere. Matt. 15. 13.

(a) Excludi debebat, *Bod.* 1. (b) Non eſt præceptis, *Bod.* 3. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2.

1 *De Presbyterio excitari.*] Rigaltius ait, *Exturbari, ejici. Sic Tertul. lib.* IV. *ad Marcionem, de atroci quadam depugnatione, dixit, omnem dentem excitatura. Unde nec cum pauculis dentibus evadere miſero liceret.*

2 *Veteratoris.*] Veterator eſt ſervus nequam; qui plures luſit, & plures mutavit dominos: unde ab Ædilibus præceptum, referente Ulpiano; *ne veteranus pro novitio væniret.* Hinc vox ad vafros quoſcunque, & mali moris homines, tranſlata.

3 *Pernicioſum latus effugiant.*] Rigaltius ait, *Tegit latus qui ſe comitem alicui præbet. Unde illud, Viſne tegam ſpurcæ Damæ latus. Fugit latus improbi, qui ſe comitem non addit improbo. Qui ſocietatem improbi vitat. Cornelius dixerat: Schiſmaticos & hæreticos lateri ſuo ſemper junctos habet.*

4 *Poteſt perire niſi quem conſtat eſſe periturum.*] *Certiſſimum futuri judicii præjudicium*, dixit Tertullianus. Innuere porro videtur Cyprianus, ſolos flagitioſos in ſchiſmate poſſe detineri. Promiſit Dominus noſter, Joh. 7. 17. Eos qui voluntatem ejus faciunt cognituros de doctrina. Interim Apoſtolus refert. 2 Timoth. 3. 13. Malos homines & ſeductores proficere in pejus, decipientes & deceptos. Schiſma ſcil. inter opera carnis perpetuo numeratum, ſuperbiam, iram, avaritiam; aut conſimile aliquod crimen, ſemper pro fundamento præſtructum ſibi habet.

EPISTOLA LIII.

Cypriano fratri, Maximus, Urbanus, Sidonius, & Macarius, Salutem.

Ad Pamelium. L. Ad Eraſm. l. 3. Ep. 14. Maximus & Confeſſores Romani, Cyprianum certiorem reddunt, ſe ad Eccleſiam rediiſſe.

Scripta poſt reditum.

CERTI ſumus, frater cariſſime, te quoque nobiſcum pari voto congaudere, (a) nos habito conſilio, utilitatibus Eccleſiæ & paci [1] magis conſulentes, [2] omnibus rebus prætermiſſis & judicio Dei ſervatis, cum Cornelio Epiſcopo noſtro pariter & cum univerſo Clero pacem (b) feciſſe, cum gaudio etiam univerſæ Eccleſiæ, prona etiam omnium caritate. Hoc factum his literis noſtris ſcire certiſſime debuiſti. Oramus te, frater cariſſime, multis annis bene valere.

(a) Quod nos, *Lam. Ar. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. (b) Fecimus, *Lam. Ar. &c.*

1 *Magis conſulentes.*] Quantum potuimus, maxime, ita comparativus gradus ſæpe pro ſuperlativo ponitur.

2 *Omnibus rebus prætermiſſis.*] Rigaltius ait, *Ipſe Cornelius ſupra, Epiſt.* XLVI. *Ut ea quæ ante fuerant geſta in oblivionem cederent, invicem omnibus remiſſis. Nimirum pace facta, omnibus rebus judicio Dei ſervatis.*

EPIS-

An. 252.

EPISTOLA LIV.

1 Cyprianus Maximo Presbytero, item Urbano, (a) Sidonio, & Macario fratribus, Salutem.

Ad Pamelium. Epiſt. LI. Ad Eraſm. l. 3. Ep. 3.

Gratulatur Cyprianus Confeſſoribus Romanis de eorum reditu in Eccleſiam; & literis eorum reſpondet.

LECTIS literis veſtris, fratres cariſſimi, quas ad me de veſtra regreſſione, & de Eccleſiaſtica pace, ac fraterna redintegratione feciſtis, in tantum me lætatum eſſe confiteor, in quantum fueram & ante lætatus, quando confeſſionis veſtræ gloriam comperi, & militiæ veſtræ (b) cœleſtem ac ſpiritalem laudem gratulabundus excepi. (c) Nam & hæc fidei & laudis veſtræ alia confeſſio eſt, 2 unam eſſe Eccleſiam confiteri; nec alieni erroris, vel potius pravitatis participem fieri: repetere eadem caſtra unde prodiſtis, unde ad gerendum prælium & adverſarium ſubigendum fortiſſimis viribus proſiliſtis. Illuc enim erant de acie trophæa referenda, unde ad aciem fuerant arma ſuſcepta: ne quos ad gloriam Chriſtus paraſſet, eoſdem glorioſos Chriſti Eccleſia non haberet. Nunc vero & vos congruentem fidei veſtræ tenorem, atque individuæ caritatis & concordiæ legem (d) Dominica pace tenuiſtis, & exemplum ceteris dilectionis & pacis veſtro itinere feciſtis; ut Eccleſiæ veritas & (e) Evangelici ſacramenti unitas, quæ à nobis tenebatur, veſtro etiam conſenſu ac vinculo necteretur: nec Confeſſores Chriſti erroris duces fierent, qui virtutis & honoris auctores laudabiles extitiſſent. Viderint quantum vobis ceteri gratulentur, vel quantum apud ſe ipſos ſinguli glorientur: ego me & (f) gratulari ſatis vobis, & plus ceteris gloriari in hac veſtra (g) pacifica regreſſione & caritate confiteor. Simpliciter enim quid in meo corde fuerit, debetis audire. Dolebam vehementer, & graviter angebar; quod eis communicare non poſſem quos ſemel diligere cœpiſſem. (h) 3 Poſteaquam vos de carcere prodeuntes ſchiſmaticus & hæreticus error excepit, ſic res erat, quaſi veſtra gloria in carcere remanſiſſet. Illic enim (i) reſediſſe veſtri nominis dignitas videbatur, quando milites Chriſti non ad Eccleſiam de carcere redirent, in quem prius cum Eccleſiæ laude & gratulatione veniſſent.

Scripta poſt reditum.

Etſi ſint in Eccleſia zizania, non inde recedendum eſt.

Nam etſi videntur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen (k) impediri debet aut fides aut caritas noſtra, ut quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi de Eccleſia recedamus. Nobis tantummodo (l) laborandum eſt ut frumentum eſſe poſſimus, ut cum cœperit frumentum Dominicis horreis condi, fructum pro opere noſtro & labore capiamus. Apoſtolus in Epiſtola ſua dicit: In domo autem magna non ſolum vaſa ſunt aurea, & argentea; ſed & lignea, & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam vero inhonorata. Nos operam demus, & quantum poſſumus laboremus, ut (m) vas aureum vel argenteum ſimus: ceterum 4 fictilia vaſa confringere Domino ſoli conceſſum eſt, cui & virga ferrea data eſt. Eſſe non poteſt major Domino ſuo ſervus. Nec quiſquam ſibi quod ſoli filio pater tribuit, vindicare poteſt; ut putet aut ad aream ventilandam & (n) purgandam, 5 palam ferre ſe jam poſſe, aut à frumento univerſa zizania (o) humano judicio ſegregare. Superba eſt iſta obſtinatio, & ſacrilega præſumtio, quam ſibi (p) furor pravus aſſumit: (q) Et dum dominium ſibi ſemper quidam, pluſquam mitis juſtitia depoſcit, aſſumunt, de Eccleſia pereunt: & dum ſe inſolenter extollunt, ipſo ſuo tumore cæcati

Mat. 13. 25.

2 Tim. 2. 20.

Pſ. 2. 9. Apoc. 2. 17. Jo. 13. 16.

(a) *Sic, Ar. Foſſ. Mich. Vict. in Imp.* Sidonio, Macario. (b) Cœleſte & ſpirituale gaudium, *Lin.* (c) Nam & hujus fidei, *Ar. Lam. NC.* 1. *Ebor.* (d) Dominicam pacem tenuiſtis, *Lam. Bod.* 2. *MR. Ar. NC.* 1. *Ebor. Mic.* (e) Evangelii ac, *Benev. Bod.* 1. *Ver.* Evangelica, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (f) Congratulari, *Bod.* 1. (g) Pacifica ingreſſione, *Ar.* (h) Poſtquam vos enim, *Ver.* (i) Receſſiſſe veſtri nominis, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. (k) Impediri debet ſemper, *Bod.* 1. (l) Fratres cariſſimi laborandum, *Ver.* (m) Vaſa aurea aut argentea eſſe poſſimus, *Ver.* (n) Purgandam paleam, ferre ſe ventilabrum, *Codex Goulart.* (o) Humano judicio ſeparare, *Ver. Aug.* (p) Furor pravus inſipienter aſſumit, *Ver.* (q) Et dum ſibi amplius quiddam, *Lin. NC.* 2. & dum ſibi ſemper quidam, *Ver. Benev. Aug.*

1 *Cyprianus Maximo.*] Epiſtola hæc ordinem ducit inter eas quæ Anno Ch. 252. ſcribebantur, & videtur ſub ipſum anni principium miſſa.

2 *Unam eſſe Eccleſiam.*] Hoc enim in fidei Symbolo profitemur dum dicimus; credo Eccleſiam Catholicam. Et ob hanc cauſam Nicæni patres diſertis verbis aiunt: Credo unam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.

3 *Poſtquam vos de carcere prodeuntes Schiſmaticus & Hæreticus error excepit.*] Rigaltius ait, *Hæc verba ſatis arguunt vanam eſſe Pamelii obſervationem, Cyprianum hic, & alibi hujuſmodi locis, non eſſe intelligendum de ſchiſmaticis aut hæreticis, ſed de aliis improbis hominibus. Et quæ de libris Auguſtini Pamelius adducit, hoc tantum probant, ſanctiſſimum doctorem, pro variis cauſarum figuris, diverſa à Cypriano ſenſiſſe de puniendis hæreticis.* Loci hujus meminit D. Auguſt. l. 2. contra Creſc. Grammat. c. 34. & 37. Et Epiſt. 255. ad Macrobium Donatiſtam. Adducitur etiam hic locus in Collat. Carthag.

4 *Vaſa fictilia confringere ſoli filio conceſſum eſt.*] Rigaltius ait, *Mox dicit: Nec quiſquam ſibi, quod ſoli filio pater tribuit, vindicare poteſt.*

5 *Palam ferre ſe.*] Pala eſt inſtrumentum ruſticum latum & aliquantulum cavum, de quo Plinius l. 18. c. 6. *Juncoſus ager verti pala debet, ac Saxoſus bidentibus.* Hoc inſtrumentum adhibitum, ad frumentum purgandum: ac errare videntur qui ventilabrum eſſe putant. Propheta Iſaias cap. 30. Verſu 24. in textu Hebræo, palam à ventilabro diſtinguit, & utroque frumentum purgari docet: זרה ברחת ובמזרה pala & ventilabro ventilatum. D. Auguſtinus in Epiſtola ſua ad Macrobium, locum ſic legit. *Ut ſe putat aut ad aream ventilandam & purgandam, palam & ventilabrum etiam ferre poſſe.*

1 *Libram*

An. 252. cæcati veritatis lumen amittunt. Propter quod & nos temperamentum tenentes, & [1] libram Domini contemplantes, & Dei patris pietatem ac miſericordiam cogitantes, diu multumque tractatu inter nos habito, juſta moderatione agenda libravimus. Quæ omnia penitus poteſtis inſpicere [2] lectis libellis, quos hic nuper legeram, & ad vos quoque legendos pro communi dilectione tranſmiſeram, ubi lapſis nec cenſura deeſt, quæ increpet; nec medicina, quæ ſanet. Sed & Catholicæ Eccleſiæ unitatem, quantum potuit, expreſſit noſtra mediocritas. Quem libellum magis ac magis nunc vobis placere confido, quando eum jam ſic legitis, ut & probetis, & ametis: ſiquidem quod nos verbis conſcripſimus, vos factis impletis, quando ad (a) Eccleſiam caritatis ac pacis unitate (b) remeatis. Opto vos, fratres cariſſimi ac deſideratiſſimi, ſemper bene valere.

(*a*) Eccleſiaſticæ caritatis ac pacis unitatem, *Ar. Ebor.* (*b*) Remeaſtis, *Bod.* 1.

1 *Libram Domini.*] Sacras Scripturas; & Dei in puniendis ſceleribus longanimitatem præ oculis habentes.
2 *Lectis libellis.*] De Lapſis, & de Unitate Eccleſiæ.

EPISTOLA LV.

Cyprianus Antoniano Fratri, Salutem.

Ad Pamelium. Epiſt. LII. Ad Eraſm. l. 4. Ep 2.

Duabus Antoniani literis, ſatis à ſe invicem diſcrepantibus reſpondet Cyprianus.

Scripta poſt reditum.

ACCEPI primas literas tuas, frater cariſſime, concordiam [1] collegii ſacerdotalis firmiter obtinentes, & Catholicæ Eccleſiæ cohærentes, quibus ſignificaſti cum Novatiano te non communicare, ſed ſequi conſilium noſtrum & cum Cornelio coepiſcopo noſtro unum tenere conſenſum. Scripſiſti etiam, ut exemplum earundem literarum ad Cornelium collegam noſtrum tranſmitterem, ut depoſita omni ſollicitudine jam ſciret, te ſecum, hoc eſt, cum Catholica Eccleſia communicare. Sed enim ſupervenerunt poſtmodum aliæ literæ tuæ per Quintum (b) compresbyterum miſſæ, in quibus animadverti animum tuum Novatiani literis motum nutare cœpiſſe. (c) Nam cum & conſilium & conſenſum tuum firmiter ante fixiſſes, deſideraſti in his (d) literis, ut reſcriberem tibi, quam hæreſin (e) Novatianus introduxiſſet; vel Cornelius, qua ratione [2] Trophimo & turificatis communicet. Quod quidem ſi pro (f) ſollicitudine fidei anxie curas, & rei dubiæ veritatem ſollicitus exploras; reprehendenda non eſt timore divino æſtuantis animi ſollicitudo ſuſpenſa. Quoniam tamen video, poſt primam ſententiam Epiſtolæ tuæ, Novatiani literis poſtmodum te eſſe commotum, illud, frater cariſſime, primo in loco pono: graves viros, & (g) ſemel ſuper petram ſolida ſtabilitate fundatos, non dico aura levi, ſed nec vento aut turbine commoveri, ne animus dubius & incertus; variis opinionibus, velut quibuſdam ventorum incurſantium flatibus, frequenter agitetur, & à propoſito ſuo cum quadam levitatis reprehenſione mutetur. Quod ne vel apud te, vel apud quenquam Novatiani literæ faciant; ut deſideraſti, frater, rationem rei tibi breviter exponam. Mat. 7. 24.

Reſpondetur primo objectioni de variata lege circa Lapſos & eorum reſtitutione.

Et quidem primum (h), quoniam de meo quoque actu motus videris, mea apud te & perſona, & cauſa purganda eſt, ne me aliquis exiſtimet [3] à propoſito meo leviter receſſiſſe: & cum Evangelicum vigorem primo & inter initia defenderim, poſtmodum videar animum meum à diſciplina, & cenſura priore flexiſſe; ut his, qui libellis conſcientiam ſuam maculaverint, vel nefanda ſacrificia commiſerint, (i) laxandam pacem putaverim. Quod utrumque non ſine librata diu & ponderata ratione à me factum eſt. Nam cum [4] acies adhuc inter manus eſſet, & prælium glorioſi certaminis in perſecutione ferveret, toto hortatu, & pleno impetu militum vires fuerant excitandæ; & maxime lapſorum mentes claſſico quodam noſtræ vocis animandæ, ut pœnitentiæ viam non ſolum precibus & lamentationibus ſequerentur, ſed (quoniam repetendi certaminis & reparandæ ſalutis

(*a*) Accepi literas, *Lam. Bod.* 3. *Ver. Corb.* (*b*) Compresbyterum noſtrum, *Bod.* 3. (*c*) Nam cum & id conſilio & in conſenſu tuo, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*d*) Literis, reſcribi tibi, *Bod.* 1. *Lam. Ebor. NC.* 1. (*e*) Novatianus introducat, *Bod.* 2. *NC.* 1. (*f*) Sollicitudine fidei, rei dubiæ veritatem, *Lam. Ebor.* (*g*) Et ſemper ſuper petram, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*h*) Frater cariſſime, *Bod.* 2. *Lam. Ebor.* (*i*) Laxandam à me, *Bod.* 1.

1 *Collegii ſacerdotalis.*] Eadem mente qua dixit infra in hac Epiſt. & in lib. de Unit. *Epiſcopatus unus eſt.*
2 *Trophimo.*] Admittebatur is quidem, ſed tantum ad laicam communionem: idque ex receptiſſimo Eccleſiæ more, cum contingeret aliquos de Clero lapſos fuiſſe; his enim depoſitio erat pro excommunicatione.
3 *A propoſito meo leviter receſſiſſe.*] Videantur quæ de hac re dicta ſunt in Notis ad lib. de Lapſis.
4 *Acies adhuc inter manus.*] Rigaltius ait, *Mox dicet: Acies adhuc geritur.*

An. 252. salutis dabatur occasio) ad (a) confessionis potius ardorem, & martyrii gloriam (b) nostris increpiti vocibus provocarentur. Denique cum de quibusdam ad me Presbyteri & Diaconi scripsissent, eos immoderatos esse, & ad communicationem accipiendam festinanter urgere: rescribens eis in (c) Epistola mea quæ extat, & hoc addidi: [Qui si nimium properant, habent in sua potestate quod postulant, tempore ipso sibi plus quam (d) postulant largiente. Acies adhuc geritur, & [1] agon quotidie celebratur. Si commissi vere & firmiter pœnitet, & fidei calor prævalet, qui differri non potest, potest coronari.] De eo tamen quod statuendum esset circa causam lapsorum distuli; ut cum quies & tranquillitas data esset, & Episcopis in unum convenire indulgentia divina permitteret: tunc communicato & (e) librato de omnium collatione consilio, statueremus quid fieri oporteret. Si quis vero ante Concilium nostrum, & ante sententiam de omnium consilio (f) statutam, lapsis temere communicare voluisset; [2] ipse à communicatione abstineretur. Quod etiam Romam ad Clerum tunc adhuc sine Episcopo agentem, & ad Confessores Maximum Presbyterum, & ceteros in custodia constitutos, nunc [3] in Ecclesia cum Cornelio junctos, plenissime scripsi. Quod me scripsisse, de eorum rescriptis (g) poteris noscere. Nam in Epistola sua ita posuerunt: [Quanquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipse tractasti, prius esse [4] Ecclesiæ pacem sustinendam; deinde sic collatione consiliorum cum Episcopis, Presbyteris, (h) Diaconibus, Confessoribus pariter ac stantibus laicis facta, lapsorum tractare rationem.] Additum est etiam Novatiano tunc scribente, & quod scripserat sua voce recitante, & Presbytero Moyse, tunc adhuc Confessore, nunc jam Martyre, subscribente; ut lapsis infirmis, & in exitu constitutis pax daretur. [5] Quæ literæ per totum mundum missæ sunt, & in notitiam Ecclesiis omnibus & universis fratribus perlatæ sunt.

Sopita persecutione synodus Carthagini coacta, in causa Lapsorum.

Secundum quod tamen ante fuerat destinatum, persecutione sopita, cum data esset facultas in unum conveniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros & incolumes fides sua & Domini (i) tutela protexit, in unum convenimus, & (k) scripturis diu ex utraque parte prolatis, temperamentum (l) salubri moderatione libravimus, ut nec in totum spes communicationis & pacis lapsis denegaretur; ne (m) plus desperatione deficerent, & eo quod sibi Ecclesia (n) cluderetur, secuti seculum gentiliter viverent; nec tamen rursus censura Evangelica solveretur, ut ad communicationem temere prosilirent; sed traheretur [6] diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur causæ, & voluntates, & necessitates singulorum; secundum quod [7] libello continetur, quem ad te perveniisse confido, [8] ubi singula placitorum capita conscripta sunt.

Quæ in Africa decreta, etiam Romanæ Ecclesiæ suffragio munita.

Ac si minus sufficiens Episcoporum in Africa numerus videbatur, etiam Romam super hac re scripsimus ad Cornelium collegam nostrum, qui & ipse [9] cum plurimis coepiscopis habito concilio, in eandem nobiscum sententiam pari gravitate & salubri moderatione consensit. De quo tibi necesse nunc fuit scribere, ut scias me nihil leviter egisse, sed secundum quod literis meis fueram ante complexus, omnia ad commune concilii nostri consilium distulisse, & nemini quidem ex lapsis prius communicasse, quando adhuc erat, unde non tantum indulgentiam, sed & coronam lapsus acciperet. Postea tamen sicut collegii concordia, & colligendæ fraternitatis, ac medendi vulneris utilitas exigebat, [10] necessitati temporum succubuisse, & saluti multorum providendum putasse, & nunc ab his non recedere, quæ semel in concilio nostro de communi collatione placuerunt; quamvis multa multorum vocibus ventilentur, & mendacia adversus sacerdotes Dei, de Diaboli ore prolata, ad rumpendam Catholicæ unitatis concordiam ubique jactentur. Sed te oportet [11] ut bonum fratrem atque unanimem consacerdotem, non quid maligni atque apostatæ dicant facile suscipere; sed quid collegæ tui

(a) Confessionis ardorem, *Lam.* (b) Nostris increpitationibus, *Bod.* 3. (c) Epistola mea quæ expediant, *Lin.* (d) Quam quod postulant, *Bod.* 1. *Neap. MR.* (e) Deliberato, *Lam. Ben. Bod.* 2. *Ebor.* (f) Constitutam, *Lam. Bod.* 3. (g) Potest nosci, *Lam. Bod.* 2. (h) Diaconis, *Sup. Epist. Novat.* Diaconibus pariter, *Lam. Bod.* 2. (i) Tutela servavit, *Bod.* 3. (k) Scripturis divinis, *Lam. Ebor. Ben. Bod.* 2. *NC.* 1. (l) Salubri ratione, *Bod.* 3. (m) Nec potius desperatione deficerent ex eo, *Bod.* 3. (n) Cluderetur & seculo, *Bod.* 3.

[1] *Agon quotidie celebratur.*] Rigaltius ait, *Supra: adhuc prælium fervet. Epist.* 19.

[2] *Ipse à communicatione abstineretur.*] Hæc habentur Ep. 34.

[3] *In Ecclesia cum Cornelio junctos.*] Olim infeliciter divisos. Ita Cornelius ad Fabium Antiochenum, Dionysium Alexandrinum; & reliquos orientalis Ecclesiæ Episcopos scribit. vid. quæ Euseb. l. 6. cap. 43. ex literis prædictis decerpit.

[4] *Ecclesiæ pacem sustinendam.*] Expectandam, ex græcismo auctori nostro solenni. ὑπομένειν, est expectare non minus quam sustinere. Vid. Epist. 30. à Novatiano Cleri Romani nomine conscriptam. Cogitent qui Ecclesiæ Romanæ decora ex Epistola illa venditant, quam egregio Præcone nitantur.

[5] *Quæ literæ per totum mundum missæ sunt.*] Rigaltius ait, *Vacabat Sedes Romana, Fabiano Martyrii gloria consummato. Itaque ex unitatis Ecclesiasticæ disciplina, Cyprianus sollicitudinem omnium Ecclesiarum ad se pertinere non ambigens, etiam Romam se dedisse literas ait ad Clerum. Eas vero literas per totum mundum missas, hoc est, per Ecclesiam Catholicam, cujus Ecclesiæ unus est Episcopatus. Atque hujusmodi Episcopatus à singulis Episcopis in solidum pars tenebatur.*

[6] *Diu pœnitentia.*] De temporis spatio quod requirebatur, videantur quæ dicta in lib. de Lapsis.

[7] *Libello continetur.*] Libello de Lapsis.

[8] *Ubi singula placitorum capita conscripta sunt.*] Respicere videtur librum de Lapsis; licet Baronius An. 254. par. 88. nescio quos pœnitentiales canones, & libellum à Synodo scriptum somniet. Si requiratur regula edocens quid in variis lapsorum casibus sit agendum, adeantur Epistolæ 18. & 19, quæ etiam Romam transmissæ, satis luculenter singula placitorum capita edocent.

[9] *Cum plurimis coepiscopis habito concilio.*] De hoc concilio vid. Euseb. lib. 6. cap. 43.

[10] *Necessitati temporum succubuisse.*] Morem gessisse. Vid. quæ infra hac de re dicuntur.

[11] *Ut bonum fratrem, atque unanimem consacerdotem.*] Rigaltius ait, *Tunc tempora ferebant istam conversationem Apostolicam.*

[1] *Per*

An. 252. tui modeſti & graves viri faciant, de vitæ & diſciplinæ noſtræ exploratione perpendere.

Cornelii Elogium. Venio jam nunc, frater cariſſime, ad (a) perſonam Cornelii collegæ noſtri; ut Cornelium nobiſcum verius noveris, non de malignorum & detrahentium mendacio, (b) ſed de Domini Dei judicio, qui Epiſcopum fecit; & coepiſcoporum teſtimonio, quorum numerus univerſus [1] per totum mundum concordi unanimitate conſenſit. Nam, quod Cornelium cariſſimum noſtrum Deo, & Chriſto & Eccleſiæ ejus, item conſacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat; non iſte ad Epiſcopatum ſubito pervenit, ſed per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in divinis adminiſtrationibus Dominum ſæpe promeritus, [2] ad ſacerdotii ſublime faſtigium cunctis religionis gradibus aſcendit. Tum deinde Epiſcopatum nec (c) ipſe poſtulavit, nec voluit, nec ut ceteri, quos arrogantiæ & ſuperbiæ ſuæ tumor inflat, invaſit; (d) ſed quietus & modeſtus, & quales eſſe conſueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, [3] pro pudore (e) virginalis conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate ingenitæ ſibi & cuſtoditæ verecundiæ, [4] non ut quidam, vim facit ut Epiſcopus fieret; ſed ipſe (f) vim paſſus eſt, ut Epiſcopatum coactus exciperet. Et factus eſt Epiſcopus à [5] plurimis collegis noſtris, qui tunc in (g) urbe Roma aderant, qui ad nos literas honorificas, & laudabiles, & teſtimonio ſuæ prædicationis illuſtres de ejus ordinatione miſerunt. Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus [6] de Dei & Chriſti ejus judicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc affuit ſuffragio, & de ſacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio; cum nemo ante ſe factus eſſet, cum Fabiani locus, id eſt, cum locus Petri (h) [7] & gradus cathedræ ſacerdotalis vacaret. Quo occupato de Dei voluntate, atque omnium noſtrum conſenſione firmato; quiſquis jam Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt; nec habeat Eccleſiaſticam ordinationem qui Eccleſiæ non tenet unitatem; quiſquis ille fuerit, multum de ſe licet jactans, & ſibi plurimum vindicans; profanus eſt, alienus eſt, foris eſt. [8] Et cum poſt primum ſecundus eſſe non poſſit, quiſquis poſt unum qui ſolus eſſe debeat, factus eſt; non jam ſecundus ille, ſed nullus eſt. Tum deinde poſt, Epiſcopatum non (i) exambitum, nec extortum; ſed de Dei, qui ſacerdotes facit, voluntate ſuſceptum, quanta in ipſo ſuſcepto Epiſcopatu ſuo virtus? quantum robur animi? (k) qualis firmitas fidei? quod nos ſimplici corde & perſpicere penitus, & laudare debemus: ſediſſe intrepidum Romæ in ſacerdotali cathedra eo (l) tempore, cum tyrannus infeſtus ſacerdotibus Dei, fanda atque infanda comminaretur, cum multo patientius & [9] tolerabilius audiret,

[1] levari

(a) Ad perſonam Collegæ noſtri, *Lam. Bod.* 2. (b) Sed Dei judicio, *Bod.* 2. (c) Ipſum nec voluit, *Lam. Ebor. NC.* 1. (d) Sed quietus alias & modeſtus, *Ver. Benev. Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin.* (e) Virginalis continentiæ, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3. *Pem. MR.* (f) Vim fecit, *Lam. Bod.* 2. (g) Urbe Romana, *Bod.* 1. (h) Et cathedra, *Ver.* (i) Ambitu vel extortu, ſed de Dei, *Lam. Bod.* 2. ex ſorte, *Fab.* (k) Quanta firmitas fidei, *Bod.* 3. (l) Tempore quo tyrannus, *Lam. Bod.* 2.

[1] *Per totum mundum concordi unanimitate conſenſit.*] Rigaltius ait, *Ut ſupra, Literæ per totum mundum miſſæ ſunt.*

[2] *Ad ſacerdotii ſublime faſtigium.*] Epiſcopatum.

[3] *Pro pudore virginalis conſcientiæ ſuæ.*] Rigaltius ait, *Infra dicet: Nulla illum libelli, ut quidam jactant, labe maculatum. Et de libellatis: Etſi manus eorum pura ſit, conſcientiam tamen eorum eſſe pollutam. Itaque hic virginalem conſcientiam dicit, ſanctam, integram, non libellatam, non turificatam, non alio hujuſmodi crimine contaminatam. Sed Pamelius virginem fuiſſe Cornelium ex his Cypriani verbis colligit. Cui certe opinioni favent exemplaria nonnulla, in quibus ſcribitur, virginalis continentiæ. Et paulo poſt ſubjiciet Cyprianus de eodem Cornelio, ipſum vim paſſum eſſe, ut Epiſcopatum coactus acciperet.*

[4] *Non ut quidam.*] Novatianus; à tribus temulentis & lucifugis in eam rem conductis Epiſcopis, noctu conſecratus.

[5] *Plurimis Collegis noſtris.*] Sexdecim Epiſcopis qui ejus ordinationi interfuerunt, inter quos ex Africa duo, Pompejus & Stephanus.

[6] *De Dei & Chriſti ejus judicio.*] Illuſtriſſimus Annaliſta divino aliquo ſigno deſignatum putat. Sed noſtrum non eſt miracula cudere. Ille Dei judicio electus dicitur, qui talis eſt, qualem lex divina ad id munus obeundum expetit. Vid. 1 Tim. Cap. 3. verſ. 2, 3, 4, 5, 6.

[7] *Et gradus Cathedræ ſacerdotalis vacaret.*] Rigaltius ait, *Conjiciet aliquis, manum Cypriani tantum ſcripſiſſe: Cum Fabiani locus & cathedra ſacerdotalis vacaret. Nec ſane aliud quicquam patitur ſenſus Auctoris.*

[8] *Et cum poſt primum ſecundus eſſe non poſſit.*] Rigaltius ait, *Poſt electum Cornelium, Novatianus per ambitum electus fuerat. Priorem illam Cornelii electionem, veram & legitimam, Cyprianus primam vocat. Unde & primum in Epiſcopatu fuiſſe ait Cornelium. Sic tamen, ut Novatianus poſtea electus, haberi aut dici nequeat ſecundus, quia Cornelius ſolus eſſe debeat. Neque enim licere plures haberi eodem tempore ſingularis Eccleſiæ Epiſcopos. Cum igitur Novatianus ſecundus eſſe non poſſit, recte Cyprianus argumentatur, nullum eſſe. Hoc eſt, Epiſcopante Cornelio, præter ipſum Cornelium eſſe Epiſcopum neminem. Hoc vero & ad omnes Eccleſias pertinet. Nam etſi Romana ſit prima, tamen & ceteræ omnes. Una eſt ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. Tertulliani verba ſunt: Sic omnes prima, & Apoſtolicæ omnes, dum una omnes probant unitatem: dum eſt illis communicatio pacis & appellatio fraternitatis.*

[9] *Tolerabilius audiret levari adverſus ſe æmulum principem, quam conſtitui Romæ Dei ſacerdotem.*] Rigaltius ait, *Æmulum ſacerdotem; edidit Pamelius, ex codice ut ipſe ait Affligienſi: & veriſſimam eſſe adfirmat hanc ſcripturam, quæ proculdubio falſa eſt. Nam & in antiquis exemplaribus optimo conſenſu legitur: Quam conſtitui Romæ Dei ſacerdotem: & Cypriani mens aliam lectionem non patitur. Etenim Cornelium Epiſcopum propterea commendat, quod per omnes gradus Eccleſiaſticos promotus, tandem ex Dei & Chriſti judicio, clericorum teſtimonio, plebis ſuffragio, de ſacerdotum collegio factus fuerit Urbis Romæ Epiſcopus. Eundem vero hoc etiam nomine prædicat, quod una cum Epiſcopatu tantum virtutis, tantum animi, tantum fidei ſuſceperat, ut ab Officio ſuo non ſit deterritus ſævitia Decii. Qui tamen odio tanto Chriſtianos oderat, ut libentius tuliſſet opponi ſibi contrarium Cæſarem, quam conſtitui Romæ Dei ſacerdotem. Atque hoc Cyprianus pro ſtili ſui rhetorici facundia. Ceterum, quod adſerit Pamelius Decium æquiore animo paſſurum fuiſſe æmulum adverſus ſe principem, quam conſtitui Romæ Novatianum, æmulum Cornelii, valde eſt abſurdum. Etenim Decius hoſtis Chriſtiani nominis acerrimus, omnes uno ordine habebat Chriſtianos, ſive Catholicos ſive ſchiſmaticos. Neque is erat qui ſeſe vellet interponere ſedandis illorum diſcordiis, & Novatiano æque pro ſacerdote agendum fuiſſet, atque Cornelio. Sed multo eſt abſurdius quod in mentem venit cuidam,*

An. 252. [1] levari adversus se æmulum principem, quam constitui (a) Romæ Dei sacerdotem. Nonne hic, frater carissime, summo virtutis & fidei testimonio prædicandus est? Nonne inter glorioſos Confessores & Martyres deputandus, qui tantum temporis sedit expectans corporis sui carnifices, & tyranni ferocientis ultores; qui Cornelium adversus edicta feralia resistentem, & minas, & cruciatus, & tormenta fidei vigore calcantem, vel gladio invaderent, vel crucifigerent, vel igne torrerent, vel quolibet inaudito genere pœnarum viscera ejus & membra (b) laniarent? Etiam si majestas Domini protegentis & bonitas, sacerdotem quem fieri voluit, factum quoque protexit: tamen Cornelius [2] quantum ad ejus devotionem pertinet & timorem, passus est quicquid (c) pati potuit, & tyrannum, armis & bello postmodum victum, [3] prior sacerdotio suo vicit.

Quæ de Cornelio quasi libellatico, aut qui cum sacrificatis communi aret feruntur, prorsus falsa erant.

Quod autem quædam de illo inhonesta & maligna jactantur nolo mireris; cum scias hoc esse opus semper Diaboli, ut servos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet; ut qui [4] conscientiæ suæ luce claresçunt, alienis rumoribus sordidentur. [5] Explorasse autem collegas nostros scias, & verissime comperisse (d) nulla illum libelli, ut quidam jactant, labe maculatum esse; sed neque cum Episcopis, qui sacrificaverunt, (e) [6] communicationem sacrilegam miscuisse; sed eos demum, quorum causa audita & innocentia comprobata sit, conjunxisse nobiscum. Nam & de Trophimo, de quo tibi scribi desiderasti, non ita res est ut ad te pertulit rumor, & mendacium malignorum. Nam, sicut antecessores nostri sæpe fecerunt [7] colligendis fratribus nostris, carissimus frater noster Cornelius [8] necessitati succubuit; & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc ad Ecclesiam Trophimo, & satisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente; & fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate & satisfactione revocante, auditæ sunt ejus preces; & in Ecclesiam Domini non tam Trophimus, (f) quam maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admissus est: qui omnes regressuri ad Ecclesiam non essent, nisi cum Trophimo comitante venissent. Tractatu ergo illic cum Collegis plurimis habito, susceptus est Trophimus; pro quo satisfaciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus: sic tamen admissus est Trophimus, [9] ut laicus communicet non secundum quod ad te malignorum literæ pertulerunt, quasi locum sacerdotis usurpet: sed & quod passim communicare sacrificatis (g) Cornelium tibi nunciatum est, hoc etiam de apostatarum fictis rumoribus nascitur. Neque enim possunt laudare nos, qui (h) recedunt: aut expectare debemus, ut placeamus illis, qui (i) nobis displicentes, & contra Ecclesiam rebelles, sollicitandis de Ecclesia fratribus violenter insistunt. Quare & de Cornelio, & de nobis quæcunque jactantur, nec audias facile, nec credas, frater carissime.

Si

(a) *Sic, Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. *Spir. Vet. Innom. Eraſ. Manut.* Romæ æmulum, *Pam.* (b) Lacerarent, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (c) Pati voluit, *Benev.* (d) Nulla jam illum, *Lam. Bod.* 2. (e) Communionem ſacrilegam, *Lam. Ebor. NC.* 1. (f) Sed & quam maximus, *Bod.* 3. (i) Cornelius tibi nunciatus eſt, *Lam. Bod.* 3. *Ebor. NC.* 1. *Lin.* (k) Recedunt à nobis, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (l) Nobis diſplicent, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 3.

dam, his Cypriani verbis editione illa Pameliana interpolatis obſervanti, adeo magnificam illo jam ævo Epiſcopi Romani poteſtatem, ut eſſet ipſis Cæſaribus invidioſa. Quaſi metuendum foret, ne Romanum imperium ſacerdos Chriſtianus invaderet. Longe aberant ab iſtiuſmodi conſiliis illo tempore Chriſtiani, nec erat Romæ ullus Dei ſacerdos æmulus Cæſareæ majeſtatis.

[1] *Levari adverſus ſe æmulum principem.*] Rigaltius ait, *Ex more tunc temporis caſtrorum. Quem faciebant imperatorem, milites impoſitum ſcuto, aſpiciendum exercitui ſublevabant. Ammianus Marcellinus, de Juliano: Cæſar adſentire coactus eſt, impoſituſque ſcuto pedeſtri, & ſublatius eminens, nullo ſilente, Auguſtus renunciatus eſt. Ad eumque morem pertinet verſus Claudiani citatus à P. Pithœo Adverſarior.* II. *cap.* 6. *Sed mox cum ſolita miles te voce levaſſet. Suſtinentium humeris vibratum, dixit Tacitus Hiſt.* IV. *Zonaras, ἐπ' ἀσπίδος αὐτὸν μετέῤῥσιον ἄραντες, de Hypatio adverſus Juſtinianum levato.* Pari verborum formula loquitur Lactantius de Mortibus perſecutorum.

[2] *Quantum ad ejus devotionem pertinet & timorem.*] εὐλάβειαν. Rigaltius ait, *Quem nobis hic timorem prædicat Cyprianus in Cornelio ſuo, quem fortiſſimum & intrepidum, & ad omnia perpetienda paratiſſimum exhibuit! Dicamus igitur, timorem intelligi debere, quem Tertullianus ait eſſe fundamentum æternæ ſalutis. Nempe timorem in Deum vindicem & ultorem, qui dixit ſe negaturum negatores, fidei deſertores. Hoc timore Chriſtiana mens armata ſic exhorreſcit inveniri parum fidelis, ut ſit in perpetuo timore, nec ubi pro Chriſti ſui nomine videatur eſſe non fortis. Devotiſſima Chriſto, hoc unum timet, ne devotione excidat ſua. Hoc vero ſenſu bene Cyprianus devotioni timorem adjunxit.*

[3] *Prior ſacerdotio vicit.*] Auſus Epiſcopatum Decio vivo ſuſcipere. Quamdiu ſedem vacuam nemo impleret, Ecclesia Romana à Tyranno triumphata videbatur. Rigaltius ait, *ſacerdotalibus armis, patientiæ Chriſtianæ conſtantia* viciſti.

[4] *Conſcientiæ ſuæ luce clareſcunt.*] Rigaltius ait, *Supra dixit, virginalem conſcientiam, & mox ſubjiciet: nulla illum libelli, ut quidam jactant, labe maculatum.*

[5] *Exploraſſe autem Collegas noſtros ſcias.*] Qui à Carthagine miſſi ut quæ Romæ agerentur perſpicerent, & Synodo renunciarent, de quibus ſupra.

[6] *Communicationem ſacrilegam miſcuiſſe.*] Irrita eſſet poteſtas clavium, ſi liceret alicui Epiſcopo, in alia Eccleſia excommunicatum, ad communionem ſuam admittere. Qui anathematis fulmine percellitur; non ab una aliqua particulari Eccleſia, ſed à Catholica excluſus eſt. Et merito quiſquis tali admiſcetur, cauſam ejus ſuam facit: alium temere admittendo ſeipſum excludit.

[7] *Colligendis fratribus noſtris.*] Rigaltius ait, *Hoc eſt, ad vitanda ſchiſmata.*

[8] *Neceſſitati ſuccubuit.*] Huic neceſſitati ipſe D. Paulus ceſſiſſe videtur, dum 2 Cor. 10. 6. ait, *ſe in promtu habere ulciſci omnem inobedientiam*, ſed non antequam *impleta fuerit* Corinthiorum *obedientia.*

[9] *Ut laicus communicet.*] Rigaltius ait, *Sæviente adverſus Chriſtianos perſecutione, ſi quem forte in ordine conſtitutum Eccleſiaſtico, puta Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum, exilii metus aut violentia tormentorum de fide Chriſto data dejecerat, is ad fidem reverſus poſtquam impetrata peractaque pœnitentia ſatisfecerat Eccleſiæ, recipiebat quidem eccleſiaſticam communionem, hoc eſt, ſocietatem & converſationem cum ceteris fidelibus, ita ut fieret particeps Corporis Chriſti; ſed non recipiebat locum quem in ordine prius tenuerat. Itaque de Epiſcopo, de Presbytero, de Diacono fiebat id quod erat priuſquam fuiſſet ordinatus. Reddebatur illi locus in Eccleſia, non dignitas loci. Communicabat ut laicus ſive plebeius. Utebatur jure*

cetero-

An. 252. *Lapſis in exitu ſubvenendum; nec tamen par omnium conditio.*

Si qui enim infirmitatibus occupantur, illis, ſicut placuit, in periculo ſubvenitur; poſtea quam tamen ſubventum eſt, & periclitantibus pax data eſt, (a) [1] ſuffocari à nobis non poſſunt, aut opprimi, aut vi & manu noſtra in exitum mortis urgeri; ut quoniam morientibus pax datur, neceſſe ſit mori eos, qui acceperint pacem: cum magis in hoc (b) judicium divinæ pietatis, & paternæ lenitatis appareat; quod qui pignus vitæ in data pace percipiunt, (c) hic quoque ad vitam percepta pace teneantur. Et idcirco ſi accepta pace commeatus à Deo datur, nemo hoc debet in ſacerdotibus criminari, cum ſemel placuerit fratribus in periculo ſubveniri. Nec tu exiſtimes, frater cariſſime, ſicut quibuſdam videtur, libellaticos cum ſacrificatis æquari oportere; quando inter ipſos etiam qui ſacrificaverint, & conditio frequenter & cauſa diverſa ſit. Neque enim æquandi ſunt, ille qui ad ſacrificium nefandum ſtatim voluntate proſilivit; & qui reluctatus & congreſſus diu ad hoc funeſtum opus neceſſitate pervenit: ille qui & ſe & omnes ſuos prodidit; & qui ipſe pro cunctis ad diſcrimen accedens, uxorem & liberos, & domum totam periculi ſui (d) perfunctione protexit, (e) ille qui inquilinos vel amicos ſuos ad facinus compulit, & qui inquilinis & colonis pepercit, fratres etiam plurimos qui extorres & profugi recedebant, in ſua tecta & (f) hoſpitia recepit, oſtendens & offerens Domino (g) multas viventes & incolumes animas, quæ pro una ſaucia deprecentur.

Favorabilis imprimis libellaticorum cauſa.

Cum ergo inter ipſos qui ſacrificarint, multa ſit diverſitas; quæ inclementia eſt, & quam acerba duritia libellaticos cum iis qui ſacrificarint jungere? quando is cui libellus acceptus eſt, dicat: Ego prius legeram, & [2] Epiſcopo tractante cognoveram non ſacrificandum idolis, nec ſimulacra ſervum Dei adorare debere; & idcirco ne hoc facerem, quod non licebat ([3] cum occaſio libelli fuiſſet oblata, quem nec ipſum acciperem niſi oſtenſa fuiſſet occaſio) ad magiſtratum vel veni, vel alio eunte mandavi: Chriſtianum me eſſe, ſacrificare (h) mihi non licere, ad aras diaboli me venire non poſſe, dare me ob hoc præmium, ne quod non licet faciam. Nunc tamen etiam iſte qui libello maculatus eſt, poſteaquam nobis admonentibus didicit nec hoc ſe facere debuiſſe, & ſi manus pura ſit, & os ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conſcientiam tamen ejus eſſe pollutam; flet auditis nobis, & lamentatur, & quod deliquerit nunc admonetur, & non tam crimine, quam errore deceptus, quod [4] jam de cetero inſtructus, & paratus ſit, conteſtatur. Quorum ſi pœnitentiam reſpuamus habentium aliquam fiduciam tolerabilis conſcientiæ, ſtatim cum uxore, cum liberis quos incolumes reſervaverant, (i) in hæreſim vel ſchiſma diabolo invitante rapiuntur: & adſcribetur nobis in die judicii, nec ovem ſauciam curaſſe, & propter unam ſauciam multas integras perdidiſſe. Et cum Dominus relictis nonaginta novem ſanis unam errantem & laſſam quæſierit, & inventam humeris ſuis ipſe portaverit; nos non tantum [5] non quæramus (k) lapſos, ſed & venientes arceamus: & cum pſeudoprophetæ gregem Chriſti nunc vaſtare & lacerare non deſinant, occaſionem canibus & (l) lupis demus, ut quos perſecutio infeſta non perdidit, eos nos duritia noſtra & inhumanitate perdamus. Et ubi erit, frater cariſſime, quod Apoſtolus dicit? Omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis ut ſalventur. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Et iterum; Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrarer. Et

Luc. 15. 4.

1 Cor. 9. 22.

1 Cor. 11. 1.

1 Cor. 9. 22.

(a) Offocari, *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin.* (b) Indicium, *Lam. Lin. Bod.* 1. *Ver. Neap.* (c) Hi quoque, *Neap.* (d) Pactione, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. *Ver.* paſſione, *Ben. Neap.* (e) Ille qui intimos, *Bod.* 1. (f) Hoſpitatus cepit, *Bod.* 3. (g) Multa ſolventes, *Corb.* (h) Mihi omnino non, *Vat.* (i) In hæreſin ut in ſchiſma, *MR.* (k) Laſſos, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. *Ver.* (l) Lupis dabimus, *Bod.* 3.

ceterorum fidelium qui nondum erant promoti ad quemquam ordinem eccleſiaſticum. Hæc erat tunc temporis communio laica. Cujus adeo participes Euchariſtica ſacramenta, ſpeciem inquam utramque panis & vini ſumebant. Hodie communionem laicam diceremus, quæ ſub una tantum ſpecie panis conceditur, etiam Epiſcopis & Sacerdotibus extra ſacrificiorum officia communicantibus. Imo & communionis vocabulum vix audimus alio ſignificatu quam Euchariſtiæ celebrandæ. Recte quidem dicit Rigaltius, *hodie communionem laicam dicendam quæ ſub una tantum ſpecie conceditur:* quia hæc res priſcis eccleſiæ ſeculis inaudita. Can. Apoſt. 15. de Clerico fugitivo dicit, ὡς λαϊκὸς βήματι ἱερέσι κοινωνείτω. Ita Concil. Sardicens. can. 1. Ex Epiſtola ad Fidum quæ ſequitur conſtat Victori quondam Presbytero pœnitentiam impoſitam.

[1] *Suffocari à nobis.*] Cyprianum puto ſcripſiſſe offocari; quæ MSS. plurimorum lectio, & vox à Tertulliano agnita lib. de Idololat. c. 24. *cumque fluctus ejus offocant, omnis vortex ejus ad inferos deſorbet.* Praxi Eccleſiæ quæ thurificatis & ſacrificatis, hoc eſt Idololatris, tantum in exitu pacem dare præ ſe ferebat; objeciſſe videtur Antonianus, quod ex iſtis plurimi, à morbis convaleſcebant, & ita diu ante exitum ad communionem reſtituti fuerunt. Cui objectioni occurrit Cyprianus dicendo; primum, non licuit Epiſcopis aut Presbyteris, poſtquam decumbentibus viaticum dediſſent, illos è medio tollere. Et ſecundo, reſtituta à Deo valetudo, indicio eſſe poſſit, clementiſſimum numen pacem ab Eccleſia datam, ratam habuiſſe. Nec quidem erat unde è morte elapſis multum invideatur, ſiquidem ad Pœnitentiam uſque tenebantur. Pacianus dixit accommode in hanc rem. *Aliud eſt de periculo liberari, aliud ad periculum cogi: & fortaſſe paterer hoc credi ſi pœnitentiæ deliciæ putarentur; cujus labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur.*

[2] *Epiſcopo tractante.*] Concionante.

[3] *Cum occaſio libelli fuiſſet oblata.*] Rigaltius ait, *Ab avaro ſcilicet Præſide, vel fortean miſericordi, ac de melioribus Ethnicis. Sed reſpuendam fuiſſe hanc occaſionem docet Tertullianus in illo grandi & magnifico ad Fabium ſermone, probatque exemplo Pauli: Cum Felix præſes pecunias acceptum ſe pro eo à diſcipulis ſperaſſet, de quo & ipſe in ſecreto tractaverat cum ipſo, neque ipſe pro ſe, neque diſcipuli pro eo numerarunt.* Sed iſti exemplo, opponitur factum Jaſonis Act. 17. 9. Vid. quæ dicta in lib. de Lapſis.

[4] *Jam de cetero.*] Si in poſterum ſimilis tentatio acciderit, teſtatur ſe inſtructum & paratum omnia potius perpeti quam libelli labe conſcientiam polluere.

[5] *Non quæramus lapſos.*] Veriorem puto lectionem, quam antitheſis ad verba præcedentia videtur exigere, licuit enim Cypriano dixiſſe, *Errantem & lapſam*, ſi in animo eſſet eandem vocem ſtatim repetere.

An. 252. Et iterum : Si patitur membrum unum, compatiuntur & cetera membra : & ſi lætatur unum membrum, [1] collætantur & cetera membra. 1 Cor. 12. 26.

Stoicus olim Novatianus; ſectæ ſuæ placita Eccleſiæ invexit.

Alia eſt Philoſophorum & Stoicorum ratio, frater cariſſime, qui dicunt omnia peccata paria eſſe ; & virum gravem non facile flecti oportere : inter Chriſtianos autem & Philoſophos plurimum diſtat. Et cum Apoſtolus dicat : Videte ne quis vos deprædetur per philoſophiam & inanem fallaciam, (a) vitanda quæ non de Dei clementia veniunt, ſed de philoſophiæ durioris præſumtione deſcendunt. De Moyſe autem legimus in ſcripturis dictum ; Et fuit Moyſes homo (b) [2] lenis nimis. Et Dominus in Evangelio ſuo dicit : (c) Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter (d) miſertus eſt veſtri. Et iterum : [3] Non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus. Quam poteſt exercere medicinam, qui dicit : ego ſolos ſanos curo, quibus medicus neceſſarius non eſt ? (e) Opem noſtram, medelam noſtram vulneratis exhibere debemus. Nec putemus mortuos eſſe, ſed magis ſemianimes jacere eos, quos perſecutione funeſta (f) ſauciatos videmus ; qui ſi in totum mortui eſſent, (g) nunquam de eiſdem poſtmodum & Confeſſores & Martyres fierent. Sed quoniam eſt in illis quod (h) pœnitentia ſequente revaleſcat ; ad fidem, & ad virtutem de (i) pœnitentia robur armatur ; quod armari non poterit, ſi quis deſperatione deficiat, ſi ab Eccleſia dure & crudeliter ſegregatus, ad gentiles ſe vias & ſecularia opera convertat, vel ad hæreticos & ſchiſmaticos rejectus ab Eccleſia tranſeat. [4] Ubi etſi occiſus propter (k) nomen poſtmodum fuerit extra Eccleſiam conſtitutus, & ab unitate atque à caritate diviſus, coronari in morte non poterit. Et ideo placuit, frater cariſſime, examinatis cauſis ſingulorum, libellaticos interim admitti ; ſacrificatis in exitu ſubveniri, quia [5] exomologeſis apud inferos non eſt, nec ad pœnitentiam quis à nobis compelli poteſt, ſi fructus pœnitentiæ ſubtrahatur. (l) [6] Si prælium prius venerit, corroboratus à nobis (m) invenietur armatus ad prælium ; ſi vero ante prælium (n) infirmitas urſerit, cum ſolatio pacis & communicationis abſcedit. Luc. 6. 36. Mat. 9. 12. Num. 12. 3. Coloſſ. 2. 8. Pſal. 6. 6.

Eccleſiæ cenſuræ, Dei judicio non præjudicant. Porro in re ancipiti ad leniorem partem accedere oportebit.

[7] Neque enim præjudicamus Domino judicaturo, quo minus ſi pœnitentiam plenam & juſtam peccatoris invenerit, tunc ratum faciat quod à nobis (o) fuerit hic ſtatutum. Si vero nos aliquis pœnitentiæ ſimulatione deluſerit ; Deus qui non deridetur, & qui cor hominis intuetur, de his quæ nos minus perſpeximus judicet, & ſervorum ſententiam Dominus emendet ; dum tamen nos meminiſſe, frater, debeamus, ſcriptum eſſe : [8] Frater fratrem adjuvans exaltabitur. Et Apoſtolum quoque dixiſſe : In contemplatione habentes unuſquiſque, ne & vos tentemini. Alterutrum (p) onera ſuſtinete, & ſic adimplebitis legem Chriſti. (q) Item quod ſuperbos redarguens & arrogantiam frangens in Epiſtola ſua ponat : Et qui ſe putat ſtare, videat ne cadat. Et alio in loco dicat : Tu quis es qui judicas alienum ſervum ? Domino ſuo ſtat aut cadit ; ſtabit autem, potens eſt enim Deus (r) ſtatuere eum. Joannes quoque Jeſum Chriſtum Dominum advocatum & deprecatorem pro peccatis noſtris probat dicens : Filioli mei iſta ſcribo vobis ne delinquatis ; & ſi quis deliquerit, advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum, & (ſ) ipſe eſt deprecatio pro delictis noſtris. Et Paulus quoque Apoſtolus in Epiſtola ſua poſuit ; Si cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo magis nunc juſti- Galat. 6. 7. 1 Reg. 16. 7. Prov. 18. 19. Galat. 6. 2. 1 Cor. 10. 12. Rom. 14. 4. 1 Jo. 2. 1. Rom. 5. 8.

(a) Vitanda ſunt, *Lam. Bod.* 3. *Ebor. Lin. NC.* 1. (b) Leniſſimus, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (c) Eſtote ergo miſericordes, *Bod.* 3. quomodo & pater, *Ver.* (d) Miſericors eſt, *Bod.* 3. (e) Opem noſtram & medelam vulneratis, *Bod.* 1. (f) Saucios, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (g) Nunquam iidem, *Bod.* 3. (h) Pœnitentia frequenter, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod.* 2. (i) De pœnitentiæ robore, *Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. pœnitentiæ robur armatur, *Vatic.* (k) Nomen Chriſti, *Bod.* 2. (l) Si ergo prælium, *Lam. Ebor. NC.* 1. (m) Invenietur & armatus, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (n) Infirmitas venerit, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (o) Fuerit ſtatutum, *Lam. Ebor. NC.* 1. (p) Onera veſtra, *Lam. Ebor. NC.* 1. (q) Item ſuperbos, *Lam.* ponit, *Lam.* (r) Stabilire, *Lam. Lin. Ebor. Bod.* 1. 2. 3. *NC.* 1. (ſ) Ipſe eſt ſuffragator & deprecator, *Bod.* 3. ipſe deprecator, *Lam.*

[1] *Collætantur & cetera membra.*] Quædam Græca exemplaria habent συγχαίρῃ.

[2] *Lenis nimis.*] πρᾳοῦς σφόδρα.

[3] *Non eſt opus ſanis medicus.*] Eodem modo locum hunc laudat Cyprianus in Epiſtola ad Stephanum de Marciano Arelatenſi.

[4] *Ubi etſi occiſus propter nomen.*] Eadem vocis notatione שם ſupponit apud Hebræos. Rigaltius ait, *Scilicet Chriſti. Itaque tota clauſula ſic conſtituenda eſt. Si ab Eccleſia dure & crudeliter ſegregatus, ad gentiles ſe vias & ſecularia opera convertat ; vel ad hæreticos & ſchiſmaticos, rejectus ab Eccleſia, tranſeat, ubi etſi occiſus propter nomen poſtmodum fuerit, extra Eccleſiam conſtitutus*, &c. Martyrium ipſum ſchiſmaticis non prodeſſe, paſſim iſtis fere verbis pronunciat Cyprianus.

[5] *Exomologeſis apud inferos non eſt.*] Pœnitentiæ remedia, ita mortuis ſunt profutura ; ut adhibita illis medicamenta prodeſſent.

[6] *Si prælium prius venerit.*] Poſtquam eſſet conſtitutum ut in articulo mortis lapſi ad pacem admitterentur ; conſequens erat ut id obtineret perſecutionis tempore, quando par impenderet periculum.

[7] *Neque enim præjudicamus Domino judicaturo.*] Nondum pœnitentia in ſacramentum accreverat ; nec ſententiam decretoriam ſibi arrogabat. Exors hæc in peccatis remittendis poteſtas à Donatiſtis primum arrepta ; quos Optatus l. 5. ſic coarguit. *Concedite Deo præſtare quæ ſua ſunt. Non enim poteſt munus ab homine dari, quod divinum eſt. Si ſic putatis, Prophetarum voces & Dei promiſſa inanire contenditis, quibus probatur, quia Deus lavat non homo.* Idem hæreticum dogma Audianis imputatur à Theodorito hæret. fab. l. 4. ὅτοι δὲ ἄφεσιν ἁμαρτημάτων ποιεῖσθαι νεανιεύονται. Quid de clavium poteſtate ſentiamus ſup. lib. de Lapſis retulimus.

[8] *Frater fratrem adjuvans exaltabitur.*] LXX. Legunt. ἀδελφὸς ὑπὸ ἀδελφῦ βοηθούμενος ὡς πόλις ὀχυρὰ καὶ ὑψηλή. Noſter videtur legiſſe ἀδελφὸς ὑπὸ ἀδελφῦ βοηθούμενος ὑψωθήσεται ὡς πόλις ὀχυρά.

[1] *Ut*

An. 252. juſtificati in ſanguine illius, (a) liberabimur per illum ab ira. Cujus pietatem & clementiam cogitantes, non acerbi adeo, nec duri, (b) nec in fovendis fratribus inhumani eſſe debemus: ſed dolere cum dolentibus, cum flentibus flere, & eos quantum poſſumus auxilio & ſolatio noſtræ dilectionis erigere, nec adeo immites & pertinaces ad eorum pœnitentiam (c) retundendam, nec iterum ſoluti & faciles ad communicationem temere (d) laxandam. Jacet ecce ſaucius frater ab adverſario in acie vulneratus. Inde diabolus conatur occidere quem vulneravit, hinc Chriſtus hortatur ne in totum (e) pereat, quem redemit. Cui de duobus aſſiſtimus, in (f) cujus partibus ſtamus? utrum ne (g) diabolo favemus ut perimat, & ſemianimem fratrem jacentem, ſicut in Evangelio (h) ſacerdotes & Levites, præterimus? an vero ut ſacerdotes Dei & Chriſti, quod Chriſtus & docuit & fecit imitantes, vulneratum de adverſarii faucibus rapimus, (i) [1] ut curatum Deo judici (k) reſervemus? Rom. 12. 15. Luc. 10. 31.

Non metuendum ne indulgentia erga lapſos, animos Chriſtianorum à Martyrio avertat: ærumnæ eorum qui in pœnitentia ſunt poſiti, à martyrum prærogativis longiſſime abſunt.

Nec putes, frater cariſſime, hinc aut virtutem fratrum minui, aut martyria deficere, quod lapſis laxata ſit pœnitentia, & quod pœnitentibus ſpes pacis oblata. Manet vere fidentium robur immobile, & apud timentes ac diligentes (l) corde toto Deum, ſtabilis & fortis perſeverat integritas. Nam & mœchis à nobis pœnitentiæ tempus conceditur, & pax datur, non tamen idcirco virginitas in Eccleſia deficit, aut (m) continentiæ propoſitum glorioſum per aliena peccata langueſcit. Floret Eccleſia tot virginibus coronata, & caſtitas ac pudicitia tenorem gloriæ ſuæ ſervat, nec quia adultero pœnitentia & venia laxatur, continentiæ vigor frangitur. [2] Aliud eſt, ad veniam ſtare, aliud ad gloriam pervenire: aliud miſſum in carcerem non exire inde, donec ſolvat noviſſimum quadrantem; aliud ſtatim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis longo (n) dolore cruciatum emundari, & (o) [3] purgari diu igne; aliud peccata omnia paſſione purgaſſe: [4] aliud denique pendere in die judicii ad ſententiam Domini, aliud ſtatim à Domino coronari. Mat. 5. 26.

Mœchis olim pœnitentiam Epiſcopi quidam Africani denegabant, ſalva pace cum aliter ſentientibus.

Et quidem [5] apud anteceſſores noſtros, quidam de Epiſcopis iſtic in [1] Pro-

(a) Eliberabimur, *Ver. Man.* (b) *Sic*, *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. & duri, *Bod.* 3. (c) *Sic*, *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. MR.* refundendam, *Imp.* (d) Laxandum eſſe debemus, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (e) Pereat quod, *Bod.* 3. (f) Cujus parte, *Bod.* 1. *Neap.* (g) Diabolo facimus, *Lam.* (h) Sacerdos, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. (i) Nunc curatum, *Bod.* 1. 3. (k) Reſervamus, *Bod.* 1. (l) Corde ſolo in Deum, *Bod.* 1. (m) Continentia, ac propoſitum, *MR.* (n) Doloris cruciatu, *Lam.* (o) Purgari divine, *Bod.* 2. 3. *Lam. Ebor.*

[1] *Ut curatum Deo judici reſervemus.*] Rigaltius ait, *Curatum intellige, cura diligenter habita, ſalutaribus monitis & aliis Chriſtianæ caritatis officiis ad pœnitentiam, deinde ad Eccleſiam, revocatum.*

[2] *Aliud eſt ad veniam ſtare, aliud ad gloriam pervenire.*] Rigaltius ait, *Diſputat Cyprianus de lapſis ad pœnitentiam, hoc eſt ad veniam & Eccleſiam, recipiendis. Nam poſt impetratam pœnitentiam, ea rite peracta, pœnitentibus venia datur, pax & Eccleſia ſive communio redditur lapſis, puta libellatis & turificatis. Ac varias quidem intercedere ait circumſtantias & figuras delictorum, pro quibus Epiſcoporum arbitrio temperari pœnitentia debeat. Hoc tamen intereſſe, quod cum libellatis mitius agi debere, multa ſuadeant. Contradicebant Epiſcopi nonnulli, ideo maxime negandam eſſe pœnitentiam lapſis, quod laxata ſemel diſciplinæ regula, maximum ſequeretur eccleſiæ detrimentum, & in ſummo periculo verſaretur fidei Chriſtianæ tenor. Nam quis deinceps pro nomine Chriſti martyria non fugiat, aut vitam quacunque ratione ſuam non redimat, qui lapſis pœnitentiæ tempus concedi debere intellexerit? Hoc vero non ita metuendum eſſe Cyprianus ait. Etenim longe aliam eſſe conditionem lapſorum, aliam confeſſorum ſive martyrum. Hos ſtatim paradiſo recipi, de gloria, de mercede, de corona certos. Illos ad veniam ſtare anxios & ſollicitos quid ſtatuat ac decernat Epiſcopus, & an pœnitentiæ tempus indicat tam longum, quam eſſe debitori ſolet carceris tædium, unde non exeant, donec ſolvant noviſſimum quadrantem. An forma pœnitentiæ futura ſit tam atrox, pro qualitate ſcilicet criminis, ut per cineres & pulverem volutari, per jejuniorum triſtitiam, perque ciliciorum aſperitatem macerari, per gemitus & ſuſpiria, cordis exæſtuantis dolorem clare loquentia, velut metallum ignibus ardentiſſimis excoqui ac purgari debeant: & poſt hæc omnia tandem, aut ſi qua infirmitas urſerit, ægre recepti, in diem judicii, ad ſententiam Domini pendeant reſervati. Cum ſit igitur tanta pœna propoſita lapſis ut eventus incerti pœnitentiam adipiſcantur, tam certa vero tamque præſens martyri gloria, non eſſe cur ad fugienda martyria fideles invitari pœnitentia videantur.*

[3] *Purgari diu igne.*] Quam parum hæc faciunt ad Purgatorium Romanenſium ſtabiliendum, contra quod Pamelius ſenſit, optime oſtendit Rigaltius: & revera nihil aut in veteri aut novo inſtrumento uſitatius; quam per ignes, fornacem, πύρωσιν & flammas, quaſcunque afflictiones deſcribere. Sed cum plures MSS. codices legant, non; *diu igne*, ſed *divine*, ſuſpicio ſubit, injecta literula, veram lectionem fuiſſe, *diutine*: ut periodus ſic concipiatur. *Aliud pro peccatis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diutine; aliud peccata omnia paſſione purgaſſe.*

[4] *Aliud denique pendere in die judicii.*] Rigaltius ait, *Ad notam Pamelii, ubi dicitur locum eſſe intelligendum de die particularis judicii uniuſcujuſque, Nic. Faber notat: Imo potius de extremo judicio ex ea opinione quæ fuit multorum & magnorum virorum tam Græcorum quam Latinorum in Eccleſia primitiva, qui ſolos martyras gloria divina perfrui ante illud extremum judicium*, ceteros vero, in extremum judicium *differri voluerunt. Quæ fuit etiam Tertulliani ſententia.* Sed illa non erat Cypriani noſtri ſententia: qui paſſim in libro de Mortalitate docet, *ejus eſſe mortem timere qui ad Chriſtum nolit ire. Et tunc eſſe ſervis Dei pacem, tunc liberam, tunc tranquillam quietem, quoniam de iſtis mundi turbinibus extracti, ſedis & æternæ tranquillitatis portum petimus, quando expuncta hac morte ad immortalitatem venimus.* Tunc, *ad refrigerium juſti vocantur, ad ſupplicium rapiuntur injuſti, datur velocius tutela fidentibus, perfidis pœna. Inde amplectamur diem qui aſſignat ſingulos domicilio ſuo, qui nos iſtic ereptos, & laquis ſecularibus exſolutos, paradiſo reſtituit & regno cœleſti.* Interim agnoſcendum, veteres omnes ſenſiſſe diem judicii terrores, etiam ſanctis formidandos, ſecum allaturum: unde forte preces etiam pro Martyribus conceptæ. *Sacrificia pro eis ſemper* offerimus, inquit Cyprianus, Ep. 39. *quoties martyrum paſſiones & dies anniverſaria commemoratione celebramus.* Vid. quæ dicta ad Ep. 2. & 12.

[5] *Apud anteceſſores noſtros.*] Satis inconſulte Albaſpineus aſſerit Mœchis veniam non factam ante Novatiani tempora, quando contrarium hic aperte doceat Cyprianus. Veriſimilior longe Morini ſententia, qui ſtatuit pœnas pœnitentiales uſque ad Novati tempora fuiſſe leviores: quod ex cenſura Apoſtolica 1 Cor. 5. & Joannis praxi quam ex Clemente Alexand. refert Euſebius, Hiſt. l. 2. c. 17. & aliis veterum ſcriptis conficit. Certe ipſe Tertullianus quando in Zepherinum tanquam impudicitiæ patronum invehitur; agnoſcit Pſychicos, hoc eſt, Catholicos, mœchos olim ad pœnitentiam admiſiſſe. *Erit igitur*, inquit, & *hic adverſus Pſychicos titulus, adverſus meæ quoque ſententiæ retro penes illos ſocietatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent.* Porro, Zepherino antiquior Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, cujuſvis flagitii compertos per pœnitentiam ſuſcipiendos decrevit. Ep. ad Amaſtrianos, apud Euſeb. l. 4. c. 23. τὰς ἐξ ὅιας δ' ἂν ἀποπτώσεως ἢ πολυμελίας, εἴτε μὴν αἱρετικῆς πολάνης ἐπιστρέφοντας δεξιᾶς προστάτει. Demum S. Ignatius Epiſt. ad Philadelphenſes in univerſum pronunciat, ὅσοι ἂν μετανοήσαντες ἔλθωσιν ἐπὶ τὴν ἑνότητα τῆς ἐκκλησίας, προσδέχεται αὐτούς.

[1] Pro-

An. 252. [1] Provincia noſtra dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt; non tamen à coepiſcoporum ſuorum collegio receſſerunt, aut Catholicæ Eccleſiæ unitatem vel duritiæ, vel cenſuræ ſuæ obſtinatione ruperunt; ut quia apud alios adulteris pax dabatur, qui non dabat, de Eccleſia ſepararetur. [2] Manente concordiæ vinculo & perſeverante Catholicæ Eccleſiæ individuo ſacramento, actum ſuum diſponit & dirigit unuſquiſque Epiſcopus, rationem propoſiti ſui Domino redditurus.

Qui pacem lapſis denegant, SS. Scripturis repugnant.

Miror autem quoſdam ſic obſtinatos eſſe ut dandam non putent lapſis pœnitentiam, aut pœnitentibus exiſtiment veniam denegandam, cum ſcriptum ſit: Memento unde cecideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera. Quod utique ei dicitur, quem conſtat cecidiſſe, & quem Dominus hortatur per opera rurſus exſurgere, quia ſcriptum eſt: Eleemoſyna à morte liberat; & non utique ab illa morte, quam ſemel Chriſti ſanguis extinxit, & à qua nos ſalutaris baptiſmi, & redemtoris noſtri gratia liberavit; ſed ab ea, quæ per delicta poſtmodum ſerpit. Alio item loco pœnitentiæ tempus datur, & pœnitentiam (a) non agenti Dominus comminatur: Habeo, inquit, adverſus te multa, quod [3] uxorem tuam Jeſabel, quæ ſe dicit (b) prophetem, ſinis docere & ſeducere ſervos meos, fornicari & manducare (c) de ſacrificiis, & dedi illi tempus ut pœnitentiam ageret, & pœnitere non vult à fornicatione. Ecce mitto eam in lectum, & qui cum ea fornicati ſunt, in maximam tribulationem; niſi (d) pœnitentiam fecerint ab operibus ſuis. Quos utique ad pœnitentiam Dominus non hortaretur, niſi quia pœnitentibus indulgentiam pollicetur. Et in Evangelio: Dico, inquit, vobis, ſic erit gaudium in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, quibus non eſt opus pœnitentia. Nam cum (e) ſcriptum ſit: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum: utique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere, & per pœnitentiam denuo ad vitam redire. Ideo & per Joël Prophetam clamat & dicit: Et nunc dicit (f) Dominus Deus: Revertimini ad me ex toto corde veſtro, ſimulque & jejunio, & fletu, & planctu, & (g) diſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & revertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia miſericors & pius eſt, & patiens, & multæ miſerationis, & qui (h) ſententiam flectat [4] adverſus (i) malitias irrogatas. In Pſalmis etiam legimus cenſuram pariter & clementiam Dei comminantis ſimul atque parcentis; punientis ut corrigat, & cum correxerit reſervantis; Viſitabo, inquit, in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis. Dominus quoque in Evangelio pietatem Dei patris oſtendens ait: Quis eſt ex vobis homo quem ſi petierit filius ejus panem, lapidem porriget illi? aut ſi piſcem poſtulaverit, ſerpentem illi porriget? Si ergo vos, cum ſitis nequam, ſcitis bona data dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter cœleſtis dabit bona (k) poſcentibus ſe? Comparat hic Dominus carnalem patrem & Dei patris æternam largamque pietatem: quod ſi iſte in terris nequam pater offenſus graviter à filio peccatore & malo, ſi tamen eundem poſtmodum viderit reformatum, & depoſitis (l) prioris vitæ delictis ad ſobrios & bonos mores, & ad innocentiæ diſciplinam (m) pœnitentiæ dolore correctum, & gaudet & gratulatur; & ſuſceptum, quem ante projecerat, cum voto paternæ exultationis amplectitur, quanto magis unus ille & verus pater, bonus, miſericors & pius, imo (n) ipſa bonitas & miſericordia & pietas, lætatur in pœnitentia filiorum ſuorum; nec iram pœnitentibus, aut plangentibus & lamentantibus pœnam comminatur, ſed veniam magis & indulgentiam pollicetur? Unde Dominus in Evangelio beatos dicit plangentes, quia qui plangit, miſericordiam provocat: qui pervicax & ſuperbus eſt, iram ſibi & pœnam judicii venientis exaggerat. Et iccirco, frater cariſſime, pœnitentiam non agentes, nec [5] dolorem delictorum ſuorum toto corde & manifeſta lamentationis ſuæ profeſſione teſtantes, prohibendos omnino cenſuimus à ſpe communicationis & pacis, ſi in infirmitate atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus eſt in morte accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum.

Apoc. 2. 5. Tob. 4. 11. Apoc. 2. 20. Luc. 15. 7. Sapi. 3. 13. Joël. 2. 12. Pſ. 88. 32. Mat. 7. 9. Mat. 5. 5.

[1] Quod

(a) Non agentibus, *Lam. Bod.* 2. *Ebor.* (b) Prophetiſſam, *Bod.* 3. Prophetin, *Vulg.* Propheten, *Bod.* 1. 2. (c) De ſacrificio, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Manut.* (d) Pœnitentiam geſſerint, *Bod.* 1. 2. 3. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (e) Scriptum ſit, Dominus Deus, *Lam.* (f) Dominus Deus veſter, *Ebor. NC.* 1. Dominus Deus, venite convertimini, *Lin.* (g) Scindite, *Bod.* 2. (h) Sententiam vertat, *Benev.* (i) Malitiam irrogatam, *Bod.* 1. *Lam. Ebor. NC.* 1. (k) Poſcentibus eum, *Man.* (l) Prioribus, *Bod.* 3. (m) Ac pœnitentiam, ac dolore correctum, *Man.* (n) Ipſe bonitas, *Bea. Ver. Bod.* 1. 2. *Man.* bonitatis & miſericordiæ & pietatis fons, *Bod.* 3.

[1] *Provincia noſtra.*] Africa proprie dicta, quæ in provinciæ formam victa Carthagine redigebatur, & Zeugitana dicitur.

[2] *Manente concordiæ vinculo.*] Quamdiu nullum Eccleſiæ decretum intervenit, quilibet Epiſcopus, omnia ad regimen plebis ſibi commiſſæ, ex animi ſui ſententia adminiſtrat; ita tamen ut cum aliter ſentientibus fraternam caritatem retineat. Hunc locum laudat D. Auguſt. Epiſt. 48. ad Vincent. Rogatiſt. & l. 4. de Bapt. c. 12.

[3] *Uxorem tuam Jeſabel.*] Textus ſacer habet τὴν γυναῖκα. Senſiſſe videtur Cyprianus, hanc pſeudoprophetiſſam fuiſſe conjugem Epiſcopi Thyatiræ. Cui interpretationi favent illa Græca exemplaria quæ legunt τὴν γυναῖκά σου Ἰεσαβέλ.

[4] *Adverſus malitias irrogatas.*] Eodem modo laudatur textus iſte, in lib. de Lapſis, ſub finem.

[5] *Dolorem delictorum ſuorum.*] Rigaltius ait, *Intelligit delicta, proprie ſumto Delicti vocabulo. Quæ ſcilicet commiſiſſe qui dicitur, officium Chriſtiani prætermiſiſſe, fidem Chriſtianam, hoc eſt Chriſtum, dereliquiſſe ac deſeruiſſe cenſetur. Hujuſmodi vero ſunt ſacrificati, aut thurificati, & libellati.*

[1] Quod

An. 252. *Novatiani character.*

1 Quod vero ad Novatiani perſonam pertinet, frater cariſſime, de quo deſiderasti tibi ſcribi quam hæreſim introduxiſſet; ſcias nos primo in loco nec curioſos eſſe debere quid ille doceat, cum foris doceat. Quiſquis ille eſt, & qualiſcunque eſt, Chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt. (a) Jactet ſe licet & philoſophiam vel eloquentiam ſuam ſuperbis vocibus prædicet; qui nec fraternam caritatem, nec Eccleſiaſticam (b) unitatem retinuit, etiam quod prius fuerat, amiſit. Niſi ſi Epiſcopus tibi videtur, qui Epiſcopo in Eccleſia (c) à ſedecim coepiſcopis facto, adulter atque extraneus Epiſcopus fieri à deſertoribus per ambitum nititur; & cum ſit à Chriſto una Eccleſia per totum mundum in multa membra diviſa, item 2 Epiſcopatus unus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus; ille poſt Dei traditionem, poſt connexam & ubique conjunctam Catholicæ Eccleſiæ unitatem, 3 humanam conetur Eccleſiam facere, & per plurimas civitates novos Apoſtolos ſuos mittat, ut quædam recentia inſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituat; cumque jampridem per omnes provincias & per urbes ſingulas ordinati ſint Epiſcopi in ætate antiqui, in fide integri, in preſſura probati, in perſecutione proſcripti, ille ſuper eos creare alios pſeudo-epiſcopos audeat. Quaſi poſſit aut totum orbem novi conatus obſtinatione peragrare, aut (d) Eccleſiaſtici corporis compaginem diſcordiæ ſuæ (e) ſeminatione reſcindere; neſciens ſchiſmaticos ſemper inter initia fervere, incrementa vero habere non poſſe, nec augere quod illicite cœperint, ſed ſtatim cum prava ſua æmulatione deficere. Epiſcopatum autem tenere non poſſet, etiam ſi epiſcopus prius factus, à coepiſcoporum ſuorum corpore & ab Eccleſiæ (f) unitate deſciſceret; quando Apoſtolus admoneat, ut invicem noſmetipſos ſuſtineamus, ne ab unitate quam Deus conſtituit, recedamus, & dicat: Suſtinentes invicem in dilectione, ſatis agentes ſervare unitatem Spiritus in conjunctione pacis. Qui ergo nec unitatem Spiritus, nec conjunctionem pacis obſervat; & ſe ab Eccleſiæ vinculo atque à ſacerdotum collegio ſeparat, Epiſcopi nec poteſtatem poteſt habere, nec honorem, qui Epiſcopatus nec unitatem voluit tenere, nec pacem. Eph. 4. 2.

Domini noſtri prærogativa eſt, zizania à frumento diſcernere.

Tum deinde quantus arrogantiæ tumor eſt, quanta humilitatis & lenitatis oblivio, arrogantiæ ſuæ quanta jactatio, ut quis aut audeat, aut facere ſe poſſe credat, quod nec Apoſtolis conceſſit Dominus, ut zizania à frumento putet ſe poſſe diſcernere, aut quaſi ipſi palam ferre & aream purgare conceſſum ſit, paleas conetur à tritico ſeparare? Cumque Apoſtolus dicat: In domo autem magna non ſolum vaſa aurea ſunt & argentea, ſed & lignea & fictilia; aurea & argentea vaſa videatur eligere, lignea vero & fictilia contemnere, abjicere, damnare; quando non niſi die Domini vaſa lignea divini ardoris incendio concrementur, & fictilia ab eo cui data eſt ferrea virga, frangantur. 2 Tim. 2. 20. Pſ. 2. 9.

Ex admiſſis ad pœnitentiam mœchis ſequitur, & Lapſos admittendos.

Aut ſi ſe cordis & renis ſcrutatorem conſtituit & judicem, per omnia æqualiter judicet, & cum ſciat ſcriptum eſſe; Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat, fraudatores & mœchos à latere atque à comitatu ſuo ſeparet: quando multo & gravior, & 4 pejor ſit mœchi quam libellatici cauſa, cum hic neceſſitate, ille voluntate peccaverit; hic exiſtimans ſibi ſatis eſſe quod non ſacrificaverit, (g) errore deceptus ſit, ille matrimonii expugnator alieni, vel lupanar ingreſſus ad cloacam & cœnoſam voraginem vulgi, ſanctificatum corpus & Dei templum deteſtabili colluvione violaverit: (h) ſicut Apoſtolus dicit: Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem mœchatur in corpus ſuum peccat. Quibus tamen & ipſis pœnitentia conceditur, & lamentandi ac ſatisfaciendi ſpes relinquitur, ſecundum ipſum Apoſtolum dicentem: Timeo ne forte veniens ad vos, lugeam multos (i) ex iis qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam de immunditiis quas fecerunt, & fornicationibus & libidinibus. Nec ſibi in hoc novi hæretici blandiantur, quod Apoc. 2. 23; Jo. 5. 14. 1 Cor. 6. 18. 2 Cor. 12. 20.

(a) Jactet ſe licet & ferat quomodo vult. *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (b) Unitatem tenuit, *Lam. Bod.* 1. 2. (c) A decem & ſeptem, *Bod.* 3. (d) Eccleſiaſtici ordinis, *Bod.* 3. (e) Contaminatione conſcindere, *Lam. Bod.* 2. (f) Unitate diſcederet, *Lam.* (g) Errore deceptus, ille, *Lam. Ebor. NC.* 1. (h) Secundum Apoſtolum, *Lam. Ebor. NC.* 1. (i) Ex his qui ante, *Lam.*

1 *Quod vero ad Novatiani perſonam.*] Pamelius ait, *Hic reſpondet ad alteram Antoniani quæſtionem, qua petebat doceri, quam hæreſim introduxiſſet Novatianus; primum autem ſchiſmaticum, poſtea ſub epiſtolæ finem etiam hæreticum fuiſſe docet.* Nefaria Novatiani dogmata, à Dionyſio Alexandrino vivis coloribus depinguntur, apud Euſeb. l. 7. cap. 8.

2 *Epiſcopatus unus.*] Non per viſibilem in terris Eccleſiæ Monarcham, ſed Epiſcoporum multorum concordem numeroſitatem.

3 *Humanam conetur Eccleſiam facere.*] Non Divinam, non Chriſtianam, non Apoſtolicam. Chriſtus Apoſtolis Eccleſiam paſcendam commiſit, illi eorum ſucceſſoribus Epiſcopis jus ſuum demandabant; his data clavium poteſtas; ſacramenta conficiendi & adminiſtrandi facultas. Qui ſuo marte aut Epiſcopos conſtituit, aut ſacra eorum munia attentat, humanam conatur Eccleſiam facere; nec Sacramenta plebi, ſed ſacrilegia miniſtrat. Sed etiam hac ex parte furioſiſſime ſacrilegus erat Novatianus, qui in Euchariſtiæ myſteriis, homines non Deo, ſed ſibi initiabat. Cujus adjurationis formulam videre eſt apud Euſeb. l. 6. Cap. 43. Porro in hac noxa verſantur, quod humanam Eccleſiam facere ſatagant, hujus ſeculi politici, qui omnia ad magiſtratum civilem pertrahunt, & penes ipſum eſſe ſtatuunt, regimen Eccleſiæ fingere & refingere.

4 *Pejor ſit mœchi quam libellatici cauſa.*] Rigaltius ait, *Hoc habet Cyprianus ab Tertulliano ſuo, qui pluribus hanc quæſtionem tractavit libro de Pudicitia: Quis magis negavit, qui Chriſtum vexatus, an qui delectatus amiſit? qui quum amitteret doluit, an qui cum admitteret, luſit?*

An. 252. quod ſe dicant idololatris non communicare ; quando ſint apud illos & adulteri & fraudatores, qui teneantur idololatriæ crimine, ſecundum Apoſtolum dicentem : Hoc enim Eph. 5. 5.
[1] ſcitote intelligentes quia omnis fornicator aut [2] immundus, aut fraudator, quod eſt idololatria non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei. (a) Et iterum : Mortifi- Coloſſ. 3. 5.
cate itaque membra veſtra quæ in terra ſunt, [3] exponentes fornicationem, immunditiam, & concupiſcentiam malam, & cupiditatem, quæ ſunt idolorum ſervitus, propter quæ venit ira Dei. Nam cum corpora noſtra membra ſint Chriſti, & ſinguli ſimus templum Dei, quiſquis adulterio templum Dei violat, Deum violat ; & qui in peccatis committendis voluntatem diaboli facit, dæmoniis & idolis ſervit. Neque enim mala facta de ſancto Spiritu veniunt, ſed de adverſarii inſtinctu ; & de immundo ſpiritu natæ concupiſcentiæ ; contra Deum facere, & Diabolo ſervire compellunt. Ita fit, ut ſi peccato alterius inquinari alterum dicunt, & idololatriam delinquentis ad non delinquentem tranſire ſua aſſeveratione contendunt ; excuſari ſecundum ſuam vocem non poſſint ab idololatriæ crimine, cum conſtet de Apoſtolica probatione mœchos & fraudatores, quibus illi communicant, idololatras eſſe. Nobis autem ſecundum fidem noſtram, & divinæ prædicationis datam formam competit ratio veritatis, unumquemque in peccato ſuo ipſum teneri, nec poſſe alterum pro altero reum fieri, cum Dominus præmoneat & dicat : Juſtitia juſti ſuper eum erit, & ſcelus ſcelerati ſuper eum Ezech. 18.
erit. Et iterum : Non morientur patres pro filiis, & filii non morientur pro patri- 20.
bus. Unuſquiſque in peccato ſuo morietur. Quod legentes ſcilicet & tenentes, nemi- 4 Reg. 14.
nem putamus à fructu ſatisfactionis & ſpe pacis arcendum ; cum ſciamus juxta ſcripturarum divinarum fidem, auctore & hortatore ipſo Deo, & ad agendam pœnitentiam peccatores redigi, & veniam atque indulgentiam pœnitentibus non denegari.

Qui ad pœnitentiam ſuadet, & pœnitentibus veniam pacemque denegat, irridet non hortatur.

Atque ô [4] fruſtrandæ fraternitatis irriſio ! ô miſerorum lamentantium caduca deceptio ! ô hæreticæ inſtitutionis inefficax & vana traditio ! (b) hortari ad ſatisfactionis pœnitentiam, & ſubtrahere de ſatisfactione medicinam ; dicere fratribus noſtris, plange & lacrymas funde, & diebus ac noctibus ingemiſce, & pro abluendo & purgando delicto tuo largiter & frequenter operare, ſed extra Eccleſiam poſt omnia iſta morieris : quæcunque ad pacem pertinent, facies, ſed nullam pacem, quam (c) quæris, accipies. Quis non ſtatim pereat ? quis non (d) ipſa deſperatione deficiat ? Quis non animum ſuum à propoſito lamentationis avertat ? Operari tu putas ruſticum poſſe, ſi dixeris : agrum peritia omni ruſticitatis exerce ; culturis diligenter inſiſte : ſed nullam meſſem metes, nullam vindemiam premes, nullos oliveti tui fructus capies, nulla de arboribus poma decerpes ? Vel ſi ei, cui dominium (e) & uſum navium ſuades, dicas ; Materiam de excellentibus ſylvis mercare frater ; (f) carinam prævalidis & electis roboribus intexe, clavo, funibus, velis, ut fabricetur atque armetur navis, operare : ſed cum hæc feceris, fructum de actibus ejus & curſibus non videbis ? Præcludere eſt atque (g) abſcindere iter doloris ac pœnitendi viam ; ut cum in ſcripturis Dominus Deus revertentibus ad ſe & pœnitentibus blandiatur ; noſtra duritia & crudelitate dum (h) fructus pœnitentiæ intercipitur, pœnitentia ipſa tollatur. Quod ſi invenimus à pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus atque exorantibus Domini miſericordiam, ſecundum quod ille miſericors & pius eſt, per ſacerdotes ejus pacem poſſe concedi ; admittendus eſt plangentium gemitus & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus. Et quia [5] apud inferos confeſſio non eſt, nec exomologeſis illic fieri poteſt : Pſ. 6. 6.
qui ex toto corde pœnituerint, & rogaverint, in Eccleſiam debent interim ſuſcipi, & in ipſa Domino reſervari, qui ad (i) Eccleſiam venturus, de illis utique, quos in ea intus invenerit, judicabit.

Apo-

(a) Et iterum dicit, *Lam. Ebor. NC.* 1. (b) Hortari ad ſatisfactionem, *Bod.* 3. (c) Quæris invenies, *Lam. Ebor. NC.* 1. (d) Ipſa ſtatim deſperatione, *Lam. Ebor. NC.* 1. (e) *Sic*, *Lam. Ebor. Corb. NC.* 1. *Lin.* Eſt, *Imp.* vel ſi ei cui uſum, *Benev.* cui dum, *Vatic.* (f) Fortem carinam, *Bod.* 1. 2. (g) Abſcidere, *Ver. Benev.* (h) Fructus pœnitentiæ interdicitur, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (i) Eccleſiam ſuam, *Lam. Bod.* 3. *Ebor. Lin.*

1 *Scitote.*] Codices impeſſi legunt ἴστε γινώσκοντες, Sed MSS. nonnulli cum Cypriano habent ἴστε.

2 *Immundus, aut fraudator, quod eſt idololatria.*] Fraudator, πλεονέκτης. Revera iſti *fraudatores*, ab Apoſtolo deſignati, ſunt libidinoſi & ſalaces, qui dolis & blanditiis ad impudicitiæ ſordes illiciunt. Eph. 4. 19. ἀπηλγηκότες ἑαυτοὺς παρέδωκαν τῇ ἀσελγείᾳ εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης ἐν πλεονεξίᾳ. Sic quæ ſtatim apud Cyprianum hic ſequitur ex Coloſſ. 3. 5. *cupiditatis* mentio, in textu Græco eſt, πλεονεξία. Græcus textus habet πᾶς πόρνος, ἢ πλεονέκτης, ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης. Sed tamen aliqui codices cum Cypriano legunt, ὅ ἐστιν εἰδωλολατρία.

3 *Exponentes.*] ἀποθέμενοι. De notatione vocis iſtius apud Auctorem noſtrum diximus ad lib. ad Donat. Redundat vero hic loci ; & deſumi videtur à verſu 8. qui ſequitur. Unde etiam Tertullianus locum hunc laudans, *turpiloquium* deſumſit. lib. de Pudic. c. 17. & huic verſui quinto attexuit.

4 *Fruſtrandæ fraternitatis irriſio.*] In ſpecie n lenitatis & humanæ indulgentiæ dicebant Montaniſtæ & Novatiani, ſe peccatorum, quæ irremiſſibilia & inconceſſibilia appellabant, reos Deo relinquere. Dicit Tertullianus de Pudic. l. 3. *Ad Dominum remiſſa, & illi exinde proſtrata, hoc ipſo magis operabitur veniam, quod eam à ſolo Deo exorat, quod delicto ſuo humanam pacem ſufficere non credit.* Sic Novatianus in Epiſtola ejus ad omnes ubique Eccleſias referente Socrate l. 4. c. 28. admonebat Epiſcopos, προτρέπειν ἐπιπληκτικῶς εἰς μετάνοιαν, τὴν ὑ συγχώρησιν ἐπιτρέπειν θεῷ τῷ δυναμένῳ καὶ ἐξουσίαν ἔχοντι συγχωρεῖν ἁμαρτήματα. Ita vero res Deo omnipotenti permiſſa quemadmodum mortui reſuſcitatio. Objectioni enim quod Apoſtoli veniam indulſerant ; occurrit Tertullianus lib. de pudic. c. 21. dicendo, *non ex diſciplina ſed poteſtate feciſſe, nam & mortuos ſuſcitaverunt.*

5 *Apud inferos confeſſio.*] LXX. ἐν τῷ θανάτῳ ὁ μνημονεύων σου. ἐν δὲ τῷ ᾅδῃ τίς ἐξομολογήσεταί σοι. Locum hunc ſæpiſſime adducit.

1 *Capſenſi*

An. 252. Pœnitentibus non apoſtatis, qui poſt lapſum ethnico more vixerunt, pax concedenda.

Apoſtatæ vero & deſertores, vel adverſarii, & hoſtes, & Chriſti (a) Eccleſiam diſſipantes, nec ſi occiſi (b) pro nomine foris fuerint, admitti ſecundum (c) Apoſtolum poſſunt ad Eccleſiæ pacem, (d) quando nec ſpiritus, nec Eccleſiæ tenuerunt unitatem. Hæc interim, frater cariſſime, pauca de multis quantum potui breviter decucurri, quibus & deſiderio tuo ſatisfacerem: & te (e) magis ac magis collegii & corporis noſtri ſocietati conjungerem. Si autem tibi veniendi ad nos opportunitas & facultas fuerit, plura in commune conferre, & uberius ac plenius, quæ in ſalutarem concordiam faciant, tractare poterimus. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere. 1 Cor. 13. 3.

(a) Eccleſiam jam diſſipantes, *Lam. Ebor.* (b) Pro nomine ejus, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (c) Apoſtolum dicentem, *Lam. Ebor.* (d) Quando nec Chriſti, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (e) Magis nobis, *Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2.

EPISTOLA LVI.

Cyprianus Fortunato, Ahimnio, Optato, Privatiano, Donatulo & Felici, fratribus, Salutem.

Ad Pamelii num. Ep. LIII. Ad Eraſm. l. 3. Epiſt. 25. Sententiam ſuam exponit Cyprianus, quid fieri oporteret in cauſa eorum qui per tormenta ſupenti.

SCRIPSISTIS mihi, fratres cariſſimi, quod cum in [1] Capſenſi civitate propter ordinationem Epiſcopi eſſetis, pertulerit ad vos (a) Superius frater & collega noſter: Ninum, Clementianum, Florum fratres noſtros, qui in perſecutione apprehenſi prius fuerant, & nomen Domini confeſſi, [2] violentiam magiſtratus & (b) populi frementis impetum vicerant; poſtmodum cum apud Proconſulem pœnis gravibus excruciarentur; vi (c) tormentorum ſubactos eſſe, & de gradu gloriæ, (d) ad quam plena fidei virtute (e) tendebant, diutinis cruciatibus excidiſſe: nec tamen poſt hunc gravem lapſum, [3] non voluntate, ſed neceſſitate (f) ſuſceptum, à pœnitentia agenda [4] per hoc triennium deſtitiſſe. De quibus conſulendum putaſtis an eos ad communicationem jam fas eſſet admittere. Et quidem quod ad mei animi ſententiam pertinet, puto his indulgentiam Domini non defuturam, quos conſtat ſtetiſſe in acie, (g) [5] nomen confeſſos eſſe: violentiam magiſtratuum & populi furentis incurſum, immobilis fidei (h) obſtinatione viciſſe, paſſos eſſe carcerem, diu inter minas Proconſulis & fremitum populi circumſtantis, tormentis laniantibus ac longa iteratione (i) cruciantibus repugnaſſe: ut quod (k) in noviſſima infirmitate carnis ſubactum videtur, meritorum præcedentium defenſione relevetur: & ſit ſatis talibus gloriam perdidiſſe, non tamen (l) debere nos eis & veniæ locum claudere, atque eos à paterna pietate, & à noſtra communicatione privare; quibus exiſtimamus ad deprecandam clementiam Domini poſſe ſufficere, quod triennio jugiter ac dolenter, ut ſcribitis, cum ſumma pœnitentiæ lamentatione planxerunt. Certe non puto incaute & temere his pacem committi, quos videmus militiæ ſuæ fortitudine, [6] nec prius pugnæ defuiſſe, & ſi acies etiam denuo venerit, gloriam ſuam poſſe reparare. Nam cum in Concilio placuerit pœnitentiam agentibus in infirmitatis periculo ſubveniri & pacem dari; debent utique in accipienda pace præcedere, quos videmus non animi infirmitate cecidiſſe, ſed in prælio congreſſos & vulneratos, per imbecillitatem carnis confeſſionis ſuæ coronam non potuiſſe perferre; maxime cum cupientibus mori non permitteretur occidi, ſed tamdiu feſſos tormenta laniarent, quamdiu non fidem, quæ invicta eſt, vincerent; ſed (m) carnem, quæ infirma eſt, fatigarent. Quoniam tamen ſcripſiſtis, ut (n) cum pluribus collegis de hoc ipſo (o) pleniſſime (p) tractem, & res tanta exigit majus & impenſius de multorum collatione conſilium, & nunc omnes fere, inter paſchæ prima ſolennia, apud ſe cum fratribus demorantur; quando *Scripta poſt reditum.*

(a) Superius collega, *Ver.* (b) Populi frequentis, *Bod.* 1. (c) Septies tormentorum, *Thu.* (d) Ad quem, *Ver.* & ad quam, *NC.* 2. quam pene, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (e) Pervenerant, *Ver.* (f) Suſceptos ad pœnitentiam agendam, *Thu. Mich.* (g) Domini nomen, *Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. Lin. NC.* 2. *Thu. Foſſ. Mich.* (h) Obſtinationem viciſſe, *Thu. Foſſ. Mich. Vict.* (i) Cruciatibus repugnaſſe, *Mich.* (k) In noviſſimo, infirmitate, *Thu. Foſſ. Mich. Vict.* (l) *Sic*, *Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Thu. Foſſ. Vict.* debere eis, *Imp.* (m) Carnem quæ victa eſt, *Lam. Ebor. NC.* 1. (n) Cum plurimi collegæ, *Ver.* celebrata, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (o) Plenius, *Ebor.* (p) Tractarem, *Ebor. Lin. NC.* 1.

[1] *Capſenſi civitate.*] Urbs eſt Byzacenæ, de qua mentio in ſuffragio 69. Concilii Carthaginienſis. Hic theſauri Jugurthæ erant reconditi.

[2] *Violentiam magiſtratus.*] Alibi obſervatum Decianam perſecutionem primo motam à civitatum magiſtratu & populari tumultu; dein Proconſulem quæſtionem graviorem exercuiſſe.

[3] *Non voluntate ſed neceſſitate ſuſceptum.*] Rigaltius ait, *Neceſſitati imputat vim tormentorum, longam iterationem cruciatuum.*

[4] *Per hoc triennium.*] Quod juſtum pœnitentiæ tempus proxime attingere videtur.

[5] *Nomen confeſſos eſſe.*] Rigaltius ait, *Hoc eſt, palam & liquido pronunciaſſe, Chriſtiani ſumus. Sic Epiſtola præced. Occiſi pro nomine, videlicet Chriſti: conſtanter vociferantes ſe eſſe Chriſtianos.*

[6] *Nec prius pugnæ defuiſſe.*] Rigaltius ait, *Prius, hoc eſt, antequam carnem tormenta fatigaſſent.*

An. 252. do ſolennitati celebrandæ apud ſuos ſatisfecerint, & [1] ad me venire cœperint, tractabo cum ſingulis plenius, ut de eo quod conſuluiſtis figatur apud nos, & reſcribatur vobis firma ſententia, multorum ſacerdotum conſilio ponderata. Opto vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere.

[1] *Ad me venire cœperint.*] Bis quotannis ſtatæ habebantur ſynodi; poſt Paſcha, & tempore Autumni: quæ ex data occaſione protractæ, aut frequentius habitæ.

EPISTOLA LVII.

Cyprianus, Liberalis, Caldonius, Nicomedes, Cæcilius, (a) Junius, Marrutius, Felix, Succeſſus, Fauſtinus, Fortunatus, Victor, Saturninus, alius Saturninus, Rogatianus, Tertullus, Lucianus, Eutyches, Amplus, Sattius, Secundinus, alius Saturninus, Aurelius, Priſcus, Herculanus, Victoricus, Quintus, Honoratus, Montanus, Hortenſianus, Verianus, Jambus, Donatus, Pompeius, Polycarpus, Demetrius, alius Donatus, Privatianus, alius Fortunatus, Rogatus & Monulus Cornelio fratri, S.

Ad Pamelium. Epiſt. LIV. Ad Eraſm. l. 1. Ep. 2. Epiſtola ſynodica Eccleſiæ Africanæ ad Eccleſiam Romanam, de pace lapſis maturius danda, ob perſecutionem ingruentem.

STATUERAMUS quidem jam pridem, frater cariſſime, participato invicem nobiſcum conſilio, ut qui in perſecutionis infeſtatione ſupplantati ab adverſario & lapſi fuiſſent, & ſacrificiis ſe illicitis maculaſſent, [1] agerent diu pœnitentiam plenam, & ſi periculum infirmitatis urgeret, pacem (b) ſub ictu mortis acciperent. Nec enim (c) fas erat, aut permittebat paterna pietas & divina clementia, Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus ac deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, ut de ſeculo recedentes ſine communicatione, & pace ad Dominum dimitterentur; quando (d) permiſerit ipſe, qui legem (e) dedit, ut ligata in terris etiam in cœlis ligata eſſent; ſolvi autem poſſent illic, quæ hic prius in Eccleſia ſolverentur. (f) Sed enim cum videamus [2] diem rurſus alterius infeſtationis appropinquare cœpiſſe, & [3] crebris atque aſſiduis oſtenſionibus admoneamur, ut ad certamen, quod nobis hoſtis (g) indicit, armati & parati ſimus; plebem etiam nobis de divina dignatione commiſſam exhortationibus noſtris (h) paremus, & omnes omnino milites Chriſti, qui arma deſiderant, & prælium flagitant, intra caſtra (i) Dominica colligamus: neceſſitate cogente, cenſuimus, eis qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, (k) ſed pœnitentiam agere & lamentari, ac Dominum deprecari à primo lapſus ſui die non deſtiterunt, pacem dandam eſſe; & eos ad prælium, quod imminet, armari & inſtrui oportere. Obtemperandum eſt namque oſtenſionibus, atque

Scripta poſt reditum.

Mat. 16. 19.

(a) Junius. *Hæc & quæ ſequuntur addita ex*, Pem. *Voſſ. Corb. Lam. Ebor. Lin.* (b) Sub ictum, *Corb.* (c) Veritas erat, *Corb.* (d) Promiſerit ipſe & legem, *Bod.* 1. 2. *NC.* 1. 2. *Ebor. Lin. Vict. Ver. Benev.* (e) Dederit, *Bod.* 1. 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Ver.* (f) Sed cum, *Foſſ. Vict.* (g) Inducit, *Bod.* 3. (h) Præparamus, *Bod.* 1. *Foſſ. Vict.* (i) *Sic*, Pem. *Ben. Voſſ.* 2. *Lam. Ebor. Bod.* 3. *Lin. NC.* 1. 2. *Thu. Foſſ. Vict. Mich.* Domini, *Imp.* (k) Et pœnitentiam, *Thu.*

[1] *Agerent diu pœnitentiam plenam.*] Non recipiendi ante tempus quod præſcribebatur expletum, niſi ſub ictu mortis.

[2] *Diem alterius infeſtationis.*] Lapſis in perſecutione Deciana, reditum in Eccleſiam importune urgentibus; Ep. XIX. reſpondit Cyprianus; *tempus ipſum plus quam peterent largiri*; quodque, *qui differri non poteſt, poteſt coronari:* quæ multum videntur diſtare ab iis quæ hic dicuntur de pace lapſis neceſſaria; fruſtra *doceri & provocari in confeſſione nominis ſanguinem fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegemus.* Sed optime cohærent utrobique dicta. Primo aliter ſe habuit lapſorum ſtatus durante perſecutione Deciana, & ipſa ceſſante. Nam qui in judicium vocatus mendacio ſe defendebat, erat fortaſſe obſtrictus eo ipſo in loco, coram iiſdem judicibus, & circumſtante populo crimen retractare, & publice verum profiteri: quod finita cognitione præſtare minus tenebatur. Et ideo lapſus ad duras iſtas conditiones non erat etiamnum adigendus, ad quas dum prælium adhuc gerebatur cogi debebat. Secundo, in difficillimo lapſorum caſu nihil erat ex privatis auſpiciis innovandum; & ideo fas non fuit ex arbitrio ſingularis Epiſcopi lapſos admittere; ſed poſtquam ex Concilii decreto pax iis erat conceſſa, nihil prohibebat temporis moram, interveniente utique Concilii auctoritate, ob cauſam etiam idoneam, expectatam ſcilic. perſecutionem; aliquantum contrahi. Tertio, lapſi jam per idoneum temporis decurſum in pœnitentia poſiti, ſui ſpecimina fecerunt, quod prius non feciſſent. Porro notandum, quod lapſorum commoda cedere debebant utilitati Eccleſiæ; & utcunque optandum fuerit illis dominica ſaturitate perfrui, & ita ad paſſionem armari; hæc in conſiderationem non veniebant donec diſciplinæ Eccleſiaſticæ, per pœnas in delinquentes irrogatas, fuiſſet ſatisfactum. Imo lapſorum commodis tam crudo & importuno tempore non conduceret ut *mortiferos idolorum cibos adhuc pene ructantes, exhalantibus etiam ſcelus ſuum faucibus, & funeſta contagia redolentibus, Domini corpus invaderent.* Verba ſunt Cypriani lib. de Lapſis. Sed expectandum, & ut 1 Corinth. 11. 28. jubet Apoſtolus, *homo ſe probet, & ſic de pane edat & de calice bibat.*

[3] *Crebris atque aſſiduis oſtenſionibus admoneamur.*] Rigaltius ait, *Sub finem Epiſtolæ: Hoc nobis divinitus frequenter oſtenditur. Idem commemorat Epiſtola ad Thibaritanos, quos etiam de perſecutione graviſſima admonet.*

[1] *Pro-*

An. 252. atque admonitionibus juſtis, ut à paſtoribus oves (a) in periculo non deſerantur, ſed grex omnis in unum congregetur, & exercitus Domini ad certamen militiæ cœleſtis armetur. Merito enim trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, ut infirmis in exitu ſubveniretur, quamdiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lacrymas, & ſubvenire ſero morientibus in infirmitate pateretur. At vero nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viventibus communicatio à nobis danda eſt, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed [1] protectione ſanguinis, & (b) corporis Chriſti muniamus: & cum ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra (c) adverſarium voluimus, munimento Dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quo modo docemus aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? aut quo modo ad martyrii poculum idoneos facimus, ſi non eos prius ad bibendum in Eccleſia poculum Domini [2] jure communicationis admittimus?

Venia ad Apoſtatas non extenditur; ſed tantum ad pœnitentes.

Intereſſe debet, frater cariſſime, inter eos qui vel apoſtataverunt, & ad ſeculum cui renunciaverant reverſi, gentiliter vivunt, vel ad hæreticos transfugæ facti, contra Eccleſiam parricidalia quotidie arma ſuſcipiunt: & inter eos qui ab Eccleſiæ limine non recedentes, & implorantes jugiter ac dolenter divina & paterna ſolatia, nunc ſe ad pugnam paratos eſſe, & pro Domini ſui nomine, ac pro ſua ſalute ſtare fortiter, & pugnare profitentur. Hoc in tempore pacem nos non dormientibus, ſed vigilantibus damus: pacem non deliciis, ſed armis damus: pacem non ad quietem, ſed ad aciem damus. Si ſecundum quod eos audimus, & optamus & credimus, fortiter ſteterint; & adverſarium nobiſcum in congreſſione proſtraverint: non pœnitet pacem conceſſiſſe tam fortibus, imo Epiſcopatus noſtri honor grandis & gloria eſt, pacem dediſſe Martyribus; ut ſacerdotes qui (d) ſacrificia Dei quotidie celebramus, hoſtias Deo & victimas præparemus.

Occurritur objectioni, quod fieri poteſt lapſorum pœnitentiam fictam eſſe.

Si autem (quod Dominus avertat à fratribus noſtris) aliquis lapſorum fefellerit, ut pacem ſubdole petat, & impendentis prælii tempore communicationem non præliaturus accipiat, ſe ipſum fallit & decipit; qui aliud corde occultat, & aliud voce pronunciat. Nos in quantum nobis & videre & judicare conceditur, faciem ſingulorum videmus; cor ſcrutari, & mentem perſpicere non poſſumus. De his judicat occultorum ſcrutator & cognitor cito venturus, & de arcanis cordis atque abditis judicaturus. Obeſſe autem mali bonis non debent, ſed magis mali à bonis adjuvari. Nec ideo Martyrium facturis pax neganda eſt, quia ſunt quidam negaturi; cum propter hoc (e) pax danda ſit omnibus militaturis, ne per ignorantiam noſtram ille incipiat præteriri, qui habet in prælio coronari.

Occurritur etiam & alteri objectioni, quod martyribus pace non ſit opus.

Nec quiſquam dicat, [3] qui martyrium tollit, [4] ſanguine ſuo baptizatur: nec pax illi ab Epiſcopo neceſſaria eſt, habituro gloriæ ſuæ pacem, & accepturo majorem de Domini dignatione mercedem. Primo idoneus eſſe non poteſt ad martyrium, qui ab Eccleſia non armatur ad prælium: & mens deficit, (f) quam non recepta Euchariſtia (g) erigit, & accendit. Dominus enim in Evangelio ſuo dicit: Cum autem vos tradiderint, (h) nolite cogitare quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Quando autem dicat, [5] in traditis atque in (i) confeſſione nominis conſtitutis ſpiritum Patris loqui; quo modo poteſt ad confeſſionem paratus aut idoneus inveniri, qui non prius pace accepta receperit ſpiritum Patris, qui corroborans ſervos ſuos ipſe loquitur & confitetur in nobis? Tum deinde ſi relictis omnibus rebus ſuis fugerit, & in latebris atque in ſolitudine conſtitutus in latrones forte incurrerit, aut in febribus & in languore deceſſerit: nonne nobis imputabitur quod tam bonus miles, qui omnia ſua dereliquit, & contemta domo, & parentibus, ac liberis, ſequi Dominum ſuum maluit, ſine pace, & ſine (k) communicatione decedit? Nonne nobis vel negligentia ſegnis, vel duritia crudelis aſcribetur in die judicii; quod paſtores creditas & commiſſas nobis oves nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare? nonne ingeretur nobis à Domino, quod per Prophetam ſuum clamat & dicit: Ecce lac conſumitis, lanis vos tegitis, & quod craſſum eſt interficitis, & oves meas non paſcitis; (l) quod infirmatum eſt non confortaſtis, & quod male

Mat. 10. 19.

Ezek. 34. 3.

(a) In periculum, *Thu.* Paſtore oves in periculo, *Bod.* 2. *Lam.* (b) Nominis Chriſti, *Lam. NC.* 2. (c) Adverſarium volumus, *Lam. Pem. Bod.* 1. 2. (d) Sacrificia Deo, *Corb.* (e) Pax donata, *Bod.* 3. (f) Quam non accepta, *Lam.* (g) Erigit & accingit, *Lin. NC.* 2. (h) Nolite cogitare quomodo aut quid, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (i) Confeſſione ſui nominis, *NC.* 2. (k) Communicatione diſcedit, *Lam.* decidit, *Foſſ. Vict.* (l) *Sic*, *Ver.* Quod contritum, *Ben. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1.

[1] *Protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus.*] Rigaltius ait, *In ſequentibus dicet, Euchariſtia recepta fideles erigi & accendi. Jure id quidem. Nam à convivio Dominico, memores Dominici ſanguinis, ſumto ſacramento, quemadmodum ſuprema illa nocte præceperat Dominus, ut conjurati prodibant alacres, mortemque fortiter oppetebant quam Dominus pro ipſorum ſalute obierat.*

[2] *Jure communicationis.*] Credidit Cyprianus plebem Chriſtianam, *ad poculum Domini jure communionis* admitti, nec ſine injuria poſſe depelli.

[3] *Qui martyrium tollit.*] Sic Luc. 9. 23. ὁράπω τ σαυρὸν ἀυτ. Rigaltius ait, *Qui dignatione divina martyrium obtinet. Martyrium tollit, ut infra arma tollentes.*

[4] *Sanguine ſuo baptizatur.*] Rigaltius ait, *Tota paradiſi clavis, ſanguis tuus eſt, inquit Tertul.* Vid. Epiſt. LVIII.

[5] *In traditis atque in confeſſione nominis conſtitutis.*] Rigaltius ait, *Traditis*, παραδιδομένοις *Matthæi* X. 17. & 18. παραδώσιν ὑμᾶς εἰς συνέδρια, ἐπὶ ἡγεμόνας καὶ βασιλεῖς. & Marci XIII. 9. & 10.

An. 252. male habuit non corroboraſtis, & [1] quod contribulatum eſt [2] non (a) conſolidaſtis, & quod errabat non revocaſtis, & quod periit non inquiſiſtis, & quod forte fuit, confeciſtis labore: & diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non ſunt paſtores, & factæ ſunt in (b) comeſturam omnibus beſtiis agri; & non fuit qui inquireret, neque qui revocaret. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuper paſtores, & inquiram oves meas de manibus eorum, & avertam eos (c) ut non paſcant oves meas; & jam non paſcent eas, & extraham oves meas (d) de ore eorum, & [3] paſcam eas cum judicio. Ne igitur [4] ore noſtro, quo pacem negamus, quo [5] duritiam magis (e) humanæ crudelitatis, (f) quam divinæ & paternæ pietatis opponimus, oves nobis commiſſæ à Domino repoſcantur; placuit nobis, ſancto Spiritu ſuggerente, & Domino per viſiones multas & manifeſtas admonente, (g) quia hoſtis nobis imminere prænunciatur & oſtenditur, colligere intra caſtra milites Chriſti, & examinatis ſingulorum cauſis, pacem lapſis dare, imo pugnaturis arma ſuggerere: quod credimus vobis quoque paternæ miſericordiæ contemplatione placiturum. [6] Quod ſi de Collegis aliquis extiterit, qui urgente certamine pacem fratribus & ſororibus non putat dandam, reddet ille rationem in die judicii Domino, vel importunæ cenſuræ, vel inhumanæ duritiæ ſuæ. Nos, quod fidei, & caritati, & ſollicitudini congruebat, quæ erant in conſcientia noſtra protulimus; diem certaminis appropinquaſſe, hoſtem violentum cito contra nos exſurgere: (h) pugnam non talem qualis fuit, ſed [7] graviorem multo & acriorem venire. (i) Hoc nobis divinitus frequenter oſtenditur; de hoc nos providentia & miſericordia Domini ſæpius (k) admonent, de cujus ope & pietate qui in eum confidimus, poſſumus eſſe ſecuri: quia qui in pace militibus ſuis futuram prænunciat pugnam, dabit militantibus in congreſſione victoriam. Optamus te, frater cariſſime, ſemper bene valere.

Eze. 34. 10.

(a) Conſolati eſtis, *Impr.* (b) Comeſtionibus, *Lamb.* in deprecatione, *Corb.* (c) Ut non paſcam eas, & extraham oves, *Lam.* (d) De manibus, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (e) Inhumanæ crudelitatis, *Pem.* (f) Quam dulcedini divinæ, *NC.* 2. (g) Ut quia hoſtes, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1. 2. (h) Et pugnam, *Bod.* 1. *Voſſ.* 2. (i) Hoc nobis ſcimus divinitus frequenter oſtendi, *Pem. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. (k) Admoneri, *Lin. Ebor. Lam. NC.* 1. 2.

[1] *Quod contribulatum.*] Librarii vocem hanc in vulgari tribulationis ſive ærumnæ notatione intelligebant; & ideo conſolationem melius reſpondere crediderunt; contra ſacri textus mentem.

[2] *Non conſolidaſtis.*] LXX. legunt καταδήσατε. Colligaſtis *Tertul.*

[3] *Paſcam eas cum judicio.*] βοσκήσω αὐτὰ μὲ κρίματος. Hæc deſumta ſunt ex verſu 16. Ipſe Deus ſingulis ovibus, paſcua ſua deſignabit.

[4] *Ore noſtro quo pacem negamus.*] Videtur reſpicere Luc. 19. 22. *De ore tuo te judico ſerve nequam.* Porro alludit ad verba præcedentia. *Extraham oves meas de ore eorum:* ut repoſcere oves, idem ſit quod extrahere.

[5] *Duritiam magis humanæ crudelitatis.*] Rigaltius ait, *Ipſe Epiſt.* LX. *magis philoſophiæ ſecularis pravitate durus, quam Philoſophiæ Dominicæ lenitate pacificus. Pacianus Epiſtol.* 11. *dixit, inobſecrabilem aſperitatem, cui opponit gratuita Domini bona, & cœleſtis clementiæ titulos.*

[6] *Quod ſi de Collegis aliquis.*] Quanquam in Synodo convenerit lapſis ob ingruentem perſecutionem pacem maturius dandam eſſe, tamen cum penes Epiſcopum erat judicare de lapſi pœnitentia, res hæc in ejus arbitrio uſque permanſit. Aut fortaſſis reſpicit Epiſcopos eos, ad quos Provinciæ Africæ ſynodi decreta non pertinebant.

[7] *Graviorem multo.*] Certe Cypriano erat gravior; qui poſt exilii tædia, tandem hac perſecutione capite plectebatur. Sed Prophetæ, viſorum ſuorum non ſemper fidi interpretes. Donum prophetias interpretandi, prorſus erat diſtinctum à prophetiæ chariſmate. vid. 1 Cor. 1. 10.

EPIS-

An. 252.

EPISTOLA LVIII.

Cyprianus [1] Plebi Thibari consistenti, Salutem.

Ad Pamelium. Epist. LVI. Ad Erasm. l. 4. Ep. 6.

Excusat se Cyprianus Thibaritanis quod illos non invisisset, & de persecutione imminente admonet.

COGITAVERAM quidem, (a) fratres dilectissimi, (b) atque in votis habebam, (c) [2] si rerum ratio ac temporis conditio permitteret, secundum quod frequenter desideratis, ipse ad vos venire, & quantulacunque mediocritate exhortationis nostræ (d) præsens illic fraternitatem vestram corroborare. Sed quoniam sic rebus (e) urgentibus detinemur, ut longe istinc excurrere, & diu à plebe, cui de divina indulgentia præsumus, abesse non detur facultas, has interim pro me ad vos vicarias literas misi. Nam (f) cum Domini instruentis dignatione instigemur sæpius, (g) amplius & admoneamur; ad vestram quoque conscientiam admonitionis nostræ sollicitudinem perferre debemus. Scire enim debetis & pro certo credere ac tenere, [3] pressuræ diem super caput esse cœpisse, & occasum seculi atque Antichristi (h) tempus appropinquasse; ut parati omnes ad prælium stemus: (i) nec quidquam nisi gloriam vitæ æternæ, & coronam confessionis dominicæ cogitemus. (k) Nec putamus talia esse, quæ veniunt, (l) qualia fuerunt illa quæ transierunt: gravior nunc & ferocior pugna imminet, ad quam fide incorrupta, & virtute robusta parare se debent milites Christi; considerantes (m) iccirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum sanguinem fundere. Hoc est enim velle cum Christo inveniri, (n) id quod Christus & docuit, & (o) fecit imitari: secundum Joannem Apostolum dicentem: 1 Joh. 2. 6. Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit & ipse ambulare. Item beatus Apostolus Paulus exhortatur & docet dicens. (p) Sumus filii Dei. Si autem (q) Rom. 8. 16. filii & hæredes; hæredes Dei, cohæredes autem Christi, si quidem compatiamur ut & commagnificemur.

Scripta post reditum.

Stimulos subdit ad Martyrium alacriter tolerandum.

Quæ nunc omnia consideranda sunt nobis, ut nemo quidquam [4] de seculo jam morienti desideret; sed sequatur Christum, qui & vivit in æternum, & vivificat servos suos in fide sui nominis constitutos. Venit enim tempus, fratres dilectissimi, quod jampridem Dominus noster prænunciavit, & docuit advenire: dicens: Veniet hora, ut omnis, Joh. 16. 2. qui vos occiderit, (r) putet se obsequium Deo facere. (s) Sed hæc facient, quoniam non cognoverunt Patrem, neque me. Hæc autem locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, memores sitis quia ego dixi vobis. Nec quisquam miretur persecutionibus nos assiduis fatigari, & pressuris angentibus frequenter urgeri; quando hæc futura in noviſſimis temporibus Dominus ante prædixerit, & militiam nostram magisterio & hortamento sui sermonis instruxerit: Petrus quoque Apostolus ejus docuerit, ideo persecutiones fieri, ut probemur, & ut dilectioni Dei, justorum præcedentium exemplo, nos

(a) Fratres carissimi, *Lin. NC.* 2. (b) Idque in votis, *Lam. Ebor. NC.* 1. (c) Si rerum ac temporis, *Bod.* 3. (d) Præsentem, *Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (e) Urgentibus hic, *Bod.* 3. (f) Cum de Domini, *Lam. Ebor. NC.* 1. (g) Sæpius & admoneamur, *Ver. Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1. 2. 3. *NC.* 1. (h) Tempus appropinquare, *Lam. Bod.* 2. (i) Quidquam aliud, *Lam.* (k) Nec putemus, *Bod.* 1, 2, 3, 4. (l) Qualia jam, *Ebor. NC.* 1. (m) Iccirco nos, *Bod.* 3. (n) Si id quod Christus, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (o) Fieri voluerit imitemur, *Lam. Ebor.* (p) *Sic*, *Lam. Bod.* 1. 2. 3. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Sic Ep.* 6. Sumus filii, si, *Imp.* (q) *Sic*, *Bod. Lam. Ver.* filii Dei, *Imp.* (r) Putet se officium, *Lam. Bod.* 1, 2, 3. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (s) Sed hoc faciunt, *Bod.* 1. 2.

[1] *Plebi Thibari consistenti.*] Videtur urbs Zeugitanæ. Pamelius ait, *Quum soleat ad majores civitates scribens tum clero tum plebi inscribere Epistolam, mirum est quod soli plebi hanc Epistolam scribat, præsertim quum inter Episcopos Africæ Vincentii Thibaritani fiat mentio.* Supra observatum ad Epistolam ad Cornelium de Polycarpo Adrumetino, omissum Episcopi nomen indicio esse Ecclesiam scriptionis tempore Episcopo carere. Hoc vero in loco, Episcopus & plebs simul præteriti ideo videntur, quod plebis Thibaritanæ desideriis prius ad Cyprianum, aut literis aut nuncio, sæpius transmissis, responsum hic reddatur. Sed res nova non est, ut Cyprianus Plebi seorsim à Clero scriberet; id enim supra, Epist. XVII. factum.

[2] *Si rerum ratio ac temporis conditio.*] Rigaltius ait, *Sic Cyprianus etiam Domino serviens, non prohiberi se putat tempori quoque prudenter servire, hoc est, ut servo Dei congruit* θελεύειν καιρῷ καὶ κυρίῳ. Rom. 12. 11.

[3] *Pressuræ diem, occasum seculi, Antichristi tempus.*] Rigaltius ait, *Jam dixerat Paulus: Tempus esse in collecto, & appropinquare extrema tempora. Ipse Cyprianus hac Epist. mox dicet, novissimis temporibus. Infra dicet, diem nequissimum.* Hoc illud ipsum est quod Tertullianus vocat in Apologet. cap. 32. *Vim maximam universo orbi imminentem, ipsamque clausulam seculi acerbitates horrendas comminantem.* Et de resurrect. carnis. cap. 27. *Fines seculi, sub ultima ira.* Deinde diserte ait. *Post Antichristi eradicationem agitabitur resurrectio.*

[4] *De seculo jam moriente.*] Rigaltius ait, *Supra dixit, occasum seculi.*

[5] *Pressuris angentibus.*] Rigaltius ait, *Paulus in* II. *ad Cor.* θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι. *Glossæ veteres. Angit,* θλίβει, στενοχωρεῖ, ἄγχει, πιέζει. *Hic igitur angi, sive angustiari, plus est quam pressuram pati, ut apud Paulum Esdræ* IIII. *Justi autem ferent angusta, sperantes spatiosa.* Psal. IIII. ὡς θλίψει ἐπλάτυνάς μοι. *Ipse Cyprianus Epist.* LVIII. *dicet, peccatis angentibus premebatur.*

[1] *Nolite*

An. 252. nos etiam morte & paſſionibus copulemur : poſuit enim in Epiſtola ſua dicens : Cariſſimi, [1] nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem veſtram fit, (a) [2] ne excidatis tanquam novum vobis contingat ; ſed quotieſcunque communicatis Chriſti paſſionibus, per omnia gaudete, ut & in revelatione facta claritatis ejus gaudentes exultetis. Si improperatur vobis in nomine Chriſti, beati eſtis, quia majeſtatis & virtutis Domini nomen in vobis requieſcit. Quod quidem ſecundum illos blaſphematur, ſecundum nos autem honoratur. Docuerunt autem nos Apoſtoli ea quæ de præceptis Dominicis & cœleſtibus mandatis ipſi quoque didicerunt, Domino ipſo ſcilicet corroborante nos, & dicente ; Nemo eſt qui relinquat domum, aut agrum, aut parentes, aut fratres, aut ſorores, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, & non recipiat ſepties tantum in iſto tempore, in ſeculo autem venturo vitam æternam. Et iterum : Beati, inquit, eritis, cum odio vos habuerint homines, & ſeparaverint vos, & expulerint, & maledixerint nomini veſtro quaſi nequam, propter filium hominis : gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces veſtra (b) multa in cœlis. Gaudere nos & exultare voluit in perſecutionibus Dominus, quia quando perſecutiones fiunt, tunc (c) dantur coronæ fidei, tunc probantur milites Dei, [3] tunc Martyribus patent cœli. Neque enim ſic nomen militiæ dedimus, ut pacem tantummodo cogitare, & detrectare, & recuſare militiam debeamus, quando in ipſa militia primus ambulaverit Dominus, humilitatis & tolerantiæ & (d) paſſionis magiſter, ut quod fieri docuit, prior faceret, & (e) quod pati hortatur, prior pro nobis ipſe pateretur. (f) Sit ante oculos, fratres dilectiſſimi, quod qui omne judicium à patre ſolus accepit, & qui venturus eſt & judicaturus, jam judicii ſui & cognitionis (g) futuræ ſententiam protulerit ; prænuncians & conteſtans, confeſſurum ſe coram patre ſuo confitentes, & negaturum negantes. Si mortem poſſemus evadere, (h) merito mortem timeremus. Porro autem cum mortalem mori neceſſe ſit, amplectamur occaſionem de (i) divina promiſſione & dignatione venientem, (k) & fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis ; nec vereamur occidi, quos conſtet quando occidimur, coronari. Nec quiſquam, fratres dilectiſſimi, [4] cum populum noſtrum fugari conſpexerit metu perſecutionis & ſpargi, conturbetur, quod collectam fraternitatem non videat, [5] nec tractantes Epiſcopos audiat. Simul tunc omnes eſſe non poſſunt, [6] quibus occidere non licet, ſed occidi neceſſe eſt. Ubicunque in illis diebus unuſquiſque fratrum fuerit à grege interim neceſſitate temporis corpore non (l) ſpiritu ſeparatus, non moveatur (m) ad fugæ illius horrorem, nec recedens & latens deſerti loci ſolitudine terreatur. Solus non eſt, cui Chriſtus in fuga comes eſt. Solus non eſt, qui templum Dei ſervans, ubicunque fuerit, ſine Deo non eſt. Et ſi fugientem in ſolitudine ac montibus latro oppreſſerit, fera invaſerit, fames aut ſitis aut frigus afflixerit, vel per maria præcipiti navigatione properantem tempeſtas, ac procella ſubmerſerit : Spectat militem ſuum Chriſtus ubicunque pugnantem, & perſecutionis cauſa pro nominis ſui honore morienti præmium reddit, quod daturum ſe (n) in reſurrectione promiſit. Nec minor eſt martyrii gloria, non publice & inter multos periſſe, cum pereundi cauſa ſit propter Chriſtum perire. Sufficit ad (o) teſtimonium Martyrii ſui, teſtis (p) ille eſt qui probat Martyres & coronat.

1 Pet. 4. 12.

Luc. 18. 29.

Luc. 6. 22.

Mat. 10. 32.

1 Cor. 3. 16.

Luc. 14. 14.

Exempla proponuntur piorum à mundi initio qui Martyrium paſſi.

Imitemur, fratres dilectiſſimi, Abel juſtum, qui initiavit martyria dum propter juſtitiam primus occiditur. Imitemur Abraham Dei amicum, qui non eſt cunctatus ut filium victimam ſuis manibus offerret, dum Deo (q) fide devotionis obſequitur. Imitemur tres pueros,

(a) Nec excidatis, *Bod.* 1. 3. *Sic l. de Exhort. Mart.* (b) Multa eſt, *Bod.* 2. 3. *Lin. Ebor.* (c) Datur corona, *Lam. Bod.* 3. (d) Paſſionis hujus, *Bod.* 3. (e) Qui prior hortatur, *Bod.* 1. 4. (f) Si ante oculos, *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Rig.* (g) Futuram ſententiam, *Lam.* (h) Merito mori, *Bod.* 1. 3. (i) Divina dignatione, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (k) Ut fungamur, *Lam.* (l) Spiritu ſegregatus, *Lin.* (m) A fugæ illius horrore, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ebor.* (n) *Sic*, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Manut.* in perſecutione, *Imp.* (p) Teſtimonium martyris, *Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. 2. (p) *Sic*, *Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. ille qui, *Imp.* (q) Omni fide & devotione, *NC.* 2.

1 *Nolite mirari ardorem accidentem.*] Rigaltius ait, *Petri* 1. 4. Μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει. *Tertullianus in Scorp. Dilecti ne expaveſcatis uſtionem quæ agitur in vobis in tentationem, quaſi novum accidat vobis. Ignium pœna ſumma, Tertulliano lib. ad Martyras : & Apoſtolus, ut oſtendat ſummum fidei Chriſtianæ experimentum,* κἂν ἐὰν παραδῶ τὸ σῶμά μου ἵνα καυθήσωμαι, *Adeoque damnationis æternæ tormenta ſignificantur in gehenna ignis.*

2 *Ne excidatis.*] Legiſſe videtur μηδὲ ἐξίστασθε ὡς ξένου ὑμῖν συμβαίνοντος.

3 *Tunc martyribus patent cœli.*] Rigaltius ait, *Alludit ad illud Stephani ; video cœlos apertos. Tertul. Tota paradiſi clavis ſanguis tuus eſt. Ipſe Cyprianus Epiſt.* LIV. *Qui martyrium tollit, ſanguine ſuo baptizatur. Hæc erat ſumma curarum Epiſcopis & Presbyteris, ut plebem facerent ad ſubeunda pro nomine Chriſti martyria fortem & conſtantem.*

4 *Cum populum noſtrum fugari conſpexerit metu perſecutionis.*] Rigaltius ait, *Fugam in perſecutione non abhorret, Tertulliano mitior & facilior.* Imo defendere debet ; aliter ſeipſum condemnaturus.

5 *Nec tractantes Epiſcopos audiat.*] Rigaltius ait, *Hoc eſt, docentes, diſſerentes. Ipſe Epiſt. ad Antonianum : Ego prius legeram, & Epiſcopo tractante cognoveram, non ſacrificandum idolis. Pontius in vita Cypriani, O beatum Eccleſiæ populum, qui Epiſcopo ſuo tractante ſemper audierat.*

6 *Quibus occidere non licet.*] Rigaltius ait, *Arma Chriſtianorum preces & lacrymæ, quandoque fuga : ſæpiſſime autem fortis patientiæ conſtantia pro nomine Chriſti. Tertullianus in Apolog. Apud iſtam diſciplinam magis occidi licet quam occidere. Chriſtus exarmato Petro, omnem Chriſtianum diſcinxit. Itaque Epiſtola ſequenti Cyprianus ad Cornelium ait : milites Chriſti vigilare jam ſobrios, & armatos ad prælium ſtare : vinci non poſſe : mori poſſe. Et hoc ipſo invictos eſſe, quia mori non timent, nec repugnare contra impugnantes, cum occidere innocentibus nec nocentem liceat.*

An. 252. pueros, Ananiam, Azariam, & Miſahelem; qui nec ætate territi, nec captivitate fracti, Judæa devicta & Hieroſolymis captis, in ipſo regno ſuo Regem fidei virtute viceruntque, qui adorare ſtatuam, quam Nabuchodonoſor rex fecerat, juſſi, & minis Regis & flammis fortiores extiterunt, proclamantes & fidem ſuam per hæc verba teſtantes: Nabuchodonozor Rex, non opus eſt nobis de hoc verbo reſpondere tibi. Eſt enim Deus cui nos ſervimus, potens eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus (a) tuis rex liberabit nos: & ſi non, notum ſit tibi quia dis tuis non ſervimus, & imaginem auream quam ſtatuiſti, non adoramus. Credebant ſe illi (b) ſecundum fidem poſſe evadere, ſed addiderunt; & ſi non, ut ſciret Rex illos propter Deum quem colebant & mori poſſe. Hoc eſt enim robur virtutis & fidei, credere & ſcire quod Deus à morte præſente (c) liberare poſſit, (d) & tamen mortem non timere, nec cedere; ut probari fortius fides poſſit. Erupit per os eorum Spiritus ſancti incorruptus & invictus vigor, ut appareant vera eſſe, quæ in Evangelio ſuo (e) Dominus dixit: Cum autem (f) vos apprehenderint, nolite cogitare quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Dixit, quid (g) loqui & reſpondere poſſimus, dari (h) nobis in illa hora & divinitus offerri; nec nos tunc eſſe qui loquimur, ſed ſpiritum Dei Patris; qui cum à confitentibus non diſcedit, neque dividitur, ipſe in nobis & loquitur, & coronatur. Sic & Daniel cum compelleretur adorare idolum Bel, quem tunc populus & Rex colebat, (i) in aſſerendum Dei ſui honorem (k) plena fidei libertate prorupit, dicens; [1] Nihil colo ego (l) niſi Dominum Deum meum, qui condidit cœlum & terram. Quid in [2] Machabæis beatorum Martyrum gravia tormenta, & multiformes ſeptem fratrum pœnæ, & confortans liberos ſuos mater in pœnis, & moriens ipſa quoque (m) cum liberis? nonne (n) magnæ virtutis & fidei documenta teſtantur; & nos ad martyrii triumphum ſuis paſſionibus adhortantur? Quid Prophetæ quos ad præſcientiam futurorum Spiritus ſanctus animavit? Quid Apoſtoli quos Dominus elegit? (o) Nonne qui juſti occiduntur propter juſtitiam, mori nos quoque docuerunt? Chriſti nativitas à Martyriis infantium ſtatim cœpit, ut ob nomen ejus à bimatu & infra qui fuerant, necarentur. Ætas necdum habilis ad pugnam, idonea extitit ad coronam; ut appareret innocentes eſſe qui propter Chriſtum necantur, infantia innocens ob nomen ejus occiſa eſt. Oſtenſum eſt neminem eſſe à periculo perſecutionis immunem, quando & tales martyria fecerunt.

Dan. 3. 16.

Mar. 13. 11.

Dan. 14. 4.

Matt. 2. 16.

Omnia exempla ſuperat Domini noſtri paſſio.

(p) Quam ergo gravis cauſa ſit hominis Chriſtiani, ſervum pati nolle, cum prior paſſus ſit Dominus: & pro peccatis noſtris nos pati nolle, cum peccatum ſuum proprium non habens, paſſus ſit ille pro nobis? Filius Dei paſſus eſt, ut nos filios Dei faceret; & filius hominis pati non vult, ut eſſe Dei filius perſeveret: Si odio ſeculi laboramus, odium ſeculi ſuſtinuit prior Chriſtus. Si contumelias in hoc mundo, ſi fugam, ſi tormenta toleramus, graviora expertus eſt mundi factor, & Dominus, qui & admonet, dicens: Si ſeculum, inquit, vos odit, mementote (q) quia me priorem vobis odit. Si de ſeculo eſſetis, ſeculum quod ſuum eſſet amaret. Sed quia de ſeculo non eſtis, & ego elegi vos de (r) ſeculo, propterea odit vos ſeculum. Mementote ſermonis quem dixi vobis: Non eſt ſervus major Domino ſuo: Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Dominus & Deus noſter quidquid docuit, & fecit; ut diſcipulus excuſatus eſſe non poſſit, qui diſcit & non facit. Neque aliquis ex vobis, fratres dilectiſſimi, futuræ perſecutionis metu, aut Antichriſti imminentis adventu ſic terreatur; ut non Evangelicis exhortationibus & præceptis ac monitis cœleſtibus ad omnia inveniatur armatus.

Joh. 15. 18.

Afflictiſſimis Antichriſti temporibus ſupervenit Domini adventus.

Venit Antichriſtus, ſed & ſupervenit Chriſtus. Graſſatur & ſævit inimicus, ſed ſtatim ſequitur Dominus, paſſiones noſtras & vulnera vindicaturus. Iraſcitur adverſarius & minatur, ſed (s) eſt qui poſſit de ejus manibus liberare. Ille metuendus eſt, cujus iram nemo poterit evadere, ipſo præmonente & dicente: Ne timueritis eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Magis autem metuite eum qui poteſt & corpus & animam occidere in gehennam. Et iterum: Qui amat animam ſuam, perdet illam, & qui odit animam ſuam in iſto ſeculo, in vitam æternam conſervabit illam. Et in Apocalypſi inſtruit & præmonet, dicens: Si quis adorat beſtiam & imaginem ejus, & accipit notam in fronte ſua & in manu, bibet & ipſe de vino iræ Dei mixto in poculo iræ ejus, & punietur igne & ſulphure ſub oculis ſanctorum angelorum, & ſub oculis Agni, & fumus de tormentis eorum aſcendet in ſecula ſeculorum, nec habebunt requiem die ac nocte, quicunque adorant beſtiam & imaginem ejus.

Mat. 10. 28.

Joh. 12. 25.

Apoc. 14. 9.

Ad

(a) Tuis liberabit, *Lam. Bod.* 1. 2. (b) Secundum fidem ſuam, *Ebor. NC.* 2. *Lam. Bod.* 2. (c) Liberare nos, *Ebor. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. (d) Sed tamen, *Lam. Bod.* 2. (e) Dominus edixit, *Bod.* 1. 2. dixit dicens, *Lam. Bod.* 3, 4. (f) Vos tradiderint, *Lam. Bod.* 2. (g) Loqui & quid, *Bod.* 2. (h) Nobis & in illa hora divinitus offerri, *Bod.* 3. (i) Aſſerendo Dei ſui honore, *Bod.* 3. (k) Plena fide & libertate, *Bod.* 1. 2. 3. (l) Nili unum Deum, *Bod.* 2. (m) Cum liberis ſuis, *Lam. Lin. NC.* 1. 2. (n) Magna virtutis, *Lam. Bod.* 2. (o) Nonne cum juſti, *Bod.* 1. 2. 3. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (p) Quam vero, *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (q) Quia me primo, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2, 3. (r) Mundo, propterea odit vos mundus, *Bod.* 3. (s) Eſt qui nos poſſit, *Ebor. NC.* 1.

[1] *Nihil colo.*] LXX. ὁ σέβομαι εἰδώλα χειροποίητα. Sed Cyprianus non aliter legit in lib. de Exhort. Mart.

[2] *Machabæis.*] Hæc latiſſime proſequitur lib. de Exhort. Mart. Olim obſervavimus ſolenne eſſe Cypriano, eaſdem ſcripturas data occaſione ſimul laudare; & arma iſta divina tanquam ex armamentario depromere.

An. 252. Ad agonem ſecularem exercentur homines & parantur ; & magnam gloriam computant honoris ſui , ſi illis ſpectante populo , & imperatore præſente contigerit coronari. Ecce agon ſublimis & magnus , & coronæ cœleſtis præmio glorioſus , ut ſpectet nos certantes Deus : & ſuper eos quos filios facere dignatus eſt , oculos ſuos pandens certaminis noſtri ſpectaculo perfruitur. Præliantes nos & fidei congreſſione pugnantes ſpectat Deus , ſpectant angeli ejus , ſpectat & (a) Chriſtus. Quanta eſt gloriæ dignitas , quanta felicitas (b) prælente Deo congredi , & Chriſto judice coronari ? (c) Armemur , fratres dilectiſſimi , viribus totis , & paremur ad agonem mente incorrupta , fide integra , virtute devota. Ad aciem quæ nobis indicitur , Dei caſtra procedant. Armentur integri , ne perdat integer [1] quod nuper ſtetit. Armentur & lapſi , ut & lapſus recipiat quod amiſit. Integros honor , lapſos dolor ad prælium provocet. (d) Armat nos & præparat Apoſtolus dicens : Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem , ſed adverſus poteſtates & principes hujus mundi [2] harum tenebrarum , (e) adverſus ſpiritus nequitiæ in cœleſtibus. Propter quod induite tota arma Dei , ut poſſitis reſiſtere in die nequiſſimo ; ut cum omnia perfeceritis , ſtetis accincti lumbos veſtros in veritate , (f) induti loricam juſtitiæ , & calceati pedes in præparatione Evangelii pacis , aſſumentes ſcutum fidei , in quo poſſitis omnia ignita jacula nequiſſimi extinguere , & galeam ſalutis , & gladium ſpiritus qui eſt ſermo Dei. Hæc arma ſumamus , his nos tutamentis ſpiritalibus & cœleſtibus muniamus , ut [3] in die nequiſſimo reſiſtere diaboli minis & repugnare poſſimus. Induamus loricam juſtitiæ , ut contra inimici jacula munitum ſit pectus & tutum. Calceati ſint Evangelico magiſterio & armati pedes ; ut cum ſerpens calcari à nobis & obteri cœperit , mordere & ſupplantare non poſſit. Portemus fortiter ſcutum fidei , quo protegente quidquid jaculatur inimicus , poſſit extingui. Accipiamus quoque ad tegumentum capitis galeam ſalutarem , ut muniantur aures , ne audiant edicta feralia : muniantur oculi , ne videant deteſtanda ſimulachra : muniatur frons , ut [4] ſignum Dei incolume ſervetur : muniatur os , ut Dominum ſuum Chriſtum victrix lingua fateatur. Armemus & dexteram gladio ſpiritali , ut ſacrificia funeſta fortiter reſpuat , & [5] euchariſtiæ memor , quæ Domini corpus (g) accepit , ipſum complectatur , (h) poſtea à Domino ſumtura præmium cœleſtium coronarum.

Stadii & Theatri agones fortiter & alacriter tolerati ; incitamento eſſe poſſint , ad Martyrii paſſiones.

Eph. 6. 12.

Conſideratio futuræ mercedis , ad omnia mala toleranda animat & accendit.

O dies ille qualis & quantus adveniet , fratres dilectiſſimi , cum cœperit populum ſuum Dominus recenſere , & divinæ cognitionis examine ſingulorum merita recognoſcere , mittere in gehennam nocentes , & perſecutores noſtros flammæ pœnalis perpetuo ardore damnare , nobis vero mercedem fidei & devotionis exolvere ! (i) Quæ erit gloria , & quanta lætitia , admitti , ut Deum videas ; honorari , ut cum Chriſto Domino Deo tuo ſalutis ac lucis æternæ gaudium capias ? Abraham , & Iſaac , & Jacob , & Patriarchas omnes , & Prophetas , & Apoſtolos , & Martyres ſalutare ; cum juſtis & Dei amicis in regno cœlorum datæ immortalitatis voluptate gaudere ; ſumere illic quod nec oculus vidit , nec auris audivit , nec in cor hominis aſcendit : majora enim nos accipere , quam quod hic aut operamur , aut patimur , Apoſtolus prædicat , dicens : Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad ſuperventuram claritatem , quæ revelabitur in nobis : cum revelatio illa venerit , cum claritas ſuper nos Dei fulſerit , tam beati erimus , & læti , dignatione Domini honorati ; quam rei remanebunt , & miſeri , qui Dei deſertores , aut contra Deum rebelles voluntatem fecerunt diaboli , ut eos neceſſe ſit cum ipſo ſimul inextinguibili igne torqueri. Hæc , fratres dilectiſſimi , hæreant (k) cordibus veſtris : hæc ſit armorum noſtrorum præparatio , hæc diurna ac nocturna meditatio , ante oculos (l) habere , & cogitatione ſemper ac ſenſibus volvere iniquorum ſupplicia , & præmia ac merita juſtorum : quid negantibus Dominus comminetur ad pœnam , quid contra confitentibus promittat ad gloriam. Si hæc cogitantibus ac meditantibus nobis ſupervenerit perſecutionis dies , miles Chriſti , præceptis ejus & monitis eruditus , non expaveſcit ad pugnam , ſed paratus eſt ad coronam. Opto vos , fratres cariſſimi , ſemper bene valere.

1 Cor. 2. 9.

Rom. 8. 18.

(a) Chriſtus ejus, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (b) Præſide Deo, *Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. 2. *Ebor.* (c) Armemur ergo, *Bod.* 2. (d) Armari nos & parari beatus Apoſtolus docet, *Lam. Bod.* 1, 2, 3. *Lin. Ebor. NC.* 1. (e) Adverſus ſpiritus nequam, *Ebor. NC.* 1. (f) Induentes loricam, *Lam. Bod.* 2. (g) Accipit, *Ver. Manut.* (h) Poſtmodum Dominum, *Bod.* 1. *Vat.* (i) Quæ autem erit, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (k) *Sic*, *Lam. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ebor. Vet, innom. Spir.* cordibus veſtris, hæc diurna, *Rigalt.* (l) Habere, & cogitare, *Lam. Bod.* 2. 3.

1 *Quod nuper ſtetit.*] Quod in nupero agone non lapſus eſt, nec de fide ſua dejectus.

2 *Harum tenebrarum.*] Tranſpoſitis vocibus legiſſe videtur, πρὸς τὰς κοσμοκράτορας τοῦ αἰῶνος τοῦ σκότους τούτου.

3 *In die nequiſſimo.*] Rigaltius ait, *Scilicet*, *Antichriſti.* Τοῦ πονηροῦ.

4 *Ut ſignum Dei.*] Inter baptiſmi ſolennia fronte impreſſum.

5 *Euchariſtiæ memor*, *quæ Domini corpus accepit.*] Rigaltius ait, *Ambroſius lib.* IV. *de Sacramentis*, *cap.* 2. *Dicit tibi ſacerdos: Corpus Chriſti*, & *tu dicis : Amen*, *hoc eſt*, *Verum. Quod confitetur lingua*, *teneat affectus.* Priorius ait, *Loquitur hic ſecundum ritum quo euchariſtia in manus laicorum porrigebatur*, *non in os*, *unde Trullana ſynodus can.* 28. *de Presbytero* μήτε πίνων δημοσίᾳ μήτε ἰδίᾳ εὐλογεῖτω, μήτε τὸ σῶμα & χεῖρα καταινεμέτω ἑτέροις. *Concilium Tolet.* 1. *cap.* 14. *Siquis autem acceptam à ſacerdote euchariſtiam non ſumſerit*, *velut ſacrilegus propellatur. Et can.* 3. *Conc. Cæſar-auguſt. Ubi advertendum*, *laicos manu accipere*, *ore autem ſumere.* Romana Eccleſia, quæ morem hunc immutavit, credidiſſe videtur, manus laicorum ore ipſorum magis eſſe profanas.

EPIS-

An. 252.

EPISTOLA LIX.

Cyprianus Cornelio Fratri, Salutem.

Ad Pamelium. Epist. LV. Ad Erasm. l. 1. Ep. 3. Cyprianum certiorem fecerat de Felicissimi & Fortunati attentatis Romæ.

LEGI literas tuas, frater cariſſime, quas per [1] Saturum fratrem noſtrum Acolu- *Scripta poſt reditum.*
thum miſiſti, & dilectionis fraternæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ſacerdotalis cenſuræ ſatis plenas; quibus (a) ſignificaſti, Feliciſſimum hoſtem Chriſti, non novum, ſed jam pridem ob crimina ſua plurima & graviſſima abſtentum, & [2] non tantum mea, ſed plurimorum coepiſcoporum ſententia condemnatum, rejectum (b) à te illic eſſe (c): & cum veniſſet ſtipatus caterva & factione deſperatorum, vigore (d) pleno, quo Epiſcopos agere oportet, pulſum de Eccleſia eſſe: de qua jam pridem cum ſui ſimilibus, Dei majeſtate, & [3] Chriſti Domini & judicis noſtri ſeveritate, depulſus eſt, ne [4] ſchiſmatis & diſſidii auctor, ne pecuniæ commiſſæ ſibi fraudator, ne ſtuprator virginum, ne matrimoniorum multorum depopulator atque corruptor, ultra adhuc ſponſam Chriſti incorruptam, ſanctam, pudicam, præſentiæ ſuæ dedecore, & impudica atque inceſta contagione violaret.

Etiam ſecundæ ejuſdem Cornelii Epiſtolæ reſpondetur.

Sed enim lecta alia tua Epiſtola, frater, quam primis literis ſubjunxiſti, ſatis miratus ſum: cum animadverti ſſem te minis atque terroribus eorum, qui venerant, aliquantum eſſe commotum; cum te, ſecundum quod ſcripſiſti, aggreſſi eſſent, cum ſumma deſperatione comminantes, quod ſi literas quas attulerant non accepiſſes, (e) publice eas recitarent, & multa turpia ac probroſa, & ore ſuo digna proferrent. Quod ſi ita res eſt, frater cariſſime, ut nequiſſimorum timeatur audacia, & quod mali jure, atque æquitate non poſſunt, temeritate ac deſperatione perficiant; actum eſt de Epiſcopatus vigore, & de Eccleſiæ gubernandæ ſublimi ac divina poteſtate; nec Chriſtiani ultra aut durare, aut eſſe jam poſſumus, ſi ad hoc ventum eſt, ut perditorum minas atque inſidias pertimeſcamus. Nam & gentiles, & Judæi minantur, & hæretici, atque omnes quorum pectora & mentes diabolus obſedit, venenatam rabiem ſuam quotidie furioſa voce teſtantur; non tamen iccirco cedendum eſt, (f) aut ideo adverſarius & inimicus major eſt Chriſto, quia tantum ſibi vendicat, & aſſumit (g) in ſeculo. Manere apud nos debet, frater cariſſime, fidei robur immobile; & ſtabilis atque inconcuſſa virtus contra omnes incurſus, atque impetus oblatrantium fluctuum, [5] velut petræ objacentis fortitudine & mole debet obſiſtere. Nec intereſt unde Epiſcopo aut terror aut periculum veniat, qui terroribus & periculis vivit obnoxius, & tamen ſit de ipſis terroribus ac periculis glorioſus. Nec enim ſolas gentilium vel Judæorum minas cogitare & ſpectare debemus, cum videamus ipſum (h) Dominum à fratribus eſſe detentum, & ab eo, quem inter Apoſtolos ipſe delegerat, proditum: inter initia quoque mundi Abel juſtum non niſi frater occiderit; & Jacob fugientem perſequutus ſit frater infeſtus; & (i) Joſeph puer venierit vendentibus fratribus: in Evangelio etiam (k) legamus, eſſe prædictum magis domeſticos inimicos futuros, & qui prius copulati [6] ſacramento unanimitatis fuerint, ipſos invicem tradituros. Nihil intereſt quis tradat, aut ſæviat, cum Deus (l) tradi permittat quos diſponit coronari. (m) Neque enim nobis ignominia eſt pati à fratribus, quod paſſus eſt Chriſtus: nec illis gloria eſt facere quod (n) fecerit Judas. Quæ autem ſui elatio eſt, quæ comminantium tumens & inflata & vana jactatio; illic abſenti minari, cum hic me habeant in poteſtate præſentem? Convicia eorum, quibus ſe & vitam ſuam quotidie lacerant, non timemus; fuſtes, & lapides, & gladios, quos verbis parricidalibus jactitant, non perhorreſcimus. Quod in illis eſt, homicidæ ſunt apud

Marc. 3. 21. Mat. 26. 14. Gen. 4. 8. Gen. 27. 41. Gen. 37. 23. Mat. 10. 30.

(a) Significaſti te, *Pem. Bod.* 3. (b) A te, & *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. rejectum & à ſe illic eſſe. (c) Ab Eccleſia prohibitum, *Ver.* (d) Pleno quod, *Bod.* 1. (e) Ut publice, *Bod.* 3. (f) Quia minantur, nec inde, *Lin. NC.* 2. aut inde, *Lam. NC.* 1. *Ebor.* (g) In iſto ſeculo, *Bod.* 1. (h) Dominum noſtrum, *Bod.* 1. (i) Joſeph Ægyptum pervenerit, *Lam. Bod.* 2. 3. *NC.* 1. *Ebor. Lin.* Joſeph venundatus ſit à fratribus, *Bod.* 1. (k) Legamus, prædictum, *Lam. Lin. NC.* 2. (l) Tradit, permittit & coronari, *Benev. Ver.* ut & coronari, *Voſſ.* 2. *Bod.* 1. (m) Neque nobis, *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Lin.* (n) Fecit Judas, *Ver. Lam. Ebor. NC.* 1.

[1] *Saturum fratrem.*] Forte idem ille qui Epiſtola 29. lector factus ut literas clericales transferret; de quo etiam mentio occurrit, Epiſt. 32. & 35.

[2] *Non tantum mea.*] Primo condemnatus juſſu Cypriani in receſſu, per Caldonium, Herculanum, Victorem & alios. Poſtea à patribus Africanis in prima poſt reditum ſynodo, & deinceps in proxima.

[3] *Chriſti Domini.*] Vid. 1 Cor. 5. 4.

[4] *Schiſmatis & diſſidii auctor.*] Rigaltius ait, *Ad quod ſcilicet acceſſit. Quod favore & auctoritate quantum in ipſo fuit auxit atque promovit.*

[5] *Velut Petræ.*] Reſpicit Mat. 7. 25.

[6] *Sacramento unanimitatis.*] Fraternitatis, aut Matrimonii jure. Vox ſacramenti ad omnia fere ſignificanda, quæ ſacrum aliquid deſignant adhibetur.

An. 252. apud Deum tales: necare tamen non poſſunt, niſi eis Dominus necare permiſerit. Et cum nobis ſemel moriendum ſit, illi tamen & odio & verbis, & delictis ſuis quotidie perimunt.

Graviter perſtringuntur ſuperbi, & Epiſcopis immorigeri.

Sed non iccirco, frater cariſſime, relinquenda eſt Eccleſiaſtica diſciplina, aut ſacerdotalis ſolvenda cenſura, quoniam conviciis infeſtamur, aut terroribus quatimur, quando occurrat & moneat ſcriptura divina dicens: Ille vero qui præſumit & (a) contumax eſt, vir ſui jactans, nihil omnino perficiet, qui dilatavit (b) tanquam infernus animam ſuam. Et iterum: Et verba viri peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus in ſtercora erit & (c) in vermes. Hodie extolletur, & cras non invenietur, quoniam converſus eſt in terram ſuam, & (d) cogitatio ejus perit. Et iterum: Vidi impium exaltatum, & extolli ſuper cedros Libani, & tranſivi, & ecce non fuit, & quæſivi eum, & non eſt inventus locus ejus. Exaltatio, & inflatio, & arrogans ac ſuperba jactatio, non de Chriſti magiſterio, qui humilitatem docet, ſed de Antichriſti ſpiritu naſcitur, (e) cui exprobrat per prophetam Dominus, & dicit: Tu autem dixiſti in animo tuo: In cœlum aſcendam, ſuper ſtellas Dei ponam ſedem meam: Sedebo [1] in monte alto ſuper (f) montes altos in aquilonem, aſcendam ſuper nubes, ero ſimilis Altiſſimo. Et addidit dicens: Tu vero ad inferos deſcendes in fundamenta terræ, & qui videbunt te, mirabuntur ſuper te. Unde & parem talibus pœnam ſcriptura divina loco alio comminatur & dicit: Dies enim Domini Sabaoth ſuper omnem injurioſum & ſuperbum, & ſuper omnem elatum & excelſum. Abac. 2. 5. 1 Maccab. 2. 62. Pſal. 36. 37. Iſai. 14. 3. Iſai. 2. 12.

Ex verbis quiſque proditur & detegitur.

De ore itaque ac de verbis ſuis unuſquiſque ſtatim proditur, & utrum Chriſtum in corde ſuo, an vero Antichriſtum habeat, loquendo detegitur: ſecundum quod Dominus in Evangelio ſuo dicit: Progenies viperarum quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis nequam? de abundantia enim cordis (g) os emittit. Bonus homo de bono (h) theſauro emittit bona, & nequam homo de nequam theſauro emittit nequam. Unde & dives ille peccator, [2] qui de Lazaro in ſinu Abrahæ poſito atque in refrigerio conſtituto implorat auxilium, cum in tormentis cruciabundus flammæ cremantis (i) ardoribus aduratur, inter omnes corporis partes magis os ejus & lingua pœnas dat; quia plus ſcilicet lingua ſua & ore peccaverat. Nam cum ſcriptum ſit: Neque maledici regnum (k) Dei conſequentur; & iterum Dominus in Evangelio ſuo dicat: [3] Qui dixerit fratri ſuo, fatue; & qui dixerit [4] racha, (l) reus erit in gehenna ignis; quomodo poſſunt cenſuram (m) Domini ultoris evadere, qui talia ingerunt non ſolum fratribus ſed & ſacerdotibus; quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, ut quiſquis ſacerdoti ejus [5] & ad tempus hic judicanti non obtemperaret, ſtatim necaretur? In Deuteronomio loquitur Dominus Deus, dicens: Et homo quicunque fecerit in ſuperbia, ut non exaudiat ſacerdotem, aut judicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille; & omnis populus cum audierit, timebit: & non agent impie etiam nunc. Item ad Samuelem, cum à Judæis ſperneretur, Deus dicit: Non te ſpreverunt, ſed me ſpreverunt. Et Dominus quoque in Evangelio: Qui audit vos, inquit, me audit; qui (n) me audit, & eum qui me miſit: & qui rejicit vos, me rejicit; qui me rejicit, rejicit eum qui me miſit. Et cum leproſum emundaſſet, Vade, inquit, & demonſtra te ſacerdotibus. Et (o) cum poſtea tempore paſſionis alapam accepiſſet à ſervo ſacerdotis, cumque ei dixiſſet: Sic reſpondes pontifici? adverſus pontificem Dominus contumelioſe nihil dixit, nec quidquam de ſacerdotis honore detraxit, ſed innocentiam ſuam magis aſſerens & oſtendens: Si male, inquit, locutus ſum, (p) [6] exprobra de malo: ſi autem bene, quid me cædis? Item in actis Apoſtolorum. Poſtmodum beatus Apoſtolus Paulus cum ei dictum eſſet: [7] Sic inſilis in ſacerdotem Dei maledicendo? quamvis Domino jam crucifixo, ſacrilegi, & impii, & cruenti illi eſſe cœpiſſent; [1] nec Mat. 12. 34. Luc. 16. 23. 1 Cor. 6. 10. Mat. 5. 22. Deut. 17. 12. 1 Reg. 8. 7. Luc. 10. 16. Mat. 8. 4. Joh. 18. 22. Act. 23. 4.

(a) Contumax eſt, viribus ſuis, *Bod.* 1. *Lin. NC.* 1. (b) Tanquam inferi, *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1. (c) Ut vermes hodie, *Bod.* 3. (d) Cogitatio ejus peribit, *Bod.* 3. (e) Quem exprobat, *Bod.* 3. (f) Montes aquilonis, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (g) Os loquitur, *Lin.* (h) Theſauro cordis, *Lin.* (i) Ardoribus aduritur, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. adurebatur, *Bod.* 1. (k) Dei poſſidebunt, *NC.* 2. *Lin.* (l) Reus Gehennæ, *Voſſ.* 2. *Bod.* 3. (m) Dominicæ ultionis, *Bod.* 3. (n) *Sic*, *Lam. Lin. Bod.* 2. audit & eum qui me miſit, *Rigalt.* (o) *Sic*, *Lam. Bod.* 1. 2. 3. *Ebor. Voſſ.* 2. *Pem. Lin. NC.* 1. 2. *MR. Spir. Vet. innom.* & *alii.* eum qui me. Et cum poſtea tempore paſſionis, *Rigalt.* (p) Teſtificare de malo, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.

1 *In monte alto ſuper montes altos.*] Rigaltius ait, *Hoc eſt, in monte omnium altiſſimo quemadmodum Paulus dixit*, εἰς ὑπερβολὴν καὶ ὑπερβολήν.

2 *Qui de Lazaro in ſinu Abrahæ poſito.*] Rigaltius ait, *Tertullianus lib. de Idololatria. Sic & Lazarus apud inferos in ſinu Abrahæ refrigerium conſecutus: contra dives in tormento ignis conſtitutus, alternas malorum & bonorum vices æmula retributione compenſant.*

3 *Qui dixerit fratri ſuo fatue.*] Qui contumeliæ quod fratri dixerit racha, alteram addiderit, & fatuum appellaverit, reus erit in Gehenna: Nam alteri tantum iſtarum vocum Dominus noſter Gehennæ pœnam interminatus eſt.

4 *Racha.*] Rigaltius ait, *Heſych.* Ῥακκὰ, κενός. *vanus. Virg. Vane Ligur. Ligures autem Nigidio apud Servium inſidioſi, fallaces, mendaces.*

5 *Et ad tempus iſtic judicanti.*] Rigaltius ait, *Infra dicet, ad tempus ſacerdos & ad tempus judex.*

6 *Exprobra.*] μαρτύρησον exproba, teſtificare.

7 *Sic inſilis in ſacerdotem.*] Rigaltius ait, *Faber, ex vetuſtiſſ. codice: ſic incilas ſacerdotem? Actius apud Nonium qui me incilant probris. Hoc verbo utuntur etiam Plautus & Lucretius.* De qua re alibi dictum.

2 *Nec*

An. 252. [1] nec jam quidquam de ſacerdotali honore & auctoritate retinerent : tamen ipſum quamvis inane nomen & umbram quandam ſacerdotis cogitans Paulus : (a) Neſciebam, inquit, quia Pontifex eſt. Scriptum eſt enim : (b) Principem populi tui non maledices.

Hæreſes hinc potiſſimum ortæ, quod ſacerdoti Dei non obtemperatur.

Cum hæc tanta ac talia, & multa alia exempla præcedant, quibus ſacerdotalis auctoritas & poteſtas de divina dignatione firmatur ; quales putas eſſe eos, qui ſacerdotum hoſtes & contra Eccleſiam Catholicam rebelles, nec præmonentis Domini comminatione, nec futuri judicii ultione terrentur ? Neque enim aliunde hæreſes (c) obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, (d) quam inde quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia [2] ad tempus ſacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundum magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſum [3] ſacerdotum Collegium quidquam moveret ; nemo poſt divinum judicium, poſt (e) populi ſuffragium, poſt coepiſcoporum conſenſum ; judicium ſe [4] jam non Epiſcopi, ſed Dei faceret : nemo diſſidio unitatis, Chriſti Eccleſiam ſcinderet ; nemo ſibi placens ac tumens ſeorſim foris hæreſim novam conderet, (f) niſi ſi ita eſt aliquis ſacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis, ut putet ſine Dei judicio fieri ſacerdotem, cum Dominus in Evangelio ſuo dicat : Nonne duo paſſeres aſſe væneunt, (g) Mat. 10. 29.
& neuter eorum cadit in terram ſine (h) Patris voluntate ? Cum ille nec minima fieri ſine voluntate Dei dicat ; exiſtimat aliquis ſumma & magna, aut non ſciente, aut non permittente Deo, in Eccleſia Dei fieri ; & ſacerdotes, id eſt, diſpenſatores ejus, non de ejus ſententia ordinari ? Hoc eſt fidem non habere, qua vivimus ; hoc eſt Deo honorem non dare, cujus nutu & (i) arbitrio regi, & gubernari omnia ſcimus & credimus. Plane Epiſcopi non de voluntate Dei fiunt, (k) qui extra Eccleſiam fiunt ; (l) ſed contra diſpoſitionem & traditionem Evangelii fiunt : ſicut ipſe Dominus [5] in duodecim Prophetis ponit & dicit : (m) Sibimetipſis regem conſtituerunt, & Oſe. 8. 4.
non per me. Et iterum : Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui man- Oſe. 9. 4.
ducant ea, contaminabuntur. Et per Eſaiam quoque Spiritus ſanctus clamat & dicit : Væ vobis filii deſertores, hæc dicit Dominus, habuiſtis (n) conſilium & Iſai. 30. 1.
non per me, & [6] feciſtis conventionem non per ſpiritum meum, adjicere peccata ſuper peccata.

Apologiam pro ſeipſo inſtituit Cyprianus.

(o) Cæterum (dico enim provocatus, dico dolens, dico compulſus) quando Epiſcopus in locum defuncti ſubſtituitur, quando populi univerſi ſuffragio [7] in pace deligitur, quando

(a) Neſciebam ; fratres, *Pem. NC.* 1. 2. *Voſſ.* 2. *Lam. Bod.* 1. 2. *Lin.* (b) Principem plebis, *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1. 2. (c) Exortæ, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (d) Quam quando, *Lam. Ebor. NC.* 1. (e) Populi ſui, *Lam. NC.* 1. *Ebor.* (f) Niſi ita, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin.* (g) Et unus ex illis non cadet, *Lin. NC.* 2. (h) Patris veſtri, *Vir.* (i) Arbitrio geri, *Bod.* 1. (k) Sed qui extra, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (l) Sed qui contra, *Pem. Bod.* 1. 3. *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin.* (m) Sibimetipſi, *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. (n) Conſilium non, *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. (o) Ceterum dico, dico provocatus, *Vir.*

[1] *Nec jam quidquam de ſacerdotali honore & auctoritate retinerent.*] Sic Deus ipſe ad Eli ſummum ſacerdotem ait, 1 Sam. 2. 30. *Qui contemnunt me erunt ignobiles.* Character ſacerdotalis admiſſo facinore non deletur. Vid. 1 Cor. 9. 27. Sed revera crucifixo Domino legalia omnia, & proinde Pontificatus ceſſabant.

[2] *Ad tempus ſacerdos.*] Rigaltius ait, *Hoc eſt, qui pro tempore miniſtrabit. Vid. Epiſt.* XLII. *Alludit enim ad ea quæ de ſacerdote & judice Deuteron.* XVII. *Poteſt autem illud Cypriani, ad tempus ſacerdos, ſic etiam intelligi, uſque dum ſiſtat nos Chriſtus Jeſus Catholicus ſacerdos coram Deo Patre. Nam in Epiſtola ad Hebræos dicitur, μέγας ἀρχιερεύς. Tertullianus dixit, Catholicum ſacerdotem. Et, ad tempus judex, uſque dum veniat idem Chriſtus ſupremus ille judex vivorum & mortuorum. Sic enim ſupra, hac Epiſtol. dixit : ad tempus hic judicanti. Cornelius Epiſcopus Romanus Epiſtola quæ ſupra habetur* XLVI. *ad Cyprianum ſcribens dixit, unum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere. Et Cyprianus ad Antonianum Epiſt.* LII. *ubi de ordinatione Cornelii adverſus Novatianos agit : Quiſquis, inquit, poſt unum qui ſolus eſſe debeat, factus eſt, non jam ſecundus ille, ſed nullus eſt. Idem vero Cyprianus pro ſeipſo ad eundem Cornelium ſcribens, eandem ſibimetipſi unitatem adſerit, ſic tamen ut non præjudicet primatui Romano. Nam hoc tantum ſibi vult, uniuscujuſque Eccleſiæ, quæ univerſalis illius portio eſt, unum eſſe debere Epiſcopum ſacerdotem, qui ſit Eccleſiæ ſuæ ſacerdos ad tempus, & ad tempus judex vice Chriſti. Ecce autem Epiſcopos ævo jam Cypriani vicarios Chriſti. Epiſtola adverſus Florentium dicet, præpoſitos qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt.* Primatum ordinis Petro tribuebat Cyprianus in paritate honoris & poteſtatis ; nec alium primatum ſucceſſoribus ejus tribuere cenſendus eſt.

[3] *Sacerdotum Collegium.*] Epiſcopos qui ordinationi aſſiſtebant. Populi etiam ſuffragium in Epiſcopi deſignatione adhibitum, ut etiam Dei omnipotentis, cujus opem Eccleſia ſolenni prece implorabat, ſæpius dictum.

[4] *Jam non Epiſcopi, ſed Dei.*] Rigaltius ait, *His gradibus nititur Cyprianus, ut honoris quantum poſſit plurimum adſtruat Epiſcopo. Ait Epiſcopum legitime in Eccleſia, concilio & conſenſu collegarum ſeu coepiſcoporum conſtitutum, jam non humano, ſed Dei judicio factum eſſe Dei ſacerdotem ; & jam eſſe vicarium Chriſti. Unde colligit, poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt coepiſcoporum conſenſum, quod Epiſcopo ſic adminiſtrante decretum, propoſitum, pronunciatumque eſt, ſi retractare, aut convellere aliquis audeat, hunc oportere eſſe ſacrilegæ temeritatis ac perditæ mentis hominem, qui ſe judicem facere velit, jam non Epiſcopi, ſed Dei. Hoc ubique diligentiſſime adſerit Cyprianus, Epiſcopos fieri, non humano judicio, ſed Dei. Præſertim vero Epiſtol.* LXIX. *ubi obtrectantem ſibi Florentium, etſi jam martyrio clarum, eadem præſcriptione ſubmovet, qua hic Novatianum oblatrantem Cornelio : Animadverto, inquit, poſt Deum judicem, qui ſacerdotes facit, te velle, non dicam de me, (quantus enim ego ſum ?) ſed de Dei & Chriſti judicio, judicare. Hoc eſt in Deum non credere, rebellem adverſus Chriſtum & adverſus Evangelium ejus exiſtere.*

[5] *In duodecim Prophetis.*] Scil. quos minores vocamus, & quorum ſcripta ab Hebræis pro uno libro habentur, תריסר dicto.

[6] *Feciſtis conventionem.*] LXX. habent συνθήκας, In Textu Hebræo eſt לכם unde par eſt conjicere interpretes pro ך finali ך legiſſe.

[7] *In pace.*] Rigaltius ait, *Eccleſia ab ſeſe & ab imperio tranquilla.*

An. 252. quando Dei auxilio in perſecutione protegitur ; Collegis omnibus fideliter junctus ; [1] plebi ſuæ in Epiſcopatu quadriennio jam probatus , in quiete ſerviens diſciplinæ ; in tempeſtate proſcriptus , [2] applicito & adjuncto Epiſcopatus ſui nomine ; toties ad leonem petitus , in circo , in amphitheatro Dominicæ dignationis teſtimonio honoratus : his ipſis etiam diebus , quibus has ad te literas feci , ob ſacrificia , quæ edicto propoſito celebrare populus jubebatur , clamore popularium ad leonem denuo poſtulatus in circo : cum talis , frater cariſſime , à quibuſdam deſperatis & perditis , & extra Eccleſiam conſtitutis impugnari videtur , apparet quis impugnet. Non ſcilicet Chriſtus , qui ſacerdotes aut conſtituit aut protegit ; ſed ille , qui (a) Chriſti adverſarius , & Eccleſiæ ejus inimicus , (b) ad hoc Eccleſiæ Præpoſitum ſua infeſtatione perſequitur , ut gubernatore ſublato , atrocius atque violentius circa Eccleſiæ naufragia graſſetur. Nec quenquam fidelem & Evangelii memorem , atque Apoſtoli præmonentis mandata retinentem , movere debet , frater cariſſime , ſi quidam in extremis temporibus ſuperbi , & contumaces & ſacerdotum Dei hoſtes , aut de Eccleſia recedunt , aut contra Eccleſiam faciunt , quando tales (c) nunc futuros , & Dominus & Apoſtoli Jo. 16. 2. ejus ante prædixerint. Nec præpoſitum ſervum deſeri à quibuſdam miretur aliquis ; 2 Tim. 3. 1. quando ipſum Dominum magnalia & mirabilia ſumma facientem , & virtutes Dei Patris factorum ſuorum teſtimonio comprobantem , [3] diſcipuli ſui (d) reliquerint. Et tamen ille (e) non increpuit recedentes , aut graviter comminatus eſt , ſed magis converſus ad Apoſtolos ſuos dixit : Num quid & vos (f) vultis ire ? ſervans ſcilicet legem , Jo. 6. 67. qua [4] homo libertati ſuæ relictus , & in arbitrio proprio conſtitutus , ſibimet ipſe , vel mortem appetit , vel ſalutem. Petrus tamen , ſuper quem ædificata ab eodem Domino fuerat Eccleſia , unus pro omnibus loquens , & Eccleſiæ voce reſpondens , ait : Domine (g) ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes , & nos credimus & cognovimus , Jo. 6. 68. quoniam tu es filius Dei vivi : Significans ſcilicet & oſtendens , eos qui à Chriſto receſſerint , culpa ſua perire : Eccleſiam tamen quæ in Chriſtum credat , & quæ ſemel id quod cognoverit teneat , nunquam (h) ab eo omnino diſcedere : & eos eſſe Eccleſiam , qui in domo Dei permanent : Plantationem vero plantatam à Deo Patre non eſſe , quos Mat. 15. 13. videmus [5] non frumenti ſtabilitate ſolidari , ſed tanquam paleas diſſipantis inimici ſpiritu ventilari de quibus & Joannes in Epiſtola ſua dicit : Ex nobis exierunt , ſed 1 Jo. 2. 19. non fuerunt ex nobis : ſi enim fuiſſent ex nobis , manſiſſent utique nobiſcum. Item Paulus monet nos , cum mali (i) de Eccleſia pereunt , non moveri , nec recedentibus perfidis fidem minui : Quid enim , inquit , ſi exciderunt à fide quidam eorum , nunquid Rom. 3. 4. in-

(*a*) Chriſto adverſarius , *Bod.* 1. (*b*) Ob hoc Eccleſiæ , *Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2. (*c*) Jam nunc futuros , *Bod.* 2. (*d*) Dereliquerint , *Ver.* (*e*) Non increpavit , *Voſſ.* 2. *Lam.* (*f*) Vultis abire , *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (*g*) Ad quem imus , *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (*h*) Ab eo diſcedere , *Lam. Ebor. NC.* 1. (*i*) De Eccleſia exeunt , *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1.

[1] *Plebi ſuæ in Epiſcopatu jam quadriennio.*] Rigaltius ait , *Itaque biennio poſt dicet adverſus Florentium : Ecce jam ſex annis nec fraternitas habuerit Epiſcopum. Ex hac vero Epiſtola Cronologi colligunt anno Chriſti* 248. *Cyprianum , mortuo Donato , creatum fuiſſe Epiſcopum Carthaginienſem.* Conſulantur Annales Cyprianici.

[2] *Applicito & adjuncto Epiſcopatus ſui nomine toties ad leonem petitus.*] Rigaltius ait , *Fortiſſimum telum in adverſarios ſtringit , qui ſibi de ſua , jam quadrienni in Epiſcopatum ordinatione controverſiam movebant. Nam & ſe ſub hoc elogio , Cyprianum Chriſtianorum Epiſcopum , fuiſſe proſcriptum , & ad leonem petitum , in circo , in amphitheatro. Sic Dominicæ dignationis teſtimonio honoratum , ut jam de ordinationis ſuæ jure ambigi nequeat. Hoc vero etiam commemorat Epiſt.* LXIX. *ubi aliquid etiam de formula ipſa proſcriptionis recitat : unde diſcimus , non Epiſcopatus ſui nomen , puta Carthaginienſis , ſed ipſius tituli Epiſcopatus honorem adplicitum & adjunctum fuiſſe proſcriptionis formulæ his verbis : Si quis tenet vel poſſidet de bonis Cæcilii Cypriani Epiſcopi Chriſtianorum. Ut jam nemo dubitare queat , Cæcilium Cyprianum Epiſcopum fuiſſe Chriſtianorum , quando id ipſum etiam Ethnici proſcriberent.*

[3] *Diſcipuli ſui reliquerint.*] Rigaltius ait , *Non capientes verba Chriſti quæ ſunt apud Joannem cap.* 6. *Caro mea vere eſt cibus. Etenim accipiebant ea* σαρκικῶς. *Itaque* ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω. *Apoſtoli vero permanſerunt , atque inter omnes Petrus , oſtendit ſe non accepiſſe ea verba* σαρκικῶς , *ſed* πνευματικῶς , *& quemadmodum Chriſtus dixerat , Verba quæ ego locutus ſum vobis , ſpiritus & vita ſunt ; ipſe Petrus pro ceteris Apoſtolis dixit : Domine , ad quem ibimus ? Verba vitæ æternæ habes. Verba autem vitæ æternæ , ſunt verba quæ fecit , & mandata quæ dedit Chriſtus in carne apud homines agens. Ad hoc enim caro factus erat , ut in hominis carne ſive corpore , hominum ſalutem procuraret , ut homines ad vitam æternam formaret. Itaque verba quæ fecit Chriſtus in carne , Evangelium Chriſti , Caro Chriſti eſt. Hæc vero verba , hanc carnem , hunc cibum , percipi , manducari , & ruminari ab hominibus voluit Chriſtus , ut homines eo cibo nutriti in vitam æternam proficerent. Hoc ita capiens & credens Petrus , reſpondit Chriſto : Verba vitæ æternæ habes. Nondum tamen Chriſtus inſtituerat corporis & ſanguinis ſui ſacramentum , nondum dixerat , Corpus ſuum eſſe panem. Sed jam dixerat , Carnem ſuam vere eſſe cibum , & ſanguinem ſuum vere eſſe potum. Porro hanc fidei profeſſionem Petrus edidit , unus pro omnibus loquens , inquit Cyprianus , & Eccleſiæ voce reſpondens. Oſtenditque eos , qui à Chriſto recedunt , qui Chriſti carnem non manducant , aut manducant indigne , culpa ſua perire.*

[4] *Homo libertati ſuæ relictus.*] Rigaltius ait , *Contra hanc libertatem diſputabant Prædeſtinati , edito ſub nomine Auguſtini libello , atque ex his Apoſtoli quidem verbis ad Romanos : Reconciliati ſumus Deo , non per voluntatem noſtram , ſed per mortem filii ejus. Unde ſic inferebant : Per prævaricationem itaque primi hominis periit ab hominibus libertas arbitrii. Et hæc etiam verba citant ex eodem Apoſtolo ; non eſt volentis , neque currentis , ſed miſerentis eſt Dei. Ubi eſt ergo , inquiunt , voluntas hominis ? excluſa eſt. Quare ? quia non omnis qui vult , iſpe ſalvetur. Omnis enim homo ſalvari vult. Sed non omnis ſalvatur homo. Salvatur autem is quem voluerit Deus , excluſa hominis voluntate. Deinde : Per prævaricationem primi hominis periit ab hominibus libertas arbitrii. Adverſus hæc argumenta librum edidit Primaſius , & in principio quidem ſic agit : Recedant vana argumenta verborum , nihil habent omnino commune , prævaricatio delinquentis , & prædeſtinatio vindicantis ; quia peccatum in voluntate tranſgreſſoris eſt , prædeſtinatio autem in redemtoris eſt ordinata virtute , &c.* Nemo inficias iverit, *hominem ſibi mortem appetere* , cum ea de cauſa querelam ſæpius interponat clementiſſimus Deus. *At ſalutem ſibi appetere* dicendi ſunt illi homines, qui gratiæ præſidiis muni manu effuſis non reſiſtunt ; ſiquidem *omnia poſſumus in eo qui nos confortat.* Philip. 4. 14. Voluntas liberata certiſſime eſt libera.

[5] *Non frumenti ſtabilitate ſolidari.*] Eadem fere dicuntur in libro de Unitate.

[3] *Eſt*

An. 252. infidelitas illorum fidem Dei evacuavit? absit: [1] est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.

Sint licet homines perversi, danda est opera ne Episcoporum culpa aliqui de Ecclesia pereant.

Quod ad nos attinet, (a) conscientiæ convenit, frater carissime, dare operam, ne quis culpa nostra de Ecclesia pereat. Si autem quis ultro & crimine suo perierit; & pœnitentiam agere, atque ad Ecclesiam redire noluerit, nos in die judicii inculpatos futuros, qui consulimus sanitati; illos solos in pœnis remansuros, qui noluerint consilii nostri salubritate sanari. Nec movere nos debent convicia perditorum, quo minus à via recta & à certa regula non recedamus, quando & Apostolus instruat dicens: (b) Si hominibus placerem, Christi servus non essem. Interest utrum quis homines promereri, an Deum cupiat. Si hominibus placetur, Dominus offenditur; si vero id enitimur & elaboramus ut possimus Deo placere, & convicia & maledicta debemus humana contemnere. Gal. 1. 10.

Ordinationis Fortunati pseudo-episcopi, & literarum serius missarum ratio redditur.

Quod autem tibi de Fortunato isto pseudoepiscopo, à paucis & inveteratis hæreticis constituto, non statim scripsi, frater carissime, non ea res erat, quæ in notitiam tuam deberet per nos festinato statim quasi magna aut metuenda perferri; maxime quando & Fortunati nomen jam satis nosses, qui est unus ex quinque Presbyteris jampridem de Ecclesia profugis, (c) & sententia coepiscoporum nostrorum, multorum & gravissimorum virorum nuper abstentis, qui [2] super hac re priore anno ad te literas fecerunt: item [3] Felicissimum signiferum seditionis recognosceres, qui & ipse in iisdem coepiscoporum nostrorum factis ad te pridem literis continetur: qui non tantum ab iis istic abstentus, sed abs te illic nuper de Ecclesia pulsus est. Cum hæc in notitia tua esse confiderem, & pro certo hærere memoriæ, & disciplinæ tuæ scirem: necessarium non putavi, celeriter & urgenter hæreticorum tibi ineptias nunciandas: neque enim ad Catholicæ Ecclesiæ majestatem pariter, ac dignitatem pertinere debet, quid apud se hæreticorum & schismaticorum moliatur audacia. Nam & (d) pars Novatiani Maximum Presbyterum, nuper ad nos à Novatiano legatum missum, atque à nostra communicatione rejectum nunc istic sibi feciſſe pseudoepiscopum dicitur. Nec tamen de hoc tibi scripseram; quando hæc omnia contemnantur à nobis, & miserim tibi proxime nomina Episcoporum [4] istic constitutorum, qui integri & sani in Ecclesia Catholica fratribus præsunt. Quod utique ideo de omnium nostrorum consilio (e) placuit scribere; ut erroris diluendi ac perspiciendæ veritatis compendium fieret, & scires tu & Collegæ nostri, quibus scribere, & literas mutuo à quibus vos accipere oporteret. Si quis autem præter hos, quos Epistola nostra complexi sumus, scribere vobis auderet, sciretis eum vel sacrificio, vel libello esse maculatum; vel unum de hæreticis, perversum scilicet & profanum. Nactus tamen occasionem familiarissimi hominis & clerici; per Felicianum Acoluthum, quem cum Perseo Collega nostro miseras, inter cetera quæ in notitiam tuam perferenda hinc fuerant, etiam de Fortunato isto tibi scripsi. (f) Sed dum istic Felicianus frater noster vel vento retardatur, vel accipiendis aliis Epistolis (g) à nobis detinetur, Feliciſſimo ad vos properante præventus est. Ita enim semper scelera festinant, quasi contra innocentiam festinatione prævaleant. Per Felicianum autem significavi tibi, frater, venisse Carthaginem Privatum veterem hæreticum, in Lambesitana colonia [5] ante multos fere annos ob multa & gravia delicta nonaginta Episcoporum sententia condemnatum; [6] Anteceſſorum etiam nostrorum, quod & vestram conscientiam non latet Fabiani, & Donati literis severissime notatum, qui cum causam suam apud nos in concilio, quod habuimus (h) Idibus Maiis quæ proxime fuerunt, agere velle se diceret, nec admissus esset, Fortunatum istum sibi pseudoepiscopum dignum Collegio suo fecit. Venerat etiam cum

(a) Consentiæ nostræ, *Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 3. (b) Si hominibus, inquit, *Lam. Ebor. NC.* 1. placere vellem, *Ver.* (c) Sed & sententiis, *Lam. Ebor. NC.* 1. (d) Parem Novatiani, *Ver.* (e) Placuit tibi scribere, *Bod.* 1. 2. 3. *Voss.* 2. (f) Sed dum iste, *Ver.* (g) A vobis detinetur, *Bod.* 3. (h) Idibus Martiis, *Ver.*

[1] *Est enim Deus verax.*] Græcus textus per imperativum reddit γινέσθω δὲ ὁ θεὸς ἀληθής.

[2] *Super hac re priore anno.*] Rigaltius ait, *Prior annus hic eo sensu dici videtur, quo Publii Syri versiculo: Discipulus prioris est posterior dies.*

[3] *Felicissimum signiferum seditionis.*] Pamelius ait, *Latius hujus supra mentio facta est, vocatur autem tum vexilifer Privati, tum satelles Novati, è quibus appellationibus colligitur, fuisse eandem tum quinque presbyterorum tum Novati factionem, aut saltem quum principio diversæ essent, postea sibi invicem conjunctas. Porro repetit quod prius dixit, Felicissimum abstentum fuisse etiam à Cornelio.* Nimirum ejus communione prohibitum.

[4] *Istic in Ecclesia Catholica fratribus præsunt.*] Rigaltius ait, *Supra, de Ecclesia Romana dixit, Ecclesiæ Catholicæ majestatem: hic, de Ecclesiis Africanis, dicit simpliciter, Ecclesiam Catholicam. Etiamsi minime dissimulari debeat, hoc sensisse Cyprianum, Ecclesiam in Africa æque ac Romæ Catholicam: ut ex aliis passim Epistolis colligitur.*

[5] *Ante multos fere annos.*] Rigaltius ait, *Dixit Cyprianus, multos fere annos qui jam transacto factoque decennio ibant in vicennium. Primus terminus longi sive diuturni temporis, decennio comprehenditur. Aristo respondit, à debitore fisci qui solvendo non erat, manumissum, revocari in servitutem debere, nisi diu in libertate fuisset, non minus decennio. L. si quum. parag. Aristo. Qui & à quibus man. lib. non fiant.*

[6] *Anteceſſorum nostrorum Fabiani & Donati.*] Rigaltius ait, *Ex hoc loco, non improbabili conjectura, Baronius Cyprianum in Episcopatu Carthaginiensi Donato succeſſisse opinatur. Quia scilicet Cyprianus ad Cornelium Episcopum Romanum facta mentione nonaginta Episcoporum qui Privatum hæreticum in Lambesitana colonia ante annos tredecim damnaverant, eundem quoque Privatum severissime notatum fuisse significat literis Fabiani & Donati. Ut quemadmodum Cyprianus Fabianum Cornelii anteceſſorem nominat, sic etiam Donatum anteceſſorem suum nominaverit. Ideoque ad Cornelium scribens dixerit, anteceſſorum nostrorum: Fabiani tui, & Donati mei. Ceterum hanc loquendi formam non semper ad deceſſores in eodem episcopatu referri, docebit Epistola* LXVII. *Cyprianus anteceſſores suos nuncupat Cornelium & Lucium Episcopos Romanos, etsi nunquam præfuerint Ecclesiæ Carthaginiensi, simpliciter anteceſſores suos vocat quasi majores suos, quia scilicet annis aliquot ante se vixerant eodem Episcopali officio, sed aliis in provinciis functi.*

An. 252. cum illo & Felix quidam, quem [1] ipſe extra Eccleſiam in hæreſi, pſeudoepiſcopum olim conſtituerat. Sed & Jovinus & Maximus comites cum Privato hæretico affuerunt, ob nefanda ſacrificia & crimina in ſe probata, ſententia novem Epiſcoporum collegarum noſtrorum condemnati, & iterato quoque à pluribus nobis, in concilio anno priore abſtenti. Cum his autem quatuor junctus eſt & (a) [2] Repoſtus Suturnicenſis, qui non tantum in perſecutione ipſe cecidit, ſed & maximam partem plebis ſuæ ſacrilega (b) perſecutione dejecit. Hi quinque cum paucis vel [3] Sacrificatis, vel [4] male ſibi conſciis, Fortunatum ſibi pſeudoepiſcopum cooptarunt, ut criminibus (c) in unum convenientibus talis eſſet ſcilicet rector, quales illi qui reguntur. Hinc jam & cetera mendacia, frater cariſſime, potes noſcere, (d) quæ illic homines deſperati, & perditi ventilaverunt, ut cum de ſacrificatis vel de hæreticis amplius quam quinque pſeudoepiſcopi non fuerint qui Carthaginem venerint, & Fortunatum ſibi dementiæ ſuæ ſocium conſtituerint; illi tamen, quaſi filii diaboli, & mendacio pleni, auſi ſunt, ut ſcribis, jactitare vigintiquinque Epiſcopos affuiſſe: quod mendacium & iſtic prius apud fratres noſtros jactitabant, dicentes vigintiquinque Epiſcopos de Numidia eſſe venturos, qui ſibi Epiſcopum facerent; quo in mendacio ſuo poſteaquam, quinque ſolis convenientibus naufragis & à nobis abſtentis, detecti ſunt atque confuſi; [5] Romam cum mendaciorum ſuorum merce navigaverunt, quaſi veritas poſt eos navigare non poſſet, quæ mendaces linguas rei certæ probatione convinceret. Atque hæc eſt, (e) frater, vera dementia, non cogitare, nec ſcire, quod mendacia non diu fallant; noctem tamdiu eſſe (f) quamdiu illuceſcat dies, clarificata autem die, & ſole oborto, luci tenebras & caliginem cedere, & quæ graſſabantur per noctem latrocinia ceſſare. Denique ſi nomina ab eis quæreres, non haberent vel quos falſo nominarent: tanta apud eos etiam malorum penuria eſt, ut ad illos nec de ſacrificatis, nec de hæreticis viginti quinque colligi poſſint. Et tamen ad decipiendas aures ſimplicium & abſentium mendacio numerus inflatur; quaſi, etſi verus eſſet hic numerus, aut ab hæreticis Eccleſia, aut ab injuſtis juſtitia vincatur. Nec me oportet, frater cariſſime, (g) paria nunc cum illis facere, & ea, quæ commiſerunt atque hucuſque committunt meo ſermone decurrere; cum conſiderandum ſit nobis, quid proferre & ſcribere ſacerdotes Dei oporteat, nec tam dolor apud nos debeat, quam pudor loqui; & ne videar provocatus, maledicta potius quam crimina & peccata congerere. Taceo itaque de fraudibus Eccleſiæ factis: conjurationes, & adulteria, & varia delictorum genera prætereo: unum illud (in quo non mea, nec hominum, ſed Dei cauſa eſt) de eorum facinore non puto eſſe reticendum; quod à primo ſtatim perſecutionis die, cum recentia delinquentium facinora ferverent, & [6] ſacrificiis nefandis non tantum diaboli altaria, ſed adhuc manus ipſæ lapſorum atque ora fumarent, communicare cum lapſis & pœnitentiæ agendæ intercedere non deſtiterunt.

Intercedunt ne pœnitentia agatur, qui ſine illa ad communionem admittunt.

Clamat Deus: Sacrificans diis eradicabitur, niſi Domini ſoli. Et Dominus in Evangelio dicit: Qui me negaverit, negabo illum. Et alio loco indignatio & ira divina non tacet, dicens: Illis fudiſtis libamina, & illis impoſuiſtis ſacrificia: ſuper hæc non indignabor? dicit Dominus: Et intercedunt ne rogetur Deus, qui indignari ſe ipſe teſtatur. Intercedunt ne exoretur precibus & ſatisfactionibus Chriſtus, qui negantem ſe negare profitetur. Nos in ipſo perſecutionis tempore de hoc ipſo literas miſimus, nec auditi ſumus. Concilio frequenter acto, non conſenſione tantum noſtra, ſed & comminatione decrevimus, ut pœnitentiam fratres agerent, ut pœnitentiam non agentibus nemo temere pacem daret: & illi contra Deum ſacrilegi, contra ſacerdotes Dei impio furore temerarii, de Eccleſia recedentes, & contra Eccleſiam parricidalia arma tollentes, elaborant (ut opus ſuum Diaboli (h) malitia conſumment) (i) ne vulneratos divina clementia in Eccleſia ſua curet; miſerorum pœnitentiam mendaciorum ſuorum fraude (k) corrumpunt, ne Deo indignanti ſatisfiat; ne Chriſtum Dominum ſuum, qui Chriſtianus eſſe vel erubuit ante, vel timuit, poſtmodum quærat; ne ad Eccleſiam qui de Eccleſia receſſerat, redeat. Datur opera, (l) ne ſatisfactionibus & lamentationibus juſtis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur. Pax

Exod. 22. 20. Matt. 10. 33. Iſa. 57. 6.

(a) Repoſtus Uturnicenſis, *Lam.* Suturgenſis, *MR.* Quaturnicenſis, *Corb.* (b) Perſecutione ipſe defecit, *Lin.* (c) In unum conſentientibus, *Lam. Ebor. Pem. Bod.* 1. 2. 3. *NC.* 1. 2. *Voſſ.* 2. *Foſſ. Vict.* (d) Quæ contra nos illic, *Bod.* 3. (e) Frater cariſſime, *Bod.* 3. (f) Quamdiu non illuceſcat, *Bod.* 3. (g) Pariter, *Thu.* (h) Malitia conſummet, *Bod.* 1. 2. *Vat.* (i) Nec vulneratos, *Voſſ.* 2. *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. NC.* 2. (k) Corrumpunt, *Pem. Lam. Voſſ.* 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (l) Ne ſatisfactionibus juſtis, *Lam. Bod.* 2. *Lin. Ebor. NC.* 1.

1 *Ipſe extra Eccleſiam in hæreſi.*] Rigaltius ait, *Perperam ipſe conſtituerat, quia ipſe in Eccleſia non erat, ſed extra Eccleſiam; nempe in hæreſi.*

2 *Repoſtus Suturnicenſis.*] In nomenclatura hujus urbis, de qua vix alibi mentio occurrit, cum codices diſſentiant; putaverim lectionem MS. Lambethani ad verum proxime accedere, & *Utinunenſis*, legi debere: Hujus autem urbis mentio habetur cap. 123. Collationis Carthaginienſis, ubi *Octavius Epiſcopus plebis Utinunenſis* dicitur.

3 *Sacrificatis.*] Rigaltius ait, *Idolorum ſacrificio pollutis: ac per hoc fidei Chriſtianæ deſertoribus.*

4 *Male ſibi conſciis.*] Rigaltius ait, *Infra dicet, hæreticis.*

5 *Romam cum mendaciorum ſuorum merce navigaverunt.*] Rigaltius ait, *Canon vigeſimus octavus Cod. Eccleſ. Afric. Non provocent ad tranſmarina judicia, ſed ad primates ſuarum provinciarum, aut ad univerſale concilium. Ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam ad communionem ſuſcipiatur. Tranſmarina Græci dixere τὰ περαπηγὰ & τὰς περατικὰς ἐκκλησίας. Balſamo in can.* CVIII. *Syn. Cartha.* ἤγγωσ ὲν τῇ Ρώμῃ. *Zonaras in can.* XXXI. *Videatur etiam Epiſtola Concilii Africani ad Papam Cœleſtinum, Urbis Epiſcopum.*

6 *Sacrificiis nefandis.*] Hæc ſchiſmaticorum impudentiſſima noxa; ab Eccleſia pulſi quia cum Lapſis communicarent, Eccleſiam fugillant quia cum lapſis communicat.

1 *Con-*

An. 252. Pax vera falſæ pacis mendacio tollitur, ſalutaris ſinus matris noverca (a) intercedente præcluditur, ne de pectore atque ore lapſorum fletus, & gemitus audiatur. Compelluntur adhuc inſuper lapſi, ut linguis atque ore, quo in Capitolio ante deliquerant, ſacerdotibus convicium faciant; 1 confeſſores, & virgines, & juſtos quoſque fidei laude præcipuos, atque in Eccleſia glorioſos, contumeliis & maledicis vocibus proſequantur. A quibus quidem non tam noſtrorum modeſtia, & humilitas, & pudor cæditur, quam illorum ipſorum ſpes & vita laceratur. Neque enim qui audit, ſed qui facit convicium, miſer eſt: nec qui à fratre vapulat, ſed qui fratrem cædit, in lege peccator eſt, & cum nocentes innocentibus injuriam faciunt, (b) illi patiuntur injuriam, qui facere ſe credunt. Denique hinc illis (c) percuſſa mens, & hebes animus, & ſenſus alienus eſt. Ira eſt Dei non intelligere delicta, (d) ne ſequatur pœnitentia, ſicut ſcriptum eſt: Et dedit illis Deus 2 ſpiritum tranſpunctionis; ne revertantur ſcilicet, Iſa. 29. 10. & curentur, & deprecationibus & ſatisfactionibus juſtis poſt peccata ſanentur. Paulus 2 Theſ. 2. Apoſtolus in Epiſtola ſua ponit & dicit: (e) 3 Dilectum veritatis non habuerunt ut 10, 11, 12. ſalvi fierent; ac propterea 4 mittet illis Deus operationem erroris ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed ſibi placent in injuſtitia. Primus felicitatis gradus eſt, non delinquere: ſecundus, delicta cognoſcere (f). Illic currit innocentia integra & illibata quæ ſervet, hic ſuccedit medela quæ ſanet: quod utrumque iſti offenſo Deo perdiderunt, & ut amiſſa ſit gratia, quæ de baptiſmi ſanctificatione percipitur, (g) & non ſubveniat pœnitentia, per quam culpa curatur. An putas, frater, levia eſſe adverſus Deum facinora, parva & modica delicta, quod per illos non rogatur majeſtas indignantis Dei? quod non timetur ira & ignis, & dies Domini? quod imminente Antichriſto, exarmatur fides militantis (h) populi, dum tollitur vigor & timor Chriſti? Viderint laici hoc quomodo curent; ſacerdotibus labor (i) major incumbit in aſſerenda, & procuranda Dei majeſtate, ne quid videamur in hac parte negligere; cum admoneat Dominus & dicat: Et nunc præceptum Malac. 2. 1. hoc ad vos eſt, ô ſacerdotes: Si non audieritis, & ſi non poſueritis in corde veſtro ut detis honorem nomini meo, dicit Dominus; immittam in vos maledictionem, & maledicam benedictionem veſtram. Honor ergo datur Deo, quando ſic Dei majeſtas & cenſura contemnitur, ut cum ſe ille indignari & iraſci ſacrificantibus dicat, & cum pœnas æternas & ſupplicia perpetua comminetur: proponatur à ſacrilegis atque dicatur; ne ira cogitetur Dei, ne timeatur judicium Domini, ne pulſetur ad Eccleſiam Chriſti; ſed ſublata pœnitentia, nec ulla exomologeſi criminis facta, deſpectis Epiſcopis atque calcatis, (k) pax à Presbyteris verbis fallacibus prædicetur; & ne lapſi ſurgant, aut foris poſiti ad Eccleſiam redeant, (l) communicatio à non communicantibus offeratur? Quibus etiam ſatis non fuit ab Evangelio receſſiſſe, ſpem lapſis ſatisfactionis & pœnitentiæ ſuſtuliſſe, fraudibus involutos, vel adulteriis commaculatos, vel ſacrificiorum funeſta contagione pollutos, ne Deum rogarent, ne in Eccleſia exomologeſin criminum facerent, ab omni & ſenſu & fructu pœnitentiæ (m) removiſſe; niſi foris ſibi extra Eccleſiam & contra Eccleſiam conſtituiſſent cenventiculum perditæ factionis, cum male ſibi conſciorum & Deum rogare ac ſatisfacere nolentium caterva (n) confluerent.

In ſcelerum Fortunati, & ſatellitum

Poſt iſta adhuc inſuper pſeudoepiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, 5 navigare audent; & ad

(a) Intercedente clauditur, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (b) Illi magis patiuntur injuriam, *Lam. Ebor. NC.* 1. (c) Perverſa mens, *Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2. (d) Ne ſequantur pœnitentiam, *Lin.* (e) Delectum, *Lam. Ebor. Lin. Voſſ.* 2. (f) Tertius delicta diluere, *Vet. Innom.* (g) Et non ſubſit pœnitentia, *Veron.* ſumta ſit, *Benev.* (h) Populi Dei, *Bod.* 3. (i) Major incurrit, *Lin. NC.* 2. (k) Pax à non veris, *Vir.* (l) *Sic*, *Bod.* 1. *Thu.* communicatio non communicantibus, *Imp.* (m) Removiſſe foris ſibi extra Eccleſiam & contra Eccleſiam conſtituiſſe, *Voſſ.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 3. *MS.* (n) Confluere, *Ver.*

1 *Confeſſores & virgines.*] Rigaltius ait, *Hic locus ſatis indicat honorem habitum in Eccleſia tunc temporis, virginitati & continentiæ: etſi non voto ſolennibus verbis aut ritibus concepto, hujuſce propoſiti ſive ſtatus perſonas obligatas fuiſſe conſtet, neque ſub ullius cœnobii diſciplina concluſas. Nam hæc poſt aliquod tempus inventa ſunt & inſtituta.* Abſit ut in Eccleſia Dei ulla ſint tempora, ulli homines, à quibus caſtitati virginali honos non defertur. Sobrii & pii homines id ſaltem agunt, ne per vota temeraria laqueus injiciatur conſcientiis; nec perfectionis ſtatum ſomniantes, qui angelos in eo imitantur quod nec nubant, nec matrimonia contrahant, illos etiam imitentur quod per ſuperbiam cadant.

2 *Spiritum tranſpunctionis.*] Rigaltius ait, *Dixit Paulus ad Rom.* ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ θεὸς πνεῦμα κατανύξεως. *Iſaias dixerat*, πεπότικεν ὑμᾶς κύριος πνεύματι κατανύξεως. *Quod* LXX. κατάνυξιν *interpretantur*, *Aquila vertit*, καταφοράν, *ut ſignificaret eo poculo ebrio in ſtuporem dari, eoque ſtupore conſopitos nutare, ſenſibus oppreſſis, non pungi*; & κατανύειν, *non* κατανύσσειν. *quod rectiſſime obſervavit Grotius Annotationibus in Epiſtolas Pauli.*

3 *Dilectum veritatis.*] Dilectionem, in Textu Græco ἀγάπην ἀληθείας.

4 *Mittet illis Deus operationem erroris.*] Rigaltius ait, Ἐνέργειαν πλάνης. *ut ſunt etiam diabolica miracula, prodigia, portenta. Pauli locus eſt Epiſt.* 11. *ad Theſſal. Theophylactus*, Ἐνέργειαν ϑ πλάνης, τὰ ἔργα φησὶν ἀντιχρίστου. *Ibidem Paulus dixerat*, ἐνέργειαν ϑ Σατανᾶ.

5 *Navigare audent.*] Rigaltius ait, *Nullum non movet in ſchiſmaticos adverſarios ſuos lapidem. Epiſcoporum Africæ Concilio damnati provocaverant. Itaque laudat Eccleſiam Romanam ad quam illi navigaverant cum libello appellationis. Et Petri cathedram eſſe dicit, & Eccleſiam principalem, & ſacerdotalis unitatis originem, Romanorum fidem, Pauli prædicatione ac teſtimonio laudatam. Subinde autem ſchiſmaticis perfidiæ crimen inurit, quo magis faciat inviſos Romanis fide præſtantibus. Nam & hunc ſenſum Paulinis verbis accommodat. Ad eos vero perfidiam acceſſum habere ullum non debere, nec poſſe, ait. Subjicit, appellantes minime eſſe audiendos, cauſa ſemel cognita, dictaque ſententia. Mox & auctoritatem Epiſcoporum in provincia ſua tuetur. Statutum eſſe omnibus Epiſcopis; ſed & æquum eſſe pariter & juſtum, ut cauſa non alibi diſceptetur, quam ubi eſt crimen admiſſum. Singulis paſtoribus Epiſcopis portionem gregis eſſe adſcriptam, quam regat unuſquiſque, actus ſui ſive adminiſtrationis ſuæ rationem redditu-*

An. 252. *ejus cumulum accedit, quod constituto Pseudoepiscopo, ad transmarina judicia provocaverint.*

& ad Petri Cathedram, atque [1] ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare [2] eos esse Romanos (quorum fides, Apostolo prædicante, laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum. Quæ autem causa veniendi & (a) pseudoepiscopum contra Episcopos factum nunciandi? aut enim placet illis quod fecerunt, & in suo scelere perseverant: aut si displicet & recedunt, sciunt quo revertantur. [3] Nam cum (b) statutum sit omnibus nobis, & æquum sit pariter ac justum, ut uniuscujusque causa illic audiatur, ubi est crimen admissum, & singulis pastoribus [4] portio (c) gregis sit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus; oportet utique eos quibus præsumus non circumcursare, nec Episcoporum concordiam cohærentem sua subdola & fallaci temeritate collidere, [5] sed agere illic causam suam, (d) ubi & accusatores habere & testes sui criminis possint; [6] nisi si paucis desperatis & perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui jam de illis Rom. 1. 8.

(a) Pseudoepiscoporum, *Lam. Bod.* 2. (b) Statutum sit ab omnibus nobis, *Voss.* 2. *Lin. Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. 2. (c) Gregis sit commissa, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (d) Ut & accusatores, *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 3. *NC.* 1. *Mich.*

rus, non Romæ, sed in cœlis: non Cornelio, sed Christo. Pulcre igitur & prudenter laudato Cornelio, de prædicata Ecclesiæ principalis auctoritate, sive prærogativa, negat ullas ejus esse partes in causa Novatiani, peracta jam in Africa cognitione damnati. Locus iste unde mirifica exculpunt monarchiæ papalis propugnatores, si contextus ratio & scopus rite perpendatur, longe alio spectare deprehendetur. Ait enim Cyprianus, factiosos istos homines Fortunatum & Felicissimum, licet ipsi inprimis schismatici essent, non in pari noxa Novatianum & illius sequaces adire; sed (pro summa sua impudentia) Cornelium legitimum Ecclesiæ Romanæ Episcopum, & S. Petri successorem adoriri; & ab Ecclesia divisos, non pariter ab ejusdem communione extorres, sed principalem sive matricem Ecclesiam (ubi fidelium corpus versatur, & stolonibus ἀποφυάσι perpetuo à Cypriano opponitur;) cum legitimo pastore unitam, & proinde illam unde unitas sacerdotalis exorta est, sollicitare: minime cogitantes Romanos, neutiquam ab illis degeneres, quorum fides Apostolo prædicante laudata est; ad quos, magnis experimentis, nimirum Novatiani & deinde Fortunati repulsa, constat; perfidiam schismaticam non habere posse accessum.

[1] *Ad Ecclesiam principalem.*] Matricem & Catholicam, hoc est, non schismaticam. Rigaltius ait, *In urbe principali constitutam. Canone* 28. *Concil. Chalced.* τῷ θρόνῳ τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην οἱ πατέρες ἀποδεδώκασι τὰ πρεσβεῖα. *Maxima & antiquissima, & omnibus cognita, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundata & constituta Ecclesia. Ad hanc propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam. Irenæi verba sunt lib.* 3. *adversus hær.* cap. 3. Addit, *hoc est, eos qui sunt undique fideles.* Nimirum ad urbem imperatricem necesse habent negotiorum expediendorum causa confluere, qui sunt undique fideles. Romana Ecclesia ita à D. Petro & Paulo fundata dici debet, ut imperium Macedonicum ab Alexandro censetur; cujus revera initia Philippo patri debentur. Constat enim tempore scriptæ epistolæ ad Romanos, quando in urbem recepta erat Christiana fides, nondum illuc adveniisse D. Paulum: quod etiam de D. Petro similiter locum habere, ex Lactantii libello de mortibus persecutorum, liquido constat.

[2] *Eos esse Romanos (quorum fides Apostolo prædicante laudata est.*] Rigaltius ait, *Hieronymus adversus Ruffinum, Scito Romanam fidem, Apostolica voce laudatam, istiusmodi præstigias non recipere. Sic omnes fere Latini Patres Pauli ad Romanos verba acceperunt, quasi rectior & sincerior fuisset apud Romanos fides: cum hoc tantum dicat Apostolus; Agere se gratias Deo, quod ubique passim fama sit, etiam Romanos, rerum Dominos, fidem Christianam suscepisse. Quod certe ob dignitatem Urbis, quæ totius orbis erat caput & gentium Domina, valde ad fidei Christianæ propagationem conducebat. Ceterum fidem Romanorum Paulo scribente non usquequaque fuisse probabilem, ostendunt ipsa Pauli verba. Quod etiam observavit Ambrosius proœmio Commentarior. In Epistolam ad Rom. & in hæc ipsa quidem Pauli quæ citantur à Cypriano. Fidem Romanorum ait non fuisse tunc secundum regulam traditæ ab auctoribus veritatis. Tamen quia, quod ab uno Deo erat, interposito Christi nomine cœperant venerari, gratulatur illis Apostolus, sciens illos posse proficere. Tum quia fama fidei illorum erat profectus multorum. Tum certe quia qui non crediderant, poterant credere horum exemplo. Facile enim, inquit, facit inferior, quod fieri viderit à potiore. Denique ipse Hieronymus, proœmio libri secundi ad Galatas, non aliam habuisse ait Romanos fidem, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ, sed quod in eis major esset devotio, & simplicitas ad credendum. Ubi alibi tanto studio & frequentia ad Ecclesias & Martyrum sepulcra concurritur? Ubi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur?*

[3] *Nam cum statutum sit omnibus.*] Rigaltius ait, *Vetustissimo canone cavebatur* τοὺς ὑφ' ἑτέρων ἀποβληθέντας, ὑφ' ἑτέρων μὴ προσίεσθαι. *Hanc regulam Patres Nicæni can.* v. *servari volunt illibatam* τοῖς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόποις. *Epistola Concilii Africani ad Cœlestinum P. Presbyterorum quoque & sequentium clericorum improba refugia, sicut te dignum est, repellat sanctitas tua: quia & nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & decreta Nicæna, sive inferioris gradus clericos, sive ipsos Episcopos suis metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim justissimeque viderunt, quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda: nec unicuique provinciæ, gratiam sancti spiritus defuturam.*

[4] *Portio gregis.*] Rigaltius ait, *Cujus gregis à singulis Episcopis in solidum pars & portio tenetur, ut ipse ait libro de Unitate Eccles.*

[5] *Sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere & testes sui criminis possint.*] Illustrissimus Annalista dicit, *Hoc quod citat Cyprianus in Ecclesia esse statutum, ut primæ causæ in propriis cognoscantur Ecclesiis, apud Fabiani Epistolam ad Hilarium scriptam legi in hæc verba: Peregrina vero judicia, salva in omnibus apostoli a auctoritate, generali sanctione prohibemus.* Sed Cyprianus diserte respicit ea quæ non à Papa Romano, sed à Collegis suis in Africa erant statuta; ait enim, *cum statutum sit ab omnibus nobis.* Nec agnovit Papæ exceptionem, cum ad ipsum ne se causis transmarinis immisceret scriberet. Certe minime in animo habuit, istas Fabiani literas, quæ tunc nullæ erant; sed Isidori fuerant figmenta, diu postea à pessimo isto mercatore extrusa. Imo si vel tempore Synodi Carthaginiensis sub Aurelio istiusmodi superfuisset Epistola, Zosimo Papæ non opus fuisset Sardicensem Canonem pro Nicæno ingessisse; nec necesse esset ut Patres Africani legatos in orientem dirigerent, qui consultis authenticis Ecclesiarum patriarchalium exemplaribus, fucum detegerent. Mitto dicere, Eruditissimo de Marca judice, nullam potestatem factam Pontifici Romano per canonem Sardicensem judicia synodorum per appellationem rescindendi; sed tantum eorundem revisionem procurandi, pluribus Episcopis prioribus additis, facultatem concessam. Ethnica Roma se in finitimarum gentium litibus componendis immiscens, & parti ac causæ infirmiori favens, potentiam sibi acquisivit; iisdem artibus Christiana Roma se mundi caput & dominam præstitit.

[6] *Nisi si paucis desperatis & perditis minor videtur esse auctoritas Episcoporum in Africa constitutorum.*] Cypriani seculo non innotuit auctoritas Episcopi Romani super alios omnes Episcopos. Beato illo martyre judice, pro *desperatis & perditis* habendi sunt; *quibus minor videtur auctoritas Episcoporum in Africa*, quam vel Cornelii ipsius, in Petri cathedra Romæ sedentis.

[1] *Fra-*

An. 252. illis judicaverunt, & eorum conſcientiam multis delictorum laqueis vinctam judicii ſui nuper gravitate damnarunt. Jam cauſa eorum cognita eſt : jam de eis dicta ſententia eſt, nec cenſuræ congruit ſacerdotum mobilis atque inconſtantis animi levitate reprehendi, cum Dominus doceat & dicat : Sit ſermo veſter, eſt eſt, non non. Matt. 5. 37. Si eorum, qui de illis priore anno judicaverunt, numerus cum Presbyteris & Diaconis computetur, plures tunc affuerunt judicio & cognitioni, quam ſunt iidem iſti, qui cum Fortunato nunc videntur eſſe conjuncti. Scire enim debes, frater cariſſime, eum poſteaquam pſeudoepiſcopus ab hæreticis factus eſt, jam pene ab omnibus eſſe deſertum. Namque ii, quibus in præteritum præſtigia obtendebantur, & dabantur verba fallacia, quod ſimul ad Eccleſiam regreſſuri dicerentur ; poſteaquam viderunt illic pſeudoepiſcopum factum, fruſtratos & deceptos ſe eſſe didicerunt, & remeant quotidie atque ad Eccleſiam pulſant : nobis tamen, à quibus ratio Domino reddenda eſt, anxie ponderantibus, & ſollicite examinantibus, qui recipi & admitti ad Eccleſiam debeant. Quibuſdam enim ita aut crimina ſua obſiſtunt, (a) aut [1] fratres obſtinate & firmiter renituntur ; ut recipi omnino (b) non poſſint, cum ſcandalo, & periculo plurimorum. Neque enim ſic (c) [2] putamina quædam colligenda ſunt, ut quæ integra & ſana ſunt, vulnerentur ; nec utilis aut conſultus eſt paſtor, qui ita morbidas & contactas oves gregi admiſcet, ut gregem totum mali cohærentis afflictatione (d) contaminet.

Non ſine aſſenſu Plebis, ab Eccleſia profugi denuo admittendi.

O ſi poſſes, frater cariſſime, iſtic intereſſe nobiſcum, cum pravi iſti & (e) perverſi de ſchiſmate revertuntur ; videres quis mihi labor ſit perſuadere patientiam fratribus noſtris, ut animi dolore ſopito recipiendis malis curandiſque conſentiant. Namque ut gaudent & lætantur, cum tolerabiles & minus culpabiles redeunt : ita contra fremunt & reluctantur, quoties inemendabiles, & protervi, & vel adulteriis, vel ſacrificiis contaminati, & poſt hæc adhuc inſuper & ſuperbi, ſic ad Eccleſiam remeant, ut bona intus ingenia corrumpant. Vix plebi perſuadeo, imo extorqueo, ut tales patiantur admitti : & juſtior factus eſt fraternitatis dolor, ex eo quod unus atque alius, (f) obnitente plebe, & contradicente, mea tamen facilitate ſuſcepti, pejores extiterunt, quam prius (g) fuerant, nec fidem pœnitentiæ ſervare potuerunt, quia nec cum vera pœnitentia venerant.

Feliciſſimi & ſatellitum ejus fraudes & flagitia deſcribuntur.

De iſtis vero quid dicam, qui nunc ad te cum Feliciſſimo omnium criminum reo navigaverunt, legati à Fortunato pſeudoepiſcopo miſſi, tam falſas ad te literas afferentes, quam eſt & ipſe, cujus literas ferunt, falſus ; quam (h) eſt ejus peccatorum multiplex conſcientia, quam execrabilis vita, quam turpis, ut etſi in Eccleſia eſſent, ejici tales de Eccleſia debuiſſent ? Denique quia conſcientiam ſuam norunt, nec nos audent adire, aut ad Eccleſiæ limen accedere ; ſed foris per provinciam circumveniendis fratribus, & ſpoliandis pererrant : & omnibus jam ſatis noti, atque undique pro ſuis facinoribus excluſi, illuc etiam ad vos navigant. Neque enim poteſt illis frons eſſe ad nos accedendi, aut apud nos conſiſtendi ; cum ſint acerbiſſima & graviſſima crimina, quæ eis à fratribus ingerantur. Si judicium noſtrum voluerint experiri, veniant. Denique ſi qua illis excuſatio & defenſio poteſt eſſe, videamus quem habeant ſatisfactionis ſuæ ſenſum, quem afferant pœnitentiæ fructum : nec Eccleſia iſtic cuiquam clauditur, nec (i) [3] Epiſcopus alicui denegatur ; patientia & facilitas & humanitas noſtra venientibus præſto eſt. Opto omnes in Eccleſiam regredi, opto univerſos commilitones noſtros intra Chriſti caſtra, & Dei patris domicilia concludi : remitto omnia, multa diſſimulo ſtudio & voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deum commiſſa ſunt, non pleno judicio religionis examino, delictis pluſquam oportet remittendis pene ipſe delinquo : amplector promta & plena dilectione cum pœnitentia revertentes, peccatum ſuum ſatisfactione humili & ſimplici confitentes.

Precibus, non minis, aditus ad Eccleſiam aperiendus.

Si qui autem ſunt, qui putant ſe ad Eccleſiam non precibus, ſed minis regredi poſſe, aut exiſtimant aditum ſe ſibi non lamentationibus, & ſatisfactionibus, ſed terroribus facere ; pro certo habeant, contra tales clauſam ſtare Eccleſiam Domini, nec caſtra Chriſti invicta & fortia, & Domino tuente munita, minis cedere. Sacerdos Dei Evangelium tenens, & Chriſti præcepta cuſtodiens, occidi poteſt, non poteſt vinci. Suggerit & ſubminiſtrat nobis exempla (k) virtutis ac fidei Zacharias antiſtes Dei, qui cum

(a) Aut fratribus ; *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (b) Non poſſunt ; niſi cum ſcandalo, *Lam. Bod.* 1. 2. 3. *Ebor. NC.* 1. (c) Putramina, *Ver.* fragmina, *Lam. Ben. Bod.* 1. 2. 3. *Lin. NC.* 2. (d) Non attendas numerum illorum. Melior eſt enim unus timens, quam mille filii impii, ſicut locutus eſt Dominus per Prophetam dicens : Fili, ne jocunderis in filiis impiis, ſi multiplicentur tibi, cum non fuerit timor Dei in ipſis, *Foſſ.* (e) Subverſi, *Benev.* (f) Obtendente, *Bod.* 3. (g) Fuerunt, qui nec fidem, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (h) Teſtis ejus peccatorum, *Bod.* 2. (i) Epiſcopatus, *Benev. Voſſ.* 2. *Bod.* 3. (k) Virtutis acris Zacharias, *Bod.* 3.

[1] *Fratres obſtinate & firmiter renituntur.*] Qui cum ſcandalo peccant ideo Eccleſia depulſi ſunt ; unde non mirum tales, in ſchiſma lapſos, & Eccleſia extorres ; non poſſe denuo, inemendati cum fuerint, in Eccleſiam recipi, præſertim renitente plebe, quæ ſcandalo illo læſa.

[2] *Putamina.*] Purgamenta ; membra putida & putreſcentia, enſe reſecanda. Fortaſſe legi deberet, *Putramina quædam colliganda ſunt, ut quæ integra & ſana ſunt vulnerentur.* Vulnera enim faſciis ligat Chirurgus, ut ſanari poſſint. Sed infra dicit, *voto colligendæ fraternitatis.*

[3] *Epiſcopus alicui denegatur.*] Facilis acceſſus ad Cyprianum Epiſcopum patet.

An. 252. cum terreri minis & (a) lapidatione non poſſet, in templo Dei occiſus eſt; clamans & identidem dicens: quod nos quoque contra hæreticos clamamus & dicimus: Hæc (b) dicit Dominus: Dereliquiſtis vias Domini, & Dominus (c) relinquet vos. Neque enim, quia pauci temerarii & improbi, (d) cœleſtes & ſalutares vias Domini (e) derelinquunt, & ſancta non agentes à ſancto ſpiritu deſeruntur; ideo & nos divinæ traditionis immemores eſſe debemus, ut majora eſſe furentium ſcelera, quam ſacerdotum judicia cenſeamus; aut exiſtimemus plus ad impugnandum poſſe humana conamina, (f) quam ad protegendum prævalet divina tutela. An ad hoc, frater cariſſime, deponenda eſt Catholicæ Eccleſiæ dignitas, & [1] plebis intus poſitæ fidelis atque incorrupta majeſtas, & ſacerdotalis quoque auctoritas ac poteſtas, ut judicare velle ſe dicant de Eccleſiæ præpoſito extra Eccleſiam (g) conſtituti? de Chriſtiano hæretici? de ſano ſaucii? de integro vulnerati? de ſtante lapſi? de judice rei? de ſacerdote ſacrilegi? Quid ſupereſt quam ut Eccleſia Capitolio cedat, & recedentibus ſacerdotibus, ac (h) Domini altare removentibus, in Cleri noſtri ſacrum venerandumque conſeſſum, ſimulacra atque idola cum aris ſuis tranſeant, & Novatiano declamandi adverſum nos atque increpandi largior & plenior materia præſtetur; ſi ii qui ſacrificaverunt, & Chriſtum publice negaverunt, non tantum rogari, & ſine acta pœnitentia admitti; ſed adhuc inſuper cœperint terroris ſui poteſtate dominari? Si pacem poſtulant, arma deponant: ſi ſatisfaciunt, quid minantur? aut ſi comminantur, ſciant quia à Dei ſacerdotibus non timentur: neque enim & Antichriſtus cum venire cœperit, introibit Eccleſiam quia minatur; aut armis ejus & violentiæ ceditur, quia reſiſtentes peremturum ſe eſſe profitetur. Armant nos hæretici, dum nos putant ſua comminatione terreri nec in (i) faciem nos dejiciunt, ſed magis erigunt & accendunt, dum ipſam pacem perſecutione pejorem fratribus faciunt. Et optamus quidem ne quod loquuntur furore, impleant crimine: (k) ne qui verbis perfidis & crudelibus peccant, factis quoque delinquant.

2 Paral. 24. 21.

Stantes pro Lapſis orare oportet, quamdiu ſpes aliqua ſupereſt de meliori fruge.

Oramus ac deprecamur Deum, quem provocare illi & exacerbare non deſinunt, ut eorum corda miteſcant, ut furore depoſito (l) ad ſanitatem mentis redeant, ut (m) pectora operta delictorum tenebris, pœnitentiæ lumen agnoſcant; & magis petant fundi pro ſe preces atque orationes antiſtitis, quam ipſi fundant ſanguinem ſacerdotis. Si autem in ſuo furore permanſerint, atque in iſtis inſidiis ac minis ſuis parricidalibus crudeliter perſeveraverint, nullus Dei ſacerdos ſic infirmus eſt, ſic jacens & abjectus, ſic imbecillitate humanæ mediocritatis invalidus; qui non contra hoſtes & impugnatores Dei divinitus erigatur, cujus non humilitas & infirmitas, vigore & robore (n) Domini protegentis animetur. Noſtra nihil intereſt, aut à quo, aut (o) quando perimamur, mortis & ſanguinis præmium de Domino recepturi. Illorum flenda & (p) [2] lamentanda conciſio eſt, quos ſic Diabolus excæcat; ut æterna gehennæ ſupplicia non cogitantes, Antichriſti jam propinquantis adventum conentur imitari. Et quanquam ſciam, frater cariſſime, pro mutua dilectione quam (q) debemus, & exhibemus invicem nobis, florentiſſimo illic Clero (r) tecum præſidenti, & ſanctiſſimæ atque ampliſſimæ plebi legere te ſemper literas noſtras; tamen nunc & admoneo & peto, ut quod alias ſponte atque honorifice facis, etiam petente me facias, ut hac Epiſtola mea lecta, ſi quod illic contagium venenati ſermonis & peſtiferæ ſeminationis irrepſerat, id omne de fratrum auribus & pectoribus exuatur, & bonorum integra (s) ac ſincera dilectio ab omnibus hæreticæ detractionis ſordibus repurgetur. Declinent autem de cetero fortiter, & evitent dilectiſſimi fratres noſtri verba & colloquia eorum, quorum ſermo ut cancer ſerpit: ſicut Apoſtolus dicit, Corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimæ. Et iterum: Hæreticum hominem poſt unam correptionem evita, ſciens quia perverſus eſt (t) hujuſmodi, & peccat, & eſt (u) à ſemetipſo damnatus. Et per Solomonem loquitur Spiritus Sanctus: [3] Perverſus, inquit, (x) in ore

2 Tim. 2. 17. 1 Cor. 15. 33. Tit. 3. 10, 11. Prov. 16. 27.

(a) Lapidationibus, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. 3. *Ebor.* (b) *Sic*, *Bod.* 1. 2. 3. *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. dixit, *Impr.* (c) Derelinquet, *Lam. Ebor. Lin.* (d) Cœleſtes theſauros, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (e) Derelinquerunt, *Bod.* 3. (f) *Sic*, *Voſſ.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. quam quod, *Imp.* (g) De Epiſcopo, *Ver.* conſtituti hæretici, *Voſſ.* 2. (h) De altari Domini, *Fab.* (i) *Sic*, *Voſſ.* 2. *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. 2. *Thu. Mic. Vict.* pace, *Imp.* (k) Et qui verbis perfidis, *Lam. Bod.* 2. (l) Ad ſanitatem mentes *Ver.* (m) Pectora obſeſſa, *Bod.* 3. *Lin. Benev.* ut peccatorum & delictorum, *Fab.* ut pectora à delictorum tenebris ſoluta, *Bod.* 1. (n) Domino protegente, *Bod.* 3. *Voſſ.* 2. (o) Quando pereamus, *Pam. Bod.* 1. (p) *Sic*, *Lam. Bod.* 1. *Voſſ.* 2. lamentanda conſenſio, *Lin. NC.* 2. conditio, *Thu. Corb.* flenda potius & lamentanda, *Benev.* (q) Habemus, *Ver.* (r) Tecum præſenti, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (s) Sincera dilectione *Lam. Bod.* 2. (t) Hujuſmodi, cum ſciens peccat, *NC.* 2. (u) Per ſemetipſum, *Benev.* (x) In ore ſuo portat perverſa, perditionis ſuæ ignem condens, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. *Mic. Vict.* in ore ſuo portat verbum perditionis ſuæ, *Fab.*

[1] *Plebis majeſtas.*] Rigaltius ait, *Quam reveretur plebis integræ & intaminatæ ſacerdotium fideliter cuſtoditum! baptiſma illæſum & incorruptum, non ſacrificio aut libello pollutum! Majeſtatis vocabulum, quod ſibi proprium fecerat populus olim tantum Romanus, convenientiſſime Cyprianus, in reipublicæ Chriſtianæ diſciplina, tranſtulit ad plebem Romanam Chriſtianam.*

[2] *Lamentanda conciſio.*] κατατομή. Phil. 3. 2. Qui in hoc conſpirant, ut Eccleſiam diſcerpant.

[3] *Perverſus, inquit.*] LXX. legit Ανὴρ ἄφρων ὀρύσσει ἑαυτῷ κακῷ, ἐπὶ δὲ τῶν ἑαυτοῦ χειλέων ἠσπαγεύζει πῦρ.

[1] Sepi

An. 252. ore ſuo portat perditionem, & in labiis ſuis ignem condit. Item denuo monet dicens: [1] Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam. Et iterum: Malus obaudit linguæ iniquorum, juſtus autem non intendit labiis mendacibus. Quod, quanquam ſciam illic fraternitatem noſtram, veſtra ſcilicet (a) providentia monitam, ſed & ſua vigilantia ſatis cautam, nec capi hæreticorum venenis poſſe, nec decipi; tantumque apud illos prævalere magiſteria & præcepta divina, quantus illis in Deum timor eſt; tamen ex abundanti, vel ſollicitudo noſtra, vel caritas ſcribere ad vos iſta perſuaſit, ut nulla cum talibus commercia copulentur, nulla cum malis convivia vel colloquia miſceantur, ſimuſque ab eis tam ſeparati, quam (b) ſunt illi de Eccleſia profugi, quia ſcriptum eſt; Si autem & Eccleſiam contemſerit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus: & beatus (c) Apoſtolus non monet tantum, ſed & jubet à talibus ut recedatur. Præcipimus, inquit, vobis in nomine Domini Jeſu Chriſti, ut recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis. Nulla ſocietas fidei & perfidiæ poteſt eſſe: qui cum Chriſto (d) non eſt, qui adverſarius Chriſti eſt, qui unitati & paci ejus inimicus eſt, nobiſcum non poteſt cohærere. Si cum precibus & ſatisfactionibus veniunt, audiantur: Si maledicta & minas ingerunt, reſpuantur. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere.

Eccleſ. 28. 28. Prov. 17. 4. Mat. 18. 17. 2 Theſ. 3. 6.

(a) Providentia munitam, *Pem. Bod.* 1. *Voſſ.* 2. *NC.* 2. *Lin. Thu. Foſſ.* (b) Sunt iſti ab Eccleſia profugi, *Ver. Ben.* (c) Apoſtolus Paulus, *Lam. Ebor. NC.* 1. (d) Non eſt, adverſarius Chriſti eſt, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *Lin. NC.* 1.

1 *Sepi aures tuas ſpinis.*] LXX. habet περίφραξον τὸ κτῆμά σου ἀκηνθαις, τὸ ἡγωγεῖόν σου καὶ τὸ χρυσίον σου κατάδησον. Sed aliqui codices in extrema verſus parte cum Cypriani lectione conſentiunt, & ſubjiciunt, καὶ τῷ στόματί σου ζυγὰ μὴ χαλάσῃς. Sed locus totus vulgatam ſequitur.

EPISTOLA LX.

Cyprianus Cornelio fratri, Salutem.

Ad Pamelii num. LVII. Ad Eraſm. l. 1. Ep. 1. Epiſtola eſt gratulatoria Cornelio, ob exilium Chriſti nomine ſuſceptum.

Scripta poſt reditum.

COGNOVIMUS, frater cariſſime, fidei ac virtutis veſtræ teſtimonia glorioſa; & confeſſionis veſtræ honorem ſic exultanter accepimus, ut in meritis ac laudibus veſtris nos quoque participes & ſocios computemus. Nam cum nobis & Eccleſia una ſit & mens juncta, & individua concordia, (a) [1] quis non ſacerdos in conſacerdotis ſui laudibus, tanquam in ſuis propriis gratuletur? aut quæ fraternitas non in fratrum gaudio ubique lætetur? Exprimi ſatis non poteſt, quanta iſtic exultatio fuerit, & quanta lætitia, cum de vobis proſpera & fortia compertiſſemus: ducem te illic confeſſionis fratribus extitiſſe, ſed & confeſſionem ducis (b) de fratrum confeſſione creviſſe; ut dum præcedis ad gloriam, multos feceris gloriæ comites, & confeſſorem populum ſuaſeris fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri: ut non inveniamus quid prius prædicare in vobis debeamus, utrumne tuam promtam & ſtabilem fidem, an inſeparabilem fratrum caritatem. Virtus illic Epiſcopi præcedentis publice comprobata eſt, adunatio ſequentis fraternitatis oſtenſa eſt. [2] Dum apud vos unus animus & una vox eſt, Eccleſia omnis Romana confeſſa eſt. (c) [3] Claruit, fratres cariſſimi, fides, quam de vobis beatus Apoſtolus prædicavit. Hanc laudem virtutis, & roboris firmitatem jam tunc in ſpiritu prævidebat, & præconio futurorum merita veſtra

(a) Quis non in, *Pem. Voſſ.* 2. (b) Et fratrum confeſſione creviſſe, *Lam. Bod.* 2. conſenſione, *Thu. Foſſ. Vict.* (c) Claruit, frater cariſſime, *Lam. Lin. NC.* 1. 2.

1 *Quis non ſacerdos in conſacerdotis ſui laudibus.*] Rigaltius ait, *Hoc Cyprianus ad Cornelium: ſacerdos Carthaginis ad ſacerdotem Romanum. Dicimuſne, æmulam adhuc fuiſſe Romæ Carthaginem? An Carthaginem hic agere ut alteram Romam? An ex diſciplina Chriſti, pro fraterna concordia, Carthaginis ſacerdotem ſive Epiſcopum, appellare conſacerdotem ſuum Cornelium Romæ Epiſcopum?*

2 *Dum apud vos unus animus & una vox eſt.*] Rigaltius ait, *Minime igitur vana eſt illa Cleri Romani exultatio. Eccleſia iſta fortis in fide. Nam & hoc Cypriani teſtimonio confirmatur.*

3 *Claruit fides, quam de vobis beatus Apoſtolus prædicavit.*] Rigaltius ait, *Jam obſervavimus Apoſtolum non prædicaſſe fidem Romanorum, ſed gratulatum eſſe Romanis, quod fama per totum orbem ſpargeretur, etiam Romæ eſſe Chriſtianos, ſupra Ep.* XXX. *&* LIV. *Sic tamen acceperunt plerique Patres antiqui, quaſi dixerit Paulus, etiam fuiſſe jam ævo ſuo Romanorum fidem, ut ceteris gentibus præiret exemplo. Quid igitur? inquit Chryſoſtomus; Omnis terra fidem exaudiit Romanorum? Omnis exinde? Nec incredibile eſt quidem. Non enim ignobilis ea civitas, ſed tanquam in vertice poſita, ubique conſpicua fuit. Et paulo poſt, duplicem eſſe ait Pauli laudationem, & quod in Chriſtum crediderunt Romani,* καὶ ὅτι μὴ παῤῥησίας ἐτύγχανον. *Hoc ſibi volunt iſta Cypriani, quæ ſtatim ſequuntur: Hanc laudem virtutis & roboris firmitatem jam tunc in ſpiritu prævidebat: Apoſtolus ſcilicet.*

1 *Quic-*

An. 252. ſtra conteſtans, dum parentes laudat, (a) filios provocabat. Dum ſic unanimes, (b) dum fortes eſtis, magna ceteris fratribus unanimitatis & fortitudinis exempla tribuiſtis. Docuiſtis granditer Deum timere, Chriſto firmiter adhærere; plebem ſacerdotibus in periculo jungi; in perſecutione fratres à fratribus non ſeparari; concordiam ſimul junctam vinci omnino non poſſe; [1] quicquid ſimul petitur à cunctis, Deum pacis pacificis exhibere. Proſilierat adverſarius terrore violento Chriſti caſtra turbare: ſed quo impetu venerat, (c) eodem impetu pulſus eſt; & quantum formidinis & terroris attulit, tantum fortitudinis invenit & roboris. Supplantare ſe iterum poſſe crediderat Dei ſervos; (d) & velut tyrones, & rudes, quaſi minus paratos, & minus cautos, ſolito ſuo more concutere. (e) Unum primo aggreſſus, ut lupus ovem ſecernere à grege, ut accipiter columbam ab agmine volantium (f) ſeparare tentaverat; nam cui non eſt adverſus omnes ſatis virium, circumvenire quærit ſolitudinem ſingulorum. Sed retuſus adunati exercitus fide pariter & vigore, intellexit milites Chriſti vigilare jam ſobrios, & armatos ad prælium ſtare; vinci non poſſe, mori poſſe: & hoc ipſo invictos eſſe, quia mori non timent; nec repugnare contra impugnantes, cum occidere (g) innocentibus nec nocentem liceat; ſed promte & animas & ſanguinem tradere; ut cum tanta in ſeculo malitia & ſævitia graſſetur, à malis & ſævis velocius recedatur. Quale illud fuit ſub oculis Dei ſpectaculum glorioſum? quale in conſpectu Chriſti, (h) Eccleſiæ ſuæ gaudium, ad pugnam, quam tentaverat hoſtis inferre, non ſingulos milites, ſed tota ſimul caſtra prodiſſe? omnes enim conſtat venturos fuiſſe, ſi audire potuiſſent, (i) quando accurrerit properanter, & venerit quiſquis audivit. Quot illic lapſi, glorioſa confeſſione ſunt reſtituti? Steterunt fortes, [2] & ipſo dolore pœnitentiæ facti ad prælium fortiores; ut appareat nuper [3] ſubitatos eſſe, & novæ atque inſuetæ rei pavore trepidaſſe; rediiſſe ad ſe poſtmodum, fidem veram, & vires ſuas de Dei timore collectas, ad omnem patientiam conſtanter & firmiter roboraſſe, nec jam [4] ſtare ad criminis veniam, ſed ad paſſionis coronam.

Novatianus Orthodoxis perſecutione vexatis, intactus relinquitur.

[5] Quid ad hæc Novatianus? frater cariſſime, utrumne jam deponit errorem? an vero (qui dementium mos eſt) ipſis bonis & proſperis noſtris (k) plus adactus eſt ad furorem? & quo magis ac magis dilectionis ac fidei creſcit hic gloria, illic diſſenſionis & zeli recrudeſcit inſania: nec vulnus ſuum miſer curat, ſed adhuc gravius & ſe, & ſuos vulnerat? in perniciem fratrum lingua ſua perſtrepens, & facundiæ venenatæ jacula contorquens, (l) magis durus ſecularis philoſophiæ pravitate, quam (m) [6] philoſophiæ dominicæ lenitate pacificus; deſertor Eccleſiæ, miſericordiæ hoſtis, (n) interfector pœnitentiæ, doctor ſuperbiæ, veritatis corruptor, (o) perditor caritatis? (p) Agnoſcit ne jam qui ſit ſacerdos Dei? quæ ſit Eccleſia & domus Chriſti? qui ſint Dei ſervi, quos diabolus infeſtet? qui ſint Chriſtiani, quos Antichriſtus impugnet? Neque enim quærit illos, quos jam ſubegit, aut geſtit evertere, quos jam ſuos fecit. Inimicus & hoſtis Eccleſiæ (q) quos alienavit ab Eccleſia & foras duxit, ut captivos & (r) vinctos contemnit, & præterit: eos pergit laceſſere, in quibus Chriſtum cernit habitare. Quanquam & ſi aliquis ex talibus fuerit apprehenſus, non eſt quod ſibi quaſi in (s) confeſſionis nominis blandiatur, cum conſtet,

(a) Filios provocat, *Vindel. Foſſ. Corb.* (b) Dum ſic fortes, *Foſſ. Mic. Vict.* (c) Eodem turbatus & pulſus, *Bod.* 3. Impetu repulſus, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (d) Et quaſi minus paratos, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (e) Nam primo aggreſſu, *Bod.* 3. (f) Superare tentaverat, *Bod.* 3. (g) Innocenti, *Lam. Bod.* 2. (h) Et ejus Eccleſiæ gaudium ſummum, *Corb. Bod.* 3. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. Chriſti & Eccleſiæ ſuæ, *Foſſ. Mic.* (i) *Sic Foſſ. Corb. Mic. Vict.* quando cucurrit, *Bod.* 3. occurrerit, *Imp.* (k) Latius adauctus, *NC.* 1. *Bod.* 2. *Ebor.* (l) Magiſter durus, *Lin.* (m) Sophiæ dominicæ, *Ver. Benev. Manut.* (n) Interceptor pœnitentiæ, *Lin.* (o) Proditor caritatis, *Lin.* perditor caſtitatis, *NC.* 1. *Pem. Lam. Bod.* 2. (p) Agnoſcis ne, *Bod.* 3. (q) Quos abalienavit, *Lam. Bod.* 2. (r) Victos, *Thu. Foſſ. Vict.* (s) Confeſſionis nomine, *Lin. NC.* 2.

1 *Quicquid ſimul petitur à cunctis.*] Rigaltius ait, *Quaſi manu facta; quod in eandem ſententiam dixerat Tertullianus in Apolog. Coimus ad Deum, quaſi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata eſt.*

2 *Et ipſo dolore pœnitentiæ facti ad prælium fortiores.*] Rigaltius ait, *Dolorem pœnitentiæ dicit, acerrimum pudorem, quo ſolebant affici boni pœnitentes, id ſe commiſiſſe propter quod pœnitentia indigerent, quo dolore, velut irritati, ad Martyria ferebantur acriores. Sic Epiſtola præcedenti, Lapſos dolor ad prælium provocet.*

3 *Subitatos eſſe.*] Voce hac ſæpius utitur Cyprianus.

4 *Stare ad criminis veniam.*] Videl. quæ dicta in lib. de Lap.

5 *Quid ad hæc Novatianus.*] Rigaltius ait, *Inſultat Novatiano, quaſi dicat, fruſtra illum calumnias ſpargere de tali viro, qui tam conſtanter Chriſtum confeſſus ſit.* De hac re etiam agit in Epiſtola ſequente. Illic oſtenditur Novatianum immerito à ſuis pro martyre habitum.

6 *Philoſophiæ Dominicæ lenitate.*] Rigaltius ait, *Opponit Cyprianus Sophiam dominicam Philoſophiæ ſeculari. Hæc tam incerti falſique mater, quam illa fons & origo veri rectique. Hæc ſuos etiam Sophos habuit: ſed inter eos qui nobiliſſimus extitit, invidiam vocabuli, profeſſione contraria, damnavit. Ceteris adumbrata modeſtia Philoſophiæ nomen placuit, verum, nec iſtis unquam amica ſua potiri contigit. Illa igitur Sophia, Chriſtus, nominis ſui cultores habuit Chriſtianos, qui Domini ſui præcepta ſummo ſtudio ſervantes, veram Sophiam, hoc eſt, ſummæ felicitatis & gloriæ profeſſionem, conſequuntur.*

1 *Provi-*

An. 252. ſtet, ſi occiſi ejuſmodi extra Eccleſiam fuerint, fidei coronam non eſſe, ſed pœnam potius eſſe perfidiæ; nec in domo Dei inter unanimes habitaturos eſſe, quos videmus de pacifica & divina domo, furore diſcordiæ, receſſiſſe. Hortamur plane quantum poſſumus, frater cariſſime, pro caritate mutua, qua nobis invicem cohæremus, ut (quoniam [1] providentia Domini monentis inſtruimur, & divinæ miſericordiæ conſiliis ſalubribus admonemur, (a) appropinquare jam certaminis & agonis noſtri diem) jejuniis, vigiliis, orationibus inſiſtere cum omni plebe non deſinamus. Incumbamus gemitibus aſſiduis, & deprecationibus crebris: hæc ſunt enim nobis arma cœleſtia, quæ ſtare & perſeverare fortiter faciunt. Hæc ſunt munimenta ſpiritalia, & tela divina, quæ protegunt. Memores noſtri invicem ſimus, concordes atque unanimes, [2] utrobique pro nobis ſemper oremus, preſſuras & anguſtias mutua caritate relevemus. [b] Et quis iſtinc noſtrum prior divinæ dignationis celeritate præceſſerit, [3] perſeveret apud Dominum noſtra dilectio, pro fratribus & ſororibus noſtris apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere.

(a) Appropinquante jam certaminis & agonis noſtri, die *Bod.* 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. *Mic.* (b) Et ſi quis, *Pem. Ebor. Lam. Lin. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. 3. ſi quis hinc, *Foſſ.*

1 *Providentia Domini monentis inſtruimur.*] Rigaltius ait, *Noctes habet Cyprianus haud cæcas. Sæpiſſime videt in ſomnis monſtrantem ſibi Dominum, & oſtendentem quæ revelaret, quoties occaſio poſceret.*

2 *Utrobique pro nobis ſemper oremus.*] Rigaltius ait, *Reciproca dilectione: mutua caritate.*

3 *Perſeveret apud Dominum noſtra dilectio.*] Rigaltius ait, *Patet, inquit Pamelius, ex hoc loco Cyprianum ſenſiſſe & credidiſſe ſanctos etiam defunctos pro vivis orare. Ego quidem hanc diſciplinam Chriſtiano digniſſimam eſſe arbitror. Sed ambiguum mihi videtur, an hoc ſentiat Cyprianus: niſi dicamus hæc illius verba, ſi quis iſtinc noſtrum prior divinæ dignationis celeritate præceſſerit, non eſſe accipienda de eo qui per Martyrii coronam præceſſerit, quis enim orandum eſſe dicet pro martyre, cujus ſanguis tota paradiſi clavis eſt? ſed de eo qui communi mortalitatis exitu diem certaminis anteverterit. Pro eo certe perſeveret apud Dominum dilectio noſtra. At ſi viciſſim oremus, ut perſeveret illi apud Dominum dilectio noſtri, quæ ratio rogandi hortandive beatum jam & felicem, ut in dilectione fratrum ſuorum perſeveret? cum abſque iſta dilectione, abſque illa ſcilicet caritate, æterna vita plane eſſet indignus. Neque dici debeat ſanctus, qui erga fratres ſuos caritatem amiſerit. Profecto pius & fidelis eſt ſermo, eorum qui jam exuti mortalitate facti ſunt Chriſti cohæredes, & eorum qui ſuperſtites adhuc in terris ejuſdem Chriſti cohæredes futuri ſunt, unam eſſe Eccleſiam; uno Spiritu ſancto tam probe junctam, ut nec morte corporis divellatur. Orant illi Deum pro nobis, & nos Deum laudamus pro illis. Et ſic utrobique pro nobis ſemper oramus.* Senſus videtur eſſe, Alterutro ex nobis obeunte, ſive ego qui Carthagini præſum, ſive tu qui Romæ præſides ſuperſtes fuerit; ejus, cui in vivis diutius eſſe contigerit, pro utraque Eccleſia perſeveret & ſuperſit apud Deum oratio. Interim minime dubitamus, Animas cœlo receptas precibus Deum opt. max. ſollicitare ut in terris agentium miſereatur: ſed non inde conficitur, preces ad Sanctos fundi debere. Deos, qui rogat, ille facit.

EPIS-

An. 252.

EPISTOLA LXI.

Cyprianus cum Collegis Lucio fratri, Salutem.

Ad Pamelium num. Epiſt. LVIII. Ad Eraſm. l. 3. Ep. 3. Gratulatur Lucio Papæ Romano, de confeſſione, & reditu ab exilio.

Scripta poſt reditum, tempore Lucii.

ET nuper quidem tibi, frater cariſſime, gratulati ſumus, cum te honore geminato in Eccleſiæ ſuæ adminiſtratione Confeſſorem pariter & Sacerdotem conſtituit divina dignatio; ſed & nunc non minus tibi & comitibus tuis atque univerſæ fraternitati gratulamur, quod cum eadem gloria & laudibus veſtris reduces (a) vos denuo ad ſuos fecerit benigna Domini & larga protectio: ut paſcendo gregi paſtor, & gubernandæ navi gubernator, & plebi regendæ rector redderetur; & appareret relegationem veſtram ſic divinitus eſſe diſpoſitam, non ut Epiſcopus relegatus & pulſus Eccleſiæ deeſſet, ſed ut ad Eccleſiam major rediret. Neque enim in tribus pueris minor fuit martyrii dignitas, quia morte fruſtrata de camino ignis incolumes exierunt; aut non conſummatus Daniel extitit in ſuis laudibus, quia qui leonibus miſſus fuerat ad prædam, protectus à Domino vixit ad (b) gloriam. In Confeſſoribus Chriſti dilata martyria non meritum confeſſionis minuunt, ſed magnalia divinæ protectionis oſtendunt. Repræſentatum videmus in vobis, quod apud Regem fortes atque illuſtres pueri prædicaverunt: Ipſos quidem paratos eſſe ardere flammis, ne diis ejus ſervirent, aut imaginem quam fecerat adorarent; Deum tamen quem colebant, quemque & nos colimus, potentem eſſe ut eos de camino ignis eximeret, & de Regis manibus ac de pœnis præſentibus liberaret. Quod invenimus in confeſſionis veſtræ fide, & in Domini circa vos protectione nunc geſtum; ut cum vos parati fueritis & (c) promti omne ſubire ſupplicium, Dominus tamen vos pœnæ ſubtraheret, & Eccleſiæ reſervaret. Regredientibus vobis breviata non eſt in Epiſcopo confeſſionis ſuæ dignitas, ſed magis crevit ſacerdotalis auctoritas; ut altari Dei aſſiſtat antiſtes, qui ad confeſſionis arma ſumenda & facienda martyria, non verbis plebem, ſed factis cohortetur; & [1] imminente Antichriſto paret ad (d) prælium milites (e) non ſolum ſermonis & vocis incitamento, ſed fidei & virtutis exemplo. Intelligimus, frater cariſſime, (f) & tota cordis noſtri luce perſpicimus divinæ majeſtatis ſalutaria & ſancta conſilia; unde illic (g) [2] repentina perſecutio nuper (h) exorta ſit, unde contra Eccleſiam Chriſti & Epiſcopum Cornelium beatum (i) Martyrem, voſque omnes ſecularis poteſtas ſubito proruperit: ut ad confundendos hæreticos & retundendos oſtenderet Dominus, quæ eſſet Eccleſia, [3] quis Epiſcopus ejus unus, divina ordinatione delectus; (k) qui cum Epiſcopo Presbyteri ſacerdotali honore conjuncti; quis adunatus & verus Chriſti populus Dominici gregis caritate connexus: qui eſſent, quos inimicus (l) laceſſeret, qui contra, quibus [4] diabolus ut ſuis parceret. Neque enim perſequitur & impugnat Chriſti adverſarius, niſi caſtra & milites Chriſti: hæreticos proſtratos (m) ſemel & ipſos & ſuos factos contemnit, & præterit: eos quærit dejicere, quos videt ſtare. Atque utinam nunc facultas daretur, frater cariſſime, ut intereſſe

(a) Vos denuo fecit, *Voſſ.* 2. (b) Gloriam. Confeſſoribus Chriſti, *Lam. Ebor. NC.* 1. (c) Promti omnes, *Bod.* 2. (d) Prælium milites Chriſti, *Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (e) Non ſolo ſermonis, *Bod.* 1. (f) Et certa cordis, *Pem.* (g) Repentina tempeſtas, *NC.* 2. (h) Exorta fuit, *Pem.* (i) Martyrem in quem omnis, *NC.* 2. reliquoſque, omnis, *Bod.* 1. (k) Qui cum Epiſcopis & Presbyteris, *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. (l) Laceſſeret qui contra, *Bod.* 1, 2. contra quibus, *Pem. Voſſ.* 2. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2. (m) Semel ſuos factos, *Pem. Ebor. Lam. Voſſ.* 2. *Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1, 2.

1 *Imminente Antichriſto.*] Rigaltius ait, *Perſecutione.* Tertulliano in Apocal. c. 32. deſcribente, hic ſtatus rerum dicitur *vis maxima univerſo orbi imminens, Clauſula ſeculi quæ acerbitates horrendas comminatur.*

2 *Repentina perſecutio.*] Sub Gallo & Voluſiano, qui ut numinum iram lenirent, & peſtem per imperium graſſantem averterent, ſiquidem ſuperſtitione nihil inconſultius, nihil crudelius; Chriſtianos vexabant.

3 *Quis Epiſcopus ejus unus.*] Rigaltius ait, *In unaquaque univerſalis Eccleſiæ portione, hoc eſt in unoquoque Epiſcopatu, unus Epiſcopus.*

4 *Diabolus ut ſuis parceret.*] Decuiſſet Novatianum & ejus ſequaces ad Martyria ſubeunda fuiſſe promtiſſimos, qui ab Eccleſiæ communione eo nomine receſſerunt, quia illa cum lapſis communicaret: & exinde Orthodoxos appellabant, Paciano teſte, *Apoſtaticos*, *Capitolinos*, & *Synedrios.* Dicit quidem Socrates quod Novatianus, ἐπὶ ἀλεξιανῆ δ βασιλέως διωγμὸν κ) χριστιανῶν κινήσαντος ἐμαρτύρησεν. Hiſt. lib. 4. c. 28. & libellus circumferebatur cui titulus erat *Martyrium Novatiani*, quem confutavit Eulogius Epiſcopus Alexandrinus, lib. ſexto contra Novatianos; cujus excerpta habentur in Photii Bibliotheca. Narratio iſta dicit Novatianum, Martyrem ſive Confeſſorem fuiſſe, antequam ad Epiſcopatum promoveretur; quod quidem apertiſſime falſum. Certe Pacianus diſertiſſimis verbis ait, quod *Novatianus nunquam Martyrium tulit.* Addit porro, *ideo ab Eccleſia receſſerat, ne illum labor confeſſionis urgeret.* Nec puduit illum, teſte Cypriano, affirmare ingruente perſecutione, quod ad philoſophiam redire vellet, potius quam capitis periculum adire.

1 *Vix*

An. 252. tereſſe illic (a) vobis regredientibus poſſemus, qui vos mutua caritate diligimus, ut adventus veſtri lætiſſimum fructum præſentes cum ceteris ipſi quoque caperemus. Quæ illic exultatio omnium fratrum? qui concurſus atque complexus (b) occurrentium ſingulorum? (c) [1] Vix oſculis adhærentium poteſt ſatisfieri, vix vultus ipſi atque oculi plebis poſſunt videndo ſatiari. De adventus veſtri gaudio cognoſcere illic fraternitas cœpit, qualis & quanta ſit ſecutura Chriſto veniente lætitia: [2] cujus quia cito appropinquabit adventus, imago jam quædam præceſſit in vobis, ut quo modo Joannes præcurſor ejus & prævius veniens, prædicavit Chriſtum veniſſe; ſic nunc Epiſcopo Confeſſore Domini & ſacerdote redeunte, appareat & Dominum jam redire. Vicarias vero pro nobis (d) ego & Collegæ & fraternitas omnis has ad vos literas mittimus, frater cariſſime, & repræſentantes vobis per Epiſtolam (e) gaudium noſtrum, fida obſequia caritatis expromimus; hic quoque in ſacrificiis atque in orationibus noſtris non ceſſantes Deo Patri, & Chriſto filio ejus Domino noſtro gratias agere, & orare pariter ac petere, ut qui perfectus eſt atque perficiens, cuſtodiat & perficiat in vobis confeſſionis veſtræ glorioſam coronam: qui & ad hoc vos fortaſſe revocavit, ne gloria eſſet occulta, ſi foris eſſent confeſſionis veſtræ conſummata Martyria. Nam victima quæ fraternitati præbet exemplum virtutis & fidei, [3] præſentibus debet fratribus immolari. Optamus te, frater cariſſime, ſemper bene valere.

(*a*) Vobiſcum regredientibus, *Lin. NC.* 2. (*b*) Occurſantium ſingulorum, *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2. (*c*) *Sic Bod.* 1. Oculis, *Imp. NC.* 2. (*d*) Et ego &, *Bod.* 2. (*e*) Gaudium noſtrum, noſtræ fidei, *Lam.*

[1] *Vix oſculis adhærentium.*] Poſt mentionem *complexus*, rectiſſime *oſcula* memorantur; præſertim in congreſſu Chriſtianorum. Porro ad lectionem hanc firmandam accedit, quod hic ſtatim ſequatur, *oculos plebis vix poſſe videndo ſatiari.*

[2] *Cujus quia cito appropinquabit adventus.*] Rigaltius ait, *Chriſti ſcilicet, qui tanquam agonothetes præſidebit certamini Martyrum certantium adverſus Antichriſti vexationes proxima perſecutione. Tertul. ad Martyras: Bonum agonem ſubituri eſtis, in quo agonothetes Deus vivus eſt: Xyſtarches Spiritus Sanctus: corona æternitas.*

[3] *Præſentibus debet fratribus immolari.*] Rigaltius ait, *Quod præſtitit ipſe Cyprianus, ut in ejus paſſione Pontius demonſtrat.*

An. 253.

EPISTOLA LXII.

Cyprianus Januario, Maximo, Proculo, Victori, Modiano, Nemesiano, Nampulo, & Honorato fratribus, Salutem.

Ad Pamelii numeros Ep. LX. In Erasmi Edit. deest. In Manut. Edit. l. 5. Ep. 8. Episcopis Numidis respondetur, qui de captivitate fratrum apud barbaros eum certiorem fecerunt.

Scripta post reditum.

1 CUM maximo animi nostri gemitu, & non sine lacrymis legimus literas vestras, fratres carissimi, quas ad nos pro dilectionis vestræ sollicitudine, de fratrum nostrorum & sororum captivitate fecistis. Quis enim non doleat in ejusmodi casibus? aut quis non dolorem fratris sui suum proprium computet? cum loquatur Apostolus Paulus, & dicat: Si patitur unum membrum, compatiuntur & cetera membra; si lætatur membrum unum, collætantur & cetera membra. Et alio loco: Quis infirmatur, inquit, & non ego infirmor? Quare nunc & nobis captivitas fratrum nostra captivitas computanda est: & periclitantium dolor pro nostro dolore numerandus est: cum sit scilicet ad Unationis nostræ corpus unum, & non tantum dilectio, sed & religio instigare nos debeat, & confortare ad fratrum membra redimenda. Nam cum denuo Apostolus Paulus dicat: Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? etiam si caritas non minus adigeret ad opem fratribus ferendam; considerandum tamen hoc in loco fuit, Dei templa esse, quæ capta sunt; nec pati nos longa cessatione, & neglecto dolore debere; ut diu Dei templa captiva sint; sed quibus possumus viribus elaborare, & velociter gerere, ut Christum judicem, & Dominum & Deum nostrum promereamur obsequiis nostris. Nam cum dicat Paulus Apostolus: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis; in captivis fratribus nostris contemplandus est Christus, & redimendus de periculo captivitatis, qui nos redimit de periculo mortis: ut qui nos [2] de diaboli faucibus exuit, nunc ipse, qui manet & habitat in nobis, de Barbarorum manibus exuatur; & redimatur nummaria quantitate, qui nos cruce redemit, & sanguine: qui iccirco hæc fieri interim patitur, ut fides nostra tentetur, an faciat unusquisque pro altero, quod pro se fieri vellet, si apud Barbaros teneretur ipse captivus. Quis enim non humanitatis memor, & mutuæ dilectionis admonitus, si pater est, illic esse nunc filios suos computet? si maritus est, uxorem suam illic captivam teneri cum dolore pariter ac pudore vinculi maritalis existimet?

1 Cor. 12. 26.

2 Cor. 11. 29.

1 Cor. 3. 16.

Galat. 3. 27.

Virginum ex captivitate barbarica periculum gravissimum, ne pudoris jacturam faciant. Subsidia nummaria largiter confert Cyprianus, una cum fratribus.

Quantus vero communis omnibus nobis mœror est, & cruciatus de periculo virginum, quæ illic tenentur; pro quibus non tantum libertatis, sed & pudoris jactura plangenda est; nec tam vincula barbarorum, quam lenonum, & lupanarium stupra deflenda sunt; ne [3] membra Christo dicata, & in æternum continentiæ honore pudica virtute devota, insultantium libidine, & contagione fœdentur?

Quæ omnia istic secundum literas vestras fraternitas nostra cogitans, & dolenter examinans, promte omnes & libenter ac largiter subsidia nummaria fratribus contulerunt; semper quidem secundum fidei suæ firmitatem ad opus Dei proni, nunc tamen magis ad opera salutaria contemplatione tanti doloris accensi. Nam cum Dominus in Evangelio suo dicat; Infirmus fui, & visitastis me: quanto nunc quoque cum majore operis nostri mercede dicturus est: [4] Captivus fui, & redemistis me? Et cum denuo dicat: In carcere fui, & venistis ad me; quanto plus est cum cœperit dicere: In carcere captivitatis fui, & clausus, & vinctus apud Barbaros jacui; & de carcere illo servitutis liberastis me, cum judicii dies venerit præmium de Domino recepturi? Denique maximas vobis gratias agimus, quod nos vestræ sollicitudinis, & tam bonæ ac necessariæ operationis participes esse voluistis: ut offerretis nobis agros uberes, in quibus spei nostræ semina mitteremus, expectaturi messem de ampliſſimis fructibus qui de

Mat. 25. 36.

1 *Cum maximo animi nostri gemitu.*] Epistola hæc, quam genuinam esse minime dubitamus, in exemplaribus MSS. rariſſime occurrit; neque enim in omnibus istis quorum copia mihi facta est, unicum vidi quod eam complecteretur. Alieniſſimam Pamelii conjecturam, qui Afros istos à Gothis captos autumat, refutare non est opus. Nec certe Africa monstrorum feraciſſima, adeo exculta & pacata, ut nullos barbaros aleret; sed in adverso mundi cardine essent requirendi. Hac de re consulantur Annales Cyprianici.

2 *De diaboli faucibus exuit.*] Rigaltius ait, *Sic Epist.* IV. *dicit, Exuenda est de incendio sarcina.*

3 *Membra Christo dicata.*] Animi instituto ad pudicitiam composito. Non enim illæ tunc temporis, claustris inclusæ. Pamelius ait, *Similem de sanctis virginibus phrasin habes tum Epist. ad Pompon. tum lib. de Disciplina & Hab. Virginum.*

4 *Captivus fui, & redemistis me.*] Redemtio captivorum semper in Ecclesia inter primaria caritatis officia fuit reputata. A Lactantio *magnum & præclarum justitiæ munus* dicitur. Ambrosius in hos usus vasa Ecclesiæ etiam initiata confregit. l. 2. Offic. c. 28. Augustinus, teste Possidio, idem præstitit: & Deo gratias, narrante Victore Vitensi. l. 1.

An. 253. de hac cœleſti & ſalutari operatione proveniunt. [1] Miſimus autem (a) ſeſtertium centum millia nummum, quæ iſtic in Eccleſia, cui de Domini indulgentia præſumus, Cleri & plebis apud nos conſiſtentis collatione collecta ſunt: quæ vos illic pro veſtra diligentia diſpenſabitis. Et optamus quidem nihil tale de cetero fieri, & fratres noſtros Domini majeſtate protectos, ab ejuſmodi periculis incolumes reſervari. Si tamen ad explorandam noſtri animi caritatem, & examinandam noſtri pectoris fidem, tale aliquid acciderit, nolite cunctari nunciare hæc nobis literis veſtris; pro certo habentes, Eccleſiam noſtram & fraternitatem iſtic univerſam ne hæc ultra fiant precibus orare; ſi facta fuerint, libenter, & largiter ſubſidia præſtare.

Nomina illorum qui ſymbola ſua contulerunt ſubdit, ut in precum officiis recitarentur.

Ut autem fratres noſtros ac ſorores, qui ad hoc opus tam neceſſarium promte ac libenter operati ſunt, ut ſemper operentur, in mentem habeatis in orationibus veſtris, & eis vicem boni operis in ſacrificiis & precibus repræſentetis, [2] ſubdidi nomina ſingulorum; ſed & Collegarum quoque & conſacerdotum noſtrorum, qui & ipſi cum præſentes eſſent, & ſuo, & plebis ſuæ nomine quædam pro viribus contulerunt, nomina addidi; & præter quantitatem propriam noſtram, eorum quoque ſummulas ſignificavi, & miſi: quorum omnium ſecundum quod fides & caritas exigunt, in orationibus & precibus veſtris meminiſſe debetis. Optamus vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere.

(a) Seſtertia, *Imp.*

[1] *Miſimus autem ſeſtertium centum millia nummum.*] Rigaltius ait, *Rectiſſime monuit Jo. Fredericus Gronovius lib. de Seſtertiis, num.* 18. *fruſtra Pamelium addubitaſſe de vitio vulgatæ iſtius ſcripturæ. Etenim Latinam non eſſe, nec ullam ſummam Latine quidem ſignificare. Itaque procul dubio ſcribendum, ſeſtertium centum millia nummum. Quæ ſcriptura ſummam conficiet noſtrarum hodie librarum* 25000. Lombertus hanc Rigaltii æſtimationem ad ſeptem mille quingentas libras gallicas reducit. Capellus aliter ſupputat, ut ſint novem mille, ſex centum, triginta novem libræ, ſeptemdecem ſolidi, decem denarii. Si ad Monetæ Anglicanæ rationes calculos ineamus, fortaſſe ad rei veritatem proxime accedet qui dixerit, ſummam hic deſignatam conficere libras ſterlingas ſeptingentas, octoginta & unam, & ſolidos quinque. Manifeſtum librarii errorem ad linguæ Latinæ analogiam reſtituimus; ſatis enim certum eſt Cyprianum congrue loquutum: nec nobis placet ſolennis criticorum methodus, qui in textu ſphalmata relinquunt, ut in notis ſuis operoſe corrigerent.

[2] *Subdidi nomina ſingulorum.*] Rigaltius ait, *Non fruſtra, nec ſupervacue. Nam in ſacrificiis orationum offerebantur nomina eorum, qui ad hoc opus tam neceſſarium promte ac libenter operati erant.* A privilegio hoc excludi, pœnæ graviſſimæ loco habitum, ſupra oſtendimus, ad Epiſt. 1.

An. 253.

EPISTOLA LXIII.

Cyprianus Cæcilio fratri, Salutem.

Ad Pamelii numeros Ep. LXIII. Ad Eraſm. l. 2. Epiſt. 3.

Docetur calicem Dominicum non aqua, ſed vino offerendum.

1 QUANQUAM ſciam, frater cariſſime, Epiſcopos plurimos, Eccleſiis Dominicis in toto mundo divina dignatione præpoſitos, Evangelicæ veritatis ac Dominicæ traditionis tenere rationem, nec ab eo quod Chriſtus magiſter & præcepit, & geſſit, (a) 2 humana & novella inſtitutione decedere; tamen quoniam quidam vel ignoranter, vel ſimpliciter in calice Dominico ſanctificando, & plebi miniſtrando, non hoc faciunt, 3 quod Jeſus Chriſtus, Dominus & Deus noſter, ſacrificii hujus auctor & doctor, fecit & docuit; religioſum pariter ac neceſſarium (b) duxi has ad vos literas facere, ut (c) ſi quis in iſto errore adhuc teneatur, veritatis luce perſpecta ad radicem atque originem traditionis Dominicæ revertatur. (d) Nec nos putes, frater cariſſime, noſtra & (e) humana conſcribere, aut ultronea voluntate hoc nobis audacter aſſumere, cum mediocritatem noſtram ſemper humili & verecunda moderatione teneamus; ſed quando aliquid Deo (f) aſpirante & mandante præcipitur, neceſſe eſt Domino ſervus fidelis obtemperet; excuſatus apud omnes, quod nihil ſibi arroganter aſſumat, qui offenſam Domini timere compellitur, niſi faciat quod jubetur. (g) Admonitos autem nos ſcias, ut in calice offerendo Dominica traditio ſervetur, 4 neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit: Ut calix qui (h) in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur. Nam cum dicat Chriſtus: Ego ſum vitis vera; ſanguis Chriſti, non aqua eſt utique, ſed vinum. 5 Nec poteſt videri ſanguis ejus, quo redemti & vivificati ſumus, eſſe in calice; quando vinum (i) deſit calici, quo Chriſti ſanguis oſtenditur, qui ſcripturarum omnium ſacramento ac (k) teſtimonio effuſus (l) prædicatur. *Scripta poſt reditum.*

Scripturæ veteris Teſtamenti allegantur.

Invenimus enim & in Geneſi circa (m) ſacramentum in Noe hoc idem præcurriſſe, & figuram Dominicæ paſſionis illic extitiſſe, quod vinum bibit; quod inebriatus eſt; quod in domo ſua nudatus eſt; quod fuit (n) recumbens nudis & patentibus femoribus: quod nuditas illa patris à medio filio (o) denotata eſt, & foras nunciata; à duobus vero majore, & minore contecta; & cetera quæ neceſſe non eſt exequi; cum ſatis ſit hoc ſolum complecti, quod 6 Noe typum futuræ veritatis oſtendens; non aquam, ſed vinum biberit, & ſic imaginem Dominicæ paſſionis expreſſerit. Item in ſacerdote Melchiſe- Gen. 9. 21.

(a) Humanam & novellam inſtitutionem, *Bod.* 3, 4. (b) Duxi, de hoc, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ebor. Lin.* (c) Si qui in iſto errore adhuc tenentur, *Bod.* 1. tenebratur, *NC.* 2. *Vat.* (d) Nec hoc nos putes, *Lam. Bod.* 2. 4. *Ebor. NC.* 1. 2. (e) Humana conſcientia, *Lam. Bod.* 2. (f) Inſpirante, *Lam. Bod.* 1, 2. *Lin. Ebor. NC.* 1, 2. (g) Vos ſciatis, *Aug.* (h) In commemorationem, *Bod.* 2, 3, 4. (i) Deſit in calice, *Bod.* 3. (k) *Sic Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. *Ben.* teſtimonio prædicetur. (l) *Sic Lam. Bod.* 2, 3. *Ebor. NC.* 1. prædicetur, *Imp.* (m) Sacramentum Noe, *Bod.* 1. 2. *Ebor. Lin.* 1, 2. *Corb.* ſacramentum circa, *Corb.* (n) Recubans, *Lam. Bod.* 1, 2. (o) Denotata eſſet, *Bod.* 1. denudata, *Aug.*

1 *Quanquam ſciam.*] Non hac Epiſt. Cyprianus Aquarios, ſive Hydroparaſtatas, Ebionitarum germen, teſte Epiphan. Hæreſ. 30. aut Encratitas, Tatiani ſequaces, refellit; quorum error in hoc maxime verſabatur quod vinum quaſi rem profanam & abominandam averſarentur, ut ait Epiphanius, Ἀβεβολικὸν φάσκοντες, fabuloſa vanitate de Satana & terra germinaſſe aſſerentes vites. Ex ignorantia aut ſimplicitate deliquiſſe iſtos dicit Auctor noſter. Et quia Antelucanis horis Euchariſtiam ſumebant, quo tempore nulli vinum biberent, referente Apoſtolo Actor. 2. 15. credibile eſt eos Aquam tanquam honeſtius poti genus, & ſuſpicionibus minus obnoxium ſubſtituiſſe; præſertim cum ex vini odore detegere potuerint Ethnici, eos qui vinum olebant eſſe Chriſtianos; qua de re agitur in fine hujus Epiſtolæ. Mentio autem ſolennis Epiſtolæ iſtius facta eſt à D. Auguſtino lib. 4. de Doctrin. Chriſtiana, cap. 21. ubi quæ ſtatim à principio occurrunt, in exemplum adducuntur *ſubmiſſi dicendi generis.*

2 *Humana & novella inſtitutione.*] Rigaltius ait, *Sic paulo poſt dicet, Noſtra & humana conſcribere. Videantur quæ ſupra obſervavimus de humana Eccleſia; deque humana crudelitate, & traditione humana ad Epiſt.* LVII. & LX.

3 *Quod ſacrificii hujus auctor & doctor fecit & docuit.*] Rigaltius ait, *Quid fecerit, quid docuerit, Evangelia narrant. Nec aliud Corinthiis ſuis tradidit Paulus. Quod in cœna Chriſtus inſtituit, Chriſtiani dein ſacrificium appellavere, & ſacræ cœnæ miniſtros, ſacerdotes.*

4 *Neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit.*] Rigaltius ait, *Hac eadem Epiſtola dicet: Quod ſi nec minima de mandatis Dominicis licet ſolvere, quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipſius Dominicæ paſſionis & noſtræ redemtionis ſacramentum pertinentia fas non eſt infringere, aut in aliud quam quod divinitus inſtitutum ſit, humana traditione mutare?*

5 *Nec poteſt videri ſanguis ejus eſſe in calice.*] Rigaltius ait, *Sic Tertullianus lib. de Oratione, Corpus ejus in pane ceuſetur. Et ipſe Cyprianus mox, Calix quo Chriſti ſanguis oſtenditur. Ubi de aqua: quæ ſola Chriſti ſanguinem non poſſit exprimere.* Quando toties ingerit ut Calix ſit mixtus; id potiſſimum agit, *ne vinum deſit calici.* Quanquam enim ad conciliandos Aquariorum animos, & receptum in Eccleſia morem aſſerendum, aquam in Euchariſtia rite adhiberi agnoſcat Cyprianus, qua plebs Chriſtiana adumbratur: & opinatus ſit vino cibario & diluto Chriſtum fuiſſe uſum, omnia tamen ad dominicæ inſtitutionis normam prorſus exigenda contendit, ut id ſcilicet fiat *quod Jeſus Chriſtus Dominus & Deus noſter, ſacrificii auctor & doctor*, non tantum *fecit* ſed *docuit.* Quibus ſimilia paſſim repetit, addens, *imagines ſacrificii Chriſti pane & vino conſtitui.*

6 *Noe vinum bibens, imaginem Dominicæ paſſionis expreſſerit.*] Rigaltius ait, *Valde indulſerunt ingenio ſuo Patres, ubicunque in Scripturis Panis & Vinum occurrit.* Noachum redemtionis per Chriſtum partæ typum geſſiſſe ex 1 Pet. 3. 21. liquido conſtat; & à cataclyſmi aquis ſuperſtes, magis ſalutares baptiſmi undas adumbraſſe. Quid ergo mirum, ſi ad alterum etiam ſacramentum Eccleſiæ, gradus præſtruatur? & ſiquidem vino epoto edormiverit, præfiguraſſe calicem Euchariſticum, & Dominicam mortem dicatur? Interim ut typi ratio conſiſtat, neceſſe eſt vinum non minus Dominum quam Noachum bibiſſe.

1 *Melchi-*

An. 253. chiſedech (a) ſacrificii Dominici ſacramentum præfiguratum videmus, ſecundum quod ſcriptura divina teſtatur & dicit; Et [1] Melchiſedech Rex Salem protulit Panem & Vinum. Fuit autem ſacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret: declarat in Pſalmis Spiritus ſanctus [2] ex perſona Patris ad Filium dicens: Ante (b) Luciferum genui te; tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui ordo utique hic eſt de ſacrificio illo veniens & inde deſcendens; quod Melchiſedech ſacerdos Dei ſummi fuit, quod Panem & Vinum obtulit, quod Abraham benedixit. (c) Nam quis magis ſacerdos Dei ſummi, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus? qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & (d) obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt Panem & Vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem. Et circa Abraham benedictio illa præcedens, ad noſtrum populum pertinebat. Nam ſi Abraham Deo credidit, & (e) deputatum eſt ei ad juſtitiam; utique quiſquis Deo credit, & fide vivit, juſtus invenitur, & jam pridem in Abraham fideli benedictus & juſtificatus oſtenditur, ſicut beatus Apoſtolus Paulus probat, dicens: Credidit Abraham Deo, & (f) deputatum eſt ei ad juſtitiam. Cognoſcitis ergo quia qui ex fide ſunt, hi ſunt filii Abrahæ. Providens autem (f) ſcriptura quia ex fide juſtificat gentes Deus, prænunciavit Abrahæ, quia benedicentur in illo omnes gentes. Igitur qui ex fide ſunt, (g) benedicti ſunt cum fideli Abraham: unde in Evangelio invenimus de lapidibus excitari, id eſt, de gentibus colligi filios Abrahæ. Et cum Zachæum laudaret Dominus reſpondit & dixit: Salus hodie domui huic facta eſt: quia & hic filius eſt Abrahæ. Ut ergo in Geneſi per Melchiſedech ſacerdotem benedictio circa Abraham poſſet rite celebrari, præcedit ante imago (h) ſacrificii Chriſti in pane & vino ſcilicet conſtituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus Panem & calicem mixtum Vino obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit. Sed & per Solomonem Spiritus ſanctus typum (i) Dominici ſacrificii ante prænonſtrat immolatæ hoſtiæ & panis & vini, ſed & altaris & [3] Apoſtolorum faciens mentionem: Sapientia, inquit, ædificavit ſibi domum, & ſubdidit columnas ſeptem. Mactavit ſuas hoſtias, miſcuit in cratera vinum ſuum, & paravit menſam ſuam. Et miſit ſervos ſuos, convocans cum excelſa prædicatione [4] ad craterem, dicens: Qui eſt inſipiens, declinet ad me. Et egentibus ſenſu dixit: Venite, edite de meis panibus, & bibite vinum quod miſcui vobis. Vinum mixtum declarat, id eſt, calicem Domini aqua & vino mixtum prophetica voce prænunciat; ut appareat in paſſione Dominica (k) id eſſe geſtum quod fuerat ante prædictum. In benedictione quoque Judæ hoc idem ſignificatur, ubi & illic Chriſti figura exprimitur, quod à fratribus ſuis laudari & adorari haberet, quod inimicorum dorſa, cedentium atque fugientium, manibus quibus crucem pertulit & mortem vicit, compreſſurus fuiſſet; quodque ipſe ſit leo de tribu Juda, & (l) recubet dormiens in paſſione, & ſurgat, & ſit ipſe ſpes gentium; quibus ſcriptura divina adjungit, & dicit: Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ amictum ſuum. Quando autem ſanguis uvæ dicitur; quid aliud quam vinum calicis (m) Dominici ſanguinis oſtenditur? Nec non & apud Eſaiam hoc idem Spiritus ſanctus de Domini paſſione teſtatur, dicens; Quare rubicunda ſunt veſtimenta tua; & indumenta tua velut à calcatione torcularis [5] pleni & percalcati? Nunquid rubicunda veſtimenta aqua poteſt facere? aut in torculari aqua eſt, quæ pedibus calcatur, vel prelo exprimitur? (n) Vini utique mentio ideo ponitur, ut (o) Domini ſanguis intelligatur; & quod in calice Dominico poſtea manifeſtatum eſt, Prophetis annunciantibus (p) prædiceretur. Torcularis quoque calcatio & preſſura taxatur: quia quo modo ad potandum vinum veniri non poteſt, niſi botrus calcetur ante, & prematur: ſic nec nos ſanguinem Chriſti (a) poſſe-

Gen. 14. 18.

Pſal. 109. 4.

Gen. 15. 6.

Galat. 3. 6.

Matt. 3. 9.

Luc. 19. 9.

Prov. 9. 1, 2, 3, 4, 5.

Gen. 49. 11.

Iſai. 63. 2.

(a) Sacramenti Dominici myſterium præfiguratum, *Aug.* (b) Luciferum generavi, *Bod.* 1. 3. (c) Sed qui magis, *Bod.* 1. (d) Obtulit fide, *Bod.* 3. (e) Reputatum, *NC.* 1. 2. *Ebor.* (f) Scriptura hæc, *Bod.* 4. hoc, *Bod.* 3. (g) Benedicentur, *Lin.* (h) Sacrificii in pane, *Bod.* 1, 2, 3. *NC.* 1. 2. *Lin. Ebor.* (i) Dominici ſacramenti, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (k) Idem eſſe geſtum, *Bod.* 3. (l) Recubans & dormiens in paſſione, & ſurgens, *Lin.* (m) Dominici ſanguis, *Lam. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. *Lin.* 1. (n) Vinum itaque mixtum, *Ebor. NC.* 2. (o) Domini ſanguis vino intelligatur, *Lam. Bod.* 1, 2, 3, 4. *Ebor. NC.* 1. (p) Prædicatur, *Lin. Bod.* 1. 2. *Ebor. NC.* 1. prædicetur, *NC.* 2.

1 *Melchiſedech Rex Salem protulit Panem & Vinum.*] Rigaltius ait, *Septuaginta Interpret. Geneſ.* XIV. καὶ Μελχισεδὲκ βασιλεὺς Σαλὴμ ἐξήνεγκεν ἄρτους καὶ οἶνον. *Editio Complut.* ἐξώ'ενεγκεν ὡσαύτως ἄρτους, *quomodo etiam citavit Ambroſius, lib.* 1. de *Abrahamo. Et Melchiſedech Rex Salem protulit ipſi Panes & Vinum. Tertullianus autem apertiſſime dixerat adverſus Jud. Melchiſedech ipſi Abrahæ revertenti de prælio Panem & Vinum obtulit. Joſephus*, τῷ Αβραάμῃ ἐφοδίοις, & *pro Pane & Vino* πολλῶν ἀφθονίαν τῶν ἐπιτηδείων. *Auctor Commentariorum in Geneſin, quæ tribuuntur Eucherio, lib.* 11. *num.* 17. *Nec eſſe mirum ſi Melchiſedech victori Abraham proceſſerit obviam, & in refectione tam ipſius quam pugnatorum ejus Panem Vinumque protulerit. Quæ autem in iiſdem Commentariis hac de hiſtoria ſequuntur, arguunt manum interpolatoris. Joannes Mercerus & Hugo Grotius fatentur non improbabilem eſſe ſententiam exiſtimantium, factum hoc fuiſſe ſacrificio præcedente.*

2 *Ex perſona Patris.*] Pſalmum hunc non modo ſibi aſſerit Dominus noſter, Matth. 22. 44. & alibi; ſed Judæi id paſſim agnoſcunt. Moſes Haddarſan in Geneſ. 37. 12. Midras Tehillim in Pſal. 2. R. Saad. Gaon in Daniel. 7. 13. Talm. tract. Beracoth. c. 5.

3 *Apoſtolorum faciens mentionem.*] Per *ſervos* qui miſſi dicuntur, intelligit Apoſtolos.

4 *Ad Craterem.*] Videantur dicta ad l. 2. ad Quirin. c. 2. Dum dicit *vinum miſcuiſſe*, Janſenio interprete, id ſolum intelligi debet, *miniſtraſſe & præparaſſe.*

5 *Pleni & percalcati.*] LXX. habent, πλήρως καταπεπατημένης. Nimirum פורה quod Torcular ſignificat, pro voce ejuſdem fere formæ, quæ rerum copiam & ex fructibus ubertatem ſignificat, accepere. D. Hieron. ad Hebræi textus mentem legit. *Torcular ſolus calcavi.*

An. 253. (a) poſſemus (b) bibere, niſi Chriſtus calcatus prius fuiſſet & preſſus, & (c) calicem prior biberet, in (d) quo credentibus propinaret.

Per aquam in ſcripturis non euchariſtia, ſed baptiſmus deſignatur.

Quotieſcunque autem aqua ſola in ſcripturis ſanctis nominatur, baptiſma prædicatur, ut apud Eſaiam ſignificari videmus. [1] Nolite, inquit, priora meminiſſe, & antiqua nolite reputare. Ecce ego facio nova, quæ nunc orientur, & (e) cognoſcetis, & faciam in deſerto viam, & flumina in (f) loco inaquoſo; adaquare genus meum electum, plebem meam quam acquiſivi, ut virtutes meas exponeret. Prænunciavit illic per Prophetam Deus, quod apud gentes in locis, quæ inaquoſa prius fuiſſent, flumina poſtmodum (g) redundarent: & electum genus Dei, id eſt, per regenerationem baptiſmi filios Dei factos, adaquarent. Item denuo præcinitur, & (h) ante prædicatur, Judæos, ſi ſitierent, & Chriſtum quæſierint, apud nos eſſe potaturos, id eſt, baptiſmi gratiam conſecuturos. Si ſitierint, inquit, per deſerta (i) adducet illos, aquam de petra producet illis; findetur petra, & (k) fluet aqua, & (l) bibet plebs mea. Quod in Evangelio adimpletur, quando [2] Chriſtus qui eſt petra, finditur ictu lanceæ in paſſione: qui & admonens quid per Prophetam ſit ante prædictum, clamat & dicit: Si quis ſitit, veniat & bibat. Qui credit in me, (m) ſicut ſcriptura dicit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Atque ut magis poſſet eſſe manifeſtum, quia non de calice, ſed de (n) baptiſmo illic loquitur Dominus, addidit ſcriptura, dicens: Hoc autem dixit de ſpiritu, quem accepturi erant, qui in eum credebant. Per baptiſma enim Spiritus ſanctus accipitur, & ſic à baptizatis, & Spiritum ſanctum conſecutis ad bibendum calicem Domini pervenitur. Neminem autem moveat, quod cum de Baptiſmo loquatur ſcriptura divina, ſitire nos dicit & bibere, quando & Dominus in Evangelio dicat: Beati eſurientes & ſitientes juſtitiam; quia quod (o) avida & ſitienti cupiditate ſuſcipitur, plenius & uberius hauritur. Sicut & alio loco ad Samaritanam mulierem Dominus (p) loquitur, dicens: Omnis qui biberit ex aqua iſta, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dedero, non ſitiet in æternum. (q) Quo & ipſum baptiſma ſalutaris aquæ (r) ſignificatur, quod ſemel ſcilicet ſumitur, nec rurſus iteratur: ceterum calix Domini in Eccleſia ſemper & ſititur & bibitur. Nec argumentis plurimis opus eſt, frater cariſſime, ut probemus appellatione aquæ baptiſma ſignificatum ſemper eſſe, & ſic nos (s) intelligere debere; quando Dominus adveniens Baptiſmi & Calicis manifeſtaverit veritatem, qui aquam illam fidelem, aquam vitæ æternæ præceperit credentibus in Baptiſmo dari; [3] calicem vero docuerit exemplo magiſterii ſui, vini & aquæ conjunctione miſceri. Calicem etenim (t) ſub die paſſionis accipiens; benedixit, & dedit diſcipulis ſuis, dicens: Bibite ex hoc omnes: (u) hic eſt enim ſanguis novi teſtamenti, qui pro multis (x) [4] effunditur in remiſſionem peccatorum. Dico vobis, non bibam à modo (y) ex iſta [5] creatura vitis:

Iſai. 43. 18.

Iſai. 48. 21.

Jo. 7. 37.

Id. v. 39.

Matt. 5. 6.

Jo. 4. 13, 14.

Matt. 26. 28, 29.

(a) Poſſumus, *Bod.* 1. (b) Ebibere, *Lin. NC.* 1. (c) Calicem prius biberet, *NC.* 2. (d) Quem credentibus, *Bod.* 3. (e) Cognoſcetis veritatem, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (f) Loca inaquoſa, *Lam. Ebor. NC.* 1. (g) Redundarent quæ, *NC.* 2. (h) Ante prædicitur, *Ebor. NC.* 1. 2. *Lin.* (i) Adducet illis, aquam, *Bod.* 1. 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. (k) Fluent aquæ, *Lam.* (l) Bibetis plebs *Bod.* 1. (m) Sicut ſcriptum eſt, *Lam.* (n) Baptiſmo hic, *NC.* 2. (o) Avide, *Bod.* 3. (p) Loquitur & dicit, *Lam.* (q) Quo & in ipſo, *Bod.* 1. 2. 3. 4. *Ebor. NC.* 1. 2. (r) Significatum, *Bod.* 3. (s) Intelligere debemus, *NC.* 2. (t) Sub diem, *Lam.* (u) Hoc eſt enim, *Fab.* (x) Effunditur, *Bod.* 1. (y) De hac creatura, *NC.* 2.

[1] *Nolite, inquit, priora meminiſſe.*] Hæc de baptiſmo ſimiliter interpretatur l. 1. ad Quirin. c. 12.

[2] *Chriſtus qui eſt petra.*] Rigaltius ait, *Super quam ædificavit Eccleſiam ſuam Chriſtus. Et tamen pleriſque locis Cyprianus quæ de petra dicuntur tranſtulit ad Simonem, cui Chriſtus ob rectum de Filio Dei effatum, nomen fecit Petro.*

[3] *Calicem docuerit exemplo magiſterii ſui, vini & aquæ conjunctione miſceri.*] Dicit infra Cyprianus, *non obſervari à nobis quod mandatum eſt, niſi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus, & calicem Domini pari ratione miſcentes, à divino magiſterio non recedamus.* Et hoc deinceps fortius videtur urgere. Porro veteris Eccleſiæ ſcriptores plerique conſentiunt, Dominum in cœna ſua vinum aqua dilutum propinaſſe. Ita Juſtin. Apol. 2. Clemens Alex. l. 2. pædag. c. 2. Morem accerſunt Patres Trullani à traditione, Can. 32. ſed hujus rei certiſſima indicia ex Judæorum ritibus ſunt deſumenda. Credere enim par eſt Dominum noſtrum ad receptos in Eccleſia mores hac ex parte ſe accommodaſſe. Ut enim lectio Paſchalis הגדה ſive annunciatio dicitur, ita jubentur Apoſtoli *Annunciare mortem Domini, donec venerit.* Agnum Paſchalem appellabant גופו של פסח corpus Paſchatis, ita Dominus de pane Euchariſtico ait, *hoc eſt corpus meum.* Quemadmodum etiam Pater familias in Paſchatis celebratione משליכם הנדכרה ואחר בן בוצע abſoluta benedictione frangit; pariter Dominus accepto pane, *poſtquam gratias egiſſet*, fregit. De vino autem Hebræi Doctores dicunt, perinde fuiſſe ſi vinum adhibeatur aut merum, aut dilutum. בן חרש בן ישן בן ח' בן מזוג ut traditur in Toſephos. Unde recte Aquinas part. 3. quæſt. 74. Art. 7. & quæſt. 83. Art. 6. ad 4. & Bonaventura in 4. ſentent. diſtinct. 11. part. 2. quæſt. 3. dicunt admiſtionem aquæ non eſſe de neceſſitate vel integritate ſacramenti. Armenii quidem in ea erant hæreſi aquam à vino in Euchariſtia abeſſe omnino debere, qui à ſynodo quinisexta damnati. Eccleſia Romana quanquam decernere videatur *calicem ſanguinis Chriſti Domini non in pura aqua, nec in puro vino, ſeu ſine aqua; ſed in vino aqua mixto eſſe conſecrandum:* tamen ſi res attente ſpectetur, in ſolo vino conſecrandum volunt; monent enim, ut aqua in valde exigua quantitate, Eugenii verbis, *modiciſſima*, apponatur; & mora aliqua intercedat inter mixtionem & conſecrationem, ut aqua in vinum demum ſit converſa. Videatur Catech. Rom. c. 4. Parag. 17. & Sacerdotale Rom. part. 1. Tract. 19. cap. 2. Et in hoc negotio adduci ſolet teſtimonium Ariſtotelis l. 1. de Generat. & Corrupt. cap. ult. Ubi dicit vinum in minima quantitate aquæ injectum, in aquam tranſire. μεταβάλλει γὰρ ὅλον εἰς τὸ κρατοῦν. οἷον σταλαγμὸς οἴνου μυρίοις χοεῦσιν ὕδατος οὐ μίγνυται. λύεται γὰρ τὸ εἶδος καὶ μεταβάλλει εἰς τὸ πᾶν ὕδωρ. Ita Eccleſia Romana non unicam tantummodo tranſubſtantiationem in Euchariſtia, ſed duplicem agnoſcit. Porro obſervanda venit Eccleſiæ Græcæ praxis, de qua dicit Balſamo, πρὸ τοῦ ἁγιασθῆναι τὸ ἅγιον ποτήριον, οὐ βάλλεται τὸ ζέον εἰς τὸν ἕνωσιν, ἀλλὰ μετὰ τὸν ἁγιασμόν. Et proinde; Aqua, ex eorum ſententia, ſacrum iſtud myſterium conſequitur, non ingreditur.

[4] *Effundetur.*] Favet Cyprianus lectioni illorum codicum qui habent, ἐκχυθησόμενον.

[5] *Creatura vitis.*] γενήματος τῆς ἀμπέλου. Vocem ipſam retinuit verſio vulgata. *Non bibam à modo de hoc genimine vitis.*

An. 253. vitis, usque in diem illum, quo vobiscum bibam (a) novum vinum in regno Patris mei. Qua in parte invenimus calicem mixtum fuisse quem Dominus obtulit, & vinum fuisse, quod sanguinem suum dixit. Unde apparet sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici; nec (b) sacrificium Dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrum responderit passioni. Quomodo autem de creatura vitis novum vinum cum Christo in regno Patris bibemus, si in sacrificio Dei Patris & Christi vinum non offerimus, nec calicem Domini dominica traditione miscemus? Beatus quoque Apostolus Paulus à Domino electus & missus, & prædicator veritatis Evangelicæ constitutus, hæc eadem in Epistola sua (c) ponit, dicens: Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & (d) gratias agens fregit, & dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. (e) Simili modo & calicem postquam cœnatum est accepit, dicens: (f) Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: hoc facite quotiescunque biberitis in meam commemorationem: quotiescunque enim ederitis panem istum & calicem biberitis, mortem Domini annunciabitis quoadusque veniat. Quod si & à Domino (g) præcipitur, & ab Apostolo ejus hoc idem confirmatur & traditur, ut quotiescunque biberimus in commemorationem Domini, hoc faciamus, quod fecit & Dominus; (h) invenimus non observari à nobis quod mandatum est, nisi eadem quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus, & (i) calicem Domini pari ratione miscentes à divino magisterio non recedamus. Ab Evangelicis autem præceptis omnino (k) recedendum non esse, & eadem quæ magister docuit & fecit, discipulos quoque observare & facere debere, constantius & fortius alio in loco (l) beatus Apostolus docet, dicens: Miror quod sic tam cito (m) demutamini ab eo qui vos vocavit ad gratiam, ad aliud Evangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos turbant, & volunt [1] convertere Evangelium Christi. Sed licet nos aut Angelus de cœlo aliter annunciet, præterquam quod annunciavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis annunciaverit præterquam quod accepistis, anathema sit. Cum ergo neque ipse Apostolus, neque Angelus de cœlo annunciare possit aliter aut docere, præterquam quod semel Christus docuit, & Apostoli ejus annunciaverunt; miror satis unde hoc usurpatum sit, ut contra Evangelicam & Apostolicam disciplinam quibusdam in locis aqua offeratur in Domino calice, quæ sola Christi sanguinem non possit exprimere. 1 Cor. 11. 23, 24. Galat. 1. 6.

Typis ex veteri Testamento sumtis, usus vini in sacramento corporis Dominici illustratur.

Cujus rei sacramentum nec in Psalmis tacet Spiritus sanctus, faciens mentionem Dominici calicis, & dicens: [2] Calix tuus inebrians (n) quam peroptimus: calix autem qui inebriat, utique vino (o) mixtus est. Neque enim aqua inebriare quenquam potest. Sic autem calix Dominicus inebriat, (p) ut Noe in Genesi vinum bibens inebriatus est. Sed quia ebrietas Dominici calicis & sanguinis non est talis, (q) qualis ebrietas vini secularis, cum diceret Spiritus sanctus in Psalmo: Calix tuus inebrians: addidit, quam peroptimus, quod scilicet calix Dominicus sic bibentes inebriet, ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritalem (r) sapientiam redigat, ut [3] à (s) sapore isto seculari ad intellectum Dei unusquisque resipiscat: & quemadmodum [4] vino isto communi mens solvitur, & anima relaxatur, & [5] tristitia omnis exponitur; (t) ita epoto sanguine Domini (u) & poculo salutari, exponatur memoria veteris hominis, & fiat oblivio conversationis pristinæ secularis, & mœstum pectus ac triste, quod prius [6] peccatis angentibus premebatur, divinæ indulgentiæ lætitia resolvatur; quod tunc demum potest lætificare in Ecclesia Domini bibentem, si quod bibitur (x) Dominicam teneat veritatem. Quam vero perversum est, quamque contrarium, ut cum Dominus in nuptiis de aqua vinum fecerit, nos de vino aquam faciamus: cum sacramentum quoque rei illius admonere & instruere nos debeat, ut in sacrificiis Dominicis vinum potius offeramus. Nam quia apud Judæos defecerat gratia spiritalis, defecit & vinum: vinea enim Domini sabaoth domus erat Israel; Christus autem docens & ostendens gentium populum succedere, & in locum quem Judæi perdiderant, nos postmodum merito fidei pervenire, de aqua vinum fecit, id est, quod ad nuptias Christi & Ecclesiæ, Judæis cessantibus, plebs magis gentium confluueret & conveniret, ostendit. Ps. 22. 7. Gen. 9. 21. Jo. 2. 9. Isai. 5. 7.

Aquas

(a) Novum in Regno, *Lam. Bod.* 1. 2. 3. *Ebor. NC.* 1. 2. *Lin.* (b) Sacrificium Dominum, *Bod.* 3. 4. *Ebor. NC.* 1. 2. *Lin.* (c) Ponit & dicit, *Lam. Bod.* 1. 2. (d) Gratias egit &, *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. (e) Similiter, *Lam.* (f) Hic est calix novi testamenti, *Lam. Lin. Ebor.* (g) Præcipiatur, *Bod.* 3. (h) Inveniemus, *Bod.* 1. (i) Calicem pari, *Bod.* 1. 2. 3. *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Lin.* (k) Recedendum non est, *Lam. Bod.* 2. (l) Beatus Paulus, *Lin.* (m) Transferimini, *NC.* 2. (n) Perquam optimus, *Lam. Bod.* 1. 2. 3. 4. (o) Mixtus sit oportet. Neque enim aqua sola, *Lin.* (p) Ut & Noe, *Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. 2. (q) Qualis est ebrietas, *Bod.* 1. 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (r) Sapientiam reducat, *Bod.* 3. (s) Sopore isto seculari, *Bod.* 1. 2. 3. (t) Et potato, *Lam. Ebor.* & poto, *Ver. Benev.* potans, *Lin.* potus sanguinem, *NC.* 2. (u) Ut poculo, *NC.* 2. (x) Dominica teneatur veritate, *Bod.* 1.

[1] *Convertere Evangelium Christi.*] μεταστρέψαι. Ambrosius, Hieronymus & Augustinus similiter ea voce utuntur.

[2] *Calix tuus inebrians.*] LXX. ποτήριόν σου μεθύσκον, ὥσει κεράσιον. Inebrians, tanquam vinum generosissimum. In Hebræo est כוסי & Hieron. ad Suniam ad Fretellam dicit LXX. scripsisse ποτήριόν μου.

[3] *A sapore isto seculari.*] Rigaltius ait, *Saporem vini communis & profani dicit esse saporem secularem, cui opponit intellectum divinum, ut jam non vinum sed sanguis Domini intelligatur.*

[4] *Vino isto communi mens solvitur.*] Rigaltius ait, *Vinum commune dicit, quod nondum est sanctificatum sive consecratum in sanguinem Christi. Itaque mox vino isto communi opponet sanguinem Domini. Jam non vocat vinum, sed sanguinem.*

[5] *Tristitia omnis exponitur.*] Sæpius admonuimus, *exponi* idem esse apud Cyprianum, ac è medio tolli.

[6] *Peccatis angentibus premebatur.*] Rigaltius ait, *Sic supra Epist.* LVI. *dixit: Pressuris angentibus frequenter urgeri.*

[1] *Vide-*

An. 253. *Aquæ ſymbolo populus intelligitur.*

(a) Aquas namque populos ſignificare, in Apocalypſi ſcriptura divina declarat, dicens: Aquæ quas vidiſti, ſuper quas ſedet meretrix illa, populi, & turbæ, & gentes Ethnicorum ſunt, & linguæ. Quod ſcilicet perſpicimus & in ſacramento calicis contineri. Nam quia nos omnes portabat Chriſtus, qui & peccata noſtra portabat; [1] videmus in aqua populum intelligi, [2] in vino vero (b) oſtendi ſanguinem Chriſti. Quando autem in calice vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium (c) plebis ei in quem credidit, copulatur & conjungitur. Quæ copulatio & conjunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, ut commixtio illa non poſſit ab invicem ſeparari. Unde Eccleſiam, id eſt, plebem in Eccleſia conſtitutam fideliter & firmiter in eo quod credidit, perſeverantem, nulla res ſeparare poterit à Chriſto, quo minus hæreat ſemper & maneat (d) individua dilectio. Sic autem in (e) ſanctificando calice Domini, offerri aqua ſola non poteſt; [3] quomodo nec vinum ſolum poteſt; nam ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto: quando autem utrumque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi invicem copulatur, tunc ſacramentum ſpiritale & cœleſte perficitur. Sic vero calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi (f) utrumque ſibi miſceatur, quomodo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, aut aqua ſola, niſi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage ſolidatum. Quo & ipſo ſacramento populus noſter oſtenditur adunatus, ut quemadmodum grana multa in unum collecta, & commolita, & commixta, panem unum faciunt: ſic in Chriſto qui eſt panis cœleſtis, unum ſciamus eſſe corpus, cui conjunctus ſit noſter numerus & adunatus. Apoc. 17. 15.

Conſuetudo ſcripturarum præſidio deſtituta, minime ſequenda.

Non eſt ergo, frater cariſſime, quod aliquis exiſtimet ſequendam eſſe quorundam conſuetudinem, ſi qui in præteritum in calice Dominico aquam ſolam offerendam putaverint: quærendum eſt enim, ipſi quem ſint ſecuti. Nam ſi [4] in ſacrificio quod (g) Chriſtus obtulerit, [5] non niſi Chriſtus ſequendus eſt: utique id nos obaudire & facere oportet,

(a) Aquis namque populos ſignificari, *NC.* 2. (b) *Sic*, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. 2. Oſtendit, *Rig.* (c) Plebs ſanguini ejus in quem credidit, copulatur & conjungitur, *Ver.* (d) Individua dilectione, *Bod.* 1. (e) Sanctificando calicem, *Lin. NC.* 2. (f) Utrumque commiſceatur, *Lam. Bod.* 2. (g) Chriſtus obtulit, *Lin. Ebor. NC.* 1. 2.

[1] *Videmus in aqua populum intelligi.*] Bertramus in libro de corpore & ſanguine Domini, qui ſcriptus circa medium noni ſeculi, ex his verbis ſic argumentatur. *Conſiderandum quoque* (inquit) *quod in pane illo non ſolum corpus Chriſti, verum corpus etiam in eum credentis populi figuretur, unde multis frumenti granis conficitur; quia corpus populi credentis multis, per verbum Chriſti, fidelibus coagmentatur, qua de re ſicut in myſterio panis ille Chriſti corpus accipitur, ſic etiam in myſterio membra populi credentis intimantur; & ſicut non corporaliter, ſed ſpiritualiter panis ille credentium corpus dicitur, ſic quoque Chriſti corpus non corporaliter, ſed ſpiritualiter neceſſe eſt intelligatur. Sic & in vino, qui ſanguis Chriſti dicitur, aqua miſceri jubetur, nec unum ſine altero permittitur offerri: quia nec populus ſine Chriſto, nec Chriſtus ſine populo, ſicut nec caput ſine corpore, nec corpus ſine capite valet exiſtere. Aqua denique in ſacramento, populi geſtat imaginem: igitur ſi vinum illud ſanctificatum per miniſtrorum officium, in Chriſti ſanguinem corporaliter convertitur; aqua quoque quæ pariter admixta eſt, in ſanguinem populi credentis neceſſe eſt corporaliter convertatur. Ubi namque una ſanctificatio eſt, una conſequenter operatio; & ubi par ratio, par quoque conſequitur myſterium. At videmus in aqua ſecundum corpus nihil eſſe converſum, conſequenter ergo & in vino nihil corporaliter oſtenſum. Accipitur ſpiritualiter, quicquid in aqua de populi corpore ſignificatur; accipiatur ergo neceſſe eſt ſpiritualiter, quicquid in vino de Chriſti ſanguine intimatur.*

[2] *In vino vero oſtendit ſanguinem Chriſti.*] Rigaltius ait, *Supra hac Epiſt. Vinum quo Chriſti ſanguis oſtenditur. Et hic paulo poſt, ubi de aqua: quo & ipſo ſacramento populus oſtenditur adunatus. Oſtenditur, eo ſenſu quo dixit hoc ipſo loco: Videmus in aqua populum intelligi. Videatur Epiſt.* LXIX.

[3] *Quomodo nec vinum ſolum poteſt.*] Manente ſcil. recepto in Eccleſia uſu. Sed adnotandum, non ſemper illud quod myſterium in ſe continere dicitur, perpetuo ratum ſanctumque in Eccleſia permanet. Olim pane grandiuſculo utebantur fideles in Euchariſtia, ut quotquot ejuſdem participes fierent; unus panis oſtenderentur eſſe, & fracti corporis Domini communione donati. Deinceps uſu venit ut placentulæ adhiberentur, ſed nondum periit myſterium; illæ enim nummulos repræſentant, dominici corporis pretium. Ita hac ipſa in Epiſtola refert Auctor noſter, Euchariſtiam primo à Domino noctu celebratam, ſed nec hoc ſine myſterio, *ut hora ipſa ſacrificii oſtenderet veſperam mundi, ſicut in Exodo ſcriptum eſt: Et occident illum omne vulgus ſynagogæ filiorum Iſrael ad veſperam.* Subdit porro: *Nos autem reſurrectionem Domini mane celebramus:* unde etiam patebit, quod *in lumine Chriſti ambulare volumus.* Porro, aqua decreto Eugenii Pontificis Rom. jubetur admiſceri calici conſecrando in *modica quantitate*; ita per exceſſum vini ſupra quantitatem aquæ, exceſſus meritorum Chriſti Domini, & dignitatis ejus ſupra naturam humanam, & ſupra peccata generis humani ſignificatur. Sed non minus feliciter, mero adhibito, nos ſolis Chriſti meritis & ſanguine ſalvari oſtenditur. Similiter etiam Græci ferventem aquam calici conſecrato infundunt, ad ſignificandum, interprete Balſamone, in Can. 32. Concil. Trullani, ὅτι ὕδωρ ζωοποιὰ τὰ ἀπὸ τῆς ἀχίας πλευρᾶς ϗ κυρίου ἡμῶν Ιησῦ Χριϛοῦ ῥέυσαντα. Frigida utuntur Latini, ut teſtentur Chriſtum vere fuiſſe mortuum, & non niſi morte ejus nos ſalvari. Pariter in baptiſmo accidit: olim trina immerſio requirebatur, ut S. Trinitatis ratio conſtaret: dein unica ſucceſſit, ut Deum unum à nobis agnitum profiteremur. Immerſio etiam neceſſaria videbatur, ut baptiſmo ſepulti cum Chriſto videremur; dein aqua aſpergimur, ut ſanguinis ejus aſperſione purgati cognoſcamur. Simili modo, lactis & mellis concordia aquæ baptiſmali addebatur, quæ ideo ad altare cum vino & ſpicis offerebantur; quæ tamen poſtea ex Canonum decretis in deſuetudinem ivere, ſalvo interim ſacramenti myſterio.

[4] *In ſacrificio quod Chriſtus obtulerit.*] Rigaltius ait, *in ſacrificio Chriſtus ſemetipſum obtulit Patri: in ſacrificii ſui ſacramento panem & vinum corpus ſuum fecit, deditque diſcipulis ſuis cœnantibus.* Ratum enim illud quod dixit Dominus. *Caro mea vere cibus, & ſanguis meus vere potus.* Nimirum ſiquidem digne communicantes, per fidem participes fierent corporis & ſanguinis ejus, & alterentur in vitam æternam.

[5] *Non niſi Chriſtus ſequendus eſt. Solus Chriſtus audiendus eſt.*] Rigaltius ait, *Tutiſſima traditionum cuſtodiendarum regula, quam Cyprianus inculcat locis hac Epiſtola pleriſque: Nam initio quidem ſic ait: Neque aliud fiat à nobis quam quod pro nobis Dominus prior fecerit. Et hoc ipſo loco: Noſtræ redemtionis ſacramentum fas non eſt infringere, aut in aliud quam quod divinitus inſtitutum ſit, humana traditione mutare. Et: Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet; ſed Dei veritatem. Attamen idem ipſe Cyprianus, hac ipſiſſima Epiſtola dicet: At enim non mane, ſed poſt cœnam mixtum calicem obtulit Dominus: Nunquid ergo Dominicum poſt cœnam celebrare debemus? Tertulliani de Corona liber adverſus Pſychicos & Gnoſticos ſcriptus eſt. Horum illud erat etiam in traditionis obtentu exigendam eſſe auctoritatem ſcriptam. Itaque adverſus iſtos hoc tractare incipit, plurimas traditiones abſque auctoritate ſcripta, & circa Baptiſma, & circa Euchariſtiam, receptas fuiſſe, quibus deberi obſequium fatetur. Sic opinioni & cauſæ ſuæ quiſque velificat.*

An. 253. oportet, quod Chriſtus fecit, & quod faciendum eſſe mandavit; quando ipſe in Evangelio dicat: Si feceritis quod mando vobis, jam (a) non dico vos ſervos, ſed amicos. Joan. 15. Et quod Chriſtus debeat ſolus audiri, Pater etiam de cœlo conteſtatur, dicens: Hic 14, 15. eſt filius meus (b) dilectiſſimus in quo bene ſenſi, ipſum audite. Quare ſi ſolus Chri- Matt. 17 5. ſtus audiendus eſt, non debemus attendere, (c) quid alius (d) ante nos faciendum putaverit, ſed quid, qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit. Neque enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem; cum per Iſaiam Prophetam Deus loquatur & dicat: Sine cauſa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. Iſa 29. 13. Et iterum Dominus in Evangelio hoc idem repetat, dicens: Rejicitis mandatum Dei, Marc 7 13. ut traditionem veſtram ſtatuatis. Sed & alio in loco ponit & dicit: Qui ſolverit unum Matt. 5. 19. ex mandatis iſtis minimis, & ſic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Quod ſi nec minima de mandatis Dominicis licet ſolvere: quanto magis tam magna, tam grandia, tam ad ipſum Dominicæ paſſionis & noſtræ redemtionis ſacramentum pertinentia, fas non eſt infringere; aut in aliud, quam quod divinitus inſtitutum ſit, humana traditione mutare? (e) Nam ſi Jeſus Chriſtus, Dominus & Deus noſter, (f) ipſe eſt ſummus ſacerdos (g) Dei Patris; & ſacrificium Patri ſe ipſum primus obtulit, & hoc fieri (h) in ſui commemorationem præcepit: utique ille Luc. 22. 19. ſacerdos vice Chriſti vere fungitur, qui id quod Chriſtus fecit, imitatur: & ſacrificium verum & plenum tunc offert in Eccleſia Deo Patri, ſi ſic incipiat offerre ſecundum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe. Ceterum omnis religionis & veritatis diſciplina ſubvertitur, (i) niſi id quod ſpiritaliter præcipitur, & fideliter reſervetur.

Occurritur objectioni, quod ſi primo mane vinum ſumatur; in calice Dominico, ſe Ethnicis prodent Chriſtiani. Porro & alteri reſpondetur, quod veſpere Euchariſtia inſtituta, ideo non mane ſumenda.

Niſi 1 in ſacrificiis matutinis (k) hoc quis veretur, ne 2 per ſaporem vini redoleat ſanguinem Chriſti. Sic ergo incipit & à paſſione Chriſti in perſecutionibus fraternitas retardari, dum in oblationibus diſcit de ſanguine ejus & cruore confundi. Porro autem Dominus in Evangelio dicit: (l) Qui confuſus me fuerit, confundetur eum filius hominis. Et Apoſtolus quoque loquitur, dicens: Si hominibus placerem: Chriſti ſer- Mar. 8 38. vus non eſſem. Quomodo autem poſſumus propter Chriſtum ſanguinem fundere; qui Gal. 1. 10. ſanguinem Chriſti erubeſcimus bibere? An illa ſibi aliquis contemplatione blanditur, quod etſi mane aqua ſola offerri videtur, tamen 3 cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus: Sed cum cœnamus, ad convivium noſtrum plebem convocare non poſſumus, ut 4 ſacramenti veritatem fraternitate omni præſente celebremus. 5 At enim non mane, ſed poſt cœnam mixtum calicem obtulit Dominus. Nunquid ergo Domi-

(a) Non dicam, *Lam. Bod.* 1, 2. *NC.* 2. *Ebor.* (b) Dilectus, *Bod.* 2 *Ebor. NC.* 1, 2. (c) Quid aliqui, *Bod.* 1. (d) Ante nos temere, *NC.* 2. (e) Nam Jeſus Chriſtus, *Bod.* 1. (f) Ipſe ſummus, *Bod.* 1. (g) Deo Patri ſe ipſum obtulit, *Lam. Ebor. NC.* 1. (h) In ſui commemoratione, *Bod* 1, 2. *Lin. Ebor. NC.* 1, 2. (i) Specialiter percipitur, & fideliter obſervatur, *Vat.* (k) Hoc quis veretur, ne vinum offerat, ne per ſaporem vini odore fragrante, ab infideli conſcientia odor vini horis matutinis fuerit agnitus; & cognoſcatur eſſe Chriſtianus, dum nos ſanguinem Chriſti in vini oblatione commemoramus, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *Lin. Benev.* (l Confuſus me fuerit, coram hominibus confundet eum, *Bod.* 2. *NC.* 1. *Ebor.*

1 *In ſacrificiis matutinis.*] Rigaltius ait, *Tertullianus, etiam antelucanis cœtibus. Horis antelucanis Euchariſtiam celebrabant, quia ſi diſtuliſſent in cœnæ tempus, plebs ad convivium convocari non potuiſſet. Hoc innuunt in Cypriano ſequentia paulo poſt. Tertullianus autem cum ait etiam antelucanis cœtibus Euchariſtiam celebrari, fatetur etiam in tempore victus celebratam fuiſſe.*

2 *Per ſaporem vini.*] Tertullianus in lib. 2. ad Uxorem c. 5. rem totam exſequitur. *Quanto curaveris ea occultare, tanto ſuſpectiora feceris, & magis captanda gentili curioſitati. Latebiſne tu cum lectulum, cum corpuſculum tuum ſignas, cum aliquid immundum flantis explodis, cum etiam per noctem exſurgis oratum? & non Magiæ aliquid videberis operari? Non ſciet maritus quid ſecreto ante omnem cibum guſtes? & ſi ſciverit panem, non illum credit eſſe qui dicitur?* Revera matutina jentacula fiebant ex Meri hauſtu, unde ἀκρατίζεσθαι apud Græcos eſt jentare, & ἀκράτισμα jentaculi ſumtio; ſed hæc ad fœminas non ſpectabant, quibus inſtar ſceleris capitalis erat vinum deguſtaſſe. Lectio in qua codices probatiſſimi, Lambethanus, Eboracenſis, Bodleianus ſecundus, Lincolnienſis, Benedictinus, & Londinenſis, conſentiunt, minime videtur contemnenda; præſertim cum ad Tertulliani mentem maxime reſpondeat. Quod illic *infidelis conſcientia* dicitur, Septimius poſuit, *alterius conſcientiam mariti.* Sed nihil muto.

3 *Cum ad cœnandum venimus, mixtum calicem offerimus.*] Conſtat hinc Aquarios hoſce non Manichæorum, Tatianorum, aut Helcaſitarum errorem imbibiſſe, ut ſentirent vinum, ceu diaboli ſanguinem, prorſus eſſe abominandum: hæc enim in eorum perſona dicuntur, qui primo tantum *mane aqua ſola offerebant.* Conſtat etiam Euchariſtiam licet *horis antelucanis* ſumtam, veſpere etiam diſtribui ſolitam; cujus rei locuples teſtis Tertullianus lib. de Corona c. 3. *Euchariſtiæ ſacramentum tempore victus de Præſidentium manu ſumimus.* Et alibi monet ut finitis ſtationibus ſumatur. Conſuetudo poſt cœnam communicandi diu duravit in Eccleſia; Socrates enim ait l. 5. c. 22. Αιγύπτιοι γείτονες ὄντες ἀλεξανδρέων, καὶ οἱ τὴν Θηβαΐδα οἰκοῦντες, ἐν σαββάτῳ μὲν ποιοῦνται συναξεις. οὐχ' ὡς ἔθος δὲ χριστιανοῖς τῶν μυστηρίων μεταλαμβανουσι. μετὰ γὰρ τὸ εὐωχηθῆναι, καὶ παντοίων ἐδεσμάτων ἐμφορηθῆναι, περὶ ἑσπέραν προσφέροντες, τῶν μυστηρίων μεταλαμβάνουσι.

4 *Sacramenti veritatem.*] Rigaltius ait, *Calicem mixtum & fraternitate omni præſente. Ut ſic vere obſervemus omnia quæ Chriſtus tradidit, offerendo calicem mixtum, & in tempore victus, & fraternitate omni præſente.*

5 *At enim non mane, ſed poſt cœnam mixtum calicem obtulit Dominicus. Nunquid ergo Dominicum poſt cœnam celebrare debemus?*] Rigaltius ait, *Supra dixit, nefas eſſe ad ipſum Dominicæ ordinationis ſacramentum pertinentia infringere, aut in aliud quam quod divinitus inſtitutum ſit, humana traditione mutare. Hic vero cauſas & rationes ingenioſe commini ſcitur, cur Dominicum poſt cœnam celebrare non debeamus, etſi poſt cœnam Dominus inſtituerit. Dicet aliquis, cauſas ſive rationes quas Cyprianus adfert eſſe ſpiritales atque divinas; nempe, Chriſtum memoriam paſſionis ſuæ, quæ ad veſperam diei contigit, inſtituiſſe poſt veſperam: nos autem reſurrectionem Domini matutino tempore ab ipſo Domino patratam mane celebrare, ac proinde quod divinitus inſtitutum fuit, non videri humana traditione ſive præſumtione mutatum. Ævo jam Tertulliani mutatum aliquid circa hoc ſacramentum fuiſſe colligitur, & non ſolum veſpere, in tempore victus, ſed etiam horis antelucanis, ſacramentum corporis Chriſti celebratum fuiſſe arguunt hæc verba, lib. de Corona: Euchariſtiæ ſacramentum in tempore victus mandatum à Domino, etiam antelucanis horis ſumimus. Nondum tamen humana præſumtio ſic invaluerat, ut non etiam in tempore victus ſumeretur. Sed paulo poſt omnino invaluiſſe manifeſtum eſt, ex his quæ tradit hac Epiſtola Cyprianus. Imo placuiſſe Spiritui ſancto ait Auguſtinus, nec propter eas quas Cyprianus attulit rationes, ſed ut in honorem tanti ſacramenti, in os Chriſtiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. Nam ideo, inquit, per univerſum orbem mos iſte ſervatur. Et*

Ann. 253. Dominicum poſt cœnam celebrare debemus? ut ſic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus? Chriſtum offerre oportebat circa veſperam diei, ut hora ipſa ſacrificii oſtenderet occaſum & veſperam mundi, ſicuti in Exodo ſcriptum eſt: Et occident illum omne vulgus ſynagogæ filiorum Iſraël ad veſperam. Et iterum in Pſalmis: Allevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Nos autem reſurrectionem Domini mane celebramus. Et quia paſſionis ejus mentionem in ſacrificiis omnibus facimus (1 paſſio eſt enim Domini, ſacrificium quod offerimus) nihil aliud quam quod ille fecit, facere debemus. Scriptura enim dicit: Quotieſcunque enim ederitis panem iſtum & calicem iſtum biberitis, mortem Domini annunciabitis quoadusque veniat. Quotieſcunque ergo calicem in commemorationem Domini & paſſionis ejus offerimus, id quod conſtat Dominum feciſſe, faciamus. Exod. 12. 6. Pſal. 14. 2. 1 Cor. 11. 26.

Non hominum exemplis, ſed Domini magiſteriis ubique debemus.

Et (a) viderit, frater cariſſime, 2 ſi quis de anteceſſoribus noſtris, vel ignoranter, vel ſimpliciter non hoc obſervavit & tenuit, quod nos Dominus facere exemplo & magiſterio ſuo docuit: poteſt ſimplicitati ejus de indulgentia Domini venia concedi, nobis vero non poterit ignoſci, qui nunc à Domino admoniti & inſtructi ſumus, ut calicem Dominicum vino mixtum, ſecundum quod Dominus obtulit, offeramus. Et de hoc quoque ad Collegas noſtros literas dirigamus, ut (b) ubique lex Evangelica & traditio Dominica ſervetur, & ab eo quod Chriſtus & docuit & fecit, non recedatur. Quæ ultra jam contemnere, & in errore priſtino perſeverare, quid aliud eſt quam incurrere in objurgationem Domini increpantis in Pſalmo & dicentis: Ad quid exponis juſtificationes meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu autem odiſti diſciplinam, & abjeciſti ſermones meos retro. Si videbas furem, concurrebas ei, & inter mœchos (c) particulam tuam ponebas. Exponere enim juſtificationes & teſtamentum Domini, & non hoc idem facere quod fecerit Dominus; quid aliud eſt, quam ſermones ejus abjicere, & diſciplinam Dominicam contemnere, nec terrena ſed ſpiritalia furta & adulteria committere; dum quis de Evangelica veritate furatur Domini noſtri verba & facta, & corrumpit atque adulterat præcepta divina? Sicut apud Hieremiam ſcriptum eſt: Quid eſt, inquit, (d) paleis ad triticum? propter hoc ecce ego ad Prophetas, dicit Dominus, qui furantur verba mea unuſquiſque à proximo ſuo, & ſeducunt populum meum in mendaciis ſuis, & in erroribus ſuis. Item apud eundem alio loco: Et mœchata eſt, inquit, in (e) lignum & lapidem; & in his omnibus, non eſt reverſa ad me. Quod furtum & adulterium ne in nos etiam cadat, cavere ſollicite & timide, ac religioſe obſervare debemus. Nam ſi ſacerdotes Dei & Chriſti ſumus, non invenio quem magis ſequi quam Deum & Chriſtum debeamus; quando ipſe in Evangelio maxime dicat: Ego ſum lumen ſeculi. Qui me ſecutus fuerit, (f) non ambulavit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Ne ergo in tenebris ambulemus, Chriſtum ſequi & præcepta ejus obſervare debemus; quia & ipſe in alio loco mittens Apoſtolos, dixit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Ite ergo & docete omnes gentes, (g) tingentes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, docentes eos obſervare omnia quæcunque (h) præcepi vobis. Quare ſi in lumine Chriſti ambulare voluimus, à præceptis & monitis ejus non recedamus; agentes gratias, quod dum inſtruit in futurum quid facere debeamus, de præterito ignoſcit quod ſimpliciter erravimus. Et quia jam 3 ſecundus ejus adventus nobis appropinquat; magis ac magis benigna ejus & larga dignatio corda noſtra luce veritatis 4 (i) illuminat. Religioni igitur noſtræ congruit & timori, & ipſi loco atque officio ſacerdotii noſtri, frater cariſſime, in Dominico calice miſcendo & (k) offerendo, cuſtodire 5 traditionis Dominicæ veritatem; & quod prius apud quoſdam videtur erratum, Domino monente corrigere: ut cum in claritate ſua & majeſtate cœleſti venire cœperit, inveniat nos tenere quod monuit, obſervare quod docuit, facere (l) quod fecit. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere. Jer. 23. 28. Jer. 3. 9. Jo. 8. 12. Mat. 28. 18.

(a) Vide etiam, *Bod.* 3. (b) Ubicunque lex, *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Lin.* (c) Portionem, *NC.* 2. adulteris portionem, *Bod.* 3. partem, *Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (d) De paleis, *Lin.* (e) Ligno & lapide, *NC.* 2. (f) Non ambulat, *Ebor.* (g) Baptizantes, *NC.* 2. (h) Mandavi vobis, *NC.* 2. (i) Illuminet, *Lam.* (k) Atque offerendo, *Lam.* (l) Quod & ipſe fecit, *Lam. Bod.* 2.

tamen idem obſervat, nonnullos probabili quadam ratione delectari, ut uno certo die per annum quo ipſam cœnam Dominus dedit, tanquam ad inſigniorem commemorationem, poſt cibos offerri & accipi liceat corpus & ſanguinem Domini. Deinde diſputationem ſuam vir ſanctiſſimus quaſi dubius & incertus ita concludit: Quapropter neminem cogimus ante Dominicam illam cœnam prandere, ſed nulli etiam contradicere audemus. Habetur autem ea diſputatio Epiſtola CXVIII. *ubi hoc etiam obſervare eſt, eo die quo ipſam cœnam Dominus dedit, prope omnes in pleriſque locis lavaſſe. Itaque addit Auguſtinus, Et quia nonnulli etiam jejunium cuſtodiunt, mane offertur propter prandentes, quia jejunia ſimul & lavacra tolerare non poſſunt: ad veſperam vero, propter jejunantes.*

1 *Paſſio eſt enim Domini.*] Illius ἀνάμνησις. Luc. 22. 19. 1 Cor. 11. 24, 25.

2 *Si quis ſimpliciter non hoc obſervavit.*] Rigaltius ait, *Sic infra, ſub finem Epiſtolæ dicet: Quod ſimpliciter erravimus.*

3 *Secundus ejus adventus appropinquat.*] Rigaltius ait, *Supra dixit, Occaſum ſeculi. Epiſt.* LVIII.

4 *Magis illuminat.*] Non per Montani & Hypophetarum ejus inſomnia, quod dixiſſet Tertullianus; ſed per Chriſti & Apoſtolorum monita ſtudioſe obſervata.

5 *Traditionis Dominicæ veritatem.*] Rigaltius ait, *Supra dixit, ſacramenti veritatem.* Id ſcil. ipſum quod Dominus docuit & fecit.

An. 253.

EPISTOLA LXIV.

Cyprianus & ceteri Collegæ qui in concilio affuerant numero LXVI. [1] Fido fratri Salutem.

Ad Pamelium. LIX. Ad Erasm. l. 3. Ep. 8. Patres Africani pacem à Therapio temere concessam, ratam esse statuunt.

LEGIMUS literas tuas, frater carissime, quibus significasti de (a) [2] Victore quondam Presbytero, quod ei, antequam pœnitentiam plenam egisset, & Domino Deo, in quem deliquerat, satisfeciisset, temere Therapius collega noster immaturo tempore, & præpropera festinatione pacem dederit. Quæ res nos satis movit, fecessum esse à decreti nostri (b) auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus satisfactionis, & [3] sine petitu & conscientia plebis, nulla infirmitate urgente, ac necessitate cogente, pax ei concederetur. Sed librato apud nos diu (c) consilio, satis fuit objurgare Therapium collegam nostrum, quod temere hoc fecerit; & instruxisse, ne quid tale de cetero faciat. Pacem tamen quomodocunque à sacerdote Dei semel datam non putavimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem sibi concessam usurpare permisimus. *Scripta post reditum, tempore Stephani P. Rom.*

Infantium modo natorum Baptismus ab iisdem stabilitur.

[5] Quantum vero ad causam infantium pertinet, quos dixisti intra secundum vel tertium diem, (d) quo nati sint, constitutos, baptizari non oportere, & considerandam esse

(a) *Sic Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2. *Ver. Benev.* Victore quodam, *Imp. Nup.* (b) Auctoritate, &, *NC.* 2. (c) Consilio objurgare Therapium collegam nostrum decrevimus, *NC.* 2. (d) Quam nati sunt, *Bod.* 1, 2. *NC.* 1, 2. *Ebor. Lin. Benev. Ver.*

1 *Fido fratri*] Pamelius ait. *Quo in loco fuerit Episcopus Fidus*, non constat; *verisimile tamen est fuisse vicinum Episcopatui Therapii, qui in Synodo cognominatur a Bulla:* Vid. Suffrag. 61. Concilii Carthaginiensis.

2 *Victore quondam Presbytero.*] Rigaltius ait, *Iste Victor quondam in Ecclesia Presbyter, male servata fide, Ecclesiam amiserat, & pacem. Itaque etsi pacem quomodocunque, hoc est præpropera Therapii festinatione recepisset, minime tamen locum in Ecclesia hoc est Presbyteri honorem receperat. Bene igitur, atque ex disciplina veteri, scripsit Cyprianus, de Victore quondam Presbytero, qui nunc inter laicos communicabat Ecclesiæ. Idem ergo Victor de laico Presbyter; de Presbytero lapsus: de lapso pœnitens: de pœnitente laicus.* Supra observavimus, non semper in Ecclesia obtinuisse, ut in Clericos delinquentes, solum per depositionem ad communionem laicam animadverteretur. Constat Victorem Ecclesia pultum ad pœnitentiam eamque diutinam admissum. Licet vero Synodo post reditum Cypriani secunda, lapsis ob persecutionem ingruentem indultum; tamen non ea mens Patrum erat ut pace restitutus & *nulla necessitate cogente*, Episcopus omnia pro arbitrio laxaret. Pacem nunc Ecclesiæ redditam frequens Synodus indicat. Fortunatianus lapsus *quondam Episcopus* dicitur, statim Ep. LXV.

3 *Sine petitu & conscientia plebis.*] Rigaltius ait, *Hoc sæpissime dicit, communicato etiam cum plebe consilio.*

4 *Pacem quomodocunque à sacerdote Dei semel datam.*] Rigaltius ait, *Hoc ubique agit summo studio Cyprianus, ne quid fiat adversus Dei sacerdotem.*

5 *Quantum vero ad causam infantium pertinet.*] Rigaltius ait, *Fidus iste non exuerat circumcisionis antiquæ legem. Adeoque baptismum infantibus ante diem à partu matris octavum dari non debere arbitrabatur. Cyprianus moram adhibendam esse ullam negat. Uterque ab Tertulliano dissentit. Videamus quid Apostoli de baptismo tradiderint. Etenim fiunt, non nascuntur Christiani. Fiunt, venientes ab Ethnicis, hoc est, Gentibus non Christianis. Fiunt etiam, venientes à parentibus Christianis, vel alterutro Christiano. Hos Apostolus, etiam ante baptismum, sanctos esse ait, quasi designatos sanctitati, voto Parentis. Cui scilicet, & cujus semini cum Deo fœdus intercedit. Ad hujusmodi autem privilegium valet ex parentibus alter, quasi favore libertatis. Sed nemo Fidelis habetur, priusquam Christum sciat. Itaque prius audiat oportet quæ sunt fidei Christianæ. Posteaquam audierit ac perceperit, tunc ab ipsa fide fidelis vocatur. Atque ut ea, quæ jam illi sunt demissa per aures in mentem, signo aliquo subjiciantur oculis, & ut fortius animum feriant, tinguitur, seu mergitur aqua, fluvio, fonte, lacuna, labro. Tria vero jam illi contigerant. Nam & fidem perceperat, & per fidem adeptus erat veniam omnium retro delictorum: prætereaque acceperat pignus resurrectionis in vitam æternam. Itaque illa tria baptismus significat. Tinctio, hominem fide imbutum: mersio, ablutum sordibus & maculis: emersio, resurgentem. Ergo jam perfecte fidelem dicimus πίστει βεβαμμένοι εἰς βάθος, quasi ebrium fidei Christianæ succo, ut lanam purpura. Sic Philippus Eunuchum, jam Christiana perdoctum, jam professum se toto corde credere Christum esse Filium Dei, obvia forte in itinere aqua baptizavit. Tinctionem sive mersionem, & tinguendi mergendique formulam tunc simplicissimam fuisse apparet hoc Eunuchi baptismo. Neque enim aliud mandaverat Christus dimittens Apostolos: Euntes, inquit, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris & Filii & Spiritus sancti. Sic de Petri ad populum allocutione una Lucas: Qui sermonibus ejus fidem adhibuerunt, baptizati sunt; & addita sunt Ecclesiæ die illo animarum tria circiter millia. Qui toto corde crediderat in Christum, jam in illa fide vivebat Christianus Deo, imbiberat Christum, & integre sapiebat ad Deum. Illi ergo baptismus sive immersio signum erat fidei jam probæ: ac proinde necessitas signi sive sacramenti, ostendebat necessitatem rei cujus erat sacramentum. Nec inutilis erit hic repetita observatio formulæ ab ipso Domino præscriptæ: Docete, tinguentes eos. Nam qui docentur Christiana, tinguntur in Christum. Audientes & credentes, imbuuntur. Postquam audierunt & crediderunt, jam spiritaliter tincti seu baptizati sunt. Hunc vero baptismum spiritalem, signari & declarari voluit Christus aquæ sacramento, corporis baptismo. Apostolos ejusdem tinctionis & tinguendi formulæ simplicitatem conservasse, ipsorum Acta declarant. At Christianos ævi proxime sequentis addidisse pluscula, fatetur Tertullianus libro de Corona. Aquam adituri, inquit, ibidem, id est, ad ipsam aquam, & aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur renunciare diabolo, & pompæ, & Angelis ejus. Dehinc, ter mergitamur. Inde suscepti, lactis & mellis concordiam pragustamus; atque ex ea die lavacro quotidiano per totam hebdomaden abstinemus. Et hæc omnia quidem, de Judaica morositate magis, quam de Christiana simplicitate, Septimius laudat, & ratione non carere adjirmat: quorum tamen hodie magna pars exolevit. Idem Septimius, ætate jam sua baptismo adhibitam fuisse Unctionem testatur; Ex pristina, inquit, disciplina, hoc est, Mosaica, qua ungi oleo de cornu in sacerdotium solebant. Hoc vero mandatum à Domino, ait ab Apostolis factitatum fuisse non legimus; sed paulo post excessum Apostolorum, Christiani faciles multa de Judaicis observationibus nondum obliterata retinuerint; quæ hodie si quis omitteret, annorum supra mille prope quingentorum auctoritate obrueretur. Verba sunt in Apocalypsi Joannis ad Ecclesias in Asia: Gratia sit vobis à Christo Jesu, qui fecit vos reges & sacerdotes Deo & Patri suo. Sunt & ista Petri in Epistola priore: Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta. Quæ de regno & sacerdotio spiritali sunt accipienda. Hoc tamen argumento, atque etiam vocabulo Christi, quantum ab origine Græca deducitur, persuasum fuit veteribus, omnem Christianum ungi oportere, tanquam regem & sacerdotem. Nec alias convenientius, quam in ipso quidem baptismo, quo nomen adsumit Christiani. Ungi quoque necesse est eum qui baptizatus sit, ait Cyprianus ad Episcopos Numidiæ, ut accepto chrismate, id est unctione, esse unctus Dei & habere in se gratiam Christi possit. Adeoque Canon secundus Synodi primæ Arausicanæ sic habet: Nullum ministrorum, qui baptizandi recepit officium, sine chrismate usquam debere progredi: quia inter nos placuit semel chrismari. De eo autem qui in baptismate, quacunque necessitate sa-

An. 253. esse legem circumcisionis antiquæ, ut intra octavum diem eum qui natus est baptizandum & sanctificandum non putares; longe aliud 1 in (a) concilio nostro omnibus visum est. In hoc enim quod tu putabas esse faciendum, nemo consensit; sed universi potius judicavimus, nulli hominum nato (b) misericordiam Dei & gratiam denegandam. Nam cum Dominus in Evangelio suo dicat: Filius hominis non venit animas hominum perdere, sed salvare; quantum in nobis est, si fieri potest, nulla anima perdenda est. Quid enim ei deest, qui semel in utero Dei manibus formatus est? Nobis enim atque oculis nostris, 2 secundum dierum seculariam cursum, accipere, qui nati sunt, incrementum videntur: ceterum quæcunque à Deo fiunt, Dei factoris majestate & opere perfecta sunt. Esse denique apud omnes, sive infantes, sive majores natu, unam divini muneris æqualitatem declarat nobis divinæ scripturæ (c) fides. Helisæus super infantem Sunamitidis viduæ filium qui mortuus jacebat, ita se Deum deprecans superstravit, ut capiti caput, & faciei facies applicaretur, & superfusi Helisæi membra singulis parvuli membris & pedes pedibus jungerentur. Quæ res si secundum nativitatis nostræ & cor- Luc. 9. 56. 4 Reg. 4. 34.

(a) Concilio nostro visum, *Bod.* 2. *Ebor. NC.* 2. *Lin.* (b) Misericordis Dei gratiam, *August.* (c) Fides, cum Helizeus, *Lam. NC.* 1. 2. *Lin.* Helizeus super viduæ, *Bod.* 1.

faciente, non chrismatus fuerit, in confirmatione sacerdos admonebitur. Hujusce unctionis administratio pro variorum Episcoporum ingenio variasse videtur; & in illo ipso Canone reperiuntur etiam in exemplaribus antiquis adjecta quædam parum constanter; & fortean ad usum seculi posterioris accommodata. Nam & invectæ sunt plures unctiones, & distingui cœpit ea quæ in fronte fiebat, ab alia quam in vertice fieri placuit. Hæc permissa Presbyteris, alia Episcopis reservata, perficientibus & consummantibus inchoata mysteria. Ad baptismi quoque disciplinam pertinere videntur ea, quæ tradidit Lucas de fraterna conversatione fidelium inter se post adeptionem baptismi. Perseverabant, inquit, in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precibus. Sed in ea conversatione subit observatio circa infantes & parvulos; non ita fuisse participes Christianæ communionis, ut etiam baptizarentur. Hoc necessario colligi videtur ex antedictis, ubi apertissima sunt verba Domini, jubentis docere, priusquam tingere: & Apostoli docentis Eunuchum, deinde baptizantis. Erat Deus ipse ratio, fidem exploraris priusquam imponat signaculum fidei, quæ fides, cum ex adsensu veniat, in homine non deprehenditur ante annos intellectus & sapientiæ capaces. Adeoque in Actis Apostolorum legimus: Cum credidissent Philippo evangelizanti, baptizatos fuisse viros & mulieres, mentione infantium nulla. Itaque ab ævo Apostolorum usque ad Tertulliani tempora, res in ambiguo mansit. Et fuere, qui occasione verbi Domini: Sinite parvulos venire ad me, quibus tamen aquas ministrari non jussit Dominus, etiam recens natos infantes baptizaverint. Et quasi seculare aliquod negotium cum Deo transigeretur, sponsores & fidejussores Christo dederint, adultos à fide Christiana non recessuros. Quod sane displicuit Tertulliano. Quid enim necesse est, inquit, sponsores etiam periculo ingeri? quia & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possint, & proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus: Nolite prohibere parvulos ad me venire. Veniant ergo, dum adolescunt: dum quo veniant docentur: fiant Christiani, quum Christum nosse potuerint. Quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum? Parum advertebat Septimius ad primævæ originis peccatum, quod omnes in Adamo peccavimus cum innocentem esse dixit parvulorum ætatem; aut peccatum illud, quod in Adamo peccasse dicimur, satis expiari credidit pœna mortis, quam nos in Adamo quoque necesse est mori. Dubitatum etiam fuisse videtur Septimii tempore de innuptis, tam virginibus quam viduis. Et admitti ad baptismum virgines adhuc crudas satis periculosum existimabant, quia fortean aliquæ, postquam maturuissent, nuptias suas extra Ecclesiam ferebant, & cum in manum domumque Ethnici venissent, datam Christo fidem facile sibi cum virginitate eripi patiebantur. Nec erat absimile periculum in viduis adhuc juvenculis, occasione mariti quoque Ethnici, fortasse prædivitis ac desideratissimi. Ob hujusce modi pericula Tertullianus pro cujusque personæ conditione ac dispositione, etiam ætate, cunctationem baptismi utiliorem fore ait; præcipue tamen circa parvulos. Denique ambiguitatem sic dijudicat: Si qui pondus intelligat baptismi, magis timebunt consecutionem, quam dilationem. Fides integra secura est de salute. Hanc Tertulliani sententiam plerique parum tutam esse arbitrati, cum Cypriano censuerunt, etiam recens natos lavacri salutaris participes fieri oportere, quod & Synodi decreto constitutum & dubitatio sublata. Satis argute quidem & subtiliter dixerat Tertullianus: Fuisse retro salutem per fidem nudam, ante Domini passionem & resurrectionem; ac ubi fides aucta est credendi in nativitatem, passionem & resurrectionem ejus, additam quoque fuisse ampliationem sacramenti, obsignationem baptismi, vestimentum quodammodo fidei, quæ retro erat nuda; nec potest jam sine sua lege. Legem enim tinguendi impositam esse, & formam præscriptam. Quia in hac causa prævaricatoris potius quam interpretis partes agere videtur Rigaltius; operæ pretium fuerit, rem totam paucis retractare. Dicit inprimis, *fieri, non nasci Christianos*; &, *neminem fidelem haberi, priusquam Christum sciat*, &c. Sed meminisse oportet, infantes etiam à *matris utero vocatos*, & *Spiritu sancto plenos*, Is. 49. 1. Luc. 1. 15. Imo martyrii honore auctos, Matt. 2. 16. Porro certum est Judæos non minus quam Christianos, fide ad salutem pervenire, fide scil. in Messiam venturum, quemadmodum nos, fide in illum orbi datum; & si Israëlita, infans licet, ad Circumcisionem, & proinde in Ecclesiam admissus, nihil est quod prohibeat infantem Christianum eodem privilegio gaudere. Infantium baptismum Tertulliani ævo invaluisse satis constat ex libro ejus de Baptismo; tunc etiam temporis docet sponsores adhibitos fuisse. Et licet ex propria sententia quærat, *quid festinat innocen ætas ad remissionem peccatorum:* tamen fatetur, si mortis periculum ingruat, homicidii reum si quis à sacro fonte in discrimine constitutos arceat. *Sufficiat*, inquit, *necessitatibus utaris, sicuti aut loci, aut temporis, aut personæ conditio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis. Quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit præstare quod libere potuit.* D. Augustinus Epist. 28. ait, *Beatus quidem Cyprianus non aliquod decretum condens novum, sed Ecclesiæ fidem firmissimam servans ad corrigendum eos, qui putabant ante octavum diem nativitatis non esse parvulum baptizandum: non carnem, sed animam dixit esse perdendam: & modo natum rite baptizari posse, cum suis quibusdam coepiscopis censuit.* Quomodo autem differendum baptismum infantium suadet Tertullianus, *non minore de causa innuptos quoque procrastinandos* censet: *in quibus tentatio præparata est tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vocationem, donec aut nubant, aut continentia corroborentur.* Et demum concludit, *si qui pondus intelligant baptismi, magis timebunt consecutionem quam dilationem.* Sed hac ex parte Tertullianum audiendum nemo sanus dixerit. Hinc quidem ortum duxit baptismi usque ad mortis articulum dilatio; & infame in Ecclesia Clinicorum nomen. Porro hic notandum, non officere Infantium baptismo, *quod diem solenniorem baptismo pascha præstet*, ut ait Tertullianus; & *exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est*: hæc enim ad baptismum adultorum potissimum spectant, qui post Catechumenatus & quadragesimæ decursum, casti & expiati ad sacrum fontem pergebant.

1 *In concilio nostro omnibus visum est.*] Augustinus lib. 4. de bapt. contra Donatistas cap. 23. 24. Infantium baptismum traditioni Apostolicæ adscribit, hanc regulam proponens, *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Licet in Concilio hoc Carthaginiensi, 66. Episcoporum *omnibus visum sit; nulli hominum nato misericordiam Dei, & gratiam denegandam*, hæc non ad pædobaptismum statuendum adducta qui olim obtinuit; sed ad Afrorum hac in re judaizantium errorem refellendum vibrata, qui ad diem octavum, circumcisioni olim præstitutum, ritum illum differendum censebant.

2 *Secundum dierum secularium cursum.*] Rigaltius ait, *Sic infra: Secundum seculum, non secundum Deum. Nam apud Deum non est tempus. Dies igitur dicit seculares, uti ab hominibus in seculo numerantur.*

1 *Unus-*

An. 253. & corporis qualitatem cogitetur, adulto & provecto infans non posset æquari, nec cohærere & sufficere possent parva membra majoribus. Sed illic æqualitas divina & spiritalis exprimitur, quod pares atque æquales sint omnes homines, quando à Deo semel facti sunt; & possit ætas (a) nostra in incrementis corporum, secundum seculum, non secundum Deum habere discrimen: nisi si & gratia ipsa, quæ baptizatis datur, pro ætate accipientium vel minor, vel major tribuitur; cum Spiritus sanctus non de mensura, sed de pietate atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbeatur. Nam Deus ut (b) personam non accipit, sic nec ætatem; cum se omnibus ad cœlestis gratiæ consecutionem æqualitate librata (c) præbeat patrem. Nam & quod vestigium infantis in primis partus sui diebus constituti, mundum non esse dixisti, quod 1 unusquisque nostrum adhuc horreat exosculari, nec hoc putamus ad cœlestem gratiam dandam impedimento esse oportere, scriptum est enim: Omnia munda sunt mundis. Gal. 2. 6. Tit. 1. 15.

Superstitiosus mos infantes ad Osculum non admittendi ante diem octavum, notatur.

Nec aliquis nostrum id debet horrere, quod Deus dignatus est facere. Nam etsi adhuc infans à partu novus est, non ita est tamen, ut quisquam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat osculari; quando in osculo infantis unusquisque nostrum pro sua religione ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato & (d) recens nato quodammodo exosculamur, quando id quod Deus fecit amplectimur. (e) Nam quod in Judaica circumcisione carnali 2 octavus dies observabatur, sacramentum est in umbra atque in imagine ante præmissum, sed veniente Christo veritate completum. Nam quia octavus dies, id est, post Sabbatum (f) primus dies futurus erat, quo Dominus resurgeret & nos vivificaret, & circumcisionem nobis spiritalem daret: hic dies octavus, id est, post Sabbatum primus & Dominicus præcessit in imagine, quæ imago cessavit, superveniente postmodum veritate, & data nobis spiritali circumcisione.

Nemo à baptismo impediendus.

Propter quod neminem putamus à gratia consequenda impediendum esse ea lege, quæ jam statuta est, nec spiritalem circumcisionem impediri carnali circumcisione (g) debere, sed omnem omnino admittendum esse ad gratiam Christi; quando & Petrus in Actis Apostolorum loquatur, & dicat: Dominus mihi dixit (h) neminem hominum communem dicendum & immundum. Ceterum si homines impedire aliquid ad consecutionem gratiæ posset; magis adultos, & provectos, & majores natu possent impedire peccata graviora. Porro autem si etiam (i) 3 gravissimis delictoribus & in Deum multum ante peccantibus, cum postea crediderint, remissa peccatorum datur, & baptismo atque à gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, 4 nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? qui ad remissam peccatorum (k) accipiendum hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata. Et iccirco, frater carissime, hæc fuit in concilio nostra sententia, à baptismo atque à gratia Dei, qui omnibus misericors & benignus & pius est, neminem per nos debere prohiberi. Quod cum circa universos observandum sit atque retinendum: magis circa infantes ipsos & (l) recens natos observandum putamus, qui hoc ipso de ope nostra, ac de divina misericordia plus merentur, quod in primo statim 5 nativitatis suæ (m) ortu plorantes ac flentes, nihil aliud faciunt quam deprecantur. Optamus te, frater carissime, semper bene valere. Act. 10. 28.

J. T. L. Art. 10 p. 5. — Orig. Sin. p. 4.

(a) Nostra incrementis, *Lam. Bod.* 2. (b) Personam hominis, *Lin. NC.* 2. (c) Præbeat parem, *Lin.* (d) Recenter nato, *August.* (e) Nam quando, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ebor.* circumcisione octavus, *Lam. Bod.* 2. *NC* 1. (f) Primus futurus, *Lam. Bod.* 1. (g) Sic *Bod.* 1, 2. *Lin. Ebor. Lam. NC.* 1, 2. *Spir. Innom. Eras.* deber, *Rig.* (h) Neminem communem, *Bod.* 2. (i) Gravissimis delictorum, *Thu. Corb.* (k) Accipiendam, *Bod.* 1, 2. *NC.* 1, 2. *Lin. Ebor.* (l) Recenter, *Bod.* 2. *Lam.* (m) Ortu flentes, *Lam. Bod.* 2. *Lin. NC.* 1, 2.

1 *Unusquisque nostrum adhuc horreat exosculari.*] Rigaltius ait, *Fidus, ad quem est hæc Epistola Cypriani, horrebat osculari recens natos infantes, cum suis impedimentis profusos utique & oblitos, indeque in octavum à partu diem differri baptismum volebat. Horrorem discutit Cyprianus iisdem argumentis quibus Tertullianus Marcionis hæresin confutavit exhorrentis Fidei Christianæ articulum quo Christum filium Dei de Mariæ virginis utero vere hominem natum adserimus. Christus dilexit hominem illum in immunditiis, in utero coagulatum, illum per pudenda prolatum, illum per ludibria nutritum. Propter eum descendit, propter eum prædicavit. Tu hæc erubescenda illi facis quæ redemit? Tu exhorrescis in infante recentes adhuc Dei manus? Natura veneranda est, non erubescenda.* Totus hic apparatus ex Ethnica superstitione originem sumsit. Macrobius l. 1. c. 16. *Est*, inquit, *Nundinum Romanorum Dea, à nono die nascentium nuncupata qui lustricus dicitur. Est autem dies lustricus quo infantes lustrantur & nomen accipiunt, sed is maribus nonus, octavus est feminis.* Dato infantes non ad osculum admittendos ante diem octavum, sequebatur utique non baptizandos; quilibet enim Christianus, fraternitatis jure ad pacis osculum admissus.

2 *Octavus dies observabatur, sacramentum est.*] Pariter hujus typi meminit D. Augustinus contra Faustum Manich. l. 16. c. 29. *Tertio die resurgens quem dominicum dicimus, qui post sabbatum numeratur octavus, etiam circumcisionem octavi diei ad se prophetandum pertinere declarant.* Et paulo post. *Quia ista resurrectio quæ credita est nos justificat, illa octavæ diei circumcisione figurata est.*

3 *Gravissimis delictoribus.*] Rigaltius ait, *Negatoribus, sacrificatis, libellatis. Delictores dicit eos qui fidem Christo datam deseruerunt, dereliquerunt. Observavimus supra ad Epist.* LV.

4 *Nisi quod secundum Adam.*] Vix alibi reperitur, apud antiquos scriptores, locus ad confirmandum dogma de originali peccato, magis appositus, & expressus. De veterum hac in causa placitis consulatur Auctor historiæ Pelagianæ, l. 2. qui tamen immerito sugillat Clementem Alexandrinum, quasi doctrinam de originali peccato non satis intellexisset, siquidem quæ Stromat. l. 3. ab ipso disputata sunt, adversus Encratitas intentabantur, qui ferebant τὴν γένεσιν ἁπλῶς ἐπικατάρατον, ut ait Epiph. Porro asserebant Adamum damnatum, Iren. l. 1. c. 30.

5 *Nativitatis suæ ortu plorantes.*] Scriptores Ethnici Infantium modo natorum fletum; miseriarum sequentis vitæ omen putabant: Cyprianus pietati ascribit, & ceu precum inarticulatam formulam commendat.

An. 253.

EPISTOLA LXV.

Cyprianus [1] Epicteto fratri, & Plebi, (a) Aſſuras conſiſtenti, Salutem.

Ad Pamelii numeros Ep. LXIV. Ad Eraſm. l. 1. Epiſt. 7. Lapſum pro integro agere, & Epiſcopatum ſibi vendicare omnem Eccleſiæ diſciplinam pervertit.

GRAVITER & dolenter motus ſum, fratres cariſſimi, quod cognoverim [2] (b) Fortunatianum quondam apud vos Epiſcopum, poſt gravem lapſum ruinæ ſuæ, pro integro nunc agere velle, & Epiſcopatum ſibi vindicare cœpiſſe: quæ res contriſtavit me, primo propter ipſum, qui miſer, vel diaboli tenebris in totum excæcatus, vel quorundam ſacrilega perſuaſione deceptus (cum debeat ſatisfacere, & ad Dominum exorandum, diebus ac noctibus, lacrymis, & orationibus, & precibus incumbere) audet ſibi adhuc ſacerdotium quod prodidit, vindicare; quaſi poſt aras diaboli accedere ad altare Dei fas ſit: aut non majorem in ſe iram & indignationem Domini in die judicii provocet; qui cum fidei, & virtutis dux fratribus eſſe non potuerit, perfidiæ, & audaciæ, & temeritatis magiſter exiſtat; & qui non docuit fratres in prælio fortiter ſtare, doceat eos, qui victi & proſtrati ſunt, nec rogare. Cum Dominus dicat: Illis fudiſtis libamina, & illis impoſuiſtis ſacrificia, (c) 3 ſuper hæc ergo non indignabor, dicit Dominus? Et alio loco: Sacrificans diis eradicabitur, niſi Domino ſoli. Item Dominus denuo loquitur & dicit: Adoraverunt eos, quos fecerunt digiti eorum, & curvatus eſt homo, & humiliatus eſt vir, & 4 non laxabo illis. In Apocalypſi quoque legimus iram Domini comminantis & dicentis: Si quis adorat beſtiam & imaginem ejus, & accipit notam in fronte ſua & in manu, bibet & ipſe de vino iræ Dei, mixto in poculo iræ ejus, & punietur igne & ſulphure ſub oculis ſanctorum Angelorum, & ſub oculis agni, & fumus de tormentis eorum in ſecula ſeculorum aſcendet; nec habebunt requiem die ac nocte, qui adorant beſtiam & imaginem ejus. Cum ergo hæc tormenta, hæc ſupplicia in die judicii Dominus comminetur iis qui diabolo obtemperant, & idolis ſacrificant: quo modo ſe putat poſſe agere pro Dei ſacerdote, qui obtemperavit & ſervivit diaboli ſacerdotibus? aut quo modo putat manum ſuam transferri poſſe (d) ad Dei ſacrificium & precem Domini, quæ captiva fuerit ſacrilegio & crimini? quando in ſcripturis divinis Deus ad ſacrificium prohibeat accedere ſacerdotes etiam in leviori crimine conſtitutos; & in Levitico dicat: Homo in quo fuerit vitium & macula, non accedet offerre dona Deo. Item in Exodo: Et ſacerdotes qui accedunt ad Dominum Deum ſanctificentur, 5 ne forte derelinquat illos Dominus. Et iterum: (e) Et cum accedunt miniſtrare ad 6 (f) altare ſancti, non adducent in ſe delictum, ne moriantur. Qui ergo (g) gravia in ſe delicta adduxerunt, id eſt, qui idolis ſacrificando ſacrilega ſacrificia fecerunt, ſacerdotium Dei ſibi vindicare non poſſunt, nec ullam in conſpectu ejus precem pro fratribus facere; quando in Evangelio ſcriptum ſit: Deus peccatorem non audit, ſed ſi (h) qui Deum coluerit, & voluntatem ejus fecerit, illum audit: 7 quamvis ſic quorundam pectora (i) tenebrarum ingruentium profunda caligo cæcaverit, ut de præceptis ſalubribus nihil lucis admittant, ſed ſemel à recto limite veri itineris averſi, per præceps & (k) abruptum criminum ſuorum nocte atque errore rapiantur. Nec mirum, ſi conſilia noſtra aut Domini præcepta nunc abnuunt, qui Dominum negaverunt.

Scripta poſt reditum.

Iſai. 57. 6. Exod. 22. 20. Iſai. 2. 8. Apoc. 14. 9. Lev. 21. 17. Exo. 19. 22. Exo. 28. 43. Jo. 9. 31.

Nefarii homines ſacrum miniſterium, ſtipis & oblationum & lucri cauſa deſiderant.

8 Stipes & oblationes & lucra deſiderant, quibus prius inſatiabiles incubabant, & cœnis

(a) Aſturas, *Lin. Thu. Foſſ. Corb.* (b) Fortunatum, *Corb.* (c) *Sic Bod.* 1, 2. *Lam. NC.* 1, 2. *Lin. Ebor. Spir. Innom. Eraſm. Thu. Foſs. Mic.* hæc omnia, *Rigalt.* (d) Ad ſacrificium & precem Domini, *Corb.* (e) Et qui accedunt miniſtrare, *Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Lin.* (f) *Sic Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Pam. Thu. Foſs. Vict. Spir. Innom.* altare ſanctum, *Corb.* ad ſanctum, *Rig.* (g) Gravia delicta, *Lam. Bod.* 2. (h) Quis Deum coluerit, *Bod.* 1. *NC.* 1. *Lin. Thu. Foſſ. Corb. Vict.* (i) Tenebrarum irruentium, *Lin. NC.* 2. (k) Abrupta, *Bod.* 1.

1 *Epicteto.*] Pamelius ait, *Fuiſſe hunc Epiſcopum Aſſuritanum, veriſimile eſt; quandoquidem autem in Synodo ſententiam dixit alius Aſſuritanus Epiſcopus, Victor nomine, defunctus videtur Epictetus ante Synodum.* Vid. ſuffrag. Concil. Carth. 68.

2 *Fortunatianum quondam apud vos Epiſcopum.*] Pamelius ait, *Fuerat quidem Fortunatianus illorum Epiſcopus, ſed quod lapſus eſſet, jam Epiſcopatu privatus; fuiſſe autem eum & factionis Novatiani ex ſequentibus conſtat.* Dicitur *pro integro agere velle*; ac ſi lapſus poſt pœnitentiam peractam communioni Eccleſiæ redditus; ita in integrum reſtitutus eſſet, aut ejuſdem regimen, poſtliminii quaſi jure capeſſere liceret. Sed videtur Fortunatiano pœnitentiam non fuiſſe conceſſam, imo non expetitam; tantum aberat ut eſſet peracta.

3 *Super hæc ergo non indignabor.*] LXX. legunt, ἐπὶ τούτοις ἐργισθήσομαι, omiſſo πᾶσι.

4 *Non laxabo illis.*] Rigaltius ait, *Manebunt ligati, non remittetur eis, non abſolventur.* ἐ μὴ ἀνῶ αὐτούς. Textus hic ſub eadem forma ſæpius laudatur.

5 *Ne forte derelinquat.*] LXX. legunt ἀπαλλάξῃ. Aquila magis ad mentem ſacri textus habet, διακόψῃ, & Symmachus διαφθείρῃ. Vocem hanc LXX. 1 Reg. 25. 10 per ἀναχωρίω interpretantur; alibi paſſim per διακόπτω, καθαιρέω, & verba his ſynonyma exponunt.

6 *Altare Sancti.*] LXX. πρὸς τὸ θυσιαστήριον τοῦ ἁγίου. κἀγὼ οὐκ ἐπάξονται ἐφ' ἑαυτοὺς ἁμαρτίαν, ἵνα μὴ ἀποθάνωσι. Editores huc uſque Exod. 30. 20. deſignari putabant, qui error alios peperit.

7 *Quamvis.*] Utcunque, licet, *ſic quorundam pectora tenebrarum ingruentium profunda caligo cæcavit*; nullum enim hic redditivum ſuccedit.

8 *Stipes & oblationes & lucra deſiderant,*] Rigaltius ait, *Itaque jam Cypriani ſeculo mali ſacerdotes quæſtum ſive capturam ex oblationibus fidelium uſurpaverant. Auguſt. lib.* IIII. *de baptiſmo, contra Donat. Hanc vero luem fœdiſſimam poſteros invaſiſſe apertiſſime conqueſtus eſt Sulpitius Severus, Hiſt.* l. 1. *Sedentes, inquit, munera expectant, atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quaſi venalem præferunt ſancti iattem.*

Au. 253. cœnis atque epulis etiam nunc inhiant, quarum (a) crapulam nuper ſuperſtite indies cruditate ructabant; nunc manifeſtiſſime comprobantes, (b) nec ante ſe religioni, ſed ventri potius & quæſtui profana cupiditate ſerviſſe. Unde & ipſam veniſſe perſpicimus, & credimus de Dei exploratione cenſuram, ne apud altare conſiſtere, & contrectare ulterius perſeverarent, pudorem inceſti, fidem perfidi, religionem profani, divina terreni, ſancta ſacrilegi. Rom. 6. 18.

Piorum erit, contra maleficorum attentata excubare, nec alienæ dementiæ conſentire.

Quod ne tales ad (c) altaris impiamenta, & contagia fratrum denuo redeant, omnibus viribus (d) excubandum eſt, ut quantum poſſumus ab hac eos ſui ſceleris audacia retundamus; ne adhuc (e) agere pro ſacerdote conentur, qui ad mortis extrema dejecti, ultra (f) 1 lapſus laicos ruinæ majoris pondere proruerunt. Si vero apud inſanos furor inſanabilis perſeveraverit, & recedente Spiritu ſancto, quæ cœpit cæcitas in ſua nocte permanſerit; conſilium nobis erit ſingulos fratres ab eorum fallacia ſeparare; & ne quis in laqueos erroris incurrat, ab eorum contagione ſecernere: quando nec 2 oblatio ſanctificari 3 illic poſſit, ubi Spiritus ſanctus non ſit, nec cuiquam Dominus per ejus orationes & preces profit, qui Dominum ipſe violavit. Quod ſi Fortunatianus aut immemor criminis ſui per diaboli cæcitatem, aut miniſter & ſervus diaboli factus, ad decipiendam fraternitatem in hoc ſuo furore permanſerit: vos quantum poteſtis elaborate, & in hac caligine diaboli ſævientis, fratrum mentes ab errore revocate; ne alienæ dementiæ facile conſentiant, ne ſe deſperatorum delictis participes faciant; ſed teneant integri (g) ſalutis ſuæ & & integritatis conſervatæ à ſe & cuſtoditæ perpetuum vigorem. Lapſi vero magnitudinem delicti ſui cognoſcentes à deprecando Domino non recedant, nec Eccleſiam Catholicam (quæ una & ſola eſt (h) à Domino conſtituta) derelinquant; ſed ſatisfactionibus immorantes, & Domini miſericordiam deprecantes ad Eccleſiam pulſent, ut recipi illuc poſſint, ubi fuerunt, & ad Chriſtum redeant, à quo receſſerunt. Nec audiant eos (i) qui ſe fallaci & mortali (k) circumventione decipiunt, cum ſcriptum ſit: Nemo vos decipiat inanibus verbis; propterea enim venit ira Dei ſuper filios contumaciæ: Nolite ergo eſſe participes eorum. Ergo contumaces, & Deum non timentes, & ab Eccleſia in totum recedentes, nemo comitetur. Quod ſi quis impatiens fuerit ad deprecandum Dominum qui offenſus eſt, & nobis obtemperare noluerit; ſed deſperatos & perditos ſecutus fuerit: (l) ſibi imputabit, cum judicii dies venerit. Quomodo enim deprecari in die illo Dominum poterit, qui & ante hoc Chriſtum, & nunc quoque Eccleſiam Chriſti negavit: & Epiſcopis ſanis & integris & viventibus non obtemperans, comitem ſe & participem morientibus præbuit? Opto vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere. Eph. 5 6.

(a) Crapula nuper ſuperſtitem indies cruditatem, *Bod.* 2. *Lam. NC.* 1. ſuperſtitem indies cruditate, *Bod.* 1. *Lin. NC.* 2. (b) Non ante ſe, *Lin. NC.* 1. *Ebor.* (c) Altaris ſanctificationem impia mente accedunt, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. *Ebor.* (d) Excubandum eſt & omni vigore renitendum, *Lam. Bod.* 1, 2. *NC.* 1, 2. *Ebor. Lin.* nitendum, *Thu. Foſs. Corb. Vict.* (e) Agere ſacerdotem, *Lin.* (f) *Sic Corb.* Lapſos laicos, *Neap.* (g) Integre ſalutis, *Thu. Foſs. Corb. Spir. Innom.* integræ, *Eraſm.* ſalutis ſuæ tenorem, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *NC.* 1. 2. (h) A Domino conſecrata, *Ver.* (i) Qui ſe falſa, *Bod.* 1. *NC.* 2. (k) Seductione decipiunt, *Lam. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. *Ebor.* (l) Sibi imputabitur, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ebor.*

1 *Lapſus laicos.*] Laicorum lapſum. Senſus enim iſte ad rem Cypriani magis facit.

2 *Oblatio ſanctificari.*] Rigaltius ait, *Sanctificatur oblatio, cum fit Corpus Chriſti, quod abſolute Sanctum dicitur. Obſervavimus apud Tertul. lib. de Oratione. Exore quo Amen in Sanctum protuleris. Et lib. de Præſcr. hæreticor. Ne ſanctum canibus jactaret. Poſtea vero invaluit pro ſanctificatione dici conſecrationem, vulgo ſic exiſtimante ſacrandi vocabulo aliquid ſignificari ſanctificatione præſtantius.* Quatenus Elementa in Euchariſtia Chriſti corpus ſint & dicantur, ſæpius diximus.

3 *Quando nec oblatio ſanctificari illic poſſit.*] Rigaltius ait, *Sententiæ Cypriani Pamelius opponit ſententiam Auguſtini ſtatuentis, Sacramenta ab impiis & ſceleratis Epiſcopis ſive Presbyteris miniſtrata, imo & baptiſmata ab hæreticis collata valere. Tract.* v. *in Joan. & lib.* VI. *&* VII. *contra Donatiſtas. Quæ res indiget diſtinctione facti in controverſiam deducti. Nam hoc loco Cyprianus agit de Fortunatiano quondam Aſſurarum Epiſcopo, qui per idololatriam exciderat fide, adeoque Epiſcopatu, ſacerdotio, Eccleſia, nec jam Chriſtianus, nedum Presbyter aut ſacerdos, nedum Epiſcopus cenſebatur. Ac pro diſciplina quæ Cypriani tempore vigebat, ſi pœnitentiæ tempus impetraſſet; eo peracto, poſt ſatisfactionem legitimam, poterat quidem recipi ad communicationem Chriſtianam, minime autem ad Epiſcopatum, neque ad ullius in Eccleſia ſacerdotii gradum. Reddebatur Eccleſia lapſo, non locus, non gradus. Nam locum ſive gradum perdiderat. Itaque ad plebem ſive ad laicos ſic retrahebatur, ut penes eum nullus remaneret ſacerdotii character, neque poteſtas. In hujuſcemodi autem idololatriæ cauſa, Cyprianus Fortunatianum, ab idololatra ſchiſmaticum, qui non impetrata pœnitentia gradum ſibi Epiſcopalem vindicabat, ac plebeculam ſuperbe & contumaciter collegerat, oblationes ullas ſive orationes ſive preces ſanctificare negat potuiſſe. Quia ſcilicet extra Eccleſiam ſic erat, ut jam non pertineret ad Chriſtum, quem idolis ſacrificando, negaverat, deraſerat characterem Chriſti, ſuperducti characterem Jovis, antichriſti. Ab eadem diſciplina venit quod ab hæreticis aut ſchiſmaticis baptizatos idem Cyprianus baptiſma Chriſti ſuſcepiſſe negat. Ait enim tales ſacramentorum miniſtros extra Eccleſiam miniſtrantes, nihil miniſtrare, hoc nimirum argumento, quod cum Eccleſa ſit una, in illa una qui non ſint in nulla ſint, nec aptitudinem habeant ullam, qua poſſint ab illa una quid accipere, quod acceptum communicent aut conferant. Talia dogmata, ævo poteſtatum ſecularium vexationibus & miniſtrorum Eccleſiæ factionibus afflictiſſimo, ſtabilire ac ſancire viſum Cypriano, ceteriſque per Africam, Numidiam ac Mauritaniam coepiſcopis, presbyteris & diaconis, quo ſibi populum facerent fidei Chriſtianæ magis tenacem, miniſtroſque haberent pacis & unitatis Eccleſiaſticæ magis amantes. Hic ergo fuit ſcopus, in quem ſanctiſſimi Patres omnia tunc Scripturarum ingenia contorſere. Proxima dein illis ætate, ut vel meliores ethnicos habuit, hoc eſt nomini Chriſtiano minus infeſtos, vel miniſtros Eccleſiæ ſortita eſt meliores, laxari diſciplina cœpit, paulatimque argumentandi ſubtilitas acui ſtudioſa nominis Catholici. Itaque ſub Auguſtino placuit humanior ſententia, quæ longe diverſam ab idololatris cauſam conſtituit hæreticorum ſive ſchiſmaticorum. Nam ab catholico ſenſu recedentes, ab Eccleſia quidem præciſi dicebantur, ſed in eo tamen ſtatu, ut ſi facta pace ad catholicam redirent, quaſi poſtliminii jure, nunquam abſceſſiſſe fingerentur, & ſic priſtinum reciperent in Eccleſia locum: cujus Eccleſiæ caput, nempe Chriſtum non negaverant, quem id nodum idololatræ: propterea que & baptiſmata, quæ in ſchiſmate miniſtraverant, non fiebant irrita. Hinc igitur illa Auguſtini: Concedo ſceleratos eſſe hæreticos; ſed hæretici baptiſma Chriſti dederunt. Et: Sic ergo quos baptizavit ebrioſus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, ſi baptiſmus Chriſti erat, Chriſtus baptizavit. Et: Quod ſacramentum tam ſanctum eſt, ut nec homicida monſtrante polluatur. Idem Auguſtinus Epiſt.* CLXVI. *citat in hanc ſententiam ſuam verba Conſtantini. Attendite, inquit, quid habeant verba Principis: Nam ſi in eis qui primo initiati ſunt, idcirco religio baptiſmatis judicatur infirma, quod ii à quibus accipitur, peccatores putentur; toties renovari neceſſe erit traditum ſacramentum, quoties indignus fuerit inventus collati baptiſmatis adminiſtrator, & fides noſtra non ex noſtræ voluntatis arbitrio, neque ex divini muneris gratia, ſed ex meritis ſacerdotum & clericorum qualitate pendebit.*

EPIS-

An. 254.

EPISTOLA LXVI.

[1] Cyprianus qui & Thaſcius, Florentio cui & Pupiano, fratri, Salutem.

Ad Pamelii num. Ep. LXIX. Ad Eraſm. l. 4. Ep 9 Pupiano infanda & turpia de Cypriano credenti reſpondetur.

Scripta poſt reditum.

[2] EGO te, frater, credideram tandem jam ad pœnitentiam converti, quod in præteritum tam infanda, tam turpia, tam etiam gentilibus execranda aut audiſſes de nobis temere, aut credidiſſes. Porro autem etiam nunc in literis tuis animadverto eundem te adhuc eſſe, qui prius fueras, (a) eadem te de nobis credere, & in eo quod credideris perſeverare; & ne forte claritatis & [3] martyrii tui dignitas noſtra communicatione maculetur, in mores noſtros diligenter inquirere, & poſt Deum judicem qui ſacerdotes facit, te velle, non dicam de me, (quantus (b) enim ego ſum?) ſed de Dei & Chriſti judicio judicare. Hoc eſt in Deum non credere, hoc eſt rebellem adverſus Chriſtum & adverſus Evangelium ejus exiſtere, ut cum ille dicat: Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, Mat. 10. 29.
& neuter eorum cadit in terram ſine Patris voluntate? & probet majeſtas ejus & veritas ſine conſcientia & permiſſu Dei (c) etiam minora non fieri, tu exiſtimes ſacerdotes Dei ſine conſcientia ejus in Eccleſia ordinari? Nam credere quod [4] indigni & inceſti ſint qui ordinantur; quid aliud eſt, (d) quam credere quod non à Deo, nec per Deum ſacerdotes ejus in Eccleſia conſtituantur? An putas majus eſſe de me meum, quam Dei teſtimonium? cum Dominus ipſe doceat & dicat teſtimonium non eſſe verum, ſi quis ipſe de ſe teſtis exiſtat, eo quod unuſquiſque utique (e) ſibi faveat, nec contra ſe aliquis infeſta & adverſa depromat; fides vero (f) ſincera ſit veritatis, ſi [5] in prædicationibus noſtris alius ſit prædicator ac teſtis. Si teſtimonium, inquit, dixero de me; [6] teſtimonium meum non eſt verum: [7] alius eſt enim qui teſtis eſt de me. Quod ſi ipſe (g) Dominus, omnia poſtmodum judicaturus, noluit de teſtimonio ſuo ſibi credi, ſed maluit de judicio ac teſtimonio Dei Patris probari: quanto magis hoc ſervos ejus obſervare oportet: qui judicio ac teſtimonio Dei non probantur tantum, ſed etiam gloriantur? Prævaluit autem apud te contra divinam ſententiam, & contra (h) conſcientiam noſtram fidei ſuæ viribus nixam, inimicorum & malignorum commentum; quaſi apud lapſos & profanos, & extra Eccleſiam poſitos, de quorum pectoribus exceſſerit Spiritus ſanctus, eſſe aliud poſſit niſi mens prava, & fallax lingua, & odia venenata, & ſacrilega mendacia, quibus qui credit, cum illis neceſſe eſt inveniatur, cum judicii dies venerit. Jo. 5. 31.

Occurritur criminationi quod ſuperbus eſſet.

Quod vero dixiſti ſacerdotes humiles eſſe debere, quia & Dominus & Apoſtoli ejus humiles fuerunt; humilitatem meam & fratres omnes, & gentiles quoque optime norunt & diligunt; & tu quoque noveras & diligebas, cum adhuc in Eccleſia eſſes, & mecum communicares. Quis autem noſtrum longe eſt ab humilitate, utrumne ego qui quotidie fratribus ſervio, & venientes ad Eccleſiam ſingulos benigne & cum voto & gaudio ſuſcipio: an tu qui te (i) Epiſcopum Epiſcopi, & judicem judicis ad tempus à Deo dati conſtituis? cum Dominus Deus in Deuteronomio dicat: Et homo quicunque fecerit in ſuperbia, ut non exaudiat ſacerdotem, aut judicem, quicunque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & omnis populus cum audierit timebit, & non agent impie etiam nunc. Et iterum ad Samuelem loquitur & dicit: Non te ſpreverunt, ſed me ſpreverunt. Et adhuc Dominus in Evangelio, cum ei dictum eſſet: Sic reſpondes pontifici? cuſtodiens & (k) docens ſacerdotalem honorem ſervari oportere, contra pon- Deut. 17. 12. 1 Reg. 8. 7.

(a) Eadem de nobis, *Pem.* (b) Quantus enim ego? ſed *Spir. Innom. Eraſm.* (c) Etiam moram non fieri, *Bod.* 1, 2. (d) Quam contendere, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1, 2. *Benev. Neap.* concedere, *Ver.* (e) Sibi placeat, *Ver.* (f) Sincera ſit ſi veritas, *Lin.* (g) Dominus cum omnia, *Lam. NC.* 1. qui omnia, *Pem. Bod.* 1. judicaturus ſit, *Lam. Lin. Bod.* 1, 2. *Ebor NC.* 1, 2. (h) Conſcientiam noſtram Dei viribus, *Bod.* 1. (i) Epiſcopum Epiſcopo, & judicem judici, *Bod.* 2. *Lam. Ebor.* (k) Docens ſacerdotibus, *Lin. NC.* 2.

1 *Cyprianus qui & Thaſcius.*] Pamelius ait, *Videtur mihi cum Cretenſi voluiſſe Cretiſare Cyprianus: & quum Florentius nomen ſuum cum prænomine præfixiſſet, idipſum feciſſet: Prænomen autem iſtud ipſum reperire eſt in actis paſſionis ejus. & apud* Pontium diaconum. Crediderim quidem Pupianum invidiſſe Cypriano Cæcilii nomen, quod à bonæ memoriæ Presbytero, à quo ad fidem erat converſus, accepit; & per contemtum Thaſcii titulo ſalutaſſe, quo inter gentiles noſcebatur.

2 *Ego te, frater.*] Rigaltius ait, *Florentium etſi jam ſchiſmaticum, nihilominus vocat fratrem, quemadmodum Optatus Donatiſtas, objurgans eos quod ipſi Catholicos nollent vocare Fratres: Nolunt, inquit, ſe dici fratres noſtros: tamen nos recedere à timore Dei non poſſumus, quos hortatur Spiritus ſanctus per Eſaiam Prophetam dicens: Vos qui timetis nomen Domini, audite nomen Domini: Hi qui vos odio habent & execrantur, & nolunt ſe dici Fratres noſtros, vos tamen dicite eis, Fratres noſtri eſtis. Sunt igitur ſine dubio fratres, quamvis non boni. Nomen fraternitatis, nec interveniente peccato deponitur.*

3 *Martyrii tui dignitas.*] Rigaltius ait, *Ante ſchiſma communicabat Florentius cum Cypriano, & in perſecutione quidem ad ſummam Martyrii ſublimitatem provectus fuerat, inquit Cyprianus infra.*

4 *Indigni & inceſti.*] Rigaltius ait, *Hæc verba ſatis indicant qualia Florentius in Cyprianum opprobria fuderat, infanda & turpia, atque etiam gentilibus execranda.*

5 *In prædicationibus noſtris.*] Rigaltius ait, *Cum de nobis aliquid ipſi prædicamus ac dicimus, alius ſit prædicator, alius teſtis. Non idem ſit prædicator & teſtis.* Οὐδεὶς ἑαυτῷ μαρτυρῶν ἀξιόπιστος.

6 *Teſtimonium meum non eſt verum.*] Rigaltius ait, *Non eſt legitimum, neque juſtum. Horatius, Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede verum eſt.*

7 *Alius eſt enim.*] Legiſſe videtur ἄλλος γάρ.

1 *Sic*

An. 254. Pontificem nihil dixit, ſed innocentiam ſuam tantummodo purgans reſponderit, dicens: Si male locutus ſum, exprobra de malo: ſi autem bene, quid me cædis? Item beatus Apoſtolus, cum ei dictum eſſet: 1 Sic inſilis in ſacerdotem Dei maledicendo? nihil contumelioſe locutus ſit adverſus ſacerdotem: quando & potuerit ſe conſtanter exerere adverſus eos qui Dominum crucifixiſſent, & qui jam Deum & Chriſtum, & templum, & ſacerdotium (a) perdidiſſent. Sed quamvis in falſis & ſpoliatis ſacerdotibus umbram tamen ipſam inanem ſacerdotalis nominis cogitans, dixerit: Neſciebam fratres quia Pontifex eſt: ſcriptum eſt enim: (b) Principem populi tui non maledices. Niſi ſi ſacerdos tibi fui ante perſecutionem, quando mecum communicabas; poſt perſecutionem ſacerdos eſſe deſivi. Perſecutio enim veniens te ad ſummam martyrii ſublimitatem provexit, me autem proſcriptionis (c) onere depreſſit, cum publice legeretur: Si quis tenet vel poſſidet de bonis Cæcilii Cypriani 2 Epiſcopi Chriſtianorum; ut etiam qui non (d) credebant Deo Epiſcopum conſtituenti, vel diabolo crederent Epiſcopum proſcribenti. Jo. 18. 23. Act. 23. 4. Act. 23. 5.

Epiſcopi Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt, illis rejectis rejicitur Chriſtus.

3 Nec hæc jacto, ſed dolens profero, cum te judicem Dei conſtituas & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes Præpoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt: Qui audit vos, me audit, & qui me audit, audit eum qui me miſit. Et qui rejicit vos, me rejicit, & qui me rejicit, rejicit eum qui me miſit. Inde enim ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt & oriuntur, dum Epiſcopus qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumtione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus ab hominibus judicatur. Quis enim hic eſt ſuperbiæ tumor, quæ arrogantia animi, quæ mentis inflatio, ad 4 cognitionem ſuam præpoſitos & ſacerdotes vocare; ac niſi apud te purgati fuerimus, & ſententia tua abſoluti, (e) 5 ecce jam ſex annis nec fraternitas habuerit Epiſcopum, nec plebs præpoſitum, nec grex paſtorem, nec Eccleſia gubernatorem, nec (f) Chriſtus antiſtitem, nec Deus ſacerdotem? Subveniat Pupianus & ſententiam dicat: & judicium Dei & Chriſti in acceptum referat; ne tantus fidelium numerus, qui ſub nobis accerſitus eſt, ſine ſpe ſalutis & pacis exiſſe videatur; (g) nec 6 novus credentium populus, nullam per nos conſecutus (h) eſſe baptiſmi & Spiritus ſancti gratiam judicetur; ne tot lapſis & pœnitentibus, pax data, & communicatio noſtra (i) examinatione conceſſa, judicii tui auctoritate ſolvatur. Annue aliquando & dignare pronunciare de nobis, & Epiſcopatum noſtrum (k) cognitionis tuæ auctoritate firmare, ut Deus & Chriſtus ejus agere tibi gratias poſſint, quod per te ſit antiſtes & rector, altari eorum pariter & plebi reſtitutus. Luc 10. 16.

Sine præpoſito & duce, brutorum greges & latronum catervæ nequeunt conſiſtere.

7 Apes habent regem & (l) ducem pecudes, & fidem ſervant 8 latrones, (m) mancipi obſequio pleno humilitatis obtemperant. Quanto ſimpliciores & meliores vobis ſunt brutæ pecudes, & muta animalia, & cruenti licet ac furentes inter gladios atque inter arma prædones? Præpoſitus illic agnoſcitur & timetur, quem non ſententia divina conſtituit, ſed in quem factio perdita & nocens caterva conſenſit.

Futilis excuſatio ex rumoribus temere creditis petitur.

Dixiſti ſane ſcrupulum tibi eſſe tollendum de animo, in quem incidiſti. Incidiſti, ſed tua crudelitate irreligioſa. Incidiſti, (n) ſed tua mente, & voluntate ſacrilega, dum inceſta, dum impia, dum nefanda contra fratrem, contra ſacerdotem facile audis, libenter credis: aliena mendacia quaſi propria & privata defendis; nec recordaris ſcriptum eſſe: Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam: & iterum: Malus obaudit linguæ iniquorum, juſtus autem non intendit labiis mendacibus. Quare in hunc ſcrupulum non inciderunt martyres Sancto ſpiritu pleni, & 9 ad conſpectum Dei & Chriſti ejus, paſſione jam proximi? qui ad Cyprianum Epiſcopum literas de carcere Eccleſ. 28. 28. Prov. 17. 4.

(a) Amiſiſſent, *Lin. NC.* 2. (b) Principem plebis, *Bod.* 1, 2. *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1. 2. (c) Horrore, *Benev.* honore, *Ver. Bod.* 2. (d) Credebat Deo Epiſcopum conſtituenti, vel diabolo crederet, *Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2. (e) Et jam ſex annis, *Bod.* 1. (f) Spiritus ſanctus antiſtitem, *Lin.* (g) Ne novus credentium, *Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (h) Eſſe & baptiſmi, *Lam. Ebor. NC.* 1. (i) Examinatione commiſſa, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ebor.* (k) Cognitionis tuæ vigore, *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1. (l) Ducem & fidem, *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. Pem.* Regem & judicem, & ei fidem ſervant, *Spir. Innom. Eraſm.* (m) Mancipia, *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (n) Sed tua mente, & voluntate ſacrilega, *Spir. Innom. Eraſm.*

1 *Sic inſilis in ſacerdotem.*] De hac S. textus perioche & vocis *incilas* notatione, ſæpius actum. Porro obſervavimus, ſolenne eſſe Cypriano Scripturarum teſtimonia, tanquam ex armamentatio, glomeratim depromere. Vid. quæ dicta Ep. III. & LIX.

2 *Epiſcopi Chriſtianorum.*] Rigaltius ait, *Supra Epiſt.* LIX. *dixit, applicato & adjuncto Epiſcopatus ſui nomine. Itaque proſcriptus, quia Epiſcopus. Propter hoc tantum, non propterea quod Epiſcopus Carthaginis; ſed quia Chriſtianorum Epiſcopus.*

3 *Nec hæc jacto, ſed dolens profero.*] Rigaltius ait, *Epiſt.* LIX. *Dico enim provocatus, dico dolens, dico compulſus,* &c.

4 *Cognitionem ſuam.*] Solennem & judicialem. Unde *Cognitores* dicti.

5 *Ecce jam ſex annis.*] De tempore ſcriptionis hujus Epiſtolæ conſulantur Annales.

6 *Novus credentium populus.*] Ethnici ad fidem converſi quibus baptiſmus non concedebatur ἄτερ γνώμης ἐπισκόπου, referente Ignatio.

7 *Apes habent Regem.*] Rigaltius ait, *Idem lib. de Idololat. Rex unus eſt apibus, & dux unus in gregibus, & in armentis rector unus. Tales argutiæ tractari ſolent in ſcholis, & de ortygometra duce agminis cujuſque coturnicum, & de gruibus. Nam & ducem eligunt quem ſequantur, quique erecto collo provideat, & cetera hujuſmodi. Ex quibus hoc colligitur, ſingulis alveis, ſingulis gregibus, ſingulis armentis, agminibus ſingulis regem, ducem, rectorem eſſe ſuum, œcumenicum nullum.*

8 *Latrones mancipi.*] Rigaltius ait, *A quo ſunt conducti ad facinus aliquod. Mancipem vocat factionis magiſtrum.*

9 *Ad conſpectum Dei.*] Ex martyrii prærogativa, de qua alibi dictum.

An. 254. cere dixerunt, ſacerdotem Dei agnoſcentes & conteſtantes ei. Quare in hunc ſcrupulum non inciderunt tot coepiſcopi collegæ mei, qui vel 1 cum de medio (a) recederent, proſcripti ſunt, vel apprehenſi in carcere & in catenis fuerunt; aut qui in exilium relegati, illuſtri itinere ad Dominum profecti ſunt; aut qui quibuſdam locis animadverſi cœleſtes coronas de Domini clarificatione ſumſerunt? Quare in hunc ſcrupulum non inciderunt de plebe iſta noſtra quæ apud nos eſt, & nobis de Dei dignatione commiſſa eſt, tot 2 Confeſſores quæſtionati & torti, & inſignium vulnerum & cicatricum memoria glorioſi? tot virgines integræ? tot laudabiles viduæ? Eccleſiæ denique univerſæ per totum mundum nobiſcum unitatis vinculo copulatæ? (b) Niſi ſi omnes iſti communicantes mecum, ſecundum quod ſcripſiſti, polluto noſtro ore polluti ſunt, & ſpem vitæ æternæ communicationis noſtræ contagione perdiderunt; Pupianus ſolus integer, inviolatus, ſanctus, pudicus, qui nobis miſcere ſe noluit, in paradiſo atque in regno cœlorum ſolus habitabit.

Occurritur objectioni, multos Eccleſia per Cyprianum ejectos.

Scripſiſti quoque quod Eccleſia nunc propter me portionem ſui in diſperſo habeat, quando omnis Eccleſiæ populus & collectus ſit & adunatus, & individua concordia ſibi junctus; & ſoli illi foris remanſerint, qui & ſi intus eſſent, ejiciendi fuerant: nec patiatur Dominus populi ſui protector & tutor triticum de area ſua diripi, ſed ſolæ poſſint paleæ de Eccleſia ſeparari, quando & Apoſtolus dicat: Quid enim ſi excide- Rom. 3. 3.
runt à fide quidam illorum? Nunquid infidelitas illorum fidem Dei evacuavit? abſit. Eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Et Dominus quoque in Evangelio, cum eum loquentem diſcipuli derelinquerent, converſus ad duodecim dixerit: Nunquid & vos vultis ire? Reſpondet ei Petrus, dicens: Domine, ad quem (c) ibi- Jo. 6. 68.
mus? (d) verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognovimus, quoniam tu es filius Dei vivi. 3 Loquitur illic Petrus, ſuper quem ædificata fuerat Eccleſia: Eccleſiæ nomine docens & oſtendens, quia etſi contumax ac ſuperba obaudire nolentium multitudo diſcedat, Eccleſia tamen à Chriſto non recedit, & illi ſunt Eccleſia plebs ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens. Unde ſcire debes 4 Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo; & ſi qui cum Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe; & fruſtra ſibi blandiri eos, qui pacem cum ſacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quoſdam communicare ſe credunt; quando Eccleſia quæ catholica una eſt, ſciſſa non ſit, neque diviſa; ſed ſit utique connexa, & cohærentium ſibi invicem ſacerdotum glutino copulata.

Cyprianus ad pœnitentiam Pupianum hortatur.

Quamobrem, frater, ſi majeſtatem Dei, qui ſacerdotes (e) ordinat, cogitaveris: ſi Chriſtum, qui arbitrio, & nutu, ac præſentia ſua & præpoſitos ipſos, & Eccleſiam cum præpoſitis gubernat, aliquando reſpexeris; ſi de innocentia ſacerdotum non humano odio, ſed divino judicio credideris; ſi temeritatis & ſuperbiæ atque inſolentiæ tuæ agere vel ſero pœnitentiam cœperis; ſi Deo & Chriſto ejus, quibus ſervio, & quibus 5 puro atque immaculato ore ſacrificia, & in perſecutione pariter & in pace, indeſinenter offero, pleniſſime ſatisfeceris; communicationis tuæ poterimus habere rationem, manente tamen apud nos divinæ cenſuræ reſpectu, & metu; ut prius Dominum meum conſulam an tibi pacem dari, & te ad communicationem Eccleſiæ ſuæ admitti ſua oſtenſione & admonitione permittat. 6 Memini enim quid jam mihi ſit oſtenſum, imo (f) quid ſervo obſequenti & timenti, de Dominica & divina auctoritate præceptum; qui inter cetera quæ oſtendere & revelare dignatus eſt, & hoc addidit: Itaque qui Chriſto non (g) credit ſacerdotem facienti, poſtea credere (h) incipiet ſacerdotem vindicanti. Quanquam ſciam ſomnia ridicula

(a) Receſſerunt, *Bod.* 1. (b) Niſi omne, *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 2. *NC.* 1, 2. (c) *Sic Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. NC.* 1. 2. *Benev. Spir. Innom. Eraſm.* imus, *Rig.* (d) Verbum vitæ, *Ver. Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (e) Ordinat Chriſti, *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1. *Spir. Innom.* (f) Quid ſit ſervo, *Pem. Lam. Bod.* 1. 2. (g) *Sic Bod.* 1, 2. crederet, *Imp.* (h) *Sic Lam. Bod.* 1, 2. *Lin. Ebor. NC.* 1, 2. incipit, *Rig.*

1 *Cum de medio recederent.*] Rigaltius ait, *Synodo ſoluta, poſt impoſitam mihi manum recedentes*, Sed ſiquidem pax in Eccleſia viguit quo tempore Cyprianus ad Epiſcopatum promovebatur; potius hæc intelligi debent de perſecutione Deciana.

2 *Confeſſores quæſtionati.*] Rigaltius ait, *A quæſtione. Sic Lucianus Martyr Epiſt.* XXI. *dixit, Paulum à quæſtione. Obſervandum hic Confeſſores dici primum quæſtionatos, deinde tortos. Etenim cognitione data, habetur quæſtio primum, dein tormenta adhibentur.*

3 *Loquitur illic Petrus.*] Rigaltius ait, *Joannis cap.* VII. *Quid vero loquitur? Loquitur ſuper quem ædificata fuerat Eccleſia, Chriſtum ſcilicet, filium Dei vivi. Etenim Petrus jam ediderat præclaram illam veræ Fidei profeſſionem, Chriſtum eſſe filium Dei vivi, quam profeſſionem Chriſtus petram eſſe dixit, & ſuper hanc petram ædificaturum ſe Eccleſiam ſuam, Matthæi* XVI. 18. *Hoc tamen loco & quibuſdam aliis Cyprianus Eccleſiam ſuper Petrum fundatam eſſe dicit. Quod ferri quidem poteſt, reſpicientibus, non jam ad Simonem; ſed ad Petrum à Petra, hoc eſt firmitate fidei profeſſæ nuncupatum, à Petra Chriſto.*

4 *Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo.*] Ad unitatem Eccleſiæ omnino facit, ut Epiſcopus nec per hæreſin nec idololatriam ſit lapſus, aut ob aliam noxam communionis jure excluſus? Et ut plebs pariter Epiſcopo ſuo adhæreat, ſiquidem *qui cum Epiſcopo non eſt*, utique *in Eccleſia non eſt, nec cum Chriſto.* Quæ quidem ab Ignatio διαφόρῳ videntur deſumta.

5 *Puro atque immaculato ore ſacrificia indeſinenter offero.*] Rigaltius ait, *Preces de corde ſincero, de conſcientia pura & caſta.*

6 *Memini enim quid jam mihi ſit oſtenſum.*] Rigaltius ait, *Hic etiam utitur oſtenſionibus & viſionibus, telo ad conterendos adverſarios, in manu præſertim Cypriani, viri optimi atque divini, valentiſſimo: alias vano ac futili. Nam & callidus rhetor, & ſophiſta vafer, hujuſmodi viſa ad cauſam ſuam appoſitiſſima poterit comminiſci, & fallere incautos & ſimplices.* Sed ſiquidem rumoribus fidem adhibendam crediderat Pupianus, æquum eſt ut Cypriano ſomniis credenti non iraſceretur.

1 *Et*

An. 254. ridicula & viſiones ineptas quibusdam videri, ſed utique illis qui malunt contra ſacerdotes credere, quam ſacerdoti. Sed nihil mirum, quando de Joſeph fratres ſui dixerunt: Ecce ſomniator ille venit; nunc ergo venite, occidamus illum; [1] & ſomniator poſtea quod ſomniaverat, conſecutus ſit, & occiſores ac venditores confuſi ſint: ut qui verbis prius non credidiſſent, factis poſtmodum crederent. De iis autem quæ tu egiſti vel in perſecutione, vel in pace, ſtultum eſt, ut velim te judicare, quando tu magis judicem te noſtri conſtitueris. Hæc pro animi mei pura conſcientia, & Dei mei fiducia reſcripſi. Habes tu literas meas, & ego tuas: [2] in die judicii ante tribunal Chriſti (a) utræque recitabuntur. Gen. 37. 19.

(a) Utrumque recitabitur, *Bod.* 1.

1 *Et ſomniator poſtea.*] Reſpicit verba inſultantium fratrum, *tunc apparebit quid illi proſint ſomnia ſua.*

2 *In die judicii ante tribunal Chriſti utræque recitabuntur.*] Ex Platonis ſententia, magnus annus olim in terrarum orbe geſta reſtituet: ſed revera dies *Domini magnus & manifeſtus* Act. 2. 20. omnium retro factorum ἀποκατάστασιν reportabit, Act. 3. 21. Ideo ad examen tam diſtrictum, mille annos requiri crediderunt plurimi viri eruditi. Sed utcunque de lectione literarum iſtarum res ceciderit, certiſſimum eſt utrarumque rationem reddendam; ſiquidem *de omni verbo otioſo*, id dixerit Dominus, Matt. 12. 36.

EPISTOLA LXVII.

Cyprianus, Cæcilius, Primus, Polycarpus, (a) Nicomedes, Lucianus, Succeſſus, Sedatus, Fortunatus, Januarius, Secundus, Pomponius, Honoratus, Victor, Aurelius, Sattius, Petrus, alius Januarius, Saturninus, alius Aurelius, Venantius, Quietus, Rogatianus, Tenax, Felix, Fauſtus, Quintus, alius Saturninus, Lucius, Vincentius, Liboſus, Geminius, Marcellus, Iambus, Adelphius, Victoricus, & Paulus, Felici Presbytero, & plebibus conſiſtentibus ad [1] Legionem & Aſturicæ; item Lælio diacono, & plebi Emeritæ conſiſtentibus, fratribus in Domino, Salutem.

Ad Pamelii numeros Ep. LXVIII. In Eraſm. l. 1. Ep. 4. Reſponſum ſynodicum Eccleſiæ Africanæ, ad fratres Hiſpanos in cauſa Baſilidis & Martialis.

Scripta poſt reditum.

CUM in unum conveniſſemus, legimus literas veſtras, fratres (b) dilectiſſimi, quas ad nos per Felicem & Sabinum coepiſcopos noſtros pro fidei veſtræ integritate, & pro Dei timore feciſtis, ſignificantes Baſilidem & Martialem libellis idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conſcientia vinctos Epiſcopatum gerere, & ſacerdotium Dei adminiſtrare non oportere: & [2] deſideraſtis reſcribi ad hæc vobis: & juſtam pariter ac neceſſariam ſollicitudinem veſtram vel ſolatio, vel auxilio noſtræ ſententiæ ſublevari. Sed enim deſiderio huic veſtro non tam noſtra conſilia, quam divina præcepta reſpondent, quibus jam pridem mandatur voce cœleſti, & Dei lege præſcribitur, quos & quales oporteat deſervire altari, & ſacrificia divina celebrare. In Exodo namque ad Moyſen Deus loquitur, & monet dicens: Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum Deum, ſanctificentur, ne forte derelinquat illos Dominus. Et iterum: Et cum accedunt miniſtrare ad altare Sancti, non adducent in ſe delictum, ne moriantur. Item in Levitico præcipit Dominus, & dicit: Homo in quo fuerit macula & vitium, non accedet offerre dona Deo. Quæ cum (c) prædicta & manifeſta ſint nobis, præceptis divinis neceſſe eſt obſequia noſtra deſerviant, nec perſonam in ejuſmodi rebus accipere; aut aliquid cuiquam largiri poteſt humana indulgentia, ubi intercedit, & legem tribuit divina præſcriptio. Neque enim immemores eſſe debemus, quid ad Judæos per Eſaiam Prophetam locutus ſit Dominus, increpans & indignans, quod [3] contemtis divinis præceptis, humanas doctrinas ſequerentur: Popu- Exod. 19. 22. Exod 30. 21. Levit. 21. 17.

(a) *Sic Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. Ver. Thu. Foſſ. Mic. Vict. Vet. Imp. Deſunt in Rig.* (b) Cariſſimi, *Ver.* (c) Prædicta & mandata, *Ver.* vel mandata, *Foſſ.*

1 *Legionem.*] Urbs eſt Hiſpaniæ Tarraconenſis in finibus Aſturum à Nerva Imperatore condita, qui & Aſturicam inſtauravit; unde ex vicinia non minus quam querela recte hic conjunguntur civitates iſtæ ut & Emerita, urbs adjacens ab Auguſto condita. Quibus additur Cæſar-Auguſta iiſdem auſpiciis ſtructa, quibus peſſimi exempli attentatum Martialis & Baſilidis grave periculum induxerat.

2 *Deſideraſtis reſcribi ad hæc vobis.*] Rigaltius ait, *Non inconvenienter, neque abſurde aliquis opinabitur, Clerum Hiſpanum ſuper iſtis Epiſcopis idololatris etiam ad Stephanum literas dediſſe, ut ad Cyprianum. Sed cur ad Cyprianum, ſi poteſtas infinita penes Romanum? Imo Romano, ut longe poſito, ac per negligentiam decepto, ſive per ambitum aut gratiam ſubornato, Baſilides & Martialis injuſte repoſiti in Epiſcopatum, de quo juſte depoſiti fuerant, cum uſurpare locum priſtinum conarentur, obſtinere clerici Legionenſes & Aſturicenſes una cum plebe, datiſque ad Cyprianum literis appeliavere Carthaginienſem adverſus Romanum.*

3 *Contemtis divinis præceptis, humanas doctrinas ſequerentur.*] Rigaltius ait, *Hic Eſaiæ locus fons & origo eſt omnium quas antehac obſervavimus dictionum hujuſmodi Cyprianicarum quibus hominum commenta, divinis mandatis oppoſita, damnatur: Dixerat autem Eſaias: μάτην δὲ σέβονταί με διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων καὶ διδασκαλίας. Chriſtus apud Matth.*

An. 254. Populus iſte, inquit, labiis ſuis (a) honorificat me, cor vero eorum (b) longe ſepara- Eſai 29.13.
tum eſt à me. 1 Sine cauſa autem colunt me, mandata doctrinas hominum docentes.
Quod item Dominus in Evangelio repetit & dicit: Rejicitis mandatum Dei, ut tradi- Marc. 7.13.
tionem veſtram ſtatuatis.

Non niſi immaculati ordinandi, idque ſub plebis conſcientia.

Quæ ante oculos habentes, & ſollicite ac religioſe conſiderantes, in ordinationibus ſacerdotum non niſi immaculatos & integros antiſtites eligere debemus, qui ſancte & digne ſacrificia Deo offerentes, audiri in precibus poſſint quas faciunt pro plebis Dominicæ incolumitate: cum ſcriptum ſit: Deus (c) peccatorem non audit; ſed ſi quis Jo. 9. 31.
Deum coluerit, & voluntatem ejus fecerit, illum audit. Propter quod (d) plena diligentia, & exploratione ſincera oportet eos ad ſacerdotium deligi, quos à Deo conſtet audiri. Nec ſibi plebs blandiatur quaſi immunis eſſe à (e) contagio delicti poſſit, cum ſacerdote peccatore communicans, & ad injuſtum atque illicitum præpoſiti ſui Epiſcopatum conſenſum ſuum commodans, quando per Oſee Prophetam comminetur & di- Hoſ. 9. 4.
cat cenſura divina: Sacrificia eorum tanquam panis luctus: omnes qui manducant ea, contaminabuntur. Docens ſcilicet & oſtendens omnes omnino ad peccatum conſtringi, (f) qui fuerint profani & injuſti ſacerdotis ſacrificio contaminati. Quod item in Num. 16.
Numeris manifeſtari invenimus, quando Chore, & Dathan, & Abiron contra Aaron 26.
ſacerdotem ſacrificandi ſibi licentiam vindicaverunt. Illic quoque per Moyſen præcepit Dominus ut ab eis populus ſeparetur, ne facinoroſis conjunctus eodem facinore & ipſe perſtringatur: Separamini, inquit, 2 à tabernaculis hominum iſtorum duriſſimorum, & nolite tangere ea (g) quæ ad eos pertinent, ne ſimul pereatis in peccato eorum. Propter quod plebs obſequens præceptis Dominicis, & Deum metuens, à peccatore præpoſito ſeparare ſe debet; nec ſe ad ſacrilegi ſacerdotis ſacrificia miſcere; quando ipſa maxime 3 habeat poteſtatem vel eligendi dignos ſacerdotes, vel indignos recuſandi. Quod & ipſum videmus de divina auctoritate deſcendere, ut ſacerdos plebe præſente, ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judicio ac teſtimonio comprobetur, ſicut in Numeris Dominus Moyſi præcepit, dicens: Apprehende Aaron fratrem tuum, & Eleazarum filium ejus, & impones eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron ſtolam ejus, & indue Eleazarum filium ejus, & Num. 20.
Aaron appoſitus moriatur illic. Coram omni Synagoga jubet Deus conſtitui ſacerdo- 25.
tem: id eſt, inſtruit & oſtendit 4 ordinationes ſacerdotales non niſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere, ut plebe præſente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur; & ſit ordinatio juſta & legitima; quæ omnium ſuffragio & judicio fuerit examinata. Quod poſtea ſecundum divina magiſteria obſervatur in Actis Apoſtolorum; quando de ordinando in locum (i) Judæ Apoſtolo Petrus ad plebem loquitur: Surrexit, inquit, Petrus 5 in medio diſcentium, 6 fuit autem turba Act. 1. 15.
in uno. Nec hoc in Epiſcoporum tantum & ſacerdotum, (k) ſed in (l) Diaconorum ordinationibus obſervaſſe Apoſtolos animadvertimus, de quo & ipſo in actis eorum ſcrip-

(a) Sacrificant, *Ver.* (b) Longe eſt à me, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (c) Peccatores, *Lam. Ebor. NC.* 1. (d) Plena diligentia Dei, & exploratione, *Bod.* 1, 2. *Lin. Lam. Ebor. NC.* 1. (e) Contagione, *Lam. Lin.* (f) Quique fuerint, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2. (g) Quæ ſunt eis, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 2. *Thu. Foſſ. Corb. Mic. Vict.* (h) Epiſcopus plebe præſente, *Benev.* (i) *Sic Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. Epiſcopo, *Rig.* (k) Sed & in, *Lin. NC.* 2. (l) Etiam Diaconorum, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.

Matth. Phariſæos increpans dixit: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei, per traditionem veſtram. Quod Cyprianus interpretatur, Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem veſtram ſtatuatis. Pro tranſgredimini, ſive rejicitis, aut irritum feciſtis, Græca habent παραβαλνετε & ἠκυρώσατε. *Cyprianus dixit, contemnitis. Itaque opponit humanæ indulgentiæ, divinam præſcriptionem; humanis doctrinis, divina præcepta; traditionibus humanis mandata divina. Ac ſemel ſtatuit quod ſemper cuſtodiri velit, humanam indulgentiam nihil concedere cuiquam poſſe, ubi Deus intercedit, hoc eſt, vetat. Videantur Obſervationes ad Epiſt. III. de Eccleſia humana.*

1 *Sine cauſa colunt me.*] Rigaltius ait, *Sic reddidit Cyprianus, quæ Septuaginta dixere,* μάτην σέβονταί με. *Sine cauſa, vane, perperam.*

2 *A Tabernaculis hominum iſtorum duriſſimorum.*] Rigaltius ait, *Sic infra, Epiſtola ſequente de Marciano, quem Cyprianus dicit hæreticæ præſumtionis duriſſimam pravitatem tenere: hominum ſcilicet duriſſimorum, hoc eſt Novatianorum, qui negabant pœnitentiam lapſis. Locus eſt lib. Numer.* XVI. 26. *ubi legitur, hominum iſtorum impiorum. Interpr.* LXX. ἀπὸ τῶν σκηνῶν τῶν ἀνθρώπων τῶν σκληρῶν τούτων. *Cyprianus vertit, duriſſimorum, appoſite ad hæreſim Novatianorum, quorum rigorem Pacianus Epiſt.* I. *inobſecrabilis aſperitatis titulo proſcribit. Dionyſius Alexandrinus Epiſt. ad Fabianum Antioch.* γνώμην *eſſe ait* μισάδελφον καὶ ἀπανθρωποτάτην. *Ruffinus, inhumanam & nihil fraternæ caritatis habentem. Idem, ſententiæ illius auctores crudeles fuiſſe dicit & truces. Euſeb. Hiſt. lib.* VI. *cap.* 32. & 33. *Iterum Pacianus Epiſt.* 3. *de Novatianis: Ergo & filii ſanguinum vos eritis; non enim pacem fratrum, ſed ſanguinem concupiſcitis. Fides falſa eſt veſtra crudelitas: Et ſcite admodum Chryſoſtomus homilia quæ nuper auctior edita eſt, De politia morali: Dominus, inquit, lapſis pœnitentibus debitum dimiſit, ſyngraphum dirupit, & Novatus improbo calumniatorum more, ſcidas illius ſyngraphæ diruptas colligit, ut adglutinatas iterum reducat in judicium.* Δεσπότης ἔρρηξε τὸ χειρόγραφον, καὶ Ναυάτος συνάγει τὰ διαῤῥαγέντα. εἶδες πότε φιλοπράγμονα, γραμματείων διαῤῥαγέντα, συνάγοντα, καὶ πάλιν φιλοπόνως, κολλῶντα, ἵνα τῆς συκοφαντίας τὴν ἀγωγὴν ἀναπτάσηται.

3 *Plebs habet poteſtatem eligendi dignos ſacerdotes.*] Rigaltius ait, *Non proprio motu impulſa, ſed admonita per juſtam ac neceſſariam ſollicitudinem aliorum Præpoſitorum, per aliarum Eccleſiarum Epiſcopos, quorum conſilia divinis præceptis reſpondent.*

4 *Ordinationes ſacerdotales non niſi ſub populi aſſiſtentis conſcientia fieri oportere.*] Rigaltius ait, *Hoc exemplo Chriſtianorum Alexander Severus diſpoſitiones ſuas publicabat, ubi aliquos volebat vel rectores provinciis dare, vel præpoſitos facere, vel procuratores, id eſt rationales, ordinare: nomina eorum proponebat, dicebatque grave eſſe quum id Chriſtiani & Judæi facerent in ordinandis ſacerdotibus, non fieri in provinciarum rectoribus, &c. quæ apud Lampridium.*

5 *In medio diſcentium.*] Rigaltius ait, *Act.* I. ἐν μέσῳ τῶν μαθητῶν. *Vulg. diſcipulorum.*

6 *Fuit autem turba in uno.*] Rigaltius ait, ἦν τὸ αὐτό. *Ipſe Cyprianus principio hujus Epiſt. Cum in unum convenisſemus. Pſal.* 121. ἧς ἡ μετοχὴ αὐτῆς ἐπὶ τὸ αὐτό.

1 *Con-*

An. 254. ſcriptum eſt: Et 1 convocaverunt, inquit, illi duodecim totam plebem diſcipulorum, & dixerunt eis. Quod utique iccirco tam diligenter & caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris miniſterium, vel ad ſacerdotalem locum indignus obrepereret. Ordinari enim nonnunquam indignos 2 non ſecundum Dei voluntatem, ſed ſecundum humanam præſumtionem, & hæc Deo diſplicere, quæ non veniant ex legitima & juſta ordinatione, Deus ipſe manifeſtat per Oſee Prophetam, dicens: Sibimet-ipſis conſtituerunt regem, 3 & non per me. Act. 6 2. Oſ. 8. 4.

Ut ordinationes rite celebrentur, uſu receptum ut Epiſcopi ejuſdem provinciæ proximi conveniant.

Propter quod diligenter de traditione divina, & Apoſtolica obſervatione (a) ſervandum eſt & tenendum quod apud nos quoque, & fere per provincias univerſas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi ejuſdem Provinciæ proximi quique conveniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſime novit, & uniuſcujuſque actum de ejus converſatione perſpexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ noſtri ordinatione, ut de univerſæ fraternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum qui in præſentia convenerant, quique de eo ad vos literas fecerant, judicio; Epiſcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Baſilidis imponeretur. 4 Nec reſcindere ordinationem jure perfectam poteſt, quod Baſilides poſt crimina ſua detecta, (b) & conſcientiam etiam propria confeſſione nudatam 5 Romam pergens, Stephanum Collegam noſtrum longe poſitum, & geſtæ rei (c) ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut 6 exambiret reponi ſe injuſte in Epiſcopatum, de quo fuerat (d) juſte depoſitus. Hoc eo pertinet ut Baſilidis non tam abolita ſint, quam cumulata delicta, ut ad ſuperiora peccata ejus etiam fallaciæ & circumventionis crimen acceſſerit. Neque enim tam culpandus eſt ille, cui negligenter obreptum eſt, quam hic execrandus, qui fraudulenter obrepſit. Obrepere autem ſi hominibus Baſilides potuit, Deo non poteſt, cum ſcriptum ſit: Deus non deridetur. Sed nec Martiali poteſt profuiſſe fallacia, quo minus ipſe quoque 7 delictis gravibus involutus Epiſcopatum tenere non debeat, quando & Apoſtolus moneat, & dicat: Epiſcopum oportet eſſe ſine crimine, quaſi Dei diſpenſatorem. Quapropter cum (ſicut ſcripſiſtis fratres dilectiſſimi, ut & Felix & Sabinus collegæ noſtri aſſeverant; utque alius Felix de (e) Cæſarauguſta fidei cultor ac defenſor veritatis, literis ſuis (f) ſignificat) Baſilides & Martialis nefando idololatriæ libello contaminati ſint: Baſilides adhuc inſuper præter libelli maculam cum in infirmitate decumberet, in Deum blaſphemaverit, & ſe blaſphemaſſe confeſſus ſit; & Epiſcopatum pro conſcientiæ ſuæ vulnere ſponte deponens, ad agendam pœnitentiam converſus ſit, Deum deprecans, & ſatis gratulans, 8 ſi ſibi vel laico communicare contingeret: Martialis quoque præter gentilium turpia & (g) 9 lutulenta convivia: (h) & 10 collegia diu frequentata, & 11 filios in eodem collegio exterarum gentium more apud profana ſepulcra Gal. 6. 7. Tit. 1. 7.

(a) *Sic Lam. Bod.* 1. 2. obſervandum, *Imp.* (b) Et conſcientiæ etiam propriæ confeſſione nudata, *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Lin. Corb.* (c) Ac veritatis, *Bod.* 1. (d) Jure depoſitus, *Lam Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. *Neap.* (e) Cæſarea Auguſta, *Lam. Lin.* (f) Significant, *Bod.* 2. ſignificavit, *Lam. Ebor. Bod.* 1. *NC.* 1. (g) Temulenta convivia, *Lam. Ben. Ebor. Bod.* 2. *Lin. NC.* 1. (h) In Collegio, *MR.*

1 *Convocaverunt totam plebem.*] Rigaltius ait, *Act.* VI. 2. προσκαλεσάμενοι δὲ οἱ δώδεκα τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν. & 6. ἐνώπιον παντὸς τοῦ πλήθους. *Paciani Epiſtola* III. *cujus partes in unum.*

2 *Non ſecundum Dei voluntatem, ſed ſecundum humanam præſumtionem.*] Rigaltius ait, *Hic iterum Cyprianus, humanam præſumtionem oppoſitam Dei voluntati damnat.*

3 *Et non per me.*] Rigaltius ait, καὶ οὐ δι' ἐμοῦ ἤρξαν. *Oſ.* VIII.

4 *Nec reſcindere ordinationem*] Papa Romanus Felicem & Sabinum Epiſcopos factos deponere non poteſt, nec Martialem & Baſilidem depoſitos reſtituere. Hac in re Stephanus fuit minus excuſandus quod contra canones propriæ Eccleſiæ tempore Cornelii ſtabilitos deliquerit; ubi ſancitum, *lapſos ad pœnitentiam agendam poſſe admitti, ab ordinatione autem cleri atque ſacerdotali honore prohiberi.* Quod etiam *ab omnibus Epiſcopis in toto mundo conſtitutis* Decretum. Rigaltius ait, *Lib N. F. ad notam Pamelian. num.* 17. *ubi de canone illo Nicæno quo agitur de appellationibus ad Sedem Rom. At ille canon, inquit, ſuppoſititius eſt; quod ex Concilio* 6. *Carthag. & Synodicis epiſtolis ejus ad Cæleſtinum & Bonifacium conſtat. Suppoſititius, inquam, Nicænæ ſynodo, nam eſt concilii Sardicenſis.*

5 *Romam pergens.*] Rigaltius ait, *Quo ſolebant contumaces, ut procul ab ſuis quibus erant noti, facilius fallerent, fucum & impoſturam facerent.*

6 *Exambiret reponi.*] Ut ad communionem Romanæ Eccleſiæ admiſſus, ad ſuos redux; ſe illic pro Epiſcopo agnitum jactaret, nulloſque jam ſine ſchiſmatis nota poſſe ejus communionem refugere, ſiquidem Unitas Eccleſiæ id poſceret, ut alicujus Eccleſiæ membrum ab omnibus agnoſceretur.

7 *Delictis gravibus involutus.*] Rigaltius ait, *Principio Epiſtolæ dixit: Nefandorum facinorum conſcientia vinctos. Mox dicet, gravibus delictis implicatos. Et alibi, conſcientiam multis delictorum laqueis vinctam.*

8 *Si ſibi vel laico communicare contingeret.*] Rigaltius ait; *Non repoſcebat locum quem obtinuerat inter Epiſcopos & ſacerdotes. Tantum rogabat ut cenſeretur inter fideles qui non Epiſcopi, nec Sacerdotes, nec Diaconi, neque Lectores Etenim cum abſtentus fuiſſet, de Epiſcopo jam nec laicus remanſerat, ut loquitur Cyprianus Epiſt.* LII. *Hic igitur optabat, ut de Epiſcopo laicus in Eccleſiam reciperetur. Non jam Epiſcopus, neque ſaltem diaconus, ſed laicus. Sic Epiſt.* VI. *Addimus plane, eos quoque hac conditione ſuſcipi cum revertuntur, ut communicent laici, & ſatis habeant, quod admittuntur ad pacem, qui hoſtes pacis extiterint, nec debere eos revertentes ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint. Videantur quæ ad Epiſtolam* LV.

9 *Lutulenta convivia.*] Ubi de Idolothytis veſci oportebat, nec ſine libatione ad profana numina bibere licuit.

10 *Collegia diu frequentata.*] Præter Pontificum, Fratrum arvalium, Potitiorum, Augurum, collegia, & alia id genus; quæ Ethnicam idololatriam proxime ſpectabant; plurima fuerunt quæ ad reipub. adminiſtrationem, ad negotiationes, & artificia pertinuere, quæ quidem omnia ſub tutela alicujus profani numinis collocabantur; & proinde fieri non potuit, ut quis illis intereſſet, quin cultus iſtius fieret particeps.

11 *Filios apud profana ſepulcra.*] Rigaltius ait, *In iis vero ſepulcris erant plurima quæ ad ritus ethnicos pertinebant, quibus communicare & contaminari videbantur, qui mortuos ſuos illic deponebant: & hoc ſolo participes idololatriæ fuiſſe dicebantur. Sed & minime conveniebat Chriſtianæ charitati unitatique Eccleſiaſticæ, fratrum defunctorum corpora ſepulcris inferre hoſtium nominis Chriſtiani; quaſi ipſi defuncti, tum maxime cum morerentur, extra Eccleſiam fuiſſent. Jure igitur Chriſtiana fraternitas Ethnicorum collegia deſpuebat, ut peſtifera; eorumque ſepulcra ut conditoria mortuorum. Etenim fideles habuere ſua* κοιμητήρια, *dormientium videlicet, in ſpem reſurrectionis ac beatitatis æternæ. Hujuſce autem*

An. 254. ſepulcra depoſitos, & alienigenis conſepultos; actis etiam publice habitis [1] apud procuratorem Ducenarium [2] obtemperaſſe ſe idololatriæ, & Chriſtum negaſſe conteſtatus ſit: cumque alia multa ſint & gravia delicta, quibus Baſilides & Martialis (a) implicati tenentur; fruſtra tales Epiſcopatum ſibi uſurpare conantur, cum (b) manifeſtum ſit ejuſmodi homines nec Eccleſiæ Chriſti poſſe præeſſe, nec Deo ſacrificia offerre debere. Maxime cum jampridem nobiſcum & cum omnibus omnino Epiſcopis in toto mundo conſtitutis, etiam Cornelius Collega noſter, ſacerdos pacificus ac juſtus, & martyrio quoque dignatione Domini honoratus, decreverit ejuſmodi homines ad pœnitentiam quidem agendam poſſe admitti; ab ordinatione autem Cleri atque ſacerdotali honore prohiberi.

Lapſorum perfidia ſtantibus offendiculo eſſe non debet, ſiquidem prædicta eſt.

Nec vos moveat, fratres dilectiſſimi, ſi apud quoſdam in noviſſimis temporibus aut lubrica fides nutat, aut Dei (c) timor apud irreligioſos vacillat, aut pacifica concordia non perſeverat. Prænunciata ſunt hæc futura in ſeculi fine; & Domini voce, atque Apoſtolorum conteſtatione prædictum eſt, deficiente jam mundo, atque [3] appropinquante Antichriſto, bona quæque deficere, mala vero & adverſa proficere. Non ſic tamen, quamvis noviſſimis temporibus, in Eccleſia Dei aut [4] Evangelicus vigor cecidit, aut (d) Chriſtianæ virtutis aut fidei (e) robur elanguit, ut non ſuperſit portio ſacerdotum, quæ minime ad has rerum ruinas, & fidei naufragia ſuccumbat; ſed fortis & ſtabilis honorem divinæ majeſtatis & ſacerdotalem dignitatem plena timoris obſervatione tueatur. Meminimus & tenemus, ſuccumbentibus licet & cedentibus ceteris, Mattathiam legem Dei vindicaſſe fortiter: Heliam, Judæis (f) deficientibus atque à religione divina recedentibus, ſtetiſſe & certaſſe ſublimiter: Danielem nec (g) ſollicitudine regionis alienæ, nec perſecutionis aſſiduæ infeſtatione deterritum, frequenter ac fortiter (h) glorioſa edidiſſe martyria: tres item pueros nec annis, nec minis fractos, contra ignes Babylonios fideliter obſtitiſſe, & (i) victorem regem in ipſa ſua captivitate viciſſe. Viderit vel prævaricatorum numerus, vel proditorum, qui nunc in Eccleſia contra Eccleſiam ſurgere, & fidem pariter ac veritatem labefactare cœperunt. Permanet apud plurimos ſincera mens, & religio integra, & non niſi Domino & Deo ſuo anima devota, nec Chriſtianam fidem aliena perfidia deprimit ad ruinam, ſed magis excitat & exaltat ad gloriam, ſecundum quod beatus Apoſtolus Paulus hortatur, & dicit: Quid enim ſi exciderunt à fide quidam eorum? nunquid infidelitas illorum fidem Dei evacuavit? abſit. Eſt enim Deus verax, omnis autem homo mendax. Si autem omnis homo mendax eſt, & ſolus Deus verax; quid aliud ſervi, & maxime ſacerdotes Dei facere debemus, niſi ut [5] humanos errores & mendacia relinquamus, & præ-

Luc. 18. 8. 2 Tim. 3. 1. 1 Macc. 2. 19. 3 Reg. 19. 10. Dan. 6. 20. Dan. 3. 12. Rom. 3. 3.

(a) Implicati tenentur, *Lam, Ebor. NC.* 1. (b) Manifeſtius ſit, *Bod.* 1, 2. *Ebor. Lam. Lin. NC.* 1, 2. (c) *Sic Foſſ.* timor irreligioſus, *Imp.* (d) Chriſtiana virtus, *Lin. NC.* 2. (e) Vigor languet, *Ver.* timor, *Corb.* (f) Deficientibus ſtetiſſe, *Lam. Lin. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (g) Solitudine, *Bod.* 1, 2. *Lam. NC.* 1. *Lin. Ebor.* (h) Glorioſe, *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1, 2. *Foſſ. Vict. Corb.* (i) Victores, *Lin. NC.* 2.

ſpei pignus illis fuit Chriſtus, qui depoſitus in ſepulchro revixit ſurrexitque. Ac mulieribus Dominum in ſepulcro quærentibus obviam factus angelus dixit, οὐκ ἔστιν ὧδε, Non eſt hic. Qui ſane titulus tanto magnificus & glorioſus, quanto diſparvulgatis illis tumulorum inſcriptionibus, hic ſitus eſt, hic jacet. Porro quemadmodum à pluribus obſervatum, quod omnis fere gentium religio, mortuorum fuit cultus, ita vix aliqua ex parte magis Ethnica ſuperſtitio ſe exerebat, quam in cura pro mortuis; hinc ſacrificiis, iiſque non raro humanis, Dii inferi ſolicitandi, & placandi Manes; hinc tonſi crines, quæſita calvities, & inciſa corpora mortuorum cauſa, de quibus agitur Deut 14. 1.

1 *Apud procuratorem Ducenarium.*] Rigaltius ait, *Extra curas exercitus & negotia belli, circa Principem Romanum fuit militia duplex. Literata, quæ ſcriniis operam dabat: actuoſa, quæ rebus agendis erat occupatiſſima. Hi magiſtriani dicebantur, & ex eorum ſchola Ducenarii & Centenarii, ſive Sexagenarii, qui fiſcales pecunias exigebant, à numero pecuniarum quas in ſtipendium accipiebant, nuncupati, Dio lib.* LIII. *ubi de procur. Cæſar.* καὶ τοῖς γε ἐπιτρόποις καὶ αὐτὸ τὸ ὄνομα ἀπὸ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν διδομένων αὐτοῖς χρημάτων. *Capitolinus in Pertinace: Ad ducenum ſeſtertiorum ſtipendium tranſlatus in Daciam. Vetus inſcriptio: Procurator Auguſti provinciæ Bœticæ ad ducena accipienda. Apuleius, Mileſia* VII. *Procurator Principis ducenaria perfunctus. Natio valde infeſta Chriſtianis. Etenim per occaſionem officii ſui omnia minima maxima quæ in provinciis agerentur renunciabant. Itaque ab iis ſæpe vexati Confeſſores Chriſtiani nominis, niſi pactione turpi vexationem redimerent, ſicut ab iſto Martiali factum innuit Cyprianus. Titulus eſt lib.* X. *Cod. De exactionibus tributorum, ubi Conſtantinus Imp. vetat Ducenarios aliquem ex debitoribus convenire priuſquam à tabulario civitatis nominatim breves accipiant debitorum, & l. ſeq. Nemo carcerem, inquit, plumbatarumque verbera, aut pondera, aliaque ab inſolentia judicum reperta ſupplicia in debitorum ſolutionibus expaveſcat. Et apud Euſebium legitur Epiſtola Synodi Antiochenæ ad Dionyſium Romæ, & Maximum Alexandriæ Epiſcopos, qua patres Antiocheni tantam in Paulo Samoſateno fuiſſe ſuperbiam notant, ut Ducenarius aliquis haberi debuerit magis, quam Epiſcopus, adeo prave & inſolenter circa omnem fraternitatem ſatagebat. Verba Synodi, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro* VI. *capite* 24. *ſic habent,* καὶ ὅτως ὑψηλοφρονεῖ καὶ ὑπερῆρται κόσμικα ἀξιώματα ὑποδυόμενος, καὶ δουκηνάριος μᾶλλον ἢ ἐπίσκοπος θέλων καλεῖσθαι, καὶ σοξῶν κατὰ τὰς ἀγορὰς, καὶ ἐπιστολὰς ἀναγινώσκων καὶ ὑπαγορεύων, ἅμα βαδίζων δημοσίᾳ, καὶ δορυφορούμενος &c. *Hocce igitur hominum genus valde moleſtum, adeoque odioſum paſſim & inviſum pleriſque, ut etiam Circitorum & Curioſorum, ſed præſertim Chriſtianis, qui ſæpiſſime talium officiorum crudelitate comprehenſi ad poteſtates rapiebantur. Eulogius Archiepiſcopus Alexandrinus libro de diſciplina Eccleſiaſtica adverſus Novatum, mentionem facit commentarii cujuſdam Novatiani, cujus hanc fuiſſe hypotheſin refert,* ὅτι βασιλεύοντος Ρωμαίων Δεκίου καὶ Ουαλεριανοῦ, Περίνιος Δουκηνάριος πρόσαγμα λαβὼν παρ' αὐτῶν, πάντας τοὺς ἀνὰ τὴν Ρώμην καὶ τὰς πέριξ ἐπαρχίας χριστιανοὺς βαρυτάταις βασανοις καὶ πικραῖς τιμωρίαις εἰδωλολατρεῖν ἐβιάζετο. καὶ πολλοὶμὲν καὶ ἄλλοι ὑπεδέξαντο τὴν βίαν &c. *Videantur quæ de Beneficiariis & Curioſis ad Tertullianum obſervavimus, & quæ ad ultimam Cypriani Epiſtolam, de Frumentariis: ſed inprimis quæ ad Capitolini Pertinacem, Salmaſius.*

2 *Obtemperaſſe ſe idololatriæ.*] De libellis iſtis videantur quæ dicta ad lib. de Lapſis.

3 *Hæc futura appropinquante Antichriſto.*] Rigaltius ait, *Nec mirandum nobis hodie quod etiam pejora videamus, Antichriſto non jam appropinquante, ſed longe lateque regnante atque triumphante. Hæc noviſſimis temporibus futura prædixit Chriſtus, prædixerunt Apoſtoli. Et adhuc peraguntur illa noviſſima tempora, quæ quidem, præ æternitate momentanea ſunt & breviſſima. Ceterum noviſſima dicuntur, poſt quæ non alia venient, uſque dum veniat iterum Chriſtus, ſplendida facturus de Antichriſto deque Antichriſtianis arbitria.*

4 *Evangelicus vigor cecidit.*] Rigaltius ait, *Sequentia vero ſecula Chriſtum ſibi fecerunt imperiis & bellis & pontificiis & gazis accommodatiſſimum.*

5 *Humanos errores.*] Rigaltius ait, *Rurſus opponit humanis erroribus præcepta Dominica, humanos errores dicit, & mendacia, quam ſupra dixit humanam præſumtionem, hominum commenta.*

1 *Non*

An. 254. præcepta dominica cuſtodientes, in Dei veritate maneamus? (a) Quare etſi aliqui de collegis noſtris (b) extiterunt, fratres dilectiſſimi, qui deificam diſciplinam negligendam putant, & cum Baſilide & Martiale temere communicant, conturbare fidem noſtram res iſta non debet, cum Spiritus Sanctus in Pſalmis talibus comminetur, dicens: Pſ 49. 18. Tu autem odiſti diſciplinam, & abjeciſti ſermones meos retro: (c) ſi videbas furem concurrebas ei, & cum (d) adulteris portionem tuam ponebas. Conſortes & participes oſtendit eos alienorum delictorum fieri, qui fuerint delinquentibus copulati. Sed & hoc idem Paulus Apoſtolus ſcribit & dicit: Suſurratores, detractores, abhorrentes Rom. 1. 30. Deo, injurioſi, ſuperbi, jactantes ſui, adinventores malorum, qui cum juſtitiam Dei cognoviſſent, [1] non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, morte ſunt digni, non tantum qui (e) faciunt ea, ſed & qui conſentiunt eis qui hæc agunt. Quoniam qui talia, inquit, agunt, morte ſunt digni, manifeſtat & comprobat morte dignos eſſe, & ad pœnam venire non tantum illos qui mala faciunt, ſed etiam eos qui talia agentibus conſentiunt; qui dum malis & peccatoribus, & pœnitentiam non agentibus illicita communicatione miſcentur, [2] nocentium contactibus polluuntur, & dum junguntur in culpa, ſic nec in pœna ſeparantur. Propter quod integritatis & fidei veſtræ religioſam ſollicitudinem, fratres dilectiſſimi, & laudamus pariter & probamus; & quantum poſſumus adhortamur literis noſtris, ne vos cum profanis & maculatis ſacerdotibus communicatione ſacrilega miſceatis, ſed integram & ſinceram fidei veſtræ firmitatem religioſo timore ſervetis. Opto vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere.

(a) Qua in re, *Lam. Ebor. NC.* 1. (b) Extiterint, *Lam. Ebor. Vict. Mic.* (c) Si videris, *Bod.* 1. (d) Adulteris partem, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1, 2. *Thu.* (e) Faciunt mala, ſed & conſentiunt eis, *Lam. Ebor. Lin. Thu. Vict. Corb.*

1 *Non intellexerunt.*] Conſentit Cyprianus lectioni illorum codicum qui habent οὐκ ἐνόησαν; & deinceps οἱ αὐτὰ ποιοῦσι, & οἱ συνευδοκοῦσι.

2 *Nocentium contactibus polluuntur.*] Rigaltius ait, *Pacianus Epiſt.* III. *rejicere nocentes, attactus peccantium fugere.*

EPISTOLA LXVIII.

Ad Pamelium. Ep. LXVII. ad Eraſm. l. 3. Epiſt. 13.

Fauſtini Lugdunenſis literis ſollicitatus Cyprianus, Stephanum hortatur ut Marciano Arelatenſi, Novatianarum partium patrono, ſe oppoſat.

[1] Cyprianus Stephano Fratri, Salutem.

FAUSTINUS Collega noſter Lugduni conſiſtens, frater cariſſime, ſemel atque iterum mihi ſcripſit, [2] ſignificans ea, (a) quæ jam vobis ſcio utique nunciata tam ab eo, quam à ceteris coepiſcopis noſtris in eadem Provincia conſtitutis, quod [3] Marcianus Arelate conſiſtens Novatiano ſeſe conjunxerit, & à Catholicæ Eccleſiæ unitate atque

Scripta poſt reditum.

(a) Quæ etiam, *Ver. Man.*

1 *Cyprianus Stephano fratri.*] Rigaltius ait, *Hanc Epiſtolam non eſſe Cypriani, vir optimus & doctiſſimus Joannes Launoius Theologus Pariſienſis edito libello multis rationibus contendit. Una me ratio, ne quid diſſimulem, commovebat, quod Stephano Romanam Eccleſiam regente, diſputatio de baptizandis hæreticis incaluerat, tanto utrinque inter Carthaginienſes & Romanos ſtuato, ut abſtentus fuerit ab Stephano Cyprianus. Quo rerum ſtatu, vix credibile videretur, Fauſtinum ab Stephano favoris aliquid ſperaſſe per Cyprianum, aut Cyprianum Epiſtolam dediſſe tam honorificam ad Stephanum, quem tum maxime ſcriptis atrocibus urgebat. Cujuſmodi ſane ſunt Epiſtolæ complures, & concilii Carthaginienſis præfatio. Verum hujus argumenti vis cum tota pendeat ex circumſtantia temporis quo ſcripſit epiſtolam Cyprianus, Stephano per quadriennium fere in Epiſcopatu ſedente, ſatis eſſe potuit ſpatii, quo nondum exarſerant animi. Nam & alia Cypriani ad eundem Stephanum extat epiſtola, quæ hac editione habetur poſt ſeptuageſimam prima, non minus civilis & honorifica, ſcripta ſcilicet ante illas ad Jubaianum & Pompeium, priuſquam ſigna cecinniſſent, & priuſquam abſtinuiſſet Cyprianum Stephanus. Addimus, hanc epiſtolam non eſſe tam invidioſam Stephano, nec tantum illi tribuere quantum Baronius exiſtimat. Nam ſunt aliæ paſſim Romanis Epiſcopis multo faventiores. Adeoque ſemel hic notabimus quod ubique fere obſervabitur, Carthaginienſem pro Romano dicere quæ ad propoſitum dicenti maxime faciant. Sic quandoque magis, quandoque minus intendere: quandoque parcius, quandoque liberalius concedere, prout expedit œconomiæ Chriſtianæ propitium habere Romanum. Ceterum & ſtylus & methodus epiſtolam Cypriano ſatis aſſignant. In quibuſdam certe exemplaribus antiquis, ut in Vaticanis & Beneventano, non reperitur, ſed habetur in veteriſſimis Veronenſi, & Corbeienſi, & Cambronenſi, & in impreſſo veteri. Nec ullus eſt harum Epiſtolarum codex antiquus, in quo non aliqua deſideretur, in quo non ſit etiam ordo diverſus.* De tempore ſcriptæ Epiſtolæ conſulantur Annales. Quod ad Epiſtolam ipſam attinet, fateor inter viginti circiter codices MSS. quos evolvi; me nondum in aliquem incidiſſe qui hanc contineret: ſed hoc aliis etiam Epiſtolis nonnullis contigit, quarum fidem nemo in dubium vocavit. Porro cum D. Auguſtinus in lib. 5. de Bapt. cont. Donat. c. 15. Epiſtolæ Cypriani ad Stephanum meminerit, *quæ prorſus ad quæſtionem de baptiſmo non pertinet*; & duæ tantum noſcantur à Cypriano ad Stephanum ſcriptæ; omnino hanc reſpexiſſe Auguſtinum dicendum eſt; ſiquidem altera, 72. nimirum, cauſam illam expreſſe tractat.

2 *Significans ea quæ jam vobis ſcio utique nunciata.*] Rigaltius ait, *In hac Marciani Epiſcopi Arelatenſis cauſa, ſi jus abſtinendi ſive excommunicandi competebat ſoli Epiſcopo Romacur Fauſtinus Epiſcopus Lugdunenſis Cypriano Epiſcopo Carthaginienſi longe diſſito, ſemel atque iterum ſignificat ea de Marciano, quæ jam utique ipſe Fauſtinus & alii ejuſdem provinciæ Epiſcopi nunciaverant Stephano, proximiori, & omnium Epiſcoporum principi? Dicendum igitur factum id fuiſſe aut per negligentiam Stephani, aut quod magis videtur, per diſciplinam quæ tunc in Eccleſia vigebat, ut omnes quidem in circumpoſitis locis, ſed præſertim urbium clariſſimarum Epiſcopi, in commune conſulerent Eccleſiæ, viderentque ne quid detrimenti res Chriſtiana Catholica caperet. Itaque ſuper iſto Marciani Arelatenſis facinore, Lugdunenſem Epiſcopum ad Romanum & Carthaginienſem dediſſe literas, iſtum vero ut remotiſſimum, dediſſe viciſſim ſuas ad Romanum, ut fratrem & collegam, qui in propinquo facilius poſſet de negotio cognoſcere & ſtatuere.*

3 *Marcianus Novatiano ſeſe conjunxerit.*] Rigaltius ait, *Multa ſunt in Epiſtolis Cypriani, quarum nulla fit ab aliis ſcriptoribus eccleſiaſticis mentio: tum quia pauciſſima eorum ſcripta ad eos pervenerunt; tum quia variis tunc Eccleſia vexationibus oppreſſa, difficilis & infrequens erat provinciarum inter ſeſe communicatio. Non propterea tamen ſuſpecta nobis eſſe debet hæc de Marciano Epiſtola, quod iſtius Epiſcopi nemo veterum, qui hactenus editi ſunt auctorum, meminerit, quando nec Baſilidis, nec Martialis, de quibus eſt prior Epiſtola, mentio ulla quoque nunc extat.*

1 *Hæreticæ*

An. 254. atque à corporis noſtri & ſacerdotii conſenſione diſceſſerit, tenens 1 hæreticæ præſumtionis duriſſimam pravitatem; ut ſervis Dei pœnitentibus & (a) dolentibus & Eccleſiam lacrymis, & gemitu, & dolore pulſantibus, divinæ pietatis, & lenitatis paternæ ſolatia & ſubſidia claudantur, nec ad fovenda vulnera admittantur vulnerati, ſed ſine ſpe pacis & communicationis relicti ad luporum rapinam & prædam diaboli projiciantur. 2 Cui rei noſtrum eſt 3 conſulere & ſubvenire, frater cariſſime, qui divinam clementiam cogitantes, & 4 gubernandæ Eccleſiæ libram tenentes, ſic cenſuram vigoris peccatoribus exhibemus, ut tamen lapſis erigendis, & curandis vulneratis, bonitatis & miſericordiæ divinæ medicinam non denegemus. Quapropter facere te oportet 5 pleniſſimas literas ad coepiſcopos noſtros (b) in Galliis conſtitutos, ne ultra Marcianum pervicacem & ſuperbum, & divinæ pietatis ac fraternæ ſalutis inimicum, 6 collegio noſtro inſultare patiantur, quod necdum videatur à nobis abſtentus, 7 qui jam pridem (c) jactat & prædicat, quod Novatiano ſtudens, & ejus pervicaciam ſequens à communicatione (d) ſe noſtra ſegregaverit; cum Novatianus ipſe, quem ſequitur, olim abſtentus & hoſtis Eccleſiæ judicatus ſit: Et cum ad nos in Africam legatos miſiſſet, optans ad communicationem noſtram admitti, hinc 8 à concilio plurimorum ſacerdotum qui præſentes eramus ſententiam retulerit, ſe foris eſſe cœpiſſe, nec poſſe à quoquam noſtrum ſibi communicari, qui Epiſcopo Cornelio in Catholica Eccleſia de Dei judicio & cleri ac plebis ſuffragio ordinato, profanum altare erigere, & adulteram cathedram collocare, & ſacrilega contra verum ſacerdotem ſacrificia offerre tentaverit. Proinde ſi reſipiſcere, & ad ſanæ mentis conſilium redire vellet, ageret pœnitentiam & ad Eccleſiam ſupplex rediret. Quam vanum eſt, frater cariſſime, ut, 9 Novatiano nuper retuſo & refutato, & per totum orbem à ſacerdotibus Dei abſtento: nunc 10 adulatores adhuc nobis patiamur illudere, & de majeſtate ac dignitate Eccleſiæ judicare. 11 Dirigantur in Provinciam, & ad plebem Arelatæ conſiſtentem à te literæ, quibus abſtento Marciano alius in locum ejus ſubſtituatur, & grex Chriſti, qui in hodiernum ab illo diſſipatus & vulneratus contemnitur, colligatur. Sufficiat multos illic ex fratribus noſtris 12 annis iſtis ſuperioribus exceſſiſſe ſine pace; 13 vel ceteris ſubveniatur qui (e) ſuperſunt, qui & diebus ac noctibus ingemiſcunt, & divinam ac paternam miſericordiam deprecantes, 14 ſolatium noſtræ opitulationis expoſcunt.

Idco Epiſcoporum copioſum corpus eſt, ut ſi quis hæreſin excitet, reliqui ſubveniant.

Iccirco enim, frater cariſſime, 15 copioſum corpus eſt ſacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo copulatum, ut ſi quis ex collegio noſtro hæreſin facere,

(a) Dolentibus Eccleſiam lacrymis, *Ver. Man.* (b) In Gallia, *Ver.* (c) Jactat & prædicat, hoſtis, *Corb.* (d) Se ſancta, *Ver.* (e) Superſunt & diebus, *Ver. Man.*

1 *Hæreticæ præſumtionis duriſſimam pravitatem.*] Rigaltius ait, *Hic proprie ſtringit in Novatianos, qui lapſorum pœnitentiam reſpuebant. Quæ ſecta, ſive diſciplina, ſolam duritiem continebat. Proptereaque homines iſtos Epiſtola proxime ſequente duriſſimos dicet. Hæc vero forma loquendi clariſſime teſtatur ejuſdem eſſe auctoris utramque Epiſtolam. Sed & iſta quæ hic paſſim occurrunt, Marcianum pervicacem & ſuperbum, fraternæ ſalutis inimicum, &, fratres noſtros crudeliter deſpici, & Marcianus pietatis & miſericordiæ adverſarius, ab Cypriani manu & genio proculdubio ſunt. Ipſe Epiſt.* LVII. *ſub finem, Novatiani diſciplinam ait eſſe duritiam humanæ crudelitatis.* Vide quæ hac de re dicta in Epiſtola præcedente, p. 288.

2 *Cui rei noſtrum eſt conſulere.*] Rigaltius ait, *Noſtrum eſt, inquit Cyprianus ad Stephanum. Hoc eſt, tam mihi incumbit, quam tibi, nempe ſubvenire laborantibus, communi conſilio.*

3 *Conſulere & ſubvenire.*] In his poteſtas tota Epiſcoporum in Eccleſias vicinas vertitur; ut auctoritate adjuvent oppreſſas, conſilio dirigant errantes; hæretica pravitate imbutos, & lapſos, ſive laicos, ſive de Clero, evitent; & ab eorum communione ſe ſegregent. Quæ omnia præſuli Carthaginienſi non minus competunt, quam Papæ Romano. Statim enim ſubjungit, *Marcianum à nobis*, hoc eſt, utroque pariter, *abſtentum.* Quicquid ulterius faciendum manebat, à Concilio Arelati congregato effici debuit; & Papæ literæ ut & Cypriani tantum hortatoriæ erant, ut plebs & Epiſcopi in ea conſentirent quæ ad Eccleſiæ profectum maxime facerent.

4 *Gubernandæ Eccleſiæ libram tenentes.*] Rigaltius ait, *Hæc igitur libra tenebatur à compluribus. Itaque mox dicet: Facere te oportet literas ad coepiſcopos noſtros, hoc eſt, tam tuos Stephane, quam meos.*

5 *Pleniſſimas literas.*] Non quæ rerum capita ſummatim perſtringunt, & *breves* dicuntur; ſed quæ quæſtionis totius, de lapſis, ſtatum accurate tractant. Ita in Honorii & Theod. lege *de Navicullariis per Africam*, opponuntur; per *libellum aditio*, & *plenaria interpellatio.*

6 *Collegio noſtro.*] Rigaltius ait, *Hoc eſt, Coepiſcoporum, quo & Stephanus includitur.*

7 *Qui jam pridem jactat & prædicat.*] Rigaltius ait, *Hæc & ſequentia, uſque ad, & hoſtis Eccleſiæ judicatus, non leguntur in Corbeienſi; apparent tamen in editione veteri. Unde colligitur editionem prodiiſſe ex alio MS. quo habetur hæc etiam Epiſtola inter Epiſtolas Cypriani.*

8 *A Concilio plurimorum ſacerdotum.*] De his Euſeb. l. 6. c. 43. agit; ſynodum ſexaginta Epiſcoporum fuiſſe ſcribens. Et ex Cornelii literis ad Fabium Antiochenum poſtquam meminit τῆς Ρωμαίων συνόδου, illis ſubjungit, τὰ δόξαντα πᾶσι τοῖς κατὰ τὴν ἰταλίαν καὶ ἀφρικὴν καὶ τὰς ἀντίους χώρας.

9 *Novatiano nuper retuſo.*] Ante triennium, quando miſſi in Africam, ut Epiſtola XLI. dicitur, *à Novatiano Maximus presbyter, & Augendus diaconus, & Macheus quidam & Longinus.*

10 *Adulatores.*] Rigaltius ait, *Fautores Novatiani, ſequaces, aſſeclas, qualis erat Marcianus.*

11 *Dirigantur in Provinciam.*] Regionem Galliæ Narbonenſis, ibique horteris Arelatenſes ut ad Epiſcopi electionem procedant. Hinc Lynceus Annaliſta, *liquido cernit, tum à Cypriano, tum ab aliis Epiſcopis cognitam eſſe auctoritatem Romani Pontificis.* Et Pamelius pariter perſpicax, conficit *licuiſſe jam olim Pontificibus Romanis Epiſcopos juſtis de cauſis excommunicare, imo deſtituere, & novos in eorum locum ſubſtituere.* Felices ſane Romanenſes; qui illis ſe tuentur armis, quæ eorum jugulum petunt. Eodem jure dixiſſent, ex mandato Cypriani literas iſtas fuiſſe ſcriptas; & proinde Romanenſem Carthaginienſi ſubjectum.

12 *Annis iſtis ſuperioribus.*] Rigaltius ait, *Quod tempus extendi poteſt etiam ſupra Epiſcopatum Stephani.*

13 *Vel ceteris ſubveniatur.*] Saltem eorum ratio habita ſit, qui nondum è vita exceſſerunt.

14 *Solatium noſtræ opitulationis.*] Rigaltius ait, *Dicit, noſtræ; tam ſuæ quam Stephani.*

15 *Copioſum corpus eſt ſacerdotum.*] Rigaltius ait, *Epiſcoporum corpus in multas Eccleſias concordi numeroſitate diffuſum.* Remedium contra hæreſes ex Cypriani ſententia non Paſtor univerſalis & monarcha in Eccleſia; ſed corpus Epiſcoporum.

1 *Quaſi*

An. 254. cere, & gregem Christi lacerare & vastare tentaverit, subveniant ceteri, & (a) 1 quasi pastores utiles & misericordes, oves Dominicas in gregem colligant. Quid enim si in mari portus aliquis munitionibus suis ruptis infestus & periculosus esse (b) navibus cœperit; nonne navigantes ad alios proximos portus naves suas dirigunt, ubi sit tutus & salutaris introitus & statio secura? aut si in via stabulum aliquod obsideri & teneri à latronibus cœperit, ut quisquis ingressus fuerit, insidiantium illic infestatione capiatur; nonne commeantes, hac opinione comperta, stabula alia in itinere appetunt tutiora, ubi sint fida hospitia & receptacula commeantibus tuta? Quod nunc esse apud nos debet, frater carissime, ut fratres nostres, qui vitatis Marciani scopulis petunt Ecclesiæ portus salutares, suscipiamus ad nos promta & benigna humanitate, & stabulum commeantibus præbeamus tale, quale est in Evangelio, quo à latronibus sauciati & vulnerati suscipi & foveri, & tutari ab stabulario possint. Luc. 10.

Cura pastoralis ad oves ubique dispersas, & male habentes extendi tur.

Quæ est enim (c) major aut melior cura Præpositorum, quam diligenti sollicitudine & medela salubri fovendis & conservandis ovibus providere? cum Dominus loquatur Ezec. 34. 4. & dicat: Quod infirmatum est, non confortastis: & quod male habuit, non corroborastis: & quod tribulatum est, non consolidastis: & quod erravit, non revocastis: & quod periit, non inquisistis: & dispersæ sunt oves meæ eo quod non sint pastores, & factæ sunt in comesturam omnibus bestiis agri, & non fuit qui inquireret, neque qui revocaret. Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego super pastores, & inquiram oves meas de manibus eorum, & avertam eos ut non pascant oves meas, & jam non pascent eas, & extraham eas de ore eorum, & pascam eas cum judicio. Cum ergo pastoribus talibus per quos Dominicæ oves negliguntur & pereunt sic Dominus comminetur; 2 quid nos aliud facere oportet, frater carissime, quam colligendis & revocandis Christi ovibus exhibere diligentiam plenam, & curandis lapsorum vulneribus paternæ pietatis adhibere medicinam; quando & Dominus in Evangelio moneat & dicat: Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Nam etsi pastores multi sumus, 3 unum tamen gregem pascimus, & oves universas quas Christus sanguine suo & passione quæsivit, colligere & fovere debemus; nec pati supplices & dolentes fratres nostros crudeliter despici, & superba quorundam præsumtione calcari, cum scriptum sit: Ille autem qui contumax est, vir sui jactans, nihil omnino perficiet, qui dilatavit tanquam inferi animam suam: & ejusmodi homines Dominus in Evangelio suo culpet & damnet, dicens: Vos estis qui justificatis vos in conspectu hominum, Deus autem dignoscit corda vestra, quoniam quod excelsum est in hominibus, execratio est in conspectu Dei. Execrabiles & detestabiles dicit esse, qui sibi placeant, qui tumidi & inflati aliquid sibi arroganter assumant. Ex quibus cum Marcianus esse cœperit, & se Novatiano conjungens, adversarius misericordiæ & pietatis extiterit: sententiam non dicat, sed accipiat; nec sic agat quasi ipse judicaverit de collegio sacerdotum, quando ipse sit ab universis sacerdotibus judicatus. Servandus est enim 4 antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii & Lucii honor glorioſus; quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu, frater carissime, honorificare & servare gravitate & auctoritate tua debes, qui vicarius & (d) successor eorum factus es. 5 Illi enim pleni Spiritu Dei & in glorioso martyrio constituti, dandam esse lapsis pacem censuerunt, & pœnitentia acta fructum communicationis & pacis negandum non esse literis suis signaverunt, quam rem omnes omnino ubique censuimus. Neque enim poterat esse apud nos sensus diversus, in quibus (e) unus esset Spiritus: & ideo manifestum est eum Spiritus sancti veritatem cum ceteris non tenere, quem videmus diversa sentire. 6 Significa plane nobis quis in locum Marciani Arelate fuerit substitutus, ut sciamus ad quem fratres nostros dirigere, & cui scribere debeamus. Opto te, frater carissime, semper bene valere. Luc. 16. 15. Abac. 2. 5. Matt. 9. 12.

(a) Qua pastores utiles, *Ver.* (b) Navigantibus, *Ver.* (c) Major pastorum, *Ver.* (d) Successor eis, *Ver.* (e) Unus est Spiritus, *Ver.*

1 *Quasi pastores utiles.*] Rigaltius ait, *Nota phrasis discipulo Tertulliani.*

2 *Quid nos aliud facere oportet.*] Rigaltius ait, *Etenim comminatur Dominus nobis, non Stephano tantum.*

3 *Unum tamen gregem pascimus.*] Rigaltius ait, *Cujus salutis cura non ad te tantum ô Stephane pertinet, verum etiam ad nos, qui tibi sumus coepiscopi. Unum gregem dicit, ut supra, unitatis vinculo copulatum. Et lib. de Unitate Ecclesiæ, Episcopatum dicit esse unum, cujus à singulis in solidum pars tenetur.*

4 *Antecessorum nostrorum Cornelii & Lucii.*] Rigaltius ait, *Cyprianus Afer Cornelium & Lucium, etsi non Carthaginis Episcopos, sed Romæ, antecessores suos nuncupat, quasi successor eorum fuerit. Nimirum, propter unitatem Ecclesiæ Catholicæ, cujus Episcopatus unus est.*

5 *Illi enim dandam esse lapsis pacem censuerunt.*] Rigaltius ait, *In veteri catalogo Episcoporum Ecclesiæ Romanæ, quem penes Nic. Fabrum Peirescium vidimus, hæc de Cornelio & Lucio leguntur. Cornelius ann.* II. M. III. D. X. *à cons. Decio* IV. *& Decio* II. *usque Gallo & Volusiano. Sub Episcopatu ejus Novatus extra Ecclesiam ordinavit Novatianum, in urbe Roma, & Nicostratum in Africa. Hoc facto Confessores, qui se separaverunt à Cornelio, cum Maximo Presbytero qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reversi. Post hoc Centumcelis expulsus ibi cum gloria dormitionem accepit. Lucius ann.* III. M. VIII. D. X. *fuit temporibus Galli & Volusiani usque Valeriano* III. *& Gallieno* II. *Hic exul fuit. Et postea nutu Dei incolumis ad Ecclesiam reversus est* III. *Non. Mar. Cos. SS.* Quod hic de Novato dicitur, non aliter potest consistere, nisi quatenus ejus consilio hoc gestum. De reliquis parachronismis consulantur Annales.

6 *Significa plane nobis quis in locum Marciani.*] Rigaltius ait, *Quam ex æquo tunc vivebat Carthaginiensis cum Romano! Nimirum, ut solet inter fratres & collegas.* Literas communicatorias ad vicinos Episcopos statim post electionem suam ex more vetere, omnes Episcopi miserunt: unde ne ad longe positos Africanos aliquis per dolum subreperet, Cyprianus à Stephano viciniore petit; ut de electo à Catholicis, certior fieret.

An. 255.

EPISTOLA LXIX.

Cyprianus [1] Magno Filio Salutem.

Ad Pamelium. Epiſt. LXXVI Ad Eraſm. l. 1. Ep. 6. & l. 4. Ep. 7. Reſpondetur Magno inquirenti an à Novatiano venientes ſint denuo baptizandi. Et primo, ex S. Scripturarum teſtimoniis unitas ſtabilitur.

Scripta poſt reditum.

PRO tua religioſa diligentia conſuluiſti mediocritatem noſtram, fili cariſſime, an inter ceteros hæreticos, eos quoque, qui à Novatiano veniant, poſt profanum ejus lavacrum baptizari & ſanctificari in Eccleſia catholica legitimo, & vero, & unico Eccleſiæ baptiſmo oporteat. De qua re quantum fidei noſtræ capacitas, & ſcripturarum divinarum ſanctitas ac veritas ſuggerit; dicimus omnes omnino hæreticos & ſchiſmaticos nihil habere poteſtatis ac juris. Propter quod [2] Novatianus nec debet, nec poteſt excipi, quo minus ipſe quoque extra Eccleſiam conſiſtens, & contra pacem ac dilectionem Chriſti faciens, inter adverſarios & antichriſtos computetur. Neque enim Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cum in Evangelio ſuo teſtaretur, adverſarios ſuos eſſe eos, qui ſecum non eſſent, aliquam ſpeciem hæreſeos deſignavit, ſed (a) omnes omnino hæreticos qui ſecum non eſſent, & ſecum non colligentes gregem ſuum ſpargerent, adverſarios ſuos eſſe oſtendit, dicens: [3] Qui non eſt mecum, adverſum me eſt: & qui mecum non colligit, ſpargit. Item beatus Joannes Apoſtolus nec ipſe ullam hæreſin, aut ſchiſma diſcrevit, aut aliquos ſpeciatim (b) ſeparatos poſuit, ſed univerſos qui de Eccleſia exiſſent, quique contra Eccleſiam facerent, antichriſtos appellavit, dicens: Audiſtis quia antichriſtus venit, nunc autem Antichriſti multi facti ſunt: unde cognoſcimus quia noviſſima hora eſt. Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis; ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum. Unde apparet adverſarios (c) Domini & antichriſtos omnes eſſe, quos conſtet à caritate atque ab (d) unitate Eccleſiæ Catholicæ receſſiſſe. Adhuc quoque Dominus in Evangelio ſuo ponit & dicit: Si vero & Eccleſiam contemſerit, ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus. Si autem qui Eccleſiam contemnunt, ethnici & publicani habentur; multo magis utique rebelles & hoſtes, [4] falſa altaria, & illicita ſacerdotia, & ſacrificia ſacrilega, & [5] nomina adulterata fingentes, inter ethnicos & publicanos neceſſe eſt computentur; quando minora peccantes, & tantum Eccleſiæ contemtores, ethnici & publicani ſententia Domini judicentur. Quod autem Eccleſia una ſit, declarat in Cantico canticorum Spiritus ſanctus ex perſona Chriſti dicens: Una eſt columba mea, perfecta mea una eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ. De qua item denuo dicit: Hortus concluſus, ſoror mea, ſponſa; fons ſignatus, [6] puteus aquæ vivæ. Si autem hortus concluſus eſt ſponſa Chriſti, quæ eſt Eccleſia; patere (e) res clauſa alienis & profanis non poteſt. Et ſi fons ſignatus eſt; neque bibere inde, [7] neque conſignari poteſt, cui foris poſito acceſſus ad fontem non eſt. Puteus quoque aquæ vivæ ſi unus eſt, idemque intus eſt; vivificari & ſanctificari foris poſitus ex illa aqua non poteſt, ex qua ſolis eis, qui intus ſunt, uſus omnis & potus conceſſus eſt. Quod & Petrus, oſtendens unam Eccleſiam eſſe, & ſolos eos qui in Eccleſia ſint, baptizari poſſe, poſuit & dixit: In Arca Noë pauci, id eſt, octo animæ hominum ſalvæ factæ ſunt per aquam [8] (f) quod & vos

Luc. 11. 23.

1 Jo. 2. 18.

Mat. 18. 17.

Cant. 6. 9.

Cant. 4. 12.

1 Pet. 3. 21.

(a) Omnes omnino qui ſecum non eſſent, *Lam. Bod.* 1, 2, 3. *Lin. Ebor.* (b) Separes, *Bod.* 1. *Ben. Lin. NC.* 2. ſeparans, *Bod.* 2. (c) *Sic Bod.* 1. 2 *Lin. Lam. Ebor. NC.* 1. 2. Domini antichriſtos, *Rig* (d) Unitate Eccleſiæ receſſiſſe, *Lam.* (e) Recluſa, *Lin.* (f) Quod & nos, *Bod.* 3.

1 *Magno filio.*] De plebe Chriſtiana laico; ſi de Clero fuiſſet, fratrem vocaſſet Cyprianus; niſi forte ita filium vocet, ut Timotheum Paulus Apoſtolus, in fide filium.

2 *Novatianus nec debet nec poteſt excipi.*] Reſpicit decretum Eccleſiæ Africanæ pridem ſub Agrippino ſancitum. Quod forte Canone Apoſtolorum 47. exhibetur, niſi magis placeat ad Synodum Iconienſem aut Synadenſem referre. A quacunque hæreſi venientium baptiſma ratum eſſe debere, ſolus fere mortalium Stephanus Papa docuit; unde non immerito dubitabat Magnus an à Novatianis venientes eſſent baptizandi, præſertim quando illi proſelytas ſuos, ab Eccleſia Catholica transfugas, baptizabant.

3 *Qui non eſt mecum.*] Obſervet lector, locum hunc fere totum, ex lib. de Unitate Eccleſiæ deſumi: & jure merito ſuis tanquam ſuis utitur Cyprianus.

4 *Falſa altaria.*] Nihil ad exaggerandum hæreſeos ſcelus, & ad conflandam adverſus ſchiſmaticos invidiam adeo ſolenniter à veteribus adhibitum, quam quod erigebant altare adverſus altare. Rei hujus ratio à Judæorum cultu videtur expetenda, ſiquidem Deus Opt. Max. qui ipſe unus, ut Deuteron. 12. locum unum ad cultum ſuum elegiſſe dicitur; ita unum pro Holocauſtis altare ſibi ſtatui juſſit. Extra hoc quicquid erat, ad falſum cultum pertinebat; & id ipſum falſum fuerat; ſcil. ara non altare, imo altaris ſimulacrum & idolum. Hoſeæ 8. altaria ad peccatum multiplicari dicuntur; idque merito, ſiquidem à Deo vetita non poterant abſque ſcelere extrui. Unde cum in lib. Joſuæ c. 22. Reubenitæ & Gaditæ & dimidia tribus Manaſſis ad tranſitum Jordanis altare extruxiſſe dicuntur; legimus quod reliquæ tribus protinus bellum apparabant; non aliter placatæ, quam per ſolennem profeſſionem, molem illam, memoriæ ergo congeſtam, non ad ſacrificia deſtinatam.

5 *Nomina adulterata.*] Pamelius ait, *Alludit ad nomen quod ſibi adrogabant Novatiani,* καθαρους, *hoc eſt, puros ſe nuncupantes, teſtibus Epiphanio hær.* 59. *& D. Auguſt. hær.* 18. qui tractatu de agone Chriſti, c. 31. *mundanos potius quam mundos appellandos* dicit.

6 *Puteus aquæ vivæ.*] Hæc in ſacro textu fruſtra quæſiveris: Videntur ῥοιὰ quæ ſequuntur, & malogranata denotant, ab interprete tanquam ῥοαὶ vel ῥοοὶ, ſive fluenta lecta fuiſſe.

7 *Neque conſignari poteſt.*] A fontis ſignati mentione, ad conſignationem eorum qui de ſacro fonte ſuſcipiuntur non incommode tranſitum facit Cyprianus. Multum quidem deſudat Jo. Dallæus in lib de Confirmatione p. 218. ut vocem hanc ad Chriſmationem pertrahat, quod ex Hilario Sardo conficere nititur: & quidem crucis ſigno non tantum ritus fere omnes ſacros peragi, ſed vitæ communis negotia olim expediri; ſatis in confeſſo eſt. Interim maxime ſolennem in baptiſmi ſacramento, crucis fuiſſe uſum; nemo in dubium vocaverit.

8 *Quod & vos ſimiliter.*] Legiſſe videtur ὑμᾶς.

1 *Nec*

An. 255. vos ſimiliter ſalvos faciet baptiſma; (a) probans & conteſtans unam arcam Noë typum fuiſſe unius Eccleſiæ. Si potuit tunc in illo (b) expiati & purificati mundi baptiſmo ſalvus per aquam fieri, qui in arca Noë non fuit; poteſt & nunc vivificari per baptiſma, qui in Eccleſia non eſt, cui ſoli baptiſma conceſſum eſt. Sed & Paulus Apoſtolus hoc idem adhuc apertius & (c) clarius manifeſtans ad Epheſios ſcribit & dicit: Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut eam ſanctificaret, (d) purgans eam lavacro aquæ. Quod ſi una eſt Eccleſia, quæ à Chriſto diligitur, & lavacro ejus ſola purgatur: quomodo qui in Eccleſia non eſt, aut diligi à Chriſto, aut ablui & purgari lavacro ejus poteſt? Propter quod cum ſola Eccleſia habeat aquam vitalem, & baptizandi atque abluendi hominis poteſtatem; qui dicit apud Novatianum baptizari & ſanctificari aliquem poſſe, prius oſtendat & doceat Novatianum in Eccleſia eſſe, aut Eccleſiæ præſidere. Eccleſia enim una eſt, quæ una & intus eſſe & foris non poteſt. Eph. 5. 25.

Legitima Epiſcoporum ſucceſſione deſtitui, certiſſimum indicium ſchiſmatis.

Si enim apud Novatianum eſt, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano Epiſcopo legitima ordinatione ſucceſſit, & quem præter ſacerdotii honorem Martyrio quoque Dominus glorificavit, Novatianus in Eccleſia non eſt; i (e) nec Epiſcopus computari poteſt, qui Evangelica & Apoſtolica traditione contemta, nemini ſuccedens, à ſe ipſo ortus eſt: habere namque aut tenere Eccleſiam nullo modo poſſet, qui ordinatus in Eccleſia non eſt. Foris enim non eſſe Eccleſiam, nec ſcindi adverſum ſe, aut dividi poſſe, ſed inſeparabilis atque individuæ domus unitatem tenere, manifeſtat ſcripturæ divinæ fides, cum de ſacramento paſchæ & agni, qui agnus Chriſtum deſignabat, ſcriptum ſit: In domo una comedetur, non ejicietis de domo carnem foras. Quod item circa Rahab, quæ ipſa quoque typum portabat Eccleſiæ, expreſſum videmus; (f) cui mandatur & dicitur: Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipſam in domum tuam, & omnis qui exierit oſtium domus tuæ foras, reus ſibi erit. Quo ſacramento declaratur in unam domum ſolam, id eſt, in Eccleſiam, victuros & ab interitu mundi evaſuros, colligi oportere. Quiſquis autem de collectis foras exierit, id eſt, ſi quis quamvis in Eccleſia gratiam conſecutus, receſſerit, & ab Eccleſia exierit, reum ſibi futurum, id eſt, ipſum ſibi quod pereat, imputaturum. Quod Apoſtolus Paulus explanat, docens & præcipiens hæreticum vitandum eſſe, ut perverſum & peccatorem, & à ſemetipſo damnatum. (g) Hic enim reus ſibi erit, qui non ab Epiſcopo ejectus, ſed ſponte de Eccleſia profugus, & hæretica præſumtione à ſemetipſo damnatus. Et iccirco Dominus inſinuans nobis unitatem de divina auctoritate venientem ponit & dicit: Ego & Pater unum ſumus: ad quam unitatem redigens Eccleſiam ſuam, denuo dicit: (h) Et erit unus grex & unus paſtor. Si autem grex unus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis non eſt? aut paſtor haberi quomodo poteſt, qui (manente vero paſtore, & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccidanea præſidente) nemini ſuccedens, (i) & à ſe ipſo incipiens, alienus fit & profanus Dominicæ pacis ac divinæ unitatis inimicus; non habitans in domo Dei, id eſt in Eccleſia Dei, in qua non niſi concordes atque unanimes habitant? loquente in Pſalmis Spiritu ſancto & dicente: Deus qui inhabitare fecit unanimes domo. Denique unanimitatem (k) Chriſtianam firma ſibi atque inſeparabili caritate connexam, etiam ipſa 2 Dominica ſacrificia declarant. Nam 3 quando Dominus corpus ſuum panem vocat de multorum granorum adunatione congeſtum; 4 populum noſtrum quem portabat, indicat adunatum: & quando ſanguinem ſuum vinum appellat, de botris atque acinis plurimis expreſſum atque in unum coactum; gregem item noſtrum ſignificat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Si Novatianus huic pani Dominico adunatus eſt, ſi Chriſti poculo & ipſe commixtus eſt; poterit videri & unici Eccleſiaſtici baptiſmi habere gratiam poſſe, ſi eum conſtiterit Eccleſiæ unitatem tenere. Joſ. 2. 18. Jo. 10. 30. Jo. 10. 16. Pſ. 67. 6.

Unitatis ſacramentum, non tantum monitis & exemplis; ſed & pœnis in delinquentes irrogatis ſanctum.

Denique quam ſit inſeparabile unitatis ſacramentum, & quam ſine ſpe ſint, & perditionem ſibi maximam de indignatione Dei acquirant, qui ſchiſma faciunt, & relicto Epiſcopo, alium ſibi foris pſeudoepiſcopum conſtituunt: declarat in libris Regnorum ſcriptura divina, ubi à tribu Juda & Benjamin decem tribus ſciſſæ ſunt, & (l) relicto rege, alterum ſibi foris conſtituerunt: Et indignatus eſt, inquit, Dominus (m) in omne ſemen Iſraël, & (n) dimovit eos, & dedit eos in direptionem donec abjiceret eos à facie ſua, quia diſſipatus eſt Iſraël à domo David, & conſtituerunt ſibi regem Hieroboam filium Nabath. 4 Reg. 17. 19.

(a) Probans ſcilicet, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC* 1 (b) Expiatus & purificatus, mundi baptiſmo; *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (c) Clarius & manifeſtius, *Lam. Bod.* 2. (d) Purgans lavacro, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (e) Nec Epiſcopis computari poteſt, *Lin. Ebor.* (f) Cui id mandatur, *Lam. Ebor. NC.* 1. (g) Hic eſt enim qui reus ſibi erit, non, *Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. Lam.* (h) Et erunt unus grex, *Bod.* 2. (i) Sed à ſeipſo, *Lam. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2. (k) Chriſtianam firmam, *Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Lin.* (l) Relicto rege ſuo, *Lam. Bod.* 3. *Lin.* (m) In omni ſemine, *Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. *Ebor.* (n) Demolivit, *Lin. NC.* 2.

1 *Nec Epiſcopus computari poteſt.*] Sic Tertull. de Præſcript. c. 32. *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum: evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum.* Similia his habet Irenæus l. 3. c. 3. Rem hanc ſerio penſitent, qui tantum abſunt ut legitimam Epiſcoporum ſucceſſionem proferre poſſint; quod nullum omnino inter ſe habeant Epiſcopum.

2 *Dominica ſacrificia.*] Rigaltius ait, *Sacrificia dicit ſacramenta, panem Dominicum, & Chriſti poculum.*

3 *Quando Dominus corpus ſuum panem vocat.*] Rigaltius ait, *Itaque mox etiam dicet: Sanguinem ſuum vinum appellat. Et obſervanda ſunt hæc verba, vocat, indicat, appellat, ſignificat Videatur Epiſt.* LXIII. Locus iſte laudatur ab Auguſtino lib. 7. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 50. Notetur ex Cypriani ſententia, *panem eſſe quod Dominus corpus ſuum vocat.*

4 *Populum noſtrum quem portabat.*] Cujus imaginem geſſit. Sic *Rahab* ſupra dicitur *typum portaſſe Eccleſiæ.* Scilicet Chriſtus caput corporis, cujus fideles ſunt membra.

An. 255. Nabath. Indignatum esse (a) Dominum dicit, & eos in perditionem dedisse, 1 (b) quod ab unitate dissipati essent, atque (c) 2 alterum sibi Regem constituissent. Et tanta indignatio Domini extitit adversus illos, qui schisma fecerant, ut etiam cum homo Dei ad Hieroboam missus esset, qui ei peccata sua exprobraret, atque ultionem futuram prædiceret, panem quoque apud illos edere, & aquam bibere vetaretur. Quod cum non custodisset, & contra præceptum Dei prandisset, statim divinæ censuræ majestate percussus est, ut inde (d) regrediens impetu ac morsu leonis in itinere necaretur. Et audet quisquam dicere aquam baptismi salutarem, & gratiam cælestem communem cum schismaticis esse posse; cum quibus nec terrestris cibus nec secularis potus debet esse communis? (e) Sonat adhuc in Evangelio suo Dominus, & majorem intelligentiæ lucem manifestat, quod iidem qui se tunc à tribu Juda & Benjamin sciderant, & Hierosolymis derelictis, Samariam secessèrant inter profanos & gentiles computarentur. Nam cum primum discipulos suos in ministerium salutis mitteret, mandavit & dixit: (f) In viam nationum ne ieritis, & in civitatem Samaritanorum ne introieritis. (g) Ad Judæos prius mittens, gentiles adhuc præteriri jubet. Addendo autem, & civitatem Samaritanorum debere omitti, 3 ubi erant schismatici; ostendit schismaticos gentilibus adæquari. 3 Reg. 13. 9. Matt. 5. 10.

Schismatici licet symboli voces agnoscant, fidem ipsam denegant.

Quod si aliquis illud opponit, ut dicat, eandem Novatianum legem tenere, quam Catholica Ecclesia teneat, eodem symbolo quo & nos, baptizare; eundem nosse Deum patrem, 4 eundem filium Christum, eundem Spiritum sanctum, ac propter hoc usurpare eum potestatem baptizandi posse, quod (h) videatur in interrogatione baptismi à nobis non discrepare: sciat quisquis hoc opponendum putat; primum, non esse unam nobis & schismaticis symboli legem; 5 neque eandem interrogationem. Nam cum dicunt: Credis remissionem peccatorum & vitam æternam per sanctam Ecclesiam; mentiuntur in interrogatione, quando non habeant Ecclesiam. Tunc deinde voce sua ipsi confitentur 6 remissionem peccatorum non dari, nisi per sanctam Ecclesiam posse; quam non habentes, ostendunt remitti illic peccata non posse.

Exemplo Chor: & sociorum ejus ostenditur quanto cum periculo Ecclesiæ pax, licet fides intacta maneat, violetur.

Quod vero eundem quem & nos Deum patrem, eundem filium Christum, eundem Spiritum sanctum nosse dicuntur, nec hoc adjuvare tales potest. Nam & Chore & Dathan & Abiron cum sacerdote Aaron & Moyse eundem Deum noverant, pari (i) lege & religione viventes unum & verum Deum, qui colendus atque invocandus fuerat, invocabant. Tamen quia loci sui ministerium transgressi contra Aaron sacerdotem, qui sacerdotium legitimum dignatione Dei atque ordinatione perceperat, sacrificandi sibi licentiam vindicaverunt, divinitus percussi pœnas statim pro illicitis conatibus (k) penderunt; nec potuerunt rata esse, & proficere sacrificia, irreligiose & illicite contra jus divinæ dispositionis oblata. Turibula quoque ipsa, in quibus incensum illicite fuerat oblatum, ne in usu de cetero essent sacerdotibus, sed potius indignationis & ultionis divinæ memoriam corrigendis posteris (l) exhiberent; jussu Domini conflata atque igne purgata, ad laminas ductiles producuntur, & affiguntur altari, secundum quod loquitur scriptura divina: Memoriale, inquit filiis Israel, ut non accedat quisquam alienigena, qui non est ex semine Aaron, imponere incensum ante Dominum, ut non sit sicut Chore. Et tamen illi 7 schisma non fecerant, nec foras egressi, contra Dei sacerdotes (m) imprudenter atque hostiliter rebellaverant; quod nunc hi Ecclesiam scindentes, & contra pacem atque unitatem Christi rebelles, cathedram sibi constituere & 8 (n) primatum assumere, & baptizandi atque offerendi licentiam vindicare conantur. Quomodo perficere quæ agunt, aut impetrare aliquid illicitis conatibus de Deo possunt, qui contra Deum, (o) quod eis non licet, moliuntur? Quare qui Novatiano, sive ceteris ejusmodi (p) schismaticis patrocinantur; frustra contendunt baptizari & sanctificari illic aliquem salutari baptismo posse, ubi constet (q) baptizantem baptizandi licentiam non habere. Atque ut magis intelligi posset contra ejusmodi (r) audaciam, quæ sit censura divina; invenimus in tali facinore non solum duces & auctores, sed & participes pœnis destinari, nisi se à communione malorum separaverint, præcipiente per Moysen Domino & dicente: Separamini à tabernaculis hominum istorum durissimorum, Num. 16. 40. Num. 16. 26.

(a) Dominum dixit, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2. (b) Quotquot ab unitate, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (c) *Sic Lam. Bened. Lin. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2. adulterum, *Rig.* (d) Regrediens morsu, *Bod.* 1. (e) Satiat adhuc, *Bod.* 1, 2. *Lam Ebor. NC.* 1, 2. *Lin.* (f) In viam gentium, *Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. (g) Ad Judæos primum, *Lam. NC.* 1. *Ebor.* (h) Videatur interrogatione à nobis, *Lam. Bod.* 2 *Ebor. NC.* 1. (i) Lege & conditione, *NC* 2. (k) Pependerunt, *Bod.* 1, 2, 3. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (l) Exhiberentur, *Bod.* 3. (m) Impudenter, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *Lin. NC.* 1, 2. (n) Principatum, *Corb.* (o) Quod sibi non licet, *Lin. Bod.* 2. non licet, *Bod.* 1. (p) Hæreticis vel, *Lam. Ebor. NC.* 1. (q) Baptizantes, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (r) Licentiam & audaciam, *Bod* 3.

1 *Quod ab unitate dissipati essent.*] Seditio in Regno, schisma in Ecclesia certissime apportat.

2 *Alterum regem.*] Magis obviam lectionem retineo cui MSS. codices maxime favent, licet illa Rigaltii Cypriani locutioni satis respondeat; supra dicit in præcedente Epistola *adulteram cathedram.*

3 *Ubi erant schismatici.*] Videtur Cyprianus in ea fuisse sententia, Samaritanos tantum schismaticos fuisse.

4 *Eundem filium Christum.*] Hæc perpetua fraus hæreticorum, ut fidem quam verbis tueri videbantur, reipsa everterent: hinc Arriani novas quotidie fidei formulas, ad veri speciem subdole efformatas, seculo proxime sequente, procudebant.

5 *Neque eandem interrogationem.*] Rigaltius ait, *in baptismo, sub antistitis manu.*

6 *Credis remissionem peccatorum nisi per sanctam Ecclesiam.*] De veteri symboli formula, alibi, scil. Epist. 70. agimus.

7 *Schisma non fecerant.*] A tabernaculo non recesserunt: nam ad ejus ostium nefas perpetrabant. Nec novum altare erigebant, siquidem in hoc deliquerant, quod ad unicum illud quod summi numinis auspiciis stetit, accesserant.

8 *Primatum assumere.*] Rigaltius ait, *Locum Episcopi, sacerdotium Episcopale.*

1 No-

An. 255. rum, & 1 nolite tangere ab omnibus quæ ſunt eis, ne ſimul pereatis in peccato eorum: & quod comminatus per Moyſen Dominus fuerat, implevit; ut (a) quiſquis à Chore, & Dathan, & Abiron non ſeparaſſet, pœnas ſtatim pro impia communione perſolveret. Quo exemplo oſtenditur & probatur, obnoxios omnes & culpæ, & pœnæ futuros, qui ſe ſchiſmaticis contra præpoſitos & ſacerdotes irreligioſa temeritate miſcuerint. Sicut etiam per Oſee Prophetam Spiritus ſanctus conteſtatur & dicit: Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea, contaminabuntur. Docens ſcilicet & oſtendens omnes omnino cum auctoribus ſupplicio conjungi, qui fuerint eorum peccato contaminati. Oſe. 9. 4.

Fruſtra in eo ſe demereri Deum quis ſperet; in quo irritat.

Quæ ergo apud eos merita eſſe circa Deum poſſunt, quibus ſupplicia divinitus irrogantur? aut quomodo tales juſtificare & ſanctificare baptizatos poſſunt; qui hoſtes ſacerdotum, aliena & illicita, & nullo ſibi jure conceſſa, uſurpare conantur? Quos tamen ipſos non miramur pro ſua pravitate contendere. Aſſerant enim (b) neceſſe eſt (c) ſinguli quique quod faciunt, nec volunt victi facile ſuccumbere, quamvis ſciant id quod faciant, non licere. (d) Illud mirandum eſt, imo indignandum potius & dolendum; 2 Chriſtianos antichriſtis aſſiſtere, & prævaricatores fidei atque Eccleſiæ proditores, (e) intra ipſa ſepta Eccleſiæ contra Eccleſiam ſtare.

Oſtendere conatur Cyprianus, illos ſolum Sp. ſanctum dare poſſe qui ipſi habent.

Qui quoniam pertinaces alias & indociles, vel hoc tamen confitentur; quod univerſi ſive hæretici, ſive ſchiſmatici non habeant Spiritum ſanctum, & ideo baptizare quidem poſſint, dare autem Spiritum ſanctum non poſſint: in hoc ipſo à nobis tenentur, ut oſtendamus nec baptizare omnino eos poſſe, 3 qui non habeant Spiritum ſanctum. Nam cum in baptiſmo unicuique peccata ſua remittantur, probat & declarat in Evangelio ſuo Dominus, per eos ſolos peccata poſſe dimitti, qui habeant Spiritum ſanctum. Poſt reſurrectionem enim diſcipulos ſuos mittens loquitur ad eos & dicit: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cum dixiſſet, inſufflavit & ait illis: Accipite Spiritum ſanctum. Si cujus remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cujus tenueritis, tenebuntur. Quo in loco oſtendit, eum ſolum poſſe baptizare, & remiſſionem peccatorum dare, qui habeat Spiritum ſanctum. Denique (f) ipſum Chriſtum Dominum noſtrum baptizaturus Joannes, accepit ante Spiritum ſanctum cum adhuc eſſe in utero matris conſtitutus; ut certum eſſet atque manifeſtum, baptizare non poſſe, niſi eos qui habeant Spiritum ſanctum. Itaque qui hæreticis ſive ſchiſmaticis patrocinantur, reſpondeant nobis, habeantne Spiritum ſanctum, an non habeant. Si habent, cur illic baptizatis quando ad nos veniunt, manus imponitur ad accipiendum Spiritum ſanctum, cum jam utique illic acceptus ſit, ubi ſi fuit, dari potuit? Si autem foris cuncti hæretici & ſchiſmatici non habent Spiritum ſanctum, & ideo apud nos manus imponitur, ut hic accipiatur, quod illic nec eſt, nec dari poteſt; manifeſtum eſt nec remiſſionem peccatorum dari per eos poſſe, quos conſtet Spiritum ſanctum non habere. Et iccirco ut ſecundum divinam diſpoſitionem atque Evangelicam veritatem, peccatorum remiſſionem conſequi & ſanctificari, ac templa Dei fieri poſſint; Eccleſiæ baptiſmo baptizandi ſunt omnes omnino, qui ab adverſariis & antichriſtis ad Chriſti Eccleſiam veniunt. Jo. 20. 21. Luc. 1. 15.

Reſpondet Cyprianus Magno inquirenti de Clinicorum tinctione.

(g) 4 Quæſiſti etiam, (h) fili cariſſime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei conſequuntur, an habendi ſint legitimi Chriſtiani, eo quod aqua ſalutari non loti ſint, ſed perfuſi. Qua in parte nemini verecundia & modeſtia noſtra præjudicat, quo minus unuſquiſque quod putat, ſentiat, & quod ſenſerit, faciat. Nos quantum concipit mediocritas noſtra, æſtimamus in nullo mutilari & debilitari poſſe beneficia divina, nec minus aliquid illic poſſe contingere, ubi plena & tota fide & dantis & ſumentis accipitur, quod de divinis muneribus hauritur. Neque enim ſic in ſacramento ſalutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali & ſeculari ſordes cutis & corporis abluuntur, (i) ut 5 aphronitris, & ceteris quoque adjumentis, 6 & ſolio, 7 & piſcina opus ſit, quibus ablui & mundari corpuſculum poſſit. Aliter pectus credentis abluitur, aliter (k) mens hominis per fidei merita mundatur.

1 In

(a) Quiſquis ſe, *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1, 2. (b) Aſſerant neceſſe eſt, *Lam. Bod.* 1, 2. *NC.* 1, 2. *Lin.* (c) Neceſſe eſt inſolenter, *Lam. Bod.* 2. (d) Illud autem mirandum, *Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. (e) Intus in ipſa Eccleſia, *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1. *Lin.* (f) Ipſum Jeſum Chriſtum, *Lam. NC.* 1. *Ebor.* (g) Quæſiſti à me, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (h) Frater, *Eraſ. Spir. Vet. Inuom.* (i) Ut & Aphronitris, *Bod.* 1, 2. ſapone & nitris, *Eraſm.* (k) Mens hominis perfidi mundatur, *Lin.*

1 *Nolite tangere ab omnibus.*] LXX. præiverunt dicentes, μὴ ἅπτεσθε ἀπὸ πάντων ὅσα ἐϛὶν αὐτοῖς.

2 *Chriſtianos antichriſtis aſſiſtere.*] Rigaltius ait, *Reddit Cyprianus Stephano voces ſuas. Oblique antichriſtum vocat, à quo pſeudo-chriſtus fuerat nuncupatus & pſeudo-apoſtolus. Ut videre eſt ſub finem Epiſt. Firmiliani.*

3 *Qui non habeant Spiritum ſanctum.*] Qui *foris ſunt*, ut ſtatim dicitur, & *iccirco ſecundum divinam diſpoſitionem, atque Evangelicam veritatem, peccatorum remiſſionem conſequi & ſanctificari, ac templa Dei fieri non poſſunt.* Nec putandus eſt credidiſſe, ſacramenta à ſacerdote male ſibi conſcio, tamen intra Eccleſiam verſante collata, eſſe irrita; licet eo in argumento multus ſit, & multum triumphet D. Auguſtinus in libris de Baptiſmo.

4 *Quæſiſti etiam.*] Duplici nomine obnoxius videbatur Novatianus; primo quod in cauſa lapſorum ſchiſma fecerit: ſecundo quod in lecto perfuſus, non autem baptizatus fuerit. Ita hæc quæſtio priori cohæret.

5 *Aphronitris.*] Smegmate, cujus baſis fere nitrum. Jerem. 2. 22. ἐὰν ἀποπλύνῃ ἐν νίτρῳ. Aphronitrum idem valet ac ſi nitrum laudatiſſimum diceretur; nam quod Plinius ait. l. 31. c. 10. *In nitro optimum quod tenuiſſimum, & ideo ſpuma melior.*

6 *Et ſolio.*] *Alveo in quo deſcenderent lavaturi*, deſcribente Celſo. De nitro dicit Plinius loco citato, *Podagricis in balneis uti ſolio nitri prodeſt.*

7 *Piſcina.*] Sic canales ſive lacus natatorios appellabant Romani. Plinius Jun. ſuum Laurentinum deſcribens, ait: *Cohæret calida piſcina mirifice, ex qua natantes mare aſpiciunt.* Et alibi: *Si natare latius aut tepidius velis, in area piſcina eſt.* Sic etiam Cicero: *Latiorem piſcinam voluiſſem, ubi jactata brachia non offenderentur.*

An. 255. [1] In ſacramentis ſalutaribus, neceſſitate cogente, & Deo indulgentiam ſuam largiente, totum credentibus conferunt divina compendia.

Aſperſionem ad immunditias tollendas valere ex ritibus Leviticis oſtenditur.

Nec quenquam movere debet, quod aſpergi vel perfundi videntur ægri, cum gratiam Dominicam conſequuntur; quando ſcriptura ſancta per Ezechielem Prophetam loquatur & dicat: Et aſpergam ſuper vos aquam mundam, mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris, & ab omnibus ſimulacris veſtris, emundabo vos, & dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum dabo in vobis. Item in Numeris: Et homo qui fuerit immundus uſque ad veſperam, hic purificabitur (a) die tertio & die ſeptimo, & mundus erit. Si autem non fuerit purificatus die tertio & die ſeptimo, non erit mundus, & exterminabitur anima illa de Iſraël, quoniam aqua aſperſionis non eſt ſuper eum ſparſa. Et iterum: Et locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Accipe Levitas de medio filiorum Iſraël, & purificabis eos. Et ita facies eis purificationem eorum, circumſparges eos aqua purificationis. Et iterum: Aqua aſperſionis purificatio eſt. Unde apparet aſperſionem quoque aquæ, inſtar ſalutaris lavacri obtinere; & quando hæc in Eccleſia fiunt, ubi ſit & dantis & accipientis fides integra, ſtare omnia & conſummari ac perfici poſſe majeſtate Domini, & fidei veritate. Porro autem quod quidem eos ſalutari aqua & fide legitima Chriſti gratiam conſecutos, non Chriſtianos ſed Clinicos vocant, non invenio unde hoc nomen aſſumant; niſi forte qui plura & ſecretiora legerunt apud [2] Hippocratem vel Soranum, κλινικοὺς iſtos deprehenderunt. Ego enim qui Clinicum de Evangelio novi; ſcio paralytico illi, & debili per longæ ætatis curricula in lecto jacenti, nihil infirmitatem ſuam obfuiſſe, quo minus ad firmitatem cœleſtem pleniſſime perveniret: nec tantum indulgentia Dominica excitatum de grabato eſſe, ſed ipſum grabatum ſuum reparatis & vegetatis viribus ſuſtuliſſe. Et iccirco, quantum fide concipere & ſentire nobis datur, mea ſententia hæc eſt; ut (b) Chriſtianus judicetur legitimus, quiſquis fuerit in Eccleſia, lege & jure fidei, divinam gratiam conſecutus. Aut ſi aliquis exiſtimat eos nihil conſecutos, eo quod aqua ſalutari tantum perfuſi ſint, (c) ſed inanes & vacui ſunt; non decipiantur, ut ſi incommodum languoris evaſerint & convaluerint, baptizentur. Si autem baptizari non poſſunt, qui jam baptiſmo Eccleſiaſtico ſanctificati ſunt; cur in fide ſua & Domini indulgentia ſcandalizentur? An conſecuti ſunt quidam gratiam Dominicam, ſed breviore & minore menſura muneris divini ac Spiritus ſancti, ut habeantur quidem Chriſtiani, non ſint tamen ceteris adæquandi? Quinimo Spiritus ſanctus non de menſura datur, ſed ſuper credentem totus infunditur. Nam ſi dies omnibus æqualiter naſcitur, & ſi ſol ſuper omnes pari & æquali luce diffunditur; quanto magis Chriſtus ſol & dies verus, in Eccleſia ſua lumen vitæ æternæ pari æqualitate largitur? Cujus æqualitatis ſacramentum videmus in Exodo eſſe celebratum, cum de cœlo manna defflueret, & futurorum præfiguratione alimentum panis cœleſtis & [3] cibum Chriſti venientis oſtenderet. Illic enim ſine diſcrimine vel ſexus, vel ætatis (d) gomor à ſingulis æqualiter colligebatur. Unde apparebat Chriſti indulgentiam & cœleſtem gratiam poſtmodum ſecuturam, æqualiter omnibus dividi ſine ſexus varietate: ſine annorum diſcrimine, ſine acceptione perſonæ ſuper omnem Dei populum ſpiritalis gratiæ munus infundi.

Num. 19. 7. 19. 19. Num. 8. 7. Num. 19. 9. Jo. 5. 5. Exod. 16.

Gratia ſpiritalis æqualiter in Baptiſmo data, actu noſtro poſtmodum vel minuitur vel augetur.

Plane eadem gratia ſpiritalis, quæ (e) æqualiter in baptiſmo à credentibus ſumitur, in converſatione atque actu noſtro poſtmodum vel minuitur, vel augetur; ut in Evangelio Dominicum ſemen æqualiter ſeminatur, ſed pro varietate terræ aliud abſumitur, aliud in multiformem copiam vel triceſimi, vel ſexageſimi, vel centeſimi numeri fructu exuberante cumulatur. Adhuc vero cum ſinguli ad denarium vocentur, quid eſt ut quod à Deo æqualiter diſtribuitur, humana interpretatione minuatur? Quod ſi aliquis in illo movetur quod quidam de iis qui ægri (f) baptizantur, ſpiritibus adhuc immundis (g) tentantur; ſciat diaboli nequitiam pertinacem uſque ad aquam ſalutarem valere, in baptiſmo vero omne nequitiæ ſuæ virus amittere. Quod exemplum cernimus in Rege Pharaone, qui diu reluctatus, & in ſua perfidia demoratus, tamdiu reſiſtere potuit & prævalere, donec ad aquam veniret: quo cum veniſſet, & victus eſt, & extinctus. Mare autem illud ſacramentum baptiſmi fuiſſe, declarat beatus Apoſtolus Paulus

Matt. 13. Matt. 20. Exod. 14.

(a) Die ſeptimo mundus erit, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. 2. *Ebor.* (b) Chriſtianus judicetur, quiſquis, *Lam.* (c) Si inanes, *Bod.* 1. 2. *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1. (d) Gomor ſinguli æqualiter colligebant, *Lam. NC.* 2. *Lin.* (e) Æqualiter colligebatur, *Lam. Ebor. NC.* 1. (f) Baptizabantur, *Lam. NC.* 1. *Ebor.* (g) Tentabantur, *Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. NC.* 1.

1 *In ſacramentis ſalutaribus neceſſitate cogente totum credentibus conferunt divina compendia.*] Rigaltius ait, *Verbum enim conſummans & brevians fecit Dominus ſuper terram, & compendio fidei per gratiam ſalvos facit credentes, non per innumerabiles obſervationes quibus Judaica multitudo ſerviliter onerata premebatur. Corde creditur ad juſtitiam: ore confeſſio fit adſalutem. Qua conſummatione atque brevitate latro juſtificatus eſt, ſtatimque audire meruit: Hodie mecum eris in paradiſo. Primaſius Uticenſis in Epiſt. Pauli ad Rom.*

2 *Hippocratem & Soranum.*] Hippocratem Coum, nulli fere tacent ſcriptores. Soranus Epheſius eandem artem Romæ exercuit ſub Trajano & Adriano, quem reſpexiſſe videtur Cyprianus. Fuerunt enim alii ejuſdem nominis in re medica celebres.

3 *Cibum Chriſti venientis.*] Rigaltius ait, *Verbum vitæ æternæ Joannis* VI. *Hoc vero verbum corpus eſt Chriſti: atque hoc ſenſu caro Chriſti vere eſt cibus. Nempe verbum Dei caro factum, Chriſtus eſt; & corpus Chriſti verba Dei ſunt quæ habuit Chriſtus in carne. Corpus autem Chriſti manducamus credentes in Chriſtum & præcepta ejus fideliter obſervantes. Ait enim Chriſtus: Caro mea vere eſt cibus, Joan.* VI. 36. *&, Cibus meus eſt facere voluntatem Patris, Joan.* IV. 34. *Quo igitur modo Chriſtus faciens voluntatem, id eſt, faciens mandata Patris, manducavit Patrem, ſive voluntatem Patris; eo modo ſervantes mandata Chriſti, manducant Chriſtum. Eadem figura, eodemque intellectu dicuntur Chriſtiani manducare Chriſtum, quo dicuntur induere Chriſtum, qui ſecundum præcepta Chriſti ſapiunt & vivunt, Deum toto corde colunt, proximum ſicut ſeipſos diligunt.*

1 *Voce*

An. 255. lus dicens: Nolo enim vos ignorare, fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt, & omnes (a) in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari. Et addidit dicens: Hæc autem omnia figuræ noſtræ fuerunt. Quod hodie etiam geritur, ut per exorciſtas 1 voce humana & poteſtate divina flagelletur, & uratur, & torqueatur diabolus: Et cum exire ſe, & homines Dei dimittere ſæpe dicat, in eo tamen quod dixerit fallat, & id quod per Pharaonem prius geſtum eſt, eodem mendacio obſtinationis & fraudis exerceat. Cum tamen ad aquam ſalutarem, atque ad baptiſmi ſanctificationem venitur, ſcire debemus & fidere quia illic diabolus opprimitur, & homo Deo dicatus divina indulgentia liberatur. Nam ſi 2 ſcorpii & ſerpentes, qui in ſicco prævalent, in aquam præcipitati prævalere (b) poſſunt, aut ſua venena (c) retinere; poſſunt (d) & ſpiritus nequam, (qui ſcorpii & ſerpentes appellantur, & tamen per nos data à Domino poteſtate calcantur) permanere ultra in hominis corpore, in quo baptizato & ſanctificato incipit Spiritus ſanctus habitare. Hoc denique & rebus ipſis experimur, ut neceſſitate urgente in ægritudine baptizati & gratiam conſecuti, careant immundo ſpiritu, quo antea movebantur; & laudabiles ac probabiles in Eccleſia vivant, pluſque per dies ſingulos in augmentum cœleſtis gratiæ per fidei incrementa proficiant. Et contra ſæpe nonnulli de illis qui ſani baptizantur, ſi poſtmodum peccare cœperint, ſpiritu immundo redeunte quatiuntur; ut manifeſtum ſit, diabolum in baptiſmo fide credentis excludi, ſi fides poſtmodum defecerit, regredi: Niſi ſi juſtum quibuſdam videtur, ut illi qui extra Eccleſiam apud adverſarios & antichriſtos profana aqua polluuntur, baptizati judicentur: hi vero qui in Eccleſia baptizantur, minus indulgentiæ & gratiæ divinæ conſecuti eſſe videantur; & tantus honor habeatur hæreticis, ut inde venientes non interrogentur utrumne loti ſint, an perfuſi; utrumne 3 Clinici ſint an Peripatetici. Apud nos autem de integra fidei veritate detrahitur, & baptiſmo Eccleſiaſtico majeſtas ſua & ſanctitas derogatur. Reſcripſi, fili cariſſime, ad literas tuas, quantum parva noſtra mediocritas valuit, & oſtendi quid nos quantum in nobis eſt ſentiamus, nemini præſcribentes, quo minus ſtatuat quod putat unuſquiſque præpoſitus; 4 actus ſui rationem Domino redditurus, ſecundum quod beatus Apoſtolus Paulus in Epiſtola ſua ad Romanos ſcribit & dicit: Unusquiſque noſtrum pro ſe rationem dabit; non ergo nos invicem judicemus. Opto te, fili cariſſime, ſemper bene valere.

1 Cor. 10. 1.

Luc. 10. 19.

Rom. 14. 12.

(a) In Moyſen, *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1. 2. (b) Non poſſunt, *Bod.* 1. (c) Retinere neſciunt, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (d) An ſpiritus nequam, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.

1 *Voce humana & poteſtate divina.*] Rigaltius ait, *Abſtulit ſuam, hoc eſt divinam, Chriſtus poteſtatem, poſteaquam homines divinæ poteſtati admiſcuerunt humanam. Etenim diffidit Deo, qui hominem vocat in partem operis, quod eſt ſolius Dei. Et eſt Deus zelotes.* Vide quæ diximus Notis in lib. ad Donatum.

2 *Scorpii & ſerpentes, qui in ſicco prævalent.*] Mali ſpiritus, qui hic ſcorpiis & ſerpentibus aſſimilantur, in locis ſiccis verſari dicuntur, Mat. 12. 43. Iſtorum vero animalium virus torpet non tantum ad aquæ, ſed etiam aeris brumalis frigora. De reliquis noxiis animalibus id minime obtinet, *quod in aquam præcipitata prævalere non poſſunt. In orbe terrarum*, teſte Plinio, l. 28. c. 4. *pulcherrimum anguium genus eſt, quod in aqua vivit, hydri vocantur, nullis ſerpentium inferiores veneno.* De ſcorpionibus terreſtribus ait idem Plin. l. 11. c. 25. *venenum omnibus medio die, cum incanduere ſolis ardoribus, itemque cum ſitiunt, inexplebiles potu.*

3 *Clinici ſint an Peripatetici.*] Rigaltius ait, *Jaceant an obambulent. Scaurus apud Senecam epiſt.* 29. *de Ariſtone Philoſopho, qui in geſtatione diſſerebat; cum de ejus ſecta tunc quæreretur, ait: Utique Peripateticus non eſt. Etenim in geſtatione ſedebat aut jacebat, & ſic erat Clinicus.*

4 *Actus ſui rationem.*] Hoc Epiſcoporum liberrimum jus & par conſortium honoris & poteſtatis perpetuo ingerit Cyprianus.

EPISTOLA

An. 255.

CÆCILII CYPRIANI

EPISTOLA LXX.

Cyprianus, Liberalis, Caldonius (a) Junius, Primus, Cæcilius, Polycarpus, Nicomedes, Felix, Marrucius, Succeſſus, Lucilianus, Honoratus, Fortunatus, Victor, Donatus, Lucilius, Herculanus, Pomponius, Demetrius, Quintus, Saturninus, Januarius, Marcus, alius Saturninus, alius Donatus, Rogatianus, Sedatus, Tertullus, Hortenſianus, item alius Saturninus, Sattius: (b) Januario, Saturnino, Maximo, Victori, alteri Victori, Caſsio, Proculo, Modiano, Cittino, Gargilio, Eutichiano, alteri Gargilio, alteri Saturnino, Nemeſiano, Nampulo, Antoniano, Rogatiano, Honorato, Fratribus Salutem.

Ad Pamelium. Ep. LXX Ad Eraſm. l. 1 Epiſt. 12. Reſpondetur Epiſtola Synodica, Epiſcopis Numidis, in quæſtione de baptizandis Hæreticis.

1 CUM ſimul in concilio eſſemus, fratres cariſſimi, legimus literas veſtras, (c) quas ad nos feciſtis, de iis qui apud hæreticos & ſchiſmaticos (d) baptizari videntur, an ad Eccleſiam catholicam, 2 quæ una eſt, venientes baptizari debeant. De qua re quamquam & ipſi illic veritatem & firmitatem Catholicæ regulæ teneatis: tamen quoniam conſulendos nos pro communi dilectione exiſtimaſtis, ſententiam noſtram non novam promimus, ſed jam pridem ab anteceſſoribus noſtris ſtatutam, & à nobis obſervatam, vobiſcum (e) pari conſenſione conjungimus; cenſentes ſcilicet & pro certo tenentes, neminem foris baptizari extra Eccleſiam poſſe, cum ſit 3 baptiſma unum in ſancta Eccleſia conſtitutum, & ſcriptum ſit Domino dicente: Me dereliquerunt fontem (f) aquæ vivæ, & effoderunt ſibi 4 lacus detritos, 5 qui non poſſunt aquam portare. Et iterum divina ſcriptura moneat & dicat: 6 Ab aqua aliena abſtine te, & à (g) fonte aquæ alienæ ne biberis. 7 Oportet ergo mundari & ſanctificari aquam prius à ſacerdote, ut poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis qui baptizatur, abluere; quia per Ezechielem Prophetam Dominus dicit: Et aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis veſtris, & ab omnibus ſimulacris veſtris emundabo vos, & (h) dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum dabo in vobis. Quomodo autem mundare & ſanctificare aquam poteſt, qui ipſe immundus eſt, & apud quem Spiritus ſanctus non eſt? cum Dominus dicat in Numeris: Et omnia quæcunque tetigerit immundus, immunda erunt. Aut quomodo baptizans dare alteri remiſſam peccatorum poteſt, qui ipſe ſua peccata deponere extra Eccleſiam non poteſt?

Scripta poſt reditum. Jerem. 2. 13. Prov. 9. 19. Ezec. 36. 25. Num. 19. 22.

Sed

(a) *Sic Bod. 1. Ebor. Lin. NC. 1. 2. Benev. Vet. Imp. Eraſm. Morel. Deſunt in Rig.* (b) Jubaiano *Ebor. Lin. NC. 1. Ben.* (c) Quas feciſtis, *Bod. 1. Lam. Thu. Foſſ. Corb. Vict.* (d) Baptizati *Bod. 1. Ebor. NC. 1, 2.* (e) Pari confeſſione, *Corb.* (f) Aquæ vivæ gratis, *Bod. 1. Foſſ. Vict. Corb.* (g) Fonte alieno, *Lam. Ebor. NC. 1.* (h) Dabo in vobis, *Bod. 1. Thu. Foſſ. Vict. Mich.*

1 *Cum in concilio.*] Græculus interpres, ἐν κοινοξυλίῳ. Epiſtola hæc in Codice Synodico Græcæ Eccleſiæ, concilio Carthaginienſi ſub Cypriano habito præfigitur, & quaſi illius canon perhibetur, quem Epiſcoporum ſuffragia, quæ eum tanquam ἐνθυμήματα ſive ἐπιχειρήματα, ut ait Zonaras, varie illuſtrarunt, ſequebantur. Balſamo & Zonaras, literis iſtis Jubaiano reſponſum fuiſſe redditum aſſerunt, eo quod illius mentionem factam in Cypriani proloquio obſervaſſent; quanquam & Codices MSS. latini plurimi, ſuffragia hac in re perhibent. Sed perpetui hoſpites in occidentalium rebus fuerunt orientales, nec quidem rectius Epiſtolam ipſam in Græcum ſermonem tranſtulere, quam de ſcripti occaſione & origine ſenſerunt. Interea vero dicendum, quod ſiquidem hæc Epiſtola erat Synodica, & hæreticorum baptiſma damnabat pariter cum illa Synodo quæ ſequebatur LXXXVII. Epiſcoporum, merito in pandectas conciliorum recipiebatur; & ita ad Orientales, qui diverſarum Synodorum diverſis temporibus habitarum decreta, pro ejuſdem placitis accipiebant, errore non admodum damnoſo, fuerat tranſmiſſa. Porro notandum, omnes Synodos Africanas ſub Cypriano, à Concilio ſexto Generali in Trullo fuiſſe confirmatas can. 2.

2 *Quæ una eſt, venientes baptizari.*] Græca hic addunt, καὶ ἀναγινώσκεται περὶ ὧν καὶ πεπείσμεθα, καὶ ὑμᾶς αὐτὲς ἐκεῖνα πράττοντας τὴν σεμνότητα τῆ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας κανόνος κρατεῖν. ὅμως ἐπεὶ συγκοινωνοὶ ἡμῶν ἐστὲ, καὶ συζητῆσαι περὶ τούτου διὰ τὴν κοινὴν ἀγάπην ἠθελήσατε, ὑ πρόσφατον γινώμην, ἀδὲ νῦν ἐδραστμένην προσφέρομεν, ἀλλὰ τὴν πάλαι ὑπὸ τῶν προγενεστέρων ἡμῶν μετὰ πάσης ἀκριβείας καὶ ἐπιμελείας δεδοκιμασμένην, καὶ ὑφ' ἡμῶν παραπεφυλαγμένην κοινωνεῖν ὑμῖν καὶ συζεύγνυμεν.

3 *Baptiſma unum.*] Non tantum eo nomine quod repeti non debet; ſed quia ab Eccleſia proficiſcitur quæ niſi una ſupereſſe non poteſt.

4 *Lacus detritos.*] λάκκους συντετριμμένους. Rigaltius ait, *Vulgo ciſternas diſſipatas, hoc eſt, rimarum plenas, hac illacque perfluentes. Pacianus Epiſt. III. non conſecrata ſede contentus, detritum lacum adulterini fontis adamavit. Hieronymus adverſus Luciferianos: Conatus eſt & beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena, & iccirco hæreticorum baptiſma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis Epiſcopum, qui à beato Petro vigeſimus ſextus fuit, ſuper hac re Africanam Synodum direxit: ſed conatus ejus fruſtra fuit.*

5 *Qui non poſſunt aquam portare.*] Rigaltius ait, *Septuaginta dixerant*: ὕδωρ συνέχειν. *Apud Balſam. & Zonaram legitur* σύσχειν. *Apud Tertul. foderunt ſibi lacus contritos, qui non poterant aquam continere.*

6 *Ab aqua aliena.*] Hæc fruſtra alibi quam in Græcis exemplaribus quæruntur.

7 *Oportet ergo mundari & ſanctificari aquam.*] Formulæ illæ liturgicæ quibus Elementa ſacramentorum ad uſus divinorum myſteriorum ſeparantur; hinc & aliunde apparent non tam nuperas eſſe, quam Novatores ſibi & aliis perſuadere ſatagunt.

1 *Sed*

An. 255. 1 Sed & ipſa interrogatio quæ fit in baptiſmo teſtis eſt veritatis. Nam cum dicimus: Credis in vitam æternam, & 2 remiſſionem peccatorum per ſanctam Eccleſiam? Intelligimus remiſſionem peccatorum non niſi in Eccleſia dari; 3 apud hæreticos autem, ubi Eccleſia non ſit, non poſſe peccata dimitti. Itaque 4 qui hæreticos aſſerunt, aut interrogationem mutent, aut vindicent veritatem; niſi ſi eis & Eccleſiam tribuunt, quos baptiſma habere contendunt.

Ex interrogatione in baptiſmo, oſtenditur remiſſionem peccatorum non poſſe haberi niſi per ſanctam Eccleſiam. Hoc etiam ex aliis ritibus conficitur.

Ungi quoque neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto chriſmate, id eſt, unctione, eſſe unctus Dei, & 5 habere in ſe gratiam Chriſti. 6 Porro autem Euchariſtia eſt unde baptizati unguntur, oleum in altari (a) ſanctificatum. Sanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Eccleſiam. Unde nec unctio ſpiritalis apud hæreticos poteſt eſſe, quando conſtet oleum ſanctificari, & Euchariſtiam fieri apud illos omnino non poſſe. Scire autem & meminiſſe debemus, ſcriptum eſſe: Oleum peccatoris non ungat caput meum: quod ante in Pſalmis (b) præmonuit Spiritus ſanctus, ne quis exorbitans, & à via veritatis exerrans, apud (c) hæreticos & Chriſti adverſarios ungeretur. 7 (d) Sed & baptizato quam precem facere poteſt ſacerdos ſacrilegus & peccator? cum ſcriptum ſit: Deus peccatorem non audit: ſed qui (e) eum coluerit, & voluntatem ejus fecerit, illum audit. Pſ. 140. 6. Jo. 9. 31.

Nemo poteſt dare quod ipſe non habet.

Quis autem poteſt dare quod ipſe non habeat? aut quomodo poteſt 8 (f) ſpiritalia agere, qui ipſe amiſerit Spiritum ſanctum? Et iccirco baptizandus eſt & innovandus qui ad Eccleſiam rudis venit, ut intus per ſanctos ſanctificetur, quia ſcriptum eſt: Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum, dicit Dominus: ut 9 qui (g) in errorem ſeductus eſt, & foris Levit. 19. 2.

(a) *Sic Bod.* 1. *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Lin. Thu. Foſſ. Vict. Mich. Corb. Vet. Imp. Remb. Manut. Morel.* & unde, *Eraſ. Pam. Rig.* ſanctificatur, *Eraſ. Pam. Rig.* (b) Admonuit, *Lam. Ebor. NC.* 1. (c) Hæreticos Chriſti, *Lam.* (d) Pro baptizato, *Lam. Ebor. NC.* 1. (e) Deum coluerit, *Bod.* 1. (f) Spiritalia gerere, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (g) In errore, *Lam. NC.* 1. 2. *Lin.*

1 *Sed & ipſa interrogatio quæ fit in baptiſmo.*] Rigaltius ait, *Dum mergitamur, inquit Tertullianus, amplius aliquid reſpondentes quam Dominus in Evangelio determinavit, ſub Antiſtitis manu conteſtamur.*

2 *Remiſſionem peccatorum per ſanctam Eccleſiam.*] Apoſtolorum Symbolum quanquam in omnibus Eccleſiis obtinuit, in ſingulis fere, quemadmodum à Ruffino olim obſervatum, aliquatenus variabat: Africanam Eccleſiam hoc modo articulos hoſce concepiſſe, ex Cypriani verbis ſatis videtur conſtare; *ipſa*, inquit, *interrogatio quæ fit in baptiſmo teſtis eſt veritatis. Nam cum dicimus: Credis in vitam æternam, & remiſſionem &c.* patet hanc fuiſſe interrogationem quæ fit in baptiſmo; & verba ipſa quibus ſacerdos interrogando præivit, & quæ catechumenus reſpondens repetebat. Epiſtola ad Magnum eadem occurrunt verba, ordine aliquantum mutato. *Credis remiſſionem peccatorum, & vitam æternam per ſanctam Eccleſiam?* Certe articulus de communione ſanctorum, in occidentali Eccleſia ſerius obtinuit. Neque enim in Aquileiana reperiebatur tempore Ruffini, nec agnoſcit D. Auguſtinus in lib. de Fide & Symbolo; nec in fidei formula comparet quam tradidit Maximus Taurinenſis, aut quam expoſuit Chryſologus; non etiam occurrit in vetere codice MS. Regis Æthelſtani in Biblioth. Cottoniana, ubi ad Pſalterii calcem ſymbolum Græce habetur. Nec in codice Bodleiano Actorum Apoſtolicorum, ubi literis Saxonicis habetur ſymbolum Græce deſcriptum, quod conſtat mille abhinc annis fuiſſe exaratum. Imo non à Græcis agnoſcebatur Euſebii tempore, nec Epiphanii, Cyrilli Hieroſolymitani, aut Concilii Epheſini. Imo quidem articulus de vita æterna deſideratur in Exemplaribus noſtris ſupra memoratis; ſic enim extrema ſymboli ſe habent: ἁγίαν ἐκκλησίαν, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, σαρκὸς ἀνάστασιν. ἀμήν.

3 *Apud hæreticos autem, ubi Eccleſia non ſit.*] Priorius ait, *Renuntiatio quæ fiebat in baptiſmo, non in baptiſterio, quod μητέρα τῆς υἱοθεσίας matrem adoptionis vocat S. Dionyſius de Eccl. hier. cap.* 2. *ſed in Eccleſia quæ eidem eſt ſacer locus, ἱερὸς χῶρος celebrabatur, atque etiam admota antiſtitis manu baptizandi capiti; nam tunc jubebat antiſtes verba ejurationis profiteri τὰ τῆς ἀποταγῆς ὁμολογῆσαι.*

4 *Qui hæreticos aſſerunt.*] Rigaltius ait, *Verſio Græca*: οἱ αἱρετικῶν συνήγοροι.

5 *Habere in ſe gratiam Chriſti poſſit.*] Rigaltius ait, *Suavitatem, quæ unctione ſignificatur. Chriſtianus, inquit Septimius, quantum interpretatio eſt, ab unctione deducitur. Sed & cum perperam Chriſtianus pronuntiatur, de ſuavitate vel benignitate impoſitum eſt.*

6 *Porro autem Euchariſtia eſt unde baptizati unguntur, oleum in altari ſanctificatum.*] Rigaltius ait, *Veram eſſe arbitramur ſcripturam quam edidit Manutius. Porro autem Euchariſtia eſt unde baptizati unguntur, oleum in altari ſanctificatum. Sic perſuadent exemplaria. Nam in Corbeienſi legitur, Porro autem Euchariſtia eſt unde baptizati unguntur oleo in altari ſanctificato: in Veronenſi, & Thuaneo, ſicut in Manutiana editione. Perperam Græci apud Zon. & Balſ.* ἁγιάζεσθαι ἔλαιον εἰς εὐχαριστίαν. *At præclare Cyprianus dixerat, euchariſtiam eſſe oleum in altari ſanctificatum. Oleum ſcilicet per* ἔντευξιν, *hoc eſt interpellationem ſive invocationem divini nominis, per laudes & gratias Deo fuſas & nuncupatas benedictum. Sic Matthæus & Marcus & Joannes euchariſtiam dixerunt eulogiam, nec tantum in cœnæ Dominicæ inſtitutione, verum etiam in panum multiplicatione. Quod Evangeliſtarum verbis accurate collatis facile deprehenditur.* Porro obſervare operæ pretium fuerit, quod Eraſmus & Pamelius conſiderantes in hujus loci concluſione Cyprianum diſtincte loqui de oleo & Euchariſtia, ut & Auguſtinum argumenta ejus ſolventem de bapt. cont. Donat. l. 5. c. 20. nihilque debere eſſe in concluſione quod non erat in præmiſſis; poſt *unguntur* repoſuerunt & pro *eſt*; & *ſanctificatur* pro *ſanctificatum*. Non abſurde id quidem, ſi id jus haberent editores ut quod ipſis non placebat, emendare licuiſſet; aut ſi in argumenti concluſione, oleum & Euchariſtia diſparate ſint intelligenda. Verum Albaſpinæus de Euchariſt. l. 1. c. 14. eos inſimulat audaciæ, ac contendit veterem lectionem retinendam eſſe, in qua magnum myſterium ſibi viſus eſt deprehendiſſe, ſiquidem oleum quo baptizati ungebantur, coram Euchariſtia conſecrari ſolitum. Sed nihil opus iſtis myſteriis, vera ratio propter quam Cyprianus Euchariſtiam apud hæreticos fieri, & unctionem ſpiritalem conferri negat, ea eſt, quod cenſuerit in Euchariſtia ſicut & in oleo, & in baptiſmo, nos ungi ſpiritualiter ſanguine Chriſti, Euchariſtiamque perficere & complere quod baptiſmus & oleum hoc reſpectu inchoaſſent. Hoc autem ſic intellecto, quis eum in unctionis ſpiritalis quæſtione, Euchariſtiæ myſterium adducere mirabitur? Certe participationem ſanguinis Chriſti in Euchariſtia Veteres unctionem dicebant. Clem. Alex. in Pædag. l. 2. c. 2. διττὸν τὸ αἷμα τοῦ κυρίου. τὸ μὲν γάρ ἐστιν αὐτοῦ σαρκικὸν, ᾧ τῆς φθορᾶς λελυτρώμεθα. τὸ δὲ πνευματικὸν, τοῦτέστιν ᾧ κεχρίσμεθα. Nazianzen. Orat. 41. μυστήριον ἔχρισέ με. Chryſoſt. in Epiſt. ad Heb. Rom. 17. μύρῳ χρίεις, καὶ πάλιν δυσωδίας πληροῖς; Revera, quemadmodum Dominus teſtatur, Mat. 23. 19. altare ſanctificat munus quod ſuperimponitur, ita qui non habent altare aut Euchariſtiam, nec unctionem ſpiritualem habere poſſunt. Et quidem argumenti hujus vim admiſiſſe videntur adverſariarum partium patroni, ſiquidem apud hæreticos baptizatos, per manuum impoſitionem recipiendos ſtatuebant. Ad unctionem ſpiritualem hæc omnino revocat D. Auguſtin. l. 15. de Trinit. c. 26. *Manifeſtius de illo*, ſcil. Chriſto, *ſcriptum eſt in Actibus Apoſtolorum* 10. 38. *Quoniam unxit eum Deus Spiritu ſancto. Non utique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur, unguento quo baptizatos ungit Eccleſia.*

7 *Sed & baptizato.*] Gr. ὑπὲρ τοῦ βαπτισθέντος.

8 *Spiritalia agere.*] Gr. πνευματικὰ ἐργάζεσθαι.

9 *Qui in errorem ſeductus eſt.*] Gr. ὁ ὑπὸ πλάνης βουκοληθείς.

An. 255. & foris tinctus, in baptiſmo vero & Eccleſiaſtico etiam hoc ipſum deponat, quod homo ad Deum veniens, dum ſacerdotem quærit, in ſacrilegum fraude erroris incurrit. Ceterum probare eſt hæreticorum & ſchiſmaticorum baptiſma, conſentire in id, quod illi baptizaverint.

Aut prorſus ratum, aut irritum eſſe debet hæreticorum baptiſma.

Neque enim poteſt pars illic inanis eſſe, & pars prævalere. Si baptizare potuit, potuit & Spiritum ſanctum dare: Si autem Spiritum ſanctum dare non poteſt, quia foris conſtitutus 1 cum ſancto Spiritu non eſt; nec baptizare venientem poteſt; quando & baptiſma unum ſit, & Spiritus ſanctus unus, & una 2 Eccleſia à (a) Chriſto Domino (b) ſuper Petrum origine unitatis (c) & ratione fundata. Ita fit, cum omnia apud illos inania & falſa ſint, nihil eorum, quod illi geſſerint, probari à nobis debeat. Quid enim poteſt ratum & firmum eſſe apud Deum quod illi faciunt, quos Dominus hoſtes & adverſarios ſuos dicit, in Evangelio ſuo ponens: Qui non eſt mecum, adverſum me eſt: & qui non mecum colligit, ſpargit? Et beatus quoque Apoſtolus Joannes mandata Domini & præcepta cuſtodiens, in Epiſtola ſua (d) poſuerit: Audiſtis quia antichriſtus venit, nunc autem antichriſti multi facti ſunt, unde cognoſcimus quia noviſſima hora eſt. Ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum. Unde nos quoque (e) 3 colligere & conſiderare debemus, an qui adverſarii ſunt Domini, & appellati ſunt antichriſti, poſſint dare gratiam Chriſti. Quare qui cum Domino ſumus, & unitatem Domini tenemus, & ſecundum ejus dignationem ſacerdotium ejus in Eccleſia adminiſtramus, 4 quæcunque adverſarii ejus, & antichriſti faciunt, repudiare & rejicere, (f) & pro profanis habere debemus, (g) & eis qui de errore & pravitate venientes agnoſcunt unius Eccleſiæ veram fidem, dare illis 5 per omnia divinæ gratiæ ſacramenta (h) unitatis & fidei veritatem. Optamus vos, fratres cariſſimi, ſemper bene valere.

Luc. 11. 23.

1 Jo. 2. 18.

(*a*) Chriſto Domino noſtro, *Bod.* 1. *Lin. Ebor. NC.* 1. 2. *Thu. Foſſ. Vict. Corb.* (*b*) Super petram, *Vict.* (*c*) Ex ratione, *Bod.* 1. (*d*) Ponit, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (*e*) Colligere debemus, *Ver.* (*f*) Et profana habere, *Lam. NC.* 1. *Ebor. Veron.* (*g*) Et ſi qui, *Ver.* Et ſi quidem errorem & pravitatem rejicientes, *Corb.* (*h*) Et unitatis & fidei, *Ver. Benev.* ἑνότητός τε καὶ πίστεως καὶ ἀληθείας, Græc.

1 *Cum ſancto Spiritu non eſt.*] Gr. πνεῦμα ἅγιον οὐκ ἔχει.

2 *Eccleſia ſuper Petrum origine unitatis & ratione fundata.*] Rigaltius ait, *Verſio Græca tantum habet*: ἐπάνω Πέτρου τῷ Ἀποστόλῳ ἀρχῆθεν ἑνότητος τεθεμελιωμένης. *Ipſe Cyprianus lib. de Unitate Eccleſ. ſuper unum ædificat Eccleſiam. Et paulo poſt*: *ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Pacianus Epiſt.* III. *Ad Petrum locutus eſt Dominus*: *ad unum ideo, ut unitatem fundaret ex uno. Mox idipſum in commune præcipiens.*

3 *Colligere & conſiderare debemus.*] Græca verſio συνίεναι καὶ νοεῖν.

4 *Quæcunque adverſarii ejus, & antichriſti faciunt, repudiare.*] Non id vult ut nihil facerent orthodoxi quod hæretici faciunt. In Epiſtola enim ad Jubaian. cum objiceretur *Novatianenſes ad ſe venientes baptizare* ſolitos, reſpondet, *ad nos non pertinere quid hoſtes Eccleſiæ faciant.* Hoc ipſi propoſitum eſt ut conficiat; nihil ratum eſſe, aut ex jure valere quod illi feciſſent, qui extra Eccleſiam poſiti.

5 *Per omnia divinæ gratiæ ſacramenta.*] Non tantum per Confirmationis ritum, aut Euchariſtiæ adminiſtrationem, ſed etiam Baptiſmi, qui ad Eccleſiam ipſam aditum facit.

EPISTOLA LXXI.

Cyprianus, (a) 1 Quinto Fratri, Salutem.

Ad Pamelii numeros Ep. LXXI. in Eraſm. editione extra ordinem ponitur. Reſpondetur Quinto in Mauritania Epiſcopo, conſulenti de hæreticis baptizandis.

Scripta poſt reditum.

RETULIT ad me, frater cariſſime, Lucianus compresbyter noſter, te deſideraſſe, ut ſignificaremus tibi, (b) quid ſentiamus de his qui apud hæreticos, & ſchiſmaticos baptizati videntur. De qua re quid nuper in Concilio plurimi coepiſcopi cum compresbyteris qui aderant cenſuerimus, ut ſcires; ejuſdem Epiſtolæ exemplum tibi miſi. Neſcio etenim qua præſumtione ducuntur quidam de Collegis noſtris, ut putent eos qui apud hæreticos (c) tincti ſunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere, eo quod dicant unum baptiſma eſſe, quod unum ſcilicet in Eccleſia Catholica eſt. (d) Quæ Eccleſia ſi una eſt, eſſe baptiſma extra Eccleſiam non poteſt. Nam cum duo baptiſmata eſſe non poſſint, ſi hæretici vere baptizant, ipſi habent baptiſma. Et qui hoc illis patrocinium de auctoritate ſua præſtat, cedit illis & conſentit; ut (e) hoſtes & adverſarii Chriſti, habere videantur abluendi, & purificandi, & ſanctificandi hominis poteſtatem. Nos autem dicimus eos qui inde veniunt, non rebaptizari apud nos, ſed baptizari. Neque enim accipiunt illic aliquid, ubi nihil eſt; ſed veniunt ad nos, ut hic accipiant, ubi & gratia & veritas omnis eſt; quia & gratia & veritas una eſt. Porro autem quidam de Collegis noſtris malunt hæreticis honorem dare, quam nobis conſentire: & dum unius baptiſmi aſſeveratione baptizare venientes nolunt, ſic aut duo baptiſmata ipſi faciunt, 2 dum & apud hæreticos baptiſma eſſe dicunt; aut certe quod eſt gravius, hæreticorum ſordidam & profanam tinctionem, vero, & unico, & legitimo Eccleſiæ catholicæ baptiſmo præponere & præferre contendunt:

(*a*) Quintino fratri, *Eraſm.* (*b*) Quid nos ſentiamus, *Lam. Bod.* 2. (*c*) Et ſchiſmaticos, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (*d*) Quæ Eccleſia quia una eſt, *Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. *Ebor.* ſi eſt una, & eſſe, *Corb.* quod unum ſcilicet in Eccleſia una eſt, & eſſe baptiſma præter Eccleſiam non poteſt, *MR.* præter Eccleſiam, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. (*e*) Hoſtis & adverſarius Chriſti habere videatur, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2. *Lin.*

1 *Quinto Fratri.*] Rigaltius ait, *Hunc & Collegam ſuum vocat, & in Mauritania conſtitutum fuiſſe teſtatur Epiſtola ſequenti, ubi etiam meminit hujus Epiſtolæ.*

2 *Dum & apud hæreticos baptiſma eſſe dicunt.*] Rigaltius ait, *Atque inter Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, diſertiſſime habetur*, τὸς παρὰ τῶν αἱρετικῶν βαπτισθέντας ἢ χειροτονηθέντας, ὅτε πιστὸς ὅτε κληρικὸς εἶναι δυνατόν, *can.* 68.

1 *Qui*

An. 255. dunt: non considerantes scriptum esse: 1 Qui baptizatur à mortuo, quid proficit (a) lavatio ejus? Manifestum est autem eos qui non sunt in Ecclesia Christi, inter mortuos computari, nec posse ab eo vivificari alterum, qui ipse non vivat; quando una sit Ecclesia, quæ vitæ æternæ gratiam consecuta, & vivit in æternum & vivificat Dei populum. Eccl. 34. 30.

Occurritur argumento à consuetudine ducto.

Et dicunt se in hoc veterem consuetudinem sequi; quando apud veteres, hæreseos, & schismatum prima adhuc fuerint initia, (b) ut hi illic essent, qui de Ecclesia recedebant, & hic (c) baptizati prius fuerant; quos tunc tamen ad Ecclesiam revertentes, & pœnitentiam agentes necesse non erat baptizare. Quod nos quoque hodie observamus, ut quos constet hic baptizatos esse, & à nobis ad hæreticos transisse, si postmodum peccato suo cognito, & errore digesto, ad veritatem & matricem redeat, satis sit in pœnitentiam manum imponere; ut quia (d) ovis fuerat, hanc 2 ovem abalienatam & errabundam in ovile suum pastor recipiat. Si autem qui ab hæreticis venit, baptizatus in Ecclesia prius non fuit, sed alienus in totum & profanus venit; baptizandus est, ut ovis fiat, quia una est aqua in Ecclesia sancta quæ oves faciat. Et iccirco quia nihil potest esse commune mendacio & veritati, tenebris & luci, morti & immortalitati, antichristo & Christo; per omnia debemus Ecclesiæ Catholicæ unitatem tenere, nec in aliquo fidei & veritatis hostibus cedere. 3 Non est autem de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. Nam nec 4 Petrus quem primum Dominus elegit,

(a Lavatione, *Bod.* 1. *Lin.* (b) Ut illic essent, *Lam. Bod.* 2. (c) Ubi baptizati, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ebor.* (d) Ovis jam, *Lam. Bod.* 1. 2. (e) Ovem abjectam, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1. 2. abigeatam, *Ver. Thu.*

1 *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio ejus?*] Rigaltius ait, *Sæpenumero quidem noster Cyprianus & alii Patres, arripiunt de Scripturis quidquid vel solo verborum sono facere ad propositum videtur, etsi longe alio sit audiendum sensu: cujusmodi aliqua notavimus in præcedentibus. Quod vero hic de triceſimo Ecclesiastici capite citatum plerique putant, omnino abludit ab Sapientia Siracidis. Rectissime autem Cyprianus ait, hæreticos & schismaticos, qui extra Ecclesiam sunt, inter mortuos computari, nempe mortuos spiritaliter. At nihil tale sibi voluit Siracides, qui hoc tantum dixit: Eum qui à mortuo, ἀπὸ νεκρῶ, hoc est, à contactu mortui lavit, & abluit quod immundi contraxerat ex contage cadaveris, si postea revertatur ad cadaveris contactum, jam illam suam lavationem perdidisse, quia novo mortui contactu sese contaminavit. Quæ sententia nihil omnino facit ad mentem Cypriani. Ergo quisquis auctor fuit istius dicti, Qui à mortuo baptizatur, quid proficit lavatio ejus (hoc enim primitus à Cypriano usurpatum fuisse nunquam crediderim) appellatione mortui aliquem intellexit ex Diis gentium, qui homines quondam fuerant, & jam cum inter Deos censeri incipiebant, erant mortui: aut, si non aliquem ex talibus Diis, saltem aliquem ex ejusmodi Deorum sacerdotibus sive cultoribus, qui etiam à Christianis inter mortuos seculi computabantur. Itaque auctor istius dicti, ut verba Siracidis ad suum de extra Ecclesiam baptizatis sensum transferret, omisit quod apud Siracidem sequitur, & iterum tangit eum; quo certe omisso, tota mens Siracidis eliditur: ex eoque quod à Siracide dictum fuerat, qui à mortuo baptizatur & iterum tangit eum, non proficit lavatio ejus, dictum prorsus aliud expressit: Qui baptizatur à mortuo, non proficit lavatio ejus. Quod idiotis Christianorum, ob eam, quæ fuit ipsis notissima, mortuorum appellationem, cum mire placuisset, neglecto jam Siracidis sensu, in proverbium abiit. Hoc igitur Cyprianum, non ex Siracide, sed ex vulgi proverbio sumsisse malim equidem arbitrari, quam dicere virum tantum non legisse, aut non intellexisse Siracidem. Enimvero, sic etiam opinatum esse Augustinum, ex eo colligitur, quod in prolixa adversus Cresconium disputatione, qua Cypriani sententiam satis acriter refellit, hæc ipsa verba à Cypriano prolata non ad Siracidis mentem retrahit, sed ex ore vulgi, uti tum ferebantur, excepta sic interpretatur, ut definiat baptismum à mortuo, hoc est hæretico sive schismatico, extra Ecclesiam datum, tunc incipere baptizato proficere, cum taliter baptizatus transit ad corpus Christi, quod est Ecclesia Dei vivi. Hoc ita citatur etiam à Quieto Ep. Buruchensi, in Concil. Carth. & ab Augustino lib.* 1. *contra Petilianum. cap.* 9. *Item cum audierit, qui baptizatur à mortuo, non ei prodest lavatio ejus, respondebit: Vivit Christus, &c. Baptizantur autem à mortuis, qui baptizantur in idolorum templis. non enim & ipsi à sacerdotibus suis se accipere arbitrantur sanctificationem quam putant; sed à Diis, qui quoniam homines fuerunt & ita mortui sunt.* Non vulgatum omnino proverbium, sed textum scripturæ, saltem apocryphæ, hic laudatum constat ex verbis Cypriani dicentis, *Scriptum esse: qui baptizatur à mortuo, &c.* Huic conjecturæ firmandæ accedit observatio Josephi Scaligeri Elenct. c. 11. 8. Solere homines *notissimas sententias dimidiatas citare.* Et pro instantia affert illud Matt. 15. 5. δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Simile quid apud Suidam videmus in usu proverbii ἀπὸ καταδυομένης, quod revera si totum efferatur erit, ἀπὸ νέως καταδυομένης ὅτι ἂν λάβῃς, κέρδος. Receptæ huic loquendi formulæ fortasse D. Paulus videri potest alludisse. 1. Cor. 15. 29. τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν; Quid conficient, aut lucrabuntur baptizati seu loti pro mortuis? Quo sensu D. Lucas dixit, ἐποίησε ἄλλα πέντε τάλαντα. Mortui si possint polluere, saltem aliquid possunt. Et vivi qui ab impuro contactu se lustrandos procurant, agnoscunt pœnas manere inexpiatos, & proinde animam esse post fata superstitem. Ad diversissimos sensus eadem proverbialia dicta adhiberi res notissima est.

2 *Ovem abalienatam & errabundam.*] Non jam de Christi, sed Novati grege. Licet verior videatur lectio quæ habet *abigeatam.* Glossæ veteres: *Abigator, Abactor, Abigens,* ἀπελάτης. Et juris auctores dixere, *crimen abigeatus.*

3 *Non est autem de consuetudine præscribendum.*] Rigaltius ait, *Et tamen post multas disceptationes consuetudo vicit. Hoc testatur Hieronymus apertissime adversus Lucifer. Denique illi ipsi Episcopi, inquit, qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum. Quid facimus? ita & nobis majores nostri, & illis sui tradidere majores. Augustinus lib.* 111. *contra Cresc. cap.* 33. *Hæc consuetudo Ecclesiæ fuit ante concilium Cypriani. Hæc superari & auferri non potuit nec concilio Cypriani. Bonam istius consuetudinis rationem ex Augustino supra observavimus. Et generaliter hoc definiri posse videtur, in istis fidei Christianæ mysteriis, ubi res ipsa constat, & fides in tuto est collocata, non esse cur ab alterutra parte unitatis Catholicæ tranquillitas turbetur. Communem hunc locum de vi & effectu consuetudinis varie tractant Patres Ecclesiæ, prout ad propositum conducit. Ipse Cyprianus adversus consuetudinem dicit, non solum hic, sed etiam Epist.* LXIII. *Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Et Epist.* LXXIV. *Nec consuetudo, quæ apud quosdam obrepserit, impedire debet quominus veritas prævaleat & vincat. Nam consuetudo sine veritate, vetustas erroris est. Pro consuetudine dixit Tertullianus, lib. de Corona: quam & idoneam testem esse ait probatæ traditionis, ex perseverantia observationis. Idem adversus consuetudinem perorat, lib de Virgelandis. Veritati, inquit, nemo præscribere potest. Non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum. Ex his enim fere consuetudo initium ab aliqua ignorantia vel simplicitate sortita, in usum per successionem corroboratur, & ita adversus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus Veritatem se, non Consuetudinem cognominavit. Atque his consimilia passim apud Hieronymum & Augustinum.*

4 *Petrus quem primum Dominus elegit.*] Rigaltius ait, *Petrus* πρωτόκλητος: *vocatus ante alios omnes. Matthæus, cap.* X. τῶν δὲ δώδεκα ἀποστόλων τὰ ὀνόματά ἐστι ταῦτα. πρῶτος Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος. *Princeps haud dubie collegii, inquit Grotius, à Christo designatus ad retinendam corporis compagem. Et Matthæus quidem dixit primum, non supremum: Et est princeps, post quem alii deinceps: ordine, non potestate. Hoc præclare Cyprianus ostendit*

An. 255. elegit, & 1 ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cum ſecum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, 2 vindicavit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumſit; 3 ut diceret 4 ſe primatum tenere; & obtemperari, 5 à novellis & poſteris, ſibi potius oportere. Nec deſpexit Paulum quod Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ quam Paulus vindicabat, facile conſenſit; documentum ſcilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, ut non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando à fratribus & Collegis noſtris utiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera & legitima, (a) ipſa potius noſtra ducamus. Cui rei Paulus quoque proſpiciens, & concordiæ & paci fideliter conſulens in Epiſtola ſua poſuit, dicens: Prophetæ autem duo aut tres loquantur, & ceteri examinent. (b) Si autem alii revelatum fuerit ſedenti, ille prior taceat. Qua in parte docuit & oſtendit, multa ſingulis in melius revelari; & debere unumquemque, non pro eo quod ſemel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi; ſed ſi quid melius & utilius extiterit, libenter amplecti. Non enim vincimur quando offeruntur nobis meliora, ſed inſtruimur; maxime in his, quæ ad Eccleſiæ unitatem pertinent, & ſpei & fidei noſtræ veritatem: (c) ut nos ſacerdotes Dei, & Eccleſiæ ejus de ipſius dignatione præpoſiti, ſciamus remiſſam peccatorum non niſi in Eccleſia dari poſſe, nec poſſe adverſarios Chriſti quicquam ſibi circa ejus gratiam vindicare. Quod quidem & Agrippinus, bonæ memoriæ vir, cum ceteris coepiſcopis ſuis, qui illo tempore in provincia 6 Africa & Numidia Eccleſiam Domini gubernabant, ſtatuit, & librato conſilii communis examine firmavit. Quorum ſententiam & religioſam, & legitimam, & ſalutarem, fidei & Eccleſiæ Catholicæ congruentem, nos etiam ſecuti ſumus. Et quales ſuper hac re literas fecerimus ut ſcires; exemplum earum, ad (d) notitiam tam tuam, quam coepiſcoporum noſtrorum qui illic ſunt, pro communi dilectione tranſmiſimus. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere.

1 Cor. 14. 29.

(a) Ipſa potius amplectamur, *Thu.* iſta potius, *Foſſ.* (b) Si alii, *Lam. Bod.* 1. (c) Ut ſacerdotes, *Bod.* 1. 2. *Ebor. Lin. NC.* 1, 2. (d) Notitiam tuam tanquam, *Bod.* 2.

oſtendit libro de Unitate eccleſiæ, ad illa verba Chriſti, Tibi dabo claves. Super unum, inquit, ædificat Eccleſiam, & quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat & dicat, Sicut miſit me pater, & ego mitto vos, Accipite ſpiritum ſanctum: Si cui remiſeritis peccata, remittentur illi; & ſi cui tenueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Sic enim legitur in antiquis exemplaribus, ut ſuo loco monſtrabimus. Optatus Milevitanus lib. VII. *Stant toti innocentes, & peccator accipit claves, ut unitatis negotium formaretur; proviſum eſt ut peccator aperiret innocentibus; ne innocentes clauderent contra peccatores, & quæ neceſſaria eſt unitas, eſſe non poſſet.* Non tempore erat Petrus primus; Andræam enim primo vocatum ex Jo. 1. 40. conſtat. Πρῶτος ὁ πέτρος, non autem πρωτεύων: prioritatem, aut ſi libet primatum, at non principatum habuit.

1 *Super quem ædificavit Eccleſiam.*] Rigaltius ait, *Super petram, unde nomen inditum Petro: Qua de re diximus ſupra. Hieronymus ad Domini verba, Matth.* XVI. 18. *Secundum metaphoram petræ, recte dicitur Petro, Ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.*

2 *Nec vindicavit ſibi aliquid inſolenter aut arroganter.*] Rigaltius ait, *Ipſe Cyprianus in Concilio Carthaginienſi, Neque enim quiſquam noſtrum tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit. Zonaras & Balſamo,* τυραννικὴ ἀνθαδεία εἰς ἀνάγκην τὸ ἕπεσθαι αὐτῷ.

3 *Ut diceret ſe primatum tenere.*] Rigaltius ait, *Hoc Cypriani telum Facundus Hermianenſis Epiſcopus in adverſarios ſuos torſit pro defenſione trium capitulorum Concilii Calchedonenſis, libro* IX. *Laudatur etiam Pauli minimi Apoſtolorum ſana ratio atque libertas, quod Petrum Apoſtolorum primum adductum in hypocriſin, & non recta via incedentem ad veritatem Evangelii fidenter improbans, in faciem illi reſtitit. Et lib.* X. *Nam ſic aliquando Petrus Apoſtolorum primus, ſicut jam diximus, cum non recte ambularet ad veritatem Evangelii, reprehenſus à Paulo minimo Apoſtolorum non indigne tulit, nec pro ſui primatus gloria, reſiſtentem ſibi deſpexit.* Subjectos ſibi habuit Cyprianus Africæ Zeugitanæ, Numidiæ, & Mauritaniæ Epiſcopos; ſed jure tantum Metropolitico, ut in Synodis præſideret, Eccleſiis præſule viduatis, in ſucceſſoris ordinatione ſubveniret; & alia id genus faceret, quæ ad regimen Eccleſiæ exterius ſpectarent.

4 *Se primatum tenere.*] Rigaltius ait, *Non imperium, non dominatum, non potentatum, ſed primum locum. Hoc apertiſſime ſignificat Evangelium Matthæi cap. ſupra citato.* Πρῶτος Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος. *Epiſt. Pauli ad Galatas, ut vulgo legitur inter Jacobum & Joannem medium poſuit Petrum.* Ἰάκωβος καὶ Κηφᾶς καὶ Ἰωάννης, οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι, *Evangelium Marci c.* 16. *facta univerſim mentione Apoſtolorum, ſubdidit Petrum ſeparatim* εἶπατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ καὶ τῷ Πέτρῳ. *Sed nec ordo ille medius, neque iſte poſtremus, quicquam detrahunt de primatu. Etenim viri fide digniſſimi teſtantur in antiquiſſimo Pauli exempl. nomen Cephæ inter Jacobum & Joannem non apparere, quaſi fuerit ſatis quod præcedens comma Cephæ ſive Petri nomen exhibeat; adeoque veterum ſcriptorum in illam ad Galatas commentaria Petrum primo loco recenſeant. Illa vero angeli apud Marcum verba, Dicite diſcipulis ejus, & Petro, Diſcipulos quidem collective nomine commendant, ſed præſertim & eximie Petrum nominatim deſignant, ſi non honoris, at ſingularis miſericordiæ divinæ gratia, qua certe plus ceteris diſcipulis indigebat, quia ter Chriſtum negaverat. Alias dici poſſet, angelum, comprehenſis appellatione communi diſcipulis, ſeparatim nominaſſe Petrum, qua forma dixit Homerus,* Τρῶας καὶ Ἕκτορα, *& Juris auctores, titulum ſcripſere, de Servitutibus & aqua. Et Lucas in Act.* 1. 14. σὺν γυναιξὶ καὶ Μαρίᾳ τῇ μητρί. *Denique utatur aliquis illa ſolutione Hieronymi ad Hedibiam, dicatque, non recipiendum hac in re teſtimonium Marci, quod in raris fertur Evangeliis, omnibus Græciæ libris pene hoc capitulum in fine non habentibus. Nam & hoc etiam ſe obſervaſſe refert Gregorius Nyſſenus,* ἀκριβεστέροις ἀντιγράφοις, *Orat.* 11 *in Chriſti reſurrectionem. Quam certe ſolutionem viri prudentes & docti non eſſe admittendam merito cenſuerunt.* In Concilio Hieroſolymitano Act. 15. videre eſt, Præſidis locum non Petrum, ſed Jacobum ſuppleviſſe. Ruffinus exinde ait, Jacobum juſtum conſtitutum fuiſſe *Apoſtolorum Epiſcopum.*

5 *A novellis & poſteris.*] Rigaltius ait, *Primatui opponit novellitatem & poſteritatem; Petro Apoſtolorum primo, Paulum novellum & poſtremum. Nam ſe ipſe dicit,* ἐλάχιστον, & ἔκτρωμα. *Facundus appellat minimum Apoſtolorum, poſt omnes alios vocatum. Chryſoſt. in* 1. *ad Cor.* 15. 8. ἐπεὶ κἂν ἔσχατον ἐκάλεσε, πολλῶν τῶν πρὸ αὐτοῦ, μᾶλλον δὲ πάντων λαμπρότερος ὤφθη. *Totum hunc Cypriani locum tranſcripſit Auguſtinus initio libri* 11. *contra Donatiſt. Subindeque ait: Ecce ubi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in ſcripturis ſanctis didicimus, Apoſtolum Petrum, in quo primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quam veritas poſtulabat de circumciſione agere ſolitum, à poſteriore Apoſtolo Paulo eſſe correctum, &c.*

6 *Africa & Numidia.*] Omittit Mauritaniæ mentionem Cyprianus, quæ etiam ſedi Carthaginienſi ſubjecta, licet ad Mauritaniæ Epiſcopum ſcribens: unde conjicere licet Agrippini ſynodum ex Africæ provinciæ & Numidiæ Epiſcopis conflatam.

EPISTOLA

EPISTOLA LXXII.

An. 256.

Cyprianus & ceteri, Stephano Fratri Salutem.

Ad Pamelium, LXXII Ad Erasm. l. 2. Ep. 1. Cyprianus Stephanum certiorem facit, eorum quæ gesta in concilio Africano, in causa baptizatorum ab hæreticis.

AD quædam disponenda (a) & consilii communis examinatione limanda, necesse habuimus, frater carissime, convenientibus in unum pluribus sacerdotibus cogere & celebrare concilium. In quo multa quidem (b) prolata atque transacta sunt: sed de eo vel maxime tibi scribendum, & 1 cum (c) tua gravitate ac sapientia conferendum fuit, quod magis pertineat, & ad sacerdotalem auctoritatem, & ad Ecclesiæ catholicæ unitatem pariter ac dignitatem, de divinæ dispositionis ordinatione venientem, eos qui sint foris extra Ecclesiam tincti, & apud hæreticos & schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos atque ad Ecclesiam, quæ una est, venerint, baptizari oportere; eo quod parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant & Ecclesiæ baptismum. Tunc enim demum (d) plene sanctificari, & esse filii Dei possunt, si sacramento utroque nascantur, cum scriptum sit: Nisi quis (e) renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Invenimus enim etiam in Actis Apostolorum hoc esse ab Apostolis custoditum, & salutaris fidei veritate servatum, ut cum in domo Cornelii centurionis super ethnicos qui illic aderant, fidei calore ferventes, & in Dominum toto corde credentes, descendisset Spiritus sanctus, quo adimpleti variis linguis Deum benedicerent; nihilominus tamen beatum Apostolum Petrum divini præcepti atque Evangelii memorem præcepisse, ut baptizarentur iidem illi, qui jam fuerant sancto Spiritu pleni; ut nihil prætermissum videretur, quo minus per omnia divini præcepti atque (f) Evangelii legem, apostolica magisteria servarent. Baptismum autem non esse quo hæretici utuntur, nec quemquam apud eos qui Christo adversantur, per gratiam Christi posse proficere; diligenter nuper expressum est in Epistola quæ ad Quintum Collegam nostrum in Mauritania constitutum, super ea re scripta est: item in literis quas Collegæ nostri ad (g) Episcopos in Numidia præsidentes ante fecerunt, cujus utriusque epistolæ exempla subdidi.

Scripta post reditum.

Jo. 3. 5.

Act. 10. 48.

Baptizati in Ecclesia extorres facti, cum fiunt reduces, manuum impositione admittendi.

Addimus plane & adjungimus, frater carissime, consensu & auctoritate communi, ut etiam si qui Presbyteri aut Diaconi, qui vel in Ecclesia catholica prius ordinati fuerunt, & postmodum perfidi ac rebelles contra Ecclesiam steterint, vel apud hæreticos à pseudoepiscopis & antichristis contra Christi dispositionem profana ordinatione promoti sint, & contra altare unum atque divinum, sacrificia foris falsa ac sacrilega offerre conati sint; eos quoque hac (h) conditione suscipi cum revertuntur, ut communicent laici, & satis habeant quod admittuntur ad pacem, qui hostes pacis extiterint, nec debere eos revertentes ea apud nos 2 ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint. Oportet enim sacerdotes & ministros qui altari & sacrificiis deserviunt, integros atque immaculatos esse, cum Dominus Deus in Levitico loquatur & dicat: Homo in quo fuerit macula & vitium, non accedet offerre dona Deo. Item in Exodo hæc eadem præcipiat & dicat: Et sacerdotes qui accedunt ad Dominum Deum, sanctificentur, ne forte derelinquat illos Dominus. Et iterum: Et cum accedunt ministrare ad altare Sancti, non adducent in se delictum, ne moriantur. Quod autem majus potest esse delictum, aut quæ macula deformior, quam adversus Christum stetisse; quam Ecclesiam ejus quam ille sanguine suo paravit & condidit, dissipasse; quam Evangelicæ pacis ac dilectionis oblitum, contra unanimem & concordem Dei populum hostilis discordiæ furore pugnasse? Qui etsi ipsi postmodum ad Ecclesiam redeunt, restituere tamen eos & secum revocare non possunt, qui ab eis seducti & foris morte præventi extra Ecclesiam sine communicatione & pace perierunt; quorum animæ in die judicii de ipsorum manibus expetentur, qui perditionis auctores & duces extiterunt. Et iccirco satis est talibus revertentibus veniam dari. Non tamen debet 3 in domo fidei perfidia promoveri. Nam quid bonis & innocentibus, atque ab Ecclesia non recedentibus reservamus; si eos qui à nobis recesserint, & contra Ecclesiam steterint,

Levit. 21. 21. Exod. 19. 22. Exod. 28. 43.

(a) Et ex concilii, *Bod.* 1. ad concilii, *Bod.* 2. *Lam. NC.* 1. *Ebor.* (b) Prolata atque tractata, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (c) Tua reverentia, *Lam. Ebor.* (d) Plane sanctificari, *Lin.* (e) Natus fuerit, *Lam. Ebor. NC.* 1. (f) Evangelii lege, *Lam Ebor. NC.* 1. (g) Coepiscopos in Numidia, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. 2. *Lin.* (h) Confessione & conditione, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.

1 *Cum tua gravitate ac sapientia conferendum fuit.*] Rigaltius ait, *Hunc ipsum Stephanum idem Cyprianus appellabit superbum, imperitum atque improvidum, ineptum, obstinatum. Epist. ad Pompeium.* Tantum abest; ut, quod Pamelius somniat, *hæc confirment Papæ Romani primatum, quod cum illo conferant decreta sua Patres concilii, quorum hæ sunt literæ. Gravitatem & sapientiam* Stephani expectabat Cyprianus, non cathedram infallibilem consuluit.

2 *Ordinationis & honoris arma.*] Rigaltius ait, *Arma sunt instrumenta cujuslibet rei, inquit Servius ad* 11. *Æneid. Hic vero sunt insignia sive ornamenta. Quemadmodum & Homerus dixit,* ὁπλισθεν δὲ γυναῖκες. *& in clypeis illustrium virorum descripti vultus expresso thorace. Arma lucis,* ὅπλα φωτός. *ad Rom.* XIII. 12. *Suid.* ὅπλα φωτός. ὁ ἀπόστολος. αἱ τῶν ἀρετῶν ἐργασίαι.

3 *In domo fidei.*] Rigaltius ait, *In Ecclesia Dei, quæ est fidelium mater. Unde & domestici fidei.* οἰκεῖοι τῆς πίστεως. *ad Gal.* VI. *qui sunt de familia fidei.*

An. 256. ſteterint, honoramus? [1] Hæc ad conſcientiam tuam, frater cariſſime, & pro honore communi, & pro ſimplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro (a) religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religioſa pariter & vera ſunt. Ceterum ſcimus quoſdam [2] quod ſemel imbiberint nolle deponere, nec propoſitum ſuum facile mutare, ſed ſalvo inter Collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud ſe ſemel ſint uſurpata, retinere. (b) Qua in re nec nos vim cuiquam facimus aut legem damus, (c) cum habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum (d) unuſquiſque præpoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus. Optamus te, frater cariſſime, ſemper bene valere.

(*a*) Religione tua, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (*b*) Qua in re non vim, *Hieron.* (*c*) Quin habeat, *Hieron.* (*d*) Unuſquiſque tibi, *Hieron.*

1 *Hæc ad conſcientiam tuam.*] Rigaltius ait, *Ex his verbis Hieronymus ad Luciferianos obſervavit, beatum Cyprianum hæc non cum anathemate eorum, qui ſe ſequi noluerant, edidiſſe: ſiquidem in communione, inquit, eorum permanſit, qui ſententiæ ſuæ contraierant, ſed hortatum potius fuiſſe, propter Novatum, & alias tunc hæreſes multas enaſcentes, ne quiſquam ab eo, ſine damnatione erroris ſui, reciperetur.*

2 *Quod ſemel imbiberint nolle deponere.*] Rigaltius ait, *Epiſt. præced. Debere unumquemque, non pro eo quod ſemel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi; ſed ſi quid melius & utilius extiterit, libenter amplecti.*

EPISTOLA LXXIII.

[1] Cyprianus Jubaiano Fratri, Salutem.

Ad Pamelium. Epiſt. LXXIII. In Eraſm. edit. extra ordinem ponitur ſub finem operis.

Reſpondetur Jubaiano de baptiſmo hæreticorum inquirenti.

Scripta poſt reditum.

SCRIPSISTI mihi, frater cariſſime, deſiderans (a) ſignificari tibi motum animi noſtri, quid nobis videatur de hæreticorum baptiſmo, qui foris poſiti & extra Eccleſiam conſtituti vindicant ſibi rem nec juris ſui, nec poteſtatis, quod nos nec ratum poſſumus, nec (b) legitimum judicare, quando hoc apud eos eſſe conſtet illicitum. Et quoniam ſuper hac re quid ſentiremus, literis noſtris expreſſimus: ut compendium facerem, exemplum earundem literarum tibi miſi, quid in concilio cum complures adeſſemus, decreverimus; quid item poſtea Quinto collegæ noſtro de eadem re quærenti reſcripſerimus. Et nunc quoque cum in unum conveniſſemus, tam provinciæ Africæ quam Numidiæ, Epiſcopi numero ſeptuaginta & unus, hoc idem denuo ſententia noſtra firmavimus, ſtatuentes unum baptiſma eſſe quod ſit in Eccleſia Catholica conſtitutum, ac per hoc non rebaptizari, ſed baptizari (c) à nobis. Quicunque ergo ab adultera & profana aqua veniunt, abluendi ſunt & ſanctificandi ſalutaris aquæ veritate.

Occurritur argumento à praxi Novatianenſium ducto.

Nec nos movet, frater cariſſime, quod in literis tuis complexus es: [2] Novatianenſes rebaptizare eos, quos à nobis ſollicitant: quando ad nos omnino non pertineat quid hoſtes Eccleſiæ faciunt, dummodo teneamus ipſi poteſtatis noſtræ honorem, & (d) rationis ac veritatis firmitatem. Nam Novatianus ſimiarum more, quæ cum homines non ſint, (e) homines tamen imitantur, vult Eccleſiæ catholicæ auctoritatem ſibi & veritatem vindicare; quando ipſe in Eccleſia non ſit; imo adhuc inſuper contra Eccleſiam rebellis & hoſtis extiterit. Sciens etenim unum eſſe baptiſma, hoc unum ſibi vindicat, ut apud ſe eſſe Eccleſiam dicat, & nos hæreticos faciat. Nos autem qui Eccleſiæ unius caput & radicem tenemus, pro certo ſcimus & fidimus, nihil illic extra Eccleſiam licere, (f) & baptiſmatis, quod eſt unum, caput nos eſſe, ubi & ipſe baptizatus prius fuerat, quando divinæ unitatis & rationem & veritatem tenebat. Quod ſi in Eccleſia baptizatos, rebaptizandos foris extra Eccleſiam Novatianus exiſtimat, à ſe incipere debuerat; ut prior extraneo & hæretico baptiſmo rebaptizaretur, qui poſt Eccleſiam, imo & contra Eccleſiam baptizandos foris opinatur. Quale eſt autem, ut quia hoc Novatianus facere audet, nos putemus non eſſe faciendum? Quid ergo? quia & honorem cathedræ ſacerdotalis Novatianus uſurpat, num iccirco nos cathedræ renunciare debemus? Aut quia Novatianus altare collocare, & ſacrificia offerre contra fas nititur; ab altari & ſacrificiis ceſſare nos oportet, ne paria & ſimilia cum illo celebrare videamur? Vanum prorſus & ſtultum eſt, ut quia Novatianus extra Eccleſiam vindicat ſibi veritatis imaginem, (g) relinquamus Eccleſiæ veritatem.

De baptizandis hæreticis ab Agrippini tempore in Africa præſcribitur.

Apud nos autem non nova, aut repentina res eſt, ut baptizandos cenſeamus eos qui

(*a*) Deſignari tibi, *Bod.* 2. (*b*) Legitimum computare, *Bod.* 1. *NC.* 1. 2. *Lin. Ebor.* (*c*) A nobis quicunque ab adultera & profana aqua venientes, *Lam. Lin. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. 2. (*d*) Rationem, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*e*) Humana tamen, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. 2. (*f*) Et baptiſma quod unum eſt apud nos eſſe, *Lam. Lin. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. 2. (*g*) Relinquat Eccleſiæ, *Lam. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. 2. *Lin. Ebor.*

1 *Cyprianus Jubaiano fratri.*] Rigaltius ait, *Hanc Epiſtolam à Cypriano ſcriptam fuiſſe addubitat Auguſtinus lib.* III *contra Creſconium, cap.* 33. *his verbis: Cum enim perſuadere conaretur vel ſanctus Cyprianus vel quicunque illam ſcripſit Epiſtolam, &c. Hieronymus ad Lucif. Cypriano tribuit, & libellum vocat.* Sed in libris de Baptiſmo. & ad Vincent. Rogatiſt. Auguſtinus paſſim agnoſcit. Nec mirum ſi, pro diſceptantium jure, probationis onus in adverſarium ſubinde rejiciat, non quod ipſe contrarium ſentiret, ſed ut oppugnantis faſtum retunderet. In prælaudatis ad Vincentium literis, literarum fidem elevat Auguſtinus, *ac ſi ſub ejus nomine à præſumtoribus atque mendacibus fuiſſent confictæ.*

2 *Novatianenſes rebaptizare.*] Hoc etiam Arriani ſeculo ſequente fecerunt. Sed impudenter hæreſiarchæ ſuum baptiſma aliis ingerebant, qui ipſi tantum Eccleſiæ baptiſmo initiati fuerant.

1 *Longa*

An. 256. qui ab hæreticis ad Eccleſiam veniunt, quando multi jam anni ſint, & 1 longa ætas ex quo ſub Agrippino bonæ memoriæ viro convenientes in unum Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerint, atque exinde in hodiernum tot millia hæreticorum in provinciis noſtris ad Eccleſiam (a) converſi, non aſpernati ſint neque cunctati, imo & rationabiliter, & libenter amplexi ſint, ut lavacri vitalis & ſalutaris baptiſmi gratiam conſequerentur. Neque enim difficile eſt doctori vera & legitima inſinuare (b) eis, qui hæretica pravitate damnata, & Eccleſiaſtica veritate comperta, (c) ad hoc veniunt ut diſcant, ad hoc diſcunt ut vivant. (d) Nos non debemus ſtuporem hæreticis patrocinio conſenſus noſtri augere: cum libenter ac promte obtemperant veritati. Plane quoniam inveni in Epiſtola, cujus exemplum ad me tranſmiſiſti, ſcriptum eſſe, quod quærendum non ſit quis baptizaverit, quando is qui baptizatus eſt, accipere remiſſam peccatorum potuerit ſecundum quod credidit; prætereundum hunc locum non putavi; maxime cum in eadem Epiſtola animadverterim etiam Marcionis fieri mentionem; ut nec ab ipſo venientes dicat baptizari oportere, quod jam in nomine Jeſu Chriſti baptizati eſſe videantur.

Conſiderandum imprimis, an baptiſma forma conſtet.

Conſiderare itaque debemus fidem eorum qui foris credunt, an ſecundum eandem fidem poſſint aliquid gratiæ conſequi. Nam ſi fides una eſt nobis & hæreticis, poteſt eſſe & gratia una. Si eundem Patrem, eundem Filium, eundem Spiritum ſanctum, eandem Eccleſiam confitentur nobiſcum 2 Patripaſſiani, Anthropiani, Valentiniani, 3 Apelletiani, Ophitæ, Marcionitæ, & ceteræ hæreticorum peſtes, & (e) gladiis ac venenis ſubvertentes veritatem: poteſt illic & baptiſma unum eſſe, ſi eſt & fides una. Ac ne longum ſit per hæreſes univerſas decurrere, & (f) ſingulorum vel ineptias vel inſanias recenſere; quia nec delectat id dicere, quod aut horret, aut pudet noſſe; de Marcione interim ſolo, cujus mentio in Epiſtola à te ad nos tranſmiſſa facta eſt, examinemus an poſſit baptiſmatis ejus ratio conſtare. Dominus enim poſt reſurrectionem diſcipulos ſuos mittens, quemadmodum baptizare deberent, (g) inſtituit & docuit, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra: Ite ergo, & docete (h) gentes Mat. 28. 18. omnes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. 4 Inſinuat Trinitatem, cujus ſacramento gentes baptizarentur. Nunquid hanc Trinitatem Marcion tenet? (i) Nunquid eundem aſſerit, quem & nos Patrem creatorem? Nunquid (k) eundem unum filium Chriſtum, de Maria virgine natum: qui ſermo caro factus ſit, qui pec-

(a) Converſorum, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (b) Ei, *Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (c) Ad hoc venit ut diſcat, ad hoc diſcat ut vivat, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1, 2. (d) Nos non demus ſtuporem hæreticis patrocinio conſenſus noſtri, cum, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *NC.* 1. 2. (e) Gladii ac venena ſubvertendæ veritatis, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 1. 2. *Fab.* (f) Singularum, *Ebor. Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. 2. (g) Inſtruit & docet, dicens, *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. *Bod.* 1. 2. *Lin.* (h) Gentes omnes tingentes, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. 2. (i) Nunquid eundem quem & nos novit, *Lam. Bod.* 1. 2. *Ebor. Lin. NC.* 1, 2. (k) Eundem Deum filium, *Bod.* 2. *Lin. NC.* 1. 2. *Ebor.* eundem novit filium, *Fab.*

1 *Longa ætas ex quo ſub Agrippino.*] Rigaltius ait, *Longam ætatem interceſſiſſe ait Cyprianus ex quo deceſſor ſuus Agrippinus Carthaginis Epiſcopus celebrato concilio mutavit conſuetudinem non baptizandi venientes ad Eccleſiam ab hæreticis baptizatos. Hanc vero longam ætatem Auguſtinus libro* IV. *contra Don. c.* 6. *in paucos annos contraxit: Conſuetudinem, inquit, tam robuſtam antea Cyprianus invenit, ut cum ejus mutandæ auctoritatem quam ſequeretur vir tanta ſcientia præditus quæreret, non niſi in Africa ſola factum paucis ante ſe annis Agrippini concilio reperiret. Addit, hoc concilium non ſuffeciſſe Cypriano adverſus totius orbis morem, & rationes Cypriani veriſimiles eſſe potius quam veras. At in ſeptimo tamen Euſebianæ hiſtoriæ libro, ex Epiſtolis fere Dionyſii Alexandrini Epiſcopi compoſito, citantur magni illius viri Epiſtolæ de baptiſmo quinque, prima ad hunc Cypriani noſtri Stephanum, ſecunda ad Xyſtum Epiſcopatu Romano Stephani Lucique ſucceſſorem, tertia & quarta ad Romæ presbyteros Philemonem & Dionyſium, quinta ad eundem Xyſtum. In illa vero ad Philemonem ſcribit: Hoc ſe etiam didiciſſe, non in Africa ſolum viguiſſe morem baptizandi venientes ab hæreticis; verum multo ante in Eccleſiis celeberrimis & conciliorum etiam decretis apud Iconienſes & Synnadenſes, & apud gentes pleraſque alias factitatum id fuiſſe.* μὴ νῦν οἱ ἐν Ἀφρικῇ μόνον τοῦτο παρεισηγαγον. ἀλλὰ καὶ πρὸ πολλοῦ κατὰ τοὺς πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπους ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις καὶ ταῖς συνόδοις τῶν ἀδελφῶν, *&c. Hoc amplius addit, Suſtinere ſe, nec audere adverſus eos ſententiam ferre. Quæ certe non mediocrem faciunt controverſiam Vincentio Lirinenſi, priore Commonitorio ſuo ſic opinanti, Agrippinum iſtum omnium mortalium primum, contra divinum canonem, contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem atque inſtituta majorum, baptizandos eos qui ab hæreticis ad Eccleſiam venirent, cenſuiſſe. Hujus Agrippini meminit etiam Facundus Hermianenſis lib.* X. *prædeceſſorem Cypriani fuiſſe ait. Deceſſor autem dici poteſt etiam qui annis compluribus præceſſit.* Conjicere licebit Agrippinum ſaltem Cataphrygarum hæreſin, hoc eſt, annum Chriſti ducenteſimum antevertiſſe; aliter enim minime omiſiſſet Auguſtinus, qui nullum non movit lapidem ut magnorum nominum invidiam de cauſa tolleret, morem hæreticos baptizandi in Africa, à Montano aut Tertulliano, potius quam Agrippino catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo, ejuſque ſynodo non minus catholica, accerſere.

2 *Patripaſſiani, Anthropiani, Valentiniani.*] Quæ fuerint monſtroſa dogmata iſtorum, & qui his ſubjiciuntur, hæreticorum; ex veterum ſcriptis abunde notum eſt. Quod ad rem præſentem ſpectat, nimirum qualiter baptiſmi ſacramentum celebraverint, opportunum fuerit ab Irenæo l. 1. cap. 18. didiciſſe. *Quidam* ex ipſis *ſponſale cubiculum quoddam adaptantes, & quaſi myſticum conficiunt, cum quibuſdam profanis dictionibus iis qui ſacrantur, & ſpiritales nuptias dicunt eſſe, id quod ab ipſis fit ſecundum ſimilitudinem ſuperarum conjugationum. Alii autem adducunt ad aquam & baptizantes ita dicunt: In nomine ignoti Patris omnium, in veritate matre omnium, & in nomine deſcendentis in Jeſu, ad unitionem & redemtionem & communionem virtutum. Alii autem & Hebraica nomina ſuperfantur, ut ſtupori ſint, vel perterreant eos qui ſacrantur. Sic Baſyma, Cacabaſa, Canaa, Irrauriſta, Dyarbada, Caeotaba, Fobor, Camelanthi.* Hæc vocum portenta aliter exhibet Epiphanius, & ab utriſque aliter Nicetas. Ubi notandum venit, hæc verborum terriculamenta pro Marcioniſtarum baptizandi formula, ab Epiphanio exhiberi; quorum baptiſma ratum voluit Stephanus, ſiquidem expreſſe dicat, *nec ab ipſo venientes baptizari oportere.*

3 *Apelletiani.*] Rigaltius ait, *Epiſtola ad Pompeium mentionem facit Apelletis. Unde Apelletiani, apud Horatium credat Judæus Apella. Apella,* Ἀπίλλης, Ἀπολλῶς. *Diximus ad Tertull.* Sed quando apud Horatium Judæus Apella dicitur, circumciſionis ritus videtur reſpici. Abſque pelle, λιπόδερμος.

4 *Inſinuat Trinitatem.*] Marcionis tria principia, *Bonum, Juſtum, Malum*, quæ materiæ, formæ & privationis apud Peripateticos rationem ſubibant, opponit ſacræ Chriſtianorum triadi Patri, Filio & Spiritui ſancto.

1 *Qui*

An. 256. peccata noſtra portaverit, [1] qui mortem moriendo vicerit, qui reſurrectionem carnis per ſemetipſum primus initiaverit, & diſcipulis ſuis quod in eadem carne reſurrexiſſet oſtenderit? Longe alia eſt apud Marcionem, ſed & apud ceteros hæreticos fides; imo nihil eſt apud illos niſi perfidia, & blaſphemia, & (a) contentio ſanctitatis & veritatis inimica. Quomodo ergo poteſt videri qui apud illos baptizatur, conſecutus eſſe peccatorum remiſſam, & divinæ indulgentiæ gratiam per ſuam fidem, qui ipſius fidei non habuerit veritatem? Si enim, ſicut quibuſdam videtur, ſecundum fidem ſuam quis accipere aliquid foris extra Eccleſiam potuit, utique id accepit, quod credidit: falſum autem credens, verum accipere non potuit, ſed potius adultera & profana, ſecundum quod credebat, accepit. Quem locum profani & adulteri baptiſmi, ſubtiliter Hieremias Propheta perſtringit, dicens: [2] Ut quid qui contriſtant me, prævalent? Jerem. 15. 18.
Plaga mea ſolida eſt, unde ſanabor? Dum fit, facta eſt mihi quaſi aqua mendax, non habens fidem. Mentionem facit per prophetam Spiritus ſanctus aquæ mendacis & fidem non habentis. Quæ eſt hæc aqua mendax & perfida? utique ea quæ baptiſmi imaginem mentitur, & gratiam fidei (b) adumbrata ſimulatione fruſtratur.

Si neceſſe ſit ut ab hæreticis baptizati confirmentur, eadem neceſſitas ut baptizentur.

Quod ſi ſecundum pravam fidem baptizari aliquis foris, & remiſſam peccatorum conſequi potuit; ſecundum eandem fidem conſequi & Spiritum ſanctum potuit; & non eſt neceſſe venienti manum imponi ut Spiritum ſanctum conſequatur & ſignetur. Aut utrumque enim fides (c) foris potuit, aut neutrum eorum, qui foris fuerat, accepit. Manifeſtum eſt autem ubi & per quos remiſſa peccatorum dari poſſit, quæ in baptiſmo ſcilicet datur. [3] Nam Petro primum Dominus, Mat. 16. 19.
ſuper quem ædificavit Eccleſiam, & unde unitatis originem inſtituit & oſtendit; poteſtatem iſtam dedit, ut id ſolveretur in cœlis, quod ille ſolviſſet in terris. Et poſt reſurrectionem quoque ad Apoſtolos loquitur, dicens: Sicut miſit me Pater, & Jo. 20. 21.
ego mitto vos: Hoc cum dixiſſet, inſpiravit, & ait illis: Accipite Spiritum ſanctum: Si cujus remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cujus (d) tenueritis, tenebuntur. Unde intelligimus [4] non niſi in Eccleſia Præpoſitis, & in Evangelica lege ac Dominica ordinatione fundatis licere baptizare, & remiſſam peccatorum dare; [5] foris autem nec ligari aliquid poſſe nec ſolvi, ubi non ſit qui aut (e) ligare poſſit aliquid, aut ſolvere. Nec hoc, frater cariſſime, ſine ſcripturæ divinæ auctoritate proponimus, ut dicamus certa lege ac propria ordinatione divinitus cuncta eſſe diſpoſita; nec poſſe quenquam (f) contra Epiſcopos & ſacerdotes uſurpare ſibi aliquid, quod non ſit ſui juris & poteſtatis.
Nam & Chore & Dathan, & Abyron, contra Moyſen & Aaron ſacerdotem ſacrifi- Num. 16.
candi ſibi licentiam uſurpare conati ſunt; nec tamen quod illicite auſi ſunt, impune fecerunt. Et filii Aaron qui alienum ignem altari impoſuerunt, in conſpectu ſtatim Levit. 10.
Domini (g) indignantis extincti ſunt. Quod ſupplicium manet eos, qui alienam aquam (h) baptiſmo inferunt falſo; ut divina cenſura ulciſcatur & vindicet, id hæreticos contra Eccleſiam gerere, quod non niſi ſoli liceat Eccleſiæ.

A Philippo baptizati ab Apoſtolis Petro & Joanne, denuo confirmationis ritum ſuſceperunt.

[6] Quod autem dicunt quidam de eis qui in Samaria baptizati fuerant, advenientibus Act. 8. 14.
Apoſtolis Petro & Joanne, tantum ſuper eos manum impoſitam eſſe, ut acciperent Spiritum ſanctum, rebaptizatos tamen non eſſe: (i) locum, frater cariſſime, ad præſentem cauſam videmus omnino non pertinere. Illi enim qui in Samaria crediderant, fide vera crediderant; & intus in Eccleſia, quæ una eſt, & cui ſoli (k) gratiam baptiſmi dare, & peccata ſolvere permiſſum eſt, à Philippo diacono, quem iidem Apoſtoli miſerant, baptizati erant. Et iccirco quia legitimum & Eccleſiaſticum baptiſma conſecuti fuerant, baptizari eos ultra non oportebat: ſed tantummodo quod deerat, id à Petro & Joanne factum eſt, ut (l) oratione pro eis habita, & manu impoſita, invocaretur & infunderetur ſuper eos Spiritus ſanctus. Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Eccleſia baptizantur, præpoſitis Eccleſiæ offerantur, & per noſtram orationem

(a) Contentio vanitatis, *Bod.* 1. (b) Adumbratam ſimulatione, *Bod.* 2. (c) Foris conſequi, *Bod.* 1. 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. 2. (d) Detinueritis, *Bod.* 1. (e) Ligare poſſit aut ſolvere, *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC* 1. 2. (f) Contra Eccleſiam, Epiſcopos, *Lin.* (g) Indignantis percuſſi, *Lin.* (h) In baptiſmo offerunt; *Ebor. NC.* 1. (i) Locum iſtum, frater, *Lam. Bod.* 1. 2. *Lin. NC.* 1. 2. (k) Gratia eſt baptiſmi data, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. (l) Oratione ſuper eos, *Lin.*

1 *Qui mortem moriendo vicerit, &c.*] Priorius ait, *Errores Marcionis late deſcribuntur, qui à Tertulliano confutantur lib. de Carne Chriſti, cap* 5. *ubi interfector veritatis Marcion appellatur, & ſceleſtiſſimus hominum. Idem adhuc lib. de Reſurrectione carnis ſub initium; ſed & S. Ignatius ad Trallianos, B. Auguſtinus ſerm.* 176. *de tempore, & alii fanaticam illam opinionem de carne Chriſti phantaſtica refutarunt.*

2 *Quid qui me contriſtant.* Lectio hæc LXX. interpretum veſtigiis inſiſtit, *ἵνατί ὁ λυποῦντές με κατισχύουσί μου; ἡ πληγή μου φερεὰ, πόθεν ἰαθήσομαι; γινομένη ἐγενήθη μοι ὡς ὕδωρ ψευδὲς, οὐκ ἔχον πίστιν.* Diu eſt ex quo literali S. ſcripturarum ſenſui myſticus addebatur; qui in allegoricum, tropologicum, & anagogicum ſe diffundebat: unde evenit ut ad dogmatis alicujus firmamentum raro probationes ex Sacris literis deeſſe poſſint. Prophetam per aquas populum infidelem denotare, ſuadet ex Apocalypſi D. Auguſtinus. Revera videtur Jeremias alludere ad torrentes aquarum, qui hieme, cum minime opus, pleno gurgite fluunt, tument & ſtrepunt; æſtate vero, cum ſitiunt omnia & undas deſiderant, dilabuntur, nec ultra comparent. Confer Job. 6. 15.

3 *Nam Petro primum.*] Rigaltius ait. *Infra dicet, Super unum Domini voce fundatam Eccleſiam.* Locum hunc repetit Firmilianus, cum pluribus aliis hujus Epiſtolæ.

4 *Non niſi in Eccleſia Præpoſitis.*] Et qui ſub eorum auſpiciis ſacramentum illud adminiſtrandi jus habent, presbyteris & diaconis, *id licet.* Minime feminis hoc conceſſum. Viderint illi, qui obſtetricibus negotium hoc permittunt.

5 *Foris autem nec ligari quid poſſe nec ſolvi.*] Rigaltius ait, *Foris, hoc eſt, extra Eccleſiam. Ubi non eſt qui aut ligare poſſit aliquid aut ſolvere. Etenim qui extra Eccleſiam ſunt, clavem non habent. Clavis eſt verbum Dei, præcepta Chriſti, Spiritus ſanctus. Quo Spiritu, quibus præceptis, quo verbo data eſt poteſtas ligandi ſolvendique. Clavem non habent neque poteſtatem, qui utuntur clavibus adulterinis, humano ſpiritu, non divino: præceptis ſuis, non Chriſti.*

6 *Quod autem dicunt quidam.*] Pamelius ait, *Fatetur etiam D. Auguſtinus cap.* 19. *lib.* 3. *de Bapt. exemplum hoc ex Actis Apoſtol. ad rem non pertinere: Nam uti recte adnotavit Cyprianus, locus ille de illa manuum impoſitione intelligitur quæ in confirmationis ſacramento fieri eſt ſolita, de qua latius Epiſtola præced.*

1 *Signaculo*

An. 256. nem ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & 1 signaculo Dominico consummentur. Non est ergo, frater carissime, quod hæreticis cedendum existimemus, ut baptisma quod non nisi uni, & soli Ecclesiæ datum sit, prodendum putemus. Boni militis est, adversus rebelles & hostes imperatoris sui castra defendere. Glorioſi ducis est commissa sibi signa servare. Scriptum est: Dominus Deus tuus Deus zelans est: qui Spiritum Dei accepimus, zelum divinæ fidei habere debemus. Quo zelo Phinees placuit, (a) & Deum promeritus indignantis iram populo pereunte lenivit. (b) Quid adulteram & alienigenam & divinæ unitatis inimicam in acceptum referimus, qui non nisi unum Christum & unam ejus Ecclesiam novimus? Ecclesiæ 2 paradisi instar exprimens, arbores fructiferas intra muros suos intus includit, ex quibus quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur. Has arbores rigat quatuor fluminibus, id est, Evangeliis quatuor, quibus baptismi gratiam salutaris, cœlesti inundatione largitur. Nunquid de Ecclesiæ fontibus rigare potest, qui intus in Ecclesia non est? Nunquid paradisi potus salubres & salutares impertire cuiquam potest; qui perversus & à semetipso damnatus, & extra paradisi fontes relegatus aruit, & æternæ sitis siccitate defecit? Clamat Dominus, ut qui sitit veniat & bibat de fluminibus aquæ vivæ quæ de ejus ventre fluxerunt. Quo venturus est qui sitit, utrumne ad hæreticos, ubi fons & fluvius aquæ vitalis omnino non est; 3 an ad Ecclesiam, quæ una est, & 4 super unum 5 qui & claves ejus accepit, Domini voce fundata est? Hæc est una quæ tenet & possidet omnem sponsi sui & domini potestatem, in hac præsidemus, (c) pro honore ejus atque unitate pugnamus, hujus & gratiam pariter & gloriam (d) fidei virtute defendimus. Nos de divino permissu rigamus sitientem Dei populum, nos custodimus terminos vitalium fontium. (e) Si possessionis ergo nostræ jus tenemus, si sacramentum unitatis agnoscimus; cur prævaricatores veritatis, cur proditores (f) unitatis existimamur? Aqua Ecclesiæ fidelis & salutaris & sancta, corrumpi & adulterari non potest; sicut & ipsa Ecclesia incorrupta & casta & pudica est. Si Ecclesiæ devoti, & in Ecclesia constituti sunt hæretici, possunt & baptismo ejus, & ceteris salutaribus bonis uti: si autem in Ecclesia non sunt, imo & contra Ecclesiam faciunt, quomodo baptizare baptismo Ecclesiæ possunt? Neque enim parva res hæreticis & modica conceditur, quando à nobis baptisma eorum in acceptum refertur: cum inde incipiat omnis fidei origo, & ad spem vitæ æternæ salutaris ingressio, & purificandis ac vivificandis Dei servis divina dignatio. Nam si baptizari quis apud hæreticos potuit; utique & remissam peccatorum consequi potuit. Si peccatorum remissam consecutus est, (g) & sanctificatus est, & 6 templum Dei factus est; quæro cujus Dei? si creatoris, non

Deut. 4. 24.

Num. 25.

Mat. 3. 10.

Tit. 3. 10.

Jo. 7. 38.

(a) Et Domini pro merito indignantis iram, *Lin. NC.* 2. (b) Quid adultera & aliena & divinæ unitatis inimica in acceptum perferimus, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1 *Thu.* (c) Et pro honore, *Bod.* 2. (d) Fidei devote, *Bod.* 1. fideli devotione, *Bod.* 2. *Lam. Ebor. Bened. Lin. NC.* 1, 2. fidei devotione, *Thu.* fideli virtute, *Corb.* (e) Si ergo possessionis, *Ebor. NC.* 1. (f) Unitatis extitimus, *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. exiſtimus, *Bod.* 1. *Thu.* (g) Et sanctificatus est, si sanctificatus est, *Bod* 1. 2. *Lin Ebor. NC.* 1, 2.

1 *Signaculo Dominico consummentur.*] Rigaltius ait, *Absque hoc signaculo sive sacramento Cornelius Episcopus Romanus in Epistola quadam ad Fabianum Antiochiæ Episcopum scribit, minime esse putandum Novati clinici baptisma perfectum aut consummatum fuisse, aut Spiritum sanctum intervenisse. Hoc sua lingua sic narrat Eusebius Hist.* VI. *cap.* 35. ὁ μὲν ὅδε τῶν λοιπῶν ἔτυχε, ὧν χοὴ μεταλαμβάνειν μετὰ τῆς ἐκκλησίας κανόνα, τὸ τε σφραγίσθηναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. τούτου δὲ μὴ τυχών, πῶς ἂν τὸ ἁγίου Πνεύματος ἔτυχε. *Rufinus aliquid Corneliani stili servasse videtur: Et quod jacens in lecto, pro necessitate perfusus sit: nec reliqua in eo, quæ baptismum subsequi solent, solenniter adimpleta sint, nec signaculo chrismatis consummatus sit. Unde nec Spiritum sanctum unquam potuit promereri.*

2 *Paradisi instar exprimens.*] Rigaltius ait, *Instar dicitur absentis rei figura, similitudo,* ὁμοίωμα, ἐπεικόνισμα. *Quod rem absentem sic exprimit, ut res ipsa instare, hoc est in animo sive in oculis nostris stare videatur. Unde & instaurare dicuntur, qui rem aliquam quæ intercidérat, sive abolita fuerat, restituunt, renovant, repræsentant. Sic artifices redemtoribus alicujus operis solent proponere Instar, quod est, delineatio & facies quædam operis faciundi. Ecclesia exprimit instar paradisi, hoc est, figuram & similitudinem nobis exhibet paradisi. Festus: Instaurari ab instar dictum est, cum aliquid ad pristinam similitudinem & comparationem reficitur. Beatus Augustinus in Gram. Instar est similitudo, & habet tres casus tantum, nominativum, accus. & voc. Et tamen Instar Instaris dixit in Catholicis Valerius Probus. Servius ad illud Æneid.* VI. *de Marcello quantum instar in ipso est, Instar, inquit, similitudo: & est nomen quod non recipit præpositionem. Ad instar enim non dicimus: quod Probus declarat.*

3 *An ad Ecclesiam & super unum.*] Rigaltius ait, *Ecclesiam nominat, deinde Petrum. Quemadmodum in Evangelio legimus, Dicite discipulis & Petro. Mox Ecclesiæ tribuit omnem sponsi & Domini sui potestatem: In hac præsidemus, inquit, &c. Ac demum de cunctis pariter Episcopis, Nos custodimus terminos vitalium fontium.*

4 *Super unum qui & claves ejus accepit.*] Rigaltius ait, *Dixit Dominus Petro: Dabo tibi claves regni cœlorum Promisit, & dedit quod promiserat: sed non prius dedit Petro, quam cum dedit & ceteris discipulis suis. Tunc videlicet, cum de discipulis fecit Apostolos. Postquam surrexit à mortuis, intravit ad congregatos, stetit inter eos medius, dixitque: Sicut misit me Pater, ego mitto vos. Et insufflans in eos, Accipite, inquit, Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Inde est quod Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ dixit: Hoc erant utique & ceteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur. Exordium dicit, promissum. Dabo tibi claves. Claves autem intellige, verbum Dei: Evangelium Christi. Matth.* XVI 17. & XVII. 18. *Joannis* XX. 22. Siquidem ea insedit Cypriani animo sententia, *hoc fuisse ceteros Apostolos quod fuit Petrus, pari consortio præditos & honoris & potestatis*; relinquebatur ut quod primus Apostolorum Petrus diceretur, & figillatim ipsi potestas clavium esset facta; ad adumbrandam Ecclesiæ unitatem solummodo spectarent. Ideoque telo hoc tanquam invictissimo perpetuo utitur, cum de ea re sermonem habet Martyr noster. Cui porro Firmilianus succenturiatur. Revera quandoquidem D. Paulus 1 Cor. 16. 9. 2 Cor. 2. 12. & Colos. 4. 3. Evangelii prædicationem, ostium appellat apertum; utique hoc rectissime per claves significabitur: ita tamen ut censuræ Ecclesiasticæ; in quibus ligandi & solvendi potestas maxime versatur, non ipsæ excludantur.

5 *Et super unum Domini voce fundata est.*] Rigaltius ait, *Hoc ad unitatem Ecclesiæ pertinet, quæ cum una sit, unus est Episcopatus concordi numerositate diffusus in plures. Ut jam omnes ubicunque sint Ecclesiæ, una sint Ecclesia, & unus Episcopus*

6 *Templum Dei factus est.*] Pamelius ait, *Respondet Augustinus admittere se non fieri templum Dei qui apud hæreticos baptizatur; tamen pro baptizato habetur avarus, qui ab avaritia non recesserit etiamsi templum Dei non fiat, ita & hæreticum vere baptizari.*

An. 256. non potuit qui in eum non credidit: si Christi, nec hujus fieri potest templum, qui negat Deum Christum: si Spiritus sancti, cum tres unum sint, 1 quomodo Spiritus sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est? 1 Jo. 5. 7.

Frustra qui ratione vincuntur, consuetudinem opponunt,

Proinde 2 frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt; quasi consuetudo major sit veritate, aut non id sit in spiritalibus sequendum, quod in melius fuerit à sancto Spiritu revelatum. Ignosci enim potest simpliciter erranti, sicut de seipso dicit (a) Apostolus Paulus: Qui primo, inquit, fui blasphemus, & persecutor, & injuriosus; sed misericordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationem vero & revelationem factam, qui in eo quod erraverat, perseverat prudens & sciens, (b) sine venia ignorantiæ peccat: præsumtione enim atque obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur. 1 Tim. 1. 13.

Apostolica traditio perperam urgetur.

Nec quisquam dicat quod accepimus ab Apostolis, hoc sequimur; quando Apostoli non nisi unam Ecclesiam tradiderunt, & baptisma unum, quod non nisi in eadem Ecclesia sit constitutum; & neminem inveniamus ab Apostolis, cum apud hæreticos baptizatus esset, in eodem baptismo admissum esse, & communicasse, ut videantur Apostoli baptisma hæreticorum probasse. Quod enim quidam, (c) dicunt quasi ad hæreticorum suffragium pertineat, quod dixerit Apostolus Paulus: 3 Verumtamen omnimodo, sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuncietur: invenimus hoc quoque ad eorum patrocinium, qui hæreticis suffragantur & plaudunt, nihil posse proficere. Neque enim de hæreticis, aut de eorum baptismo loquebatur in Epistola sua Paulus, ut aliquid quod ad hanc rem pertineat, posuisse ostendatur. Loquebatur de fratribus sive inordinate, & contra Ecclesiasticam disciplinam ambulantibus, sive Evangelicam veritatem de Dei timore servantibus. Et quosdam ex eis posuit verbum Domini constanter atque intrepide locutos, quosdam vero in (d) invidia & dissensione versatos; quosdam servasse circa se benevolam caritatem, aliquos vero habuisse malevolam dissensionem. Sed tamen patienter omnia se sustinere, dummodo sive in veritate, sive per occasionem; 4 nomen Christi, quod Paulus prædicabat, ad plurimorum notitiam perveniret; & nova adhuc ac rudis sermonis seminatio loquentium prædicatione crebesceret. Porro aliud est eos qui intus in Ecclesia sunt, de nomine Christi loqui: aliud est eos qui foris sunt, & contra Ecclesiam faciunt, in nomine Christi baptizare. Quare qui hæreticis (e) patrocinantur, non id proferant, quod Paulus de fratribus posuit, sed (f) ostendant si hæretico aliquid concedendum (g) putavit, aut si perfidos & blasphemos remissionem peccatorum (h) accipere extra Ecclesiam posse constituit. Si autem quid Apostoli de hæreticis senserint, consideremus; inveniemus eos in omnibus epistolis suis execrari & detestari hæreticorum sacrilegam pravitatem. Nam cum dicant sermonem eorum ut cancer serpere; quomodo potest is sermo dare remissam peccatorum, qui ut cancer serpit ad aures audientium? Et cum dicant nullam participationem esse justitiæ & iniquitati, nullam communionem lumini & tenebris; quomodo possiunt aut tenebræ illuminare, (i) aut iniquitas justificare? Et cum dicant de Deo eos non esse, sed esse de antichristi spiritu? quomodo gerunt spiritalia & (k) divina tractant, qui sunt hostes Dei, & quorum pectora obsederit spiritus antichristi? Quare (l) si 5 rejectis humanæ contentionis erroribus ad Evangelicam auctoritatem atque ad Apostolicam traditionem sincera & religiosa fide revertamur; intelligemus nihil eis ad gratiam Ecclesiasticam & salutarem licere, qui spargentes atque impugnantes Ecclesiam Christi, à Christo ipso adversarii, ab Apostolis ejus antichristi (m) nominantur. 2 Tim. 2. 17. 2 Cor. 6. 14.

Ad baptismi complementum non sufficit, quod fiat in Christi nomine.

6 Non est autem quod aliquis ad circumveniendam Christianam veritatem, Christi nomen

(a) Beatus Apostolus, *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2. (b) Jam non in venia, *Lin.* (c) Dicunt quod quasi, *Ebor. NC.* 1. (d) Invidiæ dissensione, *Lin.* (e) Patrocinatur, non id proferat, *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2. *Thu.* (f) Ostendat, *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2. *Thu.* (g) Putavit, aut si fidem & baptisma eorum probavit, *Lam. Lin. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2. (h) Accipere contra Ecclesiam, *NC.* 1. *Lin.* (i) Aut iniquitates, *Bod.* 1. *Thu.* (k) Divina, qui, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin.* (l) Si relictis, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. *Bod.* 1, 2. (m) Nominentur, *Bod.* 1, 2.

1 *Quomodo Spiritus sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est?*] Rigaltius ait, *His Cypriani verbis confirmantur ea quæ ad Tertullianum notavimus, Visum fuisse Cypriano, venientes ab hæresi ad Ecclesiam iccirco baptizandos, quia tunc hæreses fere omnes alterutram de Trinitate personam oppugnabant, in qua cum res unum sint, totum Christum, ac per hoc totam Ecclesiam vexabant. Adeoque extra Ecclesiam, imo contra Ecclesiam, consistentibus nullum erat sacramenti Christiani commercium neque consortium.*

2 *Frustra quidam qui ratione vincuntur, consuetudinem nobis opponunt.*] Rigaltius ait, *Hoc plane verum est, inquit beatus Augustinus lib.* IV. *contra Don. quia ratio & veritas consuetudini præponenda. Sed cum consuetudini veritas suffragetur, nihil oportet firmius retineri.*

3 *Verumtamen omnimodo.*] Rigaltius ait, *Epist. ad Philip. cap.* 1. τι γαρ; πλην παντι τροπῳ, ειτε προφασει, ειτε αληθειᾳ, Χριστος καταγγελλεται. *Observat Chrysostomus Paulum dixisse,* καταγγελλεται, *annunciatur, forma narrandi quod fieret, non forma statuendi, quod fieri vellet,* καταγγελλεσθω, *annuncietur. Tertullianus lib.* V. *ad Marcionem, Pauli verba sic reddidit: Nihil mea, inquit, sive causatione, sive veritate Christus annuncietur. Deinde explicat: quia scilicet unus annunciabatur, sive ex causatione, sive ex veritate fidei. Ad fidem enim prædicationis retulit mentionem veritatis, non ad regulæ ipsius. Quia una quidem erat regula, sed fides prædicantium quorundam vera, id est simplex, quorundam nimis docta. Quod Septimius dicit, doctam, intelligo, cautam, versutam. Chrysost. ad mentem Cypriani addidit,* ει και νομοθετων ελεγεν, δει τας αιρεσεις εισαγειν.

4 *Nomen Christi ad plurimorum notitiam perveniret.*] Rigaltius ait, *Ideoque in ea quam scripsit ad Romanos Epistola, gaudere se ait & gratias agere Deo, quod annunciatur in universo mundo, fidem Christianam Romæ esse receptam.*

5 *Rejectis humanæ contentionis erroribus.*] Rigaltius ait, *Infra, hac ipsa Epist. opponet humanæ argumentationi, Evangelicæ prædicationis veritatem.*

6 *Non est autem quod aliquis, &c.*] Priorius ait, *Multis deducit Cyprianus, non esse verum baptisma quod in solo Christi nomine confertur, eo quod Christus baptizare jusserit in plena & adunata Trinitate. Imo & eorum confirmat sententiam, qui neque ab Apostolis Act.* 2, *ita collatum baptismum volunt.*

1 *Ubi-*

An. 256. nomen opponat, ut dicat: In nomine Jesu Christi 1 ubicunque (a) quomodocunque baptizati, gratiam baptismi sunt consecuti, quando ipse Christus loquatur & dicat: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, (b) intrabit in regnum cœlorum; & iterum præmoneat atque instruat, ne quis à pseudoprophetis, & pseudochristis in nomine suo facile fallatur. Multi, inquit, venient in nomine meo dicentes: ego sum Christus, & multos fallent. Et postea addidit, dicens: Vos autem cavete, ecce prædixi vobis omnia. Unde apparet, non ea statim suscipienda & assumenda quæ jactantur in nomine 2 Christi, sed quæ geruntur in Christi veritate. Quod enim in Evangeliis & in Apostolorum Epistolis Jesu Christi nomen insinuatur ad remissionem peccatorum, non ita est quasi aut sine Patre, aut contra Patrem prodesse cuiquam solus Filius possit; sed ut Judæis qui jactitabant se Patrem habere, ostenderetur quod nihil eis Pater profuturus esset, nisi in Filium crederent quem ille misisset. Nam qui Deum Patrem creatorem sciebant, Filium quoque Christum scire debebant; ne sibi blandirentur & plauderent de solo Patre sine Filii ejus agnitione; qui & dicebat: Nemo venit ad Patrem nisi per me. Duorum autem cognitionem esse quæ salvet, idem ipse manifestat, dicens: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Cum ergo ex ipsius Christi prædicatione & contestatione Pater ante cognoscendus sit, qui misit: tunc deinde Christus, qui missus est: nec possit esse spes salutis, nisi duobus simul cognitis; quomodo non cognito, imo & blasphemato Deo Patre, qui apud hæreticos Christi nomine (d) baptizati dicuntur, peccatorum remissam consecuti judicantur? Alia enim fuit Judæorum sub Apostolis ratio, alia est gentilium conditio. Illi quia jam legis & Moysi antiquissimum baptisma fuerant adepti, in nomine quoque Jesu Christi erant baptizandi, secundum quod in Actis Apostolorum Petrus ad eos loquitur & dicit: Pœnitemini, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est promissio & filiis vestris, & omnibus deinceps quoscunque advocaverit Dominus Deus noster. Jesu Christi mentionem facit (e) Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungeretur. Denique ubi post resurrectionem, à Domino Apostoli ad gentes mittuntur; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti (f) baptizare gentiles jubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Ecclesiam imo & contra Ecclesiam, modo in nomine Jesu Christi ubicunque & quomodocunque gentilem baptizatum, remissionem peccatorum consequi posse; quando ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate? Nisi si, qui Christum negat, negatur à Christo; qui patrem ejus negat, quem ipse Christus confessus sit, non negatur: & qui in eum blasphemat, quem Christus Dominum & Deum suum dixerit, remuneratus à Christo remissionem peccatorum, & baptismi sanctificationem consequitur. Mat. 7. 21. Mat. 24. 5.

Ostenditur contra Stephani placitum, Marcionitarum baptisma validum esse non posse.

Qua autem potestate consequi in baptismo remissionem peccatorum potest, 3 negans Deum creatorem patrem Christi; quando ipsam potestatem qua baptizamur, & (g) sanctificationem ab eodem Patre Christus acceperit; quem majorem dixerit, à quo clarificari petierit, cujus voluntatem usque ad obsequium bibendi calicis, & subeundæ mortis impleverit? Quid est igitur aliud quam participem hæreticis blasphemantibus fieri; defendere velle & asserere, quod remissam peccatorum accipere in Christi nomine possit, blasphemans graviter & peccans in Patrem & Dominum & Deum Christi? Quid deinde illud, quale est, ut qui Filium Dei negat, neque Patrem habeat; & qui negat Patrem, Filium habere videatur; cum Filius ipse (h) contestetur & dicat: Nemo potest venire ad me, nisi fuerit illi datum à Patre: ut manifestum sit nullam remissionem peccatorum in baptismo accipi à Filio posse, quam constet Patrem non dedisse; maxime quando adhuc idem repetat & dicat: Omnis plantatio quam non (i) plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Quod si Christi discipuli (i) discere à Christo nolunt, quantum venerationis & honoris paterno nomini debeatur; vel de exemplis terrenis ac secularibus discant: & sciant Christum non sine maxima exprobratione posuisse; Filii seculi hujus prudentiores sunt filiis lucis in seculo isto. Si cujus patri aliquis convicium fecerit, si (k) contumeliosus ac procax pudorem ejus & honorem maledico ore laceraverit; indignatur filius & irascitur, & læsi patris injuriam quibus potest viribus vindicare conatur. Tu Christum putas impiis & sacrilegis, & in Patrem suum blasphemis impunitatem dare, & eis in baptismo peccata dimittere, quos constet baptizatos, eadem adhuc in personam Patris maledicta congerere, & incessabili blasphemantis linguæ scelere peccare? Hoc Christianus, hoc Dei servus potest aut mente (l) concipere, aut Jo. 14. 28. Jo. 17. 1. Jo. 6. 65. Mat. 15. 13. Luc. 16 8.

(a) Ubicunque &, *Lam. Bod.* 1, 2. (b) Introibit, *Bod.* 1, 2. *Lin. Thu.* (c) Nec sibi, *Lam. Bod.* 1, 2. (d) Erant baptizati, *Bod.* 1. (e) Beatus Petrus, *Lam.* (f) Baptizare jubentur, *NC.* 2. (g) Sanctificamur, *Bod.* 1, 2. *Lin. Ebor. NC.* 1, 2. (h) Testetur & dicat, *Lam. Bod.* 2. (i) Plantaverit, *Bod.* 1, 2. (k) Discedere, de Christo, *Lam. Ebor. Lin. Bod* 3. *NC.* 1. ex Christo, *Bod.* 1. (l) Contumeliosus ad provocandum, *Lin.*

1 *Ubicunque quomodocunque.*] Hæc videntur esse Stephani verba; infra enim à Cypriano traducuntur.

2 *Non quæ in Christi nomine, sed quæ in Christi veritate.*] Rigaltius ait, *Ab Ecclesia quippe omnes hæreses exierunt, quæ vocabulo Christiano decipiunt. August. lib.* v. *de Bap. contra Don. cap.* 15.

3 *Negans Deum creatorem.*] Tertull. l. 2. c. 2. adv. Marc. ait, *Duos Ponticus Deos affert tanquam duas Symplegadas naufragii sui; quem negare non potuit, id est creatorem, & quem probare non potuit, id est, suum.* Qui duos ponit Deos, nullum statuit; & qui bonum esse negat Patrem Christi, & mundi creatorem; is & Deum fuisse inficiatur. Commentum hoc de duplici principio, à Persarum Magis erat derivatum, teste Aristotele. Porro obiter hic notetur Tertullianum non sine sarcasmo Marcionem nauclerum Ponticum, symplegadum suarum nautis infamium; & non lapsus, sed naufragii admonere.

An. 256. aut fide credere, aut ſermone proferre? Et ubi erunt legis præcepta divinæ, quæ dicunt: Honora patrem & matrem, (a) ſi vocabulum patris quod in homine honorari præcipitur, in Deo impune violatur? Ubi erit quod ipſe Chriſtus in Evangelio ponit & dicit: Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur: ſi is qui maledicentes parentibus carnalibus puniri & interfici mandat; in cœleſtem & ſpiritalem patrem maledicos, atque Eccleſiæ matris inimicos ipſe vivificat? Execranda ac deteſtanda res à quibuſdam prorſus aſſeritur, (b) ut is qui blaſphemantem in Spiritum ſanctum 1 reum futurum peccati æterni comminatur, idem in Patrem Deum blaſphemos ſalutari baptiſmo (c) ſanctificare dignetur. Et nunc qui talibus ad Eccleſiam venientibus ſine baptiſmo communicandum exiſtimant, non putant ſe alienis, imo æternis peccatis communicare; admittentes ſine baptiſmo eos, qui non niſi in baptiſmo poſſint blaſphemiarum ſuarum peccata deponere. Exo. 20. 12. Mat. 15. 4. Luc. 12. 10.

Hæretici eo ipſo quod ad Eccleſiam redeunt, agnoſcunt ſe extra Eccleſiam fuiſſe.

Quam vanum eſt porro & perverſum, ut cum ipſi hæretici repudiato & relicto vel errore, vel ſcelere in quo prius fuerant, agnoſcant Eccleſiæ veritatem; nos veritatis ejuſdem jura & ſacramentum mutilemus, & venientibus ac pœnitentibus dicamus eos remiſſionem peccatorum conſecutos eſſe, quando illi ſe peccaſſe, & propter hoc ad Eccleſiæ indulgentiam venire fateantur? Quare Eccleſiæ Catholicæ fidem ac veritatem, frater cariſſime, & tenere debemus firmiter & docere, & per omnia Evangelica & Apoſtolica præcepta rationem (d) divinæ diſpenſationis, atque unitatis oſtendere. Nunquid poteſt vis baptiſmi eſſe major, aut potior, (e) quam confeſſio, quam paſſio; ut quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſanguine ſuo baptizetur? Et tamen neque hoc baptiſma hæreticis prodeſt, quamvis Chriſtum confeſſi, & extra Eccleſiam fuerint occiſi, (f) niſi ſi hæreticorum patroni & advocati hæreticos in falſa confeſſione Chriſti interfectos, martyres prædicant, & contra Apoſtoli conteſtationem, qui nihil eos (g) quamvis exuſtos & occiſos dicit poſſe proficere, gloriam eis & coronam paſſionis aſſignant. Quod ſi hæretico nec baptiſma publicæ confeſſionis & ſanguinis proficere ad ſalutem poteſt, quia ſalus extra (h) Eccleſiam non eſt: quanto magis ei nihil proderit, ſi (i) 2 in latebra & in latronum ſpelunca (k) adulteræ contagione aquæ tinctus, non tantum peccata antiqua non expoſuerit, ſed adhuc potius nova & majora cumulaverit? Quare baptiſma nobis & hæreticis commune eſſe non poteſt, cum quibus nec Pater Deus, nec Filius Chriſtus, nec Spiritus ſanctus, nec fides, nec Eccleſia ipſa communis eſt: & ideo baptizari eos oportet qui de hæreſi ad Eccleſiam veniunt; ut qui legitimo & vero, atque 3 unico ſanctæ Eccleſiæ baptiſmo ad regnum Dei regeneratione divina præparantur, ſacramento utroque naſcantur, quia ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt intrare in regnum Dei. 1 Cor. 13. 3. Jo. 3. 5.

Occurrit objectioni, quod Eccleſia pro Martyribus agnoſcat, in Catechumenatu paſſos.

Quo in loco quidam quaſi evacuare poſſint humana argumentatione, prædicationis Evangelicæ veritatem, catechumenos nobis opponunt, ſi quis ex his antequam in Eccleſia baptizetur, in confeſſione nominis apprehenſus fuerit & occiſus; an ſpem ſalutis & præmium confeſſionis amittat, eo quod ex aqua prius non ſit renatus. Sciant igitur hujuſmodi homines ſuffragatores & fautores hæreticorum, catechumenos illos primo integram fidem & (l) Eccleſiæ unitatem tenere, & ad debellandum diabolum de divinis caſtris cum plena & ſincera Dei Patris, & Chriſti, & Spiritus ſancti cognitione procedere; deinde nec privari baptiſmi ſacramento, utpote qui baptizentur 4 glorioſiſſimo & maximo ſanguinis baptiſmo, de quo & Dominus dicebat habere ſe aliud baptiſma baptizari. Sanguine autem ſuo baptizatos, & paſſione ſanctificatos conſummari, & divinæ pollicitationis gratiam conſequi; declarat in Evangelio idem Dominus, quando 5 ad latronem in ipſa paſſione credentem & confitentem loquitur, & quod ſecum futurus ſit in paradiſo pollicetur. Quapropter qui fidei & veritati præſumus, eos qui ad fidem & veritatem veniunt, & agentes pœnitentiam remitti ſibi peccata depoſcunt, decipere non debemus & fallere; (m) ſed correctos à nobis ac reformatos ad regnum cœlorum diſciplinis cœleſtibus erudire. Luc. 12. 50. Luc. 23. 43.

Sed

(a) Niſi ſi vocabulum patris, *Bod.* 1, 2. *Lin Ebor. NC.* 1, 2. (b) Si eum qui blaſphemaverit, *NC.* 1. *Ebor.* (c) Sanctificare dicatur, *Lin.* (d) Divinæ diſpoſitionis, *Lam. Bod.* 1, 2. *Lin. Ebor. NC.* 1, 2. (e) Quam confeſſio & paſſio, *Lam. Lin. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1, 2. quam confeſſio quam paſſio, *Bod.* 1. (f) Hæretico prodeſt, quamvis Chriſtum confeſſus, & extra Eccleſiam fuerit occiſus, *Bod.* 1, 2. *Lin. Ebor. NC.* 1, 2. (g) Quamvis exuſtos dicit, *Bod.* 2. *NC.* 1. *Ebor.* (h) Eccleſiam eſſe non poteſt, *NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2. (i) In tenebris, *Bod.* 1. (k) Adultera ea, *Bod.* 1. (l) Eccleſiæ veritatem, *Bod.* 1, 2. *Lin. Ebor. NC.* 1, 2. (m) Sed correptos. *Lin. NC.* 2.

1 *Reum peccati æterni*, Rigaltius ait, *Quod Eccleſia non dimittet, neque in hoc neque in futuro ſeculo, nec pœnitentiam in morte.*

2 *In latebra & in latronum ſpelunca.*] Rigaltius ait, *Eccleſias omnes quæ ſunt extra Eccleſiæ catholicæ unitatem, latebras appellat & ſpeluncas, quales ſunt latronum factiones.*

3 *Unico ſanctæ Eccleſiæ baptiſmo.*] Vel hoc nomine Marcionis baptiſmus jure damnandus, quod non unus, ſed triplex fuit; ad ejus infamiam eluendam ex repetitis flagitiis accommodatus, de qua re conſulatur Epiph. Hæreſ. 42. c. 3.

4 *Glorioſiſſimo & maximo ſanguinis baptiſmo.*] Rigaltius ait, *Sanguinis ſcilicet fidei Chriſtianæ martyrio fuſi. De quo apud Tertul. Tota paradiſi clavis ſanguis tuus eſt.*

5 *Ad latronem ipſa paſſione credentem.*] Rigaltius ait, *In latronis iſtius paſſione duplex tempus conſideratur, adeoque duplex homo, duplex ſanguis. Sanguis ſcilicet ante fidem fuſus, ſanguis fuit latronis: poſt fidem, ſanguis Chriſtiani. Sanguis latronis, pœna criminis fuit: at ſanguis jam Chriſtiani, in ipſo fidei Chriſtianæ teſtimonio fuſus; quo teſtimonio Chriſtum latro vere Dei Filium eſſe profeſſus eſt, ſanguis fuit Confeſſoris. Hunc ſanguinem Chriſtus applicuit ſuo, deque latrone fecit ſibi conſanguinem & cohæredem, ac de jam cohæredis ſui ſanguine baptiſma. Hoc certe argumento pugnari adverſus Cyprianum poteſt. Etenim baptiſma datum quidem in hæreſi, ſed Chriſtiano tamen ritu, quamdiu extra Eccleſiam perſtat in hæreſi, vanum & nihili eſſe recte dicimus; poſt expoſitam vero abjectamque hæreſim, ad Eccleſiam veniens, jam Chriſtiani ritus baptiſma ſanctificatur, & fit veræ fidei ſacramentum.*

1 *Quid*

An. 256. Occurritur objectioni alteri, quod aliqui ab hæreticis venientes, licet non baptizati; pro fidelibus agnita Porro fuadetur, hæreticos non ſine baptiſmo recipere; ad eos convincendos maxime utile eſſe.

Sed dicit aliquis: 1 Quid ergo fiet de his qui in præteritum de hæreſi ad Eccleſiam venientes, ſine baptiſmo admiſſi ſunt? Potens eſt Dominus miſericordia ſua indulgentiam dare, & eos qui 2 ad Eccleſiam ſimpliciter admiſſi, in Eccleſia dormierunt, ab Eccleſiæ ſuæ muneribus non ſeparare. Non tamen quia aliquando erratum eſt, ideo ſemper errandum eſt; cum magis ſapientibus & Deum timentibus congruat, patefactæ & perſpectæ veritati libenter atque incunctanter obſequi, quam pertinaciter atque obſtinate (a) contra fratres & conſacerdotes pro hæreticis reluctari. Nec quiſquam exiſtimet hæreticos, 3 eo quod illis (b) baptiſma opponitur; quaſi ſecundi baptiſmi vocabulo ſcandalizatos, ut ad Eccleſiam veniant retardari: imo vero hoc ipſo magis ad neceſſitatem veniendi, teſtimonio oſtenſæ ſibi & probatæ veritatis adiguntur. Nam ſi viderint judicio ac ſententia noſtra id decerni & ſtatui, ut baptiſma juſtum & legitimum computetur, quo illic baptizantur; 4 putabant ſe Eccleſiam quoque & cetera Eccleſiæ munera juſte & legitime poſſidere; nec erit cauſa veniendi ad nos, quando habentes baptiſma, habere videantur & cetera. Porro autem cum cognoſcunt baptiſma nullum foris eſſe, nec remiſſam peccatorum extra Eccleſiam dari poſſe, avidius ad nos & promtius properant, & munera ac dona Eccleſiæ matris implorant; certi pervenire ſe omnino non poſſe ad veram divinæ gratiæ pollicitationem, niſi prius venerint ad (c) Eccleſiæ unitatem. Nec recuſabunt baptizari apud nos hæretici legitimo & vero Eccleſiæ baptiſmo, quando ex nobis didicerint, baptizatos quoque à Paulo eos qui jam baptiſmo Joannis baptizati fuiſſent; ſicut legimus in Actibus Apoſtolorum. Act. 19. 5.

Demum occurritur objectioni illorum, qui baptiſma hæreticorum illicitum eſſe perſuaſi, non renovandum putant ob rebaptizationis metum.

Et nunc apud quoſdam de noſtris, hæreticorum (d) baptiſma occupatum aſſeritur, & invidia quadam quaſi rebaptizandi, (d) baptizare poſſe hoſtes Dei nefas ducitur; cum baptizatos inveniamus quos Joannes baptizaverat: Ille Joannes major inter Prophetas habitus, ille divina gratia adhuc in utero matris impletus, ille Heliæ ſpiritu & virtute ſubnixus, qui non adverſarius Domini, ſed præcurſor ac prædicator fuit, qui Dominum non tantum verbis prænunciavit, ſed & oculis oſtendit; qui ipſum Chriſtum, per quem baptizentur ceteri, baptizavit. Quod ſi iccirco hæreticus jam baptiſmi obtinere potuit, quia prior baptizavit; non poſſidentis erit jam baptiſma, 5 ſed occupantis: & cum ſeparari à ſe & dividi omnino non poſſint baptiſma & Eccleſia; qui occupare baptiſma prior potuit, & Eccleſiam pariter occupavit: & incipis tu illi hæreticus videri, qui præventus poſterior eſſe cœpiſti; qui cedendo ac manus dando, jus quod (f) acceperas reliquiſti. Quam periculoſum ſit autem in divinis rebus ut quis cedat jure ſuo & poteſtate; ſcriptura ſancta declarat, cum in Geneſi, Eſau 6 primatus ſuos inde perdide- Gen. 25.
rit, nec recipere id poſtmodum potuerit quod ſemel ceſſit. Hæc tibi (g) breviter pro noſtra mediocritate reſcripſimus, frater cariſſime, nemini præſcribentes aut præjudicantes,

(a) Et contra ſacerdotes, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *NC.* 1. (b) Baptiſmata, *Rig. Pam. Manut.* (c) Eccleſiæ veritatem, *Bod.* 1, 2. *Lin. Ebor. NC.* 1. (d) Baptiſma aſſeritur, *Lam. NC.* 1. *Lin.* (e) Baptizari hoſtes Dei, *Bod.* 1. *Ebor.* (f) Acceperas amiſiſti, *Lin. NC.* 2. (g) Brevibus, *Bod.* 1. *Lin. Ebor. NC.* 1. brevius, *Bod.* 2.

1 *Quid ergo fiet de his qui in præteritum de hæreſi ad Eccleſiam venientes, ſine baptiſmo admiſſi ſunt?*] Rigaltius ait, *Auguſtinus libro* 11. *contra Don. Hic certe quid fieri ſoleret, etſi non fieri vellet, ſatis Cyprianus oſtendit. Et eo ipſo quod concilium Agrippini commemorat, aperte indicat fuiſſe aliam conſuetudinem Eccleſiæ. Hoc argumentum tractatur etiam Epiſtola Firmiliani.* Nullibi tamen felicius tractatur res hæc, quam apud Euſeb. Hiſt. l. 7. c. 9. Ubi Dionyſius Alexandrinus qui Cypriani dogma de hæreticis baptizandis pariter fovebat, deciſionis ſuæ in caſu conſimili, cujuſdam in cauſa qui ab hæreticis baptizatus, diu cœtus fidelium particeps fuerat; in Epiſtola ad Xyſtum Epiſcopum Romanum rationem reddit. φησας αὐτάρκη τὴν πολυχρόνιον αὐτῷ κοινωνίαν. εὐχαριστίας γὰρ ἐπακέσαντα καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμήν, καὶ τραπέζῃ παρασάντα καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα, καὶ ταύτην καταδεξάμενον, καὶ τὸ σώματος καὶ τὸ αἵματος τὸ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μετασχόντα ἱκανῷ χρόνῳ, ὡς ἂν ἐξ ὑπαρχῆς ἀνακτεύζειν ἔτι τολμήσαιμι. In caſibus iſtiuſmodi, ex uſu Eccleſiæ, per baptiſmum hypotheticum ſubvenitur.

2 *Ad Eccleſiam ſimpliciter admiſſi.*] Rigaltius ait, *Hoc eſt, per errorem, ex ſententia Cypriani. Sed Auguſtinus, Iſta nobis ſimplicitas, inquit, ſufficit; cui teſtimonium perhibet ipſe Cyprianus, tantum bonum intelligens eſſe unitatem corporis Chriſti, ut in eam ſimpliciter admiſſos, etiam illos quos eſſe ſine baptiſmo arbitrabatur, de divina miſericordia mereri indulgentiam, & ab Eccleſiæ muneribus non ſeparari, pia cogitatione præſumeret. Et paulo poſt: Hæc ſimplicitas, magis quam duplicitas, Eccleſiæ placuit univerſæ toto terrarum orbe diffuſæ.* Opus non erat hac exaggeratione Auguſtini; *ſimpliciter admitti* nihil aliud ſonat, quam ſtatim & nullas per ambages admitti.

3 *Eo quod illis baptiſma opponitur.*] In hæreſi tinctis quaſi obicis loco ad Eccleſiam redituris objicitur: ſiquidem non aliis conditionibus aditus in Eccleſiam patet. Rigaltius, penes quem ſit fides, nihil enim iſtiuſmodi à me deprehenſum eſt; ait, *Baptiſmata habent libri veteres. Abſolute hic ponitur vocabulum, baptiſmata, plurali numero, quem non admittit catholica baptiſmi unitas & ſimplicitas. Itaque Cypriani ſectatoribus pœnitentes hæreticos baptizantibus, opponebatur illa vox, Baptiſmata. Quod jam in hæreſi atque ab hæreticis baptizatos, rebaptizarent. Ac per hoc uni homini conferrent baptiſmata, hoc eſt, duplex baptiſma. Cyprianus contra pertendit, ab hæreſi venientes baptizari quidem, minime autem rebaptizari; quia ſcilicet datum in hæreſi baptiſma, vanum & pro nihilo cenſeatur.*

4 *Putabunt ſe Eccleſiam quoque juſte & legitime poſſidere.*] Rigaltius ait, *Mirum eſſe ait Auguſtinus, quomodo dicat Cyprianus ſeparari & dividi omnino non poſſe baptiſmum & Eccleſiam. Si enim baptiſma in baptizato inſeparabiliter manet; quomodo baptizatus ſeparari ab Eccleſia poteſt, & baptiſmus non poteſt? Idem: Poteſt hæreticus & catholicus baptiſma unum habere, & unam Eccleſiam non habere, ſicut poſſunt in catholica innocens & homicida unum habere baptiſma, & unum Spiritum non habere, quia ſicut unum eſt baptiſma, ſic unus eſt Spiritus & una Eccleſia; ita fit ut hoc in quoque agnoſcendum ſit quod habet, hoc ei dandum quod non habet, &c. cap.* 15. *lib.* v. *contra Donatiſt.*

5 *Sed occupantis.*] Regula eſt juris, *Melior occupantis cauſa.* Rigaltius ait, *Ut ſunt in agrorum conditione, occupatorii, pro indiviſo, & indefenſi. Auguſtinus: Non præoccupat baptiſmum hæreticus, cum eum ab Eccleſia ſumſerit. Nec potuit amittere cum recederet, quem jam non habere Eccleſiam dicimus, & tamen habere baptiſmum concedimus. Attamen Tertullianus alicubi dixit, amitti baptiſma, & perdere pœnitentiam.*

6 *Primatus ſuos inde perdiderit.*] Rigaltius ait, *Subtiliter Auguſtinus: Nec primatum quiſquam ſibi derogat & hæretico tribuit, quia cum dicit ſecum abſtuliſſe, quod non legitime daret, ſed tamen legitimum daret; nec jam legitime haberet, ſed legitimum haberet. Idem ſubjungit: Primatus autem non eſt, niſi in ſancta converſatione & vita bona.*

An. 256. tes, quo minus unuſquiſque Epiſcoporum quod (a) putat faciat, 1 habens arbitrii ſui liberam poteſtatem. Nos quantum in nobis eſt, propter hæreticos cum Collegis & coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus divinam concordiam & Dominicam pacem tenemus; maxime cum & Apoſtolus dicat: Si quis autem (b) putatur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Servatur à nobis patienter & (c) firmiter caritas animi, collegii honor, vinculum fidei, & concordia ſacerdotii. Propter hoc etiam (d) libellum de bono patientiæ, quantum valuit noſtra mediocritas permittente Domino & inſpirante conſcripſimus, quem ad te pro mutua dilectione tranſmiſimus. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere. 1 Cor. 11. 18.

(*a*) Putaverit, *Bod.* 1. *Lin. NC.* 1. *Auguſt.* (*b*) Putat contentioſus, *Lam. Bod.* 2. putaverit, (*c*) Leniter caritas, *Lam. Lin. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2. *Auguſt. Hier.* (*d*) Libellum nunc, *Lin. Ebor. NC.* 1, 2. hunc, *Auguſt.*

1 *Habens arbitrii ſui liberam poteſtatem.*] Rigaltius ait, *Atque hinc etiam Auguſtinus adjerit ſibi contradicendi Cypriano libertatem. Etiam nobis, inquit, qualibuſcunque locum dedit pacifice ſecum iſta tractandi. Et quam vere Chriſtiana ſunt quæ apponit! Præſens eſt enim, inquit, non ſolum per literas ſuas, ſed etiam per ipſam quæ in illo maxime viguit, & mori nunquam potuit caritatem. Mox, etiam orationibus Cypriani adjuvari exoptat.* Sed hæc diſſentiendi libertas tantiſper valet, dum quæſtio manet indeciſa, Scripturæ ſilent, & ab Eccleſia nihil definitum. Supra obſervavimus, concilium Agrippini, ex Epiſcopis Provinciæ Africæ & Numidiæ conflatum, illas tantum regiones ſpectaſſe; non item Mauritaniam, Jam vero Jubaianus ex nomine Maurum ſe præfert. Quemadmodum etiam erat Quintus, ad quem Epiſt. 70. dirigebatur. Certe ſe Jubaianus Africæ Proconſularis, aut Numidiæ fuiſſet Epiſcopus; minime eſſet opus ut Cyprianus ipſum de Synodo 71. Epiſcoporum Africæ provinciæ & Numidiæ certiorem redderet. Porro dicendum; Cyprianum, eo fuiſſe candore & lenitate animi; ut non cum fratribus, ſi etiam in rebus ab Eccleſia definitis, diſſentire contigerit, violenter & pro imperio agere vellet.

EPISTOLA LXXIV.

1 Cyprianus 2 Pompeio Fratri Salutem.

Ad Pamelium. Epiſt. LXXIV. In Eraſmi edit. ultimis extra ordinem ſub finem operis additur. Epiſtola hac literis à Stephano Romano miſſis, reſpondetur: in qua inprimis à traditione humana, ad doctrinam Evangelicam provocatur.

QUANQUAM plene ea quæ de hæreticis baptizandis dicenda ſunt, (a) complexi ſumus in Epiſtolis, quarum ad te exempla tranſmiſimus, frater cariſſime; tamen quia deſideraſti in notitiam tuam perferri, (b) quæ mihi ad literas Stephanus frater noſter reſcripſerit, miſi tibi reſcripti ejus exemplum: quo lecto magis ac magis ejus errorem denotabis, qui hæreticorum cauſam contra Chriſtianos, & contra Eccleſiam Dei aſſerere conatur. Nam inter cetera vel (c) ſuperba; vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria, quæ 3 imperite atque improvide ſcripſit, etiam illud adjunxit, ut diceret: *Si quis ergo à quacunque hæreſi venerit ad nos,* (d) 4 *nihil innovetur niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœnitentiam:* 5 *cum ipſi hæretici proprie* 6 *alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum.* (e) A quacunque hæreſi venientem baptizari in Eccleſia vetuit, id eſt, omnium hæreticorum baptiſmata juſta eſſe & legitima judicavit. Et cum ſin- *Scripta poſt reditum.*

(*a*) Complexi ſimus, *Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. *Ebor.* (*b*) Quid mihi, *Lam. Lin. NC.* 1, 2. *Bod.* 2. (*c*) Supervacua, *Lam. Ben. Ebor. NC.* 1. (*d*) Nihil aliud innovetur quam quod, *Lam.* (*e*) Hic à quacunque, *Bod.* 2.

1 *Cyprianus Pompeio fratri.*] Pompeianum aliqui, ſed non recte, appellant. Rigaltius ait, *Hujus Epiſtolæ mentionem fecit Facundus Hermianenſis, in hæc verba: Nemo ſapiens Eccleſiam credit hæreticam, quia doctrinam beati Cypriani Carthaginenſis Epiſcopi & martyris laudat, cum ille non ſolum privatim, ut ei viſum eſt, verumetiam congregato concilio definierit, ut omnis hæreticus ad Eccleſiam rediens baptizetur, & propter hoc culpatus ab Stephano antiſtite Romano reſtiterit, ſuamque ſententiam ſcribens ad Pompeium quanta potuit humana argumentatione defenderit, injurioſe tractans eundem B. Stephanum, à quo juerat jure culpatus, &c. lib.* x Ad Epiſtolam hanc ſubinde reſpicit D. Auguſtinus, præcipue vero l. 5. de Baptiſmo contra Donat.

2 *Pompeio.*] *Epiſcopo Sabratenſi.* Vide ſuffragium penult. Concil. Carthagin.

3 *Imperite atque improvide ſcripſit.*] Rigaltius ait, *Hæc in Stephanum irritatus effudit, inquit Auguſtinus, & quamvis commotior, ſed tamen fraterne indignaretur; vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, ut in diſceptatione tali, nullum inter eos maluæ ſchiſmatis oriretur.* Ex Cypriani parte id verum; ſed Stephanus omnia jura non pietatis modo, ſed & humanitatis confudit; qui legatos ad ſe miſſos hoſpitio excluſit; quaſi non Romæ, ſed Tauricæ Precopenſis fuiſſet Epiſcopus. Tantum aberat ut ſacræ ſynaxeos participaret, ut non ad menſam, imo non ad tectum admitteret, quam rem Firmilianus vividis coloribus depingit.

4 *Nihil innovetur niſi quod traditum eſt.*] Rigaltius ait, *Traditionibus aliquid in religione novari ſolet. Traditiones autem longi temporis obſervatio & conſuetudo corroborat. Qua de re vulgatiſſimus eſt Tertulliani lib. de Corona locus. Nihil novi fiat circa baptiſmum. Novo baptiſmo non ſuſpiciantur, niſi ut manus illis imponatur in pœnitentiam. Hoc enim eſt quod traditum eſſe videtur, ac deeſſe quidem apud Vincentium Lirinenſem.*

5 *Cum ipſi hæretici proprie*] Rigaltius ait, *Hoc eſt cum ipſi qui proprie ob propriam aliquam hæreſin dicuntur hæretici. Ob cauſas ſcilicet alias, quam ob ſectam rebaptizantium. Ipſi, inquit, ex aliis cauſis hæretici non baptizant venientes ad ſe ab alia quavis hæreſi.*

6 *Alterutrum ad ſe venientes*] Rigaltius ait, *Rectiſſima eſt hæc ſcriptura. Hoc eſt, neque venientem à Marcione baptizat Montanus, neque venientem à Montano baptizat Marcion. Non rebaptizant alterutrum ad ſe venientes. In Veronenſi legitur, Cum ipſi hæretici proprie alterutrum ad ſe venientes non baptizentur, communicent tantum.* Hæreticos ad ſe ab Eccleſia catholica venientes baptizabant; ab alia vero hæreſi transfugas ſimpliciter admittebant. Ita conſiſtent quæ hic & infra dicuntur in Epiſt. ad Jubaianum. *Novatianenſes rebaptizare eos quos à nobis ſollicitant.*

1 *Unde*

An. 256. ſingulæ hæreſes ſingula baptiſmata & diverſa peccata habeant, hic cum omnium baptiſmo communicans, univerſorum delicta in ſinum ſuum coacervata congeſſit. Et præcepit nihil aliud innovari niſi quod traditum eſt; quaſi is innovet qui unitatem tenens, (a) unum baptiſma uni Eccleſiæ vindicat, & non ille utique qui unitatis oblitus, mendacia & contagia profanæ tinctionis uſurpat. *Nihil innovetur*, inquit, *niſi quod traditum eſt.* [1] Unde eſt iſta traditio? utrumne de Dominica & Evangelica auctoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis atque Epiſtolis veniens? Ea enim facienda eſſe (b) quæ ſcripta ſunt, Deus teſtatur, & (c) proponit ad Jeſum Nave, dicens: Non recedet liber legis hujus ex ore tuo, (d) ſed meditaberis in eo die ac nocte, ut obſerves facere omnia quæ ſcripta ſunt in eo. Item Dominus Apoſtolos ſuos mittens, mandat baptizari gentes & doceri, ut obſervent omnia quæcunque ille præcepit. Si ergo aut in Evangelio præcipitur, aut in Apoſtolorum Epiſtolis aut Actibus continetur, ut à quacunque hæreſi venientes non baptizentur, ſed tantum manus illis imponatur in pœnitentiam; obſervetur divina hæc & ſancta traditio. Si vero ubique hæretici nihil aliud quam adverſarii & antichriſti nominantur: (e) ſi vitandi, & perverſi; & à ſemetipſis damnati pronunciantur: quale eſt ut videantur damnandi à nobis non eſſe, quos conſtat Apoſtolica conteſtatione [2] à ſemetipſis damnatos eſſe? Ut nemo infamare Apoſtolos debeat, quaſi illi hæreticorum baptiſmata probaverint; aut eis ſine Eccleſiæ baptiſmo communicaverint, quando talia (f) de hæreticis Apoſtoli ſcripſerunt: Et hoc, cum nondum hæreticæ peſtes acriores prorupiſſent, necdum quoque (g) Marcion de Ponto emerſiſſet, [3] cujus (h) magiſter Cerdon ſub (i) Hygino tunc Epiſcopo, qui in urbe nonus fuit, Romam venit; quem Marcion ſecutus additis ad crimen augmentis, impudentius ceteteris & abruptius in Deum Patrem creatorem blaſphemare inſtituit; & hæreticum furorem ſacrilegis armis contra Eccleſiam rebellantem, ſceleratius & gravius armavit. Quod ſi hæreſes conſtat poſtmodum plures ac pejores extitiſſe; & ſi retro nuſquam omnino præceptum eſt, neque conſcriptum, ut hæretico tantum manus in pœnitentiam imponatur, & ſic ei communicetur; & ſi baptiſma non niſi unum eſt, quod apud nos eſt, & intus eſt, & ſoli Eccleſiæ de divina dignatione conceſſum eſt: quæ iſta obſtinatio eſt, quæve præſumtio, humanam traditionem divinæ diſpoſitioni anteponere, nec animadvertere, indignari & iraſci Deum, quotiens divina præcepta ſolvit & præterit humana traditio? Sicut per Eſaiam prophetam clamat & dicit: Populus iſte labiis honorificat me, (k) cor vero eorum longe ſeparatum eſt à me. Sine cauſa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. Item Dominus in Evangelio, increpans ſimiliter

Joſ. 1. 8.

Matt. 28. 20.

Tit. 3. 11.

Iſ. 29. 23.

(a) Unum baptiſma Eccleſiæ indicat, *Lam. Ebor. NC.* 1. (b) Quæ ſibi ſcripta, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (c) Præmonet, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 1, 2. *Thu.* (d) Et meditaberis, *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Thu.* (e) Si non potius vitandi, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (f) De hæreticis ſcripſerint, *NC.* 1. *Thu.* (g) Marcion Ponticus, *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2. *NC.* 1. (h) Magiſter & doctor Cerdon, *Ben. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (i) Hygino Epiſcopo, *Lam. Bod.* 1, 2. *Thu. Corb.* (k) Cor vero ejus, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.

1 *Unde eſt iſta Traditio?*] Rigaltius ait, *Auguſtinus lib.* v. *contra Don. cap.* 23. *Apoſtoli autem nihil quidem exinde præceperunt, ſed conſuetudo illa quæ opponebatur Cypriano ab eorum traditione exordium ſumſiſſe credenda eſt: ſicut ſunt multa quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur. Apertiſſime dicit Auguſtinus Apoſtolos nihil de baptizandis aut non baptizandis iis qui ab hæreſi veniunt, tradidiſſe: nondum enim proruperant hæretici, ut mox apponet Cyprianus:* & *conſentiet Firmilianus, Epiſt. ſeq.* Auguſtinus lib. adv. Petilianum c. 13. *ſeptuaginta deceſſores* Cypriani memorat, *qui hoc fecerunt* & *fieri præceperunt.* Quod ſi conſiliat, vix triennium cuilibet Epiſcopo aſſignabitur.

2 *A ſemetipſis damnatos.*] Hoc peculiari ratione in Marcione obtinuit, qui ob *inquietam curioſitatem ſemel atque iterum ab Eccleſia ejectus.* Qui quidem *cum ducentis ſeſtertiis quæ Eccleſiæ intulerat, noviſſime in perpetuum diſſidium relegatus venena doctrinarum ſuarum diſſeminabat. Poſtmodum pœnitentiam confeſſus, cum conditioni datæ occurreret, ita pacem recepturus, ſi ceteros quos perditioni erudiſſet, Eccleſiæ reſtitueret, morte præventus eſt.* Tert. de Præſcript. c. 30.

3 *Cujus Magiſter Cerdon ſub Hygino tunc Epiſcopo.*] Rigaltius ait, *In Corbeienſi: cujus magiſter Cerdon ſub Hygino Epiſcopo, qui in urbe nonus fuit. Hæc de Cerdone & Marcione Cyprianus ab Irenæo ſumſiſſe videtur. Sic enim ille lib.* 1. *cap.* 28. *Cerdon autem quidam ab iis qui ſunt erga Simonem occaſionem accipiens cum veniſſet Romam ſub hoc Hygino, qui nonum locum Epiſcopatus per ſucceſſionem ab Apoſtolis habuit. Verſus in Marcionem Pſeudo-Tertulliani, libro* III. *ſub finem.*

Conſtabat pietate vigens Eccleſia Romæ
Compoſita à Petro, cujus ſucceſſor & *ipſe;*
Jamque loco nono cathedram ſuſcepit Hyginus.

Epiphanius, Hæreſi Cerdonianorum: ἔτος ἐ Κέρδων ἐν χρόνοις Υγίνῳ γέγονεν ἐπισκόπου τὸ ἔνατον κλῆρον ἄγοντος ἀπὸ τῆς τῶν περὶ Ιακώβου καὶ Πέτρου καὶ Παύλου Αποστόλων διαδοχῆς. *Hæc teſtimonia ſatis adſerunt locum Hygino in Romana ſede nonum. Nam quis crederet ſummos viros, Irenæum & Cyprianum, tam proximos Apoſtolicis temporibus, hujuſce rei fuiſſe incertos? Et tamen valde dubiam faciunt ea quæ tradidit Hieronymus in Catalogo Scriptor. Eccleſ. ubi de Clemente. Plerique Latinorum, inquit, ſecundum poſt Petrum Apoſtolum putant fuiſſe Clementem. Ipſe Hieronymus ibidem locum adſignat Clementi quartum: Irenæus libro item ſupradicto, tertium. Utrumlibet ſequamur, non ſervabitur locus Hygino nonus, imo nec ſibimetipſi conſtat Irenæus. Etenim qui lib.* 1. *cap.* 28. *nonum Hygino dederat per ſucceſſionem ab Apoſtolis, idem lib.* III. *cap.* 3. *tribuit octavum. Hæc itaque ſunt ambigua, & incerta valde; etſi hoc etiam diſpiciamus, an ſeries Epiſcoporum urbis Romæ ita ducenda ſit computantibus, ut eximantur Apoſtoli de numero Epiſcoporum. Hoc ſibi velle videtur Irenæus lib.* III. *ubi ſecundum à Lino facit Anacletum, & tertium Clementem. Et ſic octavo loco ſive κλήρῳ cenſet Hyginum. Epiphanius autem ambobus Apoſtolis Petro & Paulo in Romanorum Epiſcoporum ſerie principem locum adſignat:* Πέτρος καὶ Παῦλος οἱ ἀπόστολοι, *inquit, αὐτοὶ καὶ ἐπίσκοποι. Deinceps, ſecundo loco ponit etiam ambo ſimul Linum & Cletum: tertio Clementem: nono Hyginum. Sed hujuſce catalogi fides vacillat. Interponit enim, quarto & octavo loco, duos Evariſtos & in ipſa diſquiſitione formulis utitur ad dubitationem facientibus,* ὃ πάνυ σαφῶς ἴσμεν & διανοῦμαι γὰρ, οὐκ ἐρίζομαι. *Denique Optatus Milevitanus lib.* 2. *Sediſſe ait priorem Petrum: deinde Linum: ac deinceps octavo loco ponit Hyginum.* Illi videntur rationes feliciſſime ſubducere, qui Hygino nonum in pontificatu Romano cum veteribus locum aſſignant, & Petrum primo numerantes, ſecundum Lino tradunt, tertium Anacleto, quartum Clementi, quintum Evariſto, ſextum Alexandro, ſeptimum Xyſto, octavum Teleſphoro, nonum Hygino, qui ad annum Chriſti centeſimum viceſimum ſextum ſediſſe creditur.

1 *Stu-*

An. 256. similiter & objurgans ponit & dicit: Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem vestram statuatis. Cujus præcepti memor beatus Apostolus Paulus, commonet ipse quoque & Marc. 7.
instruit, dicens: Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis verbis Domini nostri Jesu 13.
Christi & doctrinæ ejus; 1 stupore (a) elatus est, nihil sciens, (b) discedendum ab hujus- 1 Tim. 6, 3.
modi.

Stephano objicitur quod hæreticorum exempla sectetur: & traditionem suam defendat.

(c) Præclara sane & legitima traditio Stephano fratre nostro docente proponitur, quæ auctoritatem nobis idoneam præbeat. Nam in eodem loco Epistolæ suæ addidit & adjecit: *cum ipsi hæretici proprie alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Ad hoc enim malorum devoluta est Ecclesia Dei & sponsa Christi, ut hæreticorum exempla sectetur, ut ad celebranda sacramenta (d) cœlestia disciplinam lux de tenebris mutuetur, & id faciant Christiani, quod antichristi faciunt. Quæ vero est animi cæcitas, quæ pravitas, fidei unitatem de Deo Patre & de Jesu Christi Domini & Dei nostri traditione venientem nolle cognoscere?

Ubi nec Ecclesia nec Sp. Sanctus est, ibi nec baptisma.

Nam si iccirco apud hæreticos Ecclesia non est, quia una est, & dividi non potest: si ideo illic Spiritus sanctus non est, quia unus est, & esse apud profanos & (e) extraneos non potest: utique & baptisma quod in eadem unitate consistit, esse apud hæreticos non potest, (f) quia separari neque ab Ecclesia, neque à Spiritu sancto potest.

Nomen Christi adhibitum non sufficit ad constituendum Baptisma.

Aut si effectum baptismi majestati nominis tribuunt, ut qui in nomine Jesu Christi ubicunque & quomodocunque baptizantur, innovati & sanctificati judicentur; cur non in ejusdem Christi nomine illic & manus baptizato imponitur ad accipiendum Spiritum sanctum? Cur eadem ejusdem majestas nominis non prævalet manus impositione, quam valuisse contendunt in baptismi sanctificatione? (g) Nam si potest quis extra Ecclesiam natus templum Dei fieri; cur non possit super templum & Spiritus sanctus infundi? Qui enim 2 peccatis in baptismo expositis sanctificatus est, & in novum hominem spiritaliter formatus, ad accipiendum Spiritum sanctum (h) idoneus factus est: quando Apostolus dicat: Quotquot in Christo baptizati estis, 3 Christum induistis. Qui potest a- Gal. 3. 27.
pud hæreticos baptizatus Christum induere; multo magis potest Spiritum sanctum, quem Christus misit, accipere. Ceterum major erit mittente qui missus est, ut incipiat foris baptizatus Christum quidem induisse, sed Spiritum sanctum non potuisse percipere; quasi possit aut sine Spiritu Christus indui, aut à Christo Spiritus separari. Illud quoque ineptum, ut cum nativitas secunda spiritalis sit, qua in Christo per lavacrum (i) regenerationis nascimur, dicant quod possit quis apud hæreticos spiritaliter nasci, ubi Spiritum negant esse. Peccata enim purgare & hominem sanctificare aqua sola non potest, nisi habeat & Spiritum sanctum. Quare aut & Spiritum necesse est concedant esse illic, ubi baptisma esse dicunt: aut nec baptisma est, ubi Spiritus non est, quia baptisma esse sine Spiritu non potest. Quale est autem asserere & contendere, quod esse possint filii Dei, qui non sint in Ecclesia nati? Baptisma enim esse in quo homo vetus moritur & novus nascitur, manifestat & probat beatus Apostolus, dicens: Salvavit nos per lavacrum regenerationis. Si autem in lavacro, id est, in baptismo est Tit. 3. 5.
regeneratio; quomodo generare filios Deo hæresis per Christum potest, quæ Christi sponsa non est? Ecclesia est enim sola, quæ Christo conjuncta & adunata spiritaliter filios generat, eodem Apostolo rursus dicente: Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum Eph. 5. 25.
tradidit pro ea ut eam sanctificaret, purgans eam lavacro aquæ. Si igitur hæc est dilecta & sponsa quæ sola à Christo sanctificatur, & lavacro ejus sola purgatur; manifestum est hæresin (quæ cum sponsa Christi non sit, nec purgari, nec sanctificari lavacro ejus possit) filios Deo generare non posse. Porro autem non per manus impositionem quis nascitur quando accipit Spiritum sanctum, sed in baptismo; ut Spiritum Gen. 1.
jam natus accipiat, sicut in primo homine Adam factum est. Ante enim Deus eum plasmavit, & tunc insufflavit in faciem ejus flatum vitæ. Nec enim potest accipi Spiritus, nisi prius fuerit qui accipiat. Cum autem nativitas Christianorum in baptismo sit, baptismi autem generatio, & sanctificatio apud solam sponsam Christi sit, quæ parere spiritaliter, & generare filios Deo possit; ubi, & ex qua, & cui natus est, qui filius Ecclesiæ non est, ut habere quis possit Deum patrem, ante Ecclesiam matrem? Cum vero nulla omnino hæresis, sed neque aliquod schisma habere salutaris baptismi sanctificationem foris possit; cur in tantum Stephani fratris nostri obstinatio dura prorupit ut etiam de Marcionis baptismo, item Valentini & Appelletis, & ceterorum blasphemantium in Deum Patrem contendat filios Deo nasci? Et illic in nomine Jesu Christi

(a) Elatus est &, *Ebor. NC.* 1. (b) Discede ab hujusmodi, *Ver. Lam. Bod.* 1, 2. *Thu.* (c) Præclara plane, *Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1, 2. *NC.* 2. *Thu. Foss.* (d) Cœlestis disciplinæ, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (e) Extrarios, *Ver.* (f) Quia neque ab Ecclesia, neque à Spiritu sancto dividi potest, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. (g) Nam si potest qui extra Ecclesiam natus est, *Bod.* 1. *Lin.* (h) *Sic Ver. Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2. *Lin. Thu.* non est, *Thu.* (i) Regenerationis renascimur, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1.

1 *Stupore elatus est.*] Rigaltius ait, 1 *ad Timoth. cap.* 6. num. 4. τετύφωται. *Eadem verba citavit Epist.* XL. *In cod. Thu. legitur, stupore inflatus est. Stuporem dicit, superbiam, arrogantiam. Tertull. Stuporatam gloriam, Stupores Atticos, & Stuporem mulierum, quod adsectant mulieres, ut spectantium oculos ad se rapiant, ita ut admirando stupescant.*

2 *Peccatis in baptismo expositis.*] Rigaltius ait, *Etenim a-quam adituri sub antistitis manu contestantur se renunciare diabolo & pompæ seculari.*

3 *Christum induistis.*] Rigaltius ait, *August. lib.* v. *contra Don. cap.* 24. *Induunt homines Christum usque ad sacramenti perceptionem, aliquando & usque ad vitæ sanctificationem. Atque illud primum & bonis & malis potest esse commune: hoc autem alterum, proprium est bonorum & piorum.*

1 *Ser-*

An. 256. ſti dicat remiſſionem peccatorum dari, ubi blaſphematur in (a) Patrem, & in (b) Dominum Deum Chriſtum?

Hæreticos ſine baptiſmo in Eccleſiam admittere ſacerdoti periculoſum.

Quo in loco conſiderandum eſt, frater cariſſime, pro fide & religione ſacerdotalis loci quo fungimur, an (c) conſtare ſacerdotis Dei ratio in die judicii poſſit, aſſerentis & probantis, & in acceptum referentis blaſphemantium baptiſmata; cum (d) Dominus comminetur & dicat: Et nunc præceptum hoc ad vos eſt, ô ſacerdotes; ſi non audieritis, & ſi non poſueritis in corde veſtro, ut detis honorem nomini meo, dicit Dominus omnipotens, immittam in vos maledictionem, & maledicam benedictionem veſtram. Dat honorem Deo, qui Marcionis baptiſmo communicat? Dat honorem Deo, qui apud eos qui in Deum blaſphemant remiſſionem peccatorum dari judicat? Dat honorem Deo, qui foris de adultera & fornicaria naſci Deo filios aſſeverat? Dat honorem Deo, qui unitatem & veritatem de divina lege venientem non tenens, hæreſes contra Eccleſiam vindicat? Dat honorem Deo, qui (e) hæreticorum (f) amicus, & inimicus Chriſtianorum, (g) ſacerdotes Dei, veritatem Chriſti, & Eccleſiæ unitatem tuentes abſtinendos putat: Si ſic honor Deo datur, ſi ſic à cultoribus ſacerdotibus ejus timor Dei & diſciplina ſervatur; abjiciamus arma, manus demus in captivitatem, tradamus diabolo ordinationem Evangelii, diſpoſitionem Chriſti, majeſtatem Dei: divinæ militiæ ſacramenta ſolvantur, (h) caſtrorum cœleſtium ſigna (i) prodantur: ſuccumbat & (k) cedat Eccleſia hæreticis, lux tenebris, fides perfidiæ, ſpes deſperationi, ratio errori, immortalitas morti, caritas odio, veritas mendacio, Chriſtus antichriſto. Merito & ſic in dies ſingulos ſchiſmata & hæreſes ſurgunt, (l) crebrius atque liberius excreſcunt, & (m) [1] ſerpentinis crinibus pullulantes, adverſus Eccleſiam Dei majoribus viribus venenorum ſuorum virus (n) exprimunt; dum illis advocatione quorundam, & auctoritas præſtatur & firmitas; dum baptiſma eorum defenditur, dum fides, dum veritas proditur, dum id quod contra Eccleſiam foris geritur, intus in ipſa Eccleſia vindicatur. Quod ſi eſt apud nos, frater dilectiſſime, Dei timor, (o) ſi tenor prævalet fidei, ſi cuſtodimus Chriſti præcepta, ſi incorruptam atque inviolatam ſponſæ ejus ſanctitatem tuemur, ſi hærent ſenſibus & cordibus noſtris verba Domini dicentis: Putas cum venerit filius hominis, inveniet fidem in terra: (p) quaſi fideles Dei milites, qui Deo fide & religione ſincera militamus, commiſſa nobis divinitus caſtra fideli virtute ſervemus.

Malac. 2. 1

Luc. 18. 8.

Conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt.

Nec conſuetudo quæ apud quoſdam obrepſerat, impedire debet quo minus veritas prævaleat & vincat. Nam [2] conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt. Propter quod relicto errore ſequamur veritatem, ſcientes quia & apud Eſdram veritas vicit, ſicut ſcriptum eſt: Veritas manet & invaleſcit in æternum, & vivit & obtinet in ſecula ſeculorum. Nec eſt apud eam accipere perſonam, nec differentias, ſed quæ ſunt (q) juſta facit; nec eſt in judicio ejus iniquum, (r) ſed fortitudo, & regnum, & majeſtas, & poteſtas omnium ſeculorum; (s) Benedictus Deus veritatis. Quam veritatem nobis Chriſtus oſtendens, in Evangelio ſuo dicit: Ego ſum veritas. Propter quod ſi in Chriſto ſumus, & Chriſtum in nobis habemus; ſi manemus in veritate, & veritas in nobis manet; ea quæ ſunt vera teneamus.

1 Eſd. 4. 38.

Jo. 14. 6.

Oportet Epiſcopum non tantum docere ſed diſcere.

Fit autem ſtudio præſumtionis & contumaciæ, ut quis magis ſua prava & falſa defendat, quam ad alterius recta & vera conſentiat. Cui rei proſpiciens beatus Paulus Apoſtolus ad Timotheum ſcribit & monet, Epiſcopum (t) non litigioſum, ſed mitem & (u) docibilem eſſe debere. Docibilis autem ille eſt, qui eſt ad diſcendi patientiam lenis & mitis. Oportet enim Epiſcopum non tantum docere, ſed & diſcere; quia & ille melius docet, qui quotidie creſcit, & proficit diſcendo meliora. Quod ipſum quoque idem Apoſtolus Paulus docet, præmonens, ut ſi alii ſedenti melius revelatum fuerit, prior taceat.

2 Tim 2. 24.

1 Cor. 14. 30.

Compendium eruendæ veritatis ſcripturarum ſcrutinium.

In compendio eſt autem apud religioſas & ſimplices mentes, & errorem deponere, & invenire atque (w) eruere veritatem. Nam ſi [3] ad divinæ traditionis caput & originem revertamur, ceſſat error humanus; & ſacramentorum cœleſtium ratione perſpecta, quicquid ſub caligine ac nube tenebrarum obſcurum latebat, in lucem veritatis ape-

(a) Deum Patrem, *Lam. Bod.* 2. (b) Dominum Jeſum Chriſtum, *Lin.* (c) Conſtare ſacerdoti Dei ratio in die judicii poſſit, aſſerenti & probanti, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. 2. (d) Dominus Deus, *Lam.* (e) Qui è contrario hæreticorum, *Lin. Bod.* 2. *NC.* 1. *Ebor.* (f) Eſt amicus, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. *Ebor.* (g) Sacerdotes quoque, *Lam. Bod.* 2. Unitatem tenentes, *Ver. Manut.* (h) *Sic Thu. Lam. Ebor. Lin. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. 2. *NC.* 1. 2. ſacrorum, *Imp.* (i) Dedantur, *Bened. Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC.* 1, 2. *Veron.* (k) *Sic Lam Bod.* 1, 2. *Manut.* Cadat, *Imp.* (l) Uberius excreſcant, *Lam. Ebor. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. (m) *Sic Ver. Lam. Bod.* 1, 2. *Bened. Thu.* criminibus, *Imp.* (n) Expromunt, *Lin. Thu.* (o) Si amor fidei, *Bened. Bod.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. (p) *Sic Lam. NC.* 1. *Bod.* 2. qua fideles, *Bod.* 1 *Thu.* quia, *Imp.* (q) Juſta juſtus facit, *Lam.* (r) Ejus fortitudo, *Lam. Bod.* 1. *Ebor. NC.* 1. (s) Benedictus Dominus Deus, *Bod.* 2. (t) Non litigioſum nec contentioſum, *Bod.* 1, 2. (u) Docilem eſſe debere, Docilis, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. *Ebor.* (w) Diſcernere veritatem, *Ver.*

1 *Serpentinis crinibus pullulantes.*] Furiali apparatu, quibus pro crinibus viperæ ſuæ graſſantur hæretici. Altera lectio nimium quantum diluta videtur.

2 *Conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris eſt.*] Rigaltius ait. *Firmilianus: Conſuetudini Romanorum, conſuetudinem, ſed veritatis, opponimus.* Ille vero epiſtolas ex Africa tranſmiſſas libenter repetit.

3 *Ad divinæ traditionis caput & originem revertamur.*] Rigaltius ait: *Mox ducet ad originem Dominicam & Evangelicam & Apoſtolicam traditionem, cui traditioni Firmilianus Epiſt. ſeq. & Cyprianus paſſim opponit traditionem humanam. Hæc vero ſæpiſſime adverſatur divinæ.*

An. 256. aperitur. (a) Si canalis aquam ducens qui copioſe prius & largiter profluebat, ſubito deficiat; nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noſcatur, utrumne arefcentibus venis, in capite unda ſiccaverit; an vero integra inde & plena procurrens in medio itinere deſtiterit; ut ſi vitio interrupti aut bibuli canalis effectum eſt, quo minus aqua continua (b) perſeveranter ac jugiter flueret; refecto & confirmato canali ad uſum atque ad potum civitatis aqua collecta eadem ubertate atque integritate repræſentetur, qua de fonte proficiſcitur. Quod & nunc facere oportet Dei ſacerdotes præcepta divina ſervantes, ut ſi in aliquo nutaverit & vacillaverit veritas; 1 ad originem Dominicam & Evangelicam, & Apoſtolicam traditionem revertamur; & inde ſurgat actus noſtri ratio, unde & ordo & origo ſurrexit. Traditum eſt enim nobis quod (c) ſi unus Deus, Epheſ. 4. 5.
& Chriſtus unus, & una ſpes, & fides una, & una Eccleſia, & baptiſma unum non niſi in una Eccleſia conſtitutum, à qua unitate quiſquis diſceſſerit, cum hæreticis neceſſe eſt inveniatur; quos dum contra Eccleſiam vindicat, ſacramentum divinæ traditionis impugnat. Cujus unitatis ſacramentum expreſſum videmus etiam in Cantico Canticorum ex perſona Chriſti dicentis: Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ, paradiſus cum fructu pomorum. Si autem Eccleſia ejus hortus concluſus eſt & fons ſignatus; quomodo in eundem hortum introire, aut bibere de fonte ejus poteſt, qui in Eccleſia non eſt? Item Petrus ipſe quoque demonſtrans, & (d) vindicans unitatem; mandavit & monuit niſi (e) per unum ſolum baptiſma unius Eccleſiæ ſalvari nos non poſſe. In arca, inquit, Noë pauci, id eſt, octo (f) animæ, 1 Pet. 3.
ſalvæ factæ ſunt per aquam, 2 quod & vos ſimiliter ſalvos faciet baptiſma. (g) Quam 20.
brevi & ſpiritali compendio, unitatis ſacramentum manifeſtavit? Nam ut 3 in illo mundi baptiſmo, quo iniquitas antiqua purgata eſt, qui in arca Noë non fuit, 4 non potuit per aquam ſalvus fieri: ita nec nunc poteſt per baptiſmum (h) ſalvus videri, qui baptizatus in Eccleſia non eſt, quæ ad arcæ unius ſacramentum (i) Dominica unitate fundata eſt. Obſervatur itaque à nobis & tenetur, frater cariſſime, explorata & perſpecta veritate, ut omnes qui ex quacunque hæreſi ad Eccleſiam convertuntur, Eccleſiæ (k) unico legitimo baptiſmo baptizentur, exceptis his qui baptizati in Eccleſia prius fuerant, & ſic ad hæreticos tranſierant: hos enim oportet cum redeunt, acta pœnitentia per manus impoſitionem ſolam recipi, & in ovile, unde erraverant, à paſtore reſtitui. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere.

(a) Ut ſi canalis aquam ducat qua, *Lam. Bod.* 1, 2. *Thu. Ebor. NC.* 1. *Lin.* (b) Perſeveranter continuo, *Corb.* (c) Sit unus Deus, *Bod.* 1. *Ebor. Lin. NC.* 1, 2. (d) Indicans unitatem, *Ver.* (e) Per unum ſolum baptiſma unius Eccleſiæ ſalvari non poſſe, *Ver. Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC.* 1, 2. (f) Animæ hominum, *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2. *Thu.* (g) Quod brevi, *Bod.* 2. *NC.* 1. *Ebor. Lin.* Quo, *Bod.* 1 (h) Salvatus videri, *Ebor. NC.* 1, 2. *Lin.* (i) Dominicæ obſervationis unitate, *Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1 (k) Unico & legitimo, *Thu. Corb.*

1 *Ad originem Dominicam & Evangelicam.*] Rigaltius ait, *Auguſtinus, Quod autem admonet ut ad fontem recurramus, id eſt ad Apoſtolicam traditionem, & inde canalem ad noſtra tempora dirigamus, optimum eſt, & ſine dubitatione faciendum. lib.* v. *contra Don. cap.* 26.

2 *Quod & vos ſimiliter ſalvos faciet baptiſma.*] Rigaltius ait, *Senſum beati Petri valde contraxit, & multo auguſtiorem reddidit. Ait Petrus:* ἡμᾶς νῦν σώζει βάπτισμα, ὐ βάπτισμα σαρκὸς, *non lavatio carnis,* ἀπόθεσις ῥύπου, *quæ eſt apud Tertullianum & Cyprianum, expoſitio ſordium: quæ expoſitio ſi corporearum tantum ſit ſordium: homo in aqua demiſſus, inquit Tertullianus, non multo, vel nihilo mundior reſurgit. Pergit Apoſtolus:* ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα, *quod eſt, bonæ conſcientiæ ſtipulatio, qua ſub manu antiſtitis interroganti teſtamur nos credere in Deum per reſurrectionem Chriſti. Hinc igitur origo interrogationum in baptiſmo.*

3 *In illo mundi baptiſmo.*] Rigaltius ait, *Per baptiſmum hic intellige ſubmerſionem & abolitionem impiorum. Nam alias minus convenienter baptiſmus comparatur diluvio. Etenim diluvio perierunt omnes fere mortales; at baptiſmo Chriſti, mortalibus ad immortalitatem evadere datur. Aptiſſime autem Eccleſia comparatur Arcæ, extra quam illo diluvii miraculo nulli fuit animali ſalus, ita neque extra Eccleſiam nemini hominı vita frui datur æterna. Quod vero Cyprianus diluvium hic imitatione Tertulliani mundi baptiſmum fuiſſe dicit, hac ſola ratione placeat, quod & illo Noæ diluvio & Chriſti baptiſmo merſa eſt iniquitas mundi. Ac Tertullianus, malle ſe ait, propterea comparari baptiſmum diluvio, quod à baptiſmo, ſicut à diluvio, mundus rurſum deliquit. Itaque mundum igni deſtinari, ſicut & hominem qui poſt baptiſmum delicta reſtaurat.*

4 *Non potuit per aquam ſalvus fieri.*] Rigaltius ait, *Dixerat Petrus Epiſt.* 1. *cap.* 3. ὀλίγαι ψυχαὶ διεσώθησαν δι ὕδατος, *quod à quibuſdam Latine redditur, ſervatæ ſunt in aqua. Nempe ſubmerſæ fuiſſent in aquis, & periiſſent per aquas, niſi arcæ illius ope & beneficio vectæ ſuperaſſent aquas. Aqua igitur per ſe non ſervat, imo ſuffocat & necat. Etenim litera occidit. Et caro ſive corpus, in rebus divinis pro nihilo ſolet eſſe. Spiritus autem vivificat. Itaque Domini Spiritus ferebatur ſuper aquas, & ſervavit in Arca Noam cum ſuis. Sic Arcæ illius* τύπῳ *recte componitur* ἀντίτυπος, *Eccleſia Chriſtiana.*

5 *Obſervatur itaque à nobis & tenetur.*] Rigaltius ait, *Concluſio Epiſtolæ, ſimul & controverſiæ: Omnes qui ab hæreſi ad Eccleſiam veniunt, etſi ab hæreticis baptizati fuiſſe dicantur, eſſe tamen Eccleſiæ unico legitimo baptiſmo baptizandos.*

EPISTOLA

An. 256.

EPISTOLA LXXV.

Firmilianus Cypriano (a) Fratri in Domino Salutem.

Ad Pamelii num. Ep. LXXV. in Eraſm. Edit. deeſt. A Morellio primum edit. Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus reſpondet literis Cypriani, in cauſa baptiſmi hæreticorum.

ACCEPIMUS per Rogatianum cariſſimum noſtrum, diaconum à vobis miſſum, literas quas ad nos feciſti, frater dilectiſſime, & gratias propter hoc (b) Domino maximas egimus: quod contigerit, ut qui corpore ab invicem ſeparamur, ſic ſpiritu adunemur; quaſi non unam tantum regionem tenentes, ſed in ipſa (c) atque in eadem domo ſimul inhabitantes. Quod & decet dicere, quia & ſpiritalis domus Dei una eſt. Erit enim in noviſſimis, ait Propheta, diebus, manifeſtus mons Domini & domus Dei ſuper vertices montium. (d) In quam convenientes cum jucunditate adunantur, ſecundum quod & in Pſalmo hoc poſtulatur à Domino, inhabitare in domo Dei per omnes dies vitæ. Unde & in alio loco manifeſtatum eſt, eſſe apud Sanctos magnam voluntatis caritatem, in unum convenire: 2 Ecce, inquit, quam bonum & voluptabile eſt, 3 ut habitent fratres in unum. Adunatio enim & pax & concordia, non ſolum hominibus fidelibus & cognoſcentibus veritatem, ſed & angelis ipſis cœleſtibus voluptatem maximam præſtat; quibus dicit ſermo Divinus, eſſe gaudium in uno peccatore pœnitentiam agente, & ad unitatis vinculum revertente. Quod utique non diceretur de angelis, converſationem in cœlis habentibus, niſi ipſi quoque eſſent nobis adunati, qui noſtra adunatione lætantur: ſicut è contrario utique contriſtantur, quando vident diverſas quorundam mentes, & ſciſſas voluntates; quaſi non tantum unum & eundem Dominum ſimul invocent, ſed ſeparatis & diviſis ab invicem, nec confabulatio jam poſſit eſſe, aut ſermo communis. Niſi quod nos gratiam referre Stephano in iſto poſſumus: quod 4 per illius inhumanitatem nunc effectum ſit, ut fidei & ſapientiæ veſtræ experimentum caperemus. (e) Sed non ſi nos propter Stephanum hanc beneficii gratiam cepimus, ſtatim Stephanus beneficio & gratia digna commiſit. Neque enim & Judas perfidia ſua & proditione, qua ſcelerate circa Salvatorem operatus eſt, dignus videri poteſt, quaſi cauſam bonorum tantorum ipſe

Scripta poſt reditum.

Iſai. 2. 2.

Pſ. 26. 7.

Pſ. 132. 1.

Luc. 15. 10.

(a) Fratri S. *MR. Mich. Goul.* (b) Deo maximas, *Ar.* (c) Una atque eadem, *Goul.* (d) In qua convenientes, *Ar. Bod.* 2. (e) Sed non enim ſi, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. *Mich. Vict.*

1 *Firmilianus Cypriano fratri.*] Rigaltius ait, *Tantus amor veri Pamelio fuit, ut hanc epiſtolam, niſi à Morellio jam edita fuiſſet, omitti ac tenebris damnari conſultius eſſe cenſuerit. Cujuſmodi certe conſilio peccaſſe arbitror viros cetera præſtantes, qui vetuſtiſſimos codices inſpexerunt, Veronenſem & Beneventanum, & cum editionibus Manutii Pameliique contulerunt, abſque ulla mentione hujus Epiſtolæ. Etenim omiſſam illic fuiſſe, vix eſt credibile, cum in pleriſque, quos vidit Pamelius, ſit reperta: nimirum in Anglicano, Affliginenſi, Blandino, Marchiano, Dunenſi, Cauchiano. Ea certe in Regio noſtro extat, & per catalogum invenitur ſub numero* cccv. Porro in ſeptem MSS. codd. quorum copia mihi facta eſt, reperitur. Manutianæ omiſionis culpam Latinus Latinius aperta fronte in ſe excipit, dicens. *Ego Latinus omiſi, non Manutius; cum majorum exempla ſecutus, tum hominis petulantiam deteſtatus.* Latin. Biblioth. Sacr. p. 177. Ita cum Patres immorigeris Filis ſuis, qui deteſtari malunt quam obſequi, diſplicent; ſilentium illis imperatur. Idem qui jus hoc plusquam cenſorium in Firmilianum exercuerunt; non aliter in Cyprianum animadvertiſſent, modo ſpes ſubeſſet fraudem latere potuiſſe; ſiquidem tota hæc Epiſtola recognitio quædam & recapitulatio videtur, literarum à Cypriano miſſarum: unde Firmilianus ait ſe illa, *quaſi ſua propria ſuſcipere:* & proinde, *eadem retexere ad confirmandam veritatem, & quædam addere ad cumulandam probationem.* Progreditur Rigalt. dicens, *epiſtolam hanc, Græce à Firmiliano Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo conſcriptam fuiſſe, atque etiam à Cypriano verſam Latine ſatis arguit ſtilus, etſi Firmiliani vocabulum Latinam prodat originem. Nec fruſtra Cyprianicis epiſtolis inſertam, varia diſciplinæ veteris arma teſtantur. Ipſum vero Firmilianum eximium Origenis diſcipulum inter illuſtres clariſſimarum urbium Epiſcopos recenſet* ὁ μέγας *ille apud Euſebium, & Baſilii Amphilochium, Dionyſius Alex. Ejuſdem elogium legitur apud Niceph. Eccl. hiſt. lib.* VI. Φιρμιλιανὸς τῆς ὁ τῆς Καππαδοκῶν Καισαρείας ποιμὴν, περιφανὴς ἀνὴρ, καὶ ἑκατέρας γνώσεως ἠρισωμένας ἔχων τὰς ἕξεις. *Unde non mediocriter firmari conjectura poſſit, verſionis Epiſtolæ Firmilianeæ auctorem eſſe Cyprianum.*

2 *Ecce quam bonum & voluptabile eſt, ut habitent fratres.*] Rigaltius ait, *In exemplari Beneventano*, nec non aliis, *lib.* III. *ad Quirinum c.* 136. *idem locus ita citatur: Ut quid bonum & voluptabile eſt, ut habitent fratres in unum.*

3 *Ut habitent fratres in unum.*] Rigaltius ait, *Ut concordes bene conſentiant inter ſeſe. Pſal.* 133. *Ad quem locum Grotius appoſitiſſime citavit illud Menandri:* Ὡς ἡδύ γ' ἐν ἀδελφοῖσιν ὁμονοίας ἔρως.

4 *Per illius inhumanitatem.*] Rigaltius ait, *Stephanus Epiſtola quadam ſignificaverat nolle ſe cum Cypriano, neque cum Firmiliano ac ceteris ejuſdem cum illis ſententiæ Epiſcopis communicare: quod eſt, nolle ſe cum iis quicquam habere commune, quia ſcilicet hæreticos ad ſe venientes rebaptizarent. Hoc vero inciviliter atque inhumaniter ab Stephano factum queritur Firmilianus, ea potiſſimum ratione, quod Cyprianus & alii ſecum eadem de baptizandis hæreticis ſentientes, apertiſſime teſtarentur, nolle ſe propterea fraternitatis ſive commununionis jura diſſolvere, aut præjudicare quidquam adverſus aliter ſentientes: Itaque debuiſſe Stephanum fratres ſuos, etſi hac in re diſſentientes, mutua clementia ſuſtinere. Et eſt Cypriani quidem benignitas præcedentibus Epiſtolis conſignata paſſim, & publica concilii Africani præfatione promulgata. Nam & verba ipſa ſunt nec ſemel ab Auguſtino tranſcripta ſtudioſiſſime ac dilaudata. Sed & Firmiliani æquanimitas eo præſertim oſtenditur, quod in Pauli Samoſateni cauſa, nihil temere decernendum ratus cognitionem in aliud tempus diſtulerat; ſperans poſſe fieri, ut abſque religionis noſtræ opprobrio, ſicuti narrat Ruffinus, & abſque diſſenſionum nota res veniret in melius. Euſebii verba ſunt:* Ἐλπίσας ἄνευ τινὸς περὶ τὸν λόγον λοιδορίας τὸ πρᾶγμα εἰς δέον καταστήσεσθαι. Henricus Valeſius in Notis ad lib. 7. Euſeb. Hiſt. Eccl. c. 5. ait diſſidii cauſam inter Stephanum & Cyprianum fuiſſe, *quod Africana Synodus adverſus receptam totius Eccleſiæ conſuetudinem hæreticos rebaptizandos eſſe ſtatuiſſet, remque tanti ponderis & momenti, non conſulto prius Romanæ urbis Epiſcopo decernere auſa eſſet.* Satis conſtat & apud ipſum Valeſium eſt in confeſſo, ſententiam illam per Africanas, ut & Orientis Eccleſias olim receptam. Sed interim non abnuerim Stephanum, pro typho illo Romano, quem veteres paſſim notant, irritatum; quod ipſo inconſulto res gereretur.

ipſe præſtiterit, ut per illum mundus & gentium (a) populus liberaretur. Sed hæc interim quæ ab Stephano geſta ſunt, prætereantur; ne dum audaciæ & inſolentiæ ejus meminimus, de rebus ab eo improbe geſtis longiorem mœſtitiam nobis inferamus. De vobis autem cognoſcentes, quod ſecundum regulam veritatis & ſapientiam Chriſti, (b) hoc de quo nunc quæritur diſpoſueritis; cum magna lætitia exultavimus & Deo gratias egimus, quia 1 invenimus in fratribus tam longe poſitis tantam nobiſcum fidei & (c) veritatis unanimitatem.

Ab unitate divina pendet Chriſtianorum unitas.

(d) Potens eſt enim gratia Dei copulare & conjungere caritatis atque unitatis vinculo, etiam ea quæ videntur longiore terrarum ſpatio eſſe diviſa. Secundum quod & olim intervallo temporum ſeparatos, ab 2 Job & Noë qui in primis fuerant; Ezechielem & Danielem, poſteriores ætate, ad unanimitatis vinculum virtus divina conjunxit; ut quamvis temporibus longis diſcreti eſſent, eadem tamen divina inſpiratione ſentirent. Quod & nunc in vobis animadvertimus, ut qui longiſſimis regionibus à nobis ſeparati eſtis, ſenſu tamen & ſpiritu copulatos vos eſſe nobiſcum probaretis. Quod totum hoc fit divina unitate. Nam cum Dominus unus atque idem ſit qui habitat in nobis, conjungit ubique & copulat ſuos vinculo unitatis. Unde in univerſam terram exivit ſonus eorum, qui à Domino miſſi ſunt unitatis ſpiritu velociter currentes. Sicut è contrario nihil prodeſt aliquos proximos & junctos ſibi eſſe corporibus, ſi animo & mente diſſideant; quando adunari animæ omnino non poſſint, quæ ſe à Dei unitate diviſerint: Ecce enim, inquit, qui longinquant ſe abs te, peribunt: ſed tales judicium Domini pro merito ſuo ſubibunt, recedentes à verbis ejus qui Patrem pro unitate deprecatur, & dicit: Pater da ut quomodo ego & tu unum ſumus, ſic & hi in nobis unum ſint. Nos vero ea quæ à vobis ſcripta ſunt, quaſi noſtra (e) propria ſuſcipimus, nec in tranſcurſu legimus, ſed ſæpe repetita memoriæ (d) mandavimus: neque obeſt utilitati ſalutari, aut eadem retexere ad confirmandam veritatem, aut & quædam addere ad cumulandam probationem. Si quid autem à nobis additum fuerit, non ſic additur quaſi à vobis aliquid minus dictum ſit; ſed quoniam ſermo divinus humanam naturam ſupergreditur, nec poteſt totum & perfectum anima concipere. Iccirco & tantus eſt numerus Prophetarum, (f) ut multiplex divina ſapientia per multos diſtribuatur. Unde & tacere præcipitur, primo in prophetia loquenti, ſi ſecundo fuerit revelatum. Qua ex cauſa neceſſario apud nos fit, 3 ut per ſingulos annos ſeniores & præpoſiti in unum conveniamus ad diſponenda ea quæ curæ noſtræ commiſſa ſunt: ut ſi qua graviora ſunt, communi conſilio dirigantur: 4 lapſis quoque fratribus & poſt lavacrum ſalutare à diabolo vulneratis, per pœnitentiam medela quæratur; 5 non quaſi à nobis remiſſionem peccatorum conſequantur, ſed ut per nos ad intelligentiam delictorum ſuorum convertantur, & Domino plenius ſatisfacere cogantur. Quoniam ver legatus iſte à vobis miſſus regredi ad vos feſtinabat, & hibernum tempus urgebat; quantum potuimus ad ſcripta veſtra reſcripſimus.

Pſ. 18. 4.

Pſ. 72. 26.

Jo. 17. 22.

1 Cor. 14. 30.

Refellitur aſſertio Stephani dicentis, quod Apoſtoli ab hæreticis venientes baptizare prohibuerint.

Et quidem quantum ad id pertineat quod Stephanus dixit, 6 quaſi Apoſtoli eos qui ab

(a) Populus paſſione Domini liberaretur, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Ar. Bod.* 3. *Mich. Morel. Goul.* (b) Hoc de quo nunc ſequitur, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *MR. Bod.* 2. (c) Veritatis unitatem, *Lam. Ebor. Ar. NC.* 1. *MR.* (d) Propria ſuſcepimus, *Lam. Ebor. Ar. Mich. Vict.* (e) Mandamus, *Mich. Vict. Goul.* (f) Ut multiplex & divina, *Mich. Vict. Ar. Lam. Ebor. NC.* 1.

1 *Invenimus in Fratribus noſtris tam longe poſitis.*] Rigaltius ait, *Sententiæ Cypriani ſuper hæreticorum baptiſmo favebant non ſolum per Africam, Numidiam & Mauritaniam Eccleſiæ quamplurimæ, verumetiam omnes fere quæ in Oriente magno numero Chriſtianam pietatem profitebantur. In iis autem Epiſcopi nobiliũm civitatum celeberrimi, nominatim indicati Epiſtola ad Stephanum, quæ prima eſt de ſeptem illis Dionyſii Alexandrini* περὶ βαπτίσματος *ab Euſebio memoratis. Et in ea quidem Epiſtola magnus ille Dionyſius Stephanum certiorem faciebat, ſedatos eſſe motus quos in Oriente Novatiani concitaverant, itaque omnes Eccleſias in eo conſentire, ut lapſis pœnitentia daretur; verum adjecerat aliquid de pœnitentibus, qui ab hæreticis redirent, baptizandis, quod prætermiſit Euſebius; unde Baronius occaſionem ſumſit affirmandi pro certo, ſic omnes illas Eccleſias acquieviſſe Stephano, ut in ejus decretum, de non baptizandis hæreticis, abdicata Cypriani ſententia convenirent. Quod adeo non eſt ab Dionyſio traditum, ut defuncto poſtmodum Stephano; idem ille Dionyſius Xyſtum Stephani ſucceſſorem per alteram Epiſtolam diligenter ac ſerio monuerit; Conſideraret attentius quæſtionis pondus & cauſæ difficultatem: Stephanum quidem Heleno & Firmiliano, ceteriſque per Ciliciam & Cappadociam & finitimas Eccleſias Epiſcopis nunciaſſe per literas, minime communicaturum ſe cum iis, eo quod hæreticos rebaptizarent: Veruntamen eſſe magni momenti negotium,* ὅντως γὰρ δόγματα γέγονεν ἐν ταῖς μεγίσταις τῶν ἐπισκόπων συνόδοις, ὡς πυνθάνομαι, ὥστε τὸς προσιόντας ἀπὸ αἱρέσεως, προκατηχηθέντας, εἶτα ἀπολούεσθαι καὶ ἀποκαθαίρεσθαι τὸν τῆς παλαιᾶς καὶ ἀκαθάρτου ζύμης ῥύπον. *Pergit Dionyſius, aitque, hoc ſe ab Antiochiæ, Cæſareæ, Æliæ, Tyri, Laodiceæ, Tarſi Epiſcopis rogatum ſcribere Xyſto: quin & compreſbyteris ſuis Dionyſio & Philemoni, qui fuerant ejuſdem cum Stephano ſententiæ, ſcripſiſſe hac de re plenius & uberius. Unde opinari liceat Dionyſium illum & Philemonem repudiato Stephani dogmate, conceſſiſſe in Alexandrini Dionyſii & ceterorum ſententiam qui ſecundum Cypriani doctrinam conſenſerant Firmiliano.*

2 *Job & Noë qui in primis fuerant.*] Longe abeſt Cyprianus ab eorum ſententia qui Jobum Solomonis, Iſaiæ, aut Ezechielis temporibus aſſignant: illis potius accedit qui Semi nepotem ſtatuunt; aut, quod Hieronymo viſum, Eſavi poſteris accenſent; ita nimirum ut Iſraëlitarum ex Ægypto exitum præverteret.

3 *Ut per ſingulos annos.*] Poſt paſcha præſertim, & etiam aliquando ſub autumnum.

4 *Lapſis quoque fratribus.*] Rigaltius ait, *Thurificatis aut Libellatis. Lapſis fide.*

5 *Non quaſi à nobis remiſſionem peccatorum conſequantur.*] Rigaltius ait, *Novatianus aliquis apud Pacianum, Epiſt.* 1. *Paciano dicenti, Nunquam Deus non pœnitenti comminaretur, niſi ignoſceret pœnitenti: Solus hoc, inquit, Deus poterit. Reſpondet Pacianus: Verum eſt: ſed & quod per ſacerdotes ſuos facit, ipſius poteſtas eſt. Haud abſimiliter ea quoque temperanda videbuntur, quæ dixit Chryſoſtomus Homil.* v. περὶ ἀκατα-λήπτ. δὸὲ ἐκκαλύψαι τοῖς ἀνθρώποις ἀναγκάζω τὰ ἁμαρτήματα. *Duriora enim ſunt quæ de Homiliis tanti Patris cenſet animadverſio ad Epiphan. Hæreſi Novat. ubi de hiſtoria Nectarii.* De hac remiſſionis peccatorum conſecutione egimus in lib. de Lapſis.

6 *Quaſi Apoſtoli eos qui ab hæreſi veniant, baptizari prohibuerint*] Rigaltius ait, *Notare videtur Firmilianus ea Stephani verba: Si quis ergo à quacunque hæreſi venerit, ad nos nihil in-*

An. 256. ab hæreſi veniant, baptizari prohibuerint, & hoc cuſtodiendum poſteris tradiderint; pleniſſime vos reſpondiſtis, neminem tam ſtultum eſſe qui hoc credat Apoſtolos tradidiſſe, quando etiam ipſas hæreſes conſtet execrabiles ac deteſtandas poſtea extitiſſe. 1 Cum & Marcion Cerdonis diſcipulus inveniatur, ſero poſt Apoſtolos & poſt longa ab eis tempora, ſacrilegam adverſus Deum traditionem induxiſſe. Apelles quoque blaſphemiæ ejus conſentiens, multa alia nova & graviora fidei ac veritati inimica addiderit. Sed & Valentini & Baſilidis tempus manifeſtum eſt, quod & ipſi poſt Apoſtolos & poſt longam ætatem, adverſus Eccleſiam Dei ſceleratis mendaciis ſuis rebellaverint. Ceteros quoque hæreticos conſtat pravas ſuas ſectas & inventiones perverſas prout quiſque errore ductus eſt, poſtea induxiſſe; quos omnes manifeſtum eſt à ſemetipſis damnatos eſſe, & ante diem judicii inexcuſabilem ſententiam adverſus ſemetipſos dixiſſe: quorum baptiſma qui confirmat, quid aliud quam 2 cum ipſis ſe adjudicat, & ſe ipſe participem talibus faciendo condemnat?

Eccleſia Romana tanquam cuſtos traditionum minus diligens defertur.

3 Eos autem qui Romæ ſunt non ea in omnibus obſervare quæ ſunt ab origine tradita, & fruſtra Apoſtolorum auctoritatem prætendere; ſcire quis etiam inde poteſt, quod circa celebrandos dies paſchæ, & circa multa alia divinæ rei ſacramenta, videat eſſe apud illos aliquas diverſitates, nec obſervari illic omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſervantur. Secundum quod in ceteris quoque plurimis provinciis, multa pro locorum & nominum diverſitate variantur; nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando diſceſſum eſt. Quod nunc Stephanus auſus eſt facere, 4 rumpens adverſum vos pacem, quam ſemper anteceſſores ejus vobiſcum amore & honore mutuo cuſtodierunt: adhuc (a) etiam infamans Petrum & Paulum beatos Apoſtolos, quaſi hoc ipſi tradiderint; qui in Epiſtolis ſuis hæreticos execrati ſunt, & ut eos evitemus monuerunt. Unde apparet 5 traditionem hanc humanam eſſe, quæ hæreticos aſſerit, & baptiſma quod non niſi ſolius Eccleſiæ eſt, eos habere defendit. Rom. 16. 17. 2 Pet. 3. 17.

Ratio redditur quare hæretici alterutrum ad ſe venientes non baptizant.

Sed & ad illam partem bene à vobis reſponſum eſt, ubi Stephanus in Epiſtola ſua dixit: *Hæreticos quoque ipſos in baptiſmo convenire*, & (b) *quod ad alterutrum ad ſe venientes non baptizent, ſed communicent tantum*, quaſi & nos hoc facere debeamus. Quo in loco, etſi vos jam (c) probaſtis ſatis ridiculum eſſe, ut quis ſequatur errantes; illud tamen ex abundanti addimus: non eſſe mirum ſi ſic hæretici agant, qui etſi in quibuſdam minoribus diſcrepant, in eo tamen quod eſt maximum, unum & eundem conſenſum tenent, ut blaſphement creatorem, quædam ſomnia ſibi & phantaſmata ignoti Dei confingentes: (d) quos utique conſequens eſt ſic conſentire in baptiſmi ſui vanitate, ut conſentiunt in repudianda divinitatis veritate. De quibus quoniam longum eſt ad ſingula eorum, vel ſceleſta, vel ſupervacua reſpondere; ſatis eſt breviter illud in compendio dicere; (e) eos qui non teneant verum Dominum Patrem, tenere non poſſe, nec Filii nec Spiritus ſancti veritatem. Secundum (f) quod etiam illi qui κατάφευγας appellantur, & 6 novas prophetias uſurpare conantur, nec patrem poſſunt habere, (g) nec Filium, nec Spiritum (h) ſanctum;

(a) Etiam infamat, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (b) Quod alterutrum, *Epiſt. Cyp.* (c) Probaſtis ridiculum, *Bod.* 2. (d) Quod utique conſequens, *Lam. Ebor. NC.* 1. (e) Eo quod non teneant, *Lam. Ebor. NC.* 1. (f) Quod utique, *Bod.* 2. (g) Nec Filium; quibus, *Ar. NC.* 1. *Ebor. Bod.* 2. *Mich. Vict.* (h) *Sic Lam.* Sanctum; quibus, *Rig.*

innovetur, niſi quod traditum eſt, quaſi traditio non baptizandi eos qui ab hæreticis veniunt, ab Apoſtolis deſcenderit. Quod opinari ſtultum eſſe ait Firmilianus, cum hæc traditio de hæreticis non baptizandis ab Apoſtolis fluxiſſe dici nequeat, quandoquidem hæretici de quibus hic quæſtio eſt, poſt Apoſtolos, & poſt longam ætatem prodierint. Pro Stephano tamen acriter Vincentius Lirinenſis adverſus Cyprianum & Firmilianum hæc verba protulit: Stephanum reliquos omnes tantum fidei devotione viciſſe, quantum loci auctoritate ſuperabat. Intelligebat enim vir ſanctus & prudens, inquit, nihil aliud rationem pietatis admittere; niſi ut omnia, qua fide à patribus ſuſcepta forent, eadem fide à filiis conſignarentur, noſque religionem, non qua vellemus ducere, ſed potius qua illa duceret, ſequi oportere: idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed à majoribus accepta ſervare. Quæ ſane ſunt à Vincentio veriſſime ac prudentiſſime pronunciata, ſi non alia ſint à majoribus tradita quam quæ majores ab Apoſtolis ſuſceperant. Ceterum, ſub nomine ac perſona majorum per fatuos aut ſophiſtas, aſinina aut ſophiſtica pro Apoſtolicis traderentur. Quam obvia & expoſita omnibus res ſit traditionis Apoſtolicæ prætextus, ex hac ipſa baptiſmi hæreticorum controverſia ſatis apparet, quam utriuſque partis patroni, Stephanus & Firmilianus, pari fiducia ſibi arrogabant.

1 *Cum & Marcion.*] Omnes centuria ſecunda; & plerique illa affecta orti.

2 *Cum ipſis ſe adjudicat.*] Rigaltius ait, *A Domino judicatus, à ſeipſo quoque adjudicatur. Hic enim agnoſco Cypriani ſtilum ab Tertulliano traditum. Hæretici autem jam à Domino judicati, hoc eſt, damnati cum in hæreſi perſeverant, ipſi quoque ſe adjudicant ſive addamnant.*

3 *Eos qui Romæ ſunt.*] Rigaltius ait, *Obſervandum quod ait Firmilianus, eos qui tunc erant Romæ in pleriſque fruſtra Apoſtolorum auctoritatem prætendiſſe, quaſi Hieroſolymitæ, Apoſtolorum traditionibus magis inſtiterint, quam Romani.* Et quidem expectandum, quod Firmilianus, utpote Aſiaticus, morem paſcha obſervandi à Joanne Apoſtolo Epheſi traditum, & Hieroſolymis receptum, Romanæ Eccleſiæ praxi, omnino præferendum cenſeret, ideoque eam criminaretur ceu traditionis Apoſtolicæ cuſtodem minime fidelem. Par videtur ratio, jejunii feria ſexta celebrati. Vid. Socrat. hiſt. l. 5. c. 22.

4 *Rumpens adverſum vos pacem.*] Rigaltius ait, *Ad Cyprianum ſcribit. Itaque his verbis Firmilianus aperte ſatis queritur, ruptam fuiſſe ab Stephano communionem cum Cypriano: Et tamen hoc fuiſſe unquam ab Stephano factum negat Baronius. Hic Firmilianus factum eſſe dicit ab Stephano, quod ab Stephani anteceſſoribus factum non fuerat.*

5 *Traditionem hanc humanam eſſe.*] Rigaltius ait, *Non de dominica & Evangelica auctoritate deſcendentem, non de Apoſtolorum mandatis atque Epiſtolis venientem. Sic ſupra Cyprianus ad Pompeium.*

6 *Novas prophetias uſurpare conantur.*] Rigaltius ait, *Hic manifeſtiſſime Firmilianus à Tertulliano diſſentit, & ſub perſona Firmiliani Cyprianus magiſtrum ſuum deſerit.* Imo quantum profanas iſtas δευτερώσεις adverſabatur B. Martyr, ſatis ex omnibus ejus ſcriptis apparet, ſiquidem perpetuo provocat à traditionibus quibuſcunque, ad Domini noſtri & Apoſtolorum ejus dictata. Porro unitatem Eccleſiæ quam inſtantiſſime inculcat, non à Montano ejuſque meretriculis, ſed Epiſcopis accerſit. Et quidem, utcunque Montanus & Maximilla dum in vivis fuerant, hominibus minime malis, aut prorſus imprudentibus potuerint fucum facere; certe poſtquam laqueo gutture eliſo, utrique ſibi miſeram vitam clauſiſſent; non erat metuendum ne ſanctiſſimus juxta & conſultiſſimus Cyprianus, partibus iſtis inhoneſtis, & divina ultione notatis, ſe addiceret. Vid. Euſeb. l. 5. c. 16.

An. 256. ctum; à quibus si quæramus quem Christum prædicent; respondebunt eum se prædicare qui miserit spiritum, per Montanum & Priscam locutum. In quibus cum animadvertamus non veritatis spiritum, sed erroris fuisse; cognoscimus eos qui falsam illorum prophetiam contra Christi fidem vindicant, Christum habere non posse. Sed & ceteri quique hæretici, si se ab Ecclesia Dei sciderint, nihil habere potestatis aut gratiæ possunt; quando omnis potestas & gratia in Ecclesia constituta sit, 1 ubi præsident majores natu, qui & baptizandi & manum imponendi & ordinandi possident potestatem. Hæretico enim sicut ordinare non licet, nec manum imponere; ita nec baptizare, nec quicquam sancte nec spiritaliter gerere, quando alienus sit à spiritali & deifica sanctitate. Quod totum nos jampridem 2 in Iconio, qui Phrygiæ locus est, collecti in unum; convenientibus ex Galatia, & Cilicia & ceteris proximis regionibus, confirmavimus tenendum contra hæreticos firmiter & vindicandum, cum à quibusdam de ista re dubitaretur.

Stephanus eo quod agnoscat hæreticos Sp. Sanctum dare non posse, convincitur eos nec baptizare in remissionem peccatorum.

Et quoniam Stephanus & qui illi consentiunt, contendunt dimissionem peccatorum & secundam nativitatem in hæreticorum baptisma posse procedere, apud quos etiam ipsi confitentur Spiritum sanctum non esse; considerent & intelligant spiritalem nativitatem sine Spiritu esse non posse; secundum quod & beatus Paulus Apostolus eos qui ab Joanne baptizati fuerant, priusquam missus esset à Domino Spiritus sanctus, baptizavit denuo spiritali baptismo, & sic eis manum imposuit, ut acciperent Spiritum sanctum. Act. 19. Quale est autem ut cum Paulum post Joannis baptisma iterato discipulos suos baptizasse videamus; nos eos qui ab hæresi ad Ecclesiam veniunt, (a) post inlicitam & profanam eorum tinctionem baptizare dubitemus? Nisi si his (b) Episcopis, de quibus nunc, minor fuit Paulus; ut hi quidem possint per solam manus impositionem venientibus hæreticis dare Spiritum sanctum; Paulus autem idoneus non fuerit, qui ab Joanne baptizatis Spiritum sanctum per manus impositionem daret, nisi eos prius etiam Ecclesiæ baptismo baptizasset.

Non satis videtur in nomine Patris & Filii & Sp. Sancti baptizare, si constet illis vocibus alios quam qui in Evangelio prædicantur, designari.

Illud quoque absurdum, quod non putant quærendum esse, quis sit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus sit, gratiam consequi potuerit invocata trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Deinde, 3 hæc erit sapientia quam scribit Paulus esse in his qui perfecti sunt. (c) At quis est in Ecclesia perfectus & sapiens, qui hoc aut defendat, aut credat, quod invocatio hæc nominum nuda sufficiat ad remissionem peccatorum, & baptismi sanctificationem? cum hæc tunc utique proficiant, quando & qui baptizat habet Spiritum sanctum, & baptisma quoque ipsum non sit (d) sine Spiritu constitutum. Sed dicunt eum qui quomodocunque foris baptizatur, 4 mente & fide sua, baptismi gratiam consequi posse: quod & ipsum sine dubio ridiculum est, quasi de cœlo adducere ad se possit aut mens prava justorum sanctificationem, aut fides falsa credentium veritatem. Non omnes autem qui nomen Christi invocant, audiri, (e) & invocationem suam consequi aliquid gratiæ posse, Dominus ipse manifestat dicens: Multi venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, & multos fallent. Nulla quippe differentia est inter pseudoprophetam & hæreticum. Nam ut ille in nomine Dei aut Christi, ita (f) iste in sacramento baptismi fallit. Mendacio uterque nititur, ad decipiendas hominum voluntates. 1 Cor. 2. 6. Marc. 13. 6.

Historia mulieris Energumenæ, sacramenta administrantis.

Volo autem vobis & de historia quæ apud nos facta est, exponere ad hoc ipsum pertinente. Ante viginti enim & duos fere annos, temporibus post Alexandrum Imperatorem, multæ istic conflictationes & pressuræ acciderunt, vel in commune omnibus hominibus, vel privatim Christianis; terræ etiam motus plurimi & frequentes extiterunt, (g) ut per Cappadociam & per Pontum multa subruerent, quædam etiam civitates in profundum receptæ, dirupti soli hiatu devorarentur; ut 5 ex hoc persecutio quoque gravis adversum nos (h) Christiani nominis fieret. Quæ post longam retro ætatis pacem repente oborta, de (i) inopinato & insueto malo ad turbandum populum nostrum terribilior effecta est. Serenianus tunc fuit in nostra provincia Præses, acerbus & di-

(a) Post illicitam; *Ar. Lam.* (b) Episcopis, quibus, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. (c) At qui est in Ecclesia perfectus & sapiens, hoc, *Ar. Lam. Ebor. Mich. Vict.* (d) Sine Spiritu sancto, *Lam. Ebor. Bod.* 2. (e) Et per invocationem, *Ar.* (f) Iste sacramento, *Bod.* 2. (g) Ut & per Cappadociam, *Lam. Ebor. NC.* 1. (h) Christiani nominis, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (i) Inopinato malo, *Bod.* 2.

1 *Ubi præsident majores natu.*] Rigaltius ait, *Seniores & vere πρεσβυτεροι, qui & baptizandi, & manum imponendi & ordinandi possident potestatem, ordine sic ab Ecclesia constituto. Sed quare hic non fit mentio, offerendi? nisi quod tacite trium illorum potestate includitur.* Ordine, non lege positiva, Ecclesiæ constituto; sed Domini ipsius lege qui Ecclesiam constituit. Episcopi à Christo & ab Apostolis ejus potestate instructi; omnium quæ in Ecclesia geruntur auctores, & auspices; etiam eorum quæ Presbyteri & Diaconi administrant. Hoc Cyprianus & Ignatius sæpius inculcant.

2 *In Iconio.*] Vid. Euseb. l. 2. c. 7. Hic Dionysius ait, πρὸ πολλῶ κατὰ τὸς πρὸ ἡμῶν ἐπισκόπως ἐν ταῖς πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις, καὶ ταῖς συνόδοις τῶν ἀδιλφῶν, ἐν ἰκονίῳ καὶ συνόδοις, κ παρὰ πολλοῖς τῦτο ἔδοξεν.

3 *Hæc erit sapientia.*] Rigaltius ait, *Hanc loquendi formam Cyprianus habet à Tertulliano suo. Atque hæc forma conjecturam firmat, Græca Firmiliani ab Cypriano fuisse in Latinum translata.*

4 *Mente & fide sua.*] Qualiscunque mens, utcunque perfida fides fuerit.

5 *Ex hoc quoque persecutio.*] Unde Antoninus Pius rescripto ejus ad Commune Asiæ, in gratiam Christianorum; admonet illos; περὶ τῶν σεισμῶν τῶν γεγονότων, κ τῶν γινομένων, ὐκ εικὸς ἀθυμῦντας.

1 *Dice-*

An. 256. & dirus perſecutor. In hac autem perturbatione conſtitutis fidelibus, & huc atque illuc perſecutionis metu fugientibus, & patrias ſuas [a]) relinquentibus, atque in alias partes regionum tranſeuntibus (erat enim tranſeundi facultas, eo quod perſecutio illa, non per totum mundum, ſed localis fuiſſet) emerſit iſtic ſubito quædam mulier, quæ (b) in extaſi conſtituta, propheten ſe præferret, & quaſi ſancto Spiritu plena ſic ageret. Ita autem principalium (c) dæmoniorum impetu ferebatur, ut per longum tempus ſollicitaret & deciperet fraternitatem; ac mirabilia quædam & portentoſa (d) perficiens, & facere ſe terram moveri polliceretur. Non quod dæmoni tanta eſſet poteſtas, aut terram movere aut elementum concutere juſſu valeret; ſed quod nonnunquam ſpiritus nequam præſciens & intelligens terræ motum futurum, id ſe facturum eſſe ſimularet, quod futurum videret. Quibus mendaciis & jactationibus ſubegerat mentem ſingulorum, ut ſibi obedirent, & (e) quocunque præciperet & duceret ſequerentur: faceret quoque mulierem illam cruda hyeme nudis pedibus per aſperas nives ire, nec vexari in aliquo aut lædi illa diſcurſione: 1 diceret etiam ſe in Judæam & Hieroſolymam feſtinare, fingens tanquam inde veniſſet. Hic & unum de presbyteris (f) 2 ruſticum, item & alium Diaconum fefellit, ut eidem mulieri commiſcerentur, quod paulo poſt detectum eſt. Nam ſubito apparuit illi unus de exorciſtis vir probatus & circa religioſam diſciplinam bene ſemper converſatus, qui exhortatione quoque fratrum plurimorum, qui & ipſi fortes ac laudabiles in fide aderant, excitatus, erexit ſe contra illum ſpiritum nequam revincendum; qui ſubtili fallacia etiam hoc paulo ante prædixerat, venturum quendam (g) averſum & tentatorem infidelem. Tamen ille exorciſta inſpiratus Dei gratia fortiter reſtitit, & eſſe illum nequiſſimum ſpiritum, qui prius ſanctus putabatur oſtendit. Atqui illa mulier, quæ prius per præſtigias & fallacias dæmonis, multa ad deceptionem fidelium moliebatur, inter cetera quibus plurimos deceperat, etiam hoc frequenter auſa eſt, ut & invocatione non contemtibili (h) ſanctificare ſe panem & euchariſtiam facere ſimularet, & ſacrificium (i) 4 Domino non ſine ſacramento ſolitæ prædicationis offerret; baptizaret quoque multos 5 uſitata & legitima verba interrogationis uſurpans, ut nil diſcrepare ab Eccleſiaſtica regula (k) videretur. Quid igitur de hujus baptiſmo dicemus, quo nequiſſimus dæmon per mulierem baptizavit: Nunquid & hoc Stephanus, & qui illi conſentiunt comprobant? maxime cui nec ſymbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima & Eccleſiaſtica defuit? Poteſt credi aut remiſſio peccatorum data, aut lavacri ſalutaris regeneratio rite perfecta, ubi omnia quamvis ad imaginem veritatis, tamen per dæmonem geſta ſunt? Niſi ſi & dæmonem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, gratiam baptiſmi dediſſe contendunt, qui (l) hæreticorum baptiſma defendunt. Apud quos ſine dubio idem error eſt, dæmonum fallacia ipſa eſt; quando apud illos omnino Spiritus ſanctus non eſt. Illud etiam quale eſt, quod vult Stephanus, his qui apud hæreticos baptizantur, adeſſe præſentiam & ſanctimoniam Chriſti? Nam ſi non mentitur Apoſtolus dicens: Quotquot in Chriſto tincti eſtis, Chriſtum induiſtis; utique qui illic in Chriſto baptizatus eſt, induit Chriſtum: ſi autem induit Chriſtum, accipere potuit & Spiritum ſanctum qui à Chriſto miſſus eſt, & fruſtra illi venienti ad accipiendum (m) Spiritum manus imponitur: niſi ſi à Chriſto Spiritum induit, ut apud hæreticos ſit quidem Chriſtus, non ſit autem illic Spiritus ſanctus. Gal. 3. 27.

Hæretici qui adulterant fidem, filios Deo generare non poſſunt.

Decurramus vero breviter & cetera quæ à vobis copioſe & pleniſſime dicta ſunt, feſtinante vel maxime ad vos Rogatiano diacono cariſſimo noſtro. Sequitur enim illud, quod interrogandi ſunt à nobis qui hæreticos defendunt, utrum carnale ſit eorum baptiſma, an ſpirituale. Si enim carnale eſt; nihil differunt à Judæorum baptiſmo, quo ſic illi utuntur, ut eo tanquam communi & vulgari lavacro tantum ſordes laventur. Sin autem ſpiritale eſt; quomodo apud illos eſſe baptiſma ſpiritale poteſt, apud quos Spiritus ſanctus non eſt? Ac per hoc aqua qua tinguntur, lavacrum eſt illis carnale tantum, non

(a) Relinquentibus, erat enim, *Bod.* 2. (b) In extaſin conſtituta, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (c) Dæmonum, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. (d) Perficiens, terram ſe movere, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (e) Diceret quocunque, *Bod.* 2. (f) *Sic Bod.* 2. *Morel.* Ruſticum, *Rig.* (g) Adverſum, *Ar. Lam.* (h) Sanctificare ſe pacem, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. *Mich. Vict.* (i) Domino ſine, *MSS. & Imp.* (k) Viderentur, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (l) Hæreticorum baptiſmata, *Bod.* 2. *Vict.* (m) Spiritum ſanctum, *Ar. NC.* 1. *Lam. Ebor.*

1 *Diceret etiam ſe in Judæam & Hieroſolymam feſtinare.*] Peregrinatione religionis ergo; cujus rei fortaſſis hæc prima auſpicia, & quidem non læti ominis.

2 *Ruſticum.*] Simplicem & fraudibus non minus quam libidini obnoxium. Ita tres Epiſcopi ex Italiæ angulo acciti qui Novatiani ordinationi præerant, ἄνθρωποι ἀγροικοὶ deſcribente Cornelio, Euſeb. l. 6. c. 43.

3 *Eidem mulieri commiſcerentur.*] Raro ſine pudicitiæ proſtratione, adulteratur fides.

4 *Domino non ſine.*] Hanc eſſe veram lectionem ex contextu ſatis eſt manifeſtum; ſubjungitur enim, *baptizaret quoque multos uſitata & legitima verba interrogationis uſurpans, ut nil diſcrepare ab Eccleſiaſtica regula videretur.* Et quidem vis argumenti periret, ſi verba ſolennia, Euchariſtiæ adminiſtrationi præſtituta, non fuiſſent retenta. *Prædicatio ſolita* videtur iſta ἀνάμνησις quam Dominus fieri mandabat, & de qua D. Paulus 1 Cor. 11. 26. καταγγέλλετε τὸν θάνατον τοῦ κυρίου. De הגדה paſchali ſupra in Epiſt. ad Cæcil. dictum. Rem hanc exſequi videtur Juſtinus Martyr Apol. 2. ubi dicit, προσφέρεσθαι τῷ προεστῶτι τὸν ἄρτον, καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος, καὶ λαβὼν οἶνον καὶ δόξαν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου ἀναπέμπει, &c. Rigaltius ait, *Legendum videtur: ſive ſacramentum ſolitæ precationis offerret. Sacramentum precationis dicit, quemadmodum Tertullianus, ſacramentum orationis.*

5 *Uſitata & legitima verba interrogationis.*] Rigaltius ait, *Mox dicet interrogationem legitimam & Eccleſiaſticam. Hæc autem verba, atque hæc interrogatio ſic habentur Epiſt. ſeqn. Credis remiſſionem peccatorum & vitam æternam per ſanctam Eccleſiam?*

1 *Per-*

An. 256. non baptiſmi ſacramentum. Quod ſi baptiſma hæreticorum habere poteſt regenerationem ſecundæ nativitatis; (a) non hæretici: ſed filii Dei computandi ſunt, qui apud illos baptizantur. Secunda enim nativitas quæ eſt in baptiſmo, filios Dei generat. Si autem ſponſa Chriſti una eſt, quæ eſt Eccleſia Catholica; ipſa eſt quæ ſola generat Dei filios. Neque enim (b) multæ ſponſæ Chriſti; cum dicat Apoſtolus: Deſpondi vos 2 Cor. 11. 2. uni viro virginem caſtam aſſignare Chriſto. Et: Audi filia & vide, & inclina aurem Pſ. 44. 10. tuam, & obliviſcere (c) populi tui; quia deſideravit Rex ſpeciem tuam. Et: Veni Cant. 4. 8. Sponſa de Libano, advenies & 1 pertranſibis à principio fidei. Et: Ingreſſus ſum in Cant. 5. 1. hortum meum ſoror mea, ſponſa. Videmus unam perſonam ubique proponi, quia & ſponſa eſt una. Non eſt autem una nobiſcum hæreticorum ſynagoga, quia nec ſponſa eſt adultera & fornicaria; unde nec poteſt filios Dei parere. Niſi ſi ſecundum quod Stephano videtur, hæreſis quidem parit & exponit: expoſitos autem Eccleſia ſuſcipit; & quos non ipſa pepererit pro ſuis nutrit, cum filiorum alienorum mater eſſe non poſſit. Et ideo Chriſtus Dominus noſter unam eſſe manifeſtans ſponſam ſuam, & unitatis ejus ſacramentum declarans, ait: Qui non eſt mecum, (d) adverſus me eſt, & qui Luc. 11. 23. non mecum colligit, ſpargit. Si enim nobiſcum eſt Chriſtus, hæretici autem non ſunt nobiſcum; pro certo adverſus Chriſtum ſunt hæretici. Et ſi nos colligimus cum Chriſto, non colligunt autem nobiſcum hæretici, ſine dubio ſpargunt.

Eccleſia hortus concluſus; & Arca extra quam non eſt ſalus.

Sed nec illud prætereundum eſt à nobis, quod à vobis neceſſario dictum eſt, quod Eccleſia ſecundum Canticum Canticorum, hortus ſit concluſus, & fons ſignatus, pa- Cant 4. 12. radiſus cum fructu pomorum. Qui autem nunquam in hunc hortum introierunt, neque paradiſum à Deo creatore plantatum viderunt, quomodo de fonte qui (e) intus incluſus eſt, & divino ſigillo ſignatus eſt, aquam vivam lavacri ſalutaris præbere alicui potuerunt? Cum vero & arca Noë nihil aliud fuerit quam ſacramentum Eccleſiæ Chriſti, quæ tunc omnibus foris pereuntibus eos ſolos ſervavit qui intra arcam fuerunt; manifeſte inſtruimur ad Eccleſiæ unitatem perſpiciendam, quemadmodum & Apoſtolus Petrus poſuit dicens: (f) Sic & vos ſimiliter ſalvos faciet baptiſma: oſtendens, (g) quo- 1 Pet. 3. 21. niam quomodo qui cum Noë in arca non fuerunt, non tantum (h) purgati per aquam non ſunt, ſed ſtatim diluvio illo perierunt; ſic & nunc quicunque in Eccleſia cum Chriſto non ſunt, foris peribunt, niſi ad unicum & ſalutare Eccleſiæ lavacrum per pœnitentiam, (i) convertantur.

Eccleſia ſuper petram ſolidata, in ſymbolum unitatis Petro commendata.

Qualis vero error ſit, & quanta ſit cæcitas ejus qui remiſſionem peccatorum dicit apud ſynagogas hæreticorum dari poſſe, nec permanet in fundamento 2 unius Eccleſiæ quæ ſemel à Chriſto ſupra petram ſolidata eſt; hinc intelligi poteſt, quod ſoli Petro Chriſtus dixerit: Quæcunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæ- Matt. 18. cunque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis: & iterum in (k) Evangelio 18. quando in ſolos Apoſtolos inſufflavit Chriſtus dicens, Accipite Spiritum (l) ſanctum: Jo. 20. 22. Si cujus remiſeritis peccata, remittentur illi: & ſi cujus tenueritis, tenebuntur. Poteſtas ergo peccatorum remittendorum Apoſtolis data eſt, & Eccleſiis quas illi à Chriſto miſſi conſtituerunt, & Epiſcopis qui eis ordinatione vicaria ſucceſſerunt. Hoſtes autem unius Catholicæ Eccleſiæ in qua nos ſumus, & adverſarii noſtri qui Apoſtolis ſucceſſimus, ſacerdotia ſibi illicita contra nos vindicantes, & altaria profana ponentes; quid aliud ſunt quam Chore & Dathan & Abiron, pari ſcelere ſacrilegi, & eaſdem quas & illis pœnas daturi cum his qui ſibi conſentiunt; ſecundum quod etiam tunc illorum participes & fautores pariter cum eis perierunt. Atque ego in hac parte juſte indignor ad hanc tam apertam & 3 manifeſtam Stephani ſtultitiam, quod qui ſic de Epiſcopatus ſui loco gloriatur & ſe ſucceſſionem Petri tenere contendit, ſuper quem fun-

(a) Non Hæreticis, ſed fidei computandi ſunt, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Mich* (b) Multæ ſunt ſponſæ, *Mich. Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (c) Populum tuum, *Ar. Lam. Ebor. NC. Bod.* 2. (d) Contra me eſt, *Ar.* (e) Intus clauſus, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. (f) Sic & nos ſimiliter, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (g) Quoniam quia, *Lam. Ebor. NC.* 1. (h) Purgati & ſalvati, *Ar Ebor. Lam. NC.* 1. (i) Converſi, *Ar.* (k) Evangelio in ſolos, *Ar. Lam.* (l) Sanctum: cujus, *Ar.*

1 *Pertranſibis à principio fidei.*] LXX. ἀπὸ ἀρχῆς πίστεως. Aquila ἀπ' ἀρχῆς ἀμανὰ. Sic Vulgata, à capite Amana. Voces Hebreæ ראש אמונה quæ fidei vel veritatis, caput ſeu principium ſignificant, verſionum varietati locum fecere. Mons Amanus qui à Syris Ciliciam ſeparat, Geographis ſatis notus eſt. Targum Chaldæum נהר דאמנה fluvium Amana ponit: & revera flumen Syriæ de quo mentio habetur 2 Reg. 5. 12. A Maſoretis אמן legitur. Et aliqui Græci Codices pro ἀβανὰ, legunt ἀμανὰ ἡγὴ Φαρφάρ.

2 *Unius Eccleſiæ quæ ſemel à Chriſto ſuper petram ſolidata eſt.*] Rigaltius ait, *Recte hoc quidem Firmilianus, Eccleſiam ſemel eſſe ſolidatam à Chriſto ſupra petram. Quod autem adjicit: Soli Petro Chriſtum dixiſſe: Quæcunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, referri debet ad primam pollicitationis partem, quæ eſt apud Matthæum, Dabo tibi claves regni cœlorum. Atque hoc eſt etiam veriſſimum; nam & ad unitatem Eccleſiæ pertinet, Chriſtum in perſona Petri promiſiſſe Eccleſiæ daturum ſe claves regni cœlorum. Dixit igitur Petro: Dabo tibi claves: At non dixit: Dabo tibi ſoli. Quod pollicitus eſt ſe daturum, diximus ſupra quando & quomodo dederit. Dediſſe poſt reſurrectionem ſuam, diſcimus ex Joanne: ac dediſſe quidem Petro, non autem nominatim, ſed cunctis Apoſtolis una congregatis. Verba vero Chriſti ſunt: Sicut me miſit Pater, ego mitto vos. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Quod igitur promiſerat Petro daturum ſe, dedit omnibus Apoſtolis, atque ita Petro.* Atque hoc diſertiſſimis verbis concludit Cyprianus, dicens; *Poteſtas ergo peccatorum remittendorum Apoſtolis data eſt, & Eccleſiis, &c.*

3 *Manifeſtam Stephani ſtultitiam.*] Hunc certe Firmilianus minime opinatus eſt fuiſſe univerſalem Eccleſiæ paſtorem, & controverſiarum infallibilem judicem; cujus perſonam & definitionem tam inciviliter tractavit.

1 *Mul*

An. 256. fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, 1 multas alias petras inducat, & Ecclesiarum multarum nova ædificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit. Nam qui baptizantur, complent sine dubio Ecclesiæ numerum. Qui autem baptisma eorum probat, de baptizatis & Ecclesiam illic esse confirmat. Nec intelligit obfuscari à se & quodammodo aboleri Christianæ petræ veritatem, qui sic prodit & deserit unitatem. Judæos tamen quamvis ignorantia cæcos & gravissimo facinore constrictos, zelum Dei Apostolus (a) habere profitetur; Stephanus qui per successionem cathedram Petri habere se prædicat, nullo adversus hæreticos zelo excitatur: concedens illis non modicam sed maximam gratiæ potestatem, ut (b) dicat eos & asseveret per baptismi sacramentum sordes veteris hominis abluere, antiqua mortis peccata donare, regeneratione cœlesti filios Dei facere, ad æternam vitam divini lavacri sanctificatione reparare. Qui sic magna & cœlestia Ecclesiæ munera hæreticis concedit & tribuit; (c) quid aliud quam communicat eis, quibus tantum gratiæ defendit ac vindicat? Et frustra jam dubitat in ceteris quoque consentire eis & particeps esse; ut & simul cum eis conveniat, 2 & orationes pariter cum eisdem misceat, & altare ac sacrificium commune constituat. Sed in multum, inquit, proficit nomen Christi ad fidem & baptismi sanctificationem, ut (d) quicunque in nomine Christi baptizatus fuerit, consequatur statim gratiam Christi; quando huic loco breviter occurri possit & dici, quoniam si in nomine Christi valuit foris baptisma ad hominem purgandum, in ejusdem Christi nomine valere illic potuit & manus impositio ad accipiendum Spiritum sanctum. Et incipient (e) cetera quoque quæ apud hæreticos aguntur, justa & legitima videri; quando in nomine Christi gerantur; secundum quod vos in Epistola vestra exsecuti estis: non nisi in Ecclesia sola valere posse nomen Christi, cui uni concesserit Christus cœlestis gratiæ potestatem.

Veritas consuetudini præferenda.

Quod autem pertinet ad consuetudinem refutandam, quam videntur opponere veritati; quis tam vanus sit ut veritati consuetudinem præferat? aut qui perspecta luce tenebras non derelinquat? Nisi si & Judæos Christo adventante, id est, veritate, adjuvat in aliquo antiquissima consuetudo, quod relicta nova veritatis via in vetustate permanserint. Quod quidem adversus Stephanum vos dicere Afri potestis, cognita veritate errorem vos consuetudinis reliquisse. Ceterum nos veritati & consuetudinem jungimus, & consuetudini Romanorum consuetudinem sed veritatis opponimus; ab initio hoc tenentes quod à Christo & ab (f) Apostolo traditum est. Nec meminimus, hoc apud nos aliquando cœpisse, cum semper istic observatum sit, ut non nisi unam Dei Ecclesiam nosse mus, & sanctum baptisma non nisi sanctæ Ecclesiæ computaremus. Plane quoniam quidam de eorum baptismo dubitabant, qui & si novos Prophetas recipiunt, eosdem tamen Patrem & (g) Filium nosse nobiscum videntur; plurimi simul 3 convenientes in Iconio diligentissime tractavimus; & confirmavimus repudiandum esse omne omnino baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum.

Apostoli verba Phil. 1. elucidantur.

Ad illud autem quod pro hæreticis ponunt, & aiunt Apostolum dixisse: Sive per occasionem, sive per veritatem, Christus annuncietur, ut respondeamus, ineptum est; quando manifestum sit, Apostolum in Epistola sua qua hoc dixit, neque hæreticorum, neque baptismi eorum mentionem fecisse, sed locutum esse de fratribus tantum, sive perfide secum loquentibus, sive in fide sincera perseverantibus. Nec oporteat hoc longo tractatu excutere, sed ipsam satis sit Epistolam legere, & quid Apostolus dixerit, de ipso Apostolo recognoscere. Quid ergo, inquiunt, fiet de his qui ab hæreticis venientes sine Ecclesiæ baptismo admissi sunt? Si de seculo excesserunt, in eorum numero qui apud nos catechizati quidem sunt, sed priusquam baptizarentur obierunt, habentur. 4 Non modo dicunt emolumentum veritatis & fidei, ad Philip. 1, 18.

(a) Habere confitetur, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. (b) Dicat eis, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (c) Quid aliud agit, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (d) Quicunque & ubicunque, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (e) Cetera quoque apud hæreticos, justa, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2. (f) Apostolis, *Lam. NC.* 1. *Ebor.* (g) Filium & Sp. sanctum, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *Bod.* 2.

1 *Multas alias petras inducat.*] Rigaltius ait, *Multi alii esse possunt Petri, sed una esse debet Petra.*

2 *Et orationes pariter cum iisdem misceat.*] Ex disciplina Ecclesiæ cum hæreticis orare prorsus illicitum. Vid. Can. Ap. 10. 45. & 46. Antioch. Can. 2. Laodic. 11. Chalced. can. 14. Carthag. can. 11. Sextæ Synod. can. 72.

3 *Convenientes in Iconio.*] Non de novo aliquid statuentes, sed prius recepta *confirmantes.*

4 *Non modo dicunt emolumentum.*] Codices omnes consentiunt in hac lectione. Sensus videtur esse, Catechumenos ante baptismum morte interceptos, non irritis vocibus fidei Christianæ beneficia enarrare; & profiteri solenniter divinæ gratiæ emolumenta, quorum illi interim immunes futuri sunt. Sed Dei Opt. Max. indulgentiam, ipsis utcunque infelicibus, minime defuturam. Ecclesiæ sacramenta sunt fœderis cum humano genere initi sigilla; quibus fidem suam Deus, pacti conventi arbiter, oppignoravit: sed clementissimus ille, non tantum ad legem bonus est; & præmia licet ideo elargitur quia promisit; magis præstat quia voluit. Interim, qui in seculo permanent, nec ad sacrum lavacrum accedunt; sciant se præsumtionis insolentis pœnas daturos. Qui laborantibus benigne subvenit, cessantes certius opprimet. Rigaltius ait, *Reponendum hoc loco verbum, habent: quod non intellecta reduplicatione præcedentis, excidit: ideoque scribendum. In eorum numero, qui apud nos catechizati quidem sunt, sed priusquam baptizarentur obierunt, habentur. Habent, non modo discunt, emolumentum veritatis & fidei, ad quam relicto errore pervenerant, etsi consummationem gratiæ consecuti non sint, morte præventi. Sententia Firmiliani est, eos qui apud orthodoxos catechizati quidem sunt, sed priusquam baptizarentur obierunt, non tantum didicisse, verum etiam habuisse, emolumentum veritatis & fidei, vitæ scilicet æternæ; quamvis consummationem gratiæ consecuti non sint. Consummationem gratiæ vocat sacramentum baptismi, quo significatur baptizatum adeptum esse consummationem & perfectionem gratiæ Christianæ apud Ecclesiam Christi: quod sacramentum signum est visibile gratiæ invisibilis, jam à Christo collatæ homini ad veritatem converso, etsi nondum baptizato. Non indiget Deus signis sive sacramentis, cum sit ipse veritas, & apud ipsum veritas ipsa. Sed apud homines utitur sacramentis & signis, ut hebetiores & tardiores intellectu homines, corporis sensibus signa corporea percipiant mirabilium quæ Deus facit etiam invisibili sua potestate.* Signa quidem sunt; sed eorum quæ conferunt, & exhibendo repræsentant.

An. 256. ad quam relicto errore pervenerant, & si consummationem gratiæ consecuti non sunt, morte præventi. Qui autem adhuc in seculo permanent, baptizentur Ecclesiæ baptismo, ut remissionem peccatorum consequi possint; ne per alienam præsumtionem in pristino errore manentes, sine gratiæ consummatione moriantur.

Baptisma temere admissum, temerariam Eucharistiæ participationem post se trahit.

Ceterum quale delictum est, vel illorum qui admittuntur, vel eorum qui admittunt; ut (a) non ablutis per Ecclesiæ lavacrum sordibus, nec peccatis expositis, usurpata temere communicatione continguant corpus & sanguinem Domini, cum scriptum 1 Cor. 11. 27. sit: Quicunque ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini? Nos etiam illos quos hi qui prius in Ecclesia Catholica Episcopi fuerant, & postmodum sibi potestatem clericæ ordinationis assumentes baptizaverant, pro non baptizatis habendos judicavimus. Et hoc apud nos observatur, ut quicunque ab illis tincti ad nos veniunt, tanquam alieni & nihil consecuti, unico & vero Ecclesiæ Catholicæ baptismo apud nos baptizentur, & lavacri vitalis regenerationem consequantur. Et tamen multum interest inter eum qui invitus & necessitate persecutionis coactus succubuit, & illum qui sacrilega voluntate audax contra Ecclesiam rebellat, vel in Patrem & (b) Deum Christi, & totius mundi conditorem, impia voce blasphemat. Et non pudet Stephanum hoc asserere, ut per eos (c) qui cum ipsi in omnibus peccatis sint constituti, dicat posse remissionem peccatorum dari? Quasi possit esse in domo mortis lavacrum salutis. Ubi ergo erit quod scriptum est; 1 Ab aqua aliena abstine te, & à fonte alieno ne biberis: si relicto Ecclesiæ fonte signato, alienam aquam pro tua suscipis, & profanis fontibus Ecclesiam polluis? Quando enim baptismo hæreticorum communicas, quid aliud quam de voragine & cœno illorum bibis, & ipse Ecclesiæ sanctificatione purgatus, alienarum sordium contactibus inquinaris? Nec metuis judicium Dei, hæreticis testimonium contra Ecclesiam perhibens, cum scriptum Prov. 19. 5. sit: Falsus testis non erit impunitus. Prov. 9. 19.

Qui hæreticorum baptisma pro rato habet, illos a pœnitentia avertit.

Quinimo tu hæreticis omnibus pejor es; nam cum inde multi cognito errore suo ad te veniant, ut Ecclesiæ verum lumen accipiant; tu venientium errores adjuvas, & obscurato lumine Ecclesiasticæ veritatis, tenebras hæreticæ noctis accumulas. Cumque se illi in peccatis esse, & nihil gratiæ habere se, ac propterea ad Ecclesiam venire fateantur; tu eis remissionem peccatorum subtrahis quæ in baptismo datur, dum dicis eos jam baptizatos, & extra Ecclesiam, Ecclesiæ gratiam consecutos: nec intelligis animas eorum de manu tua exquiri, cum judicii dies advenerit, qui sitientibus Ecclesiæ potum negasti: & volentibus vivere causa mortis fuisti. Et insuper indignaris.

Quod rationum momentis deest, ira & furore solet suppleri.

Vide qua imperitia reprehendere audeas eos, qui contra mendacium pro veritate nituntur. Quis enim justius indignari contra alterum debuit? Utrumne qui hostes Dei asserit, an vero (d) qui adversus eum qui hostes Dei asserit, pro Ecclesiæ veritate consentit? Nisi quod imperitos, etiam animosos atque iracundos esse manifestum est, dum per inopiam consilii & sermonis ad iracundiam facile vertuntur, ut de nullo alio magis quam de te dicat scriptura divina: Homo animosus parit lites, & vir iracundus exaggerat peccata. Lites enim & dissentiones quantas parasti per Ecclesias totius mundi? Peccatum vero quam magnum tibi exaggerasti, quando te à tot gregibus scidisti? 2 Excidisti enim teipsum: noli te fallere. Prov. 29. 22.

Ille maxime schismaticus qui alios immerito tanquam schismaticos abstinet.

Siquidem ille est vere schismaticus, qui se à communione Ecclesiasticæ unitatis apostatam fecerit. Dum enim putas omnes à te abstineri posse, solum te ab omnibus abstinuisti. Nec te informare ad regulam veritatis & pacis vel Apostoli præcepta potuerunt, monentis & dicentis: Obsecro ergo vos ego vinctus in Domino, digne ambulare vocatione qua vocati estis, cum omni humilitate sensus & lenitate, cum patientia sustinentes invicem in dilectione, satis agentes servare unitatem Spiritus in conjunctione pacis. Unum corpus, & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium, (e) qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Hæc Apostoli mandata & monita (f) salutaria, quam diligenter Stephanus implevit, humilitatem sensus & lenitatem primo in loco servans? Quid enim humilius aut lenius quam cum tot Episcopis per totum mundum dissensisse; pacem cum singulis vario discordiæ genere rumpentem, Eph. 4. 1. modo

(a) Ut non abluti, communicatione continguant, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. (b) Dominum Christum, *Ar. NC.* 1. (c) *Sic Ar. Lam. Ebor. NC.* 1. *MR.* Qui ipsi, *Rig.* (d) Qui adversus hostes Dei asserit, *Lam.* (e) Qui est super omnia, *Lam. Ebor.* (f) Salubria, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1.

1 *Ab aqua aliena.*] Supra observavimus in Epist. ad Januarium, & Suffrag. 5. concil. Carth. textum hunc frustra alibi quam in versione Græca requiri, nimirum abesse codicibus Hebræis & vulgato Latino. Habetur tamen in Syriaca, Arabica & Armenica interpretatione. Porro non modo laudatur à Nemesiano in suffragio quinto concilii Carthaginiensis, & Clemente Alexandrino Pœdag. l. 3. sed etiam hic à Firmiliano Cæsariensi agnoscitur. Unde conficere licebit, eandem versionem Græcam, etiam illic ubi ab Hebræo discreditur, ubique terrarum invaluisse.

2 *Excidisti enim teipsum.*] Nullum anathematis fulmen irritum est: missum in delinquentes, certissimum est judicii extremi præjudicium. Si adversus innocentem vibretur, in auctorem redit; siquidem diris immerentem devovens, ipse eandem ex talionis lege, quam intentabat, pœnam meretur. Si vero in privatum aliquem hominem sic injurius, tanto cum periculo peccet; quid de isto sentiendum, qui in totas gentes, & plurimas Ecclesias grassatur? Hac temeritate olim deliquit Victor in Paschatis negotio; sed viderint in eadem cathedra successores, quo jure omnes ubique per terrarum orbem Ecclesias, quæ se in eorum obsequium non permisere, simul & semel anathemate percellunt; & inter missarum solennia, atque altari posito, per ipsum Christi sanguinem, felicioribus usibus destinatum, tanquam ferali carmine; prorsus immerentes, æternis inferorum flammis addicunt. Vid. quæ dicta lib. de Unit. Eccl.

1 *Insuper*

An. 256. modo cum Orientalibus, (quod nec vos latere confidimus) modo vobiſcum, qui in meridie eſtis? A quibus legatos Epiſcopos patienter ſatis & leniter ſuſcepit, ut eos nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admitteret: adhuc inſuper dilectionis & caritatis memor, præciperet fraternitati univerſæ, ne quis eos in domum ſuam reciperet; ut venientibus non ſolum pax & communio, ſed & tectum & hoſpitium negaretur. Hoc eſt ſervaſſe unitatem Spiritus in conjunctione pacis, (a) abſcindere ſe à caritatis unitate, & alienum ſe per omnia fratribus facere, & contra ſacramentum & fidem, contumacis furore diſcordiæ rebellare. Apud talem poteſt eſſe unum corpus & unus Spiritus, apud quem fortaſſe ipſa anima una non eſt, ſic lubrica & mobilis & incerta? Sed quantum ad illum pertinet, relinquamus.

Occurritur objectioni; quod cum unum ubique ſit baptiſma, pariter ubique ratum eſſe debet.

(b) Excutiamus potius id de quo tum (c) maxima quæſtio eſt. Qui contendunt ab hæreticis baptizatos ſic recipi oportere tanquam legitimi baptiſmi gratiam conſecutos; unum nobis atque illis baptiſma dicunt eſſe, & in nullo diſcrepare. Sed quid ait Apoſtolus Paulus? Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma, unus Deus. Eph. 4. 5. Si unum atque idem eſt cum noſtro baptiſma hæreticorum; ſine dubio & fides una eſt; ſi autem fides una eſt; utique & Dominus unus: ſi Dominus unus eſt, conſequens eſt dicere, quia unitas eſt. Si autem hæc unitas quæ ſeparari omnino & dividi non poteſt, etiam apud hæreticos ipſa eſt; quid ultra contendimus? ut quid illos hæreticos, & non Chriſtianos vocamus? Porro cum nobis & hæreticis nec Deus unus ſit, nec Dominus unus, nec una Eccleſia, nec fides una, ſed nec unus Spiritus, aut corpus unum; manifeſtum eſt nec baptiſma nobis & hæreticis commune eſſe poſſe, quibus nihil eſt omnino commune. Et tamen non pudet Stephanum talibus adverſus Eccleſiam patrocinium præſtare: & propter hæreticos aſſerendos, fraternitatem ſcindere: 1 inſuper & Cyprianum, pſeudochriſtum, & pſeudoapoſtolum & doloſum operarium di- Matt. 24. cere? Qui omnia in ſe eſſe conſcius prævenit; ut alteri ea per mendacium objiceret, 24. quæ ipſe ex (d) merito audire deberet. Bene te valere omnibus nobis, cum univerſis 2 Cor. 11. qui in Africa ſunt Epiſcopis, & cunctis Clericis, & omni fraternitate univerſi optamus; ut perpetuo unanimes & unum ſentientes, habeamus nobiſcum etiam de longinquo adunatos. 13.

(a) Abſcindere ſe à caritatis veritate, *Lam. Ebor. NC.* 1. (b) Exigamus, *Ar. Lam. Ebor.* (c) Quam maxima, *Ar. Lam.* (d) Ei non immerito objici deberent, *Ar. Lam. Ebor. NC.* 1.

1 *Inſuper & Cyprianum.*] Rigaltius ait, *Hinc manifeſtum eſt Stephanum adeo infeſtum fuiſſe Cypriano, ut diceret Cyprianum eſſe pſeudo-chriſtum, & pſeudo-apoſtolum, & doloſum operarium.* Quæ tamen omnia, ex Firmiliani ſententia, *ipſe ex merito audire deberet.* Ita qui convitiis certant nunquam ab adverſario vincuntur. Utcunque ad maledicta de novo invenienda deſit ingenium; præſto ſemper erit ingeſta retorquere, & qui contumeliam repetit, pariter facit.

EPISTOLA LXXXVI.

An. 257. **Cyprianus 1 Nemeſiano, Felici, Lucio, alteri Felici, Litteo, Poliano, Victori, Jaderi, Dativo, Coepiſcopis: item Compresbyteris & Diaconibus, & ceteris Fratribus in Metallo conſtitutis Martyribus Dei Patris omnipotentis & Jeſu Chriſti Domini, & Dei conſervatoris noſtri, æternam Salutem.**

Ad Pamelium. Epiſt. LXXVII. In Eraſm. l. 3. Ep. 25. Cyprianus exilio detentus excuſat ſe quod Martyres non viſitaverit.

GLORIA quidem veſtra poſcebat, beatiſsimi ac dilectiſsimi fratres, ut ad conſpectum atque ad complexum veſtrum venire ipſe deberem, niſi me quoque ob confeſsionem (a) nominis relegatum, 2 præfiniti loci termini coercerent: ſed quo modo poſſum repræſento me vobis, & ad vos etiam ſi (b) corpore & greſſu venire non datur, dilectione tamen & ſpiritu venio, exprimens literis animum meum, quo in iſtis virtutibus & laudibus veſtris lætus exulto, participem me computans vobis, etſi non paſſione corporis, conſortio caritatis. An ego poſſim tacere, & vocem meam ſilentio premere, cum de cariſſimis meis tam multa & glorioſa cognoſcam, quibus vos divina

Scripta in Exilio tempore Xysti Pontificis Romani.

(a) Nominis Chriſti, *Pem.* (b) Corporeo greſſu, *NC.* 2.

1 *Nemeſiano.*] Horum omnium Epiſcoporum Numidarum nomina, in ſynodo Carthaginienſi comparent. Nemeſianus à Thubunis dicitur Suffrag. 5. Felix à Bagai habetur Suff. 12. Ab Amaccura Suff. 33. Alii quidem ibi ſunt Felices, ſed qui ad Byzacenam pertinebant, qui non ſunt hujus loci. Lucius memoratur Suff. 7. nec non 31. utrique Numidæ, alii iſtius nominis ad Zeugitanam pertinent. Litteus occurrit Suff. 82. Polianum habemus Suff. 13. qui à Mileo dicitur. Suff. 78. Victorem ab Octavo Numidam exhibet; alter à Gor non videtur hujus loci. Jader à Midila occurrit Suff. 45. Dativus demum à Badis memoratur Suff. 15. De Nemeſiano ſolo dubitari poterit num Numida fuerit, an Maurus; niſi quod Tubunia occurrat in Numidia non minus quam in Mauritania; ut ex collatione Carthaginienſi apparet, & Notitia Imp. & quidem Geniſ. Ptolom. huc referenda videtur; licet aliter in notis ad Concil. Carth. ſtatuerim. Prædictos Epiſcopos ad tres fodinas ſeorſim damnatos fuiſſe, ex triplici eorum reſponſo apparet; licet quodnam ſit Sigueuſe Metallum Epiſt. 78. memoratum, non conveniat. Littei nomen in reſponſis deſideratur; unde conjicere licebit, illum è medio exceſſiſſe.

2 *Præfiniti loci termini coercerent.*] Rigaltius ait, *Itaque Epiſtola* IV. & LXXXI. *excuſat ſe ob loci conditionem; quem ſcilicet præfiniti termini coercebant.*

An. 257. divina dignatio honoravit: ut ex vobis pars jam martyrii ſui conſummatione præceſſerit, meritorum ſuorum coronam de Domino receptura; pars adhuc in carcerum clauſtris, ſive in (a) metallis & vinculis demoretur, exhibens per ipſas ſuppliciorum moras, corroborandis fratribus & armandis majora documenta, (b) ad meritorum titulos ampliores tormentorum tarditate proficiens, habitura tot mercedes in cœleſtibus præmiis, quot nunc dies (c) numerantur in pœnis? Quæ quidem vobis, fortiſſimi ac beatiſſimi fratres, pro merito religionis ac fidei veſtræ accidiſſe non miror, ut vos ſic Dominus ad gloriarum ſublime faſtigium clarificationis ſuæ honore provexerit; qui ſemper in Eccleſia ejus (d) cuſtodito fidei tenore viguiſtis, conſervantes firmiter Dominica mandata; in ſimplicitate innocentiam, in caritate concordiam, modeſtiam in humilitate, diligentiam in adminiſtratione, vigilantiam in adjuvandis laborantibus, miſericordiam in fovendis pauperibus, in defendenda veritate conſtantiam, in diſciplinæ ſeveritate cenſuram. Ac ne aliquid ad exemplum bonorum factorum deeſſet in vobis, etiam nunc in confeſſione vocis & paſſione corporis fratrum mentes ad divina martyria provocatis, duces vos exhibendo virtutis; ut dum grex paſtores ſuos ſequitur, & quod fieri à præpoſitis cernit, imitatur; paribus obſequiorum meritis à Domino coronetur.

Ad varias pœnarum ſpecies, fuſtigationem, metalla, vincula, & ſolatia ſua accommodantur.

Quod autem fuſtibus cæſi prius graviter & afflicti, per ejuſmodi pœnas initiaſtis confeſſionis veſtræ religioſa primordia; 1 execranda nobis iſta res non eſt. Neque enim ad fuſtes Chriſtianum corpus expavit, 2 cujus eſt ſpes omnis in ligno. 3 Sacramentum ſalutis ſuæ Chriſti ſervus agnovit, redemtus ligno ad vitam æternam, ligno provectus eſt ad coronam. Quid vero mirum, ſi vaſa aurea & argentea in metallum, id eſt, auri & argenti domicilium dati eſtis, niſi quod nunc metallorum natura converſa eſt, 4 locaque quæ aurum & argentum dare ante conſueverant, accipere cœperunt? Impoſuerunt quoque compedes pedibus veſtris, & membra felicia ac Dei templa infamibus vinculis ligaverunt; quaſi cum corpore (e) ligetur & Spiritus, aut aurum veſtrum ferri contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus, & fidem ſuam religioſa virtute teſtantibus, ornamenta ſunt iſta, non vincula; nec Chriſtianorum pedes ad infamiam copulant, ſed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non à fabro, ſed à Domino reſolvuntur. O pedes feliciter vincti, qui itinere ſalutari ad paradiſum diriguntur. O pedes in ſeculo ad præſens ligati, ut ſunt ſemper apud Dominum liberi. O pedes compedibus & 5 tranſverſariis interim cunctabundi, ſed celeriter ad Chriſtum glorioſo itinere (f) curſuri. Quantum vult hic vel invida crudelitas, vel maligna, nexibus vos ſuis & vinculis teneat; cito à terris & pœnis iſtis ad cœlorum regna venietis. Non fovetur in metallis, lecto & culcitris corpus, ſed refrigerio & ſolatio Chriſti fovetur. Humi jacent feſſa laboribus viſcera; ſed pœna non eſt cum Chriſto jacere. Squalent ſine balneis, membra ſitu & ſorde deformia; ſed ſpiritaliter intus abluitur, quod foris carnaliter ſordidatur. Panis illic exiguus; at non in ſolo pane vivit homo, ſed in ſermone Dei. Veſtis algentibus deeſt; ſed qui Chriſtum induit, & veſtitus abundanter & cultus eſt. 6 Semitonſi capitis capillus horreſcit, ſed cum ſit caput viri Chriſtus, qualecunque illud caput deceat neceſſe eſt, quod ob Domini nomen inſigne eſt. Omnis iſta deformitas deteſtabilis & (g) tetra gentilibus, quali ſplendore penſabitur? Secularis hæc & brevis pœna, quam clari & æterni honoris mercede mutabitur, cum ſecundum beati Apoſtoli vocem, transformaverit Dominus corpus humilitatis noſtræ conformatum corpori claritatis ſuæ? Deut. 8. 3. Phil. 3. 21.

Solatur martyres quod offerendi facultas ipſis ſit erepta.

Sed nec in illo, fratres dilectiſſimi, aliqua poteſt aut religionis, aut fidei jactura ſentiri, quod illic nunc ſacerdotibus Dei 7 facultas non datur offerendi & celebrandi ſacrificia divina. Celebratis imo atque offertis ſacrificium Deo & pretioſum pariter & glorioſum, & plurimum vobis ad retributionem præmiorum cœleſtium profuturum; cum ſcriptura divina loquatur & dicat: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicit. Hoc vos ſacrificium Deo offertis, hoc ſacrificium ſine intermiſſione die ac nocte celebratis, hoſtiæ facti Deo, & voſmetipſos ſanctas atque immaculatas victimas exhibentes, ſicut Apoſtolus adhortatur & dicit: Oro ergo vos fratres per miſericordiam Dei, ut conſtituatis corpora veſtra hoſtiam vivam, ſanctam, placentem Deo; nec configuremini ſeculo huic, ſed transformamini in renovatione ſenſus, ad probandum quæ ſit (h) voluntas Dei (i) bona & placens, & perfecta. Pſ. 50. 18. Rom. 12. 1.

Hoc

(a) Metallis demoretur, *Lam. Ebor. Bod.* 2 *NC.* 1. (b) Ad Martyrii titulos, *Pem. Voſſ.* 2. (c) Numerant in pœnis, *Lam. Ebor.* (d) Cuſtoditæ fidei tenore, *Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. NC.* 1, 2. *Lin.* (e) Ligetur & Chriſtus, *Lam. Ebor. Bod.* 2. *NC.* 1. (f) Recurſuri, *Lam. Bod.* 1. *NC.* 1 *Ebor* curritur, *Pem.* (g) Tetra à gentilibus, *Lam. Ebor. NC.* 1. (h) Voluntas ejus, *Lam.* (i) Bona & beneplacens, *Lam. NC.* 1. *Ebor.*

1 *Execranda nobis iſta res non eſt.*] Rigaltius ait, *Adeo nobis execranda non eſt, ut pro ſalutis æternæ ſacramento accipi debeat.*

2 *Cujus eſt ſpes omnis in ligno.*] Rigaltius ait, *Hoc eſt, in Chriſto, qui pro peccatoribus pependit in ligno. Sic Paulus gloriatur in cruce, hoc eſt, in Domino crucifixo.*

3 *Sacramentum ſalutis noſtræ.*] Rigaltius ait, *Eo ſenſu omnia quæ Chriſtus geſſit in carne, ſacramenta ſunt noſtræ ſalutis.*

4 *Locaque quæ aurum.*] Minime neceſſe eſt ut ad auri vel argenti fodinas damnati eſſent Confeſſores; ſufficit quod ex iſtis terræ viſceribus illa malorum irritamenta ſoleant effodi. Certe Plinius ait, l. 4. Numidiam nullius rei *præter marmoris Numidici, ferarumque proventu inſignem.*

5 *Tranſverſariis.*] Rigaltius ait, *Tranſverſaria dicit quæ ἐκ πλαγίου cohibent atque impediunt. Vitruvius lib.* VIII. *cap.* 6. & X. *cap.* 11. Catenæ, annulis ex quibus conſtant, ad motum omnem ſe accommodant; tranſverſaria autem ferramenta compedibus interpoſita, numellarum inſtar torquent.

6 *Semitonſi capitis capillus horreſcit*] Rigaltius ait, *Deformitate ſua horrorem infert ſpectantibus. Epiſt. ſeq. ſemitonſis capitis capillaturam adæquaſti. Horatius. Curtatus inæquali tonſore capillos.* Ita ad remos damnati raduntur, ut ſi fuga clabi quærant, poſſint dignoſci & retrahi.

7 *Facultas non datur offerendi.*] Martyribus in Deciana perſecutione utcunque duriter habitis beneficium hoc non denegatum. Vid. Ep. 9.

1 *Præ-*

An. 257. Hoc eſt enim quod præcipue Deo placeat: hoc eſt, in quo majoribus meritis ad promerendam voluntatem Dei opera noſtra proveniant: hoc eſt, quod ſolum Domino (a) de beneficiis ejus grandibus ſalutaribus fidei ac devotionis noſtræ obſequia retribuant, prædicante in Pſalmis & conteſtante Spiritu ſancto: Quid retribuam, inquit (b) Domino pro omnibus quæ tribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Pretioſa in conſpectu Domini (c) mors juſtorum ejus. Pſ. 115. 3.

Deus remunerat quod ipſe præſtitit.

Quis non (d) libenter & promte calicem ſalutis accipiat? Quis non appetat gaudibundus & lætus, in quo aliquid & ipſe Domino ſuo retribuat? quis non pretioſam in conſpectu Domini mortem fortiter & conſtanter excipiat; placiturus ejus oculis, qui nos in congreſſione nominis ſui deſuper ſpectans, volentes comprobat, adjuvat dimicantes, vincentes coronat, retributione (e) bonitatis ac pietatis paternæ (f) remunerans in nobis quidquid ipſe præſtitit, & honorans quod ipſe perfecit? Ipſius enim eſſe quod vincimus, & quod ad maximi certaminis palmam ſubacto adverſario pervenimus, declarat & docet Dominus in Evangelio ſuo, dicens: Cum autem vos tradiderint; nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri qui loquitur in vobis. Et iterum: Ponite in cordibus veſtris non 1 præmeditari excuſare. Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere adverſarii veſtri. In quo quidem & credentium magna fiducia eſt, & culpa graviſſima perfidorum; non credere ei qui ſe opem ſuam daturum confitentibus pollicetur, nec rurſus eundem timere qui æternam pœnam negantibus comminatur. Quæ vos omnia, fortiſſimi ac fideliſſimi milites Chriſti, inſinuaſtis fratribus noſtris, (g) implentes factis quod verbis ante docuiſtis; futuri maximi in regno cœlorum, pollicente Domino & dicente: Qui fecerit & ſic docuerit, maximus vocabitur in regno cœlorum. Denique exemplum veſtrum ſecuta multiplex plebis portio, confeſſa eſt vobiſcum pariter, & pariter coronata eſt; connexa vobis vinculo fortiſſimæ caritatis, & à Præpoſitis ſuis nec carcere, nec metallo ſeparata. Cujus numero nec virgines deſunt, quibus ad 2 ſexagenarium fructum centenus acceſſit, quaſque ad cœleſtem coronam (h) gloria geminata provexit. In pueris quoque virtus major ætate, annos ſuos confeſſionis laude tranſcendit, ut martyrii veſtri beatum gregem, & ſexus & ætas omnis ornaret. Mat. 10 19. Luc. 21 14. Matt. 5. 19. Matt. 13. 8.

Martyrum inter pœnas & tormenta gaudia.

Qui nunc vobis, dilectiſſimi fratres, conſcientiæ victricis vigor? quæ ſublimitas animi? quæ in ſenſu exultantia? qui triumphus in pectore? unumquemque veſtrum 3 ſtare ad promiſſum Dei præmium; de judicii die eſſe ſecurum; ambulare in metallo, captivo quidem corpore ſed (i) corde regnante; ſcire Chriſtum ſecum eſſe præſentem, gaudentem tolerantia ſervorum ſuorum, per veſtigia & vias ſuas ad regna æterna gradientium? Expectatis quotidie læti profectionis veſtræ ſalutarem diem, & jam jamque de ſeculo receſſuri (k) ad martyrum munera & domicilia divina properatis; poſt 4 has mundi tenebras viſuri candidiſſimam lucem, & accepturi majorem paſſionibus omnibus & conflictationibus claritatem, Apoſtolo conteſtante & dicente: Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad ſuperventuram claritatem quæ revelabitur in nobis. Plane quia nunc vobis in precibus efficacior ſermo eſt, & ad impetrandum quod in preſſuris petitur facilior oratio eſt: petite impenſius & rogate, ut confeſſionem omnium noſtrum dignatio divina conſummet; ut de iſtis tenebris & laqueis mundi, nos quoque vobiſcum integros & glorioſos Deus liberet; ut qui hic caritatis & ~~pacis~~ vinculo copulati, 5 contra hæreticorum injurias & preſſuras gentilium ſimul ſtetimus, pariter in regnis cœleſtibus gaudeamus. Opto vos, beatiſſimi ac dilectiſſimi fratres, in Domino bene valere, & noſtri ſemper & ubique meminiſſe. Valete. Rom. 8. 18.

(a) Pro beneficiis, *Lam. Ebor. Bod.* 1, 2. *NC.* 2. (b) Domino de omnibus, *Voſſ.* 2. *Lam. Ebor. NC.* 1. (c) Mors ſanctorum, *Lam. Ebor. Bod.* 1. (d) Libenter & propere, *NC.* 2 (e) Bonitatis paternæ, *Lam. Bod.* 2. *Ebor. NC.* 1. (f) Remunerans in bonis, *Lam. Bod.* 2. *NC.* 1. *Ebor.* (g) Complentes, *Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. (h) Gloria gemina, *Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Lin.* (i) Corde regnantem ſcire, *Lam. Bod.* 2. *Ebor.* (k) Et etiam, *Voſſ.* 2.

1 *Præmeditari excuſare.*] προμελετᾶν ἀπολογηθῆναι. De hac verſione alibi actum.

2 *Sexagenarium fructum.*] De centenario Martyrum, ſexagenario virginum proventu, in lib. de habitu Virgin. actum.

3 *Stare ad promiſſum Dei præmium.*] Huic ſtatui opponitur in lib. de Lapſis, *ad veniam ſtare.* Porro ſæpius obſervavimus, ex veteris Eccleſiæ ſententia, martyres peculiari privilegio, non expectato die judicii conſummari. Unde infra dicit, *paratos omnes ad divinam & cœleſtem gloriam:* Nimirum ad martyrium.

4 *Has mundi tenebras.*] Quæ fortaſſis ſub dio & rutilante, ſole; graviores iis, quas ad metalla damnati, & intra terræ viſcera defoſſi, ſentiunt.

5 *Contra hæreticorum injurias*] In cauſa baptiſmi hæreticorum, cum Cypriano in Concilio ſtetiſſe hos Numidas, ſupra obſervatum eſt.

CÆCILII CYPRIANI

EPISTOLA LXXVII.

Cypriano fratri Nemeſianus, Dativus, Felix & Victor, in Domino æternam Salutem.

Ad Pamelium Ep. LXXVIII. In Eraſm. Edit. deeſt. In Manut. l. 5. Ep. 10.

Martyres ſupradicti gratis animis Cyprianum debitis laudibus proſequuntur.

Scripta in Exilio.

SEMPER magnis ſenſibus pro temporis conditione, literis tuis locutus es, Cypriane dilectiſſime; quibus aſſidue lectis, & pravi corriguntur; & bonæ fidei homines corroborantur: dum enim non deſinis tractatibus tuis [1] ſacramenta occulta nudare, ſic nos in (a) fide facis creſcere, & de ſeculo homines ad credulitatem accedere. Nam quæcunque bona in multis libris tuis intuliſti, neſcius ipſum te nobis deſignaſti: (b) es enim omnibus in tractatu major, in ſermone facundior, in conſilio ſapientior, in patientia ſimplicior, in operibus largior, in abſtinentia ſanctior, in obſequio humilior, & in actu bono innocentior. Scis & ipſe, cariſſime, noſtrum optabile votum eſſe, quod te videamus doctorem & amatorem noſtrum ad coronam magnæ confeſſionis perveniſſe: nam quaſi bonus & verus doctor quid nos diſcipuli ſecuti apud Præſidem dicere deberemus, prior apud acta Proconſulis pronunciaſti; & tuba canens, Dei milites cœleſtibus armis inſtructos ad congreſſionis prælium excitaſti: & in acie prima pugnans ſpiritali gladio diabolum interfeciſti: agmina quoque fratrum hinc & inde verbis tuis compoſuiſti, ut inſidiæ inimico undique tenderentur, & (c) cadavera ipſius publici hoſtis nervis conciſis calcarentur. Crede nobis, cariſime, quoniam non eſt à centeſimo præmio minor tua innocens anima, quæ nec ſeculi primos impetus, timuit, nec ire in exilium recuſavit, nec relinquere civitatem dubitavit, nec in deſerto (d) loco commorari horruit; & quoniam multis documentum confeſſionis dedit, ipſa Martyrium prior dixit; alios enim ad martyria facienda exemplo ſuo provocavit; & non tantum martyrum de ſeculo jam excedentium ſocia eſſe cœpit; ſed & cum futuris cœleſtem amicitiam copulavit. Agunt ergo tibi nobiſcum damnati maximas apud Deum gratias, Cypriane dilectiſime, quod literis tuis laborantia pectora recreaſti, fuſtibus vulnerata membra curaſti; compedibus pedes ligatos reſolviſti; (e) ſemitonſis capitis capillaturam adæquaſti; tenebras carceris illuminaſti; montes metalli in planum deduxiſti; (f) naribus etiam fragrantes flores impoſuiſti; & tetrum (g) odorem fumi excluſiſti. Fecit autem & proſecutum miniſterium tuum, & Quirini dilectiſſimi noſtri; quod (h) per Herennianum hypodiaconum; & Lucanum, & (i) Maximum, & Amantium acoluthos (k) diſtribuendum miſiſti, quæcunque neceſitatibus corporum defuerant expediri. Simus ergo orationibus noſtri [3] alterutrum adjutores, & rogemus, ſicut mandaſti, ut Deum, & Chriſtum, & angelos in omnibus actibus noſtris habeamus fautores. Optamus te, Domine frater, ſemper bene valere, & noſtri meminiſſe. Saluta omnes qui tecum ſunt. Omnes noſtri, qui nobiſcum ſunt, te amant & ſalutant, & videre deſiderant.

(a) Fidem, *Voſſ.* 2. (b) Etenim omnibus, *NC.* 2. (c) Cadaveris ipſius publici hoſtis nervi ſucciſi, *Lin. NC.* 2. (d) Loco morari, *Lin. NC.* 2. (e) Semitonſis capitibus, *Lin.* (f) Naribus etiam flagrantibus, *Voſſ.* 2. (g) Odorem fumi diſcuſſiſti, *Pem. NC.* 2. *Voſſ.* 2. (h) Per Felicem, Herennianum hypodiaconos, *Lin. NC.* 2. (i) Maximum & Auguſtalem; *Lin. NC.* 2. (k) Diſtribuendum mandaſti, *Pem.*

1 *Sacramenta occulta nudare.*] Rigaltius ait, *Sacrarum ſcripturarum arcana, myſteria, difficultates, ſenſus abditos: incerta & occulta ſapientiæ divinæ.*

2 *Ad credulitatem accedere.*] Rigaltius ait, *Ad fidem Chriſtianam.*

3 *Alterutrum adjutores.*] Rigaltius ait, *Invicem alter alterutrum adjuvantes. Supra, Epiſt.* LXIV. *alteratrum ad ſe venientes.*

EPISTOLA LXXVIII.

Cypriano fratri & Collegæ, Lucius & qui mecum ſunt omnes, in Domino Salutem.

Ad Pamm. Ep. LXXIX. Eraſm. Edit. l. 3. Ep. 7. Martyres ſupradicti ſubſidium à Cypriano tranſmiſſum agnoſcunt.

EXULTANTIBUS nobis & lætantibus in Deo, quod nos ad (a) congreſſionem armaverit, & in prælio victores ſua dignatione fecerit, ſupervenerunt literæ tuæ, frater cariſſime, quas per Herennianum hypodiaconum, & Lucanum, & (b) Amantium acoluthos miſiſti nobis; quibus lectis (c) recipimus in vinculis laxamentum, in preſſura ſolatium, & in neceſſitate præſidium, & (d) excitati ſumus & robuſtius animati ad ſi quid amplius fuerit pœnarum. Nam ante paſſionem à te ſumus ad gloriam provocati, qui prior nobis ducatum ad confeſſionem nominis Chriſti (e) præbuiſti. Nos vero ſecuti veſtigia confeſſionis tuæ, parem gratiam tecum ſperamus. Nam qui prior eſt in curſu, prior eſt & ad præmium; & qui prior occupaſti, de quo cœpiſti, (f) inde hoc nobis communicaſti; demonſtrans ſcilicet individuam caritatem, qua ſemper nos dilexiſti; ut quibus unus ſirit ſpiritus in conjunctione pacis, eſſet precum (g) unitarum gratia, & una corona confeſſionis. Acceſſit autem tibi, frater cariſſime, ad confeſſionis coronam retributio operum, abundans menſura quam accipies à Domino in die remunerationis; qui te nobis literis tuis repræſentaſti, ut pectus illud tuum candidum & beatum, quod ſemper novimus, manifeſtares; & 1 ſecundum latitudinem ejus nobiſcum laudes Deo diceres, non quantum nos meremur audire, ſed quantum tu potes dicere. Tuis enim vocibus & quæ minus in nobis inſtructa erant exornaſti, & confirmaſti ad ſuſtentationem earundem paſſionum, (h) quas patienter ferimus, ſecuri de præmio cœleſti, & de corona martyrii, & de regno Dei, (i) ex prophetia quam literis tuis Spiritu ſancto plenus ſpopondiſti. (k) Hoc totum fiet, dilectiſſime, ſi nos orationibus tuis in mente habueris, quod te facere confido, ſicut & nos utique facimus. 2 Accepimus (l) itaque, frater deſideratiſſime, id quod à Quirino, & à te ipſo miſiſti, (m) ſacrificium ex omni 3 opere mundo. Sicut & Noë obtulit Deo, & delectatus eſt Deus in odorem ſuavitatis, & reſpexit in ſacrificium ejus; 4 ita & in veſtrum reſpiciat, & delectetur (o) reddere vobis hujus tam boni operis mercedem. Peto autem ut literas, (p) quas ad Quirinum fecimus, tranſmitti (q) præcipias. Opto te, frater cariſſime ac deſideratiſſime, ſemper bene valere, & noſtri meminiſſe. Saluta omnes, qui tecum ſunt. Vale.

Scripta in Exilio.

Epheſ. 4. 3.

Gen. 8. 20.

(a) In congreſſione, *Ar.* & ad congreſſionem, *Lam. Bod.* 2. (b) Maximum, Amantium, *Ar. Bod.* 1. *Voſſ.* 2. (c) Recepimus, *Bod.* 2. *NC.* 2. *Voſſ.* 2. *Lam. Ebor. Lin.* (d) Exercitati, *Ar. NC.* 1. (e) Tribuiſti, *Bod.* 2. *NC.* 1. *Ebor.* (f) Inde eandem nobis communicaſti demonſtrationem, ſcilicet individuæ caritatis, *Ar. Voſſ.* 2. *Lin. Bod.* 1, 2, 3. demonſtraſti ſcilicet individuam, *Pem.* (g) *Sic Lin. NC.* 2. Tuarum, *Imp.* (h) Quas patimur, *Lin. NC.* 2. (i) Ad prophetiam, *Bod.* 1, 2. *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (k) Hoc tamen, *Ar.* tantum, *Bod.* 2. (l) Ita nunc, *Bod.* 3. (m) Sacrificium veſtrum, *Lin. NC.* 2. (n) Reſpiciet & delectabitur, *Ver.* (o) Reddens, *Lin. NC.* 2. (p) Quas ad Cyrinum feci, *Ver.* (q) Præcipias: vale, *Ben. Voſſ.* 2. *Bod.* 1.

1 *Secundum latitudinem ejus.*] Rigaltius ait, *Latitudinem pectoris dicit de pectore viri ſancti, quod eſſe ſolet in Dei laudes & bonas operationes fœcundum & magnificum.*

2 *Accepimus id quod à Quirino & à te ipſo miſiſti ſacrificium.*] De quo mentio habetur in ſuperiore Epiſtola, & fortaſſe in libris Quirino inſcriptis.

3 *Opere mundo.*] Creatura ſeu animali mundo. Pro πάντων τῶν κτηνῶν, legiſſe videtur, ἀπὸ πάσης κτίσεως.

4 *Ita & in veſtrum reſpiciat.*] Rigaltius ait, *Epiſt. ſeq. Et erit in tempore reſpectus illorum.*

An. 257.

EPISTOLA LXXIX.

Cypriano cariſſimo & dilectiſſimo, Felix, Iader, Polianus; una cum Presbyteris & omnibus nobiſcum commorantibus apud metallum Siguenſe, æternam in Domino Salutem.

Ad Pamelium Ep. LXXX. In Eraſm. Edit. deeſt. In Manut. l. 5. Ep. 11. Martyres ſupradicti ſubſidium à Cypriano tranſmiſſum grati agnoſcunt.

Scripta in Exilio.

RESALUTAMUS te, frater cariſsime, (a) per Herennianum hypodiaconum, Lucanum, & Maximum fratres noſtros, fortes & incolumes, adjuvantibus orationibus tuis. A quibus 1 accepimus oblationis nomine quantitatem una cum literis (b) quas ſcripſiſti; in quibus (c) dignatus es de verbis cœleſtibus nos tanquam (d) filios confortare: & Deo patri omnipotenti per Chriſtum ejus gratias egimus, & agimus; quod ſic confortati corroborati ſumus per tuam adlocutionem; petentes de animi tui candore, ut nos aſsiduis orationibus tuis in mente habere digneris: ut confeſsionem veſtram & noſtram, quam Dominus in nobis conferre dignatus eſt, ſuppleat. Saluta omnes qui tecum commorantur. Optamus te, frater cariſsime, in Deo ſemper bene (e) valere. 2 Felix ſcripſi, Iader ſubſcripſi, Polianus legi: (f) dominum meum Eutychianum ſaluto.

(a) *Sic Lam. Bod.* 1, 2. *Ebor. Lin. NC.* 1, 2. Victorium, Herennianum, *Imp.* (b) Quas miſiſti, *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1, 2. (c) Dignatus es tuis, *Lam. Bod.* 1. 2. *NC.* 1. *Ebor.* (d) Filios tuos, *Lin. NC.* 2. (e) *Sic Pem.* Valere. Iader ſubſcripſi, *Imp.* (f) Dominum meum ſaluto, *Lam. Ebor. NC.* 1, 2. *Lin. Bod.* 2.

1 *Accepimus oblationis nomine quantitatem.*] Rigaltius ait, *Pecuniæ ſummam quam de ſuo quiſque contulerat: vel quam de propria ſua quantitate Cyprianus ſubmiſerat. Obſervavimus ad præced. Epiſtolas.*

2 *Felix ſcripſi*] Hæc lectio omnino admittenda videtur; nam ut Felix qui primus in Epiſtolæ fronte comparet, omnino in ejuſdem calce prætereatur, ab uſu communi alienum eſt. Quinimo ut mentio reliquorum fieret, qui aut ſubſcripſerant aut legerant: illo qui ſcripſerat omiſſo, minime accommodum videtur. Quis ſit Eutychianus quem Polianus Epiſcopus Dominum appellet non promtum eſt conjicere. Salutationis formula ſatis uſitata eſt ut quis *Dominus frater* dicatur. Vid. Ep. 77. & alibi.

EPISTOLA LXXX.

Cyprianus Succeſſo fratri Salutem.

Ad Pamm. Ep. LXXXII. In Eraſm. Edit. deeſt. In Manut. l. 5. Ep. 97. De ingruente perſecutione Succeſſum admonet Cyprianus.

Scripta poſt reditum ab exilio, Sede Rom. vacante.

UT non vobis in continenti ſcriberem, frater cariſſime, illa res fecit; quod univerſi clerici 1 ſub ictu agonis conſtituti, recedere iſtinc omnino non poterant, parati omnes pro animi ſui devotione ad divinam & cœleſtem gloriam. Sciatis autem eos veniſſe, quos ad Urbem propter hoc miſeram, ut quomodocunque de nobis reſcriptum fuiſſet, exploratam ſibi veritatem ad nos referrent. Multa enim varia & incerta opinionibus ventilantur; quæ autem ſunt in vero, ita ſe habent. 2 Reſcripſiſſe Valerianum ad ſena-

1 *Sub ictu agonis.*] Rigaltius ait, *Epiſtola ſequenti dicet, Sub illo confeſſionis momento.*

2 *Reſcripſiſſe Valerianum ad ſenatum.*] Mirabilis hæc rerum mutatio non videtur ſilentio prætereunda. Hic eſt ille Valerianus Imp. de quo Trebellius Pollio refert, *Nobilis genere, patre Valerio, Cenſor antea, & per dignitatum omnes gradus ſuis temporibus ad maximum in terris culmen aſcendens, cujus per annos 70. vita laudabilis in eam conſcenderat gloriam, ut poſt omnes honores & magiſtratus inſigniter geſtos, imperator fieret: non, ut ſolet tumultuario populi concurſu, non militum ſtrepitu, ſed jure meritorum, & quaſi totius orbis una ſententia. Denique ſi data eſſet omnibus poteſtas promendi arbitrii quem Imperatorem vellent, alter non eſſet electus. Et ut ſciatur quanta vis in Valeriano meritorum fuerit publicorum, ponam ſenatuſconſulta, quibus animadvertant omnes, quid de illo ſemper ampliſſimus ordo judicaverit. Duobus Deciis Coſſ. VI. Cal. Novemb. die, cum ob imperatorias literas in æde Caſtorum ſenatus haberetur, iretarque per ſententias ſingulorum cui deberet cenſura deferri, (nam id Decii poſuerant in ſenatus ampliſſimi poteſtate) ubi primum Prætor edixit, quid vobis videtur P. C. de cenſore deligendo? atque cum qui erat princeps tunc ſenatus ſententiam rogaſſet, abſente Valeriano: (nam ille in procinctu ſuo cum Decio agebat) omnes una voce dixerunt, interrupto more dicendæ ſententiæ, Valeriani vita cenſura eſt. Ille de omnibus judicet qui eſt omnibus melior. Ille de ſenatu judicet qui nullum habet crimen. Ille de vita noſtra ſententiam ferat, cui nihil poteſt objici. Valerianus à prima pueritia Cenſor fuit. Valerianus in tota vita ſua fuit Cenſor. Prudens Senator, modeſtus Senator, gravis Senator. Amicus bonorum, inimicus tyrannorum, hoſtis criminum, hoſtis vitiorum. Hunc cenſorem omnes accipimus, hunc imitari omnes volumus. Primus genere, nobilis ſanguine, emendatus vita, doctrina clarus, moribus ſingularis, exemplum antiquitatis. Quæ cum eſſent ſæpius dicta, addiderunt, Omnes: atque ita diſceſſum eſt.* Accedit ad laudem viri hujus, quod Chriſtianis impenſe faveret, ita ut referente Dionyſio Alexandrino, ἦπιος καὶ φιλόφρων πρὸς τοὺς ἀνθρώπους τῷ θεῷ, οὐδὲ γὰρ ἄλλος τις ὅστις τῶν πρὸ αὐτοῦ βασιλέων ἐυμενῶς καὶ δικαίως πρὸς αὐτοὺς διετέθη; οὐδ' οἱ λεχθέντες ἀναφανδὸν χριστιανοὶ γεγονέναι ὡς ἐκεῖνος οἰκειότατα ἐν ἀρχῇ καὶ προσφιλέστατα φανερὸς ἦν αὐτοὺς ἀποδεχόμενος. καὶ πᾶς ὁ οἶκος αὐτοῦ θεοσεβῶν πεπλήρωται, καὶ ἦν ἐκκλησία θεοῦ. Sed poſt hæc omnia, conſiliis Macriani impii hominis & Magi in tranſverſum actus, cum ad oppugnandam Eccleſiam ſe convertit; Perſico bello implicatus, & ab illo ipſo Macriano, conſiliorum adverſus Eccleſiam auctore, proditus; in barbari hoſtis poteſtatem venit,

An. 258. ſenatum; ut Epiſcopi, & Presbyteri, & Diacones 1 in continenti animadvertantur; Senatores vero & viri egregii, & equites Romani, dignitate amiſſa, etiam bonis ſpolientur, & ſi ademtis facultatibus Chriſtiani eſſe perſeveraverint, capite quoque multentur: Matronæ ademtis bonis in exilium relegentur: Cæſariani quicunque vel prius confeſſi fuerant, vel nunc confeſſi fuerint; confiſcentur, & vincti 2 in Cæſarianas poſſeſſiones (a) deſcripti mittantur. Subjecit etiam 3 Valerianus Imperator orationi ſuæ exemplum literarum, quas ad præſides provinciarum de nobis fecit: quas literas quotidie ſperamus venire, ſtantes ſecundum fidei firmitatem ad paſſionis tolerantiam, & expectantes de ope & indulgentia Domini, vitæ æternæ coronam. Xiſtum autem 4 in cœmeterio animadverſum ſciatis, octavo iduum Auguſtarum die, 5 & cum eodem (b) Quartum. Sed & huic perſecutioni quotidie inſiſtunt 6 Præfecti in Urbe; ut ſi qui ſibi oblati fuerint, animadvertantur; & bona eorum fiſco vindicentur. Hæc peto per vos & Collegis noſtris innoteſcant, ut ubique hortatu eorum poſſit fraternitas corroborari, & ad agonem ſpiritalem præparari: ut ſinguli ex noſtris, non magis mortem cogitent, quam immortalitatem: & plena fide ac tota virtute Domino dicata, gaudeant magis quam timeant in hac confeſſione; in qua ſciunt Dei & Chriſti milites non perimi, ſed coronari. Opto te, frater cariſſime, ſemper bene valere.

(*a*) Et ſcripti, *Ver.* (*b*) Quarto, *Vat.*

tem venit, ibique miſerrimam ſerviens ſervitutem, quamdiu vixit ſcabelli vicem geſſit; ab impotente victore calcatus; cui incurvato dorſo, & in cervice ejus pede poſito, is equum conſcenſurus ſe levabat: nec interceſſio Regum qui Perſæ adſiſtebant; nec metus populi Romani, & filiorum Valeriani qui in imperio ſuccedebant, quidquam profuere; imo prorſus inultus periiſſet, niſi Odenatus Palmyrenus, collecto exercitu ferocientis barbari impetum fregiſſet; & inſuper familiæ Marciani miſeras reliquias, qui ab Aurelio cæſus, ſtirpitus deleviſſet.

1 *In continenti animadvertantur.*] Rigaltius ait, *Aliquando dies negandi, hoc eſt Chriſto renunciandi, præſtituebatur; ut lib. de Lapſis, cum dies negantibus præſtitutus exceſſit.*

2 *In Cæſarianas poſſeſſiones deſcripti.*] Lectio codicis Veronenſis quæ habet, *& ſcripti*; manuducit ad magis probatam, *adſcripti*. Satis notum eſt ex juris Cæſarei ſcriptoribus qualem ſervirent ſervitutem, adſcriptitii glebæ.

3 *Valerianus Imperator orationi ſuæ.*] Rigaltius ait, *Orationem hic vocat, quod ſupra reſcripſiſſe Cæſarem dixit. Ceterum Imperator oratione in ſenatu habita auctor erat Senatui cenſendi, quod tum è republica eſſe videbatur. Ejuſmodi eſt illa Antonini de donationibus inter virum & uxorem oratio, quæ ab Ulpiano refertur.* Quæcunque cum oraculi prærogativa, in ſenatu olim ab Imperatoribus erant propoſita, tanquam reipublicæ in commodum ceſſura; Orationes dicebantur: inde omnes conſtitutiones inſcriptæ ad Senatum, Orationes principum dicebantur. Ita lege Theodoſii & Valentis ad Senatum dicitur. *Hac oratione ſancimus, ut pater etiam infantibus filiis ſucceſſionem, ſive ille matre ejus moriente, adeundæ hæreditatis; vel petendæ bonorum poſſeſſionis fuerit executus officium, ſive iſta neglexerit, morienti filio infanti, in qualibet ætate ſine ambiguitate ſuccedat.*

4 *In Cœmeterio.*] Area nimirum ubi cum plebe Chriſtiana ad cultum Dei ſolennem convenerat, Imperatore Valeriano nequicquam vetante; unde in terrorem majorem incutiendum, ibidem in illum animadvertebatur. Martyrologium Rom. illum in cœmeterio Calliſti paſſum refert, ubi etiam Cornelii martyrium memorabatur, nec non B. Cypriani; quod ideo factum dicitur, *ne ſancti præſules qui tempore Deciani perſecutionis, vitæ ſanctimonia, animi robore, & frequentibus Epiſtolis inter ſe conjuncti, ac eodem die coronati fuerant, in loco etiam venerationis diſjungerentur.* Verba refero Franciſci Mariæ Florentinii, in notis ad Martyrolog. Rom.

5 *Et cum eodem Quartum.*] Presbyter hic videtur, aut nominis alicujus, ſiquidem nullo cum additamento deſignatur. Quæ de Felici, Agapeto, Donatiano, Fauſtino, Prætextato, Laurentio, Epolito, Afra, & Militibus 165. addi ſolent, auctorem aliquem martyrologiis vulgatis fide digniorem deſiderant.

6 *Præfecti in Urbe.*] Præfecti urbis munus erat illicita collegia coercere; ſed hoc nomine à Cypriano omnes alii magiſtratus videntur intelligi.

EPISTOLA LXXXI.

Cyprianus Presbyteris & Diaconibus, & plebi univerſæ Salutem.

Ad Pamelium Epiſt. LXXXIII. In Eraſmi Edit. deeſt. In Manut. l. 5. Ep 1. Seceſſus ſui rationem reddit Cyprianus.

Scripta poſt reditum ab exilio, in ſeceſſu paulo ante mortem.

CUM perlatum ad nos fuiſſet, fratres cariſſimi, 1 Frumentarios eſſe miſſos, qui me Uticam perducerent, & conſilio cariſſimorum perſuaſum eſſet, ut de hortis noſtris interim ſecederemus, juſta interveniente cauſa, conſenſi; eo quod congruat Epiſcopum in ea civitate, in qua Eccleſiæ dominicæ præeſt, illic Dominum confiteri, & plebem univerſam præpoſiti Præſentis confeſſione clarificari. Quodcunque enim ſub illo confeſſionis momento confeſſor Epiſcopus loquitur, aſpirante Deo ore omnium loquitur.

1 *Frumentarios eſſe miſſos qui me Uticam perducerent.*] In itinere ad Uticam Proconſul ſubmiſit Frumentarios ſuos qui apprehenderent Cyprianum: idem redux ad Carthaginem, Stratorum opera utebatur. Utrique ad feralia mandata miniſtri opportuni. Unde, pace Rigaltii, ſatis conſiſtunt, quæ hic & in Actis leguntur. Rigaltius ait, *Vita Cypriani quæ fertur ab ejus diacono Pontio perſcripta, rhetoricæ dictionis gratiam magis quam narrationis hiſtoricæ diligentiam præfert. Adeo, de geſtis ſanctiſſimi viri, quæ ſunt ipſius Epiſtolis comprehenſa, nihil attingit: ac ne iſtud quidem ad martyrium pertinens; quod cum reſciſſet ſe ab Frumentariis requiri, perducendumque Uticam; tantiſper latuerit, ne ſuis Carthaginienſibus eriperetur, quorum in oculis martyrium facere exoptaret, ut quæ pro Chriſti nomine perferenda ſermonibus & ſcriptis docuerat, etiam exemplo ſuo moriens confirmaret. Latuit igitur in ſeceſſu abdito. Sic enim ait ipſe hac Epiſtola. Sed ubi ſeceſſum habuerit, non dicit. Certe prudenter. Neque enim tutum illi tunc fuiſſet. At poſt obitum agonem, Pontius Diaconus, qui etiam in exilio comes & familiaris illi fuit; vitam Epiſcopi ſui cum traderet poſteris, quis hoc eum putet tam jejune tamque exiliter præſtitiſſe, ut quem in locum de conſilio cariſſimorum ſeceſſerit, non indicarit: imo totam hujuſce ſeceſſus hiſtoriam prætermiſerit? Nam quod exulaſſe Curubin, eo qui circumfertur Pontii tractatu legimus, nihil ad iſtum; de quo hic agitur, ſeceſſum pertinet. Nec latuiſſe Frumentarios dicendus eſt, qui eo, quo exulatum ire juſſus eſt, migravit. Cæterum, ſi quis in eo de vita Cypriani opuſculo ſcriptoris fidem aut diligentiam deſideret, eodem ipſum deſiderio tangi neceſſe*

An. 258. quitur. Ceterum 1 mutilabitur honor Eccleſiæ noſtræ tam glorioſæ, ſi 2 ego Epiſcopus alterius Eccleſiæ præpoſitus, accepta apud Uticam 3 ſuper confeſſione ſententia, exinde martyr ad Dominum proficiſcar; quandoquidem ego & pro me, & pro vobis apud vos confiteri, 4 & ibi pati, & exinde ad Dominum proficiſci, orationibus continuis deprecer, & votis omnibus exoptem & debeam. Expectamus ergo hic in receſſu abdito conſtituti, adventum Proconſulis Carthaginem redeuntis: audituri ab eo, quid Imperatores ſuper Chriſtianorum laicorum, & Epiſcoporum nomine mandaverint; & dicturi, quod ad horam Dominus dici voluerit. Vos autem, fratres cariſſimi, pro diſciplina, quam de mandatis Dominicis à me ſemper accepiſtis, & ſecundum quod me tractante ſæpiſſime didiciſtis, quietem & tranquillitatem tenete: 5 ne quiſquam veſtrum aliquem tumultum de fratribus moveat, aut ultro ſe gentilibus offerat: apprehenſus enim, & traditus loqui debet; ſiquidem in nobis Dominus poſitus illa hora loquatur: qui nos confiteri magis voluit quam (a) profiteri. Quid autem de cetero nos obſervare conveniat, antequam in me ſuper confeſſione nominis Dei (b) Proconſul ſententiam ferat, inſtruente Domino, in (c) commune diſponemus. Incolumes vos, fratres cariſſimi, Dominus noſter in Eccleſia ſua permanere faciat, & conſervare dignetur.

(a) Temere profiteri, *Vat.* 1. (b) Proconſulis ſententia feriat, *Vat.* 1. (c) Domino, communius, *Ver.*

neceſſe eſt circa paſſionis acta quæ Lazius & Morellius ediderunt. Hunc enim Cypriani de hortis ſuis ſeceſſum non exhibent: hoc tantum, ab exilio reverſum in hortos, exinde accerſitum perductumque ad Proconſulem. Sed neque Auguſtinus Frumentariorum meminit, Martyrologia quædam Actis illis conſimilia ſecutus. Nam inter duos apparitores ad paſſionem curru portatum fuiſſe tradidit: Acta, veniſſe ad martyrem Principes duos, Stratorem officii & Equiſtratorem. Quæ ſane temporis illius ſcriptorum ignorantiam ſive negligentiam produnt. Longe aberravit à ſcopo, qui per metaphoram Frumentarios hic dici ſuſpicatur, lictores ipſos qui Chriſtianos ad ſupplicia raperent, quaſi frumentariorum more frumenta Dominica in horreum Dominicum conderent. Quam conjecturam eo magis rideat quiſpiam, quando ſit recta interpretatio, ſatis aperta & facilis: nec erat magnæ lucubrationis opera, pervidere, non alios hic à Cypriano frumentarios intelligi, quam id genus hominum qui militaribus officiis adnumerati, ſpecie frumentorum per varias provincias conquirendorum, auſcultabant explorabantque ſi quid adverſus Cæſaris aut populi Romani majeſtatem turbaretur, molitionum turbarumque auctores comprehendebant, & quo juſſi erant perducebant, aut etiam illico necabant. Eſt autem apud Euſebium Hiſt. lib. VI. *Dionyſii Epiſcopi Alexandrini Epiſtola, ſcribentis ad Germanum quendam in hæc verba:* Σαβῖνος, *is fuit præfectus ſub Decio* φρουμεντάριον ἔπεμψεν εἰς ἀναζήτησίν μου. *Ac pleriſque locis apud Spartianum, Lampridium & Capitolinum reperire eſt per frumentarios ſignificari, ſpeculatores,* ἀγγελιαφόρους, ἐποπτῆρας, διώκτας, ἐρευνητὰς κατασκόπους. *Itaque Adrianus Cæſ. ſic erat curioſus, non ſolum domus ſuæ, ſed etiam amicorum: ita ut per frumentarios occulta omnia exploraret: nec adverterent amici, ſciri ab Imperatore ſuam vitam, priuſquam ipſe hoc Imperator oſtenderet. Clarum eſt illud Capitolini de Maximino: Scriptum eſt ad omnes provincias, miſſis Frumentariis, juſſumque ut quicunque Maximinum juviſſet, is hoſtium numero duceretur. Hieronymus in Abdiam cap.* I. *Eos enim quos nunc agentes in rebus, vel veredarios appellant, veteres frumentarios nominabant. Videantur quæ ad Tertullianum de Curioſis Beneficiariis.*

1 *Mutilabitur honor.*] Honori erant Eccleſiis ſuis Martyres, pariter & ipſi ab iiſdem honorandi. Sed pro hominum ingenio, quibus nihil mediocre placet, obſequium facile in cultum tranſibat; adeo ut animæ ſub altari jacentes, altaribus paſſim admoverentur & Angeli Eccleſiarum martyrio coronati, civitatum ſuarum tutelares Angeli deinceps ſint habiti. De Cypriano noſtro Carthaginienſium ſuorum vindice, memorabilis habetur narratio apud Procop. hiſt. Vandal. l. 2. c. 21. Κυπριανὸν οἱ βανδίλοι τὸν νεὼν, ἐπὶ ὀνωρίχῳ βασιλεύοντος τὸν χριστιανὸς βιασάμενοι, ἔσχον. καὶ αὐτῶν ἐνθένδε σὺν πολλῇ ἀτιμίᾳ τὰς ἱερείας εὐθὺς ἐξελάσαντες, αὐτοὶ τῶν ἱερῶν τὸ λοιπὸν (ἅτε προσηκόντων ἀρειανοῖς) ἐπιμελοῦντο. ἀσχάλλουσιν οὖν διὰ ταῦτα καὶ διαπονημένοις τοῖς λίβυσι, πολλάκις φασὶ τὸν κυπριανὸν ὄναρ ἐπισκήψαντα, φάναι ἀμφ' αὐτῷ μεριμνᾶν τὰς χριστιανὰς ἧκιστα χρῆναι. αὐτὸν γὰρ οἱ, προϊόντος τοῦ χρόνου, τιμωρὸν ἔσεσθαι. ἐπεὶ δὲ ὁ λόγος περιφερόμενος ἐς τὰς λίβυας ἅπαντας ἦλθε, καραδοκεῖν μὲν αὐτὰς, τίσιν ποτέ τινα, τῶν ἱερῶν τούτων ἕνεκα, ἐς τὰς βανδίλας ἀφίξεσθαι, οὐκ ἔχειν μέν τοι τεκμηριῶσαι, ὅπη ποτὲ αὐτοῖς ἡ τοῦ ὀνείρου ὄψις ἐκβήσεται. νῦν δὲν ἐπειδὴ ἐς λιβύην ὁ βασιλέως στόλος ἀφίκετο (ἐπαινῶν ἤδη ὁ χρόνος τῇ ὑστεραίᾳ τὴν πανήγυριν ἀγαγεῖν ἔμελλεν) οἱ μὲν τῶν ἀρειανῶν ἱερεῖς, καί περ ἀμμάτα βανδίλοις ἐς δίκιμον ἐγγεγενημένοι, τότε ἱερὸν ἐκάθηραν ἅπαν. καὶ τῶν ἐνταῦθα ἀναθημάτων τὰ καλλίστα ἐκρίμνων, καὶ λύχνα ἐν παρασκευῇ ποιησάμενοι, τά τε κηρία ἐξενεγκόντες ἐκ τῶν ταμείων, ἡτοίμασαν ἀκριβῶς ἅπαντα ὡς πῃ αὐτῶν ἕκαστον ἐς τὴν χρείαν ἔχοι ἐπιτηδείως ἐτύγχανε. τὰ δὲ ἐν δεκίμῳ ἔτους, ὥσπερ μοι προδεδήλωται, γενέσθαι ξυνέβη. καὶ οἱ μὲν ἀρειανῶν ἱερεῖς, φευγόντες ὤχοντο· χριστιανοὶ δὲ, οἷς τὰ ἐς τὴν δόξαν ὀρθῶς ἤσκηται, ἀφικόμενοι εἰς τὸ κυπριανοῦ τὸν νεὼν, τάττε λύχνα ἔκαιον ἅπαντα, καὶ τῶν ἱερῶν ἐπεμελοῦντο ἥπερ ἂν τοῖς ταῦτα τελεῖσθαι νόμος· ἔτω τε ἅπασιν, ἃ δὴ προὔλεγεν ἡ τοῦ ὀνείρου ὄψις ἐγιγώσθη. De hac Orthodoxorum ab Eccleſiis Cypriano dicatis expulſione, agit Victor Vitenſis.

2 *Ego Epiſcopus alterius Eccleſiæ præpoſitus.*] Omnibus Africæ Eccleſiis jure metropolitico præerat: inquit enim Ep. 46. *Latius diffuſa eſt noſtra Provincia, habet enim Numidiam & Mauritanias duas ſibi cohærentes:* ſed jus Epiſcopale arctiori quodam vinculo innodatum; Epiſcopi vocibus preces totius Eccleſiæ Deo conceptæ; ejus itidem verbis confeſſio ſolennis inſtituta, præcipue ergo confeſſio illa quæ ſanguine ſancita, ab ipſo repeti debet. Ita Epiſtola 60. ait, quod in Cornelio, *Eccleſia omnis Romana confeſſa eſt.*

3 *Super confeſſione accepta ſententia.*] Rigaltius ait, *Hoc eſt in confeſſione nominis, nempe Chriſtiani. Auguſtinus, contra Epiſt. Gaud. His ſacris literis eruditus B. Cyprianus in Confeſſione dixit: Diſciplinam prohibere, ne quis ſe offerat.*

4 *Et ibi pati.*] Rigaltius ait, *Apud vos, in oculis Eccleſiæ cui ſum præpoſitus à Deo.*

5 *Nec quiſquam veſtrum ultro ſe gentilibus offerat.*] Circumcelliones potius quam martyres dicendi ſunt, qui perſecutorum furores provocant, & mortem ſibi accerſunt. Et quidem temeritas iſta infeliciter ut plurimum ceſſit. Qui ad certamen ineundum nimis promti, pariter ad detrectandum præcipites fuere; & feſtinatus iſte curſus ſolum ad lapſum præſtruebat gradum. Merito igitur Eccleſia gliſcenti huic malo ſufflamen oppoſuit; ne præfervidi & ſuperbientes homines, cum privata clade publicam miſcerent. Et recte quidem Theologi ſtatuunt, non debere homines abſolute à Deo, vel in precibus petere ut ſint Martyres; ſiquidem talis actus, ſine exceptione beneplaciti Divini, videbitur fluere potius ex præſumtione aut temeritate, quam ex vera ſpe, aut fide, aut caritate Chriſtiana. Ipſi Patres Eliberitani, imaginibus minime propitii, decreverunt can. 60. *Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus; quatenus in Evangelio ſcriptum non eſt, neque invenitur ſub Apoſtolis unquam factum, placuit in numero eum non recipi Martyrum.* Rigaltius ait, *Hoc Cyprianum in confeſſione dixiſſe tradit Auguſtinus, loco jam citato. Et in veteribus Actis: Paterno Proconſuli exquirenti, Cyprianus dixit: Cum diſciplina prohibeat, ne quis ſe ultro offerat, & tuæ quoque cenſuræ hoc diſpliceat; ne offerre ſe ipſi poſſunt, ſed à te exquiſiti invenientur, ſcilicet in civitatibus ſuis. Horum itaque Actorum vetuſtas claro ſummi viri teſtimonio comprobatur.* Optandum quidem, ut quæ antiqua fuiſſe novimus; utique & ſincera haberemus.

6 *In commune diſponemus.*] Rigaltius ait, *Non abs re hoc tam ſedulo inculcat: In commune. Prævidebat monarchiæ vitia, & abhorrebat maximi mali fomitem.* Interim fortaſſis ille dici poteſt in commune conſulere, qui utilitati publicæ vel ſolus proſpicit.

OPUSCULA
VULGO ADSCRIPTA
CÆCILIO CYPRIANO.

DE SPECTACULIS.

Epiſtola Ignoti AUCTORIS.

[1] Plebi in Evangelio ſtanti S.

UT me ſatis contriſtat, & animum meum graviter affligit, cum nulla mihi ſcribendi ad vos porrigitur occaſio (detrimentum eſt enim meum vobiſcum non colloqui) ita nihil mihi tantam lætitiam, hilaritatemque reſtituit, quam cum adeſt rurſus occaſio. Vobiſcum me eſſe arbitror, cum vobis per literas loquor. Quanquam igitur ita ſe hæc habere quæ dico, certos vos eſſe ſciam, nec quidquam de verborum meorum veritate dubitare: tamen etiam argumentum, ſinceritatem rei aſſerit; nam cum nulla prorſus præteritur occaſio, probatur affectio. Quamvis ergo certus ſim, vos non minus eſſe in vitæ actu graves, quam in ſacramento fideles; tamen, quoniam non deſunt vitiorum aſſertores blandi & indulgentes patroni, qui præſtant vitiis auctoritatem, & quod eſt deterius, cenſuram ſcripturarum cœleſtium in advocationem criminum convertunt; quaſi ſicut innocens ſpectaculorum ad remiſſionem animi appetatur voluptas, (nam & eouſque enervatus eſt eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor, & ita omni languore vitiorum præcipitatur in pejus, ut jam non vitiis excuſatio, ſed auctoritas detur) placuit paucis vos non nunc inſtruere, ſed inſtructos admonere; ne quia male ſunt vincta vulnera, ſanitatis obductæ perrumpant cicatricem. Nullum enim malum difficilius extinguitur, quam quod faciles reditus habet; dum & multitudinis conſenſu aſſeritur, & excuſatione blanditur.

Non pudet, non pudet inquam fideles homines, & Chriſtiani ſibi nominis auctoritatem vindicantes, ſuperſtitiones vanas gentilium cum ſpectaculis mixtas, de ſcripturis cœleſtibus vindicare, & auctoritatem idololatriæ conferre? nam quando id, quod in honore alicujus idoli ab ethnicis agitur, à fidelibus Chriſtianis ſpectaculo frequentatur; & idololatria gentilis aſſeritur, & in contumeliam Dei religio vera & divina calcatur. Pudor me tenet [2] præſcriptiones eorum in hac cauſa, & patrocinia referre. [3] Ubi, inquiunt, ſcripta ſunt iſta? ubi prohibita? Alioquin, & auriga eſt Iſraël Helias (*a*), & ante Arcam David ipſe ſaltavit (*b*). [4] Nabla, æra, tympana, tibias, citharas, choros legimus (*c*). Apoſtolus quoque dimicans, cæſtus & colluctationis noſtræ adverſus ſpiritalia nequitiæ proponit certamen (*d*). Rurſus de ſtadiis ſumit exempla, coronæ quoque collocat præmia. Cur ergo homini Chriſtiano fideli non liceat ſpectare, quod licuit divinis literis ſcribere? Hoc in loco dixerim longe melius fuiſſe iſtis, nullas literas noſſe, quam ſic literas legere. Verba enim & exempla, quæ ad exhortationem evangelicæ virtutis poſita ſunt, ad vitiorum patrocinia transferuntur: quoniam non ut ſpectarentur iſta ſcripta ſunt, ſed ut animis noſtris inſtantia major excitaretur in rebus profuturis, dum tanta eſt apud ethnicos in rebus non profuturis. Argumentum eſt ergo excitandæ virtutis; non permiſſio, ſive libertas ſpectandi gentilis erroris; ut per hanc animus plus accendatur ad Evangelicam virtutem propter divina præmia, cum per omnium laborum & dolorum calamitatem, concedatur pervenire ad terrena compendia. Nam quod Helias auriga eſt Iſraëlis, non patrocinatur ſpectandis Circenſibus; in nullo enim is circo cucurrit. Et quod David in conſpectu Dei choros egit, nihil adjuvat in theatro ſedentes Chriſtianos fideles. Nulla enim obſcœnis motibus membra diſtorquens, deſaltavit græcæ libidinis fabulam. Nabla, æra, tibiæ & citharæ Deum cecinerunt, non idolum.

Non igitur præſcribetur, ut ſpectentur illicita: diabolo artifice ex ſanctis in illicita mutata ſunt. Præſcribat igitur iſtis pudor, etiamſi non poſſunt ſanctæ literæ. Quædam enim ſcriptura magis providet in præcipiendo: verecundiam paſſa plus interdixit, quia tacuit. Veritas ſi ad hæc uſque deſcenderet, peſſime de fidelibus ſuis ſenſiſſet; [5] nam & plerumque in præceptis quædam utilius tacentur: admonent ſæpe dum interdicuntur: ita etiam tacentur, dum in literis ſcripta ſunt; & præceptorum loco ſeveritas loquitur, & ratio loquitur, quæ ſcriptura conticuit. Secum tantum unuſquiſque deliberet, & cum perſona profeſſionis ſuæ loquatur, nihil unquam inde eorum

(*a*) 4 *Reg.* 2. 12. (*b*) *Pſ.* 33. 2. *&c.* (*c*) *Reg.* 6. 14. (*d*) 1 *Cor.* 9. 25.

[1] *Plebi in Evangelio ſtanti.*] Addunt impreſſi codices paſſim Cypriani nomen. In MSS. nullis, quos vidi, comparet hæc Epiſtola.

[2] *Præſcriptiones eorum in hac cauſa.*] *Priorius ait*, Præſcriptio hic ex uſu Jureconſultorum eſt accuſatoris defenſio ſive exceptio. Ulpianus in l. Julia §. marito. D. ad leg. Juliam de adult. Marito, ait, jure mariti accuſanti illa præſcriptio objicitur. Eadem in notione adhibetur hæc vox à Tertulliano.

[3] *Ubi, inquiunt, ſcripta ſunt iſta?* &c.] *Priorius ait*, Chriſtianorum ſimplicitas hic non arguitur, ſed protervia eorum qui ad ſpectacula concurrebant. Pari ratione cap. 3. de Spectac. Tertullianus. Quorundam enim fides aut ſimplicior aut ſcrupuloſior ad hanc abdicationem ſpectaculorum de ſcripturis auctoritatem expoſcit.

[4] *Nabla, æra, tympana*, &c.] *Pamelius ait*, Quum hic enumeret varia inſtrumentorum muſicorum genera, male habebat codex Manutii hoc loco, aras, & paulo poſt, aræ, quod etiam addito aſteriſco ſatis ipſe indicavit.

[5] *Nam & plerumque in præceptis quædam utilius tacentur.*] *Priorius ait*, Quod hic eleganter dicit Cæcilius habet à Magiſtro de Spectacul. cap. 19. Ceterum abſit, ut de iſtius ſpectaculi averſione diutius diſcat Chriſtianus: quanquam nemo hæc omnia plenius exprimere poteſt, niſi qui adhuc ſpectat. Malo non implere quam meminiſſe.

rum geret ; plus enim ponderis habebit ſententia, quæ nulli ſe alteri debebit niſi ſibi. Quid ſcriptura interdixit ? Prohibuit enim ſpectari, quod prohibet geri. Omnia inquam iſta ſpectaculorum genera damnavit, quando idololatriam ſuſtulit, ludorum omnium matrem, unde hæc [1] vanitatis & levitatis monſtra venerunt. [2] Quod enim ſpectaculum ſine idolo? quis ludus ſine ſacrificio ? quod certamen non conſecratum mortuo ? [3] Quid inter hæc Chriſtianus fidelis facit ; ſi idololatriam fugit, quid loquitur ? Qui jam ſanctus ſit, de rebus criminoſis voluptatem capit ? Quid contra Deum ſuperſtitiones probat, quas amat dum ſpectat ? Ceterum ſciat hæc omnia inventa dæmoniorum eſſe, non Dei.

Impudenter in Eccleſia dæmonia exorcizat, quorum voluptates in ſpectaculis laudat : & cum ſemel illi renuntians, reciſa ſit res omnis in baptiſmate ; dum poſt Chriſtum ad diaboli ſpectaculum vadit, Chriſto tanquam diabolo renuntiat. Idololatria, ut jam dixi, ludorum omnium mater eſt ; quæ ut ad ſe Chriſtiani fideles veniant, blanditur illis per oculorum & aurium voluptatem. Romulus Conſo quaſi conſilii Deo ob rapiendas Sabinas Circenſes primus conſecravit. Ceterum reliqui, dum urbem fames occupaſſet, ad advocationem populi acquiſiti ſunt ludi ſcenici, & Cereri & Libero dicati poſtmodum, reliquiſque idolis, & mortuis. Græca illa certamina, vel in cantibus, vel in fidibus, vel in vocibus, vel in viribus præſides ſuos habent varia dæmonia ; & quicquid eſt aliud, quod ſpectantium aut oculos movet, aut delinit aures ; ſi cum origine ſua, & inſtitutione quæratur, cauſam præfert idolum, aut dæmonium, aut mortuum. Ita diabolus artifex quia idololatriam per ſe nudam ſciebat horreri, ſpectaculis miſcuit, ut per voluptatem poſſet amari.

Plura proſequi quid eſt neceſſe ? vel ſacrificiorum in ludis genera monſtroſa deſcribere ? inter quæ nonnunquam & [4] homo fit hoſtia, latrocinio ſacerdotis ; dum cruor etiam de jugulo calidus acceptus patera, dum adhuc fervet, & quaſi ſitienti idolo in faciem jactatus crudeliter propinatur ; & inter voluptates ſpectantium quorundam mors erogatur, ut per cruentum ſpectaculum ſævire diſcatur : quaſi parum ſit homini privata ſua rabies, niſi illam & publice diſcat. Ad pœnam hominis fera rabida nutritur in deliciis, ut ſub ſpectantium oculis crudelius inſaniat : erudit artifex belluam ; quæ clementior fortaſſe fuiſſet ſi non illam magiſter crudelius ſævire docuiſſet. Ergo ut taceam quicquid latius idololatria probat ; quam vana ſunt ipſa certamina ? [5] lites in coloribus, contentiones in curribus, gaudere quod equus velocior fuerit, mœrere quod pigrior, annos pecoris computare, conſules noſſe, ætates diſcere, proſapiam deſignare, avos ipſos atavoſque commemorare : quam hoc totum otioſum negotium ? imo quam turpiter non otioſum ?

Hunc inquam, memoriter totam equini generis ſobolem computantem, & ſine offenſa hunc locum magna velocitate referentem ? partes Chriſtiani ſi perroges, neſcit ; aut infelicior, ſi ſcit : quem ſi rurſum perrogem, quo ad illud ſpectaculum itinere pervenerit confitebitur per lupanarium, per proſtitutarum nuda corpora, per publicam libidinem, per dedecus publicum, per vulgarem laſciviam, per communem omnium contumeliam. Cui ut non objiciam quod fortaſſe commiſit, vidit tamen quod committendum non fuit, & oculos ad idololatriæ ſpectaculum per libidinem duxit : auſus ſecum Spiritum ſanctum in lupanarium ducere ſi potuiſſet ; qui feſtinans ad ſpectaculum, [6] dimiſſus, & adhuc gerens ſecum, ut aſſolet, Euchariſtiam inter corpora obſcœna meretricum tulit ; plus damnationis meritus de ſpectaculi voluptate.

Sed ut ad ſcenæ jam ſales inverecundos tranſitum faciam, pudet referre quæ dicuntur, pudet etiam accuſare quæ fiunt : Agentium ſtrophas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, ſcurriles jocos, paraſitos ſordidos ; ipſos quoque [7] patres-familias togatos, modo ſtupidos, modo obſcœnos, in omnibus ſtolidos, certis nominibus inverecundos. Et cum nulli hominum aut generi, aut profeſſioni, ab improbis iſto ſermone parcatur ; ab omnibus tamen ad ſpectaculum convenitur. Commune dedecus delectat, videlicet, vel recognoſcere otia vel diſcere : concurritur in illud [8] pudoris publici lupanarium, ad obſcœnitatis magiſterium, ne quid ſecreto minus agatur, quam quod in publico diſcitur ; & inter ipſas leges docetur, quicquid legibus interdicitur. Quid inter hæc Chriſtianus fidelis facit ; cui vitia non licet nec cogitare, quid oblectatur ſimulacris libidinis, ut in ipſis depoſita verecundia audacior fiat ad crimina ? [9] Diſcit facere dum conſueſcit videre. Illas tamen, quas infelicitas ſua in ſervitutem proſtituit, libidinis publicæ occultat locus ; & dedecus ſuum de latebris conſolantur, erubeſcunt videri etiam quæ pudorem vendiderunt. At iſtud publicum monſtrum omnibus videntibus geritur, & proſtitutarum tranſitur obſcœnitas : quæſitum eſt quo modo adulterium ex oculis admitteretur.

Huic dedecori condignum dedecus ſuperducitur, homo [10] fractus omnibus membris, & vir ultra muliebrem mollitiem diſſolutus, cui ars ſit [11] verba manibus expedire ; & propter unum neſcio quem, nec virum, nec feminam, commovetur civitas tota, ut deſaltentur fabuloſæ antiquitatum libidines. Ita amatur quicquid non licet, ut quæ etiam ætas abſcon-

[1] *Vanitatis & levitatis monſtra.*] *Priorius ait*, Non ſemel hoc in opuſculo ſpectacula vanitatis nomine indigitantur. Lucianus vanitatem illam vocat μανίαν.

[2] *Quod enim ſpectaculum ſine idolo.*] Hæc & quæ ſuccedunt, latius exequitur Tertullianus lib. de Spectac.

[3] *Quid inter hæc Chriſtianus fidelis.*] *Priorius ait*, Hæ voces ſæpiſſime hic : ſenſus vero idem eſt apud Tertullianum capite 25. de Spectac.

[4] *Homo fit hoſtia.*] Quæ barbaries diu apud Romanos è medio ſublata.

[5] *Lites in coloribus.*] De Praſinis, Venetis & reliquis aurigantium factionibus loquitur ; quæ non tantum Imperatores, ſed totum populum Romanum in partes traxerunt.

[6] *Dimiſſus & adhuc gerens ſecum, ut aſſolet, Euchariſtiam.*] *Pamelius ait*, Manutius aſteriſcum addidit voci, dimiſſus, quantum ſuſpicor quod putaret locum mutilum : ſed conſtare facile ſenſum deprehendent, qui adverterint veterem Eccleſiæ morem, quo fideles dimiſſi, peracto jam ſacro, à Diacono exclamante, ite miſſa eſt, ſecum Euchariſtiam domum deportabant, de qua latius ſupra lib. de Lapſis. MS. habet, dimiſſus è Dominico. Iſid. ait, Miſſa tempore ſacrificii eſt quando Catechumeni foras mittuntur.

[7] *Patres-familias togatos.*] Sic Juvenalis Sat. 1. Impune ergo mihi recitaverit ille togatas, hic elegos.

[8] *Pudoris publici lupanarium.*] *Priorius ait*, Impuritas ſpectaculorum & turpitudo ſatis revelatur & confoditur : quod etiam à Magiſtro factum cap. 17. de Spect.

[9] *Diſcit facere dum conſueſcit videre.*] *Priorius ait*, B. Chryſoſtomus Hom. 3. de pœnit. ἐξεώθησας εἰσελάσω δαιμόνιον, αἰσχρολάλων ἐγένου πόρνης. S. Auguſtinus lib. 3. Confeſſ. Rapiebant me ſpectacula theatrica, plena imaginibus miſeriarum mearum, & fomitibus ignis mei.

[10] *Fractus in omnibus membris.*] Fractus in feminam, dicit Cypr.

[11] *Verba manibus expedire.*] *Priorius ait*, Alio hic in loco ait, loqui digitis laborat. Lucianus de Saltat. ἀκούω ἄνθρωπε, ἃ ποιεῖς, οὐχ ὁρῶ μόνον, ἀλλὰ μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐτοῖς λαλεῖν.

1 *Cui*

conderat, ſub oculorum memoriam reducantur; non eſt libidini ſatis, malis ſuis uti præſentibus, niſi ſuum de ſpectaculo faciat, in quo etiam ſuperior ætas erraverat. Non licet inquam adeſſe Chriſtianis fidelibus, non licet omnino; nec illis, quos ad oblectamenta aurium, ad omnes ubique Græcia inſtructos ſuis vanis artibus mittit. Clangores tuba bellicos alter imitatur raucos; alter lugubres ſonos ſpiritu tibiam inflante moderatur; alter cum choris, & cum hominis canora voce, contendens ſpiritu ſuo, quem de viſceribus ſuis ſuperioribus nitens hauſerat, tibiarum foramina modulans; nunc effuſo, & nunc intus recluſo ac repreſſo; nunc certis foraminibus emiſſo, atque in aërem profuſo, item in articulos ſonum frangens, loqui digitis elaborat; ingratus artifici qui linguam dedit. Quid loquar comicas & inutiles curas? quid illas magnas Tragicæ vocis inſanias? quid nervos cum clamore miſſos?

Hæc etiamſi non eſſent ſimulacris dicata, obeunda tamen & ſpectanda non eſſent Chriſtianis fidelibus; quæ etſi non haberent crimen, habent in ſe & maximam & parum congruentem fidelibus vanitatem: nam illa altera dementia eſt manifeſta, otioſis hominibus negotiatio ſua ut vapulet; & prima victoria eſt ultra modum humani ventris eſurire potuiſſe, ſuper titulo coronæ edacis flagitioſæ nundinæ; ictibus infelix facies locatur, ut infelicior venter ſaginetur. Quam fœda præterea iſta luctamina? Vir infra virum jacens, & amplexus inhoneſtis nexibus implicatur. In tali certamine ſtare (videris quis vincat) pudor victus eſt. Ecce tibi alter nudus ſalit, alter orbem æneum contentis in aërem viribus jactat; hæc gloria eſt dementiæ: denique remove ſpectatorem, reddideris vanitatem. Fugienda ſunt iſta Chriſtianis fidelibus, ut jam frequenter diximus, tam vana, tam perniciosa, tam ſacrilega ſpectacula: & oculi noſtri ſunt, & aures cuſtodiendæ. Cito in hoc aſſueſcimus, quod audimus, ſcelere. Nam cum mens hominis ad vitia ipſa ducatur; ſibi quid faciet, ſi habuerit exempla naturæ corporis lubricæ, quæ ſponte corruit; quid faciet, ſi fuerit impulſa? Avocandus eſt animus ab iſtis.

Habet Chriſtianus ſpectacula meliora, ſi velit; habet veras & profuturas voluptates, ſi ſe recollegerit: & ut omittam illa quæ nondum contemplari poteſt, habet iſtam mundi pulcritudinem, quam videat atque miretur. Solis ortum aſpiciat, rurſus occaſum mutuis vicibus dies noctesque revocantem: globum Lunæ, temporum curſus incrementis ſuis decrementiſque ſignantem; aſtrorum micantium choros, & à ſummo de ſumma mobilitate fulgentes; anni totius per vices membra diviſa, & dies ipſos cum noctibus per horarum ſpatia digeſtos; & terræ molem libratam cum montibus; & profluа flumina cum ſuis fontibus; extenſa maria cum ſuis fluctibus atque littoribus: Interim conſtantem pariter ſumma conſpiratione nexibuſque concordiæ, extenſum aërem medium; tenuitate ſua cuncta vegetantem: nunc imbres contractis nubibus profundentem: nunc ſerenitatem refecta raritate revocantem; & in omnibus iſtis incolas proprios, in aëre avem, in aquis piſcem, & in terra hominem. Hæc inquam, & alia opera divina, ſint Chriſtianis fidelibus ſpectacula. Quod theatrum humanis manibus extructum iſtis operibus poterit comparari? magnis licet lapidum molibus extruatur, cruſta ſunt montium; & auro licet tecta lacunaria reluceant; aſtrorum fulgore vincentur: nunquam humana opera mirabitur, quiſquis ſe cognoverit filium Dei.

Dejicit ſe de culmine generoſitatis ſuæ, qui admirari aliquid poſt Deum poteſt. Scripturis, inquam, ſacris incumbat Chriſtianus fidelis; ibi inveniet condigna fidei ſpectacula. Videbit inſtituentem Deum mundum ſuum (*a*), & cum ceteris animalibus hominis illam admirabilem fabricam melioremque facientem: ſpectabit mundum in delictis ſuis: juſta naufragia (*b*), piorum præmia, impiorumque ſupplicia; maria populo ſiccata (*c*); & de petra rurſus populo maria porrecta (*d*): ſpectabit de cœlo deſcendentes meſſes, non ex areis (*e*): inſpiciet flumina tranſitus ſiccos refrænatis aquarum agminibus exhibentia (*f*): videbit in quibuſdam fidem cum igne luctantem (*g*); religione ſuperatas feras, & in manſuetudinem converſas (*h*): intuebitur & animas ab ipſa morte revocatas (*i*): conſiderabit etiam de ſepulcris admirabiles ipſorum conſummatorum jam vitas corporum redactas (*k*): & in his omnibus jam majus videbit ſpectaculum, diabolum illum qui totum detriumphaverat mundum, ſub pedibus Chriſti jacentem. Quam hoc decorum ſpectaculum fratres? quam jucundum? quam neceſſarium? intueri ſemper ſpem ſuam, & oculos aperire ad ſalutem ſuam. Hoc eſt ſpectaculum quod videtur etiam luminibus amiſſis; hoc eſt ſpectaculum, quod non exhibet Prætor, aut Conſul, ſed qui eſt ſolus, & ante omnia, & ſuper omnia, imo ex quo omnia, pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, [1] cui laus & honor in ſecula ſeculorum, Amen.

(*a*) *Gen.* 1. 26. (*b*) *Gen.* 7. 21. (*c*) *Exod.* 14. 22. (*d*) *Exod.* 17. 6. (*e*) *Exod.* 16. 4. (*f*) *Joſ.* 2. 17. (*g*) *Dan.* 3. 23. (*h*) *Dan.* 6. 10. (*i*) 4 *Reg.* 4. 35. (*k*) *Matth.* 27. 52.

[1] *Cui laus & honor.*] Oblitus inſtituti ſui ſcriptor hic perſonatus clauſulam Epiſtolarem omittit.

[1] DE DISCIPLINA ET BONO PUDICITIÆ.

Epiſtola Ignoti AUCTORIS.

ALiquas officiorum meorum partes non æſtimo præteriſſe, dum ſemper enitor, vel maxime quotidianis Evangeliorum tractatibus, aliquando vobis fidei & ſcientiæ per Dominum incrementa præſtare. Quid enim aliud in Eccleſia Domini utilius geri, quid accommodatius officio Epiſcopi poteſt inveniri; quam ut doctrina divinorum, per ipſum inſinuata collataque, verborum; poſſint credentes ad repromiſſum regnum pervenire cœlorum? Hoc certe mei & operis & muneris, quotidianum votivum negotium, abſens licet obtinere connitor; & per literas præſentiam meam vobis reddere conor. Dum vos ſolito more allocutionibus miſſis in fide interpello, ideo convenio, ut Evangelicæ radicis firmitate ſolidati, adverſus omnia diaboli prælia ſtetis ſemper armati. [2] Abſentem me non credam, ſi fuero ſecurus. [3] Veruntamen omnia quæ utiliter proferuntur, & æternæ vitæ ſtatum tractantibus vel definiunt, vel promittunt; ita demum fructuoſa ſunt, ſi ad emolumentum operis, divinæ indulgentiæ viribus, adjuventur. Non ſolum proferimus verba quæ de ſcripturarum ſacris fontibus veniunt, ſed cum ipſis verbis, preces ad Dominum & vota ſociamus, ut tam nobis quam vobis, & ſacramentorum ſuorum theſauros aperiat, & vires [4] ad implenda quæ cognoſcimus, tribuat. Periculum enim majus eſt voluntatem Domini cognoviſſe, & in Dei voluntatis opere ceſſaſſe.

Quamvis ergo ad multa vos negotia & ad divinæ monitionis præcepta, ſemper ut ſcitis exhorter, (quid enim mihi aliud votivum aut majus poteſt eſſe, quam ut per omnia perfecti ſtetis in Domino) tamen ut præcipue pudicitiæ clauſtra teneatis (quod & facitis) admoneo: ſcientes templum eſſe vos Domini, membra Chriſti, habitationem Spiritus ſancti, electos ad ſpem, conſecratos ad fidem, deſtinatos ad ſalutem; filios Dei, fratres Chriſti, conſortes Spiritus ſancti, nihil jam carni debentes, quaſi renatos ex aqua & pudicitia, [5] præter voluntatem (*a*) quam velle debemus ut noſtra ſit: præſtetur etiam propter redemtionem, ut corrumpi non poſſit, [6] quæ à Chriſto conſecrata ſit. Nam ſi Apoſtolus Eccleſiam ſponſam Chriſti (*b*) pronunciat: oro vos quanta pudicitia exigitur, ubi Eccleſia inter matrimonia ſponſa virgo præſtetur? Et ego quidem, niſi quod breviter vos admonere propoſui, latiſſimas ſatis puto, & locupletes pudicitiæ laudes proferre potui: ſed ſupervacuum duxi laudare eam diutius apud colentes. Vos enim illam ornatis dum geritis, & plures ejus laudes exercendo proferitis; facti ejus ornamentum, dum & illa veſtrum eſt, mutuo decore invicem fenerando. Illa vobis diſciplinam bonorum ſuggerit morum, vos illi miniſterium præſtatis operum ſanctorum. Nam & illa quantum & quid poſſit, per vos apparuit, & quid vos velitis, ipſa demonſtravit & docuit; copulatis in unum, duobus bonis mandatorum & rerum, ne quid mutilum videretur, ſi aut præcepta miniſteriis, præceptis miniſteria defuiſſent.

Pudicitia eſt honor corporum, ornamentum morum, ſanctitas ſexuum, vinculum pudoris, fons caſtitatis, pax domus, concordiæ caput. Pudicitia ſollicita non eſt cui placeat niſi ſibi: Pudicitia ſemper verecunda, dum innocentiæ mater eſt: Pudicitia ſemper ornatur ſolo pudore, bene ſibi tunc conſcia de pulchritudine, ſi improbis diſplicet: Pudicitia nihil ornamentorum quærit, decus ſuum ipſa eſt. Hæc nos commendat Domino, connectit Chriſto: hæc expugnat omnia de membris illicita deſideriorum prælia, pacem noſtris corporibus inducit: beata ipſa, & beatos efficiens apud quoſcunque habitare dignatur; quam nunquam accuſare poſſunt, nec qui eam non habent: venerabilis etiam hoſtibus ſuis, dum illam multo magis mirantur, qui eam expugnare non poſſunt. Sed ut matura & in viris probata ſemper, & à feminis appetenda; ſic inimica ejus impudicitia ſemper eſt deteſtanda: obſcœnum ludibrium reddens miniſtris ſuis, nec corporibus parcens nec animis. Debellatis enim propriis moribus, totum hominem ſuum ſub triumphum libidinis mittit: blanda prius, ut plus noceat dum placet: exhauriens rem cum pudore; hoſtis continentiæ, frequenter perveniens ad ſanguinem cupiditatum infeſta rabies, incendium conſcientiæ bonæ, mater impœnitentiæ, ruina melioris ætatis, contumelia generis, expugnans ſanguinis & familiæ fidem, alienis affectibus ſuos inſerens filios, in aliena teſtamenta ſobolem ignoti & corrupti generis inducens. Quæ plerumque extra ſexum ardens, dum ſe non continet intra conceſſa, parum ſibi putat ſatisfactum, niſi in virorum quoque corporibus non voluptatem novam quærat, ſed extraordinaria & portentoſa contra ipſam naturam ex viris per viros monſtra conquirat.

Sed enim pudicitia locum primum in Virginibus tenet, ſecundum in Continentibus, tertium in Matrimoniis. Verum in omnibus glorioſa eſt cum gradibus ſuis. Nam & Matrimoniorum fidem tenere laus eſt, inter tot corporis bella; & Matrimonio de continentia modum ſtatuiſſe, majoris virtutis eſt, dum etiam

(*a*) *Joh.* 1. 13. (*b*) 2 *Cor.* 11.

[1] *De diſciplina.*] In nullo MS. Epiſtolam hanc videre contigit.

[2] *Abſentem me non credam.*] *Pamelius ait*, Ita Gravius ad marginem & MS. pro, non credo.

[3] *Veruntamen omnia quæ utiliter proferuntur.*] *Pamelius ait*, Hoc ex iiſdem Gravius MS. pro eo quod alii, proferunt, non placet autem quod habet ſolus Manutius, viriliter.

[4] *Ad implenda quæ cognoſcimus.*] *Pamelius ait*, Hanc conjecturam Eraſmi ſequuntur Gravius, Manutius, & Morellius, poterat nomen, quaque', accipi pro quacunque, præſertim quum ſic legant etiam MSS.

[5] *Præter voluntatem quam velle debemus ut noſtra ſit.*] *Pamelius ait*, Ex Coſterio habeo, ut, pro, &, adhuc tamen totus locus obſcurus eſt. MS. cod. & in noſtra fit, ſed non placet.

[6] *Quæ à Chriſto conſecrata ſit.*] *Pamelius ait*, Hic iterum Coſterius: quia Chriſto. ſed vel Eraſmo teſte, ille ſenſus conſtat, & ſic legunt etiam MSS. cod.

[1] *Adul-*

etiam licita rejiciuntur. Certe ex utero ſanctitatem cuſtodiſſe, & infantem ſe uſque in ſenectutem in ſua ætate tota tenuiſſe admirandæ utique potentiæ eſt: niſi quod blandas corporis leges non noſſe, magis felicitatis eſt, notas jam viciſſe, virtutis eſt; ſic tamen ut & virtus iſta de domo Dei veniat, licet ſe in membris hominibus oſtendat.

Pudicitiæ, fratres, antiqua præcepta ſunt. Quare antiqua dico? quia cum ipſis hominibus inſtituta ſunt. Nam & ideo vir ſuus feminæ eſt, ut præter eundem alterum neſciat, & ideo viro reddita eſt mulier, ut ſubjecto quod fuerat ei proprium, nihil requirat alienum. Sic & duo, inquit, erunt in carne una (*a*), ut in unum redeat quod unum fuerat, ne ſeparatio ſine reditu occaſionem præſtet alterius. Inde & Apoſtolus: Caput mulieris pronunciavit virum (*b*), ut conjunctione duorum pudicitiam probaret. Nam ut alterius caput membris aptum non poteſt eſſe, ita & alieno capiti membra non ſua: caput enim ſuis convenit membris, & membra capiti ſuo; utraque naturali fibula in concordia mutua cohærent, ne qua oriente diſcordia de diviſione membrorum pactum divini fœderis rumperetur. Addit tamen & dicit: Quoniam qui uxorem ſuam diligit, ſeipſum diligit (*c*). Nemo enim carnem ſuam odio habet, ſed nutrit & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Caritatis cum pudicitia ex hoc magna præſcriptio, ſi uxores diligendæ ſunt à viris ſuis ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam; & ita uxores maritos debent diligere, ut Eccleſia diligit Chriſtum.

Hanc ſententiam Chriſtus quando uxorem dimitti non niſi ob adulterium dixit (*d*): interrogatus, tantum honorem pudicitiæ dedit. Hinc nata eſt illa ſententia: Adulteras non ſinetis vivere (*e*). Hinc Apoſtolus dicit: Hæc eſt voluntas Dei, ut abſtineatis vos à fornicatione (*f*). Hinc & illud dicit: Membra Chriſti, membris meretricis non eſſe jungenda (*g*). Hinc traditur ſatanæ in interitum carnis, qui proculcato jure pudicitiæ, vitia carnis exercet. Hinc merito regnum cœlorum non tenent adulteri; hinc eſt omne peccatum extra corpus eſſe, ſolum adulterum peccare in ſuum corpus: hinc ceteræ præceptoris auctoritates, quas nunc recolere omnes non eſt neceſſe, apud vos præſertim qui illas noſtis frequenter & facitis; quæ licet deſcripta non ſint, queruli tamen de his non poteſtis eſſe. [1] Adulter enim non habet excuſationem, aut habere potuit, quia ducere licebat uxorem.

Sed ſicut matronis jura præſcripta ſunt, [2] quæ ita ſunt nexæ, ut divelli inde non poſſint. Virginitas vero & Continentia extra jus omne ſunt; nihil ad virginitatem de matrimoniorum legibus pertinet, altitudine ſua tranſcendit omnes. Si ulla prava hominum auſa leges ſupergredi conantur, virginitas æquat ſe Angelis: ſi vero exquiramus, etiam excedit; dum in carne luctata victoriam etiam contra naturam refert, quam non habent Angeli. Virginitas quid aliud eſt quam futuræ vitæ glorioſa meditatio? [3] Virginitas neutri ſexus eſt: virginitas eſt perſeverans infantia: virginitas eſt voluptatum triumphus: virginitas filios non habet, ſed quod plus eſt, filiorum contemtum habet: non habet fœcunditatem, ſed non habet orbitatem: felix quod eſt extra partus dolorem, felicior autem quod eſt extra funerum filiorum calamitatem. Virginitas quid eſt aliud quam ſoluta libertas? maritum non habet dominum. Virginitas affectationibus omnibus ſoluta eſt: non matrimoniis eſt dicata, non ſeculo, non liberis. Perſecutionem non poteſt timere, dum illam de ſecuritate poteſt provocare.

Sed quia pudicitiæ nobis breviter ſunt expoſita præcepta, jam pudicitiæ ponamus exemplum. Plus enim proficitur, cum in rem præſentem venitur: nec de virtute dubitabitur, quando quod præcipitur, exemplis etiam ſignatur. Exemplum pudicitiæ à Joſeph cœpit (*h*). Adoleſcens Hebræus generoſus de patre, generoſior de innocentia, ob invidiam revelationum [4] diſtractus à fratribus Iſmaelitis, in domum devenerat hominis Ægyptii; obſequio & innocentia & tota ſervitutis fide facilem & benevolum in ſe animum ſui provocaverat domini, cujus faciem tam ſermo liberalis, quam ætas omnibus commendaverat. Sed iſta generoſitas ab uxore domini aliter quam decebat accepta eſt: in domus parte ſecreta, & ſine arbitris, alta & facinoribus accommoda; putavit ſe pudicitiam adoleſcentis incontinens mulieris impudicitia, nunc promiſſis, nunc minis poſſe ſuperare. Et cum retentus eſt veſtibus, eo quod moliretur fugam, propter tanti facinoris audaciam ipſas veſtes relinquens, & corporis nudi ſinceritatem habiturus innocentiæ teſtem; [5] ad crimen impudicitiæ ſuæ imprudens mulier adjicere non dubitavit calumniam: & ceteris & marito, ſqualida & fervens, ſpreto deſiderio ſuo, conqueſta eſt dolore ſimulato, quod Hebræus adoleſcens vim ſibi molitus fuiſſet inferre, quam ipſa conata fuerat irrogare. Maritalis ardor rerum inſcius, & uxoris accuſatione graviter inflammatus incenditur. Pudicus vero juvenis, quia delicto conſcientiam non miſcuit, in imum carceris truditur. Sed ſola non eſt in carcere pudicitia: nam eſt cum Joſeph Deus, & nocentes dantur in manu ejus, quia innocens fuerat. Somniorum præterea obſcura diſſolvit, quia ſpiritus in tentatione vigilabat; & per dominum liberatur à vinculis. [6] Qui in domo minor cum periculo fuerat; regiæ domus ſine periculo dominus effectus eſt: generoſitati ſuæ redditus, fructum pudicitiæ & innocentiæ, Deo judice, à quo meruerat, accepit.

Sed non minus ex parte diverſa, aliud nobis pudicitiæ ſimile de continentia feminarum exoritur exemplum.

(*a*) *Matth.* 19. 6. (*b*) 1 *Corinth.* 11. 3. (*c*) *Epheſ.* 5. 23. 29. (*d*) *Matth.* 5. 32. (*e*) *Levit.* 20. 10. (*f*) 1 *Theſſal.* 4. 3. (*g*) 1 *Cor.* 6. 9. 15. (*h*) *Gen.* 39. 7.

[1] *Adulter enim non habet excuſationem.*] *Pamelius ait*, Hoc rurſum ex Tertull. de Pudicitia, non procul ab initio, referens ad excuſationem peccati, quod ille male juxta ſuum errorem ad excuſationem veniat.

[2] *Quæ ita ſunt nexæ, ut divelli inde non poſſint.*] *Pamelius ait*, Locus pro matrimonii indiſſolubilitate. Eſt autem locus ille mutilus, quod etiam aſteriſco adnotavit Manutius. Proſequuntur quidam codices MSS. alia diſtinctione quæ ſequuntur, in hunc modum. Altitudine ſua tranſcendit omnes. Si ulla prava hominum leges auſa ſupergredi conantur, virginitas æquat ſe angelis Dei. Sed nec ſic ſatisfaciunt.

[3] *Virginitas neutri ſexus eſt.*] *Pamelius ait*, Gravius ad marginem, & codex S. Pantaleonis, neuter, ſed prius placet.

[4] *Diſtractus à fratribus.*] Diſtrahere eſt rem auctioni expoſitam, non uni addicere; ſed pluribus varia in loca adportantibus divendere. Eatenus diſtrahebatur Joſephus, quod à fratribus non ſingulari alicui domino, ſed catervæ Midianitarum negotiatorum, venundatus eſſet.

[5] *Ad crimen impudicitiæ.*] *Pamelius ait*, Optime ſic MSS. codices, pro, pudicitiæ.

[6] *Qui in domo minor.*] Recte etiam hoc MSS. codices pro, minori, neque enim in minori, ſed in majori erat periculo ibi Joſeph.

plum. Fuit, ut legimus, Suſanna (*a*) filia Helciæ, uxor Joachim pulcherrima, pulcrior moribus. Hanc nullum ad decorem commendabat ſpecies; ſimplex enim erat. Excoluerat pudicitia, & cum pudicitia ſola natura. Hanc è ſenioribus duo cœperant deperire, nihil memores nec divini timoris, ſed nec ſuæ annis jam marceſcentis ætatis; ita illos in flagrantia tranſactæ juventutis incendia, redivivæ libidinis flamma revocabat: Pudicitiæ latrones amorem profitentur, ſed oderant. Reſiſtenti minantur calumnias, adulterii ſe dicunt accuſatores voto adulteri. Inter quos libidinis ſcopulos auxilium de Domino petebat, quia viribus corporis repugnare non valebat. Et exaudivit de cœlo clamantem ad ſe pudicitiam Dominus; & cum iniquitate oppreſſa duceretur ad pœnam, vidit inimicorum liberata vindictam. Bis victrix, & in periculo ſuo tam funeſte toties conſepta, & libidinem evaſit, & mortem. Infinitum erit ſi exempla proſequar plura: his duobus contentus ſum, præſertim cum omnibus ſit viribus per iſtos pudicitia defenſa.

Non illos emollire potuit in vita generoſi ſanguinis memoria, quæ in quoſdam licentia laſciviæ eſt miniſtra: non decor corporis, & apte poſitorum figura membrorum, quæ ſuggerit plerumque [1] ut, quaſi flos quidam, properans velociter tranſituræ ætatis, porrecta voluptatis occaſione paſcatur: non anni primi virentis, ſed majoris ætatis; cum rudis adhuc ſanguis æſtuans, naturæ flammas accendat, & in medullis verſata cæca incendia ad remedium, verum etiam per periculum pudoris itura: non ulla latebrarum & ſine ullo conſcio, quæ tuta quibuſdam putatur, occaſio; quæ maxima vis eſt admittendi ſceleris, cum deliberationibus occurrit impunitas. Non poſita neceſſitas de auctoritate jubentium, & in temeritate participum atque ſociorum; quo genere franguntur etiam ſæpe recta conſilia. Non præmia ipſa & bonitas, non accuſationes, non minæ, non pœnæ, non mortes; nihil tam ſævum, tam durum, tam triſte, quam cecidiſſe de alto pudicitiæ gradu. Digni tanto judicis divini præmio, quorum alter regio pene throno illuſtraretur, altera concordia mariti dotata inimicorum mortibus redimeretur. Hæc ſunt & his ſimilia ſemper nobis ante oculos exempla ponenda, his paria diebus noctibuſque meditanda.

Nihil animum fidelem ſic delectat, quam integra immaculati pudoris conſcientia. Voluptatem viciſſe, voluptas eſt maxima: nec ulla major eſt victoria, quam ea quæ de cupiditatibus refertur. Qui hoſtem vicit, fortior fuit, ſed altero; qui libidinem repreſſit, ſeipſo fortior fuit: qui inimicum proſtravit, externum hoſtem percuſſit; qui cupiditatem depreſſit, hoſtem domeſticum ſuperavit. Malum omne facilius vincitur quam voluptas: quia illud quicquid eſt, horridum eſt; hoc blandum eſt. Nihil tam difficile opprimitur, quam quod per illud armatur. Qui cupiditates tollit, & metus ſuſtulit; nam ex cupiditatibus metus veniunt. Qui cupiditates vincit, de peccato triumphat: qui cupiditates vincit, malum generis humani ſub pedibus ſuis jacere oſtendit: qui cupiditates vicit, pacem ſibi perpetuam dedit: qui cupiditates vicit, libertatem ſibi, quod etiam eſt ingenuis difficillimum, reddit. Meditanda ergo nobis, fratres, ut res docent, ſemper pudicitia: quo facilior ſit, nullis artibus conſtat. [2] Quæ enim illa conſummata voluntas, quæ niſi impediretur, longe eſt, ſed noſtra eſt: ita non eſt acquirenda, ſed fovenda quæ noſtra eſt.

Quid enim eſt aliud pudicitia, quam mens honeſta ad cuſtodiam corporis data; ut ſexibus reddjtus pudor, ſeveritate ſignatus, fidem honoris de incorrupta ſobole ſervaret? Pudicitiæ autem, fratres, competunt & cogniti ſunt in primis divinus pudor, & præceptorum ſancta meditatio, & animus propenſus ad fidem, & mens attonita ad ſacram religionem: [3] deinde videre, ne quid in ſe ultra modum ſculptum, ultra honeſtatem productum, ne quid proditum, ne quid arte fucatum, ne quid ad irritandos, aut redintegrandos dolos lenocinatum. Non eſt pudica quæ affectat animum alterius movere, etiam ſalva corporis caſtitate. Longe abſint quibus pulchritudo non ornatur, ſed proſtituitur. Nam ſollicitudo de pulchritudine, & malæ mentis judicium & deformitatis eſt. Sit natura corporis libera, nec divinis operibus inferatur vis. Semper eſt miſera, quæ ſibi non placet qualis eſt. Quid capillorum mutatur color? [4] quid oculorum extremitates ſuffuſcantur? quid facies artibus in diverſam formam convertitur? quid poſtremo ſpeculum conſulitur, niſi quia ne ipſa ſit timetur? Cultus etiam mulieris pudicæ pudicus ſit: adulterium fidelis nec in coloribus noverit. Veſtibus aurum intexere, quaſi pretio eſt veſtes corrumpere. Quid inter fila ſtaminum delicata, rigida faciunt metalla? niſi ut fluentes humeros premant, & luxuriam infeliciter animi jactantis oſtendant? quid cum cervices peregrinis lapidibus urgentur, & abſconduntur; quorum pretia etiam ſine artibus [5] Kalendarium cujuſvis excedunt? Non ornatur mulier, ſed vitia mulieris oſtenduntur. Quid cum digiti tali auro onerati, nec intrare poſſunt, nec egredi; utrum uſus expoſcitur, an patrimoniorum inanis pompa monſtratur? Mirum negotium, mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum ſarcinas fortiores ſunt viris.

Sed ut repetam quæ cœperam, colenda ſemper pudicitia viris & feminis, omni cuſtodia ſervanda eſt intra limites ſuos. Cito natura corporis periclitatur in cor-

(*a*) *Dan.* 13.

[1] *Ut quaſi flos quidam properans velociter tranſituræ ætatis.*] *Pamelius ait*, Pulcre ſic reſtituit hunc locum Gravius, pro eo quod alii legunt quaſi flos quidem properans velociter tranſire ætatis. Nam & conſentiunt MSS. codices, qui etiam legunt, porrectæ, pro eo quod alii, porrecta.

[2] *Quæ enim conſummata illa voluntas.*] *Pamelius ait*, Gravius in margine, voluptas; ſed neque hoc perſpicuum locum reddit.

[3] *Deinde videre nequid in ſe ultra modum ſculptum.*] *Pamelius ait*, Hæc ex initio mutuatus eſt libri Tertull. de Cultu Fem. ubi docet etiam in cultu conſiſtere pudicitiam, quod ipſum ſupra tractavit lib. de Diſcipl. & Hab. virg. Cyprianus; ubi latius de ſimilibus Tertulliani locis. Atqui recte Eraſmus conjecit legendum: lenocinatur pro, lenocinantium.

[4] *Quid oculorum extremitates ſuffuſcantur.*] *Pamelius ait*, Ita cenſet legendum Eraſmus, pro eo quod habebat vetus excuſus codex, ſuffocantur, eo quod, inquit, ſtibio nigror oculis addi ſoleat: verum ſi legatur ſuffucantur, aut fucantur, accedet magis ad illud Cypriani libro cit. Oculos circumducto nigrore fucare.

[5] *Kalendarium cujuſvis excedunt.*] Similiter Tertullianus de habitu muliebri uno lino decies ſeſtertium inſumitur, ſaltus & inſulas tenera cervix fert, graciles aurium cutes Kalendarium expendunt, & in ſiniſtra per ſingulos digitos de ſingulis ſaccis ludit: & ſeipſum explicans, hæ ſunt vires, inquit, ambitionis tantarum uſurarum ſubſtantiam uno & muliebri corpuſculo bajulare. Kalendarium enim ſeu Kalendarii liber (ut nuncupatur à Seneca Epiſt. 88.) & tabulas domeſticas ſignificat, quibus adnotantur, quæ in ſingulos menſes accipiuntur, & eas in quibus proſcriptæ erant uſuræ ad Kalendas exigendæ, ſicut rectè adnotavit Rhenanus: Ulpianus enim & Africanus Jurisconſulti, poſteriori hac ſignificatione utuntur. Quare non eſt neceſſe confugere ad conjecturam Eraſmi, ut legatur, cilindrorum onus excedunt.

corpore, dum rapit illam ſecum caro, quæ ſemper in lapſu eſt. Sub prætextu quippe naturæ quæ homines ſemper urget ad affectus, quibus ruinæ collapſi generis reſarciuntur; blandimento voluptatis fallens, non ducit ad continentiam legitimæ conjunctionis ſobolem, ſed jactat in crimen. Ergo contra has carnis inſidias, quibus ſe diabolus & ſocium ingerit & ducem facit, obluctandum eſt omni genere virtutis. Aſſumatur ſecundum Apoſtolum Chriſti opera, & à conſortio carnis quantum poteſt animus colligatur: ſeparetur conſenſus à corpore, vitia ſemper caſtigentur ut odiantur: ante oculos obverſetur deformis iſte atque dejectus peccati pudor. Pœnitentia ipſa cum luctibus ſuis commiſſorum criminum inhoneſta conteſtatio eſt. Nihil conſideretur curioſe in alienis vultibus? Sermo & brevis ſit, & ſobrius riſus, ſignum eſt enim animi facilis & remiſſi: nam contactus recedat etiam honeſtus. Nihil corpori liceat, ubi vitandum eſt corporis vitium. Cogitetur quam honeſtum ſit viciſſe dedecus, quam inhoneſtum victum eſſe dedecore.

Dicendum etiam, quod adulterium voluptas non eſt, ſed mutua contumelia: nec delectare poteſt, quod & animam interficiat & pudorem. Coerceat animus ſtimulos carnis, refrænet impetum corporis. Accepit enim hanc poteſtatem, ut illi ad imperium ejus membra ſervirent; & quaſi legitimus ac perfectus auriga, ultra conceſſas corporis metas extollentes ſe carnis impetus, cœleſtium præceptorum habenis reflectat; ne ultra terminos ſuos currus iſte corporis raptus, in periculum ſuum ſecum & ipſum rapiat aurigam. Sed inter hæc, imo & ante hæc, contra turbas & vitia omnia de divinis caſtris auxilium petendum eſt: ſolus enim potens eſt Deus qui homines dignatus eſt facere, & plena hominibus auxilia præſtare. Ego pauca dictavi, quoniam non eſt propoſitum volumen ſcribere, ſed allocutionem tranſmittere. Vos ſcripturas aſpicite, exempla vobis de ipſis præceptis hujus rei majora conquirite. Fratres cariſſimi, bene valete.

DE LAUDE MARTYRII

ad Moyſen & Maximum vulgo inſcripta ORATIO.

ETſi incongruens eſt, fratres cariſſimi, [1] in hoc favore dicendi aliquid trepidationis adferre, minimeque deceat gloriam tantæ devotionis infringere, ex eo quod fatear me cepiſſe dubitare: tamen identidem dico, ipſa animum deliberatione confringi (*a*); qui exequendæ laudis cupiditate ſuccenditur, & a loquendo magnitudine virtutis inhibetur: cum aut non deceat tacere, aut periculoſum ſit parum dicere; niſi quod hæc æſtuanti res ſola ſubvenit, quod videatur ei facile ignoſci poſſe, qui non timuit audere. Quam ob rem, cariſſimi fratres, tot tantiſque rebus etſi potentia (*b*) rei oneratur facultas ingenii, ut quantum ſe in exprimenda martyrii dignitate protulerit, tantum ipſo pondere laudis oppreſſa, atque æſtimatione rerum omnium, de quibus cum maxime loquitur, debilitata ac fracta, intra ſe ipſa illaqueata oratione deficiat; nec habenis liberis ac ſolutis in apertum ſermonis eloquium vim tantæ laudis (*c*) expromat; tamen erit aliqua, niſi fallor, in eloquendo facultas (*d*), quæ ipſius operis oratione munita (*e*) [2] large fundat (*f*), [3] quod à dicendo impar ingenii conſcientia ſubmoveat. Cum igitur, fratres cariſſimi, tot tantiſque rebus impliciti, ad comprobandos (*g*) ſalutis eximios pulcherrimoſque proventus, omni ſtudio ac labore nitamur; non vereor, ne quo ignaviæ metu territus vel revocer, vel extinguar: cum ſi quis ad id voluerit, de quo agimus, intueri, ſpe devotionis expenſa, atque ipſa ejus magnitudine ponderata, magis miretur audere potuiſſe, in quo me poſitum & amplitudo rei premeret, & confuſam gaudio mentem in auguſtias animi voti ſui fervor urgeret. Nam & quis eſt, quem non iſta res terreat? quis, quem non admirationis ſuæ pavore ſubvertat? Eſt enim profecto, niſi fallor, etiam in ipſo conſcientiæ robore admiranda formido (*h*), quæ nos exagitet pariter & inflammet. Cujus quanto penitius inſpexeris poteſtatem, tanto ex ipſo venerandæ claritatis aſpectu, religionis ſuæ præmittat horrorem (*i*).

Conſiderare enim utique debetis, [4] quantæ ſit gloriæ, vitæ quamlibet maculam, & ſordes polluti corporis, & longa vitiorum tabe concreta contagia, tantoque temporis tractu mundi crimen exceptum, unius ictus remediis expiare: quo & augeri merces, & crimen poſſit excludi. Unde omnis conſummatio & ſtatus vitæ in martyrio eſt collocatus. Hoc fundamentum vitæ & fidei, hoc præſidium ſalutis, hoc vinculum libertatis & honoris: & quamvis ſint & alia per quæ adipiſci lux poſſit, tamen ad proximitatem muneris repromiſſi, pœnis melius patrocinantibus pervenitur. Quantæ enim ſit gloriæ ponderate, hujus vitæ cupi-

(*a*) Ipſa animi mei deliberatione confringi: nam, *Lam. Ebor. NC.* 1. confringam, *Thu.* (*b*) Quamobrem etſi potentia, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*c*) Tantæ laudis exprimat, *Lam. Lin.* (*d*) Eloquendo fides, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin.* (*e*) Ratione munita, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*f*) Vage fundat, *Lam. Lin. Ebor. NC.* 1. (*g*) Corroborandos, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*h*) Fortitudo, *Lam.* (*i*) Honorem, *Lam. Ebor. NC.* 1. *Lin.*

[1] *In hoc favore dicendi.*] Exercendi ſtyli gratia hæc videntur ſcripta, cum plenos theatri cuneos, & populi ſtrepitum ſibi repræſentat Orator. Inepte ergo librarius ut pretium operi adderet, Moyſis & Maximi & Confeſſorum in Deciana perſecutione nomina appoſuit; quæ quidem in codicibus vetuſtis Lambethano, Eboracenſi & N.C. omittuntur.

[2] *Large fundat.*] *Pamelius ait*, Iſtud habeo ex Affligin. cod. pro vage fundat, adhuc tamen locus obſcurus eſt.

[3] *Quo à dicendo impar ingenii conſcientia ſubmovebat.*] *Pamelius ait*, Cambronen. cod. quod ad dicendum par ingenii conſcientia commoveat. Quam poſtremam vocem habent etiam vulgati exc. codices.

[4] *Quantæ ſit gloriæ, vitæ quamlibet maculam* &c.] *Pamelius ait*, Cambr. codic. non male, quanta ſit gloriæ virtus, quam licet maculati cordis & polluti corporis licet modice injuſta contagia. Accedens proprius ad corruptam Affligin. & exc. cod. lectionem: ſed prior placet magis. Confirmat vero Cambronenſis codex, quod habent Manutius & Morelius: ictus pro, ictu.

cupiditatibus (*a*) atque ab omni animum natura, mundique commercio ſegregatum, contra adverſantis diſcrimen opponere, nec ſævitiam torquentis horrere: animari hominem dolore, quo credatur extingui; & id ſibi in augmentum virtutis aſſumere, quod cruciatui putat prodeſſe, qui punit. Nam prædurantibus licet coſtis reſultans ungula recurrat in vulnus, & euntibus flagris cum avulſa corporis parte rediens habena ducatur; ſtat immobilis tamen pœnis ſuis fortior, hoc ſolum ſecum ipſe convolvens; quod in illa crudelitate carnificum, plus, pro quo patitur, Chriſtus, quam ipſe patiatur. Nam quando, ſi negaverit Dominum, pro eo crimen ſubeat, pro quo viciſſe debebat; neceſſe eſt eum videri cuncta tolerare, cui victoria debetur ex (*b*) pœna.

Igitur quoniam res ſumma martyrium eſt, tria ſunt quæ ex eo nobis propoſuimus eſſe dicenda: Quid ſit (*c*), quantum ſit, cui rei proſit. Quid eſt ergo martyrium? Delictorum finis, periculi terminus, dux ſalutis, [1] patientiæ magiſter (*d*), [2] domus vitæ, quo profecto etiam ea occidunt, quæ in futuro diſcrimine potuiſſent tormenta reputari. Per hoc & teſtimonium nomini redditur, [3] & majeſtas nominis redampliatur; non quod per ſe ipſa minui poſſit, vel de ſcelere detrectantis (*e*) magnitudo ejus infringi, ſed quod redundet ad gloriæ cumulum, dum circumſtrepentis populi terror impavidos animos dat dolori; & minis frendentis invidiæ addit ad titulum quod ſibi mens creſcat in pugna, quantum ſe ille putaverit vincere, per quem Chriſtum hominem voluerit coronare. Tunc ergo omne fidei robur expenditur, tunc credulitas comprobatur, cum in ſermones vulgi atque in opprobrium veneris: cumque te contra illas populares inſanias religioſa mente firmaveris, convincens ſcilicet ac repugnans, quidquid ſuper perſona tua in injuriam Chriſti profanus ſermo jactaverit. Ut cum adverſo mari moles oppoſita reluctatur, feriant licet fluctus, & revolutum æquor identidem pulſet; tamen hæret immobilis virtus, nec undis circumſpumantibus adoperta ſuccumbit, donec per ſcopulos vis digeſta ſe ſupprimat, & ſuperjacens ſaxis in aperta litoris ſpatia victum æquor evadat. Quid enim eſt in illis aliud quam ſermo vacuus, & inane colloquium, & inanium voluptas prava verborum? ſicut ſcriptum eſt: * Oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt. Gravatum eſt cor inſipiens eorum, ne quando convertantur & ſalvem illos (*f*). Non enim dubium eſt, quin hoc de omnibus dixerit, quorum dura mens ſemper, & obſtinata pectoris feritas, à devotione vitali fugata diſſentit, ducente dementia, furore rapiente, omni denique illos immanitate vexante, qua inſtigantur pariter ac feruntur: ut cum illis ad pœnam ſua facta ſufficerent, pœnam ipſam perſecutionis agitatæ crimen oneraret.

Totum hoc in laudem martyrii ſpectat, totum gloriam paſſionis illuminat; in quâ ſpes futuri temporis cernitur, in qua Chriſtus ipſe operatur, cujus aguntur exempla quæ petimus: cujus & virtus eſt, qua repugnamus. Et quia in hoc loco aliquid proferre ſuppetit, ſumma nimirum eſt iſta atque admiranda dignatio, & quam nec mente concipere, nec verbis valeamus implere. Quid enim nobis amplius potuiſſet larga pietate largiri, quam ut in ſe primus oſtenderet, quid in aliis coronaret? Mortalis factus eſt, ut immortales eſſe poſſemus: & humanæ ſortis exitum (*g*) pertulit, per quem reguntur humana; ut nobis videretur præſtitiſſe quod paſſus eſt; confeſſionem tribuit, martyria ſubjecit: omnia denique quibus lux ſupprimi (*h*) poſſet, in remedium ſalutare nativitatis ſuæ meritis relegavit, humilitate præcipua, virtute divina. Cujus rei quique digni eſſe meruerunt, caruerunt omni hac mundi teterrima labe, ſubactæ mortis conditionem vicerunt. Non enim dubium eſt quantum à Domino conſequantur, qui ſaluti ſuæ nomen Dei prætulerunt, ut in illa judicii die meliores cruor faceret, [3] quos ſanguis (*i*) ſuus martyres eſſe monſtraret. Mors quippe integriorem facit vitam, mors magis deducit ad gloriam. [4] Sic quotieſcunque jacentibus ſtipulis (*k*) diſtenta imbribus frumenta turgeſcunt, fœcundæ meſſes coquuntur æſtate (*l*): Sic quotiens ferro vitis abſcinditur erumpentibus pampinis, melius uva veſtitur; nam & in augmentum proventuri temporis cedit, quidquid injuria ſua proficit. [5] Flammas quippe plerumque agris juvit immittere, quo calore vagantis incendii cæca terræ ſpiramenta laxentur: juvit leves ſtipulas crepitanti igne torrere, ut ſe altius gravida ſeges tollere, parturientibus culmis denſior ariſta valeat florere (*m*). Igitur talis & martyrii primo caſus, poſtmodum fructus eſt, qui morte vitam condemnat, ut vitam morte cuſtodiat.

Quid enim tam eximium atque ſublime eſt, quam inter tot inſtrumenta carnificum devotione robuſta cunctam fidei reſervare virtutem (*n*)? quid tam magnum atque pulcherrimum, quam inter tot circumſtantium gladios, libertatis ſuæ Dominum ac ſalutis auctorem, repetita ſæpius voce profiteri? Et maxime ſi ante oculos tuos ponas, nihil deteſtabilius eſſe dedecore, nihil fœdius ſervitute, nihil aliud te debere jam petere, aliud optare, quam eripiendum eſſe cladibus ſeculi, exuendum malis mundi, & inter ruinas orbis jam jamque perituri, alienum à terrena contagione verſari? Quid enim tibi cum hac luce, cui lux æterna promiſſa eſt? quid cum hoc vitæ naturæque commercio, quem cœli amplitudo depoſcit? Sane teneat cupiditas iſta vivendi, ſed quos inexpiabili malo ſæviens ignis æterna ſcelerum ultione torquebit: teneat cupiditas iſta vivendi, ſed quibus & mori pœna eſt, & durare tormentum. Tibi jam & mundus ipſe ſuccumbit, & terra cedit, qui morientibus cunctis ad hoc reſervatus es, ut martyr eſſe potuiſſes. An non quotidiana cernimus funera? cernimus novos exitus

(*a*) Relevatis, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*b*) *Sic*, *Lam. Ebor. NC.* 1. &, *Imp.* (*c*) Quid ſit hoc, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*d*) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. (*e*) Iter patientiæ, magiſter domus vitæ, *Imp.* (*f*) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. tractantis, *Imp.* (*g*) Sanem, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*h*) Exitium, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*i*) Opprimi, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*k*) Et ſanguis ſuus eſſe, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*l*) Latentibus ſtipulis, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*m*) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Imp.* coguntur. (*n*) Ariſta floreat, *Lam. Ebor. NC* 1. (*o*) Reſerare, *Lam. Ebor. NC.* 1.

* *Pſal.* 113. 5.

1 *Iter patientiæ, magiſter domus vitæ.*] *Pamelius ait*, Hæc utriuſque MS. lectio placet, eo quod antea, perverſa tamen diſtinctione, legebatur in excuſis vulgatis, iter patientiæ magiſter, domus vitæ. Alii omittunt vocem, iter.

2 *Domus vitæ, quo profecto.*] Ad quam domum proficiſcenti.

3 *Et majeſtas nominis redampliatur.*] *Pamelius ait*, Huic etiam lectioni vulgat. conſentiunt MSS. pro quo illi, ampliatur. Similes voces reperiuntur: recorporatio, redanimatio, apud Tertul. lib. de reſurrect. Carn. Sequentia certe illi recte reſtituerunt.

4 *Quos ſanguis ſuus Martyres eſſe monſtraret.*] *Pamelius ait*, Hoc ſic reſtitui ex Cambron. cod. pro eo quod duntaxat: ſanguis ſuus (vel vivos) eſſe monſtraret.

5 *Sic quotieſcunque jacentibus ſtipulis.*] *Pamelius ait*, Ita etiam ex eodem hunc locum reſtitui: Nam veram eſſe eam lectionem tum probat experientia, tum quod alioqui non eſſet apta comparatio. Antea erat, latentes, pro quo Manutius & Morelius, lætantibus.

6 *Flammas plerumque agris juvit immittere.*] *Pamelius ait*, Cambronenſis & hic & poſtea: libet, ſi legamus, libet, accedet propius ad lectionem prius excuſorum & Affliginien. codicis, jubet. Latius de his in Georgicis Virgilius.

1 *Stan-*

exitus diuturnos factos ex sævientibus morbis (*a*); inexpertæ cujusdam cladis exitia, ac strages populatarum urbium intuemur, ut possimus (*b*) agnoscere quanta martyrii habenda sit dignitas, ad cujus gloriam nos cogere etiam lues cœpit.

Etenim, carissimi fratres, respicite ad hoc quæso vos plenius, in quo & salus vertitur & sublimitas computatur; licet non sim nescius, etiam vos plenissime nosse, [1] stantium omnium nos judiciis contineri; neque ignorare hanc esse nobis traditam disciplinam, ut sine ullo terrore militiæ, vim tanti nominis tueamur: quippe quos pridem à desiderio lucis istius cupiditas æternæ memoriæ deduxerit, quos futurorum vota devellerint (*c*), quosque ab omnibus vitiis optanda Christi societas segregarit: nisi si exitio succumbere, morti animam dubitamus offerre: nec jam retinenda sunt nobis, & amplectenda beneficia divina; quorum ultra rerum ardorem tanta sit merces, quantum in dicendo humana mediocritas vix possit implere. Sanguini nostro patet cœlum: sanguini gehennæ cedit habitaculum. Et inferiorum omnium gloria pulcrior sanguinis titulus, & integrior corona signatur. Sic quotiens de hoste triumphalibus spoliis onustus miles ingreditur, vulneribus suis gaudet. Sic quotiens tempestatibus diu nauta fatigatus littora tuta contigerit, felicitatem suam de perpesso periculo ducit. Est enim profecto, nisi fallor, labor lætus, per quem securitas invenitur. Igitur toleranda sunt omnia, patienda cuncta, nec appetendum quo modico gaudeas tempore, & perpetuo puniaris ardore. Meminisse enim debes, velut quadam te fœderis pactione constrictum, ex qua aut capessendæ salutis sit justa conditio, aut pœnæ meritæ formido. Stas inter adversa pariter ac prospera, arma inter & tela, hincque te secularis ambitio, inde cœlestis admonet magnitudo. Si salutem times perdere, scito te mori posse. Porro autem contemnenda tibi mors est, cui Christus occisus est. Ante oculos tibi quæso concurrant Dominicæ passionis exempla: concurrant oblata & præmia, & parata discrimina: & quantam inter se habeant difficultatem, res utrasque conspicito; nec enim poteris confiteri, nisi scias quantum noceas (*d*), si negaris. Cœlo Martyres gaudent, veritatis inimicos ignis absumit, Paradisus Dei testibus floret, [2] negatores gehenna complexa, æternus ignis inardescit.

Et ut de ceteris taceam, hoc nos utique magis debet hortari, quod confessio vocis unius Christi perpetua confessione servetur: sicut scriptum est: [3] Qui α me confessus fuerit in terris coram hominibus, & ego confitebor eum coram patre meo, & coram angelis ejus. Adhuc accedunt ad gloriæ cumulum ornamenta virtutum: ait enim: Fulgebunt ϛ justi, tanquam scintillæ in arundineto discurrentes: judicabunt nationes, & dominabuntur populis. Magna est enim, fratres carissimi, claritas, viam salutis æternæ honestate passionis ornare; magna sublimitas ante ora Domini aspectumque Christi, potestatis humanæ tormenta contemnere, nec horrere. Sic Daniel γ minas regis & leonum frementium rabiem per constantiam fidei (*e*) suæ vicit, dum adorandum nullum alium esse quam Deum credidit. Sic in camino pueris constitutis in se arsit incendium, dum ignes justi tolerant; quod (*f*) de gehenna, Domino credendo, metuebant. Unde & retulere condigna, non in posterum tracti, non salutis æternæ præmio reservati. Fidem illorum Deus vidit, ut quod sibi post exitum promiserant, videre mererentur in corpore: nec enim poterit æstimari quanta in præsenti tributa (*g*) sit merces. Si sævitia fuit, cessit, si flamma, constitit (*h*). Erat enim una mens omnibus, quam nec violentia frangeret, nec ira subverteret, nec à devotionis obsequio timor mortis inhiberet. Unde per gratiam Domini factum est, ut sic in illis rex potius videretur punitus esse, dum evadunt quos se crediderat occidere.

Nunc jam ad eam rem, fratres carissimi, veniam; ex qua ostendere satis possum, quanta martyrii virtus habeatur; quæ tametsi est omnibus nota, [4] proque ingenitæ claritatis insignibus expetenda, tamen plus addidit necessitas temporis desiderio voluptatis (*i*). Etenim est in muneribus magnis (*k*), si eo tempore quis coronetur, quo coronatum se putat, si forte moriatur. Igitur cum sit sublime excelsumque martyrium; nunc magis est necessarium, quando mundus ipse subvertitur, partimque orbe concusso natura deficiens ultimi exitus monumenta testatur. Nam & cum cœlo imber incumbit, pluvias aer tristis ostendit (*l*), & quotiens atra tempestas horrenti imminet pelago, per inter apertam nubium noctem coruscа ignium fulmina reluceſcunt: sed & cum magnis mare fluctibus volvitur, paulatim unda se tollit, paulatimque æquor albescit; donec cernas ita postmodum ruere, ut illisis (*m*) quibus retunditur saxis, spumam altius jaciat, quam undam tumidum pelagus expuebat. [5] Legis scriptum esse, δ usque quadrantem (*n*) nos ultimum reddere: (*o*) sed hæc pars ablata martyribus. Etenim qui salutis æternæ cupiditatibus freti, vitæ hujusce desideria vicerunt, hos expertes doloris universi, Domini propitiatio coronat (*p*).

Igitur hic primum, carissimi fratres, poterimus exponere, quanta martyrii virtus possit impleri. [6] Atque, ut transeam cuncta, meminisse debemus, quanta sit gloria ad Christum immaculatum venire, consortem passionis existere, perpetuaque cum Domino æternitate regnare, carere exitiis imminentibus seculi, nec inter cruentam morborum populantium stragem in communi cum ceteris sorte miscери. Atque ut

(*a*) Exitus corporis diu tractati, *Lam. Ebor.* (*b*) Unde possimus, *Lam. Ebor. Lin.* (*c*) Diu fefellerint, *Lin.* (*d*) Noceat, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*e*) Per substantiam fidei, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (*f*) Quos, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (*g*) Præsenti tribulatione, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*h*) Consedit, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*i*) Desiderio voluntatis, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*k*) Est muneris magni, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*l*) Prætendit, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (*m*) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Imp.* In illis. (*n*) Usque ad novissimum quadrantem, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*o*) Sed est solis, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*p*) Promissa fecerunt, *Lam. Ebor. NC.* 1.

α *Luc.* 12. 8. ϛ *Sap.* 3. 7. γ *Dan.* 6. 26. δ *Matt.* 5. 26.

[1] *Stantium omnium nos judiciis contineri.*] *Pamelius ait*, Iterum hoc ex Cambron. cod. præterquam quod legat, ignoraret, pro eo quod Manutius & Morelius, stantium omnium nostrum judiciis contineri. Est enim frequens Stantium mentio apud Cyprianum.

[2] *Negatores gehenna complexa æternus ignis inardescit.*] *Pamelius ait*, Sic cum Manutio & Morelio Affligin. cod. pro eo quod erat, negatoris. Cambronensis autem cod. negatores gehenna complexos, &c. Quomodo si legas, active accipitur, inardescit, pro, comburit. Haud aliter ac dixit Virgilius Georg. 4. Ardebat Syrius Indos.

[3] *Qui me confessus fuerit in terris coram hominibus.*] *Pamelius ait*, Illud, in terris, neque alibi habet Cyprianus, neque Evangelistæ: pro more tamen Cypriani ex duobus Evangelistis concinnatum est hoc testimonium.

[4] *Proque ingenitæ.*] *Pamelius ait*, Affligin. proque ingentis. Quod quidem magis accedit ad lectionem vulgatam, pro quingentis; legit tamen illud cum illis Cambronensis: Neutrum displicet.

[5] *Legis scriptum esse, usque quadrantem nos ultimum reddere*, &c.] *Pamelius ait*, Eodem prorsus modo hanc scripturam explicat, nempe de doloribus post mortem, epistola ad Antonianum, quare etiam hic locus facit pro purgatorio. Quæ illic dicta sunt consulantur. Fides sit penes auctorem nostrum qui nullius nominis aut fidei.

[6] *Atque ut transeam cuncta*, &c.] *Pamelius ait*, Placet hæc Cambron. cod. præ illa Manut. & Morel. Atque ut transeam cunctas, neque vero male antea excusi cum Affligin. cod. Atque ut transeam nunc jam.

ut ſileam de corona, ſi tibi in his naturæ lubricis malis poſito, vitæ promitteretur exceſſus; nonne omni mente gauderes? Si inquam (*a*), te in hujus mundi turbinibus fluctuante vicina arceſſeret requies, nonne mortem pro remedio computares? Poſitus inter arma carnificum, ac tela probantium quæſtionum, ſta ſublimis ac fortis conſiderans quanta ſit pœna negare eo tempore, quo frui ſeculo nequeas, cujus cauſa negaras: quoniam quidem gravia tormenta, ac puniendi noxias artes in perniciem noſtram Dominus ſciebat armari, quo fortes ad omnem tolerantiam faceret. Fili, inquit, accedens ad ſervitutem Dei α, ſta in juſtitia & timore, & præpara animam ad tentationem. Sed & beatiſſimus Paulus Apoſtolus exclamavit & dixit (*b*): Mihi vivere Chriſtus eſt ϐ, & mori lucrum. Quam ob rem, cariſſimi fratres, fide firma, devotione roboſta, contra minas (*c*) ſeculi atroces, & aſperos inſequentium fremitus, adverſa virtute reſiſtendum; nec timendum quorum ſpes æternitatis & vita cœleſtis eſt, quorumque ardor in cupidine lucis ſuccenditur, & ſalus de promiſſa immortalitate lætatur.

Hoc vero quod catenis arctantibus manus ſtrictæ, & circumacti graves cervicibus nexus ſolido deprimunt pondere: vel quod equuleo corpus tenſum candentes ſtridet ad laminas; non expetendi ſanguinis, ſed tentationis eſt cauſa. Nam & ipſam martyrii dignitatem (*d*) quem ad modum agnoſcere poſſemus, niſi illam etiam cum damno corporis noſtri cogeremur optare? Senſi equidem, nec me veritas fallit, cum ſævæ (*e*) incumbentium manus membra divellerent, artuſque laniatos tortor ſæviens exararet, nec tamen vinceret, circumſtantium verbis (*f*): [1] magnum iſtud eſt, dici profecto (*g*), non doloribus ſubigi, non pœnis angentibus frangi. Sed erant aliæ dicentium voces; & puto liberos habet: nam eſt illi ſocia in penatibus conjux; & tamen nec vinculo pignorum cedit, nec obſequio pietatis abductus à propoſito ſuo deficit. Noſcenda res eſt, & virtus penitus ſcrutanda viſceribus: nec enim levis eſt iſta quæcunque confeſſio, propter quam homo patitur, & mori poſſe. Etenim, cariſſimi fratres, virtus eſt tanta martyrii, ut per illam (*h*) credere etiam ille cogatur qui te voluit occidere. Scriptum eſt & legimus: In dolore ſuſtine γ, & in humilitate tua habe patientiam, quoniam per ignem probatur aurum & argentum. Quoniam ergo nos terrenis tentationibus probat Dominus, & his ſeculi malis ſcrutator Chriſtus expendit; gratulandum nobis eſt, atque lætandum, quod non illis nos perennibus reſervet exitiis, ſed gaudeat ab omni contagione purgatos.

Ceterum ab his quos hæreditatis participes adſciſcit (*i*), & in regna cœlorum libenter adſumit, quid utique aliud quam integritatis ambitum quærit? Sua ipſe dixit univerſa, & quæ jacentibus ſe explicant campis, & quæ in obliquos ſe erigunt colles: ſed & quod cœli magnitudo circumvenit, & quod pelago circumfluente lubricum æquor includit. Quod ſi illi adjacent omnia, nec à nobis expoſcit niſi facta ſincera; auro, ut ipſe dixit, ſimiles eſſe debemus. Aurum quippe cum relucentibus terris tremulo videris ſplendere ſub lumine (*k*), [2] & in liquidum flammis torrentibus reſolvi (nam & artificis gratia, fere ſic eſt) caminis quotiens anhelantibus æſtuans ignis evomitur; aditu terreſtri canali anguſto (*l*) dives flamma eligitur; & refluentibus glebis arena retinetur. Unde neceſſe eſt univerſa ſufferre, quo poſſimus omni ſcelere carere, ſicut per prophetam ſuum dixit: Et ſi coram hominibus δ tormenta paſſi ſunt, tamen ſpes illorum immortalitate plena eſt: & vexati in paucis, in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentavit illos, & invenit illos dignos ſui (*m*), [3] & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos.

Quod ſi te dignitas ambitioſa deterret, & congeſta in theſauris pecuniæ admonet magnitudo, (*n*) quæ ſemper propoſitum bonæ mentis avertit, & devotam pro Domino ſuo animam furiali elidit horrore; quæſo repetas verba cœleſtia, nam & ipſa vox dicentis eſt Chriſti: Qui perdiderit ε animam ſuam pro nomine meo, recipiet in hoc ſeculo centuplum, & in futuro vitam æternam poſſidebit. Qua utique nihil majus, nihil aptius, nihil utilius computare debemus. Nam licet pretioſarum veſtium more, purpura in imagines currat, & lenteſcentibus filis aurum erret ad ſpeciem, nec de effoſſis gravia, quibus incumbis, deſint metalla theſauris; vacua tamen, niſi fallor, iſta atque inania computabuntur, ſi adjacentibus (*o*) tibi cunctis, ſola ſalus tibi deeſſe videatur; ſicut Spiritus ſanctus loquitur, nihil nos in vicem animæ noſtræ poſſe dare. Ait enim: ς Si totum orbem lucrifeceris, & animam tuam perdideris, quid proderit tibi? aut quam homo commutationem dabit (*p*) pro anima ſua?

Vacua ſunt enim univerſa quæ cernimus, & quæ infirmis radicibus poſita, ſoliditatis ſuæ vim nequeant ſuſtinere. Nam quod & de ſeculo capitur, vetuſtate temporis fruſtratur; unde & ne quid eſſet dulce, vel carum, vel quod ſalutis æternæ præferri cupiditatibus poſſit, Dominicis amputata præceptis, jure proprio, ac lege privata ſunt: Ne in tormentis ſcilicet (*q*) patrem filius frangeret, neve obſtrictum durati roboris pectus in aliam voluntatem affectus forte mutaret: ſolam veritatem, ſalutemque ſolam inter magnos complectendam eſſe cruciatus, ſuo Chriſtus jure conſtituit: in quo conjux & liberi & nepotes, in quo omni viſcerum ſobole relicta, uſurpanda victoria eſt. Nam & Abraham ſic Deo placuit, qui tentatus à Deo, & filio non pepercit: pro quo ignoſci forſitan poſſet, ſi illum dubitaſſet occidere. Armavit manus religioſa devotio, & omnes pietatis affectus Domini jubentis imperio (*r*) pietas paterna neglexit. Nec horruit quod nati funderet ſanguinem, nec intremuit ad vocem; & adhuc

(*a*) Si qua, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (*b*) Exclamat & dicit, *Lam.* (*c*) Contra omnes, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (*d*) Dignationem, *Lin.* (*e*) Sæpe, *Lam. Ebor. Lin.* (*f*) Verbis dici, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*g*) Neſcio quid, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (*h*) Illud, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*i*) Adſcivit, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*k*) Lumine prodeſt, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*l*) Dives omnis, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*m*) Se, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*n*) Quæ ſæpe propoſitum, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*o*) Si adjacentibus, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (*p*) Dare poteſt, *Lam. Ebor.* (*q*) Patrem poſitum, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*r*) Imperiis, *Lam. Ebor. NC.* 1.

α *Eccleſ.* 2. 1. ϐ *Phil.* 1. 21. γ *Eccleſ.* 2. 4. δ *Sap.* 3. 4. ε *Marc.* 12. 36. ς *Gen.* 22. 2.

[1] *Magnum iſtud eſt, dici profecto.*] *Rigaltius ait*, Pulcre hic locus reſtitutus eſt à Manutio & Morel. antea erat, uſtus eſt, &c.

[2] *Et in liquidum flammis torrentibus reſolvi.*] *Pamelius ait*, Etiam hunc locum eleganter illi reſtituerunt, antea erat; ros & in liquidum flammis torrentibus reſolvam, ſeu, reſolviſſet, &c. Et pro, canali, quod habet etiam Cambronenſis, legebatur, carnali, peſſime.

[3] *Et holocauſti hoſtiam.*] *Pamelius ait*, Sic Affliginienſ. & exc. cod. præter Manutium, qui habet, holocauſtam hoſtiam. Quia autem Cambronenſis legit, holocauſta hoſtiam, ſuſpicor eſſe legendum, ſicut alibi Cyprianus: holocauſta hoſtiæ. Atqui prorſus legendum, accepit, pro eo quod perperam omnes, accipit, quia & Græce & Latine illud legitur.

[1] *Priuſquam*

adhuc pro eo Chriſtus non fuerat occiſus. Quid enim carius eo quam qui ne quid invitus hodie ſuſtineres, prius paſſus eſt, quod doceret? Quid eo dulcius, qui cum ipſe ſit Deus noſter & Dominus, tamen patientem pro ſe hominem regni cœleſtis efficit cohæredem? O grande neſcio quid, ſive quia illud conſcientiæ ratio vix ſuſtinet capere; quin magna ſemper miretur ad munera; ſive quia tam larga majeſtas eſt Dei, ut inſperantibus cunctis etiam ea offerat, quæ nobis contemplatione factorum nefas fuerat optare. Etenim ſi tantum ſalus daretur æterna, pro ipſa perpetuitate vivendi haberemur ingrati (*a*). At nunc cum cœlum, & judicandi de ceteris facultatem perenni ſeculo largiatur: quid eſt in quo ſe parem his omnibus poſſit humana mediocritas experiri? Si injuriis ageris, prior actus eſt ille: ſi contumeliis premeris, Dei munus imitaris. Unde & parum eſt quidquid pertuleris pro eo, qui nihil amplius potes facere, niſi quod in hoc ſalus univerſa conſiſtit; quia martyrio totum ille promiſit. Denique Apoſtolus, cui cordi fuerunt ſemper univerſa, cum inſtar munerum promiſſorum penitus miraretur: Æſtimo, inquit, non eſſe condignas paſſiones hujus temporis ad ſuperventuram claritatem *, quæ revelatur (*b*) in nobis. Etenim ſecum ipſe volvebat quanta merces exiſteret, ut ei cui ſufficeret morte carere, non tantum ſalutis daretur præmium, ſed & conſcendere cœlum; cœlum quod nec fugata lux cogit in noctem, nec alternis vicibus dies aperit in lucem, ſed aeris liquidi ſerena temperies, per ſudum igneo fulgore rutilantem puram explicat claritatem.

Jam ſupereſt, cariſſimi fratres, ut debeamus oſtendere, cui rei martyrium proſit. Atque illud profecto doceamus, quod nos ad hunc gloriæ titulum metus excitet futurorum. Etenim quibus magna promiſſa ſunt, magis magna ſunt quæ metuenda eſſe illis videantur. Nam nec ſe in arma miles accendit, [1] priuſquam ſe inimica hoſtis tela commoverint. Nec navem aliquis ſtatione ſubducit, niſi animum pelagi pavor ſtrinxerit. Sed & intentans ſuis opibus ſcrutator agricola, non ante felici terram ſuſcitat vomere, quam in pulverem imbre concepto putris gleba ſolvatur. Ita eſt omnis naturalis hic uſus, neſcire quid proſit, niſi agnoveris quod occidit. Unde & datur ſanctis omnibus præmium, dum infliguntur injuſtis tormenta factorum. Igitur quæ ſuis promiſerit Dominus, nemini qui neſciat dubium, ſed nec quantis minetur ignarum. Et quoniam ita ſe attulit ſermo, ut de utriſque habeatur ratio, paucis & de utriſque dixi, breviter exponam. Sæviens locus, cui gehenna nomen eſt, magno plangentium murmure & gemitu (*c*), & eructantibus flammis per horrendam ſpiſſæ caliginis noctem, ſæva ſemper incendia camini fumantis expirat: globus ignium artatus obſtruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc ſæviendi plurima genera; tum in ſe ipſe convolvit (*d*) quidquid ardoris emiſſi edax flamma cruciarit. Hos, quibus recuſata vox Domini & imperia fuere contemta, diſparibus coercet exitiis; proque merito ſalutis exactæ vires ſuas ſuggerit, dum pars ſceleris (*e*) diſcrimen imponit. Et alios quidem moles intolerabilis curvat, alios per abruptum clivoſi tramitis collem vis ſæva præcipitat, & catenarum ſtridentium nexum (*f*) grave pondus inclinat. Sunt & quos agens ſtrictim rota (*g*) & indefeſſa vertigo, & quos tenaci inter ſe denſitate conſtrictos adhærens corpori corpus includat: ut & abſumat incendium, & gravet ferrum, [2] & excruciet turba multorum.

Quibus autem inquiſitus fuit ſemper Deus, aut notus, nunquam excidit Chriſti locus ubi jacet gratia, ubi virentibus campis terra luxurians alumno ſe induit gramine, & redolente paſcitur flore; ubi altum nemora tolluntur in verticem; [3] & ubi arbor denſiore coma veſtit, quidquid curvantibus ramis ſcena dejacens inumbrarit. Omnia illic non frigoris, nec ardoris: nec ut in autumno arva requieſcant, aut ut iterum vere novo tellus fœcunda parturiat: unius cuncta ſunt temporis: unius poma feruntur æſtatis. Quippe cum nec menſibus ſuis tunc luna deſerviat, nec per horarum ſol momenta decurrat, aut in noctem lux fugata concedat. Habet populos quies læta, ſedes tenet placida, ubi fons ſcaturiens medius ſinu alvei prorumpentis emergit, & rauco per intervalla circuitu ſinuoſis flexibus labitur, ut in ora naſcentium ſibi fluminum dividatur. Hinc ergo magna laus martyrum, hinc nobilis corona victorum, quibus majora his repromiſſa ſunt, quibus auctiora ſunt præmia. Quod vero vel feris corpus objicitur, vel imminens gladius non timetur; dignationis oſtenditur ratio, manifeſtatur electio. Etenim incongruens fuerat, ut quem æquum tanti muneris judicaſſet, inter terrena vitia ſordeſque retineret.

Merito enim nihil vobis, ô boni martyres, denegatum: quos ſpes æternitatis alit, & lucis; quorumque devotio univerſa, & mens cœleſti dedita cernitur ſervituti. Merito, inquam, merito vobis nihil velle non licitum, quorum animo deſpectus hic mundus, & alienata ſeculi facies, velut confuſa tenebrarum inhorruit cæcitate; cui ſemper hic mundus loco carceris, tecta pro clauſtris invita ſemper habita commeatus. Sic quippe triumphantibus victoria de his malis rapitur, quem non pompatico greſſu vana ſubjecit ambitio, aut popularis extulit magnitudo; ſed quem cœleſti cupiditate flagrantem ſuo Chriſtus addidit regno. Nihil itaque tam magnum atque venerandum, quam quod liberat morte, & facit vivere, & dat perpetuo regnare cum ſanctis. Hoc divitibus aptum, miſeris neceſſarium, omnibus gratum; quo lætantur boni, relevantur abjecti, coronantur electi. Etenim Deus omnium cultor velut quoddam in (*h*) martyrio remedium vitæ dedit, quando aliis illud pro merito eorum tribuit; aliis pro miſericordia ſua tradidit. Vidimus quippe ad hunc nominis (*i*) titulum fide nobiles veniſſe pleroſque, ut devotionis obſequium mors honeſtaret. Sed & alios frequenter aſpeximus interritos ſtetiſſe; ut admiſſa peccata redimentes, cruore ſuo loti haberentur in ſanguine, & reviviſcerent interemti, qui viventes computabantur occiſi. Mors quippe integriorem facit vitam;

(*a*) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Imp.* In gratia. (*b*) Revelabitur, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*c*) Murmurat gemitu, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*d*) Totum in ſe ipſe convolvit cum, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*e*) Pars ſceleri, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*f*) Nexu, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*g*) Rotet indefeſſa, *Lam.* (*h*) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Imp.* Quoddam martyrio. (*i*) Homines, *Lam. Ebor. NC.* 1.

* *Rom.* 8. 18.

[1] *Priuſquam ſe inimica hoſtis tela commoverint.*] *Pamelius ait*, Ex MS. hanc lectionem ſubſtituimus, pro quo Manutius. Priuſquam inimica hoſtis tela commoverit; & Morelius, priuſquam inimica hoſtes tela commoverint.

[2] *Et excruciet turba multorum.*] *Pamelius ait*, Rurſum hoc ex Cambron. pro, & ſe cruciet. Juxta quem etiam nunc primum recte ſic locus ſequens diſtinguitur: Quibus autem inquiſitus fuit ſemper Deus, aut notus nunquam excidit Chriſti locus. Neque enim in gehenna rite collocarentur, quibus ſemper fuit Deus inquiſitus aut notus.

[3] *Ubi arbor denſiore coma veſtit.*] *Pamelius ait*, Hæc Cambronenſ. cod. lectio magis quadrat ſequentibus. Excuſ. vulg. habebant. Arbor denſior comam veſtit, pro quo illi, arborem denſior coma.

vitam; mors amiſſam invenit gloriam. Nam hoc ſpes jam amiſſa percipitur, hoc ſalus cuncta reparatur. [1] Sic cum arentibus campis (*a*) ſementa defecerint, & herbis terra morientibus æſtuarit, ſupinis è collibus fluvium juvit elicere, & ſcaturientibus rivis arva ſitientia temperare; quo ſe in uberes culmos victa agri jejunitas funderet, & pluviali imbre mentito ſeges denſior inhorreret.

Quid igitur, fratres cariſſimi, potiſſimum referam, quidve dicam? Sic in unum convenientibus titulis dignitatis, turbatur animus, deducitur ſenſus, & in ipſo conatu nitentis eloquii impar ſermo vaneſcit. Quid enim dici ſatis poſſit; cum ſi vim æternæ ſalutis expreſſeris, occurrat ambitio; ſi ambitum dixeris, præveniat magnitudo? Res ſimulque congruunt, ſimulque concurrunt; [2] nec eſt quod dignum proferendum eſſe videatur. Ita impetus orationis audentis velut implicatos irretitoſque obvia ex adverſo martyrii exempla tenuerunt. Quæ vox, quæ latera, quæ vires inſtar muneris tanti capiant ſuſtinere? Confeſſioni vocis unius adverſa ſuccumbunt, læta proveniunt, patent regna, parantur imperia, devincitur pœna, mors ſubigitur, vita profertur, & infeſtantis inimici repugnantia arma ſolvuntur (*b*). Si delictum eſt, occidit: ſi crimen, abſiſtit. Unde, quæſo vos hoc veſtris mentibus ponderate, tantumque de noſtra oratione percipite, quantum ſciatis vos poſſe ſentire. Veniat ante oculos veſtros, qui dies ille ſit, cum ſpectante populo, atque intuentibus cunctis, contra terrenas cruces & minas ſeculi, inconcuſſa devotio reluctetur; quam ſuſpenſi animi, menteſque ſollicitæ de ancipiti trepidatione, gratulante formidine, pavido quatiantur horrore; quæ illic anxietas, quæ exoptatio precum, quæ vota memorentur, cum adhuc nutante victoria, atque in incertos exitus caſus victrix capiti corona dependeat. Cumque illa peſtilens ac furibunda confeſſio accendatur ira, inflammetur inſania, omni denique pectoris rabie ac minis frendentibus torreatur. Etenim quantum hoc ſit quis ignorat, ut non doloribus vulnerum, non ictibus quæſtionum, velut deſpecta noſtra fragilitas, & humanæ virtutis inopinata cedat audacia; ſtare hominem, nec moveri; torqueri, nec tamen vinci; ſed pœna ipſa potius, qua cruciatur, armari.

Conſiderate quid ſit, cariſſimi fratres; omnem martyrii firmitatem ſenſibus veſtris animiſque proponite. Ecce enim in cujuſlibet paſſione, vocati gaudent jampridem acciti è ſeculo martyres; gaudent bonorum omnium nuncii; gaudent pariter electi; ibi lætatur milite ſuo Dominus, lætatur teſte nominis ſui Chriſtus. Parum eſt quod dico, fratres cariſſimi, parum eſt. Ita magna mihi ratio in hoc genere dicendi, ac moles admiranda ſuſcepta: ſed arbitrii, quæſo vos, gravitas ab intentione propria non deſit, ſciens tantum de martyrio poſſe dici, quantum potuerit æſtimari. Unde & hæc ſola exequendæ laudis fuit cauſa, non quo parem me gloriæ ejus, atque idoneum judicarem, ſed quod tantam in illo cernerem eſſe virtutem, ut etſi parum de eo dicerem, plurimum me dixiſſe profiterer. Nam præferatur licet bono fidei cuſtodita juſtitia, meliorem- que ſe inter omnium laudes virginitas immaculata cognoſcat: cedat tamen (*c*) ſanguini, ſummittatur cruori. Illi elegerunt bonum, hi imitati ſunt Chriſtum. Nunc vero, cariſſimi fratres, ne quis me arbitretur omnem ſalutem non in alio ſtatu quam in martyrio collocaſſe: hoc primo profecto reſpiciat, neque me tantum eſſe qui loqui videor; neque ita ſe habere ordinem rerum, ut immortalitatis ſpes repromiſſa unius partis latere nitatur. Sed quoniam ita Dominus ſuo ore teſtatus eſt, eſſe habitacula penes patrem multa α; nihil majus credidi ea gloria, qua probantur hic homines, qui ſeculari indigni ſunt vita (*d*).

Igitur, cariſſimi fratres, æmula religione certantes, velut incentivo quodam mercedis agitati (*e*), omnem virium copiam tolerantiamque ſubeamus. Non enim movere nos debent caduca, quæ ſemper in everſionem ſuam non modo lege propoſita, ſed etiam ipſo fine temporis urgentur. Exclamat Joannes & dicit: Jam quidem ſecuris ϛ ad radicem arboris poſita eſt: monſtrans ſcilicet & oſtendens, ultimam eſſe rerum omnium ſenectutem. Sed & ipſe Dominus: Ambulate γ, inquit, dum lucem habetis, ne vos tenebræ comprehendant. Quod ſi illo tempore ambulandum nobis eſſe prædixit: utique ut nunc magis (*f*) ambularemus oſtendit. Atque ut ad laudem martyrii redeam, vox eſt beatiſſimi Pauli dicentis: Neſcitis δ quoniam qui in agone currunt, multi certant, unus autem accipit palmam? vos autem ſic currite, ut omnes coronemini. Sed & alibi, quod ad martyrium poſſit hortari, cohæredes ε nos Chriſti vocavit. Quin etiam nequid omitteret; Si cum Chriſto, inquit, commortui eſtis, quid tanquam viventes in hoc mundo decernitis? Etenim, cariſſimi fratres, qui reſurrectionis præmia ſuſtinemus, qui judicii diem quærimus, qui denique cum Chriſto regnaturos nos eſſe confidimus; ſeculo mortui eſſe debemus. Nec poteris optare martyrium, niſi ante oderis ſeculum; nec pervenire ad Dei præmium, niſi amaveris Chriſtum: Qui autem amat Chriſtum, non amat ſeculum; Chriſtus enim abjectus eſt ſeculo, ſicut & ſeculum Chriſto; Ita ut ſcriptum eſt: Mundus ϛ mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Nemini amabilis fuit mundus, quem non ante damnaverit Dominus; nec ſalute potuit frui æterna, qui mundi gloriatus eſt vita. Vox eſt iſta Chriſti dicentis: Qui in hoc ſeculo ζ amaverit animam ſuam, in futuro perdet illam; qui autem in hoc ſeculo oderit illam, in futuro inveniet eam.

Sed & Apoſtolus Paulus: Imitatores η, inquit, mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. (*g*) Et alibi: Volo vos omnes θ, ait, ſi fieri poteſt, imitatores meos eſſe. Dixit hoc ille qui paſſus eſt, & qui ad hoc paſſus eſt, ut imitaretur Dominum; utique & nos ad hoc voluit pati, ut per ipſum imitaremur Chriſtum. Si juſtus es & Deo credis, quid pro eo ſanguinem fundere metuis, quem pro te toties paſſum eſſe cognoſcis? In Eſaia ſectus, in Abel occiſus, in Iſaac immolatus, in Joſeph venundatus, in homine crucifixus eſt: & de ceteris quidem taceo, quæ nec oratio poteſt dicere, nec animus ſuſtinere. Vincitur conſcientia humilitatis exemplo; & quando conſiderat quæ dum pateretur accide-

(*a*) Glebis, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*b*) Reſolvuntur, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*c*) Neceſſe eſt, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*d*) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Imp.* Indigni ſunt. Igitur. (*e*) Agitatione, *Lam. Ebor. NC.* 1. (*f*) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Imp.* Ut nos. (*g*) Alibi ipſe, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1.

α *Jo.* 14. 2. ϛ *Matt.* 3. 10. γ *Jo.* 12. 35. δ 1 *Cor.* 9. 24. ε *Col.* 2. 20. ϛ *Gal.* 6. 14. ζ *Matt.* 10. 39. η 1 *Cor.* 11. 1. θ 1 *Cor.* 7. 7.

[1] *Sic cum arentibus campis ſementa defecerint.*] *Pamelius ait*, Cambron. arantibus ſementa defecerant, in ceteris cum illis conſentiens, quum apud alios locus eſſet mutilus, præterquam quod legat cum exc. vulg. jubet elicere. Sui plagiarius fere repetit quæ ſupra dixerat. Quotieſcunque jacentibus ſtipulis, &c.

[2] *Nec eſt quod dignum proferendum eſſe videatur.*] *Pamelius ait*, Hoc ex eodem cod. nunc primum pro, præferendum. Qui legit, impeditoſque, pro, irretitoſque. Recte etiam legunt illi & Cambron. cod. latera, pro, litera.

ciderint, miratur paſſum propter quem cuncta trepidarint. Dies fugit in noctem, in tenebras lux cuncta conceſſit: atque inclinato per alternas vices pondere, omnis terra commota diſſiluit; turbati manes, monumenta nudata ſunt; & ſepulcris hiatu dehiſcentibus terræ, reddita luci corpora conſtiterunt (*a*); fluxu ſanguinis mundus intremuit, ſciſſis quæ foribus dependebant velis templum omne mugiit; unde magnum eſt imitari eum qui moriendo (*b*) arguit ſeculum. Igitur cum ad exemplum Dominicæ paſſionis, atque ad omne teſtimonium Chriſti animam tuam ponas, nec fundere ſanguinem metuas; martyrio totum neceſſe eſt cedat. Martyrii inæſtimabilis gloria, infinita menſura, immaculata victoria, nobilis virtus, inæſtimabilis titulus, triumphus immenſus; quippe quo & propria confitentis (*c*) laude præfertur, velut ſocio Chriſti cruore decoratus.

Itaque, cariſſimi fratres, licet ſit hoc totum Dominicæ promiſſionis & muneris, licetque tribuatur ex alto, nec capiatur niſi ejus imperio, ſed nec aut mente concipi, aut exprimi verbis, aut oratione percurri, aut quibuſlibet eloquentiæ viribus poſſit impleri: tamen erit hoc benevolentiæ veſtræ; erit caritatis & amoris, ſi volueritis noſtri memores eſſe, cum in vobis Dominus martyrium cœperit honorare. Vos intra ſe ſanctum illud altare, vos intra ſe magna illa veneranda nominis ſedes, veluti ſinu quodam gremii amplectentis includit; vos imperia perennis temporis ſuſtinent, & illic conregnaturi ſemper & victuri. O beati & quibus vere dimiſſa ſunt peccata; ſi tamen qui Chriſti compares eſtis, aliquando peccaſtis. O beati quos à primordio mundi Domini ſanguis infecit, & quos merito ſplendor iſte nivei amictus induerit, & candor ſtolæ ambientis ornarit. Videor denique ipſe mihi jam cernere, proque arbitrio mentis humanæ ante oculos & aſpectum divinum illud mihi & inſigne concurrit: videor, inquam, mihi jam cernere, ut ille vere nobilis numerus Chriſti ſui gloriam iterque comitetur. Ibit ante ora ejus felix caterva victorum (*d*), & ſe denſantibus turmis, velut ſolis exortu totum illuminatum agmen inferet poteſtatem. Et utinam perabjecto mihi iſtud videre contingat: ſed hoc Dominus poterit efficere, quod vobis petentibus creditur non negare.

(*a*) *Sic Lam. Ebor. NC.* 1. *Imp.* Reſtituerunt. (*b*) *Sic Lam. Ebor. Nc.* 1. *Imp.* Sciſſa quæ foribus dependebant vela, templum omne mugiit: qui moriendo. (*c*) Conſiſtentis, *Lam. Ebor. Lin. NC.* 1. (*d*) *Sic Lam. Imp.* Virorum.

AD

NOVATIANUM HÆRETICUM,

Quod Lapſis ſpes veniæ non eſt deneganda.

Tractatus ignoti AUCTORIS.

COgitanti mihi, & intolerabiliter animo æſtuanti, quidnam agere deberem de miſerandis fratribus qui vulnerati non propria voluntate, ſed diaboli ſævientis irruptione, adhucuſque, hoc eſt, per longam temporum ſeriem agentes, pœnas darent; ecce ex adverſo obortus eſt alius hoſtis, & ipſius paternæ pietatis adverſarius [1] hæreticus Novatianus; qui non tantum, ut in Evangelio ſignificatum eſt, ſicut ſacerdos vel Levites jacentem vulneratum præteriret, ſed ingenioſa ac nova crudelitate ſauciatum potius occideret, adimendo ſpem ſalutis, denegando miſericordiam patris, reſpuendo pœnitentiam fratris. Mirum quot acerba, quot aſpera, quot perverſa ſunt? Sed facilius quis in alieno oculo feſtucam perſpicit, quam in ſuo trabem. Nos autem, fratres dilectiſſimi, non moveat, aut turbet hæretici iſtius perfidi abrupta dementia: qui cum in tam ingenti diſſentionis & ſchiſmatis crimine conſtitutus, & ab Eccleſia ſeparatus ſit, ſacrilega temeritate non dubitet in nos ſua crimina retorquere. Cum ſit enim à ſemetipſo nunc factus immundus, ſordibus ſacrilegis inquinatus; hoc nunc nos eſſe contendit. Et cum ſcriptum ſit, canes α foris remanſuros; & Apoſtolus hos eoſdem canes ϐ docuerit eſſe vitandos, ſicut legimus, ait enim: Videte canes, videte malos operarios: rabiem ſuam non ceſſat latratibus excitare, luporum more tenebroſam caliginem optare, qua facile poſſit ferina ſua crudelitate, oves à paſtore direptas, ſpelunca tenebroſa laniare. Aurum certe ſe ſuoſque quos colligit, eſſe pronuntiat. Nec nos dubitamus deſertores Eccleſiæ apoſtatas factos, in aurum nunc facile potuiſſe converti, ſed illud aurum in quo prima delicta populi Iſrael denotata ſunt. Ceterum vaſa aurea & argentea, quæ ab Ægyptiis excuſa ſunt, in Dominica poteſtate, id eſt, Chriſti Eccleſia, perſeverant: in qua domo ſi perſeveraſſes, Novatiane, vas forſitan & pretioſum fuiſſes; ſed nunc te in paleas & in ſtipulam converſum nec intelligis, nec plangis.

Quid igitur vanis rebus extolleris? damna potius quam lucra conſequeris. Quid te ex quo pauperior factus es, divitem credis? Audi in Apocalypſi Dominicam vocem juſtis te objurgationibus increpantem: Dicis γ, inquit, dives ſum, & ditatus ſum, & nullius rei egeo: & neſcis quoniam tu es miſer, & miſerabilis, & cæcus, & pauper, & nudus. Has opes, has divitias paupertatis pro certo poſſidere ſe credat, quiſquis Chriſti Eccleſia derelicta ratione cæca, apud temerarios illos ſchiſmatum duces & diſſentionis auctores converti non trepidat; quos Joannes antichriſtos appellat; quos Evangeliſta paleis ſimilat; quos Dominus Chriſtus fures δ & latrones deſignat, ſicut ipſe in Evangelio declarat dicens: Quia qui non introiit per oſtium in ovile ovium, ſed deſcendit per alteram partem, ille fur & latro eſt. Item in eodem quoque ait:

α *Apoc.* 22. ϐ *Phil.* 3. γ *Apoc.* 3. δ *Jo.* 10.

[1] *Hæreticus Novatianus.*] Cyprianus Antoniano inquirenti quam hæreſin introduxiſſet Novatianus, ait ſe non curioſum eſſe debere quid doceat, cum foris doceat; ac ſi ſchiſma hæreſi gravius quiddam eſſet. Epiſt. 69. & 70. illi impingit quod Articulum Symboli de remiſſione peccatorum per ſanctam Eccleſiam ejuraverit.

[1] *Qui*

ait: α Omnes qui venerunt, fures sunt & latrones. [1] Qui isti sunt, nisi desertores fidei, & transgressores Ecclesiæ Dei, qui contra [2] ordinationem Dei nituntur? quos merito Spiritus sanctus per Prophetam increpat, dicens: Feciſtis ϵ consilium non per me, [3] & conventionem non per spiritum meum, adjicere peccata super peccata. Quid ad ista respondeant perversissimi isti Novatiani, [4] vel nunc infelicissimi pauci; qui ad tantam furoris dementiam proruperunt, ut nec Deo, nec homini reverentiam habuerint? Illic impudenter & sine ulla ordinationis lege Episcopatus appetitur; hic autem propriis sedibus & cathedræ sibi traditæ à Deo renunciatur. Illic veritas: Aspernantur γ me, ut sacrificent mihi, nec offerunt oblationes sanctas filiorum Israel, nec accedunt offerre sancta sanctorum, sed accipient ignominiam suam in errore, quo erraverunt. Satis sit paucis probasse quidnam sint. Audite igitur Novatiani, apud quos scripturæ cœlestes leguntur potius quam intelliguntur, parum si non interpolentur. Sunt enim vestræ præclusæ δ aures & corda cæcata, qui nullum de spiritalibus ac salutaribus monitis lumen admittitis. Sicut Esaias ait, Excæcati ε sunt servi Dei; & merito excæcati, quia voluntas schismaticorum non est in lege (*a*), quæ lex unam nobis & singularem designat Ecclesiam; in illa scilicet quæ sub Noë ante diluvium Dei providentia fabricata est arca, in qua non tantum munda animalia, sed & immunda, ut tibi cito respondeatur Novatiane, invenimus esse recluſa. Quæ arca sola cum his quæ secum fuerant liberata est: in qua & cetera quæ in ea inventa non sunt, diluvio perierunt. Ex illa igitur arca remittuntur duæ aves, corax & columba. Qui corax vere hominum immundorum, & in tenebris perpetuis futurorum per seculi latam viam, & immunda vescentium apostatarum futurorum, & ad Ecclesiam se ultra non vertentium, figuram portabat, quem legentes invenimus emissum, & non amplius reversum. Huic ergo avi, id est, immundo spiritui, quique fuerint similes inventi, ad Ecclesiam amplius reverti non poterunt; qui & si voluerint, Dominus prohibebit, qui Moysi præcepit, dicens: ς Omne varium & immundum ejice foras extra castra. Columba autem emissa incontinenti significatur reversa, eo quod requiem non haberet pedibus suis: ζ quam Noë recepit in arcam, & post septimum diem iterato emissam, recepit eam portantem suo ore olivæ folium.

Et ego quidem, fratres dilectissimi, non temere ista cogitans, nec humana sapientia conspirans, sed ut cœlestis Domini dignatione necessarie & pertinenter mentibus nostris concipere permittitur; dico illam, id est, columbam, duplicem nobis per semetipsam significare figuram. [5] Primam quidem, & principalem, suam, hoc est spiritalem, olim, id est, ab initio divinæ administrationis insistit; & sacramentum baptismatis, quod in salutem generis humani provisum, & soli Ecclesiæ cœlesti ratione celebrare, per os suum præostendit. Ter enim emissa ex arca, volitans per aerem super aquam, significabat jam tunc Ecclesiæ nostræ sacramenta. Unde & Dominus Christus Petro, sed & ceteris discipulis suis mandat, dicens: η Euntes evangelizate gentibus, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: hoc est, [6] ut Trinitas illa quæ sub Noë per columbam figuraliter operata est, hæc nunc in Ecclesia per hos spiritaliter operetur.

Sumamus jam nunc & secundam personam columbæ ex arca emissæ; diluvii scilicet tempore, quando omnes abyssi proruperunt, quando cataractæ cœli patefactæ sunt super terram, propter facinora hominum quæ quotidie exercebant coram Domino, sicut Moyses dixit: θ Et vidit Dominus Deus redundare nequitias hominum super terram, & quod omnes in malum recordarentur à principio dierum suorum, & dixit: Perdam hominem quem feci à facie terræ, ab homine usque ad pecus, & à reptili usque ad volatilia cœli. Emittitur ergo tempore cataclysmi columba ex arca, aquis violenter toto orbe terram infestantibus.

Illa arca figuram Ecclesiæ, sicut superius diximus, portabat, quæ verberabatur hinc atque inde aquis insurgentibus tantum. Cataclysmus ergo ille qui sub Noë factus est, figuram persecutionis quæ per totum orbem nunc nuper supercreſſusa, ostendit. Aquis autem, diruptis cataractis, undique convenientibus & excrescentibus significabantur gentes, quæ ad vastandam Ecclesiam excreverunt. Sicut Apocalypsis docet, dicens: ι Aquæ quas vidisti, populi sunt, & gentes, & regnæ. Columba autem quæ pedibus suis requiem habere non poterat, lapsorum imaginem portabat; qui [7] immemores divinarum prædictionum, vel simpliciter ignorantes, vel audacter dissimulantes ceciderunt: quorum Dominus ruinam in Evangelio futuram his verbis significaverat, dicens: κ Qui audit verba mea & non facit ea, similabo eum viro stulto qui ædificavit domum suam super arenam: venerunt tempestates, & impegerunt in domum illam, & cecidit, & facta est ruina ejus magna. Et ne temere comparasse videamur, columbam illam lapsorum imaginem portare; propheta civitatem ut columbam, hoc est, lapsorum personam increpat, dicens: λ Columba non exaudit vocem, id est, præclara & redemta civitas non recipit doctrinam, & in Dominum fidens non fuit.

Quod autem requiem pedibus columba illa, sicut superius diximus, invenire non poterat; hoc significabat vestigia negantium, hoc est, sacrificatorum, lubrici veneno serpentis sauciata, in lapsum conversa; quæ ulterius non possent μ super aspidem & basiliscum conscendere, & draconem & leonem calcare. Quam potestatem tradidit Dominus discipulis suis, sicut in Evangelio ait: ν Ecce do vobis potestatem calcandi super

(*a*) Dei lege, *Voss.* 1.

α *Jo.* 10. 1. ϵ *Is.* 30. 1. γ *Ezec.* 44. 13. δ *Matt.* 13. 14. ε *Is.* 42. 19. ς *Num.* 5. 1. ζ *Gen.* 8. 11. η *Matt.* 28. 19. θ *Gen.* 8. ι *Apoc.* 17. 15. κ *Matt.* 7. 26. λ *Zoph.* 3. 2. μ *Ps.* 90. 13. ν *Luc.* 10. 19.

[1] *Qui sunt isti nisi desertores*, &c.] *Pamelius ait*, Sicut & alibi mendum hic irrepserat apud Erasmum, ut legeretur, non, eo quod vetus excus. legat, non, quum potius juxta MSS. cod. significet, nisi.

[2] *Ordinationem Dei.*] *Pamelius ait*, Hoc quoque recte Gravius & MSS. cod. pro, ordinem; alludit enim ad Ordinationem Cornelii, de qua paulo post.

[3] *Feciſtis conventionem.*] *Pamelius ait*, Hunc locum sic restitui, tum ex Epist. 55. tum ob vocem Græcam συνθηκας. hactenus legebatur, cogitationem.

[4] *Vel nunc infelicissimi pauci.*] *Pamelius ait*, Costerius & MSS. cod. infelicissime, non male, sed illud placet magis, ut per ἀντίφρασιν alludat ad Felicissimum, cujus sæpe in primo tomo fit mentio, & præsertim Epistola jam dicta 55.

[5] *Primam quidem & principalem.*] *Pamelius ait*, Locus obscurus & corruptus, etiam in MS. cod. præterquam quod hic satis significet solam Ecclesiam baptismi sacramentum habere; quod ad errorem Cypriani pertinet.

[6] *Ut Trinitas illa.*] *Pamelius ait*, Quidam, ternitas; Rectius meo judicio, trinitas. Sic enim MS. cod.

[7] *Immemores divinarum prædictionum.*] *Pamelius ait*, Sic lego, pro, prædicationum; eo quod sequitur, quorum Dominus ruinam in Evangelio futuram, &c.

[8] *Columba non exaudit.*] יונה Urbem prædatricem rectius denotat. vid. Jerem. 46. 16. & 50. 16.

[1] *Et*

ſuper omnem poteſtatem inimici, & ſuper ſerpentes & ſcorpiones, [1] & non nocebunt vobis. Iſtis ergo tot & tantis malignis ſpiritibus infeſtantibus, & in lapſorum necem inſurgentibus, proviſa eſt vulneratis ſalutis via: ut quibuſcunque viribus poſſent toto ſe corpore protrahere, caſtris ſuis recipere; quibus recepti poſſent medelis ſpiritalibus vulnera ſua curare. Recepta igitur columba, paucis etiam diebus interjectis, iterato emittitur ex arca; quæ reverſa, non tantum firma veſtigia, ſed & inſignia ſuæ pacis atque victoriæ, per illa olivæ folia quæ ſuo ore portabat, oſtendit. Duplex ergo illa emiſſio, duplicem nobis perſecutionis tentationem oſtendit: prima in qua qui lapſi ſunt, victi ceciderunt; ſecunda in qua hi qui ceciderunt, victores extiterunt. Nulli enim noſtrum dubium vel incertum eſt, fratres dilectiſſimi, illos qui prima acie, id eſt, Deciana perſecutione vulnerati fuerunt; hos poſtea, id eſt, ſecundo prælio ita fortiter perſeveraſſe, ut contemnentes edicta [2] ſecularium principum, hoc invictum haberent; quod & non metuerunt exemplo boni paſtoris animam ſuam tradere, & ſanguinem fundere, nec ullam inſanientis tyranni ſævitiam recuſare.

Ecce, quam glorioſos, quam Domino caros, ſchiſmatici iſti ligna, fœnum, ſtipulam appellare non dubitant: quorum pares, hoc eſt, in eodem crimine lapſus ſui adhucuſque conſtitutos, nec ad pœnitentiam admittendos eſſe præſumunt; ex illa Domini pronuntiatione qua ait: α Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram patre meo qui in cœlis eſt. Proh dolor: quid contra dominica præcepta contendunt, ut ea quæ Chriſtus judicii ſui tempore ſit acturus, hæc nunc ſtirps Novatiani, patris ſui exemplum diaboli ſecuta; exercere conetur? dicente ſcriptura: ϛ Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.

Reſpondebimus eis ad iſtam pronuntiationem Domini, [3] quam male intelligant & male ſibi interpretentur: Quod enim ait: Qui me negaverit coram hominibus, & ego negabo eum coram patre meo qui in cœlis eſt, utique futuri temporis ſignificatio eſt; quo tempore incipiet Dominus ſecreta hominum judicare; quo tempore tribunali Chriſti omnes nos oportet aſtare; γ quo tempore multi incipient dicere: Domine Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia excluſimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? & tamen audient vocem Domini dicentis: Diſcedite à me omnes qui operati eſtis iniquitatem; non novi vos. Ibi adimplebitur quod ait: Negabo & ego illos. Quos autem maxime negabit Dominus Chriſtus, niſi vos omnes hæreticos, & ſchiſmaticos, & nominis ſui alienos? Qui enim aliquando Chriſtiani, nunc Novatiani, jam non Chriſtiani, primam fidem veſtram perfidia poſteriore [4] per nominis appellationem mutaſtis; velim propoſitioni veſtræ reſpondeatis. Legite & docete, quem Dominus de his qui ſe dereliquerant vel negaverant, cum adhuc ipſe eſſet, negavit; atqui & ceteris qui ſecum remanſerant de Diſcipulis ait: δ Numquid & vos vultis abire? Petrum etiam quem negaturum ante prædixerat, cum negaſſet, ipſe non negavit, ſed ſuſtinuit; & amare illam ſuam negationem flentem ipſe poſtmodum lenit.

Quænam eſt tua, Novatiane, dementia, ut illa quæ ad exitium ſalutis pertineant, tantum legas: & quæ ad miſericordiam, prætereas? clamante ſcriptura & dicente: [5] Pœnitentiam agite qui erratis, convertimini corde. Et eodem quoque propheta ſimiliter exhortante & dicente: ε Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & ploratione, & planctu: & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum: quoniam miſericors eſt, & miſerator multæ miſerationis.

Adeo quia multæ miſerationis eſt Dominus, audivimus: audiamus quid per David conteſtatur Spiritus ſanctus: ϛ Si dereliquerint filii ejus legem meam, & in mandatis meis non ambulaverint, & ſi juſtificationes meas profanaverint, & præcepta mea non cuſtodierint; viſitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum: miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis. His ſimilia & per Ezechielem legimus dixiſſe Dominum: θ Fili hominis domus Iſrael habitavit ſuper terram ſuam, & coinquinaverunt eam facinoribus ſuis. Sicut mulieris menſtruatæ facta eſt immunditia eorum ante faciem meam, effudi iram meam ſuper eos, & diſſeminavi eos inter gentes, & ſecundum peccata eorum judicavi eos: quia coinquinaverunt ſanctum nomen meum. Et quia dictum eſt de his: Hic eſt populus Domini; peperci eis propter nomen ſanctum meum, quod ſprevit domus Iſrael inter gentes. Et conjungens ait: Propterea dic populo Iſrael: Hæc dicit Dominus: Non vobis parco domus Iſrael: ſed propter nomen ſanctum meum parcam, quod coinquinaſtis inter gentes, & ſcietis quia ego Dominus, cum ſanctificatus fuero in vobis. Item Dominus ad eundem: ι Fili hominis, dic populo Iſrael: Quare locuti eſtis dicentes: erroribus noſtris contabeſcimus, & quomodo ſalvi eſſe poterimus? dic eis: Vivo ego, dicit Dominus: quia non deſidero mortem peccatoris: ſed deſidero ut avertatur peccator à via ſua peſſima, & vivat. Redite ergo à via veſtra peſſima. Quid morti vos traditis domus Iſrael? Sic per Eſaiam Prophetam: ϰ Non in æternum indignabor vobis, [6] neque ſemper non defendam vos. Et quoniam Hieremias Propheta in perſona populi peccatoris deprecatur Dominum, dicens: λ Emenda nos Domine, ſed in judicio & non in ira, ne paucos facias nos; adjecit & dixit Eſaias: μ Propter peccatum modice contriſtavi eum, & percuſſi eum, & averti faciem meam ab eo, & contriſtatus eſt, & abiit triſtis in viis ſuis; & quia operatur, adjecit & dixit: Vias ejus vidi, & curavi eum, & dedi ei exhortationem veram, pacem ſuper pacem; [7] pœnitentibus, deprecantibus, & operantibus reſtitui poſſe, quod male perierint, quodque a Chriſto declinaverint.

Denique hoc in Evangelio comprobatur, ubi illa mulier

α *Matt.* 10. 32. β *Heb.* 10. 30. γ *Matt.* 7. 22. δ *Jo.* 6. 67. ε *Joel.* 2. 12. ϛ *Pſal.* 89. 31. θ *Ezec.* 36. 17. ι *Ezec.* 33. 10. ϰ *Iſai.* 57. 16. λ *Hierem.* 10. 24. μ *Iſai.* 57. 18.

[1] *Et non nocebunt vobis.*] *Pamelius ait*, Sic. Manut. & Morell. pro, vos; quod tamen habet etiam MS. cod.

[2] *Secularium principum.*] *Pamelius ait*, Galli nempe & Voluſiani.

[3] *Quam male intelligant & interpretentur.*] *Pamelius ait*, MS. cod. intelligunt & interpretantur.

[4] *Per nominis appellationem mutaſtis.*] *Pamelius ait*, Iſtud denuo ex Gravio, pro eo quod alii, per nominis mutaſtis velum; præſertim cum etiam legat, velim MS. cod.

[5] *Pœnitentiam agite qui erratis, convertimini corde*, &c.] *Pamelius ait*, Hæc quoque Gravio & Manuſcriptis codd. accepta debemus, alibi deſiderata.

[6] *Neque ſemper non defendam vos.*] *Pamelius ait*, Mira tranſlatio, quum ad verbum Græce ſit οὐδὲ διὰ παντὸς ὀργισθήσομαι ὑμῖν. Quod Latine ſonat, neque ſemper iraſcar vobis. Coſterius omittens ſecundam negationem, accipit, defendam, pro, ulciſcar; qua ſignificatione alibi quoque utitur Cyprianus. Certe negandi particula poſtea fuit adjecta in cod. MS.

[7] *Pœnitentibus, deprecantibus, operantibus*, &c.] *Pamelius ait*, Sunt hæc verba auctoris, non Eſaiæ, uti male cenſet Morelius; eſt tamen ita adhuc locus obſcurus.

α mulier peccatrix deſcribitur, quæ venit ad domum cujuſdam Phariſæi, ubi erat Dominus vocatus cum diſcipulis, portans vas unguenti; quæ ſtetit ad pedes Domini, & lacrymis ſuis lavit pedes ejus, & capillis exterſit, & oſcula infixit, ut excitaretur ille Phariſæus & diceret: Hic ſi eſſet Propheta, ſciret quæ & qualis eſſet iſta mulier quæ eum tangit, quia peccatrix eſt. Unde incontinenti Dominus peccatorum remiſſor & pœnitentium receptor, ait: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille reſpondit dicens: Magiſter, dic. Et Dominus: Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus qui habebat denarios quingentos, & alius quinquaginta: cum non haberent unde ſolverent, ambobus donavit. Et interrogavit: Quis illorum plus diligit? Et reſpondit Simon: Utique ille cui plus donavit. Et adjecit dicens: Vides iſtam mulierem? Intravi in domum tuam, oſculum mihi non dediſti; hæc autem non ceſſavit oſculando pedes meos: pedes meos non lavaſti; hæc autem lacrymis ſuis lavit, & capillis exterſit: oleo pedes meos non unxiſti; hæc autem unxit. Propter quod dico tibi, Simon, quia remittuntur illi peccata ejus. Ecce Dominus utriſque debitoribus larga ſua pietate debitum concedit. Ecce delicta donantem. Ecce mulierem peccatricem pœnitentem, flentem, deprecantem; & remiſſam peccatorum accipientem.

Erubeſce jam nunc, ſi fieri poteſt, Novatiane: deſine argumentis tuis impiis incautos decipere: deſine unius capituli præſcriptione terrere. Legimus & adoramus, nec prætermittimus cœleſtem Domini ſententiam, qua ait negaturum ſe negántem; nunquid & pœnitentem? Et quid ego tamdiu de miſerationibus probare ſingula geſtiam? quandoquidem Ninivitis Allophylis, & longe à lege Domini conſtitutis, propter civitatis ſuæ annunciatam everſionem deprecantibus, miſericordia Dei non denegatur? Ipſi illi Pharaoni ſacrilega temeritate repugnanti, cum quondam cœleſtibus plagis verberaretur, & converſus Moyſi & fratri ejus dixiſſet: ϛ Orate pro me ad Dominum, quia peccavi; incontinenti ab eo ſuſpendebatur ira Dei. Et tu jam Novatiane, judicas, & nullam ſpem pacis ac miſericordiæ habere Lapſos prædicas; nec increpanti Apoſtolo aurem accommodas dicenti: γ Tu qui es, qui judicas ſervum alienum? Domino ſuo ſtat aut cadit. Stabit autem, potens eſt Deus ſtabilire eum. Unde pertinenter & neceſſarie ex perſona eorumdem lapſorum increpat vos Spiritus ſanctus, dum dicit: δ [1] Noli gratulari inimica mea mihi, quoniam ſi cecidi, & exurgam: & ſi in tenebris ambulavero, Dominus lumen eſt mihi. Iram Domini tolerabo, quoniam peccavi illi, uſque dum juſtificet cauſam meam, & faciat judicium & juſtitiam, & producat me ad lucem. Videbo juſtitiam illius, & videbit me inimica mea, & cooperiet ſe confuſione.

Oro, non legiſti: ε Nolite gloriari, & nolite loqui excelſa, & ne exeat magniloquentia ex ore veſtro; quoniam erigit à terra pauperem, à ſterquilino erigit inopem, & ſedere eum facit cum potentibus populi? Non legiſti: ζ Quia Dominus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam? Non legiſti: η Qui ſe exaltat, humiliabitur? Non legiſti: θ Quia Deus perdidit memoriam ſuperborum, & non relinquit memoriam humilium? Non legiſti: ι Quia quo judicio quis judicaverit, eum judicari neceſſe eſt? Non legiſti: κ Quia qui odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat; & non ſcit quo eat, quia tenebræ excæcaverunt oculos ejus? Unde igitur & tam ſceleratus, & tam perditus, tam diſcordiæ furore veſanus extiterit iſte Novatianus, invenire non poſſum; qui ſemper in domo una, id eſt, Chriſti Eccleſia, proximorum delicta ut propria fleverit; onera fratrum, ſicut Apoſtolus hortatur, λ ſuſtinuerit; lubricos in fide cœleſti allocutione corroboraverit. At nunc ex quo [2] Cainam illam hæreſim, quæ non niſi tantum occidere geſtit, exercere cœpit; nec ſibi noviſſime parcit. Ceterum ſi legiſſet, μ quia juſtitia juſti non liberabit eum in die qua erraverit, & iniquitas impii non nocebit ei ex qua die converſus fuerit, jam olim in cinere pœniteret, ille qui ſemper pœnitentibus adverſatur; qui in ruina facilius ædificatorum ſtantium operatur, quam inſtructione jacentium ruinarum; qui multos ex fratribus noſtris miſerrimos falſis ſuis adverſationibus perterritos, iterum fecit ethnicos, dicendo quod pœnitentia Lapſorum ſit vana, nec poſſit eis proficere ad ſalutem; clamante ſcriptura & dicente: ν Memento unde excideris, & age pœnitentiam; ſi quo minus, veniam tibi, niſi pœnitentiam egeris. Et quidem ad ſeptem Eccleſias ſcribens ſingulis ſua quoque facinora, & delicta ingerens, pœnitemini dicebat. Quibus? niſi illis, ſcilicet, quos pretio magno ſui ſanguinis redemerat.

O te impium ſceleſtumque hæretice Novatiane, qui poſt tot & tanta in Eccleſia, à quibuſdam retro voluntarie commiſſa crimina, quæ & tu ipſe in domo Dei priuſquam apoſtata eſſe cognoveras; & hæc poſſe aboleri de memoria ſuccedente bono utique docueras, ſecundum fidem ſcripturæ dicentis: ξ Quia ſi converſus fuerit, facinoroſus ab omnibus facinoribus ſuis quæ commiſit, & juſtitiam fecerit, vita æterna vivet, & non morietur in facinore ſuo (Delicta enim quæ commiſit, abolebuntur de memoria ſuccedentibus bonis factis.) Tu hodie retractas, an debeant lapſorum curari vulnera, qui nudati à diabolo ceciderunt, [3] violentia aquæ, quam ſuo ore ſerpens emiſit poſt mulierem. Sed quid dicam? ait Apoſtolus: ο Laudo vos? in hoc non laudo: quia non in melius, ſed in pejus veniſtis. Ubi enim ſunt æmulationes & diſſenſiones in vobis; nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Nec nos quidem mirari oportet, cur iſte Novatianus tam nefanda, tam gravia in perſonam lapſorum exercere nunc audeat: quandoquidem habemus exempla prævaricationis hujus præcedentia. Saul ille bonus, præter cetera, poſtea livore evertitur, & contra David omnia adverſa & inimica agere molitur. Judas ille inter Apoſtolos electus, qui ſemper in domo Dei unanimis & fidelis; ipſe poſtmodum Deum tradidit.

Prædixerat quidem & Dominus multos eſſe venturos ſub

α *Luc.* 7. 37. β *Exod.* 9. 28. γ *Rom.* 14. 4. δ *Mich.* 7. 8. ε 1 *Reg.* 2. 8. ζ *Jac.* 4. 6. η 1 *Pet.* 5. 5. θ *Luc.* 18. 14. ι *Pſal.* 9. 14. κ *Matth.* 7. 2. λ 1 *Jo.* 2. 11. μ *Gal.* 6. 2. ν *Ezech.* 33. 18. ξ *Apoc.* 2. 5. ο *Ezec.* 18. 21. π *Apoc.* 12. 15.

[1] *Noli gratulari inimica mea.*] *Pamelius ait*, Non minus & iſtud, pro eo quod corrupte erat, amica: Nam Græce apud 70. eſt ἴχθεϱά μου.

[2] *Cainam illam hæreſim.*] *Pamelius ait*, Recte Eraſmus, pro, caninam. Sic enim & Hieronymus appellat eam, quæ adimit ſpem remittendi peccati. Locus Hieron. eſt Epiſt. ad Oceanum, & meminit ejuſdem quaſi tollentis martyrium, libro contra Vigilant. Ut ſit eadem quæ Gnoſticorum, de quibus Tertullianus in Scorpiaco. Atque adeo etiam Caina, legendum cenſeo apud eundem Tertull. initio libri de Baptiſmo; aut ſaltem, Caiana, pro eo quod eſt, Gaiana. Quippe quæ remedium etiam baptiſmo tolleret. De aliis hujus ſectæ erroribus vide eundem de Præſcriptione adverſus hær. Irenæum lib. 1. cap. ult. Epiphanium hær. 38. & Auguſt. hær. 18.

[3] *Violentia aquæ quam ſuo ore ſerpens emiſit poſt mulierem.*] *Pamelius ait*, Intelligit perſecutionem quam diabolus immiſit in Eccleſiam.

[1] *Apud*

ſub pellibus ovium, rapaces lupos. α Qui ſunt iſti rapaces lupi, niſi ſenſu ſubdolo conſpirantes ad infeſtandum gregem Chriſti? ſicut legimus [1] apud Zachariam poſitum: β Ecce ego ſuſcito paſtorem in terra, qui quod averſum eſt, non viſitabit, & carnes electorum manducabit, & talos illorum torquebit. Similiter & per Ezechielem increpat hujuſmodi paſtores, ſcilicet prædones & laniones (dicam ut æſtimaverat) dicens: γ O paſtores, quare lac ebibitis, & coagulatum comeditis, & forte ad nihilum perduxiſtis, & infirmum non viſitaſtis, claudicantem non curaſtis, & errantem non revocaſtis, & permiſiſtis populum meum errare inter ſpinas & tribulos? Propterea hæc dicit Dominus: Ecce ego veniam adverſus paſtores, & exquiram oves meas [2] de manibus illorum, & repellam eos ut non paſcant oves meas, & non erunt eis amplius oves meæ in devorationem, & exquiram eas ſicut paſtor gregem ſuum in die qua fuerit caligo & nebula: ſic exquiram oves meas, & exquiram eas in omni loco quocunque diſperſi ſunt: & quod perierat, requiram: & quod erraverat, revocabo: & quod claudicaverat, curabo: & quod infirmum eſt, cuſtodiam, & paſcam oves meas cum judicio.

Quis iſta loquitur? Utique ille qui relictis nonaginta novem ovibus, quæſivit illam quæ de ſuo erraverat grege, ſicut David dicit: δ Erravi velut ovis quæ periit; quam inventam Chriſtus redit humero ſuo portans peccatricem delicatam; qui gaudens & exultans vocatis amicis & domeſticis, ait: ε Congratulamini mihi, quoniam inventa eſt ovis mea quæ perierat. Dico, inquit, vobis, quia tale gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Et ſubjungens ait: Aut quæ mulier habens denarios decem, & cum perdiderit ex denariis unum, nonne accendet lucernam, & tota die domum ſuam emundat, quærens donec inveniat? Et cum invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quoniam inveni denarium quem perdideram. Dico vobis, quia tale gaudium erit in conſpectu angelorum Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. E contrario autem non agentes facinorum ſuorum pœnitentiam; quæ eos maneant ex ipſius Domini reſponſo cognoſcant. Legimus enim in Evangelio: quod quidam venerunt de Galilæis ad Dominum, annunciantes ei de eis quorum ſanguinem miſcuit Pilatus cum ſacrificiis ipſorum: quibus reſpondit Dominus dicens: Putatis quia illi Galilæi ſuper ceteros Galilæos peccatores fuerant, quia paſſi ſunt talia? Non. Dico enim vobis, niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter perietis. ζ Aut illi decem & octo, ſuper quos cecidit turris in Siloa, putatis quia debitores fuerunt morti ſuper omnes homines qui habitabant in Hieruſalem? Non. Dico vobis, inquit, quia niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter perietis.

Excitemus itaque nos quantum poſſumus, fratres dilectiſſimi, & abrupto inertiæ & ſecuritatis ſomno, ad obſervanda Domini præcepta vigilemus. Quæramus tota mente quod perdidimus, ut invenire poſſimus: η Quia quærenti, ait ſcriptura, dabitur, & pulſanti aperietur. Mundemus domum noſtram munditia ſpiritali, ut ſecreta quæque & abdita pectoris noſtri, vero Evangelii lumine radiata, dicant: θ Tibi ſoli deliqui, & nequiſſimum in conſpectu tuo feci; ι Quia mors peccatorum mala, & apud inferos pœnitentia nulla: habentes in contemplatione maxime diem judicii & retributionis: & quod ab omnibus nobis credendum, & firmiter eſt tenendum, quia acceptio perſonarum non eſt apud Deum; cum præcepit in Deuteronomio, non accipiendam perſonam in judicio: κ Non accipies, ait, perſonam, nec ſecundum minimum, nec ſecundum maximum judicabis. His ſimilia & per Ezechielem dixit; λ Omnes, inquit, animæ meæ ſunt, ſicut anima patris & anima filii. Anima quæ peccaverit, ipſa morietur. Hic erit igitur à nobis venerandus, hic tenendus, μ hic per plenam & dignam noſtram confeſſionem propitiandus, qui habet poteſtatem animam & corpus mittendi in gehenna ignis; ſicut ſcriptum eſt: ν Ecce venit cum multis millibus nunciorum ſuorum facere judicium de omnibus, & perdere omnes impios, & arguere omnem carnem [3] de omnibus factis impiorum quæ fecerunt impie, & de omnibus verbis impiis, quæ de Deo locuti ſunt peccatores.

His ſimilia & Daniel: ξ Vidi, inquit, thronum poſitum, & vetuſtus dierum ſedebat ſuper eum, & veſtitus ejus erat tanquam nix, & capilli capitis ejus tanquam lana alba: thronus illius flamma ignis, rotæ illius ignis ardens. [4] Flumen ignis prodibat ante eum, millia millium ſerviebant ei: & millia millium aſſiſtebant ei. Ad judicium ſedit, & libri aperti ſunt. Joannes autem manifeſtius & de die judicii & conſummatione ſeculi declarat, dicens: ο Et cum aperuiſſet, inquit, ſigillum ſextum, ecce terræmotus factus eſt magnus, & factus eſt ſol niger, ut ſaccus cilicinus, & luna tota ſanguinea facta eſt, & ſtellæ ceciderunt in terram, quomodo ficus à vento magno agitata mittit groſſos ſuos, & cœlum receſſit ut liber cum involvitur, & omnis mons & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt: & reges terræ, & maximi quique, & tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis & in cavernis montium, dicentes montibus & petris; Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à conſpectu Patris ſedentis ſuper thronum, & ab ira Agni: quoniam venit dies interitionis, & quis poterit ſtare? Item in eadem Apocalypſi hoc quoque Joannes dicit ſibi revelatum: π Vidi, inquit, thronum magnum; & candidum ſedentem ſuper eum, à cujus facie fugit cœlum & terra, & locus eorum inventus non eſt: & vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes ante conſpectum throni Domini, & libri aperti ſunt. Et alius liber apertus eſt qui eſt vitæ: & judicati ſunt ſinguli ſecundum ea quæ ſcripta erant in libro ſecundum opera ipſorum. Sed & Apoſtolus bonum conſulens, ſic hortatur nos, dicens: ρ Nemo vos decipiat inanibus verbis: propterea enim venit ira Dei ſuper filios contumaciæ, nolite eſſe participes eorum.

Demus igitur totis viribus fidei noſtræ Deo laudem, demus plenam confeſſionem: quandoquidem ſuper pœnitentia noſtra gaudeant virtutes cœlorum, gaudeant angeli omnes, gaudeat & Chriſtus; qui nos denuo peccatis oneratos, delictis obrutos, plena & clementi moderatione ceſſare à facinore hortatur, dicens:

α *Matt.* 10. 16. β *Zach.* 11. 16. γ *Ezech.* 34. 3. δ *Pſ.* 119. 176. ε *Luc.* 15. 4. 8. ζ *Luc.* 13. 4. η *Luc.* 11. 10. θ *Pſal.* 50. 6. ι *Eccleſ.* 9. κ *Deut.* 16. 19. λ *Ezech.* 19. 4. μ *Matt.* 10. 26. ν *Jud.* 14. ξ *Dan.* 7. 9. ο *Apoc.* 6. 12. π *Apoc.* 20. 11. ρ *Eph.* 5. 6.

[1] *Apud Zachariam.*] *Pamelius ait*, Hoc ex conjectura Coſterii, pro ad, conſentit etiam MS. cod.

[2] *De manibus illorum.*] *Pamelius ait*, Adjecit iſtud recte Gravius; nam habent 70. & Cyprianus ſupra Epiſt. 54. ſic etiam MS. cod.

[3] *De omnibus factis impiorum, quæ fecerunt impie.*] *Pamelius ait*, Ita ex margine Gravii in textum inſeruimus, eo quod reperiantur apud Judam Apoſtolum, præſertim conſentiente MS. cod.

[4] *Flumen ignis prodibat ante eum.*] *Pamelius ait*, Gravius & Manutius flumen; ſed pugnat vox Græca ποταμός.

dicens: α Convertite vos, & redite ab impietatibus veſtris, & non erunt vobis iniquitates veſtræ ad pœnam. Projicite à vobis omnes impietates veſtras quas feciſtis adverſum me: & facite vobis cor novum & ſpiritum novum. Et ut quid vos morti traditis domus Iſrael? Non enim deſidero mortem peccatoris. Ego ſum, ego ſum, qui deleo facinora tua, & non commemorabor te: tu autem in mente habe, & judicemus. Dic tu facinora tua prius, ut juſtificeris. Dum patet, fratres, indulgentiæ aditus, Deum plenis ſatisfactionibus deprecemur. Humiliemus nos, ut exaltari poſſimus. Acquieſcamus divinæ exhortationi, qua evadere liceat diem Domini & iram. Dicit enim ſic: ϛ Reſpice, fili, nationes hominum, & ſcito. Quis ſperavit in Domino, & confuſus eſt; permanſit in mandatis illius, & derelictus eſt; aut invocavit eum, & deſpexin illum? quoniam pius & miſericors Dominus, & remittens in tempore tribulationis peccata, omnibus inquirentibus ſe in veritate. Ait ergo: γ Dic tu facinora tua prius, ut juſtificeris. [1] Præ manu ſit vobis oratio illa exomologeſeos plena.

α *Ezec.* 18. 30. ϛ *Iſai.* 43. 25. γ *Eccleſ.* 11. 12.

[1] *Præ manu ſit vobis oratio illa exomologeſeos plena.*] *Pamelius ait*, Ex MSS. cod. repoſuimus vobis, pro nobis, hinc autem apparet, niſi fore illud, dic facinora, &c. mutilum eſſe & imperfectum hunc librum, neque tamen oratio illa Cypriani pro martyribus, ea eſſe poteſt cujus meminit; quod nulla pœnitentiæ aut relaxationis peccatorum, (uti ante me quoque Eraſmus adnotavit) fiat mentio. Accedit quod in cod. vet. ex quo hunc librum deſcripſit ille medius interponatur ſermo D. Auguſtini de Cypriano; & in MSS. Affligin. Marchinenſi, Dunenſi, & Anglico codd. reperiatur illa oratio cum ſequenti, abſque tamen hoc libro, ac viciſſim hic liber in MSS. cod. ſine ulla Oratione.

Tractatus ignoti Auctoris, a Rigaltio, in notis ad Cyprianum, primum editus; in quo ſuadetur, non debere denuo baptizari qui ſemel in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſint tincti.

ANimadverto quæſitum apud fratres, quid potius obſervari oportet in perſonam eorum, qui in hæreſi quidem, ſed in nomine Dei noſtri Jeſu Chriſti tincti, poſtmodum inde digreſſi, & ſuppliciter ad Eccleſiam Dei advolantes, totis præcordiis pœnitentiam agerent, & erroris ſui damnationem nunc demum intelligentes, auxilium ſalutis ab ea implorent: utrum vetuſtiſſima conſuetudine ac traditione eccleſiaſtica, poſt illum, qui foris quidem, ſed in nomine Jeſu Chriſti [1] Dominicum acceperunt baptiſma, tantummodo imponi eis manum ab Epiſcopo, ad accipiendum Spiritum ſanctum ſufficeret, & hæc manus impoſitio ſignum fidei iteratum atque conſummatum eis præſtaret: an vero etiam iteratum baptiſma his neceſſarium eſſet, tanquam nihil habituris, ſi hoc quoque adepti ex integro non fuiſſent, perinde ac ſi nunquam baptizati in nomine Jeſu Chriſti forent. Ideoque nonnulla ſuper hac nova quæſtione ſcripta aut reſcripta eſſe jactabantur, quibus utraque pars ad deſtruenda aliena ſummo ſtudio nitebatur.

In quo genere quæſtionis, ut mihi videtur, nulla omnino potuiſſet controverſia aut diſceptatio emergere, ſi unuſquiſque noſtrum contentus venerabili eccleſiarum omnium auctoritate, & neceſſaria humilitate, nihil innovare geſtiret, cum [2] locum contradictioni non quemlibet animadverteret. Namque omne quod anceps & ambiguum, & diverſis ſententiis prudentium ac fidelium virorum conſtitutum eſt, ſi contra priſcam & memorabilem cunctorum emeritorum ſanctorum & fidelium ſolenniſſimam obſervationem judicatur, damnari utique debet, cum in re olim compoſita & ordinata, quodcunque eſt illud quod contra Eccleſiarum quietem atque pacem in medium producatur, nihil præter diſcordias & ſimultates & ſchiſmata allaturum: ubi nullus alius fructus reperiatur, niſi hic ſolus, ut unus homo, quicunque ille eſt, magnæ prudentiæ & conſtantiæ eſſe apud quoſdam leves homines inani gloria prædicetur, & [3] hæreticorum ſtupore præditus, quibus hoc unicum perditionis ſolatium eſt, ſi non ſoli peccare videantur, errores & vitia univerſarum Eccleſiarum correxiſſe apud ſimillimos ſui & compares celebretur. Hæreticorum enim omnium hoc ſtudium atque propoſitum eſt, ſanctiſſimæ matri noſtræ Eccleſiæ ejuſmodi & plurimas quantas calumnias nectere, & inveniſſe aliquid quod ei crimini, vel etiam leviter, dari poſſet, ſummam gloriam ducere. Quod cum nullum ſanæ mentis fidelium tenere, vel maxime nullum omnino in quocunque clero conſtitutum, ac multo magis epiſcoporum, audere deceat, monſtri ſimile eſt, ipſos epiſcopos talia ſcandala cogitare, & turpitudinem matris Eccleſiæ, ſi quam putant in hoc negotio eſſe, contra præceptum Legis & omnium ſcripturarum nimis irreverenter cum ſua ipſorum turpitudine & periculo non vereri detegere. Quanquam nulla ſit in hoc, niſi in errore ipſorum illorum, turpitudo Eccleſiæ. Itaque deterius delinquitur ab hominibus ejuſmodi, ſi id quod in obſervatione antiquiſſima, aliis, tanquam non recte fiat reprehenditur, & ab his qui ante nos fuerunt, tum etiam à nobis recte obſervatum & obſervari manifeſte ac fortiter oſtendatur, ita ut

[1] *Dominicum acceperunt Baptiſma.*] *Rigaltius ait*, In exemplari legitur: Domini non acceperunt baptiſma. Quod abſque dubio pravum eſt. Itaque edi curavimus, Dominicum, ex conjectura quam exhibuit doctiſſimi Sirmondi manus, qui nobis iſtius ſcripti copiam fecit; nam ipſum exemplar nondum inſpeximus. Dominicum baptiſma dicitur. quod eſt in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti collatum fideli ſive credenti.

[2] *Locum contradictioni non quemlibet.*] *Rigaltius ait*, Non quemlibet, dicit, qui eſt in ancipiti & in ambiguo, & diverſam ſententiam patitur; contradictione tam obvia, tamque in promtu, ut eam nemo non geſtiat proponere.

[3] *Hæreticorum ſtupore.*] *Rigaltius ait*, Stuporem dicit, arrogantiam, ſuperbiam. Quod jam compluribus locis obſervavimus apud Tertull. & Cypr.

[1] *Scrip-*

ut etsi paribus argumentis ex utraque parte congrederemur, tamen quia non poterat id quod innovabatur sine dissensione fratrum & damno Ecclesiastico consistere, utique non debeat contra fas quod aiunt & nefas, id est, contra bonum & æquum, Ecclesiæ matri quasi macula temere infligi, eisque qui hoc adtentarint, audaciæ hujus atque impietatis ignominia merito debeat adscribi.

Sed quoniam non est in nostra potestate, ut secundum præceptum Apostoli idipsum dicamus omnes, neve sint in nobis schismata, tamen in quantum possumus, connitimur hujus tractatus statum demonstrare; & turbulentis hominibus, ut vel nunc suum negotium agere incipiant, persuadere; consecuturis etiam plurimum nobis, si hoc quoque consilio sano tandem voluerint acquiescere. Et ideo quæcunque sanctarum [1] scripturarum ad hanc partem pertinentia sunt capitula, necessario in unum congeremus: & quæ videntur esse diversa aut varia, quantum poterit, manifeste inter se conglutinabimus, & utilitatem ac commodum singulorum pro mediocritate nostra examinabimus, [2] ut accedenti in Ecclesia formam & consuetudinem saluberrimam atque pacificam universis fratribus insinuemus. Igitur aggredientibus tractatum salutaris & novi, hoc est, spiritalis & evangelici baptismatis, inprimis occurrit notissima omnibus prædicatio celebrata atque cœpta à Joanne Baptista, qui aliquantum desciscens à Lege, id est Moyse, antiquissimo baptismate, & viam novæ & veræ gratiæ præsternens, & baptismate, quod interim exercebat, aquæ & pœnitentiæ sensim aures Judæorum præveniebat, & occupabat spiritalis baptismatis futuri annuntiatione, adhortans eos & dicens: Qui post me venit, fortior me est, cujus ego non sum dignus corrigiam calceamenti solvere. Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni. Propter quod nobis quoque hujus sermonis orsus hinc incipere debebit. Nam & Dominus hanc eandem vocem Joannis post suam resurrectionem in Actis Apostolorum confirmans, præcepit eis, ab Hierosolymis ne discedere, sed expectare illam promissionem Patris quam audistis à me, quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. Itemque Petrus eadem verba Domini percensuit, rationem pro se apud Apostolos reddens dicendo: Cum autem inciperem loqui ego, irruit Spiritus sanctus super eos, sicut & super nos in principio, & recordatus sum sermonem Domini, sicut dicebat: Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto. Si ergo æquale donum dedit eis, sicut & nobis credentibus Dominum Jesum Christum, ego quis eram qui possem prohibere Domino? Et iterum: Viri fratres, scitis quia à diebus antiquis in nobis Deus elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii & credere, & qui corda novit Deus testimonium perhibuit, dans eis Spiritum sanctum, sicut & nobis. Ac propterea hujus sententiæ quæ sit vis & potestas considerare debemus. Ait enim Dominus eis qui postmodum baptizari haberent quia crederent, baptizandos esse, non quemadmodum à se in aqua in pœnitentiam, sed in Spiritu sancto. De qua prædicatione cum utique nemo nostrûm possit ambigere, manifestum est qua ratione homines in Spiritu sancto baptizati sint. Nam & proprie in ipso solo sancto Spiritu baptizati sunt qui crediderunt. Quia Joannes discrevit & dixit, dicens, se quidem in aqua baptizare, venturum autem qui in Spiritu sancto baptizet, [3] gratia & virtute Dei, sunt & hoc & occulta largiente & operante; nihilominus autem etiam in baptismate Spiritus & aquæ. Præterea etiam in baptismate Spiritus in sanguine proprio uniuscujusque. Sicut declarant nobis sanctæ scripturæ, quarum per singula quæque eorum quæ enarrabimus, adferemus perspicuas probationes.

Ad quæ forte tu, qui novum quid inducis, continuo impatienter respondeas ut soles, dixisse in Evangelio Dominum: Nisi quis denuo natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum cœlorum. Ex quo manifeste apparet, [4] illum baptismum solum prodesse, cui possit etiam Spiritus Sanctus inesse. Super ipsum enim Dominum cum baptizaretur Spiritum sanctum descendisse, factumque ejus atque dictum pariter congruere, nec ulla alia ratione mysterium istud posse consistere. Cui responso nemo nostrûm adeo ita insanus reperitur aut contumax, ut audeat contra fas aut contra verum contradicere: scilicet, rebus integris, & omni modo ita in Ecclesia gerendis, & secundum disciplinæ ordinem perpetuo à nobis observandis. Sed si in eodem novo Testamento hæc quæ in isto negotio deprehendimus adunata, nunquam reperiantur quodammodo divisa ac separata, & proinde dispositа, atque si sint singula, videamus utrum possint esse aliquando etiam singulariter solitaria, quasi non sint mutila, sed tanquam integra atque perfecta. Nam cum per manus impositionem Episcopi datur unicuique credenti Spiritus sanctus, sicut Apostoli circa Samaritanos post Philippi baptisma manum ei imponendo fecerunt, & hac ratione Spiritum sanctum in eos contulerunt. Quod ut fieri posset, ipsi pro eis oraverunt; nondum enim super quemquam eorum descenderat Spiritus, tantum autem baptizati erant in nomine Domini Jesu. Dominus quoque noster post resurrectionem, cum insufflasset & dixisset Apostolis suis, Accipite Spiritum sanctum, ita demum largitus eis Spiritum.

Cum ita invenitur, quid tibi frater videtur? Si quis non ab Episcopo baptizatus, ita ut si incontinenti etiam manus ei imponatur, priusquam tamen acciperet Spiritum sanctum, fuerit defunctus, utrum censeas salutem percepisse eum, necne. Quoniam quidem & ipsi [5] Apostoli & Discipuli, qui etiam alios baptizabant, qui etiam à Domino baptizati, non statim Spiritum sanctum acceperint, qui nondum erat, quia Jesus nondum fuerat clarificatus: sed post resurrectionem ejus nec modicum intervallum temporis quo id gestum est, interceserit. Sicuti & cum baptizati à Philippo Samaritani: donec Samariam rogati ab Hierusalem Apostoli descenderent ad illos, ut eis manum imponerent, & Spiritum sanctum per manus impositionem in eos conferrent. Quoniam illo intervallo temporis aliquis eorum non adeptus Spiritum sanctum, morte potuit inter-

[1] *Scripturarum capitula.*] *Rigaltius ait*, Sic etiam sæpe Tertull. & Cypr.

[2] *Ut accedenti in Ecclesia.*] *Rigaltius ait*, Fortean, ut tacendi in Ecclesia formam & consuetudinem insinuemus.

[3] *Gratia & virtute Dei, sunt & hoc.*] *Rigaltius ait*, Aliquid hic deesse videtur, quod absque alterius exemplaris ope restitui nequeat. Nisi dicamus ista: Gratia & virtute Dei sunt, pendere de præcedentibus illis: proprie in ipso solo sancto Spiritu baptizati sunt, ut continua lectione sic perducamus: Gratia & virtute Dei sunt, nempe baptizati: deinde sequatur, hoc & occulta largiente & operante. Verum hæc sunt nimis anxia & coacta. Sustinebimus igitur usque dum in alium incidamus codicem antiquum.

[4] *Illum baptismum.*] *Rigaltius ait*, Mox dicet, illud. Sicut & modo baptismum, modo baptisma. Et in dandi casu, alio.

[5] *Apostoli & Discipuli qui etiam à Domino baptizati.*] *Rigaltius ait*, Tertullianus lib. de Baptismo: Apostolos tinctos non invenimus in Domino, præter Paulum. Ibidem: Illis vel primæ adlectionis, & exinde individuæ familiaritatis prærogativa compendium baptismi conferre potuit.

intercipi, & defraudatus gratia Spiritus ſancti defungi. Quod hodierna quoque die non poteſt dubitari eſſe uſitatum, & evenire ſolitum ut plerique poſt baptiſma ſine impoſitione manus epiſcopi de ſeculo exeant, & tamen pro perfectis fidelibus habentur. Sicuti Æthiops eunuchus cum rediret ab Hieruſalem & legeret prophetam Eſaiam & hæſitaret, ſuggerente Spiritu, audita veritate à Philippo diacono, credidit & baptizatus eſt, & cum aſcendiſſet de aqua Spiritus Domini rapuit Philippum, & non vidit eum jam nunc amplius eunuchus. Abibat enim viam ſuam gaudens; quoniam ut animadvertis impoſita ei manus non eſt ab Epiſcopo, ut Spiritum ſanctum reciperet.

Quod ſi hoc admittis, & ſalutare eſſe credis, nec opinioni omnium fidelium refragaris, neceſſe eſt confitearis, proinde autem atque hoc latius tractatu procedit, etiam illud aliud latius poſſe conſiſtere. Id eſt, ut per ſolam manus impoſitionem Epiſcopi, quia baptiſma in nomine Jeſu Chriſti Domini noſtri præceſſit, poſſit alio homini pœnitenti atque credenti etiam Spiritus ſanctus tribui. Quoniam eos qui in Chriſtum crediturі eſſent Scriptura ſancta prædixit, Oportere in Spiritu baptizari. Ita ut & hi quoque non videantur minus aliquid habere, quam illi qui perfecte ſunt Chriſtiani, ne neceſſe ſit quæri, quale illud baptiſma fuerit quod in nomine Jeſu Chriſti ſunt conſecuti. Niſi forte in illo quoque ſuperiore tractatu, circa eos qui tantummodo in nomine Chriſti Jeſu baptizati fuerint, ſtatuas etiam ſine Spiritu ſancto poſſe ſalvos fieri, [1] aut non hac ſola ratione; ſed ſi per manus impoſitionem Epiſcopi Spiritum ſanctum conſueſſe præſtari, aut etiam non Epiſcopum dicas Spiritum ſanctum ſolum eſſe largiri.

Quod ſi ita eſt, & poteſt aliquid horum eveniens ſalutem homini credenti non præripere, tu quoque ipſe annuis quoniam modo dimidiatum, & non ut contendis conſummatum myſterium fidei, [2] qua neceſſitas intervenit, ſalutem adimere non poſſe credenti & pœnitenti homini.

Aut ſi dicis hujuſmodi hominem ſalvum non poſſe fieri, omnibus Epiſcopis ſalutem adimimus, quos ita periculis quam certiſſimis adſtringis ut omnibus qui ſub cura eorum agunt, & hac atque illac diſperſis regionibus ipſorum infirmantur, per ſemetipſos ſubvenire deberent, quia ceteri homines minores clericis qui periclitantur; hoc idem præſtare non poſſint, ne ſanguis eorum qui vacui de ſeculo exiſſe videbantur, de manu epiſcoporum neceſſe habeat requiri. Porro autem ut non ignoratis, credentibus hominibus invenitur Spiritus ſanctus à Domino datus ſine baptiſmate aquæ, ſicut Actis Apoſtolorum continetur in hunc modum: Adhuc loquente Petro verba hæc, irruit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum, & obſtupefacti ſunt qui erant ex circumciſione fideles quotquot ſimul venerant cum Petro, quia & ſuper gentes donum Spiritus ſancti effuſum eſt. Audiebant enim eos loquentes linguis ſuis & magnificabant Deum. Tunc reſpondit Petrus, Numquid aliquis aquam prohibere poteſt ut non baptizentur iſti qui Spiritum ſanctum acceperunt, ſicut & nos? Et præcepit eos baptizari in nomine Jeſu Chriſti. Sicut etiam Petrus poſtmodum de eiſdem gentibus pleniſſime docuit nos, dicens: Et nihil diſcrevit inter nos & ipſos, fide emundatis cordibus eorum. Atque hoc non erit dubium in Spiritu ſancto homines poſſe ſine aqua baptizari; ſicut animadvertis baptizatos hos prius quam aqua baptizarentur ut ſatisfieret & Joannis & ipſius Domini prædicationibus, quandoquidem hæc ſine manus impoſitione Apoſtolorum, & ſine lavacro, quod poſtea adepti ſunt, gratiam repromiſſionis acceperint. Et emundatis cordibus eorum, Deus per fidem ipſorum etiam remiſſionem peccatorum ſimul eis largitus ſit, ut hoc ſolum eis baptiſma ſubſequens præſtiterit, ut invocationem quoque nominis Jeſu Chriſti acciperent, nequid eis deeſſe videretur ad integritatem miniſterii & fidei.

Quod etiam, à contrario latere tractatus hujus, ſunt conſecuti ipſi illi diſcipuli Domini noſtri, ſuper quos jampridem baptizatos, poſtremo die Pentecoſtes ſupervenit Spiritus ſanctus, voluntate Dei quidem, non ſua ſponte cœlo lapſus, ſed ad hoc ipſum munus effuſum, ſed & ſuper unumquemque eorum. [3] Cum juſti jampridem ut diximus baptiſmate Domini fuiſſent baptizati, ſicut & ipſi Apoſtoli, qui tamen omnes Domino nocte qua apprehenſus eſt, deſeruiſſe inveniuntur. Et ille ipſe, qui gloriatus eſt perſeveraturum ſe in ſua fide, Petrus, & adverſus ipſius Domini prædictum obſtinatiſſime repugnavit. [4] Poſtremo tamen tum ipſum negavit, ut hac ratione oſtenderetur nobis, quæ medio tempore, quoque modo, contraxerant delicta, eadem hæc in eis [5] fide poſtmodum ſincerata per baptiſma Spiritus ſancti non dubie eſſe dimiſſa. Nec ulla ut puto alia ex cauſa Apoſtoli his quos in Spiritu ſancto adloquebantur, niſi quia virtus nominis Jeſu ſuper quemcunque hominum baptiſmate invocata ad ſalutem adſequendam non modicam prærogativam ei qui baptizaretur præſtare poſſet, ſicuti Petrus in Actis Apoſtolorum narrat, dicens: Nec enim aliud eſt nomen ſub cœlo quod datum eſt hominibus, in quo oportet ſalvos fieri nos. Sicut etiam Apoſtolus Paulus aperit, oſtendens: quia Deus exaltavit Jeſum Dominum noſtrum & donavit illi nomen ad hoc ut ſit ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omnes genua curvent cœleſtium & terreſtrium & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus eſt Jeſus in gloria Patris.

Et ille in quo, cum baptizaretur, invocatum eſſet in nomine Jeſu, licet in aliquo errore conſequeretur, tamen quandoque non prohiberetur rectum ſapere, & errorem ſuum corrigere, & ad Eccleſiam & ad Epiſcopum venire, & ſinceriter confiteri Jeſum noſtrum coram hominibus, ut tunc cum ab Epiſcopo ei manus imponeretur, etiam Spiritum ſanctum acciperet, nec invocationem illam priſtinam nominis Jeſu amitteret, quam nemini noſtrum licet damnare: quum hæc nuda & ſingularis ſit conſtituta non poſſet ad ſalutem præſtandam ſufficere, ne hac ratione etiam ethnicos & hæreticos abutentes nomen Jeſu, credamus ad ſalutem ſine vera re atque integra poſſe pervenire. Quam tamen invocationem nominis Jeſu, correctione erroris & agnitione fidei veritatis, & abſciſa omni labe præ-

[1] *Aut non hac ſola ratione, ſed ſi per manus impoſitionem.*] *Rigaltius ait*, Aliquid hic deeſſe videtur; niſi totam clauſulam ſic conſtituamus: Circa eos qui tantummodo in nomine Chriſti Jeſu baptizati fuerint, ſtatuas etiam ſine Spiritu ſancto poſſe ſalvos fieri; aut, non hac ſola ratione, ſed & per manus impoſitionem Epiſcopi, Spiritum ſanctum conſueſſe præſtari; aut etiam non Epiſcopum dicas Spiritum ſanctum eſſe largiri. Solum, hoc eſt, ſine aqua, ſine baptiſmo. Eſſe largiri, hoc eſt, Spiritum ſanctum dare poſſe etiam non Epiſcopum, videlicet aliquem de minore clero, vel dè iis qui ſunt minores clericis.

[2] *Qua neceſſitas intervenit.*] *Rigaltius ait*, Peculiari neceſſitatis cauſatione, cujus exempla obſervavimus apud Tertull. & Cypr.

[3] *Cum juſti jampridem.*] *Rigaltius ait*, Leg. cum iſti.

[4] *Poſtremo tamen tum ipſum negavit.*] *Rigaltius ait*, Leg. ter ipſum neg.

[5] *Fide poſtmodum ſincerata.*] *Rigaltius ait*, Ad ſinceritatem reducta. Mel ſincerum, quod purum & ſine cera. Infra dicet, purificato corde.

[1] *Ali-*

præteritæ converſationis, myſterio Dei, circa ejuſmodi homines rite perpetratam, locum quem habitura non erat, obtinere, & poſtremo in fide recta, & ad integritatem ſigni præſtandam non obeſſe, ſupplemento ejus quod deerat accedente.

Perquam utile eſt credere, & tot annorum, totque Eccleſiarum, itemque Apoſtolorum & Epiſcoporum auctoritati cum bona ratione adquieſcere: Cum ſit maximum incommodum ac diſpendium ſanctiſſimæ matris Eccleſiæ adverſus priſca conſulta; poſt tot ſeculorum tantam ſeriem, nunc primum repente ac ſine ratione inſurgere. Nec enim propter aliud Petrus, qui jam fuerat baptizatus, & quid ſentiret de Domino ab ipſo Domino erat interrogatus, & veritate revelationis Patris cœleſtis in eum collocata, quod Dominus noſter non ſolum Chriſtus, verum etiam filius Dei vivi eſſet confeſſus, poſtmodum eidem Chriſto prædicanti de ſua paſſione refragatus eſſe monſtratus eſt, & propterea Satanas dici oſtenſus eſt. Niſi quia futurum erat, ut quidam tametſi variantes in ſententia propria, & claudicantes aliquando in fide atque doctrina, cum in nomine Jeſu baptizarentur, tamen ſi intervallo quodam temporis recorrigere id potuiſſent, non propterea à ſalute exciderent. Sed quandoque reſipuiſſent, integram ſpem ſalutis pœnitendo obtinerent. Præſertim cum Spiritum ſanctum, quo baptizari unuſquiſque hominum debet, acciperent, aliquid tale deſignaſſent. Sicuti non ſolum Petrum hoc paſſum eſſe in Evangelio deprehendimus, verum univerſos quoque diſcipulos, quibus jam baptizatis poſtea Dominus ait, quia vos omnes ſcandalizabimini in me. Qui omnes, ut animadvertimus, correcta fide ſua, poſt reſurrectionem Domini in Spiritu ſancto ſunt baptizati. Ut non immerito hodie quoque credamus homines correctos à priſtino errore, in Spiritu ſancto poſſe baptizari, qui cum aqua baptizarentur in nomine Domini [1] aliquod, ſcabram habuiſſent fidem. Quoniam multum intereſt, utrum in totum quis non ſit baptizatus in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, an vero in aliquo claudicet cum baptizatur [2] baptiſmate aquæ, quod minus eſt; dummodo poſtea conſtet in veritate ſincera fides in baptiſmate Spiritus, quod majus eſt.

Nec æſtimes huic tractatui contrarium eſſe quod dixit Dominus: Ite, docete gentes, tinguite eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Quia cum hoc verum & omnibus modis in Eccleſia obſervandum ſit, & obſervari quoque ſolitum ſit, tamen conſiderare oportet quod invocatio nominis Jeſu non debet à nobis futilis videri propter venerationem & virtutem ipſius nominis, in quo nomine virtutes omnes ſolent fieri: & nonnunquam aliquæ etiam [3] ab hominibus extraneis. Ceterum quo pertinent illa verba Chriſti, qui negaturum ſe eſſe dixit, nec noſſe eos qui ſibi in die judicii dicturi eſſent: Domine Domine, nonne in tuo nomine prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes magnas fecimus, reſpondendo eis etiam cum jurejurando, quia nunquam cognovi vos: Diſcedite à me qui operamini iniquitatem: niſi oſtenderetur nobis, nonnunquam etiam ab his qui operarentur iniquitatem, poſſe [4] per nimiam virtutem nominis Jeſu etiam hæc fieri. Idcirco quæ, debet invocatio hæc nominis Jeſu quaſi initium quoddam myſterii Dominici commune nobis & ceteris omnibus accipi, quia poſſit poſtmodum reſiduis rebus impleri, alias non profutura talis invocatio cum ſola permanſerit. Quia poſt mortem ejuſmodi hominis non poteſt ei quicquam omnino adjici vel ſuppleri, aut in aliquo prodeſſe in die judicii, cum illa à Domino noſtro quæ ſupra memoravimus cœperint exprobrari, qui tamen univerſi hodie, ut ſibi his modis ſubveniant quibus ſupra oſtendimus, non poſſunt ab ullo hominum tam dure tamque crudeliter prohiberi.

Sed ad hæc ut ſoles contradices, opponendo nobis, tunc cum baptizarentur integre ac recte diſcipulos, ac non ut hos hæreticos eſſe baptizatos, quod ex perſona ipſorum, & ejus qui baptizavit illos, ſumas neceſſe eſt. Et ideo nos ad propoſitionem hanc tuam non ut accuſatores diſcipulorum Domini reſpondemus, ſed ſicuti compellimur, quia neceſſe eſt ubi & quando & quemadmodum unicuique noſtrum ſalus ſit præſtita, rationibus inveſtigemus. Namque natum eſſe Dominum noſtrum, & Chriſtum eſſe eum, multis rationibus à diſcipulis ejus non immerito credi videbatur, quod ex tribu Juda, quod ex genere David, quodque in civitate Bethleem fuiſſet natus, & quod paſtoribus ab Angelis, quoniam ſalvator illis natus eſſet, eodem momento fuiſſet annunciatus, quod in Oriente viſa ejus ſtella, ſolicitiſſime fuiſſet à Magis requiſitus & adoratus, & illuſtribus donis & inſignibus muneribus honoratus: quod puer admodum in templo ſedens cum legis doctoribus prudenter & cum admiratione omnium diſputaſſet; quod cum baptizaretur, ita ut nulli alii contigerat, cœlis apertis deſcenſione Spiritus ſancti, & ſuper eum manſione, teſtimonio etiam Patris ſui, itemque Joannis Baptiſtæ fuiſſet clarificatus: quod ſupra humanam mediocritatem corda & cogitationes univerſorum intelligeret: quod languores & vitia & valetudines cum poteſtate maxima curaret atque ſanaret: quod remiſſiones peccatorum cum evidenti probatione præſtaret, quod dæmonia juſſu expelleret, quod leproſos verbo mundaret, quod aquam in vinum convertendo, convivium nuptiale admirabili lætitia amplificaret: quod viſionem reſtitueret aut indulgeret: quod doctrinam Patris cum omni fiducia aſſereret: quod in loco deſerto de quinque panibus quinque millia hominum ſaturaret. Quod reliquiæ atque buccellæ pluſquam duodecim cophinos implerent: quod mortuos pro ſua pietate paſſim ſuſcitaret: quod ventis & mari ut quieſcerent imperaret: quod ſuper mare pedibus ambularet: quod virtutes omnes omnino perficeret.

Quibus rebus & hujuſmodi compluribus factis ad claritatem ejus pertinentibus conſequens eſſe videbatur, ut quemadmodum Judæi de Chriſto ſentiant. Quod tamen de Jeſu Chriſto Domino noſtro non credunt, ut etiam ipſi exiſtimarent, ut talis & tantus nulla obita morte in æternum perſeveret, & regnum Iſraël & totius orbis in perpetuum quod non corriperetur poſſideret. Unde etiam Judæi auſi fuerant eum rapere & in regnum unguere: quod quidem [5] neceſſe habuit ille ſuperfugere. Ac propterea diſcipuli ejus arbitrabantur, quod nulla alia ratione vitam æternam his præſtiturus eſſet, niſi primum ipſe vitam hanc temporalem cum illa æterna in ſeipſo continuaſſet. Denique cum converſarentur in Galilæa dixit eis Jeſus, Incipit filius homi-

[1] *Aliquod ſcabram habuiſſent fidem.*] *Rigaltius ait*, Fortean ſcripſerit Auctor, aliquo ſcabram. Hoc eſt, aliquatenus. Ut apud Tertull. aliquo Numidas. Quod ſi quis malit, aliquod ſcabram, ferri certe poterit, quemadmodum apud Virgil. os humeroſque Deo ſimilis.

[2] *Bapti mate aquæ.*] *Rigaltius ait*, Sic emendavit quod in MS. Remenſi prave ſcriptum eſt, Baptiſmata ea quæ.

[3] *Ab hominibus extraneis.*] *Rigaltius ait*, Non domeſticis fidei: extra Eccleſiam conſtitutis. Infra dicet, alienis.

[4] *Per nimiam virtutem.*] *Rigaltius ait*, Abundantia, ſive exuberantia divinæ virtutis, nominis Jeſu.

[5] *Neceſſe habuit ſuperfugere.*] *Rigaltius ait*, Hoc certe magis Deo convenit, quam ſubterfugere.

hominis tradi in manus hominum, & interficient eum, & post triduum resurget, & contristati sunt nimis ac mente conceperant. Denique hic fuit etiam Judæorum sermo contradictionis adversus eum, [1] cum se ipse quidem doceret eos, & futura annuntiaret. Illi autem dicerent, Nos audivimus à lege quia Christus manet in æternum, & quomodo tu dicis, quia exaltari oportet filium hominis? Itaque fuit discipulorum hæc præsumtio de Christo, prorumpente in istum sermonem incredulitatis suæ Petro ipso duce ac principe Apostolorum. Cum enim à Domino simul cum ceteris fuisset interrogatus quidnam sentiret de ipso, id est, quem esse eum existimaret, & primo veritatem confessus fuisset dicens, esse eum Christum filium Dei vivi, & propterea beatus ab illo judicatus esset, quod hoc non carnaliter, sed per Patris cœlestis revelationem adsecutus esset: idem tamen, ubi cœpit Jesus ostendere discipulis suis quia oportet illum Hierosolymam ire, & multa pati à senioribus & sacerdotibus & Scribis, & interfici, & post diem tertium resurgere, nihilominus ille verus Christi confessor post pauculos dies, assumto eo cœpit illum corripere, dicens, [2] Propitius sis tibi, non erit istud: ut propterea audire à Domino commeruerit, Vade post me Satanas, scandalum mihi es. Ob hoc quod non saperet ea quæ sunt Dei, sed ea quæ sunt hominum.

Quæ increpatio adversus Petrum magis magisque eluxit adprehenso Christo, cum à muliercula conterritus diceret, Nescio quid dicas, neque novi te. Et iterum cum hoc diceret adhibito jurejurando, & tertio [3] devotans & jurans adfirmaret, quoniam non nosset hominem; & non semel, sed sæpius eum negasset. Quod consilium ei quoniam usque ad passionem Domini perseveraturum erat, multo prius à Domino palam factum est, ut nos quoque id non ignoremus. Denique post resurrectionem Domini unus è discipulis ejus Cleopas cum esset mœstus secundum errorem omnium condiscipulorum suorum, ipsi Domino, tanquam alicui ignoto, referens quod contigerat, sic locutus est, dicens: De Jesu Nazareno, qui fuit propheta potens in factis & dictis in conspectu Dei & universi populi, quomodo hunc tradiderunt sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt: Nos autem sperabamus quod ipse erat redemturus Israël. Juxta quæ, omnes quoque discipuli adleverationem quoque mulierum, quæ post resurrectionem viderant Dominum, judicaverunt deliramenta, & quidam ipsorum viso eo non crediderunt, sed dubitaverunt. Quique tunc non interfuerunt, omnino non crediderunt, nisi postmodum ab ipso Domino omnibus modis fuissent objurgati atque increpati. Quoniam mors eos ita offenderat, ut putarent eum non resurrexisse, [4] quem timuerant mori non debuisse, quia contra opinionem ipsorum semel mortuus fuisset. Itaque quod ad ipsos discipulos pertinet, neque integram neque perfectam fidem habuisse his modis quibus retulimus inveniuntur; & quod multo gravius est, sicut in Evangelio [5] circa Joannem scriptum est, etiam alios baptizabant.

Præterea, quid dicturus es de his, qui plerumque ab Episcopis pessimæ conversationis baptizantur; qui tamen tandem, cum Deus voluerit, in sceleribus suis convicti, [6] etiam ipso, aut prorsus etiam communicatione privantur? Aut quid statues de eis qui ab Episcopis prave sentientibus aut imperitioribus fuerint baptizati? quando non ad liquidum & integre, vel etiam aliter quam oportet, in traditione sacramenti fuerint locuti. Certe aut interrogaverint quid, aut interrogantes à respondentibus audierint, quod minime ita interrogati aut responderi debet. Quod tamen non valde illam nostram rectam fidem lædat, sed non ornate ut tu & composite, isti quoque simpliciores homines mysterium fidei tradant. Dicturus es enim utique pro tua singulari diligentia, hos quoque denuo baptizandos esse, cum maxime eis res desit, aut obstet, quominus inviolabile illud divinum mysterium fidei intemeratum possint accipere. Sed enim [7] vivorum optime reddamus & permittamus virtutibus cœlestibus vires suas, & dignationi divinæ majestatis concedamus operationes proprias, ut intelligentes quantum in ea sit emolumentum, libentes ei adquiescamus. Et ideo cum salus nostra in baptismate spiritus, quod plerumque cum baptismate aquæ conjunctus, sit constituta, siquidem per nos baptisma tradetur, integre & solenniter & per omnia quæ scripta sunt adsignetur, atque sine ulla ullius rei separatione tradatur: aut si à [8] minore clero per necessitatem traditum fuerit, eventum expectemus, [9] ut aut suppleatur à nobis, [10] aut à Domino supplendum reservetur. Si vero ab [11] alienis traditum fuerit, ut potest hoc negotium & ut admittit, corrigatur. Quia Spiritus sanctus extra Ecclesiam non sit, fides quoque non solum apud hæreticos, verum etiam apud eos qui in schismate constituti sunt, sana esse non possit. Idcirco quæ pœnitentiam agentibus correctisque per doctrinam veritatis & per fidem ipsorum, quæ postea emendata est, purificato corde eorum, tantummodo baptismate spiritali, id est, manus impositione Episcopi, & Spiritus sancti subministratione subveniri debeat. Signum quoque fidei integrum hoc modo & hac ratione tradi in Ecclesia merito consuevit; ne invocatio nominis Jesu, quæ aboleri non potest, contemtui à nobis videatur habita. Quod utique non oportet, quanquam talis invocatio, si nihil eorum quæ memoravimus servatum fuerit, ab operatione salutis cesset ac vacet. Dicente enim Apostolo, unum

[1] *Cum seipse quidem doceret eos.*] *Rigaltius ait*, Docebat se Christus, docens se esse natum hominem, crucifixum, sepultum, postea vero surrexisse ac revixisse. Nam totum illud, homo Christi, sive Corpus & Sanguis Christi, caro Christi, Crux Christi, ac denique omne illud quod pro nobis in homine suo, conversatus nobiscum, fecit dixitque, Christus est: historia Corporis & crucis Christi, Christus est. Eam qui sciunt, Christum sciunt, qui gesta & mandata Christi animo suo, corde suo, mente sua, bene ac fideliter continent; Christum in se habent. In illis vivit Christus, & vivunt in Christo; Christum sciunt, ut Tertullianus dixit, Alexandrum qui sciunt, de iis qui Alexandri vitam sive historiam scirent.

[2] *Propitius sis tibi.*] *Rigaltius ait*, Comparative dictum videtur, Propitiora tibi adveniant; quasi fatum suum Christus narrasset discipulis.

[3] *Devotans & jurans.*] *Rigaltius ait*, Tertullianus dixit, devotamenta.

[4] *Quem timuerant mori non debuisse.*] *Rigaltius ait*, Prava scriptura Remensis. Legendum, quem innuerant mori non debuisse.

[5] *Circa Joannem.*] *Rigaltius ait*, Kata Joannem.

[6] *Etiam ipso, aut prorsus etiam communicatione privantur?*] Lege, *ipso munere*. *Rigaltius ait*, Etiam ipso, scilicet Domino, privantur. Quia vel facto suo pessimo Dominum negant, & ad Ethnicos transeunt; aut prorsus etiam ejiciuntur ab Ecclesia.

[7] *Vivorum optime.*] *Rigaltius ait*, Christiano more loquitur: ne si, mortalium optime, dixisset, aliquid in fidem sive spem vitæ æternæ peccasset. Qui de Seculo sunt, mortui dicuntur; qui vero de Ecclesia, vivi.

[8] *Minore clero.*] *Rigaltius ait*, Presbytero, diacono. Per necessitatem scilicet.

[9] *Ut aut suppleatur à nobis.*] *Rigaltius ait*, Si revalescat ægrotus.

[10] *Aut à Domino supplendum.*] *Rigaltius ait*, Judicaturo vivos & mortuos.

[11] *Alienis.*] *Rigaltius ait*, Supra dixit, extraneis.

[1] *Ni-*

unum esse baptisma, necesse est invocatione nominis Jesu perseverante, quia non potest à quoquam hominum quæ semel invocata est auferri. Si eam contra decretum Apostolorum geminare, aut si fuerimus [1] nimietate præstandi, imo superaddendi baptismatis studiosi. Si ille qui ad Ecclesiam revertitur, noluit denuo baptizari, futurum est ut defraudemus baptismate spiritali eum, quem putamus defraudandum non esse baptismate aquæ.

Quid autem statues in personam ejus verbum audientis, qui forte adprehensus in nomine Christi statim confessus, ac priusquam baptizari aqua permitteretur ei, [2] fuerit punitus, utrum perisse eum pronuntiabis, quia non est aqua baptizatus, an vero aliquid extrinsecus patrocinari ei ad salutem existimabis, licet non sit aqua baptizatus? Quod perisse cum existimabis, obviam tibi veniet sententia Domini dicentis, Quicunque me confessus fuerit coram hominibus, confitebor illum & ego coram patre meo qui in cœlis est. Quia nihil interest utrum hic [3] verbum audiens, an fidelis sit qui confitetur Domino, dummodo ipsum Christum quem confiteri oportet, confiteatur. Quia Dominus pari vice confitendo & ipse confessorem suum apud Patrem honore eum martyrii ut pollicitus est exornet. Quod utique non debet latius accipi, quasi possit usquequaque porrigi, quia potest Christi nomen etiam hæreticus aliquis, qui tamen ipsum Christum negat, confiteri; quia in alium Christum credit. Cum Christus confiteatur quod ei prodesse minime possit. [4] Si quidem Dominus non seipsum in confessionem à nobis coram hominibus deduci oportere dixit. Quod sine ipso, & sine venerando nomine ejus non potest fieri. Et ideo integrum ac sincerum & incontaminatum & inviolatum utrumque debet consistere confitenti, nullo delectu habito ipsius confessoris, sive ille justus, sive peccator, perfectusque Christianus, an vero etiam nunc imperfectus qui [5] summo discrimine suo Domino confiteri non timuit. Nec est hoc contrarium superiori tractatui. Quia illic quidem tempus superat ad corrigenda [6] quæ multa vel prava sunt. Et quoniam quædam concessa sunt ipsi tantummodo nomini Domini nostri; martyrium autem non nisi in ipso & per ipsum Dominum possit consummari. Et idcirco neque Christum sine ipsius nomine quis possit confiteri, neque nomen Christi sine ipso Christo ad confessionem cuiquam possit patrocinari.

Quapropter totus discernendus est tractatus hic, ut possit manifestior fieri. Namque invocatio nominis Jesu ideo tantum patrocinari potest, si rite suppleta postea fuerit. Quia & Prophetæ & Apostoli ita prædicaverunt. Ait enim Jacobus in Actis Apostolorum, Viri fratres audite, Simeon exposuit quemadmodum primum Deus visitaverit accipere ex gentibus populum nomini suo. Et sic consonant sermones Prophetarum, sicut scriptum est, post hæc revertar, & reædificabo tabernaculum illud David quod cecidit, & quæ demolita sunt ejus reædificabo, & denuo erigam illud: uti exquirant residui hominum Deum, & omnes gentes super quas invocatum est nomen meum super eas, dicit Dominus faciens hæc. Itaque & residui hominum, id est, quidam Judæorum, & omnes gentes super quas invocatum est nomen Domini, possunt & necesse habent requirere Dominum. Quia ipsa invocatio nominis præbet eis occasionem, vel etiam imponit necessitatem requirendi Dominum. Cum quibus præcipiunt scripturas sanctas sive universas, sive quasdam, tamen audentius de veritate tractare, quam cum gentibus super quas non est invocatum nomen Domini, id est, Christi Jesu filii Dei vivi. Sicuti nec super Judæos, qui veteres tantum scripturas recipiunt. Et ideo utriusque hujus generis homines, id est, Judæi & gentiles, plene ut oportet credentes pari modo baptizantur. Hæretici vero jam baptizati aqua in nomine Jesu Christi, tantum in Spiritu sancto baptizandi sunt. Et in Jesu, quod nomen solum datum est sub cœlo in quo oporteat salvos fieri nos, merito mors contemnitur. [7] Quam si sic perseverent, salvi esse non possunt, quia non requisiverunt Dominum post invocationem nominis ejus super eos, sicut & illi [8] qui in eos Christus qui forte credere noluerunt. De quibus Dominus ait, Cavete ne quis vos in errorem inducat. Multi enim venient in nomine meo, dicentes, Ego sum Christus; & multos in errorem inducent. Et iterum ait: Tunc si qui dixerit vobis, ecce hic Christus aut hic, nolite credere. Surgent enim pseudo-Christi & pseudo-Prophetæ, & dabunt signa magna & portenta, ita ut errent si fieri potest etiam electi. Quas virtutes non dubie tunc illi sub nomine Christi facient. In quo nomine videntur quidam etiam modo quasdam virtutes facere, & falso prophetare. Sed certum est eos, quod ipsi non sint Christi, propterea ad Christum non pertinere. Quemadmodum etiam si quis desciscat à Christo inhærens solo nomini ejus, qui non multum adjuvatur; imo magis hoc nomine etiam oneratur, licet fuerit antea fidelissimus aut justissimus, aut [9] clero aliquo honoratus, aut confessionis dignitate præditus. Hi enim omnes negando verum Christum, introducendo aut sequendo aliud, cum sit nullus omnino alius, nihil spei aut salutis sibi relinquunt. Non aliter quam illi, qui coram hominibus negaverunt Christum, quos negari necesse est à Christo, non habita ulla ratione ipsorum ex præcedenti conversatione eorum [10] aut sensu, aut dignitate, [11] proinde atque ipsi aut si sunt Christum, id est, salutem suam abrogare damnati. Per hujusmodi clausulam quia manifestissime à Domino dictum est, Quicunque me negaverit coram hominibus, negabo eum & ego coram patre meo qui in cœlis est. Ut verbum hoc, quicunque, etiam in clausula confessionis plenissime nobis ostendat, quod nulla conditio ipsius confitentis obesse possit, licet negator ille antea vel hæreticus fuerit, vel audiens, aut audire incipiens, qui nondum baptizatus sit, vel de hæresi ad veritatem fidei conversus, vel ab Ecclesia digressus ac postea reversus sit, & tunc cum rediret [12] prius ei manus ab Episcopo imponeretur, adprehensus, confiteri Christum coram hominibus, necesse habuerit.

Sicut

[1] *Nimietate præstandi.*] *Rigaltius ait*, Superstitiosa, vana & inepta formidine.

[2] *Fuerit punitus.*] *Rigaltius ait*, Occisus pro nomine.

[3] *Verbum audiens.*] *Rigaltius ait*, Catechumeni.

[4] *Si quidem Dominus non seipsum.*] *Rigaltius ait*, Legendum, Dominus noster, aut certe delenda est negandi particula. Etenim dixit Dominus, Qui me confessus fuerit.

[5] *Summo discrimine suo.*] *Rigaltius ait*, Interrogatus scilicet coram seculi potestatibus infestissimis nomini Christiano.

[6] *Quæ multa vel prava sint.*] *Rigaltius ait*, Legendum, quam multa vel prava sint. Hoc est, quam multa vel quam prava sint.

[7] *Quam si sic perseverent.*] *Rigaltius ait*, Locus depravatissimus expectat melioris alicujus codicis auxilium.

[8] *Qui in eos Christus.*] Lege, *qui ob pseudo-Christos, forte credere noluerunt.*

[9] *Clero aliquo.*] *Rigaltius ait*, Nempe Episcopo, presbytero, diacono.

[10] *Aut sensu.*] *Rigaltius ait*, Qui rectus antea steterat.

[11] *Proinde atque ipsi aut si.*] *Rigaltius ait*, Legendum, proinde atque ipsi ausi sunt Christum, id est salutem suam abrogare, damnati per hujusmodi clausulam.

[12] *Prius ei manus ab Episcopo imponeretur.*] *Rigaltius ait*, Scribendum, priusquam ei manus ab Episcopo imponeretur, adprehensus.

Sicut iterum neganti Chriſtum nulla propria vetus dignitas poteſt ad ſalutem patrocinari.

Quodcunque enim in homine ultimum in hac ſpecie deprehenſum fuerit in illo quis noſtrum judicari neceſſe habebit abolitis & obliteratis omnibus quæ prius geſſit. Et ideo cum in martyrio tanta ſit mutatio rerum in momento temporis, ut in re perquam veloci poſſint mutari univerſa, nemo ſibi blandiatur, qui occaſionem amiſerit glorioſæ ſalutis, ſi forte ſe ab ea excluſerit propria ſua culpa. Sicuti & illa uxor Loth, quæ ſimiliter in anguſtiis rerum contra præceptum Angelorum, tantummodo poſt ſe reſpexit, & tumulus ſalis facta eſt. Qua ratione etiam ille hæreticus qui confitendo Chriſti nomen trucidatur, nihil poſtea poteſt corrigere, ſi quid de Deo aut de Chriſto male ſenſerit, cum in alium Deum, aut in alium Chriſtum credendo ſemetipſum fefellit, confeſſor non Chriſti, ſed ſolitario Chriſti nomine. Quando & Apoſtolus conſequenter dicat: Et ſi corpus meum tradidero, ita ut exurar igni, dilectionem autem non habeam, nihil proficio. Quia hoc facto nihil proficit qui non habet dilectionem ejus Dei & Chriſti, qui per Legem & Prophetas & in Evangelio in hoc modo prædicatur, Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota cogitatione tua. Et diliges proximum tibi tanquam te. In his enim duobus præceptis tota Lex pendet & Prophetæ. Sicut & Joannes Evangeliſta dicit, Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum quia Deus dilectio eſt. Sicuti & Deus ait, Ita enim dilexit Deus mundum, ut filium ſuum unicum daret, ut omnis qui in eum crederet, non periret, ſed haberet vitam æternam. Ut manifeſte apparet eum, qui hanc diligendi nos & diligendi à nobis dilectionem in ſe non habeat, inani confeſſione & paſſione [1] nihil proficere, quam ut ipſa apparet & conſtat hæreticum eſſe, qui in alium Deum credat, ſive Chriſtum alium accipiat. Quanquam Scripturæ novi & veteris teſtamenti manifeſte prædicant, quæ patrem omnipotentem creatorem omnium, & filium ejus ſine obſcuritate annuntiant. Veniet enim eis ut alii ab alio Deo ſalutem expectanti.

Tunc demum contra opinionem ſuam à Chriſto Dei patris omnipotentis creatoris filio, quem blaſphemaverant, in pœnam æternam damnentur, cum judicare Deus cœperit abſconſa hominum, ſecundum Evangelium per Chriſtum Jeſum, eo quod in ipſum non crediderint, licet ipſius nomine abluti ſint. Et uſque adeo omne illud hæreticorum baptiſma intercedente aliquo intervallo temporis corrigi poteſt, ſi quis ſupervixerit & fidem correxit, [2] ut Deum noſtrum in Evangelio ſecundum Lucam ad diſcipulos ſuos locutus eſt, dicens: Habeo autem aliud baptiſma baptizari. Item ſecundum Marcum ad filios Zebedæi, eadem ratione dixerat, Poteſtis bibere calicem quem ego bibo, aut baptiſmate quo ego baptizor baptizari? Quod ſciret homines non ſolum aqua, verum etiam ſanguine ſuo proprio habere baptizari. Ita ut & ſolo hoc baptiſmate baptizati, fidem integram & dilectionem ſinceram lavacri poſſint adipiſci, & utroque modo baptizari, æque tamen unum [3] baptiſma ſalutis & honoris pariter & æqualiter conſequi.

Quod enim dictum eſt à Domino, Habeo aliud baptiſma baptizari, hoc in loco non ut ſecundum baptiſma, ac ſint duo baptiſmata, ſignificat: ſed alterius quoque ſpeciei baptiſma ad eandem ſalutem concurrens donatum nobis eſſe demonſtrat. Quas [4] utraſque ſpecies ab ipſo Domino noſtro primum miniſtrari & ſanctificari oportebat, ut nobis quoque alterutra, ſive utraque ſpecies, unum hoc duplex ſalutiferum atque honorificum baptiſma præſtaret. Et viæ quædam unius baptiſmatis ſic nobis patefierent, ut aliquando impune aliqua illarum deeſſet, ſicut in verbum audientibus martyribus, impune aquæ baptiſma deeſt. Quos tamen certi ſumus, [5] ſi quid laxamenti habeant, etiam aqua ſolitos baptizari. Itemque illis qui [6] legitimi ſunt fideles effecti, impune deeſt baptiſma ſanguinis proprii. Quia baptizati in nomine Chriſti, redemti ſunt pretioſiſſimo ſanguine Domini, cum utraque hæc ex uno atque eodem fonte procedant flumina baptiſmatis Dominici, ut omnis qui ſitit veniat & bibat, ſicut Scriptura dicit, Flumina de ventre ejus currebant aquæ vivæ. Quæ flumina primum apparuerunt in Domini paſſione, cum de latere perforato lancea militari ſanguis & aqua manavit. Ut emitteret duo flumina diverſæ ſpeciei, ſed tamen ejuſdem ac ſingulare latus, ita ut impleatur Spiritu ſancto quicunque credens biberit ex utroque flumine. Hæc enim de fluminibus his loquens oſtendebat Dominus ſignificans Spiritum ſanctum, quem accepturi eſſent qui crediturі erant in illum. Nondum autem erat Spiritus, quia Jeſus nondum erat clarificatus. Igitur dicens quemadmodum generari poteſt baptiſma, quod Apoſtolus unum eſſe prædicat, utique manifeſtum eſt illa ratione, quia diverſæ ſunt ſpecies unius atque ejuſdem baptiſmatis ex uno vulnere profluentis in aquam & ſanguinem. Cum illic duo ſint de quibus locuti ſumus baptiſmata aquæ, id eſt, unius atque ejuſdem ſpecies; cum unum eſſe debeat baptiſma uniuſcujuſque ſpecies, ſicut plenius ſumus locuti.

Et quoniam videmur omne baptiſma ſpiritale trifariam diviſiſſe, veniamus etiam ad probationem narrationis propoſitæ, ne videamur proprio ſenſu & temere hoc feciſſe. Ait enim Joannes de Domino noſtro in Epiſtola ſua nos docens, Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Jeſus Chriſtus. Non in aqua tantum, ſed in aqua & ſanguine. Et ſpiritus eſt qui teſtimonium perhibet, quia Spiritus eſt veritas. Quia tres teſtimonium perhibent, Spiritus & aqua & Sanguis. Et iſti tres in unum ſunt. Ut ex illis colligamus, & aquam præſtare ſolitam, & ſanguinem proprium hominibus præſtare Spiritum ſolitum, & ipſum quoque Spiritum præſtare Spiritum ſolitum. Nam cum effundatur aqua ſicuti & ſanguis, Spiritus etiam effuſus ſit à Domino ſuper omnes qui crediderunt, utique & aqua, & proprio nihilominus ſanguine, tunc deinde & Spiritu ſancto poſſunt homines baptizari. Ait enim Petrus: Sed hoc eſt quod dictum eſt per prophetam: Erit in noviſſimis diebus dicit Dominus, effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & pro-

[1] *Nihil proficere, quam ut ipſa apparet & conſtat hæreticum eſſe.*] *Rigaltius ait*, Scribendum, nihil proficere, quam ut ipſum appareat & conſtet hæreticum eſſe.

[2] *Ut Deum noſtrum.*] Lege, *Deum agnoſcat qui.*

[3] *Baptiſma ſalutis & honoris.*] *Rigaltius ait*, Etenim martyrii baptiſmate non ſolum ſalus æternæ vitæ, ſed & corona datur.

[4] *Utraſque Baptiſmi ſpecies ab ipſo Domino primum miniſtrari & ſanctificari oportebat.*] *Rigaltius ait*, Nimirum ante baptiſma Chriſti aquæ non laverant: ante crucem Chriſti, ſanguis non laverat. Quod utrobique accipiendum eſt de vi ac virtute ſpiritali, ſive deifica. Sed improprie dici videtur à Chriſto miniſtrari aquæ baptiſma, cum ipſi Chriſto ab Joanne ſit miniſtratum. Inde nata varietas ſcripturæ initiari, pro miniſtrari. Etſi hoc ferri quidem poſſit.

[5] *Si quid laxamenti habeant.*] *Rigaltius ait*, Si neceſſitas diſcriminis imminentis aliquid laxaverit, aliquid temporis indulſerit, quod Cyprianus amat dicere, commeatum, & moram in ſeculo tantiſper adhuc manendi.

[6] *Legitimi fideles.*] *Rigaltius ait*, Baptiſmate in Eccleſia rite ſuſcepto.

[1] *Ange-*

prophetabunt filii eorum & filiæ eorum. Et juvenes viſiones videbunt, & ſeniores ſomnia ſomniabunt. Et quidem ſuper ſervos & ſuper ancillas effundam de ſpiritu meo. Quem Spiritum in veteri Teſtamento, non quidem paſſim, nec effuſe; ſed communicatum cum aliis, aut etiam ſponte inſiliiſſe in quoſdam homines, vel induiſſe illos & fuiſſe ſuper eos deprehendimus. Sicuti Moſi de ſeptuaginta presbyteris à Domino dictum eſſe animadvertimus, & auferam ſpiritum qui ſuper te eſt, & imponam ſuper eos. Propter quod etiam, ſecundum pollicitationem ſuam, Deus ab alio ex ſpiritu qui ſuper Moyſen fuerat, impoſuit ſuper illos, & prophetaverunt in caſtris, quod Moyſes ut homo ſpiritalis ita contigiſſe gaudebat, licet ab Jeſu filio Nave, ut huic rei intercederet, invite ſuadebatur, & idcirco non fuiſſe permotus. Porro autem in libro Judicum, item in Regnorum libris animadvertimus ſuper pleroſque aut fuiſſe ſpiritum Domini, aut inſiluiſſe in eos, tanquam ſuper Gothoniel, Gedeon, Jephte, Sampſon, Saul, David, & ceteros alios. Quoduſque adeo ita ſe habet, ut Spiritus ſancti ſponte accedendi ab eis libertatem ac facultatem manifeſtiſſime nos Dominus docuerit, dicens, Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis, & neſcis unde veniat aut quo vadat.

Ita ut idem ſpiritus etiam ſuper indignos quoque ſui nonnunquam inveniatur eſſe. Non utique otioſe, nec ſine ratione, ſed neceſſariæ alicujus operationis gratia, ſicuti ſuper Saul fuit, ſuper quem factus eſt ſpiritus Dei & prophetavit. Quanquam poſteriore tempore poſtquam receſſit ab eo Spiritus Domini, & poſtquam [1] angebat eum ſpiritus malignus à Domino quoniam tunc ad hoc poſtremus venerat poſt nuncios quos ante aſſidue præmiſerat, ut interficeret David. Qui idcirco inciderunt in chorum prophetarum & prophetaverunt, ne id quod juſſi fuerant perficere poſſent aut vellent. Quod admirabili ratione per voluntatem, Dei ſpiritum qui ſuper omnes illos fuit credimus operatum eſſe. Qui ſpiritus implevit etiam Joannem Baptiſtam adhuc ab utero matris ſuæ, & incubuit ſuper eos, qui cum Cornelio centurione erant priuſquam baptizarentur aqua. Ita dum cohæret baptiſmati hominum Spiritus ſanctus; aut antecedit aut ſequitur; vel ceſſante baptiſmate aquæ incumbit ſuper eos qui credunt, det nobis conſilium, quod aut ex integro rite baptiſma obſervare, aut forte dato à quocunque in nomine Jeſu baptiſmate, ſupplere id debeamus cuſtodita nominis Jeſu Chriſti, ſicuti pleniſſime expoſuimus, ſanctiſſima invocatione; cuſtodita præterea tanti temporis, tot virorum, veneranda nobis conſuetudine & auctoritate.

Quoniam autem prima pars diſputationis hujus videtur explicata, etiam ſequentem ejus propter hæreticos debemus attingere: quia perquam neceſſarium eſt eum tractatum qui ſemel in manus incidit non præterire. Ne forte eos qui ſunt ſimpliciores ex fratribus aliquis hæreticorum verſutia ſua audeat attentare. Nam quia Joannes dixit nos baptizandos eſſe in ſpiritu & igni, eo quod addiderit dicens, & igni, idcirco quidam deſperati homines auſi ſunt uſquequaque pravitatem ſuam porrigere, & propterea homines naſutiſſimi quærunt quomodo ſanctitatis baptiſma ita corrumpant ac violent, ut etiam evacuent.

Qui originem jam exinde trahunt à Simone mago, multiformi perverſitate per varios errores eam exercentes. Cui Simoni Petrus in Actis Apoſtolorum dixit, Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quia gratiam Chriſti exiſtimaſti per pecunias poſſe poſſidere. Non eſt tibi portio neque ſors in ſermone hoc. Cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Et agunt iſti hæc omnia dum fallere cupiunt eos qui ſint ſimpliciores aut curioſiores. Et tentant nonnulli iterum tractare ſe ſolos integrum atque perfectum, non ſicuti nos mutilatum & decurtatum, baptiſma tradere. Quod taliter dicantur adſignare, ut quam mox in aquam deſcenderunt, ſtatim ſuper aquam ignis appareat. Quod ſi aliquo luſu perpetrari poteſt, ſicut [2] adfirmantur plerique hujuſmodi luſus Anaxilai eſſe, ſive naturale quid eſt, quo pacto poſſit hoc contingere, ſive illi putant hoc ſe conſpicere, ſive maligni opus & magicum virus ignem poteſt in aqua exprimere: illi tamen talem fallaciam & ſtropham prædicant perfectum baptiſma eſſe, quod fideles homines, ſi coacti fuerunt accipere, utique non dubitabitur eos id quod habuerant amiſiſſe. Proinde ac ſi quis ſacramento miles dicto deſertis ſuis caſtris, in hoſtium diverſiſſimis caſtris longe aliud ſacramentum velit dicere: hac ratione conſtat eum vetere ſacramento exauctoratum eſſe. Idem ſi hujuſmodi homo rurſus ad te redeat, utique hæſitabis utrum habeat baptiſma necne, & tamen oportebit te huic quoque pœnitentiam agenti quibuſcunque modis potueris ſubvenire.

Eſt autem adulterini hujus, imo internecini baptiſmatis, ſi quis alius auctor, tum etiam quidam ab eiſdem ipſis hæreticis propter hunc eundem errorem conflictus liber, qui inſcribitur [3] PAULI PRAEDICATIO. In quo libro contra omnes ſcripturas, & de peccato proprio confitentem invenies Chriſtum, qui ſolus omnino nihil deliquit, & ad accipiendum Joannis baptiſma pene invitum à matre ſua Maria eſſe compulſum. Item cum baptizaretur, ignem ſuper aquam eſſe viſum. Quod in Evangelio nullo eſt ſcriptum. Et poſt tanta tempora, Petrum & Paulum, poſt conlationem Evangelii in Hieruſalem & mutuam altercationem & rerum agendarum diſpoſitionem, poſtremo in Urbe quaſi tunc primum invicem ſibi eſſe cognitos. Et quædam alia hujuſcemodi abſurde ac turpiter conficta. Quæ omnia in illum librum invenies congeſta. Qui autem non ignorant Spiritus ſancti qualitatem, intelligunt quod dictum eſt de igni, de ipſo Spiritu dictum eſſe. Nam in Actis Apoſtolorum ſecundum hanc eamdem promiſſionem Domini noſtri, ipſo die Pentecoſtes cum deſcendiſſet Spiritus ſanctus ſuper diſcipulos, & in illo baptizarentur, viſæ ſunt inſidentes ſuper ſingulos linguæ quaſi ignis, ut conſtaret eos Spiritu ſancto & in igne baptizatos, hoc eſt, eo ſpiritu qui eſſet ſive ignis ſive quaſi ignis. Qualis ignis fuit qui in rubo ardebat & rubum non comburebat. Qualiſque eſt ille ignis qui eſt Angelorum ſpiritus, ſicut Scriptura dicit: qui fecit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos

[1] *Angebat eum Spiritus malignus à Domino.*] *Rigaltius ait*, Sic legitur in MS. Remenſi. Reg. 1. 16. Exagitabat eum Spiritus nequam à Domino. Arripuit eum Spiritus Domini malus.

[2] *Adfirmantur plerique huiuſmodi luſus Anaxilai eſſe.*] *Rigaltius ait*, Hæc etiam eſt ſcriptura Remenſis. Plinius lib. xxxv. Ubi de ſulphure. Luſit & Anaxilaus eo, condens in calice novo, prunaque ſubdita circumferens, exardeſcentis repercuſſu pallorem dirum, velut defunctorum, effundente conviviis. Nihil notius eſt, quam hoc paſſim expediri per aquas quæ ardentes dicuntur: ubi ex aqua limpidiſſima flammæ ſurgunt; quod nebulonibus baptiſmum in aqua & igne fingentibus, maxime accommodum.

[3] *Petri prædicatio.*] *Rigaltius ait*, Hujuſce ſcripti meminit Hieron. lib. de Script. Eccl. in Petro, atque inter Apocryphas ſcripturas reputari. Et ab Euſebio, in Ebionis hæreſi, notantur Περίοδοι Πέτρου. Talia fuere Acta Pauli, ſtudio cujuſdam in Aſia presbyteri, qui poſtea convictus fraudis, hæc ſe amore Pauli feciſſe confeſſus eſt. Hunc propterea loco deceſſiſſe tradit Tertullian. libro de Baptiſ. Videatur Euſeb. in Paulo. Hic vero irrepſit nomen Pauli pro nomine Petri.

ſuos ignem ardentem. Cui cum ſimilis aut ſocius aut particeps fueris, poteris nullum ignem timere. Nec illum quidem qui antecedens Domino in die judicii conflagrabit totum orbem terræ, abſque eis qui baptizati ſunt in Spiritu ſancto & igni.

Et hominibus quidem Spiritus perſeverat hodie inviſibilis, ſicut Dominus dicit, Spiritus ubi vult ſpirat, & neſcis unde veniat vel quo vadat. Sed in principio myſterii fidei & ſpiritalis baptiſmatis hic idem Spiritus manifeſte viſus eſt, & ſuper diſcipulos inſediſſe quaſi ignis: Item cœlis apertis deſcendiſſe ſuper Domino columbæ ſimilem. Quoniam pleraque, imo pene omnia quæ eſſent futura manifeſta ſunt, quæ tamen modo eſſent inviſibilia nihilominus. Nunc quoque oculis & incredulitati hominum vel ex parte, vel aliquando, vel in figura ſunt monſtrata ad corroborandam & confirmandam fidem noſtram. Sed nec illud omiſerim quod Evangelium merito prædicat. Ait enim paralytico Dominus noſter, Bono animo eſto fili, dimittuntur tibi peccata; ut oſtenderet [1] fide mundari corda ad remiſſionem peccatorum conſequendam. Quam remiſſionem peccatorum conſecuta eſt illa quæ erat mulier peccatrix in civitate. Cui Dominus ait, Dimittuntur tibi peccata. Et cum cœpiſſent qui ſimul diſcumbebant apud ſemetipſos dicere, quis eſt hic qui peccata dimittit? Quod & circa paralyticum acerbius Scribæ & Phariſæi obmurmuraverant. Ait ad mulierem Dominus, Fides tua te ſalvam fecit. Vade in pace. Ex quibus univerſis oſtenditur, Fide emundari corda, Spiritu autem ablui animas. Porro autem per aquam lavacri, corpora. Sanguine quoque feſtinantius perveniri per compendium ad ſalutis præmia.

Puto nos plene exſecutos prædicationem Baptiſtæ Joannis, unde ſermonem ſumus exorſi, qui dixit ad Judæos: Ego quidem vos baptizo aqua in pœnitentiam, qui autem poſt me venit fortior me eſt, cujus ego non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti, ipſe vos baptizabit Spiritu ſancto & igni. Arbitror autem & Apoſtoli Joannis doctrinam nos non inepte diſpoſuiſſe, qui ait, quia tres teſtimonium perhibent, Spiritus & aqua & ſanguis, & iſti tres unum ſunt. Niſi fallor autem etiam illud explanavimus, quod Dominus noſter ait, Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini in Spiritu ſancto. Præterea exiſtimo nos non infirmam reddidiſſe conſuetudinis cauſam. Tueamur tamen, licet poſteriore loco id facimus, ne qui putet nos unico articulo præſentem altercationem ſuſcitare. Quanquam hæc conſuetudo etiam ſola deberet, apud homines timorem Dei habentes & humiles præcipuum locum obtinere.

[1] *Fide mundari corda.*] *Rigaltius ait*, Invocato nomine Chriſti, agnito Chriſto Dei Filio ἐβαμμένα εἰς βάθος.

DE ALEATORIBUS.

Tractatus perperam Cypriano adſcriptus.

[1] MAgna nobis ab univerſa fraternitate cura (*a*) ſucceſſit: maxime ex rea (*b*) perditorum omnium audacia, id eſt, aleatorum quæ animos ad nequitiam in ſe illicit, ut in lacum mortis mergat (*c*). [2] Et quoniam nobis [3] divina & paterna pietas Apoſtolatus ducatum contulit, & vicariam Domini ſedem cœleſti dignatione ornavit, & originem authentici Apoſtolatus, ſuper quem Chriſtus fundavit Eccleſiam in ſuperiore noſtro (*d*) portamus, accepta ſimul poteſtate ſolvendi ac ligandi & curatione peccata dimittendi: ſalutari (*e*) doctrina admonemur, ne cum delinquentibus aſſidue ignoſcimus, ipſi cum eis pariter torqueamur.

Ideo ſal terræ dicimur, ut ex nobis omnis fraternitas cœleſti ſapientia ſaliatur. Nam cum dicat: Sal autem ſi fatuatum (*f*) fuerit, nihil (*g*) valebit, niſi ut projiciatur foras & conculcetur ab hominibus; hoc veremur & timemus, [4] ne in (*h*) Eccleſia ſecuri, quod nobis ſacerdotalis dignitas tradita eſt (*i*) negligentes, juxta quoſdam fratres inertes reperiamur: aut dum falſam communicationem damus, id quod cum honore de Dei dignatione percepimus, [5] indignante Domino & exprobrante amittamus; dicit enim ſcriptura divina: Væ erit Paſtoribus. Quod ſi ipſi paſtores negligentes reperti fuerint; quid reſpondebunt (*k*) Domino pro pecoribus? Quid de Domino pecora dicent? à pecoribus ſe eſſe vexatos? non creditur illis: incredibilis res eſt, paſtores pati poſſe aliquid à pecore; magis punientur propter mendacium ſuum. Et alia ſcriptura dicit: [6] Rectorem te petierunt, noli extolli. Eſto in illis quaſi unus ex ipſis: curam illorum habe & conſidera. Et iterum: [7] Exiſtimate ſacerdotem eſſe cul-

(*a*) *Sic Ebor. Imp.* Cura fidelis. (*b*) *Sic Ebor. Imp.* Et rea. (*c*) *Sic Bod.* 1. *Ebor. Imp.* Ad nequitiam ſe in lacum. Laqueo mortis tingant, *Ebor.* (*d*) *Sic Bod.* 1. *Corb. Imp.* Veſtro. (*e*) *Sic Bod.* 1. *Imp.* Solvendi, ſalutari. *Bod.* 1. (*f*) Fatuum, *Bod.* 1. (*g*) Nihilo, *Bod.* (*h*) Ne cum, *Bod.* 1. (*i*) Dignitas eſt, *Bod.* 1. (*k*) A Domino trad. *Bod.* 1.

[1] *Magna nobis ab univerſa fraternitate cura.*] *Pamelius ait*, Forte legendum: univerſæ fraternitatis cura. Eſt tamen adhuc plane mutilum hujus libri frontiſpicium.

[2] *Et quoniam nobis.*] *Rigaltius ait*, Prætermiſi voculam, in, ſuperfluam.

[3] *Et quoniam nobis divina & paterna pietas, &c.*] *Pamelius ait*, Nec Faber notat hunc tractatum non eſſe Cypriani. Nam ex hoc loco apparere alicujus Pontificis Romani ſcriptum eſſe.

[4] *Ne in Eccleſia ſecuri.*] *Pamelius ait*, Etiam hic interpoſita erat particula, cum, ſuperflua.

[5] *Indignante Domino, exprobrantes amittamus.*] *Pamelius ait*, Cenſeo legendum, & exprobrante.

[6] *Rectorem te petierunt.*] *Pamelius ait*, Etiam hic malim, poſuerunt.

[7] *Exiſtimate ſacerdotem.*] *Pamelius ait*, Neſcio ad quam ſcripturam alludat. Niſi forte reſpiciat eas quæ agriculturam verbi ſpectant.

[1] *Ne*

cultorem, & omnes esse apud eum delicias, granaria plena, & de quocunque (*a*) desideraverint pabulo oves, eas saturare. Nam ut constaret nos, id est Episcopos, pastores esse ovium spiritalium, hoc est, hominum fidelium qui sub cura nostra constituti, (*b*) [1] ne ullum in eis scabiei vitium reperiatur; quo magis à nobis quotidie perscrutentur, ut medicamine cœlesti adhibito, vellera eis florida crescant, quæ ad naturam vestis salutaris proficiant.

In Evangelio Dominus ad Petrum dixit: Petre, inquit, amas me? Et Petrus respondit: Etiam Domine, tu scis quoniam amo te. Dixit: Pasce oves meas & sollicite mandans tertio confirmarit dicendo, Pasce (*c*) oves meas.

Et quoniam Episcopium, (*d*) id est, Spiritum sanctum per impositionem manus, cordis excepimus hospitio; [2] cohabitatori nostro ne ullam (*e*) molestiam proponamus, Apostolus (*f*) monet & dicit: Nolite contristare Spiritum sanctum qui in vobis est; & nolite extinguere lumen, quod effulsit in vobis. Quanta autem Episcopum bene agentem & salubriter admonentem, [3] sine tribulatione corporis, condigna maneant (*g*) Martyria: tanta & in Episcopum negligentem (*h*) nulla de Scripturis sanctis documenta promentem, cumulentur tormenta; Apostolus nos excitat Paulus, [4] & condigno statu Episcopos & procuratores Evangelicæ doctrinæ ponit & dicit: Quamdiu erit infans, procuratores & actores habet; at cum creverit, hæreditatem suam expetit. Nos etiam dispensatores & procuratores Evangelii sumus; hoc quoque inter dispensatores & procuratores quæritur, ut quis fidelis & justus inveniatur; si ergo apud dispensatores & procuratores quæritur, ut quis fidelis & justus inveniatur, quid si (*i*) oves delinquant, & delinquentibus dispensatores ignoscant? Non ipsi delinquentium se pondere onerant? Apostolus (*k*) Paulus commemorat, quando ad Timotheum docendum & corroborandum in fidei firmitate, ne quid Deum fallat, & ne malignum orationibus justorum intercedat, [5] providus & sollicitus dicit: O Timothee fili commendatum serva: noli spernere donum quod in te est per impositionem manuum seniorum: accingere fortiter, & viriliter age ministerium tuum, & cum integritate supple: esto ceteris (*l*) bonum exemplum; nemo tibi contradicat, nemo juventutem tuam contemnat: peccantem coram multis castiga, ut & ceteri metum habeant, & ne communicaveris peccatis alienis. Et iterum: Si quis frater fornicarius, aut idolorum cultor, aut avarus, aut raptor sive injustus nominatus fuerit, cum ejusmodi quidem nec cibum capere. Et alio loco: Quicunque frater more alienigenarum vivit, & admittit res similes factis eorum, desine in convictu ejus esse; quod (*m*) nisi tu feceris, & tu particeps eris ejus. [6] Et in doctrinis Apostolorum: Si quis frater delinquit in Ecclesia, & non paret legi; hic nec colligatur, donec pœnitentiam agat, & non recipiatur, ne inquinetur & impediatur oratio vestra. Et Apostolus etiam iterum dicit: Eximite malos è medio (*n*) vestri.

Quod si multorum testium (*o*) varia & consonanti monitione docemur, [7] cum delinquentibus fratribus cibo ne quidem vesci; quanto magis debeat & ab sacrificio Christi arceri? [8] Quam magna & larga pietas Dei filii, quod in futurum præscius nobis consulat: ne quis inter fratres incautus deinuo laqueis diaboli capiatur? Sollicitos esse jussit & providos atque eruditos; quoniam hostis ille antiquus circuit, pulsans Dei servos, [9] non uno genere tentans. Multæ enim sunt tentationes ejus quorum primordia sunt: idololatria, [10] mœchiæ, furta, rapinæ, avaritia, fraus, ebrietas, impatientia, adulterium, homicidium, zelus, perfidia, falsa testimonia, eloquium falsum, invidia, extollentia, maledictum, error, & si qua sunt similia quæ his congruunt; ex quibus est aleæ tabula.

(*p*) Præest diaboli laqueus manifestus, venenum portans letale serpentis, & inductio corrumpens; quæ cum videtur nihil esse, [11] magna (*q*) amplexu operitur deletio. Quid illud est quæso fideles, ut [12] manus quæ jam ab injuriis humanis expiata est, & [13] ad sacrificium Dominicum admissa, & quod ad salutem totius hominis pertinet, (*r*) dignatione suscipit; [14] quæ ad laudem Domini in oraculo exsurgit; [15] quæ (*s*) signum crucis, per quod tuemur, frontibus imprimit: [16] (*t*) ipsa quæ divina sacramenta consummat: [17] quid est, inquam, ut iterum laqueis diaboli, unde exuta est, implicetur & per ipsa damnetur? Aleatrices manus, libidinoso studio consueverunt id est, aleæ tabulæ; quod est [18] (*v*) diaboli venabulum, & delicti vulnus insanabile. Aleæ tabulam dico, ubi diabolus præsto est, (*x*) ad ami-

(*a*) *Sic Bod.* 1. *Imp.* Consideraverint *Bod.* 1. 2. (*b*) Nullum, *Bod.* 1. (*c*) *Sic Lam. Ebor. Bod.* 1. *Corb. Imp.* Ad Petrum dixit, pasce. (*d*) Episcopum, *Bod.* 1. (*e*) Et cohab. nostro nullam, *Bod.* 1. (*f*) Dominus, *Bod.* 1. (*g*) Sint, *Bod.* 1. (*h*) Tanto & Ep. negl. ei, *Bod* 1. (*i*) Omnes, *Bod.* 1. *Corb.* (*k*) Apostolus idem P. *Bod.* 1. (*l*) In bonum, *Bod.* 1. (*m*) Nisi feceris, *Bod.* 1. (*n*) Nescio, *Bod.* 1. (*o*) Unitatem & consonantem monitionem docemur ne cum del. frat. cibum, *Bod.* 1. (*p*) *Sic Bod.* 1. *Imp.* Præsto est. (*q*) Amplexibus, *Bod.* 1. (*r*) Ipsa dig. *Bod.* 1. (*s*) Ipsa sig. *Bod.* 1. (*t*) Ipsa, ad, *Bod.* 1. (*v*) Zabuli malum, *Bod.* 1. (*x*) Et ad, *Bod.* 1.

[1] *Ne ullum in eis scabiei vitium reperiatur.*] *Pamelius ait*, Ita lego pro eo quod erat, scabie, est tamen adhuc locus obscurus & mutilus.

[2] *Cohabitatori nostro.*] *Pamelius ait*, Superflua & particula locum reddebat obscurum.

[3] *Sine tribulatione corporis.*] *Pamelius ait*, Hic velim adjectum, etiam.

[4] *Et cum digno statu.*] *Pamelius ait*, Prorsus lego, condigno.

[5] *Providus & sollicitus dicit.*] *Pamelius ait*, Omnino & istud lego, pro, dicens.

[6] *Et in doctrinis Apostolorum.*] *Pamelius ait*, Unde hæc citat nescio; neque enim reperiuntur aut in Canonibus aut in Constitutionibus Apostolicis.

[7] *Cum delinquentibus.*] *Pamelius ait*, Rursum omisimus, ne, particulam superfluam.

[8] *Quam magna & larga pietas Domini filii.*] *Pamelius ait*, Lego, Dei.

[9] *Non uno genere tentans.*] *Pamelius ait*, Censeo legendum, tentationis.

[10] *Mœchiæ.*] *Pamelius ait*, Prorsus aut hoc legendum, aut mœchia, pro eo quod erat, mœchæ.

[11] *Magna amplexu operitur deletio.*] *Pamelius ait*, Locus multis est corruptus.

[12] *Manus quæ jam.*] *Pamelius ait*, Omnino lego hoc, pro tam, adjicio vero, est, ex Antonino.

[13] *Ad sacrificium Dominicum admissa.*] *Pamelius ait*, Aut alludit ad veterem consuetudinem, de qua libro de lapsis, aut (quod magis apparet ex sequentibus) de presbyteris loquitur.

[14] *Quæ ad laudem Domini.*] *Pamelius ait*, Sic recte Anton. & Morelii quidam codex, pro, ipsa.

[15] *Quæ signum crucis*, &c.] *Pamelius ait*, Hoc iterum ex Antonino pro eo quod erat, ipsa per quam tuemur signum crucis in frontibus.

[16] *Ipsa quæ divina sacramenta.*] *Pamelius ait*, Juxta præcedentem Antonini lectionem, non sum veritus interserere, quæ.

[17] *Quid est, inquam.*] *Pamelius ait*, Particulam, inquam, ex eodem Antonino adjeci; quippe apud quem haud dubio sic legendum, pro eo quod habet, inquit.

[18] *Diaboli venabulum & delicti vulnus.*] *Pamelius ait*, Hæc lectio quoque ejus placet, præ vulgata, Zabuli malum & diaboli vulnus. Juxta quem iterum paulo post & prætermisimus.

capiendum ſummiſſus, & cum ceperit de captivo triumphum, perfidia, falſa teſtimonia. Tabulam aleæ dico; [1] ubi dementia, & furia, & venale perjurium, imperium & colloquium ſerpentinum. [2] Illic rabioſa amicitia, illic atrociſſimi [3] ſceleris (*a*) fraternitas diſcordans, illic convicia & audacia læva, & mens inſana, & fera impatientia. Aleæ tabulam dico; ubi poſſeſſionum amiſſio, & pecuniarum ingentium (*b*) perditio, monſtrum, & demonſtrans litigioſum, furax dementia.

O aleatorum noxia, ſedentaria, & pigra nequitia! O manus crudeles, & ad periculum ſui armatæ, quæ bona paterna & [4] opes avorum ſudore quæſitas ignominioſo ſtudio dilapidant: manus trux, noxia & inſomnis nocte dieque continuis inſtrumentorum ſuorum armigera: quæ peccando ſeipſam damnavit, & poſt peccata non deſinit ire. O nequam manus, in perniciem Domini ſui armata, quæ ſordidiſſimi æris totam ſubſtantiam perdit; & [5] cum tot eſſent augendæ rei familiaris & multarum abundantiæ opum, modo inops & pauper eſt. Alea eſt, quam lex odit: alea eſt, quam (*c*) ſequitur crimen ignobile; ubi manifeſta tentatio, & pœna occulta. (*d*) [6] Alea eſt alveus mali, & ſupplantatio amici, quæ nec lucrum confert, ſed totum conſumit. Hinc deinde pauperes fiunt, hinc opes ſuas perdunt, hinc jam conſumtis omnibus rebus ſuis, mutuis pecuniis ſe obruunt: hinc patrimonium, [7] ſine ulla fori calumnia amittunt. Qualis eſt lis, ut quos nemo perſequitur, ſeipſos per invidiam perſequantur? ut paternas ſuas hæreditates ſub oſſorum multiformi numero (*e*) diſpergant?

Eſt & quando ipſi aleatores cum proſtitutis mulieribus penes auctorem ſuum nocturnas vigilias clauſis foribus celebrant: armantur adverſus ſe miſeri, ſpiritu diaboli repleti: & illic duplex aut geminum crimen admittunt. Hic concrepat aleæ ſonus, illic ſilentio operatur inceſtus: hic ſine ullo dignitatis ſuæ reſpectu, ſine ulla excuſatione, peſtifero ſtudio cedere bonis ſuis cogitur; illic ſecreto mortale venenum bibitur. Unde hæc ſacrilega meditatio, unde hoc crimen, auctorum teſtimonio comprobamus? Cum enim quidam ſtudio literarum bene eruditus, multum meditando hoc (*f*) malum & tam pernicioſum ſtudium adinvenit, [8] inſtinctu ſolius Zabuli, qui eum artibus ſuis repleverat; hanc ergo autem oſtendit, quam & colendam ſculpturis cum ſua imagine fabricavit. Statuit itaque imaginem ſuam cum nominis ſui ſubſcriptione, ſuggerente ſibi amico, qui ut hanc artem excogitaret [9] in pectore ſubjecit. (*g*) Sic ergo ſe in imagine ſpecioſa demonſtrans, alto quodam loco condidit; & [10] in ſinus ſuos hanc aleæ tabulam geſtans, ut quaſi ipſe luſor & adinventor hujus malitiæ appareret, cujus nomen à Dei ſervis nominari non deberet (ſic enim in nomine turpis eſt, quomodo in factis iniquus) & quiſque Dei ſervus aleæ tabulam amplectitur, auctoris nomine vocaretur. Ille enim cum ſe [11] in ſtatunculis & ſimulacris formaret, aliud crimen adinvenit, [12] quo ſe ab imitatoribus ſuis (*h*) colendum, & ſibi ſacrificandum inſtituit; ita ut qui vellet ſtudio ejus adhærere, non ante manum in tabulam porrigeret, niſi auctori hujus prius ſacrificaſſet. Inde factum eſt, ut olim qui homo fuerat, & facinoris admiſſionis adulter, poſt mortem, à (*i*) profanis & errantibus [13] ſub fictitio nomine Dei, talis coli meruerit.

Aleæ tabula qui ludit, & (*k*) maleficia noſſe debet, quod à Dei ſervis longe ſit, (*l*) ſciens quoniam foris [14] maleficus & venenarius, & iterum in judicii diem in igne rotante torquebitur. Aleæ tabula qui ludit, prius auctori ejus ſacrificare debet; quod Chriſtianis non licet dicente Domino: Sacrificans diis eradicabitur, niſi Deo ſoli; & iterum: Nolite ſacrificare diis alienis, ne incitetis me in operibus manuum veſtrarum ad diſperdendum vos. Chriſtianus qui es, & aleæ tabula ludis; licet non ſacrifices, lege hujus facinoris particeps es. Et utique Dominus occurrit & dicit: Exi de ea populus meus, ne ſis particeps delictorum ejus. Et iterum: Diſcedite, diſcedite inde, exite de medio ejus qui portatis vaſa Domini, & immundum ne tetigeritis. Chriſtianus quicunque es & alea ludis, hoc (*m*) primo in loco credere debes, quia non Chriſtianum, ſed Ethnicum tibi nomen eſt; & illud quod ad ſacrificium Dominicum pertinet, in vacuum ſumis. Sic (*n*) enim dicit: Omnis immundus non (*o*) tanget ſacrificium ſancti. Dicit enim ſcriptura: [15] Omnis vir manducans carnem ſacrificii, & immunditia ejus ſuper ipſum; pereat anima illa de populo meo.

Aleator quicunque es, Chriſtianum te dicis; quod non es, eo quod ſeculo particeps es: nec (*p*) amicus Chriſti potes eſſe, qui cum inimico Chriſti tenes amicitiam. [16] Certe qualis dementia aleatorum fidelium, ubi inſaniunt, & furaciſſimis vocibus pejerant; [17] & deorbati Zabuli caligine, invicem ſibi manus inferunt, maledicunt, ſe devovent, parentum originem

[1] turbis

(*a*) Immanitas, illic, *Bod.* 1. (*b*) Perditus, & dem. lit. &, *Bod.* 1. (*c*) Inſequitur, *Bod.* 1. (*d*) Laqueus eſt ille mali, *Bod.* 1. (*e*) *Sic Corb. Imp.* Sub hoſtium ſuorum multif. num. Diſperdant, *Bod.* 1. (*f*) Malum, *Lam.* (*g*) *Sic Corb. Imp.* In Peccatorem ſubvenit. (*h*) Colendum diceret, ſacrificandi ſibi legem terminabit: ita, *Bod.* 1. (*i*) *Sic Bod.* 1. *Imp.* Pronis. (*k*) Maleficium, *Bod.* 1. (*l*) Scientes, *Bod.* 1. (*m*) *Sic Bod.* 1. Primum, *Imp.* (*n*) Enim Dominus, *Bod.* 1. (*o*) Tangat, *Bod.* 1. (*p*) *Sic Bod.* 1. *Corb. Imp.* animus.

[1] *Ubi dementia & furia.*] *Pamelius ait*, Antoninus, ubi mentis furia.

[2] *Illic rabioſa amicitia.*] *Pamelius ait*, Sic etiam ille, & alius quidam Morelii codex, pro, rabidoſa.

[3] *Sceleris fraternitas.*] *Pamelius ait*, Ita alius Morelii codex pro, immanitas.

[4] *Opes avorum ſudore quæſitas.*] *Pamelius ait*, Alius Morelii codex ſudoribus, ſic & Anton.

[5] *Cum & tot eſſent augendæ rei*, &c.] *Pamelius ait*, Aliquid deſideratur, nempe occaſiones, aut ſimile quid.

[6] *Alea eſt alveus mali*, &c.] *Pamelius ait*, Hoc rurſum ex Anton. pro, laqueus eſt ille mali, & ſupplantatio inimici, qui.

[7] *Sine ulla fori calumnia.*] *Pamelius ait*, Ex eodem fori, pro, forti. Sed viciſſim apud illum reponendum calumnia, pro, pecunia.

[8] *Inſtinctu ſolius Zabuli*] *Pamelius ait*, Hoc quoque ex eodem, pro, inſtigatu, qui etiam legit, adimplevit, pro repleverat; ſed hoc male.

[9] *In peccatorem ſubvenit.*] *Pamelius ait*, Phraſis obſcura.

[10] *In ſinus ſuos.*] *Pamelius ait*, Forte, in ſinu ſuo; eſt tamen adhuc locus obſcurus & mutilus.

[11] *In ſtatunculis & ſimulacris.*] *Pamelius ait*, Adjecimus, &, ante deſideratum.

[12] *Quo ſe ab imitatoribus colendum*, &c.] *Pamelius ait*, Ita rurſum ex illo, pro eo quod erat, colendum diceret, ſacrificandi ſibi legem terminavit.

[13] *Sub fictitio nomine Dei.*] *Pamelius ait*, Prorſus ſic lege, pro, fictioſo.

[14] *Maleficus & venenarius.*] *Pamelius ait*, Nova vox, quantum apparet, à venerandis idolis derivata.

[15] *Omnis vir manducans carnem ſacrificii.*] *Pamelius ait*, Prorſus ſic reſtitui hunc locum, ex lib. de Lapſis, ubi ſic citatur hæc ſcriptura, pro eo quod erat, mendicans: lego ex eodem, immunditia, pro immunditiæ.

[16] *Certe qualis dementia.*] *Pamelius ait*, Antonin. O qualis, qui etiam pejerant, legit pro, perjurant.

[17] *Et deorbati Zabuli caligine.*] *Pamelius ait*, Anton. diaboli. Nova autem eſt vox, deorbati.

[1] turbis præſentibus dehonorant. Sonat publice aleæ ſtrepitus, feſtinant ad necem hæreditatis ſuæ manus: nec intelligit miſer, quid ſibi noceat, quando ſe aleæ auctorat. Et qui jam ſæpius vincitur, rurſus ad nocentius ſtudium, Zabulo ſuadente animatur. O ars infeſta ſtudentibus, & ſtuprum libidinoſum; quod non divitias, ſed nuditatem & inopiam præſtat; manus carnifex, manus noxia, quæ nec poſt lucra deſinit; ſed adhuc poſt damna ludit. Chriſtianus qui alea ludit, ad ſacrificium Zabuli, [2] immolantibus (*a*) penes auctorem, manus polluit. Et idcirco Dominus ad hoc indignari dicit: Nolite, inquit, extendere manus veſtras injuſte, ne exacerbetis me, & non ſinam vos diu permanere ſuper terram; & iterum: Abſtinete manus veſtras ab injuſto, [3] & ne feceritis quicquam mali. Et Apoſtolus beatiſſimus Paulus ſimiliter dicit: [4] Videte fratres, ne (*b*) obfiguremini huic ſeculo, & pompis & deliciis & voluptatibus ejus; ſed continete vos ab omni (*c*) injuſtitia. Nam (*d*) qui delinquit in Deum, nulla fit excuſatio, nec indulgentia ulla, [5] & nemini venia datur. In Evangelio Dominus dicit: Si quis, inquit, dixerit blaſphemias in filium hominis, dimittetur illi: at is qui peccaverit in Spiritum ſanctum, non dimittetur illi, nec hic, nec in futuro ſeculo. Et iterum propheta dicit: [6] Si delinquendo (*e*) peccet vir adverſus virum, orabitur pro eo ad Dominum: Si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo? Et beatus Apoſtolus Paulus procurator vicarius Chriſti, Eccleſiaſticam curam agens, ponit & dicit: Vos eſtis templum Dei, & in vobis Chriſtus habitat; ſi quis templum Dei violaverit, perdet illum Deus. Iterum Dominus in Evangelio ſuo negat peccatores, & exprobrat dicens: Recedite à me omnes qui operamini injuſtitiam; nunquam vos cognitos habui. Et Joannes Apoſtolus dicit: Omnis qui peccat, non eſt de Deo, ſed de diabolo eſt; & ſcitis, quoniam ideo venturus eſt filius Dei, ut perdat filios diaboli.

Si quis aleator Chriſtianus es, tuus & hæreditatis tuæ inimicus es. Quicunque es, deſine ab illa dementia miſer. Quid te in laqueum mortis cum diabolo ultra præcipitas? [7] quid opes & divitias tuas (*f*) ſordidiſſimo ære admittis? quid te laqueis ſecularibus involvis, ut (*g*) de ſeculo judiceris? quid inimicum tuum favoribus laudando, delinquis; cum quo neceſſe eſt puniaris? Eſto potius, non aleator, ſed Chriſtianus: pecuniam tuam adſidente Chriſto, ſpectantibus angelis, & martyribus præſentibus, ſuper menſam Dominicam ſparge: patrimonium tuum, quod forſitan ſævo ſtudio perditurus eras, pauperibus divide: divitias tuas Chriſto vincenti committe: ſervus cum Domino tuo vocare, ſtudio deifico obſequere, artem Domini imitare, quæ non perdit ſed potius acquirit. Deſine ab illis tuis furaciſſimis moribus, cohibe præcipitem nequitiam tuam; ſit tibi cum pauperibus quotidianis luſus, ſit tibi cum viduis frequens operatio; cenſum & adparatus tuos omnes ad ſtudium Eccleſiæ diſtrahe: aurum tuum, & argentum, & pecunias tuas in theſauris cœleſtibus repone; fundos & villas tuas, juſta operatione [8] ad paradiſum remove: ut peccata donentur tibi, eleemoſynis & orationibus continuis incumbe. Alea ne luſeris; ubi luſus nocivus eſt (*h*) [9] & crimen mortale; ubi dementia ſine conſideratione; ubi nulla veritas, ſed [10] mendaciorum mandra. Abſcide inde manum tuam, & averte inde cor tuum: extrahe caliginem inimici ab oculis tuis, & purifica manum tuam à ſacrificiis Zabuli: abige abs te furaces mores, eſto patiens & Chriſtianus, eſto tibi & vitæ tuæ in operationibus juſtus & providus. Fuge diabolum perſequentem, & fuge aleam inimicam rerum tuarum: ſtudium ſit tibi ſapientiæ, Evangelii monitis erudire, puras manus ad Chriſtum extende, ut promereri Dominum poſſis, Aleam noli reſpicere; Amen.

(*a*) *Sic Corb. Imp.* Pœnis auctoris. (*b*) Configuremini, *Bod.* 1. (*c*) Injuſtitia ſeculi, *Bod.* 1. (*d*) Quod delicti in Deum nulla ſit excuſatio, *Bod.* 1. (*e*) Peccatur adverſus, *Bod.* 1. (*f*) *Sic Corb. Imp.* Sordidiſſimas æris. (*g*) Cum ſeculo, *Bod.* 1. *Corb.* (*h*) Crimen immortale, *Corb.*

[1] *Turbis præſentibus.*] *Pamelius ait*, Hoc ex eodem repoſui, pro eo quod erat, turpibus, peſſime.

[2] *Immolantibus penes auctores.*] *Pamelius ait*, Rurſum obſcurus locus. Eadem phraſis ſupra occurrit.

[3] *Et ne feceritis quicquam mali.*] *Pamelius ait*, Omnino ſic lego, quia præcedit, abſtinete.

[4] *Videte fratres ne obfiguremini.*] *Pamelius ait*, Ubique alibi Cyprian. configuremini.

[5] *Et nemini venia datur.*] *Pamelius ait*, Etiam hoc lego, pro, veniam, videtur autem hoc pertinere ad errorem Novatianorum.

[6] *Si delinquendo peccet vir.*] *Pamelius ait*, Iſtud quoque ex Cypriani aliis locis, pro peccatur.

[7] *Quid opes & divitias tuas.*] *Pamelius ait*, Locus iterum obſcurus.

[8] *Ad paradiſum remove.*] *Pamelius ait*, Forte, remitte.

[9] *Et crimen mortale.*] *Pamelius ait*, Prorſus ſic lego cum altero Morelii cod. pro, immortale.

[10] *Mendaciorum mandra.*] *Pamelius ait*, Alius, mendacii malitia.

DE MONTIBUS SINA ET SION

Tractatus ignoti Auctoris, adverſus Judæos.

[1] PRobatio Capitulorum quæ in Scripturis deificis continentur, quæ in veteri Teſtamento figuraliter ſcripta ſunt, per novum Teſtamentum ſpiritaliter intelligenda ſunt, quæ per Chriſtum in veritate adimpleta ſunt. Nobis enim per Jeſum Chriſtum ſpiritalis intellectus datus eſt, [1] ipſo

[1] *Probatio capitulorum.*] *Pamelius ait*, Mutilum eſt atque adeo obſcurum hujus libri frontiſpicium, quod tamen legunt omnes excuſi & MSS. cod. præter Cambron. qui ſic habet. Quod probatio capitulorum, &c. Neque ille ſatisfacit.

[1] *Ipſo*

[1] ipso Jesu dicente : Vobis quidem datum est intelligere sacramenta Dei, aliis autem in similitudinibus. Invenimus in Evangelio [2] κατὰ Joannem scriptum. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Jesum Christum facta est. Quæ lex Moysi in monte Sina data est. Verum iterum invenimus scriptum : [3] De Sion enim exiet lex, & verbum Domini ab Hierusalem. [4] Quatenus hoc intelligere debemus ? utrum Sina mons, ubi à Deo Moysi lex data est, & Sion mons unde lex exivit, unum sint ; an vero alter sit Sina mons, & alter sit Sion mons. Invenimus enim hæc nomina duorum montium esse Hebraica ; [5] verum Latina interpretatio nominum differentium ab invicem, ostendit aliud esse Sina montem, & aliud montem Sion.

Hæc est interpretatio de Hebraica lingua in Latinam. [6] Sina mons interpretatur, tentatio æterna & odium : æque & Sion interpretatur, tentatio exacerbationis & speculatio. Vides ergo in Hebraica interpretatione non sibi similare, sed neque esse unum montem, sed potius duos invicem à se differentes gratia & honore. Præterea cum dicat David propheta [7] in Psalmo 2. Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, annuncians imperium ejus : ecce quatenus montem Sion sanctum designat. Unde manifestum est montem Sion cœlestem esse & spiritalem, [8] & montem Sina esse terrenum. Nihil enim potest, quod in terra est, esse sanctum ; cum totus mundus mala facta habeat, & à diabolo sit maculatus, dicente Jesu : Odit me seculum, [9] & ego odi illud : quia (*a*) facta illius sunt mala. Ex qua re quidquid est in hoc seculo terreno, sanctum esse non potest.

Sion autem (*b*) montem ex prophetico dicto constat esse sanctum & spiritalem ; in quo monte (*c*) [10] Spiritus sanctus filius Dei rex constitutus est, annuncians voluntatem & imperium Dei patris sui : & Sina montem terrenum esse in arida terra constitutum, qui est in Syria Palæstina, ubi est terra Judæa, (*d*) Ubi est & civitas illa interfectrix prophetarum : ante cujus portam Christus à Judæis crucifixus est in horto : quæ civitas dicitur Hierusalem per Esaiam prophetam, spiritaliter vero execrata & derelicta. Nec immerito. Quia & Deus ex eodem monte Sina terreno, per Moysen adhuc in carne terrena primi hominis positum, populo Judæorum terreno & carnali legem à Deo accepit illis tradendam, digitis sacris scriptam in duabus tabulis lapideis, [11] (licet digitis sacris, tamen digitis in figura carnis) quasi populo carnali & durissimo : sicut fuerunt tabulæ lapideæ durissimæ, in quibus tabulis legem acceperunt. Ideo in duabus, quia significaret unitatem populi dividi in duas partes, partem quæ salvatur, & partem incredulam quæ perit ; dicente Angelo ad Rebeccam uxorem Isaac : Duæ gentes in utero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo dividentur, & populus populum superabit, & major serviet minori. Rebecca vero figuram portabat Ecclesiæ, sicut Isaac vir ejus typum in se portabat Christi. Ergo cum dicit, duæ gentes in utero tuo sunt : quia & de gentibus duas partes futuras designabat, partem idololatram perditam, & partem credulam viventem per fidem ; hanc unam partem gentium designat in utero Ecclesiæ permanere in generationem æternam in figura Rebeccæ ; & partem populi infidelium Judæorum à ventre tunc Rebeccæ dividi, & separari à nativitate Ecclesiæ. Hæc fuit præfiguratio in Genesi per Angelum spiritaliter annunciata. Hæc vero nomina montium talem habent interpretationem in lingua latina, ut demonstret veritatem ; qui sint hi duo montes Sina vel Sion : quod quidem post paulum dicturi sumus. [12] Ita enim hanc veritatis interpretationem probavimus, de principio generis humani venientem. Ita ab initio mundi & deinceps omnes homines nascentes, de tempore & facto nomina à parentibus suis accipiebant (non quidem ex se, sed à Deo mente impellebantur ; qui antequam fiant, præscius est futurorum) ut quales post crementum ætatis suæ futuri essent, posteriori tempore verbis & nominibus Hebraicis designaretur ; & quid singulis futurum esset, interpretatio nominum designaret veritatem ; sicuti tunc temporis in Patriarchis completum est, secundum primi hominis carnem de terræ limo esse, ex ipso protoplasto probamus veritatem.

Nomen accepit à Deo Adam. Hebraicum Adam in Latino interpretatur terra caro facta, eo quod [13] ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno comprehendit, sicut scriptum est : Palmo mensus sum cœlum, & pugno comprehendi terram, & finxi hominem ex omni limo terræ : Ad imaginem Dei feci illum. Oportuit illum ex his quatuor cardinibus orbis terræ nomen in se portare Adam. Invenimus in Scripturis, per singulos cardines orbis terræ esse à conditore mundi

(*a*) Sunt facta illius, *Foß. Mic. Vict.* (*b*) *Sic Foss. Mic. Vict. Imp.* Non tam ex. (*c*) Spiritu sancto, *Foss. Mic. Vict.* (*d*) *Sic Foss. Mic. Vict. Imp.* Dei & Patris. (*e*) *Sic Foss. Vict. Mic. Imp.* Ubi est civitas.

[1] *Ipso Jesu.*] *Pamelius ait*, Cambron. Christo.

[2] *Secundum Joannem.*] *Pamelius ait*, Hoc ex cod. Cambron. Marchin. Dunen. & Affligin. ad marginem cum Morelio, pro eo quod Affligin. in ipso contextu & vet. exc. juxta ; ceteri vero, secundum.

[3] *De Sion enim exiet lex.*] *Pemelius ait*, Etiam hoc cum Morelio ex tribus cod. MSS. pro, exibit.

[4] *Quatenus hoc intelligere debemus.*] *Pamelius ait*, Adjecimus interrogandi notam cum vet. exc. Gravio & Cauchio, & cum nulli eam legerent, loco submovimus ubi erat. An unum.

[5] *Verum latina interpretatio.*] *Pamelius ait*, Manutius, Latina vero. At illud genuinum est.

[6] *Sina mons interpretatur.*] Tanquam verbo prorsus passivo auctor noster voce, interpretor, passim utitur ; in Grammatica non minus quam in Theologia hospes.

[7] *In Psalmo 2.*] *Pamelius ait*, Prorsus sic lego, non primo, cum etiam Cyprianus supra lib. Testim. 3. cap. 29. secundum nuncupet hunc psalmum, hæc verba citans, non primum.

[8] *Et montem Sina.*] *Pamelius ait*, Adjicio, montem, ex Cambron. cod. ex eodem reposui illud. Cum totus mundus mala facta habeat, & à diabolo, pro eo quod erat, cum totus mundus propter mala facta à diabolo.

[9] *Quia & ego illud.*] *Pamelius ait*, Cambron. omisso, quia, legit & ego odi illud ; neutrum placet, quia longe aliter Evangelista, Quia ego testimonium perhibeo de illo.

[10] *Spiritus sanctus filius Dei.*] *Pamelius ait*, De hac veterum loquendi formula, vide supra librum, quod idola non sint dii. Quare nihil movere debent lectorem, aut ista hunc aut duo similes infra docere. Neque enim ante hæreses de Spiritu sancto exortas, tam caute scripserunt Veteres.

[11] *Licet digitis sacris, tamen digitis in figura carnis.*] *Pamelius ait*, Manutius omissa voce, licet, & semel tantum recitans voces illas, digitis sacris, paulo prius, certa posuit. Verum vulgatæ lectioni consentiunt MSS. nostri ; & si parenthesi hæc includantur, sensus erit perspicuus.

[12] *Ita enim omnipotens Deus*, &c.] *Pamelius ait*, Locum hunc depravatissimum ex codic. MSS. partim Affligin. Dun. Marchin. & vet. exc. partim Cambronensi ista restitui. Ita ab initio mundi & deinceps omnes homines nascentes, de tempore & facto nomina à parentibus suis accipiebant (non quidem ex se, sed à Deo mente impellebantur ; qui antequam fiant, præscius est futurorum) ut quales post crementum ætatis suæ futuri essent, posteriori tempore verbis & nominibus Hebraicis designaretur. & quid singulis futurum esset, interpretatio nominum designaret veritatem.

[13] *Ex quatuor cardinibus orbis terrarum pugno comprehendit.*] Hæc

di quatuor ſtellas conſtitutas in ſingulis cardinibus. Prima ſtella orientalis dicitur ἀναπλή, ſecunda occidentalis δύσις, tertia ſtella aquilonis ἄρκτος, quarta ſtella meridiana dicitur μεσημβρία. Ex nominibus ſtellarum numero quatuor de ſingulis ſtellarum nominibus tolle ſingulas literas principales, de ſtella Anatole, a, de ſtella Dyſis, d, de ſtella Arctos, a, de ſtella Meſembria, m; in his [1] quatuor literis cardinalibus habes nomen Adam. Nam & in numero certo per quatuor literas Græcas nomen deſignatur ἀδὰμ, ita α μία, [2] id eſt, unum, δ τέσσαρες, id eſt, quatuor, α μία, id eſt, unum, μ τεσσαράκοντα, id eſt, quadraginta. Fac & invenies numerum quadragenarium ſenarium. Hic numerus XLVI. paſſionem carnis Adæ deſignat, [3] quam carnem in ſe figuralem Chriſtus portavit, & eam in ligno ſuſpendit. Quæ caro à Deo patre Jeſu vocitata eſt Spiritus ſanctus, qui de cœlo deſcendit, Chriſtus, id eſt, unctus Dei vivi à Deo vocatus eſt; ſpiritus carni mixtus, Jeſus Chriſtus. [4] Hic ergo numerus 46. paſſionem declarat, eo quod ſexto milleſimo anno, hora ſexta paſſus: à mortuis reſurgens; quadrageſima die in cœlos aſcendit: vel quia Solomon quadraginta ſex annis templum Deo fabricaverit. In cujus templi ſimilitudinem Jeſus carnem ſuam eſſe dixit, dicens Phariſæis: [5] Deſtruite fanum iſtud, & ego in tribus diebus excitabo illud. Et Phariſæi dicebant: Quadraginta ſex annis ædificatum eſt fanum iſtud, & hic in tribus diebus excitabit illud? Dicebat autem Jeſus fanum de corpore ſuo.

Deinde Abel filius Adæ nomen accepit Hebraicum, deſignans fratris interfectionem & parentum luctum. Item Enoch, qui ante diluvium Deo juſtus complacuit, & ideo de iſto mundo in carnis ſuæ nativitate vivus tranſlatus eſt in loco, ubi Deus ſcit; ex quo loco in conſummatione mundi innovari habet in hoc mundo, unde etiam tranſlatus eſt ad confundendum & revincendum antichriſtum. A quo interfecti martyria ſua complebunt, viventes in æternum in ſecula ſeculorum. Et ideo Enoch interpretatur, innovatus. Deinde Job juſtus, qui ante diem judicii meruit voce judicis laudari, & ideo diabolo devicto & ſuperato, Job interpretatur, cariſſimus Dei. Æque & Abraham in ſua nativitate à parentibus ſuis Abram vocatus eſt; tentatus vero à Deo fidelis inventus eſt, & à Deo benedictus pater multarum gentium conſtitutus eſt, & ideo immutato à Deo nomine Abraham vocatus eſt, interpretatur, pater multorum populorum.

Ecce interim de multis probationibus pauca diximus, ut ad duorum montium nominum pervenientes, interpretationes eorum montium nominum probemus, qualiter deſignata ſunt ad noſtram inſtructionem; ut ex hac interpretatione nominum, intelligamus montem Sina eſſe terrenum, & montem Sion eſſe cœleſtem. Spiritaliter interpretatum Sina, tentatio æterna & odium; [6] & mons Sion, tentatio exacerbationis & ſpeculatio. Ita intelligitur cum dicitur mons Sina, tentatio æterna & odium, eo quod ex eo monte Moyſes legem acceperit populo duriſſimo & contumaci. Per quam legem tentati à Deo æterno, [7] inventi ſunt non poſſe eandem legem ſuſtinere in perpetuum, exinde Deo in odium converſi ſunt. Ideo in nomine montis Sina, unde legem acceperant, interpretatio nominis deſignavit populum tentatum à Deo, & in odium æternum eſſe converſos: ideo dicitur Sina, tentatio æterna & odium. Invenimus enim in ſcripturis eos eſſe à Deo tentatos. Ita poſitum dicente Domino ad Moyſen: Exeat populus iſte, & colligat ſibi diurnum in diem, & tentabo eos an poſſint legem meam ſuſtinere an non; & tentati à Deo per legem, inventi ſunt ab ea lege alieni. Exinde Deo in odium æternum converſi ſunt, & completa eſt interpretatio Sina. [8] Manifeſta vero & Moyſen, per quem eos Deus per legem tentavit, in Latino interpretatur ſimiliter, Moyſes tentatio Dei, & inventio, per quem tentati à Deo inventi ſunt alieni à legis obſervatione, ideo in æternum Deo in odium converſi ſunt. Hoc odium in ipſo genere Judæorum ſcriptum invenimus, dicente Iſaac de duobus ſuis filiis Eſau majore; & Jacob minore: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui: Eſau vero major piloſus fuit totus, inquit, quaſi corium piloſum, in figura populi majoris, in impietate delictorum ſuorum conſtituti. Et Jacob fuit lenis & minor, in figura populi novellioris, qui ex dicti audientia per credulitatis fidem ex aſpredine ſeculi in lenitatem converſus eſt ad Chriſtum Deum, & Dei filium.

Ecce probavimus per ſcripturarum fidem populum majorem & vetuſtiorem eſſe Deo in odium converſum ſecundum interpretationem montis Sina dicentis, tentatio æterna & odium. Æque Sion montis ita interpretatur, [9] tentatio exacerbationis & ſpeculatio. Hæc vero interpretatio Latina, ligni ſacri paſſionem deſignat, dicente Solomone de ipſa paſſione Dominica: Contumelia & tormento interrogemus illum, ut ſciamus reverentiam illius & probemus patientiam ipſius,

Hæc ex lacunis Rabbinorum hauſta. in Pirke R. Eliezer dicitur. Incepit Deus colligere pulverem primi hominis, è quatuor terræ angulis, vid. rubrum, nigrum, album, viridem. Ruber pulvis factus eſt ſanguis, niger fuit pro viſceribus, albus pro oſſibus & nervis, viridis factus eſt corpus. Cur congeſſerit pulverem ejus ex quatuor mundi angulis? quia dixerat ſanctus benedictus, ſive iverit homo ex oriente in occidentem, vel ex occidente in orientem, ſeu in quemcunque locum contenderit, & venerit terminus ejus ut ſeparetur ex hoc mundo, ne tum terra dicat, in iſto loco non eſt à me pulvis corporis tui, &c.

[1] *Quatuor literis cardinalibus habes nomen Adam.*] Neſcivit Cabbaliſta noſter in nomine אדם tres tantum reperiri literas. Sed ſi nugarum iſtarum magis idoneus Auctor expectetur, conſulat lector tomum nonum operum D. Auguſtini, tract. 10. in Evang. Joan. ubi hæc omnia occurrunt.

[2] *Id eſt unum*, &c.] *Pamelius ait*, Tum hoc, tum quæ ſequuntur, id eſt quatuor, &, id eſt, unum, & rurſum, id eſt, quadraginta, adſcripta erant in cod. MS. Dun. ad interpretationem Græcarum vocum, in aliis MSS. & vet. exc. omnino deſiderabantur. Ad intellectum tamen majorem putavimus retinenda.

[3] *Quam carnem in ſe figuralem.*] *Pamelius ait*, Sane & caute hoc intelligendum recte adnotavit Manutius.

[4] *Hic numerus* 46.] Ligneus hic ſupputator, numerum 46. conficit ex numero 6000. numero 6. &. 40.

[5] *Deſtruite fanum iſtud.*] *Pamelius ait*, Gravius phanum, & hic & bis poſtea, verum illud conſtanter MSS. omnes, & non Feſtus modo, ſed & Varro de L. L. lib. 5. & Livius 1. dec. lib. 10. à fando dictum fanum volunt.

[6] *Et mons Sion tentatio exacerbationis.*] *Pamelius ait*, Addebant alii, æternæ; verum recte omiſit Manutius cum Cambron. cod. quia ſupra non legitur.

[7] *Inventi ſunt.*] *Pamelius ait*, Ex auctoritate ejuſdem cod. omiſi particulam, &, ſuperfluam.

[8] *Manifeſta vero & Moyſen*, &c.] Ad Moyſis nomen, ſi ſonus ſpectetur, accedere videtur, Maſſa, quod tentationem denotat. *Pamelius ait*, Locus uſque adeo corruptus, ut mederi ex MSS. non licuerit. Ex illis enim quatuor conſentiunt cum excuſis vulgatis, ſicut etiam veteres excuſi, præterquam quod legant Moyſes, quomodo & Morelius legens etiam, Manifeſtat, Cambron. cod. vero longe aliter: Manifeſta vero Moyſi & Aaroni, per quos eos Deus per legem tentavit, in Latino interpretatur. Similiter in monte tentati à Deo inventi ſunt alieni, &c. fortaſſis ita legendum; & completa eſt interpretatio Sina, manifeſta Moyſi & Aaroni per quos eos Deus per legem tentavit, omiſſis ceteris omnibus; quandoquidem prius eadem verba ſint poſita, atque adeo hic videantur ſuperflua.

[9] *Tentatio exacerbationis.*] Videtur ſono vocis deceptus à שנא derivaſſe ſcriptor hic ſuum interpretamentum.

ipſius, [1] & tentemus quæ eventura ſunt illi. Si enim vere filius Dei eſt, ſuſcipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum; morte turpiſſima condemnemus illum. Hæc cogitaverunt & erraverunt; excæcavit illos malitia ipſorum, & non intellexerunt ſacramenta Dei. Ecce tentatores Judæos: item ſcriptum eſt: Et tentaverunt Deum in loco inaquoſo. Speculum vero altitudinem ligni declarat, dicente Solomone: Poſuerunt me velut cuſtodiam pomarii, eo quod in horto in ligno confixus inter duos latrones pependit: & de altitudine ligni ambos ſpeculatur in figura duorum populorum malefactorum; Gentes in ſeculi mala facta jacentes, & Judæos interfectores prophetarum. Hi ſunt duo populi malefactores; quorum figuram in ſe portabant duo latrones, inter quos pependit innocens. Unus blaſphemabat; alius vero confeſſus eſt, quia innocens injuriam patiebatur. Jeſus autem ambos ſpeculabatur de ligno ſpeculatorio, blaſphemum & confeſſorem, confeſſorem ſalvavit, & blaſphemum perdidit, ſicuti de duobus populis fecit.

Perſecutores derelicti, qui in æternæ mortis ſententia ſibi non crediderint, ſi ſic de ſeculo exierint, perient. Gentes vero ad ſe converſæ fidem ſibi habentes, quia filius Dei eſt; ſalvatæ videbunt in æterna ſecula ſeculorum imperatorem & regem ſuum. Verum in ipſa paſſione pendens in ligno, duas partes populi proſpiciens ſpeculabatur, de alto ligno. Pars populi, qui viderant virtutes ejus mirabiles & deificas, patientem illum injurias dolentes plorabant: alii vero Judæi irridentes, de arundine caput ejus quaſſabant, blaſphemantes & dicentes: Ave rex Judæorum, ubi eſt pater tuus? veniat & liberet te de cruce. Exinde exacerbatus pater fecit cœlum patefieri, & tonitrua facta ſunt, & tenebræ inſuſtinibiles; terra commota, patefacta ſunt ſepulcra, [2] & corpora ſua ejecerunt, & foras à ſe miſerunt; velum templi ſciſſum eſt; & à tanto fragore cœli & terræmotu, omnes qui ſtabant ante lignum, alii dolentes, alii vero blaſphemantes, & illudentes, [3] proſtrati in faciem jacuerunt, trementes tanquam mortui. Tunc Judæi intellexerunt ſe offendiſſe Deum, & in luctum converſi ſunt; & fuit exacerbatio. Eo enim tempore quo in ligno confixus pependit, dies fuerunt azymorum, qui ſunt dies feſti Judæorum. Eo die metuentes factum eſſe terræmotum, & cœli fragorem, proſtrati in faciem, in terra plangentes, in luctum converſi ſunt; & in ipſa ſua paſſione complevit propheticum dictum: Et convertam dies feſtos eorum in luctum, & cantica eorum in lamentationem. Ante enim cum captivi detenti eſſent in Babylone, dicebant illis Babylonii: Cantate nobis cantica de canticis Sion, & Judæi lamentantes captivitatem ſuam, dicebant Babyloniis, ut diximus, lamentantes ſe: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

Ecce quatenus completa eſt interpretatio montis Sion, tentatio exacerbationis & ſpeculatio. Unde manifeſtum eſt montem Sion ligni ſacri regnum eſſe in ſanctitate juſtificatum, dicente David: Annunciate regnum Dei in gentibus, quia Dominus regnavit à ligno, & tranſivit in gentibus. De quo regno ligni regalis idem propheta dicit: Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus annuncians imperium ejus. Quod dictum propheticum per Pontium Pilatum in ſua paſſione pendens in ligno complevit. [4] Pontius Pilatus impulſa mente à Deo accepit tabulam, & titulum ſcripſit tribus linguis, Hebraice, Græce, & Latine: Jeſus Nazarenus rex Judæorum; & in capite ligni clavis tabulam cum nomine regis Judæorum confixit: & tunc manifeſtavit propheticum dictum, eo quod ſpiritaliter mons Sion crux eſt, quæ eſt virtus Dei, Apoſtolo dicente: Crux Chriſti non credentibus ſtultitia eſt, credentibus autem crux virtus eſt Dei; & iterum dicit: Nos autem annunciamus vobis Chriſtum, & hunc crucifixum: Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam; ipſis autem vocatis Judæis & Græcis, Dei virtutem & Dei ſapientiam. [5] Sic vero & alius propheta declarat lignum paſſionis Dominicæ eſſe montem Sion ſanctum, in ſpiritu ita dicens: Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus; dextera lævaque extenſis, clavis fixis, innocentiam demonſtrans. Ideo dicit innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, [6] & non juravit ſubdole proximo ſuo, hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo. Omnis paſſio hominum in terram cadet, hæc ſola paſſio crucis ſtantem demonſtrat: unde verum dicimus, montem ſanctum lignum eſſe paſſionis. Inde innocens manibus, & mundo corde non fuit. Nec enim mundus corde, eo quod Ægyptium calce percuſſerit in Ægypto, & mortificaverit eum, & manibus ſuis eum in arena obruerit; Chriſtus autem in montem ſanctum aſcendit lignum regni ſui, ut moreretur à Judæis, quanquam ipſe aliquem hominum non mortificaverit, niſi ſolum diabolum inimicum generis humani. Exinde in montem aſcendit innocens & mundus corde; & ideo propheta dicit: Quis aſcendet in montem Domini, & quis ſtabit in loco ſancto ejus? Innocens manibus & mundo corde. Et declaravit montem Sion ſanctum eſſe ſanctam crucem, dicente æque propheta: De Sion exiet lex, & verbum Domini ab Hieruſalem. Lex Chriſtianorum crux eſt ſancta Chriſto filio Dei vivi, dicente æque propheta: Lex tua in medio ventris mei. Percuſſus in lateris ventre de lancea, ſanguis & aqua mixtus profuſus fluebat, unde ſibi Eccleſiam ſanctam fabricavit, in qua legem paſſionis ſuæ conſecrabat, dicente ipſo: Qui ſitit, veniat & bibat: Qui credit in me, ſicut ſcriptum eſt, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Item in Pſalmis: Et erit velut lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Ecce verbum propheticum, fructum reſurrectionis die tertia ſpiritaliter intelligendum dicentis: De Sion exiet lex, hoc eſt, de ligno regali, & verbum Domini ab Hieruſalem quæ eſt Eccleſia.

Caro ligno confixa emiſit verbum Dominicum dicens: Heli, heli. Et adimpletum eſt propheticum ſpiritale ante dictum: De Sion exiet lex, & verbum Domini ab Hieruſalem. [7] Hieruſalem dicit de cœlo deſcen-

[1] *Et tentemus quæ eventura ſunt illi.*] *Pamelius ait*, Iterum iſtud ex Cambron. cod. pro, quæ ventura ſunt; Eſt enim Græce apud 70. τὰ ἐν ἐκβάσει. Omittunt vero MSS. voculam, &, paulo poſt.

[2] *Et corpora ſua ejecerunt & foras à ſe miſerunt.*] *Pamelius ait*, Locum mutilum ſic ſupplevimus ex Cambron. & Cauchii cod. vulgati habebant duntaxat: & corpora à ſeipſo, pro quo non male Manut. cum aliis MSS. & corpora foras emiſit.

[3] *Proſtrati in faciem.*] *Pamelius ait*, Hoc habeo ex omnibus MSS. pro, proſtrati in facie.

[4] *Pontius Pilatus impulſa mente.*] *Pamelius ait*, Cum codex Remboldi negligentia operarum haberet, impolluta; non male repoſuit ex conjectura Eraſmus, infuſa. At illud genuinum eſt.

[5] *Sic vero & alius propheta.*] *Pamelius ait*, Manutius, verum & alius, ſed illud habent MSS. noſtri. Mirum autem eſt quod alium prophetam dicat, quum idem David id pronuntiarit.

[6] *Et non juravit ſubdole.*] *Pamelius ait*, Quum ſic legat alibi Cyprianus, hoc malo cum tribus MSS. & excuſis vulgatis, quam in dolo, cum Cambron. ſub dolo, cum Manutio.

[7] *Hieruſalem dicit.*] *Pamelius ait*, Quod adjecerat Eraſmus, ut ſenſus conſtaret, de qua dicitur in Apocalypſi, vidi. Nulli habent MSS. Sed prius, cum illis legunt veteres excuſi codd.

[1] *De*

descendentem, novam civitatem, quadratam per quatuor Evangelia, habentem duodecim fundamenta duodecim prophetarum, duodecim portas duodecim Apostolorum; per quorum annunciationem Christiani in hanc civitatem sanctam & novam introierunt, quæ spiritalis est Ecclesia.

Ecce probavimus per omnium Scripturarum deificarum fidem duos montes, Sina in terra, & Sion in cœlo, duorum Testamentorum portare figuram; veteris Sina, & novi Sion. Ex quibus duobus montibus, videlicet duobus testamentis, posteriori tempore demonstratos & declaratos habemus duos populos; veterem & priorem Judæorum, & novum & posteriorem populum Christianorum: Judæos terrenos, qui terram promissam à Deo acceperunt carnales; & Christianos cœlestes, qui regna cœlorum à Deo promissa accepturi sunt in futuro seculo. Caro enim Christianorum spiritalis & immortalis erit.

Alia probatione veritatis in Scripturis posita, ex ea veritate cœlesti spiritalem facimus figurarum comparationem, de hujus mundi conversatione. Diximus enim, montis sancti Sion, quod lignum regale & sacrum, haberet interpretationem [1] de Hebraico, in Græcum vel Latinum, tentatio exacerbationis vel speculatio, eo quod de ligno speculabatur ante se stantes bonos & malos.

Ita invenimus ipsum Salvatorem [2] per Solomonem speculum immaculatum patris esse dictum, eo quod Spiritus sanctus Dei filius geminatum se videat; Pater in filio, & filius in Patre; utrique se in se vident, ideo speculum immaculatum. Nam & nos qui illi credimus, Christum in nobis tanquam in speculo videmus, in ipso nos instruente & monente [3] in Epistola Joannis discipuli sui ad populum: Ita me in vobis videte, quomodo quis vestrum se videt in aqua aut in speculo: & confirmat Solomonicum dictum de se dicens: Qui est speculum immaculatum patris.

Verum etiam & vitem æternam & veram se esse dixit; Patrem suum agricolam. Si ergo Christus vitis vera: utique constat, quia & nos qui in illo credimus & ipsum induimus, sumus vitis vera, quæ est vinea Dominica, & Christus custos vineæ suæ, dicente Solomone: Posuerunt me custodem in vinea. Invenimus vero in conversatione hujus mundi in similitudinem spiritalem figuraliter esse vineam, habentem dominum & possessorem suum. Tempore vero maturo prope dies vindemiarum positum in vineam custodem puerum in alto ligno media vinea confixo; & in eo ligno faciunt [4] speculam quadratam de arundinibus quassatis, & per singula latera quadraturæ specula faciunt cavernas ternas, quæ faciunt cavernas duodecim: per quam quadraturam cavernarum custos puer omnem vineam perspiciens custodiat, cantans, ne viator ingrediens vineam Dominicam sibi assignatam vexet, vel fures uvam vineæ conculcent. Quod si importunus fur egens in vineam voluerit introire & uvam demere, illic puer sollicitus de vinea sua deintus de specula dat vocem malam maledicens & comminans, ne in vineam viator fur audeat accedere, dicens, rectum ambula. Fur autem timens vocem pueri sibi comminantis refugit de vinea, speculam videt, vocem audit, puerum intus in specula sibi comminantem non videt, & timens post viam suam vadit.

Hæc conversatio secularis similatur gratiæ spiritali. Ita est enim & in populo deifico, sicut in vinea terrena. Vinea Dominica & spiritalis plebs est Christianorum, quæ custoditur jussu Dei Patris à puero Christo in ligni specula exaltato. Quod si viator diabolus, perambulans viam secularem, ausus fuerit de vinea spiritali hominem de plebe Dominica separare & vexare; statim à puero cœlesti voce correptus, & spiritalibus flagris emendatus, exulans ad centesimum, effugit in locis aridis & desertis. Hic est custos puer filius Dominicus; qui vineam suam sibi à patre commendatam salvandam & reservandam accepit: de quo Esaias propheta canit, dicens: Ecce puer meus dilectissimus, ponam super eum spiritum meum, & judicium gentibus nunciabit: non clamabit, neque contendet. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, quoadusque expellat in contentione judicium; [5] & in nomine ejus gentes credent & sperabunt.

[1] *De Hebraico in Græcum, vel in Latinum.*] *Pamelius ait*, Istud ex tribus aliis MSS. pro eo quod erat, in Græco & Latino. Tamen locus adhuc obscurus. Quæ vero sequuntur, intelligenda sunt, sicut supra.

[2] *Per Solomonem.*] *Pamelius ait*, Et hic & antea adscribit Solomoni quoque Sapientiæ librum.

[3] *In Epistola Joannis discipuli sui.*] *Pamelius ait*, Nusquam tale quid habent Joannis Epistolæ Catholicæ. Videtur itaque reponendum Jacobi, ut alludat ad illud, Hic comparabitur viro confideranti vultum suum in speculo. Quo magis miror quod legat Cambronensis, ad Paulum.

[4] *Speculam quadratam.*] Bonus hic scriptor nihil distare credidit speculum & speculam: pariter peritus derivationum & mysteriorum interpres.

[5] *Et in nomine ejus gentes credent & sperabunt.*] *Pamelius ait*, Etiam hoc est iisdem, quod miror, quum & apud Isaiam, & apud Matthæum non aliud habeatur, quam sperabunt, Græce & Latine; neque etiam Cyprianus supra lib. Testim. 2. cap. 13. aliud legat quam, credent.

ORATIO

[1]CYPRIANI ANTIOCHENI.

Pro Martyribus.

HAgios, Hagios, hagios, ſancte ſanctorum, Pater patrum noſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, Deus Apoſtolorum, Deus Prophetarum, Deus Virginum, Deus bene viventium, Deus credentium, Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti filii tui; te invocamus ſupplices, pariter & deprecamur fili unigenite, qui ex ore Altiſſimi procreatus es ante mundi diſpoſitionem, & ex Mariæ ſanctæ virginis utero per myſterium editus; orantibus nobis, ſancti deſiderii ſpiritale incrementum, & integritatem cordis præſtare dignare, ut lavacro ſalutari recreatum pectus à delictis carnalibus incolume perſiſtat. Perimus fide illibata, mente incorrupta, devotione robuſta, operatione ſeu dilectione continua; ut in Eccleſia ſancta tua nos florere permittas: quoniam tibi flectimus genua, & curvamus cervices, cui Angeli & Archangeli, millia millium Martyrum, chorus Apoſtolorum, & Prophetarum gloria exultant, cui omnes aves canunt laudes, linguæ confitentur cœleſtium, terreſtrium & infernorum: tibi omnes aquæ in cœlo, & ſub cœlo confitentur; te inſenſibilia ſentiunt: tu es ſolus, & præter te & extra te nemo. Te quæſumus, Domine Pater omnipotens, qui [2]ſoli filio conſpicabilis es, cujus Angeli & Archangeli obtemperant tibi Domine Pater: te oramus, ut tribuas nobis mentem integram, [3]innocentiam puram, ſinceritatem devotam, conſcientiam ſanctam, puram, ſobriam, caſtam, contra omnes inſidias ſeculi glorioſa fide degentem: contra diaboli minas, & carnales illecebras munitum pectus concedas; ne violenti & cruenti hoſtis lethalibus laqueis implicemur, [4]ut ſignum ſalutis æternæ incolume perferamus. Pelle à nobis omnem ſeculi illuviem, omnemque diaboli perſuaſionem. Laqueetur, concidat, & ſuperetur à nobis, & amoveatur, ſicut à Sarra famula tua Aſmodeus dæmon nequiſſimus, extinctus per Angelum tuum ſanctum Raphael. Et ſicut Tobiæ affuiſti, ita mihi adeſſe digneris. Et ut tribus pueris in camino, & Danieli miſericordiam præſtitiſti: ſic circa nos famulos tuos facere digneris. Qui mortuos ſuſcitaſti; cæcos illuminaſti; ſurdis auditum, mutis eloquia, claudis greſſum, leproſis ſanitatem dediſti: ita & da famulis tuis, qui te tota virtute mentis credimus natum, paſſum, venturum judicare vivos & mortuos. Aſſiſte nobis, ſicut Apoſtolis in vinculis, Teclæ in ignibus, Paulo in perſecutionibus, Petro in fluctibus. Qui ſedes ſuper ſeptem thronos ad dexteram Patris, reſpice nos & libera nos de æternæ mortis interitu: unus in uno, Pater & Filio, Filius in Patre, Spiritus ſanctus, per quem, & cum quo eſt tibi in ſancta Eccleſia honor, virtus, claritas, majeſtas, poteſtas, benedictio, immortalitas, & nunc & in æternum, ſemper & in omnia ſecula ſeculorum, Amen.

1 *Cypriani Antiocheni.*] Quis fuerat iſte Cyprianus Antiochenus Magus & Juſtinæ amaſius, infra dicetur.

2 *Soli filio conſpicabilis es.*] *Pamelius ait*, MSS. omnes & vet. exc. conſpectabilis. Verum illud placet, quod ſimiliter dixerit Prudentius: coram refulſit ore conſpicabilis.

3 *Innocentiam puram.*] *Pamelius ait*, Morelio rurſus acceptam debemus vocem, puram, & paulo poſt vocem, hoſtis, ubi legitur cruenti hoſtis, alibi deſideratas.

4 *Ut ſignum ſalutis æternæ incolume perferamus.*] *Pamelius ait*, Iiſdem pene verbis utitur etiamnum Eccleſia in ceremoniis baptiſmi.

ORA-

ORATIO
CYPRIANI ANTIOCHENI
quam ſub die Paſſionis ſuæ dixit.

DOmine Sancte Pater hagios, Deus hagie, & hagie Deus meus, quis enim major te? tibi gratias & laudem refero [1] Deus Abrahæ & Deus Iſaac & Deus Jacob, Deus Patrum noſtrorum, Deus Apoſtolorum, & Deus Prophetarum, & Deus Martyrum, qui fuiſti ante mundi diſpoſitionem, Deus vivorum, venturus judicare vivos & mortuos: qui es Deus verax, qui ſedes ſuper Cherubim & Seraphim ſedem honoris tui, & proſpicis abyſſos: qui vides cuncta priuſquam naſcantur; [2] qui habes poteſtatem occidere & rurſus reſtituere; qui habes poteſtatem de arido viride facere. Tu omnium Dominus dominator, libera me ab hoc ſeculo, & exaudi me orantem, ſicut exaudiſti filios Iſraël de terra Ægypti, & non tibi crediderunt, nec famulo tuo Moyſi.

Væ peccatis meis. Cum elevaveris confringere terram, ſub qua fiſſura petrarum ſe abſconſurus ſum ab ante virtutem tuam? Cui monti dicturus ſum, cade ſuper me; & cui colli, tege me ab ante metum Domini, cum te levaveris confringere terram? Rogo, Domine, ſubveni mihi: noli ſecundum actum meum me judicare: nihil enim in præceptis tuis parui. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Jonam de ventre ceti; ſic exaudias me, & ejicias me de morte ad vitam. Sicut Ninivitæ induerunt cinerem & cilicium, & pœnitentiam egerunt [3] ante Dominum. Exomologeſin facienti ante conſpectum tuum pro univerſis peccatis meis, qui es amator pœnitentiæ, miſerere mei. Sed & David dicit: Domine propter nomen tuum dele peccatum meum. Et ego deprecans majeſtatem tuam; dele univerſa peccata mea, & exaudi me orantem, ſicut audiſti tres pueros de camino ignis, Ananiam, Azariam, Mizaëlem: & miſiſti angelum tuum cum nimbo roris, & confuſus eſt Nabuchodonoſor præpoſitus regni: quoniam tu es Rex regnantium, & Dominus dominantium, qui ſolus habes immortalitatem, & lucem habitas inacceſſibilem, quam nemo hominum videt, nec videre poteſt. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Danielem de lacu leonum: & miſiſti Abacuc prophetam, & attulit ei prandium & dixit: Prande prandium, quod tibi miſit Deus. Et dixit Daniel: Non relinquet Dominus quærentes ſe. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Tobiam & Sarram dum orarent in atrio domus ſuæ: tunc obtulit pro eis Raphael angelus orationes eorum: ſic & tu exaudias preces meas, & admittas ad aulam ſanctam tuam orationes meas, & continenter mittas angelum tuum, qui deleat univerſa delicta mea, ſicut deleſti ſpiritum immundum à Sara filia Raguel: & illumines cor meum, ſicut illuminaſti oculos Tobiæ. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Suſannam inter manus ſeniorum, ſic me liberes ab hoc ſeculo, quia tu es amator puræ conſcientiæ. Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Ezechiam regem Judæ & deleſti ab eo infirmitatem: ſic & à me auferas infirmitatem carnis, & augeas mihi ad fidem, ſicut illi auxiſti annos quindecim ad vitam. Libera me de medio ſeculi hujus ſicut liberaſti Theclam de medio amphitheatro, libera me ab omni infirmitate carnis meæ.

Te deprecor Pater majeſtatis, qui in fine temporum miſertus es noſtri, mittens nobis Jeſum Chriſtum filium tuum Dominum Deum Salvatorem noſtrum, natum ex Maria virgine de Spiritu ſancto, annunciante Gabriele angelo, per quem nos liberaſti de periculo mortis imminentis.

Et te deprecor filium Dei vivi, qui feciſti tanta mirabilia, qui in Cana Galilææ de aqua vinum feciſti, propter Iſraël: qui cæcis oculos aperuiſti; qui ſurdos audire feciſti; qui paralyticos ad ſua membra revocaſti; qui ſolviſti linguas blæſorum; dæmonio vexatos ſanaſti; claudos, currentes feciſti velut cervos: mulierem de profluvio ſanguinis liberaſti; mortuos ſuſcitaſti; ſuper aquam pedibus ambulaſti; qui Petro labenti manum tradidiſti; qui mare fundaſti, & terminum ei poſuiſti, & dixiſti: Hucuſque venies, & hic te confringes in virtute tua. Te deprecor filium Dei vivi propter univerſa commiſſa mea, qui es in cœlis filius in Patre & Pater in te in ſempiternum, qui ſedes ſuper Cherubim & Seraphim ſedem honoris tui.

Tibi aſſiſtunt Angeli, Archangeli, numerus innumerabilis, timentes & paventes honorem & virtutem tuam, clamantes voce magna & dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Tu ipſe nobis teſtamentum feciſti: Petite, & accipietis; pulſate, & aperietur vobis. Quodcunque à Patre meo petieritis in nomine meo, ego à Patre peto ut accipiatis. Ego peto, ut accipiam; quæro, ut inveniam; ego pulſo, ut aperiatur mihi; ego in tuo nomine peto, ut tu à Patre petas, & detur mihi. Paratus ſum propter nomen tuum victimam ſanguinis fundere, & quodcunque tormentum ſuſtinere. Tu es, Domine, auditor meus & defenſor: defende me ab adverſario meo. Angelus tuus lucis protegat me, quoniam tu dixiſti; quod credentes petieritis per orationem, dabitur vobis.

Omnis homo mendax, tu es verax. Sicut tu repromiſiſti, poteſtatem habes, Domine, dare mihi omne ſacramentum tuum cœleſte, ut dignus ſim faciem ſanctorum tuorum videre. Spiritus in me operetur,

[1] *Deus Abrahæ.*] *Pamelius ait*, Præmittit idem Gravius, Deus Patrum noſtrorum, quod vulgo poſtponitur, quantum apparet; quia ſic fere ubique ſcriptura. Sed nobiſcum legunt MSS.

[2] *Qui habes poteſtatem occidere.*] *Pamelius ait*, Adjicio, occidere cum Morelio ex MS. Adjicit autem præterea Gravius, qui habes poteſtatem mortificare, & rurſum vivificare, ſed non placet: alioqui enim bis id repeteretur. Ex ipſo tamen addidi illud, & de viridi aridum.

[3] *Ante Dominum.*] *Pamelius ait*, Hoc rurſum ex Gravio. Omiſimus vero cum MS. paulo poſt vocabulum, &, ſuperfluum.

retur, voluntas tua in me fiat : quoniam tibi ſpopondi omnibus diebus vitæ meæ, qui paſſus es ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem, qui crucifixus deſcendiſti, & conculcaſti aculeum mortis. Devicta eſt mors, devictus eſt inimicus diabolus. Tu reſurrexiſti à mortuis, & apparuiſti Apoſtolis tuis: ſedes ad dexteram patris, qui venturus es judicare vivos & mortuos. Tu dominaberis, libera me de manu quærentis animam meam. Per nomen tuum libera me ab adverſaria poteſtate, ut opem des vincendi inimicum meum: quoniam tu es potens aſſertor & advocatus precum & petitionum noſtrarum animarum. Die ac nocte interpelles pro peccatis meis, orationem meam perferas ad patrem tuum. Et tu Domine ſancte pater, digneris reſpicere ſuper preces meas, ſicut reſpexiſti ſuper munera Abel. Digneris me liberare ab igne & pœna perenni, & ab omni tormento quod paraſti iniquis: per bonum & benedictum Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, per quem tibi laus, honor, virtus, gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

A R-

ARNOLDI CARNOTENSIS,

ABBATIS BONÆ-VALLIS

OPERA.

SIVE TRACTATUS

De Verbis Domini in cruce.
De Cardinalibus Chriſti operibus.
De Operibus ſex dierum.
De Laudibus Beatæ Virginis.

Quæ omnia nunc primum ſimul edita, ex collatione Codicum MSS. Accedunt porro, quæ huc uſque delituerunt, ejuſdem Arnoldi

Meditationes.

Arnoldi Bonæ-Vallis Abbatis Tractatus de noviſſimis verbis Domini in Cruce.

PRÆFATIO.

ULTIMA Chriſti verba quæ cruci affixus, novi Teſtamenti hæredibus (a) *tractanda propoſuit, licet ſparſim à nonnullis Commentariis Evangeliorum videantur expoſita, movit me tamen verborum ſanctorum reverentia, amplius eorum penetralia ſcrutari, & quod illa hora qua conſummata videbantur quæ de eo fuerant* (b) *Prophetata prolata ſint, cum jam non doctrinæ ſed paſſionis agebatur negotium, & quod in eis ſua omnia Chriſtus recapitulat* (c) *dogmata, & tam* (d) *diffuſe prius prædicata brevibus coarctat capitulis, ita ut in illo verborum compendio Chriſtianæ fidei ratio ſplendeat, & de ſemine exiguo ſeges immenſa univerſitati credentium profutura* (e) *conſurgat. Quæ verba quanto brevius dicta ſunt, & in articulo quo ſeria & neceſſaria agi rerum circumſtantia poſtulabat, tanto diligentius inquirenda ſunt & tanto penitius* (f) *intuenda, quanto fœcundior & cauſalis & ſeminalis ratio in eis deliteſcit. Evolutis igitur cauſis, quaſi ex quibuſdam latebris, & ex quodam reclinatorio aureo, honorabilem internorum intellectuum majeſtatem producens in medium; & egredietur palam in decore ſuo cognoſcibilis veritas, quam antea oppoſitis velaminibus ignorabas, & cum propius acceſſeris & infunderit ſe tibi illuminans ſenſum tuum divinæ radius veritatis, intelliges & videbis in ſcintilla incendium, & in ſtilla reperies pelagus; & in lecytho olei, unde* (g) *creditori tuo reddas debitum, &* (h) *tibi affatim ſuperſit in inconſumtibilem cibum. Ante tamen exordium, attendamus quiſnam ille ſit qui ſe clamat derelictum. Nonne ipſe qui Latroni promittit & donat Paradiſum? Utrobique, Verbi virtutem intellige. Audi quid hæc ultima ſchola ſubtilitatis edoceat. Hic idem qui ſe derelictum cauſatur, non pro Latrone Patrem rogat, ſed poteſtative (immerito donatis reatibus) repente flagitioſum ſanctificat, & cœleſtibus invehit ſedibus, & ſecum in gloria locat. Hoc fundamentum fidei eſt, hoc argumentum probabile & neceſſarium, omni evidentia conſtat, quod regni Chriſti etiam in Cruce perfecta ſit efficientia: nec minuitur humilitate carnis, imperii dignitas: imo hoc ad gloriam crucifixi pertinet, quod in illa contumelia crucis, ſapientiam & fortitudinem mundi hujus vincat & ſuperet, quod ſtultum & infirmum æſtimabatur incarnati Verbi venerabile ſacramentum. Quod enim Filius in perſona derelictorum conqueritur, non eſt impoſſibilitatis judicium; ſed hoc potius intimat, quod diminutio illa excellentiæ ſuperioris,* (i) *humilitati corporis tribuat incrementum: viciſſim humilitas & ſublimitas quibuſdam revolutionibus inter ſe partiantur negotium; forma Dei ſe exinaniens, & forma ſervi nomen quod eſt ſuper omne nomen accipiens. Non derelinquitur uſquequaque, ſed diſpenſatorie ſingularum exprimitur ratio naturarum, quia & relinqui & pati & mori, quidam arcti & difficiles fiunt tranſitus, per quos ad ſolidum & immobilem ſtatum, quaſi pelle peccati depoſita & omni ſcabie vitiorum deterſa, renovatus homo perveniat. Unde etiam quod* (k) *ſitit in Cruce fons vitæ; quod ſupplicante Chriſto, etiam crucifigentibus locus eſt veniæ: quod inter convicia & ſupplicia, pietate matris afficitur: quod omnibus conſummatis victor migrat ad Patrem, indiſcuſſum relinquere, ingratitudinis eſſet & torporis: & cum hæc ſingula capitula proprium ſyntagma requirant, & meditatores Legis Dei totius hic religionis reperiant ſemina, de quibus exercitatus animus Divinorum intellectuum fructus uberes metat; ad quarum rerum indaginem licet inſufficientem me judicem, nec oculis impuris puram lucem intueri ſuſtineam: interim tamen ſub umbra Divinorum ſecretorum ſedens, a prohibitis & inacceſſibilibus abſtinens, ad reliquas Paradiſi arbores præſumſi manus extendere, & experiri guſtu quid ſaporis intra ſe dulcedinum multitudo propoſita contineat.*

Primum de verbo illo.

Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti.

POST regulas fidei, Evangelico dogmate promulgatas; poſt ſigna & miracula & documenta juſtitiæ; quia iter longum (*l*) fuit per præcepta, ventum eſt & ad compendioſum & efficax, per exempla; & ne aliquid doctrinæ deeſſet, ſequuta eſt forma; quæ ideo ad (*m*) ultimum dilata eſt, ut quaſi piæ hæreditatis Teſtamentum filii ſuperſtites eo devotius amplecterentur, quo Chriſti ſanguine conſcripta privilegia ſua viderent, & impreſſam obedientiæ ejus imaginem Bulla imputribilis exhiberet. Ideoque ex illa cathedra Crucis quoddam Deuteronomium (*n*) dictatum eſt, in qua (*o*) recapitulatis breviter quæ multa prolixitate diffuſa

(*a*) Tractare, *Magd.* (*b*) Prophetata & jam, *Magd.* (*c*) *Sic Magd. Imp.* dogmata tam. (*d*) Diffuſe dicta, *Magd.* (*e*) *Sic Magd. Imp.* conjungat. Quanto enim. (*f*) *Sic Magd. Imp.* inquirenda. (*g*) *Sic Magd. Imp.* creditori reddes. (*h*) *Sic Magd. Imp.* ſuppeditabit incon. (*i*) *Sic Magd. Imp.* humanitati. (*k*) *Sic Magd. Imp.* ſit. (*l*) Fuerat. *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*m*) Ultima, *Magd. Bod.* 1, 2. (*n*) Dictum. *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*o*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* in recapitulatis.

fusa erant ; (*a*) satagit simul Magister bonus facere ac docere & exemplo consummare doctrinam, nec tam veritatis præceptor esse quam testis.

Deus meus, &c. Modo ultro eloquitur qui paulo ante ad Herodis & Pilati inquisitiones conticuit, curiositatem & fastum (*b*) tumentium hominum aspernatus, pauperes spiritu de patibulo edocet: ibique scholam religionis iterum instituens, pauca proponit capitula in quibus & affectum caritatis intimat, & zeli sancti imitationem commendat. Non possunt impedire tormenta (*c*) doctrinam, sed quasi hebes contemnitur ferrum; & (*d*) providit sollicita pietas ut ad regulam fidei, discipulorum mores æquentur; & (*e*) conquadrato fundamento ædificatio firma stabiliter innitatur. Se igitur ipsum modo hominem exhibet, modo Deum; modo omnipotentem, & modo infirmum: ut inter se sublimitas & humilitas, vices negotio congruas partiantur. Modo supplicat, modo imperat; modo se dicit (*f*) derelictum, modo Latroni promittit Paradisum. Agit secundum utramque naturam quod exigit causa. In hac contemnitur, in illa gloriam regnumque largitur. Perstrepebant ante crucem clamores irrisorii; & ad dolorem vulnerum, cruenta plebs addebat convitia: ringebat, & torvis aspectibus in faciem quam conspuerat intendebat, & unanimi classico acclamabat; *Vah qui destruis Templum Dei, & in triduo illud reædificas.*

Vide quantum mali, error & perfidia Principum adliniverat plebi; quantum rubiginis suæ affricuerat populo imprudenti auctoritas sacerdotum, quantum convaluerat conjuratio facta in Christum, cum occiderent eum, & nomen ejus delerent è medio. Non verebantur omnes, homicidii titulo in perpetuum esse notabiles, una in se & in parvulos suos tanti sceleris reliquias congerebant, (*g*) & ultro damnationis suæ chirographo subscribebant. Nondum expiraverat Christus, sed fossis manibus pedibusque & sciſſo vepribus capite vivebat in cruce; & parricidalium mentium intuens vota, non tam clavorum acumine quam (*h*) illorum crimine pungebatur. Pro his igitur ad Patrem convertitur, & caritatis argumento prolato in medium, inauditum dicendi genus novus orator assumit: & inimicorum (*i*) in causa allegans, ipsis invitis atque negligentibus parti contrariæ suffragatur: & utrum plus possit peccatum quam justitia, Deo patri quæstionem proponit, & edisserit (*k*) esse inconveniens ut amplioris sit virtutis delictum quam donum; & prævaleat malitia bonitati, & perditio saluti. Cum enim ipse ad hoc nitatur ut salventur; & Judæi, ad hoc ut damnentur; plus debet apud Deum posse Filii caritas, quam populi cæcitas: quia & hoc non minimum habet pondus quod causæ huic non patrocinatur alienus, sed Filius; neque Reipublicæ commodum ex hac indulgentia minuitur, sed augetur: ideoque nec Legibus nec Judici (*l*) derogat, si temperatur sententia; quia cum communibus utilitatibus tribunalia deserviant, non est sibi contraria institutio quæ quocumque tramite ad propositum redit; quæ quod à statu integritatis suæ elapsum erat, restituit. Alioqui subtracta sibi agonum suorum stipendia Christus queritur: protestans non esse quæstuosos tanti discriminis sudores, si hi quibus tanti laboris opera impensa est sic relinquantur, & ad salutem eorum inefficax sit hæc humilitas, & ita sanguis Filii in conspectu patris vilescat, ut non omnia postulata obtineat.

Clamat igitur; *Heloi Heloi, quare me dereliquisti?* Non improperat Patri, nec derelictum se dicit quasi contumelia Crucis contra propositum videatur apposita; ultro enim & ulnas patibulo & palmas ferro exposuit: sed quantum sit obedientiæ fundamentum & culmen, interrogans innuit, cum se & minorem & æqualem ostendit. Deseritur humilitas, adest majestas; fortius est & sapientius omni virtute & sensu hominum, quod in Christo Judæus & Græcus stultum æstimat & infirmum. Secundum formam servi, legationis suæ ministerium non erubescit, non diffitetur carnis naturam passibilem & mortalem. In hac forma Patri blanditur mediator attentus, nec abnegat quod videtur, nec rapinam arbitratur si aliquid pro potestate loquitur, & Patrem aliquando ex æquali affatur. Deum igitur suum vocat, ne quis quod proprium est alterius ad alterum, existimet alienum; & quod commune videtur, secare præsumat quasi divisum. Naturæ divinæ communio inter Patrem & Filium, non admittit scissuram: & licet sit ibi discretio Personalis, una tamen est divinitas & essentia naturalis. Suum dicit, ut manifestum fiat quod ille qui suus est, in nullo, ei contradicere possit. Deum suum dicit, ut nobis minime formidandum Judicem intimet, quem sicut suum flectere possit; & ad eum tutum esse accessum, quem non ut alienum appellat, sed suum. Nec parvam confidentiam hujus familiaritatis germanitas exigit, quæ in conspectu Patris tantam derelictorum sollicitudinem gerit, ut se quoque in eo quod constat voluntarium esse & spontaneum, dicere non dubitet derelictum. Impossibile sane est, ut in Patrem bonum, bonæ voluntatis cadat ingratitudo; & non magis in tam benigno dilecti sibi Filii affectu complaceat. Quod autem derelictum se Filius commemorat, mercedem obedientiæ postulare videtur; nec diu beneficium differri tolerat, quod deberi sibi obedientia morti obviam procedens, (*m*) confidenter proclamat.

Quare (inquit) *me dereliquisti*? Hujus mysterii rationem nondum intellexerat mundus, necdum tanti sacramenti effectus palam advenerat; & necesse erat, ut tam opus quam virtus hujus Holocausti innotesceret, & auditoribus Evangelii imprimeretur hæc forma, (*n*) & discerent ex præsenti regula, unumquemque oportere deinceps (*o*) introire in Sancta in sanguine proprio; & finem adveniſſe earum expiationum, quæ factæ erant eatenus in sanguine alieno. Periret enim & prorsus dilueretur religionis auctoritas, si iterum circa imagines & umbras veritatis occuparetur; & non magis ipsam veritatem apprehendens, mores in se Taurinos, vel Hircinos mactaret, & in altari intrinseco puræ devotionis, (*p*) adoleret fragrantiam: pro turture & columba pietatis & sanctimoniæ intendens (*q*) affectum.

Deseritur (*r*) Christus, & ad modum Jonæ Prophetæ, projectum in mare, venter belluæ suscipit: sed prope erat susceptio matutina, de qua Pater prædixerat dicens ad Filium; *Exurge gloria mea*; & Filius ad Patrem; *Exurgam diluculo.* Exarmata erat navis, fractumque remigium: sed recollectis reliquiis, iterum navigii supellectilem gubernator magnus aptat ad cursum: & cujus res (*s*) deploratæ esse videbantur, dum (*t*) clauderetur intra Sepulcrum, devicta morte victor egrediens, imperavit ventis & mari: Et infernus obstu-

(*a*) *Sic. Bod.* 1, 2. *Imp.* ac satagit. (*b*) *Sic Bod.* 1, 2. *Magd. Imp.* timentium. (*c*) Doctrinam quasi, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*d*) Providet, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*e*) Cum quadrato, *Magd.* (*f*) Relictum, *Bod.* 1, 2. (*g*) *Sic Magd. Imp.* inserebant, ultro. (*h*) Eorum pertinacia, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*i*) Causam, *Bod.* 1, 2. Causas, *Magd.* (*k*) Non esse conveniens, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*l*) Derogatur, *Magd.* (*m*) *Sic Bod.* 1, 2. *Magd. Imp.* confitenter. (*n*) *Sic Bod.* 1, 2. *Magd. Imp.* ut. (*o*) Ingredi, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*p*) *Sic Bod.* 1, 2. *Magd. Imp.* non adoleret. (*q*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp. Magd.* affectui. (*r*) *Sic Bod.* 1, 2. *Magd. Imp.* Christus ad. (*s*) Deploratæ videbantur, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*t*) Clauderet intra se derelictum victor, *Bod.* 1, 2. *Magd.*

obſtupuit Judicem, quem quaſi prædam peculiarem unguibus carni infixis pro conſuetudine indifferenti attraxerat.

Sane ille Pſalmus cui titulus eſt; *In finem, pro ſuſceptione matutina*; ex perſona Chriſti ſic incipit: *Deus Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti?* Sed hæc erant verba derelictorum, id eſt, in perſona eorum quibus ipſe ſe unierat, quibus per omnia abſque peccato ſimilis erat. Suos dicit peccatores propter quos venerat, quorum caput erat; neque membra ſua à ſe abſcindi, conveniens judicabat: Alioquin abſque nota & labe peccati ſi corpus inquiras, caput ſine corpore conſtituas, nec erit cui (*a*) proficiat bonitas, ſi non ſit infra quæ regatur infirmitas. Agit igitur caput cauſam corporis ſui; & pro infirmis ſuis ſollicitus medicus, in tantum compatitur, ut etiam ex parte ſe infirmari non dedignetur; & (ut amplius dicam) ſit peccatum, qui abradebat peccatum. In qua parte patitur, derelinquitur; quia naturæ impaſſibili, in nullo congruit injuriari vel pati.

Abſentat ſe paſſioni divinitas: (*b*) hoc ſolius carnis eſt, in hoc ſolo ſe deſeri Filius innuit, ut undique ſanæ Fidei veritas eluceſcat, & palam ſit quia ſecundum quod Deus eſt, omnino non moritur; ſecundum quod homo, diſpenſatoria ratione ad tempus moriturus deſeritur. Deſeritur itaque cum derelictis; & pro natura quam aſſumſerat, tributum (*c*) ſolvit; & evecturus ſecum genus ſuum ultra hujus ſeculi pelagus, Piratis rapacibus naulum carnis ſuæ protulit; inviſcatiſque dentibus, eorum illuſit voracibus, & tam ſe quam prædam ſuam abſtraxit & evexit. Pro debitoribus debitorem ſe objecit, & quod ex ſe non debebat, ultro debere non abnuit; ideoque totius debiti ſummam ab eo qui pro omnibus ſe tradebat, exactor exegit. Relictum vidit ad tempus, & penitus poſſe extingui arbitratus eſt: ſed abjectio voluntaria non expers erat omnipotentiæ; & calix ille amaritudinis concupiſcentiæ venena infuſa antiquitus, ab imo avulſit, & vomitu repentino tota veteris fermenti conſperſio ejecta eſt. Extenſis igitur brachiis Chriſtus in cruce, totum corpus ſuum infra ſe poſitum complexus eſt: & ſub alis crucis aggregato genere noſtro, ibi & protexit & fovit ubi nihil poſſe putabatur; & in quo victus æſtimatus eſt, maximæ victoriæ vexilla erexit: quia neque mors in eum uſquequaque prævaluit, neque Pater ullo modo negare Filio indulgentiæ privilegium potuit, quod ad pedes ejus proſtrata caritas poſtulavit. Obtinuit itaque dejectio capitis veniam corpori; & percuſſo vertice, ſolidata ſunt membra: ut non ſegnis ſit recompenſatio; & ſemper quid debeat homo Chriſto pro quo ille mortuus eſt, in hac forma meditetur & relegat; fixumque præ oculis ſit hoc caritatis argumentum, maneatque hoc vivum documentum & continuæ perſuaſionis exemplum.

Sed & nobis qui toties derelinquimur, quoties nos tentamina colaphizant, non negligenda quæſtio eſt, inquirere cur derelinquimur, & intellectis cauſis, indagare remedia; quia non poterit in illa mente diu labes obrepere, quæ ſe provida ſtuduerit circumſpectione munire. Deſerimur nonnunquam cum hanc curam negligimus, & (*d*) commonent nos contumeliæ propulſantes ut ſoliciti ſimus, & medetur quandoque negligentiæ confuſio; compelluntque ad remedia confeſſionum nonnullos (cum ſe erubuerint aberraſſe) ipſa tentationum ludibria. Caſtigatur ſæpe ex caſu ſuperbia, & præſumtio ex ruina. Pulſatur ſanctitas, ne extollatur; & ut exerceatur, (*e*) vexatur ad tempus; in modico derelinquitur, & in magnis miſerationibus denuo congregatur. Labitur, & erigitur; deficit, nec ſufficit ex ſe, ut ad medicum recurrat. Ad hanc inquiſitionis formam propoſita à Chriſto in cruce quæſtio nos invitat, quoties nos pungit ſtimulus carnis, vel rapit in mirabilibus ſupra nos elatio mentis. Nec tamen peremtorius æſtimandus eſt recrudeſcentis peccati pruritus, cui obviam pergit ratio, & ſerpenti ſcabiei opponit cauterium. Licet enim ſubfumigent afflata incendia, & flamma vorax jam tectorum elambat faſtigia; una gratiæ ſtilla ſubituſque reſpectus clementiæ, uno flatu ea in cineres rediget: ſedataque procella divinitus, quod putabatur detrimentum, invenitur ſolatium; & quod relictum & oblitum, aſſumtum & reſtitutum.

II.

Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.

Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra, qui & *ex* impiorum *ore perficis laudem!* (*f*) Ecce unus de derelictis (*g*) aſſumitur, Latro ille collateralis tuus, damnatus ob ſcelera: illum victoriæ tuæ præcurſorem conſtituis, & (*h*) juſtificatum ex gratia, in Paradiſum præmittis; in quo confuſus eſt inimicus & ultor, hæreticus & proditor, (*i*) perverſus diſcipulus & detractor Judæus. Opponebatur à Phariſæis, Chriſto pro crimine; quod cum peccatoribus (*k*) quos Lex abdicabat, ad Legis injuriam non tantum verbo, ſed etiam communicaret convivio. Cum enim leproſos & immundos, ex ritu & decreto extra caſtra depellerent, abraſiſque parietibus earum domorum in quibus fuerant converſati, (*l*) ipſis quoque in quibus conſediſſent ſubſelliis, propria mandaretur purgatio: hoc arguebant in Chriſto quod hujuſmodi perſonarum nec menſam vitaret nec domum, ſed ſuſciperet & ſanaret. Inoleverat ſuperſtitio; & occaſione Legis intellectæ carnaliter, perſequebantur quidem Miniſtri Legis peccatum, cum tamen nec ipſi eſſent à peccato immunes: ſubſcribebantque damnationibus propriis, nullum locum miſericordiæ reſervantes. Nefas putabant, quod Chriſtus curabat in ſabbato, quod miſericordiam præponendam docebat judicio. Ita & quidam hæretici (in quibus ſunt Novatiani) qui volunt videri defenſores Eccleſiæ: eos qui in quocumque crimine poſt baptiſmum lapſi ſunt, pœnitentia cenſent indignos; & omnino non poſſe reſtitui dogmatizat illa impietas, quem in aliquod crimen humana impegit infirmitas. Verum Chriſtus & falſos defenſores Fidei hæreticos, & inimicos gratiæ Judæos præſente judicio deſtruit & convincit; mutans Legem in gratiam, terrorem in manſuetudinem, aſperitatem in lenitatem, umbram in veritatem, judicium in miſericordiam. Novus rex, nova lex; novus dux, nova lux. Fractis prioribus Tabulis, & ſilice ad ſilicem comminuto, novis ſubſcriptionibus figit (*m*) titulum: & dictat pietas, & diſcernit omnia caritas.

Scribitur tribus Linguis inſignibus, Hebraica, Latina,

(*a*) Profecerit, *Bod.* 1, 2. (*b*) Hæc, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*c*) Perſolvit, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*d*) Commovent, *Bod.* 1, 2. (*e*) Vexatur. Ad tempus in modico, *Bod.* 1, 2. (*f*) Ecce enim de, *Magd.* Ecce ex, *Bod.* 1, 2. (*g*) Tuis aſſ. *Bod.* 1, 2. (*h*) *Sic Magd. Imp.* Vivificatum ex. Vivificatum gratia. *Bod.* 1, 2. (*i*) Perverſor hæreticus, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*k*) Quorum communionem, *Magd.* (*l*) Ipſiſque, *Bod.* 1, 2. (*m*) Titulum pietas & dictat, & decernit, *Bod.* 1, 2. *Magd.*

tina, & Græca regnum Chriſti; & dominatio ejus emanatura in Gentes, cruci inſculpitur, nec corrumpere Pilatus quod ſcripſerat voluit. Et licet tam inſignem titulum deleri perfidia Judæorum clamoſe expeteret, obtinere nullo modo prævaluit. Jam ad hanc ſculpturam Latro (*a*) concrucifixus pertinebat, & eum intra ſe illæ literæ colligebant: jam ſpes ſubintrabat converſo, quia crucifixo ſibi mundo, inhiabat cœleſtibus; dilatatuſque caritate, quaſi conſputis repudiatiſque quæ infra ſunt, cum Chriſto tractabat de regno, affectabat ſuperiora: & cum jam anima egreſſum accelerans in primis labris eſſet, & hora ultima adventaret, æquo animo ibat; nec urgebat formido pœnarum conſcientiam, quæ ſe ſanguine Chriſti præterfluente ſentiebat ablutam. Exacuebant linguas venenatas, blaſphemantes Chriſtum Judæi, & conclamabant & evomebant convitia, & quaſi victores inſultabant pendenti: fugerant Apoſtoli; ſola plebs (*b*) maledica, firmatis nequam ſermonibus, celebrabat ludibrium; Romanis militibus, ſeditionibus tumultuoſis, cedentibus; pro poteſtate (*c*) miniſterium potius exhibentibus, quam conſenſum.

Sed & alter Latro oblatranti plebi aſſentiens, quod (*d*) nec ſe nec alios ſalvos poſſet facere, teſtabatur; irridebatque conparticipem ſuum qui in eum quem in eadem ſecum damnatione videret, ſpem poneret; & nugatorium omnino videbatur, illum credere regem vel Deum, quem ſecum oppreſſerat idem opprobrium & (*e*) ſimile tormentum. Erat itaque unus irriſor, alter confeſſor; unus exprobrator, alter venerator; hic ſperans, ille deſperans: hic diligens, ille negligens: aderatque illi controverſiæ judex, qui data ſententia, blaſphemum (*f*) ad tartara, confitentem præmiſit ad regna. Sane hic de quo agimus Latro, manſueti animi, & ſicut teſtem Chriſti decebat, in Auditorio publico, fidei protulerat argumenta; & novo Philoſophandi genere, ſupplicii tanti immemor, cum blaſphemo illo de timore Dei & juſtitia diſputabat. *Neque* (inquit) *tu times Deum*, (*g*) *qui in eadem damnatione es; & nos* (*h*) *quidem juſte, nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali geſſit.* Credit & confitetur, teſtis eſt innocentiæ Chriſti; increpat maledicum, nec ſibi parcit; ſed tantum accuſator ſui, ſeipſum (adverſum ſe ſententiæ veritate prolata) perſequitur. Damnatio (inquit) ſimilis quidem eſt, ſed cauſa differens: cum hic ad hoc deſtinatus ſit ex obedientia, nos ob flagitia. Cauſam accuſat, non arguit pœnam; execratur ſcelus ſuum, non detrectat judicium. *Neque* (inquit) *tu times Deum:* (*i*) Deum fateri non erubeſcit, quem ex invidia, non ex merito, noverat crucifigi. Intelligere enim, revelante non carne & ſanguine, ſed ipſo cui atteſtabatur, jam poterat; quia quod fiebat voluntarium erat, non (*k*) neceſſarium; niſi ideo neceſſarium quia ut ſic fieret, voluntarie fuerat definitum. Ibi igitur philoſophatur & prædicat & fatetur, ubi non tantum diffugiunt & tremunt Apoſtoli, (*l*) ſed & ipſi maligni Spiritus jamjam impoſiti ſibi fræni ſalivaria maſticantes, per antiquum organum ſuum (linguam fœmineam) nitebantur colligationes illas impietatis diſſolvere; ſcientes quia (*m*) fortis armatus hoc ancipiti gladio erat, eos de diu poſſeſſo hujus mundi atrio ejecturus.

Itaque concionator illuſtris, oblato confeſſionis & (*n*) fidei auctoramento, impoſitoque latroni blaſphemanti ſilentio; victoriæ ſuæ palmam & auctoramentum à Judice exigens, ad Chriſtum convertitur, & dicit: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Conſiderare neceſſe eſt, quem locum, quem modum, quod tempus hæc cauſa habuerit, & quam celerem auditum confeſſio meruerit; quid poſſit (*o*) pœnitentia, quando bonus Dominus, tribulato corde clamantem ad ſe ſervum ſuum, etiam in ultimo peccati puncto non negligat. Hora mortis erat, jamque confitentis anima faucibus hærebat, jamque linguam ejus alligabat anguſtia, illoque articulo temporis, fere ab ipſis (*p*) Apoſtolis ſalus deſperabatur. Modus paſſionis, Crux inter omnia ſupplicia turpiſſimum & atrociſſimum. Quibus poſtpoſitis, quaſi plagarum & ſanguinis immemor, dictator Evangelii Latro efficitur; & (quod (*q*) perſuaderi illa hora difficile erat) Chriſtum Deum in cruce fatetur: ibi orat, ibi adorat; multa ſimul pietatis officia complectitur. Credit & timet, compungitur & pœnitet, confitetur & prædicat, amat, confidit, & orat. Fide illuminatur, timore ſubditur, compunctione mollitur, pœnitentia concutitur, confeſſione purgatur, prædicatione zelatur, dilectione dilatatur; confidentia ſperat, oratione impetrat.

Ne iraſcaris, princeps Apoſtolorum; tibi dico Petre, cui *claves regni cælorum* commiſſæ ſunt: Et te amare flentem Chriſtus reſpexerat, & donaverat negationis reatum; quia non ex ſententia, ſed ex infirmitate (*r*) deſciveras: Te tamen juxta crucem non video; territus lates, nec ſaltem matrem Chriſti fœminaſque ſanctas (*s*) proſequeris, quæ ſpectaculo lugubri aſtabant immobiles. Nec ibi Apoſtolica auctoritate uteris, ubi ad invicem (*t*) fixis juxta crucibus privata miſcent colloquia Salvator & Peccator. Abſens eras, & miniſterii tui claves (quod pace tua dixerim) modo non profers. Supplet (*v*) vicem tuam ſummus Sacerdos, apertiſque (*x*) ſeris antiquis, Latro primitiæ derelictorum introducitur (aperiente Chriſto) in (*y*) regnum cœlorum. Amovetur ab introitu Paradiſi cuſtodia ab initio pervigil, & verſatilis gladius ille minax, quem Cherubin ab (*z*) antiquo vibraverat. Ibi Latro locatur, unde Lucifer corruit; & cui tu forſitan ultra ſepties ignoſcere nolles; ultra ſeptuagies ſepties reus ſed abſolutus à bono Jeſu, modo cum Angelis converſatur. Reſurge, & diſce ignoſcere; neque annumeres peccata, (*aa*) vel multiplices tempora. Non arctatur numero, non clauditur fine, nullas omnino habet metas divina clementia. Sit qui invocet, erit qui exaudiat; ſit qui pœniteat, non deerit qui indulgeat. Non huic pœnitenti multorum annorum jejunia imponuntur; non nudipedalibus, vel ſacco afficitur; ſimul (*bb*) & confitetur, & juſtificatur, & glorificatur.

Vide horam, nota perſonam. Ultima hora, peccatrix perſona. Multa antiquaque peccata illico abolet gratia, nec proceſſu moraque temporis indulgentia limat corroditque culpæ rubiginem: ſed ubi repente, facto cœlitus ſono, Spiritus ſanctus illabitur; quicquid immaduerat peccati tabe, ſiccatur: nec ſupereſt ullum fœditatis veſtigium vulneri, quod miſericordiæ abluit lavacrum. Fœtebat (*cc*) jam quatriduanus in monumento Lazarus, (*dd*) ſuſcitatus non tabeſcit languore; eri-

(*a*) *Sic Bod.* 1, 2. *Magd. Imp.* crucifixus. (*b*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* maledicta. (*c*) *Sic Bod.* 1, 2. *Magd. Imp.* myſterium. (*d*) Neque ſe neque, *Bod.* 1, 2. (*e*) Conſimile, *Bod.* 1, 2. (*f*) In tartara, *Bod.* 1, 2. (*g*) Quod, *Bod.* 1, 2. (*h*) Quidem digna, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*i*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* non erubeſcit fateri. (*k*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* neceſſarium, quia. (*l*) Sed ipſi, *Bod.* 1, 2. (*m*) *Sic Bod.* 1, 2. *Magd. Imp.* foris armatus hic. (*n*) Fidei odoramento, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*o*) Pœnitentia; quomodo, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*p*) Apoſtolis deſperabatur, *Bod.* 1, 2. (*q*) Perſuadere, *Bod.* 1, 2. (*r*) Deſererat, *Bod.* 1, 2. (*s*) Perſequeris, *Bod.* 1, 2. (*t*) Secus crucibus fixus, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*v*) Hanc vicem, *Bod.* 1, 2. (*x*) Seriſque, *Bod.* 1, 2. (*y*) Regno, *Bod.* 1, 2. (*z*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* antiquo non vibraverat. (*aa*) Et, *Bod.* 1, 2. (*bb*) Ut confitetur, juſt. *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*cc*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* etiam. (*dd*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* ſuſcitans.

erigitur, ſolvitur, & ſtatim conveſcitur. Nulla lepræ crepido, nullus ſinus in facie Simonis (*a*) ſupereſt. Hoſpes incolumis curatori ſuo hilarem exhibet famulatum : nullum ſignum horroris comitantibus magiſtrum ; idem conviva & miniſter prætendit. Maria Magdalene ad pedes Chriſti plorat & orat, tergit & ungit ; nec improperat Chriſtus vitam infamem & inverecundam, nec opponit quod diluit, nec exprobrat quod ignoſcit. Quicquid agit in hujuſmodi, celeri nutu Spiritus ſanctus conſummat, nec emendicat aliunde ſuffragia ; (*b*) qui quod dicit, facit ; & quod illuminat, format, qui ſtatim piſcatores facit doctores, & idiotas prædicatores. In hac gratia non affligitur expectatio dilatione, nec intervallum eſt inter optatum & datum. David dicit, *Peccavi* ; & Propheta, *Tranſlatum eſt peccatum tuum.* Ad Cain dicitur, *Peccaſti, quieſce* : (*c*) & ad mulierem in adulterio deprehenſam ; *Non te condemnabo : noli ultra peccare.* Quid commemorem Ninivitas, quorum pœnitentia ſubito Judicem amovet à ſententia ? Quid Achab & Manaſſem reges impios ; quorum contritionem in anguſtiis non eſt aſpernata divina clementia ? Inter cetera pietatis exempla, Latro noſter nobis occurrit, pœnitentiæ regula, confeſſionis forma, indulgentiæ præco, ſpei exemplum ; qui (*d*) dum ingemit, ſubito quod quærit invenit, quod petit accipit, & illico audit : *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Non ad loca purgatoria, flammaſque peccatorum ultrices, confitens deſtinatur ; non ad loca tenebroſa & tormenta deducitur ; nullam pars adverſa gratiæ Dei præſumit inferre calumniam : una Crucis pœna, omnia abolet crimina : imo non pœna, ſed gratia. Præmittitur igitur in Paradiſum hic noſtræ nuncius abſolutionis, & primitias libertatis noſtræ (teſtis libertate donatus) Paradiſi civibus id expectantibus & deſiderantibus, primus invexit.

III.

Mulier, ecce filius tuus.

UBI ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, Domine ? Quid differs ? Jam venit hora ; mater tua coram te eſt, & Joannes quem diligis. Latroni loqueris, & matri non loqueris ? Intuetur te illa in mulieribus benedicta ; & (*e*) fixis in te oculis, vulnera tua, materna pietate conſiderat : & licet non ignoret quid boni conferat mundo Paſſio tua, tamen Parentis affectu commoritur, & pectus maternum immanitate doloris arctatur. Suſpirat intrinſecus, & erumpentes revocat lacrymas ; & eo amplius anxietas intumeſcit, quo prohibetur egredi, & per luctus lamentaque (*f*) diſſolvi. Emergebant quidem aliquando gemitus, ſed increpati reprimebantur ; revertebanturque in ſinum mentis de quo prodibant, & collidebant ſe ad invicem introrſus, eratque in anima illa, tempeſtas valida, occurrentibus ſibi procellis ; & quaſi in ſartagine frixis medullis, ebulliebant amaritudines quas excoquebat & coagulabat exacerbatio perſeverans. Imperabat quippe dolori ſilentium, formido, & ringentium Judæorum torvi in eam oculi, illos turbines ſuffocabant. Verum illa tantarum procellarum ſalſuginem ebibebat : & (quod difficillimum erat) moriebatur & mori non poterat ; & clauſo tanti doloris tormento intrinſecus, alium vultum palam exhibebat : nec poterat ex facie colligi Crux illa animæ & patibulum ſpiritus in quo erat hoſtia viva, beneplacens Deo, & medullatum holocauſtum ; quod cum ipſa incenderet, tantum conſcientiæ miniſterio utebatur ; ipſaque ſine ſtrepitu ſeipſam mactans, in altario interiori & ligna & flammas & latices congerebat. Nimirum in Tabernaculo illo, duo videres Altaria : aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Chriſti.

Chriſtus carnem, Maria (*g*) immolabat animam. Optabat quidem ipſa, ad ſanguinem animæ & carnis ſuæ addere ſanguinem ; & elevatis in Cruce manibus celebrare cum filio ſacrificium veſpertinum, & cum Domino Jeſu (corporali morte) redemtionis noſtræ conſummare myſterium ; ſed hoc ſolius ſummi Sacerdotis privilegium erat, ut de (*h*) ſanguine munus intra Sancta inferret : nec poterat ei conſors hæc eſſe cum aliquo dignitas ; & in reparatione hominis, nulli Angelo, nulli homini cum eo fuit aut eſſe potuit communis auctoritas. Cooperabatur tamen plurimum ſecundum modum ſuum, ad propitiandum Deum, ille matris affectus, cum, tam propria quam matris vota, caritas Chriſti perferret ad Patrem ; cum, quod mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret. Diligebat Pater Filium, & Filius Patrem ; mater vero poſt utrumque ardebat ; unumque erat, quod diverſa exhibebant officia, quod Pater bonus, quod Filius pius, quod Mater ſancta intendebat, quod in commune elaborabat dilectio, ſimulque ſe complectebantur pietas & caritas & bonitas ; Matre ſupplicante, Filio interpellante, Patre propitiante. Filius ad pectus Matris & ubera, Pater ad Filii crucem & vulnera reſpiciebat : & inter hæc, quid tanta pignora non moverent ? quid illa ſanctitatis ſchola niſi pietatem doceret ? quid niſi miſericordiam informaret ? Dilectio & ſanctitas & bonitas nihil ſibi contrarium ſapere poterant, nec reluctari ſibi nec adverſari concordiæ congruebat : & omnino decebat, ut ſupplicatio & (*i*) ſatisfactio & exauditio, in negotio rectitudinis convenirent.

Jeſus ergo ut per omnia, pietatis fœdera commendaret antiquum decretum quod de honorandis parentibus dictaverat, obſervavit ; & Matrem adhuc volens ſic eſſe, ad conſolationem Apoſtolorum reſervavit ſuperſtitem, ut ex his quæ ipſa ab initio audierat & viderat & contulerat in corde ſuo, ſenatus Apoſtolicus doceretur, & Evangelica firmaretur doctrina. Honoratur etiam affatu familiariſſimo ; & licet brevis fuerit ſermo, intimatus tamen eſt debitus affectus, & expreſſa fingularis dilectio, *Mulier* (inquit) *Ecce filius tuus.* Præſens erat Joannes, cui & dicitur ; *Ecce mater tua.* Non eſt paſſus Chriſtus ut Judaica rabies in ſanctuarium ſuum profanam mitteret manum, vel aliqua infeſtatione violaretur illud templum Spiritus Sancti : Poſitus eſt fidelis ædituus ad tanti theſauri cuſtodiam. Diſcipulus qui in cœna Dominica cervical ſibi in pectore magiſtri aptaverat, ecce iterum alio privilegio honoratur ; & poſt illud reclinatorium in quo viderat, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, officina illa in qua Verbum caro factum eſt, diligenter à Filio ei commendatur : probato dilectoque Diſcipulo pudor virgineus, matris thalamus, & ſanctimoniæ integritas aſſignatur, ut teſtis eſſet idoneus, virgo virgini ; fidelis cubicularius matri Domini ſui, miniſter devotus pro reverentia magiſtri. Vices Filii naturalis, filius (*k*) accepit adoptivus, &

(*a*) Supereſt : & hoſpes, *Bod.* 1, 2. (*b*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* qui quod ill. (*c*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* ad mulierem ad. (*d*) Dum ſubito ingemit, *Bod.* 1, 2. (*e*) *Sic Bod.* 1, 2. *Magd. Imp.* confixis. (*f*) Diſſolvitur, *Magd.* (*g*) Immolat, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*h*) Sanguine ſuo unus, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*i*) *Sic Bod.* 1, 2. *Magd. Imp.* ſatisfactio. (*k*) Accipit, *Bod.* 1, 2. *Magd.*

transfunditur in (*a*) miniſtrum filialis affectus : (*b*) formaturque & firmatur in ambobus pietatis unicæ gratus concorſque complexus, non ex traduce naturæ, ſed ex munere gratiæ. Unum igitur contubernium Joannis & Mariæ virginitas accipit ; & unius moris in domo, unum integritatis propoſitum, unam habitationem meretur communemque convictum. Ecce Joannes, piæ hæreditatis ſuſcipis teſtamentum ; eligeris, & in hoc præponeris omnibus. Joſeph qui eatenus miniſtraverat, te ſubrogato, cedit, nec maritalia jura opponit ; ut (*c*) obſtruatur os loquentium iniqua in poſterum, quia matrimonium illud diſpenſationi divinæ, non copulæ carnali ſervierat. Ideoque nec Joſeph, cum Joannes eum ſuſcipit in parentem, queritur de disjuncto connubio quod diſpenſatorium fuerat ſine ullo carnalis copulæ commercio.

Hoc teſtimonium integritati matris Chriſtus in fine perhibuit, ut haberet Eccleſia ſancta ex Evangelio lapidem quem (*d*) Bonoſi Helvidiique hæreticorum impudenti fronti infigeret, qui in matris illibatæ virginitatem auſi ſint impia blaſphemaque garrire. Tu igitur Joannes ſancte, ad hoc eligeris ut miniſtres & obſequaris ea dilectione qua filius, ea obedientia qua diſcipulus, ea ſubjectione qua miniſter & famulus. Petro commendatur Eccleſia, tibi Maria : illi tumultuoſa negotia, tibi pacifica & quieta : illi atria & veſtibulum, & altaria ſanguinum ; tibi commendatur Altare incenſi, & Sancta Sanctorum. Ad culmen (*e*) miniſterii tui nullus tecum admittitur ; ſolus illi aſſiſtis propitiatorio, ſolus illud Vas aureum continens Manna, illud divinæ Legis ſcrinium Pontifex deſtinatus obſervas. Loco filii poſitus es, & ut vicem in Matre ſuppleas ordinaris ; nec abnuit te Mater ſancta vicarium, licet longe imparem & inferioris tituli ; tamen quia ſic viſum eſt Filio, amplectitur ſucceſſorem. Certe piſcator fueras, & in hac arte à (*f*) parentibus inſtitutus ; nullum te (*g*) ſtemma (*h*) inclytum facit : ſed qui infirma mundi elegit ut fortia confundat, in aſſumtione tua, paupertatis & humilitatis & caſtitatis gloriam commendavit, fundatamque caritatem, & illuſtris animæ puritatem, hoc ſingulari titulo honoravit.

Intueor igitur quadrigam qua currendum eſt ad Patrem, ſic debere diſtingui ut per te ad Matrem, per Matrem ad Filium, per Filium vero attingere poſſit pœnitentis affectus ad Patrem. Et in hoc ferculo quod nos ab hoc ſeculo evehit, tu ſis columna argentea ; (*i*) mater, aſcenſus purpureus ; Filius, media caritas, reclinatorium aureum, viſio Patris in decore ſuo, & æternæ pacis jocunda tranquillitas. Hanc interim gloriam proprie virginitas promeretur. Per hanc, in hunc gradum Diſcipulus ſublimatur, per hanc ipſa Mater & Virgo placuerat Deo, & obumbrante virtute Altiſſimi, in illo beatifico utero, Verbum caro factum eſt : per hanc fuerat Gabriel Archangelus Mariæ domeſticus, imo tota militiæ cœleſtis multitudo & naturæ (*k*) Angelicæ gloria (admirans quod ſic integram in terris reperiſſet) circumfuſa undique cognato cœlibatui exhibebat reverentiam, & divino incolatui clientelam. (*l*) Proprie tamen Gabriel & Joannes huic aſſignati officio, communibus ſtudiis miniſtrabant, ſimulque ab ambobus tam in cœlo, quam in terra, divina & humana conſolatio procurabatur ; (*m*) Joanne, juxta quod res poſtulabat, providente ſubſidium, Archangelo pia vota (*n*) perferente ad filium.

Factum eſt igitur ut Dominus imperaverat ; & cohabitabant ſimul in bono jocundoque conventu, virginitas & humilitas, dilectio & puritas, ſubjectio & caritas ; & erat unanimitatis participatio in id ipſum, inter (*o*) Dominum & miniſtrum, ſicut magiſtri ordinarat auctoritas. Bonus itaque Dominus, bono fine conſummans pietatis myſterium, in Cruce juſtificat impium, & debitum Matri reddit affectum. Addit quoque & tradit exemplum quod ad conſervanda quæ ſancta ſunt, debeat eligi ſanctitudo. Nec Sacramentorum arcana impuris ſint exponenda conſpectibus, nec poſſit digne ſacris miniſtrare myſteriis ; niſi qui in ſchola ſtuduerit continentiæ converſari. Decet enim, ut qui mundandis, vel mundis officium exhibeat, omnimoda ſplendeat ſanctitate ; quia omnino huic formæ contrarium eſt, ut contrectet incorrupta corruptus, & purificatoriis muneribus manum apponat impurus. Quod non ideo dicimus quod in his qui jam abluti ſunt & (*p*) ſanctificati, de quantiſcumque naufragiis evaſerint, aliqua poſt indulgentiam nota permaneat ; quia niſi ad antiqua (*q*) revertatur contagia, nulli prior præjudicat vita.

I V.

Sitio.

ECce iterum myſteria ; & ad invicem ſibi Sacramenta divina occurrunt. Reſponſum erat de Cruce Latroni, & Matri ; & ad confirmationem ſpei, pietatiſque exemplum ; Latro in regnum præmittitur, Mater interim ob (*r*) rerum myſterium reſervatur. His pie provideque diſpoſitis, Chriſtus inter ſupplicia ſitit. Exhauſtum erat ſacrum pectus ſudore (*s*) ſanguineo ; & lignum illud cui affixus erat, ſanctis bajulaverat humeris ; & ut (*t*) ſolet ex mœſtitia ſomnus nonnullis obrepere, ſic poterat ſitis (*v*) illa ex tormento accendi. Forſitan ſic erat : Ego vero ſacramentalem hanc ſitim intelligo, in qua non tam deſideratur potus, quam hominum ſalus. Neque enim ab irriſoribus & interfectoribus poterat beneficium expectari, quia omnes ad impietatem proni, paratiores erant augere injurias, quam miſereri vel compati. Perſeverabant adhuc ; nec flagellis, nec ſputis, nec colaphis poterant ſaturari. Unde nec conſequens videtur, ut audita ſitis, eorum cor emolliret, quibus parum erat quod in Cruce pendebat ; nec (*x*) ſatisfactum eſſe ipſa morte, malignantibus videbatur. Chriſtus tamen, ſicut per David prædixerat, irruentibus in ſe univerſis, *tanquam parieti inclinato & maceriæ depulſæ*, currit & ſitit. Sitit converſionem, currit ad remiſſionem, exolvit quæ non rapuit. Et licet illi pretium illud magnum cogitarent repellere ; jam abſorpto ſerpente feſtinat ad lavacrum inimicorum, & moritur pro impiis, & rebelles adoptat, & tanti (*y*) affectus beneficia largitur ingratis.

Hoc etiam in titulo Pſalmi 33. continetur ; ubi affectare David in perſona Chriſti prædicitur, cum coram Abimelech vultum ſuum mutaſſe perhibetur. Affectabat David, & tympanizabat ad oſtia civitatis, & fere-

(*a*) Miniſterium, *Bod.* 1, 2. (*b*) Formatur &. *Bod.* 1, 2. (*c*) *Sic Bod.* 1, 2. *Magd. Imp.* Obſeratur. (*d*) Bonoſii, *Bod.* 1, 2. (*e*) *Sic Bod.* 1. 2. *Imp.* Myſterii. (*f*) Patribus, *Bod.* 1, 2. (*g*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* ſtratagema. (*h*) Inclytum indicat, *Bod.* 1. 2. *Magd.* (*i*) Mater vero, aſcen. *Bod.* 1, 2. (*k*) Angelicæ admirans, quod ſe int. *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*l*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* Proprie tunc. (*m*) Joanne, quod, *Bod.* 1, 2. (*n*) Proferente, *Bod.* 1, 2. (*o*) Dominam, *Bod.* 1, 2. (*p*) Sanctificati ſunt, de, *Bod.* 1, 2. (*q*) Recurratur, *Bod.* 1, 2. (*r*) Certum, *Bod.* 1, 2. (*s*) Sanguinis, *Bod.* 1, 2. (*t*) Solet mœſt. *Bod.* 1, 2. *Imp.* (*v*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* Illa accendi. (*x*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* Satis actum. (*y*) Effectus, *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* beneficii.

ferebatur manibus ſuis, & in barbam ejus difluebant ſalivæ: Affectante quippe Chriſto, & hoc ſitiente, ut manſueſceret domus exaſperans, & duræ cervicis populus molliretur: exhauſtoque pœnitentiæ antidoto, felleas viſcoſaſque peccati fæces evomerent, viſa ſunt eis hujus doctrinæ verba omni ratione carentia, & dementiæ adſcribebant quod eos ad carnis ſuæ edulium invitabat. Horrebant potum ſanguinis, & carnem humanam cibum inſolitum menſis ſuis inferre, impium & nefarium judicabant. *Durus* erat *ſermo hujuſmodi*; quia ſenſu carnis oppreſſi, ſpiritum & vitam in verbis veracibus contemnebant. Hoc intimabant illæ per barbam David (*a*) fluentes ſalivæ, quod infantilia hæc verba & frivola æſtimarent Judæi, & contemnenda (*b*) eſſent à profanis ſacramenta Dominica, & quaſi arreptitii & furibundi reputandi eſſent horum dogmatum diſcipuli, & intellectualium myſteriorum miniſtri. Sed Chriſtus definitiones patientiæ edocens, nec iraſcitur, nec ulciſcitur: ſed ſuſtinet & præſtolatur, & affectat ut illuminetur populi cæcitas, ut convaleſcat & exurgat infidelitatis mole ſuffocata illa tyrannica & effrænis obſtinatio, tandemque pateat veritas, & redeat ab errore converſa impietas. *Tympanizat* ergo *ad oſtia clauſa*, ad aures oppilatas, & incredulis cordibus intonat, & extenta in cruce pelle corporis ſui; *in pſalterio decachordo*, veteris & novi Inſtrumenti concutit conſonantiam: & quaſi incantatis ſerpentibus, ad inſolitam harmoniam reddit edomitos; & detractores facit cantores, & impios modulatores. Mutatur omnino facies Chriſti in ſpecie ſacramentorum, *coram Abimelech*, id eſt, coram Judæis qui ad (*c*) regnum Chriſti, ex promiſſionibus factis ad patres, pertinere videbantur. (*d*) Hic Achis, id eſt, ignorans, (*e*) hoc eſt ex parte, populus ille qui non credit nec intelligit. Porrigit quidem diſcipulis ſuis, imo toti Eccleſiæ, propriis manibus Euchariſtiam, quaſi ſeipſum ferens: quam (*f*) qui digne accipit, vivit; nec immerito proſcribitur, qui contemnit: & aliis quidem tantæ rei myſterium *odor eſt vitæ in vitam*, *aliis odor mortis in mortem*. Unde & Achis David (*g*) dimittit, quia quibuſdam ex Judæis repellentibus verbum hoc, & *indignos* ſe *vitæ æternæ* judicantibus, doctrinam hujuſmodi Chriſtus ad gentes convertit.

Abimelech & Achis, non ſunt unius perſonæ nomina, ſed quia unius myſterii continent rationem, non incongrue diverſis reſpectibus uni perſonæ aptantur. Ex parte Achis, id eſt, ignorantia & error, adhuc in eodem populo perſeverat: & qui filii regni videbantur, contemto affectu caritatis Chriſti, & tympano crucis; quaſi David à ſe dimittunt ut eat, cum dicunt Chriſto, *Recede a nobis*, *ſcientiam* (*h*) *viarum tuarum nolumus.*

Maledicunt adhuc Judæi Chriſto, & veri Heliſæi derident calvarium: nec dum tamen Urſis, id eſt, dæmonibus, deriſores exponit: ſed in multa patientia expectat pœnitentiam, & differt, nec infert pro meritis iram.

Sed perverſa & averſa mens carnalium, ſitis hujus non intelligens ſacramentum, ſancto ori amaritudinem applicat in calamo, & fonti miſericordiæ venena propinat. Non tangit Judæe Chriſtus poculum tuum, non guſtat acetum *de ſuburbanis Gomorrhæ & vinea Sodomorum*. Fons ille de quo aquæ vivæ emanant, cujus rivi in æternitatem proſiliunt, non exaruit; neque, ut à te impleatur, affectat. Hoc potius ſitit fons ille irriguus, ut ex eo affatim haurias, illaque replearis dulcedine, ut puri te refrigerent latices, & ardentium in te libidinum extinguant carbones. Hoc ſitit, ut virens in te caritas perſeveret, ut ſicut palma in ſublime comam ſpei attollas, & ſicut cedrus Libani imputribilis vivas. Pincernas veneficos ſitis iſta diſcernit, & propinatores amaritudinis horret & abjicit. Nullis paſſionum ardoribus fons iſte ſiccatur, nullis preſſuris caritas exhauritur. Etiam ubi percutis & irrides, ubi fel porrigis, non commutat ſe dulcedo in amaritudinem, nec exigit caritas ultionem. Sanguis & aqua de latere (*i*) exeunt vulnerato, aqua in lavacrum, & ſanguis in mortis exemplum.

Caritati igitur Chriſti quæ eſurit & ſitit juſtitiam noſtram, teſtimonium perhibet in cœlo Trinitas, ipſe Filius qui juſtificat, Spiritus qui ſanctificat, Pater qui glorificat, quia & juſtitia, & ſanctitas, & claritas noſtra de ſurſum eſt, & teſtimonium Dei (*quod majus eſt hominis*) hæc in nobis dona ſua commendat, & informat, & confirmat. Nihilominus in terra, per viſibilia & corporalia ſacramenta, quod intus inviſibiliter agitur, commendatur extrinſecus; & atteſtantur fidei Chriſtianæ, *ſpiritus*, *aqua & ſanguis*: quæ tria (*k*) unum ſunt & individua manent, nihilque eorum à ſui connexione ſejungitur, quia Catholica Eccleſia hac fide vivit ac proficit, ut jam nec ſine vera divinitate humanitas, nec ſine vera humanitate credatur divinitas. Nec ſufficere nobis poſſet ad intellectum veritatis, teſtimonium quod de cœlo eſt, quod ſibiipſi perhibet Trinitas; niſi & nobis innoteſceret aliquibus ſignis, & aliquibus argumentis, (*l*) fidei veritas. Sunt itaque hæc tria, ſpiritus ſanctificationis, ſanguis redemtionis, aqua purificationis. Non redimit ſanguis niſi quos gratia vocat & lavat, nec niſi ablutos & mortuos peccato, Spiritus ſanctificat. In commune participant, redemtio & ablutio & ſanctificatio. Alterum ſine altero eſſe non poteſt, quodque agitur unum eſt, non multiplex. Spiritus namque ſanctus ſuperfertur myſteriis, intereſt ſacramentis, quorum rationem aqua mundans ſignificat, quæ illius rei continet ſignum, cui & ſanguis Chriſti & ſpiritus Dei præbet effectum. In aqua mundamur, in ſanguine informamur.

Mirum dictu, tremendum relatu. Profluentibus de ſacro latere aquis viventibus, & emanantibus de fonte uberi largis liquoribus, Chriſtus ſitire ſe perhibet, & ipſe mundum irrigans & fœcundans, de ariditate cauſatur. Omnino ſane ſitis illa exprimit, raros tunc extitiſſe qui crederent, cum ipſi & laterent & dubitarent illa hora Apoſtoli, & adhuc non illabebatur ſanguis & aqua in corda diſcipulorum radicitus, nec immaduerant ebrietate Spiritus, quorum animas timor & dubietas ſiccaverant.

Te ſitit Chriſtus, o Petre: revertere, & dic libere, *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.* Revertere & confide, & cum frater tuus in aliquo delicto præoccupatus fuerit; tu qui ſpiritualis es, judica in ſpiritu lenitatis. Et tu tentatus es aliquando, & ad unius ancillæ vocem à propoſito excidiſti. Verum ſanguis Magiſtri hunc reatum aſperſit, manet tibi eadem gratia, non privaris Apoſtolatu, manent tibi claves tuæ, & eadem excellentiæ tuæ dignitas perſeverat. Exurge, & bibe de fonte miſericordiæ, *& tu aliquando converſus, confirma fratres tuos*, & in eadem menſura qua propinatum eſt tibi, remetire eis, & ad formam tuam, *qui ſtat*, *videat ne cadat*; *& qui cecidit*, *adjiciat ut reſurgat.*

Etiam te Judæe parricida, Chriſti caritas ſitit. Muta

(*a*) Profluentes, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*b*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* Eſſent profanis. (*c*) *Sic Magd. Imp.* Regnum Dei Chriſti. *Bod.* 1, 2. Dei ex. (*d*) Hoc Achis, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*e*) *Sic Bod.* 1, 2. *Magd. Imp.* hic. (*f*) Quia, *Bod.* 1, 2. (*g*) Demittit, quibuſdam, *Bod.* 1, 2. (*h*) Viam ſemitarum tuarum, *Bod.* 1, 2. (*i*) Effluunt, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*k*) Divinum ſunt, *Bod.* 1, 2. (*l*) Fides clareret, *Bod.* 1, 2. *Magd.*

ta intentionem, replica orationem. Dixisti, *sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Bonum est quod dicis, si recte (*a*) intenderis. Sit super te sanguis ejus, & consepelire ei per baptismum in mortem. Opta salvari, non damnari: bibe & tu nobiscum de calice passionis illius. Non est hoc horroris, sed poculum pietatis. Liminare frontis tuæ lini hoc sanguine, & præteriet te Angelus percutiens; nec tanget primogenita tua, sed attrita Ægypto evades illæsus.

V.

Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

O *Culum pro oculo, dentem pro dente* evelli lex præcipit. Nemini parcit Moyses, omnes injurias suas persequitur & ulciscitur, & absque ulla miseratione, Decretorum ejus contemtor occiditur. Tempore gratiæ temperantur edicta, & Evangelica mansuetudo à populo acquisitionis, iram & convicium & contemtum excludit: nec *Racha* fratri dici aut *fatue*, vel etiam irasci, Magistri nostri disciplina permittit. (*b*) Ipse quoque qui Judex est omnium, & cujus est vindicta, nequaquam per singulos dies irascitur, & gladium in vaginam revocari præcipiens, (*c*) percutientes in gladio, gladio perituros denunciat. Ipse sciisso dorso verberibus, vellicatis genis, facie sputis illita, puncto capite vepribus, latere saucio, terebratis palmis, (*d*) pedibus confossis, tanquam agnus jugulatori suo alludens, carnem suam non reluctans explicuit, & nudum corpus, quasi incudem, malleatorum ictibus patienter supposuit. Poterat utique accitis multis millibus Angelorum agere pro se, & de tantis ludibriis erui: sed qui præceperat, percussori sinistræ maxillæ porrigi dexteram, & auferenti pallium præberi & tunicam; seipsum intra regulas suas concludens voluit ut à capite, patientiæ forma prodiret in membra: & in hoc, æmulatio filiorum probaretur, si non se degeneres exhiberent.

Igitur quid prius sitierit, manifestat; & iterum conversus ad Patrem, orat ut hæc ignorantia populo dimittatur: *Pater* (inquit) *dimitte illis, quia nesciunt quid* (*e*) *faciunt.* Quid est Domine, quod dicis? Non accusas, non quæris vindictam; potius excusas, & conjurationis illius spissamentum attenuas: & hæreditarium onus ab impiis transferens, crimen malitiæ non opponis, qui ideo dimittendum censes, quia admissum ignoranter ipse testaris. Ubi est illud quod dixeras prius: *si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: Nunc autem & viderunt & oderunt, & me & Patrem meum?* Viderunt quidem, & oderunt; & quod de te scripserat Moyses, & antiqua conclamabant volumina, omni sabbato decantabant. Intrasti Synagogam, & sicut palam erat, nequaquam ex Commentario literatus, librum Esaiæ explicas, & in auribus omnium legis; *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad Evangelizandum pauperibus misit me:* & in Auditorio publico, in te impletum hujus Scripturæ vaticinium, protestaris: Quis ignorantiæ locus erat, cum ipsis inquirentibus *quomodo literas* nosses *quas non* didiceras; hoc ipsum divinæ sapientiæ documentum esset, quod te quem in Scholis suis nunquam elementarium viderant, eruditum in Lege probarent? Certe latere non poterat, sed hoc in te universitas mirabatur. Ex te sapis, ex te intelligis, disputas publice de Lege cum Scribis; & ex Lege brutos hebetesque Doctores convincis. Quis dubietatis locus, quæ ignorantiæ ratio esse potest, ubi *cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, resurgunt mortui, pauperes Evangelizantur?* Sed obstinatis animis & nolentibus intelligere, ut bene agerent; nec signa ipsa persuasoria erant, nec virtutes operariæ.

In tantum in eorum pectore Christi induruerat odium, ut & bona quæ negare non poterant, non virtute Dei, sed præstigiis dæmonum fieri dicerent: opera Christi, Beelzebub ascribebant; & Spiritus sancti unctionem, Dæmoniis. Et tamen Christus nescire eos quid agant affirmat; ideoque pro errore eorum & cæcitate obnixe supplicat Patri. Sed habebat hæc ipsa postulatio ordinem; & necesse erat, in terra sterili & palustri & purgamenta creante, pro frugibus, usque ad imum fidei fundamenta infigi, & ex profundis Adytis primum submoveri sensus erroneos, ut firmam stabilemque domum sibi veritas aptaret & illustraret, (*f*) fideique fundatum templum spes gloriæ pangeret. Nec tamen licet tanti criminis molem Mediatoris auctoritas elimaret, obstinatio illius infidelitatis ex se excusabilis erat; nec habebat quid opponeret destituta ratione mens, & animus ad vera prospicienda caligans, cui rectissima species veritatis (ad instar remi qui in aqua demissus, curvi præfractique similitudinem reddit) aliter intelligebatur quam erat: & cum esset præ oculis res ipsa, nullaque interjectio impediret; ex se in transversum intuens, strabus ludificabatur aspectus.

Ideoque nec ratio, nec doctrina in culpa erant, quæ utique non deerant; sed dum multo impendio temporis supervacua quæruntur; malum inolitum in ipsis visceribus sedens, medicantem non admittebat manum: ideoque quia se ægrotare nesciebant, sanitatis contemnebant subsidia, neque aliquid ipsa luce oculis malignis erat infestius; (*g*) demissisque palpebris & complosis in arctum, violenter sibi cæcitatem imprimebant; usque adeo in hoc malum voluntarii; ut voluntas consuetudinem, & consuetudo faceret necessitatem; necessitas vero usque ad illam vecordiam erumperet, ut nescirent quid facerent.

Hæc erat illa animi crassitudo quam Esaias populo Judæorum improperat; per quam in hanc hebetudinem venerant, ut *videntes non viderent, & audientes non audirent*: quia exasperantes animos dignum erat in propriis sensibus confundi; & qui abutebantur justitiæ documentis & veritatis radios abhorrebant, abdicati à naturæ & gratiæ luce, in cæcitate sua tabescerent, & haberent intra se fumosas exhalationes quæ totum candorem intellectuum & sensuum denigrarent. Legis quippe saliva quam ab antiquo imbiberant, ita eorum faucibus invisceata hærebat, & ceremoniarum veterum sapor, palatum mentis perfidæ ita infecerat, ut esset eis in Sathan, quisquis à Moyse doceret discessum, & de occidente litera vivificantem (*h*) spiritum hauriret. Unde & Moysen Christo præponentes; quasi in blasphemum, lingua zelantes armabant: (*i*) præferentes servum Domino, & discipulum magistro. Nec negare poterant miracula: sed tanti ponderis odium erat, tantæque immanitatis invidia, ut Christi bene gesta vel dicta eis non saperent. Ad vesanas mentes nullus omnino veritati (*k*) patebat accessus; & quæ palam erant & nulla tergiversatione abscondi poterant, per-

(*a*) Intendis *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*b*) Ipse quippe, *Magd.* (*c*) Percutientes in gladio, perituros, *Bod.* 1, 2. (*d*) Pedibusque, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*e*) Faciant, *Bod.* 1, 2. (*f*) Fides fundata, *Bod.* 1, 2. (*g*) Ideoque demissis palpebris, *Bod.* 1, 2. (*h*) Intellectum, *Bod.* 1, 2. (*i*) Præferebant, *Bod.* 1, 2. (*k*) Patet, *Magd.*

perverſe prout poterant interpretabantur, & in defenſione Legis, jam non tam rationibus quam conviciis utebantur. Ex ipſa quippe Lege convincebantur, & propriis concludebantur dogmatibus; nec ſupererat aliquod prævaricatoribus effugium, niſi quod detrahebant & perſequebantur violentia veritatem: unaque communis intentio (*a*) omnium ad hoc conſpiraverat, ut contumelia gloriam ſuffocarent; & mortis opprobrio, (*b*) pariter & nomen ejus delerent & famam. In hoc, omne conſilium eorum volvebatur; & ad hanc definitionem, omnia perfidiæ argumenta convenerant, ut ſanctum & juſtum (quia *contraria* erat eorum *operibus*) de medio tollerent, ac per hoc probarent, nullum ei eſſe cum divina natura conſortium; cum ſicut ceteri homines, mortalis & paſſibilis videretur.

Hæc erat cæcitas, hæc ignorantia plebis erroneæ, quam dimitti Chriſti caritas poſtulat, beneficium præſtans ingratis, quod utique & ibi ex parte completum eſt, & in fine perfecte complendum, quando intra hujus indulgentiæ ſinum tota Iſraelitici populi maſſa concurret, cum *gentium intraverit plenitudo.* Hoc *ſciens Jeſus quod omnia dederat ei Pater in manus*; cum dare poſſet quod petebat, & poteſtative hæc propria contineret auctoritas; ſupplicantis, tamen pro tempore perſonam exhibuit, ut ex affectu caritas, & ex ſubjectione humilitas, & ex effectu (*c*) innoteſceret veritas. Quod in tanti abſolutione criminis, nulla eſſet inter Advocatum & Judicem (*d*) repugnantia voluntatum, ſed una & concors eſſet in hoc negotio allegatio utriuſque: quia nullus omnino (*e*) ſeveritati locus ibi eſſe poterat, ubi vulneratus Chriſtus proprii mercedem ſanguinis exigebat.

Exauditur ergo *pro ſua reverentia*; nec (*f*) tunc gratis (*g*) accipit, ſed ingens erogat pretium ut commendetur his pro quibus res tanti ponderis agitur, (*h*) qua deſperata eſſet humani generis cauſa quæ aliter componi non poterat niſi exſolveretur pro pace ejus, tanti pretii quantitas, quod ſingulariter habebat apud ſe humilitas Chriſti & aſſumta humanitas. Convenerunt itaque *juſtitia & pax*, & oſculum datum eſt; & pro captivo ſuo vadem fidelem liberator ſe poſuit: tantaque auctoritate firmatum eſt hujus indulgentiæ privilegium, ut in ipſius Chriſti crucifixi membrana, proprio ſanguine conſcriptæ ſint illius abſolutionis literæ: maneatque infixum uſque hodie ſigillum, plaga lateris, quam ſemper oculis Patris exhibet præſentia Salvatoris.

Perennem igitur hujus gratiæ hæreditatem Teſtator noſter (*i*) tranſmiſit ad poſteros, & originalis mali præciſa radice, licet recrudeſcat peccatum in multis, generalitas (*k*) tamen in illa ita abraſa eſt, ut ad expiationem eorum quæ quotidie admittuntur, non iterum Chriſtum crucifigi oporteat, ſed unum confeſſionis ad omnia crimina (*l*) ſufficiat lavacrum, & ad omnia flagitia, una pœnitentiæ ſufficiat hoſtia. Unde illud crucis ſacrificium factum nobis eſt ſanitas & exemplum, quia & proprie ſanguis ille nos purgavit, Chriſto aſpergente populum, ſemel in ſancta illatus; & nos, ſimilis introitus formam, in proprio ſanguine (crucifixis membris noſtris, & abdicatis voluptatibus) retinemus.

Nec nos latitudinis crucis, & altitudinis & longitudinis & profunditatis (*m*) uſquequaque myſteria intacta præterire convenit. Nam ſua profunditate uſque ad intima noſtra penetrat hoc vexillum, & cuſpide præacuto rimatur interiora; *& pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus*, ipſis infigitur affectibus, ſecretoſque & abditos comprimit motus, & totius petulantiæ perforat appetitus. Hoc in profundo cordis crux agit abſcondita. Intus compungit animam: ſubterque, Leviathan verme venenato, hoc vecte transfixo; intrinſeca noſtra pacificat & conſcientiam munit, & meditationes ſanctificat. Et ſicut illud lignum quod Moyſi à Domino oſtenſum eſt, aquis Marath immerſum, omnem illarum amaritudinem in dulcedinem vertit; ita ſanctæ crucis virtus animo recondita, omnem tentationum ſalſuginem ſua immerſione contactuque (*n*) indulcorat. Jam vero longitudo quæ à pedibus uſque ad Ligni tranſverſi incaſtraturam ſe erigit, (*o*) continuæ mortificationis Chriſtianæ indicium eſt; & oportere crucifigi ſimul cogitationes ſuas & opera, (*p*) efficax documentum. Neceſſe quippe eſt, quantumcunque longa ſint hujus ſeculi ſpatia, ut omni vita, infatigabilis ad ea quæ ante ſunt ſemper tendat, ſemper ſe evehat patientia conſtans & longanimitas perſeverans. Latitudo autem (*q*) caritatem, zeli amplitudine complectitur; cum ægris infirmatur, & cum his quibus eſt ſcandalum, uritur. Extendit ſe & ſuperfertur afflictis, affectu nutritio; expanſiſque alis, pullos implumes aggregat & fovet & protegit: & ſeipſam in tutelam parvulorum exponens, negligit; neque (*r*) alios ut defendat, propria damna formidat. *Cum his* etiam *qui oderunt Pacem*, in tantum eſt pacifica, ut nec læſa exigat ultionem, nec exacerbata referat contumeliam: & ſi corrigat, omnino ſollicite agit, ut plus agat benevolentia quam ſeveritas, cohortatio quam commotio, humilitas quam poteſtas. Juſtum & impium ſimul (*ſ*) complectitur: alterum, ut ſtet: alterum, ut reſurgat. Non eſt ei advena bonitas, nec emendicata aliunde clementia, non ſtimulis, non legibus, non loris ad portanda aliena onera urgetur: ultro demiſſo poplite curvat ſcapulas, nec grave (*t*) judicat eos pati qui ſeipſos ferre non poſſunt, ſed de alterius miſeria beneficium ordinat, & liberalitatem exornat. Si qua ſunt apud infirmos inhoneſta, his abundantius honorem circundat, non improperat, non diffamat; ſanat, non vulnerat; curat, non lacerat; exonerat, non gravat; *operit peccata*, (*u*) non divulgat.

Hujus latitudinis myſteria Chriſtus etiam inter ſupplicia commendans, in eo quod expanſis manibus elevataque læva & dextera inter Latrones ſe medium exhibebat, volebat intelligi commune eſſe illud beneficium; & non ſolum bonis, ſed & impiis quod agebatur proficere; & ſe potius medicamina illa ægris propoſuiſſe quam ſanis; & gratia illa, pari libertate donaſſe eos qui de libera, & eos qui nati fuerant de ancilla.

Reſtat altitudo, quam uſque ad ſummum intimat pars porrecta. Hæc eſt bonæ ſpei confidentia quæ crucifixos mundo, cœleſtibus invehit; & ex (*w*) bonæ conſcientiæ teſtimonio ſecuros certoſque illi gloriæ conſociat, jamjamque bonis illis manum intentat, jam gu-

(*a*) Omnium conſpiraverat, *Magd.* (*b*) Pariter nomen, *Bod.* 1, 2. (*c*) Innoteſceret, quod, *Bod.* 1, 2. (*d*) *Sic Magd. Imp. Bod.* 1, 2. compugnantia. (*e*) Severitatis, *Magd. Bod.* 1, 2. (*f*) Tamen, *Bod.* 1, 2. (*g*) Accipit: ingens, *Bod.* 1, 2. (*h*) Quam, *Bod.* 1, 2. (*i*) Tranſmittit, *Magd.* (*k*) Tamen illa, *Bod.* 1, 2. (*l*) Sufficit, *Bod.* 1, 2. (*m*) Uſquequaque latent myſteria, ſed uſque ad, *Bod.* 1, 2. (*n*) *Sic Magd. Imp. Bod.* 1, 2. Indulcat. (*o*) Continuam, *Bod.* 1, 2. (*p*) Efficiens, *Bod.* 1, 2. (*q*) *Sic Magd. Imp.* caritatis zeli amplitudine univerſa complectitur. (*r*) Dum alios defendit, *Bod.* 1, 2. (*ſ*) Amplectitur, *Bod.* 1, 2. (*t*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* Indicat. (*u*) Nec pudenda divulgat, *Bod.* 1, 2. & *Magd.* (*w*) Bono *Magd.*

guſtat, (*a*) jam os aperit, jam delibat, jam converſatur cum Angelis, jam illa proſequitur agmina, jam agnoſcit, jam liqueſcit, jam amat, jam lætatur & delectatur, hilareſcit & quieſcit, intelligit & diligit, & tamen quantalibet perfectione (*b*) quiſque quæ ſurſum ſunt ſapiat, intereſt tamen plurimum inter fidem & ſpem, nec ſine Cruce eſt electis (*c*) dilatio plenitudinis, (*d*) quos jam probatos conſummatoſque nulla quidem tentatio concutit, ſed (ut diximus) hoc ſolum deeſt ad cumulum pacis, quod nondum ex toto ſe integram exhibet contemplatio veritatis.

V I.

POſt myrrhatum calicem & reliqua Crucis ludibria, quod à Matthæo & Marco & Luca fuerat præmiſſum, Joannes non tacuit: hoc videlicet, quod bene diſpoſitis omnibus & aſſignato in noviſſimis teſtamento gratiæ, & certæ ſpei regulis commendatis; ad intimandum quod nihil omnino deeſſet ad doctrinam formamque juſtitiæ, Chriſtus intulerit: *Conſummatum eſt*: ac deinde in manus Patris ſpiritu commendato, inclinans caput, quaſi gratias agens, poteſtative emiſerit animam, conſummans omnem legalium rationem hoſtiarum, & ultimam ænigmatibus antiquis manum imponens.

Seſe itaque totum obtulit Patri, & conſummata eſt illius holocauſti plenitudo, expenſis in illud (*e*) miniſterium carne ſimul & ſpiritu; quia & pro carne & pro ſpiritu hominis angebatur, & totus homo totum Chriſtum habuit (*f*) ſanatorem, dum & caro in medelam carnis oblata eſt in ligno, & ad ſanctificationem animæ obtinendam, ſpiritus ille deſcendit ad Inferos & aſcendit ad Superos; ibi confrigens *ferreos* (*g*) *vectes*, & hic portas aperiens *æternales*. Et à corpore quidem, (*h*) Anima Chriſti per illud triduum ſe abſentans, non ita divinitatem quemadmodum carnem deſeruit; ſed erat Deus in ea indiviſibiliter, *mundum reconcilians ſibi*, tollens à nobis mortis formidinem, per maturam Reſurrectionem: purgans illa (*i*) amaritudine, quicquid voluptatum venena infecerant, victoriæ ſuæ gloriam cœlo exhibens & inferno. Abſtractiſque his qui in illa expectatione diu languerant, etiam Angelorum deſideria complevit, quibus hæc hominum reſtitutio grata fuit.

Nec fuit mora inter oblatum & impetratum; ſed ſub omni celeritate ſe complexa ſunt paſſio & abſolutio. Itaque alterum ex altero conſtitit, ut eadem hora & repleret ſuperos, & inferos captivaret: (*k*) Acta ſunt tamen in cœleſtibus gaudia illa prolixiori (*l*) ſpatio, neque ſtatim reverſa eſt ad corpus ſuum Anima Chriſti; ſed interim his (*m*) quos de tam antiquis tenebris liberaverat, ſplendoris divini gratulabundam exhibebat præſentiam: & his qui in Mundo erant, conſolationem diſpenſatorie aliquantulum differebat, ut & dilatio augeret deſiderium, & reſurrectionis repentinæ lætitia impleret affectum. (*n*) Quia igitur hoc *in capite Libri ſcriptum* erat, ut hanc Patris voluntatem filius faceret, & res diu expectata & multis præfigurata modis, occultam à ſeculo faciem in lucem protulerat: exoneratum peccatis populum non ultra paſſus eſt Chriſtus ſupervacuis gravari culturis, quia deinceps non (*o*) eſſet religio ſed ſuperſtitio, ſi ceremoniarum veterum (*p*) fæces cum vino mero in (*q*) Evangelico calice miſcerentur. Nec tantum Paſſionum ſuarum finem, ſed illarum etiam (*r*) obſervantiarum intelligi voluit; ut poſtquam advenerat veritas, figuræ ceſſarent; nec ultra ſuperflue (*s*) vexarentur fideles ſpinoſis circuitionibus per devia aberrando, cum indicaret eis ipſa veritas viam, & loqueretur publice *quia ego ipſe qui loquebar ecce adſum*. Unctus erat Chriſtus *oleo lætitiæ præ* cunctis humanæ naturæ *participibus*, qui etiam *præ Angelis nomen hæreditabat differentius*: & exſiccata jam erat *a facie* hujus *olei* Judaica unctio; & neceſſe erat, ut complicaretur *Ephod*, *& Teraphin* non (*t*) apparerent; & quicquid Beſeleel, vel contexuerat, vel cœlaverat, locum daret vivis & rationalibus documentis; & abeſſent umbræ & imagines & typica integumenta, (*v*) ubi ipſa veritas nudam formam & puram ſpeciem intuentibus exhiberet. Itaque finem Legis adveniſſe, in fine Paſſionum Chriſti monſtratum eſt: & quicquid ab antiquo in ſanguine Hircorum & Vitulorum, ſive in aliis quibuſcumque, vel odoramentis, vel libamentis, lex multipliciter ad expiationem peccatorum agendum decreverat, gratia reduxit ad compendium; & abbreviato tantæ fatigationis itinere unum ſanguinem, unam incenſionem propoſuit, & unum holocauſtum omnia continens, ea moderatione aptavit, ut ad id comparandum, quantæcumque mendicitatis eſſet homo, haberet ſufficiens pretium, nec quemquam perſona, vel locus impediret (*x*) à tantæ dignationis acceſſu. Unum igitur Agnum habet Eccleſia: neque quoties Paſcha revolvitur, quæri (*y*) alterum neceſſe eſt: & cum una ſit tribus & familia populi Chriſtiani, uni populo una ſufficit hoſtia; & in una domo, una ponitur menſa. Unum habet Panem & Calicem univerſitas fidei; & multitudini Credentium unus cibus apponitur, idemque ſumitur nec conſumitur; & (*z*) cum omnes impleverit, ſupereſt & abundat. Mutabantur Panes propoſitionis per ſingula ſabbata, appoſitiſque calidis, frigidi tollebantur, quia veteres oblationes, quaſi frigidas & calorem Spiritus non habentes, repudiandas tempore gratiæ; ipſa panum mutatio intimabat. Agnus noſter idem eſt, nec diverſi per diverſas familias immolantur, quia ſicut unitas Eccleſiæ nec ſcindi poteſt nec dividi; ita neceſſe eſt, ut unum agatur ab omnibus, & uniforme obſequium devotio communis exhibeat, totiuſque univerſitatis conſenſum, ſacrificii ſingularitas ipſa commendat.

Quod vero ad eſum Agni, ſi (*aa*) forte quid ſupereſſet, vicinus conjunctus domui ejus cui ſupererat, vocari præcipitur; introductionem Gentium ad communionem ſacramentorum Eccleſiæ exprimit: quas utique per Evangelium vocatas, convivii hujus ſapor illexit, & eatenus jejunos ad ea quæ Judaicus populus edere non potuit, (*bb*) gratia mater admiſit. Mirum omnino eſt dictu, & res ipſa ſpiritualem exigit intellectum; quod cum agnus non niſi ab una familia poſſet immolari, quæ eſſe poſſet tantæ paucitatis familia ita carens

(*a*) Jam aperit, *Magd.* (*b*) Quiſquis, *Bod.* 1, 2. & *Magd.* (*c*) *Sic Magd.* & *Bod.* 1, 2. *Imp.* illatio. (*d*) Quos probatos, *Magd.* (*e*) Myſterium, *Magd.* (*f*) Salvatorem, *Magd.* (*g*) *Sic Magd.* & *Bod.* 1, 2. *Imp.* vectis hic. (*h*) Anima illa Chriſti, *Magd.* (*i*) Amaritudine mortis, *Magd.* (*k*) Acta tamen, *Magd.* (*l*) Spatio fuerunt, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*m*) Quos tam antiquos, *Magd.* (*n*) Quod in capite Libri, *Magd.* & *Bod.* 1, 2. (*o*) Eſſet in regno veritas ſed ſuperſtitio, *Magd.* (*p*) *Sic Magd.* & *Bod.* 1, 2. *Imp.* facies. (*q*) Evangelio miſcerentur, *Magd.* (*r*) Obſervantiarum finem, *Bod.* 1, 2. (*s*) Vexarentur ſinuoſis circuitibus, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*t*) Comparerent, *Bod.* 1, 2. *Imp.* aptarent. (*v*) Ut ipſa veritas, *Magd.* (*x*) Ad tantæ dignationis acceſſum, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*y*) Alium, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*z*) Cum populum, *Magd.* (*aa*) Forte ſupereſſet, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*bb*) Gratia mater adjuvat, *Magd.*

carens filiis, vel nepotibus aliisque propinquis, ut unum non posset per se agniculum edere; maxime cum tam numerosa illius gentis esset fœcunditas, multaque conjugia multiplicem sobolem cumularent? Sed (ut diximus) intimata est Prophetice vocatio gentium, & admissæ sunt per fidem ad participationem Sacramentorum, Judæis secundum carnalem sensum literaturæ hærentibus, nec pervenire valentibus ad spiritualis plenitudinem intellectus. Assatus est ergo agnus noster in veru Crucis, subter incensis tormentorum carbonibus; nihil crudum aut carnale in eo jam sapimus, nihil elixum aut molle: sed ita illa boni odoris assatio in patibuli flamma induruit, ita solidata est ut nihil in ea ultra supersit vel passibile vel mortale, sed omnino mortis pyra ab antiquo accensa, sanguinis illius consperſione extincta est. Ideoque & sibi & nobis constat inconsumtibilis illius integritas, quia nec corrumpi potest quod omnino est solidum, nec minui quod æternum. Caput ejus cum pedibus edimus, nec abhorremus intrinseca; quia fides nostra in hoc vivit & proficit, hoc fatetur, hoc credit quod *Verbum* quod *erat in principio apud Deum*, *factum* sit *caro* in (*a*) fine seculorum, & majestas divina usque ad infirmitatis nostræ descenderit intestina, nec nostræ fragilitatis abhorruit officinam: & qui erat nostrum principium, ad finem quoque nostrum accessit, constituens nobis in se metam & terminum, per finem temporalem revocans ad finem infinitum; & consocians corporis & capitis gloriam, individua connexione astrinxit in unum. Sic caput, sic pedes, sic intestina comedimus, cum ita altitudinem Christi prædicamus, ut non erubescamus humilitatem; ita infirmum, ut fortitudinem quoque non negemus: ita stultum, ut sapientiam admiremur; quia hoc amplius stupendum est in illo nostræ Redemtionis negotio, quod exinaniri (*b*) sic se passa est divinitatis sublimitas, quam quod in se incommutabilis virtus & incomprehensibilis magnitudo, (*c*) stat in beatitudine sempiterna immobiliter perseverans. (*d*) Atque ita & apud Ezechielem faciem & pedes Dei quasi prima & novissima Cherubin contegunt, media tantum videnda exponunt; quia quæ ante Mundi constitutionem apud ipsum erant, vel quis status rerum futurus sit post judicium ultimum, cibus est fidei & spei: Interim dum intelligere satagit quæ secundum carnem gesta sunt, & humanitatis indagare affectus; quasi ex caritatis ejus visceribus, religionis mansuetudo (*e*) pascitur. Carnem igitur hoc modo comedimus: ossa vero igne comburimus, quia sacramenta quidem (quæ quasi divinæ virtutis caro sunt, & veritatis integumenta) visibiliter secundum suam speciem (*f*) percipimus & sumimus; ipsam (*g*) vero substantiam secundum inintelligibilem & invisibilem statum firmam omnino & solidam, nec frangimus nec minuimus; sed flammis injicimus, id est, spiritualibus intelligentiis commendamus; quod *spiritus & vita* sint in divinis mysteriis, nec fas sit intellectu humano tantæ rei confringi notitiam, quam interim intra se Spiritus Sanctus colligit, *donec evacuato quod ex parte est, perfectum* prodeat palam: & cognoscentes sicut & cogniti sumus; jam hoc non sacramento agamus, sed specie.

Ideo nocte Agnum mactare præcipimur; quia nondum ad liquidum elucet hujus operis ratio, cujus fides ministra est, quam in splendoribus Sanctorum (*h*) deteget veritas, cum novum vinum in regno Dei propinabitur, accensisque lampadibus, Virgines Animæ ad æternas nuptias admittentur; positaque inextinguibili lucerna super candelabrum, omnibus qui in domo erunt lucebit, tam sacramentorum veritas, quam ipsius ratio Trinitatis. Interim sane immensi quæstus res agitur, & (*i*) virtutem invisibilem manifestus effectus eloquitur, fideique certitudinem beneficia indulta corroborant; & ex collatione præsentium, (*k*) firma fixaque est expectatio futurorum. Datur nobis agnus iste ad epulum, datur sanguis ejus ad poculum.

Mandatur extrinsecus liminaribus & postibus domorum nostrarum (*l*) sanguis ipse apponi in signum, ut munitum sit quod patet & quod latet; habeantque caro & Spiritus secura præsidia, cum cibus potusque divinus Animam introrsus alat & vegetet, abigatque extra virtutes contrarias signum Crucis & sanguinis nota. Nec dubium quin omnino formident dæmones Passionis formam, terroremque eis characteris hujus inspectio ipsa incutiat. Etiam ipsos Sacramenta sancta & fidei muniunt signa, quos constat non quantum expedit Christiano (*m*) dogmati & castis moribus conformari, sed (*n*) solius fundamenti obtuitu cui quoquomodo inhærent: (*o*) nec statim propter *ligna & fœnum* quæ (*p*) superponi à negligentibus vident, irruunt Dæmones (*q*) in quoscunque carnales, sed reverentur fundamentum, & (*r*) disparent ad vivificum signum, nec temere accedunt ad consecratam sanguinis balsamo domum. Alioquin, si ad singulos excessus vim suam penitus Sacramentorum subtraheret virtus; & inaniter frontibus errantium Crucis titulus (*s*) pingeretur, nulla spes supereſſet ruentibus. A quibus, licet lapsus articulo Spiritus Sanctus abscedat, manent tamen etiam in reis nec sunt inania sacramenta; ad quæ, ut compungitur qui deliquit, idem Spiritus redit; (*t*) tantaque est Sacramentorum dignitas, ut ipso Spiritu absente, non audeat vis inimica ingredi, nisi desperatione & consuetudine deliberatoque consensu, signum sanctum victa captivaque mens, apostasiæ scalpello eraserit. Hinc est, quod exterminator Angelus, primogenita quæque Ægyptiorum percutiens, viso hoc signo, à liminibus sanguine illitis, quasi increpatus se cohibet; enecatisque Ægyptiis, illæsi incolumesque manent quorum latera frontemque cruoris hujus conspersio rubricaverat. Sic Raab cum esset meretrix, appensa ad fenestram reste coccinea, salvatur, & sola ex Hiericho libera evadit; nec (*v*) patuit domus ejus vastationi & prædæ, quam tam celebris signi reverentia muniebat.

Jubetur etiam, ut festinanter & avide hoc agatur convivium: vestesque itinerarios, baculos habentes in manibus: lumbis præcinctis, panes azymos edant cum lactucis agrestibus: quia tanti operis ministros, nec desides decet esse nec molles; neque viaticum accipientibus exiturisque de Ægypto, quærenda sunt diversoria voluptatum: sed *in exitu de populo barbaro*, simul

(*a*) Finibus, *Bod.* 1, 2. (*b*) Sic passa, *Bod.* 1, 2. (*c*) Statusque beatitudinis sempiternæ immobiliter perseverat, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*d*) Ita &, *Bod.* 1, 2. Item &, *Magd.* (*e*) Depascitur, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*f*) Partimur, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*g*) Vero secundum, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*h*) De se genuit, *Magd.* (*i*) Virtute, *Bod.* 1, 2. (*k*) Fixaque manet, *Magd.* (*l*) Sanguis iste, *Magd.* (*m*) Dogmati & moribus castigatis, *Magd.* (*n*) Et solius fundamenti obtentu, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*o*) Non statim, *Magd. Bod.* 1, 2. (*p*) Superposita, *Magd.* (*q*) In quosque, *Magd.* (*r*) Diffipantur, *Magd.* (*s*) *Sic Bod.* 1, 2. *Magd. Imp.* Pingeretur & nulla. (*t*) Tanta quæ, *Magd.* (*v*) *Sic Bod.* 1, 2. *Magd. Imp.* Patuit.

mul ſe debent componere amaritudo pœnitentiæ & ſinceritas vitæ. Hæc carnaliter aliquando ſicut & cetera Legis ænigmata, profuerunt, dum fides & pietas ad id quod promiſerat veritas, concurrebant: ſed *ubi venit plenitudo temporis, finiſque Legis Chriſtus*, (*a*) quicquid de agno, vel hœdo, vel Juvenca ruffa mandatum eſt; omnia factus ſecundum congruos ſtatus, & in ſe omnia referens juxta proprios intellectus: ceſſatum eſt à multis, ubi unam ſufficientiam poſuit: nec oportuit adhiberi ſignantia, ubi ſignificatum advenit.

Sacrificia de craticula vel ſartagine, zelum fervoremque Sanctorum præloquuta ſunt: ſuffumigationes aromatum, incenſiones orationum, & pia vota affectuſque Sanctorum: incenſi adipes, (*b*) emortuas voluptates: indumenta ſacerdotum, multiplicium gratiarum ornatum continebant. Fœminalia quæ ad operienda pudenda primo loco poſita ſunt, tantam edocent oportere eſſe continentiæ verecundiam, ut ne ſuſpicioni quidem locum relinquat; (*c*) & ita abſcondi quidquid eſt inhoneſtatis notabile, ut nullo caſu ad ea intuenda, zelotes admittatur aſpectus. Sed talem ſe exhibeat converſatio Sacerdotum, quaſi ſine ſexu ſit; & omnino abominetur hujuſmodi labem, (*d*) quinetiam (*e*) confundatur & erubeſcat ad membra communia, ipſamque operiat naturam conſciam ſui, deteſteturque quod poteſt, non quod agit; & quaſi emortuas & fœtidas partes illas (*f*) ſepeliat & abſcondat.

Secunda veſtis, quæ Poderis; id eſt talaris; dicitur, linea eſt: quæ munditiæ perſeverantiam intimabat, & vitæ immaculatæ candorem; quæ ſtricta erat & adhærens corpori, quia ſingularitatem hoc propoſitum diligit, & expeditos eſſe oportet qui ſanctis miniſtrant altaribus, carnemque & veſtem & totam converſationem ſolitariam exhibere.

Tertio loco aderat Balteus, lineam tunicam inter umbilicum & pectus aſtringens; ut in eandem Legem ſub ejuſdem propoſitionis vinculo, mens & actio convenirent; & (*g*) utrumque quadam neceſſitudine ageretur, carnaliſque & ſpiritualis affectus hanc regulam ſibi pari voto conſcriberent, & in idipſum communi ſtudio perenniter conſentirent.

Quartus ornatus erat Tiara vel Cidaris: qui capitis cultus (eo quod domeſtica eſt ibi camera ſenſuum, & propria ſapientiæ domus) indicat, quo philoſophica contemplatio tendat, & quantæ ſit ſapientiæ, eligere cœlibatum. Hæc omnia fieri juſſa ſunt de lino, unde & byſſus aptatur, ut non lateat hujus ſtudii & propoſiti animos, quia multis ablutionibus opus eſt ut ad hunc candorem exercitatus quiſque perveniat; diu torqueri, & longa conſuetudine carnales ſolidari affectus ne tentationum mole facile diſrumpantur.

Et quidem ad caput noſtrum (quod eſt Chriſtus) hac Cidari ſignificante, tota puritatis noſtræ referenda eſt gloria; & tunc demum tuta poterit eſſe perſeverantia, ſi in eo fixa ſit ſpes, & fiducia radicata. Hæc quatuor indumenta minoribus & ſummis Sacerdotibus, ex Lege & decreto erant communia.

Quatuor reliqua, ſunt proprie ſummi Sacerdotis. Inprimis, poſt indumenta prædicta; Tunica hyacinthina ſummus Pontifex induebatur, dependebantque in inferiori ejus parte per circuitum LXXXII. tintinnabula; & inter duo tintinnabula, unum Malum punicum. Omnia erant ex auro puriſſimo, ut totus vocalis ingrederetur in Sancta, ſi aliter ageret, continuo moriturus. Veſtis ſane illa hyacinthina, animam in ſanctimonia enutritam, ad illum profectum indicat pervenire, ut Spiritu vivat, Spiritu ambulet, & à nemine judicetur & omnia judicet. Hoc enim eſt ſummum Sacerdotium, ad hunc apicem ſanctitatis attingere ut totum ſe vir juſtus cœleſtem exhibeat, moreſque ſupernos & divinam exprimat formam; ſolique Creatori mente infixa, individua converſatione inhæreat; hoc totum complectens, tunica hyacinthini coloris inſinuat.

Tintinnabula vero aurea erant: Mala autem ex hyacintho & purpura, cocco & byſſo, in modum ſphærulæ facta; hoc (*h*) ſignificante Spiritu Sancto, quod viri contemplativi quorum *converſatio in cœlis eſt*, & qui *quæ ſurſum ſunt* ſapiunt, *non quæ ſuper terram*; fidei Chriſtianæ doctrinam, & maxime noviſſimum debent populis denunciare terribile Judicium: totuſque eorum inceſſus & ſermo reſonare debent divina myſteria; nec gratiam divinam quæ data (*i*) eſt illis, premere vel ſuffocare debent ſilentio: Quia non ſatis eſt, acceptum in ſudario repoſuiſſe talentum, niſi (*k*) à negotiatione ſervus revertatur cum lucro; nec prodeſt hyacinthina tunica, nec caſtitatis continentiæque inſignia Doctori ſufficiunt, nec pacificus eſt ad Altaria ſancta ingreſſus, ſi negligit annunciare impio viam ſuam, peccatique ſtipendium; cum & ille non habens correctorem, in peccato ſuo pereat; nec proſit Doctori ſua Juſtitia, cum ſanguinem (*l*) errantis Judex de manu ſpeculatoris requirat: nec magnum eſt ſibi vivere, niſi ſatagat & alios ſecum (*m*) vivere. Ut ait Seneca; qui res & homines fugit, qui alios videre non poteſt, ſed velut timidum atque iners animal metu obliituit; nequaquam dicendus (*n*) eſt vivere ſibi, ſed ſomno & ventri. Ideo ingrediens in ſancta Sanctorum, totum vocalem ſe debet ſummus Pontifex exhibere & virtute verbi quaſi floribus odoriferis allicere auditores; (*o*) ut prædicatio quaſi tintinnabulum ex auro puriſſimo, puritatem perfectionemque ſingularis intelligentiæ indicet; & ex omni parte per circuitum ſermo ejus, lucis divinæ intonet claritatem: & ipſi florum colores in hyacintho (ut dictum eſt) cœleſte deſiderium; in purpura magnanimitatem regiam adverſus peccatum; in cocco bis tincto, inflammatum in dilectione Dei & Proximi, piæ mentis (*p*) oſtendat affectum.

Oportet ſane; ut ſacerdotalis actio ſemper ſit & auro ſapientiæ fulgida, & hyacintho ſpei in ſublime (*q*) erecta, & purpura regni (ut debellatrix peccati & in captivitatem redigens dæmoniorum (*r*) monſtra) circumdata; & cocco bis tincto, dilectione gemina, flammea & byſſo retorta, ſemper in oppreſſione & caſtigatione carnis ſolicita. In Malis punicis quæ intra corticem unum contegunt multa grana, virtutum multifaria operatio exprimitur, quæ undique uno caritatis (*s*) integumento ambitur. Et recte tintinnabulis Mala miſcentur, cum ſimul prædicatio & actio cohærent; & doctor (*t*) ipſe, quæ dicit, hæc facit.

(*v*) Sextum deinde additur indumentum, quod Superhumerale dicitur; hoc apud Hebræos etiam Ephod

(*a*) Qui quicquid, *Magd.* (*b*) Deſignant emortuas, *Magd.* (*c*) Et abſcondi, (*d*) Qui etiam, *Magd.* (*e*) Confunditur & erubeſcit ad m. c. ipſamque operit n. c. ſ. deteſtaturque, *Bod.* 1, 2. (*f*) Sepelit & abſcondit, *Bod.* 1, 2. (*g*) Utrumque neceſſ. *Bod.* 1, 2. (*h*) *Sic Magd. Bod.* 1, 2. *Imp.* ſignante. (*i*) Eſt, premere, *Bod.* 1, 2. eſt ſibi premere, *Magd.* (*k*) Ad negotiatorem, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*l*) Erronei, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*m*) Vivere. Quia, ut, *Bod.* 1, 2. (*n*) Eſt etiam vivere, *Bod.* 1, 2. (*o*) Ut & prædicatio, *Bod.* 1. 2. (*p*) Exponat, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*q*) Erecta, purpura regni, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*r*) Monſtra: & cocco, *Bod.* 1, 2. (*s*) Tegumento, *Bod.* 1, 2. (*t*) Verus, quod dicit, hoc, *Bod.* 1, 2. (*v*) Sextum additur, *Bod.* 1, 2. *Magd.*

Ephod appellatur. Hoc Samuel cum puer eſſet, habuiſſe legitur; & David ante Arcam hoc tulit. Sed Ephod, id eſt, ſuperhumerale quod ſummorum erat Pontificum; erat ex hyacintho & purpura & cocco byſſoque contextum. Aliud vero Ephod quod & pro tunica linea accipitur; ſimplex erat & lineum. In hoc Superhumerali, duo lapides onychini auro incluſi inſerti erant; unus in ora una, & unus in altera: & ſculpta erant nomina filiorum Iſrael; ſex in lapide uno, & ſex in altero. Itaque in Superhumerali Pontificis hoc debet intelligi, quomodo in portandis fratrum oneribus officium illud ſe habere debeat, quantaque eis, ex debito regiminis, ſolicitudo incumbat, ut propriis humeris ovem perditam ad ovile reportent. In hoc bonorum operum patientia, in laboribus perſeverantia indicatur. In coloribus vero Superhumeralis, quæ ſit ratio, dictum eſt ſupra.

Quod autem nomina Patriarcharum geſtat in humeris, ob recordationem eorum utique fit; ut videns populus Patrum nomina conſcripta in veſte Pontificis, eorum imitetur juſtitiam, veniatque in memoriam fides Abrahæ, manſuetudo Iſaac, patientia Iſrael, caſtitas Joſeph, diſciplina Moyſis, zelus Phinees, victoria Joſue, Samuelis ſinceritas, David humilitas, eorumque qui de illis XII. Patriarchis egreſſi ſunt Principibus vel Sacerdotibus, recte facta vel dicta: qui *per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* Duplex autem ratio eſt, quare hæc in humeris Pontifex nomina portet: ut & ipſe auditoribus ſequenda Patrum exempla proponat; & ipſe, eos quos verbo inſtruit & exemplo, ſi præoccupati fuerint *in* aliquo *delicto in ſpiritu lenitatis* ferat, & amplius exonerare quam gravare infirmos intendat. Eorum enim onera, ipſum Lege officii ſui ferre neceſſe eſt; & per ſingulos, ſicut diverſi morbi exigunt, cum his qui ignorant vel errant, & infirmari & uri.

Quod autem ſex nomina in ſiniſtra parte erant, & ſex in dextera, in lapidibus Onychinis ſculpta; illud eſt, quod ad conſcriptionem hæreditatis ſupernæ pertinent, non tantum qui probati perfectique videntur, ſed etiam qui minoris æſtimationis habentur: quia imperfectum noſtrum non abjicit divina perfectio, & *calamum quaſſatum non conterit, & linum fumigans non extinguit.* Amplexatur quidem dextera ejus, eos qui digni ſunt promoveri ad oſcula; ſed & læva ejus ſupponitur eorum capitibus, quos imbecillitatis vertigo inclinat, nec patitur lapſos omnino collidi quos corruentes excipit, & piam manum inclinatis ſupponit. Onyx vero, lapis eſt habens unguis ſimilitudinem, albiſque cingentibus zonis igniculos emittit: unde per hunc lapidem, in quo dextrorſum & ſiniſtrorſum nomina XII. filiorum Iſrael ſculpi jubentur; recte (*a*) intelligimus hanc Scripturam pertinere ad Chriſtum qui in carne aſſumta, quaſi unguem ſe nobis exhibuit & operuit multitudinem peccatorum: zonis candidis (id eſt continentiæ doctrinis) cingens electos, & miraculorum igniculis accendens ad fidem, ardebat intus & lucebat exterius. Ipſe eſt autem lapis ille in quo & Lex eſt conſcripta divinitus; & in quo ſcribuntur nomina eorum omnium qui nomen ipſius non aſſumunt in vanum, quos nulla tribulatio vel adverſitas, cum ſemel inſculpti fuerint, eradere poterit vel delere. Ideo à dextris & à ſiniſtris locantur, quia fundatos vel ſcriptos in petra, nec altum concutit nec profundum: quia per arma juſtitiæ, in proſperis (*b*) & in adverſis gradiuntur invicti.

Sequitur indumentum ſeptimum, quod Hebraice Hoſen; Græce (*c*) λόγιον; Latine vero, Rationale vocatur. Hoc ex eiſdem ſpeciebus & coloribus quibus (*d*) eſt Superhumerale, & propter eaſdem rationes aptari jubetur. Duplex vero fit propter lapidum pondus, ne forte rumpatur. Quadrangulum quoque erat, & palmi menſuram tam in latitudine quam in longitudine continens. In quaternario doctrinæ Evangelicæ jugem memoriam accipe: In palmi menſura, plenam juris menſuram, quantum poſſibile eſt operatione humana attingere. Qui enim palmo aliquid metitur, expanſis digitis manum extendit ut poſſit attingere (*e*) in locum quo tendit. Eadem igitur menſura erit piæ intentioni in longitudine boni operis, & in latitudine caritatis. (*f*) Inſerti quoque erant in eo XII. lapides per quatuor ordines; terni & terni in latere uno, & terni & terni in latere altero. Et ſculpta erant nomina filiorum Iſrael in ſingulis ſingula, per tribuum differentias & ætatum. Per quatuor vero Rationalis angulos, quatuor annuli aurei erant, habentes contra ſe in Superhumerali alios quatuor annulos; ut annulus contra annulum veniens, catenulis aureis utrinque ad hoc inſertis, Superhumerale & Rationale invicem jungeret, & mutuo copularet. Sed & uncini erant in Superhumerali infixi, in quibus catenæ inſerebantur, quæ annulos utrinque ſibi occurrentes nectebant. Erant etiam & in lateribus & in ſuperiori parte Rationalis & Superhumeralis, annuli duo in ſummitate, & duo in lateribus; & per ſingulos diſcurrentes catenæ, ſub & ſupra: ut in quatuor angulis & in ambobus lateribus juncturæ adeſſent, & ad ſcapulas & ad extremitates & ad media utrumque indumentum firmæ ſtringerent ligaturæ. Hoc autem indumentum non tantum Rationale, ſed etiam Rationale Judicii, à Domino dictum eſt: In quo doctrina & veritas poni jubentur, & hoc, ſummi Pontificis pectus cum ingreditur in Sancta Sanctorum, ornatur.

Inprimis diligenter attendendum eſt, quod qui hac veſte induitur; in qua, literis, doctrina & veritas impreſſa eſt; conſecratum doctrinæ & veritati pectus ſuum intelligat: neque debere ſecularibus negotiis & (*g*) actionibus & lucris occupari; ſed doctrinam fidei exemplo & moribus indicare: quia omnino infame eſt, abuti ratione, & corrumpere doctrinam, & circumventionibus vel technis opprimere veritatem. Oportet quippe ut omnia quæ agit, moderatrix ratio ſic diſponat, & ſic ſuis locis aptet miſericordiam & judicium; ut cum judicat, ſeveritas non excludat clementiam, & cum miſeretur juſtitiam pietas non relinquat; & ſive percutiat ſive parcat, à veritatis tramite non recedat. Conſiderans igitur loca & tempora & modos actionum, & ætates & gradus; in numero & pondere & menſura, ſingula ſuis aptet rationibus diſcretio Sacerdotis; in cujus pectore horum debet eſſe ſcientia, (*h*) cujus etiam neceſſe eſt vitam eſſe doctrinam: nec ullum locum in anima illa habeat falſitas, quæ ad judicii divini regulam (*i*) quadrare debet quæcunque vel docet, vel agit, vel ſtatuit, vel corrigit.

(*k*) Superhumerale etiam & Rationale, ſibi junctis annulis catenarum complexu ad invicem copulantur; ut puri cogitatus in mente ſancta & rationabiles conveniant

(*a*) Intelligitur, *Bod.* 1, 2. (*b*) Et adverſis, *Bod.* 1, 2. (*c*) *Sic Bod.* 1, 2. *Imp.* λογικὸν. (*d*) Et Superhumerale propter, *Bod.* 1, 2. (*e*) Ad locum, *Bod.* 1, 2. (*f*) Intexti enim erant, *Bod.* 1, 2. (*g*) Factionibus, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*h*) Cujus etiam vita neceſſe eſt ut ſit doctrina, *Bod.* 1, 2. *Magd.* (*i*) Conquadrare, *Bod.* 1, 2. (*k*) Atque ideo Superhumerale & Rationale, *Bod.* 1, 2.

veniant actiones, & omnia vinculo pacis cohæreant, universamque Pontificis dispositionem caritatis complexus astringat. Aderat præter has ligaturas quæ cœlestibus desideriis piisque affectionibus aptantur, præter Ephod quod posterius & anterius Logion conjungebat; Baltheus tam Tunicam hyacinthinam quam ipsum Superhumerale & Rationale superne constringens tanta firmitate, ut trium indumentorum una species esse videretur, & omnia sibi strictim cohærerent: ut daretur intelligi, quanta sit diligentia, sanctitas observanda; cui etiam post tantæ excellentiæ gloriam, post dona virtutum, post agones & colluctationes & victorias innumerabiles, restant plerumque (*a*) circa noviſſima etiam, carnis pericula: (*b*) & necesse est ut semper hujusmodi solicitudo & intus & extra invigilet, ut actionum & meditationum, in finem, illabata gloria perseveret. Etiam summos fulmina feriunt montes. Et nisi hoc Baltheo, etiam cum omnia eatenus bene dispositа fuerint, & ratio & opera jugi nexu stringantur; per motus & impulsus diversarum tentationum disjungi potest & dissilire, quod nullo turbine propellente (*c*) firmum videbatur & competenter dispositum. Baltheus iste ex purpura erat & Byssо retorta, & hyacintho & Cocco bis tincto; in similitudinem pellis colubri in rotundo contextus. Gestat autem sic ornatus Pontifex, nomina filiorum Israel; pro diversis rationibus, in pectore & in humeris. In humeris quidem, à dextra & læva; propter causas prædictas.

Vel ideo in duobus tantum ordinibus, quia noster summus Pontifex, *cujus Imperium super humerum ejus*, Judæis & Gentibus scripturam Crucis reliquit, & eorum nomina Redemtioni intimavit inscripta, quorum linguas Crucis titulus continebat. In Rationali vero, quatuor lapidum ordines distincte sunt positi (ut dictum est) in quatuor ejus extremitatibus; supra terni, & infra terni. In nominibus Patriarcharum quæ hærent pectori summi Pontificis, hoc intimatur quod qui in regimine sunt, semper affici debeant pro his qui ad eorum sollicitudinem pertinent; & quantum possibile est, recordari eorum debent ex nomine, & orationis exhibere suffragia: neque aliud illud pectus occupare debet, quam animarum zelus, quia officii illius est, revocare devios, reconciliare erroneos, confirmare eos qui proficiunt in justitia; & qui deficiunt, cohortari ne desperent de venia. Sed & seipsum etiam ad præcedentium Patrum quorum gestat nomina, conformare debet exempla; ut quorum recolit gloriam, imitetur & vitam; neque ab eorum fide & operibus se alienum exhibeat, quorum actus & titulos circumfert & probat. Quod autem duodenarius numerus in quatuor ordines divisus, per singulas partes, ternarium reddit; accipi non incongrue potest, quod Evangelii quadratura præ omnibus Scripturis insinuat Trinitatem. Et hæc est Apostolica doctrina quæ decem Legis præcepta in duobus consummat; & totum illud antiquarum traditionum dispendium, in dilectione Dei & proximi abbreviat & coarctat.

Sequitur octavus ornatus Pontificis, Tiara videlicet, quam etiam nonnulli vocant Galerum, vel cidarim. Hac etiam minores Sacerdotes utebantur; eratque byssina, circundata coronula aurea, opere textili facta, sicut hodie Phrygium Mitris nostrorum Pontificum (*d*) plerumque consuitur: eratque in modum cassidis porrecta aliquantulum, verticis cacumen in sublime excedens; astringebaturque capiti vitta hyacinthina, ne casu aliquo, immolante Pontifice laberetur. At vero summi Tiara Pontificis, excellentior erat; & præter hæc, laminam auream (quam (*e*) Petalum vocant) fronti habebat insertam: in qua nomen Dei quod apud Hebræos ineffabile dicitur, scriptum erat. Hæc Tiara quæ tegit & ornat caput Pontificis, totamque ejus pulcritudinem coronat & protegit (ut dictum est supra) omnes sensus capitis Deo indicat consecratos; & totam corporis gloriam debere ad caput referri. Totus enim bonæ mentis candor, & sapientiæ splendor, (*f*) prædicationis gratia munditiæque gloria, benignitas caritatis, & quæcumque sanctitatis insignia, ab illo universali capite (*g*) veniunt eo quod totum corpus per connexiones & subministrationes crescit ac proficit, solidatur ac perficitur. Ideoque ad totius candoris indicium, & complanatæ mentis compositum statum, omniumque sensuum concordiam intimandam; Cidaris byssina in capite Pontificis ponitur. In vitta vero hyacinthina quæ Cidarim capiti astringit, hoc intelligitur, quod amor & regni cœlestis desiderium, hujus perfectionis apicem cumulat; & ille respectus (*h*) totas gratiarum connexiones unit & sociat.

Auri vero lamina, cui nomen illud Dei quod definiri non potest ab homine, erat inscriptum; subjectam & suppositam divinæ essentiæ omnem indicat creaturam. In superioribus quidem hoc nomen ponitur, ut quicquid undique est, quantumcumque sit, se cognoscat inferius, se fateatur indignius: & si quid habet candidum, si quid conspicuum, ad illud nomen referat unde accepit, illique excellentiæ devotus ascribat. Hoc nomen tetragrammaton id est, quatuor literarum erat; scilicet יהוה: Cujus interpretatio lingua Hebraica, ineffabile sonat: non quia dici non possit, sed quia (ut dictum est supra) sicut est, nec capi humano sensu possit, nec definiri: In fronte vero hoc nomen Pontifex gerit, *quod* utique *est super omne nomen, cui omne* (*i*) *genu flectitur*; de quo & in Apocalypsi Joannis legitur, quod cum agno stabant supra montem Sion, centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen ejus & nomen Patris ejus, scriptum in frontibus suis. Ibi enim verecundiæ sedes est, & significat professionis nostræ fiduciam; per quam non tantum in nomine gloriæ vel omnipotentiæ Dei, sed etiam in Cruce Christi gloriamur. Unde & ipsæ quatuor literæ; quatuor Crucis (*k*) intimant cornua, de quibus Abacuc ait: *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.* Sic ornatus Pontifex, creaturarum omnium typum portabat in vestibus sanctis, in quarum coloribus, totius mundi similitudinem præferebat. Byssus enim terræ deputatur de qua gignitur, purpura, Mari, quia ex ejus Cochleis tingitur; hyacinthus, aeri cujus speciem habet; Coccus, propter ruborem, Igni vel Ætheri: Justum enim erat, ut Pontifex Creatorem non solum pro Israel, sed etiam pro universo Mundo (qui ex his quatuor constat) rogaret, & indicaret cuncta indigere misericordia Dei; & cum sacrificaret, universalis conditio expiaretur. Nec tantum pro liberis & Parentibus, sed pro omni creatura & voce & habitu precaretur.

Hæc quæ dicta sunt de invisibili Pontifice; ad invisibilia justitiæ ornamenta nos mittunt, de quibus di-

(*a*) Contra noviſſima, *Magd.* (*b*) Si necesse, *Magd.* (*c*) Æquale videbatur, *Magd. Bod.* 1, 2. *Laud.* (*d*) Plerique consuunt, *Magd.* (*e*) *Sic Magd. Bod.* 1, 2. *Laud. Imp.* plateum. (*f*) Prædicationis munditiæque, *Magd.* (*g*) Veniunt ex quo, *Magd. Bod.* 1, 2. (*h*) Tantas gratiarum, *Magd. Bod.* 1, 2. (*i*) Genu curvatur, *Magd. Bod.* 1, 2. (*k*) Indicant, *Magd.*

dicitur : *Sacerdotes tui induantur juſtitiam.* Et alibi; *Erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.* Hæc omnia, ſummus noſter Pontifex indutus *decore & fortitudine*, in Spiritu & veritate conſummavit : & ingreſſus ſacratiore cultu quam Aaron, virtutum ſignificatarum, ipſam rem amplius nos voluit moribus implere quam veſtibus; & lumbos ſpirituali zona ſuccingi præcipiens, ad lucem ſui intellectus cognitionem divinam, ſine carnis mentiſque munditia neminem poſſe pervenire, in illa præcinctione nos docuit. Denique ipſe tunica inconſutili quaſi Podere Pontificali indutus, integritatem caritatis & unitatem Spiritus in vinculo pacis, in eo nos obſervare docuit. Crucem autem quaſi Superhumerale, Sacrificium oblaturus pro populo, humeris impoſuit: & plaga & ſanguis, loco Rationalis; non ſolum intra ſe duodecim filiorum Iſrael nomina concluſerunt, ſed & totius generis humani opus illud complexum eſt naturam; ſicut & infixus capiti titulus continebat, ſcriptus Græce, Hebraice & Latine. Nihil ad ſanguinem Chriſti (*a*) Coccus Legis bis tinctus apparet; ultra ſeptuagies ſepties noſtra tinctura (*b*) procedit : totum pallidum eſt quicquid Lex typice coloravit, & ad comparationem veritatis (*c*) totum marcidum eſt quicquid contextum fuerat in figuris. Nulla hyacinthi comparatio ad carnem Chriſti; quia cum *Verbum caro factum ſit*, totum cœleſte erat quod nulla peccati infecerat macula, nec quicquam ei de ſuo Princeps hujus mundi adliniverat. Nec byſſus nec purpura (*d*) hujus munditiæ vel gloriæ aliqua ratione aptantur; omnia ſuperat ejus poteſtas & ſanctitas, ſanctitudo naturæ, & principatus juſtitiæ; & amplioris gloriæ ſunt, quam fila quælibet torquentibus digitis elaborata, vel conchyliorum ſanguine delibuta. Impoſita eſt (*e*) capiti Chriſti corona pro Cidari, & intextæ illi Serto erant pro bracteis ſpinæ; & pro lamina aurea in qua nomen Dei ſculptum erat, lignum cervici ſupereminens; in quo Pilatus pro Beſeleel, conſcripſerat nomen quo nihil in cœlo vel in terra ſanctius, nihil potentius, nihil mirabilius; JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. (*f*) Hæc ſcripſit Gentilis homo neſciens quia ipſe eſſet Rex etiam Gentium. Ideo autem ſcripſit, utique non intelligens quia ad hunc titulum perventurus erat & jungendus aliquando populus Gentium. Unxit etiam manus Sacerdotis noſtri; imo & caput & pedes & latus, ſanguis Balſamo pretioſior; quem utique puncturæ veprium & Clavorum & Lanceæ exprimebant, & fundebant extrinſecus : eratque omni Oleo liquor ille celebrior; ſanctificationem & emundationem noſtram non ſignificans, ſed conſummans. Hæc & alia multa quæ lex velamine poſito ſuper faciem Moyſi abſconderat, Chriſto transfigurato in Monte, paucis patuere Diſcipulis : & conſummato in Cruce, facta ſunt evidentia univerſis. Ruptum quippe eſt illud velum integumentorum carnalium, & patuit Candelabrum, & propoſitionis Panes, & Altare incenſi, & Cherubin, & Propitiatorium, & Sancta Sanctorum. Petræ quoque ſciſſæ ſunt, & ſepulcra reſerata; quia hæc conſummatio, & lapideis cordibus aperit ſpiritualem intellectum; & ad eos qui mortui erant in peccato, vitalem revocat ſpiritum : ita ut qui deſperati erant, & malæ conſuetudinis inſtitis alligati, in civitate Dei noſtri (quæ eſt ſancta Eccleſia) deinceps viventes appareant; & qui diu fuerant cineres, fiant Doctores; & qui ſepulti, magiſtri.

(*a*) Coccus bis tinctus, *Magd.* (*b*) *Sic Magd. Bod.* 1, 2. *Laud. Imp.* præcedit. (*c*) Totum umbraculum, *Magd.* (*d*) Ejus munditiæ, *Magd.* (*e*) Quaſi Chriſti, *Magd.* (*f*) Hoc ſcripſit, *Magd.*

AD-

ADMONITIO AD LECTOREM.

LIBRARIUS quidam cum Arnoldi de Cardinalibus Chriſti Operibus, ante ſecula aliquot, tractatum venalem habuit: ut meliore pretio eundem venderet, Cypriani nomen ſubſtituit; & pro Adriani nomine cui inſcribebatur, Cornelii repoſuit. Et ſiquidem periculum erat ne ex operis principio fucus detegeretur, (quotuſquiſque enim Lector eſt, qui primam paginam Libri cujuſvis ſibi obvii non inſpiciat) præfationem de ſuo addidit; quæ utcunque inepta ſit, per plures annorum centurias fidem obtinuit. Porro nunc poſtquam dolus detegitur, hoc ſaltem nomine utilis futura eſt, quod exinde licebit ingenium id genus hominum, (qui peſſimæ teredines, libros depaſcuntur & corrumpunt) melius deprehendere.

Additamentum hoc, quod nulli Codices MSS. quos videre contigit agnoſcunt, hic infra exhibemus.

AD CORNELIUM PAPAM, DE CARDINALIBUS OPERIBUS CHRISTI

Uſque ad aſcenſum ejus ad Patrem.

PRÆFATIO.

SOLENT matres infantulis nuper editis, in ipſo vitæ introitu aptare vocabula, & ex aliquibus præcedentibus vel circumſtantibus cauſis, vel ex genere, vel ex eventibus imponere nomina: ut in ipſis primordialibus initiis, quædam præfigerentur commonitoria ingredientibus vitam, ne nomen eis eſſet ad ignominiam, ſi originalis naturæ tradu&io à conſueto limite deviaret, & a virtute patrum degenerans, indigna ſucceſſio monſtri non hominis faciem exhiberet. Reſpicerent potius ad nomina vel officia ſua, quorum inſpectio honeſtæ converſationis formam eis infunderet & doctrinam, ut honorificarent naturales cauſas & rationales diſciplinas, nec in aliquo elementarias amaricarent dulcedines, vel primarias offenderent dignitates. [1] *Nam olim tumultuarie vel inconſiderate nomina rebus imponebantur: ſed ex quo ad Adam adducta ſunt ſingula, ut vocaret ea & propria imponeret nomina, proviſum eſt in populo antiquo & inſtitutum, ut aliqua eſſet in vocabulis ratio, & interpretarentur nomina vitam, & exprimerent aliquam perſonæ proprietatem, ſecundum quam vel differret a ceteris, vel etiam communicaret. Sic in nominibus Patriarcharum Abraham, Iſaac & Jacob magnarum rerum extitere indicia, & præloquebantur ventura, nec deerat impoſitorum nominum* [2] *ſecundum ſenſum ſuorum effectuum certitudo. Apud gentiles etiam non in nominibus, ſed in agnominibus poſtea a viris illuſtribus obſervatum, (ut nobilitas generis vel virtutis gloria poſteros illuſtraret) Auguſti vel Cæſaris titulo ſuccedentem honorare progeniem, & Imperatoriæ dignitatis hæredes primæ originis irradiare fulgoribus. Sic & philoſophi & doctores antiqui tractatibus ſuis nomina prætexere, brevi titulo grandis materiæ latitudinem prælibantes, & propriæ gloriæ, propoſito nomine ſuo, providentes; ut integritatem operis & laborem auctoris, tam ſtyli quam perſonæ in poſterum auctoritas conſervaret; & facile ſcripturæ ſubtilitas indicaret, ſi aliqua manus invida elegantiæ tractatuum elimatorum pannum rudem inſueret, vel nugis ſuis quaſi ſua eſſent quæ alius laudabiliter dictaſſet, furtiva tranſlatione inſereret. Sic in capite libri ſui quiſque auctorem ſe poſuit, ut & ſtylo auctori, & ſtylo auctor famularetur, & auctoritate altrinſeca communis gloria muniretur. Hoc virorum illuſtrium præclara meruerunt ingenia, & per hæc vivax eorum fama & gloria indelebilis perſeverat. Nos vero qui vix intelligimus quæ ab eis dicta ſunt, ſenſu & eloquentia omnino eis impares, ſi quid aliquando ſcribimus, indignum titulo judicamus; ne forte nobilis materia, cujus explanationi ſtudium adhibemus, decoloratam ſe potius quam ornatam, noſtra præſumtione queratur. Verum quia ſolent aliquando patres nugis infantilibus arridere, & linguis balbutientibus delectari; indulgentiam meretur humilitas, quæ quo poteſt acceſſu ſublimitatis veſtræ manibus ſe porrigit attrectandam, non gloriam mendicans, ſed gratiam. Ego quidem nec a me ipſo, neque ab alio quæro nomen, neque enim aliquid me exiſtimo eſſe,* [3] *cum nihil ſim; qui hoc a vobis maxima ſupplicatione quæſivi, ut non eſſem quod ſum, & humiliter ſupplicavi ut ab hac flamma in qua crucior, me veſtra clementia liberaret. Tentavi ſi poſſem manu veſtra me ſuſtinente, honeſte deſcendere: quod quia non potui urgentibus flammis, non attendi quo proſilirem, dum me vorax incendium non cremaret.*

PRO-

[1] *Nam olim tumultuarie.*] Videtur iſte ad Præadamitas accedere.

[2] *Secundum ſenſum ſuorum effectuum.*] *Pamelius ait*, Sic lego ex conjectura, pro *ſecundum ſenſum ſuum.*

[3] *Cum nihil ſim.*] *Pamelius ait*, Plane & iſtud, pro *ſum*, alludit enim ad verba Apoſtoli.

PROLOGUS.

1 SUBLIMES materiæ ſubtilium ingeniorum exigunt tractatores: nec facile de artibus recte judicat, qui artes ignorat. Exercitati in liberalibus diſciplinis ſimul ingenio conveniente & ſtudio philoſopharі poſſunt, & ſecure aggredi res abditas: eorumque conatibus ſe perviam penetrata exhibet difficultas, & ænigmatibus enodatis, rerum ſecretarum facies patet, cujus ſerenitatem velabat nubes oppoſita, & veritati ſuperfuſa caligo. Ideoque tam in divinis, quam in Philoſophorum doctrinis, nec tutum eſt nec honeſtum, ineruditos & ignaros [2] ſenſuum ad literas illas pertinentium, proſilire ad diſcuſſionem eorum quæ neſciunt: & de his ſibi uſurpare magiſterium quæ ignorant.

Hujus rei forma ſeraphim faciem Dei, & pedes velant; & patentibus quæ in medio ſunt, principium finemque majeſtatis divinæ alarum extenſio infra ſuprаque operiens, aditum ad ſe temerariis tractatoribus vel ſcriptoribus interdicit: nec patitur ad liquidum ſe videri divinitas, quam utique inveſtigatio fidelis aliquo modo odoratur vel ſentit; ſed puram ejus eſſentiam nec conſpicit nec comprehendit. Affirmatio quippe de Dei eſſentia in promtu haberi non poteſt; neque enim definibilis eſt divinitas: [3] ſed verius ſinceriuſque remotio indicat negando quid non ſit quam aſſerendo quid ſit. Quoniam quidquid ſenſui ſubjacet, illud eſſe non poteſt, quod omnem ſuperat intellectum. Quidquid audiri vel videri vel ſciri poteſt, non convenit majeſtati: hebes eſt in hac conſideratione omnis acies ſenſuum, & caligat aſpectus. Hanc inviſibilem lucem & inacceſſibilem naturam ſex alis hinc & inde ſeraphim ſtatu & volatu circumeunt & abſcondunt; ſtatu æternitatis immobilitatem monſtrantes, volatu vero altitudinem ejus ſic in ſuperioribus elevatam, ut quantumlibet ad cor altum homo aſcendat, exaltetur Deus, & comprehenſionis importunitatem evadat. Nec tamen alæ illæ, quæ Dei velant ſubſtantiam, noſtros conſpectus diffugiunt, ſed illæ puris mentibus ſe viſibiles exhibent, & operum Dei ratio, ſive eorum quæ ex nihilo ſunt, ſive eorum quæ ex materia vel factæ ſunt vel fiunt, ſe intelligibilem exponit: & quæ circa Deum & quæ ſub Deo ſunt mundi poteſt cordis quoquo modo ſinceritas contemplari.

Prima rerum conditio ſex inſtituta diebus fatetur artificem, & profitetur opus auctorem. Neque enim ſui ipſius artifex eſſe, aut potuit quis novam creare materiam; nec potuerunt multa & diverſa rerum eſſe principia: quia niſi ad unum cuncta reſpicerent, diſcordia & infinitate cuncta turbata volverentur in chaos, & repugnarent & colliderentur in ſe diſcordes materiæ, niſi omnibus factoris auctoritas imperaret: & unius monarchia poteſtatis, univerſitatis cauſas & efficientias ordinaret. Homo itaque præpoſituram in inferiora accepit, ſciens quis (*a*) hunc honorem contulerit: nec tamen ea ſcientiæ perfectione illuſtratus eſt, ut eo modo cognoſceret conditorem, quo ejus cognitioni reliquæ creaturæ ſubjectæ ſunt; ſed diſtantiam maximam experiretur inter ſumma & infima, & ex hoc ipſo eſſet Deo acclivis & humilis, quo auctori ſuo ſe in nullo poſſet conferre, cujus nec effugere dominium, nec penetrare conſilium, nec poterat vitare judicium.

Itaque qui circa ipſum ſunt angelici ſpiritus, licet inviſibilis naturæ ſint; in legationibus tamen ſui ſe auditu manifeſtant & viſu: & ſalutis noſtræ miniſteriales eos ſæpiſſime experimur, quorum officia & nomina in ſcripturis ſanctis habentur. Illa quidem ſuperiora agmina nobis prædicant, non indicant Deum: & nunciant quæ jubentur, [4] (*b*) ſpecialitatem injuncti (*c*) negotii peragentes, non univerſitatis explicantes ſcientiam: quia ad nos numerus & menſura & pondus refertur. Deus vero his omnibus non artatur, ſed excedens omnia & æternaliter antecedens poteſtas & virtus nil habet coævum, nec immenſitatis ejus profundum ulla creatura vel cœleſtis vel terrena metitur. (*d*) Quæ vero ſub ipſo ſunt, implent templum; & præſens Eccleſia cognitionem earum rerum aſſequitur, quæ ad cultum juſtitiæ, quæ ad ordinem vitæ, quæ ad gradus aſcenſionum, quæ ad convenientiam morum, quæ ad honeſtatem hujus converſationis & gratiam pertinent contemplationis: hæc aguntur & exercentur in templo præſenti, & per hæc Deus quæritur, nec tamen quæſitus illico invenitur. Guſtamus, delibamus, odoramus, & prope eſt: cumque acceſſeris, longius abit. Et quomodo fulgur nubes diſrumpit, & repentina coruſcatio non tam illuminat quam hebetat oculum: ita aliquando neſcio quo (*e*) motu tangeris, & tangi te ſentis, eum tamen qui te tangit non intueris.

Dicuntur tibi quædam verba arcana intrinſecus quæ (*f*) efferri non ſufficis, ut dubitare non poſſis qui juxta te eſt, imo intra te (*g*) qui te ſollicitat: nec tamen ſicuti eſt, ſe tibi videndum concedat. Rachel ad odorem, non ad eſum, Liæ mandragoras concupiſcit; tu ſponſo fide, non complexu conjungeris; tu ſpe concipis, donec Chriſtus in te formetur; & depoſito pondere hujus cadaveris, ejuſdem ſint puritatis caro & ſpiritus, & renovata natura ſobolem immaculatam parturiat. Rachel quippe [5] viſum principium ſonat. Quod verbum in principio apud Deum in ſuo proprio eſſe, mihi non patet, ſed quibuſdam nominibus (*h*) Deum invoco & dico: juſtitia, veritas, ſanctificatio, caritas; & quæro aliquas ſpecies vel (*i*) formas, per quas quid ſentio

(*a*) Ei hunc, *Omn. Anim. Bod. Laud.* (*b*) *Sic O. A. Bod. Laud. Imp.* ſpiritalem. (*c*) Officii, *O. A.* (*d*) Ea quæ ſub, *Laud.* (*e*) *Sic Laud. Imp.* modo tu augeris. (*f*) Effari, *Laud.* (*g*) *Sic Laud. Imp.* qui ſollicitat. (*h*) Deum voco, *Omn. Anim. Bod. Laud.* (*i*) *Sic Bod. Laud. Imp.* formas & per.

[1] *Sublimes materiæ, &c.*] In MSS. codicibus præcedit titulus libri inſequentis, Ad Adrianum Papam de cardinalibus Chriſti operibus: *Pamelius ait*, Quum quod Latine Præfatio, Græce dicatur προλογος, cum Morelio ſuſtuli diſtinctionem illam, qua hæc pars Prologus intitulabatur. Progrediebatur ultra Rigaltius, & aſſumentum hoc Prologo prorſus junxit. Ita errorem mutare facilius eſt quam tollere.

[2] *Senſuum ad literas pertinentium.*] *Pamelius ait*, Locus pro difficultate *ſcripturæ.*

[3] *Sed verius ſinceriuſque remotio indicat.*] *Pamelius ait*, Locus obſcurus.

[4] *Spiritalem injuncti negotii peragentes.*] *Pamelius ait*, Apud Remboldum, qui primus hoc opus edidit, poteſt legi, *ſpecialitatem.*

[5] *Viſum principium.*] Rectius *Ovis.* Scriptoribus deduxiſſe videtur à ראה *vidit* & תחלה *principium.*

ſentio quoquo modo intimem. Nam quod verbum caro factum eſt, facilius video (*a*) ſi hoc ſenſui meo quaſi eſu incorporo; principium autem illud vix remotiſſimo odoratu quaſi pertranſiens ſentio. Illa quidem intellectualia per viſibiles creaturas, quantum fas eſt animæ videre vel prævidere, divina mente à longe proſpicimus; (*b*) in multis per opinionum & conjecturarum pelagus (*c*) circumducti, in multis veritati hærentes, in multis magnitudine rerum oppreſſi, exclamamus cum Apoſtolo: O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Cordi igitur noſtro ſe offert Deus, & aliquid ſui luminis infundit invitans & provocans. Niſi enim aliquo modo ſentiretur, nec appetendi, nec inquirendi ſpes eſſet aliqua vel facultas. [1] Sed quia ex parte ſentitur, admirationi eſt odor ille & ſapor, nullam habens cum carnalibus dulcedinibus ſimilitudinem, & per omnia ſuavitate differens, eoque deſideratur copioſius, quo cetera delectamenta excedit. Deſiderium autem inquirentes purificat, & purificatio excluſis enormitatibus ad formam Dei provehit aſcendentes: atque ita in (*d*) opere ſuo imago & ſimilitudo Dei multis laborioſiſque provectibus propriam ſibi demum (*e*) vendicat dignitatem.

Ad hanc rerum adeo profundarum indaginem niſi incarnati Verbi magiſterium acceſſiſſet, humana deficiſſent ingenia; & neſcio ſi & aliqui auderent ad hæc tentanda conatus aſſurgere: ſed aſſociata carni divinitas, aſſumtam naturam ex parte voluit eſſe ſuæ claritatis conſortem, & apertis cœlis ſuper doctorem & Dominum noſtrum ad ſuperiora noſtrum (*f*) introduxit aſpectum: & vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti à Patre: & de plenitudine gratiæ & veritatis quæ in ipſo eſt, inſtillata eſt nobis aliqua portio. Et cum Philippo audivimus: Qui videt me, videt & patrem. Nec tamen in hac viſione plena poteſt eſſe (*g*) ſufficientia, donec in ſplendoribus ſanctorum in die virtutis ſuæ agnoſcatur [2] ratio gignentis & geniti & procedentis; quam (*h*) oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ad liquidum hucuſque aſcendit.

In his omnibus quæ dicta ſunt omnino ſenſum noſtrum materiæ excedit ſublimitas, & ſtylum repellit moles nimii ponderis, & (*i*) aſcenſionis arduæ difficultas: ſed præcepti veſtri, Pater excellentiſſime, me coegit neceſſitas, ut tentarem, ſi forte importunitate ſtudii aliqua poſſem de ſanctuarii ſupellectile vellicare, & reducto in partem velamine, arto ſubtilique aditu propitiatorium intueri. Præſumſit meditatio aſpicere à longe, & annos æternos inquirere, & quid ante tempora ſecularia eſſet indagare; ſi tamen ſeculum vel tempus dici poteſt ante lucem & diem & ſolem; & quomodo ante cauſas elementarias & materiales origines illa æternitatis infinitas ſe haberet; ſi illa omnipotentia apud ſe ſolitaria eſſet, & miniſteriales ei deeſſent ſpiritus, & maneret apud ſe illocaliter ſempiterna divinitas, & in quo eſſet ſapientiæ (*k*) regnum, [3] cum non eſſet quod regeretur, & uſu ſpecieque careret illa inanis antiquitas. Ab his omnibus repulſus, ad ſecularia viſibilia compulſus ſum redire, & utinam me ipſum cognoſcam & ſciam.

Quod ſi animæ meæ, quæ corporis mei obtinet principatum, nec originem ſcio, nec metior quantitatem, nec qualis ſit intueri ſufficio; ſi ignota eſt mihi ratio quare ipſa delectetur in corpore perſecutore ſuo; ſi neſcio quis hanc legem membris (*l*) inſculpſerit, ut tam violenta dominatione ſpiritum opprimat, & melior digniorque natura deteriori ſuccumbat; patienter me ferre oportet, ſi operatorem univerſitatis non intelligo, qui in minimis operationum ſuarum particulis meam profiteor cæcitatem.

Inſolubilis videtur hæc quæſtio, quare homo rationabilis in negata nitatur & vetita, & ſemper illicitis delectetur. Omnino rarum eſt & difficile, fieri bonum: facile & pronum eſt, eſſe malum; & hac ſine magiſtro, ſine exemplo doctrina; ſtatim à pubeſcentibus annis imbuimur & docemur. Vide in ipſis qui ſanctimoniam profitentur, quæ religio manum claudat porrectis muneribus, quæ ſolitudo aures obſerat oblatis favoribus, quæ gula communibus eſt contenta ſaporibus. Quis non ſe habeat vilem, ſi videat humilem? Quis non putet opprobrium, ſi ſe ſentit inglorium? Quis enumeret voluptatum potius monſtra quam ſpecies, (*m*) quæ [4] per concupiſcentiæ carnis (*n*) invitam animam trahunt, clam palamque de conclavi ad forum, de lupanari ad theatrum? In primis abraſa verecundia, pudoreque convulſo, non abſconditur ſcelus, nec nutat ratio, nec diſcretio reluctatur carnis affectibus captivus ſpiritus conſentaneam exhibet clientelam. Hoc ipſum quod dico, carnis affectus, improprie dico; quia hæc vitia proprie animæ ſunt, quæ ſentit & movet & vivit: cui imputatur peccatum, [5] quia ipſi datum eſt arbitrium, & judicium, & ſcientia, & potentia, per quæ poſſit (*o*) improbare malum, & eligere bonum. Corpore autem ſic utitur anima, ſicut faber malleo vel incude, in (*p*) qua format omnium turpitudinum Idola, & fabricatur quælibet quarumcumque voluptatum ſimulacra. Non eſt caro dictatrix peccati, nec inventrix malitiæ, nec cogitatus format, nec diſponit agenda; ſed officina eſt ſpiritus, qui in ea, & per eam, quæcumque affectaverit, peragit & conſummat. Quod autem ipſa inſenſibilis ſit, ſpiritu recedente dignoſcitur: poſt cujus diſceſſum, nulli apta uſui ſupereſt putredinis maſſa & paludis acervus. Quidquid enim ſentit, à natura corporis alienum probatur.

Quod vero caro adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem contendere dicitur & repugnare, improprie arbitror dictum: quia ſolius animæ lis iſta eſt, quæ ſecum rixatur, & cum proprio arbitrio litigat, certior in hujuſmodi quæſtionibus quid bonum ſit, quid malum, quam in aliarum rerum inquiſitionibus quid verum ſit, quid falſum. Nam in abditarum cauſarum inſpectionibus & ſecretis naturæ, poteſt homo errare vel decipi; quia non per omnia à fine uſque ad finem intellectus humanus attingit; ſed in his quæ oculis & manibus ſubjacent, nulla ſubtilitas judicium impedit: quia fœtentia à non fœtentibus, decora à turpibus, amara à dulcibus, dura à ſuavibus, & à diſſonis conſonantia facile diſcernuntur. Sed deſiderii ſui

(*a*) Et, *O. A. Laud.* (*b*) Et in, *O. A.* (*c*) Introducti, *Laud.* (*d*) Omni opere, *O. A.* (*e*) *Sic O. A. Laud. Imp.* indicat. (*f*) *Sic Bod. Laud. Imp.* introduxere. (*g*) Fidei ſufficientia, *O. A. Bod. Laud.* (*h*) Quam nec oculus vidit, *O. A. Laud.* (*i*) *Sic O. A. Laud. Imp.* aſcenſiones. (*k*) Regimen, *O. A. Laud.* (*l*) Membris meis, *O. A.* (*m*) Per quæ, *O. A. Bod. Laud.*. (*n*) Victam animam, *O. A.* (*o*) Reprobare, *O. A. Laud.* (*p*) Quo, *O. A. Bod. Laud.*

[1] *Sed quia ex parte ſentitur, admirationi eſt odor ille & ſapor.*] *Pamelius ait*, Manutius & Morelius: *dolor ille*: ſed non placet.

[2] *Ratio gignentis & geniti & procedentis.*] *Pamelius ait*, En diſtinctionem perſonarum Trinitatis.

[3] *Cum non eſſet quod regeretur.*] *Pamelius ait*, Manutius & Morelius *gereretur*: at illud placet, quia præcedit, *regnum.*

[4] *Per concupiſcentiæ carnis vitam animam trahunt.*] *Pamelius ait*, Cenſeo legendum *per concupiſcentias carnis*, *invitam animam trahunt.*

[5] *Quia datum eſt ipſi arbitrium.*] *Pamelius ait*, Locus pro libero arbitrio.

[1] *Et*

ſui veneno mens ebria, corpus contumeliis applicat, & junctis complexibus ambo in mortiferas ſuavitates elapſi, obdormiunt. Cumque evigilaverunt, ſero pœnitentiam adducit confuſio, & inquinamentorum horror fœdatæ menti occurrit.

Et in ceteris omnibus quæ maligne patrata ſunt, hujuſmodi ultio peccatorem perſequitur, & ipſe libidinum labe crapulatus (*a*) ſe convomit. Sed avaritiæ ſolius & quæſtus ardor nec ſatiat cupidum, nec pœnitet eum cumulaſſe quod creſcere optat, non minui: [1] & diſcola obſtinatus ſemper quid idolo ſuo immolet, ſedulus coacervat. Unde hæc ſitis divitiarum miſeris pectoribus aſſidet, & ambitionis ſalſugo bibulam animam occupat; ut per fas & nefas ad loca ſuperiora etiam de latebris eremi nonnulli ſe ingerant: & de omni gradu ubi aliquis aditus patet anheli prodeant, diſcurrant ad judices, blandiantur mediatoribus, conducant auxiliarios, & modis omnibus elaborent, ut ſedeant cum principibus; eo quæſtu, ut maledicat Deus quod ipſi benedixerint, & benedicat quod maledixerint. Hæc lex peccati, quare in his & ſimilibus legem juſtitiæ opprimat, & quare enervata ratio cum ſtare poſſit, tam miſerabiliter ruat, difficile eſt aſſequi; [2] maxime cum defectus iſte à damnationis ſententia pendeat, & hanc inevitabilem pœnam antiqua tranſgreſſio ſit ſortita.

[3] (*b*) Ergo ſi me ipſum neſcio, ſi animæ meæ ſubſtantiam & naturam ignoro, ſi eorum quæ intra me ſunt rationem non intelligo; qua audacia ſupra me erigam oculos, ut videam principium ſine principio, & finem ſine fine attingam? A talibus auſibus deſiſtendum excellentia majeſtatis imperat, etiam ipſa impoſſibilitas omnes ingenii noſtri conatus repellit. [4] Quia in paradiſo poſiti ſumus, & in eſu reliquorum fructuum data eſt nobis licentia, à ligno æternitatis illius & inveſtigatione divinitatis ſempiternæ interim continentes? ſcientiam boni & mali intelligamus non nobis prohibitam quaſi veneno infecta ſit ligni hujus natura, ſed quia ea debet ſcientiæ boni & mali reverentia exhiberi ut nemo malum experimento contingat, quæ utique experientia ideo juſtiſſime damnabile eſt, quia quantum in ſe eſt omnem plantationem divinam deſtruit & eradicat, nam malum nihil aliud eſt quam remotio boni, & quiſquis bonum avellere nititur evacuare quod bonitas ſuperna plantavit molitur; lignum quippe vitæ poſt peccatum eſt interdictum, lignum ſcientiæ boni & mali, ante peccatum prohibitum; ſcientia quippe boni nunquam vetita eſt, ſed ubi peccatum tranſgreſſor expertus eſt, abuſus libertate arbitrii & à paradiſo expulſus, voluptatis poſſeſſor eſſe non potuit, nec facilis ad lignum vitæ reditus fuit, nam mors ſecuta eſt peccatum, & hæc inevitabilis lex uſque hodie ab Adam in ejus ſobolem perſeverat; verum in Chriſti ſanguine amoto flammeo gladio, & aditu ad virtutum coloniam patefacto, jam propior acceſſus conceditur, & exhæredatus homo tam libertate quam hæreditate donatur.

Deambulemus igitur in paradiſo voluptatis. Ea igitur quæ licita ſunt & conceſſa tangamus, & circa cunabula Salvatoris prima infantiæ ejus fercula deguſtemus; & circumciſi & loti victo diabolo, (*c*) Sanctificatiſque affectibus in cœna cum Domino recumbamus; ubi pane angelorum refecti, poſt illius cibi delicias ſurgamus ad tranſitum, ut de hoc mundo vehiculo crucis evehamur ad cœlum; Spiritu ſancto nos replente, qui deinceps nos doceat, & patefaciat quidquid in exilii hujus peregrinatione moles corporis & imperfectionis lippitudo fecit obſcurum. (*d*) Librum igitur quem de cardinalibus Chriſti domini noſtri operibus ſcripſi, paternitati veſtræ (ſuppreſſo nomine noſtro) miſi; in quo fons ſacramentorum eſt & diſciplinæ hujus in qua ſtamus origo; formam & exemplar recte vivendi nobis proponens, ab (*e*) humili Chriſti adventu uſque ad glorioſum ejus reditum ad patrem gradatim (*f*) conſcendit: quem potius in mente (*g*) noſtra quam in pagina ſcribi deſidero; & utinam in ſanctitatis veſtræ conſpectu, memoriam & recordationem noſtri ſupplex mereatur affectus.

(*a*) Secum vomit, *Omn. Anim.* (*b*) Ego ſi, *O. A. Laud.* (*c*) *Sic O. A. Laud. Imp.* ſanctitatis. (*d*) Libellum, *O. A. Laud.* (*e*) *Sic Laud. O. A. Imp.* humili adventu. (*f*) Humiliens, *O. A. Laud.* (*g*) Veſtra, *Bod.*

[1] *Et diſcola obſtinatus.*] *Pamelius ait*, Diſcola pro idololatra.

[2] *Maxime cum defectus iſte.*] *Pamelius ait*, Ita appellat peccatum originale.

[3] *Ergo ſi me ipſum.*] *Pamelius ait*, Hoc rurſum ex conjectura Cauchii, pro *ego*.

[4] *Quia in Paradiſo.*] Hæc omnia ex MSS. codicibus Bod. 1, 2. & O. A. addita uſque ad *Ea igitur quæ* licita ſunt.

DE NATIVITATE CHRISTI.

ADEST Chriſti multum deſiderata & diu expectata Nativitas, adeſt ſolennitas inclyta; & in præſentia Salvatoris grates & laudes viſitatori ſuo per orbem terrarum (*a*) ſancta reddit Eccleſia. Gaudia nobis cœlitus nunciantur, lætitia imperatur. Nox iſta ſacri partus conſcia, novis fulgoribus illuſtratur. Gloriantur in cœleſtibus ſuperi, pax in terra bonæ voluntatis hominibus confirmatur. Adſunt angeli, loquuntur paſtoribus; non dedignantur loqui perſonis humilibus, & cum ipſi ſublimes ſint, infimos non aſpernantur. Nec luce inſolita, nec angelorum terrentur paſtores præſentia; ſanæ & puræ fidei homines delectantur in eo quod audiunt conſonas laudantium voces (*b*) cœleſtes, gloriæ & gratiæ divinæ præconia modulantes. Nec ſatis fuit (*c*) ſuperis arcana referare cœleſtia, etiam hominibus pax reddita nunciatur, & bonæ voluntatis novi muneris largitate conſecratur affectus. Opor-

(*a*) Sacroſancta, *Laud.* (*b*) Cœleſtis gloria, *Omn. Anim.* (*c*) *Sic O. A. Imp.* ſuperius.

Oportuit bonum Dominum certificare & lætificare in adventu ſuo bonas expectantium voluntates: & ſolutis antiquis inimicitiis quæ inter ſemen ſerpentis & ſemen mulieris ab initio fuerant, & contrito capite venenato, hoſtiles inſidias calcaneo hujus ſobolis aſſiſtentes prærogativa novæ ſobolis diſſipari.

Unus Gabriel virgini obumbrationem virtutis altiſſimi nunciat; & multitudo cœleſtis exercitus gratulabunda Salvatorem mundi prædicat adveniſſe, & reconciliata terreſtria ſuperis canit (*a*) & conſilium antiquum prodiit palam, nec jam ſecretum eſt; ſed innotuit publice in conſpectu gentium revelata Chriſti benignitas, & oblata mundo in nullo à nobis differens, excepto quod peccati expers fuit, Salvatoris humanitas. A ſupernis legationibus incipit Evangelium, cujus primi dictatores Angeli extiterunt. Nec jam in manibus prophetarum ſimilitudines & ænigmata involvuntur; ſed angelorum jubilo, & hominum ſtylo, & [1] evidenti rerum indicio conſtant & conſonant ſimul promiſſa & data, umbriſque remotis, Lex & Evangelia ſunt unita. Multiplicantur teſtes, & militia cœleſtis conclamat, credit paſtorum cuneus & exultat.

A ſapientibus & prudentibus non quærit teſtimonium, qui parvulis ſe revelat. In hujus doctrinæ initio ſtatim faſtus & ambitio condemnatur. Non colores rhetorum, non inductiones perſuaſoriæ adducuntur; ratio & miracula harum rerum ordinem complectuntur. Inprimis ſigna ſe fidei miſcuerunt; & maxima in hoc efficacia dogmatum fuit, cum ſimul verbis & rebus actum eſt, ut nullum infidelium repugnantia inveniret diffugium. Nox illa omni luce clarior; ſermones angelici pacem hominibus nunciantes, deſignato loco Bethleem, ad quærendum puerum cohortantur paſtores. Illi amplius mente quam oculis carnalibus illuminati, ad conſpiciendum Emmanuel feſtinant: & edocti intus inviſibili magiſterio Spiritus ſancti, quem parvulum vident, confitentur immenſum; & piæ ei devotionis affectum præſentant. Electa adeſt humilium perſonarum ſimplicitas; ut ponatur regula, & indiſſolubilis daretur forma, quod non niſi pauperibus ſpiritu, Chriſti pateret humilitas: nec ſuperbos ad intuitum ſui poſſet admittere veritas.

Veniunt in Bethleem; quem prædixit Gabriel, invenitur Emmanuel; civitas parvula, domus pauperecula, ſupellex exigua. Nulla domus ambitio, ubi reclinatorium in ſtabulo; mater in fœno, filius in præſepio. [2] Tale elegit fabricator mundi hoſpitium, hujuſmodi habuit delicias ſacræ virginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro byſſo in ornatu regio, laciniæ congeruntur; genitrix eſt & obſtetrix, & devotam dilectæ (*c*) ſoboli ipſa exhibet clientelam, attrectat, amplectitur, jungit oſcula, porrigit mammam. Totum negotium plenum gaudio; [3] nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio. Pediſſequas ſubſtantia familiaris non patitur; mancipiorum obſequia ſumtus tenuis & inops menſa excludit. Nullum domus arta diverſorium occultabat, nec ſecreti receſſus erant illius caſulæ; [4] incruſtaturam & tectum, ſoli parietes per circuitum veſtiebant. Nec locus ibi erat lavacris, quæ ſolent puerperis præparari, quippe nec aliqua naturæ injuria matrem Domini læſerat; quoniam ſine tormento peperit; quæ in conceptione caruit voluptate: & tamen conſuetudinem ſequens, ut legi ſatisfaceret, quaſi cum aliis mulieribus eſſet ei in hoc opere ratio ſimilis, diebus deſignatis recubuit, & depoſiti oneris laſſitudinem profeſſa, oblatæ quieti paruit: & in diebus ſeparationis non ſe à thoro Joſeph, (*d*) qui eam nunquam tetigit, ſed ab ingreſſu templi & ceteris quæ lex prohibebat, continuit. Ultro maturus ab arbore bajula fructus elapſus eſt: nec oportuit vellicari, quod ſponte prodibat. [5] Nihil in hac re petiit ultio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum uſuram. Spiritu ſancto obumbrante incendium originale extinctum eſt; ideoque innoxiam affligi non decuit, nec ſuſtinebat juſtitia, ut illud vas electionis communibus laſſaretur injuriis; quoniam plurimum à ceteris differens, natura communicabat, non culpa. Eratque (*e*) ei proprium privilegium, quod nulla mulierum nec ante, nec deinceps meruit obtinere, quod erat ſimul mater & virgo ſingulis titulis inſignita. Unde & matri plenitudo gratiæ debebatur, & virgini abundantior gloria; quæ carnis & mentis integritate inſignis, ſpiritali & corporali intus & extra Chriſti præſentia fruebatur.

Ornamenta quæ deerant, etiam ſi adeſſent, non haberent oculos inſpectores: quia præſentia parvuli, ſic eorum qui aderant, Joſeph, [6] & ſi quis forte alius ibi erat, oculos occuparat, ſic illuminaverat animos, ſic corda illexerat; ut in (*f*) hoc ſummo bono omnium bonorum unita collectio videretur: nec opus eſſet (*g*) evagari & mendicari per partes, quod ſimul in ſe uno fidelibus omnipotens infantia præſentabat. Angelica ſane non eſt credendum ibi miniſteria defuiſſe; nec receſſerat à venerabili pectore matris Spiritus ſanctus ad verbum Gabrielis elapſus. Poſſidebat domum ſuam, & templum quod ſibi conſecraverat adornabat: ſervabat ſacrarium ſuum, & ſanctimoniæ thalamum honorabat. Lætificabant conſolationes hujuſmodi animam benedictam, & tanti habitatoris reverentia concupiſcentiarum ludibria abigebat; legem mentis lex carnis non infeſtabat, rebellio nulla (*h*) quietem ſpiritus affligebat. Parvulus ſugens ubera pura alimonia utebatur, & fons ſacri pectoris defæcatum edulium ori mundiſſimo infundebat. Sed & cor matris quædam dulcedines, quæ humanum ſuperant intellectum, imbuebant: eratque utrinque mira jucunditas, cum pia ſanctæ matris & devota humilitas, & ſancti ſanctorum immenſa benignitas conſœderatis affectibus (*i*) mergerentur.

Extrinſecus nuda erant & egena quæ videbantur, [7] nihil in illa paupertate videbatur divinum, niſi his quibus

(*a*) *Sic MSS. Bod. & O. A. Impreſſa habent*, Et multiplicatis teſtibus certa præſentiæ ſuæ dare indicia, ut jam non expectaretur quaſi venturus, ſed qui venerat, videretur; & eſſent angeli quem ſibi nova Chriſti infantia conſecrarat, ſancti ortus & loci indices. (*b*) Conceptu, *Bod.* (*c*) *Sic Laud. Imp.* ſoboli exhibet. (*d*) Quem nunquam, *O. A. Bod. Laud.* (*e*) Ibi, *O. A.* (*f*) Hoc uno, *O. A. Bod. Laud.* (*g*) Vagari, *O. A. Laud.* (*h*) *Sic O. A. Imp.* quem. (*i*) Jungerentur, *Bod. Laud.*

[1] *Evidenti rerum indicio, conſtant & conſonant ſimul.*] *Pamelius ait*, Ita lego pro eo quod corrupte legebatur, *judicio conſtat.*

[2] *Tale elegit fabricator mundi hoſpitium.*] *Pamelius ait*, Hoc quoque lego; pro, *tale egit.*

[3] *Nullus dolor.*] *Pamelius ait*, Prorſus ſic lego ex conjectura Cauchii, pro *dolus*, eo quod ſequatur *nulla naturæ contumelia in puerperio*; præſertim quum in ſequentibus latius hoc proſequatur.

[4] *Incruſtaturam & tectum ſoli parietes veſtiebant.*] *Pamelius ait*, Magis placet lectio Marginalis apud Remboldum & alibi, quam quod in textu eſt *incraſtaturam.*

[5] *Nihil in hac re petiit ultio.*] *Pamelius ait*, Iſtud etiam ex conjectura Cauchii, pro *ultro.* Facit autem hic locus pro immunitate B. Virginis à peccato originali, & præſertim ſequentia.

[6] *Et ſi quis forte alius ibi erat.*] *Pamelius ait*, Irrepſerat vitio operarum ſuperflua hic negatio apud Manutium.

[7] *Nihil in illa paupertate videbatur divinum, niſi his.*] *Pamelius ait*, Etiam hoc recte legit Cauchius, pro *non his.*

[1] *Quin*

quibus revelatum eſt deſuper; quorum primi fuere ſupra memorati paſtores, quorum innocentia & ſimplicitas electa eſt, ut laus Chriſti perficeretur: [1] (a) cum piſcatores & paſtores ſequentibus temporibus confunderent oratores, & à pauperibus & humillbus prædicatio paupertatis [2] haberet initium.

Execrari ſolent Ægyptii hoc hominum genus, & abominabiles eis ſunt oves & pecora. Sed hujuſmodi officium ab initio auctoritatem obtinuit: & Abel paſtor munera de gregibus ovium obtulit; quæ in eo quod cœlitus inflammari viſa ſunt quod grata eſſent Deo, cunctis innotuit. Paſtores Abraham, Iſaac & Jacob viri Deo familiares: paſtores Patriarchæ duodecim: paſtor ipſe Moyſes, qui in eremi receſſu dum ſequitur pecudes, in rubo conſpicit Deum, & poteſtate ſignorum collata, populi recipit principatum. Heliſæus de aratro propheta conſtituitur: David de poſt fœtantes accipitur, & in regni ſolio collocatur. Agnum quem abominatur Ægyptius, ſacrificari ſibi præcipit Deus, ejuſque ſanguis Iſraelitarum poſtibus illitus, exterminatorem angelum repellit & abigit; nec timetur mortis periculum, ubi tantæ reverentiæ conſpicitur ſignum.

Ad umbram Petri languentes conſurgunt; Apoſtolis ſubjiciuntur dæmonia; cedit idiotis reproborum eloquentia: prædicante Paulo captivas complicant manus gentes & regna. Pauperes electi, ſuperbi neglecti; nec faſtus, nec aſtus circa Chriſti diſcipulatum aliquem obtinent locum: Chriſtus pauper diſcipulos divites aſpernatur. Pauper mater, pauper filius. Inops hoſpitium, his qui in forma hujus ſcholæ in Eccleſia militant, præbent efficax documentum. Hunc in cunabulis adoravere paſtores; & parvulum confitentes Deum; ſimpliciter argumentoſi in ſpiritu & veritate, quem adoraverunt, noverunt. Fuerat quidem miraculum, quod apertis cœlis, lux fulgoris inſoliti nocte ſuper eos fulſerat, quod auditi angeli & conſpecti, quod ab ipſis fuerant edocti & inſtructi paſtores. Sed licet hæc præceſſiſſent, tamen circa infantiam pueri divinitatis intimatæ nulla (a) humana ratio præbebat experimentum: nec circa illius præſepii anguſtias, vagiente inter alligaturas infantulo, aliquod majeſtatis erat indicium, ſed auditui fides obtemperans, nullum apud Deum impoſſibile verbum credidit; & per Spiritum ſanctum ad ſacramentum hoc intelligendum ſubtiliſſimis eſt intelligentiarum acceſſibus introducta: idemque ſpiritus qui longe ante prophetas docuerat, etiam nunc humilium mentibus ſe infundens, dilatabat humani intellectus anguſtias, & aperiebat interiores oculos; ut viderentur inviſibilia, intelligerentur ea (c) quæ humanus non attingit ſenſus, nec rationis penetrat intellectus.

Hinc eſt quod prædixerat Eſaias: Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Hoc potuit videri, (d) hic nullum fides meritum quærit. Quod autem ſequitur, vocabitur nomen ejus Emmanuel, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, pater futuri ſeculi, princeps pacis, ſi clauſi ſint oculi mentis, exterioribus oculis neſcio quid mireris. Qui nec dum loquitur, quomodo conſiliarius erit? parvulus, quomodo creditur omnipotens Deus? omnino infirmus, in quo videbitur fortis? nihil omnino poſſidens, ad apicem regni & principatus faſtigium quibus aſcenſionibus attinget? Sed ſi fide (e) myſterium proſequaris, in his omnibus ſubtiliſſimas & puriſſimas rationes invenies, & quod omnino neceſſe fuit immenſum fieri parvulum, & filium Dei hominis filium evidenter agnoſces. Mirabitur etiam & dilatabitur cor tuum, quando intelliges profundiſſimum ſacramentum in eo quod contemtibilis factus eſt admirabilis, & qui literas non didicit, nec legibus inſtructus eſt, ſufficiens ſit divinarum humanarumque rerum conſiliarius: quomodo divinitas & humanitas in unam perſonam (f) convenerunt, & ubi æſtimata eſt infirmitas, fortitudo inventa eſt; [3] ut corpus humilitatis noſtræ divinæ claritati configuratum, non in hoc mundo, ſed in cœleſti gloria perpetuum habeat principatum.

Ad parvulos venit Chriſtus, & cum parvulis converſatur; pauperes inſtruit, & creat, & facit. Ipſe in ſynagoga Judæorum in Eſaiæ volumine cum legiſſet in ſabbato, complicato libro prophetiam hanc in ſe completam edocuit, quod à Spiritu ſancto unctus ſit, & ad evangelizandum pauperibus pater eum miſerit. Idem in Evangelio gloriatur, & confitetur Domino cœli & terræ, gratias agens quod revelata ſunt divina myſteria parvulis, à quorum intellectu ſublimitas hujus mundi repulſa eſt; quæ Deo ſubjici non poteſt, dum ſecundum carnem & ſanguinem inviſibile ipſius ſuis regulis inveſtigat. Hic eſt primus religionis introitus, ſicut in mundum primus Chriſti ingreſſus; ut quicumque pie vult vivere, humiliter de ſe ſentiat, neque ſupra ſe in mirabilibus ambulare præſumat. Fundamentum ſanctitatis ſemper fuit humilitas, nec in cœlo ſtare potuit ſuperba ſublimitas. Hanc primam gratiam ingrediens mundum noſter parvulus attulit: & à cunabulis nos ſibi conformes fieri volens, teneri voluit in vita, quod exhibuit in perſona.

Quia vero filii Dei ſumus, (g) humanitatis participatione frater noſter fieri voluit, ut eſſemus ſecum beatitudinis cohæredes, & haberet tota compoſitio hominis perfectam plenamque lætitiam, cum ſpiritus divinam repræſentaret imaginem, & caro noſtra Chriſti corporis ſimilitudinem; conſummatæ ſocietatis beneficium (h) obtineremus cum nominis Chriſti & hæreditatis conſortes, & divinæ naturæ communicamus per ſpiritum, & humanæ per corpus. Juravit Dominus, & non pœnitebit eum; & promiſſionum ſuarum non immemor, ſicut ſe daturum nobis juraverat, ſic complevit. Filius datus eſt nobis: qui cum in forma Dei eſſet, ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus, non eſt confuſus ſe ad formam ſervi exinanire, ut qui de fraternitate ejus gloriantur & volunt aſcendere, non erubeſcant deſcendere; ſed eidem ſcalæ cum Jacob innitantur, & cantantes canticum graduum, ab imis ad ſuperiora conſcendant. O Domine, quam admirabile eſt nomen tuum, vere tu es Deus qui facis mirabilia.

Non modo mundi hujus (i) ſtructuram admiror, non ſtabilitatem terræ, cum eam complectatur volubile firmamentum; non ſingulos dies, non lunæ defectum & incrementum, non ſolem ſemper integrum & laborem ejus perpetuum; non temporum viciſſitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, & quæ

(a) *Sic O. A. Bod. Imp.* quin. (b) Nulla ratio, *O. A.* (c) Ad quæ, *O. A. Laud.* (d) Hic fides, *O. A.* (e) Myſteria, *Laud.* (f) Conveniunt, *O. A.* (g) Humilitatis, *Laud.* (h) Obtinemus, *O. A. Laud.* (i) *Sic O. A. Bod. Imp.* ſtaturam.

[1] *Quin piſcatores & paſtores.*] *Pamelius ait*, Hoc Rembold. rectius quam Eraſmus *qui*.

[2] *Haberet initium.*] Ita lego pro *habet*, quemadmodum etiam paulo poſt *Paſtores Abraham, Iſaac & Jacob*, pro eo quod alii, *paſtor*.

[3] *Ut Corpus humilitatis noſtræ, &c. habeat principatum.*] *Pamelius ait*, Ex Cauchio adjecimus particulam *ut*, prorſus neceſſariam.

quæ mortua modo videntur, deinceps reviviſcunt. Miror Deum in utero virginis; miror omnipotentem in cunabulis; miror quomodo verbo Dei caro adhæſerit, quomodo incorporeus Deus corporis noſtri tegumentum induerit. Miror in hac diſpenſatione tanti diſpendia temporis, & tam lentos proceſſus ad obedientiam Salvatoris. In brevi poterat patrari negotium, & poterat tantus labor abbreviari ad ſolum Chriſti verbum; ſicut (*a*) factus eſt mundus, & diſpoſita cuncta ad ejus imperium. Sed elementario mundo dignior eſt (*b*) rationabilis homo, quod ex eo quod in ejus ſervitium facta ſunt omnia, facile creditur. In ceteris quocumque modo aliquæ ſatisfaciunt rationes, hic ſolus me complectitur ſtupor; & cum Abacuc cano: Conſideravi opera tua, & expavi. Miror jejunium, miror tentationes, miror Omnipotentem in ſepulcro jacentem, miror occiſum & reſurgentem. [1] Hæc ſunt nova mira quæ prædixerat (*c*) Hieremias: Novum faciet Dominus ſuper terram; mulier circumdabit virum. Opus ſuum faciet, & peregrinum opus ejus ab eo. Jeſus Chriſtus heri & hodie ante luciferum genitus, initium carnis ſumſit ex virgine, (*d*) & [2] quem cœli cœlorum non capiunt; qui implens omnia cum ſit in omnibus, ab his tamen non capitur nec tenetur.

Novum eſt & inauditum, quod (*e*) in materni anguſtia uteri circumdedit intra ſe fragilis caro virtutem Altiſſimi, & ordinem rerum curſumque naturæ mutavit ſapientia Dei: & ubique divinitas dilatata, plenitudinem ſui vaſi infundens exiguo, ſic eſt circumdata muliebri utero, [3] ut cum univerſa ambiret implens omnia, excedens cuncta, intra ſe omnia continens, extra univerſa complectens. Quem nos parvulum, propheta nuncupat virum; inſinuans ei nunquam defuiſſe virtutem, ſed ſemper virilis ætatis affuiſſe fortitudinem, quem infantilis infirmitas occultabat. Opus ſuum igitur (*f*) fecit recreans quod creaverat, [4] ſalvans quod perierat, ad vitam revocans quod (*g*) mortuum erat. Sed peregrinum opus fuit in Deo, quod verbum factum eſt caro, quod factus eſt viſibilis & comprehenſibilis, paſſibilis & (*h*) mortalis: & peregrinum à majeſtate puer ſugens ubera, panniculis involutus & ſuſtinens convicia, filius Dei in patibulo conſtitutus. Conſiliarius quoque dictus eſt parvulus iſte, qui & alibi dictus eſt magni conſilii angelus, eo quod ſecreta Dei quæ ab hominibus erant abſcondita, publice revelavit: & cum nemo noſſet patrem niſi filius, ipſe arcana (*i*) Dei reſerans, indaginem Trinitatis explicuit; loquens Patri, & à Patre reſponſum accipiens, & Spiritum ſanctum infundens diſcipulis, [5] generationis & proceſſionis intimans rationes, ſubtiliter aſtruens perſonarum proprietates, & indiſſolubilis eſſentiæ unitatem. Alia quoque inferiora, ſed tamen neceſſaria conſilia edocens; ut beneficia collata homo intelligat, ut in eo quod ſtat, gratias agat, & quod poſſibile eſt ex Dei gratia, cum (*k*) ceciderit reſurgat.

De Virginibus, ait Apoſtolus, præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus. Vult & laudat ex imperio Domini, ut quæ nupſerint, ſic permaneant; [6] quæ vero virgines ſunt Dei æmulatione caſtitatis integritatem exhibeant Chriſto. Et in hunc modum quæcumque auctoritate divina immobilia conſtant, ſic maneant; quæ vero in alterutrum poteſt libertas arbitrii flectere, locum eligant (*l*) priorem: quia etſi bona ſunt & à Deo inſtituta conjugia; melior tamen eſt continentia, & virginitas excellentior; quam non cogit neceſſitas aut mandatum, ſed perfectionis ſuadet conſilium. Quod ſi divinis conſiliis obviaverint tentamenta, & liberas mentes ad carnales revocaverint appetitus; adeſt Deus fortis, nec ſpem ponat homo in homine, nec in brachio carnis ſuæ confidat, quia qui mundum vicit, victoriam ſuis promittit militibus; & qui victores ſunt ſui, cœlo vim inferunt, quoniam ſicut ſcriptum eſt: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

In parvuli hujus nomine cum hoſte antiquo congredimur, & fortis armatus ſuperveniente fortiore de atrio antiquitus poſſeſſo potenter expellitur, & præſumtæ infeſtationis audaciæ ſilentium imperatur. Defectui carnis noſtræ quæ à primitivis fæcibus originalis mali infecta languerat, ex Chriſti carne redditur fortitudo: & ſacramentorum communicatio, per quam illius corporis ſinceritati unimur, nos in tantum corroborat; ut de mundo, & de diabolo, & de nobis ipſis victoria potiamur, & ſacramentali guſtu vivificis myſteriis inhærentes, una caro & unus ſpiritus ſimus, dicente Apoſtolo: Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt. Sic hi ad quos ſermo fit, dicuntur Dii & filii excelſi, nominis & hæreditatis & æternitatis participes, fortitudine ſocietatis Chriſti ſubigentes tentamina: & cum homines ſint ex indigniori materia, in captivitatem redigunt, & conſpuunt ligantque dæmonia.

(*m*) Et quidem in hoc tempore in ſtadio vitæ hujus ſe exercet militia Chriſtiana, & præeunte Chriſti vexillo, quem & parvulum vidimus & cognovimus Deum: & quos ſpiritus conſilii & fortitudinis munit, nec vinci, nec decipi poſſumus; quos eruditio, divina ſcientia & poteſtate fecit inſignes. Videtur autem in præſenti diſciplina hujuſcemodi non eſſe gaudii, ſed mœroris; eo quod non ſine periculo certamina peraguntur. Bonum vero certamen certantibus pacatiſſimum fructum in futuro exercitatis in juſtitia dabit princeps pacis æternæ, conſignans ſibi in beatitudine, quorum communicavit naturæ. Ipſi gloria & imperium, à modo & uſque in ſempiternum. AMEN.

(*a*) *Sic O. A. Imp.* factus mundus. (*b*) Rationalis, *Laud.* (*c*) Eſaias, *Laud.* (*d*) *Sic O. A.* &. (*e*) Intra materni anguſtias, *O. A. Laud.* (*f*) *Sic O. A. Imp. Laud.* fecit quod. (*g*) *Sic O. A. Bod. Imp. Laud.* mortuum. Sed. (*h*) Mortalis. Peregrinum, *Laud.* (*i*) Fidei, *O. A.* (*k*) Ceciderit, ut reſurgat, *Laud.* (*l*) Puriorem, *Laud.* (*m*) Et quod in, *Laud.*

[1] *Hæc ſunt nova mira quæ prædixerat Hieremias.*] *Pamelius ait*, Prorſus ſic legendum, pro *Eſaias*. Neque enim hæc verba apud Eſaiam, ſed apud Hieremiam reperiuntur.

[2] *Quem cœli cœlorum non capiunt.*] *Pamelius ait*, Omiſi particulam, &, quæ ſenſum obſcurabat.

[3] *Ut cum univerſa ambiret.*] *Pamelius ait*, Locus mutilus.

[4] *Salvans quod perierat.*] *Pamelius ait*, Cum Cauchio omiſi adjectam *quæ* particulam.

[5] *Generationis & proceſſionis intimans rationes.*] *Pamelius ait*, Locus pro proceſſione Spiritus ſancti, etiam ex filio.

[6] *Quæ vero virgines ſunt Dei.*] *Pamelius ait*, De his vide librum de diſciplina & habitu virginum. Rurſum autem hic locus eſt pro libero arbitrio; item pro peccato originali: & mire facit hic locus contra eos qui dicunt impoſſibilem continentiam.

(a) DE RATIONE CIRCUMCISIONIS.

INTER omnia teſtamenti veteris ſacramenta nihil Circumciſione ſolennius antiqua celebravit religio, nec tantum in Hebræos, ſed etiam [1] in Phœnices & Arabes hæc traditio inolevit. Reliquæ gentes tam mandatum quam factum irrident; & Deo minime aſſerunt convenire, ut Salvatoris benignitas plagis infantium delectetur, & (b) immeritos eos in ipſo vitæ initio periculo mortis addicat. Hoc de bono Domino ſentire, qui neminem vult perire, abſurdum & irrationabile judicant. Nec tamen eis omnia reliqua (c) ſacrificia ſunt horrori; ſed in multis naturalem legem ſequentes, expiationum retinent inſtrumenta, & immolant victimas, & incendunt adipes, & cum odoramentis & libaminibus fundunt coram Deo vota & preces. Legimus Job Dei teſtimonio approbatum, jugibus ſacrificiis occupatum; [2] nec legimus circumciſum. Et poterant eſſe eo tempore diverſis in locis multi viri inſignes, qui juſtitiæ Dei ſubjecti, hoc ſigno carebant; licet filios Eſau & Iſmael putandum ſit hujus traditionis non fuiſſe expertes. Verum cum opus iſtud & antiquitas commendet & jubentis auctoritas; inquirenda eſt tanti myſterii ratio, quæ Abrahæ ſpecialiter & ſemini ejus tanto pondere mandata eſt, ut quiſquis in illa gente hujus ſigni careret differentia, Ethnicus non Judæus reputaretur, & à titulo filiorum Iſrael abraderetur proſcriptus. Hoc cum octava die juſſum ſit celebrari, & nomen circumciſo aptari; intimatum eſt his qui digni ſanctorum conſortio cenſebantur quod eorum nomina ſcriberentur in cœlis, & æternæ beatitudinis quam poſt vitæ hujus ſeptimanam octava conſequitur, hæredes fierent & conſortes, quicumque vitæ innocentia & cœlibatus ſanctimonia ſeſe Domino conſecraſſent.

Tenera itaque infantia hujuſmodi erat imbuenda doctrina, & ante concupiſcibiles motus, quos peccatum meruerat, miſerabili pœnæ, & inevitabili vindictæ etiam in parvulis adhibenda erat ſeveritas, & antequam ebulliret ſartago libidinum proviſum eſt ventilabrum, quo refrigerari poſſet, & extingui depopulatricis flammæ vagus ardor, & univerſa perluſtrans incendium. Ideoque dolor voluptati, & ſanguini delectationis ſanguis tormenti opponebatur; ut in primis elementis diſcerent parvuli ſemper propriæ memores ſectionis contraria curare contrariis, & ad cohibendos refrænandoſque turpitudinum appetitus, neceſſarium eſſe ſale corroſorio carnis perfricare pruritus, & ſemper recrudeſcentes deſiccare putredines. Ad hoc corpus ſuum mortificabat Apoſtolus, non tantum circumcidens illud ſeminarium membrum, ſed totum ſe crucifigens, & omnibus extraordinariis motibus opponens cauterium, uſque adeo corpus ſuum redigens in ſervitutem ut diceret: Vivo autem jam non ego, vivit vero in me (d) Chriſtus. Cujus facti æmulatores erubeſcimus in pudendis: & detecto ſectoque confuſionis operculo, (e) quamvis conſcientia teſtis ſemper nobis exponat ſcaturientes intus peccati inſidias, nec internum vitare poſſimus judicium; viriliter tamen ſtandum eſt, & rationis auctoritate increpandi ſunt titillatorii ſenſus, & ſummopere vigilandum eſt ne ſequatur aſſenſus. Intra nos pudor iſte aboleri omnino non poteſt; quia nec totum hoc membrum, ſed anterior ejus portio juſſa eſt circumcidi. Res ſane maxima eſt, ſi non egrediatur foras hujus contagio corruptelæ, & inſaniens beſtia corrupti anhelitus, catenis ferreis in ultimis animæ receſſibus alligetur, intuſque fractis dentibus ſeipſam concupiſcentia captiva maſtiget & corrodat. Manet itaque erubeſcentia propter ſenſum; ut qui in agone contendit, ſciens circumciſionis myſterium, ab omnibus ſe abſtineat quæ poſſunt huic flammæ miniſtrare fomentum. Nec tamen peremtoria eſt contendentibus, ſed probatoria hujus ſenſualitatis colluctatio tam veterna: ſed inſtitutum eſt certamen inter ſpiritum & carnem, ut victor homo peccati & pœnæ, poſt triumphos ſolennes coronetur in gloria, ſine infeſtationibus deinceps, liber à peccato & pœna.

Hanc verecundiam poſt prævaricationem, vanitati ſubjecta, non volens anima pertulit, & vim ſuſtinet inquietudine perurgente, & involuntariis motibus fatigata, infelicitatis ſuæ deplorat miſeriam, liberari de corpore mortis hujus deſiderans, & pacifici tranquillique ſtatus à Deo poſtulat libertatem. Quotidiano ſane conflictu ſpiritus & caro luctantur, & cauſatur ratio adverſus domeſticum malum; quod ita intra ſe exerceat regnum, quaſi (f) natura ſit vitium, & ſecum traxerit creatio prima peccatum. Hoc utique prima non (g) ſentit conditio, ſed ſecutum eſt tranſgreſſorem ſupplicium, & adhæſit individua pœna peccato; de quo erubeſcent quicumque mundo corde regem in decore ſuo videre deſiderant. Quis in tam aſſiduis illuſionibus non confundatur? Quis non in tantis contumeliis erubeſcat? Fomes quippe hujus mali intus in tenebroſis receſſibus latitans, ut viderit animam alias occupatam, & minus ad ſui circumſpectionem ſollicitam; irruptionibus vehementibus erumpit, blanditiis venena ſupponens, pudicitiæ puritatem inopinatis invadit aſſultibus. Ideoque pudibundus homo nuditatem ſuam operit, & fœditatem confuſus occultat. His redivivis vulneribus ſemper hac ſanie illitis neceſſaria eſt per omnem hujus vitæ ſeptimanam jugis reſecatio putredinum, & continua circumciſio cicatricum. Et in ceteris quidem (h) membra omnia imperio rationis obediunt, & arbitrii retinent libertatem: hic vero ubi Babyloniæ fornax exarſerit, & quaſi pice & naphtha conſperſi libidinum ebullierint appetitus, inflammata caro libertatis privatur honore; in tantum ut rebellia membra velit nolit in motus nefarios audacter exurgant.

Præcedebant olim integumenta rerum ſignificantia abolitionem peccati, & ad perfectionem inchoata tendebant. Nec hoc ſacramentum conſuetudini antiquæ ſubtrahere voluit Chriſtus, & licet non eſſet in hoc tem-

(a) De Circumciſione Domini, *Laud.* (b) *Sic Bod. Imp.* immeritos in. (c) Sacramenta, *O. A.* (d) Jeſus Chriſtus, *O. A.* (e) Licet, *Bod. Laud.* (f) Nata ſit in vitium, *Laud.* (g) Senſit, *Bod.* (h) Membris, *Laud.*

[1] *In Phœnices & Arabes.*] *Pamelius ait*, Vide D. Hieronymum in Hieremiam cap. 9.

[2] *Nec legimus circumciſum.*] *Pamelius ait*, Gravius legit *legibus*, at prius placet.

[1] *Hoc*

quæ mortua modo videntur, deinceps reviviſcunt. Miror Deum in utero virginis; miror omnipotentem in cunabulis; miror quomodo verbo Dei caro adhæſerit, quomodo incorporeus Deus corporis noſtri tegumentum induerit. Miror in hac diſpenſatione tanti diſpendia temporis, & tam lentos proceſſus ad obedientiam Salvatoris. In brevi poterat patrari negotium, & poterat tantus labor abbreviari ad ſolum Chriſti verbum; ſicut (*a*) factus eſt mundus, & diſpoſita cuncta ad ejus imperium. Sed elementario mundo dignior eſt (*b*) rationabilis homo, quod ex eo quod in ejus ſervitium facta ſunt omnia, facile creditur. In ceteris quocumque modo aliquæ ſatisfaciunt rationes, hic ſolus me complectitur ſtupor; & cum Abacuc cano: Conſideravi opera tua, & expavi. Miror jejunium, miror tentationes, miror Omnipotentem in ſepulcro jacentem, miror occiſum & reſurgentem. [1] Hæc ſunt nova mira quæ prædixerat (*c*) Hieremias: Novum faciet Dominus ſuper terram; mulier circumdabit virum. Opus ſuum faciet, & peregrinum opus ejus ab eo. Jeſus Chriſtus heri & hodie ante luciferum genitus, initium carnis ſumſit ex virgine, (*d*) & [2] quem cœli cœlorum non capiunt; qui implens omnia cum ſit in omnibus, ab his tamen non capitur nec tenetur.

Novum eſt & inauditum, quod (*e*) in materni anguſtia uteri circumdedit intra ſe fragilis caro virtutem Altiſſimi, & ordinem rerum curſumque naturæ mutavit ſapientia Dei: & ubique divinitas dilatata, plenitudinem ſui vaſi infundens exiguo, ſic eſt circumdata muliebri utero, [3] ut cum univerſa ambiret implens omnia, excedens cuncta, intra ſe omnia continens, extra univerſa complectens. Quem nos parvulum, propheta nuncupat virum; inſinuans ei nunquam defuiſſe virtutem, ſed ſemper virilis ætatis affuiſſe fortitudinem, quem infantilis infirmitas occultabat. Opus ſuum igitur (*f*) fecit recreans quod creaverat, [4] ſalvans quod perierat, ad vitam revocans quod (*g*) mortuum erat. Sed peregrinum opus fuit in Deo, quod verbum factum eſt caro, quod factus eſt viſibilis & comprehenſibilis, paſſibilis & (*h*) mortalis: & peregrinum à majeſtate puer ſugens ubera, panniculis involutus & ſuſtinens convicia, filius Dei in patibulo conſtitutus. Conſiliarius quoque dictus eſt parvulus iſte, qui & alibi dictus eſt magni conſilii angelus, eo quod ſecreta Dei quæ ab hominibus erant abſcondita, publice revelavit: & cum nemo noſſet patrem niſi filius, ipſe arcana (*i*) Dei reſerans, indaginem Trinitatis explicuit; loquens Patri, & à Patre reſponſum accipiens, & Spiritum ſanctum infundens diſcipulis, [5] generationis & proceſſionis intimans rationes, ſubtiliter aſtruens perſonarum proprietates, & indiſſolubilis eſſentiæ unitatem. Alia quoque inferiora, ſed tamen neceſſaria conſilia edocens; ut beneficia collata homo intelligat, ut in eo quod ſtat, gratias agat, & quod poſſibile eſt ex Dei gratia, cum (*k*) ceciderit reſurgat.

De Virginibus, ait Apoſtolus, præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus. Vult & laudat ex imperio Domini, ut quæ nupſerint, ſic permaneant; [6] quæ vero virgines ſunt Dei æmulatione caſtitatis integritatem exhibeant Chriſto. Et in hunc modum quæcumque auctoritate divina immobilia conſtant, ſic maneant; quæ vero in alterutrum poteſt libertas arbitrii flectere, locum eligant (*l*) priorem: quia etſi bona ſunt & à Deo inſtituta conjugia; melior tamen eſt continentia, & virginitas excellentior; quam non cogit neceſſitas aut mandatum, ſed perfectionis ſuadet conſilium. Quod ſi divinis conſiliis obviaverint tentamenta, & liberas mentes ad carnales revocaverint appetitus; adeſt Deus fortis, nec ſpem ponat homo in homine, nec in brachio carnis ſuæ confidat, quia qui mundum vicit, victoriam ſuis promittit militibus; & qui victores ſunt ſui, cœlo vim inferunt, quoniam ſicut ſcriptum eſt: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

In parvuli hujus nomine cum hoſte antiquo congredimur, & fortis armatus ſuperveniente fortiore de atrio antiquitus poſſeſſo potenter expellitur, & præſumtæ infeſtationis audaciæ ſilentium imperatur. Defectui carnis noſtræ quæ à primitivis fæcibus originalis mali infecta languerat, ex Chriſti carne redditur fortitudo: & ſacramentorum communicatio, per quam illius corporis ſinceritati unimur, nos in tantum corroborat; ut de mundo, & de diabolo, & de nobis ipſis victoria potiamur, & ſacramentali guſtu vivificis myſteriis inhærentes, una caro & unus ſpiritus ſimus, dicente Apoſtolo: Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt. Sic hi ad quos ſermo fit, dicuntur Dii & filii excelſi, nominis & hæreditatis & æternitatis participes, fortitudine ſocietatis Chriſti ſubigentes tentamina: & cum homines ſint ex indigniori materia, in captivitatem redigunt, & conſpuunt ligantque dæmonia.

(*m*) Et quidem in hoc tempore in ſtadio vitæ hujus ſe exercet militia Chriſtiana, & præeunte Chriſti vexillo, quem & parvulum vidimus & cognovimus Deum: & quos ſpiritus conſilii & fortitudinis munit, nec vinci, nec decipi poſſumus; quos eruditio, divina ſcientia & poteſtate fecit inſignes. Videtur autem in præſenti diſciplina hujuſcemodi non eſſe gaudii, ſed mœroris; eo quod non ſine periculo certamina peraguntur. Bonum vero certamen certantibus pacatiſſimum fructum in futuro exercitatis in juſtitia dabit princeps pacis æternæ, conſignans ſibi in beatitudine, quorum communicavit naturæ. Ipſi gloria & imperium, à modo & uſque in ſempiternum. AMEN.

(*a*) *Sic O. A. Imp.* factus mundus. (*b*) Rationalis, *Laud.* (*c*) Eſaias, *Laud.* (*d*) *Sic O. A.* &. (*e*) Intra materni anguſtias, *O. A. Laud.* (*f*) *Sic O. A. Imp. Laud.* fecit quod. (*g*) *Sic O. A. Bod. Imp. Laud.* mortuum. Sed. (*h*) Mortalis. Peregrinum, *Laud.* (*i*) Fidei, *O. A.* (*k*) Ceciderit, ut reſurgat, *Laud.* (*l*) Puriorem, *Laud.* (*m*) Et quod in, *Laud.*

[1] *Hæc ſunt nova mira quæ prædixerat Hieremias.*] *Pamelius ait*, Prorſus ſic legendum, pro *Eſaias*. Neque enim hæc verba apud Eſaiam, ſed apud Hieremiam reperiuntur.

[2] *Quem cœli cœlorum non capiunt.*] *Pamelius ait*, Omiſi particulam, &, quæ ſenſum obſcurabat.

[3] *Ut cum univerſa ambiret.*] *Pamelius ait*, Locus mutilus.

[4] *Salvans quod perierat.*] *Pamelius ait*, Cum Cauchio omiſi adjectam *quæ* particulam.

[5] *Generationis & proceſſionis intimans rationes.*] *Pamelius ait*, Locus pro proceſſione Spiritus ſancti, etiam ex filio.

[6] *Quæ vero virgines ſunt Dei.*] *Pamelius ait*, De his vide librum de diſciplina & habitu virginum. Rurſum autem hic locus eſt pro libero arbitrio; item pro peccato originali: & mire facit hic locus contra eos qui dicunt impoſſibilem continentiam.

(a) DE RATIONE CIRCUMCISIONIS.

INTER omnia teſtamenti veteris ſacramenta nihil Circumciſione ſolennius antiqua celebravit religio, nec tantum in Hebræos, ſed etiam [1] in Phœnices & Arabes hæc traditio inolevit. Reliquæ gentes tam mandatum quam factum irrident; & Deo minime aſſerunt convenire, ut Salvatoris benignitas plagis infantium delectetur, & (b) immeritos eos in ipſo vitæ initio periculo mortis addicat. Hoc de bono Domino ſentire, qui neminem vult perire, abſurdum & irrationabile judicant. Nec tamen eis omnia reliqua (c) ſacrificia ſunt horrori; ſed in multis naturalem legem ſequentes, expiationum retinent inſtrumenta, & immolant victimas, & incendunt adipes, & cum odoramentis & libaminibus fundunt coram Deo vota & preces. Legimus Job Dei teſtimonio approbatum, jugibus ſacrificiis occupatum; [2] nec legimus circumciſum. Et poterant eſſe eo tempore diverſis in locis multi viri inſignes, qui juſtitiæ Dei ſubjecti, hoc ſigno carebant; licet filios Eſau & Iſmael putandum ſit hujus traditionis non fuiſſe expertes. Verum cum opus iſtud & antiquitas commendet & jubentis auctoritas; inquirenda eſt tanti myſterii ratio, quæ Abrahæ ſpecialiter & ſemini ejus tanto pondere mandata eſt, ut quiſquis in illa gente hujus ſigni careret differentia, Ethnicus non Judæus reputaretur, & à titulo filiorum Iſrael abraderetur proſcriptus. Hoc cum octava die juſſum ſit celebrari, & nomen circumciſo aptari; intimatum eſt his qui digni ſanctorum conſortio cenſebantur quod eorum nomina ſcriberentur in cœlis, & æternæ beatitudinis quam poſt vitæ hujus ſeptimanam octava conſequitur, hæredes fierent & conſortes, quicumque vitæ innocentia & cœlibatus ſanctimonia ſeſe Domino conſecraſſent.

Tenera itaque infantia hujuſmodi erat imbuenda doctrina, & ante concupiſcibiles motus, quos peccatum meruerat, miſerabili pœnæ, & inevitabili vindictæ etiam in parvulis adhibenda erat ſeveritas, & antequam ebulliret ſartago libidinum proviſum eſt ventilabrum, quo refrigerari poſſet, & extingui depopulatricis flammæ vagus ardor, & univerſa perluſtrans incendium. Ideoque dolor voluptati, & ſanguini delectationis ſanguis tormenti opponebatur; ut in primis elementis diſcerent parvuli ſemper propriæ memores ſectionis contraria curare contrariis, & ad cohibendos refrænandoſque turpitudinum appetitus, neceſſarium eſſe ſale corroſorio carnis perfricare pruritus, & ſemper recrudeſcentes deſiccare putredines. Ad hoc corpus ſuum mortificabat Apoſtolus, non tantum circumcidens illud ſeminarium membrum, ſed totum ſe crucifigens, & omnibus extraordinariis motibus opponens cauterium, uſque adeo corpus ſuum redigens in ſervitutem ut diceret: Vivo autem jam non ego, vivit vero in me (d) Chriſtus. Cujus facti æmulatores erubeſcimus in pudendis: & detecto ſectoque confuſionis operculo, (e) quamvis conſcientia teſtis ſemper nobis exponat ſcaturientes intus peccati inſidias, nec internum vitare poſſimus judicium; viriliter tamen ſtandum eſt, & rationis auctoritate increpandi ſunt titillatorii ſenſus, & ſummopere vigilandum eſt ne ſequatur aſſenſus. Intra nos pudor iſte aboleri omnino non poteſt; quia nec totum hoc membrum, ſed anterior ejus portio juſſa eſt circumcidi. Res ſane maxima eſt, ſi non egrediatur foras hujus contagio corruptelæ, & inſaniens beſtia corrupti anhelitus, catenis ferreis in ultimis animæ receſſibus alligetur, intuſque fractis dentibus ſeipſam concupiſcentia captiva maſtiget & corrodat. Manet itaque erubeſcentia propter ſenſum; ut qui in agone contendit, ſciens circumciſionis myſterium, ab omnibus ſe abſtineat quæ poſſunt huic flammæ miniſtrare fomentum. Nec tamen peremtoria eſt contendentibus, ſed probatoria hujus ſenſualitatis colluctatio tam veterna: ſed inſtitutum eſt certamen inter ſpiritum & carnem, ut victor homo peccati & pœnæ, poſt triumphos ſolennes coronetur in gloria, ſine infeſtationibus deinceps, liber à peccato & pœna.

Hanc verecundiam poſt prævaricationem, vanitati ſubjecta, non volens anima pertulit, & vim ſuſtinet inquietudine perurgente, & involuntariis motibus fatigata, infelicitatis ſuæ deplorat miſeriam, liberari de corpore mortis hujus deſiderans, & pacifici tranquillique ſtatus à Deo poſtulat libertatem. Quotidiano ſane conflictu ſpiritus & caro luctantur, & cauſatur ratio adverſus domeſticum malum; quod ita intra ſe exerceat regnum, quaſi (f) natura ſit vitium, & ſecum traxerit creatio prima peccatum. Hoc utique prima non (g) ſentit conditio, ſed ſecutum eſt tranſgreſſorem ſupplicium, & adhæſit individua pœna peccato; de quo erubeſcent quicumque mundo corde regem in decore ſuo videre deſiderant. Quis in tam aſſiduis illuſionibus non confundatur? Quis non in tantis contumeliis erubeſcat? Fomes quippe hujus mali intus in tenebroſis receſſibus latitans, ut viderit animam alias occupatam, & minus ad ſui circumſpectionem ſollicitam; irruptionibus vehementibus erumpit, blanditiis venena ſupponens, pudicitiæ puritatem inopinatis invadit aſſultibus. Ideoque pudibundus homo nuditatem ſuam operit, & fœditatem confuſus occultat. His redivivis vulneribus ſemper hac ſanie illitis neceſſaria eſt per omnem hujus vitæ ſeptimanam jugis reſecatio putredinum, & continua circumciſio cicatricum. Et in ceteris quidem (h) membra omnia imperio rationis obediunt, & arbitrii retinent libertatem: hic vero ubi Babyloniæ fornax exarſerit, & quaſi pice & naphtha conſperſi libidinum ebullierint appetitus, inflammata caro libertatis privatur honore; in tantum ut rebellia membra velit nolit in motus nefarios audacter exurgant.

Præcedebant olim integumenta rerum ſignificantia abolitionem peccati, & ad perfectionem inchoata tendebant. Nec hoc ſacramentum conſuetudini antiquæ ſubtrahere voluit Chriſtus, & licet non eſſet in hoc tem-

(a) De Circumciſione Domini, *Laud.* (b) *Sic Bod. Imp.* immeritos in. (c) Sacramenta, *O. A.* (d) Jeſus Chriſtus, *O. A.* (e) Licet, *Bod. Laud.* (f) Nata ſit in vitium, *Laud.* (g) Senſit, *Bod.* (h) Membris, *Laud.*

[1] *In Phœnices & Arabes.*] *Pamelius ait*, Vide D. Hieronymum in Hieremiam cap. 9.

[2] *Nec legimus circumciſum.*] *Pamelius ait*, Gravius legit *legibus*, at prius placet.

[1] *Hoc*

tempore neceſſarium, tamen ne antiqua religio prorſus (*a*) reproba videretur, in ſe voluit circumciſionis aptare ſignaculum. Sane originale peccatum quod à primis patribus in totam generis hujus ſucceſſionem defluxit, omni tempore aliquibus remediis oportuit expiari; licet vim plenam ſignificantia non habuerint, donec ad rem ipſam ventum eſt, quæ figurarum operiebatur velamine. Et licet ſacramentorum arcana omnibus non paterent, virtus tamen & effectus eorum ignorari non poterat; quia ab Adam uſque ad Noe ſacrificia Deo conſtat fuiſſe accepta, quæ uſque ad illud tempus ſine legis diſtinctione divinitus inſpirata inſtitutione primi hominis celebrarent. Illa vero ſacrificia aut in animalium ſanguine, aut aliarum oblationum incenſionibus agebantur; non quod fumo aut mortibus pecudum delectaretur Deus, ſed ut intelligeretur immutabile judicium & prolata ab initio ſententia in peccatum.

Immutabile decretum ab æterna lege exierat, concupiſcentia affligi, & morte peccatorem puniri: nec poterat plagis exterioribus remedium aliquod ſubvenire, quin ſtimulus carnis ſine ulla exceptione colaphizaret infirmum, & uſque ad diſſolutionem mors importuna perſequeretur captivum. Et mors quidem carnis concupiſcentiarum interſecabat ludibria, nec poterat ultra peccare illud quod erat putredini ac diſſolutioni prædeſtinatum & datum; ſed ſupererat poſt mortem carnis animæ labor, & afflictio ſpiritus: nec poterat ulla ratione illa abſolvi damnatio, niſi morti omnium vita omnium ſubveniret, & pro generali morbo gratia Dei ſingulare propinaret antidotum. [1] Hoc antiquum redemtionis noſtræ conſilium ſanctis patribus revelavit Deus, voluitque ut paulatim aſſueſcerent homines paſſioni; & morti neceſſariæ, voluntariæ mortis opponerent libamentum, & pœnam in medelam, & ſupplicium in remedium commutarent.

Hujus oblationis doctrinam ſacrificia continebant antiqua: & incenſiones & mortes hujus conſummationis gratiam præſignabant. Propter hoc cum jam fidei tempora propinquarent, imperata eſt circumciſio; & pars illa corporis in qua eſt (*b*) voluptatum ſeminarium & libidinis officina (*c*) juſſa in parvulis amputari, ut proprii primitias ſanguinis, ei qui totum ſanguinem ſuum oblaturus erat, offerrent, & communia ſingulorum (*d*) ſacrificia ſingulare præcederent holocauſtum. Ubi vero Chriſtus Dominus venit, de quo in capite libri ſcriptum erat, ut in morte ſua patris voluntatem impleret, ceſſarunt ſacrificia; nec jam truncationem præputii evangelium imperavit, ſed circumciſionem cordis, & omnem tam membrorum quam affectionum petulantiam gladio ſpiritus reſecari immutabili decreto mandavit. Et tantæ dignitatis illa una redemtoris noſtri fuit oblatio, ut una ad tollenda mundi peccata ſufficeret; qui tanta auctoritate in ſancta introivit in ſanguine proprio, ut deinceps nulla ſupplicantium poſtulatio ſanguine indigeret alieno. A diebus igitur viſitationis noſtræ regnum cœlorum vim patitur, nec jam in expoliatione carnis circumciſio agitur, ſed Spiritus ſancti virtute vetuſtatis antiquæ ſanies expurgatur.

(*a*) Reprobrata, *Laud.* (*b*) Voluptatis, *Laud.* (*c*) Juſſa eſt amputari, *O. A.* juſſa etiam in parvulis, *Laud.* (*d*) Sacrificia præcederent, *O. A. Laud.*

[1] *Hoc antiquum redemtionis noſtræ conſilium.*] *Pamelius ait*, Gravius *antiquæ*, verum prius placet.

(*a*) DE STELLA ET MAGIS, ET INNOCENTIUM MORTE.

NAto in Bethleem Salvatore, audita eſt in Effrata ejus in terris præſentia, & uſque ad ſilvas campoſque gentium novæ hujus nativitatis eſt fama porrecta: in Judæa à paſtoribus & angelis primo ſunt hæc gaudia celebrata, nec multo poſt Arabum fines (*b*) hujus rei notitia penetravit, & incolis Sabba præclari ſtella luminis [1] (*c*) cœleſtis ortum numinis novis ſplendoribus indicavit. Erant in illis regionibus viri ſiderum inſpectionibus aſſueti, qui arte mathematica vim diſcurſumque noverant planetarum; quia ex elementorum natura rationem temporum metientes, aſtrorum (*d*) miniſteria certis experimentis propriis didicerant effectibus aſſignata. Hi ex vaticiniis Balaam olim audierant, ſtellam oriri (*e*) in Jacob, & hominem in Iſrael, cujus fortitudo quaſi rhinocerotis, ad quem in trieribus de Italia venirent, qui ſuperarent Aſſyrios, & vaſtarent Hebræos, quo tempore nec in Jacob idolum, nec in Iſrael ſimulacrum eſſet.

Diu homines illi hujus prophetiæ proventum expectaverant, & ubi venit plenitudo temporis, orto repente novo ſidere, ad antiqua recurrentes volumina, tam teſtimonio muniti quam ſigno, dromadis invecti in Judæam ſtella (*f*) duce perveniunt. Nec potuere Palæſtinæ incolas latere tanti nominis perſonæ; ſed ubi auditum eſt quod ſtellam indicem nati in Bethleem parvuli ſequerentur, Herodi novi regis inquiſitio nunciatur. (*g*) Evocatis itaque Magis, rei hujus or-

(*a*) De Epiphania Domini & Innocentium nece, *Laud.* (*b*) Hujus notitia, *O. A. Laud.* (*c*) *Sic O. A. Imp.* cœleſte numen. (*d*) Myſteria, *O. A.* (*e*) Ex Jacob, *O. A. Bod. Laud.* (*f*) Ducente, *O. A.* (*g*) Et vocatis, *O. A.*

[1] *Cœleſte numen.*] *Pamelius ait*, Sic legendum cenſeo; & ita poterit retineri hæc vox quæ ſequitur *indicavit*. Alioqui non ut male conjicit Cauchius reponendum *judicatur*.

[1] *Cum*

ordinem cum omni diligentia ſciſcitatur. Audit natum in Bethleem eſſe parvulum, quem profitentes regem & Deum, qui de Sabba venerant, adorare & venerari feſtinant: intimatum eſt ei quod ab antiquis temporibus Moabites Propheta, licet gentilis, prædixerat: & contulit cum literis gentium, ſanctorum vaticinia prophetarum quorum ſcripta per omne ſabbatum legebantur; de quibus nulla in populo Judæorum ambiguitas erat, quin rata eſſent, quæ illi vel aſſeruiſſent præterita, vel prædixiſſent futura: à fortitudine ejus qui quaſi unicornis obvios penetraret, in cujus obſequium ultrices de Italia trieres in Judææ terminos adventarent, & uſque ad (*a*) finem mundi dilatarent imperium, anxius expavit & timuit.

Conturbabat quoque aliud quod in Michæa ſcriptum eſt teſtimonium: Quoniam de Bethleem quæ (*b*) eſt Effrata, egrederetur parvulus, qui Dominator eſſet in Iſrael, cujus egreſſus eſſet ab initio à diebus æternitatis. Cumque ea quæ domeſtici codices continebant, [1] cum his quæ ab alienigenis dicebantur, intelligeret convenire; divinis tentans reluctari conſiliis, ſimulat perfidus religionis aſſenſum, promittens Magis ſeſe ad adorandum parvulum cum omni devotione illico adfuturum, cum er revertentes certitudinem de puero accepiſſet. urbatur cum Rege maligno Hieroſolyma, non lætatur: expaveſcit & tabeſcit, & negare erubeſcit quod ſcriptura teſtatur. Nec minus horrendum ſcribarum ſacrilegium, quam Herodis impietas: quia proprio Judæi abutentes privilegio, cum viſitationi divinæ invenirentur ingrati, cauſam ſibi cum Herode fecere communem; cum hinc & inde impietas & infidelitas adverſus Dominum (*c*) & Chriſtum ejus fremerent, & pariter in ejus odio conſentirent. Ecce alienigenæ à fluminibus Æthiopiæ ad parvulum Chriſtum ſupplices veniunt, & filii diſperſorum deferunt munera; accedunt qui longe erant, & qui prope recedunt; in loco humili & ſupellectile vili Rex Regum & Dominus dominantium invenitur, cognoſcitur, & ab aliis adoratur.

Quia vero neminem in conſpectu Dei apparere vacuum antiqua lex edocet; prævaricatoribus legis abeuntibus vacuis; primitiæ gentium ſacramentalia munera proferunt de theſauris, & Domino aurum & odoramenta præſentant; profitentes ex ratione munerum de eo quem adorabant quid crederent, quid ſentirent. In auro regem, in thure ſacerdotem, in myrrha incorruptibilem, quamvis paſſibilem profitentur. Oblatio iſta incarnati verbi & exponit myſteria, & brevi ſubtilique indicio utriuſque naturæ humanæ divinæque exprimit unitatem, (*d*) quod proprium eſt unicuique ſingulatim diſtinguens. Nam Deo patri cujus regnum & imperium ſuis mundum replet ſplendoribus, in odorem ſuavitatis ſummus ſacerdos & pontifex Chriſtus ſe obtulit; cujus caro paſſionis crematа carbonibus, [2] incenſionis ſuæ fragrantiam tranſmiſit ad cœlos, & uſque hodie odor ille ſuaviſſimus in terreſtri cœleſtique Eccleſia indeficiens perſeverat. Quod autem paſſibilitas quam obediens Deo voluntarie ſuſcepit, incorruptione firmata ſit; virtus myrrhæ obvians corruptelæ ſuo probat effectu, & viſibilium ratione munerum immortalitatis ſolidæ conſtat evidens argumentum.

Adorato Domino Magi hilares alio tramite in ſuam patriam revertuntur: quia neceſſe eſt, ut qui corde credunt ad juſtitiam, ore etiam confeſſi ſint ad ſalutem, deinde vias elegant arctiores, & ſe diſtrictioribus mandatis obligent: quoniam per vias latas, deſcenſuſque præcipites itur ad inferos, per artas vero & difficiles reditur ad ſuperos: propter verba labiorum Dei religioſus quiſque vias duras ingreditur, & jugulator voluptatum, [3] ſtantem (*e*) ex diverſo hoſtem ſecurus aggreditur. Arta via eſt caſtitas, trames ſtrictus humilitas; jejunio affligi, & carnem in ſervitutem redigere, ſcopuloſæ ſunt ſemitæ: ſed ad patriam ſuperiorem non niſi per meatus difficiles armati milites revertuntur. Non eſt tutus ad Herodem regreſſus, nec expedit cum his qui oderunt Deum fœdera jungere: nec de religione cum malignantibus inire conſilia, quorum familiaritas infantiam Chriſti ſtudioſe perſequitur; & antequam formetur Chriſtus in nobis; in ipſo piæ converſationis initio, ut extinguatur ſpiritus, & ſuffocetur vita juſtitiæ, penitus elaborat.

[4] Deluſum ſe Herodes conqueritur, cum Magos alias comperit divertiſſe: quia moleſtiſſimum eſt principi tenebrarum cum excogitatis laqueis tentatos quoſlibet noverit evaſiſſe; & acriori inflammatus rabie, in neces innocentium debacchatur. Sic ſanctorum perſecutionibus tyrannus crudelis illuditur, (*f*) qui dum putat perdere quos occidit, melioris vitæ ſtatum eis procurat: & quod ille in perditionem molitur, hi utuntur pro beneficio, quibus lucra vitæ perpetuæ per hæc momentanea damna celeri compendio acquiruntur. Ecce parvuli iſti, quos hoſtis naturæ, pietatis (*g*) inimicus; beſtialis ſævitiæ, inauditæ crudelitatis monſtrum Herodes occidit, ſubito fiunt martyres, & dum vice Chriſti, & pro Chriſto avulſi, à matrum uberibus detruncantur, teſtimonium quod nondum poterant ſermone, perhibent paſſione; & ſufficit cauſa teſtimonio, licet nondum eloquio diſtinguatur. Illico ſpiritus infantilis vaſculi receptaculum deſerens, jam non tenelli corporis ætatiſque novitiæ tempore tenetur: ſed ab illis infantilibus coagulis anima expedita, adepta rationis & intellectus plenitudinem in occurſum Chriſti feſtinat, à quo militiæ ſuæ quærens ſtipendium, ad lucis & pacis æternæ præmittitur gaudia; & [5] Epiphaniæ ſolennia in cœleſtibus celebrat, nec in ſtellæ alicujus lumine, ſed in ipſa claritate divinæ præſentiæ gloriatur.

Acta eſt nativitatis ſolennitas ſurſum jubilantibus angelis, deorſum ex ore infantium & lactentium laus eſt perfecta, reſonantibus uſque ad cœlos victoriæ tubis; & verſus eſt parvulorum vagitus in gaudium, & luctus in jubilum, ſequente non ſtellam, ſed agnum exercitu innocentium, & bajulante glorioſiſſimi triumphi ſolenne vexillum. Nec potuit mundus interficere nuper agonem ingreſſum infantilem exercitum: & pedes qui nondum lutum calcaverant, urgens citatuſque tranſitus non eſt paſſus ullis ſordibus inquinari: ſed in ipſo vitæ initio tota illa innocua phalanx, ſine ullo integritatis detrimento, ad ſolidioris vitæ tranſlata eſt gloriam. Et quæ expectari poterat annorum elapſu rationis diſcretio: repente

(*a*) Fines, *O. A. Bod.* (*b*) In Effrata, *O. A. Bod.* (*c*) Et adverſus Chriſtum, *Bod. Laud.* (*d*) *Sic O. A. Bod. Imp.* quod & proprium. (*e*) Ex adverſo, *Laud.* (*f*) Quia dum, *Laud.* (*g*) Inimicus, homo beſtialis. *Laud.*

[1] *Cum his quæ ab alienigenis dicebantur.*] *Pamelius ait*, Sic recte Morelius, pro eo quod erat, *cum his qui*, peſſime.

[2] *Incenſionis ſuæ fragrantiam.*] *Pamelius ait*, Rurſus hoc ex Morelio pro *flagrantiam.*

[3] *Stantem ex diverſo hoſtem.*] *Pamelius ait*, Forte *ex adverſo.*

[4] *Deluſum ſe Herodes conqueritur, cum Magos alias.*] *Pamelius ait*, Accipit *alias*, tum hic, tum infra alicubi, pro *alia*, id eſt, per aliam viam.

[5] *Epiphaniæ ſolennia.*] *Pamelius ait*, Jam tunc igitur ſolennis erat Epiphaniæ dies.

repente nullis jam ætate illa temporibus ſubjecta, omnis conſummationis reperit finem, & caſuum accidentium mutabilitates evaſit. Evigilaverunt ſenſus quos ſopor infantiæ opprimebat; diſploſiſque palpebris intuiti lucem, in momento aſſecuti ſunt, quæ pacificis & mundo corde debetur, beatitudinem: & aſcendentes per omnium virtutum gradus ſine doctrinæ humanæ exercitio cumulatam invenire menſuram; ita ut in ordine ſanctorum protomartyres primum habeant locum, [1] & ſecretorum conſcii divinorum, propinquitate familiariſſima clementiam Dei pro noſtris exorent laboribus; quos uſque hodie funeſtus Herodes perſequitur, quorum ſanguine & morte diabolus delectatur. Hi itaque à cunabulis in cœlum tranſlati, facti ſunt ſuperni capitolii ſenatores & judices, [2] nonnullis veniam obtinentes immeritis; aſſiſtuntque miſerationibus & ultionibus divinis, ſed ſæpius agni, quem quocumque ierit, proſequuntur, manſuetudine, quam ira vel furore utuntur. Hi nuper cruore lacteo loti, primitias baptiſmi martyrio conſecrarunt, tradentes poſteris formam, ubi neceſſitatis articulus excluſerit moram; non minus ad lavacrum animæ ſanguinem efficacem, quam ſanctificatas verbis ſolennibus aquas; maxime cum nec ſanguis hoc elemento careat, ſed aquarum motu per totum corporis alveum fluat. Spiritus vero ſanctus & aquis & ſanguini ſuperfertur, qui ſubjectos ſibi fovet & abluit; quo baptizante idem occiſio quod merſio operatur, qua extinctam peccati vitam virtutemque emortuam utriuſque rei continet ſacramentum. Ipſe enim eſt qui vel hoc vel alio modo quicumque eſt ille modus baptizat, & ad idem refertur quod pura fide agitur per Chriſtum Dominum noſtrum.

[1] *Et ſecretorum conſcii divinorum &c.*] *Pamelius ait*, Locus inſignis de oratione Sanctorum pro nobis.

[2] *Nonnulli veniam obtineant immeritis.*] *Pamelius ait*, Denuo repoſui *nonnullis* pro eo quod Manut. & Morel. *nonnulli*.

(a) DE BAPTISMO CHRISTI. ET MANIFESTATIONE TRINITATIS.

NON ſatis eſt quod angeli locuti ſunt paſtoribus, quod apparuit ſtella regibus, quod nativitati, & perſonæ, & loco conſona Prophetarum oracula, perfidæ gentis indicio, Chriſto perhibentia teſtimonium, in unam convenere ſententiam: ſublimius & perfectius teſtimonium profertur divinitus, & ipſe pater inviſibilis auditur, & aures humanas omnipotentis Dei præclara vox penetrat, & inaudita à ſeculo fidei ſpecies declaratur. Veniebat Chriſtus ad (b) baptiſmum Joannis, non egens lavacro, in quo peccatum non erat, ſed ut ſacramento perennis daretur auctoritas, & tanti virtutem operis nulla perſonarum acceptio commendaret: quoniam remiſſio peccatorum, ſive per baptiſmum, ſive per alia ſacramenta donetur, proprie Spiritus ſancti eſt, & ipſi ſoli hujus efficientiæ privilegium manet. Verborum ſolennitas, & ſacri invocatio nominis, & ſigna inſtitutionibus Apoſtolicis ſacerdotum miniſteriis attributa, viſibile celebrant ſacramentum: rem vero ipſam Spiritus ſanctus format & efficit, & conſecrationibus viſibilibus inviſibiliter manum totius bonitatis auctor apponit, & plenitudinem gratiæ unctionis divinæ pinguedo, ſanctificationibus officialibus infundit, & rem ſacramenti conſummat & perficit.

Si in Petri vel Pauli nomine baptiſmi gratia donaretur, poſſet alius alio videri ſublimior: & ſecundum miniſtrorum merita hæc ſingularis (c) gratia æſtimari, ut melior eſſet baptiſmus ejus qui ſanctior videretur, & indignior eſſet qui ab eo acciperetur, quem non amplior æſtimatio commendaret. Hæc & in alia ſacramenta transferretur injuria, ut non in eis unitas, ſed diverſitas haberetur; ſi (d) cenſerentur à melioribus fieri meliora, & minus haberent utilitatis & ponderis quæ fierent ab indignis. Sic euchariſtia una, alia melior; & baptiſmus, pro miniſterio vel melior vel deterior (e) credetur. Abſit hoc à fide catholica, abſit à religione Chriſtiana tantæ corruptionis fermentum. Una nobis fides, unus Dominus, unum baptiſma: quod ſi ab indigno forte fuerit conſecratum, non audet juſtus iterare vel corrigere quod ſemel eſt factum: quia per quemcumque fiat, idem eſt; nec hoc privilegium meritis eſt datum, ſed gratiæ; & proprie ſibi omnipotentia Dei retinet hunc effectum. Neque enim Paulus pro nobis crucifixus eſt, aut nos gloriamur in Paulo, ſed in cruce Domini gloriamur; cujus virtus omnia peragit ſacramenta, ſine quo ſigno nihil eſt ſanctum, neque aliqua conſecratio meretur effectum. Hinc omnium ſanctificationum exurgit ſublimitas & profundum, & longe lateque plenitudo diffunditur gratiarum.

Quod ne ulla præſumtio ſibi doni hujus in poſterum gloriam vendicaret, in hoc ſicut & in aliis, Domini noſtri Eccleſiæ ſuæ providit benignitas, ut ipſe baptizaretur à ſervo: [1] (f) ne conſervi conſervorum miniſterium detrectarent, vel aliquis cuiquam in hoc opere præferatur; quoniam ſive Judas ſive Paulus baptizet; Chriſtus peccatum lavat, abſolvit, & delet. Sic Rachel & Lia, Balam & Zelpham maritis accommodant, & liberos accipiunt ex uteris ancillarum. Scribæ & Phariſæi in cathedra Moyſi ſedentes, dum agunt

(a) De baptiſmo Domini, & voce Patris, *Laud.* (b) *Sic O. A. Bod. Imp.* baptiſmum, non. (c) Gloria, *O. A.* (d) Cenſeretur, *O. A.* (e) Crederetur, *Laud.* (f) Nec, *O. A.*

[1] *Ne conſervi conſervorum miniſterium detrectarent.*] *Pamelius ait*, Ita prorſus legendum, pro, *nec.*

[1] *Imme-*

agunt quæ ad cathedram pertinent, per omnia plenitudine poteſtatis utuntur ; & officium, non vita tantis (*a*) affectibus honoratur. Obediunt dæmones exorciſtis : Chriſtum, inquiunt, ſcimus, & Paulum novimus, & in (*b*) nomine Chriſti quem Paulus prædicat, adjurati, egredimur : vos autem penitus ignoramus. Ecce in nomine ſuo nihil quæſtuarii peragunt exorciſtæ, nec ſe eis deferre ipſi dæmones profitentur, ſed nomen Chriſti etiam per lucrorum ſectatores ſuæ gloriæ retinet poteſtatem, & fiunt in talibus cauſis miniſtri mercenarii, ſicut naves onerariæ, quæ per pelagus evehunt inſtitores, quarum rectores potius eorum quos ducunt, pecuniis inhiant quam ſaluti. Et tamen mare ſeculi hujus neceſſarios habet hujuſmodi tranſvectores : alioqui ceſſabunt commercia, nec ex tranſmarinorum copia aliorum inopia habebit ſubſidium, nec occurrent ſibi ſolatia regionum, ſi vehicula tollantur de invio, & pelagus immeabile relinquatur. (*c*) Bonis quippe ſæpe malorum miniſteria ſuffragantur. Supponit itaque cervicem ſanctam manibus hominis humilitas redemtoris, & licet plenam non habeat virtutem, ſuſcipit tamen Chriſtus baptiſma Joannis. Præparabat viam Domino Joannes lavando exterius corpora ; ut præcederet exterius lavacrum ſecuturum baptiſma, in quo conferretur animarum ablutio, & peccatorum remiſſio. Præceſſit quod erat ex parte, ut conſummatio ſequeretur.

Horret tamen Joannes, & acclive ſibi eſſe ſacrum Chriſti caput non patitur : quia majorem à minore benedici antiquis regulis refragatur, & criminalis ei viſa eſt uſurpatio poteſtatis. De plenitudine Chriſti omnes accepiſſe & ſeipſum, cum ceteris prædicarat Baptiſta ; ideoque (*d*) Deo hominem manus imponere judicabat (*e*) temerarium, & lavare eum in quo non erat peccatum, æſtimabat ſuperfluum. Se ad ſolvendam calceamenti hujus corrigiam confeſſus indignum, formidabat exhibere prælatum, ſi ipſe in magiſtro ſine cauſa tentaret hoc agere, quod ab ipſo ſuſcipere neceſſarium dignoſcebat. Ideoque tremebundus, humili (*f*) excuſatione poſtulanti miniſterium (*g*) negat aſſenſum ; non quod obedientiam detrahat imperanti, ſed quod judicio ſuo ſervo ſubdi, non competat majeſtati. Tu, inquit, venis ad me, & à te debeo baptizari ? Cui Dominus : Sine modo : ſic enim decet nos omnem (*h*) complere juſtitiam. Joannis humilitas non arguitur ; nec vituperabile viſum eſt Chriſto ſimplicitatis diffugium, quod reverentia, non importunitas ſuggerebat. In hoc igitur omnem impleri juſtitiam aſſeverat, ſi doctrinam præcedat exemplum, & honore ſe invicem præveniant, qui majorem & qui minorem obtinent locum ; & qui major eſt, (*i*) fiat minor, & præceſſor ſicut miniſtrator : ſi in unitate ſacramentorum omnes ſimul conveniant, ſi pacis eccleſiaſticæ fœdera non diſrumpant.

Baptizatur Chriſtus, nec ultra Jordanis retrorſum convertitur : aruerunt unctiones, Judaicæ ceremoniæ putruerunt ; perpetuo lapſu baptiſmi gratia emanat ad poſteros, nec ulla vetuſtate ſiccatur. Adeſſe ſe tantis myſteriis & præſentiam ſuam dignoſci, dignata eſt ſempiterna divinitas ; cœliſque apertis in ſpecie columbæ Spiritus ſanctus (*k*) ibi ſeipſum oſtendens, & intelligi voluit & videri ; & quietiſſimo elapſu adveniens, ſuper Chriſtum quievit & manſit. Acceperat quippe familiare ſuper hoc ab eodem Spiritu Joannes reſponſum : quia ſuper quem Spiritum ſanctum ſub hac ſpecie videret, ipſe eſſet quem baptiſmi maneret auctoritas, qui mundi peccata tolleret, qui ſolus à nullo ſanctificatus & cuncta ſanctificans, non tam intereſſet ſanctificationibus & ſacramentis omnibus, quam patraret. Sed & vox Patris audita eſt cœlitus : Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite.

Hucuſque Domine ſancte pater non audivimus te loquentem, qui multifarie olim patribus locutus es in Prophetis, & per angelos ſanctos quibus ad diverſa ſæpe (*l*) myſteria à te legatio eſt injuncta. Teipſum non ita ante hoc tempus locutum audivimus, ut perſonaliter tibi aſſignetur locutio quam proferres. Hanc vocem à paternitate tua delatam nemo eſt qui ambigat ; non eſt qui ſibi hoc verbum audeat arrogare, non eſt in cœleſtibus agminibus qui Dominum Jeſum, ſuum audeat filium nominare. Certe (*m*) tibi ſoli nota eſt Trinitas ; & ſolus pater ſcit filium, patremque novit filius, nec à quoquam niſi eo revelante eſt cognitus. In hac divini magiſterii ſchola pater eſt qui docet & inſtruit, filius qui arcana Dei nobis revelat & aperit, Spiritus ſanctus qui nos replet & imbuit. A patre potentiam, à filio ſapientiam, à Spiritu ſancto (*n*) accipimus innocentiam. Pater eligit, Filius diligit, Spiritus ſanctus conjungit & unit. A Patre nobis datur æternitas, à Filio imaginis ejus conformitas, & à Spiritu ſancto integritas & libertas. In Patre ſumus, in Filio vivimus, in Spiritu ſancto movemur & proficimus. Convenerunt ſimul ſempiterna divinitas & temporalis humanitas ; & eo tenore utriuſque naturæ facta eſt unitas, ut impoſſibile ſit quod junctum eſt ab invicem ſeparari, ſed verbum & caro ſic ſunt una eſſentia, ut perfectam & integram ſincera conjunctio faciat unitatem. Nec injuria eſt, ſed gratia Dei, ſi quod minus videtur, digniori jungatur ; cum inferior natura contumeliam probrumque peccati non contrahat : nec eſt minoratio majeſtatis, provectio paupertatis : nec altitudinem Dei in aliquo humilitas diſpenſatoria dehoneſtat.

Hoc teſtimonium auditum eſt, quia filius Dei eſt quem Joannes tenet in manibus, verus homo, verus Deus, unicus patris, in ſua natura inviſibilis, in noſtra viſibilis ; ut fide & experimento fulciatur doctrina, dum & viſu & intellectu incarnati verbi notitiam aſſequatur. Dilectus à patre [1] immeritos nos dilexit, ultro viſitationis ſuæ nobis beneficium largitus eſt, ultro ſanavit, ultro curavit, ultro libertate donavit. Etiam ingratos proſequitur hic amor & revocat : neque tunc odit, cum corripit & flagellat : uſque ad mortem Chriſtum duxit dilectio, & reſurgens à mortuis caros habet, quibus tantæ caritatis affectum oſtendit. Duo grata vocabula, filius & dilectus, ipſo Deo dictante noſtris ſenſibus imprimuntur ; ut communio nominum nos aſſocict collegio munerum, & tantæ dulcedinis nomina noſtrum emolliant animum, accendantque devotionis affectum. Per omnia ſibi pater in filio complacuit, nec ulla in eo ſerpentis ſunt reperta veſtigia, nec ſacerdotii ejus pœnituit Deum : quoniam ſacrificium quod in cruce obtulit, ſic in beneplacito Dei conſtat acceptabile, & perpetua virtute conſiſtit, ut non minus hodie in conſpectu patris oblatio illa ſit efficax, (*o*) quam ea

(*a*) Effectibus, *Laud.* (*b*) Nomine quem, *O. A.* (*c*) Sæpe enim bonis, *O. A. Bod. Laud.* (*d*) *Sic O. A. Imp.* Deo & hominem. (*e*) *Sic O. A. Bod. Imp.* temerarium, lavare. (*f*) *Sic O. A. Imp.* ſatisfactione. (*g*) Negavit, *O. A.* (*h*) Implere, *Laud.* (*i*) Fiat junior, *O. A.* fiat ſicut minor, *Laud.* (*k*) Joanni oſtendit, *O. A. Laud.* (*l*) Miniſteria, *Bod. Laud.* (*m*) Sibi, *O. A. Laud.* (*n*) Accepimus, *Laud.* (*o*) Quam illo die quo ſaucio, *Laud.*

[1] *Immeritos nos dilexit.*] *Pamelius ait*, Sic legendum cenſeo, pro *immerito*.

ea die qua de ſaucio latere ſanguis & aqua exivit, & ſemper reſervatæ in corpore plagæ ſalutis humanæ exigant pretium, & obedientiæ donativum requirant.

1 (a) Huic dilecto filio tuo tu Domine nos præcipis obedire. Loquere igitur Domine, quia audit ſervus tuus. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, doctrinam tuam amplector: ſuave eſt mihi eloquium tuum, vivus & efficax ſermo tuus, ancipiti gladio penetrabilior uſque ad diviſionem ſpiritus & animæ meæ attingens, carnales & ſpiritales intra me ſeparat & ſequeſtrat affectus; & à vilibus pretioſa diſtinguens, quaſi flagello de funiculis contexto, de meo interiori templo quod tu inhabitas, omnem nundinationem expellit, nec patitur in atriis tuis mercimonia columbarum, ſed à ſanctuario gratiæ tuæ omnem venalitatem excludit. Audio te cum iraſceris, audio cum miſereris; ſive parcis, ſive flagellas, juſtum & bonum te prædico: In ira te ſupplico, in clementia gratias ago, nec ſanctis ſermonibus contradico. Loquere, magiſter bone, libenter te audio, & cum adverſaris mihi, etiam in plagis & doloribus intelligo diſciplinam: nec latet me te docente, ad ſiccandas corruptionum mearum putredines prodeſſe cauterium, & mundare cicatrices veteres ſal diſciplinæ tuæ Evangelio tuo medente infuſum. Præcipis ut infundam corrupto pulmoni hyſſopum, & ſpiritus tui ſuavitate epota, totius malignitatis inflatio detumeſcat. A te, Deus bone, humilitatem diſcentes, quaſi manſueta animalia quieto greſſu te bajulamus ſeſſorem; nequaquam ſub hoc onere laſſitudinem, ſed quietem inventuri: quia jugum tuum non eſt grave, ſed leve: & lex tua, & teſtimonia juſtitiæ præcepta, & timor & judicia delectabilium in ſe rerum continent ſacramenta. Lex tua docet vitare peccatum, & corripit tranſgreſſores: & ut lotis mundiſque pedibus in via immaculata incedant, omnia præmonſtrat offendicula, & inſinuat diverticula, quibus periculoſi tranſitus evitentur; nihil impoſſibile, nihil jubet auſterum. In quibuſdam per legem tuam promiſſa præmia nos invitant, in multis pœnæ propoſitæ, & ſupplicia vel damna territos animos à ſcelerum retrahunt appetitu: neque lex tua ſcripta à lege naturali in aliquo diſſonat, ſed reprobatio mali, & electio boni ſic animæ rationali infixa ſunt divinitus, ut de hoc nemo recte cauſetur: quia nulli ad harum rerum perſecutionem deeſt ſcientia ſive potentia; quia & quod agendum eſt, ſcimus: & quod ſcimus, facere poſſumus.

Quod ſi impoſſibilia eſſent præcepta tua, vel tantis difficultatibus onerata, vel voluntas tua ſic abdita, ut non poſſet intelligi, quid à nobis tua expeteret altitudo, licet invitus nemo peccet; poſſet tamen ex multis excuſare delictum, niſi nobis & moderatio mandati, & veritatis cognitio, & agendorum diſtinctio auctoritate cognoſcibili providiſſent: & ſimul ſe complecterentur poſſibilitas, & facilitas, ſcientia & poteſtas. 2 Præcipis mihi Domine Deus, ut diligam te; hoc & poſſum & debeo: & totum me & interius tibi eſſe jubes obnoxium; de proximo jubes, ut ad meam eum menſuram complectar. Gratias ago tibi clementiſſime Deus, quia quod quæris à me prius ipſe donaſti: & quomodo tu me dilexeris, ſi linguis hominum & angelorum loquar, nec digne poſſum eloqui, nec univerſa complecti, quæ mihi gratiæ tuæ contulit amplitudo. Juſtum eſt Domine ut diligamus te; quia & ipſe nos diligis: & iniquum omnino eſt, ut te in aliquo dilecti tui offendant. Vere hoc mandatum legem complectitur & prophetas, & in hoc verbo omnium ſcripturarum volumina coartantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc Domine verbi tui clamat auctoritas; hoc ex ore tuo audivimus; hic invenit conſummationem omnis religio; primum eſt hoc mandatum & ultimum, hoc in libro vitæ conſcriptum, indeficientem & hominibus & angelis exhibet lectionem.

Legat hic unum verbum, & in hoc mandato meditetur Chriſtiana religio, & inveniet ex hac ſcriptura omnium doctrinarum regulas emanaſſe: & hinc naſci, & huc reverti, quidquid eccleſiaſtica continet diſciplina, & in omnibus irritum eſſe & frivolum quidquid dilectio non confirmat. Non pertinet Domine ad te, nec de tuis eſt qui te non diligit: nec diligit te, qui ſcienter offendit. Dilectioni tuæ detrahit, qui terminos à te poſitos tranſit, & Evangelii tui decreta tranſgreditur & contemnit. Non amat te qui pecuniam diligit, tibi & mammonæ nemo ſimul deſervit. Non pertinent ad te ſpeciem pietatis habentes & negantes virtutem, nec militant tibi negotiorum hujus ſeculi trajectores; non audiunt te, ſed ſicut aſpis aures ſuas obturant, ne eorum corda verbum tuum penetret, quotquot peccato ſerviunt & voluptati, carnalium amatores. Lex tua Deus, Apoſtolorum & Martyrum teſtimonio confirmata; parvulis tuis

(a) Dilecto Filio nos Pater præcipit obedire. Mandatum omni acceptione dignum, ut vocati in ſocietatem hæreditatis, dilectori noſtro per omnia obſequamur: & ad omnia quæ fuerint imperata, dilectio lætabunda reſpondeat. Olim Abraham de terra Chaldæorum ſimul ac juſſus eſt incunctanter egreditur, & in terra Chanaan hæreditatem repromiſſam credulus præſtolatur. Idem in mandatis accipit ut dilectum filium jugulet; nec cunctatur, ſed neque cauſam cur occidi debeat perſcrutatur. Moyſes advena ad jubentis imperium ſedentem in ſolio Pharaonem aggreditur; & niſi dimittat populum Dei, multa regni diſcrimina comminatur. Obedit Samuel ut abjecto Saul David ungat in regem, & reprobationis cauſam prætendit inobedientiam, dicens: Scelus eſſe idololatriæ nolle obedire, & ariolandi peccatum, nolle acquieſcere. Obedientia David in regno locat & ſtatuit; Saul rebellio dejicit & proſternit. Sed & ipſe Dominus qui magis in obedientia quam victimis delectatur pati, uſque ad mortem factus obediens, nomen accepit quod eſt ſuper omne nomen, ad quod omne genu flectitur, & omnis altitudo curvatur: ipſe obedientiæ exemplar participes tribulationum facit conſolationum conſortes, & in judicio iis qui ſequuntur eum, pollicetur in regno conſeſſum. Nos vero ad reddendum ei quod ſuum eſt, tam ratio debiti quam auctoritas præcepti ſtimulat & compellit. Utilia quippe ſunt & neceſſaria quæ mandantur; nihil indecens, nihil impoſſibile Evangelium jubet. Faſtus ambitionis Chriſti dogmate tollitur, humilitas commendatur. In caritatis manſuetudine ſeminare jubemur in lacrymis, ut mœrentes in gaudio manipulos ad horrea deportemus. Eſurire juſtitiam & proximo miſereri, rationis & naturæ lex ſuggerit; & ſi ſcripturæ ſileant, nihil de gradibus aſcenſionum propria mandata definiant. Cumque ſapientiam qui de ſurſum eſt prius pudicam, deinde conſtat eſſe pacificam, ad viſionem uſumque quietis æternæ mundas & pacificas animas quærit caritas: quas oleum in vaſis habentes intus admittat, & ſponſo repræſentet immaculatæ vitæ ſincera virginitas. *O. A. Bod.*

1 *Huic dilecto filio tuo.*] Hæc quæ ſequuntur ad capitis hujus finem, penitus deſiderantur in tribus codicibus MSS. Laudenſis ſtatim ad caput proximum procedit; Omn. Anim. & Bod. quæ ſuperius habentur ſubſtituunt. *Pamelius ait*, Eraſmus hic novum ſermonem faciens, falſus eſt cod. Remboldi, qui primus hoc opus edidit. Dum enim quæ ſequuntur, litera majuſcula excuſa eſſent, forte fortuna in frontiſpicio pagellæ, videbatur illi ſuperſcriptio, *de Baptiſmo Chriſti*, novus eſſe novi ſermonis titulus. Quare recte à Manutio & Morelio, prioribus ſequentia conjuncta ſunt.

2 *Præcipis mihi Domine Deus ut diligam te, hoc & poſſum, &c.*] *Pamelius ait*, Recte ſic Cauchius, Morelius & Manutius, pro *diligam te hic, & poſſum.*

tuis pauperibus ſpiritu, quibus tibi regnum tuum dare complacuit, ſapientiam præſtitit; & lætificaverunt animas eorum juſtitiæ tuæ, in quibus per eandem legem edocti vixerunt: & hoc dilectionis præceptum ita fidelium mentes illuminavit, ut in pace & ſanctimonia viventes, pacificis & mundis cordibus te viderent, & ſimul amor ſanctus & timor caſtus perſeverantibus tibi ſtudiis obedirent; uſque adeo tibi aſcenſionibus hujuſmodi propinquantes, ut fierent judiciorum tuorum conſcii, & per ipſos tua & nunc poſtmodum judicia exerceres. Præcepiſti Domine ut audiamus dilectum filium tuum: gratias tibi agimus, quia nos ejus magiſterio commendaſti. Nos vero ex præcepto tuo ejus doctrinæ nos tradimus informandos; & inhærentes ei, libenter eum, duce Spiritu ſancto, omni tempore audiemus.

---

[1] DE JEJUNIO ET TENTATIONIBUS CHRISTI.

Anno triceſimo carnis aſſumtæ, baptizato Domino in Jordane, poſtquam revelante patre, quod filius Dei eſſet, innotuit; non jam conveniebat eum putari filium Joſeph, vel eſſe ſubditum illi. Nec tamen repente ad ſigna & miracula & doctrinam uſus eſt poteſtate, ſed interim auctoritatem continuit; & antequam notum ſe faceret mundo, expoſuit ſe tentandum diabolo: non ut divinitatis integritas probaretur, ſed ut tentatoris confunderetur præſumtio; dum fame & laſſitudine (*a*) per jejunium veritas humanitatis pateret, quæ divinitati aſſociata, omnino peccati ſenſu & conſenſu careret. Hac ætate tempus doctrinæ inſinuatum eſt rationabile, (*b*) & [2] ante has metas perperam invadendi magiſterium data eſt forma: quia non competit annis impubibus ſedere in cathedra, & in primogenitis boum lege aratio eſt interdicta. Jam vero cum ætatis & temporis ratio conveniret, & ad obediendum verbo Chriſti mandatum cœlitus adveniſſet: voluit tamen ſapientia Dei primo erudiendos informare exemplo, & contra tentamenta proponere documenta; ut audiret & videret & ſentiret humana rationabilitas, quam inſuperabilis ſit victrixque peccati, ſi libertas arbitrii libero moderamine dirigatur.

Igitur deſertum Chriſtus ingreditur: ibi ſuo, id eſt, Spiritu ſancto duce & comite converſatur. Locus ſecretus eligitur; quia ſolius Dei judicio jejunia ſunt agenda, & ſingulariter inſpectorem adjutoremque Deum volunt hæc habere certamina, neque in agonibus aliquibus periculoſius militatur. Nulli religionis exercitio fraudulentius inanis gloria adulatur, nulli virtuti favor ita blanditur. Jejuniorum ſudoribus laus importuna ſe ingerit: & ſubtiliſſimis aculeis penetrans animam, dum extollit, emollit, & pungit, cum ungit. Virtutem in hypocriſin vertit, & ſimpliciter inchoata pervertit. Quaſi tinea quod integrum erat, rodit & occupat, & ſanctitatis fundamenta evellit & diſſipat. Subtiliſſimum malum, proprio laqueo hypocritam jugulat, & propriis armis ſanctitatem (*c*) impugnat. Caſtigatio carnis ſpiritum inflat, & macies corporis extenuatum arrogantem impinguat. Contemtus (*d*) venerationem venatur, fames & calamitas laudibus ſaturatur. Mens hoc veneno imbuta, in miſeriis deliciatur, & occupata hac ſcabie, in ulceribus gloriatur. Religio fit ſuperſtitio, & ſuccedit ei ambitio (*e*) ſubornata. Extincto ſpiritu quatriduano cadaveri ſolæ ſuperſunt exuviæ, virtutis ſpecies exanimis & ſimulacrum ſanctitatis. Tanta eſt hypocritarum dementia, ut fœtoribus pro odoribus abutantur, & pretioſa vilia, & aſpera ſuavia arbitrentur; & favorum ſapor omnium dulcedinum ſuperet condimenta, omniſque delira ſenſualitas contrariis delectetur. Propter hoc ſolitudo carens arbitris, & eremus aſſentatorum ſatellitio vacua à jejunante Chriſto eligitur, ut non cum carne & ſanguine, ſed cum ſpiritalibus nequitiis dimicetur, & amotis ruinarum occaſionibus homo cum diabolo colluctetur, & ſoli ſint in palæſtra Chriſtus & antichriſtus, Spiritus & antiſpiritus.

Neque putet homo ſe evaſiſſe pericula, cum in eremum venerit: quia quanto ſubtilius, tanto difficilius à tentatore invaditur, (*f*) quia cogitationum foribus affidens, omnia virtutum (*g*) germina in ipſo ortu ſtrangulare molitur. Imaginem Chriſti delere cupiens; adulterinos colores naturali pulcritudini ſuperducit, claritatem ſpiritus interpolat & obnubit. Verum liberius anima expedita obviat impugnanti, ubi compedes impedimentorum defuerint, & aſpectus iritamenta (*h*) non moverint: ſecuriorque eſt congreſſus, ubi ſingula non vellicant dimicantem, nec inebriant animum lenocinia voluptatum. [3] Honeſtius cum ſpiritu quam cum carne luctamur: quia [4] carnis complexus fœdas exhalans nebulas, eum qui ſibi ad-

(*a*) *Sic O. A. Imp.* poſt. (*b*) Nec, *O. A.* (*c*) Impugnat. Contemtus *&c. O. A. Bod.* (*d*) Venerationem veneratur, *Laud.* (*e*) Subornata. Tanta eſt, *&c. O. A. Bod. Laud.* (*f*) Qui, *O. A. Laud.* (*g*) Genimina, *O. A.* (*h*) *Sic O. A. Bod. Imp.* noverint.

[1] *De Jejunio & Tentationibus.*] Diſtinctio aliquanto codex Laudenſis, *De tribus Tentationibus Domini.*

[2] *Ante has metas perperam invadi magiſterium.*] *Pamelius ait*, Prorſus ſic lego ex conjectura Cauchii, pro *nec ante.*

[3] *Honeſtius cum ſpiritu quam cum carne.*] *Pamelius ait*, Adjecimus *cum*, ſecundo loco ex Gravio & Remboldo.

[4] *Carnis complexus fœdus exhalans nebulas.*] *Pam. ait*, Malim l. *fœdas.*

adhæſerit aliqua ex parte contaminat: nec libidinum morſus quiſquam evaſit illæſus. Flatus ille peſtilens etiam longe poſitos inficit, & hoc certaminis genus fugam potius quam aſſultum requirit. Et quia ſolent oratione & jejunio dæmones edomari, munitio eremi cum hujuſmodi armatura exemplo magiſtri [1] recipit Chriſtianos: quos etſi omnes diverſorium non excipiat loci; animi tamen omnino neceſſaria eſt ſolitudo, ubi erecta ſpecula, mens ſibi inſopita provideat, & deterſa rubigine coruſcantibus armis importunum hoſtem terreat & repellat.

Jejuniis vitiorum ſentina ſiccatur, petulantia marcet, concupiſcentiæ languent, fugitivæ abeunt voluptates. Extinguitur ardentis Ætnæ incendium & flammivomi fornax Vulcani extincta intrinſecus, montes conterminos non adurit. Jejunium ſi diſcretione regatur; omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ ſpoliat & exarmat. Jejunium extraordinarios motus [2] in cippo claudit & artat, & appetitus vagos diſtringit & ligat. Jejunium ſi humilitate ornetur; ſervos Dei, mundi efficit contemtores. Jejunium carnes azymas mundat & ſolidat: & putredines quæ ex adipe prodeunt, conſumit & ſiccat. Jejunium ſcripturarum deliciis paſcitur, contemplatione reficitur, gratia ſtabilitur, cœleſti pane nutritur. Danieli interpretatio ſomniorum revelatur jejunio, & tres pueri de Babylonio illæſi egrediuntur incendio. Moyſes in monte quadraginta diebus cum Domino perſeverans; & Dei familiare colloquium, & legis (*a*) miniſterium jejunio promeretur. Helias quoque eodem dierum numero abſtinens in eremo converſatur.

Utilitas jejuniorum temporibus Chriſtianis clarius patuit, & à multis frequentata in plurimos ſe effudit. Quotquot viros virtutum vidimus, (*b*) non ſine jejunio legimus aſcendiſſe: nec aliquid magnum moliti ſunt, niſi prius abſtinentia præceſſiſſet. Quotiens aliquid à Deo obtinere conati ſunt, jejuniis incubuere & lacrymis, & pernoctantes in orationibus, ciliciis carni (*c*) hærentibus ſupplices beneficia poſtularunt. Nec defuit proventus, ubi ad pedes Dei ſacrificium contriti cordis offerens, ſe proſtravit humilitas; ſed prope fuit invocantibus ſe Deus, & porrexit manum naufragis, & ſubvenit afflictis. Si Moyſen, & Aaron, & Samuelem hodie haberet Eccleſia, cum invocarent, exaudirentur: & orantibus Job, & Noe, & Daniele, populo parceretur. Rarus hodie Phinees, qui perfodiat impudicos: rarus Moyſes, qui occidat ſacrilegos: rarus Samuel, qui inobedientes lugeat: rarus Job, qui pro filiorum negligentia ſacrificium offerat: rarus Aaron, qui coram Pharaone comminationes divinas edicat: rarus Noe, qui his, quibus ſubmerſio imminet, arcam bitumine litam provideat. Flens cum Apoſtolo dico, inimicos (*d*) crucis qui terrena ſapiunt magiſtratus, quorum Deus venter eſt; qui in his quæ dicere nefas eſt, impudentes lætantur & gloriantur. Venerunt periculoſa tempora quæ prædixit Apoſtolus; in quibus voluptatum amatores magis quam Dei, ſpeciem pietatis habentes, virtutem vero abnegantes.

Inveniuntur præpoſiti innumerabiles, qui jejunia & orationes nec digito movent, in quorum manibus iniquitates ſunt, & muneribus eorum dextra oneratur: fruſtra ab his (*e*) quærantur miracula, fruſtra auxilia (*f*) implorentur: non ſunt idonei interceſſores, Domini contemtores: nec convenienter ad placandum eum accedunt, nec conciliant quem offendunt. Efficax eſt oratio præcedente jejunio, & ſacris ſtudiis antecedentibus non patitur poſtulatio devota repulſam. Eligitur ſolitudo; ut ſoli Deo vacans anima cum in ſe per continentiam mactaverit voluptates, purgatis affectibus ad cœleſtia evolet; & videns Deum oret & adoret, & dulcedinis ſupernæ ſuavitatem præguſtet.

Forma igitur jejuniorum propoſita, fixoque exemplo, poſtquam quadraginta dierum abſtinentiam Dominus conſummavit, Satan cum eſurientem videret, acceſſit. Retroactum tempus obtinuerat quies, & (*g*) ſecum ſub ſilentii ſera opus illud eximium Salvator exegerat; modo oblata famis occaſione tumultuator de latebris prodiens, foras egreditur, & ſubdola profeſſione quaſi compatiens ei, ſubvenire periclitanti naturæ hortatur: Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant. [3] Nec vult fateri, nec præſumit diabolus diffiteri Chriſtum filium Dei; ſed dubie [4] (*h*) ſuſpenſeque conſulens, tendiculas blandis innectit ſermonibus, ut obaudientem ſibi reddat obnoxium, & ſe de compaſſionis ſpecie reddat acceptum.

Caro & laſſitudo, & cetera hujuſmodi hominem teſtabantur; virtutis integritas & vita carens omni peccato, perfectius ei privilegium adſcribebant, & divinitas potentiſſima ex ipſis effectibus negari non poterat. Fuerant & ante Chriſtum viri inſignes, prophetæ & ſacerdotes: ſed in peccatis concepti & nati, nec originali nec perſonali caruere delicto: & inventa eſt in omnibus vel ignorantia, vel inſufficientia; in quibus erronei peccaverunt, & eguerunt miſericordia Dei, per quam edocti & reſtituti gratias egerunt Deo, & ad plenitudinem juſtitiæ multum ſibi deeſſe confeſſi ſunt, & ſperantes in Deo nullam ſibi ſoliditatem attribuere præſumſerunt. Non ita Chriſtus in quo verbi carniſque ſic convenit natura, ut nulla alteri ex altero injuria deveniret: quia in carne ſocia nullam divinitus maculam reperit, nec ſecuta eſt, nec præceſſit.

Hæc naturarum conjunctio diabolum excæcabat: quia impoſſibile ei videbatur vel quod eſurire poſſet divinitas, vel quod tantæ tolerantiæ poſſet eſſe, tantæque poteſtatis corporalis humilitas. Duplicem itaque inquiſitionem ſinuoſa calliditate orditur, ut de Chriſto utrum naturalis filius Dei ſit, ipſo reſpondente certitudinem habeat: ut cum Deum confeſſus ſe fuerit, abſurdum videatur quod Deus eſuriat, & in quamcumque partem ſe reſponſio verterit, neceſſitas concluſionis occurrat: Si filius Dei es, tibi non competit eſurire. Quod ſi eſuris, manifeſtum eſt te filium Dei non eſſe, quem violentia neceſſitatis communibus indigentiis intercludit. Succurre, inquit, neceſſitati ſi potes, alioqui deficies: & præſentes lapides in panis muta ſubſtantiam. Sic enim fiet ut evadas periculum; & ſi hoc potueris, probes te Deum. Non erat digna reſponſione quæſtio malignantis; neque enim technas diaboli Dominus ignorabat, ſed divino cavillatori ſatisfecit eloquio, ſub-

(*a*) Myſterium, *O. A.* (*b*) *Sic O. A. Imp.* ſine jejunio. (*c*) Inhærentibus, *O. A.* (*d*) Crucis Chriſti, *Laud.* (*e*) Quæruntur, *Laud.* (*f*) Implorantur, *Laud.* (*g*) *Sic O. A. Bod. Imp.* ſecum ſilentii. (*h*) *Sic O. A. Bod. Imp.* diſpenſeque.

[1] *Recipit Chriſtianos.*] *Pamelius ait*, Sic lego, pro *recepit.*

[2] *In cippo claudit & artat.*] *Pamelius ait*, Metaphora à cippo Inſtrumento, quo pedes conſtringuntur.

[3] *Nec vult fateri, nec præſumit diabolus diffiteri.*] *Pamelius ait*, Solus Manutius *differri.*

[4] *Suſpenſeque.*] *Pamelius ait*, Nova vox.

[1] *Sciens*

ſubtiliſſimo dogmate edocens corporis & animæ vitæ propriis alimoniis deberi ſubſidia, & cibum animæ, id eſt, verbum Dei eduliis corporalibus præponendum, & citius attentiuſque menti providendum quam ventri.

Nec opus erat ut hoc facto inſidiatori (*a*) innoteſceret Chriſtus: quia nullo ſigno ejus poterat invidia commutari, cujus incorrigibilem iniquitatem deſperatio fugillavit. Superfluum igitur erat ad ſuggeſtionem ejus ibi nulla profutura miracula operari; cum ſatis eſſet diligenter conſideranti, quod eſurientem cibi non ſuperabat appetitus, & deſiderii motus defectio non eſſet, ſed virtus. In nullo Chriſtum aliqua coegit aut dominata eſt ei neceſſitas; qui propriæ moderamine voluntatis diſpoſuit & perſolvit quod exegit humanitas. Sicut in ipſius voluntate fuit conſecrare jejunium; ita & in poteſtate fuit tempore opportuno ſumere cibum. Quod utique nec miniſterio, nec conſilio diaboli fuerat ordinandum; quia & abſtinentiæ & refectionis penes ipſum erat & arbitrium & facultas. Itaque nihil certitudinis ſeductor extorſit, ſed dubius incertuſque dimiſſus eſt; nec obtinuit ut ſe proderet Chriſtus miraculo, vel intemperanter ad cibum properans, obediret ſeductoris conſilio: quaſi tunc primum quid fieri oporteret data doctrina, acceptaque ſententia.

Repulſus igitur auctoritate ſcripturæ, & propoſiti firmitate, defecit ſcrutinio: nec tamen alia aggredi via deſtitit, & falſatis argumentis prioribus alia ſubjiciens, quibus ab eo conſentaneas ſibi reſponſiones aliquas extorqueret, adjecit. Eo igitur ſupra templi pinnaculum conſtituto, quem gula non potuit, vana gloria ſubvertere nititur. A multis ambigitur utrum fuerit (*b*) hæc tranſlatio corporalis: & ſi de loco ad locum ſe Chriſtus transferri permiſerit, eo modo quo Abacuc de Judæa in Chaldæam (*c*) delatus eſt; & Philippus de Azoto in occurſum eunuchi, qui revertens de Hieruſalem non intelligens Eſaiam, codicem revolvebat. Sed quod corporaliter eum diabolus tulerit, videtur inconveniens: quod humeris ejus Salvator inſederit, & pro vehiculo uſus ſit quem præcipitatorem ſciebat; vel ei ferendum ſe commiſerit, cujus inſidias agnoſcebat. Suo itaque ſpiritu eum credendum eſt ductum & in deſertum, & ſuper templum, ut utrobique eum diabolus aſſumeret ad tentandum.

Et localiter quidem in deſerto prima fuit tentatio; ſed ceteras eo modo circumduxit tentatoris aſtutia, vel circumduci paſſa eſt patientia Salvatoris, quo modo Ezechiel cum ſuper fluvium Chobar ſederet, Hieroſolymam raptus in ſpiritu civitatem ædificat & metitur, & muros & templum inſtaurat. Hoc modo ſuper culmen templi Chriſtus erat in ſpiritu; [1] ſciens quid Antiſpiritus affectaret, & hoſti ſe de vana gloria pulſaturo opportunitatem parabat. (*d*) Hac igitur occaſione loci hortatur & conſulit, ut in urbe ſancta & frequentia populorum quaſi novus funambulus in excelſo pendulus, ſe deorſum ad ſpectaculum vulgi jactet intrepidus; addens ex teſtimonio ſcripturæ angelorum affutura ſuffragia, quæ ruentem exciperent, & conſervarent illæſum.

O execrabilis diaboli malitia, o ſtulta nequitia; o inſenſata verſutia, o præſumtio excæcata. Putabat malignus quem gula non vicerat, [2] vana gloria ſuperari. Experientia quippe rerum didicerat, & in multis probaverat; vitiorum (*e*) victores ſæpe nugis laudationum corruptos, & cognatum propinquumque eſſe virtutibus malum adulationem: nec facile quenquam poſſe evadere, quin libenter aſſentatorum canticis porrigat aures, & laudatorum modulationibus delectetur. Et ſicut rarus eſt, aut nullus qui de ſe mala dici æquanimiter ferat: ita rarus eſt, qui non bene de ſe velit ſentiri, & ſe ſi recte vivit ſtantem in vitæ rectitudine non diligat æſtimari. Quod ſi opera virtutum foras exierint, rarus eſt qui hominum judicia conſpuat, & laudes humanas contemnat. Hoc generale malum in humano genere Satan putabat ex præcedentis occaſione victoriæ ſuggerere Salvatori: ut popularibus laudibus vellet attolli, & facere ſibi nomen juxta nomen magnorum qui ſunt in terra, ſi geminato miraculo jejuniorum conſtantia innoteſceret populo, & vectoribus angelis ſine offendiculo ſuſtentatus, ſe filium Dei tam potenti abſtinentia, quam angelorum obedientia comprobaret.

Hujuſmodi conſiliis filios hominum Satan corrumpere conſueverat, & robuſtis virilibuſque animis etiam hujuſmodi cogitatus immittit: [3] & ſi ab ingreſſu mentis arceatur renitente conſenſu, aliquid tamen de ſpurcitia ſua ibi evomens, abominationum (*f*) horrores nauſeare compellit. Sic, ut aliquid poeticum inſeram, [4] temulentus Cyclops illiciti conjugii appetitor, licet à Pallade repellatur, in gremio tamen ejus Erichthonium fundit; & incorrupta Minerva, ſupereſt tamen deforme monſtrum, nec omnino affectata ſcelera in memoria moriuntur.

Non tentabis, inquit, Dominum Deum tuum. Hoc in Deuteronomio ſcriptum eſt: Ecce lex legi objicitur, & Satan auctoritate ſcripturæ abutens, malus legis interpres præcipitium quaſi ex ratione mandati hortatur: ſed intellectus fallax & falſus veritate ſincera confunditur; & generali edicto interdictum oſtenditur, ne dum patet in quibuſlibet anguſtiis quilibet exitus, Deus ulla præſumtione tentetur. Alia explorator malignus argumenta conatur adducere; & ad ſummam cumulumque (*g*) nequitiæ ſuæ, continentem & humilem oblata aggreditur poteſtate; & oſtenſa mundi hujus ſublimitate & gloria (quaſi indignum ſit tantæ auctoritatis doctorem, & inſignium operum patratorem, ignobili & contemtibili ſchemate obumbrari) & dominatione univerſorum uſuque animum dignum honore ſollicitat; & daturum ſe omnia pollicetur, ſi ei pro tanto munere gratias agat, & procidens adoret tanti culminis largitorem.

Solent viris virtutum hujuſmodi præſtigia ſe offerre, [5] & teſtimonium religionis conſcientia perhibente, cum ab aliis digni honoribus judicentur, facile acquieſcunt: & tam proprio quam alieno faſcinati ju-

(*a*) *Sic O. A. Imp.* innoteſceret: quia. (*b*) *Sic O. A. Imp.* hic. (*c*) Tranſlatus eſt, *Laud.* (*d*) Hoc, *Bod.* (*e*) Victores ſuæ nugis laudationis, *Laud.* (*f*) *Sic O. A. Imp.* horrore. (*g*) Malitiæ, *Bod.*

[1] *Sciens quid antiſpiritus affectaret.*] *Pamelius ait*, Prorſus ſic legendum, non *anteſpiritus*, patet ex verbis illis non procul ab initio *Chriſtus & antichriſtus*, *Spiritus & antiſpiritus.*

[2] *Vana gloria ſuperari.*] *Pamelius ait*, Malim legere *ſuperare.*

[3] *Et ſi ab ingreſſu mentis arcentur renitente conſenſu.*] *Pamelius ait*, Manutius & Morelius *retinente*, ſed non placet.

[4] *Temulentus Cyclops.*] *Pamelius ait*, Hoc ſumſit ex Ovidii primo metamorph.

[5] *Et teſtimonium religionis conſcientia perhibente.*] *Pamelius ait*, Non dubito eruditos omnes mihi in hac lectione aſſenſum præbituros, pro eo quod erat, *prohibente*, nullo ſenſu.

judicio, à rectitudine corruunt, everſaque cathedra mentis, humo fractis cervicibus colliduntur: repenteque & ſubito quod multis erat partum ſudoribus, ambitione irruente obliteratum eſt, & turbinis hujus impetu avulſum eſt, quidquid antiquæ religionis labor meruerat.

Malum hoc Adam in paradiſo pulſavit & ſtravit; cum ſubjectionem quam Deo debebat faſtidiens, appetiit dominatum; & cum vellet eſſe ſicut Deus, ſine Deo ſe vidit & novit: & conſpectam carnis (*a*) Evæ abhorruit fœditatem, quam licet operiret, manens tamen perpes ibi contumelia, ſtetit & (*b*) adhæſit. Ad ſuaſionem diaboli animam vanitati ſubjectam dejecit ambitio; [1] poteratque exterminio ejus poſteritas didiciſſe, quam miſera mutatio fuit de deliciis ad ſpinas & tribulos emigraſſe, & raſtris ligonibuſque avaritiam condemnatam. Huic malo reſtitit, & reſiſtere nos ſalvator edocuit, ut ſoli Deo ſubjectus ſit homo quantumcunque profecerit, ut in ipſo, imo ipſe ſit ſubſtantia noſtra; & pateat nobis, quod ſicut [2] peremtoria eſt altitudo quæſita, ita & periculoſiſſima eſt oblata. Non quod poteſtas quæ ex Deo eſt ſit damnabilis, aut ordinatio divina peccatorum ſit obſtetrix; ſed quod excellentiam, cujus Spiritus ſanctus auctor eſt, ita debet complecti humilitas, ut qui vocatus eſt ſuperius, neſciat ſe ſublimem, & per omnia agnoſcat conditio conditorem, & gratia largitorem.

Gloriabantur aliquando diſcipuli, & complacebant ſibi in miraculis, gratulabundi quod eis etiam dæmonia obedirent: ſed repreſſa eſt, increpante Domino, ſimplicitatis eorum præſumtio: Videbam, inquit, Satanam tanquam fulgur (*c*) deſcendentem de cœlo. His verbis eorum animis intimans; quia ante hoc temporale initium ipſe in principio, imo ipſe principium exiſtens apud Deum, ante hominis conditionem ſuperbientis diaboli ruinam vidit, & affectatæ dominationis ambitionem, dejectionis ejus fuiſſe cauſam: nec in hoc gaudendum eſſe ſi quis prærogativa celſitudinis donaretur, ſed hanc eſſe certam ſtabilemque veri gaudii metam, ſi vocatio noſtra juſtificatione muniretur: & tunc demum ratum conſtare beatificationis proventum, ſi hujus ordinis ſcriptura in conſpectu Dei indelebilis ſervaretur.

Hoc igitur attendentes, quod non in nobis quaſi ex nobis ſufficientes ſumus, ſed ex Domino ſufficientia noſtra eſt; & contentos ſolo Deo neceſſe eſt ei eſſe omnes acclives, cui totum debemus quod vivimus, quod movemur, quod ſumus. Qui de plenitudine ſua nobis interim prout cuique opus eſt, donationes partitur, donec ad cumulum perveniat copia conſummata; uſque adeo conferta coagitataque menſura, ut nihil vel accedat amplius, vel recedat; ſed in cognitione Dei certum finem ſtabilemque metam omnes & animæ & corporis obtineant appetitus. Fruſtra itaque regna hujus mundi tranſitoria & mutabilia, immutabili & æterno regi oſtendit vel promittit diabolus; cum ipſe dicat regnum ſuum de hoc mundo non eſſe: non quod creationem ſuam removens, dæmonum ſubjecerit poteſtati; ſed quia in his qui amorem mundi Dei amori præponunt, non dignetur divinitas ſibi facere manſionem: & impoſſibile ſit eos à Deo regi, qui ſe diabolo tradiderunt: quia Chriſti & Belial nulla eſt participatio, nec aliqua juſtitiæ cum iniquitate poteſt eſſe (*d*) communio.

Regnat ſane malignus ſpiritus in filiis diffidentiæ, ſed eo modo quo ſatellitiis perditorum hominum præeſt, quia in malitia potentiſſimus invenitur, & quia crudeliori tyrannidi depopulare poteſt & conterere, quicquid ſibi invenerit obvium, & perſequi quod videt in fugam converſum. [3] Regnum hoc non eſt naturæ, ſed malitiæ; perſecutio eſt, non defenſio: & tota hujus poteſtatis virtus in mortem damnationemque eorum qui ſub hoc principe militant, elaborat. Regnum hoc munitur vitiis, ambitur flagitiis: turres ejus ſunt crimina, arma quarumcunque turpitudinum molimina. Hujus regis teloniarii ſunt pauperum oppreſſores; tribuni, ſeductores; præfecti, judiciorum perverſores. Cubicularii ejus ſunt quæſtuum aduncatores, mercimonii trajectores; ærarii ſacerdotes, nummularii doctores, conductitii defenſores, linguæ ſubdolæ vel (*e*) conſilii locatores, venales auxiliarii, bilingues cauſidici, concinnatores mendacii, fabricatores peccati, veſtiti mollibus, amicti diſcoloribus. In domo hujus regis ſunt; qui paludamentis talaribus pavimenta verrentes, capillis muliebribus ſe in fœminas transfigurant, & dignitatem virilem non ſine naturæ injuria dehoneſtant. In hoc regno ſunt quicunque veritatem Dei commutant in mendacium; quicunque quaſi in taberna vitiorum præcones, venales animas impuriſſimis dæmonibus corrumpendas exponunt. Hic avaras manus cupidi muneribus complicant; hic genu flexo concupiſcentiæ ſuæ quiſque idolum colit, & propriæ libidinis adorat ſimulacrum.

Non hæc te Domine Jeſu gloria movet; non hujus mundi tu tenes imperium; non horum cupidine tu cadis aut proſterneris; non adoras malitiam, non peccato ſubjiceris: qui ſervis tuis dæmonia ſubdis, & omnem hujus mundi gloriationem deſtruis & confundis. Inſaniſſime ſatan, qua fronte, qua lingua auſus es dicere Salvatori; ut ante te, qui ſtat inflexibilis & immobilis, caderet? ut te damnatum, ipſe qui te damnaverat, adoraret? Quis auſus, quam impudens hæc fuit præſumtio? Quid deſperate ſperaſti? An filium Dei putabas poſſe tecum apoſtatam fieri? Si de mundo viſibili, id eſt, cœlo & terra, & de his quæ (*f*) in eo aguntur, te jactas habere dominium; nec cœli, nec terræ tu conditor; nec ſolem moves, nec curſum das ſideribus, nec per te volvitur firmamentum: nec vides aut intelligis Deum, nec ullum tibi eſt cum cœleſti militia conſortium, vel aliquam habes ad ſuperioris mundi claritatem acceſſum. Hujus inferioris mundi tua eſt (*g*) ſcabies, tua languentia ſunt ulcera, hæc ſcalpis, hæc impurus ablingis. Si quid vitii eſt, ſi quid corruptelæ; tu cadaveribus aſſides, tu contrectas putredines, tu diſtemperas fæces, tu verſas fœtores: tu ſpiritus nequam, tu in piſtrino ſeculi hujus fermentator immundus, tu ſanctitatis corruptor, & ſimplicium perturbator, tu incendiator libidinum, & omnium turpitudinum adinventor: in his regnas, quos inquinas; & in his quos polluis, dominaris. Fornicatores & adulteri te habent ſuggeſtorem, te habebunt tortorem; te quoque cum illis ultricia incendia concremabunt.

Stultis vaniſque promiſſionibus nullus à corde Chriſtiano

(*a*) Suæ, *O. A. Laud.* (*b*) Hæſit, *Laud.* (*c*) Cadentem, *O. A. Laud.* (*d*) Communio. Regnum hoc, *&c. O. A. Bod.* (*e*) Qui, *Laud.* (*f*) Conſiliarii, *Laud.* (*g*) In eis, *Laud.* (*h*) *Sic O. A. Imp.* ſcabies languentis.

[1] *Poteratque ejus exterminio poſteritas didiciſſe.*] *Pamelius ait*, Etiam hoc reponere non ſum veritus ex conjectura Cauchii, pro *extermino ejus*. Malim etiam legi *quam miſera mutatio fuerit*, quam *fuit*.

[2] *Peremtoria eſt altitudo.*] *Pamelius ait*, A perimendo proprie hanc vocem accipit, ſicut etiam infra ſub finem.

[3] *Regnum hoc non eſt naturæ, ſed malitiæ.*] *Pamelius ait*, Cum Gravio adjicio negandi particulam.

[1] *Subli-*

ſtiano dari debet acceſſus, ſed primis titillationibus obviare debet abigens manu: nec foveri debet coluber, donec in draconem formetur. Mendax eſt diabolus, & his qui ſibi obtemperant, multa ſe daturum promittit. Malum hoc in univerſa Eccleſia vagatur, & communis peſtilentia innumerabiles occupat; ut pro gloria hujus mundi qui liberi erant, ſe vendant in ſervos, & per vitia ad ſervitia deputentur, & obligati pacto, chirographum ſubjectionis conſcribant diabolo. Per omne netas voluptates emuntur; & per omne ſcelus copioſæ libidines exquiruntur. Judas ille proditor venditurus magiſtrum, prætaxatum pretium à principibus exegit ſacerdotum. Quid mihi, inquit, vultis dare, & ego eum vobis tradam? Uſque ad mortem Domini amor lucri ſe ingerit; nec vitæ Salvatoris, quæſtus deſiderium parcit.

Etiam in ſinu ſacerdotum ambitio dormit, ibi ſub umbra recubat, in ſecreto thalami ſe fraudulenter occultat. Simon Apoſtolorum temporibus venalem putans Spiritum ſanctum, Petrum donis aggreditur, & tentat emere poteſtatem, per quam plura lucretur. Hæc ſacrilegii forma per omnia officia graduſque diſcurrit, & nihil intentatum ambitio prætermittit. Nec dubitet quiſquam diaboli hæc eſſe negotia, & nundinatores ejus quicunque hæc exercent commercia; nec quidquam hujuſmodi ab eo, niſi præmiſſa apoſtaſia, donari. Nihil funeſtius comparatur quam execranda dulcedo libidinum & abominabilis gloria luxuum, per quæ immundus ſpiritus ab immundis & dyſcolis adoratur. (a) Inverecunde tentator ambitioſos aggreditur, [1] & conditione pernitioſa præmiſſa (b) præmia talia pollicetur, ultra quæ extendi non poſſit cupiditas; regnorum ſcilicet omnium monarchiam & univerſitatis dominatum, ut in omnibus mundanis unus homo quaſi Deus habeat poteſtatem, & uni omnia ſubjecta ſint, & generale vectigal excellentiæ Principali cuncta perſolvant.

Quid ultra cupide quæris? quid amplius avare deſideras? numquid & ſic poteſt impleri ambitio tua, aut ſatiari poteſt fames tua, offa hujus mundi injecta dentibus tuis, & faucibus tuis univerſa rerum maſſa intruſa? Mundum habes, Deum non (c) habes: quid enim facies? Mundus (d) tranſibit; Deus autem idem ipſe eſt, tu vero qui cum Deo non ſtas, neceſſe eſt ut cum mundo pereunte diſſolvaris & cadas. Peremtoria ſunt hæc conſilia, quæ tibi talia pollicentur, in quibus te neceſſe eſt aut vomitu, aut ruptis interire viſceribus.

Sed & pretium quod petitur, ut diabolum adores proſtratus, & eum tibi Deum conſtituas, quem non dubitas (e) ſeductorem, quid ſequetur præmonſtrat; quia ſi conſenſeris ut concedas, caſus tui te non potes excuſare improvidum; cum ipſe tibi caſum & ruinam prænominet, & præcipitium exigat, qui tanti ſe facit nundinatorem culminis, & tantæ tibi promittit faſtigia poteſtatis. (f) Regnum igitur Chriſti non eſt de hoc mundo: Regnum cœlorum tibi Deus promittit, ipſum ſolum adora, ipſi ſoli memento ut ſervias, qui repulſo tentatore, te quoque gloria & honore poſt victoriam coronabit, ſi in juſtitiæ rectitudine ſteteris, nec falſis promiſſionibus obtemperans, ad veneratio-nem diaboli damnationis ejus factus particeps incurveris.

(a) Inverecundus. *Laud.* (b) Præmiſſa talia, *O. A.* (c) *Sic O. A. Imp.* habes: mundus. (d) *Sic O. A. Laud. Imp.* tranſibit; tu cum eo qui non ſtat, cades, tranſibis & rues. (e) *Sic O. A. Imp.* ſeductorem, ſi conſenſeris. (f) *Sic O. A. Imp.* Regnum Chriſti.

[1] *Et conditione præmiſſa talia pollicetur.*] *Pamelius ait*, Cum eodem adjice *præmia.*

DE COENA DOMINI, ET PRIMA INSTITUTIONE [1] CONSUMMANTIS OMNIA SACRAMENTI.

SUſcitati Lazari (a) Hieroſolymis [2] increbuerat rumor, & tam ſolenne miraculum ad veneration-nem Chriſti excitaverat populum: unde & ei civitatem ingredienti, cum ramis palmarum obviam proceſſerunt; ſedentemque ſuper aſinum reſonantibus (b) laudibus introduxerunt in urbem, regem Iſrael confitentes, & acclamantes filium David in nomine Domini adveniſſe, cujus æternum imperium prophetarum vaticinia antiquitus conclamarant. Nec latebat Dominum, qui ſciebat omnia, quod in viæ

(a) In Hieroſol. *O. A.* (b) Laudibus gratulabundi, *Laud.*

[1] *Conſummantis omnia Sacramenti.*] *Pamelius ait*, Ita videtur mihi in titulo legendum, pro eo quod eſt, *ſacramenta*, utpote ſacramentum Euchariſtiæ, ſacramenta omnia conſummans; eadem ſignificatione, qua appellatur à Dion. Areopag. lib. de Eccl. hierarch. πλεστῶν πλεστή Ac ſi dicas ſacramentum ſacramentorum. Rationem reddit ille, quod nullum fere ſacramentum hierarchici ordinis ſine divina Euchariſtia perficiatur. Facit pro noſtra lectione, quod poſt medium tractatus dicat; hæc ſecreta divina omnium in ſe myſteriorum ſummam continere. Prior tamen lectio etiam eodem recidit.

[2] *Increbruerat rumor.*] *Pamelius ait*, Rectius mea ſententia Morelius & Gryphius quam ceteri: *increbuerat.*

viæ illius confinio de torrente paſſionis erat bibiturus, & ex ea veneratione quæ impendebatur ei (*a*) à plebe, inflammandam amplius invidiam magiſtratuum, & animos exacerbatos vehementiori inſania perturbandos, & conſpirationis malignæ non ultra poſſe occultari conſilia, nec differri amplius quæ de ejus interitu cogitarant. Sed volebat pius magiſter cum jam damnationis ſuæ dictaretur ſententia, & prope eſſet ut figeretur in cruce, ſuæ dare indicia poteſtatis, [1] (*b*) ut qui animam Lazari revocaverat ab inferis, & quatriduano mortuo reddiderat vitam, dignoſceretur virtute divina, non humana tantum opus patraſſe: & impoſſibile eſſe ſuam animam ab (*c*) infero teneri, qui alienam poteſtative extraxerat: nec ſe neceſſitate, ſed obedientia urgeri ad mortem; & vitam quam aliis reddebat, [2] ad ſe quoque ubi juberet, illico redituram.

Finem igitur legalibus ceremoniis impoſiturus, parari ſibi voluit Paſcha, & ex conſuetudine legis ea quæri quæ ſolennitas exigebat, agnum aſſum, panes azymos, & lactucas agreſtes. Non oportet eſſe fermentarios novi Teſtamenti miniſtros: puras ſinceraſque mentes ſanctum quærit convivium. In veru crucis boni odoris aſſatio omnem excoquat carnalium ſenſuum cruditatem, & induret ſolidetque mentis affectus: nec in Eccleſiæ ſanctæ ſacrificio ulla ſit macula, ſed pura ſimplicitas & innocentia vitæ, in una Eccleſiæ catholicæ domo à fidelibus de Ægypto egredientibus, tranſito mari rubro, lotis Chriſti ſanguine affectibus offeratur.

Cœna itaque diſpoſita inter ſacramentales epulas obviarunt ſibi inſtituta antiqua & nova: & conſumto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconſumtibilem cibum magiſter apponit diſcipulis. Nec jam ad elaborata impenſis & arte convivia populi invitantur; ſed immortalitatis alimonia datur, à communibus cibis differens, corporalis ſubſtantiæ retinens ſpeciem, ſed virtutis divinæ inviſibili efficientia probans adeſſe præſentiam. Significata olim à tempore Melchiſedech prodeunt ſacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera ejus ſummus Sacerdos panem profert & vinum: Hoc eſt, inquit, corpus meum. Manducaverant & biberant de eodem pane ſecundum formam viſibilem, ſed ante verba illa cibus ille communis, tantum nutriendo corpori commodus erat, & vitæ (*d*) corporali ſubſidium miniſtrabat. Sed ex quo à Domino dictum eſt: Hoc facite in meam commemorationem, [3] hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus; quotieſcunque his verbis & hac fide actum eſt, panis iſte ſuperſubſtantialis & calix benedictione ſolenni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutemque proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates & purgandas iniquitates exiſtens.

(*e*) Manifeſtata eſt etiam ſpiritalis & corporalis cibi (*f*) ſubſtantia, aliud fuiſſe quod prius eſt appoſitum & conſumtum, aliud quod à magiſtro datum eſt & diſtributum. Quamdiu cibi illi qui ad diem feſtum erant parati à conveſcentibus Apoſtolis ſumebantur, veteris paſchæ agebatur memoria: nec dum Judas ad (*g*) veterem vitam pertinens, diabolo invadente & occupante animum ejus egredi cogebatur, ſed ubi ſacrum cibum mens perfida tetigit, & ſceleratum os panis ſanctificatus intravit, [4] parricidialis animus vim tanti ſacramenti non ſuſtinens, quaſi palea de area (*h*) exſufflatus, & præceps cucurrit ad proditionem & pretium, ad deſperationem & laqueum.

Orta fuerat aliquando, ſicut in Evangelio Joannis legitur, de novitate verbi hujus quæſtio: & ad doctrinam myſterii hujus obſtupuerant auditores, cum diceret Dominus: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quod quidam quia non credebant, nec poterant intelligere, abierunt retro: quia horrendum eis & nefarium videbatur veſci carne humana; exiſtimantes hoc eo modo dici, ut carnem ejus vel elixam, vel aſſam, ſectamque membratim edere (*i*) docerentur, cum illius perſonæ caro ſi in fruſta partiretur, non omni humano generi poſſet ſufficere, qua ſemel conſumta, videretur interiſſe religio, cui nequaquam ulterius victima ſupereſſet.

Sed in cogitationibus hujuſmodi caro & ſanguis non prodeſt quidquam: quia ſicut ipſe magiſter expoſuit, verba hæc ſpiritus & vita ſunt: nec carnalis ſenſus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat, niſi fides accedat. Panis eſt eſca, ſanguis vita, caro ſubſtantia, corpus Eccleſia. Corpus, propter membrorum in unum convenientiam; panis, propter nutrimenti congruentiam; ſanguis, propter vivificationis efficientiam; caro, propter aſſumtæ humanitatis proprietatem. Hoc ſacramentum aliquando corpus ſuum, aliquando carnem & ſanguinem; aliquando panem Chriſtus appellat, portionem vitæ æternæ; [5] cujus ſecundum hæc viſibilia corporali communicavit naturæ. Panis iſte communis in carnem & ſanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus: ideoque ex conſueto rerum effectu fidei noſtræ adjuta infirmitas, ſenſibili argumento edocta eſt viſibilibus ſacramentis ineſſe vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quam ſpiritali tranſitione Chriſto nos uniri. Ipſe enim & panis, & caro, & ſanguis, idem cibus & ſubſtantia, & vita factus eſt Eccleſiæ ſuæ; quam corpus ſuum appellat, dans ei participationem Spiritus.

[6] Accedit; hoc ſacramentum aliquando carnem & ſanguinem, aliquando panem, aliquando corpus ſuum Chriſtus appellat; panis dicitur propter nutrimentum vitæ, caro & ſanguis propter veritatem naturæ, corpus propter unitatem ſubſtantiæ. Corpus ſuum, ſe & Eccleſiam ſuam, cujus caput ipſe eſt, intelligi voluit, quam carnis & ſanguinis ſui communione univit. Et nos quidem cum caro eſſemus & ſanguis, corrupta & infirma corporis animæque natura, reformari non poteramus, neque ad ſimilitudinem Dei reverti, niſi morbo inveterato imponeretur malagma conveniens, & in curatione deſperatæ infirmitatis contraria removerentur contrariis, & ſimilia ſimilibus convenirent.

Panis

(*a*) Impendebatur à plebe, *O. A.* (*b*) Et qui, *O. A. Laud.* (*c*) Ab inferno, *Laud.* (*d*) Corporalis, *Laud.* (*e*) Manifeſta eſt etiam ſpiritualis, *Laud.* (*f*) Diſtantia, *O. A. Laud.* (*g*) Veterem hominem, *O. A.* (*h*) Exſufflatus eſt, *O. A. Laud.* (*i*) Doceremur, *O. A. Laud.*

[1] *Ut qui animam Lazari.*] *Pamelius ait*, Prorſus ſic lego, pro &.

[2] *Ad ſe quoque ubi juberet, illico redituram.*] *Pamelius ait*, Etiam hoc lego pro *redditurum.*

[3] *Hæc eſt caro mea.*] *Pamelius ait*, Forte legendum *hoc eſt corpus meum*, ſic enim habent Evangeliſtæ omnes & Paulus.

[4] *Parricidialis animus.*] *Pamelius ait*, Sic Manutius & Morellius, alii *parricidalis.*

[5] *Cujus ſecundum hæc viſibilia*, &c.] *Pamelius ait*, Locus obſcurus. Quod vero ſequitur, prorſus tranſubſtantiationem confirmat. Obſcurum eſt & illud quod poſtea ſubjungitur, *cujus corpus ſacramenta ſunt.*

[6] *Accedit; hoc.*] Videntur iſta data opera omiſſa, tanquam dogmati de tranſubſtantiatione non ſatis conſona.

[1] *In*

Panis iſte quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus, omnipotentia verbi factus eſt caro: & ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat divinitas; ita ſacramento viſibili ineffabiliter divina ſe infudit eſſentia, ut eſſet religioni circa ſacramenta devotio, & ad veritatem cujus corpus & ſanguis ſacramenta ſunt, ſincerior pateret acceſſus, uſque ad participationem ſpiritus; non quod uſque ad (a) conſubſtantialitatem Chriſti, ſed uſque ad ſocietatem germaniſſimam ejus hæc unitas perveniſſet. Solus quippe filius patri conſubſtantialis eſt, nec diviſibilis eſt, nec partibilis ſubſtantia Trinitatis: noſtra vero & ipſius conjunctio nec miſcet perſonas, nec unit ſubſtantias; ſed affectus conſociat, & conſœderat voluntates. Ita Eccleſia corpus Chriſti effecta obſequitur capiti ſuo; & ſuperius lumen [1] in inferiora diffuſum, claritatis ſuæ plenitudine à fine uſque ad finem attingens, totum apud ſe manens, [2] totum ſe (b) omnibus commodat, & caloris illius identitas ita corpori aſſidet, ut à capite non recedat.

Panis itaque hic azymus, cibus verus & ſincerus, per ſpeciem & ſacramentum nos tactu ſanctificat, fide illuminat, veritate Chriſto conformat. Et ſicut panis communis quem quotidie edimus, vita eſt corporis: ita panis iſte ſuperſubſtantialis, vita eſt animæ & ſanitas mentis. Omnino nos à tantarum rerum intellectu carnalis ſenſus repellit, & ſicut ipſe Dominus dicit, in tantorum myſteriorum intuitu caro & ſanguis non prodeſt quicquam; quia verba hæc ſpiritus & vita ſunt, & à ſolis ſpiritualibus virtus hæc magnifica judicatur.

Ille qui à nemine judicatur, cujus vita vel conſcientia Deo cognita, humana judicia non formidat, de tantorum poteſt ſecretorum profunditatibus judicare; & cum ſeipſum corpus Chriſti cognoverit, vivifico cibo libenter ſe reficit, ſciens corpori & animæ ſuæ, ex ſacramento & re ſacramenti indiſſolubilem æternitatem donari: quia & ad hoc verbum caro factum eſt, ut nos qui ſecundum carnem Deo placere non (c) poteramus ſocietate verbi deterſa ſaliva infantiæ, & carnalis petulantiæ ſputamentis, audiremus per verbum, & revelaretur nobis per ſpiritum cognitio veritatis, & hujus (d) cibi munere erogato, gaudemus nos ad cœleſtem menſam admiſſos, ſuperno intereſſe convivio. Panem Angelorum ſub ſacramento manducamus in terris, eundem ſine ſacramento manifeſtius edemus in cœlis. Non miniſterio (e) corporali, [3] ſæpe repetitis actionibus ad (f) eundem revertentes, ſed conſummato ſacerdotio noſtro, erit & permanebit perpetua & ſtabilis, implens & reficiens nos ſufficientia, (g) qua proferet ſe palam abſque ullis integumentis, omnibus conſpicabilis, ſummi præſentia ſacerdotis.

Nunc interim corporalia beneficia ſic ad corporis ſufficiunt nutrimentum, ut alimentum animæ non excludant: imo ſacramentorum inſtitutio nullum ſecum veheret commodum, ſi ſpiritualia non adeſſent. Cumque utrumque neceſſarium ſit, res tamen ſacramenti differentiorem obtinet locum, & perfectiorem habet effectum. Sacramenta quidem, quantum in ſe eſt, ſine propria eſſe virtute non poſſunt; nec ullo modo divina ſe abſentat majeſtas myſteriis: ſed quamvis ab indignis ſe ſumi vel contingi ſacramenta permittant; non poſſunt tamen ſpiritus eſſe participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ ſanctitudini contradicit. Ideoque aliis ſunt hæc munera odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem: quia omnino juſtum eſt, ut tanto priventur beneficio gratiæ contemtores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas ſibi faciat manſionem.

Nova eſt hujus ſacramenti doctrina, & ſcholæ Evangelicæ hoc primum magiſterium protulerunt, & doctore Chriſto primum hæc mundo innotuit diſciplina, ut biberent ſanguinem Chriſtiani, cujus eſum legis antiquæ auctoritas diſtrictiſſime interdicit. Lex quippe eſum ſanguinis prohibet, [4] Evangelium præcipit ut bibatur: in quibus mandatis hoc maxime diſcernere debet Chriſtiana religio, quod ſanguis animalium à ſanguine Chriſti per omnia differens, (h) temporalis tantum habeat vivificationis effectum, & vita eorum finem habeat, & ſine ulla revocatione terminum conſtitutum. Ideoque ad obtinendam æternitatem [5] non poteſt proficere, quod ſemel obrutum non ſurgit ulterius, nec aliqua ei ſupereſt virtus, quod ſine ulla ſpe præciſis (i) radicibus mors penitus (k) exſiccavit. Vita vero hominis licet aliquam habet affinitatem cum ſanguine, non tamen ſolo ſanguine regitur: ſed anima ſanguini dat caloris & nutrimenti effectum, ſicut & ceteris quæ in corpore ſunt, propria diſtribuit officia, & dividit motus, & quaſi talenta partitur. Nec oportuit ut ſangûini humano ſanguis pecudum miſceretur; quia vita rationalis hominis, vitæ beſtiali conſociari (l) non habet: ſed omnino à fidelium animis, quaſi ſanguis impurus, detergenda eſt hæc carnalis opinio, ne putetur vita hominis eo modo tranſitoria, quo vita pecudum inaneſcit; vel quod ſanguis conſubſtantialis ſit animæ, & neceſſe ſit utrumque ſuperveniente ſuffocatione diſſolvi.

Carne quidem animalibus ſimiles ſumus, ſed vita diſſimiles: ideoque quod commune cum eis habemus, nobis incorporare licenter poſſumus: quod vero dignitati noſtræ non convenit, & ab æternitate alienum videtur, à nobis ſubtiliſſimo legis indicio ſeparamus. Bibimus autem de ſanguine Chriſto ipſo jubente, vitæ æternæ cum ipſo & per ipſum participes: animalis vitæ peccata, quaſi ſanguinem impurum horrentes, & fatentes nos per peccati guſtum à beatitudine privatos & damnatos, niſi nos Chriſti clementia ad ſocietatem vitæ æternæ ſuo ſanguine reduxiſſet. Nobis itaque pro quibus ſanguis Chriſti oblatus eſt in cruce, & quos reconciliavit Deo omnes excedens victimas hoc ſacrificium ſingulare, ipſe Chriſtus pincerna porrexit hoc poculum, & docuit; ut non

(a) Conſubſtantialitatem, ſed, *Laud.* (b) In omnibus, *O. A.* (c) Poſſumus, *Laud.* (d) Cibi nobis, *Laud.* (e) Corporalis ſubſtantiæ, *Laud.* (f) Eadem, *O. A. Laud.* (g) Quam proferet palam abſque ullis, *O. A. Laud.* (h) Corporalis, *Laud.* (i) Radicibus moritur, *O. A.* (k) Conſumſit, *Bod.* (l) Non debet, *O. A.* (m) Judicio, *O. A.* (n) Muniretur, *O. A.*

[1] *In inferiora diffuſum.*] *Pamelius ait*, Gravius *diffuſa*, eligat lector utrum velit.

[2] *Totum ſe omnibus commodat.*] *Pamelius ait*, Rectius legeretur *accommodat.*

[3] *Sæpe repetitis actionibus ad eundem revertentes.*] *Pamelius ait*, Remboldus cum vulgatis *ad eadem*, Manutius & Morel. *ad eandem*: Sed illa Gravii lectio genuina eſt, quia loquitur de pane. Facit autem hic locus ad Frequentem communionem.

[4] *Evangelium præcipit ut bibatur.*] *Pamelius ait*, Nihil hoc facere pro neceſſitate communionis utriuſque ſpeciei pulcre deducit Dn. Joan. Heſſelius ex ſequentibus: quæ plane convincunt loqui auctorem de potu ſpiritali ſanguinis Chriſti. Vide adnotationes noſtras in epiſt. ad Cæcilium de ſacramento calicis.

[5] *Non poteſt proficere.*] *Pamelius ait*, Prorſus ſic lego pro; *non poteſt perficere.*

non tantum exterius hoc ſanguine liniremur, ſed & interius [1] aſperſione omnipotenti anima muniremur, & penetrans omnia tanti medicamenti virtus, quidquid eſſet intus (*a*) ibi durum effugaret, & renovaret; ſanaretque quidquid morbi carni vel ſpiritui veteris vitæ adliniverat corruptela. Dixerat ſane (*b*) hujus traditionis magiſter, quod [2] niſi manducaremus ejus carnem, & biberemus ejus ſanguinem, non haberemus vitam in nobis: ſpiritali nos inſtruens documento & aperiens ad rem adeo abditam intellectum, ut ſciremus quod manſio noſtra in ipſo ſit manducatio, & potus quaſi quædam incorporatio, ſubjectis obſequiis, voluntatibus junctis, affectibus unitis.

Eſus igitur carnis hujus quædam aviditas eſt, & quoddam deſiderium manendi in ipſo, per quod ſic imprimimus & eliquamus in nobis (*c*) dulcedinem caritatis, ut hæreat palato noſtro & viſceribus ſapor dilectionis infuſus, penetrans & imbuens omnes animæ corporiſque receſſus. Potus & eſus ad eandem pertinent rationem; quibus ſicut corporea nutritur ſubſtantia & vivit, & incolumis perſeverat, ita vita ſpiritus hoc proprio alimento nutritur: & quod eſt eſca carni, hoc animæ eſt fides: quod cibus corpori, hoc verbum ſpiritui; excellentiori virtute peragens æternaliter, quod agunt alimenta (*d*) carnalia temporaliter & finaliter.

Celebrantes ſacramenta commonemur, quaſi ungulam findens & ruminans pecus, revocare ad fauces, & minutatim commolere Dominicæ inſtitutionis exemplum, ut ſemper paſſio Chriſti ſit in memoria; nec terreant crucifixi hæredes mortis ſupplicia, ſed paſcant & reficiant maturatæ reſurrectionis lætabunda ſolennia. Quam præclarus eſt calix iſte, quam religioſa eſt hujus potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retro ſunt obliti ad anteriora extendimur, non habentes ſenſum hujus mundi, [3] ſed divitis purpurati delicias contemnentes, cruci hæremus; ſanguinem fugimus, & intra ipſa redemtoris noſtri vulnera figimus linguam: quo interius exteriuſque rubricati, à ſapientibus hujus ſeculi judicamur amentes, qui religionis hujus abhorrentes mandatum, uſque hodie retro abeunt: & à ſecretis divinis omnium intra ſe myſteriorum continentibus ſummam diffugiunt, & recedunt.

Qui manducat ex hoc pane, ultra non eſurit; qui bibit, ultra non ſitit: quoniam myſterii hujus ſic ſufficit gratia, ſic reficit intelligentia ut cuicunque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis conſummationis fine invento Chriſti bajulus ipſum ferat in pectore, ipſum gerat in mente, & omni tempore habitatori ſuo dicta & facta jubilatione conſona laudes reſonent & gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas non accendit, ſed extinguit peccatum: in hoc vino non eſt luxuria, nec movetur ad ludum poſt hunc potum laſcivia. (*e*) Cum ſopivit oblivio cuncta carnis ludibria: mira ſunt quæ ſentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur; [4] quem agnus iſte Paſchalis inhabitat, cujus animam meri hujus fortitudo hilaritate inexplicabili lætificat & delectat. Inter Dominicæ menſæ convivas animalis homo non admittitur; quidquid caro & ſanguis dictat, ab hoc cœtu excluditur. Nihil ſapit, nihil prodeſt quidquid humani ſenſus molitur ſubtilitas. (*f*) Omne quidquid à ſuis rationibus (*g*) devium videtur, ſapientes hujus ſeculi ad dementiam referunt, & à veritate reputant alienum. Sed veritas ab erroneis hominibus comprehendi non potuit; & cum in ſole vellet figere oculos, vim luminis non ferens, cæcata eſt, non illuminata humana præſumtio, & aſpectui ejus lippitudo inhæſit.

Vident hæc ſacramenta pauperes ſpiritu, & hoc uno contenti ferculo, omnes mundi hujus delicias aſpernantur: & poſſidentes Chriſtum, aliquam hujus mundi poſſidere ſupellectilem dedignantur. Eſurientes & ſitientes juſtitiam cum ſaturati fuerint, vide quid agant, intellige quæ loquantur, quam ſancti odoris ſit quidquid illa eructat plenitudo; verbum bonum, mores compoſitos, affectus pudicos, ſenſus pacificos, illa interior ſinceritas ubique diffundit; ita ut poſt odoramenta iſta gratiæ hujus comparticipes diſcurrant, & mutuis ſe ad invicem affectibus complectantur, & quibus unus eſt panis, unum eſt corpus, & omnium unum cor, & anima una, uni Chriſto adhærens, [5] cetera omnia quaſi (*h*) fermentata reſpuens, in unius (*i*) azymi ſinceritate lætatur.

Perpes eſt hoc ſacrificium & ſemper permanens holocauſtum: nulla panem hunc multitudo conſumit, nulla antiquitate veteraſcit. Una eſt Domus Eccleſiæ, in qua (*k*) agnus editur, nullus ei communicat, quem Iſraelitici nominis generoſitas non commendat. Hujus panis figura fuit manna quod in deſerto pluit, (*l*) ſic ubi ad verum panem in terra promiſſionis ventum eſt, cibus ille defecit. Per ſingula ſabbata panes propoſitionis jam frigidi & duri mutari conſueverant, & calidi panes ejuſdem numeri in menſa proponi. [6] Jam nulla fit panis mutatio, unus eſt panis caloris continui, (*m*) ſtatus integri, qui ſemel oblatus Deo in ſapore dulciſſimo, & candore puriſſimo perſeverat. Nec ſolos ſacerdotes ad (*n*) panis hujus dignitatis Leviticæ prærogativa admittit: univerſa Eccleſia ad has epulas invitatur. Æqua omnibus portio datur, (*o*) integer erogatur, diſtributus non demembratur: incorporatur, non injuriatur; recipitur, non includitur; cum infirmis habitans non infirmatur, nec pauperum miniſterio indignatur: fides pura, mens ſincera hunc habitatorem delectat, neque immenſi & omnipotentis Dei magnitudinem pauperculæ domus noſtræ anguſtia offendit vel artat. Panis iſte angelorum omne delectamentum habens virtute mirifica, omnibus qui digne & devote ſumunt, ſecundum ſuum deſiderium ſapit; & amplius quam manna illud eremi implet & ſatiat edentium appetitus, & omnia carnalium ſaporum irritamenta, & omnium exuperat dulcedinum voluptates.

Vide

(*a*) Tabidum, *O. A. Bod. Laud.* (*b*) Hoc hujus, *Bod. Laud.* (*c*) Dulcedinis, *O. A.* (*d*) Corporalia, *O. A. Bod. Laud.* (*e*) Conſopivit, *Laud.* (*f*) Ideo quicquid, *O. A. Bod. Laud.* (*g*) Rationibus ſapientes hujus ſeculi deviam vident, ad, *O. A. Bod. Laud.* (*h*) Fermenta, *Laud.* (*i*) Animi, *O. A.* (*k*) Hic agnus, *O. A. Laud.* (*l*) Sed ubi, *O. A.* (*m*) Et ſtatus, *O. A.* (*n*) Panem hunc, *O. A.* (*o*) Et integer, *O. A.*

[1] *Aſperſione omnipotenti anima muniremur.*] *Pamelius ait*, Forte *muniretur*.

[2] *Niſi manducaremus ejus carnem.*] *Pamelius ait*, Adjecit Gravius *carnem*, ego vero particulam *ejus*. Alludit enim ad verba Chriſti Joan. 6.

[3] *Sed divitis purpurati delicias contemnentes.*] *Pamelius ait*, Recte ſic Gravius pro *præparati*.

[4] *Quem agnus iſte Paſchalis inhabitat.*] *Pamelius ait*, Remboldus habebat *quæ*, ceteri *quin*. prius vero illud lego ex conjectura Cauchii.

[5] *Cetera omnia quaſi fermentata.*] *Pamelius ait*, Manutius & Morelius *fermenta*, ſed prius malo.

[6] *Jam nulla fit panis mutatio.*] *Rigaltius ait*, Nic. Faber, id eſt, ſemper idem panis nobis apponitur is qui de cœlo deſcendit.

[7] *Nec ſolos ſacerdotes ad panis hujus.*] *Pamelius ait*, Aliquid deſideratur, forte legendum, *ad panis hujus eſum*.

[1] *Intra*

Vide quomodo his qui Chriſti commemorant paſſionem [1] intra ſacra officia, quaſi per quoſdam canales de interioribus fontibus [2] egrediantur torrentes, & ſuper omnes delicias lacrymis nectareis anima delectetur; quantam ſuavitatem animæ inquirenti ubi ſit Deus ſuus, ſuſpiria contemplationis eliciant. Non illos [3] imbres procelloſæ tempeſtatis deponunt, ros matutinus eſt de cœleſtibus ſtillans, & quaſi unctio Spiritus mentem deliniens. Gemitus illos pietas excitat, & inter diem & noctem retro & ante ſe affectio intuens, & inter (*a*) data & condonata ſe dividens, gratias agit tam uberis beneficii largitori; & ſe ſanatam & ſanctificatam agnoſcens, fletibus ſe abluit, & lacrymis ſe baptizat.

Verum hi qui verbo tenus corde ſicci & mente aridi [4] ſacris interſunt, vel etiam participant donis; lambunt quidem petram, ſed inde nec mel ſugunt, nec oleum: qui nec aliqua caritatis dulcedine, nec Spiritus ſancti pinguedine vegetantur, nec ſe judicant, nec ſacramenta dijudicant: (*b*) ſed ſicut cibis communibus irreverenter ſacris utuntur muneribus, & Dominicæ menſæ in veſte lutulenta ſe ingerunt impudenter, quibus melius erat mola aſinaria collo alligata mergi in pelagus, quam illota conſcientia de manu Domini buccellam accipere; qui uſque hodie hoc veraciſſimum & ſanctiſſimum corpus ſuum creat, & ſanctificat, & benedicit, & pie ſumentibus dividit. In hujus præſentia non ſupervacuæ mendicant lacrymæ veniam, nec unquam patitur contriti cordis holocauſtum repulſam.

Quotiens te in conſpectu Domini video ſuſpirantem, Spiritum ſanctum non dubito aſpirantem: cum intueor flentem, ſentio ignoſcentem. Tu ſi templum Spiritus ſancti violas, ſi intra te ſacrarium Dei deturpas & fœdas, ſi cum calice Chriſti de calice dæmoniorum communicas, contumelia eſt, non religio; injuria, non devotio. Idolorum ſervitus & horrenda abominatio, velle ſimul Baal famulari & Chriſto. Abi retro cum ſaccellis tuis qui lucris inhias, & mercedes ſectaris; qui opulentus in Sion quotidie crapularis, qui in lectis eburneis recubas, & in ſtratis ſegmentatis laſcivis, qui veſtiris mollibus & in terra ſuaviter viventium converſaris, cujus manus plenæ ſunt ſanguine, cujus lumbi diſcincti ſunt, & ſine baltei diſcurris ligamine. Non eſt tibi pars in ſermone iſto: quia quod Dei eſt, aufers Deo, & imaginem Dei conſecras idolo.

Pauperes quidem ſpiritu ad hoc myſterium [5] eligit & deligit Spiritus ſanctus, & eorum qui pompatice & glorioſe ſacris ſe altaribus ingerunt, obſequia deteſtatur. Ozias licet Rex (*c*) ob præſumtionem lepra percuſſus, à ſanctuarii ingreſſu repellitur, & ejus oblatio quaſi ſordida refutatur. Incenſi odor de immundorum manibus reputatus (*d*) eſt pro fœtore, & iram non gratiam præſumtio meruit: quia contra fas rem uſurpans illicitam, temerarie in ſancta conſcendit. Sed & propter malignantium inſolentiam altare ſuum Deus repellit, & ſanctificationibus maledicit, odit ſabbata; abominatur ſolennia, odoramenta fœtent, diſplicent holocauſta. In his omnibus laborare ſe dicit Deus, nec eſſe voluntatem ſuam in miniſtris impuris, indignatione diſtricta teſtatur. Sed hierarcha pius quem Spiritus ſanctus compungit, excitat, inhabitat, & ſanctificat, elevatione manuum crucis myſterium repræſentans, confidenter orat pro ſua & populi ignorantia; recolens pudibundi & contriti animi (*e*) confeſſione, quod aliquando prævalente adverſum ſe peccato fuerit derelictus, juxta illud quod David plorans ait: Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. Et Dominus per Eſaiam: Ad tempus in modico derelinquam te. Verecundatur fateri, & tamen fatetur juventutis delicta.

Sed accuſatrici conſcientiæ neceſſe eſt coram judice reſpondere; nec poteſt ibi eſſe ullum diffugium, ubi ipſa teſtis eſt quæ accuſat, & nihil ei poteſt eſſe occultum qui judicat. Sed ubi cum judice agit qui judicatur, & ipſe in partem accuſatoris tranſiens, etiam in ſua proſcriptione ſententiam approbat condemnantis, experitur clementiam Salvatoris, & lætabundus canit: Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem. Et iterum per Eſaiam audit: In miſerationibus magnis congregabo te. [6] Sed & in eodem articulo temporis cum jam anima feſtinet ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerſerit, pœnitentiam clementiſſimi Dei benignitas non aſpernatur, nec ſerum eſt quod verum, nec irremiſſibile quod voluntarium: & quæcunque neceſſitas cogat ad pœnitudinem; nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas (ſi vera contritio, ſi pura fuerit voluptatum mutatio) excludit à venia: ſed in amplitudine ſinus ſui mater caritas prodigos ſuſcipit revertentes, & velit nolit Novatus hæreticus, omni tempore Dei gratia recipit pœnitentes.

Ipſe Dominus noſter derelictorum perſonam gerens in cruce, ſe queritur derelictum: & ne deſperarent etiam in ultimis conſtituti, feſtinans in adjutorium illico adeſt, & re in arto poſita non differt beneficium, ſed repente indulgentiæ celeris documentum ejuſdem ſtatuit & exemplum, latroni inquiens: Hodie mecum eris in paradiſo. Latrocinium damnationem meruerat & ſupplicium, ſed cor contritum pœnam mutavit in martyrium, & ſanguinem in baptiſmum. In momento impietas religionem, crudelitas induit pietatem; & ſtatim conſummatus civis ſanctorum & domeſticus Dei [8] præmiſſus eſt in regnum: reconciliationis humanæ privilegium ſecum ferens ad ſuperos; quo Deo patri tantæ legationis fungens honore in ſe ipſo ſcripturæ hujus experimentum continens, libero & ſecuro aditu penetrans, præſentavit.

Quid tu Domine amplius Stephano contuliſti? quid amplius ille obtinuit dilectus tuus, qui ſupra pectus tuum in cœna recubuit? quid amplius Pauli meruere ſudores? quid labores ſanctorum? quid tot an-

(*a*) *Sic O. A. Laud. Imp.* Data condonando. (*b*) Sicut, *O. A.* (*c*) Ob lepræ notam à ſanctuarii, *O. A. Laud.* (*d*) Pro ſtercore, *Laud.* (*e*) Confeſſionem, *Laud.*

[1] *Intra ſacra officia.*] *Pamelius ait*, Locus hic facit pro ſacræ miſſæ officio, de quo paulo poſt plura in hæc verba. *Sed hierarcha pius elevatione manuum crucis myſterium repræſentans*, &c. Et iterum ſub finem. *Ad hæc intra ſacra myſteria ad gratiarum actiones convertitur, & inclinato capite*, &c.

[2] *Egrediantur torrentes.*] *Pamelius ait*, Manut. & Morell. *Egredientur.* At prius placet.

[3] *Imbres procelloſæ tempeſtatis.*] *Pamelius ait*, Sic lego, pro *tempeſtates.*

[4] *Sacris interſunt vel etiam participant donis.*] *Pamelius ait*, Hinc convincere mihi videor quoſdam interfuiſſe ſacris donis qui non participarent.

[5] *Eligit & diligit.*] *Pamelius ait*, Forte *delegit.*

[6] *Sed & in eodem articulo*, &c.] *Pamelius ait*, Pulcher locus contra Novatianos.

[7] *Mutavit in martyrium.*] *Pamelius ait*, Vide epiſtolam ad Jubaianum.

[8] *Præmiſſus eſt in regnum.*] *Pamelius ait*, Sic Manutius & Morelius pro, *permiſſus*, optime; nam bis ſic loquitur tract. de paſſione Chriſti ſub medium.

annorum tormenta ? quid martyrum plagæ ? Una hora huic collatum eſt præmium, ad quod illi per tot diſcrimina pervenerunt. Sic tu Domine, armentarios ſtatim facis prophetas, opiliones reges, teloniarios Apoſtolos, piſcatores doctores. Neque ab his quos ſanas, lente languor abſcedit, ſed illico quem reſtituis, ex integro convaleſcit : quia conſummatum eſt quod facis, & perfectum quod largiris. Hanc Dei gratiam recolens, qui de ſacro calice bibit, amplius ſitit : & ad Deum vivum erigens deſiderium, ita ſingulari fame illo uno appetitu tenetur, ut deinceps fellea peccatorum horreat pocula, & omnis ſapor delectamentorum carnalium ſit ei quaſi rancidum, radenſque palatum acutæ mordacitatis acetum. Ad hæc inter ſacra myſteria ad gratiarum actiones (*a*) convertitur & inclinato capite, munditia cordis adepta, ſe intelligens conſummatum, reſtitutus peccator ſanctificatam Deo animam quaſi depoſitum cuſtoditum fideliter reddit, & deinceps cum Paulo gloriatur & lætatur dicens : Vivo jam non ego, vivit vero in me Chriſtus. Hæc in Chriſti commemoratione retractantur à fidelibus, & defæcatis animis carnis ejus edulium non eſt horrori, ſed honori ; potuque ſancti & ſanctificantis ſanguinis ſpiritus delectatur.

Hæc quotiens agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſincera panem ſanctum frangimus & partimur ; dum quod divinum & quod humanum eſt, diſtinguimus & ſeparamus ; itemque ſimul ſeparata jungentes, unum Deum & hominem fatemur. Sed & nos ipſi corpus ejus effecti, ſacramento & re ſacramenti capiti noſtro connectimur & unimur ſinguli alter alterius membra, miniſterium dilectionis pro invicem exhibentes, communicamus caritate, participamus ſollicitudine, eundem cibum manducantes & eundem potum bibentes qui de petra ſpiritali profluit & emanat, qui cibus & potus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus.

(*a*) Vertitur, *Laud.*

[2] *Et defæcatis animis.*] *Pamelius ait*, Ita prorſus lego pro, *defæcata.*

DE ABLUTIONE PEDUM.

JAm Sacramenta corporis ſui Apoſtolis Dominus diſtribuerat, jam exierat Judas, cum repente de menſa ſurgens, linteo ſe præcinxit, & ad genua Petri, lavaturus pedes ejus, ipſe genibus flexis Dominus ſervo conſummatæ humilitatis obtulit famulatum. Et ne quid conſummationi doctrinæ deeſſet, inter fixa & immobilia præcepta, & ea quæ moveri poſſunt & repeti, diſtinctionem poſuit ; ut ceteris immutabiliter ſemel ſtatutis, [1] ultima lavacri ſpecies quotidianis expiationibus commodata, commendaretur fidelibus : & ſicut lex per ſingulas offenſiones propria ſacrificia requirebat, unum figeretur fidei Chriſtianæ remedium ; ad quod curreret, quoties ſe cognoſceret offendiſſe. Quod quidem Petro nondum fuerat revelatum ; quippe qui hujus traditionis nondum audierat diſciplinam.

Docetur ergo quæ ſit baptiſmi & aliorum ſacramentorum ſtabilitas, & quantum (*a*) ad expiationem proficiat humilis pietas & pia humilitas ; & quomodo omni tempore proſequenda & repetenda ſit ablutio pedum, per quam recte cognitam & intellectam, adhærentes animæ ſordes quotidiana ſatisfactione lavantur. [2] Nam baptiſmum repeti, Eccleſiaſticæ prohibent regulæ : & ſemel ſanctificatis nulla deinceps manus iterum conſecrans præſumit accedere. Nemo ſacros ordines ſemel datos iterum renovat ; nemo ſacro oleo lita iterum linit aut conſecrat, nemo impoſitioni manuum vel [3] miniſterio derogat ſacerdotum : quia contumelia eſſet Spiritus ſancti, ſi evacuari poſſet quod ille ſanctificat, vel aliena ſanctificatio emendaret, quod ille ſemel ſtatuit & confirmat. Ipſe ſummus ſacerdos ſui eſt ſacramenti inſtitutor & auctor, in ceteris homines Spiritum ſanctum habuere doctorem ; & ſicut par eſt Spiritui ſancto & Chriſto divinitas, ita in ſuis inſtitutis æqua eſt auctoritas & poteſtas : nec minus ratum eſt quod dictante Spiritu ſancto Apoſtoli tradiderunt, quam quod ipſe tradidit, & in ſui commemorationem fieri præcepit. Manet ſingulis propria dignitas, & uniformis in ſuo genere ſtat actio omnium ; nihil addi, nihil ſubtrahi, nihil poteſt corrigi vel mutari.

[4] Ornata & honorata eſt Eccleſia quaſi paradiſus, in amplitudinis ſuæ umbilico fontem continens gratiæ ſingularis, flumina creans in vitam æternam ſalientia, vivam habens originem & decurſum perennem. Hinc egredientia quatuor Evangelii flumina per univerſum mundum ſecum regenerationis evehunt lavacrum ; & de abdito & ſecretiſſimo Spiritus ſancti munere hujus (*b*) gratiæ liquor emanat, ſic lavans quos parentalis labes infecerat, ut nec actualis, nec originalis macula aliqua ſui poſt ablutionem illam veſtigia derelinquat. Præteritis lotis, vita deinceps arbitrio eſt proprio deducenda ; ita tamen ut actualibus aliquando

(*a*) Expiatione, *O. A.* (*b*) Gratiæ ubique liquor, *O. A. Laud.*

[1] *Ultima lavacri ſpecies.*] *Pamelius ait*, Pœnitentiam haud dubie intelligit ; nempe qua (ut paulo poſt inquit) adhærentes animæ ſordes quotidiana ſatisfactione laventur.

[2] *Nam baptiſmum repeti*, &c.] *Pamelius ait*, Vide latius ſupra Epiſtolam dictam ad Cæcilium. Idipſum autem non licere in Sacramentis ordinis & manus impoſitionis, hic docet.

[3] *Miniſterio derogat ſacerdotum.*] *Pamelius ait*, Sic Manut. & Morel. alii, *miniſteriis.*

[4] *Ornata & honorata eſt Eccleſia.*] *Pamelius ait*, Ita lego pro *erat.* Eſt autem ſimilis locus Epiſt. ad Jubaianum. Facit autem quod ſequitur contra Lutheranos.

[1] *Quem*

do recrudeſcentibus jam non imputentur originalia, nec propter illa damnationi obnoxius (*a*) ſit, cui ſemel illa ſunt in baptiſmo indulta. In originalibus enim corruptio naturæ abjici & exterminari meruerat; ſed quia non erat voluntas in culpa, providit Deus generali damnationi remedium, & ſuæ ſententiam juſtitiæ temperavit, hæreditarium onus à ſobole removens, & miſericorditer ablutione & unctione medicinali corruptionis primitivæ fermentum expurgans. Sed in eos qui poſt indulgentiæ hujus gratiam voluntarii per peccata evagati ſunt; qui proprio abutuntur arbitrio, & voluntate non neceſſitate ducuntur; indignatio & ira non immerito redit: nec in morte Chriſti aliquis eis ſupereſt quæſtus, ſed juſtiſſime eos beneficia contemta condemnant.

(*b*) Nunc contemtum ſuum non ſtatim ulciſcitur Deus, nec per ſingulas offenſas judicantis ira diſcurrit, nec obſtruxit fonti miſericordiæ ſuæ oſtia meatuſque multiplices; ſed obviat fugientibus, & cogit regredi deſperatos, oſtendens eis pœnitentiæ viam, qua nulla latior invenitur: & reverſis dat ut iterum eis poſſint ſacramenta injuriata prodeſſe, quorum ſi pœnitentia non ſubeſſet, nullo modo deinceps experiri poſſent effectum. Propter hoc, benigniſſime Domine, pedes lavas diſcipulis: quia poſt (*c*) baptiſmum [1] quem ſui reverentia non patitur iterari, aliud lavacrum procuraſti, quod nunquam debeat intermitti: tamen ipſe quod doces facis, ut quanti quæſtus hoc opus ſit, ex tua bonitate diſcamus, & inclinata ad pedes noſtros altitudine tua, ſtans adverſus proximum, & erigens ſe contra Deum confundatur ſuperbia hominum, & ad humilitatem Dei noverit de ſe humilia ſapere lutum.

Pavent diſcipuli, nec audent obloqui, & quaſi ecſtaſis (*d*) teneat eos, vel [2] mens alias rapta peregrinetur, nec magiſtro reſiſtere; neque quid hoc ſit, vel cur (*e*) fiat inquirunt. Solus Petrus ſciens quia perhibuerat ei teſtimonium quod filius Dei vivi eſſet, & quia verba vitæ æternæ haberet, judicans apud ſe indignum & inconveniens, ſanctum ſanctorum flectere genua ad pedes peccatorum. [3] (*f*) Neutiquam, inquit, tu mihi pedes ablues, & hujus humilitatis ſuſtinere obſequium, non eſt noſtrum, qui adorare debemus in loco ubi ſtant pedes tui, & ſatis eſt nobis quod ſicut catuli de menſæ tuæ reliquiis manducamus. Hoc in muliere peccatrice aliquando paſſus es, nec dedignatus es in menſa ſolenni multis conveſcentibus infamis perſonæ ſuſcipere famulatum; cujus devotio uſa eſt ibi capillis pro linteo, oculis pro catino, lacrymis pro baptiſmo, tetigit, lavit, & unxit unguento. Mactata intrinſecus anima proprium in ſancta ſanguinem intulit; ſingula ſuum præbuere miniſterium, cor contritum erupit in lacrymas, fides lavit, caritas unxit. Hæc multa in conſpectu tuo congerens holocauſta, de fonte cordis fletus hauſit quos protulit: de pœnitentiæ pyxide unguenta quæ obtulit, caputque pro ſuppedaneo ſtravit, crinibus circumfuſis pedes ſacros involvit & terſit. Nihil ſibi de ſe retinens, totam ſe tibi devovit, & tu affectum potius quam factum attendens, ungebas ungentem, abluebas lavantem, tergebas intrinſecus pœnitentem. Superbo oculo Simon leproſus hanc clementiæ tuæ diligentiam non poterat intueri, ſed moleſte ferebat quod tangi ſe ab hujuſmodi perſona Dominus ſuſtinebat. Qui ſi lepræ ſuæ te attenderet mundatorem, non dedignaretur ſi de plenitudine gratiæ tuæ alii accipiunt, ſi lavas immundos, ſi juſtificas impios, ſi revocas exules & abjectos.

Honor tuus Deus judicium diligit, & æquum eſt ut omnis terra adoret te, & in nomine tuo omne genu flectatur: verum quod tu ante figmentum tuum curvaris, quod ſervis pedes abluis; non competit majeſtati. Habebat in excuſatione ſua zelum Dei Petrus, ſed non ſecundum ſcientiam: & tolerabile aliquo modo videretur quod humilitas ſuggerebat, ſi non obſtinatio reſiſtere præceptori niteretur. Non lavabis, inquit, mihi pedes in æternum. Ego (*g*) ſi oportuerit me mori tecum, paratus ſum. Hoc enim debeo, (*h*) hoc amplector. Pro te libenter cervicem porrigo percuſſori, ſed Deum meum & Dominum meum ad pedes meos proſtratum non patior, non audio ſuſtinere.

Simili modo & Joannes venienti Domino ad baptiſmum tentavit reſiſtere, ſed manſuetius increpatus, illico obedivit: & quia ſuper hoc etiam reſponſum acceperat, licet territus acquievit. Sed differentiam cauſæ hujus Petrus intelligens, lavare magiſtrum & obſequi ei tolerabile judicabat. Lavari autem ab eo, & tantam humilitatis ejus pati dejectionem, ita videbatur indignum, ut omnino cogi non poſſet, niſi interminatio periculoſiſſima coartaret. Ait ei Dominus: Niſi lavero te, non habebis partem mecum. Paulatim myſterii hujus declaratur neceſſitas, quam conditio propoſita inevitabilem reddit: & ſi cum Chriſto aliter partem habere non poſſumus, niſi ipſe pedes noſtros abluat, quandoquidem ſic artatur conſenſus, lavet & tergat, & ſacramenti hujus nobis virtutem exponat.

Supra diximus ſemel lotos baptiſmate, eodem lavacro ulterius non egere: ſed hoc lavacrum quotidianis eſt exceſſibus inſtitutum, & jugis retractatio uſque ad noviſſima veniens, omnia debet opera & cogitatus ſingulos perſcrutari; & affectus per vitia diſcurrentes, vagam inſtabilemque animam per inania evehentes corrigere & lavare; nec quidquam in vita prætermittere indiſcuſſum, quod gemitibus & ſuſpiriis non fuerit expiatum. Hoc cum Dominus ſuos uſque in finem diſcipulos dilexiſſet; in fine ſtatuit & dixit neminem poſſe habere perfectam ablutionem, niſi hac ſollicitudine muniatur. Mandatum igitur ſimul & exemplum complexus (*i*) eſt hoc, ut hoc exemplo inſtructi, non dedignarentur in alterutrum agere, quod actum eſt à magiſtro & mandato (*k*) poſteris religionis auctoritas firmaretur. Unde & ſubjungit: Si ego Dominus & magiſter lavi veſtros pedes, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Non erubeſcat ſervus, ſi facere jubetur quod prius fecit Dominus: nec difficile nobis eſſe debet, ſi ſicut ille no-

(*a*) Sit iſte, *O. A.* (*b*) Nec tamen contemtum ſuum ſtatim, *Laud. Bod.* (*c*) Baptiſmum & Euchariſtiam, quæ ſui reverentia, *Laud. Bod.* (*d*) Tenent eo, *O. A.* (*e*) Fiant, *O. A.* (*f*) Ne unquam, *Laud. Bod.* (*g*) Etſi, *O. A.* (*h*) Quod, *O. A.* (*i*) Eſt ut, *Laud.* (*k*) Poſteris hujus, *O. A.*

[1] *Quem ſui reverentia non patitur iterari.*] *Pamelius ait*, Manutius & Morel. legunt *qui*. Ego autem judico legendum *quem*, & aut præmittendum illud, *& Euchariſtiam*, aut certe dictis verbis poſtponendum. Alioqui ſibi ipſi contradiceret auctor tract. præcedenti, dum repetitis verbis nos ad eundem panem angelorum reverti dicit Superfluum autem id eſſe vel ex eo colligere eſt, quod ſub finem, de Baptiſmo, non de Euchariſtia, repetat idipſum. Niſi legamus, *Chriſma*, pro eo quod eſt *Euchariſtiam*.

[2] *Mens alias rapta.*] *Pamelius ait*, Alias, pro alio. Sicut etiam ſupra de ſtella & Magis, & infra de reſurrectione Chriſti.

[3] *Neutiquam tu mihi pedes ablues.*] *Pamelius ait*, Omitto ita legendum pro *abluis* juxta Evangeliſtam.

nobis donavit, & nos invicem condonemus: quia alter alterius onera comportantes ſic legem Chriſti implemus.

Quotiens igitur cohortamur puſillanimes, & his qui Pharaoni in luto & latere famulati ſunt perſuademus, ut exeant de Ægypto, quotiens cum infirmis infirmamur, & cum his qui ſcandalum ferunt urimur; quotiens cum afflictis gemimus: totiens inhærens lutum peccatorum qua poſſumus ſolicitudine lavamus; non quod noſtra ablutio ex nobis ſufficiat, niſi ad lavandum omni tempore nos pius magiſter accedat. In hoc ſe periculo fluctuantem laborans anima in Canticis canticorum conqueritur: Lavi, inquit, pedes meos, quo modo inquinabo illos? Quod ablutum eſt, timet iterum inquinare: ſed in via lutulenta vix aliquid ſolidum ubi pedem figat invenit: & in quibus ſæpe provoluta eſt, paludum inquinamenta formidat.

Clementiſſime magiſter, quotiens ego doctrinæ tuæ tranſgreſſus ſum regulas, quotiens edicta tua Domine ſancte contemſi: & cum diceres mihi, revertere, non ſum reverſus; cum minareris, non timui; cum bonus eſſes & lenis, exaſperans fui; ultra ſeptuagies ſepties in cœlum & coram te peccavi; quis tot ſordes abluet? quis abradet ſtercora conglobata? Quidquid dicat Petrus, neceſſe eſt ut ipſe nos abluas: neque enim lavare nos poſſumus, ſed in omnibus quæ agimus indulgentiæ tuæ lavacro indigemus. Ad menſæ tuæ participationem [1] Judas proditor eſt admiſſus; ſed ab hoc lavacro ſalutari excluſus, lavari in fine non potuit, quia Apoſtolatus ſui honorem deteſtabili cupiditate fœdavit. Quia vero apud te fons vitæ eſt, & miſerationum quæ à ſeculo ſunt profunditas infinita: quos abluiſti baptiſmo, quos laviſti ſanguine tuo, quos ſemper lavas quotidiana peccata donando, transfer à paludibus ſeculi hujus, & luto vitæ præſentis ad [2] purgatiſſimum gloriæ tuæ regnum, ubi nec ſcabies ulla, nec lippitudo, ubi nemo fluxum ſanguinis patiens, nemo immundus, ubi nullo amplius opus eſt lavacro, configurato corpori claritatis tuæ corpore noſtro; ſecundum promiſſa tua, [3] neceſſe eſt ut impleas, & qui incœpiſti in nobis opus bonum, perficias ſolideſque per te Chriſtum Dominum noſtrum. (*a*)

(*a*) Qui vivis & regnas Deus per omnia ſecula, *O. A.*

1 *Judas proditor eſt admiſſus &c.*] *Rigaltius ait*, Nic. Faber; id eſt, ab effectu, Nam revera Dominus etiam Judæ lavit pedes, ut apparet ex cap. 13. Joan.

2 *Purgatiſſimum gloriæ ſuæ regnum.*] *Rigaltius ait*, Gravius in margine *prægratiſſimum*. Cauchius *pergratiſſimum*; ſed prior lectio germana eſt.

3 *Neceſſe eſt ut impleas.*] *Rigaltius ait*, Manutius *eſſe*, at prius placet.

(*a*) DE UNCTIONE CHRISMATIS ET ALIIS SACRAMENTIS.

Dies iſta multiplicibus myſteriis honoratur. Hac die primum commendata eſt nobis fractio panis, & menſa Eccleſiæ panem Angelorum hominibus propoſuit ad manducandum. Hodie Chriſtus pedes lavit Apoſtolis, & hoc ſolenni devotione omni tempore agendum inſtituit. Hodie in Eccleſia cum ceteris unctionibus ad populum acquiſitionis ſanctificandum, in participationem dignitatis & nominis, [1] ſacrum chriſma conficitur: in quo mixtum oleo balſamum, regiæ & ſacerdotalis gloriæ exprimit unitatem, quibus dignitatibus initiandis divinitus eſt unctio inſtituta. Hodie reconciliantur Eccleſiæ peccatores; & ejecti foras ad matris ubera reducuntur, & excluſi à cœtu ſanctorum, ad communionem qua caruerant revertuntur. Hodie patent carceres, & damnati libertate donantur. Severitate depoſita hodie judices manſueſcunt, & undique conjugata pietatis negotia, quaſi abortivas traditiones antiquas ſepeliunt, & Chriſtianæ religionis parturiunt novitatem. Mortuus quippe eſt Moyſes, & veteris literæ putruerunt ænigmata: à facie novi olei deficcatæ ſunt unctiones antiquæ, tota veteris inſtrumenti incompacta eſt ſtrues, tabernaculum demolitum, arca ab Allophylis (*b*) capta, totus templi decor ad Aſſyrios eſt tranſlatus. Neque enim decebat ut Chriſtiana religio ornamentis viſibilibus occupata, in manufactis delectaretur: ſed ipſa tabernaculi conſumtio, & templi ruina, & ſancta in rapinam expoſita, excellentioris gloriæ intimarent ſtabilitatem: & manentia in perpetuum ſacramenta, cultores ſuos ad intuitum inviſibilium informarent, & abſtractum à corporalibus deſiderium noſtrum, cœleſtis templi concupiſceret & ambiret decorem; cujus nec antiquatur, nec ſeneſcit religio, in quo lucerna inextinguibilis ſine fine coruſcat. Ubi ſanguis animalium non infertur in ſancta, nec ſunt hæreditariæ ſucceſſiones Pontificum, vel uni Leviticæ tribui miniſteria aſſignata: ſed de omni tribu, & gente & lingua, quos dignos & idoneos

(*a*) De oleo miſericordiæ, *O. A.* (*b*) Rapta, *Laud.*

1 *Sacrum chriſma conficitur.*] *Pamelius ait*, Latius hac de re ſupra diximus epiſt. 70. ad Januarium, & ceteros Epiſcopos Numidas.

1 *Quibus*

neos divina probat electio ſecundum vitæ, non generis meritum ſtatuit ſacerdotes, [1] quibus calicem ſanguinis ſui inexhauſtæ plenitudinis abundantia ſemper refertum, conſervandum tradidit & erogandum, cujus aſperſione & communione intus & extra corda & corpora mundarentur. Hodie, ut diximus, unguentum ad ſanctificationem paratur, cujus fragrantia adoleſcentulæ & novellæ animæ accedentes ad fidem illectæ delectantur, & exinanitionis ejus ſuavitate delibutæ, diligunt & ſequuntur aromatum largitorem, & uſque ad regis accubitum ſpiramine illo trahuntur, & poſt odorem illum ubique deſiderio ſancto perurgente ſitibundæ diſcurrunt.

Nihil hoc oleum commune habet cum liquoribus qui ex quorundam fructuum pinguedine exprimuntur, nec vis ejus eſt (*a*) ex craſſitudine penetrativa, quæ ſecundum quaſdam naturales rationes emollit & temperat ſpiſſamenta humorum, quos ſolet intrinſecus aſtringere ſiccitas aliqua, vel corruptio conglobare. Non hæc medendis corporibus eſt unctio inſtituta: [2] quia ſanctificatis elementis jam non propria natura præbet effectum, ſed virtus divina potentius operatur, ſed adeſt veritas ſigno, & ſpiritus ſacramento; (*b*) ut & ipſis rerum efficientiis gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quanta ex his detur auctoritas deiformi converſatione & cœleſtibus moribus innoteſcat. Hoc oleo antiquitus ſacerdotes ſacrabantur & reges, & ipſi altarium lapides delibuti, ſpiritualem intelligi volebant ſacris myſteriis ineſſe pinguedinem. [3] Et ſicut oleum (*c*) fluitat & humidis quibuſlibet ſuperfertur; ita excellentia & ſacerdotalis & regiæ dignitatis ſecundum formam Dei & Chriſti ſub ſe omnia continens, regimen & munimen tam activæ, quam contemplativæ vitæ obtinet: & ex hoc humore conſtat deſcendere omnes gratiarum diviſiones, quas Spiritus ſanctus, prout vult, ſingulis diſtribuit & largitur.

Ex hujus unctionis beneficio & ſapientia nobis & intellectus divinitus datur; conſilium & fortitudo cœlitus illabitur; ſcientia, pietas & timor inſpirationibus ſupernis infunditur. Hoc oleo uncti [4] cum ſpiritualibus nequitiis colluctamur, nec fœtoribus (*d*) ſpuriis imbui poſſumus, qui balſami ſpiritalis odore fragramus. Hoc oleum à creditorum uſuris ſub Heliſæo Propheta mulierem pauperculam liberavit. Hoc Heliæ tempore Sareptenam pavit, nec lecythus trina effuſione defecit. Hoc oleo Jacob lapidem quem ſuppoſuerat (*e*) capiti unxit, & familiari mandato eruditus, inter ſacramenta aſcenſionum & deſcenſionum, & diſcurſus angelicos innixum ſcalæ ſublimi videns Deum, quid virtutis hæc haberet unctio, intellexit. Moyſes hoc oleo tabernaculum & ſacra vaſa perunxit, & ſuper caput Aaron tanta abundantia fudit, ut uſque in barbam ejus deſcenderet, & [5] ſuper oram veſtimenti manaret. Samuel quoque ad reges initiandos ſine oleo non accedit, & uſque ad defectum & reprobationem carnalium ceremoniarum in populo illo hujuſmodi perſeveravit traditio, ſed vaſis Judaicis deficientibus defecit gratia, & ſtetit oleum. Impletis vaſis propheticis & ſanctis regibus ad patres appoſitis, in apoſtaſiam & dyſcolatum verſum inſtabile vulgus, in ſe non retinuit locum quem poſſet Spiritus ſanctus inhabitare, & vaſa amurca plena non ſuſcepere liquorem, ſteteruntque in ſummo fæces, quæ longo ſitu induruere; & ubi domicilium religionis fuerat, ſterquilinium peccati computruit.

Nec tamen ceſſantibus his quæ ritu antiquo inoleverant; cum jam in populo Chriſtiana circumciſio videretur damnabilis, & ſacrificia idololatriæ imputarentur unctionis myſterium religio Chriſtiana contemſit, ſed ceteris generali ſanctorum conſenſu damnatis, non ſolum in regibus & ſacerdotibus unctionis honor permanſit, ſed in omnem populum catholicum effuſa eſt hujus gratiæ plenitudo. [6] Ut ſicut Chriſtus à chriſmate dictus eſt, eo quod ſingulari excellentiæ oleo unxerit eum Deus; ita & participes ejus quotquot ſunt, conſortes ſint tam unctionis quam nominis, & dicantur à Chriſto Chriſtiani, ut ſint ſui Chriſto duce rectores & duces, & offerant Deo quotidianum ſacrificium, ordinati à Deo [7] ſanctimoniæ ſacerdotes.

Nec immerito huic diei aſſignata eſt tanti operis cauſa; & ex hoc ſacramenta hæc obtinuere initium; quo hodie in ſacramento calicis (*f*) Chriſti [8] Eccleſiæ unitas, in lavacro pedum concors ſocietas, & donans invicem caritas, & ſubjecta humilitas; in unctione Chriſtiani nominis dignitas excellentiæ ſpiritalis proprie data eſt, & confirmata filiis adoptionis perpes auctoritas & dignitas perſeverans. Dedit itaque Dominus noſter in (*g*) menſa in qua ultimum cum Apoſtolis participavit convivium, propriis manibus panem & vinum: in cruce vero manibus militum corpus tradidit vulnerandum; ut in Apoſtolis ſecretius impreſſa ſincera veritas, & vera ſinceritas, exponeret gentibus, [9] quomodo vinum & panis caro eſſet & ſanguis, & quibus rationibus cauſæ effectibus convenirent, & diverſa nomina vel ſpecies ad unam reducerentur eſſentiam, & ſignificantia & ſignificata eiſdem vocabulis cenſerentur, ut ſacramentum & res ſacramenti, veritas & figura uſque adeo indivulſam haberent efficientiam, ut dicatur de Gentibus & Judæis quia eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt conſequenti eos petra quæ erat Chriſtus. His gratiæ ſupernæ privilegiis eſu ſanctificati (*h*) panis refecti loti, & uncti, non eam quam amiſerant, ſed ampliorem & digniorem recuperant libertatem: & ejecti de

(*a*) In craſſitudine, *Laud.* (*b*) Ut ex, *O. A.* ut in, *Laud. Bod.* (*c*) Fluentis, *O. A. Laud.* (*d*) Spurcicis, *Laud.* (*e*) Capiti ſuo, *O. A.* (*f*) Chriſti &, *O. A. Laud.* (*g*) Menſa ultimum, *O. A.* (*h*) Panis & menſæ cœleſtis paſti, loti. *Bod. Laud.*

[1] *Quibus calicem ſanguinis ſui &c. ſervandum tradidit.*] *Pamelius ait*, Quia de ſacerdotibus loquitur, cenſeo reponi debere *conſecrandum*. Eſt autem inſignis locus de electione ſacerdotum legis novæ.

[2] *Quia ſanctificatis elementis.*] *Pamelius ait*, Manutius & Morelius *ſanctitatis*. Verum illud malo.

[3] *Et ſicut oleum fluitat.*] *Pamelius ait*, Sic recte Eraſmus, pro eo quod Remboldus, *fluentis*.

[4] *Cum ſpiritualibus nequitiis colluctamur.*] *Pamelius ait*, En proprium ſacramentalis confirmationis effectum.

[5] *Super oram veſtimenti manaret.*] *Pamelius ait*, Manutius & Morel. *maneret*, at prius germanum eſt.

[6] *Ut ſicut Chriſtus.*] *Pamelius ait*, Quia ſequitur *ſint* & *dicantur*, prorſus *ut* lego, pro &.

[7] *Sanctimoniæ ſacerdotes.*] *Pamelius ait*, Prius egit de ordine ſacerdotii, nunc de ſacerdotio laici, quod accipit in baptiſmo per unctionem Chriſmatis.

[8] *Eccleſiæ unitas.*] *Pamelius ait*, Prætermiſi vocem &, ſuperfluam, ſicut *etiam* paulo poſt.

[9] *Quomodo vinum & panis caro eſſet & ſanguis.*] *Rigaltius ait*, Nic. Faber. Nam & Chriſtus panis eſt & vinum, quo alimur & potamur ad vitam æternam. Nam & panis & vinum Chriſtus eſt. Dixit enim: Hoc eſt corpus meum, panem demonſtrans: is, inquam, dixit, qui verbo ſolo omnia perficit.

de paradiſo nudi, ad lignum vitæ hodie revertuntur veſtiti, reddita ſtola & annulo prolato in medium: & reconciliantur matri Eccleſiæ, quos inobedientiæ malum foras expulerat; & Cherubim flammeum gladium ab introitu tranquilli ſtatus & innocuæ converſationis amovit.

Hodie in terra maledicta relictis raſtris & gravi vomerum pondere, & ſtimulis fatigatorum boum cruore perfuſis, [1] deterſo ſudore vultus exuſti caloribus, (*a*) attriti laboribus, hilari facie, ſtellaribus oculis in facie micantibus corpore candido, ornatu compoſito, ad paternam domum exules reducuntur: & egreſſus obviam revertenti filio lætabundus Pater clementiam improperio non corrumpit, nec indulgentiam fœdat conviciis, ſed bonitatis ſuæ honorat magnificentiam, & hilaritate magnificat largitatem. Reſonant in ſuſceptione hujus ſolenni muſica inſtrumenta, & communis jubilatio pari conſonantia patri miſericordiarum gratias agit; cujus imperio antiquam prædam evomunt inferi, ligantur dæmones, & diruptis ferreis nexibus diu quaſſati liberi revertuntur. Hæc dies nocti illi contigua eſt, qua abſolutionis noſtræ negotium Dominus inchoavit: qua à principibus ſacerdotum ad Romanum præſidem ductus judex omnium ſuſtinuit judicari: palſus eſt rex illudi, & vita occidi; deſcendenſque ad inferos captivam ab antiquo captivitatem reduxit: hoc Eccleſiæ ſuæ hodierna traditione exemplum relinquens, ut fieret in Eccleſia abſolutio peccatorum, & hæreditati redderentur ejecti, & præcedentibus beneficiis quæ ſupra enumeravimus, libertate donarentur pœnitentes, qui ſecundum merita, niſi gratia ſubveniret, fuerant condemnati. Et omnino convenit, ut eo tempore quo Chriſtus captivos eduxit ab inferis, reconciliati peccatores ad Eccleſiam reducantur: & quo confracta ſunt infernalis repagula carceris, judiciaria ſeveritas manſueſcat: & quo ab infernalibus tormentis ceſſatum eſt, humana ſupplicia crudelitatis horrorem deponant.

(*a*) Atriti laboribus, &c. *Ex MSS. addita.*

[1] *Deterſo ſudore vultus.*] *Rigaltius ait*, Nic. Faber. alludit ad illud quod etiamnum in Eccleſia cantatur in die Cinerum, ut antiquitus cum pœnitentes ex Eccleſia ejiciebantur, in ſudore vultus tui panem tuum comedes.

(*a*) DE PASSIONE CHRISTI.

DOmine audivi auditum tuum & timui. Terruit me cum appropinquaret traditor Judas, & immineret paſſionis hora, quod dixiſti ad Patrem: Pater ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte: & triſtem te uſque ad mortem, præ nimia anxietate ſanguineo ſudore perfuſus, coram Apoſtolis es profeſſus. Audiens hæc ego expavi. Quis enim non timeat, ſi timet ille, quem omnia timent; ſi (*a*) pavet ille, cui omne genu curvatur; ſi ille qui mors eſt mortis & morſus inferni, morte propinquante pertimeſcit? Nonne ad hoc veneras, & ita futurum ipſe prædixeras? Nonne hoc & ſigna, & oracula, & vaticinia prophetarum à mundi initio conclamarunt? Si voluntarie obediſti Patri, & non te ut patereris coegit neceſſitas; quid quereris, quid cauſaris? Nonne tu docueras & inſtruxeras fideles tuos, ut non timerent eos qui corpus occidunt, quia uſque ad animam tyrannica violentia non attingit? Sed metus ille infirmitatis humanæ communem exprimebat effectum, & generalitatem omnium in carne viventium hoc dolore urgeri, & diſſolutionem corporeæ ſpiritaliſque naturæ hac moleſtia non poſſe carere; & hanc pœnam univerſæ ſucceſſioni Adam ſine exceptione impoſitam, ut difficultas extremi tranſitus timeretur. Et hæc quidem moleſtia in eos, qui Dei judicio rationem reddituri occurrunt, non immerito cadit: qui de eo quod beneficio vitæ & rationis, & reliquorum largitate munerum abuſi ſunt; accuſante conſcientia redarguti, examen illud in quo nullum eſt ſubterfugium timent: & ipſa avulſio ſpiritus carnis teneritudinem dirumpit & lædit: hanc nemo anxietatem evaſit, & nemo egrediente anima ſine amaritudine (*a*) expiravit.

Sed tu Domine, qui judex es omnium, qui poteſtative ponis animam tuam & poteſtative reſumis; nec pœna te ex neceſſitate perſequitur, nec formidabilis Patris tibi poteſt eſſe conſpectus; quid anxiaris? quid tremebundus ad orationem diſcurris? Dormitantibus Apoſtolis pervigil proditorem expectas, nec tamen te abſcondis; ſed obvius in adventum eorum procedis, qui te ligare veniunt, & trahere ad Pilati tribunal, quos Judas ſignifer inſtructa malignitate præcedit.

Audivi, Domine, auditum tuum & expavi, dum quæris à quærentibus (*b*) quid quærant, cum noveris quod te quærant: & dixiſti eis te eſſe Jeſum Nazarenum. Invaſit illico timor tuus eos quos tu timueras, & proſtrati ſolo jacuere exanimes, & armatam cohortem vox unius hominis terruit; & latens in humanitate omnipotentia (*c*) te diſcipulis pavidum, coram perſecutoribus terribilem exhibebat. Sed ut fieret voluntas patris, & ſacrificium carnis à timore & triſtitia inchoaret; ſuberant victimæ deſolatorii carbones, quos obedientiæ liquefactus adeps extinxit: & cum traheretur vinctus ad præſidem, non ſupplicavit apparitoribus, ſed Petri compeſcuit zelum: nec gladiorum paſſus eſt adhiberi ſuffragia, imo & Herodis & Pilati contemſit faſtigia: nec potuit altitudo poteſtatum extorquere ad interrogata reſponſum. Jam poſtpoſito timore quaſi utens potentiori auctoritate, inter ſputamenta, & colaphos, & reliqua ludibria patientia & man-

(*a*) In Paraſceve, *O. A.* (*b*) Paveat. *O. A. Bod.* (*c*) Expiravit, *O. A.* (*d*) Quid quærantur, cum noveris tu, *O A.* (*e*) Se diſcipulis, *O. A.* ſe diſcipulis pavidis, *Laud.*

manſuetudine veſanas perſecutorum mentes conturbat, & in eo quod inter injurias & convitia ſe malitia Judaica ſentit contemtam; vehementius exacerbatur, & de impietate & malitia ſuavitas pietaſque Chriſti triumphat.

Fruſtra funeſtas judex manus in prætorio abluis, à ſanguine Domini te profitens innocentem. [1] Tu ipſe cauſam mortis cum diligenter inquiſieris, te non (*a*) inveniſſe in eo fateris: ipſa conjux tua nihil tibi & juſto huic eſſe mandaverat, quod utique per os ejus dæmonia imminere ſibi [2] judicium ſententia teſtabantur: non excuſas, ſed accuſas, cauſam tibi facis cum (*b*) Judæis communem. Illi ſe proditione, tu parricidio te condemnas. Illi lingua, tu ferro occidis: tam te quam illos inauditæ crudelitatis ſcelus involvit. Veniet anima tua in manus judicis quem condemnas, fractiſque tribunalibus tuis (*c*) judicaberis, & demergeris in profundum inferni: eruntque tibi & Judæ ſcelerato in tenebris & gehennalibus flammis pœnæ irremediales, inconſumtibiles ignes, dolores perpetui, & tormenta æterna. Et quidem filius hominis, ſicut ſcriptum eſt de illo, vadit: qui damnatus eſt, ut liberaret damnatos; doluit, ut ſanaret infirmos; timuit, ut faceret ſecuros; opprobria pertulit, ut improperia detrahentium non moverent electos. Deputatus inter impios, quorum alter aſſumtus, alter reprobatus eſt: ut daretur exemplum & [3] forma indiſſolubilis manens in poſteros; quia nec in ultimis Dei clementia pœnitens excludit; nec ulla hora ſera eſt, cui compunctio diſtricta occurrit; nec eos qui vitæ ſuæ quocunque articulo temporis veri ſunt judices, iterum judicari. Quia, cum judicis & tortoris vices non parcens peccator aſſumit, ſemetipſum perſequens, dum confeſſionem confuſione onerat; holocauſti hujus incenſio in conſpectu Dei veniam impetrat. Neque enim bis in idipſum judicat Deus; ſed impœnitentes ipſe judicat & damnat, pœnitentes vero quia à ſeipſis ſuſcipit judicatos, abſolvit: neque judicio quod pœnitentiæ humanæ ſeveritas protulit aliquid juſtitia cœleſtis apponit.

Judicati ſunt Ægyptii, cum in redeuntibus, ſuper ſe maris fluctibus involverentur; judicati Sodomitæ, cum ſubverſis eorum urbibus flammis ſulphureis cremarentur: ſed in eiſdem ſubverſionibus gemerent pœnitentes, temporali pœnæ æternalis non ſuccederet, ſed eſſet eis pro remedio ſupplicium, & pro abſolutione tormentum; nec contritos corde æternum contereret & aggravaret judicium. Sic in cruce latro confitens non tantum indulgentiam meruit, ſed Chriſti familiaris effectus, (*d*) præmiſſus eſt in paradiſum; & factus eſt particeps regni, per confeſſionem factus collega martyrii. Illi vero blaſphemo, quia de Domini deſperavit potentia, nulla potuit ſubvenire clementia: nec potuit illi crucis prodeſſe conſortium, [4] cujus malitiam non expiabat pœnitentiæ lavacrum. Aſcendiſti Domine palmam: quia illud crucis tuæ lignum portendebat triumphum de diabolo, vel de (*e*) principatibus, & poteſtatibus, & nequitiis ſpiritalibus victoriam: erantque in manibus tuis duo cornua, in quibus erant fortitudo tua abſcondita, & imperium tuum ſuper humerum tuum: tu ipſe patibuli tui bajulus, hærebas ligno quod tuleras, evectionis & paſſionis anxietates ſuſtinens & labores.

Conſideravi opera tua & expavi. [5] Clavis ſacros pedes terebrantibus, foſſiſque manibus, de vulnerum anxietate non loqueris; de ſpinis ſacrum caput pungentibus non quereris; ſed ſatagis ut (*f*) innoteſcat poſteris, quare derelictus à Deo videaris, expoſitus contumeliis & Judæorum ludibriis. Cauſam mortis in te non eſſe Pilatus ipſe prædixerat, & Caiphas mortem tuam pro inimico populo ſatisfacturam, cùm eſſet anni illius Pontifex, prophetaverat. Tu de morte non agis, de opprobriis non contendis: ſed hoc vis intelligi, quæ ſit cauſa mortis, quis quæſtus; ut utraque re cognita, peccatum appareat & gratia; & quanti ponderis ſit utrumque, rerum probet effectus: [6] cum originali morti nullum niſi in Chriſti morte potuerit eſſe remedium; nec reconciliare Deo potuerit exules & damnatos quælibet oblatio, niſi ſanguinis hujus ſingulare ſacrificium. Et ſine hoc holocauſto poterat Deus tantum condonaſſe peccatum; ſed facilitas veniæ laxaret habenas peccatis effrenibus, quæ etiam Chriſti vix cohibent paſſiones, quæ vix ſceleratos animos à voluptatum fæce avellunt.

Vulneri ſane tam putrido & antiquarum cicatricum fœtori non inveniebatur medicamentum conveniens; niſi unguento ſanguinis hujus plaga vetus liniretur, & malagmate carnis in cruce extenſæ ſiccarentur venena, quæ calcaneo primi hominis & omni poſteritati ejus ſerpens ille ſeductor antiquus infuderat. Hæc una medela corroſit illas quæ in immenſum excreverant cicatrices: (*g*) Et vim ſuam concupiſcentiarum perdidit corruptela, & deleta damnationis conſcriptione, novis literis [7] aſſignata (*h*) eſt & reſtituta libertas; privilegio dato, (*i*) charta indulgentiæ, ſigillo plagæ lateralis firmata.

Conſidero opera tua: & admiror te cruci inter damnatos affixum, jam nec triſtem nec pavidum: ſed ſuppliciorum victorem elevatis manibus triumphantem de Amalech; & quaſi ſanctificantem de excelſo plebem, & elevatum in ſublime, & quaſi cœlo proximum ſuperioribus inferentem conſummati agonis vexillum; & inferioribus erexiſſe ſcalam in Patris occurſum. Ibi dolorum & conviciorum immemor, ſubtiliter inveſtigas & ipſe exponis quare derelictus fueris, indicans anxietates illius querimoniæ verba eſſe delictorum tuorum, quorum perſonam & cauſam aſſumſeras; in tantum ut per Moyſen & per Apoſtolum ſuſtineres vocari peccatum, & maledictum pro ſimilitudine pœnæ, non culpæ: quod pro eis voluiſti intelligi, qui deſeri

(*a*) Inveniſſe fateris, *Laud.* (*b*) Judæis eſſe, *O. A.* (*c*) Judicaberis in tenebris, & *Laud.* (*d*) Præmiſſus in paradiſum, factus, *Laud. Bod.* (*e*) Principibus, *Laud.* (*f*) Innoteſcas, *Laud.* (*g*) Et innumeram concupiſcentiam prodidit corruptelam, &, *Laud.* (*h*) Eſt reſtituta, *O. A.* (*i*) Dato indulgentiæ, *O. A.*

[1] *Tu ipſe cauſam mortis cum diligenter inquiſieris.*] *Pamelius ait*, Gravius *cauſa mortis*, ſed non placet.

[2] *Immineri ſibi judicium ſententia.*] *Pamelius ait*, Recte ſic ille cum Remboldo, pro eo quod apud Eraſmum & alibi legebatur *ſententia*. Videtur autem alludere ad formam exorciſmorum.

[3] *Forma indiſſolubilis manens in poſteros.*] *Pamelius ait*, Malim legere *manans*. Agit autem hic rurſum contra Novatianos de pœnitentia nunquam ſera.

[4] *Cujus malitiam non expiabat pœnitentiæ lavacrum.*] *Pamelius ait*, Recte ſic Manutius & Cauchius, pro eo quod alii *malitia*.

[5] *Clavis ſacros pedes terebrantibus.*] *Pamelius ait*, Fuit igitur auctor in ea ſententia, quod non unico clavo, ſed duobus pedes Chriſti terebrati fuerint. Et certe confirmatur idipſum vetuſtiſſ. picturis quibuſdam.

[6] *Cum Originali morti nullum niſi in morte Chriſti potuerit.*] *Pamelius ait*, Sic lego prorſus cum Cauchio, & hic & in eo quod ſequitur, pro *potuerat* & *potuit*.

[7] *Aſſignata eſt & reſtituta libertas.*] *Pamelius ait*, Etiam hic adjeci voculam &.

deſeri à Deo propter peccata meruerant, quorum reconciliationis agebas cauſam. In qua allegator ſubtilis pro ſervis ſervilem non dedignaris accipere perſonam : & in tantum infirmis compateris, ut nec crucifigi, nec mori dum illi vivant, & te patrocinante non pereant, nec erubeſcas nec formides ; altitudinem tuam derelinquens ad tempus, gloriæ tuæ majeſtatem evacuans, ut redeant diſperſi, & reſpirent derelicti.

Hæc eſt cauſa quare derelictus ſis, ut colligeret & revocaret inanitio tua eos qui fuerant derelicti ; & qui ſine Deo fuerant dum dominaretur eis peccatum, reducti ad juſtitiam, conformes Chriſti, & Chriſti efficerentur & Dii. Unde ſcriptum eſt : Ego dixi, Dii eſtis.

Conſidero, Domine, te in illo patibulo ubi videbaris ſine adjutorio, quo modo imperatoria poteſtate latronem præmittis ad regnum : & in cujus aſſumtione jam manifeſte conſtat quantum apud derelictos profeceris, quorum primus iſte gloria & honore coronatus, ipſa die paradiſi civis, & domeſticus curiæ cœleſtis efficitur. Impoſſibile quippe erat illam ſanctam animam tuam teneri ab inferis, de qua ipſe ad Patrem dicis : Quia non derelinques animam meam in inferno, nec permittes corrumpi carnem meam in ſepulcro : quia ubi in præſentia illius effractis inferis eſt captivata captivitas, præſentata victrice anima in conſpectu patris, ad corpus ſuum ſine dilatione reverſa eſt ; & appropinquaverunt ſaluti, qui longe erant à ſalute, & inter mortuos liber, morti obnoxios perpetua libertate donavit.

Conſidero te in cruce de matre ſolicitum, cui volenti loqui tecum cum evangelizares, negaveras retroactis diebus colloquium, & prætuleras matri auditores verbi, pauperes ſpiritu ; dicens eos tibi eſſe pro matre & fratribus, qui voluntati Patris obtemperant. Nunc materno moveris affectu, & thalamum humanitatis tuæ cubiculario dilecto commendas, & provides ſedulo benedictæ inter mulieres apoſtolicam clientelam, & obſequium virginis virgini diſcipulo tradis : [1] ut jam non Joſeph, tanti (*a*) myſterii honoretur præpoſitura, ſed Joannes ; quia jam exigebat ratio ut conjugii removeretur opinio : nec ultra pater Chriſti æſtimaretur, qui eatenus vicem patris & conjugis tenuerat. Habebat Joſeph in hac Chriſti diſpoſitione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, ſi ſe cognoviſſet carnalem maritum : ſed quia in ſpiritu actum erat conjunctionis illius myſterium, paſſus eſt Joſeph æquanimiter ſibi eum in hoc ſervitio præponi, quem digniorem ſe judicabat ; & ideo maxime, quia magiſtri electio ſic negotium ordinabat.

[2] Ad hæc ſacerdotalis (*b*) auctoritatis privilegium in medio proferens, mediator inter nos & patrem oras pro his qui ad dolorem vulnerum tuorum opprobria addiderunt ; & pro inimicis impetras veniam, ſupplicas & obſecras, ut hæc eis iniquitas dimittatur, & à morte tua habeantur innoxii ipſi, qui ſanguinem tuum ſuper ſe & ſuper filios ſuos manere precantur, uſque adeo excæcati, ut ſcelus ſuum non intelligant, nec odium Chriſti ipſa mors crucifixi extinguat. Sed caritas tua interim ſuſpendit judicium, & reis ingratiſque patientia tua [3] pœnitentiæ providet locum, tempuſque reſervat, & differt punire dignos exitio ; hæc orans ut aperiantur oculi eorum, & agnoſcant quæ ſit virtus crucis, quæ efficientia ſanguinis, quæ magnitudo delicti & doni, gratiæ & peccati. Tanta erat ſpiſſitudo velaminis, & craſſitudo doctrinæ, qua erant Moyſeos ſcriptura imbuti : ita erant eorum ſenſus hebetes, & ingenia tenebroſa, ut in verbis legis nihil divinum ſaperent ; nihil aliud quam exterioris umbraculi integumenta viderent, neque ad ſacramentorum ſecreta aliqua intellectus indagine penetrarent. Imo ſi quis eos vellet in ſancta inducere, & introducere in arcana profundaque myſteria ; impium judicabant & ſtultum mel de petra ſugere, & de ſaxo duriſſimo oleum eliquare. Dimiſſum eſt ergo Chriſto orante peccatum, & ex parte maxima cæcitas illuminata eſt, & malignantium perfidia demum credidit & intellexit : & de torculari crucis muſtum expreſſit, accepit, & bibit ; & in calice quod propinarat Moyſes vinum merum à fæcibus ſegregavit. (*c*) Ecce plus potuit donum quam delictum, & gratia quam peccatum : quoniam ex debito damnationi obnoxios, gratis ſine ullo merito gratia beneficio pietatis abſolvit : & judicium imperante Chriſto miſericordiæ dedit locum, & diſtrictionis ſuæ temperamentum juſtitia Domino diſponente, modeſte ſuſtinuit.

Jam videt Hebræus, & quicunque de ſervitute Ægyptia ad repromiſſæ patriæ libertatem anhelat, quod ſanguis Chriſti efficacius quam ſanguis agni illius, quem in Ægypto Iſrael immolavit, contrarias abigat poteſtates. Cujus hodie tanta eſt auctoritas & poteſtas, ut non ſolum Iſraelitica limina muniat, ſed etiam ab his qui Iſraelitice non vivunt, ſolum ſacramenti ſignum repellat dæmonia : & ubicumque conſpecta fuerit, terribilis ſit eis ſacri nominis virtus & ſanguinis nota. Denique quicunque ſint ſacramentorum miniſtri ; qualeſcunque ſint manus quæ vel mergunt accedentes ad baptiſmum, vel ungunt ; qualecunque pectus, de quo ſacra exeunt verba : [4] operationis auctoritas in figura crucis omnibus ſacramentis largitur effectum, & (*d*) cuncta peragit nomen, quod omnibus nominibus eminet, à ſacramentorum vicariis invocatum. Et licet indigni ſint qui accipiunt, ſacramentorum tamen reverentia & propinquiorem ad Deum parat acceſſum, & ubi redierint ad cor, conſtat ablutionis donum, & redit effectus munerum : nec alias quæri aut repeti neceſſe eſt ſalutiferum ſacramentum.

(*e*) Jam ſanguis tuus, Domine, non quærit ultionem, ſanguis tuus lavat crimina, peccata condonat. Clamat ſanguis Abel, clamant Sodomorum peccata, & parricidium & libido digna ſunt ultione. Tu olim ultionum Deus, modo miſereris & parcis his qui offenderunt ; ſanas contritos corde, & alligas vulneratos ; filio prodigo revertenti non improperas luxum ; mulieri adulteræ non opponis proſtibulum ; peccatricis publicæ non recuſas ſervitium ; [5] debenti pecuniam dimittis depoſitum. Judæis perfidis & dediſti gratiam, & dimiſiſti ſcelus ſcelerum & peccatorum peccatum. De latere tuo fons egreditur in vitam æternam proſiliens ; & de eadem conſubſtantiali origine, diviſis limitibus, aqua & ſanguis emanant, ad

(*a*) Miniſterii, *O. A.* (*b*) Auctoritas, *Bod.* (*c*) Et ecce, *O. A.* (*d*) Conjuncta, *Laud. Bod.* (*e*) Jam jam, *O. A.*

[1] *Ut jam non Joſeph.*] *Pamelius ait*, Hinc colligere non eſt difficile vixiſſe Joſeph in paſſione Domini, juxta hujus auctoris ſententiam.

[2] *Ad hæc ſacerdotalis auctoritatis privilegium.*] *Pamelius ait*, Sic recte Gravius pro *auctoritas*.

[3] *Pœnitentiæ providet locum.*] *Pamelius ait*, Rurſus contra Novatianos agit.

[4] *Operationis auctoritas in figura crucis, &c.*] *Rigaltius ait*, In lib. Fabul. Auguſt. tractat. 118. in Joan. & ſerm. 17. de tempore. Chryſoſt. homil. 55. in Matth.

[5] *Debenti pecuniam dimittis depoſitum.*] *Pamelius ait*, Forte *debitum*.

[1] *Qui*

ad complementum perfectionemque totius juſtitiæ, ſacramenta in perpetuum duratura ; & fontis illius ubertas perenni lapſu univerſam Eccleſiam irrigat & fœcundat. Ex hoc fonte non tantum (*a*) ablutionis primæ, qua initiantur accedentes ad Chriſtum, undas haurimus : ſed & compunctionum & lacrymarum perennes effluunt rivi, & miſericordiarum ſuavitas, & totius pietatis (*b*) effectus emanat.

Tu, Domine ſacerdos ſancte, qui in tempore iracundiæ factus es reconciliatio, ſancti hujus ſanguinis permanentem plenitudinem reliquiſti, & beneficium hujus ſancti liquoris in perpetuum tradidiſti, & conſtituiſti nobis inconſumtibiliter potum vivificum, crucis ſignum, & mortificationis exemplum. Tu conſummatis omnibus vade ad patrem, & trahe nos poſt te : da nobis in vita præſenti, ut ſimus ſine angaria bajuli crucis tuæ, & comprehendamus cum omnibus ſanctis quid (*c*) latitudo, quid longitudo, (*d*) quid ſublimitas, quid profundum hujus ligni ſignificet ; quo conſpecto non noceat nobis, neque mordeat coluber ſolitudinis, ſed incolumes per omnia ſequamur te ; tecum parvuli ſimus, tecum circumcidamur, tecum baptizemur, tecum jejunemus, tecum lotis pedibus panem angelorum edamus, tecum crucifixi mundo vivamus, tecum Spiritu ſancto repleti, & corpore & ſpiritu in æternum maneamus. 1 Qui vivis, & ultra non morieris in ſecula ſeculorum. AMEN.

(*a*) Abſolutionis, *Bod.* oblationis, *Laud.* (*b*) Affectus, *Bod. Laud.* (*c*) Sit latitudo, *O. A.* (*d*) Quid altitudo, *O. A. Bod.*

1 *Qui vivis & ultra non morieris.*] *Pamelius ait*, Antea erat, *& non ultra morieris* : verum illam germanam eſſe convincit Remboldus.

(*a*) DE RESURRECTIONE CHRISTI.

QUÆSITIS Aromatibus ad ungendum Dominum Jeſum in monumento poſitum, ſacræ mulieres communicato conſilio convenerunt, & repertis ibi ſine corpore ſudariis, quem non invenere putavere ſublatum. Nam & lapis revolutus & vacuum monumentum, ſimplicibus animis conjecturas hujuſmodi opponebant ; quod corpus ſtrictum linteis, niſi tranſlatum eſſet, moveri loco non poſſet ; nec lapis magni ponderis niſi vi humana, ullatenus revolvi potuiſſet : unde & mane venientes quomodo poſſet ab oſtio monumenti lapis gyrari, anxie cauſabantur. Sed Dominus qui inſpiraverat ut venirent, prævenerat venientes ; & egreſſus de ſepulcro vacuum locum reliquerat, apertoque oſtio ingredi volentibus liberum dederat aditum, & quaſi monebat ſe alias quæri, qui illis anguſtiis non poterat occultari. Flebant igitur ſacræ fœminæ, quæ eum cui obſequi volebant, ſe perdidiſſe putabant ; & obriguerant mœſtitudine, eo quod devotio ſua deſiderato fruſtraretur effectu. Habuerant ſiquidem eum ſicut prophetam, non inferiores fide illis diſcipulis, qui dicebant, quod Jeſus Nazarenus vir propheta fuerat, potens in opere & ſermone. Et licet de reſurrectione ſua ipſe tam Apoſtolos quam reliquos diſcipulos, in quorum ſocietate iſtæ eſſe meruerant, magiſter providus inſtruxiſſet ; incuſſerat tamen omnibus dubietatem & terrorem ſupplicium crucis & mortis atrocitas : nec tamen ab eorum cordibus avelli poterat dilectio (*b*) qua adhæſerant, & recordatio ſignorum quæ viderant, & admiratio doctrinæ quam audierant, & converſationis piæ admirabilis ſanctitudo qua fuerant informati. Nec dum firmo greſſu ibant, ſed lababat pes dubitantium, ſed quærebant quem amabant, nec maligne deſperabant : unde factum eſt, ut quæſtum inventionis dilectionis perſeverantia mereretur. Illæ itaque primæ viderunt & cognoverunt quæ ardentius dilexerunt, quæ devotius quæſierunt : illæ ſermocinatæ cum Chriſto, certificatæ quod ipſe eſſet qui à mortuis reſurrexiſſet, nunciant Petro & ceteris, quod Chriſtus reſurgens à mortuis jam non moritur. Evangelizaſſunt viventem, qui mortuus putabatur : nec jam ſepulturæ ejus odoramentis corporalibus deſerviunt ; ſed aromatibus firmæ fidei, & certæ ſpei, & caritatis ſinceræ regnanti Domino famulantur, & virtutum fragrantiam non judicato præſentant, ſed judici.

Lætantur Apoſtoli, quos mundus quaſi dehiſcens terruerat, 1 & quaſi diſſolutione elementorum quaſſaretur, omnia præcipiti ruina ſterneret, minas horribiles intentarat : ſolidatiſque & compactis cœleſtibus & terrenis, æterna redemtione inventa, gratulabundi adorant quem reliquerant ; credunt, nec in aliquo hæſitant ; aſſiſtunt quantum poſſunt ei, à quo diffugerant. Quem non fragor ille mundi terreret ; quando terra tremuit, ſol expalluit, & radios lucis ſuæ ſol contenebratus abſcondit? Ipſa monumenta lapides ſibi ſuperpoſitos projecerunt ; & indignata ſuperior & inferior plaga, tenebris & motibus & ſciſſuris, compaſſionis ſuæ & vehementis anguſtiæ indicaverunt affectum : nec ſuſtinuit intueri mundus perfidiæ Judaicæ ſcelus ; & viſa ſunt inſenſata elementa ſenſu uti abundantiore quam homines, quibus ſecundum naturam ratio inerat : & crudeliores extitere feris abutentes intellectu ; in tantum Chriſti ſanguinem ſitientes, ut ſe ip-

(*a*) De tribus mulieribus quæ ad unguendum Dominum ad monumentum venerunt, *O. A.* (*b*) Qua ei, *O. A.*

1 *Et quaſi diſſolutione elementorum quaſſaretur, &c.*] *Pamelius ait*, Manutius & Morelius *quaſſarentur omnia*, ſed prius malo. Eſt tamen locus obſcurus, præſertim in eo quod ſequitur.

1 *Filiis*

ipſos maledictione æterna damnarent, & in parvulos ſuos anathematis illius reliquias immobili ſtabilimento firmarent.

Sed ne in eorum ſcelere diutius immoremur, qui repulſi ſunt & deſtructi in finem; quorum parricidalia vota ſervitium & exterminium meruerant, quos cum Dathan & Abiron (quos ob diſſenſionis flagitium terra dehiſcens vivos abſorbuit) conſtat in tenebris inferi ſigillatos: ne tantarum abominationum recordatio paſchalem ſerenitatem interpolet, circa ſolennitatis inclytæ gaudia devotis & alacribus animis inſiſtamus. Neque enim fas eſt, ut à nobis aliqua his diebus triſtia recitentur: ſed ſicut [1] filiis Chore datum eſt ut ſemper læta canerent & prophetarent, & omnes pſalmi eorum attitulati nominibus gaudia prædicant, nec aliqua minantur adverſa: ita nos ad Chriſtum pertinentes, cujus ſanguine conſperſa creditur [2] Adam calvaria, qui ſub loco quo crux Domini fixa eſt humatus traditur ab antiquis; ejuſdem ſanguinis ſanctificati elapſu, lætemur & delectemur in Domino: nec jam amatoribus crucis mors magiſtri ſit horrori, neque pœna ſit dolori, nec paſſio ſit pudori; cum hæc omnia vitæ noſtræ ſint inſtrumenta: quia mors ejus pro peccatis noſtris ſacrificium fuit, & (*a*) pœna crucis exceſſibus pœna dignis occurrit; labor ejus onera noſtra depoſuit, dolor ejus nos ſanavit, & damnatio indebita nos à damnatione æterna abſolvit. Et ſi quid confuſionis viſa eſt in tempore illo pati ſancta ejus humilitas, rerum hodie manifeſtatur effectu quod Apoſtolus ait: ſtultum hujuſcemodi ſapientius eſſe hominibus, & infirmum fortius omni fortitudine, per quod reprobata ſapientia hujus mundi, & de ſapientibus & potentibus (*b*) in nomine crucifixi pauperes ſpiritu potentiſſime triumpharunt.

(*c*) Cantemus igitur Domino, glorioſe enim honorificatus eſt. Liber populus egreditur de Ægypto, Moyſe duce: mare fit pervium; columna flammea nocte coruſcans Iſraeliticum antecedit exercitum; ſtat à dextera & læva mare ſuſpenſum, deſiccato luto profundi, inoffenſum abyſſus dat tranſitum: & egreſſo populo Dei, Pharaonem cum populo ſuo repentina mole illapſum pelagus intercludit. Jam præceſſerat agnus quem Iſrael in Ægypto immolarat, cujus ſanguine limina rubricata percuſſor angelus non eſt auſus attingere: nec exterminatoris gladium populus formidabat, cui & de ſpiritalibus nequitiis parabat victoriam, illud ſine macula ſacrificium, & mare diviſum, & totum Ægypti robur extinctum.

Primum illud antiquum paſcha his miraculis coruſcavit, & excluſo fermento, præceptum eſt ut horum dierum celebritas ageretur in azymis: nec ſolennitatis hujus gaudia ſervilibus operibus (*d*) fuſcarentur, nec omnino aliqua tantæ ſinceritatis gloriam malignitas inquinaret. Certa data eſt ex lege diſtinctio, quæ eſſet paſchalis oblatio, & tempus, & locus, & modus; quando, vel ubi, vel quomodo ſacra deberet hoſtia immolari. Victima, agnus, locus, una per ſingulas familias domus; caro non elixa, ſed aſſa, hora veſpertina. Hæc cum eo tempore fierent in figura, quod nos in veritate agimus, typice loquebantur: & dirupto in Chriſti morte templi velamine, verus agnus ſolus inter filios hominum ſine macula Chriſtus ætate ultima in qua mundi veſperaſcit conditio, ab una populi Chriſtiani familia in unitate Eccleſiæ aſſus in cruce, projectis foras hæreticorum fermentis, ſinceræ fidei ſolidata compagine, incomſumtibiliter editur, creditur, & tenetur.

Nova & vetera ſub hoc nomine convenerunt: egreditur Iſrael de ſervitute Ægypti; exit populus Dei de regno diaboli: baptizantur in nube; & mari Hebræi & jam Spiritu ſancto & ſanguine Chriſti mundatur à peccatis populus Dei: ex diverſis familiis, una fit domus, una fit tribus, unus eſt cibus, ſignificantia & ſignificata, res & ſigna, [3] virtus inviſibilis & viſibilia ſacramenta ſic faciunt unum corpus, ſicut caro & ſpiritus, &, quod videtur, in nomine & virtute Chriſti corpus cenſetur. In hac rerum convenientia honorificatus eſt Chriſtus, & glorioſæ laudis triumphos lætabunda hodie canit Eccleſia, [4] in lapide angulari conſocians diſjunctos olim parietes; quos in unum mirabilis artifex fuſo ſanguine glutinavit, & reprobato diu à malignis fidei fundamento, caritatis ſuæ nexibus diviſas copulavit macerias, & redegit partes in totum, & multa in unum; & facti ſunt una domus confœderati parietes, & ſtabile fundamentum. Honorificatus eſt Chriſtus reſurgens à mortuis, victor mortis, ſpolians inferos, & captivos præmittens ad ſuperos. Hucuſque per humilitatis gradus aſcendens, modo gloria & honore coronatus, nil mortale, [5] nil paſſibile retinens, impaſſibilitatis & immortalitatis donavit nos gloria, & reſurgentes in beatitudine conſtituit ſempiterna.

Reſurrexerunt quidem ante Chriſtum, ſed in nomine & fide ejus, ſub Helia vivente in corpore, unus: & Heliſæo vivo & mortuo, duo qui obierant: ſed ad mortem quam guſtaverant, iterum redierunt. [6] Reſurrexit & Lazarus, & alii nonnulli ad imperium Chriſti: & aliquo tempore beneficio vitæ uſi, iterum ad funera rediere. Res quidem honorabilis & dominatio poteſtativa fuit, ad corpus exanime ſpiritum revocare: ſed reſurrectionis hujus cujus ſunt in Chriſto primitiæ, incomparabilis eſt dignitas; quam nec ſequitur corruptela, nec diſſolvit antiquitas, nec aliqua mutabilitas labefactat. Mirati ſumus in transfiguratione quæ facta eſt in monte præſentibus Apoſtolis Petro, & Jacobo, & Joanne, quando ſicut ſol reſplenduit facies Salvatoris, & veſtimenta ejus candorem omnem exuperantia Apoſtolorum hebetavere conſpectum: ſed momentaneus ille decor imaginem, non ſpeciem; ſimilitudinem, non ſubſtantiam; partem, non plenitudinem transformationis mirifice explicavit: ſed neque eandem gloriam quam ante (*f*) oſtendit; ſed quod

(*a*) Pœna exceſſibus, *O. A. Laud.* (*b*) *Sic O. A. Imp.* & nomine. (*c*) Cantemus Domino, *O. A. Bod.* (*d*) Obfuſcarentur, *O. A.* (*e*) Quod non videtur, *O. A.* (*f*) Oſtendit Apoſtolis, *O. A. Bod.*

[2] *Filiis Chore datum eſt, ut ſemper læta canerent.*] *Pamelius ait*, Pſalmos filiis Chore articulatos, videtur ipſis auctoribus adſcribere.

[2] *Adam calvaria.*] *Pamelius ait*, Hieron. non ſatis quidem probat hanc ſententiam in Matth. dicens ſepultum Adam juxta Hebron & Arbeæ, ſicut in lib. Joſue legitur. Præter tamen Epiphan. contra Tatianum (ad cujus verba videtur alludere Hieron.) Origenes tract. 35. in Matth. Athanaſ. de paſſione Domini. Ambroſ. epiſt. 19. Chryſoſt. in Joan. cum Theophylacto & Euthymio, & Auguſt. ſerm. 71. de tempore, idem cum hoc auctore ſentiunt.

[3] *Virtus inviſibilis & viſibilia Sacramenta.*] *Pamelius ait*, Ita prorſus cum Cauchio, pro, *inviſibilia ſacramenta*, vel ob id quod ſequitur: *quod videtur, & nomine & virtute Chriſti corpus cenſetur.* Quæ verba mire faciunt contra Calviniſtas.

[4] *In lapide angulari*, &c.] *Pamelius ait*, Locus obſcurus, cum Eccleſiæ adſcribatur, quod Chriſti peculiare eſt.

[5] *Nihil paſſibili retinens.*] *Pamelius ait*, Manutius vitio operarum habebat, *niſi.*

[6] *Reſurrexit & Lazarus.*] *Pamelius ait*, Manutius & Morelius, *ſurrexit*: at prius placet.

[1] *Tan-*

quod videre consueverant, hoc viderunt, & dilata est claritatis illius quam nobis pollicitus est plenitudo, quæ in se erat perfecta & (a) à nobis expectatur perficienda, lucidior & sincerior quam æstimari possit ab aliquo, vel quam illa etiam claritas intimaverit, cujus primitias in Christo transformato accepimus.

(b) Opus inclytum & nobile plasma primi hominis conditio fuit, sed quasi seminarium reformationis hujus. Illa prima formatio imaginem & similitudinem artificis ad veritatis essentiam pertrahebat, paulatimque consummata prodiit species, & apparuit candor quem occultabat immortalitas, qua absorpta est eadem quidem & non alia humanitatis natura; sed sanato morbo quo periculis tenebatur obnoxia, sana & incolumis stabili felicitate, corpore & anima idem sapientibus, in nullo dissentientibus; præceptis duplicibus stolis, conspectibus divinis assistit.

Agunt in cœlestibus hæc paschalia gaudia ipsi angelici spiritus, & resurgentis Domini gloriam admirantur; lætantur & delectantur in eo, quod forma servi reversa sit in formam Dei, & exinanitio humilitatis ad depositæ altitudinis redierit majestatem. Sed & in hoc multiplicata sunt gaudia, quod ab his pro quibus se humiliaverat, [1] tantæ excellentiæ beneficium dignatur esse commune, & partiri nobis suæ abundantiam voluit claritatis: ut post resurrectionem corpus non aggravet animam, sed sit caro sine mole & pondere, agilis & mobilis, nullis clausa obstaculis, visu & auditu penetrans omnia & attingens, quocunque voluerit sine impedimento discurrens. Inerit resuscitatis corporibus nulli vanitati subjecta libertas; & quæ cogi non possit ad aliquid, in nullo laborans, jam à spe educta, re ipsa perfruens, nulla expectatione suspensa, & in pace quietissima confirmata, omnisque expers formidinis, in spiritalibus deliciis jugis illa mansio reflorebit.

Quam mirabilis est scientia tua Deus, confirmata est super nos, nec possumus ad eam attingere. [2] Hæc sapientiæ tuæ altitudo, (c) qua mundum non ex præcedente materia, sed solo verbi tui condidisti imperio: creaturis vero corporalibus ex mundi essentia dedisti initium, suis incolis singula elementa adornans, hominem quem de mundo fecisti, cunctis in terra & aquis & aere viventibus præficiens, ita ut suo præposito singula in suo genere ministrarent. Tu aliis vitam temporalem, aliis procurasti perpetuam; admirabili ordine quædam mutans & renovans: & præfinito tempore metam irrationabilibus omnibus præfixisti & terminum, quem transire non possit dissolutioni conditio destinata. Homo quia ex cœlesti & terrena materia compactus est, vestitus extrinsecus pelle & carnibus, tempus accepit, quo te jubente, redderet terræ quod de terra assumserat, & ad immaterialem originem reverteretur spiritus, cujus natura dissolutionis non admittit injuriam. Corpus putredine, & caro vermibus consumenda, secundum naturæ suæ rationem æternitatis [3] non poterat privilegio perfrui, & quod sibi jure non competebat, à conditore nequibat exigere; neque ulla eorum interrogatio super hoc merebatur responsum. Sed tu, optime Domine, ultro gratiam volens dare spiritui, decrevisti clementius, ut ex societate & clientela quam reddiderat animæ caro, aliquid ei commodi proveniret: & quæ ei vehiculum fuerat & particeps studiorum, in recompensatione ministerii, iterum dilecto accolæ consociata, pudica & pacifica rediret, nullas secum revehens contumelias, quibus deinceps quietis internæ concuteret puritatem. Sed & hoc, Domine, ad cumulum beneficii addidisti, ut inter legem carnis & spiritus nulla postmodum esset diversitas, sed una utriusque ex lege tua sancta firmetur, nec post initum fœdus ulla iterum inter eos recrudescat rebellio; sed per manum tuam reconciliatio ordinata stabilis in perpetuum perseveret. Te igitur jubente, terra fit caro, & expulsa de domo iterum (d) conjungatur viro, non jam ancilla, sed libera: & habitant unius moris in domo murmurationibus consopitis, quas olim compugnantes inter se concupiscentiæ concitabant.

Quis, domine Deus, considerare hæc opera tua sufficit? & quis lutum coagulare potest in carnem? quis formare potest in hominem, quis infundere animam, quis reddere vitam, quis dare æternitatem, quis addere felicitatem? [4] Ad hunc proventum humana (e) laborat creatio, hæc semper fidelium expectatio fuit. Hoc optabat rex ille humilis qui se noverat imperfectum, ut adderes conditioni tuæ quod deerat, & perficeres & solidares opus tuum, quod corruptibilitas & mortalitas assidue convitiis multis solebant affligere, & variis opprobriis consueverant infestare. Tu morti imperas, & absorpta eliditur: inanescit corruptio, ubi æger te medente sanatur. Gustavisti mortem pro filus hominum; ut qui tecum mortui erant, tecum viverent, & participes tribulationum, etiam consolatione gauderent. Resurrectio quidem communis est, & ante tribunal Christi necesse est in corpore justos stare & impios, Dei hoc dictante justitia, ut pietas & impietas in operatoribus debitis stipendiis donarentur; & qui finem habere contemserunt in malis, infinita clauderentur ultione in pœnis; & qui gloriati sunt in cruce, cum crucifixo regnantes beatæ fierent perennitatis participes. Non sunt participes hujus gaudii, quos damnat ambitio: non potest furtivos habens loculos, paschalibus solenniis interesse. Nihil proditor & venditor magistri, fermentator profanus commune habet cum azymis: omnis immundus in anima ad esum hujus agni prohibetur accedere. Nulla ad hanc lætitiam perfidia recipitur; omnis malignitas excluditur: calciatus pedibus [5] ad evangelizandum paratus, accinctus renibus & sanctimoniæ destinatus, habens baculum in manibus, & festinans ut Ægypti deserat idola, sequens Moysen, nec formidans viæ discrimina, quisque purus & sincerus, sine fraude homo verus, accedat & edat: & securus quod resurgat, mortem optet, ut attingat, ad æterna gaudia, in quibus est vita nostra sursum manens, & nos trahens ad bona cœlestia. Qui vivit, & regnat Deus (f) per omnia secula seculorum.

DE

(a) In nobis, *O. A.* (b) Opus inclytum. *Hæc & sequentia ad paragraphi finem ex MSS. supplevimus.* (c) Qui, *O. A. Laud. Bod.* (d) Conjugatur, *Laud.* (e) Laborabat, *Laud. Bod.* (f) Per infinita secula, amen, *Laud.*

[1] *Tantæ excellentiæ beneficium dignatur esse commune.*] *Pamelius ait*, Depravate prius lectum: *dignatus.* significat asterisco suo Manut. illud ergo cum Cauchio reponimus.

[2] *Hæc sapientiæ tuæ altitudo, qua.*] *Pamelius ait*, Hoc quoque lego pro *qui.*

[3] *Non poterat privilegio perfrui.*] *Pamelius ait*, Hoc etiam pro, *non poterant*, quia sequitur *nequibat*, & rursum *merebatur.*

[4] *Ad hunc proventum humana laborabat creatio.*] *Pamelius ait*, Hoc reposuimus ex Remboldo, pro, *laborat*, quia sequitur, *fuit*, & *optabat*..

[5] *Ad evangelizandum paratus.*] *Pamelius ait*, Sic recte Gravius & Morelius, pro *peractus.*

[1] *Effo-*

(a) DE ASCENSIONE CHRISTI.

CElebrata in cruce ſolenni victoria, cum jam templum corporis ſui, quod perſecutio Judæorum [1] effoderat, Dominus reparaſſet; noluit ſtatim ad Patrem aſcendere, & glorificati corporis præſentiam inferre cœleſtibus: ſed neceſſaria diſpenſatione diſcipulorum infirmitati conſulens, utiliter diſtulit; & quadraginta diebus in terra converſatus, & viſus (b) eſt ſæpe, & locutus cum Apoſtolis, & manducavit & bibit; & vulnera quæ ad dubietatem eorum tollenda, in corpore reſervarat, & videnda & palpanda expoſuit & impleta in ſe quæ in ſcripturis erant prædicta, evidentia (c) rerum Dominus noſter edocuit. Ad hoc neceſſaria fuit hujus temporis mora; ut recollectis quos in fugam timor impegerat, quos ſupplicium crucis terruerat, in multis argumentis apparens, mentes quæ diffidentia titubaverant, ſolidaret: nec eſſe phantaſticum, ſed verum corpus quod ſurrexerat, tam comeſſationibus quam contrectationibus probaret. Ad hoc dilata eſt aſcenſionis gloria, ut ſub hoc dierum interſtitio præcedens doctrina (d) effectibus firmaretur, imo ut diſcipulorum deſideria receſſionem ejus corporalem ambirent; quia ſpiritalis præſentiæ plenitudo quamdiu (e) conſpectu carnis præſens aderat, adventare non poterat: & paulatim in hoc conducti ſunt, ut libenter conſuetudine convictus aſſueti carerent, cum inhabitator Spiritus ſanctus eorum animas poſſidens, inviſibili acceſſu ſinceriores eis effectus (f) infunderet, & aperiret interiores oculos ad intuendum intellectu puro Patrem luminum, & ſubſtantia rerum ſperandarum propoſita apparentia ſepeliret: nec incertitudinis ſcrupulus ſupereſſet, cum Dominus & magiſter, quem verum hominem probaverant, eis videntibus cœlum aſcenderet; ſed jam ſecuri ſe crederent ſecuturos, nec eſſe impoſſibile quin & ipſi in carne & ſpiritu ad ſuperos transferrentur.

Omnibus itaque ad tam delectabile ſpectaculum (g) aggregatis: Aſcendo, inquit, ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. Horum verborum auctoritas, cum jam eorum virtutem Spiritus ſanctus intimaſſet, omnem poterat excludere diffidentiam, & hilareſcebant animi eorum paternitatis divinæ illuſtrati honore, & fraternitatis Chriſti honorati conſortio, cùm audirent & crederent ſe filios Dei & fratres Chriſti, in quo omnis excellentiæ plenitudo & ſufficientia inerat. Nec jam quaſi idiotæ & hebetes huic verbo applaudebant carnaliter: ſed ſubtiliſſime generationem & dignitatem creaturæ à voluntate & nutu creatoris habuiſſe initium, & imaginem & ſimilitudinem Dei in interiori homine videbant; & dinoſcebant intellectu potius quam viſu, quam affinitatem habeant inter ſe pater & filius; & quia ſubſtantivo & naturali filio filii adoptivi conformes, à prima origine multa (h) habeant ex natura, & multa ex gratia.

Sane hujus generoſitatis conſortium, ſecundum quam ſimul cum Chriſto filii Dei ſumus, nobilitatem exiſtentiæ noſtræ exponit & intimat: in quo honore ſi manſerimus non degeneres, conſtat omnino non poſſe patrem diſſidere à filiis, ſed deiformibus tutum eſſe ad paternitatem acceſſum; nec poſſe pati, ad hæreditatem poſſidendam diſpoſitos, in petitionibus divinis repulſam. Sed in quibuſcunque filius filialiter genitorem appellaverit; neceſſe eſt bonitatem largitoris juſte ſupplicantis proſequi voluntatem; [2] maxime cum ipſe pater qui largitur, (i) iſta ſuggerat peti quæ non differt benigne largiri. Et quidem paterna (k) caritas bonis filiis & hæredibus maxime delectatur: & hoc gloriæ Chriſti unigeniti dilectio accumulat, quod beatitudinis ſuæ non patitur eſſe ſolitariam magnitudinem, ſed addit fratres; non qui minuant quaſi diviſam in plures excellentiam, ſed qui altitudinem divitiarum ejus exornent participes & conſortes. Quod cum ipſum qui pater eſt, conſtet eſſe Deum, & eum Deum noſtrum, ſicut & ſuum filius atteſtetur: in eo quod filii ſumus, ipſe nos poſſidet: in eo quod noſter eſt Deus; (l) quod noſtrum eſt, ipſum cujus proprii ſumus, proprie poſſidemus.

Dico igitur Domino meo: Deus meus es tu, & dicit mihi Dominus meus: Ego Dominus Deus tuus. Homo, cujus Deus eſt: quid amplius quærit? Si ſufficis tu Deo, ſufficiat tibi Deus. Bonorum tuorum Deus non indiget, nec conferre potes ei quippiam, nec auferre. Si eſurierit, non dicet tibi. Ejus eſt orbis & plenitudo ejus, & magnitudinem ejus cœli cœlorum non capiunt. Non infirmatur, non eget indumento vel cibo; omnia ſcit, omnia poteſt, omnia continet: in ipſo omnes vivimus, movemur & ſumus. Quid tu ei quaſi indigo conferes? Te ſolum bonitate, non neceſſitate deſiderat. Scriptum eſt, & ipſo jubente tabulis inſculptum lapideis, ut diligas eum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Dilige, & diligeris: prope eſt merces tua, in manibus porrigitur præmium. Eſto tu Dei, & erit Deus tuus. Impar ſane commercium, pretium inæquale: ſed qui pro nobis triginta argenteis appretiatus eſt, (m) hoc in pretio hujuſmodi intelligi voluit, ut adimpletio legis quæ in proximi dilectione conſiſtit, ternario & denario figurata, fide & opere mereretur conditori ſuo uniri & (n) jungi, ut haberet homo Deum proprium ſuum, cui ſe proprie & ſingulariter obtuliſſet: intelligi voluit, quanta fuerit in pretio quod pro eo datum eſt, & in eo quod ipſe dedit pro mundo diſſimilitudo, cum ipſe exiguo argenteo emtus & venditus, tanto pretio damnatos redimeret, ut dubium eſſe non poſſit, quin pretii magnitudo ſuperaret negotium; nec æquari poſſet damnum, quod omnino damnatio juſta meruerat, obedientiæ Chriſti, quæ gratis uſque ad mortem progreſſa eſt, & ultro ſolvit quod non debebat.

His intellectis Apoſtoli ſicut filii prophetarum olim verum Heliam aſcenſurum ſciebant, & horam illam præſtolabantur gaudentes: nec jam anxiebantur partu-

(a) De aſcenſione Domini, *Laud.* (b) Eſt &, *Laud.* (c) Rerum edocuit, *Laud.* (d) Affectibus, *Laud.* (e) Conſpectui, *Laud.* (f) Funderet, *Laud.* (g) Congregatis, *Laud.* (h) Habebant, *O. A. Bod.* (i) Juſta, *O. A. Laud. Bod.* (k) Claritas, *Laud.* (l) Quaſi noſtrum ipſum, *Laud.* (m) *Hæc in impreſſis deſiderata ex MSS. reſtituimus.* (n) Conjungi, *Laud.*

[1] *Effoderat.*] *Pamelius ait*, Forte *perfoderat.*

[2] *Maxime cum ipſe Pater, qui largitur iſta.*] *Pamelius ait*, Ita prorſus lego, pro *qui largitur juſta.*

[1] *Mi-*

turientes, ſed exorta lætitia parati erant proſequi recedentem: [1] minime dubitantes, quin & ipſi poſt modicum converſationis hujus, poſtquam de torrente paſſionis in via hac bibiſſent, exaltato capite & (*a*) erecto, ſe ad cœleſtia Dominum ſecuturos. Elevatis igitur manibus hæreditariam eis benedictionem relinquens, non (*b*) manufacto vehiculo, nec auxiliaribus carpentis evectus eſt Chriſtus: ſed naturæ divinæ propria uſus virtute, carnem cœlo intulit, & corpus glorificatum patris conſpectibus præſentavit. Non indiguit vectoribus angelis, qui offendicula tollentes è medio, ferrent eum in manibus; ſed præcedentes & ſubſequentes applaudebant victori, & concinentes in jubilatione, modulabantur canticum novum, & implebat cœlos conſonantiæ illius harmonia: thronis & dominationibus parantibus filio juxta patrem conſeſſum; cherubim & ſeraphim pedes pacificos ambientibus, radiantibus undique divinis claritatibus, & ſplendoribus ſupercæleſtibus; quos nec ardor perſeverans conſumit, nec turbinis alicujus afflatus extinguit, nec interpolatio caliginis ullius abſcondit.

Celebrat tanti triumphi magnificentiam lætabundus cœleſtis exercitus; & qui deſcendenti coram paſtoribus Bethleemitis decantaverunt in ſublimi præconia, modo expreſſioribus conatibus, & intenſioribus jubilis revertenti ad patrem ſolenniora obſequia impendebant, & feſtivis affectibus venerabantur hominem ſupra ſe ſublimatum, quem gloria & honore coronaverat pater, [2] ad dexteram ſuam collocatum: hoc dato ei privilegio ſingulari, ut in nomine ejus omne genu flecteretur, & ſuper omne nomen ejus nomen excellentius coleretur. Quanta in ejus ſuſceptione in cœlis jucunditas fuerit, nemo ſufficit enarrare. Rei hujus magnificentia omnem ſuperat intellectum. Si linguis hominum vel angelorum quis eloquatur, vel ad hoc cujuſlibet elaboret acumen ingenii, ut definire velit quæ patris in reditu filii hilaritas fuerit: aut ſi forte illud ſempiternum gaudium aliquod tunc admiſerit incrementum, ſi ſtabilitatis æternæ ſe aliquo modo (*d*) mutare poſſit immobilis magnitudo; ſcrutator ille majeſtatis opprimetur à gloria: & verendum eſt ne dum vehementius exprimit ubera quam oportet, ſanguinem pro lacte emungat.

Attamen inviſibilem Deum viſibilem filium recepiſſe ad dexteram ſuam, manifeſtum eſt; & humilitatem carnis noſtræ throno judiciario honoratam, paternæ complacuiſſe altitudini; [3] duo genera gentium civitati ſupernæ, de qua glorioſa dicta ſunt, deinceps (*e*) aſſignari, & eſſe ſupra manſionarios homines & angelos, & beatitudinis illius gloriam (*f*) his duobus ordinibus in perpetuum frequentari. Hæc merces obedientiæ Chriſti, hæc crucis & mortis ſtipendia, (*g*) hic paſſionis labor promeruit; ut corpus humilitatis noſtræ fieret corpori claritatis Chriſti conforme, & mortale hoc indueret immortalitatem, & corruptibile incorruptionem: & fierent homines cum Chriſto in cœleſtibus judices, qui cum eo judicia pertulerant malignorum, & extiterant uſque ad mortem tribulationum conſortes. Hac die primum invecta (*h*) eſt in cœlis hæc novitas inaudita; & gaviſus eſt pater hæreditate amplificata, ſobole multiplicata, promiſſionibus quas locutus fuerat in Prophetis, redditis & completis.

Solum ad hæc quæ prædicta ſunt, reſtat judicium, & examinationi ultimæ adhuc reſervant antiqua (*i*) oracula locum. De judicio quippe & anguſtia, Chriſto ſublato, ſupereſt poſt miſericordiæ tempora quæ ad finem feſtinant, ut (*k*) juſtitiam comitetur judicium: & habeant ſinguli quod merentur, & honoretur honore dignus, & contemtor confundatur inglorius. Hoc & duo angeli Chriſto aſcendente teſtati ſunt, quia qui judicatus abibat, judex eſſet terribilis rediturus; & videret collecta in unum generalitas hominum, quas foderat manus, quod terebraverat latus, faciem quam conſpuerat, & prolata in medium inflexibili ſententia, occurrentibus ſalvatori electis, remaneant impii infinitis deputati tormentis. Quanta illud edictum ſequentur lamenta, illius ultimæ tubæ clangor quam horribilis erit; continuus erit & ſuperfluus illarum lacrymarum decurſus. Stridorem illum dentium flammæ inextinguibiles agitabunt. Immortales miſeri vivent inter incendia, & inconſumtibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus dives, nec erit qui æſtuanti linguæ ſtillam aquæ infundat. In proprio adipe trixæ libidines bullient, & inter ſartagines flammeas miſerabilia corpora cremabuntur: & omni tormento atrocius deſperatio condemnatos affliget.

Non miſerebitur ultra Deus, neque tunc audiet pœnitentes, ſera erit illa confeſſio: & cum clauſa fuerit janua, fruſtra carentes oleo, acclamabunt excluſi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium: ſemel Chriſtus deſcendit ad inferos, ulterius non deſcendet. Non ultra videbunt Deum in tenebris ſigillati: irregreſſibilis erit illa ſententia, & immutabile judicium, & ſtabit damnationis hujus immobile conſtitutum. Exultabunt ſane Sancti in gloria, videbunt Deum & gaudebunt, lætabuntur & delectabuntur & fruentur gloria, & in felicitate jucundabuntur æterna. Ibi non guſtabunt quam ſuavis ſit Deus, ſed implebuntur & ſatiabuntur dulcedine mirifica: nihil eis deerit, nihil oberit, omne deſiderium eorum Chriſtus præſens implebit. Non ſeneſcent, non tabeſcent, non putreſcent amplius: perpetua ſanitas, & felix æternitas beatitudinis (*l*) illis ſufficientiam confirmabunt. Non erit concupiſcentia in membris, [4] non ultra ulla exſurget (*m*) rebellio carnis, ſed totus hominis ſtatus pudicus & pacificus, ſana ex integro natura, ſine omni macula & ruga deinceps permanebit. Erit denique Deus omnia in omnibus, & illius præſentia omnes animæ & corporis implebit appetitus; ceſſabuntque de cetero conſummatis omnibus miniſtratorii angelicarum virtutum diſcurſus: & impleta ordinataque omnino civitate Dei, nec innovabitur, nec mutabitur ultra fixæ & conſummatæ beatitudinis ſtatus. Ei igitur, ante cujus tribunal ſtabimus, qui nunc vultui Dei apparet pro nobis, cui de nobis tanta cura fuit, ut pro nobis vellet naſci & mori, in præſenti quæſumus, ut cura ſit curandi nos, & nobis auctoritatem & poteſtatem judicandi noſmetipſos & corrigendi concedat; ut in illo terribili judicio ſuo inter electos aſciti & congregati, liberi à ſervitute & captivitate peccati, cœleſtibus civibus conjungamur, & fruamur bonis, quæ ipſe diligentibus ſe repromiſit, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit.

[1] DE

(*a*) Erectos ſe, *Laud.* (*b*) Manifeſtato, *Laud.* (*c*) Et ad, *Laud.* (*d*) Se mutare, *Laud.* (*e*) Aſſignare, *Laud.* (*f*) Ab his, *Laud.* (*g*) Hoc, *O. A. Laud. Bod.* (*h*) Eſt cœlis, *Laud.* (*i*) Judicia, *O. A.* (*k*) Juſtitia comminetur, *Laud.* (*l*) Illius, *O. A. Laud. Bod.* (*m*) Vel rebellio, *Laud.*

[1] *Minime dubitantes quin & ipſi.*] *Pamelius ait*, Omnino ſolœciſmus eſt, niſi omittatur illud; *quin & ipſi.*

[2] *Ad dexteram ſuam collocatum.*] *Pamelius ait*, Omiſi voculam, & ſuperfluam cum Cauchio.

[3] *Duo genera gentium &c. aſſignari.*] *Pamelius ait*, Hoc reposui pro *aſſignare.*

[4] *Non ultra ulla exſurget rebellio carnis.*] *Pamelius ait*, Non recte in Gravio omiſſa fuit vox *ultra.* Nam habet eam Remboldus.

DE SANCTO SPIRITU.

ADESTO ſancte Spiritus, & paracleſin tuam expectantibus illabere cœlitus. Sanctifica templum corporis noſtri, & conſecra in habitaculum tuum; deſiderantes te animas tua præſentia lætifica; dignam te habitatore domum compone, adorna thalamum tuum, & quietis tuæ reclinatorium circumda varietatibus virtutum: ſterne pavimenta pigmentis, niteat manſio tua carbunculis flammeis & gemmarum ſplendoribus; & omnium chariſmatum intrinſecus ſpirent odoramenta: affatim balſami liquor fragrantia ſua cubiculum tuum imbuat: & abigens inde quidquid tabidum eſt, quidquid corruptelæ ſeminarium, ſtabile & perpetuum hoc facias gaudium noſtrum, & creationis tuæ renovationem in decore immarceſcibili ſolides in æternum. Interfuimus ſacræ verbi infantiæ, & puerperio virginis obſecuti ſumus. Cum cœleſti militia gloriam decantavimus parvulo; confeſſi ſumus omnipotentem, quem in cunabulis vidimus vagientem. Circumciſionis celebravimus ſacramenta, & truncato præputio voluptatum, ſanctimoniæ didicimus mancipari. Interfuimus baptiſmati Salvatoris, & audita patris voce de cœlis, ad obediendum Chriſto traditi ſumus, & inſtructi cœlitus quo modo patrem & filium dilectio jungat & uniat; ita ut in ipſis nominibus intimetur diſtinctio perſonarum, & naturæ unitas evidentiſſime innoteſcat. Sed & Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ inter illa myſteria vidimus, & intelleximus ex illa ſpecie, gemitus pœnitentiæ & deſideria contemplationis divinæ, ex ſimplicitate cordis & innocentia vitæ immaculatæ inceſſanter prodire; & neminem niſi ſuſpiriis hujuſmodi præcedentibus, & inſpiratione divina monente, poſſe ad cœleſtia aſpirare; ut ſuſpiratio, & inſpiratio, & aſpiratio à ſancto Spiritu & cauſam habeant, & effectum, & materiam, & proventum. Secuti quoque ſumus in eremum Dominum jejunantem, & repulſa potenter diaboli vidimus tentamenta. Interfuimus cœnæ, & de calice Domini bibimus; pedes lavimus; mortui ſumus cum Chriſto, & ecce vivimus: proſequimur aſcendentem, & præſtolamur promiſſum nobis Spiritum ſanctum; cujus unctio nos de omnibus doceat, qui inviſibili magiſterio nos doceat, & cœleſtibus inſtruat diſciplinis: qui carnales hebetet ſenſus, & conterat appetitus.

Hic Spiritus ſanctus ab ipſo mundi initio aquis legitur ſuperfuſus; non materialibus aquis quaſi vehiculo egens, quas potius ipſe ferebat, & complectentibus firmamentum dabat congruum motum, & limitem præfinitum. Hujus ſempiterna virtus & divinitas, cum in propria natura ab inquiſitoribus mundi antiquis Philoſophis proprie inveſtigari non poſſet; ſubtiliſſimis tamen intuiti ſunt conjecturis compoſitionem mundi; compoſitis & diſtinctis elementorum affectibus præſentem omnibus animam affuiſſe, quæ ſecundum genus & ordinem ſingulorum vitam præberet & motum, & intranſgreſſibiles figeret metas, & ſtabilitatem aſſignaret, & uſum.

Hanc vitam, hunc motum, hanc rerum eſſentiam animam mundi Philoſophi vocaverunt; putantes cœleſtia corpora, ſolem dico & lunam & ſtellas, ipſumque firmamentum, hujus animæ virtute moveri & regi, & aquas, & terram, & aerem hujus ſemine imprægnari. Qui ſi Spiritum, & Dominum, & creatorem, & vivificatorem, & nutritorem crederent omnium quæ ſub ipſo ſunt, convenientem haberent ad fidem acceſſum. Sed abſcondita eſt à ſapientibus & prudentibus tantæ rei majeſtas: nec potuit humani faſtus ingenii ſecretis intereſſe cœleſtibus, & penetrare ad ſupereſſentialis naturæ altitudinem; & licet intelligerent quod vere eſſet creatrix & gubernatrix rerum divinitas; diſtinguere tamen nullo modo potuerunt quæ eſſet deitatis trinitas, vel quæ unitas, vel quæ perſonarum proprietas. Superferebatur quidem elemento purificatorio Spiritus ſanctificator, jam tunc baptiſmi virtutem enuncians. Jam tunc illa præfigurabantur tempora quibus arca Noe aquis invecta diluvii, viri juſti familiam conſervavit illæſam; abolita generatione adultera, qui in filiabus hominum beſtiali petulantia effrænes, imprudenter ſe illis commiſcuerant, nec divinos, nec humanos in flagitiis publicis verebantur aſpectus. Arcam illam quæ typum gerebat Eccleſiæ, Spiritus ſanctus, & tunc regebat, & adhuc regit, extra quam quiſquis perfidus evagatur, involutus fluctibus mergitur in profundum; & impoſſibile eſt eum vivere, cui non ſuperfertur ſpiritus vitæ, cujus vivificus calor animat omnia, & fovet, & provehit, & fœcundat. Hic Spiritus ſanctus omnium viventium anima, ita largitate ſua ſe omnibus abundanter infundit, ut habeant omnia rationabilia & irrationabilia ſecundum genus ſuum ex eo quod ſunt, & quod in ſuo ordine ſuæ naturæ competentia agunt. Non quod ipſe ſit ſubſtantialis anima ſingulis, ſed in ſe ſingulariter manens, de plenitudine ſua diſtributor magnificus, proprias efficientias ſingulis dividit & largitur; & quaſi ſol omnia calefaciens, ſubjecta omnia nutrit, & abſque ulla ſui diminutione integritatem ſuam de inexhauſta abundantia, quod ſatis eſt & ſufficit omnibus, commodat & impartit.

Hic Spiritus rubri maris aquas ſiccavit, & ſuſpenſis hinc inde vehementibus fluctibus, ab ollis carnium & Ægypti pulmentariis populum ad ſpiritalem eremi (*a*) libertatem eduxit incolumem; & alimoniis cœleſtibus pavit, manna quaſi rorem matutinum infundens graminibus, quod colligi juſſum eſt ad menſuram. Aderat plena menſura per totam hebdomadam vacante ſabbati die; cui ſexta præcedens dies conſueti victus duplicans quantitatem, octavæ præfigurabat quietem, in qua abſque labore & ſollicitudine in deliciis epulabuntur electi, & (*b*) ſaturabuntur in terra ſua duplicia poſſidentes, corporis & animæ felici perennitate, & perenni felicitate ditati.

Hic eſt Spiritus ſanctus, quem Magi in Ægypto tertii ſigni oſtenſione (*c*) convicti, cum ſua defeciſſe præſtigia faterentur, Dei digitum appellarunt, & antiquis Philoſophis ejus intimarunt præſentiam defuiſſe. Et licet de Patre & filio aliqua ſenſiſſent Platonici: ſpiritus tamen tumidus & humani appetitor favoris ſanctificationem intellectus divini mereri non potuit: & ubi ad profunditatem ſacramentorum ventum eſt, omnis eorum caligavit ſubtilitas, nec potuit infidelitas ſancti-

(*a*) Cibum, *Laud.* (*b*) Satiabuntur, *Laud.* (*c*) Victi, *Laud.*

ſanctitudini propinquare. Hic digitus Dei, mundanæ judex & vindex perfidiæ, novi tempore teſtamenti potenter expellit dæmonia: nec laborat agendo, ſed ſolo nutu perficit omnia: quod dicit, facit; quod jubet implet; ſecreta indicat, pandit occulta, revelat ignota: hebetat acutos, & perſpicaces confutat. Hoc digito in lapideis tabulis lex primum conſcripta, quinquageſimo die poſt egreſſum Iſrael de Ægypto in monte Sina Moyſi eſt commendata: ſed populus nequam & gens duræ cervicis, à quorum animis terror ille receſſerat, quem mons ardens, & flammea juga, & clangor buccinæ, & lampades coruſcæ, & horrenda tonitrua nuper incuſſerant, in apoſtaſiam converſi, & de Moyſis reditu deſperantes, lege divinitus miſſa indigni judicati ſunt, quia in oculis eorum Moyſes frangens tabulas, tam verba quam inſtrumenta comminuit & delevit. (*a*) Quin etiam ſceleris ultione patrata, reverſus in montem ad Dominum, quadraginta diebus jejunans & colloquens, tandem obtinuit, ut ipſe alias ex ſaxo ad inſtar priorum excideret tabulas, in quibus eandem quæ in primis fuerat, ſcripturam inſculperet & formaret. Factumque eſt mirabili diſpenſatione ſuperni judicii, ut lex quam Sanctus ſcripſerat Spiritus, deleretur: & quam manus humana reſtituit, in poſterum teneretur. Quod ea ratione credi poteſt ſic actum, ut populus prior ſecundum carnem ambulans & vivens, divinis colloquiis & ſpiritalibus mandatis oſtenderetur indignus; nec poſſe mentes perfidas ſancta percipere, nec intelligere ſacramenta, quæ exemplarium tegmine velabantur. Porro teſtamenti novi quæ Chriſto evangelizante patuit veritas verbo Chriſti prolata, indiſſolubilis permanſit, & ſolida deinde ſtabilitatis perpetuæ auctoritate fulcita eſt, eo quod oblatam gratiam humiles ſuſceperunt, & quod filius inter pauperes ſpiritu invenit ſibi domum in qua caput reclinaret: & merito reprobatos viſibiles tabulæ inviſibilis Dei indicant contemtores, & ampliori dignos honore incarnati verbi credulos auditores, & devotos veneratores.

Lex igitur à paſchalis agni immolatione die quinquageſimo datur: & Pentecoſtes nomen tantæ rei ſolennitas ex lege accepit, in ipſo dierum numero ſacramenti magni complicans rationem. Septenarius quippe numerus ſepties revolutus, quinquageſimum efficit, addito monade; qui præſentis ſeculi metam & futuri initium, perpetuitatem ſub octavæ nomine continens, ſic præſentia terminat, ut nos ad perpetua introducat. Sacratus hic ſeptenarius numerus à conditione mundi auctoritatem obtinuit: quoniam in ſex diebus prima Dei opera patrata ſunt, & ſeptima conſecrata quieti, quaſi ſancta & ſanctificans ſolennitate vacationis honorata, & Spiritui ſanctificatori attitulata. Unde & ceſſanti à ſervilibus operibus populo jubetur ut diem ſabbati ſanctificet; & Spiritui rectitudinis, & ſanctitudinis, & fortitudinis adſcribat, quod directe, quod honeſte, quod viriliter incedit: quia totum ex ejus conſtat ducatu, quod devii diriguntur, quod impii convertuntur, quod debiles confirmantur. Spiritus rectus, Spiritus ſanctus, Spiritus principalis regit, componit, conſummat, & perficit quas inhabitat mentes, & corda quæ poſſidet: nec errare patitur, nec corrumpi, nec vinci, quos docuerit, quos poſſederit, quos gladio potentiſſimæ virtutis accinxerit.

Septenarius iſte ex quaternario & ternario conſtans, cum in ſe propter prædictas cauſas honorabilis habeatur, habet ex partibus ſuis excellentiam maximam: quia artificis & materiæ videtur exprimere & diſtinguere (*b*) primarias ſubſtantias; ut ternarius creatorem propter trinitatem enunciet, & quaternarius creaturam propter quatuor elementa, quæ rerum omnium cauſæ ſunt & ſemina, ſub hujus numeri brevitate concludat. Spiritus ſanctus à Patre procedens, à Patre & filio quaternario ſuperfertur, & conditor benignus opus ſuum amplectitur, & diligit quod plaſmavit, & creaturam ſuam (*c*) ſanctus ipſe ſanctificat & (*d*) conſociat ſibi, & caritatis nexu ſtatuit & conquadrat. His aliiſque ſecretioribus quas illuſtrium virorum ſubtiliora ingenia indagarunt, ſeptenarius numerus in Scripturis ſanctis ſæpe ſacramentales cauſas complectitur; & ſimplex & multiplicatus, neceſſarios ad intelligentiam divinorum operum parturit intellectus.

In hebdomadibus apud Hebræos, dies ſeptimus Sabbatum, id eſt, requies appellatur: qui numerus non tam in ſeptimanis, ſed etiam obſervatur in annis, & annorum hebdomada conſummata ſeptimus annus requietionis eſt, & ipſi terræ Sabbatum imperatur; nec fas eſt cuiquam eo anno ſerere vel metere quippiam, ſed quæ ſponte ſive (*e*) in terra, ſive in vineis, vel in arboribus naſcuntur, alimoniæ pauperum deputantur. Annorum quoque ſeptimanæ apud Hebræos, quinquageſimum annum faciunt, quem jubilæum appellant; in quo decreto legis (ut ſupra dictum eſt) fit terræ remiſſio, & ſervorum libertas, & reſtitutio poſſeſſionum, quas eatenus diſtractio alienaverat, & cetera hujuſmodi gratis ad hæreditatis (*f*) ordinem revertuntur. De numero ſeptenario cum multa dicta ſint, plura ſuperſunt quæ in lege & Evangelio præcipue commendantur. Quinquageſimus itaque annus perficit jubilæum; quinquageſimus dies à paſchate pentecoſten facit, in quo vere Spiritu ſancto infuſo Apoſtolis, ad hæreditatem cœleſtem à quo venundati ſub peccato exulabant, quos diabolo domino mendicitas & egeſtas ſubjecerat, revertuntur.

Septem ſacerdotalibus clangentibus tubis, Hiericho corruit: ſeptem petitionibus orandum Patrem Filius docuit. Remiſſio peccatorum duplicato ſepties ſeptenario, Petro mandatur. Leproſus ſeptimi diei inſpectione à ſacerdote judicatur; ſummi ſacerdotis in ſeptem diebus conſecratio conſummatur. Dominus Jeſus Chriſtus de ſeptem panibus (*g*) quinque millia hominum reficit: & juſtus quiſque Deo laudes per diem ſepties dicit. Ipſe Dominus Jeſus ab Adam ſecundum generationes, quas Lucas commemorat, ſeptuageſimus ſeptimus invenitur; ut ultionem in Lamech ſeptuagies ſepties promulgatam veniens terminaret. Septem diebus in paſchale editur azyma; ſeptem diebus menſe ſeptimo tabernaculorum ſolennitas celebratur. In ſeptem annis templum à Solomone conſtruitur; ſeptem brachiis & totidem luminibus candelabrum adornatur.

Celebramus tam nos quam Judæi quinquageſimum diem, ſed illi in typo: nos autem in veritate, non tam ſignificamus quam agimus. Pentecoſten igitur celebrantes, commemoramus quæ olim ſub Moyſe in veteri Teſtamento ſunt acta, & quæ ſub Chriſto facta ſunt. Poſt cujus aſcenſionem in cœlos Spiritus ſanctus viſibiliter ſuper Apoſtolos in linguis igneis apparuit, & ad inſtar prioris ſeculi univerſitatem fidelium unius labii eſſe voluit: ut quorum erat cor unum & anima una, una eſſet & lingua, (*h*) nec poſſet impedire intellectum credentium aliqua diverſitas

(*a*) Qui etiam, *Laud.* (*b*) Primas. *O. A. Laud. Bod.* (*c*) Spiritus ſanctus, *Laud.* (*d*) Conſociat &, *Laud.* (*e*) In terris, *Laud.* (*f*) Originem, *Laud.* (*g*) Quatuor, *O. A.* (*h*) Ne, *O. A.*

tas verborum : ſed Evangelica doctrina propria lingua prolata ad omnium auditum eandem efficientiam obtineret, ut Græcis & Barbaris omnibuſque gentibus verbum Evangelii ſic eſſet intelligibile, ac ſi in eorum auribus linguæ in qua nati erant idiomata reſonarent. Aderant Medi, & Elamitæ, Meſopotameni, & Arabes. Hi omnes, dum Hebræa lingua Apoſtoli prædicarent, locutio Judaica enunciationis ſuæ articulos curſu conſueto evolvens, nullo exponebatur interprete, ſed verbo eorum per Spiritum ſanctum (*a*) inerat virtus & gratia: ut habitantes Pontum & Aſiam, ſuam eſſe dicerent linguam, quam audiebant; quaſi primitivæ linguæ libertas ad antiquitatis reverſa originem, confuſionis contumeliam evaſiſſet. Non tantum Apoſtolis collata eſt hæc gratia, ſed multitudini (*b*) credentium idem Spiritus ſuperfuſus eſt, intus ardentibus, extra loquentibus; & complectebantur ſe dilectio & verbum, & de calore Spiritus ſermo fervebat ignitus. Jam omni timore excluſo, obedire ſe Deo magis quam hominibus, publice profitebantur; & videbatur eis gloria, ſi pro Chriſto injuriam paterentur.

Ad hunc modum olim Moyſi juſſum eſt, ut in viros ſeptuaginta quos ipſe presbyteros judicaret, de Spiritu ſuo (*c*) partiretur, ut in negotiis partem gererent ſollicitudinis : quibus cum impoſuiſſet Moyſes manus, requievit in eis Spiritus ſanctus; qui non Moyſi ablatus eſt, quaſi ipſe ſine Spiritu remaneret, vel idem Spiritus ſecaretur in partes; ſed ſecundum menſuram donationis divinæ quæ erat in Moyſe, gratia ſingularis facta eſt multiplex & communis, & data eſt multis in eo poteſtas, quod prius ſolius Moyſis diſponebat auctoritas. Sic Heliæ Spiritum duplicem recepit Heliſæus : non quod in duas ſubſtantias idem Spiritus ſit diviſus, & duos Propheta ſanctus habuerit Spiritus; ſed quod populo Chriſtiano, cujus typum Heliſæus gerebat, accepto Spiritu ſancto data ſit poteſtas in opere & ſermone; & aſcendentem Heliam, id eſt, Chriſtum, pio deſiderio proſecutus, fide claruerit & intellectu, & vita & ſignis & miraculis fulſerit & exemplis.

Hic ſacrorum ordinum diſtributor, reges creat & principes, ſacrat pontifices, eligit ſacerdotes. Hic ſapientia Solomonem, intellectu Danielem, Joſeph conſilio, Samſonem fortitudine, Moyſen ſcientia, David pietate, Job timore proſequitur : & ſanctorum animas omnimodis fœcundat virtutibus, in tantum affectus pacificos provehens, ut jam in cœlis noſtra ſit converſatio, diffuſa in nobis caritate per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Hic in pudicis mentibus ſibi ſtatuit manſionem. Hic humiles & cœlibes habet domeſticos, abominatur ærarios, falſarios deteſtatur. Hic Giezi mercenarium lepra condemnat, & Jeroboam vendentem ſacerdotia cum apoſtatis locat. Hic Simonem gratiæ Dei nundinatorem à ſanctorum conſortio exhæredat, cujus deteſtabiles auſus ultrix ruina confundit & quaſſat. Hic Balaam ad maledicendum conducto ſilentium imponit; & per aſinam redargutum, colliſo ad parietem pede, vacuum pecunia, contumelia oneratum, claudicantem ad propria remiſit confuſum. Hic omnibus Eccleſiæ ſacramentis intereſt, quæ ipſe efficit & conſummat. Hic peccata diluit, hic juſtificat impios, & ad vitam revocat mortuos. Hic diſcordes pacificat, & vinculo dilectionis adſtringit & ligat. Hic nos cœlo invehit, & à mundi hujus vanitatibus avulſos ſuperni regni conſtituit hæredes, cujus ſumma eſt felicitas, quod corpus iſtud ſpiritalis effecta cum angelis converſabitur, nec ultra erit carnis & ſanguinis aliquis appetitus, ſed erit omnium plena ſufficientia, cognoſcibilis Deus, & inhabitator Spiritus ſanctus.

(*a*) Hæc inerat, *Laud.* (*b*) Et multitudini, *Laud.* (*c*) Sancto, *O. A. Laud.*

ARNOLDI ABBATIS BONÆ-VALLIS CARNOTENSIS TRACTATUS,

De Operibus ſex Dierum.

[1]PRÆFATIO.

APud Hebræos ante Moyſen nullum Scripturarum divinarum legimus tractatorem: ſed neque hiſtoriarum vel liberalium diſciplinarum Scriptores vel inquiſitores in populo illo aliquos fuiſſe cognoſcimus. In libro tamen Numerorum qui à Moyſe conſcriptus eſt, idem Moyſes de quodam libro bellorum Domini mentionem facit: cum de terminis Moabitarum & Amorræorum tranſeunte Iſrael per Arnon, Seon Rex Amorræorum eis per fines ſuos tranſitum vetuit. Sed libri hujus, nec apud Canonicas nec apud Apocryphas Scripturas, vel auctor vel pagina invenitur. Fuiſſe tamen nonnullos vel apud Chaldæos qui Aſtronomiæ, vel apud Ægyptios qui Geometriæ vel aliis diſciplinis operam darent, ex eo colligitur: quod in omni ſapientia Ægyptiorum Moyſen accepimus eruditum. Legimus quoque in Epiſtola Judæ, Enoch ſeptimum ab Adam prophetaſſe: ſed Scripturam illam, ſi forte ſcriptura fuit, delevit antiquitas. Longa ante diluvium tempora defluxere. Nulla omnino in tot annorum ſerie relicta eſt ſcriptura: niſi quod aiunt Tubalcain Muſicæ fuiſſe repertorem, & organorum regulas ſcripſiſſe in duabus columnis: quarum una latericia, altera lapidea fuit. Audierat enim delendum eſſe hujus mundi ſtatum conflagratione & cataclyſmo, & arti ſuæ providens, ideo in lapide ſculpſit, ne aquis dilueretur; ideo in latere, ne ignibus ſolveretur. Sed & Abraham cum Prophetes eſſet, nulla poſt ſe ſcripturæ monumenta reliquit: potius quod ab illo prophetatum eſt; vel ab Iſrael, qui filiis ſuis benedicens, futura prædixit; vel ab aliis; Moyſes complexus eſt, & per ordinem tam facta quam dicta præcedentium Patrum digeſſit. Juniores tempore tam Græcos quam Latinos ſcriptores fuiſſe dubium non eſt; cum eo tempore quo Roma condita eſt, jam populus Iſrael ex Ægypto egreſſus, in terra promiſſionis annos ſeptingentos, & octo haberet, & tempore regis Ezechiæ conſtet Romulum regnaſſe in Latio qui Romæ conditor fuit. Eodem anno Eſaias filius Amos prophetavit.

Poſtea vero jam ſeneſcente regno Judaico, cum ſoluta eſt Judæorum captivitas, primum ſub Cyro ex parte, deinde ex toto ſub Dario; Samius Pythagoras fuit, & non multo poſt Socrates Athenienſium magiſter, & poſt hunc Plato, deinde Ariſtoteles. Quod ideo dico, quia ſecundum rationem temporum non tantum Moyſes, ſed & reliqui Prophetæ Philoſophorum hujus mundi ætates & ſtudia præceſſerunt: & novo adhuc ſeculo agriculturæ vel lanificiis vel fabrilibus, vel hujuſmodi artibus quæ vitæ præſentis neceſſitas poſtulabat, operam dabat inculta antiquitas: paulatim redigens antiquitatis inſtrumentis, incommoda publica & congruos uſus, vel venas metallicas conflans in æramentum, vel pinguedines fructuum liquens in oleum, vel diſponens colores, vel deguſtans ſapores, vel probans adverſa, vel eligens naturalibus uſibus proficientia. Sic ars fullonum vel tinctorum vel fabrorum vel medicorum, quædam ad remedia, quædam ad delitias oblectante providentia parturiebat, & in his primo ſtudiorum exercitio laborarunt; & venerunt materiales cauſæ in congruam effigiem, & materiæ formæ & ſpecies aſſignatæ ſunt, & expreſſerunt cauſæ naturales vires ſuas, & famulata eſt natura hominibus, in obſequium eorum ſe actu & ſcientia exponens: ut occupatur & opus & uſus. In hujuſmodi exercitiis ni fallor prima hominum ſtudia ſudaverunt: quibus deductis in medium, curioſius agentes, qui acrioris & ſubtilioris fuerunt ingenii, ſcrutati ſublimiora, & inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt contemplantes, ex operibus operum conditorem cognoverunt, & quidem glorificaverunt, inhærentes veritati: alii contabuerunt & evanuerunt, lucis divinæ radios non ferentes. Ita animales homines veritatem Dei in mendacium commutantes, dilexerunt vanitatem, & quæſiverunt mendacium, & converſi ad nugas exquiſiverunt prudentiam quæ de terra eſt; & fabricatores errorum, in dæmonum cultum inciderunt: & prævaricatores & apoſtatæ facti, inſtruentibus dæmoniis & docentibus eos, fabricati ſunt idola, ſcripſerunt mendacia, & ſeductionibus variis imperitos in errorum ſuorum impegere collegia. Oportuit itaque quia homo labilis & mutabilis eſt, & tranſitoria ſcientia eſt, ut ad retinendos ſemel fixos limites ſuos, æterna veritas certa & firma repagula opponeret: quæ nec tranſire vellet catholicus, nec tranſire poſſet hæreticus. Decurſis igitur prioribus ſpatiis temporum quæ ab Adam uſque ad Noe, & à Noe uſque ad Abraham, & ab Abraham uſque ad Moyſen, in aliis occupationibus defluxerunt: Spiritu Dominus replevit Moyſen cum eſſet in eremo, & quaſi in paradiſum introducens eum, locutus eſt ei intrinſecus, oſtendens delitias loci, ligna fructifera, virentia gramina, temperiem loci, fontem irriguum, hominem intus inclytum, extra miſerum & confuſum. Audit ſacramentalia flumina, de cardinali illo fonte manantia: audit Satanam in ſerpente homini ſuadente mortifera: audit promulgatam in tranſgreſſorem exterminii cenſuram: audit, vel potius videt Cherubin cum gladio flammeo reditum obſtruentem proſcriptis. Quod primum eſt, audit Deum, imo revelante Deo, Trinitatis differentias aſſequitur. Audit Patrem viſibilium & inviſibilium originem & fundatorem, Filium creatorem

[1] *Præfatio.*] Hæc in editis hucuſque deſiderata, ex codicibus Bodleiano & Laudenſi deſcripſimus.

rem & operatorem, Spiritum ſanctum fœcundatorem & ſanctificatorem : ut habeat ex illo ſpirante prægnans materia vitam & formam, ſicut habet per verbum originem & eſſentiam. Et quamvis eſſentia & motus, & vita ad proprietatem perſonarum reſpiciant; una tamen virtute & bonitate fundata in unitate nihil diverſum ſentiant, nec plures naturas, nec plures potentias; ſed licet propriæ ſint efficientiæ; una tamen omnipotentia, una virtus, una divinitas, una bonitas, una beatitudo, una æternitas. Hæc fidei fundamenta cum ſoli Deo nota eſſent, cum nemo noſſet Patrem niſi Filius; placuit Deo revelare Moyſi veritatis originem; cujus literis harum rerum diſtinctiones primo innotuere hominibus, ut imbuti fide, ſpe proficerent, & uſque ad caritatis latitudinem profectus augerent. Scripſit igitur in prima Geneſeos parte, in capite libri opera ſex dierum, in quibus myſticis & ſecretis rationibus, & æternitas Dei, & ſapientia verbi, & benignitas Spiritus Sancti ſic intimata eſt; ut haberet ſimplicitas fidei illuminata per verbum, ad altitudinem divinarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, ſecundum menſuram ſibi datam, acceſſibilem introitum; in quo exercitaretur, donec ablato quod ex parte eſt, in ultimis conſummaretur. Intimata eſt in hoc eodem libro angelorum creatio, & diaboli caſus : licet manifeſte non ſit ibi harum rerum expreſſa diſtinctio.

OMNIUM quæ ſunt, moventur, & vivunt, unum principium Deus, in coæterna ſibi ſapientia dictavit & fundavit originem : & quaſi magni corporis membra, rerum naturas diſtinguens; propria loca & nomina, congruas menſuras & officia (*a*) aſſignavit. Nihil apud Deum confuſum, nihil informe in illa antiquitate fuit; quia rerum materia ubi facta eſt, ſtatim in congruas ſibi ſpecies eſt formata. Quicquid de mundi æternitate, quicquid de hyle, vel ideis, vel de illa mundi anima quam νοῦν dicunt, ſenſere Philoſophi, plura inducentes principia; primum Geneſeos capitulum abolet & confundit, unum præfigens (*b*) omnis creaturæ principium, ſcilicet Deum : in quo non eſt aliud providentia, vel ſapientia, ratio, vel ordo, vita, forma, vel materia, quam ipſe, qui in verbo ſuo, quod eſt æterni ſecreti manifeſtatio, quod dicit, facit : & quod illuminat, format.

Neque ſolitudinem vel paupertatem, ante mundi conſtitutionem ſuſpiceris in illo; neque arbitreris ex ſubjectione vel obſequio conditorum, potentatui ejus vel gloriæ aliquid accreviſſe. Nunquam eſt ſola Trinitas, nunquam egens divinitas, non deeſſe præſens, non ignorare ſapiens, non infirmari poteſt omnipotens. Non ſeneſcit æternitas : non mutatur veritas : nunquam excidit caritas. Non rumpitur ſolidum : non dividitur unum : nihil deeſt ad perfectum : non creſcit totum : non minuitur univerſum. Sicut erat & erit; ita ſcilicet erat & erit, in eo dicantur improprie; quoniam ſolum ei præſens eſt : cui nihil vel accedit, vel præterit. Omnium igitur quæ ſunt, ſola cauſa eſt bonitas, non neceſſitas : & participatio gloriæ rationali creaturæ ita collata eſt; ut licet de plenitudine illa hauriat, non tamen ſit ejus pars, cui conformata ſecundum aliquem modum, patriſſans participat.

Inconveniens omnino & nimis abſurdum eſt, credere globum mundi informem, & artificem ſimul ab æterno fuiſſe, & maſſam illam ſeorſum poſitam nullis uſibus deſerviſſe : quaſi eam Deus, vel non potuerit vel non voluerit, diſtinguere & formare : cum omnino in Deo idem (*c*) eſt & velle, & poſſe, & facere. Sane voluntas & potentia, & effectus in illa rerum conſtructione ſeſe indiviſibiliter comitata ſunt; quoniam dixit & facta ſunt, mandavit & creata ſunt. Æternum quidem de tam magnifico opere in ſapientia ejus fuit conſilium, ſed initium temporale nequaquam confuſione illa quæ chaos dicitur, latuit involutum : nec (*d*) omnipotentiam vel ſapientiam vel benignitatem conditoris materiam factam languore opprimere, vel dilationibus ſecularibus negligere tantæ excellentiæ fundamenta, cum dilatio (*e*) corporis inchoati nihil ſibi, nihil creaturæ conferret : quia (*f*) in imperfectione operis ſui nulla eſſet gloria conditori : neque ipſa creatura inſenſibilis & inanimata vel defectum in hoc vel perfectum haberet cui ſine aliquo ſui damno illa informitas vel inutilitas eſſent. Unde conſtat aptata rerum primordia verbo Dei, ſicut ait Apoſtolus, ut de inviſibilibus viſibilia fierent : & (*g*) pateret ſub diſtinctionibus & formis univerſitatis complexio, indiſſolubili connexione in illa mente divina, ab æterno aſtricta.

Aperta eſt janua, & egreſſa eſt de illa antiqua arca teſtamenti, multitudo innumerabilis viſibilium & inviſibilium, ſpiritualium & corporalium, & jam cœpit locus eſſe & tempus : quoniam ſecundum ſuum modum omnia circumſcriptioni obnoxia ſunt : præter illam ſolum naturam, quæ præcedit & excedit omnia, & intra ſe univerſa concludit. Circa illam ineffabilem & immenſurabilem magnitudinem, vane cogitat homo loca vel tempora : omnino minor eſt auctore univerſitas : & quicquid temporale eſt, ad inſtar puncti, intra ſe concludit æternitas. Complectitur omnia : intra ſolidans, extra protegens : ſupra fovens, infra ſuſtinens : arte inveſtigabili ligans diverſa : temperatura mirabili aſtringens in pacem & in unum jungens contraria : premens levia ne effluant : ſuſtinens ponderoſa ne ruant. In eodem corpore ignem & aquam videas convenire : terræ aerem circumfuſum : illamque molem immobilem firmis radicibus levi & ſubtili fundamento inniti, aquas labiles & ſupra ferri & ardoribus non conſumi : ut in hoc ſapientia & omnipotentia artificis propenſiori admiratione conſiderata, nos in ſui reverentiam trahat quo nihil ei impoſſibile videmus : cujus moderamine diverſa & contraria in unitatem pacis conveniunt, & immobilia & errantia ad certum ordinem revocantur : nec intumeſcunt maxima, nec minima conſumuntur : (*h*) & tota illa mundi fabrica ſine ulla ruinæ formidine, ex tam diſſimilibus partibus uniformis : ex tam diverſis una : ex tam contrariis quieta, & ſolida & concors in ſua lege perſeverat & ordine.

Uni domino omnia ſubdita non habent (*i*) quo divertant : nec ullum patet effugium à principe niſi in judicem, & à judice in vindicem. Ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia : in quo vivimus, movemur & ſumus, quotquot ſumus; ſub certo numero cer-

(*a*) Singulis, *Laud. Bod.* (*b*) Omni, *Laud. Bod.* (*c*) Sit, *Laud.* (*d*) Decuit, *Laud. Bod.* (*e*) Operis, *Laud. Bod.* (*f*) De incompoſitione, *Laud. Bod.* (*g*) *Sic Laud. Bod. Imp.* placerent. (*h*) *Sic Laud. Imp.* nec. (*i*) Quoquo, *Laud.*

certam habentes menſuram & pondus : ex ipſo ſumus natura & origine, per ipſum ſumus doctrina & regimine : & in ipſo ſumus unitate dilectionis & conſortio gloriæ. In libro ejus numerata ſunt & conſcripta cuncta quæ agimus : & quicquid ibi ſcribit tranſgreſſio, delet confeſſio. Imo de libro vitæ nihil deletur, quia liber ille æternitatis eſt : illius in qua nihil corrigitur aut mutatur. Appenſa ſunt talenta donorum, menſurata diſtributio gratiarum ut nihil homo negligat, nihil ſubtrahat, nihil præſumat.

Et quidem ante hunc viſibilem mundum, id eſt ante cœli & terræ creationem, Angelicæ claritatis obſequium creatori non defuit, & præceſſit illa ſpiritalis natura corporalem (*a*) origine. Unde Ambroſius in Hexaemeron. Angeli, Dominationes, & Poteſtates, & ſi aliquando cœperunt : erant jam quando hic mundus factus eſt. Et Baſilius : Poſt illa inviſibilia & intelligibilia, initium generationis eorum quæ cernuntur ſenſuque comprehenduntur, ſcriptura enarrat. Hieronymus ſuper Epiſtola ad Titum : Sex millia noſtri temporis nec dum complentur anni : & quantas prius ætates, quanta tempora, quantas ſeculorum origines fuiſſe arbitrandum eſt, in quibus Angeli, throni, & dominationes ſervierunt Deo : & abſque temporum vicibus atque menſuris Deo volente ſubſtiterunt.

Sunt qui ita intelligant : non ſolum creatorem, ſed ipſam etiam cœli & terræ creaturam ante tempora extitiſſe, quia (*b*) ad diſcretionem diei ac noctis, ab ortu & occaſu majorum ſiderum & minorum ſecundum principia & fines & reditus concurrentium viciſſitudinum, determinatis ſpatiis certarum horarum numero definita eſt dies & nox : & dierum certis collectionibus diſtinctum ſit tempus : & illa quidem opera ſex dierum inſtituta ex nihilo, nullam habentia vel ex ſe, vel aliunde materiam, ſed tantum voluntate artificis prolata dicunt, cujus verbo dictata eſt omnium quæ ſunt, & cauſa, & ratio, & origo. Spiritualis quoque naturæ, id eſt Angelicæ ea plenitudine ſentiunt ordinem inſtitutum : ut nullum ad reparandam vel augendam ſucceſſionem ſemen invicem transfundi, in genere illo ulla neceſſitas poſtulet : quia ſiquid ad numerum eorum forte deeſt, hoc ſuppletur ex homine : cujus multiplicatio quod periit vel quod defuit, reſtituit & conſummat. Tantumque aiunt fuiſſe ſpatium inter opus & opus, quantum ſex dierum continent intervalla : id eſt quantum dies & nox una mora metitur, & ſic facta ſingula quibuſdam præcedentibus, quibuſdam ſubſequentibus, ſicut prius eſt ordine in ædificio fundatum fundamentum, cui infigitur paries & tectum, quæ ſicut mens, & opus artificis, gradatim aptat in domum : ita Deum fabricæ ſuæ molem & (*c*) ſpecies orditum eſſe, & quaſi texuiſſe pedetentim ſentiunt mundum. Verum illius ſpatii intercapedinem, qua ante temporum viciſſitudinem inviſibiliter Dei ſapientia prima opera diſponebat, definire temerarium eſt : maxime cum canonicæ ſcripturæ de hoc nihil certi tradiderint.

Caſus tamen Diaboli, quia ab initio fuiſſe legitur : ſi ante creationem cœli & terræ fuit, non intelligo vel cui inviderit, vel cujus fuerit homicida, cum homo non eſſet. Unde illa ſcriptura (*d*) qui vivit in æternum creavit omnia ſimul univerſam creaturam & Angelicam & humanam & reliquas (*e*) videtur aſſerere ſimul verbo Dei fuiſſe exortas ; licet difficillima ſit illa diſtinctio, & tamen eſt diſtinctio qua intellectualis corporalem præceſſit. Prius in rebus inveſtigatur ratio eſſentiæ, deinde ordo naturæ, ad ultimum uſus & neceſſitas cauſæ. Cumque eadem ſit cauſa, & unire & partiri, & recolligere negotium, induſtriæ eſt, ut in eadem re aliquid primum, & aliquid intelligas ultimum. Hoc ſecundum noſtri intellectus anguſtias in rerum conſideratione ex craſſitudine (*f*) corporea patimur, hebetes & lippi ad puræ lucis fulgorem. Verum ſapientia Dei attingens à fine uſque ad finem : ſubtiliſſima celeritate, & prædeſtinata & creata coeſſentia intuetur : & quæ ipſe, ſimul nos per partes colligimus, & per aliquas moras (*g*) collecta unimus.

Creavit itaque Deus cœlum & terram, rationalis creaturæ domicilia : ut haberet utrobique colonum & laudatorem, implens cœlum & terram divinitas. Et ſuperiora quidem agmina Deo vicinius conjuncta, quaſi intellectualia vel ſpiritualia, amplius naturæ creatrici participantia : hærent ſtabilitati ſuæ affixa. Homo vero & terreſtris & cœleſtis, & caro & ſpiritus, è cœlo terraque commixtus, aliquando apud ſe ſobrius manet, nonnunquam mente Deo excedit, & ſecundum utramque naturam modo infra eſt, modo rapitur ſupra. De Angelis ſane quorum gradus & officia & dignitates in multis locis Patrum diſtinguit auctoritas, nihil Moyſes eſt locutus. Sed cum alibi in hoc ipſo libro Geneſeos eorum perſonas & officia introducat : non eſt dubium quin eorum creatorem in nomine cœli intelligat.

Ideoque cœlum non eſt dictum inane & vacuum, etiam cum pars reproba cecidiſſet : quia non in quorundam lapſu tota Angelica collectio eſt infecta, nec peccatum quorundam niſi in conſentaneos prævaricatores redundat : quia non naſcitur Spiritus de ſpiritu, ſicut caro (*h*) de carne : nec omnino illa natura deſcendit ex traduce : & licet omnium ſit una natura, nihil tamen habet alter ex altero : quia unicuique ſingulariter & proprie omnipotentia divina, ſpecialis eſt (ut ita dicam) nativitas & origo.

Terra autem cujus habitator homo eſt inanis dicta eſt & vacua : quia licet in innocentia ſit conditus homo, (*i*) carnis tamen vigor nondum erat ad integrum ſolidus : & omnino etiam ante peccatum minus erat purus & perſpicax humanus quam Angelicus intellectus. Nondum erat reformatum corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis divinæ : nec erat in eo ſtatu humana conditio, quem abſque dubietate reſurrectio pollicetur. Vacua adhuc illius plenitudine beatitudinis quam acceptura erat. Quantum ſibi ad plenam compoſitionem deeſſet, ad lucem accedens didicit : qua circumfuſa, melius ſuum imperfectum conſiderans ; ad eum qui poteſt implere & componere inſufficientiam humanam converſa, confirmationem & reformationem ſuam nihil hæſitans præſtolatur. Vacua erat terra, non habens poſſeſſorem : inanis, non habens decorem : quia informe eſt, quod non illuminat Deus : & vacuum & egenum, quod non implet.

Et dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux. Scriptum eſt, quia Deus lux eſt : & quia lucem habitat inacceſſibilem : Ipſe non eſt lux, quæ facta eſt : ſed lux primordialis illuminans omnia, id eſt, cauſalium rationum quas apud ſe habebat reconditas, manifeſtans (*k*) efficientiam : conſpicabile faciens, quod tamen ſibi intelligibile erat : (*l*) Et eſt illa prima lux repellens

(*a*) Originem, *Laud. Bod.* (*b*) Diſcretione, *Laud. Bod.* (*c*) Speciem, *Laud. Bod.* (*d*) Quæ dixit : *Laud. Bod.* (*e*) Singulas, *Laud.* (*f*) *Sic Laud. Imp.* corporea hebetes. (*g*) *Sic Bod. Imp.* collectas. (*h*) Ex, *Laud. Bod.* (*i*) Carnalis, *Laud. Bod.* (*k*) Efficientias, *Laud.* (*l*) Et illa, *Bod.*

lens tenebras, & conſtituens dies, abigens ignorantiam & purificans intellectum (*a*) ſapientia. Per hanc enim omnium rerum (*b*) conditio diſpoſita eſt : & ipſarum conſtitutionum cognitio, dies vocatur. Eſt itaque prima dies, ipſius ſapientiæ intellectus. Secunda, corporalis diſpoſitio creaturæ. Tertia, ſegregatis tenebris à luce, utilitatis rerum certa cognitio, qua in admirabili ordine & pulcritudine conſiderata in admirationem creatoris (*c*) trahimur, inviſibilia ipſius, per ea quæ facta ſunt contemplantes, ita ut per hoc innoteſcat nobis ſempiterna ejus virtus & divinitas. Quarta vero dies, (*d*) Eccleſiaſtica doctrina & ſcriptura ſancta divinitus inſpirata, in qua certas fidei regulas invenimus, ut non quiſque ſuo ſenſu, ſed veritatis æternæ auctoritate firmetur. Quinta vero dies, (*e*) colluctatio rationis cum concupiſcentiis, quaſi cum reptilibus innumeris quibus reſiſtit humana infirmitas : in quibuſdam quidem membris ſuis, actionibus hujus ſecula affixa : in quibuſdam vero avolans, converſationem ſibi elegit in cœleſtibus & quietem. Jam vero ſexta dies, eſt oppreſſis concupiſcentiis, & triumpho de hujus mundi victoria celebrato, mundo corde & pacifico ſpiritu cognitio & contemplatio Dei : per quam deponentes imaginem terreni, & veterem hominem exuentes, reformamur & in ſimilitudinem Dei & imaginem tranſimus : imaginem quidem exprimentes, ſignaculo caritatis : ſimilitudinem vero, ſtabilitate libertatis & pacis.

Ad hæc conſideranda ſive contemplanda, prima lux, id eſt cognitio veritatis, quaſi inquiſitorem ſuum humanum dirigit intellectum, manifeſtans ei ſingulas rerum ſpecies, hoc eſt diſtinguens dies ac noctes : illuminans egreſſum de ignorantia, ad cognoſcendum ordinem rerum : ut in nomine cœli & terræ, omnia cœleſtia & terrena intelligat : quæ per quædam ſpatia, quaſi per dies & noctes ſcriptura diſtinguit & ſeparat, & nequid deſit, nequid cauſetur infirmitas, ſuperfertur Spiritus Dei, fovens & formans rationabiles appetitus, adjuvans infirmitatem, fœcundans ſterilitatem, excitans devotionem, operiens exceſſus, & diſtracta reſtaurans.

Hic eſt ſpiritus multiplex, unicus, ſtabilis, mobilis, humanus, benignus : qui ubi vult ſpirat, & docet, & replet, & ſuggerit omnia : de cujus inexhauſta plenitudine & manatione ſincera repleta corda fidelium, unius moris in domo coædificata in habitaculum Dei, eructaverunt in Eccleſia verbum bonum, invincibili eloquentia & inſuperabili conſtantia ſubjectis contradictoribus : cum repente facto cœlitus ſono, illiterati & idiotæ facti ſunt fidei aſſertores, & piſcatores diſputatores. Hic abſque emendicatis aliunde ſuffragiis, quos compungit, inungit : quos invitat, conſummat : quod præcipit, efficit. Ideoque in quod ſuperferri dicitur, nota magiſterii dignitatem, nutritoris affectum, vivificatoris præſidium, caritatis impreſſionem, affinitatem naturæ, benevolentiam gratiæ ; & primo quidem lux, deinde dies, poſtea firmamentum : quarto loco illa magna luminaria facta narrantur, quia prima illa angelica natura vigens bono naturæ & gratiæ, dum per humilitatem ſtetit in veritate, unita luce æterna, ſegregata eſt à nocte, & ſtabiliri meruit & confirmari, & jam abſque ruinæ periculo, de gloria ſua omnino ſecura, nullum ultra habet ad malum acceſſum : quia ita eſt luci ſuperiori conterminata, & adeo ex illo fulget ſplendore, ut lucem quæ ipſa eſt nullius caliginis vapor interpolet.

Eſt igitur lux illuminans, Deus : lux illuminata, Angelus : firmamentum, radicatus in Deo (*f*) rationabilis affectus. Eſt igitur prima dies, intellectualis vel ſpiritualis naturæ inſtitutio. Secunda, corporalis & viſibilis rerum creatio. Tertia, rerum ab invicem diſtinctio, & earundem ſecundum genus ſuum fructificatio. Quarta, per verbum Dei ex teſtimonio ſcripturarum mentis illuminatio. Quinta, inter appetitus carnis & ſpiritus rationis diſcretio. Sexta, in intellectu & actione, quaſi quodam ſexu maris & fœminæ, imaginis & ſimilitudinis divinæ expreſſio, ex qua copula (*g*) ſpiritali fœtu repletur Eccleſia : jam vero reſtat in ſeptima ſola vacatio, de quo Sabbato ad Sabbatiſmum octavæ tranſibit quiſquis renovatus Spiritu mentis ſuæ potiora probaverit, & de tenebris hujus mundi emerſerit : in omnibus inter lucem & tenebras dividens & fructificans, quaſi arbor bona, ſecundum gratiam quæ data eſt ſibi.

Oportet quippe hominem intelligere inprimis, quia Deus eſt : poſtea, quid ſit Deus, ad quod ex creaturæ conſideratione paulatim accedit : deinde luce veritatis accenſa, inter carnalia & ſpiritualia, quaſi inter aquas ſuperiores & inferiores firmamento rationis fixo, expulſa tentationum quaſi flatuum (*h*) ſalſugine, gramina & arbuſta producere, id eſt virentium gratiarum propagare genimina. Sed & ipſas ſpirituales intelligentias quæ ex ſcripturis naſcuntur, diligenter attendere, quomodo ipſa veritas quaſi ſol illuminet animam : ipſa vero anima quaſi luna irradiet noctem, id eſt corporales ſenſus, actiones quaſi ſtellas multiplicans, quæ caligine tenebrarum hujus mundi non vincantur : neceſſe eſt etiam ut inter reptilia & volatilia ea diſcretione utatur, ut, quia in omnibus eſt anima viva, & quæ inhoneſtiora ſunt, iis honorem abundantiorem circumdamus, iis exercitiis homo ad formam Dei proficiat, cujus eſt quies cœleſtis hæreditas : cujus gloria beata æternitas, & in agnitione Dei omnem exuperans ſenſum, pacis (*i*) æternæ felicitas.

Juſtitia & judicium in primo ſtatim patuere negotio, & ſine ulla dilatione aſſentientium & diſſentientium ſpirituum, utraque pars ſuorum obtinuit ſtipendia meritorum, & ſejunctis illico contuberniis ſeparata ſunt (*k*) ſancta & impia agmina, expulſis dejectiſque irregreſſibiliter in inferiores mundi partes, ſive infernum ((*l*) quicunque vel ubicunque ille eſt) his qui ſine Deo eſſe affectaverunt, à Dei quippe viſione beatifica ſine ſpe miſericordiæ in æternum avulſi, immortales quidem, ſed tamen paſſibiles impaſſibilitati ſanctorum Angelorum ſuperſtitum invident, & licet eos infeſtare non poſſint, quoniam illi ſolidata natura intentabiles ſunt, in livore malignitatis, in implacabili odio perſeverant : & in hoc ipſum invidiæ tormentum, continuæque rubigo malitiæ, jugis ira, infinita triſtitia ſpes veniæ (*m*) intercluſa ; quaſi flammæ ultrices cor eorum (*n*) felleum undique allambunt : & eſt quaſi quædam Gehennæ fornax ſemper nocendi aviditate accenſa mala voluntas, & quaſi (*o*) perpetua cæcitas, id eſt à viſione divina præciſa facultas.

Sancti vero Angeli adhærentes Deo ſemper vultui ejus aſſiſtunt, & faciem ejus ſine ullo velamine contemplantur. Bibunt de ipſo fonte vitæ, & panem ſuum ſuperſubſtantialem in quo confirmati ſunt ; ad ſatietatem comedunt : regnant ſine faſtu, ſerviunt ſine jugo, gaudent ſine metu : obtemperant, ſed non ſerviliter : omnis conſummationis vident finem, ſed non finaliter. Contemplantur altitudinem divitiarum ſa-

(*a*) Dei ſap. *Laud. Bod.* (*b*) Conſtitutio, *Laud.* (*c*) *Sic Laud. Bod. Imp.* Trahuntur. (*d*) Eſt, *Laud. Bod.* (*e*) Eſt, *Laud. Bod.* (*f*) Rationalis naturæ, *Laud.* (*g*) *Sic Laud.* Spiritalis, *Imp.* (*h*) Fructuum, *Laud. Bod.* (*i*) Supernæ, *Laud. Bod.* (*k*) Et diviſa, *addunt Laud. Bod.* (*l*) *Sic Laud. Bod.* Quicunque ubicunque, *Imp.* (*m*) *Sic Laud. Bod.* Venis, *Imp.* (*n*) Ejus *Laud. Bod.* (*o*) Infernus, *addit*, *Bod.*

ſapientiæ & ſcientiæ Dei : quieſcunt in pace illa, quæ omnem exuperat humanum intellectum: & ſi eſt aliqua ſuperior & ſecretior pax quam ſolus inhabitat Deus ; id ipſum beatitudinis eſt : quod habent in ſuo bono ſufficientiam, nec coæquari ſuo ſuperiori præſumunt. Hoc enim illius maligni peccatum eſt, quod non ſuffecit ei excellentiæ ſuæ illa admirabilis magnitudo, ſed ſimilis eſſe altiſſimo voluit, vel quaſi Deus omnino, vel ſaltem ſine Dei Dominio. Ideoque cum eſſet lux in Domino, factus eſt tenebræ in ſeipſo, & juſtiſſimo judicio qui voluit eſſe ſummus, factus eſt infimus ; qui ſupra lucem, nocti addictus ; qui ſupra regem, carceri mancipatus, de libero ſervus, de Angelo diabolus, de conſpicuo obſcurus, de nobili & glorioſo, contemtibilis & horrendus.

Vere diviſa eſt lux à tenebris, & in eodem conſortio bonum & malum eſſe non poſſunt. Non eſt communicatio Chriſti & Belial : non eſt participatio juſtitiæ cum iniquitate. Anguſtum eſt ſtratum (inquit Iſaias) ita ut alter decidat, & pallium breve utrumque operire non poteſt. Sed & chaos magnum inter bonos & malos Angelos eſt firmatum : & irrefragabiliter ſancitum eſt, ut omnino non poſſit ultra vel bonus Angelus in diabolum, vel Satanas tranſire in Angelum bonum : quia utrinque rata & immobilis promulgata eſt ſententia, ut qui ceciderunt, ultra ſtare non poſſunt : qui vero ſtant, periculum caſus cujuſlibet non formident : & ſicut peccatum in electos ultra non cadit, ita in reprobos non redit juſtitia ; quia ſicut nullam (*a*) ſenſit corruptio reorum medelam, ita nullam admittit ſanctorum gloria corruptelam.

Fallitur Origenes, qui dogma Platonicum in Eccleſiam introducens in libris περὶ ἀρχῶν de quadam revolutione dæmonum in corpora (quaſi per craſſæ hujus corporeæ oppreſſionis converſationem indignam purgatione facta) rurſum poſt multa ſecula, per hujuſmodi revolutiones expiatum, in ſtatum antiquum Satanam aſſerit reverſurum. Addit etiam, neſcio quam, paſſivam divinitatem pro reorum redemtione iterum in aere inviſibiliter pati: & dum laborat emungendo ſanguinem ex quibuſdam ſcripturarum auctoritatibus, & prædicat Deum miſericordem & pium, probat eum mendacem & injuſtum. Mendax eſt : Si injuſto & juſto idem reddit ſtipendium. Sed hæc verborum monſtra & rationum portenta, non Chriſtiana ſunt dogmata. Superſedit literæ Origenes, nec intellexit Iſaiam, qui in honore Tyri quædam myſtice loquebatur, quæ ille literator ad proprietatem verbi retorquere conatus eſt. Et erit, inquit Propheta, in illa die, viſitabit Deus ſuper militiam cœli in excelſo, & ſuper reges terræ qui ſunt ſuper terram : & congregabuntur in (*b*) congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur. Viſitatio hæc non eſt indulgentiæ, ſed ſeveritatis & juſtitiæ : ſicut ſæpe viſitantur à cuſtodibus, qui in carceribus ſunt, non ut liberentur, ſed ut (*c*) diutius & acrius crucientur.

Sunt & aliæ ſcripturarum auctoritates quas ille quaſi de convallibus rapuit, & ſtatim ad eas cum clamore (*d*) cucurrit. Animas quoque hominum Angelos fuiſſe, & rurſum in Angelos reverſuras : & in reſtitutione Angelos & Dæmones, & omnes homines ſive Chriſtianos, ſive gentiles, ſive catholicos, ſive hæreticos æquales fore: & iterum animas ad nova corpora reverſuras: & ex alio principio iterum alium mundum : & ſic alternis vicibus uſque in infinitum deceſſum & ſucceſſum omnium & ſenſit & ſcripſit ; & alia multa impia & nefaria, quæ etiam replicare criminis eſt.

Ne igitur detruſis in has inferiores partes malignis ſpiritibus, ſi eadem paſſim converſatio dæmonum eſſet & hominum, liber & frequentatus acceſſus, & conflictus aſſiduus homini eſſet, ubi indefeſſa infeſtatio urgeret : ſeorſum pars reproba impetus importunos quaſi amariſſimos fluctus præfixis terminis Deo præcipiente intra ſe collidere coacta eſt, & dictum eſt ei, Uſque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Qui dixerat ſedebo in monte teſtamenti, ero ſimilis altiſſimo : jam neque in gregem porcorum audet intrare niſi permiſſus, ſed capiſtrata cervice hac atque illac quantum catenæ longitudo attingit, ſpumans & fremens relambit quod evomuit: & nihil virium habet illa malitia, nihil effectus illa veſania, niſi quantum vel ad probandum, vel ad puniendum juſtos vel injuſtos juſtitia divina permittit. Habent & ipſi ſub principe dæmoniorum leges officiorum & miniſteria diſtributa, & quantum indulget poteſtas ſuperior, dico ſanctorum Angelorum, ſub ſuis poteſtatibus militant & egrediuntur, & circumeunt & ſuſcitant tempeſtates: abſcondunt laqueos, tendunt muſcipulas, & exquiſitis artibus modo violentiam, modo ſimulationem intentant.

Perſuadent & ſuggerunt conſiliatores doloſi quæcunque (*e*) impia, quæcunque impudica : nihil agunt poteſtative in animas, in quarum poteſtate potius & voluntate eſt in forma crucis & ſanguine agni reſiſtere, & confuſum (*f*) & convictum (*g*) repellere in Gehennam. Et ex propriis illuſionibus quibus ſervos Dei irritat & appetit, ipſe repercutitur & illiditur, fitque ipſe occaſio coronæ & gloriæ quibus eſſe voluit tranſgreſſionis laqueus & ruinæ. Sed etſi aliquando prædeſtinatorum aliquis ad ejus flatum infectus contabuit ; armis pœnitentiæ accinctus fortior ſecuriorque ſurrexit, & expertus admiſſi turpitudinem, hoſtem ſuggeſtorem & ſe conſentaneum mira indignatione exhoruit, & rurſum cautior & munitior ad (*h*) conflictus acceſſit. Profligati itaque & repulſi ad ſeipſos convertuntur, & in maris ſui ſalſudine, hoc eſt propria cruciantur invidia, & inefficacis malitiæ dolore tabeſcunt, hoc eſt mare magnum & ſpatioſum in quo ſunt reptilia quorum non eſt numerus, in quo draco ille antiquus quaſi cete immenſum perambulat, cui auctore Deo illuditur.

Ex immiſſionibus vero quæ per Angelos malos fiunt, homo opus divinum non deſtruitur, ſed probatur; & recedentibus tentamentis, omnique ſpirituali nequitia quaſi intra ſuum pelagus recollecta, exſiccatis paludibus voluptatum terra fœcunda herbam virentem & ligna fructifera in talibus germinat incrementis: quia à cordibus electorum abſterſa peccati illuvie de virore fidei, ad faſtigium ſpei & ad ipſum culmen perveniunt caritatis, radicati ſicut arbores bonæ in Chriſto, & fructificantes ſecundum menſuram donationis ejus, unuſquiſque in genere ſuo. Nomine herbarum viridium ſimplices & humiles poſſunt intelligi: arborum vero proceritas ſublimioris ſapientiæ exprimit dignitatem, lignum ſapientiæ, & lignum ſcientiæ, & lignum vitæ, quæ in hac ſcriptura inveniuntur, nos hæc ſpiritaliter intelligere perſuadent, licet fundamentum literæ non avellant.

Conſtitutio corporalis viſibilis & inviſibilis creaturæ, quæ eſt quaſi prima hujus mundi dies, illuminante mentem verbo Dei, intelligibili ratione cognita eſt: ſed oportebat ut eandem lucem intellectus lux copioſior ipſius veritatis vivacioribus documentis accenderet, & acutiora & ſubtiliora per ſe dictaret dogmata veritas, quam humani ingenii vel rationis per ſe poſſet experiri capacitas. Condidit itaque (*i*) ſapientia artifex

(*a*) Sentit, *Laud.* (*b*) Multitudine, *Laud. Bod.* (*c*) Cuſtoditi, *Laud. Bod.* (*d*) Currit, *Laud.* (*e*) Turpia, *Laud. Bod.* (*f*) Vel, *Bod.* (*g*) *Sic Laud.* Victum, *Imp.* (*h*) Conflictum, *Laud.* (*i*) *Sic Bod. Laud.* Sapientia duo, *Imp.*

artifex duo luminaria magna, & conſtituit in firmamento: & quod intimaverat ex parte per Spiritum, loqui voluit per ſe ipſam, ut eſſet poſteritati monumentum divina (*a*) auctoritas, nec errandi locum, aut ignorandi, aut pervertendi verum, hæreticorum haberet impietas. Conveniunt ſane in unum naturæ & legis decreta: Sed majus pondus eſt, ubi doctor eſt Deus, quam ubi inquiſitor eſt animus.

Moyſi in monte Sina datæ ſunt tabulæ lapideæ ſcriptæ digito Dei: Apoſtolis ſanctis verbum quod erat in principio apud Deum, & Deus erat verbum, & idem verbum caro factum (*b*) eſt, habitavit in nobis, filius Patris locutus eſt, & non in tabulis lapideis, ſed voce viva prædicavit evangelium, ſcribens intus in cordibus, clamans extra in auribus: Ego ſum via, veritas & vita. In his duobus teſtamentis, locutus eſt Deus multifariam patribus in prophetis: nobis per ſeipſum in Evangeliis: & everſo modio velaminum, accenſam veritatis lucernam figens ſuper candelabrum quaſi diem propoſuit divinæ & humanæ naturæ in eadem perſona unitum conſortium. Ab Adam quippe uſque ad Moyſen naturalis lex à ceremoniarum libera ſervitute ſub familiari mandato primitivum populum docebat & regebat: Sed, ſicut diximus, doctrina hæc, quia non muniebatur definitione auctoritatis, labi poterat per ſucceſſiones vel corrumpi: ideoque acceſſit lex ſcripta quaſi luminare minus in ænigmatibus & figuris, unius quidem Dei cultum & venerationem exigens, ſed ad exercitationem rudium animorum ſub multiplici verborum velamine, rerum veritatem occultans. Fecit Moyſes tabernaculum & menſam propoſitionis & arcam teſtamenti & velamentum ante ſancta ſanctorum & Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium: multa de circumciſionis ritu, de mundatione lepræ, de lege Zelotypiæ, de ſacerdotum vel levitarum officiis, de unctione pontificis, de civitatibus refugiorum, de violatoribus Sabbatorum, de generibus holocauſtorum, & aliis legis decretis præcepta conſcripſit. Sed, ut ait Apoſtolus, luminare illud legis neminem ad perfectum perduxit. Erudivit ſub timore quaſi Pædagogus teneram Eccleſiæ naſcentis infantiam, & laſcivientem primæ ætatis inſolentiam oppreſſit ſerviliter, donec in præfinito tempore à Patre provectus in intelligentia ſpiritali populus Dei introiret uſque in interiora velaminis, & ipſa ſancta ſanctorum: intra quæ nullus ingredi niſi ſolus ſummus Pontifex præſumebat. Ubi vero gratia, ſcilicet luminare majus, intolerabile legis alleviavit onus, expirante Jeſu in patibulo, rupta ſunt illa velamina: jam non tantum Aaron; & filiis ejus illud privilegium manſit, ſed univerſitati fidelium liber ingreſſus datus eſt, & ad lignum vitæ, & ad ſancta ſanctorum. Primus ingreſſus eſt non in alieno ſanguine bonorum Pontifex futurorum, & dato illo (*c*) magno pretio ſanguinis, viluit aurum Legis; & veniens ſanctus ſanctorum abolevit (*d*) unctionem & victimas Judæorum.

Luminare minus fulgebat pro modo ſuo, cum tantum notus eſſet in Judæa Deus: cum illas umbras & ænigmata mandatorum vix etiam pauci electi illius temporis caperent. Ubi (*e*) lux gratiæ, evangelii luminare (*f*) effulſit, nullus fuit qui ſe à calore ejus poſſet abſcondere: dirupta ſunt illa figurarum integumenta, illa verborum involucra, & facta ſunt omnia munda mundis, acceſſibilia & intelligibilia univerſis, & repulſa multitudine exemplarium, unum pro omnibus omnia continens & excedens, & cujus plenitudinem omnis illa inchoatio figurabat, ſanctum & rationabile ſuperfuit holocauſtum. Unus ordo, una diſtinctio, nuda veritas, pura caritas. Jam non tantum tribus Levitica ad ſacra myſteria ſeparatur, nec de ſola tribu Juda regalis perſona eligitur. Una eſt tribus populus Chriſtianus, gens ſancta, populus acquiſitionis: & Chriſtus rex noſter & Pontifex, regni & ſacerdotii pauperibus Spiritu (*g*) tribuit dignitatem. Jam vitæ puritas non ſignificatur, ſed oſtenditur: Jam agnus Dei digito demonſtratur; Meſſias non expectatur, jam nobiſcum Emmanuel converſatur: fulget in Eccleſia ſol juſtitiæ, Rex decore ſuo videtur. Propalata eſt ſanctorum via, æterna redemtione inventa. Nihil eſt ad hominis perfectionem quod non hæc duo doceant teſtamenta: omnia legis ſacramenta ſimplicitas Evangelica exponit, & profunditatem propheticam explanat Apoſtolus, & manifeſte ad lucem iſtam magnum pietatis arcanum innotuit: quod (*h*) manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt mundo, aſſumtum eſt in gloria.

Stellæ quoque in firmamento diſpoſitæ, dant lumen ſuum. Quod exponens Daniel, ait, Qui docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Docti & doctores ſtellæ vocantur; quidam enim exemplo, quidam & verbo proficiunt & exemplo. Dividit hæc ſcriptura inter diem & noctem, ſeparans à ſinceritate doctrinæ catholicæ hæreticorum inquinamenta, & à moribus ſanctorum eradicans quæcunque non competunt honeſtati. Lux iſta veritatem ſeparat à mendacio, à nugis ſeria, à pace diſcordiam, à Chriſto idola, à puritate religionis quæcunque (*i*) impia & obſcœna. Lux iſta cor mundum & à peccati amore diviſum, primum pudicum, deinde pacificum, uſque ad contemplationis divinæ perducit arcanum.

Deſcriptio Hieruſalem in latere, & per Ezechiel adverſus civitatem ordinata obſidio, ſartago ferrea pro muro erecta, & reliqua; ſignum ſunt Domini ad Iſrael: lumbare juxta Euphratem abſconditum & putrefactum, oculi animalium & pennæ quarum aliæ volant, aliæ caput & pedes ſedentis in throno abſcondunt, in ſignum magnæ rei ab Eſaia ſunt poſitæ: & per Apoſtolum in Chriſto, & in Eccleſia ſignatur ſacramentum, cùm de nuptiis & conjugii fœdere idem diſputaret Apoſtolus. Agar & Sara duo ſignificant teſtamenta, Iſaac & Iſmael populos duos: & multa hujuſmodi in ſignum alicujus rei ſancta ſcriptura ponere conſuevit.

Sed & temporum & annorum revolutio, & diſcurſus de una ad alteram, volubilitatem mutabilium & æternitatis ſtabilitatem diſtinguit: quia ferventi circuitu rationis deſiderium ad principium ſuum recurrens feſtinat, ubi nec anni, nec tempora, nec aliquæ mutabiles viciſſitudines, ſed una ſancta eſt dies conſummatio & plenitudo ſanctorum: lux non erratica; Deus omnia in omnibus, perpetua illuminatio omnium. Circumciſio in ſignum eſt expoliationis carnis peccati, baptiſmus ſepulturæ. Opus altaris crucifixionem carnis, viſibilis unctio ſanctificatum habitaculum Spiritus ſancti ſignificat Templum mentis: dies ſunt horum & ſimilium congrui intellectus. Tempora ſunt, collectio & concordia novorum & veterum, ſicut matutina ſpatia ad certas metas fineſque conveniunt. Licet proprie præſens & præteritum, & quod futurum eſt nomine temporis cenſeatur; nihilominus tempus dici-

(*a*) *Sic. Laud. Bod.* Poſteritati divina, *Imp.* (*b*) Factum habitavit, *Bod. Laud.* (*c*) Illo pretio, *Bod. Laud.* (*d*) *Sic Bod. Imp.* Abolevit victimas. (*e*) Vero, *Bod. Laud.* (*f*) *Sic. Bod. Laud. Imp.* Luminare effulſit. (*g*) *Sic. Bod. Laud. Imp.* Pauperibus tribuit. (*h*) Manifeſtum, *Bod. Laud.* (*i*) Turpia, *Bod. Laud.* (*k*) Iſrael, *Bod. Laud.*

dicitur æſtas & hyems, & alia ſimilia, quæ ad intellectuum volubilitatem aptata, rerum varietates & finem unitatemque diverſorum, reductis ad ſuum principium cauſis, & conjunctis partibus exprimunt. Idem per annos, licet diffuſius intelligitur, in quibus ſicut & dies, & tempora concluduntur, & ipſi anni extenduntur in ſecula.

Ita verbum Dei lux æterna, omnia per ſcripturam ſanctam intimat & comprehendit. Loquitur Moyſes revelante ſibi Spiritu ſancto de conſtitutione mundi, cui temporaliter & corporaliter non interfuit. Paulus prædicat evangelium, quod ab homine non didicit, ſed per revelationem Jeſu Chriſti: aſcendit in Paradiſum, audit quædam arcana, quæ non licet homini loqui. Joannes Apoſtolus ad æternitatem verbi, & coeſſentialitatem & unitatem Patris & Filii aſcendit & attingit. Eſaias & Daniel multa de fine mundi & de judicio Dei eloquuntur, in quibus quaſi per quoſdam ſcalæ gradus aſcendit & deſcendit quilibet ſtudioſus, habens ſcripturam & tempus quaſi annos in quædam infinita ſecula proficiſcens: quippe his omnibus diffluentibus ſicut ſcriptum eſt, Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.

Spiritum ſanctum ſuperferri aquis ſuperius diximus, cujus inſpiratio ſubjectæ ſibi creaturæ vivificaret & fœcundaret originem: non incumbens ei quaſi ad tutelam ſecundum Manichæum contra neſcio quam gentem tenebrarum, ſed concludens ſub ſe, quia nihil per ſe, niſi idem Spiritus foveat, aut bene vivit, aut ſane intelligit. Aquarum nomine generationes hominum intellige, quæ ſicut de fonte in rivum, de rivo in fluvium labuntur: ita homines de conceptu in partum, & de infantili ætate in ſenium inquieto volumine properant & decurrunt. Unus atque idem ſpiritus prout vult ex eadem materia, diverſa vaſa in varia miniſteria operatur: & alii datur ſermo ſcientiæ, alii gratia ſanitatum, alii diſcretio ſpirituum.

Seminat in agro ſuo mente hominis, ſemen juſtitiæ, & quædam quidem ad horrea vitæ activæ, quædam ad cellaria æternitatis implenda prædeſtinat: ita tamen ut activæ fructus imputribiles, poſt neceſſarios vitæ præſentis uſus, cœleſtibus inferat apothecis. Naſcitur ex eodem ceſpite frumentum & hordeum, & in eodem terræ gremio aurum foditur & argentum. Alia aliis excellentiora, ſingula in genere ſuo utilia & neceſſaria. Ex humano genere, quaſi ex aquarum natura, & reptilia procedunt & volucres: quia (*a*) quidam repunt per hæc terrena: alii vero, his neglectis in cœleſtibus converſantur. Repit & lento greſſu incedit quem premit conjugii ſervitus, poteſtatis faſtigium, miniſterii ſolicitudo. Ex occaſione officii ſæpe officio reddunt ultra quam debeant: ſed licet ligna, fœnum, & ſtipulam congerant, à fundamenti tamen ſtabilitate non recedunt. Utuntur hoc mundo quaſi non utantur: plantant, ædificant, ſed tamen iis animo non hærent, imo ad civitatem Dei, de qua glorioſa ſunt dicta, medullatis affectibus ſuſpirant.

Neque vero illius civitatis Rex à domo ſua ſimplicia hujus mundi excludit reptilia, qui etiam Raab quaſi reptile venenatum purgavit & fecit innocuum: & Tyrum & populum Æthiopum & alienigenas, quaſi multa reptilia, congregavit & poſuit illic: & ipſe (*b*) natus eſt in ea quam fundavit altiſſimus, & filios adoptionis cohæredes conſtitutos ſecum lætari & cohabitare voluit in eadem civitate. At vero viri contemplativi, relicto humanæ converſationis nido, nituntur & tendunt in ardua: & per artas vias non parcentes corpori, ubi ſit dilectus, inveſtigant: feſtinant per vepres & tribulos carnibus cruentatis, tranſiliunt ſepes, & irruunt in (*c*) inclinatorium aureum, ubi rex in accubitu ſuo nardi odore delectatur: ſuſcipiuntur ad oſculum, ſugunt ubera potiora vino, trahuntur odore, poſt unguenta concurrunt.

Gemit in fluctibus ſuis immenſa actio & ſuſpirat: gaudet contemplatio, & primitias pacis Angelicæ jam delibat. Mordetur tentationibus, quaſi ſerpentibus homo in medio viperarum expoſitus, & concupiſcentiarum lanceis latus nudum transfigitur: clamat oppreſſus, Infelix ego! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Nihil hujuſmodi contemplatio ſentit: ſed rara omnino illa mens eſt, ſi aliqua eſt quæ in hoc mundo ita mente excedat, ut ad illuſiones carnis, & pruritus titillationum, non aliquando ſive oblita, ſive oppreſſa reſpiciat. Etiam ſpirituales dicit Apoſtolus poſſe præoccupari in delicto, tu quiſquis ſpiritualis es, conſidera teipſum, ne & tu tenteris. Intus in medullarum craſſitudine in vapore cordis juge incendium & flamma æſtuat perſeverans: nullis aquis extinguitur, & quocunque fugeris, ſequitur. Repit humana infirmitas, & ad longum curſum non ſufficit: quod & ſi fugerit, non evadit. Una patientia totum hunc ignem redigit in cineres: qui reſiſtit, vincit, qui tolerat, ſuperat. Infirmitas ſentit, ratio non conſentit: nec ſenſus peccatum eſt, ſed conſenſus. Hic laborat diſcretio, hic vigilat ratio, hic eſt limus, hic eſt lutum fæcis, hæc procellarum regio, in qua reptilia converſantur. Sed ſicut diximus, circumfuſo Spiritu ſancto, qui ſubjectus eſt ei, quantæcunque circumfluant tempeſtates, exercitio proficit, motu purgatur, tentatione probatur, probatione firmatur. Inter hæc duo vitæ genera, quorum alterum reptat, alterum volat: & puſillanimitas & incolumitas creaturæ in altero ſentit quid per ſe, in altero vero quid poſſit per Deum: ut nemo in ſe glorietur, quia neque volentis neque currentis, ſed miſerantis eſt Dei.

Enumeratis & diſtinctis quæ ex terra & quæ ex aquis gignuntur, ſequitur quaſi auriga omnium inferiorum homo, & ducens præ ſe pecora & jumenta: quaſi beſtiales motus ſibi ſubjectos indicans, Dominus mundi conſtituitur: in ſeipſo quaſi alterius (*d*) machinam exprimens: habens omnium elementorum ſubſtantiam, & ſecundum aliquid omnium creaturarum naturam: dignitate ſpiritus & animæ rationalis intelligentia alter Angelus in terris: ſocietate carnis & vitæ, motus & eſſentiæ adeo participans hominibus, ut non ſolum ſecundum hoc quod moraliter vel allegorice definivimus, ſed etiam ſecundum proprietatem naturæ ad univerſitatem rerum quædam ſit ei cognatio & affinitas multiplex.

Intueri poſſumus in homine velut quendam alterum mundum, totum in exiguo, è cœlo terraque commixtum: habentem ſub ſe viſibilem creaturam, ſupra ſe inviſibilem: in unius mentis anguſtia, univerſitatis ſemina complectente. Mens in eo quaſi quoddam divinitatis inſigne, ſubditos aptat & diſpenſat affectus. Habet de cœleſti natura ſapientiam & intellectum, conſilium & ſcientiam, conſtantiam & pietatem, & caſtum timorem: quo ductore in eo à quo eſt, humiliter gloriatur. Quicquid (*e*) ſpirituale in nobis eſt,

(*a*) Alii quidem, *Laud. Bod.* (*b*) Natus in, *Laud. Bod.* (*c*) Reclinatorium, *Laud. Bod.* (*d*) Mundi machinam, *Laud. Bod.* (*e*) In eo ſpirituale eſt, *Laud. Bod.*

est, inde est: ibi exemplar est ad cujus formam homo sensum acuit, mores componit, aptat sanctimoniam, ordinat caritatem: Secundum illam naturam, paulo minor quam Angeli propter carnem passibilem, non ignorat quia ex hac conjunctionis suæ diversitate aliquando liberabitur, & rursum magnificentius colligabitur, nec jam ultra dissolutioni obnoxius, sed æqualis Angelis etiam in corpore constituetur, & illius gloriæ quam modo per patientiam expectat, culmen attinget.

Corpus quidem de terra est, in quo, si diligenter consideres, in minimis corporis partibus omnia hujus magni mundi membra reperies. Gravia hæc elementa, terra & aqua; igne & aere quæ levia sunt, circumfusa moventur: & ponderosa materia segregata ab invicem traductione subtiliorum, confusione non premitur, sed distinctis singulis ordinatisque accessionibus omnia sibi (*a*) serviunt: ut omnino stupenda sit illa rerum discordia in tantam pacem redacta, ut absque ulla dissentione ignis & aqua in eodem vase cohabitent, ita ut & terra aquis non diluatur, & tanta mole subtilitas aeris non excludatur. Imo vero complectuntur se pacifice, ut in hoc quoque mireris artificem, & in harmonia universorum, & in compage omnium, bonum pacis quam sit prædicabile, & commendabile videamus; & cum inter se contrariæ discordesque naturæ conveniant, quantum & quam indissociabile fœdus esse oportet in rationabilibus creaturis, quarum una est origo: una functio, una perventio.

Considera in capite humano, in substantia cerebri quasdam cellulas sub quadam quasi camera cœli, testa superiori constitutas, & quasdam pelliculas, quas meningas vocant, cerebrum involventes, ut quasi nubes aquis vaporalibus calorem superiorem humectent, ne nimia siccitate vitalis ille motus arescat. Deinde quasi in firmamento oculi duo magna luminaria micant, interiori quidem igne semper accensa; in narium fistulis introitus & exitus aeris manifeste conspicabilis est. Discursus aquarum per venarum meatus quasi per alveos suos perenni lapsu circumferuntur: & in Stomacho, & in vesica, sentinam & totius colluvionis pelagus vides. Cor igneum, nisi pulmonis ventilabro refrigeretur, succum corporis exhaurit. Caro, quæ quasi terra in homine est, calore cordis vegetatur & fœcundatur. Hepar & lien, lacerti & musculi, & renes & reliqua officialia membra, quasi (*b*) metalla sunt in corporis officina: eorumque officiis & nutritur, & purgatur, & augetur, & minuitur, prout naturæ ratio exigit, hæc corporea & materialis substantia.

Viret homo in pueritia, sicut herba: floret in adolescentia, sicut arbor: & in senectute fructificat, reptat in ætate decrepita: pascitur cum docetur, ut pecus: ut jumentum servit, cum obedit: volat cum ad suum principium redit. Ita mundum majorem in minore reperies, & nihil est in illa mole immensa quod huic exiguo congrue non aptetur.

Quod autem non ad materiam, sed ad mores multa referimus, & interioris hominis affectiones enumerantes, in illa diutius parte quæ præstat, moramur; nequaquam abolemus historiam, quæ scripturæ fundamentum est: nec vim facimus literæ, proprietatem ejus in sensum alium retorquentes. Ex eodem palmite racemus & vinum, & ex eadem spica, & panis & granum. Nulla est injuria, nulla violentia, quam facimus literæ, si reconditos in ea mysticos revolvimus intellectus: imo honoramus fundamentum, cum super illud, templum Domino ex subtili & invisibili materia, spiritali labore (*c*) construimus.

Sane absque ulla dubitatione credimus, in principio creata simul cœlum & terram, in quibus sicut supra diximus, omnium quæ postea facta sunt, vel fiunt, elementalis extitit causa. Quod autem dicitur lux postea facta, cum Sol nondum esset, si tamen horarum hoc factum putatur intervallis, jam ad literam lux illa vix potest intelligi, nisi forte ille elementalis ignis per se in suo puteo fulgeret.

Sed quomodo (*d*) immixtis in materia elementis, rursus eorum separatio fiat, vix humana ratio capit, cum eorum momentanea separatio, illius sit complectionis destructio. Quod si commixtus aquæ & terræ, & aeri, ignis luxisse dicitur ante solem, hoc rerum experimento rationalis sensus non didicit: cum hodie sine illis duobus magnis luminaribus nihil nisi tenebrosum in rebus corporalibus possit intelligi, & absentia solis, ipsa est nox, & rursum præsentia dies. Proinde si lux illa prima corporalis fuit, remoto Sole & Luna, in rebus visibilibus similem lucem mihi vellem ostendi, nisi forte per anticipationem effectus ante causam positus est, & prius lucem, quam Solem cujus lux est eadem scriptura commemorat.

Quod si lux illa per se fuit, & diem discrevit à nocte, minima fuit illa tenebrarum & lucis discretio, quia ipsa lux minima erat, & omnino confusioni contermina. Hoc ideo dico, quia unam lucem materialem ad discretionem diei & noctis sufficientem fuisse rerum usus usitatusque naturæ cursus insinuat: & ut ad spiritalem revertamur sensum, lux prima rationis & mentis fuit, & voluntatis divinæ cognitio, in rebus visibilibus apparuit, & intellexit homo mente de mundi constitutione divinum consilium: quod corporali lumine deinde sibi conspexit subjectum. Hoc est incongruum, si prius illuminatur spiritus, deinde corpus: imo sicut omnem actionem naturalem præcedit & prævidet ratio; ita multo efficacius in ordine rerum, interiorem ante exteriorem hominem illuminari oportuit: ut de utraque consolatione creatori obnoxius: cui causæ rerum patuerant, de dispositionis æternæ non dubitaret effectu.

Spiritualia & intellectualia & corporalia initium habuisse dubium non est, quantum ad hominis pertinet intellectum: & ipsa institutio primitiva, sibi lux non erat, sed creaturæ cognitio intelligenti lux fuit, quæ nescienti tenebrosa abyssus erat. Neque enim contra rationem est, vel adversatur auctoritati, si rationalem creaturam prius factam, postea credimus illuminatam: & aliud ei fuerit illuminatio, aliud creatio. In reliquis vero eadem consideratio est, in die & nocte, in mane & vespere. Mane & vespere ita ponitur multis in locis, ac si dicatur, prius & posterius. Et fit vespere & mane dies unus, cum priorum & posteriorum plena fulget cognitio. Mane est inquisitionis opinio vel conjectura nondum perveniens ad veritatem, in ipsa inquisitione ex parte sentiens quod investigat; si enim nihil sentiret, nihil inquireret. Ubi (*e*) vero ratio rei ad plenum colligitur, & ad liquidum ac perspicue à fine usque ad finem (*f*) attingit; fit unus dies, & illius causæ assecutio, in cujus discutione multi meditationum conatus quasi horæ meridianæ expensæ sunt.

Ita prima & secunda & tertia dies est, singularum rerum, quæ in usum interioris vel exterioris hominis creatæ

(*a*) Subserviunt, *Laud. Bod.* (*b*) Vere metallice, *Laud. Bod.* (*c*) Constituimus, *Laud. Bod.* (*d*) Esset commixtus, *Laud. Bod.* (*e*) Ergo, *Laud.* (*f*) Sensus attingit, *Laud. Bod.*

creatæ ſunt, diligens inſpectio, certa cognitio. Quod enim de herbis vel arboribus, vel reptilibus & volatilibus, de jumentis & pecoribus Adam ille primus homo, qui omnibus nomina impoſuit, revelante ſpiritu ſenſit, & cauſam & uſum univerſorum agnovit, ſecundum ordinem & acceſſionem revelationum, quod prius ei patuit quaſi prima dies fuit, & ſecunda quod poſterius. Iterum in ipſa revelatione mane fuit inchoatio doctrinæ, veſpere & mane plenitudo ſcientiæ. Nec nomina, nec cauſas, nec rerum effectus agnoſceret, niſi eum divina ſapientia doceret quæ ei & ſe ſingulariter propoſuit, & quicquid corporaliter creaverat, & diſtinxit, & tradidit, & ſubjecit.

Illa quidem viſibilis mundi eſſentia licet ſimul facta ſit, ſimul tamen dici non potuit: & non niſi per verba humana quæ temporalibus intervallis formantur, rerum univerſitas exprimi potuit, & quod apud Deum in quo tempus non eſt vel ſpatium, ſimplex erat & unum, à Moyſe per partes eſt viſum, & intellectum & dictum, & per loca, & ſpecies, & officia diſtributum. Nimirum idem Moyſes qui primam & ſecundam & tertiam diem, & reliquas tam ſubtili diſtinguit libramine: unam eſſe diem qua cœlum & terra & omne virgultum & herba creata ſunt, ut & in ceteris idem intelligas, ſtatim poſt enumeratas dierum diſtinctiones ſubjungit: iſtæ ſunt generationes cœli & terræ: in die quo fecit Deus cœlum & terram, & omne virgultum agri, & omnem herbam regionis.

Vide quam manifeſte creationem omnium una die factam Moyſes dicit, qui tamen ſex dierum opera mirabili ſubtilitate deſcribit. Nunquam Angelicæ naturæ, quam ſub cœli nomine accepimus, divinæ defuit veritatis intuitus: nec humanæ, quæ per terram exprimitur, quaſi lux dividens inter diem & noctem rationabilis intellectus. Firmamentum dividens aquas ab aquis, perſeverans eſt ab æterno inter ſanctos & impios diſciplina. Congregatio aquarum intra unum littus, & terræ & arborum fructificatio, obedientia eſt creaturæ in genere ſuo. Duo luminaria in cœlo, de ſurſum eſſe indicant quicquid in utroque legitur teſtamento. Lux firmamenti, intellectus eſt teſtamenti. Reptilia & volatilia ex aquis producta: activos & contemplativos ex eadem maſſa oriri ſignificant. Hæc ſimul dici omnino non poſſunt: ſimul eſſe, non eſt qui ambigat.

Faciamus, inquit Deus, hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. In omnibus quæ à Deo facta ſunt, nihil hujuſmodi legimus: ſed in omnibus ſenſibilibus & inſenſibilibus, & in omnibus quæ ſunt & vivunt, dictum eſt ut eſſent, & fuerunt. Sol & luna magni & incomparabilis ſplendoris luminaria, inter reliquas creaturas ſervilem obtinent locum. Solus homo ad imaginem Dei factus, hoc ſingulari privilegio honoratur. Et de Angelis quidem, quod ad hanc ſimilitudinem facti ſint, nihil legimus. Quoniam ſicut eorum creationem eo quod intellectuales naturæ ſint, Scriptura intellectui noſtro reliquit, ita eorum dignitatem vel excellentiam prætermittit. Credendum tamen eſt, illam imaginem in illis tanto expreſſius ſignatum, quanto illa natura purior eſt, & divinæ majeſtati vicinior. Reliqua vero omnia ad imaginem æternitatis non pertinent, quoniam vanitati ſubjecta, inquieto circuitu rerum viciſſitudines obumbrant: neque ſtabilitatem ſuæ eſſentiæ per hos diſcurſus & motus conquirunt, & omnino deſinent eſſe, id quod modo ſunt: nullo pacto poſtquam diſſoluta fuerint, ad corpora ſua, vel ſtatum quemlibet denuo reverſura.

Ipſe quoque Sol in reformatione mundi, ab hoc labore ſuo quieſcet: nec opus erit diurnis & nocturnis diſtinctionibus, quando una dies æterna, & ſol unus immobilis Deus erit, & quieſcente omni creatura, una erit omnis naturæ ſtabilitas, una firmitas, una ſanitas, una pax, una æqualitas, elementa vero utrum tunc ſint, cœlum ſcilicet ipſum & terra, vel aliquid præter ſpiritualia, puri pectoris eſt intueri. Hoc tamen quod dictum, cœlum & terra tranſibunt, neſcio ſi ad hanc poſſit referri ſententiam. Petrus Apoſtolus in ſecunda epiſtola, quæ Canonica dicitur, verbum evangelicum, vel exponens, vel ſequens ait: Adveniet dies Domini ut fur: in qua cœli magno impetu tranſient; elementa vero calore ſolventur, terra autem & quæ in ea ſunt exurentur. Et infra, Cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent. Novos vero cœlos, & novam terram, & promiſſa ipſius expectamus, in quibus juſtitia habitat. De abolitione vero veteris mundi nulla quæſtio ſupereſt quæ tam manifeſte à principe Eccleſiæ eſt prædicta. Sed cujuſmodi illud novum cœlum & nova terra futura ſint, vel ſi iterum novis creaturis, cœleſtia vel terreſtria implenda ſint, omnino prætermiſſum eſt.

Quia vero dictum eſt juſtitiam habitaturam novitatem illam, poteſt intelligi, quod omne corpus (*a*) in illa reformatione alterius & multo purgatioris naturæ futurum eſt, & quicquid modo vel corruptibile eſt, vel corruptum, in illa regeneratione purgabitur, & tota erit mera de reliquo, meræ habitatio ſanctitatis. Quanto magis homo configuratus corpori claritatis Dei, nihil molis habebit, nihil neceſſitatis in corpore, quod quidem & ſpirituale erit, & tamen corpus. Ita & ipſa rationalis creaturæ converſatio quæ utique Paradiſus omnino ſpiritualis (*b*) erit, & tamen habitatio: quia ſive in illo novo cœlo, ſive in illa nova terra illa glorificata corpora erunt: quæ, licet natura & gloria Angelica agantur, veritate tamen corporis non privabuntur, ſed ſicut ſcriptum eſt, ſancti in terra ſua duplicia poſſidebunt. Paradiſus autem, hoc eſt, illa amœnitas, quies, pax, tranquillitas, & cetera omnia bona quæ adhuc oculus non vidit nec in cor hominis aſcenderunt, intelligentia & viſio Dei erit: quia tunc (*c*) videbit homo & audiet & in cor hominis aſcendet, quicquid illud eſt quod Deus eſt. Nec de locis corporalibus, vel odoribus, vel ſaporibus, ulla erit ultra vel cura, vel quæſtio; quia, ſicut diximus, etiam ſi localis aliqua tunc erit delectatio, ſpiritualis erit utique non carnalis.

Homo ad imaginem Dei conditus jam tunc nihil habens ſimile, nihil commune cum jumentis inſipientibus intelliget honorem ſuum, & in imagine ad quam conditus eſt intuebitur ſemet ipſum, & mirabitur, & dilatabitur cor ejus, & adhærens illi beatitudini, & in divinis fixus aſpectibus, ita in multitudine illius dulcedinis deliciabitur, & in ſatietate illa gloriabitur, ut irrigationes fontium, vel obumbrationes arborum, vel varietates fructuum, quas illa antiqua & corporalis habuit Paradiſus, nec velit, nec quærat: cum ſit ei Deus fons perennis, umbra refrigerans, lignum vitæ, fructus perpetuus, ſatietas infinita. In præſenti quidem (*d*) vita, exteriores ſenſus per hæc viſibilia evagantes minus ad unum ſe colligunt, & minus illius imaginis dignitas intelligitur, eo quod effuſa ex-

(*a*) *Sic Bod. Laud.* Omne in, *Imp.* (*b*) *Sic Bod. Laud.* Paradiſus erit, *Imp.* (*c*) *Sic Bod. Laud.* Quia videbit, *Imp.* (*d*) Juxta, *Bod. Laud.*

trinſecus per multa diverticula occupata ratio diverſatur.

Aliud eſt imago, aliud illud cujus eſt imago: & aliud eſt ſimilitudo, aliud illud cujus eſt ſimilitudo. Similitudo poteſt referri ad aliquam partem, imago vero integritatem ſubſtantiæ repræſentat. Filius dicitur imago Patris, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, & forma ejus: quia inter Patrem & filium nulla diverſitas, nulla diſtantia, niſi quod Pater non eſt filius, & filius non eſt Pater. In verbo igitur, quod & ſapientia Patris eſt, omnis plenitudo divinitatis exiſtit, & ipſe filius imago ſeu figura ſubſtantiæ dicitur, eo quod per verbum vel ſapientiam ſempiterna nobis revelata ſit divinitas: ſicut per imaginem cum proprie effigiata fuerit repræſentatur, & intimatur nobis cujuſcunque rei proprietas, ego cum me in ſpeculo vel in puriſſimo fonte intueor, non me ipſum video, ſed exprimit mihi imago mea omnem habitum meum vel geſtum, & quantum ex facie judicari poteſt, ipſum mentis affectum: ut tibi videas (*a*) utrum decolor ſim, an coloratus: & manifeſte intelligas utrum turbatus videar, an quietus. Ideo filius imago dicitur, quia in ipſo Patrem intelligimus: & per ipſum acceſſum habemus ad Deum, quia illuminans nos verbum, & ſapientia æterna in intellectu ſui Patris quoque aperit intellectum: quoniam qui videt filium, videt & Patrem, quia unum ſunt Pater & filius. Ad imaginem igitur Dei, hoc eſt ad intellectum & notitiam filii, per quem intelligitur & cognoſcitur illa paternitas quæ in cœlo & in terra nominatur, factus eſt homo: expreſſa in mente hominis illius lucis plenitudine, illius ſapientiæ conformitate, illius gloriæ communicatione communicat homo juſtitiæ Dei: bonitatis particeps, æternitatis hæres: rationis conſors, in appetitu pacis, in intellectu veritatis, in amore caritatis illam imaginem repræſentans: non ad illam ſimilitudinem tendens, ad quam anhelabat qui dixit, ero ſimilis altiſſimo: ſed ad illam de qua ſcriptum eſt, filii Dei ſumus: ſed nondum apparuit quid erimus: cum autem apparuerit, ſimiles ei erimus.

Portamus imaginem cœleſtis, cum formatur Chriſtus in nobis, cum in moribus noſtris & vita, illius generis nobilitas innoteſcit. Sicut enim exterior facies, paternæ generoſitatis prætendit indicium, & ibi vel pulcritudo, vel deformitas genitoris trajecta eſt, ut etiam ex vultu intelligas utrum naturalis an adulterinus ſit filius: ita in moribus evidentiſſimum eſt, ſi veritatis & juſtitiæ lineamenta imitantia exemplar divinum, ad cujus inſpectionem omnis pulcritudo & honeſtas depingitur, illam formam cœleſtem expreſſerint, hunc eſſe Dei filium & hæredem, quem à paterna bonitate non degenerem indices (*b*).

Hæc imago in anima, non in carne eſt: nec corporis eſt honor iſte, ſed ſpiritus. Exploditur Anthropomorphitarum hæreſis, quæ Deum corpus habere mentiens, ſecundum corporalem effigiem metitur ſimilitudinem divinam, & imaginem Dei membra dicit viſibilia circumſcriptioni ſubjecta. Non intellexerant hujus amentiæ aſſertores, quia Deus eſt ſpiritus: & quia ad intelligendam divinam eſſentiam caro & ſanguis non prodeſt quicquam. Secundum quod vir eſt, ad imaginem Dei factus eſt homo (*c*): ſecundum quod virago, ad ſimilitudinem maſculum quidem (*d*) & fœminam, fecit (*e*) eos. Secundum intenſiorem plenitudinem ſpiritus, vir: ſecundum remiſſiorem contemplationis appetitum, fœmina: ſecundum conſummationem, neque vir, neque fœmina: ſed in novitate vitæ creatura integra & perfecta.

Dominatio igitur omnium quæ in terra, & quæ in aquis ſunt, homini data eſt: & cœleſtem in eo omne quod ei ſubjectum eſt, reveretur originem, & in propoſito ſuo creatori obedit, nihil ei venerationis impendens ex communitate naturæ, ſed ex prærogativa gratiæ. Rebellia quidem animalia & domita & indomita ſæpe adverſus hominem videmus conſurgere: ſed hanc audaciæ & diffidii inſolentiam nihil aliud movet, niſi quod ipſe in ordine ſuo non obtemperat creatori: qui hoc non (*f*) ex merito, ſed ex gratia accepit, ut creatura irrationabilis ejus moveretur arbitrio & regeretur imperio. Juſtiſſimum ſane eſt, ut diſſentientem ad (*g*) omnia undique incommoda urgeant, & in eum qui ſuam voluntati creatoris præpoſuit, undecunque (*h*) omnium affinium excreſcat ſeditio, & extra in eum excandeſcat perſecutio omnis creaturæ, ut & caro (*i*) adverſus ſpiritum & ſpiritus adverſus carnem contendat, & qui noluit ſubeſſe (*k*) ſuperiori ſuo, nulla ei ab inferioribus reddatur ſubjectio.

Magna hominis dignitas, cujus factor Deus, conſors Angelus, miniſter mundus, regio Paradiſus. Ibi inter arbores condenſas & umbroſas & opacantia nemora, inter herbas (*l*) odoriferas, & aromatica gramina, in pratis virentibus & fontis illius Cardinalis vivis emanationibus, inter fructus & viſu & uſu delectabiles conſtituitur: in ipſa ſua nuditate oſtendens quia ſicut innocentiam & ſimplicitatem nulla involvit duplicitas, ita ſemper fictum animo confuſio operit, & circundat malignitas. Nulla ante tranſgreſſionem peccati contumelia quæſivit operculum: nihil ingeſſit caro pudendum: nihil erat quod eſſet occultandum: non erat in oculis Domini fœda nuditas, nec aliquid pudendum, ubi nulla erat impuritas.

Ceteris omnibus ſibi expoſitis, ab una ſola arbore continere præcipitur, & impoſita lege obedientiæ, proprio relictus arbitrio majora ſtatim, ſi ſtaret in mandato, percepturus, probatur in minimo. Sed quia de operibus ſex dierum nos ea quæ ſentimus ſcripturos diſpoſuimus, & hoc ex aliqua parte Deo factum eſt auctore, alterius laboris erit ſcribere quid de Paradiſo, quid de fonte illo, quid de ligno ſcientiæ boni & mali, vel de ligno vitæ; quid de ſerpente, quid de tranſgreſſione, quid de ſententia in ſerpentem & virum & mulierem promulgata parvitati noſtræ ſecundum menſuram donationis quam accepimus videatur.

Factus homo extra Paradiſum, ne aliqua deeſſe gratia videretur, in Paradiſum adducitur, ubi poſtea de ejus coſta facta mulier memoratur. Docebat enim (*m*) hominem ad imaginem Dei conditum etiam loci illius amœnitas: & licet nulla inſontem, ubicunque eſſet, poſſet urgere calamitas; proviſa eſt tamen ſecundum exteriores ſenſus in uno loco omnium delectationum ſtipata collectio: ne ſiquid ibi deeſſet, in quærendo vel expectando quod procul eſſet, fatigaretur appetitus; ſed omnium & præſentia gauderet & uſu. Haberet in creatore, ſi ſtaret, plenitudinem veritatis & pacis rationabilis intellectus, & totam mentem illius unius bonitatis impleret intuitus. Eodem modo etiam haberet homo exterior ſubjecta ſen-

(*a*) *Sic Bod. Laud.* Ubi, *Imp.* (*b*) Judices, *Bod. Laud.* (*c*) *Sic Bod. Laud.* Factus eſt, ſecundum, *Imp.* (*d*) *Sic Bod. Laud.* Maſculum &, *Imp.* (*e*) *Sic Bod. Laud.* Fœminam inquit, *Imp.* (*f*) Qui non, *Laud.* (*g*) Adeo, *Laud.* (*h*) Undiquaque, *Laud.* (*i*) *Sic Laud.* Ut caro, *Imp.* (*k*) Eſſe ſubjectus, *Laud. Bod.* (*l*) Arbores *Laud.* (*m*) Docebat hominem, *Bod. Laud.*

ſenſibus quæcunque ſuavia & jucunda humanam poſſunt oblectare naturam : ut eſſet omnium ſpiritualium gaudiorum homini ſumma Deus, & omnium temporalium conſolationum ſufficientia Paradiſus.

Unde etiam Eden, id eſt voluptas, dictus eſt locus ille, & hortus deliciarum propter ubertatem ſoli, & nemora fructifera. Emanabat è medio fons vitreus, irrigans & humectans omne gramen radicitus : nec tamen redundans enormitet, ſed elapſu ſubterraneo totam horti illius aream imbuens. Frondes patulæ in proceris arboribus ſubjecta gramina obumbrabant : humorque inferior, & ſuperior temperies, virorem perpetem in ceſpite nutriebant. Aderat aura meridianis horis, ſi quis forte erat, vaporem abigens & propellens. Locus omnino nivium ignarus & grandinis, & perpetui veris æqualitate fœcundus. Erat ex fructibus & ipſis virgultis aromatica conſperſio : & ex ipſis truncis pinguedines pigmentariæ erumpebant. Stillabat ſtorax, & liquor balſami ruptis corticibus ultro pavimenti cruſtas affatim imbuebat. Defluebant per prata nardina unguenta ſpirantia : & gummi ſtillantibus ſine preli violentia, tota undique regio illa innumeris perfundebatur odoribus. Nihil erat ibi triſte, nihil corruptum, quod cetera impediret : quia omnia horti illius plantaria, plantatoris ſui redolebant virtutem, & cœleſtis gloriæ gratiam prædicabant. Sudabant ligna pinguedinem.

Emiſſura erat ſanctorum caritas puritatem : & in illius ſuavitatis odore tam prædicationis honeſtas, quam beatitudinis æternæ intimabatur ebrietas. Erat quaſi quædam extaſis, illa deliniens & & demulcens ſenſus carnis fragrantia : non tamen conſopiens, vel à debitis officiis hominem revocans, ſed ad quamcunque operam & ſtudium (*a*) ſubtilitatem mentis acuens & emundans. Stacte & myrrha, amomum & ſpica, & medicata (*b*) ſemina ultro prolapſa glebas fertiles impinguabant (*c*), & licet non indigeret natura, copioſiore tamen gratia juvabatur. Non erat febris, & jam erat antidotum : nulla adhuc naturæ defectio, & jam languorum remedia germinabant. Operabatur homo, non aliquid novum exercitio laborioſo ædificans, ſed delicioſa cultura aut elucidans aliquid, aut obumbrans, aut aliqua clauſtra vel diverſoria animalibus aptans : ne paſſim aberrantia, ea maxime loca quibus reverentiam pigmentorum dignitas exigebat, inconſideratis paſſibus conculcarent. Hæc atque alia hujuſmodi ſine tædio, ſine moleſtia, poterat homo cultor diligens operari : quæ etiam exhilarationi ejus maxime cooperantia, delicatam operam delectabant.

Cuſtodiebat autem intrinſecus, non timens ne aliquid ſibi raperetur ; ſed ſibi à Deo commendata & ſubjecta gaudens in obedientia univerſorum poſteritati ſucceſſuræ providens (*d*) conſervabat : ſibi etiam ipſi conſervabat, ne aliquid admitteret propter quod inde mereretur expelli. Atque utinam circa animæ ſuæ plantaria, & virtutum (*e*) genimina, ea qua oportuit diligentia vigilaſſet : operans utilia & conſervans : diſcens ex inferiorum obedientia, quantam creatori ſubjectionem deberet. In cujus ſi perſeveraſſet imperio, & cuſtodiſſet quod fuerat imperatum ; ſolidaretur cito, quod adhuc erat in pendulo, & ab hac corporalis Paradiſi amœnitate deliciarum veheretur in illam ſpiritalem tranquillitatem, cujus pax omnem ſuperat intellectum. De cujus Paradiſi beatitudine, nos aliqua ſecundum ſenſus noſtri anguſtias, & menſuram donationis (*f*), ſpiritalibus ſpiritualia comparantes in ſequentibus perſtringemus : (*g*) nunc de corporali Paradiſo ſenſibilibus ſenſibilia conferentes, & ſecus doctorum limitem incedentes loqui propoſuimus. Et de odoribus quidem horti illius aliqua dicta ſunt : alia vero quæ ad reliquos ſenſus pertinent, differenda ſuperſunt.

Erant ibi ligna fructifera quæ guſtui & aſpectui deſervirent : pulcra ad viſum, ad olfactum grata, ad omne delectamentum ſuavia. Singula ſecundum genus ſuum propriis efficientiis mancipata, non tam ad ſatiandum carnis appetitum, quam etiam ad conſervandum humanæ naturæ integrum ſtatum. Nihil extra, nihil ultra ea quæ præ oculis & manibus erant, ambire poterat concupiſcentia. Totum erat in promtu quod poſtulabat, non dico neceſſitas, ſed voluptas. Nec erat (*h*) ulla voluptas aliqua paſſione deſiderii inflammata : nec erat ardor laſcivientis petulantiæ : Sed erat in exuberanti copia temperans ſufficientia & ſatietas quietiſſima. Alia quidem erat arborum gloria, alia fructuum : nec erat ibi quicquam inutile, nihil ſuperfluum : ubi & ſtipes pinguedinem, & frondes umbram, & poma pabulum porrigebant : gummi languoribus, umbra ardoribus, cibus defectibus occurrebat.

Erant quidem (*i*) extra, non ultra experientiam noſtram illæ dulcedines, ſed nos ex conſuetis inexperta metimur. Vidi ego ligna quorum folia vel fructus bruma non urit : & in citro vel pinu quinti vel ſexti anni poma immarceſſibilia perſeverant. Quare ergo ibi, ubi neque horror hyemis, neque ulla intemperies ingreditur, ſed continua veris fixa eſt novitas (cum ex ipſius temporis harmonia quæcunque ibi ſunt, in augmento ſint : & quicquid vivit, ex natura & ratione materiæ prægnantis parturiat) non dicamus ligna imputribilia, poma incorruptibilia, & efficaciſſimos illorum ſaporum vel odorum effectus, ad implendos uſque ad ſufficientiam omnes vel guſtuum, vel olfactuum, vel aſpectuum appetitus ? Quid deerat illi menſæ, illi ſingulari convivio : ubi & oculus pulcritudine, & guſtus dulcedine, & olfactus condito ſpiramine implebatur? Aderat quoque ad deliciarum cumulum fons ille ex vicinis & intra ſe natis graminibus ſaporis grati, refrigerandi & humectandi calorem intrinſecum habens effectum. Temperabat & mundabat corporis venas, per quas quaſi per quoſdam tubulos defluebat, irrigans quaſi alterum Paradiſum, & fœcundans in genere ſuo membra ſingula propriis officiis diſtributa.

Cingebant (*k*) labia fontis, hyacinthini & ſmaragdini flores, & cruſtæ purpureæ ſedes aptabant intumeſcentibus glebis : ne recumbentium cervicem vel humeros ſuſpenſio aggravaret. Fundebant ſe humi pro tapetibus ſtrata aneto & croco odorata cubilia : nec mordax cynomyia nudis artubus affidebat ; quod genus ſi ibi erat, inerme erat, nec terebrantibus ſpiculis quietis illius delicias infeſtabat, & quidem in illis minimis contemtilibuſque volatilibus poſt peccatum miranda eſt adeo acris efficientiæ importunitas, quæ fere inviſibili & omnino fragili ſtimulo etiam denſiſſimas pelles armentorum penetrans (*l*) & quaſi admota ſpongia vulneri, quicquid intus eſt humorum vel ſanguinis ebibit & exhaurit. Ante peccatum quidem quia culpa non erat, nec pœna, nec poterat aliqua eſſe moleſtia ab inferioribus, ubi ſuperiori ſuo purum exhibebat famulatum rationis humanæ humilis obedientia.

Vi-

(*a*) Et ſubtilitatem, *Laud.* (*b*) Medica, *Laud.* (*c*) *Sic Laud. Bod.* Impinguebant, *Imp.* (*d*) Conſervabat ne, *Laud.* (*e*) *Sic Laud. Bod.* Gramina, *Imp.* (*f*) Donationis Chriſti, *Bod.* (*g*) Sicut, *Laud. Bod.* (*h*) Illa, *Laud. Bod.* (*i*) Extra &, *Laud. Bod.* (*k*) Labra, *Laud. Bod.* (*l*) Penetrat, *Laud. Bod.*

Viderer excedere, ſi non deſcriberem voluptatem: ſed quicquid dici poteſt, minus eſt ab illis deliciis: quippe deliri & fatui ſenſus, & labe peccati infecti, integris illis & virginibus ſenſibus quibus pura utebatur natura, omnino conquadrari non poſſunt: & omnem hujus corruptionis experientiam illius jocunditatis puriſſimæ ubertas exuperat: & ne auditui deſit, quæ demulceat, melodia, ſuperne in ramis cedrorum vel aliarum arborum Phœnix vivax pſallebat, & Pſittacus, & multiplici concinentium avium ſono una erat conſonantia: quorum hilaris univerſitas laudabat ſecundum modum ſuum auctorem ſuum, in voce exultationis jubilans creatori, blandiens homini, movens ad mulcendum (*a*) eum naturalia organa, & originalis muſicæ à Deo condita inſtrumenta. Gemitus turturis & columbæ hujus temporis ſuſpiria præſignabant. Aliæ ſingulæ volucres de ſtatu præſentis & futuræ Eccleſiæ præcinebant quaſi quædam oracula: vel gaudium vel affectum quemlibet in ſuæ naturæ modo & ratione promentia. Nihil tamen triſte, nihil lugubre ibi erat: ubi non varietas concinentium diſſonantiam efficiebat: ſed ſive per artas ſive per amplas faucium fiſtulas circumflexiones jubilorum impellerentur; aſcenſiones & deſcenſiones vocum convenientibus in unum differentiis ad unius puncti revertebantur harmoniam.

Fiſtula & ſambuca & cetera naturam imitantia organa, quæ ſatis oblectant hujus temporis auditores, tantum ab illius monochordi vivis & claris vocibus differunt, quantum quicquid aliunde ſcriptum eſt, diſcrepat ab exemplari. Omnino minor eſt gratia in raucis follibus & compactis calamis, ſive in teſtudinibus concavis quæ humanum inſtauravit ingenium, quam in illis vivis inſtrumentis quæ artifex natura dictavit. Hujuſmodi ad menſam protoplaſti excubabant tibicines, tales cythariſtas habebat (*b*) illa originalis antiquitas: & tamen corporalis hæc erat conſolatio, non prædeſtinata felicitas.

In Paradiſo nec mimus erat nec hiſtrio. Alludebant ſibi cuncta ſimpliciter, nec deceptoriis illuſionibus ſimulatio perſonarum ſcenas comicas exprimebat. Non emolliebat ad laſciviam diſſolutas animas ſenſualitas ſatiata (*c*): neque extraordinarius pruritus carnalis affectus legitimos terminos tranſiliebat (*d*), intra præceptum ſe continens: & formam omnium à creatore deſcriptam certis regulis, intra metas præfixas motus voluntarius cohibebat, & quieſcebat, & abundans in rationabili ſufficientia, non tabeſcebat æſtuans in intemperantia infinita. Omnis quippe uſus intemperans fœda eſt & turpis abuſio: & miſerum facit quæcunque non impletur, & certis non utitur ponderibus, & menſuris, & numeris quarumcunque rerum experientia. Ideoque effrœni & diſſoluto animo appetitus & uſus voluptatum irruit in tormentum; quia vehementia & ingluvies intemperantiæ ſuppoſitis ſtipulis non ſedatur, ſed irritatur.

Non ſic ante prævaricationem homo corporalibus illis utebatur deliciis, ut ſe vagabundus mergeret (*e*) uſque in fæces profunditatis: ſed honeſto & modeſto acceſſu delibans (*f*) univerſa, præpoſituræ rationabilis honorabat dignitatem, & dominabatur affectibus ſuis moderatione diſcreta, non oppreſſione tyrannica. In his quæ ex parte aliqua ſummatim tetigimus, viſus, auditus, olfactus, guſtus & tactus in virginitatis ſuæ integritate perſeverantia, habebant lampades accenſas, ſine aliqua curioſitatis amurca; & puro obſequio, venienti ſponſo cum luminibus omnium ſenſuum occurrebant agmina inſopita. De lignis illis quæ in illo horto plantaverat Deus præter ea quæ diximus, multa jam ſpiritaliter reſtant intelligenda, quia ex quadam vicinia, ſic ſibi è proximo bona corporalia & ſpiritualia jungebantur, ut fere unirentur: & tamen ſeparatim & proprie viſibilia corpori, inviſibilia (*g*) menti deſtinata ſuis diſtinctionibus neceſſe eſt adaptari.

Duo tantum (*h*) de omnibus lignis Paradiſi Geneſeos liber commemorat, lignum vitæ & lignum ſcientiæ boni & mali: cum multa alia in illa ſylva denſiſſima non dubium ſit fuiſſe: quia & lignum ſapientiæ legimus, & aliis quoque arboribus nomina virtutum ſecundum ſuas efficientias minime defuiſſe nullo modo ambigimus. Nec nos materialem plantam illius Paradiſi corporalis eradicare præſumimus, ſed ſpiritalem fructum in viſibili colonia (*i*) metimus, & de olivis fructum ſumimus & liquorem. Et in gemmis quidem quæ inter glareas fontis illius Cardinalis volvuntur, & ad nos fluminum allapſu delatæ perveniunt, plurimam eſſe virtutem experti ſumus. Ita & in arboribus quæ odore & ſapore ſenſuum noſtrorum conſuetudinem excedunt, quis dubitet ſingularem ineſſe gratiam ad diverſarum cauſarum remedia: ut & lignum vitæ ſenectutis morbum (*k*) cohibeat, & lignum temperantiæ ingluviei ardorem extinguat: ita & lignum caſtitatis ibi procul dubio erat, cujus eſus ita poterat temperare naturam, ut non magis genitales corporis partes moverentur ad copulam, quam reliqua membra: quæ ſingula ſine aliquo titillationis pruritu ordinatis acceſſionibus ſua peragunt inſtituta. Hoc etiam in hujus mundi (*l*) languore jam ſeneſcentibus & areſcentibus cauſarum effectibus camphora ſatis efficaciter agitur: & ſæpe olfacta vel hauſta deſiccat receptacula ſpermatum, & illius negotii inſtrumenta congelata corrugat. Hoc multa ſemina radiceſque jam fere effætæ efficiunt. Quanto magis virente mundo & in Paradiſo, cum omnia primitivi ſucci novitate & puritate ferverent, occurreret non unum quodlibet (*m*) gramen, ſed ſemen vel fructus obſequio hominis propter quem facta erant: & alia quidem ſecundum hanc, alia vero ſecundum aliam cauſam ſalutis & incorruptibilitatis poculum ſuo propinarent Domino & cultori.

Quod ſi Solomon ab hyſſopo quæ naſcitur in maceria, uſque ad cedrum Libani diſputavit: & tot phyſici inquiſitores naturæ per conjecturas vel experientias aſſequi potuerunt tam profundæ rei doctrinam: Nunquid Adam qui fuit Dei filius, hoc potuit ignorare, cui ex imagine Dei & ſimilitudine hæc erat gratia, ut omnis creaturæ ſibi ſubditæ intelligeret rationem? Novit plane primogenitus ille omnium corporalium temporales viciſſitudines: novit cauſas, & motus, & eſſentias, & effectus omnium quæ ſenſibiliter & viſibiliter elementalis origo produxit, & materialis eſſentia enutrivit. Quia vero boni & mali ſcientia mentis affectio eſt, nec corporis eſt ſcire bonum vel malum, ſed ſingulare & proprium eſt animæ; res quidem videtur ſpectare ad naturæ & eſſentiæ ſuæ proprietatem, nomen vero rei, id eſt ſcientia boni & mali ad ſpiritualem ſenſum & myſticam intelligentiam.

Abſit à fide catholica, ut alicujus mali creatrix ſit illa ſempiterna virtus & divinitas. Procul explodatur illa

(*a*) Eas, *Laud. Bod.* (*b*) *Sic Laud.* Habet, *Imp.* (*c*) *Sic Laud. Bod.* Sauciata, *Imp.* (*d*) Tranſiebat, *Laud. Bod.* (*e*) Per ſingulas, *Laud. Bod.* (*f*) *Sic Bod.* Deliberans, *Imp.* (*g*) Vero, *Laud.* (*h*) *Sic Bod.* Tamen, *Imp.* (*i*) *Sic Bod.* Metimur, *Imp.* (*k*) Cohibebat, *Bod.* (*l*) *Sic Laud. Bod.* Ejuſmodi, *Imp.* (*m*) Unumquodque, *Laud. Bod.*

illa Manichæorum dementia quæ gentem tenebrarum rebellem Deo, & neſcio quæ diverſa introducit principia. Procul Paterniani exeant, qui ſecretas & pudendas corporis partes, à Diabolo & non à Deo aſſerunt factas. Excludatur à ſenſu Chriſtiano Menandriana impietas, & Patriciana hæreſis, quorum Menander Simonis magi diſcipulus, ab Angelis & non à Deo mundum aſſerit factum: Patricius totam humanæ carnis ſubſtantiam diaboli eſſe creationem mentitur. Nec Mambres nec Jannes creatores fuerunt illorum ſerpentum quos Moyſis ſerpens coram Pharaone abſorbuit: ſed diabolicis præſtigiis, virgæ eorum quæ utique Dei creaturæ erant, verſæ ſunt in dracones: ſicut putris caro in vermes, (*a*) vel ligna combuſta vertuntur in cineres. Quis convertibiles neget corporales ſubſtantias, cum de carne tua propria lumbricos ſcaturire, & de veſte tineas, & de ſudoribus vel quibuſcunque putredinibus, vel muſcas vel pulices egredi videas? Acceleratus magorum effectus, & virgarum in ſerpentes converſio repentina, admirationi quibuſdam eſt & ſtupori: cum mirum non ſit de omni re, quæ fieri poteſt utrum tarde an cito fiat. Cum etiam quorundam hominum ingenia, ea ſub omni celeritate conſtituunt, quæ multo tempore ab imperitioribus & lentioribus vix fiant. Quanto magis illa diabolica ſubtilitas, quæ rerum effectus & cauſas ab antiquo cognovit, ſecretam naturæ virtutem in publicum trahere prævalet, cum aliquid de re occulta efficiendum eſt in quo hebetes ſenſus hominum ludificare poſſit, & à veritate avertere, ut ſerviant creaturæ, potius quam creatori, qui eſt benedictus in ſecula?

Creatura quidem non niſi à ſolo Deo poteſt inſtitui, qui nihil malum creavit, ſed ſingula bona, & omnia valde bona. Et Moyſis ſerpens, vere ſerpens fuit, quem cum placuit creatori, & de virga aptavit in colubrum, & rurſum reverti præcepit in virgam. Moyſes vero neque auctor, neque creator, ſed tamen illius miraculi miniſter fuit. Ita & columba quæ baptizata Domino ſuper eum apparuit, vere columba fuit, & peracta diſpenſatione propter quam ad negotii illius miniſterium deducta eſt, iterum ad naturæ illius formam de qua aſſumta eſt, ſubito eſt reverſa. Ita tres Angeli quorum Abraham pedes lavit, quos etiam de panibus quos Sara paravit, & de vitulo quem coxerat ipſe Abraham, legimus comediſſe, non in phantaſticis ſed in veris apparuere corporibus: quorum functio ut acta eſt non evanuit, ſed eſt in ſe reverſa aſſumtio. Hanc formam intelligentiæ cuſtodiri oportet, quoties per verba, vel viſibilia ſigna loquutus eſt Deus vel ad Adam in Paradiſo, vel ad Prophetas: ut ſcias ubicunque eſt vox, ibi eſſe & corpus: nec tamen quoties loquutus Deus per corporalis miniſterium creaturæ, verbum æſtimes incarnatum: ſed ſicut diximus, diſpenſatoria & perfunctoria erat illa corporalis & perſonalis aſſumtio, non eſſentialis naturarum (*b*) unitio. Longe digreſſi ſumus, occaſione hæreticorum qui Deum vel alicujus mali factorem, vel alium quemlibet mali aſtruunt creatorem: ut aliud principium, alium artificem vel conditorem ex ſanctarum auctoritate ſcripturarum emulgeant.

Lignum ſcientiæ boni & mali malum non erat in ſua natura: nec fructus ejus, vel ante prohibitionem, vel poſtea, noxius fuit: ſed ideo ſic nuncupata ſunt quia in illa prohibitione experimentum obedientiæ poſitum eſt, cujus obſervatio bonum, prævaricatio malum eſſet. Scientiam quidem mali ante peccatum homo non habuit, id eſt neſcivit quantum malum eſſet non obedire Deo, ſed docuit eum propria confuſio & pœna peccati quid eſſet peccatum. Si enim pœna tranſgreſſionem non ſequeretur, & idem eſſet juſtitiæ & injuſtitiæ ſtipendium; nulla eſſet ratio, qua timeretur vel amaretur Deus. Nulla omnino timoris cauſa eſſet, ſi non inobedientia puniretur: nulla dilectionis ratio, niſi amantibus copioſior gratia redderetur.

Sciebat Adam non eſſe violandum mandatum Dei, ſed facilem indulgentiam ſperabat, non expertus iram vel judicium, quia nondum (*c*) ſeveritatem vel ſupplicium. Oportebat omnino ut ibi ſtatim in primis parentibus rigor inciperet diſciplinæ, ne facilis venia in contemtum Dei filios Adam genus humanum erigeret, & creatura prævaricans & inhonorans Deum, non eſſet in gloriam, ſed in contumeliam creatori. Poterat homo ex peccato diaboli cujus dejectionem non ignorabat, conſiderare diſtrictionem judicis, & ex illa irrevocabili ſententia quæ illum malignum à ſpe miſericordiæ excluſerat, ſimile formidare judicium. Inſani cerebri eſt & animi delirantis, ibi te tibi polliceri veniam, ubi tu provoces iram: in eodem articulo temporis ſperare de clementia, in quo contemnitur gratia & conculcatur juſtitia.

Qualecunque ſit vinculum vel fœdus ſocietatis humanæ, rumpenda ſunt omnia quæ conſuetudo alligat, vel natura, ne offendatur Deus. Non eſt iſta Chriſtiana pietas, quæ nos, divinæ obedientiæ auctoritate contemta, in carnales inclinat affectus. Propter conjugii gratiam & complexus uxorios, relinquit homo patrem & matrem, & (*d*) ſunt duo in carne una: non tamen deſeri etiam debet Deus qui ſpirituali connubio univerſum eccleſiæ corpus in unitate fidei & caritatis compactum, ex conjugio & continentia & cœlibatu unum inſtaurans corpus & ſpiritum, ut celebret ſibi nuptias modo in ſpe, in regno vero ſuo in ipſa veritate diſponit.

Scandalizavit Adam oculus ſuus, id eſt perſuaſio conjugis, quem utilius eruiſſet & projeciſſet à ſe, quam blandimentis fœmineis remiſſe obtemperans, illa peremtoria conſilia ſuſcepiſſet. Nec erat immemor præcepti, vel pœnæ, quam, ſi tranſgrederetur, ei Deus fuerat comminatus: ſed neſcio qua ſpe de Dei clementia præſumens, (*e*) exiguitatem facti, non pondus penſabat præcepti. Nec uſquequaque mortem verebatur, quam non attigerat. Nec forſitan ſe aliis bonis privandum putabat, quia (*f*) neque calamitatis ſecuturæ ordinem illa prohibitionis & comminationis ſententia continebat. Comedit de fructu interdicto, & facta eſt (*g*) arbor illa ſciendi bonum & malum occaſio unde & ipſum lignum nomen accepit antequam illud tangeret homo, non quia in ligni natura boni eſſet vel mali ſcientia, ſed quia in tranſgreſſione mandati quod de ligno erat, futura erat utriuſque rei experientia. Et illico ſenſit homo quod ante non ſenſerat: ſenſit malum concupiſcentiæ, & pruritum membrorum rebellium: obſcœnos, & (*h*) non voluntarios carnis appetitus & motus: & ſcivit quantum intereſſet inter libertatem & pacem carnis & ſpiritus, in qua fuerat, & controverſiam eorundem, & ſtimulos titillatorios, quibus pungentibus & urgentibus moribundos & fermentatos artus, languens anima deſudabat.

A facie inſipientiæ ſuæ longe factus eſt à ſanitate, miſer & incurvatus, putres & corruptas cicatrices illu-

(*a*) *Sic Laud. Bod.* vel combuſta vertitur, *Imp.* (*b*) Initiatio, *Laud.* (*c*) Senſerat, *Laud. Bod.* (*d*) Fiunt, *Bod.* (*e*) *Sic Laud. Bod.* exiguitatem, non, *Imp.* (*f*) Neque dejectionis neque cal. *Laud. Bod.* (*g*) Ei, *Laud. Bod.* (*h*) Involuntarios, *Laud. Bod.*

illuſiones lumborum plorabat, & cucurrit ad folia, ipſe jam folio quod à vento rapitur, ſimilis; & contextis ſuccinctoriis abſcondit carnes enormes, & operuerunt tam ipſe quam mulier jam ardentibus intus libidinum carbonibus horrendas viſu ſordium officinas. Et cum eadem prius membra eſſent, pudenda non erant, quia nihil inhoneſtum erat in corpore, ſed habebant omnia membra in ſuo ordine congruam dignitatem, venerabilem ſpeciem, uſum rationabilem, modeſtiam competentem. Omnia intra modum; nihil contra voluntatem: nulla lex diſſentiens: omnia quieta & pacifica tum ipſum creatorem, quam ipſam creatam honorabant naturam. Vere, ſicut ſerpens prædixerat, aperti ſunt oculi eorum ad propriæ confuſionis cognoſcendam miſeriam, non ad illius præſumtionis qua Dii eſſe affectaverunt, gloriam conſequendam. Viderunt ſe, & erubuerunt, & indignos ſe judicantes divinis aſpectibus, non quaſi latere poſſent vel effugere judicem, ſed quaſi rei & jam in piſtrino propriæ conſcientiæ deputati ad molam, ſeſe in aliquibus receſſibus timidi abſconderunt.

Hoc ſolum verum in omni illa perſuaſione diabolica fuit, quod aperti ſunt oculi eorum, non ad id quod ille promittebat, ſed ad id potius ſentiendum quod ſuggeſtor mentiens intendebat: qui ei quaſi ſucceſſori, parricidali odio invidebat. Hic illius Philoſophi non incongrue aptatur ſententia; inſidioſiſſime, inquit, nocet, cui gratiæ aguntur pro injuria. Mendax in reliquis omnibus quæ pollicebatur, & deteſtatione digniſſimus, ad illud verbum, quo eos nequaquam mori, ſed ſicut Deos futuros aſſeruit, ſtatim & agnoſci, & repelli rationis indignatione (*a*) debebat: ſed facilem acceſſum ad cor fœminæ illa habuit promiſſio, quæ jam ambiebat propriam poteſtatem, excuſſo à cervice ſua creatoris dominio. Quod ſi hæc ſuperba præſumtio jam in mentem ejus intraverat, prius ſuperbiæ quam inobedientiæ rea convincitur. Hoc aliqui Tractatorum ſenſerunt: ſed ego pro modo meo ita hunc locum accipio, ut ſuperbiam & inobedientiam in eodem puncto concludam, nec ante guſtum pomi in elationis malo Evam contabuiſſe præjudicem. Vere qui in uno offendit, eſt omnium reus; & ubi mater virtutum caritas læditur, univerſitas bonorum quaſi præciſa radice ſiccatur. Septem ſpiritus nequam ſimul cohabitant, nec facile eſt alterum avelli ab altero, ſed forſitan idem ipſe eſt qui ſecundum plures malitiæ affectus, diverſis nominibus nuncupatur. Spiritus quoque ſanctus dicitur ſeptiformis, cum non ſit niſi unus: quia ubi timor caſtus, ibi eſt pietas, nec pietati poteſt deeſſe ſcientia: ubi vero eſt ſcientia, non deeſt conſilium, & conſilio conſtantia & fortitudo accedit. Sic intelligitur, ſic amatur ſapientia Dei (*b*) quod eſt verbum patris, ubi humilitas manſuetudinem, manſuetudo compunctionem, compunctio fervorem, fervor benignitatem, benignitas puritatem, puritas exprimit pacem.

Vides apud Prophetam omnes impietates & injuſtitias ſimul in eodem articulo pœnitentibus condonari, & negligentibus & reverſis ad vomitum, etiam condonata (*c*) requiri. Omnis quippe ſuperbus conſequenter eſt invidus: quia propriæ excellentiæ appetitor ſemper eſt alienæ felicitatis detractor. Ita prudentia quæ in bono eſt, ſine temperantia nulla eſt: & quicunque intemperans eſt nec de fortitudine gloriari poteſt, nec de juſtitia. Unum eſt corpus virtutum quod nec ſchiſma ſcindat nec hæreſis, & univerſitas gratiarum ex radice pullulat caritatis. Fundamentum & origo eſt omnis malitiæ ſuperbia: & licet ipſa omne vitiorum vulgus parturiat, ſic tamen habet in ſe unita & coeſſentialia ſua genimina, ut abſque ſua ſobole nihil omnino efficiat, nec unquam poſſit ſolitaria inveniri.

Superbivit, & in eodem momento inobediens mulier fuit: nec æſtimanda eſt temporaliter hæc inobedientiæ ſucceſſio, cum eadem ſit & indiviſa utriuſque connexio & origo. Adulterini ſurculi laſciviente radice nonnunquam conſertis ſimul manipulis exurgunt: ita ut virgulas quidem diſcernas numero, ſed incrementi non videas rationem. Unus ſapor viti & palmiti: unus color (*d*) crini & corpori: unus odor ligno & cortici: & omnibus membris humanis, licet ſint valde diverſa, & multiplex eorum ſit actio; unum tamen (*e*) principium & indiviſa creatio. Unum venenum diverſas efficit paſſiones, & eadem diffuſio phreneſin, quæ apoplexiam creat: & quoſdam quidem eadem tabe ſubito intercipi & emori videas, quoſdam vero diu languere.

Duo promiſſa ſunt mulieri, immortalitas & divinitas: neutrum provenit, ſed jumentorum conditio, & hominum ſub unius ſimilitudinis comparatione & damnatione promulgata cenſetur. Ecce Adam in cujus faciem inſufflaverat Deus, quaſi omnes ſenſus quorum ibi ſedes eſt, & domeſtica cathedra, purificans & fœcundans, beſtiali (*f*) irrationabilitate oculos & aures & reliquos ſenſus ad inferiora repreſſit, & avertens à ſpiritualibus divinum intellectum, ventris animal inferioribus membris degeneri paravit famulatu, & ſenſit caro nudata virtutibus caumata & algores: ſenſit vacuus ſpiritus putredines & fœtores: ſenſit inanis gloria miſerias & dolores.

Sic ille idem ſerpens auſus eſt in altero Paradiſo non deliciarum, ſed abſtinentiæ aggredi Salvatorem: perſuadens ut panem de lapidibus faceret, ut ſe de pinna templi deorſum mitteret, & (*g*) vecordi dementia ut ſe dæmonem procidens adoraret. Chriſtus vero qui non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed cum in forma eſſet ſervi uſque ad præfinitum tempus à patre, cum eſſet Deus omnium, ſerviles terminos non excedens, vitam animæ vitæ corporis præponendam, nec gloriam nec poteſtatem mundi hujus expetendam edocuit, & proprio exemplo quod facile, ſi patientia prætendatur, Satanas repelli poſſit, manſuetiſſimus magiſter oſtendit. Ad primum ſibilum ille primus homo contabuit: de quo poſt peccatum & damnationem juſtiſſimam quaſi inſultans & increpans Deus dicit, Ecce factus eſt Adam quaſi unus ex nobis, ſciens bonum & malum. Hoc ſchema in ſcripturis ſanctis ironia dicitur, cum figurata locutio perſonam vel exprobrantis vel indignantis aſſumit. Unde Apoſtolus, ſolidatis poſt reſurrectionem corporibus, & carnis ſtimulis conſopitis, quaſi jam intuens quod futurum erat, exprobrans morti clamabat, (*h*) Ubi eſt, mors, victoria tua? Ubi eſt, mors, ſtimulus tuus? Deridebat Apoſtolus mortem, quæ gloriabatur quaſi victrix, occiſo Salvatore & poſito in ſepulcro. Et quia in generali reſurrectione ipſa mors deſtruetur, applaudebat illi victoriæ, & mortis defectui inſultabat. Ita per hanc figuram, Hieruſalem civitas ſancta, cum jam in mortem Domini conſpiraſſet, per Eſaiam vallis viſionis invective dicitur. Utitur in multis locis hoc genere locutionis ſancta Scriptura.

(*a*) Deberet, *Laud. Bod.* (*b*) Quæ, *Bod.* (*c*) Inquiri, *Bod.* (*d*) *Sic Laud. Bod.* carni, *Imp.* (*e*) Eſt principium, *Laud. Bod.* (*f*) Irrationalitate, *Bod.* (*g*) Vecordi in, *Laud.* (*h*) *Sic Laud. Bod.* Ubi eſt Victoria, *Imp.*

tura. Unde de Adam dicit (*a*) Dominus, Ecce Adam factus eſt quaſi unus ex nobis, ſciens bonum & malum.

Æternitatis honor & omnipotentiæ ad Patrem, ſapientiæ & hæreditatis gloria (*b*) transfertur ad Filium, ad Spiritum ſanctum bonitatis inſigne. Secundum quas differentias, Trinitatis ſimilitudinem, naturæ humanæ integritas exprimebat: nunc autem ſciens malum actione, quod vitare potuerat ratione, privata eſt æternitate & potentia, hæreditate & ſapientia, bonitate & juſtitia, & à ligno vitæ longe projecta, donec ſatisfactione condigna expiaretur admiſſum, & inobedientiæ ſcelus, malumque ſuperbiæ, (*c*) veræ humilitatis pœnitentia expurgaret: ac ſi diceret Deus, Voluit Adam eſſe ſicut Deus, diſcat ex pœna & miſeria quid tanta præſumtio (*d*) mereatur: expellatur, excludatur à loci hujus amœnitate, & experiatur quantum diſtet inter bonum & malum.

Non poſſum ſatis mirari ad illius tentationis fallaciam, & ad verba mendacii tam cito animum hominis inclinatum. Sciebat homo quia in animalibus vel reptilibus nullum erat ſecum particeps rationis. Noverat quippe naturas omnium, quibus & propria aptaverat nomina. Adduxerat quippe ad Adam Deus, omne illud viventium genus: in hoc ipſo oſtendens ſubjectam ſibi omnem irrationabilem creaturam, quæ ſibi quaſi domeſticum peculium præſentaretur, ut videret ipſe ſuperior & dignior infra ſe plebem illius generis obtemperantem ſibi, Deo jubente, concorditer: qui etiam quaſi propria mancipia, ſciens uſum omnium, vocaret ex nomine. Hoc eſt enim ſcire & vocare ex nomine, propria officia & mores intelligere ſingulorum. Mugiebant, vel rugiebant, vel hinniebant in genere ſuo: & ſecundum naturæ ſuæ proprietates, dabant ſigna, vel ſonos, vel motus: quibus poſſet eorum affectus intelligi: verbum ſolius hominis erat. Et ſi aliquando Deus voce humana loquebatur; non pertinebat ad eum curioſe inquirere quomodo loqueretur, cum de loquente non dubitaret quia Deus eſſet, & poſſet loqui ut vellet. Qui enim homini dederat verbum, poterat quod ſuum erat, cum volebat, capere, & formare in quolibet corpore. Nunc autem ſerpens quæ contra naturam & blaſphemans Deum, loquebatur, utique ex Deo non erat, ſed contra Deum. Auctor & inventor idololatriæ jam plures Deos futuros docebat, & ſeminabat errorem quo per multitudinem falſorum numinum una & vera ignoraretur divinitas.

Nunquid Satanæ præſentia illi innotuit fœminæ, quem forſitan putavit verum dicere, quia hoc audiebat, quod volebat? Solemus quippe cito credere, cum id nobis conſulitur quod optatur. Quod ſi Adam, vel Eva ſcientes diabolum eſſe qui perſonaliter in eorum auribus erat, contemto Deo perniciosiſſime ſeſe (*e*) tradidere conſiliis; hic non tantum ſcelus inobedientiæ, ſed & idololatriæ, fide abnegata, intelligo. Idololatria quippe eſt, cum quis vel ſeipſum Deum, vel alium quemlibet præter unum Deum conſtituit. De ſerpente enim dubium eſſe non poterat, quin illa verba ex ſua non proferret natura: nec erat inter omnes creaturas Dei aliqua ratione prædita, perſuadendi vel conſulendi, vel ratiocinandi habens ſcientiam vel poteſtatem præter ſolum Angelicam & humanam. Conſtat itaque non ignoraſſe mulierem, quia vere ei diabolus in ſerpente loquebatur: ſed appetitu liberæ poteſtatis oppreſſa, quia ſine Dei dominio eſſe voluit, eum quod contra Deum & ad voluntatem ſuam loquebatur, libenter audivit.

Confuſe aliquando viri & mulieris nomina poſita ſunt, propter corporis unitatem, & peccati ſimilitudinem: Adam tamen non ex diabolo, ſed ex muliere verba illa audivit, quibus nec reſtitit, nec contradixit: & licet forſitan non crederet quod diabolus vel mulier ſuadebant, auſu tamen nefario ſeſe illi actioni commiſcuit.

Senſerunt quidam ſerpentem illum non verbo, ſed ſigno aliquo prævaricationem illam homini intimaſſe: ſed hæc ſententia diverſum à re geſta exigit intellectum. Alii nec diabolum fuiſſe in Paradiſo affirmant, niſi eo modo, quo vagis & inconſtantibus (*f*) mentibus tentationum immittit incendia, quas ideo incendere (*g*) vel exagitare dicitur, quia cum corpus ejus omnes reprobi ſint, ipſe vero caput; non poteſt diverſa eorum eſſe actio quorum eadem eſt voluntas. Et hoc opus nihil aliud eſt quam malitiæ conſenſus & unitas. Per quam communicationem quod nos male agimus, ille agens dicitur; & quod ille facit, nos mediante aſſenſu efficimus: ſicut in morte Chriſti quod diabolus, quod Judas, quod Pilatus fecerunt, viciſſim & ſimul ab omnibus actum eſt: & antequam commemoraret Evangelium quod intraverit in cor Judæ diabolus, legitur quia fur erat, & loculos habebat. Unde & de hac unitate maligni hominis & dæmonis ſcriptum eſt, cum maledicit impius diabolum, maledicit animæ ſuæ. Nullum vero inconveniens eſt ſi Paradiſum permittente Deo diabolus intravit, cum apud Job, inter Filios Dei legatur aſtitiſſe, & in Regnorum libro circumſtante ſanctorum Angelorum exercitu, ad decipiendum Achab Spiritus mendax ſedenti in ſolio ſeductionis ſuæ obtulerit famulatum.

Nec deſunt qui allegoricis legibus per ſerpentem delectationem, per mulierem ſenſum, per virum mentem accipiant: ut cum delectatio ſenſum commoverit, mens vero carnali ſenſui acquieſcens delectationis guſtum acceperit, de gloria Paradiſi, id eſt ab omni bonæ conſcientiæ quiete & pace homo foras pellatur, nec jam ad lignum vitæ ei reditus pateat, niſi per miſericordiam Dei Cherubim, quæ eſt plenitudo ſcientiæ, infatuatum peccatorem reducat ad ſapientiam, inflammans cor ejus ad pœnitentiam per quam ſolet verſari & mutari ultionis ſententia, & poſſunt morti deſtinati ad lignum vitæ reverti.

Jam de ſententia expulſionis & maledictionis aliqua eſſent dicenda, ſed de fonte & fluviis qui ex eo procedunt prius pauca tangenda ſunt, ne rem (*h*) tanti ſacramenti ſubterfugiſſe videamur: non quod ſingula quæ uſque ad Abel & Cain circa Adam acta ſunt, ſuſcepimus exponenda: ſed quia capitulis quæ propoſuimus, ita circumſtantes cohærent ſententiæ, ut ea ipſa quæ loqui volumus, quaſi multitudinem convivarum, affines intellectus ad menſam noſtræ dictationis invitent, & intrare compellant.

Non ſtatim poſt prævaricationem ejectus eſt homo de loco voluptatis, ſed conſcio ſceleris nihil deliciæ Paradiſi conferebant. Tota enim noſtra non in loco, ſed in mente eſt gloria: quia non felicem facit locus, ſed vita. Quæcunque prius ſubditam Deo animam delectabant, in tormentum verſa ſunt tranſgreſſori: tum quia ſciebat ſe cito amiſſurum, nec ſibi poſſe ſtare quod ſtans ipſe poſſederat: tum quia quicquid ſine Deo poteſt de temporibus affluere, non implet poſſeſ-

(*a*) Deus, *Laud. Bod.* (*b*) Refertur, *Laud. Bod.* (*c*) Noſtræ, *Laud.* (*d*) Mereatur: excludatur, *Laud. Bod.* (*e*) Seſe conſentaneos trad. *Laud. Bod.* (*f*) *Sic Laud. Bod.* motibus, *Imp.* (*g*) Et, *Laud. Bod.* (*h*) Magni, *Laud. Bod.*

poſſeſſorem, ſed ſemper vacuum & inanem, quantuſcunque ſit nebularum globus, utrem dimittit. Et hic expertus eſt homo quam longe eſſet à deitate quam cupierat, qui jam in latebris nudus quaſi miſeriæ & turpitudinis ſuæ operimentum mendicabat. Sane nulla purpura, nullus regiæ dignitatis amictus, illius dignitatis quæ ante peccatum erat, imitari potuit gloriam. Honeſtas quidem non egebat diploide, ſicut hodie non honeſtatur, ſed celatur turpitudo, (*a*) quantilibet pretii ſuperducto velamine abſcondatur. Abſente Deo vere à corde ſuo miſellus pavebat & conturbabatur, & non tam in amaritudine pœnitentiæ, quam in ſtupore mentis, & rationis extaſi tabeſcebat.

Dilata eſt aliquantulum ſententia, nec dum conclamatum erat: quia oportebat jam tunc legis formam divino exemplo conſcribi, & ante judicium in cauſis humanis, accuſationis & defenſionis locum non præripi; ſed datis aliquibus induciis, ſuſpenſa interim ſententia, ii quibus (*b*) diſcuſſio pragmatica incumbit in medio actionum ſuarum munimenta producant. Aut confeſſus, aut convictus neceſſe eſt, ſervato antiquo ordine, ille ſit qui puniatur. Et in hoc quoque pietas (*c*) divina humanis providit erroribus: ne feſtinatio, vel impetus, aut ira in rebus inexaminatis veritatem opprimerent, & innocentem aliquem à rationis intuitu caligantibus æſtimationibus condemnarent. Areſcebat Adam præ timore & expectatione iræ, & revelatio judicii imminens miſeram animam affligebat. Jam non loci temperies, nec prata vernantia, nec obumbrantia nemora, nec ligna fructifera, nec aromatica gramina: non melodia vocum, non odorum fragrantia, nec fontis illius ſaluberrimi vivacitas demulcebat, ſed totius dignitatis ſuæ immemor ceteris rebus vacuus, oneratus contumelia, etiam pecora formidabat.

Et de animalibus, quod eis nomina impoſuerit dubium non eſt: de ceteris vero nominibus rerum primordialium quæri poteſt, utrum ab Adam, an à Moyſe inventa ſint. Ego æſtimo Adam illis fluminibus quæ in quatuor partes ab illo fonte diviſa emanant, aptaſſe vocabula: quorum primus eſt Phyſon, ſecundus Geon, tertius Tygris, quartus Euphrates. Nec ratio nominum latuit inventorem, & intelligebat, cum in honore eſſet, rei profundæ myſterium: verum corpus corruptibile jam aggravabat animam, & terrena inhabitatio deprimebat ſenſum multa cogitantem; & vaga mens jam non vacabat Deo, ſed per tumultuantium motuum pelagus diſcurrebat. Neque jam creatorem per ſe, neque per ea quæ facta ſunt excæcatus conſiderabat; ſed inter paſſiones & ſtimulos quibus pungebatur, anxius anhelabat. Ipſa nomina fluminum quorum auctor & interpres extiterat, poſſent compungere miſerum: & utinam ſpiritum contribulatum & pœnitentiæ humilitatem pro ſacrificio obtuliſſet, & erupiſſet de corde ejus fons lacrymarum irrigans univerſi corporis ariditatem, in ſatisfactionum fluenta diſcurrens. Non declinaſſet ſuperbus & vanus in verba malitiæ, nec (*d*) excuſationes in peccatis quæſiſſet, ſed pronunciaſſet adverſus ſe injuſtitiam ſuam: & forſitan peccati remiſſionem impetraſſet. (*e*) Sed reprobam animam jam ſerpens tanquam cinerem manducabat: repebat quippe jam in pectore & ventre illius terreni, & animalis, & quod Dei ſunt, non attendentis. Quod ſi ipſe, ſerpente abſorpto vel per remedium confeſſionis illuſo, cucurriſſet ad fontem miſericordiæ; lotus ex eo rediſſet ad juſtitiam, recepiſſet fortitudinem, amplecteretur temperantiam, inveniſſet prudentiam. Hæc enim ſunt intellectualia flumina, de caritate Chriſti, qui eſt fons vivus, emanantia.

Phyſon igitur primus fluminum prudentiam ſignificat, & ipſe circuit omnem terram Evilat: ibi eſt aurum optimum, & lapis praſinus, & carbunculus. Phyſon intelligitur oris commutatio. Evilat parturiens vel dolens. In primis conſtitui oportet quod intellectualis Paradiſus ſit; deinde quod fons ille, poſtea vero quod flumina quatuor, ut intellectis rerum cardinibus, & quaſi per quoſdam alveos fluminum narrationis ordine profluente ſuis limitibus ſingula coaptentur: ne forte deliciarum & voluptatis materia ſi confuſe tractetur, quod in propria natura eſt appetibile, imperitia fiat tractatoris odibile.

Corporalem, & ſpiritualem, & intellectualem Paradiſum eſſe quicunque ſanctarum Scripturarum diligens inquiſitor eſt, ex ipſis intelligit: & corporalem quidem in loco, ſpiritualem vero in anima, intellectualem vero in Deo, ratione & auctoritate diſcernit. In corporali, quam Eden dicimus, poſitus eſt homo, facta eſt mulier: & benedictio & maledictio in eodem loco, pro ratione cauſarum in humanam promulgata eſt naturam. Ibi potuit diabolus & tentare & vincere hominem: & multo robuſtiorem poſtea expertus eſt Job, ſcatentem vermibus, ſedentem in ſtercore, quam illum Adam in loco voluptatis conſtitutum, manente integra & ſubſtantia & perſona. Nec deerat etiam Job linguæ fœmineæ ſtimulus, ſed irriſit mens ſolida nugas uxorias, & increpatione modeſtiſſima præſumtionem muliebrem virili dignitate coercuit. Erat utique in Paradiſo mentis imputribilis inter virtutum delicias, & bonæ conſcientiæ gloria nulla ulcerum ſanie poterat inquinari. Non erubeſcebat Job, nec ad occultandam plagam ſuam diverſorium quærebat, quod in arce virtutum pro tribunali ſedens, de cunctis labentibus judicabat; nec pavebat à facie Dei, coram quo de innocentia gloriabatur, & interrogatus ſecuriſſime reſpondebat. Adam longe aliter ſe habuit in Paradiſo, & ubi omnia cooperabantur (*f*) profectui, ipſe nec percuſſus, nec attritus defecit, ut diſceret infirmata poſteritas ex languore & ærumna, quia nulla ſine Deo poteſt eſſe felicitas, nulla ſanitas, nulla pax, nulla integritas.

Bona quidem & jucunda erat loci illius voluptas, ſed ſine creatore manere non poterat, ſine quo nec Angelo ſurſum, nec homini deorſum in tantæ excellentiæ gloria ulla potuit eſſe ſtabilitas. Quod ſi peccati radix non germinaſſet in homine, nec diffuſa tabes agrum hujus propaginis occupaſſet; locus ille corporalis ita omnia commoda colono ſuo ultro largiretur, ut nihil omnino deeſſet extrinſecus, ſi Spiritus ſanctus in corde, quod proprium eſt domicilium ejus, maneret intrinſecus. Sapor enim omnium illarum deliciarum, & tota illius gratia incolatus ex ſuperna conſtabant dulcedine, & ipſe totius illius voluptatis temperies erat & condimentum.

Tradunt nonnulli doctorum Heliam & Enoch ibi à Deo tranſlatos in illa miſeriarum experte affluentia vivere & quieſcere, donec in extremis diebus perdito homini, in quo omnis plenitudo diabolicæ virtutis habitabit, pro teſtimonio veritatis (*g*) morituri occurrant. Aliqua in ſuperioribus de loci hujus amœnitate, quantum nos, quorum converſatio tota in amaritudine

(*a*) Quantumlibet, *Laud. Bod.* (*b*) *Sic Laud. Bod.* diſtruſio, *Imp.* (*c*) Divina providit, *Laud. Bod.* (*d*) Excuſationes peccatis, *Laud. Bod.* (*e*) Sed reproba anima diffidentiæ veneno illita non in confeſſionem, ſed in defenſionem peccati divertit; & dum innocens videri appetit diſtrictiorem in ſe ſeveritatem ultoris accendit. Quod, &c. *Laud. Bod.* (*f*) *Sic Laud. Bod.* perfectui, *Imp.* (*g*) Et ipſi morituri, *Laud. Bod.*

tudine eſt, ſentire poſſumus, deſcripta ſunt, & ut verum dicam, tacta ſunt, non definita. Nunc de ſpirituali Paradiſo, ut aliquid etiam tangamus urget promiſſio.

Hortus ille deliciarum intus in anima eſt: hæc pax, hæc fructificatio intus in Spiritu, ubi lignum vitæ eſt caritas, & lignum ſapientiæ intellectus Dei: & ubi eſt lignum ſcientiæ boni & mali, veritatis & falſitatis diſcretio. Ubi eſt lignum juſtitiæ, ſua cuique reddens rationabilis & ordinata diſtributio. Omne illud virgultum virtutes fructificat, & producit chariſmata, & quaſi ſurculi palmitum bajuli, ſunt quædam ſuſtentacula, quibus vitis onuſta incumbit, & famulantur ſibi, & ad invicem genimina illa gratiarum ſubſerviunt. Abſtinentia caſtitati obſequitur, innititur orationi devotio: in timore humilitas, & in amore mentis puritas requieſcit.

Nihil vacat in vinea ſanctitatis, ubi nec folium cadit, & omnis pampinus aliquis eſt gradus juſtitiæ: ubi & vimen in vite, hoc eſt quod iota in lege. Lex per Moyſen data eſt, Evangelium per ipſum verbum Dei expoſitum: ligna imputribilia quot volumina emiſerunt: tam (*a*) longe & late palmites extenderunt. Scripturarum propagines mundi climata impleverunt, & de fructu doctrinæ ſanctæ plena eructat Eccleſia. Ad has arbores procindendas diu ſcrutantes ſcrutationes laboraverunt Hæretici, ſed plantatio cœleſtis vexationibus non defecit, ſed crevit: decorticaverunt ramos, folia combuſſerunt, ſed eliſis fructibus, vel ipſis etiam ad ſolum arboribus dirutis, radix illæſa & vivacior perſeverans multiplicatius (*b*) pullulavit, nec eſt ex prociſione imminuta, ſed aucta. In pace confeſſio, in tribulationibus claruerunt martyria, & ſæpe ſciſſus perſecutionum vomere ager dominicus copioſiorem reddidit ſegetem.

In contemplatione Dei carnalis mens, corporis abſterſa rubigine, elimata & defæcata profecit, & fructus uberes ſpiritualis cultura de exercitatione religioſa produxit. In Paradiſo animæ, in horto bonæ conſcientiæ, in munditia cordis, pax Dei gaudium parturit, & pura fides in veritate quieſcit. Juſtitia diſponit ibi omnia ſuaviter, temperantia moderatur concorditer, ſapientia docet, fortitudo corroborat, oratio mundat, abſtinentia omnem labem deſiccat, ſpes confortat, humilitas regnat, patientia imperat. Hæc in illis beatitudinibus quies vel gloria animæ, ſinus eſt ille Abrahæ in quo dives ille Lazari animam vidit; vel illa felicitas quam latroni Dominus de cruce promiſit. Quicquid videt oculus, vel auris audit, vel in cor hominis aſcendit, non eſt illa quies quam diligentibus ſe Deus in vita æterna pollicetur. Odoramur tamen pacem illam, quæ omnem ſuperat intellectum, & infra eſt, quicquid vel æſtimari valet vel comprehendi. Nec locus eſt, nec color, nec ſonus, nec odor: quicquid illud eſt, nec tangitur nec videtur.

Senſus carnis corporeis dimenſionibus vallatur & clauditur: & tantum in craſſitudine ſuæ naturæ volvitur & moratur. Ipſius quoque ſpiritualis acumen naturæ, licet ſubtiliſſimum ſit, reverberatur tamen ſuperioris lucis ſplendore, & nihil omnino poteſt præter (*c*) illam ſolam Dei ſapientiam quam (*d*) à fine uſque ad finem attingit, ideoque in creatura nulla poteſt eſſe plenitudo beatitudinis: quia quicquid eſt imperfectum, non habet beatitudinis (*e*) effectum: & cui aliquid deeſt, nullum efficit conſummatum. Nullus corporeus locus, nullus incorporeus ſpiritus ex propria natura plenas habet delicias: quia plenitudo totius eſt, non partium, & neceſſe eſt, ut omnis pars minus continens ad fundatorem ſuum recurrat, in eo finem figens, à quo habet initium.

Hic occurrit quod idem Apoſtolus dicit ſe raptum uſque in tertium cœlum, (*f*) & audiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui: Neſcio, inquit, Deus ſcit, ſive in corpore ſive extra corpus. Raptum ſe ſcit, ſed de modo dubitat, de quo omnino non ambigeret, ſi alterum poſſibile, & alterum impoſſibile videretur. Nunc autem, quia & cum corpore (*g*) potuit rapi, poteſt intelligi corporalis Paradiſus etiam in cœlo: licet quaſi diverſa & cœlum poſuerit & Paradiſum. Quod ſi eum raptum in corpore (*h*) diceremus, neceſſe eſt ut cœlum illud corporeum intelligamus. Si vero in ſpiritu, jam non locum, ſed aliquam intelligibilem tranquillitatem viſionis divinæ accipimus. Deinde præter (*i*) ſolam perſonam Chriſti qui, primitiæ dormientium, ſurrexit unus inter mortuos liber de nullo manifeſte ſcripturæ tradunt canonicæ, quod jam duplicia in terra ſua poſſideat: vel quod corruptibile hoc ante generalem reſurrectionem, induat incorruptionem, vel mortale immortalitatem; ut taceamus modo de ipſa theotoco, vel de his qui cum Chriſto reſurrexerunt: quoniam & alia eſt & nodoſiſſima quæſtio: de Paulo quantum poſſumus, quod cœpimus, perſequar. Certe cum hæc ſcriberet, in carne erat, & in ea carne de qua alibi ſcripſerat: Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ; & poſt cetera, Infelix ego (*k*) homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus. Et datum ſibi ſtimulum carnis ſuæ, Angelum Satanæ colaphizantem ſe ipſe teſtatur. Quomodo in corpore rapi potuit ſurſum, niſi forſitan eo modo quo raptus eſt in Babylonem Abacuc à Judæa, vel Philippus de Azoto in Eunuchi occurſum? Quod ſi aliquid hujuſmodi à Deo contra naturam fit; res miraculi eſt, & virtutis, nec debet in illa æterna ratione quæ voluntas Dei eſt, aliquid humanæ rationis auſus detrahere. Potuit tamen illa Pauli temporalis, imo momentanea aſſumtio eo modo fieri, quo transfiguratus eſt Chriſtus præſente Petro, & Joanne, & Jacobo, quando Moyſes & Elias etiam ipſi glorificati viſi ſunt cum eo. Paſſibilis quidem adhuc erat Chriſtus, & ante reſurrectionem, reſurrectionis gloriam oſtendit diſcipulis non ſolum ſuam, ſed & eorum qui pariter aſſiſtebant. Ita potuit Paulus configuratus ad horam illi gloriæ quam prædicabat, & in ſimilitudinem ſpiritualium corporum, quæ reſurrectio reformabit, ſine ſenſu alicujus infirmitatis, ſana & purgata tota natura ad tempus ſurſum transferri, ut videret & audiret aliquid amplius pro participibus ſuis, quod plus omnibus in periculis & diverſis laboribus ædificans Eccleſiam deſudabat. Et ſicut Petro adhuc mortali mare fuit calcabile: ita potuit Paulo in corpore cœlum fieri penetrabile.

Si vero Paulum raptum in ſpiritu dicimus, jam nulla eſt quæſtio: quoniam vere omnem corpoream & ſpiritualem creaturam in contemplatione Dei tranſgrediens, fixus & in creatore quieſcens, nec infra manere vir plenus Spiritu ſancto, nec tranſgredi Majeſtatem præſumebat. Aſcenderat quaſi duas ſcalas, rationabiles creaturas, & per ea quæ facta ſunt, ad creatorem quaſi ad tertium cœlum pervenerat. In

(*a*) Quam longe, *Bod.* (*b*) *Sic Laud.* Multiplicius, *Imp.* (*c*) *Sic Laud. Bod.* Propter, *Imp.* (*d*) Sapientiam à fine, *Laud. Bod.* (*e*) Beatificandi, *Laud. Bod.* (*f*) Et uſque in Paradiſum &, *Laud. Bod.* (*g*) Et ſine corpore potuit, *Laud. Bod.* (*h*) Corpore dicimus, *Laud. Bod.* (*i*) *Sic Laud. Bod.* Propter, *Imp.* (*k*) Infelix homo, *Laud. Bod.*

ipſo quippe intellectualem Paradiſum eſſe credimus, ad cujus gloriam in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ad ſonum noviſſimæ tubæ occurremus (*a*) reſurgentes, & ſic ſemper cum Domino erimus. Corpus humilitatis noſtræ illi divinæ configurabitur claritati, & regem in decore ſuo in ſplendoribus ſanctorum fides Chriſtiana videbit : imo neque fides, neque ſpes, expectationis dilatione ibi languebunt, cum regnum ſolius apparuerit caritatis. Ibi nihil per ſpeculum, neque in ænigmate, ſed facie ad faciem illud ſummum bonum videbitur, & cognoſcemus ſicut & cogniti ſumus. Videbitur Chriſtus, intelligetur Deus, implebit corda omnium Spiritus ſanctus, comprehendetur modo incomprehenſibili Trinitas, & arcana divinitatis univerſæ patebunt Eccleſiæ. Ceſſabunt miniſteria Angelica, nec opus erit legationum diſcurſu, cum civitate Dei perfecta, & electionis univerſitate intus collecta, & omnia omnibus exiſtente, tunc vere in cubito (*b*) hominum erit conſummata. Unum erit gaudium, de ſtabilitate ſecuritas : una erit pax, ſufficientiæ æternalis tranquillitas. Patebit veritas, implebit caritas, & erit integra corporis & animæ ſanitas. Fulgebit ſicut ſol, glorificata humanitas : quieta erit & concors ſpiritus & carnis ſocietas. Angelorum & hominum unum erit conſortium, unus panis utriuſque, & unum convivium.

Non languebit amor ; non liquefiet dilectio : præſentibus omnibus bonis, nulla erit dilationis afflictio. Inebriabuntur ab ubertate gloriæ illius Patris benedicti : ſatiabuntur à multitudine dulcedinis omnes electi. Non erit everſio mentis illa ebrietas, ſed oblivio ærumnarum, & lætitiæ ſanctæ perennitas. Nec erit gravis aſpectui lucis illius immenſitas, imo tota erit illius ſumma beatitudinis, quod intelligitur in ſuo puro eſſe ſincera divinitas. (*c*) Videbitur & cognoſcetur, intelligetur & amabitur Deus : & hæc viſio vel cognitio, intellectus & dilectio tota erit (*d*) illius felicitatis perfectio : quoniam glorioſa dicta ſunt de te, civitas Dei : ſed in laudibus tuis humanæ linguæ ſuccubuere præconia : nullus ſtylus, nullus te expreſſit affectus. Magnum eſt quicquid in te oculus corporaliter videt : majus quod ſapit ſpiritus, amplius quod percipit & fruitur perſpicax intellectus. Videt in te oculus carnis omnem materiam : longe aliter videt ſpiritus, communem (*e*) materiæ rationem & cauſam ; omnino diſſimiliter, purgata mens ipſam intelligit veritatem ; ſpiritualis quippe viſio utitur ænigmatibus & figuris, & per quaſdam ſimilitudines animum circumducit : mens vero ipſam rem ſicuti eſt, abſque aliquibus phantaſiarum ſimulacris, ad liquidum intuitu mundo intelligit.

Vidit Baltaſar articulum manus ſcribentis in pariete : & quod viderat ſpiritu, retractans jam aliter in cogitatione conſpexit. Sciebat & videbat intus per Spiritum, quia quod oſtenſum fuerat viſibiliter, rei arcanæ ſignum eſſet, quam utique neſciebat. Adductus eſt in medium Daniel qui Spiritu prophetico mente vidit, & quid ſibi vellet viſio, protinus intellexit. In illo regno licet totum quod ibi eſſet ſit honor & gloria : glorioſior tamen & dignior pro omnibus iſte eſt intellectus, & hæc eſt (*f*) viſio Dei implens & ſatians cor hominis. Ipſa eſt tertium cœlum, tertius Paradiſus. Ibi eſt finis, ibi eſt unitas, atque ideo (*g*) finis, quia nulla diverſitas. Non erit in illa pace linguarum varietas, ſed morum & affectuum concors & amica ſocietas. In torrente voluptatis illius nihil ultra appetet cumulata ſatietas, & omnium triſtium immemor, tantum mente excedit Deo lætabunda ebrietas. Et licet pro meritis ſanctorum diverſa ſit & gloria, non tamen erit (*h*) illa diverſitas vel minoribus in invidiam, vel majoribus in ſuperbiam : quia in diſtributionibus coronarum tanta erit diſcretio caritatis, ut & ordinem teneat, & communem omnibus gloriæ dignitatem exhibeat. Beatifica divinæ majeſtatis prætentia omnibus erit omnia, & erit in commune omnium omnipotentia, omnium ſapientia, omnium juſtitia, omnium pax, omnium intelligentia, & à regno illo omnis excludetur malitia.

Quaſi vellicans aliqua de ligno vitæ folia, ad illius fructus guſtum ſuſpirans vix aliquem ſuccum de corticibus expreſſi, neque enim in cor hominis adhuc aſcendit id quod latet intrinſecus, & medullam illius dulcedinis, nullus adhuc attigit intellectus. Sane fides loquitur, ſpes non confunditur, & nos interim caritas conſolatur.

Fons in medio Paradiſi recte intelligitur caritas, quæ areſcentibus aliquando prophetiis & linguis, pleno ſemper gurgite fluit, nec unquam ſiccatur. Nihil fœcundius irrigat, nihil efficacius mentem impinguat, quam ipſa caritas, quæ per Spiritum ſanctum diffunditur in cordibus noſtris. Hæc caritas fons ſanctorum eſt proprius, nec ad hunc potum quiſquam admittitur alienus. In linguis, in fide, in abſtinentia & ſignis, in (*i*) eleemoſynis, in martyriis ſimul boni & ficti communicant ; ſola caritas ab impiorum ſe cœtibus abſentat, & ſi defuerit unius hujus pura affectio, ſterilis eſt cujuſcunque æſtimationis videatur religio. Chriſtus quippe eſt caritas, ſinceriſſimus liquor, virtus mundiſſima, refrigerium animarum, purificatio mentium : nec vaſis inquinatis mera Spiritus ſancti bonitas illabitur, nec quiſquam immundus unctione illa regali linitur. Caritas quippe eſt amor, & qui non amat, amari non poteſt : qui diligit non negligit, nec otioſa unquam poteſt eſſe dilectio : ſine dilectione confuſa eſt & indiſcreta omnis oblatio, & omnino peccas, ſi non dividis priuſquam offeras. Non indiget Deus, nec ſub nomine pietatis cruentum vult eſſe ſatellitem, nec oppreſſorem pauperum, nec conductitium judicem : quaſi ipſe ad illas recumbat delicias quas de ſuſpiriis & ſanguine miſerorum execranda extruxit crudelitas. Qui diligit non offendit, & ſi forte ceciderit, ruentem excipiens caritas mater, manum ſupponit. Hæc erumpit in flumina lacrymarum, & in pœnitentiæ gurgite lapſos baptizat & renovat, & eliſos illico reſtituit & reformat. Occurrit compunctis, ſuſcipit pœnitentes, quos tamen ipſa & afficit & compungit. Solos illos qui in malitia perſeverant, abhorret & fugit : & licet prophetes vel ardeas, licet jejunes vel montes transferas, licet in pauperum viſcera quicquid poſſides congeras ; tu ſi peccati ſervus es, in vanum laboras : nec in viſceribus caritatis ullum locum ficti cordis habet duplicitas.

Hæc eſt origo illorum quatuor fluminum, quorum nomina ſupra poſuimus, quia de caritate emanat prudentia, fluit juſtitia, fortitudo erumpit & temperantia. Ex iis Cardinalibus bonis ſub alternis diſcurſibus, rivuli & minoris famæ fontes ſecretis meatibus omnem aridam imbuunt : & ex harum torrente virtutum totum naſcitur, unde homo proficit & mundatur. Omnis intellectus, rationis, & mentis diſcretio, ſub ſapientia militant, omniſque actio ordinata, & menſura

(*a*) *Sic Laud. Bod.* Occurrentes reſurgemus, *Imp.* (*b*) *Sic Bod.* Omnia fuerint, *Imp.* (*c*) Videbitur, cognoſcetur, intelligetur, amabitur, *Bod.* (*d*) Eſt illius, *Bod.* (*e*) *Sic Bod.* Spiritus materiæ, *Imp.* (*f*) Hæc viſio, *Bod.* (*g*) *Sic Laud. Bod.* Idem, *Imp.* (*h*) *Sic Laud. Bod.* Erit diverſitas, *Imp.* (*i*) Et eleemoſynis, *Laud. Bod.*

ſura & pondus, & omnis æquitas ad juſtitiam ſe inclinant. Honeſtas morum ex temperantia, ex fortitudine vero patientia naſcitur, & item ex iis ſubdiviſionibus innumeris ſeries gratiarum multiplicibus voluminibus per diverſoria animæ (*a*) illabitur: neque iſta diffuſio perpetuis exundationibus minuitur, ſed augetur.

1 Phiſon itaque qui eſt oris commutatio, (*b*) ſignificat ſapientiam vel prudentiam, (*c*) ut diximus, quæ circuit omnem terram Evilath: quia vere hoc prudentiæ opus, mutare & convertere irrationabiles & animales homines in cognitionem Dei & laudem. Animales enim naſcimur, ſed per doctrinam ſapientiæ illuminati, ſpirituales efficimur. Unde Apoſtolus, Non prius quod ſpirituale, ſed quod animale; deinde quod ſpirituale. Mutamus igitur os, & purgatis illo (*d*) prophetico carbone labiis, non erubeſcimus, ſed prædicamus improperium crucis, nec irridemus ſicut vani Philoſophi, quod verbum factum eſt caro, ſed gloriamur in humilitate omnipotentis Dei, certi quia ſicut ejus uniti ſumus (*e*) perſonæ, ita uniemur & gloriæ. Exuimus veterem hominem, & induimus novum: mutamus pellem peccati, & ſuccincti munditiæ baltheo currimus expediti. Mutamus os, & ipſi quæ probavimus condemnamus, & in nos ipſos ſeveriſſimi judices vanitatum & voluptatum conſuetudines proſcribimus & delemus. Iraſcimur & indignamur quod tales aliquando fuimus, quales nos ſine horrore & tormento non poſſumus reminiſci. Mutamus os, cum ſepultis vitiorum monſtris, quaſi reſurgentes ex mortuis abdicamus quod volumus, & veritatis cauſam coram hominibus ratione, coram Deo zelo & conſtantia, allegamus.

Sic terram 2 Evilath quæ luctum vel partum ſignificat, ſapientia circuit; quia cum omnis creatura uſque adhuc ingemiſcat & parturiat, non eſt ſapientis hilareſcere in loco formidinis, nec ibi quærere cubiculum pacis, ubi eſt torcular doloris. Non invenitur prudentia in terra eorum qui vivunt ſuaviter, ſicut Job ait: quippe in locis humentibus, & ſecreto thalami ſub umbra dormiens Satanas commoratur. Panem arctum & aquam brevem prædicat Iſaias & David ex verbo Dei per Spiritum ſanctum per vias duras ingreditur. In multa ſapientia, multa indignatio; & qui apponit ſcientiam, apponit (*f*) dolorem. Quia vere adverſus vanitatum amplexus ſemper indignans ratio colluctatur, & laborat ſanctimonia, ne adulatione titillatoria mentis integritas corrumpatur. Nullus in hoc labor eſt effœminatis & mollibus, qui ultro ſe ad omnem divaricant corruptelam. In tentationum infirmitate, virtus ſervorum Dei perficitur & augetur, & ex luctu compunctionis devotio ſancta gaudium concipit. Circuit pœnitens, & per intimos animæ ſuæ receſſus ſparſa congerit, & faſces alligat admiſſorum, (*g*) non parcit ſibi, nihil retinet indiſcuſſum; circuitus contra circuitum: quia flexibile corpus gyrat draco volubilis, & perplexis innodationibus vagos & improvidos uſque in labyrinthum impellit, & immerſos tenebris in deſperationis abyſſum concludit. Omnia mens divino timore compuncta diſcutit & retractat: luget in peregrinationis (*h*) hujus exilio tentationibus expoſita & ærumnis: plorat, quia ignorat: & errat, quia concupiſcit: & tabeſcit, quia non bonum quod vult, hoc agit, ſed malum quod odit, hoc efficit. Flet quia mutabilis & inſtabilis per inania rapitur, quia fragilis & corruptibilis carnis ſarcina aggravatur. Quocunque ſe verterit, luctus cauſa occurrit, & ſicut fit cum Libitinarii efferunt funera, cum proſequens agmen lugubri conclamatione commoritur: ita ſapiens in omnibus noviſſima ſua commemorans, ante mortem cauſæ ſuæ dictat judicium, & quaſi jam præſente cadavere fodit ſepulcrum. Plangentium multitudo & ſubſequitur & præcedit: quia & de præteriti, & de præſentibus multum eſt quod ſeipſum quiſque examinans lugeat, ubi tota vita adverſus peccatum clamat, & ut aliquid amplius inferam, nec ab illuſionibus ipſa ſunt ſomnia aliena. Inter hujuſmodi meditationum circuitus, inter lacrymas quas contriti ſpiritus turbo effundit, quaſi ex matutino rore pingueſcit devotio, mundatur intentio, & fructificat contemplationi divinæ affixa fœcunda oratio.

Nulla eſt omnino comparatio inter luctus ſanctorum, & gaudia reproborum: quia hæc carnalis proſperitas ſemper auſpicatur ſupplicia, & corroſus animus flagitiorum aculeis, à flammarum ultricium exuſtione formidat. Nulla pacis veritas, nulla veri gaudii in tranſgreſſorum corde tranquillitas, in quorum conſcientiis jam ante tempus incendia ſua Gehenna præparat, & ad lacerandam peccatricem carnem vermes horribiles, & terribilia dæmonum monſtra dentes jejunos exacuunt. Hos interim ſtimulos, has vepres voluptuoſa modo patitur præſens felicitas, ſed adulatur ſibi, & ſpe incerta blanditur prolongans iniquitatem, & extendens malitiam: donec ſubito veniat finis & culpæ & vitæ, & ſit infinita pœnarum exactio pro ſcelere. At ſancti quorum vitam in deriſum & in (*i*) ſimilitudinem improperii æſtimabat humana (*k*) dementia, quorum luctus & jejunia videbantur inſania, linguis ardentibus & modo ſaginatis (*l*) faucibus (*m*) nec ſtillam refrigerantem infundent: ſed manebit utrorumque pro meritis immobilis & fixa ſententia. Ideoque luctus eorum, etiam in vita præſenti non eſt cœleſtis expers lætitiæ, nec conſolatione caret divina; quæ utique & in conſcientia pacem & gloriam, & in proventu amplius gaudium proteſtatur: cujus ipſa, quæ adhuc in ſpe eſt, delibatio; denunciat quantæ excellentiæ futura ſit illius gloriæ plenitudo.

Invenitur quippe vel in ipſo flumine, vel in terra Evilath, quam præterfluit, optimum aurum, & carbunculus, & lapis praſinus. Sane in prudentia, quæ eſt ipſius contemplatio veritatis, quam quia nemo poteſt eloqui, ideo potius eam concipit quam parit, aurum eſt; id eſt purgatiſſima recte vivendi diſciplina, quæ ab omnibus terrenis ſordibus quaſi excocta niteſcit. Habet & carbunculum cujus fulgor nocte non vincitur, quia veritas nulla falſitate fuſcatur. Habet & lapidem praſinum, id eſt ſemper virentis æternitatis intuitum, & vitæ perpetuæ immarceſſibilem ſtatum. Eſt igitur Phyſon qui eſt oris commutatio, propter cauſas quas diximus primo loco, quaſi neceſſaria

(*a*) Animæ noſtræ, *Laud. Bod.* (*b*) Commutatio, ſapientiam, *Laud. Bod.* (*c*) Prudentiam diximus, *Laud. Bod.* (*d*) Illico Prophetico, *Laud. Bod.* (*e*) Sumus naturæ, *Laud. Bod.* (*f*) Apponit laborem, *Laud. Bod.* (*g*) *Sic Laud. Bod.* Admiſſorum, circuitus, *Imp.* (*h*) *Sic Bod.* Peregrinationis exilio, *Imp.* (*i*) Et ſimilitudinem, *Laud. Bod.* (*k*) Mundana *Laud. Bod.* (*l*) Signatis, *Laud.* (*m*) *Sic Laud. Bod.* Faucibus ſtillam, *Imp.*

1 *Phiſon.*] Derivationem accerſit à פה & שנה Flavium hunc Ptolemæus Geog. l. 6. c. 12. & Nubiens. *Oxum* vocant. Forte noſter qui Paulo ſupra Euphratem *Auxem* dixit, *Oxum* intelligebat.

2 *Evilath quæ luctum.*] A חול etymon deducit. Quæ vox *doluit* & *cruciatus fuit* ſignificat.

1 *Vel*

ceſſaria ad intelligendum, ad diſcernendum, ad ſtandum, ad reſurgendum, ad manendum prudentia: in qua eſt diſciplina rectitudinis, veritas agnitionis, via perventionis.

Secundo loco Gehon ab illo Paradiſi fonte egreditur: hic eſt Nilus qui notiſſimo curſu Ægyptum cingens exundationibus annuis, certis temporibus & menſuris viſitator munificus univerſæ regioni illabitur, & dilectus maritus agriculturæ illius gremio commixtione optata non tam ſolum, quam arbuſta fœcundat. Significat hoc nomen vel pectus [1] vel hiatum. Fortitudo ſecundum nominum interpretationem fluvius iſte (*a*) accipitur, quia robur in pectore maxime conſtat. Juxta hunc fluvium filii Iſrael in Ægypto conſtituti, primum de eſu agni accepere præceptum. Sed & de lumbis ſuccingendis promulgata eſt cautio: quia expeditos eſſe oportebat divinis obſequiis mancipatos, nec holocauſtorum ſolennia ab impuris agi decebat. Opus quippe erat fortitudine ad renes ſtringendos, ut caſtitas quaſi quidam hiatus terræ omnes abſorberet corporis paſſiones, & intra ſe omnem carnis petulantiam ſepeliret. Hæc caſtitatis virtus in qua ſumma fortitudine & totis opus viribus eſt, per Æthiopiam, quæ [2] vilitatem ſignificat, fluit, quia viliſſimæ carnis noſtræ extinguit incendium, & lavans ſordes turpitudinum reſumta virtute ad integritatem revocat inquinatum. Quam nigra eſt paſſionum exuſta ardoribus pellis peccantium! Quam vilis caro quæ ſe fœditatis facit mancipium, & omnium immunditiarum ſentinam! Quam vilis facta eſt iterans vias tuas, hoc ad perſonam peccatorum dictum per prophetam intelligimus, quos utique execrabiles conſtat eſſe & viles propter lenocinii obſcœnitatem, cui ſe impudenter (*b*) proſtituunt; & animam, quæ Dei templum erat, contumelioſe Spiritu ſancto repulſo, fœtoris proſtibulum, imo ipſius Satanæ lupanar conſtituunt.

Hæc fortitudo eorum eſt, qui ad immolandum agnum de populis ſegregantur, qui antequam legem in Sina accipiant, de continentia inſtruantur. Antequam propoſitionis panes edendos ſacerdos David concedat, utrum continuerit, & mundus ſit diligenter inquirit. Aruerat torrens fortitudinis, jam deſiccatis plebis Iſraeliticæ fæcibus, cum thurificantes Beelphegor, & idolis initiantes Madianitarum amplexibus captivas animas ſubmiſerunt, prævaricationis apoſtaſiam pro pretio turpitudinis prætendentes. Nec defuit zeli fortitudo in fremente per ſpiritum Dei Phinea ſacerdote, qui illius impudentiæ ultor adulterum ſimul cum ſcorto in ipſis natibus pugione immerſo per illius fœdi commercii fabricam una impreſſione transfodit. Et illico quievit quaſſatio, & iterum ad canales ſuos Geon reverſus non eſt indignatus, nec abjuravit beneficium, eo quod eſſent, imo fuiſſent prædicti viri Æthiopes, id eſt viles: ſed iterum ſparſum recollegit exercitum, & de infirmis ſanitati reſtitutis, rurſum multifariam celebravit victoriam.

Tertius fluvius eſt Tygris, qui vadit contra Aſſyrios, & ſignificat temperantiam quæ reſiſtit libidini, multum prudentiæ conſiliis adverſanti. Tygris quippe [3] velox interpretatur, in quo ipſius temperantiæ alacritas intelligitur. Aſſyrii quippe, [4] dirigentes lingua latina ſonant, vide quam velociter qui temperans eſt per dirigentium regna elabitur: quam directa ſit temperantiæ via, cui nihil, quod impediat, occurrit. Omnia licent (ait Apoſtolus) ſed non omnia expediunt. Omnia licent: ſed ego ſub nullius poteſtate redigar. Temperantia nec ad illicita, nec ad licita (*c*) reſpicit: ſed & per ipſa licita in neutram partem declinans regia via incedit. Hæc nec tangit ſpurcitias, nec ad aliquam inhoneſtatem accedit: indignatur ad voluptatis mentionem; nauſeat ad olfactum: non quærit tenebroſas crepidines ad impudica cubilia, nec theatrales fornices ad turpia perpetranda. Intra ſeſe colligit: victrix ſui ipſius; & legitima dominatione, omnibus ſuis imperat affectionibus: omnia infra ſe conſpicit, nec ultra rationabiles metas etiam indulta tranſire permittit.

Quarto loco Euphrates ponitur [5] qui fœcundus vel fructificans interpretatur. Ipſe eſt quem [6] Auxem, eo quod foveat & augeat, Aſſyriorum & Hebræorum volumina nuncuparunt. Hic congruæ juſtitiæ præfert inſigne, eo quod ipſa plurimum in genere humano fructificet: nulla quippe virtus abundantiores fructus facit, quam juſtitia & æquitas, quæ magis aliis quam ſibi prodeſt, utilitates ſuas negligens, communia emolumenta præponens. Nec dictum eſt de hoc fluvio, qui juſtitiæ adaptatur, contra quid vadat, aut quam terram circumeat. Juſtitia (*d*) enim ad omnes animæ partes pertinet: quippe (*e*) ipſe eſt ordo & æquitas animæ, quia (*f*) ſibi tria iſta concorditer copulantur. Reliqua quippe in ſuis curſibus elaborant, quia prudentiæ ſtat ex adverſo malitia, & fortitudini incontinentia: & temperantiæ crapula, & quicquid modum non habet, obſiſtit. Juſtitia vero, quia eſt omnium virtutum convenientium in unum grata concordia, non ex reliquis virtutibus, ſed ex ſeipſa agnoſcitur; quia ipſa eſt pax & totius unitatis (*g*) ſanctitas, habens in ſe & totum & ſingula, nec tamen in ſingulis tota.

Conſummatis quæ de Paradiſo, vel fonte, vel fluviis nos dicturos promiſimus; ad Adam reverti nos cogit propoſitum; qui, ut diximus, poſt peccatum ex propria nuditate confuſus, intra alicujus glebæ vel ſcopuli crepidinem, à conſpectu Dei carnis prurientis contumeliam pavidus occultabat: nec jam ſola illa confuſio mentem ſtupidam ſtimulabat, ſed jam fames, & ſitis, & frigus, & reliquarum calamitatum moles miſerum affligebat, & hoc maxime, quod ipſe, judice conſcientia, intus in omni amaritudine anxius tabeſcebat. Quod ubi ad eum vox illa pervenit, Adam ubi es? Conſternata eſt peccatrix anima, & penitus diſſoluta, quia deprehenſo in ſcelere, nec ſubſidium erat, nec patebat effugium.

Deambulabat autem Deus ad auram poſt meridiem cum vocaret Adam; in vocatione increpationem, in deambulatione migrationem ſignificans: quia jam tepeſcente caritatis fervore, & veritatis luce ad veſperam ignorantiæ propinquante, deſerto homine de corde ejus migrabat, & lento inceſſu protrahens allocutionem forſitan ideo morabatur, & pedetentim accedebat: aut ſi compunctus homo in illo quantocunque ſpatio cognoſceret facinus, & ſeipſum ju-

(*a*) Iſte recte, *Laud. Bod.* (*b*) Impudentes, *Bod.* (*c*) Illicita, reſpicit, *Laud. Bod.* (*d*) Eſt enim, *Bod.* (*e*) Quod ipſe, *Laud. Bod.* (*f*) Qua ſibi, *Laud. Bod.* (*g*) Totius unitas ſanctitatis, *Laud.*

[1] *Vel hiatum.*] Derivatur à גוח quod erumpere ſignificat.

[2] *Vilitatem.*] Forte quia Cuſæi ſive Æthiopes omnibus candidi coloris in contemtu.

[3] *Velox interpretatur.*] Hæc etiam à Joſepho ſumta 1 Antiqu. c. 27.

[4] *Dirigentes.*] שור Dirigere ſignificat; ſed notatio potior ob אשר ſumitur, quæ vox viæ directionem denotabit.

[5] *Qui fœcundus.*] Diducit à פרה

[6] *Auxem.*] Aux apud Aſtronomos altitudinem Solarem ſignificat.

judicans pœniteret, vel ex toto dimitteretur flagitium, vel aliquid ſtatueretur clementius in humiliatum. Non, ut ait Ambroſius (*a*) de Paradiſo, voce corporea dominus Adam appellat; ſed virtute quadam & præſtantiore, quam vox corporis poteſt eſſe, oraculo; (*b*) eo ſcilicet modo quo Prophetas alloquebatur, vel ipſe Moyſes clamaſſe legitur, cum nullus audiretur ſonus vocis, ſed mentis. Interrogatus latebrarum cauſam & confuſionis, nuditatem fatetur, cum amplius de ipſo peccato, quam de pœna peccati verecundari debuerit. Erubeſcebat quidem rebellione animi, de virtute peccati, de irrepente tinea voluptatis: ſed abundantiore pudore ſuper hoc affici debuiſſet, quod veſte nuptiali ſpoliatus de illius convivii gloria ligatis manibus & pedibus in tenebras exteriores præcipitari meruerat.

Tulerant præcedentes (*c*) virtutes operimenta dignitatum quibus ornabant Adam, dum obediret Deo, & relinquentes ſpoliatum in medio tranſgreſſorem contumelia affecerunt. Jam texebat miſer folia (*d*) mendacii, & excuſationis ordiens telam, non confitebatur errorem, ſed quaſi ſubtegmen involvens arundine, & intra ſuſpenſos telæ diffundens parietes, reſponſione cavillata, latenter in auctorem erroris cauſam refundebat & culpam. Abſcondi, inquit, me, eo quod nudus eſſem. Vere non conſilium contra Dominum eſt, qui comprehendit ſapientes in aſtutia eorum: cui loquitur omnis conſcientia, & aperta ſunt mentis arcana: cujus intuitum nec inferni Chaos impedit, nec abyſſus obfundit. Videbat quippe (*e*) ipſe miſerum, nec tamen ab illo videbatur, ſed tantum audiebatur. Mundo corde videtur Deus, à quo beatifico aſpectu tollitur impius. Audiendi & reſpondendi non negatur effectus, quia in examinatione cauſæ cum ſecundum diſtrictionem juſtitiæ negotium agitur, neceſſe eſt quibuſcunque tergiverſationibus lubrica induſtria abutatur, ut ex ore ſuo coram illo judice reus quilibet convincatur.

Mulier, inquit, quam dediſti mihi, dedit mihi de fructu, & comedi. Velit nolit fatetur tranſgreſſionem, ſed latenter imponit creatori pondus peccati, qui deceptionis aptaverat inſtrumentum, & quaſi muſcipulam in quam collaberetur, ſolatium collaterale tetenderat abominanda ſuſpicio, & adverſus bonitatem Dei ſcientia pervicax: ſenſus malignus, reſponſio impudens, & ex hoc ipſo ſolo etiam ſi aliud in cauſa non eſſet, homo morte digniſſimus, quod æſtimare potuit, mulierem ſibi in inſidiis poſitam, & ſe artificioſa inductione circumventum, atque ſecundum juſtitiam ſe non meruiſſe damnationis judicium, qui non ſuo appetitu, ſed ſuaſu fœminæ, quam dederat ei Deus, ad prævarications declinaſſet conſenſum. Imo illam nuditatem perperam ſibi illatam, & præjudicatam ſibi nimis propera animadverſione conqueri videbatur, nec agi ſecum ordine æquitatis, cum ipſe qui dederat legem, debuiſſet removiſſe & ſcandalum, & reprehenſionem non in eum qui ceciderat, ſed in eum deberet refundi qui caſus poſuerat inſtrumentum. Hoc illa Adam excuſatio continere videbatur, redarguens Deum, & contendens auſu ſeditioſo contra tranquillitatem (*f*) & veriſſimam juſtitiam Dei, quæ adhuc ad pœnitentiam in multa patientia reum expectabat, cum ipſe ſecundum duritiam ſuam & cor impœnitens theſaurizaret ſibi iram in diem (*g*) iræ.

Juſtiſſimo ordine poſt virum, fœminam alloquitur Deus, quæ pertinaci ſuperbia, & ipſa admiſſum excuſat, ſerpentem ſuaſorem deducens in medium. Deceptam tamen ſe dicit, amplius dolens, quod diaboli promiſſio effectu caruerit, quam quod ejus ſuggeſtioni aſſenſum præbuerit. Quia igitur neque vir neque mulier confeſſionis (*h*) vel pœnitentiæ excogitavere conſilia, ſed addentes prævarications inanium argumentorum complexionibus, ad Deum injuſtitiæ convincendum laborabant, in ſuperbas & exaſperantes animas peccati cumulus eſt refuſus, & oppreſſit ſubita ruina iniqui ponderis ſtipatores. Et ordinatiſſima rectitudine à ſerpente incepit judicium, ut qui fuerat ſuggeſtor peccati, eſſet particeps & tormenti; & qui ad caſum conſcientium ſibi fuerat gratulatus, haberet ex malitiæ merito quod doleret: & in pœna æmuli ſui intelligeret homo, judicis caritatem, cum quaſi invitus & vocatus, proſcriptionis videretur dictaſſe ſententiam, qui diu expectaverat lapſi pœnitentiam, & tanta indignatione ſuggeſtoris puniebat malitiam.

Nihil quæritur à ſerpente, nulla omnino interrogatio flagitii ſciſcitatur originem: quia illa in vanum volvitur quæſtio, quæ ſine fructu eſt, & quam nulla comitatur correctio. Verum cum ille jam judicatus eſſet qui ab initio in veritate non ſtetit, quid ſibi vult, quod novi conſtitutio edicti, legi antiquæ conſcribitur, & quaſi minus continentia illius plebiſcita plenam juris menſuram non habuerint, nova adduntur decreta? Ego exiſtimo librum diſpoſitionum cœleſtium, & divinæ paginam providentiæ totum omnino continere quod rerum ſtatus, quod proceſſus inſinuat, & totum eſſe oculo majeſtatis uno momento conſpicabile, & quod attrivit antiquitas, vel quod intentat æternitas. Nullum in lege æterna aboletur vel mutatur, vel additur capitulum: ſed nos non cauſas rerum, ſed effectus attendentes, addi putamus quæ ante neſcivimus: deleri vel mutari, quæ quia non intelligimus, aliter provenire videmus quam noſter habuerat intellectus. Sed mentis divinæ immutabilis & fixa eſt ratio, ita diſponens corda, ſicut movet & tempora. Cum enim flante Aquilone in hyeme, & effrænata in campo aeris gelidorum flatuum violentia, neceſſe ſit humentia quæque, ubi nimii impetus fervor non cohibet, aſtringi in glaciem, cum tamen neceſſe non ſit ventorum intumeſcere rabiem: ita neceſſe eſt cuique cauſæ ſuam attribui efficientiam, cum tamen neceſſitas non urgeat cauſam (*i*). Nihil punit, niſi quod vetat juſtitia, à cujus æquitate alienum eſt ut ſit vindex actionis quam quaſi neceſſitate extorqueat. Sed præcedit prohibitio (*k*), ne ignorans, vel errans homo offendat; quam utique ſi contemſerit, ex ipſius juſtitiæ neceſſitate pœnæ ſuccumbit. Sane quicquid evitari poteſt, conſtat neceſſarium nullatenus eſſe. Ideoque nec per providentiam premitur, aut violenter attrahitur quicquid rationis arbitrio evitandum exponitur. Nec judicio divino neceſſitas, ſed voluntas punitur: niſi forte illa neceſſitas fuerit, quam ſibi mala conſuetudo fecerit, & obſtinati animi excæcata malignitas.

Spiritus ſanctus in ipſis crepundiis adhuc vagientem mundum jam arguebat de judicio, quia damnato principi ſe tradiderat condemnandum, non quod ille ſit eorum judex qui peccant, ſed quod ipſe, & qui ei, deſerto Deo in malo communicant, juſtiſſimo judice Deo, ejecti de Paradiſo voluptatis, id eſt à gloria

(*a*) Ambroſius in libro, *Laud. Bod.* (*b*) Fudit oraculum, *Laud. Bod.* (*c*) Recedentes, *Laud. Bod.* (*d*) Fila mendacii, *Bod.* (*e*) Quidem ipſe, *Bod.* (*f*) Tranquilliſſimam, *Laud.* (*g*) Die ire, *Laud.* (*h*) Offenſionis, *Laud.* (*i*) *Sic Laud.* Urgeat, nihil, *Imp.* (*k*) *Sic Laud.* Cohibitio, *Imp.*

gloria Dei in tenebris cohabitent, & in flammis coardeant (*a*). In dejectione illa quando miſer ſimul ac intumuit ruit, nihil de tormento ejus, pauca vero de indignitate ſcriptura prophetica commemorat, ſed de ruina & ruinæ cauſa odibili Deo ſuperbia, tam Ezechiel quam Iſaias pauca obſcure perſtringunt. Geneſis aliquid amplius ſub ſerpentis figura vel nomine legentibus intimat, & à mundi principio maledictionis ſententiam uſque ad ultimum judicium in fine ſeculi infinita connexione orditur. Ibi nec incentor erit, nec carnifex, quia tantum ſibi vacabit: ſi tamen dici debet vacatio, ubi miſer in Gehennalis abyſſi voragine clauſus & vinctus in igne ardebit æterno. Tunc nec Dominus aeris, nec rector mundi, nec princeps tenebrarum (*b*) erit, ſed infinitæ & inenarrabilis miſeriæ irrevocabilis inquilinus. Interim maledictus inter omnes beſtias terræ & omnia animantia, ſuper pectus ſuum gradi, & terram comedere omnibus diebus vitæ ſuæ, vel permittitur, vel mandatur. Unde Ambroſius in libro de Paradiſo, non dixit facio te ſupra pectus tuum vel ventrem ambulare, & terram comedere: ſed ambulabis, inquit, & manducabis: ut prædixiſſe magis cum futura ſunt videretur, quam præſcripſiſſe (*c*) quid faceret.

Maledictus, inquit, inter omnes beſtias, id eſt ſuper omnes qui beſtialiter & animaliter vivunt: qui poſſunt fieri aliquando de carnalibus ſpirituales, & de terrenis cœleſtes, & qui aliquando tenebræ erant, ſi convertantur & revertantur mediante gratia Dei, lux (*d*) poſſint effici. Ille autem à ſpe præciſus, & omnino avulſus à gratia, quia odit & ſemper perſequitur caritatem, ſicut in obſtinatione odii perſeverat, ita ſuper (*e*) maledictionem, inclementiæ privilegium ſibi proprie vendicat, & iræ irremiſſibilis contra ſe decretum ſancit, & in æternum confirmat.

Quod autem ſuper pectus & ventrem ſuum graditur, illud eſt, quia in pectore receſſus quidam ſapientiæ eſſe dicitur, cujus ſingulari excellentia cum ille frui poſſit in contemplatione divina, averſus ab intuitu pacis, totum ſe contulit ad terrena, & eſt quaſi vita ejus ſtudium indefeſſum in perſuaſione peccati. Et in iis quorum Deus venter eſt, quos Apoſtolus luget & inimicos crucis Chriſti denunciat, repit, inſpirans eis ſuperbiam, accendens in immunditiam, devorans quoſcunque ſibi ſicut terram ſubjecerit. Qui terrena ſapiunt, cibi ſunt illius ſerpentis, hujus viperæ pabulum: & ſuper quos repit, vel pectore premit, ventrem ventri conglutinat, de ſemine venenato imprægnans (*f*), & conformem ſibi de corrupta anima ſobolem generans (*g*). Totum ſtudium ejus eſt innectere ſe affectionibus carnalibus, & coagulo turpitudinis menti humanæ injecto; omnes, per quas ſe volverit, ſemitas inquinare, ut intus & extra aliquid de illius contagionis conſperſione adhæreat, quod poſtea in alicujus monſtri perſonam erumpat.

Terram, inquit, manducabis omnibus diebus vitæ tuæ, quia uſque in diem judicii in quo mors damnationis, & clauſuræ ejus æternæ adveniet, ſemper ablingit quos comedit, & ſordidas & terrenas animas intra ſterquilinium viſcerum ſuorum ſepelit & abſcondit. De hujuſmodi quos per ventrem accepimus, iis videlicet qui gulæ & luxuriæ ſerviunt, vel de iis qui abuſione ſapientiæ ſuperbiunt, & converſi ad terrena creaturæ, potius quam creatori obtemperant, helluo impudens voracitatis ſuæ ſentinam ingurgitat, & inexplebili fame, intra peſtilentiæ ſuæ gurguſtium ſaporatas offas de carnibus damnatorum intrudit.

Quod autem inimicitiæ ſtatuuntur inter ſerpentem & mulierem, quaſi vir ad hunc conflictum non pertineat, illam arbitror eſſe cauſam, quod tentationes diaboli ad eos qui viriliter agunt, non præſumunt (*h*) accedere, ſed fœmineis mentibus tentator importunus ſe ingerit. Neque mens, quæ eſt quaſi Adam, niſi ſenſu carnis illecto, movetur ad vetitum: ſed ad delectationem quam tentator accendit, deſiderium carnale ſuſpirat, & concupiſcentiæ mole oppreſſum, reluctantem mentem & repugnantem rationem, aſſiduæ colluctationis importunitate captivat. Ideoque (*i*) inter carnem & mentem futuræ inimicitiæ prædicantur, quia futurum erat per verbum Dei, quod caro factum eſt & habitavit in nobis, ut fructificaret aliquando crucifixa pœnitentium caro, & de ſemine obedientiæ virtutum ſegetes creſcerent (*k*), & carnis continentia de adverſatrice concupiſcentia triumpharet: unde illud eſt, quod regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud: quia mulier, hoc eſt ſenſus carnis, mariti id eſt rationis adjuta conſiliis ſerpenti reſiſtit & ſemini ejus, id eſt odit ut inimicum, & abigit quicquid ſanæ doctrinæ adverſatur, & honeſtatem vitæ commaculat. Violenter mala conſuetudo carnis, cum ipſa ad virum converſa fuerit, dominante ratione præciditur; & quaſi alterius crucis vexillum figatur in medio, jugi conflictu ſe ipſam caro ſuperat: imo victor ſpiritus armata ſollicitudine petulantiam carnis, dictante Deo, pia oppreſſione affligit & domat.

Hanc vim regnum Dei non dedignatur (*l*) pati, nec abjicit latronem cum confitetur, nec Apoſtolorum principem cum amare flens verbi Domini recordatur: nec excludit peccatricis illius unctionem & fletum, cujus horrebat Simon ille (*m*) leproſus aſpectum vel tactum. Semen diaboli eſt Schiſma, & Hæreſis, & avaritia, ſervitus idolorum, omniſque incontinentia & impietas, omniumque vitiorum abominanda collectio. Semen mulieris, ut diximus, ad virum converſæ & poteſtati rationis jam ſubditæ, eſt quicquid boni parturit caſtitas, quicquid jejunii labor, quicquid ſudor martyrii, quicquid ex (*n*) amplexu diverſarum paſſionum fœcundiſſima concipit caritas. Veteres inimicitiæ ab antiquo inter has emerſere familias, nec unquam defuit æmula virtutis invidia. Semper perſecuta eſt humilitatem ſuperbia, & ſapientiæ vel juſtitiæ contraria oppoſuerunt ſigna nequitia & malitia. Verum caput ſerpentis nobis adhuc in carne conſtitutis victoria in cruce Domini noſtri proſtruitur, & ſub pedibus noſtris jam à pectore & ventre excuſſus, ipſo donante, ligatus conteritur.

Fel quod crucifixo oblatum eſt & neglectum, omnia diaboli tentamenta contemtibilia effecit, & repulſus amaritudinis hauſtus ſitim peccati, quod fellei ſaporis eſt, intimavit à membris ejus facile reprimendam: imo ejuſdem ſanguinis calice hauſto, penitus extinguendam. Quod infirmum Dei eſt, fortius eſt, non dico hominibus, ſed dæmonibus: & hujus carnalis vitæ noſtræ infirmitas, (*o*) de malignis ſpiritibus triumphat, expuens in libidines, & abominans voluptates: hæc ut Chriſtum lucrifaciat Apoſtolus, ut ſtercora reputat, & victrix ſuiipſius ſanctorum patientia calcat. Ecce à mulieribus & parvulis caput conteritur tenta-

(*a*) Simul ardeant, *Laud.* (*b*) *Sic Laud. Imp.* Princeps erit. (*c*) *Sic Laud.* Præſciſſe, *Imp.* (*d*) In Domino poſſint, *Laud.* (*e*) Omnem maledictionem, *Laud.* (*f*) Imprægnat, *Laud.* (*g*) Generat, *Laud.* (*h*) *Sic Laud.* Præſumuntur, *Imp.* (*i*) Ideo, *Laud.* (*k*) Seges creſceret, *Laud.* (*l*) Indignatur, *Laud.* (*m*) Simon leproſus, *Laud.* (*n*) Quicquid amplexu, *Laud.* (*o*) Jam dc, *Laud.*

tentationis, quia omnis fœditatis acceſſus illico prohibetur, & totius ſpurcitiæ à ſanctorum cordibus ſtatim eliminatur audacia. Cognoſcitur adulter, & ad lupanaria ſua indigne repellitur: nulla ſanctorum conventus fœditatis cujuſlibet admittunt veſtigia. Excutit ab omni munere mundas manus pura juſtitia, nec ſe venalem exhibet judicem, qui ut judex fieret, non pretio, ſed gratis accepit. Pretium canis, & merces meretricis, ne inferantur in templum, divina lex prohibet: quia oppreſſores pauperum, & innocentium oblatratores, & qui corrumpunt & polluunt veritatem, ex illius quæſtus ſanguine recte non immolant; & arbitrantes quæſtum eſſe pietatem, legem offendunt, & adverſus eos in conſpectu Dei veritas & pietas ex eorum miniſterio, ſe clamant contumeliam pati.

Caput avaritiæ primus paſtor eccleſiæ contrivit viriliter, pecuniam Simonis cum ipſo in perditionem excutiens. Caput gulæ præcidit Paulus caſtigans corpus ſuum, & redigens in ſervitutem. Nihilominus & omnium fere hæreſeon idem capita amputavit, in Romanis ſuperbiam & ſeditionem compeſcens. In prima ad Corinthios Epiſtola, quod ad ſectam legis Judaicæ induci tam cito potuerunt & converti, & quod erant in eis perſonarum acceptio & ſchiſmata, arguit & objurgat. Sed & fornicationis caput in Spiritu vehementi ibidem conterit, tradens Satanæ in interitum carnis eum qui uxorem patris ſui publice detinebat. De regula quoque conjugii & caſtitatis, de auctoritate Apoſtolatus, de proſtratis in deſerto fornicatoribus, & murmuratoribus, & Idololatris multa ibi proponit & diſcutit, in quibus & eliſum & elidendum caput maligni oſtendit. In ſecunda quoque ad eoſdem Epiſtola, non eſſe conſenſum Chriſti cum idolis, nec participationem juſtitiæ cum iniquitate, nec Chriſtum & Belial poſſe convenire, malignum de medio removens, apertiſſime diſtinguit. Galatas inſenſatos & faſcinatos à pſeudoprophetis, & ad ceremonias legis (*a*) converſos increpat & revocat, & illius ſeductionis caput confringit. Epheſios in ordine ſtatuit docens viris mulieres ſubjici, maritos uxores ut corpus ſuum in honeſtate complecti, filios parentibus obedire & honorare, patres ad filios manſuetos eſſe, ſervos obſequi, dominos non inflari, & aſtringens eos in unitatem Spiritus in vinculo pacis, inobedientiæ malum à radice extirpat. Totum corpus Epiſtolarum tonitruum eſt, & ſingulæ fere ſententiæ ſunt quaſi fulmina carbones vaſtatores ſpargentia, à quorum luce vel flammis caput hoſtis illius veterani, fidei Chriſtianæ virtute exuritur.

Occurrit Joſeph, occurrit Suſanna, ille puer, hæc mulier delicata, uterque hujus monſtri caput horrendum quanta virtute contriverit, ſacræ non ſilent hiſtoriæ. Impoſſibile eſt numerare per ſingula, quantas de hoc capite nequam ſancti celebrarunt victorias: quotiens cerebro ejus victrices manus immerſerint: quot viduæ, in primo introitu exſufflaverint irrepentem, qui quia in congreſſu non proficit, & ubi manifeſte agnoſcitur, illico vincitur, tendit inſidias, & ſi aliquis torpor irrepſerit ſanctitati, & aliquo modo rigor juſtitiæ fatigetur & langueat, ſedulus præſtolatur. Quod ſi forte ex aliquo neglectu rubigo occupans armis virtutum adhæſerit, ſi ex aliquo (*b*) gloriæ pruritu ſcabies religionis pellem obduxerit: illico ad tinearum cruſtas in quibus aliquid ſuum agnoſcit, paratus illabitur, & defluentem ſaniem ablingit & glutit.

(*c*) Vere appetitus laudis & humanæ gloriæ, ſcabies eſt virtutis, tinea ſanctitatis, quod ultimum malum ſæpe expugnatus hoſtis in fine expectat. Cum enim gloria noſtra ſit bonæ teſtimonium conſcientiæ, ſæpe fit ut victores vincamur, dum de ipſa victoria, in nobis, non in Domino gloriamur. Et ſicut eſt ex virtute ſecuritas, ita ſæpe ex ſecuritate virtus diſſolvitur, & infirmato calcaneo nec recte itur, nec languente pede ultra inimica poteſtas conteritur. In primis audacter congreditur, deinde depulſus Satan inſidiatur noviſſimis, quia tota humanæ militiæ gloria ex ultimis commendatur agonibus. Et cum multi currant in ſtadio, qui non laſſatur in curſu, nec deficit, ſolus ille bravium accepit. Certantes legitime promerentur coronam, & perſeverantes in finem, à linguæ aculeo & laqueo caudæ incolumes & illæſi evadunt.

Ille tamen maledictus terram comedit omnibus diebus vitæ ſuæ ante judicium, quia amatores mundi à ruina voluptatum diſtentos & turgidos, rictu patulo abſorbet & devorat, & omnem domum in cujus poſtibus ſanguis agni non emicat, intrepidus invadit; omnemque primogenitum ejus interficit indefeſſus. Reſtat quippe maledictionis hujus evidentior in fine perfectio, cum pro hac nocendi aviditate & continuo ſtudio dehiſcentibus inferis, intra chaos illud Gehennale miſer ille claudetur, & in illa tormentorum abyſſo, in tenebroſis fœtoribus, & horrendis ardoribus, quorum immanitas omnem ſuperat intellectum ſine fine mergetur.

Sequitur ex ordine juſtitiæ mulier quæ ſuggeſtioni acquievit, debitaque pœna redditur voluptati; & quæ libertatem ſuam excuſſo à ſe creatoris dominio ſuperbe ambierat, ſub viri conſtituitur ſervitute. Nec abſque nutu divino eſſe quiſquam æſtimet, quod uſque hodie in genere humano ſervorum perſeverat nomen & genus, cum hoc originalis (*d*) meruerat tranſgreſſio, & à primis patribus hujus conditionis emanarit ratio. Videat homo nobilitatem divinam, genus cœleſte, honorem regium, potentiæ gloriam, æternitatis vitam, ſanctitatis imaginem, & recordetur quid fuerit, & ex jugo quod viciſſim trahunt, invicem erubeſcant, quia hanc oppreſſionis ignominiam culpa meruit, non natura. Quod enim ſervi, quod degeneres ſunt, & inglorii, & ignobiles: quod peccatores, quod mortales, illius effecit fermenti conſperſio, & quicquid ex Adam eſt, illa una occupavit infectio. Multiplicantur ærumnæ, & in dolore mater miſera parturit, & multiplicatio conceptuum cum anguſtia exiens, parturientis viſcera fere dirumpit. Hæc in carne, hæc in Spiritu fiunt, quia cum rationis vel Scripturarum ſemina doctrinæ ſtudio vel intellectus, quaſi viro infundente, anima ſubjecta ſuſceperit, per multas tribulationes & dolores parturiens anxiatur, & vix obtinet, ut victa mala conſuetudine in bonum opus aſſueſcat. Quicunque enim volunt in Chriſto pie vivere, perſecutionem patiuntur, & torquentur interius lege membrorum, perurgentibus concupiſcentiis, donec longo uſu inaneſcat forma hujus mundi, & phantaſmata vanitatum diſpereant, & ſic demum remotis illecebrarum obſtaculis, Chriſtus formetur in nobis. Utrobique calamitas, utriuſque puerperia naturæ comitantur ſuſpiria, quia & caro & ſpiritus captivantibus delectationibus ſtatim cum uſura reddunt tributum, & in-

(*a*) Reverſos, *Laud. Bod.* (*b*) *Sic Laud. Bod.* juſtitiæ, *Imp.* (*c*) *Sic Laud. Bod.* Vere enim, *Imp.* (*d*) *Sic Laud. Bod.* moverat, *Imp.*

& inſtat concupiſcentia avellens petulantiæ germina cum tormento. Multiplicantur conceptus urgente laſcivia, & quia non agnoſcitur peccatum in immunditiæ contumelia, ſentitur in pœna, & concuſſis (*a*) muliebribus uteri, cum ruptis intrinſecus naturalibus vinculis profluunt ſecundinæ, vagiente fœtu vere miſeriæ tractatur negotium, cum hærenti parvulo obſtetricantium tremula manus occurrit.

Hora illius anguſtiæ ſatis indicat, quæ ſit illa cauſa quæ in tales erumpit effectus: & quia omnino dulcedo illa venenata eſt quæ tantæ amaritudinis torrentem effundit, allicitur caro ad libidinoſos complexus quorundam (*b*) prurituum irritata vaporibus, & cum ejus ſenſum quædam mendacia blandimenta demulceant, captivum ſequitur appetitum: cumque ſe infra fæces concupitas immerſerit, tunc demum quis ſit illarum deliciarum ſapor, ex illius ſatietatis (*c*) dulcedine intelligit. Hoc doloris privilegium prima mater reliquis matribus dereliquit, & nulla omnino in tota naturæ hujus ſucceſſione excipitur, excepta illa quæ ſola concepit de Spiritu ſancto virgo, & maritalis ignara conſortii, penitus aliena fuit ab hujus conſcriptionis chirographo. In cujus formam, ſi per humilitatis & obedientiæ diſciplinam Eva Spiritui ſancto in templo cordis ſui thalamum adornaſſet, non deeſſet gratia, & obumbrante virtute altiſſimi, nullus concupiſcentiæ æſtus dedicatam Deo animam concremaret. Conciperet quidem de viro ſuo eo modo, quo terra imbribus irrigata fœcundiſſimo proventu arbuſta emittit & germina: & ſine ulla paſſione deſiderii, tantum ad ſeminales rationes gremio conjugali uteretur maritus.

Adæ quoque dixit Deus, quia audiviſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo. Propter hominem maledicitur terra, & ſterilitate damnatur, & quæ ſine ullo labore præpoſito ſuo erat omnimodas expoſitura delicias, modo etiam culta ſpinas & tribulos (*d*) prædicitur germinatura: ut etiam ex ipſis punitionibus ærumnarum poſſet miſer compungi, & raſtris pœnitentiæ fatigatus contribulato Spiritu, benigniſſimo ſatisfaceret judici, cujus ipſa ultio, doctrina erat provocandæ clementiæ, & flagellum, (*e*) argumentum miſericordiæ; quia, inquit, rupiſti vinculum obedientiæ, tu quoque diſſolveris, & in terram ibis, quia terra es. Intellige clementiſſimum Deum, etiam cum occidit; & vide quia temporales perſecutiones ad correctionem proficiunt, & ipſa mors non tam eſt homini malum, quam finis malorum. In diſſolutione hujus corruptionis interſecatur peccatum, & quod æſtimatur diſtrictio, invenitur remedium. Proponitur inobedientiæ capitulum, & uxoria perſuaſio præceptioni divinæ præpoſita, & ex ordine juſtitiæ ſecundum meritum, ſtipendium debitum redditur cauſæ. Labor ſupervacuus, ſterilitas agriculturæ, genimina degenerantia, & ad cumulum defunctio intimatur.

Habet etiam exprobrationis pondus originalis materiæ commemoratio, quod eum de terra ſumtum, & terram eſſe & in terram reverſurum, tanta diſtinctione diligentia judicis inſinuat, ut confuſa illius temeritatis audacia intelligeret ex infirmitate naturæ ſuæ, quia ſecundum originis ſuæ rationem, nec gloria, nec ſtabilitas ſibi inerat, & (*f*) totius illius excellentiæ honor nec ex merito, nec ex natura, ſed ex ſola gratia (*g*) procedebat. Ex his verbis, imo ex ipſa animadverſionis experientia didicit homo, non in ſe, ſed in Domino gloriari, & humiliata eſt cervix erecta, cui impoſitum eſt pro regula libertatis, vinculum ſervitutis.

Grave onus viſum eſt mulieri, ferre pondus præcepti, & quaſi preſſura ingens, auctoritas imminens: ſed ubi peccati jugum ſubiit, & impiam tyrannicæ virtutis experta eſt dominationem, ſentiens quid intereſſet inter jugum ſuave & grave, cum regredi non poſſet ad ſtatum de quo corruerat, amariſſimæ ſalivæ deglutivit rancorem, & corroſit intra ſe emergentis contumeliæ maſſam. Intumeſcebat fermentatæ naturæ conſperſio, & primitivi azymi ſinceritas ebulliente putredinis acredine rumpebatur, & quaſi convitiabantur miſeræ animæ titillationes illuſoriæ, & exprobrabat ei propriæ virtutis confidentiam ſenſualitas importuna. Nulla ſupererat tergiverſatio, ubi ingens verecundia omnes reſponſionis concluſerat vias, & conclamabant etiam ipſa vitia adverſus ægrum, non imponentia ſuum languorem naturæ, ſed ſuperbiæ, de cujus radice omnium cogitationum germina pullularunt. Ex illo uno utero egreſſa ſunt colluctantia omnia vitia, adverſum quæ judicium Dei ita eſt juſtum & evidens, ut ipſæ concupiſcentiæ motus proprios deteſtentur, & flagitiorum conſummatio propriæ voluptatis abominetur & horreat paſſionem. Denique ipſa confuſio & verecundia quæ ſemper turpitudinum caſtra ſequuntur, quaſi crudeliſſimi carnifices conſcientiæ, laceſſunt & improperant peccatori, & inſtant quaſi quædam Eumenides, agitatrices furiæ, reprehenſionis ſtimulos cordi ſaucio affigentes. Ipſa ſe malitia præjudicat & punit, & contrariis armis in ſui defenſione utitur veritas.

Expellitur à deliciis tranſgreſſor, & miſer laboribus deputatur, (*h*) veſtitus quidem pelliceis tunicis, & pro divinitatis amictu morticinorum ſpoliis involutus, in illius plaudamenti geſtamine intelligebat pellem ſuam pelli belluinæ conſimilem, imo ut ipſam rem exprimam, amplioris & abjectioris miſeriæ, cujus infirmitas ardoris & algoris impatiens alieno beneficio foveretur. Imo pellibus nudo corpori ſuperductis homo beſtia videbatur, & omnino convenientiſſime aptatum eſt extra corporibus, quod intus erat in moribus. (*i*) Agebat homo irrationabilem perſonam comparatus jumentis inſipientibus, & brutæ mentis imperitiam in illa cruda & hiſpida ſupellectile exprimebat. Homo de terra terrenus, jam pronus ad infima in limo de quo ſumtus erat figebat intuitum; & ſarcina corruptionis oppreſſus, curvas ſcapulas ſeſſori peccato præbebat, ſervus ventris, cliens libidinis, vanitatis mancipium, & vernula vitiorum.

Expoſuerat animam ſuam quaſi incudem malleatorum ictibus, & in illa fabricarum artifex concupiſcentia omnium tranſgreſſionum formabat ſimulacra. Iræ & invidiæ & omnium blaſphemiarum idola illius officinæ eructabat incendium, & pubeſcebant monſtra tentationum aſſidentia cogitationibus, quorum multitudine fatigata ratio gravabatur. Deſeruerat quippe Deus animam, & ad ſeipſam converſa turbabatur: & hæc prima mors hominis fuit, cum creatoris ſui cuſtodia caruit, & à contumacia prævaricatoris ingratitudinem ejus execrans & indignans abſceſſit; privavit eum ſtatim gloria & honore, & vitam, id eſt cognitionis ſuæ lumen, in eo extinxit, & excæcata anima, cum veritatem amiſit, ſimul cum illo beatifico viſu, & reliquas beatitudinis ſpecies

(*a*) Mulieribus uteris, *Laud.* (*b*) *Sic Laud. Imp.* prurientium. (*c*) Confuſione, *Laud. Bod.* (*d*) Dicitur, *Laud. Bod.* (*e*) *Sic Laud. Imp.* argumentum: quia. (*f*) Totus, *Laud. Bod.* (*g*) *Sic Laud.* procedunt, *Imp.* (*h*) *Sic Laud. Bod.* veſtituſque, *Imp.* (*i*) Agebat irrationabilem, *Laud. Bod.*

ſpecies pariter exhalavit. Recedente Deo nihil boni ſuperfuit, & niſi eo revertente data indulgentia & gratia, ad abjectam & contemtibilem animam illuminationis abolitæ claritas non redit.

Nec tamen imago vel ſimilitudo auctoris etiam moriente anima per peccatum omnino deletur, ſed dum patientia Dei ad pœnitentiam delinquentes expectat, poteſt lavari per pœnitentiam quicquid in eadem imagine per negligentiam fuerit obſcuratum. Reformatur igitur & reſtituitur qui reſurgit à mortuis, & ad indulgentiæ manumiſſionem regrediuntur virtutes ad opera deſtinata: & tunc iterum vivit anima cum ſe videt & odit, & agit quæcunque ſibi fuerint divinitus imperata. Cum enim nihil horum agit, mortua eſt: quia cum vere ejus vita ſit Deus, nullus omnino eo abſente ad aliquod bonum aſpirat affectus. Hæc prima animæ mors, qua deſerenti eam Deo, ipſa quaſi criminum inſtitis connexa remanet, & ſepulta, non omnino à gleba arida, hujus hyemis frigore, ſpei reliquias eradicat, quia dives in miſericordia Deus magna voce quatriduano jam fœtido clamat, Lazare, veni foras: infremuit, clamavit, & flevit, intimans rationabilibus animis quam ſit efficax fletuum pluvia, & pœnitentiæ tremor, & confeſſionis clamor: (*a*) Quæ ſupplicatio non repellitur, imo obtinet veniam ſcelerum, & ſtatim qui reſurgit, ubi ſolvitur, conveſcitur. Nullus ſupereſt fœtor, nullum putredinis veſtigium manet in eo quem de ſtercore erigit Deus: ſed cum principibus populi ſui, ſanctis Angelis dico, donat ſuſcitato confeſſum, & in ſolio gloriæ collocatum, etiam ad proprium eum admittit convivium.

Indignetur Novatus, iraſcatur Phariſæus: ſumma eſt commendatio caritatis, conſummata omnipotentiæ gloria, bonitas, & clementia, & nihil amplius decet ſanctum quam pietas: nec in aliquo honorabilius eſt præconium redemtoris, quam cum, eo miſerante, convaleſcit & ſolidatur humana infirmitas. Tremendus quidem eſt rigor divinæ juſtitiæ, & formidabilis diſtrictio judicis, reverenda omnino ſeveritas, & judicium punientis: ſed miſericordia lenitate eſt amabilis, & ex gratia prædicabilis. Ubi enim contra merita bonum pro malo redditur, benignitatis ſuperabundantia prædicatur: de cujus plenitudine noſtra ariditas irrigatur. Non eſt ſatis ſancto Spiritui eſſe cum ſanctis, etiam impios ſanctificat, nec improperat: & ſpirat, & replet, & docet, & ungit, & urit; & publicanos & meretrices reformat & imbuit. Illa amplius admirabilis eſt potentia quæ eliſa reſtituit, & fracta reſtaurat, quam quæ vaſa integra in theſauris munitis aggregat & conſervat.

Et quidem mortuos in anima per culpam, pœnitentia reducit ad vitam: deſperationis vero obſtinatio pertrahit in Gehennam; illa deſperationis mors Dei imaginem omnino delet & radit, & illi injuriæ nullum occurrit remedium, nulla clementiæ ſtilla ſe infundit. Senſit Adam mortem illam primam animæ, conſolatione divina privatus: expertus eſt quoque diſceſſum à corpore animæ rationalis: verum hæc ultima per quam diſſoluta eſt corporalis & ſpiritualis ſubſtantia, labores & ærumnas, & ſervitutem quam meruerat, & vincula calamitatis totius præſcriptæ dirupit: & qui vivens & (*b*) pœnitens acceperat gratiam, ſoluto quod culpa meruerat pretio, judicium Domino cantavit & miſericordiam; in laboribus & contumeliis vitæ temporalis, humilitatem & patientiam theſaurizans; in fine quantolibet difficili & arcto, pro libatione ſua ſuo Domino gratias agens. Pungitur concupiſcentiis, laborat & ſudat, ac torquetur: de loco voluptatis (*c*) expellitur, demum emoritur: in iis omnibus, quaſi vas figuli in fornace excoctus, & multis rimarum raſuris attrita peccati rubigine, ad naturalem fulgorem tandem revertitur. Sic circumductus eſt per deſertum Hebraicus populus, & cum intra paucorum dierum ſpatium, ſi recte irent, poſſent fines promiſſos attingere, quadraginta annorum ſuſtinuere diſpendia, in quibus peregrinationis illius anguſtiis erudiretur illius inſolentia multitudinis: ut cum ad diu deſideratas & expectatas promiſſiones accederet, nec ad Ægyptum, nec ad regna cultu Dei vacantia relapſo animo facile ſuſpiraret, à quorum nexibus tanto labore avulſus, vix tandem de male aſſuetis perfidæ gentis erroribus, quos longo convictu imbiberat, longa diſſuetudine triumpharet. Ibi quippe viderant idola, & circa profanos cultus, comeſſationes & impudica cubilia, quibus concupiſcibiles animæ captivos affectus ſubjecerant, & inhæſerant abominationibus, à quibus patrum ſuorum Abraham, Iſaac, & Jacob abhorruerat diſciplina.

Ideo lex, ideoque plagæ & verbera; ideo illa hæreditatis dilatio, ne vileſceret facile conſecutum ubertatis tantæ & gloriæ regnum: imo diligentiſſimo ſub timore Dei ſervaretur proſpectu, tantis exercitationibus & diſtrictionibus conquiſita poſſeſſio. Quid, quod in cruce ſe redemtor noſter derelictum exclamat? Quid, quod vita moritur, quod judex judicatur, quod rex irriſus, quod princeps ſuſpenſus eſt? Myſticæ ſunt & ſacramentales injuriæ ſalvatoris illæ, & granum illud frumenti cadens in terram & moriens, ſpicas ſylveſcentes multiplici germine onuſtavit. Omnino ſic oportuit pati Chriſtum, & intrare in gloriam ſuam: & quod titulus crucis, Hebraice, Græce, & Latine conſcriptus incorruptus permanſerat, habebat in omnium gentium ſalute compleri, quas obedientiæ & humilitati (*d*) conſertas, Chriſto jubente, latrone præmiſſo ad regnum crucifixi mater eveheret caritas.

Vere prædeſtinatis omnia cooperantur in bonum, & robur & infirmitas (*e*) proficiunt ad coronam, & ſtatus & lapſus coædificant laborantem, quia alterum ex altero & proficit & temperatur, dum ex conſideratione infirmitatis deſcendit, nec inflatur ſecuritas ſanctitatis, & ex puritatis reſpectu erubeſcens diſſolutio convaleſcit. Unde in libro quartodecimo de Civitate Dei, ſanctus Auguſtinus ſic infert, Audeo dicere ſuperbis eſſe utile cadere in aliquod apertum manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant, qui jam placendo ceciderunt. Salubrius enim Petrus ſibi diſplicuit, quando flevit, quam ſibi placuit, quando præſumſit. Utiliter ſæpe deſerimur, & dum corripimur, (*f*) emendamur: dum flagellamur, amamur. Ad tempus, inquit Iſaias, imo per Iſaiam Deus, derelinquam te, & in miſerationibus magnis congregabo te. Acturus pœnitentiam de loco voluptatis Adam educitur, quia voluptas & luctus non bene cohabitant, nec deliciæ & religio ad invicem complectuntur. Et tamen ante Paradiſum ſatisfacturus ſtatuitur, ut ſæpe vi-

(*a*) Quorum, *Laud. Bod.* (*b*) Pœnitens reducem acceperat, *Laud. Bod.* (*c*) Pellitur, *Laud.* (*d*) Confirmatas, *Laud. Bod.* (*e*) Faciunt, *Laud. Bod.* (*f*) Erudimur, *Laud. Bod.*

videns unde exierat, & intuens quis fuerat & quis eſſet, humiliato animo execraretur ſuperbiam, & experiretur poſt contumelias afflictionum, quantum eſſet ſubjectionis & obedientiæ bonum, per quam etiam lapſus & (*a*) expulſus reditus & reſtitutionis ſuæ non deſperaret proventum. Videbat vel potius intelligebat quid illius gladii, quem Cherubim vibrant, motus ille verſatilis intimaret, de quo quia pauca ſuperius, & tamen prudenti lectori ſufficientia expoſuimus, idem repetere laboris eſſe inutilis arbitrati ſumus.

(*a*) *Sic Laud. Bod.* repulſus, *Imp.*

ARNOLDI ABBATIS BONÆ-VALLIS CARNOTENSIS

TRACTATUS

DE LAUDIBUS BEATÆ VIRGINIS.

SI linguis hominum loquar & Angelorum; nihil digne, nihil proprie, de ſanctæ ac perpetuæ (*a*) Virginis matris Chriſti, Mariæ gloria eloqui potero; quia vere in laudibus ejus modulandis non invenitur conveniens organum, & hebes eſt cujuſcunque ſubtilitatis ingenium. Cum enim debitæ venerationis ſumma ad Chriſtum reſpiciat, ex cujus plenitudine roratum eſt deſuper quod Maria prædicatur *gratia plena*; manifeſtum eſt individuam eſſe Matris & Filii gloriam; & commune eſſe utriuſque præconium, cujus definitio omnem ſuperat intellectum: quia etſi illud antiquum (*b*) conſilium de incarnato in ſancta Virgine (*c*) Verbo, quod Deus apud Deum erat, palam factum ſit mundo; tamen hujus tam inſolitæ actionis modum (quia res miraculi eſt, & ordinem non ſequitur naturæ) ſenſus humanus timet attingere & hæret ancipiti affectu, quia & ſtupori eſt majeſtas operis, & ingratitudinis foret præterire ſilentio laudes Auctoris.

Res mira & inaudita, mater Virgo, Verbum caro, Deus homo! Quis in tam celebri miraculo ſileat? Item quis hæc prædicare ſufficiat? Scimus quidem ſupra nos eſſe, hoc aggredi; ſed illa in cujus ſacratiſſimo utero Verbum caro factum eſt, locuturis de Verbo, conciliat Verbum: Nec fas muta eſſe gaudia Eccleſiæ, ubi implente nos Verbo, hoc habemus in mente quod Mater in utero. Et ipſum quidem unigenitum Patris, ipſa prius mente concepit quam carne. (*d*) Salutata ab Angelo, credidit ſibi manere (*e*) virginitatis propoſitum, & naſci ex ſe Sanctum Sanctorum; quia & hoc acceperat cœlitus intimatum, quod non eſſet *apud Deum impoſſibile omne verbum*. In hujus beatitudinis commercio, unita ſunt divinis humana, terrenis cœleſtia. Securum acceſſum jam habet homo ad Deum, ubi mediatorem cauſæ ſuæ Filium habet ante Patrem, & ante Filium Matrem.

Chriſtus nudato latere, Patri oſtendit latus & vulnera; Maria, Chriſto pectus & ubera; nec poteſt ullo modo eſſe repulſa, ubi concurrunt & (*f*) orant omni lingua diſertius, hæc clementiæ monumenta & caritatis inſignia. Dividunt coram Patre inter ſe, Mater & Filius pietatis officia; & miris allegationibus muniunt redemtionis humanæ negotium, & condunt inter ſe reconciliationis noſtræ (*g*) inviolabile Teſtamentum. Maria, (*h*) Chriſto, ſe Spiritu immolat, & pro mundi ſalute obſecrat; Filius impetrat, Pater condonat. Magnum quidem eſt, quod Latroni conceditur venia; ſed & hoc ſtupendum, quod conſummata diſpenſatione incarnationis, (*i*) expiraturus Jeſus Matrem tanto affectu honorat victor ſuppliciorum; & quaſi ſui immemor, ad matrem de cruce convertitur & colloquitur, intimans quanti apud eum meriti eſſet & gratiæ quam ſolam in illo puncto reſpiceret cum jam (*k*) latere vulnerato, (*l*) foſſis manibus & (*m*) pedibus, & in ultimis eſſet. Movebat (*n*) enim eum Matris affectio, & omnino tunc erat una Chriſti & Mariæ voluntas, unumque holocauſtum ambo pariter offerebant Deo; hæc in ſanguine cordis, hic in ſanguine carnis.

Verum altius repetenda ſunt operis hujus capitula, & brevi eſt ſermone colligendum, quo initio, quo progreſſu, ad hunc beatitudinis cumulum Virgo ſancta devenerit, ut cum Chriſto communem in ſalute Mundi effectum obtineat, & à dextris ejus regnans in cœleſtibus, *Circumamicta varietatibus, in deaurato veſtitu* aſſiſtat. Inventa eſt Virgo ab Angelo in Nazareth, ſolitaria, ſeorſim à turbis, va-

(*a*) Virginis gloria, matre Chriſti, *Laud. Bod.* 1. (*b*) Conſilium quod de, *Laud. Bod.* 1, 2. (*c*) Verbo apud Deum erat, *Laud. Bod.* 1, 2. (*d*) Cum ſalutata, *Laud. Bod.* 1. (*e*) Integritatis propoſitum, *Laud. Bod.* 1. (*f*) Perorant, *Laud. Bod.* 1. (*g*) Immobile Teſt. *Laud. Bod.* 1. (*h*) Chriſto ſe ſuperimmolat, *Laud.* (*i*) *Sic Laud. Bod.* 1, 2. extirpaturus, *Imp.* (*k*) *Sic Laud.* capite vuln. *Imp.* (*l*) Foſſiſque, *Laud.* (*m*) Pedibus, ult. *Laud.* (*n*) Movebat eum, *Laud.*

vacans proculdubio meditationibus ſanctis, credo ſecum pertractans quomodo ſine offenſione Legis maneret in propoſito (*a*) caſtitatis; quia hanc elegerat, (*b*) hanc Deo voverat, & integritatem carnis & ſpiritus apud ſe Domino conſecrarat. Stabat in (*c*) adverſo Lex, urgebat ad conjugium Moyſes; qui maledictum intentans ſterilibus, ſemen & ſobolem à filiis Iſrael exigebat. Nullum de Virginibus à Domino datum erat præceptum, ſed nec erat Apoſtolus qui daret conſilium. Acceperat tamen hoc ipſum à Deo per Spiritum ſanctum, familiare mandatum; non ex reſponſo Angelico, ſed ex inſpiratione ſecreta quæ ei & affectum virginitatis intimaverat, & uſque ad neceſſitatem voti purum deſiderium alligaverat: quis tamen rei exitus futurus eſſet, nondum erat intimatum divinitus; ſed hujuſmodi acceſſionibus gradatim ſibi officinam purgatiſſimam aptabat Spiritus ſanctus. (*d*) Ob hoc eam æſtimo elegiſſe ſolitudinem ſegregatam, ut diebus & noctibus in hujus controverſiæ anguſtiis, congruis ſe rationibus muniret, quibus & ſtare ſibi poſſet optata virginitas; nec tamen quaſi in contemtum ſui, Legis indignaretur auctoritas. Hoc enim (ut diximus) id eſt, conjugium, ad propagandum populum Dei, ita (*e*) lex ab omnibus indifferenter exigebat, ut nec ſummos Sacerdotes pateretur immunes; quia neceſſe erat filium patri defuncto ſtatim ſubſtitui, nec alium quenquam in ordinem Pontificalem aſſumi. Ideoque propter (*f*) ſucceſſoris neceſſitatem oportebat eos miſceri conjugibus, ut eſſent parati filii ſtatim cum pater obiiſſet, conſecratione patrata, ad continuationis Incenſum accedere, & intra Sancta mane & veſpere ſecundum ritum Legis omni die offerre. Tantaque erat hujus rei neceſſitas, ut cum immundis & contaminatis concubitu, ex aliarum Tribuum cujuſcunque officii perſonis, nullus ad Sancta pateret acceſſus; [1] ſolam ſummi Pontificis perſonam, propter hanc impoſſibilitatem, lex à miniſterio non excluderet: licet & à quibuſdam ita accipiatur, ut noctibus propter incenſum matutinum uxores non tangerent; & (*g*) ab illa hora ſi hoc egiſſent, uſque ad veſperam permanerent immundi; qua hora purificati, (*h*) Lege non temerata, ex ordine miniſtrarent.

His difficultatibus vallata, quia humani conſilii ratio non occurrebat qua & decretum & votum pariter convenirent, cauſam ſuam Maria Domino commendabat, & meditationibus & ſanctis orationibus vacans de Cœlo expectabat conſilium, ubi Spiritu & mente converſationem ſibi parabat, ubi cœlebs animus medullitus inhærebat. Nec defuit conſolatio. Gabriel Archangelus deſurſum illabitur; ſolus ſolam affatur: *Ave* (inquit) *Maria gratia plena*, *Dominus tecum*. Raro in veteri Teſtamento, ſalutatione Angelica quenquam honoratum reperies. Non ſalutatur Abraham cum extollitur titulo fidei, cum credit nil hæſitans naſciturum de anu ſterili filium ſibi jam ſeni: neque cum eundem filium, de quo & cui promiſſiones factæ erant, mactare jubetur, nec cunctatur. Non ſalutatur cum jugulatis quinque Regibus, erepto Loth, victor revertitur: & licet à Melchiſedech oblatis Decimis dignus ſit benedici, non tamen meretur cœlitus ſalutari. Sub arbore Mamre & cum Deo loquitur & euntem in ultionem Sodomæ ſupplicationibus devotis proſequitur; & licet convivio & hoſpitio dignus inventus ſit, & licet ſi in illis quinque flagitioſis urbibus decem invenirentur immunes, reliquis veniam impetraſſet, non tamen ad ſalutationis familiaritatem pervenit. Non ſalutatur Moyſes, cum de rubo eum Deus alloquitur; neque cum in monte Sina Teſtamenti tabulis honoratur.

Adnunciato Chriſto ſalutationes incipiunt, jam proximo Jeſu qui eſt Salvator, mundi ſalute non longe poſita, Verbum ſanctæ ſpei, Verbum incolumitatis & reſtitutionis noſtræ de cœlis ad terras defertur, jam hoc Verbum prius rarum omnino incipit frequentari. Salutat Angelus Mariam, nec multo poſt Elizabeth occurrit & ipſa ſalutans & prophetans. Salutant Angeli poſt reſurrectionem ſanctas mulieres, ſalutat ipſe Chriſtus Diſcipulos. Denique & hunc ſalutandi morem, ſalvata per Chriſtum, ſemper gaudia ſua commemorans, exultans ſervat Eccleſia. Inventa eſt in Chriſto perpes lætitia, & ſalutis æternæ medicamina per ipſum ſunt nobis in pœnitentiæ Balſamis deſignata.

Maria lingua Syriaca, Domina dicitur, Chriſtus Dominus, Maria Domina; & licet ipſa ſe Chriſti profiteatur ancillam, hoc ſervitutis genus omni regno ſublimius eſſe intelligit. Conſtituta quippe eſt ſuper omnem creaturam; & quicunque Jeſu curvat genu, Matri quoque pronus ſupplicat & acclivis. In (*i*) ſupernis & infernis admirationi eſt Virgo puerpera; ſtupent dæmones, gaudent homines, in Cœlo gloriam Deo concinunt Principatus & Poteſtates. Non cadit in Angelos zelus, nec invidiæ livore candidatus ille tabeſcit exercitus, nec de præpoſito ſibi carnis ordine offenduntur: quia etſi Chriſtus aliquando *paulo minus ab Angelis*, propter paſſibilitatem ſit imminutus; modo *gloria & honore* coronatus *ſub pedibus* ſuis continet omnia ſubjecta, nec à dominatione, vel potentia Filii, Mater poteſt eſſe ſejuncta. Una eſt Mariæ & Chriſti caro, unus Spiritus, una caritas: & ex quo dictum eſt ei, *Dominus tecum*; inſeparabiliter perſeveravit promiſſum & donum. Unitas diviſionem non recipit, nec ſecatur in partes; & licet ex duobus factum ſit unum, illud tamen ultra ſcindi non poteſt, & Filii gloriam cum Matre non tam communem judico quam eandem. Ecce tabernaculum Dei, habens intra ſe Sanctum ſanctorum, virgam ſignorum, tabulas Teſtamenti, altare incenſi, ambo Cherubin reſpicientia in alterutrum, Manna, & ſine umbra propitiatorium palam expoſitum. Hæc non in figuris, ſed in ipſa veritate, ſacrarium Virginis in ſe continebat repoſita, exhibens mundo legem & diſciplinam, incenſionem zeli, caſtitatis odorem, concordiam Teſtamentorum, panem vitæ, inconſumtibilem cibum, ſanctitatem, humilitatem, & obedientiæ holocauſtum, pœnitentiæ omnibus tutum naufragis portum.

Nulla facta eſt Angelicæ dignitati injuria, ſi illius excellentiæ cacumen obumbrat virgo exaltata ſicut Cedrus in Libano. Cedrus arbor eſt procera, & imputribilis: Virginitas quoque Mariæ quia nulla concupiſcentiæ (*k*) carnis viſcatur putredine, in hoc procerior & altior virginitate videtur Angelica, quod hæc, virtutis; illa, naturæ: hæc, voluntatis: illa, neceſſitatis: & in carne quod non eſt carnis agere, res incomparabilis meriti eſt & gloriæ ſingularis. Proſequi Prophetarum oracula quæ de Maria ſcripta ſunt, non

(*a*) Caſtitatis: hanc, *Laud. Bod.* 1. (*b*) Hanc devoverat, *Bod.* 1, 2. (*c*) Ex adverſo, *Laud. Bod.* 1. (*d*) *Sic Laud. Bod.* 1. ob hoc, *Imp.* (*e*) *Sic Laud. Bod.* 1, 2. lex omnibus, *Imp.* (*f*) Succeſſionis, *Laud.* (*g*) Ab illa vero hora, *Laud.* (*h*) Lege intemerata, *Bod.* 2. (*i*) Superis & inferis, *Laud. Bod.* 1. (*k*) Carnalis, *Laud.*

[1] *Solam ſummi Pontificis perſonam.*] Quaſi Sagan huic non ſufficeretur, ob iſtos eventus.

non eſt noſtri propoſiti ; neque enim rem tanti culminis ſibi noſter arrogat ſtylus. Quomodo enim illud divinum puerperium eloquar, quod ab Angelis in Bethleem celebratum eſt, ubi in anguſto tugurio hoſpitata virgo non habens diverſorium, infantem Jeſum laciniis repoſuit faſciatum ; ubi Virgo & obſtetrix & genitrix, ſibi ipſi in illa celebritate exhibuit clientelam. Nihil (*a*) quippe doloris, nihil clamoris ibi erat, nullam ibi uturam pœnarum pro voluptate ultio repetebat. Neque enim erat Chriſtus in peccato conceptus, cujus ſolius eſt donare peccatum. (*b*) Unde ipſi egredienti, nullum exigens tormenti vectigal, ultro natura januas reſerabat. Aderant illic Cherubin & Seraphin ; & gratulabundus, *gloria in excelſis*, Deo decantabat cœleſtis Exercitus ; & uſque ad Paſtorum excubantium aures harmoniæ Angelicæ conſonantia perſtrepebat. *Reges Arabum & Sabba* ab Oriente egreſſi, ſequuti ſtellam inſoliti luminis, genibus curvatis & humi purpura defluente, Jeſum noſtrum pannoſum adorantes, donis ſacramentalibus venerati ſunt.

Ab ortu Salvatoris uſque ad Baptiſmum anni 30. defluxerant, nec toto hoc tempore ſejuncta eſt Mater à Filio, ſemper individua illi adſtitit, & divini conſcia ſecreti, humili affectu venerabatur ut Deum, amplectebatur ut Filium. Ventum eſt ad miracula, & illico Judaica perfidia movit calumnias, & corde felleo doctrinam Evangelicam perſecuta, ringens in Chriſtum deſpumabat convitia dicens eum *in Beelzebub ejicere dæmonia :* & non eſſe à Deo, Sabbati contemtorem. Multa præterit ſuccinctus & ad finem properans ſtylus. Quid ſingula proſequar? Nec mortuo Chriſto quievit invidia, nec ſaturata eſt cruentæ plebis malitia, cum pedibus & manibus clavi, cum lancea lateri, fel ori, ſpinæ capiti, & totum corpus hæreret cruci. Obſervabant milites crucifixum, irridebant Judæi, nec extorquebant reſponſum. Fugientibus Apoſtolis, in faciem Filii ſe oppoſuerat Mater ; & gladio doloris animæ ejus infixo, vulnerabatur ſpiritu & crucifigebatur affectu : & quod in carne Chriſti agebant clavi & lancea, hoc in ejus mente, compaſſio naturalis & affectionis maternæ anguſtia. *Stabat ante Crucem*, non minor quam matrem Chriſti decebat : (*c*) Fortaſſe autem quia in morte Filii intelligebat Redemtionem Mundi, etiam ſua ipſa morte ſe aliquid æſtimabat publico muneri addituram. Sed Jeſus alieno adjutorio non indigebat, qui dixit ; *Factus ſum ſicut homo, ſine adjutorio, inter mortuos liber.* Suſcepit quidem Parentis affectum, non tamen quæſivit : ſui ſanguinis Patri ſacrificium offerebat, illo auxilium imo ipſam inter reliquos pro quibus ſui ſanguinis Patri ſacrificium offerebat, illo generali beneficio complexus eſt.

Ecce bone Jeſu, coram te eſt Mater tua. Cur modo non dicis : *quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei* ? Modo matrem non abjicis, nec ignoras, ſed commendas diſcipulo, & vicariam imponis ſolicitudinem illi quem præcipue diligis, qui *ſupra pectus* tuum *in cœna recubuit*, *Mulier* (inquit) *ecce Filius tuus ; & ad Diſcipulum, ecce Mater tua.* Supererat Joſeph, ad quem uſque ad illud tempus præcipua obſequii ſpectaverat ratio, & cui ad hoc ipſum fuerat deſponſata ; & modo, quaſi hoc miniſterio cenſeatur indignus, Joannes aſſumitur. Hunc intellectum circumſtantia (*d*) ſermonis videtur exigere : verum ſecretiore ratione virginitas virginitati commendatur, ut hoc teſtimonio juguletur [1] Bonoſus hæreticus & profanus Helvidius, qui in ore fœtido auſi ſunt garrire quod de utero Virginali alius præter Chriſtum partus effuſus eſt ; & poſt Salvatorem natum, Joſeph eam licentia maritali contigerit. Ipſe Chriſtus de cruce, maternæ Virginitatis eſt arbiter, idem & (*e*) aſſertor. Neque enim filios ex Joſeph ſuſcepturam à viri conſortio ſepararat. *Obſtructum eſt os loquentium iniqua ; ſuſcepit eam* Joannes *in ſuam*, non abnuente Joſeph, nec aliquam calumniam referente : ſuſcepit eam in ſuam ; non quaſi maritus, ſed loco Filii aſſecla & cuſtos & teſtis, & conſcius. Erant quidam ambo in miniſterio Mariæ, Joſeph cedente pro tempore & cauſa ; Joanne præpoſito. Chriſtus quidem in eum expenſis contumeliis & tormentis ; jam hora propinquante, in matre amplius quam in ſe pati videbatur : nec diſſimulans quod humano pungeretur affectu, circa noviſſima expreſſit quantam matri vellet reverentiam à mundo exhiberi, cui in ultimis tam officioſum reliquit dilectionis indicium : in ipſo mortis articulo exponens, quod matris eſſet intemerata virginitas, & quod ei gratiæ ſingularis æterna maneret hæreditas. Suſcepit itaque Diſcipulus, quod ei commendatum eſt ; & Chriſtus dixit ; *Conſummatum eſt.* Hoc dixit ; & bono pietatis fine myſterium omne complevit.

Poſtulabat ordo, ut & de ceteris capitulis quæ Chriſtus in cruce tetigit, aliqua ſcriberemus ; ſed ſupra nos eſſe ſcimus, ad tantæ profunditatis myſteria mittere manum. Quis enim differere ſufficiat, quod ſe derelictum clamat in cruce, (*f*) quaſi infirmus ; & latronem in Paradiſum præmittit quaſi Deus : quod orat pro eis qui illi maledicunt, & crucifigentibus obtinet veniam : & quod in eodem puncto in quo apud Patrem, totius mundi cauſam allegat ; quam proprie & ſingulariter matrem revereatur indicat : quod de ſiti, & non de corpore vulnerato eloquitur : quod tunc demum proteſtatur omnia conſummata, & ſic in manus Patris, ſpiritu commendato, capite inclinato, emoritur ? Magis hæc noſtro videntur honoranda ſilentio, quam indigni ſermonis auſu temerario contingenda.

Verum de Maria quod cœpimus, ut breviter proſequamur ; hoc ex (*g*) Actibus Apoſtolorum traditum nobis accepimus, quod poſt Paſſionem Chriſti, cum Apoſtolis uſque ad Pentecoſten in orationibus & jejuniis unanimiter converſata eſt. Poſtea vero, Joanne in ejus obſequiis perſeverante, non diu vocatione dilata, migravit ad Filium : & Angelis occurrentibus & deportantibus illam inclytam animam, aſſumta eſt in cœlum : utrum in corpore, aut ſine corpore, nullius canonicæ Scripturæ definivit auctoritas : ſed quocunque modo ſit ; eam cum Chriſto eſſe, dubium non eſt. Nec fas eſt homini loqui quid illud gloriæ ſit, quæ beatitudinis plenitudo qua illa perfruitur ; quia ſicut ſcriptum eſt, *pax* illa *omnem ſuperat intellectum, nec eam oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit.* Hoc certum eſt, quod ibi eſt ubi tam ipſa quam Filius *vultui Dei* aſſiſtunt, pro nobis miſericordiam poſtulantes, non judicium ; & obtinentes omni pœnitenti remiſſionem peccatorum. Imo datum eſt Filio *à Patre omne judicium* ; & ejus eſt

(*a*) Quippe ibi, *Laud.* (*b*) Ideoque egredienti Chriſto, *Laud. Bod.* 1. (*c*) Fortaſſe enim, *Laud.* (*d*) Sermonum, *Laud.* (*e*) *Sic Laud. Bod.* 1, 2. aſſertor. Obſtructum, *Imp.* (*f*) *Sic Laud.* qua inf. *Imp.* (*g*) *Sic Laud. Bod.* 1. actionibus, *Imp.*

[1] *Bonoſus hæreticus.*] De hoc ſupra fere iiſdem verbis. Et quidem jure iſto utuntur omnes fere Scriptores, ut de ſuis pro libitu ſtatuant.

eſt temperare & diſpenſare ſeveritatis diſtrictæ decretum, qui non facile eos quorum advocatus exiſtit condemnat: cumque idem ſit Advocatus & Judex; nequaquam crudeliter judicat, qui ſemper miſericorditer interpellat. Merces quippe mortis ejus, ſalus eſt hominum. Nec illud ſibi perire facile patitur, pro quo & (a) ſanguinis pretium magnum datum eſt; & tantum reconciliationis humanæ ſtudium fuit, ut ſua diſpendia non attenderet dum erroneum lucraretur.

(a) Sanguinis ejus, *Laud. Bod.* 1.

ARNOLDI ABBATIS BONÆ-VALLIS MEDITATIONES.

[1] NOli timere, filia Sion: ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, & ſedens ſuper pullum filium ſubjugalis. Veni Domine Jeſu: veni, deſiderate cunctis gentibus, quia dormivit anima mea præ tædio moræ tuæ, & oculi mei languerunt præ inopia luminis tui. Orere ſol amabilis, ut exeat homo ad opus ſuum & ad operationem ſuam uſque ad veſperam: & operetur non cibum qui perit, ſed qui permanet in æternum. Noli timere, filia Sion; timere puſillorum eſt. Ideo adhuc filia, quia times; nondum Jeruſalem ſed filia Sion, hoc eſt, ſpecula; ergo diſce ſpeculari. Noli timere, quia timor oculum turbat, hilaris pupilla lucide ſpeculatur; fides eſt pupilla oculi tui. Quomodo pupilla oculi ſubtiliſſima eſt, & niſi impigre & ſollicite cuſtodiatur à palpebris, leviſſimo tenuiſſimi pulveris tactu confunditur: ſic acies fidei niſi pervigilem ſemper habeat cuſtodiam, nihil citius conturbatur. Sed noli timere, filia Sion: ecce rex tuus venit tibi, oritur tibi ſol, qui & te cuſtodiat & illuminet, & perducat te ubi pulvis non eſt: venit tibi manſuetus, qualis ipſe eſt, talem te eſſe vult. Manſueſce jugum ejus portare, ut & ipſe ſedeat ſuper te aſinam ſuam & pullum filium ſubjugalis. Et quæ eſt hæc aſina? Ipſa quæ caro vocatur, & mulier & virago, quia de viro ſumta eſt. Et quis eſt pullus ejus? Maſculus vir. Et quomodo pullus ejus eſt? Quia non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale; deinde quod eſt ſpirituale. Prius caro domatur, ut ſub jugo habilis ſit, deinde naſcitur pullus & roboratur, ut ſeſſorem ſuum portare poſſit. Et quare filius ſubjugalis? quia ſub viro eſt mulier, & mulieris caput vir: & tamen filius eſt ſubjugalis, quia per mulierem vir, ſed in dolore pariet. Sedeat ſuper utrumque rex manſuetus faciens pacem, ne hæc ſibi invicem adverſentur. Sedeat, inquam, ut ſpiritus imperet carni, & caro obtemperet ſpiritui: ſpiritus autem & caro obediant ſuo creatori.

Venit manſuetus, venit tibi; & tu non vadis ei? Egredere de terra carnis tuæ, de cognatione mentis tuæ, & de domo patris tui: de memoria patris tui, Pater tuus Amorreus & mater tua Hethæa: hujus patris obliviſcere, & tunc concupiſcet rex decorem tuum. Decor magnus eſt, ſi audis & vides & inclinas aurem tuam. Audis per obedientiam, vides per intelligentiam, inclinas aurem tuam per humilitatem: hic decor, hæc gloria omnis ab intus eſt in fimbriis aureis; hunc decorem tuum rex manſuetus concupiſcet. Egredere de civitate, quia vidi, inquit, iniquitatem & contradictionem in civitate. Egredere cum pueris Hebræis qui tranſeunt ſimpliciter in occurſum Domini. Sterne in via ramos olivarum, ut opera miſericordiæ pedibus ejus accommodes. Accipe frondes palmarum, ut triumphes de principibus tenebrarum. Nihil in te reſideat quod in occurſum Jeſu non prodeat: quia nec una ungula in Ægypto Pharaoni relinquenda eſt: manus & cor linguæ concinant hoſanna in excelſis.

Videns vidiſti Domine Deus afflictionem populi tui, qui eſt in Ægypto, & inclinaſti cœlos tuos, & deſcendiſti liberare nos. Indulta eſt & mihi, Domine, modica quies ab operibus tenebrarum duriſſimis; quibus mentem meam vehementer afflixit importunus exactor Pharaonis, & ſabbati tui præparatio jam lætificavit animam meam. Veruntamen nondum uſque ad ſpeculum perveni, ubi plenius intelligam puſtulas & nævos qui maculant faciem meam, qui valde diſplicent in oculis tuis; quum & ſi lavero me nitro, & multiplicavero mihi herbam Borith, maculata ſum iniquitate mea.

Et tunc, Domine, paſſionis tuæ dies urgere nos deberent magis quam præpoſiti Pharaonis: quum in operibus tuis juſtitia eſt, & pax & gaudium in Spiritu ſancto. Nos autem dormitamus, te, Domine, pro nobis orante: quia oculi noſtri tempore noſtro gravati ſunt. Suſcita nos ut vigilemus & oremus, ne incidamus in tentationem: quoniam tribulatio valde proxima eſt nobis, quam cito clauditur oculus ne te videat: collabitur pes noſter in hoc mari magno & ſpatioſo manibus, ubi ſunt reptilia quorum non eſt numerus, quæ ſomniorum ſuorum phantaſiis intentam ludificant animam, & trahunt in cor maris, unde non facilis ad ſuperiora reductus eſt: niſi tu emittas manum tuam de alto, & liberes nos de aquis multis. Suſcita nos, Domine, ut tecum vel una hora vigilemus & oremus. Quis autem eſt qui tecum una hora vigilet? Avulſus enim es à nobis quantum jactus eſt lapidis, & agonizas prolixius, ita ut gutta ſanguinis tui decurrat in terram; longe, longe avulſus es à nobis, quia lapis abſciſus eſt à monte ſine manibus, & jactus

[1] *Noli timere filia.*] Opus hoc in vetuſto Codice Laudenſi, qui auctori ipſe videtur coævus, repertum, reliquis ejus Scriptis addendum duximus, licet tractatus iſtiuſmodi in vulgatis catalogis nulla mentio habeatur.

& jactus est lapis & percussit Goliam in fronte, & statuam in pedibus. Iste est jactatus tuus longe à nobis, quia etiam & usque ad interiora velaminis præcursor introisti pro nobis, ubi semper interpellas Patrem. Sed utinam gutta sanguinis qui de agone tuo sudat, usque ad terram nostram decurrat, & aperiat terra os suum, & bibat illam, & clamet ad te, & tecum ad Patrem: melius quam sanguis Abel.

Quis autem est, Domine, qui tecum una hora vigilet: etiam non est factum silentium, nisi quasi media hora. Quanto minus una hora vigilabimus tecum; quotiens & quotiens, Domine, venis ad nos, & invenis nos dormientes, & tamen benigne suscitas nos, & iterum abis secundo & tertio eundem sermonem dicens. Statim autem ut recesseris, iterum somnus occupat nos, nec vigilare possumus, nisi quamdiu nobiscum es, & suscitas nos. Venis in secunda & tertia vigilia, sed beatus ille servus, quem tunc inveneris vigilantem. Jam primæ & quartæ vigiliæ nulla mentio fit, quia nec primæva ætas sensum recipit vigilandi, nec ultima spem prolixius orandi. Et quid est, Domine, quod tertio rediens copiam dormiendi paras, Dormite jam & requiescite? Nunquid aliud concedis somnium ubi requiescitur, & aliud prohibes in quo oculi gravantur? Ita est; qui enim vigilat in te, suaviter dormit, & silet, & somno suo requiescit. Qui autem dormit à te, sicut ebrius nocte, nesciens graviter agitatur.

Tristis est, inquit, anima mea usque ad mortem. Anima tristis est, quæ expectat mortis tribulationem. Quis enim sciat utrum ad dextram, an ad sinistram erit: quis sciat quomodo respondeat ad arguentem se, quum judex sicut parturiens loquetur: Ideo tristis anima mea similis fiat pellicano solitudinis, quæ odit civitatem & conventicula eorum de sanguinibus, & macie solitudinis pallet. Ut sicut nycticorax in parietinis scripturæ quærat sibi escam tota nocte; & evolet in passerem super tectum, vigilantem & caventem quin veniat fur. Vel Judam non videtis, quomodo non dormit quam pervigiles habet oculos avaritia, quomodo circuit orbem terræ. Non cessat manus ejus, non cessat pes; & coacervat sibi iram in die iræ. Et tamen dormit Simon, dormit Jacobus, & Joannes; Quare? quia non attendunt quid post paulum futurum sit. Periculi magnitudo somnum fugat. Nunquid dormivit Petrus in atrio? Nunquid dormierunt qui relicto eo fugerunt? Nunquid dormivit adolescens quando tenuerunt eum, & ille relicta syndone nudus profugit? & tum frigus erat, quia stabat Petrus & calefaciebat se; magnitudo periculi, & somnum & frigus & famem facit oblivisci. Evigila miserabilis anima, si non amore saltem timore. Cogita saltem cruciatum quem jam passura es in morte. Certe nulla crux durior est quam mors; Mors inquam ipsa durissima est crux quæ tibi paratur: ad quam tu quotidie festinas, & non attendis. Vide quomodo te mors crucifigit: corpus rigescit, crura distenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, cervix languescit, labia spumant, oculi stupescunt, facies exsudat, vultus tabescit & horrescit, & velut testa pallescit. Ista crux manet te. Nescio utrum in lecto molli, an in cruce rigida suavius moriatur, nisi quod crux citius dolorem abscidit. Quæ videmus & sentimus levia sunt ad ea quæ animus jam prægustat, nam sensus cito à corpore recedit, animam suam mors semper comitatur.

Cum ambularent animalia, ambulabant pariter & rota juxta ea; si vita nostra proficeret, rota sanctæ Scripturæ nobiscum pariter ambularet. Sed quia per paludes & saxa pedibus euntes offendimur, vix rotæ nos sequuntur; passio Domini celebratur, & nos voluptati operam damus, clamat nobis de cruce. O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis sicut dolor meus, & nemo est qui audiat, nemo qui consoletur, nemo qui respondeat. Sitio inquit: Domine, quid sitis? ergone te plus cruciat sitis quam crux; de cruce siles, & de siti clamas? Sitio, quid? vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium; plus animarum vestrarum quam corporis mei cruciatus me tenet.

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus. Attendite dolorem meum, ut in dolore meo videatis dolorem vestrum; Dolor meus imago vestri doloris est. Quid attenditis in corpore meo? Attendite & videte, si similis dolor non est in corde vestro. Transitis à vobis ad me, retransite à me in vos; & videte si non est similis dolor in vobis, sicut dolor meus. Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete filiæ Jerusalem. Vester ille dolor quem transitis & non attenditis, magis est flendus quam dolor meus; propter scelus enim vestrum percussus sum. Hæc nobis de cruce clamas, O benigne Jesu! & si non verbis, tamen ipsa re. Quid tibi respondeam? quid loquar? quid retribuam? fecisti ergo mihi de corpore tuo speculum animæ meæ. Nesciebam contumelias & terrores & colaphizantem me incessanter Satanam, nisi viderem artem medicinæ tuæ similia similibus curantem, & apprehenderem in statera hinc calamitatem tuam, illinc iniquitatem meam. Dedisti corpus tuum percutientibus, & genas tuas vellentibus: faciem tuam non avertisti à conspuentibus in te, ut alapæ tuæ meas alapas removeant, & flagella flagellis expientur, & opprobria exprobrantium tibi, quæ cecidерunt super te, auferant à me opprobrium sempiternum.

Hæc sunt linteamina mundissima carnis tuæ, quibus vulnera mea alligasti, O Samaritane misericors, ut poneres super jumentum tuum hominem à latronibus spoliatum, & flagellis cæsum, & perduceres in stabulum. Quum ipse vere nostros languores tulisti, & dolorem nostrum ipse portasti, cujus livore sanati sumus.

In domo ergo principis sacerdotum velata facie colaphizatur Christus: quia in domo conscientiæ cæcata mente colaphizatur Christianus. Quod enim Christus in publico, ego patior in occulto: & quæ ille foris à ministris Caiaphæ, ego intus à nequitiis Satanæ: quia supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, faciem mihi velaverunt, faciem meam in terram defixerunt, & dorsum meum incudem suam fecerunt. Et supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, sed adhuc intra domum contineor, ubi puella & moritur & suscitatur: nam & ibidem Petrus negavit. O homo non sum, hominem attendo non Deum; hominem timeo non Deum, cujus veritatem nego. Nonne, Petre, in his verbis velatam faciem habuisse videris? unde & tertio colaphizatus est, quia tertio negavit. Et Paulus tertio rogavit Dominum, ut auferret à se angelum Satanæ, qui eum colaphizabat. Uterque ergo Apostolus colaphizatus est: Uterque ter naufragium passus est, ille intus, iste foris. Voluisset quidem Satanas, at si tam licuisset ei tamdiu Petrum colaphizando cribrare sicut triticum; donec ab eo omnem fidei medullam excussisset. Sed ego (inquit) Petre, rogavi pro te, ut non deficeret fides tua: unde respexit eum Christus, & egressus foras, flevit amarè.

Tamdiu velatam faciem habuit Petrus, donec respexit

ſpexit eum Chriſtus. Sed nunquid non etiam prius negantem non aſpiciebat ? etiam. Sed Petrus reſpicientem ſe Chriſtum non reſpiciebat, quia velatam faciem habebat, unde bene alius Evangeliſta, Et recordatus eſt, inquit, Petrus. Recordatio Petri reſpectus fuit Chriſti, ergo cum peccatum flendo recordaris, à Chriſto videris. Imo ſublato velamine Chriſtum vides, & egreſſus foras propterea negabat, quia intus eſſe volebat. Et tamen quando negavit foras egreſſus eſt. Unde foras? de domo Chriſti, de domo fidelium. At ubi de domo Caiaphæ foras egreſſus eſt, in domum Chriſti intromiſſus eſt.

Quanti ſunt hodie qui dicunt, nos ſumus de domo Chriſti, nos ſumus de domo Eccleſiæ; & ſunt de domo Caiaphæ, hoc eſt hypocriſis? Quod Petrus negando, hoc ipſi faciunt affirmando. Sed niſi confitendo foras exeant, & amare fleant, non intrant in Eccleſiam Chriſti. Amaritudo fletuum velamen diluit oculorum. In domo ergo Caiaphæ colaphizatus eſt Chriſtus, quia in domo Caiaphæ colaphizatus eſt Petrus: & quod Petrus à Satana intus paſſus eſt, hoc Chriſtus à miniſtris Satanæ foris pertulit. Attende ergo & vide, ſi eſt dolor tuus ſimilis ſicut dolor meus. Vides quis graviora pertulit opprobria, Chriſtus foris in corpore, an Petrus intus in corde.

Sed jam ad Pilatum eatur: mane autem facto, vinctus adducitur ad Pilatum. Quamdiu culpa latet, nox eſt: at ubi cœpit innoteſcere, mane fit. Tunc jam ligatur à principibus ſacerdotum, & traditur Pilato, hoc eſt principi tenebrarum. Sicut & Apoſtolus dicit hujuſmodi tradere Satanæ in interitum carnis. Effertur adoleſcens de domo ad portam civitatis, ubi ſedet Pilatus pro tribunali: in porta enim judicium fieri ſolebat. Pilatus autem apprehenſum flagellavit. Sæpe dum culpa retegitur, per impudentiam peccator effrænatur. Augentur flagitia, plagæ multiplicantur; multa enim flagella; multa peccata.

His flagellis Pharao cedebat filios Iſraelis. Poſt hæc traditur militibus ad illudendum: ipſa eſt militia ſpiritalis nequitiæ. Vide originem miſeriæ à principibus ſacerdotum: traditur principibus tenebrarum; qui flagellis ſuis ſibi mancipatum militibus ſuis exponunt altius illudendum, & poſtea noviſſime crucifigendum. Poſt crucem non reſtat ſupplicium, quia peccatum cum morte terminatur; ſed vicina jam morte, majori Dæmonum ludibrio peccator agitatur. Exuentes quippe eum veſte totius decoris Chriſtiani: quaſi pro regio ſplendore chlamydem ei coccineam, hoc eſt, veſtimentum mixtum ſanguine circundant, cum propter crudelem vitæ ſuæ ſanguinolentiam à pleriſque & honoratur & circundatur. Unde & plectentes coronam de ſpinis ponunt ſuper caput ejus, cum de rapina pauperum ſpineas ei divitias coacervantes, caput ejus ad regnum efferunt. Vendicant enim pecunia, quod ſapientia dicere ſolet; Per me reges regnant, & conditores legum juſta diſcernunt. Ubi pecunia, ibi lex, ibi clientum copia. Unde & arundinem ponunt in dextera ejus, poteſtas enim & regnum impiorum arundo eſt quæ vento agitatur. Regnum autem Chriſti virga ferrea. Et bene in dextera arundo ponitur; quia dextera eorum dextera iniquitatis. Jam quod ſubſequitur luce clarius eſt: quia flexo genu talibus illuditur potius quam ſervitur.

Ave rex Judæorum, expuentes in eum laudibus ſupervacuis. Laudatur enim peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Acceperunt arundinem & percutiebant caput ejus. A talibus enim rectoribus milites eorum poteſtatem accipiunt nocendi & devorandi pauperes, quod totum tamen abundat in caput ejus; cujus auctoritate ſe tuentur. Hic tertia mors eſt, quando ſedet fœtens in cathedra peſtilentiæ. His mortibus infelix anima ante extremam crucem mortis affigitur: & quod miſerabilius eſt talibus opprobriis quaſi pro magnis honoribus delectatur; & talis quotidie ducitur ad crucem, bajulans ipſe ſibi ſuæ damnationis ſupplicium.

Sed quid eſt quod poſt illuſionem chlamyde exuitur, & ſuis veſtimentis reinduitur? niſi quod ſæpe ſuperbus Adam cum per dolorem carnis confinia mortis ingreditur: depoſita elatione ad putredinis ſuæ conſiderationem revertitur: ubi videlicet vel miſeratione divina pœnitentiæ fructus invenit, vel per tremendum judicium duplici contritione conteritur. Sic Herodes cum veſte regia perfulgidus, plus quam decuit, à populo acclamaretur: mox percuſſus ab Angelo exutus chlamyde veſtem ſuam reinduit, & conſumtus à vermibus expiravit.

Rectene illuſus eſt? Ave rex Judæorum. Quid ſuperbis terra & cinis? quid veſte nitida gloriaris? ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum vermis, hæc tua veſtis eſt. Illuſerunt tibi, qui tibi circundederunt chlamydem coccineam. Sic Antiochus & dominici natalis hoſtis Herodes alienis veſtibus depoſitis in ſuis vermibus expiraverunt. Redi ad cor tuum tandem aliquando, redi vetus Adam: vide ubi & quomodo te requiſivit & invenit novus Adam: oſtendit tibi in corpore ſuo ignominias animæ tuæ. Non ſatis fuit quod per colaphos & flagella, & nova irriſionum genera, poſt te fugientem clamitans & miſerans percucurrit, & uſque ad noviſſimum crucis ſupplicium jamjam efflantem conſecutus invenit & apprehendit.

Quis enim latro ille fuit niſi Adam; qui ex quo primum in Paradiſo ſui ipſius homicidium perpetravit: tamdiu à Chriſto fugit reus & abſcondit ſe, donec in crucis articulo noviſſime conſumtus & comprehenſus: fugere & latere ultra non potuit: ibi comprehenſus tandem à te bone Jeſu. Converſus eſt, culpam ſuam confeſſus eſt, pœnam libenter amplexus eſt. Tu enim admonebas ne pati abhorreret: quod te quoque ſecum pati videret. Ille ergo tibi de toto mundo ſolus & unus adhæſit: & ideo ſolus de toto hoc mundo tecum in Paradiſum intravit. Ubi & tam firmiter non jam cuſtos Paradiſi, ſed civis & domeſticus Dei colligatus eſt ut amplius inde cadere non poſſit. O beatiſſimum latronem, imo non latronem, ſed martyrem & confeſſorem! Neceſſitatem enim convertit in voluntatem, & pœnam commutavit in gloriam, & crucem in triumphum. In te, beatiſſime confeſſor & Martyr, de totius mundi ſterilitate fidei reliquias collegit Chriſtus. Tu, fugientibus diſcipulis & Petro negante, ſocius & comes paſſionis ejus fieri gaviſus es: Tu Petrus in cruce fuiſti, & Petrus in domo Caiaphæ, latro. Tamdiu enim Petrus latro fuit, quamdiu intus latitans Chriſtum foris negavit: ideo & Petrum præceſſiſti in Paradiſum; quia qui te in cruce complexus eſt, dux & rector tuus eadem die qua ipſe ingreſſus eſt, fidelem & glorioſum militem ſecum te pariter introduxit.

Egenus & pauper ego ſum, Domine, & claudus ex utero matris meæ; & ecce ſedeo ad portam templi tui quæ dicitur ſpecioſa, non valens nec volens introire. Quin potius egeſtate bonorum tuorum, mendicans foris alimoniam carnis meæ; æreas & falſas imagines hominum: ubi coacervem mihi talentum iniquitatis, faſciculos deprimentes. Et ecce hora orationis nona eſt. Aſcendunt Petrus & Joannes Apoſtoli tui ut orent ad templum ſanctum tuum. Ego autem

autem hæreo terræ & luto, terrena & vana ſapiens; & aliis introeuntibus, ego foris remaneo: non quærens cum eis quæ Patris tui ſunt; ſed quæ primi parentes mei, qui me huc foras ponunt, quotidie male concupiverunt. Et ecce jam hora orationis nona eſt; inclinata eſt dies, prope eſt nox: cum ſurrexero mane diluculo, de his quæ nunc mendico, nihil in manibus meis reperiam. Hora inquam, orationis nona eſt; oraſti enim hac hora pendens in cruce; oraſti inclinato capite, clamans magna voce, & expiraſti. Oraſti inclinato capite in Spiritu humilitatis, clamans voce magna, altiſſimo & ſecretiſſimo affectu paternæ & noſtræ caritatis. In illo, Domine, clamore valido expiraſti, & eundem quem de nobis habebas compaſſionis animum, tecum portaſti: & credo, Domine, quia tecum adhuc reſervas: quia caritas tua refrigeſcere neſcit. Erat autem hora orationis nona: & quare nona orationis hæc hora? quia circa horam nonam tenebræ factæ ſunt. Repellendus erat horror tenebrarum, qui univerſam operuerat terram. Repellenda caligo populorum, quæ ex tunc cœperat abundare, ex quo tu cœpiſti ad auram poſt meridiem deambulare. Ex tunc non ceſſaſti, clamans ubi es Adam; ſequens poſt tergum fugientis & abſcondentis ſe quantum in ipſo fuit: & dimiſſus eſt de Paradiſo voluptatis, & pervenit uſque ad condignum cruciatum ſuæ iniquitatis. Sed nos, inquit, digna factis recipimus; hic autem quid fecit?

Adam quam ſero in hæc verba perrupiſti, modo primum te invenit. Amen dico tibi, hodie eris mecum in Paradiſo. Ideo hora eſt orationis nona: nona oravit; nam decima Paradiſum intravit. Præterea & non introibat claudus in templum: quia nondum uſque ad decimam generationem pervenerat; ſed Petrus ad eum: In nomine, inquit, Jeſu Chriſti ſurge & ambula: vere vos eſtis montes ad quos levavi animam meam, unde veniet auxilium mihi. Sed auxilium meum à Domino, quia in nomine Jeſu Chriſti ſurge & ambula. In verbo Chriſti laxas rete, in verbo Chriſti claudum levas, in verbo Chriſti ſolidantur baſes ejus & plantæ. Quæ ſunt baſes ejus? fides & timor; & quæ plantæ? ſpes & caritas.

Ideo bene Petrus & Joannes ſimul aſcendebant: quorum alter fidei, alter caritatis inſigne ferebat. Aſcendebant ad templum tuum, Domine, tecum ſimul oraturi; ut & ipſi tecum introeant in Paradiſum ſanctuarii tui. Quia ſciſſum eſt in morte tua velamentum quod erat ſuper faciem Moyſis. Sed nolite timere ſoli; quia nec tu, Domine, ſolus in Paradiſum introiſti. Tu latronem, iſti claudum introducunt. Sed neque jam latro in Paradiſo, neque claudus in templo. Quomodo claudus enim, qui ſtat & ambulat, exſilit & Deum laudat? aut quomodo latro, ſi cum Chriſto in Paradiſo? non enim habitabit juxta te malignus. Latro fuerat, quando latebat ante confeſſionem: juſtus autem, poſt orationem. Quid enim oravit? Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. O magna fides! O magna ſpes! O magna caritas! Orat pro futuris, non pro præſentibus; non vult de cruce deponi, ſed in Chriſti regno reponi. Quid enim aliud eſt dicere, quam cupio diſſolvi, & cum Chriſto eſſe? Neſcit quid Paulus magis iſto latrone cupierit. Memento mei, O cor contritum & humiliatum! Quid minus vel humilius potuit orare, quam ut vel ſui memor eſſet? Memento mei; cujus mei? mei, inquam, tam indigni, tam peccatoris. Iniquitatem meam ego agnoſco, & peccatum meum contra me eſt: ſemper confundor oculos meos ad te levare; tibi ſoli peccavi. Tu ſolus potes à peccato meo me mundare. Malum coram te feci, cum me tibi volui celare. Latro ſum animæ meæ; homicidium quod feci, volui occultare: ſed malum coram te feci. Memento mei, miſerere mei: merito in hanc miſeriam deveni, qui tuam beatitudinem deſerui. Dives eram, & ecce quam miſer factus ſum. De omni ligno Paradiſi poteram comedere & delectari; & ecce crucior in hoc ligno, & morior. Memento mei, tui oblitus eram; ſed tu cum iratus fueris, miſericordiam recordaberis. Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam; video in te magnam & tuam, hoc eſt, competentem tibi miſericordiam: quæ te mihi ad mei conſimilem condeſcendere fecit miſeriam. Et ego, inquam, digna factis, tu autem quid feciſti? Video te mihi in pœna ſimilem, quem in actu video tam diſſimilem.

Non potuiſti me longius ſequi. Unde veniſti? à ſummo cœlo egreſſus es: de utero Virginis ſpecioſus forma proceſſiſti; & mecum pendes in ligno? Quis huc adduxit te? ſola miſericordia. Secundum hanc magnam miſericordiam tuam, miſerere mei Deus. Deus es, non homo tantum; Deus es, ego homo plaſma tuum, ego quem feciſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam: imaginis tuæ, Deus miſerere. Sed in quo te agnoſcam miſereri? In eo quia imaginem meam in te video ſimilem & eandem mecum miſeriam pati. Quid ergo reſtat, niſi ut ſperem? De tanta miſericordia quis unquam potuit deſperare? Ergo memento mei, dum veneris in regnum tuum. Vadis ad regnum tuum, impleſti negotium tuum. Ad hoc veniſti, ut me reducas tecum: tecum ire concupiſco, & pro hoc amariſſimam mortem pati non contremiſco, non erubeſco.

Quomodo enim contremiſcerem, ubi te mecum eſſe viderem? Etiamſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es. Aut quomodo erubeſcerem, quod te Dominum cœli portare viderem? Qui enim te erubuerit & tuos ſermones; hunc tu erubeſces, cum veneris in majeſtate tua & Patris & ſanctorum Angelorum. Qui non bajulat crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus. Hic eſt ſermo tuus: qui hunc ſermonem erubuerit, hunc tu erubeſces. Qui enim erubeſcit crucem tuam, erubeſcit gloriam tuam: mihi enim abſit gloriari, niſi in cruce Domini mei Jeſu Chriſti. Crux gloria tua eſt; crux imperium tuum eſt. Ecce imperium tuum ſuper humerum tuum. Portas crucem tuam, portas portantem te. Qui portat crucem tuam, portat gloriam tuam; qui portat gloriam tuam, portat te. Portantem autem te tu portas ſuper humerum tuum; quia imperium tuum ſuper humerum tuum. Ergo qui te portant, imperium tuum ſunt: in ipſis enim tu regnas, O maxime imperator. Sed quomodo aut quo portas imperium tuum ſuper humerum tuum? Humerus tuus altus eſt, humerus tuus fortis eſt, humerus tuus pertingit uſque ad Patris confeſſum ſuper omnem principatum & poteſtatem & virtutem. Illuc reducis ovem centeſimam: illuc reducis ovem Joſeph: ad dexteram Patris deducitur ovis Joſeph. Vade jam ſecura ovis Joſeph: Chriſtus te portat ſuper humerum ſuum. Fortis eſt humerus ejus, noli timere: altus eſt, noli ad ima reſpicere, quia nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retro, aptus regno Dei.

Grave jugum ſuper Filios Adam à die nativitatis eorum, uſque in diem reverſionis in matrem omnium. Quamdiu ſum filius veteris Adam, grave jugum porto: ſi eſſem filius novi Adam, leve jugum portarem. Quod eſt onus grave? Talentum plumbi: & quod eſt onus leve? Crux Chriſti. Illud, ſicut ſcriptum eſt,

eſt, ſubmergitur in aquis vehementibus : iſtud enatat ſuper aquas. Mira res, nihil formidoloſius homini quam crucem pati. Sed quare timent homines crucem ? quia latrones ſunt : ſi latrones non eſſent, crucem non timerent ; ergo qui timet, latro eſt. Quomodo, inquis, latro eſt ? Audi Chriſtum : Vos, inquit, feciſtis eam, hoc eſt, domum meam, ſpeluncam latronum. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos : faciunt ergo homines ſeipſos ſpeluncam latronum, jugulant homines, & trahunt in ſpeluncam ſuam. Quod enim majus homicidium quam ut ſe ipſum interficiat homo? vel quod gravius homicidium, corpus occidere aut ſpiritum ?

O quotiens homo ſe interficit ? Quot homicidia in ſemet ipſo perficit ? Quoties voluntarie & ex ſtudio peccatum perpetrat, quid aliud quam ſeipſum jugulat? Omnis enim qui accepit gladium, gladio peribit. Gladius animæ peccatum eſt, peccatum animæ mors eſt : qui hunc gladium manu propriæ deliberationis accipit, hoc eſt, acceptum habet & gratum ; primus in ſeipſum manum mittit, ſemetipſum primus interficit. Gladius, inquit, eorum intret in corda ipſorum. Nec ſatis eſt ſemel occidere & quieſcere, ſed millies & millies crudeles in ſe manus convertunt ; & veloces ſunt pedes eorum ad effundendum ſanguinem ſuum.

Viri ſanguinum & doloſi : quomodo doloſi ? quia congerunt cadavera mortuorum in ſpeluncam ſuam, & operiunt aggere terræ, ne vel ipſi videant vel ab aliis videantur. Nolunt ipſi videre, ne horrorem vel putorem ingerant eis in faciem morticina fœtentia : nolunt videri, ne forte deprehenſi tanquam latrones & homicidæ ad horrenda ſupplicia pertrahantur. Quid autem in omnibus ſuppliciis tam horrendum quam crux ? ideo timent latrones crucem, quia crux ſcelerum vindex eſt, crux impiorum pœna eſt. Crux æqua lance judicat & remunerat, hinc innocentes, illinc nocentes : ideo crux impiis formidoloſa, piis autem ſuper omnia ligna Paradiſi gratioſa eſt. Nunquid enim Chriſtus crucem timuit ? nunquid Petrus ? nunquid Andreas ? imo optavit. Exultavit ut gigas ad currendam viam ; & deſiderio, inquit, deſideravi hoc paſcha vobiſcum manducare, antequam patiar. Manducavit hoc paſcha cum diſcipulis, manducavit paſcha, & compaſſus eſt, quando tranſivit ex hoc mundo ad Patrem. Ego, inquit, habeo cibum manducare, quem vos neſcitis; meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei : voluntas Patris eſt ut calicem ejus bibam.

Ergo in cruce manducavit & bibit, & inebriatus eſt & dormivit. Et riſit verenda ejus maledictus Cham ; filii autem reverentes altiſſimi ſoporis myſterium pallio contexerunt. Immiſit quippe Dominus ſoporem in Adam, & tulit unam de coſtis ejus formans eam in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Manifeſta res eſt, quia dormivit & ſoporatus eſt Chriſtus, & de latere ejus quotidie ædificatur & paſcitur & nutritur Eccleſia ; & adducitur à finibus terræ, ut aſſiſtat regina ejus in veſtitu deaurato circumdata varietate. In cruce ergo manducavit paſcha, quia aſcendit in palmam & collegit fructus ejus; cum exaltatus, inquit, fuero à terra, omnia traham ad me. Quæ omnia? Cœlum & terram & inferos : traxit ad ſe Patrem, quia clamor ejus introivit in aures ejus, & contremuit terra, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, quia vocem filii Dei audierunt. Sic mediator Dei & hominum medius inter cœlum & terram paſcha manducavit, & fructus arboris undique collegit ; quos in corpus ſuum trajecit ; quia confluebant omnia ad arborem vitæ, quæ erat in medio Paradiſi : reſtincta enim erat framea quæ viam intercluſerat. Quis ergo amplius crucem timeat ? Vere qui crucem timet, ipſe ſibi teſtis eſt, quod adhuc latro eſt. In cruce enim pendet omnis fructus vitæ : quia ipſa eſt arbor vitæ quæ eſt in medio Paradiſi ; ipſa eſt altitudo & latitudo, ſublimitas & profundum ; ipſa bonos colligit & remunerat, malos diſperdit & condemnat ; ipſa eſt mœſtorum conſolatio, eſurientium refectio, perfectorum gloriatio.

Circuire poſſum, Domine, cœlum & terram, mare & aridam, & nuſquam te inveniam niſi tantum in cruce : ibi dormis, ibi paſcis, ibi cubas in meridie. Crux enim tua fides eſt ; cujus latitudo caritas ; longitudo, longanimitas ; altitudo ſpes ; profundum timor. In hac cruce te invenit, quicunque te invenit: in hac cruce anima ſuſpenditur à terra, & dulcia poma de ligno vitæ decerpit : in hac cruce Domino ſuo adhærens dulciter decantat, Suſceptor meus es tu, gloria mea, & exaltans caput meum. Nullus ergo te quærit, nullus te invenit, niſi crucifixus. O glorioſa Crux, radicare in me ut aſcendam in te.

Sed ubi crucifixerunt eum ? In Calvariæ loco. Beatus vero locus in quo figitur crux : bona calvities quæ tali fronde veſtitur. Ad hanc calvitiem Eliſeus aſcendebat ; vide ſi non calvus eſſet noſter Eliſeus ; Filius, inquit, hominis non habet ubi caput reclinet. Ecce, quam calvus eſt, qui non habet ubi caput reclinet. Calvus eſt, quia regnum ejus non eſt de hoc mundo ; calvus eſt noſter Eliſeus, quia diſcipuli ejus relicto eo omnes fugerunt. Quid enim diſcipuli ejus niſi capilli capitis, qui omnes numerati ſunt ? Ergo in Calvariæ loco vexillum crucis erigitur. Pro eo, inquit, quod ambulaverunt filiæ Sion extento collo & nutibus oculorum, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion : decalvet Dominus verticem capilli perambulantium in delictis ſuis : decalvet, inquit, filias Sion ; & faciat ibi Calvariæ locum, ut ibi figatur gloria Chriſti crux, ubi ſibi ſedem ſuperbia locaverat. Dilata, inquit, calvitium tuum ſicut aquila. Aquila decalvata perſpicuo ſole fruitur : ſic animæ calvities quanto dilatatur, tanto ſe purius in eam lux vera infundit. Qui autem comam ſibi nutriunt, cæcitatis & gravitatis ſibi damnationem adquirunt.

Propterea lucis hujus beatæ viſionem perdidit Abſalon : quia gravabat eum cæſaries ; & non niſi ſemel in anno tondebatur ; & crines ejus ponderabant ducentis ſiclis pondere publico ; unde & eodem crine ſuſpenſus ad arborem, interiit.

Abſalon patris pax, ipſe eſt & Judas, & quicunque in pace Chriſto eſt amaritudo amariſſima. Ave Rabbi, voce & oſculo patri pacem ferebant ; ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant. Homo, inquit, pacis meæ in quo ſperabam, qui edebat panes meos ; magnificabat ſuper me ſupplantationem. Unus eſt & multi ſunt ; Ecce Abſalon ! Ecce Judas ! Ecce corpus Satanæ ! Sed quomodo comam nutriebat ? Fur erat & loculos habebat. Iſta enim cæſaries gravabat, & ſemel in anno tonſus eſt : quando ſemel retulit triginta argenteos & projecit eos in templo, quos ponderavit ducentis ſiclis ; qui numerus immundorum eſt, & hoc pondere publico, non pondere ſanctuarii. Pœnitentia enim ductus, peccatum ſuum valde ponderavit.

Peccavi, inquit, tradens ſanguinem juſtum. Singula verba plena ſunt ponderibus ; ſed pondere publico, non pondere ſanctuarii : quia plus erubuit infamiam quam conſcientiam : plus ſuam nequitiam, quam Dei miſericordiam ponderavit. Audi pondus ſanctuarii : Peccavi, malum coram te feci, dele iniquita-

tem meam : hinc iniquitatem meam ego agnoſco, illinc miſericordiam tuam magnam attendo : miſerere mei, Deus. Audi & pondus publicum : Major eſt, inquit Cain, iniquitas mea, quam ut veniam merear; retulit ergo triginta argenteos, & projecit eos in templo. Vide quantum magni pendebat eos. Non projecit eos in ſterquilinio, ſed in templo : nimirum talibus ſemper diis templum ſuum devoverat. Avaritia enim ſimulacrorum eſt ſervitus, & avaritia excæcat oculos ſapientium. Ecce infelicem, qualiter excæcatus eſt. Maluit ſe ipſum perdere, quam denarios perire : denarios templo, ſeipſum laqueo addixit : amabat hæredes ſuos, qui eoſdem denarios exinde colligerent, qui etiam nunc reſervant eos in ſuo corbana. Projecit eos in templo, & abiens laqueo ſe ſuſpendit : jam diu quidem à Chriſto abierat, & avaritiæ laqueo ſe ſuſpenderat ; ſed quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit. Exterioris pœnæ qualitas modum ſupplicii aperuit; quia per quæ peccaverit homo, per hæc & punietur.

Suſpenſus crepuit medius, plenus erat venter, & ruptus eſt venter : crepuit medius, ubi ſedes erat Satanæ. Crepuit ergo vas contumeliæ, quia non erat de vaſis figuli, quæ probantur in fornace. Propter quod in agro figuli in ſepultura peregrinorum ſortem non habuit ; ſed velut teſta crepitans per inane diſſiluit, & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus. Pecunia ſunt viſcera avari; illa diffonduntur & perduntur ; ſed viſcera miſericordiæ colliguntur. Pendet adhuc Judas, ut Abſalon per comam capitis ſui, & mulus cui inſederat pertranſit. Nolite fieri ſicut equus & mulus ; quia mundus tranſit & concupiſcentia ejus. Crinis Abſalon quo ſuſpenditur, radix omnium malorum eſt cupiditas vel avaritia. Ubi hæc radicaverit, omnium malorum cæſaries abundabit. Mulus vero ex equo & aſino mixtus; duplex eſt animus qui foris oſtentat, quod intus non ſervat. Talis erat Judas, talis Abſalon. Foris pietas, intus malitia : duplex eſt iniquitas ; equus manifeſte tumet, aſinus ſimpliciter ambulat : mulus nequam & ſubdolus incautum præcipitat.

Aperi nobis, Domine, aperi nobis oſtium lateris tui, quod eſt in arca tua; ut introducas nos cum mundis animalibus ſeptena & ſeptena. Tu es enim verus Noe ; quem ſolum invenit Deus Pater tuus juſtum coram ſe. Hic eſt, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Tu cognoſcis oves tuas, & illæ agnoſcunt te ; quia ſunt animalia munda ſeptena & ſeptena : qui ſeptiformi gratia & operibus lucis ſabbatum ex ſabbato adepti ; jam digni ſunt octavæ conſcribi : qui numerus tantum in arca ſalvatus eſt. Introduc & nos ad te per oſtium lateris tui, quod eſt fides Eccleſiæ : & claude oſtium à foris donec pertranſeat iniquitas : & ceſſante diluculo iterum nobis aperias non jam fidei, ſed ſpei oſtium contra oſtium, quod in montis ædificio Ezechieli prophetæ monſtratum eſt. Interim tamen & feneſtram habes in arca, per quam dilectus mittit manum ſuam, & columbam ſuam excitat, Surge, inquiens, amica mea, ſpecioſa mea, columba mea ; & veni. Et cum evolat poſt te ut apprehendat te, tu effugis, & aſcendis ſuper cherubin, & volas ſuper pennas ventorum : ut non inveniat pes columbæ tuæ ſolidum quid de te ubi requieſcat ; niſi iterum ad arcam tuam revertatur, & tu manu adprehenſam iterum in ſua manſiuncula reponas. Tutius eſt enim in portu fidei interim præſtolari & quieſcere, quam te nimis & fruſtra inſequendo, in aquas diluvii intranſmeabiles decidere & immergi.

Aquæ enim quæ à dextro templi latere effluunt mille paſſus menſuratæ, uſque ad talos veniunt, & poſt alios mille paſſus uſque ad genua, iterum poſt alios mille paſſus, uſque ad renes aſcendunt ; poſt autem alios mille paſſus in tantum creſcit & intumeſcit fluvius ut tranſvadari non poſſit, ſed oporteat potius redire ad ſolidum ripæ. Ideo immunda animalia ibant & non revertebantur : columba vero cum non inveniret ubi pes ejus requieſceret, ad arcam reverſa eſt : at vero corvus ſemel emiſſus neſcit reverti, quia non ſimplici oculo perſequens vanitatis diluvio interceptus eſt. Et merito ; quid enim columbæ & corvo ? quid candidæ & nigro ? quid Judæ & Joanni ? quid Chriſto & Belial ? Et tamen Chriſtus inter Judam & Joannem medius ſedet : inter electum & reprobum latronem medius pendet : & Noe inter corvum & columbam, ſed corvus ſemel emiſſus non eſt reverſus ; quia Judas egreſſus in aera ſubmerſus eſt.

Sed quid eſt, O Domine, quod unus ex militibus latus tuum lancea aperuit. Quis eſt ille unus ex militibus, niſi forte ille qui tunicam tuam inconſutilem accepit ? Ipſa eſt nimirum unitas fidelium quæ tibi ſoli militat ; cujus lancea prædicationis cunctis credentibus latus aperuit. Vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Hæc eſt illa lancea quam Abacuc propheta fulgurantem haſtam nominat. Hanc haſtam cum urceo aquæ tulit David à capite Saulis inimici ſui dormientis : quia ſuperbis & invidis ac negligentibus ſermo ſapientiæ cum gratia ſimul ſubtrahitur. Sed dormientem filius Sarviæ confodere voluit ſemel, ut ſecundo opus non eſſet, niſi David hunc benigne prohibuiſſet : quia peccatorem pigrum & contemnentem, niſi miſericors & longanimis patientia Dei ſuſtineret, gladius Satanæ hunc in æternum interficeret. Vult enim improbus Satanas quatenus qui dormit non adjiciat ut reſurgat ; at vero miſericors David de longinquo vertice montis ſæpius inclamat ; nonne reſpondebis Abner ? Retribuis enim peccatoribus bona pro malis mitiſſime David, & admones & expectas diutius, ut reſpondeat tibi unum pro mille. Illis autem vox tua improba videtur : quia inquietum eorum ſomnium inquietas.

Quis es tu, inquit, qui clamas, & inquietas regem ? ab increpatione tua fugient qui aſcenderunt equos, nec evigilare eos vult auriga ipſorum, donec principes ruant in profundum. Rex enim impiorum ſuperbia, in umbra dormit, in ſecreto thalami, in locis humentibus ; & protegunt umbræ umbram ejus. Ipſe eſt Abner qui protegebat Saul : Cur, inquit, inquietas regem ? Compungitur tamen aliquando & ſuperbum cor ad vocem David ; ſed non uſque ad correctionem. Flectitur humilibus ſermonibus ſuperbus Saul, dicente David ; Quem perſequeris rex Iſrael, quem perſequeris ? canem mortuum & pulicem unum ; ſicut perdix in montibus. Non ſine cauſa vel cani mortuo vel pulici uno ſe comparat David. Melior eſt canis vivus leone mortuo : melior eſt canis, vivens Deo & mortuus mundo, quam leo ſuperbus & reprobus, Deo mortuus & vivens ſeculo. Pulex parvulus mordet & ſalit ; ſic humilis juſtus carnalium vitia mordet confidenter, & ſalit in montibus ubi virtutum habet refugium tutiſſimum; ut non timeat perdicem adulteram, quæ perſecuta eſt Heliam & Joannem Baptiſtam interfecit.

Da mihi portionem, Domine, in terra viventium, in ſepultura peregrinorum, in agro Acheldema : qui pretio magno ſanguinis tui emtus eſt. Ibi enim ſepulti ſunt omnes Patres noſtri, qui ſuper terram hanc fuerunt advenæ & peregrini : ibi Abraham pul-

pulcherrimam uxorem ſuam in ſpelunca duplici ſepelivit, Saram ſcilicet. Sed quid eſt quod agrum ipſum gratis accipere noluit; nec in electis eorum ſepulcris mortuum ſuum ſepelire? Quia nec ſine pretio ſanguinis Chriſti gratis ſe per ipſum ſalvandum credidit; nec bonum ſibi exiſtimavit eſſe, ſi in fœtentibus mundi ſepulcris habitaret. In electis, ait, ſepulcris noſtris ſepeli mortuum tuum. Habet mundus electa ſepulcra; illos utique tumulos quos elationis faſtigium vel ſuperſtitionis operoſitas perſpicuos reddit.

Tota Ægyptus ſepulcris plena eſt, neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus. Illa ſepulcra in deſerto deſiderabant filii Iſraelis: Deerant nobis, inquiunt, in Ægypto ſepulcra; ut cadavera noſtra jaceant in deſerto nuda & inhumata. In talibus ſepulcris noluit mortuum ſepelire ſanctiſſimus Patriarcha. Sed ubi? In ſpelunca duplici, ubi ſpes bonorum operum & amor contemplative requieſcit. Ibi enim & alia condita jacent: ergo Sara & Lia in ſpelunca duplici ſimul abſconditæ ſunt. Illa prius ſterilis poſt modo jam ſenex filium gaudii unum tantummodo peperit: hæc poſt ſex filios parere ceſſavit; niſi quod noviſſime filiam ſacri generis ignominiam peperit.

Mira res! hæc quæ filios ſex habuit, parere ceſſare dicitur; illa quæ unum tantummodo, parere ceſſare non memoratur: ſed activa finem habet, contemplativa ſemper parit. Illa in dolore, iſta in gaudio parturit: & tamen utraque in eodem agro ſepulta eſt. Nam Rachel juxta Bethlehem ſubter ilicem crucis poſita eſt. Nimirum ſedet ad pedes Jeſu: ut de domo panis ſemper fœcunda pariat. Ergo Sara & Rachel nunquam parere ceſſabunt. Lia vero poſt ſex filios aut omnino parere ceſſat, aut filiam parit. Ipſa eſt carnalis voluptas; quæ ſub ſpecie diſcretionis nonnunquam ſubrepit active; ſed tamen ſi vere vidua fuerit ſalvabitur; non per filiæ, ſed per filiorum generationem.

In ſpelunca duplici Patriarchæ nobiles una cum conjugibus ſuis ſepulti ſunt. Habitarunt enim in tabernaculis ſicut advenæ & peregrini ſuper terram; ideo ſepulturam peregrinorum tam ipſi quam tota eorum ſucceſſio hæreditate poſſident. Sed quid eſt quod Jacob grandævus, majore quam ceteri ambitione, ſuavitate & gloria, ibidem à filio ſuo Joſeph ſepelitur? Per Jacobum grandævum perfecta caritas exprimitur, in qua Pater à Filio, imo cum Filio conſepelitur: dicente Chriſto. Quia ſi quis diligit me, ſermonem meum ſervabit; & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Hæc eſt illa glorioſa & ſuavis ſepultura Patris antiqui dierum: qui diligentes ſe ſibi conſepelit, & abſcondit eos in abſcondito faciei ſuæ à conturbatione hominum. Illuc etiam oſſa Joſeph, ſalvatoris noſtri ex Ægypto memoria, quotidie referuntur à filiis Iſraelis: non enim in Ægypto oſſa Joſeph; quia ſepulcra fœtentia & dealbata deteſtatur. Et Moyſen Deus ſepelivit; ſed ſepulcrum ejus uſque in hodiernum diem ab homine non invenitur.

Denique quis poterit illuc, ubi ille aſcendit per medium nebulæ in altiſſimum montem; & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & vidit & perſcrutatus eſt exemplar tabernaculi admirabilis, quod fixit Deus & non homo. Propterea uſque hodie dum legitur Moyſes velatam habet faciem: quia ab homine mortali ſepulcrum ejus non invenitur. In eodem agro ſanguinis, & glorioſa regum linea ſortem recepit: qui ſepulti ſunt in ſepultura Patrum ſuorum in Jeruſalem. Illic & Prophetarum viſio & Maccabæorum bellicoſa virtus glorioſe decorata eſt.

Comparetur jam ſi placet huic ſepulturæ peregrinorum, illa quondam glorioſa in regnis, inclyta in ſuperbia Caldæorum turris Babel. Quid ſimile huic ſepulturæ noſtræ reperitur? Ibi una in plures lingua diſcinditur: hic quinque civitates Ægypti non jam lingua Ægyptia, ſed Cananitide loquuntur, ſed civitas ſolis vocatur una. De illa ſiquidem turre Babel projecta eſt meretrix Jezabel, fornicationum mater, idolorum cultrix, avaritiæ artifex; & cum eam ſepelire vellent, quia erat filia regis; non invenerunt niſi calvariam tantum & manuum ſummitates & ſanguine reſperſum parietem. Hæc ſane eſt impiorum ſepultura, hæc digna retributio. Quid ex eis niſi manuum ſummitates, hoc eſt operum vix extrema veſtigia remanent: & calvities, quæ eſt locus ſuperbiæ ſpoliatus capillorum gratia? Quia vidi impium ſuper exaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani, & tranſivi & ecce non erat. Hæc eſt calvaria Jezabel quæ veſtita erat decore meretricio, & pinxerat oculos ſuos ſtibio. Decalvatus eſt ſuperbiæ vertex. Non eſt qui eum dignetur aſpicere, niſi qui voluerit neſas ejus abhorrere; ut lavet manus ſuas in ſanguine peccatoris, & velut equus fortis & velox meretricem projectam ungula ſua confodiat, & conculcet, & prætereat. Propter hoc & paries adhuc ſanguineus relictus eſt, ut terreat viros ſanguinum & doloſos; qui propter avaritiam ſuam lapidant humilem Naboth. Sed canes impudentiſſimi amatores cadaverum, carnes ſibi fornicarias incorporant: unde & ſanguinem ejus conſequenter lambunt; quia ſicut libidinis, ita & ultionis participes erunt. Alii vero ſunt canes qui rubri fiunt ex inimicis ab ipſo; qui famem juſtitiæ patiuntur, & circuiverunt civitatem non Babyloniæ ſed Eccleſiæ; & quod mortuum à vitiis ibidem reperiunt, comedunt & ſibi conſepeliunt. Væ autem his quos extra civitatem mortuos; volucres, hoc eſt, dæmones per inane volitantes comedunt; quales fuerunt Achitophel & Abſalon, & Jezabel & Judas: qui accipientes in vano animam ſuam, in vano etiam efflaverunt eam.

Sed redeamus ad agrum Acheldema; ut admiremur & æmulemur potius beatarum animarum manſionem & gloriam: quoniam memoria impiorum peribit cum ſonitu, memoria vero juſtorum vivet in ſecula. Quales fuerunt Joſeph qui erat decurio vir juſtus & bonus: & Nicodemus qui quondam noctis ſed jam diei miniſter: ad perungendum corpus dominicum ferebat mixturam myrrhæ & aloes quaſi libras centum. Tales ſepulturæ ſuæ miniſtros amat Jeſus, qui corpus ſuum audacter eripiant de poteſtate tenebrarum, & ſibi vendicent, ut ſciat unuſquiſque vas ſuum poſſidere in honorem & ſanctificationem: ligantes illud caſtitatis legibus, & diſciplinæ linteis, & à vermium putredine conſervantes per mixturam myrrhæ & aloes. Sunt enim hæ ſpecies amaræ quidem, ſed corruptelam removentes: quoniam laborioſa quidem eſt caſtigatio carnis, ſed neque mens neque ipſa caro ſine ipſa ſervatur imputribilis. Quaſi libras centum. O menſuram bonam atque confertam! Librandum ſane eſt inter corpus & animam deliberatione ſubtiliſſima: ut unumquodque plenum ſuum habere ſe gaudeat, & fiat pax & æqualitas inter carnem & ſpiritum, quatenus & menſura teneatur, & non deſeratur perfectio. Hæc ſunt quaſi libræ centum, quæ corpus Jeſu in ſepulcro fidelium integrum ſemper & ſuave cuſtodiunt.

En lectulum Solomonis quadraginta fortes ambiunt, omnes tenentes gladios & ad bella doctiſſimi.

Lectu-

Lectulus tuus, Jesu Christe, plusquam Solomonis sepultura tua est, in qua Sabbato requievisti ab omni opere quod patrasti. Est autem monumentum tuum in horto novum, & in petra excisum : quia amica tua, fidelis anima, hortus conclusus est, & renovatur quotidie in agnitione tua, & consolidatur in petra amoris tui, consepeliens se ipsam tibi in interiore homine, in secreto cubiculi tui. Ibi te ambiunt quadraginta fortes ex fortissimis Israelis, in quibus opera sex dierum, opera bona valde sunt & perfecta : ut in senario & denario legis imaginem & similitudinem tuam conservent. Isti melius te custodiunt quam fallax impiorum custodia : quia sunt ad bella doctissimi, non solum carnis illecebras, sed etiam potestates aerias nocturnosque timores abigere.

Illi autem qui nocte sicut ebrii sepulcrum tuum obsident, illic trepidaverunt timore ubi non est timor : quoniam potestas tenebrarum lucem non sustinens, ad nuntium vitæ facti sunt velut mortui. Non ergo te custodiunt filii noctis, sed filii diei : illis enim horrorem incutit splendor tuus, ut fugiant à te; ipsis autem gaudium, ut approximent ad te.

Nobis autem dormientibus, venerunt discipuli ejus, & furati sunt eum. O mendaces ! verum dixistis, sed mentita est iniquitas sibi. Dormientes enim Christum custodire non possunt, sed qui mane, inquit, vigilaverint ad me, invenient me. Vobis quippe dormientibus quid nisi somnia apparent ? Ecce habetis copiosam in manibus pecuniam illam, si potestis, custodite, ne fures effodiant vel furentur. Jam discipuli Christi suum thesaurum diligenter custodiunt.

Unusquisque quod amat, hoc servare studet. Certe Micol amabat David magis quam Patrem suum Saul : ideo per fenestram dimisit eum & servavit. Quid est hoc ? Micol filia Saul, filia quondam superbiæ, postquam nupserit speciosо David, incipit odisse patrem suum, cui dicitur in Psalmo : Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum & domum patris tui. Unde per fenestram dimittit David; illam intelligite fenestram, per quam dilectus mittit manum suam. Per hanc fenestram dimittitur ab amica sua, ad amicam suam, hoc est ad seipsum, & absconditur in interiore homine, ubi & securus vivat, & iniquos lateat. Abscondit enim se & exit de templo perfidiæ ; quoniam dum cytharizat coram Saul, ut Spiritum Domini malum faciat ab eo recedere, ille impius hasta eum cum pariete tentat configere : sed declinante David, quid est quod parieti hasta infigitur, nisi quod recedente Christi gratia, mens indurata suæ malitiæ telo confoditur.

Quid autem hodie ita perosum habet rex tenebrarum Saul, quam David generum suum ? Propter quod absente David filiam suam tollit, & dat alteri marito ignobili ; sed manu fortis cum redierit & acceperit regnum, rursus suam sibi vendicat, quoniam desponderat eam sibi ducentis præputiis Philistinorum : à qua non solum carnis, sed mentis immunditias abscidat. Væ peccatoribus, Domine, sepulcrum tuum obsidentibus ; quoniam vere declinas ab eis, & non inveniunt te in lecto suo suavi & florido ; sed potius offendunt in statuam, cordis sui tenebris involutam, habentes ad caput suum pellem caprinam, peccatorum suorum memoriam fetentes.

Beatus autem qui vigilat ad monumentum tuum & custodit te ; & luctatur mane cum Angelo resurrectionis, nec dimittit eum donec audiat aliquid de nomine ejus, quod est mirabile, ut & nomen Jacob commutetur in Israelem, & transmisso amne doloris, statim oriatur ei sol justitiæ.

Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti ? Clausum est, Domine, ostium mentis meæ, & premit intellectum meum lapis mortalitatis, prægravatus pondere iniquitatis meæ, nec humanæ prorsus vires valent illum amovere, nisi omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus veniat ; Angelus consilii qui diruit maceriam nostrarum inimicitiarum, & aperiat nobis sensum, ut intelligamus scripturas & videamus linteamina posita ante nos humanitatis & resurrectionis tuæ verissima testimonia. In quibus qui te scrutari, te adjuvante, potuerit, prægustabit aliquid de gloria resurrectionis quam præparasti diligentibus te : cujus primitias jam in sinu tuo collegisti, offerens eas semper in conspectu tuo & Patris tui tostas igni Spiritus sancti.

Et ille quidem Angelus tanti gaudii prænuncius qui revolvit lapidem, & impias mentes perterruit, pias autem blande leniens timere prohibuit : ille, inquam, Angelus non tantum verbo, sed & vultu, habitu vel actu beatæ resurrectionis testimonium perhibuit. Revolvit enim lapidem, & super eum sedit : lapidem, inquam, qui etiam nunc advolutus est super nos, & faciem nostram deprimit. Quod in prima quoque resurrectione, quæ est animæ, fieri dubium non est : ut prementem se corruptionis sarcinam versa vice spiritus subjiciat, & velut judex ac Dominus inferioris sui regimen accipiat.

Quid autem per candorem nivis superantem vestimentorum speciem denotatur, nisi corporis nostri frigida & mundissima castitas; quæ præsidenti in se Angelicæ claritati simul testimonium præbet & obsequium ? Porro aspectus ejus interior, ubi signatum est lumen vultus tui, Domine, sicut fulgur & terribilis & lucidus ; terribilis, ut inimicos animæ scindat medios, & perterreat : lucidus autem, ut tibi vero lumini cum justitia semper appareat. Talis erat facies Moysi ex consortio sermonis tui ; hoc est, luminosa & terribilis, quia cornuta erat ad ventilandum inimicos, & velata propter splendorem, quem carnales oculi ferre non poterant.

Et nunc, Domine, scimus & gaudemus, quia resurrexisti vere à mortuis, & longe divisus es à nobis adhuc mortalibus, quia ascendisti super equos tuos igneos, & currum igneum, qui decem millibus multiplex est. Veruntamen cecidit nobis à te, & apud nos usque hodie remansit pallium tuum ; quæ sunt linteamina corporis tui : quibus potentiæ tuæ opem experiamur in tempore opportuno ; ut Spiritus tuus duplex fiat in visceribus nostris : quatenus in te & Deum & proximum diligamus. Circundederunt nos dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt nos. Circundedit nos nostræ mortalitatis indumentum scaturiens; vermes, qui nos assiduè comedunt, & non dormiunt; qui sunt dolores prænuntii doloris illius maximi, qui venit super nos velut arena, & improvisos molitur obruere. Quamvis & quis tam providus ut terrorem illius possit sustinere ? at tamen velimus nolimus certe sustinendus est, certe transmeandus est.

Sed noli obliviscі pallium Heliæ ; alioquin torrens tibi sine illo non dividetur : sunt & alii torrentes iniquitatis, pelagus peccatorum meorum, qui conturbant me ; atque utinam sic turbarent, ut cum dolore clamarem, Pater mi ; Pater mi; currus Israelis & auriga ejus : conturbant enim me torrentes iniquitatis, auferentes mihi lumen oculorum meorum, ut non possum videre piissimum Heliam quando tollitur à me : si enim viderem, profecto spiritus ejus duplex fieret in me ; & clamarem Pater mi, Pater mi. Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem

Ab-

Abba Pater: duplex Spiritus duplo clamat, Pater mi, Pater mi, Pater mi creator, Pater mi reformator: Pater mi, Pater mi!

O vox affectuosa: currus Israelis & auriga ejus, portas & regis, sustines & gubernas; quem? Israel videntem te, credentem in te, sperantem in te, suspirantem ad te. Ecce sublatus es, amplius te non videbit tuus Eliseus: remansit tamen ei pallium tuum in memoriam tui: ut præsentia absentiæ tuæ dolorem ejus semper & augendo leniat, & leniendo augeat. Hoc sumite, ait, in meam commemorationem: hoc est sacramentum corporis tui quod sumimus in tui commemorationem; donec venias. Pallium tuum est caro tua qua vestitus ad nos processisti, & latuisti perfidos quidem, sed fidelibus tuis teipsum ostendisti, sicut & usque hodie. Sub pallio tuo isto abscondita est maxima fortitudo tua.

O fortissime Samson: quam etiam à dilecta non diligente te ad ultimum secretum tuum non celasti, ut inimicam verteres in amicam: in tantum amasti mulierem non amantem te, sed persequentem te, ut propter amorem stulteseceret sapientia ejus, & fortitudo tua infirmaretur. Sed quod stultum est Dei, sapientius factum est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominum: quoniam voluntarie teipsum pati sacrificans, & ex potestate tua moriens concussisti principes tenebrarum, & regnum eorum attrivisti, & facta est crux tua Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia: his autem qui credunt, Dei virtus & sapientia Dei.

Quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à te, Domine. Ambulas quidem cum his qui diligunt te & loquuntur & tristantur super te: sed tamen peregrina est facies tua; & cum cognoscas eos, non cognosceris ab eis. Vere tu es ille Joseph, qui ad fratres tuos quasi ad alienos durius loquebaris, non indignatione sed miseratione: dum illos duos in via ambulantes & tristes adpropinquans & docebas & arguebas. O stulti & tardi corde ad credendum!

Veniunt ergo ad te quasi alieni fratres tui, sed tu benignus adpropinquas eis: veniunt ergo ad te cum asinis stultitiæ & tarditatis suæ, & cum saccis vacuis præ inopia; sed tu non solum frumento reples eos, quinetiam pecuniam reddis ligatam in ore sacculi. Aperiens, inquit, unus saccum ut daret jumento pabulum, invenit pecuniam in ore sacculi: reddita est mihi, ait, pecunia: en habetur in sacco. Quidnam est quod fecit nobis Deus? Vacui & stulti veniunt ad te, sed tu remittis eos onustos & abundantes frumento sapientiæ tuæ: insuper & eloquentiæ pecuniam reddis ligatam auctoritate Scripturæ: quia linguas infantium facis disertas; ut dent jumentis nondum intelligentibus te pabulum & mensuram tritici in tempore suo.

Gradere nunc & nobiscum, Domine, ne desolemur & tristemur in via hac qua ambulamus: quoniam tu ipse quondam filios Israel in columna nubis per diem, & in columna ignis per noctem deduxisti: & ad nutum tuum deponebant tentoria, & rursus erigebant. Quid est autem nubes quæ præcedit veros Israelitas, nisi verissimum & sanctissimum corpus tuum quod in altari sumimus; in quo velatur nobis altitudo diei, immensitas majestatis tuæ, cujus & calorem & splendorem mortalis infirmitas sustinere non possit: nisi mediatrix nubes interposita & ardorem temperaret desuper, & tutam subtus se viam præmonstraret.

Hanc nubem totus exercitus tuus sequitur, Domine rex Sabaoth. Qui autem non sequitur eam, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quo eat. Relucet enim de hac nube semita quæ ducit ad vitam, semita humilitatis & patientiæ, semita mansuetudinis & misericordiæ, & quicquid humano generi per incarnationis tuæ mysterium revelare dignatus es. Relucet nobis ex hac luce legis & prophetiæ gloria, quando Moyses & Elias apparuerunt tecum in monte, sed nubes lucida obumbravit eos; nec enim ipsi sicut & nos sine tua protectione salvari potuissent. Veruntamen illis sicut amicis & domesticis, imo domesticorum & amicorum tuorum præcipuis sacramenti tui nubes erat perlucida, quæ nobis jacentibus & projectis à facie oculorum tuorum valde subobscura est; sed imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: quoniam sub nube tua nutris & perficis & deducis velut ovem Joseph. Hæc est columna nubis quæ per diem præcedebat filios Israel: columna vero ignis Spiritus sanctus est: qui super Apostolos in igneis linguis apparuit; qui cæcitatis nostræ caliginem illuminat; & sursum erigit, ut sapiamus ea quæ sursum sunt, non quæ super terram. Nubes ergo per diem, & columna ignis per noctem: quia & caro tua divinitatis æstum nobis temperat: & Spiritus sancti lux tenebras nostræ mentis illustrat. Ergo dum loqueris in via duobus discipulis tecum pariter euntibus, & nubes peregrina faciem tuam tegeret; Nonne, inquiunt, cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Ardebat nimirum intus columna ignis, quia foris in columna nubis loquebatur ad eos.

Sed ubi tandem cognoverunt eum? In fractione panis: panis caro tua est: fregisti manibus tuis corpus tuum: quia potestatem habes ponendi animam tuam, & iterum sumendi eam. Fregisti corpus quod foris apparebat, & ostendisti medullam quæ intus latebat; nisi enim patereris, non cognoscereris. Ibi, inquit, abscondita est fortitudo ejus; quid est autem fortitudo tua, nisi misericordia, nisi mansuetudo, nisi humilitas, nisi patientia? Has virtutes fortissimas & suavissimas in fractione panis, hoc est in passione tua nobis ostendisti: his virtutibus caro tua, quod nos sumus, nutritur paulatim & proficit, & proficiscitur. Et primum quidem inter duas molas spei & timoris molitur sicut frumentum; ut fiat nova conspersio, deinde cum in formam panis transierit, coquitur in clibano passionum: postea cum benedixeris ei omni benedictione spirituali, & dixeris consummatum est; frangis & ipsum corpus nostrum quod in manibus tuis est, & in manus tuas committimus; & ibi agnoscens non specie peregrina, sed in facie propria: ut jam non lancea nobit latus tuum aperiat, sed digito palpare & videre possimus; quia tu es, Domine Deus noster.

Pater orphanorum & judex viduarum, nunquid non vides viduam hanc pauperculam & desolatam animam meam, non habentem aliquos neque fratres, neque amicos, aut vicinos, à quibus mutuum accipiam: vasa vacua non pauca, quæ mihi filii mei suggerant, & ego infundam de modico olei, quod mihi de te residuum est, ut tu benedictionis tuæ plenitudinem omnibus exhibeas. Intelligo enim, Domine, vasa non vacua esse literales quosdam & historicos sensus scripturarum tuarum, quæ non pauca sunt; ut totus mundus ea capere non possit. Quæ quidem vasa sanctissimi templi tui Babylonius rex, hoc est, principatus superbiæ captiva sibi ducit: suisque conviviis non ad gloriam sed ad ignominiam suam servire cogit, usurpans sibi scientiam legis tuæ, & bibens in vasis sanctuarii vinum prostitutionis suæ, unguentisque meretriciis donaria tua commaculans. Propter quod

quod etiam ex adverſo parietis crudelis, ſed juſta contra eos ſententia conſcribitur: quia omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur, & tradetur Medis & Perſis, qui argentum non quærant, nec aurum velint; ſed venenatis & ardentibus ſagittis parvulos & ſtultos eorum ſenſus interficiant.

Tu autem, Domine, aperis & deſolatæ viduæ miſereberis: ne peſſimus & importunus fœnerator, qui ad uſuram perditionis meæ multa mihi iniquitatis ſuæ talenta credidit, duos filios meos interiores animæ meæ ſenſus ad ſerviendum ſibi tollat: bonum & ſalutare conſilium tuum, ut petam mutuo vaſa non pauca, & benedictione ſuperabundantis olei redimam peccata mea, de reliquo vivam cum filiis meis: ſed quia nec vicinos habeo nec libros à quibus commodem exercitium mentis meæ, ſtatim ut remiſero manus, invadit me creditor ille improbus, & duos filios meos, hoc eſt intellectum & affectum, inertiæ vaniſque illuſionibus ſuis deſervire cogit. Tu ergo miſericors viduarum defenſor, quoniam dives es nimis, & das omnibus affluenter, tu, inquam, ipſe mihi commoda & vaſa quæ noſti ad hoc eſſe utilia, & oleum: ut tua ſunt omnia, & omnia ſerviant tibi: quia nolo in Ægyptum oleum meum deferre, ut ſic peccem tibi. Sed tantummodo ne panem otioſum comedam, quin potius tota die exercear in juſtificationibus tuis & vivam. Et ecce quod filius memoriæ meæ mihi obtulit, ſicut primum inter manus meas incidet, arripiam.

Stabat Elias in vertice montis, & mittitur ad eum quinquagenarius primus, qui igni conſumtus eſt, & ſecundus ſimiliter, tertius tamen humilitatis & devotionis merito reſervatus eſt. Ecce vas, ſed vacuum, quia potius ſic acceptum crudelitatem reſonat. Impleatur oleo, & gravis ex eo ſonus ceſſabit. Quis enim Elias ſtans in vertice montis, niſi tu, Domine Jeſu, qui ſurſum Patri aſſiſtis? Venit ad te quinquagenarius primus, quam tibi aridus præ nimia ſiccitate mundus tranſmittit; & clamat ad te: Homo Dei, deſcende de monte, mundus enim cognoſcit, quia ſine te ſalvari non poſſit: homo Dei, & Deus homo: moveat te, quem quæris, homo, ut homini condeſcendas. Deſcende de monte; nullus tibi poteſt appropinquare, niſi tu appropinqueris ei: nullus ad te poteſt aſcendere, niſi tu deſcendas ad eum · homo Dei, deſcende de monte. Tu es mons elevatus ſuper verticem montium. Deſcende & compatere nobis in convalle lacrymarum. Si homo, inquit, Dei ſum; deſcendat ignis de cœlo, & conſumat te: ignem enim veni mittere in terram, & quam volo, ut accendatur, & devoret te & quinquaginta tuos? Obſecro, Domine, & ſuper me deſcendat ille ignis, & devoret in me veterem hominem cum actibus ſuis. Hic eſt quinquagenarius primus; quem tuus ignis devorat, ut ab omni opere ſervili requieſcere faciat.

Quinquagenarius autem ſecundus ipſa eſt activa; quæ ſimiliter finem habet ſabbatum ex ſabbato. Hanc quoque in holocauſtum ignis tuus abſumit. Et in primo quidem quinquagenarius cremabatur hircus, in ſecundo aries incenditur: tertius autem qui eſt reſurrectionis vel contemplationis, finem non habet, ſed cum Elia ſemper vivit. Unde bene lectum eſt in Evangelio de magnis piſcibus centum quinquaginta tribus, qui omnes in unum piſcem redacti ſunt, quem ſuper prunas poſitum ſeptem diſcipuli viderunt: & una cum Jeſu, qui octavus erat, pranſi ſunt. Ipſe numerus, hoc eſt centum quinquaginta qui ſunt tres quinquagenarii & ſeptem diſcipuli, requiem concorditer ſonat: & ſicut ſinguli quinquagenarii ad unitatem, ita ſeptem diſcipuli ad octavum, hoc eſt ad Chriſtum tendunt, & in uno omnes conſummantur.

Sicut autem unum corpus, unus panis, unus homo vel unus piſcis Chriſtus & omnes electi; ita diabolus cum omnibus reprobis unum corpus, & unus hoſtis; eſt enim aquila grandis magnarum alarum. Aquila, propter nimiam naturæ ſpiritualis perſpicaciam; grandis, propter ſuperbiæ altitudinem; magnæ alæ adhærentes ſibi & extollentes eum, malignorum ſpirituum poteſtates: longo membrorum ductu, peſſimi homines quorum miniſterio fungitur ad pugnam contra bonos; & bene longo, quia adhuc quotidie veniunt, & durant uſque in finem ſeculi, ducatum ſuperbiæ ſequentes: plena plumis, fallax dolis & varietate; quia eaſdem artes variis modis ad decipiendum transfigurat.

Venit ad Libanum, animam ſcilicet fidei & vitæ merito candidatam. Tulit medullam cedri. Cedrus imputribilis, altitudo ſpei; cujus medulla caritas, quam ſingulariter nititur expugnare diabolus, ſummitatem frondium ejus avellit: ſcilicet ſermonem ſapientiæ qui excellentiſſimus eſt avellit ab amore Dei, & tranſportavit in terra Sennaar, hoc eſt fœtoris eorum, quod ſignificat inanem gloriam.

In illa die ſibilabit Dominus muſcæ quæ eſt in extremo fluminum terræ Ægypti, & api quæ eſt in terra Aſſur. Sibila, Domine & huic muſcæ immundæ peccatrici animæ meæ: ut Spiritus tuus bonus deducat me in viam rectam, ut vadam ad excelſam & montoſam promiſſionis terram; quæ de ſuperioribus ſuis irrigatur, & de excelſo expectat pluviam: non ſicut terra Ægypti quam fluvius de terra ebulliens totam cooperit. Non eſt enim mons oppoſitus, non eſt aliquod obſtaculum concupiſcentiis Ægypti; ſed ſicut de terrena mente ebulliunt, ſuper dejectam animæ ſuperficiem ſine mora decurrunt. Habet autem ſeptem oſtia fluvius Ægyptius, quæ de uno capite, id eſt, ſuperbia derivantur. Horum extremum intelligitur luxuria carnis, de qua muſcæ naſcuntur, immunditiæ ſemper amatrices. Nec iſtam deſpicit ſuperabundantia gratiæ, ſed ſibilat ad eam & evocat de extremo fluminum, & jungit api quæ erat in terra Aſſur: ut veniant & requieſcant ſimul in torrentibus vallium, & in cavernis petrarum, & in omnibus fruticetis, & in univerſis foraminibus.

Apis virgo eſt: ſed quamdiu eſt in terra Aſſur, hoc eſt, elationis, mel non poteſt operari: Sola repromiſſionis terra lacte & melle fluit. Sibilante vero gratia, muſca & apis conveniunt, & ſimul requieſcunt in torrentibus vallium: in illis torrentibus, & apis de ſuperbiæ, & muſca de luxuriæ ſordibus emundantur. Torrentes vallium, diſciplinæ ſunt humilitatis. Torrentes quare? Quia ſiquis eſt mœror, ſiqua gravitas, in corrigendis vitiis cito prætereunt; unde mulier cum parit, triſtitiam habet. Nam labor vertitur in amorem, & tædium in deſiderium, & amaritudo in dulcedinem: ſicque de torrentibus vallium, proficiunt ad cavernas petrarum. Petræ firmiſſimi atque fortiſſimi in fide Patres ſunt; in quorum paſſionibus veluti ſuis exemplaribus muſca & apis quaſi columbæ nidificantes requieſcunt. Unde non ceſſat manus eorum, nec ceſſat pes; ſed in omnibus fruticetis bonorum operum jugiter exercentur, ſic demum ad comtemplationis foramina perveniunt. Hæc ſunt operativa, Domine Jeſu, quia ſunt bona valde.

Sic Mariæ Magdalenæ ſibilaſti, de qua non unum, ſed ſeptem dæmonia quaſi Ægypti flumina ejeciſti. Vide quomodo requievit in torrentibus vallium. Intravit inter epulas diſcumbentium, cucurrit ad pedes Jeſu, effundebat ſuper eos torrentes lacrymarum: ad lavan-

lavandum ejus vestigia non aliam quam oculorum suorum undam attulit; capillis suis pro linteis usa est. Tu vero ubi vehementior incanduit, & velut carbo lacrymarum imbre respersus fortius exarsit, videns ab illa sacratissimis vestigiis creberrima & insatiabilia oscula infigi; videns effusæ unctionis suavitate totam domum compleri: quid ergo illa nisi in torrentibus vallium requiescebat, de qua tot & tanti gratiæ torrentes effundebantur? Unde etiam dimissa ei peccata multa, quia multum dilexerat.

Jam sicut columba quæ in luctu est, tota residebat ad pedes Jesu, juxta fluenta plenissima, cum quidem soror ejus Martha satageret circa frequens ministerium. Quid memorem de sepulturæ officio, quod prævenit: de pedibus ascendens ad unctionem capitis, cum in eam fremeret illud avaritiæ sepulcrum fœtens, odorem pietatis ferre non sustinens: non potuit amor tantus Christo etiam moriente mori. Fugientibus & latentibus viris, hoc est, Apostolis, mulier imperterrita stabat ad monumentum plorans. Non habebat vivum, & tota super mortuum ardebat. Corpus erat sublatum, à monumento recedere non valebat. Quo plus de manibus & oculis auferebatur, eo ardentius amans insequebatur. Si fieri posset, pro redimendo corpore sepulcrum lacrymis implevisset. Stabat, inquit, plorans: id solum ei de se residebat. Corpus erat sublatum, sed quis auferat ei ploratum?

Indulge, Domina, indulge totis habenis, & infundere procures indefatigabiles lacrymas, donec sublatum, imo surgentem Dominum tuum consequaris. Iterum & iterum inclinare, vel locum vacuum ubi positus fuerat sæpius intuere. Amplius & amplius ipse te ad plorandum locus irritat, dum ejus quem quæris absentiam, repræsentat. Vidit, inquit, duos angelos in albis sedentes, unum ad caput & unum ad pedes, ubi fuerat positum corpus Jesu. Mulier, inquiunt, quid ploras? Quem quæris? Et quidem bene noveratis, O piissimi Angeli, quid ploraret, & quem quæreret. Quare illam commemorando iterum in fletus excitastis? Sed prope erat insperatæ consolationis gaudium; jam tota vis doloris & plorationis excurrat: conversa retrorsum, vidit Jesum stantem, & nesciebat quia Jesus erat.

O pium! O delectabile pietatis spectaculum! Ipse qui quæritur & desideratur, & occultat se & manifestatur. Occultat se, ut ardentius requiratur, & requisitus cum gaudio inveniatur, inventus cum solicitudine teneatur, & tentus non dimittatur; donec in amoris sui cubiculum mansionem facturus introducatur. Hac arte sapientia ludit in orbe terrarum; & deliciæ ejus esse cum filiis hominum. Mulier, quid ploras? Quem quæris? Habes quem quæris, & ignoras. Habes verum & æternum gaudium, & ploras? Habes intus, quem foris requiris. Vere stas ad monumentum foris plorans, mens tua monumentum tuum est, illic non mortuus, sed in æternum vivens requiesco. Mens tua hortus meus est, bene existimasti quia hortulanus sum; secundus Adam ego sum, operor & custodio Paradisum meum. Fletus tuus, pietas tua, desiderium tuum, opus meum est. Habes me intra te & nescis, ideo foris quæris. Ecce & foris apparebo, ut te intus reducam, & invenias intus, quem foras requiris. Maria, novi te ex nomine, disce me cognoscere ex fide.

Rabboni, id est, Magister, quid est discere? Doce me quærere te, doce me tangere & ungere te. Noli, ait, me tangere sicut hominem, nec sicut prius tetigisti, & unxisti mortalem. Nondum ascendi ad Patrem meum, nec dum credidisti me Patri coæqualem, coæternum & consubstantialem. Hoc igitur crede, & tetigisti me; hominem vides, ideo non credis; quod enim videtur, non creditur: Deum non vides, crede, & videbis. Credendo me tanges, sicut & illa mulier quæ vestimenti mei fimbriam tetigit, & confestim sanata est. Quare? Quia fide sua tetigit me. Hac manu tange me: his oculis quære me, his pedibus festinans curre ad me. Nec longe à te sum: Deus enim appropinquans ego sum, verbum in ore tuo & in corde sum. Quid propinquius homini quam cor suum? Illic intus invenior, à quibuscunque invenior. Nam quæ foris videntur, opera quidem mea sunt; sed transitoria sunt, sed caduca sunt: ego autem horum artifex, in secretissimis & mundissimis cordibus inhabito.

Data est tibi, Domine Jesu, omnis potestas in cœlo & in terra, rex magne, rex virtutum, qui factus es obediens Patri usque ad mortem, mortem autem crucis. Ecce elevata est magnificentia tua super cœlos, & omnia subjecta sunt sub pedibus tuis. Regnavit David prius in Ebron septem annis super Judam; postea vero unctus est super Israel, & regnavit in Israele triginta tribus annis. Cum autem super Judam tantum ungereris, verissime David, in Ebron; jam mortuus erat in eis Saul rex superbiæ: alioquin vivente illo & dominante eis peccato, non dicerent tibi, os nostrum & caro nostra es. Quis enim membrum Christi simul esse potest & meretricis? Aut quæ conventio Christi ad Belial? Ecce nos, inquiunt, os tuum & caro tua sumus. Sed heri & nudiustertius cum esset Saul rex super nos, tu eras educens & reducens Israel. Et vere sic est, regnante adhuc principe tenebrarum super nos; tu sustines in multa patientia vasa iræ apta in interitum: & exis ante nos provocans ad bellum contra vitia, & liberas & educis indignos de manu peccatorum. Idcirco prius Juda, id est, confessio ungit te super se regem in Ebron. Mortuo quippe Saule, beneficiorum tuorum reminiscitur, & errorem suum confitendo, transitum facit de peccatis ad te, rex justitiæ.

Regnas autem super Judam septem annis in Ebron; quia reddis eis septuplum in sinu eorum, & septem vitiis expiatos, quibus præerat superbus Saul, tua virtute septemplici reformas. Postea transitus regni tui fit in Jerusalem super universum Israel; quia per negotium confessionis illuminatis jam sensibus pervenitur ad visionem pacis in qua factus est locus tuus. Et ipse est mons quem constitueras discipulis ut irent in Galilæam; & viderent & adorarent te ibi post resurrectionem tuam: quia jam unxerat te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis; ut esset primogenitus mortuorum & princeps regum terræ.

Porro in Jerusalem triginta tribus annis regnas: triginta tres habet decades. In decade lex quæ decem præceptis consistit, in ternario triplex animæ profectus accipitur; quæ videndo, meditando, vel amando legem Dei custodit. De primo dicitur, Laudabo Dominum in vita mea; de secundo, Lex tua meditatio mea est. De tertio, quomodo dilexi legem tuam, Domine? Tres vero qui supra triginta sunt, quosdam contemplativorum excellentissimos indicant, qui pietate conscientiæ, plenitudine sapientiæ, perfectione caritatis, summæ Trinitati approximant. Hic est etiam numerus fortissimorum, qui sunt in exercitu tuo, potentissime: quorum tamen eminentissimi usque ad sapientiam tuam & fortitudinem tuam non perveniunt: quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, aut similis erit Deo in filiis Dei? Tu es quasi tenerrimus ligni vermiculus; qui virginaliter editus, humilitate & caritate tua omnem perforas duritiam: uno impetu Spiritus tui octingentos interficiens principes militiæ.

Quis

Quis ita fortis ut tu, quis ita misericors; qui flevisti super Jerusalem, & planctum fecisti super interitum inimicorum tuorum? Et nunc, Domine, doles tu super Saul & super Jonathan filium ejus, qui occumbunt quotidie super montes Gilboe. Nisi enim doleres, non clamares de cœlo, Saule, Saule, quid me persequeris? Quos enim Saul nisi superbos in Ecclesia tua prælatos significat, qui ab humero & sursum eminere sibi videntur super universum populum? Quid vero Jonathan nisi docilis & elegantis ingenii adolescentes; qui moribus & colloquiis majorum depravati, amicitiam suam non possunt excolere cum David nisi furtim, & quasi caventes ab insidiis detrahentium & illudentium sibi?

Merito ergo ploras, O benigne David, super Saul & super Jonathan filium ejus: plorandi enim non essent, si bene occubuissent; sed ceciderunt super montes Gilboe, qui decurrunt in profundum. Nec in vos gratiæ ros, nec pluvia doctrinæ veniet amplius: quia ibi abjectus est clypeus fortium; clypeus Saul. Clypeus fortium, spes est divinæ protectionis, quo ignita diaboli tela repelluntur, quibus graviter vulneratus est Saul à sagittariis, in tantum ut seipsum desperatione interficeret. Clypeus autem Saul, propriæ virtutis confidentia est, quæ non valet resistere sagittis incircumcisorum.

Væ autem his qui amiserunt sustinentiam, hoc est, clypeum fortium; & maledictus qui confidit in homine, quod est clypeus Saul. Erit enim sicut myricæ in deserto, quia nec ros nec pluvia venient super vos montes Gilboe. Quomodo ceciderunt fortes? Si enim fortes, quomodo ceciderunt? Et si ceciderunt, quomodo fortes? Sed non glorietur sapiens in sapientia sua, neque fortis in fortitudine sua: sed qui gloriatur, in Domino glorietur; & qui stat, videat ne cadat.

Nam etsi sint aquilis velociores, ut contemplativos velocitate intellectus supervolent: & si leonibus fortiores, ut in fortitudine operis veros prædicatores superent: tamen si de se præsumentes clypeum salutis abjiciant, erunt corruentes coram inimicis suis. Qui autem confidit in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum. Sed maluit Saul incumbere super hastam suam quam inniti super Dominum: idcirco baculus Ægypti arundineus perforavit manum ejus. Sua eum hasta, & suus auriga, qui currum insolentiæ ejus agitabat, interfecit: Sciebam, inquit, quod vivere non posset. Nescit enim humiliari arrogantis obstinatio, ut vivere possit. Jube, rex justissime David, puero tuo, hoc est spiritui puræ discretionis, ut interficiat in me Amalecitam hunc armigerum Saulis, qui ausus est etiam nunc quotidie manum mittere in me.

S. BERNARDI CLARÆ-VALLIS ABBATIS, IN EXTREMIS POSITI, AD ARNOLDUM BONÆ-VALLIS ABBATEM EPISTOLA.

Suscepimus caritatem vestram in caritate & non in voluptate. Quæ enim voluptas ubi totum sibi vendicat amaritudo? nisi quod solum nihil comedere utcunque delectabile est. Somnus recessit à me ne vel beneficio sopiti sensus, dolor unquam recedat. Defectus stomachi, fere totum quod patior est. Frequenter & in die & in nocte exigit confortari modico admodum qualicunque liquore: nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parum quod dignatur admittere, non sine gravi molestia sumit: sed timet graviorem, si se vacuum omnino dimiserit. Quod si plusculum quid interdum admittere acquiescat, id gravissimum. Pedes & crura intumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere solet; & in his omnibus ne quid lateat amicum de statu amici solicitum, secundum interiorem hominem (ut minus sapiens dico) spiritus promtus est in carne infirma. Orate Salvatorem qui non vult mortem peccatoris, ut tempestivum jam exitum non differat sed custodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis: ut is qui insidiatur invenire non possit unde figat dentem, & vulnus infligat. Hæc ipse dictavi, ut per notam vobis manum agnoscatis affectum. Veruntamen rescripsisse quam scripsisse maluerim.

ARNUL-

ARNULPHI EPISCOPI LEXOVIENSIS AD ARNOLDUM BONÆ-VALLIS ABBATEM EPISTOLA.

VENERABILIS frater & amicus noſter Philippus Abbas, infirmitatem veſtram cum magna nobis amaritudine nunciavit, affectum animi lacrimarum teſtimonio proſecutus. Quod verbum primo ſtatim auditu tanto nobis acerbius extitit, quanto proxime de veſtra fueramus præſentia gratulati. Cœperunt igitur occurrere mihi quæ de veſtra dilectione jucunda provenerant, & ſi quid ſimile in futurum ſperabatur, ſemperque diſcurrens inter utrumque conſideratio, vim mœroris augebat. Occurrebat mihi ſiquidem caritatis veſtræ ſanctum illud dulceque colloquium, quo prævaletis auditorum mentes rerum erudire ſolertia, & aures jucundi ſermonis ſuavitate mulcere. Recordabar vobis quantam ſcribendi gratiam bonitas divina contulerat, in qua neſcio an magis quis ſententiarum fructum, an dicendi peritiam debeat admirari. Hæc enim apud vos tanta ſibi invicem paritate reſpondent, ut neque rerum majeſtas verborum coarctari videatur anguſtiis, nec ſermonis dignitas aliqua ſententiarum excellentia prægravari; in his ſane quæ vel intellectus concipere, vel humana facundia ſufficit explanare; palam eſt illius hoc proceſſiſſe doctrina, cujus ſpiritus familiarium mentes & linguas tam notitia veritatis, quam affluentia ſermonis illuſtrat. Denique dolor in miſerationem converſus eſt dum incommoda veſtra laboreſque contemplor, quibus innocentiam veſtram ſolicitudo domeſtica, & perſecutoris immanitas inceſſanter affligunt. Sed & de proximo ſperata tranquillitas, quaſi de manibus videbatur erepta, ut omnem vobis de præſenti crederetur fortuna requiem invidiſſe. Potiorem tamen requiem, ſicut præſumitur, vobis reſolutio contuliſſet, quia regem in decore ſuo viderent oculi veſtri, ut adimpleret vos lætitia cum vultu ſuo, quem propter ſe tot ad præſens tribulationibus paſſus eſt infeſtari. Nobis autem jucundum eſt veſtra vel ad modicum tempus frui præſentia, veſtro recreari colloquio, veſtro conſilio relevari, quoniam veſtra ſi dilata eſt vobis retributio, non auferetur; ſed repoſita vobis eſt in tuto corona juſtitiæ: depoſitumque fidele quod ſuum eſt, ſuo tempore qui commiſit agnoſcet. Dum igitur his ſuper ſtatu veſtro conſiderationibus, mea mens compaſſione debita raptaretur, ſubitus tanquam ex inſperato morbus obrepſit, ut facile credi poſſet veſtræ partem infirmitatis in me compaſſionis affectu transfudiſſe. Hæc tamen eſt privata paſſione ſublata compaſſio, ſed utrique proſpiciens animus duplici cœpit ſtatim incommodo laborare. Viſitavit igitur utrumque miſericors & miſerator Dominus, & utrique ea ratione beneficium ſanitatis indulſit, quia alter ſine altero perfecte ſanari minime potuiſſet. Vobis ergo ſervatus ſum, veſtra mihi nihilominus ſapientia reſervata, ut ſecundum legem Chriſti alter alterius onera invicem ſupportemus, & ſecundum exuberantem caritatem, alterius ſe totum gaudeat utilitatibus impendiſſe.

EJUSDEM AD EUNDEM.

DE adventu veſtro nihil audieram priuſquam veſter ad me nuncius perveniſſet. Neque enim videram dominum Ebroicenſem, ſed eadem die ipſum literas veſtras Turonum, quo ad regem veneramus, accepi; literarumque brevitatem jucunda communis amici ſupplevit oratio. Gaviſus ſum de incolumitate veſtra, gaviſus de peregrinationis proventu, gaviſus quod veſtram prudentiam & honeſtatem honore debito Romana recognovit Eccleſia. Ad cumulum tamen exultationis acceſſit quod in proximo viſitare nos dilectio veſtra conſtituit, ut & mutuis exhilaremur aſpectibus, & jucundis alternæ collocutionis affatibus delectemur. Communicabimus enim quæ nos interim blanda vel aſpera contigerant, quoniam hæc inter amicos communicatio movet affectus, ut proſpera quidem propter congratulationem dulciora faciat, & adverſa per compatientiam leviora. Porro ſiquidem levius quod alius mecum pari compaſſione ſupportat, ipſamque inter amicos facit exuberare lætitiam, conſcia participatio gaudiorum: quanta igitur poſſum acceleratione feſtino, Lexoviumque ipſo Kal. Mart. die, Domino volente, perveniam: ibidem per dies aliquot, vel in vicinia moraturus. Nuncium autem veſtrum per aliquantulum temporis modeſte detinui, quoniam incertum me de reditu meo, gravia quæ inter reges vertebantur negotia detinebant.

EJUSDEM AD EUNDEM.

LIteræ quas noviſſimas veſtra mihi caritas deſtinavit, apud eum qui perferendas acceperat aliquandiu ſubſtiterunt. Unde factum eſt ut eas non profecturi, nec proficiſcentis acceperim, ſed profecti: quem nec reſalutare poſſem, nec ſi quid concepiſſem animo remandare. Feci ego quod potui, holocauſtum obtuli pro vobis medullatum, quod ſua nimirum pinguedine complaceret, ipſamque oblationem devotus impinguaret offerentis affectus. Holocauſtum inquam obtuli medullatum, in quo ſcilicet medullam divinitatis corporea ſpecies obumbraret, procedenſque de intimi cordis medullis oratio, ſuam ſacrificio contineret melodiam: hic enim ille vitulus ſaginatus eſt, hic mons ille coagulatus & pinguis, hic Chriſtus ille unctus oleo exultationis præ participibus ſuis, de cujus plenitudine licet omnes acceperint, ipſa tamen effuſio non minuit effundentem. Nihil offerri pretioſius, nihil efficacius poteſt, nihil ei qui offert, vel ei pro quo offertur utilius, ſi dignitati ſacrificii perſonarum indignitas non obſiſtat. Oportet enim offerentem puras manus inferre, ne quod impretiabile eſt omnique veneratione digniſſimum, vel ſub pretii recidat vilitate, vel cauſis indignioribus expendatur. Oportet eum pro quo offertur fide recognoſcere, ca-

ritate complecti, prosequi desiderio, totamque sibi in eo divinæ propitiationis fiduciam collocare. His autem concurrentibus utriusque partis versatur utilitas, ut qui pro aliis offerunt, pro seipsis inveniantur offerre. Magnum sane, prædicandumque beneficium, quod erogatum alii proficit, ipsumque nihilominus adjuvat erogantem. Quoscunque enim sacerdos effusa caritatis latitudine complectatur, totum simul omnium, totum uniuscujusque est sigillatim; nec integritatem dividit communicatio plurium, nec soliditatem minuit participatio diversorum. Sic est: totus tibi Christus impenditur, totus mihi, totiusque in solidum se cohæredem hæreditatis admittit, quam totam mihi nihilominus repromittit. Quod enim spirituale est, neque terminis circumscribitur, nec aliquibus angustiis coarctatur, nec impensum rarescit impendio, nec aliqua potest integritatis suæ detrimenta sentire. Totum itaque pro vobis obtuli, totum nihilominus proventui meo reservavi, cum scilicet utrique sic cesserit in salutem, ut & iter vestrum cum prosperitate dirigeret, & mihi gratiam divinæ propitiationis augeret.

EX JO. TRITHEMIO DE SCRIPT. ECCLES.

ARNOLDUS Abbas Bonæ-vallis ordinis Cisterciensis: beati Bernardi Abbatis quondam familiaris amicus: vir in divinis Scripturis studiosus & eruditus; secularium quoque literarum non ignarus, ingenio promtus & clarus eloquio, nec minus conversatione quam doctrina conspicuus, nomen suum scribendo posteritati notificavit. Defuncto namque Gulielmo Abbate Sancti Theoderici; & opus vitæ Sancti Bernardi imperfectum relinquente, ipso etiam sancto jam cœlestia regna tenente, scripsit & perfecit. [1] *Vitam Sancti Bernardi* libris 4. *Virorum illustrium gesta nonnulla, & quasdam epistolas.* Claruit sub Friderico Imperatore primo, Anno Dom. 1160.

[1] *Vitam Sancti Bernardi.*] Satis indiligenter rationem reddit Trithemius scriptorum Arnoldi, qui tanquam lucubrationem ejus primariam commemorat assumentum illud quod apposuit ad Bernardi vitam à Gulielmo Sancti Theoderici Abbate exaratam: idque quatuor libris absolutum ait; cum tamen Arnoldus solummodo secundum scripserit. Nos itaque eum in hac scriptorum ejus collectione prorsus omisimus, tanquam opus levioris momenti; quodque ad Bernardum & ejus enarratorem Gulielmum rectius pertineat. Notandum porro Arnoldum, licet Henricus de Gandavo aliud suadeat, Carnotensem omnino fuisse, & in codicibus MSS. passim appellari.

GENESIS.

Carmen ignoti Auctoris perperam Tertulliano & etiam Cypriano attributum.

PRincipio Dominus Cœlum Terramque creavit:
Namque erat informis fluctuq; abſcondita tellus;
Immenſuſque Deus ſuper æquora vaſta meabat,
Dum chaos & nigræ tuſcabant cuncta tenebræ.
Has dum disjungi juſſit de cardine, fatur:
[1] Lux fiat, claro & nituerunt omnia mundo.
Cum Dominus primi compleſſet facta diei,
Condidit albentem nebulis naſcentibus axem;
Accipit immenſus verrentia littora Pontus,
Multiplices rapiens validis cum tractibus amnes.
Tertia lux faciem terrarum fulva retexit,
Arida mox poſito narratur nomine terræ;
Florea ventoſis conſurgunt germina campis,
Pomiferique ſimul procurvant brachia rami.
Quarta dies generat Solis cum lampade Lunam,
Et Stellas tremulo radiantes lumine fingit;
Hæc elementa dedit ſubjecto inſignia mundo,
Tempora quæ doceant varios mutanda per ortus.
At quinta accipiunt liquentia flumina piſces,
Et volucres varias [2] ſuſpendunt aere pennas.
Sexta at prægelidos in ſpiras lubricat angues,
Quadrupedumque greges totos diffundit in agros;
Cunctaque multiplici mandavit creſcere paſſim
Germine, & immenſis errare & paſcere terris.
Hæc ubi conſtituit divina potentia juſſu:
Rectorem inſpiciens mundanis defore rebus,
Hæc memorat: Noſtris hominem faciamus [3] ad unguem
Vultibus adſimilem, toto qui regnet in orbe;
[4] Et licet hunc uno poſſet componere verbo;
Ipſe tamen ſancta dignatus ducere dextra,
Inſpirat Brutum divino à pectore pectus.
Quem poſtquam artificis formatum in imagine vidit,
Metitur ſolum mordaces volvere curas.
Ilicet irriguo perfundit lumina ſomno,
Mollibus ut vulſa formetur fœmina coſta,
Atque artus mixtu gemino ſubſtantia firmet.
[5] Inditur & nomen vitæ, quod dicitur Eva.
Quapropter nati linquunt de more parentes,
Conjugibuſque ſuis poſitis cum ſedibus hærent.
Septima, quando Deus factorum fine quievit,
Sacrata ſtatuens venturi gaudia ſecli,
Ilicet exhibitis animantum ex ordine turbis,
Diſtinctim cunctis nomen quod permanet, indit
[6] Adami à Domino donata ſcientia ſolers.
Quem Deus adloquio, junctam dignatur & Evam:
Creſcite multimodo ventura in tempora partu,
Ut polus & plenæ veſtro ſint germine terræ:
Hæredeſque mei, varios decerpite fructus,
Quos nemora & pingui reddunt de ceſpite campi.
Hæc ubi diſſeruit, læta paradiſus in aula
Inſtruitur, primique aſpectat lumina Solis.
Gignitur hæc inter pomis lethalibus arbos,
Conjunctum generans vitæ mortiſque ſaporem.
Ædibus in mediis puro fluit agmine flumen,
Quod rigat inſignes liquidis de fluctibus ortus,
Quadrifidoſque ſecat undante ex fonte meatus.
Phiſon auriferis prædives fluctuat undis,
Conſpicuaſque terit rauco de gurgite gemmas;
Praſinus huic nomen, illi eſt carbunculus ardens;
Perſpicuuſque vadis terram prælambit Hevilath.
Poſt hunc Æthiopas Gihon adlapſus opimat.
Tertius eſt Tigris, Euphrati adjunctus amœno,
Aſſyriam celeri diſcretim flumine ſulcans.
Hic poſitus cuſtos Adamus cum conjuge fida,
Atque opifex, tali formatur voce tonantis:
Ne trepidate ſimul licitos præcerpere fructus,
Quos nemus intonſum ramo frondente creavit;
Solliciti ne forte malum noxale legatis,
Quod viret ex gemino diſcreta ad munia ſucco.
Nec minus interea cæcos nox alta tenebat,
Ac modo formatos veſtis nec texerat artus.
Has inter ſedes, & baccis mitibus ortus:
Spumeus aſtuto vincens animalia ſenſu,
Serpebat tacite ſpiris frigentibus anguis,
Livida mordaci volvens mendacia ſenſu,
Fœmineo tentat ſub pectore mollia corda:
Dic mihi cur metuas felicia germina mali?
Numquid poma Deus non omnia nota ſacravit?
E queis ſi ſtudeas mellitos carpere victus,
Aureus aſtrigero remeabit cardine mundus,
Illa negat, vetitoſque timet contingere ramos;
Sed tamen infirmo vincuntur pectora ſenſu.
Adfulſit nulla maculatum nube ſerenum:
Ilicet ut niveo jam mitia dente momordit,
Tum ſapor illecebram mellitis faucibus indens,
[7] Compulit inſueto munus deferre marito.
Quod ſimul ac ſumſit, deterſa nocte nitentes
Emicuere oculi, mundo ſplendente, ſereni.
Ergo ubi nudatum proſpexit corpus uterque,
Cumque pudenda vident, ficulnis frondibus umbrant.
Forte ſub occiduo Domini jam lumine Solis
Agnoſcunt ſonitum, trepidique ad devia tendunt.
Tum Dominus Cœli mœſtum compellat Adamum:
Dic ubi nunc degas? Reſpondit talia ſupplex;
O Domine adfatus pavido ſub corde tremiſco
Magne tuos, nuduſque metu frigente fatigor.
Tunc Dominus: Quis poma dedit noxalia vobis?
Tradidit hæc mulier, dum dicit lumina promtim
Candenti perfuſa die, liquidumque ſerenum
Adfulſiſſe ſibi, Solemque & ſidera Cœli.
Protinus ira Dei turbatam territat Evam,
Auctorem vetiti dum quærit Maximus acti.
Illa ſub hæc pandit: Serpentis ſuaſa loquentis
Accepi, fallente dolo blandoque rogatu:
Nam ſua vipereis intexens verba venenis,
Hæc mihi præ cunctis, narravit dulcia pomis.

Ili-

[1] *Lux fiat, claro.*] *Pamelius ait*, Sic Fabricius, pro eo quod Morelius, *clare*, rectius mea ſententia.

[2] *Suſpendunt, aere.*] Ita lego cum Cauchio, pro *ſuſpendunt corpore.*

[3] *Ad unguem.*] *Pamelius ait*, Hoc cum eodem & Fabricio, *in unguem.*

[4] *Et licet hunc uno.*] *Pamelius ait*, Prætermiſimus cum Fabricio vocem, *ſolo*, ſuperfluam, additam quantum colligere eſt ex margine.

[5] *Inditur & nomen vitæ.*] *Pamelius ait*, Fabricius *vivæ*, verum illud placet.

[6] *Adami à Domino.*] *Pamelius ait*, Fabricius ut carmen conſtet: *Adami à Domino data quæ prudentia.* Verum ſenſus eſt obſcurior.

[7] *Compulit inſueto munus deferre marito.*] *Pamelius ait*, Cauchius conjicit legi debere, *inſuetum.*

[1] *Tum*

Ilicet Omnipotens condemnat geſta draconis,
Præcipiens cunctis inviſum viſere monſtrum;
Pectore mox fuſo prorepere, [1] tum ſola morſu
Mandere: manſuro quæcunque in tempora bello,
Humanos inter ſenſus, ipſumque labantem;
Vertice ut abjecto pronus poſt crura virorum
Serperet, ut calcet dum labens cominus inſtat.
Fœmina fraudigeris miſere decepta loquelis,
Præcipitur duro diſcrimine ponere partum,
Servitiumque ſui ſtudio perferre mariti.
Tu vero cui viſa fuit ſententia verax
Conjugis, immiti ceſſit quæ victa draconi;
Deflebis miſerum per tempora longa laborem.
Nam tibi triticeæ ſurget pro germine meſſis
Carduus, ſpinis multum paliurus acutis,
Ut cum viſceribus laſſis & pectore mœſto,
Plurima ſollicitos præſtet ſuſpiria victus;
Donec in occiduo venientis tempore mortis,
Unde geris corpus, terræ reddare jacenti.
His actis Dominus trepidis dat tædia vitæ,
Dejectoſque procul ſacratis dimovet hortis,
Obverſoſque locat, medioque eliminat igni;
In quo perceleri Cherubim evolvitur æſtu,
Dum calidus defervet apex, flammaſque volutat.
Queis Dominus, pigro ne frigore membra rigerent,
Conſuit evulſas pecudum de viſcere pelles,
[2] Operiens nudos calidis de veſtibus artus.
Ergo ubi conjugio ſeſe jam fidus Adamus
Eſſe virum ſenſit, nomen genitricis amatæ
Exhibet uxori; bino qui germine factus
Continuo genitor, diverſis nuncupat orſis.
Atque Cain hic nomen habet, cui junctus Abelus:
Innocuas hujus ſervabat cura bidentes;
Aſt alius curvo terram vertebat aratro.
Hi cum perpetuo ferrent ſua dona tonanti,
Diſſimiles fructus ſenſu ſuadente dedere.
Nam prior uberibus fuerant quæ proſata glebis
Obtulit: aſt alius miti ſe devovet agno,
Exta manu ſincera gerens adipemque nivalem;
Confeſtimque placet Domino pia vota tuenti.
Quod propter gelida Cain incanduit ira.
Quem Deus adloquio dignatus, talibus infit:
Dic mihi, ſi rectum vivas, & noxia cernas,
Degere non poſſis contracto à crimine purus?
Deſine mordaci fratrem diſperdere ſenſu,
Qui tibi ceu Domino ſubjectus colla daturus.
Nec tamen his fractus, fratrem deducit ad arva;
Atque ubi deprenſum deſerto in gramine vidit,
[3] Elidit geminis frangens pia guttura palmis.
Quod factum Dominus [4] cœlo ſpeculatus ab alto,
Diſquirit, quonam terrarum degat Abelus?
Ille negat poſitum cuſtodem ſe fore fratris.
Cui Deus effatur: [5] Numnam vox ſanguinis ejus
Ad me miſſa ſonat, celſumque aſcendit ad axem?
Noſce igitur manſura tibi pro crimine tanto.
Nam modo quæ maduit germani ſanguine terra,
Inviſo maledicta tibi commiſſa negabit
Semina, & adſumtis fructum non proferet herbis.
[6] Torpidus ut multo collidens membra tremore.

SODOMA.

Carmen ignoti Auctoris perperam Tertulliano & etiam Cypriano attributum.

JAm Deus omnipotens, primævi tempore ſecli
[7] Vindice diluvio cunctis aboleverat undis,
Quas cœlum ſparſit terræ, maris expuit æquor:
[8] Hactenus haud liquido pœnas decernere pactus
Excidio; quoties hiemes induceret aer,
Frænandis varium pluviis mandaverat arcum,
Purpureo & viridi ſignantem nubila limbo;
Iridis huic nomen; propria eſt quæ fibula nimbis.
Sed recidiva hominum pariter cum gente ſecunda
Impietas, iterumque mali nova pullulat ætas;
[9] Excidio jam non imbres ſortita, ſed ignes,
Sic Sodomum meruit tellus [10] ardentibus uri
Flammis, & finis portendere ſigna futuri.
Effera luxuries illic inimica pudoris
Inſtar legis erat, fugeret quam præſcius hoſpes,
Ante vel ad Scythicas, vel apud Buſiridis aras,
Exoptans per ſacra necem, cæſuſque cruorem
Fundere Bebrycium, & Libycas ſatiare palæſtras;
Anteque vel Circæa novas per pocula formas
Sumere, quam læſum Sodomis amittere ſexum.
Pulſabant cœlum invidia connubia mixta,
Inceſtu parili generis natura rebellis
In ſeſe, læſumque viri cum corpore nomen.
Tempore ſed certo Deus omnia proſpeculatus,
Judicat injuſtos; [11] patiens, ubi criminis ætas,
Ceſſandi ſpatium vis nulla coegerit iræ.
Jamque dies ultrix aderat: duo de grege miſſi
Angelico, forma juvenes qui ſpiritus ambo
Diva miniſterio Domini mandata ferebant,
Succedunt Sodomis. Illic de ſtirpe piorum
Tranſvena Loth aderat, ſapiens juſtique colonus
Unus erat meminiſſe Deum; ſolet utilis arbor
In ſylvis latitare feras velut hoſpita fructu.
Is tunc pro porta reſidens (vix mœnia adibant
Cœlicolæ) quamquam divinos neſcius, ultro
Advocat, appellat, patrio veneratur honore,
Hoſpitioque vocat, longe ſtabulare parantes;
Eniſus longis precibus, pia pignora menſa
Officiiſque probis ſtudio diſpungit amicos.
Nox requiem dederat, lux ſolverat altera noctem,
Et Sodoma in foribus ſtrepitat [12] congeſta rudentum.
Loth contra ſupplex: Ne vos nunc paſta libido
Incendat juvenes iſtam fœdare juventam;

Quo

[1] *Tum ſola morſu, mandere.*] *Pamelius ait*, Prorſus ſic lego cum Cauchio, pro *pandere*.

[2] *Operiens nudos.*] *Pamelius ait*, Fabricius & Cauchius: *Opperiens*, addita altera litera *p*. ut carmen conſtet. Atqui aliam ſignificationem ea vox habet.

[3] *Elidit geminis frangens &c.*] *Pamelius ait*, Ex conjectura ſic omnino legendum cenſeo, non *fraudans*.

[4] *Cœlo ſpeculatus ab alto.*] *Pamelius ait*, Sic recte Morelius, pro eo quod Fabricius *celſo*.

[5] *Numnam vox ſanguinis ejus.*] *Pamelius ait*, Contra ſic rectius Fabricius, & ex conjectura Cauchius, quam Morelius *nonne*.

[6] *Torpidus ut multo collidens &c.*] *Pamelius ait*, Quum prorſus mutilus ſit finis hujus carminis, ſuſpicor cætera quoque Geneſeos capita, ad everſionem uſque Sodomæ, metro à Cypriano converſa.

[7] *Vindice diluvio.*] *Pamelius ait*, Recte ſic Morelius pro eo quod Fabricius *Judice*.

[8] *Hactenus haud liquido.*] *Pamelius ait*, Contra hoc Fabricius, quum Morelius, *hactenus &*, quia commemorat pactum Dei de non excidendo poſthac orbe per diluvium.

[9] *Excidio jam non imbres.*] Morelius rurſum ita melius quam aliter, *imbrem*.

[10] *Ardentibus uri flammis.*] *Pamelius ait*, Hoc denuo Fabricius ut carmen conſtet, pro *facibus*; Cauchius cenſebat legendum *faſcibus*, non male.

[11] *Patiens ubi criminis ætas.*] *Pamelius ait*, Videtur deſiderari verſus unus.

[12] *Congeſta rudentum.*] Prius nullo ſenſu *Conqueſta rudentum*, *Pamelius ait*, Obſcurum eſt hoc quomodo & illud, *pacta libido*, pro libidine Sodomitica. Moniti ab Ezechiele legimus *paſta*. Item verſus ille: *quo luxus genitura vocat, &c.*

[1] *Pro-*

Quo luxus genitura vocat? Quo ſemina fruſtra?
Quo nullæ nuptant animæ; non luſtra colentes,
Non ſtabulis reduces, non undis ſubter hiantes,
Nec quæ pennarum modulis prope nubila pendent,
Nec quæ per terram [1] pertracto corpore reptant
Omne genus, luxu genus eſt, ſed fœmina conjux.
Omnibus, & nunquam cuiquam niſi fœmina mater.
Nunc ſi fas juvenilis habet vaſtare pudorem,
Sunt intus natæ bijuges mihi, nubilis ætas,
Virginitas in flore tumet, jam dedita meſſi;
Digna cupido viris, tulerit quam veſtra voluptas:
[2] Dedo, pater, proque hoſpitibus penſabo dolorem.
Vulgus adhæc demens: quiſnam tu, quantus, & unde,
Qui nobis domineris, air, legeſque recondas?
[3] Tranſvena nunc rector Sodomorum, atque ingerit iras?
Nunc igitur tute ipſe lues, quod noſtra cupido eſt,
Pro natis, proque hoſpitibus; ſatis unus in omnes.
Dicta & facta ſimul: vulgi nulla mora ferentis.
Turbidus hiberno ut dum volvitur impete torrens,
Rivorum numeros uno pede [4] fertur in omnes,
Siqua illic arbor rapidis offenditur undis,
Haud manſura diu; quantum radice licebit
Crinitas durare moras, ubi ſubter adeſam
Perdit humum [5] circumfoſſo jam caudice pendens,
Huc illuc certam differt incerta ruinam:
Haud aliter Loth in media vertigine vulgi
Nutabat vinci prope jam; ſed diva poteſtas
Subvenit, Angelici juvenes de limine raptum
Reſtituunt tectis; demens ſed vulgus ibidem
Pœnarum auſpiciis [6] multatur limine diro.
Tunc decreta Dei referant, dignam adfore pœnam
De cœlo Sodomis; Ipſum meruiſſe ſalutem
Juſtitiæ titulo: Quin ergo accingeris iſtinc
Feſtinare fugam pariterque educere, ſi quid
Gentis habes: nos exitium jam inducimus urbi.
Loth generos citus adloquitur: ſed dura hominum mens
Credere deſpexit monitum, riſitque timorem.
Tempore mox quo lux tenebras conſcendere tentat,
Et bicolor cœli facies de nocte dieque eſt,
Inſtabant juvenes [7] Chaldæam educere gentem
Ex Sodomis, juſtamque domum donare ſaluti:
Eia age Loth exurge, tuamque adſume jugalem,
Et natas duplices, atque hinc exterminus ito;
Præveniens Sodomum pœnas; Manibus quoque amicis
Producunt trepidos, [8] atque hæc ibi cetera mandant:
Serva Loth animam; ne viſum in terga retrorſum
Vertere forte velis, cœptum vel ſiſtere greſſum;
In montem propera. Timuit Loth ardua tardo
Ereptare gradu, cœleſtes ne prius iræ
Opprimerent: alios igitur depoſcere portus
Aggreditur, parvam quam contra aſpexerat, urbem.
Huc, inquit, contendo fugas; vix mœnibus extat,
Nec longe, nec magna. [9] Illi favere precanti,
Urbis & ipſius pariter geſſere ſalutem;
[10] Segor inde loco nomen vox Barbara novit.
Tunc Loth ingreditur Segor, ſimul exoritur ſol,
Ultimus ille quidem; in Sodomamque incendia fervens
Infert, nam totos radios armaverat igni:
Æmula ſubſeritur caligo, includere lucem
Cœptans, atque globos confuſo intexere cœlo:
Fumantes coeunt nubes, novus irruit imber;
Sulphura cum flammis flagrantibus æſtuat æther.
Hinc habet in falſo de vero fabula famam,
Solis progeniem currus optaſſe paternos,
Nec valuiſſe levem puerum frænare ſuperbos
Solis equos, arſiſſe orbem; tunc fulmine raptum
Aurigam illicitum, planctum mutaſſe ſorores.
[11] Viderit Eridanus, ſi qua illic populus albet,
Aut ſi quis plumat ſenio modulatior ales:
Hic aliter verſæ mœrent miracula formæ.
Namque comes conjux heu me, male tum quoque legis
Fœmina non patiens, divina ad murmura Cœli
Audaces oculos ne quicquam ſola retorſit,
Non habitura loqui quod viderit; & ſimul illic
In fragilem mutata ſalem, ſtetit ipſa ſepulcrum;
Ipſaque imago, ſibi formam ſine corpore ſervans;
Durat adhuc etenim nuda ſtatione ſub æthram,
Nec pluviis dilapſa ſitu, nec diruta ventis.
Quinetiam ſi quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet;
Dicitur & vivens alio jam corpore, ſexus,
Munificos ſolito [12] diſpungere ſanguine menſes.
Nuſquam ſunt Sodomi, nuſquam illorum impia lucent
Mœnia, cum Dominis domus omnis, inops ita, nuſquam:
Tota rogus regio eſt; hinc atro horrore favillæ,
Hincque ſitu cano cineres incendia ſignant.
Occidit illa [13] prior ſpecies (quam proſpiciens) Loth
Nullus arat fruſtra piceas fuligine glebas.
Semiperemta etiam ſi qua illic jugera, lætas
Autumni conantur opes; facile optima ſeſe
Promittunt oculis, pira, perſica, & omnia mala,
Donec carpantur: nam protinus indice tactu,
Solvitur in cinerem, fit vana favillaque pomum.
Sic igitur cœlo pariter terraque ſepultis
Nec mare vivit ibi, mors eſt maris illa quieti;
[14] Idque animat nullus per anhela volumina fluctus,
Quodque etiam patrio nuſquam ſuſpirat ab auſtro;
Quodque nequit proferre aliquam de gurgite gentem
Squamigeram, lævive cuti vel cortice ſeptam,
Vel criſpam concham, aut duplici compagine clauſam.
Solum illic propria mentitur fruge bitumen,
[15] Exuſti fuligo maris; quod vividus ardor
Subter ſtagna coquens de ſulphuris & ſalis æſtu,
Temperat, inque picem dat terræ hærere marinam:
Invehitur proprio cum tempore pingue crematæ
Virus aquæ, ſpumiſque cutis ſuper æquora nigra
Texitur.

[1] *Protracto corpore reptant.*] *Pamelius ait*, Pulcre ſic Morelius, pro eo quod Fabricius, *manant*.

[2] *Dedo pater.*] *Pamelius ait*, Fabricius *cedo*, utrum vis eligas.

[3] *Tranſvena num rector Sodom. &c.*] *Pamelius ait*, Fabricius, *tranſvena correctos Sodomorum duplicat iras*, at illud placet.

[4] *Fertur in omnes.*] *Pamelius ait*, Optime ſic Fabricius, pro *vehitur in omnes*.

[5] *Circumfoſſo jam caudice.*] *Pamelius ait*, Placet contra hoc Morelii, pro eo quod Fabricius *cum caudice*.

[6] *Multatur lumine diro.*] *Pamelius ait*, Ita Fabricius, pro eo quod Morelius, *interdum lumine mulctant*. Quod non diſpliceret, ſi legatur, *interdiu*.

[7] *Chaldæam educere gentem.*] *Pamelius ait*, Fabricius *Chaldæum educere ſalvum*, ſed illud eſt elegantius, & ſequens verſus apud illum deſideratur.

[8] *Atque hæc ubi cetera mandant.*] *Pamelius ait*, Fabricius, *atque hæc tibi cetera mando*. Verum non placet.

[9] *Illi favere precanti.*] *Pamelius ait*, ſic ex varia lectione hunc locum reſtitue. Fabricius habet, *illi favere petenti*: Morelius vero, *mihi favete precanti*.

[10] *Segor inde loco nomen.*] *Pamelius ait*, Fabricius *inde ſegor vico*, perinde eſt utrum legas.

[11] *Viderit Eridanus.*] *Pamelius ait*, Optime ſic Morelius pro eo quod Fabricius, *videres heu durum*. Præterquam enim quod: *viderit*, Cypriano familiare ſit, in Eridanum decidiſſe Phaetontem de quo loquitur, ferunt poetarum fabulæ.

[12] *Diſpungere ſanguine menſes.*] *Pamelius ait*, Rurſum hoc rectius Morelius quam alter *depungere*. Nam & ſupra dixit, *diſpungit amicos*, & eſt phraſis Cyprianica, (*quam proſpiciens Loth,*) etiam videtur hic verſus deſiderari.

[13] *Prior ſpecies.*] Imp. *feritas*. Tale quid deſiderari videtur, *Deſeruiſſe pii fertur commercia fratris*. Vide Gen. 12.

[14] *Idque animat nullus per anhela volumina fluctus.*] Sic reſtituit Fabricius. Pamelius, *Quod nullus animat*: produxerunt enim Veteres nonnunquam ſ, in fine dictionis: quare neque placet, ut cum Morelio legatur, *nullos*.

[15] *Exuſti fuligo.*] Contra metri legis & rationem ipſam, *ſiligo* legebatur.

Texitur. Adpellunt queis eſt ea captio mercis ;
Adclinant laterum læves libramine lembos ,
Ut ſemel impoſitam doceant conſcendere venam :
Nam ſe ſponte levans [1] adnabit inertis ad ora
Navigii , preſſumque dabit præ munere largo ,
Ni plaga contigerit quam menſis fœmina veſtit.
Ecce aliud monſtrum pelagi de clade notatur :
Cuncta illic immiſſa natant ; natura receſſit
Mergendis data corporibus. [2] Si denique tædæ
Luciferam narem ſiſtes qua ſpiritus igni eſt ,
Velificabit apex flammæ ſi flamma peremta eſt.
Ibit ſubter aquas deſtructio naufraga lucis.
Hæ Sodomum & Gomorum ſignatæ in ſecula pœnæ
Gentibus injuſtis , queis pectora dura timorem
Deſeruere Dei , cœleſtia jura tueri ,
Inque unum rerum Domini ſperare docebunt.

Carmen ignoti Auctoris, Ad Senatorem ex Chriſtiana Religione ad Idola converſum.

QUum te diverſis iterum variiſque viderem
Inſervire ſacris , priſcoque errore teneri ;
[3] Obſtipui monitus : quia carmina ſemper amaſti,
Carmine reſpondens , properavi ſcribere verſus ;
Ut te corriperem , tenebras præponere luci.
Quis patiatur enim , te Matrem credere magnam ,
Poſſe Deam dici , rurſuſque putare colendam ;
Cujus cultores infamia turpis inurit ?
[4] Namque ſacerdotes tunicis muliebribus idem
Interius vitium cultu interiore fatentur ;
Idque licere putant, quod non licet : unde per orbem
Leniter incedunt , mollita voce loquentes ,
Lapſatoſque tenent extenſo pollice lumbos ,
Et proprium mutant vulgato crimine ſexum.
Cumque ſuos celebrant ritus , his eſſe diebus
Se caſtos memorant : at ſi tantummodo tunc ſunt
Ut perhibent, caſti, reliquo jam tempore quid ſunt ?
[5] Sed quia coguntur ſaltem ſemel eſſe pudici ,
Mente fremunt, lacerant corpus , funduntque cruorem.
[6] Quale ſacrum eſt vero quod fertur in omine ſanguis ?
Nunc etiam dicis , quod te non fecerit ætas ,
Sed tua relligio calvum : caligaque remota ,
[7] Gallica ſit pedibus molli redimita papyro.
Res miranda ſatis dejectaque culmine ſummo :
Si quis ab Iſiacis Conſul procedat in orbem ,
Oris , Riſus erit : qui te non rideat autem ,
Qui fueris Conſul , nunc Iſidis eſſe miniſtrum ?
Quodque pudet primo , te non putet eſſe ſecundo ;
Ingeniumque tuum turpes damnare per hymnos
Reſpondente tibi vulgo & lacerante Senatu.
Teque domo propria pictum cum faſcibus ante ,
Nunc quoque cum ſiſtro faciem portare caninam.
[8] Hæc tua non pietas eſt , ſed pietatis imago.
Ædibus illa tuis ſemper monumenta manebunt.
Rumor & ad noſtras pervenit publicus aures ,
Te dixiſſe : Dea erravi , ignoſce , redivi.
Dic mihi ſi valeas , cum talia ſæpe rogares ,
Et veniam peteres ; quæ tecum verba locuta eſt ?
Vere mente cares , ſequeris qui mente carentes.
Hæc iterum repetis , nec te delinquere ſentis.
Quid mereare vide : minus eſſes forte notandus,
Si tantum hoc ſcires , & in hoc errore maneres :
At cum vericolæ penetraveris oſtia legis ,
Et tibi noſſe Deum paucis acceſſerit annis ;
Cur linquenda tenes , aut cur retinenda relinquis ?
Nilque colis, dum cuncta colis ; nec corde retractas
Vera quid à falſis , quid ab umbris lumina diſtent.
Philoſophum fingis , cum te ſententia mutet :
Nam tibi ſi ſtomachum popularis moverit aura ;
Et Judæus eris , totuſque incertus haberis.
Indulge dictis , ſapientia non placet alta :
Omne quod eſt nimium contra cadit : unum operantur,
Et calor & frigus : ſic hoc , ſic illud adurit ;
Sic tenebræ viſum , ſic ſol contrarius aufert ,
Et pariter lædunt gelidum fervenſque lavacrum,
Eſca alitur corpus , corpus corrumpitur eſca ;
Vimque ſuam minuit , ſi quid protenditur ultra.
Denique ſi ſedeas , requies eſt magna laboris ;
Si multum ſedeas , labor eſt. Maro namque Poeta
Pro pœna poſuit : ſedet , æternumque ſedebit
Infelix Theſeus. Semper nocet utile longum ;
Prandia longa nocent , jejunia longa fatigant :
Sic nimium ſapere & ſtultum facit , improba ſecta,
Me Dea ſic docuit , moderamen amabile dixit.
Sed tu nec ſectam modo , nec moderamina curas ;
Mens autem ſtabilis nullo pervertitur æſtu ,
Ipſaque ſimplicitas nunquam mala cogitat ulla.
Hinc ſincera fides æterna ſede fruetur :
Et dolus è contra longo cruciabitur igni.
Elige quid velles , ut digna piacula vites.
Sic tamen hanc veniam mereatur creditor inquam.
Ut leve crimen erit , ſi nolis noſcere vera ;
Non leve crimen erit , ſi cognita vera relinquas.
Sed te correctum forſan matura ſenectus
In melius revocat ſatiatum erroribus iſtis ;
Tempus enim mutat mala , digerit omnia tempus.
Tunc igitur cum te conſulta reduxerit ætas ,
Diſce Deo ſervare fidem , ne forte bis unum
Incurras lapſum ; quia vere dicitur illud :
Qui pedis offenſi lapidem vitare ſecundo
Neſcit , & incautus iterum vexaverit artus ;
Imputet ipſe ſibi , [2] nec caſibus imputet ullis.
[9] Corrige delictum fidamine , corrige mentem.
Suffecit peccare ſemel , deſiſte vereri :
Non erit in culpa quem pœnitet ante fuiſſe.

Hymnus

[1] *Adnabit inertis ad ora Navigii.*] *Pamelius ait*, Placet & hoc Morelii , pro *annabit mercis ad ora*. Hoc autem ſignificat ita hærere bitumen navigiis , ut ſolvi non poſſit niſi menſtruo fœmineo , cujus rei locuples eſt teſtis Joſephus de Bello Jud. lib. 5. cap. 5.

[2] *Si denique tædæ.*] Hanc veram eſſe lectionem minime dubitandum ; ſiquidem quæ de *teſta* dicebantur ſenſu omni deſtituuntur. Tædas vero extinctas undis iſtis accendi , accenſas extingui, nota eſt fabula.

[3] *Obſtipui monitus.*] *Pamelius ait*, Lego *monitus* , pro eo quod erat *motus* , mallem etiam legi *Obſtupui* , niſi alibi legeretur apud Cyprianum, *mens obſtipuit.*

[4] *Namque ſacerdotes tunicis.*] *Pamelius ait* , Obſcurus locus & quantum apparet corruptus.

[5] *Sed quia coguntur ſaltem ſemel.*] *Pamelius ait* , Puto ex vitio operarum legi *ſaltim* apud Morelium.

[6] *Quale ſacrum eſt vero &c.*] *Pamelius ait* , Etiam hoc carmen obſcurum.

[6] *Gallica.*] Veſtis Sacerdotum Cybelis, qui Galli dicti.

[7] *Hæc tua non pietas.*] Olim legebatur, *humilitas. Pamelius ait* , Etiam hic auctor more veterum *h* pro conſonante utitur, de quo videas de arte metrica , niſi forte legendum, *hæc non humilitas.*

[8] *Nec caſibus imputet illis.*] *Pamelius ait*, Etiam hoc lego ex conjectura.

[9] *Corrige delictum fidamine.*] *Pamelius ait*, Nova vox.

[1] *De*

Hymnus Victorini Pictavienſis [1] *de Cruce Domini, perperam Cypriano attributus.*

EST locus ex omni [2] medium quem credimus orbe,
Golgotha Judæi patrio cognomine dicunt:
Hic ego, de ſterili ſucciſo robore lignum
Plantatum, memini fructus genuiſſe ſalubres;
[3] Non tamen hos illis qui ſe poſuere colonos
Præbuit; externi fructus habuere beatos.
Arboris hæc ſpecies uno de ſtipite ſurgit,
Et mox in geminos extendit brachia ramos;
[4] Sicut plena graves antennæ carbaſa tendunt,
Vel cum disjunctis juga ſtant ad aratra juvencis.
Quod tulit hoc primo, maturo ſemine lapſum
Concepit tellus: Mox hinc mirabile dictu,
Tertia lux iterum terræ ſuperiſque tremendum
Extulerat ramum vitali fruge beatum.
Sed bis vicenis conformiter ille diebus,
Crevit in immenſum, Cœlumque cacumine ſummo
Contigit, & tandem ſanctum caput abdidit alto.
Dum tamen ingenti biſſenos pondere ramos
Edidit, & totum ſpargens porrexit in orbem;
Gentibus ut cunctis victum vitamque perennem
Præberent, mortemque mori qui poſſe docerent.
Explicitis etiam mox quinquaginta diebus
Vertice de ſummo divini nectaris hauſtum
Detulit in ramos cœleſtis ſpiritus aura:
Dulci rore graves manabant undique frondes.
Ecce ſub ingenti ramorum tegminis umbra
Fons erat: Hic nullo caſu turbante ſerenum,
Perſpicuis illimis aquis, & gramina lætos
Fundebant circum vario de flore colores.
Hunc circum innumeræ gentes populique coibant;
Quam varii generis, ſexus, ætatis, honoris,
Innuptæ nuptæque ſimul, viduæque nuruſque,
Infantes, puerique, viri, juveneſque, ſeneſque,
Hic ubi multigenis flexos incumbere pomis
Cernebant ramos, avidis attingere dextris
Gaudebant madidos cœleſti nectare fructus.
Nec prius hos poterant cupidis decerpere palmis,
Quam lutulenta viæ veſtigia fœda prioris
Detererent, corpuſque pio de fonte lavarent.
Ergo diu circumſpatiantes gramine molli,
Suſpiciunt alta pendentes arbore fructus:
Tunc ſi quæ ex illis delapſa putamina ramis,
Et dulces multo rorantes nectare fructus.
Veſcuntur, veros optantes ſumere fructus;
Ergo ubi cœleſtem cœperunt ora ſaporem,
Permutant animos, [5] & mentes perdere avaras
Incipiunt; dulcique hominem cognoſcere ſenſu.
Inſolito multis ſtomachum moviſſe ſaporem
Vidimus; & fellis commotum molle venenum,
Rejeciſſe bonos turbata mente ſapores:
Aut avide ſumtum non dilexiſſe, diuque
Et male potatum tandem evomuiſſe ſaporem.
Sæpe quidem multi revocatis mentibus ægros
Reſtituere animos, & quæ ſe poſſe negabant,
Pertulerant, fructumque ſui cepere laboris.
Multi etiam ſanctos auſi contingere fontes,
Diſceſſere iterum ſubito, retroque relapſi,
Sordibus & cœno mixti volvuntur eodem.
Multi vera bono portantes pectore, totis
Accipiunt animis, penituſque in viſcera condunt.
Ergo quique ſacros poſſunt accedere fontes,
[6] Septima lux reparans optatas ſiſtit ad undas,
Tingunt in liquidis jejunos fontibus artus;
Sic demum illuviem mentis, vitæque prioris
Deponunt labem, puraſque à morte recudunt
Illuſtres animas, cœlique ad lumen ituras.
Hinc iter ad ramos, & dulcia poma ſalutis:
Inde iter ad cœlum per ramos arboris altæ.
Hoc lignum vitæ cunctis credentibus. [7] Amen.

[1] *De Paſcha Domini.*] Sic aliqui codices. *Pamelius ait*, Beda de re metrica, Victorino Pictavienſi tribuit.

[2] *Medium quem credimus.*] *Rigaltius ait*, Anglicus codex cum Fabricio, *medius*. At prius habent Dunen. & Cornelii Gualteri codd. & placet magis; Fabricius vero ſolus legit *cernimus*.

[3] *Non tamen hos.*] *Rigaltius ait*, E contrario arridet hæc Fabricii lectio, eo quod alii *hoc* vel *hic*: aliud cenſeo de eo quod legit *colonis*, cum Dunenſi cod. in margine pro *colonos*.

[4] *Sicut plena graves antennæ.*] *Rigaltius ait*, Iſtud habeo ex varia lectione legentibus Angl. cod. & Fabricio *graves*, aliis vero *gravis*: pro *ſicut* Gualteri codex minus recte, *ſic ubi*.

[5] *Et mentes perdere avaras.*] *Pamelius ait*, Quum ex verbis his ſatis conſtet deſiderari verſum ſaltem unum atque alterum non dubito quin genuini ſint verſus ſex ſequentes, quos ſolus habet Fabricius, hoc initio.

[6] *Septima lux reparans.*] *Pamelius ait*, Optime ſic Anglicus codex, pro eo quod Morellius & *quos ſeptima lux*, aut Fabricius, *ſeptima lux illos*.

[7] *Amen.*] *Pamelius ait*, Dunenſis & Gualteri codex, ἀμήν.

DE

[1] SINGULARITATE CLERICORUM.

Tractatus Cypriano perperam adscriptus, necnon Augustino & Origeni juxta quosdam.

PRomiseram quidem vobis ante tempus epistolam, filii carissimi, quæ omnium morum instituta de lege commendans, summatim omnia etiam contineret, quæcumque universis clericis generaliter ad dirigendam regulam competunt disciplinæ. [2] Sed quia nunc de fœminarum commoratione vulgariter inter vos quidam [3] ad ignominiam devoluti sunt, etiam de hac re specialiter vobis, [4] Domini correptione scribere compulsus sum: qui miserum me pro vestra negligentia cum severitate corripiens, mandare præcepit, ne clerici cum fœminis commorentur. Et licet hæc admonitio sola literarum mearum auctoritate sufficeret; tamen ne me somniatorem irrideat quisquam, sicut Joseph fratres irriserunt, scripturarum addimus firmitatem: ut omnes sciant hoc etiam modo per revelationem Dominum jubere, quod literis cognoscitur ante jussisse; nec nos esse adulterantes verbum Domini, aut volentes jactanter de revelationibus gloriari, sed sic ante conspectum Domini referendo non mentiri quod loquimur; sicut à Domino confidimus nos non audisse mendacium, præsumentes vocem Apostoli Pauli protestantis: Non enim sumus, inquit, sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate sicut ex Deo coram ipso in Christo loquimur. In dolore itaque maximo constituti de quibusdam putrefactis membris corporis nostri, & in gemitu jacturam lamentantes Ecclesiæ, quæ per segnitiem nostram redigitur per dies singulos ad nimiam paucitatem; credimus nos ex parte aliqua sublevari, quod diligentiæ nostræ negligentia quorumdam obesse non possit, quibus numquam nostræ literæ defuerunt, quæ per absentiam nostram frequentiam omnibus pensaverunt dissimulationis suæ: ut unusquisque contemtor [5] reum semetipsum conscribat, nos autem libera fronte contemtoribus exclamemus, quod Solomon confidenter exprobrat: Quoniam quidem vocabam, inquit, & non obaudiebatis: & extendebam verba mea, & non intendebatis, sed irrita faciebatis mea consilia, meis autem increpationibus non intendebatis: itaque & ego vestræ perditioni superridebo. Gratulabor ergo adversum vos, cum advenerit vobis interitus, & [6] cum advenerit vobis subito tumultus: eversio autem simul & procellæ, & cum advenerit vobis pressura & expugnatio. Erit enim cum me invocaveritis, ego autem non exaudiam vos. Quærent me mali, & non invenient: oderunt enim sapientiam. Verbum autem Domini non assumserunt, neque voluerunt meis consiliis intendere. Spreverunt enim meas correptiones: ideoque edent viæ suæ fructus, & sua impietate satiabuntur.

Ad vos nunc mea exhortatio convertitur, quos nolumus experiri talia præcipitia ruinarum. Metuite quantum potestis ejusmodi casus exitia: & in ista subversione, labentium vos experimenta perterreant. Nimium præceps est qui transire contendit, ubi alium conspexerit cecidisse: & vehementer infrænis est, cui non incutitur timor alio pereunte. Amator vero est salutis suæ, qui evitat alienæ mortis incursum. Et ipse est providus, qui solicitus fit cladibus ceterorum: sicut Solomon approbat, dicens: Astutus videns malum puniri, vehementer erudietur. Et iterum: Cadentibus impiis justi vehementer terrebuntur. [7] Adversaria est confidentia, quæ periculis vitam suam pro certo commendat. Et lubrica spes est, quæ inter fomenta peccati salvari se sperat. Incerta victoria est, inter hostilia arma pugnare. Et impossibilis liberatio est, flammis circumdari, nec ardere. Quod Solomon non negat, dicens: Quis alligabit in sinu suo ignem, vestimenta autem sua non comburet? Aut quis ambulabit super carbones ignis: pedes vero non comburet? Sic qui introierit ad uxorem proximi sui, non erit immunis, neque omnis qui tangit eam. Credite quæso vos, credite divinæ fidei, [8] quinimo quam nostræ: quia omne quidquid pollicetur, non potest fallere, dicente Domino: Facilius est, inquit, cœlum & terram præterire, quam de lege unum apicem cadere.

[1] *De singularitate Clericorum.*] Videtur circa Bedæ popularis nostri tempora, quando de cœlibatu Clericorum maxime fervebat præsertim in Occidente controversia, conscriptus liber; cui seculo respondet à revelatione desumtum argumentum. Ferebatur enim, Gabrielem Angelum duodecim articulos signatos detulisse, quod conjugium Sacerdotum non esset tolerandum. Post vulgatam versionem in usu receptam, scriptum fuisse constat: nec refert, quod Origenis sententiam tueri videatur Auctor; siquidem hoc ad hypothesin quam susceperat, pertinebat. *Rigaltius ait*, Codex Fossatensis Cypriano tribuit. In Corbeicnsi inscribitur, Augustini de singularitate clericorum.

[2] *Sed quia nunc de fœminarum commoratione.*] *Pamelius ait*, Manutius & Morelius, cum Landulpho de Columna, *commemoratione*. Verum prius habet Antoninus cum vet. excus. & argumento libri magis convenit. Nisi vero etiam Landulphus legeret illud *de*, superfluum putarem, & omitterem cum Antonino.

[3] *Ad ignominiam devoluti sunt.*] *Pamelius ait*, Ex vitio codicis Remboldi legebatur *ignominiæ*, duntaxat quod non placeret, reposuit Erasmus *ignominiose*, & illud legunt Antoninus & vet. exc.

[4] *Domini correptione.*] *Pamelius ait*, Manutius & Morelius *correptione*, veram prius placet obsequentia: præsertim si legamus cum Antonino, *corripiens*, pro *conveniens*.

[5] *Reum semetipsum conscribat.*] *Pamelius ait*, Etiam hic Remboldus reposuit, *rerum* corruptissime; nam illud habent vet. excus. Gravius & Morelius.

[6] *Cum advenerit vobis interitus.*] *Pamelius ait*, Nec vet. excus. neque Remboldus hoc habent, sed est apud 70. Quare recte quoque ex conjectura Cauchii adjecimus, & illud quod sequitur.

[7] *Adversaria est confidentia.*] *Pamelius ait*, Ita etiam ille rectius, quam vulg. *adversa*.

[8] *Quinimo quam nostræ.*] *Pamelius ait*, Accipit *quinimo*, pro *potius*; nam illud *plus*: neque habent vet. excus. neque Remboldus, sed primus Erasmus addidit.

cadere. Et iterum : Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. Ipſi ergo nos fallimus, quotiens inordinaliter credimus, æſtimantes per fidem noſtram legis præcepta mutari : ut inter maſculos & fœminas ſperemus paſſim caſtitatem immobilem cuſtodiri.

Difficile quis venenum bibet & vivet. Verendum eſt dormienti in ripa, ne cadat, cum dicat Apoſtolus : Qui ſe putat ſtare, videat ne cadat. In hac parte expedit plus bene timere, quam male fidere. Et utilius eſt infirmum ſe homo cognoſcat, ut fortis exiſtat ; quam fortis videri velit, & infirmus emergat. De qua re præſumtores objurgat Apoſtolus, dicens : Si quis putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ſeipſum implanat. Pro certo implanator proprius ſuam animam decipit, qui non cavendo contraria, noxiis rebus ſemetipſe commiſerit. Ille autem tutius ſibi conſulit, qui circa malos ſemper infidus ſpecies quaſcumque noxias extimeſcit. Quorum diſtantiam Solomon diſſeruit, dicens : Sapiens timendo declinabit ab omni malo : inſipiens autem confidens ſui miſcetur iniquo. Magnum ſapientiæ divinæ conſilium inventum eſt, ubi timoris auxilio liberemur. Magna compendia providentiæ, ut aliquando fiat virtus & victoria per timorem. Magna remedia Dominus contulit ad ſalutem, ut habeat & timidus laudem, ſicut Solomon repetit, dicens : Beatus vir qui veretur omnia per metum. Inæſtimabilis Domini miſericordia, [1] quæ unicuique homini ſuam contulit gloriam : & incomprehenſibilis pietas, quæ ſecundum pugnas dedit & palmas : ut confitendo maſculorum ſævitiam ſuperemus, & timendo fœminarum blandimenta vincamus ; dummodo & de virtute & de infirmitate ſuper nos Dominus glorias operetur : ut in omnibus & per omnia omnipotentem ſemetipſe teſtetur, dividens differentias triumphorum ; ut tam conſiliis quam viribus à nobis bella vincantur, ne ſi vicerimus ſolius fidei fortitudine, contra Solomonem vacua eſſent opera ſapientiæ. Nunc igitur ſapientiæ arma geſtanda, ubi fœminei & virilis ſexus certamen indicitur. Unde Solomon ſic inſtruit, dicens, Prudentiam, inquit, fac notam tibi, ut te ſervet à muliere aliena & peſſima. Videte nunc prudentiam in iſto bello, non fidem nobis datam eſſe victricem, quæ nos timiditatis remedio liberaſſet : & contemplamini quæ ſunt modo arma ſumenda, ſi vultis habere legis auxilia. Eſtote timidi, ut ſitis intrepidi : & licet timor in certamine infirmitas eſſe videatur ; tamen ſecundum verbum Apoſtoli, virtus in infirmitate perficitur. Separamini deprecor, ſeparamini contagione peſtifera.

Quantumcumque fuerit unuſquiſque longius ab adverſis, tantum non ſentit adverſa. Minus voluptatibus ſtimulatur, qui non eſt ubi frequentia eſt voluptatum. Et minus avaritiæ moleſtias patitur ; qui divitias non videt : ſi admittimus Apoſtolum pollicentem : Qui volunt, inquit, divites fieri, incidunt in tentationem [2] & in muſcipulas, & deſideria multa & inutilia & noxia, quæ mergunt hominem in perditionem & in interitum. Non aliter tentationibus ſubjacet, qui junctus eſt fœminæ ; in qua nihil eſt aliud niſi quod feriat proximantem. Aculeus peccati facta eſt forma fœminea ; & mortis conditio non aliunde ſurrexit, niſi de muliebri ſubſtantia. Quod Solomon ad noſtram ſolicitudinem memorat, dicens : A muliere factum eſt initium peccati, propter hanc omnes morimur. Inde mortales tenemur, nec timemus. Quid ſi jam immortales eſſemus? Per mulierem liberavit nos equidem Chriſtus, ſed unde adhuc morimur formidare debemus. Tunc liberatio ipſa conſtabit in fœmina, ſi à nobis mors revincatur, quæ per fœminam venerat. Ceterum ſi adhuc per mulierem circa nos ſcandala dominantur ; liberationis Chriſti fecimus pro certo diſpendium. Siquidem in futurum ſpes iſta libertatis manet, quam fidei noſtræ Chriſtum credimus contuliſſe : ut tunc nobis omnino mulier non noceat, cum & ipſa mors fuerit evacuata. Nam ſi modo putamus nos intentabiles eſſe muliebribus jaculis ; quid ergo reſtat cœleſtibus regnis ? Non immerito tales ſenſus Apoſtolus increpat, dicens : Jam ſatiati eſtis, jam divites facti eſtis : ſine nobis regnatis, & utinam regnetis. Tempus ergo luctaminis adhuc geritur, & mors per fœminam adhuc uſque graſſatur. Mentior, ſi non videmus exinde interitus plurimorum. Quanti & quales Epiſcopi & clerici ſimul & laici, poſt confeſſionum victoriarumque calcata certamina, poſt magnalia & ſigna vel mirabilia uſquequaque monſtrata, noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe ; cum volunt in navi fragili navigare ? Quantos leones domuit una muliebris infirmitas delicata, quæ cum ſit vilis & miſera, [3] de magnis efficit prædam ? Quod Solomon loquitur, dicens : Pretium meretricis tantum eſt unius panis, mulier autem pretioſas animas capit.

Ante nos iſta tractantur, & nullis terroribus coercemur ; quid faceremus, ſi opinionibus tantummodo geſtas hiſtorias audiremus ? Sed hæc eſt ſemper incredulitas humanæ duritiæ, ut non ſolum audiendo, ſed etiam videndo non credat alteros interiſſe, niſi & ſe ipſam viderit interire ; nec ſociorum mortibus quatitur, [4] dum illos promeritos aut invalidos opinatur. Se autem multum mereri, aut multum valere fiducialiter putat, neſciens præberi cunctis exempla, cum fuerint quibuſdam irrogata ſupplicia, ſicut Dominus in Evangelio proponit & dicit : Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis fuerint peccatores, qui talia paſſi ſunt ? Non. Dico vobis ; niſi pœnitentiam habueritis, ſimiliter perietis, ſicut illi ſupra quos cecidit turris in Siloa, & occidit eos. Putatis quoniam & ipſi debitores fuerunt præ omnibus hominibus habitantibus in Hieruſalem? Non. Dico vobis : ſi non pœnituerit is, ſimiliter perietis.

Miramur ſi Adam per Evam ſeductus eſt, quem nulla morientium exempla præceſſerant, & niſi juſſio una conſtrinxerat ; cum modo nos nec innumerabiles mortes, nec infinita juſſa compeſcant. Quibus convenienter dicitur ſecundum increpationem Domini : Si Adam vidiſſet mortes, quæ factæ in vobis ; olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſet. Dico autem vobis, quoniam Adæ tolerabilius erit in die judicii, quam vobis. Longe ſit peſtis illa, & lues, & clandeſtina pernicies. [5] O quam inordinabilis fœminæ

[1] *Quæ unicuique homini ſuam contulit gloriam.*] *Pamelius ait*, Remboldus vitio operarum habebat *ſuo*, quod quum non quadraret, repoſuit Eraſmus, *undique* pro *unicuique* ; at prius genuinum eſt.

[2] *Et in muſcipulas.*] *Pamelius ait*, Omiſimus vocem *diaboli* ; quod neque vet. excuſ. neque Remboldus habeant, neque alibi Cyprianus, qui tamen ubique *muſcipulam* legit.

[3] *De magnis efficit prædam.*] *Pamelius ait*, Antoninus addit *ejus* pro *ſuam* ; antiquus vero alter codex Morelii longe aliter legit, *de magnis tantum & fortibus ſuam mixtam efficit prædam.*

[4] *Dum illos promeritos aut invalidos opinatur.*] *Pamelius ait*, Non male etiam Eraſmus, *emeritos*, niſi ſequeretur, *ſi autem multum mereri*, quare illud ex vet. excuſ. & Remboldo repoſuimus.

[5] *O quam inordinabilis.*] *Pamelius ait*, Sic etiam Antoninus. Vet. excuſ. vero & Remboldus *inordinalis*, locus obſcurus. Conjicit autem Gravius legendum *lenocinium*, pro *latrocinium*, ſed hoc non ſatisfacit.

[1] *Cau-*

propinquitas jaculatur, cujus vicinia est delictorum latrocinium. Non est in hac societate sinceritas approbabilis, quæ collisiones habet velut quibusdam fluctibus turbulentas. In hac familiaritate non habitat amica concordia: quoniam non nisi discordantes inimicitias creat. Fecit equidem viro Dominus mulierem adjutricem, sed serpentis invidia personam sumsit hostilem. Quod si illa de viro suo nata, usque hodie ipsum cui jungitur, tentat: quanto magis illa quæ copulatur, nulla lege conjuncta? Et si illi qui duo sunt in carne una concreti, tentationibus mutuis invicem pungunt; quid facient hi qui in una carne nec nati nec juncti sunt? Præsertim quia nec Deum jam invocare permittitur, qui caritate alterius avocatur; nec sinitur cogitare divina, qui sibi quæsivit cui exhiberet domesticam curam. Propter quod sic Apostolus consulit, dicens: Volo vos sine solicitudine esse. Qui sine uxore est, solicitus est quomodo placeat Deo: qui autem habet uxorem, cogitat quæ sunt hujus mundi, quomodo placeat uxori. Quid est nunc quod in hac conjunctione delectet, in qua sunt solæ pugnæ? aut quæ utilitas favet, ubi non sunt officia conjugalia, quando nec ipsa possunt esse secura?

[1] Causale est omne quod fœminæ est; & copulatio ejus semper infesta est. Fœdere suo magnas molestias præstat; & cui adhæserit contra fas, insanabilem ingerit plagam. De carbonibus scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Solomon sic comparat, dicens: De vestimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri. Volo scire quæ sit affectio ista communis, quæ morbi dissensio semper ambigua, quæ propositum suum nutantibus consiliis impugnando conturbat. Ut quid sibi adhibuit mulierem qui ducere contemsit uxorem? [2] Omnis qui non manducaverit carnem; ut quid habitationem suam carnis apparatibus replet? Et qui non biberit vinum, quid [3] videndi oblectatione perfruitur? Quasi non aliquoties videndo nec gustando copia esculentorum animus pascitur, & vini odoriferi sola fragrantia suscitatur sæpius animus. Quid per hypocrisin vult ab hominibus abstinens dici, & in secreto carnibus & ebrietate distendi? Habent multi divitias quas suis usibus negant, sed pro cupiditate conservant; quibus si nulla cupiditas inhæsisset, nec cupiditatis insignia possiderent. At vero quia cupiditate possessi sunt, perfruuntur animo quod usu non tangunt. Ita is qui despexit vinculum nuptiarum, & aliter vinculis fœmineis obligatur; quamvis nullo concubitu misceatur, desiderio tamen, visu, colloquio, conjunctione semper oblectatur. Nam si desiderium fœminæ non haberet, nunquam fœminam suis oblectamentis assumeret.

Imo vero insuper mihi [4] suspectum placitum dedit: qui non legitimam duxit, & legitimam recusavit: nisi fallor, in publico argumentatus est hominibus promittere sanctitatem, & in occulto sine uxore non esse. Duo argumenta sanctitatis & libidinis hinc & inde miranda sunt, quæ utraque invicem tegunt, & utraque invicem produnt. Ingeniosus eunuchus & mœchus invidet sibi dum consulit, & dum quærit utrumque, neutrum facit; ut sanctus minime deputetur, qui non vera conjunctione perfruatur, cum Paulus Apostolus dicat: Alligatus es uxori? ne quæsieris solutionem. Solutus es ab uxore? ne quæsieris uxorem. Sed consentio non esse castitatis hujus pudicitiam violatam: suspiciosis tamen malam porrigit famam; & pudicitiæ bonum frustra intrinsecus laborioso agone custodit; [5] qui illud forinsecus efficit infamari, destruens magisterium Pauli providentis pariter & monentis: Ut quid, inquit, libertas mea judicatur ab infideli conscientia? Si ergo gratiæ participo: ut quid blasphemor pro eo quod gratias ago? Pejus est quam mœchia, continentiam ducere criminosam, & infamem facere sanctimoniam. [6] Blasphemiam ingerit religioni quam colit, qui quod confitetur, non ante omnes impleverit; ne Christianitas credatur esse fallacia, & mœchatio videatur esse sanctitatis velamento vestita. Propter quod Dominus in Evangelio sic præmonet, dicens: Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videntes opera vestra bona, magnificent patrem vestrum qui in cœlis est. Hoc sequitur & Paulus Apostolus, dicens: Non ergo blasphemetur bonum vestrum. Et iterum: Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Et alio loco: Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et estote sine scandalo Judæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo.

Sed opponitur forsan, quid est quod ipse iterum dixerit? Si hominibus placere vellem, Christi servus non essem. Nunquam se quæcunque dicta legis excludunt, sed certis locis responsa universa defixa sunt. Illic placere hominibus non licet, ubi voluntas hominum non capit Domini voluntatem. Ubi vero acceptant homines, quod ad gloriam proficit Dei; innotescere omnibus ipse Paulus Apostolus præcepit. Unusquisque, inquit, nostrûm, proximo suo placeat ad bonam ædificationem. Quale ergo præmium sanctitatis expectat, qui non solum blasphemiam sanctitatis ab infidelibus provocat, sed etiam fidelibus pernicioſum præbet exemplar; ut infirmi sub prætextu dilectionis subtiliter fornicentur, & pudicus impudicissimæ castitatis præbeat magisterium, destruens quod Paulus Apostolus comminatur: Periit, inquit, frater infirmus in tua conscientia, propter quem Christus passus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Et quidem non hoc juvenibus tantum, sed & senibus congruit, fratrum imbecillitati consulere; ne senectus perire provocet juventutem, ex qua debent omnia salutaria documenta procedere: sicut Eleazarus in libro Maccabæorum profitetur & dicit: Præmitti malo in infernum, quam patrias leges deserere. Non enim ætate nostra dignum est fingere; ut multi adolescentium arbitrati Eleazarum nonaginta annorum, transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum & corruptibile tempus vitæ, per me

[1] *Causale est omne quod fœminæ est.*] *Pamelius ait*, Erasmus *Casuale*, at illud habet vet. exc. & Remboldus. Alludere videtur ad illud: *Semper habet lites, alternaque jurgia lectus.*

[2] *Omnis qui non manducaverit carnem.*] *Pamelius ait*, Videntur ea ætate clerici à carnibus & vino abstinuisse.

[3] *Videndi oblectatione perfruitur.*] *Pamelius ait*, Sic lego cum vetere excus. pro *vini*, neutrum habet Remboldus.

[4] *Suspectum placitum.*] *Pamelius ait*, *Placitum* pro *decretum*. Solus enim Manut. *placidum*.

[5] *Qui illud forinsecus efficit infamari.*] *Pamelius ait*, Ita ex Antonino, & quodam Morelii cod. pro *quod forinsecus*; legit etiam ille codex *permittit*, pro *efficit*.

[6] *Blasphemiam ingerit religioni quam colit.*] *Pamelius ait*, Sic optime quidam Morelii codex, pro *contulit*.

[1] *Sene-*

me seducantur, & odium ac maculam senectuti meæ acquiram. Ille maluit vitam suam tormentis objicere, quam cuiquam magister perditionis existere : & nos ubi nulla tormenta sunt, fluxibus solis, nolumus salvandos fratres anteponere : nec contenti sumus sine ullis cruciatibus tam nobis prodesse quam ceteris, cum ille noluit vivere moriturus : sicut inferius prosecutus est; dicens : Quamobrem fortiter vita excedens, [1] senectute dignus apparebo, adolescentibus quidem exemplum forte relinquam, ut promto animo ac fortiter pro gravibus & sanctis legibus honestæ morti succedant. Cum hoc etiam laicos deceat, ne aut extraneis occasionem blasphemandi, aut fraternitati opportunitatem fornicationis opponant ; tum maxime clericos vehementer necessitas ista constringit ; quibus aut religio blasphemata, aut fraternitas perdita pœnas duplices irrogabit. Nec invenient in judicio Domini ullum omnino solatium, qui alienigenis & fratribus peccandi fomitem ministrarunt. Propter quod sic Paulus Apostolus Titum instruit, dicens : Teipsum bonorum factorum præbens exemplum in doctrina, in integritate, in gravitate, in verbo sano atque irreprehensibili,: ut adversarius revereatur, nihil habens de nobis dicere mali. Et iterum : Omnibus, inquit, fidem bonam ostende, ut bonam doctrinam Salvatoris Domini nostri præferant in omnibus. Sic & ad Timotheum scribit, dicens : Forma esto fidelibus in sermone, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate. Quod & Petrus Apostolus hortatur, dicens : Conversatio, inquit, vestra in gentibus bona sit, ut in eo quod detrahunt de vobis tanquam de malefactoribus, de bonis operibus vestris glorificent Deum. Et iterum; Quoniam sic est, inquit, voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis stultorum hominum ignorantiam.

Nec quisquam sibi proponat & dicat, habere volo quod vincam : hoc est enim dicere, vivere desidero sub ruina. Quis tam stultus qui arctari cupiat ad laborem, cui offertur delicatus triumphus? Neque enim duplex triumphus est sub fœminæ præsentia probari victorem, quam est in singularitate servare integram sponsionem sanctimoniæ. Et cum sit unus titulus gloriarum, hoc loco unus fortis est, qui satis laborat : & cum illo qui parum laborando vicerit, pariter muneratur. Quid quod ille [2] quinimo consummatus adscribitur, qui se omni tempore fœmineis affectibus ostentat abscissum? Quia eum Dominus in Evangelio perfectum vocat, qui totum suis usibus amputaverit patrimonium. [3] Certe etiam soli cuicunque, quotidiani triumphi pro castitate non desunt; quia nunquam desideriis carnalibus spiritum cessat infestare corpus humanum, quod Apostolus affirmat, dicens : Caro, inquit, concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem ; hæc enim invicem adversantur sibi, ut non quæcunque vultis, illa faciatis. Habes nunc carnem tuam, quam superes semper : quid tibi vis alteram vel conducere? Nemo super unam febrem cupit adhibere pejorem ; ne incipiat [4] hemitritæo insanabili laborare, cui nullus valeat medicus subvenire. Neque aliquis super onus proprium tollit insuper alienum ; ne oneribus duobus oppressus, usque ad inferos demergatur. Unde sic Hieremias propheta docet sanctitatis pondus singulariter sustinendum. Bonum est, inquit, viro cum portaverit jugum grave in juventute sua; sedebit singulariter & silebit, quoniam tulit super se jugum grave.

[5] Sed quisquam malignus obsecutor ad dictum Apostoli Pauli confugiet dicentis : Onera vestra sustinete invicem, & sic implebitis legem Christi : Non hæc sunt onera, quæ Paulus Apostolus imperat subvehenda ; sed ut tolerantes nosmetipsos discordia nulla discernat ; & in tentationibus constitutis fratribus præbeamus auxilia : non ut ipsi nobis tentamenta per fœminas procuremus, sed ut tentamentorum magis pondera sublevemus; cum sciat quale sit sanctitatis jugum, quod vix singulare portetur. De quo non solum ipse, sed & Dominus noluit certum definire præceptum, dicens : Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. Et iterum ; Qui potest capere, capiat. Si ergo difficile singulariter magnitudo istius ponderis toleratur ; quomodo tolerabitur, si geminatis ponderibus prægravetur? Et si singulares pene omnes vix durant carnales insidias sustinere ; quid faciunt illi, qui ex utroque latere gladiis impendentibus non cunctantur incumbere? Plus dico. Si mariti & uxores desideria conjugalia quotidie gerentes, sibi non sufficiunt ; quid agunt illi qui ad augendas impugnationes fœminis sociantur? [6] Ex improviso vel transeunter ad horam fœmineus aspectus occurrens, velut sagittas alienis oculis jactat. Quando libera non est simplex reverentia ; quid illic geritur, ubi libertatis sumit mulier in contubernalitate constantiam? quando in domesticis negotiis nunc lacertos ac femora lanificis operibus nudat, nunc æstuans detegit membra, nunc fatigata jactatur, [7] aut in usu aliquando dissolvitur ; nunc blanditias exhibet, & quod est venenosius super cuncta psallere delectatur, aut canere? Cujus cantu tolerabilius est audire basiliscum sibilantem. Contra quam Solomon sic nos cautos efficit, dicens : Cum cantatrice noli assiduus esse, nec audias illam, ne forte dispereas in efficacia ejus. Taceo reliqua, quæ magis pudenda sunt quam dicenda : solum hoc dico, in dolore vel in ira mulierem frangi conspicere, jam non est sine mulcedine. Quid dicimus si videas jucundantem, aut quod est deterius blandientem? Semel dixerim, omnis inconveniens sodalitas mulierum, gluten est delictorum, & viscum toxicatum, quo diabolus aucupatur. Incongrua est sodalitas fœminarum : quarum sodalitatem ita nos rursum Solomon docet in omnibus præcavere : Cum aliena, inquit, muliere ne sedeas omnino, & ne alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem.

Postremo si animum nostrum confidimus in hac communitate durare semper, vel illud apud nos debet esse suspectum ; ne ipsæ quæ nobiscum conveniunt, in nos ipsos forsitan moveantur, aut in alteros amores præ rapida ætate incitamentis furialibus stimulentur, & erit nobis causa aut quod pejus est, sine causa ut fornicatio nos maculet aliena, apud quos suggeritur ceteris occasio lupanaris ; & crimine alieni reatus absorbebimur, cui nos ipsi suborna-

[1] *Senectute quidem dignus.*] *Pamelius ait*, Adjicimus *quidem*, ex vet. cod. Nam legitur in Maccabæis.

[2] *Quinimo consummatus.*] *Pamelius ait*, Prorsus sic lego cum Morelio pro *qui minimo*. Quia supra hanc vocem habuimus eadem significatione, & consentiunt vet. exc. cod. & Remboldus.

[3] *Certe etiam soli cuicunque.*] *Pamelius ait*, Adjicio ex iisdem *soli*.

[4] *Hemetritæo insanabili laborare.*] *Pamelius ait*, Hemetritæus febris est juxta Remboldum, tertiana una & dimidia.

[5] *Sed quisquam.*] *Pamelius ait*, Omisimus voculam *si* interjectam juxta cod. vet. & Remboldum.

[6] *Ex improviso vel transeunter.*] *Pamelius ait*, Antoninus *in transitu*, sed illud bis terve infra repetitur.

[7] *Aut in usu aliquando dissolvitur.*] *Pamelius ait*, Remboldus legebat *in risu*, pro quo Erasmus rectius *in risum* : sed illud habet vet. exc.

bornamus immunditiæ lenocinium. Propter quod Apoſtolus Paulus de ſimilibus ita nos inſtruit, dicens: Si propter eſcam frater tuus ſcandalizatur, jam non in caritate ambulas. Noli eſca tua illum perdere, propter quem Chriſtus mortuus eſt. Et iterum: Bonum eſt non manducare carnem, neque bibere vinum, [1] neque oſtendere in quo frater tuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Et alio loco: Hoc, inquit, judicare magis, ne ponatis offendiculum aut ſcandalum fratri. Et de ſemetipſo ſic ait: Propter quod ſi cibus ſcandalizat fratrem meum, jam non manducabo carnem in æternum, ne fratrem ſcandalizem. Cum ergo nos pulſat conjunctionis hujus moleſtia deteſtabilis; & ſi adulteros non poteſt facere, facit tamen pejores adulteris & inceſtis. Quis enim cordis alterius ſcrutator qualitatem uniuſcujuſque perpendat; & pro altera perſona contra Satanam repugnator, circa Deum vero idoneus fidejuſſor eſſe præſumat? De ſemetipſo demens eſt, qui aliquid pollicetur, ne dicam ſi etiam pro fœmina ſponſionem ponere videatur; cum Paulus Apoſtolus ſic de ſe pronunciet, dicens: Non quia jam accepi, aut jam juſtificatus ſum, aut jam perfectus ſum: ſequor autem ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto. Fratres ego me non arbitror comprehendiſſe: unum tamen, poſteriora quidem obliviſcens, ad ea quæ ſunt ante pedes, ad regulam ſequor, ad palmam ſupernæ vocationis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus. Mihi, inquit, pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die; ſed neque meipſum judico, qui autem judicat me, Dominus eſt. Et alio loco: Beatus, inquit, qui non judicat ſemetipſum, in quo probat alium. Quamvis ergo nos nec de noſtra ſtabilitate certum aliquid habeamus, qui ſine ceſſatione concutimur, inter fluctus ſeculi ſuſtinentes procelloſos incurſus: tamen ſi alicui tanta fiducia eſt de immobilitate propriæ firmitatis; ſaltem ſollicitus reformidet, ne ipſe ſit ſcandalum viſibus alienis, ſed terreatur voce Domini comminantis: Væ, inquit, huic mundo ab ſcandalis: veruntamen væ homini illi per quem ſcandalum venit. Si has Domini comminationes religioſo corde metuimus & veremur, plus de aliis quam de nobis extimeſcamus periculum noſtrum, qui mutuis [2] (ab Apoſtolo Paulo) utilitatibus obligamur: Non quæ ſua ſunt, inquit, ſinguli cogitantes, ſed quæ aliorum. Et iterum: Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius.

Sed aliquis arripiens de ipſo Paulo quod opponat: Unuſquiſque, inquit, veſtrûm pro ſe rationem reddet Deo: & unuſquiſque ſuam ſarcinam portabit. Qui non vult ergo pro altero reddere rationem, nec cauſis ejus, nec negotiis debet particeps illicitus intereſſe: & qui liber vel immunis circa ſarcinas alienas conatur exiſtere, nihil alienum contraria conditione teneat infra ſe. Nam neceſſe eſt ut rationi alterius ſubjiciatur, qui negotium tractaverit alienum. Oportet eum damno perſtringi vel diſpendio ſarcinarum, apud quem ſub intuta cuſtodia fratris ſarcinæ perierunt; quia quicquid in domo noſtra ſub minus idonea tutela perditum fuerit, aut latrones effregerint, noſtrum eſt, & à nobis exigetur quicquid per inertiam noſtram male commiſſum cuſtoditur. Tunc vero ab invicem liberi ſumus, ſi nihil apud nos de re alterius reſervetur.

Forſitan aliquis dicat: Ergo nec ad domum orationis debemus pariter convenire, ne aliquis aliquem ſcandalizet. Hæreticæ profeſſionis eſt iſta contradictio calumnioſa, quæ de bonis præſcribit, ut aſſerat mala; & de ſanctitate præjudicat, ut immunditiam ſubtiliter introducat; de licito calumnias facit, ut obtinere illicitum poſſit. Propter quod Apoſtolus Paulus hæreſi huic ante præſcribit, dicens: Veruntamen neque mulier ſine viro, neque vir ſine muliere in Domino. Abſit, abſit, ut ubique fœminæ præſcribantur, aut ubique permiſſio tribuatur. Habent loca ſua circa maritum, circa filios, circa fratres, circa parentes, circa ſervos; & in domo orationis tantummodo juxta cunctos clericos. In manſione autem una, ſine cognatione competenter non habent ſocios. Hæc eſt libera quæ ſtat. Stare vero non poteſt quicquid inclinaverit libera, dicente ſcriptura: Non declinabis in dextram, neque in ſiniſtram. Et Dominus in Evangelio: Quod amplius eſt, à malo eſt. Diſce nunc temperantiæ modum, qui per licentiam quæris exceſſum. Ama fœminas inter ſacra ſolennia, & odio habe in communione privata; ſi vis Solomonis tenere doctrinam: Tempus, inquit, amandi, & tempus odiendi.

Tunc ergo cavenda ſunt fœminæ participia, quando geritur carnalium curarum continua unanimiter frequentia: quoniam inter curas ſuas caro ſemper incitamenta cupidinis provocat; & illic parit fomenta peccandi, ubi pertractans commoda ſua temporalis vitæ cogitationibus ſenſerit paululum relaxari; ſicut Solomon aſſerit, dicens: Deprimit terrena cogitatio ſenſum multa cogitantem. [3] In conventu vero ſacrorum, ubi ſpiritus dominatur, ancilla ſemetipſam cognoſcens, perdit ſuæ voluptatis uſum; perdit & luxum dum tractantur cœleſtia, dum celebrantur ſancta myſteria; tota humanitas occupatur, ubi non humana, ſed divina ſunt omnia: ubi veneratio vel tremor & terror incutitur; animis univerſis ſepulta eſt perfecta ſubſtantia carnalis. Inter ipſa fere carnis mercimonia multi voluptatem corporis negligunt, ſcilicet quando à legionibus exercitia meditantur armorum, aut crepat litibus forum, aut reſonant literis auditoria, aut negotiatores commerciis inſtanter incumbunt, aut artifices in artificia ipſa propenſi ſunt: quanto magis ubi non carnale opus hominum, ſed ſpiritale geritur angelorum? Nihil illic impugnationes poſſunt, ubi & ipſi dæmones cedunt; & nulla ſexus alicujus permittitur conſiderari diſtantia, ubi nec ætas, nec dignitas, ſed ſola æqualitas regnat: atque ut plenius dicam, omnes illic tales ſenſus accipiunt; ut & ipſa conjugalitas ignoretur, ubi Chriſtus loquitur, auditur, attenditur, & per omnia & in omnibus ſolus eſt totum, teſtante Apoſtolo & dicente: Ubi non eſt, inquit, Judæus & Græcus, circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha, maſculus & fœmina, ſervus & liber, ſed omnia & in omnibus Chriſtus. Hunc plane conventum gloria eſt celebrare cum fœminis, in quo nulla eſt diſcretio qualitatis, ubi tantum licet omnes æquare ſine aliqua differentia: ut nec in ipſo baptiſmate cujuſquam nuditas erubeſcat, ubi Adæ & Evæ renovatur infantia; nec exponit, ſed potius accipit tunicam.

Quod ſi & illic ſit aliquis diabolo pejor, qui fœminarum aſpectibus feriatur; de nullo tamen congregatio veſtra culpatur, quæ propter cœleſtia, non propter ter-

[1] *Neque oſtendere.*] *Pamelius ait*, Non eſt iſtud hodie apud Apoſtolum.

[2] *Ab Apoſtolo Paulo.*] *Pamelius ait*, Eraſmus *teſtante Apoſtolo*, at illud arridet quia eſt in vet. cod.

[3] *In conventu vero Sacrorum &c.*] *Pamelius ait*, Pulcher locus pro Sacris Eccleſiæ; quippe ubi dicit tractari cœleſtia, celebrari ſancta myſteria, opus ſpiritale angelorum geri, ea Dei præcepta nos congregare & colligere.

[1] *Cum*

terrena colligitur. Veruntamen ſi quis illic luxurioſis obtutibus fuerit, nullo modo alterum lædit, qui non ad hominem, ſed ad Chriſtum pro ſalute proceſſit. Quinetiam de ſuis contradictionibus contradictores excludam, ut non meis, ſed ſuis propoſitionibus cedant. Si inter feſta ſancta poteſt communis conventio ſcandalizari, ubi tentator ipſe diabolus tremuit; quis illic ſtabilem ſe eſſe promittit, ubi tentator audenter occurrit? & ſi illic periclitamur, ubi Dei præcepta nos congregant, quid agimus ubi Dei juſſa nos ſeparant? & ſi turbamur illic, ubi Dei voluntate munimur; quanto magis ubi non ſolum diabolum, ſed etiam Dominum habemus adverſum? Cum ſacroſanctis enim juſſis nobis divina protectio miniſtratur, ſicut Eſaias ait: Legem, inquit, in adjutorium dedit; ſine juſſionibus vero divinis nullum poteſt eſſe præſidium.

Aliud eſt quod Deus imperat facere, & aliud voluntati ejus obſiſtere: cujus ita ſunt mandata ſervanda, ut ſi aliquid juſſerit quod ſecundum homines injuſtum eſſe videatur, juſtum credatur & fiat; & ſi juſtum juſſerit, juſtum reputetur & fiat: [1] cum ſine juſtitia non poteſt eſſe quod mandat, qui potens eſt injuſtitiam juſtificando vocare juſtitiam, & juſtitiam reprobando injuſtitiam probare tranſverſam, cujus voluntas eſt ſola & vera juſtitia. Si enim totum quod gerimus, ad hoc tantummodo gerimus, ut Domino placeamus; profecto hoc ſolum erit juſtum quicquid voluerit, & juſſerit, & probaverit Deus cui placere geſtimus. Nam cum ſervi non poſſint à ſemetipſis ſcire quid ſuis dominis placeat, niſi dominorum ſequantur imperia; & utique homines hominum ſimilium ſibi non valeant voluntates agnoſcere, niſi acceperint quod obſervent: multo magis mortales neſciunt immortalis Dei juſtitiam comprehendere, niſi ipſe juſtitiarum ſuarum dignetur indicia demonſtrare, ſicut Solomon approbat, dicens: Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? [2] Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ. Corpus enim quod corrumpitur, aggravat animam: & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Difficile æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt invenimus cum labore: quæ in cœlis autem ſunt, quis inveſtigabit? Senſum autem tuum quis ſcit, niſi tu dederis ei ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum de altiſſimis? Et ſi correctæ ſunt ſemitæ eorum qui in terra ſunt, & quæ tibi placent, didicerint homines, & per ſapientiam ſanati ſunt: ambulantes in tenebris ſibimetipſis lumen non poſſunt oſtendere, niſi ultroneum ſeipſum non videntibus oſferat lumen. Ita humana cæcitas ad Deum non dirigit viam, niſi ipſe lucernam legis oſtendat. Unde David ſic loquitur, dicens: Lucerna eſt, inquit, pedibus meis verbum tuum, & lux ſemitis meis. Et iterum: Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Hoc eſt ergo luciferum quodcunque fuerit à Deo intimatum: & hoc Deo dignum, quod ipſe Deus voluntati ſuæ fatetur acceptum, ut exerceat per omnia dominatum. Alioqui nec nos ſervi adſcriberemur, nec ipſe Dominus haberetur; ſi ſecundum voluntatem noſtram permitteremur impendere ſervitutem, & arbitrio noſtro non Dei eligeremus exercitamenta juſtitiæ. Tales Paulus Apoſtolus vanificat, dicens: Ignorantes, inquit, Dei juſtitiam, & ſuam volentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. Tollantur nunc è medio ambages iſtæ tam vanæ, & querimoniæ inaniter calumnioſæ. Ad ſpiritales actus cum fœminis, Deo juvante, non metuimus adunari, qui per Dei juſſionem juſtitiam nos credimus operari, ex qua nobis ſcimus munimenta ſupponi. Privatim vero, continentibus quamplurimum clericis & virginibus, hoſpitia ſeparanda ſunt: quia quod Deus iniquum judicat, juſtum eſſe non poteſt. Contubernium tamen etſi nulla in ipſo contubernio turpis conſuetudo noſcatur, accendit; quia impoſſibile eſt integritatem ad victoriam pervenire, quæ contendit contra Dei juſſa pugnare. Quantum enim lex obedientibus ſuggerit adjutorium, tantum inobedientibus incitat peccatum, dicente Apoſtolo: Virtus, inquit, peccati, lex. Qui nos ergo juſſit ut in ſacris ſuis cum fœminis triumphemus, ipſe jubet ut privatim pugnas fœmineas caveamus.

Sunt equidem neceſſitates aliæ, quæ nos quoque privatim fœminas videre compellant, ſed etiam ipſæ divini operis vel præcepti imperant efficaciam, ut viſitemus, ut ſolatia præbeamus, ut hortamenta vitalia ſalubriter intimemus: nec tamen & in his officiis minor cura agenda eſt pro moribus noſtris, ut clareſcant in noſtra operatione indicia puritatis. Severitas non deſit, quæ ſub clerico fœminam poſſit aſtringere, [3] ut ipſam conſolationem noſtram ſuſcipiat cum tremore, & ita ſentiat viſitationis affectum, ut clericum veneretur. Ac ne tardius ſit evagari per ſingula, totum quicquid agimus, honeſtum eſſe poteſt, ſi ſemper in nobis ſigna honeſtatis eluceant: ſicut Paulus Apoſtolus univerſa complexus eſt, dicens: Omnia veſtra honeſte fiant. Et iterum: Sicut præcepimus, inquit, vobis, ut honeſte ambuletis. Non bene ſuccedit quidquid agitur paſſim: & ſanctum non eſt quod geritur ſanctum, niſi ſancte quod ſanctum eſt peragatur, ſicut Solomon aſſerit, dicens: Qui enim cuſtodierint juſte juſta, juſtificabuntur. Sinceriter ergo ſinceritas ipſa ſervanda eſt; [4] & omne quod voti eſt, etiam in actu ſignandum, ne aliud vota commendent, & aliud actus inſinuent. Undique probanda eſt inſtitutio voluntatis, & undique conſummandus eſt curſus uniuſcujuſque certaminis; ne minus ſit aliquid ad triumphum, ſi non plenius dimicetur. Hinc Paulus Apoſtolus introducit documenta certaminum: Sed & qui in agone, inquit, certat, non coronabitur, niſi qui legitime certaverit. Et iterum: Neſcitis, inquit, quoniam qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accepit bravium. Sic currite, ut comprehendatis. Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, vos autem incorruptam. Plenitudo eſt ergo ſanctitatis, [5] & palma perfecta, ut ex omni parte ſecum non habeat quod recuſet; ne quod profitetur odiſſe, tenendo videatur amare.

Quod ſi aliquis dicit: Captivum teneo adverſarium meum, cui ſemper inſultem, videat ne forte adverſus eum

[1] *Cum ſine juſtitia non poteſt eſſe.*] *Pamelius ait*, Phraſis eſt auctoris. Vetus exc. & Remboldus legunt *ſine victoria.* Sed non placet.

[2] *Cogitationes enim mortalium.*] *Pamelius ait*, Recte ſic Gravius & Morelius, pro eo quod alii *cogitationes immortalium.* Nam ſic habet liber Sapientiæ, quam Solomonis titulo citat, quomodo & paulo poſt librum Eccleſiaſtici.

[3] *Ut ipſam conſolationem noſtram ſuſcipiat.*] *Pamelius ait*, Vetus excuſus ac Remboldus, & hoc & ſequentia plurali numero legunt, ſed præcedit *fœminam.*

[4] *Et omni quod voti eſt.*] Confirmatum hinc votum tacitum caſtitatis adnexum cœlibatui clericorum, de quo paulo poſt apertius.

[5] *Et palma perfecta.*] *Pamelius ait*, Hinc apparet atque etiam legi debere: *unus accepit palmam.* Sicut ubique legit Cyprianus.

eum captivus incipiat prævalere. Nunquam ſecurus cum theſauro latro tenetur incluſus : nec intra unam caveam habitans cum lupo tutus eſt agnus. [1] Ipſe ſe voluit ſuperari, qui hoſtem proprium in ſuas portas induxit ; & inteſtinum gladium ſibi ipſe ſuppoſuit, qui locum habitationis ſuæ adverſarii ingreſſibus reſeravit : & qui fretus eſt converſari cum ſcandalo, [2] ſine cauſa dicit : Pacatus eſſe volo cum diabolo ; contra Apoſtolum dicentem : Nolite locum dare diabolo. Omni ergo modo muniendus eſt locus, ubi fuerit theſaurus abſconditus, ne per unam cavernam totum parietem latro ſuffodiat. Nam ſi deforis expugnans vix muris expellitur ; quantum valebit ſi intra muros acceperit habitaculum ? Et ſi illi qui contra eum claudunt, aliquotiens ab eodem capiuntur ; quanto magis ille, qui ultroneus illi patefecerit ingreſſum, decipitur ? Cum dicat Solomon : Si juſtus vix ſalvus fit, injuſtus ubi parebit ? Omnes ergo rimæ, ne dicam portæ, claudendæ ſunt, ne per unum foramen caſtra omnia penetrentur : & univerſa componenda ſunt munimenta, ne per modicum non munitum tota civitas ruat, ſicut Solomon repetit, dicens : [3] Qui ſpernit modica, paulatim cadet.

[4] Fit ſtudio autem hujus perverſitatis arbitror, ut à clericis ad communitatem fœmina magis quam maſculus eligatur. Numquid tantum mulier utilior eſt commodis clerici, quantum prodeſt maſculus continens, vel puer maſculo continenti ? Aut ipſa erit decens utilitas, quam indecens communitas facit ? Et ubi erit quod Solomon ait : Omne animal diligit ſimile ſibi ? Et iterum : Volatilia ad ſibi ſimilia conveniunt. Sed & ſi fœmina utilior exiſtimatur, non oportebat carnalia emolumenta præponere utilitatibus ſpiritalium commodorum : & expediebat qualemcumque virum inutilem ſuſtinere pro exiſtimatione munienda, [5] quam bonos effectus mulieris cum exiſtimatione turpiſſima. Quod Solomon comparat, dicens : Melior eſt, inquit, iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Artificialia ſunt itaque ſemper diaboli veneficia, quibus ingenium ſuæ calliditatis exercens, ſanctimoniæ deditos doloſis commoditatibus juvat ut perdat : & inter continentes quaſi neceſſaria emolumenta mutuis adjuvaminibus ſubminiſtrans, [6] agit prius maſculum & fœminam pariter converſari ; ut poſtquam inſeparabiles fecerit per alterutra ſolatia, poſſit occidere dantes ſimplices animos ad caſtitatis vota ſervanda : & impugnationis ſuæ arma ſubducens interim, quaſi placidus fautor ſuggerit ſanctitatis argumenta, donec diutius inter ambos inimicam nutriat concordiam. Facit affabiles ſibi invicem & deſervire, & aſſentator infeſtus impedimenta removens univerſa, commodis eorum gaudet efficaciam commodare ; ut tota eos ſibimetipſis neceſſitate commendans, exhibere eos poſſit in alterutrum ſolita conſolatione pendere. Non vult eos in aliquo impedire, ne ſeparet tam ſpiritaliter quam carnaliter. Inconcuſſos efficit vivere, ne ipſa ſocietatis initia immaturo tempore fœdera cœpta conturbent. Uſque adeo illos videntibus cunctis ad perfectum ſanctitatis invitat, fovet, ſublevat : ut Dei eſſe computent beneficia ipſa contraria, quibus inducuntur ut pereant ; neſcientes nunquam Deum juvare quod vetat. Quibus in tantum diabolus blandiens ſecuritatem præparat ſanctimoniæ, ut conjunctos ſe magis æſtiment quam disjunctos, immobiles circa libidinem perdurare : quos cum omni tranquillitate deducens, nullis procellis aut fluctibus inquietat ; & velut in medio mari minus cautos inducit relaxare vela, nec quærere gubernacula, ut ſubita tempeſtate concitatos, naufragos ex inſperata commotione ſubmergat. Hanc primo exhibet lenitatem, ut duas naves oblectet ad invicem convenire ; quas cum fecerit junctas, repentinis turbinibus [7] in ſemetipſas elidere poſſit & frangere : & his utitur blandimentis, ut ſubtractis omnibus jaculis compeſcens adverſa, ſuggerens proſpera, tamdiu ſopitum [8] ignem ſine ullis flammis occultet, donec duas faculas jungens, ſimul ambas accendat : & tamdiu ceſſat ſævitiæ ſuæ tela ſupponere, donec ſicut peritus venator quos occiſurus eſt, laquei ſui vinculis alliget. At ubi indiſſolubili catena devinctos adſtrinxerit ; velut laniſta protinus duos gladiatores adverſus invicem compellit armari ; & ſubinde ſtimulans membra, ſtatim gladios aptat, ſtatim ſuccendit inſaniam, & vulnificos amplexus impingens, utrumque ſimul uno ictu mortificat. Sic explicat quod ante præſtare videtur, ſic de ſimplici caritate amorem conflat illicitum, ſic per ſanctitatem ſibi inducit interitum ; dum contentus eſt cedere, ſic valet fortius occupare ; [9] & dum ſummiſſus patitur ſemetipſum præbere devictum, ſic plenius devincere gloriatur. Cujus verſutias Paulus Apoſtolus ſic intelligit, dicens : Non enim ignoramus, inquit, aſtutias ejus. Male itaque in hac participatione pacati ſunt, qui ad bella pacificante diabolo perducuntur, & non bene in ſanctitate proficiunt, quibus ad detrimentum profectus ipſe inimici artificio ſubornatur ; nec recto curſu moliuntur continentiæ ſcalas aſcendere, quos ut de alto præcipitet, elaborat ad culmen adverſarius protelare. Sed neceſſe eſt caducis lapſibus elidantur, qui viam lubricam tenuerunt, de qua Solomon ſic prædicat, dicens : Eſt via quæ videtur apud homines recta eſſe ; noviſſima autem ejus veniunt in profundum infernorum.

Sed aiunt : Si de hac conjunctione clerici denotantur ; notandi ſunt etiam ſancti plerique nobiſcum. Sicut Helias, qui manſit apud viduam : ſive Apoſtoli, qui mulieres ſecum comites circumducebant : ut Joannes, qui matrem Domini aſſumſit, eodem Domino delegante ; aut ipſe Dominus, cui de ſuis facultatibus alimenta præſtabant aliquæ mulieres religioſæ, cui etiam Martha miniſtrabat ad menſam, & qui ſingulariter locutus eſt ad puteum ſedens cum alienigena muliere Samaritana, vel cui recumbenti fœmina lacrymis pedes lavit, & capillis exterſit. Callidi argumentatores & juriſperiti fallaces : qui dum cupiunt prævaricari [10] controverſias actioneſque cauſarum, etiam

[1] *Ipſe ſe voluit ſuperari.*] *Pamelius ait*, Vet. exc. & Remboldus *penetrari.*

[2] *Sine cauſa dicit.*] *Pamelius ait*, Vet. exc. *non dicit*: ſed prius placet.

[3] *Qui ſpernit modica, paulatim cadet.*] *Pamelius ait*, Eraſmus, male, *cadit*; nam prius habet Eccleſiaſticus.

[4] *Sic ſtudeo autem, &c.*] *Pamelius ait*, Hoc Eraſmo placet pro eo quod erat, *arbitrio.* Legendum videtur, *fit ſtudio.*

[5] *Quam bonos effectus mulieris.*] *Pamelius ait*, Eraſmus *affectus*, minus recte.

[6] *Agit prius maſculum & fœminam, &c.*] *Pamelius ait*, Remboldus omiſerat *converſari*, & Eraſmus legebat *adjicit*, illud vero habet vet. exc.

[7] *In ſemetipſas elidere.*] *Pamelius ait*, Cenſeo legendum *illidere.*

[8] *Ignem ſine ullis flammis occultet.*] *Pamelius ait*, Recte ſic Morelius & Gravius cum vet. exc. & Remboldus pro eo quod alii *occultat.*

[9] *Et dum ſummiſſus.*] *Pamelius ait*, Adjicio *dum*, & vet. exc.

[10] *Controverſias, actioneſque cauſarum.*] *Pamelius ait*, Genuina quoque eſt hæc lectio, & Remboldus pro eo quod reposuit Eraſmus : *controverſas actiones, quæ cauſarum.*

[1] *Sed*

etiam ipsa jura transvertunt; & cum nolunt competentibus coerceri jussionibus legum, ad illudendos judices inconvenientibus exemplis velut similes conjecturas juris objiciunt: qui per Solomonem ipsius legis sagacitate produntur: Peccator, inquit, homo evitat correptionem, & ad voluntatem suam invenit comparationem. Tales ergo non per orationem, [1] sed per correctionem potius revincendi sunt, ut non ante interpretatis orationibus instruantur, quam admiserint quod ad defensionis solatium repererunt; sicut nos adversus hujusmodi homines Solomon edocet, dicens: Noli, inquit, respondere insipienti ad ipsius insipientiam, ne similis fias illi; sed responde insipienti contra ipsius insipientiam, ut non videatur sibi sapiens esse.

Revera magni homines qui se comparant sanctis, & eximia conversatio nostra, quæ Prophetis vel Apostolis videatur æqualis. Ad occasionem luxuriæ nostræ in perversum sanctos volumus imitari; [2] & in ceteros actus vestigia justorum nolumus sequi. In quibusdam infirmos nos excusamus ad imitanda facta majorum; & in aliis nos æquales majoribus protestamur: cum Helias ipse in angustia constitutus, imparem se patribus suis ante Deum fateatur. Numquid, inquit, melior sum patribus meis? Hoc Helias de antecessoribus suis in infirmitate sua cogitur exclamare: & nos Heliæ vel Prophetis, & Apostolis, & Domino virtutem nostram non dubitamus æquare? [3] Video plane sic apud vos calcari avaritiam, sicut Apostoli propria cuncta dimiserunt. Video crapulam & ebrietatem sic vestris conviviis abesse, sicut Apostoli nihil habentes frequenter coacti sunt esurire. Cognosco taliter in nobis jejunia, sitim, famem, nuditatem propter instantiam doctrinæ solius ubique pollere, sicut in Apostolis legimus triumphasse; & approbantur apud nos eadem exercitia fervere virtutum, quibus Apostoli omnia vitia tremuerunt. Plane quadraginta dierum jejunium Domini meditamur, & orationes excubiasque quibus ille per solitudines etiam nocturna silentia rumpebat. Numquid similes agones frequentamus contra luctamina vitiorum, & sic agimus rigore, austeritate, vigiliis, passionibus, labore, necessitate, afflictione, abstinentia, quibus peccata calcantur, ut nemo de nobis mali aliquid suspicetur? Per quæ Paulus Apostolus conscientiam suam innotuisse omnibus gloriatur: In omnibus, inquit, commendantes nosmetipsos quasi Dei ministros, in sustentatione multa, in pressuris, in tentationibus, in tribulationibus, in angustiis, in plagis, in custodiis, in carceribus, in seditionibus, [4] in invocationibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in bonitate, in Spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ à dextris & à sinistris. Ad has imitationes infirmi sumus; & ad mulieres circumducendas possibilitatem nobis comparandæ imitationis adsciscimus: quod si etiam cuncta illorum quisquam se implere jactasset; me tamen nullius suadela poterat inclinare, ut alios nunc Apostolos crederem, contra Apostoli Pauli professionem: Numquid, inquit, omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Si Christus seipsum comparare ausus est Deo, qui ait: Pater major me est: aut si Apostoli coæquare semetipsos ausi sunt Christo: nos hodie Apostolis æquales facit consimilis fortitudo. Misera humanitas in hac æqualitate non times fulminari, quæ de filio Dei, aut de filiis tonitrui, non cunctaris peccatis tuis exempla velut similia mutuare? Cum superbiæ sit elata jactantia, etiam minimis Ecclesiæ quemquam comparabilem velle conscribit, cum Paulus moneat & dicat: Alter alterum superiorem sibi existimantes. Et inferius addidit, dicens: Hoc sentite de vobis quod & in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.

Minus itaque de nostris viribus sentiendum est, nec fortitudini sanctorum nostra infirmitas comparanda est, sicut nobis Apostolus Paulus de semetipso magisterium proponit, & dicit: Non enim audemus, inquit, comparare nos aut conferre quibusdam qui seipsos commendant, sed ipsi in nobis ipsis nosmetipsos nobis commendantes: non supra mensuram gloriantes, sed ad mensuram gratiæ, quam nobis mensus est Deus. Etenim contemplamur quod iterum dixit: Plus ab illis omnibus laboravi, nihil melius, nihil aptius mihi proponitur, unde vincam, nisi ut de ipso de quo mihi præscribitur, ego ipse præscribam. Certe plus omnibus ipse laboravit, & tamen ad mulieres circumducendas collegas suos imitari contremuit, ne se ad interitum subjiceret tentationi carnali. Unde ipse rationem sic reddidit, dicens: Ego, inquit, sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem cædens, sed affligo corpus meum & in servitutem redigo, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus inveniar. Huic ergo te compara, qui Apostolum jactas; & ex ipso disce quid metuas, qui clamat & dicit: Oro vos imitatores mei estote. Noluit itaque de mulieribus circumducendis habere fiduciam; qui non ignorabat quantum aliæ virtutes ab aliis virtutibus differant, & aliam claritatem solis, & aliam lunæ, aliam vero stellarum, de charismatibus Ecclesiasticis similitudinem comparans intimaverat. Sed nos contra de Apostolica nobis coæquatione blandimur, non intendentes penitus quid Apostoli & sancti omnes invicta virtute gesserunt, & difficilem rumpere quærimus viam, cum per facilia planior sit nobis apposita; contra Solomonem dicentem: Non te credas, inquit, viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum. Nec ullus considerat, quoniam unus securus in lubrico graditur, & alius qui impar est, labitur: [5] unus per rupes cursu montes ascendit, alius si se coartavit, cadit. Uni contingit per tempestates navigia feliciter explicare, & alteri talis felicitas non potest evenire; quod [6] Paulus Apostolus decernit, dicens: Unusquisque, inquit, proprium donum habet ex Deo, unus quidem sic, alius vero sic.

Sed qui mihi de sanctorum exemplo præjudicant; [7] quid aliud exemplum nolunt contemplari, quod metuant: [8] & qui Apostolis coæquari contendit, quare non magis Presbyteros adulteros apud Danielem ad formidinem sibimetipse proponit? Hæc autem non ideo propono, ut quasi Apostolorum imitatoribus contradicam, sed ut illos confundam, qui se sanctis exæ-

[1] *Sed per correctionem.*] *Pamelius ait*, Placet & ista pro *correptionem.*

[2] *Et in ceteros actus.*] *Pamelius ait*, Etiam hæc pro *inter.*

[3] *Video plane sic.*] *Pamelius ait*, Et hic & paulo post adjecit negationem *non*, Erasmus; sed non est opus. Est enim Ironia, sicut & in eo quod sequitur *cognosco &c.* Idem est judicium de his adjuncta ab illo negatione, ad illam sententiam, *si Christus seipsum &c.* præsertim si legamus cum illis *facit* pro *faciet.*

[4] *In invocationibus.*] Voces nonnullæ hic redundantes è margine videntur in textum irrepsisse.

[5] *Unus per rupes.*] *Pamelius ait*, Vetus exc. & Remboldus *ripas.*

[6] *Paulus Apostolus decernit, dicens.*] *Pamelius ait*, Adjicio *dicens* ex vet. exc.

[7] *Quid aliud exemplum nolunt.*] *Pamelius ait*, Ex eodem cum Morelio lego sic, pro *volunt.*

[8] *Et qui Apostolis.*] *Pamelius ait*, Solus Manutius *Apostolicis.*

exæquent. Nec nego ipſos eſſe ſectandos, quos doctores accepimus cuncti; ſed adverſus eos contendo, qui cupientes ad mala ſua bonorum hiſtorias depravare, legem Dei ſibi æſtimant ſuffragari; ſicut omnes qui perire feſtinant, & ſub obtentu ſanctorum dedecora ſua volunt eſſe celata, ut ſub imitatione majorum contraria quæque committant; quos Apoſtolus Paulus prodit & publicat, dicens: Quod autem facio, & facturus ſum, ut amputem occaſionem; eorum qui volunt occaſionem; ut in eo in quo gloriantur, tales inveniantur quales & nos ſumus. Nam & hujuſmodi pſeudo-Apoſtoli ſunt operarii doloſi, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Hoc addunt ad cumulum perditionis cumulandum, ut bonos infament, quorum exemplo utuntur ad malum; quibus utile eſſet ſatis & ſalubre, ſi cujuſcumque hiſtoriæ ſeipſos magis crederent non intellexiſſe rationem, quam aliquid inhoneſtum arbitrarentur in lege: quos Apoſtolus Paulus corripit & confundit, dicens: Non intelligentes neque quæ loquuntur neque de quibus affirmant. Et iterum: Si quis putat ſe ſcire aliquid, necdum cognovit quemadmodum eum oporteat ſcire. Vacant itaque præjudicia petulantium, quos ingenia ſuæ perverſitatis errabunda tranſducunt; & quærunt competentes ſuis ſenſibus hiſtorias quas exponant, qui male agentes mutuant legalia patrocinia. Bene agentibus bona ſunt omnia, quæcumque ſcripta ſunt, qui benedicta bene ſuſcipiunt; ſicut Paulus Apoſtolus pollicetur: Scimus quoniam bona eſt lex, ſi quis ea legitime utatur.

Obtinuimus confundendo contradictores. Convertamur ſubinde eoſdem quos vicimus inſuper erudire, ne aut ut ſanctos remanere patiamur in crimine, aut ignari deputemur in reddendo rationem, ut publice victi pœnitentiam gerant: aut ſi noluerint, nos expunximus quod ad noſtram pertinet diligentiam; ut quomodo ſatisfecimus ſupradictæ ſententiæ Solomonis, ita ſatisfaciamus Paulo Apoſtolo concionanti: Servum, inquit, Domini non oportet litigare, ſed mitem eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum omni modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati; ne forte det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ſecundum ejus voluntatem.

Omne quidquid ab auctoribus noſtris geſtum eſt, rationabiliter gerebatur: ut poſteris nobis adverſus prævaricatores munita undique auctoritas traderetur, propter hæreſin amputandam quam ſuperius taxavimus, de aſſumendis fœminis; quam ſive per ſemetipſum, ſive per ſervos ſuos Dominus paululum relaxavit, ne nimio rigore in totum Domini fabrica damnaretur; prævidebantur à Domino hæretici qui nuptias auferunt; & [1] quos Dominus junxit, contra naturæ principium, & contra Evangelium ſeparare contendunt. Quibus interdicens jam tunc auctoritas parabatur, ne maritatæ mulieres accidere vetarentur ad Chriſtum, qui in præſentia ſervierunt. Sed non ſine moderamine fuit etiam ipſa permiſſio procurata, quæ non ſibi operabatur quod gerebat, ſed ceteris. Nam ſic allocutus Dominus Samaritanam, ad horam docuit & receſſit, nec defenſionem continuandis exceſſibus fecit. Ad horam quoque Martham paſſus eſt miniſtrantem. Sed quid erat aliud Domino, niſi regni cœleſtis prandia miniſtrare? Numquid ſub Domino non fuere convivia? Aut ſub majeſtate ejus erat alius cibus aut potus, quam diſciplina tantummodo quæ paſcebat? Teſtante ipſo Domino ac dicente: Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus qui miſit me. [2] Sic Apoſtolos mulierum comitatus decebat non ut perderent, ſed ut diſcerent reverentiam, & propter humanitatis exhibendum miniſterium ſequebantur, ſicut in Evangelio de Domino & de ipſis pariter memoratur: Et factum eſt, inquit, poſt hæc & ipſe iter faciebat per civitates & caſtella evangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres quæ erant curatæ à ſpiritibus immundis & infirmitatibus, Maria quæ vocatur Magdalene, de qua dæmonia ſeptem exierant, & Joanna uxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ quæ & miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.

Numquid adhærebant ſingularibus ſingulæ, aut indiſciplinatæ commorantes, perſeverabant illecebroſo conſortio converſantes? [3] Ubi tota Eccleſia propemodum videbitur, ut non ad convivationes improbas, ſed ad diſcenda bonæ converſationis ſtudia ſequerentur. [4] Ideo non inde ſcribitur, quod noſtris convivationibus coæquetur, non riſus, non jocus dicitur affuiſſe. Nec ſicut apud quoſdam nunc uſque aſſolet fieri, chorus pſallentium virginum aures venenoſis cantibus aſſeritur demulſiſſe. Et ut de Apoſtolis breviter probem, quantum illis fluxa familiaritas potuit diſplicere, qui compulſi ſunt & de ipſo Domino loquente cum fœmina dubitare, niſi eos majeſtatis notitia probata compeſceret, ſicut Evangeliſta refert, dicens: Inter hæc, inquit, venerunt diſcipuli ejus, & mirabantur quod cum muliere loqueretur. Nemo tamen dixit illi: quid quæris, aut quid loqueris cum ea? Quid autem loquar acceſſum fœminæ ad pedes Domini provolutæ, cujus luctus & planctus ad defenſionem laſciviæ ſuæ non erubeſcunt improbi flagitare? Uſque adeo illos propria cæcitas rapit, ut nec de ſimilibus cauſis audeant reluctari, de quibus Solomon; excæcavit, inquit, eos malitia eorum, ut neſcirent ſacramenta Dei. Joannes autem matrem Domini ſuſcepiſſe videtur, ſed matrem cujus mores maternum indicat nomen. [5] Tamen non poſſum & alias Chriſti matres admittere, nec æquanda eſt mulieribus cunctis, quæ genuit majeſtatem. Helias quoque juſſus eſt à Domino relinquere ſolitudinem & ingredi tabernaculum viduæ. Pro imperio Domini laboravit ut in domo manſiſſet, cui ſolitudo ſolatium præſtabat & requiem; occaſionem illi Dominus obtulit ad magnalia facienda, ut magis famis tempore tam ipſi viduæ quam pupillis ejus ſufficientia tribueret alimenta, qui jejuniis uſquequaque afflictus toleraverat indigentiam; & qui miſſus venerat paſci, paſtus quinimo conferens miſeris, miſerias egeſtatis fecit excludi. Et hoc non poteſt cujuſquam favere luxuriæ; cum nulla fuerit opportunitas ſcandali ubi tranſeunter quod pejus eſt [6] egeſtoſam habuerit manſionem; quam quicunque hoſpes effugeret. At hic apud quos hoſpitatus eſt, implevit & rediit; qui etiamſi moraretur, ſuſpectus eſſe non potuit. Qualis illic fuit communitatis effectus, ubi non erat victus? Et qualem ad viduam habuit Helias introitum, cui

[1] *Quos Dominus junxit.*] *Pamelius ait*, Aut ſic legendum cum Eraſmo, aut cum vet. exc. & Remboldo, *quod Dominus juſſit*; prius tamen arridet magis.

[2] *Sic Apoſtolos mulierum comitatus decebat.*] *Pamelius ait*, vet. exc. *Apoſtolus &c. docebat.*

[3] *Ubi tota Eccleſia propemodum videbitur.*] *Pamelius ait*, Locus prorſus obſcurus. Vet. excuſus vero & Remboldus legunt *conjurationes improbroſas*, pro *convivationes improbas*, non recte.

[4] *Ideo non inde ſcribitur.*] *Pamelius ait*, Hoc ex cod. vet. exc. pro quo Remboldus, *adeo*; Eraſmus vero, *ad ea bene deſcribitur.* Morel. *adeo non bene.*

[5] *Tamen non poſſum.*] *Pamelius ait*, Iſtud rurſum ex illorum utroque, pro eo quod Eraſmus *poſſunt.*

[6] *Egeſtoſam.*] *Pamelius ait*, Sic recte Morelius, Remboldus & vet. exc. quum alii *egeſtuoſam.*

[3] *Ami-*

cui fames dedit hoſpitium ? Quiſquis es qui te vis Heliæ de commoratione viduæ vocari diſcipulum, prius ſolitudinis afflictiones, & quadraginta dierum tolera jejunii exitum, & aut non quæres fœminam, aut non erit qui cum fœmina commoretur, & tamen ſi valueris tibi ſerva. Nobis autem in ſpiritu & virtute Heliæ non alium quam Joannem ſolum Angelus, & Dominus Chriſtus inſinuat.

Pro dolor ! dolere cogimur quod docemus; qui uſque ad hoc venimus, ut in comparatione fluxorum, de ſanctorum tremendis virtutibus diſputemus. Parce jam parce, protervitas. Nunquam tibi ſancti conſentiunt ; qui religioſa, modeſta, veneranda, pudica, pudorata cum fœminis negotia peregerunt. Aut ſi adhuc per ſanctos cavillationis anfractus contendis exquirere ; nos tamen [1] amicos Dei non novimus, niſi ad venerationem tantummodo memorari, quod David docuit, dicens : Mihi autem vehementer honorificati ſunt amici tui, Deus. Eant nunc prædones pudoris, & plagiarii caſtitatis, mulierculis ſuis exponere moleſtias querelarum. Apud ſanctos noſtros non habent omnino ſuffugium, quibus miſceri Eccleſiæ auctoritate Pauli Apoſtoli prohibetur : Et hos, inquit, devita ; ex his enim ſunt qui repunt in domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis.

Poſt hoc edictum utinam confidant ſibi Angelorum exempla conducere. Nos jam non valent flectere, [2] qui novimus & angelos cum fœminis cecidiſſe. Ab ipſis equidem bene patrocinia mutuantur, ſed nos nullum Angelum audimus contra Paulum Apoſtolum: Etſi, inquit, ego aut Angelus Dei aliter evangelizaverit vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. Inſaniunt prorſus, ardent deſiderio fœminarum, quotquot huic interdictioni non cedunt ; & obſcœnitatibus inhiantes, malunt mori, quam contenti ſint à lateribus mulierum aliqua disjunctione divelli : ut ad explendam [3] ſuæ aviditatis ingluviem etiam puncto temporis non ſint ſine fœminæ voluptate : & hunc habent in mulieribus fructum, ut in illis ſemper defixa intentione, deſideria ſatient oculorum, ne vel momentum aliquod tranſeat, [4] quando indigeant quod affectant. Sic inter eos integritas emoritur ; ubi omnis commoratio, ſive convivendo, ſive commanendo corruptis affectionibus inquinatur. Quos ſanctus Petrus Apoſtolus deſignavit, dicens : In conviviis ſuis luxuriantes, oculos habentes plenos mœchationibus, & inceſſabilibus delictis, capientes animas infirmas. Hos etiam ita Solomon denotat : Abominatio eſt, inquit, coram Domino deſigens oculum. Plane contra, purum oculum teſtatur ſe habere Job, qui ait : Et, ſi oculis conſenſit cor meum. Verum enimvero ille poteſt ſuis oculis obnoxius non teneri ; cui nolenti repentinus occurſus mulieris ſcandalum moverit, quod protinus mens quod nolebat expellit. Ille autem commotionem ſui viſus non meretur evadere, qui apud ſe ſcandali materiam tenet, qui vult intentionis ſuæ affectibus frui, qui affectat habere quod oculis offenſionem ingerat, quorum aviditas inexplebilis inter offendicula continua nullo modo poteſt omnino compeſci ; quod Solomon approbat, dicens : Infernus & interitus non ſatiantur, ſimiliter oculi hominum inſatiabiles ſunt. Et in alio loco : Non ſatiatur oculus videndo. Et iterum : Nequius oculo quid creatum eſt?

Hac caſtigatione non compuncti, divina interdicta nefandæ familiaritatis obſtinatione contemnunt, & adhuc inſuper de caritate cauſantur, qui ſecundum verbum Eſaiæ amaritudinem pro dulcedine devorantes, nudam fœditatem velamento boni nominis tegunt ; dum apud eos ſub falſa dilectione, vera dilectio violatur. Sed exclamat caritas & appellat, tales ego non junxi, falſa altera eſt quæ me ſimulando confinxit. Nunquam Dei præceptis obſiſto, nunquam fluxis faveo, per me ſanctitatem non opto culpari. Calumnias mihi averſa germanitas facit, pericula & ego inter falſos fratres incurri. Succurre meus præco, ſuccurre Paule Apoſtole, dic teſtimonium meum, ne quod de me annuncias pervertatur. Finis autem præcepti eſt caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Dilectio deputabitur, per quam ſanctitatis injuria criminationibus appetitur ? Aut illorum erit ſincera fraternitas æſtimanda, de quibus filiæ matris Eccleſiæ perducuntur in culpam ? [5] Si talis Chriſtiana caritas adnotatur ; indubitanter odia meliora ſunt, quæ dum ſeparant, neminem maculant. Hæc autem parricidalis dilectio fratres perſecutores adunare conſuevit, qui libenter patiuntur de ſuo conſortio filias Eccleſiæ fornicarias diffamari, contra caritatem quam Paulus Apoſtolus docuit, dicens : Dilectio proximi malum non operatur. Egregia probatio caritatis, quæ non tantum noxia germanitate officit proximo, ſed etiam ſubjecta non vult eſſe præſcriptionibus Apoſtolicæ juſſionis. Confundantur aſſertores dilectionis hujuſcemodi, quos judicant illi, qui pro communibus commodis etiam conſanguineam deſerunt caritatem.

In omni mundo pene totum junctum eſt genus humanum, & ubique cognatio naturalis alterna peregrinatione diſcernitur. Poſſunt parentes, poſſunt filii, poſſunt fratres, poſſunt & ipſi quod plus eſt conjuges à Deo conceſſa ſibi naturæ vincula diſrumpere ; & clerici Deo non concedente, inſuper prohibente, mulierum nexibus ancillatam non valent recuſare caritatem ? Optanda ſemper cognatis abſentatur affinitas proximorum ; & peregrinari ab extraneis fœminis clerici reluctantur ? quibus faciendum fuerat, etiam ſi peculiare aliquid vel inconſuetum Dominus imperaſſet ; qui ad explicanda impoſſibilia habent Spiritum ſanctum, quem mundani homines non habent. Unde Joannes Apoſtolus ſic admonet, dicens : Filioli vincite illos, quoniam major eſt qui in vobis eſt, quam qui in hoc mundo. Nunc vero poſſibile etiam gentibus (non dicam Chriſtianis) & leve proſpicitur, & apud clericos ſine ullis effectibus evacuatur ; ut parum ſit eis Dei mandata deſpicere, niſi aliud dedecus habeant quod nec ſectantur, non dicam vincunt omnium gentium conſuetudinem : quibus Dominus per Ezechielem exprobrat & dicit : In legalibus meis non ambulaſtis, & juſtificationes meas non feciſtis. Sed neque ſecundum juſtificationes gentium, quæ ſunt in circuitu veſtro, feciſtis. Pudendum neſcio quid dilectio iſta ſignificat, quæ extorqueri contra naturam putatur.

[6] Adhuc habeo quid mirari : Cum videam de Chriſtianis pleroſque maritos pariter & uxores continentiam deſti-

[1] *Amicos Dei non novimus, niſi ad venerationem.*] *Pamelius ait*, Locus inſignis pro veneratione Sanctorum.

[2] *Qui novimus & Angelos cum fœminis cecidiſſe.*] *Pamelius ait*, Etiam hic auctor filios Dei Gen. 6. Angelos interpretatur.

[3] *Suæ aviditatis ingluviem.*] *Pamelius ait*, Vet. exc. & Remboldus *illuviem*, neutrum diſplicet.

[4] *Quando indigeant.*] *Pamelius ait*, Hoc certe ex illo repoſuimus pro *cum*.

[5] *Si talis Chriſtiana caritas adnotatur.*] *Pamelius ait*, Rectius ſic vet. exc. & Remboldus, quam alii *advocatur*.

[6] *Adhuc habeo quid mirari.*] *Pamelius ait*, Non placet quod repoſuit Eraſmus, *quid mirari non valeo*, niſi addatur *ſatis*. Certe illud habent vet. exc. & Remboldus. Eſt autem locus de voto continentiæ conjugum.

deſtinantes, domicilia ſingularia magis eligere, ut conſenſu communium votorum ſine irritatione præſentiæ & concordante ſeceſſu valeant obtinere: & [1] eunuchi noſtri non durant ſine fœminæ ſodalitate dormire? Apud illos amor conjugalis continentiæ amore penſatur; & apud ſpadones cohabitatio fœminæ nunquam poteſt habere faſtidium. Dicat eunuchorum caritas, dicat, ne forte in hac ſeceſſione magis conjugalis caritas peccet; ut Apoſtoli Pauli conſilium videatur conjugibus inſinuaſſe divortium: Tempus, inquit, quod reſtat, breve eſt. Reliquum eſt ut & qui habent uxores, ſic quaſi non habentes eſſe nitantur, & qui non habent, quaſi habentes eſſe glorientur. De his ipſe Apoſtolus ait: Gloria in turpitudine ipſorum.

Dilectio eſt, inquiunt. O dilectio quæ invidet ſibi! O caritas quæ cupit ſe in vituperatione laudari! Grande miraculum, ut virginum caritas virgines faciat velut conjuges credi: & conjugum caritas conjuges faciat velut virgines æſtimari. Ecce vera dilectio, quæ in conjugalitate dividit, ut in caſtitate conjungat. Ecce ſancta dilectio, quæ conjugalibus ad communem laudem inducit abſentiam. Hi pro certo ſeſe inſeparabiliter diligunt, qui ut triumphos ſibi inferant, à ſeipſis diſcedunt; quibus nec crimen, nec natura, nec lex, nec Dominus, nec Apoſtolus [2] poteſtatem unius interdixit aut tulit, ſed pro tuendis paribus votis, ſemota unanimitate abſentari caritas quam voverunt, qui nec crimini, nec naturæ, nec legi, nec Domino, nec Apoſtolo, nec ipſi conjugalitati ſuccumbunt; quos tantum virginitas probroſa condemnat, quantum illos conjugalitas caſtrata glorificat, quibus ſufficiat ad ſupplicium dedecoroſum, quod ſpadones à conjugibus judicantur. Ad quorum increpationem non tacendi ſunt etiam filii Iſrael, qui apud Eſdram uxores & filios contra divina jura ſuſceptos [3] non cunctati depellere, nec contra Domini caritatem conati ſunt excuſare. [4] Verum fatear, ſi permittor. Qui nunc pro dimittendis fœminis, alienis adhærent: quid facerent ſi liberos & uxores projicere jubeantur? Aut quando valebunt pro Chriſto renunciare cognatis, qui mulierculas non ſuas præponunt Chriſti præceptis? Dico eos facilius pro iiſdem mulierculis parentes proprios abnegare, quam propter Chriſtum ipſas mulierculas relinquere poſſe; deſpicientes quod in Evangelio ipſe Dominus dixit: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut fratres, & ſorores, & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Si de abjiciendis parentibus dubitantes, indigni ſunt Chriſto; quid ſibi promittunt, quos contemtores exhibet Chriſto non parentalis affectio? Ac per hoc illorum meritis evacuantur, quos vident contemplatione Chriſti nullas perſonas excipere cognatorum. [5] Nec minus eos, ſed pejus etiam illi confundunt, qui metuentes non tantum cum aliena, ſed etiam cum ſua carne luctari amputatis genitalibus abſcedunt. De quibus modo examinationis ſuſpendo ſententiam, relinquens alia diſputatione promendam. Secundum confuſionem ſpadonum, non dubito meliores aſſerere, qui nec ſibi parcunt quidem, dicam fœminis audent tentamenta porrigere. Reſpondeant ſpiritales eunuchi, quis furor in dilectione mulierum, vel quod ſit in contubernalitate fœminæ myſterium, ut in perniciem ſuam alienis membris indulgeant, cum illi ſua quoque incunctanter abſcindant? Hi confirmatos in ſe artus abjiciunt; & illi adverſariis artubus glutinantur. Hi pro integritate ſpiritali cum tormento non integri corporis dimicare non dubitant; & illi ſine tormento, integri eſſe ſine fœminarum dimidietate detrectant. Sed adverſus illos comparatio nulla eſt facienda de noſtris; ne conſolentur addicti quibuſcunque judiciis Chriſtianis. Pejores ſunt & aliqui memorandi, ut major pœna ſit à detruncato damnari. Judæos conſiderent uſque hodie pro legis imperio carnis ſuæ partem circumciſione truncare; & ſciant quid mereantur, qui Evangelio jubente, diſſimulant circumciſi mulierum prætentia peragere Domini voluntatem, non intelligentes quod ipſe Dominus dixerit: Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Puto etiam [6] de Gallis ſuis nobis Idololatræ exprobranter inſultent, qui abſcindentes ſemetipſos libenter excruciant, dummodo cum damno ſtatus ſui, ſimulacrorum diſſimulationibus pareant. Clerici autem noſtri, ad lucrum magis corporis proprii, damnum volunt mulierum ſecum commorantium ſuſtinere; quas etiam de ſubſtantia propria evellere oportebat, ſi cum illis naſci contingeret, ne comparati idololatris & ſacrilegis, erubeſcerent. De quibus & Dominus contemtores arguit, dicens: Prudentiores ſunt filii ſeculi hujus, filiis lucis. Ergo noſtris clericis talium profana devotio eſt præponenda, quibus cum tantis exitiis amabilia ſunt turpia ſacerdotia. Clerici vero pro dignitate ſacerdotii cœleſtis non ſanguinem fundunt, non tolerant ferrum, non eſt aliquod vulnus, non eſt aliquis cruciatus; ſed ſolus contra Dominum fœminæ tenet aſpectus. Sic in fœminas ruunt, ſic fœminas amant, ut non ſperent manifeſtari dilectionis ſuæ quandoque poſſe impura myſteria; ſicut per conſimiles eorum turpiter publicata ſunt & detecta; quos Paulus Apoſtolus præviderat, jam tunc, dicens: Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt præcedentia ad judicium, quoſdam autem & ſua ſubſequuntur. Similiter autem & facta bona manifeſta ſunt, & quæcunque aliter ſe habent abſcondi non poſſunt.

At contra & ipſi dicunt: Nonnulli de contemtoribus noſtris ſimiliter fœminas habentes in domibus, martyrium conſecuti ſunt, ut illorum innocens conſcientia probaretur. Nolo mihi martyrio quiſquam moveat actionem; quia ſæpius & mœchi, & ſanguinarii, & ebrioſi, & omnium ſcelerum rei, reperta pugnæ occaſione converſi, [7] meruerunt ad martyrii veniam pervenire. Ideo enim martyrium appellatur tam corona, quam baptiſma; quia baptizat pariter & coronat. Age nunc, ſi licuerit quibuſdam inviolata fœminarum ſocietate martyrium promereri; ſine indulgentia quoque illis martyrium ipſum non fuit, quos reatus pro-

[1] *Eunuchi noſtri non durant.*] *Pamelius ait*, Neque hic arridet lectio Eraſmi: *& eunuchi dubitant.*

[2] *Poteſtatem unius.*] *Pamelius ait*, Adjecerat Eraſmus *converſationis*, ſed ſuperflue.

[3] *Non cunctati ſunt depellere.*] *Pamelius ait*, Hoc rurſum ex vet. exc. cum Gravio & Morelio, pro eo quod corrupte Remboldus & ceteri *contati*. Manutius vero *contenti*.

[4] *Verum fatear, ſi permittor.*] *Pamelius ait*, Etiam hæc Morelii & illorum genuina eſt lectio, pro eo quod Eraſmus *fateor, ſi permittar*.

[5] *Nec minus eos, ſed pejus etiam illi confundunt.*] *Pamelius ait*, Mendum cod. Remboldi hic quoque remanſit hactenus in excuſis, *nec minus eos ſed pœnis*.

[6] *De Gallis ſuis.*] *Pamelius ait*, Galli uti vere adnotavit Remboldus erant ſacerdotes Cybeles, à Gallo fluvio ſic dicti.

[7] *Meruerunt ad martyrii veniam.*] *Pamelius ait*, Repoſuit Eraſmus *palmam*, ſed quia de peccatoribus loquitur, qui ipſo martyrio veniam impetrabant, illud illorum placet.

prohibitæ contubernalitatis non absolvit. Nec innocentes in ipsa innocentia potuit approbare ; quibus contemtum legis & conversationis illicitæ fœditatem, & quod est gravius super omnia crimen Ecclesiæ cernitur ignovisse. Etenim noxia est innocentia, quæ sponsæ Christi officit famæ. Et cum Christus agnus innocens, imo ipse cœlestis innocentia, quod est verius, totum se contemserit pro Ecclesia, ut eam sine macula ulla vel ruga redderet illibatam ; qualis est clericus cui ad hoc sponsa Christi committitur, ut pro unius fœminæ amore culpari totam Ecclesiam patiatur. Audemus dicere, à Deo patre missus est filius de sinu patris, & regno absens esse duravit, ut Ecclesiam faceret innocentem, & clericus mulieris latus deserere non potest, ne Christi Ecclesiam reddat infamem ?

Sed aiunt : In martyrio ignoscitur nobis, sicut indultum est parentibus. Hoc ergo & nos omnes de peccatis nostris confidamus ; ut qui agere bene laboramus, inter luxurias evagemur, & discurramus per semitas peccatorum, retinacula dimittamus, & fræna laxemus : Eamus nos quacumque mundus abstulerit, & ubicumque nos diabolus invitaverit, libere fornicemur, invideamus, rapiamus, fraudemus, omnia mala securi committamus ; martyrium subveniet & evademus. Sic enim Paulus Apostolus pollicetur : Faciamus mala ut veniant bona : quorum damnatio justa est. Huic martyrio spem tradant, quos mathematici docuerunt habere de crastino præscientiam ; has coronas expectent, qui super angelos & Christum per astrologos didicerunt scire tempora, quæ Pater in sua posuit potestate, ut vel tunc recordentur, ante martyrii tempus bene agere debuisse, cum diem Domini senserint sicut furem. Sed credamus super illos martyrium jam jamque pendere. Interim priusquam martyres fiant, legibus subjacent ; ut judicio subjiciantur, nisi armis exarmentur. Audaciæ nefas est, illis adversus auctoritatem Domini parentum personas objicere, quibus ipse Dominus contradictionis hujus abstulit vocem. In legalibus, inquit, patrum vestrorum nolite ambulare, & justificationes eorum nolite custodire ; & studiis eorum nolite commisceri, & nolite inquinari. Ego Dominus Deus vester. In præceptis meis ambulate, & justificationes meas custodite.

Sciant nunc ademta sibi esse parentalia patrocinia, qui huc atque illuc recurrentes contradictionum latebras quærunt, ne unquam fœminis careant : & quia undique defensionis suffragio deseruntur, novissimis cunctis argumentis exhaustis, sententiam Pauli Apostoli opitulari sibi opinantur, & dicunt : Tu quis es, qui de servo alieno judices ? Agnoscit equidem Paulus Apostolus constitutionis suæ verba prolata ; sed constitutionarios & prolatores ipsos ignorat. Illis enim contulit defensionem, qui nullam partem legis impugnant ; & ipsis tribuit patrocinium, qui ex voto suo aliquid faciunt, nec quidquam Ecclesiasticis juris impediunt. [1] Jus tractat vivendi, & non edendi ; arbitrium uniuscujusque confirmans. De similibus neminem jussit judicari, quæ voluntati singulorum auctoritas divina concedens, in utraque parte faciendi & non faciendi clementer indulsit. Illos autem Ecclesiasticis tribunalibus subdidit, quos [2] transgressores ordinariæ transgressionis nulla impunitas excusavit ; ut qui passim (Tu quis es, qui de servo alieno judices ?) adversus nos veluti libellum contradictorium proferant, [3] rationabile simul & certum recognoscant quod accipimus ab eodem Paulo Apostolo repulsorium : Præcipimus, inquit, vobis fratres in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut separetis vos à fratribus ambulantibus inordinate, & non secundum traditionem quam accepistis à vobis.

Evasimus opinor tanta ligamina quæstionum, quibus amatores eunuchos amplexus fœminei ligaverunt : qui perversis interpretationibus decreta legalia demutare coguntur ; & malunt audiri proponentes vana & fabulosa commenta, quam ipsi quæ vera sunt audiant : quos Paulus Apostolus annunciat, dicens : A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Quidquid volunt adhuc exquirant, ut obsistant pro mulieribus veritati. Victoriam non habent, apud quos contra Esdram mulier potius quam veritas vicit. Vos autem, filii carissimi, non tantum persuasione, sed potestate convenio. Tale deliramentum despicite, quorum quæstiones Paulum Apostolum scitis ubique damnasse, sicut ad Romanos scripsit, dicens : Rogo vos, fratres diligenter observare eos qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, aut dicunt, aut faciunt, & declinate ab ipsis. Sic & Timotheo delegat : noli, inquit, verbis contendere ; nihil enim utile est, nisi in subversionem audientium. Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium irreprehensibilem, recte tractantem verbum veritatis. Stulta autem & inania eloquia devita : multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum sicut cancer serpit. Atque ut ostenderet, clericis disponendis, ad evacuandas quæstiones quæ sit doctrina conveniens, etiam Tito sic insinuat, dicens : Tu autem loquere quæ conveniunt sanæ doctrinæ, majores natu sobrios esse, prudentes, sanos in fide, in caritate, in patientia sincera. Ergo auditiones simplices obedientia vestra suscipiet, & versipellem contradictionum vitate fallaciam. Purum iter vestris gressibus mundate, & super spinas & tribulos nolite seminare vel calcare, ne bonum semen non possit vobis propter spinæ frutices sanctitatis fructus afferre. Unde Propheta Hieremias sic hortatur & docet, dicens : Nolite, inquit, serere in spinis. Circumcidite vos Deo vestro, circumcidite præputium cordis vestri. Abscindenda sunt ergo de agro nostro cuncta quæ pungere & lacerare consueverunt ; ne animus agricultoris in possessione sua malignis sentibus inseratur. Et amputanda sunt omnia nobis, quæcunque igniferi fomitis sulphurantibus flammis scatens fornax ebullientis carnis exæstuat ; ne vel tenuis quidem scintilla servata majora conflet incendia. Quod Solomon manifestat, dicens : Ab scintilla una augetur ignis. Avertite occasiones impuras, quibus interiora pectoris penetrantur, ut liquida in vobis perspicuitas honoretur. Contenti estote singularitatem laboriosam pro pudore servando potius sustinere, quam sine labore ad dedecus pervenire.

Contemplamini quid sit populo sancto præesse, & considerate quale sit divinis sacramentis insistere. [4] Alteris placere debent, qui alteris vivunt, & talis convenit cura sinceritatis sacratis, qualia sunt sacra ipsa quibus exhibent officia servitutis ; ne circa Dominum offendant ipsi quod tractant, aut circa populum incipiant impedire quod prædicant. Propter quod Pau-

[1] *Jus tractat vivendi & non edendi.*] *Pamelius ait*, Obscurus locus.

[2] *Transgressores ordinariæ transgressionis.*] *Pamelius ait*, Recte sic Erasmus pro eo quod illi *ordinari*.

[3] *Rationabile.*] *Pamelius ait*, Et hic & supra alicubi vetus excusus, & Remboldus *rationali*.

[4] *Alteris placere debent qui alteris vivunt.*] *Pamelius ait*, Hæc quoque genuina est lectio, pro eo quod non male Erasmus, *altaribus placere debent*, *qui de altaribus vivunt*.

Paulus Apoſtolus ſic teſtificatur : Et omnia , inquit , ſuſtinemus , ne quod impedimentum demus Evangelio Chriſti. Et iterum : Nemini dantes ullam offenſionem , ut non vituperetur [1] miniſterium noſtrum. Hac igitur inſtitutione vobis quam plurimum laborandum eſt , de iis quibus ad manifeſtandam gravitatem ſingularitas magis quam pluralitas teſtis vera eſt. Reſpicite quanta mala converſatio hujus acquirat ; quæ non niſi corruptionem ſeminat , pullulat vitia , cupiditatem concipit , ignominiam parit , rabiem concitat , porrigit furiam , laſciviam paſcit , petulantiam nutrit , [2] caſus exaltat , ruinas ædificat , ripas eripit , præcipitia inſtruit , periculis navigat , naufragiis velificat , perditione gaudet , interitum fovet , confuſionem mercatur , theſaurizat opprobrium , criminationes exaggerat , accuſationes inflammat , & catervatim ſemel in faſcem glomerans numeroſas indagines captionum , per infinita dedecorum , [3] multiplices mortes invehit in perniciem perditorum.

Tot itaque & tantas ſtrages calamitatis [4] & peſſimæ converſationis nemo proſternit , nemo calcat , nemo funeſtat , niſi ſingularis caſtitas ſola : quæ munimen invictum eſt ſanctimoniæ , & expugnatio fortis infamiæ ; fortitudinis firmitas , & laſciviæ petulantis infirmitas ; probitatis præſidium , & improbitatis excidium ; animæ victoria , & corporis præda ; ubertas gloriarum , & [5] ſterilitas criminum ; pronuba ſanctitatis , & repudium turpitudinis ; ſinceritatis indicium , & abolitio ſcandalorum ; exercitium continentiæ , & evacuatio tota luxuriæ ; pax ſecura virtutum , & debellatio quieta bellorum ; puritatis culmen , & libidinis carcer ; honeſtatis portus , & ignominiæ naufragalis locus ; virginitatis mater , & hoſtis immunditiæ ; lorica pudoris , & ſpolium probroſitatis ; corruptionis exitium , murus rigoris , & deſtructio vulgaritatis ; ſeveritatis gladius , triumphator & occiſor diſſolutionis ; armatura virium , & exarmatura fluxorum ; integritatis dignitas , & fornicationis addictio ; claritatis faſtigium , & dedecoris præcipitium ; voluntas bonorum operum , & afflictio vitiorum ; refrigerium pudicitiæ , pœna petulantiæ ; acquiſitio triumphorum , & facinorum detrimentum : requies ſalutis , & perditionis exilium ; vita ſpiritus , & carnis interitus ; ſtatus qualitatis angelicæ , funus humanæ ſubſtantiæ. Hujus retinaculis omnis obſcœnitas frænatur , & compedibus ejus calces furentis libidinis ſtatuuntur. In hanc velut in ſcopulos franguntur impetus qualeſcunque ſanguinis inundantis ; & in illa ſedatur ſpumans humoris inſania corporalis. Quæ dum ſibi ſubtrahit adminicula concupiſcentiæ , mortua membra ſua cognoſcitur bajulare : de quibus Apoſtolus Paulus præmonet , dicens : Mortificate ergo membra , quæ ſunt ſuper terram ; fornicationem , immunditiam , libidinem , concupiſcentiam malam , & avaritiam , quæ eſt idolorum ſervitus , propter quæ venit ira Dei.

Ab his omnibus non niſi ſplendido ſingularitatis cultro caſtratur humana natura , ut illibatos ſpadones ad convivium ſanctitatis diſpenſante circumciſione introducat. Cui ſanctitas ita promiſit annuli ſui nuptiale ſignaculum , ut ſine ipſa virginitas reſignetur , quæ ſe ſola contenta cupidinem domat , mentemque rectificat , concupiſcentiam ſubigit , deſideria ardoris extinguit , artus debilitat , corpus ancillat : & ita carnalia crucifigit , ut tam maſculus quam fœmina videatur in converſatione mentiri , dum illos utriuſque ſexus operatione abſcidit : aut neutrum faciens de duobus , tertiam formam conferre gloriatur ambobus , ut ante reſurrectionem reſurrectionis imaginem , ad inſtar Angelorum meditari noſcatur. Quod promittens Dominus futurum : qui digni , inquit , habentur ſeculi illius & reſurrectionis à mortuis , non nubent , neque nubentur , neque enim morientur. Nam ſunt ſimiles Angelis Dei : quia reſurrectionis filii ſunt. Hoc exigit ſancta ſingularitas clericorum , ut antequam transfiguretur , jam transfigurata cernatur in Angelicæ claritatis aſpectum , quæ omnia ſibi amputans concupiſcentiæ certamina deprædatur : cujus laudes Solomon exequitur , dicens : Melius eſt eſſe ſine filiis cum claritate. [6] Immortalitas eſt enim in memoria illius ; quia & apud Deum nota eſt , & apud homines. Cum præſens eſt , imitantur illam , & deſiderant eam , cum ſe abduxerit ; & in perpetuum coronata triumphat , incoinquinatorum certaminum prælium vincens.

Non eſt ſine filiis cum claritate , niſi ſingularitas ſola , quam non ſolum conſcientia ſua nullis ſordibus maculat , ſed etiam nullæ opiniones [8] ſuſpectæ pluralitatis infamant. Nam ſi caſtitas , quod eſt difficile , maſculum & fœminam pariter in virginitate conſervet , [9] non habet claritatem ; quam communitas ipſa non poteſt niſi quibuſdam probroſitatum tenebris obſcurare. Singularitas vero ita clara eſt omnibus & exerta , ut cunctis ſplendore ſui candoris pura manifeſtetur & lucida. Unde ſic nos Apoſtolus edocet , dicens : Sicut filii lucis ambulate : fructus enim luminis eſt in omni bonitate , & juſtitia , & veritate , probantes quod beneplacitum ſit Deo. Et iterum : Omnia , inquit , facite ſine murmuratione & hæſitatione , & ſitis irreprehenſibiles & ſimplices ſicut filii Dei immaculati in medio nationis pravæ & perverſæ , inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo. Sic ubique ſingularitas ſplendet , [10] ut omnes pro illa ſplendere non dubitent : & ita ſanctitatem in ſemetipſa clarificat , ut laudem ſibi ab ipſis quoque inimicis extorqueat. Quod maxime de præpoſito quocunque Paulus Apoſtolus mandat , dicens : Oportet autem eum & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt , ut non in opprobrium incidat & laqueum diaboli. Hanc igitur amate , hanc tenete , quæ ſola poteſt fœminas debellare : cum adhuc concupiſcentia nulla pectus impulſat , & dum adhuc ſimplicitas incorrupta permanet vel quieta , ad ſecretæ ſingularitatis tutelam cito concurrite , ne poſtmodum non valeatis effugere.

Præ-

1 *Miniſterium noſtrum.*] *Pamelius ait* , Prorſus ſic legendum cum Morelio pro *veſtrum* , quia conſentit Apoſtolus.

2 *Caſus exaltat.*] *Pamelius ait* , Male Eraſmus *caſas* , neque vero etiam placet , quod repoſuit ipſe : *rapinas exigit* , pro eo quod illi μεταφορικῶς , *ripas eripit.*

3 *Multiplices mortes invehit.*] *Pamelius ait* , Vetus excuſ. *ſimplices mentes.* Remboldus & alii plerique *ſimplices mortes* , pro quo Gravius & Manut. *mores* ; Morelius autem *multiplices mortes* , quod placet maxime.

4 *Et peſſimæ converſationis.*] *Pamelius ait* , Interjecerat Remboldus denuo *ſtrages* , ſed non eſt opus.

5 *Et ſterilitas criminum.*] *Pamelius ait* , Hæc lectio vet. excuſ. genuina eſt , quia præcedit *ubertas* , pro qua cum Remboldus legeret *cupiditas* , repoſuit Eraſmus *captivitas.*

6 *Immortalitas enim eſt memoria illius.*] *Pamelius ait* , Contra hic recte non poſuit Eraſmus *immortalitas eſt enim memoria illius* ; quia illud reperitur ad verbum Græce. Recte tamen ipſe *quia* pro *quæ* ; Græce enim eſt ὅτι.

7 *Suſpectæ pluralitatis.*] *Pamelius ait* , Rurſum hic legebatur ex mendo cod. Remboldi *parilitatis.*

8 *Non habet claritatem.*] *Pamelius ait* , Ego negationem ſuperfluam cenſeo.

9 *Ut omnes pro illa ſplendere non dubitent.*] *Pamelius ait* , Metaphraſis efficit ut Eraſmus reponeret *ſpondere.*

Præoccupandus est aditus cunctis insidiis, ne hostilitas prior obrepens occurrat improvidis. Salutare remedium est prævenire potius quam præveniri : & anticipare potius quam anticipari, viribus fortibus congruit. Ubicunque fuerit providentia, frustrantur universa contraria; ubi autem providentia negligitur, omnia contraria dominantur. Ante famem certamus, ante inopiam laborando fatigamus. Sic per omnia calamitatibus cunctis tollimus locum, dum gerimus providentiam temporum futurorum. Quanto magis ante prævenienda est omni provisione calamitas fœminarum; cujus cupido si admittitur incipere, nunquam prorsus accipit finem? Cujus comparationem Solomon explicat, dicens : Infernus, & amor mulieris, & terra quæ non satiatur aqua, & ignis non dicit : sufficit. Unusquisque itaque qui securus est quia necdum tentatur, timeat; quia nihil de eo dicitur, prospiciat ne dicatur : homines sumus, fragilitatem nostram carne portamus. Sic jam undique nos circumspecta vivacitate circundare debemus & cingere, ut non sit pars aliqua quæ vaciller. Accipimus quidem fortitudinem spiritalem, per quam substantiæ nostræ fragilitas roboretur. Sed ita nobis spiritalis fortitudo collata est; [1] ut providos non ut præcipites tueatur : ut illos muniat qui renunciant importunitatibus delictorum, non eos qui se magis importunis delictis immergunt. Custos nobis datus est spiritus, sed ut contraria declinantibus assistendo subveniat, non ut contraria eligentibus faveat; nec ut voluntarios & pronos in adversa confortet, sed ut ab adversis nitentes separari confirmet. Nam quicunque pernicioſis conatibus audet exercere virtutem, juvamen non habet Spiritus sancti, qui neminem vult ultroneum virum fortem ad fraudulentas victorias coartari : nec protegit illum, quinimo sed deserit, quem periculis irruentem per illicitos eventus exquirere triumphos agnoverit; sicut ipse jam tunc per Solomonem locutus est, dicens : Amans periculum, in ipso peribit.

Ordine suo igitur, non nostro arbitrio virtus sancti Spiritus ministratur, & secundum institutum ejus prælia prosperantur. Nunquam nisi præcipitatus exercitus cecidit, qui avidus [2] fortiter facere ducis vel imperatoris sui dispositiones irrupit; [3] multo magis perperam erogat fortitudinem, qui sine armis doctrinæ magistri Spiritus præsumserit triumphare : cum dicat : Væ qui per præsumtionem suam aliquid faciunt, non per Deum.

Si qua igitur in vobis est fiducia virium spiritalium, [4] quid spiritales deceat recordemini : & si creditis vos spiritaliter militare, agnoscite quod docemus non esse carnale, sicut Paulus Apostolus loquitur, dicens : Si quis putat se Prophetam esse, aut spiritalem, cognoscat quæ scribo vobis. Non est quod vobis in hac persuasione deceptoria blandiamini, ut quia spiritales estis, velitis inter [5] flagitiosorum armamenta versari, nec vos inhabiles esse pro clericatus dignitate : quia majores majoribus consueverunt conflictiones occurrere. Acrius divitibus quam pauperibus invidetur, & non inopes, sed locupletes inquietat infestatio sæva latronum. Plus duces & principes quam milites ab hostibus appetuntur in pugna : & violentibus propulsantur ventis & turbinibus culmina, quæcunque sunt altiora. Ideo magis magisque quo plus ceteris unusquisque potest, sciat esse sibi metuendum ne in aliquo minoretur, propter quod Solomon sic admonet, dicens : Qui gloriatur, inquit, in divitiis, paupertatem vereatur. Rogo vos quantum valeo, & ultra quam valeo, hæc sint studia omnium clericorum, ut singularitatis inaccusabilis teceſſione fungantur : ne aut ipsi per fœminas, aut fœminæ per illos ad ignominiosa ludibria provocentur. Si quis habet matrem, vel filiam, vel sororem, vel conjugem, vel cognatam, sic habeat, ut nulla ancilla intersit, neque aliqua ingrediatur extranea; ne ad hoc videatur tenere proximas suas, ut ipsarum causa libere sibi adhibeat alienas : quod si non possint ipsæ quæ sunt proximæ sine famularum ministerio, vel sine amicarum esse solatio; expedit ut migrent ad aliud domicilium, quam propter illas personæ contrariæ teneantur. Humanum est enim, ut nec clericus illas necessariis fœminis fraudet, nec ipsæ clericum per importunas fœminas sordident. Assignari possunt sanctis mulieribus, cum quibus vivant, dummodo cum clerico fœmina nulla commaneat. Non despecta, non vetula, sine affinitate, peculiariter suscipienda ad domesticum obsequium : quia magis illicito delinquitur, ubi sine suspicione securum potest esse delictum; maxime quia cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidii, vel vilis existit, sed diabolus pingens speciosum efficit, quicquid fœdum vel horridum fuerit.

Si quis autem modo profectione cogente apud fratres, vel apud extraneos hospitatur, ubi mulieres intersunt; omnino se artet, ne passibilitate aliqua vitietur. Semotus ac secretus Deo vacet & sibi, ne intus capiatur à diabolo; & qui foris capi non potuit, apud suos cadat. Qui hostes effugit, ad tempus pro salutaribus causis procedat ad faciem, & iterum cito discedere de conspectu festinet. Ubique gustanda est cum mulieribus, non continuanda præsentia, sed quasi transeunter fœminis exhibenda est accessio quodammodo fugitiva. [6] Protervitatis enim jam cœpta sunt repræsentari semper in medium; & perditionis meditatio est, frequentativum inter mulieres celebrare processum. De qua re nobis Solomon moderamen imposuit, dicens : In medio mulierum noli assiduus esse. Sic igitur ambulate, sic agite, ut semper in clericis Ecclesiæ senatus candidus constet. Severitas in vobis circa fœminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, gravitas veneretur.

Ut semel omnia colligamus ad clausulam, breviarium relegimus vobis, quod ad compendiosam plenitudinem redigens Paulus Apostolus insinuat : De cetero, fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, quæ accepistis, & didicistis, & audistis, & vidistis in me. Hæc agite; & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Amen.

[1] *Ut providos, non ut præcipites tueatur.*] *Pamelius ait*, Adjecimus cum Morelio ex vet. exc. & Remboldo *ut*, omissa tamen voce *nos :* cum iisdem.

[2] *Fortiter facere ducis, &c.*] *Pamelius ait*, Cum iisdem adjecimus *fortiter*.

[3] *Multo magis perperam.*] *Pamelius ait*, Hactenus corruptissime ex vitio codicis Remboldi legebatur *per perituram*.

[4] *Quid spiritales deceat, recordemini.*] *Pamelius ait*, Remboldus denuo corrupte *recordetur*, pro quo Erasmus *recordemur*. At illud genuinum est.

[5] *Inter flagitiosorum armamenta.*] *Pamelius ait*, Reposuerat Erasmus *armenta*.

[6] *Protervitatis.*] Male hæc cohærent; nec promtum est conjicere quid sibi velit Scriptor hic : qui etiam S. Scripturas quas passim adducit, pro libitu detorquet. Videtur per *cœpta* intelligere *initia*.

EXPOSITIO IN SYMBOLUM APOSTOLORUM,

[1] *Ruffino Torano, Aquileiensis Ecclesiæ Presbytero Auctore.*

[2] MIhi quidem, fidelissime Papa Laurenti, ad scribendum animus tam non est cupidus, quam nec idoneus; scienti non esse absque periculo, multorum judiciis ingenium tenue & exile committere. Sed quoniam, ut [3] cum venia tua (*a*) dixerim, temere in epistola tua per Christi me sacramenta, quæ à nobis maxima cum reverentia suscipiuntur, astringis, ut aliquid tibi de fide, secundum symboli traditionem rationemque componam, quamvis supra vires nostras sit pondus præcepti. ([4] Non enim me latet sententia illa sapientum, quæ probe admodum dicit, quia de Deo etiam vera dicere, periculosum est.) Tamen in expositionis à te impositæ necessitatem orationibus juves, dicere aliqua obedientiæ magis reverentia, quam ingenii præsumtione tentabimus. Quæ quidem non tam perfectorum exercitiis digna videantur, quam ad parvulorum in Christo & incipientium librentur auditum. Et quidem (*b*) comperi nonnullos illustrium tractatorum aliqua de his pie & breviter edidisse, [5] Photinum vero hæreticum scio eatenus conscripsisse; non ut rationem dictorum audientibus explanaret, sed ut simpliciter & fideliter dicta ad argumentum sui dogmatis traheret; cum in his verbis sanctus Spiritus providerit, nihil ambiguum, nihil obscurum, nihil à reliquis dissonans poni: quia in his vere completur prophetia qua (*c*) dicitur: Verbum enim consummans & brevians in æquitate: quia verbum breviatum faciet Dominus super terram. Nos ergo vel simplicitatem suam verbis Apostolicis reddere & assignare tentabimus, vel quæ omissa videntur à prioribus adimplere. Sed ut manifestius fiat argumentum verbi hujus (ut diximus) breviati, causam qua hæc traditio ecclesiis data est, ab origine repetemus.

Tradunt majores nostri quod post ascensionem Domini, cum per adventum sancti Spiritus super singulos quosque Apostolos igneæ linguæ sedissent, ut loquelis diversis variisque loquerentur, per quod eis nulla gens extera, [6] nulla linguæ barbaries inaccessa videretur & invia; præceptum eis à Domino datum, ob prædicandum Dei verbum, ad singulas quemque (*d*) proficisci nationes. Discessuri itaque ab invicem normam [7] prius futuræ sibi prædicationis in commune constituunt: ne forte alius ab alio (*e*) abducti, diversum aliquid his qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent. Omnes ergo in uno positi, & Spiritu sancto repleti, breve istud futuræ sibi, ut diximus, prædicationis indicium, conferendo in unum quod sentiebat unusquisque, componunt; atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. Symbolum autem hoc multis & justissimis ex causis appellare (*f*) voluerunt. Symbolum enim Græce & indicium dici potest & collatio, hoc est, quod plures in unum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus, in unum conferendo unusquisque quod sensit. Indicium autem vel signum iccirco dicitur: quia illo tempore sicut & Paulus Apostolus dicit, & in Actis (*g*) Apostolorum refertur, multi ex circumcisis (*h*) Judæis simulabant se esse Apostolos Christi, & lucri alicujus vel ventris gratia ad prædicandum proficiscebantur; nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Iccirco ergo istud indicium posuere, per quod agnosceretur is, qui Christum vere secundum Apostolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis civilibus hoc observari (*i*) ferunt: quoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos unus est, atque eadem instituta bellandi, ne qua dolo subreptio fiat, symbola discreta unusquisque dux suis militibus tradit; quæ Latine vel signa, vel indicia nominantur: ut si forte occurrerit quis de quo dubitetur, interrogatus symbolum, prodat si sit hostis, an socius. Iccirco denique hæc non scribi chartulis atque (*k*) membranis, sed retineri cordibus tradiderunt, ut certum esset, neminem hæc ex lectione quæ interdum pervenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse sufficeret. Discessuri ergo, ut diximus, ad prædicandum, istud unanimitatis & fidei suæ indicium Apostoli posuere: non sicut filii Noe discessuri ab alterutro turrem ex latere cocto & bitumine construentes, cujus cacumen per-

(*a*) *Sic Edit. Ox. Imp.* tui. (*b*) Equidem, *O.* (*c*) Quæ dicit, *O.* (*d*) Quasque, *O.* (*e*) Alii alio, *O.* (*f*) Appellari, *O.* (*g*) Actibus, *O.* (*h*) ---sione, *O.* (*i*) Fertur, *O.* (*k*) Aut, *O.*

[1] *Ruffino Torano.*] Tora sive Thora, urbs Italiæ nunc excisa in limite Sabinorum. Tractatus iste occurrit inter opera Ruffini, nec non S. Hieronymi. Imo seorsim hic Oxoniæ edebatur sub ipsis rei typographicæ initiis, anno 1468. sub hoc titulo: *Expositio S. Hieronymi in Symbolum Apostolorum, ad Papam Laurentium.* Sed quoniam nihil eorum quæ in vulgatis Cypriani editionibus habentur, prætermittere visum est, denuo hic exhibemus. Porro in animo erat hac occasione sumta omnia Ruffini opera hic una evulgare; quemadmodum cum Arnoldo egimus, sed scriptorum ejus mole deterritus, negotium illud in aliud tempus reservandum duxi.

[2] *Mihi quidem, fidelissime Papa.*] *Pamelius ait*, Episcopus fuit quispiam iste Laurentius; tum enim, uti Epistol. 2. diximus omnes Episcopi Papæ nuncupabantur.

[3] *Cum venia tui dixerim.*] *Pamelius ait*, Sic prorsus lego cum Morelio & Frobenio editione operum Hieronymi; legebant enim vulg. *ut conveniatis quæ dixerim.* Manut. *ut conveniat iis* &c. utique corruptissime. Ex eodem adjecimus paulo post, *tua.*

[4] *Non enim me latet.*] *Pamelius ait*, Cum Morelio & Froben. hic adjecimus, *me.* Vicissim apud hunc non recte legitur, *petitionis*, pro, *expositionis.* Legendum est etiam ibi *quæ quidem*, pro, *equidem.*

[5] *Photinum vero hæreticum.*] *Pamelius ait*, De hoc vide August. hær. 45. & Epiphanium hær. 71. Fuit autem multo recentior Cypriano.

[6] *Nulla linguæ barbaries*, &c.] *Pamelius ait*, Istud non modo habet Frobenius, sed & vetus exc. Hieronymi, pro eo quod erat, *nullæ linguæ barbaræ inaccessæ viderentur & inviæ.* aut *in via*, quod pessime habent excusi præter Morel. Vicissim apud Frobenium castigandum, *ob*, pro *ab.*

[7] *Prius futuræ.*] *Pamelius ait*, Hoc quoque ex Frobenio hic desideratum, & ex eodem cum Morelio legimus *invitabantur*, pro, *mutabantur.*

[1] *Cre-*

pertingeret uſque ad cœlum ; ſed munimenta fidei quæ ſtarent adverſum faciem inimici è lapidibus vivis , & margaritis Dominicis ædificantes : quæ neque (*a*) venti impellerent , neque flumina ſubverterent (*b*) , neque tempeſtatum ac procellarum turbines permoverent. Merito ergo illi ab invicem ſeparandi turrem ſuperbiæ ædificantes , linguarum confuſione damnati ſunt , uti ne unuſquiſque poſſet advertere proximi ſui loquelam. Iſti vero qui turrem fidei conſtruebant, omnium linguarum ſcientia & agnitione (*c*) donati ſunt ; ut illud peccati , hoc fidei probaretur indicium. Sed jam nobis etiam de ipſis aliquid contrectandum eſt margaritis ; in quibus primo in loco fons & origo omnium bonorum ponitur, cum dicitur :

1 CREDO IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM. Verum priuſquam incipiam de ipſis ſermonum virtutibus diſputare , illud non importune commonendum puto ; quod in diverſis Eccleſiis aliqua in his verbis inveniuntur adjecta. In Eccleſia tamen urbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea eſſe (*d*) arbitror , quod neque hæreſis ulla illic ſumſit exordium : & mos ibi (*e*) ſervatur antiquus , eos qui gratiam baptiſmi ſuſcepturi ſunt , publice, id eſt, fidelium populo audienti ſymbolum reddere , & utique adjectionem unius ſaltem ſermonis , eorum qui præceſſerunt in fide non admittit auditus. In ceteris autem locis quantum intelligi datur, propter nonnullos hæreticos addita quædam videntur, per quæ novellæ doctrinæ ſenſus crederetur excludi. Nos tamen illum ordinem ſequimur , quem 2 in Aquileienſi Eccleſia per lavacri gratiam (*f*) ſuſcepimus. CREDO, ergo primum omnium ponitur , ſicut & Paulus Apoſtolus ad Hebræos ſcribens, dicit : Credere enim primo omnium accedentem ad Dominum (*g*) oportet , quia eſt , & credentibus in ſe remunerator fit. Sed & Propheta dicit : Niſi credideritis , non intelligetis. Ut ergo intelligentiæ tibi aditus pateſcat, recte primo omnium te credere profiteris : quia nec navem quis ingreditur , & liquido ac profundo vitam committit elemento, niſi ſe prius credat poſſe ſalvari : nec agricola ſemina ſulcis obruit, & fruges (*h*) ſpargit in terram ; niſi crediderit venturos imbres , affuturum quoque ſolis teporem (*i*) , quibus terra confota , ſegetem multiplicata fruge producat , ac ventis ſpirantibus nutriat. Nihil denique eſt quod in vita geri poſſit, ſi non credulitas ante præceſſerit. Quid ergo mirum ſi accedentes ad Deum (*k*) , credere nos primo omnium profitemur, cum ſine hoc nec ipſa exigi poſſit vita communis ? Hoc (*l*) autem iccirco in principiis præmiſimus , quia pagani nobis objicere ſolent , quod religio noſtra , quia quaſi rationibus deficit , in ſola credendi perſuaſione conſiſtat. Et ideo oſtendimus nec agi nec ſtare aliquid poſſe, niſi præceſſerit vis credendi. Denique ideo & matrimonia contrahuntur , quia creditur ſucceſſura poſteritas : & pueri diſcendis artibus traduntur , quia magiſtrorum in diſcipulos transfundenda creditur diſciplina : Imperii quoque (*m*) inſignia unus ſuſcipit , dum credit ſibi urbes & populos , armatum etiam exercitum (*n*) parituros. Quod ſi hæc ſingula niſi prius crediderit futura , nullus aggreditur ; quomodo non multo magis ad agnitionem Dei credendo veniatur ? Sed videamus quid jam breviatus hic Symboli ſermo proponat.

3 CREDO (inquit) IN DEUM PATREM OMNIPOTENTEM. Orientis Eccleſiæ fere omnes ita tradunt: credo in unum Deum Patrem omnipotentem. Et rurſum in ſequenti ſermone , ubi nos dicimus : Et in Jeſum Chriſtum unicum filium ejus Dominum noſtrum , ita illi tradunt : Et in unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unicum filium ejus. Unum ſcilicet Deum & unum Dominum ſecundum auctoritatem Pauli Apoſtoli profitentes. Sed de hoc in competentibus locis (*o*) repetemus. Nunc interim quod ait : In Deum patrem omnipotentem , videamus. 4 Deus ſecundum quod opinari poteſt humana mens, naturæ ipſius vel ſubſtantiæ, quæ eſt ſuper omnia, eſt appellatio. Pater vero arcani & ineffabilis ſacramenti vocabulum eſt. Deum cum audis, ſubſtantiam intellige ſine initio, ſine fine, ſimplicem, ſine ulla admixtione, inviſibilem, (*p*) incorpoream, ineffabilem, inæſtimabilem , in qua nihil adjunctum , nihil creatum ſit. Sine auctore enim eſt ille, qui auctor eſt omnium. Patrem cum audis , 5 filii intellige patrem , qui filius ſupradictæ ſit imago ſubſtantiæ. Sicut enim nemo dicitur dominus , niſi habeat vel poſſeſſionem , vel ſervum cui dominetur , & ſicut nemo magiſter dicitur , niſi diſcipulum habeat : ita & pater nullo pacto quis dici poteſt niſi filium habens. Hoc ergo ipſo nomine quo Deus ipſe pater appellatur, cum patre pariter ſubſiſtere etiam filius demonſtratur. 6 Quomodo autem (*q*) Deus pater genuerit filium, nolo diſcutias, nec te curioſius ingeras in profundi hujus (*r*) arcanum : ne forte dum inacceſſæ lucis fulgorem pertinacius perſcrutaris , exiguum ipſum qui mortalibus divino munere conceſſus eſt , perdas aſpectum. Aut ſi putas in hoc omni indagationis genere nitendum, prius tibi propone (*ſ*) quæ noſtra ſunt : quæ ſi conſequenter valueris expedire , tunc à terreſtribus ad cœleſtia , & à viſibilibus ad inviſibilia properato. Expedi primo ſi potes , & explana , quomodo mens quæ intra te eſt , generet verbum , & quis (*t*) ſit in ea memoriæ ſpiritus: quomodo hæc cum diverſa ſint rebus & actibus, unum tamen (*u*) ſint ſubſtantia vel natura ; & cum è mente procedant , nunquam tamen ab ipſa ſeparentur. Sed (*x*) hæc quamvis in nobis & in animæ noſtræ ſubſtan-

(*a*) Et, *O.* (*b*) Subruerent, *O.* (*c*) Scientiæ agnitione, *O.* (*d*) Pro eo , *O.* (*e*) Inibi, *O.* (*f*) Lavacri gratia, *O.* (*g*) Deum, *O.* (*h*) *Sic O. Imp.* pro frugibus. (*i*) Affuturam quoque ſolis temperiem, *O.* (*k*) Dominum, *O.* (*l*) Hæc, *O.* (*m*) Et imperii , *O.* (*n*) Pariturum , *O.* (*o*) Sequentibus repetemus , *O.* (*p*) Incorruptibilem , *O.* (*q*) Sane , *O.* (*r*) Profundo hujus arcani, *O.* (*ſ*) Proponam, *O.* (*t*) Qui, *O.* (*u*) Tantum, *O.* (*x*) Et ſi, *O.*

1 *Credo in Deum patrem omnipotentem.*] *Pamelius ait*, Ita nos cum Morelio & Frobenio, quum antea locus eſſet mutilus: præterquam quod Morelius in ablativo hæc legat, quomodo & Cauchius. Verum quia legunt alii & plures in accuſativo, certe magis placet, ut in accuſativo legantur omnia, præſertim quum ſic legant, non modo Froben. & vet. exc. cod. Hier. ſed & vetuſtior adhuc ex prima editione, quam primum innotuit ars Typographica, quem vidi in Bibliotheca Tholoſana. Accidit quod tria illa cetera ſymboli tom. 4. operum Hieronymi , & ipſe Hieronymus dial. contra Lucifer. præterquam uno in loco B. etiam Auguſt. ubique in accuſativo omnia legant. Et hæc dicta ſemel ſufficiant.

2 *In Aquileienſi Eccleſia.*] *Pamelius ait*, Remboldus & vet. Hieronymi codex *Aquilegienſi*.

3 *Credo*, inquit , *in Deum patrem omnipot.*] *Pamelius ait*, Non modo accuſativos pro ablativis hic repoſuimus, ſed & locum mutilum ex Frobenio cum Morelio ſupplevimus.

4 *Deus ſecundum quod opinari poteſt.*] *Pamelius ait*, Sic utraque editio Hieronymi pro eo quod noſtri , *Deus enim quod inopinari poteſt*, minus recte ; neque enim inopinari vox Latina.

5 *Filii intellige patrem.*] *Pamelius ait*, Ita etiam lego cum Frobenio & Morelio. Ex illo vero & vet. edit. lego, *qui filius ſupradictæ ſit imago ſubſtantiæ*, pro *ſupradictus*.

6 *Quomodo autem.*] *Pamelius ait* , Placet & hoc illorum pro *ſane*. Legunt etiam *ingeras* pro *inſeras*, & pro *in profundi hujus arcanum* habent *in profundo arcani*, pro quo ego legendum cenſeo *in profundum hujus arcani*.

ſtantia habeantur, tamen tanto nobis occulta videntur, quanto & aſpectui corporeo inviſibilia. De apertioribus requiramus. Fons quomodo ex ſe generat fluvium? Quo autem ſpiritu rapidum fertur fluentum? quod quidem cum unum & inſeparabile ſit, & fluvius, & fons; tamen nec fons fluvius, nec fluvius fons intelligi aut appellari poteſt, & tamen qui viderit fluvium, videt & fontem. Exerce te prius in horum explanatione, & diſcute ſi potes quæ habentur in manibus; & tunc ad horum ſublimiora (*a*) veniemus. Nec putes, quia te ſtatim de terra ſuadeam aſcendere ſuper cœlos; ſed prius te ſi placet ad iſtud firmamentum quod oculis patet, (*b*) educam, & ibi ſi potes naturam hujus viſibilis luminis diſcute. Quomodo ignis iſte cœleſtis generat ex ſemetipſo ſplendorem lucis? quomodo etiam producit vaporem? & cum ſint tria (*c*) in rebus, unum tamen ſunt in ſubſtantia. Quod & ſi hæc ſingula inveſtigare potueris; ſcito adhuc divinæ generationis myſterium tanto eſſe differentius & eminentius, quanto creator creaturis potentior, quanto artifex opere ſuo præſtantior, quanto ille qui ſemper eſt, eo qui ex nihilo cœpit eſſe nobilior. Credendus eſt ergo Deus, pater eſſe unici filii ſui Domini noſtri, non diſcutiendus: neque enim fas eſt ſervo de natalibus Domini diſputare. Conteſtatus eſt pater de cœlis, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Pater ipſum dicit eſſe filium ſuum, & ipſum audire jubet. Filius dicit: Qui me videt, videt & Patrem. Et: Ego & pater unum ſumus. Et: Ego à Deo exivi, & veni in hunc mundum. Quis eſt qui inter has Patris & Filii voces medium ſe diſcuſſorem (*d*) interſerat, & Deitatem dividat, affectum ſeparet, & ſubſtantiam rumpat, ſpiritum ſecet, neget eſſe verum quod veritas dicit. Eſt ergo Deus pater verus tanquam veritatis pater, non extrinſecus creans, ſed ex eo quod ipſe eſt filium generans, id eſt, quia (*e*) ſapiens ſapientiam, quia (*e*) juſtus juſtitiam, quia (*e*) ſempiternus ſempiternum, quia (*e*) immortalis immortalem, quia (*e*) inviſibilis inviſibilem, quia (*e*) lux ſplendorem, quia (*e*) mens verbum.

Quod autem diximus: Orientis Eccleſias tradere [1] unum Deum patrem omnipotentem & unum Dominum, hoc modo intelligendum eſt, unum non numero dici, ſed univerſitate. Verbi gratia: Si quis enim dicit unum hominem, aut unum equum; hic unum pro numero poſuit (*f*). Poteſt enim & alius homo eſſe & tertius, vel equus. Ubi autem ſecundus vel tertius non poteſt jungi, unus ſi dicatur, non numeri, ſed univerſitatis eſt (*g*) nomen. Ut ſi exempli cauſa dicamus unum ſolem, hic unus ita dicitur, ut aliis vel tertius addi non poſſit; unus eſt enim ſol. Multo magis ergo Deus cum unus dicitur, unus non numeri, ſed univerſitatis vocabulo nuncupatur, id eſt, qui propterea unus dicatur quod alius non ſit. Similiter & de Domino accipiendum (*h*) eſt, quod unus ſit Dominus Jeſus Chriſtus filius Dei omnipotens, per quem Deus pater dominatum omnium tenet, unde & ſequens ſermo omnipotentem pronunciat (*i*) Dominum. Omnipotens autem ab eo eſſe dicitur quod omnium ille teneat potentatum. Tenet autem omnia pater per filium, ſicut & Apoſtolus dicit: Quia (*k*) per ipſum creata ſunt omnia, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates. Et iterum ad Hebræos ſcribens dicit: Quia per ipſum ſecula inſtituit, & ipſum conſtituit univerſorum (*l*) hæredem. [2] Conſtituit autem quod ait; genuit, intelligitur. Quod ſi per ipſum ſecula inſtituit pater, & per ipſum creata ſunt omnia, & ipſe eſt hæres omnium; per ipſum ergo & potentatum omnium tenet. Quia ſicut lux de luce, & veritas de veritate: ita & de omnipotente omnipotens natus eſt. Ut in Apocalypſi Joannis de Seraphim ſcriptum eſt: Et requiem non habebant die ac nocte, dicentes: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus [3] ſabaoth, qui erat, & qui eſt, & venturus eſt omnipotens. Omnipotens ergo dicitur qui venturus eſt. Et quis eſt alius qui venturus eſt, niſi Jeſus Chriſtus filius Dei? His additur, inviſibilem & impaſſibilem. Sciendum quod duo iſti ſermones in Eccleſiæ Romanæ ſymbolo non habentur: conſtat autem apud nos additos, hæreſeos cauſa Sabellii, illius profecto quæ à noſtris Patripaſſiana appellatur; id eſt, quæ patrem ipſum vel ex virgine natum dicit, & viſibilem factum, vel paſſum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis impietas de patre, videntur hæc addidiſſe majores, & inviſibilem patrem atque impaſſibilem dixiſſe. Conſtat enim filium, non patrem, in carne natum & ex carne natum, & ex nativitate carnis filium viſibilem & paſſibilem factum. Quantum autem ſpectat ad illam deitatis immortalem ſubſtantiam, quæ una ei eademque cum patre eſt; ibi neque Pater, neque Filius, neque Spiritus ſanctus viſibilis aut paſſibilis creditur. Secundum vero dignationem carnis aſſumtæ filius & viſus & paſſus in carne eſt. Quod & propheta prædixerat, ubi ait: Hic Deus noſter, & non reputabitur alter ad eum. Invenit omnem viam diſciplinæ, & dedit eam Jacob puero ſuo & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. [4] Sequitur poſt hæc:

Et in Christum Jesum unicum Filium ejus Dominum nostrum. Jeſus Hebræi vocabuli nomen eſt, quod apud nos Salvator dicitur. Chriſtus à chriſmate, id eſt, ab unctione appellatur. Legimus enim in libris Moyſi, quod Auſes Nave filius cum electus eſſet dux populi, commutato nomine, de Auſe Jeſus cognominatus ſit. Quo ſcilicet oſtenderetur hoc eſſe nomen quod principibus & ducibus conveniret, iis duntaxat qui ſalutem ſequentibus ſe populis darent. Itaque & ille Jeſus appellatus eſt, qui eductum de terra Ægypti populum, & de erroribus eremi liberatum in terram repromiſſionis induxit. Et hic Jeſus dicitur, qui populum de ignorantiæ tene-

(*a*) Veniamus, *O.* (*b*) Videtur, *O.* (*c*) Diverſa, *O.* (*d*) Diſcuſſor, *O.* (*e*) Qua, *O.* (*f*) Hunc poſuiſſe conſtat, *O.* (*g*) Nomen eſſe dignoſcitur, *O.* (*h*) Eſſe arbitramur, *O.* (*i*) Deum, *O.* (*k*) Apoſtolica vox affirmat ubi dicitur, quoniam, *O.* (*l*) Inſtituit pater, & per ipſum creata ſunt omnia, & ipſe eſt hæres omnium, *O.*

[1] *Unum Deum.*] *Pamelius ait*, Prorſus hoc adjiciendum cum iiſdem quum prius id habuerit, ſed vox *verum* omittenda. Caſtiganda etiam eſt utraque Hieronymi editio, & legendum, hoc modo intelligendum pro *hoc non*, & *numeri*, pro *unitatis*.

[2] *Conſtituit autem, &c.*] *Pamelius ait*, Tota hæc periodus in illis quoque ſupplenda. Item Paulo poſt illud, *de Seraphim.*

[3] *Sabaoth, qui erat.*] *Pamelius ait*, Hoc viciſſim nos ex illis recens adjicimus, quia reperitur & in Apocalypſi.

[4] *Sequitur poſt hæc & in Jeſum Chriſtum, &c.*] *Pamelius ait*, Locum hunc antea mutilum ſic ſupplevimus, ex utraque Hieronymi editione; neque enim etiam Morelius aliud habebat, quam & *in Chriſto Jeſu.* Putat autem præmittendum nomen *Jeſu*, non *Chriſti*, quia prius explicat.

[1] *Et*

tenebris eductum, & de mundi erroribus evocatum introducit ad regna cœlorum. Chriſtus quoque vel pontificale, vel regium nomen eſt. Nam prius & pontifices unguento chriſmatis conſecrabantur & reges: ſed illi velut mortales & corruptibiles unguento materiæ corruptibilis ungebantur; hic vero ſancto Spiritu perunctus, Chriſtus efficitur, ſicut Scriptura de eo dicit: Quem unxit pater Spiritu ſancto miſſo de cœlis. Et Eſaias præſignaverat, dicens ex perſona filii: Spiritus Domini ſuper me propter quod unxit me, evangelizare pauperibus miſit me. Quia ergo oſtendimus quid ſit Jeſus qui populum ſalvet, & quid ſit Chriſtus qui pontifex factus ſit in æternum: nunc ex conſequentibus de quo dicantur iſta, videamus. [1] Et in unicum filium ejus (inquit) Dominum noſtrum. Per hoc docet nos, quia Jeſus iſte de quo diximus, & Chriſtus de quo expoſuimus, unicus filius ſit Dei, & noſter Dominus. Ne forte putes quod humana iſta vocabula terrenum te aliquid doceant, ideo ſubjungit unicum hunc eſſe filium Dei Dominum noſtrum. Unus enim de uno naſcitur: quia & ſplendor unus eſt lucis, & unum eſt verbum cordis. Nec in numerum pluralem defluit incorporea generatio, nec in diviſionem cadit; ubi qui naſcitur, nequaquam à generante ſeparatur. Unicus eſt, ut menti ſenſus, ut ſapientia ſapienti, ut cordi verbum, ut forti virtus. Nam ſicut ſolus ſapiens pater ab Apoſtolo dicitur, ita & ſolus filius ſapientia nominatur. Unicus ergo filius eſt: & cum ſit gloria, ſempiternitate, virtute, regno, poteſtate, hoc quod pater eſt; omnia tamen hæc non ſine auctore ſicut pater, ſed ex patre tanquam filius, ſine initio, & æqualis habet; & cum ipſe ſit omnium caput, [2] ipſius tamen caput eſt pater. Sic enim ſcriptum eſt: Quia caput Chriſti Deus, ipſius tamen auctor eſt pater generando ſine initio. Quia nec pater præcedit filium, nec filius ſequitur patrem in faciendo quaſi adoptivum, ſicut nos.

Filium ſane cum audis, nolo cogitationem carnalis nativitatis aſſumas, ſed memento hæc de incorporea dici ſubſtantia & natura ſimplici. Si enim, ut ſupra jam diximus, vel in eo quod cor generat verbum, vel mens ſenſum, vel lux ex ſe parit ſplendorem, nihil enim horum requiritur, nec ulla in tali generatione fragilitas cogitatur; quanto purius & ſacratius de horum omnium creatore cenſendum eſt? Sed fortaſſe dicas, iſta quam memoras, inſubſtantiva eſt generatio. Neque enim lux ſubſtantivum profert ſplendorem, aut cor ſubſtantivum generat verbum. Filius autem Dei ſubſtantialiter aſſeritur generatus. [3] Ad hoc primo omnium illud dicimus quod etiam in ceteris rebus, cum proferuntur exempla: non per omnia ſimilitudinem ſervare poſſunt rei illius cui præbere putantur exemplum; ſed unius alicujus partis, pro qua videntur aſſumta, ſimilitudinem tenent. Verbi gratia, ut cum in Evangelio dicitur: Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod abſcondit mulier in farinæ menſuris tribus. Numquid putabimus regnum cœlorum ſic per omnia ſimile eſſe fermento, ut & ſubſtantia illa palpabilis ſit ac fragilis, ut acida fieri poſſit & corrupta? Sed ad hoc ſolum exemplum iſtud videtur aſſumtum, ut oſtenderetur, ex parva prædicatione verbi Dei, humanas mentes fidei fermento poſſe coaceſcere (*a*). Similiter & cum dicitur: Simile eſt regnum cœlorum reti miſſo in mare, quod ex omni genere piſcium attrahit: & in hoc nunquid putandum eſt, quod naturæ lini quo rete aptatur, ac nodis quibus naſſulæ nectuntur, regni cœlorum ſubſtantia per omnia conferatur? ſed ad hoc ſolum videtur aſſumta comparatio; ut oſtenderetur, quia ſicut rete de profundo maris piſces adducit ad littus, ita de profundo hujus ſeculi errore, humanæ animæ regni cœlorum prædicatione liberantur. Ex quibus conſtat, exempla non in omnibus his quorum exempla ſunt, eſſe ſimilia. Alioquin ſi eadem eſſent omnia, jam non exempla dicerentur: ſed ipſæ potius res, de quibus agitur, viderentur.

Deinde etiam illud dicendum eſt, quod nulla creatura talis eſſe poteſt qualis creator ejus. Et ideo ſicut ſine exemplo eſt divina ſubſtantia, [4] ita & ſine exemplo eſt divina majeſtas (*b*). Tunc etiam illud addimus, quia omnis creatura ex nihilo eſt. [5] Si (*c*) ergo inſubſtantiva ſcintilla quæ ignis eſt, gignit ex ſe creaturam quæ ex nihilo facta eſt, & conditionem in hoc ſervat originis ſuæ: cur illius æternæ lucis ſubſtantia, quæ ſemper fuit, quia inſubſtantivum in ſe nihil habuit, inſubſtantivum ex ſe ſplendorem proferre non potuit. Et ideo recte unicus dicitur filius. Unicus enim eo (*d*) ſolus eſt, quia natus ſit. Nec comparationem aliquam poteſt habere quod unicum eſt. Nec ſimilitudinem ſubſtantiæ cum facturis (*e*) ſuis habere poteſt ille, qui factor eſt omnium. Hic ergo Jeſus Chriſtus filius eſt unicus Dei, qui eſt & Dominus noſter, unicus & ad filium referri & ad Dominum poteſt. Unus eſt filius, vere filius, & unus vere Dominus Jeſus Chriſtus. Ceteri quippe, licet dicantur filii, adoptionis tantum gratia dicuntur, non veritate naturæ. Et ſi dicuntur alii Domini; conceſſa, non ingenita poteſtate dicuntur: hic vero ſolus eſt unicus filius, & ſolus unicus Dominus, ſicut & Apoſtolus dicit: Unus pater Deus, & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia. Igitur poſtea quam propoſitus ordo fidei, ineffabile ſacramentum filii de patre nativitatis expoſuit; nunc ad humanæ ſalutis dignationem diſpenſationemque deſcendit. Et hunc quem ſupra dixit unicum filium Dei, & Dominum noſtrum nunc dicit.

QUI NATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE. Hæc jam inter homines diſpenſationis nativitas eſt, illa divinæ ſubſtantiæ; hæc dignationis eſt, illa naturæ. De Spiritu ſancto ex virgine naſcitur. Et jam (*f*) hoc loco mundior auditus requiritur, & purior ſenſus. [6] Hunc enim quem dudum de patre natum ineffabiliter didiciſti, nunc (*g*) à ſancto Spiritu templum fabricatum intra ſecreta uteri

(*a*) Coaleſcere, *O.* (*b*) Nativitas, *O.* (*c*) Sit, *O.* (*d*) Et, *O.* (*e*) In factis, *O.* (*f*) Etiam, *O.* (*g*) Huic, *O.*

[1] *Et in unicum filium ejus, &c.*] *Pamelius ait*, Sic quoque illi, in noſtris deſiderabantur: *inquit*, neque vero majuſcula litera hæc ſcribi debent, viciſſim apud illos legendum *per hoc*, non *poſt hoc*. Minus etiam recte illi *ſplendor unius*, quam nos *unus*. Illis quoque adjiciendum *ſine initio & æqualis*.

[2] *Ipſius tamen caput eſt Pater, &c.*] *Pamelius ait*, Hæc ex iiſdem recens adjecimus haud dubie germana. Videtur tamen etiam hoc aut ſimile quid adjiciendum, *cumque filius ſit omnium auctor*. Et deinde ſubjungendum *ipſius tamen auctor eſt pater &c.* uſque ad illud *filium ſane*, quæ omnia illi non habent.

[3] *Ad hoc primo omnium illud dicimus.*] *Pamelius ait*, Hæc quoque ex illis repoſui pro *ad hæc*, &c. *dicemus*.

[4] *Ita & ſine exemplo eſt divina majeſtas.*] *Pamelius ait*, Illi *divinitas*.

[5] *Si ergo inſubſtantiva ſcintilla &c.*] *Pamelius ait*, Locum hunc antea mutilum ſic ex iiſdem ſupplevimus, & ante nos quoque Morelius, præterquam quod legat minus recte, *ſi ergo inſubſtantiva ſit illa quæ ignis eſt*.

[6] *Huic enim.*] *Pamelius ait*, Viciſſim ſic illi caſtigandi ſunt pro *hunc*.

uteri virginalis intellige. Et ſicut in ſancti Spiritus ſanctificatione nulla ſentienda eſt fragilitas: ita & in partu virginis nulla eſt intelligenda corruptio. Novus enim huic ſeculo datus eſt hic partus, nec immerito: qui enim in cœlis unicus filius eſt, conſequenter & in terra unicus filius eſt, quia & unice naſcitur. Nota ſunt omnibus & in Evangeliis decantata de hoc ſcripta Prophetarum qui dicunt, quod virgo concipiet & pariet filium. Sed & partus ipſius mirabilem modum Ezechiel Propheta ante formaverat; Mariam figuraliter portam Domini nominans, per quam ſcilicet, Dominus ingreſſus eſt in mundum. Dicit ergo hoc modo; Porta autem quæ reſpicit ad Orientem, clauſa erit: non aperietur, & nemo tranſibit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ipſe tranſibit per eam, & clauſa erit. Quid tam evidens dici [1] de conſervatione (*a*) virginis potuit? Clauſa fuit in ea virginitatis porta, per ipſam introivit Dominus Deus Iſrael, & per ipſam in hunc mundum utero virginis proceſſit: & in æternum porta virginis clauſa, ſervata virginitate, permanſit. Igitur Spiritus ſanctus refertur Dominicæ carnis & templi ejus creator.

Incipe hinc jam intelligere etiam ſancti Spiritus majeſtatem. Conteſtatur enim & Evangelicus ſermo de ipſo, quod cum loquenti Angelo ad virginem & dicenti: Quia paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum; hic enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis ſuis: illa reſpondiſſet: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Dixerit ei Angelus Dei: Spiritus ſanctus veniet ſuper te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Et ideo quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur filius Dei. [2] Vide ergo cooperantem ſibi invicem Trinitatem. Spiritus ſanctus venire dicitur ſuper virginem, & virtus altiſſimi obumbrare ei. Quæ eſt autem virtus altiſſimi, niſi ipſe Chriſtus, qui eſt Domini virtus & Domini ſapientia? Cujus autem hæc virtus? Altiſſimi, inquit. Adeſt ergo altiſſimus, adeſt virtus altiſſimi, adeſt Spiritus ſanctus. Hæc eſt trinitas ubique latens, ubique apparens, vocabulis perſoniſque diſcreta, inſeparabilis vero ſubſtantia deitatis. Quamvis ſolus filius naſcatur ex virgine, adeſt & Altiſſimus, adeſt & Spiritus ſanctus, ut & conceptus virginis ſanctificetur & partus.

Verum hæc quia ex ſcripturis Propheticis afferuntur, poſſunt forte Judæos quamvis ſint infideles & increduli confutare. Sed pagani ſolent ridere nos cum audiunt prædicari à nobis virginis partum: propter quod paucis & eorum obtrectationibus reſpondendum eſt. Omnis partus, ut opinor, ex tribus conſtat. Si adultæ ætatis ſit fœmina, ſi virum adeat, ſi non ſit [3] illius vulva vitio ſterilitatis obcluſa. Ex his tribus in hoc partu quem prædicamus, unum defuit: vir ſcilicet; & hanc partem (quia qui naſcebatur, non erat terrenus homo, ſed cœleſtis) per cœleſtem Spiritum dicimus, ſalva virginis incorruptione, completam. Et tamen quid mirum videtur ſi virgo conceperit; cum Orientis avem quam Phœnicem vocant, in tantum ſine conjuge naſci vel renaſci conſtet, ut ſemper & una ſit, & ſemper ſibi ipſa naſcendo vel renaſcendo ſuccedat? Apes certe neſcire conjugia, nec fœtus nixibus edere, omnibus palam eſt. Sed & alia nonnulla deprehenduntur uti hujuſcemodi ſorte naſcendi. Hoc ergo incredibile videbitur, divina virtute ad totius mundi redintegrationem factum; cujus exempla etiam in animalium nativitate cernuntur? Et tamen mirandum cur hoc gentilibus impoſſibile videatur, qui credunt Minervam ſuam de cerebro Jovis natam: quid ad credendum difficilius? aut quid magis contra naturam? Hic fœmina eſt, hic naturæ ordo ſervatur, hic conceptus & partus temporibus ſuis editus. Ibi nuſquam fœmineus ſexus, ſed vir ſolus & partus. Qui illa credit, cur iſta miretur? Sed & Liberum de femore ejus aſſerunt natum. Ecce aliud portenti genus, & tamen creditur. Venerem quoque, quam Aphroditem vocant, de ſpuma maris (ſicut etiam nominis ipſius compoſitio oſtendit) credunt (*b*) eſſe progenitam; de ovo natos Caſtorem Pollucemque confirmant; ex formicis Myrmidones: & alia mille ſunt, quæ contra rerum naturam venientia, ipſis tamen viſa ſunt credibilia: ut Deucalionis & Pyrrhæ lapides jactos, & hominum ex his ſegetem natam. Et cum hæc tot & talia figmenta crediderint, [4] unum eis verbum impoſſibile videtur quod adoleſcens fœmina divinum germen, non hominis vitio, ſed Deo inſpirante conceperit. Qui utique ſi ad credendum difficiles ſunt, illis tot & tam turpibus monſtris fidem nequaquam commodare debuerant: ſi vero faciles ſunt ad credendum, multo promtius hæc noſtra tam honeſta & tam ſancta recipere, quam illa tam indigna & tam fœda credere debuiſſent.

[5] Sed dicent fortaſſis, quia poſſibile quidem fuerit Deo ut virgo conciperet, poſſibile etiam fuerit Deo ut pareret; ſed indignum videri ut tanta illa majeſtas per genitales fœminæ tranſiret egreſſus: ubi quamvis nulla fuerit ex virili admixtione commixtio, fuit tamen ipſius puerperii obſcœnæ attrectationis injuria: pro quo pauliſper eis ſecundum ſenſum ſuum reſpondeamus. Si quis videat parvulum in profundo cœni necari, & ipſe cum ſit vir magnus & potens, extremis, ut ita dixerim, plantis ingrediatur cœnum, ut parvulum morientem liberet; pollutus ne à te accuſabitur hic vir, quod paululum luti calcaverit? an ut miſericors laudabitur, quod vitam contulerit morituro? Sed hæc etiam de communi homine dicta ſint. Redeamus nunc ad naturam ejus qui natus eſt. Quantum putas natura ſolis eo inferior eſt? quantum creatura ſine dubio creatore. Intuere nunc ſolis radios, [6] ſi in cœni alicujus voraginem demittantur, numquid inde jam aliquid pollutionis acquirunt? aut obſcœnorum illuſtratio ſolis ducitur in injuriam? Ignis quoque natura quanto eſt inferior his de quibus ſermo eſt? Et nulla materia vel obſcœna, vel turpis adhibita ei, ignem polluiſſe creditur. Cum ergo hæc ita eſſe in rebus materialibus conſtet; tu in illa ſupereminenti & incorporea natura, quæ ſuper omnem ignem & ſupra omne lumen eſt, pollutionis aliquid putas aut obſcœnitatis incidere? Tum deinde etiam illud adverte: Nos hominem à Deo creatum de terræ limo dici-

(*a*) Conſecratione, *O.* (*b*) Creditur, *O.*

[1] *De conſervatione Virginis.*] *Pamelius ait*, Etſi cum noſtris legat editio vetus *de conſecratione*; magis tamen illud Frobenii arridet. Placet etiam quod ille paulo poſt habet, *dixerit* pro *dixit*.

[2] *Vide ergo cooperantem ſibi invicem Trinitatem.*] *Pamelius ait*, Corruptiſſime antea erat, *ſimplicem Trinitatem*.

[3] *Illius vulva.*] *Pamelius ait*, Addimus hoc ex iiſdem cum Morelio. Item *& hanc partem*, pro eo quod erat corrupte, *& hoc patet*.

[4] *Unum eis verbum impoſſibile videtur.*] *Pamelius ait*, Non habet utraque Hieronymi editio *verbum*, & legunt *ſpirante*, pro *inſpirante*.

[5] *Sed dicent fortaſſis quia poſſibile quidem fuerit.*] *Pamelius ait*, Contra rectius ſic noſtra, quam Froben. cum Morelio, *ſed dicunt quia poſſibile ſi fuerat*, aut vet. edit. *poſſibile quidem fuerat*.

[6] *Si in cœni alicujus voraginem demittantur.*] *Pamelius ait*, Ita lego ex conjectura Cauchii & ex Froben. pro *dimittantur*, quamquam legat iſte omnia hæc in ſingulari numero cum vet. edit.

[1] Et

dicimus; quod si obscœnitas Deo reputatur opus suum requirenti, multo magis ei reputabitur opus illud ab initio fabricanti; & superfluum est dicere cur per obscœna transierit, cum non possis dicere, cur obscœna condiderit. Et ideo obscœna hæc esse, non natura sed observantia docuit. Ceterum quæ omnia sunt in corpore ex uno eodemque luto formata, usibus tantum & officiis naturalibus distinguuntur.

Sed nec illud quidem ab absolutione vacare (*a*) hujus quæstionis omittam; quod substantia Dei quæ per omnia incorporea est, inseri corporibus, vel capi ab eis principaliter non potest, nisi aliqua media sit substantia spiritalis, quæ capax esse divini spiritus possit. Verbi gratia, ut si dicamus: Lux omnia quidem membra corporis illustrare potest, à nullo tamen eorum nisi à solo oculo capi potest; solus enim oculus est qui capax sit lucis. Et filius ergo Dei nascitur ex virgine, non principaliter soli carni sociatus, sed anima inter carnem Deumque media generatus. Anima ergo media, & in secreta rationabilis spiritus arce verbum Dei capiente; absque ulla quam suspicaris injuria Deus natus est ex virgine. Et ideo nihil ibi turpe putandum est, ubi sanctificatio spiritus inerat, & anima quæ erat Dei capax, particeps fiebat etiam carnis. Nihil ibi dicas impossibile, ubi aderat virtus altissimi. Nihil de humana fragilitate cogites, ubi plenitudo inerat Deitatis.

Crucifixus sub Pontio Pilato, [1] et sepultus, descendit in inferna. Docet Apostolus Paulus, illuminatos debere esse oculos cordis nostri ad intelligendum [2] quæ sit altitudo, latitudo & profundum. Altitudo ergo & latitudo & profundum, descriptio (*b*) crucis est. Cujus eam partem quæ in terram defixa est, profundum appellavit; altitudinem vero illam quæ in aerem porrecta sublimis erigitur; latitudinem quoque illam quæ distenta in dexteram lævamque protenditur. Cum ergo tot species mortis sint, quibus de hac vita exitus dari hominibus solet; vult nos Apostolus illuminatos corde scire rationem, cur ex his omnibus crucis potius species ad mortem delecta sit Salvatoris. Unde sciendum est, quod crux ista triumphus erat: triumphi enim insigne est trophæum, trophæum autem devicti hostis indicium est. Quia ergo adveniens Christus, sicut Apostolus dicit, tria pariter sibi regna subjecit; hoc enim indicat, ubi ait: Quia & in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum, & hæc omnia sua morte vincebat: conveniens mysterio mors quæsita est; ut in aerem sublimatus, & aereas subjugans potestates, victoriam de his supernis & cœlestibus traderet; [3] expensas autem manus tota die (sicut sanctus Propheta dicit) tenderet ad populum incredibilem qui est (*c*) in terra, ut & incredulos contestaretur & invitaret credentes; ea vero parte quæ sub terram demergitur, inferna sibi regna subjiceret.

Etenim ut breviter aliqua etiam de secretioribus perstringamus, ab initio Deus cum fecisset mundum, præfecit ei & (*d*) proposuit quasdam virtutum cœlestium potestates, quibus regeretur & dispensaretur mortalium genus. Quod ita factum Moyses indicat in Deuteronomii cantico, ubi dicit: Cum divideret excelsus gentes, statuit terminos gentium secundum numerum Angelorum Dei; sed & horum nonnulli, sicut & ipse qui princeps appellatus est mundi, datam sibi à Deo potestatem non his quibus acceperant legibus temperarunt, nec humanum genus divinis obedire præceptis, sed suis parere prævarications docuerunt. Et hinc adversum nos peccatorum chirographa scripta sunt, quia, ut Propheta dicit, peccatis nostris venundati sumus. Pretium namque animæ suæ unusquisque consequitur, cum concupiscentiæ satisfecerit. Istud ergo uniuscujusque chirographum ab illis rectoribus pessimis tenebatur, quod Christus detraxit adveniens, & hac eos potestate nudavit (*e*); idque sub ingenti mysterio Paulus indicat, cum dicit de eo: Delens quod adversum nos erat chirographum, & affigens illud cruci suæ, traduxit principatus & potestates, triumphans eos in semetipso. Rectores ergo illi quos humano generi præfecerat Deus, in tyrannidis contumaciam versi, impugnare commissos sibi homines aggressi sunt, & peccati præliis debellare. Sicut Ezechiel Propheta mysticis designat eloquiis, cum dicit: In illa die procedent angeli festinantes exterminare Æthiopiam, eritque inter eos perturbatio in die Ægypti, quoniam ecce venit. Recte ergo eos omnipotentia nudatos (*f*) Christus dicitur triumphasse, ablatamque ab eis potestatem hominibus tradidisse. Sicut ad discipulos suos dicit ipse in Evangelio: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Illos itaque qui accepta potestate male abusi sunt, subjectis quondam suis subjicit crux Christi. Nos vero, hoc est, humanum genus edocet primo omnium usque ad mortem resistere adversus peccatum, & libenter interitum pro pietate suscipere. Tum deinde & obedientiæ (*g*) nobis in hac eadem cruce proponit exemplum, sicut illis qui aliquando rectores nostri fuerant, posuit contumaciæ pœnas. Audi ergo quomodo Apostolus vult per crucem Christi obedientiam nos docere: Hoc, inquit, sentite in vobis quod & in Jesu Christo, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem (*h*) hominum factus & habitu repertus ut homo, factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Quia ergo ille magnus magister est qui fecerit & docuerit, [4] ideo obedientiam quæ piis morte etiam suscepta (*i*) servanda est, docuit ipse prius pro hac moriendo servari.

Sed fortasse terreatur aliquis in hujuscemodi doctrina, quod quem paulo ante cum Deo patre diximus sempiternum, ac de ejus substantia esse progenitum, quemque regno, æternitate & majestate unum cum patre esse docuimus, nunc de ejus morte tractemus. Sed nolo terrearis, O fidelis auditor, paulo post istum quem audis mortuum, rursum videbis immortalem; mors

(*a*) Ad solutionem vocare, *O.* (*b*) *Sic O. Imp.* quæ sit altitudo latitudo & profundum, descriptio. (*c*) Teneret ad populum qui est, *O.* (*d*) Præfecit &, *O.* (*e*) Denudavit, *O.* (*f*) Recte venit ergo omnipotentia eorum nudata *O.* (*g*) Tunc deinde obed. *O.* (*h*) Similitudine, *O.* (*i*) Et suscepta morte, *O.*

[1] *Et sepultus.*] *Pamelius ait*, Prorsus hoc adjiciendum cum cod. patet tum ex eo quod infra dicit, *vis tamen verbi eadem videtur esse in eo quod sepultus dicitur*, tum quia D. Augustinus lib. de fide & symbolo, & rursum lib. 2 & 3. ad Catech. de symbolo, id legat & exponat.

[2] *Quæ sit altitudo.*] *Pamelius ait*, Adjicit cum illo Morelius *divinitatis*, verum neque habet Apostolus, neque huic loco convenit. Recte tamen illud addunt, *altitudo ergo, & latitudo, & profundum, descriptio crucis est.* Et deinde legunt *cujus* pro *crucis*.

[3] *Expensas autem manus, &c.*] *Pamelius ait*, Ita recte restituit hunc locum Cauchius, antea corruptissimum, tam in nostris quam illis edit. similiter & id quod sequitur, *ea vero parte quæ sub terram demergitur, inferna sibi regna subjiceret.*

[4] *Ideo obedientiam, &c.*] *Pamelius ait*, Longe aliter Froben. & vet. edit. *Ideoque prius etiam suscepta morte servanda docuit, ipse hæc primus moriendo servavit.*

[1] *Ut*

mors enim ab eo mortem ſpoliatura ſuſcipitur (*a*). Nam ſacramentum illud ſuſceptæ carnis, quod ſupra expoſuimus, hanc habet cauſam, [1] ut divina filii Dei virtus (*b*), velut hamus quidam habitu humanæ carnis obtectus, & (ſicut ante Apoſtolus (*c*) dixit) habitu repertus ut homo, principem mundi invitare poſſit ad agonem: cui ipſe carnem ſuam velut eſcam tradidit; ut hamo (*d*) eum divinitatis intrinſecus teneret inſertum, & effuſione (*e*) immaculati ſanguinis, qui (*f*) peccati maculam neſcit, omnium peccata deleret, eorum duntaxat qui cruore ejus poſtes fidei ſuæ ſignaſſent. Sicuti ergo hamum eſca conſeptum (*g*) ſi piſcis rapiat, non ſolum eſcam cum hamo non removet (*h*), ſed & ipſe de profundo eſca aliis futurus educitur: ita & is qui habebat mortis imperium, rapuit quidem in mortem (*i*) corpus Jeſu, non ſentiens in eo hamum divinitatis incluſum; ſed ubi devoravit, hæſit ipſe continuo, & diſruptis inferni clauſtris, velut de profundo extractus traditur (*k*), ut eſca ceteris fiat. Quod ita futurum ſub hac eadem figura & Ezechiel (*l*) dudum ſignaverat, dicens: Et extraham te in hamo meo, & extendam te ſuper terram: campi implebuntur de te, & conſtituam ſuper te omnes volucres cœli, & ſaturabo ex te omnes beſtias terræ. Sed & Propheta David dicit: Tu confregiſti capita draconis magni, dediſti eum in eſcam populi Æthiopum. Et Job de eodem myſterio ſimiliter proteſtatur; ait enim ex perſona Dei loquentis ad ſe: Aut adduces draconem in hamo, & pones capiſtrum circa nares ejus?

Non ergo damno aliquo aut injuria divinitatis Chriſtus in carne paſſus eſt (*m*), ſed ut per infirmitatem carnis operaretur ſalutem in medio terræ, Divina natura in mortem per carnem deſcendit; non ut lege mortalium detineretur à morte, ſed ut per ſe reſurrecturus januas mortis aperiret: velut ſi quis rex pergat ad gentem in qua proprios habeat captivitatis vinculo alligatos, devictaque ea carcerem intret, in quo vincti detinebantur; [2] & ingreſſus (*n*) aperiat januas, reſolvat catenas, vincula, ſeras, & clauſtra comminuat, & vinctos in remiſſionem educat, & eos qui ſedent in tenebris, & in umbra mortis luci ac vitæ reſtituat. Ergo dicitur rex fuiſſe quidem in carcere, non tamen ea conditione qua ceteri qui tenebantur incluſi (*o*): ſed illi quidem ut pœnas ſolverent, hic vero ut abſolveret pœnas.

Cautiſſime autem qui ſymbolum tradiderunt, etiam tempus quo hæc ſub Pontio Pilato geſta ſunt, deſignaverunt: ne ex aliqua parte velut vaga & incerta geſtorum traditio vacillaret. Sciendum ſane eſt quod in Eccleſiæ Romanæ ſymbolo non habetur additum: DESCENDIT AD INFERNA, ſed neque in Orientis Eccleſiis habetur hic ſermo: vis tamen verbi eadem videtur eſſe in eo quod (*p*) ſepultus dicitur. Sed quoniam tibi erga ſcripturas divinas amor & ſtudium ſubjacet, ſine dubio dicis mihi oportere hæc magis evidentibus Scripturæ divinæ teſtimoniis approbari. [3] Quanto enim majora (*q*) ſunt quæ credenda ſunt; tanto idoneis magis & (*r*) indubitatis teſtibus indigere, vera eſt & conſequens propoſitio. Sed nos tanquam ſcientibus legem loquentes, teſtimoniorum ſylvam brevitatis cauſa reliquimus (*s*); pauca tamen ex multis, ſi etiam hoc requiritur, adhibemus (*t*) ſcientes ſtudioſis quibuſque (*v*) in Scripturis divinis latiſſimum teſtimoniorum pelagus patere.

Primo ergo omnium ſciendum eſt, quod ipſa ratio crucis non omnibus una eademque eſt, ſed aliud gentibus (*x*), aliud Judæis, aliud credentibus ſapit, ſicut & Apoſtolus dicit: Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam; ipſis vero vocatis Judæis & Græcis Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Et alibi (*y*): Verbum enim crucis, [4] pereuntibus quidem ſtultitia eſt, his vero qui ſalvi fiunt, virtus Dei eſt. Judæi ergo quibus ex lege traditum fuerat, Chriſtum in æternum manſurum, ſcandalum patiebantur de cruce ejus; quia reſurrectionem ejus recipere noluerunt. Gentibus autem ſtultitia videbatur, Deum (*z*) mortem ſuſcepiſſe, quia ignorabant myſterium carnis aſſumtæ. Fideles vero qui & natum & paſſum in carne receperant, & à mortuis reſurrexiſſe; merito virtutem Dei credebant eſſe, quæ vicerat mortem. Primo ergo hoc ipſum, quod Judæi quibus Prophetæ hæc prædixerant, non eſſent crediturі, ſed illi qui nunquam hæc à Prophetis audierant: audi quomodo (*aa*) [5] Prophetico ſermone ſignatur. Quibus non eſt, inquit, annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent. Quod autem his qui meditabantur legem Dei à pueritia uſque ad (*bb*) ſenectutem non credentibus, ad gentes eſſet omne myſterium transferendum, Eſaias (*cc*) hoc modo prædicit: Et faciet, inquit Dominus Deus ſabaoth omnibus gentibus in monte iſto inveniri lætitiam, bibent vinum, ungentur unguento (*dd*): trade hæc omnia gentibus. Hoc enim conſilium Dei omnipotentis ſuper omnes gentes. Sed dicent fortaſſe nobis illi qui ſe jactant in ſcientia legis: Blaſphematis, qui ſic dicitis Dominum corruptioni mortis ſubjectum & paſſioni crucis fuiſſe. Legite ergo quod ſcriptum habetis in Lamentationibus Hieremiæ, ubi dicit: Spiritus vultus noſtri Chriſtus Dominus, comprehenſus eſt in corruptionibus noſtris: in quo diximus, ſub umbra ejus vivemus in gentibus. Audis quomodo Propheta dicit Chriſtum dominum comprehenſum eſſe, & pro nobis, id eſt, pro peccatis noſtris corruptioni traditum. In cujus umbra quoniam populus ille qui permanſit incredulus, abjectus eſt, dicit quia vivemus non in Iſrael, ſed in gentibus.

Quod ſi operoſum non videtur, quam poſſumus breviter, ſingula quæ in Evangeliis referuntur, qualiter in Prophetis prædicta ſunt deſignemus; ut hi qui prima fidei elementa ſuſcipiunt, teſtimonia hæc habeant in corde deſcripta, ut nulla (*ee*) eis unquam de his quæ credunt ambiguitas inimica ſurripiat. Edocemur per Evangelium quod Judas unus de amicis & convivis Chriſti, tradiderit (*ff*) eum. Audi quomodo hoc prænuntietur in Pſalmis: Qui manducat (*gg*), inquit, panes meos, ampliabit (*hh*) adverſum me ſupplantationem.

(*a*) Spoliatam ſuſcipit, *O.* (*b*) Filii virtus, *O.* (*c*) Apoſtolus Paulus, *O.* (*d*) Tradens; hamo, *O.* (*e*) Profuſione, *O.* (*f*) Solus eſt enim, qui, *O.* (*g*) Contectum, *O.* (*h*) Vomet, *O.* (*i*) Morte, *O.* (*k*) Trahitur, *O.* (*l*) Ezechiel propheta, *O.* (*m*) Patitur, *O.* (*n*) Ingreſſus, carcerem, *O.* (*o*) In carcere, *O.* (*p*) Et in eodem, *O.* (*q*) Magna, *O.* (*r*) Idoneis &, *O.* (*s*) Derelinquimus, *O.* (*t*) Adhibebimus, *O.* (*v*) Quibuſcunque, *O.* (*x*) Gentilibus, *O.* (*y*) Scriptum eſt, *O.* (*z*) Dominum, *O.* (*aa*) Quomodo per Eſaiam, *O.* (*bb*) Uſque in, *O.* (*cc*) Idem Eſaias, *O.* (*dd*) In monte iſto, *O.* (*ee*) Ne ulla, *O.* Tradidit, *O.* (*ff*) Manducabat, *O.* (*gg*) Ampliavit, *O.* (*hh*) Amici, inquit, *O.*

[1] *Ut divina filii Dei virtus.*] *Pamelius ait*, Hunc locum antea corruptiſſimum ex illis reſtituimus, omiſſis vocibus, *erat*, *ergo*, *ut*, & legentes *poſſit*, pro *poſſet*.

[2] *Et ingreſſus aperiat januas.*] *Pamelius ait*, Hoc adjeci ex illis, quibuſcum etiam & cum Morelio lego *reſolvat catenas*, *vincula*, *ſeras*, & *clauſtra comminuat*.

[3] *Quanto enim majora ſunt.*] *Pamelius ait*, Hoc cum Morelio ex iiſdem pro *magna* adjecimus etiam vocem *magis*.

[4] *Pereuntibus quidem.*] *Pamelius ait*, Viciſſim illis adjiciendum *quidem*, quia id habet Apoſtolus.

[5] *Prophetico ſermone ſignatur.*] *Pamelius ait*, Ex illis hoc repoſui, pro *ſignantur*.

[1] *Et*

tionem. Et alibi: Amici (*a*) mei & proximi mei adverſum me appropinquaverunt & ſteterunt. Et iterum: Molliti ſunt ſermones ejus ſuper oleum, [1] & ipſi ſunt (*b*) jacula. Vis videre quomodo molliti ſunt? Venit, inquit, Judas ad Jeſum, & dixit ei: Ave Rabbi, & oſculatus eſt eum. Per molle ergo oſculi blandimentum, execrabile jaculum proditionis infixit. Unde (*c*) & Dominus ad eum dixit: Juda oſculo filium hominis tradis? Triginta argenteis audis eum appretiatum eſſe cupiditate proditoris. Audi & de hoc Propheticam vocem: Et dixi, inquit, ad eos: Si bonum eſt in conſpectu veſtro, date mercedem meam [2] aut abnuite. Et poſt hæc: Et accepi, inquit, triginta argenteos, & miſi eos in domum Domini in conflatorium. Nonne hoc eſt quod in Evangeliis ſcribitur, quia Judas pœnitentia ductus reportavit pecuniam, & projecit eam in templo, & diſceſſit? Bene autem mercedem ſuam dicit, velut imputantis & exprobrantis affectu. Etenim tam multa opera bona apud eos egerat: Cæcos eorum illuminaverat; claudis pedes, paralyticis greſſum, mortuis quoque reddiderat vitam. Pro iis (*d*) ergo omnibus bonis mercedem reſtituunt ei (*e*), mortem triginta argenteorum æſtimatione penſatam. Refertur item in Evangeliis, quod vinctus ſit (*f*). Prædixit hoc ſermo Propheticus per Eſaiam, dicens: Væ animæ ipſorum, quia cogitaverunt cogitationem peſſimam adverſum ſeipſos, dicentes: Alligemus juſtum, quia inutilis eſt nobis.

Sed dicet aliquis: Numquid hæc de Domino intelligenda ſunt? Numquid Dominus ab hominibus teneri poterat, & (*g*) in judicium protrahi? Et de hoc te idem Propheta convincet, dicit enim his verbis: Ipſe Dominus in judicium veniet cum ſenioribus & principibus populi. Judicatur ipſe Dominus ſecundum Prophetæ teſtimonium, & non ſolum judicatur, ſed & flagellis cæditur, & palmis in faciem verberatur, & conſpuitur, & omnem pro nobis perfert indignitatis injuriam. Et quia hæc ſtupenda (*h*) erant omnibus cum prædicarentur ab Apoſtolis, idcirco etiam ex perſona ipſorum Propheta exclamat & dicit: Domine, quis credidit auditui noſtro? Incredibile enim eſt ut Deus Dei filius iſta pertuliſſe dicatur & prædicetur (*i*). Et ideo prædicuntur per Prophetas, ne qua crediturus dubitatio naſceretur. Ipſe ergo ex ſua perſona Chriſtus Dominus dicit: Dorſum meum dedi flagellis (*k*), & maxillas meas ad palmas, & faciem meam non averti à confuſione ſputorum. Scribitur etiam illud inter ceteras paſſiones ejus, quod alligantes eum duxerunt ad Pilatum: præſignavit etiam hoc Propheta ubi dicit: [3] Et alligantes adduxerunt eum xenium Regi Jarim: niſi ſi objiciat aliquis & dicat, Sed Pilatus non erat rex. Audi ergo quid in ſequentibus (*l*) Evangelium refert: Audiens, inquit, Pilatus eum eſſe de Galilæa, miſit eum ad Herodem, qui erat tunc rex in Iſrael. Et bene addidit nomen Jarim, quod eſt ſylveſter. Non enim erat Herodes de domo Iſrael, nec de illa vinea Iſraelitica, quam eduxerat Dominus de Ægypto, & plantaverat in cornu in loco uberi: ſed erat ſylveſter, id eſt, ex ſylva alienigenarum. Et ideo ſylveſter appellatur (*m*), quaſi qui de Iſraeliticæ vitis nequaquam palmitibus pullulaſſet. Sed & quod ait (*n*) Propheta, xenium, convenienter aptavit. Tunc enim Herodes & Pilatus (ut Evangelium teſtatur) ex inimicis in concordiam revocati ſunt; & velut reconciliationis ſuæ xenium, [4] vinctum ſibi invicem mittebant Jeſum. Quid intereſt dummodo Jeſus ubique ut ſalvator diſſidentes reconciliet, pacem reparet, concordiam reddat? Unde etiam de hoc ſcriptum eſt in Job: Dominus reconciliat corda principum terræ.

Refertur item quod cum Pilatus vellet eum dimittere, omnis populus clamaverit: Crucifige, crucifige eum. Prænunciat hoc Hieremias Propheta, dicens ex perſona Domini ipſius: Facta eſt, inquit, hæreditas mea mihi, ſicut leo in ſylva. Dedit ſuper me vocem ſuam, propterea exoſus ſum eam. Et propter hoc (*o*), inquit, dereliqui domum meam. Et iterum alibi dicit: Super quem aperuiſtis os veſtrum, & adverſus quem relaxaſtis linguas veſtras. Cum judicaretur, ſcribitur tacuiſſe. Multæ de hoc ſcripturæ teſtantur; in Pſalmis dicitur: Factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo increpationes. Et iterum: Ergo autem ſicut ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens (*p*) os ſuum. Et iterum alius Propheta: Sicut agnus coram tondente ſe, ſic non aperuit os ſuum. In humilitate judicium ejus ſublatum eſt. Impoſita ei ſcribitur corona ſpinea. Audi de hoc in Canticis Canticorum, ſuper iniquitates Hieruſalem mirantis de injuria filii patris vocem, & dicentis: Exite & videte filiæ Hieruſalem coronam qua coronavit eum mater ſua. Sed & de ſpinis ita alius Propheta commemorat: Et expectavi ut faceret uvam, fecit autem ſpinas, & non juſtitiam, ſed clamorem. Verumtamen ut myſterii ſecreta cognoſcas: oportebat eum, inquam, qui peccata mundi venit auferre, etiam terræ maledicta purgare; quæ protoplaſto peccante, ſententiam prævaricationis acceperat, dicente Domino: Maledicta terra in operibus tuis, ſpinas & tribulos producet tibi. Propterea ergo ſpinis coronatur Jeſus, ut prima illa condemnationis ſententia ſolveretur. Ad crucem ducitur, & in ligno totius mundi vita ſuſpenditur. Vis & de hoc Propheticis teſtimoniis confirmari? Audi Hieremiam dicentem: Venite, & injiciamus lignum in panem ejus, & conteramus eum de terra viventium. Et iterum: Moyſes velut (*q*) deflens eos dicit: Et erit vita tua ſuſpenſa ante oculos tuos, & timebis per diem (*r*) & noctem, & non credes vitæ tuæ. Sed tranſcurrendum nobis eſt, jam enim propoſitæ brevitatis excedimus modum, & breviatum ſermonem longa diſſertatione diſtendimus; pauca tamen addemus, ne penitus quod cœpimus præteriſſe videamur.

Scribitur Jeſus in latere percuſſus, aquam ſimul & ſanguinem profudiſſe. Hoc quidem myſticum eſt; ipſe enim dixerat, quia flumina de ventre ejus procedent aquæ vivæ, ſed produxit & ſanguinem, quem petierant Judæi venire ſuper ſe & filios (*s*) ſuos. Produxit ergo aquam (*t*), quæ credentes diluat: produxit ſanguinem (*v*), qui condemnet incredulos. Poteſt tamen etiam (*x*) intelligi, quod duplicem gratiam baptiſmi figuraverit, unam quæ datur per aquæ baptiſmum: aliam quæ per martyrium profuſione ſanguinis quæritur; utrum-

(*a*) Amici, inquit, *O.* (*b*) Erant, *O.* (*c*) Inde *O.* (*d*) His, *O.* (*e*) Ejus reſtituunt, *O.* (*f*) Eſt, *O.* (*g*) Et ad, *O.* (*h*) Obſtupeſcenda, *O.* (*i*) Filius paſſus iſta dicatur, *O.* (*k*) Ad flagella, *O.* (*l*) Conſequentibus, *O.* (*m*) Eſt appellatus, *O.* (*n*) Dixit, *O.* (*o*) Propterea, *O.* (*p*) Qui non aperuit, *O.* (*q*) Ut, *O.* (*r*) Timebis diem, *O.* (*s*) Super filios, *O.* (*t*) Produxit aquam, *O.* (*v*) Et ſanguinem *O.* (*x*) Tamen illud, *O.*

[1] *Et ipſi ſunt jacula.*] *Pamelius ait*, Illi *ſtant*. Legit etiam Frobenius *audire* pro *videre*: quod tamen etiam habet vetus editio.

[2] *Aut abnuite & poſthæc, &c.*] *Pamelius ait*, Recte ſic illi cum 70. quos ſecutus Morelius, præterquam quod retinuerit *abite*, pro *abnuite*, non recte.

[3] *Et alligantes adduxerunt eum xenium Regi Jarim.*] *Pamelius ait*, Prorſus ſic legendum cum illis pro eo quod alii *ad xenium regis*. Non potui autem reperire unde hoc ſumtum ſit. Eſt haud dubie juxta 70.

[4] *Vinctum ſibi invicem mittebant.*] *Pamelius ait*, Contra ſic illi caſtigandi pro *juſtum*.

utrumque enim baptiſmum nominatur. Quod ſi & hoc quæris cur non ex alio membro, ſed ex latere potius produxiſſe dicatur aquam & ſanguinem. Videtur mihi in latere per coſtam mulier indicari, quia fons peccati & mortis de muliere prima [1] quæ fuit primi Adam coſta, proceſſit; fons redemtionis ac vitæ de ſecundi Adam coſta producitur.

Scriptum eſt quod in paſſione ejus ab hora ſexta uſque ad horam nonam tenebræ factæ ſunt. [2] Accipe & de hoc Prophetæ teſtimonium dicentis: Occidet tibi ſol meridie. Et iterum Zacharias Propheta: In illa, inquit, die non erit lux, ſed frigus & pruina erit in una die; & dies ille notus Deo, & neque dies neque nox, & ad veſperam erit lux. Quid tam evidens à Propheta dici potuit? Ut jam tum (*a*) hæc, non tam futura prædici quam narrari præterita videantur, etiam pruinam & frigus prædixit. Propterea enim Petrus calefaciebat ſe ad ignem, quia frigus erat, & frigus patiebatur, non ſolum temporis, ſed & fidei. Addidit etiam: Et dies illa nota Domino, neque dies, neque nox. Quid eſt, neque (*b*) dies neque nox? Nonne aperte de inſertis diei tenebris & revocata rurſum luce diſſeruit? Non fuit illa dies, neque enim cœpit ab ortu ſolis, neque integra nox fuit; non enim peracto diei curſu, [3] ſpatia ſibi debita vel ab initio ſuſcepit, vel ad ultimum terminata (*c*) perduxit, ſed fugata per impiorum facinus lux reparatur ad veſperam. Poſt horam enim nonam depulſis tenebris ſol redditur mundo. Et iterum alius (*d*) de hoc ipſo teſtimonium dicit: Obſcurabitur (*e*) ſuper terram in die lux.

Docet Evangelii prædicatio quod etiam milites diviſerunt ſibi veſtimenta Jeſu, & ſupra tunicam ejus miſerunt ſortem. Sed nec de illa quidem veſte quam dicuntur milites illudentes induiſſe eum, id eſt, de veſte coccinea Prophetæ ſiluerunt. Audi enim quid dicit Eſaias: Quis eſt iſte qui venit de (*f*) Edom, rubor veſtimentorum ejus [4] ex Boſor? Quare rubicunda ſunt veſtimenta tua, & indumentum tuum [5] tanquam à torculari calcato? Unde & ipſe reſpondit: [6] Torcular calcavi ſolus filius Sion; ſolus eſt enim qui peccatum non fecit, & abſtulit peccata (*g*) mundi. Si enim potuit per unum hominem mors introire: quanto magis per unum hominem qui & Deus erat, potuit vita reſtitui?

Refertur etiam quod aceto potatus ſit vel vino myrrhato, quod eſt amarius felle. Audi quid de hoc Propheta prædixerit. Et dederunt, inquit, in eſca mea fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto. Atque reſpondens jam tunc Moyſes dicebat de populo illo: Ex vineis Sodomorum vitis eorum, & palmes eorum de Gomorrha. Uva eorum uva fellis, botrus amaritudinis ipſis. Et iterum exprobrans eos, dicit: Populus ſtultus & non ſapiens, hæc Domino (*h*) retribuiſti? [7] Sed & in Canticis Canticorum eadem (*i*) prænunciantur, ubi etiam hortus in quo crucifixus eſt deſignatur, dicit ergo: Intravi in hortum meum, ſoror mea ſponſa, & vindemiavi myrrham meam. Ubi evidenter vinum myrrhatum quo potatus eſt declaravit.

Spiritum poſt hæc ſcribitur reddidiſſe. Prænunciatum fuerat & hoc per Prophetam dicentem ex perſona filii ad patrem: In manus tuas commendo ſpiritum meum. Sepultus quoque perhibetur, & lapis magnus poſitus ad (*k*) oſtium monumenti. Accipe etiam de hoc quid propheticus per Hieremiam ſermo prædixerit: Mortificaverunt, inquit, in lacu vitam meam, & poſuerunt lapidem ſuper me. Evidentiſſima hæc ſepulturæ ejus indicia Propheticis vocibus deſignata ſunt; accipe tamen & alia: A conſpectu, inquit, iniquitatis ablatus eſt juſtus, & erit in pace locus ejus. Et alibi: Et dabo malignos in ſepultura ejus. Item alius: Recumbens (*l*) dormivit ut leo, & ut catulus leonis: quis ſuſcitabit eum?

Sed & quod in infernum deſcendit, evidenter prænunciatur in Pſalmis, ubi dicit: Et in pulverem mortis deduxiſti me. Et iterum: Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendero (*m*) in corruptionem? Et iterum: Deſcendiſti (*n*) in limum profundi, & non eſt ſubſtantia. Sed & Joannes dicit: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Unde & Petrus dixit: Quia Chriſtus mortificatus carne, vivificatus autem ſpiritu. In ipſo (ait) (*o*) eis qui in carcere incluſi (*p*) erant, deſcendit ſpiritibus prædicare, qui increduli fuere in diebus Noe, in quo etiam quid operis egerit in inferno, declaratur. Sed & ipſe Dominus per Prophetam dicit, tanquam de futuro, Quia non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Quod rurſus Prophetice nihilominus oſtendit impletum, cum dicit: Domine, eduxiſti ab inferno animam meam, ſalvaſti me à deſcendentibus in lacum. Sequitur poſt hæc (*q*):

TERTIA DIE RESURREXIT A MORTUIS: Reſurrectionis quippe gloria in Chriſto, omne quod infirmum & fragile videbatur abſolvit. Si tibi paulo ante non videbatur eſſe poſſibile uſque ad mortem veniſſe immortalem; aſpice nunc quia qui devicta morte reſurrexiſſe dicitur, non poteſt eſſe mortalis: ſed bonitatem in hoc intellige creatoris, quia eouſque ille miſerando (*r*) deſcendit, uſquequo tu peccando dejectus es. Nec creatorem omnium Deum impoſſibilitatis accuſes, ut ibi putes opus ejus caduco lapſu potuiſſe concludi, quo ille [8] id reparaturus pervenire non poſſet: inferna & ſuperna nobis dicuntur, qui certa corporis circumſcriptione concluſi, intra præſcriptæ nobis legis terminos continemur. Deo autem qui ubique eſt, & nuſquam deeſt, quod infernum eſt, aut quod (*ſ*) ſupernum, patet. Verumtamen in aſſumtione corporis etiam iſta complentur. Reſuſcitatur caro quæ depoſita erat (*t*) in ſepulcro, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam: Quia non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Rediit (*u*) ergo victor à mortuis, inferni ſecum ſpolia trahens; eduxit enim eos qui tenebantur à morte, ſicut & ipſe prædixerat, ubi ait: Cum exaltatus fuero à terra, omnia (*x*) ad me traham.

Atte-

(*a*) Uti jam hæc, *O.* (*b*) Quod, neque *O.* (*c*) Produxit, *O.* (*d*) Aliud, *O.* (*e*) Et obſcurabitur, *O.* (*f*) Hic qui venit ex Edom, *O.* (*g*) Peccatum, *O.* (*h*) Retribuiſtis, *O.* (*i*) Pronunciantur, *O.* (*k*) Appoſitus ante, *O.* (*l*) Recubans, *O.* (*m*) Deſcendo, *O.* (*n*) Deſcendi, *O.* (*o*) In infernum ſine dubio abiit, *O.* (*p*) Concluſi, *O.* (*q*) Hoc, *O.* (*r*) Sepeliendo, *O.* (*ſ*) Quid infernum eſt, aut quid, *O.* (*t*) Repoſita fuerat, *O.* (*u*) Redit, *O.* (*x*) Fuero, omnia, *O.*

[1] *Quæ fuit primi Adam coſta.*] *Pamelius ait*, Recte pro *prima*, ſupplevit etiam Morelius quod hic deerat.

[2] *Accipe & de hoc.*] *Pamelius ait*, Adjicio &, quomodo & paulo poſt *tum.*

[3] *Spatia ſibi debita.*] *Pamelius ait*, Etiam voculam *ſibi*, & rurſum *perduxit* cum.

[4] *Ex Boſor.*] *Pamelius ait*, Cod. *Boſra*, at illud habent Lxx.

[5] *Tanquam à torculari calcato.*] *Pamelius ait*, Morelius *in torculari calcatum.* Verum illud habent Lxx. & ex Græco ad verbum Cyprianus ſupra Epiſt. 63.

[6] *Torcular calcavi ſolus.*] *Pamelius ait*, Quum iſtud non ſit reperire apud 70. ſed in verſione Hieronymi, præterquam illud *filia Sion*, videtur mihi alludere Ruffinus ad illud Thren. 1. *Torcular calcavit Dominus virginis filiæ Juda.* Atque adeo non recte legunt alii *filii.*

[7] *Sed & in Canticis Canticorum.*] *Pamelius ait*, Non habent illi *Canticorum.*

[8] *Id reparaturus.*] *Pamelius ait*, Illi *ſalutem operaturus*, ſed minus placet. Contra rectius ille *certa*, quam *certe.*

[1] *Per*

Atteſtatur autem Evangelium de hoc, cum dicit: Quia monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum dormientium reſurrexerunt & apparuerunt multis, & ingreſſi ſunt ſanctam civitatem illam, de qua Apoſtolus dicit: Quæ autem ſurſum eſt Hieruſalem libera eſt, quæ eſt mater omnium noſtrum. Sicut & ad Hebræos (*a*) dicit: Decebat enim propter quem omnia, & per quem omnia, multos filios in gloriam adducentem, auctorem ſalutis eorum, per paſſiones conſummari. Igitur conſummatam paſſionibus carnem humanam, quæ in mortem ceciderat per protoplaſti (*b*) lapſum, reſurrectionis virtute reparatam, in dextera ſedis Dei altiſſimi collocavit. Unde & Apoſtolus dicit: Qui ſimul conſuſcitavit (*c*) nos, ſimulque ſedere fecit in cœleſtibus locis, hic enim erat figulus, qui (ut Hieremias docet Propheta) vas de manu ſua collapſum & confractum, rurſum elevavit manibus ſuis, & reformavit ſicut placuit in conſpectu ejus. Placuit autem ita, ut corpus quod mortale & corruptibile ſuſceperat, de ſepulcri petra levatum, & immortale atque incorruptibile effectum, jam non in terrenis, ſed in cœleſtibus & in patris dextra collocaret. Plenæ ſunt de his ſacramentis ſcripturæ veteris Teſtamenti. Nullus ſuper his (*d*) Propheta, nullus legiſlator aut pſalmographus ſiluit, ſed omnis pene ſacra de his loquitur pagina: & ideo ſuperfluum videtur immorari nos ad congreganda teſtimonia. Pauca tamen & admodum pauca ponemus, ad ipſos fontes divinorum voluminum remittentes eos, qui potare abundantius cupiunt.

Dicit ergo ſtatim in Pſalmis: Ego dormivi, & ſomnum cepi, & (*e*) reſurrexi, quoniam Dominus ſuſcepit me. Et iterum in alio loco: Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exſurgam, dicit Dominus. Et alibi ſicut jam ſuperius diximus: Domine, eduxiſti de inferno animam meam: ſalvaſti me à deſcendentibus in lacum. Et in alio: Quoniam converſus vivificaſti me, & de abyſſo terræ iterum reduxiſti me. Evidentiſſime autem in octogeſimo & ſeptimo Pſalmo de eo dicitur: Et factus ſum ſicut homo ſine adjutorio, inter mortuos liber. Non dixit homo, ſed ſicut homo. Sicut homo enim erat, quia etiam (*f*) deſcenderat in infernum: ſed inter mortuos liber erat, quia à morte teneri non poterat. Et ideo in una natura humanæ fragilitatis, in alio divinæ majeſtatis poteſtas (*g*) oſtenditur: Oſee autem Propheta etiam de tertia die manifeſtiſſime prænunciat hoc modo: Sanabit nos, inquit, poſt biduum: in die autem tertia reſurgemus & vivemus in conſpectu ejus. Hæc autem ex perſona eorum dicit, qui cum ipſo die tertia reſurgentes, de morte revocantur ad vitam: & ipſi ſunt qui dicunt: die tertia reſurgemus, & vivemus in conſpectu ejus. Eſaias vero aperte dicit: [1] Qui educit de terra paſtorem magnum ovium. Sed & quod mulieres (*h*) viſuræ eſſent reſurrectionem ejus, Scribis & Phariſæis & populo non credentibus, etiam hoc prædixit Eſaias his verbis: Mulieres quæ venitis ab ſpectaculo venite: non enim eſt populus habens intellectum. Sed & de illis quæ poſt reſurrectionem perrexiſſe ad ſepulcrum dicuntur & quæſiſſe eum, & non inveniſſe: ſicut Maria Magdalena refertur veniſſe ad monumentum ante lucem, & non invento eo, flens dixiſſe ad angelos qui aderant: Quia tulerunt Dominum, & neſcio ubi poſuerunt eum: Etiam de hoc ita prædicitur in Canticis Canticorum: In cubili meo quæſivi quem dilexit anima mea, in noctibus quæſivi eum, & non inveni eum. De illis quoque quæ invenerunt eum, & tenuerunt pedes ejus, prædicitur in Canticis Canticorum: Tenebo eum, & non dimittam eum quem dilexerit anima mea. Hæc interim pauca de multis; brevitati enim ſtudentes plura coacervare non poſſumus.

ASCENDIT IN COELOS, SEDET AD DEXTERAM PATRIS: INDE VENTURUS EST JUDICARE VIVOS ET MORTUOS. Conſequenti brevitate in fine ſermonis hæc continentur; in quibus quod dicitur quidem palam eſt, ſed requiritur (*i*) quo ſenſu intelligi debeant quæ dicuntur. Nam aſcendiſſe & ſedere (*k*) & venturum eſſe, niſi ſecundum dignitatem divinitatis intelligas, aliquid per hæc humanæ fragilitatis videbitur indicari. Conſummatis etenim his quæ in terra gerebantur, & animabus de inferni captivitate revocatis, aſcendere memoratur ad cœlos, ſicut Propheta prædixerat: Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Illa ſcilicet dona, quæ Petrus in Actis (*l*) Apoſtolorum de Spiritu ſancto dicebat: Exaltatus ergo dextera Dei, effudit (*m*) hoc donum quod vos auditis & videtis. Donum ergo Spiritus ſancti hominibus dedit: quia captivitatem, quam prius diabolus per peccatum deduxerat in infernum, Chriſtus per mortis ſuæ reſurrectionem revocavit ad cœlum (*n*). Aſcendit ergo ad cœlos, non ubi verbum Deus ante non fuerat: quippe qui erat ſemper in cœlis, & manebat in patre; ſed ubi verbum caro factum ante non ſederat (*o*). Denique quia novus iſte ingreſſus portarum cœli ædituis & principibus videbatur, videntes naturam carnis cœlorum ſecreta penetrantem, dicunt ad invicem, ſicut David plenus Spiritu ſancto enunciat (*p*): Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Quæ vox utique non propter divinitatis potentiam, ſed propter novitatem carnis aſcendentis ad dexteram Dei ferebatur. Dicit & alibi idem David: Aſcendit Deus in jubilatione, Dominus in voce tubæ. In voce enim tubæ, moris victorum eſt (*q*) redire de prælio. De ipſo quoque & aliàs dicitur: Qui ædificat in cœlo aſcenſum ſuum. Etiam alibi: Qui aſcendit ſuper Cherubim & volavit, volavit ſuper pennas ventorum.

Sedere quoque ad dexteram patris, carnis aſſumtæ myſterium eſt: neque enim incorporeæ illi naturæ convenienter iſta abſque aſſumtione carnis aptantur: neque ſedis cœleſtis profectum divina natura, ſed humana conquirit. Unde & dicitur de eo: Parata ſedes tua Domine, ex tunc à ſeculo tu es. Parata ergo à ſeculo ſedes eſt, in qua ſeſſurus erat is in cujus nomine omne genu flectitur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Et omnis lingua confitebitur (*r*) ei, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria Dei patris eſt. De quo & David ita refert; Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. Quæ tamen dicta Dominus in Evangelio

(*a*) Iterum, *O.* (*b*) Carnem atque in ea protoplaſti lapſum. (*c*) Reparatum in dextra Dei ſedens in altiſſimis collocavit. Ut & Ap. dicit, quod ſimul excitavit, *O.* (*d*) Hoc, *O.* (*e*) Soporatus ſum & exſurrexi, *O.* (*f*) Qui etiam, *O.* (*g*) Majeſtatis oſtenditur, *O.* (*h*) *Sic O. Imp.* mulieres quod. (*i*) Sequitur, *O.* (*k*) *Sic O. Imp.* Sediſſe, *O.* (*l*) Actibus, *O.* (*m*) Igitur in dexteram Dei, & ſubdit, *O.* (*n*) Cœlos, *O.* (*o*) Aſcenderat, *O.* (*p*) Spiritu denunciat, *O.* (*q*) Mos eſt victorem, *O.* (*r*) Confitetur, *O.*

[1] *Per paſſiones conſummari.*] *Pamelius ait*, Prorſus hoc cum illis lego, tum quia Græce eſt διὰ παθημάτων, tum quod ſequatur *paſſionibus*.

[2] *Qui educit.*] *Pamelius ait*, Ille *eduxit*, utra lectio ſit verior neſcio. Quum neque Eſaiæ 40. quod adnotarunt in margine Manuſc. & Morel. neque alibi hanc ſcripturam reperire potuerim; ſicut nec illud quod ſequitur, *mulieres quæ venitis*, &c. niſi forte illud ita tranſlatum fuerit ab Aquila, Symmacho, aut Theodotione illo loco.

gelio differens, dicebat ad Phariſæos: Si ergo David in ſpiritu Dominum eum vocat, quomodo filius ejus eſt? Per quod ſe oſtendit ſecundum ſpiritum Dominum, ſecundum carnem filium eſſe David. Unde & ipſe Dominus iterum dicit: Veruntamen dico vobis, à modo videbitis filium hominis ſedentem à dextris (*a*) virtutis Dei. Et Petrus Apoſtolus dicit de Chriſto: [1] Qui eſt in dextera Dei, ſedens in cœlis. Sed & Paulus ad Epheſios ſcribens: Secundum operationem, inquit, potentiæ virtutis ejus, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans eum à mortuis, & ſedere faciens in dextera ſua.

Quod autem veniat judicaturus vivos & mortuos, multis quidem divinarum ſcripturarum teſtimoniis edocetur (*b*): ſed priuſquam propheticis hæc eloquiis prædicta doceamus, illud neceſſario arbitror admonendum, quod iſta fidei traditio quotidie nos vult de adventu judicis eſſe ſollicitos; ut actus noſtros ita præparemus velut reddituri imminenti judici rationem. Hoc enim erat quod & Propheta dicebat de viro beato: [2] Quia diſponet ſermones ſuos in judicio. Quid autem dicitur judicare vivos & mortuos, niſi quod alii vivi, alii mortui ad judicium veniant? ſed animæ ſimul judicabuntur (*c*) & corpora, in quibus vivos animas, corpora mortuos nominavit. Sicut & ipſe Dominus in Evangelio dicit: Noli timere eos qui corpus poſſunt occidere, animæ autem nihil facere poſſunt: ſed timete potius eum qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.

Nunc jam paucis, ſi videtur, etiam per Prophetas hæc prædicta eſſe doceamus. Plura autem teſtimonia cum volueris, ipſe tibi de ſcripturarum latitudine congregabis. Dicit ergo Malachias Propheta: Ecce venit Dominus (*d*) omnipotens, & quis ſuſtinebit diem adventus ejus, aut quis ſuſtinebit aſpectum ejus? quia ipſe ingreditur ſicut ignis conflatorii, & ſicut ſpuma lavantium: & ſedebit conflans eos, & purgans ſicut argentum & ſicut aurum. Ut autem evidentius agnoſcas quis ſit iſte Dominus, de quo hæc dicuntur; audi quid & Daniel Propheta prænunciat. Videbam, inquit, in viſu noctis, & ecce in (*e*) nubibus cœli quaſi filius hominis veniens, & uſque ad vetuſtum dierum (*f*) perveniet, & in conſpectu ejus oblatus eſt liber: & ipſi datus eſt principatus, & honor, & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſervient, & poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non (*g*) peribit: & regnum ejus non corrumpetur. Ex his ergo edocemur, non ſolum de adventu & judicio, ſed & de poteſtate ejus & regno, quia poteſtas ejus æterna ſit, & ſine corruptionis fine ſit regnum, ſicut in Evangelio dicitur: Regni ejus non erit finis. Unde valde alienus à fide eſt, qui regnum Chriſti dicit aliquando finiendum. Scire tamen debemus, quod ſalutarem hunc Chriſti adventum conabitur inimicus ad decipiendum fideles quoſque (*h*) callida fraude ſimulare, & pro filio hominis qui expectatur venturus in majeſtate patris ſui, filium perditionis in prodigiis & ſignis mendacibus præparare, ut pro Chriſto, mundo huic introducat Antichriſtum. De quo & ipſe Dominus in Evangeliis prædixit Judæis: Quia ego veni in nomine patris mei, & non recepiſtis me: alius veniet nomine ſuo, & ipſum recipietis. Et iterum dicit: Cum videbitis abominationem deſolationis [3] ſtantem in loco ſancto, ſicut dicit Daniel Propheta: Qui legit, intelligat. Daniel ergo de adventu erroris iſtius plenius & latius in ſuis viſionibus edocet: ex quibus valde operoſum eſt exempla nunc ponere, quia ſatis amplis narrationibus dilatantur. Et ideo ſcire de his plenius (*i*) delectantem, ad ipſas magis recenſendas remittimus viſiones. Sed & Apoſtolus de eo dicit: Ne quis vos ſeducat ullo modo: quoniam niſi diſceſſio venerit primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur & extollit ſe ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Et paulo poſt: Et tunc revelabitur, inquit, inimicus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui: & evacuabit illuminatione adventus ſui eum, cujus eſt adventus ſecundum opera Satanæ, in omni virtute, ſignis & prodigiis mendacibus. Et iterum paulo poſt: Et ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati. Propterea ergo Propheticis & Evangelicis atque Apoſtolicis vocibus nobis prænunciatur hic error, [4] ne quis pro adventu Chriſti adventum credat (*k*) Antichriſti. Sed & ipſe Dominus dixit: Cum dixerint vobis, ecce hic Chriſtus, aut ecce illic, nolite credere: venient enim multi pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & ſeducent multos. Sed quomodo demonſtrabitur (*l*) judicium veri Chriſti, videamus: Sicut fulgur, inquit, de Oriente reſplendet uſque ad Occidentem: ita erit adventus filii hominis. Cum enim advenerit verus Dominus Jeſus Chriſtus, ſedebit, & judicium ſtatuet: ſicut Evangelium (*m*) dicit: Et ſegregabit oves ab hœdis, & juſtos ab injuſtis. Sicut & Apoſtolus ſcribit: Quia omnes nos ſtare oportet ante tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſque propria operis ſui, prout (*n*) geſſit ſive bona ſive mala: judicabimur autem non ſolum pro geſtis, ſed & pro cogitatis ſecundum quod & ipſe Apoſtolus dicit: Inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus in die quo judicabit Deus occulta hominum: ſed de his iſta ſufficiant. Poſt hoc ponitur in ordine fidei:

Et in Spiritum Sanctum. Ea quæ in ſuperioribus paulo latius de Chriſto ſunt tradita, ad incarnationis vel paſſionis ejus myſterium pertinent. Quæ dum media intercedunt perſonæ ipſius cooptata, ſancti Spiritus commemorationem paulo longius reddiderunt. Ceterum ſi ſolius divinitatis ratio habeatur, eo modo quo in principio dicitur, Credo in Deum patrem omnipotentem, & poſt hæc: In Jeſum Chriſtum filium ejus unicum Dominum noſtrum; ita jungitur: Et in Spiritum ſanctum. Illa vero omnia quæ de Chriſto memorantur ad diſpenſationem carnis, ut diximus, ſpectant: igitur ſancti Spiritus memoratione (*o*) adimpletur myſterium Trinitatis. Sicut enim unus dicitur Pater (*p*) & alius non eſt Pater: unus

(*a*) Ad dextram, *O.* (*b*) Edocemur, *O.* (*c*) Animas ſimul judicabit, *O.* (*d*) Veniet Deus, *O.* (*e*) Ecce cum, *O.* (*f*) Pervenerit, *O.* (*g*) Præteribit, *O.* (*h*) Decipiendos fid. quoque, *O.* (*i*) Volentem, *O.* (*k*) Neque pro adv. Chr. adv. credant, *O.* (*l*) Sed hoc demonſtravit, *O.* (*m*) Sicut in Evangeliis, *O.* (*n*) Sui corporis, prout, *O.* (*o*) Spiritus commemoratione, *O.* (*p*) Dicitur Deus Pater, *O.*

[1] *Qui eſt in dextera Dei, &c.*] *Pamelius ait*, Peſſime Froben. *quod*; atqui poſteriores duas voces hodie non habet epiſtola Petri.

[2] *Quia diſponet.*] *Pamelius ait*, Et Frobenius & vetus editio *diſponit*, ſed illud placet, quia Græce eſt οἰκονομήσῃ.

[3] *Stantem in loco ſancto.*] *Pamelius ait*, Ex Frobenio & vet. editione Hieronymi addimus *ſtantem*, quod id habeat Evangeliſta. Ex quibus etiam paulo poſt legimus *magis*, pro *magnas*.

[4] *Ne quis &c. credat.*] *Pamelius ait*, Idem, *ne qui &c. credant, ut recipiat unuſquiſque propria operis ſui.* Legunt illi *corporis*, quomodo & Græce & Latine Apoſtolus: fortaſſis alia verſione uſus eſt Ruffinus. Confirmant tamen tum iſte tum ſupra Cyprianus lib. teſtim. 2. cap. 22. & Ambroſ. in comment. lect. vulgati noſtri interpretis qui videtur legiſſe τὰ ἴδια, pro eo quod eſt hodie τὰ ἀλλ.

[1] *San-*

unus dicitur & unigenitus Filius, & alius unigenitus non eſt: ita & Spiritus ſanctus unus eſt, & alius non poteſt eſſe Spiritus ſanctus. Ut ergo fiat diſtinctio perſonarum affectionis vocabula ſecernuntur; quibus ille Pater intelligatur, ex quo omnia, & quod ipſe non habeat Patrem; Filius vero (*a*) tanquam qui ex Patre natus ſit; & Spiritus ſanctus (*b*) tanquam de Dei ore procedens & cuncta ſanctificans. Ut autem una eademque in Trinitate divinitas doceatur; ſicut dictum eſt, in Deum Patrem credi adjecta præpoſitione, in: ita & in Chriſtum Filium ejus, ita & in Spiritum Sanctum memoratur. Sed ut manifeſtius fiat quod dicimus, ex conſequentibus approbabitur. Sequitur namque poſt hunc ſermonem,

[1] SANCTAM ECCLESIAM CATHOLICAM, REMISSIONEM (*c*) PECCATORUM, HUJUS CARNIS RESURRECTIONEM. Non dixit: in ſanctam Eccleſiam, nec in remiſſionem peccatorum, nec in carnis reſurrectionem. Si enim addidiſſet IN præpoſitionem, una eademque vis fuiſſet (*d*) cum ſuperioribus. Nunc autem in illis quidem vocabulis, ubi de divinitate fides ordinatur; in Deum Patrem dicitur & in Jeſum Chriſtum Filium ejus, & in Spiritum ſanctum; in ceteris vero ubi non de divinitate, ſed de creaturis ac myſteriis ſermo eſt, IN præpoſitio non additur, ut dicatur in ſanctam Eccleſiam, ſed ſanctam Eccleſiam credendam eſſe, non ut in Deum, ſed ut Eccleſiam Deo congregatam: & remiſſionem peccatorum credendam eſſe, non in remiſſionem peccatorum; & reſurrectionem carnis, non in reſurrectionem carnis. Hac itaque præpoſitionis ſyllaba creator à creaturis ſecernitur, & divina ſeparantur ab humanis. Is ergo Spiritus ſanctus eſt, qui in veteri Teſtamento legem & Prophetas; in novo vero Evangelia & Apoſtolos inſpiravit. Unde & Apoſtolus dicit: Omnis ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum. Et ideo quæ ſunt novi ac veteris Inſtrumenti volumina, quæ ſecundum majorum traditionem per ipſum Spiritum ſanctum inſpirata creduntur, & Eccleſiis Chriſti tradita competens videtur in hoc loco evidenti numero, ſicut ex Patrum monumentis accepimus, deſignare.

Itaque veteris Inſtrumenti primo omnium Moyſi quinque libri ſunt traditi, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Poſt hos Jeſu Nave, & Judicum ſimul cum Ruth: quatuor poſt hæc Regnorum libri, quos Hebræi duos numerant; Paralipomenon, qui dierum dicitur liber; & Eſdræ libri duo, qui apud illos ſinguli computantur, & Heſter: Prophetarum vero Eſaias, Hieremias, Ezechiel, & Daniel: præterea duodecim Prophetarum liber unus: Job quoque & Pſalmi David ſinguli ſunt libri: Solomonis vero tres Eccleſiis tradidit, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica Canticorum. In his concluſerunt librorum numerum veteris Teſtamenti. Novi vero quatuor Evangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis: Actus Apoſtolorum, quos deſcripſit (*e*) Lucas: [2] Pauli Apoſtoli Epiſtolæ quatuordecim. Petri Apoſtoli Epiſtolæ duæ. Jacobi fratris Domini & Apoſtoli una: Judæ una: Joannis tres. Apocalypſis Joannis. Hæc ſunt quæ Patres intra Canonem concluſerunt; ex quibus fidei noſtræ aſſertiones conſtare voluerunt.

Sciendum tamen eſt, quod & alii libri ſunt qui non Canonici, ſed Eccleſiaſtici à majoribus appellati ſunt: ut eſt Sapientia (*f*) Solomonis, & alia Sapientia quæ dicitur filii Syrach, qui liber (*g*) apud Latinos hoc ipſo generali vocabulo Eccleſiaſticus appellatur; quo vocabulo non auctor libelli, ſed ſcripturæ qualitas cognominata eſt. Ejuſdem ordinis eſt libellus Tobiæ, & [3] Judith, & Maccabæorum libri. In novo vero Teſtamento libellus, qui dicitur [4] Paſtoris ſive Hermatis, qui appellatur [5] duæ viæ, vel judicium (*h*) Petri; quæ omnia legi quidem in Eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. Ceteras vero ſcripturas apocryphas no-

(*a*) Iſte filius vero, *O.* (*b*) Et hic Spiritus ſanct. *O.* (*c*) Eccleſiam, remiſſionem, *O.* (*d*) Vis fuerat, *O.* (*e*) Deſcripſit ipſe, *O.* (*f*) Quæ dicitur Solomonis, *O.* (*g*) Qui libri, *O.* (*h*) Judicium ſecundum Petrum, *O.*

[1] *Sanctam Eccleſiam Catholicam.*] *Pamelius ait*, Ex iiſdem adjicio *Catholicam*, quamquam mirer non explicari eam vocem ab auctore. Viciſſim autem apud illos adjicienda prorſus vox *hujus*.

[2] *Pauli Apoſtoli Epiſtolæ.*] *Pamelius ait*, Locus diligenter adnotandus, quod Epiſtolam Pauli ad Hebræos, [nam alioqui tredecim tantum eſſent Epiſtolæ Pauli] utramque Petri, Jacobi unam, & Judæ unam, Joannis tres, indubitato inter Canonicas Scripturas, jam ab ætate ſua Ruffinus numeret, quodque Petro & Jacobo Apoſtolis inſcribat. De quarum adeo auctoritate plura hic ſtatueram adſcribere, ſed ne ſim prolixior, Lectorem remitto ad Joan. Driedonem lib. 1. Eccleſiaſt. dogm. Melchiorem Canum locorum Theologic. 2. & Sixtum Senenſem lib. 1. Bibliothecæ ſanctæ. Quod opus non ita pridem prodiit, digniſſimum profecto, quod omnium ſtudioſorum teratur manibus.

[3] *Judith.*] Videatur Canon 85. Apoſt. & 60. Laod. Nec non Athan. in ſynopſi qui mentione 22. Veteris Teſt. lib. facta addit, ὁμοῦ τούτων εἰσὶ πάλιν ἕτερα βιβλία τῆς αὐτῆς παλαιᾶς διαθήκης, ἃ κανονιζόμενα μέν, ἀναγινωσκόμενα δὲ μόνον τοῖς κατηχουμένοις. Sic Epiph. de Pond. & Menſ. de Sap. Solom. & Sirach ait, καὶ αὗται χρήσιμοι μὲν εἰσι καὶ ὠφέλιμοι ἀλλ' εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρονται. Porro Damaſc. de Orthod. fide de iiſdem, αἱρετοί μέν καλαί, ἀλλ' οὐκ ἀριθμοῦνται, ὡσὶ ἔκειντο ἐν τῇ κιβωτῷ. His adſtipulatur Hieron. in Præf. ad Prov. Sol. Sicut ergo Judith & Maccab. libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter canonicas Scripturas non recipit; ſic & hæc duo volumina (utriuſque ſcil. Sap.) legit ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam. *Pamelius ait*, Quam non recte hic ſentiat Ruffinus de ceteris hic commemoratis Scripturæ libris ſupra alicubi ſuis locis tractavimus. Ut idipſum autem faciamus de hoc libro Judith. In primis non modo cum aliis recenſetur in Canone Scripturarum locis in argum. citatis, ſed & vel ipſo D. Hieronymo teſte in prologo, Synodus hunc Nicæna inter ſacras Scripturas computavit. Deinde citant tanquam Scripturam Canonicam Origenes in cap. ult. lib. Judic. Chryſoſtomus de variis locis in Matth. hom. 10. Ambroſ. officior. lib. 3. Epiſt. 83. lib. 2. de inſtit. virgin. cap. 2. ac lib. de viduis latiſſime, etiam cum ſua expoſitione dignatus, pro non exigua ſui parte. Cyrillus in Joannem lib. 7. Fulgentius Epiſt. de ſtatu viduarum. Ipſe denique Hieronymus Epiſt. ad Salvinam. Omitto Bellatorem Presbyterum, D. Iſidorum Hiſpal. & Rhabanum noſtrum, qui in illum commentati ſunt. Certe D. Hilarius prologo in Pſalm. etiam libros Judith & Tobiæ annumerari dicit Canoni Scripturarum, ut 24. libri conſtituantur veteris Teſtamenti.

[4] *Paſtoris ſive Hermatis.*] *Pamelius ait*, Magis placet illud, quod apud Origenem in Epiſt. ad Rom. non Hermes, ſed Hermas nominetur: quum tamen utriuſque Apoſtolus meminerit. Damaſus etiam in Catalogo Pontificum Herman vocat, & Euſebius lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 3. ipſo Ruffino interprete, Hermæ libellum nuncupat. Hic autem etſi apud Veteres Clementem Alex. Irenæum, Athanaſium: citetur etiam ad dogmatum confirmationem, poſtea tamen à Proſpero nullius auctoritatis judicatus, & à Gelaſio reprobatus, quippe ex quo, cum Caſſianus ſuum errorem hauſerit, tum Ariani ſuam hæreſin comprobare niterentur.

[5] *Duæ viæ vel judicium Petri.*] *Pamelius ait*, Veriſimilius eſt illud *qui appellantur duæ viæ*, ad librum Paſtoris referri quam ad Judicium Petri.

nominarunt, quas in Eccleſiis legi noluerunt. Hæc nobis à patribus, ut dixi, tradita oportunum viſum eſt hoc in loco deſignare, ad inſtructionem eorum qui prima ſibi Eccleſiæ ac fidei elementa ſuſcipiunt, ut ſciant ex quibus ſibi fontibus verbi Dei haurienda ſint pocula.

Tenet deinde traditio fidei ſanctam Eccleſiam. Cauſam jam ſuperius diximus, cur non dixerit etiam hic in ſanctam Eccleſiam, ſed ſanctam Eccleſiam. Hi ergo qui ſupra in unum Deum credere docti (*a*) ſunt ſub myſterio Trinitatis, credere etiam hoc debent, unam eſſe Eccleſiam ſanctam; in qua una eſt fides, & unum baptiſma, in qua unus Deus creditur Pater, & unus Dominus Jeſus Chriſtus Filius ejus, & unus Spiritus ſanctus. Iſta eſt ergo ſancta Eccleſia, non habens maculam aut rugam. Multi enim & alii Eccleſias congregarunt, ut Marcion, ut Valentinus, ut Hebion, ut Manichæus, ut Arius, & ceteri omnes hæretici. Sed illæ Eccleſiæ non ſunt ſine macula aut ruga perfidiæ. Et ideo dicebat de illis Propheta: Odivi Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo. De hac autem Eccleſia quæ fidem Chriſti integram ſervat, audi quid dicit (*b*) Spiritus ſanctus in Canticis Canticorum (*c*): Una eſt columba mea; una eſt perfecta genitricis ſuæ. Qui ergo hanc fidem in Eccleſia ſuſceperit, non declinet in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introeat. Concilium namque vanitatis eſt, quod ait Marcion, qui negat patrem Chriſti Deum eſſe creatorem, qui per filium ſuum fecerit mundum. Concilium vanitatis quod Hebion docet, ita Chriſto credi debere (*d*), ut & circumciſio carnis, & obſervatio ſabbati, & ſacrificiorum ſolennitas, ceteræque omnes obſervationes ſecundum literam legis teneantur. Concilium eſt vanitatis quod Manichæus docet. Primum quod ſe (*e*) paracletum nominavit, tum deinde quod (*f*) mundum à malo factum dicit, Deum creatorem negat, Teſtamentum vetus repudiat, unam bonam, aliam malam naturam ſibi invicem adverſantes (*g*) aſſerit, coæternas Deo animas hominum ſecundum Pythagoricos in pecudes & animalia & beſtias redire per diverſos naſcendi circulos adſtruit, reſurrectionem carnis noſtræ negat, paſſionem Domini & nativitatem non in veritate carnis, ſed in phantaſiis fuiſſe confirmat. Concilium vanitatis eſt, quod Paulus Samoſatenus & poſt ejus ſucceſſor Photinus aſſeruit Chriſtum non fuiſſe ante ſecula natum ex Patre, ſed ex Maria cœpiſſe: & non eum Deum hominem natum, ſed ex homine Deum exiſtimat factum. Concilium vanitatis eſt, quod Arius atque Eunomius docuit, qui filium Dei non ex ipſa Patris ſubſtantia natum, ſed ex nihilo creatum volunt, & filium Dei habere initium, & minorem eſſe Patre: ſed & Spiritum ſanctum non ſolum minorem eſſe, ſed & mittendarium aſſerunt. Concilium vanitatis eſt & quod illi aiunt, qui filium quidem de ſubſtantia Patris fatentur, ſanctum vero Spiritum ſeparant & ſecernunt; cum utique unam eandemque virtutem & divinitatem oſtenderit Trinitatis Salvator in Evangelio, cum dicit: Baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Et eſt aperte impium ſeparari ab homine quod divinitus jungitur. Concilium vanitatis eſt & hoc, quod olim congregavit pertinax & prava contentio, aſſerens quidem Chriſtum carnem humanam ſuſcepiſſe, non tamen & animam rationalem: cum utique & carni, & animæ, & ſenſui, & menti una eademque ſalus à Chriſto collata ſit. Sed & illud concilium vanitatis eſt, quod Donatus per Africam traditionis cauſa Eccleſiam criminando contraxit; [1] & quod Novatus ſollicitavit, lapſis pœnitentiam denegando, & ſecundas nuptias cum forte iniri eas neceſſitas exegerit, condemnando. Has omnes ergo velut congregationes malignantium fuge, ſed & eos ſi qui illi ſunt qui dicuntur aſſerere, quod filius Dei non ita videat vel noverit patrem, ſicut ipſe noſcitur & videtur à patre: vel regnum Chriſti eſſe finiendum, vel carnis reſurrectionem non integra naturæ ſuæ ſubſtantia reparandam: futurum Dei juſtum erga omnes negare judicium: [2] diabolum debita abſolvere (*h*) damnatione pœnarum. Ab his, inquam, omnibus fidelis declinet auditus, ſanctam vero Eceleſiam teneat; quæ Deum Patrem omnipotentem, & unigenitum Filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, & Spiritum ſanctum concordi & conſona ſubſtantiæ ratione profitetur, filiumque Dei natum ex virgine, & paſſum pro ſalute humana, & reſurrexiſſe à mortuis in eadem carne qua natus eſt credit, eundemque venturum judicem omnium ſperat, in qua & remiſſio peccatorum, & carnis reſurrectio prædicatur.

Verum de remiſſione peccatorum ſufficere deberet (*i*) ſola credulitas. Quis enim cauſas aut rationem requirat, ubi indulgentia principalis eſt? Et tamen cum terreni Regis liberalitas diſcuſſioni non ſit obnoxia, ab humana temeritate diſcutitur divina largitio? Solent enim cum irriſione dicere adverſum nos pagani, quod ipſi nos decipiamus, qui putamus crimina, quæ opere commiſſa ſunt, verbis poſſe purgari; & aiunt: Numquid poteſt qui homicidium commiſit, homicida non eſſe; adulter non videri, qui adulterium perpetravit? Quomodo (*k*) hujuſcemodi criminum reus, ſanctus vobis (*l*) effici ſubito videtur & purus? Sed ad hæc (*m*), ut dixi, melius fide quam ratione reſpondeo. Rex enim eſt omnium qui promiſit, terræ cœlique Dominus eſt qui hæc pollicetur. (*n*) Vis ut ei qui me hominem ex terra fecit, non credam (*o*) quod ex criminoſo me faciat innocentem: & qui me cum eſſem cæcus, fecit videre; cum eſſem ſurdus, audire me fecit; qui mihi claudo reddidit greſſum; qui me infirmum, ſanum fecit; innocentiam mihi perditam non poterit reparare (*p*)? Et tamen veniamus ad ipſius naturæ teſtimonium. Occidere hominem non ſemper criminoſum eſt, ſed malitia non legibus occidere criminoſum eſt. Non ergo factum me in talibus, quia interdum & recte fit, ſed animus male conſulens damnat. Si ergo animus in me, qui criminoſus effectus eſt & in quo origo fuit vitii, corrigatur; cur tibi non videar poſſe innocens effici, qui prius fueram criminoſus? Si enim, ut ſupra oſtendimus, conſtat quod non in facto, ſed in voluntate ſit crimen, ſicut mala voluntas, auctore malo dæmone, peccato me & morti fecit obnoxium; ita in bonum voluntas mutata auctore bono Deo, innocentiæ me reddit & vitæ. Similis cauſa & in ceteris (*q*) criminibus. Et hoc modo fides noſtra

(*a*) Credere edocti, *O.* (*b*) Quid dicat, *O.* (*c*) Canticorum ubi dicitur, *O.* (*d*) Credi debemus, *O.* (*e*) Primo qui ſeipſum, *O.* (*f*) Deinde qui, *O.* (*g*) Invicem contrariam, *O.* (*h*) Debita abſolvi, *O.* (*i*) Sufficere debet, *O.* (*k*) Quomodo ergo, *O.* (*l*) Sanctus nobis, *O.* (*m*) Ad hoc, *O.* (*n*) Pollicetur. Non, *O.* (*o*) Fecit, credam, *O.* (*p*) Fecerit recuperare, *O.* (*q*) Ceteris eſt, *O.*

[1] *Et quod Novatus ſollicitavit.*] *Pamelius ait*, Recte ita loquitur; nam auctor hæreſis fuit Novatus, aſſertor Novatianus.

[2] *Diabolum debita abſolvere damnatione pœnarum.*] *Pamelius ait*, Hic viciſſim illi non recte *abſolvi*. Atqui veluti digito Origenem (quod mirum eſt) auctor notat.

[1] *Sde*

noſtra non invenitur naturalibus rationibus adverſari; dum remiſſio peccatorum non geſtis quæ mutari non poſſunt, ſed animo quem de malo in bonum verti poſſe certum eſt, deputatur.

1 Sed & ulterius (*a*) iſte ſermo, qui reſurrectionem carnis prænunciat (*b*), ſummam totius perfectionis ſuccincta brevitate concludit. Quamvis etiam de hoc non ſolum à gentilibus (*c*), ſed etiam ab hæreticis fides impugnetur Eccleſiæ. Nam Valentinus reſurrectionem carnis omnimodo negat, & Manes, ſicut ſuperius (*d*) oſtendimus. Sed & iſti, qui Eſaiam Prophetam dicentem quidem: Reſurgent mortui, & ſuſcitabuntur qui in monumentis (*e*) ſunt, audire noluerunt; nec Danielem ſapientiſſimum omnium prophetantem (*f*): Quia tunc reſurgent qui ſunt in terræ pulvere; hi quidem in vitam æternam: hi autem in opprobrium & confuſionem æternam. Inde vel in Evangeliis quæ recipere videntur, diſcere debuerunt à Domino Salvatore noſtro Saducæos docente dictum: Quod autem reſurgant mortui, non legiſtis quomodo dicit Moyſes in rubo: Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob? Deus autem non eſt mortuorum, ſed viventium. In quo etiam quæ ſit & quanta reſurrectionis gloria, in ſuperioribus memoravit, cum dixit: In reſurrectione autem mortuorum neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut angeli Dei. Reſurrectionis ergo virtus angelicum hominibus confert ſtatum, ut qui de terra reſurrexerunt, non iterum in terra cum pecudibus, ſed in cœlo cum angelis vivant; quos tamen ad hoc ratio vitæ prioris (*g*) admiſerit: illos ſcilicet, qui jam non carni ſerviunt, ſed animæ ſuæ, carnem caſtis pudicitiæ frænis in obedientia ſancti Spiritus ſubjugaverunt, & omni eam vitiorum labe tenuatam, & ad ſpiritalem gloriam ſanctificationis virtute mutatam, Angelorum quoque meruerunt conſortiis inferre.

Sed infideles reclamant (*h*) & dicunt: Quomodo poteſt caro quæ putrefacta diſſolvitur, aut in pulverem vertitur, maris etiam interdum profundo ſorbetur, fluctibuſque diſpergitur; recolligi rurſum & redintegrari in unum, & corpus ex ea hominis reparari? Ad quos primam interim reſponſionem ſermonibus Pauli faciamus, (*i*) dicentes eis: Inſipiens tu, quod ſeminas non vivificabitur (*k*) niſi prius moriatur. Et quod ſeminas, non corpus quod futurum eſt ſeminas, ſed nudum granum tritici, aut alicujus ceterorum ſeminum: Deus autem dat illi corpus prout vult. Quod ergo in ſeminibus quæ tu in terram jacis, per annos ſingulos fieri vides; hoc in tua carne, 2 quæ Dei lege ſeminatur in terra, futurum eſſe non credis? Cur, quæſo te, tam anguſtus & invalidus divinæ potentiæ æſtimator es, ut diſperſum uniuſcujuſque carnis pulverem in ſuam rationem (*l*) colligi & reparari poſſe non cenſeas (*m*); cum videas quod etiam mortale ingenium demerſas in profundum terræ metallorum venas rimatur, & artificis oculus aurum videt, in quo imperitus terram putet? Nec tantum quidem concedimus ei qui fecit hominem; quantum homo qui ab ipſo factus eſt, aſſequi poteſt? Et cum auri eſſe propriam venam, & argenti aliam, æris quoque longe diſparem, ferrique & plumbi (*n*) diverſas in terra ſpecies terræ latere, mortale deprehendat ingenium: divina virtus invenire poſſe ac diſcernere non putabitur uniuſcujuſque carnis proprium ſenſum, etiam ſi videatur eſſe diſperſum (*o*).

Sed adhuc tentemus animas quæ deficiunt in fide, naturalibus rationibus adjuvare. Si quis diverſa ſemina in unum permiſceat, & hæc indiſcreta ſeminet vel paſſim ſpargat in terram; nonne uniuſcujuſque ſeminis quocunque loci fuerat ſatio, competenti tempore ſecundum naturæ ſuæ ſpeciem germen producit; & culmum ſuæ formæ ſuique corporis reparat? Ita ergo uniuſcujuſque carnis ſubſtantia quamvis varie & diverſe diſperſa ſit, ratio tamen ipſa quæ ineſt unicuique carni immortalis eſt, quia immortalis animæ caro eſt. Tempore quo ſeminatis in terram corporibus primum verbum Dei voluntate cum (*p*) arriſerit, collectum de terra, & attractum (*q*) ſubſtantiæ ſuæ ſenſum reddit ac reparat in illa (*r*) ſpecie, quam mors aliquando diſſolverat. Et ita fit ut unicuique (*s*) animæ non confuſum, aut extraneum corpus, ſed ſuum quod habuerat reparetur: ut conſequenter poſſit pro agonibus præſentis vitæ cum anima ſua caro vel pudica coronari, vel impudica puniri. Et ideo ſatis cauta & provida adjectione fidem ſymboli Eccleſia noſtra (*t*) docet, quæ in eo quod à ceteris traditur, carnis reſurrectionem, uno addito pronomine tradit.

Hujus carnis reſurrectionem HUJUS ſine dubio quam, is qui profertur, ſignaculo crucis fronti impoſito contingit; quo ſciat unuſquiſque fidelium, carnem ſuam ſi mundam ſervaverit à peccato, futuram (*u*) vas eſſe honoris, utile Domino ad omne opus bonum paratum: ſi vero contaminata fuerit in (*x*) peccatis, futuram (*y*) eſſe vas iræ ad interitum. Jam vero de ipſa reſurrectionis gloria, & de promiſſionum (*z*) magnitudine ſi quis plenius ſcire deſiderat, omnibus pene divinis voluminibus inveniet indicari; ex quibus nos commonitionis tantummodo gratia, pauca in præſenti loco memorantes, finem injuncti à te opuſculi faciemus. Igitur Apoſtolus Paulus quod reſurgant mortui, talibus aſſerit argumentis, dicens: Quod ſi reſurrectio mortuorum non eſt, ergo nec Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, vacua eſt & fides (*aa*) noſtra. Et paulo poſt: Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ (*bb*) dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum. Sicut enim in (*cc*) Adam omnes moriuntur, 3 ita & in Chriſto omnes vivificabuntur: unuſquiſque autem in ſuo ordine; initium Chriſtus, deinde hi qui ſunt Chriſti in adventu ejus, deinde finis. Et in conſequentibus (*dd*) addit etiam hæc: Ecce myſterium vobis dico: 4 Omnes quidem reſurgemus, ſed non

(*a*) Et ultimus, *O.* (*b*) Pronunciat, *O.* (*c*) A gentibus, *O.* (*d*) Sicut ſupra, *O.* (*e*) In ſepulcris, *O.* (*f*) Proteſtantem, *O.* (*g*) Vitæ purioris, *O.* (*h*) Clamant, *O.* (*i*) Dicentis, *O.* (*k*) Vivificatur, *O.* (*l*) In ſua ratione, *O.* (*m*) Credas. An non cenſeas, *O.* (*n*) Div. intra, *O.* (*o*) Videatur diſperſus, *O.* (*p*) Vere Dei voluntas, *O.* (*q*) Terra attractum, *O.* (*r*) In illam ſpeciem, *O.* (*s*) Fit unicuique, *O.* (*t*) Caute Eccleſia noſtra fidem ſymboli docet, *O.* (*v*) Futurum, *O.* (*x*) Contaminatam in, *O.* (*y*) Futurum, *O.* (*z*) Repromiſſionum, *O.* (*aa*) Fides veſt. *O.* (*bb*) Mortis initium, *O.* (*cc*) Sicut in, *O.* (*dd*) Sequentibus, *O.*

1 *Sed & ulterius.*] *Pamelius ait*, Sic vetus editio pro eo quod alii, *ſed ultimus*. Et videtur ille caſtigatius quia ſequitur in ſymbolo ET VITAM ÆTERNAM. Quod tamen niſi tacite forte, non explicat Auctor.

2 *Quæ lege Dei ſeminatur in terra.*] *Pamelius ait*, Prorſus ex illis adjeci cum Morel. *terra*. Cum iiſdem tribus ego *tam* pro *nunc*, & *æſtimator* pro *exiſtimator*.

3 *Ita in Chriſto omnes vivificabuntur.*] *Pamelius ait*, Sic ex cod. pro *vivificantur*, quia exemplaria Apoſtoli & Latin. & Græca ſic legunt.

4 *Omnes quidem reſurgemus.*] *Pamelius ait*, Adnotanda eſt hæc lectio conformis noſtro interpreti, præſertim quum præcedentia fere juxta Græcum Apoſtoli exemplar leguntur. In cujus confirmationem latius D. Hieron. Epiſt. ad Minerium & Alexandrum.

non (*a*) omnes immutabimur. Sive ut in aliis exemplaribus invenimus, omnes quidem dormiemus, omnes autem non immutabimur, in momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba. Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. Sed & ad Theſſalonicenſes nihilominus ſcribens, dicit: Nolo autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & ceteri qui ſpem non habent. Nam ſi credimus quia (*b*) Jeſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Jeſum adducet cum illo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini: quia nos qui vivimus, qui relicti ſumus in adventu Domini non præveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in juſſu, in voce Archangeli, in tuba Dei deſcendet de cœlo, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi: deinde nos qui vivimus, qui relicti (*c*) ſumus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus obviam Chriſto in aera, & ita ſemper cum Domino erimus.

Verum ne exiſtimes (*d*) hæc Pauli ſolius prædicatione quaſi novella (*e*) ſignari: audi quid etiam Ezechiel Propheta olim per Spiritum prælocutus ſit: Ecce, inquit, ego aperiam ſepulcra veſtra, & educam vos de ſepulcris veſtris. Job quoque myſticis redundans totus (*f*) eloquiis, audi quam evidenter reſurrectionem prædicet mortuorum: [1] Eſt, inquit, arbori ſpes: ſi enim abſciſſa fuerit, iterum pullulabit, & virgultum ejus nunquam deficit: quod ſi ſenuerit, in terra erit radix ejus. Si autem in petra (*g*) mortuus fuerit truncus ejus, ab odore aquæ reflorebit, & faciet fruticem quaſi (*h*) novella. Vir vero ſi mortuus fuerit, abiit: & mortalis ſi ceciderit, ultra jam non erit? Non tibi videtur in his cum quodam pudore arguere homines & dicere: Itane eſt ſtultum hominum genus, ut cum videant exciſſæ (*i*) arboris truncum iterum (*k*) pullulare de terra, & lignum emortuum iterum vitam recipere; ipſi nec lignis ſimile aliquid de ſemetipſis, nec arboribus opinentur? Ut autem ſcias quod velut interrogantis modo legendum ſit quod ut dixit patientiſſimus Job: Mortalis autem cum ceciderit, non reſurget? de conſequentibus (*l*) probat, ſubjungit namque ſtatim: Si autem (*m*) mortuus fuerit homo, vivet. Et paulo poſt dicit: Expectabo uſque quo iterum fiam. Et iterum idem dicit: Qui reſuſcitaturus eſt ſuper terram pellem meam, quæ hæc nunc haurit.

Hæc quidem dicta ſunt ad comprobationem profeſſionis noſtræ, qua confitemur in ſymbolo hujus carnis reſurrectionem. Quod enim adjunctum eſt, HUJUS, vide quam conſonum ſit omnibus his quæ de exemplis divinorum voluminum (*n*) memorabamus. Quid enim aliud indicatur in dictis Job, quæ ſuperius expoſuimus, cum dicit: Qui reſuſcitabit pellem meam quæ hæc nunc haurit, id eſt, quæ iſta tormenta perpetitur, nonne aperte hujus carnis dicit reſurrectionem futuram, hujus, inquam, quæ tribulationum & tentationum cruciamenta nunc ſuſtinet? Sed & Apoſtolus cum dicit: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem: numquid non corpus ſuum quodammodo contingentis, & digito palpantis eſt vox? Hoc ergo quod nunc corruptibile corpus eſt, reſurrectionis gratia incorruptibile erit, & hoc quod nunc mortale eſt, immortalitatis virtutibus induetur; ut ſicut Chriſtus reſurgens à mortuis, jam (*o*) non moritur, neque mors ei ultra dominabitur: ita qui & in Chriſto reſurgunt, nec corruptionem ſentient ultra, nec mortem, non natura carnis abjecta, ſed conditione ejus & qualitate mutata. Erit ergo corpus quod reſurget à mortuis incorruptibile & immortale, non ſolum juſtorum, ſed etiam peccatorum. Juſtorum quidem, ut ſemper poſſint permanere cum Chriſto: peccatorum vero, ut abſque internecione ſui debitas luant pœnas.

Quod autem juſti ſemper cum Domino Chriſto permaneant jam & in ſuperioribus edocuimus, ubi oſtendimus quia Apoſtolus dicit: Deinde nos qui vivimus, qui relicti (*p*) ſumus, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera, & ita ſemper cum Domino erimus. Nec mireris ſi ſacroſancta ſanctorum corpora in tantam gloriam reſurrectionis (*q*) mutabuntur, ut in occurſum Domini (*r*) ſuſpenſa nubibus & aere vectata (*s*) rapiantur; cum ipſe Apoſtolus exponens (*t*) quantum conferat Deus his qui diligunt eum, dicat: Qui transformabit (*u*) corpus humilitatis noſtræ, [2] conforme corpori fieri claritatis ſuæ. Nihil ergo abſurdum (*x*) eſt, ſi ſanctorum corpora dicantur nubibus in aera ſuſtolli, cum ad formam corporis Chriſti quod in dextera Dei ſedet, dicantur eſſe reformanda. Sed & hoc ſanctus Apoſtolus, vel de ſe, vel de ceteris ſui loci, vel meriti addit & dicit: [3] Quia coexcitavit nos cum Chriſto, ſimulque fecit ſedere in cœleſtibus. Unde cum hæc & horum ſimilia quamplurima in repromiſſionibus habeat reſurrectio juſtorum; non erit jam difficile credere etiam illa quæ Prophetæ (*y*) prædixerunt: quod juſti fulgebunt ſicut ſol & ſicut ſplendor firmamenti in regno Dei. Cui (*z*) enim difficile videbitur, eos fulgorem ſolis habituros, & ſiderum ac firmamenti hujus ſplendore decorandos; quibus vel vita & converſatio angelorum Dei (*aa*) paratur in cœlis, vel conformandi dicuntur ad gloriam corporis Chriſti? Ad quam gloriam Salvatoris ore promiſſam reſpiciens ſanctus Apoſtolus, dicit: Quia ſeminatur corpus animale, ſurget (*bb*) corpus ſpiritale. Si enim verum eſt, ſicut certe verum eſt, quod juſtos quoſque & ſanctos angelorum conſortii ſociabit divina dignatio; certum eſt quod & corpora eorum in ſpiritalis corporis gloriam vertat.

Nec hoc tibi contra naturalem corporis rationem videatur eſſe promiſſum. Si enim ſecundum ea quæ ſcripta ſunt, quod accipiens Deus limum terræ plaſmavit hominem, credimus, & hæc eſt natura corporis noſtri, ut voluntate Dei terra verteretur in carnem; quid tibi aut abſurdum aut contrarium videtur, ſi eiſdem rationibus, quibus lutum (*cc*) profeciſſe dicitur in cor-

(*a*) Reſurgemus, non, *O.* (*b*) Quod, *O.* (*c*) Qui reliqui, *O.* (*d*) Ne æſtimes, *O.* (*e*) Prædicatione novella, *O.* (*f*) Redundans eloquiis, *O.* (*g*) In terra, *O.* (*h*) Novellam, *O.* (*i*) Vid. exciſæ, *O.* (*k*) Truncum rurſum, *O.* (*l*) Ceciderit in infirmitate ſuæ mortis, non reſurget in æternum? De conſequentibus habes probationem, *O.* Probationem accipe, *Ruff.* (*m*) Si enim, *O.* (*n*) Memoravimus, *O.* (*o*) Ultra jam, *O.* (*p*) Qui reliqui, *O.* (*q*) Caro ſanctorum in tantam gloriam ex reſurrectione mutabitur, *O.* (*r*) Domini Jeſu Chriſti, *O.* (*s*) Aere vecta, *O.* (*t*) Expoſitionem faciens, *O.* (*u*) Qui tranſmutabit, *O.* (*x*) Ergo abſurdi, *O.* (*y*) Prædixerant, *O.* (*z*) Dei. Quid, *O.* (*aa*) Dei vel, *O.* (*bb*) Reſurget, *O.* (*cc*) Quibus terra, *O.*

[1] *Eſt, inquit, arbori ſpes.*] *Pamelius ait*, Eſt adnotatu dignum, quod hæc dicat interrogantis modo legenda, contra quam hodie fit in Latinis & Græcis exemplaribus. Mirum eſt viciſſim quod utrobique legat *cum ceciderit* quandoquidem Græce ſic priori loco πλάσπήσας, & poſteriori κοιμηθείς.

[2] *Conforme corpori fieri.*] *Pamelius ait*, Rectius quam *corporis filii*, Græce enim eſt σύμμορφον τῆ σώματι. Adjecimus paulo poſt voculam, &.

[3] *Quia coexcitavit &c. ſimulque fecit.*] *Pamelius ait*, Contra non placet lectio *conſuſcitabit & faciet*, quia repugnant & Græca & Latina Apoſtoli exemplaria.

corpus animale, rursum corpus animale, in corpus proficere spiritale credatur? Hæc quidem atque his similia multa invenies in Scripturis divinis de resurrectione justorum. Dabitur autem & peccatoribus, ut supra diximus, incorruptionis & immortalitatis ex resurrectione conditio, ut sicut Deus justis ministrat ad perpetuitatem gloriæ, ita peccatoribus ad prolixitatem confusionis ministret & pœnæ. Sic enim Propheticum definit eloquium, cujus & paulo ante meminimus, ubi (*a*) dicit: Et multi resurgent de terræ pulvere: hi quidem in vitam æternam, hi autem in confusionem & opprobrium æternum.

Si ergo intelleximus qua veneratione Deus omnipotens Pater dicatur, quove sacramento Dominus noster Jesus Christus unicus Filius ejus habeatur, & qua perfectione sanctus Spiritus ejus nominetur; utque sancta Trinitas unum sit per substantiam, sed affectu personisque discreta: quid etiam partus virginis, quid verbi in carne nativitas: quid sacramentum crucis, quæ utilitas divini ad inferna descensus; quæ resurrectionis gloria, & animarum de infernis revocata captivitas; quid etiam ascensus ad cœlum; & venturi judicis expectatio: sed & sanctæ Ecclesiæ adversum congregationes vanitatis, qualis haberi debeat agnitio; qui sacrorum voluminum numerus; quæve hæreticorum vitanda conventicula: utque in peccatorum remissione divinæ libertati nequaquam ratio naturalis obsistat, & ut carnis nostræ resurrectionem non solum divinæ vocis (*b*), sed & ipsius Domini & Salvatoris exemplum & consequentia naturalis rationis assignet. Si, inquam, hæc secundum traditionis supra expositæ regulam consequenter advertimus; deprecemur ut nobis & omnibus qui hæc audiunt, concedat Dominus, fide quam suscepimus custodita, cursu consummato, expectare repositam coronam justitiæ; & inveniri inter eos qui resurgunt ad vitam æternam, liberari vero à confusione & opprobrio sempiterno (*c*): per Christum Dominum nostrum per quem est Deo Patri omnipotenti cum sancto Spiritu gloria & imperium in secula seculorum.

(*a*) Ubi etiam sic, *O.* (*b*) Divinæ voces, *O.* (*c*) Oppr. æterno, *O.*

---

[1] AD

VIGILIUM DE JUDAICA INCREDULITATE,

Celsi cujusdam in altercationem Jasonis & Papisci, Præfatio.

[2] ETsi plurimos gentilium scio, Vigili sanctissime, ab ordine atque ratione veritatis adversos, quo minus Dominum noscant, cæcitate mentis errare; tamen magis Judaicæ plebis insaniam novi adversus nomen Domini, pertinaci etiam nunc duritia cordis, ingenita patrum iniquitate, perstare; adversantis veram salutem, nec inquirentis vitæ æternæ datorem, ut qui delictis stirpis antiquæ sint pari merito nequitiæ genitalis obnoxii, saltem vel sero credentes possint conversi ad Domini timorem satisfactione omni pœnitentiæ ab iniquitatibus liberari: sed perstat & durat adhuc & semper ad usque progeniem succidaneam innata patrum irreligiosa perfidia; quæ adversum odium nominis Domini incredulitatis infamia roborata, nec ad noscendam veritatem potest corrigi, nec ad timorem Dei ipsius monitis doceri atque suaderi. Cum autem doceat Dominus & ostendat, dicens: Ego sum lumen seculi, qui me secutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ: quæ, malum, ratio est, ostensum divinitus vitæ lumen omittere, & mentis cæcitate male tenebras mortis eligere, ut ostendat damnationis suæ propriæ voluntatis liberam & illicitam perditionem, contra Deum etiam illa nolle quæ prosunt. Secundum quod & per Domini vocem increpatam Hierusalem, quod colligi noluerit, Domino illam volente colligere, loquitur Spiritus sanctus, & bonitatem Dei manifestat peccatoribus subvenire jugiter velle: Hierusalem Hierusalem, quæ interficis Prophetas & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui colligere filios tuos, sicut gallina colligit filios suos sub axillas suas, & noluisti? Adeo Dei voce manifesta, perfidi populi contumacia denotatur, ut etiam salutem propriam suam semper adversus clementem misericordiam Domini spreviſſe doceatur. Propheta item alius benevolentiam Dei exhortatione offerens, prædicatione insinuans; proclamat & suadet, dicens: Revertimini ad me, & ego revertar ad vos, dicit Dominus. Alias quoque similiter misericordiam suam Deus sempiternam manere demonstrans, addidit, dicens: Nolo mortem morientis, quantum ut revertatur & vivat, dicit Dominus.

Quid

[1] *Ad Vigilium, &c.*] *Rigaltius ait*, Nicol. Faber: memini me in altercatione Jasonis & Papisci, quæ Græco sermone conscripta est, ita reperisse: λοιδορία γὰρ ὁ κρεμάμενος, id est, maledictio Dei qui appensus est. Bona Rigaltii cum venia, non hæc Nicolaus Faber dixit, sed Hieronymus Tom 6. Comment. in Galat. l. 2. qui etiam ejusdem Jasonis meminit Tom. 3. quæst. Hebr. in Genes. Porro, ut Dorotheum fabulatorem præteream, qui Jasonem hunc eundem esse statuit cum eo de quo mentio habetur in Actis Apostolorum; & qui primus Troadis Episcopus factus dicitur: librum hunc citabat olim Celsus Epicureus, non sine indignatione & contemtu. Strenue autem defendit Origenes l. 4. contra eundem Celsum. Sed diu est ex quo opus ipsum intercidit, præfatione hac solum superstite.

[2] *Etsi plurimos gentilium scio.*] *Pamelius ait*, Optime quidem quæ de hoc Vigilio postea narrat, convenirent in D. Vigilium Episcopum Tridentinum & Martyrem; sed videtur auctor iste vetustior, etiam si Ambrosii ætate vixisse illum dicamus.

Quid eſt ergo reverti, quam in Chriſtum credendo, per eum qui eſt via veniendi ad patrem, Deo reconciliatum poſſe ſalvari? Quomodo autem reverti ad Deum poſſunt, qui ei per quem eſt agnitio & reverſio ad Deum, voluntatem Dei prædicanti credere noluerunt? Aut quomodo Deum ſatisfactione placare potuerunt; qui eum qui eſt ſatisfactio & placatio pro nobis apud patrem, ſacrilega impugnatione perſequi maluerunt? Si enim advocatum Chriſtum habemus apud Deum patrem, ſervare ea quæ nos docuit & monuit, quæque ad patrem locuturus eſt; ſollicito timore facere debemus. Igitur nos qui mente in Domini metum prona, mandatorum ejus monitis inſiſtimus, & religioſi ac venerabilis cordis fide credulitatem de ejus timore concipimus; quid aliud ſequi, quid cupere, quid magis velle ac tenere debemus, quam ut omni à nobis mentis antiquæ nocte diſcuſſa, & caligine vitæ prioris abſterſa, mandatorum Domini ſalutarium memores, ac vitæ æternæ promiſſa retinentes, ad ejus monita vertamur, & in ipſius lumine quod oſtendit, firmata credulitate gradiamur; ut qui ignari aliquando ſalutis futuræ, in erroribus implicati vitæ prioris, ac tenebris aberravimus, illuminati nunc ejus veri luminis claritate, & oſtenſo nobis atque patefacto melioris vitæ limite, Domini mandata ſequenda & gerenda teneamus. Hoc lumen nobis vitæ ſalutaris exortum, hoc in reparationem hominis natum, de Dei patris procuratione ac miſeratione, præſidium.

Magi primi ab Orientali parte venientes, & ſtella ejus duce, Judæorum regem palam præſcia prædicatione quærentes, adferentes etiam munera, teſtificata omnibus inquiſitione monſtrarunt. Et ne aliquibus, quis ille, eſſet abſconſum: inventum puerum procidentes genibus adorarunt; ſicut teſtificatur Evangelium, dicens: Cum autem natus eſſet Jeſus in Bethleem Judæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt in Hieroſolymam dicentes: Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum, teſtificantes ſcilicet veritatem de eo, etiam ſtellam ſibi ſignum atque judicium nativitatis ipſius eſſe monſtratam, qua indice natum Magis prædicantibus & adfirmantibus, Hieroſolymis, crederent. [1] Simeon quoque juſtus qui in cæcitate conſtitutus, divino monitu audierat ſe non ante moriturum quam vidiſſet Chriſtum; cum in templum omni populo præſente infantem ſecum referret mater, & in ſpiritu natum eſſe Chriſtum ſenſiſſet, acceptum in manus puerum vidit; & benedicens Deum, in conſpectu & auditu omnium dixit: Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace, quoniam viderunt oculi mei ſalutare tuum Simeon quod cæcus audierat, evidenti veritate perfectum eſt; & veritatem quam accepto lumine viderat, benedicendo palam Deum populo prædicabat. Ad hoc enim viderat, ut referret, & revelatione ſua quod Chriſtus natus fuiſſet, oſtenderet; & perfidi populi initia prima incredulitatis inſtrueret.

Nec hoc ſolum teſtimonium de eo ſcripturarum cœleſtium veritas perhibet, verum & per prophetas ante Spiritus ſanctus adventum ejus in hunc mundum futurum, palam mente omnium conſciente prædicavit. Nec eſt obtentus excuſationis incredulis, vel ignoraſſe Dei filium Chriſtum, vel neſciſſe futurum Salvatoris adventum; ſicut David manifeſtat, dicens: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam; non ſunt ſermones nec verba, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit ſonus eorum, & trans fines terræ fines eorum. In ſole poſuit tabernaculum ſuum, id eſt, in manifeſto, in luce, palam ſeipſum veniſſe monſtravit; & prædicatione per Prophetas, ſui oſtenſione quodammodo, omnibus ſuam præſentiam probavit. Hoc etiam Eſaias, per quem Dominus præſentiam ſuam clara annunciationis manifeſtatione monſtravit, prophetat & dicit: ipſe qui loquebar, veni, id eſt, qui per Prophetas ante adventus mei futuri præloquens fueram, is propria nunc atque præclara voce præſentiam meam teſtis mei ipſe manifeſto. Quid evidentius? Quid luce præclarius? Quid verius poteſt dici? ut oculis quodammodo perſpectus eſſet, oſtendit veniſſe ipſe qui fuerat venturus, antequam veniret; & incredulitate [2] mentes populi perfidi obſtruente, venientem nemo cognovit. Sicut idem Eſaias in prima increpatione populo proclamat, dicens: Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepium domini ſui; Iſrael autem me neſciit, & plebs me non intellexit. Palam cunctis ſicut ipſe prædixit apparuit, & ſedentibus in tenebris manifeſtum vitæ lumen effulſit, & juſtitia [3] perfidorum pectus obſeſſum, poſtpoſita propria ac rejecta ſalute, tenebras potius cæcitate cordis elegit.

Frequentatur ubique aut manifeſtat prophetatio cunctorum, qui ſancto Spiritu prænonente adventus Domini metatores eſſe ſortiti ſunt; hoc lumen ſeculo datum, & diem nobis ſalutis exortum, vivificandis quoque in eum credentibus deſtinatum. Docet hoc in pſalmis Spiritus ſanctus & oſtendit, dicens: Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli: à Domino factum eſt iſtud, & eſt admirabile in oculis noſtris: iſte dies eſt quem fecit Dominus, ambulemus & jucundemur in eo. In hoc die nos ambulare Paulus quoque Apoſtolus præcipiens & docens ac prænonens, dicit: Nunc enim propius eſt nobis ſalus quam cum credimus: nox præceſſit, dies autem approquinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus, id eſt, in Chriſto & mandatis ejus, cujus lumine ac monitis luminati & in claritate diei ejus inventi, proximam nobis ſalutem credulitatis in eum mente conſpicimus.

Solem quoque eſſe Chriſtum cunctis timentibus eum Malachias Propheta teſtatur & promittit, dicens: Vobis autem timentibus nomen meum orietur ſol juſtitiæ, & ſanitas in alis ejus; oſtendens ex nullo nobis ſalutem poſſe conferri, niſi in paſſione crucis ejus, qua extendens manus cuncta ſeculi ſalvaturus amplexus eſt. Converſo ergo ad eum timore credamus, & ad æternitatem vitæ ſpe futuri regni ejus animemur. Quis enim tam ſtolidus ac demens, quis ſic ab intellectu ſuæ ſalutis alienus; qui tot & tantis veritatis teſtimoniis incredulus, [4] non adverſus, in veram fidem obduratum pectus intellectu veritatis emolliat, & tenebris vitæ quondam mortalis exutus, in lumine præceptorum cœleſtium gradiens, ad divina monita & Domini ſalutaria gerenda mandata, illuminato corde, tota mentis ac fidei credulitate convertat: ut quem Prophetæ prædicaverunt, Deum noſcat; ut Chriſtum qui ſe palam mundo veniſſe monſtravit, intelligat; ut Scripturis divinitus teſtificantibus, Dei filium & Deum credat. Sicut ipſe, quæ ſit vita æterna, manifeſtat, dicens: Hæc eſt autem, ait, vita æterna, ut cognoſcant te ſolum & verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum:

[1] *Simeon quoque juſtus, &c.*] *Pamelius ait*, Mirum eſt quod etiam ſecundo repetit, Simeonem hunc cæcum fuiſſe; neque enim id apud quenquam me legiſſe memini.

[2] *Mentes populi perfidi obſtruente.*] *Pamelius ait*, Rurſum hoc repoſui pro *mentis*.

[3] *Perfidorum pectus obſeſſum.*] *Pamelius ait*, Vox quæpiam hic deſiderari videtur.

[4] *Non adverſus, in veram fidem.*] *Pamelius ait*, Locus corruptiſſimus: ſic etiam paulo poſt mira eſt congeminatio, *cordis*, *pectoris*, *mentis*.

[1] *Quo*

ſtum ; docens atque oſtendens, nihil aliud eſſe Deum noſſe, quam credere & oculos cordis in Dominum prona, imo tota pectoris fide devotæ mentis aperire. Inde jam fit ut credendo intelligas, intelligendo quod credis, in ſenſu Deum illuminato corde conſpicias ; ſicut idem ipſe Dominus & per Eſaiam ante monet, dicens : Si non crediderit is, nec intelligetis. Tam facilis & præſtans & larga eſt atque abundans de Domini pietate clementia ; ut ſi quis ſemel ſeſe in eum toto timore converterit, ad cœleſte munus admiſſus ; jam ejus non niſi ad divina mens pateat, & ad cœlum ac ſuperna oculos cordis adtollens, Chriſti lumen partæ jam ſalutis aſpiciat.

Exemplum ac documentum noſtri timoris & fidei, ex ipſius Abrahæ Patriarchæ fideli credulitate monſtratur, qui repromiſſioni Dei mente ſimplici ſtatim credidit, & ideo ad juſtitiam deputari ei condigna remuneratione commeruit. Hoc Deus diligit, hoc adpetit, hoc in ſervis ſuis benignus remunerat, & honorat ſimplicitatem mundi cordis ; [1] quo quidem ejus cernimus timorem dilectionis Domini, quo probamur : credulam fidem mentis, qua juſtitiæ deputamur. Hanc fidem ſequi, hunc Dei timorem ſervare nos convenit ; qui cuſtodientes verba cœleſtia, & ſperantes promiſſa divina, filii Abrahæ meruimus nuncupari. Quod Apoſtoli Pauli, qui Dei voce vas electionis eſt dictus, conteſtatione firmatur dicentis. Sic Abraham credidit Deo, & acceptilatum eſt ei ad juſtitiam. Cognoſcite ergo, quoniam qui ex fide ſunt, hi ſunt filii Abrahæ. Hoc Judaicus populus, cui à primordio legis monita loquebantur, incredulæ mentis duritia & perfidi cordis inſania ſervare noluit ; & ideo pro diffidentiæ merito, filiorum nomen amiſit. Non tamen omnium perfidæ gentis, adverſus nomen Domini, quo minus intelligerent veritatem, odio durata mens eſt. [2] Etiamque Spiritus ſanctus, id eſt, Chriſtus Dominus noſter profectus ex Deo Patre, venit ut ſalvum faceret quod perierat Iſraelis : qui major ac fortior ad ſubigenda contumacium colla in timorem ſui nominis & poteſtatem, eos qui adverſus luminis ſui claritatem, obſtinata etiam tunc mentis cæcitate durabant, ad notitiam claritatis & gloriæ ſuæ tam facile convertit ; quam ut omnes ſalvos faceret providentiæ ſuæ divinæ miſericordiæ dignatus advenit.

Nam ut duri cordis tunc & impiæ plebis ad Domini metum ipſo Domino evangelizante converſas mentes ſileam ; ut Apoſtolorum ejus prædicatione multiplicatum in toto orbe & reverſum credentium populum conticeſcam ; illud præclarum atque memorabile glorioſumque [3] Jaſonis Hebræi Chriſtiani, & Papiſci Alexandrini Judæi, diſceptationis occurrit : Judaici cordis obſtinatam duritiam, Hebræa monitione ac leni increpatione mollitam ; victricem in Papiſci corde, Jaſonis de Spiritus ſancti infuſione doctrinam. Qua Papiſcus ad intellectum veritatis admiſſus, & ad timorem Domini ipſo Domino miſerante formatus, & in Jeſum Chriſtum Filium Dei credidit, & ut ſignaculum ſumeret deprecatus, Jaſonem poſtulavit. Probat hoc Scriptura concertationis ipſorum, quæ collidentium inter ſe Papiſci adverſantis veritati, & Jaſonis aſſerentis & vindicantis diſpoſitionem & plenitudinem Chriſti, Græci ſermonis opere ſignata eſt : ad cujus tranſlationem, ad intellectum Latinum, animante Dei ope, & fidei viventis firmitate, ſervata verborum proprietate, intrepidus acceſſi ; & his qui ab intellectu Græci docilitatis alieni ſunt, interpretata integra ſignificatione verborum, & intellectus omnis ac veritatis manifeſtatione pateſacta, Romani ſermonis ratione diſcuſſa, diſſerui. Cujus laboris probationem tibi, cariſſime, [4] qui utriuſque linguæ inſtructione fundatus es, impenſa petitione committo : ut qui ſancti Spiritus veneratione verecundus es, collata utriuſque operis lectione ; audaciam verecundæ temeritatis explores ; & examine judicii tui, quæ minus à nobis vel improprie forte digeſta ſunt, auctoritate Spiritus ſancti, qui in pectus tuum inundatione gratiæ cœleſtis influxit, comprobes & emendes : ſitque ad te de iſta lectione ab humilitate noſtra mandata legatio, & inſinuanda tibi in nos prima dilectionis petitio ; ut parvitatem fidei meæ, cum diſcipulorum tuorum inſtructione atque eruditione conjungas ; & me quem in alia parte hujus provinciæ conſtitutum propter viſendos vultus tuos non itineris longinquitas terruit, nec ſenium ac difficultas fatigati ac feſſi jam corporis retardavit, ſed animante ſtimulatu Domini, & urgente feſtinata cupiditate properandi, contemta quoque omni tribulatione inopiæ atque penuriæ, quantacunque virium facultate veniendi, ſanctimoniæ tuæ celebris huc fama perduxit, ad permixtam [5] dilectionis tuæ caritatem, cum unanimitate fraternitatis admittas ; & amore tuo quem diſcipulis ſuis Dominus hæreditatis titulo reliquit, conjungas pariter & adſciſcas. Expertum pariter cum fratribus in apertione oris tui ſplendorem gratiæ luminis Chriſti ſequar ; in tractatibus tuis lumen vitæ, quod Dominus oſtendit, quod Chriſtus adveniens æternam vitam eſſe monſtravit.

Certe quam mihi læta illa, quam exoptabilis dies eſt, cum miſericordiæ Domini favore accerſitione dilata, ſenectam iſtam meam proferre contigerit ; ut & orationibus ſanctorum impenſe & jugiter deprecantium Dominum Chriſti martyrem videam, ut coronam juſtitiæ, quæ tibi penes Dominum depoſita eſt, portare conſpiciam. Nec putaveris autem martyrii tibi, ſecundum præſens votum fidei noſtræ, gloriam tribui : tunc inde felicitatis hujus collata dignatio eſt ; tunc judicio ſuo juſto Dominus elegit deſtinatum martyrem, cum te exemtum de juſtorum grege atque adſumtum ſibi, inopinato conſtituit altari ſacerdotem. Præclara prorſus & glorioſa vocationis electio, & de Domini dignatione nova atque inaudita & mira felicitas ; tranſmarinæ peregrinationis neceſſitatibus occupatum, ad deſtinatum tibi munus, ignarum ac neſcium repente veniſſe : atque ita regreſſus tui tempus ad hoc eſſe libratum, ut inſperata celeritate veniendi, intelligeres atque dignoſceres honorem ſacerdotii cœleſtis inter ceteros tibi potiſſimum deſtinatum ; & quod juſſione Domini expectatus venires atque occurreres, reſervatus ut Eccle-

[1] *Quo quidem ejus cernimus.*] *Pamelius ait*, Etiam hic locus obſcurus eſt & corruptus.

[2] *Etiamque Spiritus, id eſt, Chriſtus, &c.*] *Pamelius ait*, De hac veterum phraſi qua etiam Chriſtum Spiritum ſanctum vocabant, vide ſupra lib. quod Idola non ſint dii, & de montibus Sina & Sion. Atque hic videtur conſcripta hæc præfatio ante hæreſim Arianam.

[3] *Jaſonis Hebræi Chriſtiani & Papiſci, &c.*] *Pamelius ait*, Vel hinc & ex eo quod ſequitur, *ad cujus tranſlationem &c.* patet non aliud eſſe hoc ſcriptum quam præfationem, uti latius in argumento diximus. Quanquam etiam iſte locus videatur mutilus. Porro Jaſon iſte Theſſalonicenſis fuiſſe dicitur, cujus Rom. 16. & Actuum 17. fit mentio, quem Dorotheus Tyrius in ſynopſi poſtea fuiſſe ſcribit primum Troadis Epiſcopum.

[4] *Qui utriuſque linguæ inſtructione fundatus es.*] *Pamelius ait*, Hæc & ſequentia optime in D. Vigilium quadrarent, quippe qui & Athenis ſtuduerit, & inde reverſus ſtatim ad Epiſcopatum raptus ſit, ac poſtea ad martyrium, qui etiam quoſdam tractatus conſcripſerit : ſed ſicut jam diximus, vetuſtior fuiſſe auctor videtur.

[5] *Dilectionis tuæ caritatem.*] *Rigaltius ait*, Sic edidit Pamelius. In vet. cod. *dilectus tui* rectiſſime.

Ecclesiæ suæ Dominus tota miserationis pietate consuleret. Dimicationis plebis mora, quem potius eligeret Episcopum, te quærenti populo suo Christus inopinatum repente obtulit, & complacitum sibi cœlestis providentia, manifeste adventus tui improvisa occursione monstravit: documentum repentini ac perennis occursus, procurationem Dei voluntatis ostendit; ut quod difficili expeditione potuisset occurrere, facili celeritate perfectum sit, urgente Domini jussione; & ut prius te in Ecclesia Dei Episcopum stare conspiceres & stuperes, quam venisse dignoscerís.

Inde dilectionem jam tecum suam Dominus initiata caritate firmavit; inde amicitiam tecum, quam discipulis suis cum triumpho crucis suæ tradidit dedicavitque, dicens: Si feceritis quæ mando vobis, jam non dico vos servos, sed amicos, [1] inde martyrium, inde sacerdotii electionem signavit. Amicitia est, per quam ad Christi vultus admitteris, extraordinaria hostia pervenis. Sic eliguntur justi, sic probantur religiosi, ac simplices in Christum timore electi; ut ante remuneratione fidei destiteris, ante præmio devotæ mentis in Domino dignus habeatur, quam venerit hora decreti, quam exceperis sententiam Christi, probatam te & paratam hostiam electio cœlestis inveniat. Etenim ille te, qui non mendax Deus, qui Episcopum plebi suæ de improviso constituit, ille plena dilectione suæ voluntatis te coronabit. Tantum tunc ut nostri memineris petimus, & oramus, cum pudicitia adlectionis Domini probata atque immaculata hostia, ante Christi tribunal adstiteris, cum gloriam gratiæ Dei, præmio devotæ mentis ac remunerationis exceperis; memoriæ hæreat & teneas, ut in sensibus tuis maneat, quam nobis impertire dignaris, dilectio caritatis; ut orationibus tuis peccata nostra veniam consequantur, ut meritis justitiæ tuæ, vitæ nostræ delicta purgentur. Etenim martyrii instar esse confido, peccatorem justi martyris petitione meruisse salvari: ut &, cum ipse pro te promovere quod precibus tuis minus possis, martyris meritis libereris. Sic Job justus pro amicorum trium peccatis à Deo rogaturus & impetraturus, ostenditur, & probatio timoris ejus & fidei Domini voce teste signatur. Cum ergo in die liberationis tuæ, carissime, repræsentare te Christi vultibus cœperis; cum in æternitatem perpetuitatemque vivendi regnare cum Christo felici sorte succesferis; in Domini misericordia, [2] in mente jam habe puerum tuum Celsum, sanctissime.

[1] *Inde martyrium, &c.*] *Pamelius ait*, Prorsus simile est, sed luculentius Epiphonema, illi Cyprianico de habitu virginum, & de bono pudicitiæ, mire confirmans invocationem sanctorum.

[2] *In mente jam habe puerum tuum Celsum.*] *Pamelius ait*, Hinc patet auctorem hujus translationis non Cyprianum, sed Celsum quendam; nisi forte velit quis legere *Cecilium*. Verum obstat ætas senectutis, in qua transtulisse hæc auctorem constat: neque enim est verisimile Cyprianum in Episcopatu suo hæc scripsisse, ut omittam quod martyrio prohibitus videatur, ne ad senectutem perveniret.

TRACTATUS
ADVERSUS JUDÆOS,
QUI INSECUTI
Sunt Dominum nostrum Jesum Christum, incerto auctore.

ATtendite sensum & intelligentiam vestram & in Spiritu sancto, ut non tantum auribus audiatis, sed etiam oculis cernatis divinum Christi sacramentum. Cernitis autem per fidem vestram: audire enim necessitatis est, credere sollicitudinis. Aurium officium est, indifferenter pariter vana atque utilia perspicere; fidei autem, nonnisi quæ probaverit, credere. Neque enim quicquam prodest libenter audire, nisi credulitas auditum confirmet. Fidei oculi sunt spiritus, per quem videntur spiritalia: Si ergo vos estis spiritales, intelligite cœlestia. Similia enim sui similia recognoscunt: etiam muta animalia de vocis sono invicem se intelligunt, leones fremitum, tauri mugitum & [2] miles tubam. Quanto ergo verius spiritales spiritalia intelligunt, cœlestes & hæredes patris sui præcepta & ea quæ testamento patris cauta sunt? Vos ergo cum sitis Christi hæredes, intelligite testamentum ejus. Quod si quis per ætatem minus docibilis est ad intelligendum, habet Spiritum sanctum interpretem, illum sequatur; illo duce & magistro facillime poterit novi testamenti jura virtutemque cognoscere, quod hæreditas gentibus contributa est, hoc modo.

Deus & Pater in principio fecit hominem sua manu, eumque posuit in paradiso, data certa conditione præceptorum vitæ, legis & testamenti. Ille autem contemtis patris præceptis, expulsus est paradiso in suam terrigenam nativitatem, in qua etiam defunctus est: sed Deus suscitavit genus justum de semine Adæ, quod semen conservavit in populum, super filium Noe & hæredes ejus. Ex illo genere invenit hominem justum, cui imperavit, ut faceret fabricam in modum machinæ,

[1] *Attendite sensum & intelligentiam vestram.*] *Pamelius ait*, Videtur alludere ad illud Philip. 4. Pax Dei custodiat sensus & intelligentias vestras.

[2] *Miles tubam.*] Rectius dixisset, *equus tubam*. Non enim Miles mutum animal.

[1] Cum

machinæ, capacitatis certæ mensurarum compagibus; ut illa conditus [1] cum suis filiis Noe, servaretur per illud genus: sed jusserat Deus, propter injustitiam hominum, orbem terræ aquis inundantibus deperire. Igitur postea salvus factus est cum suis Noe, cui constituit & Deus præcepti sui testificationis signum in arcu. Post hæc rursus Dominus Deus testificatus est Abrahæ in Isaac, hoc modo dicens: Tibi dabo hanc terram & semini tuo, & faciam te patrem multarum gentium. Et exinde increvit semen in multitudinem populi, & divisum est in duodecim Patriarchas. Sed etiam illis quoque Dominus testificationem posuit [2] in monte Choreb per Moysem, de quo loco expulsis gentibus, constituit illic populum quem accepit & possedit promissa sibi hæreditate: quibus etiam pleraque signa & miracula ostendit Deus, quasi carissimo filio: Sed idem populus perceptis tot tantisque beneficiis, adversatus est Patri, & dereliquit Deum vivum. Dereliquit enim Israel Dominum, ostendens ei terga, & non faciem: nam faciem suam convertit ad idola; & interficiendo missos ad se Prophetas, qui de Christo prædicabant; exinde consuevit Israel persequi Christum, non tantum in corpore advenientem, sed etiam cum à Prophetis adnunciaretur. Universos etenim vates persecuti sunt, ex quibus quosdam lapidibus infectati, alios indigne excruciando, peremerunt non tantum ipsos, sed & per eos Dominum Christum. Quæ enim hujus probatio? scilicet eo quod insimulatos, & infidos, & perfidos, mendaces, & contrarios Christi susceperint; veros autem & fidei plenos impugnaverint. Moysen maledicebant, quoniam Christum prædicabat: Dathan amabant, quoniam Christum non prædicabat. Aaron repudiabant in sacerdotio, quoniam Christi similitudinem præferebat: Abiron constituebant, quoniam Christo contradicebat. David oderant, quoniam Christum canebat: Saul extollebant, quoniam Christum non loquebatur: Samuelem respuebant, quoniam Christum loquebatur. [3] Agag servabant, nihil enim de Christo loquebatur. Hieremiam lapidabant, Christum vaticinantem. Ananiam diligebant Christo adversantem. Isaiam secabant, Christum vociferantem: Manasse magnificabant, Christum persequentem. Joannem interimebant, Christum demonstrantem: Zachariam trucidabant Christum diligentem: Judam diligebant Christum tradentem.

Videtis quemadmodum Christum qui diligunt, odiuntur: qui odiunt, amore flagrant apud indignam plebem. O pertinaciam persecutionis dignam usque ad mortis exterminationem: non enim tantummodo testes Domini impugnaverunt, sed & ipsi Domino perfidi coloni, contumeliam fecerunt Patri in Filio. Quid igitur digni fuerunt pati ob hoc admissum? scilicet fugari de regno, abdicari hæreditate: & ita factum est, & ita evenit, digna dignis obtigerunt. Pater enim contumeliam passus in Filio, Filius perpessus in Prophetis tempore quo moriebantur; in suo tempore coactus est in indignatione scribere novum Testamentum, adhibitis testibus cœlo & terra, & Angelo de templo, assistentibus Moyse & Helia. Hos enim testes adhibuit, cum pateretur in Israel; hæc ita facta prædixit per Prophetas, his verbis: Audi cœlum & præbe aurem terra, quoniam Dominus locutus est: Filios genui & exaltavi; ipsi autem me spreverunt.

Has voces effudit Dominus in Israel, vociferans & dicens: Vos me noluistis, alii me recipient, qui nondum nec mentionem mei audierunt. Vos nuptias meas spreviſtis, alii ibunt qui non sunt vocati. Vos meum rus, vineam meam colere recusastis, unde fructus justitiæ proveniunt; alii colent & fructus capient in Deo. Quæ ista tam dira mens & execranda cogitatio? Interficere ergo potuistis regem & sponsum? propter hoc testes sunt cœlum & terra, & quæ in illis sunt elementa: Insuper omnis creatura testis est in mortem Christi. O novam crudelitatem! [4] commota est omnis nativitas in Domini passione; populus mansit immobilis sine trepidatione. Angelus in pœnitentiam conciso velamine refugit: plebs autem sine pavore, integra veste permansit. Conversa sunt elementa & contusa; Israel securus duravit. O duritia nova, ô audacia singularis, ô perfidia cruenta! Pilatus exteræ gentis judex secularis, potestate temporalis, purificavit manus & abluit scelus necessitatis, dicens: Innocens & immunis sum ab ejus sanguine; plebs autem nec alienum nec externum imitata est, & insuper acclamabat; Adfige in cruce, tolle: sanguis hujus super nos & super filios nostros. Violenta crudelitas, & plebs inhumana: & corda obtusa & oculi recluſi, interfecerunt bene merentem suum, nec lacrymas profuderunt. Lugebant Apostoli, & populus gloriabatur: tremebat terra, & plebs lætabatur; judicabatur Dominus, & Israel exultabat: patiebatur Christus, & impii exclamabant: [5] cruciabatur Dominus, & plebs lætabatur: suspendebatur Dominus, & plebs epulabatur: hac ignominiosa sua solennitate iniqua consilia consignaverunt, delicto crudelitateque sua.

Dic mihi & loquere, impie Israel, talem hostiam obtulisti, patri immolando suum filium? Talia profudisti libamina, sanguinem pignoris acceptissimi Deo? Ducebas choreas Hierusalem, cum interficeretur Christus; faustis vocibus cantus dabas, cum diceres; Adfige, suspende. Propter hoc in fame & in ægritudine: Populo Israel (queritur de te Dominus) neomenias, ait, sabbatum, & diem magnum non patior; ferias & jejunium execratur anima mea. Nec immerito Deus odivit ceremonias vestras, in quibus unicum & primarium filium ejus peremistis. O diem durum, & horam flebilem, & solennitatem lugubrem, & terram infaustam, & civitatem profanam, & populum Domini nece cruentum. Interfecerunt enim Dominum, & latronem liberaverunt. Ob hanc ergo causam coactus est Dominus novum facere Testamentum, [6] consignatum septem signaculis, teste Moyse & Helia in monte; ubi præcepit ne patefieret scripturæ sacramentum, nisi filius hominis resurrexisset à mortuis: sed mox ut surrexit Dominus die tertia, aperuit testamentum novum, testamentum vitale, atque

[1] *Cum filiis suis.*] *Pamelius ait*, Prorsus sic legendum pro *fratribus*. Neque enim Noe arcam ingressus est cum fratribus, sed cum filiis. Similiter paulo post *arcu* pro *arca*. Posuit enim testimonium fœderis Deus in arcu cœli sive Iridis.

[2] *In monte Choreb.*] *Pamelius ait*, Secuti alias omnes, sic & hanc Scripturam juxta 70. citat. qui *Choreb* legunt pro *Oreb*.

[3] *Agag servabant.*] *Pamelius ait*, Etiam hunc locum restitui, pro eo quod erat *Acham*; neque enim uspiam servasse Acham leguntur Judæi, sed 1 Reg. 15. refertur peperciſſe Saul & populus Agag regi Amalech.

[4] *Commota est omnis nativitas.*] *Pamelius ait*, Nativitas pro creatura: est autem mirum quod dicit, *Angelus in pœnitentiam conciso velamine refugit.*

[5] *Cruciabatur Dominus.*] *Pamelius ait*, Addidi vocem *Dominus*, prorsus necessariam.

[6] *Consignatum septem signaculis.*] *Pamelius ait*, Quum alludere videatur ad lib. de quo Apocal. 1. signatum signaculis septem, prorsus legendum censeo *septem signaculis*, nisi quis malit legi *à septem spiritibus*, quippe quorum etiam Apoc. 1. fit mentio.

atque ita dixit : Venite exteræ gentes, hæredes mei; Iſrael enim non obaudivit : quapropter ite diſcipuli in ultimam uſque terram, & prædicate per orbem his verbis. Venite undique patriæ gentium, introite in æternam hæreditatem. Iſrael enim noluit. Ne dubitetis ; nulla hic exceptio eſt, nec ingenuitatis, nec dignitatis, nec conditionis, nec poſitionis, nec formæ, nec ætatis, licet dignitate magnifici, licet nobiles, licet ſenes, licet juvenes, licet pauperes, divites, boni malique, domini atque ſervi, æqualiter introite in hæreditatem : & ſi pedibus captus eſſet, corpore deformis ; etſi maculis turpis, & capite defectus videatur ; etſi oculis defectus, univerſis libere licet diſcumbere in convivio, & epulari nuptias ſponſi.

Ne hominem pudeat nec ætatis, nec humilitatis, nec valetudinis, nec conditionis; conſuevit enim Dominus hujuſmodi hominem ſuſtinere. Nam & cæcis oculos reſtituit, & claudos ambulare fecit, & mutis ſermonem reddidit, & maculoſos emundavit, & mortuos ſuſcitavit. Ne timeatis qui peccaſtis : priores ad vitam venite, nec qui homicidium fecerit, paveat, quia fecerat ; nec qui furatur aliena, deſperet quia involaverat ; nec publicanus timeat, quia concuſſerat. Omnibus enim remiſſio peccatorum ſtatuta eſt, & tales Dominus deſiderat humilitate abjectos, & ſpecie indecoros, & valetudine fractos, & ſervitute depreſſos. Beati enim & glorioſi & magnifici, & potentes & divites & fortes, noluerunt acquieſcere Domino, neque introire in nuptias ſponſi; inſuper indigniſſime peremerunt. Propterea factus eſt altiſſimus quiſque eorum, humillimus ; & fortiſſimus, invalidus ; & prudens, ſtultus ; & nobilis & dives, pauperrimus ; & hæres, abdicatus : quoniam quidem ipſi abdicaverunt Regem modeſtiſſimum & benigniſſimum, dicentes : Ignoramus quis ſit hic ; non enim eſt Rex noſter : habemus alium regem Cæſarem, propterea habent quem petiverunt. Tunc completa eſt Prophetiæ vox, quæ prædixit illis : Vos noluiſtis aquam Siloam quæ vadit ſilentio, ſed magis voluiſtis aquam Raſſin. Quapropter induco vobis regem Aſſyriorum, qui montes veſtros in planum dabit, & introibit terras veſtras. Atque ita factum eſt. Repudiatus enim Chriſtus à populo, miſit tyrannum quem voluerunt ; qui civitates eorum diruit, & plebem captivitate damnavit, & ſpolia accepit, & ad ſolitudinem Sodomæ patriam eorum redegit. Nam Dominus ex indignatione abſtulit ab Hieruſalem virtutem panis & aquæ ; fortem, gigantem hominem & bellatorem, judicem, Prophetam, deſtinatorem & ſenem laudabilem, conciliatorem & peritum architectum, & prudentem adjutorem. Hæc omnia autem auxilia munitionis & propugnacula tranſtulit ad gentes, & omne regnum ſuum infixo ſigno ; inhabitavit in illis, & caſtra metatus eſt liminis, & ibi conſtituit virtutis exercitum, ibique regnavit.

Non eſt jam regnum Hieruſalem, ſed in nobis: Hic caſtra, hic exercitus, hic dux, hic virtus, hic ſponſus, hic nuptiæ, hic Rex, hic Chriſtus, hic vita, hic ſuſcitatio, hic æternitas. Hic eſt qui ab initio figuratus eſt, & à Prophetis honoratus, & in viſceribus corporatus, & in Jordane tinctus, & à populo contemtus, & in ligno ſuſpenſus, & in terra ſepultus. Hic eſt qui rupit vetus ſuum teſtamentum, & ſcripſit novum, quo gentes [1] ad poſſeſſionem bonorum ſuorum vocavit : ideoque nos gentes humeris noſtris crucem Domini noſtri geſtamus, crucem quam confeſſus eſt Iſrael Dominus ; qui eos placide adloquebatur his verbis : Venite ad me omnes qui ſub onere laboratis, & ego vos reficiam. Eſt enim jugum meum placidum, & onus leviſſimum ; & reſponderunt : non audiemus ; ſed gentes noſtræ exaudierunt, & crediderunt verbo ſalutari, quo patefactæ ſunt aures eorum, & oculi illuminati cæcorum, & elocutæ linguæ impeditorum, claudi proſilierunt velut fera laſciviens. Chriſtus enim cum ſuo regno ſedem poſuit illis; plebs autem derelicta, nuda, deſerta, viduata regno cœleſti atque terreſtri : nam à cœleſti abjecti ſunt, deſtituti omni inſtrumento quod poſſederunt, lychno ſeptem luminum, & machina Teſtamenti, & vaſis æreis, & tubis, & pane de cœlo, & terra ſancta lacte & melle profluente ; hac hæreditate privatus eſt Iſrael, & nunc derelictus in omni ſua terra ſine alimento, ſine luminis auxilio. Auxilium enim & præſidium interemiſti, & lumen perſecutus es, & protectorem repuliſti, & ſponſum adfixiſti, & regem ſuſpendiſti : propterea exules de patria tua, oberrans circa gentium flumina, [2] voce ſupplicum precem feviſti, dicens : Expulſus ſum miſer de propriis ſedibus meis, hoſpes & advena factus ſum alienæ poſſeſſionis, ſine domo, ſine tecto, miſere deſerti & impii & indigne victi.

Hæc pœna in Iſrael eſt, hæc conditio in Hieruſalem ; & niſi converterint mentes, & dixerint, Vivit Dominus in ſecula ; non poterunt intrare in Domini requiem. Vivit etenim, & vivunt hæreditates ejus ; & vivit quem interfeciſtis impie in Hieruſalem : & tamen non tibi totam ſpem denegavit Dominus ; dedit enim veniam pœnitentiæ, ſi quomodo poſſis pœnitere. Quis tam bonus, quis tam pius, tam miſericors ? Accipe, inquit, ſalutem, licet me occideris : hæres eſto cum libera licet non merearis. Ignoſco, ſi te pœnitet. Ergo ſi fas eſt, ſic capite mentem bonam, vel ſero vel tarde intelligite Teſtamentum novum. Eia vos gentes, abſolvite illis ſcripturas ſuas, & dicite: Adorate Dominum pro meritis ſuis : [3] quum manus extenderis, licet exaggeres orationem tuam non exaudit ; manus enim tuæ plenæ ſunt ſanguine. Lavamini, mundi eſtote, & venite colloquamur, dicit Dominus Deus ; eluite ſanguinem ex vobis, & emundabit corda veſtra ſuper nivem, animas veſtras ſuper lac.

Accedite huc, Scripturis credite, hic eſt ſalus de Sion Dei, exiet verbum de Hieruſalem, judicabit in medio gentium, & corripiet plebem multam : concidant gladios ſuos in aratra, & frameas ſuas in falcibus commutent : non ſumet gens contra gentem gladium, deſinent enim belligerare. Et tu domus Jacob, venite eamus in lumine Domini ; remiſit enim plebem ſuam : completa eſt regio tua præſagiis alienis, & filii alienati ſunt. Tua enim ipſa terra eſt, & exterum factum eſt genus Domini. Venite ergo intrate, & eſto quaſi una gens : [4] miſerere errantium : æquum eſt honorificari ſententiam Dei, qualiter magnifici proſtrati ſunt, & humiles allevati, fortes de-

[1] *Ad poſſeſſionem bonorum ſuorum.*] *Pamelius ait*, Ex conjectura ſic quoque hunc locum reſtitui pro *paſſionem*.

[2] *Voce ſupplicum precem feviſti.*] *Pamelius ait*, Mira eſt phraſis, aut certe locus mutilus. Sic & illud neſcio quid ſibi velit : *hæres eſto cum Virgine*.

[3] *Quum manus tuas extenderis.*] *Pamelius ait*, Ita legendum : hoc enim legunt 70. Eſaiæ 1. unde ſumta ſunt ſequentia.

[4] *Miſerere errantium.*] *Pamelius ait*, Rurſum videtur hic locus mutilus.

debilitati, infirmi confirmati; divites ad paupertatem redacti, hæreditati dominantes ſervi, [1] dominatui ſubjecti ad regnum vocati; videntes orbati, orbi illuminati; prudentes ad ſtultitiam, ſtulti ad prudentiam converſi.

Etenim qui quondam vecordes, & indocti ſpiritu, nunc ſcripturas docent, & ſciunt, & intelligunt: qui autem ab initio docti & periti & legis diſciplinam ſcientes, neſciunt legem, neſciunt legere, nec intelligunt ſpiritalia: & qui ex illis prudentibus cupiens videre; venit, intelligit, rogat puerum, aut parvulum, aut anum, aut viduam, aut ruſticum, dicens: Vivere cupio, dux eſto mihi in Sion: enarra mihi novum Teſtamentum, reconcilia me Domino: ecce trado me tibi diſcipulum, interpretare mihi legem, quæ acta ſunt in Choreb, diſſere præcepta quæ in Sion, & intellige: ſine literis diſſerit ſcripturas eis, & puer docet ſenem, & anus perſuadet diſerto. Correptus ergo Iſrael ſequitur injecta manu ad lavacrum, & ibi teſtificatur quod credidit, & accepto ſigno purificatus per Spiritum, rogat accipere vitam per cibum gratiæ panis qui eſt in benedictione & fit mirum ſpectaculum: & qui Levitæ offerebant, & ſacerdotes immolantes, & ſummi antiſtites libantes adſiſtunt puero offerenti diſcum; [2] docentur qui olim docebant, & jubetur eis qui præcipiebant, & intinguntur qui baptizant, & circumciduntur qui circumcidebant: ſic Dominus florere voluit gentes. Videtis, quemadmodum vos Chriſtus dilexit.

1 *Dominatui ſubjecti.*] *Pamelius ait*, Etiam hoc lego pro *dominati*. Videtur autem rurſum mutilus locus, aut certe ſolœciſmus, ubi legitur paulo poſt, *interpretare mihi legem quæ acta ſunt in Choreb.*

2 *Docentur qui olim docebant.*] *Pamelius ait*, Omnino adjeci *docentur*, antea deſideratum; quod alioqui ſenſus non conſtaret.

DE REVELATIONE CAPITIS

Beati Joannis Baptiſtæ, Tractatus incerto auctore.

NArrat Joſephus vinctum fuiſſe abductum Joannem Baptiſtam in caſtellum Macheronta, ibique caput ejus truncatum fuiſſe: [2] narrat hiſtoria Eccleſiaſtica ſepultum in Sebaſte civitate regionis Palæſtinæ, quæ quondam Samaria eſt appellata. [3] Poſt longum vero tempus monumentum ejus pagani invaſerunt, & oſſa per campi planitiem diſſipaverunt, rurſumque collecta igne concremaverunt, & poſtea per agros cremata projecerunt. Poſtea vero advenerunt quidam Monachi religioſi viri de Hieroſolymis ad locum ejuſdem monumenti, audientes ea quæ Joanni acciderant, & quicquid potuerunt ex oſſibus illius colligentes, ad patrem ſuum Philippum detulerunt Hieroſolymam, & ille tranſmiſit ea cum aliis viris religioſis Athanaſio Alexandriæ Pontifici fideliſſimo. Ibique miro modo fuerunt ſervata, uſque ad tempus Theophili ejuſdem urbis Epiſcopi. Qui Theophilus jubente Theodoſio principe omnia idolorum fana in illa regione Chriſto favente deſtruxit, & Eccleſiam miræ magnitudinis conſtruxit, & in honorem ejuſdem ſancti Joannis Baptiſtæ conſecravit, & illius oſſa quæ ſibi direxerat ſupraſcriptus Athanaſius, in eadem Eccleſia congregatis ibi vicinis pontificibus ex omni parte catervatim, omnibuſque ordinibus clericorum & populorum, honorifice conſtituit. Igitur accedente Paſchali feſtivitate, decollatus eſt Joannes Baptiſta imperante nequiſſimo Herode, qui dari ſaltanti puellæ caput ejus juſſit; & multo poſt decollationem ejus, accedente illo anno quo conſtructa eſt Eccleſia in nomine ejus, & oſſa ejus ibidem collocata à Theophilo pontifice, jubente Theodoſio principe, in honore ejus conſecrata eſt quarto Kalendas Septembris. Solennitas namque ejus mirifice eſt conſecrata in dedicando. Caput autem illius tunc temporis repoſitum erat in loco, quo illud in abſconſo uxor Herodis depoſuerat, nemine ſciente poſtquam à filia in diſco ſuſcepit.

Si quis omnia plenius voluerit ſcire, [4] chronicam Marcellini principis legat; & ibi reperiet, duos Mo-

1 *Narrat Joſephus.*] Stupendiſſimam hanc narrationem ſubnectimus, ne quid Cypriano olim appenſum deſideraretur. Laterem videtur lavare Pamelius, qui notis ſuis mendaciorum ſentinam purgare ſatagit. *Pamelius ait*, Lib. nempe 18. antiq. c. 10. ſeu juxta novam verſionem 7. Quod ipſum ex illo repetit Euſebius lib. 1. hiſt. eccl. cap. 11. ſeu juxta Græcum exemplar 11. & poſtea Beda in cap. 14. Marci, ubi quum iiſdem verbis utatur, atque adeo illinc hæc tranſcripta ad verbum videantur; non ſum veritus reponere, *in caſtellum Macheronta abductum.*

2 *Narrat hiſtoria Eccleſiaſtica &c.*] *Pamelius ait*, Sic lego, quia nullam hujus rei facit mentionem Joſephus, ſed hiſt. eccl. lib. 11. cap. 28. auctore Ruffino, in ſua ad Euſebium Appendice.

3 *Poſt longum vero tempus.*] *Pamelius ait*, Tempore nempe Apoſtatæ Juliani, inquit Beda cum Ruffino: qui etiam rectius narrant, adfuiſſe tunc, quum diſpergerentur oſſa Joannis Bapt. Monachos; non poſtea adveniſſe. Ex quibus etiam omnino legendum cenſeo *Philippum* pro *Joſephum*: præſertim conſentientibus Petro Trecenſi in hiſtoria Scholaſtica, ut omittam MS. quendam de hac re tractatum, & Adone in Martyrol. ad 4. Kal. Septemb. qui cum Ruffino miſſa dicunt hæc oſſa Athanaſio per Julianum diaconum.

4 *Chronicam Marcellini principis.*] *Pamelius ait*, Antea mendoſe legebatur *Marcelli*. Citat enim etiam Beda loco citato chronicam Marcellini Comitis. Is enim ad Chronicum Euſebii, & Hieron. Appendicem ſcripſit, & produxit ad tempora uſque Juſtiniani, quæ excuſa eſt cum faſtis conſularibus Onuphrii Panvinii.

1 *Mit-*

Monachos ab Oriente in Hieruſalem veniſſe cauſa orationis in tempore Marciani Imperatoris. Quibus Monachis in viſione angelica dictum eſt: Ite ad palatium Herodis, qui quondam hic fuit perfidus princeps, introeuntes perſpicite diligenter, & ubi fumum è terra aſcendentem videritis, fodientes ibi caput Joannis Baptiſtæ incunctanter invenietis. Et ita fecerunt, & cum magno honore clanculum ſecum Hieroſolymam deportaverunt. Et non multo poſt à latronibus raptum eſt: qui [1] mittentes in quendam ſpecum ibidem dimiſerunt, donec idem Joannes Chriſto auxiliante cuidam viro religioſo nomine Marcello ſacerdoti, qui in eodem ſpecu morabatur ut eremita, revelavit, dicens: Accipe caput meum, quod in hoc ſpecu depoſitum eſt à latronibus, & defer illud [2] Juranno Epiſcopo qui nunc præeſt Alexandriæ civitati poſt Theophilum Deo carum, ubi reliquiæ corporis mei requieſcunt. Et ſic fecit Marcellus Chriſto annuente. In eadem igitur ſolennitate collectionis reliquiarum illius tranſlationis & Eccleſiæ conſecrationis, allatum eſt caput Joannis Baptiſtæ [3] ad civitatem Alexandriæ à Marcello Preſbytero, & datum Juranno Epiſcopo, quarto Kalendas Septembris. Et Jurannus ſuſcepit illud collocans mirabiliter in eodem loco perpetim cuſtodiendum. Et ideo hodierna feſtivitas, collectio reliquiarum beati Joannis Baptiſtæ, non decollatio nominanda Chriſto annuente; & inventio ac revelatio capitis ejus. Jamque idem vir Domini Jurannus Epiſcopus, & Marcellus ſacerdos feliciter ad Dominum ex hoc mundo in pace migraverant.

Annis evolventibus non plurimis, cuidam viro religioſo ſacerdoti ac monacho, Felici nomine, qui orationis gratia ab occidentali parte in illis diebus Hieroſolymam adierat, angelica viſione dictum eſt: Felix ſurge concitus & pergens ad civitatem Alexandriæ invenies ibi Eccleſiam in honorem ſancti Joannis Baptiſtæ conſecratam, ubi caput ejus cum tribus parvulis innocentibus reconditum eſt. Quod accipiens tranſfer in partibus Galliarum in regione Aquitaniæ in locum quem tibi oſtendero. De qua viſione certus & expergefactus reverendus ſenex gaudio ampliſſimo repletus; pergens illico ubi juſſus fuerat, ſicut ei dictum fuerat, cuncta reperiens, rectori ſui itineris grates innumeras rependit, properanſque ad locum, theſaurum ſibi à Deo deſtinatum in unius ſportellæ concluſit ſinu: ſtatimque retro iter arripiens, junctis ſibi ſociis ſeptem fratribus ſuis, qui cum eo abierant, vallanſque clam omnem regionem illam, perveniens ad littora maris invenit navem cum remigiis ac gubernaculis à Deo paratam; quam ingreſſus eſt cum theſauro & magni pretii margaritis. Igitur fratres & ſocii ejus deſcendentes cum eo in navi gratias agentes, in hymnis & laudibus Deum benedicentes, alta petunt æquora.

Cumque in mare iter agere cœpiſſet, Felix elevatis oculis ad cœlum palmas tetendit, dicens: Domine Jeſu Chriſte, qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, & profundum abyſſi intueris, qui ſuper undas maris ſiccis pedibus ambulaſti, & Petrum mergentem manu erexiſti, & Paulum ter de naufragio liberaſti; libera nos de magnis fluctibus hujus pelagi, ut viventes benedicamus nomen tuum in ſecula ſeculorum. Mittere etiam Domine dignare ſanctum Angelum tuum de cœlis, ut ſit dux itineris noſtri, ſicut fuit quondam patribus noſtris, quando eduxiſti eos de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu tua valida; & perduc nos recto itinere ad locum optatum, ad ſanctas & precioſas margaritas collocandas.

Hæc & his ſimilia orante Beato Felice, ecce nubes lucida deſcendit ſupra navem, & de medio nubis egreſſa eſt columba ad inſtar nivis candida, & ſuper puppim navis immobilis perſtitit, tam in die quam in nocte, uſque dum in partibus Aquitaniæ ad littus maris Oceani pertingerent. Cumque non longe à terra ſe eſſe cognoviſſent, diverterunt ad portum qui appellatur Angoliſmenſis, qui eſt ſitus in pago Alnienſi. Ibique euntes de navi ad terram, pauliſper requieverunt. Moventes autem ex eodem loco, duobus milliaribus peractis, invenerunt eminus corpora mortuorum, [4] regem videlicet Wandalorum cum omni exercitu ſuo jacentem ſuper faciem terræ, ut opinor, quaſi viginti millia virorum. Quoniam egreſſus fuerat idem populus craſſa cervice de vagatione ſua per mare cum claſſe magna, & ventus vehemens irruit in eos, & tranſvexit in partes occidentis in ſupradictum portum Angoliſmenſem. Nunciatumque eſt Pipino regi Aquitanorum, quod gens Wandala regnum ejus invaderet: miſitque in omnes terminos Aquitanorum ac Xanctonicæ, nec non Angoliſmæ, ſive omnes terminos eorum, ut contra eos pergerent ac dimicarent: quia idem rex Pipinus tunc morabatur in territorio Alnienſi ſuper fluvium Vultronæ, in palatio quod vocatur Engeriacum, inter medios fines Pictavorum ac Xanctonicæ. Denique cum iſdem rex Pipinus cum omni multitudine armatorum occurreret hoſtibus ſuis, fecit Dominus ſalutem magnam omni exercitui ſuo, ita ut nullus evaderet ex hac multitudine, qui non cæde vaſtaretur. Supradictus autem rex videns ſibi à Domino auxilium de cœlo fuiſſe præſtitum, & ultionem de inimicis, ita ut non minuerentur de exercitu ſuo, niſi viginti viri quos præ ceteris valde diligebat. Quos

[1] *Mittentes in ſpecum quendam.*] *Pamelius ait*, Quod auctor à latronibus, Marcellinus Comes & Simeon Metaphraſtes, à figulo quodam raptum dicunt ſacroſanctum Baptiſtæ caput. Atque hinc factum puto, ut maluerit Beda cum loco citato, tum in hom. de collocatione ſeu natali D. Joannis Baptiſtæ, non aliud ſcribere quam incuriæ culpa deperditum. Quod de verbo ad verbum etiam tranſcriptum eſt in Bedæ & Adonis martyrologiis ad 6. Kal. Martii, quem Peritium vocat Metaphraſtes. Quibus locis, uti & apud Uſuardum, legendum eſſe Emeſſam, ſeu potius Emeſium Phœniciæ civitatem, non Edeſſam, patet ex Marcellino, Metaphraſte, & Petro Trecenſi: tum ex dicta narratione, & Martyrol. D. Donatiani MS. & ipſius Adonis Chronicis.

[2] *Juranno Epiſcopo.*] *Pamelius ait*, Beda legit *Julioramo*. Petrus Trecenſis *Juliaramo*. Illud accedit magis ad lectionem Metaphraſtis, qui cum MS. cod. legit *Uranio*, præſertim quum Marcellinus Comes legat *Juliuranio*. Qui tamen non Alexandrinus, ſed Emiſſenus Epiſcopus fuiſſe ab illis omnibus perhibetur, atque adeo videtur auctor memoria lapſus, dum Alexandriæ Epiſcopum facit & ſucceſſorem Theophili, neque enim inter Alexandrinos Epiſcopos Uranius recenſetur, aut Julioranus.

[3] *Ad civitatem Alexandriæ.*] *Pamelius ait*, Etiam hic ſui oblitus videtur auctor, fortaſſis ex eo quod apud Alexandriam, uti prius dixit, oſſa D. Joannis Baptiſtæ eſſent recondita, & in ejus honorem ædificata Eccleſia. Nam etiam pro aliis facit, quod habet Sigebertus in Chronico ad annum Dom. 761. Caput Joannis Bapt. ex Edeſſa (nam ſic legendum cenſeo, pro eo quod eſt *in*) civitate transfertur. Nam de Tranſlatione in Gallias, id intelligi patet ex Vincentio Bellovacenſi, Petro Trecenſi, & Antonio; item ex Chronico quodam MS. Guilielmitarum incerti auctoris.

[4] *Regem videlicet Wandalorum.*] *Pamelius ait*, Intelligendum eſt iſtud aut de ſtrage Chilxingi Arvernenſi, & Amingi Pictavienſis, Comitum, quale quid indicat Sigebertus, qui in auxilium venerant Duci Aquitaniæ contra Pipinum: aut de ipſa cæde Vuayfarii Ducis ſeu Regis, interfecti apud Petragoricos, juxta Adonem & Aimoinum: ut Wandalos illos nuncupet, quod à Vaſconibus, atque adeo & Wandalis orti eſſent. Aut certe reliquiæ quæpiam Wandalorum rurſum Gallias tunc infeſtantium, quemadmodum eos feciſſe ſcribit Robertus Gaguinus paulo antequam regnaret Carolus Martellus Pipini pater.

Quos accipiens, ſingulis depoſuit feretris. Lætus pro victoria, mœſtus pro amiſſorum funeribus exercitum revocat, pergere cupiens ad propria.

Cumque ab hac cæde quaſi quatuor milliaribus diſjuncti eſſent, figere tentoria imperat; preſſuſque ſomno, ſtratum ſuum parari in papilionibus jubet. Tunc pro laſſitudine ſomno ingruente vox divina oblata eſt, dicens ad eum: Cur te piger ſomnus ita preſſit? Noveris magni viri Joannis Baptiſtæ caput ex tranſmarinis partibus ab oriente cum tribus parvulis innocentibus ad hunc pagum deferri, & propter ejus meritum in hoc prælio divinitus victoriam tibi à Deo eſſe collatam. Reſpondit ei Rex Pipinus in viſione, dicens: Si tanta beneficia propter ejus meritum in me vigent, indica mihi quid agam: aut quemadmodum inveſtigare vel invenire potero eum. Reſpondit ei vox divina, dicens: Ecce poſt tergum tuum ſequuntur te ſeptem fratres in habitu peregrinorum, & unus qui ceteris præeſſe videtur, Felix vocatur. Vade in occurſum eorum cum paucis, & in humilitate cordis benigne ſuſcipe: adornataſque precioſiſſimas margaritas, pacifice, tecum ducere coneris, & videbis magnalia Dei. Vir autem Domini Felix, viſa tanta multitudine cæſorum corporum, pavore perterritus, tamen de adjutorio Dei confiſus, confortat ſocios, & ut pauliſper iter agerent, admonet. Divertenteſque ex adverſo, parvulum ſibi ſtatuerunt habitaculum, ut eadem nocte uſque mane in eodem permanere potuiſſent.

Prædictus autem Rex Pipinus à ſomno evigilans, intra ſemetipſum cogitare tacitus cœpit ex viſione quam viderat, quid agere deberet; recogitans quia in antiquis eſt ſapientia, & multorum peritorum prudentia. Mittenſque concitus accerſiri jubet virum prudentem ac bonis operibus pollentem, nomine Felicem, ut de tanta manifeſta viſione Dominum pulſaret, ut ei ſalubre conſilium ſuggerere dignaretur. Igitur conſilio inventum eſt, ut exutis veſtibus & calceamentis ſuis in cinere & cilicio nudis plantis incedentes, ſicuti oraculo divino admonitus fuerat, obviam famulis Dei procederent. Cumque ſe mutuo conſpexiſſent, jacentes, tam ipſe quam omnes qui aderant, proni in terram tamdiu adoraverunt, quoaduſque famuli Dei ad locum ubi jacebant, pertingerent. Cumque Dominum benedixiſſent, & ſe invicem ſalutaſſent, oſculum pacis ſibimet dederunt. Levanteſque ſe à terra, lacrymabiliter interrogabant ſe invicem, qua cauſa hæc quæ viderant & audierant, accidiſſent. Vir autem Domini Felix cuncta intelligens à Deo eſſe manifeſtata, retexit hiſtorias quemadmodum Hieroſolymam adierat orationis gratia, & theſaurum abſconditum divina miſericordia ei revelaverat. Et facta oratione cum omnes reſpondiſſent: Amen; elevatis Felix precioſiſſimis margaritis, capite ſcilicet Joannis Baptiſtæ & reliquiis ſociorum ejus beatorum martyrum innocentium; cum hymnis & laudibus pſallentium dirigit chorum.

Quo audito cunctus exercitus qui in caſtris erat, quaſi unus vir ei obviam proceſſit numero triginta millia virorum. Exequias vero mortuorum qui in prælio corruerant, ſecum deferentes, petebant auxilium de cœlo à Domino per præcurſorem ſuum Joannem, ut cujus reliquiæ deportarentur divina gratia manifeſtare dignaretur; promittentes ſe tantam fidem habere, ut quidquid peteretur, ſanctus Joannes Domino annuente tribuere poſſet: Apprehendenteſque ſportellam, in qua beati Joannis Baptiſtæ caput continebatur, ſingulis feretris impoſuerunt, mortuos tangentes. Miro atque inæſtimabili modo mox ut tetigit oſſa jacentium, vita per mortuum mortuis reddita eſt. Surrexerunt autem eadem hora ab officio funeris viginti viri tam celeriter ac ſi à ſomno eſſent excitati; & qui à flentibus amicis portabantur ad tumulandum, iiſdem gaudentibus ad vitam redeunt. Videns autem Rex Pipinus & cunctus exercitus magnalia quæ circa eos Dominus geſſerat per præcurſorem ſuum Joannem Baptiſtam; plaudentes manibus benedicebant Dominum, qui fecit mirabilia in cœlo & in terra. Vir autem Domini Felix & ſocii ejus gaudio repleti, una cum Rege Pipino & exercitu ejus, levantes caput beati ac præcellentiſſimi præcurſoris Chriſti Joannis Baptiſtæ & beatorum innocentium, cum gaudio & lætitia iter agere cœperunt. Cumque nulla mora fieret in eundo, pervenerunt ad quandam villam, quæ appellatur Vultronia. Cumque ibidem pauliſper quieviſſent, obvius eis quidam cæcus factus eſt, qui ſtatim ſanus effectus eſt per beatiſſimi præcurſoris merita. Cumque de eodem loco eis moveri placuiſſet, arripiunt iter per viam quæ ducit ad paludem, cognomine Mathevallis. Cumque eis aliquantulum ibi requieſcere placuiſſet; ecce quidam debilis pedibus qui ſe erigere omnino nequibat, rependo ſe trahens obviam eis proceſſit. Qui invocans meritum beati Joannis, ita redditus eſt ſanitati, ut firmus & ſtabilis ſine dolore incederet cum turbis.

Jamque propinquantes ad locum quo tendebant, ſuper fluvium Vultronæ ad palatium nomine Engeriacum pervenerunt. Audiens autem omnis populus à maximo uſque ad minimum, à viro uſque ad mulierem, omnes ſimul in unum conglobati obviam eis proceſſerunt. Cumque ibidem ante palatium Regis Pipini perveniſſent: in baſilica beatiſſimæ & glorioſiſſimæ ſemper virginis Mariæ, cum magno fervore & ſtudio, illico ad cuſtodiendum depoſuerunt. Lætatuſque eſt univerſus populus lætitia magna, & celebraverunt ſolennitatem hujus diei quarto Kalendas Septembris, & reverſi ſunt unuſquiſque ad habitacula ſua. Igitur beatus Felix & ſocii ejus cum venerando rege inter cetera Dominum deprecabantur, ut eis ſalubre conſilium ſuggereret, quonam in loco ſancta membra locarent. Ædificanteſque baſilicam, & in ea concavum ciborium cum ſex columnis marmoreis mirifici operis bene compoſitis non longe à Vultroniæ littore, ſed ut arbitror centum ſtadiis. In quo cum aromatibus & plurimis bonis odoribus condientes caput beati Joannis Baptiſtæ almi præcurſoris Chriſti, & beatorum trium innocentium, corpora ſimul in hoc ciborio concluſerunt, bitumineque ſigillato munierunt. Domino autem auxiliante hoc ædificium completum eſt feliciter. Fecit etiam idem rex fontem ductorium, qui à duobus fere milliaribus per profundiſſimos terræ meatus ad palatium ejus ductus decurreret, & in ipſam baſilicam per ferrum & æs introduceretur, ac ſubtus ciborium per concavam marmoream columnam ebulliret: ibique ſacri baptiſmatis ablutio fieret: ſicque iterum ad primos aditus reflecteretur. Convocans igitur Rex Pipinus & beatus Felix Pontifices & ſacerdotes, omneſque patriæ nobiles; benedicentes Eccleſiam, atque in honore ejuſdem Joannis Baptiſtæ dedicando mirifice conſecrantes, prædiis ac poſſeſſionibus ſuis à progenitoribus ſibi dimiſſis eam nobiliter dotaverunt. Ordinatiſque omnibus neceſſariis, monachos ibidem Deo in perpetuum ſervituros ſtatuerunt, poſtmodum multa Domino mirabilia operante per famulum ſuum Joannem Baptiſtam. Tandem vero metam narrationi ponentes, oremus immenſitatem bonitatis Chriſti, ut ſua potenti dextra ſuffultos nos ad æternæ quietis ſtationem perducat: qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu ſancto per omnia ſecula.

DE
DUPLICI MARTYRIO,

Ad Fortunatum, incerto Auctore.

MUltifariam multisque modis ago gratias, Fortunate mihi in Domino carissime, divinæ benignitati, quod & tuam pietatem excitavit ad extimulandum officium meum, ut unico libello commilitonibus nostris materiam subministrarem; unde sibi gratia Spiritus opitulante, munimenta telaque fabricarentur adversus persecutionum incursus: & mihi quod petebas conanti, non dedignata est adesse: & quod utriusque nostrûm operam non passa est esse sterilem, hoc est [1] quod mei Fortunati pium desiderium bene fortunavit, & ministri sui officium voluit esse gregis sui beneficium. Scribis enim ex eo libro multum roboris & alacritatis accessisse strenuis, timidioribus autem & infirmis tantum animorum esse additum, ut ex his quoque per Dei gratiam, certam victoriam nobis promittere debeamus: eoque libentius obtemperavi posterioribus tuis literis, quibus orat tua caritas, ut quoniam hoc auspiciis Domini nostri Jesu Christi bene successit, addam volumen alterum de duplici martyrii genere: quorum unum exhibetur, cum sævit tortorum immanitas: alterum occultius quidem est, sed nihilominus fortem animum postulat, multaque divinitus armatura communitum. Utinam & hoc munus Christi spiritus per me fratribus & commilitonibus nostris largiri dignetur, & quod dederit bene prosperare. Quemadmodum enim nihil sanctum nisi illo sanctificante, nihil potens nisi illo corroborante: ita nihil felix, nihil auspicatum, nisi illo prosperante. Sane & vestris precibus, & Domini bonitate fretus aggrediar.

Martyr (ut iis quoque notum est qui Græce nesciunt) testem sonat. Quanquam autem post exortam Evangelicæ veritatis lucem, Ecclesiastica consuetudo cognominis hujus honorem proprie tribueret iis, [2] qui in tormentis usque ad mortem perdurarunt in professione nominis Jesu Christi, & Evangelicum Instrumentum sanguine suo velut obsignarunt apud incredulos: omnis tamen piorum vita testimonium reddit Deo. Non quod ille cujusquam egeat testimonio, qui ex se fons est æternæ gloriæ, ut nec ullis hominum honoribus fieri possit honoratior, nec ullis mortalium ignominiis obscurior. Sed tamen ita visum est æterno illius divinoque consilio, ut suam bonitatem, sapientiam ac potentiam apud homines per homines velit illustrari; sicut mundum gubernari voluit per Angelos, cum Angelorum ministerio non egeat, multaque hominibus per homines largiatur, quæ per se dare poterat, qui quicquid vult, nutu potest, & cui voluisse, fecisse est. Et quanquam, ut dixi, ad illam ineffabilem majestatem nulla pertingit ignominia; tamen in Scripturis ita loquitur, quasi per nos honoretur, vel ignominia afficiatur. Nam in Deuteronomio cum Moyse expostulat, quod apud populum [3] ob laticis penuriam murmurantem in Cades deserti Sin, ad aquas contradictionis non sanctificarit ipsum inter filios Israel, & ob hanc offensam non est illi nec Aaroni datum ingredi terram promissam, ac tot annis expectatam, sed tantum è montis vertice procul aspicere licuit.

Porro quod dictum est sanctificare pro glorificare, qui literas Hebræorum callent, affirmant esse sermonis illius proprietatem. Quod ipsum tamen ex aliis Scripturarum locis liquere potest, si minus illorum testimonio fidimus, quandoquidem & in oratione Dominica: Sanctificetur nomen tuum, dictum est pro glorificetur sive clarificetur nomen tuum. Sic & Corinthios exhortatur, ut glorificent ac bajulent Deum in corpore suo. Sicut enim nomen Dei glorificatur vita piorum hominum, in quibus ipse per Spiritum suum operatur quicquid faciunt boni: ita è diverso polluitur & infamatur malefactis eorum qui se Dei cultores profitentur. Quemadmodum & militis virtus, aut servi probitas redundat in gloriam ducis, aut heri: ita militis ignavia, aut servi nequitia, dedecori est duci aut hero: propterea, quod horum mores magna ex parte pendent ab illorum moribus, in quorum potestate sunt. Qui etiamsi prorsus absunt ab omni culpa, tamen popularis existimatio solet dominorum mores ex servorum moribus æstimare. Unde etiam hic videmus Divinam Scripturam frequenter juxta mortalium affectus loquentem, velut in Levitico de eo qui de semine suo dedisset idolo Moloch, dicit: Quia polluit nomen sanctum meum. At quod ab hominibus sanctificatum est, pollui potest: Dei vero nomen in se semper est glorioſum, apud homines tantum contaminatur, quemadmodum mendax infamia non polluit virum integrum. Sic & apud Ezechielem clamat nomen suum fuisse pollutum inter gentes impiis moribus Israelitarum. Quin & beatissimus Paulus scribens Romanis, ex auctoritate Prophetæ dicit, appellans Judæos, legem profitentes, sed ea quæ lex vetat facientes: nomen Dei blasphematur inter gentes. Et in oratione Dominica, sicut attigi modo, ex auctoritate Redemtoris, oramus ut sanctificetur nomen Dei Patris, hoc est, ut inclaresçat & illustretur apud homines, utique per homines, vel potius in hominibus. Illustratur autem, si spiritus illius regnet in nobis, & si illius voluntati obtemperetur in terris, quemadmodum in cœlis nulla est rebellio. Quoniam autem homines ex sese nihil habent virtutis, quicquid per nos recte geritur, cedit in gloriam Dei, & ideo thesaurum divinæ potentiæ promit interdum ex vasis fictilibus; ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.

Er-

[1] *Quod mei Fortunati, &c.*] *Pamelius ait*, Quanquam hic ut Cypriani esse persuaderet hunc librum, alterius libri ad Fortunatum meminerit; tamen ipse stylus repugnat. Neque enim veteres Patres unquam voce fortunare usi sunt, ne fortunæ viderentur aliquid tribuere.

[2] *Qui in tormentis usque ad mortem perdurarunt.*] *Pamelius ait*, Quam diversa significatione martyres accipiat Cyprianus, supra abunde diximus, præsertim Tomo 1. epist. 9.

[3] *Ob laticis penuriam.*] *Pamelius ait*, Non recte Manutius & Morelius *laricis*, neque vero sic etiam alicubi Cyprianus, cui etiam heri nomen ignotum est.

Ergo quanquam omnis piorum vita martyrio ſuo glorificat Deum & Chriſtum Filium ejus; nullum tamen eſt illuſtrius teſtimonium apud homines, quam ſanguinis, hoc eſt vitæ propter Deum contemtæ, & mortis fortiter toleratæ. Reddiderunt & miracula teſtimonium divinæ potentiæ, præſertim apud incredulos, nam his proprie data ſunt ſigna, quemadmodum ſcribit beatus Apoſtolus: ſed ſemper efficacius fuit ſanguinis profuſi teſtimonium. Quot morbos inſanabiles verbo ſanarat Dominus? quot cæcos illuſtrarat? quot mancos, paralyticos ac debiles reſtituerat? quot exanimes ad vitam revocarat? Et tamen pauci credebant in eum, & audiebat: In Beelzebub ejecit dæmonia. Ceterum ubi ventum eſt ad ſanguinem, ibi dejectum eſt Satanæ regnum, ibi ſubactus eſt mundus. Commemorat & Joannes Evangeliſta triplex in terra teſtimonium, Spiritus, aqua, & ſanguis: quod efficaciſſimum eſt, poſtremo recenſens loco. Spiritum in columbæ ſpecie deſcendentem ſuper Jeſum videre meruit Joannes Baptiſta, an alii viderint incertum. Certe hoc teſtimonium Joanni datum eſt, quo deſineret dubitare de Domino Jeſu, an ille eſſet qui baptizaret Spiritu & igni. Aquæ teſtimonium vidit Joannes Evangeliſta, nec ſatis conſtat, ſoluſne viderit, an cum multis. Erat quidem hoc ingens myſterium ſacri lavacri quo delentur peccata: ſed vidit aquam ſimul effluere cum ſanguine, qui niſi adfuiſſet, inefficax erat aqua. Quid enim prodeſt aboleri peccata, niſi ſuccedat vita juſtitiæ quam confert ſanguis? Quanquam hi tres unum ſunt: unus enim Deus eſt, qui per Spiritum, aquam, & ſanguinem declarat hominum generi virtutem ac bonitatem ſuam: [1] aut ideo dicuntur unum eſſe, quoniam undique ſibi conſtat teſtimonium, nec ulla ex parte diſſonat: quemadmodum quos artiſſima jungit amicitia, propter ſummum animorum conſenſum, unus animus eſſe dicuntur.

Ac juxta ſenſum craſſiorem, hæc tria præcipua ſunt in homine vitæ argumenta atque etiam inſtrumenta. Quamdiu enim pulmonis officio attrahitur viciſſim ac redditur halitus, certum vitæ indicium eſt: unde loquendi conſuetudine, ſpirare dicuntur qui vivunt, & expiraſſe qui vitam finierunt. Quin & anima Latinis flatus dicitur, ad Græcæ vocis imitationem, qui ventum ἄνεμον vocant. Super hæc, ſunt in ipſo homine ſubtiliſſimi ſpiritus, à corde ubi fontem habent ſparſi per univerſum corpus, ſed præcipue per arterias commeantes, licet & aliis partibus omnibus mixti: hi ſi ſubito evolent, mortem præſentem adferunt: ſin includantur, lenta ægrotatione conſumunt hominem. Adeſt & humor quidam naturalis, quem (ut arbitror) Medici Phlegma vocant; ſparſus & ipſe per univerſum corpus. Hujus uſum nunquam ſentimus evidentius quam in ſenſu guſtus: niſi enim hic admixtus ſit inter linguam & palatum, nullum erit palati judicium. Et tamen hæc ſic mixta ſunt in homine, ut non ſit ſanguis abſque ſpiritu & phlegmate, & pariter ad tuendam vitam conferunt omnia. Videmus quodvis animal mori ſimulatque ſanguis effluxerit; & conſumto humore, quem Medici radicalem vocant, non aliter moritur homo, quam extinguitur lucerna conſumto oleo. Sed nimium diu moramur in contemplatione naturæ; quod tamen non inutiliter factum opinor à nobis, ut dilucidius fiat caritati veſtræ myſterium, in cujus contemplatione ideo verſamur lubentius, quia ſalubrius. Nam juxta naturæ conſiderationem tunc iſta magnam vim habent, cum in vivo corpore ſua munia peragunt: ac juxta myſticam Philoſophiam, tunc demum plurimum valent, cum corpus relinquunt.

Nemo miratus eſt Dominum humano more ſpirantem ac reſpirantem; ſed cum in cruce clamore valido emiſiſſet ſpiritum, ſimul intellectum eſt, illum & verum fuiſſe hominem, & verum Deum: hominem, quod juxta naturæ ordinem, & ubi vitalem flatum emiſiſſet, deſiit vivere; Deum, quod ſimul cum ingenti clamore mortuus eſt, declarans ſe volentem ac ſpontaneum deponere vitam, quod humanarum virium nemo neſcit non eſſe. Senſit efficax teſtimonium ſpiritus vicinus Centurio, ſic enim narrat beatus Marcus: Videns autem Centurio qui ex adverſo ſtabat, quia ſic expiraſſet ait: Vere hic homo filius Dei erat. Quid morte abjectius juxta carnem? ſed nihil morte potentius juxta ſpiritum. Erat & illud præter naturæ curſum quod è latere exanimati corporis, ſanguis & aqua profluit, ut abſolveretur triplex teſtimonium. Totum effudit ſpiritum ut nos reſpiraremus: quicquid erat humoris aquei reliquum, expreſſit ut nos ablueremur: quicquid reſederat in corde ſanguinis, emiſit ut nos confirmaremur. Atque haud ſcio an perperam faciam hæc tria inter ſe conferens; cum ſint unum, non natura, ſed in myſterio. Si qua tamen eſt diſcretio, ſanguis in teſtimonium ratione potiſſimum celebratur, quod in hoc Scriptura teſtatur eſſe vitam animantis, & ob id à cibis ſubmovebatur edicto legis. Præterea magis eſt expoſitus hominum oculis ſanguis quam ſpiritus aut aqua.

[2] Vita Domini qui ſummus fuit martyr, quique & hodie pugnat & vincit in martyribus plurimis, fuit offendiculo. Non jam loquor de Phariſæis & Scribis, ipſis etiam cognatis ac fratribus fuit deteſtabilis, cum dicerent illum in furorem verſum; ſed mors illius non ſolum piis, ſed impiis etiam fuit admirabilis, nec alibi magis verum fuit, quod Dei virtus in infirmitate perficitur. Ibi fracta eſt Satanæ tyrannis, ibi devicti ſunt inferi, ibi triumphatum eſt de diabolo, ibi dejectus orcus, cœlum apertum. Nimirum hoc erat quod inſtante mortis tempore deprecabatur Dominus: Pater, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Quid homine mortuo contemtius? Quis enim vel Cæſarem mortuum metuat? Sed Chriſti morte quid efficacius? Velum templi ſciſſum eſt à ſummo uſque ad imum, terra concuſſa eſt, ſaxa diſciſſa ſunt, aperta ſunt monumenta, revixerunt ſepultorum corpora, ſol medio die obtexit faciem ſuam. Nunquam per omnem vitam magis declaravit potentiam ſuam: mox refractis omnibus mortis repagulis, vivum ſe diſcipulis exhibuit. Nimirum hoc eſt efficax illud ſacroſancti ſanguinis teſtimonium, qui ſolus potuit dirimere maceriam, quæ Deum ab hominum genere ſeparabat: ſolus potuit unica litura delere totum illud chirographum quod erat contra nos, & [3] Satanæ in nos jus vindicabat. Neque enim ſanguis hircorum aut vitulorum potuit abolere peccatum; umbræ erant illa & typi futurorum. Nec ullius hominis ſanguis poterat tollere peccatum mundi, præter unici illius agni

[1] *Aut ideo unum dicuntur eſſe &c.*] *Pamelius ait*, Nimirum conſentit hæc expoſitio adnotationibus Eraſmi, in hunc epiſtolæ Joannis locum: ipſe vero Cyprianus longe aliter, de unitate Patris, Filii, & Spiritus ſancti interpretatur, libro de Unit. Eccleſiæ. Sic etiam alii Veteres.

[2] *Vita Domini qui ſummus martyr fuit.*] *Pamelius ait*, Non exiſtimo apud Veteres Chriſtum martyrem nuncupari.

[3] *Satanæ in nos jus vindicabat.*] *Pamelius ait*, Negligentia operarum apud Manutium erat *judicabat.*

agni ſanguinem cui Baptiſta tribuit teſtimonium, dicens : Ecce agnus Dei, [1] ecce qui tollit peccatum mundi.

Plus eſt tollere peccatum quam peccata : & peccatum non hujus aut illius, ſed mundi. Corpus enim peccati mundum univerſum occuparat : hoc per Chriſtum eſſe ſublatum, ſanguis ipſius pro nobis effuſus reddit evidens teſtimonium, melius pro nobis loquens, ut inquit Apoſtolus, quam ſanguis Abel. Siquidem ille clamans de terra loquebatur vindictam : at Chriſti ſanguis de cruce clamans, pacem loquitur & reconciliationem. Quin idem ſanguis quoniam à nobis bibitur, ſi modo digne bibitur, clamat in cordibus noſtris verba pacifica & ſolatii plena. Et illic triplex eſt teſtimonium, licet ſpiritali quodam modo. Clamat ſpiritus, qui nobis arrhabonis loco datus eſt, Abba pater, teſtificans quod ſumus filii Dei. Clamat aqua per quam renati ſumus, quod condonata ſunt nobis omnia peccata ; & ſi quis adhuc dubitat, accedit ſanguinis teſtimonium clamantis : quid adhuc hæſitas, quid adhuc pavitas tyrannum Satanan ? ecce pretium quo te redemit Dei filius. Niſi te ſalvum voluiſſet Deus, non tradidiſſet unigenitum ſuum in mortem.

Nemo majorem caritatem habet, quam ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis. Si non eſt majus eximiæ benevolentiæ teſtimonium, quam ſi quis vitam impertiat amico ; gravius eſt Dominici ſanguinis teſtimonium, qui pro inimicis effuſus eſt. Effuſus pro inimicis, fecit amicos ac filios Dei : atque ut conſideremus hanc fore perpetuam amicitiam, reliquit nobis edendam carnem ſuam, reliquit bibendum ſanguinem ; ut per eadem aleremur, per quæ ſumus redemti. Sanguinis aſperſione confirmatum eſt vetus Teſtamentum, quemadmodum ad Hebræos ſcribens præclare docet beatiſſimus Paulus : Chriſti ſanguine conſignatum & corroboratum eſt novum Teſtamentum, hoc eſt teſtamentum & pactum gratiæ & remiſſionis peccatorum, per ſanguinem agni immaculati, qui in ſe recipere dignatus eſt totius mundi peccatum, quod omnes ex Adam contrahunt qui prodeunt in hanc vitam, & cujus contagio peccant quicunque peccant. Tanta autem eſt Chriſti ſublimitas, ut fortaſſe non oporteat quenquam ceterorum hominum cum illo conferre, niſi ipſe nobis tantam fiduciam præbuiſſet ; qui non dedignatus ſit diſcipulos ſuos vocare amicos, ſervulos ſuos vocare fratres & cohæredes : Quemadmodum igitur ille ſuo mirabili teſtimonio clarificavit Patrem in hoc mundo, atque etiam in cœlis : ita teſtimonium illius quodammodo conſummatur teſtimonio ſanctorum, quaſi ſit una paſſio Domini & ſervorum. Id ne quis exiſtimet parum religioſe dictum, beatus Paulus nobis patrocinatur, ita ſcribens ad Coloſſenſes : Qui nunc gaudeo in paſſionibus, pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia. Quis enim neſcit, fratres, quam uberem proventum effudit Eccleſiæ ſeges, Apoſtolorum ac ceterorum martyrum ſanguine irrigata ? Quo plus ſanguinis effuſum eſt, hoc magis efloruit multitudo fidelium : hoc latius ſparſit ſuas propagines illa beata vitis à Chriſto ſtirpe ſurgens, & occupans orbem univerſum, quacunque patet ab Oriente ad Occidentem, ab Aquilone uſque ad Auſtrum.

Ecce, fratres dilectiſſimi, à Domini redemtoris temporibus [2] anni fluxerunt plus minus ducenti quadraginta ; jamque hujus vitis palmites pene latius ſe ſparſerunt quam Romanum imperium, efferas etiam nationes muſto Spiritus inebriantes, & quos nulla ferri vis domare potuit, emollit ſanguis illius agni candidi. Qui naturæ cauſas ſcrutantur, narrant adamantem nullæ chalybis duritiei cedentem, hircino ſanguine maceratum, ictu malleorum diſſilire : nullus autem adamas corde ſaxeo peccatorum durior. Hoc igitur cor ferreum, cor ſaxeum, cor pluſquam adamantinum, emollit ſanguis Chriſti, & hujus martyrum, qui ſupplerunt quod illius paſſionibus deerat. Hoc argumento ſummus ille paſtor, & ut Petrus ait, princeps paſtorum teſtificatus eſt ſe eſſe paſtorem bonum, quia animam ſuam poſuit pro ovibus, nobis exemplum præbens, ut qui pro noſtra qualicunque portione [3] vices illius gerimus, parati ſimus & ipſi pro grege Dominico ſanguinem fundere, niſi malumus videri mercenarii quam paſtores. Domini verbis congruunt verba diſcipuli. Cum enim dixiſſet ſe gaudere in paſſionibus, quibus conſummaret paſſiones Chriſti, perpetiens & ipſe pro corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, qualia paſſus erat Dominus ; cauſam adjecit cur ea libenter pateretur : Cujus, inquit, factus ſum miniſter ſecundum diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vobis, ut impleam verbum Dei. Et alio quodam in loco ſcribit ſe repleviſſe Evangelium. Sicut ergo mortibus martyrum conſummantur paſſiones Chriſti, ita ſanguine paſtorum confirmantur promiſſa Chriſti. Nullum enim inſtrumentum indubitabilius, quam quod tot martyrum ſanguine ſignatum eſt. Hoc nimirum eſt implere verbum Dei, hoc eſt replere Evangelium.

Sed interim graviſſimus dolor oboritur animo meo, dilecti, dum mecum reputo, [4] cum adhuc recens ille Chriſti ſanguis fervere debeat in cordibus fidelium, tam multos eſſe in quibus refrixit caritas : atque hoc gravius diſcrucior, quod tales non paucos paſtores habeat Eccleſia, qui, non ſolum non opponunt corpora ſua adverſus luporum incurſus, verumetiam ipſi lupos agunt, dum mactant ac perdunt animas ſimplicium, ipſi ventri ſuo, quæſtui, & ambitioni ſervientes, adeoque non implent verbum Dei, ut illud cauponentur potius & impiis dogmatibus adulterent ; nec cogitant quod ille paſtorum Princeps ſeveriſſimo judicio repoſcet ſingulas oves, pro quibus redimendis ſanguinem ſuum fuderat, de manibus eorum. Sed illos ſuum manet ſupplicium : nunc melius eſt ut omiſſis querelis, nos invicem ad officium quod Chriſto debemus exhortemur.

Triplex à Chriſto teſtimonium accepimus, triplex illi teſtimonium reddamus oportet. Rudimenta fideliter tradamus baptizandis, perfectiora baptizatis. Confirmemus illos fructibus Spiritus ad cœleſtem vitam provocantes, & ſi res poſtulet, libenter etiam vitam commiſſo nobis gregi impendamus, noſtraque morte viciſſim Deum clarificemus. Et ne cui videatur mi-

[1] *Ecce qui tollit peccatum mundi.*] *Pamelius ait*, Lugdunenſis editio, & Manutius legunt *peccata*, ſed illud habet utraque Frobenii & Gravii editio, & genuinum eſſe conſtat ex interpretatione auctoris, quæ eadem eſt cum illa, quam habet Eraſmus in Adnotationibus in Joannem ; ita ut vel hinc confirmemur conjectura H. Gravii.

[2] *Anni fluxerunt plus minus ducenti quadraginta.*] *Pamelius ait*, Hoc addidit auctor ut putaretur vetuſtum opus, ſed ipſe ſibi contradicit hac periodo, dum jam ea ætate latius ſparſam dicit fidem, quam Romanum imperium ; neque enim id ante tempora Imperatoris Conſtantini verum fuiſſe ſatis conſtat.

[3] *Vices illius gerimus.*] *Pamelius ait*, Hoc rurſum auctor addidit ut Epiſcopus putaretur.

[4] *Cum adhuc recens ille Chriſti ſanguis, &c.*] *Pamelius ait*, Etiam hoc ad ſubornationem pertinet. Neque vero uſpiam Cyprianus malos paſtores lupos nuncupat, ſed ſolos juxta Scripturam hæreticos.

mirum morte hominum glorificari Deum, audi beatum Joannem in Evangelio de Petro, cui Dominus prædixerat fore, ut ubi ſenuiſſet, ab alio cingeretur & duceretur quo nollet, ita loquentem: ſignificans qua morte eſſet glorificaturus Deum. Quotquot igitur ab orbe condito propter Deum, propter juſtitiam ac pietatem mortui ſunt, morte ſua glorificaverunt Deum. Nam eleemoſynas, jejunia, precationes, aliaque pietatis exercitamenta ſimulant etiam hypocritæ: mortem nemo ſuſcepit alacriter, niſi qui certo perſuaſum haberet, nihil adverſi poſſe accidere iis qui perſiſtunt in caritate Dei.

Neque tamen ſtatim martyr eſt, qui occiditur, occiduntur & ſicarii & piratæ: [1] non ſupplicium facit martyrem, ſed cauſa. Quod ſi qui leguntur ſibi fortiter conſciviſſe necem; aut infirmitas erat morte quærens dolorum finem, aut ambitio, aut dementia. Nec hoc eſt, teſtimonium præbere Deo, id facere quod & Deo diſplicet, & gentium etiam legibus prohibetur. Plurimum intereſt inter barbaricam immanitatem, & martyrum modeſtiſſimam conſtantiam in ſe imbecillem, in Chriſto fortem. Sunt qui certis artibus corpus ſtupefaciunt, ne ſentiant cruciatus: hoc modo ſe quidem malefici muniunt adverſus carnificum manus. Sunt & affectus impotentes, qui ſenſum adimunt animo, ita ut vel mortem impavidi perferant. Sed placidum illud ac manſuetum, illud humiliter ſublime & ſublimiter humile non videmus niſi in Chriſti martyribus. Non obtuentur trucibus oculis carnificem, [2] non minitantur tyranno: magis dolent de illorum cæcitate, quam de ſuis afflictionibus. Scilicet clamat & in illis Chriſtus: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Non aliud ſpectant quam in cœlum, ubi ſpem omnem habent repoſitam. Sic ipſe Dominus velut agnus ſine voce ad mactationem ductus eſt: & ſi quam edidit vocem, ea magis declaravit animum mitem ac placidum, quam ullum potuiſſet ſilentium. Quam blanda oratione compellat Judam proditorem? Quam placide reſpondit cæſus alapa? Quam nihil ferocius loquitur Annæ & Caiphæ? Quam tranquille reſpondit Pilato? Denique cum Phariſæi veluti victores moverent capita ſua, amariſſimis conviciis in illum debacchantes; ille mitiſſimus clamat: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.

Non igitur mori per ſe, teſtimonium eſt; ſed ſic mori, eſt teſtimonium præbere Deo. Stephanus juvenis inter homicidas, agnus inter lupos, ſtabat placido angelicoque vultu & ad Domini exemplum orat pro lapidantibus, nec alibi habet oculos quam in cœlum. Illic videre meruit, cujus præſidio ſuperior erat perſequentibus. Qui vero timet Deum, non metuit hominum ſævitias. Qui ex animo diligit vitam cœleſtem, facile vilem habet animam; atque illi, cum beato Paulo, vivere Chriſtus eſt, mori lucrum. An non ingens lucrum eſt, hanc & brevem & innumeris malis contaminatam vitam cum ſempiterna felicitate commutare? Hic Dominus quemadmodum & in ceteris omnibus ſeſe formam nobis exhibuit. Quum enim inſtaret extremus actus martyrii, quem aiunt in fabulis oportere eſſe optimum, ſeceſſit, abjecit ſeſe in terram, prolixe atque etiam frequenter, ac ſanguineo ſudore madeſcens, noſtræ naturæ in ſe expreſſit imbecillitatem, ante teſtatus animi tædium ac triſtitiam uſque ad mortem, ne nos in deſperationem caderemus, ſi cum omnia mortem præſentem intentant, horrorem naturæ ſenſerimus. Niſi enim adeſſet ſenſus dolorum, nihil haberet admirabile martyrium: ſed ſuperare dolorem, corona dignum eſt. Horrere mortem, naturæ eſt: vincere naturam animi fortitudine, gratiæ eſt. Omnia poteſt Paulus, ſed in eo qui ipſum corroborat. Sed quibus præſidiis vincitur naturæ infirmitas? Si nos totos humi proſternamus, hoc eſt, ſi nihil omnino tribuamus viribus noſtris; ſi vigilemus & oremus inſtanter; ſi noſtram voluntatem divinæ voluntati ſubmittamus, dicamuſque illa ex animo, ex toto corde: Tranſeat hic calix ſi fieri poteſt, ſed fiat non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.

Novi ego ac flevi quoſdam magna animi fortitudine præditos; qui jam coronæ proximi defecerunt, & quem diu profeſſi fuerant, abnegarunt. Quid fuit in cauſa? Dimoverant oculos ſuos ab eo qui ſolus robur dat infirmis: intermiſerant orationem, ac cœperant ad humana præſidia reſpicere. Contemplabantur ſuæ naturæ vincula, conſiderabant aculeos, ungulas, candentes laminas, ferrum & ignem, reliquumque carnificinæ apparatum, etiam aſpectu horrendum, & cruciatuum atrocitatem cum ſuis viribus conferebant, & ideo victoriam amiſerunt è manibus. Ubi quis ita cogitat: hoc poſſunt; illud perpeti non poſſum; nunquam feliciter peraget martyrium. Sed qui ſe totum tradit divinæ voluntati, non alio ſpectans quam ad illius opem; is demum firmus eſt & invictus. Hoc autem fieri non poteſt, niſi adſit vera ac vivida fides, nihil hæſitans, nihil diſquirens: ne cogitaveris quanta ſit tyranni ſævitia, quanta hominis imbecillitas, ſed quanta ſit Domini virtus, qui certat ac vincit in membris ſuis.

Ergo ut à digreſſione reflectamus ad id quod erat conſtitutum: quemadmodum Domini mors potentior erat quam vita, ita voluit martyrum ſuorum mortem eſſe potentem. Quid enim infirmius quam vinciri, damnari, cædi, cruciari, occidi, & ad carnificis arbitrium præbere corpus? Hæc ſpecies interdum miſericordiam movet etiam ſæviſſimis tyrannis. Verum ubi jam monumenta martyrum pelluntur morbi, rugiunt dæmones, terrentur monarchæ, coruſcant miracula, concidunt idola: tum apparet quam ſit efficax ac potens martyrum ſanguis. Præſentia infirma, Epiſtolæ graves, audivit beatiſſimus gentium doctor; hoc & ad martyres recte accommodabitur; vita infirma & contemta, mors gravis ac potens. [3] Jam non eſt par omnium martyrum in tormentis alacritas, quemadmodum nec omnes eodem genere mortis defunguntur. Tres illi beati pueri in mediis flammis invenere refrigerium, & ſepti innocuo elemento, velut in conclavi canebant hymnum Domino. Daniel item citra noxam, leonum ſodalitio eſt uſus. Beatus Andreas, [4] ut habet humana quidem hiſtoria, ſed ſatis probatæ fidei, gaudens ſibique gratulans ibat ad crucem. Alii diutius ac variis cruciatibus ſubinde moriuntur, nec tamen morte datur finire dolorem. Eſt igitur & illud veri martyris, hoc quoque totum arbitrio Dei committere. Novit ille quid expediat nobis, & quid

[1] *Non ſupplicium facit martyrem, ſed cauſa.*] *Pamelius ait*, Sumſit quidem hoc ex D. Cypriano, ſed quod ille contra hæreticos, iſte adverſus eos qui mortem ſibi conſciſcunt, & maleficos in medium adducit.

[2] *Non minitantur tyranno.*] *Pamelius ait*, Non per omnia hoc verum eſſe patet, vel ex ſolo Prudentio, ubi & Laurentius & Romanus martyres contra faciunt, immo & Maccabæi martyres non erunt, ſi huic auctori credendum ſit. Caute itaque hic locus legendus, ne favere videatur pſeudomartyribus noſtri ſeculi.

[3] *Jam non eſt par omnium Martyrum in tormentis alacritas.*] *Pamelius ait*, Morel. & Manut. *Martyrium*, verum non placet.

[4] *Ut habet quidem humana hiſtoria.*] *Pamelius ait*, Hæc quoque phraſis veteribus incognita, qui non humanas, ſed Eccleſiaſticas hiſtorias nuncupant.

quid ad ipsius gloriam maxime conducibile sit. Tantum illud assidue cogitandum est: Sive vivimus sive morimur, Domini sumus. Nec sibi quisquam displiceat, si corpore pariter & animo sentiat gravem ac diutinam molestiam: tantum fidat ei cui certat, is non patietur quenquam tentari supra id quod potest, sed faciet etiam cum tentatione proventum. Quosdam electos interdum patitur in tormentis deficere, ut agnoscant imbecillitatem suam, atque eosdem post fortissimos reddit in certamine. Hac dispensatione Petrus ter abnegavit Dominum, ut edoctus quam nihil posset suis viribus, confirmaret fratres suos. Quomodo autem confirmaret? Ut sibi diffisi, fiduciam omnem collocarent in Domino.

Sed jam tempus est, ut de altero martyrii genere differamus caritati tuæ, de quo etiam accuratius est disputandum, quod occultum sit & omnium temporum commune; neque enim semper sæviunt Nerones, [1] Diocletiani, Decii, ac Maximini: nunquam tamen cessat diabolus exercere Christi militiam professos. Et fortassis erunt posthac donante Christo tempora, quibus nullæ tyrannorum persecutiones affligent Ecclesiam: nunquam tamen defutura sunt certamina, nunquam martyria quibus homines pii glorificent Deum, Ecclesia quidem adhuc in hoc exilio militans, peculiaribus gaudiis applaudit iis, qui in professione nominis Jesu animas suas fideliter deposuerunt, & ad horum memorias magna cum alacritate concurritur: sed cœleste theatrum, Angelorum myriades & justorum cum Christo regnantium innumerabilis populus applaudunt omnibus, qui sinceram fidem, & caritatem invictam, quam habent erga Dominum Jesum, integritate & innocentia vitæ testificantur.

Nec solum professione fidei, quæ juxta Paulum, ore sit ad salutem, glorificatur Deus: verumetiam confessione commissorum. Hæc ne temere ex nobis ipsis loqui videamur, adducenda sunt scripturarum testimonia. Ergo nisi piorum vita cederet in gloriam Dei, Christus non diceret in Evangelio: Ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. Nec [2] Paulus Apostolus scriberet Galatis: Et in me glorificabant Deum. Confirmatur hoc & per repugnantiam ex his quæ diximus. Etenim si nomen Dei polluitur ac dehonestatur impia vita sui populi; utique bona illius vita cohonestatur. Damnatur apud Apostolum & Philosophorum impia sapientia, qui cum Deum cognovissent, non tamen eum ut Deum glorificaverunt. Sapientiam profitebantur, & summam exhibebant stultitiam. Itaque cum Deum esse profiterentur, tamen turpiter viventes & idolis sacrificantes, falso testimonio quodammodo obscurabant Dei gloriam, quasi nec justus esset nec verax: aut quasi non unus esset, sed multi, aut quasi saxis esset adsimilis. Id autem evidentius etiam testatur beatissimus Paulus, scribens ad Corinthios: Emti, inquit, estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro. Ideo Deus redemit nos pretio sanguinis sui, ut semel à peccatis expurgati, deinceps vitam ipso dignam ageremus.

Ac symbolum imperatoris gestamus impressum frontibus nostris. Quid si gerens signum Christi, præstet opera Belial; nonne dedecoratur ille cujus insignia gerimus? Contra sicut imperator sibi placet de milite præstrenuo, sic existimans illius virtutem ipsi decori & ornamento esse: sic Deus gloriatur in his quos redemit, quos lavit, quos sanctificavit, quos Spiritus donativo dignatus est, si vitæ sanctimonia declararint, Domini gratiam in ipsis non fuisse vacuam. Si Paulus gloriatur in discipulorum pietate, gaudium & coronam suam illos appellans, qui nihil erat nisi dispensator alieni muneris: annon Dominus magis gloriatur, super his pro quibus mortuus est? Jam quod in libro Job ad hunc modum Satanæ loquitur Dominus: Num animadvertisti servum meum Job, quomodo non sit ei similis super terram, homo simplex & rectus ac timens Deum, & recedens à malitia? nonne sermonem profert de suo cultore gloriantis? Beatus autem Paulus splendidiore etiam verbo usus est, scribens secundam ad Corinthios Epistolam: Deo autem gratia, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, & odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo. Melius est nomen bonum super unguenta pretiosa. Scriptura glorioſam famam appellare solet odoramenta. Non tamen Deus gloriatur hominum more, sibi placens ac gestiens, sed nostram salutem ducit gloriam, & ideo subjecit Apostolus: In his qui salvi fiunt, & in his qui pereunt. Quomodo glorificatus Deus in his qui salvi fiunt? quoniam illius illustratur misericordia. Quomodo in his qui pereunt? quoniam in his declaratur illius justitia.

Nunc ipse sermonis cursus nos eo deduxit, ut doceamus & peccatorum confessione glorificari Deum. Hic occurrit protinus ex libro Jesu Nave Achan, qui quoniam contra divinum edictum sustulerat ex anathemate pallium coccineum insigne, ac ducentos siclos argenti, ac linguam auream siclorum quinquaginta; populus Israel terga vertit hostibus. Itaque Josue dixit [3] Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. Confessus, dedit pœnas, & aversus est furor Domini. Ea confessio clarificavit Dei justitiam ac sapientiam. Sapientiam, quod illius oculis nihil esset abstrusum: justitiam, quod non sine causa passus esset hostes adversus Israelem invalescere, quodque leges ipsius nullus hominum impune violat. Nihil erat magni quod suffuratus erat Achan: magnum tamen erat documentum universo populo, quantum periculum sit Dei jussa negligere, eique velle imponere quasi quidquam illum fugeret, aut quasi faveret prævaricatoribus. Atque ille quidem cum esset Judæus, ob unicum peccatum, quod ipsi leve videbatur, severissimas pœnas dedit, lapidatus ab universo populo, corporis interitu salutem animæ redimens. Non enim judicat Deus bis in idipsum.

Sed quæ pœna manet illos, qui post tantam Evangelii lucem & gratiam, postea quam semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt æque bonum Dei verbum virtutesque seculi venturi, in multa atque immania crimina relabuntur, crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes? Qui hoc sunt etiam miserabiliores, quod cum tales sint, aspernantur tamen pœnitentiæ salutaris remedium, contemnunt Ecclesiam maternum gremium offerentem, & ad sanitatis instaurationem invitantem. Ejusmodi defectio quantam putas ignominiam inurit Ecclesiæ? Nec ea ignominia non potest pertinere ad Christum qui

[1] *Diocletiani.*] *Pamelius ait*, Morelius conjicit legendum *Valeriani*. Verum etsi id fiat, plura sunt alia quæ Cypriani non esse convincunt. Neque vero uspiam de altero hoc martyrii genere apud illum sermo est.

[2] *Paulus Apostolus scriberet Galatis.*] *Pamelius ait*, Recte sic Manutius pro *Corinthiis*.

[3] *Achan.*] *Pamelius ait*, Morelius *Achar*. Et sic etiam 70. sed versio hæc mixta est ex vulgata editione Hieron. & 70. Hoc autem mirum quod pœnitentiam lapsorum martyrium quoddam facere videatur.

[1] *Kata*

qui est caput Ecclesiæ, & per omnia suum esse ducit, quod est corporis ac membrorum ipsius. E diverso, quanta totius Ecclesiæ exultatio, cum qui lapsus est, per pœnitentiam Ecclesiæ reconciliatur? Ac ne putemus hoc gaudium apud nos tantum esse, Dominum audiamus in Evangelio [1] ✠ Lucam loquentem: Ita dico vobis, quod gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, quam super nonaginta novem justos, qui non indigent pœnitentia. Nam hæc clausula finit parabolam de pastore, qui relictis nonaginta novem ovibus, unam quæ à grege aberraverat multo labore quæsitam ac tandem inventam, imposuit humeris suis, & caulæ restituit. Simili sententia claudit parabolam de muliere, quæ drachmam perditam invenerat. Ita dico vobis gaudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. Nec tamen hoc sic accipiendum est, quasi Deo & ejus Angelis gratius sit post lapsum redire ad pietatem, quam citra lapsum perseverare in innocentia: sed scriptura suo more loquitur secundum affectus humanos, illud testatum esse volens, Deo gratissimam esse peccatorum conversionem. Non enim quærit mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.

Atque interdum piorum hominum lapsus quamvis enormes, divina dispensatione vertuntur in summum Ecclesiæ profectum. Sic lapsus est Apostolorum princeps: sic Paulus gentium doctor: sic Maria Magdalene, quibus nunc Ecclesia præcipue gloriatur, quorum lapsus cesserunt in stabilimentum ac solatium domus Dei. Præterea non hic loquitur de vere justis, sed de justitia Pharisaica, quemadmodum alibi dicit: Non est opus sanis medico, sed male habentibus. At non erant sani quibus hoc dicebat Dominus; sed legis qualicumque observatione tumidi, sibi videbantur sani, ut ideo non desiderabant Medicum.

Hæc cum ad hunc habeant modum, desiderate frater, conemur assiduis exhortationibus excitare fidelium animos, ut tota etiam vita martyrium, hoc est, testimonium reddat Deo; quod adeo negligendum non est, ut nisi ea præcesserit, martyrium quod sanguine perhibetur, non sit martyrium. Frustra enim cervicem præbueris carnifici, nisi prius occideris membra quæ sunt super terram, hoc est, affectus qui militant adversus spiritum, odium, invidiam, avaritiam, libidinem: quibus quicunque servit, Deum quodammodo abnegavit; & Christum ore profitens, vita Satanam Deum confitetur. Nec hic sermo debet cuiquam videri durior, cum sit verax ac salutaris: quidquid homo quivis Deo anteponit, sibi Deum facit, nec possumus duobus servire Dominis: unus enim est Deus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus diligendus.

Quisquis igitur ore dicit: Credo in unum Deum, & servit avaritiæ, aut libidini, aut luxui, sibi mentitur, sibique repugnat, aliud lingua sonans, aliud animo celans, voce tantum testimonium perhibens Deo, cum vita Satanam colat. Efficacius autem est vitæ, quam linguæ testimonium. Non omnis qui dicit: Domine, Domine, intrabit in regnum, sed qui facit voluntatem patris cœlestis. Habent & opera suam linguam, habent suam facundiam, etiam tacente lingua. Ideo Dominus in Evangelio ✠ Joannem ita loquitur: Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ ego facio testimonium perhibent de me. Quemadmodum igitur bona opera profitentur Deum: ita mala quodammodo loquuntur: non est Deus, nec scientia in excelso. Quis non contremiscat, quis non inhorrescat, quis non lacceret vestimenta sua, quis non obturet aures suas, si tales voces audiat ex Christiano? Quantus horror, quantus dolor occupat animos nostros; cum quis victus tormentis, jussus abnegare Christum, abnegat, & ad Jovis statuam thus adolet? Quam trepidamus metuentes ne Deus iratus fulmen in nobis vibret iræ suæ, ne terra dehiscens nos absorbeat? ut interdum unius impietas, supplicii consortio multos involvat; & sunt scelera tam immania, ut vidisse quoque aut audisse sit detestabile. Sed cur alias in simili crimine tam sumus conniventes? Cur & nobis adeo blandimur & aliis? At vide quid de talibus loquitur Apostolus scribens Tito: Profitentur se nosse Deum, factis autem negant. Idem in priore ad Timotheum de vidua quæ negligit familiam: Si qua autem suorum, maxime domesticorum, curam non habet; fidem negavit, & est infideli deterior. Si fidem negavit, quæ negligentius habet suam familiam; quid dicturum putas de his qui se totos dediderunt mammonæ & ventri? De Christianis utique loquitur Paulus scribens Philippensibus, cum ait: Quorum finis interitus, quorum Deus venter est. Quos eosdem taxat, scribens Romanis: Hujusmodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri. Servire, juxta Scripturarum consuetudinem dixit, pro colere. Ventrem colunt, eum quem habent pro Deo. Jam de avaritia manifestius etiam pronunciat, scribens ad Colossenses: Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam, quæ est simulacrorum servitus.

Execramur eos qui procumbunt ad Dianæ simulacrum: quanto justius eos execramur, qui toto pectore serviunt mammonæ, qui illi quotidie sacrificant? Et si avarus est idololatra, qui pecuniæ studio tenetur, qui quod hæreditate obvenit, aut industria partum est recondit, nec erogat in egenos; quid censendum est de his qui lenocinio, qui fœnore, qui rapto, qui fraude, qui calumniis, qui opprimendis pauperibus rem accumulant? Atque hæc idolorum servitus non solum invenitur inter Christianos, verum etiam, quod gemendum est, inter Episcopos. [2] Porro temulentia adeo communis est Africæ nostræ, ut propemodum non habeant pro crimine. Annon videmus ad martyrum memorias Christianum à Christiano cogi ad ebrietatem? An hoc levius crimen esse ducimus, quam hircum immolare Baccho? Mihi videtur multo gravius, si rem recta ratione velimus expendere. Cum tyrannus dicit: Abnega Christum, & immola Jovi, & esto amicus noster, aut morere: sæpe lingua negat, corde reclamante: & manus adolet thus, cum animus intus adoret Christum: quanquam hoc quoque gravissimum est crimen, tamen aliquam impietatis culpam elevat humanæ naturæ imbecillitas. Ibi Satanas tibi loquitur voce tyranni: at quid tibi dicit idem per tuam concupiscentiam? Abnega Christum, & esto dives: Sacrifica Mammonæ, & Christo nuncium remitte. Quid est quod pollicetur? aurum & argentum, inutilem materiam nisi exerceas. Nec dicit morere, sed oblecta oculos; imo potius hoc dicit: Lucrare pecuniam ad breve tempus habiturus, perde in æternum animam tuam. Et tamen hic sponte submittis genua Satanæ, & abnegato Christo, te totum illi

[1] *Kata Lucam.*] *Pamelius ait*, Manutius quidem hic & postea reposuit *secundum*. Verum quod illud Cyprianicum sit, puto auctorem sic ex instituto scripsisse. Est autem etiam præter Veterum sententiam hujus loci expositio.

[2] *Porro temulentia adeo communis est Africæ &c.*] *Pamelius ait*, Quod præmisit de Episcopis, habet ex lib. Cypriani de Lapsis. Hoc vero ex D. Augustino Epist. ad Auxilium, ut putetur Africanus esse.

[1] *Car-*

illi mancipas. Quid autem Christus? Meus esto, & vive in æternum: contemne divitias illas temporarias, & ego tibi centuplum reponam in hoc seculo, & vitam æternam in futuro. Relinque terram, & accipe cœlum. Ac Deus ista pollicens deseritur; & diabolus tam nihili res easque falso promittens, adoratur. O fœdam defectionem! O turpem idololatriam! O iniquam permutationem! Quo præmio sollicitavit humani generis primos auctores? Ostendit pomum, & dedit mortem. Mendacio fefellit: Non moriemini, sed eritis sicut Dii, scientes bonum & malum. Atque illi delusi, qualem Dominum deseruerunt, & ad quem defecerunt? A qua felicitate exciderunt, & in quas ærumnas semet conjecerunt? Sed idem ille tenebrarum princeps qui Evæ locutus est per serpentem, nobis loquitur per satellites suos ac ministros, per lenas & lenones, per eos qui pelliciunt ad amorem pecuniæ, ad ambitionem, ad voluptatem, avocantes à sinceritate quæ est in Christo Jesu. Idem ille loquitur nobis per concupiscentias nostras, quæ vivunt in membris nostris. Nec dicit quod homo tyrannus: aut mihi obtempera aut morere, nec ostentat [1] carceres, catenas, uncinos, sartagines, aut caminos incensos, non cruces, laqueos aut gladios; sed tantum: contemne Deum, renuncia vitæ cœlestis hæreditati, & committe adulterium, & capies voluptatem. Sed qualem? Momentaneam & corporis tantum, quot autem amaritudinibus conditam? infamia, periculo, super omnia vero secreto conscientiæ cruciatu. Hæc est esca diaboli, hoc auctoramentum. Stipendium porro quale est? Dicat majore cum fide beatus Apostolus: Stipendium peccati mors est. Quæ mors? Corporis, quam solam minitatur & inferre potest tyrannus homo? Non, sed mors gehennæ, quæ finem nescit. Plus potest homo tyrannus, quam diabolus. Ille quodammodo cogit hominis naturam, nihil aliud potest quam sollicitare: dejicere non potest, nisi assentiaris, contemsisse vicisse est.

Major itaque venia debetur, Christum in tormentis abneganti, quam sponte assentienti diabolo; cui credidisse, est Christum abnegasse. Ille mendax est, & omnis mendacii pater, illius promissa, quantumcunque fronte blandiantur, nihil aliud sunt quam præstigiæ pellicientes in exitium. Ne quis itaque sic sibi blandiatur: Sum peccator, amo pecuniam, servio libidini, studeo honoribus, indulgeo vindictæ, deditus sum voluptatibus: sed Christum non abnegavi. At reclamat tibi Dominus ipse: Non potes duos dominos colere. Et interim horres abominandum [2] thurificati aut libellati cognomen, ipse fortasse thurificatis aut libellatis deterior. Illos humanus metus violentior, quam ut hominis natura possit vincere, eo compulit, ut impias voces promant lingua, reclamante conscientia; tu tam vili mercedula solicitatus, sponte deficis ad eum, à cujus tyrannide te Christus suo sanguine redemit: cujus jam totus es factus, quemadmodum ait Apostolus: Emti estis pretio magno, & jam non estis vestri. Hujus militiam professus es ad salutare lavacrum, huic dedisti nomen, hujus sacramentis initiatus es, accepisti donativum & pignus Spiritus [3] ne quid dubitares de promisso stipendio, simulque diabolo denunciasti perpetuas inimicitias, renunciasti omnibus illius pompis ac voluptatibus; exsufflasti, exsibilasti, jurasti in verba Redemtoris: cumque tot vitiis servias, tibi places quod nondum sis thurificatus aut libellatus.

Si quis miles juratus in verba Cæsaris, profugeret ad [4] Turcam, & ex illius arbitrio faceret ea quæ sciret ingratissima Cæsari; nonne comprehensus ad supplicium, raperetur ut desertor, ut perjurus, ut perfuga? Quis autem audiret eum ita defendentem: non sum desertor, non abnegavi Cæsarem? Annon mox audiret, quid refert si lingua tacuit? Reipsa abnegasti, & plusquam abnegasti; qui non solum deserueris militiam, verum etiam ad tyrannum & hostem imperatoris tui irreconciliabilem transfugeris. Merito fidelium aures abominantur apostatæ vocabulum: verum hoc non ibi tantum execrandum est, cum incenso thusculo, aut scripto libello renunciatur professioni nominis Christi; sed ubicunque contemtis Christi legibus, obtemperatur Satanæ. Nec enim refert quid sonet lingua; quæ si sonet Christum, cum animus sit deditus criminibus, non est professio, sed hypocrisis; abnegatura Christum si metus urgeat, qui premit thurificatos aut libellatos. Atque in his rebus quæ sic inter se pugnant, ut neutra ferat alterius consortium; quotiens hanc amplectimur, aliam abdicavimus; quotiens unam rejecimus, alteram agnoscimus. Cujusmodi sunt lux & tenebræ, bellum & pax, mors & vita, Deus & Belial; quemadmodum testatur & beatus Paulus in secunda ad Corinthios: Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Adhæsisse Belial, est abnegasse Christum, [5] utcumque lingua aut habitu Christum profitearis.

De hoc si quis simpliciorum dubitarit, dabo argumentum crassum & evidens. Fingamus tyrannum ita loqui Christiano: Incende thus Jovi; nihil addentem nec exigentem ut Christum abneget: si adoleverit, nonne cunctis manifestum erit, illum hoc ipso Christum abnegasse, quod Jovi fecerit thymiama, etiamsi nihil proferat impium in Christum? Quemadmodum qui magicis artibus utuntur ([6] à quo malo nos Domini misericordia liberavit: sicut à ceteris omnibus, quibus juxta veterem hominem quondam ambulantes tenebamur) tacite Christum abnegant, dum cum dæmonibus habent fœdus. Jam si [7] Machabæi fratres una cum matre maluerunt tot cruciatibus exanimari, quam carne suilla vesci, sic æstimantes, eum Deum legis auctorem negare, quisquis sciens ac volens legis præcepta violat: quo pacto sibi blanditur, qui in luxu, temulentia, avaritia, rapinis, adulteriis aliisque criminibus consenescunt, quæ gentium etiam leges noluerunt esse impunita? Et cum tot modis Christum abnegent, cum toties immolent dæmonibus; pro Christianis haberi postulant? Atque in his sunt, qui palam ista committunt, ac propemodum etiam gloriantur in rebus pessimis; adeo non pudet aut piget admissorum: & tamen audent venire in Ecclesiam sanctorum, audent misceri gregi Dominico. Tales interdum tolerat Ecclesia, ne provocati magis etiam perturbent populum Dei: sed quid prodest non ejici cœtu piorum, si merueris ejici? Nam ejici remedium est, & gradus ad recuperandam sanitatem: ejectionem

[1] *Carceres, catenas, uncinos.*] *Pamelius ait*, Omnino sic legendum.

[2] *Thurificati aut libellati nomen.*] *Pamelius ait*, Hoc iterum ex D. Cypriano, qui tamen libellaticos nuncupat.

[3] *Ne quid dubitares.*] *Pamelius ait*, Nimis sæpe inculcat hanc certam in Dei fidem.

[4] *Turcam.*] Ita sorex suo indicio deprehenditur.

[5] *Utcunque lingua & habitu Christum profitearis.*] *Pamelius ait*, Caute & hoc legendum.

[6] *A quo malo nos Domini misericordia liberavit.*] *Pamelius ait*, Hoc etiam addidit, ut Cypriani videretur hic liber, quippe quem magicas artes professum fuisse (quanquam perperam) quidam tradunt.

[7] *Machabæi.*] *Pamelius ait*, Recte sic Manutius, pro eo quod erat. *Maccabæi.*

nem meruiſſe, ſumma malorum eſt. Ac fruſtra miſcetur cœtui ſanctorum in templo manufacto, ſi ſubmotus eſt à conſortio Dei & ab univerſo corpore myſtico Chriſti.

Oportet autem & illud conſiderare, quantopere Chriſtiani abhorrent ab idolothytis, & ab ingreſſu fanorum, atque ab ipſis etiam ſimulacris. Cum Beatus Paulus clamet, neque idolum eſſe aliquid, neque idolothytum; multo minus fanum ex lapidibus conſtructum, eſt aliquid: & tamen plurimorum animus ea religione tenetur, ut mortem oppetant citius, quam guſtent idolis immolatum: & inexpiabile piaculum eſſe ducant, ſi ingrediantur fanum Jovis aut Apollinis aut Dianæ, ſeque putent contactu ſimulacri vehementer contaminari. Equidem probo talium religionem, ſi ſibi conſtet in omnibus. Nunc, pro dolor, videre eſt quoſdam in his pene ſuperſtitioſe trepidos, in aliis ubi gravior erat metuendi cauſa, nimium eſſe ſecuros. Per ſe non inquinat animam contactus idoli, nec ingreſſus fani, nec eſus idolothyti: ſed per ſe polluit conſcientiam amor pecuniæ, inceſtus, rapina, hypocriſis, & his ſimilia monſtra. Quam vero congruit horrere fani ingreſſum, nec horrere in templo ſancto Spiritui conſecrato victimas immolare dæmoniis? Clamat ſanctus Paulus ſcribens Corinthiis: Neſcitis quia templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? ſi quis autem templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus. Rurſus in eadem epiſtola: An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt ſancti Spiritus qui in vobis eſt, quem habetis à Deo & non eſtis veſtri? Quod ſi Chriſtianorum pectora ſibi conſecravit Deus ut in illis inhabitet per Spiritum ſuum; illic deliciatur & inambulat, [1] illic amat ſibi offerri victimam puram in omni loco. Et qui in hoc templum Deo ſacrum, ejecto ſancto Spiritu, inducit abominationes quas in myſtica viſione conſpexit Ezechiel; qui illic ſedem facit Mammonæ, Veneri, Como, Baccho, aliiſque portentis; qui ibi dæmonibus immolat ſpurciſſimas hoſtias, veretur ingredi fanum gentium ne contaminetur. [2] Proinde nemo ſibi fruſtra blandiatur, Deus non irridetur; conſtet ſibi noſtra religio, nec alios deteſtemur, ipſi gravioribus obnoxii criminibus: nec alibi ſimus religioſe timidi, alibi impudenter impii. Sed Chriſtum ſemel profeſſi, tota vita reddamus illi teſtimonium, & undique glorificemus illum, obedientes illius præceptis; ut in hoc cognoſcant homines quod vere fidimus illi, quod ex animo diligimus illum, & quod non ſimulate ad ſacrum lavacrum adduximus nos illius militiæ.

Beatus Apoſtolus prædixit, nulli pie vivere volenti in Chriſto Jeſu defuturam perſecutionem. Si deeſt tyrannus, ſi tortor, ſi ſpoliator; non deerit concupiſcentia, martyrii materiam quotidianam nobis exhibens. Poſtremo hæc ipſa mala quæ ſecum defert vita mortalium, quæque piis cum impiis communia ſunt, martyrii coronam nobis parabunt; ſi placide, ſi cum gratiarum actione pertulerimus. Neque privati ſunt martyrii gloria quicunque violenta morte conſummati non ſunt. Quis autem auſit vel Abraham Patriarcham, vel hujus filium Iſaac, vel beatum Job eximere è Martyrum numero? Quæ carnificinæ gravius torſerunt corpus, quam Patriarchæ mentem torquebant naturæ affectus; cum incunctanter ad Dei juſſum appareret immolare filium unicum & unice carum, in quo tota ſpes erat illi poſteritatis? Quid defuit Iſaac Martyrio, qui nihil obmurmurans, paſſus eſt ſe colligari & imponi buſto? nec expavit in cervicem vibratam machæram? Cujus autem Martyrium audebimus conferre cum his quæ paſſus eſt Job?

Quod ſi quis adhuc diffidit ſermoni noſtro, certe beati Pauli verbis non poterit diffidere. Is ſcribens ad Hebræos, orſus ab Abel uſque ad Gedeonem, ingentem ſanctorum catalogum recenſet, in quo plures ſunt qui non defuncti ſunt morte violenta; imo pauci ſunt qui ſic mortui ſunt; & tamen de omnibus pronunciat: Et hi teſtimonio fidei probati inventi ſunt, perſpicue declarans etiam vita bona peragi Martyrium fidei. [3] Eccleſiæ quidem uſus diſcernit illos cognominibus appellans eos, qui violenta morte deceſſerunt; Confeſſores, qui conſtanter in cruciatibus ac minis mortis profeſſi ſunt nomen Domini JESU, parati mortem oppetere, vel potius martyrii ſupremam coronam ambientes. Apud Deum tamen quicunque carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis, quicunque Chriſto vere commortui ſunt, eique in baptiſmo conſepulti ſunt, ut jam non ſibi vivant, neque mundo cui ſemel mortui ſunt, ſed ei, qui pro ipſis eſt mortuus; Martyres ſunt, nec Martyrum corona fraudabuntur: [4] imprimis autem Monachi, qui vere Monachi ſunt, ac virgines quæ vere virgines ſunt. [5] Neque enim locus deſertus, ſaccus pro veſte, legumen pro cibo, neque jejunia, neque chameuniæ Monachum abſolvunt; ſub his involucris interdum latet animus valde mundanus. Quod ita deprehenditur, ſi ad munus aliquod Eccleſiaſticum vocentur: ibi videas quoſdam ex illis facillime vinci deliciis, impatientiores injuriarum, appetentiores vindictæ quam quivis alius ſit ex media plebe. Quid cauſæ eſt? Quoniam corpus exercuerunt magis quam animum; cum beatus Paulus doceat, quod exercitatio corporalis ad modicum utilis ſit, pietas ad omnia valeat.

Non hæc dixerim, quod improbandi ſint qui talibus modis caſtigant corpus ſuum, & in ſervitutem redigunt: ſed quod Satanas mille inſtructus artibus, nonnunquam illudit incautis, transfigurans ſe in Angelum lucis, & ex hujuſmodi corporum exercitamentis inducit illis falſam ſanctimoniæ perſuaſionem; cumque intus madeant ſpiritalibus vitiis, & ſibi & aliis habentur pii. Talis erat juſtitia Phariſæorum, cui prælata eſt judice Chriſto Publicani injuſtitia. Ita ſunt & virgines fatuæ: quæ ſolidam exiſtimant pietatem corpus habere viro intactum, cum animus avaritia, ſuperbia, invidia, & obtrectatione ſit corruptiſſimus. Sunt & falſo viduæ, quæ dum vivunt in deliciis, Chriſto mortuæ ſunt. In ſumma tamen, quiſquis vere Chriſtianus, cujuſque ſtatus aut ordinis, habet certamina ſua, habet crucem ſuam; quam ſi patienter tollit, ſi conſtanter ſuſtinet, teſtimonio ſuo glorificat Dominum, tantum ne ſibi vindicet laudem bonorum operum: hoc enim non eſt glorificare Deum, ſed clarificare ſeipſum.

Habet unuſquiſque fidelium agones ſuos, habet adverſarium diabolum, habet agonothetam Deum, habet thea-

[1] *Illic amat ſibi offerri victimam, &c.*] *Pamelius ait*, Mire detorquet hanc Malachiæ ſcripturam auctor.

[2] *Proinde nemo ſibi fruſtra blanditur.*] *Pamelius ait*, Hoc rurſum mutuatus eſt ad verbum ex libr. Cypriani de Lapſis.

[3] *Eccleſiæ quidem uſus, &c.*] *Pamelius ait*, Non per omnia Cyprianicam eſſe hanc martyris & confeſſoris differentiam tomo 1. epiſt. 9. ſatis oſtendimus.

[4] *Imprimis autem Monachi.*] Hic etiam larvam ſibi detrahit Perſonatus hiſtrio, qui neſcivit Cypriani ſeculo Monachatum nondum natum.

[5] *Neque enim locus deſertus.*] *Pamelius ait*, Plane ſunt hæc Eraſmica, atque adeo & caute legenda.

theatrum non ſolum Eccleſiæ & Angelorum, ſed & infidelium; quemadmodum dicit Paulus ad Corinthios: Spectaculum facti ſumus mundo & Angelis & hominibus. Si vincimus; gloriantur Angeli, gloriantur & fidelium Eccleſiæ, gloriatur & ipſe Chriſtus in membris ſuis. Sin vincimur ignavia noſtra; triumphat Satanas cum angelis ſuis, inſultant nobis increduli, ac Deum contumeliis afficiunt, dicentes: Ecce qui jactant ſe redemtos à tyrannide Satanæ, qui prædicant ſe mortuos mundo, nihilo minus vincuntur à cupiditatibus ſuis quam nos, quos dicunt adhuc teneri ſub regno Satanæ. Quid prodeſt illis baptiſmus, quo dicunt exui veterem hominem cum actibus ſuis, & indui novum qui ſecundum Deum creatus eſt? Quid prodeſt illis Spiritus ſanctus, cujus arbitrio dicunt ſe temperari? Cur ſemper in ore habent; Evangelium, Evangelium; cum tota vita diſcrepet ab Evangelii præceptis? Quanto creditis pudore ſuffunditur Eccleſia, cum hæc ingeruntur ab hoſtibus, nec habet quo refellat opprobria? Nonne videmus totum Eccleſiæ cœtum [1] demittere vultus atque erubeſcere, quotiens aliqua virgo quæ Chriſto nupſerat, dilapſa ex angelico contubernio, defecit ad ſtuprum aut conjugium? Quantus mœror occupat omnium noſtrûm animos, ſed præcipue paſtorum, ſi quando Chriſti miles tormentis inferior, renunciavit imperatori ſuo? Quantus autem ex adverſo Satanæ triumphus?

Itaque, fratres dilectiſſimi, ſi vere diligimus Deum, ſi quotidie petimus ex animo: Sanctificetur nomen tuum; ſummo ſtudio advigilemus, necubi polluamus nomen illius, ſed & morte & vita glorificemus illum, juxta beati Pauli monita: Viventes ſine querela ut ſimplices filii Dei, ſine reprehenſione in medio nationis pravæ & perverſæ, inter quos luceamus ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes, ad gloriam Chriſti Jesu Regis & agonothetæ noſtri, qui ſuum eſſe ducit quicquid in membris ipſius geritur. Patiamur cum illo, ut cum illo glorificemur in die Domini. Nos hic illum clarificemus apud homines, ut ille nos clarificet claritate ſua coram Angelis ſuis. Cum, ut inquit Beatus Paulus, venerit glorificari in ſanctis ſuis. Nemo coronatur niſi legitime certaverit. Et hi qui corruptibilem coronam ambiunt, ab omnibus ſe abſtinent, nihil non facientes quod ad victoriam conducit: quid nos facere convenit, ut aſſequamur illam immortalis vitæ coronam incorruptibilem & immarceſcibilem in cœlis?

Hic ſiquis roget, quo pacto quis poſſit eſſe Martyr ſine ſanguinis effuſione: quiſquis hoc animo ſequitur juſtitiam, ut mortem citius admiſſurus ſit, quam velit à juſtitia deflectere: huic promta voluntas pro Martyrio deputabitur. Deus enim non æſtimat quenquam ex eventu rerum, ſed ex affectu. Cur enim ille fraudetur martyrii gloria, per quem non ſtetit quo minus martyrium peregerit? Ut contra, mercedem apoſtatæ feret; quiſquis hoc animo vivit, ut Chriſtum negaturus ſit, ſi jactura bonorum, aut corporis cruciatus, aut mors ſit accipienda. Qui ob paululum pecuniæ pejerat; an is verebitur abnegare Chriſtum, ſi tota res periclitetur, ſi intentetur infamia, carcer & mors? [2] Qui ob febriculam ad incantatricum remedia confugit; an is malit cruciatus morte triſtiores perferre, quam Chriſto renunciare? Imo qui totiens ob brevem carnis delectatiunculam, ob momentaneam gloriam deficit à Chriſto; vitam habebit vilem pro Chriſto? Nec hunc tyrannus fecit apoſtatam, ſed ad tyrannum acceſſit apoſtata. Ut autem eſt ſimilis certandi ratio: ita iiſdem armis fratrum animi communiendi ſunt ad has pugnas quibus oſtendimus confirmandos ad martyrium. Fides eſt, quæ pugnat & ſuperat in Martyribus: nec quiſquam defecit in tormentis; niſi fidei defectu.

Orandus igitur aſſidue Deus, ut fidem in nobis augeat: eſt enim Dei donum, illi debetur omnis victoriæ gloria. Ingeramus illorum animis & infigamus, quam horrendum crimen ſit omnis idololatria, quam ſevere punita ſit à Deo ſub lege vetere: quot millia trucidarit Moyſes ob vitulum aureum. Deinde proponatur comparatio manifeſtæ idololatriæ, cum immolatur ſimulacris: & occultæ, cum contemto Deo obeditur per concupiſcentiam Satanæ. Deinde conferatur inter ſe Deus fons omnis boni, & diabolus omnis malitiæ princeps. Oſtendatur & inæqualitas contubernii: in altera parte ſunt filii Dei, concives Angelorum, & hæredes beatæ immortalitatis; in altera filii Belial, ſocietas omnium dæmonum, & hæredes gehennæ. Conferatur & impar malitiæ genus, comparentur diverſa ſtipendia. Hæc ſi prius fuerint perſuaſa, & intimis infixa viſceribus, facilis erit victoria. Nunc fides multis natat in labiis, cum in corde aut nulla ſit, aut vehementer langueat. Quis enim non profitetur, quod in Deuteronomio legimus: Audi, Dominus Deus tuus, Dominus unus eſt? Et; Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies? Quis non quotidie recitat ore: Credo in Deum Patrem omnipotentem? At non credit in Deum, qui non in eo ſolo collocat [3] totius felicitatis ſuæ fiduciam: nec unum habet Deum ac Dominum, qui per ſcortationem, per luxum & avaritiam Satanæ facit imperata, nec illi ſoli ſervit, qui ſervit ventri, qui deditus eſt huic mundo, qui in pravo poſitus eſt.

Ethnici putant plures eſſe Deos, & hoc tibi videris perfectus Chriſtianus, quod perſuaſum habes unum eſſe Deum? quid magni facis? Idem credunt Judæi qui quotidie blaſphemant in Synagogis ſuis: idem credunt dæmones & contremiſcunt. Si vere credis in Deum, crede juſtum & veracem: juſtum in remunerandis piis, & puniendis impiis: veracem in promiſſis. Crede non eſſe ſpem ſalutis, niſi per filium ejus quem pro nobis omnibus tradidit in mortem: crede nihil accidere mali poſſe iis, qui ſe totos illius voluntati tradiderunt & in illo perſeverant. Hoc eſt credere in Deum Patrem, hoc eſt credere in Filium ejus, hoc eſt credere in Spiritum ſanctum, unum Deum, & Eccleſiam ſanctam myſticum Chriſti corpus; extra quam, non eſt ſalus, & in qua non eſt pernicies.

Quiſquis in tali petra pedes animi fixerit, adverſus omnes tentationum incurſus ſtabit immobilis. Exempli gratia: Laceſſitus es convitio, ſuggerit tibi caro vindictæ cupiditatem, priuſquam reſpondeas, ſic cogita tecum: Hunc maledicum hominem ſubornavit diabolus, ut me dejiciat, ac dejectum perdat, ſed auſculta quid ſuadeat imperator tuus cui militas: Beati, inquit, mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Et; Mea eſt vindicta, & ego retribuam. Quid ſuadet fortiſſimus ille Chriſti dux Paulus: Non noſmetipſos vindicantes, cariſſimi, ſed date locum iræ. Diabolus dicit: Fruere vindicta, & perde vitam æter-

[1] *Demittere vultus.*] *Pamelius ait*, Quidam non recte *dimittere.*

[2] *Qui ob febriculam ad incantatricum remedia confugit.*] *Pamelius ait*, Neſcio quæ remedia incantatricum intelligat. Nemo neſcit per periammata & incantamenta vetulas remedia paſſim febricitantibus ſpondere.

[3] *Totius felicitatis ſuæ fiduciam.*] *Pamelius ait*, Corrupte & hic quidem *infelicitatis*: quia etiam paulo poſt omiſerat vocem *es*, eſt etiam hoc caute legendum.

[1] Quo-

æternam. Deus dicit : Vince in bono malum , & noli resistere malo : & accipe cum filio meo possessionem regni cœlestis. Mox dispice , utri potius expediat obtemperare. Dicit tibi per concupiscentiam tuam diabolus : Mœchare , & fruere temporaria corporis voluptate , & esto meus servus , & cohæres gehennæ. Audi potius quid dicat tibi Deus : Sperne temporariam voluptatem , & accipe centuplum bonæ conscientiæ gaudium in hoc seculo, & vitam æternam in futuro : & expende utri potius sit auscultandum. Suggerit tibi per carnis affectum veluti per Evam Satanas : Vive genialiter. Ex adverso dicit Christus : Beati qui lugent , [1] quoniam ipsi consolationem accipient. Ad eundem modum de ceteris tentationibus, objice tentatori clypeum Scripturarum ; in quibus tibi loquitur Deus non minore fide, quam si tibi coram ore ad os loqueretur. Ex his torrentibus sume tibi lapides , quibus dejicias superbum Goliath. Habes exemplum à Domino tuo, sic ille prostravit diabolum : nec dejicias animum si sæpius invadat , ac subinde majoribus machinis aggrediatur : nihil potest adversus eum qui tecum est. Dic illud Joannis : Major est qui in nobis est , quam qui in isto mundo. Succurrat illud Domini dictum : Confidite quoniam ego vici mundum. His orationibus si Christi miles fuerit exercitatus ad conflictum ; indies comperiet suum antagonistam debiliorem.

Nec tamen remittendæ sunt excubiæ , si quando hostis simulabit tranquillitatem ; sed observans illius insidias , dicat cum beato Abacuc : Super custodiam meam stabo & gradum figam super petram, omni custodia servans cor meum , ne qua pateat aditus obambulanti quærentique quem devoret. Tutissimum autem cordis munimentum est sobrietas cum instanti oratione , jugique scripturarum meditatione. Omnis enim scriptura divinitus inspirata , utilis est ad docendum , ad arguendum , ad corripiendum, ad erudiendum in justitia , ut perfectus sit homo Dei , ad omne opus bonum instructus. Ex hac igitur colligendæ sunt sententiæ , quas ad manum & velut in procinctu habeas , ut his protinus serpentem caput erigentem dejicias. Nullus est enim animorum morbus , cui non præsens remedium divina Scriptura suppeditaret. Hinc comparanda sua exempla piorum sed præcipue Christi , quibus se quisque vel animet vel consoletur.

Venio nunc ad illa mala quæ vel ipsam naturam hominis comitantur , vel fortuito videntur inferri. Hæc quoque pius animus , & ad pugnandum instructus , sibi vertet in materiam coronæ. Exemplo faciam , quod dico , clarius. Excutitur aliquis facultatibus suis, sive bello , sive naufragio , sive rapina. Ne protinus hic cogitet laqueum , aut rationem malis artibus sarciendi quod perlit; sed ita secum loquatur : Dominus est qui tentat me , an diligam ipsum ex toto corde. Ipse dedit , ipse abstulit , sit nomen Domini benedictum. Gratias agat quod acceperit ex Domini benignitate : agat gratias quod amiserit ad probationem fidei. Si hæc dixerit eo animo , quo dixit sanctus Job : cum illo mercedem accipiet. Dominus æstimat , non quantum quis perdat , sed quam patienter: quemadmodum non respicit , quantum aliquis largiatur egentibus , sed quo animo. Habet aliquis filium unice carum , eo te mors orbat præmatura , pestilentia spoliat te carissimis , sponsa , liberis , amicis ; ferto patienter , & dic : Domino ita visum , & sic fortassis & nobis expediebat, & nostris; Sit nomen Domini benedictum. Sunt & morbi qui non minus atroces habent cruciatus , quam ulla potest inferre tortorum sævitia [2] veluti pleuritis , ischiasis, podagra, paralysis, calculus , renum & vesicæ exulceratio. Tale si quid acciderit , ne mens exasperetur ad impatientiam, ne lingua erumpat in voces blasphemas, sed cum beato David & Heli sacerdote dicat : Dominus est , faciat quod bonum est in oculis ipsius. Ita mala quæ non inferuntur ob Christi professionem , vertemus nobis in coronam , & Christo in gloriam. Ac fiet fortasse ; ut Dominus nostra tolerantia propitiatus , aut auferat afflictiones , aut mitiget ; quod si non fit, tamen hac ratione faciemus , ut quod animo impatienti fuisset intolerabile , fiat patientia mitius. His atque hujusmodi argumentis non desinemus nos invicem exhortari , ad illustrandam Domini gloriam, cujus titulum & insignia gerimus. Præstemus illi martyrium in suo quisque statu & ordine , non solum in adversis , verum etiam in prosperis. In adversis agnoscamus amorem patris flagellantis nos ad correctionem, & gratias agamus caritati qua diligit nos , ut filios , quos abdicare non vult, sed emendatos recipere. In prosperis æque gratias agamus illius bonitati , qua consolatur nos ut tentationum pondus possimus sustinere : ita fiet ut tota vita nostra nihil aliud sit quam testimonium , declarans apud credentes & incredulos sapientiam, bonitatem, misericordiam ac veritatem Dei Patris , & Filii illius Jesu , & Spiritus sancti. Amen.

[1] *Quoniam ipsi consolationem accipient.*] *Pamelius ait* , Est etiam hæc Erasmi versio.

[2] *Veluti pleuritis.*] *Pamelius ait*, Magis placet hoc Morelii, quam quod habebant prius excusi, *pleuretis*, aut Manut. *pleuresis.*

DE DUODECIM ABUSIONIBUS SECULI,

Tractatus, perperam Cypriano, & Auguſtino adſcriptus.

CAPUT I.

PRimus abuſionis gradus eſt, ſi ſine bonis operibus ſapiens & prædicator fuerit, qui quod ſermone docet, [1] actibus explere negligit. Auditores enim doctrinæ, dicta facere contemnunt, cum prædicatoris opera à prædicationis verbis diſcrepare conſpiciunt. Nunquam enim fit efficax conſtituentis auctoritas, niſi eam effectu operis cordi adfixerit audientis, præſertim cum & ipſe doctor, ſi in vitiorum amorem delapſus fuerit, alterius doctoris medicamentum ſuis vulneribus adhibere parvipendit. Unde & ipſe Dominus in Evangelio de doctrina pariter & bono opere inſtruere volens diſcipulos, qualem in his cautelam haberent admonebat, dicens: Quod ſi ſal evanuerit, [2] in quo ſalietur? Hoc eſt, ſi doctor erraverit, à quo iterum doctore emendabitur? Et ſi lumen, quod in te eſt, tenebræ ſunt; ipſæ tenebræ quantæ erunt? Si namque oculus, à videndi officio deſierit; quis à manu, vel à pede, vel à reliquo corpore illud miniſterium exiget? Quapropter doctores cogitent, ne ampliori vindictæ ſubjaceant, ſi plurimis perditionis occaſionem abundantius præſtent. Nam & ipſe Solomon dum multæ ſapientiæ tranſgreſſionem incurrit, totius Iſraeliticæ plebis regni diſperſionem [3] ſolius ſui merito præſtitit. Quibus ergo committuntur multa, majora perdunt; ſi non recte diſpenſaverint Rectoris ſui munera, quæ perceperunt. Cui enim plus committitur ab eo plus exigitur. Et ſervus qui Domini ſui voluntatem intelligens non facit, acrioribus flagellis gravioribuſque vindictis vapulabit.

CAP. II.

SEcundus abuſionis gradus eſt, ſi ſine religione ſenex eſſe inveniatur. [4] Cui cum membra exterioris hominis veteraſcunt; vires animi, id eſt, interioris hominis membra, incrementa roboris non capiunt. Plus enim omnibus religioni operam dare ſenibus competit, quos præſentis ſeculi florida ætas tranſacta deſeruit. Sicut namque in lignis ipſa reproba arbor comparet, quæ poſt flores fructus optimos cultori ſuo non exhibet: ſic & in hominibus ipſe reprobus eſt, quem flos juventutis deſerit, & tamen in ſui corporis ſenectute, bonorum operum maturos fructus proferre parvipendit. Quid enim ſtolidius fieri poteſt; ſi mens ad perfectionem feſtinare non contendat, quando totius corporis habitus ſenectute confectus ad interitum properat? Dum oculi caligant, aures graviter audiunt, capilli fluunt, facies in pallorem mutatur, dentes lapſi numero minuuntur, cutis areſcit, flatus non ſuaviter olet, pectus ſuffocatur, tuſſis cachinnat, genua trepidant, talos & pedes tumor inflat; etiam homo interior qui non ſeneſcit, his omnibus adgravatur. Et hæc omnia ruituram jamjamque domum corporis cito prænunciant. Quid ergo ſupereſt: niſi ut dum hujus vitæ defectus adpropinquat, nihil aliud cogitare, quomodo futura habitatio proſpere comprehendatur, quiſque ſenex adpetat? Juvenibus enim incertus hujus vitæ terminus inſtat, ſenibus vero cunctis maturior ex hac luce exitus breviter concordat. Cavendæ enim ſunt homini duæ particulæ, [5] quæ in illius carne non veteraſcunt, & totum hominem ſecum ad peccatum pertrahunt; cor videlicet & lingua: quia cor novas ſemper cogitationes machinari non deſinit; lingua impigre loquitur, quodcunque machinari cor ſenſerit. Caveat ergo ſenilis ætas, ne iſtæ juveneſcentes particulæ totam ſui harmoniam decipiant, & per res ineptas reliqui corporis gravitatem ne illudant. Unicuique enim conſiderandum eſt, quid ætate eminenti dignum ſit; ut hoc agat, quod nec vitam, nec ætatem, nec miniſterium vile reddat.

CAP. III.

TErtius abuſionis gradus eſt, ſi adoleſcens ſine obedientia deprehenditur; quo mundus à recto rationis ordine depravatur. Qualiter namque in ſenectute [6] aliis miniſterium imperabit, qui in adoleſcentia ſe ſenioribus obedientem exhibere contemnit? [7] Unde & in proverbio apud veteres habetur, quod dominari nequeat, qui prius alicui ſervitutem præbere denegat. Propter quod & Dominus Jeſus in temporibus ſuæ carnis, dum adhuc ad legitimam ætatem doctoris non perveniret, obedienter miniſtrationem parentibus ſuis præſtitit. Sicut ergo in ſenibus ſobrietas, & morum perfectio requiritur: ita etiam in adoleſcentibus, obſequium, & ſubjectio, & obedientia rite debetur. Quapropter & in mandatis legis primum in his quæ ad homines pertinent, patris & matris honor imperatur, quia quamvis carnalis pater non ſupervixerit, aut indignus fuerit; alicui tamen patri digno & viventi, paternus

[1] *Actibus explere.*] *Pamelius ait*. Auguſtinus *complere.*
[2] *In quo ſalietur.*] *Pamelius ait*, MS. *ſolo.*
[3] *Solius ſui merito.*] *Pamelius ait*, Auguſtinus *ſolo ſuo.*
[4] *Cui cum membra.*] *Pamelius ait*, Omiſimus cum Auguſtino & MS. codic. vocem *multa*, ex Auguſtino etiam lego *deſeruit*, pro *deſerit.*
[5] *Quæ in illius carne.*] *Pamelius ait*, Hic quoque prætermiſimus voculam &, cum MS.
[6] *Aliis miniſterium imperabit.*] *Pamelius ait*, Auguſt. *ille miniſtrari ſibi ſperabit.*
[7] *Unde & in proverbio.*] *Pamelius ait*, Hoc ex MS. cod. pro *in proverbiis.*

ternus honor usque ad dignam ætatem à filiis præbendus esse ostenditur. Quatuor etenim modis per Scripturas divinas patres vocantur; hoc est, natura, gente, admonitione, & ætate. De patre namque naturali Jacob ad Laban loquitur: Nisi timor patris mei Isaac adfuisset, tulisses omnia quæ mea sunt tibi. Gente vero pater dicitur, quando Dominus de rubo ad Moysen loquebatur: Ego sum, inquiens, Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob. Ætate autem & admonitione pariter pater dicitur, cum Moyses in cantico Deuteronomii loquitur: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi; majores tuos, & dicent tibi. Quod si ergo naturalis pater superstes non fuerit, aut indignus fuerit; [1] admonenti tamen seniori adolescentis obedientia præbenda erit. Quomodo ergo honoratus in senectute adparebit; qui disciplinæ laborem in adolescentia non sustinuerit? Quodcunque etenim homo laboraverit, hoc & metet. Omnis namque disciplina in præsenti non videtur esse gaudii, sed mœroris; postea vero fructum pacatissimum exercitatio per eam reddet justitiæ. Sicut ergo fructus non invenitur in arbore, in qua pampinus aut flos prius non apparuerit: sic & in senectute honorem legitimum adsequi non poterit, qui in adolescentia disciplinæ alicujus exercitatione non laboraverit. Disciplina igitur absque obedientia, qualiter fieri potest? Adolescens ergo sine disciplina, adolescens sine obedientia est: quoniam & ipsa obedientia, quæ omnium disciplinarum mater est, magna exercitatione indiget; quæ sui normam studii in Christo Domino sumsit, qui obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis, ignominiam libenter sustinuit.

CAP. IV.

QUartus abusionis gradus est, dives sine eleemosyna; qui superflua usus sui quæ custodienda in posterum recondit, indigentibus & nihil habentibus non distribuit: per quod efficitur, ut dum in terra quæsita diligenti cura custodit, cœlestis patriæ perennem thesaurum amittat. Ad quem thesaurum Dominus Jesus adolescentem divitem, qui eum de perfectione interrogaverat, ita respondens invitavit: Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlo. Quem thesaurum nullus unquam hominum habere potest, nisi qui pauperibus solatia præstat, aut qui per seipsum pauper est. Non ergo dormiat in thesauris suis, qui pauperes dormire non sinit. Dives namque etsi multa congregaverit, his frui solus nequaquam poterit; quia unius hominis natura multis rebus non succurrit; quid ergo stultius est quam propter unius hominis victum & vestitum, totam regni cœlestis perdere perennem jocunditatem, & æternos inferni cruciatus, absque consolationis præstolatione subire? Quid igitur aliquando per necessitatem amittendum est, pro æterna remuneratione sponte distribuendum est. Omnia enim quæ videntur, temporalia sunt, quæ non videntur æterna sunt. Quamdiu namque temporales sumus, temporalibus temporalia deserviunt, & cum hinc transierimus, [2] æternis æterna solatia præstabuntur. Idcirco non debemus diligere ea, quæ non semper habebimus; præsertim cum expertem rationis avarum divitem, thesauri & sui agri, & omnia quæ habet, ostendant; quia toto cordis intuitu illas res amat quæ nunquam se diligunt. Si enim aurum & argentum, & agros, & vestimenta, & cibos, & metalla, & bruta animalia quis dilexerit, hæc omnia vicem sibi amoris rependere non posse, ipsa rerum natura ostendit. Quid ergo à ratione longius est; quam diligere, quod te amare non valet; & negligere illum, qui [3] suæ ditioni cum dilectione omnia præbet? Propter hoc igitur non diligi mundus, sed diligi proximus à Deo præcipitur; quia proximus vicem sui amoris potest rependere quod mundus non potest, vel minime non posse dubitatur. Sic enim inimicum esse diligendum Dominus præcepit, ut illa dilectio amicum illum ex inimico efficiat. Quisquis ergo dives cupidus, qui vult æternas habere divitias, distribuendo egenis præstet interim non mansuras. Si enim quod diligit, non vendit, nemo potest emere quod cupit. Avari namque ideo in judicio à rectissimo judice nuncupantur maledicti, quia cum præteribant eorum habitacula non dicebant: Benedictio Domini super vos, [4] benedeximus vobis in nomine Domini. Infelices ergo sunt avari divites, qui propter res transitorias, in æternam damnationem dilabuntur, & è contrario: Beati sunt misericordes quia misericordiam consequentur. Felix est ergo misericors, dum in hac virtute non substantiam, sed adfectum Deus requirit.

CAP. V.

QUintus abusionis gradus est, fœmina sine pudicitia. Sicut enim omnes bonos mores procurat & custodit in viris prudentia; sic & in fœminis cunctos honoris actus nutrit & fovet & custodit pudicitia. [5] Pudicitia namque castitatem custodit, avaritiam refrænat, lites devitat, iram mitigat, libidinem occupat, cupiditatem temperat, lasciviam castigat, ebrietatem cavet, verba non multiplicat, gulæ concupiscentias purgat, furtum omnino damnat. Quid plura? Omnia vitia restringit; & omnes virtutes, & quicquid coram Deo & bonis hominibus laudabile est nutrit. Impudica namque vita: nec laudem ab hominibus in præsenti seculo, nec remunerationem à Deo expectat in futuro. Pudica vero vita, famam bonam inter homines habet, & de spe futuræ beatitudinis gaudet. Præsentibus semetipsam imitabilem facit, posteris memoriam amabilem relinquit. Bonis semper moribus delectatur & consentit, & assiduis scripturarum meditationibus & eloquiis animam vegetat. Bonorum præcedentium exempla custodit, & inseparabilia perfectis contubernia nectit. Duobus ergo modis constat vere pudicitiæ exercitatio, id est, corporis habitu & superficie, & animi adfectu interno. Per exteriorem modum coram Deo, providemus opera bona. Pudicitia namque corporis est, alienas res non appetere, & omnem immunditiam devitare, anta horam congruam non gustare velle, risum non excitare, verba vana & falsa non loqui; habitum per omnia ordinatum, compositionemque convenientem tam capillorum quam vestium sicut decet, habere; cum indignis contubernia non inire; supercilioso intuitu neminem ad-

[1] *Admonenti tamen seniori.*] *Pamelius ait*, Interserunt MSS. codd. voculam *aut*.

[2] *Æternis æterna solatia præstabuntur.*] *Pamelius ait*, Rursum hoc ex MS. cod. pro *præstabunt*.

[3] *Suæ dilectioni.*] *Pamelius ait*, Augustinus *ditioni*.

[4] *Benediximus vobis.*] *Pamelius ait*, Etiam hoc ex MS. cod. pro *benedicimus*, illud enim legitur in Psalmis.

[5] *Pudicitia namque castitatem custodit.*] *Pamelius ait*, Istud *castitatem habet*. Cujus etiam istud paulo post placet *animam vegetat*, pro eo quod erat *animum figit*.

adſpicere, vagari oculos non permittere; pompatico & illecebroſo greſſu non incedere; nulli interior in incœpto bono opere; apparere nulli contumeliam aut ruborem incutere, neminem blaſphemare, bonis non invidere, meliori non controverſari; de his quæ ignoras, non tractare, & ea quæ ſcis non omnia proferre: Hæc enim proximis amabilem hominem reddunt, & Deo acceptabilem faciunt. [1] Pudicitia enim animæ eſt, plus propter Dei oculos, quam hominum, omnia bona facere; ad petitiones turpium cogitationum compeſcere; omnes meliores ſe eſſe æſtimare, nemini invidere; de ſemetipſo nihil confidere, Dei ſemper auxilio res omnes committere, ante Dei oculos ſemetipſum conſtituere, hæretica pravitate ſenſum non maculare, Catholicis per omnia conſentire: Deo ſoli adhærere, caſtitatem æternæ mentis Deo Chriſto offerre: [2] omnia cœpta opera bona mortis tantum termino finire, præſentes tribulationes animi fortitudine negligere, parvipendere; in terra præter proximos nihil amare, cuncti amoris ſui theſaurum in cœlo conſtituere, & pro omni bono actu mercedem à Deo in cœleſtibus ſperare. Pudicitia ornamentum nobilium eſt, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulcritudo debilium, proſperitas laborantium, ſolamen mœrentium, augmentum omnis pulcritudinis, decus religionis, defenſio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amicitia.

CAP. VI.

SExtus abuſionis gradus eſt, dominus ſine virtute. Quia nihil proficit dominandi habere poteſtatem, ſi dominus ipſe non habeat virtutis rigorem. Sed hic virtutis rigor, non tam exteriori fortitudine, [3] quæ & ipſa ſecularibus dominis neceſſaria eſt, indiget: quam animi interiori fortitudine, bonis moribus exerceri debet. Sæpe enim dominandi per animi negligentiam perditur fortitudo, ſicut in Heli ſacerdote factum fuiſſet comprobatur. Qui dum ſeveritate judicii peccantes filios non coercuit in eorum vindictam, Dominus, velut conſentienti, ferociter non pepercit. Tria ergo neceſſaria hos qui dominantur habere oportet: terrorem ſcilicet, & ordinationem, & amorem. Niſi enim ametur Dominus pariter & metuatur, ordinatio minime conſtare illius poteſt. Per beneficia ergo & affabilitatem, procuret ut diligatur: & per juſtas vindictas, non propriæ injuriæ, ſed legis Dei, ſtudeat ut metuatur. Propterea quoque dum multi pendent in eo, ipſe Deo adhærere debet, qui illum in ducatum conſtituit: qui ad portanda multorum onera, ipſum veluti fortiorem ſolidavit. Paxillus enim niſi bene fortiter firmetur, & alicui fortiori adhæreat: omne quod in eo pendet cito labitur, & ipſe ſolutus à rigore ſuæ firmitatis, cum oneribus ad terram delabitur. Sic & princeps niſi ſuo conditori pertinaciter adhæſerit: & ipſe, [4] & omne quod continet, cito deperit. Quidam namque per dominandi officium plus Deo appropinquant, quidam impoſito ſibi dignitatis honore deteriores fiunt. Moyſes namque accepto populi ducatu, familiarius Dei locutionibus utebatur: Saul vero filius Cis, poſtquam ſceptra regni ſuſcepit, per inobedientiæ ſuperbiam Deum offendit. Rex Solomon poſtquam patris ſui David ſedem obtinuit, Deus illum ultra omnes mortales velut ad numeroſi populi gubernationem ſapientiæ munere ditavit. E contrario vero Hieroboam ſervus Solomonis, poſtquam regni domus David occupavit partem: ad idolorum culturam, decem tribus Iſrael, quæ erant in parte Samariæ, [5] diverterat. Per quæ exempla evidenter oſtenditur, quoſdam in ſublimiori ſtatu ad majorem perfectionem creſcere, quoſdam vero per ſupercilium dominationis ad deteriora defluere. Per quod utrumque intelligitur: eos qui ad meliora condeſcendunt, per virtutem animi & Dei auxilium poſſe id facere: & eos qui ad deteriora deverturtur, per mentis imbecillitatem pariter & negligentiam errare. Unde & dominum abſque virtute fieri non decet, qui virtutem ſine Dei auxilio nullatenus habet. Qui etenim multa tuetur, ſi non habet fortitudinem animi, non valet id agere, quoniam magna magnis infeſtationibus, vel adverſitatibus ſolent laborare. Omnis ergo qui præeſt, hoc primus animi tota intentione procuret, ut per omnia de Dei adjutorio omnino non dubitet. Si namque cœperit in actibus ſuis auxiliatorem habere Dominum dominorum, nullus hominum contemtui poterit habere ejus dominatum: non enim eſt poteſtas niſi à Deo. Ipſe enim elevat de ſtercore egenum, & ſedere facit cum principibus populi ſui, & deponit potentes de ſede, & exaltat humiles: ut ſubditus fiat omnis mundus Deo, & egeat omnis gloria Dei.

CAP. VII.

SEptimus abuſionis gradus eſt, Chriſtianus contentioſus, qui cum participationem nominis Chriſti per fidem & baptiſmum ſuſceperit, contra Chriſti dicta & propoſitum, mundi caduca delectamenta diligit. Omne enim de quo contenditur; aut propter propriam ejus rei dilectionem de qua agitur; aut propter alterius amorem, quæ ſub odioſa ſpecie latet, adpetitur. Quemadmodum, verbi gratia, bellum animoſo compugnantium conflictu cum odioſa res ſit, propter amorem victoriæ & libertatis peragitur; & multæ aliæ dilectæ ſpecies, ſub odioſo labore vel formidine, ſatis contentioſe expetuntur. Unde patenter intelligitur, nihil contendi poſſe, niſi propter dilectionem, ſperatam ſcilicet & ſubſequentem amabilem remunerationem. Qui igitur de mundo præſente ex quacunque cauſa contendit, perſpicue oſtendit quod illum diligit. Quomodo ergo mundum diligi per Joannem Spiritus ſancti ſermones interdicunt? Qui ait: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Mundi enim amor & Dei, pariter in uno corde cohabitare non poſſunt, quemadmodum iidem oculi cœlum pariter & terram nequaquam conſpiciunt. Sed requirendum eſt, ſi vere in mundo aliquid ſit quod amari debeat, [6] & quis ſit ille mundus, quem diligi divina eloquia vetant. Terra ergo cum naſcentibus ex ea, & metallis, & animantibus, & pulcritudine veſtium, & oblectationibus ciborum, & iis quæ ad hæc pertinent, non diligi præcipitur: ſed proximus, propter quem hæc omnia facta ſunt, hic amari jubetur. Hæc enim omnia prædicta, velut non manſura, ad cœleſtem pa-

[1] *Pudicitia enim.*] *Pamelius ait*, Auguſtinus *vero.*

[2] *Omnia cœpta bona opera.*] *Pamelius ait*, Sic MS. pro eo quod Auguſtinus *intercepta*, & Morelius *accepta.* Sic poſtea ubi Morelius *mœrentium*, illi legunt *mœſtorum.*

[3] *Quæ & ipſa.*] *Pamelius ait*, Hoc ex MS. pro *ipſis.*

[4] *Et omne quod continet.*] *Pamelius ait*, Rectius ſic Auguſtinus quam alii, *& omnis qui conſentit vitio.*

[5] *Diverterat.*] *Pamelius ait*, Auguſt. *divertit*, & paulo poſt *divertuntur*, pro, *devertuntur.* Verum utrumque latine dicitur, & conſentiunt Morelii MSS.

[6] *Et quis ſit ille mundus.*] *Pamelius ait*, Iterum hoc ex MS. pro *quid ſit*, & paulo poſt ex Auguſt. *concomitari*, pro, *comitari.*

[1] *Abu-*

patriam pergentes concomitari nequeunt. Proximi vero velut manſuri regis cohæredes, ſemetipſos licenter diligunt. Quod ergo ſemper in mundo non manet, & cum mundo pariter deficiet. Ipſe mundus non amari præcipitur, proximus autem qui eſt pars regni cœleſtis, in terra & inter ima elementa, à regni cœlorum adpetitoribus non incongrue amatur: dum in ſuprema illa patria in æternum cohæres habebitur. Propterea vero mundus præſens non diligi imperatur, ne à Dei dilectione alienus, ſeculi dilector quiſque efficiatur. Non ergo debet contendi, quod non licet amari. Igitur Chriſtianus qui hominis Chriſti ſimilitudinem tenet, morum quoque ejus ſimilitudinem habere debet. Chriſtianus enim nemo recte dicitur, niſi qui Chriſto moribus coæquatur. De Chriſto vero per Prophetam ita ſcribitur: Ecce filius meus quem elegi, electus meus, complacuit in illo ſibi anima mea: ponam Spiritum meum ſuper eum. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in platea vocem ejus. Ecce Chriſtus non contendit, neque clamavit: & tu ſi morum Chriſti ſimilitudinem tenere cupis, ne contendas, ne [1] abuſivus in Eccleſia Chriſtianus exiſtas. Suis enim ſectatoribus Chriſtus præcepit: Nolite vocari Rabbi; unus eſt enim pater veſter, qui in cœlis eſt. Omnes enim vos fratres eſtis, quibus ad ſupplicandum imperavit, cum dicet: Sic autem orabitis: Pater noſter qui in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. [2] Fruſtra ergo contendit patrem ſe habere in terra, qui patrem & patriam profitetur ſe habere in cœlo. Cujus patriæ nemo poſſeſſor efficitur, niſi qui de terrenæ patriæ contentione ſecurus habetur.

CAP. VIII.

OCtavus abuſionis gradus eſt, Pauper ſuperbus, qui nihil habens in ſuperbiam extollitur: cum è contrario divitibus ſeculi non ſuperbe ſapere per Apoſtolum Paulum imperetur. Quid ergo ſtolidius poteſt fieri: quam illum, qui per infimam miſeriam velut in terram abjectus, extremus & humilis incedere & contriſtari debuerat, ſupercilioſo ſuperbiæ tumore inflatam mentem contra Deum erigere? Per quod vitium lapſi corruerunt, qui in ſummo cœli conditi erant culmine. Quid ergo velut quaſi potens in terra ſuperbit: qui præ omnibus hominibus debuerat humilis apparere? Sed ne de paupertate ſua triſtitiam habeant, quid à Deo recepturi ſint, pauperes attendant: ipſe enim inquit: beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Recta namque diſpenſatione miſericors judex cœli regnum illis committit, quibus regni terrarum participationem inter mortales abſtulit: ut ipſe dives in cœli ſede appareat, qui in terra penitus nihil procurat. Cavendum ergo pauperibus eſt, ne dum per egeſtatem & neceſſitatem terrenum regnum prætereunt, per mentis etiam impudentiam cœlorum regna amittant. Cum enim Dei diſpenſatione paupertatem neceſſariam acceperunt, in ipſorum arbitrio pendet, utrum pauperes ſpiritu ſint. Non quibuſcunque pauperibus cœli regna promittuntur, ſed his tantummodo in quibus divitiarum inopiam animorum humilitas comitatur. Pauper enim humilis pauper ſpiritu appellatur, qui cum egenus foris cernitur, nunquam in ſuperbiam elevatur: quoniam ad appetenda regna cœlorum plus valet mentis humilitas, quam præſentium divitiarum temporalis paupertas. Etenim humiles qui bene divitias poſſeſſas habent, poſſunt pauperes ſpiritu appellari: ſuperbos autem, nihil habentes, haud dubium eſt beatitudine paupertatis privari. De quibus utriſque ſancta Scriptura ita loquitur: Eſt quaſi dives nihil habens, & eſt quaſi pauper, cum in multis divitiis ſit. Quaſi pauper ergo in multis divitiis, eſt dives humilis ſpiritu; & nihil habens quaſi dives, eſt pauper ſuperbus mentis affectu. Nobilis ergo inopia eſt mentis humilitas, & ineptæ divitiæ ſunt animorum enormitas. Providendum eſt ergo pauperibus, ut ſemetipſos, quales ſint, intelligant: & quia rebus conſequi quod cupiunt non valent, mentis tumore ſuperbire deſinant.

CAP. IX.

NOnus abuſionis gradus eſt, Rex iniquus. Etenim Regem non iniquum, ſed correctorem iniquorum eſſe oportet. Inde in ſemetipſo nominis ſui dignitatem cuſtodire debet: nomen enim Regis intellectualiter hoc retinet, ut ſubjectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit: qui proprios mores, ne iniqui ſint, non corrigit? Quoniam in juſtitia Regis exaltatur ſolium, & in veritate Regis ſolidantur gubernacula populorum. Juſtitia vero Regis eſt neminem injuſte per potentiam opprimere, ſine perſonarum acceptione inter virum & proximum ſuum juſte judicare, advenis & pupillis & viduis defenſorem eſſe, furta cohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & hiſtriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & pejerantes vivere non ſinere, [3] Eccleſias defendere, pauperes eleemoſynis alere, juſtos ſuper regni negotia conſtituere, ſenes & ſapientes & ſobrios conſiliarios habere, magorum, ariolorum, Pythoniſſarumque ſuperſtitionibus non intendere, iracundiam differre, patriam fortiter & juſte contra adverſarios defendere, per omnia in Deo confidere, proſperitatibus animum non elevare, cuncta adverſa patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios ſuos non ſinere impie agere, certis horis orationibus inſiſtere, ante horas congruas cibum non guſtare. Væ enim terræ, cujus Rex puer eſt, & cujus Principes mane comedunt. Hæc regni proſperitatem in præſenti faciunt, & Regem ad cœleſtia regna meliora perducunt. Qui vero regnum non ſecundum hanc legem diſpenſat, multas nimirum adverſitates imperii tolerabit. Iccirco enim pax ſæpe populorum rumpitur, & offendicula etiam de regno ſuſcitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, & ſervitia populorum præpediuntur, multi & varii dolores proſperitatem regni inficiunt, carorum & liberorum mortes triſtitiam conferunt, hoſtium incurſus provincias undique vaſtant, beſtiæ armentorum & pecorum greges dilacerant: tempeſtates aeris & hyemis turbata rerum fœcunditate, maris miniſteria prohibent: & aliquando fulminum ictus, ſegetes & arborum flores, & pampinos quoſque exurunt. Super omnia vero Regis injuſtitia, non ſolum præſentis [4] imperii faciem obfuſcat, ſed etiam filios ſuos & nepotes, ne

[1] *Abuſivus.*] *Pamelius ait*, Hinc videtur comprobari titulus Cambron. cod. de 12. abuſivis ſeculi, quæ vox à Cypriano, uti & alia pleraque eſt alieniſſima, poſtea tamen denuo repetitur ſub finem.

[2] *Fruſtra ergo.*] *Pamelius ait*, Rectius ſic MS. quam alii, *enim.*

[3] *Eccleſias defendere.*] *Pamelius ait*, Vel hinc patet Cypriani non eſſe, neque enim tunc reges erant Chriſtiani. Eodem pertinet illud *Catholicam in Deum habere.* Citant tamen hinc quædam Ivo l. 8. & Gratianus 23. quæſt. 5. cap. Rex.

[4] *Imperii faciem obfuſcat.*] *Pamelius ait*, Sic Auguſt. alii *fuſcat.*

ne poſt ſe regni hæreditatem teneant, obſcurat. Propter piaculum enim Solomonis, regnum domus Iſrael Dominus de manibus filiorum ejus diſperſit. Et propter juſtitiam David Regis, lucernam de ſemine ejus ſemper [1] in Hieruſalem reliquit. Ecce quantum juſtitia Regis ſeculo valet, intuentibus perſpicue patet. Eſt enim pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, temperies aeris, ſerenitas maris, terræ fœcunditas, ſolatium pauperum, hæreditas filiorum, & ſibimetipſi ſpes futuræ beatitudinis. Attamen ſciat Rex, quod ſicut in throno hominum primus conſtitutus eſt, ſic & in pœnis, ſi juſtitiam non fecerit, primatum habiturus eſt. Omnes namque quoſcunque peccatores ſub ſe in præſenti habuit, ſupra ſe [2] modo implacabili, in illa pœna futura habebit.

CAP. X.

DEcimus gradus abuſionis eſt Epiſcopus negligens: qui gradus ſui honorem inter homines requirit, ſed miniſter ſui dignitatem coram Deo, pro quo legatione fungitur, non cuſtodit. Primum namque ab Epiſcopo, [3] quid ſui nominis dignitas teneat, inquiratur: quoniam cum Epiſcopus nomen Græcum ſit, Speculator interpretatur. Quare vero ſpeculator ponitur, & quid à ſpeculatore requiritur, Dominus ipſe denudat, cum ſub Ezechielis Prophetæ perſona, Epiſcopo officii ſui rationem denunciat, ita inquiens: Speculatorem dedi te domui Iſrael. Audiens ergo ex ore meo ſermonem, nunciabis eis ex me. Si autem videris gladium venientem, & tu non annunciaveris ut revertatur impius à via ſua, ipſe quidem impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annunciaveris, & ille non fuerit reverſus, ipſe quidem in iniquitate ſua morietur, ſed tu animam tuam liberaſti. Decet ergo Epiſcopum, [4] qui omnium ſpeculator poſitus eſt, peccata diligenter attendere, & poſtquam attenderit, ſermone, ſi potuerit, & actu corrigere; ſi non potuerit, juxta Evangelii regulam ſcelerum operarios declinare. Si enim, inquit in Evangelio Dominus, peccaverit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, [5] lucratus eris fratrem tuum: ſi te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos teſtes, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum: ſi illos non audierit, dic Eccleſiæ: ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Tali ordine expellendus eſt, quicunque doctori vel Epiſcopo adhærere noluerit. Et qui tali ordine expulſus fuerit, ab alio aliquo doctore vel Epiſcopo non debet recipi. De ſacerdote namque ſcriptum eſt in lege: Viduam aut repudiatam non accipiat uxorem. Qui ergo illum excommunicatum à Catholico, illo non permittente, ſibi jungit: jura ſacerdotii ſancti, [6] quod Chriſtianorum genus electum eſt, excedit. Hac ratione Epiſcopum, ad eos quibus in ſpeculationem poſitus eſt, eſſe oportet. Ceterum vero, qualis in ſemetipſo eſſe debeat, Paulus Apoſtolus exponit: ut ad gradum Epiſcopi veniens ſit ſobrius, prudens, caſtus, ſapiens, modeſtus, hoſpitalis, filios habens ſubditos cum omni caſtitate, teſtimonium habens bonum ab his qui foris ſunt, proferens doctrinæ fidelem ſermonem, [7] antequam Epiſcopus ſit, non plures habens uxores quam unam. Non percuſſor, non bilinguis, non ebrioſus, non neophytus, & per hæc ipſe oſtendat in opere, quod alios docet in ſermone doctrinæ. Caveant ergo negligentes Epiſcopi, quod in tempore vindictæ Dominus per Prophetam conqueritur, dicens: [8] Paſtores multi demoliti ſunt populum meum, & non paſcebant gregem meum paſtores, ſed paſcebant ſemetipſos; ſed potius procurent hi, quos conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, dare illis cibum in tempore ſuo menſuram tritici, puram ſcilicet & probatam doctrinam, quatenus veniente Domino mereantur audire: Euge ſerve bone & fidelis, quia ſupra pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui.

CAP. XI.

UNdecimus abuſionis gradus eſt, plebs ſine diſciplina, quæ, cum diſciplinæ exercitationibus non ſervit, communi ſe perditionis laqueo conſtringit: iram etenim domini abſque diſciplinæ rigore non evadit. Atque idcirco Pſalmiſtæ vocibus indiſciplinatæ plebi prædicatur: Apprehendite diſciplinam ne quando iraſcatur Dominus. [9] Diſciplina vero morum eſt ordinata correctio, & majorum præcedentium regularum obſervatio. De qua diſciplina Paulus Apoſtolus ita loquitur dicens: In diſciplina perſeverate; tanquam filiis vobis offert ſe Deus. Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti eſtis? Omnes enim adulteri, & non filii eſtis. Qui ergo adulteri, ſine diſciplina ſunt, & cœleſtis regni hæreditatem non capiunt: ſi filii autem paternæ diſciplinæ correctiones ferunt, & hæreditatem quandoque recipere poſſe non deſperent. De qua etiam diſciplina Eſaias quidem indiſciplinatæ plebi prædicat dicens: Quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere. [10] Et ad eandem Pſalmiſta conſona voce compſallit, dicens: Declina à malo, & fac bonum. Infelix ergo eſt qui abjicit diſciplinam. Audet enim extra milites aliquid qui Dominum crucifigentes, non ejus ſciderunt tunicam, qui Eccleſiæ Chriſti ſcindit diſciplinam. Sicut enim tunica totum corpus præter caput tegitur: ita diſciplina, omnis Eccleſia, præter Chriſtum, qui caput eſt Eccleſiæ & ſub diſciplina non eſt, protegitur & ornatur. Ipſa enim tunica contexta deſuper fuerat per totum; quia eadem diſciplina Eccleſiæ à Domino de cœlo tribuitur & integratur. De qua Dominus cum ad patrem aſcendiſſet, poſtquam reſurrexit à mortuis, ad Apoſtolos ſuos loquebatur, dicens: Vos autem ſedete hic in civitate, quoadusque induamini vir-

[1] *In Hieruſalem.*] *Pamelius ait*, MS. *in ſeculum*, ſed illud placet.

[2] *Modo implacabili.*] *Pamelius ait*, Etiam hoc ex Auguſt. pro *plagali*.

[3] *Quid ſui nominis dignitas teneat.*] *Pamelius ait*, Iterum hoc ex eodem, pro *tenet*.

[4] *Qui omnium ſpeculator poſitus eſt.*] *Pamelius ait*, MS. *omnium quibus in ſpecula poſitus eſt*. Ex quo repoſui *ſermone*, pro eo quod erat corrupte *ſermonem*.

[5] *Lucratus eris.*] *Pamelius ait*, MS. *es*. Ex eodem adjeci vocem *teſtium*. Cyprianus certe aliter etiam hanc & alias Scripturas citat.

[6] *Quod Chriſtianorum.*] *Pamelius ait*, MS. *in quo*.

[7] *Antequam Epiſcopus ſit.*] *Pamelius ait*, MS. & Auguſtinus *ante Epiſcopatum*. Pulcre autem explicat auctor illud *unius uxoris virum*.

[8] *Paſtores multi.*] *Pamelius ait*, Auguſt.

[9] *Diſciplina vero.*] *Pamelius ait*, Longe aliter definit diſciplinam Cyprianus.

[10] *Et ad eandem Pſalmiſta conſona voce compſallit.*] *Pamelius ait*, Ita hunc locum ex MS. reſtitui, pro eo quod erat *ad eadem &c. pſallit*, nullo ſenſu. Ex eodem etiam paulo poſt *loquebatur* pro *loquitur*.

virtute ex alto. Tunica ergo corporis Chriſti diſciplina Eccleſiæ eſt: qui autem extra diſciplinam eſt, alienus eſt à corpore Chriſti. Non ſcindamus igitur illam, ſed ſortiamur de illa cujus ſit, id eſt, non ſolvamus quicquam de mandatis Domini, ſed unusquiſque in quo vocatus eſt, in eo permaneat apud Dominum.

CAP. XII.

DUodecimus abuſionis gradus eſt, Populus ſine lege, qui dum Dei dicta & legum ſcita contemnit, per diverſas errorum vias [1] eundem perditionis laqueum incurrit. [2] De quibus viis ſub perſona prævaricatoris populi, humanum genus Propheta ita deplangit: Nos autem ſicut oves erravimus, unusquisque in viam ſuam declinavit, de quibus viis etiam ſapientia loquitur per Solomonem: Multæ viæ videntur hominibus rectæ, & noviſſima earum deducunt ad mortem. Quæ utique multæ perditionis viæ tunc inceduntur, cum una regalis via, lex Dei videlicet, quæ neque ad dexteram neque ad ſiniſtram declinat, per negligentiam deſeritur. De qua ſcilicet Dominus Jeſus Chriſtus, qui finis legis ad juſtitiam omni credenti, denunciat: Ego ſum via, veritas & vita, neque venit ad patrem niſi per me. Ad quam viam omnes homines communiter invitat, dicens: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum, ubi non eſt Judæus, nec Græcus, maſculus & fœmina, ſervus & liber, barbarus & Scytha, ſed omnia in omnibus Chriſtus: omnes enim unum ſunt in Chriſto Jeſu. Dum ergo Chriſtus finis legis eſt, qui ſine lege ſunt, ſine Chriſto fiunt. Igitur populus ſine lege populus ſine Chriſto eſt. Abuſivum ergo in temporibus Evangelii populum ſine lege fieri, quando Apoſtolis in cunctas gentes licentia prædicationis data eſt, quando tonitruum Evangelii per cunctas ſeculi partes intonuit, quando gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam; quando qui de longe fuerant, facti ſunt prope in ſanguine Chriſti: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei in Chriſto, quando eſt tempus acceptabile, & dies ſalutis, & tempora refrigerii in conſpectu altiſſimi, quando unaquæque gens habet teſtem reſurrectionis, quando ipſe Dominus proteſtatur: dicens: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Non itaque ſimus ſine Chriſto in hoc tempore tranſitorio, ne ſine nobis Chriſtus eſſe incipiat in futuro.

[1] *Eundem perditionis laqueum.*] *Pamelius ait*, Auguſt. *prævaricationis*, at illud convenit præcedentibus.

[2] *De quibus viis etiam, &c.*] *Pamelius ait*, Omiſi cum MS. vocem *eadem*, male interjectam; eſt autem mirum quod legat *multa via*, quum non aliud habeatur Prov. 14. quam *eſt via-- &c.* tam apud 70. quam vulgatum interpretem.

C OE N A

Cypriano falſo inſcripta.

QUidam rex nomine Johel, nuptias faciebat in regione Orientis, in Cana Galilææ. Is invitavit plures, ut cœnam ejus frequentarent. Igitur qui temperius loti in Jordane, adfuerunt in convivio. [1] Tunc commendavit Naaman, aquam ſparſit Amos, Jacobus & Andreas attulerunt fœnum, Matthæus & Petrus ſtraverunt, menſam poſuit Solomon, atque omnes diſcubuerunt turbæ. Sed cum jam locus recumbentium plenus eſſet, qui ſuperveniebant, quiſque prout poterat, locum ſibi inveniebat. Primus itaque omnium ſedit Adam in medio, Eva ſuper folia, Cain ſuper aratrum, Abel ſuper mulgarium, Noë ſuper arcam, Japhet ſuper lateres, Abraham ſub arbore, Iſaac ſuper aram, Loth juxta oſtium, Jacob ſuper petram, Moyſes ſuper lapidem, Helias ſuper pellem, Daniel ſuper tribunal, Tobias ſuper lectum, Joſeph ſuper modium, Benjamin ſuper ſaccum, David ſuper monticulum. Jonas ſuper terram, Pharao in arena, Lazarus ſuper tabulam, JESUS ſuper puteum, Zachæus ſuper arborem, Matthæus in ſcamno, Rebecca ſuper hydriam, Raab ſuper ſtuppam, [2] Ruth ſuper ſtipulam, Thecla ſuper feneſtram, Suſanna in horto, Abeſſalon in frondibus, Judas ſuper loculum, Petrus ſuper cathedram, Jacobus ſuper rete, Samſon ſuper columnam, Heli ſuper ſellam, Rachel ſuper ſarcinam. Patiens ſtabat Paulus, & murmurabat Eſau, & dolebat Jacob, Job ſolus ſedebat in ſtercore. Tunc porrexit Rebecca pallium, Judith coopertorium, Agar ſtragulum, Sem & Japhet cooperuerunt. [3] Recumbentibus illatus eſt guſtus cœnæ, & accepit cucurbitas Jonas, olus Eſaias, betas Iſraël, morum Ezechiel, ſycomorum Zacchæus, citrium Adam, lupinos Daniel, pepones Pharao, carduum Cain, ficus Eva, malum Rachel, prunum Ananias, bulbos Lia, [4] olivas Aaron, ovum Joſeph, uvas Noë, nucleos Simeon. Dedit acetum Jonas, accepit oxygarum JESUS Chriſtus. Deinde ſupervenit Jacob cum filiis, & Laban cum filiabus ſuis, & ſederunt ſuper lapides. Venit & Abraham cum domeſticis ſuis & Moyſes cum cetera turba, & ſederunt foris. Tunc reſpiciens Rex invitatos ſuos, ſic ait: Quiſque voluerit veſtrûm venire in veſtiarium meum, [5] dabo ſingulis ſingulas cœnatorias veſtes; tunc aliqui ierunt, & acceperunt. Primus itaque omnium accepit Zacharias albam, Abraham paſſerinam, Job ſulphurinam, Lazarus lineam, Jonas cæruleam, Thecla flammeam, Daniel leoninam, Joannes triclinam, Adam pelliceam, Judas argyrinam, Raab coccineam, Herodias cardinam, Pharao marinam, Enoch cœlinam, Agar variam, David nervi-

[1] *Tunc commendavit Naaman.*] *Pamelius ait*, Sic reſtitui ex MS. pro *Neeman*.

[2] *Ruth ſuper ſtipulam.*] *Pamelius ait*, Hoc ex iiſdem adjeci, & juxta eoſdem ubique lego *Abeſſalom* pro *Abſalon*: fortaſſis legendum *Judas ſuper loculos* pro eo quod eſt *loculum*.

[3] *Recumbentibus illatus eſt.*] *Pamelius ait*, Etiam hoc ex illis, antea erat corruptiſſime *recumbentes illatus eſt*.

[4] *Olivas Aaron, uvas &c.*] *Pamelius ait*, Ita etiam prorſus ex MS. pro eo quod erat *olivas Noë*, *ovum Joſeph*, *uvas Aaron*.

[5] *Dabo ſingulis ſingulas.*] *Pamelius ait*, Adjicio ex iiſdem *ſingulas*, lego etiam ex illis *David nervinam*, ubi erat *provernicam*. Iidem legunt *Suſanna caſtilinam* pro *caſtalinam*, & *Aaron myrrinam* pro *murrinam*.

nervinam, Helias aeriam, Eva arborinam, Job biblagiam, Esaias mesotropam, Maria stolam, Susanna castalinam, Moyses conchylinam, Abel purpuream, Levi spartacinam, Thamar colorinam, Azarias carbasinam, Aaron murrinam, Judith hyacinthinam, Cain ferrugineam, Abiron nigram, Anna Persicinam, Isaac nativam, Paulus Tharsicam, Petrus operariam, [1] Jacob alethinam, JESUS columbinam. At ubi divisit vestes, Rex respiciens eos, sic ait: Non ante cœnabitis, nisi singuli singulas vices feceritis: atque ita [2] sibi præcepta diaconia consummaverunt. Primus itaque omnium ignem petiit Helias, succendit Azarias, lignum [3] porrexit Sara, collegit Jephte, attulit Isaac, conscidit Joseph, puteum aperuit Jacob, hyssopum porrexit Sepphora, ad lacum stabat Daniel, aquam attulerunt ministri, hydriam portabat Rebecca, vinum protulit Noe, utrem portabat Agar, attulit argentum Judas, vitulum adduxit Abraham, alligavit Raab, resticulam porrexit JESUS, pedes copulavit Helias, ferrum tradidit Petrus, elisit Daniel, occidit Cain, supportavit Abacuc, suspendit Abessalon, pellem detraxit Helias, ventrem aperuit Hermocrates, mediana suspendit Tobias, sanguinem effudit Herodes, stercus projecit Sem, aquam adjecit Japheth, elavit Helisæus, partes fecit Phalech, numeravit Auses, salem misit Molessadon, oleum adjecit Jacob, in focum imposuit Antiochus, coxit Rebecca, prior gustavit Eva. Explicitisque omnibus, omnes locis suis resederunt. Tunc intulit panes Saul, fregit Jesus, tradidit omnibus Petrus, intulit lentem Jacob, solus manducavit Esau, intulit intritam Abacuc, totum comedit Daniel: [4] fabam intulit Amelsad, prior gustavit Misael. Sed quoniam hœdum coctum comederat Isaac, & piscem assum Tobias; cœpit tumultuari Æglom. Valde esuriebat Daniel, panem petebat Hermocrates; non manducabat Joannes: nihil gustaverat Moyses, jejunus fuit Jesus, micas colligebat Lazarus. Ceteri autem partes suas tenebant, quas ex variis venationibus acceperant. Abraham vitulinam, Isaac cervinam, Abel agninam, Noe arietinam, Samson leoninam, Elisæus ursinam: majorem tamen partem tenebat Benjamin. Postmodum dedit panes Pharao, omnibus divisit Joseph, [5] discum attulit Herodes, partes composuit Rebecca, intulit Jacob, distribuit omnibus Noe. Primus ergo sustulit Joannes caput, cerebellum Abessalon, linguam Aaron, maxillam Samson, auriculam Petrus, oculos Lia, cervicem Holofernes, arterias Zacharias, collum Saul, armora Agar, interanea Jonas, [6] fel piscis Tobias, cor Pharao, renalia Esaias, latus Adam, costam Eva, ilia Maria, ventrem Sara, vulvam Elizabeth, adipem Abel, femora Abraham, caudam Moyses, crura Loth, pedes Jacob, ossa collegit Ezechiel. Item Jacobus & Andreas intulerunt pisces: sustulit itaque atellum Jesus, labeonem Moyses, lupum Benjamin, mugilem Abel, murænam Eva, pellamidem Adam, locustam Joannes, gladium Cain, captionem Abessalon, polypum Pharao, turpitudinem Lia, auratam Thamar, icarum Agar, cantharidem David, halecem Joseph, saxatilem Hieremias, umbras Lazarus, soleam Juda, hirundinem Tobias, argentillum Judas, sepiam Herodes, [7] carnutam Esau, glauculum Jonas, alopidem Jacob, salpam Molessadon, denticem Esaias, araneum Thecla, coracinum Noe, rubellionem Rebecca, lacertum Golias, mænam Maria, & leonem Samson. Posuit & Jonas acetum, Molessadon salem misit, prior intinxit Cain. Explicitisque omnibus, dedit adipem Abel, mel Joannes, lac Abraham, conspersit Sara, dulcia fecit Jesus, omnia perministravit Paulus. Sed quoniam aliquot genera vini habebant, passum bibebat Jesus, Marsicum Jonas, Surrentinum Pharao, pellinum Adam, Gaditanum Moyses, Creticum Isaac, Adrianum Aaron, arbustinum Zachæus, arsinum Thecla, Albense Joannes, Campanum Abel, Signinum Maria, Florentinum Rachel. [8] Saturatione vini sopitus jacebat Adam, ebrius obdormivit Noe, satis biberat Loth, stertebat Holofernes, somnus tenebat Jonam, vigilavit prope gallum Petrus, suscitabatur Jesus, surgere quærebat Jacob, prior surrexit Laban. Tunc miscuit scyphum Benjamin, intulit Martha, prior bibit Petrus. Sed quoniam vinum subduxerat Amelsad, & miscuerat Jonas, murmurabat Hermippus, aquam bibebat Joannes; vinum petebat Maria, non consentiebat Susanna, plenam ampullam ferebat Martha, sitiebat Ismael, ire volebat Tobias, alienum calicem bibere volebat Jacobus. Sublatisque omnibus, aquam ad manus petebat Pilatus, tradidit Judas, ministrabat Martha, effudit Hermocrates, [9] linteum porrexit Martialis, intulit lucernam Esaias, gratias egit Simeon, benedixit Anna, intulit coronas Rachel, David hyssopum porrexit, dedit unguentum Maria, perunxit Martha, poma intulit Adam, favum porrexit Samson, cytharam percussit David, tympanum Maria, psalterium duxit Jubal, choros duxit Judith, cantavit Asael, saltavit Herodias, laudes dedit Azarias, magis lusit Mambres, risum fecit Isaac, osculum porrexit Judas, valefecit Loth. Et cum vellent discedere, respiciens eos Rex, sic ait: Nunc per omnia diem nuptiarum celebrate, & frequentate, & demutate habitus, velut pompas facientes; sic ite in domos vestras. Placuit vero omnibus voluntas Regis: [10] atque ita primus omnium procedit in magristro Jesus, in custode Joannes, in retiario Petrus, in secutore Pharao, [11] in venatore Nemroth, in delatore Judas, in hortulano Adam, in exordiario Eva, in latrone Cain, in pastore Abel, in cursore Jacob, in sacerdote Zacharias, in rege David, in cytharœdo Jubal, in piscatore Jacobus, in coquo Antiochus, in aquario Rebecca, in furnitore Ananias, in bestiario Thecla, in stupido Molessadon, in religioso Solomon, in ministra Martha, in milite Urias, in insano Herodes, in famulo Cham,

1 *Jacob alethinam.*] *Pamelius ait*, MS. *Joannes pseudoallechinam*, conjicio legendum *Joseph halecinam* eo quod postea sequatur *Joseph halecem.*

2 *Sibi præcepta diaconia.*] *Pamelius ait*, MS. *præceptas diaconias.*

3 *Porrexit Sara.*] *Pamelius ait*, Rursum hoc ex MS. adjicio, & lego paulo post *elavit Helisæus*, pro *lavit.* Habent iidem *Malessadom* pro *Malessadon*, & *Arriochus* pro *Antiochus*, tum hic tum postea.

4 *Fabam intulit Amelsad.*] *Pamelius ait*, MS. unus *Melsad*, alter *Melsat.*

5 *Discum attulit Herodes.*] *Pamelius ait*, Ita lego ex iisdem, quia paulo post sequitur *intulit.*

6 *Fel piscis Tobias.*] *Pamelius ait*, MS. *Sycothum Tobias.* Legunt etiam paulo post *politum*, pro *polypum*, sed non placet. Contra rectius legunt *Scarum*, quam alii *Scaurum.*

7 *Carnutam Esau, glauculum Jonas.*] *Pamelius ait*, MSS. legunt *Cornutam* & *conchulam.* Item *Job* ubi est *Jacob.*

8 *Saturatione vini sopitus.*] *Pamelius ait*, Priores duas voces adjeci etiam ex MS. & reposui paulo post *Laban* pro *Lazarus*, *intulit Martha*, MS. *Maria.*

9 *Linteum porrexit Martialis.*] *Pamelius ait*, MS. *Petrus*, at non placet. Rectius vero illi paulo post *choros*, quam *choreas.* Sive autem legas *cantavit Asael*, sive *David* perinde est.

10 *Atque ita primus procedit.*] *Pamelius ait*, MS. *predit.*

11 *In venatore Nemroth.*] *Pamelius ait*, Magis hæc placet cod. Dunens. lectio, & MS. Tornac. quam aliorum *Mambres.*

1 *Qua*

Cham, in medico Tobias, in ebrio Noe, in riſiculo Iſaac, in triſti Job, in judice Daniel, in fabro Joſeph, in proſtituta Thamar, in formoſa Rachel, in odibili Lia, in domina Maria, in impio Loth, in adverſario Amalech, in ſtructore Sem, in ruſticulo Eſau, in forti Golias, in piſtore Hieroboam. Sed quoniam contendebat Dina, aquam effundebat Aaron, & nudus erat Jonas; tunc ſolem petebat Auſes ut ſiccaretur Berſabee. [1] Quo facto juſſit eos Rex ad ſe venire, qui venerunt (altera die) & munera ei obtulerunt. Primus itaque omnium obtulit arietem Abraham, taurum Thecla, oviculam Noe, camelum Rebecca, leonem Samſon, cervum Eſau, vitulum Jeſus, jumentum Jacob, currum Helias, veſtem Judith, [2] crines Berſabee, ligna Iſaac, frumentum Joſeph, reſinam Ruben, pecuniam Abimelech, ſtrobilos Levi, capſam Moyſes, favum Petrus, copias Abigal. Sed quoniam ante diem convivii, quædam de convivio ſubducta fuerant, juſſu Regis [3] inquirebantur ab eis. Involverat enim ſtragulum multicolorium Agar, ſigillum aureum Rachel, ſpeculum argenteum Thecla, ſcyphum bibitorium Benjamin, annulum ſignatorium Thamar, [4] coopertorium ſubſericum Judith, lanceam regiam David, alienam uxorem abduxerat Abimelech. Tunc juſſit Rex, ut omnes qui fuerant in convivio ducerentur ad tormenta. Quo facto, [5] primus innocens decollatur Joannes, occiditur Abel, foras projicitur Adam, timens obmuteſcit Zacharias, fugit Jacob, queritur Enoch, turbatur Abimelech, immutatur Nabuchodonoſor, deprecatur Abraham, transfertur Helias, ſupprimitur Dina, includitur Noe, [6] impingitur Loth, ſuffigitur Jeſus, damnatur Daniel, accuſatur Suſanna, alligatur Joſeph, occiditur Martha, tollitur Abacuc, beſtiis datur Thecla, in fornacem mittitur Ananias, vinculis conſtringitur Samſon, punitur Urias, flagellatur Paulus, tenditur Eſaias, expoliatur Jonas, lapidatur Hieremias, excæcatur Tobias, non credebant Moyſi, ſubducitur Abiron, ſuſpenditur Abeſſalon, confunditur Rebecca, tranſducitur Agar, arguitur Pharao, relinquitur Dathan, [7] deprimitur Chore, copulatur Iſaac, mittitur Nathan, convincitur Amalech, maledicitur Judas, dehoneſtatur Mambres, cogitur Loth, interficitur Phinees, dimittitur Ophni, timens moritur Heli, comprimitur Dina, decipitur Eſau, ſubſtringitur Saul, dolet de facto Job, interrogatur Eva, neſcio clamat Cain, tenetur & negat Petrus. Sed quoniam multorum conſcientia erat, in furto quod [8] erat ſuſcipiens Raab, querebatur Laban, infamabatur Suſanna, arguebat Joannes, negabat Rachel, docebat Moyſes, plorabat Triphæna, obſervabat Maria, attendebat Oneſiphorus, triſtis erat Paulus, jurabat Jacob, non credebat Pharao, mentiebatur Hieroboam, pavebat Suſanna, erubeſcebat Rebecca, plangebat Hieremias. Poſtmodum ſcrutatis omnibus, inventum eſt furtum apud Benjamin, quod erat in conſcientia Joſeph. [9] Sed poſteaquam probatum eſt Regi, quod Achar filius Charmi ſolus eſſet reus furti, juſſit eum mori, donavitque eum omnibus. Tunc occaſione accepta, primus omnium calce eum percuſſit Moyſes, abiit in complexum Jacob, veſtem detraxit Thecla, ad terram eliſit Daniel, lapide percuſſit David, virga Aaron, flagello Jeſus, medium aperuit Judas, lancea transfixit Eleazar. Tunc juſſit, uti qui mortuus eſſet ſepeliretur; [10] & vendidit agrum Laban, emit Abraham, Joſeph monumentum fecit, & ædificavit Nachor; aromata impoſuit Maria, cluſit Noe, ſuperſcripſit Pilatus, pretium accepit Judas: quo facto gaudens clamat Zacharias, confunditur Elizabeth, ſtupet Maria, ridebat de facto Sara. Explicitiſque omnibus domos ſuas repetierunt.

1 *Quo facto.*] *Pamelius ait*, Morelius præmittebat *pro*, MS. *ſub*, ſed utrumque ſuperfluum eſt. Non habent autem MSS. illud *altera die.*

2 *Crines Berſabee.*] *Pamelius ait*, Addit uterque MS. *Agar*, ſed deſideratur munus quod obtuliſſe dicatur, ſi legi debeat, fortaſſis adjicienda vox *amphoram.*

3 *Inquirebantur ab eis.*] *Pamelius ait*, Sic lego pro *inquirebatur*, item *involverat* ex MS. Tornac. pro *involaverat.*

4 *Coopertorium ſubſericum.*] *Pamelius ait*, uterque MS. *ſerecum.*

5 *Primus decollatur Joannes.*] *Pamelius ait*, Omiſimus cum MS. *omnium.*

6 *Impingitur Loth.*] *Pamelius ait*, Prorſus ſic etiam lego cum iiſdem, poſtea enim fit mentio *Agar*, legunt iidem *Maria* pro *Martha.*

7 *Deprimitur Chore.*] *Pamelius ait*, Etiam hoc reſtitui ex MS. pro eo quod corrupte erat *Coreb.* Legunt iidem *demonſtratur mambres*, pro *dehoneſtatur.*

8 *Erat ſuſcipiens Raab.*] *Pamelius ait*, alii *ſuſcipiens.*

9 *Sed poſteaquam.*] *Pamelius ait*, Rurſum & hoc pro &, item *Achar* pro *Aghar.* Legunt iidem *Elizer* pro *Eleazer*, & *ut is* pro *uti.*

10 *Et vendidit agrum Laban.*] *Pamelius ait*, MS. uterque *Emmon*, forte legendum *Ephron.*

MONITIO

Ad Lectorem.

DUM S. Cypriani Carthaginienſis ſcripta undique conquiro, & Bibliothecarum atque amicorum ope codices manu exaratos hinc inde circumſpicio, incidi in pœnitentiæ Cypriani huc uſque ineditæ exemplar in Bodleiana noſtra, & ejuſdem apographum ex Bibliotheca Sanctæ Trinitatis Cantabrigiæ, cum Collatione codicis Uſſeriani Dubliniæ.

Quod ad ſcripti natales attinet, Conſtantini M. tempora antevertiſſe, aut ſaltem attigiſſe cenſemus; ut ſit illa ipſa ἐξαγόρευσις Κυπριανῦ, vel certe ejus pars, cujus meminit Nazianzenus Orat. 18. pro apocrypho habuit Gelaſius in Concilio Romano, quam etiam citat Georgius Cedrenus in Epitom. hiſtoriæ: & demum diligenter admodum deſcribit Photius in opere cujus Titulus λόγοι τρεῖς εἰς μάρτυρα Κυπριανόν. Hujus primus liber, res Juſtinæ virginis perſequebatur. Secundus Cypriani à prima juventute vitæ rationem enarrabat. Tertius martyrium utriuſque duorum complectebatur. Quæ omnia Eudocia Imperatrix heroico carmine reddidit; quorum ſynopſin exhibet prædicta oratione Nazianzenus, itidem Photius codice 184. ſuæ Bibliothecæ, & Symeon Metaphraſtes ad Octob. 2. qui ſuo more narrationem varie interpolavit. Pars media totius operis, ex Græco in Latinum converſa ſolum ad nos integra pervenit, quam hic repræſentamus. Quod eo lubentius fecimus; ſiquidem, ut recte obſervatum, nullus ſit vetuſtus liber, utcunque ſuppoſititius & mali moris, qui non alicui uſui inſerviat.

Opportunum autem hic erit de Perſonæ ſtatu cui hæc tribuuntur paucis inquirere; præſertim cum hodierna Eccleſia Romana pariter & Græca, duos ſtatuant Epiſcopos & Martyres Cyprianos; primum Carthaginienſem, alterum Antiochenum; & horum poſteriori ea omnia quæ ad Magiam, & Juſtinæ amorem ſpectant, ab utriſque referuntur. At è contra, veteres paſſim, Nazianzenus, Prudentius; &, ut Cardinalis Baronii verbis utar, communiter Græci, Cyprianum Antiochenum cum Carthaginienſi confundunt. Conſulat cui otium eſt Nicephorum, Syncellum, Cedrenum, & Symeonem Metaphraſten ab ipſo Surio editum, & uni Afro noſtro totam de Magia & Juſtinæ amoribus narrationem attributam reperiet.

Illuſtriſſimus Baronius ait hoc ex nominis ſimilitudine contigiſſe, & homonymia deceptum fuiſſe Nazianzenum, cum Græcorum reliquis. Et ego quidem libens conceſſerim, Græcos in Latinorum rebus enarrandis, in quibus perpetui ſunt hoſpites, facile labi potuiſſe, præſertim in iis quæ eorum tempora anteverterunt. Sed quis dixerit in Oriente geſta ipſis vivis & videntibus eos pariter ignoraſſe? Quod ad Gregorium attinet, adeone ille vecors, ut ſolus neſciret quæ in Nicomedia ante paucos annos gererentur, & alieniſſimo tempore, nimirum die anniverſaria Cypriani Carthaginienſis, apud plebem ſuam, alterius gentis & ſeculi hominem operoſe pro concione celebraret. Non erat Gregorius ad fidem Chriſtianam noviter accitus, & eorum rudis quæ ad pietatem ſpectabant; ſed à primis annis lac Eccleſiæ hauſerat. Patrem enim is habuit Epiſcopum qui Diocletiani rebus, & magnæ Nicænæ ſynodo intererat: nunquamne ille de Antiocheno Mago ad fidem nuper converſo, de Juſtina tunc temporis miraculis & paſſione nobilitata, de Aglaida Scholaſtico & Athanaſio Mago, de Sartaginis ignibus fruſtra Antiochiæ adhibitis, & capitali pœna tandem Nicomediæ irrogata filium admonuit, ne hæc Afro, qui imperante Valeriano paſſus erat, eadem tribueret: aut fieri potuit ut ipſe Nazianzenus per Nicomediam ex Cappadocia ſæpius Athenas pergens, & exinde remeans, errorem tam gravem, & cuilibet non prorſus ſtupido obvium non ſtatim detegeret? Aut ſi hæc Nazianzenum ſimul & illius patrem fugerent; utique Euſebium hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcriptorem diligentiſſimum, præſertim cum Anthimi Nicomedienſis martyrium enarrat, cui ſucceſſiſſe fingitur Cyprianus, latuiſſe illa putabimus?

Minime quidem decet ſobrium rerum ſacrarum æſtimatorem, publicis Eccleſiæ ſcriptis conſignata, &, quod fortaſſe majus eſt, ejuſdem praxi munita; ob leves conjecturas convellere & ſolicitare. Interim non eſt diſſimulandum, tantam fuiſſe primis ſeculis fingendi licentiam, tam pronam in credendo facilitatem, ut rerum geſtarum fides graviter exinde laboraverit; nec orbis terrarum tantum, ſed & Dei Eccleſia de temporibus ſuis Mythicis merito queratur. Arrepta occaſione quod confeſſores, Θεοφόροι & χριστοφόροι paſſim dicebantur, male feriati homines Briareum Chriſtianum, qui maria tranaret Chriſtophorum, Martyrologiis inſeruere. Paribus auſpiciis lancea quæ Domini latus transfixit, in ſanctum Longinum tranſibit; & veſtis qua Protomartyr noſter Albanus ſe induit, in Sanctum Amphibalum permutabatur.

Ut quod ſentiam libere loquar, veriſimillimum mihi videtur, Chriſtianum aliquem ex eorum numero

mero qui martyrum res geſtas novis augmentis decorare geſtiebant, & pia fraude eorum exiſtimationi velificare; Cyprianum Carthaginienſem per omnes undique Eccleſias celebrem, pigmentis ſuis ornatiorem reddere ſtuduiſſe, & quandoquidem res humiles & quotidianæ videbantur, ejus pietas, eruditio, proſcriptio, ſeceſſus & Martyrium; aſſumenta de magicis artibus, Juſtinæ amoribus, & Sartaginis miraculis attexuiſſe; ut qui virtutibus clarus, vitiis ſuis cumulatius nobilitaretur. Artifex porro, ut patriam ſuam demereri aliquatenus poſſit, Dramatis ſcenam Antiochiæ poſuit: quæ quidem cum eſſent admodum mirifica, & hiſtoriæ prius receptæ ſubnixa, non modo indoctum vulgus, ſed ipſos Eccleſiæ antiſtites percellebant. Nec quis mirabitur Martyri cuiquam hæc accidiſſe, cum ſecum reputaverit ipſos Apoſtolos pariter male habitos. Nova eorum nominibus procuſa Evangelia, de quibus Irenæus ait l. 1. c. 17. Inenarrabilem multitudinem apocryphorum & perperam ſcripturarum adferri, ad ſtuporem inſenſatorum. Et narrat Tertullianus lib. de Baptiſmo, Quendam in Aſia presbyterum, qui ſcripturam conſtruxerat, quaſi titulo Pauli de ſuo cumulans; convictum atque confeſſum, id ſe amore Pauli feciſſe. Si quis lolii iſtius ampliſſimam meſſem deſideret, conſulat Gelaſii decretum in Concilio Romano, ubi quod ad ſtomachi patientiſſimi nauſeam ſuffecerit, reperiet.

Suboluerat vero viris in Occidentalis Eccleſiæ rebus aliquantum verſatis, hanc ſplendidam Cypriani hiſtoriam Carthaginienſi præſuli minime quadrare: unde ne tam elegans periret fabula, novus excogitabatur Cyprianus Aſiaticus, qui rectius perſonam iſtam ſuſtineret. Sed commentum iſtud adeo infeliciter erat deſignatum, ut nec temporum, aut locorum, aut rerum geſtarum circumſtantiæ quidquam rectius cohærerent. Eccleſia Romana diem anniverſariam paſſionis hujus Cypriani diei 26. Septembris aſſignat, Menologium Græcorum Octobris ſecundo affigit; Interim Hieronymi quod dicitur Martyrologium à Dacherio editum; & vetuſtius illud à Maria Florentinio in lucem emiſſum, utrobique prætereunt. Quod ad Martyrii tempus attinet; Aldhelmus, Rhabanus, Petrus de Natalibus cum aliis nonnullis, ſub Claudio paſſum aiunt: Notkerus, Ado, Photius, cum nobili Annaliſta, ſub Diocletiano coronatum referunt, ſcil. anno 290. Sed neutra hypotheſis phænomenis reſpondet; cum per totum Claudii imperium, qui etiam Nicomediæ egiſſe non legitur, & ad extrema fere Diocletiani, pace fruerctur Eccleſia: & ipſe Anthimus cujus ſucceſſor perhibetur Cyprianus, in primis perſecutionis à Diocletiano motæ initiis, anno nimirum 303. paſſus eſſet: ut inaudito prius miraculo Martyr, præcoci fato, perſecutionem annis 14. anteverteret; & etiam poſt tot annorum vices uſque ſibi ſuperſtes; ad Martyrium denuo ſubeundum in vivis permaneret. Manifeſtius ſecum pugnat Beda noſtras, qui in Martyrologio ad ſept. 26. Juſtinam plurima ſub Diocletiano paſſam refert, & deinde capite plexam cum Cypriano ſub Eutholmio tempore Claudii, quæ pariter cum hiſtoriæ fide & Bedæ ipſius judicio pugnant. In ſecundo enim Tomo Operum ejus, Claudio annum mundi 4224. aſſignat, Diocletiano vero annum 4238. Interim ſiquidem hæc geſta finguntur Antiochiæ ſub Eutholmio Comite Orientis hæc ad Diocletiani tempora pertinere non poſſunt, cum non ante Conſtantini tempora aliquis Comes Orientis illic conſtituebatur, unde ob mutatam imperii formam apud Zoſimum vapulat Conſtantinus, & Joannes Antiochenus de Feliciano ad illam dignitatem admoto verba faciens addit expreſſis verbis ait, ὃς ἦν πρῶτον ἐν τῇ αὐτῇ μεγάλῃ Αντιοχείᾳ κόμης ἀνατολῆς ἐσχάθετος. Demum, ut non ſingula perſequar, quocunque enim oculos verto, mendacium perlucet: Photius ait Cyprianum Antiochiæ Epiſcopum poſt Anthimum factum, quem certiſſimum tamen eſt non urbis iſtius ſed Nicomediæ præſulem fuiſſe. Nec quicquam magis ſincerum quod alii tradunt, eum Nicomediæ ſucceſſiſſe; quando fabulatores uno ore conſentiant Cyprianum ex mandato Eutholmii ab Antiochia Nicomediam tranſmiſſum, martyrio illic ſtatim coronatum, & ad Galli flumen urbi vicinum una cum Juſtina capite obtruncatum: ita utcunque Anthimi in Martyrio ſucceſſor fuerit, certe in Epiſcopatu ſuccedere non potuit. Sed de his hactenus.

[1] CONFESSIO SANCTI CYPRIANI,

Martyris atque Pontificis.

QUicunque in Chriſti myſteriis profi-citis, meis intendite lacrymis, & cognoſcetis [2] verborum quæ in eis reſeruntur virtutes. Quicunque dæmoniacis ſuademini vitiis, amici, diſcite vanitatem eorum quæ perimunt animas. Numquam (*a*) enim nequior me aliquis factus eſt: neque ut ego quiſquam ſcrutari poteſt de eis qui dicuntur Dii, neque dicere diligenter vanitatem virtutum (*b*).

Ego ſum Cyprianus qui in tenera adhuc ætate oblatus ſum Apollini: parvulus enim cum eſſem [3] didici Draconis aſtutiam. Septem autem eram annorum cum ad Solis acceſſi templum. Et cum adhuc tenerrimus eſſem, cœpi iniquitates agere. A parentibus autem Dæmonibus traditus ſum, & velut votum erat eis vita mea turpis. Et cum eſſem annorum decem, [4] cum facibus luſi ante idolum quod vocatur Demetra. Et idoli [5] pupillæ albi luctum exſpectavi; & in [6] ſummo montis vertice Dianæ Draconi miniſtravi. Et [7] poſt promotionem ſacerdos conſtitutus ſum in Olympo monte; & eorum qui dicuntur Dii [8] cognovi inſanias, & verboſitates audivi, & ſonos & ſtrepitus. Et vidi illic [9] per phantaſmata arborum & herbarum validam vim ad omnem rem per phantaſiam idolorum. Vidi illic choros Dæmoniorum velut [10] ludentium, & aliorum bellantium, & aliorum obſeſſa facientium, & alios contra venientes, confuſionem facientes. Singulorum eorum, qui vocantur Dii, vidi malam poteſtatem: manſi enim illic diebus XL. & vidi quomodo tranſ-

(*a*) Nunquid, *Trin.* (*b*) Vanam virtutem, *Trin.* (*c*) De roboribus, *Trin.*

[1] *Confeſſio Sancti Cypriani.*] Quod Græcis verbis diceretur ἐξαγόρευσις. Quam rem videtur reſpicere Nazianzenus Orat. 18. μακρῷ λόγῳ φιλιτέον τῷ πρὸ τέρων ἑαυτὸν κακίαν, ἵνα κ τοῦτο τῷ θεῷ καρποφορήσῃ, τῷ ἐξαγόρευσιν, κ πολλοῖς ὁδὸς γένηται τ λεγομένας ἐλπίδος, τ ἀπὸ κακίας ἐπιστρεφόντων. τίς δ ἡ κακία, κ σκοπεῖτε ὅση ☪ ἡλίκη τὸ μέγεθος, δαιμόνων ὧν. θεραπευτὴς ὁ χείρων μαθητὴς ὕστερον. Georg. Cedren. πολλὰ κ ἀρχαϊκὰ δρᾶσαι φασὶ τοὺς ἀντιπαλαίσαι, ὡς κατ' αὐτὸν συγγραφὴ δηλοῖ, τ κατὰ Ἰσσίναν τὴν ἀγῶνα καλλιπάρθενον δαιμονιώδης πρωτοβολὴν δηλοῦσα τὸ ἀδρανὲς, κ τ αὐτῷ πρὸς θεὸν πρόφασιν ἐξαγορεύσεως τὸ ἀνυπόκριτον. De opere ipſo ſuperius in Præfatione egimus. Quod ad Exemplaria attinet, quibus uſi ſumus; in ſubſidium illius quod Bibliotheca noſtra continet, lectiones Uſſerianas adnotavit Eruditus vir Dominus Palaſa S. S. Theologiæ Profeſſor & Coll. S. Trin. Dubl. Socius. Apographum vero codicis S. Trinit. Cantabrigiæ, communicavit egregius Vir Dr. Battell, Collegii ejuſdem Socius: quos honoris cauſa nomino; parum enim proſpere ſuccederent Editorum in veterum ſcriptis eruendis curæ; niſi ſubvenirent ipſis laborantibus, amica doctorum hominum commercia.

[2] *Verborum quæ in eis referuntur virtutes.*] Græce videtur ſcriptum δυνάμεις, & intelligit *vim* ſive *efficaciam*, ita ſtatim dicit *vanam eorum virtutem.* אלילים ſive idola à Græcis interpretibus μάταια dicuntur.

[3] *Didici draconis aſtutiam.*] Apollinis Pythii. Dæmon per totum hoc ſcriptum eo nomine deſignatur: qua loquendi forma utitur S. Joannes in Apocalypſi. De Eleuſiniis Minut. Felix. *Ceres facibus accenſis, & ſerpente circundata errore ſubreptam & corruptam Liberam anxia & ſollicita veſtigat.* Pariter Claudianus de raptu Proſerpinæ,

-----Faces extollit Eleuſis:
Angues Triptolemi ſtrident, & ſquamea curvis
Colla levant attrita jugis.

[4] *Cum facibus luſi ante Idolum.*] In Eleuſiniis factus δαδοῦχος. Tertia dies huic luſui addicebatur, & ἡ τ λαμπάδων ἡμέρα dicebatur. De hac re Statius in Sylv.

Tuque Actæa Ceres, curſu cui ſemper anhelo
Votivam taciti quaſſamus lampada Myſtæ.

Parentes autem id curabant ut liberi adhuc pueri initiarentur. Unde Terentius in Phormione,

Ferietur alio munere, ubi hera pepererit;
Porro autem alio, ubi erit puero natalis dies:
Ubi initiabunt.

[5] *Pupillæ albi luctum expectavi.*] τῆς κόρης, Proſerpinæ. Interpres Græcæ vocis homonymia deceptus, ad oculi feneſtram tranſtulit, quæ ad raptam Cereris filiam pertinebant. Quam impotenti luctu filiam illa requirebat, quantaque cum pompa tota illa tragœdia vario myſteriorum apparatu repræſentabatur, omnibus notum eſt. Porro *Epoptarum ſuſpiria*, & *tardæ expectationes*, in veterum ſcriptis paſſim memorantur.

[6] *Summo montis vertice Dianæ.*] Quæ Horatio dicitur, *Montium cuſtos nemorumque virgo.* Mons iſte erat forte Olympus Syriæ, juxta Antiochiam, de quo Libanius in vita ſua, & alibi; nam fere quælibet regio Olympum ſuum habuit. Sacri autem erant montes utpote cœlo proximi, quibus ex lege in Sina monte tradita, & ibi jejunio Moyſis 40. dierum repetito, auctoramentum acceſſit. Nihil enim certius eſt quam Gentium ſuperſtitiones, à Judaico cultu, magna ex parte traductas. Antiochenos in Olympo ſuo certamina ſumma cum ambitione celebraſſe Græco ritu, res eſt certiſſima; nec puduit Imperatores Romanos illic Alytarchi habitu ludis præeſſe. De Diocletiano ait Jo. Antioch. ἐλθὼν ἐξ Αἰγύπτου, τὸν ὀλυμπικὸν ἀγῶνα μέλλοντος ἐπιπλεῖσθαι φόρεσι τὸ χῆμα ☪ Ἀλυτάρχου. Ait porro ludos iſtos tandem à Juſtino Imperatore prohibitos.

[7] *Poſt promotionem.*] Annis nimirum provectior factus. Reſpicere videtur ad ſeptennium ſupra memoratum. Ita πρόβασις vel ἀνάβασις de ætate dicitur Luc. 1. 7, 18. & 2. 36.

[8] *Cognovi inſanias, & verboſitates audivi, & ſonos, & ſtrepitus.*] Quæ Deæ venatrici accommoda, & proinde grata habebantur. De ſpectaculis & ſonis, initiandis objici ſolitis Themiſtius orat. ad patrem ait, ὁ μὲ ἄρτι πρωϊαὶ τοῖς ἀδύτοις, φείκλης τε ἀνεπίμπλατο κ ἰλίγγου. ἀδημονίας τε ἐίχετο κ ἀπορίας συμπάσης &c. Et alibi δεινὰ πάσχω, φείκη κ τρόμος, κ ἱδρὼς, κ θάμβος. Pariter Pletho in Scholiis ad Oracula Magica Zoroaſtris, εἴωθε τοῖς πολλοῖς τ τελουμένων φαίνεσθαι κατὰ τὰς πλατὰς κωώδη τινὰ, ☪ ἄλλως ἀλλόκοτα τὰς μορφὰς φάσματα. Et deinceps, τὰ δὲ τελουμένοις φαινόμενα, κεραυνοὶ, κ πῦρ, κ εἴ τι ἄλλο, σύμβολα ἄλλως ἐστίν. Quæ omnia poetico more exſequitur Claudianus de Raptu Proſerpinæ in principio,

Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus, & claram diſpergere fulmina lucem,
Adventum teſtata Dei, jam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templumque remugit.

[9] *Per phantaſmata arborum & herbarum vim.*] Photii ſylloge habet ὅσα ἄλλα μάθοι περί τε βοτάνων κ φυτῶν, κ ζώων φύσεως παγδαπῶν ☪ ὅτι ποικίλων δαιμονίων φασμάτων ἰατὴς γένοιτο. In hac arte Theſſalæ videntur maxime ſe exercuiſſe.

[10] *Ludentium, & aliorum bellantium.*] De his videatur Martinus Delrio, Diſquiſ. Mag. l. 2. qu. 27. ſect. 2.

[1] *Summa*

transmittuntur spiritus super terram in omnibus gentibus. Esca autem mea erant [1] summa tenera de arboribus (*a*) post occasum solis.

Cum autem XXX. annorum factus fuissem, [2] de Ægypto intravi in terram Chaldæorum, volens discere cœli virtutem, [3] quam ipsi super ignem esse dicunt. Ab ipsis didici [4] stellarum compositionem, quemadmodum [5] in herbis sunt varietates, & choros [6] stellarum super bella constitutos. Hi mihi ostenderunt singulorum [7] spirituum aeris virtutem, facientes me [8] abstinere ab esca animalium, & à vino, & à concubitu. Hi ostenderunt mihi omnia de firmamento; ibi vidi [9] formas quas singuli Dæmones induebantur, & ad mundum egrediebantur. Omnium autem horum & ceterorum Dæmonum & visiones, & species, & omnes actus eorum habebam [10] depictos in magicis (*b*) libris. Et quem volebam vocabam, ut [11] suam annunciationem exerceret. Et [12] trecentorum sexaginta quinque spirituum immundorum naturas sive species didici, ordinesque singulorum Dæmoniorum, & operationes, & in malis quibus gaudent, errorem perditionis, dissensiones, [13] luxuriam, fornicationes, nequitiam, avaritiam, turpe lucrum, vanam laudem, vanam vitam, vanam gloriam, vanam justitiam, vanam veritatem, vanam sapientiam. Sunt autem [14] quidam sicut pulvis, quidam (*c*) sicut pictura quæ exterminatur, quidam velut umbra quæ dissolvitur in semetipsa, & cetera de quibus non est tempus narrare: [15] quorum percipiuntur (*d*) communicationes firmamento, dispositiones stellarum; & quidam (*e*) sunt qui in firmamento moventur, & occultant sacramenti mandatum; & qui eorundem Dæmonum obau-

(*a*) De roboribus, *Trin.* (*b*) Magnis, *Trin.* (*c*) Quædam, *Trin.* (*d*) Et qui percipiunt, *Trin.*. (*e*) Quædam, *Trin.*

1 *Summa tenera.*] ἀκροδρυα.

2 *De Ægypto.*] Plurima hic omisisse videtur interpres Latinus. Photii sylloge hæc habet, Ὅπως ἐξ ἀθλιωτῶν εἰς ἄρχας, ἥκοι εἰς Φρυγίαν ἀφίκοιτο, ἱερωτὰς δὲ τῶν δαιμονίων ἀπαντᾶν καθιστάμενον καὶ πολὺν σωρὸν σκιᾶς τῶν μαγικῶν ἀθροιζόμενον εἶπε φεῦγον, ὡς αἰγυπτίου τε ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἐπιβὰν καὶ ἰνδὸς ἐπῆλθεν. ὅσα τε ἐκεῖ πυρώδεα καὶ δεινῶς ἄτοπα ἄλλατε, καὶ εἴδωλα εἶδε τε καὶ ἐξέμαθε. καὶ εἰς τριακονταετίαν τῆς ἡλικίας τελούσης, ἐπὶ χαλδαίους ἦλθε.

3 *Quam ipsi super ignem esse dicunt.*] πυραιθεία Mithræ symbolum. Strabo de Persis ait, λιμῶσι δὲ καὶ ἥλιον, ὃν μίθραν καλοῦσι. Hic inter Orimasden & Arimanion medius statuitur. Unde Plutarchus libro de Iside & Osiride refert, μίθραν πέρσαι τὸ μεσίτην ὀνομάζουσι. Pyratheia describit Strabo lib. 15. quod sint, σηκοὶ ἕνες ἀξιόλογοι. ἐν δὲ τούτοις μέσοις δωμὸς, ἐν ᾧ πολὺ τέφρας, καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ μάγοι. Notat vero Diodorus Siculus extinctos fuisse hos perennes ignes, si quando rex moreretur.

4 *Stellarum compositionem.*] σύνθεμα ἀστέρων χηματισμὸς sive aspectus stellarum, ab Astrologis imprimis spectatur. Manilius

Nec satis est proprias signorum noscere formas,
Consensu quoque fata movent, & fœdere gaudent.

Porro ex nascentium horoscopo totius vitæ futuræ ratio pendere creditur. Unde ex Ægyptiorum placitis, τὸ ἐφ' ἡμῖν εἶναι τῶν ἀστέρων κινήσεως. Mercur. Trism. Et Porph. διὰ ζωδίων δώδεκα ἡ ὁδὸς ταῖς ψυχαῖς. Huc spectant quæ hic habentur de *firmamento*.

5 *In herbis sunt varietates.*] In arte Magica herbarum usus maxime celebratur, quæ pro suis signaturis vires habere credebantur, & aliæ aliis planetis adscriptæ in ipsas stellas vim exercere. Unde Plinius l. 24. c. 2. *Durat tradita persuasio in magna parte vulgi, veneficiis & herbis, solis lunæque defectus cogi: in eoque fœminarum scientiam prævalere.*

6 *Stellarum super bella.*] De Scorpio in conjunctione cum Sole Manilius l. 4.

Scorpius armata violento cuspide cauda,
Qui sua cum Phœbi currum per sidera ducit,
Rimatur terras, & sulcis semina miscet;
In bellum ardentes animos, & Martia castra
Efficit, & multo gaudentem sanguine civem.

7 *Spirituum aeris.*] Apollo apud Eusebium l. 4. de Demonstrat. sic canit

Πῆ ἔπιχθονίης, πῆ δὲ ἀρωγίης, ποτὶ δὲ αἴθρης
Αὐτοῖσι βασιλεῦσι καὶ χόρῳ ὑγροπορίου.
Ἠδὲ θαλασσαίοις καὶ ὑποχθονίοισιν ἄπασι.

Plato autem in Phædro Aereis dæmonibus rei Magicæ inventionem tribuit. Vid. Epist. Pauli ad Eph. 2. 2.

8 *Abstinere ab esca animalium.*] Plinius Pythagoram primum fuisse docet qui artes Magicas ab Oriente in Occidentem invexit; unde quæ de abstinentia docuit non adeo Philosophiæ quam Magiæ debentur, ἀσκήσεις istæ, ab initiandis requirebantur; de quibus vide Porphyr. de Abstinentia, Hieroclem, Jamblichum, reliquosque illius gregis, qui Magiam pro Philosophia venditabant. Istis piamentis jactitabant homines transgredi φραγμὸν καρδίας καὶ πύλας δεσμῶν αἰῶνι δεδεμένας.

9 *Formæ quas singuli Dæmones induebantur.*] Pro ratione imperii & potestatis quæ obtinent, nec non regionis quam incolunt. Quo ordine hi Cosmocratores incederent, magna olim apud Magos lis erat. Jaldabaoth primus à quibusdam habebatur teste Irenæo lib. 1. cap. 34. at septimus apud Epiphan. Hær. 26. & Tertull. de præscript. Ita Jao supremum orbem occupat, recensente Epiphanio; at Irenæo in secundis collocatur. De his Celsus ait apud Origen. lib. 6. 6. τινες ἐς δεσποτικὰς μορφὰς ἐπανέρχονται, ὡσὲ τινας μὲ πέρσας λέοντας, ἄλλους δὲ ταύρους, καὶ ἄλλους δράκοντας, ἢ ἀετοὺς, ἢ ἄρκτους, ἢ κυνας. Rem hanc diligenter explicare satagit Jamblichus, de Mysteriis c. ζ'. μορφοειδῆ μὲν εἶναι φάσκοντες τὰ τῶν θεῶν, τὰ δὲ τῶν δαιμόνων, ποικίλα &c.

10 *Depictos in Magicis libris.*] Quos statim combussisse dicitur Cyprianus. Magici systematis typum exhibet Origenes contra Celsum lib. 6. quod διάγραμμα appellat. Varie etiam enarrant Tertullianus, Origenes, Epiphanius, aliique Patres qui contra Valentinianos scripserunt.

11 *Suam annunciationem exerceret.*] De nominum vi multis agit Origenes contra Celsum lib. 1. Postquam de vocibus Hebræis dixisset. δυνατὸν ταῦτα τὰ ὀνόματα λεγόμενα μετά τινος θείας σωκήσεως αὐτοῖς εἰρμοῦ. De Ægyptiis progreditur, ἄλλα δὲ κατ' αἰγυπτίαν φερόμενα φωνὴν, ἐπί τινων δαιμόνων τὰ τάδε μόνα δυναμένων καὶ ἄλλα κατὰ τὸν προσῶν διάλεκτον ἐπὶ ἄλλων δυνάμεων, καὶ ὅτω καθ' ἕκαστον τὸ ἐθνῶν εἰς χρείας τινὰς θεολαμβάνεσθαι. Jamblichus de Mysteriis cap. 4. 5. multum se torquet ut ostendat voces Ægyptiacas eximia vi pollere, nec permutari posse in alias, nec in aliam dialectum translata vim suam retinere.

12 *Trecentorum sexaginta quinque.*] Is numerus Mithræ sacer. Irenæus lib. 1. cap. 23. de Basilide verba faciens ait, Trecentorum autem sexaginta quinque cœlorum locales positiones distribuunt similiter ut Mathematici. Illorum enim theoremata accipientes, in suum characterem doctrinæ transtulerunt: esse autem principem illorum ἀβράξας, & propter hoc 365. numerum habere in se. De hac re agunt Hieron. Com. in Amos. Augustinus l. de Hæres. Epiph. contra Hæres. 24. Theodorit. l. 1. Hæret. fab. ut alios mittam, qui multis explicant gemmas è ruderibus erutas, in Amuleti usus olim paratas. De Apollinis sive solis Templo à Diocletiano reparato, addito specu in honorem Hecatis, cui pariter Mithræ numerus videbatur sacer, hæc habet Joan. Antiochenus, ἀνανέωσε δὲ καὶ τὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ἱερὸν κοσμήσας διάφορος μάρμαρος· ἔκλισε δὲ καὶ τὴν ἑκάτης ἱερὸν μεταχθόνιον βαθμῶν τξέ.

13 *Luxuriam, fornicationes.*] Hanc ob causam πνεύματα ἀκάθαρτα in S. Scripturis dicuntur.

14 *Quædam sicut pulvis.*] Corpore ex tenui aere conflato, apparuere. Quale Phasma illud à Virgil. descriptum lib. 10.

Tum Dea nube cava tenuem sine viribus umbram
In faciem Æneæ, visu mirabile monstrum,
Dardaniis ornat telis.

15 *Qui percipiunt communicationes firmamenti.*] Sive in Telesmatibus, Amuletis aut Periaptis Stellarum vires, aut dæmonum servitia alligant. Minas quas in Deos intentant Theurgi, Porphyrius in Epist. ad Anebonem appellat θεασιήκας ἀπειλάς.

1 *Qui*

obaudiunt verba dæmoniaca quæ per ſacrificia libationis exercentur; [1] qui vero (*a*) ſunt quidam vero non obaudiunt, ſed quaſi caritatem obſervant ad conſilium lucis.

Docuerunt autem me quomodo obaudierunt, ut particeps eſſem tenebrarum conſilio, & quis præſtat lucidam ſpeciem ad obtinendum. Vidi enim mediatores eorum & admiratus ſum, quia & in cœleſtibus mundum [2] per pecuniam imperant. Cognovi enim quas habent ad invicem conteſtationes, & ſtupui, quia juramentis nefandis tenentur. Ibi teſtificationes, ibi mandata, ibi feſtinatio, & malus ſenſus, ut ad invicem commixtionem communicent, quam immundiſſimus Draco adinvenit: impetus terrenos conſtituens, in aere autem & in terra ſuum ſenſum complevit, in inferis vero nunquam ſuam voluntatem conſtituit; & ſic omnes errare fecit per malignitatem ſuam, & multos per errorem diſcedere (*b*) fecit à vera divinitate. Etenim eſt Dæmonum princeps ſicut vanitas, & regnat ſuper iniquos, ſic ſe promittit obtinere impudicitiam uſque in finem. Credite mihi quia ipſum malorum principem vidi Diabolum, in multis ſacrificiis placans meum ingreſſum, & gaudens me adeſſe. Credite mihi quia ſalutavit me, & collocutus ei ſum, & ad eos qui ab ipſo primatus habent, reputatus ſum coæqualis. Ipſe rex Dæmonum [3] aſtutum puerum me appellavit, novum Jambrem dignum ſui (*c*) myſterii, tanquam potentem in miniſterio ſacrificiorum, & libationum & omnis erroris. Si mihi creditis, filium me appellavit dignum dicens ſuæ communionis, & promiſit meam [4] animam in ordine ſui principatus ponere, & mecum ſe eſſe in mundo, & omnia deſideria mea facilius exercere. Et velut magnum principem ſuum honoravit me; [5] & exercitum Dæmonum credidit mihi, in meum miniſterium, & in voluntates meas omnes, & ad omnem obedientiam, & valefaciens mihi, dixit, viriliter age, optime Cypriane; & deduxit me, unde & omnes principes exercitus ejus admirati ſunt meam fiduciam ad eum: propter quod & omnes principes ejus honoraverunt me, cum vidiſſent qualem mihi dignitatem Rex eorum Diabolus tradidiſſet. [6] Erat autem viſio ejus quaſi flos, aurea corona in capite ejus, quaſi ex omni lapide precioſo ornata, quorum ſplendor erat quaſi fulgur, in omni choro qui circa eum erat ſplendens, & erat ſtola ejus formoſa, atque purpurea. Sedes autem ejus alta: multi enim dæmonum exercitus ejus adſtant ei, inclinatos vultus habentes ad obedientiam, & cum timore opera ſua exercentes. Phantaſia autem ejus lata, & magnitudo lucida, in quibus quaſi putabatur illuminare mundum. Dæmones vero cum lampadibus aſtabant ei, & illuminantes locum ante ſedem ejus cum miniſterio. Omnia autem ſimilia [7] fecit per phantaſias adverſus poteſtatem Domini Dei, & in miniſteriis & operibus phantaſmata exempli poſuit reſiſtens Deitati, & pugnam conſtituit contra omnem Domini diſpoſitionem. Transfigurata autem circa ſe habens Dæmonia ad ſimilitudinem ſanctorum Angelorum, & per ſuas phantaſias errorem hominibus oſtendit. Quemadmodum pictor de colorum temperatura figurat immobilia & mobilia & ſimiles facit mobilibus & rationalibus, ita & Diabolus: nihil enim apud eos firmum; faciunt enim pluviam videre, ſed non eſt aqua. Oſtendunt ignem, ſed non comburit. Præſtant eſcam, ſed non ad eſcam veram. Dant aurum, ſed non permanet in ſubſtantia. Oſtendunt autem domos, & regiones, & civitates & homines & flumina, & maria, & montes, & campos, & arbores, & herbas, & flores, & jumenta reptilia & beſtias & ſtragula ex variis coloribus, & ſtolas diverſas; & hæc omnia vana & nihil ſunt, ſed tanquam ſomnia ſunt: talis eſt enim virtus eorum. Nam principes eorum & ipſi nocentes ſeducunt per phantaſias iniquorum hominum animas. Qui & colunt eos in ſacrificiis, & libationibus, & impiis operibus. Quid vero ad me qui volo cognoſcere verum Deum? Ego autem tentavi ejus mendacium, & vanam ſuperbiam, & cognovi quia phantaſma facit tantum. Et cognovi de ſancta virgine Juſtina quia Diabolus & omnes Dæmones ejus phantaſma & fumus ſunt, qui diſſolvuntur [8] per ſignum Chriſti, & nullam habent virtutem. Vidi enim per Chriſtianam puellam, eum qui [9] magna ſufflat Diabolum, nec culicis virtutem habere. Credidi autem Deo per venerabilem fœminam, & eum qui tanta promittit, & dicit ſe eſſe Regem ſeculi, ultimum omnium inveniri cognovi; quia ſemper mentitur. Et Draco factus eſt vermis: à Sancta Juſtina conculcatus eſt Rex Dæmonum. Stabat foris ad oſtium Sanctæ virginis tanquam fur alligatus, intrare non valens. Cui à multis legionibus miniſtratur, axiculam oſtii non potuit irrumpere. Qui ſe putat ſub poteſtate habere mundum, à virgine illudebatur. Qui ſe putat obtinere omnes animas, à puella dejectus eſt.

Qui

(*a*) Qui vero, *Trin.* (*b*) Deſcendere, *Bod.* (*c*) Miniſterii, *Uſſer.*

[1] *Qui vero ſunt qui non obaudiunt.*] Ex veteri traditione quam Platonici commendatiorem fecerant, præſertim illi qui poſt Chriſtianiſmum ad Magiam declinarunt quales Jamblichus, Porphyrius, Plotinus, Proclus, & Julianus Apoſtata; in quibus mirabilia plurima bonorum Angelorum opera expediri creditum eſt. Inde Magia diviſa eſt in Albam & Nigram. Altera Theourgia dicta, quæ à ſpiritibus lucis derivata; altera goetia, quæ à ſpiritibus tenebrarum hauſta. Inter hos mediæ habebantur indolis ſpiritus qui *Mediatores* appellabantur: de quibus Hierocles & alii iſtius ſectæ. Spiritus iſti omnes variis artibus procurandi.

[2] *Per pecuniam imperant.*] Plutus ſummum apud inferos numen divitiis præeſt, & ab Apoſtolo Deus hujus mundi dicitur. Ita Spiritus maligni theſauris incubare feruntur, & aurifodinis obverſari.

[3] *Aſtutum puerum.*] In Græco videtur fuiſſe ἀγεῖον.

[4] *Animam meam ordine ſui principatus.*] Ut anima poſt diſceſſum à corpore fieret Dæmon. Pythag. carminibus aureis.

Ην οἳ ὑπολείψαι σῶμα ἐς αἰθέρ᾽ ἐλεύθερον ἦλθης,
Εσσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.

[5] *Et exercitum Dæmonum.*] Non unum aut alterum Paredrum, ſive familiarem ſpiritum obſequio meo addixit, ſed totas legiones. Imo impurus ille nugator qui ſecreta Cypriani ſcripſit cuilibet fere Dæmoni paredro multas legiones aſſignat.

[6] *Erat autem viſio ejus.*] Habitu ſcil. regali conſpicuus. M. Delrio diſquiſit. Magic. l. 2. Q. 28. ſect. 3. ait ſolenne eſſe ut Dæmon quando pactum expreſſum iniit, offerre ſe conſpicuum forma virili: poſt pactum quando adorandus, ſemper in forma hirci.

[7] *Fecit per phantaſias.*] Præſtigias ſcil. oculis fucum facientes. Ita Marcus Hæreticus vinum in Euchariſtia in ſanguinem convertiſſe videbatur. Iren. l. 1. c. 9. Epiph. hær. 34. Ita Paneadi victima ſtato die ſpectante populo diſparuit, qua de re videatur Euſeb. l. 7. c. 17. Infinita ſunt quæ Pſeudoclemens, Philoſtratus, Apuleius de mirabilibus à Simone Mago, Apollonio, Juliano Chaldæo, & Maga quæ primi nominis dicebatur, retulerunt. Ut, quæ à Poetis de Circe, Medea aliiſque veneficis narrantur, præteream.

[8] *Per ſignum Chriſti.*] Quo Thecla flammis ſe eripuiſſe ferebatur. Vid. Origen. lib. 3. in Job. Arnob. lib. 4. c. 27. Athan. de Incarnat. Verbi, & alios paſſim.

[9] *Magna ſufflat.*] φυσιᾷ. gloriatur & jactat. Maligni ſpiritus per inſufflationem admiſſi credebantur; unde exſufflando ejecti. Qui quidem ritus non modo in exorciſmis, ſed etiam baptiſmo obtinuit.

[1] Cæ-

Qui dicit ſapientiam ſe tribuere omni ſenſui, victus eſt à fœmina venerabili. Qui [1] cœlum ſe promittit excutere, non potuit decipere ſenſum puellæ venerabilis. Qui gloriatur ſe Regem eſſe, mulierculæ pavidus abſiſtebat. Qui ſicut leo adverſus homines rugit, ut formica ante atrium virginis adſiſtebat, nihil facere valens. Qui omnem hominem promittit ſe terrere, in timorem non miſit Juſtinam Chriſti ancillam. Unde & credebam non eſſe dominum potentiorem Diabolo, & putabam quia [2] omnia tenet, & ſuper omnes imperat: & non ſciebam, (*a*) ô viri, quia ſuper ſimiles ſibi potens eſt tantum, nec ſciebam quia impotens eſt ſuper veros ſervos Chriſti, quia ignorabam aliam eſſe virtutem majorem. Interim ſentiebam in mea conſcientia, quia injuſte præſtat mala Diabolus i. e. mortes, corruptiones, neces, homicidia, mœchationes, fornicationes, luxurias, furta, cupiditates noxias, & quia impiis & iniquis ſuccurrit, & gaudet in effuſione ſanguinis humani, & quia in omnibus malis delectatur, & de bono illi cura non eſt. Et cogitabam in meipſo, dicens, ſi dominus eſt malorum Diabolus, bonorum creator quis eſt? Sic judicans in mea conſcientia, cognoſcebam melius eſſe bonum à malo.

Poſt omnia hæc cum veniſſet [3] Aglaidas quidam Laicus puer ad me, & de amore mihi retuliſſet Juſtinæ cujuſdam virginis; ego promiſi illi præſtare quod petebat. Jam ego accipiebam Draconis conſilium. Nam omnem legionem Dæmonum quæ mihi data erat in auxilium, tranſmiſi adverſus puellam; & nullus eorum vicit virginem Juſtinam. Nam & poſt multas vigilias Aglaidæ quibus vigilavit expectans ut adduceretur ei puella, quia perſeverabat rogans me, perſeveravi & ego contendens, & mittens ad eam diebus uſque ſeptuaginta. Poſtea autem & ipſe Rex Dæmonum denuo à me coactus cum principibus ſuis ad eam venit. Ex omni exercitu Dæmonum venerunt ad eam, & cum commiſiſſent adverſus eam tentationes, nihil profuerunt. Non autem ſolus Aglaidas tenebatur amore puellæ, ſed & ego. Et erat mirabile videre illam tantam multitudinem virtutis Dæmoniorum, & Regem eorum dehoneſtatos ab una puella & devictos. Sed nec deſiderium noſtrum extinguere poterant. Nam peſſimus Aglaidas mihi moleſtus erat, cum à peſſimo amore expugnaretur. Dicebam enim principi Dæmonum Diabolo, ſi non potes vincere puellam, aufer à me & ab Aglaida amorem. Ipſe vero vocans fornicationis Dæmonem, minatus eſt ei ut diſcedere à nobis faceret amorem deſiderii: & nihil potuerunt facere neque Diabolus, neque Dæmon fornicationis, quia in his tantum Dæmones poſſunt, id eſt, [5] in malis rebus: in bonis autem Dei, id eſt, in virtutibus nihil agentes inveniuntur. Tunc itaque magis cognovi quia nihil eſt Diabolus. Nam ipſe naturali deſiderio cooperante utitur per ſordidas cogitationes ad incendium deſiderii hominum. Erat autem grande miraculum videre in ſeptuaginta diebus certamen virginis & ſpiritus qui eſt ſuper fornicationem. Erat autem & Regis Dæmonum videre imperium vanum. [6] Me autem multa & incantante, & [7] ſacrificiis & libationibus omnes eos placante, ſuſcitabam eos adverſus virginem. Cum autem vidiſſem quia nihil explicabant, ſed longe ab oſtiis ejus velut canes latrabant; blaſphemavi Diabolum ſtans contra eum, à deſiderio detentus, & impetum feci adverſus eum manus levans, & puto quia & alapa eum percuſſi, & verbis improperii convitiatus ſum ei. Poſtea ergo voluit me ſic ſeducere. [8] Dæmonem fornicationis præcepit ſchematizare ſe in ſpeciem virginis Juſtinæ, & venire ad me quaſi rogans & dicens, Non ſufferens nimium amorem quem habeo ad te, ecce veni. Sed nihil potuit hic Dæmon facere qui ſe convertit in ſpeciem ejus, neque Diabolus, quia nec ipſam phantaſiam in ſpeciem virginis potuerunt per me polluere, nec permiſſum eſt mihi per communicationem Dæmonis infamare eam quæ ſine malo eſt Juſtina. Si autem concubuiſſem cum Dæmone fornicationis ſperans eſſe puellam, Diabolus ſecundum conſuetudinem ſuam mentiens, habebat dicere mihi; Vidiſti quomodo ſubjeci tibi virginem Juſtinam, nec potuit effugere noſtra retia: Ergo ſatis tibi feci, & complevi tuum deſiderium, & iterum reſtitui eam ubi quaſi in virginitate ſedet. De cetero jam crede mihi, quia quæcunque volo facio. Sed nihil horum permiſit Chriſtus fieri, ut nec per mendacium virgo Chriſti infamaretur; ſed arguit Dæmonem qui ſe convertit in ſpeciem ejus. Cum ergo veniſſet ad me ut oſcularetur me, ſperavi ipſam eſſe, & nominavi nomen ejus, dicens: Bene veniſti Juſtina omnium fœminarum decora; & non ferens Dæmon vel nominis ejus appellationem, ſicut fumus diſſolutus eſt, & evanuit qui ſe in ejus ſpeciem converterat. Tunc ergo cum cognoviſſem phantaſiæ eorum artem, illos quidem contemnebam, virginem autem magnificabam, ſolum vero nomen ejus nominabam, & qui circa me erat legio Dæmonum clamantes fugiebant, & dicebant nomen non bajulantes virginis; Fugimus, jam miniſtrare tibi non poſſumus. Ego vero plus cognovi Diaboli [9] impoſſibilitatem & Dæmonum, quia & nomen puellæ terribile omnibus fuit. Si autem nomen Juſtinæ Dæmones fugiebant cum ipſo Diabolo; quanto magis imperare ei poterat præſentia ejus?

Ego Cyprianus in his omnibus eram, ego exemplum habeo, & tentavi Draconis impoſſibilitatem. Et quia impoſitus mihi erat amor, confundebar, vigilabam, & obſervabam ante atrium virginis in nocturnis horis cantans prope oſtium puellæ. Convertebar in mulierem, & quaſi avis transfigurabar, & ſtatim ut perveniſſem ad oſtium ejus ſolvebatur phantaſia, & neque mulier parebam neque avis, ſed Cyprianus inveniebar.

Feci tunc Aglaidam transfigurari [10] in paſſerem, & volans ſtetit ad feneſtram ejus; mox intendit in eum virgo,

(*a*) Sentiebam, *Uſſ.*

[1] *Cœlum ſe promittit excutere.*] Virgilius ait,

Carmina de cœlo poſſunt deducere lunam.

& Ovidius de Medea,

Illa reluctantem curſu deducere lunam
Nititur, & tenebris abdere ſolis equos.
Illa refrænat aquas, obliquaque flumina ſiſtit,
Illa loco ſilvas, vivaque ſaxa movet. &c.

[2] *Omnia tenet.*] Ceu παντοκράτωρ.

[3] *O viri.*] Ω ἄνδρες.

[4] *Aglaidas.*] Scholaſticus paſſim appellatur.

[5] *In malis rebus.*] Ita in plagis Ægyptiacis, Magi ad clades inferendas valebant, ſed Moyſes erat exorandus ut illas tolleret.

[6] *Me autem multum exorante.*] ἐμοῦ δὲ πολλὰ δεομένου.

[7] *Sacrificiis & libationibus.*] Hanc rem iiſdem verbis deſcribit Nazianzenus Orat. 18. ὁ μισθὸς τῆς θεραπαγίας, θυσίαι τε καὶ σπονδαί.

[8] *Vocans fornicationis Dæmonem.*] Nazianz. ibid. ait, θεραπαγωγὸν χρῆται ἀ γυναίῳ τινὶ παλαιᾷ τῇ θεὸς ταῦτα ἐπιτηδεῖων, ἀλλὰ δαιμόνων τινὶ τῶν φιλοσωμάτων καὶ φιληδόνων.

[9] *Impoſſibilitatem.*] ἀδυναμίαν.

[10] *In paſſerem.*] Avium ſalaciſſimum; nam in ſceleris deſignati congeneres ſpecies animalium ſolent transformationes expediri.

virgo, jam non erat paſſer, ſed Aglaidas ſtans foras ante pinnam feneſtræ virginis, (*a*) & erat juvenis in anguſtia, nec poterat ſalire propter nimiam altitudinem, [1] nec habebat quo fugeret. Tunc ſancta virgo ſenſit quomodo ibi devenerat per Dæmonum dolum; Et miſerta eſt ejus [2] ne cadens creparet & periret, conſignans ſe vocavit domeſticos ſuos, ut deponerent eum per ſcalam à feneſtra, & monebat eum dicens: Ceſſa ab hac inſania, melius eſt tibi ſobrie vivere. Tunc Sancta virgo mandavit expelli eum foras ab atrio, & non tradi eum judici, ne periret ſecundum legis judicium quaſi maleficus. Ego autem iterum multis argumentis eam appetivi, & nullo modo diabolico ſpiritu potui eam ſuperare, nec ulla ars potuit eam vincere maligni, nec infirmitates, nec vexationes, non timor, non dolores, non phantaſiæ, non minæ, non blanditiæ, non vanæ cogitationes, non ſubſtantia promiſſa, non eſcarum dulcium deſiderium, non condemnationes, non latronum ſuperventus, non doloſitates, non gravis timor. Ergo quia multum rugiebat Diabolus adverſus eam, gravavit eam peſſima infirmitate, ita ut medici deſperarent de ea. Parentes autem plorabant & lugebant, ipſa vero ſignans ſe dixit eis: Non moriar, nec enim ſentio infirmitates, ſed quaſi tranſmiſſio febris ex aeris ſpiritu fit mihi. Quid autem non feci contra virginem? Ipſa vero frequenter victoria Chriſti utebatur, quæ eſt in ea; ſignans enim ſe, fugabat quæ fiebant adverſus eam opera Draconis iniqui.

Poſt multa hæc & tanta, cum vidiſſem quia nihil Chriſti ſuperat ſignum; (multi enim & de eis qui nuper crediderant, ſanitates faciebant, & dæmonibus tanquam malis ſervis imperabant. Ad Diabolum dixi, [3] O miſerabilis, & omnis erroris theſaure, fons iniquitatum, inimice veritatis, ut quid meam animam feſtinaſti perdere? Si autem umbra Chriſti ſuperat te & omnem virtutem tuam; quid poteris facere ſi ipſe Chriſtus tibi minatus fuerit? Si ſolummodo nominatur & tu evaneſcis; quid erit ſi ipſe Chriſtus venerit? Si ſignum ejus infirmum te facit; quid eris ſi te fortis manus ejus percuſſerit? Si ſignum ejus fugat te; ubi eris ſi ipſum brachium excelſum ejus adverſum te ſententiam dederit? Si Chriſtus nominatur & [4] tu combureris cum omnibus legionibus Dæmonum tuorum; cum venerit Chriſtus faciet vos ardere flamma ignis æterni. Conſignat ſuos cultores, & non audes nec potes eos tangere. Cognovi & tentavi quia nihil es, inimice Domini & veritatis. Cognovi quia nulla tibi poteſt adeſſe virtus; quæ autem præſtare putaris, phantaſmata ſunt & umbræ; & quod promittis, mendacium eſt & vanitas. Cognovi quia nulla tibi ad utilitatem adeſt operatio, neque enim tu, neque leges tuæ, neque diſpoſitiones tuæ, neque figuræ tuæ, quibus te putas per phantaſias reſiſtere diſpoſitioni Dei, aliquid ſunt niſi error & mendacia. O maligne, perdidiſti meam animam, [5] exterminaſti vitam meam, omnem meam ſpem perdidiſti, & animæ ſalutem in infernum demerſiſti. Erravi, O viri amici, erravi! & in magnam impietatem cecidi, obaudiens impiiſſimo Draconi: inſipiens factus ſum, Diabolo obſecutus: (*b*) in vanum mihi fuerunt omnes labores, & vanæ ſapientiæ doctrinæ. Item dico tibi Diabole, Væ mihi miſero qui tanta ſuſtineo; nam & vapulo à conſcientia mea pro eis quibus erravi credens tuis legibus. Ut quid multas erogavi ſubſtantias! O maligne refuga veritatis & bonitatis! quia & in literis cooperabaris mihi, ne cognoſcerem tuam ſeductionem. Væ mihi! per omne tempus vitæ meæ vanus fui. Supervacuus factus eſt labor meus, eruditio, peregrinatio expenſa. Si autem dediſſem omnia illa pauperibus, haberem vel modicam ſalutem. O immundiſſime Diabole! obaudiens tibi ego in tantis laboribus, velut ſepulchrum fui in mundo, forte & poſt mortem decantatio ero. Ego ipſe mihi noxius fui gaudens in tuis erroribus. Sed oportet me adorare Deum ſi me ſuſcipiat; oportet me ad Chriſtum accedere, ſi non me repellat; oportet me deprecari ſanctum Spiritum, quia irritavi illum. Oportet [6] Chriſtianis proſternere, ſi me ſuſciperent in viam veritatis. Oportet me ad ſanctam Juſtinam flexis genibus deprecari ut pro me oret Dominum. Vade à me Diabole omnis juſtitiæ aliene, recede de anima mea omnis creaturæ Dei adverſarie. Diabolus autem hæc audiens [7] inſurrexit mihi, volens me occidere, & ruens ſuper me necare me volens, & minus modice fuit ne me necaret. Cum autem non eſſet in me virtus, ipſo Diabolo premente, rememoratus ſum ſigni Chriſti, & paratus ut expugnarer, dixi: Chriſte Juſtinæ Domine miſerere mei, & ſtatim accepi virtutem de invocatione Chriſti, & movens manum meam conſignabam me, & ſtatim inimicus receſſit à me, ſolutus ſicut fumus. Poſtea cum ſurrexiſſem, vidi eum quia tenebat gladium, & impetum faciebat contra me. Ego autem conſignans meum cor, ſuperavi omnem virtutem ejus omni experimento. Vere tunc cognovi crucis virtutem quia deſtructio Diaboli eſt; ſic enim & ſancta Juſtina vicit eum, & omnem exercitum dæmonum ejus. Tunc minabatur & dicebat, quia non te ſalvabit, nec liberabit de manibus meis Chriſtus: nam & omnes impios abominatur, nunc autem cum dolo te adjuvabit, ut & gratia mea te fraudet, & à ſe projiciat. Cum enim te repulerit, tunc te accipiens corrumpam, & meis tenebris te tradam. Fraudatus es mea gratia Cypriane, & cum cognoviſſes mea myſteria velut ſecreta, vadens ad Chriſtianos triumphaſti de me. Ego te accipiam, & faciam te ſentire meam ſententiam, Chriſtus autem neminem de meis ſuſcepit. Tunc ego contremui in verbis Diaboli, nimis enim conturbatus ſum, quia peſſime & aſtute cum dolo mihi reſpondit.

Propter quod, viri fratres, obſecro vos miſeremini mei, ſi poſſum ad Chriſtum accedere dicite mihi. [8] Et reſpondit mihi quidam de his qui me viſitabant Chriſtianis, & dixit mihi: Confide Cypriane quia Chriſtus ſuſcipiet te, Ignorans enim egiſti hæc errore deductus. Et ego dixi illi, Amice, putaſne ſicut dixit Diabolus ita faciet mihi Chriſtus: Ne forte repellat me, ut efficiar

(*a*) *Sic Bod.* primam feneſtram, *Trin. Uſſer.* (*b*) Obaudiens diabolo, *Uſſer.*

[1] *Nec habebat quo fugeret.*] Narrationes plurimorum qui præſtigiis diſſolutis deprehenſi fuerant & male mulctati, dabit Delrio diſqu. mag. l. 2. quæſt. 16.

[2] *Ne cadens creparet.*] Ita Actor. 1. Judas dicitur crepuiſſe medius. ἐλάκησε μέσον.

[3] *O miſerabilis.*] Ω τάλαν.

[4] *Tu combureris.*] Tractat. Cypr. ad Donatum dicitur Chriſtianus, malos ſpiritus *igne torrere.*

[5] *Exterminaſti.*] Ita de hypocritis dicitur quod facies ſuas exterminent. Græce dicebatur ἀφανίζειν.

[6] *Chriſtianis proſternere.*] Me in pœnitentium claſſem immittite, cujus infimus gradus ὑποπίπτωσις. Sic Tertull. de Pœnitentia, *Presbyteris advolvi, & caris Dei admiculari.*

[7] *Inſurrexit mihi volens me occidere.*] Nazianzenus ita rem explicat, εἰς ἑαυτὸν ἐσοικίζεται τὸ τέως θεοπνευστῶν. Et paulo poſt, συμπίζων ὥσπερ ἕνα Σαοὺλ δεύτερον. τί οὖν ὁ ἄφρων ἐρᾷ τῆς, καὶ σώφρων ἐπίληπτος, ζητεῖ δὲ κακὸν τὴν λύσιν, εὐελόσκε. εὑμήχανον γὰρ ἅπαν πιέζομενον. πῖς ἡ λύσις, ἐπὶ τὸ τὸ παρθένε καταφεύγε θεόν.

[8] *Et reſpondit mihi quidam.*] Photius addit ἐλύθη τότου τῆς δειλίας, συντυχὼν ἀνδρὶ θεοσεβεῖ, ὀνόματι Τιμοθέῳ,

[1] *Mul-*

efficiar conculcatio dæmonum & derisio hominibus? Christianus autem dixit mihi, Tentasti & cognovisti Diabolum quia mendax est, & ego dixi, etiam cognosco quia mendax est. Et ipse dixit mihi, & quomodo illius verbis credis? Dico tibi frater quia non est apud Christum dolus nec mendacium. Ipse enim per seipsum juravit, dicens: Vivo ego, dicit Dominus Adonai, quia nolo peccatoris mortem, sed ut convertatur & vivat. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis. Ideo per seipsum juravit; quia non mentitur Dominus jurejurando confirmans veritatem, ad conversionem eorum qui impie egerunt, & ad fidem eorum qui pœnitentiam agunt. Cognovisti in te Christi pietatem, quod apud ipsum misericordiæ multæ sunt & miserationes, quia veritatem diligit Dominus, & non est dolus in eo, propter quod & propitiationem eum omnes divinæ Scripturæ nominant. Et ut te certum faciam de Dei bonitate, Deus cum sit, propter nos induit hominem, & impassibilis cum sit, pro nobis varias passiones sustinuit, sputatum est ei in faciem, colaphizatus est, & alapis cæsus est, subsannatus est, coronam spineam capiti ejus imposuerunt, acetum & fel obtulerunt ei, crucifixus est, lancea percussus est, hæc & alia multa sustinuit, ut nos habeamus salutem. Nam eramus demersi in peccatis, non enim pro justis mortuus est, sed pro impiis & iniquis. Si ergo pro impiis tanta sollicitudo fuit Christo ut salvarentur, confide Cypriane quia & te suscipiet pœnitentem. Si autem pro eis qui eum crucifixerunt, dixit: Pater dimitte illis, quia nesciunt quod faciunt, multo magis te suscipiet, quia per ignorantiam multa iniqua fecisti.

Tunc ego Cyprianus accipiens fiduciam cœpi flere & confiteri coram eis qui aderant iniquitates meas, dicens: Viri Domini Christiani, multum inique egi, multas iniquitates feci; nec enim numerus est narrandi. [1] Multas mulieres divisi prægnantes, hæc ita diabolo petente à me, & alias [2] matronas transfiguravi in jumenta, & peregrinari feci longe de suis civitatibus, & alias parientes de fornicatione occidebam, hoc volente immundissimo Diabolo (*a*). Parvulos infantes septem dierum sub terra ponens, [3] multos occidi, alios necavi, alios laqueo suspendi. Sic enim erant Dæmones petentes animas parvulorum quasi ad meum auxilium, & propitiationem ad Diabolum. Infantes multos immolabam frequenter Dæmoni qui vocatur Pluto, & quæ vocatur Hecate. [4] Hominum quoque peregrinorum amputabam capita; nam & virginum & mulierum sanguinem libavi. Dianam, Venerem, & Minervam, & Saturnum, & Mercurium, & Jovem, & omnes Dæmones placavi, ut in sanguinibus viderem ipsum diabolum. Ipsi enim sanguinem obtuli omnis carnis & omnis animæ, [5] miscens totum in Phiala aurea, quod ille accipiens sparsit primum in sua corona, quæ erat in capite ejus, deinde quæ circa eum erant Dæmonum. Post hæc sparsit in me dicens: Accipe potestatem omnis animæ rationabilium & mutorum animalium. Væ mihi quia multos occidi inique volens amicis prodesse, multos divites feci esse pauperes. Multa ostia & clausuras aperui. [6] Multos thesauros tuli, & male expendi, & multos fures juvabam. Benefacta mea erant phantasiæ, malefacta autem vera erant. Et ex hoc trepido, quia multas iniquitates egi, & nihil malorum me latuit. Si quando dedi cuicunque aurum de maleficiis ad duos dies parebat, tertia autem die nihil tenebat. Multis negotiatoribus nocui, [7] dans ventum (*b*) & accipiens eorum necessaria. Non possum dicere mœchias, aut fornicationes, vel masculorum concubitus, vel blasphemias, aut ceteras varias iniquitates; in malis enim omnibus involutus sum. Quomodo indulgebit mihi Christus, ô viri quomodo misereatur mihi, qui mihi ipsi & multis aliis non sum misertus! Si autem hoc esset de una anima aut de duabus, haberem vel modicam spem pœnitentiæ. Iterum ego confiteor impietates meas, quantumcunque confiteor non explebo, innumerabiles sunt enim. Ego feci generis exterminium, amicis dolum, peregrinorum interfectionem, multorum hominum occisiones, infantum sacrificia, virginum corruptiones, puerorum necem, justorum persecutionem. In multis regionibus Christianis maledicebam. [8] Quantas persecutiones eis suscitavi, dicens adversus eos falsa crimina: per maleficia enim non potui mihi subjicere ullum de viris Christianis, sicut nec sanctam Justinam, omnia mala adversus eos mentiebar. Et hoc faciens nihil proficiebam, sed plus lucebat in eis Justina, & ego eram obstinatus. Virginibus detrahebam, maritatas accusabam de mœchia; divina sacramenta maledicebam, Scripturas spernebam, sanctos Sacerdotes persubsannabam, Ecclesiam & Christum blasphemabam, sanctorum Evangeliorum illuminationem negare cogebam. De his & de omnibus quæ feci malis quod tempus sufficiat ad confessionem? Nescio si vivam alios viginti annos, & vix in eis de una iniquitate fiet pœnitentia. Quantum ergo erit mihi tempus ad millia millium iniquitates? De cetero, viri amici, dicite mihi quid me oporteat agere. Cognovi virtutem Christi, sed non habeo unde possim placare eum. Cognovi Sacerdotii ejus sanctitatem, sed non est fiducia veniendi ad ejus obsecrationem. Cognovi Scripturarum divinitatem, sed non audeo tangere eas conscientia mea compunctus. Cognovi sacramentum immortale piorum, sed non est in me opus bonum per quod fiducialiter accedens accipiam remissionem multarum iniquitatum mearum. Cognovi Ecclesiæ constantiam, & erubesco ad januas ejus venire. Cognovi virginis virtutem, & confundor intendere in glorioſam faciem ejus. Cognovi immaculatam gratiam, & non audeo venire ad salvationem. Cognovi verum Deum, & nescio quomodo deprecer illum. Venerabilis volo esse, & iniquitates meæ superant meum consilium. Amo servos audire Christi, & ignoro si velint me suscipere; si autem nolint

(*a*) *Addit Usſ.* & petente à me. (*b*) *Sic Usſ.* Proventum *Trin.* (*c*) *Forte* abnuo.

[1] *Multas mulieres divisi prægnantes.*] Talia refert Clemens in recognit. de Simone Mago, & Nazianzenus de Juliano Orat. 3.

[2] *Matronas transfiguravi.*] Qualia narrantur in Apulejo, perpetrata à maga quam vocat primi nominis.

[3] *Multos occidi.*] Defodiendo vivos; sequitur porro, *multos necavi, alios laqueo suspendi.*

[4] *Hominum quoque peregrinorum.*] Id Dianæ Tauricæ ex more factum; ita apud Livium l. 22. legimus quod Romæ, *Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro boario sub terra vivi dimissi sunt.*

[5] *Miscens totum.*] Livius lib. 10. de Samnitibus ait, *nefando sacro mista hominum pecudumque cæde respersos.*

[6] *Multos thesauros tuli.*] In thesauris detegendis multum se jactitabat Magia.

[7] *Dans ventum.*] Qui apud Lappos passim dicitur venalis. Huc forte respicit fabula Homerica de ventis utribus inclusis, & quæ ex Timæo historico Laërtius adducit, de Empedoclis artificio, quo etesias cohibuit.

[8] *Quantas persecutiones suscitavi.*] Notum est ex historia Ecclesiastica à Magis fere omnes persecutiones excitatas. Valerianum in Christianum nomen Macrianus Magis addictus armabat: ita Theotecnus Galerium, Galerius Diocletianum.

nolint ignoſcere meas iniquitates, vel tanquam iniquum me ſuſcipiant. Scio quia æterno interitu dignus ſum, non abjicio pœnas. Sola ipſius juſſione cruciari volo, ſub conditione ejus fieri volo. Et ſi interfici vel mori me jubeat, ſicut dignus ſum, non peto ut parcat, quia conſcius ſum mihi feciſſe multa mala. Non peto ut parcat, ſuperat enim modum pœnæ delictorum cumulus, ſed non ſuperat ejus benignitatem. Scribo adverſum me, me eſſe morte dignum, ſolummodo diſcam quomodo adoratur Chriſtus. Dicite mihi, ô amici, ſi poſſum vel ſicut alienus accedere ad Chriſtum, ut vel à longe intendens videam ejus benignitatem. Animam meam macero dubitatione & timore dicens, quia non remittit mihi multitudinem peccatorum. Ita enim credo, quia pejor me aut ſimilis mihi non ſit impius. Superavi enim [1] Jannem & Mambrem, illi enim confeſſi ſunt in vita ſua digitum Dei; ego autem penitus dicebam non eſſe Deum niſi Diabolum. Si ergo non eſt illis indultum qui vel modicum Dominum cognoverunt, quomodo mihi indulgeat qui ex toto corde ignoravi ejus Deitatem? Jam pronunciare non poſſum multitudinem malorum meorum. Quis vobis narrabit iniquitatum pelagus? quis ex vobis me adſtare faciat in malorum meorum fonte? omni namque malitia perfuſus ſum, in me abyſſi ejus menſuratæ ſunt, in me multi naufragaverunt. Non enim ſum ſolus in perditione malitiæ meæ, nec ſolum animam meam in infernorum foveas immiſi; ſed & alios multos [2] habeo flere, & pro quibus ingemiſcere: pro his utique quibus maleficiis nocui, & pro eis quos inique interfeci, & pro eis quos per doctrinam meam ſimiles mihi feci: etenim eram ſine invidia doctor malorum, [3] ſine invidia iniquorum eruditor, & ſummus præco iniquitatum. Multos diſcipulos iniquitatum feci, multos interfeci in maleficiis mortalibus, & amicis injeci gladium, & genti perditionem. Multos juvenes docui male ſe neſcire, multos peregrinos docui peregrinari in malis. Nunquam bene feci, ſed multos bene agentes prohibui. Suſcitavi ſeniores ad iniquitatem, & morientes ſuaſi male mori. Aruſpicatus ſum ſicut ſacerdos eorum quos dicunt deos. Docui multos multa mala agere, tanquam filius Diaboli pronunciavi mala, tanquam pater Dæmonum multos [4] cibavi, & potum dedi ad interitum animæ & corporis. Multos per magica prodigia perduxi ad imitandum me, & accendi multos, multa nova & mirifica faciens. Occidi multos volentes mihi contraire; qui autem mihi ſubditi facti ſunt, deduxi in tenebras perditionis. Rogantes me multos homines feci currere in aëre, alios ſuper mare bajulabant dæmones, & ſicut ventus navigabant. Similiter & alios peregrinari feci per aërem ambulantes; ventos prohibui, & ventos vendidi. Naves bene navigantes naufragari feci, & alias ſuper terram navigare feci. Aquas pro tempore currere feci in regionibus deſertis, & in domibus feci apparere quaſi ſtagna aquarum. Mulieres feci expelli à viris ſuis, in domibus mœchorum potiones dedi mulieribus ad abortum; faciebam rixas & homicidia ubi erat pax; pœnas præſtabam contrarias, filiorum interfectiones à patribus eorum, patrum homicidia à filiis. Servos armavi in occiſionem adverſus dominos. Omnia faciebam ut placerem diabolo & dæmonibus ejus, & cooperabantur mihi, & laudabant me.

De cetero rogo vos, amici, dicite mihi ſi iniquitatibus quas pronunciavi aliquod eſt remedium ad remiſſionem earum, aut meis manibus mortificem meipſum: melius eſt enim non vivere, quam vivere male errantem & errorem facientem. Sed quia credidi quia eſt verus Deus, volebam proſternere me ei, & ſic mori, ſtatuta mihi morte æterna. Hoc habens deſiderium adhuc ſuſtineo & vivere volo: non enim credo remiſſionem habere me ſuper iniquis meis actibus. Non audeo dicere cetera, non ſuſtineo narrare de his quæ prædixi terribiliora & deteriora de animæ meæ operibus ac dæmoniis, ut non ſurgentes fugiatis; forſitan enim & domus in qua ſumus, cadet audiens talem narrationem. Sed ſolum vos ſentire facio, quia meam animam habebam in tartaro, extra corpus calumniantem & rebellantem. Sicut ſpiritus malorum conſiliator dæmonibus aëris conſilia dabam, & hoc faciebam in utriſque partibus, hoc eſt, dæmoniis aëris, ſed & dæmoniis terræ & inferioribus dæmoniis: eram autem pene coæqualis Diabolo. Non ſuffero, non capio per ſingula narrare vobis quæ adverſus me ſunt: non enim expedit. Nunc ergo vos rogo, amici, conſilium mihi date, & dicite quomodo ſuſcipiet me Chriſtus pœnitentem. Si dixeritis mihi quæ ſunt de Judæis, nec illis coæqualis ſum; ego autem & ipſos dæmonas ſuperavi in impietatibus. Vos autem qui ea quæ Chriſti ſunt elegiſtis, epulamini in Chriſti gratia: mihi autem repoſita eſt pœna inexcuſabilis, qui tales egi in Deum & homines impietates, & immiſericordias & blaſphemias in ſervos Dei & in ipſum Chriſtum. Scio quia dixi [5] meipſum Chriſto majorem; ſed & quæ dicebantur de eo non credebam. Ego autem per magica phantaſmata faciebam & oſtendebam hominibus de mortuis vivos, & infirmos tanquam ſanos, & claudos tanquam currentes, & propter hæc multos impediebam credere Chriſto. Et dicebam hominibus quia omnipotens eſt Diabolus, & ipſe crucifixit Chriſtum quaſi contrarium: & quomodo dicitis mihi ſuſcipiet te Chriſtus, cum in tantis blaſphemaverim eum? quomodo poſſum pœnitere? pro quibus primum ingemiſcam de his quos prohibui ſalvari & perſuaſi perire: an quia glorificavi Dæmones? vel pro homicidiis quæ feci? vel pro his quos conſtitui miſeros? vel pro his quos corrupi? vel pro his quibus inſidiatus ſum injuſte? Inique egi, mœchatus ſum, fornicatus ſum, perdidi multos, rapui, furatus ſum, multos feci periclitari, multos depoſui in infernum, & ad ipſas tenebras exteriores deduxi, & non eſt malum in ſeculo quod non egerim. Sed nunc poſſum ſentire ſanctam virtutem Chriſti, & poſtulo ad eum introitum, ut non memoriam faciat malorum meorum; non ad remiſſionem poſtulo, ſed ad cognoſcendas meas iniquitates peſſimas, & lacrimis non ceſſantibus ſuper his ſilui. Flebam enim ego & adſtantes mihi vehementer, videntes quia meipſum juſte culpabam, & quia rationabiliter ſapui, indignum me judicans ad acceſſionem Chriſti, ut ante eum ſtarem, ſcindens veſtem meam, cinerem in capite meo fricabam, in pavimento jacens, & ingemiſcebam amariſſime lugens, & flens magnis lacrimis, ſolum hoc clamans, Væ mihi! væ mihi! quia perii miſerabilis ego.

Tunc quidam alius de ſanctis [6] nomine Euſebius reſpondit mihi, dicens: Cypriane, noli deſperare; horum enim omnium redemtio eſt gratia Chriſti, quia ignorans egiſti, putans quod Dei operibus teipſum dederas,

[1] *Jannem & Mambrem.*] Quorum nomina non ſolum ſacræ literæ ſed gentium ſcripta nobis exhibent. Qui auditiones admirandas deamat conſulat Palladii lauſiacam hiſtoriam, ubi de horum ſepulcris agitur.

[2] *Habeo flere.*] ἔχω κλαίειν καὶ στενάζειν.

[3] *Sine invidia.*] ἀφθόνως.

[4] *Cibavi.*] Sacrificiis & libationibus, ſed & ſibi addictorum ſanguinem ſugere ſolet paredrus Dæmon.

[5] *Meipſum Chriſto majorem.*] Quod jactitabat Simon Magus, Apollonius Tyanæus &c.

[6] *Nomine Euſebius.*] Addit Photius ἐξεφαίνης ὁ Εὐσέβιος ἀξίωμα φέρων.

[1] *An-*

deras, miniſtrans Diabolo. Ignorantia tibi locum pœnitentiæ dabit. Ut quid ita ſine menſura te fatigas & luges ſupra modum? Ut quid conſentis cogitationibus, dicens non tibi indulgeri? Nam hoc tibi eſt ad perditionem animæ. Dixiſti quidem, habeo pelagus iniquitatum, & innumerabiles fontes impietatum, & undas multorum malorum. Sed pelagus, & fontes, & undæ ſub poteſtate Dei ſunt; jubet enim Dominus, & omnia diſſolvuntur. Numquid poſſunt tua mala vincere Dei benignitatem? Me audi quia te diligo, ſcio multos etſi non tales, tamen multum peccatores in actibus, & quia animo promto, acceſſerunt ad Chriſtum. Et per te itaque cognoſce quod Magi erant & incenderunt codices ſuos & ſuſcepti ſunt. Et tu ſimiliter occidiſti alienos filios dæmoniis, alii autem ſuos filios occiderunt. Sacrificaverunt enim filios ſuos & filias dæmoniis. Alii autem libaverunt militiæ cœli. Multi autem abnegaverunt Chriſtum; alii vero blaſphemaverunt, & perſecuti ſunt ſanctos ejus; & omnes hos pœnitentes ſuſcepit. Et tu quouſque affligis cor tuum, & crucias te infidelitate? Intende & cognoſce quia infidelitatem hanc & dubitationem diabolus immiſit tibi: peſſimus enim eſt & mala infert ſicut tu noſti. Non memoraris quia [1] antequam gallus cantaret in nocte quæ tranſiit, cum dolo tibi reſpondit diabolus dicens, quia Chriſtus odit meos, & cum dolo te adjuvabit, ut ſeparet te à me & projiciat te, & faciam in te quod volo. Hæc tibi dixit Diabolus. Cognoſce ergo quia Chriſto præſente, nihil poteſt tibi facere. Conſigna ergo cor tuum, ut auferatur à te infidelitatis cogitatio. Invoca Chriſtum ut habeas ad eum fiduciam, & cognoſcas viſcerum ejus miſericordiam & benignitatem. Jam non habes neceſſe munera habere quia (*a*) non petit, non quærit tempus prolixum ad miſerandum Chriſtus; jubet, & omnia vincula iniquitatum ſolvuntur, quæ per ignorantiam egiſti. Non per [2] mediatorum phantaſias auxilium tibi promittit: dicit enim divina Scriptura, Juxta te eſt in ore tuo & corde tuo quod dicitur verbum fidei. Et dicit [3] vacue in eum eſt & invocationes. Et iterum dicit, Prope eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvabit. Et iterum, Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Suſcepit te Dominus, quia confeſſus es, & pronunciaſti iniquitates tuas quas feciſti. Bene feciſti quia vomuiſti venenum Draconis immundi: propter quod ſilere omnes præſentes amicos (*b*) petivi, uſque quo per confeſſionem evomeres omne venenum Draconis & aſtutiam Diaboli. Jam ergo feſtina ad fidem Chriſti. Rogo te, audi me, & animæ quietior eſto; redi jam in bonum ſenſum, amice Cypriane, cohibe jam multitudinem lacrymarum, intellige quia homo es, ſentis quomodo erraſti, quia multa ignorantia cognoviſti inimici doloſitates. Non eſt opus te docere quæ adinveniunt dæmones. Tu teipſum mone; noli ſic multum diſrumpere te in luctum; dic in tuo ſenſu, in conſcientia pura, dic illuſio factus ſum dæmoniorum, & parabola hominum; dic in corde tuo ignorans egi; Chriſte, miſerere mei: maligno cooperante mecum ſpiritu, in multis obligatus ſum malis. Etenim quemadmodum ſylva ab igne incenſa, multos homines & domos & civitates comburit, & nemo culpat ſylvam de interitu ſed ignem; ita & tu noli omnem culpam tibi ſoli aſcribere, ſed Diabolo. Non tuam ſolius conſcientiam facias noxiam malarum iniquitatum, quia maligni error in artem magicam te immiſit. Annon vidimus multos ad inſaniam converſos, qui & ipſi ſe interfecerunt, ſicut traditor Judas ſeipſum illaqueavit. Et tu Cypriane projiciens infidelitatem tuam, accede ad pietatem Chriſti, ſi in errore permanſiſſes, bene dubitares: ſi autem nunc cognoviſti Chriſtum, & adverſatus es inimicum, manifeſta quia & credis quæ audiſti de Chriſto. Nunc autem lacrimæ quidem tuæ tibi permaneant, propter Chriſti pietatem, intellectum autem ſanum habe in fidem Dei, ut efficiaris mundus ſecundum ejus voluntatem, & ſic poteris plures animas offerre Chriſto.

Ego autem Cyprianus reſpondi ei dicens: De lacrimis non ceſſabo, corripit me conſcientia mea, deprecor autem Chriſtum & famulam ejus Juſtinam inceſſanter, ut indulgeat mihi quæ in eam deliqui, & ut deprecetur Dominum pro me; rogo te pater Euſebi, narra mihi deſideranti de Chriſti Scripturis, ſi aliquem de impiis convertentem ſe Dominus ſuſcepit. Euſebius autem dixit mihi: Paulus Apoſtolus etſi magus non erat, ſed blaſphemus & perſecutor Chriſti fuit; ipſe ſanctum Stephanum cum aliis multis lapidavit: & Petrus qui claves cœleſtium myſteriorum tenet, & ipſe ter negavit Chriſtum: ſed pœnituerunt & ſuſcepti ſunt. Et Paulus quidem vas electionis appellatus eſt: Petrus vero cœleſtis regni claves ſortitus eſt. Et quid dicit Paulus? miſertus eſt mihi Chriſtus, quia ignorans feci in incredulitate. In Actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt. Quia multi ex his qui curioſa ſectati ſunt, contulerunt libros ſuos, & combuſſerunt eos, & iſti ſuſcepti ſunt ad illuminationem Spiritus ſancti, ab omnibus iniquitatibus ſuis mundati. Vide & Nabucadonoſor Regem Babyloniæ quomodo poſt divinam ultionem, quam in tribus vidit pueris, cum miſiſſet eos in fornacem ignis, non tetigit eos ignis. Cogebantur enim ab eo abnegare Deum; ſed caſtigavit eum omnium Dominus cum pietate, ſtatutis temporibus ſeptem, & poſtquam Dominum cognovit, reddidit illi regnum. Et Manaſſes Rex Iſraël cum multas impietates geſſiſſet. Similiter & multi Reges & populi multa mala facientes, & Dominum irritantes in idolis, & Prophetas occiderunt, & in templo Dei Idola ſtatuerunt, & adoraverunt eos; & dæmones coluerunt, & multum ſanguinem innocentem effuderunt, & populum cum minis & terroribus impie agere jubebant: Prophetas quoque ſerris & gladiis & lapidibus occiderunt. Et hos pœnitentia ductos benignus Dominus ſuſcepit, & principatum quem perdiderant, iterum reddidit illis. Sed & omnes Iſraëlitas frequenter inique agentes, & iterum pœnitentes ſuſcepit, & uſque ad adventum ejus pelagus iniquitatum populis indulgens, ſuſcepit eos. Sed uſque in hodiernum diem apud Eccleſiam purgatrix pœnitentia plurimos liberat; unde & eos qui valde infirmantur in iniquitatibus, ſicut bonus medicus Deo ſanos reſtituit. Virtus autem Eccleſiæ & pœnitentia eſt Evangelium Chriſti; omne exemplum paſſionum ejus continens, quemadmodum & in deſerto Manna omnem ſaporem præſtabat, & unicuique deſiderium complebat diverſarum eſcarum. Dixit enim Dominus ad Petrum: Non ſolum ſepties dimittes pœnitenti, ſed ſeptuagies ſepties. Non ergo deſperes, Cypriane, mundari te poſſe

(*a*) *Sic Bod.* munera quia, *Trin.* (*b*) Feci, *Uſſer.*

[1] *Antequam gallus cantaret.*] Ad galli cantum aufugiunt Dæmones.

[2] *Mediatorum Phantaſias.*] Dæmones mediæ naturæ quos Platonici à Magis edocti, ad connexionem & harmoniam mundi viſibilis cum inviſibilis neceſſarios cenſebant.

[3] *Vacue in eum.*] Legendum puto ex Pſ. 54. 25. Jacta in eum, & enutriet.

poſſe magno pelago miſericordiæ & miſerationum Dei, in quo [1] cito per gratiam Chriſti habes lavari. Salutarem enim aquam ipſe effudit ſuper nos affluenter ſuper peccatores & iniquos, propter nos mortem ſuſcipiens ſicut Iſaias prophetavit de Chriſto dicens: Propter peccata populi mei ductus eſt ad mortem; & iterum dicit, & ipſe traditus eſt propter peccata noſtra: & ipſe Dominus dicit, Non enim veni juſtos vocare, ſed peccatores ad pœnitentiam ut juſtificentur; & iterum dicit, quia non habent opus ſani medico, ſed male habentes. Propterea relinquens nonaginta novem oves, venit ad errantem, & quia gaudium erit in conſpectu Angelorum Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Cypriane, tene anchoram fidei juramentum Domini. Quia vivo ego, dicit Adonai Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur & vivat.

Et nunc ſurge frater, & ſolve jejunium, hodie triduum habes nihil accipiens, & ſimul ibimus ad Eccleſiam Chriſti ad patres, & audi ab eis doctrinæ divinæ verbum, etenim ſine invidia docent, & ſollicite deducunt in veritatem; & poſt hoc ad Epiſcopum accedimus. Cypriane deſperate, in te redibit Dominus, & mundabis tua peccata, & quemadmodum trahebas ab Eccleſia Chriſti, & tranſmittebas ad Diabolum, ita & multas animas offeres Chriſto, illuminans eos notitia Chriſti fidei. Scio quia beatus & verus ſervus Chriſti efficieris. Sed rogo & ut me ſemper in mente habeas ad Dominum. Tunc ego Cyprianus oſculatus ſum caput ejus & pectus, & Patrem eum vocabam. Erat autem & condiſcipulus meus in literis, ipſe enim Euſebius ab infantia erat fidelis, & cum eſſem in errore meo multum me monebat ut ad meliora tranſirem. Alia autem die, cum adhuc [3] nox eſſet, ivimus in ſanctam Eccleſiam Dei, & vidi cœleſtem chorum ſuper terram hymnum referentem Deo cum multa glorificatione. Audivi autem ibi laudem per ſingulos verſus omnium vocem conſonantem, ut putarem omnium eſſe unam vocem, tanquam vocem Angelorum. Prophetæ defuncti loquebantur per vivos, Apoſtoli tanquam vivi prædicabant. Non erat opus hominum interpretatione, Spiritus ſanctus interpretabatur quæ dicebantur. Simpliciores enim ſunt ſermones puris ſenſibus conſtructi. Multi autem admirabantur populi, & cives ſuper meam converſionem, & humilitatem, & hæc videntes glorificabant Dominum dicentes, Vere magnus Dominus Chriſtianorum qui convertit Cyprianum! & dixi ego, pater Euſebi, ut quid non comburimus codices Diaboli, & depono onus iniquitatum? Et mane facientes flammam ante atrium Eccleſiæ, jubente Epiſcopo combuſſimus eos. Et Epiſcopus narravit nobis omnia quæ ad utilitatem eſſent, & quæ prodeſſent nobis, ſicut narravit mihi & monuit me, qui inter homines factus eſt Angelus mihi Euſebius.

Cum ergo audiſſet Dei famula Juſtina meam converſionem, lucernam accendit, & Deo [4] capillos ſuos totondit, parentes vero thalamum ejus conſecraverunt, in miniſterio ſanctæ Eccleſiæ; ipſa vero [5] ornamentum vendens omne, cum dote ſua, omnia pauperibus erogavit, gratias agens Deo pro mea ſalute. Et ego ſimili modo ſicut & illa omnem ſubſtantiam meam vendens ſanctæ Eccleſiæ obtuli, & non multo tempore poſt merui Domini conſignationem accipere, faciente presbytero & patre meo Euſebio, quia valde honorem deferebat ſanctæ virgini Juſtinæ cum omni Eccleſia.

Ex eo cœpi ego Cyprianus multos monere ad converſionem, & credebat multitudo, & addebantur in gregem Chriſti: exponebam enim illis omnem viam erroris, quia ſuadibilis eſt, ſed eſt fons amaritudinis, quem ego pœne totum bibi.

Nunc autem converſus ſum ad clarum lumen, & ſic per omnes dies convivebam cum patre meo Euſebio, cui eſt multa gratia & merces apud Dominum, quia liberavit me de morte æterna, & deduxit me ad Chriſtum Jeſum: cum quo Deo Patri gloria & poteſtas, una cum ſancto Spiritu in ſecula ſeculorum, Amen.

1 *Cito.*] Εν ετοιμῳ ἔχεις.
2 *Triduum habes.*] Vid. Act. 9. 9. Sic & Phot.
3 *Nox eſſet.*] Antelucanis horis de quibus Plin.
4 *Capillos totondit.*] Similia addit Photius de Aglaida.
5 *Ornamentum vendens.*] κόσμον γυναικεῖον.

MONITIO AD LECTOREM.

HIC ſuccedere deberent duo libelli, alter idiomate latino, alter græco conſcriptus; prior dicitur Secreta Cypriani, *alter* ἐυχαὶ Κυπριανῦ. *Quos quidem ex membranis deſcribendos curavi, eo animo ut quandoquidem opuſcula Martyris noſtri nomine inſignita, utcunque ſpuria, edenda ſuſcepiſſem; nihil per negligentiam aut fraudem prætermiſiſſe viderer. Sed cum tractatus iſtos ſuperſtitione fœdiſſima, & ineptis Dæmonologiæ myſteriis ſcatere deprehendi, imo barbariem valde recentem redolere, excuſatum me fore ſpero quod luce publica prohibuerim. Porro conſtitueram, Acta ejuſdem Cypriani quemadmodum à Symeone Metaphraſte exhibentur ſubjicere, ejuſdemque & Juſtinæ vitas & Martyria ex codice græco MS. evulgare: ſed cum narrationes iſtæ in longum excreſcerent, nec dignæ ſint viſæ quibus bonæ chartæ impenderentur, placuit breviuſculam Adonis fabellam, quæ illuſtriſſimo Baronio inprimis authentica videtur, Lectori proponere.*

EX ADONE.

NAtale ſanctorum martyrum Cypriani Epiſcopi & Juſtinæ. Qui paſſi ſunt ſub Diocletiano Imperatore, Judice Eutolmio.

Juſtinæ pater erat Duſius apud civitatem Antiochiam. Qui viam religionis à Diacono nomine Proelio audientes, baptizati ſunt à ſancto Epiſcopo Optato. Virgo autem Juſtina Domino ſerviens, frequentabat Eccleſiam. Hanc Agladius ſcholaſticus videns, exarſit ob amorem ejus. Et cum nullo modo poſſet pertingere ad illam, rogavit Cyprianum magum, pretium pollicens, ut arte ſua dæmones invocaret, quo eam in amorem ejus excitare poſſet. Cyprianus autem magus vocatis dæmonibus, cœpit agere ut virginem Chriſti ei adducerent. Qui ſemel bis aut tertio venientes ad beatam Juſtinam, nihil apud illam ſuis deceptionibus valuerunt; ſed ſigno crucis repulſi, victi receſſerunt. Cyprianus vero cum illorum virtutem adverſus virginem haudquaquam valuiſſe videret, dicit ad diabolum: Dic mihi, quemadmodum victi eſtis à virgine Juſtina. Cui diabolus: Dicere non poſſumus, niſi prius jures mihi. Cumque Cyprianus illi juraſſet, ait diabolus: Vidi ſignum Crucifixi, & extimui. Cyprianus dixit: Ergo Crucifixus major eſt te? Dicit ei diabolus: Etiam. Major enim eſt omnibus. Quod audiens Cyprianus, contemnens virtutem diaboli, & currens venit ad Epiſcopum, ceciditque ad pedes ejus, rogans ut doceret eum, & baptiſmo Chriſti conſignaret, Beatus autem Epiſcopus gratias agens Deo, catechizavit eum. Et revertens Cyprianus in domum ſuam, omnia idola confregit. Tunc rediens ad Eccleſiam, diligenter ſalutis verbum auſcultare cœpit. Hora deinde reſidens, qua catechumeni foras mittebantur, in eccleſia monitus eſt à diacono ut cum reliquis catechumenis egrederetur. Converſus vero ad diaconum, dicit ei: Servus factus ſum Chriſti, & foras me mittis? Dicit ei diaconus: Factus es perfectus ſervus Dei? Cyprianus dixit: Vivit mihi Chriſtus qui dæmones confudit, & mei miſertus eſt, quia non exeo hinc, niſi perfectus fuero Chriſti ſervus. Diaconus vero Antimo Epiſcopo hæc renunciavit, qui ſecundum ordinem inſtructum baptizavit eum, & non multo poſt etiam diaconum ordinavit. Qui doctrina & moribus pluſquam dici poſſit excreſcens, miraculorum gratia præclariſſime floruit. Verum non multo interjecto tempore, factus eſt Epiſcopus, ſanctamque Juſtinam virginum matrem conſtituit. Quorum virtutem non ferens diabolus, per ſatellites ſuos apud Eutolmium Comitem Orientis egit ut comprehenderentur Cyprianus Epiſcopus, & virgo Chriſti Juſtina. Cujus ante conſpectum vinculis ligati, cum fuiſſent adducti, Comes dixit ad beatum Cyprianum: Tu es Cyprianus doctor Chriſtianorum, qui per maleficia multos errare feciſti? B. Cyprianus dixit: Aliquando in perditione dæmonum poſitus, multos luxurioſos feci; ſed ſalvavit me Deus per virginem Juſtinam, dum eam per dæmonia tentare vellem, quæ illa fide Chriſti armata per omnia contemſit. Comes iniquus juſſit ſanctum Epiſcopum poſt hæc ſuſpendi, & exungulari: beatam vero Juſtinam poſt alapas, crudis nervis immaniter cædi, deinde ſanctum Epiſcopum in carcere recludi, & ſanctam virginem in domo cujuſdam matronæ cuſtodiri. Qui poſt aliquot dies in ſui præſentiam reductos, in ſartagine ferrea juſſit torreri, picem, adipem, & ceram deſuper miniſtris infundentibus. Et cum ibi laudem omnipotenti Deo dicerent, Athanaſius ſacerdos idolorum poſtulavit Comitem, dicens: Jubeat claritas tua, & in nomine deorum vincam virtutem Chriſtianorum. Et cum appropinquaſſet ad ſartaginem, erupit flamma, & conſumſit illum. Comes acceptis tot miraculis, quæ Chriſtus in ſervis ſuis operabatur, ſcripſit Imperatori, quid ſuper eis juberet. Qui reſcripſit ut redigerentur Nicomediam, & ibi gladio ferirentur. Perducti igitur ad locum ſunt decollationis, & vidit eos quidam Chriſtianus Theognitus, & accurrens oſculatus eſt Cyprianum. Quod cernens Servius cognatus Regis, iratus egit, ut cum ſanctis Cypriano & Juſtina Theognitus decollaretur. Et jacuerunt corpora ſanctorum projecta feris ſex diebus inſepulta. Quidam autem nautæ Chriſtiani nocte rapuerunt ea, & navigantes deportaverunt ad urbem Romam. Et matrona venerabilis Rufina reverenter excipiens illa ſepelivit in prædio ſuo. Paſſi ſunt autem 6. Kal. Oct.

MONITIO AD LECTOREM,

JOHANNES WALLIS S.T.P.

(Geometriæ Professor Oxonii.)

S.

CUm *Reverendus admodum* Johannes Fell *Episcopus Oxonienſis nuper à me petierit ut Tractatum hic ſequentem* (*qui* Cypriani *perhibetur eſſe, eſtque cum reliquis* Cypriani *jam edendus,*) *perlegerem, & ſaltem numeros* (*quos depravatos eſſe ſuſpicatus eſt*) *examinarem: Quid hac in re fecerim, paucis exponendum. Repertus olim eſt Tractatus hic in Bibliotheca* Cottoniana *Manuſcriptus, ſed mendoſus. Hunc Reverendiſſimus* Jacobus Uſſerius *nuper Archiepiſcopus Armachanus exſcribi curaverat; ſuoque Apographo ſuas de emendatione conjecturas calamo inſeruit: Indeque quem jam tractamus apographum nacti ſumus. Hunc demum quem habemus apographum Reverendus vir* Thomas Gale *ſacræ Theologiæ Profeſſor, cum Cottoniano illo Codice contulit, & ſicubi deviatum erat reſtituit; ſuis item adjectis ſtricturis aliquot, quibus vel emendationes inſinuabat, vel phraſes aliquot inibi quæ cum* Cypriani *dictis alibi conſentiunt, unde de Auctore conjectura fieret. His ita ad me delatis, rem in eum fere quem vides ordinem conjeci. Putaram aliquando, Illas, ſive* Uſſerii, *ſive* Galei, *ſive Meas etiam de emendatione conjecturas, Textui inſerere; ſed Uncis incluſas: ipſiuſque Textus voculas, quæ videbantur mutandæ, alio charactere ſcribere: Quo & Manuſcriptum fideliter exhiberem, & Emendatio, Lectoris oculo foret obvia. Verum mutato conſilio* (*Reverendo Epiſcopo ſic monente, qui totius operis editionem curat*) *quo pars hæc cæteris ſit conformis, Textum emendatum* (*ſive ex eorum ſive ex noſtris conjecturis id fieret*) *integrum appoſui; conjectis ad calcem paginæ, quæ vel in Manuſcripto menda fuerant, vel cenſebantur, vel aliæ erant de emendatione conjecturæ quam quæ in textu comparent. Numeris utitur hic Codex ſolis Romanis* (*non item Indicis, Barbaricis vulgo dictis*) *habetque inter illos, literam* Ī *ſuperne notatam pro* Mille, *&* IIII, VIIII, XXXX, LXXXX, *pro* Quatuor, Novem, Quadraginta, Nonaginta; (*pro quibus nunc fere ſcribi ſolent* M, IV, IX, XL, XC:) *ſicubi aliter factum eſt, id Exſcriptoris eſſe ſentio, non Autographi. Occurrunt quidem aliquoties in Apographo noſtro, numeri Indici,* 2, 3, 4, &c: *ſed, inquiſitione ſcrupuloſius facta, id Exſcriptoris eſſe intelligo; & in Autographo non inveniri; ut qui ea ætate qua ſcriptus cenſetur Cottonianus Codex,* (*ſub finem Noni à Chriſto ſeculi,*) *nondum apud Europæos noſtros in uſu fuerant;* (*ſed ſeculo ſaltem undecimo, aut ſerius:*) *ſed nec Parentheſeos Notæ ibidem comparent; neſcio an Interſtinctionum puncta: quæ itaque ex judicio noſtro ſupplevi. Numeros qui paſſim erant mendoſi & depravati, ex calculo reſtitui; & conſultis S. Scripturæ locis, quo reſpiciebant. Alia menda Graphica quam plurima, ſive ut ſyntaxeos ratio poſtulabat, ſive alias, ex conjectura ſupplevi; indicata tamen Codicis MS. lectione, ut ſiquis inde rectius conjecerit, id ipſi liberum foret. Atque hæc ſunt quæ jam ante aliquot menſes monenda duxi.*

Poſtquam hæc ita abſolveramus; ipſique Typothetæ ſuos compoſuerant typos, mox prelo ſubjiciendos: ſpes facta eſt, ex Rhemenſi codice Apographum huc delatum iri. Monuit itaque Reverendus Epiſcopus, prelum ſuſtaminandum; atque exſpectandum donec apportaretur ille Apographus: Quod poſt aliquot ſeptimanas factum eſt; favore Reverendi Doctiſſimique Viri P. Mabillon, *ordinis Benedictini: Cum hoc Titulo,* Cæcilii Cypriani de Paſcha computus inchoat: *Et hoc præmiſſo Lemmate,* Ex MS. C. Bibliothecæ S. Remigii, Rem. olim LXXI notato, nunc vero 133. *Hunc nacti apographum, cum noſtro contuli; reperique ſic à noſtro variantem ut in Notis monemus; nec minus mendoſum. Id ſaltem bene contigit, ut non ſemper eodem loci mendoſus fuerit uterque codex: ſed nunc ex illo noſter, nunc ille ex noſtro corrigendus. Atque id porro, quod, plurimis in locis, quæ ex conjecturis ſive* Uſſerii *ſive,* Galei, *ſive noſtris, emendaveram, Codex hic confirmat. Quo caſu, omiſſis conjecturis illis, autoritatem hujus Codicis inter variantes lectiones cito; nec conjecturas interpono, niſi cum uterque codex videtur vitioſus. Numerique, in hoc comparent ſoli Romani, quales in altero;* (*ſed* $\overline{\text{IIII}}$ *pro* Mille;) *non Indici; nec Parentheſeos notæ: atque interſtinctionum neſcio an ulla habita eſt in Autographo ratio. Pro* Calendis *habetur* Kl. (*quippe in veteri ſcriptione* K *pro* Ca *ſcribi ſolebat; ut* krus *pro* carus, *&c.*) *In apographo altero habetur quidem* Kal. *Sed ab Exſcriptore, credo, ſubſtitutum, qui non erat de ſingulis Literarum apicibus ſolicitus, ipſa verba exhibere contentus.* (*Quod in utroque apographo contigiſſe ſuſpicor. Literis autem* U. G. W. *Notas & Conjecturas deſigno* Uſſerii, Galei, *&* noſtras: *Literiſque* C. R. *codices* Cottonianum & Rhemenſem; *ſaltem noſtros inde deſcriptos apographos. Quæ adhuc ſuperſunt menda (ſuperſunt enim,) tuo (Lector) arbitratui permitto; ipſumque ſive de conjecturis noſtris, ſive de ipſo opere, ejuſve Auctore, judicium. Vale. Viceſimo ſecundo die Julii, Anno Æræ Dionyſianæ,* 1682.

INCIPIT

INCIPIT [1]EXPOSITIO BISSEXTI.

ALITER.

Cæcilii Cypriani de Paſcha compotus inchoat.

MUlto quidem non modico tempore (*a*) anxii fuimus & [2] æſtuantes, non [3] in (*b*) ſecularibus, ſed in Sanctis & Divinis Scripturis quærentes invenire, Quiſnam (*c*) ſit primus dies novi menſis, in quo menſe præceptum eſt (*d*) Judæis in Ægypto (*e*) XIIII[a] luna immolare Paſcha. (*f*) Adnuit itaque [4] Sanctiſſimus qui id vidit, & invenimus. (*g*) Invenimus autem, per ipſius Omnipotentis Dei Patris immenſam bonitatem & juſtitiam, & Chriſti * filii ejus Domini & Dei noſtri (*h*) incomparabilem miſericordiam, qui propter peccata noſtra (*i*) obediens ſuo Patri, expoſuit animam ſuam; cum qua reſurgens à mortuis die tertia, pollicitus eſt (*k*) Diſcipulis ſuis vitam æternam, & dedit (*l*) pignus Sp. ſancti gratiam credentibus in Paſſione & Reſurrectione ſua. In quo (*m*) Sp. ipſe Dominus volentibus, i. e. totis fidei viribus quærentibus, ſervis ſuis revelat (*n*) alta myſteria, & (*o*) manifeſtat obſcura ſacramenta. (*p*) Ac propterea credentes, & pro certo ſcientes quia nihil denegat Deus, ſed uni-

(*a*) *W ſic reſtituo*; *& ſuppleo* fuimus. *R.* An. XII. *C.* Multæ quidem tempore annorum æſtuantes. *G.* Multi quidem tempore antiquorum æſtuabant. (*b*) *C. R.* ſæcul. *& ſic fere ſemper.* (*c*) *R.* eſſet. (*d*) *R. deeſt* Judæis. (*e*) *R.* à quarta decima Luna immolari. (*f*) *W. ſic reſtituo. C.* adnuit itaque ſanctus ſum qui dividet. *R.* annuit Sanctus qui vidit & invenimus. (*g*) *C.* inveniemus. * *C.* felicius. (*h*) *R.* incomparabili miſericordia. (*i*) *R.* obaudiens. (*k*) *R.* diſcentibus ſuis. (*l*) *C. deeſt* pignus. (*m*) *R.* ſpiritus ipſe Dom. (*n*) *C. deeſt* alta. (*o*) *R.* manifeſta. (*p*) *C.* Hæc *& ſic aliquoties pro* Ac.

[1] *Expoſitio Biſſexti.*] Verba Uſſerii Apographo ſuo præfixa. *Ex antiquo Codice Cottoniano, Longobardicis literis deſcripto, ſub finem Noni à Chriſto ſæculi. Huic Tractatui (depravatiſſime ſcripto) in MS. Cottoniano perperam adſcriptus eſt hic Titulus*, Incipit Expoſitio Biſſexti: *Anno Chriſti* 243. *ſcripto.* Galeus (qui apographum cum Codice Cottoniano contulit) ad ea verba *perperam adſcriptus*, adnotat; *Manu tamen coæva, & literis Majuſculis.* Michael Seneſchallus (in ſua *Triade Evangelica, ſeu Quæſtione Triplici, de Anno, Menſe, & Die, Chriſti Nati, Baptizati, & Mortui*, Leodii edita, Anno 1669. *Quæſt.* 3. *Cap.* 2.) memorat (ex Godofredo Wendelino) à Sirmondo Rhemis repertum (& Bucherio tranſmiſſum Anno 1648.) Vetus MS. hoc Titulo prænotatum *Cæcilii Cypriani de Paſcha Compotus* Quem eundem nos eſſe cum hoc Tractatu conjecimus, propter hæc verba quæ inde citat, *Jeſus Chriſtus Dominus & Salvator noſter poſt annos* 1579. (à primo Paſchate Hebræorum in Ægypto) *cum diſcentibus ſuis manducavit Paſcha ſexto Idus Aprilis, feria quinta, & paſſus eſt altera die, ſexta feria.* Quæ hic infra occurrunt, parum mutata. (Quod, nacti tandem apographum Codicis Rhemenſis, certo comperimus.) Verum, hac unica inſpecta periocha, Seneſchallus inde opus hoc S. Cypriano abjudicat; *tum quia nemo hactenus Sancto illi tale opus adſcripſit*; *tum quia* τὸ cum diſcentibus ſuis, *longe abeſt à ſolito Cypriani nitore*; *tum quia non erat Cyprianus qui tam pingues errores admitteret contra artem quam explicandam ſuſcepiſſet.* Ego me vadem non ſpondeo. Sed (ad primum) ſi pſeudepigraphus ſit; at ſpurius certe non eſt, & ſuppoſititius, ſed antiquum eſſe liquet; & Cypriani ætate ſcriptum, res ipſa docet: &, ſi Cypriano nemo adſcripſerit; neque cuiquam alii (quod ſciam) adſcripſit quiſpiam; ſed in Bibliothecis latuit, necdum editus; & à paucis, forte, obſervatus. Neque verum eſt, quod *nemo tale opus Cypriano adſcripſerit:* Nam Paulus Diaconus id facit in vita Cypriani; *Chronicam quoque valde utilem compoſuit.* Ad ſecundum; vox *diſcentibus*, in noſtro codice non habetur, (neque hic, neque alio loco ubi in Rhemenſi codice comparet) ſed, ejus loco, *diſcipulis.* Quidquod neque tam barbara cenſebatur, ea ætate, vox *diſcentes* (hoc ſenſu,) quin eam aliquoties (quod monet Reverendus Epiſcopus Oxonienſis) uſurpaverit *Tertullianus*; (quem maxime imitatus eſt Cyprianus, & veneratus, Magiſtrum appellare ſolitus; referente Pamelio in vita Cypriani.) De patientia, cap. 3. *Ille cui legiones angelorum, ſi voluiſſet, uno dicto de cœlis affuiſſent, ne unius quidem* Diſcentis *gladium ultorem probavit*; & De Præſcript. cap. 30. *adhuc in ſeculo ſuperſunt qui meminerint eorum, etiam proprii* Diſcentes *& ſucceſſores ipſorum, ne ſi poſteriores negare poſſint.* De Baptiſm. c. 11. *Baptiſmus non extat alius niſi poſtea Chriſti, qui tunc utique à* Diſcentibus *dari non poterat.* Nitorem vero quod ſpectat; non mirum eſt ſi ſcriptis alioqui genuinis, (à librariis harum rerum imperitis, mendoſe deſcriptis,) multum nitoris decedat. Ad tertium vero; quod erraverit aſſignando, paſſioni Chriſti, annum & diem qui rationibus Aſtronomicis de ætate Lunæ repugnet: non mirum eſt ſi Cypriano id contigerit, ea ætate, qua pauciſſimi erant, etiam ex Sanctis Patribus, rerum Aſtronomicarum ita periti quin labi poſſent. Pro Cypriano autem, hæc ſaltem faciunt; tum quod Codex MS. ſatis vetuſtus, hunc auctorem perhibet, neque alius perhibetur quiſpiam; tum quod vir cl. D. *Gale* peculiares aliquot phraſiologias hic obſervat, quæ apud Cyprianum occurrunt alibi; tum denique quod monet Reverendus Epiſcopus Aſaphenſis *Guilielmus LLoyd*, (harum rerum ſatis curioſus,) cum plures fuerint Sacrarum Scripturarum Latinæ verſiones, eam exacte ſequitur hic Auctor, qua & Cyprianus uſus eſt. Neque tamen ille Cyprianum concludit hujus auctorem eſſe; eo quod (ſub finem operis) computum ſuum terminet ad annum Gordiani quintum, Arriano & Papo Conſulibus; qui annus eſt uno anno prior quam quo ſe Chriſtianum profeſſus eſt Cyprianus. Quod tamen fieri poteſt; cum Hiſtoriarum & Chronologiæ Scriptores, non ſemper ad eum ipſum annum rem perducunt quo ipſi ſcribunt, ſed deſinunt potius ad annum aliquanto ſuperiorem. Quod hic minime mirum erit, ſi Paſcha anni quinti Gordiani, ultimum fuerit eo Imperatore celebratum; ineunte (qui proximo anno ſecutus eſt) Philippo Arabe ante Paſcha. Mirum potius eſſet, ſi Cyprianus (alibi terrarum agens) Conſulum Romanorum meminerit eo ipſo anno quo alibi ſcriberet. Sed & diſtincta illa (ſub initium) Patris, & Filii, & Spiritus recordatio; Paſſionis item, & Reſurrectionis Chriſti die tertio, & ſalutis per eum conſequendæ; & diſerta agnitio gratiarum Spiritus Sancti, piguoris inſtar collatarum, (aliaque ejuſmodi,) ſatis redolent virum jam nuper ad Chriſtianiſmum converſum; atque hæc præcipua Chriſtianiſmi capita volentem diſtincte proferre. Ego interim nihil ſtatuo: neque tanti res eſt ut ſimus de Auctore admodum ſoliciti.

[2] *Æſtuantes.*] *Gal.* Cyprian. de laude Mart. *niſi quod hæc æſtuanti*, &c.

[3] *In ſecularibus.*] *Gal.* Proterius Epiſcopus ad Leonem PP. de Ratione Paſchatis, *Patres* (Nicæni) .... *compotum ſtatuerunt, non juxta Judæorum nunc inductas &c. actiones, neque ſecundum exteriorem putativam fictamque prudentiam, ſed gratia Spiritus ſancti inſtituti.*

[4] *Sanctiſſimus.*] *C. Sanctus ſum qui dividet. Gal.* Illud *ſum* quod ſequitur in MS. ſupra lineam ſcribitur, alia manu; & mendoſe pro *ſp. W.* Neque id male. Sed malim *Sanctiſſimus*; quia mox de Patre, Filio, & Spiritu Sancto diſtincte loquitur. & pro *dividet*, lego *id viait &*; ſuppleoque (cum codice *R.*) *invenimus*, quod librarius (ſuperfluum forte ratus quia geminum) omiſerat.

unicuique volenti & desideranti præstat sicuti & vult : (*a*) commisimus nos in rem tam laboriosam ; in qua re (*b*) non derelicti, sed potius ab ipso Deo (*c*) inspirati, volumus amantibus & (*d*) appetentibus studia Divina, ostendere, nunquam posse Christianos à via veritatis errare, & tanquam ignorantes, (*e*) quæ sit dies Paschæ, (*f*) post Judæos cæcos & hebetes ambulare. (*g*) Cumque à Deo nos evidenter incipiamus, (*h*) non tantum primum diem, (*i*) in quo in Ægypto agnus occisus est ostendere, sed (*k*) præteriti & futuri temporis dies Paschæ Judæorum & Christianorum demonstrare :

(*l*) Incipiamus itaque (dilectissimi fratres) ab Exodi lectione : in qua lectione (*m*) recognoscimus ipsum Deum & Dominum ad Moysen & Aaron fratrem ejus (*n*) in terra Ægypti dixisse : Mensis hic initium mensium, primus erit vobis in mensibus anni ; (*o*) Fare ad omnem Synagogam filiorum (*p*) Israel, dicens (*q*) Decimo die mensis hujus accipiant sibi singuli per (*r*) domos tribuum ovem per domum ; & si exigui erunt in (*s*) domo ut non sint sufficientes ad ovem, adsumet secum (*t*) vicinum proximum suum, per numerum animarum (*u*) suarum, singuli quod sufficiet sibi, (*x*) computabunt (*y*) in ovem [1] immaculatum, (*z*) anniculum, perfectum, masculum, (*aa*) ab agnis (*bb*) ab hædis accipietis. Et erit vobis observatum usque ad quartum decimum diem mensis hujus, & (*cc*) occident eum (*dd*) omne vulgus Synagogæ filiorum Israel ad vesperam ; & (*ee*) accipient de sanguine, & ponent super duos postes & super (*ff*) limen in (*gg*) domibus in quibus (*hh*) eum edent in ipsis ; & edent carnes istas nocte assatas igni, Azyma [2] cum (*ii*) pigridis edent. Non edetis de eis (*kk*) crudum, neque coctum aqua, nisi assatum, caput cum pedibus & interaneis, nihil derelinquetis ex eis in mane, & os non confringetis ab eo ; quæ autem (*ll*) relicta fuerint de eo usque (*mm*) in mane, (*nn*) igni cremabuntur, [3] (*oo*) ex intestinis ejus vorabitis, post suam occisionem. Sic autem comedetis eum ; lumbi vestri præcincti ; & caligæ vestræ in pedibus vestris, (*pp*) & bacula vestra in manibus vestris, & edetis (*qq*) illud festinanter ; Pascha est enim Domini.

Præcepit igitur Deus per Moysen universæ Synagogæ filiorum Israel in mense novo, qui est initium mensium, primus in mensibus anni, in quo habitu ederent Pascha quartadecima luna, (*rr*) ad hoc utique, (*ss*) ut & suam divinitatem credentibus nobis in Christo manifestaret, & (*tt*) eorum latrocinium jam tunc ab initio seculi demonstraret : (*uu*) & qui in Ægypto ad vesperam i. e. in novissima seculi (*xx*) tempora præcincti & calceati (*yy*) adversus (*zz*) Dei Agnum immaculatum, prima die Azymorum ad vesperam cum gladiis & fustibus exierunt ; & (*aaa*) universa quæ ab omnibus Prophetis (*bbb*) Dei (*ccc*) prædicta fuerant, in eum commiserunt. Et ideo (*ddd*) qui jam non [4] secundum imaginem, sicut (*eee*) illi, sed secundum veritatem, in commemorationem (*fff*) passionis Filii Dei, Pascha celebramus ; nihil aliud imprimis nisi mensem novum, (*ggg*) quis sit, & unde incipiat, & ubi finiat, totis viribus fidei nostræ, diligenter requirere debemus : Et tunc inveniemus, nec ante, nec post (*hhh*) XIIII lunam inventam, posse ab ipsis Judæis Pascha (*iii*) observari.

Quod ipsum quidem evidenter (*kkk*) incipiat nobis ostendere sancta & divina Geneseos scriptura, dicens ; In principio fecit Deus Cœlum & terram. Terra autem erat invisibilis & incomposita, & tenebræ erant super abyssum, & Spiritus Dei superferebatur super (*lll*) aquas. Et dixit Deus, Fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem quia bona est. Et divisit Deus inter lucem & (*mmm*) inter tenebras. Et vocavit Deus, lucem, Diem ; & tenebras, (*nnn*) vocavit Noctem. Et (*ooo*) facta est vespera & factum est mane Dies unus.

(*ppp*) Referendo igitur & insinuando nobis sancta Scriptura, ipsum Dominum divisisse (*qqq*) inter lucem & (*qqq*) inter tenebras, i. e. inter diem & noctem ; evidenter (*rrr*) ostendit hunc esse primum diem & (*sss*) sequentem ejus noctem ; inter quos omnium (*ttt*) artifex æqualiter, hoc est, irreprehensibiliter divisit.

[5] (*uuu*) Qui nunc comprehenditur esse VIII Kl. Apr. A quo die computantes aliqui ex nobis qui priores voluerunt hunc mensem novum ostendere, & ipso XIIII luna inventa dies Paschæ secundum Judæos de-

(*a*) *C* cumsimus, *G* consensimus. (*b*) *R* derelictis. (*c*) *C* insperati. *U.* inspirati. *R.* inspirati & illuminati. (*d*) *C* appatentibus. *U.* appetentibus. *G.* approbantibus *K.* adpetentibus. (*e*) *R.* quod. (*f*) *R.* posuit. (*g*) *C & R.* cum quando nos *U.* onus. *G.* Cumque à Deo nos. (*h*) *C.* notandum. (*i*) *R.* quo Ægypto. (*k*) *R.* & præterea fut. (*l*) *C.* Incipiamus, ergo itaque, *& deest* dilectissimi. *R.* Incipiam itaque dilectissimi Fratres ab Exodo delectione. (*m*) *C.* cognoscimus ipsum. *R.* recognoscimus ipsum Dominum nostrum. (*n*) *R.* hi terram. (*o*) *C.* Facere. *G.* loquere. *R.* Fare. (*p*) *R.* Israhel, *& sic ubique.* (*q*) *C.* Decima. (*r*) *C.* domus. (*s*) *C.* domum. (*t*) *C.* vicinum & pr. (*u*) *R. deest* suarum. (*x*) *C.* computet. (*y*) *R.* in quem ovem. (*z*) *R.* perfectum masculum anniculum. (*aa*) C. *R. inserit* erit vobis ; *W. redundat & videtur ex proxima linea huc transumptum.* (*bb*) *R.* & ab. (*cc*) *R. C.* occidet. (*dd*) *R.* omnis. (*ee*) *C.* accipiant. (*ff*) *R.* liminaria. (*gg*) *C.* domus. (*hh*) *C.* comeditis. (*ii*) *R.* amaritudine. (*kk*) *R.* crudam... coctam... assatam. (*ll*) *R.* derelicta. (*mm*) *C. deest* in. (*nn*) *C.* igne. (*oo*) *R. recte desunt* ex intestinis ejus vorabitis post occisionem. (*pp*) *C. deest* & bacula vestra in manibus vestris. (*qq*) *R.* eum. (*rr*) *C.* adhuc. (*ss*) *C. deest* ut. (*tt*) *R.* illorum. (*uu*) *C. deest* & qui in Ægypto ad vesperam. (*xx*) *C. deest* tempora. (*yy*) *C.* adversum. (*zz*) *R.* agnum Dei. (*aaa*) *C. deest* universa. (*bbb*) *R. deest* Dei. (*ccc*) *R.* prædicata. (*ddd*) *C.* quia. (*eee*) *R.* illis &, *C.* prius. (*fff*) *C. deest* passionis. (*ggg*) *C.* quæ. *R.* qui. (*hhh*) *R.* quartadecima luna inventa. (*iii*) *C.* observare. (*kkk*) *R.* incipiet. (*lll*) *C.* aquam. (*mmm*) *C. deest* inter. (*nnn*) *C. deest* vocavit. (*ooo*) *C.* factum est vespere. (*ppp*) *C.* Referendum. *& deest* igitur. (*qqq*) *C. deest* inter. (*rrr*) *R.* ostendimus. (*sss*) *C.* sequente ejus nocte. (*ttt*) *C. perperam inserit* nocte inter quos omnium die. (*uuu*) *C.* in hunc, *G.* is nunc, *R.* qui nunc &c. *sed codex C. totam periocham multo aliter habet, ut in Notis subjectis.*

[1] *Immaculatum &c.*] *G.* sic Cyprianus alibi, *immaculatum, anniculum, perfectum.* l. 2. adv. Jud.

[2] *Cum pigridis.*] *G.* ἐπὶ πικρίδων, Cyprian. ut supra.

[3] *Ex intestinis ejus vorabitis post occisionem.*] *G.* Unde hæc ?

[4] *Secundum imaginem.*] *G.* Cypr. ad Demetrianum, *Quod ante occiso agno præcedit in imagine, impletur in Christo, secuta veritate.*

[5] *Qui nunc comprehenditur esse.*] *W.* Codex *C.* totam hanc periocham multo aliter habet ; & calculum plane (aliorum) alium : *In hunc* lego *Is nunc) comprehenditur esse* XI *Kal. Apr. A quo die putantes* (lego *computantes) aliqui ex nobis qui priores* (lego *priores) voluerunt hunc mensem novum ostendere. Dixerunt enim eundem mensem ab* VIII *Id. Martii incipere, & in die Non. April. consummare : Hac* (lego *Ac) propterea ipsos dies* XXVIIII. *Revertamur ad Genesin* &c. Duas itaque opiniones rejicit hic Auctor, quærentium (ante illum) initium primi mensis : alteram in codice R. (quam, ut prolixius expositam, in Textum recipimus) alteram in codice C. quam in notis exhibemus. Illi quos notat Codex R. existimasse videntur, Lunam cum Sole quarto mundi die creatam, quasi quartamdecimam ; ut fuerit, eo exeunte, & ineunte die secundo, Plenilunium, quam vocant Lunam quintamdecimam ; (& quidem in ipso Æquinoctio ;) Adeoque, die primo, fuerit Undecima : Et propterea, annum mundi reputantes incipere à die primo, triginta dies, quibus mensem plenum constare volunt, in duas partes distribuebant, dierum XI, & dierum XIX : ut, finito anni lunaris mense duodecimo, (hoc est diebus CCCLIIII ;) foret, pro Novilunio primi mensis, (in anno Solari communi, qui XI diebus longior est quam communis Lunaris) vel repedandum diebus XI ; vel,

demonſtrare ; Dixerunt eundem menſem ab (*a*) Id. Martii incipere & in diem Id. Apr. conſummare ; & ſic impegerunt. Ac propterea ipſos dies (*b*) XXX quamvis recte diviſerint in (*c*) XI & XVIIII : Undecim (*d*) ſcilicet in communi anno retrorſum computantes, & ad Idus Martii pervenientes; (*e*) Decem & novem in priorem illum annum quo Emboliſmus incurrit immittentes, & uſque ad Idus April. devenientes : In hoc erraverunt, ut dixi ; cum vere primum diem novi menſis comprehendere non potuerunt. Quæ res ſic modo vere oſtenſa demonſtrabitur, cum in ipſo Pinace à nobis compoſito, nullus annus fallere invenietur.

Volentes igitur hunc menſem vere oſtendere, unde incipiat & ubi finiat, Revertamur ad Geneſin, quæ retulit nobis ipſum (*f*) Deum (*g*) diviſiſſe inter primum diem & primam noctem. Unde recognoſcimus, (*h*) & inter ſecundum & (*i*) inter tertium diem & noctem, neminem alium niſi ipſum (*k*) Deum diviſiſſe, & ſic (*l*) à quarta die hoc officium Soli & Lunæ injunxiſſe. Ipſa ſunt enim duo Luminaria, (*m*) majora, de quibus (*n*) ait Deus, Fiant Luminaria in firmamento Cœli (*o*) ſic ut appareant ſuper terram, & dividant inter diem & noctem ; & ſint (*p*) in ſignis, in temporibus, & in diebus, & in annis ; & ſint in ſplendore in (*q*) firmamento Cœli (*r*) ita ut luceant ſuper (*s*) terram. Et ſic eſt factum. Et fecit Deus duo luminaria majora, Luminare majus, initium diei ; & luminare minus, initium noctis &c. Hæc ſunt autem duo Luminaria, quæ non tantum hoc officium acceperunt, ut dividant inter diem & noctem ; ſed & ut ſint in ſignis & in temporibus & in diebus & in annis.

[1] (*t*) Propter hoc ergo Hebræi tunc qui digni fuerunt, (*u*) ſpiritu Dei edocti (*x*) ſingulos quoque annos ſecundum Lunæ curſum computaverunt. Et ut ad curſum Solis occurrerent inter ſexdecim annos, menſis primi (*y*) dies XXX, in duas partes, non æqualiter, ſed ſecundum rationem diviſerunt ; ſicut ſuperius diximus noſtros anteceſſores quidem, ſecundum Hebræos, recte diviſiſſe, (*z*) in XI & XVIIII ; Diem autem primum menſis primi non comprehendiſſe & ideo erraſſe. Qui dies primus novi menſis ſecundum curſum Lunæ duodecies decreſcentis, recognoſcitur (*aa*) XVI Kl. April. In quo talis, eadem hora, inventa eſt Luna, qualis ante annum fuit V Kl. Apr. facta. Cujus anni dies Hebræi numerant (*bb*) CCCLIIII uſque in XVII Kl. April. Qui autem ſecundum curſum ſolis computant ; poſt undecim dies & (*cc*) quartam diei, VI Kl. Apr. ſuppletis diebus CCCLXV & (*dd*) quarta diei, annum conſummaſſe inveniunt, & ſic primum diem novi menſis venturi V Kl. April. oſtendunt. Ac propterea quatuor quadrantes quadriennii in unum diem redigentes, quinto quoque anno, non V Kl. Apr. Sed (*ee*) V Kl. Mart. immittunt, ne (*ff*) primo diei menſis novi ſuperventuri integrum diem immittant, & hunc totum ordinem quem Hebræi priores, & ante ipſam Romam conditam, certa ratione adſecuti ſunt, ſubvertant. Annus igitur Hebræorum, in XII menſes diviſus, [2] facit menſem XXVIIII S, ſimiliter & Romanorum in (*gg*) duodecim quoque partitus, facit (*hh*) menſem XXX S. Ergo inter XXVIII S & (*ii*) XXX S in-

(*a*) *R* idus. (*b*) *R* XXX gen. quamvis. (*c*) *R* in XI & X & VIIII. (*d*) *W ſic reſcribo. R* ſciunt & in. (*e*) *R* X & VIIII. (*f*) *R* dominum. (*g*) *C* dividiſſe. (*h*) *C deeſt* &. (*i*) *C deeſt* inter. (*k*) *R* dominum. (*l*) *R* à quarto die hoc officium ſolis & Lunæ illuxiſſe. (*m*) *C deeſt* majora. (*n*) *R* Dominus dixit. (*o*) *C* ſicut pariant *U* pareant *G* ſicut appareant. *R* ita ut luceant. (*p*) *C* in ſignis, & in diebus & in menſibus & in temporibus & in annis. (*q*) *R* ſolidamento. (*r*) *C* ſic ut. (*s*) *C* terram &c. *omiſſis ſequentibus.* (*t*) *W hanc totam periocham multo aliter habet codex C, ut in Notis ſubjectis.* (*u*) *R* ſpiritum. (*x*) *R* in cœlis quoque. (*y*) *R* diei. (*z*) XI & VIIII, (*lege* in XI & X & VIIII.) (*aa*) *R* XVII. (*bb*) CCLVII. (*cc*) *R* IIII quartum. (*dd*) *W ſuppleo* quarta diei, *propter* & *quod adhuc ſupereſt.* (*ee*) *R* quintum Kl. Mart. immittuntur. (*ff*) *R* primi. (*gg*) *R* XII deciæ, quæ, (*lege* XII-decim. quoque.) (*hh*) *R* menſes. (*ii*) *R* XXXI.

vel, facto Emboliſmo menſis decimi tertii dierum xxx, procedendum diebus xix. Quam diſtributionem dierum xxx, Auctor hic non improbat. Sed improbat quem ipſi fecerant delectum diei in anno Solari, quo mundum die primo, adeoque Lunam fuiſſe conditam die quarto, autumabant. Reputabant enim diem illum primum, quo mundus crearetur, VIII Kal. Aprilis, hoc eſt, Martii diem xxv. Quo die ut Luna foret Undecima, menſem quaſi incepiſſe reputabant, ab Idibus Martii, hoc eſt, Martii die xv ; adeoque, cum fuerit dierum xxx, Idibus Aprilis, qui eſt Aprilis dies XIII, terminari. Adeoque Lunam decimam quartam, v Kl. Apr. hoc eſt Martii die XXVIII, quo crearetur Luna. Illi vero quos notat codex C. primum illum mundi diem reputabant XI Kl. April. hoc eſt, Martii diem XXII : menſemque illum primum, dierum XXIX, incepiſſe quidem VIII Id. Martii, hoc eſt, Martii die VIII ; & terminari ipſis Nonis Aprilis, hoc eſt, Aprilis die V : ut decimaquarta fuerit Luna, XII Kl. Apr. hoc eſt, Martii die XXI ; fueritque primus ille mundi dies Plenilunium, ſeu Luna decima quinta. Et quidem cum his ſentire videtur codex C. in Paragrapho *Poſthæc enim breviter dicam* (qui hic in Notis ſequitur,) ubi dicitur, *Hebræos nunquam feciſſe Paſcha ante* XII *Kl. Aprilis*, quod eo die *Luna nata* VIII *Id. Martii Decima quarta fuerit.* Quamquam ne hic ſibi conſtans eſt codex ille ; quippe mox dicit, *Lunam, quarta feria, in Æquinoctium*, VIII *Kl. Apr. Decimamquintam factam eſſe :* quod propius accedit ad priorem opinionem, dicentium Lunam eo die factam Quartamdecimam. Sed Codex R. (& quidem Codex C. in ſequentibus;) rejicit etiam hanc opinionem : aſſignando primum diem quo Paſcha celebrari poſſit, (Luna decima quarta,) XVI Kl. Aprilis, hoc eſt, Martii diem XVII ; cujus itaque Novilunium, ſeu Prima Luna, fuerit IIII Non. Martii ; qui eſt Martii dies IIII. Quam opinionem in ſequentibus ſtatuminare ſatagit. Ut dubium non ſit Codicem C. ibidem depravatum eſſe.

[1] *Propter hoc.*] *W.* Hanc item periocham multo aliter habet Codex C. Atque ad VIII Kl. Apr. id accommodat, quod Codex R. ad V Kl. Apr. Nempe ſic, *Poſthæc enim breviter dicam ; quod Hebræi tunc qui digni fuerunt, Spiritu Dei edocti ſingulos quoque annos ſecundum curſum Lunæ* (ſupple *computaverunt,*) *nunquam fecerunt Paſcha ante* XII *Kal. Apr. Quæ Luna nata in* VIII *Id. Mart.* XIIII *eſt in* XI (lege XII) *Kal. Apr. Cum quo tam magnum officium fuerat adepta. Hoc eſt itaque quod per ſingulos menſes reparata* XV *Luna præcidetur* (lege *proceditur*) *à Sole ; & ideo per annum plus ambulare invenitur Sol,* XI *dies & quartam partem diei. Et ſic Luna quæ in quarta feria in Æquinoctium*, VIII *Kal. Apr.* XV *fuerat facta, inventa eſt ſuppleto primo anno*, XXVI, VIII *Kal. Apr. Idem* (lege *Item*) *ſecundo anno, ſubtractis decem & novem inventa eſt* VII. *Tertio anno* XVIII. *Quarto* XXX. *Quinto* XI. *Sexto* XXII. *Septimo* III. *Octavo autem anno inventa eſt* XV, *qualis in principio in firmamentum Cœli fuerat poſita* VIII *Kal. Apr.* IIII *feria.* De quibus ſic adnotat Galeus, *Poſthæc enim omnia breviter dicam, quod nunquam factum eſſet Paſcha apud Judæos ante* XII *Kal. Apr. quæ luna nata in* VIII *id. Martii* XIIII *eſt in* XI [lege XII] *Kal. Apr.* Obſ. Hæc ex *diſputatione Murini Epiſcopi Alexandrini de Ratione Paſchali.* Quis ſit *Murinus*, neſcio. Simul cum hoc Scriptore (Cypriano) habetur in Codice Cottoniano, & manu plane eadem exaratur. Laudat Joſephum qui primus conſcripſit circulum X & VIIII annorum, Anaſtaſium, Theophilum, Cyrillum, Dionyſium exiguum, & Victorinum qui ſcripſit Hilaro Papæ, urbis Romæ Epiſcopo.

[2] *Facit menſem* XXVIIII.] *W.* Suppleo quæ videtur excidiſſe *S.* notam ſemiſſis, ut & mox poſt XXX ; nam 354 per 12 diviſi, dant 29 cum ſemiſſe : itemque 365 & quarta, per 12 diviſi dant 30 cum ſemiſſe proxime. Ut fuerit Hebræorum menſis, dierum XXVIIII cum ſemiſſe ; & Romanorum menſis, dierum XXX cum ſemiſſe, fere. Ut legendum ſit XXVIIII *S* item XXX *S* ; & mox *Ergo inter* XXVIIII *S* & XXX *S* &c.

intereſt quæ intelliguntur eſſe [1] horæ XI & (a) quarta horæ. In quibus XI horis & (b) quarta horæ prior ambulavit Sol quando factus eſt initium diei. Sic autem & Luna initium noctis fieri repromiſſa, non oportuit eam poſt occaſum Solis fieri, & ſic in Cœlo videri, quoniam debebat à (c) prima die videri & proſequi, (d) cum quo tam magnum officium fuerat adepta. Hoc eſt igitur quod per ſingulos menſes, reparata quintadecima luna, proceditur à ſole. Et ideo per annum plus ambulare invenitur Sol XI dies & quartam partem diei. Et ſic Luna quæ quarta feria V Kl. April. (e) quintadecima fuerat facta, inventa eſt ſuppleto primo anno XXVI (f) qu. V Kl. Apr. Item ſecundo anno, adjectis XI diebus & (f) qu. inventa eſt VII S, V Kl. Apr. Tertio anno XVIII (f) dod. V Kl. April. Quarto anno XXX, V Kl. Apr. Quinto anno XI (f) qu. Sexto anno XXII S. Septimo anno III (f) dod. Octavo autem anno inventa eſt XV, V Kl. Apr. qualis in principio fuerat facta.

Hac itaque (g) ratione non ſua ſed Dei ſapientia inſtructi (h) Hebræi circa [2] curſum (i) lunarem, (k) juxta regulam primam Græcorum, more Ægyptiorum, & non ſecundum Epactas Lunares, non potuerunt (l) errare. Et ideo quando primum in Ægypto, pridie (m) Iduum Apriliarum, ſecunda feria, XIIII lunâ, immolaverunt Paſcha; ſuppleto primo anno, (n) iterum non potuerunt (o) II id. April. celebrare Paſcha, (p) quoniam non (q) XIIIIa, ſed XXVa (r) ab eis inventa eſt luna. (ſ) Itaque quærentes (t) XIIII, neceſſe habebant (u) [3] immiſſis (x) XVIII diebus (y) II Kal. Maii invenire XIIII (z) lunam. [4] Sed ne ſecundo menſe inciperent agere Paſcha, (aa) & non primo menſe, qui eſt à (bb) XVI Kl. April. uſque in XVII Kl. Maias, de XXV diebus Lunæ (cc) retrorſum computantes, i. e. XI dies ipſius Lunæ deducentes, invenerunt, (dd) XIIII luna & ſexta feria, (ee) Kal. Apr. qui fuit annus communis & primus. Secundo anno, item communi, (ff) XII Kal. Apr. III feria. Tertio autem anno (gg) non retrorſum computantes, ne excederent XVI Kl. April. qui eſt dies primus menſis primi, (hh) & in menſem XII præteriti anni inciderent, aliter computaverunt. Hic enim fuit annus, in quo non (ii) XVIIII, ſed deducto uno, (kk) XVIII dies eos immittere oportebat. Quis autem hic unus (ll) de XVIIII qui deducitur dies, dicemus per Dei gratiam. [5] Primo enim (mm) tempore, quando in Ægypto obſervata eſt Paſcha, fuit ipſo anno debitum, quadrans: primo anno ſequente factum eſt Semis: Secundo anno adjecto factum eſt Dodrans: tertio autem anno factum eſt as: Tertius igitur annus in Pinace, in quo (nn) modo Biſſextus & Emboliſmus invenitur. In quo anno Paſcha, XIIII luna, VI Id. Ap. & II feria (oo) fuiſſe oſtenditur. Quarto anno, communi, V Kal. April. feria VI. Item quinto anno, communi, (pp) XIIII luna, XVI. Kal. (qq) April. feria III. (rr) Sexto anno, Emboliſmus, Non. April. feria II. Septimo anno, (ss) Biſſext. (tt) VIIII Kal. April. feria VI. Octavo anno, Em-

(a) *R* quartum. (b) *R* quartum. (c) *W malim* primo, *propter* cum quo *quod ſequitur*. (d) *R* quum. (e) *R* XV decima. (f) *W ſuppleo quæ exciderant* qu. *pro* quadrante, & dod. *pro* dodrante, *propter* VII S. & XXII S. *quæ adhuc comparent*. (g) *C* facta. (h) *C deeſt* Hebræi. (i) *R* lunæ. (k) *R deeſt* juxta regulam primam Græcorum, more Ægyptiorum, & non ſecundum Epactas Lunares. (l) *R* erraſſe. (m) *R* idus Apr. (n) *R* eorum. (o) *R* pridie idus Apr. (p) *C* quo. (q) *R* XIIII decima. (r) *R* inventa eſt ab eis. (ſ) *C* Ita. (t) *R* XIIII decimam. (u) *C deeſt* immiſſis. (x) *C recte* XVIII *R* XVIIII. (y) *C* III Kal. Maii, *R* pridie Kl. Maias. (z) *R deeſt* Lunam. (aa) *C deeſt* & non primo menſe, qui eſt à XVI Kl. Apr. uſque in XVII Kl. Maias de XXV diebus lunæ. (bb) *R* XIII. (cc) *C* ſed retrorſum (*lege*, non antrorſum, ſed retror.) (dd) *R* XIIII dec. (ee) *R* ipſis Kl. (ff) *R* XI. Kl. (gg) *C* Tertio autem anno, in Pinace, in quo Biſſextum & Emboliſmus invenitur &c. *omiſſis aliquot verſibus intermediis*. (hh) *R* & in menſe XII dec. præteriti anni inciderat. (ii) *R* nono X. (kk) *R* XVIIII octo. (ll) *R* XVIIII nove quid deducitur. (mm) *W ſic ſuppleo quod mancum eſt in R* Primo enim tempore quando in Ægypto obſervata eſt Paſcha fuit ipſo anno debitum, Secundo anno adjecto factum eſt, quarto autem anno factum eſt as, (*excidentibus inter* alia *notis quadrantis*, *ſemiſſis*, & *dodrantis*,) Tertius eſt igitur annus in Pinaxe, in quo &c. (nn) *C* Biſſextum & *deeſt* modo. (oo) *C deeſt* fuiſſe. (pp) *R deeſt* XIIII luna. (qq) *C deeſt* April. (rr) *C deeſt* Sexto anno, emboliſmus, Non. Apr. feria II. Septimo anno, Biſſext. VIIII Kl. Apr. feria VI. (ss) *R* Biſſextum ſed communi. (tt) *R* Emboliſmo II id.

[1] *Horæ* XI *& quarta horæ.*] *W.* Non hoc intelligendum eſt de incremento totius menſis: nam horæ XI cum quadrante, pro numero menſium, duodecies ſumptæ non conficient totidem dies: ſed pro incremento menſis dimidii, quantum accreverit ab initio menſis ad Plenilunium; nempe ut jam in Plenilunio (peracto menſe dimidio) tantundem Sol proceſſerit, ſeu prior ambulaverit, hoc eſt, plus temporis impenderit in ſuo menſe dimidio peragrando, quam in ſuo Luna: quod vicies & quater ſumptum (tot utique ſunt in anno ſemimenſes) conficiet totidem dies; nempe dies XI cum quadrante, quanto ſcilicet Solaris annus ſuperat Lunarem.

[2] *Circa curſum lunarem.*] G. obſerva igitur, *Curſum Lunarem juxta regulam primam Græcorum, more Ægyptiorum, & non ſecundum Epactas.*

[3] *Immiſſis* XVIII *diebus, II Kal. Maii.*] *W.* Codex *R.* habet XVIIII, ideo forte, quia menſis Embolimæus, dierum XXX ſolet eſſe, adeoque prorſum ſumendi dies XIX; ſed non ita primus menſis novi anni, quod librario forte in cauſa fuerit cur XVIIII pro XVIII hic poneret, ut alibi fieri ſolet ubi eſt Emboliſmus: ſed omnino legendum XVIII, cum Codice *C.* Nam dies XIX, poſt pridie Id. Apr. immiſſi extenderent, non ad Pridie Kal. ſed ad ipſas Kal. Maii, quod itaque ſubſtituendum hic erit, ſi illic retineatur XIX. Similiter, cum Codex *C.* immiſſis diebus XVIII, habet III Kal. Maii, legendum II Kal. vel Prid. Kal.

[4] *Sed ne ſecundo menſe.*] *W.* Codex *C.* habet, *Sed ne ſecundo menſe inciperent agere Paſcha*, (ſuppleo *non antrorſum*) *ſed retrorſum computantes*, *i. e.* XI *dies ipſius Lunæ deducentes*, *invenerunt*, XIIII *Luna & ſexta feria Kal. Apr.* Quæ ſatis clara ſunt, & quantum dictu ſufficit. Sed Codex *R.* interpolatione forte facta, rem fuſius ſic habet, *Sed ne ſecundo menſe inciperent agere Paſcha*, & *non primo menſe*, *qui eſt à* XIII *Kal. Apr. uſque in* XVII *Kal. Maias*, *de* XXV *diebus Lunæ* (quot nempe habuit Prid. id. Apr.) *retrorſum computantes*, *id eſt undecim dies ipſius Lunæ deducentes*, *invenerunt* XIIII *dec.* (illud *dec.* redundat) & *ſexta feria*, *ipſis Kal. Apr.* Quæ conſtare non poſſunt. Nam à XIII Kal. Apr. ad XVII Kal. Maii non ſunt (ne quidem incluſis utriſque extremis) niſi dies XXVII. Sed omnino legendum eſt *à* XVI *Kal. Apr.*

[5] *Primo enim tempore.*] Locum hunc, qui in Codice C. plane deeſt, in R. mancus eſt; utcunque ſupplevi. Senſus hic eſt; Cum annus Solaris dierum 365 cum quadrante, ſuperet communem Lunarem dierum 354, diebus II cum quadrante; in Solari primo communi, dierum 365, deeſt quadrans diei; anno ſecundo, propter ſimilem defectum, deerit ſemiſſis; in tertio, dodrans; qui, cum ſimili quadrante, in anno quarto, complet aſſem, hoc eſt diem integrum; qui itaque anno illi quarto inſertus, annum facit, Biſſextilem dictum, dierum 366; propter VI Kal. Martii bis poſitum. Quo fit, ut V Kal. Martii, ſingulique hunc diem ſequentes, uno die ſerius contingant quam ſi illa non facta fuerit intercalatio. Quapropter, quæ pro communi anno Lunari, facienda erat, in communi anno Solari, repedatio dierum XI; jam facienda eſt, anno biſſextili, dierum XII; propter annum Solarem jam XII diebus excurrentem: contra vero, Promotio pro anno Embolimæo, alias dierum XIX, jam facienda erit dierum XVIII.

[1] *Sa-*

Emboliſmus, pridie Idus April. feria V. (*a*) Ecce itaque, quomodo [1] ſuperius computavimus quod (*b*) poſt annos octo, V Kal. Apr. iterum inventa eſt XVa luna. Sic (*c*) poſt annos octo, pridie idus Apr. inventa (*d*) eſt XIIII luna (*e*) & feria non ſecunda quomodo ante, ſed quinta eſt inventa. [2] Et ideo (*f*) XIIII lunam, eodem Pinace, (*g*) non per octo annos, ſed per annos Sedecim, ad diem ſuum primum redire oſtendimus; & (*h*) in eo biſſexti annos (*i*) ſecundum curſum ſolis ſine errore ignorantium notavimus. Qui & ipſe (*k*) XVI annis ſuppletis licet ad (*l*) certum diem ſuum (*m*) immiſſo Emboliſmo, cum XIIII luna occurrit, (*n*) tamen ad ſecundam feriam non occurrit, ſed ad primam. Sic æque ſecunda Sedecennitas (*o*) ſuppleta occurrit ad ſeptimam feriam. (*p*) Tertia vero, feria ſexta. Quarta autem feria quinta. Quinta (*q*) Sedecennitas, (*r*) feria quarta. Sexta (*s*) Sedecennitas. feria tertia. (*t*) Septima autem, cum ſupplerit annos CXII, revertitur ad (*u*) II id. Apr. & (*x*) invenitur (*y*) luna XIIII, & feria II.

Hi ergo ſunt Anni (*z*) CXII in quibus gyrantes, & (*aa*) à primo die Paſchæ obſervato in Ægypto annos computantes, uſque ad Chriſtum (*bb*) perveni-mus, & diem Paſſionis (*cc*) & reſurrectionis ejus oſtendimus.

(*dd*) Prius eſt tamen, ut reliquos annos Octo, Pinacis, demonſtremus; uſque in octavum enim computavimus. Nono itaque anno, (*ee*) communi, XIIII luna, & II feria occurrit Kal. Apr. Item decimo (*ff*) anno communi, XII Kal. Apr. ſexta feria. Undecimo anno (*gg*) Biſſextus & Emboliſmus, VI id. Apr. (*hh*) quinta feria. Duodecimo anno communi, (*ii*) V Kal. Apr. ſecunda feria. (*kk*) Tertiodecimo anno, item communi (*ll*) XVI Kal. Apr. (*mm*) ſexta feria. Quartodecimo (*nn*) anno, (*oo*) Emboliſmus, Non. Apr. quinta feria. (*pp*) Quintodecimo anno Biſſext. communi, VIII Kal. Apr. ſecunda feria. Sextodecimo anno, facto Emboliſmo, inventa eſt (*qq*) iterum ad caput, id eſt in primo verſu, luna (*rr*) XIIII, & prima feria, pridie id. Apr. in quo die diximus Judæos in Ægypto (*ss*) primum obſervaſſe Paſcha.

Unde uſque ad Jeſum filium Nave, (*tt*) annis XLI ſuppletis, immolaverunt filii Iſrael [3] Paſcha Kal. Apr. (*uu*) Sabbato. Ezechias autem (*xx*) ab exitu ex Ægypto uſque (*yy*) in primum annum regni ſui, poſt annos (*zz*) DCCCLXVII, celebravit [4] Paſcha VI id.

(*a*) *C* Et cætaque. (*b*) *R deeſt* poſt. *C* poſt, anno octavo, VIII Kal. Apr. *quod eſt ſuo calculo, ſupra à nobis recenſito, conforme.* (*c*) *C* poſt, anno octavo, II id. (*d*) *C deeſt* eſt. (*e*) *R* ſed feria non ſecunda, ſed quinta (*omiſſo* quomodo ante) *C deeſt* non & ante. (*f*) *W ſic ſuppleo. C* non hunc eodem pinacem. *R* hunc eundem pinacem. (*g*) *C* non per VIII ſed decima diem, *pro* ſed ſedecim ad diem. (*h*) *R* ideo. (*i*) *C deeſt* ſecundum curſum ſolis. (*k*) *R* XVI dec. annus ſuppletus. *C* XVI ann. ſuppletus. (*l*) *R* cœlum. (*m*) *C* in Embol. (*n*) *C deeſt* tamen ad II feriam non occurrit. *R* tamen ad ſecunda feria non occurrit ſed ad prima. (*o*) *C* ſupplet occurrat. (*p*) *C deeſt* Tertiæ vero feria VI Quarta autem feria V. (*q*) *R* ſedecennitas oſtendit fer. (*r*) *deeſt* feria IIII ſexta ſedecennitas. (*s*) *R* decennitas. (*t*) *R* ſeptimplum tempus cum impleverit annus. (*u*) *R* pridie idus. (*x*) *C* venit. (*y*) *R* luna quartadecima & ſecunda feria. (*z*) *C deeſt* CXII in. *R* gyrantis, & ad diem primum Paſchæ obſervatæ in Ægypto computantes annos. (*aa*) *C deeſt* à. (*bb*) *C* perveniemus. (*cc*) *C deeſt* & Reſurrectionis. (*dd*) *C* primo ut reliquus annus VIII pinaces. (*ee*) *R* commune. (*ff*) *R deeſt* anno. (*gg*) *C* biſſextum & emboliſmo. *R* biſſextum & emboliſmus. (*hh*) *C* IIII. (*ii*) *R* quintam Kl. (*kk*) *R* XIIII. (*ll*) *R* XIII. (*mm*) *R* feria ſexta. (*nn*) *R deeſt* anno. (*oo*) *C* emboliſmo. (*pp*) *R* XII anno bis ſextum nonum Kal. April. ſecunda feria. (*qq*) *C* igitur. (*rr*) *C* XVII & infra II. id. April. (*ss*) *R* primo. (*tt*) *C* anni XLI ſuppleti. (*uu*) *R* Sabbatis. (*xx*) *W ſic ſuppleo. C. R.* ab Ægypto. (*yy*) *R* ad. (*zz*) *R* DCCCLXVIII.

[1] *Superius computavimus*] Uſſerius, pro *computavimus*, ſubſtituendum innuit *compotavimus*, (& ſic aliquoties;) & quidem ea ætate, *compotus*, & *compotiſta*, &c. dici ſolebant pro *computus*, *computiſta*, &c.

[2] *Et ideo.*] Poterat, ſecundum hanc hypotheſin, Pinacem inſtituiſſe per Octonos annos (quoniam, in annis Octo, luna XIIII redit ad eundem Calendarii diem, licet non eandem Feriam, & ne quidem poſt annos Sedecim ad eandem Feriam redit:) ſed maluit per Sedecim annos computare (*Sedecennitatem* vocat; mallem, *Sedecennium*;) ideo forſan quia, poſt ſedecim annos, ad feriam proxime antecedentem redit; quod poſt octo annos non fit. Pinacem ipſum (qui perierat) hic reſtituimus ad Auctoris mentem.

PINAX.

Paſcha XIIII luna.		Feria.						
Caput in Ægypto	II id. Apr.	II	I	VII	VI	V	IIII	III
Communis I	Kal. Apr.	VI	V	IIII	III	II	I	VII
Communis II	XII Kl. Apr.	III	II	I	VII	VI	V	IIII
Biſſext. Emb. III	VI id. Apr.	II	I	VII	VI	V	IIII	III
Communis IIII	V Kl. Apr.	VI	V	IIII	III	II	I	VII
Communis V	XVI Kl. Apr.	III	II	I	VII	VI	V	IIII
Embol. VI	Non. Apr.	II	I	VII	VI	V	IIII	III
Biſſext. VII	VIII Kl. Ap.	VI	V	IIII	III	II	I	VII
Embol. VIII	II id. Ap.	V	IIII	III	II	I	VII	VI
Communis VIIII	Kl. Ap.	II	I	VII	VI	V	IIII	III
Communis X	XII Kl. Ap.	VI	V	IIII	III	II	I	VII
Biſſ. Emb. XI	VI id. Ap.	V	IIII	III	II	I	VII	VI
Communis XII	V Kl. Apr.	II	I	VII	VI	V	IIII	III
Communis XIII	XVI Kl. Apr.	VI	V	IIII	III	II	I	VII
Embol. XIIII	Non. Apr.	V	IIII	III	II	I	VII	VI
Biſſext. XV	VIII Kl. Apr.	II	I	VII	VI	V	IIII	III
Embol. XVI	II id. Ap.	I	VII	VI	V	IIII	III	II
Sedecennitas		I	II	III	IIII	V	VI	VII

Dies Dominicus proxime ſequens, eſt Paſcha Chriſtianorum.

[3] *Paſcha Kal.*] Nempe tertiæ Sedecennitatis anno Nono.

[4] *Paſcha VI.*] Nempe, poſt integrum pinacem (annorum 112) ſepties tranſactum. (ſeu annos 784,) anno octavi pinacis 83, hoc eſt, ſextæ Sedecennitatis anno tertio.

VI id. Apr. (*a*) IIII feria. Item Joſias duodeviceſimo anno regni ſui, poſt annos (*b*) DCCCCLXX immolavit [1] Paſcha (*c*) XII Kal. Aprilis, feria II. (*d*) Eſdras autem (*e*) eo tempore (*f*) quo ſuppletæ ſunt (*g*) ſeptem hebdomadæ, (*h*) à templo reſtituto & perfecto & (*i*) reſtituta civitate Hieruſalem, poſt annos (*k*) Ī. CXIIII, ſacrificavit [2] Paſcha XII Kal. Apr. Sabbato. [3] Sed & ipſe Jeſus Dominus (*l*) & Salvator noſter, poſt annos (*m*) Ī. DLXXVIIII (*n*) cum diſcipulis ſuis manducavit [4] Paſcha (*o*) VI id. April. V feria: & paſſus eſt altera die, (*p*) V id. April. VI feria.

Hic eſt Chriſtus Jeſus qui, ſecundum carnem, Abrahæ fuit filius; in cujus myſterio, (*q*) centenario patri natus Iſaac, ſuper humeros ſuos portavit lignum: ut ex (*r*) eo demonſtraretur, & (*s*) adverſarios expugnari, & credentes ſalutem conſequi, per lignum, id eſt per (*t*) crucis ſignum. Ipſe eſt Abraham, cui dixit Deus, In ſemine tuo benedicentur (*u*) omnes nationes terræ. Nunquid ergo (*x*) aliquis in Iſaac miſericordiam conſequitur? Non. Sed (*y*) omnis homo credens Deo in Chriſto (*z*) benedicetur. Et ideo Abraham, quia (*aa*) à Deo Domino dictus eſt Propheta, cum (*bb*) manifeſte ſciret, in ſacramento Chriſti, centenario ſibi (*cc*) natum filium, qui poſt diem tertium mortem evacuavit, & illum fortem (*dd*) & inimicum noſtrum vinxit; (*ee*) deinde numeravit univerſos vernaculos [5] ſuos CCCXVIII i. e. pro centenaria generatione triplicavit C, & fecit [τ] ſignum crucis, quibus adjunxit [ιη] nomen Jeſu, & adverſarios expugnavit, & filium fratris ſui Loth de (*ff*) captivitate eorum liberavit. Et merito ipſe Dominus & magiſter noſter dicebat Judæis, (*gg*) Si filii Abrahæ eſſetis, facta Abrahæ faceretis. (*hh*) At illi itaque qui hæc à Chriſto audierunt non (*ii*) Abrahæ ſed diaboli facta iniqua facere elegerunt. (*kk*) Ac propterea gentes (*ll*) facti eſtis filii Abrahæ, facta patris ſui Abrahæ facientes, cum ſigno crucis & nomine Jeſu, quotidianis diebus adverſus Angelos Apoſtatas pugnantes, ſermone Dei armati, qui de captivitate Satanæ liberat homines. Ipſe eſt Abraham qui LXXV annorum credidit vocatus: & quamvis (*mm*) multos, id eſt tanquam ſtellas cœli, filios (*nn*) habere, ab ipſo Deo (*oo*) ſit prædictus; (*pp*) tamen per unicum filium ejus, cujus imaginem portabat ille agnus immaculatus in Ægypto occiſus, & ipſe protoplaſtus Adam & omnis homo credens miſericordiam (*qq*) à Deo eſt conſecutus.

Denique revertamur ad Exodum, i. e. ad diem (*rr*) Paſchæ primum, & exinde per ordinem dinumeremus (*ss*) annos uſque ad Chriſtum. In quibus annis inveniemus nobis magna & (*tt*) admiranda ſacramenta demonſtrari. (*uu*) Dinumerantes itaque (*xx*) (ut dixi) per ordinem; (*yy*) à die quo exierunt ex Ægypto, uſque ad diem quo oportebat eos exire de (*zz*) eremo, anni XL. Exeuntes autem de (*zz*) eremo & introeuntes (*aaa*) ut poſſiderent à (*bbb*) Deo (*ccc*) ſibi repromiſſam terram, (*ddd*) à Jeſu filio Nave uſque ad (*eee*) Samuelem Judicem, & Dei (*fff*) Sacerdotem, ſecundum Pauli B. Apoſtoli ſermonem, qui Spiritu (*ggg*) Dei edoctus retulit eos (*hhh*) impleviſſe annos (*iii*) (CCCCL. Ipſe eſt Samuel, qui (*kkk*) ex præcepto Dei unxit Saul (*lll*) in regem qui prior regnavit in populo Judæorum annis (*mmm*) XL. Poſt quem (*nnn*) regnavit David annis (*ooo*) XL, & VI menſibus. Solomon (*ppp*) filius ejus annis XL. Roboam annis (*qqq*) XVII. (*rrr*) Abia annis III. (*sss*) Aſa annis XLI. Jo-

(*a*) *C* III. (*b*) *R* DCCCLXX. (*c*) *C* XVII. (*d*) *R* Heſdra. (*e*) *C* eodem. (*f*) *C* quod ſuppleti ſunt hebdomada à tempore eſt. (*g*) *W ſic emendo. R* VI. (*h*) *R deeſt* à. (*i*) *R* civitatem reſtitutam. (*k*) *R* $\overline{cc}$ CXIIII (*ſed* $\overline{cc}$ *eſt pro* $\overline{\infty}$) (*l*) *C deeſt* &. (*m*) *C* $\bar{\imath}$. DLXXIIII (*excidente* V) (*n*) *U.* $\bar{\imath}$. DLXXVIIII. *R* $\overline{cc}$ DLXXVIIII, cum diſcentibus ſuis. (*o*) *C* (*manifeſto mendo*) VIIII Kal. (*p*) *C* VIII Kal. (*q*) *C deeſt* centenario. (*r*) *C* eodem monſtr. (*s*) *C* adverſario ſexu repugnari. (*t*) *R* crucis † in ſignum. (*u*) *R inſerit*, in te. (*x*) *R* Aliqui. (*y*) *C* omnes. (*z*) *C* benedicentur. (*aa*) *R* de domino. (*bb*) *C* manifeſta. (*cc*) *R* nato filio. (*dd*) *C deeſt* &. (*ee*) *W ſic ſuppleo, quod in MSS. mancum eſt.* C deinde numeravit univerſos vernaculos ſuos, centenaria generatione triplicavit & fecit ſignum crucis quibus adjunxit nomine Jeſu. *R* denumeravit univerſos vernas ſuos & propter centenariam nativitatem triplicavit Centum & fecit ſignum † quibus & adjecit XVIII in nomine hīſus. (*ff*) *C* ſervitute lib. (*gg*) *R* ſi filii Abrahæ eſtis, facta patris veſtri facite. (*hh*) *C* Et. (*ii*) *C* Abraham. (*kk*) *C* hæc. (*ll*) *W ſic ſuppleo. C* facti eſtis patris ſuæ Abrahæ facientes, cum ſignum crucis & nomine Jeſu, ſermone Dei armati, quotidianis diebus adverſus Angelos apoſtatas pugnantes qui de Capt. *R* facta patris ſui Abrahæ facientes cum ſignum crucis & nomen hīſus quotidianis diebus adverſos Angelos apoſtaticos expugnantes, ſermone Dei armati, de captivitate Satanæ liberant homines. (*mm*) *R* in multos. (*nn*) *C* Abrahæ. (*oo*) *C* det. (*pp*) *C* tam. (*qq*) *C deeſt* à Deo. (*rr*) *C* Paſcha I exinde. (*ss*) *C deeſt* annos. (*tt*) *R* admirabilia. (*uu*) *C* numerantes. (*xx*) *R deeſt* ut dixi. (*yy*) *R* de. (*zz*) *R* heremo *bis*. (*aaa*) *R* & poſſidentes. (*bbb*) *R* domino. (*ccc*) *C* ſivere promiſſam. (*ddd*) *R* ab hīſus. (*eee*) *R* Samuel. (*fff*) *C* Levitam. (*ggg*) *R* domini. (*hhh*) *R* impleſſe. (*iii*) *C* CCCCXL. (*kkk*) *R* juſſu. (*lll*) *C* in regni qui orſu regnavit in populum. (*mmm*) *C* XXX. (*nnn*) *C deeſt* regnavit. (*ooo*) *C* annis XLVI. *R* annis XL, menſibus VI. (*ppp*) *R deeſt* filius ejus. (*qqq*) *R* XVI. (*rrr*) *R* Abias. (*sss*) *R* Aſaf annis XV.

[1] *Paſcha* XII.] Nempe, (poſt 8 pinaces) anno 74 ſequentis, ſeu quintæ ſedecennitatis anno decimo.

[2] *Paſcha* XII.] Nempe (poſt pinaces 9) anno 106. ſequentis, hoc eſt Ultimæ Sedecennitatis anno decimo. Numerat autem (ut infra patet) ab exodo ad captivitatem Jechoniæ annos 995; hinc ad edictum Cyri, annos 70; hinc ad finem ſeptem hebdomadum, 49; qui fiunt 1114.

[3] *Sed & ipſe Jeſus*] G. Locus laudatus à Bucherio.

[4] *Paſcha* VI.] Nempe (poſt pinaces 14.) anno 11. ſequentis. Eſtque locus hic (ſed depravatus) quem citat, ex Bucherio, Seneſchallus: Qui confirmat calculi correctionem, quam ante poſueram. Nempe *Uſſerius* jam ante, pro I. DLXXIIII, (ubi V. exciderat) reſtituerat 1579, quod ex annorum omnium computatione, infra ſequente, faciendum conſtat: indeque ex Pinace, diem reſtitueram, ut vides. Quam correctionem confirmat Codex R.

[5] *Suos* CCCXVIII.] Locus hic, in utroque codice mancus eſt, adeoque obſcurus; ſed ad hunc ſenſum reſtituendum eſſe, ex ſequentibus liquet; Nempe, cum Abraham adverſarios expugnavit & liberavit amicos Gen. 14. numeravit vernaculos, hoc eſt, famulos ſuos CCCVIII. Quo contineri ſentit hic Auctor, hæc myſteria prophetica; nimirum, per c centenarii notam, ſignari, Abrahæ centenario natum iri filium Iſaac; quam literam triplicavit (ccc) pro centenariis tribus, prout tribus diebus iter fecit immolandus Iſaac (Chriſti typus;) qui & geſtavit lignum, i. e. crucis ſignum; eſtque ſignum crucis τ litera Græca, notans numerum ccc. Sed præter hos trecentos, adjungit porro XVIII, hoc eſt (literis Græcis) ιη, quibus ſignari putat (utpote literis initialibus) *Ἰησοῦς*, Nomen Jeſu. Adeoque, ſicut per Abrahæ famulos CCCXVIII, liberatus eſt Loth; ita per ιη (quibus idem numerus ſignatur) id eſt, per ſignum crucis & nomen Jeſu, liberatus eſt Iſaac, mortemque evacuavit ſeu evitavit illo die tertio. Quæ omnia non tam Iſaac ultimo ſpectant (in quo miſericordiam conſequitur nemo,) ſed (cujus ille typus erat) Jeſum Chriſtum, ſemen Abrahæ dictum.

[1] *Annis*

(*a*) Joſaphat annis (*b*) XXV. Joram annis VIII. (*c*) Ochozias anno I. (*d*) Athalias [1] annis VIII. Joas annis (*e*) XL. Amaſias annis XXVIIII. Ozias annis (*f*) LII. (*g*) Joathas annis XVI. Achas annis XVI. Ezechias annis XXVIIII. Manaſſes annis LV. Amos annis II. Joſias annis (*h*) XXXI. (*i*) Joachaz menſibus (*k*) III. (*l*) Joacim annis XI. (*m*) Item Joacim filius ejus, qui & (*n*) Jechonias dictus eſt, diebus centum. (*o*) Fiunt in ſe anni Regum (*p*) DV. [2] Ab Exodo autem DCCCCLXXXXV. Et capta eſt Judæa à Rege (*q*) Nabuchodonoſor, qui transmigrato Jechonia (*r*) in Babyloniam, conſtituit in Hieruſalem (*s*) Sedeciam Regem Juda, quem (*t*) poſt XI annos expugnavit, & filios ejus ante oculos ipſius interfecit; & ſic ipſum (*u*) Sedeciam orbavit, & vinctum eum in Babyloniam duci juſſit, & in molendino conſtituit, ubi & mortuus eſt. (*x*) Et tunc adimpletum eſt de eo quod (*y*) dictum eſt à Domino per Ezechielem Prophetam; (*z*) Extendam (*aa*) retiam meam ſuper eum, & comprehendetur in concluſione, & adducam eum in Babylonem (*bb*) in terra Chaldæorum, & iſtam terram non videbit, & illic morietur. Similiter & (*cc*) Hieremias Propheta de eo & univerſo populo ejus prophetavit, dicens: Hæc dicit Dominus, Sic tradam (*dd*) Sedeciam Regem Juda, & principes (*ee*) ejus, & reſiduos (*ff*) in Hieruſalem, qui derelicti ſunt in terram iſtam, & eos qui (*gg*) habitant in Ægypto; & dabo eos in (*hh*) diſperſionem in omnia regna terræ, & in opprobrium, & in parabolam, & in odium, & in execrationem, (*ii*) in omni loco quo eos expulero; & (*kk*) immittam in eos famem, & mortem, & gladium, donec deficiant à terra quam dedi eis.

(*ll*) Undecimo itaque anno Sedeciæ (*mm*) ſuppleti ſunt ab Exodo (*nn*) anni Mille & ſex. Et tunc populus Judæorum, qui legem non obſervaverat, ſed potius contra voluntatem Dei filios ſuos idolis immolaverat, & ipſe captivus (*oo*) agitur; & civitas eorum quæ Synagogæ (*pp*) portaverat typum ſuccenſa ab adverſariis (*qq*) eradicatur; & templum illud quod in myſterio Adæ fuerat fabricatum, & ipſum à fundamentis (*rr*) ſubvertitur, & ad planum redigitur. Et ſic nobis (*ss*) qui in noviſſimis diebus credere prævidebamur, magnum (ut dixi) ſacramentum demonſtrabatur. Etenim (*tt*) ſi meruerat ipſe populus & civitas exterminari; (*uu*) Quid templum Dei (*xx*) admiſerat ut hoc pateretur? niſi quia vere conſtat (*yy*) id factum (ut (*zz*) dixi) in myſterio ejus qui prior (*aaa*) legem Dei transgreſſus eſt, & fuit pater omnium peccatorum, & (*bbb*) ideo non (*ccc*) ſolum Adæ oportebat (*ddd*) ſubveniri, ſed & omnibus peccatoribus qui filii (*eee*) fidei Abrahæ futuri prævidebantur, merito & ipſi civitati & templo priuſquam (*fff*) ſubverteretur, poſt annos LXX reſtituto, repromittebatur. Et hoc erat quod jam (*ggg*) tunc ab initio ſeculi in Abraham patrem fidei demonſtrabatur: qui cum ſuppleſſet à die nativitatis ſuæ annos LXX, non potuit de terra ſua exire, niſi in (*hhh*) ſigno Pentateuchi, cujus univerſa mandata populus Iſraël non erat obſervaturus, adjicerentur & anni V, & ſic credens Deo, (*iii*) reputaretur ei ad juſtitiam. Hic eſt itaque Abraham, de quo ſuperius diximus, quod LXXV annorum (*kkk*) credidit vocatus. Ad quos LXXV annos, adjicitur unus annus & fiunt LXXVI. Quis autem hic qui adjicitur (*lll*) annus? Ille ſcilicet qui de ſemine ejus agnus anniculus (*mmm*) immaculatus eſt dictus. (*nnn*) Igitur, de Mille & ſex, deducamus LXXVI, & remanent anni DCCCCXXX; quibus ſuppletis, Adam functus eſt (*ooo*) vita.

Poſthæc autem demonſtremus Captivitatis tempus, annorum LXX. Suppletis enim ab Exodo uſque ad Jechoniam (*ppp*) annis DCCCCLXXXXV, adjiciamus (*qqq*) XI Sedeciæ, qui anni undecim in corpore LXX annorum computantur. (*rrr*) Quo autem modo videamus. Ex quo capta eſt (*sss*) Hieruſalem, ipſe (*ttt*) Sedecias (*uuu*) (ut diximus) annis XI. (*xxx*) Poſt quem Nabuchodonoſor, qui eum in terra Chaldæorum vinctum duxit, (*yyy*) annis XXV. (*zzz*) Ulemaradan, annis (*aaaa*) XII. (*bbbb*) Balthaſar annis IIII. Et [3] Darius (*cccc*) Cyri filius, annis XVIII. (*dddd*) Fiunt in ſe, anni LXX. Et ſic Cyrus ſuſcepit (*eeee*) regnum Medorum & Perſarum.

Ipſe eſt Cyrus, cujus in principio regni, cum theſauris (*ffff*) domus Dei, reverſus eſt populus (*gggg*) Judæorum in terra ſua. (*hhhh*) Ex quo tempore oportet nos hebdomadas computare. (*iiii*) De quibus Angelum Dei meminimus (*kkkk*) Danieli dixiſſe, LXX (*llll*) hebdomades breviatæ ſunt ſuper populum tuum & ſuper civitatem illam ſanctam, ut (*mmmm*) conſummetur peccatum, (*nnnn*) & ut ſignentur peccata & (*oooo*) deleatur injuſtitia, & expientur injuſtitiæ, (*pppp*) & ut reducatur juſtitia æterna, & ut ſignetur

(*a*) *R* Joſafat. (*b*) *C.* XLV. (*c*) *C* Oozias. (*d*) *W ſic reſtituo. C & R* Godolias annis VIII. (*e*) *C* XI. (*f*) *C* XLII. (*g*) *R* Joacham. (*h*) *R* XXI. (*i*) *R* Joachas. (*k*) *C* IIII. (*l*) *R* Joachim. (*m*) *R deeſt* item. (*n*) *C* Jechonia. (*o*) *R* hi ſunt anni DCCCCLXXXXV, *omiſſis reliquis.* (*p*) *C.* DCV, *ſed calculus poſtulat*, DV. (*q*) *R* Nabuchonoſor. (*r*) *C* Babylonia. (*s*) *R* Sedechiam. (*t*) *R* per. (*u*) *R* Sedechiam inorbavit. (*x*) *R deeſt* &. (*y*) *R* dixerat dominus. (*z*) *R* & ext. (*aa*) *Sic uterque Codex.* (*bb*) *R* & in. (*cc*) *R* Jeremias *& deeſt* propheta. (*dd*) *R* Sedechiam. (*ee*) *C deeſt* ejus. (*ff*) *R deeſt* in. (*gg*) *C* inhabitant in. (*hh*) *R* diſſipationem. (*ii*) *C* & in locum ubi. (*kk*) *R* mittam. (*ll*) *R* XI itaque annis ſuppleti ſunt Ezechiæ ab Exodo anni ϖ VI ut &. (*mm*) *C* ſuppletæ. (*nn*) *C deeſt* anni. (*oo*) *C* agetur. (*pp*) *R* portabat. (*qq*) *R* traditur. (*rr*) *C* ſubvertetur ad planum redigetur. (*ss*) *C deeſt* qui. (*tt*) *C* ſic. (*uu*) *C.* Quod. (*xx*) *C* amiſerat. (*yy*) *W ſic reſtituo. Uterque Codex* eum. (*zz*) *R* dixit. (*aaa*) *C* legis. (*bbb*) *C* odio. (*ccc*) *R* ſolo. (*ddd*) *C* ſubvenire. (*eee*) *C deeſt* fidei. (*fff*) *C* ſubverterentur. (*ggg*) *C deeſt* tunc. (*hhh*) *R* ſimilitudine. (*iii*) *R* deputaretur ei juſtitia. (*kkk*) *C* credens. (*lll*) *R* unus. (*mmm*) *C* immolatus eſt. Dictus. (*nnn*) *R* legitur ϖ VI. (*ooo*) *C* vitam. (*ppp*) *C* anni. (*qqq*) *C.* XL, *& deeſt* Sedechiæ. (*rrr*) *C* qui. (*sss*) *R* Hyeruſalem, *& ſic ſæpe.* (*ttt*) *R* Sedechias, *& ſic ſemper. C ſemper* Sedecias. (*uuu*) *R deeſt* ut diximus. (*xxx*) *C* cujus poſt mortem poſtquam Nab. (*yyy*) *C* anni. (*zzz*) *R* vitæ Marodat. (*aaaa*) *R* XI. (*bbbb*) *C* Baldaſar. (*cccc*) *R* Aſiriæ. (*dddd*) *R* ſunt. (*eeee*) *C* ſuſcipit. (*ffff*) *R deeſt* domus. (*gggg*) *R deeſt* Judæorum. (*hhhh*) *C* ex ipſo enim. (*iiii*) *R* de ipſis enim. (*kkkk*) *R* Danielo. (*llll*) *C* hebdomadæ. (*mmmm*) *R* conſumetur. (*nnnn*) *C deeſt* & ut ſignentur peccata, *& mox* & expientur injuſtitiæ. (*oooo*) *R* deleantur injuſtitiæ. (*pppp*) *C deeſt* ut.

[1] *Annis* VIII.] Retineo Athaliæ (quam Godoliam vocat uterque Codex) annos 8, (utut nunc 6, nunc 7, memorentur 2 Chron. 22. 12. & 23. 1. & 24. 1. & alibi,) quoniam hoc exigere videtur hujus calculus; atque alii Chronologi ſaltem 7 numerant; & uterque Codex conſentit.

[2] *Ab Exodo autem* DCCCCLXXXXV.] Numeros paſſim vitioſos, reſtituimus ex S. Scripturæ locis, quos reſpiciunt. Atque, ſic emendati, exhibent (quem ille vult) numerum 995. Numeratis, ſcilicet, Davidis 6 menſibus, & Joachazi tribus, & Jechoniæ tribus menſibus cum decem diebus (pro quibus ponit hic 100 dies,) pro uno anno integro.

[3] *Darius Cyri filius.*] *W.* id eſt Gener: ut cui nupſerat Atoſſa Cyri filia.

[1] *Heb-*

ſignetur viſio & (*a*) prophetia, & ut ungueatur ſanctum ſanctorum. Et cognoſces & intelliges ab exitu ſermonis ut (*b*) reſpondeatur & (*c*) ut ædificetur Hieruſalem uſque ad Chriſtum ducem, (*d*) hebdomades VII & hebdomades (*e*) LXII; (*f*) & convertetur & ædificabitur platea, & murus, & exinanientur tempora: & poſt hebdomadas has (*g*) LXII, diſperibit unctio, & judicium non eſt in eo: & civitatem, & illum ſanctum corrumpet cum illo duce qui veniet, & excidentur in cataclyſmo, & uſque ad finem belli breviati (*h*) exterminii. (*i*) Et (*k*) confirmabit, teſtamentum multis hebdomas una: (*l*) & in dimidio hebdomadis auferetur meum ſacrificium & libatio, (*m*) & ſuper (*n*) illum ſanctum (*o*) execratio vaſtationum, & uſque ad conſummationem temporis conſummatio dabitur ſuper hanc vaſtationem.

Et (*p*) confirmabit, inquit, teſtamentum multis [1] hebdomas una. Hæc eſt (*q*) ergo hebdomas una quam ſegregavit Angelus (*r*) de LXX, & poſuit in noviſſima ſeculi tempora. Quam hebdomadam recognoſcimus habere annos ſeptem: in quibus oportet primo Enoch & Eliam venire, & per (*s*) ſuam prophetiam magnæ multitudini Evangelium, id eſt novum teſtamentum, confirmare. (*t*) Sic etenim audivimus Angelum (*u*) Danieli dixiſſe, (*x*) confirmabit teſtamentum multis hebdomas una. Et in dimidio, inquit, hebdomadis auferetur meum ſacrificium & libatio. Dimidium autem hebdomadis, tempus & tempora & dimidium temporis oſtendit; quod eſt triennium & menſes ſex; (*y*) qui fiunt dies, ſecundum (*z*) Apocalypſin, mille CCLX. In quibus diebus ille Antichriſtus magnam faciet vaſtationem: & ideo tunc nemo Chriſtianorum poterit Deo ſacrificium offerre, quoniam ipſe (*aa*) nequiſſimus incipiet in templo Dei (*bb*) ſedere, & ignorantibus (*cc*) ſe Deum affirmare: quem oportet Jeſum (*dd*) Dominum & Salvatorem noſtrum ſpiritu oris ſui interficere, & præſentia adventus ſui evacuare, & in ipſo mundum conſummare: ſicut ſcriptum eſt. Et ſuper illud ſanctum execratio (*ee*) vaſtationum, & uſque ad conſummationem temporis conſummatio dabitur (*ff*) ſuper hanc vaſtationem.

(*gg*) Poſt hæc revertamur ad VII, & ſic ad (*hh*) LXII hebdomadas. Quæ ſeptem hebdomadæ continent annos XLVIIII; quibus ſuppletis, illo in tempore & Hieruſalem reſtituta cognoſcebatur, & platea per medium ejus ædificata conſiderabatur, murus in circuitu civitatis ipſius erectus, illa omnia quæ intus erant fortiter (*ii*) tuebatur: In qua civitate templum illud quod in (*kk*) ſimilitudine Adæ fuerat deſtructum; in (*ll*) nomine ejus iterum (*mm*) per XLVI annos eſt ædificatum, & in (*nn*) ſacramento Spiritus ſancti oleo eſt unctum; quomodo ab Angelo fuerat dictum. Ut (*oo*) conſummetur viſio & (*pp*) prophetia & (*qq*) ungueatur (*rr*) ſanctum ſanctorum. (*ss*) Ipſum autem fuit ſanctum ſanctorum in imaginem hominis (*tt*) unctum, quod cum ipſa civitate, (*uu*) pro infidelitate Judæorum ab ipſo Domino noſtro iterum temporibus Veſpaſiani eſt exterminatum. (*xx*) Sic fuerat enim in eodem capitulo quod exponimus ſcriptum, & poſt (*yy*) LXII hebdomadas (*zz* diſperibit unctio & judicium non eſt in eo, & civitatem & illud ſanctum corrumpet cum illo duce qui veniet, (*aaa*) & excidentur (*bbb*) in cataclyſmo, (*ccc*) & uſque ad finem belli breviati, (*ddd*) exterminii. Excidentur, (*eee*) inquit, in cataclyſmo. De quibus hoc (*fff*) dixit? Utique de ipſis Judæis, qui poſt adventum Chriſti (*ggg*) in illa (*hhh*) obſidione & (*iii*) expugnatione Veſpaſiani exciſi & ejecti ſunt de civitate ſua, in qua jam non redeunt nec (*kkk*) in ipſa fine belli breviati. (*lll*) Quod eſt autem (*mmm*) hoc bellum breviatum? niſi Antichriſti regnum quod exſurgere habet contra populum Chriſtianorum. (*nnn*) Ipſi ſunt dies de quibus ait (*ooo*) Dominus in Evangelio, Et niſi abbreviati eſſent dies illi non liberaretur omnis caro.

Reſtitutum eſt (*ppp*) ergo templum in nomine Protoplaſti, qui dictus eſt Adam, (ſicut (*qqq*) ſuperius diximus) (*rrr*) annis XLVI. Sic autem oſtenditur in nomine Adam: cum apud Græcos prima litera nominis ejus (*sss*) dicatur Alpha μία, ſecunda autem Delta (*ttt*) τέσσαρες, iterum Alpha μία, quarta My παραφάκοντα, & (*uuu*) fit numerus ſex & quadraginta. Qui numerus annorum ſic (*xxx*) comprehendetur. Cum (*yyy*) à die illo quo reverſus eſt in terra ſua Judæorum populus, regnavit Cyrus Perſarum annis XXXI: poſt quem * Cambiſes annis VIIII, & impleti ſunt XXXX. Poſt annos autem XL, regnat (*zzz*) Smerdis Magus, menſibus (*aaaa*) ſeptem; qui menſes à nobis non computantur; (*bbbb*) quare? quoniam in ſeptimo menſe Cyri fundamenta Templi (*cccc*) poſuerunt, (*dddd*) & exinde uſque ad annum ſecundum Darii opus (*eeee*) in eo non (*ffff*) confecerunt. Tunc prophetant Aggeus & Zacharias; per quos exhortatus eſt eos Dominus, & unanimes acceſſerunt, & in quadriennio reſiduum opus Templi conſummaverunt. Quod ipſum quidem in primo libro (*gggg*) Eſdræ manifeſte demonſtratur, quod ſexto anno Darii Templum Dei (*hhhh*) ſit per omnia conſummatum. Ad XXXX adjiciamus (*iiii*) Darii VI & fiunt XL & VI. Quibus annis adjecti ſunt tres in myſterio Paſſionis & Reſurrectionis Chriſti, & impleta eſt (*kkkk*) hebdomada ſeptima. Et tunc (*llll*) platea & Templum & murus & ipſa civitas, quadrageſimo & nono anno ſuppleto, per omnia perfecta & (*mmmm*) munita demonſtrabatur. Sed hoc totum opus in ſacramento Eccleſiæ perficiebatur.

Deni-

(*a*) *C* prophetiæ, & ſanctus ſanctorum. (*b*) *R* reſponderetur. (*c*) *C* ædificaretur. (*d*) *C* hebdomadas. (*e*) *W ſic reſtituo. C & R* LXXII. *& ſic aliquoties.* (*f*) *C deeſt* & convertetur & ædificabitur platea, & murus; & exinanientur tempora, & poſt hebdomadas has LXII. (*g*) *R* LXXII. (*h*) *C* & exterminiis. (*i*) *R* ſed. (*k*) *C* confirmavit. (*l*) *C* & dimidia hebdomadas. (*m*) *C deeſt* &. (*n*) *R* illud. (*o*) *C* ab initio. (*p*) *C* confirmavit. (*q*) *C* hebdomada, *& deeſt* ergo. (*r*) *R* DCLXX. (*s*) *C* eorum. (*t*) *C* ſicut aud. (*u*) *R* Danielo. *C* à Daniele. (*x*) *C* & confirmavit. (*y*) *R* quis dies. (*z*) *R* Apocalypſi in. (*aa*) *R* Antichriſtus. (*bb*) *R* conſedere. (*cc*) *R* dominum ſe adfirm. (*dd*) *C* Chriſtum &. (*ee*) *C* vaſtationis. (*ff*) *C* & ſuper. (*gg*) *R* poſt hoc. (*hh*) *R* LXXII. *C.* LXX & duas. (*ii*) *R* tuebantur. (*kk*) *C* ſimilitudinem. (*ll*) *C* omine. (*mm*) *C deeſt* per XLV annos eſt ædificatum. (*nn*) *C* ſacramentum. (*oo*) *C* conſummaretur. (*pp*) *C* prophetiæ. *R* propheta. (*qq*) *R* ungeatur. (*rr*) *C* ſanctus. (*ss*) *Sic reſcribo, ſed C & R* ipſud. (*tt*) *C* victum. (*uu*) *W ſic ſcribo. C* cum. *R* per. (*xx*) *C* quomodo & fuerat in eunde capitulo quem expoſuimus. *R* quem exponimus. *W. reſcribo* quod. (*yy*) *R* LXXII. *C* LXX & una. (*zz*) *C* peribit. (*aaa*) *C deeſt* &. (*bbb*) *C deeſt* in. (*ccc*) *C deeſt* &. (*ddd*) *R* ex terminis. (*eee*) *R* in quid in cataclyſmo diluvii. (*fff*) *R* dicitur. (*ggg*) *C deeſt* in. (*hhh*) *C* ob ſeditione. (*iii*) *R* pugnatione. (*kkk*) *C deeſt* in. (*lll*) *R* quod autem & in hoc. (*mmm*) *C deeſt* hoc. (*nnn*) *C* ipſæ. (*ooo*) *R* Deus. (*ppp*) *R* igitur. (*qqq*) *R* ſupra. (*rrr*) *R* poſt annos xxx & VI. (*sss*) *R* dicitur à alfamia, ſecunda autem delta teſſeres tertia iterum alfamia & quarta mi teſſera conta. (*ttt*) *C* τέσσαρας. (*uuu*) *R* ſic. (*xxx*) *R* comprehenditur. (*yyy*) *R* adjecto illo. * *C* Meabeſſes. (*zzz*) *Sic reſcribo. R* Zmeridius. *C* Hyſmerius. (*aaaa*) *C* VI. (*bbbb*) *C deeſt* quare? (*cccc*) *R* poſuerat. (*dddd*) *R deeſt* in. (*eeee*) *C* meum. (*ffff*) *R* fecerat. (*gggg*) *R* Heſdræ. (*hhhh*) *R* per omnia ſit. (*iiii*) *R deeſt* Darii. (*kkkk*) *C* hebdomades. (*llll*) *C* plateas. (*mmmm*) *R* protecta.

[1] *Hebdomas una.*] *U.* vid. Hippolyt. apud Hieron. Dan. 9.

[x] *De*

Denique videamus quid ipſi XLVIIII anni ſignificent. Non ſine cauſa enim Deus voluit in ſeptem (*a*) hebdomadibus tam magnum, id eſt (*b*) propheticum opus (*c*) conſummari. Hoc autem (*d*) modo (*e*) propheticum fuiſſe (*f*) intelligitur: cum de XLVIIII annis, in nomine Jeſu Chriſti, decem & octo (*g*) ſegregantur, & remanent XXXI: quibus ſuppletis, Chriſtus Jeſus propter credentium ſalutem paſſus eſt & reſurrexit, & per ſemetipſum omnia perfecta oſtendit; & templum quod non humanis ſed ſuis ſacris manibus (*h*) ſecundum imperium Patris ſui (*i*) formavit, non oleo ſed ſpiritu Dei unxit; & civitatem, id eſt Eccleſiam, lapidibus ſanctificatis ædificavit, & in ipſa (*k*) plateam conſtituit. Platea autem eſt via recta (*l*) & plana, in qua ambulantes perveniunt ad vitam æternam. Huic civitati fortem & inexpugnabilem murum, id eſt ſanctum nomen ſuum, conſtituit: per quod nomen omnes adverſarios pedibus ejus ſubjicit. (*m*) Ecce, Dei gratia, quam præclara & admirabilia (*n*) nobis oſtenſa ſunt per annos XXXXVIIII. Qui (*o*) anni è contrario infidelibus, & perſecutionem ſervis Dei facientibus, magnam demonſtrant ſuperventuram calamitatem. (*p*) Qua autem ratione videamus. Hic (*q*) enim mundus in quo juſti & injuſti (*r*) ab initio ſeculi converſantur, ſex diebus eſt conſummatus; quibus ſuppletis benedictus eſt dies ſeptimus; (*s*) ille ſcilicet ſuperventurus ſabbati æterni. In his itaque diebus ab initio, non tantum diabolo & angelis (*t*) ejus, ſed & omnibus peccatoribus à Deo ignis eſt præparatus. In cujus flamma uri ille Fınæus dives (*u*) ab ipſo Dei filio eſt demonſtratus. Hic eſt (*x*) gehennæ ignis; in cujus (*y*) ſimilitudine caminus imperio Regis ſepties tantum incenſus per XXXX & VIIII cubita (*z*) excrevit, & adverſarios Ananiæ, Azariæ, & Miſahel conſumpſit, & (*aa*) ipſos tres pueros à Dei filio protectos, (in myſterio noſtro qui ſumus tertium genus (*bb*) hominum,) non vexavit, (*cc*) ſuppletis itaque XXXXVIIII annis, poſt (*dd*) LXX captivitatis, facti ſunt anni (*ee*) CXVIIII. Qui CXVIIII anni conjunguntur illis qui ab Exodo uſque ad Jechoniam computati ſunt anni DCCCCXCV, & fiunt in ſe anni uſque ad Hieruſalem reſtitutam, ſuppleta ſeptima ſeptimana, (*ff*) anni I. CXIIII.

Septima (*gg*) autem ſeptimana ſuppleta, neceſſe eſt nos ad (*hh*) LXII (*ii*) hebdomades (*kk*) converti: quæ continent annos CCCCXXXIIII. Quibus ſuppletis oportuit Chriſtum ſecundum carnem naſci. [1] De quo (*ll*) in continenti Simeon, vir juſtus, portans eum (*mm*) ſuis manibus, dixit ad Mariam matrem ejus, Ecce hic poſitus eſt in caſum & reſurrectionem (*nn*) multorum in Iſraël, & in ſignum cui (*oo*) contradicetur. Non tantum autem Simeon ſed & ipſi (*p p*) CCCCXXX & IIII anni, & ſignum crucis, & tempus paſſionis, & tertium diem reſurrectionis ejus demonſtraverunt. (*qq*) Quo autem modo videamus. Superius enim diximus, Abrahæ centenario natum filium in myſterio Chriſti; & demonſtravimus neminem in Iſraël benedictionem conſecutum, aut nunc modo poſſe benedictionem conſequi, niſi in ſemine ipſius Abrahæ, qui eſt (*rr*) Chriſtus. Et ideo in ſacramento Chriſti (*ss*) de CCCCXXXIIII annis primo ſegregantur Centum, & remanent (*tt*) CCCXXXIIII. (*uu*) Anni CCC ſcilicet oſtenderunt (*xx*) T crucis ſignum, & remanſerunt XXXIIII: (*yy*) de quibus deductis (*zz*) III propter (*aaa*) diem reſurrectionis ejus, remanſerunt anni (*bbb*) XXXI. Quibus ſuppletis, oportuit propter peccata credentium pati Chriſtum. (*ccc*) Ipſos igitur (*ddd*) CCCCXXXIIII annos adjiciamus ad ſummam ſuperiorem, & inveniamus annos ab Exodo uſque ad nativitatem (*eee*) Chriſti, (*fff*) Mille DXLVIII. Cujus nativitatis tempus cognoſcere deſiderantes, ipſos annos M DXLVIII ab Exodo, (*ggg*) id eſt à primo pinacis verſu, diligenter (*hhh*) dinumeremus, & ad diem nativitatis ejus perveniemus. [2] Qui dies ſexta (*iii*) Sedecennitate in tertio decimo verſu invenitur, (*kkk*) V Kl. April. feria IIII.

O quam præclara & divina Domini providentia! (*lll*) ut in illo die quo factus eſt Sol, in ipſo die naſceretur Chriſtus, V Kl. Apr. feria IIII. Et ideo de ipſo (*mmm*) merito ad plebem dicebat Malachias Propheta, Orietur vobis Sol juſtitiæ, & curatio eſt in (*nnn*) pennis ejus. Hic eſt Sol juſtitiæ cujus in (*ooo*) pennis curatio præoſtendebatur. De quo & Moyſes in Cantico (*ppp*) recognoſcitur dicens, Et ſuper (*qqq*) pullos ſuos concupivit (*rrr*) & expandens alas ſuas. Ipſe eſt Dominus in cujus (*sss*) ſimilitudine hic Sol annuus per CCCLXV (*ttt*) dies & quartam partem (*uuu*) diei conſummat. Quæ ipſa quidem [3] pars quarta diei habet tres horas. Tres autem horæ imaginem portant illorum trium dierum qui in principio ſeculi ſine Sole & Luna (*xxx*) fuerunt. Et ideo, (*yyy*) quomodo tres horæ in (*zzz*) quadriennio quater computatæ unum diem duodecim horarum (*aaaa*) effecerunt: ſic & ipſi tres dies [4] per quatuor tempora ternos menſes ſibi (*bbbb*) defendentes annum poſt XII menſes ſuppletum demon-

(*a*) *R* hebdomadas. (*b*) *R* perfectum. (*c*) *R* conſommari, & *ſic ſæpe*. (*d*) *C deeſt* modo. (*e*) *R* perfectum. (*f*) *R* igitur. (*g*) *C* congregantur. (*h*) *R* ob imperio. (*i*) *R* plaſmavit. (*k*) *R deeſt* plateam conſtituit. (*l*) *R deeſt* & plana. (*m*) & ecce. (*n*) *C inſerit* nobilia. (*o*) *C* animæ cont. (*p*) *C* quia autem rationem. (*q*) *R* etenim. (*r*) *R* habitatione. (*s*) *C* illi ſcil. *R* ille. (*t*) *R* erit. (*u*) *C* ab initio, & *deeſt* Finæus. (*x*) *C* Gehenna. (*y*) *C* ſimilitudinem. (*z*) *R* exercuit. (*aa*) *C* ipſus .... puerus .... protectus, & *deeſt* à. (*bb*) *C deeſt* hominum. (*cc*) *C* impletis. (*dd*) *C* captivitatem. (*ee*) *R*. CXIIII. (*ff*) *C deeſt* anni. (*gg*) *C deeſt* autem. (*hh*) *C*. LXXII. (*ii*) hebdomas. (*kk*) *C* reverti. (*ll*) *C* contenentiſſimus. (*mm*) *C* manibus ſuis. (*nn*) *W ſic reſcribo*. *C* & *R* mortuorum. (*oo*) *R* contradicitur. (*pp*) *C*. ccccxxiiii. (*qq*) *C* quo autem quo modo. (*rr*) *R* Chriſti. (*ss*) *R* ccccxxxvii anni. (*tt*) *R* cccxxxvii. (*uu*) *R* Trecentis. (*xx*) *R* crucis ſignum, *omiſſo* T. *C* T Tau ſignum, *omiſſo* crucis. (*yy*) *C* ex. (*zz*) *R* tres. (*aaa*) *C deeſt* diem. (*bbb*) *C* xxxiii. (*ccc*) *R* his enim igitur. (*ddd*) *C* cccxxxiiii. (*eee*) *R* domini. (*fff*) *R* ꝏ dxxxviii. (*ggg*) *R deeſt* id eſt à primo pinacis verſu. (*hhh*) *R* dinumeramus. (*iii*) *R* ſedecennitas. (*kkk*) *C deeſt* V Kl. April. feria IIII. (*lll*) *C deeſt* ut in illo die quo factus eſt ſol, in ipſo die naſceretur Chriſtus, V Kl. April. feria IIII; & ideo de ipſo. (*mmm*) *R deeſt* merito. (*nnn*) *C* pinnis. (*ooo*) *C* pinnis ejus cujus oſtendebatur. (*ppp*) *C* cognoſcitur. (*qqq*) *R* populum ſuum concupivit. (*rrr*) *R* ſpandens alas. (*sss*) *C* ſimilitudinem. (*ttt*) *C deeſt* dies. (*uuu*) *C* dies. (*xxx*) *C* factus ſunt. (*yyy*) *C deeſt* quomodo. (*zzz*) *R* quadriennium. (*aaaa*) *C* efficiunt; ut & ipſæ III horæ diem. (*bbbb*) *C* & *R* defendentes. *G* dependentes.

[1] *De quo in continenti Simeon.*] C. *contenentiſſimus*. U. *continentiſſimus*. νϑνεχέστ]ϖ, pro quo Interpres (ſi forte fuerit interpres) legerat συνεχέστ]ϖ. G. imo *contentiſſimus*, ut ſorte ſua contentus: Et Simeon ipſe dixit, *Domine nunc dimittis ſervum tuum in pace, quoniam oculi* &c.

[2] *Qui dies*] *W*. Nativitatem Chriſti, contra receptam ſententiam conjicit in Martii diem XXVIII: niſi forte, quæ de Nativitate dicit, ſint de Conceptione intelligenda; quæ circa hoc tempus contigiſſe creditur; Nempe Mart. XXV.

[3] *Pars quarta diei habet tres horas.*] *W*. Imo ſex horas: nam hic agitur de die 24 horarum. Niſi vel totum νυχθήμερον diviſum velit in 12 horas, (noſtrarum duplas;) vel tres horas Diurnas, velit à totidem Nocturnis diſtinguere, quarum hic nullam rationem habeat.

[4] *Per quatuor tempora*] *W*. id eſt, quatuor vicibus, ſeu quater.

demonſtraverunt (*a*). Et ſic, per hanc multiformem trinitatem, & ipſe (*b*) duodecim horæ Evangelium unum in quatuor partes diviſum oſtenderunt, (*c*) & tres menſes per quatuor tempora, id eſt per quatuor (*d*) Evangelia, à Chriſto (*e*) electos XII Apoſtolos nobis (*f*) demonſtraverunt.

Hi ſunt Apoſtoli, quorum ſermonibus ædificati recognovimus Dominum noſtrum anno (*g*) ſextodecimo imperii Tiberii Cæſaris paſſum, cum eſſet ipſe (*h*) annorum (*i*) XXXI. Ad (*k*) XVI ergo (*l*) annum & XXXI, adjiciamus XVIII in nomine ipſius Jeſu, & fit numerus LXV; (*m*) quibus deſunt trecenti ut impleatur annus ſecundum (*n*) curſum Solis. CCC autem apud Græcos (*o*) per unam literam notantur quæ dicitur (*p*) Tau, & manifeſte demonſtrat omnibus (*q*) Tau crucis ſignum. (*r*) Ecce iterum jam vere credamus quod V Kl. April. ſecundum carnem natus ſit Chriſtus: in quo die probavimus ſolem factum.

Debemus oſtendere (*s*) & id ipſum non fuiſſe (*t*) vacuum, ſed (*u*) in ſalutem noſtram fuiſſe præoſtenſum. In die enim quarto quando factus eſt Sol, ipſo die & Luna facta eſt XV, (*x*) altero autem die fuit XVI, tertio vero XVII: & ſic plaſmatus eſt Adam de terra, qui per ſuam inobedientiam non tantum ſibi ſed & nobis arceſſierat mortem: (*y*) quam mortem Dominus noſter Jeſus conculcans, paſſus eſt luna XV; & requievit in corde terræ XVI; tertio autem die, luna XVII inventa, (*z*) reverſus eſt ab inferis, de terræ fundamentis; & ſic ipſi Adæ & omnibus credentibus in ſe reſtituit vitam æternam. Quomodo (*aa*) ergo per curſum ſolis (*bb*) ſignum Tau & tempus Paſſionis demonſtratum eſt: ſic & per curſum lunæ tertius dies reſurrectionis ejus evidenter oſtenſus eſt. A die enim (*cc*) primo in quo facta eſt luna quintadecima, exinde per dies (*dd*) XV viſa eſt in cœlo; ſextodecimo autem die, ſicut in anno XVI imperii Tiberii Cæſaris, velut mortua non (*ee*) eſt ab hominibus viſa; ſimiliter (*ff*) & XVII (*gg*) die non eſt viſa: (*hh*) Duodevigeſimo autem, in (*ii*) ſimilitudine & in nomine ipſius Jeſu, & ipſa poſt (*kk*) tertiam diem ad veſperam reſtituta reſurrexit, & noſtram omnium reſurrectionem futuram ad veſperam, id eſt (*ll*) in noviſſima ſeculi hora (*mm*) demonſtravit.

Ecce igitur (*nn*) quanta nobis dies nativitatis Domini oſtendit? Qui (*oo*) nativitatis dies ab Exodo repertus eſt (*pp*) (ut diximus) poſt annos I. DXLVIII. Quos annos (*qq*) ab Exodo ſic vere à nobis collectos (*rr*) oſtendimus, cum & ipſorum annorum rationem non eſſe vacuam demonſtramus. (*ss*) Dominus enim ſanctus & divinus ut oſtenderet nobis quoniam futurorum eſt præſcius, & in ipſis annis manifeſtavit tempus in quo oportebat (*tt*) à filio ejus aquam quæ abluit peccata, XV anno imperii Tiberii Cæ-

(*a*) *C* dinumeraverunt. (*b*) *R deeſt* duodecim. (*c*) *C* æterni, *forte* & terni. (*d*) *R* evangeliſtas, electos à Chriſto XII Apoſtolos. (*e*) *C* electus Apoſtolus. (*f*) *R* manifeſtaverunt. (*g*) *C* XV. (*h*) *R* anno. (*i*) *C*. XXX & uno. (*k*) *C*. XV. (*l*) *R deeſt* annum &. (*m*) *R* quibus CCC. (*n*) *C deeſt* curſum. (*o*) *R* pro una litera. (*p*) *C* τ Tau crucis ſignum, & man. (*q*) *R* crucem ſignum. (*r*) *C deeſt* Ecce iterum jam vere credamus quod V Kl. April. ſecundum carnem natus ſit Chriſtus: in quo die probavimus ſolem factum. (*s*) *C deeſt* & id. (*t*) *C* unicum. (*u*) *R deeſt* in. (*x*) *C* quæ altero die. (*y*) *R* iniquam quam. (*z*) *C* aſcendit ab. (*aa*) *R* autem. (*bb*) *R* curſum temporis paſſionis. (*cc*) *C* plurimo. (*dd*) *R* XII. (*ee*) *C deeſt* eſt. (*ff*) *C deeſt* &. (*gg*) *R deeſt* die. (*hh*) *R* XVIII. (*ii*) *C* ſimilitudinem & in nomen. (*kk*) *R* tertium. (*ll*) *R deeſt* in. (*mm*) *R* monſtravit. (*nn*) *C* quis tanta nobis oſtendit dies nat. dom. (*oo*) *C deeſt* nativitatis. (*pp*) *R* poſt annos, ut diximus. (*qq*) *R deeſt* ab exodo. (*rr*) *C* oſtendemus. (*ss*) *C* oſtendit qui futurorum eſt præſcius. (*tt*) *C* filium ejus aqua.

IV. Chronologiæ Synopſis.

Anni ab Exodo.	
In Eremo	40
Judices	450
Reges ad Jechoniam	505
Ad captam Judæam	995
Sedecias	11
Ad conflagrationem Urbis & Templi	1006

Captivitas.	
Sedecias	11
Nabuchodonoſor	25
Ulemaredan	12
Baltaſar	4
Darius	18
	70
Ab Exodo ad Captivitatem	995
Captivitas	70
7 Hebdomades	49
Ad Templum reſtauratum	1114
62 Hebdomades	434
Ad Chriſtum natum	1548
Chriſti vita	31
Ad Paſſionem	1579
Ad Gordiani quintum	215
Summa omnium	1794

Reges.	
Saul	40
David	40 ½
Solomon	40
Roboam	17
Abia	3
Aſa	41
Joſaphat	25
Joram	8
Ochozias	1
Godolias	8
Joas	40
Amaſias	29
Ozias	52
Joathas	16
Achas	16
Ezechias	29
Manaſſes	55
Amon	2
Joſias	31
Joachaz	0 ¼
Joachim	11
Jechonias	0 ¼
	505

Reſtauratio Templi.		
Nomen Adæ	α	1
	δ	4
	α	1
	μ	40
		46

7 Hebdomades	
Cyrus	31
Cambiſes	9
Smerdis	0
Darius, (2 & 4)	6
Reſtauratio Templi	46
Myſterium Paſſionis	3
	49

C. Centenarius, Triplicatus CCC.	300	τ Signum crucis
Reliqui XVIII	18	ιη Nomen Jeſu
Vernæ Abrahæ	318	τιη

Cæſaris, ſanctificari. Et ideo quomodo Abraham quando expugnare voluit (*a*) eos qui Loth filium fratris ejus captivum (*b*) duxerunt, (*c*) numerabat vernaculos ſuos primum XVIII in nomine Jeſu; & (*d*) alios propter centenariam generationem, in ſacramento trium dierum (*e*) triplicans, numeravit CCC, & fecit (*f*) τ Tau ſignum crucis: ita & nos (*g*) de I. DXLVIII annis, quindecies centenos deducamus, & remanent XLVIII: ex quibus in nomine Jeſu (*h*) ſublatis XVIII, inventi ſunt anni XXX: quibus ſuppletis, Dominus Jeſus à nativitate ſua baptizatus eſt à Johanne anno quintodecimo imperii Tiberii Cæſaris: cujus anno ſextodecimo paſſus eſt & reſurrexit. Adjiciamus ergo iterum ad ſummam annos XXXI, & fiunt in ſe omnes ab Exodo uſque ad Paſſionem anni (*i*) I. DLXXVIIII. A quo tempore, id eſt à Paſſione, uſque ad annum quintum (*k*) Gordiani, [1] (*l*) Arriano & Papo Conſulibus, [2] ſuppleti ſunt anni (*m*) CCXV. Ab Exodo autem omnes anni (*n*) I. DCCXCIIII.

Hos autem annos omnes ab Exodo, id eſt à primo pinacis verſu, (*o*) ſuper ſeptem ſedecennitates illos uſque numerando, omnes annos ſupradictos conſummemus, & tunc (*p*) ad tertium verſum primæ ſedecennitatis (*q*) pervenientes, inveniemus ſecundum Judæos Paſcha (*r*) XII Kal. Apr. feria tertia. Secundum nos autem, (*s*) tertio verſu primæ ſedecennitatis, VII Kal. Apr. occurrit Dominicus. Ipſo itaque ordine in priora ambulantes uſque in finem ſeculi, Judæorum & Chriſtianorum dies Paſchæ (*t*) invenire volentes non erravimus. (*u*) Ac propterea Deo Patri omnipotenti, qui nos ad gratiam tantam vocavit, & divina ſacramenta manifeſtavit, per Jeſum Chriſtum filium ejus, Dominum (*x*) & Salvatorem noſtrum ſemper ſine ceſſatione gratias agamus.

F I N I S.

(*a*) *R deeſt* eos. (*b*) *R* duxerat. (*c*) *R* numeravit vernas ſuos primo CCCXVIII. (*d*) *C* alium. (*e*) *C* replicans. (*f*) *R* † ſignum †. (*g*) *C* in. (*h*) *R* ſublati. (*i*) *W ſic reſtituo ex calculo*; *C*. I. DLXXXVIII. *R* $\overline{\infty}$DLXXIIII. (*k*) *R* Gordianum. (*l*) *C* Ariani & Papæ Conſuu, *lego* conſulatu. (*m*) *R* ccxx. (*n*) *W ſic reſtituo*. *C*. I. DCCXCVIII. *R* $\overline{\infty}$DCCXCVIIII. (*o*) *R* per ſeptem ſedecennitates pervenientes, inveniemus. (*p*) *W ſuppleo* ad. (*q*) *W ſuppleo ex altero codice* pervenientes. (*r*) *R* VIIII Kl. Apr. feria ſexta. (*s*) *R* Octavo. (*t*) *C deeſt* invenire volentes. (*u*) *C* hac. (*x*) *C deeſt* &.

[1] *Ariano & Papo conſulibus.*] *W.* Ad hunc annum, qui eſt Æræ vulgaris 243, perducitur calculus. Quo anno Cyprianus nondum ſe Chriſtianum profeſſus perhibetur; ſed uno aut altero anno ſerius. An autem eo anno ſcriptus fuerit hic tractatus quo terminatur calculus; non liquet. Ut à Cypriano, nondum Chriſtiano, tunc ſcriberetur, haud putandum eſt. Si itaque hunc habeat Auctorem, ſerius aliquanto ſcriptum fuiſſe, poſtquam ille factus eſt Chriſtianus, dicendum erit. Et quidem raro accidit ut Chronicorum Scriptores ad eum ipſum annum quo ſcribunt res perducant, ſed ad annum aliquem inſigniorem, paulo præteritum. Quod & hic factum eſſe videtur: Nimirum ad annum Gordiani Imperatoris ultimum. Quippe cujus annus quintus deſinit, & ſextus incipit, anno conſulatus Arriani & Papi. Annoque ſexto inchoato, ſed non perfecto, ante aliud Paſcha, à Philippo Arabe, qui ſucceſſit, occiſus eſt; & quidem (referente Julio Capitolino) eiſdem adhuc, Ariano & Papo Conſulibus.

[2] *Suppleti ſunt anni* ccxv.] *W.* in hoc numero variant Codices. Codex *C*. habet ccxv, & quidem rectius. Cum enim uterque mortem Chriſti aſſignet anno Tiberii xvi, qui eſt Æræ vulgatæ Dionyſianæ, annus 29: inde ad Conſules Arrianum & Papum, qui eſt ejuſdem æræ annus 243; ſunt anni 214, aut (utriſque extremis computatis) 215. At Codex *R*. habet ccxx: adeoque ab Exodo numerat annos $\overline{\infty}$ccxcviiii, pro $\overline{\infty}$ccxciii; & Judæorum Paſcha pro illo anno, quærit (non ut Codex *C*, in tertio verſu ſed) in verſu Octavo primæ Sedecennitatis; ponitque (non, ut *C*, xii Kl. Apr. feria iii; ſed) viiii Kl. Apr. feria vi: Sed in hoc conſentiunt (quod utrique anno commune eſt) quod Paſcha noſtrum, dominico proxime ſequente, fit vii Kal. Apr. Sive enim xii Kal. Apr. hoc eſt Martii 21, fuerit Tertia feria; ſive ix Kal. Apr. hoc eſt Martii 24, feria ſexta: erit vii Kal. Apr. hoc eſt Martii 26, dies dominicus. Sed erroris cauſam hanc fuiſſe conjicio. Uterque Codex, Nativitati Chriſti, aſſignat annum ab Exodo MDXLVIII: & uterque conſentit, addendos eſſe, pro paſſione, annos xxxi; qui conficiunt quidem annos MDLXXVIIII; ſed Codex *R*. (excidente V) *fiunt*, inquit, *anni* MDLXXIIII. Cumque librarius (de hoc ſecurus) viderat, aliis computantibus, ad illum Gordiani annum eſſe, ab Exodo, annos MDCCXCIIII, differentiamque viderit annorum (non ccxv, ſed) ccxx; hunc numerum iſti intervallo aſſignavit: interpolatis hic annis v, qui illic exciderant. His autem ſic poſitis; animadvertit ille, vel alius forte aliquis, poſitis ab Exodo ad Chriſtum natum annis 1548, indeque ad Paſſionem annis 31, de quibus convenit, inde ad Gordiani quintum (quod jam poſuerat *R*. 220;) omnino fieri, ab Exodo ad Gordiani quintum, annos 1799 ſubſtituit igitur (pro MDCCXCIIII) annos $\overline{\infty}$DCCXCVIIII: cui convenit, primæ Sedecennitatis, verſus octavus; adeoque dies viiii Kl. Apr. & feria vi, pro Judæorum Paſchate. Cumque, his datis, ſequeretur Paſcha Chriſtianorum, dominico ſequente, incidere in vii Kal. Apr. quod (uti videtur) reapſe contigit, & quidem, ſecundum Canones à Nicæna Synodo poſt conditos, contingere debuit; ſatis ſecurus erat de calculo rite poſito. Sed & idem contingeret, ut modo dictum eſt, etiamſi hic error, quinque annorum, non incidiſſet: nempe, quod Paſcha Chriſtianorum illo anno foret (quod actu contigit) vii Kal. Apr. ut librarii fuerit ille error calculi, non Auctoris. De quo conſenſu ſibi tantopere gratulatur hic Auctor: indeque Pinacem ſuum recte conſtitutum concludit.

W. Ad Calcem Codicis Rhemenſis, habetur hæc tabella, ſed confuſa & depravata: Quam, nequid deeſſe videatur, hic apponimus.

Kl. Mart. Luna & Feria.

Luna	II	Feria	II
Luna	XIII	feria	III
Luna	XXIII	feria	IIII
luna	VI	feria	VI
luna	XVII	feria	VII
luna	XXIIX	feria	I
luna	VIIII	feria	II
luna	XXI	feria	IIII
luna	II	feria	V
luna	XIII	feria	VI
luna	XXVI	feria	VII
luna	VI	feria	VI
luna	XVII	feria	III
luna	XXVIII	feria	IIII
luna	VIIII	feria	V
luna	XXI	feria	VII
Feria	I	feria	IIII
feria	V	feria	III
feria	II	feria	VII
feria	I	feria	IIII
feria	V		
feria	II	feria	III
feria	I	feria	VII
feria	V	feria	IIII
feria	IIII	feria	III
feria	I	feria	VII
feria	V	feria	VI
feria	IIII	feria	III
feria	I	feria	VII
feria	VII	feria	V
feria	IIII	feria	III
feria	I	feria	II
feria	VII	feria	VI
feria	IIII	feria	III
feria	I	feria	II
feria	VII	feria	VI
feria	VI		
feria	III		
feria	VII		
feria	VI		
feria	III		
feria	VII		
feria	VI		
feria	III		
feria	VII		
feria	VI		
feria	III		

XVI. Kl. Mars Domini.
III Non. Apr. dom.
VII kl. apr. dom.
XIIX kl. mai. dom.
III kl. apr. dom.
XI kl. apr. dom.
III id. apr. dom.
XVII kl. mai. dom.
XVII id. apr. dom.
III id. Apr. Domini.

Exodus.

Emboliſmus prid. Id. Apr.	fer.	II	
Comm. Kl. April.	fer.	VI	
Comm. XII Kl. April.	fer.	III	
Biſſext. & Emboliſmus		VI	
Comm. V Kl. April.	fer.	VI	
Comm. XIII Kl. April.	fer.	III	
Emboliſmus Non. April.	fer.	II	
Biſſext. Comm. VIII Kl. Apr.	fer.	III	
∞ DCCXVIII			
Emboliſmus prid. Id. Apr.	fer.	V	
Comm. Kl. Apr.	fer.	II	
Comm. XII Kl. April.	fer.	VI	
Biſſext. & Embol. VI Id. April.			
fer. V. Paſſio.			
Comm. V Kl. April.	fer.	II	
Comm. XVI Kl. April.	fer.	VI	
Emboliſmus Non. April.	fer.	V	
Biſſext. Comm. VIIII Kl. Apr.	fer.	II	

feria	III	feria	I
feria	II	feria	V
feria	VI	feria	IIII
feria	V	feria	I
feria	III	feria	V
feria	VI	feria	IIII
feria	V	feria	I
feria	II	feria	VII
feria	VI	feria	IIII
feria	V	feria	I
feria	II	feria	VII
feria	I	feria	IIII
feria	V	feria	III
feria	II	feria	VII
feria	I	feria	IIII
feria	V	feria	III
feria	IIII	feria	IIII
feria	I	feria	IIII
feria	V	feria	III
feria	IIII	feria	VII

III Non. apr. dom.
XIIII Kl. apr. dom.
VI id. apr. dom.
III kl. apr. dom.
XIII kl. mai dom.
Prid. non. apr. dom.
VI kl. apr. dom.
XVII kl. mai dom.
Prid. kl. apr. dom.
X kl. apr. dom.
Prid. id. apr. dom.
VI kl. apr. dom.
XVI kl. mai dom.
VI id. apr. dom.
VIII kl. apr. dom.
Prid. id. apr. dom.
Prid. non. apr. dom.
XIII kl. apr. dom.
V id. apr. dom.
Prid. kl. apr. dom.
XII kl. mai. dom.

X kl. apr. dom.
V kl. apr. dom.
XVI kl. mai dom.
kl. dom.
VIIII kl. apr. dom.
Id apr. dom.
V kl. apr. dom.
XV kl. mai dom.
V id. apr. dom.
VIII kl. apr. dom.
Id. apr. dom.
Non. apr. dom.
XII kl. apr. dom.
IIII id. apr. dom.
Kl. apr. dom.
XVIII kl. apr. dom.
VIII id. apr. dom.
IIII kl. apr. dom.
IIII id. apr. dom.
IIII non. apr. dom.
VIII kl. apr. dom.
VII id. apr. dom.
IIII kl. apr. dom.
Prid. id. apr. dom.
VI kl. apr. dom.
XVI kl. apr. dom.
V id. apr. dom.
VIIII kl. apr. dom.

Non. apr. dom.
XIIII kl. mai. dom.
III non. apr. dom.
VII id. apr. dom.
XVII kl. mai. dom.
III kl. apr. dom.
XI kl. apr. dom.
III id. apr. dom.
VII kl. apr. dom.
XVII kl. apr. dom.
VII id. apr. dom.
X kl. apr. dom.
III id. apr. dom.
III non. apr. dom.
XIIII kl. apr. dom.
VI id. apr. dom.
III kl. apr. dom.
XIII kal. mai. dom.
Prid. non. apr. dom.
VI kl. apr. dom.
XVIII kl. apr. dom.
Prid. kl. apr. dom.
X kl. apr. dom.
IIII id. apr. dom.
IIII non. apr. dom.
VIII kl. apr. dom.
VII id. apr. dom.
IIII kl. apr. dom.

Prid. id. apr. dom.
Prid. non. apr. dom.
XIII kl. apr. dom.
V id. apr. dom.
Prid. kl. apr. dom.
XII kl. apr. dom.
Non. apr. dom.
V kl. apr. dom.
XVI kl. apr. dom.
Kl. ap. dom.
VIIII kl. apr. dom.
Id. apr. dom.
V kl. apr. dom.
XV kl. mai. dom.
V id. apr. dom.
VIII kl. apr. dom.
Id. apr. dom.
Non. ap. dom.
XII kl. apr. dom.
IIII id. apr. dom.
Kl. apr. dom.
XVIII kl. apr. dom.
VIII id. apr. dom.
IIII kl. apr. dom.

W. Sed non fui ſollicitus de his vel ordinandis, vel reſtituendis : Quoniam quicquid ſani hic contineatur, id omne haberi poteſt in Pinace quem (ad Auctoris mentem) ante reſtitueram & Notis inſerueram, quam hanc conſpexerim tabellam. Qua nihil aliud continetur, quam confuſa materia, & male digeſta, & depravata pro iſtiuſmodi pinace : neque operæ pretium eſt corrigere, vel ordinare, vel etiam divinare quo caſu in hanc confuſionem devenerit. Sicui id libet, per me licet.

W. Poſtquam hucuſque perveniſſent operæ, locuſque ſupereſſet vacuus in imo paginæ; viſum eſt (ex *Bucherio*) hic inſerere *Hippolyti* Canonem Paſchalem ; qui huic *Cypriani* plane ſimilis eſt. Nam & ille Cyclum ſuum per *Heccædecæterias* ſeu *Sedecennitates* diſtribuit, (ſive geminas *Octaeteridas*,) ut *Cyprianus* noſter. Atque (ut hic) poſt Sedecennitates ſeptem, ſeu Annos CXII ; redire docet Paſcha ad eundem Menſis diem, eandemque Feriam. Quem Canonem (paulo aliter apud *Bucherium* diſpoſitum) in eam formam hic redigo, qua ſupra Canonem Cypriani expoſuimus.

Cyclus Hippolyti.

	Luna Quartadecima.		Feria						
Emboliſm.	I	Id. April.	VII	VI	V	IIII	III	II	I
	II	IIII Non. Apr.	IIII	III	II	I	VII	VI	V
Biſſex.	III	XII Kl. Apr.	I	VII	VI	V	IIII	III	II
Emboliſm.	IIII	V id. Apr.	VII	VI	V	IIII	III	II	I
	V	IIII Kl. Apr.	IIII	III	II	I	VII	VI	V
	VI	XV Kl. Apr.	I	VII	VI	V	IIII	III	II
Emb. Biſſex.	VII	Non. Apr.	VII	VI	V	IIII	III	II	I
	VIII	VIII Kl. Apr.	IIII	III	II	I	VII	VI	V
Embol.	VIIII	IIII Non. Apr.	III	II	I	VII	VI	V	IIII
	X	Id. Ap.	VII	VI	V	IIII	III	II	I
Biſſext.	XI	XII Kl. Ap.	IIII	III	II	I	VII	VI	V
Emboliſm.	XII	V id. Ap.	III	II	I	VII	VI	V	IIII
	XIII	IIII Kl. Apr.	VII	VI	V	IIII	III	II	I
	XIIII	XV Kl. Apr.	IIII	III	II	I	VII	VI	V
Embol. Biſſ.	XV	Non. Apr.	III	II	I	VII	VI	V	IIII
	XVI	VIII Kl. Apr.	VII	VI	V	IIII	III	II	I
Sedecennitas			I	II	III	IIII	V	VI	VII

Dies Dominicus proxime ſequens (non Quartamdecimam, ſed) Quintamdecimam Lunam, eſt (Hippolyti) Paſcha Chriſtianorum.

Caput hujus Canonis, ſeu primus annus primæ ſedecennitatis, ponitur, Annus primus Imperatoris Alexandri, qui eſt Annus Domini vulgaris 222. Adeoque annus vulgaris 243, (qui eſt Gordiani quintus exiens, & ſextus iniens,) eſt hujus Canonis annus 22, hoc eſt ſecundæ ſedecennitatis annus ſextus. Idemque erat, in Canone Cypriani, verſus tertius, adeoque annus ſecundus, primæ ſedecennitatis. Quamquam igitur eadem plane forma ſit utriuſque Canonis, non tamen ab eodem capite incipiunt: ſed Primus Annus Canonis Cypriani, eſt Viceſimus primus in Canone Hippolyti.

Item, dies primus menſis primi, in Canone Cypriani cenſetur Martii dies quartus (ſeu 4 Non. Martii,) ut poſſit 14

Luna incidere in Martii diem 17 (ſeu 16 Kl. Apr.) ſed in Canone Hippolyti primus ille dies cenſetur Martii quintus (ſeu 3 Non. Martii,) adeoque quartadecima Luna non ante Martii diem 18, (ſeu 15 Kl. Apr.)

Sed & pro Chriſtianorum Paſchate ponit Hippolytus diem Dominicum qui proxime ſequitur (non decimam quartam, ſed) Quintamdecimam Lunam: ut, ſi 15 Luna ſit dies Dominicus, non eo die celebrandum ſit Paſcha (quod, credo, vult Cyprianus, utut id totidem verbis non dicat,) ſed Dominico ſequente plenilunium (ſeu Lunam 15) non in ipſo plenilunio. Et quidem fieri poteſt ut Cyprianus etiam (ſicut Hippolytus) non ipſo Plenilunio (cum ſit Dominicus) Paſcha celebrandum vellet, ſed Dominico ſequente: quod & ſuadere videntur rudera Tabellæ Codicis R.

Denique, in ætate Lunæ diſcrepant: Quippe, pro Anno vulgari 243, qui eſt in Canone Cypriani annus ſecundus, & in Canone Hippolyti viceſimus ſecundus; ponitur Luna quartadecima, ſecundum Cyprianum, XII Kl. Apr. feria 3; ſed ſecundum Hippolytum, XV Kl. Apr. feria 7. adeoque Plenilunium XIIII Kl. Ap. feria prima, hoc eſt Mar. 19. die Dominico, & Hippolyti Paſcha (Dominico non eo, ſed ſequente) die 26 Martii, ſeu 7 Kl. Apr. Quo ipſo die celebrandum item eſſet ſecundum Cyprianum ut qui eſt primus Dominicus poſt XII Kl. Apr. feria 3. Eundemque diem (pro Paſchate iſtius anni) deſignant Canones Paſchales Dionyſii (quibus jam utimur, in Computo Juliano) ad mentem Synodi Nicænæ.

Erant autem (præter hos Hippolyti & Cypriani) alii item Canones ad ſimilem formam (nempe per Sedecennia, aut duplicatam Octaeterida, adeoque poſt annos 112, aut etiam 56, recurrentes;) ut ex Cypriano noſtro conſtat (qui ejuſmodi unum aut alium rejicit,) & Bucherii Notis ad Canonem Hippolyti.

FINIS.

DISSERTATIONES CYPRIANICÆ.

A B

HENRICO DODWELLO

A. M. DUBLINIENSI.

DOCTISSIMO PARITER ATQUE

REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI

D^NO. JOHANNI FELLO

EPISCOPO

OXONIENSI

DIGNISSIMO,

HEN. DODWELLUS.

HABES ecce noſtras, quas rogaſti, Pater ſanctiſſime, in *Cyprianum* tuum Annotationes, juſtis illas fortaſſe *Diſſertationibus*, quam *Notis* ſimiliores. Quamquam enim in Auctoribus edendis, *verborum* cura debeat eſſe præcipua, ut quam fideliſſime ad Auctorum ſententiam, pro codicum MSS. fide repræſententur; ea tamen ipſa verborum cura ad *res* tandem referenda eſt, ut quæ erant ex Auctoribus diſcenda, ea, conſtitutis eorum verbis, rectiſſime deinde ſolidiſſimeque colligantur. Ut proinde in Auctorum editorum *uſu*, *rerum* illa longe debeat eſſe præcipua. Magnum hiſce literis literatiſque contemtum apud delicata ingenia conflavit, cum *rerum* negligentiores, de *verbis lectionibuſque* ſine modo longas contexerent diſputationes. Jejuna illa videbantur, nec tanti eſſe ut in illis bonæ horæ collocarentur. Optime *Auctoribus* à ſe edendis, optime *ſibi* conſulent, optime *lectorum* illi faſtidio, qui cum *verborum* explicationibus, *res* etiam putent eſſe permiſcendas. Auctorem, operamque ſuam id vel maxime apud prudentem lectorem commendabit, ſi res ſcitu digniſſimæ, niſi eo auctore prodente, alioqui eſſent ignorandæ. Is tandem *Auctor* bono publico editus exiſtimabitur, ea *Editoris* opera bene collocata.

Ut ergo *Cyprianum* noſtrum redderem quam commendatiſſimum, idem mihi quoque conſilium ſequendum eſſe duxi. Verborum illam, quæ in MSS. lectionibus verſatur, ab aliis occupatam videram eſſe provinciam, à te vero, Pater, longe omnium accuratiſſime. Quas ergo dedi *verborum* explicationes, eas ab *origine* uſque pro virili mea duxi, quam ſane tractandi rationem non minus *jucundam* ſtudioſis lectoribus fore ſpero, quam conſtat eſſe *utilem*. Quod in *rerum* ipſarum ſcrutinio *longioribus* uſus ſum nonnunquam diſputationibus, id fateor eſſe rarum. Nec tamen deſunt exempla, in *Lipſii* digreſſionibus ad *Tacitum*, in *Gothofredi* ad *Philoſtorgium*, & in *Petavii Epiphanianis*. Ea etiam delegi diſputationibus illis argumenta, quæ inſignem aliquam habitura viderentur, cum *jucunditate* etiam *utilitatem*, quæque ſtudioſis atque piis lectoribus tam *placere* poſſent, quam *prodeſſe*. Id præterea conatus ſum (quod neſcio quiſquamne alius) *veterum* ut *ratiocinia* explicarem, & quidem è *principiis* illorum *ſeculorum* propriis. Omnino errare recentiores Theologos neceſſe eſt, qui cum ad Auctores *ipſos* veterum *ratiocinia* non perpendunt; in juſtis deinde de re Theologica diſputationibus, eadem illa, quæ dixi, veterum *ratiocinia* ad eorum *principiorum* normam expendunt, quæ pro eo tandem *ſeculo* invaleſcerent, atque recepta eſſent, in quo ipſi ſcriberent. Quæ ita colligunt, fieri vix poteſt, ut veteres probaturi eſſent, forte ne intellecturi quidem.

In *ratiociniis* explicandis multa ſe, quæ mihi ſane utiliſſima viderentur, offerebant. Imprimis, ut quas veteres *Apoſtolicorum* quoque ſeculorum, proximeque ſequentium (ne quis primum putet *Origenem*) in Scripturarum interpretatione regulas adhibuerint, iis in-

hærerem. Uſum *dogmatum* illius ætatis *philoſophicorum* alibi aſtruxi. *Myſticarum* etiam *expoſitionum*, cum illæ ſunt Scripturæ exponendæ quæ ſunt *idiomate prophetico* conceptæ, uſum alii etiam facile agnoſcunt. Ego *omnes* eo idiomate conceptas eſſe, etiam illas, quæ & alium ſenſum *literalem* haberent, oſtendi obiter ex ſententia *veterum;* Inde natas illas quas, omni occaſione, etiam argumentantes adhibuerint, *myſticas interpretationes*. Tum in illis ratiociniis *myſticarum* etiam *argumentationum* guſtum aliquem præbui, ut inde conſtaret quam non eſſent illæ, ut primo videntur intuitu, ridiculæ commentitiæque, ſed vero *ſolidæ*, viriſque *prudentiſſimis* digniſſimæ. Mediamque in his viam inſtiti, ita ne ſint in *veteribus* ſpernendæ, ut tamen audaciam non faciant *hodiernis Enthuſiaſtis*. Pro illius nimirum *ætatis* captu conceptæ ſunt à Sp. S. Scripturæ, pro *Prophetiarum* etiam jam à *Judæis* receptarum moribus, pro *Enthuſiaſtarum* etiam *Gentilium idiotiſmis;* qui cum eſſent eâ ætate, apud id genus homines, notiſſimi; jam tot ſeculorum decurſu, in deſuetudinem abierunt, ut plane non ſint niſi ex *libris* veterumque monumentis eruendi. Non eſt igitur quod ab hodiernis *Enthuſiaſtis* literarum *antiquarum* hoſtibus ſani quidpiam expectemus, aut quod cum *veterum Propheticis* ſcriptis, vel *Spiritus ſancti ſententia* conveniat. Qui tamen *myſticas expoſitiones* magni fecerunt, quas nos hodieque contemnimus; Qui ea etiam *ætate* vixerunt in qua nondum defecerant omnia illa *myſticarum* interpretationum *ſubſidia*, ſed quædam etiamnum in communi vita permanſerant, facilia admodum atque familiaria; Qui ea etiam (inquam) ætate in qua dona *Prophetica* viguerunt, quæ eoſdem prorſus retinerent *idiotiſmos* quos *Propheticæ Scripturæ* (quæ *Cypriani* noſtri ætate etiamnum viguiſſe probavimus) non eſt equidem mirandum ſi ab illis ſolidiora habeamus nonnulla quam quæ à literatiſſimis *hodie* veterumque morum peritiſſimis, ſperanda ſint. Quin & ad *veterum exiſtimationem* faciet *ratiociniorum* hæc, quam adhibuimus, explicatio. Ita fiet ut qui *auctoritatem* eorum facile contemnant, eorundem *ratiocinia* tamen contemnere non poſſint. Cum præſertim ea talia fuiſſe intellexerint, ut ſi ipſi eadem vixiſſent *ætate*, iiſdemque potiti eſſent *ſubſidiis* (quæ ſane rebus *antiquis* inveſtigandis maximi fuiſſe momenti nemo rerum æquus eſt arbiter quin facile agnoſcat) ſi etiam *prudentiam* illam atque *judicium* in eorum ſubſidiorum *uſu* ipſi adhibuiſſent, quæ ſe forte in veteribus deſiderare querentur: ſi hæc (inquam) illis omnia paria contigiſſent; non tamen eſſent aliter ratiocinaturi quam, quos illi contemnunt, veteres ratiocinatos fuiſſe intelligimus. Quid igitur? *Vetuſtatemne* ipſam rebus *vetuſtis* indagandis utilem negabunt? *Novitatem* ſuam in lucro ponent? Eone rerum *Apoſtolicarum hiſtoriis* deprehendendis ſeſe magis inſtructos credent, quo ſunt ab *originibus Apoſtolicis* remotiores? Eone *ſolertiores* ſeſe atque *ſagaciores?*

Quod ſi illi ipſi, qui ſe tanti faciunt, eodem tamen modo eſſent, poſitis iiſdem circumſtantiis, ratiocinaturi; jam ſpero ſimilia *Patrum ratiocinia* non contemnent. Jam non hoc ipſo *myſticorum ratiociniorum* nomine *judicium* eorum *ſolertiamque* in dubium vocabunt. Jam non eodem illo nomine *fidem* omnem *Patribus*, reliquis etiam in rebus abrogabunt. Jam cum eorum *ſimplicitate* nec *prudentiam* illis, nec *diligentiam* defuiſſe comperient; nec ita fuiſſe argumento, quod in manibus habebant, intentos, ut obvia quævis atque imbecillia *argumenta* avide arriperent, *conſequentiarum* plane ſecuri. Contra potius, cum in his quas intelligimus etiam *myſticis* diſputationibus, *ſolertiæ* illorum atque *ingenii* manifeſta conſtabit ratio; idem etiam erit de reliquis, quæ nondum intelligimus, pariter præſumendum. Hæc autem ſi obtineamus, quos dixi, *veteres recentioribus* noſtris cætera fuiſſe *pares*, accedente tandem in rationem ipſa eorum *vetuſtate*, erunt proculdubio *ſuperiores*.

Faxit porro Deus ut quæ tu *boni publici* ſtudio moliris, felicem ea, ac pro votis tuis, ſortiantur eventum. Vale, Pater ſanctiſſime, meque tua *paterna benedictione* imperti. Scribebam in ſeceſſu meo *Aſaphenſi* VI. Id. *Aprilis* MDCLXXXII.

DISSER-

DISSERTATIO CYPRIANICA I.

AD

Epist. Ordinis PAMELIANI III.

De voce CLERI

SACRI ORDINIS PROPRIA.

Hujus rei explicandæ momentum. §. I. *Ex hujus* tituli *communitate quæ sequantur.* §. II. *Ea quam sint* falsa. §. III. *Nec* Cypriani, *nec* Tertulliani, *nec* Apostolorum *seculo* communis *erat hic titulus* sacro Ordini *cum* Plebeiis. §. IV. *Contrarium probavit infelicissime* Rigaltius *ex loco* 1. *Pet.* 5. 3. 1°. *Si de* Personis, *eo in loco intelligendus fuisset Apostolus*, sacrum *potius* ordinem *ab eo* Cleri *nomine fuisse denotatum verisimilius esset*, *quam* vulgus Christianorum. §. V, VI, VII, VIII. 2°. Κλήρων *nomine*, *non* Personæ, *sed potius* Hæreditates *Ecclesiæ dicatæ videntur intelligendæ.* §. IX. *Unde factum quod* Cleri *nomen fuerit etiam* Plebi *commune.* §. X. *Uti etiam nomen* Sacerdotii. §. XI. *Noluisse tamen Sp. S. ut inde colligeretur* Cleri *proprie sic dicti cum* Plebe paritas. §. XII. *Sed nec* ratio *patitur ut ea inde colligatur sequela.* §. XIII. *Sub communi* Cleri *nomine varii tamen intelligendi erant* sanctitatis gradus. §. XIV. Ratio nominis *primis* Christianismi *temporibus* Sacerdotum *erat propria.* §. XV. *A* Judæis *ea petita est*, *quod*, *post* Apostolorum *tempora*, *parum est verisimile facturos fuisse* Christianos. §. XVI. *Nec duravit in* Clericorum *Electione* sortium *usus post tempora* Apostolorum. §. XVII. *Conclusio.* §. XVIII.

§. I. DE *Cleri* voce in titulo usurpata congessit nonnulla *Rigaltius*, quæ quia ad invidiam sacro Ordini movendam spectant, & *rebellium* Laicorum *Schismaticorumque* causam ex professo propugnant; nec *Schismaticorum* modo, sed *Atheorum* quoque, qui *Cleri* contemnendi prætextus omnes in Religionis contemtum convertunt; non erant sane sine responsione aliqua prætermittenda. Tu pauca, pro paginæ mole reposuisti. Nos alia de vocis *Jure* atque *origine*, pro nostro modulo, sed perspicue, & quam possumus, brevissime.

§. II. Eo igitur spectat tota illa *Rigaltii* disputatio ut prima sua origine totius *Christianæ Plebis* communis fuerit *Cleri* appellatio, Ministrorum deinde sacrorum *ambitu*, propria sit facta. Unde etiam sequitur, cum voce *potestatem* voce ea significatam, in sacri ordinis peculium cessisse, & quidem pari, qua vocem antea communem propriam sibi illi fecerant, injuria. Eodem spectant & illa quæ de *Laicorum* in *sacris* potestate ex *Tertulliano* aliisque antiquorum Conciliorum canonibus perperam intellectis hinc inde corrasit Auctor *de Communione sine symbolis*; quæ si vera essent, nulla jam futura esset *Clericorum* in *Laicos potestas*, saltem nulla *Jure divino*, nulla quæ in causa necessitatis (quæ sola *potestatis* exercendæ est agnoscendæve indicium) *Laicos* constringat. Cessare enim putant in causa *necessitatis* Jus *humanum*, redire *Divinum* illud & *originale*. Ita fiet ut si *Laicorum* quempiam à communione arceant *Clerici*, jam ipse *clericus* fiet, ipse sibi *sacerdos*; ipse se *Baptizare* posset, ipse *Eucharistiam* sibi soli celebrare, ipse omnia Clericorum *munia* præstare. Ut proinde nulla jam superstit *obligatio*, ut se, Sacramentorum recuperandorum gratia, *Clericorum* deinceps arbitrio permittat.

§. III. Quæ cum ita manifesto pugnent cum *Disciplina* illa cujus usus in *primæva* illa *Ecclesia* manifestissimus erat, idemque severissimus; mirum est indulgere sibi potuisse viros alioqui eruditissimos, in ratiunculis tam invalidis ad *consequentias* adeo perniciosas, adeo etiam omni prorsus ratione alienas. Longe enim *certius* est, ex Ecclesiæ etiam Apostolicæ *praxi* atque *traditione*, falsam esse hanc sequelam disciplinæ Ecclesiasticæ adeo contrariam, quam vel ipsi *certas* suas rationes credere possunt de *Cleri Plebisque* Juribus inter se permiscendis, ex quibus illam eliciunt sequelam. *Scripturas* illi nonnullas huc trahunt, nec vident tamen *Scripturas* itidem pro *Disciplinæ* usu, *cogendisque* ad bonam frugem Ecclesiastica potestate *Laicis*, proferri posse longe luculentiores, præsertim accedente *praxeos* nunquam intermissæ commentario. Ut proinde, si ex æquo judicare vellent, *damnare* potius deberent *rationes* illas ex quibus *consequentiæ* sequerentur adeo absurdæ, quam ut *consequentias* illas *probarent* propter *rationes* illas longe difficilliores, minusque manifestas. Ita nimirum *Diogenes Zenonis* adversus motum argutias refutavit, ipse ambulando, nec alia responsione dignas censuit. Id concedunt omnes qui ab *absurdo* argumentantur, falsas esse *præmissas* illas quæ cum *conclusionibus* pugnant longe manifestioribus.

§. IV. Age tamen videamus num quid illi proferant *Disciplinæ Ecclesiæ* refellendæ dignum. Quid igitur volunt? An *Cypriani* seculo *Cleri Plebisque* Jura adhuc fuisse *communia?* Atqui id ne ausus quidem est *Rigaltius*. Concedit ultro, non *Cypriani* modo sed *Tertulliani* etiam *seculo inter Clericos & Laicos differentiam fuisse tantam ut Laici non intelligerentur voce Cleri*. Hospes sit in utroque necesse est qui exempla

desideret. *Cyprianum* igitur, *martyresque* illos omnes qui *Tertulliani* etiam seculo passi sunt è *Clero* ambitus damnabunt, si discrimen illud *Clericorum ambitioni* tribuendum, censeant. An igitur *Tertulliani* seculo *natum* existimant? Ne id quidem ausus est in se probandum suscipere *Rigaltius*. Nullum est tum primum natæ illius ὑπερoχῆς in *Tertulliano*, aut coævo aliquo Auctore, vestigium. Ergo ante *Tertullianum* quidem, post *Apostolorum* tamen tempora natum existiment necesse est. Atqui de *Apostolici* quoque *seculi* usu testimonia habemus omni prorsus exceptione majora. De *Cleri* nomine sacri jam ordinis proprio, S. etiam *Joannis* temporibus extremis, testem habemus [1] *Clementem Alexandrinum*; qui tamen ita meminit, simul ut ab Apostolo illo *probatum* & ab antiquioribus adhuc temporibus deductum innuat. Nihil ille *novi* molitum dicit Apostolum, id operam dedisse potius omnia ut ad veterem formam restituerentur. De *Laicorum* quoque nomine sub *Apostolis Plebi* proprio, tu *Clementem* alium protuliisti *Romanum*. Scripsit autem ille ad *Neronis* annum circiter undecimum, ut alibi probavimus, superstitibus præter S. *Joannem* aliis, ut videtur, Apostolis. Irrepserit igitur in Ecclesiam hic *fastus Cleri* sub *Apostolis*, & quidem iisdem faventibus. Id si quis verum credat, ne ipsi quidem *Apostoli* erunt ab hac calumnia liberi.

§. V. At sub Apostolis *communem Sacerdotibus* cum *populo* Cleri titulum putat. Id vero probat infelicissime. Hortatur compresbyteros Apostolus [2] *Petrus* μὴ κατακυριεύειν τῶν κλήρων. Unde vero colligit κλήρων nomine *Plebem* esse duntaxat intelligendam? Tam longe abest hoc ut verum sit, ut si de *Personis* hoc in loco egisset Apostolus, *Sacrum* potius *Ordinem* eo nomine denotasse probabile esset quam *vulgus* Christianorum. Notetur enim inprimis non ad certam aliquam *unius loci* Ecclesiam inscriptam esse hanc Epistolam, nec ad unam illam, etiam *Ponticorum Provinciam*, prout illam inscribit *Irenæus*, quanquam illam quoque latissimam, & *Mithridatis* Regno potentissimo celeberrimam, sed ad *Hellenistarum* Διασπορὰν per *Pontum*, *Galatiam*, *Cappadociam*, *Asiam* [*Proconsularem* viz.] atque *Bythiniam*; atque adeo *Encyclicam* fuisse, perque varias ecclesias distribuendam. Notetur 2°. ad quales etiam *Presbyteros* data sit; non vulgares illos atque gregarios, sed qui *Apostolorum collegæ* haberentur, quos ipse *compresbyteros* appellat. Plane illos innuit *Presbyteros* qui κατὰ πόλιν ab Apostolis constituti sunt, ut nimirum *singuli* constituerentur in *singulis civitatibus*, non alii quam *Presbyteriorum Præsides*, quos communi *Presbyterorum* nomine illa forsitan complexa est, ut ipsi etiam *Apostoli Presbyteri* audiebant, *Episcoporum* autem titulo recentior distinxit Ecclesia. Scio etiam *gregarios milites* ab *Imperatoribus commilitones* blande esse appellatos. Sed quos hic alloquitur Apostolus, illis *potestatem* tribuit *munusque* plane *Apostolicum*. Ipsius S. *Petri* munus erat ποιμαίνειν *Joh.* 21. 16. ipsius *Christi* hoc ipso in loco 1 *Pet.* 5. 4. Idem suis hisce commendat *compresbyteris* v. 2. *Eleemosynarum* Ecclesiæ distribuendarum officium non gregariorum fuit Presbyterorum, sed *Apostolorum* inprimis, tandem *Episcoporum*. Hoc tamen etiam hisce *compresbyteris* tribuit, ut postea videbimus. Hos si intelligamus *Presbyteros*, non erit quod miremur si *Cleri* illis subditi de *sacro* potius *ordine* quam de *Plebe* intelligantur.

§. VI. Et vero si *Personæ* essent, ut dixi, intelligendæ, aptissima hæc esset hujus loci interpretatio. Notetur enim 3°. non κλῆρος *singulari* numero, sed κλήρων *plurali*, omnium fere MSS. consensu hoc in loco haberi. Quod si *Ecclesiam laicam* intellexisset, & quidem illam non pro locorum diversitate in Collegia diversa distributam, sed unam illam eandemque, sibique similem per totum orbem qua patet, late disseminatam, *singulari* potius numero fuisset usus. Quod igitur *plurali* potius usus est, plane monuit *Compresbyterorum* singulis suum cuique fuisse *Cleri Collegium* Deo sacrum, nisi *Collegia* fortasse potius dicendum est, *Presbyterorum* aliud, aliud *Diaconorum*. Quibus, si eos omnes includamus qui Ecclesiasticis reditibus alerentur, Deoque etiam in minoribus officiis inservirent; *Virginum* præterea *Viduarumque*, *Pauperum* atque *Energumenorum* Collegia addenda essent, quorum omnium in Eleemosynarum distributione habita est ratio. Non est igitur necesse ut *Plebem laicam* eo nomine complectamur.

§. VII. Notetur etiam 4°. quod prohibetur ab Apostolo non esse κυριεύειν sed κατακυριεύειν, non ipsum *dominium*, sed vero justi dominii *abusum*: erant igitur de *jure* Presbyteri illi κλήρων κύριοι. Nec enim ab alio metuendus erat potestatis *abusus*, nisi qui *potestate* illa fuisset instructus; nec contentus fuisset Apostolus *abusum* duntaxat reprehendere, si injusta fuisset ipsius *potestatis usurpatio*. Quod si non obstante illa, quam volunt, *nominis* communitate, superfit tamen locus illi quam calumniantur, *Superioritatis*; nullus certe locus supererit calumniæ. Quo enim consilio, quo tandem operæ pretio *titulum* affectarent, si in tituli *communitate* potestate tamen fruerentur sibi *propria* minimeque *communi*?

§. VIII. Notandum denique 5°. *Cleri* hanc *Laicorumque* paritatem, si de *Apostolorum* seculo asseritur, ipsos etiam *Apostolos* in ordinem fuisse redigendos. Nisi enim ex *nominis* communitate *potestatis* communitatem una secuturam existimarent: quorsum illa tam anxia, tam invidiæ plena observatio? At *potestatis* coercitionisque nullibi manifestiora, quam illorum temporum, vestigia, nec ab ullis frequentius exercitæ quam ab ipsis *Apostolis*. Si ergo hæc *fastui Clericorum* tribuenda sint, ipsi etiam *Apostoli* de *ambitu* causam dicant necesse est. Frustra enim se quispiam *nominis* communitate defendet, qui *jura* tamen sibi arrogarit nominis communia. Quod si nihilominus *Apostolos* absolvendos putent, eadem opera *nostros* etiam necessario absolvent.

§. IX. Ut autem verum fatear, κλήρων nomine ego non *personas*, sed *hæreditates* potius Ecclesiæ dicatas, intelligo. Quod illæ quoque, non *sacris* modo Scriptoribus, sed optimis etiam castissimisque *Græcæ* Linguæ scriptoribus, κλῆροι appellentur: frustra sim si exempla congererem. Primos autem *Christianismi* proselytas sua vendere solitos, atque in *communes* usus distribuisse, ex Actorum ipsa constat *historia*. Nec id minus manifestum est *Apostolorum* fuisse primum, deinceps *Episcoporum* illud distribuendorum Ecclesiæ thesaurorum officium. Hoc igitur erat ποιμαίνειν τὸ ποίμνιον, v. 2. dare operam ne quid illis deesset qui *Ecclesiæ eleemosynis* alerentur. Ita enim sequitur, ἐπισκοποῦντες μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως· μηδὲ αἰσχροκερδῶς, ἀλλὰ προθύμως. Cum dicit

[1] Οτω κλήρῳ ἕνα γέ τινα πληρώσων τῶν ὑπὸ τοῦ πνεύματος σημαινομένων de S. Joanne Apostolo *Clem. Al.* in Lib. τίς ὁ πλούσ. σωζόμεν. & ap. *Euseb.* Hist. Eccl. III. 23. [2] 1 *Pet.* 5. 3.

3 *Apol.*

cit ἐπισκοπῶντες, id plane innuit, ita id fuisse *Episcoporum* proprium, ut ipsum *Episcopi* nomen id ipsum denotaret. Idem de πρεσβυτέρω quoque nomine sentiendum, cujus officium ita designat S. *Justinus* 3, quod esset πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ ὖσι κηδεμών. Unde 4 *Titum* jubet Apostolus προΐστασθαι καλῶν ἔργων. Et alibi cum aliis hanc Eleemosynarum distributionem spectantibus conjungit: ὁ μεταδιδοὺς, ἐν ἁπλότητι· ὁ προϊστάμενος ἐν σπουδῇ· ὁ ἐλεῶν, ἐν ἱλαρότητι· &c. Rom. 12. 8. Eodem spectant quæ deinde addit, μὴ ἀναισκαλῶς, ἀλλ' ἐκτενίως· Ἀναίσκλω illam in *dando* reprehendit alius Apostolus 2 *Cor.* 9. 7. Quod vero postea subjungit, μὴ αἰσχροκερδῶς, quis alio commodius quam ad rem *pecuniariam* retulerit? Ita igitur intelligenda sequentia: Μηδὲ ὡς κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύποι γινόμενοι τῷ ποιμνίῳ. Quasi ita monuisset, ne *pecunias* illas ex *hæreditatibus* conflatas pro *suis* uterentur, ac si essent ipsi earum κύριοι, cum essent revera earum duntaxat *dispensatores*. Contra potius incorruptæ se *fidei* exempla præberent in re præsertim *pecuniaria*, in qua ut frequentissime peccant homines, ita bonæ malæve fidei capiunt experimentum.

§. X. Quare hæc cum ad causam *Rigaltii* plane nihil faciant, concedimus tamen recte *Plebi* Evangelicæ *Cleri* nomen posse tribui. Id ut intelligatur quo pacto verum sit, nec tamen obstet quo minus idem nomen *sacro ordini* singulari quodam atque præcipuo *jure* conveniat; rem totam à primis usque originibus breviter arcessam. *Clerus* igitur cum non *technica* modo, sed & *Græca* sit vox, ex *Græca* veteris Instrumenti versione deducenda est. Ibi autem de populo *Israëlitico* cum vox κληρονομία frequentissime occurrit, nec exempla desunt quibus ipsis κλῆρος eademque sententia tribuitur, respondetque Hebræo נחלה quo etiam *Hæreditas* denotatur. Quod *hæreditates* ita appellantur ad morem illum Veterum proculdubio alludit quo *hæreditates* agrariæ *funiculis* demensæ per *sortes* distributæ sunt. Inde est quod in hoc ipso, quod in manibus habemus, exemplo, eundem populum *Israëliticum*, nunc *hæreditatem* suam, nunc *sortem*, nunc etiam *funiculum*, Dominus appellet. Illam quoque ethnicorum fabulam ob oculos habuisse, verisimile est, de *Diis gentes* sibi *provinciasque* sortito partientibus. Id ergo voluit indicare Dominus in illa, quam dixi, Populorum *sortitione*, unum sibi populum *Israëliticum* sortito obtigisse; illum sibi *populum* fuisse proprium, se *Deum* fore illi populo vicissim proprium. Ut proinde id fuerit populi *Israëlitici* privilegium maximi faciendum, quod cum reliquæ *gentes* suum sibi *inferioris* duntaxat ordinis genium quæque proprium vendicarent; *Deum* tamen *summum* soli sibi vendicare possent *Israëlitæ*. Cum autem in N. T. ratiociniis is scopus sit fere perpetuus quo collineant pleræque disputationes, *Christianum* quoque populum pro *mystico Israële* habendum esse, *mystico* etiam *Israëli* verius quam vel *literali* convenire veri *Israëlis privilegia*; plane sequitur nostro etiam populo *Christiano* proprium esse hoc quoque privilegium ut *Deum summum* habeant sibi *proprium*, illi sint vicissim *populus* Deo summo *proprius*, qui soli ad ejus curam specialemque providentiam pertineant, quod ipsum jam ostendimus *Cleri* esse nomine intelligendum.

§. XI. Sed nec illud diffitemur, eousque pertingere hujus vocis significationem, ut qui ejus ambitu continerentur, iidem *sancti*, nec *sancti* modo, sed *sacerdotes*, essent etiam habendi. Ecquid volunt ulterius Adversarii? Ita *Israël* antiquus 5 βασίλειον ἱεράτευμα vocatur. Eademque appellatio *mystico* etiam *Israëli* in N. T. tribuitur, eoque modo explicatur ut offerre possimus *sacrificia* 6 *spiritualia* quidem illa *Deo* tamen *accepta* atque *grata* per *Jesum Christum*. Recte quidem hæc omnia si cum aliis duntaxat *populis* fiat comparatio. *Israël* Gens *sancta* erat, aliæ ubique terrarum omnes *profanæ*. Nos item *sancti*, ut quantum interest inter profanum *vulgus sacerdotesque*, tantundem aliis *Gentibus Israël*, nos etiam *Israële literali* simus sanctiores. Idque nostra *sanctimonia* consequimur, ut *sacrificia* nostra *Mystica* (*Preces* nimirum, *Apocalyps.* 8. v. 3, 4.) tam sint *Deo* grata, quam grata sunt *sacrificia sacerdotum* alienigenarum quibuscum nullum intercessit cum Deo pactum.

§. XII. Quod vero inde colligunt, nullum esse oportere *clerum* inter *populumque* discrimen, perverse id faciunt. Nusquam illos inter se contulit Sp. S. Simul etiam certum est à prima usque origine præclusum esse omnem hujus collationis prætextum. Certum est denique nec esse *rationem* cur illi inter se conferantur. *Factum* equidem quod attinet, mirum est non animadvertisse viros doctos, hac ipsa sua ratiocinatione usum esse cum suis rebellibus *Coram*. Ita enim ille: 7 *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: Cur elevamini super populum Domini?* Ex totius *populi sanctitate* illa colligunt, non esse quod super *populum Dei* se efferrent *Aaronitæ*, fastum esse illum *sacerdotum* minime ferendum. Nec rebelles *Israëlitas* modo, sed & *rebelles Christianos* hac eadem ratiocinatione fuisse usos, auctor est Tertullianus: 8 *Quum extollimur* (inquit) *& inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes: quia sacerdotes nos Deo & Patri fecit. Quum ad peræquationem disciplinæ sacerdotalis provocamur, deponimus infulas & pares sumus.* Quæ certe contra ipsum *Tertullianum* notanda, ne ipse forte in eundem errorem impegerit in locis illis quibus abusus est auctor *de communicatione sine symbolis*. Quare omnia secuta prodigia, ita manifeste hunc refellunt errorem ut nequid posset esse manifestius Hoc *Coritarum* illa sacrilegorum *pœna* omnium dirissima; hoc consecrata sacrificantium *thuribula* in *laminas* ducta, altarique in æternam rei memoriam affixa, *ut haberent postea filii Israël quibus commonerentur, nequis accedat alienigena & qui non est de semine Aaron ad offerendum incensum Domino, ne patiatur sicut passus est Core*, v. 40. Hoc *Aaronis* docuit germinantis virgæ miraculum, quod evangelicis etiam temporibus in argumentum traxit Patrum antiquissimus *Clem. Rom.* in sua ad *Corinthios* Epistola. Hoc idem recentiora *Saulis*, *Uzzæ* atque *Uzziæ* supplicia. Plane igitur *sanctitatem* illam totius *populi* communem tantam tamen Dominus esse noluit ut *sacerdotum* esset *Israëliticorum* sanctimoniæ ulla ex parte conferenda.

§. XIII. Sed nec *ratio* patitur, ut, in pari *Cleri* appellatione, paria sint etiam utrinque *privilegia*. Erant enim in *eadem sanctitate varii* tamen *gradus* tantum à se invicem diversi ut inferior quisque superioris respectu *communis* habeatur. *Terra Israëlis sancta* erat, tota *civitas Hierosolymitana* itidem *sancta*, *sanctus mons* in quo *Templum* constructum est, *Templum* ipsum adhuc *sanctius*, cujus tamen partes erant à se invicem in hac eadem *sanctitatis* ratione diversissimæ. San-

3 *Apol.* 2. *p.* 99. *A.* 4 *Tit.* 3. 8. 5 *Exod.* 19. 6. 6 1 *Pet.* 2. 5. 9. *Apoc.* 1. 6. 5. 10. 7 *Num.* 16. 3. 8 *De Monogam.* c. 12.

Sanctum erat *atrium gentium*, ſanctius *atrium interius*, ſanctior illa templi pars in quam ſolis *ſacerdotibus* patebat introitus, omnium vero *ſanctiſſimum adytum* ſive *ſanctum ſanctorum*. *Sancta* erant propter *primitiarum* oblationem *Iſraëlitarum fruges* univerſæ: Quis tamen dubitet ipſas longe *ſanctiores* fuiſſe *primitias*, ut ad illas collatæ reliquæ *profanæ* haberentur, atque identidem *dicerentur?* Idem de aliis quoque rebus *ſanctis* obſervari poterat, ſi neceſſe eſſet. De *perſonis* autem hoc erit longe veriſimilius, quod *inanimatarum* rerum hæ ſanctitates ad *hominum* eſſent *ſanctitatem* deſignandam data opera inſtitutæ. Sicut igitur in *ſanctitatis* nomine *communi*, varii tamen poterant eſſe *gradus* tanto à ſe invicem intervallo ſejuncti ut ſuperioris reſpectu inferior *communis* eſſet *profanuſque* exiſtimandus; idem de *Cleri* etiam *nomine* judicandum, in *communi* licet *appellatione*, tantam tamen eſſe poſſe *rerum diſcrepantiam* ut *inferior* pro *laico* ſit habendus ſi ad *ſuperiorem* conferatur. Idque eo magis notandum, quod cum Deo *ſanctum* id dicatur quod in ejus proprietatem ceſſit atque peculium, hæc ipſa eadem *proprietas*, pro more hominum captuque, *Cleri* atque *hæreditatis* nomine veniat intelligenda.

§. XIV. Idem tamen de ipſo quoque *Cleri* nomine judicandum, ipſum etiam ſuos habere *gradus* quorum alter alterius reſpectu *laicus* habendus ſit. Qui quidem ad eandem *ſortitionem* attinent, eorum *parem* eſſe *ſanctitatem*, ultro concedimus. Sed cum à *prima ſortitione* aliarum deinceps ſortium accedit *diſtinctio*, qua fit ut qui in prima illa ſortitione *pares* fuerant, illi rurſus novis ſortitionibus à ſe invicem *ſeparentur*; plane ſequitur ut quæ *prima ſortitione* diſtinctio facta eſt à reliquis, eadem ſit à *primæ ſortis* ſociis in *ſecunda ſortitione* facienda. Ut igitur in *prima* illa *ſortitione* gens tota *Iſraëlitica* ab aliis *gentibus* univerſis ita ſecreta eſt ut una illa *ſancta*, reliquæ *profanæ* haberentur; ita in *ſecunda ſortitione* qua ex omnibus *Iſraëlitis* una *tribus Levitica* in Dei *peculium* electa eſt, inque *ſortem* ejus tranſiit, id una ſequi debuit, unam *illam ſanctam*, reliquas ad illam collatas *profanas* eſſe habendas. Idem in ipſa tribu *Levitica* de familia *ſacerdotali* judicandum. Per omnes enim illarum *ſanctitatum gradus*, novæ rurſus erant ceremoniæ quibus denuo *ſacrarentur*, ac ſi fuiſſent à prima ſortitione *profani*. Cum autem, pro more *Primitiarum* jam recepto, reliquarumque *frugum* per *primitias* conſecrandarum, *tribus Levitica* eo ipſo ſit conſilio electa pro *populi* totius *primogenitis* atque *primitiis*, ut eorum deinde *ſanctimonia* ad *populum univerſum* derivaretur; tantum in illo *conſecrandi* ritu inter *Levitarum populique* ſanctitatem interfuerit neceſſe eſt, quantum inter *frugum communium* ſanctitatem atque *primitiarum*.

§. XV. In *ſacerdotum* autem negotiis veterum adeo frequens erat, à prima uſque antiquitate, *ſortium* uſus, plane ut exiſtimem formulas illas omnes quibus *Regalis ſacerdotii* & *cleri* nominibus inſigniuntur *Iſraëlitæ*, hinc eſſe repetendas; quod nimirum ad eandem formam ex *univerſis* gentibus gens *illa una* fuiſſet *electa*, qua *gentium more*, è ſuis quique gentibus *eligi* ſolerent *ſacerdotes*. *Sortium* enim primarius erat in *numinibus conſulendis* uſus, adeoque receptus ut ipſa etiam oracula [9] ſortes appellarentur. Is autem in *ſacerdotum* rebus erat, ut dixi, quam in *plebeiis*, longe frequentior. In illum erant ordinem ſortium auctoritate referendi, ut ita de miniſtris ſuis *numinis ſuffragium* haberetur. Tum ſi quod gravius erat *munus* obeundum, quinam eſſent ex *eodem* etiam *ordine* eligendi, de eo quoque numen per *ſortes* conſulebant, ut ne quis alius admitteretur quam qui eſſet *numini* acceptiſſimus. Ita in *myſteriis Iſiacis* obſervatum eſſe teſtis eſt [10] *Apuleius*. Ita in *ſacerdotum Iſraëliticorum* ἐφημερίαις, teſtis eſt [11] S. *Lucas* Evangeliſta. Non eſt itaque mirandum ſi in *Chriſtianorum* etiam *primævorum* tranſierit ſacra, quæ ex alterutris plerumque expreſſa ſunt. Apoſtolatum *Judæ* per ſortes in *Matthiam* tranſlatum eſſe, ex [12] Apoſtolorum hiſtoria manifeſtum eſt. Nec alium Dei conſulendi ritum à S. *Joanne* Apoſtolo obſervatum eſſe probabile eſt in prædicta *Alexandrini Clementis* hiſtoria, quem illos κληρῶσαι dicit quos in *ſacrum ordinem* aſcriberet. Eſtque etiam in Eccleſiæ uſu vox hæc frequentiſſima, ut ante nos obſervavit etiam [13] *Walo Meſſalinus*. Cumque id ob oculos præcipue habuerint *Chriſtiani*, nemo ut in *ſacrum ordinem* aſcribi, niſi *Deo ſuffragante* videretur, (quo *Prophetiæ* de [14] *Timotheo*, donum fortaſſe *diſcernendorum ſpirituum*, *Epiſcoporum* à *Sp. S.* in Eccleſia conſtitutio, & ſimilia referenda ſunt, eſtque in hoc ipſo aſſerendo plurimus noſter quoque *Cyprianus*) cumque Dei per *ſortes* conſulendi morem, illo quoque ſeculo, atque apud illos quoque *Entheos* invaluiſſe conſtet; cumque is paratiſſimus in promtu eſſet quoties nullus eſſet præſentium *afflatus*, quem ne veris quidem *Prophetis* pro arbitratu adfuiſſe in confeſſo eſt; hanc uſitatiſſimam fuiſſe *Cleri augendi* ceremoniam erit ſane veriſimillimum. Quod ſi verum ſit, jam plane conſtabit, cur ab *Apoſtolicis* etiam temporibus *Cleri* nomen proprio quodam jure *ſacri ordinis* proprium ſit factum. Eſto enim. *Hæreditas Dei* fuerit & κληρονομία *plebs* etiam *Chriſtiana*. At nullus erat *plebeiorum* ordo in quem homines, conſulto per *ſortes* divino numine, aſcriberentur. Si ergo ab hoc *ſortium* uſu ductum fuit *Cleri* nomen, omnino ſequitur non aliorum quam *ſacratorum Deo* hominum fore *proprium*.

§. XVI. Addo etiam, ex eadem illa nominis origine, non *aliis ſeculis* ita commode convenire poſſe hanc nominis ipſius *appropriationem* quam primo illi atque *Apoſtolico*. Id ex duabus colligo rationibus; inprimis illa, quod hic *ſortium* uſus in *Judæorum* theocratia præcipue locum habuiſſe videatur, inde ad *Chriſtianos* dimanaſſe. At poſtquam Judæorum immaniter ferocientium crudelitate exarſiſſent tandem animi *Chriſtianorum*, præcipue poſt cladem *Hieroſolymitanam*, gentiſque tandem univerſæ diſperſionem ſub *Hadriano*, ubi gentis jam ipſius eviluiſſet, ſi quam antea habuiſſet, auctoritas; ita novas deinceps conſuetudines non erant, *Judæorum* commendatione, admiſſuri, ut contra potius nullum apud illos efficacius eſſet argumentum adverſus conſuetudines alioqui non malas, quam ſi illas intellexiſſent à *Judæis* χεισοκτόνοις fuiſſe invectas. Id è *Paſchali* maxime controverſia eluxit ſub ſecundi finem à Chriſto ſeculi primum nata, ſi tamen iiſdem argumentis uſum eſſe [16] *Conſtantinum Nicænoſque* Patres exiſtimemus quibus uſa eſſent Concilia à *Victoris* parte ſtatuentia, quæ etiamnum extabant. Nec vero novum fuiſſe illud atque à *Conſtantino* primum excogitatum argumentum, conſtat è MS. quem habeo *tractatu paſchali*, *Gordiano* imperante, *Arriano* & *Papa* COSS. A. D. CCXLIII. ſcripto, mendis tamen, ſive interpretis, ſive librariorum, ſive ipſius potius auctoris inqui-

9 Ovid. Metam. Lib. 1. v. 367. --- *placuit cœleſte precari Numen & auxilium per ſacras quærere ſortes.*
10 Metam. L. x. 11 S. *Luc.* 1. 8, 9. 12 *Act.* 1. 26.
13 Diſſert. de Epiſcop. & Presbyt. cap. 3. p. 227, 228.
14 1 *Tim.* 4. 14. 15 1 *Cor.* 12. 10. *Act.* 20. 28.
16 Vid. *Euſeb. l.* 3. de Vit. Conſt. *c.* 18.

17 In

quinatiſſimo. In eo hæc habentur : *Hæc propterea credentes & pro certo ſcientes quia nihil denegat Deus, ſed unicuique volenti & deſideranti præſtat ſicuti & vult: cum ſimus nos in rem tam laborioſam, in qua re non derelicti, ſed potius ab ipſo Domino inſperati* (l. *inſpirati*) *volumus amantibus & apparentibus* (l. *appetentibus*) *ſtudia divina oſtendere nunquam poſſe Chriſtianos à via veritatis errare & tanquam ignorantes quæ ſit dies paſchæ, poſt Judæos cæcos & hebetes ambulare.* Qui ita argumentati ſunt, ut ne *veterem* quidem *conſuetudinem* ferendam putarent ſi quam haberet cum *Judæorum* conſuetudinibus *congruentiam*; novamne illos conſuetudinem à *Judæis* accepturos exiſtimamus? Hanc ergo *ſortium* in *Clericorum* electione conſuetudinem, antiquiorem illo *Judæorum* odio fuiſſe veriſimillimum eſt, antiquiorem gentis *diſſipatione* ſub *Hadriano*, antiquiorem illis *Barchochebæ* tumultibus, ipſo urbis *Hieroſolymitanæ* excidio, perſecutionibuſque *Judæorum* infenſiſſimis. Unde ſequitur à temporibus uſque *Apoſtolicis* eſſe omnino repetendam, ut proinde nominis inde orta coarctatio ſit iiſdem commodiſſime temporibus tribuenda.

§. XVII. Sed & aliam diximus eſſe, cur ita ſentiamus, rationem. Quod hujus *ſortium* in ſacrorum miniſtrorum *electione* uſus, poſt tempora *Apoſtolorum* vel nulla extent omnino, vel quam pauciſſima, veſtigia. In *Cypriano* noſtro, cum id agit aliquoties ex profeſſo ut ſe, ut alios ſui temporis Epiſcopos, à *Deo* probet eſſe conſtitutos, cum ea occaſione recenſeat omnia quæ eſſent ex illorum temporum moribus, ad *Epiſcoporum* conſtitutionem neceſſaria, nuſquam tamen hujus ſortitionis meminit, quæ tamen eſſet, ſi qua illa fuiſſet, *divini ſuffragii* manifeſtiſſimum indicium. Meminerunt & alii *Epiſcoporum* manifeſtiſſimis *Dei* ſuffragiis conſtitutorum, [17] *Gregorii Thaumaturgi* & *Alexandri* carbonarii *Gregorius Nyſſenus*, *Alexandri Hieroſolymitani Euſebius* & *Fabiani Romani*. De ſortitione tamen altiſſimum ubique ſilentium. Sed nec *Tertullianus*, nec *Irenæus*, nec *Juſtinus Martyr*, nec eorum ullus qui poſt Apoſtolos ſacri miniſterii meminerunt, *ſortitionis* tamen ullam faciunt mentionem, cum tamen alia pleraque Apoſtolicorum temporum miracula ad hæc uſque tempora duraſſe certiſſimum ſit. Si ergo huic conſuetudini *ſortiendi ſacerdotia* tribuamus, quod ipſe *Cleri* titulus *ſacri* tandem *ordinis* factus ſit *proprius*, *Apoſtolico* ſeculo, quo ſolo illam conſtat viguiſſe conſuetudinem, *appropriationem* illam tribuamus neceſſe eſt. Nec enim eſt omnino veriſimile, cum *mos* ille tandem in *deſuetudinem* abiiſſet, tum demum *titulum* inde ortum factum eſſe *proprium*.

Atque hæc ſufficiant impræſentiarum amoliendo illi Clericorum faſtui, quem tanta cumularunt invidia hoſtes utrinque infenſiſſimi, *Athei* atque *Schiſmatici*. Quod enim ad *Criticos* attinet, id eorum potius incogitantiæ fortaſſe tribuendum eſt, quod cum non ſint in pulvere Scholaſtico admodum verſati, conſequentiarum ſagaces non ſint, nec de illis laborandum cenſent. Nobis hic brevioribus eſſe licuit, quod quæ hic innui, ea ſint à nobis alibi probata, in Tractatu noſtro *Anglicano* de *SCHISMATE*. De Cleri nomine egimus cap. XIX. §. 34. 35. 36. 37. omnemque hanc à *Titulis Myſticis* argumentandi rationem, quam ſit lubrica, oſtendimus ex profeſſo *cap.* ejuſdem operis duodecimo.

I B I D.

Sive viduæ, ſive Clydomeni.] Probabilem exiſtimo tuam illam, pater eruditiſſime, conjecturam de voce *thlibomeni* loco *clydomeni* reponendam. Confirmat illam non *Corneliana* modo illa *viduarum* cum *thlibomenis* exemplo plane conſimili, conjunctio; ſed quod illam quoque vocem LXXII. Interpretes, à quibus pleraque vocabula *Technica* mutuata eſt Eccleſia, eodem omnino ſenſu uſurparent. Eſtque ſane aptiſſima vocis ita intellectæ cum exhibitionis mentione connexio. Propius tamen ad MSS. fidem accedet ſi *clydonizomeni* legamus & de *Energumenis* ſive *maniacis* intelligamus, qui *lymphatici* Latinis, χειμαζόμενοι Græcis quoque Patribus audiunt. Idem enim valet primaria quoque ſignificatione [18] χειμαζόμενοι quod κλυδωνιζόμενοι. [19] Erant in Eccleſia *exorciſtæ*, erant illo quoque *Cypriani* ſeculo *Energumeni*. Erant in Eccleſiæ officiis nonnulla quæ *energumenorum* illorum propria haberentur; ut conſtat ex *conſtitutionibus* illis quæ hodie *Apoſtolicæ* habentur, ex antiquiſſimis tamen Eccleſiæ formulis proculdubio collectæ. De illis quoque veriſſimum erat quod *ſe exhibere non poſſent*, ut proinde eſſent in eorum, qui *Eccleſiæ eleemoſynis* alerentur, catalogum plane referendi.

I B I D.

Sed & Catechumeni apprehenſi infirmitate, decepti eſſe non debebunt.] *Decepti* vocem hic intelligo ita ac ſi dixiſſet *excepti*. Eſt enim particularum illarum *de* & *ex* apud *Cyprianum* permutatio ſane frequentiſſima. Id ergo volunt *Romani*, ne *Catechumenos* quidem, quanquam nondum in *Eccleſiæ album* cooptatos, à Carthaginienſis *cleri* ſolicitudine eſſe excipiendos, quin illorum quoque eſſet neceſſitatibus ſubveniendum. Cum enim *Catechumenorum* nomina nondum eſſent in Eccleſiæ matriculam relata; ideo exiſtimare poterant *clerici Carthaginienſes*, ad ſuam curam illos nihil attinere. Similis habetur locus Ep. XIII. *Audientibus etiam, ſi qui fuerint periculo prævenți & in exitu conſtituti, vigilantia veſtra non deſit.* Idem enim *Audientes* qui & *Catechumeni*. Idem etiam *non deeſſe vigilantiam* quod *non eſſe deceptos*, quo ſenſu illa verba jam expoſuimus.

[17] In vita *Greg. Thaum. Euſeb.* Eccl. Hiſt. 6. 11. 29.

[18] Homilia ſub nomine *Amphilochii* de Pœnitent. ὡσπερχόμενοι γὰρ τοῖς μάντεσι καὶ τοῖς κλυδωνιζομένοις, καὶ τοῖς μάγοις καὶ φαρμάκοις, ἐξαιτοῦνται καὶ κατ' ἀνθρώπων δαίμονας. p. 97. Ed. *Combefis.* κλυδωνιζόμενος est vates qui Dæmonio *plenus* edit Oracula. Niſi fortaſſe κληδωνιζομένοις hoc in loco potius legendum. Ii certe μάντεσιν affines erunt. Voce tamen κλύδωνι de *Stagirio* Dæmoniaco utitur S. *Chryſoſtomus*: σαυτὸν δὲ ἐν χαλεπωτάτῳ κλύδωνι κείμενον ἔτι &c. Ad *Stagir.* Orat. I. Tom. VI. Ed. Savil. p. 85. l. 29.

[19] *Conc.* Ancyr. *Can.* 17.

DISSERTATIO CYPRIANIÇA II.

Ad EPISTOLAM IV.

De literarum Eccleſiaſticarum *Characteribus*.

Characteres *quibus* veræ *literæ à* commentitiis *diſtinguendæ erant. Vel in* Scriptura *vel in* Charta: *In* Scriptura, *vel* manus *ſcribentium.* §. I. *Vel* notæ *arcanæ.* §. II. *In* Charta, *fortaſſe* commiſſura. §. III. *Superioris Epiſtolæ initium data opera fuiſſe* obſcurum. §. IV.

§. I. *ET quoniam me in iiſdem literis & ſcriptura, & ſenſus, & chartæ ipſæ quoque moverunt, &c.*] Cum *literarum formatarum* commercium ideo inſtitutum fuerit ne quis à communione *alienus* obreperet, ideo cavendum erat ne illas confingerent qui earum nullum *jus* haberent, *excommunicati* atque *hæretici*. Quare dubitandum non eſt omnes illas artes hic eſſe adhibitas quibus *veteres* ſolebant iſtiuſmodi fraudibus obviare. Id habuit, ni fallor, ob oculos hoc in loco *Cyprianus*, ut cum ſuſpectam haberet, etiam aliis de cauſis, ſuperiorem *Cleri Romani* Epiſtolam, hic notas illas adhiberet quibus genuinæ eſſent à nothis commentitiiſque Epiſtolis diſtinguendæ. Duas autem adhibet. *Scripturam* inprimis, qua voce duorum alterum, ni fallor, indicare voluit vel ſcribentis *manum*, vel occultas ſcribendi *notas*. Utroque certe, ſimilibus in cauſis, uſi ſunt veteres. *Manum* quod attinet, inſigne habemus ipſius *Apoſtoli* exemplum 2 *Theſſ.* 3. 17. ex quo intelligimus, *ſalutationem* in Epiſtolis Apoſtoli *propria* ejus *manu* ſubſcribi ſolitam, eamque *notam* in omnibus ejus Epiſtolis adhibitam, ut proinde quæ illa *nota* carerent, commentitiæ haberentur. Idem fortaſſis obſervare ſolebant *Romani* ut in ſede etiam vacante, cum *Epiſcopi manus* expectari non poſſet, uſitati tamen *amanuenſis* manum *Cyprianus* expectaret. De *manu* certe in fine Epiſtolæ illa videntur intelligenda; *Hoc igitur ut ſcire poſſumus, & ſcriptura & ſubſcriptio an veſtra ſit, recognoſcite; & nobis quid ſit in vero, reſcribite.* Inde colligimus, ut *ſcriptura* Epiſtolæ non eſſet, at ſaltem *ſubſcriptionem* auctoris *manu* exarari ſolitam, ut in illa quam jam vidimus, *Apoſtoli*. Epiſtolam ordinis *Pameliani* XXXI. à *Novatiano* ſcriptam à *Moyſe* martyre eſſe ſubſcriptam, ait *Cyprianus* Ep. LII. utramque è *manu* fortaſſe utriuſque cognovit.

§. II. Hunc etiam eundem in finem *arcanas* quaſdam excogitaſſe veteres ſcribendi *notas*, obſervavit ad *Lactium* Cl. *Caſaubonus*. Sed & in *literarum Eccleſiaſticarum* uſu ejuſmodi *notas* obtinuiſſe ex *Attici* CP. Epiſtola diſcimus, ſi tamen ſincera illa ſit Epiſtola, quam habemus in Collectione *Iſidori Mercatoris*. Sunt etiam in Appendice Theſauri *Gruteriani*, inter *notas* illas quæ *Tyroni Tullio* & *Senecæ* inſcribuntur, multæ etiam *Eccleſiaſticæ*, non alio, ut videtur, adinventæ conſilio quam celandorum *arcanorum*. Scribendi certe *celeritati* plerumque ſunt inutiles. Nec vero alia erant *Eccleſiæ arcana* ſcriptis mandanda præterquam in illo, quod dixi, *literarum* commercio. Nequeunt igitur alio ita commode referri. Horum auctorem inventoremque Cyprianum noſtrum facit *Trithemius*, quem ipſe ſecutus auctorem, neſcio. Id certum, ab alio eſſe auctore quam vel *Tyrone*, vel *Seneca*, & quidem illo Eccleſiaſtico; nec eſſe præterea quod pugnet quin *Cyprianum* ipſum habere potuerint, aut *Cypriano* vetuſtiorem aliquem fortaſſe, auctorem. Nondum nomen mutaverat *Byzantium*. Et tamen *Severi* tempore ita diruta eſt ea civitas, ut in *vici* formam redacta [1] *Perinthiis* adjudicata ſit, ut proinde nullum in *literis formatis* locum proprium habere poſſit. Medio itaque tempore inventum harum *notarum* uſum fuiſſe neceſſe eſt, niſi clade illa *Byzantinorum* etiam antiquiorem forte exiſtimemus. *Cypriani* certe tempore in uſu fuiſſe eſt admodum ſane veriſimile. Has *notas* intellexeritne apud [2] *Minutium* illis verbis *Cæcilius* (*occultis ſe notis & inſignibus noſcunt*) ſtatuere non audeo. De *corporum notis* id intellexiſſe *gentiles*, ex *Octavii* reſponſione palam eſt. Fieri tamen potuit ut revera hiſce literarum *commendatitiarum* notis hoſpites ſuos primo ſtatim noverint intuitu *Chriſtiani*, quas tamen, cum ignorarent *gentiles*, ad *corporum notas* retulerint. De *notis* idem, ni fallor, obſervatum de *Pythagoræis*, à quibus multa irrepſerunt in mores *Chriſtianorum*. Judicet lector ea huccine ſunt referenda. Illas igitur notas deſiderarit fortaſſe *Cyprianus*.

§. III. Idem *chartam* etiam *ipſam* ſibi dicit eſſe ſuſpectam. Communionis Eccleſiaſticæ pars erat jus *hoſpitii*, de quo tam multa veteres. Id è ſacra præſertim hiſtoria, id è *Tertulliano* abunde conſtat. In illo *hoſpitii* jure *ſymbola* habebant veteres ſive *teſſeras* quibus hoſpitum amicos nunquam antea viſos, ſi tamen ab hoſpitibus commendarentur, exciperent. Illarum *teſſerarum* icones dedit nobis [3] *Tomaſinus*, ex quibus conſtat è craſſiori plerumque materia factas eſſe. Hoſpes viſam teſſeram cum ſua contulit, quæ ſi congrueret, tum judicabat eſſe ſinceram. Ea *congruitas* aliquando è *commiſſuris* apte inter ſe conjungendis apparebat. Quod alia in materia, ut dixi, craſſiori, id *Eccleſia Cyprianica*, in Epiſtolarum ipſarum *commiſſuris* forte obſervabat, ad modum inſtrumentorum noſtrorum hodiernorum quas *indenturas* appellamus. Ita fieri potuit ut ex *charta* ipſa judicare poſſet *Cyprianus*, an pro ſincera ea Epiſtola eſſet agnoſcenda.

§. IV. Quod *ſenſum* etiam in dubium vocarit, ne quid ex *vero* vel *ſubtractum* ſit, vel *immutatum*: Inde colligo ſuperioris Epiſtolæ initium ut hodie abruptum interciſumque habemus, ita fuiſſe ab ipſis etiam ſcriptoribus exaratum. Et quidem dedita id, ni fallor, opera. Conſtat enim non placuiſſe illis quam acceperant, ſive à *Clementio*, ſive potius à *Feliciſſimo*, ſeceſſus rationem. Id unum in obſcura illa Epiſtolæ parte minime obſcurum eſt, ſugillatum ab illis illum *Cypriani* ſeceſſum. Eam ipſam cauſam fuiſſe puto quod nec nomen *ſuum*, nec *eorum* appoſuerint ad quos data

[1] *Herodian.* l. 3. p. 154. [2] *Minut. Fel.* Octav. [3] De Jure Hoſp.

data esset Epistola, nec *signa* illa quæ desideravit *Cyprianus*, quod argumentum ipsum ingratum esse credidissent, *clero* quoque *Carthaginiensi*, nedum ipsi *Cypriano*. Reliqua certe Epistolæ pars non adeo obscura est, ut hujus obscuritatem certo esse consilio tribuendam intelligamus. Quod ideo monendum duxi ne locum illum *critici* temere solicitent. Si enim illum *Romani* obscurum esse voluerunt, quanto sensum facient corrigendo *clariorem*, tanto à scribentium mente alieniorem faciant necesse est.

DISSERTATIO CYPRIANICA III.

Ad EPISTOLAM VI.

De flagitio *Mulierum* cum *Clericis* concumbentium, eaque occasione de συνεισάκτοις.

Quæ ita cum clericis *concumberent* mulieres *innoxias tamen se illibatasque esse* virgines *nihilominus professæ sunt* §. I. Ep. LXII. *scripta post* reditum Cypriani *è secessu*. §. II. *Duravit post* Cypriani *tempora vitiosa hæc consuetudo in* συνεισάκτοις. *Illæ in Ecclesiam* Antiochenam *introductæ à* Paulo Samosateno. *Damnatæ in Concilio* Antiocheno *&* Ancyrano. §. III. *Damnatæ in Concilio* Nicæno; *quæ etiam* concumberent. *Damnatæ etiam à* Basilio *M.* Chrysostomo, Hieronymo, Honorio *Imp. Canonem* Nicænum *non intellexerunt Patres Concil.* Arelatens. *secundi*. §. IV. Ciceronis Cerellia συνείσακτος. §. V. Socratis *&* Platonicorum *de* amore *elogia*, *ne* corporeo *quidem* amore *excluso*. §. VI. Apuleii Cypriano *conterranei de eodem* amore *sententia*. §. VII. *Quantam inde* amoris *etiam* corporei *necessitatem collegerint nonnulli. Hermes Trismegistus* & primævi *Hæretici*. §. VIII. *E contra*, *alii* nuptias *omnes damnarunt propter* corporeum *hunc* amorem. §. IX. *Mediam viam tenuerunt plerique* Platonici. §. X. *Eorum principia de utilitate* amoris *etiam* corporei *ad animæ* ascensum. §. XI, XII, XIII, XIV. *Cur* συνείσακτοι fratrum sororumque *titulis scelera sua obduxerint. Cur* fœminæ *dictæ* συνείσακτοι *&* agapetæ. §. XV. *Primis* Christianismi *temporibus nondum natæ*. §. XVI. *Quam nihil faciat earum condemnatio ad* cœlibatum Clericorum. §. XVII.

§. I. *Doleo enim quando audio quosdam improbe & insolenter discurrere ad ineptias, vel ad discordias vacare; Christi membra, & jam Christum confessa, per concubitos illicitos inquinare*, &c.] Similis habetur locus Ep VII. sequenti, sed qui exponit nonnulla quæ hic obscurius traduntur: *Non deesse* (ait nonnullos) *qui Dei templa & post confessionem sanctificata & illustrata prius membra turpi & infami concubitu suo maculent, cubilia cum fœminis promiscua jungentes, quando etsi stuprum conscientiæ eorum desit hoc ipsum grande crimen est, quod illorum scandalo in aliorum ruinas exempla nascantur.* Constat itaque qui ita cum mulieribus *concumberent*, carnis tamen integritatem servasse illibatam. Quæ quidem consuetudo, quanquam illam hic reprehendat, ut vidimus, *Cyprianus*, tam altas tamen egerat in Ecclesia radices, ut nec, finita jam persecutione, deesset è sacro etiam ordine, *Diaconus* qui cum sacrata etiam *virgine* dormiret. Aliis etiam, tam *viris*, quam *virginibus*, causam eam ex Ep. LXII. communem fuisse constat. Illæ tamen asseverare se *integras* esse, *obstetricum* fidem appellare, *probandas* se *inspiciendasque* præbere. Ita nullus fuit in facto tam fœdo fœdus tamen animus.

§. II. Quod hæc epistola, quæ non tam *Cypriani* quam *synodi* potius ἐνδημούσης fuit, post *reditum* scripta fuerit, ex *Tertulli* mentione in *titulo* colligo. Inde enim constat factum esse illum jam *Episcopum*. Idem tamen ille sub *secessus initium Presbyter* fuit *Ep.* V. in quo etiam ordine ad persecutionis *finem* usque permansit *Epist.* XXXVII. Suadet etiam locus *ultimus* in quo ponitur, pro more *Africæ* quasi *nuper* factus Episcopus. Suadet denique quod cum iisdem *Collegis* legatur in inscriptione *Ep.* LIV. Quærendum itaque id quidnam fuerit à quo tam claræ in Ecclesia existimationis *viri fœminæque*, invalescente etiam tam arcto disciplinæ vigore, excusa etiam per persecutionem, siquam pax contraxerat, rubigine, tam ægre tamen essent extremo Ecclesiasticarum censurarum terrore coërcendi. Nec enim quod male audiret, insecuturos verisimile est quos hac in re peccasse constat. Ut vero bene audire *possit*, nondum est ab aliquo, quod sciam, explicatum.

§. III. Duo conatus est in ea, quam dixi, ad *Pomponium* Epistola *Cyprianus:* alterum ne *dormirent* cum *maribus* sacræ istiusmodi virgines: alterum ut ne simul quidem *viverent*. Ut prius asecutum demus ne id tamen ipsum ita asecutus est, quin in *aliis* Ecclesiæ partibus postea habeamus, *rara* quidem illa, *aliqua* tamen, exempla; posterius tamen tantum abfuit ut asecutus fuerit, ut qui in eo genere peccarent, recentioribus etiam fuerint Ecclesiæ canonibus castigandi. Recte enim tu, Pater, συνεισάκτους illas de quibus quarti seculi Canones, non alias fuisse existimas quam harum *Cyprianicarum* progeniem. Introduxit illas in Ecclesiam *Antiochenam* primus *Paulus Samosatenus*, gentilibus tamen *Antiochenis* ipso συνεισάκτων nomine jam antea cognitas, ne quis illas cum eo primum natas existimet. Nec *Clero* suo duntaxat illas indulsit, sed *Presbyteris* & *Diaconis*, sed *ipse* etiam, earundem consuetudine est usus. [1] Duas ætate florentes formaque conspicuas secum habuit, & quocunque proficisceretur, circumduxit. Nec aliquid ab illis ἀσεληγὲς admissum, id saltem ipsos fuisse professos, constat ex epistola *Encyclica* illius, à quo damnatus est, [2] *Antiocheni concilii*. Nec tamen illo *concilii* decreto extincta est mala hæc consuetudo. Meminit quarti seculi initio *concilium Ancyranum*.

[1] Ap. *Euseb.* Hist. Eccl. 7. 30 [2] Canon 19. Græc. divis. 18. *Dionys.* exigui.

cyranum: Τὰς μέντοι ζυνερχομένας παρθένας τισὶν, ὡς ἀδελφὰς ἐκωλύσαμεν. Plane respondet vox συνερχόμεναι συνεισάκτοις, ut quas viri συνεισήγαγον, illæ consentientes συνεισέρχεσθαι dicerentur. Quod porro hoc honesto *sororum* nomine facinora sua colorarint, id quoque ostendit ad prædictam concilii *Antiocheni* Epistolam *Valesius*. Ἐκωλύσαμεν de *præterito* aliquo decreto videtur intelligendum, nec alio, ut opinor, illo quam *concilii Antiocheni* quo damnatus est, ut dixi, *Samosatenus*. Earundem enim *provinciarum* Episcopi utrique concilio interfuerunt, tam *Antiocheno* illi: quam huic, quod dixi, *Ancyrano*.

§. IV. Sequitur [3] Canon *Nicænus* in hac causa, omnium notissimus. In eo prohibetur *Episcopis*, *Presbyteris* & *Diaconis*, omnibusque in clero constitutis usus harum συνεισάκτων. Huic si Canoni occasionem præbuit facinus *Leontii*, jam constabit ne *concubitu* quidem illarum abstinuisse qui ζυνεισάκτοις uterentur. Is enim accusatus de juvenculæ mulieris *Eustoliæ* commercio, jussusque proinde ut ab ejus se consortio, ζυνοικίας, abstineret, se castrandum præbuit quo posset ejus conversatione deinceps uti liberius, ut discimus ex [4] *Athanasio*. Idem testis est ad *concubitum* usque istud pertigisse commercium, ne quis dubitet in hac ipsa quoque causa *Cyprianicis* nostris respondisse illas ζυνεισάκτας. Ita enim disertissimis verbis idem *Athanasius*: [5] ἑαυτὸν ἀπέκοψεν ὥσπερ ἵνα μετ' ἐξουσίας λοιπὸν κοιμᾶσθαι μὴ Εὐσολίᾳ τινὸς, γυναικὸς μὲν δι' αὐτὴν, λεγομένης δὲ παρθένου. [6] Usus est & συνεισάκτῳ contubernio *Paregorius* Presbyter *septuagenarius* ad quem M. *Basilii* Epistolam habemus ea ipsa de causa conscriptam. Is quoque se professus est ἐλεύθερον παντὸς ζωματικῶν πάθους, quod de id ætatis sene erat verisimile. Omnium vero S. *Chrysostomus* ζυνεισάκτους maxima perspicuitate declarat, & quidem illos utriusque generis atque sexus. [7] Duplicem enim habet orationem, ad *viros* aliam, τοὺς ἔχοντας παρθένους ζυνεισάκτους, aliam ad *fœminas*, τὰς ἐχούσας ἄνδρας ζυνεισάκτους, vel alio titulo, ὥσπερ δὴ τὰς κανονικὰς μὴ ζυνοικεῖν ἀνδράσι. Utrique tamen se, si audiendi essent, ab omni mala suspicione purgabant. Nec enim ὅτι παιδοποιΐας se in unum convenisse dixerunt, ([8] οὐ γάρ φασιν αὐταῖς ζυγγίνεσθαι) ὅτε ἐξ ἀκολασίας (λέγουσι δὲ αὐτὰς ἀκεραίους διατηρεῖν) Constat autem *viros* hos non alios fuisse quam *Clericos*, *fœminas* non alias quam *sacras virgines*, illas enim *Canonicas* appellabant. Nullus tamen fuit illorum concubitus. Erant porro utrique *Pauli Samosateni* reliquiæ. In illa enim ejus Ecclesia *Antiochena*, scripsit hæc, vixitque, Chrysostomus. Meminerunt earundem [9] S. *Hieronymus* & Lex *Honorii* in [10] *codice Theodosiano*. Quod enim huc referunt Canonem tertium concilii Arelatensis. secundi, frustra faciunt, ut existimo. Fateor equidem Canonis *Nicæni* fere verbis eum canonem esse conceptum. Quod vero additur inter fœminas exceptas, *conversa uxor*, plane id à *Nicænorum* Patrum mente, à ζυνεισάκτων, ut vidimus, exemplo alienum est; plane sapit *Siricium* cœlibatus clericorum patronum acerrimum, ipsum quoque venerandum illud, novis ausis, *Nicænorum* Patrum quærentem patrocinium. Videmus interim hæ ζυνεισάκτοι quam accurate *Cyprianicis* respondeant. Ut in hisce *Cyprianicis*, ita in quarti etiam seculi *subintroductis* ad *clericos* præcipue spectabat earum periculum. *Subintroductas* etiam in monasteria ablegat *Basilius*, ut plane constet illarum quoque *virginitatem* fuisse *sacratam*. Has etiam quam malo essent & scandaloso *facto* innexæ, tam fuisse à malo *consilio* alienas, id saltem esse professas, constat è *Chrysostomo*.

§. V. Venio igitur ut ostendam qua tandem illud origine emanarit. Erant enim apud ethnicos etiam *fœminæ* quæ philosophiæ prætextu, virorum familiaritati assuescerent, qualis illa fuit *Ciceronis Cerellia*, quamvis *stuprum* ejus *Ciceroni* objecerit is, quicunque fuit qui sub *Fusii Caleni* persona in *Ciceronem* declamavit apud *Dionem*. *Cicerônis* nomen ab hoc probro purgavit in *quæstura* sua *Corradus*. Meminit ipsius aliquoties in [11] Epistolis *Cicero*, sed ita meminit, ut *studiorum* fuisse potius, quam *eroticorum*, cum illa commercium facile intelligamus. Hanc ζυνείσακτον alicubi, ni fallor, appellat *Plutarchus*, & quidem ita appellat quasi nomen ipsum apud *Græcos* vulgo obtinuisset. Inde ζυνεισάκτων Ecclesiasticorum profluxerit exemplum à viris etiam magnis *philosophicisque* commendatum.

§. VI. Ut autem intelligamus, quibus tandem principiis, consuetudinem hanc tantopere probarint, res omnis erit paulo altius repetenda. Non est itaque opus operose ut probemus quantum *amori* velut Dęorum omnium *antiquissimo* potentissimoque tribuerint [12] antiqui. Id unum ejus beneficium ad causam nostram maxime spectat, quod in animæ à *corpore* corporisque fæcibus solutione, vim ejus maximam agnoverint. [13] *Plato* in suo Ἀδῃ cum 10000. annorum faciat reliquarum animarum in corporibus moram; φιλοσοφησάντων ἀδόλως & παιδερασησάντων μὴ φιλοσοφίας trium duntaxat dixit esse *millium*. Non est utique mirandum plurimos fuisse in *amoris* laude *Platonicos*. Scio equidem de diviniori hæc, *animarum* potius quam *corporum* amore illos interpretari. Quod vero illum quoque *corporum amorem* non contemserint, vel inde constat quod *amatorios Poëtas*, qui toti in corporeo amore occupantur, [14] tanti tamen fecerint, quales erant *Anacreon* & *Sappho*; quod etiam *mysteria* vulgaria tantopere commendarint, quorum tamen *symbola* erant, ut plurimum, obscœna, nec alio quam ad *corporeum* illum *amorem* primario referenda; quod se ἔρωτος θεραπεύτας appellarit *Socrates*, & λοιχλῶ σάθμῳ πρὸς τὴς καλὴς quod disciplinæ magistras *Aspasiam Milesiam*, & *Diotimam Mantinicam*, discipulos non alios agnoverit quam pulcros adolescentes, *Alcibiadem* τὸ γανυσώτατον, *Critobulum* τὸ ὡραιότατον, *Agathona* τὸ ἁβρότατον, *Phædrum* θείαν κεφαλὴν, *Lysin* μειράκιον & *Charmidem* τὸ καλὸν, (istiusmodi enim illos epithetis ornarat) quod omnes corporei etiam amoris *affectus* ille ad vivum expresserit, quod *Charmidis* amore πηδᾶν τὴν καρδίαν, καὶ οἰδεῖν τὸ σῶμα, ἐπλοῦσθαι vero καὶ ἐνθυσιᾶν, ut *Baccha* solent, amore *Alcibiadis*, ad *Autolycum* vero se oculos convertisse dixerit, ut noctua soleret ad lumen; quod fortibus præmia non alia concesserit, quam *pulcherrimi*, quem placeret, *amorem*. Fieri vix potest ut hæc omnia ita intelligantur, ut omnem plane corporeum amorem prorsus excluserint.

§. VII. Quod vero ad *Cyprianum* attinet, ita est in hac *amoris* commendatione plurimus ejus conterraneus [15] *Apuleius*, ut ne *corporeum* quidem illum ab ea laude excludat. Defendit nempe, *veterumque* defendit exemplis, sua quoque *amatoria poemata*. Huc refert *Anacreontis*, *Sapphonis*, *Æditui*, *Portii*, *Catulli*, *Tibulli* & *Propertii*, *Virgilii*, gravissimorumque etiam *Philosophorum*, *Solonis*, *Diogenis Cynici* & Ze-

3 Can. 3. 4 Apolog. 1, profug. p. 718. & Ep. ad Solitar. p. 822. 5 Ep. ad Solitar. *p.* 827. 6 Ep. 198. Edit. Paris. 1618. 7 Tom. sexto Edit. *Savil.* Orat. 17. & 18. 8 Orat. 17. 9 *Hieron.* ad *Eustoch.* de cust. virgin. 10 Cod. *Theodos.* de Episc. & Cler. *l.* 44. 11 L. XIII. Ep. Fam. 72. L. XIII. ad Attic. 21. XIV. 22. 12 Vid. *Plat.* Conv. 13 In *Phædro.* p. 203. 14 Vid. *Max. Tyr.* Dissert. VIII. &c. 15 *Apul.* Apolog.

16 Δογ.

Zenonis Stoici, ipſius etiam *Platonis*, ſimilia exempla. Laudat & *Catulli* illud:

Nam caſtum eſſe decet pium poëtam
Ipſum, verſiculos nihil neceſſe eſt,

& Imperatoris etiam *Hadriani* in *Voconii* amici ſui tumulum ſimile etiam illud:

Laſcivus verſu, mente pudicus eras.

Quin *verſus* iſtiuſmodi, quo *obſcœniores*, eo putat eſſe *ſanctiores*. Sunt enim illa ipſa ejus verba de *Platone* loquentis: *Cujus verſus, quos nunc percenſui, tanto ſanctiores ſunt, quanto apertiores: tanto pudicius compoſiti, quanto ſimplicius profeſſi.* Hac addita ratione: *nam hæc & id genus omnia diſſimulare & occultare, peccantis: profiteri & promulgare, ludentis eſt. Quippe natura vox innocentiæ, ſilentium maleficio diſtributa.* Proinde ſua *amatoria* pro tribunali etiam recenſuit ut ſcirent *non pigere*, & quidem illa ipſa quæ accuſatores pro *intemperantiſſimis* habuerant. Hæc autem ad *amorem corporeum* ſpectaſſe quis dubitet? Non negat certe ipſe *Apuleius corporeo* etiam *amori* ſuam eſſe *laudem*, modo à corporum *violatione* temperetur, graduſque deinde fiat à *corporeo* illo ad *cœleſtem amorem.* Ita enim ille, de *cœlite* illa, quam appellat, *Venere*, & quidem è principiis *Platonicis*: *Solis illam hominibus datam eſſe dicit, & eorum paucis curare, nullis ad turpitudinem ſtimulis vel illecebris ſectatores ſuos percellentem. Quippe ejus amorem non amœnum & laſcivum, ſed contra incomtum & ſerium pulcritudine honeſtatis virtutes amatoribus ſuis conciliare:* & ſi quando *decora corpora commendet; à contumelia eorum procul abſterrere. Neque enim quidquam aliud in corporum forma diligendum quam quod admoneat divinos animos ejus pulcritudinis quam prius veram & ſinceram inter Deos videre.* Hæc cum in mores *Afrorum* permanaſſent, quis eſt equidem qui non videat, quam proclive fuerit, ut perſonas alioqui *honeſtiſſimas* & *philoſophiam* profeſſas in hæc ſcelera impellerent, à *Cypriano* noſtro memorata?

§. VIII. Ita de *amore* ſuo locuti ſunt *Philoſophi*, ita de ἴυγξι ſua *Chaldæi*, ita de φάλο veteres *Ægyptii*, ut eſſent qui de *amore* hoc *corporeo* eos præcipue intelligendos eſſe cenſerent, ut proinde *amores* hoſce etiam *impuros* ad *animæ* tamen *puritatem* neceſſarios exiſtimarent. Non aliam ob cauſam, ut puto, *Pſeudo-Triſmegiſtus nuptias* ad *animæ aſcenſum* neceſſarias facit, ſeu quod eodem redit, *liberorum procreationem.* [16] Μεγίση (inquit) ἐν τῷ βίῳ σωτηρὶ καὶ εὐσεβεσάτη τοῖς εὖ φρονοῦσίν ἐστιν ἡ παιδοποιΐα· καὶ μέγιστον ἀτύχημα καὶ ἀσέβημά ἐστιν, ἄτεκνόν τινα ἐξ ἀνθρώπων ἀπαλλαγῆναι. καὶ δίκλω ἔστιν δίδωσι μὴ θάνατον τοῖς δαίμοσιν. ἡ δὲ τιμωρία ἐστὶν ἥδε ἡ τὸ ἄτεκνο ψυχὴν εἰς σῶμα καταδικασθῆναι, μήτε ἀνδρὸς μήτε γυναικὸς φύσιν ἔχον, ὅπερ ἐστὶ κατηφὲς μένον ἀπὸ τὸ ἡλίο. τοιγαροῦν, ὦ Ἀσκληπιὲ, μηδενὶ ὕλῃ ἀτέκνῳ συνηθῆς· τἐναντίον δὲ ἐλέησον ἡ συμφορὰν, ὑπισάμῳ οἵα αὐτὸν μένει τιμωρία. Nec alio ſpectaſſe opinor *Gnoſticos* illos, βορβορίτας, ἀῤῥητοποιὸς, gratiam Dei εἰς ἀσέλγειαν μεταλιθέντας, Jud. ℣. 4. ἐκπορνεύσαντας, ℣. 7. σάρκα μιαίνοντας, ℣. 8. ἐπαφρίζοντας ἑαυτῶν αἰσχύνας, ℣. 13. quarum mentio apud *Oecumenium.* Huc *Carpocratianos* quoque illos, alioſque vetuſtiores apud *Irenæum*, ne jam recentiores *Montaniſtas* accenſeam, quorum ſcelera ortum fabulæ dederunt qua *catholicorum* etiam ſynaxes *Oedipodæorum* inceſtuum nomine male audiebant. Erat autem ea primis fere *Chriſtianitatis* poſt *Apoſtolos* originibus coæva. Meminerunt non [17] *Minutius* modo & [18] *Tertullianus*, & ſub [19] *Marci Antonini* finem qui confeſſionem ejus è ſervis extorſerant; ſed & antiquiores, [20] *Athenagoras*, [21] *Juſtinus*, [22] *Trypho*, ex antiquiori aliquo auctore [23] *Origenes*; & in *Jaſonis* atque *Papiſci*, ni fallor, *altercatione Ariſton Pellæus*, qui prima vixit poſt *Apoſtolos* Διδοχῇ, ut illo quoque ſeculo ſub *Chriſtianorum* nomine latuiſſe conſtet qui ita ſenſerant.

§. IX. Fœdum tamen hunc *corporum amorem* ita veri *Socratis Platoniſque* aſſeclæ deteſtati ſunt, ut eſſent etiam ex adverſo inter *hæreticos* alii qui *nuptias* omnes vel eo ipſo nomine damnarent, propter *corporum* hoc commercium. Nec id *Tatianus* modo ejuſque *Encratitæ* primum ſub ſecundi ſeculi medium docuere, ſed & alii *Apoſtolis* coævi quos hoc nomine damnavit [24] Apoſtolus. Tatiano certe antiquiores *Saturninum* atque *Marcionem*, hujus ſententiæ propugnatores ipſe facit [25] *Irenæus.* Angelis nimirum *Geneſeos* præſidibus quibus animarum in *corpora* includendarum munus ab illis aſſignatum eſt, pignora quædam atque ἐνέχυρα in liberorum procreatione data eſſe cenſuerunt, quo fieret ut diutius in corporibus detinerentur. Eam tamen ipſam ſolutionis cauſam exiſtimarunt priores quod ita *Angelis* ſatisfaciendum putarent ut liberum haberent *aſcenſum.* Quo etiam Textum illum trahendum voluerunt, de *conveniendo cum adverſario in via* ne in *carcerem* mitterentur, *i.e.* ut illi interpretati ſunt, in *corpora.*

§. X. Mediam tamen quandam viam tenuerunt atque temperiem Philoſophi quotquot erant ſobrii, ut damnandum eſſe aliquem *corporum amorem*, ita aliquem tamen, in hoc ipſo *aſcenſionis* animæ negotio, etiam probandum. Cum enim ex *myſteriis*, ut diximus, commentiſque Poëtarum *myſtice* tamen ut plurimum intellectis, & in æmulationem *Judæorum Chriſtianorumque*, ex receptis jam *oraculis* ſuam tandem philoſophiam colligendam cenſuiſſent; ita corporei amoris monumentis hæc ſcatebant omnia, nullo ut myſticarum interpretationum effugio aliorſum trahi poſſent. Conſtabat ex his omnibus *amatorio furore* plenos, *Dis* tamen eſſe gratiſſimos, nonnullos etiam in Deorum eſſe numerum aſcriptos. Conſtabat *Anacreontis* cauſam ab oraculo eſſe ſuſceptam, *ſacrum* fuiſſe eum qui *amoribus* non aliis quam *corporeis* operam dediſſet, ἄγος illos, graviſſimique *ſacrilegii* qui illum violaverant, eſſe poſtulatos. Quid quod ἴυγξ illa cujus tanta in *Chaldæorum* oraculis elogia, in corporei quoque *amoris* philtris locum habuit. Eum certe in finem adhibuit illam *Simætha* apud [27] *Theocritum.* Qui hæc vera fuiſſe crediderat, quis miretur ſi idem ille *amoris* beneficium longe maximum ad *Deorum* benevolentiam conciliandam, procurandamque *animæ aſcenſionem* agnoſceret? Id ex [28] *Philoſophiæ Platonicæ* principiis ut explicari poſſet, ſupereſt ut porro exponamus.

§. XI. Animadvertendum eſt itaque; 1°. omnem hanc *animarum* in *corpora* incluſionem, *pennarum* eſſe metaphora à *Platonicis* obumbratam, lapſum ejus πτεροῤῥύσιν haberi, ſive *alarum defluxum*, reditum πτεροφύησιν, ſive *alarum* itidem novarum *incrementum.* *Alarum* autem nomine nihil aliud intelligebant quam *motum animæ* vehementem quo, ut *corpora*, ita *animæ*, ad *ſuperiora* raperentur. Cum enim *animam* natura *divinam* eſſe crederent, locumque *ſuperiorem* ei ex

[16] Λογ. καθολικῶ p. 16. Ed. *Turnebi.* [17] *Minut. Fel.* Octav. p. 89. [18] *Tertul.* Apol. c. 7. [19] Ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. V. 1. [20] *Athenag.* Legat. 1. 4. [21] *Juſtin.* Apol. I. p. 50. Apol. II. p. 71. [22] Ap. *Juſt.* Dialog. p. 227. *B.*

[23] *Origen.* cont. *Celſ.* p. 293. 294. κ' τ ἀρχὴν δ χειρισμοῦ *Origenis* verba. [24] 1 *Tim.* IV. 3. [25] Adver. Hær. l. 30, 31. [26] *Euſeb.* Hiſt. Eccl. IV. 7. [27] *Theocrit.* Eidyl. 11. [28] Vid. *Plutarch.* Erotic. *Plotin.* Ennead. I. l. 6. Ennead. III. l. 5.

ex natura ſua convenire; ſequebatur omnino cum illa *vehementius* mota eſſet, redire ſibi vim ſuam *entheam* atque nativam, qua, cum antea viribus deſtituta conaretur equidem, nec poſſet, jam facta virium novarum acceſſione vigentior, poſſet etiam ad diviniora contendere.

§. XII. Animadvertendum 2°. ex Poëtarum *mythologiis* ex quibus omnem ſuam philoſophiam cudiſſe diximus *Platonicos*, amorem eſſe factum *alatum*, quod etiam *Simonides* ſuo in amorem Hymno *alarum* ſymbolo ad *oculos* repræſentavit. Idem igitur *Philoſophos* Poëtarum commenta ſecutos admittere neceſſe erat. Et vero conſtat *de facto* admiſiſſe *Platonem*. Huc refert in [29] *Phædro* ſuo nothos illos, *Homero* tamen tributos, in *amorem* verſus:

Τὸν δ' ἤτοι θνητοὶ, μὴν Ἔρωτα καλέσσι ποτιλωόν,
Ἀθάνατοι δὲ πτέρωτα διὰ πτεροφοιτᾶν ἀνάγκλω.

& multa ibidem in eandem ſententiam. Ex natura igitur ſua *amorem* animarum reditui multum contuliſſe neceſſe erat. Ut autem intelligamus, quas tandem vices *corporeo* etiam *amori* in hoc munere aſſignaverint.

§. XIII. Animadvertendum 3°. hos etiam *animæ* divinioris *motus* quoque diviniores, pendere tamen à corporis temperie, ita ut non pro arbitrio ſuo, ſed vero pro *organi* diſpoſitione, ita poſſit affici. Id in ipſa quoque *prophetia* verum fuiſſe concedunt qui de eo egerunt argumento. Non potuit *Iſaacus Eſauo* bona ominari antequam de ejus præda *guſtaſſet*, ita tandem erga illum æquius afficiendus quanquam illum antea tenerrime dilexiſſet. Nec zelo motus adverſus *Iſraëlitarum* regem Idololatram prophetare potuit *Elizæus*, niſi *muſicæ* ope compoſito illo ſancti quoque zeli turbine. Ingentes etiam exigebat impetus *enthuſiaſmus* ille ſeu *furor amatorius*, qui non poſſent niſi in *corpore* recte diſpoſito excitari. Hinc ergo ſequitur

§. XIV. 4°. Quæcunque ad illam *corporis amatorii* temperiem neceſſaria eſſent, ea ad *enthuſiaſmum* quoque illum *amatorium* utilia eſſe agnoſcenda. Ut autem miſſam faciamus fœdam illam corporum conjunctionem, quam animæ noxiam exiſtimarunt illi quos diximus Philoſophi, reliqua tamen ad enthuſiaſmum hunc excitandum conducere, nemo negarit, quæ etiam *Cypriani* tempore adhibita ſunt. Præter *concubitum*, *complexum* etiam & *confabulationem* & *oſcula* interceſſiſſe manifeſtum eſt. *Certe* (inquit) *ipſe concubitus, ipſe complexus, ipſa confabulatio & oſculatio, & conjacentium duorum turpis & fœda dormitio quantum dedecoris & criminis conſitetur?* Qui tamen illo *Enthuſiaſmo* philoſophice uterentur, excitatum ita rebus *corporeis*, alio tamen, & ad *incorporea*, referendum proculdubio cenſuerunt. Id quod à *Socrate* in ſuis *puerorum amoribus* factum eſt ſane veriſimillimum, de quo conſulendæ præclaræ illæ *Maximi Tyrii* diſſertationes. Cum tamen *puerorum amores* poſt tempora *Chriſtiana* maxima flagrarent infamia, ideo *mulierum* potius amoribus indulgendum cenſuerunt. Nec tamen ita conſuetudinem hanc ab aliis uſurpatam legimus, quam à *perſonis philoſophicis*, quæ ſibi etiam temperare poſſent ne ab illis, quæ ipſi *licita* putarunt, ſenſim ad *illicita* etiam prolaberentur. Tales erant certe *clerici* atque illæ quas diximus, *virgines* ſacratæ. Habet, fateor, alias rationes *Chryſoſtomus*, ſed illas, extincta hujus conſuetudinis origine, tandem, ni fallor, adinventas.

§. XV. Quod vero hi συνείσακτοι *fratrum* illis *ſororumque* titulis ſcelera ſua honeſtarint, id *Cypriani* noſtri temporibus erat, ni fallor, aliquanto recentius. Cum recentiorum ſeculorum ſuperſtitione ita creviſſet *virginitatis* exiſtimatio, ut *conjugatis* etiam æmulanda videretur; jam multi erant qui ſub conjugii prætextu *virginitatem* nihilominus illibatam conſervarint. Hos *fratrum ſororumque* titulis ornant illorum ſeculorum ſcriptores, ut à *maritorum uxorumque* illos officiis diſtinguerent. De *Anaſtaſio* Presbytero [30] *Amphilochius*: λέγει τῇ γυναικὶ αὐτοῦ, ὀνόματι μὲν· ἀδελφῇ δὲ, τῇ χρήσει. Baſilius ibidem: [31] γυνὴ μὲν αὐτοῦ ὑπάρχει τῷ ὀνόματι· ἀδελφὴ δὲ τῇ χρήσει· & alibi in eadem Hiſtoria. Idem *Amphilochius* de *Petri* uxore *Baſilii* fratris: [32] παραγίνεται μετὰ τῆς ἰδίας αὐτοῦ γυναικὸς τῷ ὀνόματι, ἀδελφῆς δὲ τῇ κλήσει, ſed χρήσει proculdubio reponendum, cum *Combefiſio*. De *Urſini* Presbyteri *uxore Gregorius* M. [33] *Hic ex tempore ordinationis ſuæ Presbyteram ſuam ut ſororem diligens, &c.* Ita igitur συνείσακτοι *fratres* ſe *ſororeſque* mutuo appellabant, quod ſe à *conjugatorum* officiis alienos profiterentur. Forte etiam quod in illa veterum diſciplina, includendarum in certas ædium partes *virginum* pateret nihilominus *fratribus* in παρθενῶνα acceſſus. κατάκλειστοι appellantur illæ *virgines* 2 *Maccab.* III. 19. Et voce συσκατακλείεσθαι uſus eſt hac ipſa in cauſa *Chryſoſtomus*, quaſi illam ipſam libertatem eo *nomine* aucuparentur. Atque hinc, ni fallor, vera quoque vocis συνεισάκτης *origo* petenda. Quod enim *nubere* fœminis, id viris *ducere* dicebatur, quod ſponſas *ducerent* in *thalamos* viri atque præirent. Ergo συνείσακτος erat quæ in *thalamum* ducenda eſſet à *viro*, propterea quod non eſſent παρθενῶνος atque ἀνδρωνίτιδος aditus à ſe invicem diſtincti. Ita ſe habuiſſe in συνεισάκτων cauſa, facile colligimus è *Chryſoſtomo*. Ait enim ſi quando media de nocte male ſe haberet *virgo*, facilem eſſe *viro* & in promtu ad virginem aditum; ancillis neceſſario miniſtrantibus, niſi per virorum cubicula, eſſe nullum. Scio equidem apud illum *viros* etiam dici συνεισάκτους, ſed in *titulo* duntaxat, & à recentiori fortaſſe manu (habetur enim in aliis MSS. alius ejuſdem orationis *titulus*) & pari ἀκυρολογίᾳ qua *viri* apud *Latinos* ſcriptores (*Chriſtianos* etiam *nubere* dicuntur. *Veris* certe *ſororibus* hanc libertatem convictus eſſe conceſſam ex eo ipſo *Nicænorum* Patrum canone conſtat quo vetitæ ſunt συνείσακτοι. Permittuntur enim iiſdem *clericis matres*, *amitæ* atque *ſorores* tanquam perſonæ non ſuſpectæ. Quod *ſorores* veras permittant, ideo fortaſſe factum quod *ſorores* & illæ quoque audiiſſent συνείσακτοι, quod verum probavimus è canone *Ancyrano*, *Nicæno* paulo antiquiore. Recte itaque hunc canonem Nicænum de *extraneis* interpretatus eſt *Ruffinus* qui, nondum extincta hac conſuetudine, vixit. *Aſciticios* enim ejuſmodi *fratres ſororeſque extraneos* fuiſſe appellatos diſcimus ex Hieronymo: [34] *Frater* (inquit) *ſororem virginem deſerit: Cœlibem ſpernit virgo germanum: Fratrem quærit extraneum:* & in [35] concil. *Eliberitano*. Reliqui illius canonis recentiores interpretes plane ignoraſſe videntur quid ea voce denotaretur. Quod porro *agapetas* nuncupatas, eundem habeamus teſtem *Hieronymum*, id ex Apoſtolo *Joanne* accepiſſe videntur, idque ſignificare voluiſſe *ſpirituale* fuiſſe, non *carnale* iſtud omne commercium. *Adoptivas ſorores* appellat Lex *Honorii*. Adoptione igitur contracta eſt *fratrum* illa horum *ſororumque* affinitas.

§. XVI. Quanquam autem *Cypriani* tempore, & deinceps, tam altas egerit, ut vidimus, radices; vix eſt tamen ut *Cypriano* multo antiquiorem fuiſſe concedamus. Ne ita credam, ſuadent non illæ modo (*chri-*

[29] *Phæd.* 2. p. 204. [30] In vita *Baſil.* Ed. *Combefis.* p. 198. [31] p. 199. [32] p. 211. [33] Dialog. L. IV. c. 11. [34] Ep. ad *Euſtoch.* de cuſt. virg. [35] Can. 27.

[36] Apo-

Christianorum ab omni quoque *mali specie* abstinentium severitas, sed & illa quoque quæ à *Christianis Apologistis* ad illam de *Oedipodais incestibus* calumniam respondentur, qui suorum castimoniam ita magnificis celebrant elogiis ut plane verisimile non sit domi illos habuisse quod adversariis tantopere faveret exemplum. [36] *Justinus*, ut illam refelleret, illud Salvatoris præceptum profert de *muliere* ne videnda quidem. [37] *Athenagoras* sub *Antoninis Marco* & *Vero* de *osculis* quibus usos hic videmus *Cypriani* ἀπακτῶντας, ex Apocrypho aliquo scripto hæc habet: πάλιν (inquit) ἡμῖν λέγοντος ὁ λόγος, ἐάν τις ἀφ᾽ τοῦτο ὀκ δευτέρᾳ καταφιλήσῃ ὅτι ἥρεσεν αὐτῷ —— [deest ἀπόδωσις.] ἢ ὑπιφέροντος, ὅτως ἂν ἀκριβώσαθ τὸ φίλημα, μᾶλλον ἢ τὸ προσκύνημα δεῖ· ὡς, εἴπε μικρὸν τῇ ἀφνοίᾳ παραθολωθείη, ἔξω ἡμᾶς τ αἰωνίᾳ τιθέντας ζωῆς. Eundem quem *Justinus* locum de non *videnda muliere* protulit *Antiochenus Theophilus*, cui & illum *Solomonis* adjungit, haustum equidem ex Apocryphis, sed qui cum *Christianorum* illius ævi dogmatibus conveniret: [38] οἱ ὀφθαλμοί σε ὀρθὰ βλεπέτωσαν· τὰ ἢ βλέφαρά σε νυέτω δίκαια, quem etiam aliquoties urget inculcatque. Nondum igitur initium acceperit hæc consuetudo; cum tamen hæc post *Marci* mortem scripserit *Theophilus*. Idem ex *Minutio* colligimus. [39] *Tantum* (inquit) *abest incesti cupido, ut nonnullis rubori sit pudica conjunctio.* Ex hoc ipso aliisque quæ de *Minutio* observavimus quam plurimis, ut *Cypriano* antiquiorem esse constat, ita illum, quam vulgo habetur, existimamus antiquiorem, & scripsisse sub finem *Marci*. Quod tamen volumus inpræsentiarum, nondum in Ecclesiam irrepsisse hanc ζυνεισάκτων fœditatem, id sane ex his omnibus sequi credimus. Qui enim ne *videndam* quidem *mulierem* esse censuerunt, qui *osculorum* etiam *licitorum* excessum ita periculosum ut qui in eo genere peccaret, ilium de *æterna vita* periclitari existimarent, qui ne *oculorum* quidem *ictus*, ne *nutus* etiam alios admitterent nisi ad *rationis* amussim castigatissimos; quis illos credat, quovis tandem illo philosophiæ prætextu, mulierum *oscula*, *amplexus*, ipsos etiam *concubitus*, esse admissuros? Quis *impudicam* hanc conjunctionem illis placere potuisse credat, quibus esset de *pudica* etiam conjunctione erubescendum? Plane igitur existimo inter *pacis* illius cujus meminit *Cyprianus* longæ mala, hoc etiam fuisse numerandum.

§. XVII. Liquet interim ex his omnibus quam ad *cleri cœlibatum* canones minime pertineant qui ζυνεισάκτων meminerunt, quo tamen referuntur à *Pontificiis*. *Innuptæ* erant, ut vidimus, hæ ζυνείσακτοι, eoque ipso nomine male audiebat earum cum *clericis* conversatio quod fuissent *innuptæ*, ut proinde causam earum deteriori in loco posuerint quam *justi matrimonii* verbis disertissimis *Cyprianus* atque *Chrysostomus*. Prorsus itaque non sequitur, si illarum cum *clericis* convictus damnatus fuerit, justarum etiam *uxorum* convictum similiter esse damnandum. Erroris erat occasio quod cum hæ (cum jamdiu fuissent extinctæ) quænam essent, omnino ignorarent; non recentiores modo sed veteres quoque interpretes, proinde de *omnibus* mulieribus quacunque de causa cum clericis *commanentibus* intellexerint, quod ex jam dictis constat esse falsissimum.

[36] Apolog. II. p. 62. [37] *Athenagor.* Legat. [38] *Theoph. Ant.* ad *Autolyc.* III. p. 125. [39] Octav. p. 311.

DISSERTATIO CYPRIANICA IV.

Ad EPISTOLAM VIII.

De *visionibus*, utque visionum suarum *fidem* comprobarint *veteres*, &c.

Permansisse visiones *&* dona Prophetica *à temporibus* Apostolorum *usque ad* Cyprianum, *ex auctore* Apocalypseos, Hermete. §. I. Clemente Romano *&* *auctore* Esdræ *Apocryphi.* §. II. Ignatio. §. III. Quadrato, Philippi *filiabus*, Ammia Philadelphiensi *&* Polycarpo. §. IV. Justino Martyre. §. V. Melitone Sardensi, Alexandro Phryge, Attalo, *aliisque.* § VI. Irenæo. §. VII. Perpetua *&* Saturo. *Non fuisse illos* Montanistas. §. VIII. *Verum non est*, *relictum* Montanistis *ab* Ecclesia prophetiarum *fuisse prætextum.* §. IX. *Contra post imperium* Commodi, *eo ipso argumento refutarunt* Montanistarum prophetias *Catholici*, *quod veræ* prophetiæ *donum in Ecclesia* perpetuum *futurum esset*, *cum tamen* Montanistarum *illud jam fuisset extinctum.* §. X. *Ita* Asterius Urbanus, Epiphanius. §. XI. *Auctor* actorum Perpetuæ & Felicitatis. §. XII. XIII. Visiones Natalis *&* Potamienæ, *deque* Alexandro Hierosolymorum, Fabiano Romæ *constituendis Episcopis.* §. XIV. *Agnoscit* prophetias Origenes. §. XV. *Declinatur testimonium* Gregorii Nysseni *de S.* Gregorio Thaumaturgo. §. XVI. *Visio* Dionysii Alexandrini. §. XVII. Visiones *ipsius* Cypriani. §. XVIII, XIX, XX, XXI. Visio *alia* Dionysii Alexandrini. §. XXII. Visiones palam *enunciari solitæ*, *idque ante* eventum. §. XXIII. *Ut* fraudi, *in* visionum prætextu, *subventum sit.* §. XXIV. *De* argumentis *quibus probaretur visionum* fides, *præsertim* intrinsecis. *Donum* cogitationum *patefaciendarum.* §. XXV, XXVI, XXVII. Futurorum *prædicendorum.* Futura, *quæ vires alioqui* creatas *non excederent*, *ab alio tamen*, *præterquam* Deo *prædici*, *ex illius ævi principiis*, *non poterant.* §. XXVIII, XXIX, XXX. *Eodem redit*, *sive à* Deo ipso *immediate*, *sive media aliqua creatura revelata fuerint.* §. XXXI. Hypotheseos *hujus cum* phænomenis *consensio* veritatis *argumentum est.* §. XXXII. *Ex aliarum prophetiarum* fide *ut* aliarum *fidem astruxerint.* §. XXXIII.

Verorum *prophetarum* omnia *non fuerunt* prophetica. §. XXXIV. *Aliqui* prophetarum errores *cum* vera prophetia *conſiſtunt*, *& quinam illi*. §. XXXV, XXXVI, XXXVII. Prophetiæ *veritas ex* communionis, *cui ſe adjunxerat propheta*, *unitate probata eſt*. §. XXXVIII. *Quorum* prophetiæ *omnes fuiſſent* obſcuræ, *eorum fides aliter niſi ex* communionis unitate *commendari non poterat*. §. XXXIX. *Viſiones* Juvenum *erant propriæ*. §. XL. *Quid de illis ſentiendum qui* prophetias *illas antiquorum* ludibrio *habuerint*. §. XLI, XLII.

§. I. NOn eſt quod hic *Rabbinorum*, aliorumve, qui de *prophetia* egerunt *viſionibuſque propheticis*, compilationem lector expectet. Nos ea tantum ſeligemus quæ ab eruditis *prætermiſſa*, nondumve *ſatis* animadverſa ſunt, quod ſciam, quæ tamen ad illius de quo agimus ſeculi hiſtoriam aliquid videbuntur habere momenti.

Male itaque faciunt eruditi qui quæ legunt in illius ſeculi auctoribus de *viſionibus*, ea ad *Montanum* trahunt atque *Montaniſtas*, quaſi vero ab ipſis uſque Apoſtolorum temporibus *viſiones* in Eccleſia defecerint, omniſque earum prætextus in *Eccleſia* ſuſpectus fuerit atque improbatus, ſoliſque *Montaniſtis* relictus. Nihil eſt omnino cur ita ſentiant. Potius in omni illo intervallo, ab *Apoſtolis* ad *Cyprianum* uſque, perpetuus erat *viſionum* uſus, ſemperque ab Eccleſia *probatus*. Sub primi ſeculi finem ſcripta illa eſt, quam habemus *Apocalypſis*, ſive ab *Apoſtolo*, ſeu forte à *Joanne Presbytero*, quæ tamen omnis in *viſionum* argumento verſatur. Eodem circiter tempore *paſtorem* ſuum ſcripſit *Hermes*, ſub *Clemente* enim ſcripſiſſe conſtat ex L. I. *Viſion.* 2. Nec eſt quod moremur recentiora illa *Pontificalis*, *Carminum* adverſus *Marcionem* aut quæ *Pii* nomen feruntur *epiſtolarum* ad *Juſtum Viennenſem*, fidei omnia ſuſpectæ, teſtimonia. Hujus opus cum tribus conſtet libris, primus *viſionum* titulum præ ſe fert, totuſque eſt in eo argumento. In [1] ſecundo etiam de *prophetarum ſpirituumque* verorum falſorumque diſtinctione agit ex profeſſo. Quorſum illud, niſi *verorum* quoque *prophetarum* dona eouſque in Eccleſia permanſiſſe credidiſſet? Hunc [2] *Blondellus larvatum prophetam ſomniatoremque* appellat, *Montaniſticarum ſuperſtitionum gurgitem*. Idem tamen ibidem *Patrum* aliter ſentientium elogia pro more ſuo coacervavit admodum honorifica, & quidem à *Montaniſticis* ſuperſtitionibus alieniſſimorum. Ita nihil in eo *Montaniſticum* reperire potuerunt Montaniſtis coævi *Patres*, quique illas ſuperſtitiones primi damnarunt. Judicet lector φιλαρχαῖος cui ſit potius fidendum.

§. II. *Hermeti* diximus coævum eſſe *Clementem Romanum* eundemque donorum *propheticorum* patronum. Iſtiuſmodi enim dona fuiſſe quibus ſuperbiebant ſchiſmatis auctores, ex illis ejus verbis facile colligitur. [3] Ἤτω τὶς πιςὸς, ἤτω δυνατὸς γνῶσιν ἐξειπεῖν, ἤτω σοφὸς ἐν δικαίᾳ κρίσει [*Clem. Al.* Διακρίσει, & rectius] λόγων. Non alio ſpectant hæc nomina quam ad dona illorum temporum *prophetica*. Πίςις illa de qua gloriari poterant, non alia erat quam *miraculorum* illa quam λόγον πίςεως appellat Apoſtolus, quo loco dona Sp. S. λόγοι apud illum audiunt. Γνῶσις non quælibet erat cognitio, ſed vero *myſteriorum* illa quam in *hæreticis* eo nomine ſuperbientibus ψευδώνυμον γνῶσιν idem vocat Apoſtolus. Eadem σοφία, quam & λόγον ζοφίας nuncupat. Διάκρισις λόγων eadem eſt quæ & Διάκρισις πνευμάτων, quo ſenſu dona Sp. S. λόγους appellatos eſſe diximus. Niſi forte λόγων pro λογισμῶν intelligamus, quo etiam ſenſu Διάκρισιν πνευμάτων de *cogitationum revelatione* interpretabimur. His fortaſſe temporibus coævus erat auctor librorum *Eſdræ* Apocryphorum, quorum partem longe maximam faciunt id genus *viſiones* atque *revelationes*.

§. III. Proximus eſt *Ignatius*; in quo id ipſum reprehendunt hi antiquitatis momi, quod eſt *propheticis* hiſce *donis* magis, quam volunt illi, propitius. In §. 7. *Ep.* ad *Philadelph.* ſuam ipſius prophetiam commemorat, quam ſibi vere revelatam fuiſſe *Deum* ipſum *teſtem* appellat. Εἰ δὲ (inquit) τὴν σάρκα μέ τινες ἠθέλησαν πλανῆσαι. ἀλλὰ τὸ πνεῦμα οὐ πλανᾶται, ὂν ἀπὸ θεοῦ ὄν. οἶδεν γὰρ πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει, καὶ τὰ κρυπτὰ ἐλέγχει· ἐκραύγασα μεταξὺ ὢν. ἐλάλουν μεγάλῃ φωνῇ· τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, καὶ διακόνοις. οἱ δὲ πτέσαντές με ὡς προειδότα τὸν μερισμὸν τινῶν λέγειν ταῦτα. Μάρτυς δέ μοι [rectius editio *interpolata* ſuffragante etiam vetere interprete *Uſſeriano*, Εἰ δὲ ὑποπτεύετέ με ὡς προγινώσκοντα τὸν μερισμὸν τινῶν λέγειν ταῦτα, Μάρτυς μοι] ἐν ᾧ δέδεμαι, ὅτι ἀπὸ σαρκὸς ἀνθρωπίνης οὐκ ἔγνων. τὸ δὲ πνεῦμα ἐκήρυσσεν λέγων τάδε· χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου, &c. Idem de ſuis id genus *donis* in §. 4. *Ep.* ad *Trallianos* illa: Μὴ οὐ δύναμαι τὰ ἐπουράνια γράψαι; ἀλλὰ φοβοῦμαι μὴ νηπίοις οὖσιν ὑμῖν βλάβην παραθῶ· καὶ συγγνωμονεῖτέ μοι, μήποτε οὐ δυνηθέντες χωρῆσαι σφαγγαλωθῆτε· καὶ γὰρ ἐγὼ οὐ καθότι, καὶ δυνάμενος τὰ ἐπουράνια, καὶ τὰς τοποθεσίας τὰς ἀγγελικὰς, καὶ τὰς συστάσεις τὰς ἀρχοντικάς, ὁρατά τε καὶ ἀόρατα· ἀλλὰ τοῦτο ἤδη καὶ μαθητὴς εἰμι. Nec vero ſingularem fuiſſe hac in cauſa *Ignatium*, ex aliis conſtabit illius ævi monumentis.

§. IV. *Ignatium* proxime excepit *Quadratus*, qui apologiam pro *Chriſtianis Hadriano* dicavit. Hunc una cum *Philippi* filiabus quas S. *Lucas prophetiſſas* appellat, *prophetica* ipſum quoque gratia illuſtrem fuiſſe ſcribit [4] *Euſebius*. Et quidem hæc uſque tempora attigiſſe illas *Philippi* filias, ex illis probabile eſt quæ ſcripſit ad *Victorem Polycrates*. [5] *Quadrati* Ἀγαδοχῶ *Ammia Philadelphienſis* & ipſa quoque *prophetiſſa ad Montani* ortum continuavit. *Polycarpo* de ſuo martyrio *ſomnium propheticum* oblatum eſſe, teſtes ſunt exceptione majores ipſi *Smyrnæi* in ea quam de ejus *martyrio* dederunt ad *Philomelienſes* epiſtola. [6] Hunc *Doctorem apoſtolicum* iidem atque *propheticum* appellant, fatenturque nihil eſſe ab eo *prædictum* quin eſſet eventu comprobatum. Πᾶν γὰρ ῥῆμα ὃ ἀφῆκεν ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, καὶ ἐτελειώθη (inquiunt) καὶ τελειωθήσεται. Hunc An. CXLVII. paſſum eſſe vult, & quidem maxima veriſimilitudine, noſter eruditiſſimus *Ceſtrienſis*.

§. V. De *Juſtino* Martyre idem habet *Euſebius*. [7] Γράφει (inquit) ὡς ὅλη καὶ μέχρι καὶ αὐτοῦ χαρίσματα προφητικὰ διέλαμπεν. Recte quidem ille. *Juſtini* ad *Tryphonem* verba ſunt illa: [8] Παρὰ γὰρ ἡμῖν καὶ μέχρι νῦν προφητικὰ χαρίσματά ἐστιν· ἐξ ὧν καὶ αὐτοὶ συνιέναι ὀφείλετε, ὅτι τὰ πάλαι ἐν τῷ λαῷ ὑμῶν ὄντα εἰς ἡμᾶς μετετέθη. Eodem poſtea uſus eſt adverſus *Judæos* argumento, poſt

[1] L. II. Mandat. 11, 12. [2] Apolog. pro Sent. *Hieronym.* p. 16, 17. [3] Ep. I. ad *Corinth.* §. 48. [4] Hiſt. Eccl. III. 37. & ex *Aſterio Urbano*. L. V. c. 17. [5] *Aſterius Urbanus* ap. *Euſeb.* ubi ſupra. [6] Ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. IV. 15. [7] Hiſt. Eccl. IV. 18. [8] Dialog. cum *Tryphon.* p. 308. B.

9 p.

post Christi adventum, nullos fuisse apud *Judæos*, de quo ipsos eorum *sensus* testes appellat: [9] μηκέλι ἐν τῷ χρόνῳ ὑμῶν καὶ τὸ παλαιὸν ἔθος προφήτας χρήσεσθαι. ὅσπερ καὶ ὄψει ὑμῖν ἰδεῖν ἔστι. μετ' ἐκεῖνον δὲ ἄδεις ὅλως προφήτης παρ' ὑμῖν γεγένηται. Permansisse autem apud sui quoque temporis *Christianos* eorundem *sensuum* testimonio confirmat, eadem ἰδεῖν voce usus: [10] καὶ παρ' ἡμῖν ἐστὶν ἰδεῖν καὶ θηλείας καὶ ἄρσενας, χαρίσματα ἀπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ ἔχοντας. Tam ergo manifestum fuit *Christianis* fuisse *prophetas* quam *Judæis* defecisse. Utrumque ita manifestum, ut *argumenti* vicem sustinere posset adversus *adversarium*. Eademque argumentandi forma usus est *Apostolus* Gal. III. 2. per *Spiritum* enim extraordinaria *Spiritus dona* intelliguntur.

§. VI. Sub finem *Marci* de *Melitone Sardensi* illud habemus *Polycratis* Encomium, quod Sp. S. afflatus cuncta gesserit, [11] τὸν ἐν ἁγίῳ πνεύματι πάντα πολιτευσάμενον. In eadem persecutione *Alexander Phryx* dicitur [12] ἐκ μέρους Ἀποστολικῆς χαρίσματος. In illa *Apostolica* gratia hanc *propheticam* esse includendam jam vidimus ex simili *Smyrnæorum* de *Polycarpo* [13] loco, ubi hæc duo conjunguntur. *Revelationem Attalo* factam de *Alcibiade* commemorat Ecclesia *Gallicana*. Frequentesque aliorum *diversis* in *Ecclesiis prophetias* fidem *Montanisticis* illis de *prophetia* prætextibus fecisse, auctor est *Eusebius*. Ita enim ille: [14] πλεῖσαι ἐν τῇ κατὰ δόξαν ποιείσθαι τοῦ θεοῦ χαρίσματος εἰσέτι τότε τῇ διαφόρους ἐκκλησίας ἐπετέλεσθαι, πίστιν μὲν πολλοῖς καὶ κἀκείνους προφητεύειν παρεῖχον. Ita *Montanistarum* nondum erat proprius hic prætextus, ut hactenus existimarunt eruditi.

§. VII. Idem de illo, *i. e.* suo, quoque seculo [15] *Irenæus*, cujus verba nobis *Græca* servavit *Eusebius*: [16] οἱ δὲ τὴν προγνωσιν ἔχουσιν τῶν μελλόντων, καὶ ὀπτασίας, καὶ ῥήσεις προφητικάς. Quod ille argumenti loco urget adversus *Hæreticos*. Idem alibi: [17] *Ubi Ecclesia, ibi & Spiritus, & ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia, & omnis gratia*. Negat numerum iniri posse *donorum* quæ *suo tempore* operata esset *Ecclesia*. [18] Οὐκ ἔστιν ἀριθμὸν τῶν χαρισμάτων, ὧν τὴν παντὸς τοῦ κόσμου ἡ ἐκκλησία παρὰ θεοῦ λαβοῦσα, ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου, ἑκάστης ἡμέρας ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν ἐθνῶν ἐπιτελεῖ. Ex quo id quoque intelligimus, ea quam fuerint vulgaria. Ne vero falli potuisse hic suspicemur *Irenæum*, id quoque addit, non *aliena* duntaxat *fide* se ea retulisse, sed quæ propriis *ipse* auribus hausisset. [19] Καὶ πολλῶν ἀκούομεν ἀδελφῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προφητικὰ χαρίσματα ἐχόντων, καὶ παντοδαπαῖς λαλούντων διὰ τοῦ πνεύματος γλώσσαις, καὶ τὰ κρύφια τῶν ἀνθρώπων εἰς φανερὸν ἀγόντων ἐπὶ τῷ συμφέροντι, καὶ τὰ μυστήρια τοῦ θεοῦ ἐκδιηγουμένον. His quid dici potuit manifestius?

§. VIII. *Tertulliani* testimonia propterea non refero quod illum *Montanismi* suspectum facit *Rigaltius*, nec negat apud eum *propheticarum visionum* exempla occurrere satis frequentia. Est & aliud coævum *Tertulliano* testimonium neutiquam sane prætermittendum, actorum *Perpetuæ* & *Felicitatis*. Ibi *visiones* habemus *Perpetuæ* & *Saturi*; & quidem ipsis Martyrum manibus scriptas consignatas, *Africanas* etiam illas, planeque ad *Cyprianicarum* formam conceptas. Habemus etiam coævi auctoris *præfationem*, qua *visionum* istiusmodi usum è *Joelis* prophetia probat commendatque. Mirum est quod hinc *scriptorem* ipsosque adeo *martyres Montanistis* favisse colligat doctissimus *editor*. Non est omnino verisimile, id si fuisset verum, fore illos in *Martyrum* censu numerandos, colendamque etiam eorum in *Ecclesia catholica* memoriam. Nec enim à *Cypriano* inductam esse illam de negando *schismaticorum martyrio* sententiam, sed ab ipso usque *Tertulliano Africa* fuisse receptam, probavit ex eodem *Tertulliano* Cl. *Pestrierisis*. Et vero *contra Montanistas*, potius quam ex eorum *sententia*, esse concepta, quæ huc trahunt viri eruditi, statim ostendemus.

§. IX. Quod enim illi *prophetiarum* prætextum relictum putant *Montanistis* ab *Ecclesia*, verum non est. Nec enim pro *veris* prophetis *Montanum* ejusve *mulierculas* habuerant *Catholici*, nec *defecturam* unquam crediderunt in *Ecclesia prophetarum successionem*. Utrumque docuerant contra *Montanistas Catholici*, possuntque ex eorum alterutro à *Montanistarum* scriptoribus facillime distingui. Non *bono*, sed *malo spiritui* tribuebant illas *Montanistarum prophetias*, unde illa ejus apud [20] *Eusebium* querela, pro *Inpo* se, qui tamen *agnus* esset, haberi. Proinde *Zoticum*, cum se prophetare primum simularet *Maximilla*, *Exorcistæ* vices obire velle, cum ea tanquam *Dæmoniaca* agere, ni ab aliis cohibitus fuisset, ait [21] *Apollonius*. De *Sota* hoc idem testatur *Ælius Publius Julius Develti* Coloniæ Episcopus apud *Serapionem*, ex *Euseb.* Hist. Eccl. L. V. c. 19. De prædicto *Zotico Comanensi* Episcopo & *Juliano Apameno Asterius Urbanus* ap. *Euseb.* ib. V. 16. [22] Id Catholici ex variis, quibus veri essent *prophetæ* ab *Enthusiastis* secernendi, colligebant: quod *fuco* oculorum *supercilia capillosque* illevisset *Montanus*; quod *salaria prophetis* suis mercaturamque quandam eo prætextu constituisset; quod *viros* suos reliquissent ejus *mulierculæ* cum *prophetissarum* munus in se suscepissent; quod *illæ* quoque *avaritiæ pecuniisque* quavis tandem arte corradendis totæ incumberent; quod περὶ τὸ τὴν παράδοσιν καὶ τὴν διδαχὴν ἄνωθεν τῆς ἐκκλησίας ἔθος docuissent; præsertim vero quod in *insaniam* illos profanus ille spiritus adegisset, quod *veris prophetis* nunquam crediderunt contigisse *Catholici*. Hoc maxime argumentum occasionem dedit *Tertulliano* scribendi de *Ecstasi* adversus *Apollonium*.

§. X. Sed & alio illo, quod diximus, argumento adversus illos usi sunt *Catholici*, hac arrepta ansa. *Maximilla* de se prædixerat, post se *prophetissam* aliam non futuram, sed *consummationem*. Verba ejus apud *Epiphanium* illa sunt: [23] Μετ' ἐμὲ προφῆτις οὐκέτι ἔσται, ἀλλὰ συντέλεια. Quæ mihi sane suadent ut *Blondelli* sententiæ accedam, non quidem *omnia* illa *oracula Sibyllina* quæ extant hodie, à *Montanistis* esse conficta, sed eorum saltem *aliqua*. Ibi enim in *Marci* imperium mundi hæc συντέλεια sive consummatio rejicitur. Sub illius autem imperii finem *Marcellinam* excessisse verisimillimum est. Cum enim ab ejus excessu ad suum quo scribebat annum, annos XIII. sive XIV^m. inchoatum numeret [24] *Asterius Urbanus*, non alio illa quam ad *Commodi* imperium aptius referri posse existimant eruditi. Contra *Catholici* vel hinc illos *prophetia* prætextus *falsi* convincendos putant, quod suæ prophetiæ, vel ex confesso, *finis* foret aliquando statuendus. *Verum* prophetiam *perpetuam* fore, & ad *mundi* usque consummationem *revera* permansuram. Ita intelligebant Apostolum illo, ni fallor, loco *Eph.* IV. 11, 12, 13. Ita prophetas, *Joëlis*, ut opinor, illum locum præcipue quem dixi-

[9] p. 314. C. D. [10] p. 315. B. [11] Ap. *Euseb.* Hist. Eccl. L. V. 24. [12] Ex Ep. *Lugdun.* & *Vienn.* ap. *Euseb.* L. V. 1. [13] Ap. *Euseb.* ib. 3. [14] *Euseb.* ib. c. 4. [15] *Iren.* L. II. c. 58. [16] Ap. *Euseb.* Hist. Eccl. V. 7. [17] *Iren.* L. III. c. 40. [18] *Iren.* L. II. c. 58. ap. *Euseb.* ib. [19] Ap. *Euseb* ib. [20] *Euseb.* Hist. Eccl. V. 16. ex *Asterio Urbano.* [21] Ap. *Euseb.* Hist. Eccl. V. 18. [22] Ap. *Euseb.* ib. c. 16, 17. 18. [23] *Epiph.* Hær. XLVIII. §. 2. [24] Ap. *Euseb.* Hist. Eccl. V. 16, 17.

[25] Ap.

diximus. Qua ratiocinatione ita abfuerunt à negandis *ſuorum* temporum *prophetiis*, ut in quacunque *Eccleſia* non fuiſſent *prophetæ*, ea ne eſſet quidem pro *Eccleſia* habenda.

§. XI. Ita argumentatus eſt *Aſterius Urbanus*.[25] Εἰ γὰρ μὴ Κοδρᾶτον ἦν τινὰ ἐν Φιλαδελφείᾳ Ἀμμίαν, ὡς φασὶν, αἱ περὶ Μοντανὸν διεδέξαντο γυναῖκες τὸ προφητικὸν χάρισμα, τῆς ἀπὸ Μοντανοῦ, ἢ τῶν γυναικῶν λίνες παρ' αὐτοῖς διεδέξαντο δεικάτωσαν· δεῖν γὰρ εἶναι τὸ προφητικὸν χάρισμα ἐν πάσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ μέχρι τῆς τελείας παρουσίας ὁ Ἀπόστολος ἀξιοῖ. Ita *Epiphanius*: [26] Εἰ γὰρ δεῖ χαρίσματα δέχεσθαι, ἢ δεῖ ἐν ἐκκλησίᾳ χαρίσματα, πῶς οὐκέτι μὴ Μοντανὸν, ἢ Πρίσκιλλαν, ἢ Μαξιμίλλαν ἔχουσι προφήτας; ἆρα ἤργησεν ἡ χάρις; οὐκ ἀργεῖ γὰρ ἡ χάρις ἐν ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ. μὴ γένοιτο. Εἰ γὰρ ἕως τινὸς προφητεύσαν οἱ προφητεύσαντες, ἢ οὐκέτι προφητεύουσιν. ἀλλὰ ὅτε Πρίσκιλλα, ὅτε Μαξιμίλλα προφήτευσαν μὴ [μὴ scrib.] τὰς προφητείας τὰς ἀπὸ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων ἐν τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ δοκιμασθείσας. Plane hæc *Epiphaniano* ſeculo non conveniunt, quo jam in *confeſſo* erat hæc χαρίσματα eouſque non permanaſſe. Exiſtimo igitur ex *antiquiore* aliquo ſcriptore illum hæc imperite deſcripſiſſe.

§. XII. Ad eandem formam argumentatur vetus ille auctor, quicunque fuit, martyrum contemporaneus, actorum *Perpetuæ* & *Felicitatis*. Is ubi, allato *Joëlis* loco, probaſſet, ita non deficere à V. T. illis N. Teſtamenti *prophetias*, ut ſint potius ex adverſo ſub N. T. potiores expectandæ; hæc deinde ſubjungit in illam, quam dixi, ſententiam: [27] *Itaque & nos, qui ſicut prophetias, ita & viſiones novas pariter repromiſſas & agnoſcimus & honoramus; ceteraſque virtutes Spiritus Sancti ad inſtrumentum Eccleſiæ reputamus, cui & miſſus eſt idem omnia donativa adminiſtrans in omnibus, prout unicuique diſtribuit Dominus, neceſſario & digerimus, & ad gloriam Dei lectione celebramus. Ut ne qua aut imbecillitas, aut deſperatio fidei, apud veteres tantum æſtimet gratiam Divinitatis converſatam, ſive martyrum, ſive in revelationum dignatione: cum ſemper Deus operetur quæ repromiſit, non credentibus in teſtimonium, credentibus in beneficium.* Eo omnino ſpectat tota ea diſputatio ne fraudi eſſet ſecuturis *viſionibus* quod *ultimis* Eccleſiæ temporibus illas Deus revelare dignatus ſit. Id ne eſſet, hoc ſibi probandum ſumſit, *ultimis* eſſe illas præcipue temporibus, ſemperque ad *conſummationem* uſque expectandas. Poterant ea fortaſſis adverſus *Ethnicos* dicta videri, poterant etiam adverſus *Montaniſtas*. Contra *Montaniſtas* potius dicta crediderim, quia quæ dixerat, ea *Scripturarum* teſtimonio confirmavit. Id ſane manifeſtum eſt quæ hic protulerat eſſe apud *ſuos* in confeſſo, quod à *Montaniſta* ſcribi omnino non poterat.

§. XIII. Notetur enim inprimis ſcripta eſſe ab auctore anno *Domini* CCII. *i. e.* anno ab obitu *Maximillæ* circiter XXIII. deceſſiſſe enim illam diximus anno *Marci* ultimo, i. e. *Dom.* CLXXIX. Atqui ea ſi vera fuiſſet *prophetiſſa*, non jam alius erat *propheta* expectandus. Qui igitur alios adhuc expectavit, ſemper expectandos exiſtimavit, fieri non poteſt ut *illam* pro vera *prophetiſſa* habuerit, nec proinde *Montaniſta* eſſe potuit. Quanquam enim ea hæreſis poſtea in varias deinde ſectas diſtributa fuerit; in eo tamen omnes conveniebant, primas illas *mulierculas* pro *prophetiſſis* fuiſſe agnoſcendas. Notetur 2°. ut ſenſu benigniſſimo *Maximillæ* verba interpretemur, & de *mulieribus* prophetiſſis, non de *viris* prophetis intelligamus: ne ita quidem hanc præfationem à *Montaniſta* ſcribi potuiſſe. *Perpetuæ* enim *prophetiſſæ* viſiones erat complexurus. Quanquam certum ſit hanc interpretationem ad mentem *Maximillæ* accommodari non poſſe. Quæ enim poſt ſe συντέλειαν fore dixerat, eam *omnem* prorſus *prophetiæ* uſum excluſuram neceſſe erat. 3°. Cum hac ipſa argumentatione, ante annos ad minimum decem, in ſecta illa refellenda uſus fuerat *Aſterius Urbanus*; quis credat eadem argumentatione uſurum ſectæ *patronum*? 4°. Id etiam ex eodem *Urbano* conſtat *de facto* illos omnem ſuam *prophetarum* ſucceſſionem in *Maximilla* terminaſſe, nec alium quemvis poſt *illam* admiſiſſe ſucceſſorem. Eadem argumentatione uſus [28] *Epiphanius*, poſt illius obitum neminem alium à *Montaniſtis* ad *ſua* uſque tempora agnitum eſſe confirmat. Fieri igitur non poteſt ut *Montaniſta Saturum Perpetuamque* in *prophetarum* album retulerit. Id ſaltem ex illa aliorum argumentatione concedat lector neceſſe eſt, qui ita argumentetur non eſſe eo *nomine* pro *Montaniſta* æſtimandum. Nec tamen aliud proferunt qui aliter ſentiunt viri ſane eruditi. Scio equidem lubenſque concedo, in tota hac de *prophetiarum perpetuitate* argumentatione *hallucinatos* eſſe veteres, nec ad eorum *auctoritatem* minuendam facit, quod id genus erroris *alios* frequenteſque agnoſcamus. Nec enim aliud habuerunt ſententiæ ſuæ fundamentum quam *textus* illos quos diximus, unde rectene *argumentati* ſunt, non de *teſtimonio* eorum, ſed vero de *judicio* eſt quæſtio, in qua nullum habent à ſua *vetuſtate* præſidium. Quod vero inde infero, *de facto* illos agnoviſſe in *ſuo* quoque ſeculo *prophetias*, id jam in *facto* verſabitur, de quo teſtimonium eorum erit pro ſuo ſeculo certiſſimum.

§. XIV. Sed ut eo, unde digreſſa eſt, redeat oratio; eadem qua paſſæ ſunt *Perpetua* & *Felicitas*, *Severi* perſecutione, occurrebant & alia *viſionum* exempla. [29] *Natalis* imprimis confeſſoris illa ſub *Romano* Pontifice *Zephyrino*, qua ab *Artemonis* hæreſi ad *catholicam Eccleſiam* revocatus eſt. [30] Tum *Potamianæ* aliæ, quibus non *Baſilides* modo, ſed & alii *Alexandrini plures* ad fidem *Chriſtianam* converſi ſunt. Præterea *revelationes viſioneſque* aliæ, quarum prima juſſus eſt [31] *Alexander* è *Cappadocia* ut in *Paleſtinam* migraret, ſecunda atque tertia cum *voce cœleſti* quam בת קל appellant *Judæi*, quibus moniti ſunt cum *Epiſcopo* ſuo *Hieroſolymitani*, eundem *Alexandrum* ut in Epiſcopatum admitterent. Sub *Maximino* vel *Gordiano* [32] *Fabianus revelatione* Divina factus eſt Epiſcopus, Sp. S. in illum, *columbæ* ſpecie delapſo, ad eandem plane formam qua in Salvatorem delapſus fuerat.

§. XV. Sub *Gordiano*, vel potius fortaſſe *Philippo* ſuos adverſus *Celſum* tomos ſcripſiſſe videtur *Origenes*; nec enim φάσις illa cujus meminit p. 120. [33] ad remp. referenda eſt, ut putavit *interpres*, ſed ad *ſectas* potius *Chriſtianorum*. Jam autem χρόνῳ πλείονι perſecutionem paſſi non erant *Chriſtiani*, quam etiam πάλαι fuiſſe dicit. Longam illam *pacem* omnino denotare videtur cujus meminit [34] *Cyprianus*; intervallum nimirum à perſecutione *Severi* ad illam *Decii*. Hoc autem tempore *prophetica dona* apud *Chriſtianos* viguiſſe, teſtis ipſe eſt de ſuo tempore fide digniſſimus, qui & rem omnem *propheticorum donorum* paucis abſolvit. [35] Οὔτε τῆς πίστεως ἀλλοτρίων παραπλήσιόν τι τοῖς προφήταις πεποιήκασι, ὅτε νεώτεροι ἦν μὴ τῆς Ἰη-

[36] Ap.

[25] Ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. V. 17. [26] Hær. XLVIII. §. 2.
[27] In Præfat.. [28] Hær. XLVIII. §. 2. [29] Auctor. incognitus adv. *Artemonis* hæreſin ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. V. 28.
[30] *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VI. 5. [31] *Euſeb.* ib. c. 11.
[32] *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VI. 29. [33] L. III. adv. *Celſ.*
[34] De Lapſ. [35] L. VII. p. 337.

Ἰησῦ ἀπόδημίαν ἱστόρηται ἐν Ἰουδαίοις τινὲς προφητεύσαντες. τὸ γὰρ ἅγιον πνεῦμα ὡμολόγηται ἐκείνους καταλελοιπέναι ἀσεβήσαντας εἰς τὸν θεὸν, καὶ τὸ προφητεύθεν ὑπὸ τοῦ παρ' αὐτοῖς προφητῶν. Idem ſupra de *Judæis Juſtinus* Martyr. Pergit autem *Origenes*: Σημεῖα δὲ ἁγίου πνεύματος κατ' ἀρχὰς μὲν τοῦ Ἰησοῦ διδασκαλίας, μὴ δὲ τοῦτο ἀνάληψιν αὐτοῦ πλείονα ἐδείκνυτο, ὕστερον δὲ ἐλάττονα. πάλαι καὶ νῦν ἔτι ἴσχνη ἐστὶν αὐτοῦ παρ' ὀλίγοις, καὶ ψυχὰς τῷ λόγῳ καὶ τοῦ κατ' αὐτὸν προφέσει κεκαθαρμένοις. Quod ſuo tempore *veſtigia* duntaxat ſupereſſe dicat, ad prima illa *Chriſtiani* cultus primordia in *pentecoſte* proculdubio reſpexit, utque voluit cum *Chriſtianorum* cujuſque *ordinis* communia olim fuerint ſub *Apoſtolis* dona hæc, quæ diximus, *prophetica*, jam illuſtrium duntaxat primique meriti *Chriſtianorum* facta eſſe *propria*.

§. XVI. Benignum hic præberet argumentum vel una illa *Gregorii Thaumaturgi*, *Origenis* diſcipuli, vita à *Nyſſeno* conſcripta; ni id metuerem ne certioris fidei monumentis fidem detraherem, ſi incertiora etiam coacervarem. Hauſit illa *Nyſſenus* non è coævis *monumentis*, ſed vero ex *orali* plerunque *traditione*, nec illa propius quam ex unius, ad minimum, ætatis intervallo deducta. Ea ſi coram acceperiſſet, nec rem geſtam aliter quam geſta eſt, ratiociniis nimirum ſuis conjecturiſque auctam, poſteris repræſentaſſet; non viderem ſane cur *Nyſſeno*, cur cuivis probatæ *fidei* viro aſſenſus eſſet denegandus. Talia ſunt autem quæ hactenus protulimus, quæque deinceps proferemus.

§. XVII. Quare ſuppleat ejus locum alius ejus ſub *Origene* condiſcipulus, *Dionyſius Alexandrinus*. Hic ſub finem *Philippi*, ingruente *Alexandriæ*, populi in *Chriſtianos* ferocientis impetu, perſecutione, *Divino monitu* fugere juſſus eſt, cui & *fugæ* viam præter opinionem aperuit. Ita de ſe ipſe in ſua ad *Germanum* Epiſtola: [36] κελεύσαντός μοι μεταξῆναι ὑπὸ θεοῦ, καὶ παρεκδόξως ὁδοποιήσαντος, &c. Hæc vera eſſe, Deum ipſum teſtem appellat: ἐγὼ δὲ καὶ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ λαλῶ, καὶ αὐτὸς οἶδεν ὅτι οὐ ψεύδομαι· οὐδὲ μίαν ἐπ' ἐμαυτοῦ βαλλόμενος, ἀθεεὶ πεποίημαι τὴν φυγήν. Quid hic faciemus? Viro ſanctiſſimo ne *jurato* quidem credemus?

§. XVIII. Ad ipſa jam *Cypriani* tempora devenimus, cujus ſi *unius* teſtimonia conſulamus, nec erit ſane quod dubitemus, fuiſſe *viſiones* aliaſque *prophetias*, nec fuiſſe etiam illas *veraciſſimas*. In hac ipſa quam tractamus *epiſtola* meminit viſionis *prius longe oſtenſæ quam tempeſtas vaſtitatis illius oriretur*, quam jam antea futuram intellexerat. Et quidem illa de *unanimitatis* defectu talis erat qualem deſcripſit Apoſtolus, qua ipſa quoque *cordium occulta* manifeſta redderentur. Erat & alia revelatio quam *ad minimum famulum* (ſe ea proculdubio voce denotarat) mandatam ait, *dic illi*, *inquit*, *ſecurus ſit*, *quia pax ventura eſt*. Jam longe aberant à *pacis* ſpe cum illa ſcriberet *Cyprianus*. Nec tamen diſſimulandum propterea credidit, quin potius ipſam hanc epiſtolam fuiſſe *fratribus legendam*. Ita *certum* de eventu fuiſſe conſtat, fore nihilominus quod promiſſum erat.

Orta perſecutione *ſeceſſit*. Id quoque ut *Dionyſium* feciſſe oſtendimus, ſic Deo pariter auctore conſtat feciſſe Cyprianum. [37] *Et audietis* (inquit) *omnia*, *quando ad vos reducem me Dominus fecerit*, *qui ut ſecederem juſſit*. Idem in Ep. XV. multiſque in ejuſdem vita *Pontius*. Lapſis *pacem*, eo inconſulto, temere conceſſerant *Presbyteri*. De eo etiam, quid faceret, *Deum* habuit monitorem. *Caſtigare nos itaque Divina cenſura nec noctibus deſinit, nec diebus. Præter nocturnas enim viſiones, per dies quoque impletur apud nos Spiritu Sancto puerorum innocens ætas, quæ in extaſi videt oculis, & audit, & loquitur quibus nos Dominus monere & inſtruere dignatur.* Quinque *Presbyteri* lapſorum patroni, quas illi turbas dederint, ubique conſtat ex ejuſdem epiſtolis. Id etiam ei à Domino cœleſti *viſione* antea revelatum eſt. [38] *Perſecutio* (inquit) *eſt hæc alia, & alia tentatio; & quinque iſti Presbyteri nihil aliud ſunt quam quinque primores illi, qui edicto nuper magiſtratibus fuerant copulati.* Ita intellexit recteque, ut videtur, Pamelius: *videtur mihi alludere ad viſionem quampiam in qua apparuiſſe videntur cum magiſtratibus quinque primores, qui edictum contra Epiſcopos una publicarent.*

§. XIX. Secundam illam ſui temporis ſub *Gallo* & *Voluſiano* perſecutionem jam antea ex *revelatione Divina* didicerant, deque ea populum *literis* etiamnum extantibus monendum exiſtimarunt. Ita ad plebem *Thibaritanam* Cyprianus: [39] *Nam cum Domini inſtruentis dignatione inſtigemur ſæpius, amplius & admoneamur, ad veſtram quoque conſcientiam admonitionis noſtræ ſollicitudinem perferre debemus. Scire enim debetis & pro certo credere ac tenere, preſſuram diem ſuper caput eſſe cœpiſſe*, &c. Deinde paucis interpoſitis: *Nec putemus talia eſſe quæ veniunt, qualia fuerunt illa quæ tranſierunt. Gravior nunc & ferocior pugna imminet*, &c. Rurſus idem cum *Synodo Cyprianus* ad *Cornelium*: [40] *Sed enim cum videamus diem rurſus alterius infeſtationis appropinquare cœpiſſe, & crebris atque aſſiduis oſtenſionibus admoneamur, ut ad certamen quod nobis hoſtis indicit, armati & parati ſimus, plebem etiam nobis de Divina dignatione commiſſam, exhortationibus noſtris paremus*, &c. Poſtea: *Obtemperandum eſt namque oſtenſionibus atque admonitionibus juſtis, ut a paſtoribus oves in periculo non deſerantur*, &c. Rurſus: *Placuit nobis, Spiritu Sancto ſuggerente & Domino per viſiones multas & manifeſtas admonente quia hoſtis nobis imminere prænunciatur & oſtenditur, colligere intra caſtra milites Chriſti*, &c. Non credent hæc fortaſſe *Athei*. Sed quid habent quo minus *fide digna* eſſe cenſeant? *Viſiones* hic habemus, non *multas* modo, ſed & *manifeſtas*; nec illas *poſt eventum* confictas, ſed vero *antea* prænunciatas, eventuque *comprobatas*; nec id obſcura *privati* cujuſpiam fide, ſed *Synodi* totius conſentiente ſuffragio, manſurisque, ſi falſæ fuiſſent, in rei memoriam æternis monumentis, ſcriptisque conſignatas *ſole*, ut *Hieronymus* ait, *clarioribus*; non video quid præterea velle poſſent ad rem *facti* comprobandam, ſi modo ex æquo judicare vellent, nec fidem prorſus omnem hominibus derogare.

§. XX. Adeo familiares *Cypriano* erant hujuſmodi *viſiones*, ut in *diſciplinæ* etiam *Eccleſiaſticæ* exercitio illas acceperit, aliasque deinceps expectaret. Ita ille de *Florentio Pupiano*, fore, [41] *ſi pleniſſime ſatisfeciſſet ut communicationis* ejus *poſſent habere rationem*, *manente tamen* (inquit) *apud nos Divinæ cenſuræ reſpectu & metu; ut prius Dominum meum conſulam an tibi pacem dari, & te ad communicationem Eccleſiæ ſuæ admitti ſua oſtenſione & admonitione permittat. Memini enim quid jam mihi ſit oſtenſum, imo quid ſervo obſequenti & timenti de Divina & Dominica auctoritate præceptum; qui inter cetera quæ oſtendere & revelare dignatus eſt, & hoc addidit:* (verba erant proculdubio *Chriſti* in *viſione* quæ ſubjungit) *itaque qui Chriſto non credit ſacerdotem facienti, poſtea credere incipit ſacerdotem vindicanti.* Ita erant frequentes ea ætate Divinæ *revelationes*, ut ne de *reſipiſcente* quidem *Pupiano* pol-

[36] Ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VI. 40. [37] Ep. X. [38] Ep. XL. [39] Ep. LVI. [40] Ep. LIV. [41] Ep. LXIX.

polliceri auderet quid esset statuturus, ne aliud fortasse à *Deo* juberetur, ut Deum proinde primum innueret esse consulendum, ut tandem *Dei* in rebellem *pœnam* expectaret, talem plane qualem Apostolicarum censurarum comitem fuisse apud doctos in confesso est. Iterum de *Presbyteris* qui, se inconsulto, *Lapsis* communicaverant, [42] *utar* (inquit) *ea admonitione, qua me Dominus jubet, ut interim prohibeantur offerre*, &c.

§. XXI. Ita constat gravioris momenti omnia, quæ quidem *publicum* Ecclesiæ statum attinerent, esse istiusmodi *visionibus* prædicta. Designatus est à *Cypriano* lector [43] *Celerinus* confessor. Is contra, pro humilitate sua *cum consentire dubitaret Ecclesiæ*, Dei *ipsius admonitu & hortatu in visione per noctem compulsus est ne negaret.* Nec deerat quo de *martyrio suo* monitus est vir sanctissimus, *somnium* quidem illud, sed *propheticum*, & sane manifestissimum. Quo primum *die* in exilii *Curubitani* loco mansit, *mors* ejus & quidem ipsum martyrii *genus* prophetico *symbolo* repræsentata sunt. Ille dilationem *unius diei* petiit accepitque, donec *res suas legitima ordinatione disponeret*, Ecclesiæ fortassis illas. *Dies* ille pro idiomate *Danielis* atque *Apocalypseos* prophetico *annum* designabat. Responditque eventus accuratissime. *Eo* enim ipso *die post exactum annum coronatum esse* tradit [44] Pontius, *quo hoc illi ante annum fuerat ostensum.* Quid hic dubitamus? De *somnio?* At *à Cypriano* ipso habuit *Pontius* domesticus atque exilii *comes.* De *Pontio?* At jam *ante* martyrii diem *omnibus* innotuerat, ut ne quid *Pontius* comminisci posset si vel maximè voluisset. [45] *Medio enim* (inquit) *tempore imminens passio pro certo ab omnibus sciebatur.* Quid quod illa ediderit *Pontius* quo tempore jam recens erat *Cypriani* memoria; quo multi adhuc supererent *Cypriani* hostes qui nomini ejus essent infensi, *Gentiles*, *Lapsi*, *Æmuli*, ipsi etiam *hæretici.* Hosne igitur indormiisse, *factique* historiam, si falsa esset, tam refutatu facilem, prætermissuros, putant esse verisimile? De *somnii* itaque *fide?* Atqui illam manifestissimus omnique exceptione major comprobavit *eventus.* Quanquam ergo defuissent illa, quæ vidimus de *visionum* usu *alia* tam diserta testimonia, ipsæ tamen sibi comprobandis vel solæ sufficiscent *Cyprianicæ*, totique adeo cultus *Christiani* causæ commendandæ.

§. XXII. Ultimis *Cypriani* temporibus; Pontificatu nimirum *Xysti*, ille cujus supra meminimus *Dionysius Alexandrinus*, visionis meminit qua factum dicit ut in *hæreticorum* librorum lectione confirmaretur. Ita enim scribit in epistola ad *Philemonem* Ecclesiæ *Romanæ* Presbyterum: [46] ὄραμα θεόπεμπτον προσελθὸν ἐπέῤῥωσέ με, καὶ λόγῳ πρός με χρώμενον, προσέταξε Μαξιμίλλῳ λέγων· πᾶσιν ἐντύγχανε οἷς ἂν χείρας λάβοις, διαθύνειν γὰρ ἔκασα καὶ δοκιμάζειν ἱκανὸς εἶ, καὶ σοι γέγονε τοῦτο ἐξ ἀρχῆς καὶ τῆς πίστεως αἴτιον. Ab horum *Dionysii* temporum fine suorum temporum initium arcessit [47] *Eusebius.* Qui cum hoc in sua Historia notatu dignum duxerit, quousque *donorum prophetticorum* successio permanavit; id sane innuit *suo* jam *tempore* illam defeciisse. Atque adeo post *Constantini* tempora *primum* à doctoribus quæsita est illius defectus *ratio* quanquam ne ita quidem *omnimodam* eorum defectionem agnoverint. At *Constantino* antiquiorem *neminem* fuisse puto qui illa *defeciisse* crediderit; nedum ut de defectionis *ratione* laborandum esse censeret.

§. XXIII. Est & illud animadvertendum, quod sane ad *visionum* illius seculi commendationem plurimum facit, quanquam *noctu* essent *dormientibusque*, ut plurimum oblatæ, non tamen intra *privatorum* duntaxat hominum arcana esse reservatas, sed vero *palam* & in *facie Ecclesiæ*, prima quaque occasione enunciatas. Id ab ipsis usque *Apostolorum* temporibus observatum esse constat. *Prophetiæ* illæ quarum meminit epistola ad *Corinthios*, Ecclesiasticorum erant omnino *cœtuum.* Inde tanta cœtuum illorum confusio, quod *simul* plures loquerentur, nec expectarent prophetandi *vices*; quod *dona* illa exercerent quibus Ecclesia ædificari *non* posset, ut qui *dono linguarum* uterentur sine *dono interpretandi*; quod *mulieres* etiam, *prophetissæ* nimirum, in cœtibus *virorum* præter sexus decorum, quodque sine *velis*, *passis* fortasse *capillis*, ad modum *Sibyllarum*, prophetarent. Nec aliter [48] *Agabus* famem illam *œcumenicam* prædixit, quæ imperante *Claudio* contigit; qua tamen prædictione moniti, statim antequam fames *ipsa* eveniisset, subsidiis *pecuniariis* subveniebant, ad eandem plane formam qua *Cyprianum* jam vidimus *persecutioni* similiter prædictæ etiamnum *futuræ* occurrentem. Erant enim *publicæ* ut plurimum calamitates *prophetiarum* istiusmodi argumentum, vel *personarum* saltem *publicarum.* Ita S. *Pauli* vincula prædixit *Agabus* Act. XXI. 10, 11. prædixerunt & alii *discipuli* ℣. 4. prædixit πνεύματα τὴν πόλιν cap. XX. 23. *i. e.* ut ego arbitror, πνεύματικοὶ singularum *Ecclesiarum*, quæ ea etiam ætate secundum *civitates* distributæ sunt. Ita denique *postremorum* temporum prædicti sunt *errores* 1 Tim. IV. πνεῦμα etiam in eo loco de conventuum *prophetis* intelligo, quos cum dicit hæc ῥητῶς prædixisse, id nempe innuit, disertis hæc verbis esse prædicta, præter usitatum prophetiarum morem quæ symbolis *ut plurimum* intellectu difficillimis erant involutæ. Id saltem verisimillimum est *privatorum* nullas *receptas* esse *prophetias* qui se *publico* examini non probassent. Ita certe in *publico* munus suum exercuisse vidimus *Ignatium.* Publicum in usum prophetias suas *scribere* jussi sunt ejusdem seculi *prophetæ.* S. *Joannes*, *Pseudo-Esdras*, qui veri prophetæ personam induere voluit, & *Hermas.* *Cypriani* etiam tempore *palam* & in *facie* Ecclesiæ communicabant suas *visiones.* Visionem *illam* ipsius in exilio omnibus *innotuisse* jam ostendimus, uti etiam & illas *de* instante *persecutione.* Idque ex ipsa visionum *mentione* sane *abruptissima*, colligitur, tum in hac Epistola, tum in Ep. XL. de quinque Presbyteris, tum in Ep. LXIX. de *Florentio Pupiano.* Ita certe *perstrinxit*, nec ullam unquam καθεξῆς exponit, quasi rem commemoraret jam omnibus *notissimam*, quæque adeo *narratione* non indigeret.

§. XXIV. Quod cum ita se haberet, jam optime cautum videbatur ne qui *falsariorum* doli fidelibus imponerent. Imprimis enim nulli ad hoc munus admitti potuerunt nisi quorum optima esset *existimatio*, vitaque ab omni *fraudis* astutiæque suspicione alieniissima. Ita factum ut *prophetæ*, omni suspicione remota, de ejus duntaxat esse *prophetia* judicandum. Hoc autem *judicandi* munus, ut quam accuratissime præstaretur, optima etiam erant in publico præsidia. Aderant enim & alii *prophetæ*, aderant & prophetarum *judices*, qui dono essent *discernendi Spiritus* instructi, ipsi etiam *famæ* proculdubio integerrimæ. Horum si cum aliquo *pugnaret*, cum id in confesso esset, eundem Dei Spiritum sibi esse non posse contrarium; plane sequebatur jam locum esse suspicioni. Quanquam enim certum erat omnia Divini Spiritus *dona* esse pariter *infallibilia*; id tamen etiam certum, quoad *credibilitatis*, quæ vocant, *motiva*, certiora esse *argumenta* cur

42 Ep. X. 43 Ep. XXXIV. 44 *Pont.* in vit. *Cypriani.* 45 *Pont.* ib. 46 Ap. *Euseb.* Hist. Eccl. VII. 7. 47 Hist. Eccl. VII. 32. 48 Act. XI. 28, 29, 30.

cur unus crederetur afflatus quam cur alii; juſtumque eſſe ut qui *minus* eſſet *credibilis*, is à *credibiliori* judicetur. Quod etiam ad *fraudum* ſuſpicionem attinet, alieniſſima erat *ætas puerorum*, quos *Cypriani* ſeculo *prophetaſſe* jam vidimus.

§. XXV. *Fraude* itaque remota, alia tamen ſuppetebant argumenta quibus à *Deo* auctore profluxiſſe probaretur ea *prophetia*, vel enim alio edito *miraculo* ſe à *Deo* miſſum *propheta* confirmabat, quod *ſignum propheta* Veteris Teſtamenti ſcriptores appellant; vel *intrinſecis* prophetiæ argumentis à *Deo* illam emanaſſe probabat. Si *miraculo* ſe commendare vellet, aliud *donum* haberet neceſſe erit, quod tamen non eſt, ex Evangelii œconomia, neceſſarium. *Intrinſecorum* autem argumentorum, quæ eo præcipue ſpectabant ut *revelationem* illam probarent, *naturæ* vires ſuperare, naturæque proinde *auctori* ſoli tribuendam, duo erant genera. Vel enim occultas hominum *cogitationes* proferebant, vel *futura contingentia*. Horum utrumque, ex illius præſertim ſeculi principiis, ſoli Deo proprium, omneſque creaturarum vires ſuperabat. Prius equidem; quia is ſolus καρδιογνώστης, *rerum* atque *cordium ſcrutator*, cui omnia ſunt *nuda* atque τετραχηλισμένα. Proinde *arcana Dei* nemo inveſtigare poterat niſi *Spiritus Dei* 1 *Cor.* II. 11. Spiritum etiam *diſcretorem cogitationum & intentionum cordis* appellat Apoſtolus *Heb.* IV. 12. Qui ergo alienas *cogitationes* aperuerat, is ubi *fraudis* omnis ſuſpicio remota erat, non alio quam *Divino Spiritu* afflatus credebatur.

§. XXVI. Fuiſſe autem inter πνευματικὰς Eccleſiæ qui eo etiam eſſent dono prædíti, conſtat ex Apoſtolo 1 *Cor.* XIV. 24, 25. *Si autem* (inquit) *omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota: convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus. Occulta enim cordis ejus manifeſta fiunt: & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuncians quod vere Deus in vobis ſit.* In hoc *Infidelis* exemplo certum erat nihil agi potuiſſe ex *condicto*, ut proinde certiſſimum eſſet, qui ita *cogitationes* ejus manifeſtaret, non alio illas, quam *Divino* Spiritu afflante didiciſſe. Hujus gratiæ frequens fit in Salvatoris [49] hiſtoria mentio, à quo χάριν ἀντὶ χάριτος accepit Eccleſia. Eadem uſus eſt in *Ananiæ* & *Sapphiræ*, ut in *Simonis* etiam *Magi* cauſa S. Petrus. De *Simone* ita: ἡ καρδία σου οὐκ ἔστιν εὐθεῖα ἐνώπιον τοῦ θεοῦ Act. VIII. 21. Rurſus: Εἰς γὰρ χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα. In cauſa *Elymæ* magis [50] S. *Paulus*. Is enim *plenus Sp. Sancto*, non illud modo *Elymæ factum*, ſed doloſam etiam *indolem* reprehendit, quanquam antea ignoti. Uſum etiam vidimus *Ignatium*, cum ſchiſmaticorum *occulta* conſilia primus in lucem protulit. Et quidem neſcio annon hoc fortaſſe fuerit donum διακρίσεως πνευμάτων cujus meminit Apoſtolus. Affinibus certe verbis uſi ſunt ſcriptores ſacri in hoc ipſo *Spiritus* negotio. Dicitur κρίσεις ἐνθυμήσεων, &c. Heb. IV. 12. ἀνακριτικὸς 1 Cor. XIV. 24. & vero *Spiritus* pro *corde cogitationibuſque* uſus frequentior eſt quam ut de eo monendus ſit lector.

§. XXVII. Duo autem erant hominum genera quorum *cogitationes* ita patefierent. Vel enim aliorum *prophetarum* cogitationes patefecerunt cum quibus nullum ipſi commercium habebant, ex quo magna acceſſit rei prædictæ confirmatio. Ita de *Timotheo* non *una* erat ſed multæ interque ſe *conſentientes prophetiæ* de S. *Paulo* πνευμάτων καὶ πόλεις, ut ſupra vidimus. His autem major erat adhibenda fides quod non *humanorum* duntaxat, ſed *Divinorum* quoque arcanorum conſcii viderentur. *Humanarum* autem *cogitationum* duo erant genera quæ hoc dono eſſent manifeſtanda. Vel enim *fidelium* erant illæ, vel infidelium. *Infidelium* equidem ſi quis malo animo in Eccleſiaſticos conventus irrepſiſſet, vel prodendi cauſa, vel ludibrio exponendi, vel ut mundano affectui gratificaretur, id ipſum Spiritu revelante prodebatur; unde fiebat ut ſi ex eorum numero fuiſſet, quos *Græci* διγνωμονοῦντας appellant, non tam ſuccenſeret prodentibus, quam in eorum potius admirationem raperetur, ut in prædicto loco innuitur Epiſtolæ ad *Corinthios*. Fidelium autem cogitationes prodebantur, ſi qui eſſent in *clerum* aſcribendi, ut in exemplo *Timothei*; vel ſiqua *fraude* uſi eſſent, ut in *Anania* & *Sapphira*; vel etiam *inſidiis*, ut *Judam* prodidit inſidiantem ipſe Dominus; vel alio denique fortaſſe quovis *occulto* flagitio. Id enim ipſum reprehendit in *Anania* & *Sapphira* [51] S. *Petrus* quod auſi eſſent *non hominibus mentiri, ſed Deo*; quod *Spiritum Domini tentarent*. Quaſi id exprobraſſet, quod cum iis ſe cœtibus adjunxiſſent, in quibus *Spiritus dona* ipſi agnoverant; interque alia illud quoque quo *arcana revelarentur*; ipſi tamen occulta ſua flagitia *latere* poſſe ſperarint, ſeque ea impune laturos. Idque ipſum magnum proculdubio incuſſit *occultorum* etiam flagitiorum metum, cum nullas deinde latebras ſecuras fore intellexiſſent, v. 5. Nec eſt quod in hac ipſa ratiocinandi forma vel ipſi *Athei* poterunt merito reprehendere.

§. XXVIII. Erat tamen & aliud argumentum, & quidem ipſi prophetiæ dono *intrinſecum*, quo prophetiarum ſuarum fidem veteres confirmabant, *futurorum* nempe contingentium *prædictio*. Quæ quidem certa eſſe, & à Deo auctore fuiſſe intellecta eſt, cum ipſam confirmaſſet eventus. Eratque hæc argumentatio ex *Chriſtianorum* principiis certiſſima. Ipſe *Deus* eo provocat apud [52] *Iſaiam*. Nec vero alteri quam *Deo* tribui *de facto* potuit hæc *futurorum* contingentium *præſcientia* ex principiis *Chriſtianorum*. Ut enim demus multos eſſe eventus qui vires creaturarum non excederent; conceſſa tamen illa, quam *Chriſtiani* tuebantur, providentia, erant nihilominus certi quidam eventus qui nullam habebant cauſam à *natura* determinatam, ex qua poterant *antea* cognoſci; & vero qui non ex una aliqua cauſa, ſed ex omnium conſenſu complexuque orirentur, (quales erant qui *publicum* ſpectabant plerique) illos vel unius cauſæ *defectus*, vel etiam unius *interpoſitio*, incertos fecit, ut proinde non poſſent niſi ex illa cauſa intelligi futuri cui aliarum omnium cauſarum complexio *de facto* eſſet obnoxia. Eam autem non aliam crediderunt *Chriſtiani*, quam primum, optimum maximumque Deum.

§. XXIX. Crediderunt inprimis non *caſu* factum eſſe mundum, ut volebant *Epicurei*, ſed certa quadam *providentia*, factumque etiamnum eadem *regi* providentia qua factus eſt. Crediderunt deinde *liberum arbitrium* nulli eſſe cauſæ alteri niſi *Deo* ſoli obnoxium. Proinde *fati* omnes illos ſenſus qui eſſent à ſupremi Dei *decreto* diſtincti, penitus rejiciebant, ſive *Epicureorum* illum à materialium cauſarum influentia petitum, ſive *Aſtrologorum* illum à cœleſtium ſiderum ſive *motu* deductum, ſive etiam *cauſalitate*. Si ergo *ſoli Deo* liberum arbitrium obnoxium fecerint; plane ſequitur eventuum eorum certitudinem qui vel ab ipſo libero arbitrio, vel à *conditione* aliqua per liberum arbitrium ponenda penderent, à *Deo ſolo* eſſe *de facto* deducendam. Quod vero ad *materialium* cauſarum eventus attinet, poterant illi *motus univerſalis* vim aliquam *mechanicam* agnoſcere. Sed

[49] S. Mat. IX. 2. 4. XII. 25. Luc. V. 22. VI. 8. XI. 17. [50] Act. XIII. 9. 10. [51] Act. V. 4. 9. [52] Iſa. XLI. 23.

Sed nec ita talem illam agnoverunt, ut creatura aliqua, cum qua nobis est commercium, vel ipsa possit ex *universali* illo motus *consensu*, futura contingentia *cognoscere*, vel nobis *indicare*. *Indicare* certe nulla potuit nisi *intellectualis*, quam *Christiani Angelum* appellamus. At qui cum nobis versantur *angelos*, eos certis creaturarum *provinciis* assignabant, universarum provinciarum λόγον *præsidem* existimabant, ut proinde *angelorum*, quos dixi, cum nobis versantium, nullus motui *universali* fuerit admotus, ut possit ex *causalitate* sua de *futurorum contingentium* eventu judicare. Sed nec eos ita *incorporeos* agnoverunt ut possent omnia creata in *speculo creatoris* intueri. Nec *omnia creata* illis innotescere crediderunt, nisi quæ *Deus* illis *revelare* dignatus esset, nec etiam omnia illis revelare *de facto* esse dignatum. Mysterium de *incarnatione* ab *Ecclesia* didicisse *angelos*, testis est [53] Apostolus. Tria etiam, ante incarnationem *dæmonem* latuisse, auctorem habemus [54] *Ignatium*. Sed non vacat hisce ut singulis immoremur.

§. XXX. Liquet interim, data hac hypothesi, *futura contingentia*, sive à *libero arbitrio*, sive ab *universali motu*, pendentia, neminem posse, nisi summo illo Deo revelante cognoscere. Sed nec si *motum* illum *universalem* cognovissent, vel ita possent de *eventuum* istiusmodi certitudine judicare. Nec enim ita mundum universum *mechanice* à Deo regi credebant, ut non aliquando *contra* motum illum universalem, sæpius tamen *præter* illum, Deus interponere & vellet, & soleret; *contra* equidem, in miraculis: *præter* illum, quoties vellet ordinarias etiam electorum preces exaudire. Frustra enim essent piorum *preces* ut plurimum, pro bonis præsertim *temporalibus*; si nihil posset Deus præter *universalis* naturæ *cursum*, sine *miraculo*, præstare. Toties enim edenda essent istiusmodi *miracula*, quoties bonorum essent *preces audiendæ*. Quod si præter universalem illum motum multa Deus & *velit* præstare *soleretque*; sequitur ex illo, si vel maxime innotuisset, nihil esse de *futuris contingentibus* certo pronunciandum.

§. XXXI. Quod si *hæc*, ut creatas vires ex natura sua non *superarent*, non tamen possent à creatura, nisi *Deo* revelante, cognosci; id unum abunde sufficit, ut quoties *hominibus* innotuissent, *Deo* tamen summo essent merito tribuenda. Nec enim id quærendum, *Deusne* ipse, an ejus jussu permissuque *creatura* aliqua, ei tamen subdita hominibus ea revelaret? sed, an, eo nolente, vis aliqua contraria? In eo enim versatur erroris *periculum*. Atqui, data hac, quam repræsentavimus, hypothesi; id certum erat hujusmodi revelationes à vi aliqua *contraria* esse non posse. Nec enim erat *creatura* quæ, *Deo nolente*, ea posset *cognoscere*; nec verisimile erat, angelis *contrariis* & suis suorumque hostibus infensissimis, *Deum* ea *revelaturum*, quæ non essent illorum *naturæ* debita, nec possent, nisi eo *revelante*, cognoscere. Sequitur ergo, ut *angelorum* ministerio in revelatione hominibus patefacienda uteretur, nisi *bonis* tamen minime usurum. Nec metuendum quin illi munere sibi commisso diligentissime fidelissimeque fungerentur. Ita constabat *veras* hasce de *futuris* contingentibus *revelationes* nisi à *Deo* auctore esse non posse.

§. XXXII. Quanquam autem *hypotheseos* veritas, cujus justas hasce diximus esse atque legitimas consequentias, ex *docentium* auctoritate probata est, quæ & ipsa aliis erat *miraculis* commendata; facit tamen nonnihil ad *præmissarum* quoque veritatem, *consequentiarum* quoque ipsa probabilitas, tamque apta inter se & cum *phænomenis* connexio. Nam in hujusmodi causis quas *ipsas* nulla nostra à priori ratiocinatio attingit, id unum student homines, ut sibi quandam fingant *hypothesin* quæ cum *phænomenis* aptè conveniat, nec aliam quærunt ejus probationem, quam aptam illam cum phænomenis convenientiam, eamque veriorem judicant quæ phænomenis pluribus aptiusque respondet. Ita judicant de motibus *orbium cœlestium*, *marium*, *ventorumque*; de *magnetis* natura aliorumque id genus omnium. Nec tamen minus est à *nobis* occulta ratio *providentiæ*, quam *orbium cœlestium*. Nec minus apte convenit cum *phænomenis* hæc *Christianorum* de providentia hypothesis, quam *Ptolemæi* illa, sive etiam *Copernici*, sive alterius cujusvis *Astronomi* cum motuum illorum phænomenis. Contra potius longe *certiores* erant *Christianorum* etiam *naturæ* imperitissimorum, de futuris contingentibus *prophetiæ*, quam peritissimorum etiam Astrologorum *judicia*. Ex quo id etiam sequebatur longe esse verisimilius, à *Deo* esse hæc, quam à quovis naturalium causarum *consensu* repetenda.

§. XXXIII. Probata ergo prophetiarum *præteritarum* ex *eventu* veritate, ita deinde *prophetæ* auctoritas accessit ad *aliarum* prophetiarum *successum* similiter expectandum. Quoque *sæpius* prophetiis ejus eventus respondissent, eo *certius* constabat non *casui* hæc, sed vero certis *causis* esse tribuenda. Cum vero duorum essent generum *prophetiæ*, aliæ *claræ* facilesque intellectu, in quibus nulla esse posset de vero prophetæ *sensu* dubitatio; aliæ rursus pro usitato prophetiarum *idiomate*, symbolis ænigmatibusque involutæ, ut ægre intelligi posset quænam *prophetæ* esset aut *numinis* sententia: ex *priorum* veritate de *posterioribus* erat solidissime judicandum. Si omnes *obscuræ* essent, ut in oraculis *Apollinis Loxiæ*, nostrorumque *hodiernorum* Enthusiastarum deliriis; nulla jam erant *intrinseca* credibilitatis argumenta, ut nisi forte eum locum extrinseca suppleissent, quantumvis veræ *essent*: at nullum certe habebant *veritatis*, quo à falsis internoscerentur, *characterem*, nec alios proinde, ut vera crederentur, obligabant. Sin aliquæ perspicuæ; jam facile judicium erat, de *reliquis* quid esset statuendum. Si *eventus* vel *unius perspicui* prophetiæ non respondisset; plane sequebatur nec *reliquis* esse fidendum, quin potius illas vel naturali *Enthusiasmo*, vel alteri, potius *diabolico*, spiritui quam *Divino*, esse tribuendas. Ita *Maximillæ* prophetias refellit [55] *Asterius Urbanus*. Prædixerat illa imminere πολέμους & ἀκαταστασίας, cum tamen post annum 13^m. jam elapsum, nec *particulare bellum* aut *universale* in terris fuisset, *Christianis* etiam *pax* firma stabilisque permansisset. Inde concludit fidem ei omnem esse derogandam. Quod si evenissent quæ prædicta sunt, pro talium eventuum *frequentia* prophetæ fides *magis* erat *minusve* stabilita. Omnino *solidissima* erat hujusmodi argumentatio, nec video quid in ea *reprehendere* possint, nedum *ridere*, scurræ Athei; nec quid simile obtendere possint pro suis, quas hodie venditant prophetiis, heri nudiustertiusque nati fanatici, sive eorum qui communi *Protestantium* vocabulo censentur, sive etiam eorum quos *mysticos* appellant Theologos *Pontificii*. Neutri argumentis *extrinsecis* utuntur, sive *miraculis*, coram & in propatulo, inque *infidelium* facie editis, sive *aliorum*, à nobis etiam agnitorum prophetarum testimoniis. Neutri testimoniis *intrinsecis*, sive cordium infidelium patefactis *occultis*, sive futurorum contingentium *prædictione*, jam diu ante eventum manifesta, publicamque in lucem edita.

§. XXXIV.

53 Eph. III. 10. 54 *Ignat.* Ep. ad *Ephes.* §. 19. 55 Ap. *Euseb.* Hist. Eccl. V. 16.

§. XXXIV. Monendi ſunt interim lectores non eſſe tamen quod *prophetarum* omnia *prophetico* ſint *ſpiritui* tribuenda. Ne hoc quidem *Judæi* de *ſuis*, nec de *Pythiis Græci*, nec de prophetis ſuis *gentiles* alii, *Phœnices* atque *Ægyptii*, nec qui *prophetas* agnoverunt, *ullos* docuiſſe arbitror. *Elizæum* latuit *Shunamitidis* infortunium. *Humano* etiam *ſpiritu* edidit nonnulla ſanctiſſimus *Apoſtolus*. Non eſt igitur prophetæ fides in dubium vocanda, ſiqua illi humanitus dicta exciderint, hoc eſt, in iis quæ nec ipſe Spiritui *Dei*, ſed *ſuo* potius, tribuit. Ut ſi Apoſtolus in iis quæ *ſe*, non *Dominum* hortari monuit, erraſſet; non debuit id in fraudem cedere aliarum ejus *prophetiarum*. Neque vero ita incerta eſt, ut voluit profanus *Theologico-Politici* auctor, horum utriuſque diſtinctio. Quo loco *cautionem* interpoſuerant ſacri ſcriptores, ea ipſa cautio ſignum erat, excipienda eſſe ſola de quibus fuerat cautum, reliqua de *alio* eſſe *ſpiritu* intelligenda. Ita quia in *ſcriptis* epiſtolis, ſiqua *ſuo* ſpiritu protuliſſet Apoſtolus, id ipſum duxerat eſſe *monendum*; plane ſequitur reliquorum auctorem *Divinum Spiritum* eſſe habendum. Contra quia *Ignatius*, quæ *Divino Spiritu* auctore edidit, eorum *diſertis* verbis *Spiritum* auctorem præferebat, id quoque ſequitur, iis exceptis, reliqua *privato* eſſe *Ignatii ſpiritui* tribuenda.

§. XXXV. Sed & id exiſtimant nonnulli, veros afflatoſque ipſo *Dei* Spiritu prophetas, in *revelatorum* manifeſtatione *ſuo* eſſe *ſpiritui* permiſſos, ut pro *ſuo captu* ea aliis enunciarent, qui alius erat in alio excultior atque exornatior. Si itaque in rebus *obiter* notandis, nec ad præcipuum prophetiæ ſcopum quicquam facientibus, ſive ſuæ *memoriæ* lapſu, ſive dum ſe auditorum *erroneis* quidem illis, ſed receptis tamen *præjudiciis* accommodant, quæ tamen erant *argumentationibus*, quam ipſa *revelata*, magis idonea, quia hæc *probanda* erant, illis uti poterant ut *conceſſis*: ſi in his inquam *hallucinati* eſſent, ne is quidem error eſſet *ſpiritui prophetico* imputandus. Quod itaque pro *Zacharia Jeremiam* laudat Evangeliſta; quod 450. annos *Judicibus* 40. *Saulı* tribuat Apoſtolus; quod incertum *ſtadiorum* numerum memorat S. *Lucas*, incertum *Baptizatorum* S. *Paulus*; plane innuunt relictas eſſe ſcriptorum humanis captibus hujuſmodi *minutias*, nec eſſe propterea quod in *Spiritum Divinum* referantur.

§. XXXVI. Eſt & aliud exemplum in quo non *illorum* modo qui *prophetias* audiſſent, ſed & ipſorum quoque *prophetarum* irrepere poſſint errores, in *prophetiarum* ſcilicet obſcurarum *interpretatione*. Erant enim nonnullæ *prophetiæ* certo quodam Spiritus *conſilio*, ita *obſcuræ*, ut non poſſent ſine *alia revelatione* intelligi; ut *primæ* non alium in finem datæ viderentur, quam ut ſanctorum propherarum *curioſitatem diligentiamque* pro *ſecundis* impetrandis excitarent. Id videmus in *Daniele* præcipue, in quo frequens eſt *ſecundarum viſionum* pro primarum *interpretatione* mentio. Si itaque ante *ſecundas viſiones* ipſe *primas* auſus fuiſſet *interpretari*, *humano* omnino, non *Divino*, ſpiritui tribuenda fuiſſet iſtiuſmodi interpretatio, ut proinde ejus *error*, ſiquis fuiſſet, iniquiſſime eſſet in *Spiritum Sanctum* referendus.

§. XXXVII. Idem ſtatuebant veteres *Chriſtiani* deſcriptis quoque *prophetiis*, ſicubi fuiſſent obſcuræ, niſi eodem quo dictatæ fuiſſent *ſpiritu* de *novo* revelante neutiquam eſſe certo intelligendas. Non eſt itaque quod miremur veterum de *propinquo* mundi *fine* hallucinationes. Nec enim illum diſertis *verbis* revelaverat Spiritus. *Colligebant* potius ex tam frequenti *extremorum temporum* mentione in *V. T.* prophetiis, quoties de rebus *evangelicis* occurrit mentio, quæ tamen de *Judaicæ* œconomiæ *ultimis* temporibus ſatis commode poterant intelligi. Omnino æquum non eſt ut illos *hominum* errores *Spiritui* imputemus quos nec ipſe Spiritus ſuſceperat corrigendos; nec id ipſum aſſerebant qui ab illo *ſpiritu* afflati erant, eſſe id à *ſpiritu* ſuſceptum. Suppetebat interim ſatis *certa illa*, quam diximus, *judicandi* ratio. Si enim vel illorum quæ *perſpicua* erant, nec ullum habebant *obſcuritatis* effugium, quæque *ſpiritus* nomine eſſent à *ψευδομαλιχοῖς* venditata, *perpetuo* conſtabat fides, nec à ſe ullibi diſſentiens, id ipſum argumento erat ſatis manifeſto & *ſpiritu afflatos* eſſe qui ea prædixerant, & quidem *veraciſſimo* illo atque adeo *Divino*, ut proinde eſſent, in aliis quoque *manifeſtis*, ſpirituſque *nomine* manifeſto venditatis, ſimiliter credendi. Si contra *perſpicuorum* fidem *eventus* fefelliſſet, id ſatis erat ad ſimilium *reliquorum* fidem abrogandam.

§. XXXVIII. Recte quidem hucuſque, ni fallor, *obſcurarum prophetiarum* fidem ex *manifeſtis* confirmavimus, cum *ejuſdem* prophetæ fuiſſent *obſcuræ* illæ cujus *manifeſtæ*. Quæret autem fortaſſe, nec immerito, lector, cum ad *diverſos* illæ prophetiæ pertinerent, ut *alterius* manifeſtæ eſſent, *alterius* obſcuræ omnes, nullæ manifeſtæ, quo pacto eſſent, in eo caſu, *obſcuræ* à *manifeſtis* comprobandæ? Poterat quidem ex *indubii* prophetæ *teſtimonio dubius* commendari. Erat tamen & alia probandi ratio à communi *ſpiritus unitate* petita. Ita enim ex illius ævi principiis licuit argumentari, qui ad unam eandemque *communionem* pertinerent, eorum *unum* eſſe *ſpiritum*, ex iiſdem *ſacramentis*, iiſdem ſcilicet *gratiæ canalibus*, ejuſdemque *inſtituti* virtute derivatum. Nec ea duntaxat generali ratione concludebant *unum* eſſe *unius communionis* ſpiritum, quod pari ratione fuiſſet iiſdem *ſacramentis* collatus, quæ cum *ſymbola* eſſent certorum quorundam legaliumque *pactorum*, de ipſo illo nimirum *ſpiritu* conferendo, non poterant ſane *alios* obligare quam quorum illa eſſent ſymbola, ut non poſſit *malus ſpiritus* in homines irrepere niſi qui viciſſim cum eo *pacti* eſſent; nec vero cum illo *paciſci* homines per *ſymbola* à bono ſpiritu conſtituta; ſed quod etiam *ſpiritus* ipſum eſſet *unitatis* in eadem communione *vinculum*. Ut igitur ex illa *exteriori communione* erat de interna etiam *communione* præſumendum; ita etiam ſequebatur qui eorundem fuiſſent *ſacramentorum* participes, fuiſſe etiam pariter *unius* ejuſdemque *ſpiritus* participes. Data ergo *præternaturali* aliqua motione, quæ nec à *corporeo* aliquo *affectu* nec à *naturali Enthuſiaſmo* proficiſci poterat, ſed eſſet plane in *ſpiritum* aliquem conferenda; id inprimis ſupponendum erat, non alium eſſe illum ſpiritum quam qui in reliquis ejuſdem *communionis* membris operaretur. Ita recte quis ex *reliquorum membrorum* operationibus ſive *ἐνεργείαις* de *hujus* quoque *membri* ſpiritu judicare poterat. Si *bonus* fuiſſet in aliis, *malus* utique in *hoc* eſſe non potuit. Quæ forte deerant in hoc membro *argumenta* quibus diſtingui poſſet utrumne ad *bonorum* eſset, an potius *malorum* cenſum referendus; ea tamen in aliis ejuſdem *corporis myſtici* membris non deerant. Ita tandem eo deveniendum erat ut omnia quæcunque *aliorum* membrorum *dona*, nec dona modo, ſed & *argumenta*, quibus hoc *ipſum* donum in *aliis* comprobatum fuerat; ea quoque ad *hujus* etiam *fidem* referenda eſsent, utcunque *propriis* fuiſset argumentis deſtitutum.

§. XXXIX. Id tamen etiam ſequebatur, nullum eſse talium *obſcurarum* prophetiarum niſi in *Eccleſiæ unitate* præſidium. Ut enim illæ *ſuo nomine* nihil habent, quo commendarentur; ita, *violata unitate*, nihil ad earum fidem faciebant *extrinſeca* hæc, quæ

dixi, argumenta. Si quem *alium* prophetam *teſtem* adhibuiſſet, ne ipſe quidem *teſtis*, extra *unitatem* habebatur idoneus. Quod vero aliorum *dona manifeſtationeſque* attinet, nihil illa ad prophetam extra *unitatem* attinebant. Quin potius ea ipſa ratione *ſuſpecta* erat, ex his principiis, quælibet extra *Eccleſiam* prophetia, à *bono ſpiritu* eſſe propterea *non poſſe* quod eſſet *extra unitatem*. Cum enim Deus *media* conferendi *ſpiritus* inſtituiſſet *ſacramenta*, id illum voluiſſe neceſſe erat, qui *media* à ſe inſtituta adhibere *nolit*, eum nec *beneficia*, per illa media *obtinenda*, conſecuturum. Id ni voluiſſet, nulla fuiſſet mediorum adhibendorum *obligatio*. Et cum illa *media* à Deo inſtituta, non alia ſint quam *unitatis* ſymbola (in *unum* enim *corpus baptizamur*, deque *uno* illo *pane* participantes in *unum corpus* coaleſcimus) id innuiſſe videtur nolle ſe aliis *Spiritum* ſuum conferre niſi in *unitate* conſtitutis. Utcunque id certum, *de facto* illam obtinuiſſe apud veteres ſententiam, non aliorum eſſe *Dei Spiritum* quam *unitorum*. Ita in hoc ipſo *donorum ſpiritualium* argumento inferunt, eum qui in non-unitis verſatur *ſpiritum* non eſſe illum *Dei Spiritum* qui unitatis eſt *vinculum*. Illa ipſa ratione Apoſtolum uſum obſervavimus in 2^a^. noſtra de *Schiſmate* parte nondum edita. *Baptiſmum*, quo *Spiritus* confertur, *regenerationis lavacrum* appellant. Ecquis dubitet nullum eſſe in *non-renatis* ſpiritualis *vitæ* principium? Quin *exorciſmos* baptizandis adhibebant paulo recentiores, id plane rurſus innuentes in *non-unitis* ſpiritum eſſe plane *diabolicum*. Hæc utinam ſecum ſerio perpendant qui hodie ita ſentiunt magnifice de ſuo extra *unitatem* ſpiritu. Id ſaltem viderent non eſſe illam cum primævis *Chriſtianis* affinitatem quam tantopere jactant venditantque, in ſuis illis de *Spiritu* prætextibus. Qui aliis utuntur quam à Deo inſtitutis *Spiritus* conferendi *mediis*, alium illis eſſe quam *Divinum* ſpiritum juſta eſt ſuſpicio, deficientibus præſertim illis, quæ dixi, argumentis ipſi prophetiæ *intrinſecis*. Atque hæc de *veterum prophetiarum* fide; in quibus nihil video quod *Athei* hodierni jure poſſint reprehendere.

§. XL. De *viſionibus* tamen id obiter animadvertendum, neſcio an ab aliis animadverſum, *juvenum* illas fuiſſe proprias. Id è celeberrimo illo *Joëlis* loco colligo: [56] *Prophetabunt filii & filiæ veſtræ: ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt.* Plane *ſenibus* ita *ſomnia* aptantur, ut *juvenibus viſiones*. Vehemens nimirum illa humorum *agitatio* non erat niſi in *ætatis vigore* toleranda. Maximus enim imminebat in *viſionibus* à viſis *terror*, quem etiamnum tantum experiuntur qui rem habent cum *phantaſmatibus*, ut macies illos & pallor occupet, ſenſimque in vitioſiſſimam corporis habitudinem conjiciat. Accedit κατοχῆς ipſius violentiſſima diſtortio, vultus trux, oculi ardentes, ora ſpumantia, palpitantium pectorum graviſſimus anhelitus. Ita ſe quidem habuit in *gentium prophetis*, ut *Tripodem* invitiſſima acceſſerit apud *Lucanum Pythia*, & nonnullæ fuerint ipſa *agitationis* violentia extinctæ. Ita enim [57] *Lucanus:*

--- Nam ſi qua Deus ſub pectora venit,
Numinis aut pœna eſt mors immatura recepti,
Aut pretium: quippe ſtimulo fluctuque furoris
Compages humana labat, pulſuſque Deorum
Concutiunt fragiles animas. ---

Et *Valerius Maximus* de *Delphico* oraculo: [58] *unde ut certæ conſulentibus ſortes petuntur, ita nimius Divini ſpiritus hauſtus reddentibus peſtifer exiſtit.* Longe equidem violentior erat *pſeudo-prophetarum Enthuſiaſtarumque* motus, ut hoc ipſo *catholici* veros à *Montaniſtarum* illis diſtinguendos eſſe cenſuerint. Nulla erat in *veris prophetis inſania*, nulla κατοχῆς illa tam *vehemens* jactatio. Sibi ipſis conſtabant potius, prudentes ſcienteſque prædicenda proferebant. Erat tamen *viſorum terror* humanæ naturæ fragilitati difficile ferendus. *Horruit* Danieli ſpiritus Dan. VII. 15. *collapſus eſt in terram* VIII. 19. *non remanſit in eo fortitudo, ſed & ſpecies ejus immutata eſt in eo, & emarcuit, nec habuit quicquam virium*, X. 8. *jacuit conſternatus ſuper faciem ſuam & vultus ejus hærebat terræ.* v. 9. *ſtetit tremens*, v. 11. *in viſione diſſolutæ ſunt compages ejus, & nihil in eo remanſit virium, ſed & habitus ejus intercluſus eſt.* v. 17. Nec alius quam *viſionis* propheticæ *terror* in [59] *Jobo* deſcribitur, & in [60] *Abrahamo*. Non eſt itaque quod miremur *juvenibus* hæc quam *ſenibus* fuiſſe tolerabiliora. Proinde etiam apud Ethnicos *Tireſias juvenum* eſſe κατοχὼ docet. Ita enim apud [61] *Senecam* ille:

--- Si foret viridis mihi ---
Caliduſque ſanguis, pectore excuterem Deum.

[62] *Cyprianus* noſter cum diſtinxiſſet *viſiones nocturnas*, quæ ſunt ad *ſenum* potius *ſomnia* referenda, à *diurnis prophetiis; innocenti puerorum ætati* haſce tribuit: κατοχὼ nimirum, id enim innuunt ejus verba ſuperius exſcripta, *Spiritu Sancto impleri*, raptumque à *ſenſibus*, qui in illis Eccleſiæ contra *Montaniſtas* diſputationibus, *ecſtaſis* appellatur. Ut igitur *Cypriano ſomnia* ſub vitæ *finem* objecta eſſe diſcimus ex *Pontio*, ita ſi illarum, quarum meminit, *viſionum* aliquæ ipſi revelatæ fuerint, ſequetur *paulo* poſt *juventutem*, vergente jam in *ſenium* ætate paſſum eſſe, quod eſt ſane veriſimillimum. Si enim *ſenectutem* provectam attigiſſet; fieri vix potuit ut non ipſi *Tertulliano* innotuerit, cum tamen nuſquam legamus niſi in *libris* ejus fuiſſe verſatum.

§. XLI. Fateor equidem fuiſſe etiam ætate *Cypriani*, qui *ſomnia viſioneſque* ludibrio haberent. Sed quales fuiſſent illi, prodit ipſe in Epiſtola ad Florentium Pupianum. [63] *Quanquam* (inquit) *ſciam ſomnia ridicula & viſiones ineptas quibuſdam videri, ſed utique illis qui malunt contra ſacerdotes credere quam ſacerdoti.* Plane innuit qui ita ſenſiſſent, *alieno* fuiſſe in Eccleſiam animo. Quod autem tales ita ſentirent, non erat utique mirandum. Fuerunt enim ipſi fere *prophetiæ* coævi, id hominum genus quos Scriptura רואים appellat, qui quod *argumentis* nunquam conficere potuerunt, id *riſu* tamen atque *jocis*, ſcommatibus atque dicteriis conarentur, ut religionem ludibrio exponerent. Et vero in prophetis *geſtus* erant ab uſu hominum communi nonnihil alieni, quos facile erat *ridiculis* hominibus repræſentare tanquam ipſos etiam *ridiculos*. *Joſephum* [64] fratres *ſomniatorem* appellarunt, quod ipſe quoque obſervarat *Cyprianus*. Prophetam illum qui ab *Eliſæo* miſsus *Jehu* regnum *Iſraëliticum* promiſerat, *inſanum* vocarunt principes exercitus, nec tamen *oraculum* ab eo editum neglexerunt. Ita quem *nomine* tenus *inſanum* vocaſſent, *ſerio* tamen pro inſano *neutiquam* habendum duxerant. Et frequentes illæ temporibus etiam *Apoſtolicis* cautelæ de non *contemnendis extinguendiſve prophetiis*, id ſatis innuunt, quam proclives eſſent ad id faciendum homines de quo toties erant neceſsario monendi. Nec erat ſane aliud illis temporibus expectandum quibus adeo eſſent *prophetæ cervicoſi* atque ordinis publici perturbatores, cum *ſimul plures* loquerentur, cum *prophetiſſæ* in cœtibus *virorum*, capitibus etiam *diſcoopertis*, præ-

[56] *Joël.* II. 28. [57] Bell. Civ. L. V. v. 116. [58] L. I. c. 8. Exemp. *Rom.* 10. [59] Job. IV. 13, 14. [60] Gen. XV. 12.
[61] *Senec.* Oedip. v. 29. [62] Ep. X. [63] Ep. LXIX. [64] Gen. XXXVII. 19.

præter ſexus modeſtiam, concionarentur; cum dona ſua ſine omni *ædificationis utilitatiſque* reſpectu ederent prophetæ, eſſentque, ne in *futurum* ita deinceps facerent, Eccleſiaſtica tandem diſciplina coërcendi. Erant equidem hæc *prophetis* ipſis, non *donis* eorum *propheticis*, vitio vertenda. Quem enim habuerunt *ſpiritum*, *ſubjectus illis* eſſe dicitur, ne *illius* impetu hæc fieri dicerentur. Experimur tamen hodie, in ſimili adverſariorum genere, quam facile *officiariorum* contemtus in contemtum vertatur *officii*; quam facile avideque *minutias* illas, ſi quæ alibi præter vulgi opiniones occurrant, iniquiſſimas profecto (ne quid dicam acerbius) boni honeſtique regulas, arripiant tamen ad contemtum *perſonarum* quorum conſcientias male habet officii debita veneratio; quam item facile ita ſe tranſverſum agi patiantur, ut ne *cauſæ* ipſius meritum quærendum putent, ſi quando de prophetarum *perſonis* minus honorifice ſenſerint. Illis autem æquos eſſe judices nemo concedet.

§. XLII. Quod ſi illorum quoque prophetarum temporibus, qui *certiſſima* edidiſſent prophetiarum ſuarum teſtimonia, fuerint tamen iſtiuſmodi cenſores; non eſt utique mirandum ſi in *Cypriani* etiam tempora inciderint, cum jam invaluiſſent inter philoſophos *Epicurei*, qui præternaturalia omnia ludibrio habuerint. Id unum ſatis erat, ſi qui *prophetias*, quos diximus, penitius *intellexiſſent*, nec eorum *interat* ut *falſæ* haberentur, eorum *nemo* illas in dubium vocarit. Vidimus autem *Cypriano* coævos *prophetica dona* in *Eccleſia* agnoviſſe, qui quidem *illius ſeculi* doctiſſimi haberentur, rerumque Eccleſiaſticarum peritiſſimi. Neque veriſimile erat tam ſeveram in Eccleſia diſciplinam vigere potuiſſe, niſi de numine in Eccleſia *præſentiſſimo* manifeſtiſſimis conſtaret indiciis. Quod ſi illum *ſpiritus prophetici* prætextum poſſent *falſitatis* convincere, jam labaſceret una *reliquorum* fides, jam nihil erat quod Eccleſiæ communionem tot annorum pœnitentia tam ingrata ambirent; cum præſertim nullus eſſet magiſtratus qui *cogeret*, eſſet contra qui *rebelles foveret*, omnique opera in rebellionem *pelliceret*. Quod autem ad *Atheos Epicureos* attinet, fuit ea ſemper, eſtque hodie illorum indoles, ut *generalibus* ſuis hypotheſibus contenti, in exempla *particularia* ne quidem inquirendum putent. Quam illi fuerint in rebus *Eccleſiaſticis* hoſpites, vel unius *Celſi* exemplo manifeſtum eſt. Qui cum ſibi omnia *compertiſſima* eſſe jactabundus gloriatus eſſet, in rebus tamen Eccleſiæ *raro* ſcopum attingit. Eſtque id in eo fere perpetuum, ut cum *Eccleſiam* ferire vellet, vix tamen ad alios quam *Hæreticos* Eccleſiæ *extorres* pertineant ea, quibus Eccleſiæ cauſam labefactandam credidit. Egregium vero illum Eccleſiæ cenſorem, qui ne *Eccleſiam* quidem ab *hæreticorum* illi infenſiſſimorum conventibus poterat diſtinguere!

DISSERTATIO CYPRIANICA V.

Ad EPISTOLAM X.

De *nominum* è *diptychis* Eccleſiæ recitatione in *Euchariſtia*.

In recentioribus *Eccleſiæ* diptychis *vix alii locum habuerunt quam* præcipui *nominis* Epiſcopi. §. I. *In iiſdem omnes in* Eccleſiæ pace *defuncti recitati ſunt tempore* Pſeudo-Dionyſii. §. II. *Mortuorum commemoratio quam antiqua.* §. III. Offerentium *commemoratio.* §. IV. Nominum oblatio *omnium eorum communis qui* pace Eccleſiæ *fruerentur*, *ætate* Cypriani. §. V. Nominum *voce in S. Scriptura* fideles *intelliguntur.* § VI. Nomina *fidelium in Eccleſiæ* matriculam *referenda pro more* civitatum. §. VII. Judæorum *civitas erat* Hieruſalem terreſtris. §. VIII. Chriſtianorum *ut myſticorum* Iſraëlitarum cœleſtis. §. IX. *In eo cum* Judæis Helleniſtis *gentiliumque illius ætatis* philoſophia *conſenſerunt* Chriſtiani. §. X. *Locus* Apoc. III. 12. *Cum nova* civitate *nova etiam* nomina *ſuſcipere ſolebant veteres.* §. XI. XII. Civitatum *terreſtris cœleſtiſque* Hieruſalem *jura pro* reliquarum *civitatum more intelligenda.* §. XIII. *Qui in* civitatem terreſtrem *admiſſi ſunt*, *illi in* cœleſtem *quoque admiſſi credebantur.* §. XIV. *Quid ſit* nomina ſcribi in cœlis. §. XV. *Cœleſtis matricula cur* liber vitæ *appellatur.* §. XVI. *Hæc in* myſticum Iſraëlitiſmum *aptiſſime conveniunt.* §. XVII. Deleta *ſunt etiam peccantium nomina è* matricula ſynagogæ, *quam & in eo more* Eccleſia *imitata eſt.* Deletio *illa* rata *in* cœlis. §. XVIII. *Quam hic ubique congrue pro* ſeculi *ſui more ſcribat* Ignatius. §. XIX. Nomina *illa in matriculas relata* propria, *ut videtur*, *admiſſorum* manu. §. XX. *Cujuſmodi fuerit* nominum *illa in* ſacrificiis commemoratio, *& quomodo præſtanda.* §. XXI. *Aliæ hujus phraſeos fortaſſis* origines. §. XXII. Mos *hic rei* diſciplinariæ *utiliſſimus.* §. XXIII. *Catalogus* clericorum. §. XXIV. *Mortuorum commemoratio primum* euchariſtica *duntaxat.* Perpetua *non niſi inſignium quorundam* ſacerdotum & martyrum. §. XXV. *Quantos* martyribus *animos addiderit illa* commemoratio. *Quibus tandem gradibus delapſum fuerit ad* ſacrificia propitiatoria. §. XXVI. *Quid ſibi voluerit Eccleſia* expungendis *è diptychis* mortuorum *nominibus.* §. XXVII, XXVIII.

§. I. *ET offertur nomen eorum*] Hæc ad *diptycha* Eccleſiæ retulit *Pamelius*, aliique hactenus Interpretes. *Dubitet vero quiſpiam in recentioribus* Eccleſiæ *diptychis*, aliine locum habuerint quam *præcipui* nominis *Epiſcopi?* Non aliorum certe meminerunt quæ extant hodie Liturgiæ. Non

Non aliorum illi quarti quintique ſeculi Patres, qui de *nominibus* è *diptychis* expungendis reponendiſve in iiſdem tam multa diſputarunt. Id ſaltem veriſimile eſt non aliorum fuiſſe *perpetuam* illam commemorationem, quæque per plures Eccleſias celebrata eſt, ſi *recentiorum* præſertim ſeculorum conſuetudinem reſpiciamus.

§. II. Alioqui certum eſt aliorum quoque *nomina* fuiſse etiam in ſacris Eccleſiæ *diptychis* ſcripta atque recitata, præcipue *mortuorum* qui in Eccleſiæ communione deceſſerant. Non aliorum certe meminit *Pſeudo-Dionyſius* V. fortaſſe ſeculi ſcriptor. Cum enim in *Hierarchia Eccleſiaſtica* c. 5. *diptychorum* recitationis ita meminiſſet, ἡ μυσικὴ τῶν ἱερῶν πίνυχῶν ἀνάῤῥησις ἐπιτελεῖται, ad quos illa pertineret ἀναῤῥήσις in *Contemplatione* explicat apertius: Ανακηρύττ (inquit) τοὺς ὁσίως βεβιωκότας καὶ πρὸς ἐναρέτε ζωῆς τελείωσιν ἀμεταστάτως ἀφικομένους. Quod obſervarat etiam *Maximus Dionyſii* ſcholiaſtes, cujus hæc ſunt verba: Σημείωσαι, ὅτι τὰ δίπτυχα τῶν ἀποθανόντων ἐπὶ αὐτῶ μόνον ἀνεγινώσκετο. Erravit itaque *Pamelius*, ſi *duplicium* tabularum, *vivorum* atque *mortuorum* exiſtimavit meminiſſe *Dionyſium*.

§. III. Hujus autem *mortuorum commemorationis* frequens eſt in quarti ſeculi quintique ſcriptoribus, & deinceps, mentio. Et vero etiam *Cypriano* noſtro fuiſſe *coævam*, conſtat ex [1] epiſtola ad *Furnitanos*. Meminit etiam aliquoties ejuſdem Africanæ Eccleſiæ Presbyter (Cypriano tamen antiquior) [2] *Tertullianus*; & quidem ita meminit, ut *conſuetudinis* jam ab *antiquis* uſque illius Eccleſiæ temporibus *receptæ*. Numerat enim inter illas Eccleſiæ conſuetudines quæ jam paſſim obtinuiſſent, cum nullis tamen *Apoſtolorum ſcriptis* fuiſſent commendatæ.

§. IV. *Viventium* non aliorum *nomina* reperio commemorata in *recentioribus* illis Eccleſiæ ſeculis quam *offerentium*. Eorum nimirum qui pro Eccleſiæ tunc invaleſcente more, dona illa *obtuliſſent* quæ eſſent poſtea in myſticum *euchariſtiæ ſacrificium* ſacerdotis benedictione conſecranda. Cum enim ex conſuetudine *ſacrificiorum* jam recepta tam à *gentilibus* quam *Judæis*, præter *ſacrificia publica* quæ publicis impenſis oblata ſunt, eſſent & alia *pro offerentium devotione* privata; & cum *privata* illa *propriam* quandam peculiaremque vim habere crederentur, qua numen eſſet ipſis *offerentibus* conciliandum; propterea nec ſuis illud negandum crediderunt *Chriſtiani*, quo proprium ſibi numinis favorem conciliarent. Eratque adeo certa quædam communionis *honorificæ* ſpecies illa μετὰ προσφορᾶς communio, ut conſtat ex canonibus *pœnitentialibus*. Nec enim ad illam admiſſi *pœnitentes* ſunt, cum *communio* illa *plebeia* illis conceſſa eſt. Non equidem de aliis loquitur [3] *Innocentius* I. Verba ejus apponenda ſunt, quia hanc rem totam mirifice illuſtrant: *De nominibus vero recitandis, antequam preces ſacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda ſunt, ſua oratione commendet, quam ſuperfluum ſit & ipſe pro tua prudentia recognoſcis, ut cujus hoſtiam Deo necdum offeras, ejus ante nomen inſinues, quamvis illi incognitum ſit nihil. Prius ergo oblationes ſunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum ſunt oblationes, edicenda, ut inter ſacra myſteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus ut ipſis myſteriis viam futuris precibus aperiamus.* Plane conſtat *nominum* hanc recitationem in *oblatione* fuiſſe fundatam, nec proinde aliorum quam *offerentium* factam eſſe *commemorationem*.

§. V. Sed vero *nominum* illa *commemoratio*, quæ *Cypriani* etiam ſeculo uſurpata eſt, omnium *communis* fuiſſe videtur qui quidem *Eccleſiæ communione* fruerentur. Tantundem valent apud illum in hac ipſa, quam in manibus habemus, epiſtola *ad communicationem admitti* & *offerri nomen*. Nec enim illud pro *ulteriori* aliquo communicationis gradu habitum fuiſſe plane conſtat ex ſequentibus: *Nondum* (inquit) *pœnitentia acta, nondum exomologeſi facta, nondum manu eis ab Epiſcopo & clero impoſita, euchariſtia illis datur.* Et ex antecedentibus: *Nam cum in minoribus peccatis agant peccatores pœnitentiam juſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſin veniant, & per manus impoſitionem Epiſcopi & cleri jus communicationis accipiant*, &c. Utrobique fit *gradatio*, & quidem ita ut *ſummus* communionis gradus in ipſa *euchariſtiæ* perceptione conſtituatur.

§. VI. Ut autem horum omnium *origines* inveſtigemus, obſervanda eſt inprimis illa *Scripturæ* phraſis, qua *Chriſtiani* ad fidem converſi *nominum* appellatione deſignantur. Ita *Act.* I. 15. ὡσ τε ὄχλ@ ὀνομάτων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ὡς ἑκατὸν εἴκοσιν. Ita enim ibi omnia fere exemplaria. Quod enim in *editione vulgata hominum* legamus hodie, non eſt quod antiquo *interpreti* tribuamus, quaſi is ἀνθρώπων in ſuo codice *Græco* reperiſſet, ſed potius exſcriptori, facillima *nominum* in *hominum* commutatione. Sunt enim & alia in eadem vulgata *interpretatione* exempla quibus *interpretum* errores in codices recentiores univerſos irrepſerunt. Ut quando de muliere in Evangelio legimus quod *evertit* domum pro *everrit*, & quando alibi *fidem* pro *fine* legimus. Unus ille codex veſter *Bodleianus* legit ἀνδρῶν; quod cum aperte falſum ſit, ſuperiori enim verſu 14. jam facta erat *mulierum* quæ adeſſent mentio; veriſimile eſt è *gloſſemate* marginali in *textum* irrepſiſſe. Phraſeos novitatem obſervaſſet lector & notaſſet per *nomina homines* eſſe intelligendos *Græcis* nimirum ἄνδρες. Inde *librarius* in *Textum* tranſtulit. Eſt & alius locus huic plane geminus *Apocal.* III. 4. Ἔχεις ὀλίγα ὀνόματα καὶ ἐν Σάρδεσιν, ἃ οὐκ ἐμόλυναν τὰ ἱμάτια αὐτῶν.

§. VII. Omnino hæc loca alludere videntur ad *matriculam Eccleſiæ*, in qua fidelium baptizatorumque *nomina* ſcripta eſſent. Eodemque alludunt, ni fallor, & illa, in quibus [4] *libri vitæ* mentio tam frequens occurrit. Eſt enim hæc, ut puto, loquendi forma deſumta à more *civium* ad *civitatum* jura admittendorum. Erat enim id in uſu ut quoties *cives* in aliquam πολιτείαν ſive *civitatis jura* aſcriberentur, eorum *nomina* eſſent in *civitatis album* referenda. Ita deinceps conſtabat quinam eſſent pro *veris civibus* agnoſcendi, ne quis *alienus* in jura *civitatis* irreperet, quæ *jura* civitatum *illuſtrium* magni habebantur, ea præſertim ætate. Quo illud etiam referendum exiſtimo *Apocal.* XI. 13. in quo terræ motu decima pars *civitatis* cecidiſſe dicitur, & *occiſa* eſſe *nomina hominum ſeptem millia*. Quis non videt hic ad morem *civitatum* alluſum eſſe, quo in ejuſmodi civitatum *epidemicis* calamitatibus è libris *cenſualibus* ſive *civitatis matricula* de *civium* admiſſorum *numero* judicabant? Ita civitatis *Romanæ* damna æſtimavit *Auguſtus* in *bello civili*, novo conſtituto *civitatis* cenſu. Ita in futurum *orbi Romano* conſuluit inſtituto civium per univerſum *orbem Romanum* in ſuam cujuſque civitatem *luſtro*, & ἀπογραφῇ qua civium *nomina* eſſent denuo in publicis civitatum *tabulis* deſcribenda. Id enim erat *profiteri*, ut *civis* quiſque ſuam civitatem agnoſceret, *nomenque* deſcribendum daret; id *deſcribi* ut *nomina* civium ita edita in publicis, quas diximus, tabulis deſcriberentur.

§. VIII.

[1] Ep. LXVI. [2] De Cor. Mil. c. 3. De Monogamia c. 10. [3] Ep. ad *Decent. Eugub.* c. 3. [4] Phil. IV. 3. Apocal. III. 5. XIII. 8. XVII. 8.

[5] Ap.

§. VIII. *Civitas* autem illa de qua tantopere gloriati ſunt primævi illi *Chriſtiani*, non alia erat quam *Hieruſalem*. Ita certe ſenſit *martyr* anonymus apud [5] *Euſebium*, qui pro more inquiſitionum rogatus, *patriam Hieruſalem* eſſe reſpondit, multiſque deinde præſidem luſit, qui illum de *terrena* aliqua civitate *Romæ* æmula intellexerit. Ut enim omnia fere in primis illis *Chriſtianiſmi* temporibus à Judæorum moribus deſumta ſunt; ita id in *privilegiorum* negotio præſertim, ſolenne certe fuit, & fortaſſe perpetuum, ut ſi quod ſibi privilegium *Iſraëlis* nomine, aſſeruiſſent *Judæi*, id ſibi quoque, ut *myſtico Iſraëli*, vendicarent etiam *Chriſtiani*. Jam vero inter alia de quibus gloriati ſunt *Judæi*, cum communis illa eſſet omnium fere gentium, ſi qua celebrior fuiſſet, de ſua *civitate* jactatio; nec illi ſibi hac in parte cedendum exiſtimarunt. Proinde [6] *Judæi* univerſi, quacunque eſſent per orbem univerſum diſperſi, civitatem tamen ſibi *Hieroſolymitanam* patriam vendicabant. Id enim erat illius ætatis uſu comprobatum ut ſi quæ civitatis cujuſpiam fuiſſent *coloniæ*, illæ tamen civitatem *metropolitanam* ſibi *patriam* agnoſcerent, ejuſque *jure* fruerentur, ut qui liberi in colonia *nati* eſſent, illi eſſent ex *natalibus* ſuis in *civitatis Metropolitanæ* cenſum referendi. Ita *Romæ* civis *natus* eſt Apoſtolus, propterea quod in *Tarſo*, utcunque longo terrarum intervallo à *Roma* diſſita, *Romana* tamen *colonia*, natus eſſet.

§. IX. Proinde *Myſtici* quoque *Iſraëlitæ*, ne hac etiam ex parte inferiores viderentur, illi etiam ſibi *civitatem* novæ ſuæ *nativitatis* in baptiſmo ratione vendicandum cenſuerunt, illam quoque *Hieroſolymitanam*, ſed vero longe illam, quam terrena illa eſſet, clariorem. Id enim agitabant in omnibus illis iſtiuſmodi diſputationibus ut *myſticorum Iſraëlitarum* jura *terrenorum* illa non *æquarent* modo, ſed longe etiam *ſuperarent*. Idque duobus modis hac in cauſa confecerunt, tum *civitatis* ipſius reſpectu, tum *privilegiorum*, ſive *civilitatis*, ut reddit *Act.* XXII. 28. vulgatus interpres. [7] *Civitatis* quidem ipſius: *ſanctitatis* nomine *civitatem* ſuam commendarunt *Judæi*; ſed vero longe *ſanctior* erat cœleſtis illa Hieruſalem, ſanctitatis omnis archetypa. *Magni* etiam *regis* nomine S. *Matth.* V. 35. Nam quia *civitates metropolitanæ* erant plerumque *regum* ſedes, ideo quo *major* erat civitatis *rex*, eo etiam *illuſtrior* ipſa *civitas* fuerit neceſſe erat; latior enim futura erat civitatis *juriſdictio*. Tanto igitur *Hieruſalem* reliquis per orbem *civitatibus* præponenda, quanto eſſet *rex* eorum *Deus* reliquis etiam *regibus* anteferendus. At ſi *terrena* illa *Hieruſalem* regem *Deum* habebat, neutiquam tamen adeo *præſentem* illum ac *cœleſtis* illa, cujus *cives* ſe *Chriſtiani* profeſſi ſunt. Vid. *Apocal.* XXI. 22, 23. Exciſa etiam fuerat *terrena* illa *Hieruſalem* à *Babyloniis*, brevi etiam à *Romanis* excindenda. At [8] *fundamenta* habuit *cœleſtis* illa *Hieruſalem* nullis unquam hoſtium viribus diruenda, longe etiam quam illa *Agrippæ* fundamenta firmiora, quibus *terrenam* illam *civitatem* munire voluit à *Claudio* prohibitus atque impeditus. Unde & *manens civitas* appellatur *Heb.* XIII. 14. quæ nullo eſſet ſeculorum decurſu peritura. Civitas illa *terrena* ab *hominibus* condita erat, at *cœleſtis* hæc non χειροποιητὸς, ſed *Deum* habebat artificem & conditorem *Heb.* XI. 10. Id enim etiam in *civitatum* laude poſitum erat, ſi quem magni nominis habuiſſent *conditorem*. Quod etiam ad *privilegia* civitatis, ne in eis quidem erat *terrena* illa *civitas* cum *cœleſti* ulla ex parte conferenda. Ita potius diſtabant ut *terrena* illa, ſi ad *cœleſtem* conferretur, ne *civitatis* quidem nomine digna cenſenda eſſet. Eo ſpectabant illa privilegia ut cives *liberi* eſſent. Id ambiebant *civitates* omnes; nec alios quam *liberos* in *civium* numero cenſebant. *Servorum* conventus *ergaſtula* potius, quam *civitates*, audiebant. *Quæ nunc eſt* (inquit Apoſtolus) *Hieruſalem ſervit cum filiis ſuis, illa autem quæ ſurſum eſt Hieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater* (ſive metropolis) *noſtra.* Gal. IV. 25, 26.

§. X. Ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα ſuperiore commate dixerat *Apoſtolus.* Nec dubito quin ſi aliorum *Judæorum* Apoſtolis *coævorum* commentarios allegoricos, præter *Philonem* haberemus; hæc ipſa in iis eſſet interpretatio reperienda, veram *liberamque Hieruſalem* ſupernam fuiſſe atque cœleſtem, terrenam, quæ *Romanis* eo ipſo ſeculo *ſervierit*, minoris eſſe faciendam. Cum igitur in qua quiſque civitate *natus* eſſet, & quidem *ingenuis* atque *civibus*, ea demum pro *patria* habenda eſſet; cumque *ſecundam* ſuam baptiſmi *nativitatem* pro *vera nativitate* ſolam agnoſcerent *Chriſtiani*; ſequebatur ut ea ratione *patriam* quoque ſibi vendicarent. Nec vero erat quod aliam ſibi *patriam myſtici Iſraëlitæ* agnoſcerent, quam *myſticam* hanc *Hieruſalem*, in allegoricis *Judæorum* interpretibus jam ſatis notam atque celebrem. Præſertim cum in eo illis aſſenſerint *Philoſophorum* celeberrimi à quibus multa accepiſſe conſtat *Judæorum* myſticos illos, quos diximus interpretes, accepta ita derivaſſe *Chriſtianos. Patriam* enim ſibi *cœlum* vendicabat *Anaxagoras.* Nec ille modo, ſed *Pythagoræorum* illa atque *Platonicorum*, ipſo etiam *Apoſtolorum* ſeculo, recepta jam hypotheſis qua *animas* humanas à *cœlo* ſtelliſque huc deſcendiſſe docuerunt φυγάδων, *exulum* nimirum ritu, è *patria*, proinde totam *philoſophiam* myſticam in eo poſitam, ut κάθοδον ejus procurarent, qua voce Græci *reditum* denotant in *patriam* exilio contrarium. Cui conſentit tam frequens in N. T. *civitatis cœleſtis* tanquam *Chriſtianorum* propriæ, mentio. Eo ſpectare πολίτευμα illud *Phil.* III. 20. probavit noſter eruditiſſimus *Hammondus.* Eo πολιτείαν quoque, ex ipſa vocis ratione manifeſtiſſimum eſt. Nec enim eſt quod alium omnino ſenſum admittat locus Act. XXII. 28. Neque ſane neceſſe eſt quod plura congeram exempla quæ quidem in N. T. occurrunt ubique, manifeſtiſſima ſane pariter atque frequentiſſima.

§. XI. Vicem reliquorum omnium ſupplebit vel unus ille locus *Apocal.* III. 12. Quo ita ſcriptum legimus: Ὁ νικῶν, ποιήσω αὐτὸν στῦλον ἐν τῷ ναῷ τ θεᵗ μ, κ ἔξω οὐ μὴ ἐξέλθῃ ἔτι· κ γράψω ἐπ' αὐτὸν τὸ ὄνομα τ θεοῦ μ, κ τὸ ὄνομα τ πόλεως τ θεᵗ μ τ καινῆς Ιερουσαλὴμ, ἡ καταβαίνει ἐκ τ θεᵗ μ ἀπὸ τ θεᵗ μ, κ τὸ ὄνομά μ τὸ καινόν. Plane conſtat, pro illius ætatis more, *beneficia* civitati præſtanda, eſſe ipſo civitatis *jure* remuneranda. Conſtat etiam in ipſo hoc quo alluditur *agonum* negotio, tantum fuiſſe *civitatum* ambitum, ut *judicum* non modo fidem, ſed [9] *athletarum* quoque ipſam, pretio corrumperent, nedum ut verum aliquem *victorem* prætermittendum cenſerent. Conſtat præterea in illius *novæ civitatis* jus, pro more ſeculi, eſſe admiſſum, referendo inprimis *nomen* in tabulas *publicas*, tum nova illam à *civitate* ſua denominatione inſigniendo, adjecta præterea in perpetuam rei fidem publica κήρυκος in ἐκκλησίᾳ ἀναῤῥήσει, poſteriſque conſignando in perennem memoriam nunquam delenda monumenta. Quod autem novo

[5] Ap. *Euſeb.* Lib. de *Martyr. Palæſtin.* cap. II. ad fin. L. VIII. Eccl. Hiſtoriæ.
[6] *Philo* in Flacc. p. 667.
[7] S. *Matth.* IV. 5. XXVII. 53. Apoc. XXI. 10. Unde etiam nomen ἱεροπόλις *Philo* de vit. *Moſis*; L. III. p. 453.
[8] *Heb.* XI. 10. [9] *Pauſan.* in *Eliac.*

novo illum [10] *nomine* ornandum dicit, vel de novo *civitatis* nomine intellexit, quam illi diximus è prima *nativitate* non competere, ſed vero novo eſſe mercedis loco adjectam; vel de novo *Chriſtiani* nomine de quo veteres ut plurimum antiqui inſtrumenti de *novo nomine* [11] prophetias interpretati ſunt, vel etiam de veteribus à *parentibus* in prima nativitate datis mutandis in nova illa *prophetarum Apoſtolorumque* nomina; quod pro zelo ſuo nonnullos feciſſe conſtat, præſertim cum *nova* quæque, *novum canticum*, *novum Teſtamentum*, in veteris inſtrumenti idiomate, laudi eſſe atque præconio animadverteſſent.

§. XII. Eſt & alia ratio hoc in loco fortaſſe veriſimilior. Pro *civitatum* enim more etiam *nomina* ſuſcipiebant, qui in civitatum *jura* fuerant admiſſi. Si in civitatem *Romanam* aſcripti eſſent, *Romanum* quoque *nomen*; ſi in *Græcam*, *Græcum*; ſi in *Judæam*, *Judæum*; & ſic de reliquis. Nec aliam fuiſſe cauſam exiſtimo cur plures in N. Teſtamento *binomines* habeamus, quorum unum *Judæum* eſſet nomen, *Romanum* alterum. Ἰωσὴφ ὁ καλούμενος Βαρσαβᾶς, ὃς ἐπεκλήθη Ἰοῦς Act. I. 23. Ἰωάννου τοῦ ἐπικαλουμένου Μάρκου. Act. XII. 12. 25. XV. 37. Συμεῶν ὁ καλούμενος Νίγερ. Act. XIII. 1. Σαῦλος ὁ καὶ Παῦλος. Act. XIII. 9. Scio alias de *Apoſtoli* nomine datas eſſe ab interpretibus rationes, ſed fruſtra ut exiſtimo. Longe certe hæc eſt, quam nos damus, omnium facillima. Apoſtolus ut ἐβραῖος ἐξ ἑβραίων, *Judæus* erat natione, civitate *Hieroſolymitanus*, ut proinde *Hebræum* nomen *Sauli* in *circumciſione* habuerit, quo & uſus eſt tanquam notiori, quamdiu in *Judæorum* finibus verſatus eſt S. *Lucas*; dein *Pauli*, cum illis finibus egreſſus inter reliquarum provinciarum *Romanos* verſaretur. Idem enim natus in *Tarſo* colonia *Romana*, *Romanus* erat, & quidem *natalibus*, ut proinde *Romano* etiam eſſet *nomine* appellandus. Similiter de reliquis, quos dedi, *binominibus* judicandum cenſeo, tam fuiſſe *Romanos* illos quam *Hieroſolymitanos*, utpote πολιτείαν *Romanam*, ſeu *natalibus* in *Romana* colonia, ſeu pretio κεφαλαίῳ conſecutos. Videmus igitur, in prædicto [12] martyrum *Ægyptiorum* exemplo qui ſe patria *Hieroſolymitanos* fecerunt, quam conſonum fuerit ut *propheticis* ſe *Eliæ*, *Hieremiæ* & *Eſaiæ*, &c. *nominibus* inſignirent civitati *Hieroſolymitanæ* propriis. Ita erat omnino faciendum, ſi locum ſuum atque privilegia *gens* illa ſacra tenuiſſet. *Proſelytiſmus Juſtitiæ* ſuſcipiendus eſſet, & in *mores* Judæorum atque *nomina* tranſeundum, ſi qui fuiſſent è *gentilibus* qui *Segullæ* privilegia ambiiſſent. Perfracta autem jam *maceria*, in myſticum *Iſraëlitiſmum* patuit gentilibus aditus, retentis ſuis cujuſque *moribus* atque *nominibus*. Unde eſt quod in Chriſtianis N. Teſtamenti nominibus *ethnica* multa & quidem ab ipſis gentium *idolis* deſumta, reperiamus. *Chriſtiani* itaque *nomen* Chriſtianæ fuiſſe πολιτείας proprium, eſt ſane mihi veriſimillimum.

§. XIII. Atque ex eodem hoc *civitatum* jure id etiam ſequitur, civitatum harum *literalis myſticæque Hieruſalem* jura pro civitatum *reliquarum* juribus intelligenda eſſe. Nec enim fas eſt ut hæc nugatorio luſorioque ſolius *repræſentationis* conſilio intelligantur dicta, ſed pro modo *legalium ſymbolorum*. Ita nimirum ut quæ alii adhibitis illis *ſymbolis* à gentium *lege pacti* eſſe intelliguntur, ea etiam *Eccleſiaſtici* iiſdem *ſymbolis* adhibitis, pro ſocietatis *Eccleſiaſticæ* lege geſſiſſe reputentur. Præſertim cum id obſervarint etiam *Judæi* literales, quorum ad exemplum conformata ſit à Spiritu *Eccleſia*. Cum igitur id ſit *civitatum* omnium *jure* receptum, ut qui fuiſſent in *civitatum matriculas*, deſcribendis *nominibus*, recepti, illis *civitatum* earundem *jura*, ſacra pariter atque profana, conceſſa eſſent; contra, quorum *nomina* ex iiſdem *matriculis* deleta eſſent, eorum nulla profanorum *ſacrorumve* pars concederetur; idem etiam hic ex eadem interpretationis lege intelligendum. Id nempe voluerunt *Judæi* ſua illa *nominum* in *matriculas* relatione, ut quorum *nomina* ita eſſent in *matriculas* relata, illi populi *Iſraëlitici* privilegiis uterentur, partem illi in *Deo*, in *ſacrificiis* publicis, in *conventibus* ſolennibus, in Dei *promiſſis* populo *Iſraëlitico* factis, in *precibus* viciſſim populi *Iſraëlitici* nomine Deo à *ſacerdote* offerendis, deinde vendicarent.

§. XIV. Quod autem omnia *Iſraëlis* externa typis myſticis atque inviſibilibus adumbrarent allegorici Scripturarum interpretes, id quoque certo quodam prudentiſſimoque conſilio ab illis factum eſt. Eo nimirum collimabant, ut ita inviſibile illud populi *Iſraëlitici* cum Deo commercium pro captu *vulgi* aliquatenus explicarent, & ut populum ſenſibus deditiſſimum (quæ & idololatriæ ejus tam frequentis vera fuerat origo) à ſenſibus ſenſibilibuſque paulatim ad intelligibilia revocarent. Erat *in aperto* Judæus, erat etiam ἐν κρυπτῷ. Erat *Iſraël* ſecundum *carnem*, erat & ſecundum *ſpiritum*. Erat circumciſio *carnis*, erat *ſpiritus* atque *cordis*. Erat hæreditas *Cananæa*, erat etiam *cæleſtis*. Erat *Hieruſalem terrena*, nec deerat illa quoque *cæleſtis*. Erat *pontifex* viſibilis, *ſacrificium* viſibile, *panegyres* viſibiles primogenitorum. Erant viciſſim hiſce συσοιχοῦντες (eſt enim illa Apoſtoli myſticorumque interpretum vox qua hanc ipſam rem denotabant) inviſibilis *Pontifex* λόγος, *ſacrificium* illi proprium itidem *inviſibile*, *panegyres* etiam πρωτοτόκου, ut loquitur [13] Apoſtolus, ipſæ pariter inpræſentiarum *inviſibiles*. Infinitum eſſet, ſi ſingula excuteremus. Ut autem ad normam philoſophiæ *Platonicæ* hæc exigebant *Helleniſtæ*: ita certum eſt ἀλήθειαν Archetypis illis inviſibilibuſque exemplaribus à *Platonicis* eſſe tributam, ut proinde ſiquam efficaciam haberent *externa* hæc atque *ectypa* ὑπαγεῖα, ea ab *inviſibilibus* illis tota eſſet arceſſenda. Cum itaque civitatis *Iſraëliticæ* privilegia præcipua, quæque eſſent ab alienigenis *proſelytis* maxime expetenda, ea *ſpiritualia* eſſent, & *futuri ſeculi*, ſive עולם הבא ut loquuntur *Rabbini*, μέλοντος αἰῶνος, ut *Helleniſtæ*; plane ſequitur Iſraëlis *privilegia* ad Iſraëlem *inviſibilem* præcipue attinere, eſſeque adeo ipſa pariter *inviſibilia*, atque illo, quod dixi, *viſibilium* cum *inviſibilibus*, commercio procuranda. In eo ergo ponendum erat *nominum* in *matriculas* referendorum beneficium, quod quæ in *viſibili* civitate geſta ſunt, ea in *inviſibili* rata crederentur; quod cum eorum *nomina* in *matricula* terrenæ *Hieruſalem* ſcriberentur, ſcripta etiam exiſtimarentur in libro *Dei*: Cum *cives* fierent *terrenæ Hieruſalem*, nec ab illa quoque *civitate cæleſti* putarentur alieni: cum *terrenæ* urbis privilegiis, *cæleſtis* etiam privilegia una eademque opera aſſecuti intelligerentur, quod quæ *Dei* nomine atque inſtituto gererentur in terris, ea rata ab *eo* haberentur in *cælis*. Hoc magnum revera beneficium erat, meritoque ab univerſis gentibus maximi faciendum. Ceteroqui nihil erat quod *Judæorum* gens, aut jus civitatis *Hieroſolymitanæ* ab alienigenis magnopere expeteretur.

§. XV. Atque ita tandem intelligemus illas loquendi

[10] Vid. *Ignat.* Epiſt. ad *Magn.* §. 10. [11] *Euſeb.* Eccl. Hiſt. VII. 25. & de *Mart. Pal.* ubi ſupra. [12] *Euſeb.* de *Martyrib. Palæſt.* c. 11. [13] Heb. XII. 23.

quendi formulas quibus hoc ipsum in Scriptura denotatur. Quod illa *nomina* scribi dicantur *in cœlis*, videmus hic quam apte quadret huic, quam dedimus, hypothesi. Nempe Hierusalem illa cœlestis non alia erat quam ipsum *cœlum*, ut quæ in ejus *matriculam* relata essent *nomina*, ea jure meritoque *scribi* dicantur *in cœlis*. Et ut *Christianos Judæis* in veri *Israëlitismi* privilegia successisse constat; constat etiam *matriculæ* hujus quam diximus, *terrestris* illud esse cum *cœlesti* commercium, ut quorum *nomina* in *terrestri* conscripta essent, ea in *cœlesti* scribi eadem opera dicerentur. Proinde *gaudere* vult *discipulos* suos Dominus quod eorum [14] *nomina scripta essent in cœlis*. Hoc verum esse non *docet*, sed *supponit*. Unde autem constare potuit, & quidem ea certitudine quæ gaudii argumentum esse posset, nisi ex generali illa suppositione qua *nomina* in *album* terrestris *Hierusalem* relata, eadem scribi supponerent *in cœlis*? Proinde *Ecclesiæ* membris etiam peccantibus minatur etiam Dominus, fore non ut in archivis *cœlestibus* ne *scriberentur*, sed ut *scripta* antea denuo *delerentur*. Proinde sine nova revelatione *Clementis nomen* in *libro vitæ scriptum* esse, scire potuit [15] Apostolus, quod scilicet post *baptismum*, quo *nomen* ejus in *terrestris* simul *cœlestisque Hierusalem* matriculas fuisset relatum, nihil admisisset deinceps dignum, cur scriptum postea *deleretur*. Ex quo etiam intelligimus quanti faciendum esset olim communionis *Israëliticæ*, quanti hodieque *Ecclesiasticæ* beneficium, quod per illam in *civium cœlestium* numerum referamur.

§. XVI. Supereſt ut illud etiam exponamus, cur eadem *cœlestis* civitatis matricula *liber vitæ* appelletur. Primaria igitur hujus vocis significatio ex veteri, ni fallor, instrumento desumenda est. Ibi autem à *regum memoriis*, illo seculo usitatissimis petitam existimo metaphoram. Solebant enim regum benefactores atque beneficia in illiusmodi *commentarios* referre qui regi essent ad manum, siqua esset oblata præmii referendi occasio. Ita *Mardochæi* in regem *Assuerum* beneficium conservatum legimus. *Vitæ* autem nomine omnia cujusvis generis *beneficia*, ut è contra *mortis* nomine *mala* omnimoda complecti solent scriptores sacri, præsertim vero hujus vitæ prosperum adversumque statum. Ita de [16] *Rubene*, de [17] *Solomone*, & [18] alibi. Ita forte & illa quoque intelligenda sunt quæ de *vita Pharaonis Josephus*, de *perenni vita Nabuchodonosoris* habet propheta *Daniel*, quod nimirum pro more juramentorum quo quod cuique carissimum esset id Deo oppignoravit male multandum si fefellisset, *Josephus* prosperum *Pharaonis* statum regiamque dignitatem ita obligandam censeret; *Daniel Nabuchodonosori* perpetuam *florentis Regni* fortunam apprecaretur. Scio tamen & *vitam* regum ipsam obligari solitam, quæ causa erat quod [19] *Scythæ* siqua regem adversa *valetudo* afflixisset, eam *perjurio* cujuspiam tribuendam censerent. Sed nescio an alio referri possit locus *Prov.* XVI. 15. *In hilaritate vultus regis vita.* Quando igitur [20] *Moses* è *libro* Dei *deleri* voluit, id tantum voluit, ne deinceps inter *amicos Dei* necessarioque numeraretur. Inde transiit in *beneficia* pacti *Israëlitici*, quia *Israëlitarum* quisquis pacto stetisset, is *pacti generalis* beneficio esset inter propinquiores *Dei amicos* recensendus. Semper enim à prima usque *pactorum* origine, *vita* inter *pacti* præmia, *mors* inter violati pacti supplicia numerata est. Ita in pacto *Paradisiaco mortem* loco pœnæ minatur, lignum *vitæ* obedientiæ mercedem daturus erat Deus. In pacto *Mosaico*: [21] *Testes invoco hodie cœlum & terram, quod proposuerim vitam & bonum* [*mortem* Heb.] *benedictionem & maledictionem: elige ergo vitam, ut & tu vivas, & semen tuum. In Proverb.* de *sapientia* quæ *pacti Mosaici* erat observatio: [22] *lignum vitæ est his qui apprehenderit eam.* Et alibi sæpissime. Merito ergo *matricula* hæc *liber vitæ* appellatur, quod qui in ea scripti essent ad eos *vita* illa attineret, pacti beneficio promissa.

§. XVII. Quod si hæc de pacto quoque *literali* vera erant, de pacto *mystico* longe adhuc erant veriora. *Mystica* enim illa *Israëlis* hæreditas *terra viventium* proprio quodam suo jure nuncupatur, quasi vero ne *vitalis* quidem foret hujus *terræ vita*, & *morti* potius quam *vitæ* accensenda. Respondetque etiam hæc loquendi forma *Platoni* atque *Platonicis* accuratissime. Huc trahit ipse *Plato* locum [23] *Euripidis*, quo *vitam* beatorum nos *mori*, eorundem autem *mortem vivere* dicimur. Utque omnia rerum exemplaria *Platonicis* atque *Hellenistis* αἰώνια dicuntur, ita hæc etiam *vita* αἰώνιος dicitur, qua voce usus est ipse etiam [24] *Porphyrius*. Ut autem in priori *vitæ* significatione, non tam *existentiam* nudam, quam prosperum vivendi *statum*, vitæ nomine denotari diximus; ita hic quoque ne *durationis* quidem ipsa illa *perennitas*, sed *beatitudo* ipsa *vita* appellatur. Proinde hæc αἰώνιος *vita* non tam *morti*, quam κολάσει αἰωνίῳ opponitur, quæ & ipsa sacris scriptoribus *mors* habetur, diciturque, nec aliis præterquam *bonis* vita hæc conceditur, quanquam *mali* etiam ad *pœnam* resurrecturi sint, & in existentiæ pœnæque perpetuitate conservandi. Aptissime vero *mystico Israëli*, atque adeo Christianitati conveniebat hæc vita, quod cum *Judæi* sub *Messia* suo vitam sibi diutinam hodie polliceantur, antiquiores *æternam*, unde illa [25] χρεισὸς μένει εἰς τ̃ αἰῶνα, & veteris Testamenti *prophetiæ* quas illi de *Messia* intellexerunt, αἰώνιον βασιλείαν & ζωὴ etiam αἰώνιον disertissimis verbis polliceantur: tum vero ζωὴ hanc αἰώνιον λόγῳ assignarunt *Platonici* pariter atque *Hellenistæ*, ex quorum principiis loquitur S. *Joannes* Apostolus in *Evangelio*, primaque ejus *epistola*. Iidem *cœlestis civitatis* regem eundem λόγον faciunt, unde est quod tam multa habeamus de βασιλικ῀ λόγε δυνάμει apud *Philonem*, nec aliunde quam ab eo docent esse expectandam. Liquet igitur quam apposite *Evangelium*, quod in λόγῳ colendo totum est, ῥήματα τ̃ ζωῆς ταύτης appelletur. Liquet etiam quam apte cœlestis civitatis matricula βίβλος τ̃ ζωῆς audiat, *civitatis* nimirum illius quæ λόγον *principem* agnoscit ζωῆς auctorem. Liquet denique quam congrue recitandus in die *judicii* hic sit *liber*, quando nimirum vitæ mortisque distribuenda sunt præmia. Cum enim *vita* hæc αἰώνιος inter *civitatis* αἰωνίς privilegia numeretur; sequitur omnino non ad *alios* quam *illius* civitatis *cives* jure attinere, ut proinde nequeat hujus præmii distributio commodius quam ex illo, quem dixi, *libro* deduci. Quicunque enim *jus baptismale* conservarint, ne alio suo deinceps flagitio *deleri* postea mererentur, illi *vitam* sibi promissam vendicare poterunt. Nec alii quam *cives* jura *civitatis* cœlestis pro *foro* possunt & pro forma tribunalium postulare, quo referendas esse has metaphoricas locutiones non est quod in dubium vocemus. Videmus interim, hæc si vera sint, quam graviter errarit hactenus vulgus Theologorum, quam nihil hæc ad causam *prædestinariam* faciant, quo tamen illa hactenus plerique retulerint; quam

[14] S. *Luc.* X. 20. [15] Phil. IV. 3. [16] Deut. XXXIII. 6. [17] Psal. LXXII. 15. [18] Ps. XXII. 26. LXIX. 32. [19] *Herodot.* IV. 68. [20] Deut. XXXII. 32. [21] Deut. XXX. 19. [22] Prov. III. 18. 22. IV. 10. 13. 22. [23] *Phæd.* [24] De Abstin. IV. 20. p. 176. [25] S. Joan. XII. 34. [26] Act. V. 20.

quam maxime faveant *unitati Ecclesiasticæ*, quo tamen ea, nemo est, quod sciam, qui hactenus retulerit.

§. XVIII. Et qua ratione ratam crediderunt *in cœlis* illam baptismalis *matriculæ* inscriptionem, eadem par erat ut crederent, siqua nomina *superiorum* censura, è *matricula Ecclesiæ* delerentur, eadem è matricula *Archetypa delenda* & *in cœlis*, unaque omnium privilegiorum jus esse deinde derogandum. In quo etiam præivit, ni fallor, *Ecclesiæ Synagoga*. Huc enim referenda existimo illa Salvatoris verba: [27] Μακάριοί ἐστε ὅταν μισήσωσιν ὑμᾶς οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὅταν ἀφορίσωσιν ὑμᾶς, καὶ ὀνειδίσωσι, καὶ ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρὸν ἕνεκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. De *synagogæ* censuris hæc intellexisse Dominum, constat è voce ἀφορίσωσι. Ita enim *excommunicationem* denotabant *Judæi Hellenistæ*, ita etiam *Ecclesiastici*, nec ulla vox frequentius occurrit in *canonibus*. Recte etiam, & pro more *gentis* atque *seculi*, conjunguntur cum censuris ὀνείδη. Ipsa *anathemata* gravissima erant ipsa quoque *convitia*. Illis autem perculsos fuisse primævos *Christianos* ex eorum synagogis extorres, non è novo duntaxat Testamento discimus, sed ex primævis quoque patribus, [28] *Justino* præsertim atque [29] *Origene*. Iidem etiam testes sunt, nec diris illos, nec convitiis abstinuisse, siqui in eorum censuras incidissent. Quod igitur ad tertium illud attinet, ὀνόματος nimirum ἐκβολῶ, ad eandem illam *excommunicationis* causam spectasse, est mihi sane verisimillimum. Ἐκβάλλειν pro *excommunicatione* usus est in Evangelio S. [30] *Joannes* Apostolus. Idem etiam eadem voce usus est de *excommunicatione* etiam *Ecclesiastica* III. Ep. V. 10. Ut plane constet vocem illam à *synagoga* in *Ecclesiam* transiisse. Aptissime respondet huic *personæ* ἐκβολῇ ἐκβολὴ ὀνόματος, ut nimirum ea ipsa ceremonia synagogæ *juribus* quempiam spoliare crederentur, cum *nomen* ejus è *synagogæ matricula* delerent.

§. XIX. Et quidem in hac ipsa causa, ut & alibi sæpissime, seculi sui *mores* ad vivum expressit *Ignatius*, quod vix credo potuisse quempiam *tertii seculi* falsarium, cum illi jam sensim in desuetudinem abiissent. Ὀνόματος pro *persona* usus apud eum frequens est. [31] Ἀσπάζομαι Αλκὶν τὸ ποθητόν μοι ὄνομα, bis. Salutat idem πάντας κατ' ὄνομα in Ep. ad *Smyrn.* ut habetur non in *interpolatione* modo, sed in *veteri* etiam *interprete*, ex quo constat quod in hodierno codice *Florentino* deest, id *librario* esse potius, quam interpolatori, tribuendum. Quanquam salutatio hæc ad illam forte *Romanorum* consuetudinem alluserit, qua obvium quemque, quanquam de *facie* ignotum, *nomine* ex *Nomenclatoris* monitu compellabant; non est tamen quin *Nomenclaturam* illam ipsam intellexerit quæ in *Ecclesiæ matricula* obtinuerat, ac proinde neminem esse à sua salutatione excludendum. Ita eodem redibit hæc *Ignatii* salutatio, quo *Apostoli* illa qua omnes *sanctos* aliquando salutandos duxit. Idem ad *Polycarpum* [32] Ἐξ ὀνόματος πάντας ζήτει. Id quoque de *matricula Ecclesiæ* intelligo, ut idem hic valeat ἐξ ὀνόματος, quod alibi κατ' ἄνδρα. Cavet nimirum ne quispiam prætermittatur, consulenda nominum serie in *matricula Ecclesiæ*. Quod vero de *Hæreticis* ita scribit: [33] τὰ δὲ ὀνόματα αὐτῶν ὄντα ἄπιστα οὐκ ἔδοξέ μοι ἐγγράψαι, ἀλλὰ μηδὲ φθάνειν μοι αὐτῶν μνημονεύειν, μέχρις ἂν μετανοήσωσιν εἰς τὸ πάθος ὅ ἐστιν ἡμῶν ἀνάστασις· quis non videt hæc cum illa *Judæorum* ὀνόματος ὡς πονηρᾷ ἐκβολῇ quam accurate consentiant? Ὀνόματα ἄπιστα quis dubitet pro πονηροῖς haberi? Nec alieni erant hac etiam in causa *Græcorum* mores. Quos illi piaculari crimine constrictos habebant, eorum etiam *nomina* diris devota esse constat ex *Æschinis* oratione adversus *Ctesiphontem num.* 38. Ad eandem planè formam qua *Christianos* Anathemate percussos à *Judæis* Auctorem habemus *Justinum* Martyrem. Quod vera illa, postquam fuissent ex *Ecclesiæ matricula* erasa, nec scribere, nec *voce* tenus proferre dignetur, omnino tractat tanquam πονηρά, profana atque piaculo implicita.

§. XX. *Nominum* autem illam in *matriculis* relationem illorum *manu*, quorum erant *nomina*, fieri solitam arbitror. Is enim erat à prima fere antiquitate *pactorum* mos, ut ea paciscentium *subscriptionibus* confirmarentur. Hæc autem *civium* ascriptio, non ita civium *jura* atque *privilegia* conferebat, quin ex adverso essent ab ascriptis *pacta* etiam mutua exigenda, de *civitatis juribus* deinceps conservandis, deque *fide* in *patriam* colenda. Id etiam à *Judæis* in *proselytismo* observatum colligo ex *Is.* XLIV. 5. *Iste dicet Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Jacob: & hic scribet manu sua Domino: & in nomine Israël assimilabitur.* Plane innuit illa *scriptione* factum esse ut *Dei nomine Jacobi* atque *Israëlis* deinde censerentur. Quod ita in censum *Israëlis* transierint, inde constat ad illam, quam dixi, πολιτείαν hanc *scriptionem* esse referendam. Quod scriberent manu sua *Domino*, id quoque signum est cum illa πολιτείᾳ *pactum* cum *Domino* pro more solenni fuisse conjunctum, & in eo quoque cum Deo *pacto* adhibitam fuisse *manuum* illam *subscriptionem*. Sed & in alio illo cum *Deo fœdere*, cujus meminit [34] *Nehemias*, *subscriptionem* legimus atque *signationem*. Et vero legibus *Romanis* (cui parebat primis suis exordiis orbis *Christianus*, ex quibus in hoc ipso *pacti* argumento multa ratiocinatur in Epistola ad *Hebræos* Apostolus, ne dubitemus ad illas *pacta* etiam *Christiana* cum *Deo* inita esse exigenda) manifestum est *subscriptionem* pactis adhiberi solitam. Quæ cum ita se habuerint, fieri vix potuit quin in *Christianorum* quoque mores transierint quorum plerique essent ab his originibus arcessiti.

§. XXI. Cum vero *sacrificiorum* precumque publicarum ejus esset inter *civitatum jura* vel præcipua numerandum; probabile omnino est non generali solum *civium* commemoratione in sacrificiis *publicis* fuisse contentos, sed vero singulorum etiam quam possent propriam factam esse in *precibus* mentionem, præsertim in solennitatibus *panegyricis* quæ *totius populi* causa fuissent institutæ. Ea autem *commemoratio* commodissime fieri potuit prolatis his, quas diximus, *matriculis publicis*. Ita cautum esset ne quem *civem* omitterent *pontifices*, ne quem *profanum*, aut *alienum*, aut *piaculo* constrictum, sacrorum facerent participem. Cum vero nimium prolixa esset tot millium *nominum recitatio*, sola *nominum oblatio* satis esse potuit ad sacrorum beneficia *singulis* impetranda. Id cum communi *sacrificantium* more receptum esset, ad *Judæos* primum, deinde ad *Christianos* dimanare potuit facillime. Cum enim illi non omnem sacrificiorum usum, sed *cruentorum* duntaxat repudiarent, *mystica* autem colerent atque agnoscerent; pronum erat ut quæ alii *beneficia cruentis* sacrificiis tribuissent, eadem *mysticis* suis assererent *Christiani*, ne *cruentis mystica* viderentur inferiora. Proinde in generali illa quæ à prima usque origine, *Eucharistiam* excepit *intercessione*, *matriculam* illam verisimile est *nominum*

Deo

[27] S. *Luc.* VI. 22. [28] Dialog. cum *Tryphon.*
[29] Cont. *Cels.* [30] *Joan.* IX. 34, 35.
[31] Ep. ad *Smyrn.* & Ep. ad *Polycarp.* utrobique in fine.
[32] Ep. ad *Polycarp.* §. 4. [33] Ep. ad *Smyrn.* §. 5.
[34] Nehem. IX. 38.

Deo fuisse *oblatam*. Aliud certe significat *offerri nomina*, aliud *recitari*, ut primo tantum essent à se invicem *usu* potius, quam *nominibus*, diversa; postea cum paulatim inoluisset illa *nominum* sine *recitatione oblatio*, uni eidemque *diptychorum recitationi* denotandæ facta sint communia.

§. XXII. Erant & aliæ *Christianorum* appellationes seculo illo admodum familiares quæ ansam satis opportunam *catalogis* conficiendis dare poterant. Talis erat inprimis *debitoris* illa. Cum enim ante receptum *Christianismum* carnis fuissent *debitores*, iidem in *baptismo* se Dei *debitores* profitebantur. Sunt autem illæ phrases in *Romanis legibus* notissimæ, *nomen obligare*, *obærare*, & *dissolvere*, à *syngraphis* in quibus *debitorum nomina* conscripta sunt, proculdubio petita. Erat & alia *Christianorum* appellatio, qua *milites* dicerentur. Hæc in sacris literis, hæc etiam in Patribus, adeo frequens erat, ut quam plurimis *Ecclesiæ* consuetudinibus ortum dederit. Inde ipsum *sacramenti* nomen *baptismo* etiam attributum; inde *formæ* illæ in *baptismo* antiquissimæ: Συντάσσομαί σοι χειρέ, ἀποτάσσομαί σοι Σατανᾶ, plane à *militia* desumtæ. Inde nomen *stationum*, *commeatus*, aliaque in Patribus frequentissima. *Militum* autem *nomina* in *catalogis* fuisse *descripta*, non opus est ut probem. Inde *formæ* illæ *nomen dari*, & *catalogi militaris* mentio sane frequentissima. Eo referendum nomen *numerorum* pro *militibus legionariis* sub recentiorum præsertim Imperatorum temporibus, quod eorum solorum nomina *catalogi legionarii* justos *numeros* conficerent; nec enim *auxiliorum* nomina in catalogis *Romanis* scripta sunt. Inde fortasse lux ἀριθμῷ ὀνοματῶν, cujus meminit S. *Lucas*. Et qui *ætatem militarem* excesserant, illi ὑπὲρ κατάλογον dicuntur in *Græcis* rerum *Romanarum* scriptoribus. Atque hæ rationes, ut vel solæ *catalogis* hisce in *Ecclesiam* introducendis sufficiessent; ita dubitari nequit quin magnum alioqui momentum addituræ essent illi, quam modo dedimus potissimæ.

§. XXIII. Quacunque vero de causa mos ille in *Ecclesiam* illatus est, erat sane rei *disciplinariæ*, illius præsertim ætatis, stabiliendæ longe utilissimus. Quin ita etiam necessarius, ut si aliæ deessent, quas dedimus rationes; vix tamen esset ut dubitemus *de facto* saltem, illum obtinuisse. Magnum erat inprimis *constantiæ* præsidium, ingentemque proculdubio incussit apostasiæ pudorem; cum *manu propria*, subscriptione, mansurisque monumentis convinci possent, siqui *Christianitati* suæ renunciassent. Ita adversariorum *gentilium*, *Hæreticorumque* fraudibus commodissime occurri potuit, nequis *profanus* in eorum *synaxes* irreperet, cum suos omnes in *numerato* haberent, nec ignotum quempiam admitterent. Quanquam autem *synaxes* primis *Apostolorum* temporibus omnibus plerunque paterent, at *communio* certe nunquam patuit, & *synaxes* ipsas postea occlusas fuisse verisimile est. Nec enim aliter intelligo ut fabulas illas de *infanticidio* atque *Oedipodæis incestibus* comminisci possent *Judæi*, nec tanta rerum Christianarum ignoratione versari etiam curiosi, quique animum ad illas ediscendas addixerant, qualis fuit *Celsius*. At in *magnis* civitatibus excludi non poterant, ni fuissent ad manum *catalogi* quibus *sui* ab *alienis* dignoscerentur. Accedebant & alia *matricularum* commoda; quod ita constare posset quibus concedendæ essent omnium generum *literæ formatæ*, nequis *Hæreticus* aut *excommunicatus* alterius *Ecclesiæ* commendatione apud aliam abuteretur; quod etiam *lapsi* atque *pœnitentes*, cum etiam maximus esset eorum numerus, neutiquam tamen ante justum pœnitentiæ tempus *expletum* admitterentur; quod denique *lapsi* à *gentilibus* distingui possent, qui non essent tam facile ad *communionem*, quam illi ad *baptismum* admittendi; quod μαρτυρία illa, quæ aliis præterquam *clericis* erat in literis *commendatitiis* necessaria, singulis dari posset, ita enim in cognitionem omnium *fidelium* veniebant, cum *nomina* essent in *matriculas* admissa; quod denique singulis adesset, cum necesse esset *clericorum* cura, quod ipsum in magnis, ut dixi *civitatibus*, cum ostiatim quærendi essent, fieri vix aliter potuit quam confectis istiusmodi *matriculis*, nedum ita commode.

§. XXIV. Præter hos catalogos omnium *Christianorum* communes, erant & alii *clericorum* proprii & eorum qui *sumtibus Ecclesiæ* alerentur, *pauperum*, *virginum*, *viduarum*. Eodem enim catalogo hos omnes contineri solitos existimo, cum & *clerici* & ipse etiam Episcopus ex *eleemosynis* victum haberent. Hujus *catalogi* meminit ipse *Apostolus* 1 *Tim.* V. 9. χήρα καταλεγέσθω μὴ ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκοντα. Quod enim hæc non sint de aliis *viduis* quam, quas diximus, *pauperibus*, intelligenda, constat ex ℣. 4. ubi quæ *posteros* haberent superstites, illas iisdem nutriendas commendari vult. Hujus ejusdem *catalogi* meminerunt & *canones Ecclesiastici*. Nec aliunde desumsisse credo *Cornelium cleri* sui atque *pauperum numeros* quos habet in epistola ad *Fabium Antiochenum*. Erat autem admodum necessarius hic quoque *catalogus eleemosynis* distribuendis, ne quis ex *eleemosynariorum* numero prætermitteretur, ut *Diaconis* ad manum esset quorum fidei commissa est plerunque illa distributio. Hujus catalogi pars saltem aliqua ad nuperiora etiam Ecclesiæ secula descendit; quam *Diptycha* appellabant, & *recitatam* fuisse in *Eucharistiæ* officio, partim ex *Liturgiis* etiamnum superstitibus, partim ex *pœna* illa expungendorum è diptychis *nominum* colligimus. *Sanctiores* enim reliquis habebantur, qui in eo *catalogo* continerentur, sanctæ *virgines*, sanctæ *viduæ*, sancti etiam *Ecclesiæ pauperes*, ut mirum non sit concessum fuisse illis hunc *recitationis* honorem. Quæ etiam fortasse *ratio* esse potuit cur hujus præsertim *catalogi* nomina frequentius quam aliorum in *primævorum Christianorum* epistolis salutata legamus. Id faciunt *Apostoli*, id *Clemens*, id *Polycarpus*, id *Ignatius*; id reliqui plerique qui illis seculis epistolas conscripserunt.

§. XXV. Quod vero attinet ad illam quæ antiquitus obtinebat *mortuorum commemorationem*, erat illa *Eucharistica* potius quam *propitiatoria*. Extant certe hodie vestigia in antiquissimis, quas habemus, *Liturgiis*, nonnullorum *nomina*, quæ nemo dubitat nisi *gratulatione* commemorari non posse, *patriarcharum*, *prophetarum*, *Apostolorum*, *martyrum*, *sanctorum* omnium, ipsius denique B. *virginis*. *Martyribus* autem injurium existimat S. *Augustinus* qui pro illis orarit. Idem innuunt moribundorum mortuorumque in Ecclesiæ pace tractandorum pleræque ceremoniæ. Nullum in illis *mœroris* tristitiæve indicium, contra *gaudii* potius gratulationisque omnia. *Beatum* prædicabant propinqui, doloremque *Christianis* indignum esse arbitrati sunt. Funebrem pompam cum cereis atque funalibus *canticisque* ducebant. Excipiebat venientem *sacerdos* cum *gratiis* Deo agendis. Tum recitatæ è Scripturis de *mortuorum* sancta *resurrectione* sententiæ. Sequebatur rursus Psalmorum *cantus*, defunctorumque in pace *prædicatio*. Tum *complexus mortuum* est sacerdos, *sanctorumque* ita in *cœmeteriis* reposuit. Idem fere in *octava* diei, idem & in *anniversaria commemoratione* præstitum. Nec enim alibi mortuorum è *diptychis* factam esse *commemorationem* existimo ad *Eucharistiam*, præsertim *vulgarium*, ne ultra modum *diptychorum recitatio* excresceret oblatio

fieri fortaſſe poterat. Ita enim poſt XXXV. Annum ab obitu S. *Chryſoſtomi* nomen *diptychis* Eccleſiæ *Conſtantinopolitanæ* reſtitutum eſt, & poſt mortem aliorum nomina *expuncta*. Sed neſcio an aliorum id fuerit, præſertim in ſeculis recentioribus quam *inſignium* & præcipuarum ſedium *ſacerdotum* & *martyrum*. Deſumta enim hæc videntur è ritibus *gentilium*. Menſe autem *Februario* animas priori anno corpore ſolutas commemorabant *anniverſaria commemoratione* publice *Romani*, tum privatim ſuæ quemque colebant *familiæ*. Nec de *plebeiis* animabus ultra publice cogitatum eſt. Siquis præterea *aliis annis* cultus illis eſt exhibitus, is *privatorum* erat duntaxat atque familiarium. *Heroas* autem, aut *Imperatores*, aut ſiqui alii *patriæ* cauſa celebrius quicquam geſſiſſent, eos *templis*, eos *aris*, eos *ſacerdotum ſodalitiis*, *ſacris*, atque *reditibus*, diebuſque *anniverſariis* per omne ævum duraturis colebant. Ita *bonos Imperatores* pleroſque *Romani*, ita *Harmodium* atque *Ariſtogeitonem*, & qui in *Marathone* cecidiſſent, *Athenienſes*. Horum in locum ſucceſſiſſe *ſanctos*, teſtis eſt in *Therapeuticis Theodoretus*. Non eſt itaque, ex horum exemplo, quod miremur *illuſtrioribus* quibuſdam Eccleſiæ *antiſtitibus*, non *commemorationem* duntaxat, ſed & *recitationem* eſſe conſervatam pluſquam *anniverſariam*. Sed & *martyrum* eundem fuiſſe honorem, ex ipſo noſtro martyre colligimus. *Celerini* avia *Celerina* jampridem martyrio coronata fuerat. Sed & patruus ejuſdem atque avunculus *Laurentinus* & *Ignatius*. Nec tamen Cypriani etiam ætate deſierat eorum anniverſaria commemoratio. [35] *Sacrificia* (inquit) *pro eis ſemper, ut meminiſtis, offerimus, quoties martyrum paſſiones & dies anniverſaria commemoratione celebramus.*

§. XXVI. *Plebeiorum* interim in exequiis uſus eſt vocabulis *Pſeudo-Dionyſius*, ab *Heroum commemoratione* petitis. Tales enim ſunt ἀνάῤῥησις & ἀνακήρυξις ab *Olympionicarum* è tabulis *publicis* per *præconem recitatione* petitæ, quæque adeo non aliis quam illuſtrioribus ejuſmodi viris convenirent. Plane ut innueret illos etiam fuiſſe triumphalibus præconiis ornandos. Atque hoc *Eccleſiæ* honorificum *teſtimonium*, quod vigente etiamnum diſciplina, pluris erat certe faciendum, non minimum fuiſſe exiſtimo diſciplinæ fulcimentum. Plenos enim *ſpe* certiſſimaque beatæ immortalitatis *fiducia* morituros probabile erat, quibus de acta vita accedebat præter *conſcientiam* propriam, alienum quoque *teſtimonium tam fidum*, illis præſertim ſeculis, minimeque *adulatorium*. Contra ſibi diffidere neceſſe erat, quantalibet alioqui *innocentia* præditos, ſi in cauſa propria eſſet à tam æquis judicibus diſſentiendum, ut quolibet *diſciplinæ* rigore ſubeundo, tam certum eſſet teſtimonium merito redimendum. Proclive tamen erat, ut, quod poſtea factum eſt, ad *mortuorum* etiam *expiationem* ſenſim dilaberentur. Cum enim illi *myſtico* ſuo *ſacrificio* aliorum *ſacrificiorum* omnium *beneficia* expectarent, nec id illos lateret fuiſſe apud utroſque, tam *Judæos*, quam *gentiles*, ſacrificia hoc ipſo *expiandorum* criminum conſilio inſtituta; inde facile credebant hoc idem beneficium à ſuo quoque *myſtico* euchariſtiæ *ſacrificio* eſſe expectandum. Cum etiam præter *commemorationem* illam viventiumque *conſolationem*, *animabus* quoque *defunctorum* ipſis *inferiarum* beneficium accedere crederetur (*condiri* enim illas in *tumulis*, ſanguiniſque *hauſtu* ſenſibiliter delectari, *quieſcere* deinde, nec *vagari* longius, credebant veteres, dum defæcato tandem corporeo vehiculo in cœlos avolarent) idem animabus *ſuorum* beneficium, & ſuo quoque *ſacrificio*, procurari poſſe, pronum erat ut crederent. Non dico quam ſolide hæc colligebant, ſed quam facile eſſet ut ea colligerent. Certum enim eſt multas iſtiuſmodi *ethnicorum* de *animarum* cultu ſuperſtitiones, etiam vigente ſub *Chriſtianis* imperatoribus *Chriſtianiſmo* obtinuiſſe. Eo referendæ erant *oblationes* ad *ſepulcra martyrum* quas S. [36] Auguſtinus auctor eſt, hoc ipſo nomine fuiſſe ab *Ambroſio* reprehenſas. Eo illa *Euchariſtiæ* ad mortuorum *memorias* profanatio, quam damnant [37] canones *Africani*. Et *orationes* illæ atque *miracula* quæ ad *tumulos* defunctorum, non raro, ut in exemplo *Eliſæi*, ſed ſæpe atque ordinarie edenda exiſtimabant, plane illi *ethnicorum* ſententiæ facere videntur qua *animas* defunctorum in *tumulis* habitare crederent, ut & illi quoque S. *Juſtini* [38] Martyris, qua energumenorum *Dæmones* non alios fuiſſe credidit quam defunctorum *animas*. Dæmonas enim τυμβονόμους appellat *Platonicus* [39] *Syneſius*, ſuffragante etiam ipſo [40] *Platone*. Idque inde potiſſimum colligebant, quod qui eo *maniaco* furore acti eſſent, in *tumulis* atque *deſertis* id genus locis præcipue delectarentur, de quo, ne longius abeamus, ex ipſo [41] *Evangelio* peti poterit exemplum. Nec aliud voluerunt, ut opinor, Patres [42] *Eliberitani*, qui *cereis per diem in Cœmeteriis accenſis*, *inquietari* crediderunt *animas ſanctorum*. Fieri certe non potuit ut cereis in *Cœmeteriis* accenſis *inquietarentur* ſi in *cœlis* fuiſſent, non in ipſis *Cœmeteriis*. Idque ipſum collegiſſe videtur S. [43] *Juſtinus* Martyr ex hiſtoria *Pythoniſſæ*, quæ *Samuëlis* animam è ſepulcro evocarit, quam & moleſtum ſibi fuiſſe ſignificavit is quicunque tandem fuerit qui prophetæ *perſonam* induerat. Nec enim in alias quam *tumulorum animas* ipſi *Necyomantæ* ψυχαγωγίαν ſuam exercebant. *Juſtinum* ſecutus eſt in ſua de Engaſtrimytho diſputatione [44] *Origenes*. Atqui hanc ſententiam longe aliam fuiſſe certum eſt ab ea quam tradiderat *Eccleſia*. Qui enim nec ad cœlum, nec ad inferos, deferri animas ſtatim à morte crediderant; in locum tamen *refrigerii*, in *externa atria*, in *ſinum Abrahæ* deferri crediderunt, idque *bonorum angelorum* miniſterio. At ſi in *tumulis* manſiſſent, plane ſupervacuum fuiſſet illud *miniſterium*, nec *Abrahæ* nec aliarum ſanctarum *animarum* conſortio frui poterant quæ quidem non fuiſſent in iiſdem *tumulis* conditæ; ſed nec *refrigerio* aliquo, ſi ſub illorum, quos dixi, *Dæmonum* poteſtate permanſiſſent.

§. XXVII. Sed, ut eo tandem redeat unde digreſſa eſt pauliſper oratio, tandem intelligimus, cur illa defunctorum etiam *nominum* ex Eccleſiæ diptychis *expunctio*, pœnæ loco irrogata eſſet, & quidem adeo ſeveræ. Nec enim id voluit Eccleſia, ut quos, *Deo* ejus acta *ſecundante*, meliori jam in ſtatu collocaſſet, eos deinceps in *deteriorem* conjiceret; *æternum* enim animarum ſtatum, non à *judicio* duntaxat, ſed à *morte* etiam credidit plerunque *immutabilem*. Sed nec *ſeparati* ſtatus *mala* illis imprecati ſunt, quibus illos credebant obnoxios, *tenebras* nimirum crebraſque *Dæmonum infeſtationes*, aliaſque *receptaculorum* anguſtias, quæ ut *viventium precibus* levari poſſe credebant, ita mirum non erat ſi vivorum ſimiliter *imprecationibus* gravari poſſe crederent. Nec enim terminus hiſce cenſuris ullus eſt præfixus, qui præfigi pœnitentium pœnis ſolebat. Id ergo voluit *Eccleſia*, ut novo aliquo facinore emergente quod antea latuerat, revocaret

[35] Ep. XXXIV. [36] Confeſſ. L. VI. c. 2.
[37] Cod. Can. Eccl. Afric. Can. 18. Concil. Hippon. Can. 5.
[38] Apolog. II. p. 65. [39] Hymn. IV. v. 47, 48.
[40] In Phædon. p. 32.
[41] S. Matth. VIII. 28. Marc. V. 2. Luc. VIII. 27.
[42] Concil. Eliberit. Can. 34. [43] Dialog. cum *Tryphon.* p. 332, 333. [44] Vid. Edit. *Allatii*, vel in *Huetii Origenianis.*

caret honorificum illud, quod neſcia hactenus morienti jam dederat, teſtimonium, in *viventium* potius *beneficium*, quam *pœnam mortuorum*. Et cum *nomina* eorum è *diptychis* eraderet, id quoties è canonum præſcripto fieret, impediebat inprimis *anniverſariam* illam, quam dixi, *commemorationem*; contra docebat talem eſſe illorum ſtatum, cum illo facinore obſtricti morerentur, ut de ita *mortuis* bene judicare non poſſent, nedum illis ſpem illam certam beatæ reſurrectionis, quam antea conceperant, polliceri: nec eſſe propterea quod illis gratularentur, aut, illorum nomine, *Deo* ſive *gratias*, ſive *ſacrificia Euchariſtica* offerrent, quod illa nominum è diptychis *recitatione* ſignificatum eſſe diximus; metuendum eſſe potius, & plane deſperandum, ſi in illo crimine ſine *pœnitentia* deceſſiſſent, monendoſque adeo ſuperſtites, hoc ipſo edito exemplo, non impune fore, nec in pace matris Eccleſiæ deceſſuros ſiqui deinceps ita deceſſerint; fore itaque ut nec de illis bene ſperari poſſet, ſi ſe iſtiuſmodi flagitiis innecti paterentur, nec de illis, ante obitum, egiſſent pœnitentiam. In quo nihil eſt quod veluti durum aut inhumanum reprehendant adverſarii.

§. XXVIII. Id unum poterat videri fortaſſe durius, quod cum *preces viventium mortuis* prodeſſe exiſtimarent, *mortuos* tamen illos non *laudis* modo honore, ſed & *precum* ſubſidio ſpoliandos crederent; cum tamen quo periculoſiorem credebant eorum ſtatum, eo conſequens erat ut crederent *preces* quoque ſuas eſſe magis neceſſarias. Sed præterquam quod hanc ipſam de *precum* efficacia ſententiam recentiorum diximus eſſe temporum, quam Apoſtolicorum; erat tamen quod oſtendere poſſent ex illorum ſeculorum receptis dogmatibus, qui illam tantam crediderunt precum efficaciam: Inprimis gravius eſſe potuit crimen quam quod *precibus* expiari poſſit ſine *pœnitentia*. Hæreſis certe talis illis habita eſt, quo nomine plerique ſunt è *diptychis* poſt mortem excluſi. Tum, ut levius fuiſſet crimen, quodque pœnitentia expiari poſſet, ſeram tamen eſſe poſt mortem pœnitentiam. Ita de *Chryſoſtomo*, ita de *Cypriani* noſtri *Geminio Victore* ſtatuendum, qui *canonum* duntaxat Eccleſiaſticorum violatorum rei deceſſiſſe judicati ſunt. Nec enim *precum* ipſarum eam crediderunt efficaciam niſi præſuppoſitis quibuſdam in eo pro quo *preces* offerrentur *conditionibus*, quarum principem locum tribuerunt *pœnitentiæ*. Id ex *Pſeudo-Dionyſio*, id ex ipſo quoque S. *Auguſtino* manifeſtum eſt. Tandem crimen ut leviſſimum fuiſſet, ad quod eluendum *generalis pœnitentia* ſuffeciſſet cum viventium *precibus*; atqui *precum* illarum, pro illius ævi diſciplina, jus nullum habuiſſe alibi oſtendimus qui *extra Eccleſiam* deceſſerant. Tale autem crimen *hæreſis* habita eſt quo decedens quiſpiam ab *Eccleſia* excluderetur, ut proinde nullum deinde jus vendicare poſſet *precum Eccleſiaſticarum*. Quod contra in eadem *Cypriani* Eccleſia *Africana Dinocratem* qui ſine baptiſmo deceſſerat, legimus ſororis *Perpetuæ* precibus ex *inferis* eſſe revocatum, conſtat *revelatione* excitatam eſſe *Perpetuam*, fore ut hoc ipſum à Deo jam *martyr* impetraret. Ita ni fuiſſet, ne auſa quidem fuerat ſperare, ut poſſit à Deo impetrari. Ex quo conſtat plane fuiſſe *extraordinarium*, nec in exemplum ex illius ſeculi Eccleſiæ *Africanæ* principiis trahendum. Oſtendimus autem hactenus quantum tribuendum ſit illius ſeculi *Revelationibus*.

Ad EPISTOLAM XIV.

DE

Forma à Cypriano data.

§. I. *Deſideraſtis in hac re formam à me vobis dari*, inquit Cyprianus. *Et hanc formam per te aliis Epiſcopis innoteſcere voluimus.*] Ep. XVII. dicunt Confeſſores. *Formam dare* idem quod *Græcis* τύπον διδόναι. In *Gloſſis* vet. *forma*, τύπος, & viciſſim. Phraſis apud quarti ſeculi & deinceps Scriptores *Græcos* uſitatiſſima, qua ſubditi præſertim ſuperiorum ſuorum cujuſcunque generis juſſa ſolent denotare. Forte à *ſigillis* quibus id genus inſtrumenta publica muniri ſolent. Sigilla enim τυπώματα vocat in *Annibalicis* [1] *Appianus*. Potius tamen ab arte ἀναγλυπτικῇ fortaſſe deſumta eſt; & enim τύπος εἰκὼν, nec cujuſvis generis illa, ſed χαρακτὴρ, talis nimirum quæ ἐχαράχθη. Inde *ſigillum* exemplar ἀρχέτυπον; quod vero ad exemplar expreſſum erat, ἔκτυπον dicitur. Id ergo volunt *ſubditi* quoties hac phraſi utuntur, tam ſe accurate ſuperiorum juſſa executuros, ut obſequia mandatis tam apte reſponderent, quam ſolet ſigillum ἔκτυπον ἀρχετύπῳ. A ſubditis ad *ſuperiores* tranſiit, cum ſolerent auctoritatis ſuæ commendandæ gratia, conſtituta ſua titulis honorificis ornare, de quo extant in moribus *Romanis* innumera exempla. Nec vero apud aliòs memini extare hanc phraſin, quam apud *Chriſtianos*, & quidem illos præcipue *Græcos*, vel, quod eodem redit, *Latinos* illos quorum dialectus *idiomatibus Græcis* ſcatet, qualem omnes ſciunt fuiſſe *Africanorum*. Ut ſuſpicio ſit è ſacra LXXII. interpretatione fuiſſe deſumtam. Multa enim inde tranſierunt in mores *Chriſtianorum*. Locus eſſe potuit *Exod.* XXV. 40. ὅρα, ποιήσεις κατὰ τὸν τύπον τὸν δεδειγμένον σοι ἐν τῷ ὄρει. In eo enim ſe πιστὸν θεράποντα probavit *Moſes* Numer. XII. 7. quod *formam* illam ad vivum in tabernaculo expreſſerat, quo ſe πιστῶν θεραπόντων titulo *ſuperioribus* commendatos volebant qui ita loquerentur. Si apud *Ethnicos* eadem illa locutio obtinuiſſet, non aliunde commodius illam deducendam credidiſſem quam à τύποις illis ſive *Ideis* ad quarum ſimilitudinem mundus ſenſibilis, ex *Platonicorum* ſententia, expreſſus eſt. Eaſdem autem illas ideas *Helleniſtæ* ut credebant, ita illas ex eodem illo quem diximus loco colligebant.

[1] Σαλαντίνοις δὲ μηνίων, εὐθὺς ἐτύπωσεν ἐπιστολὴν τῇ σφραγῖδι Μαρκέλλου, &c. Appian. p. 589.

Ad

Ad eandem

De libello à Martyribus accepto.

§. I. *CEteri vero qui, nullo libello à martyribus accepto, invidiam faciunt*, &c.] Nondum igitur prodierant *Luciani* generales illæ literæ Ep. XVII. XXII. quibus omnibus pax conceſsa eſt. Quomodo igitur quibus *nondum* à *martyribus* pax impetrata, *invidiam* tamen facere poterant *Epiſcopis?* Plane ex *generali* illa forma, qua conceptos fuiſse nonnullos martyrum libellos ex Ep. XI. diſcimus, *communicet ille cum ſuis.* Incerto enim illo *ſuorum* nomine nemo erat qui ſe non poſſit *Eccleſiæ* obtrudere. *Suorum* enim nomine, non *cognati* duntaxat, ſed & totæ *familiæ*, amici quoque quibuſcum nulla interceſserat præterquam *benevolentiæ* neceſſitudo, contineri poterant. Illis omnibus ni pacem conceſſiſſet Epiſcopus, id *martyrum* in contumeliam interpretari poterant. Ita in Epiſt. illa quam dixi XI. infert Cyprianus: *ut incerta & cæca petitio invidiam nobis poſtea cumulet.* Videmus ibi quorum nomine mota ea ſit, cujus hoc in loco meminit, *invidia.* Quanquam ſcio & *lapſos* ipſos & qui eorum *prætextu*, rebus novis ſtudebant Ep. VI. admodum fuiſse importunos. Sed *invidiam* hanc ad *martyrum* interceſſionem ſpectare manifeſtum eſt.

§. II. Quod autem ad phraſin illam, de *invidia facienda* ſpectat, eam ad cujuſvis generis *ſupplices* extendi fateor. In Deorum quoque cauſa uſurpatam probavit ad *Martialem* atque *Arnobium* doctiſſimus [1] *Heraldus.* Nec tamen explicavit ea unde fuerit deſumta. Ego non aliunde petendam arbitror quam è φθόνῳ quem *numinibus* fere proprium ingenitumque fuiſse *Ethnici* crediderunt, quo magnis omnibus ultra modum excreſcentibus ſuperbientibuſque *male* illos cupere exiſtimarunt. Id in *Niobes* cauſa, id in *Marſyæ*, id in aliis pleriſque fabulis *Poëtæ*, *Tragici* præſertim, paſſim repræſentant. Inde natas loquendi formulas ad *Patres* etiam *Chriſtianos* tranſiiſſe obſervavit Cl. *Caſaubonus*, ἀπέχω φθόνῳ & *præſiſcine dixero*, ſi quis quempiam ultra modum *laudaſſet* ad numinis *invidiam* declinandam. Eam invidiam cum numinibus omnibus communem feciſſent, tum *Nemeſeos* ſive *Adraſtiæ* propriam illam, quaſi provinciam crediderunt. Inde νέμεσις, φθόνῳ, & νεμεσᾷ, φθονεῖ, apud *Heſychium.* Νεμεσήσομαι, φθονήσω, & νέμεσις, φθόνῳ, *Suidæ.* Erat enim ea Dea ὑπερόπλαις, ὑπερηφάνοις, ὑπερφρονέσι, ſive ὑβρισταῖς inimiciſſima. His autem omnibus nominibus illos intelligebant qui ſecundis fortunæ eventibus nimium efferrentur. *Alatam* proinde illam propterea finxerant, quod celeri pede *ſequitur ſuperbos ultor à tergo Deus*, ut loquitur *Seneca* Tragœdus. *Adraſtiam* autem appellarunt, quod nemo ita peccans illam poſſit *effugere.* Illam vero animi elationem, nullibi magis elucere crediderunt, quam ſiquis in poteſtate conſtitutus, durum ſe præbuiſſet adverſus *ſupplicum* preces. Nec alterius cujuſpiam *numinis* fidem apud *tragœdos* miſeri atque oppreſſi frequentius implorant. Duo autem conducere putabant ad *invidiam* hanc concitandam, *ſupplicis* nimirum conditio, atque *interceſſoris. Supplicis* quidem, ſi præter caſum illum adverſæ fortunæ, ſe quoque dejeciſset, animoſque remiſiſset; *interceſſoris* autem, ſi in ea is exiſtimatione fuiſset ut repulſam pati non poſſet ſine graviſſima *arrogantiæ* nota ei inurenda qui repuliſset. In hoc autem quod habemus in manibus exemplo tantum aberat ut *ſupplices* ipſi *invidiam* moverent; ut contra potius *indignationem* incurrerent, tanta erat eorum protervia atque procacia, tam longe aberant ab ea animorum demiſſione quæ vere *ſupplices* decebat. Supereſt igitur ut *interceſſorum* cauſa eam exiſtimemus factam eſse *invidiam.* Quanta enim fuerit, eo præſertim ſeculo, *confeſſorum martyrumque* exiſtimatio, ſi alia exempla defuiſsent, quæ tamen etiamnum extant ſatis frequentia, vel hæc ipſa *Cypriani* cum illis contentio manifeſtum fecerit. Ægre enim admodum plebes in officio continebant *Epiſcopi* per orbem *Romanum* inter ſe conſentientes, cum tumultus concitaſſent cum ſuis *Lucianus.* Quanquam etiam de populi indignatione fortaſſe hæc poterant intelligi, quæ & ipſa vim quandam magicam atque faſcinatricem, ex illius ævi dogmatibus, habere credita eſt.

§. II. Quod vero ad illum numinis φθόνον attinet, id porro obiter notandum, non eſſe quod illum adeo miretur *Caſaubonus*, putetque *Chriſtianorum* dogmatibus adeo contrarium. Qui θεῖον φθονερὸν repræſentaſſent ipſi *gentiles*, iidem tamen φθόνον à Divinis arcuerunt, præcipue *Platonici.* Erat enim hæc eorum ars à *Diogene Laërtio* obſervata, ut dum contradictoria eidem tribuere viderentur, errores *imaginationis* ita corrigerent. Ita ſummum Deum μὴ ὄν & tamen ὄντως ὄν iidem appellarunt, ut quod nos in *entis* nomine *perfectum* concipimus, id Deo tribuendum eſſe innuerent, quod *imperfectum* admiſcemus pro noſtrarum facultatum ipſarum imperfectione, id contra docerent à Deo eſſe ablegandum. Idem de *invidiæ* nomine ſtatuendum. Si *affectum* illum vitioſum perturbationemque intelligamus, vel ſi *dolorem* aliquem de bonorum proſperis ſucceſſibus, quæ vulgo homines hoc nomine intelligunt: longe abeſt ut hæc *Divinæ naturæ* in *univerſum*, ut vel *Nemeſi* ſuæ tribuenda cenſuerint ſobrii *Ethnici.* Id unum voluerunt malorum *arrogantiæ* vel bonorum alioqui *faſtui* ipſi certe non bono, adverſam eſſe *naturam Divinam.* In quo equidem nihil eſt quod non cum Scripturis accuratiſſime conſentiat. Illæ quoque Deum *ſuperbiæ* omni, præ aliis peccatis, inimiciſſimum repræſentant. Eædem illæ *Diabolis ſuperbiam* illam tribuunt ut naturæ à *Divina* alieniſſimæ. Illæ denique virorum alioqui ſanctorum *faſtus* graviſſimis ſuppliciis multatos commemorant. Tales certe erant populi recenſio à *Davide*, divitiarum ſuarum jactabunda oſtentatio in *Ezechia*, diriſſimis prophetarum minis ſeveriſſime punita. Quæ ſi apud *ethnicos* edita fuiſſent, *Nemeſi* proculdubio atque numinis *invidiæ* illa tribuiſſent. Abuſum tamen eſſe vocis cum hæc *invidia* dicitur, & fatetur auctor quem exſcripſit *Suidas*, & faterentur, pro illa quam diximus, arte ſua in voce Νέμεσ. *Platonici.* Nec eſt etiam quod nos refragari aut debeamus, aut etiam poſſimus.

[1] Ad *Arnob.* L. IV. p. 180. Ed. Lugd. Bat. [2] Ep. *Greg. Nyſſ.* ad *Euſtath.* &c.

Ad

Ad EPISTOLAM XXI.

DE

Martyribus coronatis, & trianfactis.

UT *quicunque prior veſtrum coronatus fuerit, iſtis ſororibus veſtris Numeriæ & Candidæ, tale peccatum remittant.*] Notanda diligenter hæc verba, ex quibus conſtat ut nomen *martyrum* pro illius ſeculi uſu, etiamnum *ſuperſtitibus* conceſsum fuerit, ſi quid gravius confeſſionis cauſa paſſi eſsent; non tamen niſi *conſummatorum* fuiſse & coronatorum, *pacem* lapſis concedere. Ita ad *Lucianum* ipſum *Paulus* martyr: *Luciane, coram Chriſto tibi dico; ut ſiquis poſt arceſsitionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo.* Inde intelligimus cur *Romæ* conſtitutus *Celerinus Lucianum* in *Africa* agentem de *pace* illis fœminis concedenda interpellarit. Poſtquam enim *Romæ* deceſſiſset *Decius*, deferviſse videtur ibidem perſecutio. Contra, cum *Africam* appuliſset novi anni *Proconſul*, ad *ſanguinem* uſque ſævitum eſt, cum antea *magiſtratuum* edicta non ulterius quam ad *incarcerationem* progreſsa eſsent. Intelligimus præterea cur libellum martyrum *Lucianus* ediderit, quia deceſserant *ipſi* quorum nomine fuiſset conceptus. Quanquam ex Ep. XXIII. conſtat jam *ſuperſtitium* nomine libellos ediſse *Lucianum*, ea nimirum ſpe, fore ut brevi coronarentur. Quod de ſe quoque ominatur Ep. XXII. Edidit igitur *ante*, poſt *mortem* tandem valituros.

Nam & Etecuſam ſemper appellari, teſtis eſt nobis Deus, quia pro ſe dona numeravit, ne ſacrificaret: ſed tantum aſcendiſſe videtur uſque ad Trianfacta, & inde deſcendiſſe. Hanc ergo non ſacrificaſſe ego ſcio.] Nullum hinc ſenſum eliciunt interpretes. Ego *Etecuſam* illam quam appellavi, non aliam fuiſse puto quam *Candidam*, cujus cauſam recte tu à *Numeriæ* cauſa ſeparatam exiſtimas ut magis favorabilem. Sacrificaverat enim *Numeria*, cujus unius cauſam cum in epiſtolæ initio egiſset *Celerinus*, poſtea *Candidam* adjungendam cenſuit, ut uno utræque eodemque libello continerentur. Cum igitur *Candidam Numeriæ* adjunxiſset, ne pares in crimine viderentur quibus pariter *indulgentiam* rogaret, hæc intulit ſuperioribus omnino connectenda. *Candidam* quod attineret, ipſam à ſe ἀεκοῦσαν ſemper eſse appellatam, qua voce *technica* in canonibus uſuque illius ſeculi notiſſima, illas denotare voluit quæ nullo ſuo conſenſu vim paſsæ eſsent. Nec enim ex *illius ævi* diſciplina culpa omni caruit, ſi quis vel invitus coactuſque, ſine omni proprio conſenſu, ſacrificaſset. Ακούσιος iſtiuſmodi accenſenda erat *Bona*, de qua ita meminit Caldonius: [1] *quæ tracta eſt à marito ad ſacrificandum. Quæ conſcientia non commiſi, ſed quia tenentes manus ejus ipſi ſacrificabant, ſic ipſa cœpit dicere contra: non feci, vos feciſtis.* Et tamen illa *ſacrificantibus* annumerata eſt, ea ſola ratione gratiam expectans quod poſtea facta eſset *extorris*. Erat equidem vim paſſis poſtea indulgentior ſynodus *Ancyrana*; verum ea duntaxat lege, ſi de illo quoque facinore ſerio doluiſsent: [2] τὸ πένθος συμβάντος ἀεὶ ἐπιδεικνύμενοι τῇ πάσῃ καταστολῇ, καὶ τῷ σχήματι, καὶ τῇ βίᾳ ταπεινότητι. Fuiſse tamen innuunt eo quoque ſeculo nonnullos quibus major placeret ἀκρίβεια, illis verbis: εἰ μὴ καὶ ἐκωλύθησαν ὑπό τινος φειδοτέρας ἀκριβείας ἕνεκεν. Facillima autem erat *Latinæ* vocis [3]*Æcuſæ* in *Etecuſam* migratio. ſt notam *Saxonicam* literæ A, facillimo errore pro *et* legere potuit *exſcriptor*. Conſtabit præterea ita aptiſſima ſententiæ hujus cum ſuperiori connexio, quæ nulla eſt ex aliorum interpretamentis. Conſtabit etiam voci *appellavi* propria ſua ſignificatio. Eſt enim violentior illa quam tribuit illi *Rigaltius*. Nec etiam niſi *duarum* fœminarum meminit *Luciani* reſponſoria. Nihil ibi de hoc, quam volunt, Etecuſa.

Quod vero ad vocem illam interpretum crucem *trianfacta* attinet; ego *tryphacta* à *Celerino* ſcriptum puto, ut ad *Græcam* δρύφακτον alluſerit. *Tria fata* certe nec *numina* erant à *Chriſtianis* ſacrificaturis coli ſolita, nec *Janus* ipſe illis vicinus, ſed potius ipſe *Jupiter Capitolinus*. Nec *locus* ſacrificantium *forum* erat *Romanum*, ſed ipſum potius *Capitolium*. Tribunalis etiam cancelli δρύφακτος appellati. *Heſychius*: Δρύφακτοι αἱ δικαστηρίων θύρραι, ἢ κάγκελοι, ἢ τὰ ἀφεδρίσματα, ἢ τὰ φλατειχίσματα. [4] *Pollux*: Τὸ δὲ δικαστηρίου μερῶν, ἐστὶ καὶ ἡ κιγκλὶς καὶ δρύφακτος. Verum hoc ante nos comperi vidiſse [5] *Gronovium*. Atque adeo *libellaticam* exiſtimo fuiſse *Candidam*. Convenit certe accuratiſſime *libellatici* crimen in Ep. LII. ad *Antonianum*. Non ſacrificavit *Candida*. Et libellatici *manus pura erat, & os ejus feralis cibi contagia nulla polluerant.* Dona numeravit *Candida* ne ſacrificaret. Eodem ſpectant & illa in forma libellatici, *dare me ob hoc præmium, ne quod non licet faciam. Aſcendit ad tryphacta* Candida, *& inde deſcendit*. Erat enim judicis *tribunal* in edito collocatum. Et libellaticus *ad magiſtratum vel venit* ipſe, *vel alio eunte mandavit*. Quis non videt *aſcendere ad tryphacta* & *inde deſcendere*, idem valere quod *ad magiſtratum venire*? Tueturque hanc *libellaticorum* cauſam uti *favorabilem* Ep. ad *Antonian. Cyprianus*; ita tamen tuetur, non ut omni culpa vacet, ut innuit *Rigaltius*. Certum enim eſt *libellaticos* communibus tum *Africanorum* tum etiam *Romanorum* ſuffragiis fuiſse damnatos, quamvis molliorem de illis ſententiam tulerint *Petrus Alexandrinus* aliique recentiores. *Cypriani* tamen ætate *primum* damnatos, conſtat ex prædicta ad *Antonianum* Epiſtola. Id certe innuunt illa ejus verba: *poſteaquam nobis admonentibus didicit, nec hoc ſe facere debuiſſe.* Nondum igitur ante admiſsum id flagitium *didicerant* pro flagitio eſse vel habendum. Quanquam hæc cum ſcriberet *Celerinus*, nondum *Romæ* conſtitutum videtur quo tandem eſsent in loco habendi.

[1] Ep. XIX. [2] Can. 3.
[3] Niſi forte ἀτυχοῦσα fuerit appellata; ſiquidem *infelix* potius, qnam *impia* dicenda.
[4] Onom. L. VIII. c. 1.
[5] Obſerv. in Script. Eccl. cap. 14.

DISSERTATIO CYPRIANICA VI.

Ad EPISTOLAM XXIV.

De *Presbyteris* doctoribus, doctore *Audientium*, & *legationibus* ecclesiasticis.

Presbyteri doctores Cypriano *antiquiores*, *primariæ in Ecclesia* dignitatis. §. I. Apostolis *coævi*, *à* Judæorum Scribis doctoribus *deducti*. §. II. *Eorum officium in* dono extraordinario *fundatum*. §. III. *Non* omnium *fuisse* presbyterorum, *ut vulgo putant*, *munus illud* docendi. §. IV, V, VI. *In* audientium doctore *probando* presbyteros doctores *solos consuluit Cyprianus*. §. VII. Audientes *iidem qui* catechumeni. §. VIII. *Voce etiam* catechumeni *usi sunt*. Audientium *nomen unde deductum*. §. IX. Catechumenorum *institutio* mysteriis *respondebat*. §. X. Doctor audientium *Cypriano* hypodiaconus. *De* Pantæno, Clemente Alexandrino, Origene, *in schola* Alexandrina *catechistis*. §. XI. Inferiorum *ordinum ministri*, *nunc* Cleri *communi nomine censentur*, *nunc excluduntur*, *apud* Cyprianum. §. XII. Cypriani legationes *omnes*, *aliæque quarum mentio in ejus Epistolis*. §. XIII. *Legationes per* clericos, *& quidem illos*, *ut plurimum*, binos, *raro* hypodiaconatum *excedentes ætate* Cypriani. §. XIV. *Legationes aliæ* Cypriano *antiquiores*, Clementis Alexandrini *atque* Irenæi. §. XV. *Legationes Ecclesiæ* Smyrnensis, Polycarpianæ *atque* Ignatianæ *magis*, *quam Cypriani illæ*, honorificæ. §. XVI. *Legationes seculi* Apostolici, §. XVII. *Pro moribus* juris hospitalis *expressæ*. §. XVIII. Apostoli *peregrinantes ita ab* Ecclesiis *recepti ut solerent à* provincialibus *suis* præsides *provinciarum*. §. XIX. Legationes *illius seculi maxime honorificæ*. §. XX.

§. I. [*Ut quando cum presbyteris doctoribus lectores diligenter probaremus, Optatum inter lectores doctorem audientium constituimus.*] Observandum hoc munus *presbyterorum doctorum*, quod non Cypriani primum tempore natum erat, sed vero ab *Apostolis* usque ad ejus tempora deductum. *Cypriano* antiquior [1] *Tertullianus* meminit. *Quid ergo* (inquit) *si episcopus, si diaconus, si vidua, si virgo, si doctor, si etiam martyr, lapsus à regula fuerit; ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere?* Ubi ita hujus doni meminit, ut plane ab *officiis* Ecclesiasticis *episcopatus* & *diaconatus* distinguat. Quæ enim sequuntur, personarum sunt dona, non *officiorum*; eaque ipsa ita inter se *gradibus* distincta, ut proximum martyri gradum *doctor* occupet, nec *viduis* modo sit, sed & *virginibus* dignitate superior. Idem postea: *est utique frater* (inquit) *aliquis doctor gratia scientiæ donatus*? &c. Meminit *Tertulliano* coævus martyr [2] *Saturus Aspasii presbyteri doctoris* ab *Optato* episcopo dissidentis. Meminit variis in locis *Hermas* L. I. vis. 3. *Lapides quidem illi quadrati & albi, convenientes in commissuris, ii sunt apostoli, & episcopi, & doctores, & ministri, qui ingressi sunt in clementia Dei & episcopatum gesserunt, & docuerunt, & ministraverunt sancte & modeste electis Dei qui dormierunt quique adhuc sunt, & semper cum illis convenerunt & in se pacem habuerunt & se invicem audierunt.* Mirum est quod hoc è loco eliciat *Blondellus*, eosdem fuisse *Episcopos* atque *doctores*; quasi vero verba illa, *& Episcopatum gesserunt*, ad *doctores* referenda sint, & non ipsos potius qui etiam præcesserant *Episcopos*: præsertim cum occurrant ibidem verba illa, *& docuerunt*, quæ *doctoribus* aptissime respondeant. Fuisse equidem hoc *dono* instructos *Episcopos* ut plurimum, est sane verisimillimum propter præceptum Apostoli, quo *Episcopum* vult esse διδακτικὸν 1 *Tim.* III. 2. 2 *Tim.* II. 24. atque adeo è *presbyteris* illum præcipue ad *Episcopatus* honorem esse provectum quem eo dono constabat esse præditum. At *presbyterorum* etiam *doctorum* jam exempla vidimus, ut proinde necesse non sit qui *doctor* fuerit, eum fore etiam *Episcopum*. Frustra vero nos ad illos auctores refert *Blondellus*, qui post extinctum in Ecclesia *doctoratus* donum floruerunt. Sed ad *Hermam* nostrum redeamus. Idem rursus L. II. Mand. 4. *Etiam nunc, Domine, audivi à quibusdam doctoribus, quod alia pœnitentia non est*, &c. L. III. Simil. 9. *Quadraginta vero Apostoli & doctores sunt prædicationis filii Dei.* Postea: Et *dixit: Quoniam hi Apostoli & doctores qui prædicaverunt nomen filii Dei, cum habentes fidem ejus & potestatem defuncti essent prædicaverunt his qui ante obierunt.* Iterum: *De octavo vero monte, in quo plurimi erant fontes in quibus adaquabatur omne genus creaturæ Dei, tales sunt qui crediderunt Apostolis, quos misit Dominus in totum orbem prædicare: & quidam doctores qui caste & sincere prædicaverunt & docuerunt*, &c. Ex quibus omnibus id etiam intelligimus, quænam illa fuerit *doctrina* unde *doctorum* nomen habuerunt, munus illud *prædicandi*, ut loquitur *Hermas*, tantamque etiam fuisse eorum *dignitatem*, ut cum *Apostolis*, ut plurimum, conjungantur.

§. II. Frequens etiam occurrit horum *doctorum* in Sacris Literis mentio. *Actor.* XIII. 1. *prophetarum* & *doctorum*. 1 *Cor.* XII. primo *Apostolorum*, secundo *prophetarum*, tertio *doctorum* ante alia Spiritus extraordinaria χαρίσματα, v. 28, 29. Eph. IV. 11. *Apostolorum*, *Prophetarum*, *Evangelistarum*, *Pastorum* & *Doctorum*. Inseruntur hic *Evangelistæ* & *pastores*; dona N. T. propria, nec à *pentecoste*, quo tempore Spiritus effusus est, deducenda. *Evangelistæ* enim eo tempore necessarii erant quo *evangelium* ad *exteros* derivandum erat, quod nescio an ante *Cornelii* historiam contigerit, fieri certe vix potest ut mortem *Stephani* anteceserit, *persecutionemque* ea occasione excitatam. *Pastorum* munus tunc necessarium erat, cum

[1] Præscript. adv. Hær. c. 3. [2] In Act. *Perpet.* & *Felic.* in vis. *Saturi.*

cum Eccleſiæ *Eleemoſynæ* erant in *pauperes* diſtribuendæ. Eſt enim ea ipſa diſtributio ποιμαίνειν 1 *Pet.* V. 2. juxta ea quæ ſupra diſputavimus. Ita fiet ut *donorum* originalium proximus poſt *prophetas* locus ſit *Doctoribus* aſſignandus. Ex ipſa enim *ſynagoga* derivatum eſt ad *Eccleſiam* hujus muneris exemplum. Siquidem illi quoque erant ſui *Rabbini* καθηγηταὶ, συζητηταὶ ϑ αἰῶν ⊙ τέτε, *Scribæ*, νομικοὶ, νομοδιδάσκαλοι (his enim omnibus titulis inſigniuntur) qui & διδάσκαλοι ſimpliciter appellantur *Luc.* II. 46. Fuiſſe etiam apud ipſos munus admodum honorificum conſtat è *Rom.* II. 18, 19, 20, 21. Ut neceſſe eſſet *Salvatori* de eo *diſcipulos* ſuos monere, ne illum *titulum* ambirent. Quam tamen, una cum *officio*, *ambitionem* etiam *Chriſtianis* irrepſiſſe ſuſpicio eſt, S. *Jacob.* III. 1.

§. III. Ut autem omnia *Eccleſiæ* munera primis illis originibus *extraordinario* Spiritus Sancti auxilio adminiſtrata ſunt; idem & in hoc quoque munere contigiſſe certum eſt. Id innuit verbum ἔδωκε *Eph.* IV. 11. referendum enim ad locum *Pſ.* LXVIII. 19. ℣. 8. laudatum; ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις. Sunt ergo etiam *Doctores* illis δόμασιν accenſendi. Proinde inter Spiritus χαρίσματα habemus διδασκαλίαν *Rom.* XII. 6, 7. προφητείαν & διδαχὴν, 1 *Cor.* XIV. 6. ad eandem plane formam qua ſupra conjungi vidimus προφήτας atque διδασκάλες. Rurſus ibid. διδαχὴν ℣. 26. Nec aliam fuiſſe *Doctorum Africanorum* rationem oſtendunt illa quæ ſuperius è [3] *Tertulliano* produximus; quibus quem *doctorem* appellat, eundem *gratia ſcientiæ donatum* eſſe dicit. Probavimus enim iſtiuſmodi Spiritus χαρίσματα ad *Cypriani* noſtri tempora permanſiſſe. Fateor equidem illa ætate *donorum extraordinariorum* uſum in *ordinariorum* quoque munerum adminiſtratione fuiſſe. Sed vero munus hoc *doctorum* non minus fuiſſe quam *donum* ipſum *doctrinæ extraordinarium*, inde colligimus quod deficientibus hujuſmodi *donis*, paulatim ipſum quoque *munus* in deſuetudinem abierit. Nulla enim ejus occurrit in poſteriorum ſeculorum *canonibus* mentio. Nec etiam ullibi cum ordinariis *Epiſcopi*, *Presbyteri* aut *Diaconi* officiis conjungitur in N. T. ſed cum *extraordinariis* illis *Apoſtolorum*, *Prophetarum*, *miraculorumque*, quæ jamdiu defeciſſe omnes confitentur. Nec ſuppetunt *Patribus* quarti ſeculi & deinceps de eorum *officio* quod ſcribant ex ſui ſæculi receptis *moribus* vel evanida veſtigia, ſed perinde ac nos, è *textu* ſolum *veterumque ſcriptis* conjectantur. Videant igitur fratres *Independentes* qua ratione hoc *officium* continuandum cenſeant, cum tamen *dona* illa, quibus innixum probavimus, nec ipſi defeciſſe inficientur.

§. IV. Animadvertendum præterea, cum de *Presbyteris doctoribus* meminit *Cyprianus*, id ſimul innuere, fuiſſe utique alios è *Presbyterio* qui non fuiſſent *doctores*. Nec enim opus erat ut *presbyteros doctores* ab *Epiſcopis* itidem *doctoribus* ſecerneret, ipſe qui hæc ſcriberet *Epiſcopus*. Nec locum habebant alii in eorum probatione qui in *clerum* promovendi eſſent, quam *presbyteri*. Idem Saturus, cum *Aſpaſium* presbyterum *doctorem* appellat. Cum igitur *docendi* illud munus ex *Herma* idem fuiſſe didicerimus, quod *prædicandi*; plane ſequitur, non *omnium* fuiſſe *presbyterorum*, ut in Eccleſia concionarentur, nedum ita fuiſſe officio *presbyterali* eſſentiale, quam putant hodierni SCHISMATICI, ut qui illud munus non præſtiterit, is ne pro *presbytero* habendus ſit quidem. Nec vero recentiorum ſeculorum id errori tribuendum erat. Idem etiam ſub *Apoſtolis* obtinuiſſe conſtat ex 1 *Tim.* V. 17. quanquam perperam colligunt πρεσβυτέρους illos *Presbyteros*, qui alii eſſent à κοπιῶσιν ἐν λόγῳ ϗ διδασκαλίᾳ, fuiſſe *laicos*. Cur ita colligant, nihil habent è *textu*, nihil è receptis illius ſeculi *moribus*, ſubſidii. Sequitur itaque ne ipſos quidem *Apoſtolos* donum illud in *ordinandis* exegiſſe *prævium*, nec inter χαρίσματα ipſa *manuum impoſitione* collata locum habuiſſe; ſed nec Deum ipſum, cujus nutu omnia tunc geſta ſunt, quique Eccleſiæ in neceſſariis non erat proculdubio defuturus, tale hoc officium inſtituiſſe, ut ad ejus adminiſtrationem eſſet hoc donum omnino neceſſarium.

§. V. Cum etiam ex *receptis* ætatis ſuæ moribus ſuas plerumque conſuetudines mutuo acceperint *Chriſtiani*; vix puto ullum fuiſſe exemplum quo *docendi* munus cum *ſacerdotio* eſſet neceſſario conjunctum. *Judæis* diximus *Scribas* fuiſſe atque *Rabbinos*, è tribu proculdubio *ſacerdotali* illos. Longe tamen aberat ut tota *familia* ſacerdotalis *Scribæ* fuerint aut *Rabbini*. *Scribarum* ordinem ab *Ægyptiis* fortaſſis acceperint *Judæi*. *Illis* enim ſui erant Ἱερογραμματεῖς viri ſacrorum peritiſſimi atque doctiſſimi, ut proinde *ſacerdotes* fuiſſe veriſimillimum ſit. Nec tamen propterea *ſacerdotes* omnes Ἱερογραμματεῖς erant, quin paucorum potius fuiſſe videtur hæc dignitas, cum tamen tertia populi *Ægyptii* pars *ſacerdotalis* fuerit. Idem de *Athenienſium* etiam gentiumque aliarum Ἱερογραμματοῦσι & Ἱερομνήμοσι ſtatuendum, ut ſine exemplo fuiſſe neceſſe ſit, ſi hæc duo munera, tam inter ſe diverſa, cenſuiſſent tamen ſibi invicem fuiſſe conjungenda. Erant tamen admodum pauca, ſiqua ſint omnino, quæ à *Chriſtianis* inducta ſunt ſine exemplo.

§. VI. Cum itaque probavimus, neque ex *inſtituto*, neque etiam *de facto*, *presbyteros* omnes fuiſſe *docendi dono* prædítos; plane ſequitur, qui *dono* illo caruiſſent, ita non fuiſſe ad *docendum* obſtrictos, ut potius ab eo *docendi* munere temperare debuerint. Id enim hortatur Apoſtolus, ut, quo *dono* quiſpiam fuiſſet inſtructus, ei *unice* incumberet, „ *Rom.* XII. „ 6, 7, 8. &c. *Sapere* quenquam *ad ſobrietatem*, *& uni-* „ *cuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei*, ℣. 3. cer- „ to quodam conſilio ita diſtribuiſſe Deum, ut „ nemo dona omnia *ipſe* habeat, alter autem ut al- „ terius defectus ſuppleat, ſintque ita ſibi *invicem* „ omnes mutuo neceſſarii, *ut non ſit SCHISMA in* „ *corpore*, 1 *Cor.* XII. 18, 24, 25. Si itaque omnes qui dono quopiam caruiſſent, illud ne quidem exercere debuerint; ſequitur illos quibus negatum eſſet *docendi donum*, ne *docere* quidem oportuiſſe. Agnoſcimus interim, ex Apoſtoli mente, ſiqui ſint *utroque dono* prædíti, & πρεσβείας & διδασκαλίας, illos eſſe merito, *duplici* illo, quem dicit, *honore* dignos. Neque hæc à nobis eo animo diſputata ſunt ut *ignaviæ* patrocinemur, ſiquis non ſit aliis Eccleſiæ neceſſariis muneribus obſtrictus. Nec id voluiſſe Apoſtolum exiſtimamus, aut Eccleſiam primævam. Potius gaudendum exiſtimarem atque gratulandum, ſiqua Eccleſia tales haberet presbyteros qui omnes huic docendi muneri ita ſatisfacere poſſent, ut nec illud ipſum indecore exequerentur, nec alia negligerent. Quod tamen *ſchiſmatis* prætextum faciant adverſarii, ſiqui *dono* hoc deſtituti in *ſacros ordines* admittantur, aliiſve Eccleſiæ curis pariter neceſſariis diſtineantur, quo minus huic poſſint curæ *unice* invigilare; quod etiam reliqua negligant, *preces publicas* quotidianas, *viſitationem* fidelium, *inſtitutionem* catechumenorum, *ſacramentorum* celebrationem, *moribundorum* viatica, quod unius hujus muneris prætextu, ne *tempus* quidem ſibi vacuum relinquant reliquis muneribus expediendis: ea ſane ita non ſunt *Apoſtolica*, ita non *pri-*

[3] Præſcr. c. 14.

primævæ Chriſtianitati conformia, ut ne *probanda* ſint quidem.

§. VII. Videmus porro in hoc *audientium doctore* probando non alios à *Cypriano presbyteros* quam *doctores* eſſe conſultos. Idemque ab eo in aliis quoque cauſis obſervatum eſſe eſt ſane admodum veriſimile, ut qua in re quiſque eminuiſſet, in ea illum duxerit eſſe conſulendum. Proinde ita intelligendus eſt cum *communi presbyterorum conſilio* ſua *omnia* à primo uſque epiſcopatus *exordio*, geſta eſſe commemorat, ut in rebus ſingulis neminem, ad quem quidem ea res attineret, à conſilio ſuo excluſerit, omneſque etiam, cum res omnium intereſſet, admiſerit. Id quidem exigebat Apoſtolica illa de *donis* regula (cujus modo meminimus) ut quo *dono* quiſque fuiſſet præditus, ejus exercitio unice incumberet, nec ſe aliis immiſceret ad donum ſuum nihil attinentibus. Sequitur etiam idem eſſe *donum* quo *audientes* atque illud quo *fideles* eſſent *docendi*, quia in *audientium doctore* conſtituendo *presbyteros doctores* conſuluit.

§. VIII. Erant equidem alii *audientes* in *pœnitentium* cenſu, qui ubi Scripturas atque διδασκαλίαν *audiiſſent*, è ſynaxibus erant excludendi. Et quidem illi *Cypriano* noſtro coævi, ſi *Gregorii Thaumaturgi* epiſtolæ Canonicæ credendum ſit. Sed horum nullum in Eccleſia *Africana* extat, quod quidem ſciam, ea præſertim ætate, veſtigium. Nec alios *doctores* habebant quam *fideles*. Erant enim omnium *fidelium* communes illæ, quibus hi intererant, *auditiones*. Neque vero ex uſu Eccleſiæ *Africanæ* alii *audientes* erant quam *catechumeni*. Jam ſupra vidimus qui *catechumeni* eſſent *clero Romano* Ep. III. eoſdem *audientes* eſſe *Cypriano* Ep. XIII. Conſtatque etiam è *Tertulliano*, quo nemo melior eſt *Cypriani* interpres. Apud [4] illum *audientes intinctis* opponuntur, quo ſenſu *tingui* apud eundem idem valet quod *baptizari*. Eoſdem *auditores* appellat, quorum & *tyrocinia* memorat, nequis dubitet alios eſſe quam *catechumenos*.

§. IX. Et quidem ipſum hoc *audientium* nomen frequentiſſimum fuiſſe videtur. Nec tamen deſunt, ea quoque ætate, exempla quibus iidem *catechumeni* audiunt, & quidem apud *Latinos* etiam ſcriptores. Jam diximus hoc *catechumenorum* nomine uſum eſſe *clerum Romanum*. Uſus etiam eſt & ipſe *Cyprianus* Teſtim. L. III. cap. 98. & *Tertullianus* de Coron. Mil. c. 2. & Præſcr. c. 41. Quod quarto tandem S. *Auguſtini* ſeculo & deinceps ſolum obtinuit. Quod vero ad nomen *audientium* attinet, è ſacro codice omnino ductum puto, ex illis nimirum locis quibus *fides* ipſa toties ἀκοὴ dicitur, quam *auditum* reddiderunt *antiqui* etiam interpretes. Ita, *fides ex auditu, auditus autem per verbum*, *Rom.* X. 17. *Auditus fidei*, *Gal.* III. 2. 5. *Verbum auditus Dei* 1 *Theſſ.* II. 13. Ex veteri autem Inſtrumento deduxit Apoſtolus, *Iſa.* LIII. 1. *Quis credidit auditui noſtro?* Ita enim locum illum legerunt *Tertulliani* quoque *Cyprianique* interpretes. Ad illum autem Iſaiæ locum nos diſertiſſimis verbis retulit Apoſtolus, Rom. X. 16. Nihil huc faciunt vulgaria gentilium ἀκροάματα, quæ ludicra plerumque eſſent. Faciunt tamen fortaſſe philoſophorum illa quæ non aliis crederentur quam initiandis, ad formam *myſteriorum*.

§. X. Illam certe *myſteriorum* formam repræſentabat tota *catechumenorum* erudiendorum ratio. [5] *Vivendi* novam formam ſuſcipiebant initiandi. Et quidem in ea totus eſt *Clemens Alexandrinus*, in antiquiſſimo ejus, quod habemus hodie, opere *Catechetico*, *Pædagogo* viz. [6] Erant etiam in *Petromate libri rituales* initiandis legendi primum, deinde deſcribendi. Et quidem de *baptiſmi ritibus*, de συντάξει & ὑποτάξει, converſione ad *orientem occidentemque*, &c. agit in *Catecheſibus* ſuis *Cyrillus Hieroſolymitanus* aliique.

§. XI. Obſervandum denique ad officium *hypodiaconatus* ſpectaſſe illum *audientium doctoratum*. Idem *Optato doctoratus audientium*, quod *lectio Saturo* ad gradum *lectoris* promovendo, futuri nempe officii prævium *experimentum*. In *Alexandrino* κατηχήσεως, ſive ἱερῶν λόγων, διδασκαλείῳ idem munus *presbyteris* fortaſſe nonnunquam aſſignatum. [7] *Pantænum* vulgo exiſtimant fuiſſe *presbyterum*, quamvis neſcio ſane veterumne quiſpiam eum ita appellet. [8] *Clementem* ejus in eo munere ſucceſſorem, *presbyterum* vocat *Alexander Hieroſolymitanus* Epiſcopus. Sed quando ſcripta eſt ab *Alexandro* ea epiſtola, jam ſucceſſiſſe videtur in ejus locum *Origenes*, ut proinde non conſtet fueritne *presbyter* cum munere illo ipſe fungeretur. Non tamen *presbyteratui* id fuiſſe munus neceſſario annexum conſtat, quod ad illud evectus fuerit à *Demetrio Origenes* XVIII^m. duntaxat ætatis annum agens, quo tempore non conſtat vel *inferioribus* quidem illis, quos pro ſacris habent, ordinibus fuiſſe initiatum. *Presbyteratum* certum eſt, non ante iter *Achaicum* ſub *Alexandro Severo*, ab eo fuiſſe ſuſceptum. Idque eo fortaſſe conſilio inſtitutum eſt, quod *fideles* cum jam in ſinum Eccleſiæ ſuſcepti fuiſſent, proinde *doctorem* habere debuerint, qui vel in Eccleſiæ æſtimatione eſſet *ſacerdos*. Ad *ſacerdotes* enim pertinuiſſe illam *ſcientiæ gratiam*, qua *donandum Tertullianus* dixit eſſe *doctorem*, è veteris quoque legis præſcripto conſtat, *Mal.* II. 7. Illa enim ipſa *ſcientiæ* voce uſus eſt in eo loco, non modo vetus interpres hodiernus, ſed ipſe quoque *Cyprianus*. *Catechumenis* vero erudiendis, qui *extra Eccleſiam* ſiti eſſent, ſatis erat vel *laicus*, quem tamen, honoris cauſa, *clero proximum* eligebant. Præſertim cum, ex iis quæ de eorum ſententia ſuperius diſputavimus, conſtet vel *vulgus Chriſtianorum* ita *extraneis* quibuſvis ſanctitate præcelluiſſe, ut eſſent merito, ſi ad illos conferrentur, pro *ſacerdotibus* habendi.

§. XII. Obſervandum inſuper, ex eodem hoc *Cypriani* loco, *lectores* etiam atque *hypodiaconos* generali *clericorum titulo* cenſeri. Id ſane innuit, cum per *clericos* ad *Romanum clerum* ſcribendum eſſe dicit, eaque ipſa de cauſa, *lectorem* fuiſſe *Saturum*, *hypodiaconum* vero *Optatum* à ſe conſtitutum. Simili exemplo *Felicianus Acolythus clericus* dicitur Ep. LV. Quod etiam ad *lectores* attinet, qui tamen inferior erat *hypodiaconatu* gradus, conſtat idem ex ejuſdem epiſtolis de *Aurelio* & *Celerino* ad honorem *lectoratus* à ſe provectis. De *Aurelio* ita ſcribit Ep. XXXIII. *In ordinationibus clericis, fratres cariſſimi, ſolemus vos ante conſulere*, &c. Ergo & *clericus* erat *Aurelius* & *ordinatus*. *Merebatur* (inquit) *talis clericæ ordinationis inferiores gradus*. Erat igitur & hic quidam gradus *clericæ ordinationis*. Rurſus: *Hunc igitur, fratres dilectiſſimi, à me & à collegis qui præſentes aderant, ordinatum ſciatis; quod vos ſcio & libenter amplecti, & optare tales in Eccleſia noſtra plurimos ordinari*. De *Celerino* ita Ep. XXXIV. *dignum* eſſe dicit, *ut qui ſublimiter Chriſtum confeſſus eſſet, clerum poſtmodum Chriſti miniſteriis Eccleſiaſticis adornaret*. Rurſus eundem *Celerinum fratrem* (inquit) *noſtrum, virtutibus pariter & moribus glorioſum, clero noſtro non humana ſuffragatione, ſed*

[4] De Pœnit. c. 6. 7. [5] *Meurſ.* Eleuſin. c. 17. [6] Id. ib. c. 10. [7] *Euſeb.* Hiſt. Eccl. V. 10. VI. 3. 6. [8] Apud eund. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VI. 11.

ſed divina dignatione conjunctum. Idem tamen hac ipſa, quam in manibus habemus, epiſtola, *lectorem Optatum clero* duntaxat *proximum* eſſe dicit, interque eos numerat qui *ad clerum parabantur.* Et in epiſtolis ejus vel *cleri* nomine, vel ad *clerum*, datis, nuſquam occurrit aliorum mentio præterquam *presbyterorum* atque *diaconorum.* Quis non videt quam *cleri* nomine nunc laxius utatur, nunc ſtrictius, pro more ſeculi, ut qui uno ſenſu *clerici* appellantur, ſint, ad alios ſi conferantur, *laicis* accenſendi? Idem de *recentioribus* Eccleſiæ canonibus obſervare poteramus. Sed nos de *Cypriani* temporibus, aut etiam *antiquioribus*, inpræſentiarum agere conſtituimus.

§. XIII. Eſt etiam obſervatione dignus mos illius ſeculi in *legationibus Eccleſiaſticis.* Erant enim *dignitatis*, tum eorum *a quibus*, tum *ad quos*, mitterentur, obſervantiſſimi. Prima *Cypriani* legatio ad *Romanos* per *Clementium hypodiaconum* miſſa eſt; cujus mentionem habemus *Ep.* III, IV, XV. 2ª. hæc eſt ad *clerum Romanum* per *Saturum lectorem Optatumque hypodiaconum.* Meminit hac ipſa *Ep.* & XXIX. XXXII. 3ª. ad eundem *clerum* per *Fortunatum hypodiaconum*, *Ep.* XXX. 4ª. *Novatiani* ad *Cyprianum* de ordinatione ſua per *Maximum presbyterum*, & *Augendum diaconum*, *Machæum* etiam quendam atque *Longinum*, qui cujus ordinis fuerint, non conſtat, *Ep.* XLI. 5ª. *Cypriani* cum ſynodo ad explorandam *Cornelii* ordinationem per *Caldonium Fortunatumque Epiſcopos*, *Ep.* XLI. XLII. XLV. 6ª. *Cypriani* privatim ad *Cornelium* per *Primitivum presbyterum*, *Ep.* XLI. 7ª. Ejuſdem ad eundem per *Mettium hypodiaconum*, & *Nicephorum acolythum*, *Ep.* XLII. XLIII. XLVI. 8ª. *Cornelii* ad *Cyprianum* per *Augendum confeſſorem*, *Ep.* XLVIII. Quem tamen ille locum in Eccleſia obtinuerit non liquet. 9ª. *Antoniani* ad *Cyprianum* per *Quintum presbyterum*, *Ep.* LII. 10ª. *Cornelii* ad *Cyprianum* per *Saturum acolythum*, *Ep.* LV. 11ª. *Cypriani ad Cornelium* per *Felicianum acolythum*, *Ep.* ead. 12ª. *Pomponii Epiſcopi* ad *Cyprianum* cum ſynodo per *Paconium* fratrem, *Ep.* LXII. Sed nec ejus dignitas memoratur. 13ª. Eccleſiarum *Aſturicenſis* & *Emeritenſis* per Epiſcopos ſuos *Felicem* & *Sabinum*, *Epiſt.* LXVIII. in ea cauſa qua de ipſo fuerat *Epiſcopatu* diſceptatum. Subrogati enim erant hi in locos *Martialis* & *Baſilidis Libellaticorum.* 14ª. *Quinti Epiſcopi* Mauritaniæ ad *Cyprianum* primatem per *Lucianum* forte *presbyterum*, *Ep.* LXXI. 15ª. *Cypriani*, ſed totius, ut videtur, Eccleſiæ *Africanæ* nomine, ad *Firmilianum Cappadociæ* primarium, ut videtur, Epiſcopum, per *Rogatianum diaconum*, *Ep.* LXXV. 16ª. Tandem eademque ultima *Cypriani* ipſius in *exilio* jam conſtituti ad collegas itidem *Epiſcopos* eoſdemque in metallis verſantes, per *Victorium Herennianum hypodiaconum*, *Lucanum*, *Maximum* & *Amantium acolythos*, *Ep.* LXXVIII, LXXIX, LXXX.

§. XIV. Notanda autem illa *Cypriani* verba: *Et quoniam oportuit me per clericos ſcribere*, &c. Ex quibus conſtat, pro ſeculi illius more, *legationes* Eccleſiaſticas non aliis quam *clericis* fuiſſe credendas. Id factum fortaſſe propterea quo major *fides* nunciis ultro citroque referendis accederet. Id tulit certe ægerrime *Cyprianus* cum *Ep.* III. *Cleri Romani* ſuſpectam haberet, laborare ita *Epiſtolæ clericæ* fidem, ne *mendacio* fortaſſe *aliquo & fraude corrupta* eſſet. [9] Scio equidem *epiſtolam clericam* tam vocari poſſe illam quæ à *clero Romano* ſcripta eſſet, quam quæ *Clementio hypodiacono*, ipſi quoque *clerico*, legato tradita. Sed vero *nuncii* hoc in loco fides ſolius, non item illa *ſcribentium*, in dubium vocata eſt. Ergo *clerici* erant illi quoque *legati* de quorum dignitate aliter non conſtat. Et *Acolythi*, & ſiqui alii *inferiorum* ordinum miniſtri, *legationes* obierint, illos quoque inter *clericos*, hoc ipſo etiam argumento, numeratos fuiſſe neceſſe eſt. Notetur etiam plurimas legationes *duobus legatis* fuiſſe commiſſas, præſertim *tranſmarinas.* Quod enim *Novatianus quatuor* miſerit, id benevolentiæ captandæ gratia factum eſſe probabile eſt. Idem fortaſſe de *legatione* ad *Martyras* ſtatuendum, *quatuor* illos legatos vel in *Martyrum* honorem eſſe miſſos, vel quod variis in *locis* martyres conſtituti eſſent, vel quo plures adeſſent *fidei teſtes* in Eccleſiæ eleemoſynis diſtribuendis. Erant enim, in illa etiam ætate, alioqui aurea, malæ fidei exempla in re *pecuniaria.* Talis fuerat, in ipſa etiam Eccleſia *Africana* presbyter *Novatus*, *Ep.* XLIX. Talis *Felicitiſſimus*, *Ep.* XXXVIII. Talis denique (quis crederet!) *Nicoſtratus* ipſe *diaconus* & *confeſſor*, *Ep.* XLVIII, XLIX. Id etiam animadverſione dignum, *præcipuum* plerunque legatorum *hypodiaconum* fuiſſe, nec eum gradum exceſſiſſe. Ita fuit in legatione 1ª, 2ª, 3ª. 7ª. 16ª. Quod ſi aliquando ſuperior quiſpiam ſit miſſus, id tunc plerunque contigit cum *unicus* mitteretur, ut *numeri* defectum ita perſonæ *dignitate* compenſarent. Ita in legatione 9ª. 14ª, 15ª. Quod aliter ſingulorum *nomina*, etiam inferioris ordinis, habeamus, non eſt tamen certum *ſingulos* duntaxat fuiſſe miſſos. Idem obtinuit, non in legationibus modo *tranſmarinis*, ſed & in illis quoque quæ *Provincialium* eſſent Epiſcoporum ad provinciarum *primatem*, qualis erat legatio illa 14ª. Quod vero *Epiſcopi* ipſi *legationem* obierint, factum id non eſt niſi rariſſime, cauſiſque alioqui graviſſimis. In legatione 13ª. cauſa manifeſta eſt. In 5ª. etiam facilis. Erat enim inter *Epiſcopos* diſceptandum, *Cornelium* atque *Novatianum.* Erat etiam de *literis formatis* in poſterum dandis cavendum, quarum omne commercium inter alios non erat quam *Epiſcopos.* Quid quod *ſynodi Africanæ* etiam miſſæ ſunt, & ad *ſynodum*, provinciæ nimirum *Epiſcopos*, ad quos ſpectabat *Epiſcopi Romani* ordinatio. *Synodi* enim nomine, uti à *gentilium* uſu ad *Chriſtianos* emanavit, *ſacerdotum collegia* quæque ſive *fraternitates* appellantur, ſive in *conventibus*, ſive etiam *ſinguli.* Nec deſunt etiam apud *Eccleſiam* hujus ſignificationis exempla, ſi id inpræſentiarum agerem.

§. XV. Ita quidem ſe res habuit *legatoria* ætate *Cypriani.* Erant etiam nonnullæ *Cypriano* antiquiores *legationes* ad eandem formam expreſſæ. [10] *Legatus* ab *Alexandro Hieroſolymitano* antiſtite miſſus eſt Eccleſiæ *Antiochenæ* totius *Syriæ* primariæ (cui & *Judæa* attributa eſt) *Clemens Alexandrinus presbyter*, ſed *ſolus.* Plane ad exemplum legationis 14ª. *Legatus* erat martyrum *Lugdunenſium Viennenſiumque* ad *Eleutherum Romanum* pontificem *presbyter* [11] *Irenæus* (nec enim eſt quod *Epiſcopum* illum tunc temporis faciat *Blondellus*) ipſe itidem *ſolus.* [12] Aliarum *legationum*, ut puto, non habemus exempla uſque ad tempora *Polycarpi* atque *Ignatii.* Illæ itaque ut ſe habuerint, age deſpiciamus.

§. XVI. Et quidem epiſtola Eccleſiæ *Smyrnenſis* ad *Philomelienſes* de martyrio *Polycarpi*, ſcripta eſt per *Marcum* quendam *fratrem*, ad formam *legationis* 12ª. quem *Latinus* vetus interpres *Martianum* appellat, de cujus in Eccleſia loco nihil conſtat. Par eſt de *Creſcentis* loco ſilentium, quo *nuncio* uſus eſt in illa, quam ad *Philippenſes* dedit, epiſtola ipſe *Polycarpus.* Epiſtolæ [13] *Ignatii* ad *Smyrnæos*, *Epheſios*, *Philadelphienſes*,

[9] Ep. IV. [10] *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VI. 11. [11] *Euſeb.* Hiſt. Eccl. V. 4. [12] Vid. *Valeſ.* Not. in locum *Euſebii.* [13] Ep. ad *Smyrn.* § 12. ad *Epheſ.* §. 12.

phienſes, *Burrho diacono*, ſed qui communi *Smyrnæorum Epheſiorumque* nomine ad illum miſſus fuerat, traditæ videntur. Reliquæ cui traditæ ſint, non conſtat; ſed *Burrho* etiam traditas, eſt ſane admodum veriſimile. Notanda enim *Ignatii* verba in Ep. ad *Smyrnæos*, ὃν ἀπεσείλατε μετ' ἐμοῦ. Non igitur *ad Ignatium* duntaxat, ſed *cum eo* miſſus eſt [14] *Burrhus*, comes itineris futurus, nunciuſque *legationibus* obeundis. Quo nomine etiam [15] *Epheſios* illos alios, *Crocum*, *Oneſimum*, *Euplum* atque *Frontonem*, miſſos puto, atque adeo non alios quam illos pertuliſſe epiſtolam ad *Romanos*. Eodem munere functus eſt [16] *Philo* etiam *diaconus*, *Philix*. Sed nec *Diaconi* ſoli, alii etiam diaconis ſuperiores *legationes* tamen obierunt tempore *Ignatii*. [17] *Honorabant Sanctum* (inquiunt auctores martyrii *Ignatii* martyri coævi) *per Epiſcopos*, *presbyteros & diaconos*, *Aſiæ civitatis & Eccleſiæ*. Qui certe ipſe *legationis* mos ſeculum omnino *Ignatianum* ſapit, non aliquod recentius. Id factum à *Magneſiis* teſtis ipſe eſt ampliſſimus [18] *Ignatius*, non *Damam* modo eorum *Epiſcopum* ſed & *presbyteros Baſſum* & *Apollonium*, & *diaconum Sotionem* ſecum fuiſſe *Smyrnæ*. Rogat ille ſæpius Eccleſias, ut *legatum* aliquem mitterent confirmandæ ſedi ſuæ *Antiochenæ* Epiſcopo deſtitutæ. Hunc ille nunc [19] θεοδρόμον appellat, nunc [20] θεοπρεσβύτιον, cujus meminit etiam in Ep. ad *Philippenſes Polycarpus*. Quos vero illæ *legatos* deſtinarint, oſtendit idem ſanctiſſimus martyr *Ignatius* in *Ep.* ad *Philadelphienſes*: [21] Αἱ ἐγγίσαι (inquit) ἐκκλησίαι ἔπεμψαν ὑπισκόπους, αἱ δὲ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους. Dubitatque in ea quam diximus ad *Philippenſes* epiſtola ipſe *Polycarpus*, ipſene legationem obiret, an alium potius mitteret legatum. Ita non erat à loco etiam *Epiſcopali* alienum ut ipſi *legationum* munere fungerentur. Ex quo etiam obiter conſtat quam non fuerit, eo ſeculo, *Epiſcopi* officium ita *fixum*, ut putavit *Salmaſius*. Ipſum potius *Epiſcopi* nomen à *peregrinantium* in *Græcis* civitatibus officio deſumtum erat. Et *chorepiſcopos* περιοδευτὰς appellant *Canones*, quorum idem *rure* officium atque in *urbibus Epiſcoporum*. Eſt autem περίοδος eadem illa vox qua *Apoſtolorum peregrinationes* in antiquioribus Eccleſiæ monumentis denotari obſervavit ipſe *Salmaſius*. Nihil itaque vetat eoſdem & *Apoſtolos* fuiſſe & *Epiſcopos*, & *peregrinari* potuiſſe & *certis* tamen *Eccleſiis* præeſſe. Præſertim cum non ſit de *aliorum Apoſtolorum* peregrinationibus è S. *Pauli* exemplo ſtatuendum. Reliqui certe intra *certas* ſeſe ut plurimum *provincias* continebant, ſub illius ſeculi finem, cum jam conſtitutæ eſſent *Eccleſiæ*, & in Eccleſiis *Epiſcopi*. Non longe ab *Hieroſolymis* peregrinatus videtur S. *Jacobus*, ſi veris monumentis credimus, etiam *Actorum* illis. Nec longe ab *Hierapoli Philippum*, nec ab *Aſia* proconſulari *Joannem* diſceſſiſſe innuunt *Polycrates* & *Clemens Alexandrinus*. In his limitibus nihil vetat in Eccleſiæ primævæ diſciplina quin alii quoque *peregrinari* poſſint *Epiſcopi*. Quid quod etiam S. [23] *Paulus* cum ſe reliquos Apoſtolos in labore ſuperaſſe contendit, id certe manifeſte innuit, non eſſe reliquorum Apoſtolorum labores è ſuo unius exemplo æſtimandos. *Singulos* ab illo ſuperatos eſſe apertius eſt quam ut de eo dubitari poſſit. Ita etiam ejus verba intelligi poſſunt ut *omnes omnium* labores, etiam *collectos*, longo poſt ſe intervallo reliquerit. Id ſi verum ſit, *reliquorum Apoſtolorum* labores æquare poterant *Epiſcopi*. Æquavit fortaſſe *Polycarpus*, cum è *Smyrna* ſua *Romam* ſub *Aniceto* contenderet, inde fortaſſis in *Galliam Lugdunenſium* illam *Viennenſiumque Chriſtianorum* coloniam deducturus. Nulla certe primævæ Eccleſiæ indubia monumenta ſuadent hujus unius labores reliquorum Apoſtolorum laboribus fuiſſe inferiores. Longe tamen abeſt ut *Epiſcopalis* officii fines exceſerit, vel ut eo nomine illum veterum quiſpiam reprehenderit. Quæ cum ita ſe haberent, erat utique omnino conſentaneum ut non alios *legationibus* quam *ſuperiorum ordinum* adhiberent, nondum in Eccleſiam introductis illis *inferiorum ordinum* miniſtris quibus uſa eſt *Eccleſia ataſque Cypriani*.

§. XVII. Plane referebant hæc *Ignatiana* ætatis etiam *Apoſtolicæ* recentiſſima veſtigia. *Illorum* opera præcipua in *diſſeminandis* potius, quam *regendis*, Eccleſiis collocata eſt. Proinde conſentaneum erat ut *legati* quam *honorificentiſſimi* deligerentur, præſertim, cum id ipſum Evangelii *propagandi* munus, eorum fuiſſet præcipue qui in *primaria* eſſent Eccleſiæ *dignitate* conſtituti, quales erant ipſi *Apoſtoli*, *Evangeliſtæ*, &c. Habebant igitur *Eccleſiæ*, præter illos, *primarii* nominis, *Chriſti Apoſtolos*, ipſæ quoque *ſuos* quos itidem appellabant *Apoſtolos*, propterea, ut videtur, quod *nuncii* vulgo mitterentur, ut *repræſentarent*, à quibus mitterentur, *Eccleſias*. Id enim ipſum innuere videtur, ea ætate, ipſum *Apoſtolatus* nomen. Hi *Apoſtoli* appellantur ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν 2 *Cor.* VIII. 23. Ita *Epaphroditus Philippenſium* erat *Apoſtolus*, *Phil.* II. 25. Quæ autem beneficia illis collata ſunt, ea non in illos *ſolos* ſed εἰς πρόσωπον τῆ ἐκκλησιῶν redundare credebantur, propterea quod *Eccleſias* illas, ut dixi, *repræſentarent*. Ex quo intelligimus quantum aberrarit ab *Apoſtoli* mente in horum *Apoſtolorum* explicatione *Walo Meſſalinus*, cum *ſecundarios* hoſce *Apoſtolos* à *primariis* miſsos exiſtimat *ad Eccleſias*, non vice verſa *ab Eccleſiis* ad *Apoſtolos*. Id ſi fuiſſet verum, ad πρόσωπον ἐκκλησιῶν attinere non potuit illorum ille cultus, ſed vero ad eorum potius à quibus miſſi fuiſſent *Apoſtolorum*. Quid quod durior illa omnis videatur interpretatio qua ἀπόστολοι ἐκκλησιῶν dicendi erant qui *ad Eccleſias* plantandas miſſi eſſent potius quam illi qui *ab ipſis* miſſi fuiſſent *Eccleſiis*. *Dei* certe *Chriſtique* appellantur *Apoſtoli* non qui *ad* Deum Chriſtumve, ſed qui *ab* iiſdem mittuntur, ut nova prorſus exemploque omni deſtituta ſit contraria illa locutio. Ab hac potius mittentis *perſonæ repræſentatione* primariorum quoque videtur *Apoſtolorum* origo deducenda. Principum *ſatellites* dicuntur quorum id officium eſt ut principibus *coram* adſint, ſemperque in eorum *conſpectu* obverſentur. Inde *vultus* principum intueri, atque ab eorum *vultibus* procedere dicuntur. Quos *vultus* appellant interpretes *Latini*, eos פנים pro ſuo idiomate *Hebræi*. Eam vocem πρόσωπον reddunt interpretes *Græci*. Pro eo principum more *Dei* quoque *præſentia majeſtatica vultus facieique* metaphoris in Scriptura obumbratur. Panis propoſitionis *panis facierum* appellatur, eorum nempe proprius qui *principum commenſales* fierent. *Angelus præſentiæ* in *propheta* idem eſt qui *Dei faciem intueri* dicitur in *Evangelio*. Ut autem pro nunciorum *dignitate* de principum erat *contumelia* judicandum, eo *graviori* quo nuncius fuiſſet *honoratior*; ita is *honoris* gradus ſummus erat, ſiquis eſſet in principum *conſpectu* frequentiſſimus. Qui igitur è principis *vultu* egreſſus diceretur, illum ſiquis minus honorifice tractaſſet, perinde erat ac ſi principem ipſum coram agentem præſentemque contemſiſſet. Cum itaque

[14] Vid. Ep. ad *Epheſ.* §. 2. [15] Ep. ad *Rom.* §. 10.
[16] Ep. ad *Philadelph.* §. 11. [17] Edit. *Uſſer.* p. 5.
[18] Ep. ad *Magneſ.* §. 2. [19] Ep. ad *Polycarp.* §. 7.
[20] Ep. ad *Smyrn.* §. 11. [21] Ep. ad *Philadelph.* §. 10.
[22] *Walo Meſſalin.* de Epiſcop. & Presb. c. 1.
[23] 1 *Cor.* XV. 10. [24] 2 *Cor.* VIII. 23.

[25] 2 *Cor.*

que communem *sibi* atque *Apostolis honorem* fore *contemtumque* Dominus profitetur, id nempe innuit in eorum nunciorum numero habendos qui essent ἀπὸ προσώπου. Idem ergo de his *Ecclesiarum Apostolis* statuendum ab *Ecclesiarum* quasi *vultibus* fuisse, cum in utrosque, tam *Ecclesias* nimirum *ipsas*, quam *missos* ab Ecclesiis *Apostolos*, communes redundarent *honores* atque *contumeliæ*, quasi unam utrique eandemque personam sustinerent. Quod si verum esset, quod contendit *Salmasius*, secundarios hosce *Ecclesiarum Apostolos* non alia de causa fuisse *Ecclesiarum* quam quia ad *Ecclesias plantandas* mitterentur; non esset sane cur possent à *primariis* etiam *Apostolis* hoc solo nomine distingui. Ipsi enim illi *Christi Apostoli* ad hoc quoque idem *plantandarum Ecclesiarum* munus *missi* sunt à *Christo* atque destinati, *Eph.* IV. 11, 12, 13. Certos enim & ipsi habebant ex pacto κανόνας, ne in hoc inferiores existimemus *secundarios* hosce fuisse *Apostolos*. Quod vero munus illum *Epaphroditi Apostolatum* proprie spectarit, ex eadem illa ad *Philippenses* Epistola facile colligimus, *Phil.* IV. 18. *Habeo autem omnia, & abundo: repletus sum, acceptis ab Epaphrodito quæ misistis*, &c. Rem igitur *pecuniariam* spectabat illa *legatio*. Quod non ita tamen intelligendum erat, quasi, peracta ea dispensatione, ad suos è vestigio reverterentur. Qui ita missi essent, alias deinde *legationes*, ejus ad quem missi essent, nomine obierunt, idque in *longinquas* nonnunquam regiones, quoties id è re esset Ecclesiæ Catholicæ *publica*. [25] Ita *Apostolos* illos *Ecclesiarum* commendat *Corinthiis* à se proculdubio eo missos. Ita *Ephesios* ad se missos *Romam* destinasse videtur [26] *Ignatius*. Erant enim eo ipso consilio missi quos χειροτονούντας ὑπὸ τῆς ἐκκλησιῶν συνεκδήμους dicto loco 2 *Cor.* VIII. 19. memorat Apostolus. Inde intelligimus quinam essent *Apostoli* ζυνέκδημοι quorum mentionem habemus *Act.* XIX. 29. non alios utique quam hos, quos diximus *Apostolos*. Iidem ζυνέποντες *Act.* XX. 4. ζυνεξελθόντες *Act.* XVI. 3. ζυνελθόντες *Act.* XV. 38. quorum ad *officium* ita pertinebat viris illis primariis *ministrare*, ut, siqui recesserant, illi *officio* defuisse existimarentur. Ab hisce se desertum, in epistolis nonnunquam queritur Apostolus. Iidem διακονοῦντες (erat enim hæc *eleemosynarum* suppeditatio proprie sic dicta διακονία) *Act.* XIX. 22. ὑπηρέται *Act.* XIII. 5. Et vero quamplurimi erant qui S. *Paulo* ita ministrarent, nonnulli equidem ab ipso *assumti*, nonnulli ab *Ecclesiis* ad illum delegati, nonnulli etiam à *seipsis* devoti atque dicati. Idem ab *Apostolis* ipsis observatum est, ut gravissimis de causis *legatos* non alios adhiberent quam qui reliquis *præcellerent*. Ita factum in *Concilio Hierosolymitano*, cum de *circumcisionis* necessitate ad Ecclesiam *Antiochenam* mittendum esset Apostolorum *decretum*, non obvios quoslibet qui se ultro offerebant, sed *electos* è suo numero viros constituerunt qui hoc munere fungerentur. [27] Εδοξε &c. ἐκλεξαμένους ἄνδρας ἐξ αὐτῶν πέμψαι &c. quod & re ipsa præstiterunt ℣. 25. Nec aliter *Judæi*, à quibus ad *Christianos* emanasse videtur exemplum. Illi etiam ἄνδρας ἐκλεκτὰς delegarunt in omnem terram, λέγοντες αἵρεσιν ἄθεον χριστιανῶν πεφηνέναι, teste, non uno in loco, [28] S. *Justino* Martyre.

§. XVIII. Neque vero mirandum *Apostolis* hæc præstitisse *Ecclesias*, cum etiam *plebeiis Christianis* eadem præstiterint, si quando in rebus rem *Christianam* publicam attinentibus occuparentur. Erat nimirum non minima *communionis* pars in *hospitii jure* posita, quo spectant etiam veterum quamplurimæ *literæ commendatitiæ*, quarum ad imitationem *literæ* etiam *Ecclesiasticæ formatæ* susceptæ conceptæque sunt. *Hospitibus* autem *commorantibus* sumtus *gratis* suppeditati sunt *discedentibus xenia* donata, & si necesse esset, *comites itineris* additi, si ultra essent profecturi. Hæc ex antiquissimis *Homeri* hospitiis manifesta sunt, quæ in mores *Græcorum* recentiorum deinde transierunt. Hanc φιλοξένιαν commendant aliquoties *Apostoli*, & quidem eo in loco illam habuerunt *primævi Christiani* ut *privati* aliquoties *divites* se suaque omnia *sanctis* undequaque *peregrinantibus* excipiendis dicarent. Talis fuisse videtur *Gaius* non S. *Pauli* modo privatus *hospes*, sed *totius* etiam *Ecclesiæ*, *Rom.* XVI. 23. Eodemque nomine commendatur à S. *Joanne* tertia ejus *Epist.* ℣. 5, 6, 7, 8. Talis etiam fuit *Philemon* Ep. ad *Philem.* ℣. 5, 6, 7. & *Mnason Cyprius Act.* XXI. 16. *Ecclesiarum* tamen *publicum* id vulgo fuisse videtur officium. Illo nempe *hospitii* jure usas legimus in se invicem illorum temporum integras etiam *civitates*. Exempla habet nonnulla, ni fallor, in *Verrinis Cicero*. Ut proinde ad *Ecclesias*, quæ *civitates* integras, pro illius quoque seculi more, complecterentur, quæque *civitatibus* proinde conferuntur ab [29] *Origene*, dimanare facillime potuerit. Præsertim cum *Judæi* etiam *Hierosolymitani* cum *provincialibus* ἀφοσιοῦσις eadem officia, ante *Christianismi* etiam natales exercuissent. Ne longius abeam, id colligo ex *Act.* XXVIII. 21. propterea qui in *publicis* essent *Ecclesiæ* officiis constituti, ad illos præcipue spectabant hæc *hospitalitatis* munia. De *viduis* Ecclesiæ ita scribit Apostolus [30] *Si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit.* De Episcopo: [31] *Oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem.* Rursus de eodem: [32] *Sed hospitalem, benignum, sobrium*, &c. Is enim πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ ὄσι κηδεμὼν erat, teste S. [33] *Justino* Martyre.

§. XIX. Hæc igitur erga *omnes* erant *peregrinantes* communia *Ecclesiarum* officia, quæ quin ipsis etiam *Apostolis* officiosius præstarentur, nihil sane est quod dubitemus. Nescio quicquamne fuerit quo *viri illustres*, pro illius seculi more, excipi solerent, quin idem illud in *Apostolis primariisque* Ecclesiæ viris excipiendis observarint etiam *Ecclesiæ*; & quidem eo promtiori animo, quod non *illorum* modo gratiam, quibus ea præstiterant, sed *Dei* adeo ipsius, cujus in opere occuparentur, se demereri crederent, participesque se illorum quoque operum futuros. Apostolo *Romam* venienti obviam effusi sunt fratres, usque ad *Appii forum* & *tres tabernas*, *Act.* XXVIII. 15. *Ignatio* tamen ad *martyrium* properanti usque ad *portum. Melitenses discedentem multis honoribus honoraverunt, & navigantibus imposuerunt quæ necessaria erant*, ibid. v. 10. Erant hæc eorum proculdubio *xenia*. *Discedentem* ad navem usque comitati sunt *Ephesii Act.* XX. 38. Hæc erat πρόπεμψις, cujus etiam ipse quamplurimis in locis meminit *Apostolus*. Id autem ad *honorem venientis*, pro illius quoque ætatis consuetudine, spectabat, ut quo quisque *dignitate* esset illustrior, eo forent etiam *illustriores* ii qui in ejus occursum *mitterentur*. Idque etiam observatum in excipiendis *provinciarum præsidibus*, ut quem ad locum *provinciæ* primum appulissent, eo *legationes* à *civitatibus*, virorum in sua quisque civitate *primariorum*, mitterentur. Idem etiam à *civitatibus vicinis* observatum in *peregrinationibus*. Id cum *Christiani* in *Apostolorum* virorumque Ecclesiæ *primariorum peregrinationibus* imitarentur, id quoque imitatos verisimile

[25] 2 *Cor.* VIII. 24. [26] Ep. ad *Rom* fin. [27] Act. XV. 22. [28] Dialog. cum *Tryphon.* p. 234. E. 335. C. [29] L. III. cont. *Celf.* [30] 1 *Tim.* V. 10. [31] 1 *Tim.* III. 2. [32] *Tit.* I. 8. [33] Apolog. II.

ſimile eſt, ne venientium *dignitati* deeſſent *legati*. Quanquam enim *faſtum mundanum* procul amandarint *Apoſtoli*, erant tamen *decori* iidem obſervantiſſimi retinentiſſimique. Id certe S. *Pauli* fuiſſe videtur ingenium, ea indoles. Nec id quidem immerito. Cum enim in ita *exceptis*, nullum eſſet, illis præſertim *perſecutionum* ſeculis, *faſtus* periculum; multa tamen erant in his *adiaphoris* quæ ad ſubditorum *cultum* reverentiamque conciliandam facerent, quæ non erant ſane negligenda, cum præſertim non *imperarentur* hæc officia, ſed vero liberrimo ardentiſſimoque *ſubditorum* præſtarentur obſequio.

§. XX. Atque hinc concludimus, quanquam aliunde non intelligeremus quem *locum* in Eccleſia obtinuerint qui his *legationibus* obeundis deſtinarentur, non eſſe tamen quod dubitemus quin is fuerit admodum *honorificus*. *Ordinariorum* horum Eccleſiæ *miniſteriorum* in prima illi ævi *apoſtolici* hiſtoria, rarior occurrit mentio, *Epiſcoporum* viz. *presbyterorum* atque *diaconorum*. Frequentiores erant *extraordinarii*, *Apoſtoli*, *Evangeliſtæ*, *Paſtores* atque *Doctores* & *Prophetæ* notioreſque omnino atque celebriores. Et probabile quidem eſt horum fuiſſe *propriam* primariam illam ſimpliciſſimamque Eccleſiæ *adminiſtrationem*; tum deinde, cum perturbatiorem illam inordinatioremque experti eſſent, paulatim in eorum locum ſucceſſiſſe *miniſtros* illos, quos hodie retinemus, *ordinarios*, paulatimque, pro ſynaxeon diſciplina, *extraordinarios* illos *ordinariis* factos eſſe *ſubditos*. Quando igitur ſynaxeon munia obierunt hi *extraordinarii miniſtri*, fruſtra expectabimus *ordinariorum miniſtrorum* mentionem. Id unum ſufficit, fuiſſe illos, non ſumma modo *dignitate*, ſed ſummo etiam, in *Eccleſiæ adminiſtratione*, loco, ut proinde, ſiquas illi *legationes* obierint, admodum illas fuiſſe *honorificas* neceſſe eſset. Cum vero tandem, propter *ſynaxeon diſciplinam*, *ordinariis* ſubjicerentur ſynaxeon miniſtris, adhuc tamen *honorem* proculdubio ſummum retinuerunt. Nec enim erant illi *certis* quibuſdam *Eccleſiis* affixi, ſed potius totius *Eccleſiæ Catholicæ* communes, quod (ea proculdubio ætate, cum in eo poſitæ eſſent *ſupremorum miniſtrorum* operæ, potius ut late *Chriſtianitatem* diſſeminarent quam ut *Eccleſias* regerent jam fundatas conſtitutaſque) fieri vix poteſt quin eorum officio anteferretur qui *ſingularum* eſſent duntaxat *Eccleſiarum*. Ex hoc autem *extraordinariorum miniſtrorum* numero fuiſſe videntur qui *legati* conſtituti eſſent. Ipſa illa eorum *dona infidelium* cauſa, potius quam *fidelium*, data eſſe agnoſcit *Apoſtolus* utiliora proinde futura, ſi in *convertendis infidelibus* potius quam *fidelibus confirmandis*, collocarentur. Cum præſertim eo ipſo conſilio miſſi eſſent, non qui venientes *exciperent* modo, ſed qui *comites* eſſent, & συνεξγοι *itinerantium* atque *peregrinantium*. Sed vero aliam omnino *adminiſtrandi* rationem exigebat *illius ætatis* Eccleſia quam *ſequentium*, ut fruſtra ſint omnino qui nihil *hodie* in Eccleſia permittunt niſi quod ad illius *Apoſtolicæ Eccleſiæ* accedit exemplum. Conſiderandæ ſunt omnino *circumſtantiæ* & *prudentia* adhibenda, qua certum eſt, multis in rebus, uſos eſſe *Apoſtolos*.

DISSERTATIO CYPRIANICA VII.

Ad EPISTOLAM XXVII.

De *Epiſcopo* Unitatis *principio*, & S. *Petri* in *Apoſtolos* primatu *unitatis* exemplari: Et quam ſolide utrobique argumentetur *Cyprianus*.

Lapſi *pacem à* martyribus *conceſſam contra* Epiſcopos *tuebantur*. §. I. *Non* presbyterorum plebiſve *nomine*. §. II. *Sed vero ipſorum* martyrum. §. III. *Eandem cauſam defendebant* Donatiſtæ. §. IV. *Hanc* martyrum *communionem* Epiſcopis *æmulam argumento ab* Unitatis principio *oppugnat* Cyprianus. §. V. VI. *Not.* 1°. *non agi hic de* unitate Eccleſiæ Catholicæ, *ut volunt* Pontificii, *ſed* Eccleſiarum particularium. §. VII. VIII. *Not.* 2°. Eccleſiam Catholicam *pro* toto ſimilari *haberi à* Cypriano. §. IX. Particulares *pro* totis diſſimilaribus, *quæ* unum *proinde* membrum habere debeant *unitatis principium*. §. X. *Recte id & ad mentem* Scripturarum. §. XI, XII. *Hoc ipſum membrum*, *è* Cypriani *ſententia*, *non aliud fuit quam* Epiſcopus. §. XIII. *Ita fuiſſe* de facto *probatur è* principiis Cypriani. §. XIV, XV, XVI. *Probatur etiam* de jure. §. XVII. 1°. Unitas *Eccleſiæ eſt* myſtica. §. XVIII. 2°. *Id voluit in hac* myſtica unitate *Deus ut per* unitatem viſibilem *de* inviſibili *illa cæleſti* unitate *participemus*. §. XIX. 3°. Signa viſibilia *intelligenda ſunt per modum* pacti *de* inviſibilibus beneficiis *per ea repræſentatis à* Deo *præſtandis*. §. XX. 4°. *In hac* repræſentatione *ejuſdem generis* unitas *eſſe debet in* Eccleſia ectypa, *qualis erat in* archetypa. §. XXI. 5°. *Ad* Eccleſiæ viſibilis *unitatem*, *non ſatis eſt* caput *Eccleſiæ* inviſibile Chriſtus; *ſed neceſſarium præterea eſt* caput *etiam* viſibile. §. XXII. *Hæc* capitis viſibilis *unitas de* perſonæ *eſt*, *non de* multitudinis, *unitate intelligenda*. §. XXIII. *Conveniunt hæc cum* originibus Chriſtianis. §. XXIV. *Idem probat* Cyprianus *ex inſtitutione* Chriſti. §. XXV. *Principia ejus ſummatim repræſentantur*. §. XXVI. *Diducitur in partes* Cypriani *argumentatio* myſtica. §. XXVII. 1°. Propheta *fuit* Salvator. §. XXVIII. 2°. *Omnia Salvatoris* dicta *&* facta *erant* Prophetica. §. XXIX. 3°. Nominum *mutationes à* Prophetis *factæ non ſolebant vacare* myſterio. §. XXX. 4°. Etymologia *nominis S.* Petri *in ipſum potius* Apoſtolum, *quam in ejus* confeſſionem *ſolam*, *quadrare debuit*. §. XXXI. 5°. *Ita tamen in ejus* perſonam *conferri debuit*, *ut tamen* ulterius *in gravioribus momenti*

uſum

uſum *aliquem ſit etiam referenda.* §. XXXII. 6°. *Ad munus Domini* propheticum *id quoque pertinuit ut* Eccleſiam ſuam *formaret, non in* doctrina *modo, ſed in* diſciplina *etiam atque* regimine. §. XXXIII. 7°. *Non hoc per* Apoſtolos *duntaxat* medios *præſtare debuit.* §. XXXIV. 8°. *Ita tamen hoc* ipſe *curare debuit ut tamen non* diſertis verbis *proferret, ſed per* prophetica *potius* ſymbola *atque* ænigmata. §. XXXV. 9°. *Proni erant Domini* auditores *ut ejus* dicta *omnia &* facta *in* futurum *Eccleſiæ* uſum *referenda exiſtimarent.* §. XXXVI. 10°. *Præcipue illa quæ* Scriptis Sacris *mandata eſſent.* §. XXXVII. 11°. *Probabile eſt Domini* familiam Eccleſiæ *typum geſſiſſe.* §. XXXVIII. 12°. *Ut ſtatum* Eccleſiæ *per* domus *allegoriam apte repræſentarit Dominus, ita nondum maturum erat ut per* aliam *quamvis repræſentaretur* domo auctiorem. §. XXXIX. 13°. *De* ſingulis *duntaxat* Eccleſiis *hæc intelligenda ſunt.* §. XL. 14°. *In* unica *illa Salvatoris* domo unicus *erat* diſpenſator *S.* Petrus, *typus* unius Epiſcopi. §. XLI. 15°. Unicum *etiam erat* domus *illius* fundamentum, unius *pariter typus* Epiſcopi. §. XLII. *Ex his principiis* plebeiorum *etiam officium manifeſtum eſt.* §. XLIII, XLIV. *Salva communione* catholica, *collegarumque Epiſcoporum* commercio, *alia deinde nulla reſtat, ex his principiis,* cauſa *qua* tutum *ſit* ſubditis *ab* Epiſcoporum *ſe* communione *ſubducere.* §. XLV. *Hæc principia ſi vera ſint, ſequetur* ſuffragii negativi *jus penes* ſolum *fore* Epiſcopum. §. XLVI, XLVII, XLVIII.

§. I. ANtequam futuræ diſputationis argumentum ex profeſſo aggrediamur; explicanda eſt inprimis *diſputationis occaſio*, quæ certe hujus *Epiſtolæ* ſcribendæ vera erat *occaſio.* Ita tandem intelligemus quam apte *Cyprianus* prudenterque, pro illa occaſione argumentetur.

Erat igitur *occaſio* quod *lapſorum* nonnulli qui *pacem* communionemque à *Luciano* ejuſque ſociis *martyribus* ſibi conceſſam, à nonnullis etiam *presbyteris*, *Gaio Diddenſi* aliiſque illi ſimilibus extorſiſſent, in eam tandem eruperint audaciam, ut cum *Epiſcoporum* nemo illorum violentiæ ceſſiſſet, ſuam tamen illam qualemcunque *communionem* nihilominus tuerentur, ſive illam confirmarent *Epiſcopi*, ſive minus ratam eſſe vellent. Proinde in Epiſtola ſua ad *Cyprianum* ſe *Eccleſiæ* nomine ornarunt, innuentes nimirum ſuam *communionem* veram eſſe, qui vero communionem illam non probarent, aliamque quamvis *communionem* ſequerentur, eorum communionem *notham* eſſe nec proinde pro *communione* agnoſcendam, ut propterea nec *Eccleſiam* conflare poſſent quorum *communio* eſſet illegitima. Erat enim id in illius ævi ratiociniis certiſſimum, *veram* eſſe *Eccleſiam* cum *vera* itidem *communione* convertendam. Hic nimirum primus erat gradus, quo uſus eſt cum ſuis ſatellitibus *Feliciſſimus* (qui *Cypriano* à prima Epiſcopatus *origine* infenſus, occaſionibus quibuſque captandis invigilabat) ad majora poſtea audenda. Ita adhuc *ſuam* pro *vera communione* tuebantur, ut una tamen cum minis *preces* admiſcerent ut in *Cypriani communionem* admitterentur, quod illis exprobrant *Cyprianus* atque *Romani.* Tandem eo ſunt provecti ut *damnarent* etiam *Cypriani communionem. Feliciſſimum* id comminatum, *non communicaturos in monte ſecum*, qui *Cypriano obtemperaſſent*, id eſt, qui eidem *communicarent*, ex ipſo *Cypriano* diſcimus. Idque nondum conſtituto pſeudo-*Epiſcopo Fortunato*, qui majorem proculdubio conciliavit illis *auctoritatis* ſpeciem atque prætextum.

§. II. Quid ergo (inquies) habebant quo ſuam *partem* (utor enim voce apud *Africanos* notiſſima) pro *Eccleſia* habendam eſſe vel fucum facerent? Non *presbyterii* auctoritatem; erant enim è *presbyteris* pauciſſimi qui ſe *ſchiſmaticis* adjunxiſſent. Non *plebem* propter eandem rationem. Id enim velut extra omnem controverſiæ aleam poſitum, pro conceſſo ſumit *Cyprianus* à ſe ſtare *clerum ſtanteſque omnes.* Quod enim ad *ſingulorum* presbyterorum *independentiam* attinet atque αὐθεντείαν, ea noſtrorum ſeculorum proprium eſt monſtrum, illis ita incognitum, ut nec *catholici* reperientur, nec *hæretici*, qui tueri auderent. Quam illam averſata fuerit *Eccleſia catholica*, vel ex hoc ipſo exemplo abunde liquet. Cum in rebelles hoſce *presbyteros* jure ſuo uſus eſt *Cyprianus*, ita cenſuras ejus *ratas* habuerunt *reliqui* orbis *Epiſcopi*, ut nemo eorum *literas formatas* acciperet, nemo ipſos ad *communionem* admitteret, ne revocata quidem ad novum examen eorum cauſa hoc uno nomine quod à *proprio* fuiſſent *Epiſcopo* locis ſuis exuti atque depoſiti.

§. III. Aliunde igitur quærendus hujus audaciæ prætextus, nempe à *martyribus.* Notanda enim diligenter eorum illa in epiſtola ad *Cyprianum* verba: [1] *Optamus te cum ſanctis martyribus pacem habere.* Innuentes nimirum, ni ita foret, *Cypriano* id, potius quam *martyribus*, fraudi futurum; *martyrum* enim cum *Deo* communionem eſſe prorſus indubiam, ut proinde qui ab *illis* alieni eſſent, à *Deo* quoque alieni eſſent omnino cenſendi. Quam enim hic *pacem* appellat, ea, pro illius ætatis uſu, *communio* erat (à *pace* nimirum illa, quam ſibi invicem in *officio euchariſtico* dabant accipiebantque; ut enim apud *Hebræos ſalutandi* ea forma erat receptiſſima, qua *pacem* apprecarentur, ita *ſanctorum* quoque *ſalutationem communionis* vicem quandam obtinuiſſe conſtat è ſacris omnibus primi ſeculi *epiſtolis*) *pacemque* à *martyribus* datam *communionem* interpretati ſunt ipſi *lapſi.* Atque ita loquitur in hac eadem cauſa auctor Paſſionis *Perpetuæ* & *Felicitatis:* [2] *Et nos* (inquit) *itaque quod audivimus & contrectavimus, annunciamus & vobis, fratres & filioli, ut & vos qui interfuiſtis rememoremini gloriæ Domini: Et qui nunc cognoſcitis per auditum, communionem habeatis cum ſanctis martyribus, & per illos cum Domino Jeſu Chriſto*, &c. Videmus hic *communionem* cum *Martyribus* gradum eſſe ad *communionem* cum *Domino Jeſu Chriſto.* Ita intelligimus quid ſibi vellent *lapſi*, cum, ſiquos, cauſa audita, repuliſſet *Cyprianus*, id illum vellent negaſſe, [3] *quod ſe jactarent à martyribus & confeſſoribus accepiſſe*; quod jam *datam repræſentari* ſibi à ſuis *præpoſitis cogerent*; [4] *quod pacem non dandam ſibi poſtularent, ſed quaſi jam datam ſibi vindicarent*; [5] *quod non tam peterent quam vindicarent, imo jam & in cœlis habere ſe dicerent*, ut habemus in Epiſtola cleri *Romani.* Eo nimirum hæc ſpectabant om-

[1] Ep. XVII. [2] Præf. [3] Ep. XXIII. [4] Ep. XXIX. [5] Ep. XXX.

omnia ut non tam *Episcoporum* esset, quam *martyrum*, communionis *Ecclesiasticæ* concessio.

§. IV. Similis erat postea *Donatistarum* causa quæ hanc mirifice illustrat. Illi etiam *presbyteros* aliosque *clericos* à suis *Episcopis* divellebant, *novos* Episcopos in eorum loco sufficiebant qui jam fuissent ab *Ecclesia catholica* constituti. Nunquam tamen hæc ex *ordinaria* aliqua quam habebant in *Ecclesia* potestate tueri conati sunt (quod conantur hodierni *SCHISMATICI*) sed vero solo *martyrum* nomine atque prætextu. Edidit nuper doctissimus [6] *Baluzius martyrum* acta à *Donatistis* aliquo conscripta. Inde constant hæc, quæ dixi, omnia. *Concilium*, uti vocat, celebrarunt in carcere *martyres*, in quo ita sancitum dicit: [7] *Siquis traditoribus communicaverit, nobiscum partem in regnis cœlestibus non habebit.* Hæc sibi arripiebant *Donatistæ* ut ipsi *martyrum* successores viderentur atque hæredes. Videamus igitur quas inde *conclusiones* collegerint. In ipso *actorum* initio id suum consilium prodit statim auctor, scribi hæc à se ut *Ecclesia catholica teneatur, sanctaque communio à profana discernatur.* Ergo *partem* suam pro *Ecclesia catholica* habuerunt *Donatistæ*, id quod aliunde luculentissime constat; idque hoc ipso nomine quod *martyrum* decreta servarent, ne jam miremur *lapsos* etiam *Cypriani Ecclesiæ* itidem se titulo insigniisse. Idem rursus in eandem sententiam: [8] *His enim de rebus Ecclesia catholica quæ sit, poterit recognosci, si labes pestifera traditorum nefandis actibus suis, sententiaque martyrum omnibus seculis declaretur.* Rursus: [9] *Igitur cum hæc ita sint, quisnam est Divini juris peritia pollens, fide præditus, devotione præclarus, religione sanctus, qui judicis Dei memor veritatem ab errore discernat*, &c. *& unum atque idem existimet & Ecclesiam martyrum & conventicula traditorum?* Tandem ita concludit: [10] *Fugienda est ergo & execranda pollutorum omnium congregatio vitiosa, & appetenda omnibus beatissimorum martyrum successio gloriosa, quæ est Ecclesia sancta, una & vera catholica, ex qua martyres profecti sunt, & a quibus Divina testamenta servata sunt. In hac virtutes populi Spiritus præsentia frequentantur, baptisma à Salvatore perficitur*, &c. Ex hac igitur *martyrum* successione colligebant, suam esse *Ecclesiam catholicam*, suum esse *baptismum* pro baptismo *legitimo* solum agnoscendum. Jamque illud etiam intelligimus cur id tantopere laborarit *Felicissimus* ut *martyres* ab *Episcopo* disjungeret, cujus ipsum testem habemus [11] *Cyprianum.* Fuisse nonnullos qui *Episcopatui Cypriani restiterunt*, innuit *Pontius.* In horum numero fuisse *Felicissimum* docet *Cyprianus.* Ut igitur, quem *initio* factum noluit *Episcopum*, ab ejus se *communione* verisimili aliqua ad *vulgus* specie subduceret, id dedit operam ut *martyres* sibi sui consilii *socios* adscisceret, ita futurum ratus ut *sejuncti* etiam ab *Episcopo*, *Ecclesiæ* tamen titulum tueri possint, dum *martyrum* illam, quam dixi, *communionem* retinere viderentur. Videbat igitur ipse *Felicissimus* frustra sibi præsidium è *presbyteratu* suo esse quærendum; ita neminem, ætate ea, credidisse non esse *presbyteros Episcopis* suis *obnoxios* ut ne *populo* quidem fallendo fucus iste sufficeret. Nec sane erat alia aliqua in *Ecclesia auctoritas* quæ *Episcopatum* æmulari posset quam *martyrum* illa. Ea vero tanta erat ut ægre illi omnes per orbem *Episcopi* possent repugnare.

§. V. Hanc igitur *martyrum* auctoritatem si *Episcopatui* obnoxiam probare posset, alia nulla erat quæ non iisdem posset argumentis facillime opprimi atque refelli. Varia itaque erant quibus *se Ecclesiasque* suas adversus hunc *martyrum* arietem tuerentur Episcopi *catholici.* Opponebant inprimis *martyribus* alios *martyras*, *Africanis* nimirum illis *Romanos*, quorum unus *Moyses* in carcere tandem extinctus est, ut nimirum arctissimo nominis usu merito posset *martyr* appellari. Quod fortasse efficacissimum erat hujus *schismatis* opprimendi remedium. Vivaciores certe erant *Donatistæ* quorum *martyribus* alios non habuerunt quos opponerent illius ætatis *catholici.* Id enim consecuti sunt ea *martyrum* inter se commissione ut ne posset *martyrum* auctoritate ea controversia dirimi, ut proinde esset ad alia κρίτήρια necessario confugiendum. Tum, si *martyrum* auctoritate res illa transigenda esset, *causam* tamen esse quæ *martyres* faceret, nec esse *unitatis Ecclesiasticæ* causam, quam *fidei* illam, minus honorificam, nec proinde *unitatis* nomine minus esse *martyrium*, quam *fidei* nomine, oppetendum. Ita argumentatur adversus *Novatianum* ipsum *Dionysius Alexandrinus.* Ita fiebat, ut, missa *martyrum* auctoritate, in causam *unitatis* esset necessario inquirendum. Cum præsertim illud præterea addidissent, ne *martyres* quidem esse habendos, siqui, vel *fidei* nomine, extra *unitatem* mortem oppetiissent; idque ex loco 1 *Cor.* XIII. 3. confirmassent, quod fecit aliquoties [12] *Cyprianus.* Nec enim *caritatem* ab illis illibatam servari qui *unitatem* violassent. Quæ sane argumentatio ad mentem Apostoli eo loco accuratissime respondet, ut alibi ostendimus.

§. VI. Tandem igitur huc revertebat tota illa disputatio, de *unitatis principio* esse inprimis disquirendum. Cum enim, ex jam concessis, manifestum esset, eam *communionem* legitimam esse quæ in *unitate* esset, eam notham & adulterinam quæ ab eodem fuisset *unitatis principio* divulsa; Quærendum deinceps erat, *Episcopine*, an potius *martyres*, pro *unitatis* essent *principio* agnoscendi? Et quidem *Episcopis* hoc *jus* ubique asserit *Cyprianus*, ut inde constet quam illum perperam in suam *partem* traxerint *Donatistæ*, qui *martyribus* illud asserebant contra *Episcopos* jam *legitime* constitutos. Hoc certe erat è *principiis Cypriani* schismaticum, ut proinde illum si *judicem* audire voluissent, ipsi essent pro *schismaticis* habendi. Nec tamen vidit hoc in suis de *Cypriani* nomine disputationibus *Augustinus*, nec recentior aliquis, quod quidem sciam, *Cypriani* interpres, sed nec ante *Augustinum Optatus*, nec Patres in collatione *Carthaginiensi* coævi. Verum revertamur ad *Cyprianum.*

§. VII. Notandum itaque 1°. Cum de *unitate Ecclesiæ* disputatur, non agi tamen de *illius* Ecclesiæ unitate quam *catholicam* hodie dicimus, quæ nimirum omnes ambitu suo per terrarum orbem Ecclesias particulares complectitur, sed de ipsis duntaxat *Ecclesiis particularibus.* Nec enim, in hac ipsa causa, id quærebatur, an *martyribus*, an *Episcopis universis* esset adhærendum, cum *martyres* ad unicam duntaxat diœcesim pertinerent (quo sensu nos *diœceseon* limites hodie distinguimus) sed an *martyribus Carthaginiensibus* (tales erant à quibus hæ turbæ conflatæ sunt) an proprio martyrum *Episcopo*, *Carthaginiensi* viz. tutius se *Carthaginiensis Ecclesia* posset adjungere? Id innuunt *Cypriani* de *Felicissimo* ejusque factione verba illa: [13] *His fomenta olim quibusdam confessoribus & hortamenta tribuebant, ne concordarent cum Episcopo suo.* Idem etiam de alio illo *Novatiani* à *Cornelio schismate* statuendum. Nec enim ea unquam fuit, *Cypriani* tempore, quæstio, *Romanone Pontifici*, an reliquis per *orbem* Episcopis, esset adhærendum? Sed, quis esset pro *Romano Episcopo* agnoscendus, *Novatianus*, an potius *Cornelius?* Contra, potius *Cyprianus pares* omnes *E-*

6 Miscell. L. II. p. 25. 7 Num. 17, 18. 8 Num. 16.
9 Num. 19. 10 Num. 20. 11 Ep. XL.
12 Ep. LXXIII. & de Unit. Eccl. & de Bon. Patient.
13 Ep. XL.

Episcopos ubique statuit, neminemque admittit *Episcoporum Episcopum* (quæ verba in synodo *Carthaginiensi* in ipsum *Stephanum Romanum* Episcopum proculdubio jactata sunt) & [14] cum de *Episcopi schismate* differeret in causa *Martiani Arelatensis*, non illum *SCHISMATIS* propterea damnat quod ab *uno* aliquo *quantivis* nominis *Episcopo* ne *Romano* quidem illo (quanquam ad eum ipsum hæc data esset epistola) sed vero quod à [15] *catholicæ Ecclesiæ unitate*, à *corporis & sacerdotii concessione discessérat*, *collegio Episcoporum insultaret*. Similiter ad *Antonianum* : [16] *concordiam collegii sacerdotalis firmiter obtinentes*, *& catholicæ Ecclesiæ cohærentes*. Idem igitur *Cypriano* valet *catholicæ Ecclesiæ cohærere*, quod *concordiam collegii sacerdotalis firmiter obtinere*.

§. VIII. Scio equidem apud *Cornelium* [17] ἕνα ἐπίσκοπον εἶναι δεῖν ἐν ἐκκλησίᾳ καθολικῇ. Nec id nego de *Ecclesia Romana* dictum. Scio & apud *Cyprianum* similes loquendi formulas occurrere, & quidem de eadem itidem *Ecclesia Romana*. [18] *Contra sacramentum esse semel traditum Divinæ dispositionis & catholicæ unitatis adulterum & contrarium caput extra Ecclesiam fieri* ; [19] *contra institutionis catholicæ* esse *unitatem*, *alium Episcopum fieri consensisse* ; *agnoscere communionem Cornelii* idem valere apud illum quod *Ecclesiæ catholicæ radicem & matricem agnoscere ac tenere communionem ejus*, i. e. *catholicæ Ecclesiæ unitatem pariter & caritatem probare firmiter & tenere*. Scripserat & ad [20] *Antonianum* se *cum Cornelio*, *hoc est*, *cum catholica Ecclesia communicare*. Inde colligunt *Romanenses* eam *Ecclesiam* esse *catholicam* quæ cum *Romana* hodie communicat ; & vice versa quæ cum eadem non communicat, nec esse illam pro *catholica* hodie existimandam. Mirum sane viros alioquin eruditissimos ita posse argutari ! Quasi vero *Ecclesiæ catholicæ* nomen non esset *Ecclesiis* etiam *particularibus* commune. Quis nescit *Ecclesiam* quoque *Smyrnensem*, in antiquissima forte hujus vocis mentione, *catholicam* appellari ? Ita scribunt ipsi de *Polycarpo* suo Episcopo : [21] χρόμενος ἐπίσκοπος τῆς ἐν Σμύρνῃ καθολικῆς ἐκκλησίας. Quis [22] *Cyprianum* ipsum de suo quoque *schismatico Felicissimo*, ejusque *pseudo-Episcopo Fortunato* idem scribere, fuisse illos *sacerdotum hostes*, *& contra Ecclesiam catholicam rebelles*, idque vacillante adhuc *Cornelio* ? De *Melitio* Episcopo *schismatico* decrevit synodus *Nicæna* nihil illum tentare debere [23] χωρὶς γνώμης τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου τοῦ ὑπὸ Αλέξανδρον, *i. e.* Episcoporum Ecclesiæ *Alexandrinæ* subditorum. Idem concilium Canon. VIII. de hæreticis *Catharis* sive *Novatianis* : εἰ ὢν τοῦ καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου ὄντος, &c. Rursus Ecclesiæ *Alexandrinæ* ita scribit *Constantinus* : [24] Κωνσαντῖνος Σεβαστὸς τῇ καθολικῇ Αλεξανδρέων ἐκκλησίᾳ. Eundem etiam suæ quoque *Ptolemaidis* Ecclesiæ titulum adhibet *Synesius*. Et si id fuisset apud eruditos minus in confesso, vel hæc ipsa loca quæ de *Ecclesia Romana* loquuntur, satis ipsa probarent, neutiquam de alia quam de *particulari Ecclesia Romana* esse intelligendum. Cum enim *unus* duntaxat *Episcopus* in *Ecclesia catholica* agnoscitur, id ne *verum* quidem erat nisi de *particulari Ecclesia Romana*. Quod enim commentus est de *Ecclesia catholica virtuali* Cardinalis *Perronius*, novum est omnino, nec illis seculis auditum. Erat autem *usus* hujus *vocis* manifestus, ut nimirum distingueretur *Ecclesia Orthodoxa* ab *hæreticorum schismaticorumque* conventiculis. Propterea fortasse *Ecclesia primaria*, quam nos *cathedralem* appellamus, *catholica* audiit apud *antiquos*, quod is locus esset synaxeon *Orthodoxarum* caput, non *hæreticarum* aut *schismaticarum*. Ita legatis *Africanis Romæ* agentibus, & *Antoniano* Ecclesiæ *Romanæ* communicaturo, idem erat *Ecclesiæ catholicæ communicare* quod *communicare Cornelio*, non *Novatiano*. Ita in *Ecclesia Catholica Romæ unicus* duntaxat esse potuit *Episcopus*, quod si quis alius, sede jam plena, *Romæ* fuisset suffectus, is, pro illius ævi principiis, *extra Ecclesiam catholicam* esse debuerit, *hæreticis* nimirum *schismaticisve* accensendus. Nec est quod aliud quispiam è voce *matrice* aut *radice* colligat. Eadem enim voce usus fuerat *Cyprianus* in tractatu *de unitate Ecclesiæ* in usum Ecclesiæ *suæ* primum scripto, postea ad *martyres Romanos* ad *unitatem* reversos transmisso. Nec aliud illis vocibus intellexerunt *Africani* quam *originem*. Non quod ab Ecclesia *Romana* reliquæ orirentur, ut intelligunt *Pontificii*, quod certe non est, de *orientalibus* præsertim Ecclesiis, omnino *verum* ; sed quod *primariam* ipsius Ecclesiæ *Romanæ successionem* illibatam servasset *Cornelius*, non servasset *Novatianus* qui *a se ortus esset*, *nemine Episcopatum dante*, ut de suo *Fortunato* loquitur *Cyprianus*, per *successionem* nullo modo *legitimam*. Ita [26] *Tertulliano*, *primordialis lex data Adæ & Evæ in paradiso est quasi matrix omnium præceptorum Dei*. [27] *Eva matrix erat generis fœminini*, quia *prima fœmina* erat, alioqui *virorum* erat *matrix* pariter ac *fœminarum*. [28] *Ecclesiæ matrices* eædem sunt quæ *originales*, quæ viz. à prima usque manasient origine. [29] *Mala* (inquit) *materia boni non erit matrix*, i. e. *origo*. [30] *Bythos & Sige*, *nus & veritas*, *prima quadriga defenditur Valentinianæ factionis*, *matrix & origo cunctorum*. Plane igitur eadem in stylo *Africano matrix & origo*. Ita *Cornelii* Ecclesia *matrix Novatiani* audire posset, quod, *Cornelio* in sede legitime constituto, res novas molitus sit *Novatianus*, ut proinde non ab *ipso Cornelius*, sed à *Cornelio ipse* discessisse esset existimandus.

§. IX. Notandum itaque 2°. cum de *unitate* hujus *particularis*, ut diximus, *Ecclesiæ* quæreretur, duobus modis illam *unitatem* intelligi posse. Sunt enim nonnulla *integra* quorum *partes* ita inter se uniuntur, ut nulla *una pars* sit ceteris *unitatis principium*, quin ipsæ inter se unitæ *integrum* conflare possent parte *illa* destitutæ, tam commode quam *hæc* cum aliis *integrum* conflaret si hæc similiter *alia* quavis *parte* sigillatim sumta destitueretur. Ita in *aquæ integro* constituendo, nulla est *pars una* aquæ ita *principalis* quin illa destitutæ reliquæ corpus aquæ constituere possent tam apte quam illa posset cum reliquis, una qualibet sigillatim sumta destituta. Quod de *totis homogeneis* sive *similaribus*, quæ vocantur, est præcipue intelligendum. Et quidem *Ecclesiæ universalis unitas* hujusmodi est ex principiis *Cypriani*. Idem enim omnium *Ecclesiarum particularium* est officium, ut in *aquæ* illo, quod diximus, exemplo. [31] *Episcopatus* similiter *unus est*, *cujus à singulis in solidum pars tenetur*. Si in *solidum*, plane sequitur nihil esse quo una quælibet *Ecclesia* aliis ita possit esse necessaria, ut sine *ea* nequeant subsistere. Si nullum sit in *disciplina Ecclesiastica* officium quod non sit omnium pariter Ecclesiarum *commune*, nihil est quo *una* certa

14 Ep. LXVII. 15 Vid. & Ep. LII.
16 Ep. LII. init. 17 In Ep. ad *Fab. Antiochen.* ap. *Euseb.* Hist. Eccl. VI. 43. & in Ep. *Cornel.* ad *Cyprian.* XLVI. 18 Ep. XLII. 19 Ep. XLIV. 20 Ep. LII. init.
21 Ap. *Euseb.* Hist. Eccl. IV. 15. 22 Ep. LV.
23 *Socrat.* Hist. Eccl. l. 1. ex Can. 6°. ejusdem concilii.
24 Ap. *Socrat.* Hist. Eccl. ubi supra.
25 Vid. *Vales.* Not. ad *Theodor.* Lector. p. 162.
26 Adv. *Jud.* c. 2. 27 De Virg. Vel. c. 5.
28 De Præscr. c. 21. 29 Adv. *Hermog.* c. 16.
30 Adv. *Valentin.* c. 7. 31 De unit. Eccles.

ta aliqua *Eccleſia* poſſit *aliis* ita eſſe neceſſaria ut nequeant ab *ea* ſeparatæ inter ſe ipſæ cohærere. Quare ut in hujuſmodi integris, *totum* eſt ex *partium* omnium inter ſe *unitatibus* conflatum, non ex *una* aliqua *unione* quæ omnes quaſi permeat; ita in *Eccleſia Catholica*, unitas ejus ex *particularium Eccleſiarum* inter ſe *conſenſu* deducenda eſt, & ex *communione* quæ communis eſt omnium; non vero à *communi* aliquo vinculo ab *una* aliqua *parte* ad *alias* uſque omnes derivando.

§. X. Sunt & alia *integra heterogenea*, *diſſimilaria* & *organica*, quorum *partes* ita inter ſe diverſis *officiis* diſcernuntur, ut ſint omnes ſibi quidem invicem neceſſariæ, ita tamen ut præ aliis *aliæ* ſint multo adhuc magis neceſſariæ. Ita in corporibus *animatis*, nonnullarum partium *officium* ita neceſſarium eſt, ut & reliquæ ab illis *partes*, *totumque* adeo ipſum omnino pendeant, propterea quod earum influxus ad *omnes partes* derivandus eſt, ſuntque illi etiam *influxus* ita neceſſarii ut ſine illis ne *vita* quidem ipſa poſſet conſervari. Id genus *partes* ſunt *caput*, *cor*, &c. Sunt igitur illæ partes *unionis principia*. Si enim reliquarum partium aliquæ ab illis præcidantur, non *illæ* utique, ſed *partes* ita *præciſæ* alienæ cenſendæ ſunt; quæ vero partes cum illis *unitæ* ſunt, eæ ſolæ ad *totum* pertinere exiſtimantur. Quod ſignum eſt illas eſſe *unionis* externæ *principium*, quia ab *illis* ad *reliquas* unio derivatur. Quanquam autem in *corpore* organico *multæ* partes ita neceſſariæ eſſe poſſent, ſi *internas* quoque *partes* trunco incluſas *partium* nomine complectamur, ſi tamen *partium* nomine illas duntaxat *externas* intelligamus, quæ & *membra* appellantur, ita *unicum* duntaxat eſt in quovis corpore *animato* membrum reliquis *unitatis principium*, in *animalibus caput*, in *vegetativis radix*. Ita igitur intelligit *Cyprianus*, Eccleſias *particulares* corporum *organicorum* eſſe ſimiles, ut ſit etiam in *Eccleſia* viſibili *membrum* aliquod itidem viſibile quod animalium *capiti* reſpondeat, *Epiſcopus* nimirum, ut ſi quando contingat membrorum à ſe invicem *disjunctio*, non ſit adeo difficile diſtinguere quæ *membra* ad *Eccleſiam* pertineant *vitalium* ejus influxuum participes, quæ vero ab eadem *ſeparentur*, nec *vitam* illam corporis *Chriſti* myſtici communem habent. Id genus *integris unitatem Eccleſiæ* confert in quibus *una* aliqua, ut dixi, *pars*, eo, quo dixi, modo reliquis eminet. [32] *Quo modo* (inquit) *ſolis multi radii, ſed lumen unum: & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum: Et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur in origine. Avelle radium ſolis à corpore, diviſionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide rivum, præciſus areſcet. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in univerſam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit: unum tamen caput eſt, & origo una, & una mater fœcunditatis ſucceſſibus copioſa.* Quæ verba aliquoties exſcribit confirmatque *Auguſtinus*, nequis putet ſingularem in hac cauſa fuiſſe *Cyprianum*.

§. XI. Neque eſt quod quis *gratis* hæc atque immerito à *Cypriano* ſupponi ſuſpicetur. *Corpori* etiam *organico Eccleſiam* confert ſacra etiam Scriptura, & quidem ita ut *membrorum* mutuam inter ſe *neceſſitudinem* ab eorum officiis arceſſat, 1 *Cor.* XII. Non ſunt hæ pro ſermonis ornatu confictæ alioqui otioſæque *ſimilitudines*; ſed vero pro *prophetarum* ſacro *idiomate* intelligendæ, quo certe idiomate ſi *Scripturas ſacras* i. e. *propheticas*, conceptas eſſe exiſtimemus, nihil eſt ſane veriſimilius magiſve genuinum. Illo autem *idiomate*, id Deus *facturus* intelligendus eſt quod per *ſimilitudinem* fuerat *repræſentatum*. Ex hac igitur *membrorum* mutua *neceſſitudine*; quæ nec ipſa erat fortuita, ſed certo quodam conſilio à Deo *præviſa* atque *inſtituta*, id ſane colligendum, *Deum*, quanquam *poſſit ſingulis* Eccleſiæ membris in omnibus eorum neceſſitatibus *ipſe* nullo mediante, ſubvenire; nolle tamen id à *ſe* ut expectet *creatura*, fratrum potius *dona*, quoties opus eſſet, in uſus ſuos convertant; cum itaque quæ Deus aliis *conceſſit* dona, eadem aliis *negaverit*, futurum deinde erat ut alteri alteris ſibi *invicem* utiles forent atque neceſſarii. Inde colligit Apoſtolus, nullum fore in *corpore myſtico SCHISMA*. Ita qui *donum* habebat *linguarum*, *interpretationis* tamen *dono* ſæpe carebat; qui *nonnullas* etiam *linguas* ex *dono* callebat, *aliarum* tamen erat imperitus; quæ tamen *utiles* ſæpe eſſent, cum prorſus eſſent quas ille callebat, *inutiles*. Qui & illas haberet, *gratia ſanitatum*; cui nec illa deerat, *dono* tamen *miraculorum* deſtitutus eſt. Nec vero erant id genus duntaxat *gratiæ* quibus *ſingulorum* membrorum defectus ſupplerentur; ſed vero *univerſales* etiam nonnullæ, quibus *nullum* erat quin careret membrum, ita erant *omnibus* pariter *neceſſariæ*. Tales erant κυβερνήσεως illa atque προϊσταμένης, atque id genus aliæ. Proinde in *corpore* etiam *myſtico viſibili* (de eo enim agit) *capitis* pariter atque *oculorum pedumque* uſum agnoſcit Apoſtolus, quod nimirum reliquis omnibus *membris* ita *neceſſarium* eſt ut eſt *caput* in corpore *animalis*.

§. XII. Ut autem intelligatur quam hæc appoſite ad cauſam *Cypriani* faciant, duo hæc breviter notentur: Inprimis *dona* illa *extraordinaria* jamdiu defeciſſe, cum tamen *unitatis Eccleſiaſticæ* ratio hodie permaneat, ſitque in æternum permanſura. Proinde præter illam *neceſſitudinem* è *donis* illis *extraordinariis* oriundam, aliam eſſe etiam agnoſcendam è *donis ordinariis*. Sunt igitur & alia ejuſmodi *dona* quorum uſus ab *uno* aliquo *membro* ad reliqua omnia permanet, *corpuſque* adeo univerſum & *membra* omnia ita conſtringant, ut ni *unum corpus myſticum* conſtituant, non ſint plane pro *vitalibus* agnoſcenda, ut *membra* animalium *mori* neceſſe eſt ſi à *capite* ſejungantur. Deinde notandum *donorum ordinariorum* uſum quo quidem *unitas Eccleſiæ* in perpetuum hodie conſervanda eſt, non aliorum eſſe quam *officiorum publicorum*. Jam enim diu eſt ex quo *Donatarii* illi facti ſunt *officiariis ordinariis* obnoxii, idque auctoribus ipſis, ut videtur, Apoſtolis, cum utique graviorem experirentur eorum ἀταξίαν quam quæ poſſet tolerari. *Noſtra* autem *dona* nihil eſt quod vel obtendat quiſpiam quo minus ſint obnoxia, cum ſint & ipſa pariter *ordinaria*. Cum itaque *dona* non alia *publicorum cœtuum unitatem* conſtringere poſſent niſi quæ ſint ipſa in *publicis cœtibus* exercenda; cum *donorum* quorumvis *uſu* in *publico* arceantur niſi quibus indulgendum cenſuerint *officiarii ordinarii*; cum nullis illi præterquam *officiariis* indulſerint; cum *donorum* Sp. Sancti in uſum *Eccleſiæ*, non *privatorum* duntaxat Eccleſiæ *membrorum*, nulla hodie ſuperſit divina *inſtitutio* qua ſint communicanda, præter χειροθεσίαν illam qua *ſacris* deputantur *officiis*; plane ſequitur inter *officia Eccleſiaſtica* quærendum eſſe illud, quod diximus, *unitatis principium*. Recte igitur hucuſque ſuppoſuit *Cyprianus*, & eſſe *membrum* quod ſit reliquis membris, in hoc etiam corpore *Chriſti* myſtico, *unitatis principium*; & eſſe illud in *officiis* Ec-

[32] De Unit. Eccleſ.

Eccleſiaſticis ordinariis inveſtigandum. Quanquam ejus ætate nondum defeciſſe *dona* etiam *extraordinaria* ſuperius oſtenderimus.

§. XIII. Quibus ita præſuppoſitis, *Cypriani* de *unitatis principio* ſatis eſt manifeſta ſententia, nec *alterius* quidem eſſe illud *officii* præterquam *Epiſcopatus*. Proinde *Epiſcopi communionem* ita neceſſariam exiſtimat ut *Eccleſiæ* etiam *definitionem* ingrediatur. [33] *Illi* (inquit) *ſunt Eccleſia, plebs ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens.* Unde obſervanda illa ſequentia quæ ſtatim contra *Florentium Pupianum* intorquet, ipſum licet *confeſſorem*, &, pro illius ſeculi ſtylo, *martyrem*: *Unde ſcire debes, Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo; & ſi qui cum Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe; & fruſtra ſibi blandiri eos, qui pacem cum ſacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quoſdam communicare ſe credunt*, &c. Idem alibi contra *Feliciſſimum*: [34] *Extra Eccleſiam ſoli remaneant, qui de Eccleſia receſſerunt. Soli cum Epiſcopis non ſint, qui contra Epiſcopos rebellarunt.* Idem ergo *de Eccleſia recedere, extra Eccleſiam remanere*, quod *cum Epiſcopis non eſſe.* Rurſus in eadem [35] Epiſtola idem valent *ad Eccleſiam redire*, & *cum Epiſcopis & plebe communicare.* Idem alibi in eandem ſententiam: [36] *Solus poterat de Eccleſia ille diſcedere; ſolus Epiſcopis derelictis cum ſchiſmaticis & hæreticis in furore remanere.* In Epiſtola ad *Cornelium* pro eodem habet *ſacerdotum eſſe hoſtes*, & *in Eccleſiam Catholicam rebelles.* Atque diſputationem illam illo memorabili epiphonemate concludit: [37] *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchiſmata, quam inde quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus ſacerdos, & ad tempus judex, vice Chriſti cogitatur*, &c. Quanquam ipſum *ſacerdotis* nomen vix aliis attributum legas apud *Cyprianum* quam *Epiſcopo*; at cum de *uno* duntaxat *ſacerdote* meminit, res ipſa clamat de *alio* ne *poſſe* quidem intelligi. Nec minus diſerta illa in Epiſtola ad Rogatianum: [38] *Hæc ſunt enim initia hæreticorum, & ortus atque conatus SCHISMATICORUM male cogitantium, ut ſibi placeant, ut præpoſitum ſuperbo tumore contemnant. Sic de Eccleſia receditur, ſic altare profanum foris collocatur, ſic contra pacem Chriſti & ordinationem atque unitatem Dei rebellatur.* De Unitate Eccleſiæ: *An eſſe ſibi cum Chriſto videtur, qui adverſus ſacerdotes Chriſti facit? Qui ſe à cleri ejus & plebis ſocietate ſecernit? Arma ille contra Eccleſiam portat, contra Dei diſpoſitionem repugnat: hoſtis altaris, adverſus ſacrificium Chriſti rebellis, pro fide perfidus, pro religione ſacrilegus, inobſequens ſervus, filius impius, frater inimicus, contemtis Epiſcopis, & Dei ſacerdotibus derelictis, conſtituere audet aliud altare*, &c. De Zelo & Livore: *Hinc Dominicæ pacis vinculum rumpitur, hinc caritas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas ſcinditur, ad hæreſes atque ad SCHISMATA proſilitur; dum obtrectatur ſacerdotibus, dum Epiſcopis invidetur, dum quis aut quæritur non ſe potius ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpoſitum.* Idem colligitur ex aliis quoque locis illis, quos ſuperius retulimus, quibus coincidunt *communicare cum Cornelio.* Nec enim ulla ratio erat, è principiis *Cypriani*, cur in *Cornelium* illa potius convenirent, quam in alium quemvis *Catholicum Epiſcopum.* Hæc idcirco fuſius deduximus, nequis aliam, quam quæ revera fuit, à nobis tribui ſanctiſſimo martyri ſententiam ſuſpicetur; tum ut ex his locis intelligamus, cur, quod his in locis *Epiſcopo*, idem alibi, & in hac ipſa quam in manibus habemus Epiſtola *clero* etiam *univerſo*, & *plebi* etiam ſive *ſtantibus laicis* tribuat. Conſtat enim ex his locis non *plebem* modo, ſed & *clerum* quoque *ipſum* ab *Eccleſia* fore alienum ſi ab *Epiſcopo* diſceſſiſſent, nec *plebem*, niſi *Epiſcopo adunatam*, *Eccleſiam* eſſe appellandam. Ita igitur *Cyprianus* intelligendus eſt, ita *clerum* atque *plebem* ad *Eccleſiam* pertinere, dum Eccleſiaſticæ *unitatis principium* retinuerint, viz. *Epiſcopum.* Cavebunt ergo animabus ſuis, vel hoc ipſo nomine, quod perpetua hæc fuerit ſibique conſtans *Eccleſiæ* ſententia, ſiqui ſint qui primævæ *antiquitati*, *martyriſque* tam illuſtris memoriæ, ullam habeant *reverentiam.* Præſertim cum, nec ea primum ætate irrepſerit in *Eccleſiam Catholicam* illa ſententia. Ne plures *Cypriano* antiquiores inpræſentiarum commemoremus; is eſt certe vel unus *Ignatius*, ut plane nequeat in aliam trahi ſententiam. Non eſt ovum (quod ajunt) ovo ſimilius, quam *Ignatianæ* tota hæc ratiocinatio *Cypriani.*

§. XIV. Sentio autem cum illis mihi eſſe hac in cauſa negotium qui *Catholicam antiquitatem* non tanti faciant ut ei acquieſcere velint niſi conſtet etiam de *rationibus.* Progredior itaque ut oſtendam, & recte conſtitutum eſſe in *Epiſcopo* unitatis *principium*; nec adeo eſſe, quam putant fortaſſe, futilem *rationem* à S. *Petri primatu* petitam. Inprimis *non in alio conſtituendum erat unitatis principium quam in Epiſcopo.* Recolamus enim quæ huc faciunt à præcedentibus facili ſequela colligenda. Lucrati ſumus & *eſſe* talem, quam diximus, in *Eccleſia* etiam *viſibili unitatem*, & quidem non aliunde illam quam è *capitis unitate* arceſſendam. Quæ ſi eſſent è dictis minus manifeſta, vel inde ſane conſtarent quod, in Sacris etiam Literis, quoties de *unitate* reddenda eſt ratio, à *capite* illam ſemper repetant. In *matrimonio unum* dicuntur *vir* & *uxor*, & quidem ad illam eandem *unitatis formam* qua *Chriſtus* cum *Eccleſia unus* dicitur, ut conſtat ex *Eph.* V. Nempe quia *caput mulieris vir eſt. Unus* dicitur cum *fidelibus Chriſtus*, quia *caput viri Chriſtus eſt*, *unus* cum *Chriſto Deus*, quia *caput etiam Chriſti Deus eſt.* Cum igitur in *Archetypis* illis *unitatibus*, quæ quidem *in Eccleſiaſtica unitate* repræſentantur, id locum habeat perpetuum; non eſt equidem quod dubitemus in *externa* quoque hac *corporis myſtici unitate* idem eſſe oportere. Lucrati etiam ſumus præterea, è *donis* illam *ordinariis*, & quidem *officiorum Eccleſiaſticorum* propriis eſſe repetendam; ut proinde quodcunque *aliis* præcellit *officium*, ab illo deducenda ſint omnino *unitatis primordia.* Addendum præterea à *ſacramentis officiiſque* in *ſacramentorum adminiſtratione* occupatis, hanc arceſſendam eſſe *unitatem.* Ita enim explicat Apoſtolus *membrorum* hanc à *capite* dependentiam, quod ex eo [39] *totum corpus per nexus & conjunctiones* ἐπιχορηγούμενον καὶ συμβιβαζόμενον [*nutritum* viz. *conſolidatumque*] *creſcit in augmentum Dei.* Nulli enim ſunt hodie alii *gratiæ canales* quibus *gratia* poſſit per *membra* omnia emanare atque diſtribui. Nedum in *hominum poteſtate* ſiti, ut per illos alii poſſint homines aliis eſſe neceſſarii. Hac vero *ſymbolorum adminiſtratione* effectum eſt, ut *vitæ ſpiritualis* influxus nequeant ad membra derivari, niſi eorum conſenſu quibus credita eſt à Deo *ſacramentorum adminiſtratio*: ut in *corpore* animalis fruſtra expectent *membra* influxus vitales niſi ſubminiſtrentur à *capite.* Qui igitur in hac *ſacramentorum adminiſtratione* principem obtinent locum, ab illis *gratiam* ad reliquos omnes *emanare* neceſſe eſt, ipſi ab aliis pendere in *gratiæ* illa *derivatione* non poterunt, quippe quibus *nefas* eſt, niſi eorum *permiſſu ſacramenta adminiſtrare.* Rectiſſime igitur in illos quadrabunt metaphoricæ illæ, quas diximus,

[33] Ep. LXIX. [34] Ep. XL. [35] Ibid. [36] Ep. XLIX. [37] Ep. LV. [38] Ep. LXV. [39] Col. II. 9.

mus, *unitatis* repræſentationes. Idemque valeant in *Eccleſia* neceſſe eſt quod *caput* in animali, quod in planta *radix*, quod ab illis derivandi ſint ad alios quoſque *gratiæ canales*, ipſi viciſſim ab aliis minime recipiant, ſintque adeo prima illa, quam quærimus, *unitatis ſedes*, qua qui deficiunt, illi utique nec cum *Eccleſia uniri* cenſeantur. Atque ex hac *gratiæ communicatione* per *ſacramenta*, ſequitur & alia ab iiſdem illis *ſacramentorum præſidibus* expectanda. Quorum enim in *poteſtate* ſita eſt illa *gratiæ* per *ſacramenta* communicatio, illi proinde ad *gratiæ* illam perceptionem admittere, vel ab eadem poterunt excludere, concedendo viz. vel negando, quæ obtineri illis invitis non poterunt, *Eccleſiæ ſacramenta*. Poterunt proinde illi ad *Eccleſiæ ſocietatem* quos velint, admittere, quos nolint, *excludere*. Poterunt *fideles*, delinquentes vel *excluſione* punire, vel *admiſſione* remunerare. Poterunt & *leges Eccleſiaſticas* fidelibus imponere, *præmiis*, quæ dixi, illis *pœniſve* ſanciendas. Ut proinde qui *ſacramentorum adminiſtrationi* præſint, eoſdem illos in *Eccleſiæ regimine* conſtituti neceſſe ſit. Sunt autem rurſus *regiminis influentiæ* novi *externarum gratiarum* canales à *præſidibus* ad *ſubditos* quoſque ſimiliter etiam derivandi.

§. XV. Si itaque, ætate *Cypriani*, id quæreretur, quinam eſſent in *Eccleſiæ regimine*, *ſacramentorumve* adminiſtratione, *ſummo* in *Eccleſiæ* loco conſtituti, utrumque erat de *Epiſcopis* veriſſimum. De *aliis* autem, quam *Epiſcopis* ne erat quidem omnino *verum*. In utroque, quamvis nihil *Cyprianus* ſine *presbyterii conſilio* agendum *ſtatuerit*; cum tamen *opus* eſſet, quod à ſe *geſtum*, illis *inconſultis*, fuiſſet, *ratum* nihilominus habuit. Id ex *ordinationibus* in *receſſu* habitis ſatis conſtat, unde *jus* in ſe *uno* aliter agendi agnoviſſe manifeſtum eſt. Quod vero ad rem *ſacramentariam* attinet *excommunicationemque*, erat plane ſine æmulo. [40] *Solus* in *receſſu* decrevit de excludendis à *communione presbyteris*, qui, ſe inconſulto, *pacem* lapſis conceſſiſſent. [41] *Solus* etiam de abſtinendo *Feliciſſimo* decrevit, cum quinque *Feliciſſimi* ſatellitibus etiam *presbyteris*. Ergo in ipſos etiam *presbyteros*, ipſe etiam *ſolus jus* habebat. Quanquam noſtrum inſtitutum quod attinet, abunde ſufficit ut eum ſaltem obtinuerit *primatum* quem S. *Petro* tribuit in reliquos Apoſtolos, quos alioqui *pares* agnoſcit. Atqui poterat inquies) ratio *capitis unius* in *pluribus* etiam *hominibus* ſatis commode ſervari, ut ſervatur in formis regiminum *ariſtocratica* & *democratica*. Poterat, fateor, nec minus tamen commode ſervari poterat in uno etiam *homine*, ut in forma *monarchica*. Noſtrum vero non eſt quærere, in *Eccleſia* quid eſſe potuerit? ſed, quid *de facto* obtinuerit: nec, quid à *Chriſto* atque *Apoſtolis* ejus dimanare potuerit? ſed, quid potius *de facto* dimanarit? *Cypriani* certe adverſarii non alios opponebant æmulos quam qui fuiſſent in *Eccleſia de facto*. Ut proinde recte ille prudenterque argumentatus ſit, cum è *poteſtatibus* in *Eccleſia* jam antea *de facto* receptis, eam deſignarit quæ pro *unitatis principio* eſſet agnoſcenda. Ita *martyres* ab *unitatis principio* excluſerat quibus nullum fuerat *jus*, nulla in Eccleſia *ordinaria poteſtas* in *ſacramentorum* unitatis ſymbolorum *legitima adminiſtratione*, hoc uno *martyrum* nomine, ni alio fuiſſent in *officio* conſtituti. Ita æmulos etiam *Epiſcopos*. Eſt enim id *monarchiarum* omnium commune, etiam eorum quæ per *electionem* deferuntur, ut, quanquam, ſede vacante, omnibus pateant, eadem tamen plena, alium æmulum non admittant. Nec enim *duo monarcham* conſtituunt, ut proinde *ſecundus* non pro *alio* ſit *monarcha* agnoſcendus, ſed plane *nullo*. Eſt etiam id *monarchiarum* ejuſmodi commune, ut *electorum poteſtas* cum *interregno* terminetur, ut ſi *alium* quemvis deinceps *elegerint*, non jam amplius *electores* habendi ſint, ſed *ſubditi rebelles*; nec jam amplius *legitima* habenda ea ſit *electio*, ſed vero *irrita* prorſus & plane *nulla*.

§. XVI. Aliter tamen argumentatur in hac ipſa cauſa *Cyprianus*, nempe ab ipſa illa, quam diximus, *unitatis natura*. Si enim *Eccleſia unum* corpus myſticum conſtituat, *ſacramenta unitatis* conciliandæ inſtrumenta ſint, ſitque in Eccleſia *unitatis principium*, nec in *alio* illud quam in *uno* etiam *homine* conſtituendum quem *Epiſcopum* appellarent; plane ſequitur & hic *electorum poteſtatem* cum *prima* eſſe *electione* terminandam, quia *unius* duntaxat eligendi *poteſtatem* habebant, ut ex eo capite *ſecunda* irrita ſit. Sequetur præterea ita ſuffectum *nullum* eſſe poſſe, quia priori additus *unus* eſſe non poteſt, non certe *unus homo*, ut diximus, nec proinde *unitatis Eccleſiaſticæ* jam conſtitutæ *principium*. Sequitur proinde *extra Eccleſiam*, *unumque* ejus *altare* fore, atque adeo, è *Cypriani* principiis, *profanum* atque *ſacrilegum*. Nec enim ad *priorem*, ut dixi, *unitatem* pertinere potuit, cum ejus *caput* eſſe non poſſet. Ergo *unitas* illa cujus *caput* conſtitutus erat novus iſte *commentitius* Epiſcopus, plane *alia* erat quam *Eccleſiæ* illa; &, cum in eadem fuiſſet *ditione*, neceſſario *adverſa*, ut proinde ſi *ſanctus* fuiſſet primus *Epiſcopus*, *ſecundus* foret neceſſario *ſacrilegus*. Ita de *Cornelii Novatianique* ordinationibus argumentatur in Epiſt. ad *Antonianum* [42] *Cyprianus*. Factum eſſe dicit Epiſcopum *Cornelium*: *cum nemo ante ſe factus eſſet: cum Fabiani locus, id eſt, cum locus Petri & gradus cathedræ ſacerdotalis vacaret, quo occupato de Dei voluntate, atque omnium noſtrum conſenſione firmato; quiſquis jam Epiſcopus fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec habeat Eccleſiaſticam ordinationem; qui Eccleſiæ non tenet unitatem, quiſquis ille fuerit, multum de ſe licet jactans, & ſibi plurimum vindicans, profanus eſt, alienus eſt, foris eſt. Et cum poſt primum ſecundus eſſe non poſſit; quiſquis poſt unum, qui ſolus eſſe debeat, factus eſt, non jam ſecundus ille, ſed nullus, eſt.* Nec de *Romana* id ſede duntaxat, ut putant *Romanenſes*, docuit *Cyprianus*. *Ratio* certe de *unico Epiſcopo* omnino omnium *ſedium* communis eſt, qua & alibi de ſua *Carthaginienſi* ſimiliter eſt uſus. Ita ille de factione *Feliciſſimi* pſeudo-Epiſcopum *Fortunatum* jamjam ſuffectura: [43] *Aliud altare conſtitui, aut ſacerdotium novum fieri, præter unum altare & unum ſacerdotium, non poteſt. Quiſquis alibi collegerit, ſpargit* [alludit proculdubio ad *ſynaxeon* nomen (quas *collectas* reddiderant *Africani*) & quidem elegantiſſime] *Adulterum eſt, impium eſt, ſacrilegum eſt, quodcunque humano furore inſtituitur, ut diſpoſitio Divina violetur.* Recte igitur hucuſque *Cyprianus*, ſolideque argumentatus eſt.

§. XVII. Sed nec illam quoque aliam de *jure* quæſtionem prætermiſit intactam. [44] *Conſuetudinem ſine veritate vetuſtatem erroris* appellavit poſtea martyr noſter. *Ad divinæ* potius *traditionis caput & originem revertendum* cenſet *ad originem Dominicam & Evangelicam, & Apoſtolicam traditionem. Et inde* (inquit) *ſurgat actus noſtri ratio, unde & ordo & origo ſurrexit.* Propterea, ne, quod ipſe *Stephano*, id *ſibi* alius quiſpiam exprobraret: illam *perſonæ* etiam *unitatem* in *unitatis principio* probandam ſuſcepit. Idque dupliciter, tum ex *rei* ipſius *natura*, tum ex *Chriſti* etiam *inſtitutione*. Ex *rei natura* quidem, quia *unus* eſſet *Deus*, *unus* item *Chriſtus*. Ita adverſus *Feliciſſimum*: [45] *Deus unus eſt,*

[40] Ep. X. [41] Ep. XXXVIII. [42] Ep. LII. [43] Ep. XL. [44] Ep. LXXIV. [45] Ep. XL.

eſt, & *Chriſtus unus*, & *una Eccleſia & cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata.* Unde colligit quæ ſupra exſcripſimus de *uno altari*, *unoque ſacerdotio.* Neque eſt quod *myſticas* hujuſmodi *ratiocinationes* commentitias in hujuſmodi cauſis putet quiſpiam, & pro arbitrio confictas. Quam non ſint *contemnendæ* eo brevius expediemus inpræſentiarum, quod illas in tractatu noſtro *anglicano* de *uno altari*, *unoque ſacerdotio*, adverſus *ſchiſmaticos* noſtrates fuſius aliquanto deduxerimus atque explicuerimus.

§. XVIII. Animadvertendum igitur 1°. totam hanc, de qua loquimur, *Eccleſiæ unitatem* eſſe ipſam quoque *myſticam.* Hoc cum nemo ſit, quod quidem ſciam, qui neget; mirandum tamen id cuipiam *mirum* videri poſſe, ſi *locutiones argumentationeſque myſticarum* rerum propriæ hic adhibeantur. Id *mirum* potius ſi aliæ adhiberentur *myſticarum* rerum *alienæ.* Ergo,

§. XIX. Animadvertendum 2°. totam hanc *externam* Eccleſiæ *unitatem* eo eſſe conſilio à Deo inſtitutam, ut per illam fiamus *ſpiritualis* atque *inviſibilis*, cum Deo Chriſtoque ejus, *unitatis* participes. Erat enim id *myſteriorum* omnium *ethnicorum* conſilium, unde *myſteriorum* ipſum ad *Chriſtianos* emanavit exemplum, ut *viſibilium inviſibiliumque* quoddam inſtitueretur quaſi commercium, ut per *ſymbola* quædam atque *ectypa ſenſibus* obnoxia ad νοητὰ & ἰδέας, atque ipſa adeo rerum illarum *exemplaria archetypa*, aditus patefieret. Ergo *myſtica* illa *Eccleſiæ* ἕνωσις ad *intellectualem* illam λόγῳ ἕνωσιν, de qua tam multa *Platonici*, aſpirabat. Ut igitur κοινωνία cum *orthodoxis* apud S. *Joannem* 1 *Ep.* I. 3. viam parabat ad κοινωνίαν cum *Patre Filioque*; ita de ἑνώσει erat ſimiliter ſtatuendum, qui illam *externam* cum *Eccleſia* communem haberent, eos de *intellectuali* quoque cum *Patre Filioque* ἑνώσει participes futuros. Et quidem ita *intellectualia* hæc *beneficia* reſpiciebant *externa ſymbola*, ut plane *irrita* exiſtimarentur atque ſupervacua, ſiqua *ſymbola* præſtare illa *beneficia* non poſſent.

§. XX. Animadvertendum 3°. ita *intellectualia* hæc rerum *exemplaria* per *ſymbola* fuiſſe communicata, quod *ſymbola* eo ipſo *conſilio* à Deo *inſtituta* intelligerentur, ut innueret ea ſe *ſpiritualia beneficia* præſtiturum quæ per *ſymbola* repræſentaſſet, ut proinde ſolicite cavendum eſſet de *vera* ſymboli *repræſentatione*, cum alioqui ſpem omnem *beneficiorum intellectualium* alioqui repræſentandorum, *falſa* eſſet *repræſentatio* præciſura. Id ſolenne erat *prophetis*, quorum hæc ſunt idiomate concepta. [46] *Joaſum* reprehendit *Elizæus* quod terram *ter* duntaxat percuſſiſſet, fore dicens propterea ut *trinam* à *Syris* victoriam reportaret, ſi ſæpius ictum repetiiſſet, penitus profligaturus. Et vero ipſo *unitatis* procurandæ conſilio inſtituta videntur à Deo *ſacramenta. Baptizamur* ſcilicet *in unum corpus*, 1 *Cor.* XII. 13. *Multi etiam unus ſumus panis, & unum corpus, quia de uno pane participamus*, 1 *Cor.* X. 17. Ita igitur *unitas Eccleſiæ externa internam* illam *intellectualemque* præſtitura eſt, ſi eam quam accuratiſſime, & ad verum *expreſſerit*, i. e. ſi *unitas ectypa* reſpondeat *archetypæ.* Aliter fiet ut ne *Deus* ipſe *obſtringatur* ad præſtandam *intellectualem* illam, quæ maximi facienda eſt, *unitatem.* Præſertim cum hæc *ſacramentorum* ſymbola ideo inſtituta ſint ut *pacti* vicem obtinerent. Jam enim ſequetur, ut eam præſtare *unitatem*, ſi non *repræſentetur*, ne *pactus* quidem Deus intelligetur. Ea enim duntaxat *pactus* eſt quæ *ſignificavit*, nec alia *ſignificavit* quam quæ ſunt in *pacti ſolennibus* repræſentata. Ita eſt pro moribus *pactorum* intelligendus. *Legitima* autem nulla eſſe poteſt, ſine *pacto obligatio.*

§. XXI. Animadvertendum 4°. ut hæc *intellectualis unitas* ad *vivum* repræſentetur, ejuſdem *generis unitas* eſſe debebit in *Eccleſia ectypa*, qualis fuerat in *archetypa.* Cum igitur in *intellectuali* illa *unitate* à *capite* arceſſatur omnis *unitas* (eſt enim *Chriſti caput Deus*, ut ipſe *Chriſtus* eſt *caput Eccleſiæ*) ſequitur ut in *Eccleſia unitas* à *capite* ſit ſimiliter inchoanda. Cum à *capite* illo ad *membra* deriventur *unitatis* influentiæ, à *Deo* ad *Chriſtum*, à *Chriſto* ad *Eccleſiam*; ſequitur in *Eccleſia* idem eſſe agnoſcendum, ut quæcunque *unitatis beneficia* participant *membra*, ea non ſint alteri quam *capiti* tribuenda. Utque omnis *corporis membrorumque unitas* à *capitis* unitate profluit, idem in *Eccleſia* valebit, à *capitis* ejus *unitate* Eccleſiæ membrorumque ejus omnem *unitatem* profluere debere. *Chriſtus unus* eſt, quia *unum* habet *caput*, *Deum* Patrem; *Eccleſia* ſimiliter *una* eſt, quia *unum* habet *caput*, ipſum *Chriſtum.*

§. XXII. Animadvertendum 5°. non ſufficere ad *Eccleſiæ unitatem caput Chriſtum*, ſed vero in *Eccleſia viſibili* de *viſibili* hæc eſſe *capite* intelligenda. Jam enim oſtendimus nihil eſſe *inviſibilium* expectandum à Deo niſi quod à *viſibilibus* externiſque *ſymbolis* repræſentetur atque ſignificetur. Proinde niſi in *Eccleſia viſibili* ſit etiam *unitas viſibilis* in ejus conſtitutione repræſentata, *unitatem* illam *inviſibilem* Eccleſiæ membra à Deo fruſtra expectabimus. Ni adſit in *Eccleſia viſibile* etiam *caput*; nec *viſibilem unitatem* habere poſſumus à *viſibili*, ut dixi, *capite* repetendam; nec etiam cum *Chriſto inviſibili capite* conjungemur. Ni deriventur in *Eccleſia viſibiles* illi *gratiæ canales* à *viſibili* ejus *capite* per *ſacramenta*, nec erit quod à *Chriſto inviſibili capite inviſibilem* ſacramentorum *gratiam* ſperemus. Ni *unum* præterea ſit *viſibile caput*, non erit *unitatis viſibilis* primordium, nec *inviſibilis capitis*, ipſius *Chriſti* ἀῤῥαβών. Quid quod ipſa etiam *ſacramenta viſibilis unitatis* inſtrumenta atque pignora, probant omnino eorum omnium neceſſitatem quæ ſunt ad *viſibilem unitatem* neceſſaria, nec eſſe aliter de *inviſibili* quoque *unitate* participandum.

§. XXIII. Animadvertendum 6°. *viſibilem* etiam hanc, quam dixi, *capitis viſibilis unitatem*, de *perſonæ* eſſe *unitate*, non *multitudinis*, qua commune conflatur *caput*, intelligendum. Idque ex hac ipſa *Cypriani ratione*, quia *unus* eſt *Chriſtus*, & *unus* item *Deus.* In utroque enim *archetypo* non eſt *multitudinis*, ſed vero *perſonæ*, *unitas.* Et quidem tanti ſemper fecit *Eccleſia* hanc *unitatem*, ut pro *hæreticis* haberet ſiqui hanc *perſonarum unitatem* quovis modo labefactandam cenſerent. Οἱ καταλύοντες Ἰησοῦν, ſive *plures Chriſtos* introduxiſſent, ſive etiam *Jeſum* à *Chriſto* diſtinguendum cenſuiſſent, ab ipſis etiam *Apoſtolorum* uſque temporibus in *hæreticorum* cenſum relati ſunt; ne jam *recentioris Eccleſiæ* Decreta commemorem adverſus *Neſtorium.* Nec aliam exiſtimo fuiſſe cauſam cur etiam in *Trinitate unitatem* tantopere deprædicarent *Apoſtoli*, cur eam ipſam, in *Trinitate* etiam, *unitatem* à *capitis unitate* deduxerint, niſi ut omnibus modis oſtenderent, ad *capitis unitatem* ne *tres* equidem *perſonas* eſſe adhibendas, ſed in *unam* duntaxat eſſe referendam. Si itaque pluſquam *una* eſſet in *Eccleſia viſibilis* capite perſona, jam *cœleſtem* illam *unitatem* minime referret, cum illa nihil commune habitura. Etiam *hæretica* eſſet illa *repræſentatio.* Cum enim *Chriſtiani* ita *unum* eſſe debemus, ut eſt *unus* cum *Chriſto* ſuo *Pater*: innueretur *plures* eſſe in *Chriſto* aut *Patre perſonas*, ſi ad *Chriſti Patriſve* repræſentationem *plures perſonas* adhiberemus. Nec enim eſt quod in *verbis* magis quam in *factis hæreſim* conſtituamus cum *certa* eſſe debet *facti repræſentatio.* Quo magis Deum irritari oporteat ne *ratam* habeat in *cœlo falſam* illam *unitatem*,

[46] 2 Reg. XIII. 18, 19.

tatem, non modo quia *cœleſtem* illam *unitatem* falſo vitioſeque repræſentaret *capitis* illa *terreſtris multitudo*, ut non *illam* ſed plane *aliam* exprimeret; ſed vero quia in eo ipſo *male* repræſentaret, in quo alioqui accuratiſſime fuiſſet cautum, ne, quam eſſet, aliter repræſentaretur.

§. XXIV. Atque huc conveniunt *origines* illæ omnes ad quas *Chriſtianæ* inſtitutiones à *Deo* ſunt pro captu illius *ætatis*, expreſſæ. Λόγον ipſum ἕν, ut *Patrem* τἀγαθὸν, proprio quodam ſuo modo appellarunt *Platonici*. Illi ἑνοποιὸν δύναμιν attribuunt, ut qui *unitatis* ſunt participes (ἑνοειδεῖς nuncupant) Λόγῳ illam referant acceptam. Nec aliter loquuntur ipſæ *Sacræ Literæ*. Illum eundem Λόγον repræſentabat *Judæorum Pontifex maximus* ex ſententia *Helleniſtarum*; & quidem ita ut *unitatis principium* inde colligebant, non alium eſſe oportere quam *unum* iſtiuſmodi *Pontificem*; ſiquis eſſet præterea, ut in templo *Samaritano*, *profanum* illum, & à Λόγῳ cœleſtique *unitate alienum*, nec *cœleſtis altaris ſacrificiorumque* eſſe participem. Nec aliter de *Epiſcopis* ſuis *primævi* etiam *Chriſtiani*, præcipue *Ignatius*. *Chriſtum animarum* Epiſcopum agnoſcit *Scriptura*. *Chriſtumque* eundem auctor *Apocalypſeos* ita in *medio Eccleſiarum* deſcribit, ut ſolebat *Epiſcopus* ſedere in medio cleri *hemicyclio*. Quis non hic agnoſcat *ipſum* eſſe *inviſibilem*, cujus *typum* gerebat ille quem habebat *Eccleſia viſibilem*? Id etiam in dicto tractatu oſtendimus, *civitatem* quamcunque reſpondere *civitati Hieroſolymitanæ*, nec minoribus frui ſub *Evangelio privilegiis*, ut proinde *civitatum Epiſcopi ſummis* etiam *Pontificibus* reſpondeant, & eſſe adeo pariter Λόγου *vicarios*, eo tamen *ſanctiores* quo *Evangelica* omnia *Legalibus* ſunt, ex N. Teſtamenti ratiociniis longe anteferenda. Recte igitur *Ignatius Epiſcopum* facit nunc *Chriſti*, nunc *Dei Patris* vicarium; nihil enim prohibet *mediate* eundem eſſe utriuſque *viſibilem ectypum*. *Chriſtum* ipſum *inviſibilem* agnoſcit *Epiſcopum* in quem redundare dicit *Epiſcopi viſibilis* contemtum, eodem plane modo quo jam ſupra oſtendimus *nunciorum à facie* contemtum in *principum* eſſe contemtum referendum. Recte etiam *Cyprianus* noſter *Epiſcopum vice Chriſti judicem* eſſe docet agnoſcendum. Longe certe potiori ratione quam qua *Moſis Aaroniſque* contumeliæ in *Deum* ſimiliter eſſent referendæ.

§. XXV. Recte itaque hucuſque Martyr noſter ex ipſa *rei natura* argumentatus eſt; videamus jam ut ratiocinetur idem de *actuali* Chriſti *inſtitutione*. Atque hoc in loco illam adhibet *rationem* quam ſibi putant adeo propitiam *Romanenſes*, qui præterea nihil habent in *primæva* trium ſeculorum *antiquitate* quod ſibi vel propitium exiſtiment. Repetamus igitur ejus inprimis *verba*, ut, quid ſibi velit, intelligamus. Tum *argumenta* etiam examinemus quibus quod vult putat aſtruendum. Ita judicabimus nunquid ſit de quo ſibi tantopere gratulandum triumphandumque cenſeant *Romanenſes*. Quod eo libentius aggredimur, quia viro maximo *Petro de Marca* hoc unum præ reliquis argumentum ita placuiſſe videamus ut cum rogatu *ſummi Pontificis* aliquid eſſet de *Primatu* ejus conſcribendum; nihil eſſet præterea quod è *primæva* illa, quam dixi, *antiquitate* deligendum potius exiſtimaret.

§. XXVI. Quanquam igitur hoc idem argumentum, quoties opus eſſet, ſæpiſſime repetierit *Cyprianus*, neſcio tamen uno aliquo in loco an plura coacervarit quam in ipſa hac Epiſtola. Hinc igitur illum audiamus: *Dominus*, inquit, *noſter*, *cujus præcepta metuere & obſervare debemus*, *Epiſcopi honorem & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in Evangelio loquitur*, *& dicit Petro: Ego tibi dico*, *quia tu es Petrus*, *& ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam*, *& portæ inferorum non vincent eam: Et tibi dabo claves regni cœlorum*, *& quæ ligaveris ſuper terram*, *erunt ligata & in cœlis*, *& quæcunque ſolveris ſuper terram*, *erunt ſoluta & in cœlis. Inde per temporum & ſucceſſionum vices*, *Epiſcoporum ordinatio*, *& Eccleſiæ ratio decurrit*, *ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur*, *& omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur*. Quæ in hac argumentatione tota aſſeruit *Cyprianus*, ad hæc facile, ni fallor, capita redigentur: 1°. Quod Apoſtolo *Petro* eadem illa *clavium poteſtas*, quæ *reliquis* poſtea omnibus *Apoſtolis* conceſſa eſt (ut obſervavit ipſe [47] alibi) *ſoli* tamen hic data eſt, non id ſine certo arcanoque conſilio à Servatore eſſe factum, ut inter *pares unus* tamen reliquis emineret. 2°. Hanc *unius* inter *pares* eminentiam ita commodiſſime intelligi poſſe atque explicari, ſi facta exiſtimetur propter ipſam *unitatis* commendationem; 3°. hanc *unitatem* ita commendatam ab *una perſona* inchoandam eſſe quæ ſit etiam *Eccleſiæ fundamentum*, quia ſuper eam *Chriſtus Eccleſiam* ſuam eſſet ædificaturus; 4°. hanc *unitatis* commendationem non cum S. *Petri perſona* eſſe terminandam, nec vero eſſe credibile quod *Chriſtus ipſe* ita terminandam voluerit, ſed ad *alia* deinceps Eccleſiæ *ſecula* emanare debuiſſe; 5°. In illos S. *Petri poſteros* convenire hunc, futuris ſeculis, honorem, qui eidem S. *Apoſtolo* in officio *Præſidis ſingularis*, pro more futurarum Eccleſiarum, eſſent ſucceſſuri; 6°. illum eſſe *legitimum* Apoſtoli in eo officio *ſucceſſorem* qui per *ſucceſſionum vices ordinatus* eſſet, vel, ut alibi loquitur, qui *vicaria ordinatione*, *i. e.* qui *vacante ſede* in *vicem* deceſſoris fuiſſet ſuffectus, non qui plenam occupaſſent, quod fecerant *Fortunatus* atque *Novatianus*: 7°. Non alios quam *Epiſcopos*, & quidem *omnes* illos, qui quidem *ſedem* Epiſcopalem *legitime* adepti eſſent, eſſe S. *Petri* in hoc munere *ſucceſſores*, ut & *unitatis* eſſent, in ſua quiſque Eccleſia, *principia*, & ejuſdem *Eccleſiæ fundamenta*. In hac certe Epiſtola, de *omnibus* loquitur *Epiſcopis* univerſim, de ſua vero ſede *Carthaginienſi* in *particulari*, ut & alibi ſæpiſſime. Fateor equidem 8°. eſſe ubi ſedi *Romanæ* præconii loco, *partem* in hac laude tribuant S. *Petri unitatis principii*, quod Epiſcopum *Romanum* S. *Petri* in ea ipſa ſede *ſucceſſorem* agnoviſſent. Sed quoties id faciunt, non id eo animo faciunt ut *primatum* ejus in alios *Epiſcopos* agnoſcant, ſed quo *ſanctiorem* illius particularis Eccleſiæ *diſciplinam* vel eo nomine commendarent, verecundiamque ipſis incuterent violandæ *propriæ unitatis* à quibus ad reliquos *exemplum unitatis* emanaſſet. Ita audaciam *Feliciſſimi* eo ipſo nomine onerat, quod *navigare auderet ad Petri cathedram*, *atque ad Eccleſiam principalem unde unitas ſacerdotalis exorta eſſet*; innuendo ſcilicet, mali eſſe *exempli*, ſiqui ceteris *Eccleſiis exemplum* fuiſſent *unitatis*, iidem aliarum Eccleſiarum rebelles fovendo, *violandæ* itidem *unitatis exemplum* eſſent. Recte nimirum hæc, & pro ſeculi genio, procedebat argumentatio. Ut enim *prima* rerum *exemplaria* longe omnium *ſanctiſſima* habebantur, ita *ſecundariorum* quoque *exemplarium* eo quidque ſanctius quo propius accedebat ad primum. Ita enim, ne longius abeamus, probat Apoſtolus in *Ep.* ad *Hebræos graviora* eſſe quæ in *Evangelium*, quam quæ in *Legem* fuiſſent admiſſa: quia *archetypa* ipſa repræſentata eſſent ſub *Evangelio*, quorum edita ſub *Lege* fuiſſent duntaxat *ectypa*. Ita gravius erat in ſede *Romana*, quam alibi, *violatæ unitatis* piaculum, reliquis nimirum *Eccleſiis* atque *unitatibus archetypæ*. Quod ſi illud *unitatis primordium* eundem Eccleſiæ *Ro-*

47 De Unit. Eccleſ.

Romanæ tribuiſſet in *reliquas* Eccleſias Epiſcopoſque *primatum* quem in *ſuæ* quiſque Eccleſiæ obnoxios habuit *Epiſcopos* (ut ſane debuit, hæc ſi eo recte detorta fuiſſet argumentatio) tam profecto *unitatem* Eccleſiarum aliarum non temeraſſent cum eorum ſubditos *appellantes* admitterent, quam nec ipſi *Epiſcopi* cum *ſuos* immorigeros *ipſi* coërcerent. Idem *Stephano* exprobrat *Firmilianus*: [48] *quod qui ſic de Epiſcopatus ſui loco gloriaretur, & ſe ſucceſſionem Petri tenere contenderet, ſuper quem fundamenta Eccleſiæ collocata ſunt, multas alias petras induceret, & Eccleſiarum multarum nova ædificia conſtitueret, dum eſſe illic baptiſma ſua auctoritate defenderet.* Quid audio? Multaſne *Stephanum* conſtituiſſe ſedes *Apoſtolicas*, *cathedras Petri*, aliorum Epiſcoporum *primatus Romæ* æmulos? Id *Stephano* in *mentem* venire potuiſſe? Ita illum *intelligere* potuiſſe *Firmilianum?* Ubinam interea ille, de quo tantopere gloriantur, *unus Epiſcopus*, *unuſque Epiſcopatus?* Quaſi vero qui *baptiſmos* diverſos admiſiſſent, illos neceſſe eſſet ut varios per orbem *primatus*, aut varios in urbe etiam *Epiſcopos* agnoſcerent aliorum *Epiſcoporum petras.* Manifeſta eſt, è contra, *Firmiliani* ſententia, quot fuiſſent in urbe quaque *baptiſmi* ſibi invicem *adverſi*, tot fore *Eccleſias*, tot *Eccleſiarum petras*, tot *fundamenta* diverſis adverſiſque ædificiis ſubſternenda. De *ſingularum* igitur *Eccleſiarum petris fundamentiſque* in *Epiſcopo* quoque agnoſcendis agit *Firmilianus.* Nec ſi aliud *Stephanus* ipſe voluiſſet, veriſimile eſt id prætermiſſurum eſſe *Firmilianum.*

§. XXVII. Miſſis igitur *Pontificiis*, age videamus ipſa *Epiſcoporum* communia *jura* quam ſolide ex hoc argumento colligat *Cyprianus.* Nec enim defuturos ſcio qui quod *myſtica* hæc ſit argumentatio, idcirco *contemnendam* putent. Non cogitant illi quam id *Patribus* fuerit familiare *Origene* etiam *antiquioribus*, quam id *Apoſtolico* ſeculo, quam ipſis etiam *Apoſtolis* iiſque omnibus qui N. *Teſtamentum* ſcriptis conſignarunt; quam id *Divino* cum hominibus *commercio*, & *Spiritui Prophetico*, *oraculiſque* omnibus, non *Judæorum* modo, ſed & *gentilium*, conveniat, ut res hominibus patefaciendas *typis* illis *ſymboliſque* repræſentarent. Verum hoc nos alibi. Videamus itaque inpræſentiarum hæc ipſa *argumentatio* quam ſit *firma* atque *ſolida.*

§. XXVIII. Supponebant igitur 1°. *Prophetam* fuiſſe *Salvatorem* noſtrum, nec è *grege* duntaxat illud, ſed vero omnium *Prophetarum maximum* atque *principem.* Nec id illos immerito ſuppoſuiſſe facile concedent adverſarii. Non erit itaque neceſſe ut *Theologorum* hic ſcrinia compilemus de *munere* ejus *Prophetico.* Sequitur interim *partem* illum *Prophetæ* ſuſtinuiſſe *perſonamque* egiſſe, ut proinde *geſta* ejus eſſent atque *dicta*, pro *prophetarum idiomate* atque more intelligenda, non pro *vocum* duntaxat ſono, externave *factorum* apparentia, ſed ſenſu ut plurimum *myſtico* atque arcano. Cum præſertim *parabolicum* illud agendi commercium, de eo à veteribus quoque *Prophetis* fuiſſet *prædictum*, & vero multa eſſent ab eo ita pro familiari etiam *colloquio* dicta, quæ ne à *diſcipulis* quidem intelligerentur.

§. XXIX. 2°. In hoc ipſo inter *Salvatorem* alioſque quoſlibet *Prophetas* magnum interceſſiſſe diſcrimen, quod reliquis omnibus, pro certis duntaxat temporibus, *Spiritus* adeſſet. Reliqua *humano* & fallibili *ſpiritu* agebant; nec in eorum erat arbitrio ſitum, ut, quoties vellent, *Spiritum* impetrarent. *Salvator* Spiritus *plenitudinem* habuit, eamque *ſemper*, & pro ſuo *arbitrio.* Unde ſequitur ejus *nulla* eſſe *facta* aut *dicta humana*, præſertim quæ *ordinarios* vitæ uſus non ſpectarent, ſed *Divina* potius *omnia* arcaniſque ſenſibus refertiſſima.

§. XXX. 3°. Illam ipſam *nominis mutationem*, quoties à *Prophetis* eſſet facta, non vacare *myſterio.* Idque ab *Helleniſtis* creditum conſtat è libro *Philonis* περὶ τῆ μετονομαζομένων. Ita ſe cum *præviderit* à ſuis intelligendum fore *Salvator*, id proculdubio dedit operam ut ita intellectus *recte* intelligeretur. Scio equidem apud *orientales* illos uſitatiſſimum fuiſſe ut nova ſibi *nomina*, variis de cauſis, aſſumerent. Nec eſt ſane improbabile id ſibi arrogaſſe ſectarum etiam *magiſtros* ut nova ſuis *diſcipulis nomina* vel boni *ominis* cauſa imponerent. Ita *Malchum*, nunc βασιλέα, nunc *Porphyrium*, μετωνόμαζον [50] *Longinus* & *Amelius.* Nec deſunt etiam apud *hiſtoriæ philoſophicæ* Scriptores alia, ni fallor, exempla, ne id eo quoque *magiſterii jure* à *Salvatore* alienum exiſtimemus. Cum tamen *Salvatoris* διδασκαλία non à *ſe* eſſet, ſed à *Patre*; nec proinde *humanum* fuiſſet, ſed *Divinum* atque *propheticum* ejus *magiſterium*; optime certe illum congruentiſſimeque intelligemus, ſi, quod *magiſterii jure* egerit, id pro *prophetarum* tamen certo illo, quod dixi, *idiomate* interpretemur. Sed nec hoc quidem difficiles fore adverſarios exiſtimo, ut credant, ad *laudem Apoſtoli* pertinuiſſe quod ita fuiſſet à *Domino* cognominatus, quod nimirum præclaram illam *confeſſionem* quam ab *omnibus* rogaret Dominus, *ſolus* tamen edidiſſet; quæ quidem ipſa *confeſſio petra* fuerit in qua fundanda eſſet *Eccleſia*, vel etiam *ipſe*, quem confeſſus fuerat, *Dominus*; Apoſtolus duntaxat πέτρ@ à *petra fœminino* genere agnominatus, quod nimirum ſolidam & πετρώδη *confeſſionem* edidiſſet, vel *petram* eſſet ipſam confeſſus.

§. XXXI. 4°. Tamen multa ſunt quæ ſuadent, ut illæ quoque interpretationes *veræ* eſſent, quæ etiam alios è *Patribus* habuerint auctores, ita tamen eſſe *veras*, ut ne *hæc* quidem martyris noſtri aliorumque ei coævorum ſit prorſus excludenda; 1°. Quod illa *nomina* ut plurimum de ipſa *perſona* agnominata, pro uſitatiſſimo Scripturarum more, intelligenda ſint. Quod probant *Orthodoxi* de nomine *Emmanuel* adverſus *Socinianos*; 2°. Quod nomen illud *Cephæ*, cui reſpondet illud *Petri Græcum*, diu *ante* confeſſionem illam, à prima uſque ejus converſione inditum ei fuerit à Domino; 3°. Quod *emphatica* ſint illa, *Dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram*, quaſi de *eodem* dicta eſſent omnia: præſertim 4°. Quia in idiomate *Syriaco*, quo *locutus* eſt Dominus, quo *ſcripſit* etiam Evangeliſta, periret illa omnis *paronomaſia*, ex qua illas, quas diximus, eliciunt interpretationes, nec pluſquam *una* utrobique vox occurreret, nimirum illa *Cephæ*; & quidem 5°. *paronomaſiam* illam propterea induxiſſe videtur *Græcus* Evangeliſtæ *interpres*, tum quod *Petri* nomen *maſculinum viro* eſſet magis congruum, tum quod eo duntaxat nomine apud *Græcos* appellari ſolitus eſſet, tum maxime quod πέτρ@ nomen licet *ſaxis* commune apud *Græcos* at certe *cautibus* deſignandis, quæ quidem ſolidiſſima eſſent ædificii conſtruendi *fundamenta*, eſt quidem πέτρ@ illud longe uſitatius. Unde conſtat *Græcis* auribus quam fuerit *paronomaſia* non *elegans* modo, ſed plane *neceſſaria.* Quæ tamen non vidiſſe *Latinos* non eſt mirum, *Græcæ* linguæ atque *Syriacæ* pariter, ut plurimum imperitos. 6°. Quia etiam illo *fundamenti* nomine ita intellecto, nihil tamen ſequeretur cur à ſenſu loci maxime obvio *recedamus*, nihil à Scripturæ more *alienum* ſi de *Petri* etiam *perſona* intelligamus. Ut enim *poteſtatem clavium ſoli* hic

[48] Ep. LV. [49] Ep. LXXV. [50] *Eunap.* in *Porphyr.*

hic S. *Petro* conceſsam, *Apoſtolis* tamen reliquis factam eſse poſtea *communem* obſervarat *Cyprianus*; idem de hoc *fundamenti* nomine obſervare etiam poterat (quod tamen nullibi eſt ab eo, ut puto, factum) fuiſse & illud [51] *reliquorum* poſtea *Apoſtolorum*. Eſt igitur & id ſatis conſentaneum ut & hic *titulus* poſtea *omnibus* Apoſtolis communis, hic tamen *ſoli* attributus fuerit, non reliquis itidem Apoſtolis.

§. XXXII. 5°. Veriſimile non eſt in Apoſtoli *unius* honorem hæc eſse Domini dicta referenda. Non erat *majeſtati* ejus congruum ut *diſcipulo*, ut *ſervo*, adularetur. Et vero omnem ille *titulorum faſtum* in diſcipulis alibi repreſſit. Sed & ambitum primatumque in ſuo regno ſtudioſe quærendum, quamprimum eſset ei occaſio à diſcipulis oblata, vetuerat, & quidem ſeveriſſime. Non eſt igitur ut *oblatum* ultro à *Domino* hunc honorem exiſtimemus, ni majora habuiſset in mente quam quæ primo ſeſe intuitu nobis offerunt, præſertim cum & *indolem* Apoſtoli compertam haberet, *laudis*, ut videtur, *aviditſimam*. Poterat equidem, ut quam *ſpem* de eo conceperat Dominus, ei ne deeſset Apoſtolus, quin potius magis indies magiſque id operam daret ut magnifico illi præceptoris teſtimonio cumulatiſſime reſponderet. Poterat etiam in ſolamen futuri *lapſus*, ut, cum ille contigiſset, ne ſpem omnem animumque dejiceret; fore enim ut, qui *petra* appellatus fuiſset *fundamentumque Eccleſiæ* inconcuſsum, ne illo quidem impetu penitus frangeretur, ſed quem *gradum* in *Eccleſia* accepiſset, eum ad finem uſque tueretur, reverſuſque, in gratiam dignitatemque rurſus acciperetur. Poterat & in aliorum *exemplum*, qui quacunque deinceps Eccleſiæ ætate victuri eſsent, ut nequem *vires*, aut novitii *fervores*, aut *gratiæ* etiam à Domino indultæ, altius efferrent; nemo *fragilitatis humanæ* eſſet immemor, nemo *gratiæ Divinæ*, quam ſibi eſset ſemper neceſsaria; quam à *ſe* nihil, ab *illa* omnia, eſsent expectanda, eidemque accepta referenda. Poterat & in *pœnitentium exemplum*, quod de ſe quoque obſervarat alius Apoſtolorum coryphæus S. *Paulus*, ut oſtenderet ita Deus [52] *divitias miſericordiæ*, neminem ut *criminis* admiſſi, ut *loci* à ſe proditi, ut *beneficiorum* à ſe contemtorum, ut *gratiarum* amiſsarum, ſive *multitudo*, ſive etiam *magnitudo*, in deſperationem conjicerent, cum tantum haberet *Apoſtolum* indulgentiæ tamen *indigentem* pariter atque *participem*. Rectæ quidem hæc in *Apoſtolo* in *Eccleſiæ petra fundamentoque* ſtabilitatem referuntur. Cur autem *ipſe* Eccleſiæ *petra* atque *fundamentum* appellaretur, nihil plane faciunt. *Eccleſiæ* pariter hic atque *Apoſtoli* cauſam tractari manifeſtum eſt. Eſt itaque aliud omnino quærendum Domini conſilium, quo ſtatuamus cum martyre noſtro, quid ſit, ex eodem hoc Apoſtoli exemplo, in *Eccleſiæ* etiam cauſa, colligendum.

§. XXXIII. Obſervandum itaque 6°. ad munus Domini *propheticum* id maxime pertinuiſse, ut *Eccleſiam* ſuam formaret, normamque ei in futurum obſervandam traderet, nec id in *doctrina* modo, ſed etiam in *regimine* ejus atque *diſciplina*. Ut enim *Iſraëlis* ſecundum *carnem* regimen erat *Theocraticum*, ut quæ in *ordinarios* Synagogæ *rectores* admiſsa eſsent, ea in *Deum* ipſum redundare crederentur; ita certe in *myſtico* quoque *Iſraële* (quem N. Teſtamenti ratiocinia ſemper *ſuperiorem* ſupponunt) ita comparatum eſse debuit, ut *ſubditorum* offenſæ in *Deum Chriſtumque* reciderent. Id de *Apoſtolis* cautum eſt ab ipſo Domino: [53] *Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me miſit.* Et vice verſa: *Qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.* Cumque eſset id firmiſſimum *auctoritatis Eccleſiaſticæ* fundamentum (quæ nec ipſa erat cum Apoſtolorum ævo *terminanda*) erat ſane aliquid à Domino, non de *extraordinariis* duntaxat *officiis* (quale erat *Apoſtolatus* illud) ſed de *ordinariis* quoque ſtatuendum. Nec enim *deficere* debuit regnum *Meſſiæ* ſemel inchoatum, nec in eo etiam deficere *regimen* illud, quod dixi, *Theocraticum* inter ejus decora vel præſtantiſſima numerandum. Unde obiter obſervamus, quam recte hic, & pro *Chriſtianorum primævorum* genio atque principiis, cum *Cypriano* noſtro etiam *Ignatius* argumentetur, à *Deo* eſse *Chriſtoque ſuorum* etiam *ſeculorum rectores*, in *illum* itaque prodire rectorum *cultum* atque *contemtum*, ut proinde *Eccleſiæ Epiſcoporumque rebelles*, iidem *Deo* eſsent atque *Chriſto rebelles* etiam exiſtimandi.

§. XXXIV. 7°. Ne id quidem ſatis erat ut hæc *Dominus* per *Apoſtolos medios* præſtaret, quibus *vices* ſuas aſcenſurus mandaverat. *Moſes* enim *ipſe* totam *Iſraëlis politiam* ſuperſtes ſtabiliverat, ut proinde *myſtici* & etiam *Iſraëlis* auctori idem eſſet faciendum, ne *Moſes* etiam hac ex parte videretur inferior. Et ſane ad ejus *honorem* vel maxime ſpectabat, cavere ne quid eorum quæ *diſceſſum* ſuum ſecutura eſsent ad ſe ſectamque ſuam pertinentia, tantum ſe *prophetam* latuiſſe videretur. Quid quod aliquandiu *Apoſtolorum* ipſorum *fides* apud *Chriſtianos* etiam futura erat *dubia*, nec aliter quam *Domini* ipſius auctoritate confirmanda. Ita certe *Apoſtolorum* ipſe maximus S. *Paulus* de *Euchariſtia* agens fidem ſuam liberavit prolato Domini ipſius exemplo, 1 *Cor.* XI. 23. nihil à ſe traditum profeſſus quod non ipſe à *Domino acceppiſſet*.

§. XXXV. 8°. Ut hoc ipſum præſtare Dominum *decuit*, ita congruum etiam erat ne *diſertis verbis* id ab eo expectarent Apoſtoli, ſed per *ſymbola* potius prophetica atque *ænigmata*. Nec id ea *generali* duntaxat *ratione* quod *parabolicum* illum docendi modum adhibere ſolitus eſt, ſed quod *propria* quoque eſsent, & *graviſſima* quidem illæ rationes, cur non eſsent hæc aliter tradenda. Quod enim per *ſymbola* res futuras adumbrare ſoleret *Deus*, nec ab ipſis etiam *prophetis*, nedum ab *aliis*, intelligenda, non id *affectatæ obſcuritatis* cauſa factum, multo minus ut eventuum *incertitudinem* ſenſuum *obſcuritate* colorarent, quod *Loxiæ Apollini* objiciunt *Patres* atque *Philoſophi*. Fidem *Divinis* prophetiis *obſcuris* conciliabant *manifeſtæ* illæ aliæ, ut jam ſupra oſtendimus. Vera itaque ratio erat quod nonnulla *indigni* eſsent *homines* qui intelligerent, unde factum ut quæ apud profanum *vulgus parabolis* diſseruiſset Dominus, eadem *diſcipulis* ſuis, clam, *remotis ambagibus*, explicaret, verum id quoque ipſum pro *captu* etiam ipſorum *diſcipulorum*. Nonnulla falſis *præjudiciis* occupati vel perperam erant intellecturi, vel, ſi recte intellexiſsent, *affectuum* tamen quam *judicii* ductu gravius fortaſse quidpiam atque ſceleratius auſuri. Id ipſum in hac ipſa cauſa locum habuit. Quod *Eccleſiam* eſset à *ſynagoga* diverſam habiturus, id ſi *palam* edidiſset Dominus, maximam erat *invidiam* ſibi conflaturus, ne reliquorum deinceps ad ejus auctoritatem facientium æqui eſsent futuri judices. Videmus id quam ægre tulerint ab ipſis etiam *Apoſtolis*, cum jam *temporis miraculorumque* progreſsu *fides Chriſtiana* facta eſset confirmatior. Quas illos tragœdias edituros, quas vociferationes putamus, ſi eadem antea ab ipſo Domino nondum ita parati accepiſsent? Id cum eſset à Domino prævisum, conſultiſſimum proinde fuit ne quid *manifeſtius*

[51] Eph. II. 20. Apocal. XXI. 14. [52] 1 *Tim.* I. 16. [53] S. *Matth.* X. 40. S. *Joan.* XIII. 10.

ſtius de *Eccleſiæ officiis* proderet quæ *ſupponebant* illam *Eccleſiæ* à *Synagoga* diſtinctionem *invidiæ* pleniſſimam, cum ne id quidem maturum eſſet ut de illa *diſtinctione futura* quidpiam cognoſcerent. Ut tamen *prophetiæ obſcuræ*, cum reſpondiſſent *eventus*, non jam amplius *obſcuræ*, ſed, pro id genus prophetiarum ratione, *manifeſtæ* ideque adeo digniſſimæ videbantur; ita & hæc quoque hujuſmodi Salvatoris dicta *ænigmatica*, cum *officia* in *Eccleſia* conſtituiſſent *Apoſtoli*, jam patebat manifeſto, quam ea eſsent ad *Domini mentem* ab *Apoſtolis* oblitis neſcientibuſque conſtituta. Erant enim multa Domini *dicta* quidem atque *geſta*, eo etiamnum ſuperſtite, non tamen niſi in *futurum* intelligenda. Unde etiam *S. Spiritus* officium ὑπόμνησις dicitur, qui non eſset tam *nova* revelaturus, quam *præterita* illa nec intellecta tamen Salvatoris dicta atque facta in *memoriam* revocaturus cum jam eſsent ex *eventu* ipſo *manifeſta*. Ut enim Domini διδαχὴ non *propria* ipſius erat, ſed *Patris*, ita Spiritus S. διδαχὴ non *alia* futura erat quam *Filii*. Ita enim prædixerat Dominus de *ſuis* accepturum eſse Sp. Sanctum quæ poſtea eſset *Apoſtolis* revelaturus, S. *Joan.* XVI. 13, 14. Erat tamen & alia ratio hujus *obſcuritatis*, quod ea ipſa *Eccleſiæ* à *Synagoga* futura *diſtinctio* non à peremtorio aliquo eſset Dei *decreto*, ſed ab *infidelitate Judæorum*. Illorum enim *ruinam gentium* eſse *divitias* ita ſtatuit Apoſtolus ut plane innuat ne futuram quidem *gentium vocationem* ni *infideles* ſeſe atque immorigeros *Judæi* præbuiſsent. Quanquam igitur *præſciret* Dominus *futuram* hanc *Eccleſiæ diſtinctionem*, nondum tamen niſi *conditionate* voluit atque decrevit. Necdum *conditionem* poſuerant *Judæi*, qua poſita, *decretum* eſset è *conditionato* in *abſolutum* tranſiturum. Quemcunque talis *prædictio* habitura eſset *eventum*, nullo certe modo congruum erat ut eſset ante eventum *manifeſta*. Si non obſtante ea *prædictione* ita tamen ſe impulſos ſenſiſsent ut ne ita quidem poſsent *eventum* adeo manifeſtum *declinare*, jam promtam habuiſsent ſui *excuſationem*, jam culpam ſuam facile in *Deum* rejeciſsent, Deum unum eſse in *cauſa*, nec ſe ſui *compotes* fuiſse, ut aliter facerent, cum ne moniti quidem reatum illum effugere poſsent. Plenæ ſunt ejuſmodi querelis tragœdiæ de *Oedipo* cui ſcelera ſua fuerant antea ab *oraculo* prædicta, quibus, ut nihil diſcamus aliud, id certe diſcimus è poëtis illis *vulgi perſonatoribus* quid fuiſset à *vulgo* expectandum. Quod ſi contra, liberi arbitrii uſum in *meliora* convertiſsent; ita *oraculi* ipſius *fides* fuiſset ipſa *dubia*, ut de ſua prædictione non impleta prophetam ipſum *Jonam* collegiſse videmus. Cum autem id certum ſit, non eſse à *providentiæ benignitate* alienum, ut nonnulla hominum *ſcelera* non *probet* quidem, ſed libero tamen hominum nonnunquam arbitrio *permittat*; tum nulla erant certe quæ commodius permitti poſsent quam hæc ipſa *Judæorum* facinora, è quibus tanta eſsent *gentium* beneficia, tanta *providentia* ipſius decora redundatura. Ut ergo ad *Domini* curam pertinebat, hæc ad *Eccleſiæ* regimen *ordinarium* attinentia ut prædiceret; ita ad ejuſdem infallibilem *prudentiam*, ne aliter prædiceret quam *ænigmatice*.

§. XXXVI. 9°. Igitur, cum id eſset, ut vidimus, congruum ut *Eccleſiæ* formam è Salvatoris *dictis factiſve ænigmatice* intellectis colligerent, tum erant ipſi proni ut ejus omnia *dicta* atque *facta* in *futurum Eccleſiæ* uſum referenda exiſtimarent. Jam enim *veteris Inſtrumenti* omnia ita interpretati erant, ut quæcunque *Iſraëli carnali* contigiſsent, [54] *ea illis in figura contigerint; ſcripta autem fuerint ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum devenerint.* Atque hoc generali *canone* nituntur quamplurima N. T. *myſtica ratiocinia*; fuiſse *prophetarum* non *dicta* modo, ſed & *facta prophetica*; fuiſse *Iſraëlem* veterem univerſam *gentem propheticam*, ut eorum etiam *hiſtoria prophetica* cenſenda eſset; eo ſpectaſse *hiſtoriam* illam univerſam ut *myſticum Iſraëlem* ſupremis temporibus manifeſtandum deſignarent, nec alium eſse *myſticum* illum ſupremorum temporum *Iſraëlitiſmum* quam purum putum *Chriſtianiſmum*. Ita *aqua* Diluvii & *nubes Iſraëlitarum* ad mare rubrum, *baptiſmi* erant *typi*; *Abrahami uxores*, ſerva & libera, *Moſaicæ* diſpenſationis atque *Evangelicæ*; *ejectus* ab *Abrahamo Iſmaël*, *ejiciendi* tandem à *Deo Iſraëlis*; *decimæ* ab *Abrahamo Melchizedico* ſolutæ, *ceſſuri* in poſterum ſacerdotii *Levitici* ſacerdotio *Chriſtiano*. Hæc ſi de V. T. *prophetiis hiſtoriiſque* ſtatuerent, æquumne erat ut de N. T. *prophetiis* atque *hiſtoria* aliter judicarent? Quaſi vero *prophetarum* magis intereſset ut *ſuæ politiæ* finem, *alienæ* initium, denotarent, quam *Domini* qui *novum* illum *Iſraëlitiſmum* ipſe eſset introducturus. Imo vero & in *hiſtoria* etiam *Evangelica prophetiam* agnoſcunt. *Chriſtus extra urbem paſſus*, nos quoque monuit nullam hic eſse nobis *manentem civitatem*, proinde *peregrinos eſſe debere*, extra *caſtra* proficiſci, dedecus ejus atque *probra portaturos*, *Heb.* XIII. 12, 13, 14. Proinde ut ad *Iſraëlitiſmi initium* provocavit aliquoties *Salvator*, ita & ad *Chriſtianiſmi initium* quam ἀρχὴν *Evangelii* appellant, ſive ἀρχαίας ἡμέρας *Act.* XV. 7. primi illi *Chriſtiani*, qui ſi *illa* etiam *tempora* eo nomine includunt quæ quidem *aſcenſione Domini* eſsent recentiora, non eſt quod dubitemus quin *Evangelicam hiſtoriam*, quo tempore ſuperſtes in terra agebat ipſe *Dominus*, eſsent potius incluſuri. Non eſt igitur ut cum *Origene* natam hanc putemus Scripturas utriuſque fœderis interpretandi rationem.

§. XXXVII. 10°. Cum hæc de *univerſa* illa ſive V. T. ſive Evangelica *hiſtoria* verum crederent, non fuiſse illam ſeculorum *illorum* propriam, ſed *ſupremorum temporum Eccleſiam* adumbrare; tum de illis *hiſtoriæ* utriuſque geſtis quæ quidem *ſcriptis* fuiſsent prodita, id verius credebant. Ita ſæpiſſime Apoſtolus: *Non eſt autem ſcriptum illud propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad juſtitiam, ſed & propter nos. Rom.* IV. 23, 24. *Quæcunque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*, cap. XV. 4. Hic canonem habemus plane generalem. Rurſus: *An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos utique ſcripta ſunt*, 1 *Cor.* IX. 10. & in loco jam laudato cap. X. 11. Nec alia hypotheſi nititur illa *Apoſtoli argumentatio* qua *promiſſionem Joſuæ* factam, *Joſ.* I. 9. ipſe *Chriſtianis* omnibus communem facit, *Heb.* XIII. 5. Fuiſse & *alia* prophetarum Iſraëlitarumque *dicta* atque *facta* nonnulla *neutiquam* prophetica; fuiſse & *propheticorum* nonnulla *illius ævi* propria, negare utique non poterant. Negabant tamen utriuſvis generis exempla in *ſcriptis* hodiernis *hiſtoriis* occurrere; curatum potius Divina Spiritus Sancti *providentia* ne alia quam *prophetica ſcriptis* mandarentur, nec illa ipſa alia quam quæ *noſtras* ſupremorum temporum *Eccleſias* ſpectarent. Eum cum in V. T. interpretatione canonem adhibuiſsent, conſequens proinde erat ut in N. T. interpretatione ſimiliter adhiberent. Id ſi etiam *factum* credimus, jam id ſequebatur, quia illam, de qua agimus, *hiſtoriam* de S. *Petro ſcriptis* mandaſset Evangeliſta, ſequi una, ad *Eccleſiæ* illam *futuræ* regimen *ordinarium* fuiſse referendam.

§. XXXVIII. 11°. Non eſt illud abſonum ut illa quoque Domini *familia Eccleſia* typum geſserit. Ut

[54] 1 Cor. X. 11.

Ut poſtea legimus de *Eccleſiis* κατ' οἶκον; ita certe *Dominus*, quoties de *Eccleſia* ſua loquitur, ſervavit illam ipſam ut plurimum *domus* allegoriam. Proinde ut οἰκείους πίστεως appellavit Apoſtolus *Gal.* VI. 10. ita & οἰκιακὸς Dominus S. *Matth.* X. 25, 26. Proinde ſe nunc κύριον οἰκίας S. *Marc.* XIII. 35. nunc οἰκοδεσπότην vocat S. *Matth.* X. 25. & alibi ſæpiſſime. Et quem *præfecturus* eſſet *Eccleſiæ*, eum Eccleſiæ οἰκονόμον S. *Luc.* XII. 42. Ad quam eandem formam *Apoſtolatus*, quem hic denotavit, οἰκονομία dicitur 1 *Cor.* IX. 17. & qui *Apoſtolatui* ſucceſſit etiam *Epiſcopatus*, *Tit.* I. 7. Nec aliunde capit experimentum futuri *Epiſcopi* quam è propriæ *domus* adminiſtratione, ut inde intelligatur, quomodo ſit *in Dei domo* verſaturus 1 *Tim.* III. 4, 5, 15. Atque ad eandem adminiſtrationis *domeſticæ metaphoram* referendæ ſunt *claves regni cœlorum.* Cum enim *domus* Domini *cœli* fuerit archetypa, propriumque ejus, ut *Meſſiæ*, *regnum* illud fuerit *cœlorum*; plane ſequebatur, qui *domui* ejus præfectus fuiſſet, eum *regno* etiam *cœlorum* fore præficiendum. *Diſpenſationis* autem domeſticæ *ſymbola* fuerunt *claves*, ei tradendæ qui *domui* eſſet præficiendus ſive *uxor* fuiſſet illa, ſive etiam *diſpenſator*. Hic autem ad *diſpenſatoris* officium reſpexit. Ut etiam, præter *domus privatas*, aliæ *publicæ* erant, quæ *palatia* vocamus; ita *claves* illæ *palatiorum*, totius *regni* adminiſtrandi erant *ſymbola.* Ita intelligendæ *claves Domus David Iſ.* XXII. 22. Ut enim *throni David* hæres erat Dominus, S. *Luc.* I. 32. ita & *claves David* habere dicitur *Apocal.* III. 7. quæ & ipſæ *myſtice* ſunt intelligendæ. Sunt enim eædem hic *claves regni cœlorum*, quæ alibi *claves mortis infernique* nuncupantur *Apoc.* I. 18. Videmus igitur quam hic apte ad mentem martyris noſtri quadrent omnia, ſi ſit modo per *ſymbola* judicandum. Videmus quam apte *domus Domini* reſpondeat *Eccleſiæ*, quam apte *claves* ſint *ſymbola* poteſtatis *diſpenſatoriæ* atque *domeſticæ*, quam apte poteſtas illa *diſpenſatoria Apoſtolis* primum, tum & *Epiſcopis* Apoſtolorum hæredibus, conveniat.

§. XXXIX. 12°. Ut hæc apte per *domus* allegoriam repræſentata ſunt, ita nondum maturum erat ut per aliam quamvis repræſentarentur, *domo auctiorem.* Sub *Judæorum* Pontificatu & in *Synagoga* agenti Domino non erat invidioſum ſi *domus* propriæ adminiſtrationem, ſi munus *diſpenſatorium* in *domo*, cui placuiſſet, tribuendum aſſumſiſſet. Hæc, vel *Judæis* judicibus, invidia carebant. Majora tamen de eo crediderunt *Apoſtoli*, domum illam, non *privatam* eſſe, ſed *regiam*; fore enim *Meſſiam regem* qui gentem *Judæorum* è *Romanorum* jugo eriperet, *regiamque* illis poteſtatem reſtitueret. Proinde poteſtatem illam *domus diſpenſatoriam* facile erat ut de honoribus *palatinis* intelligerent. Sed ne ipſi quidem *aliorum*, quam *Judæorum*, fore *regem* credidiſſe videntur, *regnumque* ejus anguſtis *Palæſtinæ* finibus terminandum. Non igitur *Provinciarum* adminiſtrationem rogarunt filii *Zebedæi*, ſed *locum* duntaxat in *conſeſſibus regni* honorificum. Ab eo aberant longiſſime ut *ſpirituale* & *futuræ vitæ* regnum ejus eſſe crederent, ut per orbem, qua patet, univerſum, ditionem ejus eſſe agnoſcendam, ut *gentes* ejus fore participes, & quidem paribus cum *Iſraële* privilegiis, ut in hac vita nihil eſſet ab eo præter *martyria* atque *cruces* expectandum. Hæc ita nondum *crediderunt*, ut ſi nondum in fide *confirmati* tale quidpiam à Salvatore audiiſſent, ne ipſi quidem fuiſſent à *ſcandali* periculo ſecuri. Id ita *futurum* cum videret Dominus, ſtudioſiſſime proinde ab omni *plurium Eccleſiarum* mentione abſtinendum duxit. Quæ cum ita ſe habeant, conſtabit jam,

§. XL. 13°. Non eſſe hæc *hodie*, & *ætate* etiam *Cypriani*, niſi de *ſingulis Eccleſiis* intelligenda. Sive enim *domum* illam *Domini*, pro *Judæorum* ſententia intelligamus, de *domo* duntaxat *privata*; ſive, pro *diſcipulorum* illa, de *domo* etiam *regia*: utrobique tamen *ſingularis Eccleſiæ* typum non exceſſit. Tota enim ditio *Palæſtinæ*, unicum tamen agnoſcebat *ſummum pontificem*, unicam ſolennium conventuum *urbem*, ſcilicet *Hieroſolymitanam*, unicum *altare*, unica totius gentis *ſacrificia.* Hæc tamen omnia erant *ſingulis* etiam *Eccleſiis*, pro illius ætatis moribus, communia. *Uni* illi *ſacerdoti* reſpondebat quilibet *Epiſcopus*, è ſententia *Cypriani*; *uni altari*, ſingulorum Epiſcoporum *communio*; *uni* illi urbi *Hieroſolymitanæ*, quælibet per orbem *urbs* in qua viſum eſſet conſtitui *Epiſcopum*; *unis* illis gentis univerſæ *conventibus* tribus illis anniverſariis feſtis *Paſchæ*, *Pentecoſtes* atque *Tabernaculorum*, celebrandis, Eccleſiarum ſingularum *conventus* iiſdem illis *feſtis* cum ſuo cujuſque *Epiſcopo.* Non eſt quod alia congeram exempla in quibus *uni* illi *Judæorum* pontifici *ſingulos* Eccleſiarum *Epiſcopos* reſpondiſſe in prædicto noſtro de *unico altari atque ſacerdote* tractatu *anglicano* jam probavimus. Idem etiam è *Domini* illis ad *Samaritanam* mulierem verbis collegimus, S. *Joan.* IV. 21. fore ut quo *jure* tunc fruerentur *ſummi* Judæorum *pontifices* in unica illa *civitate Hieroſolymitana*, idem poſtea *plurium* eſſe *civitatum* commune. Sed quæ alibi fuſius probavimus, non ſunt hoc in loco repetenda.

§. XLI. 14°. Cum *ſingularum* itaque Eccleſiarum typum geſſerit illa Servatoris *domus*, videmus etiam quam apte *unius* duntaxat *diſpenſatoris* facta ſit mentio, qui idem fuerat *unius* typus *Epiſcopi.* Et quidem ea vel ipſa ratio de *ſingulis* hoc *Eccleſiis* intelligendum ſuadet, quod cum hoc in loco, in quo ſententiæ jam vulgo obtinenti, de *unica* duntaxat *Eccleſia* futura οἰκονομικῶς gratificatus eſt Dominus, *unius* duntaxat occurrit mentio *diſpenſatoris*; poſtea cum de *Evangelio* per orbem *diſſeminando* apertius loqueretur, ut proinde *plures* jam eſſent *domus*, ſive *Eccleſiæ*, conſtituendæ, tandem *plures* ab eo conſtituti ſunt *diſpenſatores*, cum nulla vel minima *imparitatis* nota. Omnino omnia ad mentem *Cypriani* accommodatiſſime. Sequebatur enim *ſingularum* Eccleſiarum *unicos* eſſe, ex *Domini* inſtitutione, *diſpenſatores Epiſcopos.* Sequebatur etiam *Eccleſiæ Catholicæ* præfectum *Epiſcoporum collegium.* Illi nempe *parium* ſibi invicem *Apoſtolorum collegio* reſpondit antitypon, in *ordinario* Eccleſiæ regimine, *collegium Epiſcoporum*, ipſorum quoque inter ſe *parium*, qui *ſingularum* eſſent *Eccleſiarum diſpenſatores* ſummi, & nulli humanæ poteſtati obnoxii. Cum autem *unam* duntaxat *familiam* conſtituerent *Apoſtoli*, reliqui, excepto *diſpenſatore*, pro *privatis* habendi erant, ut plane nihil faciat illud ſymbolum ad *unum Epiſcopum* reliquis per orbem *univerſis* præficiendum. Id certum, cum diſſenſio eſſet reliquorum *Epiſcoporum* à *Romano* in cauſa *rebaptizandorum hæreticorum*, ita nunquam ea argumentatione uſum eſſe *Cyprianum*, qua quis *unus Epiſcopus* ceteris pro *unitatis* eſſet *principio agnoſcendus*, ut ne illi quidem reſponderit tanquam à *Stephano* objectæ. Quod *ſedes* ſua *Petri* fuiſſet ſedes, de eo gloriatum fuiſſe *Stephanum* diſcimus ex Epiſtola *Firmiliani.* Quod vero inde, ut *unitatis* fuiſſet *exemplum*, ita *reliquis* etiam *Epiſcopis unitatis* debuerit eſſe *principium*, id ne *Stephano* quidem *ipſi* in mentem veniſſe conſtat; quanquam id ſi verum eſſet, ſi à *Cypriano* ipſo in aliis adverſus *ſuos* atque *Cornelii ſchiſmaticos* diſputationibus conceſſum, nihil eſſet certe quod objici poſſet opportunius. Quid quod abſoluta illa *Epiſcoporum* in ſua cujuſque diœceſi *ſupremitas* toties

à

à *Cypriano*, inter æstus etiam disputandi, non *agnita* modo sed *asserta* etiam atque *inculcata* non patitur ut eundem existimemus *unum* aliquem inter *illos* agnovisse *unitatis principium*, à quo utique qui *Ecclesiæ Catholicæ unitatem* illibatam vellent, pendere omnino, & decreta ejus agnoscere debuerint. Ita nec *sententiam* habebimus *Cypriani*, nec *ratiocinationem*, ita, quam existimant, *Romanensibus* propitiam. Sed & alia illa explicanda est, de *domus fundamento*, ratiocinatio.

§. XLII. Observandum itaque 1°. non *domum* hic intelligi quamcunque, sed *publicam* duntaxat, & *sanctam*, quæque adeo 1°. pro *templo* esset habenda. Nec enim alibi solebant haberi populi *conventus* quos ἐκκλησίας vertunt LXXII. Interpretes, quos vocabulorum Ecclesiæ *Technicorum* auctores fuisse diximus. Eo nimirum respexisse videtur Dominus, quod de *Messia* prædictum esset, fore ut [55] *reædificaret tabernaculum David quod decidit, & diruta ejus reædificaret, & erigeret illud.* Hæc certe Prophetæ [56] *Amosi* verba ad tempora *Messiæ* accommodavit S. *Jacobus*, quæ de *templo* illos intellexisse qui locus erat *Tabernaculo* recipiendo ab ipso [57] *Davide* destinatus, est sane verisimile. 2°. Quoties de [58] *templi reædificatione* loquuntur veteres *Prophetæ*, ita illam, ut plurimum, efferunt ut de *fundamentis* ejus mentionem faciant, unde facile erat ut colligerent, à *primis* usque *fundamentis* fore ejus sub *Messia* restaurationem. Ita videmus quam apte de *fundamentis Ecclesiæ* ponendis meminerit Salvator. 3°. Tamen *templum* hoc *Messiæ*, non *literæ* erat, sed *mysticum*, & quidem *vivum* illud, ut à *templo* illo *Judæorum* vita destituto distingueretur, quippe quod *Dei* etiam *vivi* est templum, quo titulo *Deus Judæorum* à *gentium idolis* in V. T. distinguitur. Non igitur *lapidibus*, sed *personis*, constat hoc *Messiæ templum*. [59] *Superædificati* (inquit Apostolus) *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Jesu Christo: In quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino. In quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu Sancto.* 4°. Igitur, cum hoc ipsum *templum* è *personis* constet, non est utique mirandum si *fundamentum* habeat itidem *personam*, nec dura istiusmodi locutio existimanda, sed genuina potius, reique ipsi accommodatissima. 5°. In hoc tamen *templi* hujus *spiritualis* à *materiali* diversa est ratio, quod cum *ædificium materiale pluribus* nitatur lapidibus *fundamentalibus*, *spirituale unicum* duntaxat habeat, quoties de *unica* duntaxat Scripturæ loquuntur *Ecclesia*. *Petræ* equidem vocem pariter ac πέτρος pro quolibet *saxo* intelligi posse fateor. Cum vero de ædificii *fundamento* usurpatur, ut ejus *firmitatem* denotet, S. *Matth.* VII. 24, 25. S. *Luc.* VI. 48. tum vero *unum* continuum *saxum* intelligendum esse contendo, quando nimirum *solum* ipsum non aliud est quam *saxeum*. Ita *Petræ* vox hoc in loco intelligitur cum *Apostolo* tribuitur, ut proinde aliis locum non relinquat sui *ordinis*, ne *Apostolis* quidem. Ita etiam *lapis angularis* intelligendus est. Quanquam enim in ædificio *materiali plures* sint *lapides angulares*; at, quo sensu Domino tribuitur, in *ædificio spirituali*, certum est *plures* esse non posse. 6°. Igitur, si in hoc *Ecclesiæ* typo, præter *fundamentum invisibile*, ipsum nimirum *Dominum*, fuerit præterea aliud *visibile*, *humanum*, & quidem illud ipsum quoque *unicum*; sequitur & in singulis *Ecclesiis antitypis* præter *Christum*, aliud esse etiam *fundamentum visibile* & *humanum*, pariterque *unicum*, quod non aliud esse potuit quam *Episcopus*. Ita videmus, pro modo *mysticarum ratiocinationum*, quam prudenter solideque, in hac causa, argumentatus fuerit noster *Cyprianus*.

§. XLIII. Jamque ex *unitatis* illa *schismatisque*, quam è principiis ætatis *Cyprianicæ* dedimus, explicatione, ut *solidissima*, ita *facillima* manifestissimaque fient singulorum *officia*, quandocunque *schismata* contigerint. *Episcopus* si *fidem Christi* negaverit, ut *Martialis* & *Basilides*, aut in *hæresim* incideret, ut *Privatus Lambesitanus*, jam ita *fundamentum* esse non potest, ut ad *spirituale* hoc *Christi ædificium* ne *pertineat* quidem, non propter *malam* aliquam *administrationem*, sed vero propter *incapacitatem subjecti*. Qui enim ne *Christianus* quidem est dicendus, is *locum* aliquem honoremque in *Ecclesia Christiana* obtinere non potest. *Idololatra* autem *Christianus* non est propter *communicationem* illam in *sacrificiis Dæmonum*. Nullam enim *Christo* cum *Belial* esse *communionem* pronunciat Apostolus. Quid quod *unitatis* cum *Christo principium* esse non possit qui ne ipse quidem cum *Christo* esse *unus*, nec cum *Christo* esse *unus* qui se *unum* professus est cum *Diabolo* Christi adversario. At qui *Diaboli sacrificiis* se contaminavit, is se *unum* cum *Diabolo* participemque professus est. Ita certe factum illud *interpretabantur Christiani* nostro martyri coævi, nec errasse illos in ea interpretatione constat ex Epistola Apostoli prædicta ad *Corinthios*. Sed nec hæreticus pro Christiano habendus erat, ex principiis ævi Cyprianici. Sed ne ex *veritate* quidem, ut multis probare possemus, si id inpræsentiarum ageremus. Siquis interim à talium *communione* discesserit, non id *jurisdictioni* potestatique tribuendum, sed ipsorum potius *incapacitati*, ut proinde *laicis* licuerit, in tali causa, ab *Episcoporum* quoque *communione* discedere, quorum tamen nulla erat in *Episcopos* proculdubio *jurisdictio*. Id suadet in *Martialis* & *Basilidis* causa *Cyprianus*, quæ verba ejus mirum est ab aliis aliorsum trahi, quasi vero licuisset propter quamvis *Episcoporum improbitatem*, etiam *laicis*, ab eorum se *communione* subducere. Erat itaque sententia istiusmodi *declarativa* duntaxat, ipsum jam à *se*, istiusmodi *Episcopum*, à *Catholica communione* esse præcisum, ut proinde qui *communionem* ejus deinceps amplecterentur, ne ipsi quidem essent pro *Catholicis* agnoscendi. Idem etiam valebat, è principiis *Cyprianicis*, in causa *SCHISMATIS*, siquis se *Episcopus* à reliquorum *Episcoporum collegio* abrupisset. Ea causa erat *Martiani Arelatensis*, qui *Novatiano*, postquam à reliquis per orbem *Romanum Episcopis* damnatus fuisset, tamen adhærebat. De illo ad *plebem* dandas esse à *Stephano* literas auctor erat *Cyprianus*, innuens omnino *illorum* esse etiam *se* ut ab istiusmodi *Episcopo* subtraherent, aliumque in ejus locum sufficiendum *eligerent*. Manifesta autem erat hujus etiam *Martiani* à *communione* Ecclesiæ *Catholicæ* alienatio. Jam damnatus erat *collegii Episcopalis* concordi sententia [60] *Novatianus*, jam ab eorundem etiam *communione* exclusus, negatumque ei *literarum formatarum* commercium. Siquis igitur deinceps *Episcopus communionem* ejus agnosceret, is *unum* se cum *eo* professus erat qui ipse esset à communione *Catholica* alienus, & *alienum* se ab *eorum* etiam *communione* quorum decreto atque suffragiis factus fuisset alienus.

§. XLIV. Utque res ipsa satis erat *plebeiis* etiam *in-*

55 Act. XV. 16. 56 Amos. IX. 11.
57 1 Paralip. XVII. 1. 58 Is. XLIV. 28. Jerem. XXX. 18. 59 Eph. II. 20, 21, 22.

60 In Ep. supra dicta LXVII. & *Dionys. Alexandrin.* Epist. ad *Stephan.* ap. *Euseb.* Eccl. Hist. VII. 4, 5.

ingeniis manifesta, ut ne *ducibus* quidem destituti facile possent errare; ita, sicubi necesse esset, duces habebant *collegas* etiam *Episcopos*. Quod ad *sacrificiorum* causam attinet, quæ quidem in *facto* versaretur, nulla opus erat *judicandi* peritia. Id *testibus* in medium prolatis manifestum erat *sacrificasse* illos, quos diximus, *Martialem* atque *Basilidem*. In causa autem *hæreseos*, quæ quidem erat aliquanto difficilior, *duces* habuerunt alios, ut dixi, *Episcopos*. Damnatus fuerat [61] *Privatus Lambesitanus* sententia nonaginta Episcoporum, quo numero in Ecclesia *Africana*, nunquam convenerat, *Cypriani* ætate, majus pleniusque *concilium*. At *Novatianus* orbis etiam *Romani* consensu damnatus est. Hos *duces* habebant *plebs Lambesitana* atque *Arelatensis* cum à suorum *Episcoporum* communione discederent.

§. XLV. At salva *communione* catholica, collegarumque *commercio*, alia deinde nulla restabat, ex his principiis, causa qua tutum esset *Ecclesiarum* singularum *subditis*, cujuscunque essent *ordinis*, ab *Episcoporum* se *communione* subducere. Hac ipsa enim de causa, quæcunque singularum *Ecclesiarum communio* ab *Episcopi communione* fuisset aliena, ea à *catholica* atque *cœlesti* aliena erat pariter existimanda. Qui enim ab *unitatis principio* dissidebant, illi nec ad *unitatem* pertinere poterant; qui ab *uno* illo *sacerdote* λόγῳ antitypo, illi & à λόγῳ ipso *invisibili Episcopo* divisi intelligebantur; qui ab *uno* Episcopi *altari*, illi & à *mystico* λόγῳ ἀρχιερέως *sacrificio* atque *altari*; qui *dispensatoris* potestatem non agnoscerent, nec *domus* illos aut *familia* agnoscere debuit; qui *clavium* usu à *domo* fuissent *excluſi*, *foras* illos esse necesse erat, quæ si claves *regni* etiam *cœlorum* fuissent, à *regno* etiam *illo* extorres exulesque fuisse oportuit. Qui in *petra* domus *fundamento* non *fundarentur*, nec *firma* illis potuit esse *fundatio*, nec *domum* ipsam poterant, *lapidum* vice, constituere. Nulli igitur *Episcoporum mores*, nulla mala regiminis *administratio*, nulla *Episcoporum decreta*, utcunque gravia, si *peccatum* tamen abesset; utcunque etiam *peccaminosa*, ni talia fuissent *peccata* quæ illos *incapaces* redderent nominis *Christiani*, communionisque *collegarum* atque *catholicæ*, quæ illos, non à *beneficio* modo, sed à *jure* etiam, *communionis catholicæ* excluderent (quo *jure* etiam fruuntur, suo licet periculo, impii, dum ab idoneo judice illo etiam *jure* excludantur) nihil, inquam, horum *subditos* excusare poterit, quocunque tandem illo separandi prætextu, se ab *Episcoporum communione* alienari patiantur, quin *Episcopis* etiam *errantibus*, illis alioqui recte sentientibus, sint tamen omni communionis *beneficio* pariter alieni. Longe itaque abest ut se omni, cujuscunque tandem is sit generis, *clavium errore* tueri possint, sive ipsi *se* ab *Episcopis* separent, sive *separari* etiam sese *patiantur*, quod nostros etiam facere videmus hodie *SCHISMATICOS*. Atque hæc certe *facilitas* ipsa, ex his principiis, qua omnibus singulisque constat quodnam sit à se officium, in quacunque causa, præstandum, si alia deessent argumenta, est sane per se ipsa gravissimo argumento ad hujus *hypotheseos veritatem* comprobandam. Inde enim talis esse constat, qualis esse debuit, si hanc *curam* Deus in se ipse susceptisset. Erit etiam ex hoc ipso capite, ἀποδεκτὸς pariter atque πιστὸς λόγος, quæ certe utraque faciunt plurimum ad *dogmatum* commendationem, si ipsum audiamus Apostolum.

§. XLVI. Est & aliud, ex iisdem his principiis, observatione dignissimum, fore, ea si admittantur, ut *suffragii negativi jus*, & quidem illud *absolutissimum*, sit penes *solum Episcopum*. Esto enim, reliquis omnibus consentientibus, *presbyteris*, *diaconis*, *clero* etiam reliquo universo, sed & *plebe* similiter concordi (ut *Ecclesiæ Cyprianicæ* faciem ad vivum repræsentemus) refragetur *solus Episcopus*. Is, si nolit in eorum sententiam concedere, *jus* nullum habent reliqui *omnes* quo *invitum* cogant ad sententiam mutandam. Nulla enim esse potest sine *justa pœnæ* inferendæ potestate *justa coactio*, nec *rata* aliqua apud *Deum* pœna esse potest nisi quæ sit itidem *justa*. At *pœna* alia nulla in *Ecclesia* locum habet præterquam *excommunicatio*. Si itaque pertinacem *Episcopum* à sua *communione* excluderent, id *sibi* fraudi futurum erat, non *Episcopo*. Se potius *ipsos* ab *Ecclesia* vera abscinderent quam *Episcopum*, quemadmodum reliqua *membra universa* locum suum in *corpore* tueri non poterant, si ab *uno capite* abscinderentur. *Irrita* ergo foret in *Episcopum* talis illa sententia. Vel *solus* sacramenta *administrandi jus* retineret, *solus* alios sibi conscribendi satellites, sive *laicos*, sive etiam *clericos*, quippe qui ab illis sui *excommunicatoribus* non haberet; & *rata* esset nihilominus apud *Deum* omnis illa *potestas* quam vel *solus* exercuisset. [62] „Ut enim *Cypriani* utar similitudini„bus, fracto à *sole radio*, non *sol* ipse, sed *radius*, „tenebresceret; præciso à *fonte rivo*, non *fons* ipse, „sed *rivus*, aresceret; abruptis à *trunco ramis* omni„bus, *ramis* equidem deficeret *vitalis* ille succus „quo plantarum illa *vita* conservatur, in *trunco* „nihilominus & in *radice* mansurus. Ita nullam omnino vim haberet ad *Episcopum cogendum* irrita illa *censura*.

§. XLVII. At *vim* aliquam, inquies, habiturum esset *decretum*, si *exequi* illud possent, *nolente Episcopo*, ut *nolentem* non possent in suam *sententiam* vi aliqua adigere. Fateor *habiturum*; sed nego, ex his principiis, posse vel *omnes* aliorum ordinum Ecclesiasticorum *decretum* aliquod *suum exequi*, nolente *Episcopo*. Qui enim *ipsi* in *Ecclesia* non manerent, quam demum *Ecclesiasticam potestatem* retinere poterant qua *decretum* istiusmodi exequerentur? Non erat *expetenda* ab Ecclesiæ subditis *fidelibus* eorum illa *communio*, ita non erat eorundem *excommunicatio metuenda*. Quid ergo stabilire poterant *soli*, quorum nec *expetenda* esset *communio*, nec *censuræ metuendæ*? quorum *pœnæ* in rebelles sibi *subditos*, apud *Deum* essent, & in *cœlesti* curia, prorsus *irritæ*? Si ergo nec *dissentientem* Episcopum *cogere* possent, nec, eo *nolente*, *decreta* sua *stabilire*; sequitur omnino ejus vel *unius* refragantis *suffragium* vim eorum decretis omnem esse abrogaturum, ut ne *jure* quidem valerent, quæ nullos *jure* possent constringere.

§. XLVIII. Dicendum contra, etiam *solius* Episcopi *metuendas* fore *censuras*, aliorum quorumcunque *rebellium* communionem esse etiam *pertimescendam*. Si enim, vel in illa causa, *sejunctis* ab *Episcopo* communionis Ecclesiasticæ *beneficia* pariter amittant; tremenda erit eorum conditio *gratia* prorsus omnique *invisibili communione* destitutorum, concedenda erunt, utcunque *dura*, *licita* tamen omnia, ut veram illam ratamque *Episcopi* communionem possint consequi. Ita *societatis* Ecclesiasticæ *privilegia* omnia, præmiorum pœnarumque *potestas* erunt etiam, in tali casu, penes *solum Episcopum*. Cum autem *decreta* præmiorum pœnarumque jure *destituta*, ne vel *decretorum* nomine digna censenda sint, nec *potestatis* aliquam præ se ferant vel *speciem*; sequitur etiam *decretorum* Ecclesiasticorum condendorum *potestatem* omnem in *solo* esse *Episcopo*, ut proinde (*jus* quod attinet) *potestas Episcopalis*, subditorum saltem respectu, *monarchica* existimanda sit, & quidem illa à legum *humanarum* coërcitione *liberrima*. Talem illam repræsentat

[61] Ep. LV. [62] De Unit. Eccl.

tat ſæpiſſime *Cyprianus*, cum *ſoli Deo* dicit ab *Epiſcopis rationem* eſſe *reddendam*. Et tamen fere nemo eſt Patrum quem frequentius appellant hodierni *Epiſcoporum rebelles*. Tantum ille *clero* ſuo, tantum *plebi*, *laiciſque*, in *exercitio* poteſtatis Epiſcopalis indulſit, pene ut nihil *ſuo loco* reliquum fecerit, ſi, quæ *ipſe* pro ſua *indulgentia*, cum aliis communicanda cenſuit, ea ſibi *ſoli* vendicare *non* potuerit. Ita equidem argumentantur qui pro cauſæ ſuæ partiumque ſtudio, *jus* à *facto* minime diſtinguendum exiſtimant adverſarii. Quaſi vero non eſſet id in *laude* ponendum, ſiquis in poteſtate conſtitutus *jure* ſuo nonnunquam *cedat*; quaſi qui ita *ceſſerit*, id ei *fraudi* eſſe oporteat quo minus *jure* ſuo in poſterum utatur; quaſi porro *indulgentia* illa *unius Cypriani* poſteri eſſent omnes ſui ordinis *Epiſcopi jure* illo, idque in *perpetuum*, excludendi. Ita *redituum* Eccleſiaſticorum *jure* excidere debuerant ultimorum temporum *officiarii*, quod non *uſus* eo *jure* fuerit apud *Corinthios Apoſtolus*, cum tamen apud *alios* uſus eſſet, & apud *ipſos* etiam *Corinthios jus* tamen ſuum animoſe defenderit. Iniquiſſima pariter atque ingratiſſima eſſet illa *indulgentiæ retributio*. Et tamen ita paſſim argumentantur *antiquarii* qui *hiſtoriis ratiocinia* non admiſcent. Quaſi denique non eſſet *Cypriani temporibus* congruum (*perſecutionis* nimirum illis) multa ut de *juribus* remitterentur, quæ tamen non eſſent, florente ſub *Chriſtiano magiſtratu Chriſtianiſmo*, pariter remittenda. *Jura* ſemel à Domino conceſſa illibata *conſervari* oportet. Quæ vero ſint pro *juribus* habenda, non eſt è *factis*, pro circumſtantiarum *varietate* ipſis quoque *variis*; ſed vero *è principiis* atque *dogmatibus*, certis illis nec mutationi obnoxiis (quod nos obſervavimus) æſtimandum.

DISSERTATIO CYPRIANICA VIII.

Ad EPISTOLAM XXX.

De *prærogativa*, *indulgentiæ privilegio*, & *privilegio ſocietatis*, ex ſententia *legum Romanarum*.

Lapſorum *argumentum de* martyrum *ſuffragio* communicationis prærogativa. §. I. *Cur vim illam* prærogativæ *illi tribuerint*, *ex illius ævi* principiis *explicatur*. §. II, III. *Reſponſio* Eccleſiaſticorum, *pro* legum *etiam* Romanarum *idiomate concepta*, *& ex iiſdem explicata*. §. IV, V, VI.

§. I. [*NAm cum omnis prærogativa ita demum ad indulgentiæ privilegium ſpectet, ſi ab eo cui ſociari quærit, non diſcrepet; qui à Deo, cui ſociari quærit, diſcrepat, neceſſe eſt indulgentiam & privilegium ſocietatis amittat.*] Omnino hæc verba è *legibus Romanis* deſumta ſunt, nec aliunde intelligenda. Eorum hæc erat occaſio. *Lapſi pacem* ſibi à *martyribus* conſeſſam ita vendicabant, quaſi jam *data* eſſet, non *danda* deinceps ab *Epiſcopis*; quaſi jam *rata* eſſet, ut diximus, *in cœlis*, nec ab *Epiſcoporum confirmatione* expectanda eſſet. Hoc ut probarent, *martyrum* ſuffragium *prærogativam communicationis* eſſe contenderunt. Ita argumentatos eſſe *lapſos* ex illis *cleri Romani* verbis colligimus: [1] *Quod ſi alicunde prærogativam communicationis habere ſe credunt*, *&c.* Ergo per *prærogativam communicationis* id genus *ſuffragium* intellexerunt, quod non eſſet ab aliis, quorum intererat, in *dubium* revocandum. Ita enim *martyrum prærogativam ratam* eſſe voluerunt *in cœlis*, nec ab aliqua *terrena* poteſtate, ne *Epiſcopi* quidem illa, revocabilem. Ita *prærogativa ſententia* apud *Tertullianum*: [2] *Nam ſæpe cenſores renaſcentia cum maxime theatra deſtruebant, moribus conſulentes, quorum ſcilicet periculum ingens de laſcivia providebant ut jam hinc ethnicis teſtimonium cedat ſententia ipſorum nobiſcum faciens, & nobis in exaggerationem diſciplinæ etiam humanæ prærogativa.* Phraſis illa, *in teſtimonium cedat*, ex [3] *Evangeliis* accepta eſt, & quidem id genus *teſtimonii* denotat quod omni prorſus *exceptione* majus eſt. *Sententia* igitur illa *prærogativa* talis erat quæ nec poſſet à *gentibus* rejici, quia ipſorum erat *domeſtica*, nedum à *Chriſtianis* quibus *prærogativa* dicitur. Quod probat argumento à majori. *Sanctior* enim erat illa quæ apud *Chriſtianos* debuit obtinere *diſciplina*, ut proinde *humanæ diſciplinæ* cedere non debuerit. Cum igitur, ex *gentilium* illa *diſciplina ſpectacula* fuiſſent improbata, fieri proinde non potuit ut à *Chriſtiana* probarentur. Occurrit etiam apud [4] eundem *prærogativa ſuffragii* de *ſuffragio imperatoris*, quod nemo dubitet nequaquam facile fuiſſe repellendum.

§. II. Quod igitur *martyrum ſuffragia* pro *prærogativis* habuerint, inde ortum habuiſſe videtur quod eorundem *preces morientium*, & quaſi *teſtamenta*, tantum valere apud *Deum* crederent ut *repulſam* pati non poſſent. *Totam* illos *Dei gratiam redimere*, *omnemque veniam ab eo compenſatione ſanguinis ſui expedire*, [5] ait *Tertullianus*. Hoc de *ſuis peccatis* illum dixiſſe fateor. Inde vero pronum erat ut de *alienorum peccatorum* venia idem colligerent. Jam enim, ejus etiam [6] ætate, mos ille *pacem* dandi obtinuit qui ſub *Cypriano* noſtro tantas tragœdias excitavit. Ideo *Perpetua* rogata eſt à fratre *viſionem* quam & fidenter pollicita eſt, ea nimirum ſpe freta, fore ut nihil eſſet quin à Deo jam paſſioni proxima impetraret. Ita enim in *Paſſione* ejus ſcriptum habemus: *Tunc dixit mihi frater meus: Domina ſoror, jam in magna dignatione es, tanta, ut poſtules viſionem, & oſtendatur tibi, an paſſio ſit, an commeatus. Et ego, quæ me ſciebam fabulari cum Domino, cujus beneficia tanta experta eram, fidens repromiſſionibus ejus, dixi, craſtina die tibi renunciabo.* Maxima vero ſunt quæ in hanc ſententiam paulo ante perſecutionem illam *Decianam* ſcripſerat *Origenes*. Idem ille munus *martyrum ſacrificiis* atque illi quod obtulit in cruce ipſe *Dominus*. Sunt enim ea ipſa interpretis verba: [7] *Quomodo autem & filii ejus auferant peccata ſanctorum, id eſt, Apoſtoli & martyres, ſi poterimus,*

[1] Ep. XXIX, XXX. [2] De Spectac. c. 10. [3] S. *Matth.* VIII. 4. X. 18. XXIV. 14. S. *Marc.* I. 44. VI. 2. XIII. 9. S. *Luc.* V. 14. IX. 5. XXI. 13. [4] Apolog. c. 5. [5] Apolog. c. 50. [6] Vid. ad Martyr. c. 1. [7] In Numer. Hom. X.

rimus, ex Scripturis Divinis probare, tentabimus, &c. *De Martyribus autem scribit Joannes Apostolus in Apocalypsi, quia animæ eorum qui jugulati sunt propter nomen Domini Jesu, adsistant altari: Qui autem adsistit altari, ostenditur fungi sacerdotis officio. Sacerdotis autem officium est, pro populi supplicare peccatis. Unde ego vereor, ne forte ex quo martyres non fiunt, & hostiæ sanctorum non offeruntur pro peccatis nostris, peccatorum nostrorum remissionem non mereamur. Et ideo vereor, ne, permanentibus in nobis peccatis nostris, accidat nobis illud quod de semetipsis dicunt Judæi, quia non habentes altare neque templum, neque sacerdotium, & ob hoc nec hostias offerentes, peccata, inquit, nostra manent in nobis, & ideo venia nulla subsequitur. Et contra, nos dicere debemus, quia hostiæ martyrum non offeruntur pro nobis, idcirco manent in nobis peccata nostra. Non enim meremur persecutionem pati propter Christum, nec mori propter nomen Filii Dei. Et ideo etiam Diabolus, sciens per passionem martyrii remissionem fieri peccatorum, non vult nobis publicas gentilium persecutiones movere*, &c. Nec aliter in *Exhortatione Martyrii*: [8] Ὡς οἱ κατὰ τὸν Μωυσέως νόμον θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες, ἀφικνεῖν ἐδόκουν δι' αἵματος ταύρων καὶ τράγων ἄφεσιν ἁμαρτημάτων ἑαυτοῖς· οὕτως αἱ ψυχαὶ τῶν πεπελεκισμένων ἕνεκεν τῆς μαρτυρίας τοῦ Ἰησοῦ, μὴ μάτην τῷ ἐν οὐρανοῖς θυσιαστηρίῳ παρεδρεύσασι, ἀφικνοῦσι τοῖς δυσχομένοις ἄφεσιν ἁμαρτημάτων. ἅμα δὲ καὶ γινώσκομεν, ὅτι ὥσπερ ὁ ἀρχιερεὺς θυσίαν ἑαυτὸν προσήνεγκεν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, οὕτως οἱ ἱερεῖς ὧν ἐστιν ἀρχιερεὺς, θυσίαν ἑαυτοὺς προσφέρουσι, διὸ καὶ ὡς παρ' οἰκείῳ τόπῳ ὁρῶνται τῷ θυσιαστηρίῳ. . . . Τίς γὰρ ὁ ἄμωμος ἱερεὺς ἄμωμον ἱερεῖον προσφέρων, ἢ ὁ κρατῶν τῆς ὁμολογίας, καὶ πληρῶν πάντα ἀριθμὸν, ὃν ἀπαιτεῖ ὁ τοῦ μαρτυρίου λόγος. Rursus [9] sub finem: τάχα δὲ καὶ ὥσπερ τιμίῳ αἵματι τοῦ Ἰησοῦ ἠγοράσθημεν, Ἰησοῦ λαβόντος τὸ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα· οὕτως τῷ τιμίῳ αἵματι τῶν μαρτύρων ἀγορασθήσονταί τινες, καὶ αὐτῶν πλέον παρ' ἃ ὑψώθησαν ἂν, δίκαιοι μᾶλλον γενόμενοι, μὴ μαρτυρήσαντες δέ.

§. III. Ex his *Origenis* locis multa *Cypriani* nostri intelligimus. Constat inprimis, ipsum *sacerdotum* officium fuisse à nonnullis *martyribus* attributum, & quidem ex hoc ipso *Apocalypseos* loco. Male equidem collegerunt. Nec enim *assistere altari martyrum* dicuntur *animæ*, quod *sacerdotum* fuisset *sacrificantium*; sed ὑποκάτω τοῦ θυσιαστηρίου fuisse, loco nimirum *sacrificiorum* proprio. Utcunque quo jure tandem illud, quave injuria, collegerint, id certe præterea intelligimus, cur *aliena*, pariter ac *sua*, *peccata* expiare crederentur. Docet enim *Origenes Ecclesiæ peccata martyrum* illis *sacrificiis* fuisse *purganda*; inde nullam fuisse sua ætate *publicam remissionem* quod *deessent* illa *sacrificia*. Id enim *sacerdotibus* pro *officio* suo munus incumbebat ut populi *peccata* tollerent. Inde intelligimus quo prætextu *martyres* à *lapsis* facti sunt *Episcoporum æmuli*, quod & ipsi etiam *sacerdotes* fuisse crederentur. Hinc non tam *rogandam* fuisse ab *Episcopis* illam quam *lapsis martyres* concesserant *pacem*, quam potius *vendicandam*, collegerint, ut quam *ipsi* à Deo *pacem sacrificio* suo *martyres* impetrarant, ea ab *Episcopis rata* haberetur. Intelligimus præterea cur *ratam* illam in *cœlis pacem*, *Episcopis* etiam refragantibus, fuisse crediderint, quod nimirum *martyres* non *visibilium altarium* sacerdotes fuissent, sed vero *invisibilis* illius atque *archetypi altaris* in *cœlo*. Id cum ita esse supposuissent, jam recte deinde colligebant, pro illius ætatis ratiociniis atque principiis, potiorem illis *martyrum sacrificiis*, certioremque vim, quam *Ecclesiasticis*, esse tribuendam. Ita enim *Christi sacrificium Judæorum sacrificiis*, anteferendum concludit [10] Apostolus quod ille *tabernaculi veri minister* esset, *Heb.* VIII. 2. quod *non in manufacta sancta introiverit, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum*, *Heb.* IX. 24. cum *Judæorum* pontifices *super terram essent*, *Heb.* VIII. 4. *exemplari umbræque duntaxat cœlestium deservirent*, ℣. 5. Nec erat sane quod huic *Apostoli* argumentationi reponere possent *Platonici Hellenistæ*. Certum apud illos erat *archetypa* illa *sacrificia* omnium esse efficacissima, ab illis ad *terrestria* vim omnem virtutemque esse derivandam, ut quo *propius* ad *illa* quidque accessisset, eo foret etiam *efficacius*. Ita igitur *martyrum* illa *cœlestia sacrificia terrestribus Ecclesiæ* erant, pro ejusdem ratiocinii tenore, anteferenda. Nec id modo collegisse contenti, addebant præterea, jam *ratam* sibi esse *in cœlis* illam *pacem*. Quanquam enim in his *terrenis altaribus* certum sit sæpenumero non *litare* pontifices; at *cœleste* illud *verum* erat, ex iisdem illis principiis, appellandum, quod scilicet destinatum sibi finem semper consequeretur. Ita igitur *lapsos* illos argumentatos esse verisimile est, *ratam* ita in *cœlesti* curia *pacem* in *terrestri prærogativam* habendam esse, ne illam scilicet *judices Ecclesiastici* possent *recusare*, quemadmodum in tribunalibus *Romanis* venia ab *imperatore* concessa non erat in curiis inferioribus refutanda. Fore enim, ita ni facerent, ut *pacem* à *Deo* ipso indultam *Ecclesiastici* in dubium revocare viderentur.

§. IV. Quas alias responsiones huic argumento adhibuerint Ecclesiastici, jam supra vidimus. Id unum agimus inpræsentiarum ut de illa *prærogativa causa* quid videamus responderint. Id ipsum è verbis illis colligimus quæ jam supra exscripsimus. Estque etiam hæc *responsio* pro *Romanarum legum* moribus concepta. *Privilegii* itaque nomine intelligunt jus illud subditorum è *prærogativa* oriundum quo possent sibi in inferioribus curiis *vendicare* quod fuerat ante *prærogativa Principis* concessum. Id enim ipsum à *lapsis* factum ex ipso *Cypriano* discimus, *Ep.* XXIX. quo etiam loco ipsa illa *vendicandi* voce est usus. Nam *privilegii* nomine *singularem* aliquam in illius causa *legem* observandam esse [11] innuerunt, qua esset à communi lege talis subditus eximendus. *Privilegium* igitur *indulgentiæ* est quo quis *legi pœnali* obnoxius, *indultu* tamen *principis* ab ea fuisset lege liberatus. Est enim illud *indulgere*, de *pœnalis legis* severitate aliquid remittere. Respondent itaque *Ecclesiastici*, in illis etiam *principum prærogativis* esse tamen casus nonnullos *legibus* ipsis principumque etiam *rescriptis* exceptos, in quibus *legum* ipsarum potior habenda esset ratio quam *prærogativarum*. Id ipsum de *Christo* in *Divorum* numerum recipiendo contigisse auctor est [12] *Tertullianus*, *Tiberium* nempe id ad *senatum* cum *prærogativa suffragii* sui detulisse, repulsam tamen propterea tulisse, quod in se *senatus non probaverat*. Erat enim etiamnum inter *senatus* jura *apotheosis* illa sive *consecratio*. Historia quam vera fuerit, non admodum laboro; pro *legum* tamen *Romanarum* moribus, quorum peritissimus erat *Tertullianus*, conceptam esse vix est quod dubitemus. Ergo in ejusmodi causis *recusari* potuit *coram* licet *præsentisque* principis *prærogativa*. *Absentis* longe minor habenda erat ratio. Cum enim *rescripta* istiusmodi *supplicantium* sæpe *fraude* malisque artibus elicerentur, idcirco ipsi imperatores istiusmodi *rescriptorum* vim aliis suis etiam *rescriptis* limitandam censuerunt. Exemplum hodie habemus in codice *Justinianæo*. Ita enim ad senatum scribunt *Theodosius* junior & [13] *Valentinianus*: *Rescripta con-*

[8] P. 192. Edit. *Wetstenii*. [9] P. 217. 218. [10] Apoc. VI. 9. [11] *Gell.* Noct. Attic. X. 20. [12] Apol. c. 5. [13] Cod. L. I. Tit. XIX. 7.

contra jus elicita ab omnibus judicibus refutari præcipimus; nisi forte sit aliquid quod non lædat alium, & prosit petenti, vel crimen supplicantibus indulgeat. Videmus hic *indulgentiæ* nomine *pœnalium legum*, quam diximus, remissionem intelligi. Quæ quanquam *indulgentiæ* in hoc rescripto universæ confirmentur, sunt tamen in eodem variæ *prærogativarum* limitationes, & quidem tales, quibus *judicum* non modo arbitrio permittitur, ut *prærogativas* illas *refutent*, sed *præcipitur* etiam ne aliter faciant. Fieri etiam potuit ut, in hac ipsa *indulgentiarum* causa, aliter se habuerint *rescripta* principum ætate *Cypriani*, modo codicem haberemus, qui jamdiu periit, *Gregorianum*. Sunt etiam in eodem illo [14] titulo alia quoque ejusdem rei exempla, in quibus & illud *Constantii Aug.* generale: *Nec damnosa fisco, nec juri contraria postulari oportet.*

§. V. Verum hæc *prærogativa*, de qua loquimur, non ipsius *Dei* fuit, sed *martyrum*. Ut proinde non *Imperatorum rescriptis*, sed potius illorum, respondeat, quibus concessum fuerat, nonnullis in causis, *indulgentiæ privilegium*. Solebant enim Imperatores, etiam *subditis*, eam gratiam concedere, ut reos possent & quidem *capitis*, pœnæ eximere. *Virginibus* id *Vestalibus* indultum est à libera usque republica. Plebi quoque *Provincialium*, pro *Præsidum* tamen, ut videtur, arbitrio, ut *Judæis* in [15] Evangelio. Potiori itaque ratione *Præsidibus* ipsis non negatum esse verisimillimum est. *Majestatis* tamen causam semper *principibus* reservatam esse vix est quod dubitemus, & quidem propter ipsam hanc, quam hic habemus, rationem. Propterea quod iniquum esset eum *societatis privilegio* gaudere qui in ipsam fuisset *societatem* perduellis. Ni sibi illam Imperatores reservassent, jam in rebellium *præsidum* potestate situm esset, satellites conscribere, res novas eorum opera clam moliri, deprehensis ignoscere.

§. VI. Ita igitur responderint, ni fallor, *Romani*. Esto, fuerit *martyribus* sua *prærogativa*; at, pro *legibus Romanorum*, quibus illæ *prærogativæ* stabilitæ essent, esse tamen causas in quibus illæ essent *prærogativæ repellendæ*, in eorum numero *majestatis* illam longe esse præcipuam, quam & locum hic habere. Proinde si *martyres* suas *prærogativas* ratas esse voluissent, cavendum illis fuisse ne *Deo* alieni, ne *legi* ejus, Evangelio nimirum, diversi invenirentur, ne *societati* à Deo pariter atque Evangelio institutæ; quæ enim cum illis pugnant, *juri* esse contraria, *majestatemque* læsura: horum esse *judices Episcopos*. Si quem igitur *Episcopi* à *communione* excludendum judicassent, tam non esse id *martyrum prærogativis* adversum, ut siqui *martyres* se *Episcopis* opposuissent, iidem *Deo*, *Christo*, *Evangelio* adversi esse censendi essent, nec proinde esse pro *martyribus* agnoscendos. Ita igitur ad *indulgentiæ privilegium* spectare *martyrum* illam *prærogativam*, si se ipsi *martyres Episcopo*, potestatique à *Christo* in Evangelio institutæ morigeros præbuerint; aliter fore, ita ne sit *lapsis* profutura illa à *martyribus* sit vel maxime obfutura.

Porro quæ *prærogativa communicationis* paulo supra dicta est, ea *prærogativa communicatio* dicitur in aliis codicibus, auctore *Pamelio*. Utrovis modo legas, non longe aberrabis. Jam *prærogativam suffragii* & *prærogativam sententiam* legi observavimus apud [16] *Tertullianum*, ut proinde tam *adjective* usurpari posset quam *substantive*. Frequentiorem tamen putat *Junius* vim ejus *adjectivam*.

Amabunt hoc ipsum, ad fidelem se dilatos esse medicinam.] Forte *Hellenismus*. Ἀγαπᾶν ita sæpissime usurpant *Græci*.

[14] Ib. n. 3. [15] S. *Matth.* XXVII. 15. S. *Luc.* XXIII. 17. [16] *Jun.* in loc. *Tertullian.* de Spectac. c. 5.

DISSERTATIO CYPRIANICA IX.

Ad EPISTOLAM XXXI.

De potestate *presbyterii*, sede *Episcopali* vacante.

Auctoritas *quid sit ex usu* legum Romanarum. *Ea penes solum erat* Episcopum. §. I. *Ordinis Episcopalis* auctoritas *à* presbyteriis, *ætate* Cypriani, *sede etiam* vacante, *agnita*. §. II, III. *Ex quibus principiis id* presbyterio, *sede etiam vacante, non licuerit, quod tamen, sede* plena, *licuit* Episcopo. §. IV.

§. I. *Post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum est Episcopus*, &c. *Qui omnia ista moderetur, & eorum qui lapsi sunt, possit cum AUCTORITATE & consilio habere rationem.*] Locus diligenter notandus ex quo constat, quid possint, ea ætate, *sede* etiam *vacante*, *presbyteri*; & quo *jure* potiretur *Episcopus*, quanquam illo *jure* suo cesserit nonnunquam, ea præsertim *ætate*. Plane constat *AUCTORITATEM* omnem gestorum *Ecclesiasticorum* fuisse penes solum *Episcopum*. Similia de baptismo Tertullianus: [1] *Dandi quidem habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus. Dehinc presbyteri & diaconi, non tamen sine Episcopi AUCTORITATE, propter Ecclesiæ honorem. Quo salvo, salva pax est.* Quem hic *Ecclesiæ honorem* appellat *Tertullianus*, illum martyr noster *Episcopi honorem*, Ep. XXVII. & *contumelias Episcopatus* sui, siquæ ausi essent, etiam secessus sui tempore, se tamen inconsulto, *presbyteri*, Ep. X. Convenit nimirum cum alio illo martyris axiomate quo *Episcopum* ita in *Ecclesia* esse statuit, ut sit etiam *Ecclesia* in *Episcopo*. Quæcunque igitur *auctoritatis* nomine *potestas* intelligenda erat, eam ita *propriam* facit *Episcopi*, ut, ne *vacante* quidem sede, *presbyteris* conveniat. Vacabat enim sedes *Fabiani* quando hæc scripserunt presbyteri *Romani*, quibus *auctoritatem* sibi tamdiu *deesse* innuunt, quamdiu *defuit Episcopus*. Videamus igitur quid sit *auctoritatis* illo nomine intelligendum. In *legibus Romanis* (quarum hic sunt proculdubio usi idiomate) *mulierum* omnium perpetua erat [2] *tutela*. *Tu-*

[1] De Baptism. c. 17. [2] Vid. *Barnab. Brisson.* de Rit. Nuptiar. p. 22.

Tutorum istiusmodi potestatem *auctoritatem* appellabant. Illorum nutu siquid gestum esset, id *illis auctoribus* gestum esse dixerunt, id firmum erat ratumque, nec postea revocandum. Sin aliter, id *nullo auctore* gestum illegitimum erat, planeque irritum. Id in *pactis* obtinebat, id in *emtionibus venditionibusque*, ceterisque id genus omnibus negotiis *forensibus*, ipsisque adeo *connubiis*, nihil ut *pupillam* obligaret ni *tutorem* habuisset *auctorem*. Eo ipso argumento usus est sæpissime in suis *orationibus* summus oratorum. Ita igitur hæc sunt in *Ecclesiam* referenda, ut *Ecclesia* atque *presbyterium* in *Episcopi* quasi *tutela* fuisse intelligerentur, nisi potius fortasse *mariti* vicem sustinuerit *Episcopus*. *Unitatem* enim eam, cujus *principium* fuisse probavimus *Episcopum*, cum *unitate matrimoniali* conferendam censuit Apostolus. *Mariti* autem auctoritatem fuisse absolutissimam nemo est qui dubitet. Illum autem veluti solius *Christi* proprium titulum declinandum censuerit Episcopus. *Amicum* se *sponsi* professus erat *Baptista*, *paranymphum* S. *Apostolus*. Et vero *tutoris* nomen satis modestum *fiduciariam* quandam potestatem designabat qualis illa esset *Episcopi*. Erat itaque istiusmodi hæc *Episcopi* veluti *tutoris auctoritas*, ut quanquam in *nonnullis* causis, *nuptiarum* præsertim illa, nihil posset fortasse *tutor* sine *pupillæ consensu*; at contra nihil posset etiam in *quacunque* causa *pupilla* sine *tutore* quod in *lege* ratum esset habendum. *Episcopum* igitur *auctorem* habere debuerunt reliqui cujuscunque ordinis *Ecclesiastici*, siquid vellent in *lege Ecclesiastica* vim suam obtinere. Illa quidem in *privatorum* quoque hominum commercio obtinebat *auctoritas*. Ad nostram autem *Ecclesiæ* causam attinebit illa fortasse potius quæ *publicorum* essent *collegiorum*. Id vero erat in illis fortasse perpetuum ut *unum* haberent è suo numero *præsidem* qui conventuum negotia moderaretur. Id porro erat *præsidum* illorum *jus* fere perpetuum, ut negotiorum ad conventus *referendorum* potestate *soli* potirentur quam & *auctoritatem* appellabant. Ita *referebant* ad *senatum consules*, ad *plebem tribuni plebis*. Quæ ita decreta essent, ea, *illo auctore*, decreta dicebantur, à quo fuisset facta *relatio*. Nec quicquam *agi* in istiusmodi conventibus *legitime* poterat de quo non esset antea *legitime relatum*; nec vero ulla erat *legitima relatio* præterquam eorum quibus *referendi potestas* fuerat à *lege* concessa. Ita factum ut, inconsultis *relatoribus*, nihil agi possit in *lege* validum. Cum igitur ea *auctoritate* carerent quæ non fuissent, *Episcopo referente*, decreta, quanquam in ipso *necessitatis* casu; sequitur penes illum *solum* fuisse illam *referendi* potestatem. Sequetur etiam penes eundem fuisse *jus suffragii negativi*. Si enim quod, non eo *referente*, decretum esset, id *auctoritate* carebat, nec ad alium pertinebat *jus* illud *referendi*, nec *relaturum* probabile erat quod ipse non *probarat*; nihil igitur *ratum* esse potuit, nisi ipso *suffragante*. Plane igitur ad mentem *Tertulliani* res Ecclesiasticas gerebant *sejuncta* illius *Cypriancæ* ætatis [3] *Presbyteria*. *Formam*, ut loquebantur, expectabant à *Cypriano Presbyteri Carthaginienses*. Quorsum illud, si ex *eorum* suffragiis, res geri potuit, *absente* etiam, necessariis de causis, *Episcopo?* illum de *clericis* etiam *inferioris* ordinis consulunt, de [4] *Philumeno* & *Fortunato hypodiaconis*, & *Favorino Acolutho* qui *cum medio* (ut inquiunt) *tempore* recesserant, *tandem* rediissent. Illum de *lapsis* lapsorum patroni Episcopatus ejus ab *origine* usque hostes nihilominus infensissimi, ne quid illos concessuros suspicemur quod non viderent, pro illorum temporum sensu, necessario esse concedendum. Quæ vero *clerus Romanus Episcopo viduatus*, quæ etiam eorum hortatu *clerus Carthaginiensis*, *Episcopo absente*, gesserunt; ea talia erant quæ jam antea gerenda accepissent, quæque adeo novo aliquo decreto ne quidem indigerent. Ad *nova* autem *decreta* condenda pertinebat *Episcopi* illa *rogatio* qua se *auctorem* interponere solebat *Episcopus*, ut proinde quæ *novo decreto* non egerent, ea *Episcopi auctoritati* derogare non possent. Habebant ea antiquiorum Episcoporum *auctoritatem*, vel sui etiam antiquius interpositam, quorum essent *rogatu* istiusmodi *decreta* atque *auctoritate* condita.

§. II. Quod si quid *novi* accidisset, de quo nihil *veterum decretis* cautum extabat, jam plane necessaria erat Episcopi *auctoritas* qua *nova* essent *decreta* condenda. Atque hic quam cautissime agebant utriusque, quam dixi civitatis *presbyteri*. Consulebant inprimis *aliarum* civitatum *Episcopos* ἐνδημοῦντας. Erat enim utraque civitas, tam *Romana* quam *Carthaginiensis*, *metropolitana*, ad quam aliis de causis necessarium esset confluere *vicinarum* civitatum *Episcopos*. Id à *Romanis* observatum esse testantur eorum illa: [5] *Cujus temperamenti moderamen nos hic tenere quærentes, diu, & quidem multi, & quidem cum quibusdam Episcopis vicinis nobis & appropinquantibus, & quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius ardor ejecerat*, &c. Nec aliter *Presbyteri Carthaginienses* de *Gaio Diddensi*, ejusque diacono: [6] *Integre & cum disciplina fecistis* (inquit *Cyprianus*) *fratres carissimi, quod consilio collegarum meorum qui præsentes erant, Gaio Diddensi Presbytero & diacono ejus censuistis non communicandum*, &c. Horum ita usi sunt consilio, ut quæ gerenda cum *auctoritate* essent, in illis *Episcoporum* ἐνδημούντων auxilium etiam adhibuerint quantum licuit in aliena ditione. *Moniti* erant *Gaius* iste cum sceleris participe *diacono* à *collegis* [*Episcopis* nimirum, nec enim alios unquam *collegas* appellat *Cyprianus*, ut infra observavimus] & *semel atque iterum moniti* id ne facerent. Ut proinde etiam hic *auctores* haberent *Episcopos*, cum ne *negare* quidem *communionem* auderent in manifesto crimine deprehensis soli *Presbyteri*, nisi prius *monitis* per *alienos* etiam *Episcopos*. Non est quod credamus fore ut αὐτοτελοεπισκοπῶ ipsi ultro inferrent, si sui *ordinis* potestatem ad *communionis negationem* satis ipsam per se sufficere credidissent. Nec est verisimile tam æquo animo laturum fuisse ipsum *Cyprianum* tantam illam *Episcopatus* sui *contumeliam*. Nunquam certe id ab *Episcopo* aliquo *præsente* factum legimus, ut *collegarum* auxilium in abstinendo suæ ditionis *presbytero* implorarit. Tantum autem abfuit hoc illi ut molestum fuerit, ut, siqua gravior esset censura inferenda, ne *presbyterio* quidem *integro* vices suas mandandas censuerit, sed vero *collegis Episcopis* ἐνδημοῦσι, adscitis è *presbyterio* suo uno vel altero quos illis *socios* adjunxerit. Ita in abstinendo *Felicissimo* & *Augendo* cum reliquis eorum satellitibus *Cypriani* munus obierunt, & quidem sibi ab ipso demandatum, [7] *Caldonius*, *Herculanus*, & *Victor Episcopi*, cum *Rogatiano* atque *Numidico Presbyteris*. Proprias fortasse *vices* suas *Presbyteris* credidit, ut in recentiorum etiam temporum *conciliis* absentium *Episcoporum vices* unum alterumve *Presbyterum* sustinuisse legimus. Ita factum ut quod ita gestum esset, non *Presbyterii*, sed vero *collegii Episcopalis* nomine gestum intelligeretur. Certe *definientes*, subscripserunt decretis synodalibus *vicarii* illi *Presbyteri*, quod tamen alioqui *solorum* erat proprium *Episcoporum*.

§. III. *Romani* paulo severius, utpote in causa paulo graviori. *Lapsorum* causa istiusmodi fuit qua nulla

[3] Ep. XIV. [4] Ep. XXVIII. Ep. VI. [5] Ep. XXXI. [6] Ep. XXVIII. [7] Ep. XXXVIII, XXXIX.

nulla erat *Eccleſiaſticæ poteſtatis* exercendæ neceſſitas. Qui *ſacrificiis* profanis communicarant, jam *menſæ Dæmonum*, ipſorumque adeo *Dæmonum*, participes facti ſunt. Ut proinde ipſo *facto jus* omne *communionis* cum *Chriſto* perdiderint, quia *nulla communio Chriſto cum Belial.* His igitur à communione abſtinendis ſufficiebant quicunque *communionem* penes ſe habebant, nec opus erat novo aliquo decreto quo de *perſona* pariter ac de *facto* ſtatuendum eſſet. Id unum *poteſtati Eccleſiaſticæ* relictum eſt in quo poſſit *apparere*, ut de *reſtituenda* communione Eccleſiaſtica judicarent, de *rei pœnitentia* atque *ſatisfactione* aliiſque iſtiuſmodi *conditionibus* ad *communionem* requiſitis. Hanc autem totam quæſtionem *Epiſcopo* reſervant *futuro*, & quidem in [8] interregno omnium diutiſſimo. Quorſum illud ſi, ſede etiam *vacante*, parem exiſtimaſſent *presbyteris poteſtatem* cum ea quam haberent *præſidente* etiam *Epiſcopo?*

§. IV. Fateor equidem fuiſſe in hac cauſa nonnihil *ſingulare* in quo *Cyprianus* ipſe, non *Epiſcopus* modo, ſed & *metropolitanus*, nihil tamen tentare *ſolus* auſus eſt ſine *conſilio coepiſcoporum*, ne miremur ſi in ea cautiores ſe præbuerint *clerici* Epiſcopo *deſtituti.* Hi vero id plane innuunt ne id ſibi quidem *licuiſſe* quod *licuiſſet Epiſcopo.* Nec, ut *Cyprianus*, ad *pacem* duntaxat *conſiliumque Epiſcoporum* differunt, ſed ad *Epiſcopi* etiam *conſtitutionem*; interea ſi quid ipſi decreviſſent, id *auctoritate* omni cariturum metuunt. Recte quidem illi. Erant enim, in cauſa *communionis* concedendæ aut negandæ, alii omnino conſulendi, ne quam *alius* communionem *conceſſiſſet*, eam *alii* refutarent. *Communio* autem *Eccleſiæ catholicæ* penes *collegium* erat *Epiſcoporum*, ut ſæpiſſime *Cyprianus. Epiſcoporum* igitur *nomine*, & *ad Epiſcopos*, ſcriptæ videntur *literæ formatæ.* Quanquam igitur, in conciliorum *intervallis*, quædam poſſent à *metropolitano*, poſſent etiam à *privatis Epiſcopis* nonnulla decerni, quæ tandem ab *aliis* eſſent, *quibuſcunque* tandem illis, *Epiſcopis* neceſſario probanda; ſolius tamen *collegii* beneficio hoc *jure* fruebantur *ſinguli* etiam *Epiſcopi*, ut quod à *ſingulis*, pro *ſua* eſſet *Eccleſia* conſtitutum, id ab *univerſis* eſſet *collegis* ubique confirmandum. At, *Cypriani* ſaltem ætate, aliud omnino erat *Epiſcoporum collegium* quam *presbyterorum*, ut proinde, ſiquid eſſet à *presbyteris* aliiſve quibuſcunque, præterquam *Epiſcopis*, geſtum, id ne *collegii* quidem *jure* apud *exteros* valere debuerit. Cum enim defuiſſet *Epiſcopi referentis* in ſua, illa quam explicuimus, Eccleſia, *auctoritas* id ne *collegæ* nomine nec *Eccleſiæ* geſtum interpretabantur leges *Eccleſiaſticæ*, ut proinde nulla eſſet ratio cur utrovis nomine eſſet, ſive *collegarum commercii*, ſive *Eccleſiaſtici* confirmandum. Atque ea ipſa ratio fortaſſe fuerit cur in excommunicatione *Felicisſimi*, electis è *presbyterio* paucis quibuſdam *presbyteris* qui *vice ſua* fungerentur, alios etiam illis *Epiſcopos* qui coram aderant, adjunxerit, ut ita ſententia ab *Epiſcopis* lata (ſuo etiam tanquam *Epiſcopi* ſuffragio per delegatos illos *presbyteros* repræſentato) apud *alias* etiam *Eccleſias* vim haberet, *nullam* alioqui habitura.

[8] Ep. XXI. XXXI.

DISSERTATIO CYPRIANICA X.

Ad EPISTOLAM XXXIII.

De *ordine* Epiſcoporum presbyterorumque, è *Cypriani* veterumque ſententia, ab invicem *diſtinguendo.*

Lectorem *ab* unico & ſolo Epiſcopo *ordinandum eſſe.* §. I. Collegæ Cypriani *non alii quam* Epiſcopi. §. II. *Ex eo quod* Epiſcopi *diverſum à* presbyterii collegium *conſtituerint*, *infertur etiam alium conſtituiſſe* ordinem. §. III, IV. *Objectio* Blondelli *de S.* Cypriani διχοτομίαις. §. V. *Reſp. veteres eoſdem qui* uno *eodemque* ordine Epiſcopatum *complectuntur atque* presbyteratum, alium *tamen utriuſque atque* alium ordinem *agnoſcere.* §. VI. *Refelluntur qui praxeos primi ſequentiumque ſeculorum diverſitati tribuunt phraſeon illam apud veteres diverſitatem.* §. VII. *In* ſacerdotibus Judæorum, *quibus reſponderunt* ſacrifici euchariſtici *apud* Chriſtianos, *nunc* unum *duntaxat* ordinem, *nunc* duos, *agnoverunt* Helleniſtæ. §. VIII. *Pro analogia illa quæ inter* Judæorum Chriſtianorumque ſacerdotia *interceſſit*, *in ipſa* nominum communitate, primario *tamen* presbytero exors *aliqua* poteſtas *reſervanda erat.* §. IX. *Ad* Judæorum *exemplum* bipertitas *illas veterum* Chriſtianorum diſtributiones *fuiſſe conceptas.* §. X. *Tunc* unum *faciunt* ordinem, *apud* Judæos Helleniſtas, ſacerdos ſummus vulgareſque, *cum* Levitis *opponuntur.* §. XI. *Eadem ratio valuit in* Chriſtianorum primario *vulgaribuſque* presbyteris, *ſi cum* diaconis *conferantur.* §. XII. *Cur aliis potius* clerum *ſuum nominibus*, *quam* ſacerdotalibus, *inſigniendum cenſuerint primævi* Chriſtiani. §. XIII. *Nullam eſſe in eo* veterum *pugnam*, *quod nunc* unum *faciant*, *nunc* diverſum *Epiſcoporum presbyterorumque* ordinem. §. XIV.

§. I. *HUnc igitur, fratres dilectiſſimi, à me & à collegis qui præſentes aderant, ordinatum ſciatis*, &c.] De *Aurelio* confeſſore in *lectorem* ordinatio hæc *Cyprianus.* Non eſt tamen quod *collegas* hoſce de aliis quam *Epiſcopis* intelligendos ſuſpicemur. Quod enim à *collegis* etiam illis *ordinatum* dicat *Aurelium*, de alia eorum opera præterquam *ſuffragii* conſenſuſque intelligi non poteſt. Erat quidem in *lectoris* etiam *ordinatione* χειροθεσία, (ſi de ætate *Cypriani* ex antiquiſſimis *conſtitutionibus* judicandum ſit) ſed *Epiſcopi* ſolius illa, non item aliorum *clericorum.* 2[us] canon eorum qui *Apoſtolici*

ſtolici appellantur, [1] πρεσβύτερ@ ὑπὸ ἑνὸς ἐπισκόπ@ χειροτονείσθω, ἢ διάκον@, ἢ οἱ λοιποὶ κληρικοί. Hi *canones*, cum *conſtitutionum* laciniæ ſint, quæ nimirum ibi fuſiùs diſputata eſſent, in breviorem formam redacta unique intuitui ſub finem repræſentata; nequeunt proinde melius quam ex ipſis *conſtitutionibus* explicari. Ibi autem excluduntur ab illa inferiorum clericorum χειροθεσίᾳ diſertiſſimis verbis *presbyteri*, & quidem ita excluduntur, ut *ſoli* illa *unique Epiſcopo* integra reſervetur. [2] Πρεσβύτερον ἢ ἢ διάκονον ὑπὸ ἑνὸς ἐπισκόπ@ ἢ τ῀ λοιπῶν κληρικῶν. μήτε ἢ ἢ πρεσβύτερον, μήτε διάκονον χειροτονεῖν ἐκ λαϊκῶν κληρικός. Habemus igitur hoc in loco exemplum quo ab illo quis *ordinatus* dici poſſit cujus *ſuaſu* atque *conſilio* ordinatus fuerit, licet locum in ipſa χειροθεσίᾳ nullum prorſus habuerit. Hoc unum multis obviare poterit adverſariorum exemplis, de *Monacho* ab *Abbate* in *presbyterum ordinato apud Caſſianum*, de *Northumbriæ Epiſcopis Scotis* à *Columbani* ſucceſſoribus *presbyteris* miſſis *ordinatiſque*.

§. II. Quod vero ad vocem illam *collegarum* attinet, uſurpat illam frequentiſſime ſanctiſſimus martyr, nec de aliis tamen uſurpat quam *Epiſcopis*, ipſe ſcilicet *Epiſcopus*. Et quidem ita propriam facit *Epiſcopis* ut *collegas presbyteris* opponat, plane innuens *presbyteros*, alioſque adeo omnes *clericos*, ab eo tamen eſſe *collegio* prorſus *excludendos*. Ne longius abeam, ſcripta eſt ad *presbyteros diaconoſque* ſuos *Ep.* XXVIII. Et tamen *collegarum* in ea ab utriſque diverſorum meminit ſæpiſſime. A *collegis* ſuis monitos fuiſſe dicit *Gaium Diddenſem* ejuſque *diaconum* ne *lapſis* communicarent, eorundem *collegarum* conſilio communionem eſſe illis à *clero* ſuo negatam, eam ipſam epiſtolam *collegis* etiam legendam, tractandam denique lapſorum cauſam non tantum cum *collegis* ſuis, ſed & *cum plebe* ipſa *univerſa*. Tertiæ perſonæ *collegas* hoſce quis dubitet à *clero* ſuo, ad quos data eſt epiſtola, omnino fuiſſe diverſos? Importunus ſim, ſi exempla congererem quæ occurrunt in his epiſtolis, ut dixi, frequentiſſima. Nec tamen ullibi, ut opinor, alios *collegas* appellat quam *Epiſcopos*, quo magis mirum eſt ab adverſariorum nonnullis hunc ipſum locum pro *presbyterorum ordinatione* eſſe prolatum.

§. III. Atque ut *Epiſcopos collegas*, ita *Epiſcoporum univerſitatem collegium*, appellat. Ecquis dubitet id, eo nomine à *legibus* deſumto, intellexiſſe martyrem noſtrum quod *leges* illæ *Romanæ* intellexerant à quibus mutuo acceperat? Illæ autem *corpora*, quæ vocantur *ſocietates*, *ſodalitia*, ἑταιρείας (his enim omnibus nominibus [3] appellantur) ea voce denotant. *Diverſum* igitur à *presbyteris corpus*, *Cypriani* etiam ætate, conſtituebant *Epiſcopi*. Proinde *ordinem* etiam diverſum conſtituerint neceſſe eſt. *Singula* [4] enim *diſtincta corpora ſuum ordinem feciſſe* fatetur ipſe *Salmaſius*. Eſtque id *Romanis legibus* accommodatiſſimum. In hac tamen cauſa, ſunt & aliæ rationes quæ ſuadeant diverſos à ſe invicem fuiſſe *Cypriano Epiſcoporum presbyterorumque ordines*, nec fore aliter reſponſurum ſi coram ipſum conſuluiſſent adverſarii. Ut in corporibus etiam *politicis ordines* agnoverunt *leges Romanæ*, ita certe in *ſacris* ſacerdotum *collegiis*, eam vocem frequentiſſime adhibere ſolebant. Conſtat id è quamplurimis *inſcriptionibus* in quibus *ſacerdotalium collegiorum* mentio occurrit. Inde probabile eſt hanc eandem vocem in *Eccleſiam* à *Tertulliano* illatam, *legum*, ut dixi, *Romanarum* peritiſſimo. Qui igitur in *ſacris* diverſum conſtituunt *collegium*, ad diverſum etiam ſunt *ordinem* referendi.

§. IV. Ne vero nos in *voce* ludere putent adverſarii, jam ſuadet vocis ipſa *ratio*. Ut enim in *politicis ordinem plebi* opponebant, ad eandem plane formam qua uſus eſt in *Eccleſiaſticis Tertullianus*; ita qui à *plebe* diſtincti erant, illi erant etiam in *ordinem* accenſendi. *Plebis* autem nomine eos omnes complectebantur qui in communi nomine participes, nullam tamen obtinebant propriam loci dignitatem qua ceteris eminerent. *Plebem* igitur *Deorum* memorat *Ovidius* Metam. I.

Plebs habitat diverſa locis, &c.

Non eſt itaque quod miremur in *ſacerdotum* multitudine ſuam pariter fuiſſe *plebem*, qui hoc duntaxat honore potirentur quod fuiſſent *ſacerdotes*. Qui igitur in communi honore *ſacerdotali* proprium habebant *munus*, propriamque *dignitatem*, quibus eſſent reliquis etiam *ſacerdotibus* anteferendi, illi non in *plebe*, ſed in *ordine* erant neceſſario cenſendi. Dixi, quibus *munus* fuiſſet, muneriſque *dignitas*, ita fuiſſe cenſendos, ut in *ordinibus ſenatorio* atque *equeſtri* apud *Romanos* quorum uterque erat à *plebe* diverſiſſimus. Fateor enim non *loci* duntaxat *ordinem* ad hanc, quam tractamus, *ordinis dignitatem* ſufficere. Sed vero *Epiſcopis* proprium erat, è principiis *Cypriani*, munus à *presbyterorum* illo admodum diverſum. Jam enim ex illis, quæ dixi, principiis oſtendi, quanquam *presbyteros* in *conſilium* adhibere ſolerent *Epiſcopi*, jus tamen omne *poteſtatemque* rerum, communi licet *conſilio* geſtarum, ab *Epiſcopis* fuiſſe derivanda; eorum fuiſſe *auctoritatem*, & quidem *ſolorum*, inde rata fuiſſe in foro *conſcientiæ*, apud *Deum* exteroſque *Epiſcopos*, communia illa *decreta* non quod *presbyteros*, ſed quod *Epiſcopos*, ſuffragantes habuiſſent. Hæc ſunt de antiquo vocis hujus uſu, ni fallor, certiſſima. De novo illo qui heri nudiuſtertiuſque in *ſcholis* obtinuit, non eſt quod deinde laboremus.

§. V. *Sed id* (inquit [5] *Blondellus*) *exceptione omni majus eſt, quod conſtanter cleri corpus* διχοτομεῖ. Profertque teſtimonia ex *Ep.* LXII. LXV. LXVIII. LXXII. & libro de *Lapſis*, quibus *duobus* hiſce, *Epiſcoporum (præpoſitorum, ſacerdotum) diaconorumque* nominibus *clerum* complectitur univerſum. Inde ſequi forte quiſpiam exiſtimet non *alium* eſſe hunc utrumque *ordinem* quod *alterum* duntaxat hujus διχοτομίας membrum impleat, videaturque proinde in *eodem ordine* contineri. De hoc ſuo argumento ſentiunt ſane magnifice adverſarii. Nec in *Cypriani* ſolius cauſa urgent, ſed *ſacrorum* etiam *ſcriptorum* & *patrum* quotquot habemus *Cypriano* etiam antiquiorum, recentiorumque. Id genus teſtimoniis magnam ſuæ *apologiæ* partem implevit *Blondellus*, ſuoſque putat illos fuiſſe omnes quicunque iſtiuſmodi διχοτομίαις delectantur. Unicum fere hoc eſt adverſariorum, ſive in *Scripturis*, ſive in *primæva* etiam *antiquitate*, præſidium, à quo ſi dejiciantur, reliqua deinde faciliori negotio obtinebimus. Quod non ad *Cypriani* ſolius cauſam faciat, ſed totius etiam *antiquitatis*, ſi, quæ hic dicenda habemus, ea breviter exponamus, præſertim ea quæ non ſunt ab aliis, quod quidem ſciam, antea obſervata.

§. VI. Nego itaque eam quam adeo manifeſtam exiſtimant, *ſequelam*, ſi *eundem ordinem* conſtituant *Epiſcopi & presbyteri*, fore deinde ut non ſint pro *diverſis ordinibus* agnoſcendi. Ego contra, & *unum* fuiſſe utrorumque *ordinem*, & tamen à ſe invicem *diverſos* itidem *ordines* conſtituiſſe contendo. Nullam certe

[1] Conſt. Apoſt. VIII. 20. vid. & Cap. II.
[2] Conſt. Ap. III. 20. & Cap. II. [3] Vid. Digeſt. III. Tit. 4. L. XLVII. Tit. 22. Cod. L. XI. 17.
[4] *Walo Meſſalin.* de Epiſc. & Presb. cap. VI. p. 465.
[5] Apolog. pro Sent. Hieron. Sect. II. Teſt. XVI. pag. 43.

certe harum assertionum fuisse pugnam illi omnes senserint necesse est, quorum pro utraque testimonia collegit observavitque ipse *Blondellus*. Horum numero *Cyprianum* accensendum esse jam probavimus. Idem & de aliis *Cypriano* etiam antiquioribus *Blondellus*, *Tertulliano* præsertim & *Clemente Alexandrino*. *Clerum* universum *bipertita* nonnunquam divisione exhauriunt: & tamen alibi *trium* quoque ordinum mentionem faciunt disertissimam. De eo, siquis dubitet, *Blondellum* ipsum consulat. Is ultro suppeditabit exempla.

§. VII. Qui autem *diversas* fuisse discordesque sententias existimant, inde ortam putant auctorum *eorundem* sententiarum nihilominus tantam illam quam putant *diversitatem*, quod *stylum* ævi *Apostolici* cum sui ævi *moribus* longe aliis conjungendam existimarint. Cum itaque *trium ordinum* meminerunt, pro *suo* esse *seculo* intelligendos; cum *duorum* duntaxat, tum *stylum* illos expressisse *Apostolicum*, & *morum* proinde *Apostolicorum* in eo elucere nonnulla, licet subobscura, vestigia. Dici id fortasse non immerito posset, siquam *styli* novitatem observassent adversarii, vel siqua esset, inter *duorum* ordinum *triumve* auctores, tanta illa, quam existimant, sententiarum discrepantia. Quod si ex *originibus Christianis* utriusque sententiæ habuerint exempla cum nulla adhuc esset de *morum* atque *styli* pugna vel levissima suspicio; si de illis, quorum tanta fuit olim quanta fuit postea apud *Christianos*, estque etiamnum hodie, *Episcoporum presbyterorumque* diversitas, eadem tamen *styli* diversitate usi sunt, ut nunc *duplici* illos *ordine* distinguerent, nunc in *eodem* complecterentur; duo inde sequentur pro nostra sententia manifestissima: Alterum nihil esse quod *Apostolicis* etiam *primævisque* seculis colligant non tantam fuisse inter *presbyteriorum præsides* plebeiosque *presbyteros* intervallum quantum postea fuit *Episcoporum* atque *presbyterorum*, eo solo nomine quod *eodem* utrique *ordine* continerentur; alterum, nec esse quod existiment *majus* fuisse apud recentiores illud intervallum quod *diverso* nonnunquam à se invicem *ordine* censerentur.

§. VIII. Age itaque rem totam à *primis* usque rei *Christianæ originibus* repetamus. Jam diximus eo collimare pleraque N. T. ratiocinationes ut quæcunque *Israëlitæ carnales* privilegia venditassent, ea *mystico Israëlitismo* assererent. Cum itaque *sacerdotii* illud *sacrificiique* decus *Judæi* præcipue jactarent, *mystico* certe *Israëlitismo* maximo fuisset probro si eo quoque decore caruissent. Tantum aberat ut vera illa sit *Salmasii* sententia, ab omni *sacerdotii* illos *sacrificiique* prætextu fuisse alienos. Cum itaque *sacrificii mystici* apud *mysticum Israëlitismum* locum obtinuerit *Eucharistia*, sequitur illos quorum ad *officium* attinebat *Eucharistiæ consecratio*, *sacerdotes* etiam fuisse *mysticos* atque *Evangelicos*. Hæc alibi à nobis probata inpræsentiarum duntaxat vera esse supponimus. Cum itaque *sacerdotium Mosaicum Evangelici* typum gesserit; sequitur quæ in *typo* repræsentata sunt, esse quoque quod illis in *antitypo* respondeat. Erat autem in *typo*, præter *gregarios* sacerdotes, *unus* tamen præcipuus quem *summum sacerdotem* appellarunt. Huic nullus erit qui in *Evangelio* respondeat, ni talem aliquam *exortem* (quam vocat *Hieronymus*) *potestatem* in *presbyterii præside* agnoscamus. Idque ipsum in Tractatu nostro *anglicano* probavimus, in *summi pontificis* locum successisse *singularum* Ecclesiarum *Episcopos*. At *summum sacerdotem* nunc *communi* sacerdotum *ordine* censebant *Hellenistæ*, nunc *alium* ejus propriumque tamen *ordinem* agnoscunt. Utriusque generis exempla habemus apud *Philonem*. In *vita Mosis*: [6] Ἐπεὶ ἡ μία ΤΑΞΙΣ τῶν ἱερωμένων, ἀλλ' οἷς μὲν ὑπετέτραπται τὰ πρὸς τὰς εὐχὰς, καὶ θυσίας, καὶ τὰς ἄλλας ἱερουργίας, ἄχρι τῶν ἀδύτων ἴσασιν· οἷς δὲ τέτων μὲν ἥδεν, ὑπημέλεια δὲ καὶ φροντὶς καὶ μεθ' ἡμέραν καὶ νύκτωρ τέτε ἱερᾶ καὶ τῶν ἐν αἰτῷ, οὓς νεωκόρους ἔνιοι καλέσιν &c. Rursus: [7] Τῶν περὶ τὸν νεὼν λειτεργῶν ΔΥΟ ΤΑΞΕΙΣ εἰσὶν· ἡ μὲν κρείτοσων Ἱερέων, ἡ δὲ ἐλάτλων Νεωκόρων. In libro cui Titulus, Τίνα γένεσι Ἱερέων, ita: Τοσαύτας περισόδων ἀφορμὰς χαρισάμενος τοῖς Ἱερεῦσιν, ὁπόσ' ἂν ΔΕΥΤΕΡΑ ΤΑΞΕΙ κατωλιγώρησεν· εἰσὶ δὲ Νεωκόροι. Postea de *Levitarum Decimis*, ita: [8] κλῆρος δὲ Νεωκόρων ἕτερος. ὁ πρότερον γὰρ ἔασεν ὁ νόμος αὐταῖς χρῆσθαι σὺν λαβόντας ἢ πάλιν ἄλλας δεκάτας ὡς ἀπὸ κτημάτων ἰδίων ἀπάρξασθαι καὶ δῶναι τοῖς τῆς ΑΜΕΙΝΟΝΟΣ ΤΑΞΕΩΣ ἱερεῦσι. His in locis *duos* duntaxat *ordines* agnoscit, *sacerdotum* proprie dictorum atque *Levitarum*, ut proinde necesse sit *summum pontificem* in *sacerdotum ordine* censeri. Idque etiam innuere fortasse videtur alibi, quando eum [9] ἱερᾶς τάξεως ταξίαρχον appellat. Vox à *militia Romana* desumta est. Eodem autem apud illos *ordine* censeri poterant *milites* gregarii *ordinum* qui hic τάξεις appellantur, atque *ordinum ductores* qui ταξίαρχοι. Fieri tamen etiam potuit ut *alium* per se *ordinem* constituerint ταξίαρχοι, cum *sibi* licet invicem *æquales*, *gregariis* tamen τάξεων militibus omnes fuerint *inæquales*. Sed idem alibi *Philo* alium proculdubio *propriumque* summo pontifici *ordinem* concedit. *Summum pontificem* virginem uxorem ducere oportuit. Τοῖς δὲ (inquit) ΔΕΥΤΕΡΑΣ ΤΑΞΕΩΣ ἐπανῆκε τὰ περὶ συνόδου γυναικῶν ἐφιεὶς, καὶ πεπειρασμένας ἀνδρῶν ἑτέρων ἐγγυᾶσθαι.

§. IX. Conveniebat itaque accuratissime cum *Christianitatis originibus*, *ordinum* Ecclesiasticorum utraque illa distributio tam *bipertita* illa quam etiam *tripertita*. Conveniebat etiam utriusque ordinis *Episcoporum* atque *presbyterorum*, *nominum* illa *communitas* tanta tamen *potestatis* cum *diversitate* conjuncta, quanta fuit, apud *Judæos*, *summi sacerdotis* atque *gregalium*. Nullum certe fuit apud *Judæos summi pontificatus* proprium nomen. כהן & ille fuit, sed nonnunquam emphatice הכהן *Exod.* XXXVIII. 21. nonnunquam cum *Epitheto* appellatus est כהן הגדול, *Græcis* simplici ἀρχιερέως vocabulo. Nec negat etiam [10] *Salmasius* in communi illo primævorum *presbyteriorum* nomine fuisse tamen *præsidem*, in communi συνεδρίῳ, sive *consessus*, honore, fuisse πρωτοκαθεδρίαν, sive *locum* in *consessu primarium*. Quin id potius pro communi, illo seculo, *more collegiorum* usitatum fuisse concedit; nec est sane aliter ut effugiant *Monarchiæ* illa in recenti *Apostolorum* memoria manifesta vestigia, in *angelis Apocalypseos*, in Apostoli ad *Timotheum Titumque* epistolis, in *catalogis Episcoporum* ab *Apostolis* secundi saltem seculi medio collectis. Sub *communi* presbyterorum *nomine* unum saltem concedant necesse est *presbyterum* fuisse *primarium*. *Primi* autem loci *privilegia* quænam fuerint, nihil est in scriptis Apostolorum quo facile decernant. *Cogendorum conventuum dimittendorumque potestatem*, concedit *Blondellus*, quam unam satis esse in nostro de *SCHISMATE* tractatu *anglicano* ostendimus. Sed nec in conventibus *paria* eorum *præsidum* probant cum *plebeiis presbyteris* suffragia. Nullus est *Scripturæ* textus, nullum prorsus eorum *temporum* exemplum, quo quid, refragante *præside*, gestum legimus à *presbyterio*.

[6] Lib. III°. p. 462. Ed. *Turnebi*. [7] Ib. p. 473. [8] p. 571. [9] Περὶ τῶν ἐν εἴδει νόμ. p. 567. [10] *Walo Messal.* de Ep. & Presb.

rio. Contra potius ex hoc ipso *Judæorum* exemplo colligimus tantam esse *potuisse primarii presbyteri* in ceteros *potestatem*, non obstante *nominum* communitate, quanta fuit *summi sacerdotis* in *vulgares sacerdotes*; nec *potuisse* modo, sed etiam *oportuisse*, si *sacerdotium Christianum Judæorum* illi, velut *antitypum typo*, respondisse supponamus, quod erat in illius ævi ratiociniis certissimum.

§. X. Et vero ad hoc ipsum *Judæorum* exemplum *bipertitas* istiusmodi divisiones fuisse conceptas, ex plerisque ipsius *Blondelli* testimoniis manifesto constat. Ipse martyr noster *Episcopos* & *sacerdotes diaconis* opponit, quæ duo munera *altaris ministerium*, *locumque sacerdotalem* appellat, *Ep.* LXVIII. *Sacerdotes* etiam *ministris*, tum *Ep.* LXXII. tum in libro *de Lapsis*. Estque *Cyprianus* in illis *sacerdotii altarisque* similitudinibus sane frequentissimus. Disertius ante *Cyprianum* [11] *Origenes sacerdotem* & *ministrum*, *ordinemque* etiam *sacerdotalem* atque *Leviticum* in hac eadem causa sibi invicem opponit. Sed & ante *Origenem* [12] *Clemens Romanus* coævus *Apostolis* Christianorum sive *Episcopos* & *diaconos*, sive *presbyteros* potius & *diaconos* malint, cum *Judæorum sacerdotio* componit. Deest equidem ἀπόδοσις, unde nihil illis commune tribuisse colligit *Salmasius*; quasi vero non essent *Enthymemata* in illius ævi ratiociniis, præsertim *oratoriis*, usitatissima. Atqui argumentatur eo in loco *Clemens* ab exemplo *Judæorum* ad officium *Christianorum*. Perperam omnino, ni hæc sibi invicem respondisse supposuisset. Et tamen *Clemens* nunc *bipertitam* illam *cleri Judaici*, nunc *tripertitam*, ad exemplum *Philonis*, agnoscit. *Bipertitam* §. 32. ἐξ αὐτῶν γὰρ ἱερεῖς καὶ λεύϊται πάντες οἱ λειτουργοῦντες τῷ θυσιαστηρίῳ καὶ θεῷ. *Bipertitam* etiam alibi, ubi è contra *sacerdotes* ordinarios *Levitis* accenset. Ait enim *sacrificium* μωμοσκοπηθὲν παραφέρεσθαι μὲν ἔξω τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῶν παρεστηκότων λειτουργῶν, §. 40. *Tripertitam* postea §. 40. cum ἀρχιερέα, ἱερέας, λεύϊτας ab invicem distinguit. *Poterat* itaque & in *Ecclesiasticæ potestatis* διχοτομίαις *triplicem* tamen *potestatem* agnoscere. Et vero *debuit* siquam habuisset apud *Christianos* ἀπόδοσιν *triplex* etiam ille *Judæorum* sacrificorum *ordo* cujus paulo antea meminerat, siquem usum illud saltem comparationis *membrum* quo *summum* etiam *Judæorum Pontificem* cum *Christiano* itidem *Pontifice* conferendum censuit. Quid quod etiam *Clementis* ætate obtinuisse *primarii presbyteri* πρωτοκαθεδρίαν, testem habeamus *Clementi* coævum *Hermetem*. Meminit enim ille reprehenditque suorum ambitum *de* [13] *prima cathedra*, *de* [14] *principatu & dignitate*. Quorsum illa ni *primæ cathedræ principatus* aliquis atque *dignitas*, ἀρχὴ proculdubio *Hermeti*, atque ἀξία, sive etiam ἀξίωμα, fuisset præ reliquis è grege *presbyteris*?

§. XI. Quod vero *sacerdotum* communi nomine *summum* etiam *sacerdotem* complectantur aliquoties *Hellenistæ*, id ea potissimum occasione factum est cum de *Levitis* esset mentio facienda. Ut autem à *Levitis* distinguerentur, satis erat *commune* utrisque *sacerdotium*, nec opus est ut *communis* etiam fuerit utrisque sacerdotii *ordo* aut *gradus*. Nomen enim *sacerdotii* ad *sacrificandi* munus præcipue referebat. Erat autem id *utrisque*, tam *pontifici* quam *sacerdotibus*, commune, ut utrique *sacrificia* pariter *offerrent*: & utrisque offerentibus *Levitæ* etiam pariter *ministrarent*. Quem autem quisque in communi *sacerdotii* honore *locum* obineret; quam usurparint *collegæ sacerdotes* in suo *corpore* regiminis *formam*, sive *monarchicam* illam, seu potius *Aristocraticam* aut *Democraticam*; quo *munere* in regimine fungerentur, *regentiumne*, an potius eorum qui *regerentur*; quale fuerit id regimen, an *absolutum legibus*, an *subjectum*, *humanisque* etiam *judicibus* obnoxium; alterius omnino loci erat ut disputaretur, cum *sacerdotes*, non cum *Levitis*, sed vero inter *se*, essent conferendi.

§. XII. Communis etiam erat *Christianis* quoque *sacerdotibus* & illa ratio qua & illi unum eundemque *ordinem* constituerent si ad *diaconos* conferrentur, & tamen inter *se* collati alium atque alium. *Commune* erat utrisque, tam *Episcopis* quam *presbyteris*, munus *Eucharistiæ* offerendi nimirum *sacrificium Evangelicum*. *Diaconorum* similiter atque *Levitarum* par munus erat, non ut *sacrificarent* ipsi, sed ut sacrificantibus offerentibusque *ministrarent*. Nec enim *Episcopis* duntaxat, sed & *presbyteris*, ministrabant antiquitus *diaconi*. Scio equidem majora ausos postea, sed seculis *Cypriano* recentioribus. Cautum est in concilio *Neocæsareensi* ne in *urbe*, quantumvis *magna*, plures tamen essent quam VII. ad exemplum nimirum Apostolorum *Act.* VI. Hic Canon primo in *codicem Ecclesiæ universæ*, tum in illum quoque, migravit quem in usum *Ecclesiæ Romanæ* interpretatus est *Dionysius Exiguus*. Inde in *recentiores* Canonum *collectiones*, moresque aliarum quoque *Ecclesiarum*, præsertim *Occidentalium*, emanasse probabile est, præsertim cum exemplum haberent illæ Ecclesiæ *Romanæ*, à temporibus usque antiquissimis, [15] *Cypriano* certe coævis, eo numero contentæ. Ab hac *diaconorum* paucitate, *presbyterorum* contra in magnis præsertim civitatibus copia, creverunt, ut videtur, *diaconis* animi, ut fuerint deinde variis Ecclesiæ Occidentalis canonibus coercendi. *Cypriani* autem seculo *presbyteris*, ut dixi, *ministrabant*. [16] De *presbyteris* in carcere *apud confessores offerentibus*, *singuli* (inquit) *cum singulis diaconis per vices alternent*. *Offerebant* presbyteri. Quod igitur à *diaconis* munus præstandum erat id unum reliquum est ut presbytero offerenti *ministrarent*. De *Gaio* etiam *Diddensi presbytero* ejusque *diacono* legimus *Ep.* XXVIII. Unde etiam colligimus *presbyteris* ἐπιχωρίοις suos etiam fuisse *diaconos*. Sed & ante *Cyprianum* [17] *Ignatius Sotionem diaconum* laudat, quod *Episcopo subjectus* esset *ut gratiæ Dei*, *& presbyterio ut legi Jesu Christi*. Recte igitur *offerentium ministrantiumque* ordines *duo* ita in *Ecclesia* distincti sunt, ut antea in *synagoga*.

§. XIII. *Levitarum* quidem nomen *diaconis* attributum fateor cum *Salmasio* recentiorum fuisse seculorum. Male tamen inde colligit, nihil illos cum *Levitis* habuisse commune. Nec enim in iisdem rebus vocabulis etiam iisdem utebantur *mystici carnalesque Israëlitæ*. Quem *Emmanuel* appellavit [18] propheta, eundem *Jesum* nominavit [19] Evangelista, & tamen in eo ipso *Jesu* nomine prophetiam illam impletam esse dixit. De *Judæ* ἐπισκοπῇ locutus est [20] Psaltes, quem de ejusdem *Apostolatu* interpretatus est Apostolus [21] *Petrus*. Hæc etiam è *Scripturis Propheticis* futurum *Evangelii* statum prænunciantibus. Mirum itaque esse non debet si in *Judæorum* œconomia *aliis* tamen *nominibus* appellarentur quæ *Evangelicorum* tamen essent similium *typica*. Mutanda esse illa quæ *Evangelicis dogmatibus* adversa essent, ipsum docuit *Evangelium*. Id ipsum in hac causa locum habuit. Quod inferiores *ministri* omnes *Levitæ* appellarentur, inde factum quod certæ tribui, *Leviticæ* nimirum, id ministerium esset, ipso *natalium* jure pro-

[11] In Numer. Hom. 2. [12] Ep. ad *Corinth.* §. 40, 41.
[13] Lib. II. Mandat. 12. [14] Lib. III. Similitud. 8.
[15] Vid. Ep. *Cornelii* ad *Fab. Antiochen.* ap. *Euseb.* Hist. Eccl. L. VI. c. 43. [16] Ep. V. [17] Ep. ad *Magnes.* §. 2.
[18] *Is.* VII. 14. [19] S. *Matth.* I. 21, 22, 23.
[20] Ps. CIX. 8. [21] Act. I. 20. 26.

proprium. Contra nihil valent ſub *Evangelio*, ſine *merito*, *natales*, *merentibus* quibuſcunque, quacunque tandem ſtirpe oriundis, patet aditus ad *honores Evangelicos*. Tollendum igitur erat ipſum nomen quo quis *natalibus* ſine *merito* hos *Evangelii honores* exambiret. Quid quod etiam ipſo *benedicendi ſanctificandique* conſilio nomina mutari ſolita in confeſſo fuerit apud myſticos *Helleniſtarum* interpretes, ut proinde in *Evangelio* non tam *miranda* fuerit *nominum* illa *mutatio* quam *ſperanda* potius atque *expectanda*, accedente præſertim veterum quoque Scripturarum auctoritate. *Epiſcoporum* enim *diaconorumque* nomina ex [22] *Iſaiæ* prophetia deduxit [23] *Clemens Romanus*, quam de Novi Teſtamenti diſpenſatione eſt interpretatus. Ita habebant codices *Clementi* coævi, quanquam aliter locum illum legant non hodierni modo codices, ſed vetuſtiores etiam illi *Irenæi*. *Apoſtolis* autem temporumque Apoſtolicorum *Chriſtianis* id unum ſatis erat, ita locum in ſui ævi codicibus fuiſſe conceptum. Ex illis enim Veteris Teſtamenti de Novo Teſtamento Prophetiis pleraſque *Chriſtianorum* voces *technicas* emanaſſe diximus. Quin & ea potuit fuiſſe ratio cur *diaconi* potius *Chriſtianorum* ſacrorum inferiores miniſtri quam *Levitæ* appellarentur, quod *ſacrificiis* potius *corban*, *eleemoſynariis* quam *Euchariſticis*, primaria ſua inſtitutione deſervierint. Id enim munus *eleemoſynarium* in ſtylo Novi Teſtamenti *Helleniſtico*, Διακονία dicitur, & quidem ſignificatione maxime genuina. Quod porro *presbyterorum* nomen inter Eccleſiæ officia admiſerint, occurrebat ea, ni fallor, in promtu ratio quod, cum nondum à *publicis* templi *ſacris* vel *deſciviſſent* ipſi, vel *pulſi* etiam fuiſſent à *Judæorum* ſacerdotibus, eſſent tamen *Chriſtianis* ipſis inter ſe *lites* atque jurgia, eſſent propterea privati conſtituendi *Judices* quorum eſſent arbitrio à *fidelibus* permittenda. Nec enim è re fuiſſe *Chriſtiana* cenſuit [24] Apoſtolus ſi eorum inter ſe *diſſidia*, & quæ diſſidentes fere comitantur *calumniæ* atque *jurgia*, ea *infidelibus* patefierent, ſive *gentilibus* illis, ſive paulo adhuc fortaſſe æquioribus *Judæorum ſacerdotibus*. Id ante *Apoſtolum* vetuerat etiam [25] *Dominus*, cum necdum è *ſynagoga* pulſi eſſent, necdum à *Moſaicæ cathedræ* cultu obſequioque diſcedere conceſſiſſet, quin potius vetera illa officia novis ipſe [26] præceptis cumulaſſet. Erat igitur etiamnum, cum unum adhuc cum *Judæis* corpus *Chriſtiani*, ſacrificiorum reſpectu, conflarent, *arbitrantium* tamen *tribunal* iſtiuſmodi domeſticum plane neceſſarium. Atqui *ſeculares* iſtiuſmodi *cauſas* quod attinet, *civitates* integræ cum ſuis ditionibus *ſuburbicariis* eadem *juriſdictione* contineri ſolebant. Proinde conſentaneum erat ut à *civitatibus* exemplum *Chriſtiani* in *tribunalium* illorum conſtitutione deſumerent. *Civitatum* autem plerarumque regimen penes *ſeniores* fuiſſe quorum *concilia* nunc *ſenatus*, nunc γερουσίαι, appellata ſunt, obſervavit ipſe conceſſitque *Salmaſius*. Propius ad noſtram cauſam ſpectat quod *Judæorum* etiam *civitates* eandem etiam regiminis formam obſervarent, ſive *Rabbinis*, ſive potius *Joſepho*, credendum cenſeamus. Hos etiam πρεσβυτέρους etiam appellant interpretes *Helleniſtæ* quam vocem neſcio an de ſuis *ſeniorибus* uſurparint *Græci*. Frequentior certe magiſque familiaris ejus uſus occurrit apud *Helleniſtas*, ut proinde dubium non ſit quin illis acceptum retulerint *Chriſtiani*. Porro in *judiciis* locum habuiſſe hoſce *presbyteros*, conſtat etiam *exemplis*. In [27] ſynedrio adverſus Dominum adfuerunt, non ſolum *ſacerdotes*, ſed hujuſmodi etiam πρεσβύτεροι λαοῦ, nempe *laici*, ut videtur. In antiquiori etiam *Helleniſta* πρεσβυτέρους etiam habemus *judices* [28] *Suſannæ*. Cum igitur, ante *Chriſtianorum* à *ſynagoga* ſeceſſum hoc ipſum in *ſynagoga* officium obtinuerint *presbyteri*, non eſt utique mirandum, ſi alia etiam omni *Eccleſiæ poteſtate* locupletatum retinuerint. Poſtquam enim Eccleſiarum ſynaxeon *diſciplinam* perturbaſſent immorigeri πνευματικοὶ, tandem conſtitutum videtur ut non pro *dono*, ſed vero pro *officio*, munia eſſent *ſynaxeon* obeunda. Inde factum, ut cum [29] *euchariſtia* etiam ab eo adminiſtranda eſſet, qui *dono* illo *ſpiritus* fuiſſet præditus, jam propria facta eſſet *officii*, cum jam *diverſi* eſſent *eccleſiæ* atque *ſynagogæ* conventus, ſucceſſiſſentque in *carnalium* locum hæc *ſacrificia euchariſtica*. Nihil autem erat proclivius quam ut in eoſdem *presbyteros* conferretur nova hæc Eccleſiæ poteſtas in ſpiritualibus quibus antea credita fuiſſet illa cauſarum *ſecularium*. Recepto vero, in Eccleſiæ uſu, *presbyterorum* titulo *vetuſtiore*, nihil erat neceſſe ut *novo* hoc aucti *officio*, *novo* deinceps *titulo* appellarentur. *Metum* nihilominus præterea à *ſynagoga* in cauſa fuiſſe puto primis illis *Chriſtianis* cur à *ſacerdotum* nomine abſtinendum cenſuerint, non *perſecutionis* illum intelligo, ſed *ſcandali*. Si enim *ſacerdotes* alios *templi ſacerdotibus* oppoſuiſſent, ſi *Pontificem* alium *Principemve ſacerdotum ſummo* illi *Judæorum Pontifici*; id in *defectionis* ſignum *Judæi* videbantur interpretaturi, cum idem jam in *defectione Samaritana* exemplum diris atrociſſimis devoviſſent. *Eadem* igitur *Officia*, *nominibus* tamen *aliis*, erant retinenda, cum præſertim primævos illos *Chriſtianos* de hoc *ſcandalo* vitando maxime fuiſſe ſolicitos conſtet ex *Act.* XXI. 21, 22, 23, 24. Quid quod illi *æternum* Chriſti *ſacerdotium* ſecundum *ordinem Melchizedeci ſacerdotio Aaronis Levitico*, eo ipſo nomine prætuliſſent, quod *mortales* eſſent homines qui eo munere *Moſaico* fungerentur, *Heb.* VII. 8. 23. Cavendum igitur erat, ne, qui eam ipſam *ſacerdotum* vicem in *Evangelio* ſupplerent, ii *ſacerdotum titulo* cenſerentur. Is uni *Chriſto* reſervandus erat, ne ipſi, pariter ut *Aaroni*, *mortuo* ſuccedendum videretur. Nec enim deſunt & alia exempla quamplurima in quibus cum *res* ipſa communis eſſet, rei tamen *titulus* uni duntaxat *proprius* agnoſceretur. *Solum Deum ſapientem*, *ſolum immortalem* appellant ſacræ literæ, & tamen *alios* alibi appellant eædem *ſapientes* atque *immortales*. *Solum Chriſtum* docent pro *doctore* eſſe agnoſcendum, nec minus tamen alios agnoſcunt itidem doctores. *Chriſtum* eundem *martyrem* celebrant *ſolum martyres Lugdunenſes* atque *Viennenſes* apud *Euſebium*, nec ſe eo titulo dignos, non minus profecto digni eo titulo *revera* quod ſe illo indignos profiterentur. Ita fieri potuit ut qui *ſacerdotes* eſſent atque *haberentur*, à *ſacerdotum* tamen *titulo* ipſi temperarint, quem & *Chriſto* proprium agnoverint. Utcunque quicquid ſit de *nomine* exiſtimandum, at *rem* ipſam *Eccleſiæ miniſtris* fuiſſe communem, multa faciunt ne prorſus dubitemus. *Apoſtoli* inprimis illa à *Moſaicæ* legis *ſacerdotibus* ad *officiarios* Evangelii, in communi *alimentorum* cauſa, deducta argumentatio; tum & illa *Clementis Romani* ab eorundem *ſacerdotum diſciplina* ad obſervandam propterea in *Evangelii* etiam *miniſtris* ſimilem utique *diſciplinam*: tandem & aliæ in *Cypriano* noſtro quamplurimæ, his plane ſimiles, in quibus ex *Levitici ſacerdotii* muneribus non uno in loco colligit quid ſit etiam de *Evangelici ſacerdotii* muneribus ſentiendum, in quibus etiam eoſdem *Evangelii miniſtros* ipſo quoque *ſacerdotii* titulo decorandos exiſtimarint.

[22] *Iſa.* LX. 17. [23] *Clem.* Ep. ad *Corinth.* § 42.
[24] 1 Cor. VI. 1. [25] S. *Matth.* XVIII. 15, 16, 17, 18.
[26] S. *Matth.* XXIII. 1, 2, 3. [27] S. *Matth.* XXVII. 1.
[28] Hiſt. *Suſan.* v. 5. 41. [29] 1 *Cor.* XIV. 16, 17.

rint. Nec tamen ſolus id fecit, ſed & alii ipſi coævi.

§. XIV. Quod porro *veteres* nunc *unum* eundemque faciant *Epiſcoporum Presbyterorumque* ordinem, nunc *diverſum* fateantur, ne id quidem utique *mirandum* eſt, nec pro *contradictione* habendum. Quæcunque id quod ſunt in *relatione* ſitum habent, ea pro *correlatorum* variorum reſpectu ita fient & *ipſa* quoque inter ſe diverſa, ut quæ uno reſpectu vere *affirmari* poſſint, ea ipſa alio reſpectu poterint tam vere itidem *negari*. Ea rei eſt ipſius indoles, & vero multa ejus ſuppetunt in uſu hominum *exempla*. Oſtendimus ſupra totam Eccleſiæ *Plebem* pro *clero Domini* eſſe agnoſcendam, & tamen, ſi ad *Eccleſiæ officiarios* conferantur, ita illis *cleri* titulum non eſſe tribuendum ut ſit potius negandus, ſintque ipſi merito pro *laicis* exiſtimandi. Idem de eadem *cleri* voce *inferioribus* Eccleſiæ *miniſtris* tribuenda obſervavimus ex ipſo *Cypriano*. *Miniſtros* illos nunc *cleri* ambitu *complectitur*, nunc pro *correlatorum* diverſitate viciſſim *excludit*. Eodem & illa quoque ſpectant exempla quæ jamjam protulimus de *vocum* limitatione cum *res* tamen ipſa nullis eſſet limitibus conſtricta. Quidni itaque dicamus *Epiſcopos* itidem atque *presbyteros*, ſi ad *diaconos* conferantur, *unius* eſſe ejuſdemque *ordinis* propter *ſacerdotium* utriſque, non item *diaconis*, commune; rurſus tamen eoſdem *Epiſcopos presbyteris* collatos, ad *alium* jam ſpectare *ordinem*, propter *ſingularem* illam ὑπεροχὴν Epiſcopis *propriam*, *exortemque* illam, quam appellant *Epiſcoporum poteſtatem?*

Ad eandem.

INterim hoc die auſpicatus eſt dum dedicat lectionem] *Dedicandi* vocem idem apud *Afros* valere quod *incipiendi*, obſervarat ante nos etiam *Pamelius*. Cur vero ita ſignificet, non idem explicavit. Deducta eſt nimirum ea ſignificatio à *locorum* ſacrorum *dedicatione* in quibus prima quæque ſacra *officia dedicationis* vicem obtinebant. A prima ea ſacrorum officiorum recitatione jam rite poterant alia deinceps *ſacra* ibidem adminiſtrari, quæ ſi ibi antea adminiſtrarentur, *profana* eſſent potius atque *piacularia* habenda. Quæcunque igitur ſacris eſſent uſibus deſtinanda, eorum uſu, niſi *dedicatorum*, erat prorſus interdictum. *Arborum ſegetumque* frugibus ne *uti* quidem licuit, niſi *primitiarum* anteceſſit *oblatio* atque *conſecratio*. Et cum, pro *legis* etiam *Moſaicæ* uſu, *domus* eſſent etiam *privatorum* dedicandæ, peragenda erat *dedicationis* illa qualiſcunque ſolennitas, antequam *legitima* haberi poſſet *habitatio*. Id etiam viderunt ſanctiores *Ethnici* rerum gravioris momenti quarumcunque numini dicanda eſſe *primordia*. Ita *Aratus*, ita *Heſiodus*, ita *philoſophorum* ſanctiſſimi *Pythagoræi*. Ita &, in vitæ communis uſu, pleræque *gentes* atque *reſpublicæ*, ut neque *nuptiæ* eſſent, neque *prælia*, neque *fœdera*, niſi prævio auſpicatu, ineunda, ſed nec *nova* cujuſvis generis *negotia*, nec *nova* vitæ inſtituendæ *conſilia*; ut inde manifeſto conſtet quam congrue noſter *auſpicatum* cum *dedicatione* conjunxerit. Id cum eſſet ab aliis obſervatum, tum *Iſraëlitis* (qui *gens ſancta* habebantur) longe erat potiori ratione obſervandum, ut cum non *res* modo omnes à *gente ſancta* uſurpandæ, ſed & *negotia* eſſent ſacris gentis ſacræ *uſibus* aptanda; tum vero *ſanctitas* illa *rerum* atque *negotiorum primordiorum* eſſet *dedicatione* concilianda. Redundare enim credebatur ad alia ejuſdem generis omnia *primitiarum* illa *ſanctimonia*. In *primitiarum* conſecratione *meſſem* totam ſacrari crediderunt, in *primogenitorum* totam itidem *familiam*, in *tribus* Leviticæ, *primogenitorum* nomine, illa totam ſtirpem *Iſraëliticam*. Inde ſuperſtitioſa illa conſecrationis cautela, cujus meminit *Arnobius*, ne nimia illa *ſanctimonia* meſſem univerſam profanis uſibus eximeret, fruſtra nimirum illa in *primitiarum* illam quam diximus *ſanctitatem* ad meſſem reliquam pertinere credidiſſent. Ita factum ut cum res eſsent omnes *primordiorum*, ut dixi, *dedicatione* dedicandæ, idem apud illos valeret *dedicare* atque *incipere*. Id quod eo *veriſimilius* eſt quod ſtyli *Africani*, quæ quidem extant in ſcriptoribus *Chriſtianis*, pleraque idiomata, ea ſint è Scripturæ ſacræ gentiſque ſacræ moribus utplurimum derivata.

Confirmat hanc noſtram de *locorum* ſanctorum *dedicatione* obſervationem accuſatio illa *Athanaſii* de qua legimus in [1] Apologia ejus ad *Conſtantium Auguſtum*. Paſchali ille ſolennitate, cum habendæ eſsent ſynaxes ſolito longe frequentiores, *Euchariſtiæ* nimirum gratia à *ſingulis*, pro illius ſeculi more, percipiendæ, & vero jam aliquoties experti eſsent in ſynaxibus quadrageſimalibus quam incommode tanta multitudo in Eccleſiis anguſtioribus fuiſset coacta; magnam Eccleſiam ab Imperatore nuper extructam, necdum tamen dedicatam, in ſuos uſus ea occaſione convertit. Hoc ejus factum ita calumniabantur adverſarii quaſi Imperatoris illam Eccleſiam Imperatoris injuſsu *dedicaſſet*. Unde illud niſi quia *prima* illa, ut diximus ſacra pro *dedicatione* haberentur? aliis quidem quamplurimis ſui ſeculi exemplis cauſam ſuam tuetur *Athanaſius*, deceſsoris ſui *Alexandri* in Eccleſia *Theonæ Alexandrina*, aliorumque *Europæorum*, *Trivirenſium* atque *Aquilegientium*, *Conſtantis* etiam *Auguſti* qui ipſæ Eccleſiæ *Aquileienſis* ſynaxi nondum dedicatæ interfuiſſet; verum ita tuetur ut *neceſſitati* potius illas, quam certo *conſilio*, ſynaxes tribuendas cenſuerit, quæ ſi ingruat, etiam in *loco* non ſancto *ſynaxes* nemo dubitat *ſanctas* eſſe atque *legitimas*. Una ergo illa *neceſſitatis* cauſa demta, prima iſtiuſmodi ſacra *Dedicationis* vicem præſtitiſſe confeſsus eſt ea ipſa defenſione *Athanaſius*.

[1] Apolog. ad *Conſtant.* p. 682. Edit. Græco-Lat. *Pariſ.* 1627.

DIS-

DISSERTATIO CYPRIANICA XI.

Ad EPISTOLAM XXXIV.

De *Martyrum commemoratione*, eaque occaſione, de *Martyrum paucitate* in primævis *Chriſtianorum* perſecutionibus, deque fide *Actorum* atque *Martyrologiorum*.

Martyrum *commemoratio* annua *ſingulorum* diſtincta *erat*, *& perpetua*. §. I. *Ea cum ita ſe haberet*, *fieri non potuit ut tot martyrum* nomina *perierint*, *ſi tam* multi *quam putantur*, *unquam extitiſſent*. §. II. *Ut in* ſingulis Eccleſiis *perire potuerint*, *vix certe poterant ex* Eccleſia univerſa. §. III. Martyrum *gloria quam illuſtris fuerit apud* exteras *etiam* Eccleſias. §. IV. *Nec* inſigniorum *duntaxat* martyrum *illa*, *ſed* plebeiorum *etiam*, *ne tales à* martyrologiorum *collectoribus prætermiſſos adverſarii exiſtiment*. §. V. *Ne* antiquioribus *quidem martyrum* collectoribus, *fuiſſe tamen*, *eam quæ putatur*, *monumentorum* copiam. §. VI. Paucos *admodum*, *ante ſuam ætatem*, martyres *agnovit* Origenes. §. VII. Paucos *ex* Imperatoribus *fuiſſe* perſecutores. §. VIII. Reſcripta *principum in favorem* Chriſtianorum *impediebant quo minus* frequentes *eſſe poſſent*, *ſive* plebium *tumultus*, *ſive* Præfectorum provincialium *furores*. §. IX. Imperatores *nonnulli* Chriſtianorum amici *atque* patroni. §. X. *Alii*, *ut* amici *non fuerint*, à ſævitia *tamen erant* alieni. §. XI. Felicitatem temporum *ſuorum in* clementia *ponebant illius ætatis* Imperatores. §. XII. *Perſecutio* Neronis ingentem *quidem ſuſtulit* multitudinem, *ſed nec alibi quam* Romæ, *nec ullis*, *ut videtur*, tabulis Eccleſiaſticis *conſignatam*. *In* illius *perſecutionis martyribus dies* tranſlationis *pro veris* natalitiis *habebantur*. §. XIII. *Exemplum inſigne in die SS. Apoſtolorum* Petri & Pauli. §. XIV. Commemoratio *illa martyrum* annua, *ut* Apoſtolorum *temporibus* non *fuerit*, *fuit tamen certe illis* proxima. §. XV. Domitiani *perſecutio & brevis fuit*, *& minime* cruenta. §. XVI. Trajani *perſecutio nulla per* edicta. §. XVII. Trajani *perſecutio* Antiochena *& paucorum fuit*, *& brevi quievit*. §. XVIII. *Illarum*, *quæ ſub* Trajano *contigerant*, *perſecutionum auctores erant Judæi*. §. XIX. *Perſecutionis* tempus *quo paſſus eſt* Simeon Cleophæ. §. XX, XXI. *Ea non aliorum fuiſſe videtur quam* familiæ Davidicæ. §. XXII. *Perſecutio & epiſtola* Tiberiani *ad* Trajanum *omnino ſuppoſititiæ*. §. XXIII, XXIV. *Perſecutio* Plinii *nec* Trajanum *habuit auctorem*. §. XXV. *Nec* multos *martyrio coronavit*. §. XXVI. *Perſecutio* Arrii Antonini *proconſulis in* Aſia. §. XXVII. Hadriani *nulla perſecutio per* edicta. §. XXVIII. *Fabulæ de* Oedipodeis *Chriſtianorum* inceſtibus *& infanticidiis ortæ ſub* Hadriano *occaſione* Carpocratianorum *hæreticorum*. §. XXIX. *Necdum* creditæ. *Magica* Hadriani *ſtudia perſecutionis*, *ſiqua fuiſſet*, occaſio *eſſe potuerunt*. §. XXX. *Nec è Chriſtianorum* apologiis, *nec è* Serenii Granniani *relatione conſtat* Chriſtianorum *aliquam fuiſſe ſub* Hadriano *perſecutionem*. §. XXXI. *Nec è* Templo Veneris *quod in Domini N. ſepulcro condidiſſe dicitur* Hadrianus. §. XXXII. *Sub* Antonino Pio *plures erant* perſecutiones μεμιγμέναι. §. XXXIII. *Calumnia* majeſtatis *temporumque* infelicium. §. XXXIV. *Cur* Marcus *de* Gallorum *Chriſtianorum ſupplicio reſcripſerit*. §. XXXV. *De hujus perſecutionis* tempore. §. XXXVI. *De* tempore *quo* legationem *obiit*, *pro Chriſtianis*, Athenagoras. §. XXXVII. Perſecutiones, *quarum meminit* Athenagoras, magiſtratuum *erant* urbicorum *qui* jure gladii *carebant*. §. XXXVIII. *Eorundem* magiſtratuum *erant & Aſiæ perſecutiones quarum occaſione* apologias *ſcripſerunt* Melito *& Apollinaris*. §. XXXIX. Commodi *perſecutio nulla*. §. XL. Severi *nulla ante A. D. CCII. deſiit anno* ſeculari *CCIV*. §. XLI. *Occaſio hujus perſecutionis nata à* Judæorum *defectione*. §. XLII. Univerſalis *erat*, *ſed ſæviſſima* Alexandriæ. §. XLIII. *Nulla alibi fortaſſe*, *præterquam* Alexandriæ, *propoſita erant perſecutionis* edicta. §. XLIV. Invitus *perſecutus eſt* Severus, inviti *etiam provinciarum* præſides. §. XLV. *Hæc perſecutio non aliorum fuit quam* proſelytarum. §. XLVI. *A* Severo *ad* Maximinum *tempora* Chriſtianis *ſatis propitia*. §. XLVII. *Perſecutio* Maximini *ſolorum fuit* clericorum, *& paucarum Eccleſiarum*. *Nulla in* Africa. §. XLVIII. Romæ *etiam* breviſſima. §. XLIX, L. *Aliæ perſecutiones in* Oriente locales *erant & à nullo* Maximini edicto. §. LI. Decii *mite & minime* cruentum *ingenium*. §. LII. *Vix ante An. Dom. CCL. ad* cædes *progreſſus eſt*, *eodemque deſiit* cruenta *eſſe* Decii *perſecutio*. §. LIII. *Perſecutionis varii* gradus *in* Africa. §. LIV. *Exempla virorum inſignium in hac perſecutione* fugientium *obſta-*

bant quo minus multi *potuerint esse* martyres. §. LV. *Primus annus persecutionis* Alexandrinæ *paucos* martyres *coronavit*. §. LVI. *Annus secundus non admodum* multos. *Tertio* pax. §. LVII. Galli *persecutio* brevissima. §. LVIII. *Persecutionis* Valeriani *annus primus sine* martyriis. §. LIX. *Anno* 2°. *quo* martyria *cœpta*, *paulatim* remisit. §. LX. *Multi*, *in ea persecutione*, martyres *esse non potuerunt*; *ab initio* Valeriani *usque ad An. Dom. CCLVIII. nulli*. §. LXI. *Resp. Testimonio* Cypriani *de martyribus* innumerabilibus. §. LXII. Valeriani *edicta revocavit* Gallienus. §. LXIII. Aureliani *persecutio* intentata *tantummodo*, *non item* executioni *mandata*. §. LXIV. *Persecutio* Diocletiani. §. LXV. *Primis* XVIII. Diocletiani *annis nulla persecutio*. §. LXVI, LXVII. *Prima persecutio solorum militum*. §. LXVIII. *Nec alibi quam in* Orientis *diœcesi*. *Martyres* pauciſſimi. §. LXIX. Narseum Galerius *An. Dom. CCCII. superavit*. §. LXX. *Primum edictum de persecutione nondum* sanguinarium. §. LXXI. *Secundum edictum* sanguinarium, *sed in solos* clericos, *mense* Julio. §. LXXII. Primus *annus persecutionis*, *secundum calculos* Eusebii, *est revera* secundus. §. LXXIII. *Novum edictum* sanguinarium, *in omnes*, *etiam* laicos Galerii, *ut videtur*, *& quidem post depositam à* Diocletiano *purpuram*. §. LXXIV. *In* Constantii *imperio nulla omnino persecutio quæ* martyres *fecerit*. §. LXXV. *Persecutio in* Africa, *de* synaxibus, *& de tradendis sacris* codicibus, *desit quo tempore purpuram deposuit* Maximianus Herculius. §. LXXVI. *Desit eodem tempore in* Italia, *& in* Occidentali *imperio* universo. §. LXXVII. *Restaurata in* Oriente *à* Maximino. §. LXXVIII. *Nova edicta in Christianos* urbium *etiam* magistratibus *directa*. §. LXXIX. *Mutatio persecutionis à* mortibus *ad* mutilationes. §. LXXX. *Anno persecutionis* 7°. *ultimus martyr* Cæsareæ. §. LXXXI. *Concessa à* Galerio *pax eodem anno à* Maximino *violata*. §. LXXXII. *Deterritus à* Constantino Maximinus *antequam edicta* sanguinaria *emitteret*. §. LXXXIII. Mutilationes *jussit*, cædes *vetuit*. §. LXXXIV. *De* primi Augusti *titulo* Constantini *proprio*, *historia*. §. LXXXV, LXXXVI. Maximini *primum edictum pro* pace. §. LXXXVI. *Pauci erant* secundæ *hujus Maximini persecutionis* martyres. §. LXXXVII. Pauci *omnino*, *pro moribus* Romanorum, *suppliciis* dies *quotannis assignandi*. §. LXXXVIII. *Quos illi* locos *atque* dies *suppliciis plerunque assignarint*. §. LXXXIX. *Quos illi* numeros *singulis suppliciorum diebus pro* magnis *habuerint*. §. XC. *Persecutiones* Licinii *&* Juliani. §. XCI. Paucitas martyrum *nihil detrahit primorum Christianorum* gloriæ. §. XCII. Ecclesiastici *honores ab* Imperatorum Romanorum *honoribus mutuo accepti*. §. XCIII. *Inde natalitia* martyrum. §. XCIV. *Et natalitia* Episcoporum. §. XCV.

§. I. [*Sacrificia pro eis semper, ut meministi, offerimus, quoties martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebramus.*] *De martyrum commemoratione* Eucharistica [1] scripsi equidem nonnulla superius, quibus & alia si hoc in loco addidero, operam utique lectori pio antiquitatisque Ecclesiasticæ studioso non ingratam fore censui. *Aliorum* itaque *commemoratio* cum *unica*, ut videtur, anniversaria solennitate determinaretur, in eo eminere diximus *martyrum* illam quod in omne ævum duratura, redeunte celebritate, permaneret; nec uno *eodemque tempore* omnium, ut *in Romanis februis* quæ superioris anni defunctorum *omnium* communis erat, sed vero *alia* erat *singulorum martyrum* & ab invicem diversa commemoratio, & quidem ipso *illo* quo fuissent coronati *die*. Id voluerunt proculdubio *Smyrnenses* cum *martyrii Polycarpiani* diem tam accurate notandum ducerent, eundem nempe illum *diem* quem antea γενέθλιον ἡμέραν appellassent, à se ἐπιτελεσθησομένων. Idem *Cyprianus* noster: [2] *Denique & dies eorum quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus. Quanquam Tertullus fidelissimus & devotissimus frater noster pro cetera solicitudine & cura sua quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, (qui nec illic circa curam corporum deest) scripserit & scribat, ac significet mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem glorioſæ mortis exitu transeunt, & celebrentur hic à nobis oblationes & sacrificia ob commemorationem eorum quæ cito vobiscum Domino protegente celebrabimus.* Nec aliud, opinor, in mente habuit [3] cum *Xysti Romani* diem quo passus est clero suo significandum censuit, quem & aliis *collegis* suis innotescere voluit, nisi ut eodem illo *die* omnes *Xysti* memoriam celebrarent. Non est itaque opus ut *martyrologiorum* fidem, in hac causa, è pseudo-*Damasi* pontificali, aliisve istiusmodi stramineis monumentis astruamus.

§. II. Ut autem *martyrologiorum* fidem certam hic putamus, ita eadem de causa *fluxam* alibi incertamque credimus. Cum enim martyrum aliquot *millia* falsus nobis procudat [4] *Hieronymus*, quique alia nobis *recentiora martyrologia* eum secuti collegerunt, & quidem primorum illos utique *seculorum*, primarumque *persecutionum*; extant tamen in antiquissimis istiusmodi collectionibus *nomina pauciſſima*, & quo quæque est aliis antiquior, eo pauciora. Extant præterea eorundem *martyrum natales* in diversis *martyrologiis* atque *menologiis* alii omnino atque alii. Quid igitur? Tantamne credemus in *fastos Ecclesiasticos* irrepere potuisse discrepantiam, cum à proxima usque martyrum memoria *dies* martyrum *natalitios* notandos curarint locorum temporumque, in quibus passi narrantur, *Episcopi?* Tantamne *martyrum* à primis collectoribus *multitudinem* credemus prætermissam si, quam creduntur, multi extitissent? Unde id nimirum? deditane opera certoque consilio? at qui nobis id genus *collectiones* confecerunt, eo gratiorem operam

[1] Dissert. V. 5. 25. [2] Ep. XXXVII. [3] Ep. LXXXII. [4] Ep. ad *Chroatium* & *Heliodorum*.

ram ſuam crediderunt meliuſque collocatam, quo fuiſſent utique copioſiores. *Ignorantiæ* igitur illam tribuemus negligentiam ? atqui nulla eſt *hiſtoriæ*, ſive *Eccleſiaſticæ*, ſive etiam *civilis*, pars, quæ meliora habuerit ſubſidia quo minus poſſet intercidere. Extabant inprimis *acta Romanorum magiſtratuum* à notariis publicis excepta fide omni digniſſima, quæ & ipſa à *Chriſtianis* fuiſſe conſulta conſtat è *formis* antiquiſſimis ad *Romanarum legum* normam propius, quam ad *Chriſtianorum* mores, accedentibus. Extabant eorundem *acta* à *Chriſtianis* fratribus, qui rebus geſtis ipſi interfuiſſent, concinnata ; ea etiam fide digniſſima, quippe quæ *Epiſcoporum clericorumve* cura atque fide niterentur, ut jam vidimus ex ipſo *Cypriano*. Accedebat præterea feſta illa *commemorationis* ſolennitas, cum annis ſeculiſque redeuntibus, ipſa quoque rediens. Accedebant *Homiliæ* atque *Panegyrici* maxima omnium Eccleſiæ ordinum frequentia celeberrimi. Hæc ſi perpendantur, fieri vix potuit ut in *ſingulis* martyrum *Eccleſiis* propriorum *cujuſque* martyrum memoria deficere potuerit.

§. III. Sed vero, præter *ſingularum* Eccleſiarum fidem, erant præterea, in Eccleſiæ Catholicæ commercio, tam fida etiam adminicula, ut ne ita quidem eorum memoria ex *Eccleſia Catholica* deficere potuerit, ſi vel maxime eam è *ſingulis* defeciſſe fingamus. Florente enim *imperio Romano*, ita inter ſe communicabant *Romani* orbis *Eccleſiæ*, ut ſi quid eſſet in una aliqua Eccleſia quod omnium intereſſet, id neceſſario ad alias omnes debuerit permanare. Jam vero martyrum quorumcunque ea erat, pro illorum ſeculorum moribus, fama ut longe illa lateque per *Romanum orbem* volitaret. Eorum *nomina* in *aliarum* quoque Eccleſiarum diptycha recepta, *natalia* celebrata, præſertim *Eccleſiarum finitimarum*. Ita in *Romano* illo veteri *Kalendario Bucheriano Africanorum* quoque *martyrum* nomina habemus. De aliorum quoque *celebriorum martyrum* triumphis epiſtolæ *encyclicæ* extabant ipſis *martyribus* coævæ, qualis illa erat *Smyrnenſium*, de *Polycarpo*, ad *Philomelienſes*, *Lugdunenſium* quoque atque *Viennenſium* ad *Eleutherum* Pontificem *Romanum* atque Aſianos, pro forma *Judaicarum epiſtolarum* quas habemus in [5] *Maccabaicis* de gentis ſuæ in quacunque orbis parte verſaretur, anguſtiis ut in aliis quoque quamplurimis more *Chriſtianorum* à *Judaicis* permanaſſe certiſſimum eſt. Et quidem adeo ſedulos fuiſſe in *martyrum* geſtis memoriæ tradendis veteres, ut *nihil illos fere fugerit*, diſcimus ex diſertiſſimo *Pontii* teſtimonio : [6] *Majores* (inquit) *noſtri plebeiis & catechumenis martyrium conſecutis, tantum honoris pro martyrii ipſius veneratione dederunt, ut de paſſionibus eorum multa, aut, prope dixerim, pene cuncta conſcripſerint, ut ad noſtram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, pervenirent.* Fieri itaque vix potuit ut *oblivioni* traderentur, niſi in *Diocletiani* fortaſſe perſecutione quæ *ſcripta* Eccleſiaſtica exhauſit, illa monumenta perierint.

§. IV. Tum & illæ quoque *martyrum*, de *pace* lapſis concedenda, *epiſtolæ communicatoriæ* ad univerſi orbis *Epiſcopos*, quam late, ipſæ literæ Epiſcoporum *formatæ*, erant dirigendæ pro lapſorum itineribus. Tum ſi qua gravior ingruebat Eccleſiæ *communionem* violatura controverſia, magnum erat, etiam apud *exteros*, martyrum nomen, maximique quacunque impellebant momenti. Et ſi quam *communionem* fuiſſent martyres amplexi, in maximam ceſſit *communionis* commendationem. Jam vidimus alibi eo argumento uſos *Cypriani* noſtri *SCHISMATICOS*, recentioreſque *Cypriano Donatiſtas*. Uſus eſt, è contra, ipſe etiam *Cyprianus*, commiſſis inter ſe *Romanis martyribus* atque *Africanis*. Uſus pariter adverſus *Novatianum* eſt *Cornelius* in ſua ad *Fabium Antiochenum* epiſtola. Ipſe etiam pro ſe *Novatianus*, antequam rediiſſent ad *unitatem* martyres qui ei favebant. *Nicoſtrati* etiam nomine deinceps uſum eſſe, veriſimile eſt, quem nunquam conſtat ad *unitatem* rediiſſe. Sed & ante *Cyprianum*, eodem argumento, à *martyrum* auctoritate, uſi ſunt antiquiores *Hæretici*. *Montaniſtas* de *Themiſone* [7] atque *Alexandro* gloriatos eſſe conſtat. Idem de aliis etiam hæreticis obſervavit *Aſterius Urbanus* : [8] Καὶ γὰρ τῶν ἄλλων αἱρέσεων τινὲς πλείσας ὅσας ἔχουσι μάρτυρας. . . . . ἢ πρῶτοί γε οἱ ἀπὸ τοῦ Μαρκίωνος αἱρέσεως, Μαρκιωνισταὶ καλούμενοι, πλείσας ὅσας ἔχειν χρῆσθαι μάρτυρας λέγουσιν. *Metrodorum* porro *Marcioniſtam*, noſtro *Cypriano* coævum, ſub *Decio* paſſum exiſtimat [9] *Valeſius*. Mitto recentiorum *Cypriano* monumentorum teſtimonia, quia ipſum *Cyprianum* illiuſque ſeculi mores ſuſcepi explicandos.

§. V. Fieri itaque non potuit quin, ſi tot olim fuiſſent, quot putantur *martyres*, ſupereſſent hodieque è probatis illorum ſeculorum monumentis eorum ſaltem *nomina*. Nec enim *illuſtrium* duntaxat, eorumque qui *inſignia* in Eccleſia munera obiiſſent, honorem illum *proprium* voluerunt ; ſed *laicorum* quoque, ſi qui inſignia fortitudinis ſpecimina edidiſſent ; ſed *fœminarum* quoque atque *ſervorum*, etiam *puerorum*. *Laicorum* tot habemus exempla, ut fruſtra ſimus ſi alia proferamus. Fœminas habemus in hac eadem Eccleſia *Africana Perpetuam* atque *Felicitatem*, in hac eadem epiſtola aviam *Celerini Celerinam*, alias etiam in Ep. *Luciani* ad *Celerinum*, *Bibliadem* præterea & *Blandinæ* dominam in [10] Ep. *Lugdunenſium* & *Viennenſium*, ipſamque *Blandinam*, *ſervam* licet, egregiis tamen præconiis hac in cauſa ornatam. *Puerum* etiam habemus apud *Prudentium* in [11] martyrio *Romani*. De *plebeiis* etiam & *catechumenis* ipſum *Pontium* teſtem modo audivimus. Pauca nos exempla ſelegimus, ſed ex optimæ fidei monumentis. Aliena enim erat à *Chriſtianorum* primævorum moribus illa προσωπολημψία (à S. *Jacobo* acriter reprehenſa cap. II. 1. &c.) qua *perſonarum* meritis ex *loci* dignitate pretium vel contemtus accederet. Ita alius etiam Apoſtolus: *Non eſt ſervus neque liber, non eſt maſculus neque fœmina ; omnes enim in Chriſto Jeſu unum ſumus*, Gal. III. 28. Quod certe de privilegiis *ſpiritualibus* omnino verum eſt, nullam eſſe *loci* dignitatem qua quis audeat ſe aliis anteferre. Quo modo ſententiam ſuam exponit ipſe *Jacobus* Apoſtolus v. 5. In eo eadem *ſpiritualium* privilegiorum cenſu nemo dubitet includendum eſſe *martyrium*. Non eſt itaque quod exiſtimemus inſigniores duntaxat loco officioque *martyras* ab Eccleſia eſſe delectos quorum *nomina* atque *memoriam* in ſuis monumentis conſervarit.

§. VI. Quod ergo *paucorum martyrum* memoriam habemus in primævis indubiæ fidei monumentis, ſignum fuiſſe puto, ne *multos* fuiſſe quidem qui perſecutionibus illis primævis abſumerentur. Tantum enim abeſt ut monumentorum copia ad nos uſque permanarit, ut ne antiquioribus quidem ſeculis qui id genus monumenta ſcrutati ſunt, eorum habuiſſe videantur. *Euſebius* duas *martyrum* collectiones, de *an-*

[5] 2 *Maccab.* I. 11. [6] In vit. *Cypriani*. [7] Ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. V. 18. 17. [8] Ib. cap. 17. [9] Not. ad *Euſeb.* V. 15. [10] Ep. XXII. [11] Peri Steph.

antiquioribus aliam, aliam de *sui* temporis *martyribus Palæstinis*. Posteriorem habemus hodie integram. Prior periit quidem ipsa, sed ex iis quæ de ea historiæ suæ Ecclesiasticæ aliquoties inseruit, facile colligimus non fuisse *magnam*, quanquam ex actis instrumentisque originalibus maxima, ut videtur, ex parte conflatam. Singulis enim persecutionibus quæ suo tempore extabant etiamnum monumenta in historia monet, omnia, ut opinor, illa, vel *maximam* certe eorum *partem* quæ συναγωγῇ suæ inseruerat, quæ tamen pauca admodum erant, nec recentiorum magnificæ jactationi respondentia. Et tamen ibi non *unius* duntaxat (ut in posteriori) *provinciæ* martyria collegerat, sed *orbis*, ut videtur, *Romani* universa, *Orientis* fortasse omnia, *Occidentis* etiam quæ *Græce* saltem extabant, qualia erant illa *Lugdunensium* atque *Viennensium*. Quarto tandem seculo *orationes* habemus atque *homilias Panegyricas* de *tempore*, quarum si suppositittias à genuinis distinguamus, pauci supererunt *martyres* quorum *festa* eo seculo celebrarentur. Ejusdem seculi *Kalendarium* habemus *Bucherianum* illud, sub *Liberii*, ut videtur, pontificatu concinnatum, ex aliis tamen antiquioribus *Liberio* monumentis. Est quidem *Latinorum* illud *Occidentaliumque* duntaxat *martyrum*, ut proinde *Eusebianam collectionem* supplere possit, ut qui *Occidentalium martyrum* apud *Eusebium* desiderantur, eos in *Bucherianâ* hac *collectione* expectare possimus. Est enim *Latinorum*, non *Italiæ* duntaxat, sed aliarum quoque *provinciarum*, quos tamen omnes pauciſſimos recenset. Sub hujus seculi finem scripsit περὶ στεφανῶν *Prudentius*, in *Latinos* etiam *martyras*, præcipue *Hispanos*, sed & illos etiam *pauciſſimos*.

§. VII. Successerunt paulo postea *martyrologia*, inprimis *Hieronymianum* illud, tum & alia in singulis Ecclesiis, tam *Græcis* quam *Latinis*, ad illius imitationem concinnata, in quibus omnibus, id verum experimur quod diximus, quanto *antiquiora* sunt, tanto etiam esse *simpliciora*. Sed de *paucitate* primævorum *martyrum* disertissimum habemus *Origenis* testimonium, quod miror hactenus à nemine, quod sciam, esse animadversum. [12] Ὀλίγοι (inquit) κατὰ καιρὸς καὶ σφόδρα ἀριθμητοὶ ὑπὲρ τὸ τῶν χριστιανῶν θεοσεβείας τεθνήκασι. Additque nullam neque βασιλέων, neque τῶν κατὰ τόπους ἡγεμένων persecutionem neque δήμων, ὅπου πλεῖον δυνηθῶσι. Et tamen *millenos* aliquot in singulos anni *dies* confinxit nobis *Pseudo-Hieronymus*, & multos Imperatorum annos persecutionibus tribuunt *martyrologiorum menologiorumque* consarcinatores. Sciunt nempe illi de primævis illis persecutionibus quæ certe ignoravit *Origenes*.

§. VIII. Neque enim illud verum est, quod illi putant, tam multos *Imperatorum* fuisse *persecutores*. Qui scripsit sub *Constantino*, [17] *Lactantius* paucos ante *Diocletianum* in eo *persecutorum* albo recensuit, *Neronem* duntaxat *Domitianum*, *Decium*, *Valerianum*, atque *Aurelianum*. Convenitque, pro ætate sua, cum *Lactantio* [14] *Tertullianus*, nec enim alios ille ante se quam quos *Lactantius* persecutores Imperatores agnoscit, *Neronem* atque *Domitianum*. De reliquis ita: *quas (leges nimirum* adversus *Christianos* à *Domitiano*, ut videtur, & *Nerone* editas) *Trajanus ex parte frustratus est vetando inquiri Christianos* (Ep. nimirum illa ad *Plinium* juniorem celeberrima) *quas nullus Hadrianus*, *quanquam curiositatum omnium explorator; nullus Vespasianus*, *quanquam Judæorum debellator*, *nullus Pius*, *nullus Severus impressit*. Et tamen otiosi Monachi quot illi nobis *Vespasiani*, *Trajani*, *Hadriani*, & *Severi* de persecutione *edicta* confinxerunt? Convenit cum *Tertulliano* qui *Marcio* imperante scripsit [15] *Melito Sardensis*. Solos ille *Neronem* atque *Domitianum* ex *Imperatoribus* suâ ætate antiquioribus *persecutores* agnoscit. Μόνοι (inquit) πάντων ἀναπειοθέντες ὑπό τινων βασκάνων ἀνθρώπων τὸ καθ' ἡμᾶς ἐν Ἀσίᾳ κατασῆσαι λόγον ἠθέλησαν Νέρων ἢ Δομετιανός. Quanquam hæc non ita intelligo, quasi nemo *Christianorum*, sub his etiam *Imperatoribus*, martyrium obiisset, ipso etiam auctore *Imperatore*. *Ignatium* sustulit *Trajanus*. Id unum nego *edictis* illos in *Christianos* sæviisse, ut proinde multi esse nequeant qui horum Imperatorum *auctoritate* perierint. Restat igitur ut qui *illis* temporibus martyrium passi sunt, vel Præfectorum provincialium edictis, aut plebium in theatro clamoribus passi intelligantur. Neutros autem ἐπὶ πλεῖον δυνηθῶσι didicimus ex *Origene*.

§. IX. Quid quod etiam *rescripta principum* in *favorem Christianorum* edita provinciarum licet *præsidibus* data, non tamen in illis duntaxat *Provinciis*, sed per *universum Imperium*, pro *Romanorum* moribus, *legum* vicem obtinebant; nec illis duntaxat, quibus edita sunt, temporibus, sed donec *futurorum* principum revocarentur edictis *contrariis*. Est enim ea forma perpetua *rescriptorum* in *codicibus* & *Pandectis* quæ tamen nemo dubitat fuisse *perpetua*, & quidem *Romani imperii universi*. Iis autem *rescriptis* provincialium *præsidum potestas plebiumque* est infra angustiores coercita limites; ut deinceps quæcunque istiusmodi *rescriptis* vetarentur, ea ne *auderent* quidem provinciales præsides aut munerum theatricorum *editores*, si aliter fecissent, gravioribus suppliciis reprimendi. *Tiberii* quidem *minas* in *rescriptum* emanasse, ne is ipse quidem, qui earum meminit, auctor est *Tertullianus*. Et post illum *Christianorum* accusatores impune tulisse constat. *Trajani* tamen *rescriptum* cujus meminit [16] *Tertullianus*, habemus hodieque apud *Plinium*. In eo negat *conquirendos* quidem esse *Christianos*, nulla tamen pœna *deferentibus* constituta. Eum supplevit defectum *Hadrianus* in suo *rescripto* ad *Minutium Fundanum Asiæ* proconsulem, quod nobis servavit *Latine* [17] S. *Justinus*, *Græce* vertit [18] *Eusebius*. In eo pœnæ etiam calumniantibus constituuntur. Vetat præterea ne quid durius in *Christianos* ἀξιώσεσι καὶ μόναις βοαῖς constituatur. Ἀξιώσεις illæ *libelli* erant, ut videtur, *accusantium*; βοαὶ *clamores* populi in *theatro*, *Christianos ad leones*, &c. De ἐπαρχιώταις etiam disertis verbis cautum est in hoc rescripto, ut proinde in *futurum* non licuerit, sive præfectis *provincialibus*, sive *populis*, *Christianos* ita tractare. Multa porro in *Christianorum* favorem rescripta edidisse *Pium*, auctorem habemus [19] *Melitonem Sardensem*, ad *Larissæos* viz. ad *Thessalonicenses*, ad universos denique *Græcos*. His *edictis* id tandem effectum est ut *longa* illa *pax*, cujus meminit cum [20] *Origene* noster quoque [21] *Cyprianus*, ad *Decii* usque tempora, repressis ab initio *populi* tumultibus, inviolata permanserit, repressa etiam *præsidum* sævientium ferocia. Quare fieri vix potuit quin hucusque verum fuerit quod scripsisse diximus *Origenem*. Non negamus interim erupisse nonnunquam *populi præsidumque* furorem, accessisse etiam excitatis consultorum *Imperatorum rescripta*, quale illud fuit *Marci* in causa *Lugdunensium* atque *Viennensium*. Sed, quia dedita opera nunquam eo incubuerint *Imperatores*, nec

[12] Cont. *Cels.* L. III. p. 116. [13] De mort. persecut. n. 2, 3, 4, 5, 6. [14] Apol. c. 5. [15] Ap. *Euseb.* Hist. Eccl. IV. 26. [16] *Tertull.* ap. *Plin.* L. X. Ep. 98.

[17] *Justin.* ad fin. Apol. II. [18] Ap. *Euseb.* Hist. Eccles. IV. 26. [19] Ap. *Euseb.* Hist. Eccl. VI. 26. [20] Cont. *Cels.* L. III. p. 120. [21] De *Laps.*

nec ſuperiorum principum *revocata* eſsent *edicta*; nec *plurium* erant *provinciarum*, nec in iis ipſis provinciis in quibus accenſus iſte furor eſset, potuit tamen eſse *diuturnus*. Mitto jam recentiora *Gallieni* atque ultimæ perſecutionis Imperatorum *reſcripta*. Quæ enim *pacem Chriſtianis* dabant, ea *contrariis* perſecutorum *reſcriptis* revocata eſse nemo dubitat. Quæ *modum* duntaxat *perſecutioni* ponebant, ea & in ipſa *perſecutione* nonnunquam valuiſse probabile eſt.

§. X. Erant etiam, in eodem intervallo nonnulli principes *Chriſtianorum amici* atque *patroni*. Talis fuiſſe creditur à nonnullis *Hadrianus*. Talis *Caracalla*, *Elagabalus*, atque *Alexander Severus*. Tales *Philippi*, talis initio *Valerianus*, & perpetuo *Gallienus*. Talis etiam initio *Aurelianus*, & in ultima quoque illa *Diocletiani* perſecutione *Conſtantius Chlorus*. Horum temporibus ne *populi* quidem tumultus, nec *præfectorum* provincialium impreſſiones, frequentes fuiſſe veriſimile eſt, cum *principum demerendorum* prætextus frequentiſſimam præbuerit tumultuariis iſtiuſmodi *perſecutionibus* anſam. Nec enim id in *gratiam* principum admiſſuri erant quod, ſi fieret, videretur iiſdem *diſplicaturum*. Scio illum ipſum nonnullorum principum *favorem invidiæ* cauſam præbuiſſe *æmulis principibus*. In odium *Philipporum* perſecutus eſt *Decius*, in odium *Alexandri Maximinus*. At certo *ſuperſtitibus* id genus principibus *Chriſtianorum patronis*, id ſaltem aſſueverat *populus* ut *principum* cultum cum *Dei* honore *conciliarent*, ut, eo ſaltem nomine minus futuri eſſent, etiam in *poſterum*, infenſi.

§. XI. Erat *Imperatorum* & alia claſſis, ut *Chriſtianis* forte minime faventium, *mitis* tamen illa, & *ſanguinis* humani parum avida. Tales fuiſſe conſtat *Titum*, *Nervam*, *Trajanum*, utrumque *Antoninum*, *Pertinacem*. Horum indoles placidiſſima tam fuit à *crudelitate* omni aliena, ut, niſi *ſuperſtitioſi* admodum iidem fuerint, fieri certe vix potuerit ut vel numinis violati prætextu ſanguinem *innocuorum* hauriri paterentur, nedum ut *progreſſus* aliquos in ſævitia fecerint, ſi vel aliorum impulſi conſilio durius quippiam ab initio ſtatuiſſent. At ab ea quoque *ſuperſtitione* cavendum ſibi duxit [22] *Marcus*. Nec eſt ſane quod ſuſpicemur, ſub *clementiſſimis principibus* multum ſibi in *crudelitate* indulgere potuiſſe ſive *plebes* in *theatris*, ſive *præſides* etiam *provinciales*.

§. XII. Quid quod ab *Antoninis* orta ſecutos etiam *principes* generoſa quædam de *clementiæ* laude inceſſerit *ambitio*, quæ vel *nocentium* ſanguinem hauriri ægre pateretur, nedum ut lanienis cruciatibuſque innocentium tantopere ſtuduerint quam ſibi aliiſque perſuaſerunt fabulatores. De *felicitate temporum* ſuorum admodum omnes fuiſſe ſolicitos è nummis inſcriptionibuſque atque imperialibus edictis abunde manifeſtum eſt. Id autem in ſuorum *temporum* laude ponebant ſi quam *pauciſſimi* quocunque demum prætextu interficerentur, quocunque tandem delicto ſuo mortem meruiſſent. Pius [23] *prorſus ſine civili ſanguine & hoſtili*, *quantum ad ſeipſum pertinet*, *vixit*. Verba ſunt *Julii Capitolini*. Eam laudem *Marcus* æmulatus, *in capitolio juravit*, *nullum ſenatorem ſe ſciente occiſum*, *quum etiam rebelles dixerit ſe ſervaturum fuiſſe*, *ſi ſciſſet*. Id quod in *Avidii Caſſii* defectione fecit ſane manifeſtum. Cum enim illum de primis *Caſſii* conatibus opprimendis monuiſſet *Lucius* frater, ita reſcripſit *Marcus*: [24] *Epiſtolam tuam legi* (inquit) *& ſolicitam potius quam imperatoriam*, *& non noſtri temporis*. Et poſtea, oppreſſo *Caſſio*, de ejus ſtudioſis, in oratione ad Senatum: [25] *Vivant igitur ſecuri*, *ſcientes ſub Marco ſe vivere*. Et rurſus: * *Ego vero à vobis peto ut conſcios ſenatorii ordinis & equeſtris à cæde*, *à proſcriptione*, *à timore*, *ab infamia*, *ab invidia*, *& poſtremo ab omni vindicetis injuria*: *detiſque hoc meis temporibus*, &c. Idem apud [26] *Dionem Pertinax* in cauſa *Falconis* conſulis de læſa majeſtate à Senatu puniendi: Μὴ γένοιτο, ἔφη, μηδένα βλαβῆτε ἐμοῦ ἄρχοντος μηδὲ δικαίως θανατωθῆναι. Et de [27] *Alexandro Severo Lampridius*: Ἀναίματον *imperium ejus* [] *idcirco vocatum eſt quod ſenatorem nullum occiderit*. Teſtemque advocat *Herodianum*, cujus hæc ſunt verba: [28] εἰς τεσσαρεσκαιδέκατον ἐλάσας τὴν βασιλείας ἔτος ἀναιμωλὶ ἦρξεν· οὐδέ τις εἰπεῖν ἔχοι ὑφ' ὅτου ἐκείνου φονευθέντος. Et alibi: [29] τέλος μὲν δὴ τοιοῦτον κατέλαβε τὸν Ἀλέξανδρον καὶ τὴν μητέρα βασιλεύσαντα ἔτεσι τεσσαρεσκαίδεκα, ὅσον οὐδεὶς τοὺς ἔμπροσθεν, ἀμέμπτως καὶ ἀναιμωλί. Ex quibus locis intelligimus non in ſenatores ſolos, ſed in omnes talem ſe præbuiſſe *Alexandrum*. Ab *Imperatoribus* deinde ad *provinciales* etiam *præfectos* utilem hanc emanaſſe ambitionem, teſtem habemus S. Ambroſium: [30] *Scio* (inquit) *pleroſque gentilium gloriari ſolitos*, *quod incruentam de adminiſtratione provinciali ſecurim revexerint*. Parum itaque credibile eſt quod *principes præfectoſque*, præterquam quod *perſecutores* eſſent, ceteroqui *bonos*, adeo tamen *inhumanos*, adeo *ſanguinis* innocentium *ſitientes* repræſentarint fabulatores. Si minus *Chriſtianorum* cauſa, at ſuorum certe *temporum*, *famæque* apud *poſteros*, non erant *conſque* ſævituri.

§. XIII. Age itaque breviter percurramus has, quas ita *ſanguinarias* exiſtimant, *perſecutiones*. Ita intelligemus non tot *martyrum*, quot putant, *nomina* perierint. Prima *Neronis* erat, cujus ita meminit *Tacitus* ut plane innuat *plurimos* fuiſſe qui in ea paterentur. [31] *Igitur primo* (inquit) *correpti qui fatebantur*, *deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendii*, *quam odio humani generis*, *convicti ſunt*. Eam *ingentem multitudinem* etiam *pœnæ* fuiſſe ſubjectam innuunt ſequentia, in quibus pœnam eorum per *noctes* pariter atque *dies* duraſſe legimus. Quid quod *repreſſam* dicat ea perſecutione *in præſens exitiabilem*, quam appellat, Chriſtianorum *ſuperſtitionem*, quod certe, niſi *ingenti* aliqua *multitudine* ſublata, fieri non potuit. At non aliorum certe *Chriſtianorum* illa potuit eſſe perſecutio, quam eorum qui *Romæ* verſarentur. Utcunque *iniquos* perſecutores exiſtimemus, qui *Roma* tamen aberant in illos nulla erat vel ſpecie tenus veriſimilis ratio cur intentaretur *urbis incendium*. Aliam itaque perſecutionem comminiſcantur neceſſe eſt, quam illam cujus meminit *Tacitus*, ſiquos *alios* præterquam *Romæ Chriſtianos* in ea paſſos comminiſcuntur. At quo illam tandem idoneo teſtimonio fuiſſe confirmabunt? Redeamus interim ad *Tacitum* noſtrum. Ultro itaque *ingentem multitudinem* hac perſecutione *paſſam* agnoſco, nec proinde tamen eorum *nomina* ex Eccleſiæ archivis *periiſſe* exiſtimo. Id, rogabis forte, fieri qui potuerit? Ego duorum alterum omnino aſſerendum puto, vel dedita opera *prætermiſſam* eſſe fortaſſis *ingentem* illam *multitudinem*, quod non tam *Chriſtianitatis*, quam *incenſæ urbis* prætextu, licet falſo, paſſi tamen

[22] De vit. ſua. L. I. n. 6.
[23] *Capitolin. Pio*, cap. 13.
[24] *Capitolin.* in *Marco*. c. 29.
[25] *Vulcat. Gallican.* in *Caſſio*. c. 2. * Ib. c. 12.
[26] *Dion. Xiph.* in *Pertinace*.
[27] *Lamprid.* in *Alexandr*. c. 52.
[28] *Herod.* L. VI. [29] Sub. fin. Lib. VI.
[30] Ep. LVIII. [31] Annal. XV.

tamen crederentur; vel, quod eſt fortaſſe veriſimilius, *ſerior* erat illo ſeculo *martyrum* hæc annua *commemoratio*. Eſt enim id obſervatione dignum *Apoſtolorum* apoſtolicique *ſeculi* martyrum nomina in *recentioribus Kalendariis* primum comparere. Quarto nimirum quintoque ſeculo, cum *reliquiarum* cultus in Eccleſiam irreperet, tum primum *baſilicæ* in eorum *memoriis* conditæ, tum & *urbium* inſignium tutiſſima *præſidia* haberi cœperunt. Inde *revelationes* à monachis neſcio quibus confictæ de reperiendis martyrum corporibus, magnam illarum urbium locorumque gratiam inituris quibus illa fuiſſent ab Imperatoribus conceſſa. Præcipue vero in conquirendis undequaque reliquiis ſuperſtitioſi erant *Conſtantinopolitani*, urbiſque illius Imperatores. Ita factum ut quorum nulla unquam extitiſſet in *probatis* Eccleſiæ *monumentis* memoria, hiſtoriam tamen eorundem ex fictitiis iſtiuſmodi *ſomniis revelationibuſque* comminiſcerentur. Et cum dies eorum *vere natalitii*, mortis nimirum aut depoſitionis, i. e. *ſepulturæ*, laterent; dies *tranſlationis* repertorum ita corporum cum ſolenni pompa in inſigniorem aliquam urbem aut baſilicam, *verorum natalitiorum* locum ſupplebant. In illis annui conventus, in illis commemorationes orationeſque panegyricæ haberi ſolitæ, ut proinde tandem factum ſit ut, temporis progreſſu, *veri* tandem *natalitii* crederentur. Illo demum, quo dixi, tempore *Timothei*[32] reliquias Kal. *Jun. Conſtantinopolim* allatas eſſe memorat *Idatius* ad An. Dom. CCCLVI. *Andreæ* & *Lucæ* V. Non. *Mart.* An. CCCLVII. S. *Stephani* protomartyris fer. VI. III. Non. *Decemb.* An. CCCCXV. ne ad alia iſtiuſmodi exempla digrediar quæ ſunt ſane frequentiſſima.

§. XIV. Nec ſe aliter res habuit in feſto SS. Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* cujus diem exploratiſſimam cenſuit *Baronius*, III. Kal. *Jul.* Nullam hic ſententiarum diverſitatem obſervavit in id genus monumentorum conſarcinatoribus. Quin & *Caii* & *Zephyrini* Pontificis *Romani*, & *Dionyſii Corinthii* teſtimonia huc relata à *Nicephoro Caliſto*. Egregia procul dubio omnique fide digna, ſi quod eorum nomine commendat *Nicephorus*, idem ipſi tradidiſſent. Sed ſi *Euſebium* conſulamus, à quo hauſit iſta *Nicephorus*, alia longe apparebit eorum ſententia quam fuit illa *Nicephori*. [33] *Caius* eorum *trophæa* ſuo quoque tempore *Romæ* dixit oſtendi. *Zephyrinum* non *teſtem* produxit *Euſebius*, ſed, pro more illius ſeculi, *ætatem* Caii *Zephyrini* mentione deſignat. *Dionyſius* eodem tempore paſſos dicit, eadem nempe *Neronis perſecutione*, ſed ne *annum* quidem nedum *diem* ſibi exploratum innuit. Et tamen in *die* conſentit Kalendarium *Liberii Bucherianum*, & quotquot illum exceperunt, omnes. Unde (inquies) illi? Nempe ex eodem, quem diximus, errorum fonte quod diem *tranſlationis*, quæ *comperta* eſset, cum vero *natali*, qui *incompertus* eſset, omnino confuderint. Ita intelligemus cur *Tuſci* & *Baſſi* Coſs. meminerit in Apoſtolorum martyrio deſignando Kalendarium, quod non intellexit ipſe *Bucherius*. E *Vaticano* ſcilicet & via *Oſtienſi* ubi ſigillatim ſepultæ eſſent, ætate *Caii*, horum Apoſtolorum reliquiæ, tranſlatæ poſtea ſunt in *Catacumbas*, inde rurſus à *Cornelio*, ut volunt, rogatu *Lucinæ* ad loca ubi fuerant antea depoſitæ. *Poſterioris tranſlationis* recentior erat memoria, ejuſque certum *diem*, ſive *vera* illa fuerit, ſive *ipſa* quoque pariter commentitia, *commemorationi* tamen eorum *annuæ panegyriciſque*, ea occaſione, *conventibus* aſſignarunt. Extat ea de re commentitia *Cornelii*[34] Epiſtola inter merces *Iſidori*. Nec in *Pſeudo-Damaſiana* modo *Cornelii* vita, ſed in antiquiori quoque illo ſimpliciorique *Liberii* indiculo occurrit hujus rei mentio. Nec ſane aliter, quam de hac *recentiori tranſlatione*, intelligi poſſunt, quæ de hujus diei celebritate traduntur. Hanc ipſam fuiſſe hujus tranſlationis *diem* conveniunt omnes, cum nemo tamen hac tranſlatione antiquior certam aliquam huic martyrio *diem* aſſignarit. [35] *Lucinam* hujus *tranſlationis* auctorem volunt, unde aliam quoque *Lucinam* commenti ſunt qui utramque hanc hiſtoriam commiſcuerunt. Quod vero *Tuſci* & *Baſſi* Coſs. meminit in eo martyrii tempore indiculus *Bucherii*, ut certe de alia *tranſlatione* intelligi nequit præterquam illa *Cornelii*, ita prodit ſane auctorem *Corneliani* temporibus recentiorem. Certum enim eſt ad illos Coſſ. non vixiſſe *Cornelium*. Cum tamen *Valeriani* quoque martyres *Decio* etiam tribuant *fabulatores* (in quo etiam verſatur errore *Baronius*) & vero *faſtos* illorum temporum pro arbitrio tranſponerent ſcriptores *Cyclorum paſchalium*, & inſignium martyrum *Cypriani* & *Xyſti* memoria celeberrimus ille eſſet conſulatus; facile omnino fuit ut recentior aliquis *Cornelio* fabulator, qui Romanis illis Apoſtolorum annuis commemorationibus primus anſam dedit, quod geſtum eſſe à *Cornelio* finxiſſet, id illis etiam *conſulibus* aſſignaret. Quod ſi *faſtos* aliquos ab illis uſque temporibus deduxiſſet Eccleſia, fieri certe vix potuit ut per *omnes* illius ſeculi martyres, *tranſlationis* dies pro *veris* eorundem *natalitiis* obſervarentur.

§. XV. Ut vero *Apoſtolicis temporibus* recentiorem illam putemus *commemorationis* conſuetudinem, ita certe non *multo* recentiorem fuiſſe veriſimile eſt. *Tertullianus* eam *traditionibus* non ſcriptis accenſuit: [36] *Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus*. Plane *natalitia* hæc, quæ à *vulgarium* defunctorum *commemoratione* diſtinguuntur, non alia arbitror fuiſſe quam *martyrum*. Ergo quando ſcripſit illa *Tertullianus*, adeo jam *antiqua* erat hæc conſuetudo ut de prima ejus *origine* non conſtaret. Nec recentes erant ætate *Tertulliani*[37] *cenſus* illi & *faſti* quibus *Epiſcoporum* depoſitiones *martyrumque* natales in archivis Eccleſiæ ſignarentur, quouſque *martyrologiorum* recentiorum primos fontes exiſtimant fuiſſe eruditi. Quanquam in Eccleſia *Africana* (quæ colonia fuiſſe videtur *Romanorum* ſub ſecundi ſeculi initium deducta) quod *antiquum* fuerat id fateor ab *Apoſtolorum* memoria eſſe potuiſſe aliquanto remotius. *Sepulcrorum* tamen obſervatio, quæ in hanc tandem *commemorationem* deſiiſſe videtur, à brevi poſt Apoſtolos intervallo repetita eſt. [38] SS. *Pauli* & *Petri* trophæa *Caii Zephyrinique* ætate extitiſſe & nota omnibus fuiſſe, jam obſervavimus. *Johannum* etiam duorum ſepulcra apud *Epheſum*, [39] non *Euſebii* ætate modo, ſed etiam [40] *Dionyſii Euſebio* antiquioris monſtrabantur. Et quod ita metuerent Gentiles ne *Polycarpi* reliquias ſuffurarentur *Chriſtiani*, *Chriſtoque* ipſo relicto *Chriſti* vice colerent; indicio eſt *Memorias*, quas appellabant, *martyrum* ea etiam ætate *ſynaxibus* fuiſſe frequentatas, quod in illis fortaſſe locis *ſynaxes* illæ *annuæ*, quibus fieret eorum *commemoratio*, haberentur. Eas illi *ſynaxes*, cum *Deo*, martyrum nomine, gratias referrent, in *martyrum* ipſorum *cultum* fuiſſe converſas Gentiles exiſtimabant.

Ab

[32] Aliter de his *Theodor.* Lect. L. II. & *Baronius.*
[33] Ap. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. II. 25. [34] Ep. I.
[35] *Aringh.* in *Rom.* ſubterran. L. III. c. 3.
[36] De cor. mil. c. 3.
[37] De Præſcr. c. 32. De cor. mil. c. 13.
[38] Ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. II. 25.
[39] *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. III. 39.
[40] *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VII. 25.

Ab hoc ergo tempore quo inceperint hi *fasti* atque solennis *commemoratio*, siqua nomina in recentioribus *Kalendariis* appareant quorum *vetustiorum* nullus meminerit, ea omnia *suspecta* esse & pro *commentitiis* haberi debebunt. Sed redeat eo, unde digressa est, oratio.

§. XVI. Proximus post *Neronem Christianos* persecutus est *Domitianus*. Quo tempore, sive *inceperit* hæc *commemoratio*, sive fuerit potius *recentior*, at sane *multi* esse non poterant qui in ea coronati sunt. Erat enim ea persecutio brevissima ut vix unum annum implere potuerit. Statim extinctum innuit [41] *Lactantius*. *Tutus* (inquit) *regnavit donec impias manus adversus Dominum tenderet. Postquam vero ad persequendum justum populum instinctu damonum incitatus est, tunc traditus in manus inimicorum luit pœnas.* Sed quid agimus *conjecturis* cum *tempus* ipsum certissimis habeamus characteribus consignatum? Ethnicum scriptorem protulit *Eusebius* (quem *Brutium* appellat in Chronico, eundem forte qui consulatum gesserit sub *Antonino*) qui ita scripserit, [42] ἐν ἔτῃ πεντεκαιδεκάτῳ Δομετιανῦ μὴ πλείσων ἑτέρων τὴν Φλαβίαν Δομετίλλαν ἐξ ἀδελφῆς γεγοννῖαν Φλαβίᾳ Κλήμεντι ἑνὸς τῶν τότε Ρώμης ὑπάτων, ἣ εἰς χριστὸν μαρτυρίας ἕνεκεν, εἰς νῆσον Ποντίαν τῆς Ἰταλίας διώκεται. Consulatus ille *Flavii Clementis* incidit in annum Æræ *Christianæ* vulgaris XCV. Tribunitiam potestatem XV. à *Septembris* XIII. iniit *Domitianus*. Sub *finem* igitur anni persecutionem illam contigisse necesse est. Atqui sub finem *Septembris* anni sequentis, die nimirum ejus XVIII. occisus est. His itaque terminis concludi illam persecutionem necesse est, ut vix *annum* impleri potuerit. Sed ne illis quidem limitibus *cruenta* esse potuit. Si *Tertulliano* creditmus, ne ad *cruciatus* quidem progressus est, nedum ad *cædem*. Ita enim ille: [43] *Tentaverat & Domitianus, portio Neronis de crudelitate, sed qua & homo, facile cœptum repressit, restitutis etiam quos relegaverat. Tentavit* itaque duntaxat, non item *Cæsariano*, quod fecit Nero, *gladio ferocit. Relegavit* etiam confessos, non *capitali* etiam, sed nec *membrorum* supplicio, affecit. Nec alios sub eo quam *exules* habemus in probis Ecclesiæ monumentis, *Flaviam* illam *Domitillam*, & S. *Joannem* Apostolum. *Antipas* in Asia populi furore passus est. Nisi forte *Glabrionem*, quem *Judaismi* & *Flavium* cos. quem *Atheismi* nomine interfectos testis est *Dio*, *Christianismi* nomine interfectos intelligamus. *Repressit* etiam *cœptum*, & quos *relegaverat* ipse *restituit*. Non itaque, ut hactenus creditum est, *exules* de causa *Christianitatis*, à *Nerva* primum revocati sunt. Rediisse sub *Nerva* primum revocati sunt. Rediisse sub *Nerva* facile concessero & ab eodem fuisse *revocatos*. Ita enim fuisse auctores habemus *Dionem Xiphilini*, & *Clementem Alexandrinum* in Tractatu *de divite salvando*. Sed non pugnat, ut existimat *Baluzius*, à *Domitiano* etiam fuisse revocatos, si tamen mors tyranni impedierit quo minus revocationis beneficio potiri possent *exules Christiani*. Sed nec per *totum* illud, quod dixi, tempus duravit persecutio, si suum *ipse* cœptum *repressserit*. Consentit cum *Tertulliano*, de hac *Domitiani* mutatione, *Hegesippus*. Cum enim in *Davidicam* familiam ille inquisivisset, & pro locupletibus metuendisque pauperes illos spernendosque reperisset; illum hujus inquisitionis eventum ita describit *Hegesippus*, *Domitianum* [44] ἐλθόντες μὴν αὐτοῦς ἀνεῖναι, καταπαῦσαι τὸν διωγμὸν καὶ τὸν ἐκκλησίας διωγμόν. Scio equidem, eodem auctore [45] *Tertulliano*, *Joannem* Apostolum *Domitiano* in *oleum igneum* esse conjectum, tum stupendo miraculo salvum, in *insulam* deinde esse *relegatum*, verum eo miraculo ita deterritus est fortasse tyrannus ut ne auderet quidem deinde in innocentes pro ingenio suo sævire. Hæc si vera sunt, suspecta erunt deinde recentiorum monumenta omnia quæcunque *martyres Domitiano* tribuendos esse censuerint.

§. XVII. Jam, si *Lactantium* audimus, à *Domitiano* ad *Decium* usque nulla erat omnino persecutio. Ita enim ille: [46] *Rescissis igitur actis tyranni, non modo in statum pristinum Ecclesia restituta est, sed etiam multo clarius ac floridius enituit; secutisque temporibus, quibus multi ac boni principes Romani imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus passa, manus suas in orientem occidentemque porrexit*, &c. *Sed enim postea longa pax rupta est. Extitit enim, post annos plurimos, execrabile animal Decius, qui vexaret Ecclesiam.* Ex quibus conterranei sui verbis intelligimus *longa Cypriani pax* quibus sit limitibus includenda. Sed quia *Lactantio* causam suam permittere non poterunt, siqui erunt ὑποθέσεως δῆλοι; age videamus quid sit de iis, quos *persecutores* appellant, Imperatoribus sentiendum. Primum, in hoc intervallo, *Trajano* locum tribuunt, quem *Decio* ipso sæviorem, si audimus *fabulatores*, fuisse necesse est. Nec cogitant interim quam ille ingenio *miti* esset *placidoque* & *gloriæ* præterea avidissimo, ut, si *Christianos* vel maxime odisset, *sui* tamen causa non esset, *suorum temporum felicitatem* tanta illa, quam volunt, crudelitate maculaturus. Sed *edicta* tantum abest ut in *Christianos* sævierit, ut *Neronis* & *Domitiani* quæ etiamnum extabant edicta *ex parte frustratum* dicat *Tertullianus*. Et quidem illum purgant ipsa *Eusebii* verba si accurate perpendantur. [47] Μετὰ Νέρωνα τὴν Δομετιανὸν τῆ τοῦτον, νῦν σὺν χρόνῳ ἐξεπάζομεν, μεμικῶς τὴν τῆ πόλεις ἐξ ἐπαναστάσεως δήμων, τὰ καθ' ἡμῶν κατέχῃ λόγῳ ἀνακινηθῆναι διωγμόν. *Populum* itaque, non *imperatorem*, facit illius persecutionis auctorem, κατ' αὐτὸν, non ὑπ' αὐτῦ, ut ejus potius *tempore* quam *jussu* extitisse significet. Nec vero μεμικῶς fore probabile erat si *rescriptis* illam sanxisset *imperator* per orbem *Romanum* universum, ut dixi, valituris.

§. XVIII. Videamus itaque μεμικαὶ illæ *persecutiones* quousque fuerint progressæ. Et quidem quæ *imperatorem* spectat sola illa fuit *Antiochena* in qua passus dicitur *Ignatius*. Ejus certum *tempus* habemus in *actis Ignatii* consulatum *Syriæ* [*Suræ* potius] & *Senecionis*, annum Domini CVII. sed paucos admodum absumsit ea persecutio. *Ignatio* comites in martyrio *Zosimum* duntaxat & *Rufum* adjunxit *Polycarpus* qui statim ab eorum martyrio scripsit celeberrimam illam ad *Philippenses* quæ extat hodie epistolam, sub initium anni CVIII. alia proculdubio additurus accendendis ad *martyrium Philippensium* animis, siquæ alia è provincia *Syriæ* habuisset exempla. Nec est verisimile postea alios fuisse interfectos. In ipso enim itinere nondum *Troade* egressus *pacem* suis redditam ipse acceperat [48] *Ignatius*. Nec est sane probabile, eo quidem tempore ultra hoc ipsum sæviisse *Trajanum*. Jam enim in procinctu erat expeditionis, quam adornabat adversus *Persas*, cum ipsum damnaret *Ignatium*, ut proinde postquam *Antiochia* discessisset, nec *edicta* adversus *Christianos* emisisset, statim *Antiochena* illa quieverit Ecclesia. Quæ de aliis *Trajani* persecutionibus attulit *Baronius*, ea omnia è recentioribus hausta sunt, & suspectæ fidei monumentis.

§. XIX.

41 De mort. pers. c. 3. 42 *Euseb.* Hist. Eccles. III. 18.
43 Apol. c. 5. 44 Ap. *Euseb.* Hist. Eccles. III. 20.
45 Præscr. c. 36. 46 *Lactant.* de mort. persecut. c. 3, 4.
47 Euseb. Hist. Eccles. III. 32.
48 Ep. ad *Phil.* n. 10. Ep. ad *Smyrn.* n. 11.

§. XIX. Sed nec μερικαὶ illæ *provinciarum* perſecutiones tam erant cruentæ quam exiſtimantur. Erant equidem *Judæi Chriſtianorum* hoſtes infenſiſſimi in hoc uno toti occupati ut quibuſcunque demum artibus *Gentilium* animos ad *Chriſtianorum* cruciatus cædemque accenderent. In *Apoſtolorum* hiſtoria quam illi ſeduli in his maleficiis fuerint, omnibus arbitror eſſe compertiſſimum. Sed nec ita extinctis Apoſtolis rabies iſta deſæviit. De ſui quoque temporis *Judæis* ita *Juſtinus* martyr: [49] Ανδρας ἐκλεκτοὺς ἀπὸ Ιερουσαλὴμ ἐκλεξάμενοι τότε, ἐξεπέμψατε εἰς πᾶσαν τὴν γῆν, λέγοντες αἵρεσιν ἄθεον Χριστιανῶν πεφηνέναι καταλέγοντες ταῦτα ἅπερ καθ' ἡμῶν οἱ ἀγνοοῦντες ἡμᾶς πάντες λέγουσιν· ὥστε οὐ μόνον ἑαυτοῖς ἀδικίας αἴτιοι ὑπάρχετε, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἁπλῶς ἀνθρώποις. Atheiſmi accuſatio ut *Apoſtolorum* temporibus recentior eſt, ita *ſecundo* tandem ſeculo & deinceps *Chriſtianis* fuiſſe intentatam conſtat è *Chriſtianorum apologiis*; conſtat etiam è *Polycarpi* martyrio, qui cum juſſus eſſet à Præſide de *Atheis* tollendis votum ſuum publice teſtari, de *Chriſtianis* utique tollendis proculdubio præſes erat intelligendus; conſtat & è *Luciani Alexandro Pſeudo-manti* qui in numero eorum quos à myſteriis ſuis arcuit, *Atheos*, *Epicureos Chriſtianoſque* recenſuit. Idem & in alio ejuſdem dialogi loco idem martyr, ubi cum alia in illam, ut dixi, ſententiam retuliſſet, & illa quoque ſubjunxit: [50] πρὸς τούτοις καὶ ἀλύσεις ὑμῶν τὰς πόλεως, καὶ τὰς γῆς ἐρημωθείσης, οὐ μετανοεῖτε. Ut ne dubitari quidem poſſit de *recentioribus* etiam *Judæis* eſſe illa intelligenda. Sed & *exemplis* idem aliunde conſtat. *Simeonem Cleopæ* ab *hæreticis* accuſatum eſſe obſervavit [51] *Hegeſippus*. De *Judæorum* VII. (quas alibi L. IV. c. 22 recenſuit idem *Hegeſippus*) hæreſibus intellexit illum rectiſſime *Valeſius*. Addidit enim eodem in loco *Hegeſippus*, virginem eouſque permanſiſſe Eccleſiam quod *Chriſtianorum hæreſes* ne natæ quidem viderentur, nedum ut tanta illa auctoritate, qua uſos hoſce videmus hæreticos, invaluerit. Et in *Polycarpi* martyrio *Judæos* etiam *Polycarpo* infenſos memorat Eccleſia *Smyrnenſis*. Neque porro aliis in *locis* hanc perſecutionem ſæviiſſe conſtat quam ubi magnæ eſſent *Judæorum* coloniæ. Quod ſi *Judæorum*, potius quam *Gentilium*, furore excitata illa fuerit ſub *Trajano* perſecutio, jam *populorum* potius, *præfectorumque* fuiſſe videbitur quam *imperatorum* quorum neminem legimus ita *Judæis* fuiſſe propitium; jam nec adeo *dura* eſſe potuit, cum nec adeo gratum eſſet *Gentilibus* concivibus *Judæorum* nomen, magnæque inter utroſque ſimultates interceſſerint.

§. XX. Sed percurramus μερικὰς illas *provinciarum* ſingularum perſecutiones quas quidem conſtat è probatæ fidei monumentis contigiſſe ſub *Trajano*. Alia itaque erat in eadem *Syriæ* provincia ſub eodem equidem *imperio*, diverſa tamen ab ea quam excitaſſet ipſe [52] *imperator*. Paſſum enim legimus in eadem illa provincia, eundem, quem diximus, *Simeonem Cleopæ*, [53] ὑπὸ Τραϊανοῦ Καίσαρος καὶ ὑπάτικοῦ Ἀττικοῦ. Verba ſunt *Hegeſippi*. Qui *Trajani edicto* hanc tribuunt perſecutionem omnes haſce μερικὰς perſecutiones in unam commiſcent, quam & duobus hiſce temporis characteribus deſignatam exiſtimant: Anno *Trajani* X. quo paſſum legimus *Ignatium*, & hujus *Attici* conſulatu, quem & in hujus anni X. faſtos intrudunt. Fruſtra nimirum illi. Nec enim uni cuidam certoque anno aſſignanda ſunt quæ per diverſas provincias populi furore geſta ſunt; nec eſt quod ex hoc *Attici* conſulatu, ſi vel maxime conſtaret, certum aliquid de perſecutionis *tempore* colligamus. Præterquam enim quod *ſuffectus* fuiſſe videatur, non *ordinarius*, nec tamen huic anno *Trajani* X. quo eſſet in *provincia Atticus*, proculdubio collocandus; nec id tamen dicit, quod exiſtimant, *Hegeſippus*, ὕπατον fuiſſe, ſed duntaxat ὑπατικόν. Id nempe voluit, cum *legati Cæſaris* alii conſulares, alii eſſent *prætorii* in *Syria* tamen fuiſſe *conſularem*, non ut illius anni *conſul* fuerit, ſed ut olim *conſulatu functus*, quod ſatis erat ad *provinciam conſularem* adminiſtrandam. Nec certo aliquo *intervallo* à *conſulatu* in *provincias* miſſi ſunt. Scio equidem in libera repub. *annuum* plerumque illud fuiſſe intervallum, *quinquennale* ex *Auguſti* decreto apud *Dionem*. Et quidem in *populi* provinciis obtineri hoc fortaſſe potuit. Sed in *provinciis Cæſareis* quæ per *legatos Cæſarum* adminiſtrarentur, omnia geſta pro ſolorum imperatorum *arbitrio*.

§. XXI. Quod vero ad hunc motum attinet in quo paſſum diximus *Simeonem*, ego ſi in re incerta divinari liceat, ſub *finem* imperii ſtatuendum eſſe exiſtimarim. Cum enim *Judæi Cyrenenſes* & *Cyprii* jam rebellaſſent, & ad res novas moliendas ſpectarent ipſi etiam *Syriæ Judæi* qui & ipſi poſtea defecerint, & vero *Meſſiæ* expectatio cauſa eſſet præcipua quæ *Judæis* novarum rerum ſtudium excitaret, quem & ipſum crediderint è *Davide* oriundum; proinde conſentaneum erat ita *præfectos Syriæ* paci eſſe publicæ conſulturos ſi ſtirpem omnem *Davidis* ſuſtuliſſent. Eo itaque nomine odioſum *Romanis* metuendumque *Simeonem* repræſentarunt *Judæi* quod ea eſſet familia *Davidis* oriundus. *Herodis* nimirum exemplum ſecutus fuerit in eo conſilio *Atticus*. Aliter certe cum nulli imminerent tumultus, de familia *Davidis* veriſimile eſt parum admodum ſolicitos fuiſſe *Romanos*. Ita fiet ut medio aliquo tempore hoc *Simeonis* martyrium contigerit, inter motus *Judæorum Cyrenenſium Ægyptiorum Cypriorumque* & *Meſopotamenorum* in *Syria* quos debellarit *Luſius Quietus*. Eodem autem anno conjungit *Dio* hos *Judæorum* in aliis provinciis motus cum terræ motu *Antiocheno* in quo periit *Pedo* conſul, anno nimirum *Trajani* XVII. vel XVIII. ineunte, Domini CXV. Illo enim anno conſulem *Pedonem* habent *faſti* probatiſſimi, *faſti* quos *Siculos* appellant liber *Cuſpiniani*, & *Idatius*. Debellatos autem à *Luſio Quieto Judæos Meſopotamenos* ultimo *Trajani* anno poſuit in Chronico *Euſebius*, Domini nimirum CXVII. Medio itaque anno Domini CXVI. paſſum eſſe *Simeonem*, eſt ſane veriſimillimum. Ita fuerit Domino *coævus*, quem æra vulgari *quadriennio* ſeniorem fuiſſe conſentiunt eruditi, utpote qui ipſe tunc annum egerit CXX. Nec ſane *ſeniorem* fuiſſe probabile eſt ex hiſtoria Evangelica, quæ certe *Simeone* ſeniores *Cleopam* ipſum & *Mariam Cleopæ* Domino *coævos* facit; ſed nec ex *hiſtoria Eccleſiaſtica* quæ S. *Jacobum Simeoni* præponit in ſede *Hieroſolymitana*. Jam enim *familiæ* Domini conjunctam fuiſſe hanc *ſucceſſionem*, nos alibi obſervavimus Erat autem ea *ſucceſſionis* lex ut *maximus natu* hæreditatem adire debuerit. Ita etiam intelligimus cur *Simeonis* non meminerit *Polycarpus*, non utique prætermiſſurus ſi in eadem perſecutione eademque *Syriæ* provincia paſſus eſſet *Simeon* quæ *Ignatium* ſuſtuliſſet. Ita intelligimus cur ad *Trajanum*, nec ultra, perſtitiſſe Domini conſanguineos dicat *Hegeſippus*. Extinctam enim hac occaſione à *Romanis Davidis* fuiſſe familiam, extinctamque eadem occaſione familiam *Domini* univerſam, quæ ad familiam illam attinebat, omnino veriſimile eſt; ita deinde alienis à *ſtirpe* Domini locum eſſe factum in ſedem *Hieroſolymitanam* ſuccedendi. Ita de-

[49] Dialog. cum *Tryphon.* p. 234, 235. [50] p. 335.
[51] Ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. III. 32.
[52] *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. III. 32.
[53] Ap. *Euſeb.* ib.

denique intelligimus cur nisi *accusatus* non puniretur à præfecto *Simeon*, quod nimirum ita jam antea cautum esset ab ipso Imperatore in suo illo ad *Plinium* rescripto.

§. XXII. Est etiam id observatione dignum *Simeonis accusatores* in ea accusatione causæ suæ præsidium posuisse quod ex *Davidica stirpe* oriundus esset potius quam in eo quod esset *Christianus*. Si enim *Christianitatis* causam satis ipsam per se ad ejus pœnam valituram existimassent, ab illa certe *stirpis Davidicæ* mentione vel *sui* causa, si minus *Simeonis*, abstinuissent, ipsi sibi ejusdem criminis conscii, tandemque deprehensi. Quod itaque *illam* præterea addiderint, signum est ea spe fecisse, fore ut plus valitura esset apud *Romanos* causa illa *majestatis* quam illa *religionis*. Paucorum autem erat ea, & ut ad *stirpem* penitus delendam sufficerit, ad *alios* certe *Christianos* non spectabat qui de stirpe illa gloriari ipsi non poterant.

§. XXIII. In hac eadem *Syriæ* provincia *Tiberianum* habent adversarii *Palæstinæ* primæ præfectum testem, ut existimant, de sui temporis *martyrum multitudine* ampliſſimum. Ita enim legimus in illius ad *Trajanum* Imperatorem Epistola, ἀπέκαμον τιμωρούμενος τὴν φονεύων σου Γαλιλαίους σου ἕνεκα δόγματος τῶν λεγομένων Χρησιανῶν καὶ τὰ ὑμέτερα θεσπίσματα, &c. Sed multa sunt quæ hanc Epistolam suspectam faciunt, ab illius seculi historia & moribus admodum aliena. Vel eo nomine suspecta est imprimis quod eam à *Joanne Malela Antiocheno* ediderit præstantissimus *Usserius*, auctore fabulosissimo, nec alium in omni antiquitate repererit qui ejus meminit præter *Suidam* quem ex eodem *Joanne* habuisse verisimile est. At certe *Palæstini* præfecti Epistolam *Eusebium*, ipsum quoque *Palæstinum*, vix est ut dicamus effugisse, vix est ut in ejus *historia Ecclesiastica* illam hodie desideraremus si in illam incidisset. *Palæstinæ* quoque illam distributionem in *primam* & *secundam* nemo est veterum qui meminerit *Trajano* coævus. Reliquit *Augustus* senatui imperii *Breviarium*, quod quale fuerit ex [54] *Strabone* & *Tacito* & *Plinio* intelligimus, nec ullus memoratur Imperatorum qui eam provinciarum distributionem innovarit usque ad *Hadrianum*. Mutata equidem nonnulla ab *Hadriano* discimus ex [55] *Appiano*. Sed quamcunque tandem ille provinciarum distributionem reliquit posteris, ea rursus permansisse videtur usque ad *Diocletianum*. Novam enim ille cum suis *Cæsaribus* provinciarum partitionem fecit. Provincias, eo imperante, *in frusta concisas* tradit in aureolo de persecutorum mortibus libello *Lactantius*. *Constantinum Magnum* rursus eo nomine fugillat [56] *Zosimus* quod in imperii administratione nonnulla mutare ausus sit. Nulla tamen hucusque apparet *Palæstinæ* in *primam secundamque* partitio. Postea quæ divisio obtinuerit, intelligimus ex *legibus*, ex Conciliorum *subscriptionibus*, ex *Ammiano*, & *Rufi Festi Breviario* ad *Valentinianum* I. Nec ulla tamen hactenus *Palæstina prima*. Primam distributæ *Palæstinæ* in *tres provincias* mentionem observavit *Gothofredus* in [57] codice *Theodosiano*, anno CCCCIX. Inde ad impostoris nostri tempora videtur emanasse.

§. XXIV. Sed & *tituli* quibus *Trajanum* ornavit *Tiberianus*, alieni etiam sunt ab ætate *Trajani*. Quod νικητὴν appellet, quod, τροπαιοῦχον (*victorem* scilicet & *triumphatorem* pro forma scriptorum *Latinorum*) quod θειότατον, recentiorem fictoris ætatem plane sapiunt, omnia *Constantinopolitanorum* Imperatorum stylum referentia. [58] *Victorem*, *triumphatorem*, circa *Constantini* tempora inventa esse dicit *Onuphrius*. *Victoris* equidem titulo usum *Constantinum* fateor, sed *triumphatoris* illi atque θειοτάτου longe adhuc *Constantino* recentiores sunt. Constat id quod dico è *nummis*, *inscriptionibus*, *legibus*, aliisque id genus *publicis* monumentis. Aliud est quod *Antoninum Pium* θειότατον appellet in edicto [59] *Marcus*. De *Divo* Imperatore *consecrato* recte ille & pro *Romanorum* moribus. Θεῖον enim *Græci*, quem *Latini Divum* nuncupabant. Nos vero Imperatorum etiamnum *superstitum* titulis alienum θειότατου titulum ætate *Trajani* fuisse contendimus. Et vero mali *ominis* in loco, pro illius seculi superstitione, fuisset, si quis *Divum* Imperatorem *mortuorum* titulis compellasset, ne dubitemus vel *imprudenti Tiberiano* excidere potuisse. *Maledictum est* (inquit *Tertullianus*) *ante apotheosin Deum Cæsarem nuncupari*. Quod etiam *plurali* numero est usus, ὑμέτερα θεσπίσματα, καταξιώσατε, & ὑμετέρῳ κράτει, prodit auctorem *Heraclio* fortasse coævum, qui *filios* habuit imperii *socios*, ut proinde *plurium* Imperatorum nominibus monumenta publica essent concipienda. Sed & θεσπισμάτων illa mentio ipsa quoque suspecta est. Cum enim θεσπισμάτων obsequio tantam ille multitudinem sustulisset, fieri certe vix potest ut de aliis possint quam de *generalibus edictis* intelligi. Talia autem à *Trajano* nunquam fuisse edita jam probavimus.

§. XXV. In *Bythinia* grassata eadem est *Trajani* persecutio, sub *Plinii* junioris, ut dixi, *proconsulatu*. Post *consulatum Plinii* eam contigisse certum est, sed *paucorum*, ut probabile est, annorum intervallo, ut proinde non sit longe ab *initio Trajani* removenda. Sed nec illa, quandocunque fuerit, *Imperatorem* tamen habuit auctorem, nec, quam existimant, multos martyrio coronavit. *Unum* equidem memorat *Imperatoris*, quod *Christianos* spectarit, edictum, nempe de *Hetæriis*. Sed & illud *Agapas* duntaxat spectavit, non item *synaxes Ecclesiasticas* quæ quidem *Eucharistiæ* percipiendæ gratia celebrarentur; nec inobsequentes habuit ipsos *Christianos*, ut prætextum inde quærere potuerit in illos sæviendi. Ait enim ipsos [60] *se sacramento non in scelus aliquod obstrinxisse*, *sed ne furta*, *ne latrocinia*, *ne adulteria committerent*, *ne fidem fallerent*, *ne depositum appellati abnegarent*, [omnino de *Eucharistia* hæc videntur intelligenda] *quibus peractis morem sibi discedendi fuisse* [hæc populi *dimissio* est finita synaxi, pronunciatis à diacono verbis solennibus, *ite in pace*, quæ & *missa* postea est, pro styli *Africani* genio, dicta] *rursusque coeundi ad capiendum cibum*, *promiscuum tamen & innoxium*: *quod ipsum facere desiisse post edictum* (inquit) *meum*, *quo secundum mandata tua Hetærias esse vetueram*. Novus hic cœtus ad *capiendum cibum* post dimissam *synaxem Eucharisticam* vix est ut de alio cœtu quam *Agaparum* illo intelligamus. Hoc itaque *Trajani* edictum de *Hetæriis* nullos fecit *martyres*, quia ab eousque tempore quo propositum erat, ipsi *Christiani* ab illis abstinuerunt. Aliud autem nullum memorat eo in loco *Plinius*. Quod itaque nonnulli passi fuerint, non est *Trajano*, sed vel præcedentium Imperatorum *edictis*, vel provinciarum *consuetudinibus* vim *legum* tandem progressu temporis obtinentibus, tribuendum.

§. XXVI.

[54] *Strab.* Geogr. L. ult. in fine. *Tacit.* Annal. IV. *Plin.* Nat. Hist. L. III, IV, V. Ex Autorib. M. *Agrippa* & D. *Augusto*.

[55] *Appian.* Procem. in Bel. Civil. [56] *Zosim.* L. II.

[57] Cod. *Theodos.* L. VII. Tit. IV. de erogat. mil. annon. leg. 30.

[58] Rom. princip. L. I. p. 13. [59] *Euseb.* Hist. Eccl. IV. 13.

[60] *Plin.* L. X. Ep. 97.

§. XXVI. Utcunque tamen *plurimos in magiſtratu ſuo Chriſtianos* à *Plinio* eſſe *interfectos* memorat *Euſebius*. Unde vero ipſe hoc reſcivit [61] *Euſebius*? Certe *Plinius perſeverantes* à ſe *duci juſſos* dicit. *Plurimi* autem fuerint, an *pauci*, non dicit. [62] *Plinium Tertullianus* de *quibuſdam* duntaxat *damnatis*, *quibuſdam gradu pulſis* intellexit. Nec ſane fuiſſe admodum *multos* ex illis *Plinii* verbis colligimus: *Viſa eſt enim mihi res digna conſultatione, maxime propter periclitantium numerum.* Non *paſſorum* (inquit) ſed *periclitantium*. Nondum itaque *multos* interfecerat cum *Trajanum* de iis propter ipſam eorum *multitudinem* conſulendum eſſe duxit. Suſpicatur tamen *Scaliger* erraſſe ab *Euſebii* mente interpretem *Hieronymum*. In *Græcis* enim *Euſebii Syncellianis*, voci *plurimos* reſpondet τίνας. Ego *Euſebium* ipſum potius hallucinatum puto, & fidelius in *Euſebii interpretatione* verſatum eſſe *Hieronymum* quam *Syncellum*, in *verbis* ipſius recitandis. Eundem enim errorem erravit in Hiſtoria etiam Eccleſiaſtica. Ait enim *Plinium* [63] ὑπὲρ τῶ πλήθει τ μαρτύρων κινηθέντα, βασιλεῖ κοινώσασθ ὡς ἐπὶ πλῆθος τ ὑπὲρ τ πίστεως ἀναιρεμένων. Nempe *martyras* appellat quorum tantam dixerat fuiſſe *multitudinem*, & cum voce ἀναιρεμένων uſus eſt potius quam ἀναιρεθησομένων, plane innuit de *paſſorum* potius quam de *periclitantium* multitudine intellectum ab eo eſſe *Plinium*. Perperam autem intellectum eſſe jam probavimus.

§. XXVII. Eodem ni fallor tempore quo perſecutus eſt in *Bithynia Plinius*, perſecutus etiam eſt in *Aſia* proconſulari *Arrius Antoninus* avus maternus *Antonini Pii*, ad quem ſcripſit etiam nonnullas epiſtolas ipſe [64] *Plinius*. De hujus *perſecutione* ita Tertullianus: [65] *Arrius Antoninus in Aſia cum perſequeretur inſtanter, omnes illius civitatis Chriſtiani ante tribunalia ejus ſe manu facta obtulerunt: cum ille paucis duci juſſis, reliquis ait,* ὦ δειλοί, εἰ θέλετε ἀποθνήσκειν, κρημνὸς ἢ βρόχος ἔχετε. *Paucos* hic duci *juſſos* ait ipſe *Tertullianus*. Et hic ſeſe *offerentium* multitudine, ut *Plinius* multitudine *periclitantium*, impeditus eſt quo minus pro libitu ſuo ſæviret. Hortatur *Philippenſes* ſuos ad *martyrium* ita *Polycarpus*, [66] ἀσκεῖν πᾶσαν ὑπομονὴν, ἣν εἴδετε κατ' ὀφθαλμὸς, οὐ μόνον ἐν τοῖς μακαρίοις Ιγνατίῳ καὶ Ζωσίμῳ καὶ Ῥούφῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν ἄλλοις τοῖς ἐξ ὑμῶν, καὶ ἐν αὐτῷ Παύλῳ, καὶ τοῖς λοιποῖς Αποστόλοις. Ita hodierna *Polycarpi* exemplaria & *Euſebii*. Sed ἡμῶν in *Euſebii* codice D. *Savilii* & *Nicephoro* & apographo *Salmaſii* legi, notavit calamo in libri ſui ora *Uſſerius*. Probabile eſt de ſui *temporis* perſecutione intelligendum eſſe *Polycarpum*, quanquam hic *Apoſtolos* etiam ipſos in exemplorum numero recenſuerit. Ita illum ſi intelligamus, vel de ſuæ *Smyrnenſis Eccleſiæ* martyribus loquitur, vel de illius ad quam ſcribit *Philippenſis*. Si de ſuæ, non aliam fuiſſe crediderim quam hanc *Arrii*, ut dixi, *Antonini*. Si de alia Eccleſiæ *Philippenſis*, illa quoque fuerit *Ignatii martyrio* coæva, circiter annum Domini, quem dixi CVII. Ut proinde *Plinii* & *Arrii Antonini* perſecutiones non longe ab hoc eſſe tempore removendas ſit ſane veriſimillimum. Ceterum *multos* fuiſſe probabile non eſt quos ita *paucis*, tam frigide cenſuit eſſe annumerandos.

§. XXVIII. Quartam *Hadriano* perſecutionem tribuunt recentiores, auctore, ut exiſtimo, *Sulpitio Severo*. Neminem certe reperi eo antiquiorem qui ita ſenſerit. [67] *Euſebius quartam Marco Antonino* aſſignat. *Euſebium* ſecuti veterum plerique [68] *Hieronymus*, [69] *Auguſtinus*, [70] *Oroſius*. Idem ſenſerunt *Euſebio* antiquiores, *Lactantius*, *Tertullianus*, *Melito Sardenſis*. *Antonino Pio*, ut *pacem Chriſtianis* impetraret, *Hadriani* nomine uſus eſt qui vixit ſub *Hadriano* [71] S. *Juſtinus* Martyr, qua fronte uſurus ſi & ipſe fuiſſet perſecutus? Nec etiam alia mente unquam innuit fuiſſe *Hadrianum*. Curavit *Hadrianus* templa in omnibus civitatibus ſine *ſimulacris* conſtruenda. Fama erat *Chriſto* ea fore dicanda, ut teſtis eſt gentilis ipſe [72] *Lampridius*. Ejus mentem ſi recte aſſecuti fuerint qui ita eſſent ſuſpicati, longe ſane abfuiſſe neceſſe eſt ut ejus *diſcipulos* perſequeretur quem pro *Deo* ipſe habuerit. Sed ſcio aliter ſentire *Caſaubonum*, nec ita fuerit necne mihi impræſentiarum diſputandum exiſtimo. Certiora jam dedimus argumenta quibus conſtat nunquam *perſecutorem* fuiſſe *Hadrianum*. Omnium loco id unum eſſe potuit cum *reſcriptorum* in favorem *Chriſtianorum* editorum meminerint *ſcriptores Chriſtiani* ab *Hadriani* ætate proximi; neminem tamen habeamus qui *edictorum* meminerit perſecutionem decernentium. Et ſane *reſcriptum Hadriani* ad *Minucium Fundanum*, provincialium duntaxat *clamores* quam iniqui eſſent, oſtendit, ſua *edicta* nullus meminit, memoraturus omnino & *revocaturus* ſiqua, ea de cauſa edidiſſet. Accedebat præterea quod hoc *Hadriani* tempore *Judæi Chriſtianorum* hoſtes infenſiſſimi (quos illius ævi perſecutionum auctores præcipuos fuiſſe diximus) ipſi domeſticis calamitatibus oppreſſi *Chriſtianis* vexandis vacare non poſſent; quod cum bellis tumultibuſque *Romano* etiam *imperio* moleſtiam maximam crearint, *gratiam* proculdubio omnem ſive *Imperatoris*, ſive *præfectorum* etiam *Romanorum* provincialium, amiſerint, quam in perniciem *Chriſtianorum* ante converterant; quod in ſua *Paleſtinæ* provincia *Chriſtianos* graviſſimis cruciatibus puniret defectionis dux *Barcochebas*, in *Chriſtum* negare vellent atque blaſphemare (de quo teſtem habemus coævum [73] *Juſtinum* Martyrem) quin eo etiam ipſo nomine quod nollent ſibi *adverſum Romanum militem ferre ſubſidium*, ſi [74] *Euſebio* credimus, vel ſaltem *Hieronymo*, & ſecuto illum [75] *Oroſio*, aliiſque. Hæc proculdubio, ut *Judæis* odium, ita gratiam *Chriſtianis* favoremque conciliabant, ut nec *ipſi* poſſent *Chriſtianis* eſſe moleſti, neque vellent, ut antea ſolebant, eorum ſuaſu impulſuque *Romani*. Id quod etiam capta urbe *Hieroſolymitana* tandem apparuit. Pulſis enim *Judæis* loci incolis & nova deducta in *Æliam* colonia, *Chriſtianis* tamen permiſſam teſtatur *Oroſius*. Et vero maximum *Chriſtianorum* numerum eo confluxiſſe exinde conſtat quod [76] *Epiſcopum gentilem* habuerint novi coloni. Ita nempe reprimendam exiſtimarit *Hadrianus Judæorum* ferociam ſi *Chriſtianos* illis ingratiſſimos in eorum locum introduxiſſet. Neque vero ab hujus imperii *fine* duntaxat moleſtiſſimos ſe præbuerant *Judæi*, ſed à fine Trajani, ipſiuſque *Hadriani* etiam initio, ut nunquam animo in *Judæos benevolo*, nunquam *malevolo* in *Chriſtianos*, veriſimile ſit fuiſſe *Hadrianum*.

§. XXIX. Edicto itaque in *Chriſtianos Hadrianum* concedit temperaſſe [77] *Baronius*. Alia tamen *arte* uſum eſſe contendit, ut fidem martyrologiorum ſuorum quavis tandem arte tueatur. Scripſiſſe nimirum ad civitates illos ſibi non placere, ita quorum vel-

61 *Euſ.* Chr. 62 *Tertull.* Apol. c. 2.
63 *Euſeb.* Hiſt. Eccl. III. 33.
64 *Plin.* L. IV. Ep. 3. 18. L. v. Ep. 10.
65 *Tertull.* ad *Scap.* c. 5. 66 Ad *Philip.* p. 21. Ed. *Uſſerii*.
67 In Chron. 68 *Hieron.* Script. Eccleſ.
69 *Polycarp. Aug.* de Civ. Dei XVIII. 52.
70 *Oroſ.* L. VII. c. 5. 71 *Juſtin.* Apol. II.
72 *Lamprid.* in *Alex. Sever.* c. 44.
73 *Juſtin.* Apolog. II. p. 72. 74 In Chron.
75 *Oroſ.* L. VII. c. 13. 76 *Euſeb.* Hiſt. Eccl. IV. 6.
77 *Baron.* A. D. 120. n. 3.

vellet, ſanguine ſatiandum, ſine ſanguinis tamen invidia. Atqui probet primum neceſſe eſt *alienum Hadriani* à *Chriſtianis animum*. Tum & in *privatos* dolus iſte ſinguloſque fortaſſe proceſſerit; at in *ſectam* univerſam, in *multos* uno impetu delendos, nedum ſi diuturnam pateretur *urbium* crudelitatem, ſine modo, ſine fine, ſævire, fruſtra omnino ſperare potuit fore ut lateret. Negare tamen interim non poſſumus, ut à *Judæis* metuendum non fuerit, ab *Hæreticis* tamen qui ſub *Hadriano* catervatim eruperint, conflatum eſſe nomini *Chriſtiano* odium graviſſimum atque invidiam. Jam enim [78] *Carpocratiani* obſcœnis ſuis irreligioſiſſimiſque myſteriis fabulis illis de *Oedipodæis* inceſtibus & *infanticidiis*, occaſionem dederunt, quæ quantum valuerint ad *gentilium* animos in *Chriſtianos* accendendos, ſatis conſtat ex ſcriptoribus *apologeticorum*. Quanquam enim illis cum *Orthodoxis* nullum interceſſerit commercium, fugit tamen id *gentilium* curioſiſſimos. [79] *Celſus* ipſe, cum de ſua *diligentia* gloriatus eſſet, nihil tamen eſt quod legerit apud ſcriptores *hæreticos* quin *Catholicis* etiam *Orthodoxiſque* attribuerit. Utcunque fuerit, certum tamen eſt ſpurcitias illas *hæreticorum* in contumeliam *Orthodoxorum*, ab eo uſque tempore, eſſe converſas. Obſervavit id ante nos [80] *Euſebius*, & *Euſebio* antiquior [81] *Irenæus* quos conſulat Lector qui de eo dubitandum eſſe cenſuerit. Nec enim vacat ut eorum verba exſcribamus.

§. XXX. His itaque initiis ortus novus deinde excitatus eſt *Chriſtianos* perſequendi ardor, tanto utique pernicioſior quo colorem habuit prætextumque plauſibiliorem, ut cum *ſuperſtitioſis* duntaxat antea, jam *bonis* omnibus humanique generis ſtudioſis odio digni viderentur. Minus tamen nocuit ea calumnia *cœvo* Hadriano *Chriſtianis*, quod aliena viderentur à *Chriſtianorum moribus*, & fortaſſe quod notos *Chriſtianorum* hoſtes *Judæos* illarum calumniarum auctores præcipuos fuiſſe compererant, qui jam omni fide indigni habebantur. Nec enim ceſſaſſe illos in hac quoque calumnia *Chriſtianis* inurenda è verbis [82] *Juſtini* ſupra recitatis ſuſpicamur. Id ipſum etiam diſertis verbis teſtatur [83] *Origenes*. Ab initio certe fidem non obtinuerunt. De illis ipſis calumniis, ὃ πιστεῦσαι ἄξιον· πόῤῥω γὰρ κεχώρηκε τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως, inquit apud *Juſtinum* [84] *Trypho*. Nec aliter alii quorum meminit [85] *Origenes*. Cum autem nondum *crederentur* hæ calumniæ, fieri certe non potuit ut vel populi, vel ſaltem *præfectorum* furores ſæpe multumve excitarint. Quod autem notat *Origenes* ſua etiam ætate repertos eſſe nonnullos qui has fabulas veras crediderint, innuit certe apud graviores plurimoſque Orientalium ſerius viſas eſſe credibiles, ne dubitemus in *initio*, quod appellat, *Chriſtianitatis*, nondum eam fidem obtinere potuiſſe ut gentiles poſſent ad cædem innocentium bonorumque accendere. Accedebat fortaſſe & alia ratio quæ, utcunque in ſe levis, apud *Hadrianum* tamen principem ſuperſtitioſiſſimum graviſſima eſſe poterat, quod nempe *magicis* operationibus *Chriſtiani* adverſiſſimi haberentur. Ideo [86] *Alexander* pſeudomantis *Chriſtianos* à ſuis myſteriis ſummovendos curavit. Ideo *Valerianum* [87] *Macrianus* Magus ad perſecutionem adegit. Ideo *Diocletianum* ſuus quoque, quem appellat [88] *Lactantius Tages*. Ideo [89] *Julianus Babylam* Martyrem è *Daphne* tollendum curavit, quod *Chriſtianos* inviſos Diis ſuis cenſuerint ut proinde nulla ſua ſacra poſſent, niſi ſublatis *Chriſtianis*, rite procedere. Docent itaque in *apologiis* ſuis *Chriſtiani* malos eſſe genios illos qui *Chriſtianis* eſſent infenſi, nec tam *odio* Chriſtianorum, quam *motu*, illos ceſſiſſe *Chriſtianis*.

§. XXXI. Sed ſcriptas à *Quadrato* atque *Ariſtide apologias magnas ab Hadriano in Chriſtianos concitatæ perſecutionis indices* exiſtimat [90] *Baronius*. At ne *parvas* equidem fuiſſe facile compererat ſi ipſam conſuluiſſet Hiſtoriam. *Euſebius conatus* duntaxat memorat malevolorum hominum qui illis dederint occaſionem ſcribendi, nondum vero *ortam* aliquam perſecutionem eorum interpellatione ſedandam [91] πονηροὶ (inquit) ἄνδρες σὺν ἡμετέροις ἐνοχλεῖν ἐπειρῶντο. Quare ante apologias illas nulla adhuc perſecutio orta erat, ſed eo tantum propendit fortaſſis *Hadrianus* ut eam aliquando concitaret. Poſtea vero his ipſis apologiis ſedatam eſſe, & teſtem habemus [92] S. *Hieronymum*, & concedit ipſe *Baronius*. Nullos itaque in ea *martyres* factos eſſe veriſimile eſt. Sed & *relationem* illam *Serenii Granniani* ad *Hadrianum* perſecutionis argumentum exiſtimant adverſarii. *Imminentis* equidem fuiſſe argumentum facile conceſſero, *ardentis* fuiſſe nihil eſt quod concedamus. *Serenii* ipſius alienum à perſecutione animum arguit ipſa *relatio*. Quorſum enim illa ipſa conſulendi mora, quorſum argumenta quibus oſtenderat quam *iniqui* eſſent provincialium clamores, ſi provincialium ſententiam probaſſet? Plane innuunt illa non ſponte ſua libentemque Chriſtianis nociturum, ſed invitum coactumque à reſcripto Imperatoris. Aliter foret ut rem ipſam ne Imperatoris quidem arbitrio permiſiſſet, ni uſque ad reſponſum manum à cæde temperaſſet. Sed *nullum* ipſe reſponſum tulit; ante enim è provincia deceſſit quam appellaret, & *adverſum* perſecutioni reſcriptum accepit ſucceſſor *Minucius Fundanus*, quem nec ipſum perſecutum eſſe veriſimile eſt cum reſcriptum Imperatoris quotidie expectaretur. Quod vero ait in *reſcripto* ita agi poſſe in *Chriſtianos* ſiquid deprehenderentur παρὰ τοὺς νόμους πράττοντες, & ſi provinciales vellent ἀξιώσεις ſuas διωκυλίζεσθαι, plane oſtendit verum eſſe quod diximus, non jam de *religione*, ſed vero de *infanticidiis inceſtibuſque* aliiſque id genus *criminibus* adverſus leges *Chriſtianos* deinde fore poſtulandos.

§. XXXII. Eſt & aliud *Hadriani* factum quod in argumentum convertunt adverſarii, templum nempe *Veneris* ab eo in loco quo paſſus eſſet Dominus extructum, de quo ita Sulpicius Severus: [93] *Qua tempeſtate Adrianus, exiſtimans ſe Chriſtianam fidem loci injuria peremturum, & in templo, ac loco Dominicæ paſſionis, dæmonum ſimulacra conſtituit.* Nempe quo in loco crucem Domini reperiſſe dicitur Imperatrix *Helena*, [94] in eo templum *Veneri* dicatum una reperit. Hoc *Chriſtiani* dedita opera factum interpretabantur, in *Chriſtianæ* religionis contumeliam. Et quia novam illam coloniam *Æliam* ab *Ælio Hadriano* conſtitutam noverant, maxima etiam ex parte de *novo* conſtructum; ideo *templum* quoque illud *Hadriano* tribuendum cenſuerunt auctores Chriſtiani *Euſebio* recentiores quarti ſeculi & deinceps omnes. Ipſe *Euſebius* inventæ cruci coævus de *Hadriano* ne meminit quidem. Inde colligunt malignum *Hadriani* in *Chriſtianos* animum. Verum id immerito. Nec enim conſtabat ab *Hadriano* templum illud fuiſſe con-

78 *Clem. Alex.* Strom. III.
79 *Origen.* cont. *Celſ.* L. I. p. 11.
80 *Euſeb.* Hiſt. Eccl. IV. 7. 81 *Iren.* adv. Hæreſ. l. 24.
82 §. 19 83 *Orig.* cont. *Celſ.* L. VI. p. 293, 294.
84 Adv. *Tryph.* p. 227. 85 *Orig.* cont. *Celſ.* L. VI. p. 302.
86 *Lucian.* Alexan. 87 *Dionyſ. Alex.* ap. *Euſ.* Hiſt. Eccl. VII. 10. 88 *Lactan.* de mort. perſ. n. 10.
89 *Socr.* Hiſt. Eccleſ. III. 18. *Sozom* V. 19. & alii.
90 An. 120. n. 3. 91 *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. IV. 3.
92 *Hieronym.* Ep. ad Magnum. 84.
93 Sacr. Hiſt. L. II.
94 *Euſeb.* de vit. *Conſt.* III. 26. & ex eo alii.

conſtructum, nec reſciviſſe eum de *ſepulcro Chriſti* eo in loco conſtituto, nec conſervatam eſſe à *Chriſtianis* ad ejus uſque ætatem ſepulcri Dominici *memoriam*, nedum ut id reſcire poſſet Ethnicus Imperator. Nimium conjecturis ſuis tribuebant hac in cauſa *Chriſtiani* nulla *Hiſtoricorum* monumentorum fide nitentibus Cum enim *Ælium* ſuam ſub imperii finem conderet *Hadrianus*, jam certe longe illum ab omni *perſecutionis* conſilio abfuiſſe probabile eſt. Jam enim *Judæorum* turbæ toties repetitæ *Judæis* illum alieniorem, quam antea reddiderant, magis item viceverſa, quam antea, *propitium Chriſtianis*. Et cum *Judæos* tam profano illo *ſuis* ſpectaculo à patria ſua arcere voluerit, non eſt ſane veriſimile *paſſurum* ut novis ſuis coloniis *Chriſtianis* tam fœdum illud blaſphemumque in memoriam Domini *ſpectaculum* ob oculos obverſaretur. Nulla itaque fuiſſe videtur, ſub imperio *Hadriani*, in *Chriſtianos* quorumcunque perſecutio. Ne unum quidem habemus apud *Euſebium* martyrem qui in ea perierit, ſed nec in aliis quibuſcunque probatæ fidei monumentis. Unus forte excipiendus erit *Teleſphorus*, quem martyrem fuiſſe tradit *Irenæus* III. 3. Si tamen *Hadriani* temporibus aſſignandus ſit (quod fateor mihi videri veriſimillimum) quanquam quo Imperatore paſſus fuerit, non conſtat ex *Irenæo* aut coævo *Irenæi* aliquo auctore. Quin & eorum, quos ſub *Barcocheba* paſſos eſſe certum eſt, tantis tamen illorum temporum tumultibus, ipſa quoque nomina extincta ſunt omniſque memoria. Nocuit omnino *Hadriano* fama illa nativæ crudelitatis quam illi tribuunt hiſtorici, ut deinde ſæva quæque de eo facillime crederentur.

§. XXXIII. Qui ita de *temporibus* imperatorum ab eorundem *moribus* judicandum cenſent, longe pacatiora *Chriſtianis* exiſtimant tempora *Antonini* quam fuerint illa *Hadriani*. At ſi rem ipſam remotis præjudiciis partiumque ſtudio perpendamus, aliud omnino ſentiemus. Jam dixi nullius *martyris* in probis monumentis extare memoriam qui paſſus fuerit ſub *Hadriano*, cum tamen multæ fuerint perſecutiones μεϱικαὶ ſub *Antonino Pio*. Statim ab *initio* imperii obtulit ei *Juſtinus* apologiam priorem quæ 2ª. tamen eſt in diſtributione hodierna, in qua, cum queratur de ſolo nomine conflari *Chriſtianis* invidiam, idque unum agat ut crimina ſiqua *Chriſtianis* intentarentur, probari tamen velit, provocatque ad reſcriptum *Hadriani*; innuit ſane jam neglectam fuiſſe contemtamque apud provinciales illam legem. Et cum in [1] Dialogo cum *Tryphone* dicit præſentiſſimum ſibi apud conterraneos ſuos periculum de ea apologia eſſe conflatum, facile intelligimus jam in ipſo perſecutionis procinctu ſaltem fuiſſe *Samaritanos*. Idem in 2ª. ſua apologia, quæ hodie prima eſt, plures habet martyres ab ipſo urbis *Romanæ* præfecto paulo antea ſublatos *Ptolemæum*, *Lucium*, & forte illam, cujus meminit, fœminam. Jam ergo & in ipſa urbe *Romana* orta erat perſecutio, ne dubitemus ad eam excitandam provincias fuiſſe propenſiſſimas. Nec tamen plures quam quos memorat paſſos fuiſſe conſtat. Probabile eſt enim ea ipſa apologia, ubi ad Imperatorem ſenatumque pervenerat, extinctam eam eſſe perſecutionem. Recruduit tamen poſtea. Ipſum enim *Juſtinum* ſub *Antonino Pio* paſſum eſſe neceſſe eſt, ſi tam juvenis periit quam vult *Epiphanius*. In *Aſia* ſub eodem paſſus videtur *Polycarpus*, ſi nimirum calculos ſequamur eruditiſſimi patris *Ceſtrienſis* qui illum anno Dom. CXLVII. extinctum exiſtimat. *Polycarpo* additi ſocii XI. è *Philadelphenſibus*, nec plures ea perſecutio videtur abſumſiſſe. Niſi forte illis martyres *Pergamenos* jungimus, quos ſub *Decio* paſſos exiſtimat *Valeſius*. Sub eodem *Pii* imperio & illa quoque orta videtur in *Syria* perſecutio de qua mentio in vita *Peregrini*, non tamen eodem quo paſſus eſt *Polycarpus* tempore. Miſſam enim ait *Lucianus* à *Communi Aſiæ* ad *Peregrinum* legationem gratulatoriam, quæ certe mitti non potuit ſi & ipſi ſimiliter laboraſſent. Sed nec ea quoque videtur fuiſſe *ſanguinolenta*. Dimiſſus enim eſt à præſide viro philoſophico ipſe *Peregrinus*, quem *Chriſtianorum* præcipuum habitum tradit idem auctor, ut proinde veriſimile non ſit eundem in gregarios *Chriſtianos* ſæviiſſe. Sed & in variis *Græciæ* urbibus motus fuiſſe in *Chriſtianos*, innuunt varia illa *Pii* ad eaſdem reſcripta, qui tamen fortaſſe nullos, vel admodum paucos *martyres* fecerunt, ſubveniente *Chriſtianis* opportune, per reſcripta ſua, ipſo Imperatore.

§. XXXIV. *Novis* hiſce *perſecutionibus* cauſæ erant *novæ* in Chriſtianos *calumniæ*, hoc primum tempore, ut videtur, excogitatæ. Prima erat *majeſtatis* illa quod per *genium Cæſaris* jurare nollent, nec *ſtatuas* ejus *adorare*, ſed nec eum *Dominum* ſaltem agnoſcere. Primum legimus *Polycarpum* qui his artibus fuerat tentatus. [2] τί γὰϱ κακόν ἐϛιν (inquiunt *Herodes* ad eum & *Nicetes*) εἰπεῖν κύϱιε Καίσαϱ, καὶ θῦσαι; & poſtea Proconſul: Ομοσον τὴν Καίσαϱος τύχην. Inde poſtea expreſſius de hoc crimine agunt *Chriſtianorum* apologetici, [3] *Theophilus Antiochenus*, & præſertim [4] *Tertullianus*. Nec enim ita diſertam facit hujus accuſationis mentionem qui ſcripſit ante *Polycarpi* martyrium [5] S. *Juſtinus*, quamvis eam in animo habere ipſe etiam potuerit. Alia erat qua calamitates publicas omnes *Chriſtianis* imputabant. Inciderunt enim in hujus *Antonini*, ut in *Marci* etiam, tempora graviſſimi in *Aſia* terræmotus urbium aliquot excidio inſignes. Hos *Chriſtianorum* hoſtes *Aſiani* in odium *Chriſtianorum* convertebant, quaſi vero *Chriſtianorum* cauſa Dii *Romano* imperio iraſcerentur, *Chriſtianorum* proinde quaſi καθαϱμάτων ſanguine ſatiandi. Id ita fuiſſe è reſcripto illo colligimus ad *commune Aſiæ* quod nobis conſervavit *Euſebius*, & quicunque illud 2ª. *Juſtini* apologiæ ſubjunxit. Utrique *Antonino* illud tribuunt codices, *Marco Euſebiani*, *Pio* autem illi *Juſtini*. Et ſane utriusvis eſſe potuit. *Marco* Imperatore, *terræmotus* contigiſſe facile conſentiunt omnes, & quidem in *Aſia*, ad cujus incolas dedit illud Imperator. Teſtis eſt illius ævi atque loci omni exceptione major *Ariſtides*. Similiter in *Pii* imperio fuiſſe terræmotum & quidem in *Aſia* auctor eſt [6] *Capitolinus*, qui inter *adverſa* illorum temporum recenſet *terræmotum quo Rhodiorum & Aſiæ oppida conciderunt, quæ omnia mirifice inſtauravit.* Illos *terræmotus* partim γεϛονότας partim γνομένης recenſet eo ipſo tempore quo reſcriptum ſuum edidit Imperator, ex quo tempus certo conſtaret, modo de auctore reſcripti liquido conſtaret. Si *Marci* tribunitiam poteſtatem XV. cum conſulatu componamus cum [7] *Euſebio*, reſcripſerit illud in ipſo ſuo III°. conſulatu *Marcus* A. D. CLXI. Sin *Pii* poteſtatem ſimiliter tribunitiam XV. cum conſulatu ejus IV. ut habent codices *Juſtini*, ita editum fuerit A. D. CLIII. Sed mihi fateor *ſuſpectum* eſſe hoc *edictum*, magiſque ad mentem *Chriſtianorum* eſſe con-

[1] Dialog. cum *Tryphon.* p. 349. C.
[2] In Ep. *Smyrn.* ad *Philomel.*
[3] *Theoph.* ad *Autolyc.* L. 1. p. 76.
[4] *Tert.* Apol. c. 27. &c. [5] *Juſtin.* Apol. II. p. 64.
[6] *Capitolin.* in *Pio* c. 9.
[7] *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. IV. 13.

conceptum quam illud concepturus fuerit *gentilis* Imperator.

§. XXXV. *Quintam* perſecutionem *Marci* temporibus aſſignat [8] *Sulpicius* quam *quartam* reliqui numerant, ut dixi, veterum *Euſebii* ſequaces. Sed nec illa *Imperatorem* auctorem habuit, nec tam multos coronavit quam putant, *martyras*, ut ex recenſione conſtabit. Diximus jam antea excogitatam fuiſſe illam in *Chriſtianos* calumniam de *infanticidiis* & *Oedipodæis inceſtibus*. Ea jam apud nonnullos eam fidem obtinuerat ut *Chriſtianos* pro genere hominum flagitioſiſſimo haberent. Non eſt itaque quod miremur eorum rabiem ultra modum increviſſe, & in rudi creduloque vulgo magis indies magiſque eſſe propagatam. Quid porro vulgus de re aliqua cenſuiſſet, in *ludis panegyriciſque* conventibus præcipue eluxiſſe conſtat ex illorum temporum [9] hiſtoria. Hæc occaſio erat perſecutionis illius quæ *Lugdunenſes Viennenſeſque* martyres exercuit. Cum enim *ludi quinquennales* à *Druſo* inſtituti, totius *Galliæ* conventu in *Lugduno* celebrandi eſſent, ea occaſione non eſt quod dubitemus maximos fuiſſe totius gentis frequentiſſimoſque *concurſus*, maximam ut plerunque fit, *populi* ita convenientis *licentiam*. Et quanquam ſolis *populi* clamoribus nihil eſſet per *ſuperiorum* Imperatorum *reſcripta* permiſſum; ut tamen *lege* agerent cum *Chriſtianis*, ſi quid utique probandum ſuſcepiſſent, ita nunquam vetitum erat ut contra eſset ipſo *Hadriani* reſcripto diſertiſſimis verbis permiſsum. Capiunt itaque *Chriſtianos*, multis proculdubio, in tanto populi impetu, quod juſſerat *Trajanus*, promtiſſimo animo *accuſantibus*. Captos, ni cives eſsent Romani, *ipſos*, in id genus cauſis parum exploratis, *quæſtionibus ſubjiciunt*, ut ſubjecturus erat [10] *Apoſtolum præſes*, ſubjecerunt [11] *Philippenſes*, cum nondum comperiſsent illum virum eſse *Romanum*. Neminem autem horum martyrum *civem Romanum* legimus præter unum *Attalum*. Præcipue autem in eorum, ſiqui eſsent, *ſervos*, pro moribus *Romanorum*, *quæſtionem* inſtituunt. Horum nonnullos *ethnicos* fuiſse tradunt *Lugdunenſes* & *Viennenſes* qui metu cruciatuum, militibus præterea ad hoc ipſum eos incitantibus, confeſſi ſunt *cœnas* illas *Thyeſteas* atque *Oedipodæos concubitus*. Jamque omnium ſententia *convicti* eorum criminum erant *Chriſtiani*, de quibus antea nihil habuiſsent explorati. Inde non eſt quod miremur *reſcriptum* eſse à clementiſſimo alioqui mitiſſimoque Imperatore, de puniendis *Chriſtianis*. Id tamen ea æquitate temperavit ut ne in *aliorum* Chriſtianorum fraudem cederet præterquam *Lugdunenſium* atque *Viennenſium*, quos *ſervorum* teſtimonio convictos eorum criminum conſtrictoſque teneret, ut proinde non tam *Chriſtiani* nominis hoſtis quam *infanticidiorum inceſtuumque* hoſtis fuerit habendus.

§. XXXVI. In hujus perſecutionis *tempore* ſtatuendo diverſus à ſe eſt *Euſebius*. In *Hiſtoria* annum *Marci* XVII. ei aſſignat, in *Chronico* VII. duntaxat. Hinc diverſæ à ſe invicem Doctorum ſententiæ. Ego *Chronico* potius accedo, non quod *bellum Parthicum* cum ea conjungit *Oroſius* quo uſus eſt teſtimonio *Blondellus*. Fecit enim hoc *Oroſius* ex conjectura ſua, nulla prorſus *hiſtoriæ* fide; nulla enim *belli Parthici* mentio in epiſtola *Lugdunenſium* & *Viennenſium*. Ego ex ipſa potius *epiſtola* repetendum cenſeo. *Ludos* inſtituit *Druſus Lugduni* in honorem *Julii* An. U. C. DCCXLIII. ut è *Dione* collegit & *Livii* epitomatore doctiſſimus pater Epiſcopus *Aſaphenſis*, Kalendis ut videtur *Juliis* illos dedicaturus. Sed repentino *Germanorum* incurſu impeditus eſt ne illo anno dedicare poſſet. Proximo itaque anno venit in *Galliam* ipſe *Auguſtus*. Inde ludi inſtaurati, non in *Julii* (ut antea conſtitutum erat) honorem ſunt, ſed ipſius *Auguſti* ipſis Kalend. menſe viz. *Auguſto* ſacro. Meminit [12] *Suetonius*, meminit etiam ſub *Hadriano* [13] *Juvenalis*, & ſub *Alexandro Severo Dio*. Inſtituti ſunt *Julo Antonio*, *Fabio Africano* Coſſ. An. U. C. *Varroniano* DCCXLIV. *Pentaetericos* fuiſſe probabile eſt, i. e. *quarto* quoque anno abſoluto, *quinto* ineunte rediiſſe, ut *pentaetericos* explicat [14] *Cenſorinus*. In hos ludos incidiſſe hanc perſecutionem ex ipſa conſtat *Lugdunenſium* epiſtola. Annus itaque urbis DCCCCXX. agonalis fuerit neceſſe eſt, *Chriſti* nimirum, pro æra vulgari CLXVII. Mors *Pii* in *Aprilis* initium incidit, ut proinde *Aprilis* initio *Marcus* VI. imperii annum abſolverit, Kalend. *Auguſti* VII. jam per aliquot menſes inchoarit. Convenit præterea quod *unum* dicant à præfecto *Galliarum* Imperatorem fuiſſe conſultum. Is nempe *Marcus* fuit, necdum reverſo à bello *Parthico* fratre *Lucio*. Quod ſi annus fuiſset XVII. jam *Commodus* etiam tribunitiam poteſtatem acceperat, ut proinde reſcriptum fuerit illius etiam nomine inſcribendum. Illud fateor omnium eſse difficillimum, quod ad Pontificem *Romanum Eleutherum* ſcripſerint martyres *Gallici* per *Irenæum*. Sed incertiſſima profecto ſunt quæ de horum Pontificum temporibus tradunt ſive *Euſebius*, ſive Indiculus *Bucherianus*, ſive pſeudo-*Damaſus*, &c. Ut nihil ſit ex illis de indubitatæ fidei monumentis ſtatuendum. Id unum certum quandocunque contigerit hæc perſecutio, coævum tamen illi, &, qui in ea paſsus eſt, *Pothino* fuiſse *Eleutherum*. Nec enim omnino credibile eſt, quod exiſtimat *Blondellus*, martyrum legationem, tot ab eorum obitu elapſis annis, obiiſse *Irenæum*. Proinde ex eo quod VII. hujus imperii anno hæc contigerit perſecutio, concludendum potius hallucinatos eſse alios omnes qui tot annis recentiorem faciunt *Eleutheri* Pontificatum, & *Irenæum* tot annos jam Pontificem. Et quidem eo minus credibilia ſunt illa monumenta contraria, quod nec ipſa inter ſe conſentiant. Vidit nihilominus *Euſebius* quod non vidit *Blondellus*, coævum illi fuiſse perſecutioni *Eleutherum*, ut proinde quo in loco *Eleutherum* XVII. *Antonini* aſſignat, eodem etiam *Perſecutionem* collocandam eſse cenſuerit. Sed longe profecto melius in horum Pontificum temporibus conveniunt cum hiſtoria monumenta ea quibus uſus eſt *Eutychius* quæ ſub initium *Antonini* ſucceſſiſse tradunt *Eleutherum*. In alta Eccleſiæ *pace*, & ante illam, ut videtur, perſecutionem ſcripſit adverſus hæreſes *Irenæus*. Vix aliter fuiſset otium. Quid quod cum de *martyribus* [15] diſſerit ita loquitur tamen, ut, cum illa ſcriberet, nullos innuat fuiſse martyres. Et tamen jam Pontifex erat *Eleutherus*. Sed longe accuratiora de illorum temporum *Pontificibus* à viro longe eruditiſſimo maximoque *Ceſtrienſi* expectamus.

§. XXXVII. Hæc prima erat, ni fallor, quæ ſub *Marco* contigit, perſecutio, in qua qui paſſi eſsent è *Lugdunenſium Viennenſiumque* epiſtola intelligeremus, ſi eam integram haberemus qualis extitit ætate *Euſebii*. Nec enim veriſimile erat adornatam eam fuiſse legationem qua illæ ad *Eleutherum* & *Aſianos* datæ eſsent epiſtolæ, niſi poſtquam intermiſsa paulatim deſæviret illa perſecutio. Reverſo ſub anni ſequentis initium ad *triumphum Romæ* celebrandum *Lu-*

[8] *Sulp. Sever.* Sacr. Hiſt. L. II.
[9] *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. V. 1.
[10] *Act.* XXXII. 25, 26. [11] ib. c. XVI. 37.
[12] *Sueton. Claud.* [13] *Juv.* Sat. I.
[14] *Cenſorin.* de die natal. c. 18.
[15] L. IV. adv. Hær. c. 64.

Lucio, legatum egit pro *Chriſtianis*, ni fallor, *Athenagoras*, ut proinde ejus *apologia* non ſit alteri quam huic *Galliæ* perſecutioni aptanda. Fateor equidem *Lucium Aurelium Commodum* (cui *legationem* ſuam inſcripſit *Athenagoras*) tam *fratrem Marci* quam filium intelligi poſſe. Quod vero *Armeniaci* titulum cum *Sarmatico* conjungit, codicum omnino vitio tribuendum. Nec enim *Lucius* frater unquam *Sarmaticus* appellatus eſt qui diu antea defunctus eſt quam bellum *Sarmaticum* oriretur. Nec *Lucium* filium unquam *Armeniacum* appellatum legimus. Quod autem de [16] οἰκημένης βαθείᾳ εἰρλώῃ gratulatur *Athenagoras*, de alio certe quam *fratre Lucio* intelligi non poteſt. Nec enim abſolvit *Marcus Marcomannicum* bellum in quo filio ſocio eſt uſus. Pro Σαρμαλίκοις itaque omnino Παρθικοῖς reponendum. Eum enim titulum *Marcus*, cum primum repudiaſſet, at profligato bello utrumque *Parthicum* appellatum eſſe ſcribit in *Marci* vita [17] *Capitolinus*. *Marci* Trib. Pot. XIX. (quæ cum *Veri* V. concurrit, annoque Domini CLXV.) *Parthici* titulus in utriuſque, tam *Marci* quam *Veri* nummis primum apparet. Inde etiam in ſequentium annorum nummis occurrit, ut certum ſit utroque titulo tam *Parthici* quam *Armeniaci* titulo utrumque eſſe uſum, quanquam fateor in *Marci* nummis *Armeniaci* quam *Parthici* titulum frequentiorem eſſe. Convenit & quod addit in *titulo* legationis ſuæ *Athenagoras*, τὸ ᾧ μέγιϛον φιλοσόφοις. Hunc enim titulum cum *Marco Lucium Verum* habuiſſe communem, conſtat è 2ª apologia *Juſtini*. Quod eum uſurparit *Commodus*, nemo eſt qui aſſerat. Ita etiam loquitur de *Proteo*, ſive *Peregrino*, acſi ea ipſa qua hæc ſcriberet, Olympiade is ſe in ignem conjeciſſet. [18] Τᾶτον ᾧ ἀκ ἀγνοεῖτε ῥίψαντα ἑαυτὸν εἰς τὸ πῦρ ϖὲὶ τὴν ὀλυμπίαν. Rectiſſime. Concremavit ſe iſte *Proteus* ipſa Olympiade CCXXXVI. Marci anno V. triennio antequam *Romam* redierit *Lucius*. Nec vero tempus opportunius eſſe potuit *legationi* obeundæ quam cum *Auguſtis* de victoria *Parthica*, & *triumpho* brevi ſecuturo eſſet gratulandum. Jam enim *indulgentia Auguſtorum* pro more expectanda erat. Quo vero tempore redierit ab Oriente *Lucius*, è *nummis* utriuſque facile colligimus. *Marci* nummos habemus hac epigraphe inſignitos: M. ANT. AUG. ARM. PARTH. MAX. TR. P. XXII. IMP. V. COS. III. FORT. RED. Similis eodem anno concurrit *nummus Lucii* ita inſcriptus: L. AUR. ANTONINUS. AUG. ARM. TR. P. VIII. IMP. V. COS. III. FORT. RED. Horum unum exhibent Cimelia illuſtriſſimi Domini *Edvardi* Comitis *Clarendoniæ*, harum literarum Patroni ſtudioſiſſimi. Utriuſque ſcilicet Imperatoris nomine vota *fortunæ reduci* ſoluta ſunt, quod poſt quinquennalem abſentiam ſalvus tandem rediiſſet *Lucius*. Utræque *tribunitiæ poteſtates* A. D. CLXVIII. deſignant, ſed eum ipſum jam provectum; ſunt enim & alii utriuſque *nummi* iis *tribunitiis poteſtatibus* conſignati, in quibus IMP. IV. duntaxat legimus. Unde ſequitur eodem anno *geſta* aliqua in bello *Parthico* interceſſiſſe, quorum felici ſucceſſu uterque *Imp. V.* pro more, ab *exercitu* acclamatus eſt, ante hunc, quem dixi, *Lucii* reditum. Hoc itaque tempore *legationem* obiit *Athenagoras*, viz. An. CLXVIII. ſtatim à reditu *Lucii*. Si enim eam diutius diſtuliſſet, obſtitiſſet bellum *Marcomannicum* quo minus poſſet *pacem* illam, quam βαθεῖαν appellat, Imperatoribus revera gratulari. Neque porro obſtat quod dicit, neminem *Chriſtianum* ullius criminis fuiſſe convictum. Nec enim neceſſe eſt ut eum ita intelligamus quaſi *alieno* teſtimonio non fuiſſent convicti; ſed (quod ait [19] *Tertullianus*) cum tot *Chriſtianorum* conventicula diſturbaſſent, neminem tamen perſecutores in flagitio deprehendiſſent, neminem etiam fide dignorum hominum teſtimonio convicciſſent.

§. XXXVIII. Ad eandem itaque perſecutionem omnino pertinuiſſe videtur hæc *Athenagoræ* apologia, aliis tamen in locis excitatam, *Hellade* nimirum, ſi *Athenienſis* ipſe fuerit *Athenagoras*. Nec enim eſt quod dubitemus quin, cum de convictis operarum teſtimonio *Chriſtianis* fama emanaſſet, odioſum deinde & Diis hominibuſque inviſum hominum genus ubique haberentur; exarſiſſe deinde *plebium* clamores, *fanaticorum* zelum, *factioſorum* avaritiam, ut quantum cuique per *leges* liceret, tantum omnes, pro ſuo quiſque modulo, in *Chriſtianos* ſævierit. Tum interpellatos probabile eſt provinciarum plebiumque legationibus *Imperatores*, fatigatos circi clamoribus *præfectos provinciales*. Cum vero nullum haberent *Imperatorum* reſcriptum, & vero *præfectorum provincialium* poteſtas tot fuiſſet priorum Imperatorum in favorem Chriſtianorum editis edictis coercita ut nihil illi, niſi admodum ſuperſtitioſi fuiſſent, novare tamen, niſi præeuntibus Imperatoribus, auderent; probabile eſt paucos omnino *præfectorum Romanorum* fuiſſe repertos qui *Chriſtianos* perſequerentur. Ea itaque ſpe dejecti ad *magiſtratus urbicos* confugerunt, quorum animi jam erant à *Chriſtianis* alieniores, & quibus *proprias* plerunque leges atque conſuetudines *Romani* etiam indulſerant. Facile itaque illi in Chriſtianorum perſecutionem converſi ſunt. Dum tamen *Romanorum præfectorum* conſenſum non habebant, *aliis* equidem incommodis *Chriſtianos* afficere poterant, non item illos *martyrio* coronare. *Jure* enim *gladii* carebant, per *Romanas* leges, magiſtratus *urbici*. Hanc ipſam fuiſſe eorum *Chriſtianorum* cauſam quorum nomine legationem ſuſceperat *Athenagoras*, illa ejus verba innuunt: [20] μὴ ϖϱογενόῃϛ ϰ᾽ ἡμῶν, συγχωρεῖτε ᾧ μηδὲν ἀδικοῦντας, ἀλλὰ ϰ᾽ πάντων, ὡς ϖϱοιόντ@ ϛ λόγ ϐ δειχθήσε᾽, δύσεβέϛατα ϰϱιθέντες ϖϱός τε τὸ θεῖον ϰ᾽ τὴν ὑμετέϱαν βασιλείαν, ἐλαύνε ϛ ϰ᾽ φέϱε ϛ ϰ᾽ διώκε ϛ, ᾗπ᾽ μόνῳ ὀνόμαϊ ϖϱοσπολεμούντων ἡμῖν τ᾽ πολλῶν. Non dicit *ipſos* perſecutionum auctores fuiſſe *Imperatores*, ſed *aliorum* ſævitia oppreſſis *Chriſtianis* non utique ſubveniſſe, plane ad mentem *Tertulliani* atque *Lactantii*, ut ſupra vidimus. Quos vero *perſecutores* intelligat, ex ipſa *pœnarum* mentione facile colligimus, Ελαύνε ϛ, φέϱε ϛ, ϰ᾽ διώκε ϛ. Nempe *proſcriptionem* illa & *exilium* denotant, non autem *mortes*, ſed ne *cruciatus* quidem. Non eſt itaque quod hic *martyres* aliquos fuiſſe colligamus. Male igitur adverſarii, quoties *apologias* à *Chriſtianis* oblatas *Imperatoribus* legunt, toties *Romanorum perſecutiones* fuiſſe concludunt. Male rurſus, quoties eſſent *perſecutiones*, toties *Chriſtianorum lanienas* fuiſſe atque *martyria*.

§. XXXIX. Ab *Hellade* deinde ad *Aſiam* minorem tranſiit tragœdiarum *Gallicarum* fama, & cum fama rabies in *Chriſtianos*. Ibi nova orta perſecutio occaſionem dediſſe videtur *apologiis Melitonis Sardenſis* & *Apollinaris Hierapolitani*. Uno enim eodemque *tempore* fuiſſe ſcriptas veriſimile eſt ut uni certum eſt oblatas eſſe eidemque *Imperatori*. Erat tamen hæc perſecutio aliquot fortaſſe annis *Gallicana* recentior, & *Græca* illa in qua ſcripſit *Athenagoras*. Poſt mortem certe *Lucii Veri* ſcriptam illam veriſimile eſt oblatamque utramque apologiam. Aliter certe *Lucio* illam pariter ac *Marco* obtuliſſent, præſertim cum in ea agerent *Imperii* parte quæ ad *Lucii* potius, cum abeſſet à fratre, ditionem attinebant. Poſt annum ita-

[16] *Athenag.* leg. p. 2. [17] *Capitol.* c. 9. [18] *Athenagor.* legat. p. 30. [19] Apol. c. 7. [20] Legat. p. 2.

itaque *Marci* IX. Domini, pro æra vulgari, CLXX. inchoatum ſcripſerint neceſſe eſt. Rurſus ante An. Dom. CLXXV. Tunc enim tribunitiam poteſtatem accepiſſe *Commodum* conſtat è nummis inſcriptionibuſque. Quod ſi, cum illi ſcriberent, jam conſors imperii factus eſſet *Commodus*, ut certe reſcriptum erat cum *Commodi* mentione concipiendum, ita certe nec in *libello ſupplici* erat nomen ejus prætermittendum. Quid quod ominatur *Commodi* imperium [21] *Melito* quo ipſe innuit *nondum* ipſum fuiſſe Imperatorem. Medio itaque tempore contigerit ea perſecutio. X. imperii anno tribuunt tam *Euſebius* in Chronico quam *Chronicon Alexandrinum*. Ita fiet ut apologiam obtulerit Melito poſt prima ſaltem vicennalia *Mart.* XVII. A. D. CLXX. Aptiſſime ex ipſius Cl. *Pagi* rationibus, ut primis decennalibus votis *ſolutis* pro principis *indulgentia* ſupplicaretur. Et magis, ni fallor, ad mentem auctoris Chronici *Alexandrini*, qui *Euſebium*, ut probabile eſt, ſecutus auctorem, cum *anno* potius *Imperatoris*, quam cum Coſſ. illam *Melitonis* conjunxit apologiam. Ita turbas illas, quarum occaſione apologiam. Ita turbas illas, quarum occaſione apologiam ſcripſit *Athenagoras* proxime exceperit, ut ab eodem impetu tranſierit ille furor ab *Hellade* in *Aſiam*, quo antea à *Gallis* in *Helladem* tranſierat. Atqui ſolarum illa quoque fuit *urbium*, plane ad exemplum prioris in *Hellade*, non *Imperatorum*, ſed ne *præfectorum* quidem *provincialium*. τὸ γὰρ ἐδὲ πώποτε γεγόμενον, νῦν διώκει (inquit) τὸ τῶν θεοσεβῶν γένος καινοῖς ἐλαυνόμενον δόγμασι κατὰ τὴν Ασίαν. Plane δόγματα, pro uſu illarum Rerumpub. non alia erant quam *urbium* decreta quæ in eam formam concipi ſolebant, ἐδόχθη τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ, non autem *reſcripta Imperatorum*, ſed nec *edicta præfectorum provincialium*. Id *novum* eſſe dicit, & *quod nunquam antea ſit factum*. At *novum* non fuit ut *præfecti* provinciarum *Chriſtianos* perſequerentur etiam in *Aſia*. Novum non fuit, ſi præſertim adverſarii audiendi ſint ut perſequerentur etiam *Imperatores*. Quod porro ait in *Aſia* hoc fuiſſe *novum*, plane innuit *alibi* ne hoc quidem ipſum exemplis caruiſſe. Nempe idem à *Pio* datas aliquas ad urbes memorat epiſtolas, ne quid novi in *Chriſtianorum* cauſa molirentur. Et nuperrimo exemplo idem à *Græcis* civitatibus factum, de quo diximus egiſſe *Athenagoram*. Unde etiam conſtat de *urbium* δόγμασιν hæc eſſe intelligenda. Conſtat porro obiter edictum illud quod ſub nomine *Antonini Pii Juſtini* apologiæ II. ſubjunxere Librarii, *Pii* certe eſſe non potuiſſe. Quod enim ad κοινὸν *Aſiæ* datum illud eſſe edictum, plane ſignificat omnes *Aſiæ* urbes quæ in communi *Aſiæ* Concilio repræſentabantur, ſpectaſſe *Pium*, ut in hoc ipſo *Melitonis* exemplo edicto dato ad πάντας Ἕλληνας cautum eſt ne quid in aliqua *Helladis* civitate tumultuaretur. At ſi hoc ſub *Pio* olim in ipſa *Aſia* contigiſſet, jam certe fieri non potuit ut *novum* illud nec *unquam antea factum* diceret qui ſub *Marco* ſcripſit *Melito*. Dubitat præterea *Melito* num hæc perſecutio ab *Imperatore* emanarit, de *occultis* proculdubio *literis* intelligendus. Dubitare enim non potuit, ſi per *edicta* illam juſſiſſet Imperator. *Smyrna* enim aut *Epheſi* aut in aliqua alia primaria ſaltem *Aſiæ* civitate propoſitum fuiſſet antequam illud proconſul exequeretur. Sed de diverticulo in viam. Confirmat etiam quod diximus *pœna* ipſa cujus meminit *Melito*, *bonorum* illa certe, non *capitis*. Ita enim ſcribit *Melito:* [22] Οἱ δὲ ἀναιδεῖς συκοφάνται καὶ τῶν ἀλλοτρίων ἐρασταὶ καὶ ἐκ τῶν Διαταγμάτων [male *imperialia edicta* Διατάγματα vertit *Valeſius*] ἔχοντες ἀφορμὴν, φανερῶς λῃστεύουσι, νύκτωρ καὶ μεθημέραν διαρπάζοντες τοὺς μηδὲν ἀδικοῦντας. Pœnæ itaque *capitalis* nulla in hac *Aſiæ* perſecutione mentio, ſed nec ullius *poteſtatis* quæ *capitalem* poſſet, pro arbitrio ſuo, irrogare.

§. XL. Sub *Commodo pacem* Eccleſiæ fuiſſe Μάμουον teſtis eſt illorum temporum ſcriptor [23] *Aſterius Urbanus*, quam *pacem cunctas* orbis *Eccleſias* complexam eſſe ſcribit [24] *Euſebius*. Nempe *Marciam Chriſtianorum* fuiſſe Patronam ait, *Dione* ſuo fortaſſe auctore, [25] *Xiphilinus*. Paſſum equidem legimus hoc ipſo tempore *Apollonium*, cum præfectus prætorio adhuc eſſet *Perennis*, i. e. ante A. D. CLXXXVI. Verum *ita* paſſum ut reſcriptum *Hadriani* accuratiſſime *Perennis* obſervaret. Nec accepit *libellos* accuſationis *Perennis* niſi edito *accuſatoris nomine*, ut juſſerat *Trajanus*; & *accuſatorem* ipſum extremo ſupplicio affecit è reſcripto *Hadriani*. Qua ipſa ſeveritate probabile eſt deterritos *accuſatores* non multos poſtea eſſe repertos.

§. XLI. Quintam deinde perſecutionem *Severo* tribuunt *Euſebius* & qui illum exſcribunt alii, quam ſextam numerat *Sulpicius Severus*. Nec tamen illam ipſam inchoatam putant ante X. ejus annum. Nec otium erat antea ſive ipſi *Imperatori*, ſive provinciarum *præfectis*, nec ipſis *urbium* plebibus magiſtratibuſve quos *externa* ſaltem ab hoſtibus *pax* in eam ſæviendi laſciviam plerunque convertit. Domeſticis tumultibus inquieta erant omnia, nec de *Imperatore* conſtabat quis pro legitimo eſſet habendus, uſque ad cædem *Albini*. Nec erat A. D. CXCVII Nec occurrebat ſaltem *occaſio* aliqua quæ *Imperatoris* iram in *Chriſtianos* excitaret, cum nec *Nigriani* fuiſſent illi nec *Albiniani*, ut ait [26] *Tertullianus*. Inde bella à *Romani* imperii *hoſtibus* externa ingruebant. V. *Severi* anno bellum *Judaicum* & *Samariticum* aſſignat *Euſebius*, & vero certum eſt *Romanis* finibus moleſtos fuiſſe *Parthos* cum in bello adverſus *Albinum*, *Severus* eſſet occupatus. Abſoluto hoc *Albini* bello, ſtatim in illos movit *Severus*, & de re adverſus illos bene geſta tribunitia poteſtate VI. Imperator XI. appellatus eſt, VII. tandem anno *Parthicum*, *Adiabenicum* & *Arabicum* nuncupatum annotavit in Chronico *Euſebius*. Id nempe, ut opinor, à *militibus*. Vix enim illum *Parthici* titulum in *inſcriptionibus* legimus ante Trib. P. VIII. ut proinde illo tandem VIII. ejus anno titulum illum à *ſenatu* confirmatum, acceptumque à *Severo* ſit omnino veriſimillimum. IX. autem anno perſecutionem aſſignat auctor chronici *Alexandrini*, ſed manifeſtiſſimo unius anni errore. Tempus enim notavit accuratiſſime in *Severi* vita *Spartianus*. De *Caracallæ* enim conſulatu I. in quo patrem III. collegam habuit, iſta ſubjungit: [27] *Statim in Syria conſulatum inierunt. Poſt hoc, dato ſtipendio cumulatiore militibus, Alexandriam petiit. In itinere Palæſtinis plurima jura fundavit. Judæos fieri ſub gravi pœna vetuit. Idem etiam de Chriſtianis ſanxit.* Incidit ille conſulatus in annum Æræ vulgaris CCII. X. etiam *Severi* anno hanc perſecutionem tam in *Chronico* quam etiam in *Hiſtoria* tribuit [28] *Euſebius*, & quidem auctore, ut videtur, coævo *Juda*, aliiſque fortaſſe *Origenis* ea occaſione ſcriptis epiſtolis. Ergo poſt VIII. Id. *April.* orta illa eſt perſecutio. Ab eo enim *natali* ſuo pot. tribunitiam ſuam X. iniit *Severus*. Forte auctor chro-

21 *Melito* ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. IV. 26.
22 Ap. *Euſeb.* ubi ſupra.
23 Ap. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. V. 16.
24 *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. V. 21. 25 *Xiphilin.* in *Commodo.*
26 Ad *Scap.* c. 2. Apol. c. 35.
27 *Spartian.* in *Sever.* c. 16, 17.
28 *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VI. 2. Ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VI. 7.

chronici *Alexandrini* in hoc primo perſecutionis anno ſtatuendo ſecutus fuerit *Olympiadum* aliquem collectorem. Annus autem Olympiacus à Solſtitio anni D. CCI. ad Solſtitium anni CCII. extenditur. Ita ſi mentem ejus recte capimus, initium hujus perſecutionis inter VIII. Id. *April.* & Solſtitium, medio aliquo tempore erit ſtatuendum. Duraſſe autem conſtat duobus annis, anno viz. [29] *Origenis* XVII. & XVIII. Præfectis Ægypti duobus, *Læto* & *Aquila*. Huc itaque refero quod obſervavit ſive *Euſebius*, ſive *Hieronymus*, de duodecimo *Severi* anno: [30] *In hoc anno Jobelæum à majoribus invenimus obſervatum*, i. e. *duodecimo anno Severi*, & CCLII. *Antiochenæ urbis*. Non convenire hunc annum numeris aliorum *Jobelæorum* obſervavit ipſe *Scaliger*, verum incidiſſe in annum ſecularem U. C. DCCCCLVII. qui Coſſ. habuit *Chilonem* & *Libonem*, ut notat ſcriptor accuratiſſimus [31] *Cenſorinus*. Incidiſſe autem in XII. *Severi* annum conſtat ex *inſcriptionibus* quibus XII. *Severo* VII. *Antonino* Trib. Pot. aſſignatur cum *ludos ſeculares* facerent. Inde conſtat obiter quantum errarit hactenus vulgus chronologorum qui *Severo* natalem tribuunt *Palilibus* recentiorem. Nempe occaſione *anni ſecularis*, ne tanta celebritas cruore macularetur, *pacem* Eccleſiæ conceſſit Imperator. Inde *Chriſtiani*, cum urbis *Romanæ*, earumque ſuperſtitionum, nomine quibus illum *Gentiles* celebrarent, feſtum habere non poſſent, at *pacis* ſuæ religioniſque cauſa habebant. Cum vero è *Scriptura* quærerent exemplum, nullum certe occurrebat accommodatius quam illud *Jobelæi*. Jam enim licebat omnibus, ut in illo *Judæorum Jobelæo*, ad ſuam cujuſque hæreditatem in *pace* redire. Inde fortaſſe & alios duos ante *Diocletiani* perſecutionem celebrarunt *Jobelæos*. Meminit certe, eadem etiam forma *Hieronymus*, quanquam uno alterove anno à vero ſitu remotos. Sed XLIX. forte, non L. annorum illi fuerunt *Jobelæi*. Tertii itaque anni præfectum probabile eſt nihil in mandatis habuiſſe de perſecutione *Chriſtianorum*.

§. XLII. Prima itaque hujus perſecutionis occaſio ex illa *Judæorum* defectione nata videtur. Profligato enim illo *Judæorum* bello, & oblato à Senatu triumpho *Judaico*; cavendum erat ne qui deinde ab iiſdem tumultus orirentur. Proinde *Judæos fieri vetuit ſub gravi pœna*, non tamen *Judæis*, ſed *Proſelytis*, ſive *ſolis* ſive *præcipue*, inferenda. Et cum triumphi *Judaici* occaſione & conſulatus *Auguſtorum* in *Antiochia* ſuſcepti, & ludorum munerumque ea cauſa editorum magni fuiſſent in *Antiochia* populi concurſus, credibile eſt fatigatum theatri circique clamoribus *Severum* ut *Judæis Chriſtianos* adjungeret. Certe illorum temporum *Gentilibus* non ita magnum videbatur *Judæorum Chriſtianorumque* diſcrimen, ut proinde quæ de *Judæis* legunt in illorum ſeculorum hiſtoriis, ea de *Chriſtianis* intelligant viri eruditi. Ita [32] *Suetonium* interpretantur de *Judæis Cheſto impulſore aſſidue tumultuantibus* & à *Claudio* urbe pulſis. Ita *Judæum* [33] *Epicteti* βεβαμμένον. [34] *Ita Judaicam religionem* ob quam *colluſorem ſuum puerum gravius verberatum flebit ſeptennis Caracalla*. Inde his ipſis temporibus vel paulo etiam fortaſſe recentius, nova illa quam appellat [35] *Tertullianus*, *Chriſtianorum Dei editio*, *cum ejuſmodi inſcriptione*, *Deus Chriſtianorum Ononychites*, *auribus aſininis*, *altero pede ungulati*, *librum geſtantis*, *& togati*. *Judæorum* enim Deo eandem ipſam formam tribuerat [36] *Tacitus*, & qui *Antiochum Epiphanem* in templum comitati ſunt, apud * *Joſephum*. Inde etiam *Judæorum* illa *Chriſtianorumque* apud recentiores conjunctio quaſi idem ſentientium. *Judæos*, *Samaritanos* & *Chriſtianos* conjunxit [37] *Elagabalus*, & *Elagabalo* antiquior [38] *Hadrianus*; *Chriſtianos* & *Judæos* recentior [39] *Alexander Severus*. Sed vero in hac ipſa cauſa quæ *Judæos Romano* imperio ſuſpectos faciebat, erant & alia quæ ne *Chriſtianos* quidem, apud *Gentiles* rerum *Chriſtianarum* neſcios, ab eadem illa ſuſpicione videbantur liberare. *Chriſtiani* etiam expectabant *Meſſiam*, & quidem talem illum plerique qui *terrenus* foret princeps, erant enim *Millenarii*. Et quanquam nullam unquam experti eſſent *Chriſtianorum* in tot *Judæorum* defectionibus perfidiam, quoniam tamen ante *Meſſiæ* ſui adventum *Chriſtiani* credebant fore ut *Romanum* imperium è medio tolleretur, & proinde auditis *Romanorum* infortuniis lætarentur, non quod *Romanis* male vellent, ſed quod brevi venturum *Meſſiam* quotidie expectarent, *malevoli* tamen ab adverſariis & *Romanæ* majeſtati infenſi credebantur, ut conſtat è dialogo quem *Philopatridem* appellant ſub nomine *Luciani*. His itaque, ni fallor, gradibus mota hæc eſt *Antiochiæ* in *Chriſtianos* perſecutio, ne mirum ſit cur præ aliis præcipue eam *Antiocheni* ſuæ urbis epocha ſignarint, cur *Jobelæum* illi ad imitationem anni *Romani ſecularis* in ejus memoriam celebrarint. Pacem enim quæ *Diocletiani* perſecutionem ſecuta eſt multis *Encæniis* & ſolennibus concentibus celebratam ſcribit [40] *Euſebius*. Inde obvium erat ut *Palæſtinæ* ſcriptores (quales erant tam *Euſebius* quam ipſe etiam *Hieronymus*) memoriam ejus è *metropolis* ſuæ archivis conſervarint.

§. XLIII. Undecunque tamen eam *ortam* credamus, longe ea lateque per *Romanas* provincias graſſata eſt. In *Ægypto* qualis fuerit deſcripſit *Euſebius* L. VI. Hiſt. Eccl. c. 2, 3, 4, 5. In *Africa*, præter *Perpetuam* & *Felicitatem*, huic proculdubio perſecutioni aſſignandi ſunt quorum meminit hac ipſa epiſtola noſter martyr, Avia *Celerini* & *patruus* & *avunculi*. Nec aliam *Tertulliano* anſam datam exiſtimo ſcribendi ad *martyras*. Sed & omnibus in locis, omnibuſque Eccleſiis, tradit *Euſebius* tunc fuiſſe *martyria*, [41] ἐν ἁπάσαις τῆ ἐκκλησίαις χῆ πάντα τόπον· Et alibi, [42] μυρίους ὅσους τοῖς χῆ τὸ μαρτύριον ἀναδησμένους στεφάνοις. Quod certe verum eſſe non potuit, niſi candide intelligatur. *Alexandriæ* enim maximam fuiſſe copiam idem confeſſus eſt, [43] μάλιστα ᾗ (inquit) ἐπλήθυεν ἐπ' Αλεξανδρείας, propterea fortaſſe quod ibi in perſecutionis initio verſaretur ipſe *Severus*. In itinere enim ab *Antiochia Alexandriam* verſus decretam fuiſſe ſuperius audivimus. Inde igitur judicare licet de reliquis. At *Alexandriæ* his ipſis temporibus agebat *Origenes* qui ὀλίγους & ὡρισμένους fuiſſe tradit qui ibi coronati fuerint. Nec ſane tantam fuiſſe, quantam innuit *Euſebius*, martyrum multitudinem, ex ipſa *Euſebii* hiſtoria facile colligimus. Nec enim *multos* ille recenſuit, nec vero admodum *multos* ſignificat à ſe eſſe prætermiſſos.

§. XLIV. Sed & alia de cauſa credibile eſt *Alexandriæ* magis quam in aliis (*Occidentis* præſertim) *imperii* partibus eſſe ſævitum, propterea quod maximæ ibi fuiſſent *Judæorum* coloniæ, & quod ab illis præcipue

[29] *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VI. 2. 3. [30] In *Euſ.* Chr.
[31] *Cenſorin.* c. 17. [32] *Sueton.* in *Claud.*
[33] *Epictet.* ap. *Arrian.* L. II. c. 9.
[34] *Spartian. Caracall.* c. 1. [35] Apol. c. 16.
[36] *Tacit.* Hiſt. V. * *Joſeph.* cont. *Apion.* L. II.
[37] *Lamprid. Heliogabal.* c. 3.
[38] *Hadrian.* Ep. ad *Servian.* ap. *Flav. Vopiſc.* in *Saturnin.* c. 8. [39] *Lamprid.* in *Alexandr.* c. 45.
[40] *Euſeb.* Hiſt. Eccl. X. 3. [41] *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VI. 1.
[42] C. 2. [43] C. 1.

cipue partibus maxime immineret metus ſi qui novi tumultus in *Judæa* orirentur. Propterea fortaſſe ibi *propoſita* ſunt perſecutionis edicta, cum in reliquis tamen provinciis non niſi ad *clamores* tumultuantis in *circo* & *theatro* plebis, & quod rem aliunde Imperatori ſenſiſſent non fore utique ingratam, nullis certe *propoſitis* edictis, præfecti perſequerentur. Ita certe rem fuiſſe multa ſuadent, quod *Severum* in perſecutorum catalogo prætermiſerit *Lactantius*, nec *Lactantius* modo, ſed *Severo* coævus etiam *Tertullianus*. Nec prætermiſit ſolum, ſed diſertis verbis excluſit. [44] *Solos* inquit *impios*, *injuſtos*, *turpes*, *truces*, *vanos*, *dementes*, *leges* illas perſecutionis adverſus Chriſtianos *exercuiſſe*, & *Neronem* rurſus *ſolum* atque *Domitianum* illis notis deſignavit, non omnino *Severum*, quem infra inter laudatæ memoriæ principes recenſuit. Leges illas eaſdem, *nullum* dicit *Pium*, *nullum Severum impreſſiſſe*. Ita editio *Junii*. Quid dici potuit clarius, niſi forte pro *Severo Verum* cum *Rhenano* & *Rigaltio*, legamus (quem errorem in veterum ſcriptis frequentem obſervavit *Scaliger*) & de *Marco Lucioque Veris* intelligamus. Sed ne ita quidem adverſariis ſatisfaciet, qui & *Marcum* numerant inter *perſecutores*: nec ſuo etiam inſtituto, ſatisfaciet ipſe *Tertullianus*, qui eo ipſo nomine *perſecutioni* invidiam conflat quod nulli eam *boni principes* exercuiſſe legerentur. Porro in *actis* noſtri martyris frequentiſſima occurrit mentio *reſcriptorum* imperialium: *Sacratiſſimi Imperatores* (inquit *Paternus* proconſul) *Valerianus & Gallienus literas ad me dare dignati ſunt, quibus præceperunt eos qui Romanam religionem non colunt, debere Romanas ceremonias recognoſcere.* Rurſus: *Poteris ergo ſecundum præceptum Valeriani & Gallieni exul ad urbem Curubitanam proficiſci?* Iterum: *Non ſolum de Epiſcopis, verum etiam de Presbyteris mihi ſcribere dignati ſunt.* Poſtea: *Præceperunt etiam ne in aliquibus locis conciliabula fiant, nec cœmeteria ingrediantur.* Ad eandem formam ſequentis etiam anni Proconſul *Galerius Maximus*. At nullum memorant ſive *præceptum* ſive *edictum* Imperatoris acta *Perpetuæ* & *Felicitatis* quæ habemus hodie ſincera.

§. XLV. Quod ſi *edictum* aliquod in has etiam, *Occidentis*, partes emiſſum concedamus, at ſane ab Imperatore *extortum* potius videtur, quam emiſſum à volente. Id ſatis innuunt illa *Tertulliani* ad Scapulam: [45] *Sed & clariſſimas fœminas & clariſſimos viros Severus ſciens hujus ſectæ eſſe, non modo non læſit, verum & teſtimonio exornavit, & populo furenti in os palam reſtitit. Populi* itaque potius quam *Severi* furore nata hæc videtur perſecutio, & quanquam *ceſſit* populo in emittendo perſecutionis decreto, *reſtitit* tamen eidem in os *Chriſtianos amicos* ad ſupplicium poſcenti. Plane hæc *refragantis* ab initio & *nolentis* indicia ſunt. Sed & *præſides* provinciarum *Africanarum Chriſtianos* inviti perſecuti ſunt. Ita idem Tertullianus: [46] *Quanti autem præſides & conſtantiores & crudeliores diſſimulaverunt ab hujuſmodi cauſis? Ut Cincius Severus, qui Thiſtri ipſe dedit remedium quomodo reſponderent Chriſtiani ut dimitti poſſent: ut Veſpronius Candidus, qui Chriſtianum quaſi tumultuoſum civibus ſuis ſatisfacere dimiſit: ut Aſper qui modice vexatum hominem, & ſtatim dejectum, nec ſacrificium compulit facere, ante profeſſus inter advocatos & aſſeſſores, dolere ſe incidiſſe in hanc cauſam. Pudens etiam miſſum ad ſe Chriſtianum, in elogio, concuſſione ejus intellecta, dimiſit, ſciſſo eodem elogio, ſine accuſatore negans ſe auditurum hominem, ſecundum mandatum, Trajani* ſcilicet in reſcripto ad *Plinium*. Nequeunt hæc exempla de aliqua alia perſecutione ita commode intelligi ac illa, de qua agimus, *Severi*. *Cincius Severus* idem eſt, ni fallor, quem *Cingium Severum* appellat in *Commodo* [47] *Lampridius*, *Cincium Severum* [48] *Spartianus* in *Severo*, quem etiam memorat à *Severo Auguſto* accuſatum quod ſe veneno appetiſſet, atque ita interfectum, eo ut videtur tempore quo *Romæ* moratus eſt *Severus* à fine An. Dom. CCII. ad CCVIII. quo expeditionem *Britannicam* adornavit. *Veſpronius Candidus*, quem & *veterem conſularem* appellat, legationem obiit à *Didio Juliano* ad exercitum *Severi*, teſte *Spartiano*. Pro *vetus* conſularis, *Verus* legendum eſſe contendit *Caſaubonus*, nec alium quam hunc *Veſpronium Candidum Verum* collegam *Commodi* Auguſti agnoſcit *Onuphrius* An. U. C. DCCCCXXXII. Chriſti CLXXIX. Duo *Aſpri* Coſſ. erant A. D. CCCXII. ut proinde ſi eorum alter *Africæ* Proconſul fuerit, in *Caracallæ* imperium incurrere debuerit ejus Proconſulatus, niſi jam iterum Coſ. eum fuiſſe ſupponamus. *Pudens* aliquis *Marco* imperante bis Coſ. fuit A. D. CLXV, CLXVI. Ita etiam ſub *Marco* Proconſul eſſe potuit. Si itaque de perſecutione aliqua ab Imperatore concitata intelligendus ſit *Tertullianus*, in nullam certe propius quam in *Severi* perſecutionem convenient. Fateor tamen & in alia quam *Severi* tempora convenire potuiſſe, vel *Marco* vel *Commodi*, vel etiam fortaſſe *Caracallæ*; fateor etiam *populi* potius clamoribus quam *Imperatorum* edictis potuiſſe concitari; fateor denique non potuiſſe omnes in *Africæ* Proconſulatu biennio illo perſecutionis ſuccedere. Id unum ergo colligo quam remiſſi futuri erant illius temporis Proconſules in majori, quam qua uſum eſſe diximus *Severum*, diligentia Imperatoris in *Chriſtianorum* perſecutione incitarentur.

§. XLVI. Eſt etiam id obſervatione dignum, *Chriſtianos fieri* duntaxat vetuiſſe *Severum*, nihil autem eſſe quo jam *factos* poſſet colligi ejus eſſe juſſu puniendos. Ita nulli *martyres* coronandi erant niſi qui *gentiles* olim fuiſſent, & *Chriſto* nomen dediſſent poſtquam propoſitum illud fuiſſet perſecutionis edictum, & quidem intra illud *perſecutionis* biennium; vel ſiqui ſe *libentes* ſupplicio obtuliſſent, quod facturus erat puer *Origenes* (hos enim nulla ſuperiorum Imperatorum edicta à pœna eximebant) vel ſiqui denique *alios* ad *Chriſtianam religionem* convertiſſent, quo ipſo etiam legimus tantum ſibi odium gentilium factum jam celebriorem eundem concitaſſe *Origenem*. Non alios certe *Origenis* diſcipulos *martyres* recenſet [49] *Euſebius* quam *proſelytas*. Nec alia de cauſa *fugientem* perſecutos *Origenem* tradit *Euſebius*, quam propter multitudinem eorum qui ab eo quotidie *converterentur*. Hac una de cauſa ſummo illum ſtudio 2°. præſertim perſecutionis anno quæſitum eſſe conſtat, cum jam tempus pateretur ut multi poſſent poſt edictum à *gentilium* ſuperſtitione ſe ad *Chriſtianam* religionem conferre. Ita [50] *Euſebius* τοσοῦτος δὲ λῶ ἄρα τῶν ἀπίστων ὁ πρὸς αὐτὸν πόλεμος, ὡς καὶ συγγραφὰς ποιησαμένους, σφετιώτας αὐτῷ φθεὶ τὸν οἶκον ἔνθα κατέμεινεν ὑπισχῆσαι, ἀφ' τὸ πλῆθος τῶν τὸ ἱερᾶς πίστεως κατηχημένων παρ' αὐτῷ· ἕτω γὴ ὁσημέραι ὁ κατ' αὐτὸν διωγμὸς ἐξεκαίετο ὡς μηκέτι χωρεῖν αὐτὸν τὸ πᾶσαν Αλεξανδρέων πόλιν, οἴκους μὲν ἐξ οἴκων ἀμειβοντα, πανταχόθεν γὴ ἐλαυνόμενον, τὸ πληθύος ἕνεκεν τοῦ δι' αὐτὸν τῇ θείᾳ προσιόντων διδασκαλίᾳ. Longe certe diligentius quæſitum conſtat quam ipſum Epiſcopum *Demetrium*. Cur ita, niſi quia ipſe etiam fuiſſet in *proſelytarum* converſione

[44] Apol. c. 5. [45] Ad *Scap.* c. 4. [46] Ad *Scap.* ib. [47] *Lamp. Com.* c. 20. [48] *Spart. Sev.* c. 13. [49] *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VI. 4. [50] *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VI. 3.

ne longe diligentior? niſi quia odioſius eſſet, ex edicti forma, *converſoris* nomen quam *Chriſtiani*, quam etiam *Epiſcopi?* Quoſcunque igitur huic perſecutioni aſſignant *martyrologiorum* compaginatores, ſi *parentibus* nati eſſent *Chriſtianis*, & in *Eccleſia* ab *origine* baptizati atque enutriti, nec ſe tamen *obtuliſſent*, nec *alios* ad fidem pertraxiſſent, ſed nec aliis *accuſantibus* ad judices delati, ii omnes *ſuſpectorum* numero ſunt omnino accenſendi.

§. XLVII. Jam *Caracallæ* tempora, ut aliis fuerint *cruentiſſima*, at *Chriſtianis* certe prorſus ἀναίμακτα fuiſſe veriſimillimum eſt. *Lacte Chriſtiano educatum* ait [51] *Tertullianus*. Septennis puer [52] *colluſorem ſuum puerum ob Judaicam religionem gravius verberatum* doluit, quo ipſo *Judaicæ religionis* nomine *Chriſtianam* vulgo intelligant eruditi. Sub eo etiam *Aſprum* fuiſſe *Africæ* Proconſulem, qui quantum *Chriſtianis* faverit è *Tertulliano* jam didicimus, id proculdubio non auſus, nedum ut id coram *advocatis* ſuis & *aſſeſſoribus* profiteri auderet ſi ſub imperio vixiſſet *Chriſtiano* nomini infenſo, præſertim cum in eos quos pro *hoſtibus* haberet, tam ſævo eſſet alioquí ingenio *Caracalla*. *Macrino* nec *tempus* fuit, nec *animus* memoratur à *Chriſtianis* alienus. *Alagabalus* cetera immaniſſimus, ita tamen *Chriſtianos* non oderat ut pro *ſuis* etiam habuerit. [53] *Dicebat* (inquit *Lampridius*) *Judæorum & Samaritanorum religiones, & Chriſtianam devotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum ſecretum Heliogabali ſacerdotium teneret.* Locum *Pſalm.* XIX. 5. ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθηκε τὸ σκήνωμα αὐτȣ̃ legebant, quotquot interpretatione LXXII. uſi ſunt *Judæi* & *Chriſtiani*, & de λόγῳ dictum intelligebant. Idem ſenſerint fortaſſe *Samaritani*, ſiquid aliis à *Pentateucho* Scripturis tribuendum eſſe cenſuerint, vel idem fortaſſe ex aliquo *Pentateuchi* loco collegerint. Hoc ille ita intelligebat acſi *ſolem* ipſum pro *Deo* habuiſſent, nec enim alium [54] *Heliogabalum* ſuum quam *ſolem* exiſtimavit. Ita itaque non erat *perſecuturus* quos pro *ſuis* habuit ut, ſi vellent alii, eſſet etiam *impeditурus*. Quam vero *amicum Chriſtianis* fuerit *Alexandri* imperium, abunde manifeſtum eſt. [55] *Chriſtianis* ille publicum locum occupantibus in *Eccleſiæ* uſum conceſſit. [56] Idem *Chriſtianos* in munerum publicorum diſpoſitione ſibi in exemplum propoſuit. [57] Idem *Chriſtum* in *Larario majore ſanctioreque* habuit, quod nullos tamen niſi *divos optimoſque* & *conſecratos* complecteretur. Idem *Chriſto templum* facere voluit, eumque inter *deos* recipere. Idem per *præcones* illam *Chriſti* ſententiam celebrabat, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Sed & [58] *Mammæa* mater (cui nimium in reipub. adminiſtratione permiſſum eſſe queruntur, qui hujus præſtantiſſimi principis memoriam carpſerunt) ipſa quoque *Chriſtiana* fuit, & *Origenem* accerſivit ut ab eo in doctrina *Chriſti* erudiretur. Ea cum ita ſe haberent, non erat quod *Chriſtiani* metuerent, ſive à *plebium* tumultibus, ſive etiam à *præfectis* provinciarum. Sed & metum illum *edictis* ſuſtulit, ni fallor, *Alexander*. Ita enim de eo [59] *Lampridius: Judæis privilegia ſervavit. Chriſtianos eſſe paſſus eſt.* Cum *Judæos Chriſtianis* hac in cauſa conjungit, plane innuit revocatum de utriſque ab *Alexandro* quod fuerat antea de utriſque à *Septimio Severo* conſtitutum, & quidem per *edicta*, ſi quidem per *edicta* ſancitum eſſet à *Severo*. Si enim *leges* adverſus *Chriſtianos* à ſuis deceſſoribus latas ſolum non *impreſſiſſet*, non tanti id erat ut de ſolo *Alexandro* notaretur, cum nec alius quiſpiam à *Severo* Imperator illas impreſſiſſet. Id fuit ergo in *Alexandro* ſingulare, quod quas *Caracalla leges* adverſus *Chriſtianos*, & *Macrinus*, & *Alagabalus*, non *impreſſiſſent*, eas ipſe etiam *ſuſtuliſſet*, ut jam deinde populis præfectiſque non *liceret* Chriſtianos perſequi niſi *nova* à *novis* principibus emitterentur edicta.

§. XLVIII. Succeſſit deinde *Alexandro Maximinus* cui VI. perſecutionem tribuunt *Euſebius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus* & *Oroſius*, V. tamen duntaxat ex ordine *Sulpicii Severi*. Hunc in *Eccleſiarum ſacerdotes* factum à *Maximino* ait *Euſebius*, in *chronico Hieronymi Latino*, in Eccleſiarum ἄρχοντας μόνȣς, idem in *Hiſtoria*. Sed ἀρχόντων nomine *gregarios* etiam *ſacerdotes* includi ex eo ipſo colligunt, quod *Protocteto* Eccleſiæ *Cæſarienſis presbytero* librum ſuum de *martyrio* dicarit *Origenes* hac occaſione conſcriptum, quem una cum *Ambroſio* ἀθέτασις ὑχ ἡ τυχȣ̃σα ἐν τῷ διωγμῷ κατειλήφει. Recte itaque *Euſebium* intellexiſſe [61] *Oroſius* qui perſecutionem hanc in *ſacerdotes* & *clericos*, i. e. *doctores*, motam eſſe tradit, ſi tamen *clericorum* nomen non infra *presbyteros* extendamus, qui ſoli *doctores* eſſe poterant, præſertim ætate *Oroſii*. Eſſetque res extra dubium ſi de illius veritate conſtaret quod ſtatim addit *Oroſius*, præcipue propter *Origenem presbyterum* perſecutionem hanc à *Maximino* eſſe concitatam. Sed ut verum eſſe hoc fortaſſe poterat propter *Mammæa*, illud cum *Origene* commercium, quam oderat *Maximinus*, ita tamen habuiſſe nullo habemus coævi auctoris teſtimonio conſignatum. Ita non ad *multos* pertinebat illa perſecutio. Sed levior adhuc erat *edicto* edicti *executio*. Addit præterea [62] *Sulpicius nonnullarum* duntaxat *Eccleſiarum clericos ab eo eſſe vexatos*. Cui etiam conſentit [63] *Firmilianus*, quod perſecutio illa non *per totum mundum, ſed localis* fuiſſet, ſi tamen de eadem perſecutione ſit intelligendus. In *Africa* certe non videtur fuiſſe cum illam ignorarit *Lactantius*. Nec ſane aliter tam *longa* illa fuiſſet *pax* de qua meminit in libro de lapſis *Cyprianus*, ſi memoria tam *recenti* illam interrupiſſet *Maximinus*. Sed nec illud verum eſſe potuit quod dicit de *Cypriano Pontius*, *ſacerdotales coronas in Africa primum imbuiſſe* ſi in *Africam* tranſiiſſet illa perſecutio quæ in *ſacerdotes* præcipue ſæviebat. Et ne alibi quidem tantam fuiſſe ejus, quantam putant ſævitiam, ex illo quo duravit *tempore*, ex illis quibus eſt graſſata *locis*, facile colligimus.

§. XLIX. Quos itaque *limites* habuerit illa *Maximini* perſecutio, ex Epiſcoporum *Romanorum* ſucceſſione optime colligimus. Ut enim in *Romanis Epiſcopis* & ditione præſertim *ſuburbicaria* exemplum edidit provincialibus præfectis, quo quid ſibi gratum eſſet intelligerent; ita non eſt quod ſuſpicemur quin *Romæ* omnia pro ejus mente geſta fuerint, cum tantum haberet tamque infamem ibi ſævitiæ miniſtrum *Vitalianum*. Quo ergo tempore *Romanus* Epiſcopus occiſus eſt, eo tandem tempore conſtabat *Epiſcopos* fuiſſe è *Maximini* mandato occidendos: quo etiam tempore *tuti* erant *Romani Epiſcopi* ab omni perſecutionis incommodo, eo recte colligimus *remiſſam* eſſe à *Maximino* perſecutionem. Ita illam ſi æſtimemus, neceſſe erat hanc *perſecutionem* omnino fuiſſe *breviſſimam*. Primus *Maximinum* ſibi infenſum ſenſit *Pontianus*, quem tamen primum *exilio*, tandem

[51] *Tert.* ad *Scap.* c. 4. [52] *Spartian. Caracal.* c. 1.
[53] In *Heliogabal.* c. 3. [54] *Tertul.* Apolog. c. 16.
[55] *Lamprid. Alex. Sev.* c. 49. c. 45.
[56] E ſcriptore ſuorum temporum id. c. 29. 31. c. 43.
[57] C. 51. [58] *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VI. 21.
[59] *Lamprid. Alex. Sever.* c. 22.
[60] *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VI. 28.
[61] *Oroſ.* LVIII. c. 19.
[62] *Sulp. Sever.* Sacr. Hiſt. L. II.
[63] Ep. apud *Cyprian.* LXXV.

dem *morte* affecit ſub finem anni CCXXXV. *Diſcinctum* tradit Sept. XXVIII. Inciculus *Bucherii*; *defunctum* pſeudo-*Damaſus* Novem. XIX. ita ut in ambiguo relinquat, ipſiſne *exilii* incommodis occubuerit, an *juſſu Maximini*. Hunc in martyrii *die* ſequuntur *martyrologia*. *Recentiorem* martyrii Epocham veriſimile eſt fuiſſe *veriorem*. Novembris enim XXI. ſuffectum fuiſſe in ejus locum *Anterotem* teſtis eſt *Bucherii* indiculus. Nec longe abit, quod defunctum *Anterotem* III. *Januarii* menſem *unum* dicant & X. ſediſſe diebus. Succeſſit *Anteroti Fabianus* cui neminem deinceps ad *Decii* uſque perſecutionem moleſtum fuiſſe legimus. Ita fiet ut intra finem *Novembris* & initium *Januarii* tota hæc ſit concludenda perſecutio. *Hippolytum Portuenſem* regionis ſuburbicariæ Epiſcopum *Auguſt.* XXII. tradunt *martyrologia*. Id ſi verum ſit, vel ſuperiori anno CCXXV. vel hoc CCXXXVI. contigerit neceſſe eſt. Ita *depoſitio* ejus, quam cum *Pontiani* depoſitione conjungit Kalendarium *Bucherianum*, non fuerit ante annum CCXXXVII. XIII. enim *Auguſti* illam aſſignat *Kalendarium*. Nec vero eſt quod dubitemus, quin *Auguſto* exeunte anni CCXXXVII. *pax* fuerit *Chriſtianis* reſtituta.

§. L. Ego citius reſtitutam ſuſpicor, ut omnino *verus* vix potuerit eſſe, quem aſſignant, *Hippolyti natalis*. Auguſti XIII. anni CCXXXV. *Legem* habemus *Alexandri* Imperatoris in [64] *codice Juſtiniani*. Ex quo obiter conſtat quantum aberrarit à ſcopo vulgus chronologorum qui ante illum menſem conſtituunt *natalem Maximini*. Ita fiet ut, cum tanto intervallo abfuerit à *Roma Maximinus*, vix potuerit occidi eo anno *Hippolytus Romæ*, ſi *Auguſti* XXII. paſſum credamus. Sed etiam *Auguſto* anni inſequentis, nulla erat fortaſſe *Romæ* poteſtas *Maximini*. Unicam habemus in [65] codice illis Coſſ. *Maximini legem*, ſed *Januarii* IX. editam. Nec plura quam *unius* anni geſta commemorat *Herodianus*. Contulerat ſe in *hiberna Maximinus*, *proximo vere* in hoſtem moturus. *Minatus* enim eſt *ſe exciſurum ſubacturumque Oceano tenus omnes Germaniæ barbaras nationes*. Id quod etiam præſtiturum credit [66] *Herodianus*, ni domeſticis fuiſſet turbis impeditus. *Proximo* itaque anno ineunte Imperatores facti ſunt in *Africa* duo *Gordiani*. Literas *Gordiani* patris è *Carthagine* datas ad Senatum recitavit *Junius Syllanus* Coſ. ſuffectus *Maii* XXVII. ut legimus in hodierno [67] *Capitolino*, vel *Junii* XXVI. ut emendat ex veteri editione *Salmaſius*. Ita menſe *Auguſto* nihil potuit *Romæ Maximinus*. Nuncium de *Gordianis interemtis* accepit ſenatus VII. Kal. *Junii*, ipſis *Apollinaribus ludis*, ſi [68] *Capitolinum* audimus. Liber *Puteani* quo uſus eſt *Caſaubonus*, VII. Id. *Jun.* alius VIII. Id. *Jun.* reponendum omnino VII. vel VIII. Id. ſed *Jul.* In illos enim dies incidunt *Ludi Apollinares* in veteri *Auguſti Kalendario*. Sed brevius eſt intervallum quam ut eodem anno *utroſque* hoſce nuncios acceperit ſenatus, nec ſufficiebat rebus à *Gordiano* geſtis. Sequente itaque anno CCXXXVII. menſi *Julio* tribuendum *Gordianorum* interitum eſt ſane veriſimillimum. Aliter mitti non potuerunt à *Maximino* ad ſenatum legati, cum nuncium jam de imperio *Gordianorum* accepiſſet in *Pannonia* ipſe *Maximinus*, quos tamen *miſſos rejectoſque* à ſenatu auctore conſtat [69] *Capitolino*. Et quidem annum unum menſes VI. *Gordianis* tribuit [70] *Capitolinus*. Ut in *menſibus* errarit fortaſſe, at certe in *anno* non erraſſe conſtat ex illis, quos dixi, nunciis, quorum *dies* ex *actis ſenatus* proculdubio deſcripſerat. Tandem audita [71] *Maximi* & *Balbini* Augg. renunciatione movet in ſenatum *Maximinus*, appetente *hyeme*. Rem enim illam totam *hyeme* geſtam teſtis eſt *Herodianus*. Et ſub *finem* hujus anni *occiſi* ſunt, vel ſequentis initium, III. enim Trib. poteſtatem inchoaſſe *Maximinum* ſeniorem conſtat è nummis. [72] Ita *annum* abſolvere poterant *Maximinus* & *Balbinus*, quem tribuit illis [73] *Capitolinus*. Quod enim alibi *biennium* illis aſſignat, numeravit annum [74] *Gordianorum*. Eo enim tempore eminebant [75] *Maximus* & *Balbinus* inter XX. viros quibus Reipub. tutela commiſſa eſt à ſenatu, diſtributis inter illos *Italiæ* regionibus. Occiſi igitur ſunt à militibus Ann. D. CCXXXVIII. *Agon. Capitolino*, ſed ante menſem *Junium*. *Junii* enim XXII. & deinceps *leges* habemus [76] *Gordiani Auguſti*, qui poſt eorum cædem factus eſt Auguſtus. Et quod *unam* habeamus Kal. *Januarii* [77] ſignatam, omnino probabile eſt excidiſſe *numerum Kalendarum*, ut anni potius *fine* quam *initio* eam condiderit *Gordianus*. Ita fortaſſe horum imperiorum tempora recte explicuerimus, quibus neſcio quidpiamne ſit in *Romana hiſtoria* perturbatius. Quæ ſi *vera* eſſe concedantur, jam intelligemus quam *brevis* illa neceſſario fuerit *Maximini* perſecutio. Intelligemus præterea cur nulla fuerit in *Africa*, quia defecerunt ibi *Gordiani*.

§. LI. Nec etiam præterquam ad *Vitalianum*, ad alium aliquem *Provinciarum* præfectum datum illud videtur *Maximini* de perſecutione reſcriptum. Quas certe alibi in *partibus* imperii *Orientalibus*, legimus *perſecutiones*, eorum ut occaſio aliqua fortaſſe fuerit, at *cauſam* certe nullum veriſimile eſt fuiſſe *Imperatoris edictum*. *Maximini* perſecutio *Epiſcoporum* erat *ſolorum*, vel forte etiam *presbyterorum*. At *fidelium* omnium *communis* erat illa cujus meminit *Firmilianus*. Id innuunt illa ejus verba —— [78] *ad turbandum populum noſtrum terribilior effecta eſt*. Et, *in hac autem perturbatione conſtitutis fidelibus*, &c. Sed nec ulla propria *ſacerdotii* mentio in *Origenis* exhortatione ad *martyrium Ambroſio* dicata, ſed eo potius omnia referuntur ut *Chriſtianitatis* potius quam *ſacerdotii* illud videatur fuiſſe periculum. Sed & alias fuiſſe cauſas manifeſtum eſt. Per ſuam *Cappadociæ* & *Ponti* provinciam *terræmotus* plurimos frequenteſque ait fuiſſe *Firmilianus*, qui urbes aliquot integras abſorpſerint, quos ſane conſtat in tota illa *Aſia* minori fuiſſe frequentiſſimos. *Ex hoc perſecutionem gravem Chriſtiani nominis factam* dicit. Conſtat enim omnia reipublicæ *incommoda* eo eſſe relata à *gentilibus*, ut *diis* ob *Chriſtianum* nomen infenſis tribuenda viderentur. Idem tradit de ſui etiam temporis perſecutione [79] *Origenes*, ſi tamen de eadem perſecutione loquatur, quam alibi [80] *Maximini* imperio ipſe conſignavit, ut illum vulgo intelligunt eruditi. Ita fiet ut *Maximini* edictum inter ſolas fortaſſe *ſuburbicanas* regiones nocuerit *Chriſtianis*: quæ alibi naſcerentur *perſecutiones*, è certis *locorum* incommodis, certis *plebium præſidumque* odiis in *Chriſtianos*, quam *Imperatori* potius tribuenda erant. Sed nec illæ admodum *cruentæ* eſſe poterant, cum pateret *Chriſtianis fuga*, ut ait patuiſſe *Firmilianus*. Incepit perſecutio illa (cujus meminit *Firmilianus*) A. D. CCXXXV. accuratiſſime.

64 L. I. Tit. 26. n. 2. 65 Cod. L. II. T. 3. 13.
66 *Herodian.* L. VII. p. 334.
67 *Capitolin. Maximin.* duob. c. 16.
68 *Cap. Maximo* & *Balbin.* c. 1.
69 *Cap.* in *Gordianis* tribus c. 10. 70 Ib. c. ult.
71 *Cap. Max.* duob. c. 21. 72 *Goltz.*
73 *Cap. Max.* & *Balbino* c. 15. 74 *Cap. Gordian.* c. 2.
75 *Cap.* ib. c. 10.
76 In Cod. II. 10. 2. V. 51. 5. II. 22. 2. &c.
77 Cod. V. 70. 2. 78 Apud *Cyprian.* Ep. LXXV.
79 Tract. XXVIII. 80 Ap. *Euſeb.*

tiſſime. Ad illum enim annum anni XXII. ab eo quo ſcripſit *Firmilianus* anno retro ſupputati pertingunt. Medio aliquo tempore inter *Severi* perſecutiones atque *Maximini*, orta ea videtur in Africa perſecutio quæ *Tertulliano* occaſionem dedit ſcribendi *apologeticum*, & libros ad *nationes* & ad *Scapulam*. Sed & ea videtur, non *Imperatorum* fuiſſe, ſed *præfectorum* provincialium, nec ita *multos* feciſſe *martyres*. Non vacat tamen eam impræſentiarum accurate exequi.

§. LII. Venio itaque tandem ad noſtri *Cypriani* tempora, in quibus prima occurrit perſecutio *Decii* quam *ſeptimam* numerat *Euſebius*. Ab illa *Severi* XXXVIII. annorum intervallum interponit *Sulpicius*. Recte nimirum ille, pro communi ſententia, modo *decadem*, quæ intercidit, reponas. Ab anno enim *Domini* CCII. *Severi* X. quo *incepiſſe* illam diximus perſecutionem ad A. D. CCL. in quem incidit maxima pars *primi* anni imperii *Deciani*, numerantur anni XLVIII. accuratiſſime. Hanc perſecutionem faciunt fabulatores, excepta ultima *Diocletiani*, omnium omnino ſæviſſimam, *martyrumque copia* fœcundiſſimam. Et quo id videantur meliori jure facere, *faſtos Eccleſiaſticos* perturbant, *conſules* tranſponunt, alium nobis *Decium* redivivum ſub *Valeriano* comminiſcuntur, quem & ipſi cum *Decio* Imperatore imperite confundunt, ut oſtendit in ſuis annalibus pater maximus accuratiſſimuſque noſter *Ceſtrienſis*. Ita factum ut *omnes* noſtro martyri coævæ perſecutiones unius *Decii* nomen ferant, & *Galli Valerianique* martyres in *ejus* cenſum referantur. Iniquiſſimi quidem illi, ut longe alium nobis *Decium* repræſentent quam ſuopte fuerit ingenio. Πάσαις ἁρπρέπουσα τῇ ἀρετᾶς & ἄλλα βεβασιλδυκότα [81] appellat *Zoſimus*. *Artibus cunctis virtutibuſque inſtructum*, *placidum & communem domi* Aurelius Victor. Et quod *Trajani optimique principis* titulis vivus à ſenatu fuerit ornatus, mortuuſque ab iiſdem in *Divos* relatus; plane innuunt, præterquam in *Chriſtianos*, non tam fuiſſe, quam putatur, *ſanguinolentum Decii* imperium. Quod ſi *ſævus* ſua fuiſſet *indole*, eundem & in *alios* futurum veriſimile erat. Si *mitis* placiduſque, cur *alius* omnino fuit in *Chriſtianos?* Demus aliquid *ſuperſtitioni*. At cum ita crederet pro bono reipublicæ in Chriſtianos eſſe ſæviendum; *modum* tamen aliquem juſtis alioqui meritiſque, quas exiſtimabat, pœnis impoſuiſſet ipſa illa *nativa clementia*, ipſa illa quam bonos illorum temporum principes inceſſiſſe diximus, ambitio de *temporum* ſuorum *felicitate*. Neque vero probis Eccleſiæ monumentis ſubinnuitur tantam fuiſſe ſub *Decio*, quam putant, *martyrum* multitudinem.

§. LIII. Statim equidem à *ſuſcepto* imperio *incœptam* conſtat ab eo perſecutionem. *Quaſi hujus rei gratia provectus eſſet ad illud principale faſtigium, furere protinus contra Deum cœpit ut protinus caderet*, [82] inquit *Lactantius*. Et ad *Alexandrinos* unus idemque nuncius retulit & ſucceſſiſſe in imperio *Decium*, & edidiſſe perſecutionis *edicta*, ut è *Dionyſii Alexandrini* [83] epiſtola conſtat ad *Fabium Antiochenum*. Nempe *Romæ* fuit ipſe ſub finem A.D. CCXLIX. Primi omnium capti ſunt cum ſociis *Moyſes* & *Maximus* & *Celerinus*, ipſo adhuc *Romæ* verſante *Decio*. Sed *cruciatibus* duntaxat & *tormentis* adhuc geſta res eſt, nondum pœna *capitis* in quenquam conſtituta. Dimiſſus etiam videtur poſt aliquot dierum probationem *Celerinus*, ut ex hac ipſa epiſtola colligimus. Unde illud ſi tam *ſævus* fuiſſet, quam volunt in *Chriſtianorum* perſecutione, *Decius?* Primum legimus *martyrem Fabianum* ſub finem *Januarii*, ſi tamen recte tempus conſignatum à vitarum Pontificalium concinnatoribus, ſub *diſceſſum* fortaſſe *Decii*, nec enim diu ille *Romæ* eſt moratus. Poſtea paulo plus quam annuum interceſſit intervallum antequam in *Fabiani* locum ſufficeretur *Cornelius*. Inde colligimus ea uſum eſſe arte in Eccleſiæ perſecutione *Decium* qua uſus antea fuerat *Maximinus*, ut in Eccleſiæ *ſacerdotes* præcipue perſecutionem intentaret, ſublato ita *paſtore*, rem fore facilem ratus, & minimo ſanguine præſtandam, ut *ovile* diſſiparetur. Inde certe remiſſius cum *Chriſtianis* agi cœptum. Capti jam deprehenſique Confeſſores in *cuſtodia* detinebantur uſque ad *finem* perſecutionis. Nec *alios* deinde captos legimus, ſed nec eos ipſos *novis* deinde, poſt *Decii* diſceſſum, cruciatibus quæſtionibuſque ſubjectos. Qui enim in carcere obiit *Moyſes*, carceris potius incommodis quam nova aliqua judicis ſævitia videtur occiſus. Nec eſt ſane omnino veriſimile alios fore interficiendos, cum quos adhuc in cuſtodia haberent, eorum tamen ſanguini vitæque pepercerint. Sed nec unquam meminerunt cleri *Romani*, ſede vacante, conſcriptæ epiſtolæ, novum aliquem poſt *Fabianum* martyrio coronatum, ſed ne *captum* equidem *cruciatumque* eo *Chriſtiani* nomine à *judice*. Et vero totum opprimendæ *Chriſtianitatis* præſidium in eo eſſe poſitum à *Decio* ſi ſedem *Romæ* vacuam ſervaſſet, ex illis noſtri martyris verbis colligimus quæ ſcripſit ad Antonianum. [84] *Multo* (inquit) *patientius & tolerabilius audiſſe* Decium *levari adverſus ſe æmulum principem quam conſtitui Romæ æmulum ſacerdotem*. Quorſum illud, ni gravius aliquod momentum in ea ſitum credidiſſet *Romanæ* ſedis vacatione? Aliter certe tam tolerabilis erat *Chriſtianis unius*, licet fortiſſimi, militis *jactura* quam ipſi fuit [85] *Decio* cum filium fortiſſime dimicantem ab hoſtibus interfectum accepiſſet. Omnino hæc *Chriſtianos* tractandi ratio, ut quam pauciſſimo *ſanguine* conſtaret ipſius *Chriſtianitatis* excidium, *miti* illi, quod in eo principe celebratur placidoque optime conveniebat ingenio.

§. LIV. Talis fuit *Romæ Decii* perſecutio, ubi pro *principis* arbitrio res ſingulas geſtas eſſe veriſimillimum eſt. Verum ad *Provincias* emanavit principis edictum, & in illis pro diverſo præfectorum provincialiumque genio, erat & ipſa quoque perſecutio diverſiſſima, ita tamen ut omnibus *exemplo* proculdubio fuerint quæ *Romæ* ipſius Imperatoris juſſu geſta audiviſſent. *Carthagini*, ut è *Cypriani* noſtri conſtat epiſtolis, primus impetus *populi* erat furentis in *Epiſcopum*, plane ad exemplum *Decii* qui *Romanum Epiſcopum* primo loco tollendum cenſuit. [86] *Orto* itaque *turbationis impetu primo* Cyprianum ad leonem populus flagitavit. Inde illi feceſſus occaſio, propter *quietem fratrum publicam*, quod ſe unum præ aliis expeti, & ſui unius invidioſa præſentia populi clamitantis furorem intellexiſſet accendi. Eo fugato duo erant omnino perſecutionis *gradus*, prior *magiſtratuum urbicorum* uſque ad adventum novi, ut videtur, proconſulis, anno ſequenti Æræ vulgaris CCL. officium inituri; tum ipſius, ubi appuliſſet, *proconſulis*. *Magiſtratus* illi, cum pro *Romanis*, ut dixi, legibus, *jus gladii* non haberent; conſentaneum proinde erat ut pro eo intervallo *nulli* prorſus omnino fierent *martyres*. Solis itaque *proſcriptionibus* & *carceribus* rem geſtam hactenus fuiſſe manifeſtum eſt. *Proſcriptus* ipſe eſt *Cyprianus*. Confeſſores reliqui in *cuſtodiam* dati. Eo enim uſque conceſſum erat *magiſtratibus*

[81] *Zoſim.* Hiſt. L. I. [82] De mort. perſec. c. 4.
[83] Ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VI. 41.
[84] Ep. LII. [85] *Victor Schotti* in *Decio*.
[86] Ep. XV. & *Pont.* in vit.

ſtratibus ut ſuo proprio jure procederent. Et tamen hujus *incruentæ* perſecutionis *metu* lapſa eſt tanta illa *fidelium* multitudo, quam toties luget ipſe [87] *Cyprianus*, quo ipſo nomine ſceleris gravitatem extollit. Tandem appulit *proconſul*, atque inde *martyria* facta eſſe legimus. De illis agit Ep. IX. *Cyprianus*. Eam ſtatim ab *adventu proconſulis*, datam, verba ejus illa innuunt: *Et nuper quidem, cum, confeſſione perſtante ſuſcepta pœna eſt, quæ confeſſores Chriſti fecit extorres.* Prima itaque *proconſulis* perſecutio erat per *exilia*, inde ad *cædes* facta eſt gradatio. Ita enim ſequitur: *Confeſſio tamen præſens, quanto in paſſione fortior, tanto clarior & major in honore eſt. Crevit pugna, crevit & pugnantium gloria. Nec retardati eſtis ab acie tormentorum metu, ſed ipſis tormentis magis eſtis ad aciem provocati; fortes & ſtabiles ad maximi certaminis prælium promta devotione prodiſtis.* Gemina ſunt & illa quæ habet alibi de *Aurelio* confeſſore: [88] *Gemino hic agone certavit; bis confeſſus, & bis confeſſionis ſuæ victoria glorioſus; & quando vicit in curſu factus extorris, & cum denuo certamine fortiore pugnavit, triumphator & victor in prælio paſſionis. Quotiens adverſarius provocare ſervos Dei voluit, totiens promtiſſimus miles pugnavit & vicit. Parum fuerit ſub oculis ante paucorum, quando extorris fiebat, congreſſum fuiſſe meruit; & in foro congredi clariore virtute, ut poſt magiſtratus etiam proconſulem vinceret, & poſt exilium tormenta ſuperaret.* Non erant itaque ante *proconſulis* adventum expectanda *martyria*. Sed nec *poſtea* antequam compererat proconſul prima ſua *exilii* methodo nullos ſe in *delenda Chriſtianitate* feciſſe progreſſus. Id quando contigerit ita colligimus. Ab hac proconſulis *poſteriori* perſecutione, quæ *capitis* erat, ad prima *Paſchæ* ſolennia *triennium* numerat *Cyprianus*, ad [89] *Paſcham* viz. A. D. CCLIII. Veriſimillimum eſt ætate *Cypriani* ea methodo uſos eſſe *Afros* quæ in eo tractatu traditur quem *Cypriano* ſuo ſubjunxerit è MSS. Dominus *Oxonienſis*. In eo autem tractatu A. D. CCXLIII. qui *Arriano* & *Papo* Coſſ. notatur, eſt annus Cycli CXII. annorum *tertius*. Ergo annus CCLIII. quo illud triennium abſolvitur, eſt ejuſdem Cycli XIII. Is Cycli annus XIV. primi menſis lunaris habet V. Kal. *April.* (i. e. *Martii* XXVIII.) fer. II. Ergo *Dominica Paſchalis* erit *April.* III. Scripſit vero illam LIII. *Cyprianus* circa *prima paſchæ ſolennia*. Ea, ni fallor, erant *jejunium Paſchale*, ut proinde *ſecunda ſolennia* habenda ſint quam *lætitiam Paſchæ* appellat *Celerinus* Ep. XXI. hebdomada *Dominicam Paſchalem* excipiente. Id *jejunium*, apud *Afros*, illos præcipue *dies* complectebatur, *quibus ablatus eſt ſponſus*, teſte [90] *Tertulliano*, i. e. *quibus jacuit in ſepulcro corpus Domini*, viz. intervallum à feria *Paſſionis* ad Dominicam *Paſchalem*. Ita fiet ut initio *Aprilis* A. D. CCL. ad *martyria* progreſſus fuerit proconſul, ſi tempus *accurate* deſignarit *Cyprianus*. Erant autem, ut in *violentis* plerunque fit, illius quoque perſecutionis *initia* longe ſæviora. *Quoſdam jam coronatos* ait cum Ep. IX. ſcriberet *Cyprianus*, *quoſdam vero ad coronam victoriæ proximos.* Nulla tamen in utrovis genere *magnæ* alicujus *multitudinis* ſignificatio. Poſtea, cum nihil iſtiuſmodi *initiis* ſe comperiſſet profeciſſe proconſul, ad alia Reip. negotia converſus *remiſſiorem* ſe in *perſecutione* præbuit. Cum enim poſtea accidiſſent illæ de *martyrum pace* lapſis concedenda controverſiæ, magnus jam *lapſorum* erat ad *martyras* concurſus, multa de eorum nomine diſputatio, eorumque auctoritas hinc inde ventilata. Nullos tamen *novos* martyres *captos* legimus, nullos jam captorum *novos cruciatus*, ſed ne prolatos quidem coram proconſule, ſolius *carceris* incommodis oppreſſos qui deinde perierint, quæ ſane *magna* fuiſſe diſcimus ex epiſtola *Luciani* ad [91] *Celerinum*. Ita fiet ut quæ in *Africa* perierit *martyrum* multitudo, *magna* ſane eſſe non potuerit.

§. LV. Sed & alias imperii provincias *Decii* illud de perſecutione proculdubio emanavit edictum. Quid geſtum eſſet in *Aſia*, è vita *Gregorii Thaumaturgi* per *Nyſſenum* conſcripta facile intelligeremus, ſiquid tamen eſſet in ea vita fide dignum quod merito poſſet coævis monumentis immiſceri. Sed evoluto ſeculo & amplius ſcripſit illa *Nyſſenus*, nec ullo uſus *illius ævi* teſte, ex *orali* duntaxat *traditione* fabularum matre fœcundiſſima. Magnum ille *tormentorum* apparatum deſcribit ſuperandæ Chriſtianorum patientiæ, graviſſimas etiam principis *minas* in præfectos provinciarum ſi *negligentiores* in eo perſecutionis officio deprehendiſſet, *alienas* illas à moribus *Romani imperii*, à moribus ipſius *Decii*, à coævorum ſcriptorum *fide* commemorat. *Martyres* etiam in ea factos dicit, ſed vero *multi* illi fuerint an *pauci*, omnino non dicit. Sed non adeo *multos* fuiſſe admodum probabile eſt, quod *fugæ* dediſſet exemplum ipſe *Thaumaturgus*, Deo nempe ita jubente. Quod ideo certe veriſimilius eſt quod aliis etiam maximæ auctoritatis viris idem *Deus* in eadem perſecutione præceperit, *Cypriano* & *Dionyſio Alexandrino*. Sed in *Aſia* magis fuit id quam aliis in locis neceſſarium, non modo *infirmiorum* cauſa, ut illis ſubveniretur, quam caulam memorat *Nyſſenus*; ſed propter *Montaniſtas* etiam qui ea ipſa cauſa à *Catholicis* damnati eſſent quod negaſſent in *perſecutione* eſſe *fugiendum*. Et in priori illa, cujus meminiſſe diximus *Firmilianum*, perſecutione *Maximini*, idem etiam auctor eſt *fugiſſe* Catholicos, ut proinde non ſit quod miremur ſi in hac etiam perſecutione ſimiliter *fugerint*. Sed & in *Palæſtina* paſſi ſunt [92] *Decio* imperante *Babylas Antiochenus*, *Alexander Hieroſolymitanus*, & *confeſſionem* certe *præclariſſimam* edidit *Origenes*. Unde etiam conſtat, pro *Decii* & *Maximini* exemplo factum quod in *ſacerdotes* ſit præcipue ſævitum, & quod expetitus fuerit præ aliis *Origenes*. Sed, præter illos illuſtres viros, alios etiam eſſe paſſos, nihil eſt quod colligamus. *Romanum* exemplum propoſuerit forte ſibi *Palæſtinæ* præfectus, *plebem* ſcilicet, uno alterove inſigniori edito exemplo, ita fore crediderit ut facile coerceret.

§. LVI. Omnium vero duriſſima erat illa quæ *Alexandrinis* incubuit perſecutio. *Anno* enim integro perſecutionis edictum antevertiſſe auctor eſt coævus [93] *Dionyſius*. Præfectus erat illius anni *Sabinus*. Inflammavit in *Chriſtianos* plebem *Alexandrinam* præſtigiator aliquis κακῶν τῇ πόλει μάντις ἢ ποιητὴς, qui ſcilicet *malorum* quæ civitati ominatus eſſet, idem ipſe *auctor* fuerit, tantam illam bonorum civium innocentiumque hominum *cædem* excitando. Semper enim *Chriſtianos* id genus impoſtoribus odio fuiſſe diximus. Et facile illis fuit omnium θεομηνιῶν invidiam, apud imperitum vulgus, in *Chriſtianorum* capita convertere. Involant illico illi in *Chriſtianos*, & quos obvios habent, diris inhumaniſque modis interficiunt. Tum in *domos Chriſtianorum* irrumpunt, ſed jam *avaritia ſuperſtitionem* vincente, dum *bonis* inhiant, *hominibus* fugam facilem concedunt. Paucos itaque hactenus *martyres* fuiſſe veriſimile eſt, præſertim nullo adhuc accedente *Imperatoris edicto*, nullo adhuc *præfecti* militari auxilio. Quin illa potius omnia

[87] De lapſis. [88] Ep. XXXIII. vid. etiam Ep. LIII.
[89] Ep. LIII. [90] *Tertul.* de Jejun. adv. Pſych. c. 13, 14.
[91] Ep. XXII. [92] *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VI. 39.
[93] Ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VI. 40, 41.

nia habuerunt *adversa*, tam publicæ *pacis* conservandæ causa, quam ne *seditiones* illæ tandem in *defectionem* erumperent, quam etiam *tuendi* innocentes, cum ὅμβρῳ illam *Philippi* βασιλείαν dicat *Christianis* fuisse *Dionysius*. Hæc itaque impediebant quo minus pro libitu sævirent in *Christianos*. Interim tutum non fuit *Christianis* in publicum procedere ne novi in eos tumultus orirentur, & nequid durius in ipsos ederetur qui ita processissent, tanta erat *populi* jam concitati rabies. Hoc est quod ἄπιτολὺ ἀκμάσαι significat *Dionysius*. Nec vero credibile est multos *Christianorum* ita aliorum exemplo monitos, tam sui quam publica Ecclesiæ causa, illud incurrisse periculum. Tandem mutuis *Gentilium* seditionibus & *bellis civilibus*, quæ qualia fuerint explicavit Cl. *Cestriensis*, factum est ut ad *finem* hujus anni Christiani pace fruerentur.

§. LVII. Successit annus persecutionis Alexandrinæ secundus, *Christi*, ex maxima parte, CCL. pro Æra vulgari, *Decii* primus absolutus, secundus inchoatus, cum jam appulisset *Alexandriam* persecutionis *edictum*. In eo quinam passi fuerint, in urbe *Alexandrina*, martyres, accurate scripsit *Dionysius* epistola ad *Fabium Antiochenum*. Nec vero innuit saltem alios *multos* à se fuisse prætermissos. Ait equidem [1] κατὰ πόλεις καὶ κώμας alios πλείους fuisse à gentilibus discerptos. Sed nihil vetat πλείους fuisse *omnes* collectim, cum tamen in *singulis* urbibus vicisque *pauci* admodum fuissent. Nec alioqui *multos* fuisse ex ipso *Alexandriæ* exemplo colligere possumus. Habebat enim ea civitas plebem tumultuosissimam novarumque rerum avidissimam, ut constat ex *Hadriani* epistola ad *Servianum*. Non est itaque probabile modum *Alexandrinorum* exemplumque superasse minores illas urbeculas. Tertio persecutionis anno remisisse persecutionem in ipso anni *initio* è *Dionysio* colligimus. Reversus enim *Alexandriam* Paschalem ibi festivitatem celebravit, ἀπαλλαβέσης ὅσον ἔπω τὸν εἰρήνης, ut ait [2] *Eusebius*. Nec enim intelligi potest de *Paschate* anni CCL. Tunc enim nulla erat *Christianis* pax. Sed neque de sequente Paschate anni CCLII. Is enim annus fuit *Galli* primus peste illa quæ *Hostilianum* absumsit, per *Romanum* orbem celeberrimus. *Pestem* autem illam *Paschæ* antevertisse proximo capite testatur [3] *Eusebius*. Ita enim ille: μὴ ταῦτα λοιμικῆς τε πόλεμον ἀμαλαβούσης νόσε, τε τε ἑορτῆς πλησιαζούσης. Medium itaque Paschæ intelligi necesse est. Convenitque cum alia ejusdem persecutionis historia. Nec enim *Alexandriæ* duntaxat, sed & in aliis imperii *Romani* provinciis remisit eodem tempore, ipso ut videtur *Decio* connivente. Ni ita fuisset, non est quod putemus ausuros *Romanos Cornelium* sibi, superstite etiamnum *Decio* & gravissime laturo, Episcopum adsciscere; non est quod putemus ausurum redire *Cyprianum*, & tam *securum* exercuisse cum *Cornelio* nuper in Episcopatum evecto, de *ejus* & *Novatiani ordinatione* commercium; non est quod putemus tot *legationes* hoc ipso anno CCLI. ultro citroque à *Novatiano*, à *Cornelio*, & rursus ad eosdem ab ipso *Cypriano* & concilio *Africano* universo esse transmissas. Hæc plane innuunt maximam fuisse *Christianis* eo anno *pacem* pacisque permansuræ *fiduciam*. Et tamen ad finem usque illius anni superstitem fuisse *Decium* invictis argumentis evicit Cl. *Cestriensis*.

§. LVIII. Successit *Decio Gallus*, quem, nisi è coævis *Galli*, *Cypriano* & [4] *Dionysio*, constaret, aliunde esset ut nesciremus eum in *persecutorum* esse catalogo censendum. Prætermittunt eum in Chronico *Eusebius*, *Hieronymus*, *Augustinus*, *Orosius*, & *Sulpicius Severus*, ipse etiam *Lactantius*. Et tamen eam longe graviorem *fore* persecutione *Deciana* prædixit ex revelatione Divina *Cyprianus*. Ita scribit ille ad Cornelium: [5] *Diem certaminis appropinquasse; hostem violentum cito contra nos exurgere; pugnam, non talem qualis fuit, sed graviorem multo & acriorem venire.* Nec dubitandum quin *eventus* responderit, ex quo intelligimus quanto *levior* fuerit illa *Decii* persecutio quam fecerint illam commentis suis fabulatores. Sed nec illa, quæ tam *brevis* fuit, admodum *multos* martyres coronare potuit. Nec enim ultra A. D. CCLIII. *Galli* simul atque *Æmiliani* tempora extendi posse ostendit *Cestriensis*. Ab illo certe anno *tribunitias* suas *potestates* numeravit *Valerianus*. Et tamen non *primis* statim imperii *initiis*, sed cum imperium ejus jam prospero esset in statu, cunctaque ex animi sententia succederent, persecutionem *Gallus* inchoavit. Verba *Dionysii* sunt: ὃς δὴ φερομένης αὐτῷ τὴν βασιλείας, καὶ τοῦ νοῦν χωρούντων τὰ πραγμάτων, τοὺ ἱερεὺς ἄνδρας τοὺ περὶ τὸ εἰρωνης αὐτοῦ καὶ τὸ ὑγιείας προσβάλλοντας πρὸς τὸ θεὸν ἤλασεν. Aliquantum certe temporis elapsum innuit quo probandum fuit rectene & pro voto prima illa imperia initia procederent. Occasionem persecutionis à *lue* repetendam existimo, & quod plerunque fieri solebat, primo eam à *populi* clamoribus, tum ab *Imperatore* & *præfectis* esse excitatam. Constat jam elapsas esse *Idus Maias* illius anni quo LV. ad Cornelium dedit Epistolam. Constat & secundam jam à reditu ab exilio, *synodum* habuisse *Cyprianum*, & superiori anno fuisse primam. Quæ certe notæ annum saltem CCLI. accurate designant. In ea prima *edicti* mentio quo *populus celebrare sacrificia jubebatur*. Inde *ad leonem* ipse *clamore popularium in circo postulatus est*. Sed *proconsulis*, ni fallor, nondum *Imperatoris* illud fuerit *edictum*. *Romæ* enim, postea-quam *passus* esset *Cornelius*, & *reversus* esset ab exilio *Lucius*, *nuper* tamen [6] scribit *exortam esse persecutionem repentinam*, *& contra Ecclesiam Christi & Episcopum Cornelium beatum martyrem* Romanosque *omnes secularem potestatem subito prorupisse*. Breve itaque fuit intervallum ab *exilio Cornelii* ad *reditum Lucii*. Nec ante illud *Cornelii* exilium proruperat *Romæ* potestas *secularis*, sive *præfectorum* ea fuerit, sive ipsorum etiam *Imperatorum*. At cum *Lucio* redierunt *Lucii comites* in *exilio*, *redierunt cum ingenti fratrum gratulantium gaudio*. Quæ plane innuunt ita rediisse *Lucium*, ut nullus supereset *novi exilii* metus. Nec constat unquam inde *redintegratam* illam fuisse *persecutionem*. *Bella*, ut opinor, undequaque ingruentia, ut intelligimus ex libro nostri martyris adversus *Demetrianum*, alio Imperatores diverterant ne *Christianorum* persecutioni vacare possent; vel forte illos sævitiæ *pœnituit* cum ita non viderent *placari* Christianorum cæde adversa *numina*, ut res indies in *deteriorem* statum laberentur; ita non *expiari pestilentiam* ut *nova* præterea reipublicæ infortunia quotidie succrescerent. Brevissimis itaque limitibus tota illa *Italiæ* est concluſa persecutio. Et tamen cum tot essent tantillo spatio *exules*, non est certe verisimile insigni aliqua *feritate* usos esse persecutores, nec adeo multos fecisse *martyres*. Nec etiam constat extra *Italiam* ullum emanasse Imperatoris *edictum*.

§. LIX. *Valerianum*, quamvis *brevi tempore*, *multum justi sanguinis fudisse* tradit *Lactantius*. Tenemus itaque de *temporis brevitate* confessum. Aliter tamen coævum *Dionysium* vulgo intelligunt eruditi, qui

[1] Ap. Euseb. Hist. Eccles. VI. 42.
[2] *Euseb.* Hist. Eccles. VII. 21. [3] c. 22.
[4] *Dionys.* ap. *Euseb.* Hist. Eccles. VII. c. 1.
[5] Ep. LIV. [6] Ep. LVIII.

qui ubi S. *Joannis* Apoſtoli de *Antichriſto* verba recitaſſet, [6] ἐδόθη δὲ αὐτῷ στόμα λαλοῦν μεγάλα καὶ βλασφημίαν καὶ ἐδόθη αὐτῷ ἐξουσία καὶ μῆνας τεσσαρακονταδύο, ſtatim addit, ἀμφότερα δέ ἐσιν ὅτι Ουαλεριανῷ θαυμάσαι. Sed qui putant toto eo tempore martyres eſſe coronatos, nec recte capiunt mentem *Dionyſii*, nec cum eo *Lactantium* conciliare poterunt. Cum enim VII. *tribunitias poteſtates* duntaxat ex *nummis* legamus compleviſſe *Valerianum* ab An. Dom. CCLIII. exeunte numerandas; & legamus An. Dom. CCLXI. *Gallieno* & *Voluſiano* Coſs. de novo Imperatore deligendo conſultaſse inter ſe [7] *Macrianum* & *Baliſtam*, ex quo ſequitur ſub *finem* anni CCLX. captum eſſe *Valerianum*; conſtat menſes illos XLII. ſeptennii illius medium omnino ſpatium occupare oportere. Proinde incidet *initium* illius perſecutionis in menſem *Julium* anni CCLVII. Fieri certe vix poteſt ut *citius* inceperit, poteſt tamen ut aliquanto fortaſſe *tardius*. A *Roma* enim ad *Africam* breviſſima eſt trajectio. Primus in *Africa* exulavit ipſe *Cyprianus*. Ita enim ſcribunt ad eum reliqui [8] confeſſores (quos habuit in *exilio* comites, licet non in *exilii loco*) *ipſum priorem ſibi ducatum ad confeſſionem nominis Chriſti præbuiſſe*. At primo *exilii Curubitani* die oblatam illi dicit [9] *Pontius* illam fuiſse viſionem qua ſignificatum eſset eodem illum ſequentis anni die fore coronandum. Dies ille XIV. erat *Septembris*. Fieri itaque vix potuit ut antea quam diximus *Romæ* illud emiſſum fuerit edictum, ni maximas interceſſiſſe moras ſupponamus. At primo hoc perſecutionis anno *nulli* erant *martyres*. *Exulabant* duntaxat omnes etiam alii *Cypriani* in confeſſione ſocii. *Exulabant* etiam cum [10] *Dionyſio Alexandrino* ejus etiam comites, in confeſſione, *Alexandrini*. Nec enim gravioris in eo *edicto* ſupplicii mentio fuiſse videtur quam *exilii*.

§. LX. Prodiit itaque ſecundo tandem perſecutionis anno ferale illud *edictum* quo pœna *capitis* Chriſtiani eſsent puniendi, *exeunte*, ut videtur, menſe *Julio*, vel etiam *Auguſto* fortaſse ineunte. Nuncios enim miſerat ad urbem, ea ipſa de cauſa, [11] *Cyprianus*, ut *quomodocunque* de Chriſtianis *reſcriptum fuiſſet*, *exploratum ſibi veritatem ad* ſe *referrent*. Unde veriſimile eſt *prima* quaque data opportunitate redituros, nequam *moram* interceſſiſſe ſuſpicemur. Ex his didicit quid *reſcripſiſſet ad ſenatum* de pœna Chriſtianorum capitali *Valerianus*, & *Xiſtum* Pontificem *Romanum* VIII. Id. *Auguſt.* i. e. Auguſti VI. fuiſſe animadverſum, anni nimirum Ær. vulg. CCLVIII. Non eſt quod putemus *moram* aliquam fuiſſe inter *edictum* & pœnam *Xiſti*, quod paſsum *Xiſtum* audiiſsent ante *reditum* ſuum nuncii; nec rurſus inter *reditum* nunciorum & edicti *appulſum* in *Africam* moram aliquam interpoſitam eſse conſtat ex eo quod *Cyprianus* ipſe paſsus fuerit *Septembr.* XIV. ejuſdem anni, qui prior (inquit *Pontius*) *in provincia martyrii primitias dedicavit*. Serius deinde tranſiit ad alias provincias *Africa* remotiores, ut proinde vix *biennium* ſuperarit ea perſecutio quæ *martyres* fecit, uſque ad captivitatem *Valeriani*. Et tamen ægre vel unum annum *vigori* perſecutionis aſſignaveris, tanti eam ſecuti ſunt reipublicæ tumultus qui vel ſæviſſimorum perſecutorum impetus ſolerent interrumpere. Iiſdem illis Coſſ. expeditionem *Perſicam* ſuſcepit *Valerianus*, eumque uſque ad *Byzantium* comitatus eſt ipſe Coſ. *Memmius Fuſcus*, [12] *Vopiſco* teſte in *Aureliano*. Purpuram etiam ſumſit in *Pannonia* iiſdem Coſſ. [13] *Ingenuus*, poſt diſceſſum tamen *Valeriani*, quia adverſus illum *Gallienus* ipſe profectus eſt, ex quo intelligimus quanta *feſtinatione* poſt edictum, diſceſſerit *Roma Valerianus*. Ab eo tempore ita belli curis implicitus eſt *Valerianus* ut vacare ipſe perſecutioni non potuerit, ut proinde in provinciarum præfectis ſitum fuerit ut perſecutionem, pro ſuo quiſque ingenio atque arbitrio urgerent remitterentve. Nec enim de perſecutione urgenda videtur unquam ſolicitus fuiſſe *Gallienus*. Ita intelligimus quam recte ſcripſerit *Lactantius brevi tempore* ſanguinem fudiſſe *Valerianum*.

§. LXI. Videamus jam rectene illud præterea adjecerit, *multum* juſti ſanguinis *brevi* illo tempore ab eo eſſe fuſum. Ad quos illud periculum pertinuerit, è *reſcripti* Imperatoris ſumma, quam nobis conſervavit [14] *Cyprianus*, intelligimus. *Reſcripſit ille ad ſenatum ut Epiſcopi & Presbyteri & diacones incontinenti animadvertantur; ſenatores vero & viri egregii & equites Romani, dignitate amiſſa, etiam bonis ſpolientur, & ſi, ademtis facultatibus, Chriſtiani eſſe perſeveraverint, capite quoque multentur; matronæ ademtis bonis in exilium relegentur; Cæſariani quicunque vel prius confeſſi fuerant, vel nunc confeſsi fuerint, confiſcentur, & vincti in Cæſarianas poſſeſsiones deſcripti mittantur*. Ita *Cyprianus*. Non itaque ad alios pertinebat hujus edicti periculum quam ad eos qui in *horum* ordinum aliquo cenſerentur. Inde intelligimus quam ultra *edicti* modum ſævus fuerit in [15] *Ægypto Æmilianus* qui *viros* & *mulieres*; *juvenes* ac *ſenes*; *puellas* & *anus*; *milites* ac *paganos*, ex omni hominum *genere* atque *ætate* aliquos *martyrio* coronavit. Non eſt itaque quod ex iis quæ *Ægypto* geſta narrat *Dionyſius*, de reliquis præfectis provinciiſque ſtatuamus. Sed nec omnibus etiam in *edicto* comprehenſis pœna tamen ſtatuitur *capitalis*, non *Matronis*, non *Cæſarianis*, *libertis* nimirum *Cæſareis* qui jam eſſent *manumiſſi*. Non eſt itaque quod in reliquis provinciis, quibus non præeſſent præſides ingenio *ſuo* ſævi & in *Chriſtianos* infenſi, *tales* aliquos *martyres* fuiſſe ſuſpicemur. Erant & illa *ſenatorum* & *equeſtris* ordinis virorum cædes quantumvis noxiorum *odii* tamen invidiæque pleniſſima, & *temporum felicitati*, ut dixi, adverſiſſima, ſi ingenti aliquo *numero* fuiſſent interfecti, & quam principes, alioqui *ſæviſſimi*, averſarentur. *Hadrianus* quod *quatuor uno tempore conſulares*, nec *juſſu* tamen ſuo, ſed *ſenatus* & quidem *majeſtatis* nomine poſtulatos, occidi *paſſus* eſſet, de amolienda à ſe triſtiſſima illius facti [16] *opinione* admodum ſolicitus fuit. Nec *multorum* nomina habemus nobilium quos occiderat [17] *Hadrianus*, & tamen tanta fuit de illis ipſis ſenatus indignatio ut ægre admodum, nec niſi magna [18] *Antonini Pii* importunitate, eum in *Divorum* numerum retulerit. [19] *Severus* etiam eo ipſo nomine male audiit quod tot nobiles viros occiderit *conſulares* nonnullos, & aliquos *prætorios*. Et tamen totius imperii annis XVIII. vix ad numerum *quadragenarium* conſurgunt. Horum itaque *pauci* pro multis habebantur. Soli itaque ſuperſunt *clerici*, & quidem ii ſuperiorum ordinum, *Epiſcopi* duntaxat, *Presbyteri* & *Diaconi*, qui ipſi licet pro *cleri* paucitate *multi* eſſe poſſent, *pauci* tamen etiam eſſe poterant reſpectu *fidelium*. Cum itaque *multos Cyprianum* in martyrio *ſecutos* dicit [20] *Pontius*, multos omnino *uni Cypriano* oppoſuit, non de *magna* aliqua *multitudine* intelligendos. Et cum *multum*

[6] Ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VII. 10.
[7] *Trebell. Poll.* in *Gall.* duob.
[8] Ep. LXXIX. [9] In vit.
[10] Ex Ep. *Dionyſii* ad *German. Euſeb.* Hiſt. Eccl. VII. 11.
[11] Ep. LXXXII. [12] *Vopiſc.* in *Aurelian.* c. 13.
[13] *Treb. Poll.* in trigint. Tyran. num. VIII.
[14] Ap. *Cyprian.* Ep. LXXXII.
[15] *Dionyſ.* Ep. ad *Domit.* & *Didym.* ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VII. 11. [16] *Spartian. Hadrian.* c. 7.
[17] Vid. *Spartian.* c. 15.
[18] *Dio Xiph.* in *Anton.* [19] *Spart.* in *Sept. Sev.* c. 13.
[20] *Pont.* in vit. *Cypr.*

tum juſti ſanguinis brevi tempore fuſum tradit *Lactantius*, multum viz. pro *temporis brevitate*, multum pro *paſſorum qualitate* intellexit. Quod vero aliquot *millia* in hac perſecutione *excruciata* tradit [21] *Oroſius*, *recentior* eſt ipſe quam ut fidem de rebus eo ſeculo geſtis mereatur; & ſcriptorum antiquiorum *imperitior* quam ut monumentorum coævorum fidem ſecutum ſuſpicemur; eodemque in loco habendum cum eo quod dicit, *mox ut arripuit imperium Valerianus, adegiſſe per tormenta Chriſtianos ad idololatriam*, quem tamen *primis* imperii annis *Chriſtianis* amiciſſimum fuiſſe teſtetur coævus [22] *Dionyſius*. Tam fuiſſe *Chriſtianis* amicum ait quam fuerint οἱ λεχθέντες ἀναφανδὸν χεστιανοὶ γεγονέναι (*Alexandrum*, ni fallor, intelligit atque *Philippos*) quin & illos benevolentia *ſuperaſſe*; *familiam* præterea *totam Chriſtianis abundaſſe*, ut *Eccleſia Dei* eſſe videretur. Id ſi verum, jam neque *præſidum* quiſpiam, neque *plebes urbicæ*, illis moleſti eſſe auſi fuiſſent quos tam caros Imperatori gratoſque accepiſſent. Inde non *Oroſius* modo, ſed & alii quicunque fabulatores refellentur, ſi quos martyres *primis* illis *Valeriani* annis fuerint commenti.

§. LXII. Sed *Cyprianum* ipſum de ſui temporis *martyrum* multitudine teſtem profert [23] *Aringhus*, qui ita martyres Veteris Teſt. cum N. Teſt. martyribus confert ut illos numerabiles, hos dicat innumerabiles. [24] *Per eadem* (inquit) *documenta pœnarum, per eadem paſſionum martyria pergamus, hoc ampliorem gloriam computantes temporis noſtri, quod cum vetera exempla numerentur, exuberante poſtmodum copia virtutis & fidei, numerari non poſſunt martyres Chriſtiani, teſtante Apocalypſi & dicente, Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, &c. Sed ſi conferantur N. T. martyres cum martyribus quorum fit mentio in libris *Maccabaicis*, *Eleazaro* & matre cum VII. filiis, (quod facit eo in loco *Cyprianus*) non neceſſe eſt ut *magnus* fuerit numerus qui cum longo intervallo ſuperarit, ut illius reſpectu dici poſſet *innumerabilis*. Sed non loquitur profecto ſanctiſſimus martyr de illorum, qui jam *facti* eſſent martyres, numero, ſed potius eorum qui *Evangelii* totius temporibus *futuri* eſſent, ut *legis veteris* temporibus opponuntur. Idem itaque valent apud illum *noſtri temporis martyres* ac *martyres Chriſtiani*, qui ſcilicet non legis *Moſaicæ*, ſed *Chriſtianæ*, nomine facti eſſent martyres. Nec alios probare potuit *innumerabiles* ex illo quem profert *Apocalypſeos* loco. Nec enim ibi de *certo* aliquo temporis Evangelici *intervallo* egit Apoſtolus, ſed de *omnibus* qui futuri eſſent uſque ad *ſeculi conſummationem*. Inde recte colligit nemini eſſe de *martyrii* honore deſperandum. *Nemo* (inquit) *difficile vel arduum putet eſſe martyrem fieri, quando videat martyrum populum non poſſe numerari.* Non *præteritorum* ſed *futurorum* martyrum multitudo huc inſerviebat, ne quis ſibi difficile putaret, *futurum* omnino, martyrium. Nondum certe *fuiſſe* martyres *innumerabiles* ex eo ipſo conſtat quod de eorum paſſionibus *pene cuncta* ad ſuam uſque memoriam conſervata eſſe tradat *Pontius*.

§. LXIII. Capto *Valeriano* revocavit ejus edicta *Gallienus*, reſtitutis ubique *locis ſacris*. Extat hodieque ejus reſcriptum apud [25] *Euſebium* quod quidem ad *Ægyptum* pertinebat, cui ſimile aliud ætate ſua extitiſſe tradidit, ne proprium illud *Ægyptiorum* fuiſſe indultum exiſtimemus. Quod aliud *Ægyptiis* Epiſcopis reſcriptum proprium emiſerit *Gallienus*, quam quod antea in reliquorum Epiſcoporum gratiam emiſerat, ea erat, ni fallor, ratio, quod cum *pacem* Chriſtianis primo indulgeret, nondum *Gallienum* principem agnoſcerent *Ægyptii*. Cum enim captus eſſet *Valerianus*, purpuram ſumſit acerbiſſimus iſte *Chriſtianorum* perſecutor *Æmilianus*, ut è *Trebellio Pollione* conſtat in duobus *Gallienis* & *triginta tyrannis*. Captus eſt tandem miſſuſque ad *Gallienum* à *Theodoto*. Sed poſt anni ſpatium, ut è *Dionyſio* colligimus. Ita enim ille de imperio *Gallieni*: [26] ὁ δὴ ὁσιώτερος καὶ φιλοθεώτερος ὑπερβὰς ἢ ἐπταετηρίδα νῦν ἐνιαυτὸν ἔννατον ἄρχει, ἐν ᾧ ἑορτάσωμεν. Annus omiſſus ad *Æmilianum* omnino ſpectare videtur qui *Macriani*, ut videtur, exemplo, purpuram in *Ægypto* ſumſerat. Ita edictum *indulgentiæ* emiſerit *Gallienus Ægyptiis* A. D. CCLXII. accuratiſſime, inſtante ſolennitate *Paſchali*, paulo antequam illa ſcriberet *Dionyſius*. Hortatur enim *Chriſtianos* ſuos *Dionyſius* ut gratitudinem ſuam, pro conceſſa indulgentia, *Paſchali* lætitia celebrarent. Nec enim de *Macriano* ſolo hic ſermonem eſſe *Dionyſio*, ſed etiam de aliis *Macriano* ſimilibus tyrannis qualis fuit *Æmilianus*, in *Ægypto*, conſtat ex forma plurali qua uſus eſt *Dionyſius*, Πρῶτος ὢν καὶ μετ' ἐκείνους παρών.

§. LXIV. Inde nemo eſt de perſecutione ſuſpectus uſque ad *Aurelianum*. Eum tamen ipſum prætermiſit *Sulpicius Severus*, vir alioqui *fabulis* addictiſſimus. Et merito quidem ille. *Intentata* enim duntaxat erat ab *Aureliano*, non item *executioni* mandata. Id ſatis manifeſte indicant ſcriptores illis temporibus proximi, [27] *Lactantius* & *Euſebius*. Ecquid illis *Lactantii* verbis clarius? *Verum illi ne perficere quidem quæ cogitaverat licuit, ſed protinus inter initia ſui furoris extinctus eſt. Nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus ſcripta pervenerant, & jam Canofrurio, qui locus eſt Thraciæ, cruentus ipſe humi jacebat.* Si *perficere quæ cogitaverat non licuit*, nullos itaque ejus decreto factos *martyres* fuiſſe neceſſe eſt. Similiter [28] *Euſebius* de eodem *Aureliano*: Προϊόσης αὐτῷ τῆς ἀρχῆς, ἀλλοῖόν τι περὶ ἡμῶν φρονήσας, ἤδη τισὶ βυλαῖς ὡς ἂν διωσμὸν ἐγείρειεν ἀνεκινεῖτο· πολύς τε ἦν ὁ περὶ πᾶσι περὶ τούτου λόγος. μέλλοντα ἤδη καὶ σχεδὸν εἰπεῖν τοῖς καθ' ἡμῶν γράμμασιν ὑποσημειούμενον, θεία μέτεισιν δίκη, μονονουχὶ ἐξ ἀγκώνων τῆς ἐγχειρήσεως αὐτὸν ἀποδεσμῆσα, λαμπρῶς τε τοῖς πᾶσι συνορᾶν παρασχοῦσα, ὡς ὅποτε χρὴ τὸν ἄρειον ἀποβαίνειν τοῖς ἐπὶ βίᾳ ἄρχουσι καὶ τὸ ἐπὶ τοῖς ἐκκλησιῶν, μὴ ὄχλον ὑπερμάχου χειρὸς θείας καὶ ἀοράτου κρίσει παιδείας ἕνεκα καὶ ἐπιστροφῆς, καθ' ὃς ἂν αὐτῇ δοκιμάζοι καιρὸς, τοῦτ' ἐπιτελεῖσθαι συγχωρήσης. *Impulſus* itaque erat duntaxat *Aurelianus* ut perſecutionem adverſus *Chriſtianos* commoveret, & de ea *rumor* ſolum, quaſi de re nondum ad exitum perducta, ferebatur. Μέλλοντα etiam dixit, & edictis σχεδὸν εἰπεῖν ὑποσημειούμενον, à Deo eſſe occupatum. Nondum igitur perſecutionem *excitaverat*, vixdum etiam *ſubſcripſerat* edictis cum à Deo punitus eſt. *Conſtricto cubito* Deus *conatum ejus repreſſit*. Nondum igitur res erat ultra *conatum* perducta, nondum etiam *plagam* inflixerat quam fuerat elevato cubito minatus. Oſtendit etiam hoc exemplo Deus unquam hujus mundi principibus adverſus Chriſti Eccleſias licere, niſi quibus ipſi viſum eſt temporibus id fieri *permiſerit*. Ergo *Aurelianum* Deus ne *permiſit* quidem. Convenitque ad amuſſim cum eo quod alibi de *Diocletiani* perſecutione tradit idem *Euſebius*, tum primum tanquam ex alto ſopore excitatum fuiſſe diabolum poſt illud intervallum quod perſecutionem *Decii* ac *Valeriani* ſubſecutum eſt.

[21] *Oroſ.* L. VII. c. 22. [22] *Dionyſ.* ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VII. 10. [23] *Aringh.* Rom. ſubter. L. VI. c. 56. n. 30.
[24] *Cypr.* de Exh. martyr. c. 11.
[25] *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VII. 13. [26] *Dionyſ.* ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VII. 23. [27] De mort. perſ. c. 6.
[28] *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VII. 30.

eſt. L. VIII. c. 4. Nullo itaque in loco habuit perſecutionem *Aureliani*. Ita ſunt hæc omnia perſpicua, ut de *Euſebii* mente vix habuerit cur dubitaret ipſe *Baronius*. Rogat tantum, *hoc ſi verum eſt, unde tot martyres in perſecutione Aureliani paſſi inveniuntur?* Videat id cum ſuis fabulatoribus eruditiſſimus Cardinalis. Sed neceſſe erit ut *Euſebii* fidem coævo teſtimonio impugnet, non recentioribus qui *Euſebii* errores novis ſuis plerunque erroribus cumularunt, quibus aberrarunt à mente ipſius *Euſebii*. Sed *Euſebio* oppoſuit quæ ſcripſerat in *Chronico* idem *Euſebius* ad annum *Abrahami* MMCCXCI. *Aurelianus quum adverſum nos perſecutionem moviſſet, fulmen juxta eum comiteſque ejus ruit: ac non multo poſt inter Conſtantinopolim & Heracleam in Cænophrurio viæ veteris occiditur.* Ita *Chronicon*, priorem partem ex *Euſebio*, poſteriorem ex *Eutropio*, ut ſolet *Hieronymus*. Sed profecto male mentem *Euſebii* quæſivit potius in *Chronico* quam in *Hiſtoria*, in *primis Euſebii* quam in *ſecundis* ejuſdem cogitationibus: in *Interprete* quam in *Græco* ejus originali; in opere *interpolato* quam in *puro* nulliſque interpolationibus ab auctoris mente immutato. Sæpe *Euſebium* male interpretatus eſt *Hieronymus*, quod & in hoc ipſo loco feciſſe conſtabit, ſi tamen *Græca* ejus qua par erit, fide è ſuo *Syncelli* MS. repræſentarit *Scaliger*. Ita enim *Græce* ſcripſit *Euſebius*: [29] Αυρηλιανὸς μέλλων διωγμὸν κινεῖν κατὰ Χριστιανῶν, θείῳ κεραυνῷ βληθεὶς συνεκλύθη· ἡ γνωμένης κατ' αὐτὸν ἐν τῷ κατ' αὐτὸν, ἐδολοφονήθη μεταξὺ Ηρακλείας καὶ Βυζαντίδος ἐν τῷ καλουμένῳ καινῷ φρουρίῳ. Alio omnino ſenſu, quo innuitur *antequam* emiſſum fuiſſet perſecutionis edictum, deterritum fuiſſe ab ejus ſubſcriptione lapſu fulminis *Aurelianum*, eodemque tempore quo ſubſcripſerit ſtructas illi fuiſſe illas, quibus perierit, inſidias. Plane omnia ad mentem ejus in *hiſtoria*, iiſdemque pene *verbis* concepta, ut nihil ſit quod de fide *Scaligeri* hoc ſaltem in loco dubitemus. Nec tamen id, quod vult *Baronius*, ipſe tradit interpres *Hieronymus*. Quod ait *motam* ab *Aureliano* perſecutionem, id verum erat ex ſententia *Lactantii*. *Emiſſo* enim perſecutionis *edicto motam* fuiſſe neceſſe eſt. Quod vero contra teſtatur *Lactantius* impeditum eſſe Imperatorem quo minus *poſſet id quod cogitaverat perficere*, nihil innuit in contrarium *Hieronymus*. Neſcio tamen an integrioribus *Hieronymi* codicibus uſus fuerit *Oroſius*, propius certe acceſſit ad mentem *Euſebii*. Ita enim ille: [30] *Noviſſime cum perſecutionem adverſus Chriſtianos agi, nonus à Nerone decerneret, fulmen ante eum magno pavore circumſtantium ruit, ac non multo poſt in itinere occiſus eſt.* Et rurſus alibi clarius: [31] *Nona correptio fuit, cum Aureliano perſecutionem decernenti diris turbinibus terribile ac triſte fulmen ſub ipſis pedibus ruit.* Plane innuit cum *moveretur* ab *Aureliano* perſecutio, lapſum illud eſſe fulmen, non cum illud *moviſſet*, & *unum* duntaxat intervallum conſtituit à decreto *Aureliani* ad ejuſdem cædem, non *duo* ut *Hieronymus* à *decreto* ad *fulmen* aliud, aliud à *fulmine* ad *necem Aureliani*. Omnino ex ſententia *Græcorum* quæ jam *Scaligero* retulimus. Hodiernam tamen *Hieronymi* lectionem ſecutus eſt [32] *Proſper Aquitanus*, paulo tamen *Oroſio* recentior. At *Ruffinus Euſebium* ita intellexit acſi perſecutionis edicto ne *ſubſcripſiſſet* quidem *Aurelianus*. Eum forte ſecutus *Oroſius*, nec enim *Græcum Euſebium* ab eo conſultum arbitror. Recte itaque *Euſebium* & *Oroſium* intellexit [33] *Baronius*, & immerito illum hoc nomine rejecit vir ſane maximus & de literatura chronologica meritiſſimus [34] *Antonius de Pagi*. Sed errare profecto neceſſe eſt qui de veteribus Eccleſiæ monumentis malunt è commentitiis recentioribuſque Monachorum fabellis ſtatuere, quam viciſſim has ad illorum fidem exigere.

§. LXV. Ab *Aureliano* deinde ad *Diocletianum* neminem habent Imperatorum de *perſecutione* ſuſpectum. Sed nec *populorum* in theatris adverſus *Chriſtianos* clamantium, nec *præfectorum* in eoſdem decernentium ulla habemus in bonæ fidei monumentis vel minima veſtigia. Sed vero hæc ut omnium longiſſima erat, ita etiam forte ſæviſſima, certe martyrum proventu erat copioſiſſima. Inde factum ut Æram *Diocletiani* recentiores *Græci* Æram *martyrum* appellent. Ut tamen fieri ſolet, qui multorum criminum revera rei ſunt, ut multis præterea commentitiis criminibus onerentur; ita veram hujus perſecutionis ſævitiam longe tamen, quam fuit, ſæviorem repræſentant fabulatores. Quod quidem eo faciunt ſecurius, quod pauciſſima extent etiamnum illius perſecutionis ſincera monumenta quibus revincantur. Qui hiſtoriam ejus pleniſſime executus unum habuimus *Euſebium* (exſcribunt enim illum recentiores alii) qui tamen ipſe pauciſſima habet de *martyribus* qui alibi paſſi eſſent præterquam in imperio *Diocletiani*. Magnam fecit huic hiſtoriæ acceſſionem editus nuper à doctiſſimo *Baluzio Lactantius* de *mortibus perſecutorum*. Et quidem gratulandum rei *literariæ* Eccleſiaſticæ, gratulandum *Eccleſiæ Catholicæ*, gratulandum ipſi *Lactantio*, quod eum nactus fuerit editorem, virum ita *candidum*, ita *veritatis* amantem, ita alienum à *Partium* ſtudiis atque præjudiciis. Aliter foret ut lucem fortaſſe nunquam expertus æternum latitaſſet, in ipſo partu vel ſuppreſſus vel etiam forte penitus extinctus. Infeliciorem certe fuiſſe ferunt S. *Chryſoſtomi* epiſtolam ad *Cæſarium*. Jam cum habemus alium quem cum *Euſebio* contendamus auctorem coævum, nihil erit ſane in recentiorum *martyrologiis* atque *menologiis* quod his tantis conſentientium ſuffragiis conferendum putent viri paulo cordatiores atque peritiores.

§. LXVI. Quod itaque per *totum* hujus imperium *perſecutionem* fuiſſe putent, longe abeſt ut *verum* fuerit. [35] „Multa erant è contra prolixiſſimæ Im„peratorum in Chriſtianos *benevolentiæ* indicia. Re„gendas *Chriſtianis* provincias crediderunt, omni ſa„crificandi metu, qui præfectis provinciarum ex of„ficio imminebat, illos liberabant. Quin & in ipſis „Imperatorum palatiis, liberi verſati ſunt. Ipſæ eo„rum uxores & liberi & ſervi erant Chriſtiani. (Tales fuiſſe conſtat [36] *Diocletiani* uxorem *Priſcam*, & filiam ejuſdem *Valeriani*, *Maximiani* autem *Galerii* uxorem.) [37] „His ea quæ religionis ſuæ erant, „tam verbis quam factis libere exequendi coram ſe„metipſis poteſtatem dederunt; ipſis ob hanc fidei „ſuæ libertatem gloriari ac ſe oſtentare quodammo„do permittentes; eoſque præ ceteris omnibus mini„ſtris præcipuo quodam amore complectebantur. Id „genus *exempla* aliqua profert *Euſebius*. Quin & ſin„gulis Eccleſiarum antiſtitibus ſummus honor, cul„tus ac benevolentia ab omnibus tam privatis quam „provinciarum rectoribus delatus eſt. Innumerabi„lem præterea hominum quotidie ad fidem Chriſti „confugientium fuiſſe turbam, immenſum Eccleſia„rum in ſingulis urbibus numerum, illuſtres popu„lorum

[29] In Chronic. Græc. *Euſeb.* ad num. ΒΣ GA.
[30] *Oroſ.* L. VII. c. 23. [31] c. 27.
[32] In Biblioth. *Labbæi* Tom. 1.
[33] An. Chriſt. 273. num. 3, 4.
[34] Diſſert. Hypat. c. Part. III. cap. ult. n. 13.
[35] *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VIII. 1.
[36] *Lact.* de mort. perſ. n. 15.
[37] *Euſeb.* ibid.

„lorum in ſacris ædibus concurſus, quo factum eſſet „ut priſcis ædificiis jam non contenti in ſingulis ur„bibus ſpatioſas ab ipſis fundamentis extruerent Ec„cleſias, tradit *Euſebius*. Quin & hæc progreſſu tem„poris increſcentia, & quotidie in majus ac melius „proficientia, nec livor ullus atterere, nec maligni„tas dæmonis faſcinare, nec hominum (inquit) inſi„diæ prohibere unquam potuerunt, quamdiu omni„potentis Dei dextera populum ſuum, utpote tali „dignum præſidio, texit atque cuſtodiit. Videant fabulatores qui prioribus illis *Diocletiani* annis *martyres* paſſos volunt, videant, inquam, quomodo hæc poſſint cum ſuis commentis conciliare.

§. LXVII. Confeſſum hic tenemus *Baronium*. *Quantum* (38 inquit) *hæc adverſentur actis ſanctorum martyrum, quæ certis definita temporibus ſunt ſuis locis ſuperius recitata, nemo non videt.* Opponit tamen *Euſebio* teſtimonium *Conſtantini*, *Euſebio* proculdubio anteferendum ſi pro *Baronio* ſententiam tuliſſet. 39 Ait ille ſeſe κομιδῆ παῖδα interfuiſſe cum conſultaret de *Apollinis* oraculo *Diocletianus* quo fuerit deinde in *Chriſtianorum* perſecutionem concitatus. Quod ſe *admodum puerum Conſtantinus* appellet, cum huic intereſſet conſultationi, colligit *Baronius* circa *initia Diocletiani*, annum autem *Conſtantini* IX. circiter illam contigiſſe. Sed non neceſſe eſt ut admodum ſoliciti ſimus de hoc *Baronii* argumento cum tempus ipſum hujus conſultationis accurate conſignatum habeamus ab ipſo *Lactantio*, ut ſtatim videbimus. Nec enim de alio *Apollinis* oraculo quam illo quod decennalem perſecutionem immediate præceſſit, *Conſtantini* verba intellexit Cl. *Baluzius*. Quod vero κομιδῆ παῖδα IX. circiter *Conſtantini* annum neceſſario deſignare exiſtimarit *Baronius*, non obſervavit profecto illius ſeculi, in hominum ætatibus deſignandis, morem licentiſſimum. Κομιδῆ νέον ad *triceſimum* uſque ætatis annum extendi obſervavit non uno in loco doctiſſimus *Caſaubonus*. *Gordianum* XIII. ad minimum annos natum *infantem* appellat 40 *Capitolinus*. Veriſimilius tamen eſt XV. tunc egiſſe annum ſi XXII. perierit, ut periiſſe auctor eſt 41 *Junius Cordus* apud *Capitolinum*. Si *infans* fuerit ea ætate *Gordianus*, non erit quod miremur anno CCCII. *puerum* fuiſſe *Conſtantinum*. Sed de ipſo *Conſtantino* non ſunt iſtiuſmodi loquendi formæ fine exemplo. Anno CCCVI. *juvenem* appellat 42 *Lactantius*. Anno CCCVII. cum *Fauſtam* uxorem duceret filiam *Maximiani Herculii* ita de eo auctor 43 Panegyrici Epithalamii: *O divinum tuum, Maximiane, judicium qui hunc tibi jure adoptionis nepotem, majeſtatis ordine filium, etiam generum eſſe voluiſti, Divi, inquam, Conſtantii filium, in quem ſeptima* (leg. proculdubio *ſe prima*) *illius juventa transfudit*, &c. Idem tradit primam ſuam uxorem, *Criſpi* matrem, *ab ipſo fine pueritiæ* duxiſſe Conſtantinum, *ut primo ingreſſu adoleſcentiæ formaret animum maritalem*, & fuiſſe *novum jam tum miraculum juvenem uxorium*. Ita itaque ſibi invicem connectuntur finis *pueritiæ*, ingreſſus *adoleſcentiæ* & *juventus*, ut in annos *maritales* omnes conveniant. Qui autem *prima* fuit *juventa* anno CCCVII. quid miremur ſi *puer* idem fuerit anno CCCII? Donandum certe aliquod vehementiæ illi quæ tam in illa *Conſtantini* lege, quam in *oratione* ejuſdem *ad ſanctorum cœtum*, variis exemplis elucet.

§. LXVIII. Primum perſecutionis gradum in *milites* fuiſſe tradit 44 *Euſebius* in *hiſtoria*, ex *Chronico* omnino intelligendus. Ad annum *Diocletiani* XVII. num. *Abrahami* MMCCXVII. *Veturius* (inquit) *magiſter militiæ Chriſtianos milites perſequitur, paulatim ex illo jam tempore perſecutione adverſum nos incipiente.* Biennio anteriorem ponit editio *Pontaci*, triennio *Proſper Aquitanus* & acta *Marcelli* centurionis, ſi tamen ſinceri ſint illius anni in actis Coſſ. *Fauſtus* & *Gallus*, quod negat *Antonius de Pagi*. Sed recte omnino conſtituit editio *Scaligerana*. Convenit enim 45 *Lactantius* qui omnia ordine temporis accuratiſſimo diſpoſuit. Occaſionem ait captaſſe hujus perſecutionis *Diocletianum* è quibuſdam ejus *ſacrificiis* quibus *ventura quærebat*. Cum enim *cruce* ſe ſignaſſent qui aderant *Chriſtiani*, *ſacra turbata ſunt, trepidabant aruſpices, nec ſolitas in extis notas videbant, &, quaſi non litaſſent, ſæpius immolabant. Tandem reſpondit magiſter Aruſpicum, idcirco non reſpondere ſacra quod rebus divinis profani homines intereſſent.* Inde *Diocletiani* furor in *Chriſtianos* accenſus eſt. *Tempus* notat *Lactantius*, cum ageret *in partibus Orientis, & cum eſſet pro timore ſcrutator rerum futurarum.* Is timor quiſnam fuerit, è ſuperioribus facile colligimus. Cum enim *Galerium* adverſus *Narſeum* per *Armeniam* miſiſſet, *ipſum* dixerat 46 *Lactantius* in *Oriente ſubſtitiſſe aucupantem exitus rerum*. Omnino hæc ſibi invicem conveniunt accuratiſſime. Idem enim valet *aucupare exitus rerum* in priori loco, quod in poſteriori, *ſcrutari res futuras & ventura quærere*. Nec ſunt alio ea ſacrificia referenda. Omnino maximo erat in metu *Diocletianus*, cum jam duobus prœliis ſuperatus fuiſſet à *Narſeo Galerius*, ut proinde ad nativam ſibi ſuperſtitionem duxerit eſſe confugiendum. Et cum dixiſſet *Lactantius* reducem deinde à victoria *Galerium faſtum* inde *ſuperbiamque ſibi attuliſſe*, &c. ita illam digreſſionem repreſſit: *ſed differo de factis ejus dicere, ne confundam tempora.* Ex quibus intelligimus tum admodum ſolicitum fuiſſe de *temporum* ratione *Lactantium*, tum *victoriam* illam *præceſſiſſe* quæ ſtatim eſſet traditurus. Ergo in A. D. CCCI. incidit hæc prima *militum* perſecutio. Quæ enim in contrarium profert ex actis *Marcelli* doctiſſimus *Pagi*, ea certe ſuſpecta ſunt, nec cum *Lactantii* fide ulla ex parte conferenda.

§. LXIX. Sed videamus quouſque *prima* hæc *perſecutio* proceſſerit. Ita itaque 47 *Lactantius: Tum ira furens, ſacrificare non eos tantum qui ſacris miniſtrabant, ſed univerſos qui erant in palatio, juſſit, & in eos, ſi detrectaſſent, verberibus animadverti; datiſque ad præpoſitos literis, etiam milites cogi ad nefanda ſacrificia præcepit, ut qui non parerent, militia ſolverentur.* Emiſſa itaque ſunt adverſus *milites* perſecutionis edicta, nondum tamen *ſanguinaria*. Ita enim ſequitur: *Hactenus furor ejus & ira proceſſit, nec amplius contra legem aut religionem Dei fecit.* Paſſos tamen *aliquos*, licet non pro *Imperatoris* edicto, at pro *miniſtri* propria ſævitia, docet *Euſebius*, ſed ita docet, ut innuat omnino fuiſſe *pauciſſimos*. Nec enim alium στρατοπεδάρχῳ intelligit in ejus hiſtoria *Valeſius* quam quem *Veturium* appellaverat in *Chronico*, & *magiſtrum militiæ*; nec ſane alius erat intelligendus qui 48 πρῶτον ἐνεχείρει τῷ κατ' αὐτὸν στρατεύματων διωγμῷ. *Magiſter militiæ* qui primus perſecutionem aggreſſus eſt, non alius ut puto fuerit quam qui juſſa Imperatoris in *Palatinos milites* executus eſt. Agebat enim hoc tempore, in *Oriente*, ut dixi, *Diocletianus*. In eo autem *Orientis prætorio* erat illud

38 *Baron.* An. Dom. 302. n. 5.
39 Ap. *Euſeb.* vit. *Conſtant.* II. 51.
40 *Cap.* in *Maxim.* & *Balbino* c. 9.
41 *Cap.* in *Gordianis* 22.
42 *Lact.* de mort. perſ. n. 24.
43 Panegyric. *Maximian.* & *Conſtantino* dict.
44 *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VIII. 1.
45 *Lactant.* de mort. perſ. n. 10.
46 n 9. 47 n. 10.
48 *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VIII. 4.

illud etiam officium στρατοπεδάρχης, sive *magistri militum*, cui jussa Imperatorum præcipue demandabantur, ea præsertim quæ *milites* spectabant. *Maximini* edicta adversus *Christianos* ἡγεμόνες τε καὶ πρώτοι ἐπὶ στρατοπέδων ἄρχειν διπεταλμένοι executioni mandarunt, *Eus.* de Mart. *Pal.* c. 9. *Præfectum prætorii* reddit eo in loco *Valesius*. Rursus confessores in metallis cum Gentilium invictam novamque persecutionem liberioribus suis synaxibus concitassent à *præfectis metallorum* primo ad ἐφεξῆτα τοῖς αὐτόθι στρατεύμασι, quem στρατοπεδάρχῳ etiam ibidem *Eusebius* appellat, ab eo deinde missi sunt ad Cæsarem *Maximinum*, ib c. 13. Hic *ducem* vertit *Valesius qui militaribus copiis illic præerat*. *Ducem* etiam vertit L. VIII. c. 4. Ego neutra interpretatione *Eusebii* mentem existimo assecutum esse *Valesium*; propius tamen accessisse ad στρατοπεδάρχης officium *præfectum prætorio*. Id tamen unum me ab ea sententia alieniorem facit quod *præfectos prætorio* nullos alibi legamus præterquam in provinciis *Cæsareis*, qualis *nondum* fuerat *Oriens* quo tempore agebat ibi *Diocletianus*. Potius itaque *magistrum armorum* reddendum censuerim. Illius enim officii in provinciis non *Cæsareis* meminit sæpissime *Ammianus Marcellinus*. Huic itaque persecutionis illius quæ in *milites* exercenda erat, curam commisit Imperator. Ita recte verterit *Hieronymus*. Hos verberibus animadverti jusserat *Diocletianus*. Ex his *verberibus* nonnullos *mortuos* fuisse crediderim, quos tamen cum ἕνα πρὸς δεύτερον, & ἐνίους dicat *Eusebius*, id palam, uti dixi, innuit fuisse *paucissimos*. At in *edicto* nulla est omnino *verberum* mentio. *Militia* duntaxat erant *solvendi*. Quos igitur per *provincias* passos comminiscuntur, illi suspecti, & quæ passos tradunt monumentorum, hoc ipso nomine fides vacillabit. Sed redeamus ad *historiam*.

§. LXX. Dimissus itaque à *Diocletiano Galerius* in proprium rediit imperium, nempe ut novum exercitum conscriberet. Per *Illyricum* enim *Mæsiamque* novas illas *copias* esse *contractas* tradit *Eutropius*. In hac cura reliquam anni, quæ supererat, partem insumtam verisimile est, ita tamen ut *vere* appetente paratus expeditioni fuerit. *Confestim* enim *exercitum* illum è *veteranis* ac *tyronibus* esse *contractum* auctorem habemus *Schotti Victorem* in *Cæsaribus*. Ergo A. D. CCCII. primo *vere* movit in *Persas*, itinere per *Asiam* ut videtur *minorem* dispositio, quos etiam in *Armenia* majori, uno, ut videtur, prælio penitus debellavit. Inde tempus aliquod nuntiis ultro citroque ad *Diocletianum* mittendis de pacis conditionibus insumtum esse verisimile est, ita ut reversus à *Diocletiano* in *Mesopotamia*, cum *ingenti* [49] *honore* susceptus fuerit. Hæc omnia ante *autumni* finem gesta esse constat. Rediit [50] enim *interjecto aliquanto tempore in Bithyniam hyematum Diocletianus*. Hoc tempus *quantum* voluerit *Lactantius* ex hac rerum serie colligimus. Illum secutus est postea *Galerius*, ut totam illam *hyemem* consultationibus de *persecutione* insumserint. Repugnabat diu *Diocletianus*, satis esse monens, si (quod ipse antea fecisset) [51] *Palatinos tantum ac milites ab ea religione prohiberet*. Cum *Galerium* deflectere non posset; consulti deinde *amici*, tum etiam *Dii*, & præ aliis *Apollo Milesius*. Tandem *Diocletianus*, cum *nec amicis*, *nec Cæsari*, *nec Apollini* posset *reluctari*, *hanc tamen moderationem* (inquit *Lactantius*) *tenere conatus est ut eam rem sine sanguine transigi juberet*, *cum Cæsar vivos cremari vellet qui sacrificio repugnassent*. Nondum itaque ad cædes consensserat *Diocletianus*. Suffragatur huic temporum dispositioni *Eusebius* qui huic anno *Diocletiani* XVIII. tribuit *victoriam Galerii*.

§. LXXI. Successit itaque fatalis annus *Diocletiani* XIX. *Christi* CCCIII. Coss. *Diocletian.* VIII. *Maximiano* VII. in quo omnes fere consentiunt initium *decennalis persecutionis* esse collocandum. Quod enim aliter habeatur in *Augustino*, id codicum potius quam *Augustini* vitio *Actorumve* tribuendum probavit *Valesius*. Hoc itaque anno, absoluta jam *hyeme*, *vere* ineunte (quod ab *hirundinum visu* ventisque *Chelidoniis* arcessunt scriptores *Romani*, quorum utrosque mensi *Februario* assignant) jam conveniebat de persecutione, [52] *inquirebatur* duntaxat, (ominis causa) *peragendæ rei dies aptus & felix*, tandemque *terminalia* delecta sunt, *ut quasi terminus imponeretur Christianæ religioni*. Is erat VII. Kal. *Mart. Feb.* XXIII. Eo itaque die *Ecclesiam* diruebant, *Scripturas* incendebant *Nicomediæ*, quod reliquo deinde imperio foret in exemplum. Proximo die *Feb.* XXIV. [53] edictum *Nicomediæ* propositum est, quo *cavebatur ut religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate*, *tormentis subjecti essent ex quocunque ordine aut gradu venirent*, *adversus eos omnes actio caleret*, *ipsi non de injuria*, *non de adulterio*, *non de rebus ablatis agere possent*, *libertatem denique ac vocem non haberent*. Ita *Lactantius*. Unum tamen illud in *auo* edicta dispescuit [54] *Eusebius*, diverso etiam *tempore* ad provincias missa. Primum erat de *Ecclesiis* ad solum usque *diruendis*, sacris *codicibus* incendendis, utque *honorati* infamia notarentur, οὗ ἢ ἐν οἰκέτιας, εἰ ἐπιμένοιεν ἐν τῇ τοῦ χριστιανισμοῦ θρησκείᾳ, ἐλευθερίας στερεῖσθαι. Quem locum vulgo non intelligunt interpretes, quo pacto nempe fieri posset ut qui jam ἐν οἰκέτιας essent, *libertatem* tamen aliquam retinerent qua possent deinde *privari*. Sed non erat hoc pro *Romanorum* legibus difficile, *Liberti* enim qui *inferiori* illo libertatis gradu donati essent (superiorem enim fuisse quo omnis *servitutis memoria* deleretur, ostendit *Appianus*) adhuc erant ἐν οἰκέτιας, & *actione ingrati* tenebantur ut, si minus fuissent in patronos officiosi, facile *libertatem amitterent*, quod si *privatis* jure *Romano* concessum fuerit, nihil erit sane quod miremur si ex *legum* actionibus eadem privarentur. Simile habemus exemplum in edicto *Valeriani* quod è *Cypriano* nostro supra retulimus. *Cæsariani* enim ibi erant *liberti Cæsaris* quos Καισαρείους appellat *Dio Xiphilini* in *Severo*. *Hos confiscari*, *& vinctos in Cæsarianas possessiones descriptos mitti*, jussit [55] *Valerianus*. Quod autem in *suos* duntaxat *Cæsareos libertos* constituit *Valerianus*, id in *alienos* etiam constituerint Principes seculi *Diocletianei*. De primo hoc edicto intelligo quod scripsit *Eusebius* mense *Dystro* secundum *Syros*, *Martio Romano*, esse propositum in *Syria*, τὸ δὲ σωτηρίου πάθους ἑορτῆς εἰσελαυνούσης. Propter maximam enim *Paschalium* solennium *frequentiam* jam *maxime* erant *Ecclesiæ necessariæ* cum essent ex edicto *diruendæ*. Scio aliter *Eusebium* intellexisse tam *exscriptores* ejus *antiquiores*, quam *recentiores* etiam *interpretes*. Id tamen voluit, ni fallor, non in *ipsa* paschali festivitate, sed cum *immineret* feria passionis, propositum in *Syria* edictum de *Ecclesiis diruendis*. Cyclum Anatolii *Syros* secutos verisimile est, cujus *limes Paschalis* erat *aquinoctium Sosigenis Martii* XXV. Ergo illum *sequi* oportebat *Dominicam Paschalem*. Et tamen ante *Martium* finitum *propositum* esse *edictum* necesse erat, si *Syrorum Dystro* propositum fuerit qui *Romanorum Martio* respondet.

§. LXXII. Erat & aliud ex [56] *Eusebii* testimonio edictum μετεπολὺ, *non multo post* superius emissum, quo

49 *Eutrop.* L. IX. 50 *Lactan.* n. 10.
51 *Lactan.* n. 11. 52 N. 12. 53 ib. n. 13.
54 *Euseb.* Hist. Eccles. VIII. 2.
55 Supra §. L. 56 *Euseb.* ib.

quo mandatum est προέδρους omnes ubicunque Ecclesiarum, primum quidem ut conjicerentur in vincula, deinde vero ut Diis sacrificare omnibus modis cogerentur. Πρόεδρων omnes cujuscunque ordinis *clericos* intellexisse Imperatores è decreti *executione* manifestum est. Quod vero hujus etiam edicti *duplicem* rursus *gradum* distinxerit *Eusebius*, id certo fecit consilio, & ex rei gestæ veritate. Cum enim alibi dixisset pro *primo* hujus edicti *gradu* ita carceres fuisse repletos *Episcopis*, *presbyteris*, *diaconis*, *lectoribus* atque *exorcistis*, ut nullus iis qui ob alia crimina condemnati essent, jam locus supersset; ita deinde *novi edicti* sententiam explicat, [57] αὖθις δ' ἑτέρων τὰ πρῶτα γράμματα ἐπικατειληφότων, ἐν οἷς σοὶ κατακλείσας θύσαντας μὲν ἐᾶν βαδίζειν ἐπ' ἐλευθερίας· ἐνισταμένους δὲ μυρίαις κατάξαίνειν προσέτακτο βασάνοις. Hujus forsitan edicti *tempus* designavit quicunque *Eusebio* notulam illam subjunxit quam habemus hodie in fine libri VIII. cum ait mense *Xanthico* sive *Aprili*, edicta *Syriam* appulisse de persecutione. Quod enim ille de primo illo edicto intellexit, fieri non potest ut verum fuerit, cum contra ipse *Eusebius* veteresque omnes *Eusebii* tam *interpretes* quam *exscriptores* prius illud edictum eo quo dixi *tempore* propositum affirment. Convenit præterea tempus *Procopii* primi martyris *Palæstini*, quamvis illud vitiosissime expresserit [58] *Eusebius*, Δεσίῳ μηνὸς οἱδόῃ, πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν Ιανίων, λέγοιτ' ἂν παρὰ Ρωμαίοις, ἡμέρᾳ τετράδι σαββάτου. Nec convenit VIII. *Dasii* cum VII. Id *Jun.* nec utrivis feria IV. Rectius omnino Acta *Latina* quæ è duobus MSS. profert Cl. *Valesius*, in hæc verba: [59] *Dies erat septima Julii mensis quæ VII. Idus Julii dicitur apud Latinos.* Cyclo Solis IV. Litera Dominic. C. VII. *Julii* est feria IV. Quod autem VII. Id. appellarit *Eusebius* illorumque *Actorum* auctor, obliti sunt *Julio* VI. esse *Nonas*. Aliter foret VII. *Julii* esset revera pro VII. *Iduum* numerandus. Tam itaque tardus erat in persecutione *Diocletianus*, tamque à Christianorum *sanguine* alienus, ut, exceptis illis qui *Nicomediæ* incendii nomine, licet falso, puniti sunt, ne *cruciatus* quidem permitteret provincialibus in *Christianos*, omni licet conatu, renitente in contrarium atque impellente *Galerio*. Ita itaque media fere primi anni pars *incruenta* transiit. Nec enim verisimile est segniores in *Palæstina* quam in aliis provinciis fuisse persecutores. Sed nec *multos* reliqua illius anni parte passos fuisse probabile est. Imprimis quod solorum esset *clericorum* κατὰ μόνων τῶν τῆς ἐκκλησίας προέδρων, inquit [60] *Euse ius*, juxta edicta superius memorata; tum etiam quod *cruciatibus* potius quam *cæde* sævitum sit, ut qui *martyrium* passi sunt, eorum plerique ipso *cruciatuum* dolore extincti fuerint; tum etiam quod captos cruciatosque facillime *dimitterent*, etiam [61] *invitos* nonnullos, si quid viderentur, vel *tacentes*, vel si *loqui* etiam non *possent*, de invicto illo patientiæ robore remittere; tum etiam quod in *civitatibus* duntaxat capitalibus, & quidem instantibus *festis* solennibus, cum dimittendi reliqui essent pro more captivi, plecterentur, etiam quibus non *indulgendum* censuissent Imperatores, vel in usum *spectaculorum* reservarentur ut cum bestiis depugnarent. Unicum autem præterea *festum* hoc anno memorat Eusebius quo *passi* sint *Christiani*, viz. *Novembr.* XVII. appetente jam *Diocletiani* die *vicennali Novembr.* XX. secundum *Lactantium*. Ea occasione *duos* solos *Cæsareæ* passos memorat *Eusebius*, μόνοι (inquit) ἐξ ἁγίων μαρτύρων κατηξιώθησαν σεφάνου.

§. LXXIII. Quod tamen ille *primo* persecutionis anno tribuit, id secundo tribuendum existimo, anno nimirum *Æræ vulg.* CCCIV. Hoc enim anno *finem* fuisse ait *Vicennalium*, τέλος τῆς δεκαετηρίδος ἐπισάσης, quod non observavit in sua interpretatione *Valesius*. Legendum itaque τέλους ἐπισάντος. Neque vero est ut hoc excidisse putemus *Eusebio*. Quanquam enim recte ille persecutionem XIX. *Diocletiani* anno assignaverat tam in *chronico* quam etiam in *historia*, idem tamen sui oblitus, de eo anno ita loquitur quasi fuisset etiam XX. Ita *Imperatores* ait, dum benevolo in *Christianos* animo fuissent, [62] δεκαετηρίδας καὶ εἰκοσαετηρίδας ἐκπλήσασθαι. *Vicennalia* itaque *prima* quæ fine anni XIX. principio XX. celebrata essent, jam *præterita* asseruit cum *inciperet* persecutio, quæ tamen eo *ipso* persecutionis anno celebrata esse tradit auctor certissimæ fidei *Lactantius*. Inde etiam est quod secundo persecutionis anno purpuram *deposuisse* tradit *Diocletianum* atque *Maximianum*, quod tamen non ante III. annum, *Christi* nimirum CCCV. fecisse constat è *Lactantio*. Mirum tamen cum ea ipsa [63] *Eusebii* verba de secundo anno exscripserit *Hieronymus*, ad annum tamen persecutionis III. ea apposuisse, in *librario*, potius quam *Hieronymo*, tribuendum sit. Certe alienum erat à mente *Eusebii* qui ita etiam alibi scribit: [64] ὅπως ἡ αὐτοῖς τῆς τοιασδὲ κινήσεως δεύτερον ἔτος πεπλήρωτο, cum mentis suæ statu dejectus ad privatam se vitam contulit *Diocletianus*, cum *Herculio*. *Biennium* tamen *superasse* constat è *Lactantio*. Persecutionem à mense *Martio* anni CCCIII. arcessit, uti diximus, *Eusebius*. At purpuram *Nicomediæ* deposuit *Diocletianus* ipsis *Kalendis Maiis* anni CCCV. eodem teste [65] *Lactantio*, cui etiam consentit, sui rursus oblitus, *Eusebius*, cum *tertia* tandem anno persecutionem à *Maximino* excitatam scribit, qui tamen *Cæsar* eodem tempore factus est quo *excessit* imperio *Diocletianus*. Quanquam autem instar omnium unus sit habendus *Lactantius*, sunt tamen & alia quæ fidem ejus hac in causa commendant. Certum est ex historia eodem tempore quo deposuerint imperium *Diocletianus* atque *Maximianus*, *Augustos* factos *Constantium* atque *Galerium*, *Cæsares* etiam *Severum* atque *Maximinum*; ita ut *Severum* sua purpura vestierit *Maximianus*, sua etiam *Diocletianus Maximinum*. Curavit enim *Galerius* ut illa *Diocletiani*, quam appellat, *dispositio* accuratissime servaretur, ut nunquam respublica duobus *Augustis*, duobus *Cæsaribus* careret. Appellat *Diocletianum* & *Maximianum*, ἡμετέρους πατέρας in edicto suo *Maximinus* ap. *Euseb.* Hist. Eccles. IX. 9. non facturus proculdubio ni ab illis *Cæsares* facti fuissent *ipse* & *Severus*. *Filiorum* enim adoptione *Cæsares*, *fratrum* adoptione æquales *Augustos* creabant illius ævi Imperatores. Atqui anno CCCV. *Augusti* facti sunt *Constantius* atque *Galerius*. At *Constantio* qui obiit A. D. CCCVI. *annuum imperium* tribuit *Victor*. Conveniunt & *Fasti* nostri *Alexandrini Theonis*, in quibus ita legimus: Κωνσαντῖνος Καῖσαρ τὸ ε, καὶ Μαξιμῖνος Καῖσαρ τὸ ε. Κωνσαντῖνος σέβαστος τὸ ς. καὶ Μαξιμῖνος σέβαστος τὸ ς. Rectissime ex regulis eruditissimi *Pagi* quas ille sibi hac in causa adversas fuerat suspicatus. Inde constat VI. consulatus quem A. D. CCCVI. gesserunt *Constantinus* atque *Maximianus* fuisse *Augustum* utriusque imperium *priore anno* susceptum. Quod vero ad *Cæsares* attinet, quanquam *Eusebius* eos proximo anno à depositione *Diocletiani Cæsares* factos asserat, nempe à *Galerio*, quod ex ipsius *Maximini* edicto re-

[57] *Euseb.* ib. c. 6. [58] *Euseb.* de martyrib. *Palæstin.* c. 1.
[59] *Vales.* in loc. [60] De mart. *Pal.* c. 2. [61] Ib. c. 1.
[62] *Euseb.* Hist. Eccl. VIII. 13.
[63] *Euseb.* de martyr. *Palæst.* c. 3. & in *Chron.*
[64] Hist. Eccles. VIII. 13.
[65] *Lactan.* de mort. persec. n. 19.

refutavimus, at certe tempus *Cæsarei* eorum imperii satis accurate consignavit, Anno CCCV. Eodem spectat quod *tertio* tandem persecutionis anno *persecutionem* dicat à *Maximino* fuisse resuscitatam: quod denique *Severum* secundo imperii sui anno testetur interfectum, quem Anno CCCVII. concidisse (quo consulem *illum* habet cum *Maximino Theon)* manifestum est. Ipsi illi *Fasti* quibus Coss. An. CCCVI. novi habentur *Augusti*, Anni CCCVII. novi *Cæsares*, omnem prorsus dubitandi rationem excludunt de anno *innovati* imperii CCCV. Fateor tamen gravissimos esse, in contrarium, auctores qui Coss. An. CCCIV. tradunt imperio cessisse *Diocletianum*, *Idatium* imprimis & *Zosimum*. Utcunque sive *cesserit*, sive *nomen* etiam imperii retinuerit, ab eo certe tempore probabile est, omnia pro arbitrio suo gessisse *Galerium*. Atque ita fortasse *Eusebius* cum *Lactantio* & *Victore Cæsarum* auctore conciliandus. Id saltem erit ex hac hypothesi certum, quamdiu rempubl. administravit *Diocletianus*, usque ad annum CCCIV. in solos *clericos* esse *capitali* pœna animadversum, nec ad *laicos* illud pertinuisse periculum. Quæ certe optime conveniunt cum iis quæ de *Diocletiano* observavit *Lactantius*, fuisse illum à *sanguinariis* edictis, in hac saltem *Christianorum* causa alienissimum.

§. LXXIV. Successerunt deinde anno CCCIV. si *Eusebio* credimus, edicta sæviora, quibus[66] πάντας παανδημεὶ σὺν τῇ πόλιν θύειν τε καὶ σπένδειν τοῖς εἰδώλοις ἐκελεύετο. Quo tempore *Timotheum* tradit *Eusebius*, post innumera tormenta, tandem *tenui* ac *lento igni* fuisse consumtum. Plane hæc edicta *Galerium* sapiunt auctorem quem[67] *Lactantius* ait *vivos illos cremari* voluisse qui *sacrificio repugnassent*, etiamnum imperium administrante *Diocletiano*. Postea etiam ejus decreta ita describit *Lactantius* ut omnino hisce *Eusebianis* ad amussim respondere videantur, si tamen locum illum integrum sincerumque haberemus.[68] *Dignitatem* (inquit) *non habentibus pœna ignis fuit, & exilii primo adversus Christianos permiserat, datis legibus ut post tormenta damnati lentis ignibus urerentur.* Tum modum illum cruciatus ita describit ut *Eusebiano* respondeat. Fateor equidem mutila hæc videri, & in eam forte interpolanda sententiam, ut quæ de *excusatione* à *legum* beneficio vel *exilio* molliora statuisset in *Christianos Diocletianus*, permittente utique, non probante *Galerio* num. 14. ea *Galerius* jam *Augustus* novis legibus revocarit, & quidem durioribus illis quas ille *Cæsar Diocletiano* consuluisset, num. 11. Quo vero tempore hæc emissa essent, ex Agone *Carthaginensi* colligendum. Agon quinquennalis *Herodis* ab eo in honorem *Cæsaris* in dedicatione *Cæsareæ* instituta anno *Herodis* XXVIII. ex quo *Hierosolymis* potitus est, *Olympiad.* CXCII. viz. anno olympiadis tertio, incidit in annum U. C. pro Æra. *Varroniana* DCCXLV. Mortuus est *Agrippa* ludis *Cæsariensibus* anno *Claudii* III. U. C. DCCXCVII. qui *quartus* est atque adeo *agonalis* ab illo, quem dixi, *Herodis* agone primo, accuratissime. Ab illis si initium supputationis exordiamur, annus *Christi* CCCIV. qui est U. C. MLVII. erit, fateor, *agonalis*. Sed de hoc *ludo* rectius omnino è coævis monumentis quam è tam longe repetendis originibus statuemus. Si hæc ἑορτὴ πάνδημος ἐθνῶν, cujus meminit secundo suo, quem numerat, anno persecutionis *Eusebius*, sit pro *agonum quinquennalium* solennitate aliqua redeunte habenda: ego de illa potius intelligendam arbitrarer quam designat[69] *Eusebius* infra in martyrio *Pamphili* ejusque sociorum, nempe V. *Dystri* III. Non. *Martii*, quo τύχης γενέθλια *genii natales* gentes celebrarent, *urbis* omnino suæ *natalitia*, ab *Herodis* tamen illis quæ videntur intercidisse, aliquantum discrepantia. Certe *ethnicorum* propria erat id genus *idololatrica* solennitas, non *Judæorum* nedum ut à *Judæo* fuerit instituta. Convenit etiam mensis *Dystrus*. Qui enim post *paucos* ab hac solennitate *dies* occisi sunt, illos XXIV. *Dystri* passos tradit *Eusebius*. Septimus is erat persecutionis annus quo passus est cum suis *Pamphilus*. Ille itaque, si pro consuetudine agonum *quinquennalium* qui IV. quoque anno solido *absoluto* redire solebant, fuerit *agonalis*, plane sequitur ut de III. persecutionis anno intelligi debeant quæ de II. tradit *Eusebius*, illum fuisse similiter *agonalem*. Quæ sane mirifice faciunt ad confirmandam illam *Lactantii* chronologiam quam ille accuratissime diligentissimeque designavit. Ita fiet ut non prodierint illa *Galerii* edicta ante annum persecutionis III. Christi CCCV. quo se purpura *exuerunt* seniores *Augusti*, atque adeo hucusque verum fuisse quod ait *Eusebius* in solos *Ecclesiarum antistites* vim omnem persecutionis incubuisse, saltem pro ditione *Diocletiani*.

§. LXXV. Videamus itaque jam qualis fuerit in *reliquis* imperii partibus eadem illa persecutio. In *Galerii* imperio omnino probabile est pro sævissimi principis ingenio fuisse etiam sævissimam. Sed nulla habemus de eo coæva monumenta quæ qualis fuerit testatum faciant. Constantium ab *initio* amicissimum, ὃς καθ' ἡμῶν πολέμῳ μηδαμῶς ὑπεκοινωνεῖν, ἀλλὰ καὶ σὺν ὑπ' αὐτὸν θεοσεβεῖς ἀβλαβεῖς καὶ ἀνεπηρεάστως φυλάξαντα· καὶ μήτε τὰ ἐκκλησιῶν σὺν οἴκοις καθελόντα, μηδ' ἕτερόν τι καθ' ἡμῶν καινοργήσαντα, tradit[70] *Eusebius*. Idem & in *scholio* quod fini lib. VIII. subjunxit *studiosus* quispiam, non ipse forsitan *Eusebius*, ex *Eusebio* tamen sua maximam partem mutuatus, & iisdem fere *verbis*. Discrepat nonnihil[71] *Lactantius*, cujus hæc sunt verba: *Constantius, ne dissentire à majorum præceptis videretur, conventicula, id est, parietes, qui restitui poterant, diruí passus est, verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servabat.* Nec id temere. Infra enim de *Constantino* jam *Augusto* ita scribit:[72] *Suscepto imperio Constantinus Augustus nihil egit prius quam Christianos cultui ac Deo suo reddere. Hæc fuit prima ejus sanctio sancta religionis restituta.* At nihil habuit agendum *Constantinus* si nihil fuisset à patre ejus *Constantio* in *Christianorum* causa innovatum. Ego *Lactantio* potius crediderim scriptori diligentiori rerumque *Latinarum* longe peritiori. In eo tamen uterque convenit *nullam* fuisse quæ *martyres* fecerit in *Constantii* ditione persecutionem. Confirmatque doctissimus *Baluzius* ex epistola *Donatistarum* apud[73] *Optatum* ex *Eutropio*. Cuncta autem quæ *trans Alpes* erant *Constantio* credita ait *Victor Schotti*. Ergo non *Britannias* modo, & *Gallias*, sed *Hispanias*, regebat, nec enim illas aliis ditionibus accensuit idem *Victor*. Habentur equidem nonnulla in canonibus concilii *Eliberitani* ad cultum idololatricum spectantia, verum ea talia pleraque ut *sponte* potius admissa, quam à *magistratu coacta* videantur. Unum illud propius huc attinere videtur, de illis qui non[74] *immolaverant*, sed *munus* tantum dederant, eo quod se à funestis abstinuerant sacrificiis. Erat enim ea ipsissima *libellaticorum* causa, ut eam describit noster martyr Ep. ad *Antonianum*. Sed cum nullum accederet *Con-*

66 De mart. *Pal.* c. 3. 67 De mort. persec. n. 11.
68 Ib. num. 21. 69 De mart Pal. c. 11.
70 *Euseb.* Hist. Eccles. VIII. 13.
71 De mort. pers. c. 15. 72 Ib. c. 14.
73 *Opt. Milev.* L. I. 74 Can. 3.

Conſtantii edictum, non aliorum eſſe potuit ea perſecutio quam *urbicorum magiſtratuum*, qui cum *gladii* poteſtate carerent, nullos certe *martyres* coronare poterant. Quæ etiam in concilio [75] *Arelatenſi* habentur de cauſa *traditorum*, ea certe non ad *domeſticam* aliquam cauſam attinebant, ſed ad *Afrorum* illam de ſchiſmate *Donatiſtarum*, cujus illos cognitores judiceſque dederat Imperator. At ſi aliqua fuiſſet, ut exiſtimat *Baluzius*, illis in partibus perſecutio; fieri omnino vix potuit quin in illorum conciliorum canonibus ſaltem aliquos haberemus de traditoribus *propriis* lapſiſque quales ediderunt, quæ proximis à perſecutione temporibus convenerunt in *Oriente*, Synodi *Neocæſarienſis* & *Ancyrana*. Quæ porro recentiorum fidei aſtruendæ protulit ex *Euſebio Baluzius*, ea ſtatim exponemus.

§. LXXVI. Pergendum interim ad imperium *Herculii*. Nam *præter Gallias*, *ab Oriente uſque ad Occaſum*, *tres* (inquit [76] *Lactantius*) *acerbiſſimæ beſtiæ ſævicbant*. De *Maximiano* etiam ita: [77] *Senex Maximianus libens paruit per Italiam*, *homo non adeo clemens*. Cum vero *tempora* in *Africa* quam alibi *certiora* habeamus, propter graviſſimas illas, quæ inde ortæ ſunt, de *Donatiſtarum* ſchiſmate diſputationes, inde poſſumus de reliquis *Maximiani* partibus certiſſime judicare. Incepit autem ea etiam in *Africa*, eodem illo quo dixi anno CCCIII. Ita enim *Alfius Cæcilianus*, cujus *Duumviratu* cœpta perſecutio eſt, in [78] *actis* purgationis *Felicis Aptungitani* à *Baluzio* editis: *Non modicum* (inquit) *tempus eſt ex quo duumviratum adminiſtravi*, *anni ſunt undecim*. Geſta illa ſunt Coſſ. *Voluſiano* & *Anniano* A. D. CCCXIV. Inde ſi retrorſum numeres annos XI. in A. D. CCCIII. incides accuratiſſime. Faceſſant itaque quæ ex vitioſis S. *Auguſtini* codicibus crucem hactenus chronologis fixerunt in ſtatuendo hujus perſecutionis initio. Ut itaque eo *anno*, ita certe vix ante menſem *Aprilem* edicta perſecutionis *Africam* appellere potuerunt. Sed alia erant omnino hæc edicta *Maximiani* ab iis quæ ediderant priores Eccleſiæ perſecutores. Neminem jam paſſum legimus eo ſolo nomine quod fuiſſet *Chriſtianus*, neminem quod gentilium idolis *ſacrificare* recuſaſſet. Sed ne eo quidem nomine quo uſum diximus *Diocletianum*, quod quis eſſet *clericus*: ſed eo quod ſacros codices tradere renuiſſet. Id etiam fuiſſe videtur è *Maximiani* edicto capitale ſiquis *collectam ſacerdos* celebraſſet, vel ei etiam *laicus* interfuiſſet. Hoc certe *uno* nomine paſſi ſunt quorum paſſiones nobis conſervavit editus à [79] *Baluzio* auctior Donatiſta. Non *Chriſtianitatem*, ne *ſacerdotium* quidem, objicit *Saturnino* presbytero Proconſul, ſed *ſynaxim*. *Tu* (inquit) *contra juſſionem Imperatorum & Cæſarum feciſti*, *ut hos omnes colligeres*. Et rurſus confeſſo Chriſtiano, *Non quæro* ([80] inquit) *utrum Chriſtianus ſis*, *ſed an collectam feceris*, *vel Scripturas aliquas habeas?* Multos equidem periculo involvebant hujuſmodi edicta, cum quicunque *ſynaxibus* interfuiſſent de *vita* illis eſſet periclitandum. Sed neminem profecto involvebat niſi *ſponte* ſua periculum adeuntem (quod certe *animorum* erat pluſquam vulgarium) neminem niſi *deprehenſum*, quod ſæpe contigiſſe vix eſt veriſimile, & invidiam conflabat *deprehendentibus* ipſa *pœnæ* illa graviſſima atrocitas. Et vero illos qui vel minima *victoriæ* ſpecie tam facile *deprehenſos* dimittebant, qui ſæpe ipſa periclitantium multitudine, oppreſſi, fatigati atque emolliti eſſent, non eſt ſane veriſimile fuiſſe in *inveſtigandis* Chriſtianorum *latebris* admodum diligentes. Sed qualiſcunque fuerit hæc perſecutio, non erat certe, quam putant, diuturna. Non eſt ut eam ultra depoſitam à *Maximiano* purpuram prorogemus. *Tempora* diligentiſſime notarunt acta quæ extabant ætate *Auguſtini*: *Nam geſta* ([81] inquit) *martyrum quibus oſtendebatur tempus perſecutionis Coſſ. geſta ſunt Diocletiano IX. & Maximiano VIII. prid. Id. Februarias: geſta autem epiſcopalia decreti Cirtenſis*, *poſt eorundem conſulatum III. Non Martias*. Conſtat omnino, quod *tempus* hic appellatur *perſecutionis*, non alium eſſe quam *ſecundum* ejuſdem *annum*. Nec enim initio *Februarii Africam* appuliſſe potuit edictum à *Diocletiano Nicomediæ* ſub *finem Februarii* emiſſum, nedum *aliud* à *Maximiano Herculio* poſtea emittendum. Cum vero ſynodus illa haberetur, jam certe *pacem* Eccleſia accepiſſe videtur. Vix aliter foret ut *Synodi* habendæ vacare poſſent Epiſcopi, nedum ut tam *levi cauſa* tam *multi* convenerint, ut *unus Epiſcopus* conſtitueretur. Idque innuit [82] *Optatus*, cum ait *idcirco conſediſſe in domo Urbani Cariſi*, *quia Baſilicæ necdum fuerant reſtitutæ*. Speraſſe illos indicat brevi fore ut reſtituerentur. Melius tamen tempus notavit, ni fallor, *Optatus* III. Iduum *Maiarum*. Jam enim depoſuerat imperium eo ipſo anno *Maximianus*, ſive Kal. *Aprilis* depoſuerit, ut *Idatius*, ſive Kal. *Maiis*, ut videtur innuere *Lactantius*.

§. LXXVII. Eodem tempore deſiit & in *Italia*. Valedicturus enim imperio *Maximianus* eam, ni fallor, gratiam ſubditis faciebat quo gratior illis acceptiorque eſſet ejus memoria. Sequebantur tempora turbulenta uſque ad imperium *Maxentii*. Is autem in *initio* captandæ benevolentiæ cauſa revocavit perſecutionis edictum, *Chriſtianumque* ſe ſimulavit. Ita [83] *Euſebius*: ἀρχόμενος μὲν τῆς καθ' ἡμᾶς πίστεως ἐπ' ἀρετῇ καὶ κολακείᾳ δὲ δήμου Ρωμαίων καθυπεκρίνατο· ταύτῃ τε τοῖς ὑπηκόοις καὶ τῆς χριστιανῶν ἀνεῖναι πειρᾶται διωγμὸν, δυσέβειαν ἐπιμορφάζων, καὶ ὡς ἂν δεξιὸς καὶ πολὺ πρᾶος φῶς τοῦ πρότερος φανείη. Nec alio fuiſſe *unquam* in *Chriſtianos* animo *Maxentium* inde colligimus, quod, recepta tandem A. D. CCCXI. *Africa*, eundem ſe adhuc in *Chriſtianos* præbuiſſe auctor ſit [84] *Optatus*. Diſtulit autem fortaſſe *Galerius* quod novo ſuo Cæſari *Severo* perſecutionem in mandatis dediſſet. Quacunque tamen id de cauſa evenerit, ita erat in Occidentalibus imperiis reſtincta *ſecundo anno* perſecutio, ut toto deinde *decennio* nunquam fuerit reſuſcitata. Teſtis eſt locupletiſſimus illorum temporum coævus *Euſebius* mille fabulatoribus anteponendus. Is ubi dixerat *Orientale imperium* ad *Illyricum* uſque diutinis graviſſimiſque perſecutionibus fuiſſe vexatum, ita deinde ſubjunxit: [85] τὰ γάρ τοι ἐπέκεινα τῆς δεδηλωμένων, Ιταλία πᾶσα καὶ Σικελία, Γαλλία τε καὶ ὅσα κατ' ὄμμα δύομεν ἥλιον ὑπὲρ Σπανίαν Μαυρετανίαν τε καὶ Αφρικὴν, ἀδ' ὅλοις ἔτεσι δυσὶ τοῖς πρώτοις ὑπὸ διωγμῶ τῆς τόλεμον ὑπομείναντα, ταχίσης ἠξιώθησαν ὑπὸ κοπῆς τε θεῦ καὶ εἰρήνης, τὸ ἀρχαῖα πρόνοίας φειδῶ τῆς τῶν ἀνδρῶν ἁπλότητος καὶ πίστεως ποιησάμενος. Ecquis eſt qui non videat eundem hic deſignari *Occidentalium* perſecutioni terminum atque illum quem dixi fuiſſe imperii *Maximiano Herculio*? [86] ἕπω δ' ὕστερον ἔτος πεπληρῶσῃ à perſecutionis edicto dixerat de imperio *Diocletiani* & *Maximiani*. Et hic ἀδ' ὅλοις ἔτεσι δυσὶ concluſam illam dixit perſecutionem. Quod vero exiſtimat doctiſſimus *Baluzius* innuere *Euſebium* in *Gallia* atque *Hiſpania* fuiſſe ſaltem aliquam, quæ ſecundo tamen anno deſierit, perſecutionem; fugit illum

[75] Conc. *Arelat.* I. Can. 13. 14. [76] *Lactan.* n. 16.
[77] Ib. n. 15. [78] Miſcel. L. II. p. 82.
[79] Miſcel. L. II. p. 63. [80] Ib. p. 66.
[81] Brevic. Collat. diei 3. c. 17. [82] *Optat.* L. I.
[83] *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VIII. 14. [84] *Optat* L. I.
[85] *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VIII. 13. [86] Ibid.

illum certe ratio. Certum eſt, nec ipſo refragante, nihil *Chriſtianos* eſſe paſſos auctore *Conſtantio*. Et vero jamdiu extincta erat principum edictis prava illa conſuetudo *præfectorum* innocentes concedentium *populis* in *theatro* clamantibus. Ne *populum* quidem in hac perſecutione infenſum videntur habuiſſe *Chriſtiani*. Cur aliter *populum* primo perſecutionis anno ita ſibi infenſum ſenſit [87] *Diocletianus*? Cur *populi benevolentiam* ita ſibi captandam cenſuit *Maxentius* ſi ſe *Chriſtianum* ſimularet? Cur ita perſecutores omnes in *Italia populi* tanto odio flagrabant, ut tradiderit in *Italia* exercitus *Severum*, ipſum eſſet *Galerium* traditurus? Nec credibile eſt auſuros provinciarum *præfectos* in *Chriſtianos* ſævire ſub *principe benevolo*; nec ſi id auderent, impune laturos; nec ſi unum alterumve impune ſuſtuliſſent, tantam tamen illam, quam faciunt fabulatores, martyrum *multitudinem* impune ſublaturos. Id unum igitur voluit, ni fallor, *Euſebius* ut annum illum *occidentalis imperii* tractum, præcipuis provinciis *nominatis*, deſignaret, nec ultra *ſecundum* perſecutionis annum ipſam in toto illo tractu duraſſe indicaret.

§. LXXVIII. Redeamus itaque ad pertexendam ejuſdem perſecutionis hiſtoriam in partibus imperii *Orientalibus*. Purpuram diximus depoſuiſſe *Diocletianum* A. D. CCCV. *April.* I. ſi *Idatium*, *Maii* I. ſi [88] *Lactantium* audiemus. Eodem illo die factus eſt Cæſar *Maximinus*. Eadem enim purpura qua ſe *exuit* illum *induit Diocletianus*, quod factum etiam innuit [89] *Lactantius* in alio *Cæſare Severo* à *Maximiano Herculio*. Et tamen alium illi ab utriſque *natalem* tribuit [90] *Euſebius Novemb.* XX. eundem ſcilicet quem *Diocletiano* [91] *Lactantius*, niſi forte quid myſterii illis verbis ſubeſſe ſuſpicemur, τῇ τὸ λεγομένῳ αὐτοῦ ἡμέραν, quaſi *diceretur* duntaxat, non item *vere* fuiſſet ejus *natalis*. Sed inde fortaſſe factum, quia *Diocletiani Cæſar* eſſet, ut eundem etiam cum *Diocletiano natalem* celebraret, cum tamen alio die *Cæſaream* majeſtatem inierit. Eumne diem *Nicomediæ*, ominis gratia, expectarit antequam provinciam capeſſeret, non eſt ut facile dicamus. Fieri tamen poteſt ut ita fuerit. Id ſi verum fuerit, aliquandiu *quieviſſe Orientis Chriſtianos* neceſſe erat, à *depoſitione* nimirum *Diocletiani* uſque ad adventum *Maximini*. Inde δευτέρα illa, quam appellat *Euſebius*, ἐπανάςασις *Maximini* jam longe ſævior illa quæ præceſſerat, quam cum illi αὐτόθεν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν παρελθόντι tribuit [92] *Euſebius*, *tertio* tamen illam conſtituit perſecutionis anno, ut proinde exeunte A. D. CCCV nova illa perſecutio inceperit. Recte quidem id, & pro ſuis principiis, *Euſebius*. Sequenti enim poſt *Diocletiani* depoſitionem anno initium *Maximini* tribuit *Euſebius* in *Chronico*, ex quo illum erroris manifeſti convictum tenemus, cum certum ſit è *Lactantio* uno eodemque non *anno* modo, ſed & *die* depoſuiſſe *Diocletianum*, ſuſcepiſſe *Maximinum*. Ut tamen conſultum de edicto perſecutionis conſtitutumque anno *tertio* concedamus, fieri tamen vix poteſt ut ante annum IV. emiſſum fuerit per provincias atque propoſitum. Sub finem *Martii* anni IV. ſeſe obtulit præfecto *Apphianus*, reperitque omnia quaſi in ipſo perſecutionis *procinctu* atque apparatu. *Præcones* urbis *Cæſarienſis* omnes patresfamilias una cum uxoribus liberiſque ad idolorum templa juſſu præſidis evocabant, citabantque *tribuni* è *catalogo* militari, ut videtur, *milites* præſidiarios *nominatim*. Hæc plane *incipientium* erant, non eorum qui *progreſſus* aliquos jam feciſſent in perſecutione.

§. LXXIX. Quale autem fuerit novæ hujuſce perſecutionis *edictum* ex *Euſebio* facile intelligimus, [93] ὡς ἂν πανδημεὶ πάντες ἀπαξαπλῶς μετ' ὀλιγωρίας καὶ σπουδῆς τῷ κατὰ πόλεις ἐχόντων θύειν. Plane hæc reſpondent illis quæ ſupra ſecundo perſecutionis anno retulerat *Euſebius*, & fere iiſdem verbis, πάντας πανδημεὶ σὺν τῇ πόλιν θύειν τε καὶ σπένδειν τοῖς εἰδώλοις, ut vix dubium eſſe poſſit quin unum fuerit idemque edictum, ab uno eodemque *Galerio*, non tamen eodem tempore emiſſum. Convenit & pœna *Apphiani*, *lentus ignis pedibus* ejus admotus, plane ad mentem *Galerii*, ut ſupra è *Lactantio* obſervavimus. Illud unum tamen fuerit in *utroque* edicto fortaſſe *diverſum*, quod eum ſuperiori edicto *omnes*, non ut antea duntaxat *clerici*, ſacrificare juberentur, *executio* tamen *Romanis* duntaxat *præfectis*, non item *urbium magiſtratibus* qui poteſtate *gladii* carerent, fuiſſet demandata; ſecundo tamen edicto *magiſtratuum*, etiam *urbicorum* opera in civium ſuorum è *matriculis* detectione etiam exigeretur. Id certe ſtuduit poſtea *Maximinus* ut *civitates* etiam in *perſecutionis* invidiam alliceret. Sexto perſecutionis anno *edictum* direxit [94] τοῖς ἐν ἑκάσαις πόλεσι λογισαῖς ἅμα στρατηγοῖς καὶ ταξιαρχίοις. Rurſus *edictum* quo revocatum eſt *Galerii* edictum de perſecutione, directum [95] λογισαῖς καὶ στρατηγοῖς καὶ πραιποσίτοις ἔ πάγου ἑκάσης πόλεως, quos etiam, σὺν κατ' ἀγρὸς ἐπιτεταγμένοις appellat. Inde tandem nata πόλεων ψηφίσματα adverſus *Chriſtianos*, quæ *nova* videbantur [96] *Euſebio*, utpote à *Maximino* primum excogitata. Non meminit ille quæ fuiſſent *olim* ab *urbibus* decreta ſub *Antoninis*. Nempe experientia compertum eſt ad *cives* detegendos quam eſſet illa *civicorum magiſtratuum* opera neceſſaria. Ita quarto tandem perſecutionis anno natum eſt hoc *poſterius edictum* paulo antequam patereturr *Apphianus*, A. D. CCCVI.

§. LXXX. Ab hoc tertio anno quo imperium depoſuit *Diocletianus* perſtitit *Nicomediæ* perſecutio uſque ad palinodiam *Galerii*, à Kal. *Maiis* Anni CCCV. uſque ad prid. Kal. *Maiis* Anni CCCXI. Id colligimus è [97] *Lactantio* qui hoc tempore *Donatum* ſuum ſcribit è *carcere* fuiſſe *liberatum*, cum *carcer* illi *ſex annis pro domicilio fuiſſet*. At in ditione *Maximini Cæſarea* erat ſaltem aliqua perſecutionis *remiſſio*, licet nulla fuerat ejuſdem *revocatio*. Ipſa *cædium* ſatietas, atque affectatio illa, quam diximus, *incruenti imperii*, ad *ſæviora* quidem perſecutores conſilia, minus tamen *martyrum* proventu *copioſa*, convertit. Ita [98] *Euſebius*: τὰ δ' ὧν τῶν συμφορῶν ἔκλατα, ὅτε δὴ λοιπὸν ἀπειρηκότες ἐπὶ τῇ τῶν κακῶν ὑπερβολῇ καὶ πρὸς τὸ κτείνειν ἀποκαμόντες, πλησμονὴ τε καὶ κόρον τῶν αἱμάτων ἐκκύσεως ἐλκηκότες ἐπὶ τὸ νομιζόμενον αὐτοῖς χρηςὸν καὶ φιλάνθρωπον ἐτρέποντο, nempe *ut in poſterum nulla adverſum Chriſtianos ſævitia uti viderentur. Neque enim fas eſſe aiebant, ut urbes quidem civium ſanguine contaminarentur; imperatores autem ipſi erga omnes benigni ac manſueti crudelitatis aſpergerentur infamia: ſed potius decere, ut humanitas & beneficentia imperatoria majeſtatis in univerſos diffunderetur, nec poſthac noſtri capitali ſupplicio plecterentur. Quippe hujuſmodi per Imperatorum indulgentiam liberatos nos eſſe.* Ita pro ditione *Orientis Cæſarea Euſebius*. Nec aliter in ditione *Auguſtea* factum, cujus metropolis erat *Nicomedia*, teſtis eſt [99] *Lactantius*: *Illud vero peſſimum* (inquit) *genus eſt, cui clementiæ ſpecies falſa blanditur: illa*

87 *Lact.* de mort. perſ. c. 17. 88 Ibid. c. 19. 89 Ib. c. 26.
90 *Euſeb.* de mart. pal. c. 5. 91 *Lact.* de mort. perſ. c. 17.
92 *Euſeb.* de mart. pal. c. 4. 93 De mart. pal. c. 4.
94 Ib. c. 19. 95 *Euſeb.* Hiſt. Eccl. IX. 1.
96 *Euſeb.* ib. c. 7. 97 De mort. perſ. c. 35.
98 *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VIII. 12. 99 Div. Inſt. V. 2.

ille gravior, ille ſævior eſt carnifex qui neminem ſtatuit occidere. Itaque dici non poteſt, hujuſmodi judices quanta & quam graviora tormentorum genera excogitaverint, ut ad effectum propoſiti ſui pervenirent. Hæc autem non tantum ideo faciunt, ut gloriari poſſint, nullum ſe innocentium peremiſſe (nam & ipſe audivi aliquos gloriantes, quia adminiſtratio ſua hac parte fuerit incruenta) ſed & invidiæ cauſa, ne aut ipſi vincantur, aut illi virtutis ſuæ gloriam conſequantur. Proinde ſummam curam adhibebant ne morerentur quos cruciaverant. Ita enim ſequitur: *Contendunt igitur ut vincant, & exquiſitos dolores corporibus immittunt: & nihil aliud evitant, quam ut ne torti moriantur.* Et rurſus: *Illi autem pertinaci ſtultitia jubent curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, & reparetur novus ſanguis ad pœnam. Quid tam pium, tam beneficum, tam humanum, fieri poteſt? non curaſſent tam ſolicite quos amarent.* Plane illi ad exemplum *Decii* qui eadem, ni fallor, ante *crudelitatis* infamiam ſe putavit evitare poſſe. Ita enim de ejus tormentis noſter [1] *Cyprianus: Tormenta venerunt, & tormenta ſine fine tortoris, ſine exitu damnationis, ſine ſolatio mortis; tormenta quæ ad coronam non facile dimittant, ſed tamdiu torqueant quamdiu dejiciant: niſi ſi aliquis divina dignatione ſubtractus inter ipſa cruciamenta profecerit, adeptus gloriam non termino ſupplicii, ſed velocitate moriendi.* Ita intelligimus ut *clementiæ* laudem conciliarint boni alioqui principes cum immaniſſima adverſus *Chriſtianos ſævitia*. Quanquam autem *Chriſtianorum* patientiam gravius exercuerunt hi cruciatus, at *pauciores* certe fecerunt omnino *martyres*.

§. LXXXI. In eo autem ponebant hanc *clementiæ* laudem perſecutores, de quibus agimus, *Diocletianæi*, ſi, cum *vitæ* peperciſſent, *oculos* tamen *dextros* eruiſſent, & *ſiniſtros poplites* debilitaſſent candenti ferro. Ex quo itaque cœperunt hæ mutilationes, cum *vitæ ſervandæ* cauſa fuiſſent excogitatæ, exinde *variora* fuiſſe *martyria* veriſimile eſt. Cum itaque quarto tandem perſecutionis anno ſæviorem illam *Maximini* perſecutionem recruduiſſe dixerimus; V. tamen incepiſſe [2] *mutilationes* damnationeſque ad *metalla* teſtatur *Euſebius*. Hoc anno periit *Urbanus* ſæviſſimus *Chriſtianorum* perſecutor. Qui illum deinde VI. anno excepit *Firmilianus* in præfectura [3] *Palæſtinæ*, quanquam nonnullos *capite* multavit, at quamplurimos illis, quas dixi, *mutilationibus* operiſque *metallicis* pro virili ſua fatigavit. Jamque perſecutionis *incendium* tot *martyrum* cruore imminutum *reſtinctumque* obſervavit [4] *Euſebius*, ἀνέσεώς τε ἤδη καὶ ἐλευθερίας τοῖς ὅπη Θηβαΐδος εἰς τὰ αὐτόθι μέταλλα ἀφ' ἑκατὸν καταπονουμένοις συγκεχωρημένοις, cum novo quaſi captato initio novum *Maximini* prodiit *edictum* quo omnes erant, tam *fœminæ* quam *viri*, tam *ſervi* quam *domini*, ipſi etiam ἀτομάζιοι *infantes* ad ſacrificia cogendi. Duraſſe itaque videtur illa intermiſſio à menſe *Auguſto* uſque ad *Novembrem*. Primo ergo novi hujus edicti impetu *interfectos* à *Firmiliano* nonnullos *martyres* memorat [5] *Euſebius*, ita tamen ut menſe *Decembri* ad ingenium redierit, &, pro *mortibus*, *mutilationibus* deinde *operiſque metallicis* ſævierit, paucis duntaxat ad *martyrium* delectis. Cum tamen maximo flagraret ipſorum [6] *gentilium* odio atque invidia nova hæc eruptio, non eſt quod miremur non fuiſſe diuturnam. Anno enim tandem perſecutionis VII. *Martii* VII. paſſus *Eubulus* ultimus *martyrum Cæſarienſium*, [7] ὕσατος τῶν ὅπη τῆς Καισαρείας μαρτύρων τοῦ ἄθλους ἐπεσφράγισατο, inquit *Euſebius*, cum nempe ipſe *Firmilianus* à *Maximino* extremo ſupplicio addictus, capite truncatus eſt. Ita tranſiit annus ille VII. cum rurſus ſenſim *negligi* à *gentilibus* res *Chriſtianorum* viderentur. Id enim vult illis verbis [8] *Euſebius*, καίπως ῥᾳθυμία τις καθ' ἡμᾶς ἰσυχῇ τὸ ἀπεργον εἰληφότων. Inde anno VIII. tanta crevit *Chriſtianis* in *metallis* conſtitutis fiducia ut palam *collectas* celebrarent, extructis etiam *Eccleſiis*. Hoc illis novam rurſus novi poſt *Firmilianum* præfecti conflavit invidiam. Inde, conſulto Imperatore acceptiſque reſcriptis, quatuor ex omni numero ſelectos ipſe vivicomburio conſummavit, XXXIX. *Maximino* deſtinavit, quos ille uno eodemque *die* capitibus truncavit. Reliquos per alia metalla diſperſit, nec alios in ea præfectura paſſos veriſimile eſt à VII. *Mart.* anni VII. uſque ad annum perſecutionis IX. Nec eſt quod dubitemus de aliis etiam eſſe *præfecturis* ex hac ipſa *præfectura* ſtatuendum.

§. LXXXII. Prodiit tandem abſoluto anno perſecutionis VIII. ineunte IX. edictum *Galerii*, quo perſecutio illa penitus extincta eſt, inter Kal. *Martias* quibus XX. *tribunitiam poteſtatem* inchoaverat, prid. Kal. *Maias* quod *Nicomediæ* dicit propoſitum fuiſſe [9] *Lactantius*, & quanquam invito *Maximino*, à *Sabino* præf. prætorio [10] *Orientis*, præfectis *provincialibus urbiciſque* magiſtratibus communicatum, cum & ipſe *verbo* tenus *judicibus* mandaſſet ut ab oppugnatione [11] *Chriſtianorum* abſtinerent. Duravit hæc *pax* ne *ſex* quidem integris *menſibus*. Inde ad novas artes prætextuſque quærendos reſtaurandæ perſecutionis ſe convertit *Maximinus*. Imprimis arcuit *Chriſtianos* à *cœmeteriis*. Tum ſubornavit *civitatum* ad ſe *legationes* magni quaſi beneficii loco id à ſe petentium ut *Chriſtiani* pellerentur, imprimis *Antiochiæ*, in qua urbis curator *Theotecnus* egregius impoſtor novum *Jovis Philii* ſimulacrum magicis artibus conſecratum erexit, ejuſdemque commentus eſt oraculum quo juberetur [12] *Chriſtianos urbe* omnique urbis *territorio* eſſe exterminandos. Tum novo quodam exemplo civitates, quæ id gratum *Maximino* fore intellexiſſent, ſua etiam ψηφίσματα adverſus *Chriſtianos* emiſerunt. Legationes hæ eodem quo deceſſit *Galerius* anno, ſed exeunte, *Nicomediæ* accepit, poſtquam *Galerii* ditionem ad fretum uſque *Chalcedonium* occupaſſet, & pacem amicitiamque cum *Licinio* certis conditionibus compoſuiſſet. Hoc ex ipſius *Maximini* edicto conſtat in favorem *Chriſtianorum* ſequenti Anno CCCXII. finiente edito. Sed & [13] *indulgentiam* Chriſtianis à *Galerio* conceſſam hoc etiam anno revocatam neceſſe eſt ſi non integris VI. menſibus ea pax duraverit. Sed occultis, ni fallor, artibus, nondum aliquo *edicto*, hucuſque ſævitum eſt.

§. LXXXIII. Poſtea aliæ *fraudes* excogitatæ ut in *Chriſtianorum* odium populos accenderet. *Acta* imprimis [14] *Pilati* in *Salvatoris* noſtri *contumeliam* ab *Impoſtore* aliquo conficta, quæ tamen tanti fecit *Maximinus* ut publicis *edictis* ea commendarit, ut ubique locorum, tam in *agris*, quam in *civitatibus* publice proponerentur, utque *ludimagiſtri* pro *dictatis* hæc declamanda & memoriæ commendanda *pueris* traderent. Tum etiam impuras quaſdam *mulierculas* eo tormentis adegit dux quidem *Damaſcenus*, ut *publice* editis apud *acta* teſtimoniis faterentur ſe olim *Chriſtianas* fuiſſe, & flagitiorum quæ à *Chriſtianis* in ipſis ædibus ſacris gererentur, eſſe *conſcias*, ut nem-

[1] Ep. VIII. [2] De mart. Pal. c. 7. [3] Ib. c. 8.
[4] De mart. Pal. c. 9. [5] Ib. c. 10. [6] Ib. c. 9.
[7] Ib. c. 11. [8] Ib. c. 13. [9] N. 35.
[10] *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. IX. 1. [11] Ib. c. 2.
[12] Ib. c. 3. [13] Ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. IX. 9.
[14] *Euſeb.* Hiſt. Eccl. IX. 5.

nempe fidem aliquam *antiquiorum* illi calumniæ conciliarent de *Oedipodeis* Chriſtianorum inceſtibus. Tandem ita concitato *populo*, facta etiam ſunt illa *urbium* [15] θεσπίσματα, earum proculdubio præcipue quæ *legationes* ſuperiori anno *Nicomediam* deſtinarant, idque ipſis cohortantibus provinciarum *præſidibus* qui id gratum eſſe Imperatori perſpexerant. Quibus ita comparatis jam pulcherrimam ſibi *invidiæ* declinandæ nactus videbatur occaſionem, ut quaſi *urbium* legationibus coactus *edictum pacis* revocaret. Reſcripſit enim ad illa civitatum decreta, pellendos eſſe *Chriſtianos*. Qualis fuerit reſcripti *forma*, conſtat ex eo exemplari quo uſus eſt ad *Tyrios*, quodque æreis tabulis, pro more civitatum inciſum tradit [16] *Euſebius* ad perpetuam rei memoriam. Subjungit enim ejuſmodi literas in omnibus provinciis fuiſſe propoſitas. Jamque perſecutioni matura erant omnia ni *Conſtantinus* illum [17] deterruiſſet. Tempus quo hæc *reſcripta* edita ſunt, colligimus ex *Euſebio*. Poſtquam enim victus eſſet à *Licinio* in *campo ſereno* menſe *Maio* anni CCCXIII. ſecundum reſcriptum edidit in *favorem* Chriſtianorum [18] ἀδ' ὅλον ἐνιαυτὸν τῷ χῷ χεισιανῶν ἐν σήλαις ἀνατεθειμένων ὑγεφίσαν. Hæc itaque reſcripta edita fuiſſe poſt menſem *Maium* Anni CCCXII. neceſſe eſt. Exiſtimo tamen maximam hujus perſecutionis partem ſub *finem* anni ſuperioris contigiſſe. *Lucianum* martyrem *Octobr.* XXVI. paſſum volunt, quibus res *Luciani* magis exploratæ erant, auctores *Græci*. Nondum ſcilicet menſis VI. ab edicto moribundi *Galerii* expletus eſt, ut ait *Euſebius*. Paſſus eſt etiam *Nicomediæ* cum in ea eſſet civitate ipſe *Maximinus*. [19] Hic autem hoc ipſo tempore *primas* civitatum *legationes* excepit ſine θεσπίσμασι, teſte ipſo [20] *Maximino* in primo ſuo pro *Chriſtianis* edicto ſub finem Anni CCCXII. emiſſo. Secundo enim edicto Anni CCCXIII. παρελθόντι ἐνιαυτῷ *ſuperius edictum* à ſe editum teſtatur. Dolis itaque *Theotecni Antiochiæ* curatoris, hoſtiſque *Chriſtianorum* infenſiſſimi miſſum *Antiochia Nicomediam Lucianum* fuiſſe probabile eſt. Convenit etiam quod *Petrum* epiſcopum *Alexandrinum* IX. perſecutionis anno paſſum tradit Chronicon *Alexandrinum*.

§. LXXXIV. Quod autem ait [21] *Euſebius* hanc *Maximini* perſecutionem priori fuiſſe multo acerbiorem, niſi candide intelligatur, verum eſſe vix poteſt, quanquam non neceſſe eſt ut ita intelligatur quaſi majorem fecerit *martyrum* proventum. Diu egit per *dolos* ut in alios potius quam ſe invidia recideret. Si quod edidit reſcriptum *ſanguinarium*, id *privatis* potius *literis* quam *edicto* aliquo *publice* propoſito præfectis inſinuavit. Innuit ipſe *Maximinus* edicto Anni CCCXII. *pacem* à ſe *Orienti* [22] indultam nunquam eſſe à ſe revocatam; quod vero *judices* immitius cum *Chriſtianis* egerint id *illis* potius, quam *ſibi*, fuiſſe tribuendum. Ita illa ejus verba intelligo: τλωικαῦτα ἔν ὅτε ἀκολούθως τῇ κελεύσει τῇ ἐμῇ ὑπὸ τ δικαςῶν ἐφυλάττετο τὰ πεϱιεταλμένα, συνέβαινε μηδένα ὁπ τ ἀνατολῆς μεϱῶν, μήτε ἐξόϱμον μήτε ἐνύβϱιον ϱώεδζ· ἀλλὰ μᾶλλον ὁπ ᾧ μὴ βαϱέως κατ' αὐτῶν λι γίνεδζ εἰς ἢ τ θεῶν θϱεσκείαν ἀνακεκλῆδζ. Maximum itaque eorum numerum qui ſecunda hac *Maximini* perſecutione perierunt abſorpſit primus ille *judicum* impetus, cum tamen aliunde rem fore gratam intellexiſſent, qui licet pro *temporis brevitate multi* eſſe potuerint, *multos* tamen *abſolute* fuiſſe non eſt omnino veriſimile. Tandem cum *civitatum*, poſt *legationes*, etiam *decreta* accepiſſet, tum fatetur à ſe aliquid illis fuiſſe indultum, eo quod neceſſe eſſet illis benignius reſpondere, pro more *ſuperiorum Imperatorum*: ἀναϱκλῶ (inquit) ἔχον πεϱιφιλῶς ὑποκϱίναδζ, ὅπ δὴ αὐτὸ τοῦτο χῇ οἱ ἀϱχαῖοι αὐτοκϱάτοϱες πάντες διεφύλαξαν. *Reſcriptis* itaque ad civitatum decreta reſponſoriis, *Chriſtiani* ita non de *vita*, ut ne de *membris* quidem periclitabantur, tantum erant ab illarum civitatum *territoriis* pellendi. Una tamen cum illis reſcriptis etiam alia ad *præfectos* provinciarum *judiceſque* data eſſe veriſimile eſt, ſed nec illa *cædem* imperantia. *Nam cum clementiam* (inquit [23] *Lactantius*) *ſpecie tenus profiteretur, occidi ſervos vetuit, debilitari juſſit.* Ita rediit ad ſupra dictas corporum *mutilationes*, quæ licet *confeſſores multos* fecerunt, *nullos* tamen *martyres*. Sed brevis admodum fuit hæc etiam perſecutio. Cum enim poſt menſem *Maium* emiſſa illa probavimus perſecutionis edicta Ann. CCCXII. movente jam adverſus *Maxentium Conſtantino*, eo tamen ipſo tempore, ſimul ac reſcivit, *literis* illum deterruit *Conſtantinus*, quibus ad diſſimulationem eum adactum ſcribit [24] *Lactantius*. Merito quidem ille. Erat enim *primus Auguſtorum Conſtantinus*, cui, pro illorum temporum adminiſtratione, parere oportebat reliquos *Imperatores* omnes, tam [25] *Cæſares*, quam etiam *Auguſtos*. Fecit illum *Auguſtum Conſtantius* pater [26] *Auguſtus Galerio* prior. Renunciavit etiam *Auguſtum*, ſtatim à patris deceſſu, *exercitus*, cui, pro eorundem temporum more, jus renunciandi competebat. Refragatus tamen eſt *Auguſti* titulo *Galerius*, qui *Cæſaream* illi duntaxat dignitatem confirmavit. Quod enim excogitatum à *Galerio* ſcribit [27] *Lactantius*, ut *Severum Auguſtum nuncupando, Conſtantinum non Imperatorem, ſicut erat factus, ſed Cæſarem cum Maximino appellari juberet, ut eum de ſecundo loco rejiceret in quartum*, præpoſito nimirum illi ipſo quoque Maximino; id etiam feciſſe conſtat è faſtis *Alexandrinis* MSS. *Uſſeriani*, *Theone*, ni fallor, *Alexandrino* auctore, qui illos ad annum uſque Dom. CCCLXXII. perduxit. Ibi enim pro Anni CCCVII. Coſſ. quos agnovit *imperium Orientale*, legimus Σεβῆϱον σέβαστον χῇ Μαξιμιανὸν Καίσαϱα, noſtrum nempe *Maximinum*, cujus primum conſulatum reperire non potuit [28] *Baluzius*, ſæpe enim hæc nomina inter ſe permiſcent illorum temporum ſcriptores. Temperavit itaque aliquantiſper *Auguſti* titulo *Conſtantinus* ut è *panegyrico* anonymi diſcimus coævi illorum temporum auctoris. Interim ſublato *Severo* imperium *Licinio* dedit *Galerius* ſubſtituto in *Severi* loco, *Auguſteum* nimirum imperium, id enim *Severo* conceſſum probavimus, nec aliud *imperii* nomine ſolet denotare *Lactantius*. Et eodem, ut videtur, conſilio *Conſtantinum* [29] deprimendi, ut proinde *Conſtantino* illum anteponeret. Poſtea ſecutæ nuptiæ *Conſtantini* cum *Fauſta* filia *Maximiani Herculii*, qua occaſione *Auguſti* titulum illi à *Maximiano* attributum teſtatur auctor *panegyrici*. Nec dubium quin *Licinio* illum antepoſuerit, quem *injuria* illi antetulerat *Galerius*. Cum autem purpuram reſumſiſſet *Herculius*, non eſt quod dubitemus quin potior *illius* eſſe debuerit quam *Galerii* auctoritas, utpote ipſo *Galerio* ſenioris. Nondum tamen fateor pro *imperio* cum *Maximino* egiſſe *Conſtantinum*, cum *minis* potius quam *mandatis Maximinum* deterreret. Cum enim ſe *Maximinus Auguſtum* nuncupaſſet, ante

15 Ib. c. 4. 16 *Euſeb.* Hiſt. Eccl. IX. 7.
17 *Lactan.* n. 37. 18 *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. IX. 10.
19 *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. IX. 6. 20 Ib. c. 9.
21 Ib. c 6. 22 Ib. c. 9. 23 De mort. perſ. n. 36.

24 Ib. n. 37. 25 §. LXXXIV.
26 *Lactan.* ib. n. 24. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VIII. 13.
27 Ib. n. 25. 28 Ad *Lactan.* n. 35. in not.
29 Vid. *Lactan.* n. 32.

ante *novam* illam *Conſtantini* confirmationem ab *Herculio*, jam neminem ſuperiorem agnoſcebat, non [30] *Licinium*, quia ipſe prius fuiſſet *Cæſar*; non *Conſtantinum*, quia eo antiquior fuiſſet in titulo *Auguſti*.

§. LXXXVI. Duravit itaque hæc ipſa diſſimulatio uſque ad nuncium de profligato à *Conſtantino Maxentio*. Jam primi *Auguſti* titulum extra dubium poſuit auctoritas *Senatus*. Ita enim [31] *Lactantius*: *Senatus Conſtantino, virtutis gratia, primi nominis titulum decrevit quem ſibi Maximinus vindicabat*. Inde pro *auctoritate* egit cum *Maximino Conſtantinus*. *Hyeme proxima*, (ut inquit [32] *Lactantius*) *rebus in urbe compoſitis*, *Mediolanum venit*, Decembri, ut exiſtimo, ineunte, eodem venit, nuptiarum cauſa, *Licinius*. Nihil prius geſtum quam ut *Deo gratias* agerent pro recenti victoria, *Chriſtianis* autem *pacem*. Ibi conditum decretum pro *pace* quod nobis conſervavit *Latine* hodie [33] *Lactantius*. Illud extemplo una cum *victoriæ* nuntio mittunt *Maximino*. Ille vero μὴ δοκεῖν ἑτέροις ἔξαι βκλόμλω, novum, ut auctorem habemus [34] *Euſebium*, ἐξ ἰδίας αὐθεντείας, emiſit edictum. Ægre enim admodum & invitus ſenatusconſulto ceſſit quo *Conſtantinus* primi tituli *Auguſtus* renunciatus eſt. Quod autem ſequenti potius Anno CCCXIII. hoc edictum emiſſum vult *Baluzius*, & annos *Maximini* à *natali* ejus Kal. *Maiis* numerandos exiſtimat, non à Kal. *Januariis*, erravit, ut exiſtimo, manifeſto vir doctiſſimus à ſententia *Maximini*. Quod enim exiſtimat vir [35] doctiſſimus, ſequenti potius emiſſum Anno CCCXIII. & annos *Maximini* ab ejus *natali* Kal. *Maiis* non à Kal. *Januariis* eſſe arceſſendos, novum eſt omnino, nec pro illius, ut puto, *ſeculi* moribus receptum. Fateor equidem me pronum eſſe ut in ejus ſententiam concederem ſi idoneo aliquo probatæque fidei exemplo id potuiſſet confirmare. Et ratio fortaſſis eſſe potuit quod *tribunitiis poteſtatibus* edicta ſolerent aliquando ſignare. Exemplum habemus illuſtre illud ipſum *Galerii* edictum quo *Chriſtianis* conceſſerat *pacem*. Ita fieri potuit ut quæ nova *tribunitia poteſtate* ſignanda eſſent ea novo etiam *anno* tribuenda viderentur. Sed in hoc profecto, quod in manibus habemus, *edicto* nulla eſt omnino *tribunitiæ poteſtatis* mentio, ni forte illam neglexerit in *Græca* ſua interpretatione *Euſebius*. Sunt tamen in adverſum alia quæ ſuadent anno potius CCCXII. aſſignandum illud eſſe *Maximini* edictum. *Maxentium* vicit *Conſtantinus* VI. Kal. *Novembr.* auctore [36] *Lactantio*. Nec longe abit *Kalendarium Conſtantii* à *Bucherio* editum. In eo enim ad V. Kal. *Novembr.* habemus, *evictio Tyranni*, ad IV. *adventus Divi*, ſi tamen *Tyranni* nomine *Maxentius*, potius quam *Licinius*, ſit intelligendus, ut eſt ſane veriſimillimum. Ita fiet ut *Romam Octob.* XXIX. ingreſſus fuerit *Conſtantinus*. Inde duos menſes *Romæ* non explevit. De *Maxentio* & *Conſtantino* ita [37] *Nazarius*: *Quicquid mali ſexennio toto dominatio feralis inflixerat, bimeſtris fere cura ſanavit*. Convenit etiam lex *Conſtantini* in codice *Theodoſiano* quam *Romæ* edidit ſub initium *Decembris*, ſed *Roma* ſtatim diſceſſurus. Convenit etiam accuratiſſime confirmatque noſtram hanc ſententiam mors *Diocletiani*. *Vocatum* enim *ad nuptias Conſtantiæ* & *Licinii* tradit [38] *Aurelius Victor*, *ſe tamen*, ait, *per ſenectam*, *quo minus intereſſe valeret*, *excuſaviſſe*. Deinde *reſcriptis minacibus acceptis quibus increpabatur Maxentio faviſſe*, *ac Maximino favere*, *ſuſpectans necem dedecoroſam*, *venenum dicitur*, inquit, *hauſiſſe*. *Diocletianum* III. *Decembris* defunctum docet nos *Idatius*, huius omnino Anni CCCXII. poſt cædem *Maxentii*. Si enim ad menſem *Decembrem* ſequentis Anni CCCXIII. vixiſſet, jam ipſi *Maximino* ſuperſtes fuiſſet, quod falſum eſſe conſtat è *Lactantio*. Ita conſtabat brevi fore ut convenirent *Mediolani Conſtantinus* atque *Licinius* nuptiaſque celebrarent. Edictum autem *Mediolani* medium circiter *Decembrem* editum ad *Maximinum* pervenire potuiſſe, ut aliud *ipſe* edictum *eodem anno* emittere potuerit, non erit quod quis miretur ſi veredariorum celeritatem, ipſiuſque *Maximini* præceps ingenium exploratum habuerit.

§. LXXXVII. Quandocunque tamen edidit illud reſcriptum *Maximinus*, ſeu *fine* anni ſuperioris, ſeu initio Anni CCCXIII. longum tamen intervallum intercedere non potuit inter illam, quam diximus, *Maximini diſſimulationem* atque hoc *pacis edictum*, ſed nec inter hoc *edictum pacis* atque expeditionem adverſus *Licinium*, indeque ad *ſecundum* hoc *edictum* quo perſecutio ſedata eſt, ipſo tandem Tyranno in *Chriſtianorum* partes fere concedente. Nullum itaque ſuppetebat in omnibus hiſce intervallis rerum novandarum *otium*, ut concedamus earum *cupientiſſimum* fuiſſe *Maximinum*. Non eſt interim ut negemus *paſſos* eſſe aliquos, & quidem uſque ad coronam *martyrii*. Coronavit nonnullos ipſe *Maximinus* poſt illam quoque diſſimulationem. *Et tamen* (inquit [39] *Lactantius*) *ſi quis inciderat*, *mari occulte mergebatur*. Non itaque audebat *palam*, quod fecerat antea, *Chriſtianos* laniare, ſed nec illos ſtudioſe *quærere*, ut *pauciſſimos* fuiſſe neceſſe ſit qui in eum inciderent. Sed & alibi *judices* nonnullos in *Chriſtianos* ſæviiſſe ipſe innuit *Maximinus*, ſed præcepta ejus perperam intelligentes ſi ipſi ſit credendum. [40] Ἵνες (inquit) τῶ δικαςῶν παρενεβυμῶντο τὰς ἡμέτερας κελδύσεις, ἢ δικάζειν τὲς ἡμετέρας ἀνθρώπες ωθὶ τὸ ωερσάγματα τὰ ἡμέτερα παρεσκδύασαν, ἢ ὀκνηρότερον ωερσιέναι ταύταις θρησκείαις αἷς ἰῶ ἀρεσὸν αὐτοῖς ἐποίησαν. Sed quod ſe purgat eorum culpa Tyrannus, nullo publico edicto reſcriptove illis auctorem fuiſſe probabile eſt; quod *nonnullos* duntaxat, Ἵνας ſcilicet, in eo dicat errore verſatos, *pleroſque* indicat *Chriſtianis* ab eo uſque tempore, non fuiſſe moleſtos. Neque eſt profecto quod miremur *judices* revocanti non ita facile *credidiſſe* qui tantum illum *diſſimulatorem* antea fuiſſent experti. Sed nec *martyres* feciſſe innuit *paucos* illos *judices*, ne *cruciatus* equidem adhibuiſſe, ſed *edicti interpretatione* impeditos eſſe *Chriſtianos* quo minus *ſynaxes* ſuas auderent in *cœmeteriis* celebrare, quod *libertatem* illam nondum illis *Maximinus* indulſiſſet. In eo enim non temere creditum eſſe *ei* ſuperiori capite dixerat *Euſebius*. Quod itaque *acerbiorem* dicat hanc ſuperiori perſecutione *Euſebius*; vel de *fine* ſuperioris perſecutionis intellexit quo *remiſiſſe* illam oſtendimus; vel de *cruciatuum mutilationumve* acerbitate intellexit; vel *temporis* rationem habuit ut pro *temporis* quidem *brevitate* fuerit acerbiſſima. *Breviſſimam* enim fuiſſe ex dictis manifeſtum eſt.

§. LXXXVIII. Atque ita primas *decem*, quas appellant, *gentilium* perſecutiones recenſuimus. Sunt tamen & alia in hiſce *generatim* notanda quæ minus copioſam, quam quæ hactenus credita eſt, ſuadeant *martyrum* fuiſſe multitudinem. Imprimis certum eſt penes *Romanos ſolos* fuiſſe jus *gladii*, non penes *provin-*

30 *Lactant.* n. 32. 31 Ibid. n. 44. 32 Ib. n. 45.
33 Ib. n. 48. 34 *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. IX. 9.
35 *Baluz.* in not. ad *Lactant.* 36 De mort. perſ. n. 44.
37 *Nazar.* panegyr. *Conſtant.*
38 Vict. Epitom. in *Diocletiano*. 39 De mort. perſ. n. 37.
40 Apud *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. IX. 10.

vinciales, nec *urbium magiſtratus*. Unde ſequitur, quicunque *capite* plecterentur, de illis è *Romanis legibus* omnino eſſe ſtatuendum. Tum & illud quoque certum eſt, qui *Chriſtianos* perſequerentur, fuiſſe omnium *ſuperſtitioſiſſimos*, ut proinde quæ *leges* ad *religionem* ſpectare crederentur, nihil ſit quod dubitemus illas accuratiſſime fuiſſe ab illis *obſervatas*. Qui itaque *jus gladii*, pro *Romanorum* legibus haberent, illi vel *judices* erant ordinarii, vel ipſi provinciarum *præfecti*, qui tamen *judices* haberent *adſeſſores* atque *advocatos*. Erat autem *judicum* omnium commune quod multis *diebus* illis officio ſuo fungi fuerit interdictum. Imprimis *diebus nefaſtis*, quos etiam *religioſos*, *atros*, *Ægyptiacos* appellabant ſcriptores *Latini*, *Græci* ἀποφράδας. Cavebant enim imprimis ne quid mali *ominis* geſtis *publicis* intercederet. Unde *formæ* illæ geſtis *Romanorum* publicis, in *libera republica* præpoſitæ, *Quod bonum felix fauſtumque ſit*, & ἀγαθῇ τύχῃ in Rebuspublicis *Græcis*. *Nefaſtos* idcirco appellabant quod tria illa verba ſolennia *prætorem* fari non oportuit, [41] *Do*, *dico*, *addico*. Horum plurimi occurrunt in vetuſtioribus Kalendariis. Erant & alii, illis quidem inferiores, *religioſi* tamen & ipſi, quos *nefaſtos ex parte* appellabant, quod una eorundem parte *fari* non liceret, alia liceret. Erant & dies *interciſi* quos *Endoterciſos* appellant vetera *Kalendaria*, quod inter *Deos hominesque* eſſent diſtribuendi. Horum *quibuſdam horis fas non eſt jus dicere*, inquit *Macrobius*, quas etiam ibidem explicat. Erant etiam quotannis *feriæ Meſſivæ* & *vindemiales* quibus *judiciaria cura cauſidicis relaxata*, ut loquitur [42] *Minucius Felix*, ut licitum fuerit illis in *rura*, animi cauſa ſecedere, quod certe licere non potuit, ni *criminalium* pariter ac *civilium* fororum fuiſſet *juſtitium* atque vacatio. *Patroni* enim erant in *criminalibus* etiam *actionibus cauſidici*. Sed & alii præterea erant, non *ſtati* quidem illi, ſed pro *aeris* temperie, admodum frequentes dies minime ἀγοραῖοι. Qui enim *cœlo ſervabant* ſiquod θείῳ μηνίματι, aut ſubinfenſi numinis indicium, pro *Etruſcorum* diſciplina, deprehendiſſent, ſi *exta* infauſta, ſi *avium volatus* aut *garritus* minime propitios, ſi *fulmina*, aut ſubitam aliquam *procellam*; jam vitioſa erant omnia, conventuſque diſſolvendus. Vel *pluviæ* prætextu comitia diſſolvuntur apud *Ariſtophanem*. Proinde *ſub dio* comitia celebrata ſunt, ut ſi qua nova fuiſſet aeris mutatio, eo illam facilius citiuſque haberent exploratam. Nec *Romanorum* modo dies *nefaſtos* probabile eſt à *præſidibus provinciarum Romanis* fuiſſe obſervatos, ſed & illos quoque *provincialium* ſuæ, in qua verſabatur quiſque provinciæ. *Judæis* conceſſit *Pilatus* ne remanerent in cruce corpora *ſabbato*, præſertim *ſabbato* in μεγάλῃ ἡμέρᾳ incidente S. *Joan.* XIX. 31. Ita *ſabbatum* non erat *nova* aliqua *crucifixione* violaturus. Idem reliquis *provincialibus* à *præſidibus* conceſſum veriſimile eſt. Violata hæc fuiſſe *feſta* ut nonnunquam concedamus, in ſeculis *Imperatoriis*, quibus omnia *licentius* quam in *libera repub.* geſta fuiſſe certum eſt; at certe nec *frequentes* fuiſſe id genus ἀνομίας, in principibus alioqui *ſuperſtitioſiſſimis*, nedum in *præfectis* qui ſaltem *principum reſcriptis* conſtringerentur, facile eſt ut ſuſpicemur. Et cum *felicem diem perſecutioni inchoandæ* expectaſſe aliquandiu *Diocletianum* teſtis ſit [43] *Lactantius*: non erat ſane conſentaneum ut *infauſtis diebus* ſeu ſupplicia irroganda *decreverit*, ſeu decreta *irrogarit*. Convenit certe *Euſebius* qui per univerſam decennalem perſecutionem, vix *ternos* annis ſingulis, aut *quaternos*, ſupplicium *dies* aſſignat, quos etiam *eoſdem Antiochiæ* fuiſſe aliquoties innuit atque *Cæſareæ*, & in eos *reſervatos* tradit qui diverſis temporibus capti eſſent, ut una tamen paterentur. Videant itaque fabulatores, qui ſingulis anni diebus, exceptis Kalendis *januariis*, aliquot *martyrum millenos* aſſignant.

§. LXXXIX. Nec enim eſt quod temere tam *paucos* recenſuerit ſuppliciorum *dies Euſebius*. Convenit cum moribus *Romanorum* accuratiſſime. Ut enim præter *provinciarum præſides*, & *judices* illorum *adſeſſores* atque *advocatos*; nemo alius *jure gladii* erat ornatus; ita certe vix puto reperiri poſſe alios qui ſententias *capitales* è *tabellis recitarit*, nec alium fortaſſe quam ipſum *præſidem*, vel ejus, ſi gravi aliqua invaletudinis, vel neceſſitatis cauſa detineretur, *vicarium*. Ipſum certe *decretis* ſuppliciorum perpetuo præſentem tradunt, ipſiſque etiam plerunque *ſupplíciis*, bonæ alioqui probatæque fidei monumenta. Inde factum ut nuſquam alibi ſupplicia præterquam in *urbe* præſidis *ſede* memoret *Euſebius*. Hoc ideo notandum, ne alios neſcio quos per alias *Paleſtinæ urbes* & *vicos* ab *Euſebio martyres* prætermiſſos ſuſpicemur, qui tamen omnes à ſe commemoratos innuit. Id cum ita ſe haberet, illos præſertim *ſuppliciis* dies conſtituebant quibus frequentiſſimi totius provinciæ *conventus* pro more eſſent expectandi. Hoc erant in numero dies quibus *ludi* & *munera* eſſent *Circenſia* edenda. Imprimis *Imperatorum* omnium *Cæſarumque natalitia* etiam in *provinciis* celebrabant omnes *præfecti*. Tum & *Divorum* etiam *Auguſtorum* in *urbibus* νεωκόροις, ſiquæ *templa* haberent in eorum honorem, vel *urbis* etiam *Romanæ*, vel etiam *ludos quinquennales* in perpetuum celebrandos. Hæc in *urbibus* alioqui liberis. Sed in *Romanis coloniis* in quibus eſſent *capitolia*, aliaque ad exemplum *urbis Romanæ* expreſſa, & *ludos* etiam nonnullos, *Romanorum* alioqui proprios, fuiſſe veriſimile eſt, quibus *expenſæ* ſuppetebant in illos prodigendæ. Hi *publici*. Erant præterea *privati* ſacerdotiorum, *Aſiarcharum*, *Alytarcharum*, *Phœniciarcharum*, *Ciliciarcharum*, &c. Sed non admodum *multos* ferre poterant *provinciæ* propter *expenſas*, erant enim omnino *graviſſimæ*. Siqui igitur ad *beſtias*, vel ad *munus gladiatorum* in ſe invicem damnati eſſent, illis ipſis *ludis* omnino proferebant. Nec alio ipſos, quam ludorum ipſorum diebus, pati potuiſſe ex epiſtola *Smyrnæorum* de martyrio *Polycarpi* colligimus. Petebant *Aſiarcham Philippum Smyrnæi*, ut *Polycarpo* leonem immitteret. Reſpondit *Philippus* μὴ εἶναι ἐξὸν αὐτῷ ἐπειδὴ ἐπληρώκει τὰ κυνηγέσια. *Ludi* illi, cum *ſacri* eſſent, nefas erat, nec rite fiebant ſi alieno *tempore* ſolverentur. Unde alia etiam *regula* colligitur explorandæ *martyrologiorum* fidei, an quos illo *martyrii* genere occubuiſſe tradunt, illos etiam ipſis *ludorum* periiſſe diebus agnoſcant. Quod ſi alio potius *martyrii* genere damnarentur, eadem equidem *ſolennitate*, ſed diebus *profeſtis*, pati illos opportebat (habebant enim ad *præcipuorum feſtorum* apparatum dies aliquot, *minus* tamen *inſigni* nota prævios) ita tamen ut non fuerit id *perpetuum*. Iiſdem diebus & illi perierunt, quos *indulgentiæ* beneficio privare volebant, quoties appetebat tempus *indulgentiæ*. Ita *Barabbæ* indulgentiam cum impetraſſent à *Pilato Judæi*, Dominum noſtrum ſe una eademque opera *perdituros* ſciebant S. *Matth.* XXVII. 20. quod illa eximendus eſſet *indulgentia*. Et in hac ipſa *Diocletiani* [44] perſecutione, cum, ex ſolenni more, abſolutis *Vicennalibus* Imperatorum, univerſis qui in cuſtodia tenebantur *indulgentia* publice

[41] *Macrob.* Saturn. l. 16. *Ovid.* Faſt. I.
[42] Vid. not. ad *Minuc.*
[43] *Lact.* de mort. perſ. n. 12.
[44] *Euſeb.* mart. Pal. c. 2.

blice per *præconem* annunciata eſſet, qui ſolus ea fuerat excluſus *Romanus*, fractis laqueo faucibus, *martyrio* coronatus eſt. Atque ut non admodum *frequentes* redire poterant horum *ludorum* vices, ita nec frequentes redibant vices *ſuppliciorum publicorum*. Toto *biennio* quo retentum in cuſtodia tradit [45] *Euſebius Agapium*, à *ſecundo* nimirum anno perſecutionis ad *quartum*, *ter* duntaxat è carcere eductus fuerat, & cum maleficis ſolenni pompa traductus in ſtadio. Et toto [46] *ſexennio Donatus*, & *tribus præſidibus* ſibi invicem ſuccedentibus, *Flaccino*, *Hierocle* & *Priſcilliano*, *novies* tamen, nec ſæpius, tormentis cruciatibuſque variis ſubjectus eſt.

§. XC. An tamen *magnus* revera fuerit *martyrum* in hac univerſa perſecutione numerus, ita optime judicabimus, ſi quos ille *numeros* pro *magnis* habuerit, intelligamus. Cum ex omni confeſſorum numero qui in metallis *Palæſtinæ* exulabant, XXXIX. delegerat præſes ad *Maximinum* mittendos, magna ejus ſævitiam onerat *Euſebius* infamia quod eos omnes *uno eodemque die* interfecerit: [47] Ταύτῃ ἓν ἐνὶς δέοντος τ' ἀριθμὸν τεσσαράκοντα, νόμαλι δ' παναγεσάτῃ Μαξιμίνῳ ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ τὰς κεφαλὰς ἀποτέμνονται. Quod itaque tot *uno die* martyres confecerit, id pro *extraordinario* habuit *Euſebius*, & quod *vulgarium* dierum ſupplicia *longe* ſuperarit. Idem [48] auctor eſt perſecutionis hujus vim longe graviſſimam provinciis *Africæ*, *Mauritaniæ*, *Thebaidis* atque *Ægypti* incubuiſſe. Ita ſequetur ut eorum *diurna* ſupplicia ſint pro omnium *numeroſiſſimis* habenda. Videamus itaque quos ille numeros reputarit magnos in ipſa *Thebaide*. [49] Καὶ ταῦτα γὲ πάντα (inquit) ἐνηργεῖτο οὐκ ἐπ' ὀλίγας ἡμέρας ἢ χρόνον τινὰ βραχὺν, ἀλλ' ὅπου μακρὸν ὅλων ἐτῶν διάστημα· ὅτε μὲν πλειόνων ἢ δέκα, ὅτε δ' ὑπὲρ τοὺς εἴκοσι τ' ἀριθμὸν ἀναιρεμένων· ἄλλοτε δ' οὐχ ἧττον ἢ τριάκοντα· ἤδη δ' εἰς πεντήκοντα· ἢ πάλιν ἄλλοτε ἑκατὸν ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ ἄνδρες ἅμα κομιδῇ νηπίοις καὶ γυναιξὶν ἐπιτιθέντο, ποικίλαις καὶ ἐναλλαττούσαις τιμωρίαις καταδικαζόμενοι· ἱστορήσαμεν δ' καὶ αὐτοὶ ἐπὶ τ' τόπων γενόμενοι, πλείους ἀθρόως ἢ μίαν ἡμέραν, τοὺς μὲν τ' κεφαλῆς ἀποτομὴ ὑποτμείναντας, τοὺς δ' ἐπὶ τ' διὰ πυρὸς τιμωρίαν, ὡς ἀμβλύνεσθαι φονεύοντα τ' σίδηρον, ἀτονοῦντα δ' διαθλᾶσθαι, αὐτούς τε τοὺς ἀναιροῦντας ἀποκαμόντας, ἀμοιβαδὸν ἀλλήλους διαδέχεσθαι. Plane innuit numerum *decennarium vicenariumque* pro *ſingulis diebus* inſignis fuiſſe feritatis; quod vero ad *tricenarium ſexagenarium centenariumque* uſque aſſurrexerint, *rarum* admodum & *ſingularis* fuiſſe exempli. Suffecerat ſane numerus longe *centenario* inferior ad hebetandum unicum, quo ſunt uſi, *gladium*, ad laſſandum *unicum*, quem ſolebant adhibere, carnificem, ut *ſucceſſore* opus fuerit. E provincia *Africa* civitate *Alutinenſi* fuerunt illi *martyres* quorum geſta ſcripſit *Donatiſta* à *Baluzio* auctior editus, qui numerum *quinquagenarium* non attingunt. His itaque omnibus expenſis quod ſoli *præſides* provinciarum *jus gladii* haberent, pro legibus *Romanorum*; quod non alibi præterquam in *civitatibus metropolitanis* præſidum *ſedibus*, edi ſolerent *Chriſtianorum* ſupplicia; quod nec aliis annorum tempeſtatibus præterquam *feſtis ludorum munerumque* editione celebribus, quæ nec ipſa fuerint per univerſum anni curriculum admodum frequentia; quod *ſingulorum dierum* non *magnus* eſſet *numerus*, nec *multi* eſſent, in illis ludis, *dies* ſuppliciis deſtinandi: quod tanta fuerint in *decennali* illa *perſecutione*, *pacis* tamen, aut ſaltem *quietis*, intervalla, & majora adhuc *ſanguinaria perſecutionis* quæ *martyres* coronarit: conficietur omnino nullo in loco ponendam eſſe *martyrologiorum actorumque* fidem quæ tam immenſam faciat illorum *martyrum* multitudinem.

§. XCI. Jam ultimæ illæ *Licinii* & *Juliani* perſecutiones non eſt quod longam nobis moram injiciant. *Licinii* imprimis illa *ægre* tandem, diverſiſque *gradibus* ad *mortes* uſque progreſſa eſt, ſed *Epiſcoporum* duntaxat, ne *clericorum* quidem *omnium*, nedum *Chriſtianorum*. Sed & illos etiam *clam* potius & ex *inſidiis* aggreſſus eſt, non *palam*, metu *Conſtantini*. In *reliquos* cum *pararet* edictum, occupatus eſt à *Conſtantino* quo minus rem ad exitum perducere potuerit. Ita fuiſſe diſertiſſimis verbis teſtatur [50] *Euſebius*. Λοιπὸν δὴ τ' πάντων ἀνακινεῖν διωγμὸν ὅπλ' Διόκλειαν ἐβάλλετο. Ἐκεῖθέν τε γνώμης δ' οὐδὲν ἐμποδὼν ἦν αὐτῷ μὴ ἔχει ἐν ἔργῳ χωρεῖν, εἰ μὴ τάχιστα τὸ μέλλον ἔσεσθαι προλαβὼν ὁ τ' οἰκείων ψυχῶν ὑπέρμαχος θεὸς, ὡς ἐν βαθεῖ σκότῳ δ' νυκτὶ ζοφωδεστάτῃ φωτῆρα μέγαν ἀθρόως δ' σωτῆρα τοῖς πᾶσιν ἐξέλαμψε, τ' αὐτοῦ θεράποντα Κωνσταντῖνον, ὑψηλῷ βραχίονι ἐπὶ τὰ τῇδε χειραγωγήσας. Iiſdem fere *verbis* uſus eſt etiam in [51] *vita Conſtantini*. Ergo *univerſalem* perſecutionem *Licinius* ſolum ἐπὶ Διόκλειαν ἐβάλλετο, nondum ἐκεῖθεν γνώμης, nec ἐν ἔργῳ ἔχωρει, à Deo προληφθεὶς, & quidem τάχιστα. Caveant itaque fabulatores ne quos alios ſub *Licinio martyres* faciant, præterquam *Epiſcopos*. *Julianus Chriſtianis* [52] *martyria* invidebat, & *ſævitiæ* notam fugiebat, quam viderat incurriſſe *perſecutores*, ipſe ſui oſtentator maximus, gloriæque avidiſſimus. Et ſiquos *martyres* fecit, eos tamen alio quovis, præſertim *majeſtatis* quem captabat avidiſſime, prætextu, [53] interfecit. Victus indignatione *inſultantium* in ſuos Deos *Chriſtianorum Theodorum* [54] *Saluſtio* præfecto prætorii cruciandum mandavit, & perſecutionem molieba-

tur, etiam ad exitum fortaſſe perducturus, ſi à bello *Perſico* rediiſſet. Sed in ipſo perſecutionis *conſilio* oppreſſus eſt. Incertum ſe prodit *Optatus: Perſecutionem* (inquit) *jam miſerat, aut mittere diſponebat* L. II. Ita tamen ut nullos *paſſos* innuat, at emiſſum fuiſſe conceſſiſſet perſecutionis edictum. Graviora erant quæ *populi* tumultibus, quæ provocantium in ſe *Gentilium* furores *Chriſtianorum*, ultroque ſe *objicientium*, promtitudine in ſe concitaſſent, quanquam *Alexandrinos* in cauſa *Georgii* ab illis diſcerpti, acriter increpuerit ipſe *Julianus*. Occurrebant tamen hujuſmodi alia *nonnulla*, aliis in *locis* exempla.

§. XCII. Neque eſt quod *Chriſtianorum* gloriæ quippiam propterea detrahamus, quod *pauciores* fuerint, quam putant, *martyres*. Ipſa *Chriſtianorum* illa monſtroſa *fortitudo* perſecutorum fregit plerunque ferociam, ne ultra ſævire auderent. Conciliabant ſpectatorum omnium *miſericordiam* tot innocentium tam ſævi cruciatus; conflabant perſecutoribus *odium* graviſſimum atque *invidiam*; incutiebant ipſis perſecutoribus *pudorem* generoſæ indoli minime ferendum, quod cum tanta ſua *ignominia*, tam gravi *crudelitatis* infamia, nihil interim proficerent quin *gloriam* potius immortalemque *memoriam* paſſis procurarent; & *vinci* ſe ab idiotis, adoleſcentibus, etiam mulierculis ægerrime ferebant. Periclitantium *multitudine* deterritus eſt à ſæviori perſecutione *Plinius*. Fractus eſt etiam ſeſe offerentium ſtupenda promtitudine vir, una demta perſecutionis cauſa, cætera optimus, *Arrius Antoninus*. Præfectum *Syriæ* vicit ſua pertinacia *Chri-*

45 *Euſeb.* ib. c. 6.
46 *Lactan.* de mort. perſec. n. 16. 35.
47 De mart. *Pal.* c. 13.
48 *Euſeb.* Hiſt. Eccl. VIII. 6. 49 Ib. c. 9.
50 *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. X. 8.
51 Vit. *Conſt.* II. 2.
52 *Socr.* Eccl. Hiſt. III. 12.
53 *Sozom.* Eccl. Hiſt. V. 17. 54 *Socr.* III. 19.

Christianus adhuc *peregrinus*, quam & aliis suæ ætatis *Christianis* familiarem fuisse tradit *Lucianus*. [55] *Sabinum Ægypti* præfectum cum *assessoribus*, cum alius quidam cedere nonnihil cruciatibus sensimque remittere videretur de pristina animi firmitate, repressêrunt alii eodem tempore ad subsellium accurrentes, seseque *Christianos*, nemine interrogante, confessi. Idque ipsum *Galerio* ad persecutionem stimulanti opposuit *Diocletianus*, quod Christiani [56] *libenter mori solerent*. Quanta etiam æmulatione contenderent de *victoria* præfecti, habemus è [57] *Lactantio*. *Itaque in excogitandis pœnarum generibus, nihil aliud quam victoriam excogitant. Sciunt enim certamen illud esse & pugnam. Vidi ego in Bithynia præsidem gaudio mirabiliter elatum, tanquam barbarorum gentem aliquam subegisset: quod unus, qui per biennium magna virtute restiterat, postremo cedere visus est.* Inde facillime concessi dimissionum prætextus. „ Alius (in„quit [58] *Eusebius*) cum quidam manus ejus appre„hendissent, ipsumque ad aram adduxissent, & abo„minandum ac sceleſtum sacrificium dextræ ejus in„jecissent, quasi sacrificasset dimittebatur. Alius, „cum ne summis quidem digitis thus attigisset, non„nullis tantum affirmantibus eum sacrificasse, silen„tio discedebat. Hic semivivus correptus ac subli„mis elatus, projiciebatur ut mortuus, & vinculis „absolvebatur, computatus inter eos qui sacrifica„verant. Ille vociferans atque contestans se his quæ „jubebantur minime assentiri; pugnis ore contuso, „plurimis ad hoc constitutis illum tacere cogentibus, „per vim extrudebatur, tametsi haudquaquam sa„crificasset: οὕτως ἐκ παντὸς τὸ δοκεῖν ἰωνικέναι αὐτοῖς „(inquit) πολλοῦ ὑπῆρχεν. Atque ut *victoria* supra modum efferebantur, ita vicissim spe victoriæ *dejecti* oppugnatione omni abstinebant. Ita de *Donato* suo [59] *Lactantius*: *denique post illas novem gloriosissimas pugnas, quibus a te Zabulus victus est, non est ausus ulterius congredi tecum, quem tot præliis expertus est non posse superari. Et cum tibi parata esset victrix corona, desiit amplius provocare, ne jam sumeres.* Non est autem quod eorum *gloriam* inde minuendam existimemus, cum non ipsi *tormentis*, sed vero zelo eorum atque votis paria *tormenta*, defuissent. Sed & illa quoque ratio cur *interfectiones* evitarint studiosissime ipsi *persecutores*, ut *cruciatus* sæviores facerent, longiusque protraherent, id sane efficiebat, ut quo *pauciora* ederent *martyria*, eo etiam *illustriora*, & *confessiones* ipsas aliorum temporum *martyriis* adæquarent. Et cum *temporum* infelicitatem administrationisque sanguinariæ *infamiam* hac una arte se eludere posse crederent persecutores, si diriſſimos quidem *cruciatus*, *mortes* tamen *nullas* inferrent; jam nativæ suæ feritati liberius indulgebant cum nulla existimationis suæ jactura exercendæ.

§. XCIII. Sed redeamus tandem ad nostrum *Cyprianum*. Est itaque id observatione dignum, omnes hosce *martyrum* honores ad *Romanorum* esse imitationem expressos, atque inde rectissime intelligendos. *Consulibus* aliisque *annuis magistratibus* martyres *Romanos* confert noster [60] *Cyprianus*, quorum *confessio* fuerat & ipsa quoque *annua*. *Consules designatos* habebant *Romani*, & *martyres designatos* memorat [61] *Tertullianus*. *Fastos consulum* servabant *gentiles*, & *fastorum Ecclesiasticorum* idem meminit *Tertullianus*. *Munera* edebant in officii susceptione *consules* & *proconsules*. Nec aliud, opinor, in mente habuit *Mappalicus*, cum novo *proconsuli* nuper appulso, & persecutionem incipienti, *Cras* (62 inquit) *videbis agonem*. Id nempe voluit innuere tam sibi gratum fore acceptumque atque honorificum certamen illud pro *Christi* fide suscipiendum quam *proconsuli* essent ludi illi honoris sui officiique comites quibus *Christianorum* supplicia edi solita jam antea observavimus. Nec vero aliam frequentiorem similitudinem adhibent, hac in causa, primævi illi scriptores quam *agonis* illam atque *ludorum*. Jam vero in *triumphi* atque *martyrii* contentione, in *Donati* sui causa, auctor est amplissimus *Lactantius*. Quod etiam *coronam* memorant *martyrii*, duplici respectu potest intelligi, tam *coronæ* illius qua ornandus erat qui certamen ipsum obiisset, pro more *Græcorum*; quam illius etiam qua ornatus sedebat in *Orchestra consul* sive *proconsul* in cujus honorem *ludi* ederentur. Ita etiam sentiendum de *martyrum natalitiis* à *Romanorum* omnino moribus, in Imperatorum *Divorum* consecrationibus, esse arcessenda. Postquam enim relatus quis fuisset in numerum *Divorum*, senatu suffragante; jam *templa* illi atque *altaria*, & nova etiam plerunque sacerdotum *sodalitia* atque *collegia* instituta erant, & reditibus salariisque instructa, qui sacris illis procurandis vacare possent in omne ævum duraturis. Et ne deessent *collegiis* ita institutis frequentia, in quibus occuparentur, officia, *fastos* quosdam concinnabant rerum à *Divo* illo gestarum *Kalendarii* more dispositarum, ut quo *die* quidque gestum fuisset, eo gesti memoria *sacrificiis officiisque publicis* quotannis redeuntibus in perpetuum servaretur. Id genus *Kalendaria* in *sodalium* usum proculdubio confecta, duo hodie habemus, *Divi Julii* aliud sub *Augusto*, aliud *Divi Constantini* imperante ejus filio *Constantio*. Ut vero in illis *Kalendariis* alia quoque, ut dixi, utriusque *Divi* gesta deprehendimus; ita *natalitia* eorum præcipua quadam celebritate observata nihil est quod dubitemus. Proinde *duplicia* habemus in *Kalendario Bucheriano* Constantini *natalitia*, tam *vitæ* nimirum quam *Imperii*. Et cum aliorum principum *Divorum* vix quicquam videretur fortasse dignum quod *posteritati* commendaretur præter *natalitia*; proinde & alia sigillatim *Kalendaria* conficiebant quibus principum *Divorum* sola *natalitia* consignarentur. Id genus unum habemus etiamnum in *Bucherio*. Ita itaque cum *martyrii* dignitatem summis *seculi* honoribus æquare vellent primævi *Christiani*; consentaneum proinde erat ut eorum *exemplum* seris nepotibus commendarent commemorando eorum *natalitia*. Inde natos diximus primos Ecclesiæ *fastos* & prima *Kalendaria*. Nec enim deerant etiam apud *ethnicos* exempla eorum qui, *morte* pro bono publico suscepta, gratam *posterorum* commemorationem meruissent. Et vero optime cum Christianorum de futuro statu sententia conveniebat ut martyrum *mortes* pro *natalitiis* haberentur. Id unum obesse videbitur quod omnis illa *mortuorum* hominum *consecratio* à *Christianis* minime probaretur. At certe sero tandem sublata est ipsa illa *Imperatorum consecratio*. *Constantinus* ipse *Divus* factus est, & post illum *Christiani Imperatores* quamplurimi. Eorum catalogum collegit [63] *Onuphrius* usque ad *Theodosium* juniorem & *Valentinianum* III. Sed & alia supererant in *Christianorum* principum titulis *ethnica* vestigia. Ipsum *Pontificis maximi* nomen à *Gratiano* primum repudiatum tradit *Zosimus*, ne alia id genus exempla impræsentiarum commemorem. Proinde hanc rationem facile prohibituram concederemus quo minus *martyres* his honoribus impertirent, si

55 *Euseb.* Hist. Eccl. VI. 41.
56 *Lact.* mort. pers. n. 11. 57 *Lact.* Div. Inst. V. II.
58 De Martyrib. *Palæstin.* c. 1. 59 Mort. pers. n. 16.
60 Ep. XVI. 61 *Tertul.* ad mart. c. 1.
62 Ep. *Cypr.* IX.
63 *Onuphr.* fast. L. II. ad an. U. C. 964.

ſi in genere *omnes* improbaſſent. Cum tamen *Imperatores*, ipſos quoque *mortales*, his titulis ornarent; nec alienum cenſerent à *bonorum* Imperatorum officio ut delatos ſibi à *ſenatu* ſive ipſi *acciperent*, ſive ipſi etiam *deceſſoribus* ſuis meritis ultro *deferrent*; cum *martyrii* honorem longe maximum haberent, & quibuſvis *ſeculi* titulis infinito intervallo anteferendum; cum nomen etiam *Deorum* ſanctis *hominibus* concederent, ut [64] alibi probavimus, & vero conſentaneum eſſet ut cum nomine *honorem* etiam conjungerent; cum id unum in *creaturarum* honore improbarent ſi quam partem honoris *ſummo numini* debiti vendicaſſent, ſi quam hominum *tutelam*, ſi quod munus in regimine *providentiæ* adminiſtrare crederentur; aut ſiquas proinde *preces*, impetrandis beneficiis illis obtuliſſent, aut de impetratis *gratias*; cum ſolius *memoriæ* honor, *exemplique* commendatio, & grata *beneficiorum Dei* in *martyrum* conſtantia elucentium, commemoratio, ita nihil honori *Divino* adverſum, ex eorum ſententia, continere viderentur, ut *hunc* honorem illis à ſe deberi apertiſſime profiterentur; cum denique nihil ſit in hac *natalitium commemoratione* quod non poſſit ad *probati* illius, quem diximus, *honoris* ſignificationem ſatis commode referri: nihil erit viciſſim cur dubitemus quin *natalitiorum* tota illa, quam dixi, ſolennitas ab *Imperatorum* in *Divos Romana* poſſet *conſecratione* dimanare.

§. XCIV. Conveniebat certe accuratiſſime hæc origo cum *dogmatibus* Chriſtianorum. Ut enim βασιλέας *Imperatores Romanos*, pro illorum ſeculorum uſu, appellabant; ita *martyres* ſuos *Chriſtiani*. Proinde *thronos* martyribus concedit auctor [65] *Apocalypſeos* τοῖς πεπελεκισμένοις Δι᾽ τ μαρτυρίαν Ιησοῦ, nec *thronos* modo, ſed & κρῖμα, utraque βασιλέων inſignia. Quin & diſertis verbis *millennii* βασιλείαν iiſdem tribuit, & quidem ſolis. *Solis* enim illis partem in *prima reſurrectione* aſſignat; *ſolis* etiam partem in prima reſurrectione obtinentibus [66] ἱερουσύνῳ atque βασιλείαν. Ita *millenarii* quos ſecutos eſſe conſtat illorum ſeculorum *Chriſtianos* fere univerſos. Ut ergo *annua* erant *Imperatorum* illa *Romanorum natalitia*, ſic & *martyrum* illa apud *Chriſtianos*. Ut *ſacrificiis* illa atque *conviviis* & *ſportulis* in uſum pauperum aſſignandis celebrata ſunt; ſic *martyrum* feſta *ſacrificiis Euchariſticis* & *Agapis* ad eorum memorias in uſum pauperum ſimiliter diſtribuendis. *Thure multo* incenſo procurata eſt [67] *Imperatorum conſecratio*. Et *thure multo* uſos in *Chriſtianorum ſepultura* auctor eſt [68] *Tertullianus*: *Si Arabiæ queruntur* (inquit) *ſciant Sabæi pluris & carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* Quæ cum de *vulgarium Chriſtianorum* ſepultura intelligit [69] *Baronius*, fugit illum omnino ratio. *Illuſtrium* certe *perſonarum* propria fuiſſe videtur. *Martyrum* autem dignitas erat, in primævorum Chriſtianorum cenſu, omnium longe *maxima*. Et in eorum *corporibus* curandis, tam *vivorum*, quam *mortuorum*, Chriſtianorum *zelus* præcipue emicuit, eorum præſertim qui *lapſi* eſſent, quique *martyrum* favorem ambirent ut *Eccleſiaſticæ communioni* reſtituerentur. Ut enim *opere* & *eleemoſynis* (*Cyprianico* ſermone utor) redimenda erat amiſſa communio, ita in *eleemoſynarum* cenſu locum vel primarium obtinebat *ſepultura mortuorum*, in qua rurſus primarium obtinebat illa *martyrum*. Non eſt itaque quod miremur ita fuiſſe, in *martyrum ſepultura*, ambitioſos *primævos* illos *Chriſtianos*.

§. XCV. Sed & alia *natalitia* recepit in *faſtos* ſuos, paulo fortaſſe *recentiores*, Eccleſia. Nec enim ſoli *martyrum* dies *emortuales*, verum & illi, quibus *honorem ſuſcepiſſent* Epiſcopi, *natalitiorum* nomine deſignabantur. Reſpondebant *Imperatorum natalitiis* hæc quoque *natalitia*. Duplicia enim fuiſſe *Imperatorum natalitia* conſtat, tam *vitæ* illa, quam etiam alia *imperii* & quidem utraque *faſtis* conſignata, atque *annua ſolennitate* celebranda. Recte itaque *ſuſceptorum* Epiſcopatuum *dies* pro *natalitiis* habendi erant, quod *Chriſtianorum* ſacerdotium *regale* haberetur. *Sacerdotale* enim nomen, ut *ſacro ordine*, ita, in eo ipſo etiam ordine, *Epiſcoporum* fuiſſe, ex *Eccleſiæ* uſu, proprium, jam alibi ſuperius obſervavimus.

64 *Prolegom.* ad lib. D. *Stearnii* de *obſtinatione.*
65 Apocal. XX. 4. 66 V. 6.
67 *Herodian.* 68 Apolog. c. 42.
69 An. Chriſt. XXXIV. n. 30.

Chronologia *Perſecutionum*, rerumque ad perſecutiones *attinentium.*

Ann. Ær. vulg. LXIV.

PErſecutio *Neronis* ex *Tacito*. §. XIII.

XCV.

Perſecutio *Domitiani* poſt Sept. XIII. incepit, ex *Brutio*. §. XVI.

XCVI.

Revocavit Chriſtianos ab exilio *Domitianus* paulo ante Sept. XVIII. ib. Necdum enim redierant *exules* ante novum edictum *Nervæ*.

CVII.

Perſecutio qua paſſus eſt *Ignatius*, ex actis. §. XVIII. Pax reddita hoc ipſo anno. ib. *Plinii* & *Arrii Antonini* perſecutiones hoc ipſo etiam fortaſſe anno. §. XXVII.

CVIII.

Poſt *Ignatii* mortem, quæ *Decembri* menſe die XX. anni ſuperioris contigerat, cum nuncium de morte in *Aſia* accepiſſet, necdum tamen *geſta Ignatii* haberet explorata, Epiſtolam ſcripſit ad *Philippenſes Polycarpus*. §. XVIII.

CXVI.

Paſſus *Simeon Cleopæ*, & extincta eſt familia *Davidis*. §. XXI.

CLIII.

Edictum *Antonini Pii* pro *Chriſtianis*, ſi forte fuerit *Pii*. §. XXXIV.

CLXI.

Idem edictum ſi *Marco* potius ſit, quam *Pio*, tribuendum. ib.

CLXVII.

Perſecutio *Gallorum Lugdunenſium Viennenſiumque* ſub *Marco*. §. XXXVI.

CLXVIII.

Athenagoræ legatio pro *Chriſtianis* poſt reditum *Lucii*. §. XXXVII.

CLXX.

Melitonis Sardenſis & *Apollinaris Hierapolitani* apologiæ. §. XXXIX.

CCII.

Poſt VIII. Id. *April.* ante *Solſtitium* incepit perſecutio *Severi*. §. XLI. Ann. XVII. ætatis *Origenis*.

CCIII.

Ann. XVIII. *Origenis*, hujus perſecutionis ſecundus, ibid.

CCIV.

Anno *ſeculari* ineunte, deſiit hæc *Severi* perſ. ibid.

CCXXXV.

Sub *finem* anni perſecutio *Maximini*. §. L. Perſecutio in *Aſia*. §. LI.

CCXXXVI.

Initio anni *finis* perſecutionis. Defecerunt in *Africa Gordiani* menſe *Maio*, in *Italia ſenatus*. ib. §. L.

CCXXXVII.

Menſe *Junio* occiſi in *Africa Gordiani*. Menſe *Julio Auguſtum* imperium ſuſceperunt *Maximus* & *Balbinus*, *Cæſareum Gordianus* tertius. ib. §. L.

CCXXXVIII.

Ludis Capitolinis, ante *Jun.* XXII. occiſi *Maximus* & *Balbinus*, *Auguſtum* imperium ſuſcepit *Gordianus*. §. L.

CCXLVIII.

Perſecutio *Alexandrina*. §. LVI. in fine anni.

CCXLIX.

Sub *finem* anni incepit cum imperio *Decii* perſecutio. §. LIII. In *Africa* ſaltem hucuſque incruenta. § LIV.

CCL.

Initio *Aprilis* ad *cædes* progreſſa eſt perſecutio in *Africa*, confeſtim facta remiſſior. §. LIV. Perſecutionis *Alexandrinæ* anni ſecundi maxima pars in hunc annum incidit. §. LVII.

CCLI.

Tertius annus perſecutionis *Alexandrinæ*. *Remiſſa* perſecutio tam *Alexandriæ*, quam etiam in *Africa*. §. LVII.

CCLII.

Lues ſub *Gallo*, ejuſdemque *perſecutio* breviſſima, §. LVIII.

CCLVII.

Sub initium *Auguſti* perſecutio *Valeriani*, ſed ſine *martyriis*. §. LIX.

CCLVIII.

Sub initium *Auguſti* edictum *Valeriani* de pœna *capitis*. §. LX.

CCLXI.

Purpuram arripuit in *Ægypto Æmilianus*. Revocata in reliquo imperio *Valeriani* perſecutio à *Gallieno*. §. LXIII.

CCLXXV.

Revocata à *Gallieno* eadem perſecutio in *Ægypto*, capto jam *Æmiliano*. §. LXIII.

CCLXXV.

Sub *initium* anni, ſub *finem Aureliani*, emiſſa ab eo perſecutionis edicta. §. LXIV.

CCCI.

Prima *Diocletiani* perſecutio in *milites*. §. LXVIII.

CCCII.

Victus à *Galerio Narſeus Perſarum* rex. §. LXX.

CCCIII.

Annus primus perſecutionis inchoatus à *Feb.* XXIII. *Nicomediæ*. §. LXXI.

CCCIV.

Annus primus perſecutionis abſolutus, ſecundus inchoatus, ſed primus *Euſebio*. §. LXXIII.

CCCV.

Annus 2us perſ. abſolutus, 3ius inchoatus, ſed ſecundus *Euſebio*. Purpuram depoſuerunt *Diocletianus* & *Maximianus*. Nova deinde & ſævior *perſecutio* inſtaurata in *Oriente* à *Galerio* & *Maximino*, omnium deinceps *Chriſtianorum*, cum antea ſolorum fuiſſet *clericorum*. Agon quinquennalis *Cæſareæ*. §. LXXIV. Deſiit perſecutio in *Occidente*. §. LXXV, LXXVI, LXXVII, LXXVIII.

CCCVI.

Annus tertius perſ. abſolutus, quartus inchoatus. Incepit *Cæſareæ* nova illa perſecutio *Maximini* quæ *omnes* cogebat ſacrificare. §. LXXVIII, LXXIX.

CCCVII.

Annus quartus perſecutionis abſolutus, quintus inchoatus. Cœperunt pro *cædibus mutilationes*. Mors *Urbani* præfecti *Palæſtinæ* perſecutoris. §. LXXXI.

CCCVIII.

Annus quintus abſolutus, ſextus inchoatus. *Firmilianus Palæſtinæ* præſes *mutilationibus*, potius quam *cædibus*, perſecutus eſt. Perſecutio *remiſſa* à menſe *Auguſto* ad *Novembrem*, rurſuſque ſub hujus anni *finem* novo *Maximini* edicto inſtaurata, ita tamen ut menſe *Decembri* redierint ad *mutilationes* perſecutores. §. LXXXI.

CCCIX.

Annus ſextus abſolutus, ſeptimus inchoatus. *Martii* VII. paſſus eſt *Eubulus* ultimus *martyrum Cæſareenſium*. Inde neglectu *Gentilium* rediit *Chriſtianis pax*. §. LXXXI.

CCCX.

Annus ſeptimus abſolutus, octavus inchoatus. Nova rurſus, invidia *gentilium*, orta *Chriſtianorum perſecutio*, verum ea *breviſſima*, & unius impetus. §. LXXXI.

CCCXI.

Annus octavus abſolutus, nonus inchoatus. Edictum *Galerii* pro *pace*, inter Kal. *Mart.* & prid. Kal. *Maias*. Pax illa ne *ſex* quidem *menſium* integrorum, ita ut ſub finem *Octobris* redierit perſecutio, ſed & ea unius impetus, *ſanguinolenta*. Legationes *primas urbium* accepit *Nicomediæ Maximinus*. §. LXXXII.

CCCXII.

Annus nonus abſolutus, decimus inchoatus. Secundæ *urbium* legationes cum *decretis* adverſus *Chriſtianos*. *Maximini* ad illas *reſcripta* de *pellendis* ex illis urbibus *Chriſtianis*, earumque urbium territoriis, poſt menſem *Maium*. §. LXXXIII. Perſecutio nova inchoata, ſed *mutilationum* duntaxat, & ſtatim minis literiſque *Conſtantini* ſedata adverſus *Maxentium* moventis. §. LXXXIV. Profligato *Maxentio* ſub finem *Octobris*, primi *Auguſti* titulus *Conſtantino* à *ſenatu* decretus. *Roma* diſceſſit, *Mediolanum* medio *Decembri* venit *Conſtantinus*. Edictum *pacis*. Nuptiæ *Licinii* cum *Conſtantia*. Mors *Diocletiani*. Primum *Maximini* edictum pro *pace*. §. LXXXVI.

CCCXIII.

Annus decimus abſolutus, undecimus inchoatus. Victus à *Licinio Maximinus* in *campo ſereno Maii* primo edictum *Conſtantini* & *Licinii* pro *pace*, *Nicomediæ* propoſitum *Jun.* XIII. quo tempore decennalem hanc perſecutionem terminat *Lactantius*, num. 48. Secundum deinde *Maximini* pro *Chriſtianis* edictum.

CCCXX.

Perſecutio *Licinii*. *Euſeb.* Chron. §. XCI.

CCCLXII.

Perſecutio *Juliani* cum ageret *Antiochiæ*, ſub finem *Octobris*, cum conflagraſſet ſimulacrum *Jovis Olympii* ut colligitur ex *Ammiano* XXII. §. XCI.

DIS-

DISSERTATIO CYPRIANICA XII.

De primorum *martyrum* insigni *fortitudine*, ejusque *causis*.

Illustris erat primævorum martyrum *in* dolore *perferendo* constantia. §. I. *Causa* externa *prima* Galilæorum *mores in* Christianos *derivati*. §. II. *Secunda* Disciplinæ Christianæ *rigor*, Apostolorum, Viduarum; *aliorumque* Ecclesiasticorum. §. III. Vulgus *etiam primævorum* Christianorum *à* voluptatibus *alienissimum*. §. IV. *Et* corporum *etiam* exercitiis *deditum*, *præcipue* Pœnitentes. §. V. *Et* persecutionum *assiduo*, *saltem*, metu, *in* officio *continebantur*, *præsertim* exercitiorum corporeorum. §. VI. *Ea* corporum exercitia *quantum valeant ad* dolores *fortiter* tolerandos. §. VII. *Nec tamen* sufficere *credebantur*, *in causa* martyrum, *sine* auxilio Divino. §. VIII. *Tertia*, gloria. §. IX. *Poterat*, *in causa martyrum*, *locum* aliquem *habere* gloria. §. X. *Ita tamen* aliquem, *ut plane* omnem *habere non posset*. *Ægre admodum Ecclesiæ* communionem *retinere poterant qui uno* gloriæ studio *impellerentur*. §. XI. *Ut possent*, frustra *tamen tantos*, Christi *nomine*, *dolores*, *uno* gloriæ studio, *pertulissent*. §. XII. *Nullum*, *apud* gloriæ studiosos, *occurrit* exemplum *quod posset cum primorum* martyrum constantia *comparari*. §. XIII. *Non* omne gloriæ studium *in* martyribus *erat improbandum*. §. XIV. *Non* δόξα, *sed* κενοδοξία; *non* æmulatio, *sed juncta æmulationi* invidia. §. XV. *Quarta*, vitæ *bene sibi conscia* innocentia. §. XVI. *Quinta*, *spes* immortalitatis. *Ea* gentes *universas in* mortis *metum confirmavit*. §. XVII. *Nec ea tamen* sufficiebat *tantæ illi* martyrum constantiæ. §. XVIII. *Sexta*, præmia martyrii *pro illius* ævi *dogmatibus*, *primo*, futuræ vitæ *martyres* recta *Deum petere credebantur*. §. XIX. *Martyrum* precibus *datum credebant ut* futuræ *vitæ* præmia properarentur. Prima resurrectio, *in millenni* Christi *regno*, martyrum propria. §. XX. *Eam* resurrectionem, *sua etiam* ætate, *futuram expectabant*. §. XXI. *Et* mundi finem *prope imminentem*. §. XXII. *Testimonia S.* Petri, Clementis Romani, Hermeti. §. XXIII. *S.* Joannis, Ignatii, *oraculorum* Sibyllinorum, Philopatridis *dialogi*, *sub* Lucio Antonino, *ut videtur*, *scripti*. §. XXIV. Tertulliani, Cypriani. §. XXV. Lactantii. §. XXVI. *Hæ opiniones*, *ut minus* veræ, *ingenti tamen* martyrii *studio poterant* credentium *animos accendere*. §. XXVII. Martyrum *in* mundi conflagratione *privilegium*, *& in* cœlo *præmia*. §. XXVIII. *Secundo*, hujus vitæ. Sacramentorum *vicem implere* martyrium *credebant*, *tam* baptismi, *quam* sacrificii Eucharistici. §. XXIX. *Etiam quoad* mysticam *illam* unionem, *quæ* sacramentorum *finis erat primarius*. §. XXX. *Et* unionis *illius* beneficia, *peccatorum* remissionem. §. XXXI. *Etiam* alienorum. §. XXXII, XXXIII. *Duriusculæ nonnullæ veterum de* martyrii merito *locutiones explicantur ac defenduntur*. Martyrum passiones *eædem pro* Christi *ipsius* passionibus *habendæ*. §. XXXIV. *Eædem occurrunt*, *in* sacris literis, *de* martyrum *passionibus*, *quæ* de Christi *passionibus*, argumentationes. §. XXXV. Christo martyrum *passiones tribuunt* scriptores *etiam* Ecclesiastici. §. XXXVI. Martyrii merita, *cum non sint* martyrum, *sed* Christi *propria*, *per* gratiam *tamen ipsis martyribus* imputantur. §. XXXVII. *Multum tamen valere credebatur* martyrum intercessio *ad sui martyrii beneficia aliis impetranda*. *Martyres* Christi *in judicio* adsessores. §. XXXVIII. Internæ *causæ*. *Prima* revelationes *ipsis* martyribus *factæ de futura sua* passione. §. XXXIX. *Secunda* gaudium *quo affecti sunt à Deo martyres* Christi *causa passuri*. §. XL. *Fieri non potuit quin* vere *sensérint* martyres *Divina hæc* auxilia *quorum* soli *essent conscii*. §. XLI. Tuebatur *nonnunquam Deus* martyres *nequid* possent *in eos inimicorum* conatus. §. XLII. *Illud martyrii* genus *martyribus concessit* Deus *quod optaverant ipsi* martyres. §. XLIII. *In ipso* agone *constitutis tanta subministravit* auxilia, *ut* minueretur *nonnunquam dolorum* sensus, *nonnunquam penitus* extingueretur, *nonnunquam etiam in* voluptates *converteretur*. §. XLIV. *De horum* gestorum fide *prorsus nihil est quod dubitemus*. §. XLV. *Primo non sunt* audiendi *in contrarium* Philosophi. §. XLVI. *Secundo in* aliis gentilibus *qui* miraculis *Christianorum* martyrum *interfuissent*, *is sequebatur* eventus *qui à* veris *esset* probatisque miraculis *expectandus*. §. XLVII. *Tertio idem dicendum de* Christianis. Lapsi *ea ætate admodum* rari. §. XLVIII, XLIX. *Quarto hæc ita contigisse constat* è coævis monumentis. §. L.

§. I. CUm in hoc versemur tam *nobili*, tam hodieque *utili*, de *martyrio* argumento, consultissimum credidimus ne, quæ de eo dicenda habuimus, ad primævorum Ecclesiæ scriptorum, historiæque Ecclesiasticæ, illustrationem spectantia, ab aliis tamen plerunque prætermissa, di-

diverſis in locis lector quæreret. Nec erit, ut ſpero, hoc etiam in loco importunum ea differere, quorum ampliſſimam, aliis in locis anſam, ipſe præbiturus erat *Cyprianus*.

Quanquam itaque primarum illarum perſecutionum *damnum* pervenerit, ut vidimus, ad *paucos*; at certe *metum* ad *omnes*, nemine excepto, permanaſſe manifeſtum eſt. Ut proinde ſatis mirari nequeamus primorum *Chriſtianorum* tantam illam *fortitudinem*, qua *mortem* illi, nec eam ipſam *ſimplicem*, ſed diris diuturniſque *cruciatibus* adhuc formidabiliorem, conſtanti tamen atque heroico plane animo pertulerint; quod *laici* pariter atque *clerici*, *fœminæ* pariter ac *viri*, *pueri* pariter ac *adulti*, ea omnia contemſerint, quæ tremenda aliis viderentur. Ingenioſi erant admodum in *novarum pœnarum* excogitatione adverſarii, quarum vel *mentionem* hodie lectores perhorreſcimus; ambitioſi admodum in *Chriſtianorum divina* illa *conſtantia* expugnanda, acſi familiam ſuam novis *titulis*, rempub. eſſent novis *triumphis* novarumque *provinciarum* acceſſione cumulaturi; ſeduli admodum atque indefeſſi in pœnarum illa tantarum irrogatione, nondum obductas priorum vulnerum cicatrices novis ſubinde vulneribus, inauditis hucuſque dolorum augendorum artibus laniantibus: nec tamen tantum illi omni ſuo *ingenio*, *ambitione*, *ſedulitate*, proficere potuerunt, quantum *Chriſtiani* poterant ſuperare *patientia*. Eſtque id omnium maxime mirandum quod *fœminæ* alioqui molles atque delicatæ, qualis fuerat in *partu Felicitas*: quod viri etiam alioqui *mali*, *tormenta* tamen atque *martyrium Chriſti* nomine, avide fortiterque ſuſceperint, qualem alibi diximus fuiſſe *Nicoſtratum Novatianum*. Non erant hæc *humanis* proculdubio viribus, non *Enthuſiaſticæ credulitati*, accepta referenda; ſed vero ipſi potius *Numini*, malis etiam, ſua tamen cauſa patientibus, præſentiſſimo, quo publicum ſtatueretur *aliis* ſimiliter paſſuris exemplum. Erit tamen nec *inutile*, nec etiam *injucundum*, ſi *humanas* quoque cauſas exponamus, tam ut conſtet qui ſint *martyrii candidatis* proprii etiam *conatus* adhibendi, quam etiam ut pateat quam ſint illi etiam *humani conatus* ſine *Dei* propitii auxilio *inanes* penitus atque prorſus *inutiles*.

§. II. Harum itaque *cauſarum* aliæ in *omnium* obſervationem incurrebant, etiam *infidelium*; aliæ *internæ* erant, ſolorumque *fidelium*, ſua nimirum cujuſque experientia teſte comprobandæ. In primo genere cenſendum erat quod *primorum* martyrum *exemplum* & gloria poſteris animos addere poterant ſimilia paſſuris. Poterat & Judæorum, præſertim Galilæorum, obſtinata illa indoles in primorum Chriſtianorum patientia locum habere. Judæis omnibus *moriendi contemtum* tribuit [1] *Tacitus*. Majus eſt quod de *Galilæis* ſuis tradit [2] *Joſephus* mortis etiam omnimodas ſpecies illos pro nihilo duxiſſe Et ſane *Galilæorum* ut *nomen* in primævos *Chriſtianos* tranſiit, & mores una tranſiiſſe veriſimillimum eſt. Nec enim à *Juliano* incepit hoc *nomen*. Ante illum *Chriſtianos Galilæos* appellavit auctor *Philopatridis* & *Celſus* Chriſtianorum hoſtes infenſiſſimi. Accedit etiam quod ut hoc ipſo *obſtinationis* nomine celebres erant *Judæorum Galilæi*, ita *obſtinationem Chriſtianis* fuiſſe exprobratam conſtet ex Apologetico *Tertulliani*. Utque *Galilæorum* mirandam hanc patientiam μανίᾳ potius aut gentis *conſuetudini* tribuit [3] *Epictetus*; ita *Chriſtianorum* illam ſimilem utique conſtantiam ψιλῇ παρατάξει, non vero λόγῳ & σεμνότητι ejuſdem cum [4] *Epicteto* ſectæ *Stoicæ* Imperator *Marcus*. Nec eſt ſane quod miremur *Galilæorum* mores in primos *Chriſtianos* emanaſſe, cum Dominus ipſe *Nazarenus*, cum *Apoſtoli* plerique ſaltem primarii, fuiſſent patria *Galilæi*; cum frequentiſſimas in *Galilæam* legamus Domini excurſiones, ut primorum proinde *Chriſtianorum* probabile ſit partem longe maximam fuiſſe etiam patria *Galilæam*.

§. III. Accedebat primævus ille *diſciplinæ Chriſtianæ* rigor, auſterumque primorum *Chriſtianorum* vivendi genus, quæ eos poterant ad *labores cruciatuſque* facilius tolerandos indurare. *Vigiliis* illos *jejuniiſque* reliquiſque id genus corporum μελέταις atque γυμνασίαις addictiſſimos, ab omni autem *voluptatum* uſu abſtinentiſſimos ex ipſa N. T. hiſtoria ſatis conſtat. Multis patientiæ *exercitiis* uſus eſt S. Apoſtolus Paulus: [5] *In tribulationibus* fuit, *in neceſſitatibus*, *in anguſtiis*, *in plagis*, *in carceribus*, *in ſeditionibus*, *in laboribus*, *in vigiliis*, *in jejuniis*, &c. Inde non eſt quod miremur diutino illo tam duræ diſciplinæ uſu confirmatum illum fuiſſe ad laborem omnem atque patientiam. Ipſe certe in tanto animi robore comparando his ipſis exercitiis locum ſaltem aliquem fuiſſe ultro agnoſcit. *Ego* ([6] inquit) *didici in quibus ſum*, *ſufficiens eſſe*. *Scio & humiliari*, *ſcio & abundare* (*ubique & in omnibus inſtitutus ſum*) *& ſatiari*, *& eſurire*, *& abundare*, *& penuriam pati*. Quid mirum cum & ipſum Dominum *didiciſſe* dicat, [7] *ex iis quæ paſſus eſt*, *obedientiam*? Neque vero ſolus fuit in duro hoc vivendi inſtituto *gentium Apoſtolus*. Idem de aliis quoque Apoſtolis traditum habemus in veterum monumentis. De S. *Matthæo* teſtem habemus *Clementem Alexandrinum*, de S. *Jacobo Hegeſippum*. Sed nec *Apoſtolorum* propria erat illa *diſciplina*. Eandem alii etiam obſervarunt illius ætatis *Chriſtiani*. S. *Timotheus* imprimis ab ineunte uſque ætate ſanctiſſime inſtitutus. [8] ἐκακοπάθησε ad exemplum *diſciplinæ militaris*. Uſus eſt [9] σωματικῇ γυμνασίᾳ, cui exercitationi ne nimium tribueret, monendum illum duxit Apoſtolus. [10] ὑδροποτεῖ uſque ad *ſtomachi infirmitatem*, cui tamen ut mederetur, *modicum* ſuadet *vini* ut *aquæ* admiſceret. Eandem corporis ſubigendi diſciplinam coluerunt & *viduæ Eccleſiaſticæ*. [11] *Inſtabant obſecrationibus & orationibus nocte & die*. Plane ad exemplum *viduarum Judaicarum* atque *Ethnicarum* à quibus morem illum in *Eccleſiam* tranſiiſſe veriſimile eſt, quæ quales fuerint, & quali uſæ vivendi inſtituto, aliunde conſtat. Eo fuit in numero cenſenda [12] *Anna prophetiſſa*, de qua legimus *non diſceſſiſſe eam de templo*, *jejuniis & obſervationibus ſervientem nocte ac die*. Eo in numero [13] *Juditha*, de qua legimus, *habuiſſe ſuper lumbos ſuos cilicium & jejunaſſe omnibus diebus vitæ ſuæ*, *præter ſabbatha*, *& Neomenias*, *& feſta domus Iſraël*. Ex quo certe teſtimonio, quicquid ſit de *hiſtoria* ſentiendum, at certe conſtat de *moribus Helleniſtarum*. Talis illa denique *Epheſia matrona* celeberrima cujus meminit *Petronius*. Ex his itaque exemplis *jejunia* & *corporis* domandi diſciplinam ad *Chriſtianas* etiam *viduas* emanaſſe veriſimile eſt. A *voluptate* certe omni alieniſſimum fuiſſe earum inſtitutum, ex illis ipſis Apoſtoli verbis conſtat quibus deliciarum ſtudioſas reprehendit, [14] *nam quæ in deliciis eſt vivens*, *mortua eſt*.

§. IV.

1 *Tacit.* Hiſt. IV. 2 *Joſeph.* Ant. XVIII.
3 *Epictet.* ap. *Arrian.* L. IV. c. 7.
4 In vit. ſua Lib. IX. num. 3.
5 2 *Cor.* VI. 4, 5. XI. 27.
6 *Philipp.* IV. 11, 12.
7 *Heb.* V. 8. 8 2 *Tim.* II. 3.
9 1 *Tim.* IV. 8. 10 1 *Tim.* V. 23.
11 1 *Tim.* V. 5. 12 S. *Luc.* II. 37.
13 *Judith* VIII. 6. 14 1 *Tim.* V. 6.

§. IV. Non eſt itaque quod dubitemus quin communis omnium illorum fuerit dura hæc corporum exercitatio qui quidem *Eccleſiæ catalogo* continerentur, pro illius *ætatis* moribus, *Eccleſiæ* ſumtibus alendi. *Inſtabant* enim & illi omnes *orationibus* quibus *jejunia* illa adhibere ſolebant, & reliquam omnem *corporis diſciplinam*. *Clericos* autem omnes, *viduas*, *virgines*, *pauperes*, *infirmos*, *hoſpites* præterea *Eccleſiæ* cauſa *peregrinantes* complectebantur illi *Eccleſiæ catalogi*. Sed ne *vulgus* quidem *Chriſtianorum* mollitiem tamen aliquam aut delicias ſectabantur quibus inepti laboribus perferendis doloribuſque redderentur. Abſtinebant imprimis à publicis pleriſque *vulgi* voluptatibus quas illi impias exiſtimabant & prorſus illicitas. Eo retulerunt *ſpectacula* omnia atque *ſacrificia*; eo *feſtos* gentilium omnes in idolorum dæmonum cultum inſtitutos; eo *acroamata poëtarum* omnia, ſive in *theatro* agentium, ſive *domi* etiam recitantium. Abſtinebant præterea à *vocationibus voluptatum* adminiſtris, arte *ſtatuaria* atque *hiſtrionica*, &c. Abſtinebant porro à vitæ *communis* pleriſque oblectamentis, à *jocis* omnibus atque *facetiis*. *Entrapeliam* quam mediam inter ἀναισθησίαν & βωμολοχίαν conſtituit Ariſtoteles, reprehendit tamen *Apoſtolus*. Nihil itaque admittebant niſi quod grave eſſet & ſerium, ſanctaque converſatione dignum. Et in *licitarum* quoque *voluptatum* uſu modum tamen adhibebant atque temperiem, ut ne unquam voluptati indulgeretur. [15] *Edebant quantum eſurientes capiebant, biberunt quantum pudicis erat utile, ita ſaturabantur ut qui meminiſſent etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe; ita fabulabantur; ut qui ſcirent Dominum audire*, inquit *Tertullianus*. *Cupiditatem procreandi aut unam ſciverunt, aut nullam*, teſte [16] *Minutio*, *unum* nempe duntaxat *matrimonium* quo & ipſo modeſtiſſime ſunt uſi, non ad *voluptatem*, ſed ad *liberorum* duntaxat *procreationem*, ut communi Chriſtianorum nomine profitentur *Juſtinus* atque *Athenagoras*. Ergo *voluptatum corporalium*, etiam in *communi* Chriſtianorum *vita*, is tamen erat uſus ut neminem poſſet emollire.

§. V. Sed nec aberant à *vulgo Chriſtianorum* illæ etiam, quas diximus, ἀσκήσεις. Incumbebant enim ea etiam laicis officia quæ ad *corpora* induranda omnino faciebant. *Catechumenorum* imprimis atque *competentium*, ſevera admodum erat, ea ætate, *diſciplina*. Nec enim *diſcendæ* modo Chriſtianorum vitæ ſe dederunt, ſed etiam *exercendæ*, ut ſui experimentum darent Eccleſiæ Rectoribus quales deinde eſſent in pacti Baptiſmalis perſolutione expectandi. *Jejuniis* præſertim ſeſe expiabant, ceteriſque, ut videtur, quæ jejunia ſolebant *exercitiis*, *xerophagiis*, *humicubationibus*, &c. Hæc *omnium* fuiſſe *Chriſtianorum*, nemo eſt quin facile intelligat. *Pœnitentium* porro, etiam *laicorum*, qualia fuerint *exercitia corporalia* apud omnes in confeſſo eſt, & quam levia crimina, pro illius ſeculi diſciplina, ſufficerent ut in *pœnitentium* ordinem quis deturbaretur. Reliqui ſunt *fideles laici* quibus & ipſis multa erant *corporum* exercitia ſubeunda, *ſtationes* frequentes, *nocturnæ orationes*, *jejunia* ab Eccleſiæ præfectis indicta, cum *ciliciis* & *humicubationibus*, ſiqua gravior Eccleſiæ, aut etiam reipublicæ, *calamitas* immineret, ſi pellendæ eſſent *ſiccitates*, ſi *bella*, ſi contagioſi *morbi*, ſi *terræmotus*, &c. cum *ordinandi* eſſent Eccleſiæ miniſtri, reſtaurandi in Eccleſiam *pœnitentes*, ſubigendæ *hæreſes* aut *ſchiſmata*, ſeu propria aliqua *domeſtica*, ſeu *publica* eſſet perturbatio metuenda. Ita fiebat ut raro admodum feriari poſſent ab his exercitiis *fideles* etiam *laici*, cum præſertim, in publica Eccleſiæ adminiſtratione, tantum *laicis*, pro illius ſeculi moribus, indulgeretur. Convenit etiam auctor *Philopatridis* qui *Chriſtianos* omnes eo ipſo *jejuniorum* nomine ſugillat, mœſtoſque illos repræſentat atque vultuoſos. Convenit & *Clemens Alexandrinus*, qui cum *Pædagogum* ſuum, *diſciplinæ* ſeveriſſimæ librum in *Catechumenorum* uſum conſcripſerat, ut nimirum inde diſcerent *Catechumeni* quid eſſet ab iiſdem jam *Chriſtianis* deinde expectandum; id ſane innuit, *omnium Chriſtianorum* communes illas fuiſſe ἀσκήσεις.

§. VI. Tales eſſe, pro *officio* ſuo, oportuit *omnes Chriſtianos*. Et vero ne officii obliviſcerentur, impediebant frequentes illæ *perſecutiones*, aut, quod eodem redit, frequentes ſaltem perſecutionum *metus*. Quanquam enim perſecutiones *Romanorum*, quibus de *vita* periclitandum eſſet, jam probavimus non admodum fuiſſe *frequentes*; at *magiſtratuum urbicorum* perſecutiones, quæ *poſſeſſionum*, quæ *libertatis*, quæ *exilii*, quæ *corporum* etiam flagellandorum jus habebant, ſiqui non fuiſſent *cives Romani*; at *plebium* tumultus; at *Judæorum ſuperſtitioſorumve* hominum, atque *impoſtorum Chriſtiano* nomini infenſiſſimorum inſidiæ, & ſæpe contigerunt, & tamen ſæpius quam contingerent, metuebantur. Satis autem erant hæ ipſæ *perſecutiones*, ſeu *reipſa* contigerint, ſeu duntaxat *metuerentur*, ad mentes à *mundo* alienandas, ad *voluptates* mundi reprimendas quas tam *fluxas* atque *caducas* quotidie experirentur, ad bonorum *cœleſtium* cogitationes firmius imprimendas quæ ſola eſſent *ſolida* ac *diuturna*, extraque omnem prædarum inſidiarumque metum conſtituta. Inde *officia* omnia etiam *laici* diligentius præſtabant propter præmiorum *cœleſtium* ſpem, ſuppliciorumque *infernorum* metum proximum atque præſentiſſimum. Inde & illa quoque *corporum* exercitia ſerius exculta quibus ad *martyria* animoſius ſuſcipienda confirmarentur. Quanquam nec aliæ rationes deerant cur *frequentiora* his temporibus *corporum* exercitia expectarentur. Ipſæ illæ *fugæ*; ipſi *carceres* & quæ carceres comitari ſolerent, vitæ *incommoda*; ipſa *flagella*, *bonorum direptiones*, quæque ſpoliatos expectare neceſſe erat, *anguſtiæ*; ipſa vita illa tam levi momento *mutabilis*, tam *vaga* atque *incerta*, tot illis mortium cruciatuumque *metibus* obnoxia, ut deeſſent reliqua, erant ſane & ipſa *corporum* duriſſima *exercitia*. Nec tamen eſt quod & alia *exercitia* ab illis *neglecta* ſuſpicemur *corporibus* durandis imprimis facientia. Jam *ſtationes* ſolito frequentiores, jam *jejunia*, *cilicia*, *chameuniæ*, tota illa *humilificandi hominis diſciplina* (ut de *pœnitentia* loquitur *Tertullianus*) egregiis *corporum* exercitiis refertiſſima, ut *Deum* placarent, ut ſui *auxilium* gentiliumque *converſionem* à *Deo* impetrarent.

§. VII. Faciebant hæc omnino ad *corpora* confirmanda *Chriſtianorum* primævorum *exercitia*. Nec eſt ſane quod diffiteamur ad *mortis* contemtum *doloreſque* perferendos plurimum valere duram *corporis inſtitutionem*. Hinc *Barbarorum* omnium *nativa* illa *fortitudo* qui *delicias* neſcirent, *laboribus* autem & *duro* vivendi genere inſtituti fuiſſent. Hinc & *prædonum* illa atque *gladiatorum* hominum alioqui *malorum*, ut intelligamus non tam eſſe *animo* illam quam *corpori* referendam. Hinc & illa *Lacedæmoniorum*, quæ & *mulierum* communis erat atque *puerorum* qui quidem fuerant, pro *Lycurgi* legibus, educati. Nota illa *Puerorum Lacedæmoniorum* conſtantia læto ſeſe & immoto vultu verberandos ad *mortem* uſque præbentium, & in ipſa quoque morte *ridentium*. Et *muliebris* fortitudinis apud *Lacedæmonios* exempla multa ſuppeditat *Plutarchus* in libro *de virtutibus mulierum*. Iiſdem

[15] *Tertull.* Apol. c. 39. [16] *Minut. Fel. Octav.*

iisdem hisce corporum μελέταις & γυμνασίοις fortitudinem suam acceptam referebant *Philosophi* qui, *ratione* duce, *pusillanimam* alioqui indolem, ad stupendam plane animi *generositatem* extulerunt. Si quis plura cupiat, præter alios, *Ciceronem* præcipue consulat in *Tusculanis*.

§. VIII. Nec tamen huic tam *duræ*, cui assueverant, vitæ institutioni *constantiam* suam acceptam ita referebant *primævi Christiani*, ut *Dei* etiam ipsius *auxilium* excluderent. *Apostolus* ipse, quo loco illum superius audivimus de sua ad dolores perferendos institutione profitentem, *Dei* tamen *auxilium*, verbis proxime sequentibus, necessarium agnovit. [17] *Omnia possum* (inquit) *in eo qui me confortat*. Martyres *Lugdunenses Christum* unum *martyrem* agnoverunt, se vero viles esse abjectosque *confessores*. Proinde lacrymis profusis fratres obsecrabant [18] ἵνα ἐντενεῖς δῶχαὶ γίνωνται πρὸς τὸ τελειωθῶαι αὐτάς. Spiritus S. *Perpetuæ* martyri [19] *dictavit*, *non aliud petendum ab aqua* [*Baptismi* scilicet] *nisi sufferentiam carnis*. Ergo & illam quoque *carnis sufferentiam* Dei tamen donum agnovit, & ab eo solo impetrandum. Id quod ipsa experientia verum esse reperit. Cum enim, post paucos à *Baptismo* dies in carcerem recepta esset, ut proinde *disciplinæ Christianæ* nondum potuerit, per *tempus*, assuescere; primas carceris angustias sensit plane difficillimas. *Nunquam* (inquit) *experta eram tales tenebras. O diem asperum!* Quas itaque postea sensit delicias, quibus *carcerem* ait *subito factum esse prætorium*, non est quod *corpori* exercito, sed *Divinæ* potius *gratiæ* tribuamus. Idem experta est & socia *Perpetuæ* martyr *Felicitas*. *Cum* enim, *pro naturali difficultate octavi mensis in partu laborans doleret, ait illi quidam ex ministris cataractariorum: quæ modo doles, quid facies objecta bestiis?* &c. *Respondit illa, modo ego patior quod patior: illic autem alius erit in me, qui patietur pro me, quia & ego pro illo passura sum.* Fidemque præstitit facta in *passione* pro *Christo* animosissima. Quod si *corporis* exercitati duritiei tribuenda illa omnis fuisset invicta in passione constantia; cur non eadem fuisset in *partu?* Æqua erat omnino & ad omnia *pariter* parata acquisita illa *corporis* exercitati durities. Quod vero *delicatior* in *partu*, *aliam* se sensit in *martyrio*, aliis omnino erat quam *Felicitatis* viribus assignandum. Eandem *carnis sufferentiam* à Deo rogant & illi *martyres* quorum *acta* habemus hodieque à *Donatista* conscripta à Cl. *Baluzio* sincerius edita atque locupletius. Sensit & *Blandina*, in persecutione [20] *Lugdunensium*, ἀνάληψιν quandam & ἀναπαυσιν ἀλλ ἀναλγησίαν τῶν συμβαινόντων, quoties illa verba proferret, Χριστιανή εἰμι, οὐ παρ' ἡμῖν οὐδὲν φαῦλον γίνεται. Ecquid valere poterant quælibet *corporum* exercitia ad vim tantam *verbis* illis conciliandam? Ecquid prorsus ad ἀναλγησίαν? *Sensum* doloris *minuere* fortasse poterant *corporum* exercitia; sensum omnem *tollere* atque penitus *extinguere* plane non poterant. Et tamen id in se experti sunt & alii martyres, ita nullum ut sentirent *dolorem*, ut contra mirificas potius, fidemque prorsus non expertorum omnem superantes pro dolore *delicias*. Sensit illas sub [21] *Juliano Theodorus*, accepitque ab ipso *Theodoro Ruffinus*. Constantes porro in *doloribus* tolerandis illa reddere fortasse potuit tam *dura* institutio; non item *audaces* ad *pericula* adeunda, non *lætos*, non *ambitiosos*, non *avidos*, ad adversarios ultro *provocandos*. Damna illa *facilius* forte pertulissent, non item in *lucro* posuissent quæ reliqui plerique pro damnosissimis habuerunt atque luctuosissimis, ut in *lucro* posuisse videmus pleroque *martyres primævos*. Altius itaque omnino repetenda tanta illa tolerantia.

§. IX. Ergo *gloriam* hic suspicabuntur habere locum qui *veræ* martyrum *gloriæ*, qui *religioni Christianæ*, detractum cupiant. Magnam esse *gloriæ* vim ad mentes hominum accendendas facile concesserо, tam in rebus fortiter *gerendis*, quam in adversis etiam fortiter *tolerandis*. Decantata passim extant in utroque genere *Græcorum Romanorumque* exempla; decantata etiam *philosophorum*, *gloriæ animalium*; decantata *gentium* integrarum *gloriæ* studiosarum. Quid quod illi quoque *gloria* impellerentur qui *rejicere* illam viderentur atque *contemnere*. Observavit hoc olim in *Philosophis* ipse [22] *Cicero* qui *libros* adversus *gloriam* conscriptos propriis tamen nominibus inscriberent atque insignirent. Unde colligitur, quantumcunque *gloriæ* studium damnarent primævi *Christiani*, non id tamen obstare quo minus eodem *gloriæ* studio impulsi tanta illa gesserint atque tolerarint. Sensim enim etiam sine sensu obrepit hoc vitium, ut qui *humiles* aliis videantur, qui *se* quoque *humiles* existimant, de sua tamen ipsa *humilitate gloriari* reperiantur. Nec in aliam facilius incurrit quam in indolem vere *magnam*, vere *generosam*. Et, quod propius nostram hanc de *Christianitate* causam spectat, *Peregrinus* iste, cujus *vitam* scripsit *Lucianus*, totus *gloriæ* ab ipsa usque origine mancipium, & qui *gloriam* eo ipso *patientiæ* nomine, mortisque contemtu affectavit, factus tandem *gloriæ* victima cum se coram *Græcia* universa, in *Olympicis* incenderet; is inquam, ipse *Peregrinus* se, eo ipso, ut videtur, consilio *Christianis* adjunxit, ut in *carcerem* eo nomine conjectus *cruciatus* toleraret atque *martyrium*. Quid quod etiam, in *sui temporis* nonnullis *martyribus*, qui tantas illas in Ecclesia turbas, de *pace lapsis* concedenda, concitarint, *calorem gloriæ* notarit ipse [23] *Cyprianus*.

§. X. Nec sane mirum in hoc *gloriæ* studio peccare potuisse *martyres*. Quanquam enim *ambitionem* illam *martyrum* supra modum & Ecclesiæ regulas intumescentem reprimat sæpe reprehendatque *Cyprianus*; at cum intra illos limites se contineret, tantum abest ut reprimeret ut contra potius omni studio illam excitet atque accendat. Huc certe spectant pleraque ejus argumenta. *Gloriam Ecclesiæ*, *gloriam sui temporis* in eo sitam esse monet si fortiter paterentur; *glorioſum* esse illud *Deo hominibusque spectaculum patientis Christiani*. Et pro illius ætatis moribus, multa sane erant quæ *martyres* ad *patientiæ gloriam* accenderent. Accendebant illos imprimis glorioſa illa primorum martyrum exempla. Accendebat annua illa, & in omne ævum duratura, commemoratio. Accendebat magna illa *martyrum* in Ecclesia *auctoritas*, siqua gravior occurrisset controversia eorum nomine dirimenda. Accendebant *visitantium Christianorum* studiosissima *officia*, quæ talia ac tanta erant ut reprimenda ea censeret noster *Cyprianus*, ne *martyribus* apud *gentiles invidiam* conflarent. Proinde [24] *singulos cum singulis diaconis* presbyteros jussit *alternare per vices*, *quia & mutatio* (inquit) *personarum & vicissitudo convenientium minuit invidiam*. Id ipsum *Julianum Christianorum* hostem infensissimum à *persecutione* cohibebat quod tantam illis *gloriam* invideret. *Visitationem* illam quantovis *pretio* redimebant à custodiæ militibus. [25] *Reptabant religiosæ fœminæ ad osculanda martyrum vincula*. Tum omnia

[17] Philipp. IV. 13. [18] Ap. *Euseb.* Hist. Eccl. V. 2.
[19] Act. *Perpet.* & *Felicit.*
[20] Ex Ep. *Lugd.* & *Viennens. Euseb.* Hist. Eccl. V. 1.
[21] *Ruffin.* Hist. Eccl. X. 36.
[22] In Quæst. *Tuscul.* [23] Ep. X.
[24] Ep. V. [25] *Tertul.* ad uxor. L. 2. c. 4.

nia *neceſſaria* ad eorum ſolatia abunde ſuppeditabant, non *clerici* modo, quorum id ad *officium* ſpectabat; ſed & è *laicis* quiſque qui *martyrii* eſſet paulo ſtudioſior, [26] læti omnes atque ac triumphabundi ſiquam ſuam operam *martyribus*, gratam fuiſſe intellexiſſent. *Lapſorum* autem eo erat ambitioſior erga *martyres* devotio quod id genus *officiis Deum* ſe ſperarent perinde ac *martyres*, demerituros. Ita *lapſus* ſuos redimere voluerunt *Numeria* & *Candida*. [27] *Ad Statim* (inquit *Celerinus*) *& Severianum alioſque confeſſores* &c. *ipſæ in portum deſcenderunt, & in urbem levaverunt; quod ſexaginta quinque miniſtraverunt, & uſque in hodiernum in omnibus foverunt.* Ea Chriſtianorum *officia* ut experiretur, ipſum ſe in carcerem incluſiſſe impoſtorem, quem diximus, *Peregrinum*, auctor eſt *Lucianus*. Expertuſque eſt ſane prolixiſſima. Præter illa, quæ diximus, officia *vulgaria*, *legationem* accepit ab *Aſiâ Eccleſiis* ſane honorificam. Tanti *martyres* etiamnum *ſuperſtites* fecerunt *primævi Chriſtiani*. Qui porro eſſent martyrio *defuncti*, eorum *ſepulturam* magnifice procurabant, & ſacra corpora à militibus immani *pretio* mercati ſunt, *memoriam* deinde *panegyricis* conventibus atque orationibus illuſtrem conſervarunt. Tanta erat *martyrum gloria*, quæ homines, alioqui *malos*, poterat, ſi tamen *gloriæ* ſtudioſi eſſent, ad *martyrium* exſtimulare.

§. XI. Poterat itaque *gloria* locum hic habere *aliquem*; ita tamen poterat ut non *omnem* prorſus habuerit, ut non alia generoſæ indolis longe *graviora* hortamenta prorſus excluſerit. Qui unam *gloriam* ob oculos habuerunt, ita *diſciplinam* illius *Eccleſiæ* ſibi ſenſerunt *adverſam*, ut raro admodum contigerit quin Eccleſiæ *communione* tandem *pellerentur*, ni novas ipſi *hæreſes*, illo *gloriæ* ſtudio plerunque oriundas, condidiſſent, & ſponte ſua ab Eccleſiaſtica communione *ſeceſſiſſent*. Nec enim quenquam, utcunque magni nominis, utcunque celſo in loco conſtitutum, à communibus Eccleſiæ regulis eximebant; & vero multa erant, in illis regulis, *cervicoſis* hominibus *gloriæque* ſtudioſis, adverſa. Non dico vitia illa vulgi etiam opinione damnata, quæ vitaturum hominem *laudis* ſtudioſum erat conſentaneum. Ea ipſa dico quæ ipſi *gloriæ* ſtudio eſſent è diametro contraria. Imprimis *gloriæ* illud immane ſtudium ab *Eccleſia* damnatum eſſe conſtat, ut proinde, qui *Eccleſiæ* laudem vellet captare, eum *humilem videri* oportuerit, quantoque eſſet *laudis* appetentior, eo magis ab omni laudis *ſtudio* videri debuerit alienior. Quam vero oneroſum hoc ingenio jactabundo, atque odioſum, eſſe debuit quod qualis *eſſet* nunquam *apparere* auderet, ſed aliam omnino, adverſamque ſibi, *perſonam* ſuſtinere debuerit? Nec *videri* modo alium oportuit, ſed in *praxi* agere, quæ eſſent ſui fidentibus hominibus ingratiſſima. *Subjiciendus* erat Eccleſiæ rectoribus, eorum judicio ſtandum ſiquid reprehendendum in eo cenſuiſſent, & quidem *ſtandum* quanquam alia fuiſſet ipſius ſententia, ſi *communione* tamen *Eccleſiæ* privari nollet. *Communione pulſus* majorem adhuc ſui *dejectionem* probare, animoſque *remittere* debuit ut ad *communionem* denuo reciperetur. *Duriſſima* omnino homini *ſuperbo*, neque prorſus *toleranda*. Pulſus itaque *Aquila*, pulſus etiam *Porphyrius* cum *judiciariæ Aſtrologiæ* ſtudium nollent, Eccleſia prohibente, relinquere. Pulſus tantus ille *Peregrinus* cum quid *vetitum* ab *Eccleſia* comediſſet. Ægre itaque poterat Eccleſiæ *communionem* hoc genus hominum retinere, ut proinde qui retinuerint, alios fuiſſe ſit omnino veriſimillimum.

§. XII. Si retinere illam *potuiſſent*; quæro porro, quo *conſilio* tantam illam *patientiam*, unico laudis ſtudio, oſtentare potuiſſent? quo tandem ſuo commodo? quo operæpretio? nempe ut *gentilium laudem* captarent? At tam longe aberat ut eorum laudem conſequerentur, ut *contemtum* potius incurrerent atque *contumeliam*. Ipſam *Chriſti crucem* illi pro *ſtultitia* habuerunt. Qui vero *crucifixi* nomine occumberent, *ſtultiſſimos* omnino cenſuerunt, *deſperatos*, θανατῶντας, ἀβιβόλους, *vitæ pertæſos*. Egregiam vero *laudem* illam quam tanto ſuo *damno* mercarentur! Ergo potius ut *laudem Eccleſiæ?* At quæ ratio fuit cur *Eccleſiæ laudem* ipſam ambirent, ni *vera* illa crederent quæ in *Eccleſia* docerentur? Nullum erat certe *mundanum lucrum* ab *Eccleſia* expectandum, *damna* potius eorum omnium quæ *mundani homines* in *lucro* ponunt. *Stulti porro cum* haberentur *Chriſtiani*, qui vero *ſapientiæ laude* in *mundo* florerent, illi eſſent ab *Eccleſia* alieniſſimi; nihil erat ſane cur *ſtultorum* hominum *opinionem* tam avide ambirent, tam immani *pretio* captarent. Quod ſi *veram* crederent *Chriſtianam religionem*, ſtultiſſimum omnino foret tantam illam *patientiam*, non alio quam *laudis ſtudio* oſtentare. Nec enim ipſam illam *laudem* illis conceſſiſſet *Eccleſia*, ſi unico illo *laudis* ſtudio paſſos reſciviſſet. Quæ vero illa *laus* eſt ab illis laudari *neſcientibus*, qui ſi te intus & in cute noſſent, eſſent *vituperaturi?* Non *te* laudant qui ita laudant, ſed *alium* illum quem *te* eſſe crediderant. Quare ſi fuiſſent ex animo *Chriſtiani*, ne *laude* quidem *dignum* judicare eſſe poterant quod *ſolius laudis* intuitu paterentur. Quid quod *laude humana* longe *præſtantiora* præmia *martyribus* repoſita crederent quibus *fraudarentur* ſiqui *laudem humanam* fuiſſent avidius converſati. *Divinum auxilium* atque *ſolatium* interciperet omnis *humanæ laudis* importuna captatio. Nec *futura* præmia illum *ſperare* licuit qui fuiſſet *humana laude* contentus, nec pœnas etiam *futuras* declinare qui *præmiis futuris* excidiſſet. Ita factum ut futurorum *præmiorum* ſecuritas in *humilitate*, in *humanæ laudis* contemtu tota poneretur, quod ipſum aliquoties inculcat noſter *Cyprianus*. Paucis contraham. Si *Chriſtiani* non fuiſſent; nihil erat cur tam *graves* paterentur, *Chriſti* nomine, *pœnas*. Sin fuiſſent, nihil item cur *ſolius humanæ laudis* intuitu illas paterentur.

§. XIII. Quare fidem omnem prorſus excedit, *unius gloriæ* ſtudio tantam illam *Chriſtianorum* tribuendam eſſe patientiam. *Irrepere* poterat fortaſſe nonnullis parum *cautis*; rem totam ſecum reputantibus, non poterat. Nec eſt veriſimile, in tanto *periculo*, temere tamen atque *inconſulto* egiſſe quamplurimos. Non opus eſt ut hic operoſe diſputemus tantumne poſſet in aliis *humana gloria* quantum præſtitit in *Chriſtianis* invicta *patientia?* Et tamen nullum ullibi occurrit *exemplum* quod noſtris poſſit *martyribus* conferri, nedum *æquiparari*. Unum fortaſſe alterumve inveneris *heroem* aut *philoſophum*, unam fortaſſe alteramve in ſuis tamen finibus, *gentem* qui *mortem cruciatuſque* præ *gloria* contemſerint. At *populum* univerſum, omnium *ordinum*, *ſexuum*, *ætatum*, nulla inter ſe *natalium* aut *patriæ* affinitate conjunctum, una *doctrinæ* atque *Sectæ* fœdere ſociatum, per univerſas, qua patebat, *orbis Romani* partes, diſſeminatum, tot aliarum *gentium* moribus, tam à ſe, quam ab invicem, diverſiſſimarum, erat aliorum malis exemplis ubique præſentiſſimis circumſeptum, *mores* tamen ſuos *illibatos* ſervare poſſe, nedum *alios* ſibi mores effingere poſſe, nedum *duriores*: unam apud illos *inſtitutoris* valere potuiſſe, unam *Sectæ* reverentiam, *civili* nulla *coercitione* armatam, & tamen omni

[26] *Tertul.* ad mart. c. 2. [27] *Celerin.* ad *Lucian.* inter Ep. *Cypr.* Ep. XXI.

ni apud illos *civili coercitione* longe formidabiliorem; tantum potuiſſe *contemtorum* alioqui hominum *auctoritatem* ut tam duram vitæ auſteramque diſciplinam illis poſſent commendare; tantum extulere ut nullis poſſent *mundi*, ſive deliciis, ſive terroribus ab illa revocari; tantum potuiſſe ut illorum hominum *laudem* omni aliorum ſeu *laudi*, ſeu *vituperio*, ſeu *minis*, ſeu *cruciatibus*, anteponerent; hæc inquam longe omnia *mundana* ſuperant *exempla*. Hæc nulla unquam *gens* præſtitit, nulla unquam *inſtitutio*, nulla *Philoſophia*. Et tamen ſi vel maxime *poſſet* humanæ laudis aviditas ad tantam homines animare conſtantiam; nobis tamen ſufficit nihil *eſſe* quod *noſtrorum* martyrum conſtantiam *gloriæ humanæ* tribuamus. Inde conſequetur *graviora* eſſe quærenda, quam *gloriæ*, incitamenta quæ *Chriſtianos* ad *martyria* impulerint.

§. XIV. Non interim negavimus & *gloriæ* tamen *ſuum* fuiſſe *locum*. Nec enim *quælibet gloriæ* aviditas eſt omnino reprehendenda. Quod quis ab *aliena opinione* pendeat, præſertim *humana* illa, id in *gloriæ appetentia* culparunt ipſi etiam *Philoſophi*. Quod quis etiam *ſui fidens* de *ſuis viribus* doniſque glorietur, id in omni *religione* damnatum eſt, non minus *Ethnicorum* illa quam noſtra *Chriſtianorum*, tanquam *religioni* maxime *adverſum*. Inde frequentiſſimas memorant θεομωλίας numiniſque φθόνους ex hoc ipſo vitio plerunque oriundos, quibus & noſtras favere Scripturas ſacras [28] ſuperius probavimus. Quod quis etiam ex illorum quoque *donorum* æſtimatione *nimia*, quæ quidem ipſe pro *Divinis donis* agnoverit, *efferatur* tamen *ipſe*, ut *alios* præ ſe omnes, & eorum *dona* contemnat; id etiam in exemplo *Phariſæi* de ſuis *donis* Deo *ipſi* gratulantis redarguit ipſe Dominus, id in *gentibus* de ſua *vocatione* gloriantibus, & *Judæos* quaſi rejectitios contemnentibus, ut *publicanum* contemſerat *Phariſæus*, reprehendit *Apoſtolus*. Hæc autem vitia à *noſtris* pleriſque *martyribus* alieniſſima probavimus. Nullum illi in *ſe* donum agnoverant quod non *Deo* ſoli referrent acceptum, & quo *majores* apud *Deum* honoratioreſque fierent eo facti ſunt *humiliores* fratrumque obſervantiores, *Dei gratiam* & *preces fratrum* obſecrantes ardentius. Jam tolle ab illo *gloriæ appetitu* hæc *vitia*, quid porro reliquum erit quod in eo merito reprehendas? Eſto, *hominum opiniones* flocci faciendæ ſint. At *Dei* certe, quem *judicem* habituri ſumus *falli neſcium*, de nobis noſtriſque actionibus, ſententia magni æſtimanda eſt. At *conſcientiæ noſtræ*, quæ *Dei* vicem obtinet, quæ ad *animorum* noſtrorum *pacem* eſt aliorum inſtar omnium, quis audiat dicere *ſententiam* eſſe *ſpernendam*? At *bonorum* etiam *hominum Deum* unice ob oculos habentium, pro *Dei* regulis, pro *conſcientiæ* dictaminibus, res noſtras æſtimantium, ecquis eſt quin fateatur plurimum valere ad *pacem conſcientiæ* conciliandam atque ſtabiliendam? Quo quis certe eſt *humilior*; quo ſibi de *favore* (in propria cauſa) ſuſpectior, eo *majorem* concipit ab *alieno* de *ſe* rebuſque *ſuis*, quam à *proprio*, judicio *fiduciam*, eo *pacatiorem* experitur ipſam *conſcientiam*. Mala itaque eſse non poteſt hæc *alienæ opinionis* æſtimatio cujus eo eſt quiſque *appetentior*, quo quis eſt *humilior*, quo quis *bonæ conſcientiæ* ſtudioſior. Erat tamen & aliud quod *Eccleſiæ judicium* maximi faciendum eſſe ſuaſerit, quod *Dei* locum ſuſtinuerit *Eccleſia*, ejuſque *judicium* repræſentarit, & quidem ita repræſentarit, ut in *dubiis*, nec per humana media certo intelligendis, etiam *obligare* illum poſſet ut rata haberet in *cœlis* quæ illa judicaſſet in *terris*. Talem eſſe *judicem*, ex ipſa Sacramentorum poteſtate facile colligimus. Unica *ſalutis* media *ordinaria* illa à *Deo* inſtituta ſunt, quæ tamen ita *Eccleſiæ* commiſit, ut nec poſſit quiſpiam, *illa* repudiante, communicare, nec *illa* quempiam debeat admittere niſi è ſe *approbatum*. Nec aliter ſenſerunt illius ævi martyres. Eccleſiæ judicium *ſummum futuri judicii præjudicium* appellat [29] *Tertullianus*. Quis autem negat *tale judicium* eſſe votis omnibus atque conatibus ambiendum?

§. XV. Non itaque δόξα, ſed κενοδοξία improbanda eſt, illa ſcilicet *hominum opinio* quæ præter *opinantium* ſententiam, nihil continet præterea *ſolidum*, nullum *fide* dignum virtutis *teſtimonium*; & pro vana illa *hominum* opinione *vera gloria* unice expetenda eſt. Quanquam ſcio δόξης nomine κενοδοξίαν eſſe ſæpiſſime intelligendam. Sed non proinde *res* ipſa damnanda eſt quia *voce res* longe *alia* nonnunquam intelligitur. Vocem κενοδοξίας adhibent non ſacræ modo N. T. literæ, ſed alii etiam, à *Chriſto nato*, auctores, etiam *pagani*. Uſus eſt ſæpiſſime *Philo Judæus*, uſus [30] *Lucianus*, uſi alii. A *Platonicis Philoſophis* deſumtum arbitror, qui cum omnem noſtram, pro hac vita, cognitionem non ἐπιστήμης, *ſcientiæ*, ſed unius δόξης nomine deſignarent, & tamen adverſus *Scepticos* diſcrimen aliquod harum δόξων admitterent quo nimirum alii aliis ſaltem propius ad *veritatem* ipſam accederent, eſſent *veriſimiliores*; proinde κενοδοξίας nomine illam δόξαν denotarunt, quæ *inanis* eſſet, nec quippiam haberet cum *veritate* affine. Inde ad illas quoque *hominum opiniones* tranſlata quæ ad *famam* ſpectant, κενοδοξία illam alienæ *opinionis* affectationem ſignificat, quæ præter *opinionem* atque *famam* aliud nihil ſibi proponit, de *veritate* prorſus non ſolicita, *verene laude* ſint *digna*, quæ tantopere ab *hominibus laudantur*, vel illa ipſa *fama* ſitne ſaltem *veriſimile* meriti *teſtimonium*. Hanc κενοδοξίαν nemo eſt qui dubitet eſſe damnandam, nec tamen inde ſequitur *veram gloriam* ſimiliter eſſe damnandam, aut à *primævis Chriſtianis* de *facto* eſſe damnatam. Porro quod de *gloria* diximus, eſt etiam de *æmulatione* dicendum, quæ ab illo *gloriæ ſtudio* proficiſcitur. *Æmulabantur* enim *martyres* glorioſa priorum martyrum *exempla*. Deme tamen *æmulationi invidiam*, nihil reſtabit in *æmulatione* redarguendum. Quid enim *mali* in ſe continet *bonis* aliorum *exemplis* in ſtudio virtutis accendi? Et tamen idem hic quod in priori *voce* contingit ζήλος nomen, quam *æmulationem* vertit *Latinus interpres*, alia denotare in *primævis* Eccleſiæ *ſcriptoribus*. In N. T. ſcriptis, & in *Clemente Romano*, aliiſque, pro ejus *homonymis* habemus ϛάσιν, ἔριδα, διχοϛασίαν, & in *Cypriani* noſtri opere *de Zelo & Livore*.

§. XVI. Multum porro valere potuit ad *mortem* fortiter oppetendam vitæ inſtitutæ *innocentia* bene ſibi conſcia, etiam in *futuræ vitæ* præmiorum *incertitudine*. Id ſenſit in [31] *Platone Socrates*. „Bene ſibi „ominatur, nihil ſibi, in illa vita, eſſe *metuendum*; „*feliciorem* fore, ea quæ eſt *hujus mundi* vita, ſi ta„men *nulla* ſit; ſin nulla ſit, etiam hujus mundi *tur*„*bis feliciorem* ipſam illam eſſe ἀναισθησίαν. Et tamen ad credenda illius vitæ *præmia* eo erat *proclivior*, quo ſibi partem in *illa*, ſiqua eſſet, credidit eſſe repoſitam. Et vel incerta illa bonorum, *hujus vitæ* bona tanto intervallo ſuperantium *ſpes* omni erat *mundana poſſeſſione* præſtantior. Id ſentiunt hodie qui bona *viliora* bonorum longe *præſtantiorum ſpe*, licet *incertiſſima*, lubentiſſime projiciant. Id ſenſit *Cleombrotus*, qui

[28] Ad Ep. XIV. Diſſ. de Lib. à mart. accept. n. 3.
[29] Apol. c. 39.
[30] *Lucian. Peregrin.*
[31] Apud *Platon.* in *Phædon.*

qui ipso illo *Socratis* exemplo, ipsa *Platonis* lectione, incitatus mortem, *incerta* illa *præstantium* bonorum *spe*, avidissime arripuit. Tantum potuit *Christianorum* insignis illa *innocentia*.

§. XVII. Accedebat præterea *futurorum*, quæ dixi, *præmiorum spes* illa longe *certissima*. Licet autem, apud nos, qui *spem* illam omnem debemus *educationi* potius atque *consuetudini* quam *rationi* atque *fidei*, raros admodum, nec insigni laude dignos, fructus spes illa tanta plerunque producat; at apud illos qui spem illam *ex animo* certaque *ratione* conceperant, stupendum peperit *mortis contemtum*, vitæque melioris *futuræ aviditatem*. Mitto *Philosophos* qui indole essent institutioneque minime vulgari, ne *hominibus* hoc potius, quam *principiis*, videatur esse tribuendum. *Gentes universas* memorant auctores, uno *immortalitatis* intuitu, in *mortem* avidissime ruentes. De *gentibus septentrionalibus*, non *Gallis* modo, sed & *Britannis* qui à *Druidibus* hoc dogmate fuissent imbutæ, ita [32] *Lucanus:*

——— regit idem spiritus artus
Orbe alio: longæ (canitis si cognita) vitæ
Mors media est. Certe populi, quos despicit Arctos
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus, haud urget leti metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignavum redituræ parcere vitæ.

Mela: [33] *Unum ex iis quæ præcipiunt, in vulgus effluxit, videlicet ut forent ad bella meliores, æternas esse animas, vitamque alteram ad manes. Itaque cum mortuis cremant & defodiunt apta viventibus olim. Negotiorum ratio & exactio crediti deferebatur ad inferos: erantque qui se in rogos suorum, velut una victuri, libenter immitterent.* Diodorus: [34] εἰώθασι ἢ κὴ πρὸς τὸ δεῖπνον ἐκ τ τυχόντων πρὸς ἢ λόγων ἁμιλλαν καταστάντες, ἐκ προκλήσεως μονομαχεῖν πρὸς ἀλλήλους, παρ' ὐδὲν τιθέμενοι ἢ ξ βίκ τελούτιν. Ενιαχόι γὸ παρ' αὐτοῖς ὁ Πυθαγόρκ λόγ@ ὅτι τὰς ψυχὰς τ ἀνθρώπων ἀθανάτκς εἶναι συμβέβηκε, κὴ δι' ἐτῶν ὡρισμένων πάλιν βιῶν, εἰς ἕτερον σῶμα τ ψυχῆς εἰσδυομένης. Cæsar: [35] *In primis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios; atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto.* De *Germanis* ita *Appianus* in *Celticis: Germanis mores ferocissimi insunt; in aggrediendo insignis audacia, contemtus mortis maximus ob reviviscendi spem.* Τὸ ἦθ@ ἄγριοι, κὴ τ τόλμαν θρασύτατοι, κὴ θανάτκ καταφρονητὰι, δι' ἐλπίδα ἀναβιώσεως. De *Thracibus* Mela: [36] *Una gens Thraces habitant, aliis aliisque præditi & nominibus & moribus. Quidam feri sunt, & ad mortem paratissimi, Getæ utique. Id varia opinio perficit; alias redituras putant animas obeuntium: alii, etsi non redeant, non extingui tamen, sed ad beatiora transire: alii, emori quidem, sed id melius esse quam vivere.* Et communem illis *fœminisque* hanc fuisse *fortitudinem* constat è sequentibus. Nec aliter Solinus: [37] *Thracibus barbaris inest contemtus vitæ, ex quadam naturali sapientiæ disciplina. Concordant omnes ad interitum voluntarium, dum nonnulli eorum putant obeuntium animas reverti; alii, non extingui, sed beatas magis fieri.* Sed & *Judæis* ipsis eandem hanc de futura animarum immortalitate opinionem tantæ illorum causam fortitudinis fuisse tradit Tacitus: [38] *Animas* (inquit) *prælio aut suppliciis peremtorum, æternas putant. Hinc generandi amor, & moriendi contemtus.* Quæ itaque in *aliis gentibus*, in ipsis etiam *Judæis*, tantam peperit constantiam, tam egregium *moriendi contemtum* opinio de *animæ immortalitate*; quidni eadem parere potuerit apud *Christianos*, tanto præsertim intervallo certior, tanto supernaturalium quoque præmiorum accessione cumulatior?

§. XVIII. Erant tamen hæc *omnium* Christianorum *communia*, & ad omnem pariter *mortis* speciem *cruciatuumque* pariter idonea; cum tamen *Christianos* in *martyrio*, morte nimirum illa quæ *Christi* nomine obeunda esset, constet quam in *alio* quovis *mortis genere*, longe adhuc fuisse animosiores. *Felicitatem* diximus, quæ in *partu* dolores sensit acerbissimos, de *martyrio* tamen ne quidem fuisse solicitam, nec cum pateretur ullum edidisse *doloris indicium*. Et in *lue* illa quæ *nostro martyri* occasionem dedit scribendi *de mortalitate*, id maxime nonnullos doluit, quod *morte* illa *vulgari* à *martyrio* cujus spem maximam concepissent, abriperentur. Proinde *gratias* judicibus agebant *damnati*, *gratias Deo*. Formam hodie habemus qua usus est in sua passione [39] *Polycarpus*. [40] *Ignatius* tunc se fore Christi discipulum professus est si pro Christo pateretur, & vero admodum solicitus erat ne vel piorum *precibus*, vel *Dei* etiam *miraculo* à ferarum faucibus eriperetur. Deum consuluit per *Perpetuam* frater, *passio futura esset*, *an commeatus?* Ita metuebant illi ne corona illa martyrii excideret. Sed infinitum esset exempla congerere. Id unum satis est quod diu est ex quo observavit [41] *Sulpitius Severus*, avidius expetita esse ea ætate *martyria* quam postea *Episcopatus*. Accedit præterea quod quo *sævius* esset *martyrii genus* cruciatibusque ingeniose excogitatis onustius, eo adhuc *ambitiosius* ambiretur. Grandia sunt illa & vere generosæ indolis plenissima quæ scripsit ad *Scapulam* Tertullianus: [42] *Sed majora certamina majora sequuntur præmia. Crudelitas vestra gloria est nostra. Vide tantum ne hoc ipso quod talia sustinemus, ad hoc solum videamur erumpere, ut hoc ipsum probemus, nos hæc non timere, sed ultro vocare.* Aliæ itaque quærendæ causæ altiores, & *martyrio* propriæ, cum in eo *propria* quædam eluxerit *Christianorum* fortitudo.

§. XIX. *Futuræ* imprimis *vitæ præmia* expectabant ingentia. Nec immerito quidem illi. Pollicitus enim est in Scriptura Deus mercedem hujus vitæ passionibus dignissimam, quin illas infinito potius intervallo *superantem*. Ita enim Apostolus: [43] *Existimo quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Sed quæ passim habentur in sacro codice huc spectantia, ea quibusvis obvia sunt. Nos ea potius hic colligenda suscepimus quæ *primævi Christiani* de *futura* illa *mercede* senserint, vel saltem è *Scriptura* collegerint. Illud itaque imprimis *martyrum* proprium crediderunt, quod *recta* illi *Dominum* à morte peterent, nec in *exteriori* illo *atrio* atque *animarum vulgarium* communi receptaculo *diem judicii* cum reliquis expectarent, nedum illius *ignis* quo *mundus* universus esset conflagraturus, & quo animæ reliquæ expiandæ essent, *purgatione* opus haberent. Huc spectat locus *Cypriani* celeberrimus: [44] *Aliud est, ad veniam stare, aliud ad gloriam pervenire: Aliud missum in carcerem non exire inde, donec solvat novissimum quadrantem; aliud statim fidei & virtutis accipere mercedem: aliud pro peccatis*

[32] Lib. I. v. 456. [33] Lib. III. c. 2.
[34] *Diodor. Sic.* Biblioth. L. V. p. 212. *Græc.*
[35] De bello *Gal.* L. VI. c. 14.
[36] Edit. V. Cl. Is. Vossii L. I. c. 2.
[37] Polyhist. c. 16. [38] *Tacit.* Hist. L. V.
[39] Apud *Euseb.* Hist. Eccles. IV. 15.
[40] *Ignat.* Ep. ad *Rom.* [41] *Sulp. Sev.* Hist. Sacr. L. II.
[42] *Tert.* ad *Scap.* c. 4. 5. [43] Rom. VIII. 18.
[44] Ep. LII. ad *Anton.*

catis longo dolore cruciatum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia paſſione purgaſſe: aliud denique pendere in die judicii ad ſententiam Domini; aliud ſtatim à Domino coronari. Verba illa, *ſtatim accipere mercedem, ſtatim à Domino coronari*, id plane innuunt quod diximus, *moram* eſſe *nullam* inter cædem martyrum eorundemque *mercedem*. Qui ita cenſuerunt, id inde collegiſſe videntur quod *moram* illam omnem ſolius *expiationis* cauſa à Deo conſtitutam exiſtimaſſent. Ut proinde qui nihil haberent *expiandum*, eorum *nulla* futura eſſet in eo expiationis loco *mora*. Quod porro *nihil* in martyribus *purgandum* ſuperaſſe crederent, exinde collegerunt, quod ſecundo *martyrii baptiſmo* illam quoque *baptiſmi virtutem* tribuerent, quod *peccata* eo penitus *expiarentur*, de quo ſtatim plura. Cum vero *expiationis futuræ* dolorem longe graviorem crederent quantocunque *martyrii dolore*; quis eſt qui non videat quam hoc eſſet illos incitaturum ad quantoſvis *martyrii dolores* animoſe perferendos?

§. XX. Hæc illi *ſtatim* à morte crediderunt *martyribus* reſervata eſſe præmia. Erant & alia, quæ ut *aliis* quoque *juſtis* crederent communia, ita tamen communia crediderunt ut proprio quodam ſuo jure *martyres* in communi mercede *eminere* crederentur. Imprimis illorum *precibus* è Deo conceſſum crediderunt quod *properatum* ab eo eſſet in reddendis futuræ vitæ præmiis, quod *perſecutionum* tempora contraherentur. Tantam prænunciat Dominus ſupremorum temporum tribulationem, ut [45] *niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro. Electis* tamen dandum pollicetur *quod eſſent breviandi.* Qui illi eſſent *electi*, diſcimus ex [46] *Apocalypſi*. Quod enim *vindicta* tandem retribueretur illis qui martyrum *ſanguinem* effudiſſent, id non aliorum quam ipſorum *martyrum precibus* impetratum legimus, eorum ſcilicet quorum *animæ ſubtus altare*, victimarum ritu, *jacuiſſent*. Cum enim *ſanguinem* omnem *vocalem* repræſentet S. Scriptura, tum vero illum præcipue qui *juſtorum*, & in cauſa *juſtitiæ* fuiſſet effuſus. *Piaculum* contrahebat *terra* univerſa *ſanguine* innoxio contaminata, nec in *Judæorum* modo moribus, ſed etiam in *Gentilium*, *Græcorum* præſertim, hiſtoriis *exempla* occurrunt frequentiſſima. Quod certe ipſum *piaculum* eo *ſceleratius* eſſe oportuit atque funeſtius, quo *ſanctiores* ipſi & in *cauſa ſanctiori*, fuiſſent occiſi. Ergo *martyrum precibus* concedendum crediderunt, quod & *pœna* infidelium, & juſtorum in *millenni* regno *præmia* eſſent properanda. Jam in *millenni regno primam* fore *reſurrectionem corporum* crediderunt primævi *Chriſtiani*. Et ut *juſtorum* propriam eam crediderunt reſurrectionem, ita *martyrum* in ea portionem longe eſſe præcipuam. Ut huic ſententiæ faverit *Apocalyptes*, jam ſuperius oſtendimus. De πεπελεκισμένους διὰ τὴν μαρτυρίαν Ιησοῦ agit in eo loco *Apocalyptes*, non πεπωλημένους, ut male codex *Alexandrinus*. Conſentiunt enim hic cum *vulgata Græci* codicis lectione non *antiqui* modo *codices* plerique, ſed & *verſiones*. *Vulgata* imprimis, & vulgata *antiquiores* illæ *Cypriani* quoque noſtri atque *Tertulliani*. *Gladio* enim aut *ſecuri* pro more *Romanorum* in primævos *martyres* animadverſum eſt à præſidum *lictoribus*, cum ad *cruciatus* nondum eſſet crudelitas *Romana* progreſſa. Ita enim ad *Scapulam Tertullianus:* [47] *Nam & nunc à præſide legionis, & à præſide Mauritaniæ vexatur hoc nomen, ſed gladio tenus, ſicut & à primordio mandatum eſt animadverti in hujuſmodi.*

§. XXI. His itaque πεπελεκισμένοις vel *ſolis*, vel ut dixi *præcipue*, tribuit *Apocalyptes*, quod & eorum *corpora* eſſent in *prima* illa *reſurrectione* revictura, ipſique una cum *Chriſto* regnaturi. Aliorum certe non meminit. Unde facile colligimus quam pronum eſſet ut *Apocalypten* ita intelligerent *primævi* illi *Chriſtiani* plerique *millenarii*. Sane huc ſpectare videbatur locus *Sap.* V. quem ad *martyres* retulit *noſter martyr*, quem certe librum ut in *Canonicis* non recenſuerint, *auctoritati* tamen ejus *Eccleſiaſticæ* certum eſt multum illos ſcriptos tribuiſſe. Hæc cum ita *crederentur*, dici nequit quantum *martyres* illius *ætatis* martyrii ſtudio inflammarint. Nec enim illi, quod nos facimus, *ſpem* illam *beatæ reſurrectionis* futuram duntaxat *è longinquo* ſpeculabantur, ſed ὡς ἐν τάχει, ut loquitur *Apocalyptes*, nec ultra ſuam *ætatem* prorogandam crediderunt. Cum enim quæ *prophetæ* de ἰσχάταις ἡμέραις prædixerant, illi ad *Evangelium* rectiſſime retuliſſent, facilis inde erat erroris occaſio ut poſt *Evangelii* tempora brevi mundum *finiendum* exiſtimarent.. Proinde Dominum ipſum ante paſſionem conſulebant [48] diſcipuli, de ſigno *adventus* ſui & *conſummationis ſeculi* quam συντέλειαν appellabant *Platonici*, & *Ægyptii Hermetis Triſmegiſti* diſcipuli, & ἀποκατάστασιν, quorum etiam vocabula adhibuerunt hac in cauſa N. T. Scriptores. Nempe intelligebant his vocibus illi, quos diximus, *philoſophi anni* ſui *magni* circulum quo ſphæræ omnes & ſtellæ ad eundem ſitum interque ſe aſpectum eſſent redituræ. Tunc enim nova omnia etiam in hoc inferiori mundo reditura credebant quæ antea *ætate aurea*, prioris nempe circuli *initio* extitiſſent. Et, quod propius ad hanc *Chriſtianorum* cauſam ſpectabat, credebat [49] *Plato* novi circuli *initio* λόγον eſſe mundi gubernaculo præficiendum, & *bona* omnia quæ ætatem illam auream comitarentur, *ejus* eſſe præfecturæ tribuenda. Nihil certe aliud voluiſſe *Heſiodum* oſtendit doctiſſimus *Heinſius* in eruditiſſimis ſuis ad *Heſiodum* prolegomenis, quem & *Cumæi carminis* nomine denotat imitaturque *Virgilius*. Et tamen *Virgilium* tanquam ſibi ὁμόψηφον ad ſuas partes traxerunt primævi *Chriſtiani*. Inde intelligimus quam recte, & pro horum quoque dogmatum tenore Chriſtus Dominus, qui λόγος idem fuerit, etiam ἀρχων μέλλοντος αἰῶνος fuerit appellandus. Intelligimus præterea quam è *Gentilium* pariter principiis quibus aſſueverant primævi *Chriſtiani* è *gentibus* oriundi, pariter ac *Judæorum* de *Meſſia* ſuo traditionibus, proni omnes fuerint ut *mundi finem* jam jamque affuturum exſpectarent.

§. XXII. Eam porro, undecunque illam collegerint, *Chriſtianorum* tamen *primævorum* fuiſſe ſententiam, abunde conſtat. Inde illud vulgi conſilium quo *regem* Dominum facturi erant, quod nempe *futuri*, ut dixi, *ſeculi principem* Meſſiam fore credidiſſent. Inde *Zebedæi* filiorum tanta illa ambitio qua locum ſibi primarium in conceſſu *regio* Meſſiæ apparabant. Inde diſcipulorum poſt reſurrectionem illa interrogatio: [50] *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël?* Inde *Emmauntem* proficiſcentium diſcipulorum illa: [51] *Nos autem ſperabamus quia ipſe eſſet redemturus Iſraël.* Et illa novaturientium querela, quos è profeſſo refellendos ſuſcepit S. *Petrus* Apoſtolus: [52] *Ubi eſt promiſſio aut adventus ejus? Ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeverant ab initio creaturæ.* De quibus & alius ille Gentium Apoſtolus: [53] *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum: ut non cito moveamini à veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per epiſtolam, tanquam*

45 S. Matt. XXIV. 22. 46 Apocal. VI. 10.
47 *Tertull.* ad *Scap.* c. 4. 48 S. Matth. XXIV. 3.
49 In Politico. 50 Act. I. 6. 51 S. Luc. XXIV. 21.
52 2 S. Pet. III. 4. 53 2 Theſſ. II. 1, 2.

quam per nos missam, quasi instet dies Domini. Idque ipsum in causa fuisse puto cur omnem illam de *temporibus* & *momentis* disputationem studiose amolirentur Apostoli: [54] *De temporibus autem* (inquit S. *Paulus*) *& momentis, fratres, non indigetis ut scribamus vobis.* Inde & illa disertissima *Domini* monita: [55] *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Vidit nimirum Dominus brevi fore qui ea ipsa de *temporibus* solicitudine ad *defectionem* à fide *Christiana* essent impellendi. Et cum orto illo errore scriberet S. *Lucas*, illud ipsum tam opportunum *Domini* monitum sua præsertim commemoratione dignum censuit, quo cœvis suis posterisque consuleret.

§. XXIII. Atqui sufficiebant, inquies, *Domini* hæc *Apostolorumque* adeo diserta testimonia ad opinionem hanc de *propinquo* mundi *fine* è *Christianorum* animis deinceps evellendam, neve temporum illi tam pernicioso studio incumberent. Sufficiebant omnino ad purgandam Christianæ fidei *veracitatem*, ne *illa* deinde *erroris* convicta putaretur, quem illi perperam curiosi homines è suis potius *conjecturis*, quam è certo aliquo *Christianæ* fidei testimonio collegissent. Constabat *ultimos* illos Evangelii *dies* de *mundi fine* propinquo intelligi non potuisse cum, ne oborto quidem errore illo, ab illis tamen *phrasibus* cavendum esse crederent in posterum. Et cum *ultimorum dierum unum diem*, pro idiomate Prophetico, *mille annis* æquiparari posse dicat S. Apostolus [56] *Petrus*: quis est qui non videat, illis testimoniis non obstantibus, quanto intervallo ætas *illa* potuerit à *fine mundi* sejungi. Nec tamen ita *errori* occursum quin & alii deinceps in eundem errorem impegerint. Cum scriberet ad *Corinthios Clemens Romanus*, erant qui hoc ipso errore de *fide* periclitarentur. In illos *Apocryphæ* cujusdam Scripturæ verba intorquet eodem plane facientia quo & illa quæ supra è S. *Petro* retulimus: παλαίπωροί εἰσιν οἱ δίψυχοι, οἱ διϛάζοντες ἢ ψυχῷ, οἱ λέγοντες, Ταῦτα ἠκούσαμεν ἐν ταῖς τῶν πατέρων ἡμῶν, καὶ ἰδοὺ γεγηρᾴκαμεν καὶ οὐδὲν ἡμῖν τούτων συμβέβηκεν. Eundem *Apocryphi* libri locum, quem & πιθανὸν λόγον appellat, retulit & secunda epistola quam *Clementi* tribuunt, antiquissima tamen illa ipsique *Clementi*, ut videtur, fere coæva, è quo intelligimus durasse etiamnum istiusmodi dubitatores. *Clementi* coætaneus fuit *Hermas* qui sibi de *temporibus* interroganti, & an jam futura esset consummatio? ita sibi responsum ait: *Quando consummata fuerit turris & ædificata, habet finem. Sed & cito consummabitur.* Lib. I. *Vis.* III.

§. XXIV. Post *Clementem* scripsit, ut existimo, Epistolam primam Apostolus *Joannes*, qui licet ipse non errarit, aliis tamen facilem *errandi occasionem* præbere potuit. [57] A *mundi* amore dehortatur ea potissimum usus ratione qua & alibi usus est Apostolus S. *Paulus*, quod *mundi bona* sint *transitoria*. Quod ita probat quia *hora jam adesset*, cum illa scriberet, *novissima*. Nempe *Antichristum* à *prophetis* accepissent *hora novissima* venturum, *hæreticos* autem ille sive *Pseudochristos* pro *Antichristis* habuit. Inde colligit *sua* jam *ætate horam* illam adesse *novissimam*. Quanquam autem satis esset ad *Apostoli* institutum quod *mundus transiturus* probaretur; inde enim facile infertur amorem nostrum in *æterna* potius esse convertendum: quanquam etiam ad illum *transitum* comprobandum satis fuerit, adesse *signa* quibus ad finem *propius* quam ad initia accedere probaretur, ut *mediam* saltem ejus *ætatem* fuisset egressus, quod verum esse potuit ut *milleni* aliquot anni ad *finem* usque restarent; inde tamen aliis in promtu erat ut *finem mundi* propius instare colligerent. [58] Ἔσχατοι καιροὶ λοιπὸν paulo postea scripsit *Ignatius*, ni illum pro *Apostoli* sententia potius intelligamus. Post illum quicunque partem hodiernorum oraculorum *Sibyllinorum* ante excessum *Marci* confinxit, is *finem mundi* sub *Marco* imperante prædixit. Unde etiam confirmatur *Blondelli* sententia de *Montanista* illorum auctore. Eodem enim, ut videtur, tempore prædixit similiter [59] *Maximilla Montanistarum* prophetissa, post se aliam nullam fore prophetissam, ἀλλὰ συντέλειαν. Eodemque fortasse referenda quæ habet sub *Christianorum* nomine auctor *Philopatridis*: ἀταξίαι καὶ παραχαὶ τὴν πόλιν καταλήψονται, τὰ τραπέδια ἥδονα τῶν ἐναντίων χρήσονται. Et πολέμους atque ἀκαταστασίας prædixit [60] *Maximilla*. Ad *veras* illas Domini *prophetias*, alludunt, ni fallor, ambo, quibus hæc inter signa συντελείας prænuncia recensentur πόλεμοι S. *Matt.* XXIV. 6. S. *Marc.* XIII. 7. & ταραχαὶ S. *Marc.* XIII. 8. Quibus & *Christianorum* quoque *persecutiones* adjunxerat proculdubio *Maximilla*, cum ex eo ipso illam falsitatis arguerit *Asterius Urbanus* quod *Christianis pax firma stabilisque permansisset*. Atqui *persecutiones* utrobique inter συντελείας σημεῖα numeravit Dominus. Ita itaque innuebant *Montanistæ* proximam esse συντέλειαν. Et sane quæ habentur, eo in dialogo, *prophetiæ*, stylum omnino potius *Montanisticum*, quam *catholicum*, sapiunt. Et *Celsi Luciano* coævi errores frequentissimi quibus ea *Catholicis Christianis* tribuit quæ solorum fuissent *hæreticorum*, faciunt omnino ne miremur si in simili etiam versetur errore *Lucianus*. Convenient etiam melius *Luciani* temporibus si de *Lucii* potius *Antonini* victoriis in *Persas* atque *Arabes*, quam *Trajani* ea intelligamus quæ in hujus dialogi fine legimus. Quid quod *Celsus* ille, quem diximus, horum, ut videtur, temporum scriptor *ejusdem genii* memoret *prophetias*, alienas certe à moribus *Catholicorum*, *Montanisticis* vero illis quam simillimas quarum specimina conservavit hodie nobis *Epiphanius*. Ea in utrisque nota similis occurrit quod pro *persona Numinis*, quo se mentirentur afflatos, utræque concipierentur. Unde etiam fortasse factum ut cum *personam Paracleti* repræsentarit in suis prophetiis *Montanus*, ipse *se* pro *Paracleto* venditare putaretur. Longe aliter *prophetæ Orthodoxi* tam V. quam N. T. *Deum* illi in *tertia persona*, se vero à Deo missos duntaxat exprimunt.

§. XXV. Porro *preces* Ecclesiæ pro *mora finis* memorat [62] *Tertullianus*. Quorsum illud ni *finis* in *propinquo* ab *Ecclesia* etiam crederetur? *Antichristum jam instare* scripsit de fug. in persec. c. 12. Ad decimum *Severi*, quo anno persecutionem concitatam ostendimus, *Danielis hebdomadas* deduxit [63] *Judas* scriptor eorum temporum, quo etiam tempore decantatissimum *Antichristi* adventum imminere existimavit. Ita vehementia persecutionis nonnullorum animos fuisse perturbatos observavit *Eusebius*. Ad *finem mundi* jam *proximum*, ut existimabat, hæc omnino spectabant omnia, tam *adventus Antichristi* quam etiam *persecutio*, ut ostendimus, nempe inter *signa* συντελείας recensita. Jam *Cypriani* tempore quam *propinquum* crediderint *mundi finem*, multa sunt quæ manifestum faciunt. *Antichristum* & illi *instare* crediderunt.

[54] 1 Thes. V. 1. [55] Act. I. 7.
[56] 2 Petr. III. 8. [57] *Clem. Rom.* ad *Cor.* n. 23.
[58] 1 Joan. II. 17, 18. [59] *Ignat.* Ep. ad. *Eph.* n. II.
[60] Ap. *Epiphan.* Hær. XLVIII. n. 2.
[61] Ap. *Euseb.* Hist. Eccles. V. 16.
[62] *Tertull.* Apol. c. 39.
[63] Ap. *Euseb.* Hist. Eccles. VI. 7.

runt. [64] *Decium majorem metatorem Antichriſti* appellat *Lucianus*, metaphora à re *caſtrenſi* deducta. Quem cum ad locum *metator* præceſſerat eo brevi ſecuturus exſpectabatur *Imperator*, præſertim ſi *major* ille fuerit, ceteris nimirum metatoribus *præfectus*. De *Galli* perſecutione ita ipſe *Cyprianus*: [65] „Illorum flenda & „lamentanda conciſio eſt, quos ſic diabolus excæ„cat, ut æterna gehennæ ſupplicia non cogitantes, „Antichriſti jam propinquantis adventum conentur „imitari. Rurſus ad *Thibaritanos* ita: [66] Scire enim „debetis, & pro certo credere ac tenere, preſſuræ „diem ſuper caput eſſe cœpiſſe, & occaſum ſeculi „atque Antichriſti tempus appropinquaſſe, &c. Ite„rum: Quæ nunc omnia conſideranda ſunt nobis, „ut nemo quidquam de ſeculo jam moriente deſide„ret, &c. Nec quiſquam miretur perſecutionibus „nos aſſiduis fatigari, & preſſuris angentibus fre„quenter urgeri, quando hæc futura in noviſſimis „temporibus Dominus ante prædixerit, *&c.* Neque „aliquis ex vobis, fratres dilectiſſimi, futuræ per„ſecutionis metu, aut Antichriſti imminentis ad„ventu ſic terreatur, ut non Evangelicis exhorta„tionibus & præceptis ac monitis cœleſtibus ad om„nia inveniatur armatus. Venit Antichriſtus, ſed „& ſupervenit Chriſtus. Et ad *Cornelium* de *No„vatiano*: [67] Agnoſcitne jam qui ſit ſacerdos Dei? „quæ ſit Eccleſia & domus Chriſti? qui ſint Dei „ſervi, quos diabolus infeſtet? qui ſint Chriſtiani, „quos Antichriſtus impugnet? Ad *Lucium*: [68] Im„minente Antichriſto paret ad prœlium milites non „ſolum ſermonis & vocis incitamento, ſed fidei & „virtutis exemplo. De *Baſilide* & *Martiali* lapſis ad *Hiſpanos*: „[69] Prænunciata ſunt hæc futura in ſe„culi fine, & Domini voce atque Apoſtolorum con„teſtatione prædictum eſt, deficiente jam mundo „atque appropinquante Antichriſto, bona quæque „deficere, mala vero & adverſa proficere. Non ſic „tamen, quamvis noviſſimis temporibus, in Eccle„ſia Dei aut Evangelicus vigor cecidit, &c. De uni„tate Eccleſiæ: Malum hoc, dilectiſſimi fratres, „jampridem cœperat, ſed nunc crevit ejuſdem mali „infeſta clades, & exurgere ac pullulare plus cœpit „hæreticæ perverſitatis & ſchiſmatum venenata per„nicies, quia & ſic in occaſu mundi fieri oportebat, „prænunciante per Apoſtolum nobis & præmonente „Spiritu Sancto: In noviſſimis, inquit, diebus ade„runt tempora moleſta, &c. Paucis interpoſitis: „Adimplentur quæcunque prædicta ſunt, & appro„pinquante jam ſeculi fine, hominum pariter actem„porum probatione venerunt. In libro adverſus *De„metrianum* id fere agit ex profeſſo ut *mundi ſenium* probet & *propinquum* ejus *finem*. Nec aliter in libro de idolorum vanitate: „Nec non Deus ante prædi„xerat fore, ut vergente ſeculo, & mundi fine jam „proximo, ex omni gente, populo & loco cultores „ſibi allegeret Deus multo fideliores, & melioris ob„ſequii, *&c.*

§. XXVI. Eodem ſpectant & illa, in libro de *mortalitate* quibus *peſtilentiam* illam, *bellum*, *famem*, &c. è dictis Domini S. *Luc.* XXI. *noviſſimis temporibus*, *& regno Dei jam proximo* aſſignat. Et de proxime futuris perſecutionibus illa: „Excedunt ecce „in pace tutæ cum gloria ſua virgines, venientis An„tichriſti minas & corruptelas & lupanaria non ti„mentes. Poſtea ait, Coronare jam mundum, & „malorum infeſtantium turbinibus obſideri. Pauciſ„que rurſus interpoſitis: Mundus ecce nutat & la„bitur, & ruinam ſui non jam ſenectute rerum, ſed „fine teſtatur. Librum *de exhortatione martyrii* ita „exorditur: Deſideraſti, Fortunate cariſſime, ut „quoniam perſecutionum & preſſurarum pondus in„cumbit, & in fine atque in conſummatione mundi, „Antichriſti tempus infeſtum appropinquare nunc „cœpit, ad præparandas & corroborandas fratrum „mentes de Divinis Scripturis hortamenta compone„rem, quibus milites Chriſti ad cœleſte & ſpiritale „certamen animarem. Et quidem in primis perſecutionibus id omnium commune ut *perſecutores* omnes pro *Antichriſtis* haberentur, quæ etiam opinio ad *quartum* uſque *ſeculum* deſcendit. Ita enim de *Conſtantio* etiam loquuntur qui ſub ejus *perſecutione* ſcripſerunt, *Athanaſius*, *Hilarius*, *Lucifer Calaritanus*. Una etiam deſcendit opinio de *propinquo* mundi *fine*, ut è *Juliano Pomerio* conſtat; & *Bedæ* epiſtola ad *Plegwinum*. Sed nos intra *Ethnicarum perſecutionum* tempora noſmetipſos continemus. Sub *decima perſecutione* vixit ſcripſitque *primam* Inſtitutionum *editionem* omnino *Lactantius*, qui ſui ſeculi de *mundi fine* ſententiam ita repræſentat: [70] „Completis annorum ſex „millibus, mutationem iſtam fieri oportere, & jam „propinquare illum ſummum concluſionis extremæ „diem, de ſignis quæ à prophetis dicta ſunt, licet „noſcere. Prædixerunt enim ſigna, quibus conſum„matio temporum exſpectanda ſit nobis in ſingulos „dies atque timenda. Quando autem compleatur „hæc ſumma, docent ii qui de temporibus ſcripſe„runt, colligentes ea ex Literis ſanctis, & ex variis „hiſtoriis, quantus ſit numerus annorum ab exordio „mundi: qui licet varient, & aliquantulum nume„ri eorum ſumma diſſentiat, omnis tamen exſpecta„tio non amplius, quam ducentorum videtur anno„rum. Quanquam itaque eſſent qui ſuis *ſummis chronologicis* de *ſex millibus* annorum 200. reliquos facerent, illi ſcilicet qui *Chriſtum* anno 5500. *natum* crediderunt (poſt 300. enim à *Chriſto nato* annum ſcripſit illa *Lactantius*) adeo tamen *incertæ* videbantur eorum rationes, ut *conſummationem temporum* in *ſingulos dies exſpectarent* atque *timerent*.

§. XXVII. Jam, ut minus *veræ* fuiſſent hæ *Chriſtianorum* opiniones, erant certe illæ animis ad *martyria* incitandis longe tamen *utiliſſimæ*. Id genus enim argumenta ſuppeditabant quæ, pro captu *vulgi*, eſſent accommodatiſſima. Imprimis non *ſpiritualia* duntaxat *præmia* captum illum ſuperantia, ſed etiam *ſenſibilia*, pro *millenni* ſaltem illo *Chriſti* in *terris* regno, proponebant. Tum nec illa ipſa præmia ſenſibilia admodum *remota*, quæ, quo *remotiora* putantur, eo *difficilius* impellunt ingenia *ſenſibus* addicta. Hæc autem cum *hujus vitæ* delicias omnes longo intervallo ſuperare crederentur, *prope* etiam & præ foribus & jamjam adfutura ſperabantur. Ægre admodum quempiam *ita* ſenſibus addictum reperies quin in *lucro* ponendum exiſtimet ſi *voluptates* cum *dolore* permiſtas cum *finceris*, ſi *minores* cum *majoribus*, ſi *breves* admodum & mox perituras cum *æternis* permutare poſſit & minime caducis, ſi præſertim *mora* quoque *breviſſima* fatiganda ejus & probanda fuerit exſpectatio. Et tamen eo etiam accedebat quod, ut ea *futura præmia* quo *propiora*, eo etiam *majora* viderentur; ita viciſſim *illæ* quibus interim fruerentur *terrenæ delicie*, quo *breviores*, eo viderentur eſſe *minores*. Longe autem *breviſſimas* illas repræſentatura erat hæc opinio de *propinquo* mundi *fine*. Propria erant *natura* breves & ætatis incertæ, & tamen eam ipſam brevitatem *nativam* correptura erat brevioremque factura *propinqua* mundi *conſummatio*. Cur enim

[64] *Lucian.* ad *Celerin.* Ep. inter *Cyprianicas* XXII.
[65] Ep. LV. ad. *Cornel.* [66] Ep. LVI.
[67] Ep. LVII. [68] Ep. LVIII. [69] Ep. LXVIII.
[70] Div. Inſt. VII. 25.

enim illi divitiis cumulandis, cur perituris honoribus ſtuderent, cur voluptatibus undequaque conquirendis; cum eſſent vel in ipſo fortaſſe *conatu* ad *judicium* rapiendi? Cur poſterorum curam foverent ullam, aut longas ingenteſve ſpes producerent, ne una equidem ætate duraturas? Ipſa illa ſpei *incertitudo* magna reprimebat omnino molimina. Id certe apud *voluptuarios* effectura erat ut ne *labores ingentes* tam *levi mercede* crederent eſſe tolerandos; id certe ut tam *fragiles* ne *tantæ* haberentur in ipſa etiam *fruitione* deliciæ? Quæ cum ſtudium *terreſtrium bonorum* ita imminuerent, etiam apud homines alioqui *delicatos*, nec ullo vitæ durioris inſtituto à *terreſtrium* rerum ſtudio alieniores; at vim certe *æmulam* adhuc magis imminuebant qua viderentur tantis illis *futuræ vitæ* voluptatibus jamjam adfuturis anteferendæ. Tandem & *futuræ* vitæ *ſupplicia*, illa proculdubio *ſenſibilia*, quo *propinquiora*, eo etiam magis *metuendæ* videbantur. Eſt hominum indoles *metus* quam *ſpei* plerunque capacior, rerum *novarum* ſtudioſa, *futurorum* bonorum ut *appetentior*, malorum itidem *futurorum* magis *meticuloſa*, ſi præſertim & *gravia* illa ſint, & *certa* & prope *imminentia*. Ita fieri neceſſe erat ut qui *propinquum* mundi *finem* quotidie expectarent, illis præſentiſſimum lapſus crederetur imminere ſupplicium.

§. XXVIII. Sed eo redeat unde deflexit oratio. Poſt illa *martyrum*, quæ dixi, in *millennio* præmia, ſecutura credebatur *mundi conflagratio*. Una etiam mortuorum ſecunda illa *reſurrectio*, *impiorum* præcipue, & *juſtorum* fortaſſe nondum penitus defæcatorum. Hic novum rurſus credebatur *martyrum* privilegium quod communi illo *orbis incendio* ſoli fortaſſe, vel cum paucis admodum ſociis, minime læderentur. Id ipſum innuunt *martyris noſtri* verba ſuperius recitata. Cum enim dicat, *In die judicii pendere alios ad ſententiam Domini*, conſentaneum eſt ut & *ignis* ille, cujus meminit, non ſit utique de *alio* quam de illo *conflagrationis* intelligendus. Is enim eſt quem *judicii* comitem adjungunt veteres. Nec enim veriſimile eſt ſenſiſſe illos tantum illud incendium ſubito eſſe extinguendum, ne locum in eo habere poſſit *Cypriani* illa *diutina purgatio*. De alio equidem non intellexit qui *Cypriani* erat fortaſſe conterraneus Lactantius: [71] *Tum quorum peccata* (inquit) *vel pondere, vel numero prævaluerint, perſtringentur igni, atque amburentur. Quos autem plena juſtitia & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non ſentient. Habent enim aliquid in ſe Dei, quod vim flammæ repellat ac rejiciat. Tanta vis eſt innocentiæ, ut ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accipit à Deo hanc poteſtatem, ut impios urat, juſtis obtemperet. Plenam* enim *martyrum* fuiſſe *juſtitiam* conſtabit ex iis quæ de veterum ſententia ſumus infra trafturi. Eo autem hæc ordine diſponuntur à *Lactantio*; primo ut præcedat *incendium*; tum ut *animæ* corporibus deſtitutæ excitentur; deinde ut *recta* per incendium *illæſæ* cœlum petant *juſtorum perfectorum* animæ, cum *corporibus* quæ in *priori* illa *reſurrectione* recepta eſſent; *imperfectorum anima* tamdiu conflagrarent dum *corporeorum* affectuum fæcibus penitus fuiſſent purgatæ: inde *corporibus* ſuis *ſecunda reſurrectione* veſtirentur, *recta* & *illæ* cœlum deinde petituræ. Quorum autem *animæ* prorſus eſſent *inſanabiles*, nulla ut *incendii* poſſent *expiatione* defæcari, nulla eſſet eorum in *utravis reſurrectione* portio, ſeu *corpora* nunquam recepturæ eſſent, ſeu in *pœnam* duntaxat recepturæ, ut proinde *talis* corporum receptio ne nomine quidem *reſurrectionis* digna eſſet exiſtimanda. Porro tantam cenſuerunt hujus *incendii* pœnam, ut quantuſcunque *hujus vitæ* cruciatus ei longe eſſet anteponendus. Receptis denique in *cœlum martyribus* majora & in *gloria* præmia repoſita eſſe cenſebant quo fuerant & in *paſſionibus* illuſtriores. Illum *gloriæ* gradum ut *aureolæ* nomine *ſcholaſtici*, ſic & veteres *coronæ* nomine denotabant. Adhibebant & illam Domini ſimilitudinem qua vulgarium juſtorum præmia *trigeſimo* fructui contulit, virginum *ſexageſimo*, martyrum *centeſimo*. Tanto majora credebantur *martyrum*, quam *vulgarium juſtorum*, præmia, quanto proportionem *triceſimam* ſuperat *centeſima*.

§. XXIX. Hæc futura putabantur *martyrum* præmia. Erant & alia *hujus* quoque *vitæ*, quæ quo propiora erant & magis in proſpectu, eo erant *martyrii* ſtudium ardentius inflammatura. Quæcunque enim haberentur in Eccleſia *media* quibus homines Deo grati redderentur, eorum omnium *vicem* unum crediderunt ſuſtinere *martyrium*, & quidem ita ſuſtinere ut & eadem præſtaret *beneficia*, gradu tamen præſtantiora. Imprimis *Baptiſmi* vicem illi tribuebant, de qua plura proxima Diſſertatione trademus. Tum & *Euchariſtiæ*. Huc ποτήριον σωτηρίε, de quo Propheta Regius, huc & Domini ποτήριον quod & ipſe bibiturus, & filiis *Zebedæi* propinaturus, retulit *Origenes*, & ante *Origenem* poculum Domini [72] *Clemens Alexandrinus* præceptor *Origenis*, ne alios commemorem perſecutionibus primævis recentiores. Nempe ad *libationum* morem alluſum eſt quo *vini* poculum in vulgaribus etiam *ſacrificiis* adhiberi ſolebat, quo aptius convenire potuit in *ſacrificium* Domini *Euchariſticum*. Hæc *vini* libatio ipſa erat σπονδὴ qua *pacta* eſſent, de *pace* inter *hoſtes* ineunda, procuranda. Ita factum ut *pacta* de *pace* inter Deum hominesque non tam *ſacrificiis cruentis*, quam illis potius *vini libationibus*, tribuenda viderentur. Ita *Euchariſticis* Chriſtianorum *ſacrificiis incruentis*; ita & *martyrum cruentis*, optimo jure congruebat, ſi vel *ſanguinis* ulla eſſet neceſſitas agnoſcenda. Longe enim magis pactis *humanis* pacifcentium *ſanguis*, quam *beſtiarum*, erat accommodatior, quod ipſis *gentium* ſacrificiis *humanis* confirmat [73] *Tertullianus*. Quanquam autem ea *ſanguinis* emiſſio, quæ *vita* conſtitura erat, rarior eſſet fortaſſis; at ea certe quæ vitam non adimeret, longe adhuc erat in *pactis* frequentior, ut facile probare poſſemus ſi id eſſet agendum ex profeſſo. Ita conſtat, ut σπονδῶν nomen *liquidorum* præcipue *ſacrificiorum* erat proprium, ita inter *liquida*, *ſanguinem*; inter *ſanguines*, *humanum*, fuiſſe præcipuum. Proinde ne à Scripturarum equidem moribus alienæ erant hujuſmodi locutiones. [74] *Obſecro itaque vos, fratres*, (inquit Apoſtolus) *per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem*, quæ huc retulit [75] *Cyprianus*. Λογικὴ λατρεία, cujus meminit S. *Paulus*, ad λατρείαν, *templi* nimirum *ſacrificia* quibus ſe extulerunt præ aliis hominibus *Judæi*, referenda. Cum itaque hoc *noſtri corporis* ſacrificium λογικὴ λατρεία dicitur, in eo illud *Judæorum* ſacrificiis prætulit Apoſtolus, quod hoc *noſtrum ſacrificium* ſit *myſticum*. Ita enim alibi λογικὸν γάλα *lac myſticum*, & in aliis *myſticis* ſcriptoribus, *Philone* præſertim & *Clemente Alexandrino*. Cum itaque *ſacrificium* hoc appellat Apoſtolus, id plane innuit, eadem omnino beneficia expectare poſſe *Chriſtianos* ab hoc *corporum* ſuorum ſa-

71 *Lact.* Div. Inſt. VII. 21.

72 Exhort. ad martyr. p. 188. 189. &c. Tract. XII. in Matth. *Clem. Al.* Pædag. L. I c. 6.

73 Ad martyr.

74 Rom. XII. 1.

75 Ep. LXXVII. & de exhort. mart. c. 8.

ſacrificio quod ſolebant *Judæi* à ſuis beſtiarum *ſacrificiis*. Cum vero *myſticum* præterea illud *ſacrificium* agnoſcit, tanto jam *ſolidiora* ejus atque *certiora beneficia* pollicetur, quanto *myſtica* erant atque *Archetypa ectypis* in *virtute* anteferenda. Quod voce etiam ὑπερέξει ſatis aperte ſignificavit. Ad *ſacrificia* enim pertinet in idiomate *Helleniſtico*. De *Abele* obſervavit auctor ad *Ebræos*, [76] ὑπεροχηκέναι τῷ θεῷ, propter πλείονα nempe θυσίαν. Sed hæc (inquies) de *vivente* corporis *ſacrificio* intelligenda ſunt. At cum illa *corporis* oblatio *Deo* jus permittat ut pro ſuo prorſus arbitrio de nobis diſponat; non eſt quod dubitemus quin de *jure noſtro* eo magis cedamus quo ad *mortem* propius accedimus. Id certe in laudem Domini noſtri qui erat ὁ πιστὸς μάρτυς, *martyr* viz. *Archetypus*, recenſuit Apoſtolus quod ὑπήκουσεν ἕως θανάτου. At cum alibi Apoſtolus ita ſcribit, [77] ἤδη σπένδομαι, καὶ ὁ καιρός τῆς ἐμῆς ἀναλύσεως ἐφέστηκε, nemo eſt quin de *martyrio* ejus intelligat. Inde *Saturus* ſanguinem ſuum moribundus *aſperſit*, plane pro more *libationum*, quod & *Senecam* præſtitiſſe auctorem *Tacitum* habemus.

§. XXX. Cum itaque *ſacrificii* apud *Chriſtianos* vicem impleat *Euchariſtia*, facile intelligimus *Euchariſtiæ* vicem implere poſſe *martyrium*. Ita certe credidit noſter [78] *Cyprianus*, cum hac ipſa ratione ſuos confeſſores conſolatur de eo ipſo ſolicitos quod facultas non daretur *offerendi* & *celebrandi ſacrificia Divina*. Nec *ſacrificii* modo, ſed etiam *altaris*, vicem præſtitit martyr [79] *Lucianus*, cum in carcere *Euchariſtiam* in ſuo *pectore* conſecraret. Et ne *nominum* ſolam hanc fuiſſe communitatem ſuſpicemur, utriuſque ſacramenti *officium* præſtare *martyrium* credebatur. Eo utraque collimare alibi oſtendimus ut nos Deo quam arctiſſime *uniant*, inde reliqua eorum emanare *beneficia*. Hoc autem ipſum *martyrio* tribuebant *primævi Chriſtiani*. Ita Hermas: [80] *Qui vero de profundo trahuntur, & imponuntur in ſtructuram, & conveniunt commiſſuræ eorum cum ceteris lapidibus, qui jam ædificati ſunt, ii ſunt qui jam dormierunt, & paſſi ſunt cauſa nominis Domini.* Id nempe primum *ſacramentorum* eſt officium, ut per ea *uniamur* cum *fratribus*, eſt & alia *Divinior unio* qua cum *Deo* omnes conjungimur, quam & ipſam *martyrio* tribuendam cenſuerunt. Ita enim ad martyres ſuos *Origenes*: [81] Αλλὰ ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, ἄξιοι γίνεσθε, καὶ ἓν ἡνῶσθαι ἅμα υἱῷ καὶ πατρὶ καὶ ἁγίῳ πνεύματι καὶ τὸ σωτῆρι δίχως λέγοντι ὡς ἐγὼ καὶ σὺ ἕν ἐσμεν, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ὦσι. Quæ tamen ita veteres intellexerunt, non ut diviſi ab *externa* Eccleſiæ *communione*, ſeu *Deo*, ſeu *Eccleſiæ*, per *martyrium* conjungerentur (nec enim *hæreticos* aut *ſchiſmaticos martyres* agnoſcebant) ſed quod hactenus in *voto uniti* penitius *unirentur* per *martyrium* ut cum *Catechumeni* aut *pœnitentes martyrio* coronarentur; vel quod illi qui in *externa* etiam *Eccleſiæ unione* jam fuiſſent admiſſi, *internam* tamen illam *utilioremque unionem*, ut per alia *bona opera*, ita etiam per *martyria*, conſummarent ſaltem atque perficerent.

§. XXXI. Id cum ita ſe haberet, non eſt proinde quod miremur ſi *unionis* illius *beneficia martyrio* concederent. Imprimis *peccatorum* omnium *remiſſionem*, nec eam talem qualis eſſe putabatur illa *pœnitentium*, *inchoatam* duntaxat & certis quibuſdam expiationis *gradibus* conſummandam, ſed qualis eſſet *recens baptizatorum*, ſuis numeris omnibus abſolutam *martyribus* tribuebant atque perfectam. Nec illi id immerito. Ita enim ſanctus *Apocalypſeos* ſcriptor; cum primum *martyria* in Eccleſia cœperunt eſſe frequentia: *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna; & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine.* Plane alludit ad *lotionem* aliquam quæ *propria* crederetur eorum qui de *tribulatione magna* venerant. Nec enim id à *ſcriptorum ſacrorum* more alienum eſt ut vim quandam *purgatricem* & *expiatricem tribulationibus* aſſignent. Ita *Malachias*: [82] *Et ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum.* Quam ibi purgationem Metaphora ab igne deducta repræſentarat *Malachias*, quid miremur ſi *liquido* item *elemento* tribuat *Apocalyptes*? Utrique enim elemento *expiationem* aſſignant ſcriptores *myſtici* qui uni illi *expiandorum* hominum ſtudio incumbebant. Siqua itaque *lotione* hæc peragenda erat *expiatio*, nulla tamen habebatur *efficacior* quam illa *ſanguinis*: ſiquo rurſus *ſanguine*, nullus tamen *ſanguis tribulationi* magis proprius quam qui in *martyrio* fuiſſet effuſus. Quod enim ad *externum* illum Chriſti *ſanguinem* attinebat, non ille *adverſarum* magis quam *proſperarum* rerum erat proprius; nec proinde *martyrum* quam *juſtorum* in hoc ſeculo florentium. Quod ſi ita hæc intelligas ut *externi* quoque illius *ſanguinis* propriam ſaltem *applicationem* concedas propter *propriam* eorum cum *Chriſto* in paſſione *conformitatem*, eodem plane redibit, nec admodum repugno, ſeu proprium *martyrum* ſanguinem Chriſto *uniendum* cenſeas, ſeu proprium *Chriſti martyribus applicandum*.

§. XXXII. Idem quod *Apocalyptes* ſcripſit auctor vetuſtiſſimus *Hermas* Apocalyptæ coævus. [83] „Qui„cunque (inquit) propter nomen Domini paſſi ſunt, „honorati apud Deum habentur, & omnium eo„rum deleta ſunt delicta, quia propter nomen filii „Dei mortem obierunt. Rurſus: Vos igitur, qui„cunque propter hoc nomen mortem obitis, Do„minum honorare debetis, quod dignos vos habet „Dominus, ut nomen ejus feratis, & omnia pecca„ta veſtra redimantur. In paſſione SS. *Perpetuæ* & *Felicitatis* cum *Saturus* uno morſu Leopardi tanto „perfuſus eſſet ſanguine, ut populus revertenti illi „ſecundi Baptiſmatis teſtimonium reclamaverit, ſal„vum lotum, ſalvum lotum: plane (inquit auctor) „utique ſalvus erat, qui hoc modo laverat. Ex quo intelligimus de quo *ſanguine* Apocalypten intellecturi erant illius ævi Chriſtiani. Tertullianus: „ [84] Quis non ubi requiſivit, accedit? ubi acceſſit, „pati exoptat? ut totam Dei gratiam redimat, ut „omnem veniam ab eo compenſatione ſanguinis ſui „expediat? omnia enim huic operi delicta donan„tur. Inde eſt quod ibidem ſententiis veſtris gra„tias agimus, ut eſt æmulatio Divinæ rei & hu„manæ, cum damnamur à vobis, à Deo abſolvimur. Alibi de eo ipſo, quem huc retulimus, *Apocalypſeos* loco: [85] „Hi ſunt, ait, qui veniunt ex illa preſſu„ra magna, & laverunt veſtimenta ſua, & candi„daverunt ipſum in ſanguine Agni: veſtitus enim „animæ caro. Sordes quidem baptiſmate abluuntur, „maculæ vero martyrio candidantur. [86] *Origenes* ubi varios modos recenſet quibus *remiſſionem peccatorum* conſequi poſſumus, ſecundum locum tribuit *martyrio*. Alium ejuſdem locum ſupra [87] retulimus locupletiſſimum, quo *martyrium* cum *Domini ſacerdotio* contulit, ita ut utrique *communem* faciat *peccatorum expiationem*, nec *ſuorum* modo *peccatorum*, ſed etiam *alie-*

76 Ebr. XI. 5. 77 2 Tim. IV. 6.
78 Ep. LXXVII. 79 *Philoſtorg.*
80 Paſt. L. I. Viſ. 3. 81 Exhort. ad martyr. p. 205.
82 Mal. III. 3. 83 Paſt. L. III. Similit. 9.
84 Apol. fin. 85 Scorpiac. adv. Gnoſtic. c. 12.
86 *Orig.* Hom. 2. in Levit. 87 Differt. VIII. §. 2.

alienorum. Retulimus & alios ejuſdem [88] *Origenis* locos ex *exhort. martyrii*, in quibus *martyres* exiſtimat *ſacerdotibus* ſuppares Ἀφεσιν ἀμαρτημάτων λαχονεῖν τοῖς δύχομένοις, quin & *redimi* quoſdam *ſanguine martyrum*, ut & *Chriſti* pretioſo ſanguine redimuntur. Alium equidem *Tertulliani* locum *Origeni* opponit [89] *Wetſtenius*, ſed jam *Montaniſtæ*, nec plane pro *Eccleſiæ* ſententia audiendi. *Omnem* enim *martyrum* oppugnat *alienorum* criminum *indulgentiam*, quam tamen *Eccleſiam* admiſiſſe manifeſtiſſimum eſt. Nobis interim abunde ſufficit, ne eo quidem ipſo in loco ita *alienum* ab Eccleſia *Tertullianum gratiam* tamen *martyrum* in *propriorum* ſaltem peccatorum *remiſſione* auſum eſſe negare. *Sufficiat* (inquit) *martyrio propria delicta purgaſſe.*

§. XXXIII. Noſtri autem martyris, quæ huc ſpectant, egregia ſunt omnino *martyrii* præconia. *Gehennæ ignes* martyrum ſanguine *ſopiri* docet. [90] *Fluebat* (inquit) *ſanguis, qui incendium perſecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioſo cruore ſopiret. Emere* præterea immortalitatem. [91] *Pretioſa mors hæc eſt quæ emit immortalitatem pretio ſui ſanguinis.* Mitto jam quæ paſſim obvia ſunt in hoc noſtro martyre de *pace* lapſis concedenda, unde conſtat ita *ſecuram* fuiſſe Eccleſiam de *propriorum* martyris *peccatorum remiſſione* ut ad *alios* etiam *martyrum* illam *indulgentiam* derivari poſſe conceſſerit. Neque refragatus eſt noſter, dum ſe *martyres* inter *regulas Domini* atque *Evangelii* continerent, utcunque *martyres* in ſuæ Eccleſiæ *diſciplina* ſenſerit infectos. Mitto & quod ſupra retuli teſtimonium ex Ep. ad *Antonianum*. Mitto & ſuſpecti auctoris *de laude martyrii* teſtimonia. Sed & alia mitto primævis perſecutionibus recentiora teſtimonia. Id enim unum ago impræſentiarum ut, quæ in *Gentilium* perſecutione eluxit, tam ſtupendæ *Chriſtianorum* fortitudinis rationes reddam. Non eſt autem illa ex *aliorum* quam *illorum*, receptis opinionibus deducenda.

§. XXXIV. Video interim fore ut *dura* hæc nonnullis videantur, & in *Chriſti* contumeliam ceſſura, ſi *purgari propria* martyrum *ſanguine* peccata dicantur; ſi *Chriſto* etiam in hoc *expiationis* officio conferantur *martyres*; ſi nec *ſua* duntaxat ſed & *aliorum*, *pœnitentium* imprimis, etiam *Eccleſiæ*, peccata eodem ſanguine *expiari* credantur; ſi pro *ſacrificiis expiatoriis* habenda ſint *martyria*; ſi *gratiam* Dei *redimere* dicantur, & quidem *proprii ſanguinis compenſatione*; ſi *immortalitatem emere*, idque *ſui ſanguinis pretio*; ſi & *gehennæ ignes glorioſo cruore ſopire.* Non hic facimus, quod faciunt plerique, ut quæcunque docent *veuſtiſſimi* Eccleſiæ ſcriptores à recentiorum placitis *aliena*, ea ſtatim pro *nævis* habeant & *erroribus*, nihil admodum ſoliciti, quoties aliter *locuti* ſunt, aliterne *ſenſerint*, & num in eorum *ſenſum* cadat illa, quæ videtur merita, *reprehenſio blaſphema* hæc omnino viderentur, nec minus à Dei *mente*, quam *honore*, aliena, ſi, quo *ſonant* ſenſu, eſſent *intelligenda*; ſi tanta hæc præconia de *humano*, quantivis pretii *ſanguine*, excluſo *Chriſto*, prædicarentur. Nos veterum patrocinium, pro virili noſtra ſuſcipimus. Meminerimus itaque inter beneficia *martyrii* à nobis ſuperius recenſita, etiam arctiſſimam illam fuiſſe cum *Chriſto* atque *Patre* ejus *unionem*. Inde factum ut excludi *Chriſtus* à *martyrio* non poſſet, quin eſſent potius omnia *Chriſto* cum ipſis *martyribus* in *martyrio* communia. Non tam itaque *martyribus*, quam *Chriſto* potius *in* martyribus, omnes illæ *paſſiones*, omnis illa *fortitudo*, omne *patientiæ meritum* erat pla-

ne tribuendum. Idque ipſum erat hujus *unionis* vel præcipuum, vel unicum fortaſſe conſilium, ut *communes* haberentur cum *Chriſto martyrum* paſſiones, & viciſſim cum *martyribus* communia *Chriſti* merita. Nec enim *otioſa* erat hæc *unio*, ut non ſolidi cujuſpiam in *lege beneficii* intuitu fuerit inſtituta; nec tanta tamen, quam ſomniant *Enthuſiaſtæ*, ut *phyſicam* naturarum diſcrepantiam eſſet abſorptura: Sed eo potius inſtitutæ conſilio, ut & *martyrum* paſſiones *Chriſti* propriæ in lege haberentur, & proinde *ipſis* etiam *martyribus* jus novum accreſceret, quo idem præmium illis eorum paſſionibus deberetur, quod, pro *pacti Evangelici* ratione, *Chriſti* eſſet *ipſius* paſſionibus perſolvendum. Eo certe ſpectant pleræque N. T. locutiones. Inde ipſe *Chriſtus* in *ſanctis habitare* dicitur & *vivere*. *Si autem Chriſtus in vobis eſt*, &c. Rom. VIII. 10. *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Chriſti:* 2 Cor. XIII. 3. *Chriſtus Jeſus in vobis eſt, niſi forte reprobi eſtis.* ℣. 5. *Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Chriſtus.* Gal. II. 20. *Chriſtus in vobis ſpes gloriæ.* Col. I. 27. Inde & eorum *membra* pro *membris Chriſti* habentur: *ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.* Rom. VI. 19. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis?* 1 Cor. VI. 15. Et ut ἐφορέσαμεν εἰκόνα *terreſtris Adami*, ita hortatur Apoſtolus ut φορέσωμεν (ita enim legunt MSS.) τὴν εἰκόνα τ̃ ἐπουρανίε 1 Cor. XV. 49. Nempe in *corpore*, eo enim fine hæc proferuntur ab Apoſtolo ut probet *reſurrectionem corporis.* Proinde idem alibi: δοξάσατε δὴ τὸν θεὸν ἐν τῷ σώματι ὑμῶν 1 Cor. VI. 20. Sed & hic φορέσατε in ſuis quibus uſus eſt codicibus *Græcis* legiſſe videtur *vulgatus interpres*, dum ita locum tranſtulit: *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Inde & *paſſiones corporum* noſtrorum *Chriſto* tribuuntur, ut dixi. *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Act. IX. 4. inquit ad Apoſtolum *Dominus*, cum tamen perſequeretur *Eccleſiam. Sicut abundant paſſiones Chriſti nobis; ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* 2 Cor. I. 5. *Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia.* Col. I. 24. Plane *paſſiones* in *carne* Apoſtoli eæ *Chriſti* reputantur; & quidem ita ut *ſupplerent* quæ forent aliter *Chriſti paſſionibus* defutura. Rurſus ita *Chriſto* imputantur ut ne *propriæ* eſſent S. *Pauli*, ſed toti etiam *Eccleſiæ* communes. Iterum: *Semper mortificationem Jeſu Chriſti in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.* 2 Cor. IV. 10. *Ego ſtigmata Domini Jeſu Chriſti in corpore meo porto* Gal. VI. 17. Hæc eſt κοινωνία τ̃ παθημάτων Phil. III. 10. 1 Petr. IV. 13. quod ſcilicet *paſſiones noſtræ* in cauſa *Chriſti* non ſint *nobis* propriæ, ſed cum *Chriſto communes.*

§. XXXV. Accedit porro quod in *noſtris*, pro cauſa *Chriſti*, paſſionibus eædem plane *argumentationes* in N. T. adhibentur, ut quæ *Chriſti* ipſius *paſſionibus*, pro novi fœderis ratione, debeantur, eadem & *nobis* ita patientibus poſſent vendicari. *Chriſtus* ipſe *ſuis* paſſionibus *gloriam* promeruit. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod* [Διὸ] *& Deus exultavit illum*, &c. Phil. II. 8, 9. *Videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum*, Ebr. II. 9. Ita nimirum de eo prædixerant V. T. Scripturæ: *De torrente in via bibet: propterea exaltabit caput.* Pſ. CX. 7. *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpo-*

[88] Hom. 10. in Num. [89] De pudicit. c. 22. [90] Ep. IX. [91] Ib.

ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, &c. Iſ. LIII. 12. Eadem prorſus habemus de *noſtris paſſionibus* argumenta: *Si tamen compatimur, ut & glorificemur.* Rom. VIII. 17. Ita & in loco jam ſuperius laudato 2 Cor. IV. 10. Rurſus: *Fidelis ſermo. Nam ſi commortui ſumus, & convivemus. Si ſuſtinebimus, & conregnabimus.* 2 Tim. II. 11, 12. *Sed communicantes Chriſti paſſionibus, gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes.* 1 Petr. IV. 13. Unde itaque *noſtris paſſionibus* vendicare poſſumus *Chriſti* mercedem, niſi promiſſa *Patris* & inita cum *Chriſto pacta* ad illas etiam pertinere cenſeantur? Hoc etiam unde niſi quia & *ipſæ* pro *Chriſti paſſionibus* habentur? Id ſi ita ſe habeat, quidni & *illis* prout *Chriſti* habentur, eadem *dignitas*, idem *valor* atque *meritum* accreſcat? Nec enim, ut ad *Chriſtum* referuntur, quicquam in ſe continent *imperfectum* quod cum *meriti* ratione pugnet. Quod *imperfectum* eſt id *noſtrum* eſt, nec ad *Chriſtum* alia ratione pertinere cenſetur quam ut *expiatur*, impediturque quo minus veniat in noſtras cum Deo rationes. Sed quod *Chriſti* nomine mercedem expoſcit, id *eadem*, qua *Chriſtus* uti ſolet, *ratione* expoſcere cenſendum eſt, quæ alia nulla eſt quam ipſa *operis dignitas*. Ita itaque *martyrii* beneficium in *martyrem* redundabit, ut nec deſit quod *homines* vere poſſit ad *martyrii* ſtudium accendere, nec ſit interim quippiam quo *Chriſti meritis*, quo *gratiæ*, vel minimum derogetur. Nec enim dubitabunt adverſarii quin quæ dixi omnia, vere ea *Chriſti* poſſint *meritis paſſionibuſque* accommodari. Quod nihil in *ſe* martyres eximium agnoſcerent; quod uni *Chriſto* omnia tribuerint: id ad *Chriſti* gloriam maxime ſpectabat, ſiquid poſſet è *martyribus* eximium elicere.

§. XXXVI. Recte itaque hæc, & pro vera *Scripturarum* ſententia poterant colligi. Dubitabit autem fortaſſe quiſpiam verene poſſit ad *ſcriptorum*, quos dixi, *Eccleſiaſticorum* mentem accommodari? Illi ſcilicet an non tam *martyrum*, quam *Chriſti* potius in *martyribus* operantis facinus *martyrium* agnoſcerent? Exemplis hoc conſtabit manifeſtiſſime. De *ſancto* martyre ita *Lugdunenſes* & *Viennenſes*: [92] ἐν ᾧ πάσχων Χριστὸς μεγάλας ἐπετέλει δόξας καταργῶν τὴ ἀντικείμενον ϗ εἰς τὴ τῶ λοιπῶν ὑποτύπωσιν, ὅτι μηδὲν φοβερὸν ὅπυ πατρὸς ἀγάπη, μηδὲν ἀλγεινὸν ὅπυ Χριστῦ δόξα. De *Blandina*: [93] μέγαν ϗ ἀκαταγώνιστον Ἀθλητὴν Χριστὸν ἐνδεδυμένη. Ideo *martyres* illi *Chriſto vero & fideli martyri* nomen *martyris* tribuendum cenſuerunt, quod *Chriſti* viribus, non *ſuis* tribuendum *martyrium* eſſe cenſerent. Id plane agnoviſſe *Felicitatem* jam ſupra vidimus, ut *aliam* omnino *Chriſti* virtutem in *martyrio*, quam in *partu*, expectarit, ut *ſuis* viribus cum *partus* doloribus congredi eam oporteret, *Chriſti* tamen fretam viribus in *martyrio*. *Cyprianus* noſter: [94] *Qui pro nobis mortem ſemel vicit, ſemper vincit in nobis.* Rurſus: *Ipſe luctatur in nobis, ipſe congreditur, ipſe in certamine agonis noſtri & coronat pariter, & coronatur.* Videant adverſarii ut *coronari* poſſit in *martyribus Chriſtus*, ni ipſum *martyrium Chriſto* in *martyribus* habitanti tribuendum eſſe cenſuerint.

§. XXXVII. Ita vidimus ut *martyrum* paſſiones *ſacrificii expiatorii* vicem poſſent ſuſtinere, nec pro *ſuis* modo, ſed pro *alienis*, etiam univerſæ *Eccleſiæ*, peccatis. Quod itaque *martyrum pacem* rogarent *lapſi*, ratam etiam haberent plerunque *Epiſcopi*; non id *martyrum meritis*, ſed vero *gratiæ* qua valebant apud *Chriſtum* concedebant. Cum enim ea *paſſionum merita* non *martyribus* ipſis, ſed ſoli *Chriſto*, ut dixi, tribuenda eſſent, nempe ipſis illis *paſſionibus*, non ut *martyrum*, ſed *Chriſti*, eſſent propriæ, convenirent: ſequebatur nec *meritum* illud *martyri*, nec *jus* illud meriti *diſtribuendi applicandive* competere. Et tamen revera competere debuit ſiquod meritum *martyris proprium*, ſiquod *Chriſti non proprium*, agnoviſſent. Nemo enim eſt qui neget *jus* ſuum eſſe cuique in *propriorum* bonorum *adminiſtratione*. Quod itaque omnem illam *martyrum pacem* à *Chriſto* nihilominus impetrandam eſſe cenſuerunt atque confirmandam; nec aliam ipſius *martyris*, in ea pace procuranda, virtutem agnoſcerent quam *gratiam*, quam dixi, illam qua valituram ſperarent ad *pacem* à *Chriſto* impetrandam; plane ſequitur nihil illos in hac tota cauſa ſenſiſſe quod *Chriſti* meritis injurium credi poſſet ſive contumelioſum. Progredior itaque ad *gratiam* illam explicandam qua præditos credebant *martyres* ad beneficia à *Chriſto* impetranda. Ut enim *unio* noſtra cum *Chriſto myſtica* ejuſdem plane generis eſt cujus *uxoris* illa cum *viro*, cui etiam confertur ab *Apoſtolo* Eph. V. ita & *jus noſtrum* ab ea *unione* oriundum ejuſdem generis fore conſentaneum eſt cum *jure uxoris* in *bona mariti*. Habet itaque *uxor jus* quoddam in *univerſa* mariti *bona*, præſertim ut *unam* cum *marito perſonam* in *lege* conſtituit; ſed *perſonale* duntaxat illud quo quæ ad propriam perſonam *neceſſaria* videbuntur omnia, ſine certo aliquo limite poteſt vendicare; non item *arbitrarium* quo poſſit in alios, *marito* refragante, transferre. Ad eundem plane modum *martyr*, propter *myſticam* illam, quam dixi, cum *Chriſto unionem*, ad omnia Chriſti *merita* atque *beneficia jus* obtinebit, quæ quidem ad *propriam* ſunt ſalutem neceſſaria; eo tamen *majus* quo ipſa *unio* arctior eſt atque intimior, & quo *res* ipſa ad propriam quandam *juris* ſui ſpeciem propius ſpectare videtur. Aliter foret ut *omnium juſtorum*, qui *myſtica* hac *unione* cum *Chriſto* conjunguntur, etiam *præmia* eſſent paria. Cum itaque hæc *unio* in eo ſit ſita quod *portemus Chriſti*, & quidem *patientis*, *imaginem* (quam omnes in *baptiſmo portamus* in quo nos cum eo *commori* & *conſepeliri* docet Apoſtolus) tum profecto illam ad vivum magis repræſentant *martyres* qui *mortem* etiam *corpoream*, de *facto*, pro ejus nomine ſuſcipiunt. Ita fiet ut & *unio* eorum *intimior* cenſenda ſit. Inde etiam oritur *juſtorum* inæqualitas, quod ut non *per opera*, at *ſecundum opera*, nemo eſt quin juſtos *judicandos* fateatur. Inde conſequetur, quibus *plura* & *meliora opera* imputantur, eorum etiam *majorem* fore *mercedem*. Quanquam itaque bona opera qua *bona*, *noſtra* non ſint, ſed ſolius *Dei*, eam tamen *gratiam* omnibus concedit Dominus, ut quibus uſus eſt in rebus gerendis *inſtrumentis*, eorum *rationibus* res ipſæ geſtæ *reputentur*. Ita & *martyrii meritum* ipſis *martyribus* accenſebitur, eo propenſiori *gratia*, quo magis *Dei auxilium* ad *martyrium*, quam ad alia *bona opera* neceſſarium eſt. Et cum ſummum *Chriſti meritum* in ejuſdem ſit *morte* conſtituendum, ſequitur & *ſummum* hominum *meritum* ſimiliter eſſe in *martyrio* ponendum. Cum itaque *martyribus* imputetur, pro Evangelico *Dei* cum *hominibus* commercio, *proprium* cujuſque *martyrium*, non eſt proinde diſſentaneum ut & *merita martyrii* ipſis etiam *martyribus* imputentur. Et cum *Chriſtus* ſua morte, ſuo ſanguine, *immortalitatem emerit*, *gehennæ flammas extinxerit*, &c. & *martyres* hæc feciſſe dicentur, cum præſertim, pro *myſtica*, quam dixi, *unione*, unam facere intelligantur *illi* cum *Chriſto* perſonam.

§. XXXVIII. Sed ut *uxor* bona *mariti* ſine *mariti* con-

[92] Ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. V. 1. [93] Ib. c. 2. [94] Ep. IX.

conſenſu, in *alios* transferre non poteſt; ita nec *martyres* ſui etiam beneficia *martyrii*. Et tamen magna eſt *uxoris* apud *maritum auctoritas* ad quidlibet facile impetrandum. Similiter & veteres magnam crediderunt *martyrum auctoritatem* apud *Deum*, ne repulſam facile paterentur. [1] *In magna* (inquit ad *Perpetuam* frater) *dignatione es, tanta, ut poſtules viſionem, & oſtendatur tibi.* Cui & illa, *fidens* Domini *repromiſſionibus, craſtina*, reſpondit, *die tibi renunciabo.* Tanta erat *moribundæ martyris* dignatio ut de *viſione* auderet ſpondere. Noſter martyr ad martyres *Moyſem* & *Maximum*: [2] „Quid enim petitis de „indulgentia Domini, quod non impetrare merea„mini, qui ſic Domini mandata ſervaſtis; qui E„vangelicam diſciplinam ſincero fidei vigore tenui„ſtis, qui incorrupto honore virtutis, cum præce„ptis Domini, & cum Apoſtolis ejus, fortiter ſtan„tes nutantem multorum fidem martyrii veſtri ve„ritate ſolidaſtis. Idem ad martyras in metallis conſtitutos: „[3] Plane quia nunc vobis in precibus effi„cacior ſermo eſt, & ad impetrandum quod in „preſſuris petitur facilior oratio eſt: petite impen„ſius & rogate, &c. Jam alibi oſtendimus quænam efficacia *martyrum precibus* exinde accreverit quod cum *ſacrificio* conjungi exiſtimarentur, & quidem cum *ejuſmodi ſacrificio* quod & *myſticum* eſſet, & *Deo acceptabile*, ut proinde ægre fieri poſſet quin *lutaret*. Quod ſi *auctoritatem* quandam his *precibus* neceſſariam putarent, ut pro *loci* dignitate audirentur; eam inde repetebant, quod & impræſentiarum *amicos Dei* illos crederent, & in futuro Chriſti regno atque judicio *aſſeſſores*. Ita noſter ad *Sergium*, *Rogatianum* &c. [4] „Ful„gebunt juſti & tanquam ſcintillæ in arundineto „diſcurrent. Judicabunt nationes, & dominabun„tur populis, & regnabit eorum Dominus in per„petuum. Quando ergo judicaturos vos & regnatu„ros cum Chriſto Domino cogitatis, exultetis ne„ceſſe eſt, & futurorum gaudio præſentia ſupplicia calcetis, &c. De exhortatione martyrii: „[4] Quis „ergo non omnibus viribus elaboret ad tantam cla„ritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, ut cum „Chriſto ſtatim gaudeat? ut poſt tormenta & ſup„plicia terrena, præmia Divina percipiat? Si mili„tibus ſecularibus glorioſum eſt, ut hoſte devicto „redeant in patriam triumphantes: quanto potior „& major eſt gloria, victo diabolo ad paradiſum „triumphantem redire, & unde Adam peccator e„jectus, illuc proſtrato eo qui ante dejecerat, tro„phæa victricia reportare? offerre Deo acceptiſſi„mum munus, incorruptam fidem, & virtutem „mentis incolumem, laudem devotionis illuſtrem? „comitari eum, cum venire cœperit, vindictam de „inimicis recepturus; lateri ejus aſſiſtere cum ſede„rit judicaturus, *&c.* Et alibi: „Quid enim glo„rioſius, *&c.* quam judicis ſui dignatione judicem „factum fuiſſe? Ep. XXVI. Nec aliter *Dionyſius Alexandrinus*: [5] Αυτοὶ τοίνυν οἱ θεῖοι μάρτυρες παρ' ἡμῖν οἱ νῦν ὄντες χειστὸ πάρεδροι καὶ τῆ βασιλείας αὐτῷ κοινωνοὶ, καὶ μέτοχοι τῆ κρίσεως αὐτῷ, καὶ συνδικάζοντες αὐτῷ, τῶν ἀφειπεπτωκότων ἀδελφῶν τινας ἱκετεύουσι τοῖς τῶν θυσιῶν ἐγκλήμασι χλυομένους πρόσελάβοντο. Eodem plane redit ſeu de *triumphantium* moribus intelligamus qui locum in triumphis ſuis cariſſimis *amicis* concedebant qui & *veniam* poſſent *captivis* impetrare in triumpho trucidandis; ſeu de *regum* in concilio *conſeſſibus* qui locum proximum ſolerent *cariſſimo* cuique tribuere; ſeu de *præſidum Romanorum* tribunalibus qui ſuos haberent *aſſeſſores* pro quorum ſententia ſolerent de reis conſtituere. Maximam hæ omnes ſimultudines repræſentant *judicis gratiam* qua pollere *martyres* exiſtimabant. In eo tamen diverſus eſt à *Dionyſio* noſter *Cyprianus*, quod, cum uterque *judicio* aſſignet tantam hanc *martyrum gratiam*, *Dionyſius*, à *Millenariorum* ſententia alienior, *ſtatim* à *martyrio* hanc gratiam *martyribus* aſſignet, *Cyprianus* differendam cenſeat, ut videtur, ad *Millennium* & judicium *Chriſti* in *millenni* ejus *regno* exercendum. Id ſane innuunt verba illa ejus obſervatione digniſſima: „[6] Credimus quidem poſſe apud judicem plurimum „martyrum merita, & opera juſtorum: ſed cum „judicii dies venerit, cum poſt occaſum ſeculi hujus & „mundi ante tribunal Chriſti populus ejus adſtiterit.

§. XXXIX. Et quidem *ratio* præcipua cur *martyria* uni *Chriſto* potius, quam ipſis *martyribus* aſſignarentur, erat præſentiſſimum illud *Chriſti auxilium* quo ſupra vires ſuas proprias in pœnis *Chriſti* cauſa tolerandis adjuvarentur. Multis autem modis ſeſe exerebat hoc *auxilium*. Nunc enim martyres de *inſtante* periculo monebat numen *ſigno* aliquo prævio, & *revelatione* plerunque Divina. Ita intelligebant nihil fore in futura paſſione *fortuitum*, nihil hoſtium *odio* tribuendum; ſed vero providentiſſimo Dei *conſilio* omnes confeſſiones eventus ab eo adminiſtrari. Intelligebant nihil eſſe in creatura ſitum quo vel latum unguem à Dei *permiſſione* perſecutores diſcederent, cum id genus prædictionibus *eventus* accuratiſſime reſponderent. Intelligebant nihil ſibi fore in ea perſecutione *metuendum* quæ tota à benevolentiſſimi Numinis nutu penderet, nec ſibi *nocituram*, ſed vero maximum potius in *lucrum* ceſſuram, ſi ſe totos Deo ejuſque providentiæ, ſumma cum fiducia, commiſiſſent. Intelligebant *honoris* loco habenda eſſe omnia illa *patientiæ* exercitia, cum quos *revelationibus* dignaretur Deus, eorum *patientiam* ita probandam eſſe ſtatueret atque exercendam, & majora ſibi deſtinari *præmia* quo graviores decernerentur in futura perſecutione *dolores*. Intelligebant nec eſſe quod de ſua eſſent futura *perſeverantia* ſoliciti: qui enim futuras perſecutiones *decreviſſet* Deus, illum ſuis nec in *eventu* defuturum, nec dolores *permiſſurum* eorum viribus *impares*, ſed vel *impediturum* quo minus procederent hoſtium machinationes; vel (quod mercedis intuitu longe adhuc eſſet optabilius) novas laborantibus *vires* quæ oneri ferendo ſatis eſſent, eſſe adminiſtraturum: [7] *fidelem* enim eſſe *Deum, nec paſſurum illos tentari ſupra id quod poſſent, ſed facturum etiam cum tentatione proventum, ut poſſent ſuſtinere.* Intelligebant denique id ſibi unice eſſe curandum ut *Deo* ſe totos *crederent*, de *eventu*, ſub ejus adminiſtratione, plane ſecuros. Ita reſciverat de ſua paſſione futura *Polycarpus*; ita & *Perpetua*, ſed cuſtodiæ jam mandata, ita & *Cyprianus* noſter. Nec enim alia hic adhibenda cenſui teſtimonia quam quæ habemus fidei probatiſſimæ, qualia habemus hodie pauciſſima. Aliter fortaſſe foret ut frequentiora habemus, ſi & illa primæva ſincera extarent, nec interpolationibus ſuſpecta. Sed nec illa etiam adhibui *Apoſtolorum* SS. *Petri* & *Pauli*, qui de inſtante ἀνάλύσει ita loquuntur quaſi illam revelatione didiciſſent, ne propriæ hæ viderentur *Apoſtolorum* temporumque Apoſtolicorum *revelationes*. Neque vero ad *martyres* in *patientia* duntaxat, ſed & in *fide*, confirmandos faciebant hæ *prædictiones*. Præbebant enim *religioni Chriſtianæ* confirmandæ argumenta longe ſolidiſſima. Ut enim de revelationibus *alienis* dubitare fortaſſe poſſent; de *ſuis* certe dubitare non poterant; ſed

[1] Paſſ. SS. *Perp.* & *Fel.* [2] Ep. XVI.
[3] Ep. LXXVII. [4] Ep. LXXXI.
[5] Ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccleſ. VI. 42.
[6] De lapſ. [7] 1 Cor. X. 13.

ſed nec de *alienis* ejuſdem *ſpiritus* prophetiis quas *proprio* ſuo *ſpiritui* ita conſentaneas experirentur, talem nempe illum experti qualem pollicitæ erant in Chriſtiana religione *Scripturæ*, qualem & expreſſerant *Apoſtoli*. Ut de illis *revelationibus* minus conſtaret quarum *eventus* eſſet à ſuis temporibus *remotior*; de illis certe conſtabat manifeſtiſſime quæ *proprio* eſſent *tempore* implendæ, quæ nec alios quam *ſe* ſpectarent, ut proinde eſſent neceſſario in proprios eorum *ſenſus obſervationemque* incurſuræ, utcunque illos exiſtimamus rerum alienarum parum curioſos. Ut *obſcuræ revelationes*, utcunque veraciſſimæ, fidem tamen ſuam aliis non ita facile comprobaturæ viderentur; at profecto *manifeſtas* facile intellecturi erant, & *verane* eſſent, an falſæ *deprehenſuri*. Et ut alioqui *obſcuræ* fuiſſent iſtiuſmodi prophetiæ, ipſo tamen *eventu* futuræ erant ſane manifeſtæ. Ex his autem *manifeſtis* prophetiis fides etiam accedebat aliis *obſcurioribus* pro ea, qua uſos veteres ſuperius oſtendimus, argumentatione. Ut denique *alias prophetias* ad proprium ſuum *officium* nihil attinentes, minus intelligerent, minus erat utique quod mirarentur. Nec enim erat quod à Deo cognitionem illam expectarent quæ ad *officium* ſuum nihil attineret. At quæ erant *officiis* propriis neceſſaria ea cum *manifeſtiſſimis oraculis* haberent conſignata; ſpes inde erat fore ut & reliqua eſſent, cum ad *officium* ſuum ſpectarent, ſimiliter *manifeſtiſſima*. Ita *prædictiones* hæ argumenta ſuppeditabant omni prorſus exceptione majora apud *illos* quibus fuiſſent à Deo patefactæ, ſed & illis etiam quibus fuiſſent, *ante eventum*, communicatæ, præſertim ſi ad viros alioqui *illuſtres* attinerent, in quos omnium eſſent ora converſa, & in *vulgus* aliquantiſper ante eventum emanaſſent, qualem illam ſuperius oſtendimus noſtri fuiſſe *Cypriani*.

§. XL. Deprehenſos porro *captoſque martyres* tantis *gaudiis* perfundere ſolebat Deus, ut quæ illis dura antea & acerba viſa eſſent, ea in *dulcedinem* tota converterentur. Suaviſſimum erat *animarum* cum *Deo* commercium, *pax* illa *Dei quæ exuperat omnem ſenſum* Phil. IV. 7. *Lætitia* illa *inenarrabilis & glorificata*. 1 Pet. I. 8. De *hujus* enim *vitæ* gaudiis utrobique loquuntur Apoſtoli. Præterea χαρίσματα & quæcunque *benevolentiæ Divinæ* τεκμήρια, jam longe *ſolitis* cumulatiora atque illuſtriora, ut quam *cari Deo* eſſent, *intimius* experirentur, inde reliqua in *agone* futuro pro votis reſponſura ſperarent. Inde tot legimus in N. T. paræneſes de *gaudio in tribulatione* ſervando, S. Matth. V. 11, 12. Luc. VI. 22, 23. Jacob. I. 2. Rom. V. 3. 1 Pet. I. 6. IV. 13, 14. Quorſum illud ni qui *gaudium* in *perſecutione* juſſiſſet Deus, idem *perſecutionem* patientibus conceſſurus eſſet *gaudendi* argumentum? Illud certe experti ſunt Apoſtoli, cum *irent gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*, Act. V. 41. Illud [8] S. *Paulus* & *Silas* cum in interiori carcere, pedibus eorum in nervo conſtrictis, *orantes* tamen *laudarent Deum*. Illud idem Apoſtolus, cum tantum abeſſet ut perſecutiones *Chriſti* nomine detrectaret, ut *conſolationis* nomine eas ultro etiam avideque expetierit: [9] *Libenter* (inquit) *gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto, quum enim infirmor, tunc potens ſum.* Inde tantus ille *Ignatii* ardor, qui cum in *omnibus* ejus epiſtolis eluceat, tum in illa præſertim quam dedit ad *Romanos*. Inde *Polycarpi*, aliorumque *ultro* ſeſe offerentium, & præſidum in ſe rabiem beſtiarumque *provocantium*. Narrat ſimpliciſſimo ſtylo quæ experta eſſet ipſa *Perpetua*, cum primo carceris ingreſſu expaviſſet, tandem in lætitiam converſum omnem illum eſſe pavorem. *Factus eſt* (inquit) *mihi carcer ſubito prætorium, ut ibi mallem eſſe quam alicubi.* Tum & quo frueretur *Dei* commercio: *Ego quæ me ſciebam fabulari cum Domino, cujus beneficia tanta experta eram, fidens repromiſſionibus ejus, dixi, &c.* Eadem expertus cum ſuis *Lucianus* ita ſcribit: [10] *Juſſi ſumus ſecundum præceptum Imperatoris fame & ſiti necari, & recluſi ſumus in duabus cellis, ita ut nos afficerent fame & ſiti, ſed & ignis ab opere preſſuræ noſtræ tam intolerabilis erat, quam nemo portare poſſet; ſed nunc ipſam claritatem ſumus conſecuti.* Talia itaque erant *interna* hæc martyrum *auxilia* quorum, præter ipſum *martyrem*, nemo *alius* poſſet eſſe conſcius.

§. XLI. Nec vero eſt quod quis propterea de illis cenſeat eſſe dubitandum. Imprimis conſtat à Deo id genus auxilia *expectaſſe martyres* cum eſſet pro *illius* nomine patiendum. Habebant enim & illa, quæ dixi, *gaudendi præcepta*, quibus etiam promiſſio *internæ conſolationis*, quæ foret *gaudii argumentum*, contineretur. Et de *facto* ita illos alioſque Scripturæ locos intellexiſſe, ut ſpem maximam ante paſſionem conceperint fore ut ipſum *Chriſtum* ſibi præſentiſſimum, novaſque ejus *vires* experirentur, ex illis conſtat quæ produximus teſtimoniis. Ex quo ſequitur ſecundo ni reſpondiſſet, pro expectatione, eventus, fore omnino ut *ſpe* ſua fruſtrarentur, unde imminebat maximum *defectionis* periculum. Ita enim perſuaſis, eaque opinione de promiſſo *Chriſti auxilio* imbutis, erat merito cur de ipſa *Chriſti fide* videretur eſſe dubitandum. Nec enim eſt quod *futurarum* promiſſionum ſpe *præſentium* promiſſionum dilationem ſuſtinerent; cum potius eſſent è *præſentium* promiſſionum *experimento* de *futurarum* quoque ſpe *fallaci* judicaturi. Ita certe *ſenſuros* primos *Chriſtianæ* religionis proſelytas omnino veriſimile eſt, nulla prorſus *educatione*, nullis tot ſeculorum præconceptis *præjudiciis* occupatos, ſed ſoli *rationi* duci *fidem* illam omnem quam de *noſtra religione* conceperant, acceptam referentes. Et tamen è *lapſis* ne unum quidem reperient qui *defectionem* ſuam omnino *defenderit*, nedum ea *ratione*, quod *ſpem* ſuam de *præſenti* Chriſti *auxilio* deluſam eſſe ſenſiſſet. Vel *mora* aliqua inſignis ſpem illam feciſſet ſaltem *dubiam*, & ſi vel *dubia* fuiſſet, non erat utique ſuffectura tantis illis ſeu *martyrii* doloribus tolerandis, ſeu, poſt lapſum, *pœnitentiæ*, ut in Eccleſiam denuo reciperentur. Vere itaque hæc *Chriſti auxilia* & *ſolatia ſenſerunt* quicunque *Chriſti nomine* paterentur; & *vere omnes*, cum *neminem* legamus de deluſa ſaltem expectatione ſua fuiſſe conqueſtum; & *certo omnes*, cum *neminem* legamus eo capite aut puſillanimiorem eſſe factum, aut minus in ſequenti aliqua probatione conſtantem. Quod ſi minus *ſpei*, at *metui* ſaltem inferorum, graviorumque ibi *æternorumque cruciatuum*, illuſtrium illam martyrum *tolerantiam* aſſignandam fortaſſe putabunt adverſarii. Et ſane multum potuiſſe, qui tam *prope adfuturus* crederetur, *inferorum* metum jam ſuperius oſtendimus. Nego tamen ſuffeciſſe tantis patientiæ *phænomenis*. Obſerv. enim tertio quæ graviorum cruciatuum *metui* aſſignanda eſſet patientia, eam, ut *lubenti* forte animo ſuſcepta fuerit; at *lato* certe *hilarique* ſuſcipi non potuiſſe. Unde itaque tantum illud moribundorum martyrum *gaudium?* Unde *animus* adeo tranquillus? Unde *frontes* ita exporrecti, *vultus* tranquilli, *oculi* ardentes, ita plane quaſi ad *triumphum* eſſent, potius quam ad *pœnam*, rapiendi? *Metus* fuiſſet

[8] Act. XVI. 25. [9] 2 Cor. XII. 9, 10. [10] Ep. *Cypr.* XXII.

ſet ſuppliciorum infernalium ; quam minimo mundanorum ſuppliciorum metu metum illum redemtum voluiſſent. *Supplicium* omne, quoties poſſent, ſine *officii* diſpendio, vitaſſent; ſin minus poſſent, *conſtanti* equidem, non *læto*, vultu, ut *minus malum*, erant toleraturi. Atqui non *tolerabant* modo, ſed *læti* etiam ſe & lubentes ſupplicio offerebant ; etiam *irritabant* adverſarios, & quo magis irritaſſent, quo *ſæviori* eſſent *ingenio*, quo conſtaret ſævituros atrocius : eo *magis* triumphabant & ſibi gratulabantur. Quis eſt qui non videat *bonorum* hæc eſſe potius, quam *malorum*, proſpectui tribuenda? Quis eſt qui non *præteritorum* potius bonorum *experientiæ*, quam *ſpei futurorum?* Neque vero *illuſtriorum* duntaxat *egregiorumque* virorum proprium erat ut ita paterentur. Vix eſt quod *Chriſtianorum* quempiam *Chriſti* nomine paſſum legamus quin eo, quod dixi, *animo vultuque* ſit paſſus. Et quidem huic ipſi *ratiocinio* magnum accedit præterea momentum, ſi recolamus quarto alias omnino *Chriſtianis* fuiſſe patiendi rationes quam quæ *Philoſophis* poſſent, ſine *futurorum* proſpectu, patientiam fortaſſe *commendare*. Credebant *Stoici* hujus corporis *dolores* ne in *malis* quidem eſſe numerandos, neque minus *felicem* fore *ſapientem* ſuum in *Perilli tauro* quam rebus mundanis utcunque proſpere, & pro voto fluentibus. Sed rariſſimos illi *ſapientes* in *hac vita* numerabant, nec niſi longo rerum uſu & ἀσκήσει, vix *anno* tandem *quingenteſimo*, pro *Phœnicis* ætate, reperiendum. Reliquorum omnium *alias* longe fuiſſe ὑπολήψεις ipſi facile concedebant. Alias certe fuiſſe *Chriſtianorum*, ſaltem *vulgarium*, ex illo ipſo *Apoſtoli* ratiocinio facile colligimus: [11] *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Ergo & in *malis* cenſebant *hujus* vitæ *dolores*, & in *malis* hujus mundi *maximis*, ni aliunde ſupramundanis præmiis deliciiſque compenſarentur. Quibus & illa *Domini* conſentanea legimus in Parabola: [12] *Fili, recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris.* Alia itaque ſupererat *Epicuri* ratio qua *dolores* quidem illi vere *mali*, ut exiſtimabant, longe tamen *præſtantiorum voluptatum* ſenſu ita abſorberentur atque compenſarentur, ut *malorum ſenſum* omnem excluderent. Ita enim moribundus *Epicurus* ſcripſit ſe *diem* ſuum *ultimum*, utcunque graviſſimis *corporis* doloribus oneratiſſimum, eundem tamen agere *jucundiſſimum*. Idem proculdubio ſenſere *Chriſtiani*. Sed quam ille *doloris levationem* præclaris ſuis *inventis* acceptam retulit, & *memoriæ* illorum jucundiſſimæ; eam illi non aliunde quam à *Dei* ſanctique *Spiritus* viſitatione expectabant, nec *creaturam* ullam, ejuſve *voluptatem* tantis doloribus ferendis *parem* agnoſcebant. *Altiori* itaque *principio* debebant ſua illa tanta *gaudia*, nec omnino fieri potuit ut tam *alacres* haberemus, ſi ſpe ſua tanta excidiſſent. Hæc itaque in apparatum.

§. XLII. Productis itaque ad pœnam martyribus & in ipſo jam *agone* conſtitutis, & alia ſuppeditavit benignus fideliſque Deus *auxilia*, quibus confirmarentur. Apparuit nonnunquam ipſe *ſigno* aliquo *ſenſibili*. Ita *Stephano* contigit; ita *Polycarpo*, qui & *vocem* cœlitus delapſam accepit illam ἴσχυε καὶ ἀνδρίζου, Πολύκαρπε. Plane ad exemplum *Domini protomartyris* quem [13] angelus apparens ad agonem confirmavit. Et vero frequentius *Dominum* ipſis *martyribus* veriſimile eſt, quam *ſpectatoribus*, apparuiſſe; & frequentius adhuc *mentis* interniſque ſenſibus eſſe patefactum quam *extrinſecus* apparuerit. Utcunque tamen *Dominum* martyr præſentem deprehenderet, dici nequit quanto illum *martyrii* ſtudio zeloque inflammarit. Prolatis deinde *pœnarum inſtrumentis*, impedivit tamen aliquoties Deus ne martyribus nocerent. Illud etiam pro exemplo *Domini*, quem deprehenſuri milites abierunt [14] *retrorſum*, & *ceciderunt in terram*. Adeo erat hoc primis illis ſeculis familiare, ne *beſtiæ* martyres auderent contingere, ut præviderit id metueritque *Ignatius*, totuſque in id unum incumbat ſcribens ad *Romanos*, ut eorum pro ſe *preces* deprecaretur, ne ſibi etiam non *poſſent* beſtiæ nocere, [15] ὥσπερ τινῶν δειλαινόμενα ἔχ ἥψαντο. Similia quoque fuiſſe in ſuprema *Diocletiani* perſecutione exempla, teſtemque habemus hodie [16] αὐτόπτῃ ipſum *Euſebium*. Feras illas in *alias* ſatis acres, ſolos *Chriſtianos* ait, nec *attingere* auſas, nec *propius accedere:* & cum irruere jam impetumque facere cœpiſſent, conſtrictas tamen, quaſi *Divina* virtute, earum fuiſſe *fauces*, ipſaſque retro fuiſſe *repulſas*, & ne *candenti* quidem *ferro* quo illas ſtimulabant *beſtiarii*, in *Chriſtianos* agi potuiſſe; nec in *una* modo *beſtia* factum experimentum, ſed in ſecunda etiam tertiaque ſimiliter ſucceſſiſſe. Quo ſe itaque convertent noſtræ religionis adverſarii? Suiſne potius credent de re non viſa *conjecturis* quam *teſtis oculati* teſtimonio? Scio eo eſſe ingenio id genus hominum. Id quam æquum ſincerumque ſit, ipſi viderint. Eo referendum & illud quod de *Polycarpo* narrant *Smyrnæi*, & ipſi [17] *teſtes oculati*, *ignem*, quo comburendus erat *Polycarpus*, in *arcus* ſimilitudinem eſſe figuratum, & quaſi *velum navis* corpus martyris ita obduxiſſe, ut tamen non læſerit.

§. XLIII. Tandem ubi paſſionis *tempus* appeteret, ita tamen omnia plerunque contingebant, plane ut *Divinæ* potius *diſpoſitioni*, quam *perſecutoribus*, tribuenda viderentur. Optaverat *Ignatius* ut *totus* à beſtiis abſumeretur, ne *moleſtus* eſſet fratribus ſuas reliquias collecturis. [18] Κολακεύσατε τὰ θηρία (inquit) ἵνα μοι τάφος γένωνται, καὶ μηδὲν καταλείπωσι τοῦ σώματός μου, ἵνα μὴ κοιμηθεὶς βαρύς τινι ὀχλήσω μαι· τότε εἴσομαι μαθητὴς ἀληθὴς Ιησοῦ Χριστοῦ, ὅτε οὐδὲ τὸ σῶμά μου ὁ κόσμος ὄψεται. Et pro votis reſpondiſſe *eventum* conſtat ex ejus *actis* à *coævo* & *oculato* etiam teſte conſcriptis: [19] „Sic beſtiis crudelibus ab impiis ap„ponebatur ut confeſtim ſancti martyris Ignatii com„pleretur deſiderium (ſecundum quod ſcriptum eſt: „Deſiderium juſti acceptabile) ut ſit nulli fratrum „gravis per collectionem reliquiarum, ſecundum „quod, præoccupans in epiſtola, propriam concu„piſcit fieri fruitionem. Sola enim aſperiora ſancto„rum oſſium relicta ſunt, &c. Sed illa forſitan interpolata ſunt. Idem itaque teſtatur *Euſebius*, ut veriſimile ſit, *hac* ſaltem in cauſa, eſſe *ſincera*. Simile & aliud habemus exemplum in *actis Perpetuæ* & *Felicitatis*, de martyre *Saturo*. Ita illa : „Saturus „autem nihil quam urſum abominabatur : ſed uno „morſu Leopardi confici ſe jam præſumebat. Ita„que cum apro ſubminiſtraretur, venator potius „qui illum apro ſubligaverat, ſubſeſſus ab eadem be„ſtia poſt diem muneris obiit. Saturus ſolummodo „tractus eſt. Et cum ad urſum ſubſtrictus eſſet in „ponte, urſus de cavea prodire noluit. Itaque ſe„cundo Saturus illæſus revocatur. Deinde nonnullis interpoſitis: „Item Saturus in alia porta militem „exhortabatur, dicens: Ad ſummam, inquit, cer„te, ſicut præſumſi & prædixi, nullam uſque adhuc „beſtiam ſenſi. Et nunc de toto corde credas. Ec„ce

[11] 1 Cor. XV. 19. [12] S. Luc. XVI. 25.
[13] S. Luc. XXII. 43. [14] S. Joan. XVIII. 6.
[15] Ep. ad *Rom.* n. 5.
[16] *Euſ.* Hiſt. Eccl. VIII. 7.
[17] Ep. Eccleſ. *Smyrn.* p. 25. ad *Uſſer.*
[18] Ep. ad *Rom.* n. 4. [19] Ed. *Uſſer.* p. 8.

„ce prodeo illo, & ab uno morsu leopardi consu-
„mor. Et statim in fine spectaculi, leopardo eje-
„cto, de uno morsu tanto perfusus est sanguine,
„ut populus revertenti illi secundi baptismatis testi-
„monium reclamaverit, &c. Ita non aliam quam optaverant ipsi martyres, mortem persecutores inferre poterant. Similia habent eadem *acta* de *Saturnino* & *Revocato Saturi* sociis, *datum* & illis à Deo *eum exitum*, *quem quisque desideraverat*. Sed ne unum quidem pœnæ *diem* poterant anticipare. Observavit id in nostri martyris causa *Pontius*, cui ipsum passionis *diem* ante *annum* diximus fuisse revelatum. „Forsitan tamen quærat aliquis (inquit) quæ causa „fuerit à prætorio revertendi ad principem. Et vo-„luut, hoc scilicet de suo, tunc proconsulem no-„luisse. Absit ut in rebus Divinitus gestis segni-„tiem sive fastidium proconsulis conquerar. Absit „ut malum hoc intra conscientiam religiosæ mentis „admittam, ut de tam beatissimo martyre ructus „hominis judicaret. Sed crastinus dies ille quem „ante annum dignatio Divina prædixerat, vere cra-„stinus esse debeat. Illuxit denique dies alius, ille „signatus, ille promissus, ille Divinus; quem si ty-„rannus ipse differre voluisset; nunquam prorsus „valeret; dies de conscientia futuri martyris lætus, „& discussis per totum mundi ambitum nubibus, „claro sole radiatus. Ita nimirum censuerunt *illius seculi* Christiani. Et in hoc quoque respondebant *Domini* protomartyris exemplo *primævi Christiani*, cui ita omnia sunt à Deo Patre *antea* constituta, ut nec in eum ante *horam* illam *fatalem*, quicquam possent hostium insidiæ, nec ut eum *alio*, quam prædictum esset, *genere* mortis afficerent.

§. XLIV. Constitutis porro in *ipso agone* martyribus, quo magis essent *necessaria* numinis *auxilia*, eo etiam *uberiora* illa sentiebant, tanta ea nonnunquam ut omnem plane doloris *sensum* penitus *extinxerint*; plerunque ut maxima ex parte *imminuerint*, fecerintque omnino levissimum; aliquando denique ut in *voluptates* etiam *converterint*. De sublato *doloris sensu* egregium habemus exemplum in ipsa *Perpetua*. Ea ita vaccæ jactationem non *sensit*, ut ne fuisset equidem *creditura nisi quasdam notas vexationis in corpore & habitu suo recognovisset*. Toto nimirum eo tempore *in spiritu* eam & *extasi* fuisse memorant *Acta*. Simile & aliud exemplum de *Blandina* supra retulimus. Mutati in *voluptatem* doloris exemplum etiam dedimus in *Theodoro*. Et cum turgescentibus & inflammatis è *priori* cruciatu vulneribus ad *novos* cruciatus producerentur, magnaque essent in spe *persecutores* fore ut duorum saltem alterum consequerentur, ut aut *ipsi* martyres essent defecturi, aut aliis saltem exemplo suo *terrorem* injecturi; longe tamen aliud effectum quam speraverant, numinis providentissimi auxilio, tam ne gravior esset, solutis vulneribus, *secundus* ille cruciatus, ut sanarentur etiam *priora vulnera*: tam ne *dejectiori* animo ad novos cruciatus progrederentur, ut essent etiam *animosiores*; tam ne *alios* exemplo suo *terrerent*, ut *inflammarint* potius atque *excitarint*. Hæc expertus est in laniena Lugdunensi *Sanctus*, de quo ita scribunt *Lugdunenses*: [20] ὥϑ᾽ πᾶσαν δόξαν ἀνθρώπων ἀνέκοψε ὁ ἀνωρθώϑη τὸ σωμάδιον ἐν τῇ μετέπειτα βασάνοις, ὁ τὴν ἰδέαν ἀπέλαβε τῇ προτέραν ὁ τῇ χρῆσιν τῇ μελῶν ὥστε μὴ κόλασιν, ἀλλ᾽ ἴασιν λαὶ τὸ χάριτος ὃ χριστοῦ τὴ δδυτέραν στρέβλωσιν αὐτῷ ἠνέωξ. Inde factum ita ut ne *alius* quispiam deficeret, ut etiam è *lapsis* una *Biblias* expergefieret tandem, & novo sit martyrii studio accensa. Inde fatigati victique adversarii ad nova sese consilia artesque converterunt.

§. XLV. Jam si harum narrationum *fidem* pro *historicæ fidei* captu atque natura probare velint athei, nihil prorsus video quod hic desiderare possint quo minus videantur esse verissimæ. Imprimis non in angulis, aut paucis quibusdam conscriis, quorum posset interesse, sed palam gesta & in *omnium* conspectu narrant, tam *inimicorum*, quam *amicorum*, quin *potius* inimicorum qui locum in *theatris* præcipuum habebant. Ita factum non modo ut qui ea scripserint ea certo possent *cognoscere*; sed & qui alia in sententia essent, ea facile possent certoque *refellere*. Observandum secundo, talia fuisse hæc gesta ut *plurimorum* intererit, & quam *maxime*, ne lateret veritas, sed potius ut esset compertissima. *Persecutorum* intererat ne hæc vera crederentur quibus gravissima forent crudelitatis infamia, apud absentes, tam vivos, quam etiam posteros onerandi; quibus Divino etiam suffragio damnati viderentur. *Christianorum* etiam maxime omnium intererat, si quidem *fuissent* falsa, ne vera *crederentur*, quibus tantos hujus vitæ cruciatus tam *nulla* futurorum præmiorum *mercede* lucraturi. Non est itaque quod suspicemur *contemtas* has fuisse *narrationes*; sed vero omnem potius ab utrisque diligentiam in illis eruendis fore adhibendam. Tertio itaque in Christianæ religionis *confirmationem* cessisse omnem hanc indagationem, non modo è *testimoniis Christianorum*, sed ex ipsis rerum *gestarum* monumentis omni modo manifestum est. Ea certe omnia ex his *miraculis* consecuta esse constat, quæ verisimile erat, si vera deprehenderentur consecutura.

§. XLVI. Certum est primo nulla extare eorum, vel *Gentilium* testimonia qui de *facto* dubitent, itane gesta essent; sed qui *causam* duntaxat facti *aliam* assignarent, *magicæ* scilicet, vel id genus imposturis. Si vel maxime *miracula Christianorum* repudiassent *philosophi*, non est tamen quod *ratione* duce ea repudiasse suspicemur. Nec tamen opus est ut eo, hac in causa, confugiamus. Siqui *philosophi* de *facto* dubitandum censuerint, nunquam tamen speciali aliqua ratione & *Christianæ* religioni propria, quasi *proprias* quasdam in *nostris miraculis* imposituræ notas ac characteres deprehendissent, sed id genus *universalibus* rationibus quibus omnem rerum *præternaturalium* fidem, quas suis non hausissent sensibus, erant derogaturi. Alii omnem prorsus *certitudinem* negabant, nec esse ulla omnino κριτήρια concedebant quibus *falsa* possint à *veris* distingui; alii omnem etiam *verisimilitudinem*. Et quidem ipsa etiam *Academia* quæ primis *Christianismi* temporibus maxime vigebat, nullam agnoscebat *certitudinem*. Hi nulla admittebant *principia* quibus possent res *gestæ* confirmari, omnique adeo *Historicæ fidei* detrahebant, qui mirum non est si à *Christianis* convinci non possent, cum nulla concederent argumentandi *principia* quibus *convincerentur*. Horum *personam* induit apud *Minutium Cæcilius*, unde probabile est tales etiam fuisse *plerosque* qui *Christianis* adversarentur. Alii siqua concederent rei *gestæ* probandæ topica, plus tamen tribuebant præconceptis suis *hypothesibus* quam *historicæ* rerum gestarum *fidei*. Recte quidem illi si hypotheses suas *certiori* aliquo *argumento confirmassent* quam esset in rerum *gestarum* confirmatione *humanum testimonium*. Sed ab eo longissime aberant ut eas ita probarent. *Epicureorum* atomi, & *Astrologorum* fata, & siquæ aliæ essent receptæ rerum naturalium *hypotheses* sola *Phænomenorum congruentia* probatæ sunt, ut proinde à *Phænomenorum* fide necessario

[20] Ap. *Euseb.* Hist. Eccles. V. 1.

rio penderent. Ipſa autem illa *Phænomena* qua alia *fide* acceperant quam *ſenſuum* atque *hominum* naturæ peritorum? Præpoſtere itaque agebant & abſurde cum *Phænomena* nova ad receptas jam *hypotheſes* exigerent, cum eſſent contra ad *Phænomena* ipſæ potius *hypotheſes* exigendæ. Erant denique & alii è *philoſophis*, qui, ut plus tribuerent idoneo rerum geſtarum *teſtimonio* quam ſuis *hypotheſibus*, Chriſtianos tamen *contemnerent*, ut ne *quærendum* eſſe cenſerent, itane ſe haberent quæ ab illis affirmarentur. Inde conſentaneum erat ut *veritatem* ibi non *reperirent* ubi ne *quærendam* eſſe credidiſſent. Et vero multos hoc fuiſſe ingenio ex illo S. *Lucæ* teſtimonio colligimus quo *Beræenſes* tanquam *Theſſalonicenſibus* εὐγενεστέρους hoc ipſo nomine commendat, quod [21] *ſuſceperint verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent.* Εὐγένεια enim ea ipſa notione eſt vox *technica* apud *Platonicos*, ut conſtat è [22] *Speuſippo* qui eam definit ἡ πρὸς λόγος εὐαγωγίαν. Reliqui itaque utcunque *rationem aliis* in rebus creparent, in rebus tamen *Chriſtianorum* ne *curioſitati* quidem illi *philoſophorum* genuinæ, indulgebant, nec ipſi etiam rationi *ductiles* ſeſe præbebant. Aliter non foret ut toties errarent quoties de *Chriſtianis* loquuntur, ut erraſſe videmus. Non erat itaque ut hos *veritatem* conſecuturos ſperaremus, ni ipſa ſeſe minime quærentibus *ultro* obtuliſſet. Atqui abſtinebant *philoſophi* à *foris* & judicum plerunque *tribunalibus* & *ludis* publicis, quibus in locis hæc *Chriſtianorum miracula* edita fuiſſe diximus. Nulla itaque eſt ratio quod ſuſpicemur ullam fuiſſe ſuſpicionis *rationem* ſi vel maxime fuiſſent id genus hominibus ſuſpecta.

§. XLVII. Demtis itaque *philoſophis*, è *Gentilibus* Chriſtianorum adverſariis ſupererant ſecundo, ii qui in *theatris* & publicis *ſpectaculis* ſolerent eſſe frequentiſſimi. His enim maxime conſtabat verane hæc eſſent *Chriſtianorum miracula* quæ *palam* & in omnium conſpectu ederentur. Apud hos autem eum omnino habuerunt *eventum* quem è *veris* eſſemus probatiſque atque *agnitis* expectaturi. Deſævire cœpit, ut plurimum *perſecutio*, nec ὅπι πλεῖον ἐδυνήθη, ut loquitur *Origenes*. Spectatores omnium ordinum, tam ipſorum *præſidum* quam *adſeſſorum*, quam aliorum qui aderant virorum etiam illuſtrium; *plebeii* etiam ipſique *milites optiones* quibus martyrum *cuſtodia* demandata erat, *Chriſto* nomen dabant, & in numerum *patientium Chriſtianorum*, ſæviente adhuc ipſa perſecutione, quotidie tranſibant. Inde *martyrum ſanguinem Eccleſiæ ſemen* tradit fuiſſe *Tertullianus*. Hos autem nihil erat quod in *Chriſtianorum* partes allicere poſſet niſi deprehenſa *veritas*. Chriſtianorum vel *odio* maximo vel *contemtu* imbuti ad *ſpectacula* plerique venerant, ut magna omnino animorum *demiſſione* opus eſſet ut ſe deinde, vel *convicti*, Chriſtianis adjungerent. Tum etiam qui, *voluptatis* cauſa, *ſpectacula* frequentarent, ea *deinde* erat in perpetuum *voluptate* carendum. Parum id videtur fortaſſe; de *pacis* etiam erat ipſaque *perſecutione* participandum, & quidem è juſſu *Severi* & ſequentium fortaſſe principum, magis *proſelytæ* illi quam qui à prima ſua uſque *origine* fuiſſent *Chriſtiani*. Fabellis deinde odioſiſſimis de conviviis *Thyeſtæis* & *Oedipodæis* inceſtibus maxima nomini *Chriſtiano* invidia conflata eſt, quæ & *veræ* credentur ſiquod *falſitatis* argumentum in *Chriſtianis* deprehendiſſent. Id ſi eveniſſet, jam aliter omnia ceſſiſſe neceſſe erat; majori omnium *odio* conflictari *Chriſtianos*, dignos deinde judicandos qui è genere humano extirparentur; plures *hoſtes* infenſioreſque indies experturos. Vera itaque neceſſe eſt crediderint *Chriſtianorum miracula* qui ad *Chriſtianam religionem* eorum evidentia converterentur. Et cum illi qui adhuc in avita ſuperſtitione permanſerant, de *cauſis* duntaxat quærendum cenſerent, *magiane* eſſent aliiſve artibus id genus ſuperſtitioſis tribuenda, de *facto* vera eſſe conceſſerant. Et quidem hæc *miracula* anſam dediſſe illi de *Chriſtianorum magia* calumniæ colligimus è ſupradictis *Perpetuæ* & *Felicitatis* actis, ubi de illis ita legimus; *A tribuno caſtigatius eo fuiſſe tractatos, quia ex admonitionibus hominum vaniſſimorum verebatur, ne ſubtraherentur de carcere incantationibus aliquibus magicis.* Non eſt quod *alio* referamus hujus ſuſpicionis *occaſionem* quam ad *miracula* illa ſatis frequentia in *martyrum* paſſionibus ſæpe edita. Cur vero *luculentius* expectemus teſtimonium ab adverſariis in *infidelitate* ſua nihilominus perſeverantibus?

§. XLVIII. 3° Itaque *Chriſtianos* quod attinet, nihil eſt quod in illis deſideremus, à *verorum miraculorum* comprobatione expectandum. Animi ipſorum *martyrum* quo gravioribus & diuturnioribus exercerentur cruciatibus ſæpiuſque repetitis, eo indies *audentiores* ſunt facti atque *confirmatiores*. Eorum *exemplis* & *lapſis* animi accedebant, ut victi deinde de victoribus triumpharent. Excitabantur & aliorum aſtantium ardores, non *fidelium* modo, ſed & *gentilium*, ut ſeſe profiterentur martyrii candidatos. Hæc plane omnia conſentanea ſunt *prodigiis* maximis *ſignifque* à Deo in *paſſione martyrum* patrandis; conſentanea deprehenſæ veritati ſinceræ à fucis omnibus & fallaciis omnibus aliena. Eo autem uſque proceſſit hæc πληροφορία ut *vera* admodum *lapſorum* occurrant, in primis perſecutionibus, exempla uſque ad tempora noſtri *Cypriani*. Id certe innuit ſua ætate Plinius: [23] *Propoſitus eſt libellus ſine auctore, multorum nomina continens qui negarent ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe, quum præeunte me deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc juſſeram cum ſimulacris numinum afferri, thure ac vino ſupplicarent: præterea maledicerent Chriſto, quorum nihil cogi dicuntur qui ſunt revera Chriſtiani.* Quod *lapſos* hoſce *vere Chriſtianis* opponat, plane ſignificat *falſos* fuiſſe *Chriſtianos*, non utique quod *fidem* Chriſto datam *violaſſent* (nec enim id reprehenſurus erat ipſe *perſecutor*) ſed quod alieni eſſent ab *eorum Chriſtianorum* ſocietate qui *nomen Chriſtianorum* & *diſciplinam* à *Chriſto* uſque & *Apoſtolis* vera & legitima *ſucceſſione* traduxiſſent. Horum itaque à *moribus* ita ait alienum fuiſſe *lapſum*, ut quos utique *lapſos fuiſſe* conſtaret, eos concludat ne quidem *olim* fuiſſe *Chriſtianos*, & proinde *veraces* eſſe eos qui ſe *fuiſſe* negarent. Eadem plane ratiocinatione uſus eſt *Plinius*, qua & uſus eſt Apoſtolus: [24] *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum; ſed ut manifeſti ſint quoniam non ſunt omnes ex nobis.* Uterque innuit, qui *vere* eſſent, non *externa* duntaxat *ſimulatione*. Chriſtiani, eorum *lapſum* fuiſſe, cum illa ſcriberent, longe rariſſimum. *Gnoſticos* itaque fuiſſe *Plinianos* illos *Chriſti negatores* & *maledictores* omnino conſentaneum eſt. Hi enim *martyria* facienda eſſe negabant, aut *Chriſtum crucifixum* in perſecutione agnoſcendum, ut ex *Irenæo* conſtat & pleriſque N. etiam Teſtamenti *ratiociniis*. Et profecto ex *principiis* potius quam ex *infirmitate negantium*, erat tanta illa negantium *audacia*, qua *Chriſtum* ita negabant, ut *negati* ne *puderet* quidem, ſed ipſi etiam *proconſuli* ſe nunquam Chriſtianos fuiſſe *perſuaderent*. Egiſſent certe *Catholici* modeſtius; *pudorem* ſuum ac *dolorem* non

[21] Act. XVIII. 11. [22] In definitionibus. [23] *Plin.* L. X. Ep. 97. [24] 1 Joan. II. 19.

non poterant ita *dissimulare* ut ne quidem *fuisse* viderentur.

§. XLIX. Durabatque hæc Christianorum *constantia* quamdiu & mos ille ad pœnas sese *offerendi* apud illos invaluit. Nec enim aliunde postea *improbatus* est nisi cum eorum aliquos in ipsa probatione deficere comperisset Ecclesia. Id ex Ecclesiæ *Smyrnensis* epistola colligimus. Cum enim *Quintus Phryx*, qui & se *obtulisset*, & aliis *auctor* fuisset sese ut *offerrent*, visis tamen bestiis cessisset; inde collegerunt improbandum esse eorum exemplum. Sunt enim illa illius Ecclesiæ verba: Διὰ τοῦτο οὖν, ἀδελφοὶ, οὐκ ἐπαινοῦμεν τοὺς προσιόντας ἑαυτοῖς [melius cum *Langbiano* ἑκόντως] ἐπειδὴ οὐχ οὕτως διδάσκει τὸ εὐαγγέλιον. Ita enim omnia in persecutione *Divinæ providentiæ* assignabant, ut & *lapsorum* etiam *defectiones* pro *Divini* beneplaciti *significatione* haberent, non esse rapiendam ab *ambientibus* martyrii coronam, sed à *Dei* potius *gratia* humiliter expectandam. Inde *aliqua* quidem habemus *spontaneorum martyrum* exempla, longe tamen quam antea *variora*, & *paucorum* duntaxat hominum, cum antea sese *catervatim* obtulissent. *Cives universos* sese *Arrio Antonino Asiæ* sub *Trajano*, proconsuli obtulisse observavimus è *Tertulliano*. Quod itaque *Blondellus* promtum *Ignatii* paratumque ad *martyrium* animum in argumentum trahat, falso ei inscriptas eas fuisse epistolas quæ hanc præ se ferant promtitudinem, contra erat potius faciendum. Longe enim *seculi Ignatiani* magis propria, quam *sequentium*, hæc erat ipsa *promtitudo*. Conveniunt huic *hypothesi Phænomena*. In Nov. Testament. historia cum & *persecutionum* mentio, etiam à *Gentilibus* intentarum, aliquoties occurrat, & passim *vitia* in Ecclesiam irrepentia reprehendantur; vix tamen lapsos aliquos reperies. *Gnosticorum* aliquos fortasse, sed plane desperatos, nullos *Orthodoxos*, nullos *pœnitentes*; quales *Orthodoxos* futuros etiam antea observavimus. Idem & in scriptis *Clementis*, *Hermæ*, *Ignatii*, *Barnabæ*, *Justini*, observare possumus qui ante illud *Polycarpi martyrium* scripserant, de *lapsis* raram admodum occurrere *mentionem*, sed ne *querelam* quidem. Cæterum illud ipsum coævum *Polycarpo* exemplum, *Christianos* ut *cautiores* fecerit, nondum tamen *dejectiores*. Nec *crevisse* inde videtur *lapsorum* numerus, aut *decrevisse martyrum*. Interposito deinde plusquam XX. annorum intervallo, in persecutione *Lugdunensi decem lapsi* ἀνέτοιμοι, ἀγύμναστοι, καὶ ἴδιᾳ ἀσθενεῖς, magnam dederunt reliquis *Christianis* consternationem. [25] Μεγάλῳ (inquiunt scriptores *Lugdunenses*) λύπην καὶ πένθῳ ἀμέτρητον ἐνεποίησαν ἡμῖν, καὶ τὴν προθυμίαν τῶν λοιπῶν τῶν μὴ συνειλημμένων ἐνέκοψαν. Et *causam* postea exponunt cur ita afficerentur, Διὰ τὸ ἄδηλον τῆς ὁμολογίας· οὐ τὰς ὑπαφερομένας κολάσεις φοβουμένους, ἀλλὰ τὸ τέλος ἀφορῶντες, καὶ τὸ ἀπροπεσεῖν τινὰ δεδιότες. Fieri vix potuit ut tanta fuerit *reliquorum Christianorum* consternatio si id genus exemplis assuevissent. Et tamen *pauci* erant omnino qui *cecideranț*, & omnes *postea* resipuerunt. Ea nempe imbuti opinione ipsum esse *Christum* qui in *martyribus* concertaret, inde spem conceperant ne *unum* quidem fore in *martyrii agone* superandum. Et cum contra quam speraverant, alium eventum experirentur eadem & illos *admiratio* incessit, quæ & *fossam* incesserat cum, in *parva* licet velitatione, *Israelitas* recepisset à *Chananæis* superatos. Male quidem illi argumentati cum ne *parvas* equidem providentiæ in *specie*m anomalias concederent arcano quodam Dei consilio moderandas. Inde tamen intelligimus quam & illi *lapsibus* oppido *rarissimis* assueverant, & si *frequentes* fuissent, quam essent animos illorum *dejecturi*, spemque illam omnem in *dubium* revocaturi. Secuta postea est *Severi* persecutio, quæ cum *proselytarum* fuerit præcipue, & plerunque *Neophytorum*; nec tamen vel *unius lapsi* occurrit mentio in probatis Ecclesiæ monumentis. Quos enim ait *Tertullianus martyrum* ambiisse *pacem*, non *lapsus* illi, sed *mœchia*, aliarumque vitæ sordium *pœnitentiam* agebant. Prima lapsorum *magno numero* deficientium mentio in nostro occurrit *Cypriano*. Sed illi minis *incruentis* cesserunt, emolliti *longæ pacis* deliciis, & neglecta vivendi disciplina, nec *Christo* sese ad *tormenta usque* crediderant, ut superari crederentur, ejusve auxilium credentibus præsentissimum in *dubium* revocare.

§. L. Observ. denique quarto hæc haberi omnia in *coævis* Ecclesiæ monumentis (nec enim alia nos adhibenda censuimus) omni *fide* dignissimis, viz. edita fuisse illa quæ diximus, *Divini auxilii* indicia manifestissima; fuisse illas *gentium conversiones*; fuisse illas Gentilium reliquorum *infidelium* calumnias; fuisse illam auxilii Divini *expectationem*, eique respondisse *martyrum constantiam*, lapsorumque *paucitatem*; fuisse denique & alia omnia quæ forent, hæc si vera deprehenderentur, expectanda. Ita de *reipsa* constat, siqua fides, in causis *facti*, humano testimonio: siqua de rebus *antiquis* fides *antiquorum coævis* monumentis. Nos itaque rerum gestarum causas *pares*, & quæ *sufficere* possent assignavimus; adversarii *pares*, siquas possint, comminiscantur præcluso *Dei* tam illustri, tam explorato, omnibusque veritatis studiosis tam facili sedulitate deprehendendo *auxilio*; præclusis *religionis Christianæ* tam manifestis *testimoniis*.

[25] Ap. *Euseb.* Hist. Eccles. V. 1.

DISSERTATIO CYPRIANICA XIII.

De *ſecundo* Martyrii *Baptiſmo.*

Cur ſingularem *huic argumento dicemus diſſertationem.* §. I. *Ab* antiquiſſimis *uſque Eccleſiæ* temporibus *ad* noſtra *hæc deſcendit opinio.* §. II. Baptiſmus aqueus *&* unio externa *cum Eccleſia* prærequiſita *ad* ſanguineum *martyrii* Baptiſmum. §. III. *Baptiſmum* ſanguineum aqueo *prætulerunt* veteres. §. IV. *Explicatur, hac in cauſa, locus* Cypriani. §. V, VI. *Defenditur hæc* Veterum *ſententia.* §. VII. *E quibus* Scripturæ *locis illam collegerint.* §. VIII. *Obſerv. primo è* factis *Domini legitimam procedere* argumentationem, *præcipue id genus* factis *qualia adhibuerunt, hac in cauſa, Veteres.* §. IX, X. *Obſ. ſecundo, non è* factis *modo, ſed ex ipſis Domini* verbis, *conſtat pro* baptiſmo *habendum eſſe* martyrium. §. XI. *Obſ. tertio, non* verborum *eſſe duntaxat, ſed* rerum *etiam ipſarum* baptiſmi *atque* martyrii *affinitatem. Locorum* occaſionem, *in quibus de* baptiſmo ſanguinis *agi crediderunt Veteres, fuiſſe* martyrium. *Domini* baptiſmus *ejuſdem erat* martyrium, *idque ſenſu* Eccleſiaſtico. §. XII. Hæretici *Apoſtolis coævi* martyrium *negabant. Horum* Pſeudo-Chriſtos *refellebat S.* Joannes *argumento à* veri *Meſſiæ* adventu *per* aquam *&* ſanguinem. *Explicatur tota illa argumentatio.* §. XIII, XIV, XV, XVI. *Obſerv. quarto, in ipſo illo* initiationis expiationiſque *ritu, cui peccatorum* purgationem *tribuebant* Veteres, *tam frequentem fuiſſe apud illos* ſanguinis *quam* aquæ *uſum: & quidem ſanguinis* initiatorum proprii. §. XVII. *Nec id modo in* initiationibus, *ſed & in* pactis *obtinebat, pro moribus Veterum* antiquiſſimis. §. XVIII. *Ut* ſanguini, *in hoc* expiationis *negotio, partes concedebant facile* primarias, *ita* humani ſanguinis, *præ* aliis *etiam* ſanguinibus, *vim longe* maximam *agnoverunt.* §. XIX. *Obſ. quinto, ad ipſum* baptiſmi ſacramentum *pertinere* ſanguineum *hunc* baptiſmum, *& quidem ita* pertinere *ut* partem *ejus* præcipuam *conſummet.* §. XX. *Primo* pactum baptiſmale *pro illis* (*qui apud* Veteres *obtinebant*) pactorum *eſſe moribus explicandum.* §. XXI. *Secundo ut in* aliis pactis, *ita & in* noſtro *quoque* baptiſmali, *duo eſſe à ſe invicem diſtinguenda diverſarum partium* officia, Dei *alia, alia* noſtra. §. XXII. *Tertio,* jus *illud* legale *omne, quod* pacti *beneficio obtinemus, ad* Dei promiſſiones, *ex* officii noſtri *præſtatione eſſe deducendum.* §. XXIII. *Quarto, quæ* nobis *incumbunt in hoc pacto baptiſmali* conditiones *à* noſtra *parte præſtandæ, è* ſymbolorum *ſolennium* ſignificatione *colligendum.* §. XXIV. *Quinto, in* ſymbolis *baptiſmi noſtri ſacramentalis* ſolennibus, *non* aquæ *ſolius* baptiſmus *denotatur, ſed etiam ille* ſanguinis; *& quidem ita denotatur ut ad* unum *eundemque* baptiſmum *uterque pertinere intelligatur.* §. XXV. *Ita ſe habet* de facto. §. XXVI. *Redditur facti* ratio. §. XXVII, XXVIII. *Sexto, ita* adumbratur *in ipſo* aquei baptiſmi *ſymbolo* baptiſmus ſanguineus *ut plane innuatur nullam eſſe aquei baptiſmi* efficaciam *niſi ad* ſanguineum baptiſmum *referatur.* §. XXIX, XXX. *Infertur ſeptimo, non modo ex* pacti baptiſmalis *lege, ſed vero ex ejuſdem etiam* æquitate, *vendicari poſſe in* ſanguineo baptiſmo *omnia* beneficia *à* Chriſto, *pro* ſua *pacti baptiſmalis* parte, *præſtanda.* §. XXXI, XXXII. *Infertur octavo* plenam *omnium* peccatorum *præcedentium* indulgentiam *tam eſſe* martyrio, *quam* baptiſmo, *concedendam.* §. XXXIII, XXXIV. *Nihil eſſe alienum à* baptiſmi *natura quod* temporis *intervallo ſejungantur à ſe invicem* baptiſmus aqueus *atque* ſanguineus. §. XXXV. *Nono* martyrum ſanguinem *pro* Chriſti ſanguine *habuiſſe* Veteres. §. XXXVI. *Decimo præcipue ſi, pro* Chriſti exemplo, *publica* animarum *cauſa fuiſſet effuſus.* §. XXXVII. *Defenduntur* Veteres. §. XXXVIII. Martyrium *in altero etiam* Euchariſtiæ *ſacramento ſpondemus.* §. XXXIX. *In* martyrio *jus ad* beneficia *baptiſmi tam* privativa, *quam etiam* poſitiva *conſequimur.* §. XL.

§. I. DIximus, ſuperiori diſſertatione, in *primorum* temporum *martyriis*, locum ab *auxilio Divino* primarium obtinuiſſe recepta illius *Eccleſiæ* primævæ de *martyrii* dignitate *dogmata*, illud imprimis quo *ſecundi baptiſmi* vicem atque beneficia *martyrio* vendicabant. Hoc, quia alienum ſcio à *recentiorum* placitis qui ſuas ſacrarum literarum *interpretationes*, utcunque *infirmas*, nec *certo* aliquo *ratiocinio* nitentes, *Veterum* tamen *ratiociniis* anteponunt; & quia tota hæc *myſticæ argumentationis* ratio, quæ *myſticarum* omnino *ſcripturarum*, hujuſque adeo de *ſacramentis* argumenti, eſt, ſuo quodam *jure* propria, contemta tamen vel neglecta eſt à celeberrimis pleriſque *noſtrorum* temporum interpretibus; & quia qui hanc *Veterum* ſententiam tuentur hodie ſcriptores *pontificii*, unam Veterum *auctoritatem* tamen obtendunt, plane de eorum *ratiociniis* ſecuri, rectene tam è *Scripturis*, & pro *primæva Chriſtianitatis* captu (cui tamen ſoli *Spiritum S.* in *Scripturarum* concinnatione conſuluiſſe alibi [1] probavimus) atque adeo *ſolide*, collegerint: proinde conſultiſſimum duximus ſi tam jucundo utilique argumento, propriam ſuam, ſingularemque diſſertationem aſſignaremus.

§. II. Ab *antiquiſſimis* itaque temporibus *Eccleſiæ*, re-

[1] In Prolegom. ad Dom. *Stearn.* de Obſtinat.

recentiſſimaque *Apoſtolorum* memoria, deducta hæc eſt de *ſecundo* martyrii *baptiſmo* ſententia, & in Eccleſia vulgariter recepta. De *Felicitate* ita auctor [2] Actorum: *Item Felicitas ſalvam ſe peperiſſe gaudens, ut ad beſtias pugnaret, ſanguine ab obſtetrice ad retiarium lotura poſt partum baptiſmo ſecundo.* Eodem ſpectat etiam gentilium de *Saturo* acclamatio cum uno *leopardi* morſu totus ſuo ſanguine perfunderetur, *ſalvum lotum, ſalvum lotum*, quod ita interpretatur actorum auctor, ut ad *ſecundam* martyrii *lotionem* facta eſſet vel à neſcientibus turbis allulio. Ita jam obtinuerat apud *Chriſtianos* ea loquendi ratio qua quis etiam *martyrii* pariter ac *aquæ baptiſmo* lotus diceretur. *Secundæ* porro *intinctionis* voce uſus eſt de martyrio [3] *Tertullianus*, quod & alibi *ſecundi Lavacri*, *ſanguinis* nimirum *baptiſmi*, nomine deſignat. Nec aliter [4] *Origenes* qui ex eo ipſo *baptiſmi officio* colligit recte, *martyrium baptiſmi* nomine, meritoque, inſigniri poſſe, quod *peccatorum remiſſionem* præſtet pariter ac Baptiſmus, ne ſolius *nominis* hic haberi rationem ſuſpicentur adverſarii: [5] καθὸ (inquit) ἄφεσιν λαμβάνει ἁμαρτημάτων ὁ ὑπομείνας, βάπτισμά ἐστιν· εἰ γὰρ τὸ βάπτισμα ἄφεσιν ἁμαρτημάτων ἐπαγγέλλεται, καθὼς παρειλήφαμεν περὶ ἓν ὕδατι καὶ πνεύματι βαπτίσματος, ἄφεσιν ἣν λαμβάνει ἁμαρτημάτων καὶ ὁ τὸ ἓν μαρτυρίῳ ὑπομείνας βάπτισμα, βάπτισμα τὸ μαρτύριον δικαίως λέγοιτ' ἂν, &c. Idem & in aliis locis ſæpe habet idem [6] *Adamantius*. Idem ſæpe noſter [7] *Cyprianus*, & recentiores alii *Cypriano* Patres quamplurimi, quos tædet in hoc loco ſigillatim recenſere. Inde enim conſentientibus *Græcorum Latinorumque* ſuffragiis comprobata hæc opinio ad noſtra uſque tempora deſcendit.

§. III. Eſt porro illud animadverſione dignum, ita inter ſe duos hoſce *aquæ* atque *ſanguinis baptiſmos* contendiſſe Veteres, ut nonnunquam poſtponant ſecundum hunc *ſanguinis* baptiſmum *aquæ* illi primo, & vice verſa nonnunquam anteferant, diverſo id nimirum reſpectu atque conſideratione. Quod quidem ad illud ſpectat *aquei* baptiſmi *officium* quo *unimur Chriſto* atque *Eccleſiæ*, quanquam ſuperiori jam diſſertatione oſtenderimus ſuam quoque vim in hac *ipſa* quoque *unione* augenda ſaltem atque *promovenda* conceſſiſſe Veteres: ita tamen illam conceſſerunt ut vim interim ejus nullam agnoverint ad *eorum* unionem *promovendam* qui nondum eſſent *prævio* aliquo atque *inchoato* ſaltem unitionis *vinculo* Eccleſiæ conglutinati, ſeu *communionis* in officio *Euchariſtico*, ſeu *baptiſmi* reipſa ſuſcepti, vel in *voto* ſaltem expetiti, quæ cauſa erat *competentium Catechumenorum*; vim rurſus nullam ad *martyrii beneficia* nondum unitis impetranda. Nec enim *martyrio beneficium* aliquod tribuunt ſiquis *extra unitatem* paſſus fuerit; ſed nec *illud* ejus *beneficium* agnoſcunt, ut ea ipſa ratione quis *unitus inviſibili* aliqua *unitate* cenſeatur ſi *martyrium* paſſus fuerit. Proinde *hæreticorum ſchiſmaticorumque* martyria, illorum viz. qui aliquo vel actu *ſuo*, vel *Eccleſiæ*, ab *unitate* abſciſſi eſſent, nec *unitorum* fuiſſe crediderunt, nec adeo ullius apud *Deum* pretii. *Catechumenorum* cauſam favorabiliorem cenſuerunt, qui non tam eſſent ab unitate *ſejuncti*, quam eam ipſam unitatem nondum *conſecuti*; quibus ita *vitio* non eſſet vertendum quod nondum eſſent *uniti*, ut contra *laudi* potius eſſet quod *Eccleſiaſticæ diſciplinæ* leges obſervaſſent. Hi certe *voto* tam *ſuo*, quam *Eccleſiæ*, *uniti* jam erant; & cum ſe *legibus Eccleſiaſticis* ſubjeciſſent, eo ipſo ſe *politicæ unitatis* membra profeſſi ſunt, quod *myſticam* illam *unitatem*, quantovis eam haberent in pretio, *arripere* tamen non auderent, expectarent interim, dum, per leges Eccleſiaſticæ politiæ eam rite adipiſci liceret. Illis igitur *æquum* erat concedi *unitatis beneficia*, qui jam ea eſſent, quæ *legitima* eſſet, *unitate* conjuncti; nec ulla ſua *culpa* impedirentur quo minus illam quoque conſecuti eſſent quæ nondum eſſet *legitima*. Erat autem *martyrii fructus* inter *unitatis beneficia*, pro illorum ſeculorum ſententia, cenſendus. Hanc *Catechumenorum* cauſam agit in epiſtola ad *Jubaianum* noſter [8] *Cyprianus*. Damnaſſe autem *hæreticorum ſchiſmaticorumque* martyria notius eſt quam ut ulla probatione indigeat. Nec ſolum fuiſſe in hac cauſa *Cyprianum*, ſed *Eccleſia* pariter *univerſa* ſuffragante damnaſſe, ex ipſo S. *Auguſtino* liquet, qui cum noſtro martyri, in cauſa *baptiſmi hæreticorum* ſeſe ſtrenuiſſime opponit, hanc tamen ejus de *hæreticorum ſchiſmaticorumque* martyriis cenſuram ubique comprobat; ex ipſa etiam *Eccleſiæ catholicæ* praxi liquet, quæ cum *verorum martyrum* ſemper fuerit obſervantiſſima, nunquam tamen illis *hæreticos ſchiſmaticoſve* accenſuerit, nulla eorum *nomina* in *faſtos* ſuos admiſerit, nullam inſtituerit eorum ſolennem *commemorationem*.

§. IV. Quanquam ergo ad *ſubjecti diſpoſitionem* neceſſarius ſit prior ille *aquæ* baptiſmus, ut quis *ſanguinei* baptiſmi poſſit fructum percipere; ſi tamen recte hanc comparationem inſtituere velimus, & de utriuſque baptiſmi *beneficio* judicare, id porro quærendum, utrius baptiſmi magis ſit *beneficium* in *ſubjecto* rite *diſpoſito*? Et quidem *hujus* beneficii reſpectu *ſanguineum baptiſmum aqueo* prætulerunt *Origenes* & noſter *Cyprianus*. [9] *Baptiſma ſanguinis* (inquit *Origenes*) *ſolum eſt quod nos puriores reddat, quam aquæ baptiſmus reddidit.* Quod, paucis interpoſitis, ita explicat: *Vereor ne iſtud baptiſmi eminentius ſit iſto baptiſmate quod per aquam traditur. Illo enim accepto, valde pauci ſunt ita beati, qui id immaculatum uſque ad exitum vitæ ſervare potuerint. Hoc vero baptiſmo qui baptizatus fuerit, peccare jam ultro non poteſt. Et ſi temerarium non eſt, in rebus talibus audere aliquid, poſſumus dicere quod per illud baptiſma præterita peccata purgantur, per iſtud vero etiam futura perimuntur. Ibi peccata dimiſſa ſunt, hic excluſa.* In eandem plane ſententiam *glorioſiſſimum* hunc & *maximum ſanguinis baptiſmum* appellat noſter martyr, quod nempe *glorioſiora* ſint & *majora* ſanguinei baptiſmi *beneficia* quam ſint ea quæ per aqueum ſunt baptiſmum à *ſubjecto* rite *diſpoſito* expectanda. Ita enim ſcribit ille in ſua ad martyrium exhortatione: *Nos tantum* (inquit) *qui Domino permittente primum baptiſma credentibus dedimus, ad aliud quoque ſingulos præparemus, inſinuantes & docentes hoc eſſe baptiſma in gratia majus, in poteſtate ſublimius, in honore pretioſius: baptiſma in quo Angeli baptizant, baptiſma in quo Deus & Chriſtus ejus exultant, baptiſma poſt quod nemo jam peccat, baptiſma quod fidei noſtræ incrementa conſummat, baptiſma quod nos de mundo recedentes ſtatim Deo copulat. In aquæ baptiſmo accipitur peccatorum remiſſa; in ſanguinis corona virtutum. Amplectenda res eſt & optanda, & omnibus poſtulationum noſtrarum precibus expetenda, ut qui ſervi Dei ſumus, ſimus & amici.* Multa hic habemus in hoc *Cypriani* noſtri teſtimonio cum *Origeniano* illo communia, quæque tam communi *aſſertioni*, quam *ſibi* invicem, lucem viciſſim fœnerentur.

§. V. *Gratiæ* imprimis *magnitudinem* inde æſtimat quod, cum poſt *aquæ* baptiſmum *peccamus* iterum, baptizalemque gratiam *amittimus*, in baptiſmo *ſanguinis* nullus ſuperſit metus futurorum peccatorum, ut proinde

[2] Act. *Perp.* & *Fel.* p. 29, 30. Ed. *Oxon.* [3] *Tertull.* de Patient. c. 13. [4] Id. de Baptiſm. cap. 16. [5] *Origen.* in *Matth.* p. 416. Ed. *Huetii.* [6] *Origen.* in Lib. *Judic.* Hom. 7. & in *Johan.* Tom. 8. p. 133. Ed. *Huetii.* [7] *Cyprian.* Ep. LIV. de Orat. Domin. Exhort. Martyr. Ep. LXXIII. [8] Ep. LXXIII. [9] *Origen.* in Judic. Hom. 7.

proinde per illum tam *futurorum* ſecuri reddimur quam *præteritorum*, cum *præterita* duntaxat in *aqueo* baptiſmo expientur, quod etiam ante *Cyprianum* obſervavêrat *Origenes*, & poſt *Cyprianum* noſtrum ſanctiſſima martyr *Pelagia* apud *Ambroſium* L. III. de Virginib. Tum ad *gratiæ* quoque *magnitudinem* illud pertinere cenſet, quod, cum ad ἀρχῆς λόγον & θεμέλιον *aqueum* illum baptiſmum retulerit Apoſtolus, *Ebr.* VI. 1, 2. *Sanguinis* hic baptiſmus ad *fidei noſtræ incrementa conſummanda* pertineat; quod, cum in *aqueo* baptiſmo renunciantes mundo fruitionem Dei non niſi è *longinquo* tamen expectemus, per *ſanguineum ſtatim Deo copulemur*; quod, cum ibi *peccatorum remiſſionem* conſequamur, hic *præmium* etiam *coronamque* expectare poſſimus; illic *ſervos Dei* nos, vel ſaltem ἀπελεύθερος profiteamur, hic etiam *amici Dei* agnoſcamur. Porro *poteſtate ſublimiorem* dicit hunc *ſanguinis* baptiſmum, quod *hominem* miniſtrum ad *aquæ* baptiſmum adhibeamus, in *ſanguineo Angelorum* miniſterio initiemur. Ut enim *inviſibilis* plane eſt *martyrum* ille *baptiſmus*, ſaltem quod ad illam *partem* attinet quæ *Deum* ipſum ſpectat; ita certe *inviſibilem* illam λειτουργίαν ad *Deum* ipſum diximus, pro myſticæ Philoſophiæ principiis, fuiſſe referendam. Ut autem in *myſtico ſacerdotio* duo erant officia *viſibili ſacerdotio* ad amuſſim reſpondentia, *ſuperius* aliud, quod βελτιωτικὸν ſive τελειωτικὸν appellarunt, *Chriſti* proculdubio *ipſius* in hac myſtica λειτουργίᾳ proprium; *inferius* aliud ſive ὑπηρετικόν, quod *angelorum* etiam fuiſſe proprium nihil eſt quod dubitemus: ita certe *baptiſmi* munus ad *inferius* illud miniſterium pertinuiſſe, alibi eſt à nobis, niſi fallimur, probatum. In *externo* enim *aquei* baptiſmi munere *inferioris* generis miniſtris uſi ſunt utplurimum Apoſtoli. Ut proinde idem ſit de *inviſibili* quoque illo *myſticoque baptiſmo* ſtatuendum, ut *exteriori baptiſmo* adamuſſim reſpondeat, hic quoque ὑπηρετῶν fuiſſe uſum, qui non alii eſſe potuerint, pro *veterum* illorum captu, quam *angeli*. *Divinæ* enim *præſentiæ* ſymbolum (*Schechinam* appellant *Judæi*) *angelis* tribuunt ſcriptores veteres tam *Judæi*, quam *Eccleſiaſtici*, quam *Sacri* & *Canonici*; & quam *Deo* tribuunt nonnunquam *apparitionem*, eandem alibi *angelis* aſſignant. *Deus* in rubo *Moyſi* apparuiſſe legitur, quem tamen *angelum* appellat[10] S. *Stephanus*. *Deus* in monte *Sinai* Decalogum edidit, quam tamen eandem *legem ab Angelis* editam ait[11] Apoſtolus. Et vero in hoc *cæleſtium myſteriorum* univerſo negotio, quod præſtatur in viſibilis *Eccleſiaſticæ* Hierarchiæ myſteriis officium ab ordinariis *Eccleſiæ* miniſtris, tam βελτιωτικὸν illud, quod dixi, quam etiam ὑπηρετικὸν, idem *angelis* officium aſſignat *Clemens Alexandrinus*: [12] ταύτας (inquit) ἀμφω τὰς Δι-κονίας ἄγγελοί τε ὑπηρετῶν) τῷ θεῷ ϰῇ ἡ τῆ σωτηρίων οἰκονομίαν, ϰῇ αὐτὸς ὁ γνωστικὸς, &c. Sed redeamus ad noſtrum *Cyprianum*.

§. VI. Idem denique addit myſticum hunc *ſanguinis* baptiſmum *in honore* eſſe *pretioſiorem*. Quæ verba ad illa fortaſſe referenda ſunt, quod cum in *aqueo baptiſmo ſervi* duntaxat conſcribimur, hic in *ſanguineo* baptiſmo *amicorum* titulo longe honoratiori exornemur. Forte etiam ad externam Divini hujus *Agonis* pompam atque apparatum, quod nempe in eo *Deus* & *Chriſtus* ejus exultent. Docet Dominus *exultationem in cœlo* eſſe in converſione peccatoris. Hanc *converſionem* illi ad baptiſmum *aqueum* fortaſſe retulerint, & *exultationem in cœlo* illam de *angelorum exultatione* intellexerint. Opponitur enim *Deo cœlum* S. *Luc.* XV. 21. Et *cœlum* cum τοῖς ϰατοιϰοῦσι conjungitur, *Apocal.* XII. 12. quod certe de *Trin-uno Deo* ita commode intelligi nequit. Ita igitur *Deum* hujus *ſanguinei* baptiſmi præſidem crediderunt, quod, cum *martyrium agonibus*, ſive *ludis theatralibus*, contuliſſent, Deum *Agonothetam* fecerint, & quaſi *conſulem* in *Orcheſtra ſpectatorem*. Ipſa *ſpectaculi* voce à *theatris* deſumta uſus hac in cauſa eſt Octavius: [13] „Quam pulcrum (inquit) ſpectaculum „Deo, cum Chriſtianus cum dolore congreditur, *&c.* Et noſter *Cyprianus*: [14] „Spectat militem ſuum „Chriſtus ubique pugnantem. Et poſtea: Ecce „agon ſublimis & magnus, & coronæ cœleſtis præ„mio glorioſus, ut ſpectet nos certantes Deus. [] „Prælíantes nos & fidei congreſſione pugnantes ſpe„ctat Deus, ſpectant angeli ejus, ſpectat & Chriſtus. Et alibi: [15] „O quale illud fuit ſpectaculum Domi„no, quam ſublime, quam magnum, quam Dei „oculis ſacramento ac devotione militis ejus accep„tum, &c. Nec mirum hac eadem ſimilitudine uſos eſſe toties *Chriſtianos*, quam & ipſam eandem adhibuerant ipſi etiam *Philoſophi*, [16] *Seneca* & [17] *Epictetus*. Quanquam etiam altius repetitam fuiſſe veriſimile eſt, à *viſionibus* nimirum illis quibus Deus præſens laborantibus apparuerat. Ita S. *Stephano Chriſtus* Act. VII. 55. Et in certamine *Polycarpi* vocem cœlitus emiſſam memorant *Smyrnenſes*, [18] ἴσχυε Πολύϰαρπε, ϰῇ ἀνδρίζου. Et merito ſane illi *Dei* hanc faventis *præſentiam* maximi honoris loco duxerunt. In eo autem prætulerint fortaſſe *ſanguinei* hujus baptiſmi apparatum, quod, cum in *cœlo gaudium* eſſe memorant ſacræ Literæ in *converſione peccatoris*, (*aqueo* nimirum baptiſmo expiati) *cœli* nomine *cœleſtes* creaturas, *angelos* nimirum intellexerint; hic *Deum* ipſum ejuſque *Chriſtum* plaudentes introduxerint.

§. VII. Non me latet *antiquitatis* contemtores quam illi hæc veterum *Chriſtianorum* ratiocinia *nullo* ſint in *loco* habituri. Quod *martyrium baptiſmi* ſecundi titulo inſignierint; nec nudo duntaxat *titulo*, ſed præterea omnia prioris baptiſmi *beneficia* eidem attribuerint; nec eo ipſo contenti, *ſuperiorem* etiam eo *ipſo* baptiſmo fecerint qui à Deo fuerat inſtitutus: pro nudis illi proculdubio habituri ſunt *martyrum* deliriis atque commentis. Indignabuntur porro, nec ferendam audaciam eſſe clamitabunt, tantum illos inventis ſuis tribuere ut *commentitium* ſuum baptiſmum baptiſmo à *Chriſto* inſtituto vel *conferre* audeant, nedum *anteferre*. Quæramus igitur meritone, an ſecus, in ea veteres fuerint ſententia? Rogo interim atque obſecro, ut tantiſper ſeponant *affectus* dum *rationem* reddimus cur ita ſenſerint *primævi* (*chriſtiani*. Ita fiet ut & *nobis* æquiores ſint, & *ſibi* ipſis optime conſulant, ſi non ſint in heroas illos, *Chriſto* proculdubio cariſſimos, cenſores temerarii. Videamus itaque imprimis unde veteres *ſecundum* hunc *baptiſmum* collegerint. Inde intelligemus an proba fuerit & *ſolida* illa collectio. Inde num & illa quoque *ſolida* quæ de eorum inter ſe commiſſione prioribus illis principiis datis ſuperſtruxerint.

§. VIII. Et quidem *recentiores* ab *antiquioribus* illum accepiſſe manifeſtum eſt. Non ſunt igitur in hunc noſtrum cenſum recipiendi. Huc retulit martyr noſter S. *Luc.* XII. 50. [19] *De quo* (inquit) *& Dominus dicebat habere ſe aliud baptiſma baptizari.* Retulit etiam *Origenes*. Locupletior eſt in eo probando *Tertullianus*: [20] „Eſt quidem nobis etiam ſecundum

[10] Act. VII. 35. [11] Ebr. II. 2. [12] *Clem. Alex.* Strom. VII. init. [13] *Minut. Fel. Octav.* p. 358. [14] Ep. LVI. [15] Ep. IX. [16] *Senec.* de Prov. c. 2. [17] *Epict.* ap. *Arrian.* [18] Ep. ad. *Philom.* ap. *Euſeb.* Hiſt. Eccl. IV. 15. [19] Ep. LXXIII. ad *Jubaian.* [20] *Tertul.* de Bapt. c. 16.

„dum lavacrum, unum & ipſum, ſanguinis ſcili-
„cet, de quo Dominus, Habeo, (inquit) baptiſ-
„mo tingui, quum jam tinctus fuiſſet. Venerat
„enim per aquam & ſanguinem, ſicut Joannes ſcri-
„pſit, ut aqua tingueretur, ſanguine glorificaretur.
„Proinde ut nos faceret aqua vocatos: ſanguine e-
„lectos, hos duos baptiſmos de vulnere perfoſſi la-
„teris emiſit. Quia qui in ſanguinem ejus crede-
„rent, aqua lavarentur: qui aqua laviſſent, etiam
„ſanguinem potarent. Hic eſt baptiſmus qui lava-
„crum & non acceptum repræſentat, & perditum
reddit. Quod itaque Dominus *paſſionem* ſuam *bap-
tiſmum* alium appellaverit; quod *venerit in aqua &
ſanguine*; quod cum *aqua ſanguinem* in cruce è *vul-
nere* perfoſſi *lateris* emiſerit: hinc colligunt Domini
duplicem fuiſſe *baptiſmum*. Nec tamen *Domini* pro-
prium fuiſſe è S. *Matth.* XX. 22. colligere pote-
rant, in quo loco *Apoſtolorum* paſſio *baptiſmi* nomi-
ne etiam intelligenda eſt. Videamus ergo rectene
hæc atque legitime procedat argumentatio.

§. IX. Recolendum itaque imprimis, quod ſu-
perius etiam [21] obſervavimus, non *dicta* modo *Do-
mini* noſtri, ſed & *facta*, quæ quidem *ſcriptis* habe-
mus hodie mandata; *Prophetica* eſſe, & in *perpetuum*
Eccleſiæ *uſum* conſcripta, ut proinde ex id genus
factis non ſit futilis, ut putant vulgo, ſed ſolida,
argumentatio. Recte itaque concludit *Tertullianus*,
ex eo quod Dominus tam per *ſanguinem* quam per
aquam venerit, *Chriſtianis* etiam tam *ſanguinem*, quam
aquam, eſſe proficuum. Recte iterum ex eo quod
ſanguinem pariter ac *aquam* è vulnere *lateris* emiſerit,
ſanguinem quoque illum ex uſu fore *Eccleſiæ*. Ne ve-
ro nimia permittatur in hoc genus argumentationi-
bus licentia, obſervetur imprimis ea quæ hic pro-
tulerat *Tertullianus* Domini *exempla*, non *extraordi-
naria* fuiſſe, ſed *ordinaria*. In *ordinariis* facile admit-
tent adverſarii *vitam* Domini *exemplum* eſſe Chriſtia-
norum. Quod autem per *ſanguinem* pariter ac *aquam*
venerit, id nemo dubitet quin tale ſit in quo eum
imitari *poſſimus*, quod ipſum nos *ordinarii* voce intel-
ligimus. Quod porro etiam cum *ſanguine aqua* è
vulnere lateris emanarit, id quoque concedent me-
dici *extraordinarium* non fuiſſe ſi de *aqua* pericardii ſit
intelligendum. Obſervetur porro ſecundo *Chriſtia-
nam vitam* ita in N. T. deſcribi quaſi quod à *Chriſto*
ad *literam* geſtum ſit, id nos *myſtice* gerere debea-
mus. Ita cum eo *mori* debemus, cum eo *crucifigi*,
cum eo *ignominiam ferre*, cum eo *ſepeliri*, *reſurgere*
& *aſcendere in cœlum*. Notetur tertio, hæc de Chriſti
paſſionibus eſſe vel primario intelligenda, ut quanquam
geſta ſint ab eo nonnulla imitationem noſtram for-
taſſe ſuperantia; at quæ *paſſus* eſt, nos eadem *pati*
debeamus. Notetur quarto, ita optime de ſenſu
Prophetiæ judicari poſſe ſi *typus* propheticus ad rem
notam alludat in *praxi Eccleſiæ* ab eo repræſentatam.
Ut enim in *Propheticis repræſentationibus* id certum eſt,
non *ſui* gratia *typum*, ſed *antitypi* ab eo repræſentati,
à Deo eſſe deſignatum; ita id quoque certum eſt
non alibi, quam in *Eccleſia*, illud *antitypum* eſſe
quærendum. Ut proinde quoties aptum occurrit in
Eccleſia *antitypum* quod *typo* examuſſim reſpondeat,
nec de alio quæſtio eſt, an ab eo magis ad vivum
exprimatur; ita dubitari non poſſit quin id ipſum
Deus deſignare voluerit; nec eſt in hac argumenta-
tionis methodo quippiam quod laſcivientibus inge-
niis permittatur. Eſt id ſane veterum omnibus mo-
ribus omnino conſentaneum, quicunque ſunt in
Propheticorum ſymbolorum interpretatione verſati. Id
cum ob oculos haberent N. T. ſcriptores *N. Teſta-
menti* univerſam œconomiam *antitypam* eſſe, quæ
fuerit in univerſa itidem *V. Teſtamenti* œconomia ad-
umbrata: proinde cum quid in utraque œconomia
ſimile repererint, id una etiam admittunt, quod ali-
bi nuſpiam, ut in id genus *ſimilitudinibus* à *ſimilitu-
dine prototypa* ad *antitypam* ſolidam agnoſcant & legi-
timam argumentationem. Et quidem ea *certitudine*
certam agnoſcebant hujuſmodi argumentationem
quæ cum ea *obſcuritate* conciliari poſſet quæ ſtyli
ſymbolici & *prophetici* fere genuina eſt, ita ſaltem cer-
tam ut locum interim relinquat *libero* hominum *ar-
bitrio*, ita certam ut hominibus cordatis abunde ſuffi-
ciat ad *praxim* prudenter inſtituendam. Ita quibus-
cunque V. T. locis aliquam habemus *aquæ* mentio-
nem, ea omnia referunt etiam ſacri ſcriptores ad N.
Teſtamenti *aquam baptiſmalem*, & quæ ſint in *noſtro*
baptiſmo *officia* obſervanda inde colligunt. Ita & in
illo *Athenienſium* de *muris ligneis* oraculo *Themiſto-
cles*, cum *Athenienſium* cauſa editum perpenderet,
inde prudentiſſime colligebat ex *Athenienſium* proin-
de *moribus* eſſe intelligendum. Et cum oracula
Loxiæ, *Delphici* nimirum *Apollinis*, pariter ac *Judæo-
rum Prophetiæ*, non eſſent ad *literam*, ſed *ſymbolice*,
potius exponenda; id porro quærendum duxit, ec-
quid eſſet in jam conſtituta *Athenienſium* Rep. quod
cum *muris ligneis* aliquid haberet affine (nec enim in
muros noviter *exſtruendos* ipſum innuebat oraculum) &
vero nihil erat quod in urbe quæ viribus floreret
commerciiſque *maritimis*, de quo *muri* illi aptius
poſſent, quam de *navibus*, intelligi. Nec vero aliquid
opponi in contrarium poteſt de hujus argumentatio-
nis *incertitudine*, quod non ſit omnium fere *Prophetia-
rum oraculorumque* commune ab ipſis uſque utrorum-
que exordiis.

§. X. Hæc itaque omnia validiſſime procedent,
ſi quinto id quoque ſupponatur, res ita à *Propheticis
typis* repræſentatas ad *perpetuum* attinuiſſe Eccleſiæ
uſum. Quæ enim ita *perpetua* futura ſunt, ea Deo
curæ eſſe certiſſimum eſt; ea maxime *neceſſaria* ut
certo aliquo *decreto* ſtabilirentur; ea ad *primarium*
Dei in *Propheticis* ſymbolis *conſilium* pertinuiſſe cen-
ſenda ſunt. In his itaque cum quid accuratiſſime
quadrat, non *fortuito* id *caſui*, ſed *certiſſimo* pro-
videntiæ *conſilio* tribuendum eſt. Cum ergo quæ de
Domini adventu legimus per *aquam* & *ſanguinem*, de
aqua etiam & *ſanguine* è *lateris* vulnere profluentibus,
pro *ſtyli Prophetici* idiomate, *ſymbolorum* vicem obti-
nuerint; cum ea in *utrumque* hunc Eccleſiæ *baptiſmum*
aptiſſime conveniant; cum nihil ſit quod dubitemus
quin *perpetuus* uterque futurus ſit: plane ſequitur, ita
eſſe Dominum commodiſſime intelligendum. Præ-
ſertim ſexto ſi id quoque obſervetur, ni huc *typos*
Domini referamus ut prænunciarent quem ille vo-
luit *Eccleſiæ* ſtatum atque conſtitutionem; nihil cer-
te eſſe quo aliunde conſtet Eccleſiæ *diſciplinam* ab eo
eſſe conſtitutam. Nec enim de ea *diſertis verbis* à
Domino alicubi cautum legimus. Quid quod hæc
per *ſymbola* tradendi methodus ita eſt à *Domino* pro-
bata, ut *multitudini* omnia, *diſcipulis* etiam pleraque
per *ſymbola* tradiderit; & quidem, pro veterum de
ſe *prophetiarum* fide, ita erat traditurus. Tunc vero
maxime *idonea* erat ea tradendi ratio cum res *futu-
ræ* traderentur quibus nondum maturus eſſet audito-
rum captus. Cum enim *talia* traderet Salvator, etiam
diſcipulos per *ſymbola* inſtituit, dedita nimirum opera,
ne antea *intelligerentur* quam eorum fidem *eventus*
comprobaſſet. Atqui *Spiritus baptiſmus*, quæ quidem
ſacramenti pars erat præcipua, non tamen ante *reſur-
rectionem* erat communicatus, ut proinde illum quo-
que non *diſertis verbis*, ſed *aquæ ſymbolo*, prædiceret,
S. *Joan.* VII. 38, 39. Quod ſi *baptiſmum Spiritus*, qui
ad

[21] Diſſert. VII. §. 29.

ad *gloriam* ejus tantopere faciebat, obſcuris tamen ænigmatibus involvendum duxerit; multo certe potiori ratione occultandus erat *ſanguinis* illi atque *martyrii* quem modum poſſent omnino *capere*. Nec enim adhuc ipſum *Dominum* eo *ſanguinis baptiſmo* fungi oportere crediderant, in infidelitatem fere relapſi, cum id verum, præter expectationem ſuam, revera comperiſſent, S. *Luc.* XXIV. 21. gravius omnino paſſuri ſcandalum ſi ſibi quoque eundem ſubeundum nondum maturi didiciſſent. Proinde quamvis eorum, quæ *ſua cauſa* paſſuri erant diſcipuli, meminerit aliquoties Dominus, ne, cum *eveniſſent*, eum *latuiſſe*, aut præter illius *conſilium* eveniſſe, ſuſpicarentur; id tamen *caute* admodum, & pro *infirmorum* captu, fecit, nedum ut *baptiſmum ſanguinis*, qui ſtatus erat patiendi, perſpicue commemoraret.

§. XI. Obſervandum itaque ſecundo, id quoque negari non poſſe, *paſſionem* ſuam *baptiſmum* appellaſſe *Salvatorem:* & quod *Apoſtoli* pro ejus nomine *paſſuri* eſſent, tantundem apud illum valere ac *baptizari eo baptiſmo* quo eſſet ipſe *baptizatus*, S. *Matth.* XX. 22. Ita enim in *Græco* habemus, & in aliis *vetuſtiſſimis verſionibus*, deſunt tamen ea verba in *Latino* interprete vulgato, ſuffragantibus etiam [22] *Hilario Ambroſio*, [23] *Hieronymo*, ipſoque, quicquid innuat in contrarium *Grotius*, [24] *Origene*. Convenit tamen cum *Græcis* codicibus vetuſtiſſimus interpres *Syrus*, & ut hic expungenda eſſe fateremur, quin tamen apud S. *Marcum* legenda ſint Cap. X. 38, 39. nemo eſt qui dubitet, ut proinde nihil ſit quod de argumento metuamus. Sed aliam hic *ſignificationem* hujus *vocis* intelligent adverſarii quam qua utimur cum de *ſacramento* loquimur. Oſtendant igitur *aliam* in *illius ævi* auctoribus quam quæ ad *expiationem ſanctificationemque* pertinet. Eo certe ſpectabant, qui tum obtinebant, *baptiſmi*, ut opinor, omnes, non *hominum* modo quibus in *Phariſæorum* aut *Johannis* diſciplinam aſcriberentur, ſed & *vaſorum* quoque illi ſacrorumque *utenſilium*. Quando igitur *notæ ſignificationis* vocem Dominus tribuit *martyrio*, id illum voluiſſe neceſſe eſt, idem fore à *martyrio*, quod à *baptiſmis* illis expectandum, ut nimirum tam *ſanguine* à ſuis *impuritatibus*, quam *aqua*, purgarentur atque expiarentur. Quod ſi dicant nuſpiam indicaſſe Dominum hos eſſe fructus à *martyrio* expectandos, iidem obſervare poterant ne de *baptiſmi* quidem *ſacramento* id unquam docuiſſe Salvatorem. Nulla certe mentio *peccatorum expiandorum* in ejus apud S. *Matthæum inſtitutione*, nulla in ejus *uſu* apud S. *Johannem*. Et tamen hunc *baptiſmi ſacramentalis* fructum nos alibi ex Apoſtolorum ſcriptis probavimus. Quod ergo ita docuerint *Apoſtoli*, id ex *nota* illa, quam dixi, tunc temporis *ſignificatione vocis*, & *rei* ipſius apud illos, à quibus illam *Chriſtiani*, uſu illos deduxiſſe eſt ſane veriſimillimum, niſi ad *novam* potius Apoſtolorum *revelationem* hic, ſine ulla prorſus neceſſitate, confugiendum putent adverſarii. Quod ſi *Apoſtoli* ex *nota* illa vocis *ſignificatione* collegerint *baptiſmo ſacramentali* vim illam *peccatorum expiatricem* eſſe tribuendam; quidni & nos, ex *ejuſdem* vocis *ſignificatione* itidem colligamus, *ſanguineo* quoque *baptiſmo* vim eandem *purgatricem* eſſe pariter tribuendam?

§. XII. Ne quis autem putet unicum noſtrum præſidium in *vocis* ipſa *ſignificatione* eſſe poſitum; age, videamus, annon ex *re ipſa* conſtet recte hic à veteribus acceptum eſſe Salvatorem? Obſervandum itaque tertio, veriſimillimam horum locorum occaſionem, in quibus de *baptiſmo ſanguinis* agi crediderunt veteres, fuiſſe *martyrium*. *Alium* illum baptiſmum, quo ſe dixit Dominus fore *baptizandum*, de *paſſione* ejus in *cruce* intelligendum eſſe nemo dubitet. Ea autem ipſa *paſſio*, pro more etiam ſcriptorum ſacrorum, *martyrium* appellatur. Inde & ipſe Dominus μάρτυς ὁ πιϛὸς ϗ ἀληθινὸς, *Apocal.* I. 5. III. 14. dicitur, & μαρτυρῆσαι ἐπὶ Ποντίᾳ Πιλάτῳ τ̀ καλὴν ὁμολογίαν 1 *Tim.* VI. 13. Quæ verba omnia *martyrium*, pro primævæ Eccleſiæ idiomate, deſignant. Nequid autem hic ab Eccleſiaſticis confictum arbitremur, etiam ipſam *martyrii* vocem ſignificatione Eccleſiaſtica uſurpant ſacræ literæ. Ita μάρτυς *Stephanus Act.* XXII. 20. & μάρτυς ὁ πιϛὸς *Antipas Apocal.* II. 13. quæ eadem *Domino* antea tribuerat, ut vidimus, auctor *Apocalypſeos*, nequis hic miretur *martyris* vocem etiam *Domino* tributam, ſenſu *Eccleſiaſtico* intellectam eſſe à veteribus. Ita certe alienam non crediderunt à *Domino* hanc hujus vocis *ſignificationem*, ut *propriam* etiam fere *Domino* fecerint ipſi *martyres* nonnulli apud [25] *Euſebium*. Quod ſi Domini *paſſio martyrium*, eademque ſit *baptiſmi* quoque nomine inſignienda; Ecquid novum alienumve dicimus ſi etiam de *martyribus Eccleſiaſticis* idem affirmemus?

§. XIII. Sed & aliorum locorum *occaſionem* eodem collimare eſt ſane veriſimillimum. Cum ſcriberet Apoſtolus S. *Joannes*, jam orti videntur hæretici *Valentinianis* quidem *antiquiores*, eorum tamen *parentes* atque *origines*. Nec enim prorſus *novum* erat *Valentinianorum* inſtitutum, ſed *priorum hæreticorum* inventa πρὸς ἴδιον χαρακτῆρα μεθήρμωσε, inquit de *Valentino* [26] *Irenæus*; cujuſdam *veteris opinionis ſemina nactus eſt*, teſte [27] *Tertulliano*. Ut igitur *Jeſum* à *Chriſto* diviſerunt *Valentiniani*, ad *antiquiorum hæreticorum* exemplum *Apoſtolo* coævorum, quorum occaſione tam eſt in eo ipſo argumento multus in prima ſua epiſtola Apoſtolus; ita & *martyria* cum iiſdem *Valentinianis* eoſdem etiam *Apoſtolo* coævos *hæreticos* ſuſtuliſſe probabile eſt. In illam certe ſententiam optime quadrabunt Apoſtoli *argumenta*, ut ante nos noſter obſervavit *Hammondus*. *Antichriſti* erant hi *hæretici*, ſeu, quod apud Apoſtolum tantundem valet, *Pſeudo-Chriſti*, quod *Chriſti Judæis* promiſſi perſonam ipſi in ſe ſuſciperent. Proinde illud innuit Apoſtolus totius Evangelii ſui fuiſſe conſilium, *ut crederent Jeſum fuiſſe filium Dei*, Joan. XX. 31. (quem nempe titulum *Meſſiæ* ſuo è Pſ. II. 7. illius ſeculi *Judæi* aſſerebant) non autem illos *hæreticorum* anteſignanos. Quare inter cætera argumenta quibus *falſum* illum de *Chriſto* prætextum refellit Apoſtolus, illo quoque uſus eſt de *veri Chriſti adventu* per *aquam* & *ſanguinem*. [28] *Hic eſt* (inquit) *qui venit per aquam & ſanguinem Jeſus Chriſtus; non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine*. A *ſignis* nimirum *veri Meſſiæ* argumentatus eſt de quibus inter *Judæos*, vel ſaltem *illius* ævi *Chriſtianos*, convenerat, tam ut *Jeſum* noſtrum verum *Meſſiam* comprobaret, quam ut *Pſeudo-Chriſtos* illos vel eo ipſo *baptiſmi* nomine improbaret. *Venit* (inquit) *per aquam & ſanguinem*. Nempe inter alios *Meſſiæ* titulos, quibus illum deſignatum intellexerant in Scripturis, erat vel præcipuus ille Ερχομένϕ. Ita habemus in S. *Luc.* VII. 19, 20. & alibi. Illum fortaſſe è celeberrimo illo loco, *Gen.* XLIX. 10 vel Pſ. L. 3. XCVI. 13. XCVIII. 9. collegerint, aliiſve ſimilibus *Scripturæ* locis quibus *Meſſias venturus* dicitur. Quare cum *Meſſias venturus* appellaretur, tantundem valent *ſigna Meſſiæ* ac *ſigna adventus*. Ita de *vero Meſſia* diſcipuli ejus, *Quod ſignum adventus tui?* S. *Matth.* & de *falſo Meſſia* Apoſtolus: *Cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute*

[22] *Hilar.* Can. 30. in Matth. [23] *Hieron.* L. III. Comm. in *Matth.* XX. [24] *Origen.* in *Matth.* Tom. 16. p. 415. Ed. *Huetianæ*. [25] *Euſeb.* Hiſt. Eccl. V. 2. [26] *Iren.* L. I. c. 5. [27] *Tert.* adv. *Valent.* c. 4. [28] 1 Joan. V. 6.

virtute & ſignis, &c. 2 *Theſſ.* II. 9. *Venire* itaque *per aquam* & *ſanguinem* idem valet ac per *aquam* & *ſanguinem* ſe *verum Meßiam* comprobare.

§. XIV. Nempe qui *venturus erat in mundum* is idem erat à *Patre mittendus* atque *ſanctificandus*, S. *Joan.* X. 36. Ea autem *ſanctificatio* qualis intelligeretur, è *ſanctißimo* Judæorum *officio*, *ſummo* nimirum *ſacerdotio*, optime colligemus. In illius itaque *ſanctificatione* tam *aquam* quam etiam *ſanguinem* locum habuiſſe conſtat; *aquam* equidem *Exod.* XXIX. 4. *Lev.* VIII. 6. *ſanguinem* autem *Exod.* XXIX. 20, 21. *Lev.* VIII. 23, 24. Ad *Meßiam* enim tanquam *myſticum* Evangelici fœderis *ſacerdotem*, retulit in hac ipſa cauſa Apoſtolus *Judæi Pontificis* exemplum, quod ille etiam *paſſione* ſua eſſet *ſanctificandus*. Τελειώσεως voce uſus eſt [29] *Apoſtolus*, *myſtica* nimirum illa, & ſacræ *myſteriorum præfecturæ* propria. Ita tamen *Chriſti* hoc *ſacerdotium* cum *Judæorum ſacerdotio* contendit Apoſtolus, ut, cum in utriuſque *conſecratione ſanguinis* uſum adhibitum probaſſet, in eo eminuerit *Chriſti ſacerdotium* quod *ſuo* duntaxat *ſanguine conſecratus* fuiſſet *Chriſtus* cum *externo* duntaxat *pecudum ſanguine* uſi eſſent in *ſacerdotum* ſuorum *conſecratione Judæi*, Ebr. IX. 25, 26. Idem & alibi ſæpius inculcat, cum non *taurorum hircorumve*, ſed vero *proprio* duntaxat, *ſanguine Chriſtum* docet *initiatum*. Ergo cum *Judæis* in eo convenerat *Apoſtolus*, ad quorum *principia* ſuam hic aptavit *argumentationem*, ut *Pontificem* fore *Chriſtum* à *ſummo* nimirum *Judæorum Pontifice* adumbratum, ita qui *verus* futurus eſſet *Meſſias*, *ſanguine* pariter ac *aqua* tam *ipſum* fore *luſtrandum* (vel, ut *Evangelica* voce utamur, *baptizandum*) quam *alios* iiſdem eſſe *luſtrandum*. De *aquæ baptiſmo* id fuiſſe receptum conſtat ex ipſa illa *Phariſæorum* interrogatione qua *Joannem*, ipſene ſe pro *Meſſia* venditaret, explorandum cenſuerunt: *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?* S. *Joan.* I. 25. Idem de *ſanguinis baptiſmo* innuunt illa Domini ad diſcipulos: [30] *O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti ſunt Prophetæ! Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Hoc ſcilicet ex illis collegit *Scripturis* quarum ſenſum poſtea *diſcipulis* explicuit, cum eorum *intellectus* aperuiſſet ut *ſcripturas* intelligerent, illis nimirum quæ vel ex illorum ſeculorum *conceſſis*, vel certis quibuſdam illius ſeculi *ratiociniis*, de *Meſſia* intelligendæ erant, quæque futuram commemorarent *Meſſiæ paſſionem*, quales proferunt quamplurimas non *N.* modo *Teſtamenti* ſcriptores, ſed & ſequentium ſeculorum *Patres* quorum extant hodie diſputationes adverſus *Judæos*, *Juſtinus*, *Tertullianus*, *Euſebius*, &c.

§. XV. Illæ ergo *Scripturæ* quæ, pro illius ſeculi captu, de *Meſſiæ paſſione* intellectæ ſunt, *argumenti* vicem obtinere poterant apud illos, qui, ut ab *Orthodoxis* diſcrepabant in eo quod *Jeſum* eſſe *Chriſtum* negarint, ita & in eo viciſſim à *Judæis*, quod *Chriſtum* qualemcunque illum finxiſſent, *veniſſe* tamen crediderint. Ita ergo *Jeſum* Apoſtolus *Chriſtum* fuiſſe confirmavit, quod tam per *ſanguinem* quam per *aquam* venerit, in eo nempe ponens *emphaſin* atque *argumenti* vim, quod *non in aqua ſolum venerit*, ſed *in aqua & ſanguine*, quod nimirum illum de *adventu* in *aqua* prætextum nec *Pſeudo-Chriſti* quidem abjeciſſent, *ſanguinem* duntaxat inter *adventus* ſui *ſigna* non adhibuiſſent, (cum nec ipſi *Antichriſti patiendi*, ſeu *exemplum*, ſeu etiam *inſtitutionem*, diſcipulis edidiſſent) qua ipſa ratione illos probat à *Chriſti* eſſe nomine excludendos, qui *utrumque ſignum* adhibere debuerit.

§. XVI. Nec alio referendum exiſtimo quod, in Evangelio, *ſignum* illud de *aqua* & *ſanguine* è *lateris vulnere* in cruce manantibus tantopere confirmandum crediderit Apoſtolus, quaſi de eo fuiſſet maximopere dubitatum. [31] *Et qui vidit* (inquit) *teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus. Et ille ſcit quia vera dicit, ut & vos credatis.* Ni quæſtio fuiſſet inter *æmulos Chriſti*, ea, qua dixi, ratiocinatione terminanda, *alia* profecto Domini *miracula* abunde ejus à Patre miſſionem confirmaſſent. *Eorum* tamen *miraculorum teſtes* nullos protulit, nedum tanta illa, qua hic uſus eſt, *aſſeveratione*. Quid quod verba illa, *ut & vos*, emphaſin quandam habeant eximiam, *reliqua* nimirum *miracula infidelium* cauſa fuiſſe tam *edita*, quam *ſcriptis* etiam conſignata; hoc *unum aliis* omnino *adverſariis* fuiſſe deſtinatum illis nimirum quorum gratia ſcriptum fuiſſet Evangelium, *Antichriſtorum æmulorum* aſſertoribus. Recte itaque hanc *ſanguinis* pariter ac *aquæ* è *Chriſti latere* emiſſionem, atque duplicem hunc *aquæ ſanguiniſque baptiſmum*, eodem retulit *Tertullianus*. Quod enim adverſus *eoſdem adverſarios* conſcripta eſſent ab Apoſtolo, inde ſane veriſimile eſt, *eodem* eſſe referenda. Et quia cum *aquæ* & *Spiritus baptiſmis* ita *ſanguis* ab [32] Apoſtolo confertur ut ipſe *ternarium* cum illis numerum conficiat; plane ſequitur *baptiſmi* etiam rationem *ſanguini* cum *aqua* fuiſſe communem. Quia etiam ex *aquæ* & *ſanguinis* emiſſione ita *Antichriſtos* refutat in *Evangelio* ut in *epiſtola* refutarat per *adventum* in *aquæ* & *ſanguine*: ſequitur præterea, ſi in *epiſtola* per *ſanguinem* baptiſmus *ſanguinis* intelligendus ſit, in emiſſione etiam illa *aquæ* & *ſanguinis*, quæ in *Evangelio* memoratur, *aquæ* etiam *ſanguiniſque baptiſmos* eſſe ſimiliter intelligendos. Ita itaque ex locorum occaſione in quibus *aquæ ſanguiniſque* mentionem retulit hue *Tertullianus*, & cum *Tertulliano* vetus illa proculdubio *Eccleſia*, colligimus, non alium utique *ſanguinem* quam *baptiſmalem* eſſe intelligendum.

§. XVII. At *æquivoce* (inquies) communis erat *baptiſmi* illa ratio *aquæ*, *ſanguini* atque *Spiritui*, ut proinde non ſit quod ex communi hac *baptiſmi* ratione inferamus *ſanguinei* atque *aquei baptiſmi fructus* eoſdem eſſe expectandos. Id ne dicatur, obſervamus præterea quarto in ipſo illo *initiationis expiationiſque* ritu, cui *peccatorum* illam *purgationem* tribuebant Veteres, tam frequentem fuiſſe apud illos *ſanguinis*, quam *aquæ*, uſum. In utraque illa tam *Judæorum*, quam *Gentilium*, initiatione *ſacrificiorum* uſum interceſſiſſe nemo eſt quin facile concedat. Nota eſt apud *Judæos* etiam *Rabbinorum* illa obſervatio qua *tria* dicunt in *proſelytiſmo* eſſe obſervanda, *circumciſionem*, *ſacrificium* atque *baptiſmum*. Et vero *ſacrificii* vicem ſuſtinuiſſe, ex Veterum ſententia, *martyrium* jam probavimus. Porro præter *ſacrificiorum ſanguinem*, ne id quidem erat à communi *initiationum* uſu alienum ut *ſuum* quoque *ſanguinem* ad *ſui expiationem* adhiberent. Clarum illud eſt in *circumciſione* apud *Judæos* exemplum. Sed & in *Bellonæ* initiis *ſanguinem* emiſſum eſſe diſcimus ex Tertulliano: [33] *Hodie* (inquit) *iſthic Bellonæ ſacratus ſanguis de femore proſciſſo in palmulam exceptus ſuis datur ſignatis.* Ejuſdem ritus meminerunt & alii. Cum tamen ita ſcribat in *Commodo* ſuo Lampridius, *Bellonæ ſervientes vere exſecare brachium præcepit*, colligit *Caſaubonus* plerunque *ficta* & *ſimulata* tantum fuiſſe vulnera *Bellonariorum*. Eo venerunt fortaſſe mollioribus ſuis interpretatiunculis fanatici *recentiores*. Sed *verum* fuiſſe *ſanguinis emiſſionem* quæ ab *antiquioribus* introducta eſt, & *verum* illam quæ à *militibus* obſervata eſt *Bellonæ* initiatis, è

[29] Ebr. II. 10, 11. V. 8, 9. [30] S. Luc. XXIV. 25, 26. [31] S. Joan. XIX. 35. [32] 1 Joan. V. 8. [33] Tertull. Apol. c. 8.

è ſupradicto *Tertulliani* loco colligimus atque *Vegetii*, aliorumque plerorumque qui hujus ritus meminerunt. Et vero vetuſtiſſimum fuiſſe illum *luſtrationis* morem per *ſanguinis emiſſionem* è quamplurimis conſtat Scripturæ locis *Lev.* XIX. 28. *Deut.* XIV. 1. 1 *Reg.* XVIII. 28. *Jer.* XVI. 6 Ita nempe *Baalitæ*, ita *Galli* (quorum diem ſacrum IX. Kal. *April.* quem & *ſanguinis diem* appellabant, memorat in D. *Claudio Trebellius Pollio*, perperam enim ea ad *Bellonam* retulit *Caſaubonus*, quæ ad *magnam matrem* ipſe retulit *Trebellius*) ita *Iſiaci* & *Luperci* flagris ſeſe pectorumve tunſionibus male ad *ſanguinis* miſſionem uſque mulctantes. Eodem ſcilicet exemplo quo ſua quoque cum *dæmonibus* fœdera *Veneficæ* etiam *ſanguine* dicuntur hodie ſancire.

§. XVIII. Neque vero *initiorum* duntaxat vicem ſupplebat *baptiſmus*, *pacti* etiam illam obtinebat. At *paciſcentium* quoque mos erat ſuo invicem *ſanguine* fœdera ſancire. Ita *circumciſionem* ſuam intelligebant *Judæi*. Unde etiam qui *pacto Moſaico* per *ſanguinem* initiatus fuiſſet, eum, pro receptis *Judæorum* moribus, דמים חתן appellatum ad *Exod.* IV. 26. obſervarunt *Medus* atque *Gregorius*, & ante illos in Lexico ſuo *Schindlerus*. Idem in *Gentilium* quoque *pactis* obtinuit, quorum equidem memoriam aliquam hodie retinemus, *antiquiſſimis*. De *Medis* atque *Lydis* auctor eſt in *Clio Herodotus*, ὅρκια ἢ ποιέεσθαι ταῦτα τὰ ἔθνεα τάπερτε Ἕλλωες· καὶ πρὸς τούτοισι ἐπεὰν σφεῖς βεβαιῶνται ὅτι τάμωνται, ἐς ἣν ὁμοχροΐλω τὸ αἷμα ἀναλείχωσι ἀλλήλων. De *Scythis* in *Melpomene*: ὅρκια ἢ ποιεῦνται Σκύθαι ὧδε, πρὸς σφεῖ ἂν ποιέωνται· ἐς κύλικα μεγάλην κεραμίνην οἶνον ἐσχέαντες, αἷμα συμμίσγουσι τῶν τὰ ὅρκια ταμνομένων. De iiſdem *Scythis* atque *Medis* ita Solinus: *Hauſtu mutui ſanguinis fœdus ſanciunt, non ſuo tantum more, ſed Medorum quoque uſurpata diſciplina*, Polyhiſt. c. 20. Et vero *aliorum* Barbarorum, quorum hæc recepta fuerit conſuetudo, meminerunt *hiſtorici* etiam *recentiores*. Quanquam & in illis quoque *brutorum ſacrificiis* idem intellexiſſe *gentiles* oſtenderunt noſtri adverſus *Sociniano*s, hominum *vicem* geſſiſſe illas *brutorum* mactationes ſimilia ſibi imprecantium ſi fidem fefelliſſent. Ergo ille quoque *ſacrificiorum* ſanguis *humani* tamen erat *ſanguinis* vicarius, eodemque erat loco cenſendus acſi *homo ipſe* ſanguinem *proprium* oppignoraſſet. Cumque duplex eſſet hæc, quam dixi, tam apud *Judæos* quam *Gentiles*, *aquæ* atque *ſanguinis*, peccatorum *expiandorum* gratia, recepta *luſtratio*; major tamen credita eſt, *ſanguinis*, quam *aquæ*, efficacia. *Leviora* enim erant illa quæ *aquæ aſperſione* expianda crederentur. *Graviora* quæque quæ *piacula* ſive ἄγη habebantur, *ſanguine* purganda erant. *Homicidium* inter *piacula* numerabant *Veteres*, quod nimirum ipſi *terræ* maculam inureret nullo, præterquam *ſanguinis*, lavacro eluendam. Ejus autem, ſi *notus* fuiſſet auctor, *proprio* ejus *ſanguine* piaculum expiabant; ſin latuiſſet, *vaccæ ſanguine* in loco immolandæ. Neque vero *cædes* ſola, ſed & *impuritas* illa legalis è *morticinii* contactu contrahenda *vaccæ ruſæ* cineribus purganda erat. Quinetiam totius populi *Iſraëlitici* peccata in [34] *hircum emiſſarium* imprecatione conjecta ſunt, ejuſdem, ut *Rabbini* volunt, morte luenda. Nec alia *Græcorum* erat de ſuis quoque [35] καθάρμασι ſententia, ut ex *Ariſtophanis* ſcholiaſte diſcimus. Tamque erat univerſalis hæc peccatorum per *ſanguinem* purgatio, ut nullam hic exceptionem adhibeat Apoſtolus: [36] *Sine ſanguinis* (inquit) *effuſione non fit remiſſio*. Ita conſentaneum erat illorum temporum dogmatibus, ut cum utramque tam *ſanguinis*, quam *aquæ* expiationem pro *baptiſmo* haberent, majorem tamen *ſanguinei baptiſmi*, quam *aquei*, virtutem agnoſcerent.

§. XIX. Et ut *ſanguini* in hoc *expiationis* negotio, partes concedebant facile primarias; ita *humani ſanguinis*, præ aliis etiam *ſanguinibus*, vim longe maximam agnoverunt. Inde ortum duxit immanis illa, quæ apud Veteres invaluit, ἀνθρωποθυσία, quod delictis *hominum* expiandis *humanus ſanguis* aptiſſimus videretur. Cum gravior aliqua immineret ab irato numine *patriæ* calamitas quæ multorum exitium epidemicum minaretur, multorum vitæ paucorum erant *ſanguine* redimendæ, ſive is *ſacrificio* eſſet, ſive *alio* aliquo *modo* hauriendus. Eam [37] ἀνθρωποθυσίας, apud *Phœnicas* rationem reddidit, apud *Philonem Byblium*, *Pſeudo-Sanchoniathon* auctor, ut vulgo creditur, vetuſtiſſimus. Eandem dicunt rationem *Mythologi* cur *Phryxus* & *Helle* ſacrificio deſtinarentur, cum *terræ ſterilitas* (ita enim *Athamanti* perſuaſit *Ino*) famem minaretur. Eandem cur *Leonis* filiæ, cur *Andromeda*, cur etiam, apud recentiores *Romanos*, *Curtius* & duo *Decii* ſe, patriæ ſervandæ augendæve gratia, exitio devoverint. *Exercitus* ſalutem voluit *Agamemnon Iphigenia* filia ſua, voluit & hoſte *Polyxena*, immolanda ſervare. Multa ſunt eodem ſpectantia exempla quæ plenam fidem faciant quantum in *humanis criminibus* expiandis *humano ſanguini* tribuerint, quantum etiam *aqueis* illum *luſtrationibus* prætulerint. Apud *Judæos* ipſa *circumciſio ſanguineæ* omnino *expiationis* (ſive *baptiſmum* cum *Domino* appellare malis) vicem ſuſtinebat, & quidem *humano* ipſius initiati *ſanguine* faciendæ. Cum itaque id unum ad *baptiſmi* rationem proprie ſpectet ut in eo peccata *expianda* ſint; cum etiam, in ea *expiationis* ratione, exempla habuerit Dominus tam *Judæorum*, quam *Gentilium*, qui *ſanguini* beneficium illud, pariter ac *aquæ* tribuiſſent, qui *humano* etiam ipſius *initiati* ſanguini, qui *majorem* quoque efficaciam *ſanguineæ luſtrationi*, quam vel *aqueæ* conceſſiſſent: Non erat ſane conſentaneum ut quam *expiandi* majorem in *ſanguine* quam in *aqua* virtutem *alii* apud ſe fuiſſe gloriarentur, ea ſoli *Chriſtiani* deſtituerentur. Præſertim cum in eo verſari, jam diximus, univerſam fere N. T. argumentationem, ut quæcunque eſſent, ſive apud *Judæos*, ſive *Gentiles*, privilegia de quibus gloriarentur, ea *Chriſtianis* potiori præſtantiorique ratione convenire probarentur. Non erat conſentaneum ut, cum in eadem hac cauſa *baptiſmi* vocem adhiberent tam ipſe *Dominus* quam *N. T.* ſcriptores, aliam tamen *ſignificationem* intelligerent quam *expiandi* illam omnium notiſſimam receptiſſimamque. Non erat conſentaneum ut, qui ita *ſenſiſſent*, aliter tamen *loquerentur* quam *martyrem* noſtrum jam locutum obſervavimus, ut nimirum *ſanguinei baptiſmi* vim etiam *expiatricem aquei baptiſmi* illi longe anteferendam exiſtimarent. Tantum abeſt ut *duram* hanc, & à ſacramentorum dignitate, & Domini mente *alienam* cenſere debeamus loquendi rationem, ut putant illam alienam adverſarii.

§. XX. Ita itaque oſtendimus, quam hic omnia apte inter ſe congrueque, pro illius ætatis dogmatibus cohæreant, ſi ita *Dominum* ipſum, ita ejus *Apoſtolos*, intelligamus. Inde ſequitur pro hoc eſſe potius ſenſu *præjudicandum*, vel, ſi *vocem* malimus Tertullianeam, *præſcribendum*, ni clara occurrant in *reipſa* argumenta cur ſit aliter intelligenda. Atqui tantum abeſt ut in reipſa *contraria* habeamus argumenta, ut nihil magis faciat ad noſtræ ſententiæ confirmationem quam ſi *rem ipſam* penitius examinemus. Animadvertendum itaque quinto ad *ipſum* baptiſmi *ſacramentum* pertinere *ſanguineum* hunc *baptiſmum*, & quidem ita pertinere ut *partem* ejus *præcipuam* conſummet. Hoc ubi probatum dederimus, nemo erit, opinor, quin facile concedat præcipuum *baptiſmi fructum* ab eo eſſe jure meritoque expectandum. Nec alio ſpectat, ut puto, *Apoſtoli* illa com-

[34] Lev. XVI. [35] *Ariſt.* Schol. in *Plut.* [36] Ebr. IX. 22.
[37] Ap. *Euſeb.* Præp. Evang. I. 10. IV. 16. *Porphyr.* de Abſt. II. 56. Vid. noſtram de *Sanchoniathone* Diſſertationem lingua Vernacula conſcriptam.

comparatio qua *aquam*, *ſanguinem* & *Spiritum* in unum ita contulit, ut, quemadmodum *Pater*, *Filius* & *Spiritus S. unum* ſunt, ita *aqua*, *Spiritus* & *ſanguis* ſint in *unum*, quod nempe *unum* idemque præſtent omnes compleantque *officium*. De *baptiſmali aqua* & *Spiritu* intelligendum obſervavimus, ut proinde *baptiſmum* illum *ſacramentalem* ſupplere debeat *ſanguineus* hic *baptiſmus*. Idque ipſum obſervavit ante nos *Origenes*, ne quis veterum dogmatibus minus conſentaneam ſuſpicetur noſtram hanc interpretationem. Neque vero pugnat quod *ſanguineum* hunc *baptiſmum ſecundum* appellarint iidem veteres. Ita enim intelligendi ſunt, quod, cum *renovari* denuo non poſſit *ſacramentalis* ille *baptiſmus*, in *martyrio* tamen ejus *beneficia* ſint de *novo*, ſine ejus tamen ipſius *renovatione* expectanda, & quod *nova* fidelium adultorum *peccata*, quæ quidem in *aqueo baptiſmo* remiſſa non eſſent, hic plene penituſque & pro *baptiſmalis remiſſionis* modo menſuraque remittatur. Quæ cum *ſecunda* ſit *remiſſio*, non erit utique mirum ſi *ſecundo* etiam *baptiſmo* tribuenda videatur. Sed, miſſo *Apoſtoli* teſtimonio, age *rem* ipſam, ex *propria* hujus *ſacramentalis* baptiſmi *natura*, explicemus.

§. XXI. Recolamus itaque imprimis omne hoc *baptiſmi* negotium *pactum* eſſe quoddam *fidelium* cum *Deo*, nec aliunde rectius quam è receptis *pactorum* moribus explicandum. Eſſe enim *Evangelii* καινὴ Διαθήκη ab illa ſcilicet diverſam quæ *Judæorum* fuerat atque legis *Moſaicæ*; eſſe etiam ſub *Evangelio* non *Teſtamentum* modo, ſed & *pactum*, eamque duplicem Διαθήκης ſignificationem *Evangelicis* etiam *temporibus* convenire; eſſe etiam ſub *myſtico Iſraëlitiſmo* eadem omnino pacti *beneficia* quæ propria olim fuerant *Iſraëlitiſmi literalis*, ut nobis *Deus* ſummus in *proprium* aſcribatur *Deum*, *nos* illi viciſſim in *proprium* aſcribamur *populum*; nec illud modo, ſed *externam* eſſe hanc noſtram cum Deo *confœderationem*, ita nempe intelligendam, ut *externum* aliquod intercedat *unionis* politicæ *vinculum* tam *nobis* invicem, quam *Deo* etiam *nobiſcum* commune, quo *nos* ipſi profiteamur *Deo* fœderatos, & ab *aliis* etiam *fœderati* agnoſcamur, ad eundem plane modum quo & *Iſraël ſecundum carnem* pro *fœderato* Dei *populo*, præ univerſi orbis *gentibus*, olim poterat agnoſci: hæc, inquam, ita ſunt ex N. T. ratiociniis manifeſta, ut mirum ſit eſſe hodie qui de noſtra aſſertione dubitent. Hæc enim ſi vera agnoſcamus: plane ſequitur *externa* ea *ſolennia* quibus in *ſocietatem Chriſtianorum* politicam aſcribimur, ea *fœderis* eſſe *ſolennia*. Quis autem illud dubitet *baptiſmi* eſſe *proprium* officium ut per illum ſacris Chriſtianorum *initiemur*, & in *propriam* aſcribamur *Chriſtianorum ſocietatem?* Convenit præterea quod qui confertur in *Chriſtianorum* baptiſmo *Spiritus*, is ἀρραβὼν (quæ & *arrha* eſt ſcriptoribus *Romanis*) in N. T. appelletur. Erat enim in jure *Romano arrha* pactorum propria, præcipue *nuptialium*. Nempe *myſticam* cum *Eccleſia* unitatem *matrimoniali unitati* reſpondere V. ad *Eph.* innuit Apoſtolus. Propria porro *arrha* eſt illius *temporis* quo *primo* fœdus inimus. Inde ſequitur ut de alia *Spiritus* collatione, præterquam *baptiſmali*, nequeat intelligi. Conveniunt denique & *baptiſmi* illæ in Eccleſia primæva *formæ*, *Credis? Credo; Abrenuncias? Abrenuncio.* Sunt enim & illæ ad *Romanorum* pactorum *formas* expreſſæ, rurſus præcipue *nuptialium*, *Das? Do; Spondes? Spondeo.* Unde illud ſaltem neceſſario colligitur, pro *pacto baptiſmum* primævos ſaltem habuiſſe Chriſtianos.

§. XXII. Hinc ſequitur ſecundo ut in *aliis pactis*, ita & in *noſtro* quoque *pacto baptiſmali*, duo eſſe à ſe invicem diſtinguenda diverſarum partium *officia*, *Dei* alia, alia *noſtra*. Ad *Deum* ſpectant *promiſſiones* quibus cavetur de præſtandis *baptiſmi beneficiis*, tam illæ quæ de *præſenti* præſtandæ ſunt, *peccatorum omnium expiatio*, *Spiritus S. donatio*, *myſtica* cum *Chriſto unio*, ſaltem *externa*, &c. quam quæ de *futuris* adhibentur officii noſtri *præmiis*. Ad nos ſpectant quæ à *nobis* viciſſim ſpondentur pro *noſtra* pacti baptiſmalis *parte* præſtanda. Quanquam enim *promiſſiones* fateamur *extra pacta* factas, ſine *alterius partis obligatione* ſatis commode intelligi poſſe; at quæ *alteram* pacti *partem* conſtituunt, illæ *mutua* omnino *utriuſque* partis exigunt *officia*. Ipſa hoc *pacti* ratio neceſſario ſupponit. *Datæ* enim fortaſſe, non certe *pactæ*, illæ *promiſſiones* dicerentur quæ nulla ſupponerent *officia* ſibi ex *adverſa parte* reſpondentia.

§. XXIII. Sequitur tertio jus illud *legale* omne, quod *pacti* beneficio obtinemus, ad Dei *promiſſiones*, ex *officii noſtri* præſtatione eſſe deducendum. Eſt enim illud omnium *pactorum* commune ut quæ habentur in illis *promiſſiones* eæ *conditionatæ* intelligantur, nec antea debitæ quam præſtitæ fuerint, ex *altera parte*, promiſſionum *conditiones*. Sed in id *genus* pactis quæ, ex altera parte, ſola includunt *beneficia* aliis *præſtanda*, nulla viciſſim ab aliis *recipienda*, qualia ſint *pacta* neceſſe eſt quæ *Deo* ſunt *hominibuſque* communia, nemo eſt quin æquum fateatur nullum eſſe poſſe *jus* ad *beneficia*, ni præceſſerint *conditiones* ex altera parte præſtandæ. Nos tamen de *jure legali* impræſentiarum agimus, non de ſola *æquitate*. Et ut *æquitas* aliqua fortaſſe eſſe poſſit, ut qui conditionem implere *voluerit*, conditionis *beneficium* nonnunquam impetret, licet illam *de facto* nondum impleverit, cum nulla ſua *culpa* à *conditione* etiam *de facto* præſtanda impeditur; at *legali* ſaltem *jure* carere qui conditionem *de facto* non præſtiterit, quocunque tandem rerum *eventu* fuerit impeditus, eſt omnino certiſſimum. In illis præſertim *pactis* adhuc *validius* procedit argumentum quorum *conditiones* non ſunt *conditiones* duntaxat *ad arbitrium* imponentis requiſitæ, ſed etiam *diſpoſitiones* ex parte *ſubjecti* neceſſariæ. Cum itaque nullum hujus pacti redundet in Deum *beneficium*, ſequitur quæcunque Deus à nobis poſtulat, ea *noſtri* eſſe cauſa neceſſaria, ut proinde ni poſtulata præſtemus, ipſis promiſſionem *beneficiis* obtinendis *inepti* reddamur atque *indiſpoſiti*.

§. XXIV. Quarto itaque ut intelligamus quæ nobis incumbant in hoc *baptiſmali pacto* conditiones à nobis pro *noſtra* pacti *parte* præſtandæ, attendendum eſt quæ *ſymbola* ſint à *nobis* in ipſis pacti *ſolennibus* adhibenda, & quid illa *ſymbola*, ex ipſo *Dei inſtituto* ſignificant, & pro *legibus ſignificationis ſymbolicæ* quæ illa ſaltem ætate vigebant. Quæ enim *ſymbola* in *pacti* ſolennibus uſurpantur ea non *ſignificandi* duntaxat; ſed *obligandi* etiam gratia inſtituta ſunt. Ut enim *ſacramenta* omnia, ſive *myſteria*, pro *ſacris* hominum cum Deo *pactis* intelligenda ſunt; ita & id *ſacri* omnis *commercii* genuinum eſt ut *ſymbolice* potius quam ad *literam*, intelligenda ſint, nec ita *verbis*, quam *rebus*, rerum tamen aliarum *ſymbolis*, officia illa repræſententur quæ partium inter ſe tranſigentium habentur *obligatoria*. Quæ itaque *ſymbolis* baptiſmalibus *ſignificantur* ea nos *ſpondere* à nobis deinde *præſtanda* virtute *pacti baptiſmalis* exiſtimamur, ea à *nobis* præſtita *jus* inde *nobis* faciunt ut *promiſſa Divina* ejuſdem *pacti Evangelici* virtute vendicemus.

§. XXV. Quinto in *ſymbolis* baptiſmi noſtri *ſacramentalis* ſolennibus, non *aquæ* ſolius *baptiſmus* denotatur, ſed etiam ille *ſanguinis*, verum ita denotetur ut *uno* eodemque *ſymbolo*, *uno* eodemque denotetur *elemento*, ut proinde ad *unum*, ut diximus, eundemque *baptiſmum* pertinere intelligantur. Ut enim, cum *aqua* adhibetur, *peccatorum deſertionem* pollicemur, futuramque *vitæ ſanctimoniam* quæ *externo* aquæ *ſymbolo* ſatis

ſatis apte repræſentatur ; ita cum in *aquam* deſcendimus & viciſſim ex eadem emergimus, *Chriſti mortem*, *ſepulturam reſurrectionemque* repræſentamus, noſque etiam *ſpondemus* horum omnium participes, paratos nimirum ut quæcunque ille nobis immiſerit, ea nos, illius cauſa ad *mortem uſque* toleraturos. Eodem *ſymbolo*, qua *Chriſtum* reſpicit, intelligimus *Chriſtum* ſibi *paſſiones noſtras* imputaturum, & quam *mercedem* ipſe à *Patre*, pro ſuo cum Patre *fœdere* vendicat, eadem *noſtras* quoque *paſſiones* eſſe remuneraturum. Ita conſtabit quo *jure* ſibi *baptiſmi* nomen vendicent *noſtræ paſſiones*, cum ad ipſam *baptiſmi ſacramentalis* rationem ſpectent *conſummandam*. Conſtabit etiam quo porro *jure* ejuſdem ſibi vendicent *baptiſmi beneficia*, cum illis etiam *ſymbolis* repræſententur quæ à *Deo* inſtituta ſunt, & quæ hoc ipſo *conſilio* inſtituta ſunt ut *paſſiones noſtras* repræſentent atque ſpondeant, & quæ *Dei* etiam nobiſcum *paciſcentis* ſunt quoque *ſymbola ſponſoria*, ipſum præterea, pro mutuo *pacti* jure, ad *præſtanda* ea quæ *ſymbolis* repræſentantur *obligantia*, ſe quoque *noſtras* paſſiones pro *ſuis* agniturum, & *ſuo* merito, *ſua* mercede compenſaturum

§. XXVI. Et vero accuratiſſime, pro Domini noſtri *mente* atque *principiis* conceptam hanc omnem fuiſſe argumentationem facile conſtabit ſi diverſa diverſarum Scripturarum aſſerta in unum colligamus quaſi faſciculum. *Repræſentari* imprimis noſtram in *baptiſmo* cum Chriſto *paſſionem* atque *mortem*, nec *repræſentari* modo verumetiam *ita* repræſentari ut cum *Chriſti* paſſione *noſtras* uniat quodammodo & communes utriſque faciat, VI°. ad *Romanos* capite ſatis aperte docet Apoſtolus. *Unam* eſſe *noſtram Chriſtique* paſſionem ex illis ejus verbis conſtat: *Mortui ſumus cum Chriſto*, v. 8. *Vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt*, v. 6. *Conſepulti ſumus cum eo*, v. 4. Et quidem *repræſentatione* quadam ad vivum totam hanc tranſigi unionem illa innuunt: *Complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus*, v. 5. Nec alio quam *baptiſmi* officio: *An ignoratis quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem*, v. 3, 4. Neque vero *unio* ſola & mera hæc habenda eſt, & quæ tota in hominum *imaginatione* atque *æſtimatione* conſtituta eſt. Eam diximus *ſymboli ſponſorii* eſſe *naturam* ut una inferat *legalem* quandam *obligationem* qua *partes* inter ſe paciſcentes *præſtare* id tenentur quod ſymbolis *repræſentarint*. Inde fit ut, quod ſola *ſimilitudine* fieri non potuit, *nobis* tamen ex hac ipſa *repræſentatione jus* quoddam ad rem ipſam proveniat, quo *unionem* ipſam *internam* & *myſticam* vendicare poſſumus, ejuſque beneficia. Eo ipſo principio nituntur id genus ratiocinia: *Si enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus; ſimul & reſurrectionis erimus*, v. 5. *Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto*, v. 6. Nec enim de *alia morte* hic agi quam *typica* hac atque *ſymbolica* in baptiſmo *repræſentata* jam oſtendimus. Ea *morte ſymbolica* conſtabat jam defunctos eſſe apud quos ita argumentatur Apoſtolus qui *mortis* nimirum *ſymbolis* in *baptiſmo* uſi fuerant. Inde tanquam è principio notorio legitima procedebat argumentatio ſi & illud ſubintelligamus *ſymbola* inter *paciſcendum* uſurpata eſſe etiam & ipſa *ſponſoria*. Nec alia, ut exiſtimo, *hypotheſi* illud nititur etiam ejuſdem Apoſtoli, alio tamen in loco ratiocinium: *Igitur, ſi conſurrexiſtis* (inquit) *cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite*, &c. Col. III. 1. *Mortificate ergo membra veſtra*, &c. v. 5. Quod illos *jam* ſupponat *conſurrexiſſe*, ad illud referri non poteſt quam ad *emerſionem* illam ex *aqua baptiſmali* quæ *reſurrectionis* erat *ſymbolum*, ut nimirum *forenſi* pactorum *idiomate* tunc *reſurrexiſſe* exiſtimarentur cum uſurparent *reſurrectionis ſymbolum*. Inde recte colligit *Coloſſenſium* officia, ea modo *ſupponantur* quæ jam oſtendimus neceſſario eſſe *ſupponenda*. Cum enim *mortis* illo *ſymbolo*, *immerſione* nimirum, ſponderent ſe *membrorum* ſuorum *mortificationem* curaturos; & *reſurrectionis ſymbolo* id quoque ſpopondiſſent, ad *novam* ſe cœleſtemque *vitam* eſſe *reſurrecturos*: inde nemo non videt quam ille ſolide prudenterque argumentetur, cum è *pacto promiſſoque* illos hortatur ne *officio* deeſſent, *fidemve* fallerent. Infirmæ autem admodum & jejunæ forent id genus *ſequelæ* ſi ex *inani* mortis reſurrectioniſque *ſymbolo* ad *myſticam* illos *mortem reſurrectionemque* hortaretur.

§. XXVII. Ita nimirum conſtat *de facto*, ex ipſa *aquei baptiſmi* inſtitutione *baptiſmum ſanguinis* excludi non poſſe, nec etiam è *pacti baptiſmalis* beneficio. Si porro *facti* rationem quærimus, ea eſt, ni fallor, altius è duobus præſertim principiis deducenda: quod ſcilicet *Chriſti mors* ea ſit beatæ *reſurrectionis* mercede coronanda; quod etiam illud ſit in præcipuis *baptiſmi beneficiis* numerandum ut nimirum *baptiſmi* virtute illud conſequamur ut *noſtra* quoque *mors* ſit *Chriſto* imputanda. Quod *Chriſto*, eo ipſo *mortis* nomine, ea deberetur, quam dixi, *reſurrectionis* merces, è V. quoque T. jam ſuperius oſtendimus. Ex illo nimirum *antiquiori pacto* quo de toto *redemtionis* negotio *incarnationiſque* cum *Patre* tranſegit. Quod enim *Chriſti* reſurrectio, non tam *propriæ* ejus & nativæ Deitati, quam *Patri* tribuitur; quod etiam *Pater* non *Patris* tamen in hac cauſa perſonam egerit, ſed *judicis*; nec ſuæ in filium σοργῆς rationem habuerit, ſed *Chriſti* potius in paſſione *meriti*: quod etiam *Chriſtus* non pro ſua hic *æqualitate* cum Patre, ſed plane quaſi *ſubditus*, ſit conſiderandus, & *obedientiæ* merito præmium *exaltationis* à Patre reputarit; plane (inquam) hæc omnia arguunt non *ſuam* hic, ſed vero *alienam*, & quidem à ſua longe diverſiſſimam à Chriſto ſuſceptam eſſe *perſonam*. Et vero ipſa *perſonæ*, quam ſuſtinuit, ratio *pactum* aliquod omnino poſtulat, & mutuum cum Patre conſenſum. Nec enim *Chriſti* nomine *una* aliqua ut Scholæ loquuntur, *individua perſona* intelligitur, ſed *politica* & *publica* quæ ſuo ambitu *omnes* omnium ſeculorum locorumque omnium *fideles* complectatur. His enim omnibus convenire intelliguntur hujus *beneficia*. Poterant fortaſſe *Chriſti merita* præmium aliquod ex *æquitatis* jure *ſibi* impetrare. Quod vero non ex *æquo* duntaxat, ſed pro *juſtitiæ* debito illud vendicent; quod non *ſibi* modo, ſed *ſuis* omnibus illud à Patre debeatur, ſine *pacto* prorſus intelligi non poteſt quo *Pater* etiam *perſonæ politicæ* illam conſtitutionem *acceptaret*. Erat enim hoc antecedenter ad *pactum* ita *arbitrarium* ut nulla *Patrem*, ni ita conveniſſet, vel *æquitas* obligaret, ut pro *Chriſti* meritis mercedem *fidelibus* perſolveret, cum præſertim & ipſi *Chriſto*, in *propria* etiam *perſona* perſolviſſet. Et quidem admodum conſentaneum erat *Platonicis* illius ævi dogmatibus, ut huic αἰωνίῳ Evangelii Ἀληθείᾳ, quæ tamen erat terreſtris, alia etiam reſponderet πνευματικῷ in cœlis cujus virtuti ſit etiam tribuenda terreſtris Ἀληθείας efficacia. Ita *probatum* dedimus hoc *pactum*, quod licet *aſſerant* etiam recentiores, neutiquam tamen *probant*, nec probare unquam *poterunt* qui nullam niſi ex diſertis *Scripturarum* teſtimoniis probationem admittunt.

§. XXVIII. Huic itaque *cœleſti pacto* duo illa tribuenda erant: primo ut *jure* etiam *legali Chriſto* præmium pro *ſuis* meritis deberetur; ſecundo etiam ut *fideles* univerſi *unam* in *lege* cum Chriſto *perſonam* conſtituerent. Nec enim de utrovis horum quicquam in *terreſtri pacto* cautum legimus. Nondum tamen

men ad *ſingulos homines* deſcendit hoc pactum, ut intelligi poſſit *quinam* ad hanc politicam Chriſti perſonam *homines* pertineant ut ſibi poſſint illius cœleſtis pacti *beneficia* vendicare. Proinde præter hoc Patris cum Chriſto *cœleſte pactum*; aliud præterea neceſſarium erat, *Chriſti* cum *hominibus*, & quidem pro captu humano *externum*, externiſque *ſymbolis* celebrandum, ut conſtet quinam illi ſint qui à *Chriſto* pro *ſuis* agnoſcantur. Hoc autem *pactum* ut ad *ſacramenta* ſpectat in genere, ita propius & præcipue ad *baptiſmum* quod unicum *initiationis* ſacramentum omnes agnoſcunt. Illud enim proprie *pactum* appellamus quo *jus pacti* ejuſdemque *beneficia* primum conſequimur, non quo conſecuti *jus* idem *augemus* atque *conſummamus*. Qua itaque ratione ad *baptiſmi conſummationem* oſtendimus pertinere *martyrium*, eadem & ad *pactum Evangelicum* pactique *beneficia* pertinere cenſebitur, nequis *nominis* ſolius, non item *rei* per nomen ſignificatæ, hanc *baptiſmi* cum *martyrio* communicationem interpretetur.

§. XXIX. Obſervandum enim ſexto, non ea tantum *generali* ratione adumbrari in *baptiſmo martyrium*, qua & reliqua omnia baptizati *officia* adumbrantur; ſed quod ipſum *aquei* baptiſmi *ſymbolum* ita noſtrum, quem diximus, *ſanguineum baptiſmum* repræſentet, ut plane nulla ſit *aquei baptiſmi* efficacia niſi ad *ſanguineum baptiſmum* referatur. Qua enim *immerſio* in *aquam* vitæ animalis *mortificationem*, denotat, qua *emerſio* ex eadem novæ etiam ſpiritualiſque *vitæ* ſponſionem, ea, qua dixi, *ſponſarii ſymboli* ſignificatione repræſentat; fateor nullum eſſe Chriſtianæ vitæ *officium* quin ad horum alterutrum referatur, cum κάθαρσιν omnia aut τελείωσιν ſpectent, ut loquamur cum *Pythagoræis*, hæc ad novam myſticamque *vitam*, ad novam illa myſticamque *mortem*, ſimiliter referenda. Nec tamen propterea *novi baptiſmi* beneficia *quibuſlibet* vitæ Chriſtianæ *officiis*, ſed ne *omnibus* quidem ſimul collectis, aſſerimus. Cum enim illud dixerimus præcipuum *baptiſmi* fuiſſe conſilium ut Chriſti morientis reſurgentiſque *imaginem* ad vivum *repræſentemus*, inde etiam *beneficii baptiſmalis* ſpem omnem ab ea ipſa *repræſentatione* arceſſamus; ſequitur proinde ut qua vita atque morte *Chriſtum* accuratiſſime *exprimimus*, in illis primarium baptiſmi *conſilium* conſtituendum ſit, ab iiſdem baptiſmi etiam *beneficia* ſint præcipue expectanda. Atqui *corporeæ* erant illæ *Chriſti* tam *mors* quam *reſurrectio*, quibus nos profitemur in baptiſmo *conformes*, & quarum nos ibidem portemus *imagines*, ut in *corporeæ reſurrectionis* cauſa 1 *Cor.* XV. loquitur etiam Apoſtolus. *Myſtica* enim *reſurrectio* ſi *ſola* in *baptiſmo* ſponderetur, tota illa Apoſtoli argumentatio concideret. Eſt quidem veriſimillimum inde ortum eſſe *reſurrectionem negantium* errorem quod *reſurrectionem* illam baptiſmi *ſymbolicam* de ſolius *animæ* myſtica reſurrectione, non item *corporis* intelligerent. Cum autem ex univerſa illa Apoſtoli diſputatione manifeſtum ſit, illud fuiſſe præcipuum baptiſmi *conſilium* ut, de quo præcipue illius ætatis *fides* vacillaret, de eo interponerentur *promiſſiones* in *pacto baptiſmali* omnium certiſſimæ; plane ſequitur *Chriſti reſurrectionem*, non aliam quam *corpoream* in *baptiſmo* exhiberi, cui & *noſtra* reſpondeat *reſurrectio* præcipue *corporea*. Quod vero ad *mortem reſurrectionemque myſticas* attinet, tantum abeſt ut per illas poſſimus *Chriſti* φορεῖν εἰκόνα, ut ne *vere* quidem *Chriſtus* eo ſenſu ſit unquam *mortuus* aut *reſurrexerit*. *Mori* ille *peccato* non potuit qui nunquam ei vixerat. *Mortificare carnem* non opus habuit qui nullam unquam ſenſit carnis rebellionem. Nec *reſurrexit* ille ad novam ſpiritualemque *vitam* qui præterquam *ſpiritualem* vitam aliam nullam unquam duxerat. *Myſtica* ergo *mors* atque *reſurrectio ſecundarias* fuiſſe oportet, non *primariæ* in baptiſmo *repræſentationis*, quatenus & illæ, quanquam nullam cum Chriſto *conformitatem* ipſæ den[illegible], diſponant ſaltem ad illam animarum *noſtrarum* cum Chriſto *conformitatem*, quam & ipſam *Chriſto* fateor eſſe *gratiſſimam*.

§. XXX. Cum itaque *mortis* hæc *reſurrectioniſque* in baptiſmo *repræſentatio* ad *corpora* noſtra primo referenda eſſe probaverimus: ſequitur *primarium* baptiſmi conſilium eſſe ut *corpora* noſtra *Chriſto* devoveamus, nosque promtos ſpondeamus paratoſque ut *Chriſti* cauſa *mortem* oppetamus, *corporum* viz. Inde *reliquorum* baptiſmi *beneficiorum* ſpem concipimus accipimusque omnium certiſſimam. Imprimis de beata *reſurrectione corporis* nimirum illa, quæ *corporis paſſionibus* accuratiſſime reſpondet. Quæque ut *præcipua* erat plerisque ratio *Chriſtianitatis*, ea præſertim ætate, recipiendæ, ita *creditu* erat omnium *difficillima*, ut proinde conſentaneum eſſet eam commendari argumentis omnino certiſſimis. Tum & *myſticam* quoque illam *mortem reſurrectionemque* pollicemur, quæ *ſecundaria immerſionis* noſtræ *emerſioniſque* in baptiſmo ſignificatione denotantur: & quatenus hæc eadem *ſymbola* pro *Chriſti* etiam parte adhibentur, is una ſpondet ne *ſuam* quidem operam nobis defuturam. Ita conſtat *martyrium* in *primaria* baptiſmi ſignificatione contineri. Conſtat deinde ita à nobis interpoſitam hanc *martyrii ſponſionem* ut ſit *conditio* ex *noſtra* parte præſtanda unde pendeant *reliqua* baptiſmi *beneficia*. Ita ſequitur ex *pacti* hujus *jure*, *martyrio* ſaltem in *voto* deberi omnia *baptiſmi beneficia*. Sequitur ita ad baptiſmi *conſummationem* ſpectare *martyrium* ut *martyrium* de *facto* præſtitum ſpectat ad *conſummationem martyrii* duntaxat in *voto*.

§. XXXI. Ne vero nimius videar in captandis *baptiſmalis pacti* minutiis, colligo ſeptimo non modo ex illius pacti *lege*, ſed vero ex ejuſdem etiam *æquitate*, vendicari poſſe in *ſanguineo baptiſmo* omnia *beneficia* à *Chriſto* pro *ſua* pacti baptiſmalis *parte* præſtanda, nequid ſupereſſe videatur, cur dubitemus rectene hæc & pro *Chriſti mente* veteres collegerint. Cum enim jam oſtenderimus *conditionem* à nobis præſtandam, qua jus illud conſequamur ad promiſſa Chriſti *beneficia*, hanc ipſam eſſe *corporis noſtri* pro Chriſto devotionem; quod nihilominus *recens baptizatis* incruenta morte ſublatis concedat tamen Chriſtus baptiſmi *beneficia*, ratio non eſt quod *conditionem* illam *præſtiterint* cui *debentur* ex *pacti æquitate* ejuſdem *beneficia*, ſed quod *prima* pacti beneficia *gratis* concedantur & ſine *ulla* prorſus *conditione*, præſertim illis qui nondum *actuali obligationi* aut *conditioni* de *facto* præſtandæ obnoxii eſſent, propter *incapacitatem ſubjecti*. *Adultorum* alia eſt omnino ratio. Quam enim *conditionem* nondum *præſtare* poſſunt, eam *velle* ſaltem poterant, ut *facti* loco apud Deum habeatur illud ipſum *votum*. Sunt autem inter ſe admodum diverſæ illæ *æquitatis* rationes qua quis *excuſatur* à præſtanda pacti conditione, & qua quis eandem legis conditionem cenſetur *implevisſe*, ſi minus ad *literam* legis, at pro *legiſlatoris* ſententia, ſi æquus modo adhibeatur *legis interpres*. Ita igitur *martyrium* in *voto* cum ſit pro legis *litera* reipſa aliud, idem tamen cenſebitur cum *martyrio* de *facto* pro *interpretationis æquitate*. Ita fiet ut omnia *baptiſmi beneficia* ſoli debeantur *martyrio*, ſaltem in *voto*. Quod ſi etiam in baptizatis *non-martyribus*, ſoli tamen *martyrio* in *voto* debeatur *jus* illud omne quod conſecuti in *baptiſmo* ſunt ad *baptiſmi beneficia*; quis eſt qui non videat potiori ratione tribuendum eſſe *martyrio actuali*? Eſt enim hæc *legis* ipſa *conditio*, non autem aliud quid

quod *æquo* egeat legis *interprete* ut pro ipſa *conditione* cenſeatur. Quanquam igitur nuſquam aliunde conſtaret, diſertis *Evangelicæ legis* verbis *martyrio* deberi *baptiſmi* benef[illegible]; id tamen facile ex ipſa ejuſdem *ratiocinii* ſequela colligeremus.

§. XXXII. Eſt enim ea in omni, *humana* quoque, *legumlatione* probata argumentatio qua legum *caſibus omiſſis* è *ratiocinii paritate* proſpicimus. Illis nempe canonibus generalibus oriunda, quod cauſis omnibus conſultum cuperent *legumlatores*; quod *rationem* ubique ducem ſequi vellent; quod denique quam rationem in *una cauſa* probaſſent, eandem eſſent & in *aliis* ſimiliter probaturi. Inde contingit ut quæ ita conſtituta fuerint, non pro *prudentium* modo *conſiliis* habeantur, ſed *legum* etiam *vim* obtineant. Inde ſequitur, ſi vel pro *legum humanarum* exemplo *Divina* etiam *legiſlatio* eſſet inſtituenda, *rationis paritatem* pro *Divina* eſſe *lege* intelligendam. Atqui major certe eſt ratio cur valere in *Divina legiſlatione* debeat hæc argumentatio quam in *humana*. Falluntur enim in ſuis *ratiociniis* humani etiam *legiſlatores*, nec *ſequelas* omnes prævident, etiam *legitimas*; ut proinde etiam cum recte argumentamur ex eorum *principiis*, adhuc tamen dubitare liceat eſſentne tamen illi noſtras *ſequelas* probaturi. *Deus* tamen nec in *principiis* hallucinari, nec in *ſequelis*, poteſt. Ita certum erit quam *rationem* in *una cauſa* probarit, in *aliis* etiam eſſe agniturum. Certum erit, ſi *martyrii cauſa* tanta *beneficia* in *baptiſmo* concedat, ipſi *martyrio* longe potiori ratione conceſſurum. Certum ſi *martyrii* vel *votum* tanta tamen & tam copioſa mercede compenſet, nihil eſſe quod metuamus *ſoluto voto* eandem mercedem eſſe negaturum. Certum denique proinde, ſi *plenam* numeriſque ſuis omnibus abſolutam *peccatorum remiſſionem* conſequantur *baptizati*, fore omnino ut eandem conſequantur *martyres*.

§. XXXIII. Addo enim octavo non ita eſſe intelligendum hoc commune *baptiſmi* jus atque *martyrii*, ut in *baptiſmo* remittantur peccata *virtute* quidem illius in *voto martyrii* quod *profitemur* in *baptiſmo*, ſola tamen illa quæ baptiſmum *præceſſerint*, non item ea quæ *inter* baptiſmum admiſſa fuerint atque martyrium. Aliter veteres hoc etiam ipſo paria facere cenſuerunt cum *baptiſmo martyrium*, quod ut in *baptiſmo* peccata omnia remittuntur, ipſum nempe *baptiſmum præcedentia*, non *originale* duntaxat, verumetiam *actualia*, idem ſit de *martyrio* quoque ſentiendum, delere ſcilicet *univerſæ vitæ* flagitia, nihil ut præterea ſuperſit expiandum. Recte quidem illi è principiis modo explicatis. Si enim propter illud *martyrii votum* concedatur peccatorum præteritorum *plena indulgentia*; parem utique *indulgentiam* potius, ut dixi, expectabimus, eodem *voto* jam *ſoluto*. At *par* illa *indulgentia* eſſe nequit ſi quocunque tandem tempore ſuſceptus *baptiſmus* peccata tamen *præterita univerſa* deleat, nec tamen *alia* in *martyrio* deleantur quam quæ *baptiſmum* præceſſerint, tanto utique intervallo à ſe diſſitum, cui & *intervallo* peccatorum nondum remiſſorum *copia* neceſſario reſponderit. Pro *pacti* certe *æquitate*, quo magis *conditiones* præſtamus pro *noſtra* pacti *parte* præſtandas, eo conſequitur accreſcitque nobis *jus* ad *mercedem* à Deo præſtandam validius; eo & viciſſim *major* erit ipſius *Dei* ad *mercedem*, quam pollicitus eſt, præſtandam, *obligatio*; eo etiam *favorem Dei* poſſumus, pro *pacti* ratione, *ampliorem* nobis vendicare. Quin &, miſſa *pacti* conſideratione, *favorem* ſaltem, quem dixi, *Dei* illum tanto majori cum *fiducia* poſſumus expectare, quanto noſtram verſus Deum *benevolentiam* luculentius *teſtatum* facimus. Qui autem *ſanguinem* ſuum pro *Deo* profuderit, hunc nemo dubitet longe certe *ſtatiorem* feciſſe ſuam verſus Deum *benevolentiam*, quam qui promto fuerit duntaxat expeditoque ad profundendum animo. Et cum *gratiæ ſpeciali* tribuamus ſi quis pro *facto voluntatem* fuerit interpretatus, ſignum eſt profecto *factum* ipſum ad *juſtitiæ* rationem propius accedere, longe certe adhuc *propius* ſiquando *pacti* etiam conſideratio interceſſerit. Eſt itaque naturæ *pacti*, eſt & *rectæ rationi*, prorſus conſentaneum, ut quam peccatorum *indulgentiam plenariam baptiſmo* concedimus, eam nec *martyrio* negandam exiſtimemus.

§. XXXIV. Quid quod illud etiam, pro receptis *pactorum moribus*, omnes *æquum* agnoſcant, ut ſiquando *ſtipulatione* primum interpoſita nonnullæ *præmii primitiæ* ſtipulatori in *manus* tradantur; at certe *fidem* ſtipulationis *liberatam*, *præſtitamque* pacti *conditionem* maneat *præmii plenitudo*, eo copioſior quo & illæ fuerint ampliores. *Arrham* tradunt in manus *pacta nuptialia*, at nondum *dotem* niſi *conſummato matrimonio*. Idem & in aliis quæ ad *bona pasſioneſque* ſpectant *pactis* ſolet obtinere. Verum hoc in *illis* præcipue *pactis* elucet quæ *nondum-adultorum* nomine ſtipulantur *tutores*. *Inchoato* quodam *jure* veſtit ipſa illa *inchoata ſtipulatio*. Donec tamen *adulti* fuerint, & ad annos conditionum præſtandarum capaces provecti, *pactumque* ſuo quoque *proprio nomine* conſummandum, nondum *pleno* jure atque conſummato quæ jam conſecuti ſunt poſſidere cenſentur, nedum ut *jus* habeant tam firmum ad *futura* pacti *præmia*. Quorſum illud ni majori in pretio haberentur conditiones jam *præſtitæ*, quam *ſuſceptæ* duntaxat & fide quantumcunque firma *præſtandæ?* Ita igitur *conſummati* in *martyrio baptiſmi* pleniorem fore quam *inchoati indulgentiam* conſentaneum eſt. Ut proinde, ſi peccata *præterita* eluantur in *baptiſmo aqueo*, nihil ſit cur dubitemus fore etiam eluenda in baptiſmo *ſanguineo*.

§. XXXV. Quod enim ſpatio *temporis* interpoſito *baptiſmum aqueum* ſequatur *ſanguineus*, non eſt utique quod à *baptiſmi* natura alienum cenſeamus. Diſtinxit, ut vidimus, Apoſtolus tres *baptiſmi* partes, *aquam*, *Spiritum* & *ſanguinem*. Nec tamen qui *baptiſmo aqueo* luſtrarentur, ſemper tamen uno eodemque *tempore Spiritum* etiam accipiebant *baptiſmalem*, ut alibi probavimus. Apoſtoli *aqueo baptiſmo*, ſuperſtite adhuc Domino perfuſi ſunt, cum tamen *Spiritum* nemo, niſi poſt ejuſdem *reſurrectionem* acciperet. *Samaritanos aqua* expiavit *Philippus diaconus*; *Spiritum* nemo poterat iiſdem conferre præter *Apoſtolos*. Quid igitur, *Aquæne* ſoli tribuemus vim illam *peccatorum præteritorum* expiatricem? Ita fieret ut *nova* opus eſſet *expiatione* peccatorum *aqueum baptiſmum* conſecutorum. Sicut enim in *Gentilium myſteriis* elementa καθαρτικὰ viam τελειώσει parare credebantur, nequid ſupereſſet impurum cum ſanctiora commercia ambirent; ita *Spiritui* proculdubio inſerviebat *aquea* illa *luſtratio* nequa *vaſis* impuritas obſtaret quo minus poſſet pro dignitate ſua recipi. Prorſus itaque *alienum* erat ab ejus *ſanctitate* ut quis illum *impurus* acciperet. Proinde neceſſarium erat ut ipſe *Spiritus* vicem *aquæ* ſuppleret pro *peccatorum* expiatione baptiſmo aqueo *recentiorum*. Quod ſi *Spiritui* vim illam concedamus, non erit utique cur à *ſanguine* alienum cenſeamus. Pro *pacti* ratione à *ſanguine* potius expectanda erat, quod ille ad *officium* noſtrum *diſpoſitionemque* ſpectat quorum major haberi ſolet in *pactorum* jure ratio quam *donorum* Dei *gratuitorum*. Favet porro quod pro illius ævi dogmatibus *Platonicis* (è quibus omnis hæc *Theologia ſymbolica* omnino explicanda eſt) cum à *prototypis* omnis illa *ſymbolorum* ſive *antityporum* virtus deducenda credere-

deretur; ita tamen *ſymbolorum* efficaciam explicabant, ut quidem ipſa per ſe nihil ad effectum conferrent, *indicarent* duntaxat cui *prototyporum* illa nativa virtus eſſet applicanda, ita ut ab ipſis *prototypis* omnis illa *virtus*, ſeu *naturalis* illa eſſet, ſeu *juris* etiam *legalis*, eſſet expectanda. Et cum *æqua* eſſe debeat *paciſcentium* conditio qua *juris* illo conjunguntur inter ſe *commercio*; congruum profecto eſt ut quam vim *ſymbolis Divinis* pro *Dei* obligatione concedimus, eandem *noſtris* pro *noſtra obligatione* viciſſim concedamus; & quo *pacti* jure *Deus* delinquentes afficit *ſupplicio*, eodem jure teneatur ad *mercedem* illis, qui conditionem præſtiterint, retribuendam. Si itaque *martyrii* vel *profeſſio*, martyrii *abſentis* virtute *remiſſionem peccatorum* præſtet, eandem certe neceſſario oportet, *ipſum*, quando adeſt, præſtare *martyrium*. Convenitque accuratiſſime, quod ſuperius huc retulimus, cum *ſtolas* ſuas *martyres* in *Agni ſanguine* laviſſe narrantur. Nec enim id de *baptiſmi lavacro* ita commode poterat intelligi, quod *omnium fidelium* commune fuerat, ſed de lavacro *patientium proprio*; nec de *illorum* duntaxat peccatorum expiatione quæ tantam illam *tribulationem* anteceſſerant, in *baptiſmo* ſcilicet aqueo *expiata*, ſed illorum quoque quæ in ipſa illa *tribulatione* eſſent *expianda*.

§. XXXVI. Neque vero erit quod miremur tantam veteres *baptiſmo martyrum ſanguineo* vim aſſignaſſe, ſi & illud recolamus nono *martyrum* illum *ſanguinem Chriſto* ipſi à veteribus fuiſſe attributum: & quidem ita *Chriſto* ut ne *martyrum* fuiſſe crederetur, nec in martyrum *propria* duntaxat *commoda* ceſſiſſe, ſed vero in *Eccleſiæ* potius *univerſæ*. Hæc è veterum ſententia ſuperiori Diſſertatione probavimus, ubi & illud pariter oſtendimus quam non eſſent à Scripturis ſacrorumque Scriptorum principiis abhorrentia. Hæc itaque ſi concedantur, jam intelligemus quam ſolide illi prudenterque omnem hanc *baptiſmi ſanguinei* efficaciam è *Scriptura* collegerint. *Chriſti* enim *ſanguini* nemo dubitat convenire hanc peccatorum expiationem. *Chriſti* autem nomen pro univerſo Chriſti *corpore myſtico* ſæpiſſime intelligitur. Quidni igitur vim illam peccatorum purgatricem *Chriſto* ita *intellecto* aſſeramus? Nihil eſt profecto, cur quoties *Chriſti ſanguinem* peccata noſtra *lavare* atque *purgare* tradunt ſacræ literæ, de *perſonali* ejus *ſanguine* illas duntaxat intelligamus. Et vero *nominis* ratio ſuadet potius ut ſit virtus hæc *Chriſto* cum ejuſdem *myſtico corpore*, communis. Quod enim *nomen* ſuum nobiſcum communicet, id illo nempe conſilio fecit ut & *jura* nomini reſpondentia intelligantur eſſe communia. Ut in *matrimoniali unitate* (quam hic adhibet Apoſtolus ad *Chriſti* myſticam cum *Eccleſia* unitatem explicandam) commune *viro* atque *fœminæ nomen* communia etiam utriuſque in lege *jura* facit. Ita & cum *martyrum ſanguis* pro *Chriſti ſanguine* habetur, conſentaneum eſt id idcirco fieri ut & *jura* utriuſque *ſanguinis* fiant invicem *communia*. Nihil autem eſt quod dubitemus quodvis *Chriſti ſymbolum* à *vero* tamen ejuſdem atque *originali ſanguine* ſuperari. Eodem tamen rediturum diximus ſeu *martyrum ſanguinem* pro *ſuo* Chriſtus agnoverit; ſeu per *myſticam* utriuſque ſanguinis *unionem* proprii etiam ſanguinis *virtutem* per martyrium *applicuerit*. Illa certe ipſa vel *applicatio* tanto *efficacior* eſſe debuit quo *Chriſti* ſanguinem *propius* attingit, magiſque *viva* repræſentatione exhibet.

§. XXXVII. Eſtque adhuc eo magis conſentaneum recte veteres, & pro cauſæ *æquitate* hic eſſe argumentatos, Quod 10°. non quibuſlibet fidelium ſeu *paſſionibus*, ſeu *mortibus*, tantam virtutem aſſignarint, ſed illis duntaxat quibus ad *Chriſti* mortis exemplum propius acceſſiſſent, cum nempe *publica* Eccleſiæ fratrumque *cauſa* ſeſe obtuliſſent. Eſt quidem *ſanctorum* omnium *in conſpectu Domini mors* quælibet *pretioſa*. Eſt & adhuc pretioſior *innocentium*, eorum ſcilicet quos vis oppreſſit iniquorum hominum. Sed & illam Deo *caram* eſſe nihil eſt quod dubitemus qua occumbunt ii quibus *officia* ſua quælibet *vita* ſunt ipſa cariora, qui *mortem* præ *peccato* eligunt. Eſtque etiam hæc ipſa *mors baptiſmalis officio* affinis, ne ab illius *præmiis privilegiiſque*, putetur prorſus aliena. Nec illa proculdubio Deo ingrata *mors*, quam tantis *Ethnici* efferunt præconiis, qua quis *patriæ* vitam ſuam impendit, *multorumque* mortes *una* morte redimit, nec illa etiam à *Chriſti* exemplo aliena. Longe tamen omnium *proxime* ad *Chriſti* illud illuſtriſſimum accedit exemplum, ſi & *animarum* cauſa quis, & *communi* quidem illa *multorum*, vel etiam omnium ubicunque *fidelium*, mortem oppetat; Si quis pro communi *fide*, pro communi fidelium *corpore*, pro communi *unitate* unitatiſque communi *vinculo*, ut *corpus* Chriſti *myſticum* in ſua integritate *conſervet*, & nova inſuper reſipiſcentium acceſſione *locupletet*. Hoc eſt ferri τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων, hoc eſt *Chriſti*, & quidem *patientis*, εἰκόνα *portare*; hoc eſt *ſupplere quæ deerant Chriſti pro Eccleſia paſſionibus*; hoc cum eo *mori*, *crucifigi*, *ſepeliri*, cum & *eadem* patimur, & *eadem* etiam de *cauſa*, cum & *paſſionem* & *paſſionis cauſam* habemus cum *Chriſto* communem. Plane innuunt hæc omnia eſſe *myſticam* quandam, in hac ipſa *paſſionum* cauſa communem nobis cum Chriſto *unitatem*, ut proinde ad *unam* utræque eandemque paſſionum *collectionem* pertinere cenſeantur. In his autem de *unitate myſtica ratiociniis* id genus *canones*, & quidem *univerſales* illos, agnoſcit Apoſtolus, „Quod *capiti* convenit, id „& *membris* eſſe commune; Quod *primitiis*, id & „*maſſæ* univerſæ. Ni *univerſales* fuiſſent illi, quos diximus, canones, omnino ſubjungere debuit Apoſtolus cur in *illa* potius quam in *alia* qualibet cauſa eſſent agnoſcendi. *Argumentantis* enim perſonam hic ſuſtinuit Apoſtolus, non autem illius qui pro ſua duntaxat *auctoritate* dictaret. Ita igitur quæ *peccatorum* expiatio *capiti*, eadem & *membris*; quæ hujus ſanguinis *primitiis*, eadem & *maſſæ* conveniet. Ita ſcilicet nos incitare voluit Dominus ad *mortem* pro *fratribus* lubenti animo conſtantique obeundam, ut in hac ipſa etiam cauſa ipſum imitaremur, ut ſicut *ipſe* pro *nobis vitam poſuit*, & *nos* pro *fratribus vitam poneremus* 1 S. Joan. III. 16. Ita vitam pro *Apoſtolo* ponere parati erant *diſcipuli*, *ipſe* viciſſim pro *diſcipulis*. Ita *Ignatius* ἀντίψυχον eorum eſſe voluit qui *Epiſcopis* adhærerent, quod ſcilicet eorum ψυχὰς ψυχὴν ſua, *vitas* nempe *vita*, redimere voluerit. Inde tantus ille *Chriſtianorum* in ſe invicem amor quo illuſtres illos & conſpicuos fuiſſe ſua etiam ætate memorat *Tertullianus*. *Damonis* & *Pythiæ* Hiſtoria apud *Pythagoræos* longe celeberrima eſt. Hos æmulati *Judæorum* ſunt *Eſſeni*, illos *Chriſtiani*, quos tamen omnes longo intervallo ſuperarunt. Ita conveniebat ad amuſſim cum hiſce *principiis praxis* etiam primævorum *Chriſtianorum*. Ita *praxim* illam generoſiſſimam prudentiſſimis etiam *principiis* fulcivit Dominus legiſlator omnium longe peritiſſimus.

§. XXXVIII. Quæ cum ita ſe habeant, jam facile intelligimus nihil eſſe cur male audiant, hac in cauſa, *primævi Chriſtiani*. *Baptiſmi* titulo *martyrium* inſignierunt. Nec temere id, nec pro ſuo duntaxat arbitrio. *Chriſtum* nimirum ipſum habuerunt quem ſequerentur auctorem. Sed cum *titulo jura* etiam *baptiſmi martyrio* tribuerunt, & quidem *Sacramentalis baptiſmi* à Deo ipſo inſtituti. Immane proculdubio fa-

facinus, ſi quæ à *Deo* eſſent in *pacto Sacramentali* præſtanda, ea ſuis *adinventis* aſſererent, nullo tamen nixi Dei *promiſſo*, nullo Dei legitimo *vicario* qui Dei *perſonam* agere ſaltem poſſet, & Dei *nomine* ea polliceri quæ *Deus* ipſe, propter legitimam *delegationem*, præſtare *teneretur*. Sed longe aberant ab eo ſcelere *veteres* ut Dei *nomen*, ſine Divina tamen *auctoritate*, ſuis *inſtitutis* prætexerent. At *impium* profecto non fuit *ſi conditiones* à *Deo* ipſo *præſtandas* expectarent in *pacto baptiſmali* ab ipſo *inſtituto*. *Impium* non fuit e *baptiſmi* Sacramentalis *conſilio* colligere ſiquid *porro* in *pacto baptiſmali* videretur *incluſum*. *Impium* non fuit hoc ipſum de *martyrio* colligere, ſiqua poſſent *legitima* Sacramentorumque *propria argumentatione*. *Impium* denique non fuit, ſi & *martyrio*, ubi id probaſſent, & *jura* quoque *baptiſmalia* aſſererent. Atqui *baptiſmo martyrium* non *conferunt* modo, ſed etiam *anteferunt*. Male quidem id, ſi jam conſtitiſſet *ſua* nimirum *humana inſtituta* cum *Divinis* auſos eſſe contendere. Sed vero aliter ſe rem habere ex dictis conſtat. Cum in *pacto baptiſmali* includi *martyrium* probarint veteres, immerito ſane *martyrium humanis inſtitutis* accenſent adverſarii. Jam non *humana* cum *Divinis inſtituta* contendunt, ſed *Divina* cum *Divinis*, vel unam fortaſſe potius Divini inſtituti *partem* cum *alia* ejuſdem inſtituti *parte*. Nihil autem vetat quo minus *Divinorum inſtitutorum* alterum altero poſſit eſſe *præſtantius*: quin id potius neceſſe eſt quoties ad *eundem finem* referuntur, cum aliqua tamen *ſubordinatione*. Quod enim *finem* illum *propius* attingit, id neceſſario erit, in *medii* ratione, *præſtantius*. At à *pactis ſymbolicis* (qualia *Sacramenta* eſſe omnes agnoſcunt) ſejungi nequit iſtiuſmodi *ſubordinatio*. Cum enim *ſymbola* adhibeantur ad alia tamen *officia* à ſymbolis diverſiſſima *repræſentanda*, ipſaque adeo illa repræſentatione *ſpondenda*, ut proinde *mediorum* utraque vicem impleant; conſtat tamen *officii* quam *ſymboli* longe potiorem eſſe rationem, *juſque* ad *mercedem* à Deo promiſſam conferre longe *auctius* atque *validius*. Dici tamen denique poteſt tam *ſymbolum* noſtræ in baptiſmo *profeſſionis*, quam *conditionem* quam eo *ſymbolo* ſpondemus à *noſtra* pacti baptiſmalis *parte* præſtandam, quanquam in *pacto* à *Deo* quidem *inſtituto* adhibeantur, ad *humana* tamen *officia*, partemque pacti illam quæ *homines* ſpectat, attinere. Ita non cum *humanis Divina* conferentur, ſed cum *humanis officiis* alia *officia* & illa quoque pariter *humana*, ut alia aliis *meliora* habeantur, & *Deo gratiora*. Fateor equidem horum officiorum *jus* ad *mercedem* pacto inſtitutionique Divinæ totum acceptum eſſe referendum. Id tamen ita verum eſt ut quanquam non *propter opera* Deus mercedem retribuat, at *ſecundum opera* fiat illa retributio, ut proinde in *officiis noſtris* quo ſunt quæque in ſe *præſtantiora* & *Deo gratiora*, eo *exigantur* à Deo paciſcente diligentius, & mercede copioſiori coronentur.

§. XXXIX. Quanquam autem *baptiſmi* ſolius rationem in hac noſtra Diſſertatione habuerimus; quod tamen de *baptiſmo* aſſeruimus, idem de altero *Euchariſtiæ* ſacramento aſſerere poteramus, *repræſentare* nimirum hic, atque adeo *ſponderi*, noſtrum pro Chriſto *martyrium*, ut proinde hujus etiam *Euchariſtia* pacti *præmia* poſſint à martyribus vendicari. Nec enim aliter in *pane Euchariſtico fracto* repræſentatur *corpus Domini* quam ut *paſſum*, *fractum*, *crucifixum*; nec aliter in *effuſo vino ſanguis* quam ut ipſe etiam *effuſus*. Quis eſt qui non videat quam ſint hæc manifeſto ad *paſſiones Chriſti* referenda? Cum itaque per *unum* illum *panem* unum *nos* cum *Chriſto corpus* profiteamur, 1 *Cor.* X. 17. id plane pro *ſymbolico ſpondendi* ritu, ſpondemus, non *in corpore* modo nos, ſed *in* ipſis quoque *corporis paſſionibus* cum *Chriſto* fore communicaturos, ut & ipſi nos paratos præſtemus ut cum eo *patiamur* atque *crucifigamur*. Cum etiam dicitur hic ſanguis *pro multis effuſus*, id porro pollicemur, nos etiam, pro *Chriſti* exemplo, eo promtiori animo ad patiendum acceſſuros quo *plurium* ſalutem intelligimus noſtra fore *morte* promovendam. Ita enim fore ut *Chriſti patientis* exemplum magis ad *vivum* repræſentemus. Proinde veriſimilia ſunt, & Divino conſilio prorſus conſentanea, quæ de *martyrii præmiis* hucuſque diſputavimus, cum eo *utriuſque ſacramenti* pacta collineare videamus.

§. XL. Quanquam etiam unicum illud hactenus tractaverimus *baptiſmi* beneficium (quod etiam ipſum *privativum* eſt) *peccatorum* ſcilicet *remiſſionem*, unde etiam ſequitur *impunitas*, & ipſa etiam *privativa*; non eſt tamen inde ut propterea negemus jus eſſe martyribus ad *poſitiva* baptiſmi beneficia. *Si enim cum Chriſto patimur, cum eodem etiam regnabimus.* Ita argumentatur Apoſtolus è *canone* harum *myſticarum argumentationum* proprio. Ita etiam & *veteres* cum primarium *martyribus*, ut oſtendimus, in *regno Chriſti*, conſeſſum aſſererent. Et merito quidem illi. Si enim *Chriſto* paſſuro *merces* propoſita eſt, *debebatur* certe illi, *præſtita* pacti *conditione*, tanta illa merces. Si & *nos* eandem *Chriſti* patientis *perſonam* in noſtra quoque *paſſione* ſuſtineamus; & quidem eo ipſo ſuſtineamus conſilio ut quæ *jura* Chriſto patienti pro *pacto Divino* accreſcebant, & *nobis* quoque ſimiliter patientibus accreſcerent; ſequitur & *nobis* patientibus ingentem illam repoſitam eſſe *mercedem*, tantam ſcilicet quanta *Chriſto*, pro hujus pacti jure debebatur, & quidem ex ejuſdem *pacti* eodem etiam *jure*. Ita fiet ut *univerſa* baptiſmi *beneficia*, tam *negativa*, quam etiam *poſitiva*, martyribus debeantur.

FINIS.

APPEN-

APPENDIX
AD
DISSERTATIONES CYPRIANICAS.

PROLEGOMENA.

Canon Regum *Aſtronomicus*, partim cum MSS. editiſque *collatus*, partim è MSS. nunc primum *editus*.

Faſti *Græci* priores, *Theonis* forſitan *Alexandrini*, ex *archivis* tamen *ſacerdotum Heliopolitanorum*) nunc primum editi, è MSo. *Saviliano*.

Fragmentum *Theonis Alexandrini* in προχείρους *Ptolemæi* κανόνας, è MSo. *Barocciano*.

Faſti *Græci* poſteriores, forte Imperatoris *Heraclii*, ex apographo *Voſſiano*.

Fragmentum Imperatoris *Heraclii* in προχείρους *Ptolemæi* κανόνας, è MSo. eodem *Barocciano*.

Faſti *Latini* è MSo. Collegii *Corporis Chriſti* Oxonienſis.

A B

HENRICO DODWELLO

A. M.

DUBLINIENSI.

APPENDIX

PROLEGOMENA,

De *faſtis* ſequentibus tam *Græcis* quam *Latinis*, deque *regum regnorumque* canone *Aſtronomico*.

Græci faſti *priores utiliſſimi in temporibus* perſecutionis Diocletianeæ, §. I. *Cur tanta in illius* perſecutionis *Coſs. faſtorum diſcrepantia*, §. II. Alexandrinus *fuit horum* faſtorum *concinnator*, §. III. *Duplex erat anni* Ægyptiaci *forma*, *alia* Alexandrinorum, *quæ & apud ſcriptores* Chriſtianos; *alia reliquorum* Ægyptiorum, *quæ & apud ſcriptores* Ethnicos *longe notior erat atque uſurpatior*, §. IV. *Cur anni* vagi *formam ita ſtudioſe retinuerint* Ethnici Ægyptii, §. V. *Profligato cultu* Idololatrico *ſenſim* extincta, §. VI. *Hæc* fixi *anni atque* vagi *comparatio à* Theone Alexandrino *inſtituta*, §. VII. *An°.* Auguſti *V°. concurrebant* Thoth Alexandrinus *&* Ægyptius, *An°.* Aug. *IX°. admiſſa eſt ab* Alexandrinis *prima* intercalatio, §. VIII. Faſtos *ſuos à* caniculæ ortu *fixo in anno* Juliano *inchoavit* Theon, *concurrente etiam* Thoth mobili, *ipſoque adeo* anni magni *novi* caniculari *exordio*, §. IX. *Ortum* caniculæ *in* Ægypto Julii *XX°*, *in anno fixo* Juliano, *aſſignabant*, §. X. *Diverſa admodum ab invicem de ſtellarum* ortu *erant &* occaſu *veterum parapegmata*; *in deſignando tamen* ortu caniculæ *plerique ad hunc ipſum etiam diem prope accedebant*, §. XI. *Acceſſit certe noſter* Theon, §. XII. *Locus* Solini *difficilis explicatur*. *Canicula* Syrius *& terra* Ægypti Seriadica *à* Nilo *qui vetuſtiſſimo nomine* Siris *appellatus eſt*, §. XIII. Natalis mundi *primus erat* cycli *magni* dies *quo ad unum & commune primordium redituri credebantur* ſol *&* luna *in anno* Ægyptiaco vago, §. XIV. Sacerdotum Ægyptiorum *erat hæc Epocha*. Solinus *Antonino Pio* junior, §. XV. *Sacerdotum etiam* Heliopolitanorum, §. XVI. *Conciliantur inter ſe de hujus Epochæ initio* Theon *&* Cenſorinus. *Ab* Antonini Pii *initio hanc Epocham deduxerunt* Sacerdotes Ægyptii, §. XVII. *Cum novo* cycli mundani *initio* ætatem auream *redire credebant*, *eamque* Antonino Pio, *quod in ejus tempora incidiſſet*, *gratulabantur*, §. XVIII. *Faſtos hoſce collegerunt*, Sacerdotes, *pro ſua quiſque ætate*, Heliopolitani; *ab illis* Theonem *accepiſſe probabile eſt*, §. XIX. *Horum faſtorum errores* Librariorum *eſſe potius*, *quam primorum* Auctorum, §. XX.

De faſtis Græcis *ſecundis* Heraclianis, §. XXI.

Utrique faſti *canoni* Aſtronomico *aptati*, §. XXII. *Æra* Nabonaſari, *pro obſervationibus* Aſtronomicis, *omnium* antiquiſſima, §. XXIII. *Illæ obſervationes* publici *erant* Aſtronomorum *Babyloniorum* Collegii, *à* Beroſo *primum*, *ex archivis* Chaldæorum, Græce *editæ*, §. XXIV. *Satis apte convenit* Æra Nabonaſari *cum* Hiſtoria *Aſtrologiæ* judiciariæ, §. XXV. *Cum* Beroſi *rationibus convenit noſter* canon, §. XXVI. *A* Beroſo *accepit* Hipparchus, *ab* Hipparcho *Aſtronomi* Alexandrini, §. XXVII. *Prima canonis* Epocha *defenditur*, §. XXVIII. *Secunda Epocha* Aſtronomis *uſitatiſſima*, *ſed* recentius *introducta*, §. XXIX. Certa *tamen*, §. XXX, XXXI. *Tertia* Auguſtorum *Epocha* fixa Aſtronomis *inutilis:* vaga *utilis*, *& certis* Imperatorum *annis ab* Aſtronomis *ſignata*, §. XXXII. *Ultima* Diocletiani *Epocha nullis* Imperatorum *annis ab* Aſtronomis *diſtincta*, §. XXXIII. *Canonis Aſtronomici* dies *incipiunt à* meridie. *Cur illud initium conſtituerit* Ptolemæus, §. XXXIV. Anni *à neomenia* Thoth. *Ita in* Epochis *incepiſſe oſtenditur*, §. XXXV. *Ita & in* regum ſingulorum *annis Epochæ* primæ, §. XXXVI. *Epochæ etiam* ſecundæ, §. XXXVII. *Præcipue vero conſtat in Epocha* tertia. *Percurruntur* Imperatorum Romanorum *tempora uſque ad* Nervam, §. XXXVIII. Trajani *initia varia*, primum, *idemque citimum à* morte Nervæ Jan. *XXVII°. A. D. XCVIII°.* §. XXXIX. Secundum *altius*, *à* Nervæ abdicatione. *Nullum hoc tempore diſcrimen* Cæſarum *atque* Auguſtorum, §. XL. *Abdicavit* Nerva Dec. *XXVII°. A. D. XCVII°*, §. XLI. Tertium, *ab* adoptione Oct. *XXVII. A. D. XCVII°. mortuus* Trajanus *A. D. CXVII°*, §. XLII. *Numeravit tamen ab A. D. CXVI°. Trib. Pot. cum* canone, Hadrianus, §. XLIII, XLIV. *Vera honorum* Ælii Cæſaris *ſeries*, §. XLV. *Provinciam* Pannonicam *fine anni* Dom. *CXXXVI°. adminiſtravit*, §. XLVI. *De ſecundo* Ælii *conſulatu*, §. XLVII. *Duplicem habuit* Hadrianus natalem, adoptionis *alium ab A. D. CXVI°. alium* μοναρχίας *à* morte Trajani, *numerandum*, §. XLVIII. *Non tamen anno CXVI°.* Hadrianum *palam agnovit Imperii hæredem* Trajanus, §. XLIX. *Percurritur* canon *ab* Antonino Pio *ad* Caracallam, §. L. *A* Caracalla *ad* Alexandrum, (*cur inde* natales *Imperatorum non habeamus ita certo conſignatos*,) §. LI. *Ab* Alexandro *ad* Decium, §. LII. *In* Decio *canon non poteſt omnino defendi*, §. LIII. *à* Decio *ad* Probum, §. LIV. *à* Probo *ad* Diocletianum, §. LV. *Poſt tempora* Ptolemæi *non eſt hu-*

jus canonis *eadem*, *quæ antea*, auctoritas. Tempora *secuta sunt Reip. perturbatissima*, §. LVI. Scriptores *deinde pauciſſimi*, *& neglecta* Aſtronomiæ *ſtudia*, *etiam* Alexandriæ, §. LVII. *Reſtaurato*, *poſt Concilium* Nicænum, *occaſione cycli* Paſchalis, *apud* Alexandrinos *Chriſtianos*, *ſtudio* Aſtronomiæ; *ea occaſione* canonem, *in* Imperatorum *temporibus*, *ab* Antonino Pio *uſque ad* Diocletianum, *ſuppleverunt fortaſſe* recentiores, §. LVIII, LIX, LX.

De faſtis poſtremis Latinis, §. LXI. *Ratio reddita de* MSS. §. LXII.

§. I. FAſtos hic, benigne Lector, habes in univerſum tres, *Græcos* duos, tertios *Latinos*. *Græcos* priores in temporibus *perſecutionis Diocletianeæ* utiliſſimos expertus, proinde tecum communicandos cenſui. Tempus *depoſiti* à *Diocletiano* & *Maximiano Herculio* Imperii *Auguſtei*, *ſumtique* à *Conſtantio Chloro* & *Maximiano Galerio*, hic clariſſime conſignatum habemus. Cum enim pro An. Dom. CCCV^i. Coſſ. *Conſtantinum* legimus & *Maximinum Cæſares* (*Conſtantium* quem dixi illum atque *Maximianum Galerium* intelligit) & pro anno CCCVI°. eoſdem iterum, ſed novo jam *Auguſtorum* titulo auctos: facile colligimus anni CCCV^i. *initio* jam *Cæſares* fuiſſe duntaxat cum faſtis inſcriberentur, nondum ſcilicet *depoſito* primorum principum Imperio; eodem tamen anno *provecto* factos *Auguſtos*, ut proinde ſequentis anni CCCVI^i. initio *Auguſti* appellentur. Conſtat etiam *repetiti* utriuſque *conſulatus* ratio. Pro regulis enim Cl.[1] *Pagi*, novos anni CCCV^i. *Auguſtos* oportuit ſequenti anno Coſſ. procedere. Proximo anno CCCVII°. Coſſ. legimus *Severum Auguſtum* & *Maximianum Cæſarem*. *Maximinum* vult quem *Cæſarem* appellat. Habemus itaque *primum* Maximini *conſulatum* fruſtra alibi à Cl.[2] *Baluzio* quæſitum. Quanquam & in libro de *præfectis urbi* obſcura etiam extent hujus conſulatus veſtigia. Anni enim CCCVII^i. uſque ad menſem *Aprilem*, Coſſ. ibi conſignatos ita legimus. *Maximian. VII. & Maximian. Secundus* ille *Maximianus* non alius eſt à noſtro *Maximino*. Nec enim recentiores modo, ſed & illius ſeculi *coæva* monumenta hæc nomina confundunt cum *Maximino Maximianum*, & cum *Conſtantino Conſtantium*. Ita intelligimus, vel *ſuperioris* anni *fine*, vel *hujus initio*, hoſtem *Italis* fuiſſe *Severum* (quem propterea ſuis faſtis expunxerint) & fortaſſe *captivum*, ut proinde *Galerium* ejus loco ſufficerent, & cum altero *Galerii Conſule* conjungerent; quem tamen & *ipſum* poſtea ſimiliter *hoſtem* è ſuis faſtis, à menſe *Aprili*, ſimiliter expunxerint, & *novum* ſibi jam utrumque Conſulem *Occidentalem* ſubſtituerint, ut proinde & illa quoque *Galerii* in *Italiam* expeditio, aut affecto *Martio*, aut *Aprili* ineunte, contigerit. Diſcimus præterea jam *ſuperiori* anno titulo *Auguſteo* ornatum eſſe *Severum*, ut hujus anni initio *Auguſtus* appellaretur. Nova & hæc, nec, ut puto, aliunde diſcenda, cum ne *conſulatum* quidem *Severi* in editis, quos habemus, faſtis ullibi repereris. Et tamen ordine ſuccedunt, pro Cl. *Pagi* regulis, admodum conſentaneo, ut nimirum poſt *depoſitum* à ſupremis *Auguſtis* A. D. CCCV°. Imperium, *novi* primum *Auguſti*, anno CCCVI°. tum & *novi Cæſares* anno CCCVII°. Coſſ. proceſſerint. Iidem porro faſti anno CCCIX°. *Licinium Auguſtum* Coſſ. exhibent cum collega *Conſtantino M.* quem auctor perperam *Conſtantium* ſcripſit. *Conſtantinum* itaque nondum *Orientales Auguſtum*, ut videtur, agnoverunt, cum tamen *Licinium* ſuperiori anno à *Galerio* renunciatum agnoſcerent. Coſſ. deinde anni CCCX^i. fruſtra alibi quæſieris, *Andronicum* & *Probum*. Hæc de horum faſtorum *utilitate* pro hoc, quem dixi, limite *perſecutionis Diocletianeæ*. Nimius enim forem ſi & aliorum temporum utilia hic annotarem.

§. II. Quod autem fuerint, hoc in loco, faſti omnes ab invicem aliquanto *diſcrepantiores*, ratio manifeſta eſt. Nempe depoſito à *ſenioribus Auguſtis* Imperio, ſtatim vacillare cœpit in *novis principibus* Imperii *concordia*. Ita factum ut quos Coſſ. alius Imperator crearet, alii minime agnoſcerent, ſed *novos* ipſi, pro ſua quiſque ditione, in eorum locum ſufficerent. Cœpit hoc ſibi jus vendicare *Maxentius* à fuga patris *Maximiani Herculii*, ſub finem anni CCCVII^i. Ab eo uſque tempore Coſſ. *ſibi* proprios atque *Italiæ* deſignavit, quorum hodieque nomina nobis conſervarunt auctor præſtantiſſimi libelli *de præfectis Urbi* atque *Idatius*. Alios interim fecit Coſſ. pro ſua ditione *Conſtantinus*, præſertim poſt nuptias *Fauſtæ* confirmatior jam factus, atque novo *Auguſti* titulo auctus, ab *Herculio*. Quanquam & ſuperiori anno CCCVII°. à menſe *Aprili*, alios ab *orientalis* Imperii conſulibus retulit libellus *præf. Urbi* in *occidente* ſuffectos. Verum illi *totius* erant *occidentis* communes quouſque perſtitit patris *Maximiani* concordia cum filio *Maxentio*. Alios inde *Galli*, alios *Itali*, ſibi proprios agnoſcebant. Alios rurſus creavit pro ſuo ſaltem *Auguſteo* Imperio *Galerius*, qui nullum *occidentalium Imperatorum* jus pro eo intervallo comprobavit. Hos acceperitne in ſua ditione *Cæſarea Maximinus*, non conſtat. Duravitque illa Imperatorum diſcordia ab obitu *Conſtantii Chlori* An. Dom. CCCVI°. ad debellatum uſque anno CCCXII°. *Maxentium*. Inde intelligimus cur etiam anni CCCVII^i. Coſſ. *Galerianes Severum* atque *Maximinum* nulli hodieque agnoſcant faſti *occidentales*. Jam enim purpuram reſumſerat *Herculius* cum *conſulatu*, aſcito ſibi collega *Conſtantino*; jam *Italiam* petebat hoſtis cum exercitu *Severus*, profligatum *Severum* ſecutus eodem etiam anno cum exercitu infeſto hoſtis *Galerius*. *Andronicum* & *Probum* Coſſ. fecerit fortaſſe vel deſertus à *Licinio Galerius*, vel deſertor *Galerii Maximinus* qui de *Auguſteo Licinii* titulo ſe *Galerio* ſubinfenſum prodidit, & ægre admodum, ſi forte, in officio retentus eſt, uti diſcimus è[3] *Lactantio*. Perturbatiſſimum certe Imperii ſtatum ipſi innuunt *poſtconſulatus*. Ita enim faſtos notabant quoties *comitiorum conſularium* nullum eſſet *otium*. Hoſce *orientales conſulatus* è *faſtis* etiam *orientalibus* eraſerint fortaſſe, victo *Maximino*, *occidentales* Imperatores, ſive *Conſtantinus*, ſive *Licinius*; vel in gratiam *victorum*, ipſi etiam *librarii*. Cum enim unius Imperii non niſi unos Coſſ. faſtis inſcribendos exiſtimarent, illos potiſſimum ſeligendos credebant quorum gratior eſſet memoria, & in monumentis frequentior. Ita certe factum veriſimile eſt, ut *orientales*, quos dixi, Coſſ. reticerent, non *Idatius* modo & faſti *Bucheriani*, qui *Latini* erant, & *Occidentalium* proinde conſulum duntaxat meminiſſe putandi ſunt, ſed & *Græci* illi quos *Siculos* appellant. Noſter tamen *Alexan-*

[1] Diſſ. Hypat. Part. 2. cap. 1. [2] *Baluz.* Not. ad *Lactant.* de mort. Perſ. in cap. 35. [3] De mort. Perſ. c. 32.

Alexandrinus fuit, provinciæ nimirum illius quæ & *Imperatores*, & *Coss.* agnoscebat duntaxat *orientales*; nec remota admodum eorum vixit memoria, ne hallucinari illum potuisse suspicemur; & cum *Ethnicus* fuerit, non est quin eorum memoriæ benevolum fuisse existimemus quorum nomina fuissent è fastis à *Christianis Imperatoribus*, aut in eorum gratiam à *librariis*, erasa.

§. III. Quod *Alexandrinum* dixerimus horum fastorum concinnatorem, id à nobis non immerito esse dictum, multa sunt quæ produnt. Imprimis quod non alios agnoscat Coss. quam quos *orientales* Coss. agnoscerent, nec alios, ut vidimus, *Augustos* quam qui ab *Orientis* fuissent Imperatoribus in eam allecti dignitatem. Saltem hinc in *orientalium* numero fuisse verisimile est. Sed & illæ, quibus usus est, *Epochæ* Alexandrinorum propriæ *Ægyptium* illum produnt potius quam alterius cujuslibet in *oriente* provinciæ, *Alexandrinum* etiam potius quam alterius cujuslibet etiam in *Ægypto* civitatis. Prima est ab *Alexandro magno*, ab ipso nimirum coloniæ *Græcæ Alexandrinæ* deductore, ipso urbis *Alexandrinæ* κλίσιν sive conditore. Secunda ἐτῶν ἀπὸ Αυγούστ, nec ab initio *Augusti*, nec à fine, arcessitur, sed vero ab *initio* ejus duntaxat *Alexandrino*; eo nimirum initio quo, extincta *Cleopatra*, *Augustum* primo agnoscerent dominum *Alexandrini*. Annus enim fastorum nostrorum primus, *Christi* CXXXVIIIus *urb. cond.* pro calculis *Varronianis*, DCCCXCIus. est annus *Augusti* CLXVIIus. Deme ex annis U.C. CLXVII. supererunt DCCXXIV, quo U.C. anno sese *Cleopatra* interfecerit, accuratissime. Reliquæ duæ σελίδες *auctorem* indicant adhuc manifestius. Quam enim supputandi rationem secutus est in nostro illo, quod nunc damus è MS°. *Bodleiano*, *Theonis Alexandrini* fragmento ipse *Theon*, eandem secutus est & noster, ut plane verisimile sit non alium à *Theone* illo nostrorum quoque fastorum esse auctorem.

§. IV. Ex illo scilicet eximio *Theonis* fragmento discimus, (quod nescirent aliter eruditi) sua etiam adhuc *Theonis* ætate, aliam fuisse suis civibus *Alexandrinis Græcis*, aliam reliquis *Ægyptiis*, anni rationem; *Alexandrinis* nempe *fixam* atque stabilem *Solari* anno *Juliano* respondentem, reliquis *vagam* atque mobilem, nec nisi emenso anno *Caniculari magno*, (annorum scilicet *Ægyptiorum* communium MCCCCLXI, *Julianorum* MCCCCLX.) ad exordium commune redeuntem. Estque id animadversione dignum *fixam Christianis*, *vagam Gentilibus* notiorem fuisse atque receptiorem. *Fixam* solummodo agnoscunt scriptores *Paschales* ad unum, ut opinor, omnes, non *coævi* modo *Theonis*, sed *Theone* antiquior *Anatolius*, & *Anatolio* rursus antiquior *Clemens Alexandrinus*, & quorum ille sese rursus antiquiorum sententias recenset in *mortis* Christi *die* designanda, tam *Catholici* quam etiam *Hæretici*. Nimium enim ab *æquinoctio*, & à *Judæorum* paschate, aberrassent, si *vagam* secuti essent anni *Ægyptiaci* rationem. Qui *Phamenoth* XXV. *passionem* Domini [4] ἀκριβολογούμενοι celebrabant, si *fixam* anni formam observabant, *Mart.* XXI°. si *vagam*, *Mart.* VIII°. celebrasse necesse erat. Poterant equidem *Mart.* XXI. qui in eo ipso die ponebant *æquinoctium*. At qui *Mart.* VIII°. passionis memoriam colebant, fieri certe nulla supputandi ratione potuit ut non *æquinoctium* anticiparent. Ita longe illos abfuisse necesse erat à tanta illa, quam jactabant, ἀκριβείᾳ. *Fixam* similiter *Theoni* coævus *Epiphanius*, & alii quoque *Christiani*, ut ne *fuisse* quidem innuant qui *vagam* sequerentur. Et tamen viceversa *vagam* similiter usurpant scriptores, quotquot habemus illorum seculorum, *Gentiles*, *fixam* altissimo plerunque silentio prætermittentes. Illam perpetuo * *Ptolemæus* civis ipse (ut volunt) *Alexandrinus*; illam [5] *Censorinus* scriptor curiosissimus, qui tamen ne id quidem ipsum resciviisse videtur, fuissentne ex *Ægyptiis* aliqui qui *fixam* agnoscerent: illam [6] *Proclus*, qui nec aliam innuit ab *Ægyptiis* usurpatam. Unus est fortasse [6] *Plutarchus* ex *auctoribus* Gentilibus *Diocletiano* antiquioribus qui *fixos* menses *Ægyptiacos* agnoverit. Una etiam fortasse quæ meminerit [8] *inscriptio Antonino Pio* coæva, *anno Dom.* CXLVI. Sed *Græci* erant illi, non *Ægyptii*.

§. V. Quod formam anni *vagi* ita mordicus retinuerint *Gentiles Ægyptii*, & à forma *fixa* ita studiose temperarint, causam illam fuisse suspicor, quod, cum sacra quadam atque mystica ratione annum suum ita digessissent, ut *Canicularis* anni *magni* circuitu [9] *festa* eorum per Solarem annum universum permearent, nefas esse ducerent si aliam aliquam sequerentur anni formam qua fieret ne *suo tempore* sacra recurrerent. Id genus rationes tradit [10] *Macrobius* de anno *Romano*, cur *mensibus* aliis *VI. Nonæ* assignarentur, aliis duntaxat *IV*; cur mensi *Februario* dies tantum XXVIII; cur VI. kal. *Martii* potius quam *fine* anni veteris, aut *initio* novi, fieret intercalatio. Ex quibus intelligimus in id genus nugis *Gentiles* fuisse *superstitiosissimos*. Similiter *Athenienses*, cum mense alieno *Demetrium* initiari vellent, decreto publico mensis nomen mutarunt, ut ne alio mense *mysteria* quam *Boedromione* peragi viderentur. Nec id equidem immerito, si, quod existimabant, id fuisset verum, à vero nempe *Deo* festa illa fuissent *instituta*, & quidem ob *arcanas* etiam rationes, & per symbola *pactum* denotantia. Erat enim periculum longe maximum ne à *mente Dei* aberrarent siquam novitatem molirentur in rebus *mysticis* atque *arcanis*; & præterea nefas esset siqua nova *symbola* Dei nomine venditarent, *pactum* scilicet à *Deo* præstandum *denotantia* atque *stipulantia*. Ita enim *Dei* nomine ea *stipularentur* quæ *Deus* nunquam præstanda *suscepisset*. Sic intelligimus quantum fuerit *Jeroboami* flagitium cum *festa* ille à *Deo* instituta *alio* tamen auderet *tempore* celebrare, quæ perperam referunt Novatores ad *festa* nec à *Deo* instituta, nec ob *arcanas* aliquas rationes, nec per symbola *pactum* significantia. Omnino enim ad *mores gentium* in Divino cultu receptos hæc accommodata esse verisimile est. Ita igitur factum puto ut, cum in *Augusti* gratiam forma ea, quam dixi, *fixa* ab *Alexandrinis* fuisset introducta, *Græci* quidem eam atque *Romani* usurparent, *Ægyptii* autem omnes repudiarint, & qui *sacris Ægyptiis* assuevissent, etiam *cives* alioqui *Alexandrini*. Nec puto aliquid in *anni forma* novasse *Diocletianum*, id potius curasse unum ut *novam Epocham* induceret, quam tamen alii annis *fixis*, alii *vagis*, emetirentur. *Epocham* illam *eandem* per annos *fixos* numerant scriptores Epistolarum *Paschalium*; per *vagos* *Theon*, & *Ptolemæus*, qui cum annis *Nabonassari*, & *Philippi* conjungunt, quos *vagos* fuisse constat. Erat autem *Astronomis* in universum, *nova* illa *fixi* anni ratio, propter ipsam novitatem, incommoda. *Panciorum* enim erat annorum omne illud intervallum quam quod usibus *Astronomicis* admodum inserviret, & *Hipparcho* recentius, aliisque quamplurimis primi nominis

4 Ap. *Clem. Al.* Strom. I. * In magn. Constr.
5 De die Nat. c. 21. 6 Hypotyp. Astronom. Hypothes.
7 De *Isid.* & *Osirid.* & in *Romulo.*
8 Apud *Gruter.* p. CCCXIV. 2.
9 *Geminus* Elem. Astron. c. 6.
10 *Macrob.* Saturnal. L. I. c. 13.

minis Aſtronomis, quorum eſſent propterea prætermittendæ *obſervationes* in obſervationum *Aſtronomicarum* altius repetereturexordium. Sed nec illud minori laboraret incommodo ſi *diverſas* ab invicem *annorum* formas in una eademque *Aſtronomicarum* obſervationum *hiſtoria* permiſcerent. Eſſent nimirum tot æquationes longe moleſtiſſimæ quibus ad unam formam eſſent tandem redigendæ.

§. VI. Atque ita obiter intelligimus cur qui illam *fixi* anni formam uſurpant *Chriſtiani* neutiquam altius quam ad recentiſſimam omnium *Diocletiani* Epocham aſſurgant. Nulla apud illos mentio *Nabonaſari*, nulla *Alexandri*, nulla *Auguſtorum*. Altum de his omnibus occurrit apud illos ubique ſilentium ni πρόχειρον *Ptolemæi* canonem ſuſcepiſſent continuandum. In promtu ratio eſt. Nimirum recentior erat, apud *Ægyptios*, illis omnibus Epochis hæc *fixi* anni forma, ut proinde non poſſet ad illas, pro fide rerum *hiſtoricarum*, accommodari. Intelligimus præterea, cur, ſtatim à recepto per *Ægyptum* ubique *Chriſtianiſmo*, profligata penitus *Gentilium* εἰδωλομανία, tam *vagi* anni forma, quam *Epochæ* ad illam accommodatæ omnes, in communi uſu eſſe deſierint. Ipſam nempe illam ſuperſtitionem *Idololatricam* cauſam unicam eſſe diximus quo minus ad receptiorem Solaris anni formam ſe auderent accommodare, præſertim cum & illam *veriſſimam* agnoſcerent, & primi hanc fortaſſe mortalium didiciſſent, alioſque omnes docuiſſent, nuper illam certe *Romanos*, cum eorum cive *Soſigene* uſus eſſet in *Romani* Kalendarii reformatione ipſe *Julius*. Liberos itaque ab ea ſuperſtitione *Chriſtianos* nihil erat quod vel ab *initio* faceret alieniores, & quo magis *numero* noſtri atque *auctoritate* invaleſcerent, eo jam *vulgarior* erat *fixi* anni forma atque receptior. Accedebat tamen & alia ratio, quod *Paſchalium* cyclorum conſtructio, ipſo Synodi *Nicænæ* decreto, Patriarchis *Alexandrinis* fuiſſet credita, & quidem ita credita ut quæ ab illis ſtatuerentur, ea orbem *Romanum* univerſum oporteret agnoſcere. Et tamen ad propriam Epiſcopi *Alexandrini* ditionem ſpectabat *Libya Cyrenaica*, *Ægyptus* univerſa, atque *Thebais*, & quidem ex ejuſdem Synodi *Nicænæ* decreto. Ita factum ut qui nullo ſacrorum prætextu ſuperſtitioſo ab ea *abhorrerent*, eos jam ſacrorum ipſa religio ad *fixi* anni formam *conſtringeret*. Quid quod anni *fixi* forma longe poterat facilius ad *Romani* anni formam aptari, ac proinde facilius ab aliis univerſis *Romani* orbis Eccleſiis intelligi.

§. VII. Dum tamen tanta illa perſtaret anni *Alexandrini* à reliquorum *Ægyptiorum* anno diverſitas, & *Theonis* equidem ætate longe plures eſſent *Alexandrini* qui formam anni *Ægyptiaci vagam* neſcirent quæ jam apud illos in deſuetudinem abierat, non modo *Chriſtiani* omnes, ſed & *Græci* etiam, ut diximus, coloni atque *Romani*; conſtat inde ad literarium *Alexandrinorum* cum reliquis *Ægyptiis* commercium quam neceſſaria fuerit utriuſque anni comparatio ut ſiquo anni menſiſque die quidpiam fuiſſet ab aliis, pro ſua ſupputandi rationi annotatum, id alii, quo ſuæ ſupputationis die contingere debuerit, viciſſim intelligerent. Præcipue vero ſtudiorum *Aſtronomicorum* cauſa crediderim hanc inſtitutam eſſe comparationem, ut ſiquid annotaſſent in fixa anni forma *Aſtronomi Alexandrini*, id ſcire poſſent quo intervallo diſtaret ab obſervationibus *Aſtronomorum antiquiſſimorum* in forma anni *Nabonaſarea*. Æram enim illam *Nabonaſari* obſervationes illæ *Aſtronomicæ* præcipue nobilitarant. Hanc itaque comparationem à *Theone* eſſe inſtitutam è noſtro diſcimus *Theonis* fragmento cui reſpondent ad amuſſim noſtri quoque *faſti*. Eam repetendam cenſuit à primo anni *fixi Alexandrini* exordio quo primum illi à reliquis *Ægyptiis* diſceſſerant. Eouſque non aliter numerabant [11] Aſtronomi *Alexandrini* quam reliqui *Ægyptii*. Quot illi pro *Romani* anni forma *Biſſextos*, pro *ſua* ſingulares *Epagomenas*, intercalaſſent, tot etiam diebus à communi *Ægyptiorum* forma diſceſſerant. Ita fiebat ut non ante annum *Canicularem magnum* evolutum, (*fixorum* MCCCCLX. *vagorum* MCCCCLXI, cum *Biſſexti* illi, ſive *Epagomenæ*, ad juſtum *annum* ipſi conſurgerent) fieret ἀποκατάστασις, ad unum ſcilicet redirent annus tam *fixus* quam *vagus* & commune primordium, & in unum rurſus eundemque diem *Thot Alexandrini* atque *Ægyptiaci* initium incideret. Medio interim intervallo ab illo *Alexandrinæ* Epochæ *capite*, à quo prima fuerat *intercalatio*, numerabant dies *intercalares addendos* anno *Ægyptiaco* ut eundem menſis diem in anno *Alexandrino* deprehenderent; *detrahendos* viciſſim *Alexandrino* ut eundem reperirent in anno *Ægyptiaco*. Menſium utriſque una adhuc eademque forma permanebat.

§. VIII. Sed unde repetendum illud eſſet *Alexandrinæ* Epochæ *caput*, & quo tandem æræ *Ægyptiacæ* anno prima facta eſſet ab *Alexandrinis intercalatio*, id fugit hactenus omnes (ante *Petavium*) Chronologos, & nos quoque fugeret, ipſumque *Petavium*, ni fragmenti noſtri *Theoniani* ope id quoque diſceremus. Crediderunt nonnulli ab Epocha *Diocletiani* deducendum. Verum eam ſententiam refutavit [12] *Scaliger* exemplis *Diocletiano* antiquioribus, viditque fore, id ſi verum eſſet, ut non ab *Auguſti* XXIX°. incipiendus eſſet annus *fixus Alexandrinus*, quod tamen conſtat eſſe veriſſimum. Ipſe potius in annum *receptæ* ab *Auguſto Alexandriæ* conferendum cenſet, *urbis* nimirum *conditæ* DCCXXIV^m. Fatetur tamen, id ſi verum foret, initium *Thoth* in ultimum *Auguſti* diem incurſurum. Id cum falſum eſſe conſtaret, ad vitioſam *Romanorum Pontificum* confugit *intercalationem* cujus meminit *Solinus*, fruſtra ſe tentaſſe profeſſus ſi *emendati cycli* rationem habuiſſet. Quaſi vero nihilo peritiores eſſent *Romanis* Pontificibus *Alexandrini*, nec propriam ſibi habuiſſent *intercalandi rationem*. Sed tenebras omnes diſpulit noſter *Theon*. Ab eo diſcimus non ab initio *Auguſti Alexandrino*, ſed poſt *V^m.* ejus *annum*, eſſe numerandum. Eo anno uterque *Thoth* tam *fixus* quam *vagus* in unum eundemque anni *Juliani* diem inciderunt. Inde pro *quarto* quoque anno *unum* numerat diem *Theon* quo *annus Ægyptiacus Alexandrinum* anteverterit. *Quarto* itaque poſt *V^m.* illum *Auguſti* annum, i. e. IX°. poſt receptam *Alexandriam*, U. C. DCCXXXIII°. prima erat *Alexandrinorum* intercalatio. Ita enim *Thoth*, cum jam fuiſſet in *Aug.* XXIX°. impeditus eſt ne in alium quemvis diem relaberetur. Sic optime omnia cohærebunt. Erat enim annus *Biſſextus*, & quidem à *Scaligerano* 2us. ut ſi *Biſſexto Scaligerano* an. U. C. DCCXXI°. initium *Thoth* in *Auguſt.* XXXI^m. inciderit, DCCXXV°. in *Aug.* XXX^m. DCCXXIX°. in *Auguſt.* XXIX^m. incidere debuerit, inde, interpoſito IV^i. cujuſque anni die *intercalari*, non poſſit dimoveri. Conveniunt & noſtri *faſti*. Ab illo enim U. C. anno DCCXXIX°. *Auguſti* V°. extra numerum

[11] Ita de Biſſextis *Syncellus*: αἱ δ' αὐταὶ καὶ τετραετηρίδες παρὰ τοῖς μαθηματικοῖς ἀστρονόμοις κέκληνται. Chron. p. 312. de hoc proculdubio canone noſtro intelligendus *Aſtronomico*. Sic & noſter *Theon* in fragm.

[12] Emend. temp. L. IV. p. 236.

rum rejecto, XLIus. *Biſſextus* incidet in Ann. U. C. DCCCXXXIIIm. *Chriſti* CXLm. accuratiſſime. Perperam itaque *Theonem* noſtrum intellexit *Petavius*, qui ipſum illum annum *Auguſti* Vm. putavit ab *Alexandrinis* intercalatum. Fruſtra etiam *Antianus* & *Georgius* qui idem videntur ſenſiſſe cum *Petavio*, vid. *Syncell.* p. 312, 313. Ita ſi fuiſſet, jam alio die *Thoth fixus*, alio *mobilis* inceperit, ut proinde poſt evolutum *cyclum magnum* ab eo anno numerandum, uno adhuc die ab invicem diſcrepantes invenirentur, nec ad ullam redirent ἀποκατάσασιν.

§. IX. Quod ſiquis quærat cur *faſtos* noſtros *Theon* ab an. Dom CXXXVIIIo. inceperit, nos illam putamus fuiſſe rationem, quod inde repetendum cenſuerit anni *magni canicularis* exordium. Id diſcimus è [13] *Cenſorino*, cujus hæc ſunt verba: *Horum*, inquit, *initia ſemper à primo die menſis ejus ſumuntur, cui apud Ægyptios nomen eſt Thoth, quique hoc anno fuit ante diem VIIo. Kal. Jul. cum abhinc annos centum, Imperatore Antonino Pio II. & Bruttio Præſente Coſſ. iidem dies fuerint ante diem XIIm. Kal. Aug. quo tempore ſolet canicula in Ægypto facere exortum. Quare ſcire etiam licet, anni illius magni, qui, ut ſupra dictum eſt, & ſolaris, & canicularis, & Dei annus vocatur, nunc agi vertentem annum centeſimum.* Nondum expleviſſent à *Nabonaſaro* annum *magnum*, nequis inde novum initium ductum exiſtimet. Sed cum à quolibet Zodiaci *puncto* ad eundem *punctum* fieret in anno *magno* ἀποκατάσασις, ut proinde in hominum *arbitrio* ſitum eſſet quem vellent *Zodiaci punctum* pro anni magni *initio* deſignare; placuit tamen ab eo potius puncto annum *magnum* exordiri quod anni *naturalis vertentis* principium exiſtimabant maxime conſentaneum. Multis autem eam ſententiam placuiſſe à *canis exortu* eſſe exordiendum ſub finem capitis teſtatur idem *Cenſorinus*. In horum numero Ægyptios fuiſſe colligimus è [14] *Porphyrio*. Nempe *cancrum* propterea ab illis pro anni *initio* haberi ſolitum, quod prope *cancrum* eſſet Σῶθις, ὃ κυνὸς, inquit, ἀστέρα Ἕλληνες φασί. Nimirum duplex erat ratio cur ita cenſerent, *propria* alia *Ægyptiorum*, alia *myſtica* & quæ *aliis* poſſet etiam eſſe *communis*. Propria erat *Ægyptiorum*, quod *Nili* ſui *inundationem*, cujus beneficium tota eſſet Ægyptus, ſub *caniculæ ortum* quotannis contingere obſervaſſent, quod ex eodem *ortu* qualis eſſet futurus annus conjecturam capere ſolerent, quanquam etiam & *Coſſ.* ſimiliter ex illo *ortu* conjectari ſolitos diſcimus è [15] *Cicerone*. *Myſtica* erat quod ait, ex eorum ſententia, [16] *Porphyrius*, illam Σώθεως ἐνατολὴν ῥυέσεως καταρχειν τ῀ς εἰς τ῀ κόσμον. Nempe nomine ῥυέσεως εἰς κόσμον *deſcenſum animæ* intelligebant in *mundum ſublunarem* quem à *Solis* etiam *deſcenſu* à *tropico cancri* deducebant nobis propinquiſſimo ad aliud uſque *capricorni tropicum* à nobis remotiſſimum. Ab eo enim uſque tempore *Sol* populis aquilonaribus *deſcendere* videtur quia ejus *altitudo* gradatim in *noſtro* horizonte *decreſcit*. Similiter & *animæ deſcenſum*, cujus *fontem* ponebant in *Sole*, ſignis tribuebant *aquilonaribus*, aſcenſum *meridionalibus*, *aquilonarium* nomine ea intelligentes quæ inter *cancri tropicum* ſita eſſent atque illud *capricorni*; & viciſſim nomine *meridionalium* ea quæ à *tropico capricorni* ad *cancri* uſque *tropicum* pertingerent. Hæc è prædicto *Porphyrio* diſcimus atque *Macrobio*. Ita erat conſentaneum ut quod *animæ* humanæ *principium* eſſet *deſcenſus* in ῥύεσιν, id pro *Solis* in Zodiaco motus *annui principio* haberetur.

§. X. Et quidem ad *caniculæ* motum quod *annum* illum *magnum* conformare vellent, ipſa ejus *nomina*, ut alia deeſſent argumenta, manifeſte indicarent. Inde illum *canicularem* appellabant. Inde etiam Σωθιακὸν περίοδον, quod ſcilicet *circuitum* Σώθεως, ſive *caniculæ*, complecteretur dum ad *idem* rediret in cœlo *punctum* in quo antea fuiſſet. Ita habebant *fixum* aliquod in *cœlo* & *cœleſti anno* punctum, unde *anni* etiam *civilis fixi* arceſſendum eſſet exordium, ut non ab hominum *inſtitutis* illud, quæ incertiora erant & mutabiliora quam ut poſſent pro anni *Aſtronomici* regula haberi; ſed à *cœlo* potius, ipſaque adeo *natura*, petitum videretur, nec ulla poſſet hominum *inſtitutione* violari. Cum itaque ad *caniculæ* περίοδον annum illum *canicularem magnum* compoſitum fuiſſe oſtenderimus; quo *die* anni Solaris *fixi* oriretur illa in Ægypto, ab eo maxime conſentaneum erat ut repeteretur anni *Ægyptiaci* primordium. Hunc ortum *Cenſorinus* tribuit XII. kal. *Auguſti*, ſi Librarium audiamus. Sed reponendum omnino XIII. kal. ut XXus. *Julii* denoteturr, non XXIus. Incidit enim Conſulatu *Antonini Pii* IIo. & *Brutii Præſentis*, *Chriſti* ſcilicet CXXXIXo. neomenia *Thoth* in illum quem dixi *Julii* diem, accuratiſſime. Et cum inde numerat *annum vertentem centeſimum* ad ſui temporis Coſs. *Ulpium* & *Pontianum*, *Chriſti* ſcilicet CCXXXVIIIm. certum eſt *centum* annorum ſpatio XXV. numerandos eſſe dies intercalares, quos ſi à VII. kal. *Jul. Junii* viz. XXVo. numeres, *Julii* diem pertingent non XXIm. ſed omnino XXm. Uterque certe numerus *Cenſorini* eſſe vix poteſt. Aliter foret ut ipſi etiam *Cenſorino* errorem illum tribuendum exiſtimarem, adeo convenit cum hodierno etiam *Cenſorino Solinus* in loco plane gemino, & è *Cenſorino* fortaſſe deſcripto, vel è *Cenſorini* potius auctoribus. Proinde crediderem è diverſa *numerandi* methodo omnem illam numerorum fluxiſſe diſcrepantiam. [17] *Romanis* à *nocte media* ad mediam numerantibus, totum illud intervallum quod ſolis ortum occaſumque intercedit, ad unum ſpectabat diem *Julii* XXm. *Ptolemæo* & *Aſtronomis* à *meridie* numerantibus, antemeridiana diei pars finiebat *Julii* XXm. poſtmeridiana *Julii* XXIm. inchoabat. Sed mihi fateor ne hanc quidem ſatisfacere numerandi rationem. Si enim *primum* hujus *centenarii* annum ita numerarit *Cenſorinus*, cur non itidem *centeſimum?* Ita fieret ut, quo anno ſcripſit *Cenſorinus*, *Thoth vagus* non in VIIm. kal. *Jul.* incidiſſet, ſed VIIIm. *Junii* nempe XXIVm.

§. XI. Redeo jam unde digreſſus ſum. In hunc itaque ipſum diem *Julii* XXm. *caniculæ ortum* contendit veteres pleroſque contuliſſe [18] *Salmaſius*, cum tamen falſam illam ſecutus, quam diximus, *Cenſorini* lectionem, *ſententiam* illorum crederet diverſam à ſententia *Cenſorini*. Refellit illum [19] *Petavius*, pro ſuo more, maledicentiſſime. Utinam cauſam poſſet præſtare *Salmaſius*. Sed tanta eſt, ut verum fatear, veterum ab invicem in ſtellarum *ortu* & *occaſu* ſtatuendo diverſitas ut ægre admodum repereris exemplum in quo apud illos de *die* convenitur. Ipſa etiam *hypotheſis* falſa eſt, uno eodemque *Juliani* anni die una eademque cœleſtium motuum *Phænomena*, etiam in eodem loco perpetuo reditura. Id quo minus fiat vetat ipſa *Zodiaci* anticipatio, & punctorum

[13] *Cenſor.* de die Nat. c. 21.
[14] *Porph.* de Antr. Nymph. p 265. ed. *Holſten.*
[15] *Cicer.* L. I. de Divin.
[16] *Porphyr.* ib.
[17] *Gell.* Noct. Att. L. III. c. 2. *Macrob.* L. I. c. 3.
[18] *Salmaſ. Plin.* exercit. ad *Solin.* p. 432.
[19] *Petav.* auctar. Doctrin. temp. L. VII. c. 2.

rum *cardinalium*, tam *æquinoctialium* quam *solstitialium*, incerta admodum & ab invicem diversa positio. Hæc veteribus suboluisse fateor. Primus hæc invenit, ut videtur, *Hipparchus*. Secutus est *Hipparchum* [20] *Ptolemæus*. Inde meminerunt recentiores [21] *Origenes* & [22] *Proclus*. Sed eorum nulla habita est ratio in constructione anni *Juliani*, aliorumve *vulgarium* fixorum. Et ignota fuisse prorsus vetustissimis videntur *Ægyptiis*. Erat præterea rudis admodum illa connexio qua cum *Nili inundatione*, & *Solis* in Zodiaco *descensu*, ortum *Caniculæ* conjunxerunt. Frustra laborat in eorum conciliatione [23] *Salmasius*. Et frustra *Porphyrius* ortum illum tribuit *Solis* in *cancrum* ingressui. Nec id puto *voluisse* veteres, ut ita *diem* accurate denotarent, sed duntaxat *cardinem*, quod nimirum ad illum *cancri cardinem* Caniculæ *ortus* quam ad alium quemvis *cardinem* propius accederet. *Descensum* certe *Solis* ab ipso Septentrionali *solstitio*, *solstitium* ab *initio cancri* deducebant, vel concludebant saltem infra *decimum* cancri *gradum*. Inde etiam *Nili inundationem*, ut hæc tamen omnia infra mensem *Junium* concluderent, & *cancri* saltem *Dodecatemorion*. Quanquam etiam *solstitii* nomine duo omnino signa, tam *cancri* quam etiam *leonis* concluserit *Lucanus*, illos forte secutus auctores, qui hæc omnia cum *solstitio* conjunxerint. Observavit magnus *Scaliger*, tam in *Manilianis*, quam in Ep. ad *Mamertum Patissonem*. At qui *ortum Caniculæ* accurate designare volebant, præsertim *Heliacum*, à *Junio* removebant illum, ut opinor, omnes, aut è *cancri* saltem *Dodecatemorio*. Nolo hic recensere veterum quamplurimas, & à se diversissimas, hoc de ortu, sententias. Eas alii collegerunt. Id unum dico, in eo tamen convenire plerosque primi nominis Astronomos, mense *Julio*, Sole *leonem* ineunte, *Caniculam oriri*. Nec est quod unius alteriusve *diei* discordiam miremur, etiam in ejusdem *loci* observationibus. Aliquam oportuit esse discrepantiam cum *gradus* CCCLX. essent per *dies* CCCLXV. & quadrantem tribuendi. Quid quod *mensium civilium* initia non essent ad *mensium cœlestium* initia exigenda. Nec illi inter *se*, nec cum *Zodiaco* conveniunt, ne *Juliani* quidem illi omnium receptissimi, & *Sosigenis* Astronomi peritissimi consilio concinnati. *Medio* circiter mense *Juliano* Solis ponit ad Zodiaci signa appulsum Kalendarium *Herwarti Constantianum*. Et quidem ita ponere necesse erat qui puncta *cardinalia* in *VIII. Kal.* contulissent (quorum *punctorum* ratio duntaxat habita est in constructione anni *Juliani*) & qui *puncta* illa in *octavis* cœlestium signorum gradibus collocabant. Et tamen qui in *aliis* signorum *gradibus* quam *octavis* collocabant, illos aliter numerare necesse erat. Ita qui in cœlestium signorum *loco* conveniebant, discrepare tamen poterant ab invicem in designando mensis civilis *die*.

§. XII. Ex ipso autem *Censorini* die, *Julii* XX°. constat illos, quorum hic sententiam de anni magni initio retulit, *Caniculæ* ortum ad *Solis* in *leonem* ingressum retulisse. Idem nostrum quoque sensisse *Theonem* constat ex ejus in [24] *Aratum* Scholiis. Τότε (inquit) ἐμβαίνει ὁ Νεῖλος ᾗ ἡ ☿ κυνὸς ἀνατολὴ ☌ ἐνδεκάτῳ ὥρᾳν φαίνεται, ᾗ ταύτῳ ἀρχὴν ἔτους τίθενται, ᾗ τὸ Ισιδος ἱερὸν εἶναι ☥ κύνα λέγουσι, ᾗ ☥ ἀνατολῶν αὐτὸν ἐφ' ἷῳ ᾗ ☥ ὄρτυγα θύουσι, τῷ παλμῷ τότε ☿ ζώδιον σημειοῦνται ☥ καιρὸν τὸ ἀνατολῆς ☿ ἄστρου. Notandæ sunt omnino voces φαίνεται & ἀνατολὴ. Ortus φαινόμενος est ortus *Heliacus*, qui idem etiam ἀνατολὴ proprie dicitur; est enim ortus *Cosmicus* ἀνατολὴ, uti discimus è *Gemino*. Concurrunt itaque, pro hac nostri *Theonis*, quam diximus, hypothesi, ortus *Caniculæ*, quem diximus, *Heliacus*, & ortus *Nili sensibilis*, quam aliam diximus notam *exordii* anni magni *Ægyptiaci*. Quanquam enim *Sole cancrum* tenente, & mense *Junio*, & sub *solstitio*, ortum *Nili* alii collocent; *sensibile* tamen ejus *incrementum* ortum *Caniculæ* non antevertisse, & illud quoque confirmat, quod *Etesiæ* in eundem *Caniculæ* ortum, eundem *Solis* in *leonem* appulsum, tam pro *Arati*, quam Scholiastæ etiam *Theonis*, *principiis*, incurrant. *Etesiis* enim illis *Nili* incrementum *Thales* & *Veterum* antiquissimi tribuebant, non ita proculdubio sensuri ni recentius *Etesiis* illud fuisset *incrementum*. Eodem etiam & illud referendum quod *Epiphi* mensi *Ægyptiaco Solis* in *leone* sedem tribuit idem *Theon*, quo tempore & χόρης ἀραγὼ dicit ab *Ægyptiis* fuisse celebratam. *Epiphi* mensis *fixus* est omnino cui certus *Solis* locus in *Zodiaco* respondet, *fixo* autem *Epiphi* mensem *Julium* pro maxima parte respondisse constat in anno *Juliano*. Ita itaque probabile est cum illis sensisse *Theonem* quos ait *Censorinus*, à *Caniculæ* ortu, mense *Julio Romano* exeunte, annum magnum *Ægyptiacum* fuisse exorsos.

§. XIII. Respondet *Censorino* ad amussim, etiam vitiosæ illi, quam probavimus vitiosam, lectioni *Solinus*, qui etiam ea omnia confirmat, quæ diximus. Ita ille [25] de *Nili* incremento: *omnem*, ait, *excessus originem de Sole fieri, primamque exultantiam tumoris concipi, cum per cancrum Sol vehatur. Postmodum triginta ejus partibus evolutis, ubi ingressus leonem, ortus Syrios excitaverit, propulso omni fluore tantam vim amnis erumpere. Quod tempus Sacerdotes natalem mundi judicarunt, id est, inter tertium decimum calendas Augusti & undecimum diem.* Ab illa scilicet conjunctione *incrementi Nili* cum *ortu Caniculæ*, & nomen quoque *Nili* ad *sidus* cum magno [26] *Seldeno* derivatum existimo. Nempe *Nilus* sacris Scriptoribus שחר, &, recentioribus etiam seculis, *Siris* ad *cataractas* usque & *Syenen* audiebat. Ab eo deinde loco ad mare antiquissimum nomen mutasse videntur recentiores. Ab eo *fluvii* nomine *astrum* etiam Σείριον appellabant quo fluvii *ortus* indicabatur. Et qua forma Σείριος ἀστὴρ appellatur ab *Hesiodo*, eadem verisimile est *Ægypti* terram γλῶ σειριάδα vel σειριαδικλῶ ab *antiquis* fuisse appellatam. Inde forte intelligemus locum illum *Josephi* difficillimum, *Geographorum* hactenus crucem, in quo ait *Sethi* columnas *Astronomicas* in terra *Seriadica* esse collocatas. Jam ostendi in vernacula de *Sanchoniathone* Dissertatione, in *Ægypto* potius quam alibi quærendam illam esse terram *Seriadicam*. Id è *Manethone*, id ex *Ammiano*, id ex ipsa *Sethi* mentione, collegimus. Accedit etiam & ipsa ratio cur *stelis* illa Astronomica inventa credenda censuerunt, & quidem illis *lapideis*. Nempe *diluviis* consultum *stelis* illis *lapideis*, *conflagrationi* stelis *coctilibus* lateritiis, fatetur in eo loco *Josephus*. *Diluvia* hæc ad *Nili inundationes* facillime retulerimus. Ita terram illam *Seriadicam* talem fuisse oportuit ut *Nili* esset inundationibus maxime obnoxia. Et in promtu erit ratio cur præ aliis *Ægypti* partibus illa σειριὰς appellaretur quæ fluvio *Siri* fuisset, præ aliis, maxime

[20] *Ptol.* magn. constr. L. VII. c. 2.
[21] *Origen.* in Gen. ap. *Eus.* de Pr. Ev. L. VI. c. 11.
[22] *Procl.* Hypotyp. Astron. hypothes.
[23] *Petav.* Auctar. L. VII. c. 1.
[24] P. 22. ed. *Oxon.*
[25] Polyhist. c. 44.
[26] *Selden.* de Diis Syr. synt. I. c. 4.

me expoſita. Ad hanc etymologiam proxime acceſſit [27] *Euſtathius*, qui ſcripſit Σηιρειάδ. Et ut aſtrum σείριον *Syrium* ſcribunt Auctores *Latini*, ita non eſt quod miremur de *Syria* terram *Seiriadicam* intellexiſſe veterem *Joſephi* interpretem. Quod porro *fluvii* nomen in *terram* deduxerimus, habemus in ipſo *Ægypti* nomine exemplum antiquiſſimum. Eſt quidem illud nomen noſtris Scriptoribus ſacris antiquiſſimis incognitum. De *fluvio* uſurpat *Gentilium* antiquiſſimus [28] *Homerus*. Inde ad *terram* tranſiiſſe eſt ſane veriſimillimum. Fruſtra huc *Seres* & Inſulam *Seriam* retulit *Goar*. Inde *Serica*, non *Serias* aut *Seriadica* fuerit appellanda.

§. XIV. Ait præterea *Solinus natalem mundi* hoc die eſſe conſtitutum. *Natalis* nomine intelligit primum illum Epochæ *diem* unde novæ ſuppurationis ducendum eſſet exordium, ut in *urbium regumque* natalibus novi anni erant ab ipſo eorum natali *die* inchoandi. *Mundi* autem propterea hunc *natalem* appellabant quod non unius duntaxat cœleſtis orbis in eo circuitus denotaretur, ut in motu *Solari* anni vertentis; nec unius duntaxat φωσῆρος, ut in motu *Solari* anni *Canicularis* magni, tunc enim redire credebatur *ſol* ad idem cœli *punctum* unde ab illius anni initio diſceſſerat, & quidem in eodem menſis civilis *die*, eademque *hora*. Ita *natalem Invicti* legimus de *ſole* in Kalendario *Conſtantiano* ad VIIIm. kal. *Januarii*. *Sol invictus* dicitur in *nummis inſcriptionibuſque*. Et vero incidit in VIIIm. kal. *Jan.* ſol *novus*, ſeu *natalis* motus Solaris *annui*. A *ſolſtitio* enim *hiberno* annum inchoabant *Romani*, quod & in ipſum illum *diem* contulerunt. *Mundi* itaque ille fuit, apud *Ægyptios*, circuitus quo fieret non *ſolis* modo, ſed *lunæ* etiam, ἀποκατάϛασις, ita ut non *ſibi* duntaxat, verumetiam *invicem* reſponderent in eodem ſitu, eodemque inter ſe reſpectu. *Sacrorum* enim cauſa diximus ab *ethnicis* id genus *cyclos* fuiſſe excogitatos. In *ſacris* autem non *ſolis* tantum, ſed *lunæ* etiam, rationem habebant propter *neomenias*. Illam itaque *lunæ* cum *ſole* in eundem locum ἀποκατάϛασιν XXV. annorum circuitu contingere credebant, annorum ſcilicet *vagorum Ægyptiacorum*, ut proinde anni *magni* ἀποκατάϛασις rediret poſt cyclum annorum *vagorum* MCCCCLXI. quinquies repetitum atque vigeſies. Ita cyclus annorum *mundi* annis conſtabat 36525. *vagis*, 36500. *Julianis*. *Vagorum* tamen unicam rationem diximus habuiſſe *Gentiles Ægyptios*. Hunc cyclum tradiderant auctores γενικῶν & κυρηνίδων, librorum ſcilicet qui ſub *Mercurii* nomine ferebantur, teſte [29] *Syncello*, auctore, ut videtur, ipſo *Manethone*. Non eſt itaque quod dubitemus quin idem fuerit *Ægyptiorum*. Erat enim illud illis ſolenne ut ſua omnia antiquiſſima inventa *Mercurii* ſui nomine inſcriberent. Hujus itaque *cycli* annum numerabant, ætate *Cenſorini*, centeſimum. Nec alium exordiri ac notare volebat, ut opinor, faſtis ſuis conſularibus noſter quoque *Theon*. Εικοσιπενταετηρίδων tabellas in πρόχειροις κανόσι confeciſſe *Ptolemæum* teſtis eſt [30] *Syncellus*. Iiſdem uſum in Commentario eſſe *Theonem*, ex hoc ipſo conſtat, quod damus, illius fragmento.

§. XV. Addit præterea Solinus *Sacerdotes* hunc *natalem mundi judicaſſe*. Ita intelligimus *ſacris* uſibus hunc cyclum fuiſſe deſtinatum. Intelligimus etiam quinam fuerint à *quibus* numeratus fuerit annus ille *Cenſorini centeſimus*. Erat enim moribus illorum ſeculorum receptum ut *ſacrorum* antiſtitibus *annorum* diſpoſitio crederetur. Ita *Biſſextos* intercalabant *Pontifices Romani*, utcunque imperiti. Sed & antea magnam illam anni confuſionem, cui occurrere voluit *Julius*, iidem *Pontifices* induxerant. Inde intelligimus, quo tandem exemplo, cyclorum quoque *Paſchalium* cura ſolis commiſſa fuerit *Epiſcopis*, præſertim *Alexandrinis*, earum rerum longe peritiſſimis. Ita providebant ethnici ne alio quam ſuo tempore *feriæ* redirent, quod, pro illius ſeculi ſuperſtitione, magni habebatur ad res etiam ſeculares feliciter gerendas. Inde etiam colligimus (quod neſcio aliuſne quiſpiam hactenus obſervarit) recentiorem eſſe, quam vulgo creditur, ipſum quoque *Solinum*. *Plinio* coævum putant, vel paulo etiam fortaſſe juniorem. Atqui *Antonini Pii* initia exceperit neceſſe eſt qui eo tempore vixerit quo hunc *mundi natalem Sacerdotes Ægyptii* jam antea *judicarant*; ipſum etiam fortaſſe *Cenſorinum*, qui *errorem* ejus in *die* fuerit imitatus. Nemo eſt certe quarto Chriſti ſeculo antiquior qui illum unquam teſtem adduxerit. Multa tamen habuit cum eo communia ipſe *Cenſorinus*.

§. XVI. Redeat tandem eo noſtra, unde deflexit, oratio. Jam oſtendimus, qui in *ſigno* cœleſti & *gradu* etiam convenirent, quam tamen illis facile fuerit & proclive ut in *die* menſis *civilis* poſſint ab invicem diſcrepare. Nec tamen *longe* abeunt ab invicem qui diem hujus ortus deſignabant in Kalendario *Juliano*. Conveniunt ad amuſſim, uti diximus, *Cenſorinus* atque *Solinus*. Ipſo *Julii* XX°. die tam *ſolis* in *leonem* appulſum, quam *caniculæ ortum*, collocat *Leonici Ptolemæus*. Sed fide prorſus indignum fateor iſtum compaginatorem. Habeo ipſum *Ptolemæum* MSm. quo uſus eſt in tractatu de *anno Macedonico* magnus *Uſſerius*, longe etiam illo ſinceriorem quem *Græcum* edidit in auctario *Petavius*. In neutro tamen habemus quod repræſentat planus iſte *Leonici*. Cæterum *ſolis* in *leonem* introitum eo ipſo die conſtituit *Columella*, ut proinde non alio illos oportuerit conſtituere *ortum caniculæ* qui *primo* illum *leonis* gradui aſſignaſſent. XXI°. *Eteſias* tribuit noſter MSus. viz. *Epiphi* XXVII°. quas diximus veteres cum *Nili incremento*, & *caniculæ ortu*, conjunxiſſe. Eodemque die *caniculæ ortum* ponit *Ptolemæus Petavii* Hor. XIVa. viz. Parallelo IX°. quem per *inferiorem Ægyptum* duxit *Ptolemæus*, ubi agebant Sacerdotes *Heliopolitani*. Ita veriſimilem habebant errandi occaſionem *Cenſorinus* & *Solinus*. Anteriorem tamen faciunt alii. XIX°. aſſignant *Palladius* & *Aetius*. XVIII°. planus *Leonici* & non uno loco *Plinius*. Sed certum eſt initio *Antonini Pii* neomeniam *Thoth mobilis* in alium diem non potuiſſe quam in *Julii* XXm. incurrere. Non eſt itaque quod dubitemus hunc ipſum *diem* hujus Epochæ fuiſſe primordium. Qui ergo remotiorem ab hoc tempore diem *ortui caniculæ* aſſignant, vel de alio loquuntur caniculæ ortu quam *matutino* & *heliaco*, vel alio in loco obſervabant quam *Heliopoli*, vel *cœleſtes* aliter *civileſque* menſes inter ſe contulerunt, vel de *gradu* etiam *cœleſti* aliter ſentiebant quam *Heliopolitani*. Nihil itaque illi ad noſtrum *Theonem*. Ut enim *Sacerdotum Ægyptiorum* hanc fuiſſe Epocham didicimus è *Solino*, ita certe non aliorum fuiſſe veriſimile eſt quam *Heliopolitanorum*, qui in rebus *ſacris* longe reliquis *Ægyptiorum* etiam ſacerdotibus, præcellebant.

§. XVII. Diſcrepare tamen uno anno videtur in faſtis ſuis *Theon* ab illa ſupputandi ratione quam etiam *Conſulibus* notavit *Cenſorinus*. Faſti *Theonis* ab illis Coſs. incipiunt quorum Conſulatu deceſſit *Hadrianus*, ſucceſſit *Antoninus Pius*, viz. an. Dom. CXXXVIII°. Incipit *Cenſorinus* à Coſs. ſequentibus anni

[27] In Hexamer.
[28] Odyſſ. Δ.
[29] *Georg. Sync.* p. 35, 52.
[30] *Syncell.* Chron. p. 52.

anni Dom. CXXXIXi. in illum enim annum incidit *Antonini* Conſulatus IIus. cum *Bruttio Præſente*. Quod equidem ad *diem* attinet quem hujus anni Coſmici *natalem* appellavit *Solinus*, eodem redit ſeu hoc noſtri *Theonis* anno, ſeu illo potius *Cenſorini*, hanc novam Epocham incepiſſe dicamus. Integro enim quadriennio, ab anno CXXXVI°. ad CXXXIXm. *vagi Thoth* neomenia incurret in diem *Julii* XXm. Ergo aliunde quærenda hujus difficultatis ſolutio, quod diverſis, ut dixi, Coſſ. hujus magni cycli initium ſignarit noſter *Theon* atque *Cenſorinus*. Erit autem & illa expedita ſi de annis *abſolutis Cenſorinum*, de *inchoatis noſtrum* intelligamus, ut ſecundus *Antonini* cum *Bruttio Præſente* Conſulatus ſit hujus cycli primus *abſolutus*, ſecundus *inchoatus*; *Ulpii* etiam & *Pontiani* Conſulatus ejuſdem cycli ſit *abſolutus* equidem centeſimus, *inchoatus* autem centeſimus primus. Id quod admodum ſane veriſimile eſt. Cum enim in *fixo* anno *Juliano fixam* etiam *caniculæ*, in qua oriretur, ſedem conceſſiſſent, toto etiam illo quadriennio, quo in eundem *fixi* anni *Juliani* diem idem *vagi menſis Ægyptiaci* dies incideret, eodem etiam menſis *Ægyptiaci* die oriri *caniculam*, erat omnino, pro Kalendarii ratione, conſentaneum. Cur igitur *ultimum* quadriennii annum potius quam è tribus anterioribus quemvis eligerent? Ultimum appello propterea quod anno ſequenti, Domini CXL°. jam intercalato VI°. Epagomenων, mutabat neomenia *Thoth* ſedem in anno *Juliano*. Eſt itaque omnino veriſimile in honorem *Antonini Pii* novam hanc ab *Ægyptiis* inſtitutam eſſe Epocham, atque adeo ab *ejuſdem* eſſe *Imperio* numerandam. Neque enim eſt quod ab illius *ſeculi* moribus alienum putemus ipſum hunc honorem. Ita certe proximos ejus ſucceſſores *Marcum* & *Verum* cultos eſſe conſtat, de quibus ita ſcribit *Spartianus* in *Æl. Ver.* c. 5. *Faſtos Conſulares nonnullos ab his ſumſiſſe ordinem Conſulum*. Ita omnia convenient ad amuſſim. Ut enim an. CXXXVIII°. deceſſiſſe *Hadrianum*, ſucceſſiſſe *Antoninum*, probavit feliciſſime Cl. *Pagi*; ita primum illum *Antonini*, & reliquos deinceps in Æra *Nabonaſari* ita numerare *Ptolemæum*, & apud omnes in confeſſo eſt, etiam illos qui tamen aliter quam *Pagi* ſentiunt de annis *Antonini*, & è noſtris conſtabit in illum *canonis Ptolemaici* locum annotationibus. Nempe annos duntaxat *inchoatos* numeravit *Ptolemæus*. Quis autem dubitet numeros *Ptolemæi* ſuorum etiam fuiſſe numeros *Ægyptiorum*? Ita ſcilicet magni habebatur ſi in *natalem Antonini*, non equidem *diem*, ſed ſaltem *annum*, & *menſem*, ſi à morte *Hadriani* ejus *Imperium* exordiamur, etiam *mundi natalis* incideret, & ab eo uſque exordio tanta illa futurorum in tanto cyclo annorum ſeries eſſet numeranda.

§. XVIII. Et vero ſi illorum ſeculorum recepta *dogmata* perpendamus, nullum eſſe potuit novi Imperii melius *omen* aut felicius *auſpicium*. Novi enim cycli *mundani* initio *novum* etiam credebant redire *mundum*. Ut enim cycli Solaris *annuo* initio *Solem novum* appellabant (ita enim appellaſſe conſtat è[31] *Servio*, [32] *Cenſorino*, [33] *Virgilio*, [34] *Ovidio* & [35] *Varrone*) ut *ver novum* pro *veris initio* legimus apud [36] *Virgilium*; ita conſentaneum erat ut novi cycli *mundani* initium pro *novo mundo* haberetur. Ita fortaſſe intelligemus quæ de *novo mundo* legimus in *novo* præcipue *Teſtamento*, quanquam è *veteri Teſtamento* deſumta. Ita certe intellecturi videbantur qui illa novi Teſtamenti *ætate* vivebant. Cum *novo mundo aureum* etiam redire credebant, quod primum fuerat mundi *ſeculum*. Hoc illos ſentire conſentaneum erat qui *mala* omnia ſeculorum reliquorum, tam *ærei* quam *ferrei*, defectis mundi viribus & *ſenio* tribuebant, quæ quidem erat ſententia eo, de quo loquimur, ſeculo, etiam inter *Chriſtianos* receptiſſima. Si enim *ſenectuti* mala, bona etiam viciſſim omnia mundi erant *ætati primæ* tribuenda. Et vero ita ſenſiſſe tam *Heſiodum* quam *Platonem* probavit *Heinſius* in eruditiſſimis ſuis ad *Heſiodum* Prolegomenis. Remota enim à mundo *clavo* εἱμαρμένη atque ἀνάγκη, eum jam novi cycli mundani initio ab ipſo λόγῳ ſuſceptum credidit [37] *Plato*, ei autem fauſta omnia atque felicia tribuenda. Cum ergo *temporum* ſuorum *felicitatem* ſolenne eſſet *Romanis Imperatoribus* gratulari; nihil eſt proinde quod miremur *Antonino Pio* hæc tribui ab *Ægyptiis Sacerdotibus* tempora omnium *feliciſſima*. Ipſi *Auguſto*, ipſi Conſuli *Pollioni*, hoc idem gratulatus eſt [38] *Virgilius*, quod ab eo uſque anno *Aurei ſeculi* initium eſſet numerandum. Quin & *magnos menſes* pro aureæ ætatis *initio* habet *Virgilius*. Aptiſſime nimirum ſi ad *annum magnum magni* etiam *menſes* [39] referantur. Quod ſi etiam, cum *Aſconio Pediano*, magnos menſes de *Julio* & *Auguſto* menſibus intelligamus qui nomina à *primis* Imperii *Romani* conditoribus acceperant; ne ita quidem abludent. Jam vidimus menſe *Julio* noſtræ quoque Epochæ initium eſſe conſtitutum ab *Ægyptiis*. *Virgilium* imitatus ætatem *Carino* auream ſimiliter gratulatur *Calpurnius Siculus*. Sic & *Diocletianum aurei parentem ſeculi*, & *ferrei Maximianum* appellat, pro *vulgi* ſermone *Lampridius* in *Heliog.* c. 35. Sed libertate hæc cecinit *Virgilius*, cecinit *Calpurnius*, omnino Poëtica, nullo prorſus, cur ab eo potius quam ab alio quovis anno *mundi novi* initium deduceret, argumento. Solidius id multo, pro ſuis equidem principiis, colligebant *Sacerdotes Ægyptii*, quod ſcilicet initio *Antonini Thoth mobilis* in *mundani motus initium* naturale incurriſſet, & in magnorum menſium *primum*. Nec enim temere hæc & fortuito putabant contigiſſe, ſed vero conſultiſſima numinis providentia, & inſigni benevolentiæ argumento. Et, ut *providentiam* miſſam facerent, inde meliora omnia & feliciora futura colligebant qui res noſtras à *cœleſtibus motibus* neceſſario pendere credebant, quod crediderunt *Ægyptii Genethliaci*. Et ut *pauca* aliqua *ſubeſſent* paucis in locis (ut phraſi utar *Virgiliana*) *priſcæ veſtigia fraudis*, at de *mundi* fato credebant è *mundano* eſſe *motu* ſtatuendum. In *Romanum* vero hæc quam in aliud quodvis *humanum* Imperium quadrabant, quod illius ditionem *mundum*, pro illius ætatis uſu, appellarent. Accedebat, apud *Gentiles*, divini ſui *Platonis* vaticinium, tunc fore homines felices cum reges haberent *Philoſophos*, quem titulum avide affectabant tam *Pius* quam & *filii* ejus *Antonini*. Conveniebat præterea tam domi *incruentum*, quam ab externis etiam hoſtibus *pacatiſſimum Antonini* Imperium, quæ certe *auream ætatem* maxime apud *Virgilium* inſigniunt. *Ominati* tamen ſunt potius quam *gratulati* illam felicitatem *Ægyptii*. Quæ enim *poſt* initium Imperii ſubſecuta ſunt, ea cauſam nullam præbere poterant Epochæ ab ejus *initio* numerandæ.

Si

31 *Serv.* in VII. Æneid.
32 *Cenſorin.* c. 21.
33 *Virgil.* Æneid. VII.
34 *Ovid.* Faſt. L. I.
35 *Varr.* Ling. Lat. L. V.
36 *Virgil.* Georgic. L. I.
37 Sympoſ.
38 Eglog. IV.
39 Vid. *Pomp. Sabin.* & *Serv.* in loc.

Si tamen alias habuerint, quam, quas dixi, *Aſtronomicas* hujus dogmatis *Ægyptii* rationes; poterant etiam è *moribus*, etiam ſub *Hadriano* cognitis exploratiſque, ominari quam futuri eſſent, eo Imperante, felices. Habemus itaque hujus novæ Epochæ *Theonianæ annum* primum, primum ſcilicet *Pii*, *Chriſti* autem CXXXVIIIm. *diem* etiam primum in anno *Juliano Julii* XXm. *mobilem* tamen illum, &, pro anni *Ægyptiaci* ratione, per omnes deinde anni *Juliani* dies errabundum. Quod autem *faſtis Conſularibus*, illam deduxerit ad ſuam uſque, qua ſcribebat, ætatem *Theon*, exempla habuit apud Paſchalium cyclorum *Chriſtianos* Scriptores recentiſſima. Similes & illi cyclos quibus *ſolis* inter ſe *lunæque* rationes æquarentur, ad ſuam uſque ætatem per *faſtos Conſulares* ſimiliter deduxerant. Sed *antiquiores* crediderim *Theonis* fuiſſe Auctores, & ſuæ *ſuperſtitionis* affines, à quibus etiam ad *Chriſtianos* illud emanarit exemplum.

§. XIX. Omnino probabile eſt fuiſſe etiam *Cenſorino* ſuos quoque *faſtos* ab hujus Epochæ initio perductos è quibus *primum* Epochæ annum & *centeſimum* adeo accurate deſignarit. Eſt & illud etiam probabile, ab *Ægyptiis* accepiſſe *Cenſorinum*, *Sacerdotibus* nimirum *Heliopolitanis*. Ab illis enim *numeratam* hanc novam fuiſſe Epocham è *Solino* jam collegimus. Cum itaque in *Romani* Imperatoris honorem eam eſſe à *Sacerdotibus* excogitatam ſit ſane veriſimile; conſentaneum proinde fuit ut calculos ſuos pro captu *Romanorum* ac more deſignarent. Inde factum puto ut ipſum menſis *Juliani* diem ab *illis* didicerint *Solinus* atque *Cenſorinus*. Inde etiam ut Coſſ. hujus Epochæ primos, & quem locum in eorum numeratione tenuerint etiam illius anni, quo ſcripſit, Coſs. didicerit *Cenſorinus*. Non eſt autem veriſimile vitioſis faſtis uſos quos ſecutus fuerit Auctor, illius, quo ſcripſit, ſeculi forſitan accuratiſſimus. Quod ſi eouſque annos ſui cycli vertentes Coſſ. notarint *Cenſorino* coævi *Sacerdotes Heliopolitani*; non eſt ſane probabile de futuros exemplo *poſteros* ſacerdotes, quin & illi, dum abſolveretur cyclus, ad ſuam quilibet ætatem eoſdem illos faſtos *Romanorum* Coſſ. perducerent. Ita fide publica Collegii *Heliopolitani* nitentur hi faſti, quo neſcio ecquid poſſit, in id genus rebus, teſtimonium eſſe locupletius. Nec aliam ſane originem produnt ipſi faſti. Solos illos Coſs. agnoſcunt quos agnovit *Ægyptus*, cum alios tamen Coſs. aliæ *Romani* Imperii *partes* agnoſcerent. Fieri hoc vix certe potuit ſi ex aliis quam *domeſticis archivis* depromerentur. Suntque etiam in Conſulum *Cæſareorum* dignitate, ſeu *Cæſarea*, ſeu *Auguſtea* deſignanda accuratiſſimi, ut plane eodem *tempore* quo Conſulatum inierint, faſtis illos conſignarint *Heliopolitani*. Aliter foret ut, qui poſtea erant *Auguſti*, eos etiam in *Cæſareis* Conſulatibus *Auguſteo* tamen titulo ornarent. Et quidem ab ipſis *Sacerdotibus* hæc accipere potuit *Theon*. Nondum enim, cum hæc ſcriberet ille, everſa ſunt à *Theodoſio* Idolorum in *Ægypto* templa; nondum diſſoluta, ut videtur, Idololatricorum *Sacerdotum* Collegia. De *Conſtantio* ita *Symmachus* in relatione ad *Valentinianum* juniorem: *Nil ille decerpſit ſacrarum Virginum Privilegiis, replevit nobilibus Sacerdotia, Romanis Cæremoniis non negavit impenſas*, &c. Idem de reliquis ad *Valentinianum* juniorem Imperatoribus. Tantum aberat ut *aliis* ſacerdotia prohiberent ut *ipſi* etiam *Chriſtiani* Imperatores ad *Gratianum* uſque omnes *Pontificatus Maximi* titulum retinuerint *Imperatoriæ* majeſtati conjunctum; *veſtem*, inter alia Imperii inſignia, à ſacerdotibus Idololatricis, *ſacerdotalem* acciperent; & *faſtis* etiam *Pontificiis Pontifices* inſcriberentur. Hæc cum *Romæ* tolerarentur, non erit proinde ut miremur ſi & in *Ægypto* fuerint, & in interiori *Ægypti* regione *Heliopolitana*, tolerata.

§. XX. Fateor tamen in his faſtis occurrere nonnulla hodie vitioſiſſima. Quod *Conſulum nomina* male concipiantur, id leviculum & facile ferendum. Ita facile irrepunt, Librariorum imperitia, id genus errores ut vix ullæ extent hodie fortaſſe Nomenclaturæ quæ illis careant. Eſt præterea ubi *Collegæ* ab invicem *ſeparantur*, & ordine etiam perturbatiſſimo diſponuntur, præſertim in temporibus *Maximini Thracis*, *Maximi* & *Balbini*, *Gordiani*, *Philippi*, *Decii*; rurſus *Claudii* & *Aureliani*. Accurate tamen illi *ſibi* invicem, etiam in *errore*, ſæpe reſpondent. Anno CCXXXVI°. *Maximinum* Imperatorem *Africani* Collegam omiſerat Librarius. Proinde ejus locum primo *ſequentis anni* Conſule ſupplevit. Inde tranſiit in ſequentes annos idem error, ut *primus* quiſque *Conſul* annum ſuum & Collegam uno anno anticiparet. Anno CCXXXIX°. repetit deinde & infercit *Cornelianum* anni CCXXXVIIIi. Conſulem. Anno CCXL°. *Gordiano* II. Coſs. adjungit Collegam *Pompeianum*, ſed loco non ſuo, quem etiam rurſus loco ſuo repetit, quod fecerat in *Corneliano*. Tum repetit Coſs. omiſſos annorum ſuperiorum, *duobus* jam locis à *ſuo* loco revulſos, *tribus* à *Collegis* Coſs. primis, ſuum, ut dixi, uno loco anticipantibus. Ita factum ut *tribus* deinde locis diſtent ab invicem *Collegæ* Conſules. Omiſſis tandem annorum CCXLV. & CCXLVI. *ſecundis* Coſs. *Titiano* & *Albino*, jam *uno* deinde anno diſtant ab invicem *Collegæ*. Numerato denique *Valeriani* Conſulatu, quem ille ſub finem anni CCLIIIi. geſſerat tantummodo ſuffectum, ita redeunt in ſuum locum Collegæ. Ecquis eſt qui non videat ab oſcitantibus potius *Librariis* hos, quam à *faſtorum* conditoribus, errores emanaſſe? Similem habemus errorem ſub *Claudio* & *Aureliano*. Annus CCLXIXus. ſolum *Claudium* habet Coſs. temere nimirum intruſum. Ita annus unus redundat. Rurſus itaque omiſſis anni CCLXXIII. Coſs. *Tacito* & *Placidiano*, ſic tandem conveniunt Coſs. propriis deinde annis reſtituti. Non eſt itaque ut à melioribus Codicibus meliora deſperemus. Nos interim, quæ potuimus, ea tecum, Lector, communicare decrevimus.

§. XXI. De *ſecundis*, quos damus, faſtis *Gracis* non audemus, Lector, adeo polliceri magnifice. Sunt equidem illi admodum *barbari*, & è variis faſtorum *fragmentis*, diverſorumque forſitan *Auctorum*, hinc inde concinnati. Ad an. Dom. CDLVII. ſexaginta Coſs. paria omiſſa ſunt, quæ tamen poſtea interpolata reperies. Eo ipſo anno condidit faſtos ſuos *Victorius*. Ergo ſuſpicatus eram Auctorem noſtrum vel *Victorianos* faſtos eouſque deſcripſiſſe, inde ex *alio* aliquo *Paſchalis cycli* conditore reliquos attexuiſſe; vel aliunde ad *Victorii* tempora perductos, è *Victorii* ſaltem *Continuatore* ſuppleviſſe. Sed neutro in loco conveniunt, & è *Græco* potius aliquo Scriptore noſtrum accepiſſe veriſimile eſt. Quod ab *Alexandri* initio incipiat noſter, quo cyclum ſuum condidit *Hippolytus*; vel à recentiore aliquo Scriptore Coſs. acceptos indicat, qui tamen *Hippolyti* cyclum ſecutus fuerit, vel partim ab ipſo etiam forſitan *Hippolyto*. Quanquam enim ejus *canonem* habeamus, periit tamen *Liber* quem ſcripſit de *Canone*. Non tamen *Alexan-*

40 *Zoſim.* L. IV. p. 250. Ed. *Oxon.*

Alexandri videtur rationem habuiſſe noſter, ſed *Antonini*. Ita enim inſcripſit faſtos ſuos, Μετὰ τὴν βασιλείαν Αντωνίνου. *Ptolemæi* habuit, ni fallor, in mente *Antoninum* cujus Epochas ſequitur, aut Epocham illam, quam dixi, celeberrimam ab illo *Antonino* deductam. Immani ſcilicet errore quo *Antoninum Pium* cum degenere iſto *Antonino Elagabalo* confuderit, & cum *initio Antonini* etiam *fine*m. Nec tamen ulla id genus monumenta *Chronologica* indigna cenſeo quæ in lucem edantur; nedum hoſce *faſtos*, quos Imperatoris *Heraclii* fuiſſe ſuſpicor, ut proinde, pro proximis *Heraclio* temporibus, omni fide videantur eſſe digniſſimi.

§. XXII. Utroſque faſtos *Græcos*, tam *Theonianos* quam *Heraclianos*, Epochis tamen *Ægyptiis* conſignatos obſervavimus. Annis *Alexandri*, *Auguſti*, & *Tetraeteridum*, pro *Ægyptiorum more* interpolatarum, ſuos inſignivit *Theon*. Annis etiam *Auguſti*, & *Diocletiani*, &, ſub finem, *Philippi*, ſive *Alexandri*, ſuos *Heraclius*, quanquam nullo titulo conſpicuis. Eos nos *Latinos* præfiximus ne viderentur eſſe MSi. Proinde *canones* regum *Aſtronomicos* omnino dignos cenſui qui præfigerentur. Plane enim pertinent ad eandem *temporum* ſeriem, & in eodem MS°. continebantur, unde *Theonianos* Coſs. deſcripſimus, tam *Uſſeriano*, quam etiam *Saviliano*; & temporum antiquiſſimorum rationes exhibent fide digniſſimas. Tam *Philoſophis* has, quam *Hiſtoricis*, gratas fore cenſeo. Continent enim ea *temporum* intervalla, eam *anni* formam accuratiſſime ſignatam, quibus phænomena *Aſtronomica* ſunt à vetuſtiſſimis quibuſque celeberrimiſque *Aſtronomis*, pro ſuo quiſque tempore, accuratiſſime conſignata. Et quidem hac ipſa phænomenorum *hiſtoria* niti conſtat hypotheſes *Hipparchi* atque *Ptolemæi*, ut plane non ſit quod dubitemus canones hoſce omnium fuiſſe certiſſimos. Aliter foret, ut, ſi horum *canonum* ſuſpecta eſſet fides, *hypotheſeon* illis nitentium fides univerſa labaſceret. Illos itaque cum MSS. & qua parte editi erant cum editis, contulimus, ad tempora nimirum *magni Theodoſii*. Reliquos nunc primum edimus, & quidem illos à recentioribus, ſed longe tamen imperitioribus, ad ſua cujuſque tempora perductos. Et in notas ea omnia congeſſimus, quæ Lectoris intererat ut uni ejus intuitui repræſentarentur, quippe quæ videri poſſent neceſſaria ad judicium de nominibus temporibuſque antiquiſſimis.

§. XXIII. Ergo, ut à *titulo* ordiamur, ut *canonis* nomine omnem cujuſcunque generis *catalogum* complectebantur veteres; ita πρόχειρον illum appellabant qui in *tabellas* redactus in promtu eſſet, ut nulla illum oporteret operoſa *demonſtratione* inveſtigare. Id genus *tabulas* cum *motuum cœleſtium* confeciſſet *Ptolemæus*, tum præterea unam *regum* fortaſſe confecerit, quorum toties in *magna conſtructione* meminerat, eorumque annis tot *Aſtronomorum* obſervationes conſignatas commemoraſſet. Ipſi certe *Ptolemæo* hunc etiam *canonem* tribuerunt codices *Petavii*, tribuit *Syncellus*. Quod porro βασιλέων alii, alii βασιλειῶν, hunc canonem appellent, eodem redit utrovis modo legas. Continet enim diverſas etiam βασιλείας, & quidem ſigillatim poſtea ab invicem diſtinctas, primam Ασυρίων καὶ Μήδων, ſecundam Περσῶν tertiam Ελλήνων, quartam Ρωμαίων eandemque ultimam. Ut proinde [41] *Theonis canoni*, qui legerit βασιλειῶν, ne illos quidem *titulos* deeſſe oportuerit. Quod vero à *Nabonaſaro* Epocham inceperint *Chaldæi*, occaſionem refert ex *Alexandro Polyhiſtore* & *Beroſo Syncellus*, quod geſta regum antiquiorum *Nabonaſarus* ipſe corruperat. Ita factum ut ab eo incipere neceſſe eſſet, cum jam rerum antiquiorum fides eſſe ſuſpecta. Suntque illa ſane veriſimilia, ſed quæ ſola ſufficiant ad *Beroſi* fidem atque *Polyhiſtoris* elevandam. Unde enim illi (hæc ſi vera ſint) tam immenſam nobis *hiſtoriarum* ſeriem procuderunt *Nabonaſaro* antiquiorum? Corruptis monumentis deerant ſaltem *argumenta* quibus poſſent rerum adeo antiquarum fidem aliis commendare. Unde & illas etiam *Aſtronomicas Calliſthenes* obſervationes, quarum meminit [42] *Simplicius*, annorum ante *Alexandrum* MDCCCCIII, quas ad [43] *Ariſtotelem* fabulatur etiam à *Calliſthene* miſſas? Nempe inviderit humano generi, inviderit rei publicæ literariæ, tam egregias vetuſtaſque obſervationes *Ariſtoteles*; nullus repererit in *Ariſtotelis* Bibliotheca *Græcus*, ſeu *Philoſophus*, ſeu *Aſtronomus*; nullus etiam poſt receptam à *Macedonibus Babylonem*, & arcana eorum ſcrinia jam reſerata *Græcis* atque patefacta. Nullus illas viderit *Beroſus*, nullus *Hipparchus*, nullus *Ptolemæus*; ſed ne *Chaldæorum* quidem *Aſtronomorum* ullus qui obſervationes ſuas *æra Nabonaſari* conſignaſſent etiam ante captam ab *Alexandro Babyloniam*? Scriptorum qui res geſtas *Alexandri M.* memoriæ mandarunt fidem fugillant [44] *Strabo* & *Arrianus*, & quidem ita ut ne ipſum *Calliſthenem* [45] *Strabo* ab eo ſubleſtæ fidei crimine abſolvat. Horum aliquem *Simplicio* præiviſſe veriſimile eſt.

§. XXIV. Omnino probabile eſt Epocham omnium *antiquiſſimam*, earum ſcilicet quæ *Aſtronomicis* fuiſſent obſervationibus inſignitæ, in hunc uſum eſſe delectam ab *Aſtronomis*. Maxime enim faciebat ad *hypotheſeon* firmitatem ſi *quamplurimorum annorum* habuiſſent obſervationes ſibi tamen invicem conſentientes. Quod ergo altius non repetiverint ſuarum obſervationum *exordia*, inde colligimus, aut *ſuſpectam* illis antiquiorum hiſtoricorum fuiſſe fidem; aut incertam, in aliis Epochis, nec ſibi conſentientem, *anni formam*; aut nullis ſaltem illam *Aſtronomicis obſervationibus* fuiſſe inſignitam: & viciſſim hæc omnia in hac, quam delegarant, Epocha fuiſſe *certiſſima*. Jam obſervavimus non eſſe novi *anni canicularis* exordium. Quantumcunque diſcrepent de *ortu canicula*, ab invicem *Aſtronomi*: nemo eſt tamen qui non recentiorem exiſtimet *Feb.* XXVI°. à quo numeratur *Thoth* primus *Nabonaſari*. Ergo *hiſtorica* rationes fuerint oportet cur ab hac *æra* numerarint *Aſtronomi*. Proinde mihi & illa quoque ſolutio ſuſpecta qua fidem *Ægyptiorum Chaldæorumque* excuſare ſaltem aliquatenus conatur Cl. *Marshamus*. Nempe de cœleſtium *orbium* revolutionibus intelligit nugacem eorum Chronologiam. Ingenioſe quidem ille. Nec aliter puto reſponſuros *Chaldæos* ſi quis eorum fidem in dubium vocaſſet. Sed & illas *orbium* cœleſtium converſiones *fictitias* fuiſſe neceſſe eſt. Si enim fuiſſent ab eorum Aſtronomis obſervatæ, potius illa obſervationum antiquiſſimarum penus, quam recentiorum hæc altera à *Nabonaſaro*, erat in lucem proferenda. Quod vero ad has noſtras attinet *Nabonaſæas*, quæ quidem in *Babylone* ipſa obſervatæ ſunt, omnino animadverſione dignum exiſtimo, nulla hodie earum apud *Ptolemæum* extare *nomi-*

[41] Vide fragm. *Theon.* in καν. πρόχ.
[42] *Simpl.* in L. II.
[43] *Ariſt.* de Cœl. comm. 16.
[44] *Strab.* Geogr. L. XI. p. 508. L. XV. p. 685. *Arrian.* Præf. de Geſt. *Al. Magn.*
[45] *Strab.* Geogr. L. VIII. p. 362.

nomina, cum tamen *Græcarum* obſervationum Auctores ſuis quemque *nominibus* plerunque commemoret. Nec tamen ad earum fidem *minuendam*, ſed *augendam* potius hæc ſpectat obſervatio. Eſt enim proinde quod exiſtimemus non *privatorum* hoc *Aſtronomorum* apud *Chaldæos* fuiſſe munus, ſed *publici* potius *Aſtronomorum Collegii*. Ita certe fuiſſe apud *Sinenſes* Auctor eſt *Martinius*. Et vero *publicum* fuiſſe, apud *Babylonios*, id genus *corpus* è ſacro *Danielis* libro facile colligimus. Eo ſcilicet majori fide dignas has fuiſſe conſtat obſervationes. Non audebant illi fallere principes alioqui in ſcientiam, leviſſimis de cauſis, propenſiſſimos. Pœna *capitis* id genus errores luiſſe, hodieque luere, *Mathematicos Sinenſes*, tradit idem [46] *Martinius*. Neque vero eſt quod mitiorem apud reges *Babylonios* pœnam, quam apud *Sinenſes*, metuerent *Aſtronomi*. Leviſſimam rei artis naturæque vires ſuperantis ignorantiam toti *Mathematicorum Collegio* capitalem decrevit *Nabuchodonoſorus*. Accedit præterea quod has obſervationes in *ſtelis* exarare ſolerent in ſempiternam rei memoriam. Nec enim alias intelligo *Sethi* columnas fuiſſe *lateritias*, quarum meminit [47] *Joſephus*, quam has ipſas *Babylonias*. Gentem utramque *Ægyptiorum* ſcilicet & *Chaldæorum*) fuiſſe æmulam, & communes ſibi multas origines venditaſſe, [48] alibi oſtendimus. Et vero *lateritiam* illam in ædificiis ὕλην primi uſurparunt *Babylonii*. *Stelæ* alteræ *lapideæ Ægyptiæ* erant, ſed quæ nullas continerent obſervationes *Aſtronomicas*. E *coctilibus laterculis* ſuas collegerunt ſiderum obſervationes annorum CCCCLXXX *Beroſus* atque [49] *Critodemus*, DCCXX. annorum *Epigenes*, *Babylonias* nimirum illas, nec enim alias ſcripſit *Beroſus*, qui & primus meminit *Epochæ*, ut vidimus, *Nabonaſareæ*. Quare cum doctiſſimis viris, *Voſſio* & *Marshamo*, omnino exiſtimamus non eſſe aliunde annos illos, quam à *Nabonaſaro* numerandos. Annus *Nabonaſari* CCCCLXXXus. eſt annus à *morte Alexandri* LVIus. ut recte obſervavit *Marshamus*. Ita *Antiocho* tertio, ab *Alexandro*, *Syriæ* regi libros ſuos rerum *Chaldaicarum* dicarit *Beroſus*, anno nempe illius *Antiochi Soteris* XIIo. qui idem fuerit, pro noſtri canonis rationibus, *Philadelphi Ptolemæi* XVIIus. Ita legimus in ipſo [50] *Tatiano*, ut ſic ipſi etiam *Alexandro* coævus eſſe potuerit idem ille *Beroſus*, quod teſtantur de eo *Tatianus* atque [51] *Syncellus*. Male hic calculos ſubduxit vir maximus *Gerardus Voſſius*, qui, hoc poſito annorum numero, credidit fore ut in tertii à *Seleuco Antiochi* (quem θεὸν cognominabant) tempora incideret *Beroſus*. Ita locum *Tatiani* in *Evangelica præparatione* recitavit [52] *Euſebius* ut *Beroſum* in tertii à *Seleuco Antiochi* tempora contulerit. Nec refragabitur *Plinius* ſi *Mureti* lectionem ſequamur atque *Chiffletii*. Denario enim illum *Beroſi* numerum faciunt auctiorem. Ita ſcripſerit *Beroſus* anno à morte *Alexandri* LXVIo. anno *Antiochi* θεῦ IIIo. *Ptolemæi Philadelphi* XXVIIo.

§. XXV. Cum igitur in *coctiles laterculos* referrent ſuas illas, quas dixi, motuum cœleſtium *obſervationes*, eaſque omnibus quo facilius innoteſcerent, in *templis* etiam, conventuum nimirum publicorum locis proponerent; jam facile cum illis poterant omnium locorum homines ſuas etiam *domeſticas* obſervationes conferre. Inde orta illa eſt *obſervationum* penus qua ſola nititur tota illa quæ à *Chaldæis* inventa excultaque eſt, *judiciaria Aſtrologia*. Nempe anni ſequentis phænomena omnia quæ quidem ad *Planetas* attinerent (nullas enim de *ſtellis fixis* editas fuiſſe eorum obſervationes, *Ptolemæum* ipſum teſtem habemus locupletiſſimum) *diebus* etiam *horiſque* diſtributa proponebant *Mathematici*. Edito infante, *horæ* puerperii obſervata, *horoſcopum* illius horæ parens è *templi* proximi tabellis didicerit. Tum *vitam fortunamque* prolis *parens* in *Ephemeridus annaleſque* digeſſerit, dum annos maturos ipſe infans attigiſſet; ipſa proles vitam ſuam deinde pertexuerit, annotatis præſertim inſigniſſimis vitæ caſibus. Tum è ſuppellectile ita parata *regulas* generales colligebant Sacerdotes *Chaldæi*, quis eſſet cujuſque caſus, cui *ſtellæ*, & cui illius ſtellæ *ſitui virtutique* aſſignandus. Hæc ſi ita contigerint, plane compertiſſima fuerint neceſſe eſt quorum memoria fuiſſet hunc in modum conſignata. Nec enim fieri potuit, error aliquis ſi primum irrepſiſſet, diu ut lateret; nec fieri rurſus ut proditus in memoriam tamen poſterorum propagaretur. Conſtat autem, cum *Græcis* hæc proderet *Beroſus*, jam excultiſſimum apud *Chaldæos* hoc ſtudium fuiſſe *judiciariæ Aſtrologiæ*. Reſpondetque ſatis apte hujus ſtudii *hiſtoria*, ut illam *Nabonaſari* ætatem *attingere* potuerit, vix potuerit *ſuperare*. Ipſe meruit hoc nomine ab *Athenienſibus* ſtatuam inaurata lingua *Beroſus*, *ob divinas* (inquit [53] *Plinius*) *prædictiones*. Sed & in *Alexandri* morte præſagienda fidem arti ſuæ, ante *Beroſum*, conciliarunt ipſi quoque *Chaldæi*. Hæc è ſcriptoribus *prophanis* habemus *Aſtrologiæ* ſpecimina, ut puto, antiquiſſima. Eſt enim *Aſtrologia* inventa à *Chaldæis*, quicquid de ſe æmuli glorientur *Ægyptii*. Et verum illud omnino puto quod ſcribit *Joſephus*, à *Chaldæis* ad *Ægyptios*, inde ad *Græcos* aliaſque gentes excultiores emanaſſe. Et ut *Aſtronomiæ* fuerit apud *Ægyptios* aliquod, *Aſtrologiæ* certe nullum legimus fuiſſe ſpecimen antiquius *Alexandro*. Apud *Chaldæos* habemus in ſacris Codicibus adhuc *antiquiora*. Sub *Nabuchodonoſoro* legimus, apud *Danielem*, fuiſſe apud *Babylonios Chaldæorum* Collegium *futurorum* præſcium. Perſtringit etiam *Aſtrologos* verbis diſertiſſimis [54] *Iſaias* non longe certe à noſtra *Nabonaſari* Epocha remotus. [55] Idem δαίμονα & τύχης, quæ probat è principiis hujus *Aſtrologiæ* dicta doctiſſimus [56] *Huetius*, quod & antea eo retulerat noſter quoque [57] *Seldenus*. Scio equidem huc referri & *Liæ* verba *Gen.* XXX. 11. à Cl. *Seldeno*. Sed nihil habet quo adeo antiquam hanc fuiſſe diſciplinam evincat. *Homeri* verba tam de *ſignis Zodiaci*, quam de *domibus Genethliacis* intelligi poſſunt. De *Sethi columnis* jam diximus. Sed & *orphica* etiam recentiora eſſe conſtat, quanquam illa reticuerit *Seldenus*. Nos tamen illam à primis fere *æræ Nabonaſareæ* initiis deduximus. Neque vero veriſimile eſt tantam perfectionem illam conſequi qua ſcripſit *Beroſus* ætate potuiſſe, ni *quadringentorum* fuiſſet, & quod excurrit, annorum obſervationibus exculta atque locupletata.

§. XXVI. *Beroſum* itaque noſtri canonis primum editorem fuiſſe diximus. Conveniunt & ejus *rationes*, ſi tamen recte concipiantur; & ut recte concipiantur tam *Beroſo* lucem fœnerabitur noſter *canon*, quam à *Beroſo* lucem viciſſim accipiet. *Nabopolaſaro* annos

46 *Martin.* Sin. Hiſt. L. II. p. 58.
47 *Joſ.* L. I. Ant. c. 4.
48 De *Sanchoniathon*.
49 *Plin.* N. H. VII. 56.
50 *Tatian.* ed. Gr. Lat. p. 171.
51 *Sync.* p. 14.
52 Ap. *Euſeb.* Pr. Ev. L. X. c. 11.
53 *Plin.* N. H. L. VII. c. 37.
54 Iſ. XLVII. 11, 12, 13.
55 Iſ. LXV. 11.
56 *Huet.* Not. ad 2m. Origen. tom. p. 212.
57 *Selden.* de Diis Syr. Synt. 1. c. 1.

annos tribuit *Beroſus* εἰκοσιέννεα, ſi *Græco Scaligeri Euſebio* fides, vel *Latino* etiam contra *Appionem Joſepho*. Eamque ſequitur lectionem ipſe [58] *Scaliger*. Sed errore facillimo εἰκοσιὲν in εἰκοσιέννεα mutavit Librarius. Refragantur enim *Scaligero* alii omnes. Cum noſtro canone XXI. duntaxat annos illi concedit, etiam è *Beroſi* ſententia ipſiſque *verbis*, [59] *Joſephus* in *Antiquitatibus* tam *Græcus* quam *Latinus*, etiam contra *Appionem Græcus*; concedunt utriuſque tam *Beroſi* quam etiam *Joſephi* verba apud [60] *Euſeb.* in *præparatione Evangelica*. Quin & ipſe è quo *Græca* deſcripſit *Scaliger Euſebiana* [61] *Syncellus*, ex eodem etiam *Beroſo* atque *Joſepho*. Et vero ita ſcripſiſſe *Joſephum* alius illius numerus ſuadet ne prorſus dubitemus. Annus ſecundus *Nabuchodonoſori* eſt apud illum *captivitatis* quintus. Nempe *captivitatem* inchoavit ille à *Nabopolaſari* XVIII°. Ita, *Nabopolaſaro* ſi anni XXI. aſſignentur, incidet quintus *captivitatis* in *Nabuchodonoſori* ſecundum accuratiſſime. Reliqui *Beroſi* numeri cum noſtro *canone* ſatis accurate conveniunt, præterquam quod *Laboroſoarchodum* numeret *Beroſus*, paucorum duntaxat *menſium* principem, in noſtro *canone* omiſſum. Verum id pro more fecit noſter. Qui *annum integrum* non explerent, eorum nunquam meminit, ita tamen ut numero *univerſo* nihil pereat, nempe eorum *tempora* aliorum principum *diuturniorum* temporibus accenſens. Solenne id fuiſſe *Sinenſibus* teſtis eſt in *Sinica* hiſtoria *Martinius*. Et qua æquandorum temporum arte noſtri uſi ſint *Ægyptii*, utque regum diverſorum *tempora* inter ſe propterea permiſcuerint; habemus hodieque luculentum [62] *Porphyrii* fragmentum. Quidni idem etiam apud *Chaldæos* valuiſſe exiſtimemus? Id potius eſt quod in *Beroſo* miremur, tantam ejus eſſe in eorundem regum *nominibus* concipiendis à noſtro diſcrepantiam. Ab ipſis templorum *Archivis* deſcripſerit noſtra fortaſſe *Beroſus*, quo factum ut propius ad idioma *Babylonium* accederent; cum tamen in *hiſtoria* id dederit aliarum gentium ipſis *auribus* ut pro eorum recepta pronunciatione ea nomina efferrent; & cum *varia* eſſent, pro more *orientalium*, ejuſdem quoque principis *nomina*, ea tamen in *hiſtoria* commemoranda exiſtimaret quæ eſſent jam in *aliarum* quoque gentium *hiſtoriis* decantatiſſima. Vel fieri etiam fortaſſe poterat ut non à *Beroſo*, ſed à *Critodemo*, nomina acceperint noſtri *canonis* concinnatores.

§. XXVII. Tantum itaque *cœleſtium obſervationum* tamque eximium theſaurum cum edidiſſet *Beroſus*, *Græcorum* doctorum plauſu, præcipue *Aſtronomorum*, exceptum eſſe probabile eſt. Inde & illos conſulendi *ſtelas* illas, ſeu *coctiles laterculos*, ſtudium inceſſerit, ut ſiqua fuiſſent à *Beroſo* prætermiſſa; ſiqua *nova*, poſt *Beroſi* tempora, à *Chaldæis* obſervata, ſupplerent, & cum *Græcis* ſuis communicarent. Hæc *Critodemus* & *Epigenes*. Primus tamen, quod ſcimus, *Græcorum* ad rem *Aſtronomicam* ſerio promovendam aptavit *Hipparchus*, *Beroſo* pluſquam centenario toto junior, anno *Nab.* circiter DC. Is enim *ſuas* aliquot obſervationes eadem illa *Epocha* ſignavit. Ab illo reliqui deinde acceperunt *Aſtronomi*, quo ſtudio florebant, ea ætate, præcipue *Alexandrini*. Illis eo proculdubio nomine gratior erat atque acceptior quod *anni* forma uteretur *Ægyptiaca*. Illam adhibebant *Agrippa*, *Menelaus*, & *Theon Ptolemæo* coævus. Ita deſcendit ad noſtrum *Ptolemæum*, alioſque *Aſtronomos Ptolemæo* recentiores. Hæc de uſu hujus canonis *Aſtronomico*.

§. XXVIII. In ejuſdem uſu *hiſtorico* variæ factæ ſunt *Epochæ*. Prima à *Nabonaſaro* ad mortem *Alexandri*; ſecunda à *morte Alexandri*, ſeu *initio Philippi* ad initium *Auguſti Alexandrinum*; tertia ab initio *Auguſti* ad initium *Diocletiani*; quarta ab initio *Diocletiani* qua hodieque utuntur *Ægyptii*, ſub alio tamen nomine. *Martyrum* enim æram illam appellant, non *Diocletiani*. Prima *regibus* inſignitur, *Aſſyriis* atque *Medis*, & *Perſis*; verum illis duntaxat qui *Babylonem* in poteſtate habuerint, & ab eo uſque *tempore* quo illam obtinuerunt. Ratio in promtu eſt. Solorum enim *Chaldæorum* illæ erant obſervationes, nec alibi factæ quam in ipſa urbe *Babylone*; ipſo tamen illo, quo factæ ſunt, *tempore* regum *nominibus anniſque* ſignatæ. Quin & anni *initio* ſignatas eſſe probabile eſt ut *lunæ* in *eclipſi* laboribus pulſandis *æneis* tympanis, pro illius ævi ſuperſtitione, occurrerent. Illam certe tradit *Martinius* rationem obſervationum *Sinicarum* tanto Mathematicorum periculo edendarum; & vero Veteres pleroſque eadem illa ſuperſtitione afflatos compertiſſimum eſt. Ita *concurrentium* annorum etiam confuſionem vitabant, ſiquis *filius* uno eodemque tempore cum *patre* regnaſſet. *Filii* tamen nomen, ante *patris* exceſſum, non ferebant publicæ inſcriptiones. Ita tempora accuratiſſime reſpondiſſe neceſſe erat. Opponit tamen huic canoni *Syncellus* canonem alium quem ἐκκλησιαστικῶ στοιχείωσιν appellat, in *ſumma* quidem annorum eundem, in *regum ſingulorum* annis admodum diverſum. Sed noſtri canonis rationes tuentur *eclipſes*, tuetur & *Beroſus*. Nec habet quod opponat στοιχειωτὴς cum his tantæ fidei monumentis ullatenus conferendum. *Conjecturis* ſuis uſum veriſimile eſt illius στοιχειώσεως Auctorem (ſi tamen *unus* ſit) nulla certe diſcrepantium MSS. fide. Qui *priorem* nominis *Nabonaſari* partem in mente habuit quiſpiam *Eccleſiaſticus* (nec enim *Africanum* eſſe conſtat) *Nabuchodonoſorum* fuiſſe ſuſpicatus eſt, ſola ductus, ut videtur, *nominum* aliqua ſimilitudine. Tum & *Nabuchodonoſori* annos à *captivitate* numeravit, quam etiam ab ejuſdem XVIII°. anno deducendam exiſtimavit. Ex integro annorum XLIII. numero, demptis XVIII. ſupererant anni XXV. ſuo *Nabonaſaro* tribuendi. Illum ipſum de annis *Nabuchodonoſori* numerum colligit è *Joſepho* [63] *Syncellus*. Tum & *Nabuchodonoſori hæredi* XVIII. tribuit annos vitiatus in *Antiquitatibus Joſephus*. Inde forte VIII. ſuos annos elicuit στοιχειωτὴς quos *Nadio* aſſignaret. Longe enim abeunt à vero illi *Joſephi* numeri. Alius quiſpiam prudentior *Eccleſiaſticus poſteriorem* nominis partem propius accedere putavit ad nomen *Salmanaſari* (cum & *ætas* etiam melius reſponderet) retinendos tamen credidit *annos* jam antea aſſignatos *Nabuchodonoſoro*. Hanc ſententiam ſequitur ipſe *Syncellus*. Similiter in reliquis, cum quos *Babylonico* nomine reperiſſet in *canone*, illos alio nomine in *ſacris literis* appellatos conjeciſſet; quos ille *ſacræ Scripturæ* principes in *canone* memorari ſola conjectura ductus στοιχειωτὴς exiſtimaſſet, eorum & *tempora* illis aſſignavit, & ex aliis plerunque, diverſiſque, à *canone* Auctoribus. Hæc uſque ad regum *Perſarum* βασιλείαν. Inde totus eſt à *canone* diverſus *Eccleſiaſticus* iſte στοιχειωτὴς. Hæc de *prima* hujus canonis *Epocha*, à *Nabonaſaro* ad *mortem Alexandri Magni*, in qua nullæ habebantur *obſervationes*, præterquam *Chaldæorum*.

§. XXIX. *Proxima* deinde *Epocha* ab *Alexandri Magni morte* conſurgit, ſeu ab *initio Philippi*. Utroque

[58] *Scal.* Not. ad fragm.
[59] *Joſ.* Ant. L. X. c. 13. cont. *Appion.* L. I.
[60] *Euſ.* Pr. Ev. L. IX. c. 40.
[61] *Syncell.* p. 220.
[62] Apud *Euſeb.* Chr. Græc. p. 59.
[63] *Syncell.* p. 226.

que enim nomine memoravit *Aſtronomi*, & fere ſolam, omiſſa deinde (ni antiquius aliquod annorum intervallum id poſceret) mentione *Nabonaſari*. Hinc certe numeraſſe *Theonem* conſtat è noſtro ejus fragmento. Hinc & *Theonis* Auctor, in quem ſcripſit, ipſe *Ptolemæus*, in προχείροις κανόσι. Ita [64] *Syncellus*: Τὰς μὲν τοι ἀπὸ τ῀ς τελευτ῀ς Αλεξάνδρ⟨υ⟩ ψηφοφορίας τ῀ς ὡς ἑρων ὁ αὐτὸς φιλόσοφ⟨ος⟩ ἐν προχείροις κανόσιν ἀνυσ' ἐτῶν ωϐ΄ οδων [leg. ωϐ΄ οδον] ἤτοι ἀποκαθάσει Αιγυπτιακοῦ ἐνὸς ἔτους ἐξέθετο. Annum *Ægyptiacum lunarem* intelligit, cujus ἀποκατάσασιν cum XXV. annorum ſpatio, ſcilicet vagorum vulgarium, ſolitam redire dixerimus; proinde *Solari* annorum MCCCCLXI. reſpondere non potuit. Omiſſo itaque anno intercalari, proximam εἰκοσιπενταετηρίδα ad annum MCCCCLXXVI. terminari neceſſe erat. Hanc itaque *Lunarem* ωϐ΄ οδον ab *Alexandri morte* repetendam cenſuit *Ptolemæus*, propterea fortaſſe quod illa *Ægyptiorum* Epocha eſſet antiquiſſima, ſaltem *Alexandrinorum*, nec enim conſtat de *Lunari* illa periodo aliquid, ante *Alexandrum*, reſciviſſe *Chaldæos*. Ab *Alexandrinis* autem præcipue inventam hanc uſurpatamque eſſe Epocham, ex ipſo κλῆσ⟨ε⟩ nomine facile colligimus quo inſignitur in ipſo *canonis* titulo *Alexander*. Obtinuerat nimirum jam aliquantiſper per præcipuas *Romani* orbis *civitates* mos ille imitatione digniſſimus quo *conditoris* memoriam inſigni *Epocha* commemorarent. Ita *Romulum Romani*, *Seleucum Edeſſeni*, *Julium Cæſarem Antiocheni*. Quin & *Tyriis* ſuam, & *Aſcalonitis* & *Laodicenis Epocham* fuiſſe teſtatur [65] *Euſebius*. Horum æmulos fuiſſe *Alexandrinos* omnino veriſimile eſt, cum & *urbem* haberent *Romanæ* urbi proximam, & *conditorem* præterea longe celeberrimum. Ipſo tamen *Alexandro* recentiorem fuiſſe certum eſt. Nondum in *aliis*, quas dixi, *civitatibus* mos iſte receptus eſt, & *Calippi* duntaxat *periodis* uſus eſt in *Alexandrinis* etiam obſervationibus *Timocharis*. Nullam ille *urbis Epocham* commemorat, ſiqua tamen fuiſſet, proculdubio commemoraturus; ſed nec alius quiſpiam *Hippar*cho antiquior *Aſtronomus Alexandrinus*. Ipſe etiam *Hipparchus* periodi *Calippeæ* numeris ſuas deſignat obſervationes, ut proinde ſiquando notetur annis *ab Alexandro*, *Ptolemæo* tamen potius nota illa, quam *Hippar*cho, tribuenda videatur. Et ut alia deeſſent argumenta; ipſum tamen hujus *Epochæ initium*, ipſa *regum* ſub initio *tempora* vitioſiſſima, id palam faciunt quod à *coævis* non fuerint conſignata. Annos *Aridæi* numerat canon VII. *Alexandri* deinde XII, ut nimirum deceſſerit *junior* ille *Alexander* anno à morte *Alexandri Magni* XIX°. Uno tamen eodemque tempore utrumque illum regem regnaſſe certum eſt. Moriens *Alexander* regnum *Philippo Aridæo* fratri legavit, & infanti quem paritura eſſet jam gravida, per aliquot menſes, ex *Alexandro Roxana*. *juniorem* itaque *Alexandrum* illa enixa eſt. Inde *regum* (in *plurali* numero) nomine geſta publica *Macedonum* conſignata legimus. Deceſſit *Alexander Magnus* anno primo *Olympiad.* CXIV^æ. Occiſus ab *Olympiade* matre *Philippus Aridæus* anno quarto *Olympiad.* CXV^æ. poſt annum *regni* ſextum, *menſem* quartum, Auctore *Diodoro*. Occiſus à *Caſſandro* junior *Alexander* anno ſecundo *Olymp.* CXVII^æ. (anno viz. XIII°. à *Magni Alexandri* morte duntaxat inchoato) eodem teſte *Diodoro*. Omnino à *coævis* hic error emanare non potuit. Sed nec alium quempiam ſe ſuperiorem agnoſcebat tamdiu *Lagides*.

§. XXX. Et tamen *poſtea* anni *regum* obſervationibus *Aſtronomicis* illuſtres reſpondent accuratiſſime. Hæc ita contigiſſe ſuſpicor. Cum regum *Babyloniorum* nomina ad *Alexandrum* duntaxat deduxiſſet è *Babyloniorum* Archivis *Beroſus*; & vero eſſet utiliſſimum ut & *ſuorum* ſimiliter *Alexandrinorum* obſervationes, etiam ante editos *Beroſi* libros, certa aliqua *temporum* nota deſignarent, ut quo *intervallo* diſtarent ab invicem ejuſdem motus phænomena diſtinguerent: proinde ab eo uſque tempore quo deficiſſent *canones Babylonii*, novi erant ſibi canones, ſed pro *Babyloniorum* exemplo, concinnandi. Ita tandem placuit ab eo novo *canone urbis* etiam ſuæ novam exordiri *Epocham*. Et quia *conditoris* ſui *Alexandri Magni* memoriam colere volebant; tot etiam annos à primo ſuo *Lagide Ptolemæo* detrahebant, quot annis aliquem è *ſtirpe* ejus regem à *Macedonibus* agnitum didiciſſent. Ab initio *Philadelphi* literarum Mæcenatis munificentiſſimi, jam certa erant regum *Ægyptiorum* tempora tam pro reliquorum *Scriptorum* copia, quam præcipue *Aſtronomorum*. Inſignem inde apud *Aſtronomos* Epocham deduxerat *Dionyſius* (cujus meminit ſæpe *Ptolemæus*) nec ipſe ab initio Epochæ ſuæ admodum remotus. Illius Epochæ initium an. *Nabonaſari* CCCCLXIII. abſolutus, i. e. XXXIX^us. itidem abſolutus à *morte Alexandri*. Hic nihil eſt quod dubitemus cum hæc Epocha fuerit à *coævo* ſignata. Hinc itaque cum cœpiſſent in *Alexandria* obſervare *Aſtronomi*, jam certa fuerit oportet numerandi ratio, ne fallerent obſervationum intervalla. Cum itaque æmulorum deinde de *regno* litigantium vices variæ calculo perturbaſſent, ſedulo tamen cavebant *Aſtronomi* nequis inde error eorum *obſervationibus* irreperet. Diſtinguebant itaque qui *regum* anni fuiſſent cum *aliis regibus* communes, quæ aliorum regum intervalla hujus ejuſdemque regis annos interrupiſſent. Id genus canonem conſervavit nobis in aureo fragmento [66] *Porphyrius* cum noſtro canone ad amuſſim conſentientem. Ita contigit ut quanquam ſero fuerit apud *Alexandrinos* recepta nova hæc, quam dixi, Epocha *ab Alexandro*, recte tamen ejus intervalla ad initium uſque ſuppleverint.

§. XXXI. Ut enim ab *initio Philadelphi* tempora *Ægyptiorum* regum certiſſima fuiſſe neceſſe eſt; ita *Lagidæ*, ſi annos illos aſſignaveris qui à *morte Alexandri* fluxerint ad initium *Philadelphi*, conſtabit etiam XXXIX. annos abſolutos, pro noſtri canonis rationibus, ſoli eſſe *Lagidæ* aſſignandos. Fateor equidem XXXVIII. duntaxat concedere *Porphyrium*. Sed annos *Ptolemæi Porphyrius* ab eo uſque tempore numerat quo miſſus eſt in *Ægyptum* ab *Aridæo*, quod μετ' ἐνιαυτὸν ait contigiſſe, à *morte* ſcilicet *Alexandri* numerandum. Ita factum ut cum annum à *morte Alexandri* XLI^m. attigerit *Lagides*, annos tamen ei XL. duntaxat aſſignent Scriptores, quod ab hac ejus ſub *Aridæo Satrapia* anni numerentur. Nec tamen, pro noſtri canonis rationibus, neceſſe eſt *integrum* intelligamus, ſeu *primum* à illum *morte Alexandri* annum quo *Satrapa* conſtitutus eſt ab *Aridæo Ptolemæus*; ſeu XLI^m. quo è vivis exceſſerit. Menſes enim aliquot veram *Alexandri* mortem anticipat noſtra Epocha à *morte Alexandri*. Et vero ſecundum illum, quo cum patre regnarit *Philadelphus*, annum, inchoatum duntaxat exiſtimat *Uſſerius*. Hinc itaque videmus ut in *Alexandri* poſteris errare potuerit canon, illibata tamen ejuſdem in *Ptolemæorum* temporibus conſignandis fide. Nempe à *recentioribus* adjecti ſunt ſolius Epochæ explendæ cauſa illi poſteri, nullis

64 *Syncell.* p. 207. 65 *Euſeb.* Chron. num. MMCCXCIII. 66 *Porphyr.* ap. *Scal.* in Gr. *Euſeb.* Chr. p. 59.

lis omnino *cæterorum Aſtronomorum* obſervationibus inſignes. *Satrapiæ* annos XVII. duntaxat numeravit *Porphyrius*, recte ſi de *abſolutis* intelligamus. Anno enim ſecundo *Olympiad.* CXVIII^æ. *regium* à *Ptolemæo* nomen ſumtum ſcribit *Diodorus*, à *morte Alexandri* XVII°. Ex quo rurſus intelligimus non eſſe annos XIX. cum noſtro canone, à *Ptolemæi* regno detrahendos. *Juniorem* itaque neceſſe eſt hujus Epochæ fuiſſe conditorem. Et ſi quidem *Epigenis* illi anni DCCXX de annis eſſent *Nabonaſari* intelligendi, ut intellexit Cl. *Marshamus*, non equidem alium hujus *Ægyptiacæ* Epochæ Auctorem fuiſſe crediderim. Conjunxit equidem *Alexandrinas* obſervationes & *Calippicarum* periodorum annos cum æra *Nabonaſari Hipparchus*. Sed conjunxeritne cum eadem æra *regum Alexandrinorum* aliquem laterculum, illud ſane non conſtat. Sunt porro in hac Epocha ſecunda *eclipſes* quæ intervalla ejus juſta, fidemque confirmant.

§. XXXII. Tertiam itaque *Auguſtorum* Epocham quod attinet, à *morte Cleopatræ* ductam; *civilis* illa potius videtur *Alexandrinorum* in honorem *Auguſti*, quam *Aſtronomorum*. Nec enim *Aſtronomicis* uſibus idonea fuit varia illa anni forma, *vagi* ab initio, tum *fixi* deinde à nono illius Epochæ anno. Quintus tamen ejus annus, ſeu potius *Biſſexti* ſeu dies *intercalares* à quinto illo anno numerandi, caput erat, ut è *Theone* jam oſtendimus, Epochæ *Aſtronomicæ*. In eo conveniebat *Thoth* uterque, tam *Alexandrinorum*, quam reliquorum etiam *Ægyptiorum*. Inde itaque incipiebat annus *canicularis magnus*, eo etiam poſt emenſum CCCLXV. *Biſſextorum* cyclum rediturus, quem *cyclum* numerabat in tertia faſtorum ſuorum σελίδι & quarta *Theon*. Ita ſcilicet commercium ſervabant cum reliquorum *Ægyptiorum* Aſtronomis Aſtronomi *Alexandrini*. Quanquam autem ab Epochæ *initio* nullam *Epocham* numerarint *Aſtronomi*; *Imperatorum* tamen deinde *Romanorum* annis ſuas obſervationes inſigniebant, ut proinde & hic intervalla accurate deſignarint. XII°. *Domitiani* obſervavit *Agrippa*, primo *Trajani Menelaus* Geometra, primis *Hadriani* annis ſenior *Theon*, *Ptolemæus* ipſe poſtremis *Hadriani* & primis *Antonini*. Et conveniunt intervalla accuratiſſime; ita tamen ut non ab *Auguſto*, ſed à *Nabonaſaro* numerentur. Cum tamen ex annis *Imperatorum* colligunt annos *Nabonaſari*; proinde conſtat annos *Imperatorum* certum, etiam apud *Aſtronomos*, habuiſſe locum in Epocha *Nabonaſari*. Et cum pro noſtri *canonis* numeris apte reſpondeant, ſequitur non alias, quam *canonis* noſtri, fuiſſe *Aſtronomorum Alexandrinorum* etiam rationes. Sic etiam veteres de *Paſchate* Scriptores *Chriſtiani*, quorum meminit [67] *Clemens Alexandrinus*, noſtri etiam canonis numeros ſecuti ſunt. Cum enim *Chriſtum* anno *Auguſti* XXVIII°. natum docerent, & XXX. annorum *mediam* partem ſub *Auguſto*, *mediam* vixiſſe ſub *Tiberio*; *Auguſto* XLIII. annos tribuerint neceſſe eſt, ab initio ejus, ut dixi, *Alexandrino*, non *Romano*, numerandos. Proinde *Aſtronomorum* iidem erant numeri, cum non alios quam illos Auctores ſequerentur in cyclis ſuis *Paſchalibus* plerunque *Chriſtiani*. Quod vero dixi ineptam ſupputationibus *Aſtronomicis* hanc fuiſſe ab *Auguſto* Epocham, de forma *Alexandrina* intelligo. Qui enim formam anni *vagi* ſolam obſervarent, quod reliquos feciſſe diximus *Ægyptios*, à quocunque exordio poterant ſatis commode numerare. Ita igitur noſter *Theon*, ita & nonnunquam *Ptolomæus* ſolet, ſed raro, numerare.

§. XXXIII. Ultimam hujus canonis Epocham *Diocletiani* fuiſſe diximus. Ea cum *ſimplicem* utrobique anni formam exhiberet, proinde *Aſtronomicis* etiam utrobique uſibus erat ſatis idonea. Sed nullis illam puto *regum* temporibus fuiſſe ab *Aſtronomicis* diſtinctam. Ipſa *tempora* hoc clamant *vitioſiſſima* deinde, & à ſumma illa *Mathematicorum* ἀκριβείᾳ omnino alieniſſima. Noſter *Theon*, in hoc ejus *fragmento*, & *commentariis* in *Ptolemæum*, hac ipſa uſus Epocha; neutro tamen in loco numerat annos *Imperatorum*, ſed ne *canonis* quidem meminit in quo numerarentur. Idem tamen annos ab *Auguſto* ad *Diocletianum*, ἐκ τοῦ βασιλειῶν κανόνος, numerat CCCXIII. Similiter & Scriptores cyclorum Paſchalium *Chriſtiani* (à quibus *Aſtronomorum* morem diſcendum eſſe diximus) annum *Diocletiani* memorant quidem, ſed nullo unquam *Imperatoris* anno deſignatum. Plane itaque à *recentioribus* monachis reliqua *Imperatorum* nomina fuiſſe ſuſpicor; quorum licet in temporibus antiquioribus nullo ſit in loco fides, pro ſuis tamen proximiſque temporibus non ſint facile ſpernendi. Proinde commode accidit quod tot habeamus noſtri canonis continuatores, & tot intervallis aliqua ſaltem minime temnenda.

§. XXXIV. A *Nabonaſaro* tamen ad *Diocletianum*, ut ab *Aſtronomis* concinnatus eſt hic canon, ita eorum *uſibus* aptatum eſſe veriſimile eſt. Proinde numerandi rationem ubique certam conſtantemque fuiſſe oportet, ut ab uno eodemque exordio anni omnes accuratiſſime incipiant. Commune itaque annorum omnium *initium* eſt neomenia *Thoth vagi* in quemcunque anni *Juliani* diem inciderit; commune etiam *dierum* omnium initium eſt *meridies*. Quod à *meridie* dies inchoet *Ptolemæus* eſt ſane quod miremur, cum nec *Babyloniorum* ea fuerit conſuetudo, nec *Hipparchi*, nec etiam *Ægyptiorum*. *Babylonios* à Solis *ortu* ad ejuſdem *ortum* numeraſſe è [68] *Plinio* conſtat, & *Varrone* apud [69] *Gellium*, [70] è *Cenſorino* etiam atque [71] *Macrobio*. *Hipparchus* eandem numerandi rationem ſecutus quæ fuerat *Ægyptiorum*, atque *Romanorum*, à *nocte media* ad *noctem* ſimiliter *mediam*. Solos *Umbros* legimus qui eo modo diem finierint quo *Ptolemæus*, & tamen nihil illis fuiſſe certum eſt cum noſtro *Ptolemæo*. Plane pro *Aſtronomorum* uſibus & hanc à *Ptolemæo* numerandi methodum ſuſceptam eſſe veriſimile eſt. *Ortus* ſolis & *occaſus* ita erant ab invicem, pro variis anni tempeſtatibus, ipſi quoque varii, ut prorſus inepti eſſent calculis *Aſtronomicis*. Idem de aliis quoque νυχθημέρου punctis ſtatuendum à *meridiano* circulo diverſis. A *meridiano* itaque *puncto* alterutro, ſeu *diurno*, ſeu *nocturno* inchoandus erat omnino dies *Aſtronomicus*. Erat tamen & illud incommodum ſi à *meridiano nocturno* νυχθημέρου primordium arceſſerent, quod *Aſtronomicas obſervationes* pleraſque *noctu* factas *duobus diebus* neceſſe eſſet aſſignare. Proinde mutavit *Hipparchi* initium fortaſſe *Ptolemæus*; *Ptolemæum* ſecuti reliqui deinde *Ægyptiorum Aſtronomi*, in illis è noſtro *fragmento* conſtat noſtrum fuiſſe *Theonem*. Quod ſi *Hiſtoriæ*, potius quam *Aſtronomiæ*, in hoc canone conſultum vellent; nec veriſimile eſt *horam* diei conſignaturos qua inceperit *Nabonaſarus*, nedum illam præciſe *meridianam*; nec mutaturum *Hipparchi* horam recentiorem *Hipparcho Ptolemæum*.

§. XXXV. Quod vero dixi *Thoth vagi* neomeniam commune omnium hujus canonis *annorum* eſſe *pri-*

[67] Strom. I.
[68] *Plin.* N. H. II. 77.
[69] *Gell.* Noct. Att. III. 2.
[70] *Cenſorin.* de die Nat. c. 22.
[71] *Macrob.* Saturn. I. 3.

primordium, id (quia nondum obſervarunt Chronologi) paulo accuratius demonſtrandum eſt. Inde perpetuo numerat *Nabonaſari* Epocham *Ptolemæus*, ut etiam *menſes*, *dies*, ipſas *horas* numeret ab *hora ſexta* primi diei *Thoth vagi Nabonaſarei*. Sed non conſtat illud verumne *Nabonaſari* fuerit exordium. Etiam ſecundæ Epochæ idem ſtatuit *initium*, cum tamen *Thoth* illo VI. menſibus recentior eſſet *exceſſus Alexandri*. Anno *Nabonaſari* CCCCXXV. quem *primum* numerat *canon* à *morte Alexandri*, incidit *Thoth vagus* in *Novemb.* duodecimum pro rationibus anni *Juliani*. Exceſſit *Alexander* ſequentis anni *Juliani Maii* XXII°. Etiam illo *exceſſu* recentius erat *initium Philippi* poſt turbas militum prætorianorum, ut expleto *anno* à *morte Alexandri*, viz. *Ægyptiaco* à *Thoth* alio numerando, *Ægyptum* appulerit miſſus à *Philippo* ſatrapa *Ægypti Ptolemæus Lagides*. Et tamen tam *mortem Alexandri* quam *initium Philippi* à præcedente *Thoth* arceſſit noſter *Ptolemæus* Aſtronomus, & reliqui deinde *Aſtronomi*. Ita numerat eoſdem *menſium dierumque* ſupervacuorum calculos in hac *Alexandri* Epocha ſecunda quos in priori illa numeraverat Epocha *Nabonaſari*. Unde illud, ni ab eodem etiam illa repeteretur initio? Id etiam unde ni *Aſtronomicæ* præſertim æquationis rationem habuiſſet? Sic & noſter in fragmento *Theon*. Similiter & tertiam *Auguſtorum* Epocham, ab initio *Thoth*, & quidem à *meridie*, pro more ſuo numerat idem [73] *Ptolemæus*. Idem noſter *Theon*, nequid ſuſpicemur hac etiam in cauſa, diſceſſiſſe ab invicem *Aſtronomos*. Inde contigiſſe oſtendimus quod, ab eo uſque tempore quo primum intercalare cœperunt *Alexandrini*, annum *Auguſtorum* ab *Auguſti Juliani* XXIX°. numerarent, quod *primo* anno intercalari *Thoth* mobilis in illo ipſo menſis *Juliani die* repertus fuiſſet. Nec ſane longe aberat à fine *Cleopatræ*, quam *Auguſto* menſe extinctam veriſimile eſt. Quarta denique *Diocletiani* Epocha *Thoth fixum* reperit apud *Alexandrinos*. Apud reliquos *Ægyptios* adhuc *vagus* erat. Et quo ſeſe invicem intelligerent; hos *faſtos*, hanc *intercalares* ſupputandi methodum, à *Theone* noſtro uſurpatam diximus. Conſtat tamen *primi* menſis *Ægyptiaci*, potius quam veri *Diocletianæi Imperii* initii, hic etiam habitam eſſe rationem. *Thoth* CCCXIIIIus. ab *Auguſto fixus* incidit in *Auguſt.* XXIXm. anni Domini CCLXXXIVi. *Thoth vagus*, quem noſter numerat *Theon*, in ejuſdem anni Domini *Jun.* XIIIm. cum tamen ſequenti menſe *Septembri*, & quidem *die* ejus XVII°. *Diocletianum Auguſtum* ſalutatum teſtetur *Chronicon Alexandrinum*. Nempe eam numerandi rationem omnium expeditiſſimam judicarunt, qua ad *unum* omnia & commune eſſent deducenda *primordium*, ut idem omnium *Epocharum* eſſet *initium*, quod fuerat etiam & *anni Ægyptiaci*.

§. XXXVI. Quod porro in *Epochis* idem & in *principum* ſingulorum *annis* obſervatum veriſimile eſt. Aliter fuiſſet, addendi erant præterea principum *natales*, *menſes* præterea & *dies* ſupervacui. Nec enim aliter colligere poterant quotus *regni* annus in quotum *Epochæ* annum incurriſſet; nec quanto intervallo ab origine diſtarent *obſervationes* Aſtronomicæ *regum* annis conſignatæ, nedum annorum *menſes*, *dies*, *horas*, *ſexageſimas*, &c. quæ tamen erant ad ἀκρίβειαν *Aſtronomicam* omnino neceſſaria. Quæ factæ erant in *Babylonia* obſervationes eas, facta *meridianorum* æquatione, redigit ad *meridianum Alexandriæ* accuratiſſimus *Ptolemæus*. Idem labor ad æquandos *regum* annos cum annis *Nabonaſari* fuiſſet neceſſarius ni, qua diximus methodo, jam æquati intelligerentur. Sed de eo nullibi ſolicitum videmus *Hipparchum*, nullibi *Ptolemæum*. Conveniunt accuratiſſime numeri, ut quot interceſſiſſent novi *Thoth*, tot numerentur ab exordio non anni modo *Nabonaſari*, ſed & *regum* etiam *ſingulorum*. Qui enim in æquandis *Epochis* eam adhibuerant, refragante etiam *Hiſtoria*, quam dixi, methodum; cur non etiam eandem adhibituros putemus in *regum* ſingulorum annis, quorum & anomaliæ perplexiores futuræ eſſent, & longe etiam frequentiores? Sub *Mardocempado* duas memorat eclipſes ex *Hipparcho* [74] *Ptolemæus*, quarum utraque in menſem *Thoth* incurrerit, ſed primo alteram, alteram ſecundo, illius regis anno. His etiam reſpondent accuratiſſime anni *Nabonaſari* quos nemo dubitat à *Thoth* fuiſſe numeratos. Hoc certe fieri vix potuit niſi cum *vago Thoth* inceperit initium *Mardocempadi*. Proinde & regum *Mardocempado* antiquiorum annos ita æquatos fuiſſe conſentaneum eſt. Conveniunt itaque *initia* annorum *Nabonaſari* atque *regum*. Conveniunt & *fines*. Annus *Nabonaſari* CCXLV. cum [75] diebus 327. eſt annus *Nabonaſari* CCXLVI, fere abſolutus. Convenit autem cum *Darii Hyſtaſpis* anno XX°, pro canonis rationibus, accuratiſſime. Ita *magorum* menſes omiſſi, aliorumque regum *menſes* atque *dies*, nihil tamen impediunt quo minus in *ſumma* optime conveniant. Eſtque id obſervatione digniſſimum in toto hoc regum canone ne *unum* equidem hic comparere qui non ſpatium *annuum* expleverit, nec tamen propterea minus inter ſe convenire annorum integra intervalla. Aliunde itaque neceſſe eſt ut defectus illi ſarciantur, quod tamen *veris* regum temporibus fieri omnino non potuit.

§. XXXVII. Ita factum in canone regum *Babylonico*, & in ea etiam ejuſdem verſione quam *Græcorum Aſtronomorum* uſibus accommodavit *Hipparchus*. Exemplum etiam in aliis ejuſdem canonis *Epochis Ægyptiacis* ſecuti videntur *Ægyptii*. Annos duntaxat *integros* memorat canon; & tamen æquantur intervalla, & conveniunt obſervationes ab ipſis *Aſtronomis* ſub *Philadelpho* & *Philometore* conſignatæ. Et quidem in *Philadelphi* annis obſervatum eſſe è *Dionyſii* etiam *Aſtronomi* Epocha colligimus, quam ab initio [76] *Philadelphi* numeratam eſſe veriſimillimum eſt. Quanquam enim menſibus *cœleſtibus* obſervationes ſuas conſignarit ipſe *Dionyſius*, annis tamen *Nabonaſareis* à *Thoth* inchoandis illas aptat *Ptolemæus*.

§. XXXVIII. Eſt autem id manifeſtiſſimum in *tertia* noſtri canonis *Epocha*, ab *Auguſti* initio *Alexandrino*. Hic equidem occurrunt, fateor, maximæ difficultates, quas hac tamen unica obſervatione expediri poſſe puto. Sunt tamen quæ dicturus ſum in hac Epocha propterea manifeſtiora quod *Imperatorum* plerorumque *natalitia* vera habeamus explorata. Invaluerat nimirum per *Romani* Imperii etiam *Provincias* conſuetudo qua *Imperatorum natalitia* annua ſolennitate celebrabant, ut diſcimus è *Plinio*. Invaluerat & alia qua *divis Imperatoribus* ſodalitia *Sacerdotalia* dicarentur, quorum id officium eſſet ut *divorum*, etiam *defunctorum*, natalitia *annua* colerent, ut conſtat è veteribus *kalendariis*. Faciebant hæc *quotannis* redeuntia feſta ne unquam *natalitiorum* irrepere poſſet oblivio. Percurramus itaque *Imperatores*, & videamus annon, pro noſtra hypotheſi, anni eorum integri in canone noſtro commemorentur. Primo *Auguſto* anni tribuuntur XLIII. Addantur anno U. C. DCCXXIV°. Ita diſceſſerit *Auguſtus* anno U. C.

[72] *Plin.* ibid. [73] *Ptol.* Magn. Conſtr. L. III. c. 8.
[74] *Ptol.* Magn. Conſtr. L. IV. c. 5, 6.
[75] Ibid. c. 9.
[76] Apud *Ptol.* Magn. Conſtr. L. IX. c. 7.

C. DCCLXVII°. Christi XIV. Incidit eo anno *Thoth mobilis* in *Aug.* XXm. cui superstes fuit *Augustus* usque ad *Sept.* XIXm. Ita proximus *Thoth* ad primum spectabat annum *Tiberii*. *Tiberio* tribuit canon annos XXII. Desinent an. Dom XXXVI. Mortuus est *Tiberius* an. Dom. XXXVII°. *Mart.* XVI°. ante *Thoth Aug.* XIV. qui proinde *Caio* imputandus est. *Caius* Imperavit annis IV. Numerentur, pro canonis rationibus, ab an. D. XXXVI°. Incidet ultimus ejus *Thoth* in an. Dom. XLm. Decessit enim *Caius* sequentis *Jan.* XXIV°. ante *Thoth* anni XLIi. *Aug.* XIII. *Claudio* concedit canon annos XIV. Ita ultimus ejus *Thoth* inciderit in an. Dom. LIVm. *Aug.* X. Recte nimirum ille. Excessit enim ejusdem anni *Octob.* XIII°. *Neroni* cum assignantur anni XIV. necesse est ut *Thoth* an. D. LXVIIIi. ei tribuatur, propter tumultus Reip. Nec enim succedentium principum quispiam annum integrum explevit usque ad *Vespasianum*, quem tamen nondum *Augustum* agnoverunt *Itali*. Non tamen illum attigit *Nero* occisus *Jun.* IX. *Thoth* enim illius anni incidit in *Aug.* sextum. Inde si numeres, decimus *Vespasiani Thoth* conveniet an. D. LXXVIII°. Excessit *Vespasianus* anno sequenti, *Jun.* XXIV°. sed ante *Thoth Aug.* IV. qui *Titi* primus est. Tertius itaque *Titi Thoth* an. Dom. LXXXI°. constituendus est. *Thoth* ille fuit *Aug.* tertio, superstes fuit *Titus* usque ad *Sept.* XIIIm. Ita intelligimus cur *tres* annos *Tito* tribuat canon, qui tamen paucos *tertii* anni *menses* explcverit. Inde decimus quintus *Thoth Domitiani* attinget an. D. XCVIm. Recte scilicet. *Thoth* anni XCVIi. fuit *Jul.* XXX. Occisus est *Domitianus Sept.* XVIII. *Nervæ Thoth* unicus incidit in *Jul.* XXXm. A. D. XCVII. Proximum non attigisse certum est, defunctum scilicet sequenti anno, sub finem *Januarii*.

§. XXXIX. Sunt equidem sequentia tempora, pro nostri canonis rationibus, paulo difficiliora. *Thoth Trajani* XIXus. (si ab anno XCVII°. numeretur) conveniet A. D. CXVI°. Et tamen *Thoth* anni CXVIIi. probabile est superstitem fuisse *Trajanum*, *Thoth* anni CXVIIi. fuit *Jul.* XXV. Mortuus est *Trajanus Aug.* XI. si tamen anni CXVIIi. *Thoth Trajano* assignaveris, universam deinde perturbari necesse est canonis nostri seriem. *Thoth* enim anni CXXXVIIIi. non vidit *Hadrianus*. Incidit *Thoth* ille in *Jul.* vigesimum, sed *Jul.* decimo jam excesserat *Hadrianus*. Ita *Thoth* non plures quam XX. *Hadriano* concedendi erunt, & reliquam deinde quæ jam bene habet, labefactari necesse est canonis nostri Chronologiam. Vix est certe ut ante an. Dom. CXVIIm. *Trajanum* mortuum existimemus. *Secundo Consulem favore Plotinæ factum, totam præsumtionem Adoptionis emeruisse*, ait de *Hadriano* [77] *Spartianus*. Consulatum illum gessit an. CXVIII°. Priori itaque anno *designatus* fuerit oportet. Tum enim aderat moribundo *Plotina*. Ita etiam *Adoptionis* fuisset argumentum. Pro regulis enim Cl. *Pagi* novus princeps proximis *kal. Januar.* Coss. procedere debuit. Et quanquam fateor, sub *Imperatoribus*, *plurium* etiam nonnunquam annorum Coss. fuisse *designatos*; at signum certe *Adoptionis* non fuisset *Consulatus* ultra annum prorogatus. Conveniunt etiam huic anno CXVII°. annorum *numeri* quos *Trajano* auctores assignant. Sed quia varia erant *Trajani initia* unde deduxerunt auctores numerorum suorum exordia; proinde & illa distinguenda sunt ut intelligamus illi numeri quam apte respondeant. Citimum *Trajani initium* à *morte Nervæ* deducendum est. Qui illud accurate designarint, duos Veterum habemus, [78] *Dionem* & *Eutropium*. *Dion Nervæ* annum unum tribuit, menses quatuor, dies novem; annum similiter *Eutropius*, totidemque menses, sed dies duntaxat octo. Nulla est in *reipsa* discrepantia, sed in sola numerandi *ratione*. Uterque diem *Januarii* indicat XXVIIm. Sed *Dio* à XVIII°. *Septembris* numeravit, quo periit *Domitianus*, ad XVIIIm. *Januarii*. Inde nonum si numeres diem, incidet in illum, quem dixi, *Januarii* XXVIIm. *Eutropius* à XIV°. kal. *Octob.* more *Romano*, ad XIVm. similiter kal. *Februarii*. Demtis VIII. erit VI. kal. *Febr.* idem *Januarii* dies XXVII. Uterque numerus alterum invicem confirmat. Inde corrigendus apud *Theophilum Chrysseros*. In numero dierum η pro ι reponendum. Error admodum facilis est. Sic & *Clem. Alexandrin.* Hinc αὐτοκρατοείας, ut loquitur *Dio*, seu μοναρχίας initium repetendum. Εμονάρχησε *Trajanus*, ex calculis *Dionis*, annos XIX. mens. VI. dies XV. Numerentur à *Jan.* XXVII°, pro more *Dionis* vulgari, pertingent ad *Jul.* XXVIIm. Adde dies XV, *Julii* reliquos quatuor, cæteros *Augusti*; incidet initium *Hadriani* in *Aug.* XIm. accuratissime. Uno die discrepare videtur è *Chrysserote* [79] *Theophilus Antiochenus* qui annos *Trajani* numeravit mensesque totidem quot *Dio*, sed dies præterea XVI. Nihil discrepat, sed *morem* supputandi secutus est, quem dixi, *Romanum*, à VI. kal. ad VI. kal. sic à sexto kal. *Aug.* XVIus. est *Augusti* undecimus.

§. XL. Paulo altius aliud erit repetendum *Trajani* initium quo Imperium *abdicavit Nerva*. Tunc illum αὐτοκράτορα fecit *Nerva* quod scribit de eo *Dio*, primo *Cæsarem*, μὴ τοῦτο αὐτοκράτορα ab eo renunciatum. Quod enim *Augustam* hic à *Cæsarea* dignitate distinguant eruditi, omnino hallucinantur. In ipsa etiam *Augustea* dignitate varii tamen semper erant *gradus*, quorum *primum* usque ad *abdicationem* tenuit ipse *Nerva*. Propius accedebat ad *æqualitatem* cum quis *fratrem* adoptaret quam cum *filium*. Sic *Marcus Lucium*; sic *Diocletianus Maximianum Herculium*. Et tamen *primi Augusti* dignitas *fratri seniori* reservata est. Hic *prioris Augusti* gradus erat αὐτοκρατορία, & *abdicante Nerva*, in *Trajanum* collatus est. Recentiorem illo tempore fuisse tantam illam *Cæsaris* atque *Augusti* discrepantiam testis est disertissimus [80] *Victor* in Cæsaribus: *Abhinc*, inquit, *diversa nomina Cæsarum atque Augusti: inductumque in Rempublicam, uti duo, seu plures, summæ potentiæ dissimiles, cognomento ac potestate dispari sint*. Ne vero hæc *Victori* temere excidisse suspicemur, idem scribit, quod *Victor*, *Spartianus*. Ad *Hadrianum* usque eos duntaxat ait à se commemoratos qui *principum locum retentassent*; deinde illorum se vitas scripturum pollicetur, *qui Cæsarum nomine appellati essent, nec principes aut Augusti fuissent*. Horum *primum* ait fuisse [81] Ælium Verum, *qui primus*, inquit, *tantum Cæsaris nomen accepit, adoptione Hadriani familiæ principum adscriptus*. Sic in vita *Lucii Veri* [82] Capitolinus: *Huic naturalis pater fuit L. Ælius Verus, qui ab Adriano adoptatus, primus Cæsar est dictus, & in eadem statione constitutus periit*. Probabile est *Hadrianum* cum *Ælium Cæsarem* turpibus de causis, & promissis adactus, *Cæsarea* dignitate ornaret, propterea dignitatem ipsam illi datam imminuisse. Aliter certe illum *Cæsarem* ab *Hadriano* esse factum quam fuerit à *Nerva Trajanus*, verba habemus [83] *Spartiani* expressissima. »Sic enim ad *Diocletianum* ille: *Non*

77 *Spart. Hadrian.* c. 4.
78 *Dion.* ap. *Xiphilin. Entrop.* L. VIII.
79 *Theoph.* L. III. ad *Autolyc.*
80 In *Trajan.* 81 *Spart.* in *Æl. Ver.* c. 1.
82 *Capitolin.* in *Ver.* c. 1.
83 *Spart.* in *Æl. Ver.* c. 2.

Non teſtamento ut antea ſolebat, neque eo modo quo Trajanus eſt adoptatus; ſed eo prope genere quo noſtris temporibus, à veſtra clementia, Maximianus atque Conſtantius Cæſares dicti ſunt, quaſi quidam principum filii viri, & deſignati Auguſtæ majeſtatis hæredes. Hæc obiter, quia nondum comperi obſervata ab eruditis. Videat itaque Cl. *Pagi* quam fidem mereantur tot *Cæſareæ* dignitatis ante *Ælium Cæſarem* quinquennalia atque decennalia ab eo primum commemorata. Quanquam autem *abdicato* Nervæ Imperio, jam *primum* in Imperio gradum conſecutus erat *Trajanus*; cum tamen, *Nerva* ſuperſtite, noluit uſurpare. Sic enim [84] Plinius: *Jam te providentia deorum primum in locum provexerat; tu adhuc in ſecundo reſiſtere, atque etiam ſeneſcere, optabas. Privatus tibi videbaris, quamdiu Imperator & alius eſſet.* De *vita* enim *Nervæ* hæc, non de ejus *Imperio*, intelligenda eſſe, indicant ſequentia: *Audita ſunt*, inquit, *vota tua, ſed in quantum optimo illi & ſanctiſſimo ſeni utile fuit, quem dum* [leg. *dii*] *cœlo vindicaverunt, nequid poſt illud Divinum & immortale factum mortale faceret.* Ita intelligimus cur quarto etiam *Nervæ* conſulatu nummos habeamus *Tribunitia* ejus *Pot.* II. etiam inſignitos, cum tamen jam *privatus* eſſet *Nerva*.

§. XLI. Superiori enim anno illum Imperium *abdicaſſe*, ex eodem [85] *Plinio* colligimus. Sic enim ſcribit: *Divus quidem Nerva (nam privatus quoque attendebat his quæ recte in publico fierent) miſſis ad me graviſſimis literis, non mihi ſolum, verumetiam ſeculo gratulatus eſt, cui exemplum (ſic enim ſcripſit) ſimile antiquis contigiſſet.* Geſta hæc coram Coſſ. de cauſa *Bæbii Maſſæ* ſcribit *Plinius*, quibus tamen *Nerva* jam *privatus* attenderit. *Alios* illos Coſſ. fuiſſe oportet quam ipſe *Nerva*. Atqui anno XCVIII°. alios præter ſe Coſſ. non vidit, ne *ſuffectos* quidem. Nec enim menſis *Januarii* finem attigit. Superioris itaque anni XCVIIi. fine cauſam illam actam eſſe neceſſe eſt coram *menſis* illius Coſſ. *ſuffectis*. Convenit & ſenior *Victor* in *Cæſaribus*, qui menſe Imperii XVI°. *Nervam abdicaſſe* teſtatur. Inibat menſem Imperii XVIm. *Nerva* XVIII°. *Decemb.* an. XCVII°. Sed *ſtatim* Auctorem novi hujus *Trajani* honoris *conſecratum* ait *Plinius*. Proinde *breviſſimum* inde ad *mortem Nervæ* fuiſſe oportet intervallum. Ipſum *abdicationis diem* deſignavit, ni fallor, [86] *Clemens Alexandrinus* cum *Trajano* tribuit annos XIX. menſ. VII. dies XV. Eundem *dierum* numerum habet *Clemens*, quem à morte *Nervæ Dio*, ut proinde probabile ſit juſtum inde menſem impleviſſe *Nervam*. Ita Imperium exuerit *Decemb.* XXVII°. Ita etiam intelligimus, cur *Menelaus*, qui [87] obſervavit anno XCVIII°. *Mechir* XV°. qui decimus eſt *Januarii*, primo ſe dixerit obſervaſſe anno *Trajani*, ne facta quidem *Nervæ*, quanquam etiamnum ſuperſtitis, mentione; quia jam ſuperiori anno Imperium *exuerat*. Hæc itaque *ſecunda* eſt *Trajani* Epocha.

§. XLII. Eſt & *tertia* utriſque ſuperior à prima *Trajani adoptione* in *Capitolio*. Factus eſt enim à *Nerva Trajanus* Imperator, etiam *abſens* & *ignarus*. *Eras* (inquit [88] *Plinius*) *Imperator, & eſſe te neſciebas. Imperator titulis, imaginibus & ſignis, caterum modeſtia*, &c. *Legatus & miles, quum jam tua vexilla, tuas Aquilas* [] *anteires.* Quæ vero dignitas *Trajano* ex hac *adoptione* accreverit, ita deſcribit idem [89] *Plinius: Simul filius, ſimul Cæſar. Mox Imperator, & conſors Tribunitiæ poteſtatis. ---- Non ſolum ſucceſſor Imperii, ſed particeps ſociuſque. --- Et omnia pariter & ſtatim factus es quæ proxime parens verus tantum in alterum filium contulit.* Fruſtra hæc ad alium quam *Auguſtum* Imperii gradum retulit Cl. *Pagi*. Certum eſt quod in *alterum* duntaxat *filium Titum* contulit *Veſpaſianus*, de alio intelligi non poſſe. *Pares* certe illos fecit coævus [90] *Plinius* ſenior. *Sciant*, inquit, *omnes quam ex æquo tecum vivit Imperium. Triumphalis & Cenſorius tu, ſextumque Conſul, ac Tribunitiæ poteſtatis particeps.* Hujus *adoptionis tempus* è *Victore Epitomatore* diſcimus. Ait imperaſſe *Nervam* menſes XIII. dies X. De *Nervæ Monarchia* proculdubio intelligendus eſt. Ita *Trajanum* adoptarit *Octobr.* diem circiter XXVII. *Cum Trajano tribus*, ait, *vixiſſe menſibus. Vixiſſe* ait, non *Imperaſſe*, ut proinde *tres* illi *menſes* non ſint in *Nervæ abdicatione*, ſed in *morte*, terminandi. Reſpondentque, ut vidimus, accuratiſſime. Inde numeravit in *Chronico Euſebius* cum *Trajano* aſſignat annos XIX. menſes IX. Inde & *Victor* in *Cæſaribus* cum tribuit eidem annos *prope viginti*. Inde & Auguſtus [91] *Julianus* cum rotundum numerum annorum XX. Inde & *Trajani Tribunitiæ poteſtates*. Modo enim *Plinium* fatentem audivimus, hoc ipſo tempore *conſortem Tribunitiæ poteſtatis* à *Nerva* factum eſſe *Trajanum*. Ex his omnibus Epochis numeriſque reſpondentibus, *Trajanum* anno CXVII°. deceſſiſſe neceſſe eſt. Ita Trib. Pot. vigeſimum attigerit, quam & [92] *nummi* commemorant. Non poterat ſane ſi *Aug.* undecimo, anni CXVIi. mortuum ſtatuamus.

§. XLIII. *Mortuus* itaque *Trajanus* eſt anno CXVII°. & tamen ab anno CXVI°. *Tribunitias poteſtates* ſuas certum eſt numeraſſe *Hadrianum*. Conſtat hoc imprimis è coævis *Hadriano Aſtronomis*, *Theone* ſeniore, ipſoque *Ptolemæo*. Sic enim conjungunt illi annos *Hadriani* cum æra *Nabonaſari* ut neceſſe ſit *Thoth* anni CXVIi. ultimum eſſe *Trajani*, reliquos *Hadriano* imputandos. Recte itaque *canon* noſter &, pro *Aſtronomorum* mente, *Hadriani* annos conſignavit. Pro more ſuo fecit cum *duorum* ſimul regnantium annos ſoli tamen *poſteriori* aſſignat. Sic in Epocha *Ptolemæorum*, *Lagidæ* annos cum filio *Philadelpho* communes *ſoli* tamen *Philadelpho* accenſuiſſe jam vidimus. Nec *Aſtronomi* modo, ſed & alia quoque illius ævi monumenta ita numerarunt. *Tribunit. Pot.* XXIIm. *Hadriani* habent *Inſcriptiones*. Sic in *Tranſylvania* una apud [93] *Gruterum:*

IMP. CAES. DIVI. TRAIANI. PARTH. FIL.
DIVI. NERVAE. NEPOTIS. TRAIANO. HADRIANO.
AUG. PONT. MAX. TRIB. POT. XXII. IMP. II.
COS. III.
DERESIUS. RUSTICUS. CURATOR. VELETRIARUM. TIBERIS. ET. CLOACARUM. URBIS.

Alia eſt omnino inſcriptio *Tranſylvanica* quam Theſauro *Gruteriano* acceptam refert *Pagi*, cum tamen ibi non legatur, in hæc verba è [94] *Lazio:*

L. ANNIO FABIANO III. VIRO CAPITAL. TRIB. LEG. II. AVG. QVÆSTORI. TVRBANTIVM TRIB. PLEBIS PRÆTORIS CVRATORI VIÆ LATINÆ IMP. CÆS. DIVI TRAIANI PARTH. FIL. DIVI NERVÆ NEPOTIS. TRAIANI HADRIANI AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XXII. IMP. II. COS. III.

Nihil habet quod huic Inſcriptioni reſpondeat Cl. *Pagi*,

84 Panegyric. *Trajan.*
85 L. VII. Ep. 33.
86 *Cl. Al.* Strom. I.
87 Apud *Ptol.* Magn. Conſtr. L. VII. c. 3.
88 *Plin.* Panegyr. 89 cap. 8.
90 Præf. ad Nat. Hiſt.
91 *Julian.* in Cæſ.
92 Numm. ap. *Goltz.*
93 *Grut.* p. 252. 1.
94 *Lazius* Comm Reip. *Rom.* L. III. c. 16.

gi, niſi quod dedicatam exiſtimet in *Tranſylvania* antequam de *Hadriani* morte reſciviſſent. Sed, quod pace viri ingenioſiſſimi, dictum velim, *divinari* hoc eſt potius quam *reſpondere*, præſertim cum & alia huc convenire oſtenderimus, & ſimus porro oſtenſuri. Eſt etiam & alia *Romæ* in Theſauro *Gruteri*, ubi non eſt quod exiſtimemus diu latuiſſe mortem *Hadriani*. Eam ita recitavit [1] *Gruterus:*

IMP. CAES. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. FILIO
DIVI. NERVAE. NEPOTI. TRAIANO HADRIANO.
AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XXII. IMP. II.
COS. III. P. P. ET. DIVAE. SABINAE.
IMP. CAESAR. T. AELIVS. HADRIANVS
ANTONINVS. AVG. PIVS. PONT. MAX. TRIB.
POT. II. COS. DES. III. P. P. IMP. II.
PARENTIBVS. SVIS.

Quod hic TRIB. POT. XXI. legerit *Onuphrius*, id nulla auctoritate factum exiſtimat ipſe *Pagi*. Quod vero quæritur omiſſum hic DIVI nomen *Hadriano* tribuendum, id leviculum, & fieri poteſt ut litera D. pro eo poſita tranſcribentium incuria fuerit prætermiſſa.

§. XLIV. Habemus etiam Inſcriptiones in *Pannonia* ſuperiori, quo tempore Provinciam illam adminiſtrabat *L. Ælius Cæſar* ab *Hadriano* adoptatus, *Hadriani Trib. Pot.* XXI. dedicatas. E [2] *Lazio* aliam exſcripſit *Pagi:* HADRIANO AUG. P. P. TRIB. POT. XXI. COS. III. IMP. II. LELIVS. CÆS. FIL. TRIB. POT. COS. PR. PROCOS. VIVIR SACRIS FACI. VII. Aliam è *Bongarſii* & *Cluſii* ſchedis [3] *Gruterus:* IMP. CAES. TRAIANO HADRIANO AVG. P. P. TRIB. POT. XXI. COS. III. IMP. II. L. AELIVS CAES. FIL. TRIB. POT. COS. II. PROCOS. XV. VIR SACRIS. FACIVND. Quo vero anno illæ dedicatæ quærendum. Geſta hujus *Ælii Cæſaris* ordine perturbatiſſimo repræſentavit *Spartianus*. Ita ille in [4] Hadriano, *Adoptavit ergo Ceionium Commodum Verum invitis omnibus, eumque Ælium Verum Cæſarem appellavit. Ob cujus adoptionem Ludos Circenſes dedit, & donativum populo ac militibus expendit: quem Prætura honoravit, ac ſtatim Pannoniis impoſuit, decreto Conſulatu cum ſumtibus; eundem Commodum ſecundum Conſulem deſignavit.* Nec aliter in [5] Ælio Vero: *Adoptatus autem Ælius Verus ab Adriano eo tempore quo jam (ut ſuperius diximus) parum vigebat, & de Succeſſore neceſſario cogitabat, ſtatimque Prætor factus, & Pannoniis dux ac rector impoſitus, mox Conſul creatus. Et quia erat deputatus Imperio, iterum Conſul deſignatus eſt. Datum etiam populo congiarium cauſa ejus adoptionis, collatumque militibus HS. ter millies, Circenſes editi, neque quicquam prætermiſſum quod poſſet lætitiam publicam frequentare.* Hæc ille quaſi hoc geſta eſſent ordine. Primo ut *adoptatus* fuerit *Ælius*, tum *Prætor* factus, deinde *Pannoniæ* impoſitus, ita *decretus* ei primus cum *ſumtibus Conſulatus*, tandem *ſecundum Conſul* fuerit *deſignatus*. Peſſime hæc, & ordine alieniſſimo. Nos veram geſtorum ſeriem eruere & deſignare conabimur.

§. XLV. Primum itaque *Ælii* honorem *Præturam* exiſtimamus. Eo enim tempore natum filium ejus *Verum* qui cum *Marco* poſtea Imperavit, tradit [6] *Capitolinus*, & quidem eodem quo *Nero* die *Dec.* XV°. Sic enim de *Nerone* [7] *Suetonius*. Poſt ſeptimum annum in familiam [8] *Aureliam* traductus eſt. Adoptatus à *Marco* eſt [9] *Feb.* vigeſimo quinto, an. D. CXXXVIII. Ergo annum ſeptimum impleverit *Verus Dec.* XV. an. D. CXXXVII. natus nimirum eodem *Decemb.* XV. anni CXXX. ut proinde eo ipſo anno *Præturam* geſſerit pater *Ælius Verus*. Qui enim XLIIm. regiſſe annum putarunt, cum moreretur, *Lucium Verum*, de XLII°. anno inchoato duntaxat intelligendi ſunt, & pro ea ſententia quæ ei Imperii annos XI. tribuebat, quæ ut *falſa* eſt, ita tamen *veterem* fuiſſe, conſtat è [10] *Capitolino*, & *Euſebio*. Quod itaque *ſtatim Prætor* factus dicitur *Ælius*, non ita intelligendum eſt quaſi *ſtatim* ab *adoptione* ſit factus, ſed quod per *ſaltum Prætor* factus ſit, non antea *Quæſtor*, quod munus, per *leges Annarias*, *Præturam* debuit antecedere. Proximus *Ælio* gradus in gratia *Hadriani* fuit an. Dom. CXXXV. *Conſulatus* ſequentis anni *decretis* cum *ſumtibus*. Quod enim *ſumtu publico* Conſulatus *decerneretur*, id habuit præ aliis Conſulatibus eximium, quod inſignem quandam Imperatoris indicaret benevolentiam, vixque eſſet aliorum quam quos *Imperii* deſtinarent *hæredes*. Ita igitur *Conſulatum* illum inierit *Ælius* nondum *Cæſar*, nec *Æliæ* gentis nomine faſtis inſcriptus. Editis igitur *Conſulatus* muneribus, etiam ſequentis anni CXXXVII. *Coſ. iterum deſignatus eſt, quia deputatus Imperio eſt*, ut ait *Spartianus*. In *ſecundo* enim *Conſulatu* præcipuum erat, pro receptis Imperii moribus, *omen Imperii*; præcipue in nova hac *Nervæ* familia. *Deſignatus* erat *iterum Coſ. Trajanus*, cum Imperium capeſſeret, ut è [11] *Plinio* didicimus. [12] Ipſe *Hadrianus ſecundo Coſ. deſignatus totam præſumtionem adoptionis emeruit.* Sic & *Antoninus Pius ſecundo ejus Conſulatu deſignato* adoptatus eſt, aliiſque Imperii inſignibus ornatus. [13] *Marcus Cæſar, deſignato Conſulatu*, appellatus eſt. Ita intelligimus cur *quia Imperio deputatus erat Ælius*, idcirco *iterum Coſ. deſignatum* ait *Spartianus*. Nondum itaque *Imperium* capeſſiverat *Ælius*, ſed erat tantum *Imperio deputatus*. Aliter fuiſſet, vix eſt certe ut credamus *gratias Ælii* de *adoptione* tamdiu differendas, ſi *orationem Conſularem* in *Senatu* habuiſſet. Sed & *Hadrianus* ipſe antea nuncium accepit de *ſecundo* ſuo *Conſulatu*, quam de *adoptione*. Similiter de *Ælio* ſtatuendum erit, ſi ſit equidem quidpiam in ejus cauſa, ex *Hadriani* exemplo ſtatuendum. Poſtea *adoptatus* eſt *Ælius*, datum, eo nomine, populo militibuſque *congiarium*, editi ludi *Circenſes* quibus ipſe interfuit *Hadrianus*. Tandem *Hadriani* ſeceſſus *Tiburtinus*, quo tempore *urbem Lucio Ælio Cæſari permiſſam* ſcribit *Victor* in *Cæſaribus*. Hoc ipſo *Urbanæ* adminiſtrationis tempore datam crediderim illam ejus *Epiſtolam*, ſeu etiam *legem*, quam conſervavit nobis ex inſcriptione [14] *Kirchmannus*, ad *Libertos Sannori Quintiliani*, *XIII. kal. Julius*, *in hortis Statiliæ Maximæ*, *Ceionio Commodo & Civica Pompeiano Coſs.* Inde intelligimus hoc an. Dom. CXXXVI°. ante *Jun.* XIXm. jam *adoptatum* eſſe *Ælium*, nec tamen adhuc ex *urbe* in *provinciam* diſceſſiſſe. *Romæ* enim illam *legem* edidit.

§. XLVI. Ita igitur vix potuerit *provinciam* ante *Aug.* undecimum attingere. Inde *Trib. Pot.* vigeſimum duntaxat inivit *Hadrianus* ſi quidem à morte *Trajani*, & *Chriſti* anno CXVII°. numerentur. Et tamen

1 *Grut.* p. 252. 7.
2 *Laz.* L. 2. Comm. Reip. *Rom.* c. 5.
3 *Gruter.* 252. 2.
4 Cap. 23.
5 Cap. 3.
6 *Capitolin.* in *Ver.* c. 1.
7 *Sueton.* in *Neron.* c. 6.
8 *Cap.* in *Ver.* c. 2.
9 *Cap.* in *Ant. Pio* c. 4.
10 *Cap.* in *Ver.* c. 11. *Euſ.* Chr.
11 *Plin.* Panegyr.
12 *Spartian.* Adrian. c. 4.
13 *Cap.* in *Marc.* c. 6.
14 *Kirchman.* de fun. Roman. L. III. c. 14.

tamen omnes ejus *Pannonicas Inſcriptiones Trib. Hadriani Pot.* vigeſimum primum numerare videmus, ex an. CXVI°. proinde arceſſendam. Redux è provincia [15] *Ælius*, & *gratias Hadriano* de *adoptione* acturus, ipſis periit *Calendis Januariis* quibus orationem erat de eo argumento jam paratam recitaturus. Ex quo intelligimus ultimo loco geſtam illam eſſe *Pannonicam provinciam*. Neque vero poſſumus cum Cl. *Pagi Cæſaream Ælii* dignitatem in annum integrum prorogare, ut nimirum non anni CXXXVIIi. ſed CXXXVIIIi. perierit *Calendis Januariis*. Brevius fuerit oportet illi *Cæſarei* honoris ſpatium quam ut *biennium* fere expleverit. De illo *Virgilianum* illud ſæpe dixit *Hadrianus:*

Oſtendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Eſſe ſinent.

Et, *Ego Divum mihi adoptavi, non filium. Diu* etiam *ancipitem*, ait [16] *Spartianus*, poſt mortem *Ælii Veri. quid ageret*, fuiſſe *Hadrianum*. Id verum eſſe non poteſt ſi *Calendis Januariis* anni CXXXVIIIi. mortuum *Verum* ſtatuamus. Jam enim oſtendimus *Feb.* vigeſimo ſexto adoptatum eſſe *Antoninum*. Et tamen aliquid de hoc ipſo ſpatio deterendum erat. Quum eum *Hadrianus adoptare ſe velle publicaſſet, acceptum eſt ab* [17] *Antonino deliberandi ſpatium, utrum arrogari ab Adriano vellet*. Non fuit certe *anceps Adrianus* ab eo uſque tempore quo *publicavit*. Sed nec *ante* publicationem *brevi* temporis ſpatio *ancipitem* fuiſſe probabile eſt, ni temerarium plane in re tanti momenti fuiſſe ſtatuamus *Hadrianum*. Et plane de *ſecundo Ælii Conſulatu* ita loquuntur Auctores quaſi *deſignatus* ille potius fuiſſet quam *geſtus*. Porro *ſera* nimis fuiſſet, poſt *biennium*, etiam in *Senatu* gratiarum actio. Ni illum hoc anno CXXXVI°. in *provinciam* profectum dicamus, *Romæ* illum diu hæſiſſe neceſſe erat; *Senatum* vidiſſe ſæpius coactum; ſuo etiam *ſecundo Conſulatu* occaſionem habuiſſe, cum illum iniret, etiam in *Senatu gratias* agendi longe opportuniſſimam. Quam tandem nobis cauſam excogitabit Vir Cl. cur tamdiu dilatam putet ſolennem illam *gratiarum actionem*.

§. XLVII. Nec diſſimulo tamen eſſe quod pro ſua cauſa obtendat Vir Doctiſſimus. Jam vidimus è *noſtris* inſcriptionibus unam quæ *XXIm. Hadriani Trib. Pot.* cum *ſecundo Ælii Conſulatu* conjungat. Eſt & alia quæ *ſecundi Conſulatus* meminit apud [18] *Gruterum* iſtiuſmodi, idque *Romæ*: L. HELIO. CAES. DIVI. HADRIANI. AVG. F. COS. II. F. Poſt *mortem Ælii* hanc *ſecundam* inſcriptionem fuiſſe manifeſtum eſt quæ *Divum* ipſum appellat *Hadrianum*. Non eſt itaque quod miremur ſi in *titulis* ejus memoretur *ſecundus* ejus *Conſulatus* cum & *faſtis* fuiſſet inſcriptus, & *anno* nomen dederit, ipſaſque attigerit *Calendas Januarias*. Prior inſcriptio difficilior eſt. Probavit tamen Cl. [19] *Pagi* Conſulatus *deſignatos* pro *abſolutis* ſæpe memorari. Quod de *Conſulatibus Cæſareis* præcipue verum. Sic in *Conſulatu Claudii* quarto, & *Aureliani* tertio. Et in illis rurſus maxime *deſignatis* Conſulatibus qui in ipſis *Imperii auſpiciis*, & Imperii *nomine* deſignarentur. Sic *Claudio* natus *Imperii* die vigeſimo *Britannicus*, viz. *Feb.* duodecimo, A. D. XLIi. *ſecundo* tamen [20] *Claudii Conſulatu* natum ait *Suetonius*, cum tamen ſecundum illum Conſulatum inierit [21] *Claudius* an. Dom. XLII°. Sic etiam adoptatum *Feb.* XXV° an. D. CXXXVIII°. ſuperſtite etiamnum *Hadriano*, ſecundo *Antonini Pii* Conſulatu *Marcum* dicit *Capitolinus*. Et tamen an. CXXXIX°. *Conſulatum ſecundum* geſſit *Antoninus*. His exemplis etiam *priorem* anni præcedentis partem *Conſulatu deſignato* notam videmus. *Poſteriorem* partem qua, pro noſtris rationibus, in *Provinciam Pannonicam* venerit *Ælius*, frequentius ita conſignatam veriſimile eſt, cum *Imperii* cauſa *deſignatus* ille eſſet *Conſulatus*. Poterat tamen anni CXXXVIIi. *initio*, antequam de *morte Ælii* nuncius *Pannoniam* attigiſſet, inſcriptio illa in *Pannonia* dedicari, pro noſtra tamen, non adverſariorum ſententia, *Pot. Trib.* XXI. conſignanda.

§. XLVIII. Confirmant etiam noſtram hanc ſententiam *Auctores* omnes qui tribuunt *Hadriano* annos XXII. vel *partem* certe aliquam anni XXIIi. plures certe gravioreſque quam ut poſſent facile contemni. *Victor Schotti* tradit *interiiſſe, anno Imperii, abſque menſe, viceſimo ſecundo*. [22] Spartianus: *Imperavit annis XXI. menſibus XI.* Victor Epitomator: *Imperavit annis viginti duobus*. Eutropius: *Obiit in Campania, major ſexagenario, Imperii anno XXIo. menſe decimo, die XXIXo.* Sic & *Epiphanius* etiam in *Ancorato*. *Secant* plane hunc nodum, non *ſolvunt*, vulgo Chronologi, qui his tantis Auctoribus fidem plane derogant. Nos methodo expedimus longe faciliori quæ utrorumque auctorum fidem illibatam ſervet, tam eorum qui annos *Hadriano* XXII. aſſignant, quam eorum qui tantummodo XXI. Ut triplicem *Trajanus*, ſic *Hadrianus* duplicem habuit Epocham, ab *adoptione* aliam, aliam à *morte Trajani*; & quidem illam *duplici* præterea *natali* inſignitam. *Natalis adoptionis* fuit *Aug.* IX. *Natalis* Αυτοκρατορίας, ſeu μοναρχίας, erat *Aug.* XI. quo de *Trajani morte* nuncium accepit. Id itaque fefellit hactenus eruditos quod ab uno eodemque *anno Juliano* utrumque hunc *natalem* repetendum eſſe cenſuerint. Jam oſtendimus in *Trajano* ab an. Dom. XCVII°. *Natalem adoptionis*, ab an. XCVIII°. quo *exceſſit Nerva*, *Imperii natalem* eſſe numerandum. Sic etiam de *Hadriano* dicendum, ab *Aug.* nono, an. CXVIi. ſuperſtite etiamnum *Trajano*, ducendos eſſe annos *adoptionis*; ab *Aug.* undecimo, anni CXVIIi. quo *nuncium* accepit de *morte Trajani*, annos *Imperii*, ſeu Αυτοκρατορίας. Conveniunt accurate cum *priori* Epocha Auctores qui annos *Hadriani* XXI. menſes numerant XI. ſi priorem terminum excludas. Convenit & *Eutropius* qui annos XXI. menſ. X. dies duntaxat XXIX. *uno* nempe *die* à juſto *menſe* deficientes. Sic enim habebis ſi, pro more *Romano*, numeres à V. Id. *Aug.* anni CXVIi. ad VI. Id. *Jul.* anni CXXXVIIIi. quo *deceſſit Hadrianus*. Sequebantur *adoptionem*, & præcedebant *Imperium*, pro *Trajani* exemplo, *Tribunitiæ*, ut vidimus, *poteſtates*. Proinde & illæ huic etiam priori, Epochæ reſpondent. Quod vero eandem Epocham adhibuerint *Aſtronomi*, id inde contigiſſe crediderim, quod cum reliqui *Auguſteæ* poteſtatis tituli varii admodum eſſent, & temporis incerti, *poteſtatem* tamen *Tribunitiam* hucuſque *Cæſares* ſine intervallo comitatam experientur. Secundam Epocham manifeſte ſequitur *Dio:* ἐμοναρχησεν (inquit) ἔτη εἰκοσι καὶ μιῶας ἕνδεκα. Ad eandem plane formam qua antea *Trajani* annos à *morte Nervæ* numeraverat. Nec longe

15 *Spart. Æl. Ver.* c. 4. 16 c. 6.
17 *Capitolin. Ant. Pio* c. 4.
18 *Grut.* 253. 1.
19 *Pagi* Diſſ. Hyp. Part. 1. c. 1. n. 7. 8.
20 *Pagi* Diſſ. Hyp. Part. 1. c. 2.
21 c. 3, 4.
22 *Spart.* Adrian. c. 26.

longe abeunt qui hunc numerum accurate deſignant [23] *Chryſeros* apud *Theophilum Antiochenum*, [24] *Clemens Alexandrinus*, & [25] Chronologus Anonymus qui ſcripſit ſub *Alexandro Severo*. Annos illi numerant *Hadriani* XX. menſes X. dies XXVIII Numerentur à III. Id. *Aug.* anni CXVIIi. ad ſextum Id. *Jul.* anni CXXXVIIIi. Ita conciliatæ hæ duæ Epochæ una etiam oſtendunt *Trajanum* anno CXVIIo. mortuum, & tamen ab anno uſque CXVIo. *Tribunitias poteſtates* numeraſſe *Hadrianum*.

§. XLIX. Quanquam autem inde numerarit *Hadrianus*; non eſt tamen ut exiſtimemus *palam* illum à *Trajano* agnitum pro *Imperii* hærede, ut fuerat à *Nerva* ipſe *Trajanus*. Ita ſi fuiſſet, dubitari non potuit verene eſſet à *Trajano* adoptatus, an potius artibus conſiliiſque *Plotinæ*. Nullum locum illa fabella habuiſſet, *mortuo* jam *Trajano*, [26] *Adrianum in adoptionem adſciſum eſſe, ſuppoſito qui pro Trajano* [moribundo ſcilicet] *feſſa voce loqueretur*. De his ne dubitandi quidem relictus fuiſſet locus, ſi *anno* integro *Cæſarem* illum renunciaſſet *Trajanus*, feciſſetque *poteſtatis Tribunitiæ* participem. Nec [27] *ſecundo Coſ. favore Plotinæ factus totam præſumptionem adoptionis emeruiſſet*. Omnino anno CXVIIo. *deſignatus* eſt, ut diximus, ſecundus ille *Hadriani* Conſulatus quem geſſit anno CXVIIIo. Nondum igitur anni CXVIIi. initio *totam* illam *adoptionis præſumptionem* emeruerat, quam tamen emeruiſſe neceſſe erat, ſi ſuperiori jam anno CXVIo. jam *Tribunitia poteſtate* fuiſſet ornatus; nondum *adoptatus* cum *adoptionis præſumtionem* faceret ſecundum illum *Conſulatum*, etiam *deſignatum*. Condi tamen potuit ſuperiori anno *teſtamentum Trajani* quo *adoptatus* eſt, *hæreſque* inſtitutus Imperii *Hadrianus*, *Trajano* jam in expeditione *Parthica* occupato periculi pleniſſimo, ita tamen ut non ante *Trajani mortem* emanarit in *vulgus*. Utcunque tamen non *conditi* ſignatique teſtamenti diem, ſed quo *literas adoptionis* accepit, pro illo quoque ſuperioris anni *natali* celebrari voluit. Sic enim conceptis verbis [28] Spartianus: *Quinto Iduum Auguſti die, Legatus Syriæ literas adoptionis accepit, quando & natalem adoptionis celebrari juſſit*. Mandato *Hadriani* tribuit quod illi celebratus eſſet *natalis*. Nullum itaque ſuperiori anno ante *literas adoptionis* celebratum veriſimile eſt. Ut itaque hujus Epochæ *natalem* primus inſtituit poſt *Trajani* exceſſum *Hadrianus*; ſic & ab eodem fuiſſe probabile eſt, quod retro eſſet ab anno ſuperiori numerandus.

§. L. Ita *canonem* ad *Ptolemæi* uſque tempora deduximus. Scripſit enim ille obſervavitque ſub *Antonino Pio*. Reliqua deinde tempora non ita certa ſunt. *Pio* itaque annos tribuit XXIII. ab an. Dom. ut dixi, CXXXVIIo. numerandos. Ita *Thoth* ejus ultimus inciderit in A. D. CLXm. Defunctus eſt anno CLXIo. *Mart.* ſeptimo. Ita *Thoth* proximum non vidit qui eo anno fuit *Jul.* XIV. *Commodus* non *unum* duntaxat ut *Hadrianus*, ſed *plures* habuit annos cum *patre* communes. Proinde ne bis iidem numerarentur, aut utriuſvis anni plures prætermitterentur, placuit *Aſtronomis* in unum numerum utriuſque tempora conferre. Sic enim vetuſtiſſimus noſtri canonis exſcriptor *Clemens Alexandrinus*, quamvis recentiores alii ſuos utrique annos ſigillatim aſſignarint. Recte tamen illi quoque recentiores, & pro noſtri canonis methodo. *Marco* concedunt annos XIX. Sic ultimus ejus *Thoth* fuerit An. Dom. CLXXIXo. mortuus eſt ſequenti anno *Mart.* XVIIo. Sic *Thoth* anni CLXXXi. *Jul.* X primus erit *Commodi*. Addantur *Commodi* anni XIII. ultimus ejus *Thoth* erit An. Dom. CXCII. Idemque erit *Thoth* XXXIIus. ab initio *Marci*, ſi uno utriuſque tempora numero complectamur. *Pertinax* deinde & *Didius Julianus* in noſtro canone non comparent. Recte, quia neuter annum abſolvit. *Severi* deinde & *Caracallæ* annos rurſus conjungunt Auctores canonis antiquiores, quos itidem diſtinguunt recentiores, quod in *Marco* & *Commodo* factum modo obſervavimus. *Severi Thoth* XVIIIus. convenit A. D. CCXo. Proximo *Feb.* IV. defunctus eſt *Eboraci*, quo anno *Thoth vagus* in *Jul.* ſecundum incurrit.

§. LI. Inde ſi *Thoth Caracallæ* ſeptimum, *Severo* & *Caracallæ* communem XXVm. numeremus; pertinget ad an. *Dom.* CCXVIIm. Et tamen certum eſt *Thoth* illum ſeptimum non attigiſſe *Caracallam*. Occiſus eſt *Caracalla* ineunte *Aprili*, *Thoth* fuit *Jun.* XXX. Nempe *Macrini* fuit hic *Thoth*, qui licet annum integrum abſolverit, nullus tamen in hoc noſtro canone comparet. Numeravit hic, pro more ſuo, canon. Cum enim præeſſent id genus Principes qui nec Rempub. haberent *pacatam*, nec Imperium ad *hæredes* tranſmiſerint, nec *diu* etiam ipſi imperarint; non *ipſis* ſolet, ſed vero eorum *deceſſoribus*, eorum quoque tempora imputare. Exemplum in *Nerone* jam vidimus, cui illius anni *Thoth* quo imperarint *Galba*, *Otho* & *Vitellius*, canon tamen ſimiliter annumeravit. Ita certam habebant numerandi rationem *Aſtronomi*, dum redirent Reipub. pacata tempora, ſiquid obſervaſſent interea certo principis *anno* conſignandum. Et vero *conſilio*, potius quam *errori*, hos eſſe tribuendos numeros exinde conſtat, quod non propterea deficiant annorum ſolidorum *intervalla*, ſed reſpondeant nihilominus accuratiſſime. Proximus anni CCXVIIIi. *Thoth* de jure debetur *Elagabalo*. Victus enim eſt ab eo *Macrinus Jun.* tertio, ante *Thoth Jun.* XXX. Sic quartus ejus *Thoth* conveniet anno CCXXIo. Occiſus eſt ſequentis anni *Mart.* ſexto, ante *Thoth Jun.* XXIX. Inde XIIIus. *Alexandri Thoth* incurret in A. D. CCXXXIVm. Id ſi verum, proinde ante *Thoth* anni CCXXXVi. *Alexandrum* occubuiſſe oportuit, qui eo anno *Jun.* XXVI. inceperit. Ex quo eorum ſententia confirmabitur qui menſe *Martio* interfectum exiſtimant. Sed hoc in loco vacillare incipit canonis noſtri fides. Hucuſque Imperatorum *natales* certius habemus conſignatos. Reliqui deinde incertiores ſunt. Defecit enim jam *Nervæ* familia cujus *natales* conſervarunt *Sodales Antoniniani*. Permiſtæ ſunt invicem deinde *familiæ* uſque ad *Diocletianum*, ut non *diu* Imperium in *una* aliqua familia permanſerit. Ita quanquam *Divos*, in hoc ipſo intervallo, plures habeamus à Senatu conſecratos; quia tamen (excepto *Claudio*) nullam cum ſequentibus Imperatoribus habebant cognationem, idcirco nulla *ſacerdotum Sodalitia* legimus in eorum honorem inſtituta, qui eorum *natales* annua [29] ſolennitate celebrarint. In *Conſtantini* equidem Kalendarium admiſſi poſtea ſunt *Gordianus*, *Claudius* & *Probus*; ſed *vitæ* duntaxat, non item *imperii*, natalibus ibi commemoratis. Reliquorum *natales* omnes ita periiſſe probabile eſt. Eſtque id ſane dolendum quod quo loco vacillat hujus ſeculi *Hiſtoria*, eodem & noſtrum *canonem* vacillare manifeſtum ſit. Sed pergamus.

§. LII.

[23] *Chryſ.* ap. *Theoph.* L. III. ad *Autolyc.*
[24] *Clem. Al.* Strom. I.
[25] Chronol. Anonym. ap. *Caniſ.* Ant. Lect. & *Labb.* Bibliothec.
[26] *Spart. Adrian.* c. 4.
[27] Ibid.
[28] Ibid.
[29] Apud *Bucher.* in Doctrin. Temp.

§. LII. *Thoth* itaque tertius *Maximini* idemque ultimus incidit in *Jun.* XXV^m. anni CCXXXVII^i. Recte illud. Sub illius enim anni finem ante *ludos Capitolinos* periit cum filio *Maximinus* Trib. Pot. tertia. Proinde *Thoth* ſextus *Gordiani* in An. Dom. CCXLIX^m. conferendus eſt. Sequenti anno à *Mart.* XIV°. & deinceps *Leges* habemus in *codice Philippi*, poſt menſem *Maium* nullas habemus *Gordiani*. Ita *Thoth Jun.* XXIII. *Philippo* concedendus erit. Quanquam etiamſi *Thoth* attigiſſet *Gordianus*, participem tamen habuit Imperii *Philippum*. Eſtque ea canonis noſtri conſuetudo ut *communes* duobus principibus anni, ſi *ſinguli* ſint, poſteriori aſſignentur. Sic in *Ptolemæo Philadelpho* vidimus; ſic in *Hadriano*. Convenit & hujus ſeculi Auctor [30] *Porphyrius*. Annus *Gordiani* ultimus eſt *Plotini* XXXIX^us. *Philippi* primus eſt ejuſdem *Plotini* XL^us. Annos *Plotini* non abſolutos numerat, ſed *ineuntes*; nec à *certo* aliquo *menſe* (eum enim celavit ex induſtria *Plotinus*), nec proinde à certo aliquo Imperatoris *natali* qui ſine *menſe* deſignari non potuit quem teneret locum in ætate *Plotini*. Proinde à communi illo *Romani* anni exordio, *kal.* nimirum *Januariis*, *Plotini* etiam annos veriſimile eſt numeraſſe *Porphyrium*; eaſque ita cum *Imperatorum* annis conjunxiſſe ut cujus principis *natalis* kal. *Januarias* propius attigiſſet, illi annus, cujus illæ eſſent *kalendæ*, aſſignaretur. Primum *Plotini* annum ducit à *Severi* XIII°. ut dixi *ineunte*. Inivit T. P. XIII^m. *Severus* circiter menſem *Maium* anni CCVI. Ab illius igitur anni kalendis *Januariis* primus numeratur annus *Plotini*. Ita XL^us. inchoabitur ab A. D. CCXLIV^i. kal. itidem *Januariis*. Hunc cum primum numeret *Philippi*, proinde conſentaneum eſt ut priori anni parte purpuram acceperit *Philippus*, priori etiam *Gordianus* occubuerit. Sextus itaque *Philippi Thoth* an. CCXLIX°. ſtatuendus eſt. Edidit *Philippus* legem ultimam *Jun.* XVII°. primam *Decius Octob.* XIX° Medio tempore certum eſt interiiſſe *Philippos*, quo vero tempore incertum. Si noſtrum *canonem* audimus, *Jun.* XXII. ſuperſtites neceſſe eſt, qui *Thoth vagi* pro eo anno fuerat initium. Eſtque id ſane veriſimile. Cum enim *triginta* menſes *Decio Victor* Epitomator aſſignat, ab eo uſque tempore numeravit, ni fallor, quo à *Mæſicis Pannonicisque* legionibus *Decius* Imperator renunciatus eſt. *Junio* illud exeunte fortaſſe contigerit. Inde etiam *Tribunitias poteſtates* forte numeravit. Diutius tamen probabile eſt vixiſſe *Philippos*, eoſque adhuc agnoviſſe *Romanos*. Incepiſſe enim *perſecutionem* cum *Decii* Imperio jam oſtendimus è *Lactantio* & *Dionyſio Alexandrino*. Conſtat porro in eorum numero qui *primi* capti ſunt fuiſſe *Moyſem*, *Maximum* atque *Celerinum*. Conſtat præterea *Decio Romæ* verſante tortum *Celerinum*, à quo *Decium* propterea ſuperatum ait *Lucianus*. Ab *hyeme* autem annum illum inchoavit *Cyprianus* quem egerint in carcere prædicti Martyres. *Hyeme* itaque *Romam* venit *Decius* anni CCXLIX^i. nec diu ante *hyemem* probabile eſt occubuiſſe *Philippos*. Ita *Thoth Philippo* imputandus erit, non *Decio*.

§. LIII. Ipſi porro *Decio* Thoth *unicum* concedit canon anni viz. CCL^i. Et tamen certum eſt *Thoth* anni CCLI^i. fuiſſe ſuperſtitem. Plane nihil hic ſuccurrit quo *canoni* noſtro patrocinemur. Suſpicabar *mutatos* invicem *Decii* annos atque *Galli*. Sed conveniunt cum *Bambrigii* Codice noſtri etiam Codices MSS. omnes. Convenit etiam *Imperatorum* laterculus quem faſtis ſuis adjunxit *Heraclius*, è noſtro proculdubio canone deſumtus. Suſpicabar ad *Decii* filium ſpectare potuiſſe *partem* illam anni CCLI^i. *poſtremam*. *Filium* enim *Decii* à *Gallo* adoptatum tradit *Zoſimus*, eundemque poſtea à *Gallo* occiſum, metuente ſcilicet, ne paterni nominis celebritate Imperium aſſequeretur. Sed invictis argumentis probavit maximus Pater *Ceſtrienſis* illius, quem dixi, anni *finem* attigiſſe *Decium*, quæ de alio *Decio*, quam *Auguſto*, intelligi non poſſunt. Nec alium legimus fuiſſe, in probis monumentis, quam *unicum* Decii *filium*, qui & ipſe una cum *patre* occubuerit. Fictitius plane ſecundus iſte videtur *Decii filius*, nec aliunde, ut exiſtimo, repetendus quam ex alio Veterum errore quo *Voluſianum Decii* filium crediderunt. Sed & illos refutavit idem Pater eruditiſſimus. Suſpicabar denique annum illum ultimum *Decio* fuiſſe cum *Gallo* communem. Favebat huic conjecturæ quod ſint alii qui cum *canone* noſtro ſentiant. *Decio* annum duntaxat *unum*, menſes *tres*, tribuit *Caſſiodorus*. *Gallo* annos totidem, quot noſter canon, viz. *tres*, alii apud *Syncellum*. Favebat etiam quod *utriuſque* anni *quatuor*, ut male *ſingulis* diſtribuantur, *amborum* tamen *Thoth* omnes complectantur accuratiſſime. Nihil tamen eſt in *Hiſtoria* cur ſuſpicemur cum *Decio* Imperaſſe *Gallum*. *Filium* habebat *Decius* egregiæ indolis juvenem, jamque Imperii cum patre *participem*, ut nulla ſit proinde ratio cur *Gallum Decius* adoptaret. Nec vero *munus* aliquod geſſit in Imperio *Gallus* quo parem aliquam colligamus fuiſſe ejus cum *Decio* poteſtatem. Et ne poſt *mortem* quidem *Decii Gallum* veriſimile eſt retro *Tribunitiam poteſtatem* ſaltem *unam* in *Decii* tempora numeraſſe, ut numeravit ſub *Trajano Hadrianus*. Ut enim ab eo *Gallum adoptatum* eſſe non conſtat, ſic *Decii* memoriæ *Gallum* conſtat fuiſſe infenſum. Nec denique *Decio vivente* invitoque purpuram aſſumſit *Gallus* ut fecerat *Decius vivo* adhuc atque etiam nolente *Philippo*, ut partem ſibi poſſet aliquam de *Decii* etiam Imperio decerpere. Nihil itaque fateor hic ſuccurrere quo poſſint noſtri *canonis* defendi rationes.

§. LIV. A *fine* tamen *Philippi Thoth* quartum explevit, uti dixi, *Gallus Jun.* XXI. anni CCLIII^i. præſertim ſi tres *Æmiliani* quatuorve menſes ei accenſeantur. Sic enim vidimus perturbatæ Reipublicæ temporibus breviora principum Imperia, qui annum non abſolverent, deceſſoribus imputari. *Adulta æſtate* renunciatus eſt à *Senatu* [31] Cæſar *Gallienus*, quamprimum nuncius appuliſſet de *Auguſteo Valeriani* patris Imperio apud legiones *Mæſiacas*, i. e. quamprimum *Auguſtum Valerianum* agnoviſſent *Romani*. *Adulta æſtas* medius *æſtatis* eſt menſis, vel etiam ultimus. Saltem *Junii* finem fuiſſe veriſimile eſt. Vix tamen *Thoth* illum *Valeriano* detraxeris ſi ab *initio* ejus *Mæſiaco*, aut ab *Æmiliani morte* numeretur. Cum vero *Gallieno Thoth* XV^m. aſſignat *canon*, vix puto rurſus poſſe defendi. *Thoth* ille XV^us. erit *Jun.* XVII. anni *Dom.* CCLXVIII^i. De [32] *Claudio Auguſto* renunciato (non de *morte Gallieni*, ut exiſtimat Cl. *Pagi*) accepit nuncium Senatus *Mart.* XXIV°. Non eſt tamen veriſimile diu ſuperſtitem fuiſſe *Gallienum*. A moribundo enim [33] *Gallieno* purpura *Claudio* deſtinata eſt. Proinde *Jun.* XVII^m. non attigerit. Quod porro *Claudio* unicum duntaxat *Thoth* concedit *canon*, poſt annum *Dom.* CCLXVIII^m. ne id quidem eſt verum. *Tertiam* illi fuiſſe *æſtatem* è ſortibus *Virgilianis* tradit [34] *Trebellius Pollio*. Secundum *Claudii* annum πληρέμβιον memorat coævus *Claudio* in vita *Plotini Porphyrius*, quo extinctus peſte fuerit

30 *Porphyr.* in vit. *Plotin.* 31 *Aurel. Victor.* Cæſar.
32 *Treb. Poll.* Claud. c. 4.
33 *Victor.* in Cæſarib. & *Victor.* Epitom.
34 *Treb. Poll.* Claud. c. 10.

rit *Plotinus* eadem, ni fallor, peſte quæ & *Claudium* ipſum quaſi urbis καθαρμα devotum ſuſtulerit. Sed & *legem* habemus *Claudii Antiochiano* & [35] *Orfito* Coſs. editam, an. *Dom.* CCLXX. *Octob.* XXVI. Pro noſtri tamen canonis rationibus, *Thoth* ille *primus* erit *Aureliani*. Ita *Thoth* ejuſdem ſextus erit *Jun.* XVI. anni CCLXXVi. Sic noſter canon & *Heraclius*. Sed *Thoth* illum non vidit *Aurelianus* initio anni occiſus. Excuſari nihilominus poteſt hoc in loco *canon*. Pro more ſuo tribuit *Aureliano* menſes *interregni*, ſed & illos quoque, quorum non meminit, *Taciti* atque *Floriani*, quod ſingulorum tempora ad juſtum annum non aſſurgant. *Thoth* itaque anni CCLXXVIi. *primus* eſt *Probi*, quo anno à *Senatu*, initio *Februarii*, (ſi [36] *Vopiſco* credimus) initio *Aprilis* (ſi Cl. *Pagi*) acclamatus eſt *Auguſtus*; certe ante *Thoth*, *Jun.* XV. Proinde ſeptimus ejus *Thoth* erit *Jun.* XIV. anni CCLXXXIIi. Sic & *Julianus* Imperator ſeptimum *Probi* annum agnoſcit. *Probi* Trib. Pot. ſextum, cum Conſulatu quarto conjungit inſcriptio apud [37] *Reyneſium*. Nempe fine anni CCLXXXIi. Ita poſt initium anni CCLXXXIIi. menſe *Februario* aut *Martio* exibit *Pot. Trib.* VI, inibit P. T. VII. *Tres* vero præterea anni ſeptimi, aut *quatuor* menſes *Probo* tribuunt Auctores; *quatuor Eutropius* & *Syncellus*, à fine *Taciti*, ni fallor, arceſſendos; *tres Euſebius* in *Chronico* & *Caſſiodorus*, à fine forſitan *Floriani*. Hos itaque ſi numeres menſes à *Februario* aut *Martio*, non longe certe aberit cædes *Probi* à *Thoth Jun.* XIV. & fieri poteſt ut recte illi canon *Thoth* illum aſſignaverit.

§. LV. *Cari* deinde *Thoth* duos numerat *canon* quorum ultimus inciderit in *Jun.* XIII. anni CCLXXXIVi. Nec tamen propterea credendum eſt *Thoth* illi poſteriori ſuperſtitem fuiſſe *Carum*. *Trib.* ejus *Pot.* ſecundum cum *Conſulatu* ejus ſecundo conjungunt nummi. Proinde *Thoth* anni CCLXXXIIIi. tranſierit neceſſe eſt, ſi quidem anni CCLXXXIIi. *Thoth Probo* aſſignemus. Sed anni ſequentis *initio* leges *Carini* & *Numeriani* nominibus inſignitas obſervavit *Pagi*, nulla facta *Cari* mentione. Proinde ſuperioris anni *fine* aut hujus *initio Carum* deceſſiſſe concludit. Omnino ſuperioris anni *fine*, Autumno ſcilicet, qua anni parte præcipue ſolent contingere *tonitrua* quibus *Carum* interfectum Veteres plerique tradiderunt. Sic eodem illo anno tempus erat rebus aliis gerendis quas ab utroque filio jam *Auguſto* geſtas fuiſſe veriſimile eſt. Nummus habetur *Numeriani* jam *Auguſti* cujus in averſa parte [38] legitur MARS VICTOR S.C. Et utrique *Auguſto*, jam conſecrato patre, victorias gratulatur in *Cynegetico Olympius Nemeſianus*, penetrata à *Numeriano Perſidos intima*, captam ipſam *Babylonem*, &c. & *bella ſub Arcto* à *Carino* profligata. Nempe *Cari* patris victorias proſecutus eſt *Numerianus* novis ipſe victoriis, ut proinde eadem expeditione geſta utraque contigerint *Cari* atque *Numeriani*. In terra hoſtili occubuit *Carus*, non in *hibernis*, & in ipſo expeditionis curſu, cum *fines Perſarum* à *fatis*, ut crediderant ſuperſtitioſi, conſtitutos, *tranſgredi cuperet*. Proinde de *hibernis* ne cogitaverat quidem, & eundem plane impetum ſecutus videtur *Numerianus* cum *Perſidis intima* penetraret. *Carini* autem illam attigit victoriam, ni fallor, *Nemeſianus* qua *Sabinum Julianum* oppreſſit, qui *Cari morte cognita* (inquit [39] *Victor*) *Imperium* (apud *Venetos*) *avebat eripere*. Proinde & illa quoque geſta ſunt eodem anno quo occubuit *Carus*, nec adeo ſera fuit mors *Cari* quin & nuncius de ejus morte *occidentem* appulerit, & tempus etiam ſuppereret res alias eodem anno gerendi. Id quod ſane neceſſarium erat ſi hoc ipſum *Nemeſiani Cynegeticon* viderit *Numerianus*, & cum eo contenderit, quod factum teſtis eſt [40] *Vopiſcus*. Nec enim locus fuiſſet ſtudiis inter ipſos armorum fremitus atque tumultus. Cum itaque *Caro* biennium accenſet *canon*, eodem modo numeravit quo & alii numerant Auctores. Nec enim de *Caro* ſolo id intelligunt, ſed & *liberos* etiam ejuſdem includunt. Id profitentur diſertis verbis *Victor Schotti*, *Eutropius*, *Caſſiodorus*, *Euſebius* in *Chronico*, *Syncellus* & *Patriarcha Nicephorus*. Id quoque ſuo pro more noſter. Sic enim *Commodi* tempora cum patre *Marco*, *Caracallæ* cum *Severo* conjunxit. Superavit autem biennium *Carinus*. Tertiam enim ejus *Trib. Pot.* repræſentant nummi. De eo itaque intervallo *biennium* hoc intelligendum eſt quod fluxit à cæde *Probi* ad cædem *Numeriani* aut initium *Diocletiani*. Sic recte *Thoth* ſecundum tenuerit *Carus*. Incepit enim *Diocletianus* à *Sept.* XVII°. anni CCLXXXIVi. Initium itaque *Epochæ Diocletianeæ* in anno *Alexandrino* fixo ab *Aug.* XXIX°. in anno *Ægyptiaco* vago à *Jun.* XIII°. an. *Dom.* CCLXXXVi. repetendum eſt.

§. LVI. Non eſt itaque hujus unius ejuſdemque canonis una tamen ubique eademque auctoritas. Quæ *Ptolemæum* præcedunt longe certiora ſunt, florente ſcilicet *Aſtronomiæ* ſtudio, nec *Aſtronomorum Alexandrinorum* perturbata *ſucceſſione*. Poſtea, ſublatis *Antoninis*, ut alia ſtudia fortaſſe floruerint, non eſt tamen probabile floruiſſe ſtudium *Aſtronomiæ*, nedum *Alexandriæ*. *Severi* tempora bellis erant moleſtiſſima, & quidem in *oriente*, & partibus *Ægypto* vicinis, cum *Nigro* primum, dein cum aliis gentibus *Romano* nomini infenſis. Omni autem hoſte atrocior erat in *Alexandrinos Caracalla*. Satis erat illa vel una clades quæ fugaret eruditos, amœniſſimumque illud otium perturbaret quæ *ſtudiorum* unica eſt patrona. Sequebantur cædes *Caracallæ*, tum & bella illa civilia *Elagabali* cum *Macrino* in *oriente* omnia, ne liberam ab eorum terrore putemus *Ægyptum*. Sequebantur expeditiones *Alexandri* & *Gordiani*, hæ etiam in *orientem*. Sequebantur & *ſeditiones* illæ *Alexandrinorum* domeſticæ quarum meminit ſub *Philippi* finem [41] *Dionyſius Alexandrinus*, & *Jotapiani* motus in *Syria* ſub *Decio*. Sequebatur, non magno intervallo expeditio *Perſica Valeriani* omnium infeliciſſima, & tot deinde *tyrannides* in orbe *Romano* univerſo, *Æmiliani* præſertim illa in ipſa urbe *Alexandrina*. Pulſis ab *Odenato* profligatiſque *Perſis*, novi tamen ſequebantur motus in *Ægypto* à *Zenobiæ* duce *Timagene*, & graviſſimum inde *bellum*. Tum & bellum illud *Aureliani* in *oriente* cum *Zenobia*. Rebellavit etiam ſub *Probo Saturninus*, in *oriente*. Sequebantur bella *Cari* & *Numeriani* in *Perſas*, ipſa etiam *orientalia*. Sequebantur novi in *Ægypto* motus quos ægre tandem compoſuit *Diocletianus*. Quem tandem ſtudiis locum *Alexandriæ* relictum exiſtimabimus in tantis ſeu *ſeditionibus*, ſeu *bellis*, ſeu bellorum propinquorum frequentiſſimis etiam *terroribus*?

§. LVII.

[35] Cod. Lib. 1. Tit. XXIII. leg. 2.
[36] *Vopiſc.* Aurelian. c. 41.
[37] *Reyneſ.* p. 320.
[38] Vide *Scal.* ad *Euſ.* num. 2299.
[39] *Vict.* Cæſ.
[40] *Vopiſc.* Numer. c. 1.
[41] *Dionyſ. Al.* ap. *Euſ.* H.E. VI. 41.

§. LVII. Proinde illorum temporum habemus hodieque *Scriptores* admodum paucos, non quod multi perierint, ſed quod multi ne unquam quidem fuerint. Occiſus eſt ab *Aureliano Dionyſius Longinus* ſcriptor κριτικώτατος. Recenſuit ille [1] viros Eruditos, ſua *adoleſcentia* celebres, tam qui *ſcriptis* claruiſſent, quam qui nihil *ſcripſiſſent*; nullos tamen inter illos *Aſtronomos*. Idem nihilominus queritur, cum illa ſcriberet, poſt mortem *Plotini*, ſub initium *Aureliani*, vel *Philoſophorum* minimum fuiſſe proventum. Sunt enim illa ejus verba: ὁ μὲν δὴ νῦν καιρὸς οὐδὲ εἰπεῖν ἐστιν, ὅσην σπάνιν ἔσχηκε τῶν πραγμάτων. Aliter fuiſſet, vix certe tanti principes, quanti erant *Aurelianus* & *Probus*, adeo tamen eſſent obſcuri. *Neminem* à ſe *Latinorum lectitatum* (ait [2] *Vopiſcus*) *qui Aureliani vitam in literas retuliſſet. Probum* (inquit [3] idem) *ſcriptorum inopia pene neſcimus.* Ipſos tamen illos *Philoſophos*, *Græcos* etiam atque *Alexandrinos*, *Romam* confluxiſſe diſcimus è *Porphyrio*. Venit eo cum *Philippo Plotinus* A. D. CCXLIV°. & quidem ab ipſa *Alexandria*. Reperit tamen ibi *Ammonii Alexandrini* diſcipulos, *Erennium* atque ethnicum *Origenem*. Eo poſtea venit *Amelius*, eo ipſe *Porphyrius*, eo *Antonius Rhodius*, *Paulinus Scythopolites*, *Zethus Arabicus*, & *Euſtochius*, *Serapion*, *Olympius*, omnes *Alexandrini*. Eo illos veniſſe non eſt equidem quod adeo miremur. Sed quod ſedem *Romæ* & *ſcholam* fixerint, id erat plane novum, innuitque ne tutas equidem aliis in locis ſedes habuiſſe philoſophiam. Nec tamen unum legimus in his omnibus *Aſtronomum*. *Alexandrinorum* porro in his ſtudiis *Aſtronomicis* infantiam unus ille, quem habemus horum temporum Scriptorem Paſchalem, prodit *Anatolius*. Studuit ille *Alexandriæ*. Nec *ſtuduit* modo, ſed ſcholæ etiam fuit *Alexandrinæ* præfectus. Nec tamen cycli Paſchalis ipſa calluit elementa, ne quidem *epactas ſolis* (quibus uſi ſunt, pro *literis dominicalibus* veteres) aut *Biſſextos*, pro anni, non modo *Juliani*, ſed etiam *Alexandrini fixi*, forma intercalandos. Videmus itaque quo fuerint in loco, illo præſertim ſeculo, illa etiam in ſchola *Alexandrina*, ſtudia *Aſtronomiæ*.

§. LVIII. Neglecto itaque ſtudio *Aſtronomiæ*, & ſoluto *Alexandrinorum Aſtronomorum* Collegio; nullas deinde oportet fuiſſe *obſervationes*, nullam deinde apud *Aſtronomos* curam *temporum*, nullam *canonis Imperatorum* quorum annis notanda eſſent obſervationum *intervalla*. Ita quæ ſequuntur canonis tempora uſque ad Epocham *Diocletiani*, ut ab *Aſtronomis* fuerint, à *coævis* tamen non fuiſſe neceſſe erit. Inde ſequebantur *errores*, longe certe graviores quam qui à *coævis* eſſe poterant. Redierunt tandem ſub *Conſtantino* tempora feliciſſima; redierunt una *literæ* præſertim *Aſtronomicæ*, quæ quidem rurſus in eadem ſchola *Alexandrina* excolebantur atque vigebant. Sub Concilio *Nicæno* fervebat acris de *Paſchate* diſputatio, non illa quidem, ut vulgo exiſtimant eruditi, eadem quæ ſub *Victore* Eccleſiam exercuerat, An *Dominica* potius, quam alia quævis dies, *Paſchati* dicanda eſſet? ſed, Quem tandem *cyclum* ſequerentur in *Dominicæ* diei *deſignatione?* Non equidem ceſſiſſe, ut putant, *Aſiæ Quartadecimanos*, ex [4] *Epiphanio* conſtat & [5] *Socrate* atque [6] *Sozomeno*, aliiſque illius ſeculi Auctoribus. Et fuiſſe in diverſis *Eccleſiis* alium tamen *cyclum* atque alium, alium *Gallis*, alium *Africanis*, alium ſuis *Syris* & forſan *Alexandrinis*, teſtem habemus Patribus *Nicænis* paulo ſuperiorem *Anatolium*. Hos igitur conciliabat invicem *Nicæna* Synodus, quod nec erat factu difficile, cum id facile concederent omnes Eccleſiæ plus *omnium* intereſſe *Romani* orbis in illo feſto celebrando *uniformitatem*, quam ſuum cujuſque *cyclum*. Proinde nulla fuiſſe conſtat partium, de ſuo *cyclo*, ſtudia. In eo facile conveniebant *Epiſcopi*, id eſſe maxime optandum, ſi in *uno* eodemque *Paſchate* convenire poſſent Imperii *Romani* univerſæ *Provinciæ*. In eo rurſus, ita facilius convenire poſſe *Provincias*, ſi de *reipſa* ea adhiberetur cura ut obſervaretur quam accuratiſſime. Cum itaque ad illam quam dixi *uniformitatem* prorſus neceſſarium eſſet ut *unius* Provinciæ morem *cæteræ* ſequerentur; ea tamen erat Provincia reliquis in *exemplum* proponenda, non quæ reliquis in *Imperii notitia*, ſed quæ in *cycli* Paſchalis *peritia*, antecelleret. Cum itaque *Alexandrinis* Epiſcopis hoc detulerint officium *Nicæni* Patres; ſequitur in *ſolis lunæque* motibus inter ſe æquandis, atque adeo rei *Aſtronomicæ* univerſæ peritia prælatos reliquis fuiſſe, eo ſaltem ſeculo, *Alexandrinos*.

§. LIX. Ita equidem ſtatutum à Concilio *Nicæno* aſſerunt Patres *quinti*, & deinceps, *ſeculi* omnes, & ſub finem *quarti* etiam *Ambroſius*. Et quidem *Alexandrinorum* rationes ſecutos conſtat, qui & menſes *Ægyptiacos*, pro more tamen *Alexandrinorum*, fixos, ſequuntur in computo *Paſchali*, & Epocham *Diocletiani*. Sunt enim utraque *Alexandrinorum* propria. Nullam tamen habemus *Alexandrini* Epiſcopi Epiſtolam *Paſchalem* ante *Theophilum*. Sed & illæ ipſæ *Ægyptiis* inſcriptæ ſunt duntaxat *Epiſcopis*, & *menſium* etiam conſignatæ nominibus duntaxat *Ægyptiis*, cum tamen *Romanorum* etiam *menſium* nomina adhibuerint illi qui in uſum *univerſi* Imperii ſcripſerunt. Extat tamen [7] *cyclus* ejuſdem *Theophili* Imperatori *Theodoſio* inſcriptus quem confecerit fortaſſis in uſum Imperii. Primum habemus ſucceſſorem ejus nepotemque è ſorore, *Cyrillum* qui Eccleſiis *Africanis*, ditioni ſuæ non ſubditis, Paſchatis celebrandi tempus indicarit. Utcunque tamen ab ipſis uſque Concilii *Nicæni* temporibus jam celebres fuiſſe conſtat præ aliis *Romani* orbis *Epiſcopis* Epiſcopos *Alexandrinos*, hoc ipſo *Aſtronomiæ* ſtudio. Accenditque proculdubio *Chriſtianorum* induſtriam hoc illorum officium, ut in *Aſtronomiam* excolendam, vel cycli *Paſchalis* cauſa, *Chriſtiani Alexandrini* diligentius incumberent. Quod vero *Epocham* præcipue *Diocletiani* uſurparent, nec *Diocletiani* cauſa factum eſt, cujus memoria erat apud *Chriſtianos* odioſiſſima; nec quod eouſque *cyclos* ſuos exordirentur, aut intermiſſa *Aſtronomiæ* ſtudia inde repetiverint; ſed quod pro *canonis Aſtronomici* rationibus numerandum in hac cauſa exiſtimarent quæ tota ſpectaret ad *Aſtronomiam*. Cur vero hæc potius Epocha *Chriſtianis* arrideret præ aliis ejuſdem canonis etiam *Epochis*, ea quoque eſt in promtu ratio, quod & omnium eſſet *recentiſſima* & repetitis ſtudiis *Aſtronomiæ* propinquiſſima, quod ſola omnium *Chriſti æra* recentior eſſet, & ſola etiam formam *Alexandrini anni* fixam (quam *Chriſtianis* ſemper placuiſſe diximus) ab initio uſque numeraret.

§. LX. Hæc autem ut occaſio fuerit reſtauratæ *Aſtronomiæ*, altius tamen illa deinceps, & ex *aliis* etiam canonis *Epochis*, erat repetenda. Ut enim accurate *ſolis* motus cum *lunæ* motibus æquarent; quæ maximo ab invicem intervallo diſtarent *obſervationes*, eo erant omnium *utiliſſimæ*. Ita neceſſarium erat ut ſui temporis obſervationes cum ſuperiorum Epocharum obſervationibus compararent. Et quia in tertia *Auguſtorum* Epocha nonnullas *Aſtronomorum* obſerva-

[1] Apud *Porphyr.* in vit. *Plotin.*
[2] *Vopiſc.* in *Aurelian.* c. 1. [3] *Vopiſc.* in *Prob.* c. 1.
[4] *Epiphan.* Hær. L. [5] *Socrat.* H. E. V. 22.
[6] *Sozom.* H. E. VII. 18. [7] Apud *Bucher.*

vationes reperiſſent *Imperatorum* annis conſignatas, quem illæ locum in canone tenerent niſi è ſequentium *Imperatorum* annis ſimiliter conſignatis intelligi non poterat. Supplenda itaque poſteriorum Imperatorum erant tempora uſque ad initium Epochæ *Diocletiani*. Aliter foret ut obſcura eſſent annorum *Auguſtorum* inter ſe collatorum ab invicem intervalla; obſcurum etiam Epochæ *Diocletianeæ* initium, quo tandem eſſet intervallo à reliquis canonis *Epochis anniſque* collocandum. Hoc itaque ſupplementum cum à *junioribus* eſſet, remotioribuſque ab eorum temporum memoria; inde tot illius *errores*. Mirum potius videri poterat inter tot errores *annorum*, tam juſta tamen obſervari potuiſſe *intervalla*, ut ne unus quidem redundet annus, aut deficiat. Id *faſtis* debuiſſe crediderim, quod numeratis Coſſ. paribus de *intervallis* ſtatuerent, quamvis male illos inter *Imperatores* diſtribuerent. Et fieri poterat ut non alios ſecuti eſſent *faſtos* quam *Theonianos* noſtros aut *Heliopolitanos*. Quamvis enim à *Chriſtianis* orta ſit *occaſio* inſtaurandæ *Aſtronomiæ*; non eſt tamen propterea dubitandum quin & *Ethnicos* inceſſerit *Chriſtianorum* ſaltem *æmulatio*, cum & apud illos ſtudia arteſque reviviſcerent, & tot etiam tamque celebres haberent poſt *Conſtantini* tempora Philoſophos; & *feſtorum* etiam cauſa, præcipue *Neviluniorum*, & illos quoque de *ſolis lunæque* motibus æquandis oportuerit fuiſſe ſolicitos. Et quidem ſi recte MSS. ſuos, nec pro arbitrio mutilatos, repræſentarit *Petavius*, & vere illi in *Antonino Pio* deſierint; fieri quidem poteſt ut ipſe *Ptolemæus* canonem eouſque perduxerit, (ſi tamen *finem* attigerit *Antonini*) & fieri rurſus potuit ut ab eo ipſo loco reliqua ſuppleverint *recentiores*.

§. LXI. De *faſtis Latinis* monuit nos Pater Eruditiſſimus *Oxonienſis*. Erant cum aliis quibuſdam Miſcellaneis in MS°. Collegii *Corporis Chriſti Oxonienſis*, in quo ſequebatur *Marianus Scotus*. Admodum vitioſos eſſe fateor perturbatoſque, noviſque imperiti *Librarii* erratis inquinatiores, qui collegas etiam Coſſ. in diverſos annos aliquando diſpeſcuit. Nec tamen ita prorſus inutiles exiſtimo qui edantur. Nec enim quicquam ita vitioſum eſt quin ſinceræ veritatis rudera ſaltem præbeat, ſi cum aliis ſtudioſe conferatur. Eſt enim is errantium caſus ut non ſemper in iiſdem locis impingant. Hi ipſi faſti faſtorum *Theonianorum* fidem in *Severi* & *Maximini* collegarum Conſulatu confirmant, quo ipſo nomine bene de Rep. Literaria merentur. Nec dubito, quin, ſi cum *Proſpero*, *Victorio*, & *Caſſiodoro*, cum ipſo etiam *Mariano*, contendantur, fore ut & alia præclara ex illis eruantur. Ex illis ita concinnati videntur, ut tamen *Codices* nonnunquam emendatiores, nonnunquam & alios etiam *Auctores*, habuerit concinnator.

§. LXII. Supereſt jam ut, *quid* mecum debeat Lector, & *quibus* ſtudiorum meorum fautoribus, grato animo recognoſcam. *Deum* itaque imprimis optimum maximumque veneror qui & mihi vires tantillo oneri ferundo dedit, & Patronis amiciſque me etiam *juvandi* voluntatem. Horum agmen ducat Cl. Pater Epiſcopus *OXONIENSIS*, cui & multa debet reſp. literaria, & plura debitura eſt. Totum ille ſe impendit ut de ea quam optime mereatur. Hoc Auctore manum hiſce *Diſſertationibus* primam admovi. Idem MSS. Codices, ſiqui eſſent in Bibliothecis *Oxonienſibus* qui noſtra ſtudia juvare poſſent, qua *conferendos* curavit, qua etiam *exſcribendos*. Faſtos *Latinos* illi debemus ſoli. Eidem & *excerpta* illa quæ damus è Commentariis *Theonis Alexandrini* & *Heraclii* Imperatoris in περιχείρες *Ptolemæi* κανόνας. *Heraclium* indicavit amicus integerrimus *THOMAS SMITH* Sacræ Theologiæ Profeſſor Eruditiſſimus, & Socius Collegii *Magdalenenſis* digniſſimus. Nos ea ex utroque exſcribenda ſelegimus quæ, ſeu ad *canonem* intelligendum, ſeu ad rem *Hiſtoricam* aliquatenus illuſtrandam, factura viderentur. *Paſchalia* vero ex *Heraclio* idcirco lubentius exſcribenda curavimus quod illorum temporum *Paſchata* parum congrua experti eſſemus. Suberat itaque ſuſpicio ne forte alium aliquem *cyclum* [8] obſervarint illo ſeculo *Conſtantinopolitani*. Verum id ut verum non ſit; hoc tamen ipſum ut ſciremus erat operæ pretium. Sed fragmentum noſtrum commendabit non *Imperatoris* modo nomen, ſed & ipſa ejus *antiquitas*. Nec enim puto extare aliquem *Computiſtam Conſtantinopolitanum* noſtro Imperatore vetuſtiorem. Idem Pater *Oxonienſis* Apographa è MS°. *Uſſeriano* Collegii noſtri *Dublinienſis* deſcripta cum Autographis *Savilianis* conferenda curavit unde ſua noſter deſcripſerat *Uſſerius*. Uſus eſt, in ea collatione, opera Cl. D. D. *WALLISII* Profeſſoris *Saviliani* digniſſimi; qui non noſtra modo cum *Savilianis* contuliſſe contentus eſt, ſed & alium nobis *canonem* ex iiſdem Archivis *Savilianis* ipſe deſcripſit, quem nos ſecundum *Savilianum* appellavimus. Pertingit autem à ſecunda canonis Epocha, initio nimirum *Philippi Aridæi*, ad *Leonem Sapientem*. Alia præterea canonis *Apographa* duo cum *faſtis* etiam Conſularibus *Græcis* ſecundis ſuppeditarunt ſchedæ Viri longe præſtantiſſimi *ISAACI VOSSII*. In eo Viro neſcio ecquid potius miremur, indolemne humaniſſimam, & rei Literariæ publicæ ſtudioſiſſimam; an ingenium feliciſſimum, & humaniori Literatura omnigena excultiſſimum.

Notæ Auctorum *è quibus hæc collegimus, vel confirmavimus.*

B. *Bainbrigius.*
Cenſor. *Cenſorinus* de die Nat. c. 21.
Cl. Al. *Clemens Alexandrin.* Strom. 1.
ἐκ. ϛοιχ. Ἐκκλησιαϛικὴ Στοιχείωσις ap. *Scalig.* p. 379. *Euſ.* Gr. & *Syncell.* auctores illius ϛοιχειώσεως. *Hippolytus* Martyr, *Annianus* & *Maximus*, vide *Syncell.* p. 315.
Pet. *Petavius* ad fin. *Rationar. Tempor.* è variis MSS.
Pt. *Ptolemæus* in *Conſtr. Magn.*
S. 2. MS. *Savilii* ſecundum, quod *Theonis* fuiſſe puto uſque ad *Diocletianum*, nunc primum à Cl. *Walliſio* communicatum.
Sc. *Scalig.* in Gr. Chron. *Euſeb.* & συναγ. & can. Iſag.
Sync. *Syncellus* à *Goar* editus.
Th. *Theon Alexandrin.* Comm. in *Ptol.* & in *fragm.* quod nunc primum edimus.
Voſſ. V. Cl. *Iſ. Voſſii* Apographa duo è MSS. duobus. Primum *Heraclii* Imperatoris fuiſſe putamus, ſecundum ex eodem, à recentiori tamen Auctore concinnatum.
Uſſ. *Uſſerius* in Notis ad ſuum Apographum marginalibus.

[8] Vide *Petav.* ad *Niceph. Conſtantinop.* Hiſtor. ad p. 151. & 175.

[1] ΚΑΝΩΝ ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ.

Βασιλέων Ασσυρίων καὶ Μήδων	ἔτη	συναγωγὴ
[2] Ναβοναασάρος	[3] ιδ	[3] ιδ
[4] Ναδίος	[5] β	[6] ις
[7] Χινζίρος καὶ [8] Πώρος	ε	[9] κα
[10] Ιωγαίος	ε	[11] κς
[12] Μαρδοκεμπάδος	ιϐ	[13] λη
[14] Αρκιανοῦ	ε	[15] μγ
[16] Αϐασιλεύτου πρώτου	ϐ	[17] με
[18] Βηλίϐου	γ	[19] μη
[20] Απρανάδιος	ς	[21] νϑ
[22] Ριγηϐήλου	α	[23] νε
[24] Μεσεσιμορδάκου	δ	[25] νϑ
Αϐασιλεύτου [26] δευτέρου	η	[27] ξζ
[28] Ασαραδίνου	ιγ	[29] π
[30] Σαοσδουχίνου	[31] κ	[32] ρ
[33] Χυνιλαδάνου	[34] κϐ	[35] ρκϐ
[36] Ναϐοπολασσάρου	[37] κα	[38] ρμγ
[39] Ναϐοκολασσάρου	μγ	[40] ρπς
[41] Ιλοαρουδάμου	[42] ϐ	[43] ρπη
[44] Νιηλασσολασσάρου	[45] δ	[46] ρς′ϐ
[47] Ναϐοναδίου	[48] ιζ	σϑ

[1] Περσῶν βασιλεῖς	ἔτη	συναγωγὴ
[2] Κύρου	ϑ	σιη
Καμβύσου	[3] η	σκς
Δαρείου [4] πρώτου	[5] λς	σξϐ
Ξέρξου	κα	σπγ

Hinc nova ſequitur Epocha à morte *Alexandri*, ſive ab initio *Philippi*. Utroque enim modo illam deſignant Scriptores qui hunc *canonem* in *temporum* ratione ſequuntur, omiſſâ deinde æra *Nabonaſari*. Quoniam vero *Ptolemæus* hanc etiam Epocham cum priori *Nabonaſari* Epocha plerunque conjungit, aliam deinde σελίδα apponere viſum eſt, ſed numeris *Indicis* ſignatam, ne MS°. ea tribueret Lector quæ nos facilioris duntaxat ſupputationis gratia ſubjecimus. Ita enim facile intelligetur, quæ in his rurſus intervallis *Nabonaſari* Epocha notat *Ptolemæus*, quam illa accurate cum noſtri *canonis* fide conſentiant. Conſtat porro è *Theonis* fragmento, non altius ab illo, quam ab hac ſecunda Epocha *Philippi*, repetitam eſſe *Aſtronomicorum* Phænomenorum *Hiſtoriam*. Nec aliter in τοῖς χειροῖς κανόσιν ipſe *Ptolemæus*. Vide *Syncell.* p. 207. Et quidem è Theſauro *Savilliano* alium nobis, & ex alio Codice, Catalogum deſcripſit Cl. *Walliſius* à *Philippo* incipientem, quem nos proinde *Theoni* tribuendum eſſe cenſemus, à recentioribus tamen aliis ad ſua uſque tempora perductum, & fortaſſe conſpurcatum. Quod enim in *Theodoſio* majori ſuum finierit canonem *Bainbrigius*, eſt quod ſuſpicemur non aliqua MS. fide, ſed ſua potius conjectura, id feciſſe *Bainbrigium*, & Catalogum ſuum poſteriori parte mutilaſſe. Nullum reperit Codicem *Walliſius* in Cimeliis *Savilianis* qui *Theodoſium* ultimum numerarit. Nec aliunde veriſimile eſt ſua accepiſſe *Bainbrigium*. Convenit certe etiam in ſcribendis minutiis cum priori noſtro Codice *Saviliano* quem deſcripſerat *Uſſerius*. Nec etiam

1 Πτολεμαίου κανὼν βασιλέων Ασσυρίων καὶ Μήδων, *Pet.* Deſunt in utroque Apograph. *Voſſiano*. Κανόνιον τῶν βασιλειῶν ἐπὶ συναγωγῶν *Theon.* Fragm. 2 Ita *Ptolemæus*. Sed Ναβοναζάρου *Cenſ.* & *Voſſii* primus, quem *Heraclii* Imperatoris fuiſſe ſuſpicor. Ναβοναασάρου *Voſſ.* ſecundus. 3 3 κ ε. κ ε. ἐκκλησ. σοιχ. ap. *Sc.* Synag. p. 379. *Sync.* p. 208. 4 Ναβίου *Sc.* in *Græcis Euſebianis*, & in συναγ. ἰσορ. p. 397. *Naſſius* idem Can Iſag. L. II. p. 140. Ἄβιος quintus Chald. Rex *Sync.* p. 90. Arabs eo nomine Rex Chaldæorum *Sync.* p 92. 5 η aliter *Syncell.* κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν στοιχείωσιν & *Sc.* in Synag p. 397. 6 λ γ. *Sc.* ibid. 7 Χωζίου vel Χινζήρου *Pet.* Χιηζήρου *Sync. Sc.* Χίνζηρος *Voſſ.* 1. & *Sc.* in Synag. Χίνζιρος *Voſſ.* 2. Ζίνζιρος ſeptimus Chald. Rex. *Sync.* p. 90. 8 Πόρου vel Πύρου *Pet.* Πῶρος *Sc.* in Synag. Πύρρου *Sync.* Πόρου *Sc. Voſſ.* 1, 2. Idem nomen Πῶρος 3 *Chaldæor.* Regis habemus in *Sync.* 9 λ η ἐκ. στοιχ. ap. *Sc.* ib. 10 Ιλουλαίου *Sync. Sc. Voſſ.* 2. Ιλλουλ. *Sc.* Synag *Sync. Dilulæus* idem in Can. Iſ. ubi ſupra, quarti Regis nota Græca Δ pro nominis initio ſumta. Ελουλαῖος Rex Tyr. Menandr. *Epheſ.* 11 μ γ. ἐκ. στοιχ. ap. *Sc.* 12 *Mardocempadi* an. primus *Nabonaſ.* 27^us. *Ptol.* magn. Syntax. L. IV. c. 6. Ejuſdem an ſecundus *Nabonaſ.* 27^us. cum diebus aliquot redundantibus, i. e. 28^us. inchoatus. Accuratiſſime pro hujus Tabulæ rationibus. Μαρδοκέπης Rex *Chald.* Arabs *Sync.* 92. 13 ν ε. ἐκ. στοιχ. ap. *Sc.* 14 Αρκαιανοῦ & Αρκιαν. *Pet.* Αρκαιανοῦ *Voſſ.* 1. Αρκεανοῦ *Sync. Sc. Voſſ.* 2. 15 ξ ἐκ. στοιχ. ap. *Sc.* 16 Αβασίλευτου πρῶτον *Voſſ.* 2. deeſt πρώτ. *Sync. Sc.* ϖϑτ. *Voſſ.* 17 ξ ϐ ἐκ. στοιχ. ib. 18 Βηλίου *Sync. Sc.* Βήληλος ἐκ. στοιχ. ap. *Sc. Sync.* 19 ζ ε ἐκ. στοιχ. ib. 20 Απαναδίου vel Αϖναδ. *Pet.* Απορανδίου *Sync* ἐκ. στοιχ. Απρωναδ. *Uſſ.* Αποραναδίου *Sc.* Απραανου *Voſſ.* 1. Απαραν. *Voſſ.* 2. *Sync.* 21 ο ἁ ἐκκλησ. στοιχειωσ. ibid. 22 Ιερεγεβάλου *Sync.* Ηερεγεβάλου *Sc.* Ηερεγέβαλλος ἐκκλησ. στοιχειωσ. Ρηγεβήλου *Voſſ.* 1, 2. Ιρηγίβαλλος ἐκκλησ. στοιχειωσ. *Sync.* 23 ο β ἐκ. στοιχ. ibid. 24 Μεσησσιμοσάκου & Μεσεσσιμορδ. *Pet.* Μεσησιμορδάκου *Sync.* Νεσνοιμορδάκου *Sc.* *Neſnoemondacus* in Can. Iſ. Μεσισικορδάκου in ἐκ. στοιχ. Μεσησσημορδάκου *Voſſ.* 1. Μεσησημ. *Voſſ.* 2. Σισιμάρδακος Arabs Chald. Rex *Sync.* p. 92. 25 ο ς ἐκ. στοιχ. ib. 26 ἄλλου *Sync. Sc.* β *Voſſ.* 1, 2. 27 πδ ἐκ στοιχ. 28 Ασαρ. & Ασσαρ. *Pet.* Ισαριδίνου *Sync.* Ιεαριηδίνου *Sc.* Ισαρίδηνος ἐκ. στοιχ. Ασαριδίνου *Voſſ.* 1, 2. Jearidin. *Sc.* Can. Iſ. 29 ς′ζ ἐκ. στοιχ. 30 Σαοσδουχίνου & Ζαοσδουχίνου *Pet.* Σαοσδουχίου *Sync.* Σαοσδόσχιος in ἐκ. στοιχ. Σαος Δούχιος ἐκ. στοιχ. *Sync.* 31 ϑ ἐκ στοιχ. & *Sync.* 32 ρ ς in ἐκ. στοιχ. π ϑ *Sync.* 33 Χυνιλασάνου & Χυνιλαδ. *Pet.* Κινιλαδάλου *Scalig. Syncellus* Κινηλάδανος in ἐκ. στοιχ. Κινιλαδάνου *Voſſ.* 1. Κινηλαδάνου *Voſſ.* 2. *Kiniladachus Sc.* in Can. Iſ. 34 ι δ in ἐκ. στοιχ. & *Sync.* 35 ρ κ in ἐκ. στοιχ. ρ γ *Sync.* 36 Ναϐοπολλ. & Ναϐολασσ. *Pet.* Ναϐοπολλ. *Voſſ.* 1. Ναϐοπολασάρ. *Voſſ.* 2. Ναϐοπαλασσάρ. πατὸς Ναβυχοδονόσορ *Sync. Sc.* Ναϐοπαλασὰρ in ἐκ. στοιχ. 37 V^us. *Nabopolaſari* CXXVII. *Nabonaſari Ptol.* magn. Synt. V. 14. Male itaque *Syncellus* ſecutus errores ἐκκλησιαστικῆς στοιχειώσεως. 38 ρμ α in ἐκκλ. στοιχ. ϱκ δ *Sync.* addit *Sc.* κατὰ δὲ ἄλλους κε, viz. de *Regni* annis intelligendus. Qui ita ſenſerunt huic *Nabopelaſaro Nabuchodonoſori* annos tribuerunt. 39 Ναϐοκολλασσάρ. & Λαϐοκολασσάρ. *Pet.* Ναϐπαλασσ. ὃς καὶ Ναϐυχοδονόσορ *Sync. Sc.* Ναϐουχοδονόσορος in ἐκ. στοιχ. Ναϐοκολασάρου *Voſſ.* 1. 40 ρπδ in ἐκ. στοιχ. ρξζ *Sync. Sc.* 41 Ιλαροδ. & Ιαλοαρσάρου *Pet.* Ιλαραρουδάμου *B.* Ιλλουαρουδ. *Sync.* Ιλλοαρ. *Voſſ.* 1, 2. Evidalmaroda in ἐκ. στοιχ. *Ewilmerodach* Sc. in can. Iſ. Εϐιδὰν Μερϐδὰχ ἐκ. στοιχ. *Sync.* 42 γ *Sync. Sc.* ε in ἐκ στοιχ. *Sync.* 43 ρ ο *Sync. Sc.* ρπ ϑ in ἐκ. στοιχ. 44 Νηριγασολασσάρου *Sync. Sc.* Νηελκασολασσάρου *Voſſ.* 1. Νηελγασολασσάρου *Voſſ.* 2. Νηελγλήσαρος, ὁ καὶ Βαλτάσαρ in ἐκ. στοιχ. Neregaſolares *Sc.* in Can. Iſ. nec è *Beroſo*, nec ex *Abydeno*. 45 ε *Sync. Sc.* γ in ἐκ. στοιχ. 46 ρο ε *Sync. Sc.* ρ,ςϐ recte in ἐκ. στοιχ. 47 add. ὃς καὶ Ασυάγους *Sync. Sc.* ὁ καὶ Ασυάγης Δαρεῖος, Ασσουῆρος, καὶ Αρταξέρξης in ἐκ. στοιχ. 48 λ δ *Sync. Sc.* Inde recte.

1 Omiſſ. *Sc.* & in ἐκ. στοιχ. 2 Κήρου *Voſſ.* 1. Κῦρος Περσῶν πρῶτος in ἐκ. στοιχ. Inde alios ab hoc Canone Auctores ſequitur. 3 Septimus *Cambyſis Nabon.* CCXXIV. d. 196. *Ptol.* L. V. p. 125. viz. CCXXV. inchoatus, ut idem ib. c. 14. accuratiſſime. 4 ϖϑτου *Voſſ.* 1. α *Pet.* deeſt *Sync.* & *Sc.* ſed πρώτου ap. *Ptolom.* in magn. Conſtr. L. IV. 5 *Darii* πρώτου XX. *Nab.* CCXLV.

Αρταξέρξης [6] πρώτης	μα	τκδ
Δαρείος [7] δευτέρας	ιϑ	τμγ
Αρταξέρξης [8] δευτέρας	μς	τπϑ
Ὦχος	κα	υι
[9] Αρώης	ϛ	[10] υιϛ
Δαρείος [11] τρίτος	[12] δ	[13] υιε
Ελλήνων [14] βασιλεῖς		
Αλεξάνδρου ϗ [15] Μακεδόνος	16 η	17 υκδ

uſquequaque convenit, cum tempore quo Catalogum ſuum confecit *Theon*, finis *Theodoſii*. Obiit Imperator An. Dom. CCCXCV. Scripſit in πρόχειρος canones noſter anno *Diocletiani* LXXVII. *Chriſti* CCCLXI. Scripſit in poſteriores *magnæ Syntaxeos* libros anno *Diocletiani* LXXXI. *Nabonaſari* MCXII. *Chriſti* CCCLXV. Faſti noſtri *Græci* priores, ſiquidem ſunt, ut putamus, *Theonis*, ad Ann. *Chriſti* CCCLXXII. pertingunt. Nec dum tamen *Auguſtus* factus eſt *Theodoſius*. Eſt tamen fateor, mendis Chronologicis, pro hac ſecunda Epocha, inquinatiſſimus noſter iſte *Theon*. Eum tamen qualiſqualis eſt, cum Lectore communicabimus.

dies 327. [viz. CCXLVI. inchoatus] *Ptolem.* magn. Conſtr. L. IV. p. 103. *Græc.* edit. Ejuſdem an XXXI. *Nabon.* CCLVI d. &c. [i. e. CCLVII. inchoatus] *Ptolem.* L. IV. p. 106. 6 α *Pet.* πρότερου *Sc.* πρότου *Voſſ.* 1. 7 ϛ *Pet.* Δαρείου ϛ *Voſſ.* 1. add. ϗ καὶ νόθου *Sync. Sc.* 8 ϛ *Pet. Voſſ.* 1, 2. 9 Σάρου *Sync.* Ἄρρου *Sc.* rectius. 10 Ab hoc anno *Nabon.* CCCCXII. *Alexandri* M. initium arceſſit Græcus *Scaligeri* Euſebius p. 56. Recte. 11 Δαρείου γ *Voſſ.* 1, 2. ϗ καὶ τρίτου *Sync.* ϗ καὶ Ἀρτάμου *Sc.* 12 ς *Sync. Sc.* 13 υι η *Sync. Sc.* 14 Poſt *Alexandrum* ed. tertia *Rationarii* ſui *Pet.* & quidem è MS. Regio. Deſunt *Sc.* Ad ſeptimum *Alexandri* ann. *Nab.* CDXIX. *Sync.* p. 206. Hinc Ἑλλήνων βασιλείας anni numerandi. Hoc anno condita *Alexandria*. Inde ad XXII. *Cleopatræ* anni CCC. *Syncell.* p. 261. 15 μεγάλου *Sync. Sc.* Deeſt utrumque in *Voſſ.* 2. 16 ς *Sync. Sc.* 17 Eodem numero annorum à *Nabonaſaro* mortem *Alexandri* deſignat *Ptolemæus* magn. Conſt. L. III. p. 79. & interpres *Ptolemæi Cabaſilas* in tertium, p. 180. *Syncell.* p. 204, 206.

Sequitur deinde tertia jam Æra, *Auguſti*, à morte viz. *Cleopatræ*. Eam quia ſæpe adhibent, qui hoc Canone uſi ſunt, *Ægyptii*, placuit & hanc ſubjicere, ſed, quod in Æra *Nabonaſari* jam fecimus, numeris *Indicis*, non *Græcis*.

[1]			Nab.
[2] Φιλίππου Αριδαίου	[3] ζ	[4] ζ	431
[5] Αλεξάνδρου ἄλλου	ιβ	[6] ιϑ	443
[7] Ελλήνων βασιλεῖς ἐν Αιγύπτῳ			
[8] Πτολεμαίου Λάγου	κ	9 λϑ	[10] 463
[11] Πτολεμαίου Φιλαδέλφου	[12] λη	[13] οζ	[14] 501
Πτολεμαίου [15] Ευεργέτου	κε	[16] ρϛ	[17] 526
[18] Πτολεμαίου Φιλοπάτορος	ιζ	[19] ριϑ	543
[20] Πτολεμαίου Επιφανοῦς	κδ	[21] ρμγ	567
[22] Πτολεμαίου Φιλομήτορος	[23] λε	[24] ροη	602
Πτολεμαίου Ευεργέτου [25] ἄλλου	κϑ	[26] σζ	631
[27] Πτολεμαίου Σωτῆρος	[28] λς	σμγ	667
[29] Διονυσίου	κϑ	σοβ	696
Κλεοπάτρας [30]	κϛ	[31] σς′δ	718

			Nab.	Aug
[1] Ρωμαίων βασιλεῖς				
[2] Αυγούστου	μγ	τλζ	761	43
[3] Τιβερίου	κϛ	τνϑ	783	65
[4] Γαΐου	δ	τξγ	787	69
[5] Κλαυδίου	ιδ	τοζ	801	83
[6] Νέρωνος [7]	ιδ	τς′α	815	97
[8] Ουεσπεσιανοῦ	ι	υα	825	107
[9] Τίτου	γ	υδ	828	110
[10] Δομετιανοῦ	ιε	υιϑ	843	125
[11] Νερούα	α	υκ	844	126

1 Ἔτη βασιλέων τῶ μὴ τῶ Αλεξάνδρου ϗ βασιλέως τελευτὴν, *Pet.* in ed. tertia. 2 Φιλίππου ϗ μετ' Αλέξανδρον τὴν κτίσιν vel Φιλίππου ϗ Αριδαίου *Pet.* Φιλ. τ. μ. Α. τ. κλ. *Voſſ.* 1. Φιλίππου duntaxat *Voſſ.* 2. Φίλιππος, & ſic reliqua deinceps omnia nominandi non gignendi caſu S. 2. 3 κ ζ S. 2. 4 κ ζ S. 2. 5 Αλεξάνδρου Αιγου *Pet.* Αλεξάνδρου *Voſſ.* 2. Αλέξανδρος ἕτερος *Voſſ.* 1. Αλέξανδρος S. 2. Κασσάνδρου legend. putat *Uſſerius*, vel ipſum ſaltem intelligendum, quomodo *Lycophroni Alexandra* & *Caſſandra* eadem. Fallitur vir doctiſſimus. Eſt enim *Alexander* filius *Roxanæ*, quem Regem agnoverunt *Macedones*, propterea à *Caſſandro* poſt duodecimum regni annum extinctus *Olymp.* 117. anno ſecundo, teſte *Diodoro*. Hallucinatur tamen canonis Auctor quod XII. annos putet à morte *Aridæi* eſſe numerandos. Vide *Syncell.* p. 264. 6 λϑ S. 2. 7 Deſunt S. 2. *Voſſ.* 1, 2. 8 Πτολ. ὁ Λάγου S. 2. Πτολεμαίου Λαγους *Voſſ.* 1. Πτολεμαιο Λαγου *Voſſ.* 2. 9 νϑ S. 2. 10 454. *Nab.* 36. primæ period. *Calip.* Pt. VII. 3. Æras *Timocharidis*. 465. primæ Per. 47. ib. 11 Φιλάδελφος S. 2. Πτολεμαιου Φιλαδελφε *Voſſ.* 1. Φιλαδέλφου *Voſſ.* 2. 12 XIII *Philadelphi* CCCCLXXVI. *Nabonaſ. Timocharis* ex *Hipparcho* apud *Ptolem* magn. Synt. L. X. p. 242. Gr. pro hujus canonis rationibus accuratiſſime. LII. à morte *Alex.* Pt. L. X c. 9. 13 ς′ζ S. 2. Sed refellitur è *Ptolemæo*. 14 476 *Nab.* 52. à mort. *Alexand. Ptolem.* X. p. 252. Gr. 15 Ευεργ. α. *Pet.* Ευεργέτης atque ita à Lagide uſque perpetuo omiſſo *Ptolemæi* nomine S. 2. Ευεργέτις α *Voſſ.* 1. omiſſo ſimiliter *Ptolemæi* nomine. Ευεργέτου *Voſſ.* 2. & ſine *Ptolemæis*. 16 ρκϛ S. 2. 17 506. d. &c. *Nab.* i. c. 507. inchoatus eſt 83 mort. Al. *Ptol.* XI. p. 261, 262. 18 Φιλοπάτωρ S. 2. Φιλοπατορ *Voſſ.* 1. 19 ρλϑ S. 2. 20 Επιφανής S. 2. Ἐπιφανις *Voſſ.* 1. 21 ρξ γ S. 2. 22 Φιλομήτωρ S. 2. Φιλομητορ *Voſſ.* 1. 23 κ ε S. 2. 24 ρπ η S. 2. ſeptimus *Philometoris* DLXXIII. d. 206. DLXXIV. inchoat. *Nabonaſſ. Ptol.* L. VI. c. 5. 25 Ευεργέτης ἄλλος S. 2. Ευεργέτις ϛ *Voſſ.* 1. Ευεργέτα ϛ *Voſſ.* 2. ϛ *Pet.* 26 σις S. 2. *Hipparch.* obſerv. an. CXCVII. à morte *Alexandri*, qui erat DCXX. d. 86. *Nabon.* viz. DCXXI. inchoat. *Pt.* L. V. p. 112, 114. Græc. *Theon.* in Vm. p. 247. 27 Σωτὴρ S. 2. *Voſſ.* 1. Σωτῆρος *Voſſ.* 2. 28 κ ς S. 2. Inde recte. 29 Διονύσου *Pet.* Διονύσιος S. 2. Νεοσθιωνυσος *Voſſ.* 1. Διονυσου νεου *Voſſ.* 2. 30 Addit Γυτ *Voſſ.* 1. qua nota eam γυναῖκα fuiſſe, ni fallor, innuit. 31 σς′β male *Petav.* Agnoſcant enim hujus Epochæ *Ptolemæorum* intervallum *Ptol.* L. III. c. 8. *Cabaſilas* in *Pt.* p. 180.

1 Deſunt S. 2 Ρωμαίων duntaxat habet *Voſſ.* 1. Βασ. Ρωμ. *Voſſ.* 2. Hinc ad mortem *Commodi Romanorum* Imperatorum catalogum tranſcripſit *Clem. Al.* Strom. I. p. 339. 2 Αὔγυς λᾶλα bS 2. Quid ſibi velit neſcio, ſed puto eum innuere novæ Epochæ initium. Αὔγυς *Voſſ.* 1. 3 Τιβέριος S. 2. *Voſſ.* 1. 4 Γαΐος S. 2. Γαΐος Ιουλιος Κεσαρ *Voſſ.* 1. 5 Κλαύδιος S. 2. *Voſſ* 1. 6 Νερων *Voſſ.* 1. Νέρων S. 2. 7 Γάλβας ἔτος ἐν inſeritur à *Clement. Alexand.* male. 8 Ουεσπασ. *Pet.* Ουεσπασιανός S. 2. *Voſſ.* 1, 2. 9 Τίτος S. 2. *Voſſ.* 1. 10 Δομητιανος *Voſſ.* Δομετιανός S. 2. Duodecimus *Domitiani Metroi* VII. ap. *Bithynos Tyti* ſecundo, ap. *Ægyptios*, *Nabonaſar.* DCCCXL. *Agrippa* ap. *Ptol.* L. VII. p. 170. Gr. Omiſſo viz. anno *Galbæ*. 11 Νερύας S. 2. *Voſſ.* 1. Νέρβας *Cl. Al.*

12 Τραια-

12	Τραϊανῷ	ιϑ	υλϑ	863	145
13	Αδριανῷ	κα	υξ	884	166
14	Αντωνίνου	κγ	υπγ	907	189
15	Μάρκου ϗ Κομόδῳ	λϐ	φιε	939	221
16	Σεβήρῳ	κε	φμ	964	246
17	Αντωνίνῳ	δ	φμδ	968	250
18	Αλεξάνδρῳ Μαμαία	ιγ	φνζ	981	263
19	Μαξιμίνῳ	γ	φξ	984	266
20	Γορδιανῷ	ϛ	φξϛ	990	272
21	Φιλίππῳ	ϛ	φοϐ	996	278
22	Δεκίῳ	α	φογ	997	279
23	Γάλλῳ	γ	φοϛ	1000	282
24	Γαλλιῷ	ιε	φϛ′α	1015	297
25	Κλαυδίῳ	α	φϛ′ϐ	1016	298
26	Αυρηλιανῷ	ϛ	φϛ′η	1022	304
27	Πρόβῳ	ζ	χε	1029	311
28	Κάρῳ	ϐ	[29]χζ	1031	313

12 Τραϊανός S. 2. *Voſſ.* 1. Primus *Trajani* DCCCXLV. *Nabonaſ. Menelaus* Geometra ap. *Ptolemæum* L. VII. p. 170, 171. Gr. omiſſo rurſus anno *Galbæ*. 13 Αδριανός S. 2. *Voſſ.* 1. Ad nonum *Adriani* à XXXI. *Darii* primi, (viz. an. *Nab.* CCLVI. abſolut. ann. DCXV. d. 133. i. e. an. DCXVI. inchoat. Ita IX. *Adrian.* erit DCCCLXXII. accuratiſſime. *Ptol.* L. IV. c. IX. 14 Αντωνῖν῾ S. 2. Αιλιος Αντονινος *Voſſ.* 1. Ελλιου Αντονινου *Voſſ.* 2. Primus *Antonin.* eſt CCCCIX. ab an. *Nabon.* CCCCLXXVI. (LII. à morte *Alexandri*) Adde CDIX. LII. erunt an. CCCCLXI. à morte *Alexandri*. His adde CCCCXXIV. ante mortem *Alexandri*, erunt anni DCCCLXXXV. *Ptolem.* L. X c. 9. Secundus *Ant.* eſt ann. *Nabonaſ.* DCCCLXXXV. d. 203. *Pt.* L. V. c. 3. i. e. DCCCLXXXVI inchoat. Id. L. IX. c. 10. A *Meſori* XXIV. XXI. *Adriani* ad *Mechir* VI. II. *Antonini* intervallum annor. duorum, dierum CLXVII. *Ptolemæus* L. XI. c. 5, 6. *Nab.* DCCCLXXXVI L. IX. Tertius *Anton.* eſt CDLXIII. à morte *Alexandri*, & CCLXXXV. ab *Hipparchi* obſervatione an. XXXII. tertiæ Period. *Calippi* viz CLXXVIII. à mort. *Alex. Pt.* L. III. c. 2. XLIV. an. à mort. *Alex.* eſt CDXIX. ante hunc ann. ibid. CDLXXXIV. *Nab.* ante ann. CDII. d. 283. i. e. CDIII. inchoat. Id. L. IX. Quæ omnia ſuperfluum illum *Galbæ* annum excludunt. Hucuſque Codices *Petavii*, & fortaſſe *Ptolemæus*. Eſt tamen merito dubitandum pertigeritne *Ptolemæus* ad finem *Pii*. XVII[us]. *Adriani* ann. CLXI. d. 66. ab *Auguſto*, ſive à fine *Cleopatræ*, i. e. CLXII. inchoat. & an. *Nabon.* DCCCLXXIX. d. 66. i. e. DCCCLXXX. inchoat. *Ptol.* lib. 3. p. 79. Gr. *Cabaſil.* in III. p. 180. Poſt undecimum *Adriani* (inchoatum viz.) an. VI. d. 70. *Ptol.* l. XI. p. 263. Gr. XIX[us]. *Adriani* à ſecundo *Mardocempadi* (viz. *Nabonaſ.* XXVII. abſoluto) anni DCCCLIV. d. 73. viz. an. DCCCLV. inchoat. Addantur XXVII. fient an. *Nabon.* DCCCLXXXII. inchoat. accuratiſſime. *Ptol.* l. IV. c. 7. Poſt XV. inchoatum anni IV. d. 69. *Ptolem.* l. X. p. 245. XX[us]. *Adrian.* DCCCLXXXII. d. 72. *Nabonaſari*, i. e. DCCCLXXXIII. inchoat. *Pt.* l. V. c. 13. A XVII. inchoat. ann. III. d. 35. *Pt.* l. XI. c. 5. 15 Disjunctim hæc ſecundus *Voſſii* Cod. MS. ita: *Μαρκο Αντονινο ϗ Βηρου ι Ϡ. φ ϛ. Κομμοδω ι γ. φ ιε.* Sed conjunctim alii omnes: Μάρκῳ Κομόδου B. Μάρκ῾ Κόμοδ῾ S. 2. Αντωνῖν῾ ϗ Κόμοδ῾ *Cl. Alexandrinus.* Κομοδος *Voſſ.* 1. ita tamen ut utriuſque tempora tam *Antonini* quam *Commodi* ſuo *Commodo* tribuat, λϐ. φ ιε. Recentioribus itaque hæc videtur tribuenda variatio. Hucuſque *Clem. Alexandrin.* qui ab *Auguſto* ad finem *Commodi* annos numerat CCXXII. & quidem *bis* (ne mendam ſubeſſe ſuſpicemur) cum tamen ſummæ particulares non ultra CCXX. conſurgant. Peccarat nimirum in *Antonino Pio* cui annos duntaxat XXI. aſſignarat, cum tamen XXIII. eſſent illi è noſtro *Canone* reponendi. Quod vero *Galbæ* annum unum tribuat, id hauſit, ni fallor, ex Eccleſiaſtico aliquo Scriptore de Canone Paſchali *Alexandrino*. Illos conſtat temporum fuiſſe admodum imperitos, & tamen omnia quo jure quave injuria ſuis hypotheſibus accommodaſſe. 16 Σεβῆρ῾ S. 2. Σεβέρ. B. *σουηρος και Αντων' Voſſ.* 1. Et quidem *Antonini Caracallæ* annos *Severi* annis accenſeri conſtat, cum *Severo* anni XXV. tribuuntur, qui tamen ſolus XVIII. duntaxat imperarit, ad eandem plane formam qua & *Commodi* annos cum patre communes fecerant noſtri Canonis concinnatores. Idem tamen *Voſſii* Cod. ſecundus qui filium ſuperius à patre ſejunxerat, hic etiam ab invicem ſeparat. Ita enim ille: *Σιβηρου ι η. φ λγ. Αντονινου Καρακαλου ζ. φ μ.* 17 Αντωνῖν῾ S. 2. Αντωνῖν῾ νεος *Voſſ.* 1. Αντωνιν ἄλλ *Voſſ.* 2. *Alagabalum* hic intelligi ex ipſo annorum numero ſatis conſtat. *Macrini* nullam habet rationem. 18 Αλέξανδρ῾ S. 2. Αλεξανδρος ο Μαμαιας *Voſſ.* 1. Αλεξανδρο του Μαμαιας *Voſſ.* 2. 19 Μαξιμῖν῾ S. 2. *Voſſ.* 1. *Maximini* annos numerat ad eædem *Maximi* & *Balbini*, quo tempore Imperium *Auguſteum* adeptus eſt *Gordianus* junior. 20 Γορδιανός S. 2. *Voſſ.* 1. Primum *Gordiani* annum ita notat *Cenſorinus* quod fuerit *Nabonaſari* DCCCCLXXXVI. *Philippi*, ſive ab exceſſu *Alex.* M. DLXII. *Auguſteorum* CCLXVII. quæ ſibi invicem non conſentiunt. Recte quidem ille in Imperio *Auguſtorum*. Reliquæ itaque *Epochæ* ad illam corrigendæ, niſi forte *Galbæ* illum quem diximus annum cum *Clemente* retinendum cenſuerit. Quod porro initium *Thoth* in VII. kal. *Jul.* (*Junii* viz. XXV) hoc anno incidiſſe tradit, & verum eſt, & locum huic anno certum in Periodi *Julianæ* ſaltem quadriennio aſſerit, &, cum ſit *Tetraeteridis* ultimus, facit ne poſſit in ulteriora protrudi. Hæc *Cenſ.* de die Nat. c. 21. Vid *Bucher.* doctr. Temp. p. 233. 21 Φίλιππ῾ S. 2. *Voſſ.* 1. Sed annos *Philippo* VII aſſignat uterque Codex *Voſſianus* Φιλ. ζ. *φο γ.* 22 Δέκι῾ S. 2. *Voſſ.* 1. Δεκ. α. φ οδ. *Voſſ.* 1, 2. 23 Γάλλ῾ S. 2. *Gallo* nimirum tempus tribuit Canon quo *Decium* truncaverat. Aliter Codices *Voſſiani.* Γαλος και Βιλλουσιανος ϐ. *φο α. Voſſ.* 1. Γαλλου και βολλουσιανου ϐ. *φο ϛ.* 24 Γαλιανός S. 2. Ουαλεριος και Γαλλινος *Voſſ.* 1. Ουαλεριανου και Γαλλινου *Voſſ.* 2. 25 Κλαυδιανός S. 2. Κλαύδιος *Voſſ.* 1. 26 Αυρηλιανός S. 2. Αυριλιος *Voſſ.* 1. Αυριλλιανου *Voſſ.* 2. 27 Πρόϐ῾ S. 2. *Voſſ.* 1. 28 Κάρ῾ G ψ G ϐ λει S. 2. Quid ſibi priores illæ notæ velint, plane neſcio. Poſtrema innuit, ni fallor, hic λειπειν, ſive deficere priorem illam Epocham Philippi, inde novam eſſe Diocletiani inchoandam. Καρος και Καρινος *Voſſ.* 1. Καρου και Καρινου *Voſſ.* 2. 29 In hoc numero annorum Philippi ante Æram Diocletiani conſentiunt omnes hujus canonis ſive deſcriptores, ſive etiam continuatores, & præterea Faſti noſtri *Voſſiani*, & Fragmentum, quod hic damus, Theonis. Sed & aliud illud ab *Auguſto* intervallum ſimiliter confirmat *Theon.* CCCXIII. annos numerat ab *Auguſto* ex Æra *Diocletiani* perpetuo ſubtrahendos. Deſinunt autem in A. D. Æræ *Chriſtianæ* vulgaris CCLXXXIV. ita ut CCLXXXV. pro primo *Diocletiani* habeatur. Incidit eo anno Neomenia *Thoth* in *Jun.* XIII. Ita conſtabit unde numerandi ſint anni hujus Epochæ, in anno *Alexandrino* fixo, ſi quidem, quod in aliis Epochis ſolebant, id in hac etiam Epocha obſervarint, ut ab ineunte *Thoth* annum ſuum orditentur. Convenit porro accuratiſſime idem *Theon* in ſextum *Ptolemæi* p. 277, 282, 284, 332. ubi annum *Nabonaſari* MCXII. *Philippi* DCLXXXVIII. cum anno *Diocletiani* LXXXI. componit. Conveniunt etiam Scriptores Epiſtolarum *Paſchalium* & *Epiphanius*. Statueram, quod hucuſque feci, idem ulterius ad finem uſque perducere, ut viz. Epochas alias cum hac etiam *Diocletiani* Epocha numeris *Indicis* ſubnotarem. Verum ita mendoſa ſunt quæ deinceps ſequuntur omnia, ut nequeant ad certum Canonem exigi. Proinde varias duntaxat Lectiones deinceps Lector expectet.

Quarta Epocha *Diocletiani* mendosissima.

1	Διοκλητιανῦ	κ	χκ ζ
2	Χρισιανῶν Ρωμαίων βασιλεῖς.		
3	Κωνσανλίνυ μεγάλυ	κϑ	χν ϛ
4	Κωνσανλίυ υἱῦ αὐτῦ	κδ	χπ
5	Ιυλιανοῦ ἀποβάτυ	ϛ	χπ ϛ
6	Ιοβιανῦ	α	χϖ γ
7	Ουαλεντ℗	ια	χϛ δ
8	Γρ̣ατιανῦ	γ	χϛ ζ
9	Θεοδοσίυ μεγάλυ	ιζ	ψιδ
10	Αρκαδίυ	ιγ	ψκ ζ
11	Θεοδοσίυ μικροῦ	μϛ	ψο γ
12	Μαρκιανῦ	ζ	ψπ
13	Λεόντ℗ ϗ Μακέλη	ιζ	ψϛ ζ
14	Ζλώων℗	ιη	ωιε
15	Αναςασίυ	κζ	ωμϛ
16	Ιυςίνυ Θρακός	ϑ	ωνα
17	Ιυςινιανῦ μεγάλυ	λη	ωπϑ
18	Ιυςίνυ ἄλλυ	ιϛ	π α
19	Τιβερίυ	δ	π ε
20	Μαυρικίυ	κ	π κε
21	Φωκᾶ	η	π λγ
22	Ηρακλείυ	λα	π ξδ
23	Κωνσανλίνυ υἱῦ αὐτῦ	α	π ξε
24	Κώνσαντ℗	κζ	π ϛ ϛ
25	Κωνσανλίνυ ϗ Πωγωνάτυ	ιζ	ᾳ ϑ
26	Ιυςινιανοῦ μικροῦ τὸ πρῶτον	ι	ᾳ ιϑ
27	Λεοντίυ	γ	ᾳ κϛ
28	Τιβέριυ Αψιμάρυ	ζ	ᾳ κϑ
29	Ιυςινιανῦ τὸ δεύτερον	ϛ	ᾳ λε
30	Φιλιππικῦ	ϛ	ᾳ λζ
31	Αναςασίυ	ϛ	ᾳ λϑ
32	Θεοδοσίυ Ατραμυντινῦ	α	ᾳ μ
33	Λεόντ℗ Ισιώρου	κε	ᾳ ξε
34	Αρταβάσδυ	γ	ᾳ ξη
35	Κωνσανλίνυ Κοπρωνύμυ	λ	ᾳ ϛ η
36	Λέοντ℗ ἐκ Χαζάρων	ε	ᾳ ργ
37	Εἰρινης ϗ Κωνσανλίνυ	ιζ	ᾳ ρκ
38	Εἰρινης μόνης	ε	ᾳ ρκε
39	Νικηφόρυ ϗ Γενικῦ	ϑ	ᾳ ρλδ
40	Μιχαὴλ Ραγκαβαίυ	ϛ	ᾳ ρλς
41	Λέοντ℗ Αρμενίυ	ζ	ᾳ ρμγ
42	Μιχαὴλ ϗ Τρακυλῦ	ϑ	ᾳ ρνϛ
43	Θεοφίλυ	ιγ	ᾳ ρξε
44	Μιχαὴλ μετὰ τῆς μητρὸς αὐτοῦ	ιδ	ᾳ ροϑ
45	Μιχαὴλ μόνυ	ια	ᾳ ρς
46	Βασιλείυ Μακεδόν℗	ιϑ	ᾳ σϑ
47	Λεόντ℗ ϗ Σοφῦ	κε	ᾳ σλδ
	Αλεξάνδρυ	α	ᾳ σλε
	Ρωμανῦ ϗ Λακαπηνυ	γ	ᾳ σλη
	Κωνσανλίνυ Πορφυρογεννήτυ	ιδ	ᾳ σνϛ
	Ρωμανῦ νέυ	α	ᾳ σνγ
	Νικηφόρυ ϗ Φωκᾶ	ς	ᾳ σνϑ

1 Διοκλητιανός S. 2. Διοκλητιανυ κ. Κωνσαντ. κ δ. χ λα. *Voss.* 1. Διοκλιτιανου κ. χκ ζ. Κωνσαντινου δ. χλ α. *Voss.* 2. 2 Desunt *B.* S. 2. *Voss.* 1, 2. 3 Κωνσαντῖν℗ ὁ μέγας S. 2. Κωνσαντινος κε. κ ϑ. χ ξ. *Voss.* 2 Κωνσαντινου κ ϑ. χ ξ. *Voss.* 2. 4 Κωνσάντι℗ S. 2. Κωνσαντινος κ δ. χ πδ. και οι υοι α. χ πζ. *Voss.* 1. Κωνσαντιου κ λ. χ πα. 5 Ιυλιανος S. 2. Ιουλιανος ελς ζ εις δυς δις βυζα β. χπ ϛ. *Voss.* 1. [Quid sibi velint illæ MS^{i}. notæ, judicent perspicaciores. Existimo innui quod ἑλληνιστὴς fuerit, (quod eodem redit quo nostri MS^{i}. ἀποβάτης) & quod VII. annis imperaverit, si ab eo usque tempore numeretur quo εἰς δύσιν vocatus est à *Constantio*, & *Cæsar* ab eodem missus in *Galliam*, sub finem A. D. CCCLV. (superavit enim ab eo exordio septennium) & quod annis IV. si ab ejus Imperio *Augusteo*, ex quo scilicet à militibus *Augustus* in *Gallia* appellatus est A. D. CCCLX. (quartum enim inde annum attigit) in *Byzantio* autem, defuncto scilicet *Constantio*, II. tantummodo, quos tamen non explevit.] Ιουλιανου β. χπ ϛ. *Voss.* 2. 6 Ιωβιανός S. 2. Ιοβιανος α χπ ζ. *Voss.* 1. Ιοβιανου α. χπ ζ *Voss.* 2. 7 Ουάλης S. 2. Ουαλεντινιανος και Βαλης ι. χϛ ζ. *Voss.* 1. Ουαλεντος ι δ. ψ α. 8 Γρατιανός S. 2. Ουαλεντος και Γρατιανος εν ρωμη δ. ψ α. *Voss.* 1. Ουαλεντινιανου ι. ψ ϛ ζ. *Voss.* 2. 9 Θεοδόσι℗ μέγας S. 2. Θεοδωσιος ος σπανος εν βυζ ι ϛ. ψ ιζ. *Voss.* 1. Θεοδωσιου ι ϛ. ψι ζ. *Voss.* 2. Hucusque *Bainbrigius*, sed pro suo forte duntaxat arbitrio. Inter *Savilianos* enim Codices quibus usus est *Bainbrigius*, nullum reperit *Wallisius* qui hic desierit. Frustra itaque hinc de *Theonis* tempore judicatur. Quæ enim Æram *Diocletiani* sequuntur, *Theone* prorsus indigna sunt. Nec ulterius *Theon* quam ad initium *Diocletiani* κανονίϗ τ βασιλεῖων fidem appellat. Æram *Diocletiani* simpliciter numerat, nulla deinceps κανονίϗ facta mentione. Placet itaque prior *Usserii* nostri conjectura qua continuatorem hujus Canonis ab *Antonino* ad *Diocletianum Theonem* existimavit, quamvis illam postea, mutata, ut videtur, sententia, deleverit. 10 Αρκάδι℗ S. 2. Αρκαδιος ιξ ονοριυοι αυτ εν ρωμη ι δ. ψλ α. *Voss.* 1. [Per notam illam ιξ ϗ intelligendum, ut ex aliis hujus MS^{i}. locis colligimus] Αρκαδίου ι δ. ψλ α. *Voss.* 2. 11 Θεοδόσι℗ μικρός S. 2. Ονοριος και Θεοδοσιος αδελφιδης ι γ. ψμ α. Θεοδωσιος μικρος γ. ψμ ζ. Θεοδοσιος και Ουαλεντινιανος εν ρωμη κ ϛ. ψο γ. *Voss.* 1. Θεοδωσιου ναιου μ ϛ. ψο γ. 12 Μαρκιανός S. 2. Ουαλεντινιανος και Μαρκιανος εν βυζαντιο δ. ψο ζ. *Voss.* 1. Μαρκιανου ϛ. ψο ϑ. *Voss.* 2. 13 Λέων S. 2. Λέων μέγας ι η ψ ϛ ζ. Λεων και ανθεμιος εν ρωμη . . . Λεων μικρος . . . *Voss.* 1. Λεοντος ι η. ψ ϛ ζ. *Voss.* 2. 14 Ζήνων S. 2. Ζηνων και ο υιος ι ζ. ωι δ. *Voss.* 1. Ζινονος ι ζ. ωι δ. *Voss.* 2. 15 Αναςάσι℗ S. 2. Αναςασιος κ ζ. ωμ α. *Voss.* 1. Αναςασιου κ ζ. ωμ α. *Voss.* 2. 16 Ιυςῖν℗ S. 2. Ιουςινος ϑ. ω ν. *Voss.* 1. Ιουςινου ϑ. ω ν. *Voss.* 2. 17 Ιυςινιανός S. 2. Ιουςινιανος λ η. ω πη. *Voss.* 1. Ιουςινιανου λ η. ω πη. *Voss.* 2. 18 Ιυςῖν℗ S. 2. Ιουςινος ι γ. π α. *Voss.* 1. Ιουςινου ι γ π α. *Voss.* 2. 19 Τιβέρι℗ S. 2. Τιβερεος και Κωνσαντινος δ. π ε. *Voss.* 1. Τιβερεου τ η Κωνσαντ. *Voss.* 2. 20 Μαυρίκι℗ S. 2. Μαυρικιος κ γ. π κε. *Voss.* 1. Μαυρικιου Φωκα κ. π κε. *Voss.* 2. 21 Φωκᾶς S. 2. Φωκας η. π λγ. *Voss.* 1. Ut in nostro *Voss.* 2. Desinit hoc in loco *Voss.* 1. quem proinde *Heraclio* Imperatori tribuendum censeo qui scripsit in Canon. ἀφχείρυς, ut proinde Imperatorum illud κανόνιον ab eo auctum esse verisimile sit, præsertim cum & Fasti *Vossiani* Consulares desinant similiter in annum hujus Epochæ π νγ. *Heraclii* nempe annum pro hac supputatione XX^{m}. Convenit autem ut plurimum cum secundo *Vossiano*, etiam in erroribus manifestis, ut proinde non alium fuisse credam *Canonem* quem ob oculos habuerit ille etiam continuator. 22 Ηρακλειος S. 2. Ηρακλειου λ. π ξγ. *Voss.* 2. 23 Κωνσαντῖνος S. 2. Κωνσαντ τ σιστιν δυσιν ιξ Ηρακλο α. π ξδ. *Voss.* 2. 24 Κωνσαντῖνος S. 2. Κωνσαντίνυ κ ζ. π λα. *Voss.* 2. 25 Κωνσαντῖνος S. 2. Κωνσαντινου ι ζ. ᾳ η. *Voss.* 2. 26 Ιυςινιανὸς τὸ πρωτον S. 2. Ιουςινιανο τ'' α ι αι η. *Voss.* 2. 27 Λέων S. 2. Λεοντος γ ᾳκ α *Voss.* 2. 28 Τιβέριος S. 2. Τιβεριου ζ. ᾳκ η. *Voss.* 2. 29 Ιυςινιανὸς τὸ δεύτερον S. 2. Ιυςινιανου το ϛ. ϛ. ᾳλ η. *Voss.* 2. 30 Φιλιππικὸς S. 2. Φιλιππικου β. ᾳλ ϛ. *Voss.* 2. 31 Αναςάσιος S. 2. Αναςασιου β. ᾳλ η. *Voss.* 2. 32 Θεοδόσιος S. 2. Θεοδωσιου α. ᾳ λϑ. *Voss.* 2. 33 Λέων S. 2. Λεοντος κ ε. ᾳ ξδ. *Voss.* 2. 34 Αρτάβασδος S. 2. deest *Voss.* 2. Sed ejus tamen anni sequentis Imperatoris annis accensentur. 35 Κωνσαντῖνος S. 2. Κωνσαντινου λ δ. ᾳ ϛ η. *Voss.* 2. Inde cum nostro *Saviliano* consentit. 36 Λέων S. 2. Λεοντος ϗ Κωνσαντ *Voss.* 2. 37 Κωνσαντῖνος solus S. 2. Κωνσαντινου ϗ Ειρινης ι. ᾳρ ιγ. Κωνσαντινου ζ. ᾳρ κ. *Voss.* 2. 38 Ειρήνη S. 2. Ειρεμης *Voss.* 2. 39 Νικηφόρος S. 2. Νηκιφορος συντ υω *Voss.* 2. 40 Μιχαὴλ S. 2. Μηχαηλ συν τ υω. Hic desinit *Voss.* 2. 41 Λέων S. 2. 42 Μιχαὴλ S. 2. 43 Θεόφιλος S. 2. 44 Μιχαὴλ σὺν τῇ μητρὶ S. 2. 45 Μιχαὴλ μόνος S. 2. 46 Βασίλειος S. 2. 47 Λέων S. 2. sine annorum numero, & deficit. Ut verisimile sit sub hoc *Leone* vixisse hunc continuatorem. De hoc Codice ita *Wallisius*: *Nomina ejus rubris literis pene fugientibus scripta, numeri atris & clarioribus.*

Ιωάννυ

Ιωάννυ τοῦ τζιμισχῆ	ς	ϡσξε
Βασιλείυ τοῦ Βουλγαροκτόνυ	ν	ϡτιε
Κωνσαντίνυ τῦ ἀδελφυ αὐτῦ	ϛ	ϡτιζ
Ρωμανῦ Αργυροπύλυ	ε	ϡτκϛ
Μιχαὴλ τῦ Παφλαγόνος	ζ	ϡτκϑ
Μιχαὴλ τῦ Καλαφάτυ	ζ	ϡτλε
Κωνσαντίνυ τῦ Μονομάχυ	ιϛ	ϡτμζ
Μιχαὴλ	α	[a]ϡτμϑ
Θεοδώρας	α	[b]ϡτμζ
Ισαακίυ τῦ Κομνηνῦ	ϛ	[c]ϡτνϑ
Κωνσανλίνυ τῦ Δύκα	ζ	[d]ϡτνιϛ
Ρωμανῦ τῦ Διογένυς	δ	ϡτξϛ
Μιχαὴλ τῦ Παφλαγπνάκη	ς	ϡτξη
Νικηφόρυ τῦ Βοτανιάτυ	γ	ϡτοα
Αλεξίυ τῦ Κομνηνῦ	λζ	ϡυη
Ιωάννυ τῦ Κομνηνῦ	κϑ	ϡυλϛ
Μανυὴλ τῦ Κομνηνῦ	λη	ϡυο
Αλεξίυ ϗ Ανδρονίκυ	ϛ	ϡυοϛ
Ισαακίυ τῦ Αγγέλυ	η	ϡυπ
Αλεξίυ τῦ Αγγελυ	ϑ	ϡυπϑ
Αλεξιυ ϗ Μουρτζύφλυ	α	ϡυς′
Θεοδώρυ τῦ Λάσκαρι	ιη	ϡφη
Ιωαννυ τῦ Βατάτζη	λβ	ϡφμ
Θεοδώρυ τῦ υἱῦ αὐτῦ	γ	ϡφυγ
Μιχαὴλ ϗ Παλαιολόγυ	κϑ	ϡφξζ
Ανδρονίκυ τοῦ Παλαιολόγυ	μϑ	ϡχις
Ανδρονίκυ ϗ Παλαιολόγυ	ς	ϡχκϐ
Ιωάννυ ϗ υἱῦ αὐτῦ	μβ	ϡχξδ
Μανυὴλ ὁ υἱὸς αὐτῦ	λε	ϡχοϑ
Ιωάννυ ϗ υἱοῦ αὐτῦ	κβ	ϡψνα
Κωνσανλίνυ ϗ ἀδελφῦ αὐτῦ	γ	ϡψνδ
ϗ ὁ Αμηρᾶς ὁμωράτης	ξγ	ϡψλζ

A.D.	a Ὑπάτοι	Ρωμαίων	Ἀλεξάνδρ. ἔτη	Ἀντιοχ. ἔτη	Ἐπάγομεναι	Intercalares
138	Αντώνι☉ ἐυσεβῆς	ϗ c Καρμεριανός	υξα	ρξζ	μ	β
139	Αντώνι☉ δευτερ☉	ϗ Πρεσεντι☉	υξδ	ρξη	μ	γ
140	Αντώνι☉ τρίτ☉	ϗ Αυρήλλι☉ Καῖσαρ	υξγ	ρξϑ	μα	δ
141	Σιλουᾶς	ϗ Σευῆρ☉	υξδ	ρο	μα	α
142	Ρυφίν☉	ϗ Κυιντρφτ☉	υξε	ροα	μα	β
143	Τορκυάτ☉	ϗ Αττικός	υξς	ροβ	μα	γ
144	Μάξιμ☉	ϗ Ανούϊτ☉	υξζ	ρογ	μβ	δ
145	Αντώνι☉	ϗ Αυρήλλι☉ Καῖσαρ τὸ β	υξη	ροδ	μβ	α
146	Κλάρ☉	ϗ Κλαυδι☉	υξϑ	ροε	μβ	β
147	Λάργ☉	ϗ Μεσσαλῖν☉	υο	ρος	μβ	γ
148	Τορκυάτ☉	ϗ Ιυλιανός	υοα	ροζ	μγ	δ
149	Ὄρφιτ☉	ϗ Περέννι☉	υοβ	ροη	μγ	α
150	Γαλλικανος	ϗ Ουετήρι☉	υογ	ροϑ	μγ	β
151	Κονδιανός	ϗ Μάξιμ☉	υοδ	οπ	μγ	γ
152	Γαλερίων	ϗ Ὄμμυλ☉	υοε	ρπα	μδ	δ
153	Πρεσέντι☉	ϗ Ρυφίν☉	υος	ρπβ	μδ	α
154	Κώμωδ☉	ϗ Λατερράν☉	υοζ	οπγ	μδ	β
155	Σάβων☉	ϗ Σευῆρ☉	υοη	οπϑ	μδ	γ
156	Σιλιανὸς	ϗ Αυρηλιανός	υοϑ	οπε	με	β
157	Βάρβαρ☉	ϗ Ρίγιλλ☉	υπ	οπς	με	α
158	Τέρτιλλ☉	ϗ Κλημῖν☉	υπα	οπζ	με	β
159	Κύντιλλ☉	ϗ Περέννι☉	υπβ	οπη	με	γ
160	Βρωλιας	ϗ Ὄαρν☉	υπγ	οπϑ	μς	δ
161	Αντώνι☉ τὸ γ	ϗ Ουῆρ☉ τὸ β	υπδ	ρς′	μς	α
162	Ρυσικι☉ τὸ δ	ϗ Ακυλῖν☉	υπε	ρς′α	μς	β
163	Κογλιανὸς	ϗ Πάσωρ	υπς	ρς′β	μς	γ
164	Μακρίν☉	ϗ Κέλσ☉	υπζ	ρς′γ	μζ	δ
165	Ὄρφιτ☉	ϗ Πούδεν☉	υπη	ρς′δ	μζ	α
166	Πυδεν☉	ϗ Πολλιων	υπϑ	ρς′ε	μζ	β
167	Λύκι☉ τὸ γ	ϗ Κοδρατ☉	υς′	ρς′ς	μζ	γ

a ἀτμη. b ἀτμϑ. c ἀτνα. d ἀτνη. Ambigua hæc, vel emendata, in Autographo Savilii. *Wallis.*

168	Ἀφρικανὸς τὸ δ	ϗ Παῦλ☉ τὸ δ	υς′α	ρς′ζ	μη	β
169	Πείσων☉	ϗ Απολλινάρι☉	υς′β	ρς′η	μη	γ
170	Κλάρ☉	ϗ Κειῖν☉	υς′γ	ρς′ϑ	μϑ	β
171	Σευῆρ☉	ϗ Εργιανός	υς′δ	ρς	μϑ	γ
172	Ὄρφιτ☉	ϗ Μάξιμ☉	υς′ε	ρα	μ	δ
173	Σευῆρ☉ τὸ β′	ϗ Πομπιανὸς τὸ β′	υς′ς	ρβ	μ	α
174	Γαλλ☉	ϗ Φλάκ☉	υς′ζ	ργ	μϑ	β
175	Πόσων	ϗ Ιυλιανὸς	υς′η	ρδ	μϑ	γ
176	Πολίων	ϗ Απερ τὸ β	υς′ϑ	ρε	ν	δ
177	Κώμωδ☉	ϗ Κυίντολ☉	ϙ	ρς	ν	α
178	Ὄρφοτ☉	ϗ Ρᾶφ☉	ϙα	ρζ	ν	β
179	Κώμωδ☉	ϗ Ουῆρ☉	ϙβ	ρη	ν	γ
180	Πρῆτ☉	ϗ Κονδιανὸς	ϙγ	ρϑ	να	δ
181	Κώμωδ☉	ϗ Βοῦῤῥ☉	ϙδ	ρι	να	α
182	Καμερτίν☉	ϗ Ρᾶφ☉	ϙε	ρια	να	β
183	Κώμωδ☉ τὸ α	ϗ Βικτορῖν☉	ϙς	ρις	να	γ
184	Μαρυλλ☉	ϗ Ηλιανὸς	ϙζ	ριγ	νβ	δ
185	Μάτερν☉	ϗ Βραδούας	ϙη	ριδ	νβ	α
186	Κωμωδ☉ τὸ ε	ϗ Γαβελίων τὸ β	ϙϑ	ρις	νβ	β
187	Κρισπιν☉	ϗ Ηλιανος	ϟ	ρις	νβ	γ
188	Φυσκιανος τὸ β′	ϗ Σιλανὸς τὸ β	ϟα	ριζ	νγ	δ
189	Σιλανὸς	ϗ Σιλανὸς	ϟβ	ριη	νγ	α
190	Κώμωδ☉ τὸ ς	ϗ Σεπτιμιανὸς τὸ β	ϟγ	ριϑ	νγ	β
191	Ἀφρικιανὸς	ϗ Βραδύας	ϟδ	σκ	νγ	γ
192	Κώμωδ☉ τὸ ζ	ϗ Περτινακ	ϟε	σκα	νδ	δ
193	Φλάκκ☉	ϗ Κλάρ☉	ϟς	σκβ	νδ	α
194	Σεβῆρ☉ τὸ β	ϗ Αλβῖν☉	ϟζ	σκγ	νδ	β
195	Τέρτιλλ☉	ϗ Κλήμης	ϟη	σκδ	νδ	γ
196	Δέκερ☉ τὸ β	ϗ Κρίσπ☉	ϟϑ	σκε	νε	δ
197	Λατερν☉	ϗ Ρυφιν☉	ϙ	σκς	νε	α
198	Σατορνιλ☉	ϗ Γαλλ☉	ϙα	σκζ	νε	β
199	Ανυλλίν☉	ϗ Φρῆτων	ϙβ	σκη	νε	γ
200	Σεβῆρ☉ τὸ γ	ϗ Βικτορῖν☉	ϙγ	σκϑ	νς	δ
201	Μυκιανὸς	ϗ Φλαβιανὸς	ϙδ	σλ	νς	α
202	Σεβῆρ☉ τὸ δ	ϗ Αντωνι☉	ϙε	σλα	νς	β
203	Σεπτιμι☉ Γέτας	ϗ Βῆρ☉	ϙς	σλβ	νς	γ
204	Κύλων τὸ δ	ϗ Λιβων	ϙζ	σλγ	νζ	δ
205	Αντάνι☉ τὸ δ	ϗ d Τέγας Καῖσαρ	ϙη	σλδ	νζ	α
206	Σαβίν☉	ϗ Αιμιλιανὸς	ϙϑ	σλε	νζ	β
207	Ἄπρων	ϗ Μάξιμ☉	ϟ	σλς	νζ	γ
208	Αντώνι☉ τὸ γ	ϗ Γέτας τὸ β	ϟα	σλζ	νη	δ
209	Πομπιανὸς	ϗ Ἄβιτ☉	ϟβ	σλη	νη	α
210	Φαυστιν☉	ϗ Ρυφιν☉	ϟγ	σλϑ	νη	β
211	Γεντιανὸς	ϗ Βάσ☉	ϟδ	σμ	νη	γ
212	Ἄσπρ☉	ϗ Ἄσπρ☉	ϟε	σμα	νϑ	δ
213	Αντώνι☉ τὸ δ	ϗ Βαλβιν☉	ϟς	σμβ	νϑ	α
214	Μεσαλᾶς	ϗ Σαβῖν☉	ϟζ	σμγ	νϑ	β
215	Λαῖτ☉	ϗ Κερμιάλης	ϟη	σμδ	νϑ	γ
216	Σαβῖν☉ τὸ β	ϗ Ανυλλῖν☉	ϟϑ	σμε	ξ	δ
217	Πέρσης τὸ β	ϗ Εκερικάτ☉	ϙ	σμς	ξ	α
218	Οκλατιανὸς	ϗ Ἄλβεντ☉	ϙα	σμζ	ξ	β
219	Σάκερδος τὸ β	ϗ Αντώνι☉ τὸ β	ϙβ	σμη	ξ	γ
220	Βαλλερι☉	ϗ Κομάζων	ϙγ	σμϑ	ξα	δ
221	Σαβινιανὸς	ϗ Σέλευκ☉	ϙδ	σν	ξα	α
222	Αυτοκράτωρ Αλέξανδρ☉	ϗ Μόδες☉	ϙε	σνα	ξα	β
223	Μάξιμ☉	ϗ Ηλιανὸς	ϙς	σνβ	ξα	γ
224	Ιυλιανὸς	ϗ Κρισπιν☉	ϙζ	σνγ	ξβ	δ
225	Φῆσκ☉ τὸ β	ϗ Δέκερος	ϙη	σνδ	ξβ	α
226	Αλέξανδρ☉ τὸ β	ϗ Μαρκελίν☉	ϙϑ	σνε	ξβ	β
227	Σαβίν☉	ϗ Μάξιμ☉	ϟ	σνς	ξβ	γ
228	Μοδες☉	ϗ Πρόβ☉	ϟα	σνζ	ξγ	δ
229	Αλέξανδρ☉ τὸ γ	ϗ Δίων	ϟβ	σνη	ξγ	α
230	Πεσκιλλιανος	ϗ Αγρικολα☉	ϟγ	σνϑ	ξγ	β
231	Πομπηϊανὸς	ϗ Πελιγνιανὸς	ϟδ	σξ	ξγ	γ
232	Λῆμπ☉	ϗ Μαξιμ☉	ϟε	σξα	ξδ	δ
233	Μάξιμ☉	ϗ Πάτερ☉	ϟς	σξβ	ξδ	α
234	Μάξιμ☉ τὸ β	ϗ Ουβανὸς	ϟζ	σξγ	ξδ	β
235	Πομπηιανὸς	ϗ Κυντιανὸς	ϟη	σξδ	ξδ	γ
236	Περπέτυ☉	ϗ Αφρικανὸς	ϟϑ	σξε	ξε	δ
237	Πί☉	ϗ Κορνηλιανὸς	ϙ	σξς	ξε	α
238	Γορδιαν☉	ϗ Ποντιανὸς	ϙα	σξζ	ξε	β
239	Σαβῖν☉ τὸ δ	ϗ Κορνηλιανὸς	ϙβ	σξη	ξε	γ
240	Γορδιανος τὸ β	ϗ Πομπηιανος	ϙγ	σξϑ	ξς	δ
241	Αττικὸς	ϗ Αβιολα	ϙδ	ο	ξς	α

a ὕπατοι *Usser.* b Hic non pro quatuor annorum *intervallo*, sed pro sexta *Epagomena* intercalari quarti cujusque anni propria. Vid. *Proleg.* sect. VII. c al. Καμερῖν☉ *Usser.* d leg. Γέτας *Usser.*

242	Αελιανὸς	Βενῦς	ρξε	σοα	ξς	β
243	Πετετζίνᾳ	Πομπηϊανὸς	ρξς	σοβ	ξς	γ
244	Φίλιππᾳ στέφανος τὸ β	Πελεκηρων	ρξζ	σογ	ξζ	δ
245	Πέρσης	Πάππᾳ	ρξη	σοδ	ξζ	α
246	Φίλιππᾳ στέφανᾳ τὸ δ	Αιμιλιανὸς	ρξϑ	τοε	ξζ	β
247	Φίλιππᾳ τὸ γ	Φιλιππος αὐτοκράτωρ	ρο	σος	ξζ	γ
248	Αιμιλιανὸς τὸ δ	Φιλιππᾳ τὸ β	ροα	σος	ξη	δ
249	Δέκιᾳ τὸ δ	Καυλίνᾳ	ροβ	τον	ξη	α
250	Δέκιᾳ τὸ γ	Γρράτᾳ	ρογ	σοϑ	ξη	β
251	Γάλλᾳ τὸ δ	Δέκιᾳ	ροδ	στ	ξη	γ
252	Βολυσιανὸς τὸ δ	Βολυσιανὸς	ροε	σπα	ξϑ	δ
253	Βαλεριανὸς	Μαξιμῖνᾳ	ρος	σπβ	ξϑ	α
254	Βαλλεριανὸς τὸ δ	Γαλληνὸς τὸ β	ροζ	σπγ	ξϑ	β
255	Βαλλεριανὸς τὸ γ	Γαλληνὸς τὸ γ	ροη	σπδ	ξϑ	γ
256	Μαξιμῖνᾳ	Γλαβελων	ροϑ	στπε	ο	δ
257	Βαλλεριανὸς τὸ δ	a Γαλλῖνᾳ	ρπ	στς	ο	α
258	Τάσκᾳ	Βάσσος	ρπα	σπζ	ο	β
259	Αιμιλιανὸς	Βάσσος	ρπβ	στπ	ο	γ
260	Σεκκλάριᾳ	Δονάτᾳ	ρπγ	σπϑ	οα	δ
261	Γαλλῆνᾳ σέβας τὸ δ	Βολυσιανὸς	ρπδ	τς΄	οα	α
262	Γαλλῆνᾳ τὸ ε	Φαυσιανὸς	ρπε	σς΄α	οα	β
263	Αλβῖνᾳ	Δέκερος	ρπς	σς΄β	οα	γ
264	Γαλλῆνᾳ τὸ ς	Σατορνίλᾳ	ρπζ	σς΄γ	οβ	δ
265	Βαλλεριανὸς	Λικκῆλλᾳ	ρπη	σς΄δ	οβ	α
266	Γαλλῆνᾳ τὸ ζ	Σαβῖνᾳ	ρπϑ	σς΄ε	οβ	β
267	Πάτερνᾳ	Αρκεσίλαᾳ	ρς΄	σς΄ς	οβ	γ
268	Πάτερνᾳ τὸ δ	Μαρινιανὸς	ρς΄α	σς΄ζ	ογ	δ
269	Κλαύδιᾳ		ρς΄β	σς΄η	ογ	α
270	Κλαυδίᾳ σεβαστός	Πατέρᾳ	ρς΄γ	σς΄ϑ	ογ	β
271	Αντίοχᾳ τὸ ς	Ορφίτᾳ	ρς΄δ	τ	ογ	γ
272	Αυρελλιανὸς σεβαστὸς	Βασσᾳ	ρς΄ε	τα	οδ	δ
273	Κύϊντᾳ	Βελλαμηνιανὸς	ρς΄ς	τβ	οδ	α
274	Αυρελλιανὸς τὸ δ	Καπιτολῖνᾳ	ρς΄ζ	τγ	οδ	β
275	Αυρελλιανὸς τὸ γ	Μαρκελλῖνᾳ	ρς΄η	τδ	οδ	γ
276	Τάκιτᾳ σεβαστὸς	Αιμιλιανὸς	ρς΄ϑ	τε	οε	δ
277	Προβᾳ σέβαστὸς	Παυλῖνᾳ	χ	τς	οε	α
278	Προβᾳ τὸ δ	Λάπᾳ	χα	τζ	οε	β
279	Προβᾳ τὸ γ	Πάτερνᾳ	χβ	τη	οε	γ
280	Μεσσαλᾶς	Γρατος	χγ	τϑ	ος	δ
281	Προβᾳ τὸ δ	Τιβεριανὸς	χδ	τι	ος	α
282	Προβᾳ τὸ ε	Βικτορῖνᾳ	χε	τια	ος	β
283	Κάρῳ σεβαστὸς	Καρῖνᾳ	χς	τιβ	ος	γ
284	Καρῖνᾳ σεβαστος	Νομεριανὸς	χζ	τιγ	οζ	δ
285	Διοκλιτιανὸς σεβαστὸς	Αρισόβυλλᾳ	χη	τιδ	οζ	α
286	Μαξιμῖνᾳ	Ακυλίνᾳ	χϑ	τιε	οζ	β
287	Διοκλιτιανὸς σεβαστὸς	Μαξιμιανὸς	χι	τις	οζ	γ
288	Μαξιμῖνᾳ σεβαστὸς	Ιαννυαριος	χια	τιζ	οη	δ
289	Βάσσᾳ τὸ δ	Κυντιανὸς	χιβ	τιη	οη	α
290	Διοκλητιανὸς σεβαστὸς	Μαξιμινᾳ σεβαστὸς	χιγ	τιϑ	οη	β
291	Τιβεριανὸς	Δίων	χιδ	τκ	οη	γ
292	Αννηβολιανὸς	Ασκληπιοδοτᾳ	χιε	τκα	οϑ	δ
293	Διοκλητιανὸς	Μαξιμιανὸς	χις	τκβ	οϑ	α
294	Κωνσαντῖνᾳ Καῖσαρ	Μαξιμιανὸς Καῖσαρ	χιζ	τκγ	οϑ	β
295	Τάσκᾳ	Αννυλλῖνᾳ	χιη	τκδ	οϑ	γ
296	Διοκλητιανὸς σεβαστὸς	Κωνσαντινος Καῖσαρ τὸ ι	χιϑ	τκε	π	δ
297	Μαξιμιανὸς σεβαστὸς τὸ ε	Μαξιμῖνος σεβαστὸς τὸ ο	χκ	τκς	π	α
298	Ευσᾳ τὸ β	Γάλλᾳ	χκα	τκζ	π	β
299	Διοκλιτιανὸς σεβαστὸς τὸ ζ	Μαξιμιανὸς σεβαστὸς τὸ ς	χκβ	τκη	π	γ
300	Κωνσαντῖνᾳ Καῖσαρ τὸ γ	Μαξιμιανὸς Καῖσαρ τὸ	χκγ	τκϑ	πα	δ
301	Τιτιανὸς	Νεποτιανὸς	χκδ	τλ	πα	α
302	Κωνσαντῖνᾳ Καῖσαρ το ο	Μαξιμῖνᾳ Καῖσαρ τὸ ε	χκε	τλα	πα	β
303	Διοκλιτιανὸς σεβαστὸς τὸ η	Μαξιμῖνᾳ σεβαστὸς τὸ ζ	χκς	τλβ	πα	γ
304	Διοκλιτιανὸς τὸ ϑ	Μαξιμῖνος σεβαστὸς τὸ η	χκζ	τλγ	πβ	δ
305	Κωνσαντῖνᾳ Καῖσαρ τὸ ε	Μαξιμῖνος Καῖσαρ τὸ ε	χκη	τλδ	πβ	α
306	Κωνσαντῖνᾳ σεβαστὸς τὸ ς	Μαξιμῖνος σεβαστὸς τὸ ς	χκϑ	τλε	πβ	β
307	Σεβῆρᾳ σεβαστὸς	Μαξιμιανὸς Καῖσαρ	χλ	τλς	πβ	γ

308	Διοκλητιανὸς σεβαστὸς τὸ ι	Μαξιμιανὸς σεβαστὸς τὸ δ	χλα	τλζ	πγ	δ
309	Λικίνιᾳ σεβαστὸς τὸ α	Κωνσάντι τὸ α	χλβ	τλη	πγ	α
310	Ανδρόνικᾳ	Προβος	χλγ	τλϑ	πγ	β
311	Μαξιμιανὸς	Μαξιμίνᾳ	χλδ	τμ	πγ	γ
312	Κωνσαντῖνᾳ τὸ β	Λικινιᾳ τὸ β	χλε	τμα	πδ	δ
313	Κωνσαντῖνᾳ τὸ γ	Λικίνιᾳ τὸ γ	χλς	τμβ	πδ	α
314	Βολυσιανὸς	Ανιανᾳ	χλζ	τμγ	πδ	β
315	Κωνσαντῖνᾳ τὸ δ	Λικίνιᾳ τὸ δ	χλη	τμδ	πδ	γ
316	Σαβινος	Ρωῦῖνᾳ	χλϑ	τμε	πε	δ
317	Γαλλικὸς	Βάσσᾳ	χμ	τμς	πε	α
318	Λικινιος τὸ ε	Κρισπᾳ Καῖσαρ	χμα	τμζ	πε	β
319	Κωνσαντῖνος σεβαστὸς τὸ ε	Λικίνιᾳ Καῖσαρ	χμβ	τμη	πε	γ
320	Κωνσαντῖνος σεβαστὸς τὸ ς	Κωνσαντι Καῖσαρ	χμγ	τμϑ	πς	δ
321	Κελσπᾳ Καῖσαρ τὸ δ	Κωνσάντι Καῖσαρ	χμδ	τν	πς	α
322	Προβιανὸς	Ιυλιανὸς	χμε	τνα	πς	β
323	Σεβῆρᾳ	Ρωῦῖνᾳ	χμς	τνβ	πς	γ
324	Κελσπᾳ Καῖσαρ	Κωνσάντι Καῖσαρ	χμζ	τνγ	πζ	δ
325	Πρόκλᾳ ἤτοι Παυλῖνᾳ	Ιυλιανὸς	χμη	τνδ	πζ	α
326	Κωνσαντῖνᾳ τὸ ζ	Κωνσάντι τὸ α	χμϑ	τνε	πζ	β
327	Κωνσαντῖνᾳ	Μαξιμῖνος	χν	τνς	πζ	γ
328	Ιαννυάριᾳ	Ιρσος	χνα	τνζ	πη	δ
329	Κωνσαντῖνᾳ τὸ η	Κωνσάντι τὸ β	χνβ	τνη	πη	α
330	Γαλλικανὸς	Συμμαχᾳ	χνγ	τνϑ	πη	β
331	Βάσσᾳ	Αβλαβι	χνδ	τξ	πη	γ
332	Πακάταν	Ιλαριανος	χνε	τξα	πϑ	α
333	Δελμάτι	Ζηνοβιλᾳ	χνς	τξβ	πϑ	δ
334	Οπτωᾳ	Παυλιν	χνζ	τξγ	πϑ	β
335	Κωνσάντι	Αλβῖνᾳ	χνη	τξδ	πϑ	γ
336	Νεποτιανὸς	Φακοῦνδᾳ	χνϑ	τξε	ς΄	δ
337	Φελεκιανὸς	Τιτανὸς	χξ	τξς	ς΄	α
338	Ουρσᾳ	Πολέμι	χξα	τξζ	ς΄	β
339	Κωνσάντι τὸ β	Κώνσας τὸ α	χξβ	τξη	ς΄	γ
340	Ακινδυν	Προκλᾳ	χξγ	τξϑ	ς΄α	δ
341	Μαρκελλῖνᾳ	Προβιανὸς	χξδ	το	ς΄α	α
342	Κωνσάντι σεβαστὸς τὸ γ	Κανσας σεβαστὸς τὸ β	χξε	τοα	ς΄α	β
343	Πλάκιτᾳ	Ρωμύλᾳ	χξς	τοβ	ς΄α	γ
344	Λεοντι	Σαλυστι	χξζ	τογ	ς΄β	δ
345	Αμάντι	Αλμῖνᾳ	χξη	τοδ	ς΄β	α
346	Κωνσάντι τὸ δ	Κωνσάντι τὸ γ	χξϑ	τοε	ς΄β	β
347	Ρωῦῖνᾳ	Ευσέβι	χο	τος	ς΄β	γ
348	Φιλιππᾳ	Σαλιας	χοα	τοζ	ς΄γ	δ
349	Λιμηνι	Κατυλῖνᾳ	χοβ	τοη	ς΄γ	α
350	Σέργι	Νιγρινιανᾳ	χογ	τοϑ	ς΄γ	β
351	τοῖς ἑομένοις		χοδ	τπ	ς΄γ	γ
352	Κωνσάντιος Αὔγυστος τὸ ε	Κωνσάντι Καῖσαρ	χοε	τπα	ς΄δ	δ
353	Κωνσάντιος τὸ ς	Κωνσάντιος Καῖσαρ τὸ η	χος	τπβ	ς΄δ	α
354	Κωνσαντι τὸ ζ	Κωνσάντιος Καῖσαρ τὸ γ	χοζ	τπγ	ς΄δ	β
355	Αρβίτιων	Δαλιανὸς	χοη	τπδ	ς΄δ	γ
356	Κωνσαντιος Αὔγυστος τὸ η	Ιυλιανὸς Καῖσαρ τὸ α	χοϑ	τπε	ς΄ε	δ
357	Κωνσαντιος Αὔγυστος τὸ ϑ	Ιυλιανὸς Καῖσαρ τὸ β	χπ	τπς	ς΄ε	α
358	Δατιανος	Κερέλλι	χπα	τπζ	ς΄ε	β
359	Ευσεβι	Υπάτι	χπβ	τπη	ς΄ε	γ
360	Κωνσάντιος Αὔγυστος τὸ ι	Ιυλιανὸς Καῖσαρ τὸ γ	χπγ	τπϑ	ς΄ς	δ
361	Ταῦρῳ	Φλωρέντι	χπδ	τς΄	ς΄ς	α
362	Μαμερτῖνᾳ	Νεμετας	χπε	τς΄α	ς΄ς	β
363	Ιυλιανὸς Αὔγυς τὸ δ	Σαλύστι	χπς	τς΄β	ς΄ς	γ
364	Ιυλιανὸς Αὔγυς	Ουαρονιαν	χπζ	τς΄γ	ς΄ζ	δ
365	Ουαλεντινιανὸς	Ουάλης Αὔγυς τὸ α	χπη	τς΄δ	ς΄ζ	α
366	Γρατιανὸς ἐπιφανεσατ	Δαγαλαῖφ	χπϑ	τς΄ε	ς΄ζ	β
367	Λυπίκι	Ιυιανὸς	χς΄	τς΄ς	ς΄ζ	γ
368	Ουαλεντινιανὸς	Ουάλης Αὔγυς τὸ β	χς΄α	τς΄ζ	ς΄η	δ
369	Ουαλεντινιανὸς	Ιυΐκτωρ	χς΄β	τς΄η	ς΄η	α
370	Ουαλεντινιανος	Ουαλης τὸ γ	χς΄γ	τς΄ϑ	ς΄η	β
371	Γρατιανὸς Αὔγυς τὸ β	Προβᾳ	χς΄δ	υ	ς΄κ	γ
372	Μοδεστος	Αρινθεω	χς΄ε	υα	ς΄ϑ	δ

a Sic etiam ſæpe ſcribitur hujus Imperatoris nomen apud *Porphyr.* in vit. *Plotini.*

THEO-

THEONIS FRAGMENTUM.

Θέωνος Αλεξανδρέως εἰς τοὺς προχείρους κανόνας.

Οσα δεῖ προειδέναι τὸν ἐντυγχάνοντα τοῦ κανόνος.

Ημὲν λογικωτέρα ἔφοδος τῶν ἀφ' ὧν τοὺς προχείρων κανόνων ψηφοφορίας τῶν ἀστέρων, τέκνον Επιφάνιε, γέγονεν ἡμῖν δι' ἀκριβείας ἐν πέντε βιβλίοις ἐν ἑτέρῳ συντάγματι· ἐν τούτῳ δὲ ἐπειδὴ οἱ πλεῖστοι τῶν προσιόντων ἡμῖν πρὸς τὴν τοιαύτης διδασκαλίας μάθησιν, μήτε μηδὲ τοῖς πολλαπλασιασμοῖς ἢ μερισμοῖς τῶν ἀριθμῶν, a ἱκανῶς δείξεων τυγχάνουσιν, ἐσπουδάσαμεν καὶ πρὸς τούτους, κατὰ τὸ δυνατὸν, μεθοδικώτερον ὑπομνηματίσασθαι, φιλάς τὰς ἐφόδους προτιθέντες πρὸς τὸ καταδηλοτέραν αὐτοῖς τὴν ἔκθεσιν τῶν κανονίων τῆς διδασκαλίας καταφαίνεσθαι. Επεὶ οὖν τῶν προκειμένων προχείρων κανόνων b προὐλέχθησαν τὰς κινήσεις τῶν ἀστέρων, ἀπὸ χρόνου τινὸς ἐχρῆν προϋφεστάναι, καὶ ἐν κατ' αὐτὴν τόπου τῶν ἀστέρων, (ἐπεὶ καὶ κινήσεώς ἐστιν ἀρχὴ τόπος καὶ χρόνος) πεποίηται ταύτην ἀπὸ μὲν πρώτου ἔτους Φιλίππου μετ' Αλέξανδρον τὴν κτίσιν κατ' Αἰγυπτίους, καθ' ὃς συνιασι χρόνος ἡμερῶν τυγχάνει τξε μόνον, Θωθ νεομηνία τῆς μεσημβρίας, ὅπως ἔσῃ, πληρωθείσης ἕκτης ὥρας καὶ ἀρχομένης ἑβδόμης, ὡς πρὸς τὴν ἡμετέραν κατ' Αἴγυπτον Αλεξάνδρειαν, ἀφ' ὧν καὶ προσθήκας χώρας γίνεσθαι κατ' ἄλλον καὶ ἄλλον χρόνον· τὴν ἑξῆς ἀκόλουθον ἡγούμεθα τὰ εἰς τὴν προκειμένων πραγματείαν συντείνοντα προδιδάξαι, τυτέστι, περὶ τῶν μοιρῶν καὶ τῶν λεπτῶν, ἤτοι ἑξηκοστῶν, καὶ τῶν κατ' αὐτὰ πολλαπλασιασμῶν, ἢ μερισμῶν, καὶ ἔτι τῶν κατὰ τὴν πραγματείαν ὀνομασιῶν. Προληπτέον δὲ καθόλου, ὅτι μὲν ζωδιακὸς, ἢ καὶ ἄλλα προσμεγίστου κύκλου εἰς τξ ἴσα διαιρούμενα, ἕκαστον ἀφαίρεμα μοῖραν καλεῖται· καὶ ὅτι ἡ μὲν μοῖρα διαιρεῖται εἰς λεπτὰ πρῶτα ξ, τὸ δὲ ἐν πάλιν εἰς δεύτερα ἑξήκοντα πάλιν, τὸ δὲ δεύτερον ὁμοίως εἰς τρίτα πάλιν ἑξήκοντα, καὶ ἑξῆς ἀκολούθως· καὶ ὅτι μοῖρα ἐπὶ μοῖραν πολλαπλασιαζομένη, μοίρας ποιεῖ· ἐπὶ δὲ πρῶτα λεπτὰ, πρῶτα λεπτά· ἐπὶ δὲ δεύτερα, δεύτερα· ἐπὶ τρίτα, τρίτα· καὶ τὰ ἑξῆς πάλιν ὁμοίως. Πρῶτα δὲ λεπτὰ ἐπὶ πρῶτα, ποιεῖ δεύτερα· καὶ μεριζόμενα διὰ τῶν d ξ, πρῶτα πάλιν· πρῶτα δὲ ἐπὶ δεύτερα, τρίτα· καὶ μεριζόμενα διὰ τῶν e ξ, δεύτερα· καὶ ἑξῆς πάλιν ἀκολούθως· δεύτερα δὲ ἐπὶ δεύτερα, τέταρτα· καὶ μεριζόμενα διὰ τῶν f ξ, τρίτα· Ἔτι πάλιν κανόνα φαμὲν πᾶσαν τῶν σύνταξιν οἵας δήποτε παρακειμένης ἐν τῷ κανόνι πραγματείας, κἂν πλειόνων τυγχάνῃ πτυχίων· στίχον δὲ, τὸν κατὰ τὸ κοινὸν ἔθος καλούμενον· σελίδιον δὲ, τὸ κατὰ τὴν θέσιν τῶν ἀκροστιχίδος κείμενον, κἂν μοιρῶν μόνον τυγχάνῃ, ἢ καὶ μόνων ἑξηκοστῶν· Πάλιν τὸ συναμφότερον σελίδιον φαμέν.

Ετι τοῦ ζωδιακοῦ εἰς δώδεκα ἴσα διαιρουμένου, ὁ παροδεύει ὁ ἥλιος, πρῶτον δωδεκατημόριον ἀπὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας, κριὸν καλοῦμεν· τὸ δεύτερον, ταῦρον· καὶ ἑξῆς ἀκολούθως κατὰ τὴν δεδομένην ἡμῖν τάξιν τῶν δώδεκα ζωδίων· καὶ τοῦτον ἑπόμενα καλοῦμεν, ὡς ἀπὸ κριοῦ ἐπὶ ταῦρον καὶ διδύμους, καὶ ἑξῆς ὁμοίως· προηγούμενα δὲ τὰ ἀνάπαλιν, ὅσα ἀπὸ διδύμων ἐπὶ ταῦρον καὶ κριὸν ὁμοίως. Επειδὴ γὰρ φαμὲν κατὰ τὸ σύνεχες τῷ μὲν κριῷ τὸν ταῦρον, τῷ δὲ ταύρῳ τοὺς διδύμους, καὶ ἑξῆς ὁμοίως. Ἔτι δὲ ἐποχὴν φαμὲν, ἣν κατά τινα χρόνον ἐπέχει τοῦ ζωδιακοῦ μοῖραν ὁ

Theonis Alexandrini in Canones expeditos.

Lecturis Canonem quæ ſint ſupponenda *præcognita*.

QUO pacto ſint Aſtrorum calculi per *expeditos Canones* putandi, in alio, fili *Epiphanie*, quinque Librorum opere, pro ſeverioris ratiocinii legibus oſtendi: Quoniam vero noſtrorum diſcipulorum plerique nec multiplicandorum dividendorumve numerorum [moleſtiam ferunt; quod tamen faciant neceſſe eſt] ſi id genus demonſtrationes velint ſatis apprehendere; propterea novam, horum quoque gratia, operam pro virili noſtra ponendam cenſuimus, ut nudis duntaxat documentis propoſitis illos faciliori methodo commonefaciamus, ut ita hæc Canonum diſciplina illis manifeſtior appareat. Quoniam itaque Canonum horum, qui ſtellarum motus metiuntur, expeditorum tam tempus, quam locum etiam certum oporteat ſupponi in quo agant ſtellæ (eſt enim motus illius initium in certo illo loco atque tempore) proinde hoc noſtrorum Canonum initium arceſſit [*Ptolemæus*] à primo illius *Philippi* anno qui *Alexandro* conditori ſuccellit, & quidem ſecundum *Ægyptios*, quorum annus dies duntaxat CCCLXV complectitur, à *Thoth* novilunii meridie, abſoluta hora ſexta, inchoata hora ſeptima, pro climate noſtræ *Ægyptiacæ Alexandriæ* (ſunt enim pro aliarum Regionum diverſitate & horæ quoque aliæ ab invicem atque aliæ) proinde conſentaneum duximus, quæ ad noſtrum argumentum aliquatenus conducunt, ea præmonere, de [cœleſtium circulorum] *partibus*, aut *minutis* (ſeu potius *ſexageſimas* appellare malis) deque horum multiplicationibus aut partitionibus, & de *nominum* eorum, quæ in hoc argumento occurrunt, ſignificatione. Id vero ante omnia præmonendum, Zodiaco, ſeu maximorum circulorum quovis alio, in partes CCCLX. æquales diviſo ſingula illa intervalla *gradus* appellari; & quidem illos ipſos gradus in *minuta prima* LX. rurſus diſtribui, horum rurſus ſingula in minuta LX *ſecunda*, & minuta ſecunda in *tertia* pariter LX. & ſic deinceps. Id quoque præmonendum, *gradus* ſi per *gradus* multiplicentur, *gradus* reddi; ſin per *minuta* ſexageſima *prima*, minuta eadem prima; ſi per ſecunda, ſecunda; ſi per tertia, tertia; atque ad eundem modum, ſi ulterius proceſſeris. Prima autem minuta ſi per prima multiplices, efficies minuta ſecunda; & viceverſa ſi ſecunda minuta per LX. partiaris, prima rurſus minuta provenient. Sic prima minuta ſi per ſecunda multiplicentur, dabunt tertia, quæ ipſa tertia, per LX. diviſa, ſecunda colliges. Sic & in reliquis. Quod ſi ſecunda per ſecunda duxeris, quarta fient; eadem per LX. diſtributa, tertia efficies. Præterea canonis nomine omnem intelligimus cujuſcumque generis congeriem tabellis deſignatam, in quocunque tandem illa verſetur argumento, & plurium ſit laterculorum. Stichum vero, ſeu verſum, pro vulgi etiam more uſurpamus [ut nempe ſeriem à ſiniſtra dextram verſus denotet.] Selidion vero, ſeu laterculum appellamus qui titulo in capite præfixo ſua [deorſum] poſitura reſpondet, utcunque graduum ſit ſolorum, ſeu ſolorum etiam minutorum. Eodem etiam nomine utrumque, [ſeu tertium potius ex utroque conflatum] inſignimus.

Porro diſtributo in duodecim partes æquales *Zodiaco*, primam illam duodecimam, quam à verno Æquinoctio Sol emetitur, *Arietem* nuncupamus, ſecundam *Taurum*, & ſic deinceps ſecundum traditum nobis ordinem duodecim ſignorum. Horum illa *conſequentia* vocamus quæ eo ordine ſe invicem ſequuntur, ut *Taurus Arietem*, ut *Taurum Gemini*, & in reliquis ſimiliter; & viciſſim *antecedentia* quæ contrario ordine ſibi invicem reſpondent, ut *Geminis Taurus*, *Tauro Aries*. Sequi enim dicimus pro motus continuitate, *Taurum* ſi ad *Arietem* inſtituatur comparatio, *Geminos* etiam ſi ad *Taurum*, & ad eundem modum cætera. *Epocham* præterea [aſtri] illum dicimus Zodiaci *gradum* qui de-

a Vel deeſt hoc in loco aliquid, vel mendoſe concepta præcedentia. Nos ſententiam potius quam verba reddidimus. b Forte ἀρχὴν add. ut infra. c τ ξ. d ξ. e ξ. f ξ.

ἀστέρ· τῶν ὕστω προθειλημμένων ἐξῆς ἐπὶ τ προκειμένην πραγματείαν χωρήσομεν.

Επεὶ δ̃ν τοὺς μέλλοντας ἄρχεσθ τ προκειμένων ἡμῖν ΔΔ τ προχείρων κανόνων ψηφοφορῶν, ἀναγκαῖόν ἐστι προμανθάνειν τὰ ὀν τοῦ ἀναδιδομένου χρόνου γινόμενα, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖσον κεφάλαια πέντε· δεύτερον πρὸς τούτων ΔΔληψόμεθα. Ἔστι δὲ τάδε· εἰκοσιπενταετηρίδες, καὶ τὰ ἁπλᾶ ἔτη, μὴν Αἰγύπτιον, ἡμέρα, καὶ ὥρα· ἐυρίσκομεν τοίνυν τὰς εἴκοσι πέντε τόνδε τ τρόπον, συνάγοντες τὰ ἀπὸ τ ἀρχῆς Φιλίππου ἔτη μέχρι τ ἀναδιδομένου χρόνου, εἰσάγομεν εἰς τὸ τ εἰκοσιπενταετηρίδων κανόνιον, καὶ τὰ ὑπκείμενα ὀν αὐτῷ κτ τὸ πρῶτον σελίδιον ἔγγισα ἐλάττονα τ συναχθέντων, φήσομεν εἶναι εἰκοσιπενταετηρίδας· τὰ δὲ ὑπόλοιπα ἀπὸ τ ἀρχῆς Φιλίππου ὀκ τ συναγμένων ἔτη ἁπλᾶ· Εὰν δὲ μηδὲν ὑπολείπηται, ἀλλ' αὐτὰ τὰ συναγόμενα ἀπὸ τ ἀρχῆς Φιλίππου ἔτη ἐυρίσκεται εἰς τὸ τ εἰκοσιπενταετηρίδων πρῶτον σελίδιον, οὐκ ἀπογραψόμεθα τὸ τ ἁπλῶν ἐτῶν κεφάλαιον· διὸ καὶ ἐλέγομεν ὡς ἀπὸ τὸ πλεῖσον πέντε εἶναι τὰ κεφάλαια· Λαμβάνεται δὲ ἕκαστον τ κεφαλαίων πρῶτον αἱ εἰκοσιπενταετηρίδες, ἐξῆς δὲ λαμβάνεται ὁ μὲν καθ' ἡμέρα κατ' Αἰγυπτίους τόνδε πάλιν τ τρόπον. Επεὶ γὰ ὁ καθ' Ἕλληνας, ἤτοι κατὰ Αλεξανδρέας, ἀναδιδόμενον ἡμῖν ἐνιαυτὸς ἡμερῶν ἐστιν τξε. σϟα ὁ δὲ κατ' Αἰγυπτίους, ὡς ἔφαμεν, τ ξε μόνον· δῆλον ὡς ὅτι κτ τέσσαρα ἔτη ἡμέραν μίαν προσλαμβάνει τ κτ Αλεξάνδρειαν, κτ δὲ α υξ ἔτη ἡμέρας τ ξε, τυτέστι κατ' Αἰγυπτίους ἐνιαυτὸν ἕνα· καὶ πάλιν ἅμα ποιοῦσιν οἵτε κτ τ Αλεξάνδρειαν καὶ οἱ κτ τ Αἰγυπτὸν ἀρχὴν τ ἐνιαυτῶ καὶ ἐξῆς τὰς ἡμέρας, καὶ τὰς μῆνας τ κατ' Αἰγυπτίους χρόνου, ὅλον ἐνιαυτὸν bπαρειληφότες, καὶ ὀν τῇ ἀρχῇ τ ἐξῆς ἐνιαυτῶ ἄρχονται οἱ Αἰγύπτιοι τὸ δ τ ἡμέρας προσλαμβάνειν, καὶ ἐξῆς πάλιν ἀκολουθῶς.

Γέγονε δὲ ἡ εἰρημένη ΔΔ α υξ ἐτῶν ἀποκατάστασις ἀπό τινος ἀρχῆς χρόνου, τῷ πέμπτῳ ἔτει Αυγούστου βασιλείας, ὡς ὀκ τούτου πάλιν τ χρόνου τ ἀρχὴν εἰληφέναι c τὰς Αἰγυπτίους, προσλαμβάνειν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τῷ τετάρτῳ μέρει τ ἡμέρας· Ὅταν δ̃ν ἀπὸ τ κατ' Αλεξανδρειαν, ἤτοι καθ' Ἕλληνας, χρόνον, τόν τε κατ' Αἰγυπτίους μῆνα καὶ τ ἡμέραν προσαιρώμεθα λαμβάνειν· τ συναγομένων ἐτῶν ἀπὸ τ πέμπτου ἔτους Αυγούστου, μέχρι τ ἀναδιδομένου τὸ τέταρτον λαμβάνοντες (ΔΔ τὸ, ὡς ἔφαμεν, κτ τέσσαρα ἔτη μίαν ἡμέραν αὐτὰς προσλαμβάνειν) παρῶντες τὰ ἀπολειπόμενα μέχρι τελῶν, τὰ γινόμενα ἔξομεν, ὅσαις ἡμέραις προειλήφει ὁ κατ' Αἰγυπτίους τ κτ Αλεξάνδρειαν, αἵτινες καλοῦνται τετραετηρίδες· ἃς προσιθέντες τῇ ἀναδοθείσῃ τ μηνὸς ἡμέρᾳ τ παρελθούσης μεσημβρίας, τὸ συναχθέντα τ ἡμερῶν ἀριθμὸν ὑπβάλλοντες ἀπὸ τ ἀρχῆς τ ἀναδοθέντος μηνὸς, ἑκάστῳ μηνὶ διδόντες ἡμέρας λ, εἰς ὃν δὲ καταντήσει μῆνα ὁ ἀριθμὸς, ἐκεῖνον φήσομεν εἶναι κατ' Αἰγυπτίους, τὰς δὲ ὑπολιμπανομένας ἡμέρας Αἰγυπτίας. Εὰν δὲ πάλιν μὴ ὑπολειφθῶσιν ἡμέραι, ἀλλ' ὑπβαλλόμενον τὸ τῶν ἡμερῶν πλῆθος εἰς τριακοσθήμερον ἀπαρτίσῃ, αὐτὸν δὲ τ μῆνα καθ' ὃν ἀπήρτισε τὰς λ ἡμέρας ἀπογραψόμεθα. Εὰν δὲ κτ πρὸς ὑπβάλλοντες τὸ τ ἡμερῶν πλῆθος, καταλήξωμεν εἰς τ Θὼθ, ἢ κτ εἰς τ ἐξῆς αὐτὸν μῆνα, ἀφελόντες τ πενταμέρῳ πάντοτε ἡμέρας πέντε· κἂν ἐξήμερος τυγχάνῃ, προσθήσομεν ἀπογραφεῖσι ἔτεσι ἐνιαυτὸν ἕνα, ἂν ὀν τ ἡμερῶν ἐπισυναχθῇ, ἐὰν δὲ τύχῃ μὴ ἐνεστὼς ἁπλᾶ ἔτη, αὐτὸ ἓν ἔτος ἁπλοῦν ἀπογραψόμεθα. τ δὲ ἀπὸ μεσημβρίας ὥραν λήψόμεθα, τ ἑβδόμην ἡμερινὴν ὥραν πρώτην καλοῦντες, καὶ τ ἐγδόην δευτέραν, καὶ ἐξῆς ὁμοίως μέχρι τῆς κ δ, ἥτις ἐστὶ τῆς ἡμέρας ὥρα ἕκτη.

Ινα δὲ κτ ἐπὶ ὑποδείγματος φανερὸν ἡμῖν γένηται ἡ τ προειρημένων πέντε κεφαλαίων ἔφοδος, ὑποκείσθω χρόνος ἡμῖν ἀπὸ τ ἀρχῆς τ Φιλίππου βασιλείας, μέχρι Διοκλητιανοῦ ἔτους ο ζ Θὼθ κ δ ὥρα ἡμερίνη ι α. Επεὶ οὖν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς Φιλίππου βασιλείας μέχρι τῆς Διοκλητιανοῦ συνάγεται ἔτη χ ζ, ὡς ὀκ τ ὀν τῷ κανονίῳ τ βατιλειῶν ἐπὶ συναγωγῶν γίνεται δῆλον· ἐὰν τούτοις προσθέντες τὰ ἀπὸ τ ἀρχῆς Διοκλητιανοῦ ἀναδοθέντα ἔτη ο ζ, τὰ συναγόμενα χ πδ εἰσάγομεν εἰς τὸ τῶν εἰκοσιπενταετηρίδων πρῶτον σελίδιον, καὶ τὰ προαναγεγραμμένα αὐτῷ τῶν χ πδ ἔγγιστα ἐλάσσονα χ ος τυγχάνοντα φήσομεν εἶναι εἰκοσιπενταετηρίδας· τὰ δὲ ὑπολειπόμενα η ἔτη, ἁπλᾶ

a Rectius MS. *Petavii*, ὁ κατ' Αλεξανδρέας. Aliter si legas, deque anno *Ægyptio* intelligas, legendum deinde potius προσλαμβάνει.

b παρειληφότες.

c Αλεξανδρεῖς, ut supra.

d Hæc habet è *Theone Petavius* Auctar. Doctr. temp. L. V. c. 4.

πλᾶ ἔτη, a . . . . . ϗ πρὸς τ̄ λῆψιν τ̄ν τε κατ' Αἰγυπτίους μην̄ὸς ϗ ἡμέρας. Επεὶ δ̄ν ἀπὸ τ̄ ἀρχ̄ης Αυγ̄ούστ̄υ μέχρι τ̄ Διοκλητιαν̄ῦ ἔτη ὁμοίως συνάγεται ὡ̄ τ̄ βασιλειῶν κανόν̄ τι γ̄, ἐλέγομεν δὲ τ̄ b κατάσασιν τ̄ ϗ Αλεξανδρέας πρὸς τ̄ κατ' Αἰγυπτίους γενῆᾳ μ̄ ε̄ ἔτη τ̄ ἀρχ̄ης τ̄ Αυγ̄ούστ̄υ βασιλείας· ἐὰν τοῖς ἀπ̄ τ̄ ἀπκατασάσεως μέχρι τ̄ ἀρχ̄ης Διοκλητιαν̄ῦ ἔτεσι προσθ̄ῶμεν τὰ ἀναδοθέντα ἀπ̄ Διοκλητιαν̄ῦ ἔτη ϛ̄ ζ̄, ϗ συναγομένων τ πε τὸ τέταρτον λάβωμεν, τὰς γινομένας ὡ̄ τ̄ μεσμ̄ῦ ἡμέρας ϛ̄ ϛ̄, προσλειπόντων ἡμ̄ῶν τὸ ὑπόλοιπον, ἔξομεν ὅσας προσεί̄ληφεν ὁ κατ' Αἰγυπτίους χρόν̄ος ἀπ̄ τ̄ ἀπκατασ̄άσεως μέχρι τ̄ ἀναδοθέντ̄ος ἀπ̄ Διοκλητιαν̄οῦ ὁ ζ̄ ἔτ̄ους τ̄ κατ' Αλεξανδρέας, ἤτοι καθ' Ἕλληνας, αἷς c προσθέντας τ̄ ἀναδοθεῖσαν τ̄ μην̄ὸς ἡμέραν τ̄ παρελθ̄ούσ̄ης μεσημβρίας, τυτέσι, τὰς τ̄ Σεπτεβρίου ἡμέρας κ̄ ϐ̄ ἐπειδήπερ ἡ ἀναδοθεῖσα ὥρᾳ μ̄ῇ μεσημβρίαν ἐτύ̄χανεν, εἰ γ̄ὰ ἦν μεσημβρίαν, τ̄ κ̄ α προσετίθεμεν ἂν· αὐτὴ γ̄ὰ πάλιν ἡμέρα ἐγίνετο τ̄ παρελθ̄ούσ̄ης μεσημβρίας· τὰς συναγομένας ρῑ η̄ συμβάλλοντες ἀπ̄ τ̄ ἀρχ̄ης τ̄ ἀναδιδομένου μην̄ός· ὡς σὺν τ̄ῷ Θὼθ ἑκάσ̄ῳ μην̄ὶ διδόντες ἡμέρας λ̄, ἔξομεν κατ' Αἰγυπτίους τόντε μῆνα χοιὰκ, τ̄ δὲ ἡμέραν κ̄ η̄, ὅσα ϗ μ̄ῇ τὸς ὅλους μῆνας ὑπελείφθησαν.

simplices . . . . . & ad inventionem *Ægyptiaci* tàm *menſis*, quam etiam *diei*. Ergo quoniam ab initio *Auguſti* uſque ad initium *Diocletiani* ſimiliter, ex eodem *Regnorum Canone*, anni colliguntur CCCXIII. diximus autem *Alexandrini* anni commune illud cum *Ægyptiaco* exordium poſt *quintum* ab initio *Auguſti* annum eſſe repetendum; ſi itaque à communi illo anni utriuſque initio uſque ad initium *Diocletiani* annis elapſis addamus & reliquos à *Diocletiano* annos LXXVII; collatiſque in unam ſummam utriſque, quadrantem accipiamus, *dies* ſcilicet, pro diviſionis illius quoto, XCVI, (reliquis nimirum omiſſis qui ad numerum *quaternarium* non aſſurgunt) tenebimus *dierum* numerum à communi utriuſque primordio deductum ad annum *Diocletiani* LXXVII. quo *Alexandrinum* illum, ſeu *Græcorum*, annum antecedit *Ægyptiacus*. His addemus propoſitum menſis diem à meridie numerandum, *Septembris* nimirum dies XXII, propterea quod *meridiem* hora propoſita *conſequatur*. Si enim *antemeridiana* fuiſſet *hora*, dies utique XXI. addidiſſemus, fuiſſet enim eadem *dies* cum præcedentis diei *meridie*. Fient omnes collecti CXVIII. Horum rurſus, ſi ab initio dati menſis *tricenarios* ejiciamus, ita ut non modo *Thoth*, ſed ſingulis præterea menſibus, ſuos etiam concedamus *tricenarios*; habebimus menſem *Ægyptiacum Choiac*, diem XXVIII. tot enim dies reſtabunt deductis ſolidorum menſium *tricenariis*.

Faſti alii ex Apographo Voſſiano *illi Regum Canoni ſubjuncti, quem* Heraclii *Imperatoris fuiſſe ſuſpicati ſumus, ut & hos putemus ejuſdem eſſe* Heraclii. *Sunt autem mutili pariter atque ordine perturbatiſſimo. Nulli autem in Apographo* accentus, *nulli* ſpiritus, *ſed nec etiam plerunque* dipthongi.

	Μετα την βασιλειαν Αντωνινϗ		Anni, ut videtur, Imperii.	Anni Auguſti.
222	Αντωνιν̄ο το δ̄	και Αλεξανδρ̄ο	δ̄α	σπβ
223	Μαξημιν̄ο το δ̄	και Σελιν̄ο	β	252
224	Ιωλιαν̄ο β	και Κελσπιν̄ο	γ	pro-
225	Φουσκ̄ο το β	και Σεκστ̄ο	δ	culdubio.
226	Σευηρ̄ο β	και Μαρκελο το ϛ̄	ε	
227	Αλβιαν̄ο β	και Μαξιμιν̄ο	ϛ	
228	Μοδες̄ο β	και Προβ̄ο	ζ	
229	Σευηρ̄ο και Αλεξ.	και Διων ϛ̄	η	
230	Περσκιλλιαν̄ο	και Αγελικολας	ϑ	σξ
231	Κομοδ̄ο	και Πελιγνιαν̄ο	ι	
232	Λωππ̄ο	και Μαξημ̄ο	ια	
233	Μαξημῑο	και Πατερν̄ο	ιβ	
234	Μαξιμ̄ο β	και Ουρσιαν̄ο	ιγ	
235	Σευηρ̄ο	και Κυτιαν̄ο	α	
236	Μαξημ̄ο	και Αφρικιαν̄ο	β	
237	Πρεπετ̄ο	και Κορδινιαν̄ο	γ	
238	Πῑο	και Προκλ̄ο	α	
239	Γορδιανϗ	και Αβιολαϗ	β	
240	Σαβιν̄ο ϛ̄	και Βρενϗτ̄ο	γ	σο
241	Γορδιαν̄ο ϛ̄	και Πομπιλιαν̄ο	δ	
242	Αττικ̄ο	και Πρετεκας̄ο	ε	
243	Αξιαν̄ο	και Παππ̄ο	ϛ	
244	Πελεγριν̄ο	Εμηλιαν̄ο	α	
245	Φιλιππ̄ο σεβας̄ο	και Τιτιαν̄ο	β	
246	Περσις	και Αλβιαν̄ο	γ	
247	Φιλιππος σεβ̄ας̄ς β	και Φιλιππ̄ο κεσαρ .)(.	δ	
249	Αιμιλιαν̄ο β	και Ακυλλιν̄ο	ϛ	
250	Τρ̄ιϊαν̄ο β	και Γρατ̄ο	α	σπ
251	Δεκιος το γ	και Δεκιος Καισαρ το β	α	
252	Γαλος το β	και Ουολυσιανος	β	
253	Ουολυσιανος το β	και Γαληνος το α	γα	
254	Ουαλλεριανος	και Γαληνος το β	β	
256	Μαξιμος	και Γλαβριον το γ	δ	
257	Ουαλλεριανος το δ	και Γαλλιανος το γ	ε	
258	Τυσκος	και Βασσος	ε	
259	Αιμιλιανος	και Βασσος	ϛ	
260	Σεκυλλαριος το β	και Δωνατος	ζ	σϛ
261	Γαλιην το δ	και Ουολυσιανος	η	
262	Γαλινος το ε	και Φαυσινιανος	ϑ	
263	Αλβινος το β	και Δεξτρος	ι	
264	Γαλλιην το ϛ	και Σατορνιν̄ο	ια	
265	Ουαλλεριανος το β	και Λυκῑο	ιβ	
266	Γαλλιην το ζ	και Σαβεινελλ̄ο	ιγ	
267	Πατερν̄ο	και Αρκεσιλᾱο	ιδ	
268	Πατερν̄ο το β	και Μαρινιαν̄ο	ιε	
269	Κλαυδῑο σεβας̄	και Πατερν̄ο	ις	
270	Αντιοχιαν̄ο το β	και Ορφητ̄ο	α	
271	Αυρελλιαν̄ο σεβας̄	και Βασσ̄ο το β	β	τ
272	Κυιντ̄ο το β	και Βελδεινιαν̄ο	γ	
273	Τατικ̄ο	και Πλακιδιαν̄ο	α	
274	Αυρελλιαν̄ο το β	και Καπετολιν̄ο	ε	
275	Αυρελλιαν̄ο το γ	και Μαρκελλιν̄ο	ϛ	
276	Τατικ̄ο το β	και Εμηλιαν̄ο	α	
277	Προβ̄ο σεβας̄ο	και Παυλιν̄ο	β	
278	Προβ̄ο το ϛ̄	και Λωπ̄ο	γ	
279	Προβ̄ο το γ	και Πατερν̄ο το β	δ	
280	Μεσσαλας	και Γρατ̄ο	ε	τι
281	Προβ̄ο το δ	και Τιβερῑο	ϛ	
282	Προβ̄ο το ε	και Ουικτορῑν	ϛ	
283	Καρ̄ος σεβας̄ο	και Καρ̄ιν̄ο	α	
284	Καρῑν̄ο το β	και Νυμεριαν̄ο	β	χϛ

Omittitur deinde Epocha Auguſti.

XZ

	Τα απο Φιλιππ̄υ μεχρι Διοκλητιαν̄υ το β ετ̄η		Ep. Dioclet.	Philippi.
285	Διοκλητιαν̄υ το β	και Αρισοβ̄ελλ̄υ	ετ̄η κ	χη
286	Μαξιμος	και Ακυλλιανος	β	χϑ
287	Διοκλιτιαν̄υ το γ	και Μαξιμινος σεβαστος	γ	χι
288	Μαξιμιν̄υ το ϛ̄	και Ιαννυαριυ		
289	Τιβεριυ Βασσου	και Διωνος και Κυντιαν̄υ	ε	χιβ
290	Διοκλιτιαν̄υ το δ	και Μαξιμιαν̄υ γ	ϛ	χιγ
291	Τιβεριαν̄υ το β	και Διωνος	ζ	χιδ
292	Ανιλιαν̄υ	και Ασκλιπιοδωτ̄υ	η	χιε
293	Διοκλιτιαν̄υ το ε	και Μαξιμιανο το δ	ϑ	χις
294	Κωνσαντιν̄υ Καισαρ	και Μαξιμιαν̄υ Καισαρ	ι	χιζ
295	Τουσκυ	και Ανυλλιν̄υ	ια	χιη
296	Διοκλιτιαν̄υ το ϛ	και Κωνσαντιν̄υ το β	ιβ	χιϑ
297	Μαξιμιν̄υ το ε	και Μαξιμιαν̄υ Καισαρ το ϛ̄	ιγ	χκ
298	Φαυσ̄ο	και Γαλλος	ιδ	χκα
299	Διοκλιτιαν̄υ Ζ ϛ̄ viz.	και Μαξιμιαν̄υ το ϛ	ιε	χκβ
300	Κωνσαντιν̄υ Καος. το γ	και Μαξιμιαν̄υ το	ις	χκγ

a Deeſt aliquid. Nullum tamen ſpatium vacuum in MSo. b ἀπκατάσασιν, ut infra. c προσθέντες.

301	Τιτιανυ	και Νεπωτιανυ	ϛ	χκδ		
302	Κωνσαντιυ Καισαρ δ	και Μαξιμιανος Καισ. το α	η	χκε		
303	Διοκλιτιανυ το η	και Μαξιμιανου το ζ	ιϑ	χκϛ		
304	Διοκλιτιανυ το ϑ	και Μαξιμιανυ το η	κ	χκϛ		
305	Κωνσαντ Καισαρ το ζ	και Μαξιμιανυ Καισ. το ι	κα	χκη		
338	Ουρσου	και Πολεμιυ				
339	Κωνσαντιυ το β	και Κωνσαντ⟜ το α				
340	Ακινδυνυ	και Προκλυ				
341	Γεφυι⟜	και Προϊνυ				
342	Κωνσαντιυ το γ	και Κωνσαντ⟜ το β				
343	Πλακιανυ	και Ρομυλλυ				
344	Λεοντιυ	και Σαλλυστιυ				
345	Αμαντιυ	και Αλβιανυ				
346	Κωνσαντιυ το δ	και Κωνσαντ⟜ το γ				
347	Ρυφινυ	και Ευστεβιυ				
348	Φιλιππυ	και Σαλια				
349	Λημενιυ	και Κατυλινυ				
350	Σεργι⟜	και Νιγριαν⟜				
351	Οι μετα υπατιαν Σεργιυ και Νιγριανυ					
352	Κωνσαντιυ το ε	και Κωνσαντιυ ναιυ το α				
353	Κωνσαντιυ το β	και Κωνσαντ⟜ το β				
354	Κωνσαντιυ το ζ	και Κωνσαντ⟜ το γ				
355	Αρβητιον⟜	και Λολλιανυ				
356	Κωνσαντιυ το η	και Ιυλιανυ Κεσαρος το α				
357	Κωνσαντιου το ϑ	και Ιυλιανυ Κεσαρ⟜ το ε				
358	Δατιαν⟜	και Καρφιλλι⟜				
359	Ευστεβι⟜	και Υπατι⟜				tridi-tio.
360	Κωνσαντιυ το ι	και Ιουλιανυ το γ	ος	χπγ		γ
361	Ταυρυ	και Φλορεντιυ	οη	χπδ		δ
362	Μαμερτινυ	και Νεβιττας	οϑ	χπε		ε
363	Ιυλιανυ το δ	και Σαλουστιυ	π	χπϛ		ϛ
364	Ιοβιαν⟜	και Βαρρωνιαν⟜	πα	χπζ		ζ
365	Ουαλεντινιανυ	και Ουαλεντ⟜ το β	πβ	χπη		η
366	Γρατιαν⟜	και Δαγαλαις	πγ	χπϑ		ϑ
367	Λυππηκιν⟜	και Ιοβιανος	πδ	χϛ′		ι
368	Ουαλεντινιανυ το β	και Ουαλις το β	πε	χϛ′α		ια
369	Ουαλεντινιανυ	και Ουηκτορ⟜	πϛ	χϛ′β		ιβ
370	Ουαλεντινιανυ	και Ουαλεντ⟜ το γ	πζ	χϛ′γ		ιγ
371	Γρατιανυ το β	και Προβυ	πη	χϛ′δ		ιδ
372	Μοδες⟜	και Αριυβε⟜	πϑ	χϛ′ε		ιε
373	Ουαλεντινιαν⟜	και Ουαλης το δ	ϛ′	χϛ′ϛ		κ
374	Γρατιανυ το γ	και Εκυτιου	ϛ′α	χϛ′ζ		κα
375	Τοις μετα την υπατιαν Γρατιανου και Εκυτιου		ϛ′β	χϛ′η		κβ
376	Ουαλεντ⟜ το ε	και Ουαλεντιν⟜ νε⟜	ϛ′γ	χϛ′ϑ		κγ
377	Γρατιαν⟜ το δ	και Μεροβαυδ⟜	ϛ′δ	ψ		ε
378	Ουαλεντινιαν⟜ το ϛ	και Ουαλεντιν⟜ ναι⟜	ϛ′ε	ψα		ϛ
379	Αυσωνιου	και Ολυβριου	ϛ′ϛ	ψβ		ϛ
380	Γρατιαν⟜ το β	και Θεοδωσιου το δ	ϛ′ζ	ψγ		η
381	Ευχερι⟜	και Ευαγει⟜ το α	ϛ′η	ψδ		ϑ
382	Αντονινου	και Ευαγριου το β	ϛ′ϑ	ψε		ι
383	Μεροβαυδυ το β	και Σατορνιλου το α	ρ	ψϛ		ια
384	Ρηχομηρου	και Κλεαρχου	ρα	ψζ		ιβ
385	Αρκαδιου το α	και Βαυδων⟜	ρβ	ψη		ιγ
386	Ονωριου επιφανεστατου	και Ευοδιου	ργ	ψϑ		ιδ
387	Βαλεντινιανου το γ	και Ευτροπιου	ρδ	ψι		ε
388	Θεοδωσιου το β	και Κυιντιου	ρε	ψια		κ
389	Τηματιου	και Προμοτου	ρϛ	ψιβ		β
390	Ουαλεντινιανου το δ	και Νεωτερικου	ρζ	ψιγ		γ
391	Τατιανου	και Συμαχου	ρη	ψιδ		δ
392	Αρκαδιου το β	και Ρουφινου	ρϑ	ψιε		ε
393	Θεοδωσιου το γ	και Αβουνδαντιυ	ρι	ψις		ϛ
394	Αρκαδιου το γ	και Ονωριου το ϛ	ρια	ψιζ		ζ
395	Ολυβριου	και Προβινου	ριβ	ψιη		η
396	Αρκαδιου το δ	και Ονωριου το γ	ριγ	ψιϑ		ϑ
397	Καισαριου	και Αττικου	ριδ	ψκ		ι
398	Ονωριου το δ	και Ευτυχιανου	ριδ male.	ψκα		ια
399	Ευτροπιου	και Θεοδωρου	ριε	ψκβ		β
400	Ιτελιχων⟜	και Αυρελλιανου	ριϛ	ψκγ		ιγ
401	Βικεντιου	και Φραβηττα	ριζ	ψκδ		ιδ
402	Αρκαδιου το ε	και Ονωριου το ε	ριη	ψκε		ιε
403	Θεοδωσιου το α	και Ρωμιορδου	ριϑ	ψκϛ		κ
404	Ονωριου το ϛ	και Αρσινετου	ρκ	ψκζ		κβ
405	Στελιχονος το β	και Ανθεμιου το α	ρκα	ψκη		κγ
406	Αρκαδιου το ϛ	και Προβου	ρκβ	ψκϑ		κδ
407	Ονωριου το ζ	και Θεοδωσιου το β	ρκγ	ψλ		ι
408	Βασσου	και Φιλιππου	ρκδ	ψλα		ϛ
409	Ονωριου το η [του	και Θεοδωσιου το γ	ρκε	ψλβ		ζ
410	Ουαραχιου του λαμπροτα-		ρκϛ	ψλγ		η

411	του Ονωριυ το ϑ	και Θεοδωσιου το δ	ρκζ	ψλδ		ϑ
412	Ονωριυ το ι	και Θεοδωσιου το ε	ρκη	ψλε		
413	Λυκιυ του λαμπροτατου		ρκϑ	ψλϛ		ια
414	Κωνσαντιυ	και Κωνσαντ⟜	ρλ	ψλζ		ιβ
415	Ονωριυ το ια	και Θεοδωσιου το ϛ	ρλα	ψλη		ιγ
416	Θεοδωσιυ το ζ	και Παλλαδιου	ρλβ	ψλϑ		ιδ
417	Ονωριυ το ιβ	και Κωνσαντ⟜ το δ	ρλγ	ψμ		ιε
418	Ονωριυ το ιγ	και Θεοδωσιου το η	ρλδ	ψμα		κ
419	Μοναξιυ	και Πλινθα	ρλε	ψμβ		β
420	Θεοδωσιυ το ϑ	και Κωνσαντ⟜ το γ	ρλϛ	ψμγ		γ
421	Ευσαθιυ	και Αγερικολα	ρλζ	ψμδ		δ
422	Ονωριυ το ιδ	και Θεοδωσιου το ι	ρλη	ψμε		ε
423	Ασκληπιοδωτυ	και Μαριυιανου	ρλϑ	ψμϛ		ϛ
425	Θεοδωσι⟜ το ια	και Ουαλεντινιανου Καισαρ	ρμ	ψμζ		ζ η
426	Θεοδωσι⟜ το ιβ	και Ουαλεντινιανου το β	ρμα	ψμη		ϑ
427	Ιερυ	και Αρδαβουριου	ρμβ	ψμϑ		ι
428	Φιλιξ⟜	και Ταυρου	ρμγ	ψν		ια
429	Φλωρεντιυ	και Διονυσου	ρμδ	ψνα		ιβ
430	Θεοδωσιυ το ιγ	και Ουαλεντινιανου το γ	ρμε	ψνβ		ιγ
431	Αντιοχυ	και Βασσου	ρμϛ	ψνγ		ιδ
432	Ουαλλεριυ	και Ασιου	ρμζ	ψνδ		ιε
433	Θεοδοσιυ το ιδ	και Μαξιμου	ρμη	ψνε		κ
434	Αρεοβινδα	και Ασπαρ⟜	ρμϑ	ψνϛ		β
435	Θεοδοσι⟜ το ιε	και Ουαλεντινιανου το ιδ	ρν	ψνζ		γ
436	Ισιδωρυ	και Σινατορυ	ρνα	ψνη		δ
437	Αετιυ το β	και Σιγησβουλδου	ρνβ	ψνϑ		ε
438	Θεοδοσιυ το ις	και Φαυστου	ρνγ	ψξ		ϛ
439	Θεοδοσιυ το ιζ	και Φιστου	ρνδ	ψξα		ζ
440	Ανατολιυ	και Ουαλεντινου	ρνε	ψξβ		η
441	Κυρυ μονυ		ρνϛ	ψξγ		ϑ
442	Ευδοξιυ	και Διοσκορου	ρνζ	ψξδ		ι
443	Μαξιμυ	και Πατεριου	ρνη	ψξε		κα
444	Θεοδοσιυ το ιη	και Αλβινου	ρνϑ	ψξϛ		κβ
445	Ουαλεντινιανυ το ϛ	και Νομου	ρξ	ψξζ		κγ
446	Αετιου το γ	και Συμμ⟜	ρξα	ψξη		κδ
447	Αρταβυρυ	και Αλυπιου	ρξβ	ψξϑ		κε
448	Ζηνων⟜	και Ποσσυμιανου	ρξγ	ψο		α
449	Πρωτογενους	και Ασυριου	ρξδ	ψοα		β
450	Βαλεντινιανυ	και Αβιηνου	ρξε	ψοϛ		ϛ
451	Μαρκιανου Αυγουστυ	και Αδελφιου	ρξϛ	ψοζ		δ
452	Σποραδις	και Ερκουλανου	ρξζ	ψοδ		ε
453	Βιυκομαλυ	και Οπηλιων⟜	ρξη	ψοε		ϛ
454	Αετιυ	και Στουλιου	ρξϑ	ψος		ζ
455	Βαλεντινιανυ το η	και Ανθεμιου	ρο	ψοζ		η
456	Βαρχυ	και Ιωαννου	ροα	ψοη		ϑ
457	Κωνσαντιυ	και Ρουφου	ροβ	ψοϑ		ι
518	Μαγνυ μονυ		σλβ	ωλϑ		ια
519	Ιυστινω Αυγουστ⟜	και Ευθεριχ⟜	σλγ	ωμ		ιβ
520	Βιταλιανυ	και Ρουσικιου	σλδ	ωμα		ιγ
521	Ιουστινιανου	και Ουαλλεριου	σλε	ωμβ		ιδ
522	Συμμαχου	και Βοηθιου	σλϛ	ωμγ		ιε
523	Μαξιμινου μονου		σλζ	ωμδ		κ
524	Ιουστινιανου Αυγουστου	και Οπιλλιον⟜	σλη	ωμε		β
525	Φιλοξενου	και Προβου	σλϑ	ωμϛ		γ
526	Ολυβριου μονου		σμ	ωμζ		ϑ
527	Μαβορτιου μονου		σμα	ωμη		ε
528	Ιουστινιανυ Αυγ. το ϛ μονυ		σμβ	ωμϑ		ϛ
529	Δεκιου μονου		σμγ	ων		ζ
530	Λαμπαδιου	και Ορεστου	σμδ	ωνα		η
531	Ανυπατα		σμε	ωνβ		ϑ
532	Ανυπατα		σμϛ	ωνγ		ι
533	Ιωστινιανος Αυγ. το γ μονυ		σμζ	ωνδ		ια
534	Ιουστινιανου Αυγ. το δ	και Παυλινου	σμη	ωνε		ιβ
535	Βελισαριου μονου		σμϑ	ωνϛ		ιγ
536	Ανυπατα		σν	ωνζ		ιδ
537	Ανυπατα		σνα	ωνη		ιε
538	Ιωαννου μονυ και επαρχοι	πρετωριου	σιβ	ωνϑ		α
539	Αππιαν⟜ μονου		σνγ	ωξ		β
540	Ιουστινου μονου		σνδ	ωξα		γ
541	Βασιλειου μονου		σνε	ωξβ		δ
542	Ανυπατα		σνϛ	ωξγ		ε
543	Ανυπατα		σνζ	ωξδ		ϛ
544	Ανυπατα		σνη	ωξε		ζ
545	Ανυπατα		σνϑ	ωξϛ		η
546	Ανυπατα		σξ	ωξζ		ϑ
547	Ανυπατα		σξα	ωξη		ι
548	Ανυπατα		σξβ	ωξϑ		ια
549	Ανυπατα		σξγ	ωο		ιβ

Hæc Fastorum lacuna postea suppletur.

Ανυ-

550	Ανυπατα		σξδ	ωοα	ιγ
551	Ανυπατα		σξε	ωοβ	ιδ
552	Ανυπατα		σξς	ωογ	ιε
553	Ανυπατα		σξζ	ωοδ	ις
554	Ανυπατα		σξη	ωοε	β
555	Ανυπατα		σξθ	ωος	γ
556	Ανυπατα		σο	ωοζ	δ
557	Ανυπατα		σοα	ωοη	ε
558	Ανυπατα		σοβ	ωοθ	ϛ
559	Ανυπατα		σογ	ωπ	ζ
560	Ανυπατα		σοδ	ωπα	η
561	Ανυπατα		σοε	ωπβ	θ
562	Ανυπατα		σος	ωπγ	ι
563	Ανυπατα		σοζ	ωπδ	ια
564	Ανυπατα		σοη	ωπε	ιβ
565	Ανυπατα		σοθ	ωπς	ιγ
566	Ιϐσινϑ Αυγ^{s}. μονϑ a		σπ	ωπζ	ιδ
567	Ανυπατα		σπα	ωπη	ιε
568	Ιϐσινϑ Αυγ^{s}. το β μονϑ		σπβ	ωπθ	α
569	Ανυπατα		σπγ	ως′	β
570	Ανυπατα		σπδ	ως′α	γ
571	Ανυπατα		σπε	ως′β	δ
572	Ανυπατα		σπς	ως′γ	ε
573	Ανυπατα		σπζ	ως′δ	ς
574	Ανυπατα		σπη	ως′ε	ζ
575	Ανυπατα		σπθ	ως′ς	η
576	Ανυπατα		σς′	ως′ζ	θ
577	Ανυπατα		σς′α	ως′η	ι
578	Ανυπατα		σς′β	ως′θ	ια
579	Τιϐεϱιϑ Κωσαντ. Αυγ. μονϑ		σς′γ	π′	ιβ
580	Ανυπατα		σς′δ	π′α	ιγ
581	Ανυπατα		σς′ε	π′β	ιδ
582	Ανυπατα		σς′ς	π′γ	ιε
583	Ανυπατα		σς′ζ	π′δ	α
584	Μαυϱικιϑ Τιϐεϱιου Αυγ. μονϑ		σς′η	π′ε	β
458	Λεοντ℗ Αυγ. μονϑ		σογ	ψπ	γ
460	Απολλωνιϑ	και Μαγνϑ	ροθ	ψπα	ιγ
461	Δαγαλαιφϑ	και Σεϐεϱινϑ	ροε	ψπβ	ιδ
462	Λεοντ℗ β μονϑ		ρος	ψπγ	ιε
463	Βιβιανϑ μονϑ		ροζ	ψπδ	ις
464	Ρυσικϑ	και Ολυβριϑ	ροη	ψπε	β
465	Βασιλεισκϑ	και Αριωναϱισκϑ	ροθ	ψπς	γ
466	Λεοντ℗ γ μονϑ		ρπ	ψπζ	δ
467	Πυσαιϑ	και Ιωαννϑ	σπα	ψπη	ε
468	Ανθεμιϑ Αυγ^{s} μονϑ		ρπβ	ψπθ	ϛ
469	Ζηνων℗	και Μαϱκιαν℗	ρπγ	ψς′	ζ
470	Ιωρδανϑ	και Σεβηϱϑ	ρπδ	ψς′α	η
471	Λεοντ℗ δ μονϑ	και Προβιανϑ	ρπε	ψς′β	θ
472	Μαϱκιανϑ μονϑ	και Φηϱϑ	ρπς	ψς′γ	ι
473	Λεοντ℗ μονϑ ε		ρπζ	ψς′δ	ια
474	Λεοντος ναιϑ Αυγ^{s}. μονϑ		ρπη	ψς′ε	β
475	Ανυπατα		ρπθ	ψς′ς	γ
476	Βασιλειϑ Αυγυϑϑ μονϑ και Αϱματιϑ μονϑ		ρς′	ψς′ζ	δ
477	Ανυπατα		ρς′α	ψς′η	ιε
478	Ιολϑ μονϑ		ρς′β	ψς′θ	α
479	Ζηνων℗ Αυγυϑϑ μονϑ		ρς′γ	ω	β
480	Βασιλειον μονϑ		ρς′δ	ωα	γ
481	Πλακητου μονϑ		ρς′ε	ωβ	δ
482	Τροκονδου μονϑ		ρς′ς	ωγ	ε
483	Ανυπατα		ρς′ζ	ωδ	ϛ
484	Θεοδωϱιχϑ μονϑ		ρς′η	ωε	ζ
485	Συμμαχου μονϑ		ρς′θ	ως	η
486	Λοϱγινϑ β μονϑ		τ	ωζ	θ
487	Βοητιου μονου		σα	ωη	ι
488	Δυναμιϑ	και Σιφιδιου	σβ	ωθ	ια
489	Ευστεϐιϑ μονϑ		σγ	ωι	ιβ
490	Λοϱγινϑ δευτεϱϙ μονϑ		σδ	ωια	ιγ
491	Ολυβριου ναιϑ μονϑ		σε	ωιβ	ιδ
492	Αναστασιϑ Αυγ^{s}	και Ρουφϑ	σς	ωιγ	ιε
493	Ευσεβιϑ β μονου		σζ	ωιδ	ις
	Ανυπατα		ση	ωιε b	
494	Ασεεμιου	και Πϱεσιδιου	ση	ωιε	β
495	Βιατος℗		σθ	ωις	γ
496	Παυλου μονϑ		σι	ωιζ	δ
497	Αναστασιου Αυγ^{s} το β		σια	ωιη	ε
498	Ιωαννϑ	και Παυλινϑ	σιβ	ωιθ	ς
499	Ιωαννϑ αλλϑ μονϑ Κυϱτϑ		σιγ	ωκ	ζ
500	Πατϱικιου	και Υπατιϑ	σιδ	ωκα	η
501	Πομπηινου	και Αβιϊνϑ	σιε	ωκβ	θ
502	Πϱοβου	και Αβηινϑ	σις	ωκγ	ι
503	Δεξικϱατους	και Βαλϱσιανϑ	σιζ	ωκδ	ια
504	Κεθηγου μονου		σιη	ωκε	ιβ
505	Σαβινιανου	και Θεοδωξϑ	σιθ	ωκς	ιγ
506	Αϱεοβινδου ναιου	και Μεσσαλα	σκ	ωκζ	ιδ
507	Αναστασιου Αυγ^{s} το γ	και Βενεντιϑ	σκα	ωκη	ιε
508	Καλλεϱ℗	και αλλϑ Βεαντιϑ	σκβ	ωκθ	α
509	Οπόϱτουνου μονου		σκγ	ωλ	β
510	Δοητιου μονου		σκδ	ωλα	γ
511	Σεκουνδινου	και Φηνικ℗	σκε	ωλβ	δ
512	Παυλου τϑ Βιβιανϑ	και Μοσχιανϑ	σκς	ωλγ	ε
513	Κλιμεντινου	και Πϱοβϑ αλλϑ	σκζ	ωλδ	ς
514	Σενατο℗ μονϑ		σκη	ωλε	ζ
515	Ανθεμιου	και Φλοϱεντινϑ	σκθ	ωλς	η
516	Πετϱου μονου		σλ	ωλζ	θ
517	Αναστασιϑ	και Αγαπητϑ	σλα	ωλη	ι
585	Ανυπατα		σς′θ	π′ς	γ
586	Ανυπατα		τ	π′ζ	δ
587	Ανυπατα		τα	π′η	ε
588	Ανυπατα		τβ	π′θ	ς
589	Ανυπατα		τγ	π′ι	ζ
590	Ανυπατα		τδ	π′ια	η
591	Ανυπατα		τε	π′ιβ	θ
592	Ανυπατα		τς	π′ιγ	ι
593	Ανυπατα		τζ	π′ιδ	ια
594	Ανυπατα		τη	π′ιε	ιβ
595	Ανυπατα		τθ	π′ις	ιγ
596	Ανυπατα		τι	π′ιζ	ιδ
597	Ανυπατα		τια	π′ιη	ιε
598	Ανυπατα		τιβ	π′ιθ	α
599	Ανυπατα		τιγ	π′κ	β
600	Ανυπατα		τιδ	π′κα	γ
601	Ανυπατα		τιε	π′κβ	δ
602	Ανυπατα		τις	π′κγ	ε
603	Ανυπατα		τιζ	π′κδ	ς
604	Φωκα Αυγ^{s} μονου		τιη	π′κε	ζ
605	Ανυπατα		τιθ	π′κς	η
606	Ανυπατα		τκ	π′κζ	θ
607	Ανυπατα		τκα	π′κη	ι
608	Ανυπατα		τκβ	π′κθ	ια
609	Ανυπατα		τκε	π′λβ	ιβ
610	Ανυπατα		τκς	π′λγ	ιγ
611	Ηϱακλειϑ Αυγ. μονου		τκζ	π′λδ	ιδ
612	Ανυπατα		τκη	π′λε	ιε
613	Ανυπατα		τκθ	π′λς	α
614	Ανυπατα		τλ	π′λζ	β
615	Ανυπατα		τλα	π′λη	γ
616	Ανυπατα		τλβ	π′λθ	δ
ex Indictione	Ανυπατα				
617	Ανυπατα		τλγ	π′μ	ε
618	Ανυπατα		τλδ	π′μα	ς
619	Ανυπατα		τλε	π′μβ	ζ
620	Ανυπατα		τλς	π′μγ	η
621	Ανυπατα		τλζ	π′μδ	θ
622	Ανυπατα		τλη	π′με	ι
623	Ανυπατα		τλθ	π′μς	ια
624	Ανυπατα		τμ	π′μζ	ιβ
625	Ανυπατα		τμα	π′μη	ιγ
626	Ανυπατα		τμβ	π′μθ	ιδ
627	Ανυπατα		τμγ	π′ν	ιε
628	Ανυπατα		τμδ	π′να	α
629	Ανυπατα		τμε	π′νβ	β
630	Ανυπατα		τμς	π′νγ	γ

Epocha Anglsii.
χμς
χμζ
χμη
χμθ
χν
χνα
χνβ
χνγ
χνδ
χνε
χνς
χνζ
χνη
χνθ

a Conveniunt in hoc Conſulatu Faſti *Siculi*. b Duo hæc ad unum eundemque annum in MS. referuntur.

FRAGMENTUM HERACLII IMPERATORIS.

[Fragmentum è Commentario Imperatoris Heraclii in προχείρους Ptolemæi Canones.]

Μέθοδος δι' ἧς εὑρίσκεται ἑκάστου μηνὸς οἱᾳδήποτε ἡμέρᾳ, καὶ εἰς ποίαν τῆς ἑβδομάδος ἡμέραν· καὶ ποῖον ἐνιαυτὸν γίνεται τὸ δίσεκτον.

Methodus qua invenitur cujuscunque menſis quacunque dies, & in quem ſeptimanæ feriam incurrit, & in quem annum incidit Biſſextus.

ΕΝ τῷ προχείρῳ κανόνι τοῦ Πτολεμαίου μετὰ τοὺς κανόνας τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων ἔγκειται κανόνια δι' ὧν δύναταί τις γνῶναι τὴν ἑκάστου μηνὸς ἡμέραν, εἰς ποίαν ἡμέραν τῆς ἑβδομάδος καταντᾷ. Αλλ' ἐπειδὴ ἄνευ τῶν τοιούτων κανονίων οὐ δύναταί τις εὑρίσκειν τὴν ἐπιζητουμένην ἡμέραν· ἐφεύρομεν ἡμεῖς συντομωτέραν μέθοδον, ὥστε χωρὶς τοῦ τοιούτου κανόνος εὑρίσκειν εὐχερῶς τὸν οἱᾳδήποτε a ἐπινέμησι ἑκάστου μηνὸς ἡμέρᾳ ποίᾳ τῆς ἑβδομάδος ἡμέρᾳ καταντᾷ· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ δίσεκτον ἐν ποίῳ γίνεται ἔτει. Δεῖ τοίνυν λαμβάνειν τὰ συναγόμενα ἔτη ἀπὸ ἀρχῆς τοῦ $\overline{\Gamma}$ ἔτους τῆς b εὐδοκίας Θεοῦ ἡμετέρας βασιλείας, τυτέσι, ἀπὸ τοῦ $\overline{\alpha}$ ἐπινεμήσεως, καὶ τῷ συναγομένῳ ποσῷ τῶν ἐτῶν ἀεὶ προστιθέναι τὸ ἴδιον $\overline{\text{οἱ}}$ καὶ μετὰ τὴν προσθεσιν τοῦ $\overline{\text{οἱ}}$, δέον ἑκάστῳ τὸ ἐν ἀφαιρεῖν, καὶ εἶθ' οὕτω προσθῆναι τὰς ἡμέρας τοῦ μηνὸς τὰς ἐπιζητουμένας ὡς κατ' Αλεξανδρεῖς, καὶ ἀεὶ μεῖν ἀπὸ τοῦ Σεπτεβρίου μηνὸς ὡς τοῦ ἐπιζητουμένου μηνὸς, πόσοι μῆνες εἰσὶ, καὶ τούτους διπλασιάζειν καὶ προσθεῖναι τῷ συναχθέντι ποσῷ, καὶ τὸ γινόμενον ποσὸν μερίζειν εἰς τὸν $\overline{\zeta}$ καὶ ὅσαι ἡμέραι καταλειφθῶσι, τοσοῦτος ἐκεῖνο τὸ ποσὸν λέγειν εἶναι τὴν ἐπιζητουμένην ἡμέραν τῆς ἑβδομάδος· εἴτε γὰρ μία ὑπολειφθείη κυριακὴ πάντως ἡ ἡμερᾳ εὑρίσκεται, εἴτε δύο δευτέρα, καὶ ἐφεξῆς ὁμοίως ὡς τοῦ σαββάτου. Υποδείγματος δὲ ἕνεκεν, ὑποκείσθω ἡμῶν ἡ c $\overline{\text{ια}}$ τοῦ Απρίλλιος μηνὸς τῆς ἐνισταμένης ἑβδόμης d ἐπινομήσεως. Εἰσὶν οὖν ἀπὸ τοῦ $\overline{\alpha}$ ἐπινεμήσεως e ἓξ τυτέσι ἔτους τῆς ἡμετέρας κελεύσει Θεοῦ βασιλείας μέχρι τῆς ἑβδόμης αὐτῆς ἐπινεμήσεως ἔτη $\overline{\zeta}$, καὶ τὸ τέταρτον αὐτῶν ἐστιν α. τὰ γὰρ $\overline{\gamma}$ τὰ f ἀπονέμοντα δηλοῦσι τὰ ἔτη τὰ μετὰ τὸ δίσεκτον· καὶ τυτων τέως δὲ λαμβάνομεν τὸ $\overline{\text{οἱ}}$, ὡς δὲ g θ ἀπαρτιθῶσιν, ἵνα τὸ $\overline{\text{οἱ}}$ αὐτῶν γένηται ἓν· ὅταν γὰρ μεριζόμενον ὁ συναγόμενος τῶν ἐτῶν ἀριθμὸς ἀπὸ τοῦ $\overline{\alpha}$ ἐπινεμήσεως εἰς τὸν $\overline{\text{οἱ}}$ μηδὲν καταλείπῃ ἐν τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ δίσεκτον γίνεται, ὥσπερ καὶ τὸ μελλούσης εἶναι ἐπινεμήσεως εἰς τὸν τέσσαρα μεριζόμενον οὐδὲν καταλιμπάνει. Ογδοον γὰρ ὑπάρχει ἀπὸ τοῦ αὐτῆς πρώτης ἐπινεμήσεως. Ομοίως δὲ καὶ εἰς τὸ $\overline{\text{ιβ}}$ ἔτος τὸ ἀπὸ τοῦ πρώτης ἐπινεμήσεως. καὶ εἰς τὸν $\overline{\text{ις}}$, καὶ ἐφεξῆς ὡσαύτως. τὰ γὰρ μετὰ τοῦ μερισμοῦ τοῦ $\overline{\delta}$, ὡς εἰκὸς καταλιμπανόμενα αὐτά εἰσι τὰ ἔτη τὰ μετὰ τὸ δίσεκτον, εἴτε ἓν καταλειφθείη, εἴτε δύο, εἴτε τρία· ὧν τινῶν, ὡς εἴρηται, τὸ $\overline{\text{οἱ}}$ καὶ λαμβάνομεν μέχρι οὗ ὁ τῶν $\overline{\delta}$ ἐτῶν ἀριθμὸς πληρωθῇ, τότε καὶ τὸ $\overline{\text{οἱ}}$ αὐτῶν ἓν γίνεται. Δεῖ οὖν τὸ ἓν τὸ ἀπὸ τοῦ μερισμοῦ τοῦ $\overline{\delta}$ τῶν $\overline{\zeta}$ ἐτῶν ἀπὸ τοῦ $\overline{\alpha}$ ἐπινεμήσεως μέχρι τῆς ἐνισταμένης ἑβδόμης γινόμενον προσθεῖναι τοῖς $\overline{\zeta}$ ἔτεσι. γίνονται δὴ τὰ ἔτη σὺν τῇ προσθέσει τοῦ $\overline{\text{οἱ}}$ τῷ ἀριθμῷ $\overline{\eta}$· ἀφ' ὧν δέον ἀφελεῖν ἓν, καθὰ προτεθείληπται, καὶ πάλιν μενοῦσι τῷ ἀριθμῷ $\overline{\zeta}$. χρὴ δὴ τούτοις προσθῆναι τὴν ἐπιζητουμένην ἡμέραν, τυτέσι, τὴν $\overline{\text{ι}}$ τοῦ Απριλλίου μηνὸς ἥτις ἐστὶ παρ' Αλεξανδρεῦσι $\overline{\text{ιε}}$. Δεῖ τοίνυν τὰς $\overline{\text{ιε}}$ ταύτας προσθεῖναι τοῖς ἑπτὰ τοῖς μετὰ τὴν ἀφαίρεσιν τοῦ ἑνὸς, καὶ γίνονται $\overline{\text{κϛ}}$. Δέον δὲ μετρῆσαι ἀπὸ τοῦ Σεπτεμ-

IN expedito *Ptolemæi* Canone poſt Canones inerrantium ſtellarum, habentur etiam præterea & alii Canones quorum ope intelligi poſſit cujuſvis *menſis* dies in quem *ſeptimanæ* diem incurrit. Quoniam vero ſine illis *Tabulis* non poterit dies expetita reperiri; proinde methodum expeditiorem nos excogitavimus qua inveniri facile poſſit, in quacunque *Indictione*, cujuſcunque *menſis* dies in quam *ſeptimanæ* feriam conveniat; quin & illud quoque, in quo anno ſit *Biſſextus* interpolandus. Ergo ab initio *tertii* anni noſtri, [a] quod Dei gratia adminiſtramus, Imperii, repetendi ſunt anni, inque unam ſummam colligendi, [b] à *prima* viz. *Indictione*, & collectæ annorum ſummæ, pro *quarto* quoque anno, unitas per perpetuam Regulam addenda. Qua facta additione unitatis quartæ, alia viciſſim unitas à ſumma quaque detrahenda erit. Tum & dies menſis, de quibus inſtituitur quæſtio, in prædictam ſummam conferendi; quod tamen ita intelligendum ut pro *Alexandrinorum* more procedat calculus, à menſe nempe *Septembri* proinde repetendus. Inde numerandi *menſes* ad eum uſque *menſem* cujus feriam quæris, menſiumque numerus duplicatus ſummæ jam collectæ adjiciendus. Ea ſumma ita aucta, in *ſeptenos* diſtribuenda, & quæ *dies* reliqua fuerit, eam habeas pro die *ſeptimanæ* expetita. Seu anni *una* fuerit relicta, *Dominica* fuiſſe deprehenditur, ſeu *duæ*, feria *ſecunda*, & ſic deinceps uſque ad *Sabbatum*. Exempli gratia, proponatur *Aprilis* [c] XI. *Indictionis ſeptimæ* jam labentis. Sunt itaque à *prima Indictione* ad hunc uſque annum noſtri, quod Divino nutu adminiſtramus, Imperii, *Indictionem* nempe VII. *anni* VII, quorum quarta pars *unicam* præbet unitatem. Tres enim reliqui eorum indicant annorum numerum qui à *Biſſexto* fluxere. Horum itaque quartam partem non accipimus dum ad [d] IX. uſque aſſurrexerint, ut alia rurſus unitas pro quarta eorum parte accedat. Cum enim numero annorum à *prima Indictione* per VI. diſtributo, nihil reſtat reliquum, illi anno *Biſſextus* inſerendus. Sic in futura *Indictione octava*, numerus octonarius in IV. diſtributus nihil facit reliquum. Eſt enim ille annus ab eadem *prima Indictione* prorſus *octavus*. Similiter & in anno XII. & in XVI. à *prima* illa *Indictione*, & in reliquis deinceps eodem ordine reſpondentibus. Qui enim reliqui ſuperſunt (ut fieri ſolet) poſt diviſionem per quatuor, illi ſunt anni à *Biſſexto*, ſeu unus fuerit relictus, ſeu duo, ſeu tres. Horum, ut dixi, quartam non accipimus unitatem dum quatuor annorum numerus fuerit impletus. Tum pro *quarta* eorum parte *unitas* addenda. Quare unitatem illam ab annorum VII, (à *prima Indictione* ad eam quæ jam inſtat VII.) per *quatuor* diſtributione relictam. VII. illis annis oportebit adjicere. Ea igitur adjecta parte quarta, prodibunt anni numero octo. Horum *unus*, uti jam oſtendimus, ſubducendus. Ita rurſus ſupererunt numero *ſeptem*. His addenda *dies* de qua inſtituitur quæſtio, *Aprilis* [e] *undecima*, quæ eodem apud *Alexandrinos* XV. eſt. Ergo *ſeptem* illis, ablata *unitate*, relictis addere oportet *quindecim*, & fient XXII. Porro

a Επινεμήσει. b εὐδοκίᾳ. Marg. habet: ἤγουν $\overline{\Gamma}$ ἔτους τῆς εὐδοκίας Θεοῦ ἡμετέρας βασιλείας ἐστὶ τὸ ἀπὸ κτίσεως κόσμου $\overline{\text{ϛ}}$ $\overline{\text{ρκ}}$. Quæ textui proculdubio inſerenda.
c $\overline{\text{ι}}$. d ἐπινεμ. e ἕως vel ὡς.
f ἀπιμένοντα. g $\overline{\eta}$.

a In margine: *Tertius annus noſtri, quod Dei gratia adminiſtramus Imperii, ab orbe condito numeratur annus* 6120.
b Ann. *Dom.* DCXIII. à ſuperioris anni *Septembri*.
c X. d VIII. e Omnino, X cui reſpondet *Pharmuthi* XV, iſta pro ea *Indictione* ſeptima feria III, ut infra.

Porro à *Septembri* menſes numerabis ad quæſitum uſque menſem, i. e. *Aprilem*, ſuntque octo. Hi duplicati faciunt ſedecim. Illos adde prædictis XXII, eruntque in univerſum XXXVIII. Ex hoc itaque numero XXXVIII. per VII. diviſo, ejectis quinque *ſeptenariis*, ſupererunt *tres*, è quibus intelligimus decimum *Aprilis* menſis diem in feriam ſeptimanæ *tertiam* incurrere.

βρίου πόσοι μῆνες εἰσὶν ἕως ⸗ ἐπιζητουμένου μηνὸς, τουτέστι, Απριλλίου, καί εἰσι η, καὶ a τούτοις διπλασιάζοντες τὰ ι ς προσθέμεν τοῖς κ β, καὶ γίνονται τῷ ἀριθμῷ λη. Τούτων δὲ τὰ τριάκοντα ὀκτὼ ἀριθμὸν, μερίζοντες τὰ ἑπτὰ, ἐκβάλλομεν ἑπτάδας πέντε, καὶ εὑρίσκομεν λοιπεμένας γ, καὶ b δηλοῦσα ὅτι ἡ ι ⸗ Απριλλίου μηνὸς εἰς τρίτην ἡμέραν τ ἑβδομάδ⸗ καταντᾷ.

Demonſtratio cur oporteat, quærentes quotam menſis Alexandrini *diem, à tribus ante* Septembrem *diebus incipere.*

QUoniam neceſſarium eſt ut ſciamus, quoties *Alexandrini* menſis diem inveſtigamus, cur *tres* accipiamus, ante *Septembris* initium, dies; ſciendum nobis *Romanis* primum menſium numerari *Januarium*, *Alexandrinis* autem *Septembrem*, quem & *Thoth* appellant. Huic itaque accenſent tres *Auguſti* ſupra numerum dies, ſingulis nimirum menſibus dies XXX. concedentes, ſic enim menſes ſuos numerare ſolent *Alexandrini*. Si enim dies ab ineunte *Januario* ad *Auguſti* finem, *menſium* nimirum *octo*, in unam ſummam colligamus, erunt dies CCXLIII. Subductis rurſus VIII. menſibus *Alexandrinis*, XXX. dierum, ut dixi, ſingulis; reliqui invenientur dies tres ante menſem *Romanum* nonum, quem numerant primum *Alexandrini*. Quem itaque *Auguſti* diem nos XXIX. numeramus, eundem *Alexandrini* primum ſui *Thoth*, [noſtri] ſcilicet *Septembris*. Quem rurſus nos *Septembris* primum cenſemus, eum ejuſdem menſis IV. *Alexandrini*. Ergo ut ſciamus menſem *Alexandrinum Thoth* aut aliquem deinceps quemvis alium; & quo pacto ſibi apud illos reſpondeant; tres hoſce dies ſuperfluos addere neceſſe eſt, atque ita à *Septembri* incipere, numeroſque ad *Auguſti* finem perducere, quem illi *Meſori* appellant. Sub finem itaque *Auguſti*, VIII. apud *Alexandrinos* dies redundantes deprehendemus. Tribus enim ante *Septembrem* additis, aliorum quoque menſium dies (qui quidem dies habent XXXI) redundantes unam è ſingulis oportebit adjicere, unam ſcilicet *Octobris*, *Decembris* unam & unam *Januarii*. Ita erunt numero VI. Inde duobus pro *Februario* menſe ſubductis, reſtabunt quatuor. Deinde manifeſtum eſt quatuor menſium, *Martii*, *Maii*, *Julii* & *Auguſti* pro ſingulis, diem unum eſſe adjiciendum. Hi enim omnes XXXI. dies habent. His VI. additis, fient, *Auguſto* exeunte, VIII. Illis VIII. diebus cum quinque dies detraxerint, unumque inde menſem conflarint *Alexandrini*, quem & πενθήμερον, i. e. quinque dierum, appellant, tres deinde relinquunt dies *Septembri* ineunti rurſus adjiciendos, ſiquis velit *Thoth Alexandrinum* menſem reperire, qui illum excipit (diem dixi) πενθήμερον, dierumque trium auctarium complectitur. Ita rurſus & menſes numerare oportet, ſingulorumque menſium diebus ſingulis redundantibus tres illos augere. Quoties vero annus eſt *Biſſextus*, ſolent [a] *Alexandrini*, in anno ante *Biſſextum* (i. e. quando ſupputationem impleverint) in illo (inquam) anno, & eo quidem ſolo, finito jam *Auguſto* (quem illi *Meſori* vocant) pro quinque dierum menſe, ſenum dierum illum, conficere. Demtis itaque VI. diebus ex VIII. dierum numero, (quem dixi,) redundantium, reliquæ erunt duæ. Quapropter illo anno, & quidem *Biſſexti* illo ſolo, duæ dies adjiciendæ ante *Septembrem*; & pro *Februario*, non duæ, ſed unica eximenda, quia *Februarium* in *Biſſexto* XXIX. dierum faciunt *Romani*.

Απόδειξις τίνω[c] χαριζητούντες τοῦ πρὸ Αλεξανδρέων μηνὸς τ ποσέαν ἡμέραν δύρειν[d] τρεῖς ἡμέρας πρὸ τοῦ Σεπτεμβρίου μηνός.

Επειδὴ ἀναγκαῖον ἐστὶ γνῶναι, ἤτοι γινώσκειν τίνω ἕνεκεν ζητούντων ἡμῶν εὑρεῖν ποσέαν ἔχει ὁ πρὸ Αλεξανδρεῦσι μὴν, τρεῖς ἡμέρας λαμβάνομεν πρὸ τ ἀρχῆς ⸗ Σεπτεμβρίου· ἰσέον ἡμῶν τ Ρωμαίων τ ἀρχὴν τ μηνῶν ἀπὸ ⸗ Ιανουαρίου μηνὸς c ψηφιζόντων, τῶν δὲ Αλεξανδρέων ἀπὸ τοῦ Σεπτεμβρίου τοῦ λεγομένου Θῶθ παρ' αὐτῶν, συνάγονται τέως τοῦ Αυγούστου πληρουμένου τρεῖς ἡμέραι πρόσσαι πρὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ Σεπτεμβρίου, ἑκάστου μηνὸς ἀπὸ λ ἡμερῶν ψηφιζομένου, καθάπερ οἱ Αλεξανδρεῖς τοὺς μῆνας ψηφίζειν εἰώθασι. Συναγομένου γὰρ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἀπὸ τοῦ Ιανουαρίου μηνὸς, μέχρι τοῦ Αυγούστου f πληρωμένου, τουτέστι, τῶν ὀκτὼ μηνῶν ἀπὸ λ ἡμερῶν, ὡς εἴρηται, καθὼς οἱ Αλεξανδρεῖς ἀπτελοῦσι τοὺς μῆνας, μένουσιν ἡμέραι τρεῖς· καὶ εὑρίσκονται αἱ αὐταὶ τρεῖς ἡμέραι τοῦ αὐτοῦ μηνὸς πρὸ Ρωμαίοις, τουτέστι, τοῦ Σεπτεμβρίου τοῦ παρ' Αλεξανδρεῦσι πρώτου. Οταν οὖν ἔχωμεν ἡμεῖς κ ϑ τοῦ Αυγούστου, οἱ Αλεξανδρεῖς πρῶτον ἔχουσι τοῦ Θῶθ, τουτέστι, τοῦ Σεπτεμβρίου. Οταν δὲ ἡμεῖς πρῶτον ἔχωμεν τοῦ Σεπτεμβρίου, οἱ Αλεξανδρεῖς τετάρτην ἔχουσι τοῦ αὐτοῦ μηνός. Πρὸς τὸ δὲ γινώσκεσθαι τὸν κατ' g Αλεξανδρεῦσι μῆνα τὸν Θῶθ, ἤτοιγε καὶ τοὺς ἑξῆς, καὶ πόσιν ἔχοι παρ' αὐτοῖς ὁ μὴν, ἀνάγκη τὰς τρεῖς ταύτας τὰς προσσευούσας προσιθέναι, καὶ εἶθ' οὕτως ἄρχεσθαι ἀπὸ τοῦ Σεπτεμβρίου, καὶ ψηφίζειν ἕως τοῦ Αυγούστου πληρωμένου τοῦ ὀνομαζομένου παρ' αὐτοῖς Μεσωρί. Πληρουμένου δὲ τοῦ αὐτοῦ Αυγούστου, εὑρίσκονται οἱ Αλεξανδρεῖς η ἡμέρας ἔχοντες πρόσσας. Τῶν γὰρ γ προσιθεμένων πρὸ τοῦ Σεπτεβρίου οὕτως ἑκάστου μηνὸς τῶν ἀπὸ λ α ἡμερῶν τὴν πρόσσην μίαν ἡμέραν προσίθεμεν ταῖς τρισὶ ταύταις, τουτέστιν, Οκτωβρίου μίαν, Δεκεμβρίου μίαν, Ιανουαρίου μίαν, ὡς γίνεσθαι τῷ ἀριθμῷ ς· ὑφεξαιρουμένων δὲ δύο ὑπὲρ τοῦ Φευρουαρίου μηνὸς, μένουσι τέσσαρες. Προδήλως δὲ δεῖ προσθεῖναι τοῦ Μαρτίου καὶ τοῦ Μαΐου, καὶ τοῦ Ιουλίου, καὶ τοῦ Αυγούστου, τῶν τεσσάρων ἀνὰ μίας ἡμέρας· Οὗτοι γὰρ πάντες ἀπὸ λ α ἡμέρας ἔχουσι. Προσιθεμένων δὲ τῶν τεσσάρων, γίνονται η πληρουμένου τοῦ Αυγούστου. Οἱ δὲ Αλεξανδρεῖς σὺν τῶν η ἀφαιροῦντες τὰς ε ἡμέρας, καὶ ἐπιτελοῦντες ἕνα μῆνα τὸν λεγόμενον παρ' αὐτοῖς πενθήμερον, καταλιμπάνουσι τρεῖς ἡμέρας, ἃς πάλιν τοῦ Σεπτεβρίου ἀρχομένου δέον πάλιν προσίθεσθαι ἀφ' τὸ εὑρίσκεσθαι τὸν κατ' Αλεξανδρεῖς Θῶθ μῆνα τὸν μετὰ τὴν πενθήμερον ἀρξάμενον τρίτην ἡμέραν ἤδη h πεπληρώματα ἔχοντα. Οὕτω δεῖ πάλιν ψηφίζειν τοὺς μῆνας καὶ ἑκάστου μηνὸς τὴν μίαν ἡμέραν τὴν προσιτὴν προσιθέναι τοῖς τρισί. Οὗτε δὲ δίσεκτόν ἐστιν σὺν τῷ πρὸ τοῦ δισέκτου σεαυτῷ, τουτέστιν, ὅτε πληρωθῶσι οἱ Αλεξανδρεῖς ἐκείνῳ τῷ σεαυτῷ, καὶ μόνῳ, μετὰ τὸν Αὔγυστον τὸν λεγόμενον παρ' αὐτοῖς Μεσωρὶ, ἀντὶ τοῦ πενθημέρου μηνὸς, ἑξήμερον ἀπτελοῦσιν. i Αφαιροῦντας δὲ αὐτῶν τὰς ς ἡμέρας σὺν τῶν η τῶν προσιτῶν ἡμερῶν εὑρίσκονται προσισαὶ β ἡμέραι ὑπολιμπανόμεναι, καὶ ἀφ' τοῦτο τῷ σεαυτῷ ἐκείνῳ, καὶ μόνῳ τῷ τοῦ δισέκτου δύο ἡμέραι προσίθενται πρὸ ⸗ Σεπτεβρίου, καὶ ὑπὲρ τοῦ Φευρουαρίου οὐ ἀφαιροῦνται δύο, ἀλλὰ μία, ἀφ' τὸ τοὺς Ρωμαίους σὺν τῷ δισέκτῳ κ ϑ ἡμέρας ποιεῖν Φευρουάριον.

a Imo vero in ipſo anno *Biſſexto* ſextum illum diem intercalaſſe *Alexandrinos* conſtat è noſtris Faſtis *Theonianis*.

a Τούτους. b δηλοῦσι. c χάριν ζητοῦντες.
d deeſt verbum. e ψηφιζ. Sed ita vocem hanc concipere ſolebant barbari illius ætatis Librarii. f πληρωμ.
g Αλεξανδρίας vel παρ' add. h πληρώματα. i ἀφαιρῶντες.

Μέθοδος δι' ἧς τὸ Πάσχα ἀνεύρισκεται κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν παράδοσιν.

Ἡ πάντιμος ἡμέρα τῆς ἑορτῆς τῆς ζωοποιοῦ ἀναστάσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἀληθινοῦ θεοῦ ἐπιτελεῖται ἀπὸ τῆς κβ Μαρτίου μηνὸς, καὶ αὐτῆς τῆς κβ ἕως τῆς κε τοῦ Ἀπριλλίου μηνὸς καὶ αὐτῆς κε. Οὐδὲν γὰρ κα τοῦ Μαρτίου τελεῖται, οὐδὲ κς Ἀπριλλίου. Γίνεται δὲ ἀπὸ τῆς ι τῆς ☽ καὶ αὐτῆς ἕως τῆς κα τῆς ☽ καὶ αὐτῆς. Οὐ γὰρ τῇ ι τῆς ☽ γίνεται, οὐδὲ τῇ κβ. Ἡ δὲ τοιαύτη ἑορτασικὴ ἡμέρα εὑρίσκεται ἀπὸ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ψήφου τῷ τρόπῳ τούτῳ. Δέον ζητεῖν τὰς ἐπακτὰς ☌ ☾ καὶ τὴν ☽. Αἱ δὲ ἐπακταὶ ☌ ☾ εὑρίσκονται ὧδε. Ἀπὸ τοῦ νυνὶ διελθούσης α ἐπινεμήσεως ☌ τρίτῳ ἔτους τῇ εὐδοκίᾳ θεοῦ ἡμετέρας βασιλείας, δέον ἀριθμεῖν πάντας τοὺς συναγομένους ἐνιαυτοὺς, ὥσπερ νῦν μέχρι τῆς ἐνισαμένης ια ἐπινεμήσεως συνάγονται ἔτη ια. Καὶ δέον λαβεῖν τὸ δ αὐτῶν καὶ προσθεῖναι αὐτοῖς ὅπερ ἔσι δύο. δ γὰρ δύο γίνονται η, λοιπεμενοῦσιν γ, ὧν τινῶν ἀ δέον τὸ δ λαβεῖν· αὐτὰ γὰρ τὰ τέλια τὰ μένοντα σημαίνουσι τὰ τέλια ἔτη τὰ μὴ τῆς δίσεξτον. Ὅσα γὰρ μένουσι μὴ τὸ λαβεῖν τὸ δ, εἴτε ἓν, εἴτε δύο, εἴτε τρία, a [εἰ η] τὰ ἔτη, ὡς εἴρηται, τὰ μὴ τῆς δίσεξτον σημαίνουσι. Καὶ ἀ δεῖ τούτων λαμβάνειν τὸ δ. Δέον οὖν, ὡς εἴρηται, τὸ ὁ τῶν συναγομένων ἐτῶν ἀπὸ τοῦ α ἐπινεμήσεως πάντοτε προσκεῖσθαι αὐτῇ, ὥσπερ νῦν τοῖς ια ἔτεσι, τὸ δ αὐτῶν, τουτέσιν, τὰ β, καὶ μὴ τὸ γενέσθαι τῆς πρόσθεσιν ☌ ἑνὸς ο, δέον πάντοτε ἀφαιρεῖν ἓν καὶ μερίζειν εἰς τὰ ζ ἀριθμὸν, καὶ τὰ γινόμενα, ἤτοι μένοντα, λέγειν τὰς ἐπακτὰς εἶναι ☌ ☾. Ὥσπερ νῦν εἰσι ια ἔτη τὰ ἀπὸ τοῦ πρώτης ἐπινεμήσεως, τὸ δ τούτων ⏑, προσκειμένων τοῦ β γίνονται ι γ. ἀφελὼν α πάντοτε, μένουσιν ι β, καὶ μερίζοντες εἰς τὰ ζ ἀριθμὸν, καὶ ποιοῦντες ἓν ζ, εὑρίσκομεν πέντε τὰ μένοντα ἀριθμὸν, καὶ αὐταί εἰσιν αἱ ἐπακταὶ ☌ ☾, τοῦ ια ἐπινεμήσεως. Αἱ δὲ ἐπακταὶ τῆς ☽ εὑρίσκονται οὕτως. Δέον ἀπὸ τοῦ ἐπινεμήσεως τοῦ ἐπὶ Μαυρικίου ☌ ὠ εὐσεβεῖ τῇ λήξει, b μερίζει τοὺς χρόνους, οἵτινές εἰσι μέχρι τοῦ ια ἐπινεμήσεως λ δ, καὶ δέον πάντοτε ὅσαι ἐνιαυκαιδεκαετηρίδες εὑρεθῶσι ὑπερξελεῖν ἐκ τῶν συναγομένων χρόνων, καὶ τοὺς λοιπεμένοντας χρόνους πολλαπλασιάσαι εἰς τὰ ια ἀριθμὸν· καὶ δέον ἀφαιρεῖν ὅσους ἂν εὕρομεν μῆνας ἀπὸ λ ἡμερῶν· καὶ εὑρίσκεται ὁ καταλιμπανόμενος ἀριθμὸς αἱ ἐπακταὶ τῆς ☽. Ὥσπερ νῦν λαμβάνομεν ἀπὸ τῆς η, ὡς εἴρηται, ἐπινεμήσεως μέχρι τοῦ ἐνισαμένης ια ἐπινεμήσεως ἐνιαυτοὺς λ δ· καὶ ἀφαιροῦμεν τούτων τοῦ μίαν ἐνιαυκαιδεκαετηρίδα, καὶ μένουσιν ἔτη ι ε. Ταῦτα πολλαπλασιάζοντες ἐπὶ τὰ ια συνάγουσιν ρ ξε. Ἀφαιροῦμεν ἀπ' αὐτῶν τοὺς ἀπὸ λ ἡμερῶν μῆνας, τουτέστι ε λ ρ ν ς ἡμέρα, καὶ μένουσιν ἡμέραι ιε, αἵτινές εἰσι αἱ ἐπακταὶ τῆς ☽· καὶ δέον πάντοτε προσκεῖσθαι τῇ ☽ ὀκτὼ ἡμέρας. Ὥσπερ οὖν ἔχοντες ἐν τῇ ἐνισαμένῃ ἐν ια ἐπινεμήσει τὰς ἐπακτὰς τῆς ☽ ιβ προσθέμεν αὐταῖς τὰς η ἡμέρας, καὶ γίνονται d τῶν ἀριθμῶν κγ. Καὶ δέον λαβεῖν πάντοτε ☌ ἀριθμῷ τοῦτο τὸ λείποντα εἰς τὰς μδ c μέρον ☌ Μαρτίου ἐσι. Καὶ οὕτω δεῖ τηρῆσαι τὴν ιδ τῆς ☽. Εἴτε δὲ ἧττον τῆς η εὑρεθῇ, εἰδέναι δέον ὅτι ☌ Ἀπριλλίου ἐσιν, ὅτι η ιδ τῆς ☽ ἔσι. Καὶ ἐὰν ἔλαττον τῆς η ἐσι ☌ Ἀπριλλίου, δέον ἐξ αὐτῶν τῶν μεινάντων εἰς τὸ λείποντα εἰς τὰ μδ ἀριθμὸν ἓν πάντοτε ἀφαιρεῖν, καὶ ὁ καταλιμπανόμενος ἀριθμός ἐσιν Ἀπριλλίου ἐν ᾧ ιδ τῆς ☽ εὑρίσκεται. Εἴτε ὁ λείπων εἰς τὰ μδ ἀριθμὸν τῶν συναγομένων ἐπακτῶν τῆς ☽, δέον τὰ λα ὑφαιρεῖν καὶ εἰδέναι ὅτι ὁ λοιπεμένων ἀριθμὸς Ἀπριλλίου ἐσὶν, ἐν ᾧ η ιδ τῆς ☽ εὑρίσκεται. Εἰ δὲ ἀναλυόμενοι οἱ χρόνοι ἀπὸ τῆς η ἐπινεμήσεως τοῦ ἐπὶ Μαυρικίου τοῦ ἐν εὐσεβεῖ τῇ λήξει τῆς ἐνιαυκαιδεκαετηρίδος εἰς μηδὲν λήξουσιν, ἀλλὰ πάντες οἱ χρόνοι εἰς ἐνιαυκαιδεκαετηρίδας ἀναλυθῶσι· δέον τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ἀνεπακτὸν λέγειν, καὶ μόνον τὸν η ἀριθμὸν πάντοτε προσκειμένου ταῖς ἐπακταῖς τῆς ☽ λαμβάνειν, καὶ τὸ λείποντα τούτῳ τῷ ἀριθμῷ εἰς τὰ μδ αὐτῶν δέον τηρεῖν, καὶ ἀπὸ τούτου ἀφαιρεῖν λα, καὶ τότε λέγειν ιδ τῆς ☽ εἶναι. Τῆς γὰρ ἐπινεμήσεως ἐκείνης ἀνεπάκτου ὔσης ἔχομεν τὸν προσκείμενον ταῖς ἐπακταῖς τὸν

Methodus qua Paſcha, *ſecundum* Eccleſiaſticam Traditionem, *ſit inveſtigandum.*

Dies omni cultu digniſſima, qua vivificæ *Reſurrectionis* Domini noſtri & veri Dei *Jeſu Chriſti* feſtum celebramus à XXII. menſis *Martii* incipit, ipſaque illa XXII. & ad XXV. menſis *Aprilis* pertingit, quam & ipſam includit XXV. Neque enim XXI. *Martii* celebratur, neque *Aprilis* XXVI. Obſervari autem ſolet à *Luna* XV. & ea ipſa, uſque ad *Lunam* XXI. & eam quoque ipſam. Nec enim *Luna* XIV. ſolet, nec etiam XXII. Hoc autem modo invenitur hujus feſti dies ſecundum calculum *Eccleſiaſticum*. Quærere oportet imprimis *Epactas Solis* & *Lunæ*. Sic autem invenientur *Epactæ Solis*. Ab *Indictione prima* nuper præterita, *tertio* nimirum anno noſtri Deo grati Imperii, annos omnes oportet in unam ſummam collectos numerare. Ita uſque ad *Indictionem*, quæ jam adeſt, *undecimam*, colliguntur anni XI. Horum *quartam* partem, *binarium* ſcilicet, accipies, addeſque ſuperioribus. Bis enim quatuor VIII. ſunt. Reliqui ſunt *tres* quorum quartam partem non accipies. Indicant enim tres illi reliqui tres annos à *Biſſexto*. Quarta enim parte detracta, quæ ſupererunt, ſeu unus, ſeu duo, ſeu tres, annos indicant, ut dictum eſt, qui ab ultimo *Biſſexto* tranſierint. Quare horum pars *quarta* accipienda non eſt. Ergo annorum à *prima Indictione* collectorum pars *quarta*, uti diximus, *Indictioni* ſemper addenda erit, ut in hac ipſa *Indictione*, quæ [a] jam adeſt, XI. pars ejus *quarta*, nempe *binarius*; factaque additione, quartæ unius unitas rurſus ſemper eximenda; tum reliqua per VII. partiere, & quæ deinde ſupererunt, ea *Solis Epactas* appellabis. Exempli gratia, jam XI. eſt à *prima Indictione* annus. Horum *quarta* pars *duo* quibus additis fiunt XIII. Rurſus unitate, per perpetuam regulam, ſublata, reſtant XII. His per VII. diviſis ſupererunt quinque pro XI. *Indictione*, Solis *Epactæ*. Sic autem reperiuntur *Epactæ Lunæ*. A *Mauricii* beatæ memoriæ Principis Indictione [b] ſepone annos uſque ad XI. *Indictionem* XXXIV. Quotquot autem reperti fuerint XIX. annorum Cycli, illi ex annorum prædicta collectione [c] detrahendi, qui autem ſupererunt per XI. multiplicandi, inde menſes XXX. dierum omnes detrahendi, numero reliquo *Epactæ Lunæ* reperientur. Sic ab *octava*, uti dictum, *Indictione* ad illam, quæ jam inſtat, *undecimam* annos accipimus XXXIV. His uno Cyclo *novendecennali* ſubducto, manebunt anni XV. Illos ſi per XI. multiplices, dant annos CLXV. Hinc ſubducimus menſes XXX. dierum, i. e. quinquies *triginta*, [ſeu, quod eodem redit] dies CL, ita manebunt dies XV. pro *Epactis Lunæ*. Porro *Epactis Lunæ* dies VIII. ſemper addendæ ſunt. Quare cum in ea quæ jam adeſt XI. *Indictione* Epactas *Lunæ* habeamus XV, octo præterea dies addimus, fientque numero XXIII. Pro hoc autem numero illum ſemper accipere oportet quo deficit à numero dierum XLIV. nempe numerum XXI. Indicatque *Martii* XXI. hujus *Indictionis* XI. *Lunam* fore XIV. Et quidem *Lunæ* XIV. ita obſervanda eſt. [d] Seu enim *octonarium* ſuperet, numerus ei geminus quo deficit à XLIV. pro die *Martii* accipiendus eſt; ſeu ab *octonario* deficiat, colligendum inde in *Aprilem* incidere *Lunam* XIV. Et quidem ſi ſit *Aprilis* VIII. minor, è reliquo numero quo deficit ad XLIV. ſemper *unitas* detrahenda eſt, reliquus erit *Aprilis* dies quo *Luna* invenietur XIV. [e] Sin vero collectæ *Lunæ Epactæ* cum *additione* ſupradicta numerum *Complementi*, quo deficit XLIV, relinquant *menſe* majorem; demtis XXXI, reliquum ſcies numerum eſſe *Aprilis* quo *Luna* XIV. invenienda ſit. Quod ſi anni ab VIII. *Indictione Mauricii* beatæ memoriæ, per novendecim annorum Cyclos diviſi nihil faciant reliquum, ſed poſſint omnes in pares Cyclos reſolvi; nullas *annus* iſte habebit *Epactas*. Proinde ſolum *octonarium* accipies *Epactis Lunæ*, per perpetuam Regulam, addendum; & quo ſuperatur à XLIV, numerum obſervabis, verum ſubductis XXXI, eoque die *Lunam* dices XIV. Cum enim *Epactis* illa careat *Indictio*, habemus tamen numerum octonarium *Epactis* adjiciendum, cujus

a Delenda. b μερίζειν.
c ἡμέρας. d τῷ ἀριθμῷ.
e ἡμέρας.

a An. *Dom.* DCXXIII.
b Deeſſe hic videtur *Indictionis* numerus VIII. ut infra.
c An. *Dom.* DXC. d Tranſponenda hæc in *Græco*.
e In hunc, ni fallor, ſenſum intelligenda ſunt *Græca*. Sunt enim mutila.

cujus & reliquum accipimus qui ei deeſt ad XLIV, eſtque ille reliquus XXXVI. Subductis itaque (uti jam ſuperius diximus) XXXI, reſtant V, ex quo diſcimus, quoties occurrit *Indictio*, *Epactis* deſtituta, quintum *Aprilis Lunæ* eſſe XIV.

Qua autem Septimanæ *feria Luna* illa XIV. inveniatur, ſeu in menſem *Martium*, ſeu potius in *Aprilem* fortaſſis incurrerit, hoc modo inveſtigamus. Diei *menſis*, quo *Luna* XIV. inventa eſt, *Epactæ Solis* addendæ. *Epactæ Solis* jam V. ſunt, *Luna* autem XIV. in *Martii* incidit XXI, quo ipſo die eam habet ætatem *Luna*. Sic fient numero XXVI. Semper autem (quoties in *Martium* cadit *Luna* XIV,) quatuor addenda, fientque, noſtra *Indictione* XI, XXX. Quod ſi in *Aprilem* ea *Luna* XIV. inciderit, *quatuor* addenda non ſunt. Ergo numerus inde conflatus per *ſeptena* dividendus. Ita jam quater VII. fiunt XXVIII. Reliquæ ſunt è XXX. *duæ* dies, id nempe indicantes ſecundam eſſe Septimanæ *feriam* diem illam *Martii* XXI, cui concurrit *Luna* XIV. Cum itaque dies *Martii* XXI. *ſecunda* ſit Septimanæ *feria*; reliquis præterea ad *Dominicam* uſque diebus additis, *Martii* XXVII. invenietur ſancta & vivifica *reſurrectionis* dies pro *Indictione* XI. Ad eundem modum, pro quocunque anno eadem ſacra & vivifica dies *reſurrectionis* Domini noſtri & veri Dei cupientibus innoteſcet, ſiquis velit, pro ſingulis *Indictionibus* ab *Indictione* noſtri Deo auſpice *Imperii* unum ſemper annum adjicere, ad indagandas *Epactas Solis*; & ab octava *Mauricii* beatæ memoriæ *Indictione*, methodo prædicta procedere ad *Lunæ Epactas* ſimiliter inveſtigandas. Ita inveniemur vivificam *Chriſti* noſtri *reſurrectionem*, pro Apoſtolica Sanctorum Patrum Traditione celebrare, læti, & ſumma gloria efferentes ſanctiſſimum illius nomen, cum ingenito *Patre*, & vivifico *Spiritu*, nunc & ſemper, & in Secula Seculorum. Amen.

η ἀριθμὸν, καὶ λαμβάνομεν τὰ λείποντα εἰς τὸ μ δ, καὶ γίνεται ὁ μένων ἀριθμὸς λ ϛ. Αφαιροῦμεν οὖν, καθὰ ἀνωτέρω εἴρηται, τὸ λ α ἀριθμὸν, a μὴ ϛ ἀριθμὸς σημαίνει ὅτι τῇ πέμπτῃ ϖ Απριλλίου γίνεται ἡ ι δ τ ☽, ὅτε ἀνέπακτός ἐστιν ἐκείνη ἡ ἐπινέμησις.

Εἰ μέντοι ἡμέρᾳ τ ἑβδομάδ῾ ὁποίας ἐστὶν ἐν ᾗ ι δ τ ☽ εὑρίσκεται, εἴτε εἰς Μάρτιον, εἴτε εἰς τὸ Απρίλλιον τυχὸν αὐτῇ ἐμπίπτει, γινώσκεται τῷ τρόπῳ τούτῳ. Δέον τὰς ἐπακτὰς ϖ ϛ ϖϑϛιθέναι ταῖς ἡμέραις ϖ μηνὸς ἐν ᾧ ἡ ι δ τ ☽ εὑρίσκεται. Ωσπερ νῦν αἱ ἐπακταὶ ϖ ϛ ἐγίνοντο b τῷ ἀριθμῶν ε, ἡ δὲ ι δ τ ☽ εἰκοσῇ πρώτῃ Μαρτίου ἐνέπεσε, ἐν ᾗ ἡ ι δ τ ☽ ἔφθασε, καὶ γίνονται κ ϛ τῷ ἀριθμῷ. καὶ δέον πάντοτε καθότε ἐστὶν ἐν Μαρτίῳ ἡ ι δ τ ☽ τέσσαρας ϖϑϛιθέναι. Γίνονται δὲ ἐν τῇ ἐνιαμένῃ ἐν ι α ἐπινεμήσει, λ. Ἐὰν δὲ εἰς Απρίλλιον ἐμπέσῃ ἡ ι δ τ ☽, ὁ δεῖ ϖϑϛιθέναι τὰς σ. Δέον τοίνυν μεϱίζειν τ γενόμενον ἀριθμὸν εἰς τ ζ. Ωσπερ νῦν μεϱίζοντες δ ζ κ η, εὑρίσκομεν μενάσας ἐκ τ λ δύο ἡμέρας, αἵτινες σημαίνουσιν ὅτι δευτέρᾳ ἡμέρᾳ τ ἑβδομάδ῾ ἐστὶν ἡ κ α ϖ Μαρτίου μηνὸς ἐν ᾗ ἡ ι δ τ ☽ ἔφθασε. Τῆς οὖν κ α ϖ Μαρτίου μηνὸς ὄσης, ὡς εἴρηται, ἐν δευτέρᾳ ἡμέρᾳ τ ἑβδομάδ῾, καὶ ϖϑϛιθεμένων τ ἡμερῶν τ μέχϱι τ κυϱιακῆς εὑρίσκεται τῇ κ ζ ϖ Μαρτίου ἡ ἁγί῾ καὶ ζωοπόιος ἡμέρα τ ἀναστάσεως ϖ κυϱίου ἡμῶν ϖ c ἀληθινῦ θεῦ τοῖς βουλομένοις γνῶσι γίνεται, ϖϑοδήλως ϖ ἑνὸς ϖ ἑνιαυτοῦ πάντοτε ϖϑϛιθεμένου καθ' ἕκαστον Ινδικτον ἀπὸ τ ἐπινεμήσεως τ ἡμετέρας σὺν θεῷ βασιλείας εἰς τὸ γινώσκειν τὰς ἐπακτὰς ϖ ☉, καὶ ἀπὸ τ η ἐπινεμήσεως τ ἐπὶ Μαυρικίου ϖ ἐν εὐσεβεῖ τῇ λήξει, εἰς τὸ εὑρίσκειν τὰς ἐπακτὰς τ ☽ κατὰ τοὺς ϖϑϛιϱημένους τρόπους. Καὶ εὑρισκόμεθα, κατὰ τ Αποστολικὴν τ ἁγίαν πατέρων παράδοσιν, τ ζωοποιὸν ἀνάστασιν ϖ Χριστοῦ ϖ θεοῦ ἡμῶν, ἐπιτελοῦντες, χαίϱοντες, καὶ δοξάζοντες τὸ πανάγιον αὐτοῦ ὄνομα σὺν τῷ ἀνάϱχῳ πατϱὶ καὶ ζωοποιῷ πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς αἰῶνας τ αἰώνων. Αμήν.

a forte μένων. b τῷ ἀριθμῷ. c Sic & ſupra barbarus Librarius pro ἀληθινῦ.

MONITIO AD LECTOREM.

STatueram, Lector, tertios illos, quos promiſi, Faſtos Latinos, *hoc in loco ſubjungere. Quanquam enim in eodem Codice haberentur in quo ſequebatur Chronicon* Mariani Scoti; *alios tamen credideram à Faſtis* Mariani. *Cur ita ſentirem, duæ me præcipue movebant rationes; altera quod in* fronte *MSi.* ſeorſim *legerentur, non ut in editis* Mariani *exemplaribus reliquo operi* permiſti; *altera quod major eſſet illorum à vulgatis* Mariani *Faſtis plerunque* diſcrepantia *quam quæ videretur eſſe* Librarii. *Monuit tamen eruditiſſimus Pater* Aſaphenſis *ipſos illos* Mariani *Faſtos à* Florentio Wigornienſi *exſcriptos, ſinceriores tamen hodie in* Florentio *haberi; quam apud ipſum* Marianum; *nempe melioribus uſo* Mariani *Codicibus quam fuerint illi unde emanarint hodiernæ* Mariani *Editiones. Facto itaque experimento deprehendi quo longius ab edito* Mariano *diſcederent Faſti* Oxonienſes, *eo ad* Florentium *plerunque propius accedere. Deprehendi etiam utrobique primum illum* Maximini *cum Collega* Severo *Conſulatum. Non ſunt itaque Faſti illi alii à Faſtis* Mariani, *ſed alius duntaxat in Codice ordo, & Codex ipſe ſincerior. Hæc te ratio mutati poſtea conſilii nolui, Lector, ut lateret.*

FINIS.